ANNALIVM
ECCLESIASTICORVM
TOMVS XVI.

ANNALIVM
ECCLESIASTICORVM
TOMVS XVI.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. 6. C. 15. N. 1.

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM POST

ILLVSTRISS. ET REVEREND. DOM.

D. CAESAREM BARONIVM,
S. R. E. CARDINALEM
BIBLIOTHECARIVM.

Tomus XVI.

RERVM IN ORBE CHRISTIANO AB ANNO Domini 1431. vsq; ad annum Domini 1448. gestarum narrationem complectens.

AVTHORE.

R. P. Fr. ABRAHAMO BZOVIO
POLONO, SS. THEOL. DOCTORE,
Ordinis Prædicatorum.

Opus nunc primùm in lucem editum.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Antonij Boëtzeri
HAEREDVM.

Anno M. DC. XXIV.

Cum licentia & facultate superiorum.

um gratia et priuil. Sum. Pontif. Sacræ Cæs. Maiestatis et Christianissimi Regis Francorum, et c.

es de la Libreria del Colegio real i mayor de Granada

VRBANO VIII.
BARBERINO PONTIFICVM
MAXIMO OPTIMO.

F. ABRAHAM BZOVIVS S. T. M.
Ord. Prad. F. P.

BEATISSIME PATER.

ADmirandum diuinæ prouidentiæ, in Tua ad ſupremam Eccleſiæ dignitatem aſſumptione decretum, vniuerſâ Chriſtianitate ſuſpiciente, atq; tibi & ſibi mutuas gratulationũ ſignificationes; illuſtriſſimis argumentis edente, neq; mihi temperandum eſſe exiſtimabam, à quali, quali, indicatione communis omnium, & meæ priuatæ lætitiæ. Iam non pauci Soles præterlapſi ſunt, quando neſcio quo genio (puto diuiniore) vrgẽte, Tibi maximo virtutũ alumno, maximum iſtum ſupremi Pontificatus honorẽ auguratus fui. votis expoſcebâre meliorum, qui ſacrariũ mentis Tuæ omnibus ornamentis auguſtioribus inſigne, penitus introſpicientes, Te ſummo faſtigio digniſſimũ iudicabant. Expleta porrò ea, dum propter ſuſpenſam expectationẽ ferè omniũ video inprimis inſcrutabilem actionum, & motionum Dei abyſſum veneror; Deinde tibi, vniuerſis, & mihi congratulor; Tibi decretos promeritos, virtutibusq; exambitos apices, vniuerſis autem, & mihi datum verè Pontificem, verè Patrẽ, verè Paſtorem: Qui præeas, foueas, paſcas, exemplo, benignitate, curâ: illo illuſtriſſimo, hac profuſâ, iſtâ indefeſsâ. Vertex Theologorũ deſiderabat in Antiſtite, ne qua vitij labe ſorderet, ſed omni virtutum genere præcelleret; ac quod maximè arduum laborioſumq; eſt vt gregem rectè ac peritè moderetur. Aiebat, Antiſtitis factum pro lege haberi: illumq; omnium vel malorum, ſi eorum officina, vel ſanctimoniæ, ſi eius ſacrarium fuerit, traducem in populis curæ cõmiſſis futurum. Pronunciabat & iſtud: hominẽ animal omnium maximè varium, & multiplex, regere artem eſſe artium, & ſcientiam ſcientiarum: quæ ſcilicet Angelicam in perſcrutandis morbis ſagacitatem, in curandis diligentiam, in tolerandis ſubditis patientiam, in fouendis charitatem, in depangendâ fide ſtudium, in amplificandâ religione zelum, in depurandis mentibus ardorem, in perficiẽdis, tuendiſq; ſacris pectus intemeratum, inuiolatumq;, in profligandis hoſtibus internis & externis, in aduertendis, depellendiſq; aduerſis, tam ſpiritualibus, quam corporalibus, in promouenda, procurãdaque publica, & priuata omnium ſalute, quiete, & felicitate, oculatam, flammantem, & æternam ſolicitudinem tam neceſſariò exigat, vt ſine his diuinioribus gemmis, Pontifex, non Pontifex; Princeps, ſed, vel ex illis ſtultis Taneos; vel ex alijs illis, quibus neque panis, neque veſtimentum; Sacerdos, ſed non Angelus, cuius labra cuſtodiant ſcientiam; ſed neq; carbone Seraphico purgatus, legem contemnens, polluens ſancta, inter prophanum, & ſanctum nihil diſcriminis ſtatuens, à Sabbatis oculos aperiens, & in medio Deum coinquinans: potius laqueus ſpeculæ, & rete extenſum ſuper Itabyrium, Architectus, ſed ædificans Syon in ſanguinibus & Hieruſalẽ in iniuſtitijs: Iudex, ſed qui capiat; Paſtor, ſed qui oues iugu-

let, nec pœnitentiâ ducatur, ſed vendat, diſperdat, diſpergat, eijciat, commodaq; propria publicæ vtilitati anteponat. Non talis Eugenius IV. cuius archetypum Tibi in præſens adfero: neq; talis Tu Beatiſſime Pater futurus, ſed omnium ſanctioris notæ Pontificum maximus; Innocens iam ab olim, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior comparticipibus quamplurimis, ab ind ole, inſtitutione, gratia, cura, vigilantia factus; ad Paulinã amuſſim à ſuffragatoribus iam repertus, qui ſanctitatem, integritatem, pudicitiã, comitatem, modeſtiam, temperantiã, liberalitatem, benignitatem, doctrinã, prudentiam, iuſtitiam, continentiam, zelum pro domo Dei ſanioris moris ſtudium, non tantum domeſticis intra priuatos lares, nec tantũ ciuibus intra Vrbicos & Italicos limites, Doctor, Prælatus maioris præſidentiæ, Referendarius vtriuſq; ſignaturæ, Gubernator Fani Fortunæ, Prothonotarius Apoſtolicus, Comes peregrinationis Ferrariẽ. Clericus Cameræ Apoſtolicæ, Iudex Annatarũ, Conſultor in grauaminibus diminuẽdis, in recta adminiſtratione Patrimonij Eccleſiaſtici, inq; audiendis Procerum controuerſijs, Diribitor confiniorũ & collimitiorum Regni Neapolitani, & Veneti Principatus cum Eccleſia, Epiſcopus Spoletinus, Præfectus cum ſuprema poteſtate ſignaturæ iuſtitiæ, Legatus Bononiæ; verùm etiam extraneis, Protector Orientis, & Regni Scotiæ, Nuncius cũ facultatibus Legati de Latere in Chriſtianiſſimo Regno Galliarum, domi quidem ſanctitate familiæ fundatâ; in Vrbe ſacello planè Regio apud Baſilicã Andreianam extructo; in muneribus cuiuſq; publicis æquitate ſeruatâ manibuſq; à turpi lucro intamminatis: apud exteros verò, fide Catholicâ, vel animosè ab hæreticis vindicatâ, vel ingentibus auſis amplificatâ, hæreſibus debellatis, pyramidibus illis illis proſtratis: Religioſorum examinibus ad priſtinas ſedes reſtitutis, cultu diuino propagato, veteri diſciplinâ redintegratâ, per connubia Regum pace, & felicitate Europæi orbis conciliatâ, maieſtate, & authoritate Romanorũ Põtificũ propugnatâ, propudioſis maleferiatorũ contrà Primã ſedem conatibus oppreſſis; alijſq; heroicis facinoribus probaſti, dignumq; Te Con-Purpuratorũ Collegio oſtendiſti: qui te ex his veluti fulgentiſſimis radijs Solem illum in cuius alis SANITAS ſuſpiciẽtes, ſupremo axe dignum decreuerunt, & vniuerſo Orbi impoſuerunt. O ſerua, & exere Te talem; & à Tuo pectore ſupra quam Regio, mellifluum reſtitue ſeculum; Eugeniano exemplo Orientem Occidẽti adiunge, Septentriones errantes ſuo Cælo defige, vnumq; omnes (cum Princeps vtriuſq; litteraturæ atque paraturæ emineas) in Orthodoxia effice; quod voueo, quod auguror, quod ſpero. Romæ apud S. Petrum, Die Diuo Bernardo mellifluo ſacro 1623.

A. Querengi. V. S. Referendarij.

AD VRBANVM OCTAVVM PONTIFICEM MAXIMVM.

De Bzouianis Annalibus

PEr lege Pontificum res magnæ Vrbane priorum,
Quas memorat docto Bzouius eloquio.
Ausum opus immensum dices, onerique ferendo
Ingenij vires supposuisse pares:
Sed veri exemplar quod Principis ipse relinquo,
Te præter dignè scribere nemo potest.

FERDINANDI CAROLI.
In Acta Eugenij Quarti.
AB ABRAHAMO BZOVIO.
VRBANO VIII. P. O. M. DICATA.
Bzouius.

ARma decus pacis, bellorum robora leges,
Et coniurato celsius orbe caput.
Æthiopes, Indos, gemini diademata mundi;
Eugenij ad sacras quæ iacuêre pedes.
Magna damus; sed quæ Te, magne Vrbane, minora,
Sed quæ sint cœptis inferiora Tuis.
Tot tamen in rebus, tantoq; in Principe, quantum
Vrbs sibi, quid de Te spondeat Orbis, habes.

CHRONOGRAPHICVM
Mensis, & Anni, quo electus est S. D. N.
VRBANVS PAPA VIII.

LIs erat eLLa Pater, teLLVs an pVLChrIor astrIs
CVM trICoronIgeræ stat tIbI frontIs honos?
VIrgIne ConCertant CœLI aC te PræsVLE terra,
sI-IDVs ID esse sIbI terra, hoC & astra probant;
terra CapIt prIMas trIna hæC & LaVrea CessIt,
pastorIq; soLI CLaVIgeroqVe poLI.

FACIEBAT Fr. LEONARDVS HANSEN
ORD. PRAED.

AD. R. P. F.
ABRAHAMVM BZOVIVM
ORD. PRAED. ANNAL.
Eccl. Scriptorem

EPIGRAMMA

Eiusdem Fr. Leonardi Hansen
eiusdem Ord.

DVm premis armigerum collo plumante Pygargum,
Scandis & astræos cum Ganymede polos:
Abdita Nepruni dum per vestigia serpis
Squámea Tritonis tergora iure tenens:
Ignea Pyrothoi dum te iuba tollit in altum,
Vnaque cum Phæbo fulua Quadriga leuat!
BZOVI, Quid mirum si mundus clamitet omnis?
Quod tellus gremio, BZOVIVS Eloquio.

Aliud ad eundem R. P.

ABRAHAMVM BZOVIVM
Fr. IOAN. ADOLPHI SCHVLCKENII
Geldrienſis eiusdem Ord. Præd.

HOrrida quid Sphyngis bis capripedantia cerno
Funera? præcipitis membraque Sparsa Deæ?
Quidnè vagabundi per gramina Sparsa cerebri
Fragmina diuerso cespite Terrageris?
En reor Eterat veterem ignorantia casum
Quam tua Sphynx signant lurida membra Deam.
Oedipus vnde igitur? non hic, sed BZOVIVS, insit,
Candidus Historia fulmine Sphynga domat.

Admodum Reuerendo & Perillustri Domino,
P. ABRAHAMO BZOVIO,
MAXIMO CELEBERRIMOQVE
Annalium conditori,

Romæ iam scribenti; gratulabundus acclamat

BARTOLDVS NIHVSIVS, NVPER
Lutheranus, nunc per Dei miserentis
gratiam Catholicus.

VIx iam primùm à proprio mihi Numine fulsit
Lux oculis, (oculos nam sors inimica negârat,)
Aurea lux, quæ mentem in thyrsum & iubila mille
Accendit, dulci lachrimarum non sine nimbo.
Ergo mirificè translatus ad atria cœli,
Atq; in castra tyro missus, flammantia castræ
Igne triumphali, & latè subigentia mundum,
Agmina, non populantia sed subigentia mundum
Tartara dum pedibus calcant furiasq; nefandas
Exin castrorum spectacula singula lustrans,
Non spectacula sed miracula; dicite Musæ,
Non Musæ Aonides, (vale ô vate improba turba,)
Sed quarum citharis domus altipatentis Olympi
Personat, eia agite edite, quidnam Syderis istic
Sarmaticis longè summotum conspicor oris?
Impar num tellus, Romano è culmine manult
Desuper emicet ac iubar explicet atq; ita didat
Vt penitus totum fulgoribus impleat orbem,
Orbem Cimmeria caligine noctis opertum?
Magne sator lucis, BZOVI, tibi munera laudum
Cœlum ipsum meditans, succumbit, & excidit ausis.
Quid miser ergo tyro tibi muñerer, inclyte BZOVI!

COLONIAE AGRIPPINAE,
MENSE DECEMBRI,
CIↃ IↃ CXXIII.

ADM.

ADM. REVERENDO PATRI

P. ABRAHAMO BZOVIO

ORD. PRÆD. S. THEOL. DOCTORI. S.æ R.æ

ECC.æ HISTORICO.

Mathias Sarbieuius Soc. Jesu Theologus.

Valem è niuosis Eridanum iugis
Primo cadentem leniter agmine
Blandæ natatorum cateruæ
Trajiciunt, hilarique circum
Plaudunt tumultu: mox vbi largius
Et temperati marginis immemor
Decurrit, & præterfluentis
Regna procul, populosq; lustt.
Errore lymphæ; degeneres simul
Ripâq; & immensi hospitio aluei
Dignatus amnes, atq; aquosum
Immodico bibit ore cælum;
Syluisq; & armis latium imperans,
Ripam euagantis seditionibus
Metatur vndæ, iam natari
Difficilis, nimiumq; campi
Ventipauentem non bene sustinet
Dorso phaselum: latior arduas
Subire bellantum carinas,
Et galeis, clypeisq; longè
Clarus videri, donec Iapygas
Amnes profundi fluctibus Adriæ
Submisit, & maiore ponto
Velivolum dedit ire Martem.
Sic te sonantem parcius aureæ
Torrente linguæ prima per Italas
Clamata defatigat Vrbes
EVGENI: *pia cura Patriæ.*
Qui bella Regum & illachrymabiles
Rerum tumultus sistere prouidus
Mundi laborantis ruinas
Erigeret subeunte collo,
Sacriq; veri sollicitos Patres,
Quos infidelis littora Bosphori,
Rubriuè submisere Ponti
Regna, Parethonijq; Nili,
Lætum Latinis consilium plagis
Rerum potentem visere Tuscam, &
Leges, peregrinosq; ritus
Dardanijs sociare sacris.
Hîc tu prophanis cassa furoribus
Doctisq; narras prælia vocibus
Pugnata, clamatumq; Martem
Quà vitrei sonat amnis arni.
Nec otiosæ more licentiæ
Exaggerato defluis alueo;
Sed plana per rerum quieto
Ore ruris, meduscq; ripæ,
Et concitato plenior impetu,
Linguæ sonoro flumine deuehis
Classes, & euagata latè
Ambracio pia bella ponto.
Videre totis iam videor Thetyn
Pugnare remis, iam Latiæ procul
Turmæ, reperuisæq; circum
Aêre micant galeisq; lymphæ:
Quêis Othomani plus vice simplici
Infracta virtus, iam video nouas
Latè per Ægæum vagari
Cycladas, Æmoniamq; longè
Inauspicato sidere lugubrem
Mœrere Lunam. iam profugæ retrò
Cedunt tyrannorum phalanges
Qui Latium populis adorti
Altamq; Romam, iam lætus vocant
Superbientes sub dominis equos:
Vulsiq; coniurata signis
Regna fluunt, geminantq; Martem.
Heu quantus armis, quantus adest equis
Quantusq; sudor depopulantibus
Pangæa Dacis, cum refusi
Ferreæ diluuies Gradui
Tumultuosi turbine prælij
Concussit Æmum. cum Rhodopen propè,
Pactisq; LADISLAVS *armis*
Attonitum patefecit Hebrum,
Et bellicosum Strimona vindice
Turbaunt hastâ, qui calidas adhuc
Strages Gelonorum, & natantum
Scuta virûm, galeasq; volut!
Magnum illa ternis intulerat metum
Præceps abenas rumpere copias
Taboq; fumantes, & igni
Ausa cohors operire campos.
Si non honesti læta periculi,
Bellicq; metas rumpere pertinax,
Egisset armorum cupido
Non humiles iterare pugnas.
Manes auorum quis benè prosperis
Excusset armis? quæ manus impigrum
Lethi Musurmannum paternis
Immolet inferias sepulchris?
Quæ nunc (pudendum) illudere peruicax
Persultat armentum, & miserabiles
Delent peremptorum ruinas
Hinnulei, timidaq; dama?
Heu cicatricum Hesperiam pudet
Et mollis otî, & turpis inertiæ
Iraq;, quæ procudit arma
Immeritis inimica regnis!
Quisquamne tandem (dicite posteri)
Vlturus Vrbis nomen & Imperî
Affulget ensis, atq; ab vllo
Scuta tholo, pharetraq; pendent?
An (quod vereri certius eligam)
Futurus ensis Dardanios adhuc
Proscindit agros, aut adultæ
Arua metit, vividesq; syluis
Frondent sagittæ; solus & Italæ
Oblitus nocte silentij
Abducit ABRAMVS *tropæa*
Et veteres reuocat triumphos?

PRI-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

MATTHIAS Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rex Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirttembergæ &c. Comes Tirolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis. Quod cum demisse Nobis exponi curarit noster & Sacri Imperij fidelis dilectus Antonius Boëtzerus, Ciuis & Typographus Coloniensis, sese publico Litteratorum, & vel maxime eorum commodo, quibus Theologiæ studium & Historiarum cognitio cordi est, Opera omnia Patris M. Abrahami Bzouij Ordinis Prædicatorum, quæ scripsit, quæq; in posterum scripturus sit, prælo subijcere, sumptibusq;, & typis suis in publicum edere decreuisse. Vereri autem, ne, quod subinde accidisse malo suo didicerit, æmulorum fraude, qua lucri captandi causa primas istiusmodi editiones imitari, atque ita ex alienis sudoribus quæstum facere consueuerint, ipse sperato laboris & impendij sui fructu ad alios translato inique fraudetur. Ac proinde supplex Nos rogârit, vt indemnitati suæ hoc loci consulere, ipsumque aduersus quorumcunque machinationes supradictas Priuilegio nostro Cæsareo clementer munire dignaremur. Nos pro benigna animi nostri in rem Litterariam affectione, precibus istiusmodi haud grauatim annuerimus, vti vigore præsentium annuimus. Ac proinde omnibus ac singulis Typographis, Bibliopolis, & alijs quibuscunque negotiationem librariam exercentibus serio inhibemus, & vetamus, ne quisquam prædicta Opera quocunque modo, charactere, aut forma, siue integra, siue aliquam eorum partem, citra memorati Antonij Boëtzeri, eiusue hæredum voluntatem & assensum, intra decennium à prima editionis die computandum recudere, aut alij recudenda dare, siue alibi etiam impressa intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque & Dominiorum nostrorum hæreditatorium fines apportare, vendere, vel distrahere audeat ac præsumat. Si quis autem Edictum hoc nostrum transgredi, violare, aut contemnere deprehendatur, cum non solum eiusmodi Libris perperam recusis & apportatis, quos dictus Antonius Boëtzerus, eiusue hæredes vbicunque inuenti fuerint, siue propria, siue Magistratus ibidem authoritate atque auxilio sibi vendicare poterunt, priuandum, sed & pœna decem Marcharum auri puri, cuius semis prædicto Boëtzero eiusue hæredibus, alter vero semis fisco nostro Imperiali fraudis vindici toties quoties contrafactum fuerit, omni spe veniæ sublata mulctandum decernimus. Dummodo tamen eiusmodi Opera nihil in se scandalosum, autor. thodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperij constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium, siue in præfatione siue in contextu, seu aliàs quocunq; modo cõtineant, & Boëtzerus ipse terna vt minimum dictorum Librorum exemplaria suis sumptibus quamprimum ad Cancellariam Imperialem Aulicam transmiserit. Mandamus ergo Vniuersis nostris, & Sacri Rom. Imperij, Regnorumque ac Ditionum nostrarum hæreditariarum subditis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis aut dignitatis existant, tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus, præsertim vero ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprie vel superiorum nomine & loco tus ac iustitiæ administrationem exercent, ne quenquam Priuilegium hoc nostrum Cæsareum temere & impune transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos forte compererint, præscripta pœna mulctari, alijsque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam euitare voluerint. Harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ, die 17. Mensis Ianuar. Anno Dom. M. DC. XVII. Regnorum nostrorum, Romani V. Hungarici IX. Bohemici vero VI.

Matthias

V. HL. Von WWM.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium.

Io. Barutius.

FA-

FACVLTAS SVPERIORVM.

NOS Fr. Raphaël Riphoz Barchinonensis Sacræ Theologiæ Professor, & totius Ordinis Prædicatorum humilis Vicarius Generalis & Seruus: Tenore præsentium, nostrique auctoritate officij facultatem concedimus *Admodum R. P. F. Abrahamo Bzouio Ord. nostri Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magistro*, eique in meritum sanctæ obedientiæ iniungimus, vt librum qui inscribitur PONTIFEX ROMANVS, XV. ET XVI. TOMVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM ab ipso compositum, iuxta decreta Sacrosancti Concilij Tridentini, & Constitutiones, statutaque Capitulorum Generalium Ordinis nostri, à duobus Patribus Sacræ Theologiæ Magistris Ordinis nostri examinatum & approbatum, publicis typis mandare valeat. In quorum fidem his officij nostri sigillo munitis manu propriâ subscripsimus. Datum Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ super Mineruam, die 19. Augusti 1618.

F. Raphaël Riphoz.

qui suprà.

R.ta fol. 112.

VIDI ac legi Tomos XV. & XVI. Annalium Ecclesiasticorum compositos à R. P. F. Abrahamo Bzouio S. T. Magistro, Ord. Præd. & dignos censui impressione. Datum Romæ in Collegio Græcorum Calendis Decembris 1620.

Ego F. Zenobius Medices S. T. Lector, & Philosophiæ in eodem Collegio publicus professor manu propriâ.

Ego F. Antoninus de Granatis, Philosophiæ & S. Th. Lector manu propriâ

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM,

Post

CÆSAREM BARONIVM S.R.E. CARDINALEM BIBLIOTHECARIVM, ET HISTORIOGRAPHVM,

TOMVS XVI.

Auctore

F. ABRAHAMO BZOVIO POLONO, S.TH. MAGISTRO, Ordinis Prædicatorum.

ANNO CHRISTI 1431. EVGENII PAPÆ IV. ANNO I. SIGISMVNDI REGIS ROMANORVM ANNO 21.

I. *Conclaue post obitũ Mart. V. pro creatione noui Pont.*

ADO 10. Kalendas Martij, Martino Quinto Pontifice, rebus humanis exempto, Patres, de supremo Pastore subrogando solliciti, cum primum nouem diala funebria defuncto Martino peregissent, ipsis Kalendis Martij, Sacro de S. Sancto, ab Iordane Vrsino Cardinale Albanensi de more peracto, Conclaue, in Cœnobio FF. Prædicatorum S. Mariæ ad Mineruam Romæ paratum, ingressi sunt; omnes numero 14. quorum hæc fuere nomina.

1. *Iordanus Vrsinus, Episcop. Card. Albanus, major Pœnitentiarius.*
2. *Antonius Corrarius, Episcopus Card. Portuensis, & S. Rufinæ.*
3. *Antonius Pancerinus, tituli S. Susannæ. S.R.E. Archipresbyter.*
4. *Dominus Gabriel Condulmerius, tit. S. Clementis.*
5. *Branda Castellio, presb. Card. tit. S.*
6. *Ioh. de Rupescissa. t. S. Laurentij in Lucina. S.R.E. Vicecancellar.*
7. *Domnus Lodouicus Alamannus, tit. S. Caciliæ.*
8. *Antonius Casinus, tit. S. Marcelli.*
9. *Ioan. Ceruantes S. Petri ad vincula, tituli Eudoxiæ.*
10. *Lucidus de Comitib. S. Mariæ in Cosmedin, S.R.E. Archidiacon.*
11. *Alphonsus Carillus, Hispanus Diaconus Card. S. Eustachij.*
12. *Ardicinus de la porta, SS. Cosmæ & Damiani.*
13. *Hugo Lusignanus Cyprius, S. Hadriani.*
14. *Prosper Columna S. Georgij in Velabro.*

II. *Eugenius V. Pontifex eligitur & quis ante Pontificatum.*

Tredecim ex his numero, communibus suffragiis, tertio ab ingressu die, designarunt Summum Pontificem, Gabrielem Cardinalem Condulmerium; quem pro consuetudine mutato nomine, Eugenium IV. salutarunt. Natus fuit is Venetiis, honesta populari, sed tamẽ vetusta familia; quæ postea, ipso Pontifice renuntiato, inter Patritias locũ obtinuit. Patrem habuit Angelum Condulmerium, à cuius disciplina tantum in pietatis studio profecit, vt adolescẽs parentibus amissis, patrimonium quod non tenue acceperat in pauperes distribuerit, & Euangelicum secutus cõsilium, vna cum socio Antonio Corrario, æquali ardore inflammato adolescente, Religioni nomen dederit in Monasterio Veneto, cui S. Georgio in Alga etiamnum titulus est. In eo per omnes gradus virtutum, ad summam perfectionis Christianæ, breui euasit, sanctitatisq; ingens nomen etiam Romam transmisit: quo Greg. XII. Pont. Max. maxime delectatus, Gabrielem in Vrbem euocauit, & Senensib. Episcopum dedit: cum etiam Antonium Corrarium, non tam propter sanguinis aspectum, quam sanctimoniæ profectum, Bononiensi Ecclesiæ præfecisset. Recusauerant aliquamdiu Senẽses, Gabrielem, suscipere Episcopum: quod dicerent: hominem alibi natum, & educatum, non parem futurum tantæ dignitati: præstareq;, eam curã conferri alicui, qui mores hominum, ac ritus ciuitatis nosset. Sed vicit Pontificis auctoritas, qui non multo post, geminatis honoribus, Antonium quidem Camerarium S.R.E. Gabrielem vero Clericum Cameræ & Thesaurarium dixit: neq; diu moratus, vtrumq; quanquam inuitis Patribus, in amplissimum Apostolicæ cathedræ Senatum recensuit; Illum titulo S. Chrysogoni, Condulmeriũ titulo S. Clementis, presbyteros Cardinales. Martinus V. Pontifex, quasi mente præsaga perspiciens, Gabrielem aliquando sibi in cura Pontificia successurum, maximis rebus gerendis illum admouere solebat, vt cum tempore assuesceret, rei summæ tractandæ. Quapropter Piceni primum, deinde Bononiæ Legatum creauerat: quo in munere, ad ingẽtia se natum fore probauit, fide, deuotione, prudentia, dexteritate, zelo, constantia, magnanimitate, & reliquis virtutibus. Piceni Legatus, sumpto de quibusdã seditiosis & coniuratis supplicio, eam prouinciam in obsequio Romanæ Ecclesiæ confirmauit. Templum S. Agnetis apud Anconam celebre, sed iniuria temporum pene dirutum, restituit: portum Anconitanum, à Traiano Imperatore magnis expensis conditum, sed negligentia Præfectorum Anconæ ac Piceni, fere obrutum, restauratit: Bononienses q; à factione Canetulorum, reb. nouis intentos, repressit: adeoq; seditionẽ gliscentem compescuit. Ab his Legationib. Romam reuersus, non tantum Martino, sed etiã vniuerso Patrũ Collegio, ingens specimen heroicarum virtutum exhibuit, dignumq; se Pontificatu maxime fecit; quẽ illi Patres purpurati, summo consensu, ad Quintum Nonas Martij detulerunt.

III. *Prodigiũ initio eius Pontificatus.*

Eo ipso die, ante fores Basilicæ Principis Apostolorum, supremæ dignitatis insignia, à Lucido Comite, primo ex Diaconis Cardinale, præsente omni Clero & populo Romano suscepit: deinde Basilica Vaticana de more visitata, Consistoriũ tanta frequentia, in Vaticana aula habuit, vt trabib. fatiscentibus, multi trepidantes ad fugam respectarint, & inter elabendũ, aliquos, ac inter hos Episcopu Senegallien sem, gente mellinum, oppresserint: plurimis augurantibus infaustum fore Eugenio Pontificatum, tã inauspicato initum. Augebantur ab iis timores, qui ex astrorum vel deliquo, vel obliquio præsumebãt futura præsagire. Nam, ꝙ pridie mortis Martini Pontificis, Sol, in diurna statione lumen amisisset, referebant non ad obitum tantummodo mortui Martini, quantum ad calamitatem temporum, quæ rempublicam Christianam statim à casu optimi Pontificis afflixit. Accidit istud, siue volente, siue permittente Deo, qui decreuerat inter hos turbines, Eugenium quidẽ exercere: Ecclesiam vero Romanam, tum cum maxime periclitari videbatur, maxime inuictam siue ostendere, siue efficere: vt perpetuo huic Petræ inconcussæ, ab omnibus conclametur: *Et porta inferi, non præualebunt aduersus eam.*

IV. *Encyclicas scribit & ad Principes inconcussa conseruanda constituendo.*

Renunciatus Pontifex Eugenius, in primis Reges ac Principes Christianos, Clerum ac populum Catholicũ assumptionis suæ certioré fecit: deinde Legationes eorũ benigne audiuit. Et quia maximum reipublicæ Christianæ in tranquillitate conseruandæ momentum, experimento didicerat esse Italicorum Principum concordiã, vocatis ad se eorum, ac liberarum Vrbium Oratoribus, ostendit eodẽ sibi loco oẽs futuros, sese paterna beneuolentia vnũquemq; cõplexurũ, nec suaforẽ modo pacis fore, sed ẽt auctorem: q̃ si qui violare auderent, tũ demũ sibi adfuturã vlciscendi voluntatẽ sentirent. Hæc ad eos proloquutus, anathemata insuper & diras omnes interminari adiecit: quib. vniuersos & singulos, in coléda cõcordia contineret.

V. *Philip. Medial. Dux à Pont. alienatur & ei modis omnib. incõmoda ve ſtudet.*

Non omnes ad illius vota respexere. Philippus in primis Vicecomes, Mediolanensiũ Dux, belli q̃ pacis auidior animum à Pontifice alienauit, quãdo intellexit illum denunciasse, se hostem cuicunq; futurũ, qui pacem & icta fœdera cõturbare conaretur. Ergo & Lucenses, & Senens. in Florentinos concitauit: ac prætereà ipse in Venetos. Pontificiob natalium necessitudinem magis obnoxios, misit: adeoq; adhortatorem & auctorẽ pacis, conténere vitus fuit. Non præcipitauit sententiã Eugenius, in principem inquietum: sed Cardinal. Bononien. Legatum ad illum, & ad cõfœderatas ei vrbes misit, qui omnes ab armis deterreret. Cumq; is nec precib⁹, nec minis, quicquã potuisset à Philippo obtinere: ac Florentini vna cum Venetis, opem Pontificiam aduersus communẽ hostem quotidie implorarent, necessitatemq; tutelæ Eugenio imponerent: eo tãdem illum iusta indignatione percitũ adduxerunt, vt & fœdus cum illis percusserit, ac Michael. Attendulum mille equitum Pontificiorum viribus potentem, qui cum Floren. inis militaret, submiserit. Ea Philippi à Pontifice alienatio, causam præbuit multarum Eugenij, quib. postea vexatus est calamitatum. Enimuero Philippus, tum Romæ, tum in reliqua Italia, tũ extra nihil non tentauit, vt Põtifici modis omnib. incõmoderet.

VI. *Initia cala mitatum quib. Eugenius vexari cœpit.*

Romæ, Regulum Salernitanum Columniæ gentis principẽ qui plurib. in Hernicis dominabatur oppidis & castris perpulit, vt cum D C C C. equitibus in ipsam vrbem sese hoc anno inferret, ac inde pultus Romanos fines infestos nihilo secius haberet. Occasionem dederant aliqui delatores, siue sua sponte incitati, siue adeo à Philippo subornati. Detulerant Eugenio, Martinum antecessorem congregandi auri cupidum, ingẽtes thesauros reliquisse, eosq; in potestate Columnensium esse. hos nõ difficile posse ad manus illius venire, si ipse aliquos ex Mart. ni nuper defuncti familiarib. aduocasset, rationesq; contestiauri ex eis didicisset. Facile impulerant hominẽ, & credulum, & pecuniarum in necessitates Ecclesiæ presentes egentẽ, vt is Oddum Poccium Martini Vicecamerariũ comprehendi iusserit, idq; negotium Stephano Columnæ, quem copiis suis præfecerat, quiq; solus à reliquis Columnensib. dissentiebat, dederit. Fama erat, Iordanem Vrsinum, & Lucidum Comitem Cardinales, ob inueterata in Columnens. factionum odia, hęc oĩa artificiose contra illos egisse, Eugeniumq; eo adduxisse, vt Columnios repetundarũ postulare voluerit. Cæterum cautus & innoxius Põtifex imperauerat, vt Oddo ad se sine vlla ignominia, & sine tumultu adduceretur. quod contra, à Stephano factum est. nam & bona illius miles diripuit, & ipse non secus ac latro ad Pontificem inspectante populo tractus est. Hac indignitate motus Eugenius, Stephano admodũ succensuit, eiq; interminatus est, quod & Oddonem, & Episcopũ Tiburtin. olim Martini Cubicularium adeo indecenter ad se pertraxisset. Veritus iram Eugenij, Stephanus, Prænestead Principem Salernitanum confugit: eumq; ad perdendum Eugenium hortatus est: dicens, ei in animo sedisse, nomen Columnien sium extinguere: Id se optime scire, eiusq; consiliorũ participẽ fuisse, & ob eam rẽ aufugisse, ꝙ no non ignoraret, partẽ illius calamitatis ad se quoq; (nisi tm̃ mali omnes aut auerterent, aut declinarent,) peruẽturam. Motus his verbis princeps, & permaxime eorũ calamitatib. qui Martino Põtifici familiares fuerant incitatus, Philipp. iam Eugenio infensum admonuit, cõmunicatisq; cũ eo consiliis arma præppere sumpsit. Pontificẽq; aggredi instituit. Substitit tñ aliquãdiu, donec Prosper frater Diacon. Cardinalis, totius rei admonitus, vrbe discesserit. Constituto apud se extra omne periculũ fratre, ipse copias in vrbẽ duxit, & occupata per Io. Baptist. porta Appia, vsq; in vicũ Columnã & forũ S. Marci sine vllo maleficio cũ armatis equitib. penetrauit: cũ subito Pontificius miles, adiuuante magna populi parte, impetum eorũ excepit, retroq; cedere non sine cæde multorũ coegit. Et Columnenses quidẽ vrbe eiecti, portaq; Appia missa, oĩa suburbana infesta faciebãt: populus aũt iusta indignatione percitus, cũ aliud in præsens non posset in domos omnium Columnens. furorẽ effudit. Direpta palatia, diruta q; hostilẽ in modum, nõ tãtum illorũ, sed & eorum qui cũ Martino familiariter olim vixerant: multi ex eis capti, pleriq; occisi: Prosperi Cardinal. domo ac familia, necquicquã salua. Propter tã a rocẽ contumeliã, Eugenius, quemadmodũ par erat excandescens, reos maiestatis Colũnios ꝓnunciauit, titulis dignitatũ priuos fecit, ac ne qd amplius tentarent, tũ ab Io. Regina suppetias militares impetrauit, tũ ipse nouũ militẽ scripsit quo audaciã hostilẽ reprimeret, Romanãq; vrbem in officio cõtineret. Iritatis hoc modo vtrinq; animis, nõ solũ aperto Marte, verum ẽt proditionib. res agi cæpta est. Archiepiscop. Beneuentanus, Antonij Columnæ filius, &, q̃ dã Fr. Masius ex Minoritano Monach⁹, cuiusdã Monastici Cænobij Prior satis olim Mart. Ponti. familiaris, nec nõ ab Eugenio multis honorib. ornat⁹ oĩum mortaliũ ingratissimus, in mortẽ Eugenij conspirauerunt, atq; molẽ Adriã, interfecto ipsius arcis Præfecto. dolo capere, Colũnensibusq; tradere, ac demũ Vrsinos vrbe pellere, & dominiũ Vrbicũ occupare conati, meditata opere adimplessent, nisi aliquis cõsiliã illorum q̃ agitauerant detexisset. De Masio sacrilego sumptum supplicium: sacerdotio n. illi abrogato, ꝙ degradare appellant. in cãpo Floræ in quatuor partes sub furca sectus est. cadaueris frusta, ad quatuor vrbis celeberrimas vias palis fussi xa. memoria ignominiosa carmine dãnata. Beneuẽtano Archiepiscopo sceleris cõscio benignitate Pontificis, ad intercessionẽ plurimorum Procerũ, vita seruata. Tentatus est prterea veneno, à quodã ex familiarib. suis porrecto, Eugen⁹: ex quo infirmitate cõtracta, vix tandẽ euasit, & ad pacẽ cum Columnensib. faciendã, inclinauit, curante eã rem Angelo to Fusco Romano; quẽ non ita multo post, vna cũ Franciscõ. Condulmerio nepote suo Cardinal. creauit. Necessitatẽ impoluit Philippus, qui Florentin. & Venetis bellũ cõtra pacta intulerat, nec non Sigism. Regem Romanorũ prætextu sumẽdi Imperialis diadematis, ad Põtificem in or. linẽ cogendum, in Italiã euocauerat ac ꝑter hæc Patres Basileã, ad Cõcilium iussu Põtificio cõgregatos, ad deprimendã authoritatem Pontificiã sollicitasse dicebatur. *Omphr. Ciaccon. & Platina in Eugenio 4. Notæ diariæ Stephani Infixuræ Ciuis Romani, & familiæ Sforti. MM SS. ex Biblioth. Sfortia. S. Anton. tit. 22. c. 10. Pigna de reb. Ateſtino. lib. 6.* Inter hæc Eugenius, vestigiis antecessoris sui insistens, Bohemorum curã sanandorum non intermisit. Cum n. illi in erroribus suis persisterent, & primitiuam Apostolicamq; Ecclesiã iactantes, à Romana Sede pertinacius euariarent, exulceratis nimirum illorũ animis non tantũ ob Ioan. Hussi & Hieronymi Pragensis exustionem, verum etiam ob anniuersarias Sacri belli contra eos denuntiationes; miserat Martinus Pontifex, quemadmodum superius narrauimus, in Germaniã Legatum Cardinalẽ, Iulianum stirpe Cæsarinũ, qui in rebelles Bohemos, inprimis expeditionem, quam vetus Ecclesiæ consuetudo Cruciatã appellat,

VII. *Curam sanandi Bohemos non intermittit.*

pellar, appararet; deinde Sacrum Oecumenicum Cõcilium, quemadmodum Senis, ad præscriptum Concilij Constantien sis, decretum fuerat, Basileam indictum celebrare, eiq; cætui, nomine suo, & Apostolicæ Sedis præsideret. Vtrũq; munus Iuliano Legato, Eugenius Pontifex confirmauit, datis literis quas adiungo.

VIII. *Littera Eugenij quib. Iul. Cæsar. Card. German. Legatum in suo munere cõfirmat.*

I.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei. Dilecto filio Iuliano S. Angeli Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Quamprimum suimus diuina fauente clementia, ad apicem summi Apostolatus assumpti, venit nobis in mentem, quantum mundo vtilis & necessaria Ecclesiæ legatio tua fuit, cum qua fuisti per Sedem Apostolicam destinatus ad Alemanniæ, & vonnullas alias partes, pro causa Fidei & ordinatione Concilij Generalis, & aliis commissionib. specialibus, de rebus magnis & arduis datis circumspectioni tuæ. Propterea placet nobis, & volumus, vt legationẽ huiusmodi pro causa Fidei, & aliis specialib. commissionibus tibi factis, quantum tibi diuina gratia concesserit, cõtinues atq; perficias; cum illis, modo & forma, potestate & facultatib. tibi datis atq; concessis per felicis recordationis Martinum Papam Quintum prædecessorem nostrum, prout in eius literis plenius continetur. Circa vero negotium Concilij Generalis, quia in plurib. mutationẽ factam esse sentimus, omnia quæ emerserint, vel ad notitiam tuam peruenerint, celeriter nobis scribas, cum consilio tuo, qualiter in talibus prouidendum & agendum esse videtur, significando nobis omnem illarum rerum statum particulariter & distinctẽ. Datum Romæ apud S. Petrum. 4. Idus Martij. Pontificatus nostri anno primo.

II.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei. Dilecto filio Iuliano S. Angeli Diacono Cardinali. Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Certificati tam per literas tuas, quam alias, de solicitudine & circumspecta diligentia, quam habes in prosequendo causam Fidei contra Bohemos hæreticos, tuam prudentiam commendamus, & te ad perseuerandum hortamur, quantũ cum decentia fieri potest. Præterea, cum felicis recordationis Martinus Papa Quintus prædecessor noster, inter alia tibi muniuerit, præsidere deberes auctoritate Apostolica in Concilio Generali, in Basilien si ciuitate celebrando; si talis esset concursus & cõgregatio Prælatorum, quod merito & rationabiliter celebrari debuisset, & deberet; & (sicut accepimus) vsq; nunc pauci aut nulli cõuenerunt; vt propterea non sit opus alium destinare, sed sit potius expectandum: placet nobis, & volumus, tibiq; mandamus, quatenus expedito negotio Bohemorum, cuius finis expectatur in breui, tuos gressus dirigas ad prædictam ciuitatem Basilien sem, & ibi, prout opus videbis esse, inuocata tibi iniuncta, & ordinata in Concilio Constantien si, optime prouideas; prout in tua prudentia & circumspectione plene confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M C C C C XXXI. pridie Kalend. Iunij Pontif nostri. anno I.

IX. *Comitia Nurimber. & nouæ in Thaboritas & alios expeditio decreta.*

Ista Eugenius Pontifex, Iuliano Cardinali Legato scribebat, ac interim, armis spiritualib. Thaboritas, & reliquos hæreticos feriebat, nec non Regem Sigismundum, atq; alios Principes Christianos contra perfidos sollicitabat, si qui autem doceri potius quam bello coerceri maluissent, illos ad Concilium euocabat. Agebat per hæc tempora Norimbergæ Rex Sigismundus, Comitio celebrando intentus. Conuenerant eodem frequentes Germaniæ Principes. Concessit ibidem, & Iulianus Legatus mandata Pontificia deferẽs. Postquam multa, de feralì Thaboritarum, Orebitarum & Orphanorum hæresicorum in Catholicos crudelitate disseruissent, communi omnium consilio decreta est noua in illos, ad 8. Kal. Iulij expeditio. Dux belli Fridericus Marchio Brandeburgensis declaratus, qui Cardinalẽ sequeretur. Comites expeditionis fuere, Albertus & Christophorus Bauariæ, & Frideric. Saxoniæ Duces: Ioan. item & Albertus Brandeburgenses Principes. Præter hos, Herbipolensis, Bambergẽsis, Eistetensis Episcopi; Societas Sueuorũm, quam S. Georgij vocant, & Imperialium Ciuitatum. Moguntinus, Treuerensis, & Colonien sis Archiepiscopi auxilia miserũt, & cum his Prouinciarum suarum primores. Supra Quadraginta Millia equitum fuisse traduntur; peditum minor fuit numerus. Nam Germani patentib⁹ freti campis, equestres plerumq; pugnas agitant. Renatus Lotharingiæ Princeps, domestico quod cum Comite Videmontensi gerebat, implicatus bello, quemadmodum promiserat sese venturum, promissis minime satisfacere potuit. Comes Palatinus Rheni, qui videmontensi opem ferebat, eadem ex causa neque venit, neque subsidia misit.

Iulianus Cardinalis dum eos operiretur, ad Calendas vsque Augusti profectionem suspendit; ac interim Ioh. Polomarium Iuris Pontificij Doctorem, Sacriq; Palatij Apostolici Auditorem, & F. Ioan. Raguseum S. Theologiæ Professorem, Ordinis Prædicatorij tum Procuratorẽ Generalem, Basileam, qui Concilium auspicarentur, ante se præmisit. Hi die Iouis, decima nona Iulij, huius anni M C C C C XXXI. Basileam venientes, die 23. eiusdem mensis, cõuocatis omnibus Ecclesiasticis personis tam extraneis quam intraneis, in Capitulo Maioris Ecclesiæ Basilien sis, auctoritate Apostolica, Iuliano Cardinali Legato, à felicis recordationis Papa Martino V. à superstite Eugenio 4. Pontifice facta, & ab eodem delegante vtriq; cæcessa, veluti Præsidentes, Concilium inchoauerunt. Ioan. Raguseus, sumptis pro themate illis verbis, *Venit Angelus testamenti, quem vos vultis, Malach. 3.* multa de potestate & voluntate Cardinalis Legati, ad celebrandum Concilium, disseruit, ac præterea necessitatem hiusiusmodi Concilij plurimis ostendit: vtq; omnes animis & consiliis adessent, remq; publicam Catholicam iuuare non negligerent, admonuit. Sacris de more absolutis, decreuerunt, Missam solennem, singulis quietis feriis, pro communib. ecclesiæ necessitatibus celebrari, ac interim alios Prælatos expectare. Pauci fiiimi enim, & prope nulli aduenerant; omnibus fere, ad euentum sacri in hæreticos belli animo suspensis.

X. *Concil. Basileen. inchoatur.*

Satis infeliciter ea expeditio Crucesignatorum cessit. Albertus Austriæ Dux, Sigismundi Regis gener, ex Austria ducens, cum ad desig natum diem adesse Cardinalem minime intelligeret, impar Bohemorum potentiæ retrocessit. Ingressus deinde Cardinalis, numerosum exercitum ducẽs, nonnisi aliquot villas & oppida hæreticorum, in extremis Regni partibus diripuit, incenditq; : cum Duces copiarum interiora Bohemiæ petere formidarẽt. Bohemi, qui iampridem hostem affuturũ acceperant, expeditas in armis legiones coegerant, & vbi Catholicorum domicilia reperiebant, ferro & igne vastabant. Inter hæc Stiltiuergium oppidum Orphani expugnauerunt, ac diripuerunt, puberibus ad vnũ necatis. Interea, siue proditio in exercitu Crucesignatorum, quod plurimi putauere, fuit; siue inanis sua ponte mentes Germanorum pauor intuasisset; totis castris trepidatum est; & priusquã hostis vllus in conspectu daretur, fœdissima cœpta fuga. Miratus Iulianus, vnde hic timor, ac quæ ratio tam numerosum exercitum ad fugam impelleret, ambiebat Duces, & exhortabatur; *arma expedirent, aciem instituerent, forti animo hostem expectarent. Non de Regni gloria, aut possessione agrorũ certari; de Christi Religione, de sanctorum honore, de sacrorum sanctimonia & integritate, de salute animarum, de vita denig; belli geri. Turpe Germanis esse, quorum nobilitatẽ virtutẽq; totus orbis celebraret, nõdum viso hoste ex acie fugere. Mori satius, quam profano cedere: neq; secure eos intra mœnia habitare posse, qui cæpos hosti relinquerent: arma viros, non muros tegere. Nisi gladiis modo libertatem tuerentur, aut casuros breui hostili ferro, aut seruitutem morte miseriorem subituros, laturosque.*

XI. *Infelix eius crucesignatorum expeditio.*

Frustra apud eos cohortatio fuit, quorum pudorem metꝰ euicerat. Ablata sunt repẽre signa, & tamquã nullus esset in exercitu ductor, tumultuose quisq;, nõ expectato Imperio, non salutato comite, multi ẽt proiectis armis, non aliter q̃ si hostis à tergo instaret, rapido cursu fugã maturauere. His quamquam inuitus, & Cardinalis Legatus Comitem se dedit. Hostis paulo post ex metu alieno audacior factus, aduolauit, impedimentisq; omnibus, quib. per syluam non facilis erat exitus, ingentiq; præda potitus est. Albertus Austriacꝰ, cum accepisset intrasse Bohemiam Cardinalem, & ipse iterum ex Austria collectis copiis in hæreticos duxerat, Prezorouiamq; munitum oppidum oppugnare adorsus fuerat. Sed fuga Iuliani & Crucesignatorũ cognita, ab incepto desistere coactus, per Moraviam, quæ nondum ei parebat, infesta signa circumferens, supra quingentas villas ferro & igne deleuit, oppida multa vi cepit atq; diripuit, hæreticorũ ingentem cædem edidit, adeoq; gentem illam afflixit, vt parere sibi promiserit, Basileensis concilij decretis stare, in iis quæ ad Fidem Orthodoxam.

Albert. Austriæ Dux hæreticos in Moraviæ cadit.

Legatus porro Cardinalis, rẽ infeliciter armis Crucesignatorum tẽtatam, Eugenio Pontifici significauit, & Bohe-

XII. *Legatus Ba*

mia excedens, Basileam, ad prosequendum Concilium properauit; vt quod ex apparatu bellico non illi successerat, ex disceptatione Conciliari consequeretur. Iam præsidentes præmissarij, nonnulla conati fuerant ac obeundis missionibus, Ioan. Mulbrunæ Abbatem, & Ioan. Gelhusi .. eiusdem Cœnobij Monachij vocauerant. Præterea, quomodo Concilium celebrari deberet, quaue ratione aut Legatum, aut internuncios Apostolicos excipi parfit; quidue à Patribus ad Concilium venturis desideraretur, hac edita præscriptione vulgauerant.

ARTICVLI DE MODO PROCEDENDI

in sacro Concilio, lecti & approbati, seu conclusi in congregatione generali, die Veneris, 26. Septemb. M CCCC XXXI.

XIII. 1. *Primo sint quatuor deputationes, sicuti sunt, inter quas oës de* Cõcilio *distribuãtur æqualiter, quantum commode fieri poterit & sint in qualibet Deputatione de quolibet statu sc. Dominorum Cardinaliũ. Patriarcharũ, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatũ, Religiosorũ. Doctorum, exemptorum, & nõ exemptorum, & in qualibet de omnibus nationibus, distribuãtur in quatuor æquales partes suppositas singularũ nationũ. & ad distribuẽdũ suppositas* Cõcilij *eligãtur quatuor; sc. vnus ex qualibet Deputatione; q. ad* hoc *quatuor singulis mẽsib. de nouo eligãtur.*

2. *Item in qualibet Deputatione eligatur vnus Præsidens singulis mensibus, per vota singulorum. & in qualibet earum deputetur vnus Promotor, Notarius, & vnus Cursor.*

3. *Item oës Deputationes cõgregabuntur ter in septimana regaliter, videlicet die Lunæ, die Mercurij, & die Sabbati de mane, hora cõsueta. & si in prædictis dieb. festũ aliqd occurrerit præcipuum, poterunt insequenti die cõgregari, vel in præcedẽti, si per Præsidentẽ fuerit intimatũ.*

4. *Item quod nulla Deputatio adstringat se quibuscumq; iuramẽto, ad tenendum secrete materias quæ tractabuntur in eadem; sed sit licitum singulis suppositis Deputationum, conferre cum singulis de Concilio tantum, de rebus, de quibus agetur.*

5. *Item quolibet mense deputentur tres de qualibet Deputatione; q. duodecim, pari modo ter in septimana, vel pluries, prout eis videbitur expedire certis horis & loco, (non tamen illis horis quib. Deputationes congregantur) conuenient, ad videndum materias eis datas, de Deputationib. distribuendas ad tractãdum. Sic tamen, q. in fine cuiuslibet mẽsis eligendo nouos Deputatos, de qualibet Deputat. maneat vnus de præcedẽtib. Deputatis; ille videlicet, quẽ ipsi duodecim elegerint: sic tamẽ, q. ille qui eligetur pro mense 2. non eligatur pro mense 3. qui quatuor, habeant, de nouo venientes informare de agitatis in illo mẽse finito. & sic successiue de singulis mensibus. & illi duodecim eligant vnum ex eis pro præsidente, qui pro toto mense sit eorum Præsidens; ad cuius mandatum, cæteri Deputati teneantur, in loco per eos eligendo conuenire.*

6. *Item, si aliqua Deputatio, vel aliqua particularis persona habeat aliquam materiam præ manibus, quod illam possit eisdem Deputatis proponere, qui sub iuramento præstito tradendam (nisi sibi placuerit) non reuelabunt.*

7. *Item q. Deputationes, præcipue in reb. arduis, & maxime si exigũt celeritatem, nõ statim, super propositis dum primo proponuntur deliberabunt; sed ad sequentẽ congregationẽ differant proposita; vt vnusquisq; habeat tẽpus cogitandi, & mature deliberãdi super propositis. & si res proposita grauis fuerit, poterit bis vel ter super ea. secundũ exigentiã suæ grauitatis deliberari, vt maturius cõcludatur, q. fuerit multiplici deliberatione recensitum. Sic tamen, quod quilibet inter a proposita per Præsidentem, respondeat pertinenter, & nõ per materias extraneas; ita q. non inducat aliã materiam, quã illam quæ per Præsidentẽ fuerit introducta. Et si contingeret, aliquẽ, vel aliquos introducere materias alias; Dn. Præsidẽs, nõ faciat sup illis deliberari pro tũc, sed in * alia cõgregatione: ni forte materia talis fuerit, quæ vrgentẽ exigat celeritatẽ.*

* *forsan alia.*

8. *Item quando in vna deputatione aliqua materia fuerit agitata & deliberata, si in bona sententia oës conueniant, appunctuamentũ suum per duos ad alias Deputationes deferant, cum motiuis & persuasionib. eiusdẽ Deputationis. Si vero non fuerit oũm concors sententia, & quantuncũq; vna pars numero excedat aliã, nihilominus de qualibet parte sumatur vnus: & ambo ad alias Deputationes trãsmittantur: vt diuersitas, cum motiuis & rationib. vtriusq; omnibus innotescat; vt sic aliæ Deputationes, perceptis rationib. & motiuis clarius valeant declarare.*

9. *Item qualibet Deputatio in deferendo votum suum, seu cõpunctamentum ad alias deputationes, seruabit ordinem rerum de quib. agitur: vtpote si res ad Fidem pertinent, primo ad deputationẽ Fdei deferatur, & inde ad alias. Et similiter, si res exigit celeritẽ expeditionẽ, indilate deferatur ad oës Deputationes. & similiter in aliis. Cõmunis vero Deput. tenebit eundem ordinem, in defferendis cõmunib. ad alias Deputationes.*

10. *Item prædicti duodecim Deputati, semper in die præcedenti ad congregationẽ Generalẽ conueniant, cũ Præsidente Concilij, cũ appunctuamentis, & auisatis, & agitatis Deputationum: vt Præsidens Cõcilij sit plene informatus de omnib. & singulis, quæ habebit in Generali congregatione proponere, cũ motiuis & rationibus. Nihil autẽ ardui proponat Præsidẽs in Cõgregatione Generali, ad deliberandum, seu cõcludendum, nisi prius fuerit propositũ in singulis Deputationib. & agitatũ: nisi casu esset repentinus. & talis, cuius mora esset nociua: tunc posset apponi. Quæcũq, vero in Deputationib agitata fuerint, siue oës conuenerint, siue non, proponat: dummodo saltem per duas Deputationes, ad proponendum fuerit requisitus.*

11. *Item, si in feria sexta, festum aliquod, vel aliud impedimentum occurrerit, quod in die Sabbati fiat congregatio Generalis: nisi per Præsidentem aliter fuerit intimatum. & ita fiat, quod numquam in septimana Generalis congregatio omittatur.*

12. *Item q. Dn. Præsidens, in qualibet cõgregatione habeat rotulum suum, in quo ponuntur materiæ proponendæ. & literis missis lectis, semper incipiat à grauioribus: ita tamen, quod omnia puncta, super quibus est protunc declarandum, in principio explicentur.*

13. *Item admoneantur suppositæ Deputationum, & etiam in cõgregatione Generali per Præsidentem, quod si in Deputationib. vel cõgregationib. sint duæ vel tres opiniones, quicumq; voluerint adhærere alicui illarum, nõ debent restringere quod iam dictum fuerit: nisi velint aliquid addere vel diminuere: sed poterunt illam quam voluerint partem, breui verbo eligere, vel nouam dicere, iuxta eorum voluntatem.*

14. *Item, si in Deputationib. sint suppositæ nõ deliberantes, propter arduitatẽ materiarum, & dicãt se velle cum libris, vel aliis deliberare: nõ cõcludatur, don cẽ sequẽti Deputatione æquasi dicere velint, audiãtur.*

15. *Item ne tempus inutiliter occupetur, & labatur in vanum, ordinetur q. deinceps super causis & rebus tractandis & expediendis in hoc sacro Cõcilio, ac in Generali cõgregatione per vnum Præsidentem ipsi Cõcilio proponendis, per prius singularum Deputationum Præsidentes, vel Notarij, referat aui, am, deliberata seu concluſa in eisdem. Et si contingat maiorem partem, hoc est tres Deputationes esse concordes, illico quarta Deputatio, imo quodlibet suppositum huius sacri Concilij, diligenter, & ad plenum audiatur benigne, cum suis rationib. & motiuis. quæ si forsitan dubitationem aliquam, seu difficultatem afferant, remittatur articulus super quo difficultas fuerit exorta, ad Deputationes singulas, latius & maturius digerendus. Si vero rationes talium & motiua, dubietatem probabiliter sufficientem non adducant; concludatur, quod probatum extitit, & mature digestum per tres Deputationes.*

16. *Item, quod omnes Deputati, & q. in posterum incorporabuntur ipsi Concilio, prout sunt Deputati, singulis dieb. ordinariis intrent ipsas Deputationes, ad audiendum, & practicãdum causas & materias occurrentes; ne quis prætendere possit ignorantiã proponendi in Generali congregatione; & quod per vota omnium, singulæ expediantur. & qui non intrauerint absque rationabili causa, seu qui non significauerint horæ debita se non posse intrare, & qui ante dissolutionem discesserint sine licentia Præsidentis, ipsius Præsidentis arbitrio puniantur.*

17. *Item omnia suppositæ Concilij, teneantur venire & stare in cõgregatione Generali, in missis solennibus, & processionibus, quemadmodum supra dictum est de Deputationibus.*

18. *Item, antequam dissoluatur congregatio Generalis, aut singularum Deputationum, per Notarios congregationis Generalis, & etiã singularũ Deputationũ, legantur applicuata & ordinata in eisdẽ, vt si per dictos Notarios aliq. defectus in scribẽdo fuerit cõmissus, corrigatur.*

19. *Item de qualibet Deputatione eligatur vnus; qui Quatuor prouideat de sermonib. ad clerum singulis dieb. solennibus faciendis, quos ipsi personis adhoc idoneis distribuant. & antequam Sermo huiusmodi per eum cui assignatus est publicetur, prius per eosdem Quatuor, vel alterum ipsorum videatur: ne oĩ cõtingat errare, aut exinde aliquod scandalum oriri. Et iste ordo, à festo S. Michael in antea, semper cõtinuetur.*

20. *Itẽ ad expediendũ aliqd dentur aliq. Deputati; q. dũ cõueniunt, ille q. dignior & primus est & inter eos, proponat materiã tractandã, & dirigat illã, & vota aliorum exquirat. Et si aliquis, vel aliq. de Concilio non Deputati, voluntinteresse ad audiendum, super materia de qua est tractandum, possint audiri, & exhortare Deputatos de motiuis suis; & si placet Deputatis quod intersint, poterunt remanere.*

Nomina quatuor Deputationum in Concilio videlicet,

1. *Pro communibus.* 2. *Reformatorij.* 3. *Fidei.* 4. *& Pacis.*

Reformationes, de Suppositis sacri Concilij.

1. *Admonet has Sancta Synodus omnes Sacrum Concilium celebrantes, vt omnem grauitatem & honestatem, quæ viros Ecclesiasticos decent diligenter obseruent; vitam & conuersionem exemplarem ducant; & cum ad dandam toti Orbi legem conuenerint, ipsi prius in se legem suscepisse demonstrent. Sint eorum mores sine macula & ruga;*

exhibeant se tamquam speculum mũdum, in quo alij speculantes, normam & exemplum sanctimoniæ accipiant. Meminerint se esse Sal terræ, in quo opus est, vt nunc sanetur mundus. Sint tales iuxta preceptum Domini, vt lumen eorum luceat coram hominibus, vt videant bona opera ipsorum, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Ipse enim inquit Apostolus in persona Timothei: Esto exemplum fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in Fide, in castitate. Necessaria est enim bona conscientia, propter ipsos; bona autem famâ propter proximos.

Matth. 5. 1. Tim. 4.

2. *Et quantum ad conscientiam attinet, vnusquisq; eam sæpe examinet, & mundet quantum fieri potest, ab his omnibus quæ diuinam maiestatem offendunt. Qui sacerdotes sunt, sæpe celebrent; alij vero sæpe confiteantur: quod valebit plurimum, ad gratiam Domini impetrandam. Alioquin, si iniquitatem conspexerit Dominus in cordib. eorum, non exaudiet; & oratio peccatoris fiet ei in peccatum.*

Psal. 65. 108.

3. *Et quoniam opera quæ hoc Sacrum Concilium consequuntur nimis grandia sunt, quæ quidem viribus humanis nullatenus effici possunt, necessario ad Dominum recurrendum est orationibus, eleemosynis, ieiuniis. Quilibet igitur de Concilio, singulis diebus, aliquam, saltem brenem orationem ad Deum porrigat, pro successu huius Sacri Cõcilij. Mandat etiam hæc Sancta Synodus, vt singulis feriis Quintis, quamdiu durat tractatus Bohemorum, in maiori Ecclesia celebretur Missa de S. Sancto, cum orationibus ad hoc institutis; in qua omnes de Concilio intersint. Ea autem die, nec non diebus Dominicis, & aliis diebus solennibus, quibus præsente Concilio Missa celebrabuntur, quilibet de Cõcilio offerat in gazophylacio saltem vnum nummum, hoc modo, quod duo Cursores cũ pixidibus, vnus ab vno latere chori, alius ab alio, intra Missarum solennia recipiant, quicquid à suppositis Cõcilij offertur. Post Missam, Promotores Concilij distribuant huiusmodi oblationes pauperibus, de quibus ipsis videbitur. Eandem Missam de S. Sancto Quinta feria, S. Synodus mandat solenniter celebrari, in qualibet Ecclesia Collegiata, & conuentuali huius ciuitatis.*

4. *Mandat etiam tam suppositis Concilij celebrantibus, quam aliis Sacerdotibus in hac Ciuitate existentibus, vt in suis Missis dicant aliquam orationem, pro pace, & vnitate Ecclesiæ.*

5. *Vt negotia quæ in deputationibus Concilij aguntur, Deus oculo pietatis aspiciat, & prosperari faciat, expedit vt hi qui illa tractant, ad ipsas Deputationes deuoti accedant, propter ea quelibet Deputatio, antequam negotiari incipiat, audiat in communi Missam, in loco quem ordinauerit prope ipsam Deputationem. in quo omnes de Deputatione curent interesse, nisi forsan aliqui sint per se celebrantes.*

Thob. 12.

6. *Tempore diuinorum, non fiant inuicem collocutiones; sed quilibet vel oret, vel contempletur, quæ aguntur, vel dicuntur in Missa.*

Deu. 9.

7. *Et quoniam, vt inquit Tobias, bona est oratio cum eleemosyna & ieiunio; quilibet semel in hebdomada, feria sexta vel alia ieiunet. Et sicut Moyses antequam legem Domini meretur accipere ieiunauit; ita & nos legem reformationis à Domino accepturi, & tradituri mundo, facere curemus. Qui autem ieiunare non potest, conferat eleesynam.*

8. *Omnibus autem aliis diebus, quilibet in mensa sua seruet moderationem, sobrietatemq. ciborum; & si hospites adfuerint, non multitudine, ac reprehensibili varietate ferculorum, sed modesta & competenti refectione honorentur.*

9. *Prælati in mensis suis studeant seruare decretum Toletanum, quod tale est. Pro reuerentia Dei & Sacerdotum, id constituit vniuersa Synodus. Et quia solent crebro fabulæ otiosæ mensis interponi, in omni Sacerdotali conuiuio, diuinarum Scripturarum lectio misceatur, per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.*

10. *Quælibet etiam Ecclesiastica persona, antequam cibum sumat, benedicat: & post refectionem orationes ab Ecclesia institutas dicere non negligat.*

11. *Caueant suppositæ Concilij, ad tollendas tentationes & murmurationes, ne cõuiuia, vel suspecta commercia cũ mulierib. habeant.*

12. *Suppositæ Concilij, à verbis detractoriis, contentiosis, scurrilibus, & male ædificantibus quibuslibet accurate caueant: nec factis aut verbis proximum scandalizent.*

13. *In via quilibet incedat pudicis oculis, cum modestia & grauitate: ad loca minus honesta non vadat, nec ad spectacula publica, choreas, ludos, hastiludia, torneamenta & alia eiusmodi. Vestimentis vtantur, prout Sacri Canones statuerunt: abstineant à coloribus rubeis, & viridibus excessiue: vestimenta deferant talia & eam retro quam à lateribus & ante clausa & sine manicis ad cubitum pendentibus, & absque federaturis vltra oras excedentibus & infixuris. Nullus porter annulum, nisi cui competit ex officio dignitatis, & vnum duntaxat. Nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec caligas fericeas, nec mitras, truncas aut birretas longas, sed parua aut honesta caputia: tonsuras deferant suis ordinibus congruentes & capillos ita tonsos quod aures pateant.*

14. *Non portent in frenis, sellis, aut pectoralibus equorum aurum vel argentum, aut ornamenta metalli depicti aut figurati, aut mappas fericeas, seu alia huiusmodi superfluitatum: & quod huiusmodi ornamenta equorum sint vnius coloris, non rubri vel viridis, nec calcaribus deauratis vtantur.*

15. *Et Prælatine in multitudine, sed honestate familiæ gloriari videantur incedentes per viã pedites, aut equites quanto pauciores possunt præmittent familiares: Cardinales decem: Patriarchæ octo: Archiepiscopi sex ante se.*

16. *Et quia qualis Paterfamilias, tales & domestici eius: curandũ est vt non solum Patres de Concilio, sed & eorum familiares decentem honestatem seruent. Quilibet igitur familiares suos sæpe admoneat, ne quid reprehensibile vel scandalosum publice, vel occulte perpetrare audeant: huiusmodi familiarum vestes non sint breuiores genu, nec diuersorum colorum, nec cum scissuris, pappis, vel bordaturis, vel alia ornamenta aurea vel argentea, nec cinctura excessiue sumptuosas. Sint eorum caligæ vnius coloris, similiter & caputia, nec dagas seu cultellos vltra longitudinem vnius palmi deferant.*

17. *Nemo de suppositis Concilij ludat aut familiares suos ad taxillos vel alios ludos inhonestos ludere patiatur. Non permittant à familiaribus suis per Ciuitatem cum ciubus se associari.*

18. *Familiares Dominorum de Concilio Beneficiati, vel in sacris constituti taliter incedant, & non laicaliter tanquam scutiferi.*

19. *Omnes religiosi existentes in hoc loco sacri Concilij portent habitus suarum religionum, in colore, valore, longitudine, amplitudine. Cum incedunt per Ciuitatem vestes deferant superiores iuxta institutiones suorum ordinum: & Canonici regulares pro veste superiori portent Croceum, mantellum, & rediuidellum.*

20. *Ne in hoc loco sacri Concilij religiosi sine causa vagari præsumant, teneantur statim post primam diem præsentare se superioribus suis vel eorum Vicariis aut procuratoribus: & qui hic non habuerint superiores vel eorum Vicarios, repræsentent se generali præsidenti: & si sine legitima causa huc aduenerunt, reuertantur ad Monasteria eorum quod si vt prædictum est repræsentare se aut ad monasteria reuerti contempserint, de mandato prædictorum superiorum suorum vel præsidentis per soldanum carceri mancipentur.*

21. *In congregatione generali deputationum seruetur debita modestia. In loquendo nullus alium maledictis aut contumeliis lacesset: vnusquisque de alio reuerenter, & honeste loquatur, præsertim minores de maioribus. Nemo alium loquentem interrumpat: vno loquente, cæteri silentium seruent. quilibet proferat libere votum suum, ad neminem nisi ad solum Deum respectum habens. Nemo humana affectione seu passione moueatur.*

22. *Animaduertant Patres de Concilio, verba illa quæ scribuntur in Paralipomenon: Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis Iudicium, sed Domini & quodcunq; iudicaueritis in vos redundabit. sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Meminerit ergo quilibet iuramenti in receptione sita ad sacrum Concilium præstiti, videlicet quod salubre consilium dabit secundum Deum & conscientiam suam. In hoc loco vbi de communi totius populi salute agitur, omnis minima culpa, maxima est in districto Dei iudicio seueritate plectenda. Studeant suppositæ Concilij, pacem & vnitatem quam mundo & Ecclesia dare procurant inter se prius custodire. sint vnum in Domino, idipsum sentientes omnes. Non sint inter eos schismata, contentiones & æmulationes. seruent super omnia fraternam concordiam, quia vt inquit Dominus omne regnum in se diuisum desolabitur & domus supra domum ruet. Nemo eorum suscitet odiorum & rancorum fomenta, quin potius extinguat. Alter alteri si forte se offensum putat ignoscat: & hoc est alterum alterius onera portare, & adimplere legem Christi. Nemo iuxta iuramentum suum vota singulorum reuelet, vnde nemini veris militer odium sequi possit.*

2. Paralip. 19.

Matt. 12. Galat. 6.

23. *Huiusmodi ordinationes, & exhortationes, quilibet præsidens per suppositas suæ deputationis obseruari faciet, requirẽdo diligenter an quisquam transgrediatur, transgressorem autem charitative corrigat & si non se emendat adhibeat cum Consilio aliquorũ de maioribus suæ deputationis efficax & oportunum remedium. Promotores & Concilij solicite huiusmodi transgressores inquirant, & suæ deputationis deferant præsidenti.*

24. *Quilibet præsidens deputationum in principio suæ præsidentiæ prædicta in sua deputatione legi faciat vt superuenientibus innotescant.*

25. *Præsidentes autem Concilij, deputent aliquos qui sollicitent Ciues, vt ea quæ pro honestate Ciuitatis instituta sunt, executioni demandentur, & debite custodiantur.*

26. *Admoneantur, Basileensis Episcopus & officialis sius, vt prædicta Clero suo intiment, & inuiolabiliter obseruari faciant.*

XV. Hæc Iulianus Cardinalis Legatus præscribebat Patribus, ad Concilium Basileense pertinentibus, siue sub tempus Concilij eo venientibus. Et quia intellexerat, Crucesignatos, post fœdam illam fugam conditiones pacis indecoras ac iniquas à Bohemis accipere velle; atque istud maxime ad ignominiam suam & vniuersorum Catholicorum pertinere existimaret, misit ad Sigismundum Regem, Iohannem Gelhusium Monachum, & Hammanum Offenburgium Consulem Basileensem, qui imprimis admonerent, ne quid indignum admitteret, sed omnia in arbitrium Concilij Basileensis reiiceret; vtque porro ad illud, Oratores suos Bohemi mitterent, eos hortaretur; eaque de causa scriptas à Synodo ad eas litteras, ipse transmitteret; ac quantos posset, ex vniuerso Imperio, & Regnis suæ ditioni subiectis Episcopos & Prælatos, ad idem Concilium inuitaret: simulque eidem Concilo Protectorem, aliquem ex viris Principibus daret: & vt tum Prælati, tum Mercatores Basileam tuto venire possent, pacem inter Fridericum Austriacum, & Philippum Burgundum conciliaret. Misit præterea Iohannem Niderium Dominicanum, Cœnobij Basileensis Priorem, vt vicinos Bohemis populos consolaretur, & ipsos Bohemos, Morauosque ad Concilium euocaret. In hunc modum Bohemis scribebat Iulianus.

Sacrosancta generalis synodus Basileensis in S. sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam representans, vniuersis viris Ecclesiasticis, Nobilibus, & toti populo regni Bohemiæ, vnitatem & pacem in Christo Iesu Domino nostro.

XVI. *Epist. Synod. de conuocatione Bohemor. ad Concil.* *Compulit nos charitas* CHRISTI, *egredi de terra nostra, & cogitatione nostra, & venire ad locum quem ostendit nobis Dominus, pro pace Ecclesiæ, & salute populi Christiani. Et quid mirum quod pro* CHRISTO *in terra aliena peregrinari decreuimus, cum ipse Dominus noster pro nobis durissimam vsque ad Crucis mortem, peregrinationem pati dignatus sit? Si Deus ita dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret: & nos merito ita diligere debemus, vt pro omnibus suis si oporteat animas nostras libenter exponamus. quod quidem quantum Diuina gratia nos insperauit, ega omnes prompto animo facere parati sumus, & ob hoc ex omni natione ad sacrum Concilium generale huc conuenimus, vt expulsis de populo Christiano erroribus, sedatis bellis & extinctis vitiorum illecebris, fidei vnitas & animorum concordia, & sanctorum morum disciplina vbique seruentur: vt ipsa mater Ecclesia toto orbe terrarum diffusa, in pace sanctorum & vnitate reflorear. Et quamquam plurima in hoc sacro Concilio immineant quibus necessario prouidendum est; nihil tamen ante oculos nostros tam sedulo versatur, quam vt vos in eadem vnitate nobiscum coniungamur. Si scireris quanto affectu salutem, & pacem vestram optamus, si corda nostra erga vos charitate ardentia intueremini, omissis omnibus, sine mora hinc properaretis vos in vlnas nostras, confidentes quod à nobis qui vos propter Christum vt nosmetipsos amamus, requiem animabus vestris inuenire possitis. Et forsam dissidium nostrum aliquandiu in Ecclesia Deus permisit, vt per experientiam cognoscentes quanta mala ex diuisione fraterna oriuntur, postea alter alterum perfectius diligamus, & vnitas, qua nihil inter homines reperitur melius, cautius deinceps custodiatur.* IESVS CHRISTVS *erauit, vt non solum Apostoli, sed omnes qui per verbum eorum crediturierant, vnum essent, sicut ipsi sunt vnum Pater & filius: & in hoc dixit cognosci discipulos suos si dilectionem inuicem haberent. Si cupimus* CHRISTO *placere; si eius discipuli esse & videri volumus, laboremus pro viribus vt vnum simus, dilectionemque & concordiam, sicut* CHRISTI *fideles decet, inuicem habeamus. Ostendamus secundum primitiæ Ecclesiæ multitudinis credentium, vt sit cor vnum & anima vna, sicut vnus est nobis Deus, vna fides, & vnus baptismus: ita nos eiusdem Patris filij simus vnanimes, & habitare vnius moris nos dignos faciat in Domo sua. Quam bonum & quam iucundum tunc erit, cum in eadem sanctæ matris Ecclesiæ domo concorditer inhabitabunt fratres in vnum? quanta lætitia erit in Cœlis, si vos qui aliquandiu à nobis diuisi fuistis, iterum in charitate & vnitate nobiscum reconciliemini? Ecce Spiritus sanctus ex omni natione congregat fratres, vt sicut ipse charitas est, ita vnat in charitate & iuxta promissionem* CHRISTI *omnem doceat veritatem quæ ad salutem est necessaria. Scimus quia noster Cœlestis Pater familias bonum fidei semen in terra vestra seminauerat, sed venit inimicus homo & superseminauit zizaniam. Putamus multum boni seminis adhuc superesse, nec radices omnino aruisse. Speramus adhuc terram esse idoneam ad fructificandum in domo Domini dummodo patiamini infundi rorem Spiritus sancti qui illam fecundet & herbas noxias exurat. Credimus admodum vobis molestum fore, tot strages, incendia, depopulationes, & infinita mala conspicere, quæ ex huiusmodi dissidio quotidie contingunt, vosque optare pacem patriæ ac quietem; vt tandem fides Catholica vbique terrarum debite colatur. Is nusquam melius prouideri potest quam in hoc sacro Concilio, vbi vniuersalis continet Ecclesia: hic quicquid pertinet ad fidei veritatem, quicquid ad pacem & concordiam, quicquid ad vitæ puritatem & Diuinorum mandatorum obseruantiam omni cum diligentia & liberrate tractabitur. Licebit libere omnibus exponere, quicquid Christianæ religioni expedire iudicauerit: licebit considere & procurare in media. Aderit plane Spiritus sanctus, in cuius nomine congregata est hæc Sancta Synodus. Ipse erit dux & rector Concilij, perfecte illuminaturus corda hominum, vt viam ambulent veritatis & pacis; fiduciam in* CHRISTO *habemus quod si hic puro corde & bona intentione accesseritis, proculdubio læti & consolati in patriam redibitis, genti vestræ pacem, quietem, gratiamque Dei & hominum vobiscum deferentes. Audiuimus quod sæpe conqueresti ista non esse vobis tradita qualem voluissetis audientiam. Iam cessabit omnis querelæ occasio, ecce iam locus & facultas plenæ audientiæ præbetur: iam inuitamini, non coram paucis, sed vniuersaliter audiendi, quantumlibet audiri volueritis. Ipse Spiritus sanctus adstabit medius, iudex, & arbiter, quid in Ecclesia tenendum & agendum sit. Erimus simul in oratione perseuerantes, & tandiu & tam feruenter, suam præsentem gemitibus, ieiuniis, precibus, obsecrationibus ac Sanctis operibus interpellabimus, vsque quo ipse charitatis author, & veritatis Doctor corda vniuersi populi illustrabit ad cognoscendam amplectendamque veritatis & vnitatis semitam: Ob hoc præcipue in Ecclesia Spiritus sanctus introduxit Concilia vt si qua circa fidem inter Christianos dissensio orta fuerit, omnibus in vnum conuenientibus per inuocationem nominis sui veritas euidenter appareat. Sæpenumero in Christiana religione pullularunt, errores, opiniones, & schismata: Sed interuentu ipsorum Conciliorum, Spiritus sanctus illa procul effugauit, & penitus extinxit. si veritatem fidei diligitis, si pacem optatis, si honor* CHRISTI *penitus vobis curæ est, iam reipsa ostendite. Nullo vnquam loco vel tempore efficacius & accommodatius quam hic est, modo ista omnia fieri possunt. Proinde vos ex toto corde & tota anima per ipsum Spiritum sanctum hortamur, rogamus & obsecramus, vt postquam ostium ad tale ac tantum bonum apertum videtis, non differatis introire, & ad hoc sacrosanctum Concilium, in nomine* IESV CHRISTI *confidenter accedere, vt vnanimiter audiamus verbum hoc, quod Spiritus sanctus in Ecclesia* DEI *facturus est. Et licet hunc locum securum & liberum omnibus venientibus statuerimus, ne tamen aliqua forsitam occasione retrahi possitis, nos paratos offerimus plenum ac sufficientem salutum conductum veniendi, standi, redeundi, his quos destinare volueritis, nomine vniuersalis Ecclesiæ concedere, ac omnia facere, quæ protutela & securitate ipsorum expedire videbuntur. Rogamus autem vos vt viros tales mittatis super quos Spiritus Domini requiescere speretur, mites videlicet, timoratos, humiles corde, pacem optantes, & non quæ sua sunt quærentes, sed quæ* IESV CHRISTI: *qui nobis & vobis & toti populo Christiano pacem, & in futuro sæculo vitam æternam donare dignetur, qui vixit benedictus in sæcula sæculorum Amen.*

Datum Basileæ die decima quinta mensis Octobris. Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo, Indictione primæ, Pontificatus sanctissimi in CHRISTO *Patris & Domini nostri, Domini Eugenij Diuina prouidentia Papæ quarti. Anno primo.*

Hæc Iulianus Bohemis scripsit.

Psal. 132.

Ioan. 17.

Ioan. 13.

Act. 4.

Misit

XVII. *Legatus renuntiat Eugen. Pont. quid hactenus Basileæ actum fuerit.* Misit præterea Romam ad Eugenium Pontificem, Nuncium, Ioannem Pulchripatrissum, Canonicum Bisuntinum qui quid hactenus Basileæ actum fuerit, significaret. Detulit ille inprimis Eugenio, litteras Bohemorum, Regibus & Principibus christianis scripras, tumoris, pertinaciæ, contumaciæ, furoris, erroris, hæresum contumeliarum, & calumniarum plenissimas, quibus quo animo in Ecclesiam Catholicam essent, quidue in Cõcilio Basileensi agere proponerent, significabant. Conceptæ erant eo calamo, in cuius secreto dormit Leuiathan: vt non difficile est, ex vnguibus cognoscere. Ita habet.

Vniuersis & singulis Christifidelibus, Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Ciuibus, & omnis status & conditionis hominibus, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, Rectores communitatum, Præfecti Vrbium, Iudices, Consules, Iuuati, Ciues, totaque communitas Bohemiæ gentis, in Regno Bohemiæ, pariter & in Marchionatu Moraniæ constituti, diuinarum veritatum cognitionem, dilectionem & obseruantiam singularem.

XVIII. *Litteræ Bohemorum ad christianos Principes calumniarum & hæresum plenæ.* *Cum vnigenitus Dei filius, qui est æternaliter in sinu eiusdem Patris æterni, descendisset in terras, locum non mutans, & maiestatem non minuens, sed humanam assumens naturam, multiformia vitæ documenta, ore, manu, & manibus contradidit; de quorum reuera numero ista quatuor insignia suis ad imitandum discipulis, & exemplari conuersatione reliquit, quorum scilicet de dignitate primum est, vt diuinissimum Corporis & sanguinis eius Sacramentum per ministros Ecclesiæ fidelibus ministretur. Secundum vt verbum Domini, libere, publice, & veraciter, per eos, quorum interest, prædicetur. Tertium, vt ciuile dominium, vt lethale virus, auferatur à Clero. Quartum, vt publica & potiora crimina, per legitimas potestates à plebibus fidelium exterpentur. Has profecto irrefragabiles veritates, promotiuas fidei, auctiuas charitatis, regulatiuas vitæ, nec non procuratiuas sempiternæ salutis, humiliter amplexantes, iuxta virium nostrarum modulum gratanter suscepimus, studiose prosequi quoque intendimus, quousque fides concludatur cum vita, vt ita ad illarum cognitionem, amorem, & obseruantiam fidelem, etiam à principio iugiter affectauimus, & nunc accuratius omnem Dei populum affectamus venire. Vnde non parcentes sumptibus, laboribus, & expensis, plures per nonnullas christianitatis regiones epistolas, solidis scripturarum authoritatibus eisdem veritates fulcientes, transmisimus. Nihilominus visitauimus christianissimum Principem, nunc Magnificum Fredericum Marchionem Brandeburgensem, nec non Illustrem Regem Poloniæ, & ad Serenissimi Sigismundi Romanorum ac Hungariæ Regis instantiam, nobis perspectabiles Legatos ipsius significatam, pridem in Presburg, & nunc in Egram ciuitatem Imperij venimus, omni nisu vbique instantes. vt nobis in Concilio generali audientia publica, libera, secura, & charitatiua prouideretur, super articulis diuinis prædictis: quatenus publice, palam, & manifeste, in totius conspectu Concili, illos quatuor salutares articulos, quos pro fide tenemus, manifestare, dilucidare, declarare, adstruere, iustificare, probare, & defensare scripturis sacris, Beatorumque Doctorum sententiis, & in eisdem scripturis vere inuitabiliter fundatis, libere, omni impedimento seclusa, valeamus: & quod tota, vna nobiscum Dei viuentis militans reformetur Ecclesia, in cuius itibus suis pariter & in membris, iuxta sacræ scripturæ doctrinam, qui minimus, & ex Principum, Episcoporum, Procerum, & Doctorum communicato consilio respondit, quod ista limitatio audientiæ, & reformationis Ecclesiæ, derogaret libertati, & priuilegio Concilii Generalis, supra omnem legem eminentis: sed quod nos, illis limitationibus, & declarationibus nostris, ex diuina lege, & sanctorum Doctorum sententiis omissis, staremus in his omnibus determinationi & diffinitioni ipsius Concilii. Quod profectò nos merito, rationabiliter, & rite reputantes illicitum, incongruum, & prorsus indignum, vt videlicet diuinas veritates iustificatas in semetipsis, humanum iudicet arbitrium, & liget aut soluat pro sua voluntate, quod vtique interdum, solida veritate relicta, opinionem sequitur, sicque ipsam nonnunquam fallere contingit, & falli. Et quod illi earum veritatum & nostri sint iudices, qui illas diuino postergato timore, tanquam errores notorios, inconsulte, perperam, & temere iudicantes damnauerunt iniquo, vt sic inquam inimici ac nostri hostes sanissimi, in nostrum exterminium aspirantes sint iudices, quod reuera sana ratio, diuinaque & humanæ leges exhorrent. Idcirco ipsis in hac parte nolumus, neque intendimus consentire, sed hoc præsertim optauimus, & vt æquum & iustum est iugiter optamus, vt diuinarum scripturarum rectissima & infallibilis regula, quæ nec fallere potest, nec fallit, derelicta terris, per iustissimum iudicem, iustitiam & veritatem diligentem, in medium Concilii proferatur, & iuxta illam, ac Beatorum Doctorum, vt præfertur sententiam, eorundem articulorum veritas, rectitudo, aut obliquitas poterit comparari, & consequenter rectificari, aut approbari. Sed hoc ipsum fuerunt acceptare vltatenus. Hanc iustissimam æquitatem per nos illis oblatam, vestra quæsumus pensare dignetur industria, nec non artis aduersæ de superbæ ignauæ tumore contumaciam arrogantem, qua se supra se enormiter erigentes, nituntur sibi fabricare, non modo omnia christianissimi Regna, principatus & dominia, sed etiam infringibiles diuinæ veritatis doctrinas, Domini nostri Iesu Christi morte confirmatas, iuxta suum libitum iudicando variare, ita vt quod nunc per Christi fideles vere creditur, & fideliter obseruatur, tandem eorum arbitrio tanquam error & superstitio totaliter declinetur: sicque christiana fides, non in petra solidissima, sed in arena mobilissima fundab tur, quotidianæ subiecta ruinæ, & verba Christi, perenni firmitate fulcita (ita vt cœlum & terra facilius transeant, quam ipsius commutentur sermones) velut i lecti opertorium, Episcoporum mutabuntur censura. Sed quid hac temeritate stultius? quid hoc erroneo quius? quid hac peste pernicios ius potest inueniri? Ipsi, quod dic mus, iudicate, sensate attendite, obsecramus, vniuersi & singuli Christi fideles, si isti Episcopi Sedes Apostolorum iste & digne occupant, qui illis vita & moribus totaliter aduersantur. Illi qui pne per orbem terrarum, pannos & contempti à populo migrantes, veritates Dominicas cunctis populis, tribubus & linguis fideliter nunciarunt, eadem propria morte firmantes: isti purpura vestiti & bysso, gloriosi in populo, canes muti effecti, in astris & verbum tranquille residentes, & eadem veritates etiam asperuantur audire; ac propter earum obseruantiam fidelem fideles spoliant fama, vita, & rebus, non per se, quia cubant cum scortis, sed per cruentæ Crucis erectionem, secularem brachium in occisionem fidelium fallaciter concitantes. Illi, relictis omnibus mundi diuitiis, omni virtute ornati, in paupertate & ieiunio Dominum sequebantur, isti rebium, castrorum, prædiorum & regionum possessores, viri diuitiarum inflenti, plent vitiis, non Christum humilem in contemptu, sed superbissimum Sathanam in pompa & fastu, carnisque voluptate sequuntur, à quibus vepote pseudoprophetis, attendere suadet ipsa veritas increata. Et si illi, vepoponunt, cum exercitibus suis valdissimis Regnum nostrum intraserint, vsque ad interemptionem (vt asseritur) demoliri cupientes, nos in altissimi virtute, cuius causam prosequimur, habentes fiduciam, vim vicegemur repellere, quemadmodum omnes leges, & omnia iura permittunt. Quæ omnia iusta & rationabilia suprascripta, vos viri illustres & nobiles, animo diligenti pensate, & catholice discutite, si in adiutorio sceleratorum huiusmodi Clericorum, & temerario, ac erroneo ausu de veritatibus omnipotentis Dei sentientium, in voluptatibus huius seculi & meretricio, sicut in sterquilinio iacentium, vestras animas pariter & personas, in bellicosis periculis salubriter morti exponetis, contra iustissimas per nos vobis crebro oblatas Christi Iesu æquitates.*

Datum Sabbatho in vigilia Beatæ Mariæ Magdalenæ, sub sigillo communi omnium adhærentium Euangelicæ veritati, circa limites Regni Bohemiæ, anno Domini 1431.

XIX. *Alia ad Pont. relata quæ impedimento erant ne Concil. Basileæ celebraretur.* Præter has aculeatas quas Eugenio detulit Nuncius Iuliani Cardinalis litteras, retulit etiam paucos, aut fere nullos Prælatos Basileam venisse; Basileam non omnino tutam Concilio celebrando esse, eo quod oppidani plerique secta Bohemorum infecti, Clerum persequerentur, & crudeliter trucidarent: ac insuper ad eam vrbem, propter bella vicina, omnino intutus accessus esset. Addidit etiam narrare, quædam subtricenda, de moribus Cleri ac populi Basileensis, item de vita & inhonestate Cleri Alemaniæ, de hæresi Hussitica omnia fere contage sua occupante; deque aliis quam plurimis, quæ id temporis impedimento forent, ne ibidem celebraretur Concilium. Hæc omnia cum Eugenius ad sacrum Senatum detulisset, placuit propter eos, & alias gratissimas causas, potestatem Legato facere, Concilij Basileensis dissoluendi, ac Bononiam transferendi. Ergo Legato Cardinali, hunc in modum scripsit, causasque tantæ mutationis in diplomate expressit, quod ita habet.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Iuliano S. Angeli Diacono Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Postquam Diuina clementia ad apicem summi Apostolatus, licet immeriti assumpti fuimus nihil dignitati nostræ & amplitudini Sedis Apostolicæ magis conuenire putauimus, quam omni studio & diligentia prosequi, vt personæ ecclesiasticæ, quantum humanæ fragilitati celitus permissum est per semitam Iesu Christi incedentes, abiectis illecebris, cum sinceritate religionis & fidei vitam honestam ducerent & Deo prout professi sunt seipsos veris affectibus dedicarent, quod considerantes & in animo nostro sapius repetentes, ac ea quæ per felicis recordationis Martinum Papam Quintum prædecessorem nostrum circa celebrationem Basileensis Concilii iuxta ordinationem Constantiensis Synodi instituta fuerunt, qui tibi in dicto Basileensi Concilio præsidendi & huiusmodi Concilium, si, & quando prudentiæ suæ videretur dissoluendi, & pro alio Concilio iuxta statuta præfata synodi in decennio celebrando, alium locum assignandi, plenam per varias suas litteras dedit facultatem, Deo propitio absoluere & perficere intendentes, de venerabilium fratrum nostrorum consilio, circumspectioni suæ, ex quo in ingressu sito ad Alemaniæ partes nulli prælati in Basilea pro celebratione Concilij erant congregati, dedimus in mandatis, vt interea circa expeditionem contra Bohemos hæreticos, tibi etiam commissum vacares, & deinde ad Ciuitatem Basileensem, dicti Concilij locum accederes, & ibidem nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine præsideres. Verum licet ad opprimendam dictorum hæreticorum perfidiam, omnia à te prudenter & solicite gesta sint, & nihil ad hoc sanctum opus pertinens prætermissum, tamen occulto Dei iudicio permissum est, vt infelix ac turpis illa Catholicorum fuga sequeretur, postea quam præmissis dilectis filiis Magistro Ioanne Polemar Palatij Apostolici causarum Auditore, ac Ioanne de Regusio in Theologia Magistro, & ordinis Patrum prædicatorum procuratore, ad dictam Ciuitatem profectus es, & omnia iuxta desiderium cordis nostri, circa reformationem Cleri, extirpationem hæresum, pacem & salutem christianorum, quantum in te fuit efficere procurasti. Tandem cum post longam moram suam, requisitis insuper à tua circumspectione prælatis, & aliis, parua ibidem congregatio facta fuit, de consensu eorum qui in dicta Ciuitate existunt, dilectum filium Ioannem Pulchripatrem in Theologia Magistrum, Canonicum Bisuntinum, pro plena informatione dispositionis Concilii, ac belli infirmitate grauati, libenter audiuimus, & omnia per ipsum, tam nobis, vna cum præfatis fratribus, quam commissariis nostris, ad eum audiendum per nos postea deputatis, facunde & prudenter explicata plene intelleximus. Quienarrauit inter cætera, quod in partibus Alemaniæ specialiter, Clerus multipliciter deformatus erat; quodque pestis illa Bohemica ad multas Alemaniæ partes serpens, venenum suum effuderat, & partes illas tam detestabili labe inquinauerat. Quodque etiam exinde in partibus Basileæ infinita scandala suborta erant cum nonnulli oppidani secẽtam Bohemorum imitantes Clerum persequerentur & crudeliter trucidarent. Addidit præterea alias difficultates & pericula quæ ex bello inter dilectos Nobiles viros Philippum Burgundiæ & Federicum Austriæ Duces prouenirebant: nam hi armis decertantes, terras dictæ Ciuitatis propinquas habentes, assumpserunt transitum ad Basileam sine formidine, & periculo fieri non posse. Præterea celebrationem Concilij, & reformationem Ecclesiæ plurimum opportunam esse asserebat. Quæ omnia ac plura alia satis nota, quæ honestatis gratia prætereunda & subticenda sunt, consideramus (quamuis antea variis nunciis ac litteris cognita nobis essent) ac existimantes ob tot difficultates ac pericula Prælatos, forsitan tanto tempore expectantes, Basileam non venisse, septemniumque in quo congregari debebant elapsum esse, & si de nouo vocarentur, pericula & difficultates prædictas allegarent, nec ad subeunda eiusmodi pericula honeste cogi possent, ac etiam versantes in animo nostro, quod cum tot difficultatibus, impedimentis, & periculis, hyems etiam instat, & noua vocatio ad Concilium celebrandum, quam idem Ioannes Pulchripatris affectare videbatur, frustra fieret, nisi aliquod conueniens temporum spatium interponeretur, cumque etiam his proximis diebus, charissimus in Christo filius noster Iohannes Paleologus Imperator Constantinopolitanus nuncupatus, Oratorem suum ad nos & præfatos oratores nostros destinauerit, qui exponendo, nos requisiuit, vt iuxta ordinationem dicti prædecessoris, pro vnione orientalis Ecclesiæ cum Romana & occidentali Ecclesia Concilium celebraretur, nosque conuentiones & ordinationem dicti prædecessoris, etiam cum consilio dictorum fratrum nostrorum approbantes, ipsisque Græcis postulantibus iuxta conuentiones dicti prædecessoris, expensas galearum, eos ad Concilium conducere, & ipso finito ad partes suas reducere debentium, & alias expensas opportunas & necessarias obtulerimus: multaque etiam loca Italiæ cum alibi pro Græcis commode fieri non posset, pro celebratione dicti Concilii eorumque reductione ad ritum Romanæ Ecclesiæ per nos oblata fuerint, dictusque Orator nos certos effecerit, Imperatorem & Patriarcham præfatos, alios oratores suos, cum plena potestate transmissuros esse, qui ex oblatis in Italia locis aliquem, præsertim cum plena potestate Bononiam acceptabunt, prout ad præfatum prædecessorem, ante obitus sui notitiam transmittebant. Cumque si noua Prælatorum vocatio, vt præmittitur, fieret, hæc duo Concilia vno prope tempore concurrere viderentur, & si ea disuncta fieri & celebrari contingeret, vnum ex altero debilius, & minoris efficeretur authoritatis, hæ insuper vna cum dictis fratribus nostris animo nostro contemplantes; cum in vniuersa republica christianorum nihil desiderabilius contingere posset, quam videre Græcos, tanto temporis interuallo à dicta Romana Ecclesia disiunctos, sub ritu ipsius Ecclesiæ, & veritate Catholicæ fidei reductos esse, & illam Gracia nationem, quæ tot sanctos Patres & viros egregios & sapientes genuit, qui humano generi tam sacratarum quam secularium litterarum seminarium dederunt, Romanæ Ecclesiæ vnitam, & sub ipsius vnico ouili reductam, his & aliis rationabilibus causis inducti, tam reformationem Cleri & Ecclesiæ, ac extirpationem hæresum, & paci & tranquillitati Christianorum, quam etiam Græcorum reductioni, quæ omnia summis desideramus affectibus, prouidere personaliter valeamus circumspectioni suæ ipsum Concilium, si quod adhuc pendere videatur dissoluendi, & nihilominus ante dissolutionem huiusmodi, in Ciuitate nostra Bononiensi vbi Deo authore personaliter intendimus præsidere, vsque ad annum cum dimidio à die dissolutionis huiusmodi computandum, nouum Concilium indicendi, aliudque pro tempore decennii iuxta ordinationem dictæ Constantiensis Synodi, in loco, vbi tibi cum consilio eorum, qui in Basilea pro Concilij causa existunt, videbitur, similiter indicendi, ac omnia alia in præmissis agendi disponendi, statuendi, exequendi & concludendi quæ pro statu, & honore nostro, & dictæ Romanæ Ecclesiæ, ac pace & tranquillitate reipublicæ christianæ noueris profutura, plenam & liberam, de ipsorum fratrum, videlicet Iordani Sabinensis, Antonii Ostiens. & Velletanens. Hugonii Prenestin. episcoporum & dilectorum filiorum nostrorum Ioannis tituli sancti Laurentij in Lucina, Antonii tituli sanctæ Marcelli, Ioannis tituli sancti Xisti, Francisci sancti Clementis, Angeloti tituli sancti Marci presbyterorum, Lucidi sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Arelatensis sanctorum Cosmæ & Damiani sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconorum Cardinalium Consilio, authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus facultatem, pariter & potestatem, ratum & gratum habituri, quidquid per te, super præmissis, propositum, deliberatum, ordinatum, statutum, ac decretum & consultum fuerit, idque faciemus authore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1431. 2. Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno primo.

DD. Card. qui se subscripserũt.

Ego Iordanus Episcopus Sabinens. Domino nostro præfato aliqualiter impedito ac de eius mandato præsentibus præscriptis Dominis Cardin. manu propria subscripsi.

Ego Iordanus Episcopus Sabinens. nomine meo proprio subscripsi.

Ego Antonius Episcopus Ostiens. manu propria subscripsi.

Ego Hugo Episcopus Prænestinus, nomine meo proprio subscripsi.

Ego Ioannes tituli S. Laurentii subscripsi.

Ego Antonius tit. S. Marcelli subscripsi.

Ego Ioannes tit. S. Xisti presb. Card. me subscripsi.

Ego Franciscus tit. S. Clementis presb. Card. subscripsi.

Ego A. tit. S. Marci presb. Card. subscripsi.

Ego Lucidus Card. de Comitibus S. Mariæ in Cosmedin. subscripsi.

Ego Ardicinus SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis, subscripsi.

XXI. Constitutio Eug. circa Cardinalium in secreto Cõsistorio pro nuntiatione.

Et quia Eugenius Pontifex, id, quod postea euenit, metuebat, ne aliqui, à Martino Pontifice prædecessore in priuato Consistorio Cardinales renunciati, sed nondum quod dicitur publicati, aliquid nouarent; vt eis auctoritatem, simul ac facultatem nouandarum rerum detraheret, eam quam describere visum, constitutionem præsanxerat.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In eminenti Sedis Apostolicæ specula, diuina disponente clementia constituti, de vniuersis orbis Ecclesiis, earumque statu pacifico & tranquillo cogitare nos conuenit. Sed & propensius ad Romanam Ecclesiam, quæ aliarum Ecclesiarum Magister & Magistra est aciem considerationis extendimus, quo sublatis dubiis, & consiliis seu callidis opinionibus ex quibus possent dispendia & scandala prouenire penitus confutatis, ipsa Romana Ecclesia, pacis & quietis, auctore Domino dirigente, optata quietudine perfruatur.

Sane quamquam ex libris Romani ordinis, alias ceremoniarum nuncupato, & aliis Ecclesiæ Romanæ libris, seu antiquis Codicibus comprehendi possit, & ex illis resultet, quid nominis, tituli, vel honoris per

secretam pronunciationem, de alicuius persona, in eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, per Romanum Pontificem pro tempore, in secreto Consistorio factam, eidem personæ in Cardinalem sic pronunciate, per promotionem huiusmodi acquiratur: quia tamen temporibus modernis, quibus aliquoties nonnulli in secreto Consistorio in Cardinales assumpti fuerunt secrete, & eis ex bonis reßpectiuis insignia Cardinalatus, saltem omnia, minime assignata fuerunt, nonnullorum aliter sapere quam sapere oportet sat agentium astutas considerationes & inductiones subtiles, iuxta præmissa & eorum effectum nonnulla dubia prodierunt: nos ad submouendam causam & occasionem quorumcunque dubiorum, quæ quomodolibet super iis insurrexere hactenus, & possent insurgere forsan in futurum, de venerabilium Fratrum nostrorum, Iordani Sabinensis, Hugonis Prænestinensis Episcoporum, & dilectorum filiorum, Ioannis tituli sancti Laurentij in Lucina, Ludouici tituli sanctæ Cæciliæ, Antonii tituli sancti Marcelli, Ioannis tituli sancti Sixti, Francisci tituli sancti Clementis, Angelotti tituli sancti Marci presbyterorum, ac Lucidi sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Ardicini SS. Cosmæ & Damiani Diaconorum, eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium vnanimi consilio & consensu, præsenti irrefragabili Constitutione decernimus & declaramus, per huiusmodi pronunciationem sic in secreto Consistorio de quibuslibet personis hactenus factam, seu in posterum faciendam, alicui sic in Cardinalem in præteritum pronunciato, seu in posterum pronunciando, licet per eum ad Cardinalatus initium dispositus videatur, nullum ius, seu titulum, re aut nomine acquisitum fuisse, aut acquiri potuisse hactenus, seu posse: neque aliquem per quempiam, per scripturam, vel nominationem, pro Cardinali reputari, vel haberi debuisse, seu potuisse hactenus, vel debere, seu posse quomodolibet in futurum, donec, & quousque de consimilibus consilio & consensu, sic pronunciato, in Romana Curia præsenti, Cardinalatus insignia, videlicet per Capelli rubei traditionem, ac tituli assignationem, annulique, iuxta morem consuetum in digito immißionem, absenti vero ab eadem Curia, per huiusmodi Capelli mißionem, realiter sint impensa, aut saltem in generali Consistorio, quodque in Cardinalem sic pronunciatus, etiam postquam insignia huiusmodi omnia receperit, & etiam admißus fuerit & receptus, vt præfertur, in electione Romani Pontificis pro tempore vocem actiuam, aut aliquo alio actu habuisse, aut habere potuisse, vel debuisse, siue posse, vel debere, minime censeatur: donec, & quousque per Romanum Pontificem pro tempore existentem, de similibus consilio & consensu, sibi in practicandis, consulendis, & deliberandis negotiis Consistorii antedicti, postquam in Consistoriis aliquibus mores in talibus obseruari consueuos expertus, interrogatus consiliatiue aut consultiue, responsum dandi, expressa licentia tribuatur: seu ad hunc effectum, (vt verbis vtamur communibus) ei fuerit os apertum. Decernentes irritum & inane, quicquid in contrarium, per quoscunque, etiam prædecessores nostros, aut alios, quauis auctoritate, scribendo, nominando, seu etiam reputando, scienter vel ignorantes attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari. Si quis autem in Cardinalem sic pronunciatus, contra præmissa, Cardinalem pertinaciter se ausus fuerit nominare, eo ipso ex tunc omni iure quod sibi quomodolibet acquisitum prætendere posset, priuatus sit, & perpetuum inhabilitatem incurrat ad huiusmodi Cardinalatus honorem: ceteri vero in hoc ei adherentes, vel dantes consilium, seu fauorem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à qua (præterquam in mortis articulo constituti) nequeant ab alio quam à Romano Pontifice absolutionis beneficium obtinere. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus, priuilegiis, indultis, concessionibus & exemptionibus Apostolicis, specialibus, vel generalibus, sub quacunque verborum forma, etiam pœnas & censuras in se continentibus, in contrarium editis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino, &c. nostræ Constitutionis & declarationis, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ M. CCCC. XXXI. 8. Kalend. Nouemb. Pontificatus nostri anno 1.

Cardinales huic Cõstit. subscripti.

Ego Iordanus Episcopus Sabinens. manu propria subscripsi.

Ego Hugo Cardinalis Cypri Episcopus Prænestinus subscripsi.

Ego Ioannes Cardinalis sancti Laurentii, dictus Rothomagensis subscripsi.

Ego Ludouicus tituli sanctæ Cæciliæ, presbyter Cardinalis Arelatensis subscripsi.

Ego Antonius tituli sancti Marcelli, presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes tituli sancti Sixti, presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Franciscus tituli sancti Clementis, presbyter Card. manu propria subscripsi.

Ego A. tituli sancti Marci presbyter Cardinalis, manu propria subscripsi.

Ego Lucidus Cardinalis de Comitibus, manu propria subscripsi.

Ego A. Cardinalis Noua. manu propria subscripsi.

Lecta & publicata fuit hæc constitutio, de mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ, in audientia Contradictarum, & Cancellaria Apostolica, die 8. Nouembris, videlicet Quinto Idus, in præsentia Reuerendissimi in Christo Patris & Domini, B. Patriarchæ Gradensis dictam Cancellariam Regentis, R. P. D. Apostolicarum litterarum Correctoris, Venerabilium virorum DD. de præsidentia, & aliorum in copioso numero Scriptorum & Abbreuiatorum, vt moris est.

XXII. Rebellio & schisma in Concil. Basil.

Inter alios, qui superiore sententia percellebantur, fuit Dominicus Capranica, Romanus, Decretorum Doctor celeberrimus, quem Martinus Quintus in secreto Consistorio Cardinalem creauerat, Eugenius spreuerat. Is Roma, Basileam profectus, cum iam Concilium inchoatum inuenisset, eius reuocandi potestatem Eugenius Iuliano faciebat, adeoque illud ipse reuocabat, Patribus congregatis auctor fuit, ne dissoluenti Concilium Pontifici obedirent, quinimo asserent, iam incæptum Concilium, fine consensu Patrum, qui conuenissent, haudquaquam posse dissolui. Præerat Concilio Iulianus, quem diximus Cardinalis, natione Romanus, moribus & doctrina conspicuus. Is audita Eugenij reuocatione, præsidentiam dimiserat, tanquam Summo Pontifici vellet obedire. Sed cum augesceret indies Eugenio vel inuito confluentium numerus, & multi ex diuersis regionibus non solum Episcopi, verumetiam Regum Legati aduentarent, Cardinales quoque ex Romana Curia profugi indies nonnulli concurrerent, præsidentiam resumpsit, & auctoritatem Concilij supra Pontificem maiorem in modum extollens, eminentiam Primæ Sedis supremi Antistitis supra Concilium deprimere cæpit. Hinc Basileensium ausus temerarij, contra Pontificiam maiestatem authoritatemque, diuino non humano iure constabilitam, inde secessio, rebellio, schisma, præsumptio, crimen læsæ maiestatis, & alia vel tentata, vel patrata, vnde Concilium, non iam Concilium, sed Conciliabulum, seu Sathanæ conuenticulum, ab Eugenio, iure optimo & merito dissolutum, & grauissimis iustissimisque de causis Bononiam primo, postea Ferrariam, vltimo Florentiam translatum. *Tomo 4. Concil. Biniana editionis. Tomo 1. Bullarii. Syluius histor. Bohem. cap. 48. Pius II. in bulla Retractationis.*

Placet progressum ipsius reliquum, & acta subsequentia, ex monimentis publicis tam Concilij, quam Conciliabuli, ex epistolis Pontificiis, Regiis, Synodalibus, Pseudosynodalibus, & aliis testimoniis cognoscere.

ISTA SVNT ACTA CONCILII, ex editione Biniana.

XXIII. Inchoatio Concil. Basil. ex eruditiss. Viro D. Binio Metropol. Eccles. Colon. Canõ. presbyt.

DIE Iouis decimanona Iulij, de Anno Domini M. CCCC. XXXI. applicuerunt Basileæ Domini, scilicet, Ioannes Polmar Capellanus Summi Pontificis & auditor sacri Palatij, & Magister Ioannes de Ragusio Doctor in Theologia Parisiensis, Procurator generalis ordinis Prædicatorum, delegati ad præsidendum Concilio à D. Iuliano Cardinali sancti Angeli Legato Apostolico, literas saluorum cõductuum Domini Imperatoris descriptas habentes. Remansitque Dominus Dionysius expectans Ambasiatam præfati Domini Imperatoris. Qui quidem præsidentes, 23. Iulij conuocatis omnibus ecclesiasticis personis tam extraneis quam intraneis, in Capitulo maioris Ecclesiæ Basileensis inchoauerunt Concilium, legitima potestate eidem Cardinali à felicis recordationis Domino Martino & Domino Eugenio præsenti, & deinde eorum subscriptione facta à prædicto Legato, quorum prædictus fecit collationem solennem super themate, *Venit Angelus testamenti quem vos vultis*, Malach. 3. In quo ostendit potestatem Domini Legati, & eorum legationem & omnimodam voluntatem ad Concilium, quod tunc inchoauerunt & stabilierunt, prout etiam rescripserunt Ambassiatores vniuersitatis Parisiensis, & decreuerunt Missam solennem sextis feriis post petitionem celebrari.

DECRETA ET ACTA CONCILII BASILEENSIS,

Desumpta ex authenticis exemplaribus, plumbo eiusdem sacrosancti Concilii firmatis.

SESSIO PRIMA.

XXIV. IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis feliciter, Amen. Censetur vtique dignum & congruum, prout id singulariter expoſcit nimium labilis hominum memoria, vt ea quæ per ſacrorum generalium Conciliorum ſanctiones ad Dei laudem, & communem Reipublicæ vtilitatem fore noſcuntur inſtituta, illa debite ſcripturæ commendentur, vt per hanc ingis eorum etiam ad poſteros tranſeat recordatio. Hinc eſt igitur, quod in ſubſcriptis continentur, & ſunt de verbo ad verbum inſerta decreta, conſtitutiones, acta & ordinationes, cæteraque geſta in hoc ſacro generali Baſileenſi Concilio, præſidente in eodem authoritate Apoſtolica Reuerendiſſimo in Chriſto Patre Domino Iuliano miſeratione diuina ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſancti Angeli Diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, collecta, viſa, ordinata per nos protonotarios, notarios & ſcribas infraſcriptos, ad id per dictum Dominum præſidentem, ſacro eodem approbante Concilio, deputatos, ſub annis. indictionibus, diebus horis, menſibus & Pontificatu inferius annotatis pariter & deſcriptis.

Anno ſiquidem à Natiuitate Domini milleſimo, quadringenteſimo trigeſimoprimo, indictione nona, die autem Veneris ſeptima menſis Decembtris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Eugenij diuina prouidencia Papæ Quarti anno primo, præfato Reuerendiſſimo Patre Domino Cardinali Præſidente & Legato, iam per menſes aliquot in ciuitate Baſileenſi nationis Germanicæ, prouinciæ Biſuntinæ, prædicti generalis Concilij adiuuante Domino congregatione & celebratione inibi iuxta mandatum Apoſtolicum alias ſibi ſuper hoc directum, & infra plenius definitum legitime faciendum, perſonaliter exiſtente. Conuocatis itaque iam per eum dicta authoritate huius rei cauſa ad dictam ciuitatem Baſileenſem de diuerſis mundi partibus, pluribus dominis, prælatis, nec non perſonis aliis & viris eccleſiaſticis, quæ de iure vel conſuetudine ad Concilium generale venire tenentur, ac etiam quam pluribus aliis ad dictum Concilium conuocatis, eiſque vna cum dicto Domino præſidente Legato in certa aula domus eccleſiæ ſancti Leonardi Baſileenſi, in qua ſoliti ſunt pro Conciliis tenendis in vnum conuenire, ad hæc ſpecialiter congregatis, vnanimi inter eos inito conſenſu, extitit ordinatum & decretum, primam dicti generalis Concilij Baſileenſis ſeſſionem, tenendam fore authore Domino atque celebrandam die Veneris ex tunc proxime ſecutura, quartadecima dicti menſis Decembris in Eccleſia cathedrali Baſileenſi, prout in ſchedula cuius tenor inferius primo loco deſcribitur, plenius continetur: quam ſchedulam in multis duplicatam & tranſſumptam, iuſſit idem Dominus præſidens ob dictæ primæ ſeſſionis publicationem faciendam, in pluribus dictæ ciuitatis eccleſiarum valuis affigi pariter & apponi, cuius tenor ſequitur, & eſt talis:

XXV. *Decretum pro prima ſeſſionis celebratione.*

Ad laudem omnipotentis Dei, exaltationemque fidei Catholicæ, nec non tranquillitatem & pacem totius chriſtianitatis, reformationem quoque vniuerſalis eccleſiæ & populi Chriſtiani, ex parte Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Iuliani miſeratione diuina ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſancti Angeli Diaconi Cardinalis, in præſenti ſacro generali Concilio Baſileenſi authoritate Apoſtolica præſidentis ſpecialiter deputati, approbatione dicti ſacri generalis Concilij intimatur per præſentes omnibus & ſingulis in hoc ipſo generali Concilio Baſileenſi intereſſentibus, & intereſſe debentibus, quod auctore Deo die Veneris proxima poſt inſtans feſtum ſanctæ Luciæ quæ erit quartadecima menſis huius Decembris, prima eiuſdem ſacri generalis Concilij ſeſſio celebrabitur in eccleſia cathedrali ciuitatis huius Baſileenſis, hora nona eiuſdem diei à media nocte in antea computanda. Ideoque præcipitur & mandatur omnibus & ſingulis in prædicta ciuitate Baſileenſi ad cauſam dicti ſacri Concilij iam exiſtentibus, cæteriſque ad quorum notitiam præſentes deuenerint, in dicto Concilio intereſſe debentibus, qui tunc commode perſonaliter intereſſe poterunt in eodem, quatenus dictis die & hora in eccleſia prædicta perſonaliter & debite compareant ſub pœnis iuris, niſi legitimo præpediti fuerint impedimento. Datum Baſileæ die ſeptimo dicti menſis Decemb. Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Eugenij Quarti anno primo, ſub ſigillo conſueto dicti Domini præſidentis in teſtimonium præmiſſorum.

XXVI. *Legatus Card. ſermonem ad Synodum habet.*

Dicta die Veneris quartadecima prædicti menſis Decembris, anno, indictione, hora & Pontificatu quibus proxime ſupra, ſacroſancta generali Synodo Baſileenſi prædicta, dicto Domino Cardinali legato authoritate qua ſupra præſidente, legitime vbi ſupra congregata, celebrataque ibidem ſolemni Miſſa de Spiritu ſancto per Reuerendum in Chriſto Patrem Dominum Philibertum Dei & Apoſtolicæ Sedis gratis Epiſcopum Cõſtantienſem Prouinciæ Rothomagenſis, inſuper cantatis & perlectis Litaniis, Antiphonis, aliiſque deuotis orationibus in talibus ordinatis, Deoque ſuppliciter & deuote exhibitis, idem Dominus Cardinalis præſidens in Pontificalibus ſedens ſuper cathedram ad hoc ſibi præparatam, aliiſque ſingulis prælatis tunc ad præmiſſa adſtantibus in Pontificali habitu, ſimul cum mitris planis capitibus eorum impoſitis exiſtentibus, gratum ſermonem ad ſynodum prædictam ſacroſanctam habuit, ſumens pro themate ſuo, *Mundamini qui fertis vaſa Domini, Eſaiæ* 52. in quo plerunque ſalubri exhortatione ac ſecundum quod tali conueniebat eximiæ congregationi, & in primordio talis actus decuit, omnes de puritate, munditia & vitæ integritate ſolerter in charitate non ficta admonuit, præcipueque exhortatus eſt, vt in celebratione Deo grata præſentis ſacri Concilij, eccleſiæ vniuerſali tam neceſſario & vtili, vt vere decet viros eccleſiaſticos, conſtanti & bono animo iugiter adeſſent, vigilarentque, ac diligentius intenderent ad profectũ & vtilitatem Reipublicę Chriſtianæ religionis feliciter peragendum. Quo quidem ſermone per eum finito, tandem memoratus Dominus Philibertus Epiſcopus Conſtantienſis eminentem thalamum aſcendit, ibique de mandato dictæ ſacræ ſynodi perlegit alta & intelligibili voce, vt ab omnibus aſtantibus audiretur, hæcque infra de verbo ad verbum inſeruntur, aſtantibus ibidem nonnullis venerabilibus & egregiis viris, Dominis Ambaſiatoribus Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principum Dominorum Regis Romanorum ſemper Auguſti, & Amedei ducis Sabaudiæ, nec non viris illuſtribus Dominis aliis quamplurimis.

Ephes. 2.

DECRETA ET CAETERA LECTA IN PRIMA SESSIONE ſacri generalis Concilij Baſileenſis.

AD omnipotentis Dei gloriam, fidei Catholicæ exaltationem, chriſtianæque religionis profectum, iaciens fundamentum in ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, ſacroſancta Synodus Baſileenſis vniuerſalem eccleſiam repræſentans, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidente Reuerendiſſimo in Chriſto Patre Domino Iuliano, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſancti Angeli Diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, attendens quod ſacra generalis Synodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto celebrata, ſalubre exiſtimãs & multimode fructuoſum, in ſancta Dei eccleſia generalia Concilia frequentari, hoc ſuo decreto conſtituit huiuſmodi ſub tenore.

XXVII. *In Conſtantienſi Concilii ſeſſ. 39.*

Decretum Conſtantienſe de celebratione Conciliorum.

Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, ſpinas & tribulos hæreſum, errorum & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit; illorum vero neglectus, præmiſſa diſſeminat atque fouet: hæc præteritorum temporum recordatio, & præſentium conſideratio, ante oculos noſtros ponunt. Quapropter hoc edicto perpetuo ſancimus, decernimus, atque ordinamus, vt à modo Concilia generalia celebrentur, ita quod primum à fine huius Concilij in quinquennium immediate ſequens, ſecundum vero à fine illius immediate ſequentis Concilij in ſeptennium, & deinceps

ceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur, in locis quæ Summus Pontifex per menſem ante finem cuiuſlibet Concilij, approbante vel conſentiente Concilio, vel in eius defectum, ipſum Concilium deputare & aſſignare teneatur, vt ſic per quandam continuationem ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur, quem terminum liceat Summo Pontifici de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilio, ob emergentes forte caſus abbreuiare, ſed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro Concilio celebrando deputatum abſque euidenti neceſſitate non mutet. Sed ſi forte caſus * aliquis occurrent, quo neceſſarium videretur, ipſum locum mutari, puta obſidionis guerrarum, peſtis aut ſimilis, tunc liceat Summo Pontifici de prædictorum fratrum ſuorum, aut duarum partium ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione, alium locum prius deputato loco viciniorem & aptum, ſub eadem tamen natione ſubrogare: niſi idem vel ſimile impedimentum per totam illam nationem vigeret, tunc ad aliquem alium viciniorem alterius nationis locum aptum, huiuſmodi Concilium poterit conuocari, ad quem Prælati, & alij qui ad Concilium ſolent conuocari, accedere teneantur, ac ſi à principio locus ille fuiſſet electus & deputatus. Quam tamen loci mutationem, vel termini abbreuiationem per annum ante præfixum terminum tenetur Summus Pontifex legitime & ſolenniter publicare & intimare, vt ad ipſum Concilium celebrandum prædicti poſſint ſtatuto termino conuenire.

* *aliud.*

Atque pro ipſius executione decreti, ciuitas Papiæ apud Italiam fuit electa pro generali Concilio in fine tunc proxime ſequentis quinquennij celebrãdo. Quod quidem Concilium ſuo decreto tempore in dicta Ciuitate Papienſi celebrari extitit inchoatum, & inde certis ex cauſis ad ciuitatem Senenſem tranſlatum. In quo quidem generali Concilio Papiæ inchoato, & in Senenſi ciuitate celebrato, hæc Baſileenſis ciuitas pro celebratione tunc futuri generalis Concilij poſt ſeptennium à fine ipſius Senenſis Concilij celebrandi, fuit electa & debite aſſignata, vt conſtat in inſtrumento publico inde confecto huiuſmodi ſerici.

Inſtrumentum electionis ciuitatis Baſileenſis, pro Generali Concilio celebrando.

XXVIII. In nomine Domini, Amen. Tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quod anno à Natiuitate eiuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimoquarto, indictione ſecunda, die vero ſabbati 19. menſis Februarij, hora tertiarum vel quaſi Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Martini diuina prouidentia Papæ Quinti anno ſeptimo, vigente & durante ſacroſancto Generali Concilio Senenſi in ciuitate Senarum, ac præſidentibus eidem Concilio vice & nomine præfati Domini noſtri Papæ & pro eo, Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis, Dominis Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Petro Archiepiſcopo Cretenſi, Iacobo Epiſcopo Spoletano, Petro Abbate de Roſario Aquileienſis diœceſis, ac Leonardo de Florentia Magiſtro & generali ordinis Prædicatorum, per eundem Dominum noſtrum Papam ad infraſcripta ſpecialiter deputatis & ordinatis, iidem Domini præſidentes quandam conuocationem deputatorum omnium inclytarum nationum præſentis Concilij Senenſis, ſuper electione loci futuri Concilij fecerunt. In qua affuerunt prædicti Domini præſidentes Concilij vna cum Reuerendis Patribus ac venerabilibus & circumſpectis viris omnium quinque nationum, videlicet pro Italica pro parte Prælatorum & aliorum de extra territorium Senenſis Domini Petrus † ſanctus Epiſcopus Caſtrenſis, & Dominicus de ſancto Geminiano decretorum Doctor, Cameræ Apoſtolicæ Auditor. Pro parte prælatorum & aliorum habentium titulos in territorio Senenſi, Dominus Nicolaus Abbas ſancti Donati, ordinis vallis vmbroſæ, ſe non habere mandatum ad actum infra ſcriptum faciendum dicens, ſed ad audiendum & referendum, quorum quilibet ſe dictam Italicam nationem repræſentare aſſerebat. Pro natione Gallicana Reuerendi Patres & Domini, Domini Guillermus Epiſcopus Canalicenſis, Ludouicus de Palude regalis Trenorchienſis, ordinis ſancti Benedicti, Cabilonenſis diœceſis, & Ioannes Vrſicampi ordinis Ciſtercienſis, Nouiomenſis diœceſis Abbates. Pro natione Germanica Reuerendus Pater Dominus Hartungus de Cappel, decretorum Doctor, ſacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditor, ac venerabilis & religioſus Vir Frater Theodoricus de Andel. Monachus ordinis Præmonſtratenſis, in decretis Licentiatus, ac eiuſdem ordinis procurator. Pro natione Hiſpanica, Petrus Alfonſi Abbas ſancti Vincentij, & Canonicus Eccleſiæ Toletanæ, qui tamen dixit, ſe non habere * aliquod mandatum à natione ſua ad hunc actum faciendum, niſi ſolum ad audiendum & referendum, de quo etiam ſolenniter fuit proteſtatus. Pro natione Angliæ Reuerendus Pater & Dominus, Dominus Franciſcus Epiſcopus Aquenſis, & venerabilis vir Magiſter Thomas de Merdona Canonicus * Aſcolanenſis, in ſacra pagina Baccalaureus. Qui deputati ſupradicti, ſingulariter ſinguli, ad infraſcripta mandata ſua in publicam formam, illis de territorio Senenſi, & natione Hiſpaniæ exceptis, Senis in Capella domus operarij maioris Eccleſiæ Senenſis prope eandem Eccleſiam ſita produxerunt, & quilibet eorum produxit. Quibus ſic congregatis, ac Miſſarum ſolemniis aliiſque cæremoniis debitis & conſuetis ibidem completis, ſupra dicti Domini deputati ſingularum nationum, ad infra ſcripta ſingularia mandata, de quibus per inſtrumenta publica ſignis & ſubſcriptionibus Notariorum publicorum tunc ibidem præſentium ſignata & ſubſcripta legitimam fecerunt fidem, ad huiuſmodi electionem loci per ordinem proceſſerunt. Et inter cætera quam plurimis allegationibus, propoſitionibus, altercationibus & diſſenſionibus diuerſorum locorum & prouinciarũ hinc inde inter ipſos deputatos habitis atque factis, demum pro loco futuri, & tunc celebrandi Concilij proxime ſecuturi, iuxta formam & tenorem decreti ſiue Conſtitutionis Concilij Conſtantienſis deſuper facti, ciuitatem Baſileenſem in natione Germanica conſiſtentem, & in prouincia Biſuntina, ranquam habilem, ſufficientem, & idoneam, ex ipſorum certa ſcientia vnanimiter & concorditer nominauerunt & elegerunt, dictis tamen Nicolao ſancti Donati, & Petro Alfonſi Abbatibus, pro tunc expreſſe conſentientibus. Quo loco ſic per ipſos Dominos deputatos electo, ſupra dicti Domini quatuor præſidentes Concilij ex parte Domini noſtri Papæ dictum decretum ſiue conſtitutionem Concilij Conſtantienſis, in quo continetur de modo eligendi loca Conciliorum, nec non litteras Apoſtolicas Domini noſtri Papæ prædicti, eius vera bulla plumbea (vt prima facie apparebat) more Romanæ curiæ munitas, ſuper poteſtate dictis Dominis præſidentibus ad præſentem actum à Domino noſtro Papa prædicto conceſſa, per venerabilem virum Dominum Micliaelem de Piſis decretorum Doctorem, & præfati Domini noſtri Papæ Secretarium, ibidem præſentem, publice alta & intelligibili voce coram Dominis præſidentibus ac deputatis nationum, aliiſque ſupradictis, infra ſcriptorum tenorum legi & publicari fecerunt. Tenor vero decreti ſequitur, & eſt talis:

* *Aſtolenſis.*

Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri Dominici, &c. ſicut ſupra in hac eadem ſeſſione habetur, & alias integrius in Concilij Conſtantienſis ſeſſ. 39.

Tenor Bullæ talis eſt:

XXIX. *Facultas à Mart. V. Nunciis Sed. Apoſt. data ad Conc. è Ciuitate Papienſi alio transferẽdi ſi legitima cauſa ſubſiſtat.*

Martinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Petro Archiepiſcopo Cretenſi, & Iacobo Epiſcopo Spoletano, ac dilectis filiis Petro Abbati de Roſario ſancti Petri Aquileienſis diœceſis, nec non Leonardo de Florentia, ordinis fratrum Prædicatorum, & ſacræ paginæ Profeſſori, ac eiuſdem ordinis Generali Magiſtro, noſtris & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper ſiquidem cupientes Generale Concilium iuxta deliberationem & ordinationem ſanctæ Synodi Conſtantienſis, ad deputationem loci olim eadem approbante Synodo per nos factam, in ciuitate Papienſi authore Domino celebrari, vt illa in eo ſtatuerentur & fierent, quæ cedederent ad laudem Dei & bonum publicum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, vos ad ciuitatem prædictam pro futuro ibidem tenendo & celebrando Concilio generali, noſtros & Apoſtolicæ Sedis nuncios, de fratrum noſtrorum conſilio prouidimus deſtinandos, vobis inter cætera nomine & authoritate noſtris

stris ipsi Concilio præsidendi, & inibi pro vestra sapientia illa prouidendi, deliberandi, statuendi, decernendi & concludendi, quæ ad conseruationem & augmentum religionis & fidei Christianæ, & reformationem Cleri, & status Ecclesiastici pertinent, potestatem plenariam concedentes, prout in aliis nostris literis plenius continetur. Nos igitur attendentes, vt in bene gerendis rebus dicti Concilij eo vtilius & perfectius proficere valeatis, quo ampliori fueritis per nos authoritate muniti, & ne propter aliquem casum qui solet quandoque contingere celebratio & continuatio eiusdem Concilij retardetur: opportune prouidere volentes, discretioni vestræ vbi legitima causa subsistat, ipsum Concilium de ciuitate prædicta ad quam cum que ciuitatem aliam eiusdem nationis ad hoc liberam, habilem, & sufficientem, de qua vobis videbitur, authoritate nostra transferendi, illudq; prorogandi, mutandi & dissoluendi: ipsumque Concilium in huiusmodi alia ciuitate, ad quam id forsan transferri & murari contigerit, continuandi, tenendi & celebrandi, & illud prælatos, & alios euocandi, eique nomine & authoritate prædictis præsidendi, & quæcunque in eo decreta, eodem approbante Concilio, ordinandi, statuendi & decernendi, illaque in publicis sessionibus iuxta morem solenniter publicandi, & approbandi, vt nihilominus ante dissolutionem præsentis Concilij, locum pro alio futuro Concilio inde ad septennium celebrando, iuxta deliberationem, declarationem & ordinationem prædictas etiam ante mensem, vbi rationabilis causa esset ne aliquo modo huiusmodi loci deputatio differatur, nominandi, deputandi, & assignandi, & alia in præmissis omnibus agendi, disponendi, statuendi, & exequendi ac concludendi, quæ pro statu honoreque nostris & Romanæ ecclesiæ, ac tranquillitate & pace Reipublicæ Christianæ noueritis profutura, plenam & liberam de dictorum fratrum consilio authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus facultatem, ratum & gratum habituri, quicquid per vos super præmissis in eodem Concilio propositum, deliberatum, statutum, & decretum fuerit ac conclusum. Idque faciemus, authore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. *Datum Romæ apud sanctum Petrum, octauo Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno sexto.*

XXX. *Consensus Patrum in electione Ciuit. Basil. pro Concil. celebrando.*

Quibus quidem decretis & litteris Apostolicis sic lectis & publicatis, prædicti Domini quatuor Præsidentes ibidem præsentes, per organum dicti Reuerendissimi Patris Domini Petri Archiepiscopi Cretensis, vnius ex ipsis præsidentibus, in ipsum locum, videlicet ciuitatem Basileensem, sic (vt præmittitur) per ipsos Dominos deputatos electam, consenserunt, ac eandem ciuitatem Basileensem, in Prouincia Bisuntina consistentem, vna cum dictis dominis deputatis nationum, & ipsi deputati nationum, videlicet Italicæ de extra territorium Senense, Gallicanæ, Germanicæ & Anglicanæ, iuxta dicti decreti Constantiensis Concilij vim, formam & tenorem, ac potestatis à Domino nostro Papa prædicto eis traditæ (vt præmittitur) & concessæ, elegerunt & nominauerunt, ac ciuitatem ipsam habilem & idoneam pro loco futuri proxime celebrandi Concilij deputârunt, assignârunt, & pronunciârunt. Protestantes tamen, quod propter hoc ipsum Concilium Senense non censeatur dissolutum esse, sed quod ipsi præsidentes cum inclytis nationibus ad omnem reformationem hic possibilem concurrere vellent. Et hoc idem præfati deputati per ordinem similiter fuerunt protestati, quilibet pro natione sua, quod ad reformationem hic possibilem attendere vellent. Quo loco taliter electo & pronunciato, ac assignato & deputato, vocati fuerunt in locum dictæ congregationis Reuerendissimi Patres & Domini, Domini Ioannes Archiepiscopus Toletanus nationis Hispanicæ præsidens, Ioannes Archiepiscopus Rothomagensis nationis Gallicanæ præsidens, Riccardus electus Eboracensis Anglicanæ nationis præsidens, & Andreas Episcopus * Poznanensis, nationis Germanicę præsidens. In quorum præsentia dicti loci electio fuit solenniter publicata, & per ipsos Dominos Archiepiscopos & Episcopos approbata & confirmata. Excepto, quod dictus Reuerendissimus Pater Dominus Ioannes Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, regnique Castellæ maior Cancellarius, & supradictæ nationis Hispanicæ præsidens, ad dictam electionem respondit se habere duas voces: vnam, vt præsidens nationis suæ Hispanicæ: aliam vero, vt Archiepiscopus & primas Hispaniarum. Quantum ad primam vocem, non posset consentire, nisi requisita & consentiente natione sua prædicta. Quantum vero ad secundam vocem, videlicet, vt Archiepiscopus & primas, dixit se consentire, & expresse consensit. De & super quibus omnibus & singulis præmissis sic actis, factis & gestis, p. æfati Domini præsidentes Domini nostri Papæ, nec non deputati per ordinem, ac honorabilis vir Magister Martinus Welle Clericus Sambiensis diœcesis in decretis Baccalaureus, ac Domini nostri Papæ præfati procurator fiscalis, & huiusmodi sacri Senensis Concilij procurator, sibi à me Notario publico infra scripto, & aliarum nationum Notariis ibidem tunc præsentibus, fieri petierunt, & quilibet eorum fieri petiit, atque tradi vnum vel plura, publicum seu publica, instrumentum aut instrumenta. Acta fuerunt hæc Senis sub anno, indictione, mense, die, hora, loco & pontificatu quibus supra, præsentibus ibidem venerabilibus ac honorabilibus & discretis viris, Dominis Dominico de * Crapanica, Apostolicæ Cameræ clerico, Michaële de Pisis supradicto, decretorum Doctoribus, nec non Magistris Antonio * olim Michaele de sancto Geminiano curiæ causarum Cameræ Apostolicæ & Italiæ de extra territorium Senense, Hermanno Weynen de Bocken, clerico Monasteriensis diœcesis, Apostolica & Imperiali authoritatibus ac inclytæ nationis Germanicæ in prædicto Concilio Senensi Notario, nec non Laurentio Stafforde Anglicanæ nationum prædictarum Notariis, Florentinensis, Monasteriensis, ac Lincolniensis diœcesium, ac Francisco de Bononia, seruiente armorum Domini nostri Papæ, prædictis testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

* *Crapalica. Locus obscurus.*

Subscriptiones Notariorum.

Et ego Petrus Clerici, clericus Ambianensis diœcesis, Magister in artibus, publicus authoritate Apostolica & inclytæ nationis Gallicanæ in prædicto sacro Concilio Senensi Notarius, quia huiusmodi electioni, pronunciationi, assignationi & deputationi loci futuri Concilij (vt præmittitur) proxime celebrandi præsens fui, eaque sic fieri vidi & audiui, ideoque hoc præsens publicum instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci, subscripsi, & publicaui, signoque & nomine meis solitis & consuetis signaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum requisitus & rogatus.

Subscriptio alterius Notarii.

Et ego Laurentius Stafforde Clericus Lincolniensis diœcesis, publicus authoritate Apostolica & inclytæ nationis Anglicanæ in prædicto sacro Senensi Concilio Notarius, præmissis omnibus & singulis vna cum prænominatis testibus & Notario præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audiui, & exinde hoc instrumentum per alium fideliter scriptum, signo meo solito cum dicto Notario requisitus signaui in testimonium omnium præmissorum.

Initium & approbatio Concilii Basileensis.

XXXI. Cum vero finis instaret septennij, quod est tempus ex præinserto Concilij Constantiensis decreto celebrationi huius Concilij præfinitum, fœlicis recordationis Dominus Martinus Papa Quintus, sanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ tunc præsidens Pontifex, volens celebrationem generalis Concilij fieri iuxta præmemoratum decretum, cui tamen propter ætatem decrepitam, & multiplices sui corporis morbos in persona propria non poterat residere, dictum Dominum Iulianum sanctæ Romanæ Ecclesiæ sancti Angeli Diaconum Cardinalem, de fratrum suorum consilio, ad celebrandum ipsum Concilium, ac eidem vice & loco ipsius summi Pontificis præsidendi, suum ac Sedis Apostolicæ destinauit legatum per suas Apostolicas litteras prout ecce:

Martinus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilecto filio Iuliano sancti Angeli Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem. Dum onus vniuersalis gregis Dominici superna dispositione nobis iniunctum diligenter attendimus, & quod singulis christianæ Reipublicæ occurrentibus per nos ipsos debitum Apostolicæ seruitutis, exequi non possumus, animo nostro reuoluimus: nonnunquam viros fide feruentes, dignitate ac scientia præditos, & rerum agendarum experientia conspicuos, in partem nostrorum & Ecclesiæ Romanæ negotiorum assumimus, vt dum tempus postulat, eorum operationibus vices nostras supplentes, ministerium nobis commissum, diuina assistente gratia, iuxta vires nobis ex alto concessas, exequi valeamus. Dudum siquidem sacrum generale Constantiense Concilium ex certis causis tunc expressis, statuit & decreuit, primum generale Concilium in quinquennium ex tunc proxime futurum, secundum vero à fine illum immediate sequentis Concilij in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo fore celebrandum, in locis per Romanum Pontificem per mensem ante finem cuiuslibet Concilij, approbante & consentiente Concilio, vel in defectum ipsius per ipsum Concilium deputandis ac assignandis, vt illa quæ circa statum & bonum publicum Ecclesiæ sanctæ Dei agenda & expedienda restabant, matura possent deliberatione compleri, prout quantum in nobis fuit, in Concilio Senis vltimo celebrato factum extitit, in quo per nostros & Sedis Apostolicæ nuncios tunc in dicto Concilio Senensi præsidentes, eodem approbante Concilio ciuitas Basileensis pro loco proxime futuri tunc in septennium celebrandi Concilij deputata extitit, prout in decreto præfati Senensis Concilij & aliis nostris literis desuper confectis plenius continetur. Cum autem finis huiusmodi septennij, quo Concilium ipsum in eadem ciuitate Basileensi tenendum & celebrandum fore, statutum fuit, instare noscatur, cumque propter notoriam ægritudinem nostram in ipso futuro Basileensi Concilio, Deo authore, celebrando, iuxta desiderium cordis nostri interesse non possimus, te vitæ integritate, & sapientia præclarum, & magnitudine consilij conspicuum, ac in maximis nostris & præfatæ Ecclesiæ negotiis diuturna experientia comprobatum, legatum cum plena & omnimoda potestate legati de latere, de fratrum nostrorum consilio authoritate Apostolica, tenore præsentium facimus, constituimus, & etiam ordinamus, teque ad ciuitatem Basileensem prædictam, pro futuro ibidem, authore Domino, tenendo & celebrando Concilio generali, iuxta deliberationem & ordinationem præfatas, tanquam Angelum pacis destinandum prouidimus. Et cum super omnia in ipso futuro Concilio ad reformandum statum ecclesiasticum, qui hoc tempore indigere videtur, abundante nequitia, & frigescente charitate hominum, suscitatis inter fideles bellis & discordiis, ac inualescente in pluribus mundi partibus hæretica prauitate, ad huiusmodi hæreses extirpandas, & pacem inter Catholicos Principes, & cæteros christianos componendam, animum efficaciter intendamus: super qua re, quantum in nobis fuit, dedimus operam efficacem, tibi nomine & authoritate nostris ipsi Concilio præsidendi, ac in illo pro tua sapientia illa proponendi, deliberandi, ordinandi, statuendi, & decernendi, quæ ad laudem & honorem Dei, & conseruationem & augmentum religionis, fidei Christianæ, statum ecclesiæ, reformationem quoque totius cleri & ecclesiastici status in moribus & vita, nec non reductionem Orientalis Ecclesiæ, & quorumlibet aliorum oberrantium ad gremium ecclesiæ militantis, ac conseruationem ecclesiasticæ libertatis, salutem quoque, quietem & pacem regnorum, Regum, Ducum, Principum & quorumlibet fidelium populorum noueris pertinere, ac etiam ibidem cum debita maturitate & deliberatione, prout in tanta re conuenit, ea omnia proponendi, decernendi, concludendi & exequendi, per quæ hæreses & errores tam de Bohemia, quam de aliis quibuscumque regnis, prouinciis, terris & locis, in quibus sunt, penitus extirpentur. Et nihilominus de præmissis hæresum & quibuscumque aliis causis, fidem Catholicam concernentibus, quomodolibet cum consilio dicti Concilij cognoscendi, aliaque per te, vel per alium, seu alios à te deputandos, audiendi, decidendi, & fine debito cum præfato Concilio terminandi. Et contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscumque status, gradus, præeminentiæ, vel conditionis existant, & quauis ecclesiastica vel mundana, etiam si regali, vel pontificali præfulgeant dignitate, authoritate nostra per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, & super his, quoties opus fuerit, auxilium brachij secularis inuocandi, omniaq; alia & singula in eodem Basileensi Concilio agendi, tractandi, disponendi, statuendi, declarandi, decernendi & concludendi, quæ in præmissis & circa ea pro statu nostro & eiusdem ecclesiæ, ac salute animarum fidelium, extirpatione hæresum & errorum de agro Dominico, reductione quoque oberrantium populorum, & conseruatione ecclesiasticæ libertatis, ac pro quieto statu Reipublicæ Christianæ, nec non reformatione in omnibus membris suis, noueris profutura, plenam & liberam authoritate prædicta tenore præsentium concedimus potestatem, ratum & gratum habituri, quicquid super præmissis per te vna cum eodem Basileensi Concilio ordinatum, statutum, deliberatum & decretum fuerit, & conclusum: idque faciemus authore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Quocirca circumspectioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tibi iniunctum ministerium laboris huiusmodi pro diuina, & dictæ sedis ac nostra reuerentia, sic in eodem futuro Concilio dicto nomine pro tempore præsidens, ad honorem Dei, ecclesiæ atque nostram salutem quoq; & pacem populorum fidelium, iuxta datam tibi à Domino prudentiam, laudabiliter exequaris, quod ex tuis fructuosis operibus fructus optati proueniant, quos speramus: tuque deinde illam, quæ pias causas agentibus superna retributione impenditur, gloriam consequi merearis felicitatis æternæ.

Datum Romæ apud sanctos Apostolos, Kalend. Februar. Pontificatus nostri anno 14.

Matt. 24.

LITERAE DOMINI EVGENII PAPAE QVARTI, directæ Domino Iuliano Legato, quæ quidem bullæ non est decretata.

XXXII. Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio Iuliano sancti Angeli Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem. Certificari tam per litteras tuas, quam alias de solicitudine & circumspecta diligentia, quam habes in prosequendo causam fidei contra Bohemos hæreticos, tuam prudentiam commendamus, & te ad perseuerandum hortamur, quantum cum decentia fieri potest. Præterea cum felicis recordationis Martinus Papa Quintus prædecessor noster inter cætera tibi iniunxerit, præsidere debere authoritate Apostolica in Concilio generali in Basileensi ciuitate celebrando, si talis esset concursus & congregatio prælatorum, quod merito & rationabiliter celebrari debuisset & deberet, & (sicuti accepimus) vsque nunc pauci aut nulli conuenerunt, & propterea non sit opus alium destinare, sed sit potius expectandum, placet nobis, & volumus, tibique mandamus, quatenus expedito negotio Bohemorum, cuius finis expectatur in breui, tuos gressus dirigas ad prædictam ciuitatem Basileensem, & ibi (prout opus videris esse) iuxta tibi iniuncta & ordinata in Concilio Constantiensi, optime prouideas, prout in tua prudentia & circumspectione plene confidimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1431. * secundo Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno primo.

*for. * pridie.*

Stabilimentum sacri Concilii Basileensis.

XXXIII. Ipse autem Reuerendissimus Dominus Legatus mandatum Apostolicum exequi cupiens, cum tempore quo iam instabat celebrationem Concilij inchoari, circa expeditionem aduersus pestiferam hæresim Hussitarum esset pro causa fidei admodum occupatus suos ad hanc ciuitatem vices gerentes destinare curauit, ac postmodum, quam citius fuit possibile, ad præsentem ciuitatem accessit, vt iniunctum legationis officium posset in celebratione huius generalis Concilij, præstante diuini numinis gratia, adimplere, prout etiam Sanctissimus Dominus noster, Dominus Eugenius diuina prouidentia Papa Quartus, repetitis suæ sanctitatis literis, sibi mandauit. In qua ciuitate iam per tres menses & vltra cum prælatis & cæteris, qui ad ipsam ciuitatem causa celebrationis dicti generalis Concilij aduenerunt, quamplurimas congregationes fecit, habuitque tractatus super

* *Poznaniensis.*

ipsius stabilimento & celebratione Concilij. Tandem decrerum est, præsentem solemnem fieri sessionem, in qua primum cum ex præmissis constet aperte, quod hæc ciuitas sit locus celebrationi generalis Concilij deputatus, & adsit à iamdiu citra tempus ipsius Concilij celebrandi, sacrosanctæque Sedis Apostolicæ non desit authoritas, decernit, diffinit & declarat, in hac ciuitate & loco esse generale Concilium stabilitum canonice & fundatum, & quod ad eius celebrationem tenentur accedere omnes tam prælati, quam cæteri qui de iure vel consuetudine ad generalia Concilia accedere sunt adstricti.

Intentio Concilii Basileensis.

XXXIV. Cæterum cum vnumquodque eo directius atque intensius suas dirigat actiones, quo ipsarum destinatum finem agnoscit: idcirco hæc sancta Synodus necessitates Christianæ religionis sedula meditatione recogitans, matura & digesta deliberatione decernit, ad hæc tria, à quo cuncta bona procedunt, authore Deo; toto solicitudinis studio operam dare. Primo, vt omnium hæresum à Christiani populi finibus tenebris profugatis, lumen Catholicæ veritatis Christo vera luce largiente, refulgeat. Secundo, vt bellorum rabie, qua, fatore zizania seminante, in diuersis partibus mundi affligitur & dissipatur populus Christianus, congrua meditatione sedata, pacis authore præstante in statum reducatur pacificum & tranquillum. Tertio, vt cum multiplicibus vitiorum tribulis & spinis CHRISTI vinea iam quasi sylueſcat præ nimia densitate, vt illis debitæ culturæ studio resecatis, Euangelico agricola cœlitus operante, reflorear, honestarisque fructus & honoris felicis vbertate producat. Et quoniam absque cœlestis influxu gratiæ, hæc tam grandia bona sperari non possunt, omnes Christi fideles in Domino propensius exhortatur, vt ad obtinendam præmissorum consummationem felicem, deuotis orationibus, ieiuniis & eleemosynis apud maiestatem diuinam diligenter insistant, vt pius & misericors Deus humilibus placatus obsequiis, optatam rerum consummationem huic sacro Concilio sua pietate solita præstare dignetur, eis in remissionem suorum peccaminum hoc iniungens.

Iacob. 1.

Exhortatio suppositorum Concilij.

XXXV. Præterea cum præmissa, ad quæ huius sacri Concilij tendit exhortatio, sint plurimum ardua, & accuratum studium exigant, multaque sint solicitudine & cura peruigili pertractanda, exhortatur omnes in hoc sacro Concilio *persistentes, & ad ipsum venientes, vt diligenter secum illa cogitent, atque cum aliis excogitata pertractent, quæ eis videbuntur ad eadem vtilia, vel etiam opportuna, vt inde communi debitoque super eis tractatu habito & matura deliberatione digesto, melius & vtilius per sacrum Concilium in præmissis queat, assistente Spiritus sancti gratia, prouideri. In hac namque sacra Synodo congregatis, plena & libera sit omnibus & singulis loquendi & consulendi facultas, eorum quæ ad agenda esse videbuntur accommoda, iuxta materias in ipsius Concilij deliberatione propositas.

** præsentes.*

De modo seu gestu in Concilio & Sessione.

XXXVI. Vt autem qua morum & gestus venustate vnusquisque in sessionibus & congregationibus huius sacri Concilij debeat se habere, ex antiquorum patrum iam diu institutis regulis innotescat, decretum Toletani Concilij præsentibus duximus inserendum.

Toletan. 11. cap. 1.

Decretum Concilii Toletani.

XXXVII *5. qu. 4. In loco benedictionis.* In loco benedictionis confidentes Domini sacerdotes, nullus debet aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbare, nullus enim *vanis fabulis vel risibus, vel (quod est deterius) obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. *Si quis enim* (vt ait Apostolus) *putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Cultum enim suum iustitia perdit, quum silentia iudicij, obstrepentium turba confundit, dicente Propheta: *Erit enim cultus iustitiæ silentium.* Debet ergo quicquid aut considentium consultationibus agitur, aut ab accusantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus sensus audientium turbet, nec iudicij vigorem * in tumultu eneruet. Quicunque ergo in conuentu Concilij hæc quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta aut tumultu, aut contumeliis, vel risibus ipsum Concilium perturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur, * *Eiice deriſorem, & exibit cum eo iurgium*, cum omni dedecore à confessione abstractus, à communi cœtu recedat, & trium dierum sententiam excommunicationis ferat.

** prou.*

Prou. 22.

De honoribus.

XXX-VIII. Ad obuiandum controuersiis, quæ solent ex huiusmodi in Conciliis & publicis congregationibus suboriri, & nonnunquam ipsorum progressum per longa tempora impedire, hæc sacra Synodus ordinat, statuit & decernit, quod per quoscunque actus, nominationes, intitulationes, honoris exhibitiones tam in fede, quam in aliis quibuscunque dictis aut dicendis, factis aut faciendis in hoc Concilio, per quoscunque prælatos, principes, vel eorum aut vniuersitatum & communitatum quarumcunque nuncios, vel legatos, seu ipsis vel de ipsis, vel eorum altero in eodem Concilio nullum ius de nouo acquiratur, nullique præiudicium generetur, nulliusque ius in proprietate vel possessione lædatur. Et per præmissa, vel huiusmodi legatorum admissionem, ius vel titulus alicuius approbari nullatenus censeatur, vel etiam reprobari, aut ius vel possessio generali Concilio intercessendi, vel taliter vocem dandi cuiquam acquiri, sed in omnibus & per omnia vnumquemque in eodem statu post hoc Concilium remanere, in quo ante ipsius Concilij celebrationem permanebat.

De impedimento venientium ad Concilium.

XXXIX. Sane quoniam opus aliquod intendenti non satis est ædificationi operam dare, si ex aduerso impedientibus non resistat, idcirco decretum in sacro Constantiensi Concilio editum aduersus eos, qui venientes ad Concilium, stantes vel redeuntes impediunt, iniuriantur vel molestant: ex superabundanti cautela contra eos, qui venientes, stantes aut recedentes ab hac sancta Synodo, in persona vel bonis impedire, iniuriari, vel molestare præsumpserint, locum habere declarat ac decernit, iuxta ipsius (qui talis est) seriem & tenorem.

Processus contra inuasores, seu spoliatores accedentium ad Concilium, vel recedentium de illo.

XL. *Constantien. Conc. sess. 15.* Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, in Spiritu sancto ad extirpationem schismatis, hæresumque & errorum, nec non ipsius Ecclesiæ in capite & in membris debitam reformationem legitime congregata, ad futuram rei memoriam.

Iusticiam & æquitatem exerceri non dubitatur, si quos noxiæ voluntatis adeo captiuat peruersa intentio, quod processibus Apostolicis impudenter obuiare, authoritatem sanctionis canonicæ contemnentes, in aliorum prolabuntur iniurias, & offensas, ecclesiastica censura percellat, & pro demerito culpæ, rigorem adiiciat iudiciariæ potestatis. Nam si quilibet per campum licentiæ, freno deposito modestiæ, vagaretur impune, facile quisque sæuiret in proximum, & neruis disciplinantis iustitiæ rumperetur. Sane licet nonnulli Romani Pontifices, antiquos Romanæ Ecclesiæ morem & consuetudinem obseruantes, prout ad eos ex debito apostolatus sibi iniuncti officii pertinebat, per certos suos processus in die cœnæ Dominiannis singulis solemniter publicantes, inter alios omnes & singulos, quiad Sedem Apostolicam venientes, vel recedentes ab ea, nec non in illos omnes & singulos, qui per se vel per alium seu alios, quascumque personas ecclesiasticas vel sæculares, ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis accedentes, illaque in eadem curia prosequentes, aut procuratores, gestores, aduocatos & promotores ipsorum, ac etiam auditores seu iudices, qui super dictis causis, seu negotiis deputantur, occasione causarum emergentium huiusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, cuiuscumque dignitatis, ordinis, conditionis aut status forent, prædicta vel eorum aliqua committentes, excommunicationis & anathematiza-

marizationis sententias, à quibus nullus per alium quam Romanum Pontificem posset, præterquam in mortis articulo cõstitutus, absolui, nec etiam tunc nisi de stando mandatis Ecclesiæ ac satisfactione præstanda, sufficienti cautione præmissa, candelis accensis, & ad terram proiectis, promulgauerant, & eos qui taliter excommunicatis & anathematizatis, vel eorum alicui præsumerent absolutionis beneficium impendere, similibus sententiis innodauerunt, eisque prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum ecclesiasticorum & confessionem audiendi interdixerunt officium, nec non quicumque iniuriatores quorumlibet ad sacra generalia Concilia venientium, seu stantium in ipsis, aut recedentium ab eisdem, diuersas censuras ecclesiasticas & pœnas tam ex canonis, quam diuini iuris dispositione incurrant: Tamen, sicut ad nostram fide dignorum *multorũ. *multitudine valida insinuatione peruenit notitiam, nonnulli iniquitatis filij, perditionis alumni, huiusmodi censuras vilipendentes, ac huiusmodi sacri Concilij, extirpationis schismatis, hæresum ac errorum, ipsiusque ecclesiæ reformationis perturbatores, diabolico spiritu instigante, nec dignitati nec ordini deferentes, Dei timore postposito, nefariis ac sacrilegis ausibus nonnullas personas ecclesiasticas & seculares, etiam Pontificali dignitate præditas, ad sedem Apostolicam vel Romanam curiam seu præsens generale Concilium in ciuitate Constantiensi prouinciæ Maguntinensis, vbi nunc Romana curia existit, in Spiritu sancto legitime congregata, venientes aut recedentes ab eisdem, inuadere, capere, arrestare, detinere, incarcerare, mutilare, occidere ac spoliare bonis suis, vel iniuriis affligere quamplurimis, & alias male tractare, temeritate propria præsumpserunt, & dictim præsumunt, in Apostolicæ Sedis & sacri Concilij vilipendium & contemptum, ac sedationis schismatis, reformationis Ecclesiæ & correctionis morum, nec non hæresum & errorum prædictorum extirpationis disturbium, suarumq; animarum periculum, & scandalum plurimorum. Nos igitur volentes in præmissis, nec non aduersus quibuscumque ad ipsum Concilium & quælibet alia futura generalia Concilia accedentes, aut stantes in ipsis, seu recedentes ab eisdem, ne ab aliis Deum non timentibus, temerariis iniuriis infestentur & opprimantur violentiis, & ne quibusuis delinquendi, aut excessus committendi pateat audacia, de opportuno & salubri remedio prouidere huiusmodi, nec non omnes alios & singulos alios processus, sententias & censuras aduersus quarumlibet personarum ecclesiasticarum, vel secularium, ad sacra generalia Concilia venientium, vel stantium in ipsis, seu recedentium ab eisdem, molestatores, perturbatores vel iniuriatores, authoritate Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus sancti extendentes, omnes & singulos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis fuerint, etiam si pontificali, imperiali, regali, vel alia quacunque ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, qui quascunque personas ecclesiasticas vel seculares, quæ ad huiusmodi Sedem Apostolicam Romanam curiam hoc præsenti sacro durante Concilio, vel ad ipsum & quæcunque alia generalia Concilia venientes, aut stantes in ipsis, aut ab eis recedentes, temeritate propria per se vel alium seu alios arrestare, inuadere, capere, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, aut bonis suis spoliare, vel iniuriis affligere, seu ipsos sic delinquentes receptare, aut alias quomodolibet impedire, seu ea perpetrantium facta & commissa, rata & grata habere, vel eis dare auxilium, consilium vel fauorem, publice vel occulte, directe vel indirecte præsumpserint, vel præsument in futurum, similibus excommunicationis & anathematizationis sententiis innodamus eo ipso. Terras quoque ipsorum & cuiuslibet, qui in præmissis vel eorum aliquo transgressor vel contemptor fuerit, dum tamen vniuscuiusque sic transgressorum vel contemptorum vltra vnam diœcesim non contineat, nec non dominia, ciuitates, villas, castra, oppida, & quælibet alia loca, in quibus huiusmodi excessum patratores seu eorum receptatores, vel ipsis consentientes, fauentes, aut dantes auxilium, consilium vel fauorem, publice morabuntur, nec non illa in quibus huiusmodi personæ, quæ sic temeritate propria detentæ fuerint, quandiu extiterint in eisdem, memorata authoritate ecclesiastico supponimus interdicto. Quod si terra eiusdem duas diœceses vel amplius contineat, Dominio domicilij principalis ipsius, & illam etiam in qua fuerit delictum commissum, si sua sit, & duas alias quæ sub ipso sunt, eidem loco magis vicinas, interdicto subiacere volumus supradicto, & etiam omnes & singulos huiusmodi excommunicationis & anathematizationis sententiis ligatos, in quibus liber ecclesiis, loco, vbi tale delictum fuerit perpetratum, vel terris & locis propter hoc interdictis magis conuicinis vbi liber existentibus, omnibus diebus dominicalibus & festiuis, pulsatis campanis, candelis accensis, publice nunciari, ac terras, ciuitates, villas, castra, oppida, & loca *Ecclesiastico interdicto prædicto supposita, donec sic excommunicati, meruerint ab huiusmodi sententiis beneficium absolutionis obtinere, dictumque interdictum debuerit relaxari: ita tamen, quod nullus ex transgressoribus ac contemptoribus huiusmodi per alium, quam per Romanum Pontificem vel sacri Concilij authoritate possit, nisi duntaxat in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando mandatis Ecclesiæ, satisfactione vel sufficienti cautione (si hoc commode facere possint) primitus præstita, absolui, vel interdictum huiusmodi relaxari. Eos vero cuiuscunque dignitatis, ordinis, status vel conditionis fuerint, etiamsi pontificali dignitate præfulgeant, qui contra tenorem præsentium processuum, talibus vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere præsumpserint, volumus, statuimus & decernimus, similibus excommunicationis & anathematizationis sententiis fore innodatos eo ipso, ipsisque prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum & confessiones audiendi officium, authoritate interdicimus supradicta, insinuantes transgressoribus & contemptoribus in prædictis, quod spiritualiter & temporaliter (prout eorum requirent excessus & demerita) grauius procedetur, non obstantibus quibuscunque constitutionibus & quibuslibet priuilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, eisdem transgressoribus, aut cõtemptoribus vel quibusuis aliis, communiter vel diuisim à dicta sede concessis, etiam quod suspendi vel excommunicari, aut eorum terræ, dominia, ciuitates, villæ, castra, oppida, & alia loca interdici non possint, etiam si de ipsis & eorum tenoribus esset in ipsis processibus mentio facienda specialis, quæ ne contra huiusmodi sententias & processus, quo minus includantur in eis, per ea valeant se, terras, dominia, ciuitates, villas, castra, oppida & loca huiusmodi tueri, & quæ quo ad hoc, tollimus & penitus reuocamus. Et insuper mandamus, vt huiusmodi præsens processus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas siue membranas processus continentes eosdem, in maiori & sancti Stephani Constantiensis ecclesiarum valuis affigi, qui processus ipso quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt, vt prædicti quos processus concernent, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos processus huiusmodi non peruenerint, vel ignorauerint eosdem, cum non sit verisimile, remanere incognitum, quo ad ipsos, quod tam pateret fuit publicatum. Cæterum omnibus & singulis Dominis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisq; locorum ordinariis præcipimus & mandamus, vt ipsi & eorum quilibet per se vel per alium seu alios, sub pœna excommunicationis, quam ipsorum quemlibet, qui mandatorum nostrorum huiusmodi transgressor, & contemptor fuerit, incurrere volumus ipso facto, præsentes nostros processus per eorum aut chartarum vel membranarum seu transumptorum continentiam, eosdem, quibus sicuti nostris processibus tantam volumus fidem adhiberi, in Ecclesiarum valuis seu aliis locis affixione publicent, & præfatos transgressores & contemptores huiusmodi, excommunicationis & anathematizationis sententiis ligatos, ac terras, ciuitates, castra, villas, oppida & loca præfata huiusmodi ecclesiastico interdicto supposita, quam primum ipsis vel eorum alicui de hoc legitime constiterit, tam diu in ecclesiis, dominicis, & aliis *festis diebus dum inibi fuerit maior populi multitudo, campanis pulsatis, & candelis accensis & extinctis denuncient, & interdictum huiusmodi inuiolabiliter obseruari faciant

ecclesiastica.

** festinis.*

per censuras ecclesiasticas, & alia iuris remedia, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis, donec ipsi transgressores & contemptores meruerint ab huiusmodi excommunicationis & anathematizationis sententijs absolutionis beneficium obtinere, dictumque interdictum merito debuerit relaxari, non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter vel diuisim à sede prædicta indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Constantiæ *secundo nonas Iulij, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo & decimoquinto, Sede Apostolica vacante, regnorum Serenissimi Principis Domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ, &c. Regis, videlicet electionis quinto, coronationis primo, Hungariæ vero vigesimonono.

*for. *pridie.*

De impedientibus Concilium.

XLI. Porro, quia nonnunquam lingua subdola plurimum impedit & perturbat, falsa vel detractoria seminando, quodque cum nimis graue sit, tam grandem Christianitatis impedire profectum, omni animaduersione sit dignum, idcirco malignorum conatibus cupiens obuiare dicta sancta Synodus, omnes & singulos sub obtestatione diuini iudicij admonet, ne impedimentum, perturbationem, prorogationem vel dissolutionem huius sacri Concilij moliantur. Si quis autem scienter animo impediendi vel perturbandi hoc sacrum generale Concilium verbo, facto, vel literis, palam vel occulte impedimenta, perturbationem, prorogationem vel dissolutionem fieri procurauerit, experietur vltione pœnali perpetrati facinoris grauitatem. Et contra eum tanquam communis pacis perturbatorem, rigide procedetur, cum ex hoc hæresum extirpationem, pacis procurationem, & morum reformationem impedire videatur.

DE FRVCTIBVS BENEFICIORVM PERCIpiendis per supposita Concilii.

XLII. CVm hi qui intersunt in hoc sacro generali Concilio, pro communi bono totius Ecclesiæ congregato, non debeant minori prærogatiua gaudere, quam quicunque alij quarumuis ecclesiarum negotiis quibuslibet vel vtilitatibus intendentes, ideoque tanquam causa Reipublicæ absentes, debent pro præsentibus merito reputari ad instar sacri Constantiensis Concilij, in quo, modo consimili extitit ordinatum: præsens Concilium statuit, ordinat, & decernit quod omnes & singuli qui in eodem Concilio tanquam ipsius suppositi sunt recepti, vel recipientur in posterum, ab eo die quo iter arripuerint ad dictum Concilium veniendi, & quam diu permanserint in eodem, & etiam recedentes per tantum tempus, quo ad suum possint domicilium reuerti, fructus omnium beneficiorum suorum cum ea integritate percipiant, cum qua eos perciperent, si in ipsis beneficiis residerent, non obstantibus in contrarium quibuscunque.

De officialibus Concilij.

XLIII. Quia vero ad prosecutionem huius sacri Concilij requiruntur Officiales & ministri, ideo deputat & ordinat notarios ad scribendum acta ipsius Concilij, Lucam de *Vuisso secretarium dicti Domini Legati, & Rodulphum Sapientis diœcesis Gebennensis. Et vt omnia eo decentius ordinentur, quo maiori fuerint directa consilio, deputat & ordinat venerabiles Henricum Nithart decretorum Doctorem, & Ludouicum Parisij Licentiatum in decretis, decanum Ecclesiæ beatæ Mariæ Iatæ de Anessiaco dictæ Gebennensis diœcesis, qui acta Concilij vniuersa per dictos notarios scripta adipiscant, debiteque (si opus sit) corrigant & emendent. Promotores quoque ipsius Concilij deputat Magistratum Nicolaum Amici, magistrum in artibus & Licentiatum in Theologia, & Henricum Anester Licentiatum in decretis, præpositum Turicensem Constantiensis diœcesis, sediumque ordinatores, qui existentes in Concilio, in locis & sedibus debitis collocent, quorum ordinationi omnes obedire teneantur, Henricum Stater artium & Medicinæ *Doctorem, Decanum Traiectensem, & Sanderum de *Marthusen in legibus baccalaureum, & Cattonicum Ecclesiæ sancti Petri Maguntinensis. Lectis siquidem (vt præfertur) decretis, bulla & instrumento præinsertis, memoratus Dominus Episcopus Constantiensis consimili voce, alta videlicet & intelligibili interrogans, scisitatus est, an omnia & singula per eum sic (vt præfertur) lecta, ipsi sacræ Synodo placerent. Ad cuius interrogationem præfatus Reuerendissimus Pater Dominus Cardinalis præsidens, primo, & deinde cæteri omnes & singuli Domini prælati, in eadem sessione ac sacra Synodo tunc præsentes, concorditer nullo discrepante responderunt vna voce, Placet. Quibus præmissis sic peractis præfati dictæ sacrosanctæ Synodi promotores, siue procuratores supra deputati, petierunt, & quilibet ipsorum petiit, per nos protonotarios, notarios, & scribas, ad hoc supra deputatos, fieri & confici de præmissis omnibus & singulis vnum vel plura publica instrumenta, in testimonium veritatis præmissorum & ad perpetuam rei memoriam. Datum Basileæ decimonono Calendas Ianuarij anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo.

*Medicinæ magistrum. *Martisbusen.

XLIV. *Eug. ob grauissimas causas Concil. Basil. dissoluere & alio transferre expediens iudicat.*

Hactenus acta primæ sessionis quam Iulianus Cardinalis Legatus, vel inuito Pontifice celebrauit, tum vt desiderio malcuolentiũ Eugenio satisfaceret, tum vt infamiam ex bello infeliciter contra hæreticos tentato, aliqua noua actione aboleret, neque nihil omnino egisse videretur. Cæterum Eugenius, non tam priuatæ, quam publicæ rei curam habens, cum accepisset, Iulianum Legatum, Bohemos, Catholicæ Fidei hostes notorios armatos, hæresim pertinacissime & atrocissime defendentes, Basileam, ad disputandum & contendendum de articulis, in Cõciliis, Romano, Pisano, Constantiensi, Papiensi & Senensi, & per processus Apostolicos Ioannis XXIII. Gregorij XII. Alexandri V. Martini V. nec non suos damnatis, iniuriam Sedis Apostolicæ, sacrorumque Conciliorum prædictorum, contra decreta SS. Patrum & statuta legum imperialium, cum scandalo totius Ecclesiæ, in periculum Fidei se euocauisse; ac præterea cum intelligeret, à turpi illa Crucesignatorum fuga, plurimum auctoritatis detractum fuisse eidem Legato; maxime cum hæretici tam numeroso, tamque potenti Catholicorum exercitu, nondum conspecta hostili acie fugiente, superiores facti, conditiones intolerandas imponere illis conarentur, adeoque etiam Basileæ imminere, vt Patres congregatos opprimerent, viderentur: præter alias, quas grauissimas habuit causas, iudicauit expedire, Concilium Basileense, auctoritate ordinatia dissoluere, aliosque transferre: postquam Iulianus Legatus, potestate ad id plenaria accepta, vti, aut neglexisset, aut contempsisset. Ergo ad 15. Kalend. Ianuarij, Romæ apud S. Petrum, Senatu sanctiore consulente atque consentiente, istud quod adiungo diploma, pro dissolutione, & translatione Concilij publicauit.

LITTERÆ REVOCATIONIS CONCILII, publicatæ Romæ & alibi.

XLV. *Diploma Eug. pro dissolutione & trãslatione Concil.*

*Eugenius, &c. Ad futuram rei memoriam. Vniuersis & singulis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam alto & incomprehensibili Domino reddere constituimus vota nostra in conspectu omnis populi, & in atriis sanctis eius, post quam claues Domini suscepimus & Beati Petri nauiculam gubernamus, stupressi magno pondere inter procellosos mundi motus esse videmur constituti. Contemnere enim subortam ista tempestate profanam hæresim Bohemicorum, quasi venenum inficere præcordia fidelium, inque dies mortali contagio serpere, taxareque animos titubantium populorum & græcorum errores, ad quorum exirpationes salubribus experimentis prouidebatur, propter emergentia incommoda perdurare hostes adorandæ Crucis ab Asia, & Africa inter Europam vasta cede atque calamitate inualescere contra populum Christianum, & ipsos Principes, populosque fidelium inter se concertantes desauire, & Clerum in diuersis mundi partibus reformatione plurima indigere. His igitur prophanis malis afflictari, clamare cogimur ad Dominum: Excita potentiam tuam & veni vt saluos facias nos. Deus conuerte nos, ostende faciem tuam & salui erimus. Domine Deus virtutum conuerte nos. His & aliis cogitationibus laniantibus mentem nostram, alta nos cura sollicitat quomodo tot malis obstare & christianæ saluti prouidere possimus: & dum affectionem nostram flagrantissimam attendimus, vehementissime concitamur: Dum vero gerendarum rerum magnitudi em, locæ & tempora mensuramus, necessitatem conditionis humanæ recordamur quoniam vestam arduas, tamque difficiles lustrare breui spatio non valemus: attento maxime quod dum felic. record Martinus Papæ Quintus prædecessor noster, dilectum filium nostrum Iulianum sancti Angeli Diaconum Cardinalem pro celebratione Basileensis Concilii, ad ipsam Ciuitatem Basileensem destinasset, dum nulla adhuc ibi congregatio Prælatorum facta foret, ipse Cardinalis ne interim tempus vacuum deduceret, versus Bohemiam se transtulit, sicut habuerat in mandatis, secuti demum facta occulto Dei iudicio Catholicorum fuga, præmissis ad ipsam ciuitatem Basileensem, dilectis filiis Ioanne Ragusio Palatij Apostolici causarum auditore & Ioan de Bugatia, in Theologia Magistro, Ordinis Prædicatorum procuratore, Cardinalis profectus ad ipsam Ciuitatem, requisitisque prælatis partium diuersarum paruaque ibidem Clero congregatione secuta, de consensu eorum qui in dicta Ciuitate existunt, Dilectum filium Ioannem Pulchripatris, in Theologia Magistrum, Canonicum Bisuntinens. ad nos & dictos patres nostros transmisit, qui nobis inter cætera facunde & prudenter explicauit, significauitque deformationem Cleri in partibus illis, & nefandam ipsius hæresis pestem pullulare in dies, & tam vsque ad partes Basileæ proximas aduenisse, scientis indescandalis, & cladibus abominandis: nam hæresis prædictæ imitatores, clerum insequentes, aliquos turpiter expulerunt, & nonnullos immaniter trucidarunt. Addidit etiam discrimina principatus guerræ inter dilectos filios Nobiles viros Philippum Burgundiæ, & Fredericum Austriæ Duces, aliasque difficultates, ex quibus tamen nouam Prælatorum vocationem ad Basileam affectare videbatur. Nos quidem examinantes conditiones mundi, temporum, & locorum, quod instat tempus hyemis, quodque loca circumstantia Basileam potissime versus Austriam & Burgundiam, minus esse transitu secura srebebantur. Vnde verisimile fuit, Prælatos in Basilea diutius expectatos non venisse, qui etiam consideratis difficultatibus, temporum ineptitudine, pericula bellorum, non veniendi rationes allegare possent. Et si qui pauci venissent, tractandis rebus multis & magnis non sufficerent.: quodque præterit tempus septennij in quo secundum statuta Constant. Concilij, sine alia vocatione debebant congregari. Super hac omnia, quæ animo nostro versabamus, quia propter certas conuentiones vnionis & reductionis Græcæ orientalis Ecclesiæ in Romana & vniuersali Ecclesia initas & tractatas inter ipsum predecessorem nostrũ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de quorum numero eramus, & Oratores in Christo Ioannis Paleologi Imperatoris Constantinopolitani Illustris & venerabilis Patris nostri Ioseph Patriarchæ, ipsi Imperator & Patriarcha his diebus suos ad nos & præfatos fratres nostros Oratores transmiserunt, requirentes extractatis eisdem pro vnione & reductione prædictis, quod sicuticum predecessore nostro & fratribus eisdem conueneranter, dignaremur exequi, & in loco eis apto generale Concilium facere conuocari. Requirentes etiam præmissas expensas & alia sibi secundum dictas conuentiones promissa. Vnde nos & oblationes propter executionem tanti boni pro aduenturis Prælatis & Oratoribus eorum ad Italiam pro mansione, & pro suo reditu ad Graciam, pro Galeis & aliis necessariis obtulimus impensas opportunas. Cum quibus Græcis dum nominatæ fuissent Roma, Ancona & Bononia, & alia Italiæ loca, demum luet Roma nobis & fratribus nostris commodior extitisset, in Bononiam putamus aptius conuenire quæ propter habilitatem nauigationis eorum, & propter aditum vicinioremVltramontanorum ad Italiam Capacitate loci, & alias conditiones, idonea reputatur: quo præfati Patriarcha & Imperator solemnes suos Oratores ad nos transmittere promiserunt, sicut ante notitiam obitus præfati nostri prædecessoris transmittebant. Considerantes itaque prædicta & quod in tota Republica christianorum nihil sanctius & optabilius esse posset quam Græcam Ecclesiam olim tot sanctis & viris Ecclesiasticis Clarissimis, Illustribus, dimissis erroribus reductam videri ad ritum Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ: comprehendimus necessarium esse ad conueniens spatium temporis in Bononiam Generale Concilium conuocari. Nam si Prælati Basileam de nouo vocarentur, qui conuenire non possent sine temporis interuallo, vtrumque Concilium fere vno tempore concurreret, & sic vtrumque minoris authoritatis haberentur, nec præfati in vtroque possent interesse nec posset vtrumque Generale Concilium nominari. Vnde pro ipsorum commoditate ne bis habeant conuenire, & causis superius declaratis & aliis magnis & vrgentibus, suis loco & tempore declarandis, mains bonum minori præponendum. Nos de consilio & consensu venerabilium Patrum nostrorum Iordani Sabinensis, Antonii Ostiensis, Hugonis Prænestinensis Episcoporum. Ioannis tituli sancti Laurentij in Lucina. Antonij sancti Marcelli. Ioannis tituli sancti Sixti. Francisci tituli sancti Clementis. Angeloti tituli sancti Marci Presbyterorum. Lucidi sanctæ Mariæ in Cosmedin. Et Ardeatini sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconorum eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, per literas nostras dilectas ipsi Cardinali sancti Angeli Legato, vt supra alias Concilium si quod in Basilea congregatum videretur, ex causis prædictis dissolundum & aliud (vt prædicitur) in anno cum dimidio à die publicationis earundem literarum in præfata Ciuitate Bononia celebrandum, indicendum & publicandum & sequens aliud Concilium in decennio à die dissolutionis ipsius Basileensis Concilii, iuxta ordinationem Constantiensis Synodi in Ciuitate Auenionensi enunciandum & statuendum decreuimus: & quia post transmissionem præfatarum nostrarum literarum ad notitiam nostram peruenit, vltra ea quæ superius continentur, præfatos Boh. mos hæreticos in Constantiensi Concilio tam maiore atque solemniter condemnatos, & in Sene si Concilio ac per diuersos processus Sedis Apostolicæ & Legatorum eius subsequenter aggrauatos & reaggrauatos cum inuocatione etiam auxilij brachij secularis & publici belli indictione multiplici, quousque totiorbipl. squam not simum & Catholicæ fidei esse notorios hostes, & perfidos inimicos armatos, hæreses pertinacissime & inflexibiliter defendentes, fuisse imitatos Basileam ad disputandum & contendendum super articulis in præfatis Concilijs generalibus & per processus Apostolicos tam solemniter (vt præfertur) condemnatos, in iniuriam authoritatis Apostolicæ sacrorumque Conciliorum prædictorum, contradecreta sanctorum Patrum & statuta legum imperialium, ciuilibus audientiam expresse denegantium, & alia diuersa scandala & pericula imminere vt eo citius ad terminum currant & veniant ipsorum Conciliorum quo citius præmissa fuerint publicata. En nunc tenore præsentium de ipsorum nostrorum patrum Cardinalium Consilio & assensu Concilium si quod (vt præmittitur) Basileæ congregatum videatur de apostolicæ potestatis nostræ plenitudine dissoluimus, & totaliter liberamus aliudque Concilium in anno cum dimidio ac die date præsentium computando in præfata Ciuitate Bono. iensi, quam adhoc agnoscimus aptam quam plurimum, vt præfertur, indicimus, publicamus, & tenore præsentium declaramus. In quo cum præfatis patribus nostris, dante Domino, interesse intendimus & personaliter præsidere. Et nihilominus aliud in decennio, aliud simile Concilium iuxta statuta Constantiensis Synodi de eorundem patrum nostrorum consilio & assensu in Ciuitate Auenionensi similiter extunc indicimus, publicamus & declaramus in nomine Iesu Chr sti filii Dei cuius prætiosissimo sanguine saluati sumus, & cuius auxilio populi salutem totis affectibus aspiramus, vobis vniuersis & singulis Patriarchis & Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis & Clericis quorum interest, vbicumque constitutis, dissolutiones & indictiones huiusmodi notificamus, vosque & vestrum quemlibet requirimus & monemus per viscera misericordiæ Iesu Christi & in virtuti amenti præstiti in consecrationibus vestris & in virtute sanctæ obedientiæ ac etiam Apostolica authoritate nostra vobis præcipimus & mandamus subpœnis excommunicationis & aliis pœnis iuris, quatenus in anno vno cum dimidio à datis præsentium (vt præmittitur) computando, ad præfatam Ciuitatem Bononiensem pro hoc sacrosancto Concilio celebrando & subsequenter in decennio prædicto in Ciuitate Auinionens. debeatis personaliter conuenire, quos omnes præsentes scripti instantia atque decreti intendimus esse monitos, peremptorieque citatos, ac si vestrum singulis directe fuissent nostræ monitoriæ literæ speciales. Nullis ergo liceat, &c. nostræ dissolutionis liberationis, & citationis infringere.

Datum Romæ apud sanctum Petrum 15. Kalendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

XLVI. *Eugenius Sigismũd. Reg. Rom. de dissolutione Concil. Basil. & eius translatione certiorem facit.*

Subscripserant edicto Cardinales, quorum consilio res agebatur, Iordanus Sabinensis, Antonius Ostiensis, Hugo Prænestinus, Episcopi, Ioannes sancti Laurentij Antonius sancti Marcelli, Ioannes sancti Sixti, Franciscus sancti Clementis, Angelorus sancti Marci, presbyteri, Lucidus sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Ardicinus SS. Cosmæ & Damiani, Diaconi. Ex eorum sententia, edictum Romæ, & alibi locorum vulgatum. Et quia Sigismundus Rex Romanorum, in Italiam properabat, placuit

Litteræ Eugen. PP. ad Sigism.

Pontifici, eundem de toto negotio certiorem facere, ne is sese contemptum existimans, aliquid amplius nouaret. Itaque missa ad eum legatione Eugenius, litteras quas adiungere visum, scripsit.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei. Charissimo in Christo filio Sigismundo, Romanorum, Hungarorum & Bohemiæ Regi illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum pastorali officio, cui disponente Domino præsidemus & Sedis Apostolicæ authoritati nihil magis conuenire putaremus, quam tota mente incumbere & efficaciter prosequi vt personæ Ecclesiasticæ per semitam Iesu Christi incedentes, abiectis illecebris, cum sinceritate religionis & fidei vitam honestam ducerent, & Deo prout professi sunt seipsos veris effectibus dedicarent. Dilecto filio nostro Iuliano sancti Angeli Diacono Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, de venerabilium fratrum nostrorum consilio, per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, vt ad Ciuitatem Basileensem accederet, & ibidem si Prælatorum congregatio facta esset, nostræ & Romanæ Ecclesiæ nomine præsideret & in quantum in eo esset reformationem Cleri, hæresum extirpationem, ac pacem & salutem fidelium procuraret. Verum licet in proposito constantes simus & puremus Concilij celebrationem necessariam esse: tamen certis rationabilibus causis inducti, in schedulæ præsentibus intercluſa denotatis, de eorundem fratrum consilio, huiusmodi Concilium si quod congregatum videatur dissoluendum esse mandauimus & iuxta tenorem dictæ schedulæ dissoluimus, & in Ciuitate nostra Bononensi, vsque ad annum cum dimidio à die dissolutionis huiusmodi computandum, celebrandum esse decreuimus. Quæ tibi præcipue significare voluimus, quia ante omnes Principes fidei defensores, & fidelium pacem ac statum Ecclesiæ, & conseruationem authoritatis nostræ, & Sedis Apostolicæ procurare debes, serenitatem tuam rogantes, vt pro ardore tuæ Regiæ deuotionis, & pro tua sapientia aliqua auisamenta excogitasti, & intercea etiam cogitaturus es, ad pacem fidelium, & christianæ religionis statum, & honorem Ecclesiæ pertinentia, ea suo tempore, per tuos oratores exponere placeat. Et quia inter cætera in dicto Concilio agitanda, Græcorum reductio tractanda est, precamur ex corde Clementiam & serenitatem tuam vt charissimum in Christo filium nostrum Ioannem Romanorum Imperatorem illustrem, & venerabilem patrem Ioseph à Græcis Patriarcham Constantinopolitanum nuncupatum, & per litteras, & Oratores tuos incitare velis, vt quemadmodum suis litteris & nunciis nobis promiserunt, Oratores suos cum plena potestate ad Concilium huiusmodi transmittant. Super quibus & certis aliis, ardua nostra & Romanæ Ecclesiæ negotia concernentibus, ad sublimitatem tuam solemnem ambasiatam destinauimus, quæ de omnibus præsertim, de ardenti desiderio nostro circa fidelium pacem procurandam, eandem tuam sublimitatem nostro nomine certius, & particularius informabit. Quod autem ad nos attinet, fili charissime, ita nostras cogitationes nostrosque conatus in hoc sanctissimum opus, Deo authore, personaliter conferemus, vt nihil in nostro Pontificatu huic Dei causæ præpositisse videamur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1431. decimoquinto Kalend. Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

XLVII. *De Dom. Capranica Eugenio infensissimo & eius ad Ciuit. Basil. profectione.*

Visum est Eugenio, Sigismundum Romanorum Regem præuenire, & causas dissolutionis ac translationis Concilij aperire ne is tam facilem calumniatoribus aurem præberet, sed potius curam defendendi Pontificis susciperet, & ab aduersariis vindicaret, quorum ingens numerus conspirauerat, ad illum perdendum. Dominicus Capranica, quem diximus, non postremus fuit. Hic, quam inuito cœlo, Basileam, contra Eugenium properauerit, socius itineris Æneas Syluius vel qui de rebus illius gestis commentarios scripsit memorabat, istis verbis.

Forte fortuna tunc affuit Dominicus Capranicus, quem Martinus Papa Quintus ad Cardinalatus honorem vocauerat, successor Eugenius Quartus repudiauerat. Concilium, eo tempore apud Basileam Heluetiæ vrbem Rheno adiacentem indictum, cæptumque fuit. Dominico, qui Romæ contemnebatur, Basileæ suam dignitatem vendicare propositum erat. Ab hoc Æneas in Secretarium recepius, Plumbinum, quod Populinum alij vocant, ex Populoniæ ruinis ædificatum, cum eo venit. Ibi, cum Dominicus, quia retra non patebat, iter per mare Ligusticum Genuam petere instituisset, iamque nauis in conspectu esset, qua traiicere animus erat, Iacobus Appianus loci tyrannus, quamuis amicum se fingeret, Dominicum, ne quod veheret nauigium, inhibuit. At ille vbi dolos sensit, egressus oppidum vno tantum comite ad littus profugit; atque ibi lembum nactus, ad nauim, quæ in alto pelago vagabatur, excurrit. Quo intellecto, cæteris qui de familia Dominici fuerunt, data est nauigandi facultas; nec enim plumas tyrannus insequendas putauit, qui carnes amisisset. Sequenti die, Æneas, & Petrus Noxetanus, qui etiam Dominici Secretarius fuit, omnesque domestici, qui noctem in Ilna insula sub diuo per gelidam duxerant, in nauim ad Dominicum peruenerunt. At cum Genuam tenderent, ingentibus iactati procellis in conspectum Libyæ delati sunt, timentibus admodum nautis, ne barbaris portubus redderentur; quamuis mirabile dictu. & auditu prope incredibile, certum tamen est eos vna die ac nocte, ab Italia soluentes, inter Iluam & Corsicam in Africam propulsos, rursus mutatis ventis retrouectos inter Corsicam & Sardiniam fluctuantes magis quam nauigantes ad Italiam reuersos portum Veneris appulisse; vbi reperta triremi, felici nauigatione Genuam, atque inde Mediolanum terrestri itinere petierunt; ibique Duce Philippum Mariam vicerunt, nec diu morati, per alpes quas sancti Gothardi vocant, niue glacieque rigentes, ac præruptos & cœlo vicinos montes Basilcam venere. *Commentariorum Pii II. lib. 1.*

XLVIII. *Philipp. Mediolanæ. Duc. alie nationis ab Eugen. PP. aliquot causæ & ipsius ad perdendū Eug. conatus.*

Premebatur Philippus à Veneris, ac vicissim is ipse Veneros premebat. Quamquam enim Carmaniola copiarum Venetarum Dux, in arcis Soncinæ per proditionem capiendæ conatu, rem infeliciter tentasset, & alio in loco, Nicolaus Taruisinus, classis Venetæ in Pado Præfectus, apud Cremonam pari infelicitate, nauali prælio pugnauisset, alea tamen belli fere in momento mutata, ad Venetos victoria inclinauit: cum hi Genuensium Prætoriam, & octo præterea triremes eorum pro Philippo dimicantes intercepissent, reliquas in fugam, duce Petro Lauredano compulissent; Cremonam pene iam in potestate habuissent; ac paulo post, Carmaniola (quod classis sub eius oculis ab hostibus disiecta esset, & ad Cremonam pene captam subsidium ferre neglexisset, quodque primores Philippinorum ad Maclodium captos, sine pretio, sine permutatione captiuorum dimisisset) perfidiæ conuicto, securique inter duas columnas percusso, multis expeditionibus factis, Burdelanum, Ruminengum, Fontanellam, Soncinum, Vallesque Canonicam & Tellinam Philippo ademissent. Armis ergo Venetorum prope fractus; etiam Eugenio, gente Veneto, Philippus male cupiebat; maxime quando illum videret, conditiones ac fœdera tempore Martini Pontificis inter se ac Venetos pacta, integra esse cupientem, adeoque Venetis, & gentilibus, & minus vt ipse arbitrabatur iustam causam contra se habentibus fauentem. Enimuero Brixiam & Bergomum, vrbes non ignobiles sibi iniuste ereptas Venetis, ac multo minus ex æquo, à Cardinale sanctæ Crucis, illis ipsis attributas esse existimabat: quarum possessionem cum Eugenius illis iisdem confirmaret, & pactis sub Martino antecessore stabilitis teneri Philippum vellet; nihil dubium est, quin illi occasionem exhibuerit, ad extrema consilia descendendi. Ergo, cum aduersus fœderum immemorem, Veneti & Florentini, fere omnes Italiæ Principes, in societatem belli aduocassent, atque Eugenius tranquillitatis publicæ amans, id ex re præsenti esse iudicaret, vt Philippus, terrore bellico vndique ostentato, ad officium reduceretur; Philippus, quem amissarum vrbium dolor vrgebat, quemque timor imminentium ab omni parte periculorum metus impellebat; eo facilius cum Dominico Capranico, consilia ad perdendum Eugenium consociauit, & ad Sigismundum Regem Romanorum inclinauit, quem in Italiam, prætextu quidem insignium Imperij capiendorum, reuera autem causa euertendorum Venetorum, atque inprimis Eugenij in ordinem cogendi, euocaret. Pollicebatur itaque Sigismundo pecuniam, commeatum, arma, viros, & omnia, suis in Italiam, ad capessendum Imperij diadema acceleraret: ac interim Iuliano Cardinali animos faciebat, qui Eugenio Pontifici Concilium in Italiam transferenti neutiquam obediret, sed Constantiense decretum, à Senensi Concilio comprobatum premeret, ad prosequendum Concilium Basileæ indictum. Reperit Philippus socium, Nicolaum Arctinum,

XLIX. *Sigism. ad Italicā profectionem pro corona Imperij suscipienda se accingit.*

Marchionem Ferrariæ, eadem quæ ipse cupientem. Nam is quoque Sigismundum ad illa insignia capienda nonnihil impulit; tum vt nimium sese efferentes nescio quos, *re*stantur *Pigna*, hoc quasi fræno coerceret, tum & priuatim sibi ipsi consuleret, certisque tabulis imperium sibi constabiliret. *Pigna de rebus Atestinorum libr. 6. P. Marcellus, in Francisco Foscaro. Blondus decad. 3. lib. 4.*

Sigismundus porro, qua ab Iuliano Legato, qua à Dominico Capranico, & Martini Quinti nuper defuncti pernecessariis sollicitatus, qua deinde cupiditate Imperialis dignitatis Romæ suscipiendæ inflammatus, non difficulter suscepit Italicam expeditionem. Feldkirchi tum agebat, quando ad eum Internuncij, ab Iuliano Cardinale missi venerunt. Ad eorum preces, VVilhelmum Bauariæ Ducem, Defensorem cætui Basilienſi Sigismundus dedit; mox litteras Iuliani, seu Synodi, quibus Bohemi & Morauia ad Concilium vocabantur, in Bohemiam deferendas curauit; omnibusque tam Prælatis, quam Oratoribus Regum ac Principum, vbiumque, nec non refractariis quibuscunque venire volentibus diplomata ampliora Salui-conductus concessit. Inde in Italiam profecturus, Proceribus Bohemiæ scripsit, se Romam non aliam ob causam petere, quam Coronæ suscipiendæ, Sedique Apostolicæ illis conciliandæ causa. Primum illis non indecorum fore alterum non ingratum esse debere. Cæptum esse iam opera sua Basileæ Concilium, quo illi qui se audiri de religione cuperent, proficiscerentur: nec plus sapere vellent, quam sacro sancta mater Ecclesia Catholica. Auditurum benigne Conuentum rationes eorum: tantum operam darent, vt cum Synodo de Fide Catholica conuenirent. Monebat, ad extremum, vt sibi redeunti Regnum paratum restituerent: quippe, qui non alia lege eis imperare cuperet, quam suis subditis cæteri Christiani Reges, publicæ tranquillitatis atque felicitatis amantes. Magnis deinde Philippi pollicitationibus inuitatus, in Italiam penetrans, die 22. Nouembris Mediolanum ingressus, summoque cum honore exceptus, tertio post die, sc. 25. Nouembris, diadema ferreum, in Basilica Ambrosiana, à Bartholomæo Capra Archiepiscopo Mediolanensi, ritu solenni suscepit. Eius inaugurationis hæc solennia fuere. Ab hospitali Palatio, ad eam Basilicam, ingenti cum pompa adductus, supremam aram adiit. Ibi Cruce exosculata, inprimis, ex formula iureiurando concepto, se Protectorem fore Fidei Catholicæ, Aduocatum Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ, necnon Romani Pontificis, & iurium Ecclesiæ Defensorem, sancte spopondit; atque eius rei diplomata, Commissaria Eugenij Pontificis, Iacobo Ebredunensi Archiepiscopo dedit. Ad sacrosanctæ Missæ initium, Archiepiscopus, multis orationibus & supplicationibus præmissis, sacro balsamo, frontem illi & scapulas liniuit, digitum annulo ornauit, latus gladio cinxit, multasque imprecationes & benedictiones adiecit. Ad Offertorium, quod vocant, diadema capiti illius imposuit, sceptrum, & pomum manibus indidit, atque Regem Italiæ seu Romanorum renuntiauit. Edita postmodum signa lætitiæ, cantoribus præcinentibus Canticum, *Te Deum Laudamus*, & tum muſicis instrumentis, tum bellicis tormentis festa exultatione omnia complentibus. Ad finem sacrificij, ad altare iterum, sed sine diademate accessit, deque manibus sacrificantis Dominicam hostiam accepit. Inde omnibus solennibus completis, inter faustas populi conclamationes in Palatium reuersus, componendis inter dissidentes discordiis operam nauauit: atque primum inter Philippum Ducem, & Ioannem Iacobum Montisferati Marchionem controuersiam diremit. Illum inter ipsum, & Venetos, necquicquam efficere potuit: Vnde subiratus, Mediolano, Parmam, in hyberna concessit: iam infensior propterea factus Philippo, qui neque celebritati inaugurationis interesse, neque Cæsari potestatem introeundi in arcem concedere voluerat. Causam, ne solennitatem præsentia exornaret, prætexebat Philippus, ægritudinem corporis: cum tamen reuera iam alienato à Cæsare animo esset: apud quem videret, Nuncium Eugenij Pontificis, & causæ Venetorum pondus, magis quam suas pollicitationes, & honorem quem venienti illi exhibuisset, ac præterea plus publicas, quam priuatas rationes valere. Enimuero Iacobus Ebredunensis Archiepiscopus, Eugenij Nuncius, potestate suprema ad hoc à Pontifice data, Sigismundo apertum fecerat, illum non priuatæ alicuius rei causa sed publicæ, Cōcilum Basileæ esse dissoluisse, & Bononiam transtulisse. quam, si ad extremum is non probaret, toleraturum quæcunque accideret ostendebat; si modo Fidei Catholicæ integritas, cum vnitate Ecclesiæ, ac dignitate Sedis Apostolicæ coniuncta, salua & intemerata seruaretur. *Sylvius hist. Bohem c. 49. Cochlæus hist. Hussitarum lib 6 Bernardinus Corius hist. Mediolanens parte 5. Bugati hist. Mediolan. lib. 5. MS. hist. Sforziana. in Bibliotheca Sforziana.*

Mediolani coronam ferream accipit.

Hæc est informatio, ab Eugenio Pontifice, per Iacobum Archiepiscopum Ebredunensem, missa Sigismundo Regi, si is perseueraſſet in proposito, ne Concilium Basileense dissolueretur, aut transferretur.

L. *Informatio Eug. I. ad Sigism. missa si is perseueraſſet in propositione Conc. Basil. dissolueretur aut transferretur.*

1. *Quia impossibile est sine Fide placere Deo, & sanctissimus Dominus noster, sub continuata Religionis Christianæ institutione à puero vacauerit Fidei Catholicæ obseruationi, nihilque amplius desideret posit animæ salutem, quam ipsius Fidei obseruationem & incrementum: placet (contentatur) eiusdem sanctitati, quod existentes in loco prædicto Basileensi, & qui erunt, authoritate per Dominum nostrum eis concedenda, & præsidentibus nuncijs seu Legatis per sanctitatem suam deputandis, intendere posint & valeant hæresum extirpationi, vigentium in partibus Vltramontanis, & potissime Bohemorum non ex vigenti, tam per institutionem, quam per reductionem eorum ad sacrosanctam Fidem Catholicam, & alias vias debitis, licitis, & honestis: prouiso tamen, quod si oriantur dubia notabilia, seu magna eiusdem Domini nostri, cum consilio Concilij & Dominorum Cardinalium sit decisio aut authoritatiue, vel remittantur ad aliud Concilium futurum, vbi Dominus noster personaliter interesse posit, si prædicti Basileenses Basileenses maluerint.*

2. *Item placuit (contentabitur,) Dn. nostro, quod prædicti circa reformationem morum, in omni statu Ecclesiastico inuigilare habeāt, & aduisare particulariter, prout S. Sanctus ministrabit vnicuique: prouiso, quod eorum auisamenta per Oratores suos ipsi Domino nostro transmittant: qui correcto & addito, quod suæ sanctitati videbitur, communicatione facta correctoribus & additoribus existentib. in Basilea firmitatem obtineant, prout Dn. nostro videbitur, approbantibus, vel in Basilea congregatis. & si non concordauerit sanctitas Dn. nostri cum prædictis, remittantur ad futurum aliud Concilium, in quo Dn. noster interesse posit: vt per hæc & alia debitus honor Sedi Apostolicæ seruetur, & ei deferatur.*

3. *Item quia pacis bonum inter omnia desid-rabile est, cum non nisi pacis in tempore colatur pacis auctor, placuit (contentatur) Dn. nostro, quod prædictis omnibus, ad auisandum se de pacis procuratione interponant, media ad eam quærant, & idem efficaciter intendant; salua semper, in omnibus prædictis, S. Sedis Apostolicæ auctoritate cui deuote obsecundare tenentur, qui Christiano nomine gloriantur. Et propterea remittenda est ei decisio salteem, vt superiori capitulo continetur.*

4. *Item, quod omnia & singula, requisitiones, exhortationes, monitiones, citationes, dierum appositiones, & processus, incepti, & qui inciperentur post præsentium concessionem per Basileæ congregatos, cōtra quascunq; personas, cuiuscunq; dignitatis aut conditionis existant, siue status: & omnia per quæ, siue quorum medio, siue authoritate ad ipsos, vel ipsas ventura est, pro non factis habeantur: perindeq; sit, ac si nullo vmquam tempore facta, facti, seu factæ extitissent: ita quod omnia remaneant in statu, in quo erant ante dictam congregationem Basileæ: & etiam omnes monitiones, citationes & processus incepti, in audientia Contradictarum, & alibi authoritate Apostolica, & qui inciperentur post præsentium concessionem, contra dictos Basileæ congregatos, seu singulares eorundem, qui ibidem erant, existant, aut fuerint, habeantur pro non factis, ac si numquam euenissent, sine facti, aut factæ extitissent: ita quod in nomine Domini nostri Iesu Christi, in vera pace, charitate non ficta, & bona vnione animarum, modo & forma præmissis, & non aliter, nec in aliis, cum maturitate debita procedatur, vna cum Legatis Domini nostri Papæ deputandis.*

Sigism. Philip. infestior fit.

5. *Item paratus est Dominus noster abbreuiare tempus Concilij proxime futuri Bononiæ, & etiam locum mutare: dummodo fiat in terris Ecclesiæ immediate subiectis in Italia; vbi Dominus noster cum sacro Collegio posit personaliter præsidere; iuxta quod Concilium in Basilea existens desiderabat: & ibidem poterunt conuenire & Papa, & Dominus Rex personaliter in Concilio; vbi multa bona fieri poterunt, quæ fieri non possent, sine Papæ adminus præsentia.*

LI. *De Petro Luna defuncto diuersæ opiniones.*

Permittebat, quemadmodum diximus, vt si aliter fieri non posset, & necessitas Ecclesiæ id expostulare videretur, vt aliquot congregationes, non iam omnino Conciliares, Basileæ, sub Præsidibus Nunciis seu Legatis, de nouo à Sede Apostolica mittendis, seu deputandis, celebrarentur, Fidei propagandæ amplificandæque, hæresibus eradicandis, hæreticis conuertendis, Ecclesiæ reformandæ, dissidiisque Christianorum componendis: Faciebat istud, non minore sinceritate, quam impunitatem scelerum ostentabat, schismati præuertendo, ad quod nonnulli, præsertim ex Neapolitano Regno & Aragonia, quin & è media vrbe Romana viam aperiebant, cum Alphonsum Regem, ad occupandum Neapolitanum Regnum impellerent, & noua quædam de Petro Luna pridem defuncto confingerent. Peninsulæ, die Dominico Palmarum, quinto die Aprilis, & proximo die Iouis, è tumulo Petri Lunæ, tantum odoris afflarum suauissimi, vt totam arcem perfunderet. sic nonnulli scriptores tradiderunt, gratia potius, quam ex fide, vt arbitratur Mariana. Mouit tamen ea opinio Iohannem Lunam, vt patrui corpus Illuecam transferendum curaret, suæ ditionis oppidum; ea lege, vt profano sepulchro compositum funeris honore careret, istudque contumaciæ supplicium defunctus perferret. *Maria. a lib. 21.* Alij sanctum, legitimumque Pontificem fuisse memorabant, ob idque Alphonsum, ad alium in Aragonia subrogandum perurgebant. Sed de Alfonsi conatibus, alibi commodior narratio.

Glisebat inter hæc bellum grauissimum in Galliis, inter Carolum Regem Rhemis inauguratum, & Henricum Anglum, qui ad idem Regnum aspirans, Lutetiæ Parisiorum in æde Deiparentis diadema Regium, ab Henrico Cardinali Vintoniensi, hoc anno acceperat. Ad hos Reges conciliandos, Martinus Pontifex paulo antequam è viuis discessisset, destinauerat Cardinalem Legatum Nicolaum Albergatum Bononiensem Episcopum. Is porro priusquam Italia excederet, vita functum Martinum quando intellexisset, Romam reuerti decreuerat.

LII. *Labores Nic. Albergati Card. Legati pro Angliæ & Franc. Regib. dissidentib. conciliandis.*

Non permisit Eugenius. Sed cum pacem Galliarum cordi haberet, Nicolao, vt iter suum & legationem susceptam conficeret, imperauit. Non viliorem illum iteratus aduentus, vt plerumque contingere solet, (secunda hæc Legatio eius in Gallias fuit) reddidit, sed admirabiliorem. Virtus enim quo diutius tractatur, eo magis placet, præsertim nulla offensione interrupta. Ergo multa itinera in diuersa loca confecit, multos subiit labores Nicolaus, cum sæpius ex morbo laterum & calculo maxime torqueretur. Sed virtute & constantia animi, infirmitates corporis superans, vtrumque Regem sæpius allocutus, monebat ad concordiam ineundam. Multos deinde conuentus Principum adiit, plurimas consultationes adhibuit; multum auctoritatis & eloquentiæ ad rem conficiendam posuit: neque tamen Principes, præsertim Regem Angliæ, ad locum edendum, quo Oratores controuersiæ discutiendæ gratia mitterent, impellere potuit; quamuis in eam curam toto pectore incubuerit, ac neque laboribus, neque periculis, neque sumptibus vllis rei obtinendæ causa pepercerit; quod ipse met Carolus postea Basilecnsibus significauit, cum hæc scripsit.

Cum superiore, air, *tempore pia atque deuota supplicatione charissimi ac dilecti amici nostri Cardinalis Sanctæ Crucis res ipsa non modica disceptatione variis assignationibus agitata fuerit: quamquam labori, periculis, atque expensis minime pepercerit, tamen ad optatum portum non peruenit. scilicet. gloria, ambitio, cupiditas, honor seculi, Henricum Anglorum Regem in transuersum trahebant, communique bono obstabant.*

In hoc negotio tamen Nicolaus nihil prætermisit, maxime litteris Eugenij incitatus, quas ille Idibus Maij hoc anno ad eum scripsit: *Miramur & dolemus, quod cum circumspectio tua, ex commissione nostra, pacem Regni Franciæ tanto studio ac diligentia, tantoque personæ tuæ incommodo & labore procurarit, & procuret, non fuerit adhuc inter illos principes, quorum necessarius eiꝰ consensus, concordatum de loco, in quo Oratores partium, propace tractanda apud se debeant conuenire. Commendandus est autem multum Philippus Dux Burgundiæ, qui paratus est obsequi voluntati nostræ, cui super hoc scribimus; atque item charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum Regi Illustri, hortantes eum ad pacem, ne ex leui discrepatione relinquatur practica tanti boni: pro cuius consecutione, non grauetur tua singularis bonitas laborare, donec perfeceris, vel saltem manifeste cognouerit, per manus hominum nihil posse concludi. Nam si tu non feceris auctoritate nostra & Ecclesiæ, & prudentia ac diligentia tua, non videmus per quem hominem aliquid possit fieri.*

Eas litteras statim atque accepit Nicolaus, tanto magis operi conficiendo incubuit, remque propemodum ad finem adduxisse visus fuit, induciis inter Reges, in sex annos subsequentes conciliatis. quas cum eodem fere momento Angli primum violassent, rupissentque, tum demum Nicolaus spem omnem sanandis exulceratis eorum animis abiecit, ac inde ex Pontificis auctoritate discessit: ac quemadmodum prudentes medici, quos ægros salutaria remedia recusantes, ac diligentiæ suæ reluctantes aspiciunt, tamquam deploratos extremâ Dei ope sanandos relinquunt, officio satisfecisse suo existimantes, vbi industriam fidemque suam adhibuerint; sic ipse, postquam accensa inter se principum inexpiabilibus offensionibus odia extinguere dicendo non posse animaduertit, eorum leniendorum curam, Deo ipsi humanarum infirmitatum vnico curatori permisit: ac ita quidem abiit, vt Regum vterque, & qui his aderant, nunquam se ei viro prudentia, fide, sanctimonia, vitæ integritate æqualem vidisse.

Nihil proficere valens abit.

Eadem enim & priori par integritas, abstinentia, continentia legationis fuit. Regum enim & cæterorum munera contempsit: neque aliquid horum appetiit, quæ aliis præclara & pretiosa videntur: satis sibi esse putans, licet operam pedidisset, se omnia boni viri officia in eo legationis munere præstitisse. Erat amplior dignitas, sed cupiditas minor. Nihil sibi præter honorem & laudem Pontificis reportandum existimauit. Et quidem cum multis pompa & apparatu rerum, ac magnificentia seculi inferior videretur; virtute tamen & continentia superior omnibus fuerat, magisque in eo humilitas admirabilis ab omnibus suspiciebatur, quam in cæteris ornatus, aut rerum cultus exterarum. Virtutum namque comitatu contentus, ea negligebat, quæ speciosa vulgus ducit. *Sigonius in vita Nicolai Albergati c. 13. Poggius in oratione funebri Nicolai Alberg.*

Eius laudes.

Meyerus addit, insignem quandam per miraculum sumptam vltionem, de aliquibus hoc anno sacrilegis. Burgundi, pugnabant cum Laudunensibus. Ex illis cum Engerrannus Gribanual, & Engerrannus Crequiacus, aliique ex numero Ioannis Luceburgensis Monasterium Diui Vincentij Laudunensis diripere ac spoliare conarentur, Vincentius Sanctissimus Christi Martyr, solitus in vita vincere, ac triumphare de hostibus, hic quoque quamuis secundum carnem mortuus sacrilegos vicit. Accurrerunt Laudunenses Duce Pentaco ac despoliatores fuderunt, fugarunt que. Captus Gribanual, &, quamquam ingens pro se precium offerret à plebe occisus. Captus & Crequiacus; Interfectus Bertrandus Maucanus, & alij complures. *Meyerus annal. lib. 16.*

LIII. *Vltio miraculosa de quibusdã sacrilegis in Gall.*

Parem vindictam Deus, hocipso anno sumpsit, de violatoribus sacrorum, in Regno Poloniæ. Rem narrat Cromerus ipsis verbis. Inter hæc venit ad Regem Vladislaum, Coributhus, cum cæteris Bohemorum hæreticorum, qui post mortem Ziscæ cæci Orphanos sese dixerant, Ducibus, qui Bohemia siue pulsi, siue vltro excedentes cum Lusatiam diuexassent, Silesiam quoque, belli Sede Gliuiciæ posita, longe lateque vastabant, oppida hostiliter diripiebant & incendebant, & in templa atque Monasteria, Sacerdotesque & Monachos potissimum barbarico furore debachabantur, Ziscæ Ducis sui immanitatem secuti; qui quasi viuens parum insaniuisset, moriês cutem sibi detrahi, eamque tympano induci iussit: fore pollicens, vt ad eius tympani sonum animis conciderent ipsorum aduersarij. Cum his autem coniunxerat sese Coributhus, captus, & mox pulsus à Pragensibus, quemadmodum Hagecus memorat: & cum primoribus eorum ad Regem veneret, acceptaab eo fide publica. Actum cum his de Religione: adhibiti Doctores Academiæ Cracouiensis, qui errores ipsorum disputando refellerent. Rex ipse simpliciore oratione vsus, *quanta rerum omnium perturbatio secuta apud eos, ex mutata & pertur-*

LIV. *Aliæ vindictæ contra sacrorum violatores in Polonia.*

bata Religione esset, commemorauit: sc. *vt florentissimorum quondam Bohemorum Regnum ad interitum properaret, sublatis Magistratibus sacris iuxta ac prophanis: euersis oppidis & munitionibus: cæsis, vel fuga dilapsis optimatibus: constupratis honestis Matronis atque virginibus: coniugiis nobilissimarum fœminarum in agrestes homines, & exinsima face vulgato zagris partim hostiliter vastatis, partim furore quodam ipsorum cultorum desertis: prophanatis, direptis, ac diruti is templis: abrogatis sanctissimis cæremoniis: sacrosancta Religione contaminata, ac tam variis, portentosis, & abominandis opinionibus discerpta, ita vt nemini propemodum cum altero conueniret: denique peruerso rerum omnium, atq; naturæ ipsius ordine: quæ omnia, nisi mature resipiscerent, prosens & extremum exitium consequi necesse esset. Quod si his rebus commouerentur, polliceb atur se perfecturum, vt æquis conditionibus res eorum componeret.* Sed surdis auribus Bohemi hæc accepere. Neque enim facile est, cum impetu ruentes *in* præceps in viam reuocare. Quod autem ij substitere Cracouiæ, cessatum est à sacris, interdicto S. Ignei Episcopi, consecratumque ab eo chrisma in Mogilensi cœnobio. Itaque propter solennes Paschæ dies, Cazimiriam Bohemi cum Coributhio à Rege electi sunt, frementes in Episcopum: alia quoque de causa ipsi infensi. Nam cum paulo ante Lechnicense Monasterium in finibus Vngarorum diripuissent, Spineus facta de clientibus, propinquis & amicis subitaria manu, reuertentes persecutus erat: & aliquos, qui agmen raptim sese recipiens consequi non poterant, exceperat. Quibus de causis Coributhus indignans, coram Rege cum Sbigneo iurgatus est: discedensque Cracouia cum cæteris, non modo ipsi, sed Ecclesiis etiam, ac ipsi Diuo Stanislao sublata manu comminatus est. Verum eæ minæ diuinitus mox in irritum cecidere. Reuertentes enim, à Conrado albo Olesnicensium Duce, qui Gliuiam per proditionem cepit, diripuit, incendit, magnamque stragem Orphanorum fecit, ad paucos redacti, & rerum omnium egeni in Bohemiam vix fuga euasere.

Ab his cum aliqui Poloni equites, latrocinari didicissent, & monasterium Czenstochouiense, quod propter peculiarem Deiparentis virginis cultum, & frequentissimas non modo Polonorum, sed etiam vicinorum Vngarorum, Morauorum, Bohemorum, Silesiorum, Saxonum, Prussorum atque Lithuanorum peregrinationes magnis diuitiis refertum esse credebatur, diripuissent: atque vt patrati sacrilegij suspicionem à se in Bohemos hæreticos auerterent, Imagini Virginis matris, à Diuo Luca vt constans traditio est depictæ, inque eo loco per ingentia miracula illustri, magnaque religione cultæ, geminum vulnus in facie inflixissent: meritas sacrilegij pœnas intra illum ipsum annum expendere. Fuerunt autem authores sceleris, Iacobus Nadobin Rogouius gente Zialossius, & Iohannes Curopatus, gente Srenauius. Manent adhuc dum cicatrices vulnerum, in facie virginea eminentes, quæ nullo vmquam colore, nullo artificio obduci potuerunt: caligante oculo pictorum, ad stricturam insoliti splendoris, solentis, cum volebant penicillum admouisse, per miraculum ex vulneribus emergere.

Alicubi etiam, non impune fuit hostibus, Catholicos Polonos sacrilegio violasse. Lithuani & Russi, à Crucigeris Marianis in Regem Vladislaum irritati, multis in Volinia oppidis per proditionem captis, etiam Cremeneciam arcem non ignobilem interceperant. Ibi quoscumque Polonici generis, & Catholici ritus in arce reperissent, exquisitis suppliciis in propugnaculis, vt Poloni inspectarent necabant, & omne genus contumeliæ *in* illos obsidentes iactabant, confisi incantationibus & magicis artibus, quibus ea gens valde vtitur: quarum professores Iudæi cum alia quædam abominanda faciebant, tum captiuum quempiam Polonum eleganti forma, infixo in ingulum cultro mactarunt: hausitumque sanguinem, & intestina, vitaliaque membra extracta, & in minuta frusta concisa prunis imposuerunt & adoleuerunt: eoque suffitu, impias & sacrilegas precationes adhibentes, omnes arcis angulos lustrarunt. Præter hæc ijdem Volinenses Russi, excursione in Chelmensem oram facta, templa, quæcumque Russici ritus non essent, impie & immaniter euerterant, atque exusserant, nihilque crudelitatis in Orthodoxos omiserant: donec Rex accurrisset, & bello illato profligasset.

LV. *Magna Sbigneri Episc. in Polon. V. rtus & constantia pro defensione bonorum Eccles.*

Interea etiam illi ipsi Cruciferi, Crainensem oram peruastauerant, atque multa Cuiauiensi & Dobrinensi terræ damna intulerant. Enituit tunc virtus & constantia Antistitum ac præcipue Sbignei Episcopi, pro Ecclesiastica libertate. E Chelmensi regione, VVladislaus Rex, Leopolim concesserat. quo cum ingens Cuiauiensium ac Dobrinensium equitum multitudo confluceret, opem & subsidium Regis, afflictis & perditis Cruciferico bello rebus, suis ac suorum implorans: atque Rex, magna in cunctos ac profusa benignitate vius, nonnullos præsente pecunia subleuasset, nonnullis vero possessiones de suo largitus, non illius modo, sed & cunctis superioris temporis immensis donationibus, esse & ærarium suum exhausisset: superessentque adhuc multi, quibus ipsis cum liberis & vxoribus etiam subuento opus esset, atque Rex Ecclesiastica bona illis dilargiri cœpisset, vt per hyemem duntaxat eorum vsufructu sustentarentur: pernicioſi exempli res ea vita fuit Antistitibus. Itaque Albertus Archiepiscopus Gnesnensis, & Sbigneus Episcopus, cum primoribus Ecclesiarum sacerdotibus propere ad Regem excurrerunt, tam iniustas donationes istius repressuri. Et Archiepiscopus quidem submissius frustra orabat Regem: Sbigneus vero maioris animi & constantiæ vir, grauius in eum inuectus est, cum præterita eius peccata commemorans, tum iniustas illas alienorum bonorum donationes reprehendens: & nisi cœpro desisteret, grauiore se in eum censura, & animaduersione vsurum esse minitans: excusantique necessitatem, & piam calamitosorum hominum commiserationem, adiecit: nihil ea commiseratione & misericordia opus futurum fuisse, nisi ipse calamitatem illam tam multis inuexisset. Vulgo enim iactari, ab eo ipso Cruciferos quiescentes excitatos esse. Quod si id verum non sit, non esse tamen ipsum culpæ expertem: propterea quod iustum aduersus ingratum & sceleratum fratrem Suitrigellonem bellum, quod paruo negotio debellari potuerit, peruersa quadam indulgentia sua duxisset, commeatumque & arma obsessis Lucensibus subministrasse diceretur: Inducias quidem certe, per quas illi se recrearent, bis eis contra omnium sententiam concessisset. Ita tunc Sbigneus: quamquam nihil cuiquam Rex in Cracouiensi diœcesi, præter quædam Miechouiensis Monasterij donarat: Sbigneum reuertitus: atque id ipse Rex tum commemorabat: sed nihil tamen ea res Sbignei animum emolliit, non tam suam, quam publicam Ecclesiastici Ordinis causam agentis. *Cromerus. Polonicarum rerum lib. 20. & auctor libelli, de miraculis Diuæ Virginis Claromontanæ, Cracouiæ excusi.*

LVI. *Henric. Vard Lau Episc. S. Andr. Scotorum mo ribus emendandis stu det.*

Eodem, quo Sbigneus Cracouiensis Episcopus, in corrigendis moribus, inque extinguenda hæresi zelo, exarsit Henricus Vardlau, Sancti Andreæ in Scotia tum Episcopus, in eadem castiganda, inque moribus Scotorum emendandis. Iacobus Rex, omnium Scotiæ ordinum, videlicet Ecclesiasticorum, Magnatium & populi, apud Perthum indixerat Comitium. Inter cætera, quæ in eo conuentu acta, vnum erat omnium vna voce propositum, de nouo apparandorum more conuiuiorum, quem ex tenuibus & parcis rebus, Angli, qui cum Iacobo in Scotiam venerant, in immensum luxum, infinitoque sumptus eneuerant: adeo vt sumptibus prope plus grauarentur, quam gulâ ipsa longe sane maxima. Itaque omnium nomine, Henricus Vardlau, Sancti Andreæ tum Episcopus, vir sanctimonia vitæ apud omnes probatissimus exurgens, sic est præfatus.

Præclara eius oratio aduersus luxum seculi & infinites conuiuiorum sumptus.

Quamquam permulta, eademque insignia sint bona quæ tuus, Iacobe Rex optime, in Regnum tuum reditus secum attulit: siquidem per eum iustitia, quam multis iam annis è Scotia proscriptam, nullam prope habuimus, in pristinum est nitorem restituta: rapinæ violentæ, furta, depredationes, iniuriæ denique omnes ablatæ: Religio quæ ante vel nulla fuit, vel cum exigua esset, bellis continuis extincta iam, non solum restituta est, sed etiam in immensum promota: cultus præterea Diuorum antea bellorum tumultibus intermissus, adeo nunc

nitet, adeo elegans est & splendidus, accessionibus haud exiguis tua prudentia locupletatus: vt cum quibuslibet nationib. in isto laudis genere certare, vel eo quo audeamus, leges quas bonas iudicauit tua sapientia, per te sunt confirmatæ: ac nouæ insuper, non minus vtiles adiectæ; quæ, quod huic Reipublicæ deesse videbant, abunde absoluerent. In summa, quidquid nouisti vsquam terrarum vllis in rebus publicis, quod aliqua ex parte conducturum Regno tuo existimasti, illud indagatum atque inuentum, sumptibus laboribusque ingentibus, & vigilanti cura tua, reipublicæ nostræ est appositum. Quidquid autem hoc in regno bonum ac vtile, ex prioribus seculis fuit, id tua authoritate, vt iam dixi, est confirmatum, quod nouum accessit, tuo munere largitum, omnaque propterea huius Regni dona, tibi accepta ferimus. Verum quo hæc maiori cura ac labore comparata, eo censeo diligentius retinenda, ac conseruanda, ne quod latens malum clanculum irrepat, efficiatque (vt fert conditio humana) ne vlla vnquam bona sincera atque integra accipiamus, quæcumque videlicet in nos contulisti commoda pestes sua perdens, atque extinguens. quod omnino euenturum est, nisi prouideas, optime rex. Proinde causam hanc in me detulerunt vniuersi, quos hic circumsedentes vides proceres, vt te huius rei commonerem, atque obsecrarem: vt qualem te præstitisti in rebus aliis, hac in re non dissimilem exhibeas. quocirca æquis, me auribus audies (quæso) ac diligenter animaduertas: ne per te stetisse videatur, si hoc malum non profligatum deletis bonis omnibus vniuersam vitiorum secum cohortem adferat. Aduenere tecum nuper magno numero, quos tibi in Anglia comparaueras amicos, viri optimi quidem illi, nec contubernio tuo vllum ob vitium indigni: verum patrios secum adferentes mores. Qua de re cum apud suos propter inueteratũ abusum nihil notãdi fuerint, nescio an maximam illis precatum sit, cum in alienam migrarint regionem, quod se honestis vltro quam plurimos gentis illius moribus non solum non accommodarint sed illos in suos protraxerint. Epulas dico profusas ac instruendorum conuiuiorum prope quotidianum luxum & comessationum crapulas quibus sese inuicem ad edendum bibendumque inuitant: quæ tamen istorum si cum gentis istorum vitiis conferantur, vitia haudquaquam minima, aut calculo nigro notanda fuerint: imo intra fortasse mediocritatem consistentia: tamen si illa veteri nostræ gentis parsimoniæ comparentur, nihil magis cum ea pugnare videantur. Quamobrem nolim omnino illorum hanc esse culpam dicere, cum potius ea nostra sit, qui adeo aliude noua malaque instituta in nostrorum morum perniciem accepimus. Vtcumque vero ea se habent, crapula ista & gulæ indulgentia, res est in primis contemnenda multaque secum vitia adferens, & multorum scaturigo malorum: atque adeo omnium quæ intemperantiæ secum adferre consueuit, videl. cet libidinum pernitiosarum, ignauiæ, rapinarum & ex illis profusionis immensæ: quæ non modo homines quibus insunt in extremam perditionem rapere consueuerunt, sed etiam familiarum insignium, imo & rerum publicarum sæpe perniciem & interitum pariunt. Nam si ea vis temperantiæ est vt semel vniuersas secum virtutes apportet, ac quisquis illam coluerit, omnia virtutum bona breui adipiscatur: in confesso est contrariam illi incontinentiam & voracitatem nihil mali relinquere, quod non veluti satellitium, secum cum reliquo vitiorum grege pertrahat: inprimis luxuriam quæ sic illam amplectitur, vt diuelli ab ea nusquam queat: nempe qui se ventri veluti Domino improbissimo in seruitutem præbuerit, continuo etiã quicquid ille imperet prosequatur, necesse sit. Hinc virginum raptus & stupra: hinc adulteria: hinc incestus: illa nam que adolescentium corruptelæ, qua infinitum vitiorum agmen præ se agere consueuerunt, insolentiam ciborũ & potuum fere consequitur. Nam vbi se semel comessationibus dederint, otiosi atque curis vacui, protinus in omne genus libidinum precipites ruunt, tantoque precipitantius, quanto eorum ingenia molliora reliqui, ac in vitia sunt procliuiora. Iam vbi per immensos sumptus, quos comessationes, comportationesque assidue exigunt, patrimonia absumpta sunt, quandoquidem vbi semel admiseris illecebras deliciarum, eas depellere & animo extirpare nequeas, aliena fortuna, vt nouas voluptates expleas, quærendæ quocumque sunt modo. Igitur inter pocula ratione per immoditatem tum ciborum, tum potuum è sede sua perturbata, vbi suam quisque inopiam exposuerit, tum temeraria de clanculariis latrociniis, & nonnunquam de republica occupanda consilia ineunt, tum coniurationes contrahunt, depeculationes excogitant, exactiones, oppressionesque plebis inter se nefarias componunt, eaque omnia ob incontinentiam, intemperantiamque committunt. Caterum quibus prudentia quadam ad prouidendum reliquis maior inest: quod fere senectus hominibus adfert: ij cernentes sumptibus & ad omnes voluptates has opus esse ingentibus, atque ita quod in pauperes, in Ecclesiis & honores Diuinos conferre consueuerunt, in hos epularum, lautitiarumque luxus absumendum auare quod superat conseruant, vt voluptatibus suis sufficiant, eaque in se vitia quæ velex diametro secum pugnant: nempe auaritiam & bonorum profusionem admittunt: auariti.am quidem vbi dandum erat retinendo: prodigalitatem autem omni genere voluptatum instructas mensas cuncta inutiliter atque ad proxima etiam mala profundendo: liberalitatem ac splendorem vitæ profusionem suam mendaci nomenclatura vocantes. Qui autem sua sibi retinent multo difficilius ac qui sua semel omnia profundunt inuari possunt, quod hi vbi exausta fuerint vniuersa necessitate ipsa frugaliorem vitam adsciscant cogunturi: illi omnia agentes ne quid deficiat, perpetuitatem sibi vitiorum adsciscunt. Nunquam enim habendi cupiditas, vbi animũ semel occupauerit, extirpari potest: quippe quæ nec copia nec inopia minuitur. Hinc maria oĩa vel inaccessa; hinc syluæ, hinc montes, hinc viscera terræ etiam perlustrant: & quod profundendo in voluptates consumpserint, rursus diligentia resarciant. Vbi vero iam diutina consuetudine voluptatibus ita assueuerint, ad res prauas obeundas effecti strenui, vt quæ aliquid semper voluptatibus adiciant: ad eas vero quæ in vsum sint Reipublicæ, quæ scilicet nullam admixtam permittunt intemperantiam, nullumque cum vitiis commercium habent, ignaui penitus ac pigri, nullique rei sunt vsui: iam videlicet eneruato, & animi pariter & corporis vigore. Nulla enim res sunt, quæ citius robur omne extenuant, quam admissa semel in animum, viuendi mollities. Malcolono siquidem tertio regnante, quum antea consuetudo fuisset sumendi semel duntaxat in die refectionem: accedentes per pacem & connubia in aulam Regis, vt modo, Angli, suo more bis cibum sumebant, Scotosque eandem in consuetudinem pertraxere. Verum prudentissimi quique in Regno viri, quantum ex ea commutatione mali, quantum intromissa semel educatis damni allatura esset prospicientes, communi consensu Regem adierunt, obsecrantes, vt veterem edendi morem lege sanciret. Verum quoniam per populi in vitia facilitatem, vbi inuecta semel sunt, reuocari nullis habenis possunt, semelque acceptum morem reuicere atque extirpare liberum non fuit: huc quo videris modo euasit, acparuus ille igniculus in tantam flammam exarsit. Nunc igitur de extremo agitur, vt limus ne prorsus omnia vitia electis vniuersis virtutibus reciperе, an aliquid adhuc nobis relictum conseruare. Olim fortissimos viros, quibus nullæ vires humanæ formidandæ erant, victa fere hæc nostra ferebat regio: tum videlicet quum exclusis omnibus voluptatibus, nihil in se molle, nihil delicatum admittebant. Seʃsim postea receptis exterarum gentium voluptatibus, vires quoque defluxere. Id quod Romanis etiam vsuenit, qui tantisper, dum vel paulum priscæ disciplinæ reliquum haberent, nationibus omnibus ac populis imperitabant: postea quam vero nihil luxuriæ inaccessum relictum, imperium simul cum virtutibus amiserunt: illisque prædafuerunt, quos aliquando sub iugum miserant. Idem ergo ne nobis accidat, prospiciendum tibi Rex: in tua enim potestate id situm est. Nec enim periculum nobis contemnendum à vicinis imminet, hinc Anglis, hinc Danis, Norvvegisque incumbentibus, ac Regno huic inhiantibus: totiès vbi omne prope Regnum occupassent, solo diuino auxilio virtuteque populi, vbi in concordiam redacti fuere, repulsis. Quamobrem si temperantia victus, ac virtutum cultus Regno retinendo ac conseruando sola sufficiant, eaque si desint, vniuersa collabi necesse sit: si vnica temperantia tanto incedat virtutum comitatu, ac rursum cuncta secum auferat intemperantia: omnibus modis laborandum, & manibus pedibusque conandum, vt virtutes illas colamus, vitiaque illis exposita à nobis explodamus, ac Regnum inuictum ab hostibus, vitiis etiam inexpugnabile reddamus.

LVII. *Immensa Scotorum crapula.*

Hæc dixit S. Andrææ Antistes. Itum est ab omnibus in eam sententiam: extirpandas esse iam innouatas ac prauas consuetudines. Sed quibus id modis factitandum esset, parum conueniebat inter eos. Censebant quidam, nullum, ne in aula quidem Regis vestigium relinquendum. Aliis seuerior ea sententia visa fuit. Ideoque mediam decernentes, vt magnatibus quidem liceret, sed solennibus duntaxat diebus vti artocreis (quorum ante eam ætatem numquam vsus Scotis fuerat) ac delicatiorib. eduliis, effecere, vt pretio atque honore luxui addito, tempore, contempto edicto, euaserit in immensam infinitamque crapulam, vt nec terra, nec mare quicqam producat, quod non maximis omnium conatibus Scotorum depredetur gula: non auis cœlo, non pisces profundo maris gurgite industriam inseruientem gulæ libidini queat latere.

LVIII. *Quidam Bohemus*

Post paucos dies, ex quo solutum Concilium fuerat, deprehensus est ab eodem Henrico Episcopo, quidam in gymnasio Sancti Andrææ, natione Bohemus, nomine Paulus Crau,

nouas sectas docere, nouaque dogmata, de Sacramento Eucharistiæ, accontra Dinorum veneration em, & confessionem sacerdotibus in aurem faciendam. Huncad se accitum Episcopus, vt pertinacem cognouit, professoribus eum Theologiæ commisit, vt omnibus virtutis viribus hominem abillis opinionibus deducerent. Ab his cum nec quicquam effici potuerit, iudici eum seculari transmisit, qui quæstione habita comperit, illum è Bohemia veluti Apostolum, ad prædicandam Scotis Ioannis V Vicclephi & Iohannis Hussi hæresim deliram, ab Apostatis missum. Conuictum impietatis, iudex, medio in foro extructo rogo cremauit. Iacobus Rex rem auditam plurima laude exuexit, authoresque vnice hac Inquisitione commendatos habuit: ac Ioannem Fogum Monachum Cistercienʃis Ordinis, sacrarum litterarum professorem, qui principem locum in confutando Paulo Bohemo tenuerat, multaque de Fide eius inquirenda egerat, Abbatia Melrossensi donauit. Hector Boethius. Scotorum hist. lib. 17.

LIX. *Obitus Io. Haquini Archiepiʃc. Vpsalen. in Suecia qui magna cõstantia pro immunitatib. Eccl. & Iuribus eius Regni certauit.*

Ioannes Haquini Gothus, Vpsalensis in Suecia Archiepiscopus, hoc anno, V. Idus defunctus, paulo ante obitum, pari constantia, pro immunitatibus Ecclesiarum, proque iuribus eius Regni certauit. Non tam regnabat, quam tyrannidem apud Suecos exercebat Ericus Rex Daniæ, Norvegiæ, & Sueciæ. Alicubi, grauem subditis eius dominationem paucis perstrinximus, & Engilbertum quendam contra eum arma sumpsisse narrauimus, postquam Ecclesiastici Proceres, tolerandam potius quam vindicandam seruitutem existimarent. Iohannes inprimis Archiepiscopus, ali quantum indulgentior in Regem, patientiam primo suadebat, conniuentiaq; sua Ericum ad longe grauiora quasi impellere videbatur. Non potuerunt istud pati, venerabiles Patres Collegij Vpsalenses. Ergo, cum in tuenda vtraque republica Ecclesiastica & seculari illum nimis remissum viderent, monuerunt, vt habita ratione dignitatis & officij sui, ita apud Regem se interponeret, ne Ecclesia Metropolitana, & tota Suecana Respublica, Archiepiscopali patrocinio penitus destituta videretur. Et quidem ea monitione sapientes viri tantum profecerunt, vt Iohannes deposita illa nimia seu rustica patientia, Regem ipsum vehementius quam quicumque alij, propter peruersam Regni administrationem reprehenderet, nunc litteris, nunc nunciis apud ipsum agendo, vt leges patriæ, quæ nimis diu exulauerant restituerentur. Neque dubitauit, anathemate in ipsum comminato ostendere, alia esse iura publicæ religionis, alia priuatæ amicitiæ. Cum autem tantalpertinacia Regem esse animaduertisset, vt iureiurando se astrinxisse crederetur, numquam permittere Suecis maiorum suorum legibus & libertatibus gaudere; abiecta prorsus Regis amicitia, quam prius impense coluerat, totum se conuertit ad salutem patriæ; atque Engilbertum qui postea Sueciam à tyrannide potenter & prudenter eripuit, summa familiaritate complexus admouit, vt Regem Ericum de tyrannide Præfectorum informaret, opusque pro liberanda patria, quod sempiterna gloria esset, aggredi non dubitaret. Exposuit Engilbertus Erico, quæ à Præfectis Regiis, omnes Sueci, tam Ecclesiastici quam reliqui paterentur; Simulque officij Regem admonens, Suecos liberos esse, & libertatem à maioribus relictam, iuxta eorum exempla vsque ad mortem defendere velle, istud ad extremum adiecit; Parati sumus tibi, vt nostro vero Regi, obsequium præstare, & prius omnia aduersa pati, quam fidem tibi præstitam violare; præsertim si tua Maiestas suam fidem & iusiurandum nobis rursus præstitum, integrum, inuiolatumque seruaret: alioquin numquam tam imprudentes erimus, vt putemus illa iuramenta inter te & nos vicissim præstita, plus nostram fidem, quam tuam obligasse. Quod si putaueris nos, sine iusto dolore, & sine iure omnium gentium ad arma confugisse, parati sumus coram æquis iudicibus & arbitris, sufficientem nostrorum operum rationem assignare; & si opus fuerit, causam nostram, etiam in theatro totius orbis, iustam & æquam stitisse ac esse, probare.* Ea Engilberti oratione audita, Ericus nec quicquam profecit, sed ad suos Danos conuersus, & ab eis consultus respondit; Indignum esse, si subditi, suorum Regum & Principum facta ad iudicium reuocare contendant; cum potius parendi necessitas subditis competat, quam resistendi facultas. parumque abfuit, quin exemplo impudentissimi Caracallæ, aut nouercæ eius dixisset; *Quicquid libet, licet; quia imperatorem legem dare, non accipere conuenit.* Imo iuxta consilium imprudentissimi Roboam respondisset; *Hactenus vos cecidi virgis, à modo vos cædam scorpionibus. Præfecti à me positi aggrauauerunt iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro.* Erat enim Ericus ita in proposito suo firmatus, vt omnino recusaret iustissimis Suecorum quærelis quicquam pacifice respondere. Proinde Sueci videntes, animum illius nullo posse ingenio aut mutari, aut sanari, non secus ei responderunt, quam filij Israel ipsi Roboamo, cui dixerunt; *Quæ nobis pars in Dano? vel quæ hæreditas in Pomerano? Reuertere in tabernacula tua Suecia; reddere tibi ipsi: frustra ab illis iustitiam & salutem postulas, qui tibi extremam perniciem parant.* Itaque cum nihil eo tempore, pro tollenda controuersia fieri potuit, Sueci vna cum Gothis, ne sine Principe in dubiis Reipublicæ tempestatibus diutius remanerent, Engilbertum in summum Principem & Gubernatorem elegerunt, comitiisque in oppido Sictuna celebratis, multa pro salute patriæ statuerunt.

LX. *Olao in locum Ioan. defuncti à Canonicis subrogato Rex Ericus contra eius promotionẽ acerrime cõtendit.*

Inter hæc Ioanni Archiepiscopo defuncto, Olaus, à Canonicis Vpsalensibus concordi suffragio subrogatus, vt manum armaret ad fortia, Romam, per Finnoniam, Liuoniam, Prussiam, Silesiam & alias prouincias, perrexit, & ab Eugenio IV. Pontifice, consecrationis munus, vna cum pallio Archiepiscopali accepit. Iniquo animo, eam promotionem tulerat Ericus, Rex, quod intelligeret, maximum præsidium nactam esse Sueticam Ecclesiam, nobilitatem, & populum, ab eo viro, quem ab omnibus virtutibus præstantissimum, omnes boni affirmabant. Præterea secum ipse constituerat, nullum, qui Suecus & scriptione esset, ad Sedem Metropolitanam consensurum, postquam Iohannes Haquini, qui visus erat omni agno mansuetior, liberrima voce in se exarsisset. Itaque cum facillimum fore videret, vt oppresso Suecanæ Reipublicæ capite, reliqua membra nullo negotio collaberentur; ad Eugenium Pontificem, & vniuersum Apostolicæ Sedis senatum, contra Olaum innocentissimum scripsit, ne dignitatem illi à Patribus Vpsalensibus delatam, ratam esse vellent: ac præterea Sigismundum Regem Romanorum, nec non Reges ac Principes, omnesque trium Aquilonarium Regnorum Pontifices, adhoc induxit, vt eam arcẽ, in qua ingentes virtutes residebãt, adorirentur, & à fauore Eugenij Pontificis, p litteras, per nuncios, per informationes, importune deficerent. Inferioris præterea Ordinis Prælatos, Collegia, Capitula, mãdatis, edictis, & comminationib. eo impulit, vt quouis quæsito colore consulerent, rogarent, inculcarent, ne tam nocens (vt dicere & scribere compellebantur) homo Ecclesiæ Metropolitanæ præficeretur. Vix credibile est, tot & tam potentes hostes, vmquam contra alicuius Pontificis promotionem consurrexisse. Tot, tamque importunis litteris & precibus fere expugnatus Pontifex, & vniuersus Cardinalium senatus deliberare cœperat, ecquid Olaus ad aliam Ecclesiam transferretur. Sed inuicta hominis innocentia, nullis potuit aduersis superari. Quamuis enim solus esset, & ab omnibus præter quam à Deo iustitia, atque vnico Cardinale Nouariense, derelictus: tamen ea prudentia, solicitudine & gratia, causam vacillantis Ecclesiæ, & defensionem suæ innocentiæ, apud Eugenium Pontificem, & vbique egit, vt breui moratum processu, quos causæ suæ aduersarios habuit, constantiæ & integritatis amatores inuenerit. Et cum seueritas Regis, neque ad mandatum Eugenij Papæ, neque ad preces instantissimas Cardinalium, ipsum admittere voluisset, nihil eo exilio, aut tot ærumnis & aduersis casibus fractus, Basileam se contulit, eiusque congregationis Patribus virtutem suam adeo probauit, vt pro illo scripserint Regi Erico, qui vellet Archiepiscopum legitimis suffragiis designatum, & auctoritate Apostolica creatum, ad suam Ecclesiam Vpsalensem admittere. *Iohannes Magnus Gottus, Metropol. Vpsalens. libr. 5. & histor. Gothorum libr. 22. cap. 10.*

Non minore diligentia, aut contentione, Dominicus Ilerdensis Episcopus, pro pace Regum Castellæ, Aragoniæ, &

LXI. *Diligẽtia*

& contentio Dominici Epist. II r den propace inter Cast. trag. & Vasc. Regg. componenda.

goniæ. & Vasconum laborauit hoc tempore. Erat apud Iohannem Castellæ Regem, summa in gratia Aluarus Luna, superiori tempore ab aula ablegatus, & tandem, quia Rex sine eo ne quidem spirare posset reuocatus, malorum omnium & dissidiorum concitator præcipuus. Is quam primum in curiam rediit, partam malis bonisque artibus potentiam quacumque ratione tueri constituens, Proceres quos nouis officiis placare debuit, ij vt ab aula pellerentur, & pro se quisque domos abire cogerentur, auctor Regi exiterat. Cum abiissent: in Aragonij quoque Regis fratres, quantumuis maiori auctoritate & potentia essent, quam vt facile euerti possent, pari temeritate factus est impetus: in Iohannem Vasconum Regem primum, quem in Regnum amandandum vulgus, sed maiori auctoritate homines, clam & in circulis disputabant: sua cum negligere; curare aliena, pari vtrumque vitio vitiperatione que. Iussu Regio ille Castella discedens, Alfonsum Regem Aragonum fratrem, & alios indignatione compleuerat, vt in Regem Castellæ copias ducerent, belloque decernere iam iam pararent: ac nisi Cardinalis Fuxensis Sedis Apostolicæ Legatus, vna cum Aragoniæ Regina intercessissent, multum sanguinis fusum fuisset. Cardinalis Fuxensis inter vtrasque acies oberrans, nunc hos, nunc illos monendo: item Regina virilis animi fœmina in castra delata, erecto in ipsa planicie tentorio medio inter vtrasque acies, pacem honestis conditionibus composuerant. Non ea diuturna fuit, animis à diuersis suspicionibus vtrimque irritatis. Erat Rex Castellæ bello instaurando intentus, magnisque delectibus numerosas copias contraxerat, maiori impetu parans in Aragonios fines incurrere: humque Friderico maris Præfecto mandauerat, classe instructa Aragoniæ ditionis littora, & maria infesta hostibus facere, iamque mota castra, Vxamam peruenerant. Aragonius pari ardore Turiasone bellum comparabat: Vasco Tudelæ, maiori conatu quam successu: quod vtraque gens, eam militiam quasi impiam infaustamque auersaretur. Collato consilio, missi in Castellam Legati, Vxamam vsque appulere. Dato continuo Senatu: Dominicus Ilerdæ Episcopus Legationis Princeps, facta dicendi potestate, ingentia Castellæ Regum in Aragonios beneficia, accurata oratione explicuit, eorumque beneficiorum memoriam fore perpetuam pollicitus, mox quorundam Procerum fraudes accusauit, qui Regiis auribus & facilitate abuterentur, & propinquis submouendis Regnum ipsi constituere cogitarent: præsenti gratia tumidi, & malis artibus ambitiosi, vt ne Regis quidem conueniendi facerent potestatem. Ea de causa Aragonios compulsos arma sumere: posituros libenter: modo æquis conditionibus. Quanta hominum cædes, quanta vniuersæ gentis calamitas consecutura esset, si omnibus copiis decertarent: neminem ignotare. *Gladios, semel cognato sanguine delibutos, haud facile elui. Peremptorum manes per domos & familias vagari, feroremque animū inuere.* Ab hac Episcopi oratione, & variis legatorum Aragoniæ conatibus, tandem induciæ inter Reges auctore Lupo Mendoza Compostellano Episcopo, in quinquennium pactæ, occasioque data Iohanni Regi Castellæ, bellum Mauricum auspicandi: causa, Christiani nominis proferendi, & gentis Mauricæ in Hispania quidem extirpandæ.

LXII. *Bellū Mauricum à Rege Castell. auspicatū & insignis victoria de Mauris reportata.*

Mahomad cognomento Læuus, armis Castellanorum in Regnum Granatense restitutus, tributum, quod ipse & maiores pendere consueuerant, repræsentare recusabat. Ea causa inducias, in ipso Aragonij belli procinctu petenti, neque negatæ præcise erant, neque aperte concessæ: Alfonsum modo Lorcam legari Granatam placuit, barbaro distinendo, extrahendo tempore. Bello illo intercepto, nouam legationem Maurus misit: Iohannes Castellæ Rex de induciis interpellatus, negauit, vllam conditionem fœderis sibi cum illo fore, nisi quod pigerant vectigali repræsentato. Simul Alfonsus Lorca ad Tunetanum Regem Legatuscum amplis muneribus, expositis mandatis, accusataque Granatensis perfidia & contumacia, cum neque periculo moueri, neque respondere in amore, vnde prouocatus fuerat, facile impetrauit, ne in bellum auxilia mitterentur ex Africa. *Et habent barbari fidem venalem: magisque vtilitati seruiunt, quam Religioni, honestatique. an barbari tantum, & non etiam plerique Principes, qui veræ Religionis nomine gaudent.* Salmanticæ, in Regni conuentibus, pecunia in id bellum imperata: propenta omniū voluntate Ordinum: quoniam contra Christiani nominis hostes futurum erat: maiora etiam quam poscebantur data. Consaluus Giennensis Episcopus, Diegus Ribera Bæticæ Antelatus, Fernandus Toletus vallis Cornegiæ regulus, & Perea Casorlæ Antelatus, primi in Mauros copias eduxere. In ea incursione, secundæ res atque aduersæ variabant. Rex postea cupidus succurrere, Toletum abiit, inque eius vrbis Templo primario, numini propitiando noctem peruigilem armatus egit. Prima luce, sacerdotum precatione vexilla lustrata: inde feriis actis, instauratis sacrificiis, votis nuncupatis ad bellum itum. Iohannes Ceresola Vxamensis, Guterrius Toletus Palentinus, Episcopi: Henricus Nieblæ Comes, & alij complures Regium exercitum auxere. Aluarus Luna inter alios primus, præludere ad bellum voluit. Ab eius copiis alacribus, ager Illoritanus, Granatæ planicies, soli cœlique facie in paucis læti ssima, amænitate æque ac prouentu insignis, deformata: deliciæ ciuium, horti, villæ, Mauris cernentibus, vastatæ: Benalmaus Maurus, Mahomadi æmulus, ad Regem defecit: Inde pugna commissa, supra decem millia Maurorum ceciderunt, castra Maurica, quæ inter vineta & oliueta erant à Iohanne Ceresola capta, hostes qui ex vrbe Granata ad pugnandum exierant, profligati, inque vrbem retro compulsi: ager Granatensis, nullo vetante vastatus: Benalmaus Regio nomine impositio, cum his qui finibus præsidio essent designatis relictus, si factionibus opibus Regni Granatensis occupandi sese offerret occasio. Redeuntem in castra Regem sacrata cohors cum insulis & velamentis obuia, lætaque excepit. Numini pro victoria gratiæ actæ, signa de Mauris capta, in locis sactis suspensa.

Mariana. lib. 24. c. 2. 3.

LXIII. *Obit. Nunnii Pereræ Equitum in Lusit. Magistri in cœnobio Carmelit.*

Quo anno, Nunnius Pereira, Equitum in Lusitania Magister, Barcelosij & Orœni Comes, non armis modo, sed etiam curis Ciuilibus Illustrissimus, qui annis superioribus, Olissipone, in Carmelitarum cœnobio, quod è belli manubiis construxit, grauior annis se incluserat, diem clausit extremum. Humanarum rerum inconstantiam veritus. simul delicta prioris ætatis expiare, & diuinum numen promereri sollicitus, pauperum inopiæ subleuandæ, & Diuorum templis ædificandis causa, illo se contulerat. & extant non pauca in Lusitania eius pietatis monimenta, parteque de hostibus victoriæ insignia trophæa, vnum præcipue Aluibarroræ Diui Georgij nomine, Diuæ virginis ad villam vitiosam alterum, magnifico sumptu templa extructa. Funus Rex ipse curauit insigni apparatu, omnium ordinum concursu.

ANNO CHRISTI 1432.

Eugenij Papæ 4. Anno 2.
Sigismundi Regis Romanorum 22.

I. *Basileenses à Iuliano Card. & aliis Euge. maleuolentib. persuasi pestilentissimo schismate se à Christi in terris Vicario subducūt.*

AD finem superioris anni, Pontifex Eugenius, grauissimis causis adductus, Concilium Basileæ indictum dissoluerat, seu adeo Bononiam transtulerat, eiusque rei Sigismundum Regem Romanorum inprimis admonuerat: deinde Patribus, qui Basileam conuenerant, ne quicquam iniussu suo tentarent edixerat: ac si placeret, aliquas congregationes, non quidem Conciliares, propter audiendos Bohemos, ac propter pacem quorumdam Christianorum tractandam inire, modum quem seruarent illis præscripserat. Et quidem Sigismundus Rex, à Basileensibus sollicitatus, illos intempestiue nonnulla egisse, illis ipsis respondit: cæterum cum illi spem reducendorum Bohemorum, & concordiæ Principum quorundam, vna cum quibusdam rationibus continuandi Basileæ Concilij ostentarent, aurem eis tandem dedit, ac Eugenio, ne dissolui pateretur Concilium, perscripsit. Basileenses autem, ab Iuliano, & nonnullis Eugenio maleuolentibus permoti, in proposito continuationis Concilij perseuerarunt, & tum Nuncios ad Eugenium, adque Reges & Principes Christianos ea de re destinarunt, tum decretum de prosecutione

Concilij edictalibus litteris promulgarunt, tum ausu temerario Concilium esse supra Pontificem affirmantes, pari temeritate, Nuncijs Eugenij respondentes; & ad extremum octo sessionibus hoc anno celebratis, pestilentissimo Ichismate, se ab vnico in terris Christi Vicario subduxerunt; vtque aliquid pro republica Christiana egisse vel agere viderentur, negotium, cum Bohemis, non admodum feliciter susceperunt: & vt porro à Gallicana Ecclesia, aliquam sibi auctoritatem conciliarent, & enixe laborauerunt, & nimis demisse, multa tolerarunt: quæ omnia vt frivola, vana, temeraria, & præsumptuosa Eugenius Pontifex ostenderet, vtque schisma pestiferum præuerteret, missis Legationibus, & scriptis vbique terrarum litteris, conatus, frustra ad fanandos, sed non à vino, ebrios laborauit: cum multi, quibus intererat, auctoritatem & maiestatem summi Pontificis tueri, ad eam deprimendam conarentur, Pius secundus, in Bulla Retractationis, illos digito demonstrauit, & à quibus, ac quemadmodum, veritas & dignitas, Basileæ oppresse fuerint, diserte testatus est, cum hæc scripsit: *Iulianus Cardinalis Legatus, auctoritatem Concilij mirum in modum extollens, eminentiam primæ Sedis supprimere cœpit; venientes Eugenij Legatos, & potestatem Romanorum Præsulum magnificantes, apparenter confutauit; & cum esset facundissimus, facile persuasit auditoribus quæ cupiebat: Cardinales ex Vrbe profecti, Eugenio infensi, vitam eius moresque carpebant. Accedebant in hoc cæteri atim noui Curiales, qui (vesti omnis multitudo maledica, & inimica Principi) Eugenij nomen modis omnibus lacerabant. Nos qui ex patria manentes, non ex Vrbe illuc migraueramus, & noua tum primum auis ex Senensi gymnasio euolaueramus, rudes & inexperti, vera esse arbitrabamur quæcumque dicebantur; nec putabamus mentiri alios, qui nescirent ipsi mentiri; atque vt est innatum hominibus, tetra & horrenda odio habebamus, nec Eugenium diligere poterāmus, quem tot tantique testes indignum Pontificio dicerent. Aderant Legati Parisiensis Scholæ, cuius est fama percelebris; assuerunt & aliquando Colonienses, & aliorum Studiorum Germanicæ nationis Oratores; & vno cuncti ore Concilij Generalis auctoritatem ad cœlum efferebant. Depotestate Romani Pontificis, pauci erant qui loqui præsumerent; omnes qui publice loquebantur, prurientes auribus multitudini applaudebant.*

Quid Pius II. de Iul. Cardin. & aliis Pont. dignitatē supprimere conantib.

Quomodo ista acciderint; quidue actum fuerit; placet ex monimentis relictis cognoscere.

EVGENIO PONTIFICI.

II. *Credentiales Sigism. ad Eug. litteræ oratoribus Concil. Basileensi datæ.*

Sigismundus Rex Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ, &c.

I.

BEatissime Pater, & Domine Reuerendissime. *Intelleximus venerabiles & egregios viros Iacobum de Syrck Scholasticum Treuiren. & Thom. Fyrne decretorum doctorem Officialem Parisiorum oratores sacri Basil. Concilij nobis directos, ex ipsorū relatu. Qui quod de continuatione ipsius Concilij, quo in Republ. Christiana nihil vtilius nihilq; perfectius personabant; permaxime commendamus. Et quia ea de re etiam V.S. accedunt rogamus affectu deuotissimo, quatenus ipsos velitis, nostri intuitu & reuerentia dicti Concilij, recommissos suscipere benigne audire, & iuxta petita pro honore dei & commodo Christianissimi clementer & celeriter expedire adhibendo operam, quæ vtique S.V. incumbit. vt sacrum Concilium nullatenus inducietur seu mutetur: Sed ex directione eiusdem sanctitatis, fomenta & incrementa optatæ suscipiat, prout E.S. ab oratoribus ipsis percipiet, quibus nostri nomine velit adhibere credentiæ plenam fidem, & vltra ea accuratissime deprecamur, vt eadem sanctitas personas præfatorum oratorum commendatas velit habere pro complacentia & gratia nobis acceptissima Cuius personam conseruare dignetur, &c.*

II.

EVGENIO PONTIFICI.

III. *Alie Sigism. ad Eug. litt. ne Conc. Ba-*

SIGISMVNDVS REX ROMANorum.

BEatissime Pater & Domine Reuerendissime. *Non fuit indignum, quod vestra sanctitas recessum & scripturam fidelium de Bohemia, gessit molestam, prout ex bulla eiusdem sanctitatis quæ nobis hodie præsentata existit, clare percepimus. Nam & nos tantam mentis amaritudinem exinde concepimus, vt reuera ad plenum rescribere nequeamus. Non expediebat autem hos eventus contrarios ad V. S. auditum ita præcipitanter deducere. Quia ipsorum significatio erat horribilis, & potius his committenda qui ipsis rebus Concilio adfuerunt, viderunt, & eas corporaliter tetigerunt. Ad prouisionem autem tanti casus, tantumque opprobrium gentis fidelium abstergendum, palpebras nostras non contraximus: immo vigilando solerter, posti reuersionem exercitus, mox in præsentia Reuerendiss. Domini Cardinal. legati, Electorum & Principum aliorum omnia remedia exquisiuimus, quæ tanta celeritate fieri poterant, & tandem dietam in Ciuitate nostra Franckfortensi cunctis indiximus in festo sancti Galli nunc præterito, ad prouidendum his rebus salubriter, & vt hæc ignominia Catholicorum auferri, & hæreticorum superbia posset contundi. In qua tamen dieta quamuis solemnes Oratores nostros Prælatos, & alios haberemus, nihil peractum est, quia quasi nullus comparuit. Nec iam aliqua salubria sperantur in reipsa remedia quam hoc sacrum Basileense. Concil. quod Deus omnipotens hoc tempore tribulationis ab alto concessit & in quo omnis virtus contra hanc pestem hereticam, omnisque salus & spes omnium consistit. Neque alibi exquirendæ sunt particulares viæ in rebus tam arduis, nisi vbi generalia & summa Christianorum ingenia Spiritu Sancto duce fœliciter conuenerunt. Ad quod quidem Concilium manutenendum, protegendum & conseruandum, antequam montes transiremus, tales promissiones fecimus, prout nuncij dicti Concilij à nobis petere voluerunt. Et nihilominus illustrem Principem nostrum VVilhelmum Ducem Bauariæ & cum eo certos Episcopos, Abbates & viros notabiles, tunc promptos secimus, illuc nostro nomine accedendo. Quos iam ibidem si non fallor, statutos considimus & speramus in clemente Deo nostro quod ibidem ad prouisionem huius tam piæ & sanctæ rei dabitur prouisio salubris & optata. Quamobrem vestram S. cui ex summi Apostolatus officio, non minus, quam nobis res illæ incumbunt, obsecramus in Deo, quatenus ipsum sacrum Concilium vestra S. dignetur confouere & augere, sicque prouidere, vt illud nec dissoluatur, nec nullatenus protrahatur: quoniam eius turbatio, indubie esset totius Reipublicæ Christianæ destructio, hæresumque auctio: ex aduerso, ipsius fomentum & conseruatio, profecto Catholicæ fidei & toti Christianismo pariet remedia adoptata. Et dum Deo dante cum V. S. erimus, prout Deo largiente in breui speramus, multa ardua super reipsa cum eadem conferemus, quæ non minus erunt vtilia & prout confidimus, sanctitati vestræ accepta. Cuius personam conseruare dignetur Altissimus feliciter & longæuo regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum, &c.*

III.

EVGENIO PONTIFICI.

SIGISMVNDVS REX ROMANOrum, &c.

IV. *Alia eiusdē Sigism. ad eandē materiam litteræ.*

BEatissime Pater & Domine Reuerendissime, *hodie accepimus bullam vestræ sanctitatis de manibus E.V. sanctitatis, notificantem nobis dissolutionem sacri Basileensis Concilij, quam eadem sanctitas fecit per suas bullas hinc inde publicari: de qua quidem renobis ne dum terribili, sed infausta nimium, ne dum amarissime perturbati, imo tanto vehementius stupefacti fuimus quanto aperte videmus calamitates innumeras, discrimina pericula atque scandalatori Christianissimo exinde succedura, & fidem Catholicam per hoc indubie fundamentaliter eneruari. Et quamuis plurima & infanda mala, quæ stilo describi non possunt, ex dissolutione tali sequutura sunt, tamen nos accensi zelo, quem gerimus ad religionem fidei & affectu filiali quem habemus ad vestram sanctitatem, ad satisfaciendum quoquo debito nostro, quod nobis tanquam Roman. regi aduocato, & defensori Ecclesiæ incumbit, præmittimus vestræ sanctitati hic inclusa certa attisamenta, & repentine quidem ac manifestissime: quoniam arduitas & magnitudo rei, ipsius oratoris missionem propter moram pati non potuit, in quibus eadem sanctitas versando colligere poterit pericula, in quæ Ecclesia Dei ruitura est si Concilium dissoluatur quod absit: Videbit etiam sanctitas vestra in auisamentis præfatis mentem nostram super rationibus quæ vestram sanctitatem ad huiusmodi dissolutionis materiam permouerunt: quæ vtinam tantum facerent in hac Christianorum extremitate quantum sine fructu prolongant. Rogantes obsecrantes ac affectu maiori quo possumus requirentes vestram sanctitatem in Domino nostro Iesu Christo, cuius res agitur, quatenus pensata totius Christianæ religionis subuersione, mox remediare dignemini, scribere & mandare Reuerendissimo præsidenti & sacro Concilio vt nul-*

fileens. dissolutur.

latenus dissoluantur, sed in nomine Spiritus sancti, in quo congregari sunt incepta feliciter perficiant. Et si quæ vestra sanctitas in contrarium scripserit seu nunciauerit, illa respectibus præmissis legitimis pensatis, protinus reuocet, eidemque Concilii fauores & omnes promotiones impendat necessitas summa requirit. Aut sata enim esse debet eadem sanctitas, quod nisi hoc celeriter fiat, Ecclesia Dei in deterrimas conditiones prolapsura est, potissime in Germaniæ partibus, quæ iam proh dolor in dubioso vacillant discrimine. In quo profecto sanctitas vestra quæ hucusque tanquam innocens sine macula tenta est, non modice (quod dolenter describimus) suspicionis notæ subiacebit. Quam quidem per remedium salutare vestra sanctitas tollere velit, & hanc adhortationem nostram, ad quam nos extrema vnctio, quam Ecclesia Dei modo expectat ac conscientia nostra ac filialis erga sanctitatem vestram vrget affectus, paterne & benigne suscipere, & sic prouidere vt grex Dominicus non tam misere dispergatur: sed boni pastoris regimine, ad eiusdem & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam, cum tempus adsit gratiæ, feliciter conducatur. Personam vestræ sanctitatis sanam & incolumem conseruare dignetur altissimus feliciter & longæue regimini Ecclesiæ. Datum Placentiæ die nona mensis Ianuarij regnorum nostrorum Anno Hungar. &c. 45. Romanorum 22. & Bohemiæ 12.

IV.

EVGENIO PONTIFICI.

Sigismundus Rex Romanorum.

MONITA QVÆDAM SINGVLARIA, circa dissolutionem, vel translationem Concilij.

V. *Causæ reductionis Græcorum ad ritū Rō. ac vniuers. Eccl. nulla tenus sufficere posse ad dissolutionē Conc.*

PRimo quemadmodum vestra sanctitas in bulla nobis transmissa, notificat nobis primo dissolutionem sacri Basileens. Concil, &c. Ita perlecto diligenter tenore eiusdem, non videmus aliam penitus causam dissolutionis, propter quam fiat, contineri nisi propter reductionem Græcorum ad ritum Romanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ. Et quemadmodum eadem sanctitas nos rogat, vt si aliqua aut sa menta excogitaturi sumus, ad pacem fidelium religionis Christianæ ac statum & honorem Ecclesiæ facientia, vestræ sanctitati velimus exponere, &c. Ita requisitione vestræ sanctitatis promoti & inducti, etiam deuotione sincera quam ad bonum Ecclesiæ, & statum vniuersæ reipublicæ Christianæ gerimus, rubore deposito & confidenter dicimus, quod hæc causa Græcorum, nullatenus sufficere potest ad dissolutionem ipsius sacri Concilij, quamuis bene esset res sanctorum & multum optabilis, ipsos Græcos reductos videre, nec pretermittendum est suo tempore ad illa intendere. Sed non poterit nec debebit ipsa reductio, quæ tot centenis annorum sic perstitit, & dubiosa quidem & rebus tam arduis quæ subuersionem totius nostræ fidei tangunt quoquo modo præponi: quia vtique res illa moram pati non potest, quæ hucusque tanto tempore perdurauit sine læsione Romanæ Ecclesiæ, cum à Græcis & suis concedentibus hucusque Christianitas nihil violenti pertulerit. Sed istæ res videntur nobis debere illico ad manus recipi tanquam magis bonæ & arduæ, quæ facere possunt ad extirpationem hæresum, quæ hodie tanta enormia mala in Populo fidelipatrant, nec cessant, sed igne & gladio trucidant non parcentes sexui nec ætati. Nunquam enim credibile esse poterit Græcos ritui nostro conformari velle videntes nos in tanta strage, dissensione & deformitate morum & vitiorum, nec vnquam aliquam correctionem adhiberi sed de die in diem nos in viliora & magis inordinata corruere, & ritum nostrum ac obedientiam Christicolarum quasi penitus extingui. Dicunt ipsi aperte

Turpi est Doctori cum culpa redarguit ipsum

Sed si nos viderent esse compositos & reformatos, & intendere ad extirpationem hæresum, & pacem fidelium, profecto indubij sumus quod se delectarent. Sed hoc iterum per alios modos Deo faciles & bene conuenientes prout à nobis enucleatius informabitur sanctitas vestra. Secundo sacrum Basileense Concilium misit nobis certas litteras, Bohemis Hussitisque sonantes, eosque ad Basileam pro reductione ipsorum vocantes, quas ilico eisdem transmisimus adiunctis nostris oportunis & adhortatoriis litteris, tenorem litterarum sacri Concilij continentibus. Super quibus Prægenses qui inter eos priores sunt, in Praga dietam, prout in copia hic annexa sanctitas vestra elicere poterit, & vt nos aliunde informamur, speratur omnino de comparitione ipsorum coram Concilio, & verisimiliter etiam multo magis ad hoc stringuntur per stragem Hussitarum qui iam in regno nostro Hungariæ conflicti sunt & magnam partem sui exercitus equestrium & pedestrium, ac instrumentorum & curruum auxiliante Domino perdiderunt, & etiam per illustrem filium nostrum Ducem Austriæ æstate præterita in Moravia potenter de campo depressi, & in fugam conuersi, ac nouissime in Ducatu Austriæ notabiliter sunt prostrati. Insuper etiam quia ipsum Concilium ipsis magnum terrorem inducit, cum audiunt illud ad extirpationem hæresum esse potissimum congregatum, quibus comparentibus, speramus ipsos per sacrum Concilium ita informari, quod contenti recederent, & hac pestis Deo dante cessaret: nec intentio Concilij & nostra, nunquam fuit neque est, vt super articulis ipsorum prius damnatis debeat fieri disputatio, prout tangit sanctitas vestra, sed solum informatio & instructio per sacras scripturas, vt se errare cognoscant & respiscant, prout Dominus noster Papa Martinus prædecessor vester, nobis & Regi Poloniæ in pluribus suis bullis faciendum imposuit & persuasit. Et in casu quo nihil perficeret, tamen videns sacrum Concilium ipsorum pertinaciam, feruentius ad eorum oppressionem intenderet, & super his ex omnium regionum finibus prouideret, quoniam hoc onus solis est importabile Alemanis. Insuper quia locus Basileensis prætactis Hussitis est deputatus, & sacrum Concilium nosque securitatem illuc conducendi illis plene obtulimus & per litteras nostras affirmauimus: quid dicent ipsi hæretici, sentientes dissolutionem Concilij nisi quod nos fugiamus eos & Ecclesiam contra eorum rationes quodammodo succubuisse? & sic confortabunt suos, & fideles populos, ad quos iam, vt audiuimus errores suos & articulos cum infertionibus sacrarum scripturarum miserunt, mortali contagione inficient, in quo cunctus populus spem suam desixit: nec illud tantam moram perferre quomodolibet poterit, quanta esset huiusmodi protractio Concilij: quia reuera in tanto tempore & ipsi totam Germaniam possent subripere, prout circumquaque in magna parte de facto fecerunt, nec resistentia aliqua pararetur, nec parari posset, propter dissolutionem ipsius Concilij, vt iam claret. Tertio quia vbique famatur sacrum Concilium pro reformatione morum in populo Catholico & etiam statu Ecclesiastico congregatum fore, &c. modo si dissolutum maneret Concilium reuera timendum est quod laici qui multimode contra Clericos debacchantur capiant occasionem irruendi contra ipsos, dicentes in congregandis & dissoluendis Conciliis sine fructu illusiones fieri prout prius etiam factum est, prout manifeste clamant, quod non expectant nisi finem huius Concilij: Et vt principium huius mali ostendamus. Ecce Ciuitas metropolitana Meydeburgen: expulso suo Archiepiscopo atque clero iam per terras ipsius Ecclesiæ in fortitudine curruum Hussitarum dinagantur, quibus in subsidio sunt quasi omnes Ciuitates Saxoniæ maritimæ; maiorem (vt timendum est) habebunt sequelam si non celerrima fiet prouisio. Insuper vt audiuimus Passauien. Ciuitas suo Episcopo rebellauit & se parat ad expugnandum Castra sua. Demum ciuitas Bambergens. quæ propter mutationem, quam fecit contra hæreticos ex indulto nostro, per clerum, infestatur & in magna est vacillatione, & quia prædicta loca omnia Bohemis sunt vicina, timendum est quod per dissolutionem Concilij, quod pro separandis talibus nuncios suos transmisit, illa loca talia cum hæretica in spem subsidij parvita capient, quæ nullis vel saltem grauissimis erunt recuperanda laboribus. Quarto quamuis multi Principes nobiles & Ciuitates circumquaque Bohemiam post rupturam exercitus cum hæreticis tregas inierunt, tamen maior pars adhuc se contra eos sustentat, ponendo spem suam talem in ipso Concilio pro liberatione sua: ad quos dictum Concilium & nos pro eo misimus, qui audientes Concilium debere dissolui totaliter se auertent, & tregas etiam inient ad redimendas vexationes, & quid in locum sequetur, nisi illius prauitatis adhæsio? Quinto quemadmodum ipsum sacrum Concilium pro ponenda pace inter cætera congregatum existit, & iam inter quam plures Reges, Principes & alios sint præparamenta & initia facta ad dandum modos pro pace: ita ipsi audientes, dissolutionem Concilij conuertent se ad gladium, & erit error nouissimus peior priori: nec postea erit aptitudo id faciendi, cum Principes fuerint exhausti, terræ per clades, cædes & sanguinis effusionem desertæ, & in periculum innumerabilium animarum & corporum, quæ infra has prorogationes & inducias, proh dolor, carruent: cessabunt etiam multæ prouisiones, quæ in eodem Concilio pro Republic. Christiana fieri possent: & innumera prouenient scandala, in destructionem totius religionis Christianæ vergentia, quæ vestra sanctitas clarius quam possent describi prospicere valeat. Idcirco nos petimus, innocamus & quanto efficacius possumus, requirimus vestram sanctitatem, quatenus eadem vestra sanctitas in continenti ad præfatum Dn. præsidentem, & sacrum Concil. scribat & mittat, vt nullatenus dissoluatur, sed in nomine Dn. in quo congregari sunt, incepta feliciter perficiant, & si quæ vestra sanctitas in contrarium scripserit, seu nunciauerit, illa protinus reuocet & annullet. Aniſando vestram sanctitatem, quod nisi hoc fiat, hæreses istæ armata multimode augebuntur, & Ecclesia Dei indubie in pessimas cōditiones ruitura est, quibus postmodum nulla potentia, nullo consilio, nulla arte seu ingenio succurri poterit, & reuera tamen hi, qui vestra sanctitati dederunt consilium, non intellexerunt forsam tanta ventura mala, vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent: mora enim in hoc negotio periculosa est, & nullatenus sufferenda. Et si quippiam fortassis pertimescerent, aliqua contra statum Ecclesiasticum per laicos debere tractari, non timeant: quia laici salcem suam non habebunt in messem illam immittere, imo profecto inducæ protractionis, quæ queruntur, laicos facient contra Clerum & Ecclesiam insanire: quod tamen per istud Concilium ordinate tolletur de medio, dum laici videbunt Clerum omni bono intendere.

Hussitæ cæ

Ab exēplis Ciuitatū Magdebu. & aliarū maritimarum. Passauien. Bamberg.

Periculum ne Princip. & ciuitates circa Bohemiam nouas tregnas cū Hussitis ineant & ītādem illis adhæreāt. Bella clades cædes scādala ex dissolutione Concil. prouenura.

Quid ipsimet Pont. ex hac dissolutione verisimiliter posset cōtingere.

Res morā non patitur.

Gracorū negotium festinatiā non requirit.

Item considerandum est vestræ sanctitati quod sacrum Concilium (vt putatur) ad huiusmodi dissolutionem nullatenus consentiet, cum quo etiam maior pars Regum, Principum, Prælatorum, & communitatum concurret, & vestra sanctitas quæ hucusque in Ecclesiæ Dei sine ruga & macula tenta est, per huiusmodi opera poterit sibi suspicionem & rubiginem facere ac innocentiam suam per hoc quod facili & quasi nulla legitima ratione subsistit dissolutionis negotium, fermentare: quia dici poterit, quod vestra sanctitas hac occasione foueat hæreses, cædes & clades inter Christicolas, & perseuerantiam deformitatum, & vitiorum in populo: & timendum est, quod habebunt sequellam multorum. Item si vestra sanctitas vellet Concilio personaliter interesse, esset bonum & salubre si posset. Sed si non potest, festinanter & cito demandet illud exequi, prout est inceptum, quia res illa quæ vsq; ad sanguinem tangunt, nullatenus volunt moram, nisi cum dispendio totius Christianitatis. Et si vestra sanctitas poslea velueit personaliter interesse super facto Gracorum, seu aliis, quæ non requirunt tantam festinantiam, poterit congregari ad Concilium, quod fiet cum gratitudine, & maiori aptitudine, quam nunc hac mora tolerari posset: nam isto dissoluto, nescimus si per annum cum dimidio aliqui cōgregari possent propter dispendia, quæ interim euenirent. Hæc omnia sanctitas vestra velit diligentissime considerare, & prouidere, vt istud Concilium mox reflauretur: suscipiatq; hanc adhortationem nostram paternè & benigne, quam fecimus fideliter, vrgente ad eadem conscientia, & extremitatibus, in quibus Ecclesia Dei constituta est, & quia etiam maiestas sua valde intuite perciperet, quod sanctitati vestræ exinde aliqua inter Christicolas deberet sinistra suspicio suboriri, quemadmodum nos vestræ sanctitati, dum cum eadem constituemur, prout in breui speramus, clarius communicabimus.

V.

INFORMATIO DATA ORATORIBVS A Sigismundo Rege Romanorum, quid agere haberent cum Eugenio IV. Pontifice, pro concordia ineunda.

VI. PRimo exponatur qualiter ad aures Regias peruenerit, quod sanctitas Dn. nostri gentes suas armigeras miserit contra maiestatem Regiā, & subditos suos, ac terras sibi & imperio subtractas, absq; culpa Regia, & nulla offensa & rationabili causa precedente. Et quamuis hucusque nunquam crediderit sanctitatem suam erga Maiestatem Regiam aliquam indignationem velle aut posse concipere, seu facere, licet Nicolaus de Iolentino, qui se per expressum Capitaneum generalem Ecclesiæ scripsit, alias veniens cum florentinensibus gentibus ante Lucam, gentib. regiis, vt debitum erat, Papam defendentibus plublice clamari fecerit Viuat Ecclesia: tamen tam habetur certius qualiter Nicolaus de forte brachiis contra terras imperio subiectas nouiter insultauerit, & illas nomine suæ sanctitatis, & Ecclesiæ postulauerit, qualiter etiam memoratus Nicolaus de Iolentino, in Marium senensem pridem patrauerit, eadem sanctitas per scripta in schedula cum præsentibus ostendenda, quæ tamen maiestas sua à dicta sanctitate minime speraſſet, cum talia nunquam demeruerit, sed semper studuerit omni solicitudine suæ sanctitati & sedi Apostolicæ summa deuotione, & filialiter complacere: nec ab eo vnquam compertum & contrarium. Non potest non mirari quis sanctitatem suam contra suum aduocatum & filium sine causa commoueat: & si subditi suæ Maiestatis & Imperij sacri eandem sanctitatem, aut suos, in aliquo molestassent, fas fuisset, eam ante auisare: & ipsa fuisset quam parata nedum eidem sanctitati, sed & cuiquam de subditis suis iustitiam ministrare, quod profecto in aduersum paternalius & clementius actum fuisset, quam tali indignatione prorumpere, cum concinno eadem sanctitas sua Maiest. scripserit, ac latissime nunciauerit, ac nouissime per venerabilem Iacobum Archiepiscopum Etruriensem. Principum Triflamerarium suum dicti fecerit, se erga eandem Maiestat. optime esse dispositam, eamq; multum amare, nec aliud vnquam sperauit, & adhuc quod sua sanctitas clementius, & paternalius cogitabit & aget, vt in eadem sperat.

Item Regia Maiestas suscepit reuerenter, & vidit ac audiuit diligenter bullas suæ sanctitatis per Dominum Archiepiscopum allatas: sed quia negotia illa magni sunt ponderis, & extra potestatem regiam, non posset super illo suæ sanctitati eadem Maiestas efficaciter respondere cum illa potius pertineant ad sacrum Basileens. Concil. prout alias oratoribus Apostolicis in Parma constituta clare dixit eadem Maiestas, tales res Concilium tangentes, ibidem quæri debere. & sic denuo ibidem dicet & adhuc cooperabitur omni posse, vt res illa bene cedant: verumtamen rogat, petit & obsecrat eandem sanctitatem filialiter, deuote in Domino Iesu Christo, quatenus eadem limitationes, & modificationes capitulorum in bulla expressorum defendendo illud Concilium, laudem Dei, ad salutem suæ sanctæ Ecclesiæ dignetur simpliciter & indistincte manu tenere & fouere, vt super articulis & rebus pro quib congregatum est procedat libere iuxta formas & modos in retro generalibus Conciliis tentos. Quod si eadem sanctitas faceret, vt speratedem Maiestas, prouidebit indubie saluberrime honoribus & dignitatibus suis, & extolletur ad æthera & sub eius regimine eiusque præsidio in Ecclesia Dei, nunc vndiq; impugnata tot bona sequutura sunt, scilicet reductio hæreticorum, atq; hæresum extirpatio, quæ in foribus est, & finis generalis Concilio nullatenus fieri potuit, & alia bona innumera habebitque Maiestatem R giam deuotam semper & obedientem filium in auribus sua sanctitati gratum & Ecclesiæ Dei accommodum: nam profecto si id non fiet prout eadem Maiestas sæpius scripsit & dixit & protestata est indicibilia scandala exinde proh dolor sunt euenturæ. Item regratiatur summopere sanctitati sue de paterna affectione & clementi oblatione sanctitatis sue erga Maiestatem eandem, quemadmodum in schedula parua contentum est. quoniam Maiestas sua grate suscepit, quia Dominus Archiepiscopus Ebredun. concluſit cum Reuerendiss. Dominis Cardinalib. deputatis per sanctitatem D.N. ad facta illorum qui sunt in Basilea, idem Dn. noster vult habere litteras à Dn. Romanorum Rege attentius cum sigillo Maiestatis, & subscriptione propriæ manus suæ: quod si illi non consentirent & posita in aliquo contra fecerint idem Dominus rex promittit, & iurat sub fide Regia prosequi eos tanquam homines turbatores pacis & quietis Ecclesiæ & totius religionis Christianæ, ad simplicem requisitionem ipsius Domini nostri, sicut ipse per iuramentum est obligatus, & adhærebit suæ sanctitati tam in Concilio per eandem suam sanctitatem tenendo quam alibi. Item quod idem Dn. Eredun. asserit præfatum Dn. Regem affectare accedere ad vrbem Rom. & præfatum Dominum visitare, quem semper præcipua charitate dilexit, vt sperat quod per communicationem ipsorum ad inuicem multa poterunt fieri congruentia concernentia fidem ipsorum & Ecclesiam & totam Christianitatem. Item Dominus noster contentatur de accessu suo cum ipsum à tempore Concilij Constant. quo cognouit eum semper fuerit cum magna dilectione & affectione prosequutus, dummodo eius aduentus pacificus sit id est cum illis de domo sua tātum, vt alias tactum fuit: & certificatus de tempore aduentus sui mittat obuiam sibi vsque ad confinia terrarum Ecclesiæ duos ex Reuerend. Dn. Cardinal. & alios prælatos & Clericos ad ipsum associandum honorifice, & ipsum secure conducent, & tenebit per Dei gratiam, & remittet cum honore pace, & benedictione Dn. nostri Iesu Christi & sanctorum Apostolorum eius Petri & Pauli, ac sua & si voluerit in comitiua sua habere de gentibus armigeris præfati Dn. nostri, tam in veniendo quam in reuertendo: & si petierit quod dicti agentes faciant conuenientes pradictæ materiæ, contentatur Dominus noster, quod fuit hoc declaratum, quod antequam intret terras Ecclesiæ, præstabit iuramentum quod de iure præstare tenebatur antequam intraret Italiam, iuxta formam Clement.

Item ad ostendendum charitatem, amorem & benevolentiam Domini Regis, consideratis magnis expensis habitis per futurum Dominum Regem, Dominus est paratus subuenire eidem Domino Regi, postquam intrauerit terras Ecclesiæ: & eam illa paternali charitate amplecti qua Pater bonus filium optimum complecti debet prout per oratores suos alias oblatum fuit. & super hoc Dominus noster paratus est deputare aliquos, qui habeant tractare cum deputandis per Dominum Regem, & infallanter sperat quod erunt in bona concordia cum Dei adiutorio.

summus,

si in Hung. & notabiliter in Moraua prostrati.

Concil. eis terrorē incutiet vtpote ad hæresum extirpationē institutum.

Locus Basileen. Hussitis pro Concil. deputatus & ideo non mutandus.

Periculum toti Germ. ex hac dissolutione.

VII. *Litt. Sigis. quib. gratã sibi futurã continuationẽ Conc. Basil. significat omnẽque suam opem offert & aduentum in Italiã aperit.*

VI.

SIGISMVNDVS REX ROMANORVM, IVliano Cardinali. & Patribus Basileensibus.

SIgismundus Dei gratia Rom. Imp. semper Augustus, & Hungariæ Bohemiæ, &c. Rex, Reuerẽdissimo in Christo Patri Dn Iuliano Cardinali tituli S. Angeli, Præsidenti; Venerandisq_3 Patribus Prælatis & cæteris in sacro generali Basileensi Concilio congregatis, amicis nostris charissimis & sincere grateq_3 dilectis. Reuerendissimi ac venerandi in Christo patres amici charissimi, sinceri, & grati. nobis dilecti, venientes ad nos venerandos & egregios Iacobum de Syrck Scholasticum Treuirensem & Thomam Lyrne, decret. rum Doctorem officialem Parisiensem, oratores vestros nobis gratissimos, lætanter suscepimus: qui habita diserta per ipsos coram nobis tam sincere quam eleganter oratione ex imposita ipsis legatione, inter cætera retulerunt deliberatum esse pro sessione futura tractandum dein sufficienti stabilimento sacræ Synodi Basileens. & de continuatione eiusdem, quæ omnia nædum honesta imo verius Diuina esse confuimus, & repulsis penitus turbationibus & animi nostri procellis, consolati fuimus, & refecti gaudio singulari, reddentes in primis, gratias Domino Deo nostro, cum ipsa sacra Synodus ita congregata existat, vt nullum conuenientius præsidium excogitari possit quo naticula Petri sese ab extremis horrendisque fluctibus tam vndiqq_3 insultantibus tueri, neqq_3 labes hæretica commodius deprimi, mores Christianorum in præstantius reformari, aut res vniuersæ ortho doxæ fidei possint in melius commutari. Moxque præfatis vestris oratoribus recommendatorias nostras ad Dn. nostrum summum Pontificem dedimus, sinæque sanctitati ves ipsius Concilij committas fecimus: quoseriam Ambasiatores nostri solennes super ea intentione e vestigio subsequentur, certificantes Paternitates vestras, quod quemadmodum prius omnem facultatem regnorum nostrorum, personamque regiam vsque ad effusionem sanguinis & mortis passionem obtulimus: tta semper Deo cooperante, ea intentione inuicta, quoad vixerimus, reperiemur, & sic nos offerimus pro Ecclesia sancta Dei significantes paternitatibus vestris quod ipso festo Sanctæ Catharinæ Virginis proxime præterito hic Mediolani in Domicilio Sancti Ambrosij, maiorum nostrorum imitando vestigia, regium diadema assumpsimus ambore Domino Iesu Christo, cum solemnitate & celebritate semper digna memoria, & in rebus secundis illius gratia feliciter prosperamur accincti septimana instante ad conuentionem cum filio nostro charissimo Duce Mediolani in Placentia pro transitu nostro versus Romam celebrandam, prout vobis quicquid ibidem concludum fuerit illico describi curi sumus. In singulis autem quæ per oratores vestros petita sunt, ita nos apud sanctitatem Domini nost. i dum fecim fuerimus, prout in breui speramus, & alios quoscumque, & vbicumque pue. & fideliter exhibebimus, quod sancta mater Ecclesia, quam deuote veneramur, & semper venerabimur, in nobis sentiet integerrimum Aduocatum, & filium, & ipsius Concilij, quod eandem representat Ecclesiam, defensorem & vltronetum protectorem. Obsecrantes Paternitates vestras in visceribus Iesu Christi, vt in hoc sancto velitis perseuerare proposito, & sequi æmulorum Dei & Christianissimi, in pœnis debachantium fortassis ad protractionem, seu dissolutionem ipsius Concilij conarentur intendere, illos velitis tanquam membra putrida præscindere, ne corpus inficiant: ad hocq_3 foleer terenti, vt ipsum Concilium omnino solidetur, & accuratissime foueatur, nam ex eius dissolutione aut iudicijs quas Deus auertat non vidimus, nisi Ecclesiam Dei in totalem interitum & conditionem pessimam ruituram: quibus omnibus per hoc sacrum Concilium quod Deus hoc tempore tribulationis ab alto concesit, & in quo omnis virtus omnisque spes Christianorum, ad extirpandas hæreses, repellendasque vitia, & omnes rugas Ecclesiæ abstergendas plene consistit, fietque prouisio adoptata, ad quod etiam, Deo dante, cito & feliciter reuerti speramus, desiderio magno incensi, vt sicut in Constan. Concilio vidimus gregem Dominicum antea misere dispersum in vnius pastoris obedientiam conuenire, ita in præsenti Basileensi Concilio ipsius vnici gregis reformationem videre possimus. Oramus vt nobis velut concedere Rex æternus. Datum Mediolani die 11. Mensis Decembris, Regnorum nostrorum anno Hungariæ 47. Roman. 22. & Bohemiæ 12.

Ad mandatum Domini Regis
Caspar Slick

VIII. *Responsoriales Eug. ad litteras Sigismun. quare Cõc. Basileen. dissoluerit & aliud indixerit.*

VII.

Eugenius IV. Pontifex.

SIGISMVNDO RÈGI ROMANOrum.

EVgenius, &c. Charissimo in Christo filio Sigismundo Roman. Hungariæ, &c. salutem, &c. Recepimus litteras tuas de manu equitatoris tui, præsente Dilecto filio, &c. Gosuuino litterarum Apostolicarum scriptore familiare nostro, & Capellano tuo. In quibus ex ardenti Zelo fidei, & deuotionis tuæ erga religionem Christianam, & Ecclesiam Dei, cuius aduocatus & defensor existis, & ex sincero benenolentiæ filialis affectu, quem erga personam nostram geris, serenitas tua videtur plurimum perturbata, & plena esse solicitudinis & timoris propter dissolutionem Concilij, si quod esse congregatum videbatur in ciuitate Basileens. ad quam dissolutionem, & indictionem alterius per nos factam, nos cum consilio & assensu Venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romæ Ecclesiæ Cardinalium exiustis & rationabilibus causis cum magna deliberatione & maturitate processimus consideratis omnibus, quæ in re tanta consideranda fuerunt: de quibus, cum ad Vrbem veneritis per viua colloquia, nos & præfati Cardinales clarius informabimus, & certificabimus sublimitatem tuam: Non dubitantes pro tua sapientia singulari, te, nobis auditis de dictis fore bene contentum: & Domino nostros animos inspirante, nos tecum, & te nobiscum concordes in optima & salutari sententia permansuros. Aduentus autem tuus ad Italiam, & ad vrbem, de quo summe ante per plures tuas litteras certiorati, dudum desideratus & gratus est nobis, dum tamen ad has Italiæ partes ipsum aduentum pacificum facias, sicut hucusque fecisti: Speramus sane sicut de Nuremberga nobis scripsisti, te tuos per antea Oratores destinare debuisse, quos summopere aduenisse voluissemus adhoc, vt tam de persona tua honoranda in eius præsentia coronatione, quam de pacifico tuo aduentu, paternum cum eis tractatum potuissemus habere, qui super hac materia, & reformationis Concilij, quam semper optauimus, & super nonnullis aliis negotijs & arduis concernentibus honorem Dei, pacem fidelium & vniuersum statum Reipublicæ Christianæ, cum serenitate tua cupimus communicare consilia nostra, & dispositi cum omni sincera benenolentia, & charitate recipere & honorare personam tuam: quam, dum essemus in minoribus constituti, præcipua affectione dileximus. Nec eam veterem benenolentiam in nobis diuturnitate temporis, nec dignitatis mutatione cognoscis esse mutatam, nec aliqualiter diminutam. Caterum ad præsentiam tuam aliquem de nostris ante non misimus, expectantes, sicut prædiximus, vt per Oratores tuos pronunciares nobis aliquid de dispositione & aduentu tuo. Cum vero oratores tui venerint, videbimus & audiemus eos libenter, & ad te continuo transmitemus nostros oratores solennes, qui celsitudinem tuam de optima voluntate nostra certius viuis relatibus informabunt. Datæ Romæ 6. Kalend. Febr. Pontificatus nostri anno primo.

IX. *Litt. Eugen. ad Basilee. quib. reddit causas dissolutionis Concil. & eiusdem translationis.*

VIII.

Eugenius IV. Pontifex.

PATRIBVS BASILEENsibus.

Eugenius, &c. Ad futuram rei memoriam.

Ad Sanctam P. tri sedem diuina disponente clementia euocati, salutem tranquillitatem, & pacem totius gregis Dominici, nobis ex alto credita, iuxta pastoralis officij debitum, indefessis studiis affectantes ad ea maxime dirigimus aciem mentis nostræ, per quæ, licet diuersis consiliis, prout rerum & temporum varietas persuadet, ad eundem tamen salutis optatum finem, hoc est, ad vnitatis Ecclesiæ præseruationem, extirpationem hæresum, eiusdemque reformationem, pacem ac salutem Christi fidelium ac Christianæ Reipubl. valeamus, sublatis dissentionum fomentis, authore altissimo, peruenire. Sane licet in septennium per generalium Constantiens. & Senens. Conciliorum statuta, ordinationesque fel. record. Martini Papæ quinti prædecessoris nostri Basileens. Concily absq_3 alia vocatione congregari debuisset, & nullatenus prorogari, ac dilectus filius Iulianus S. Angeli Diacon. Cardinalis, per ipsum prædecessorem ad extirpandum perfidiam hæresum, Bohemorum principaliter destinatus extitisset, cũ potestate ipsi Basileensi Cõcilio præsidendi. si in tempore cõgruo & debito prælatorum concedentem copiam reperiret, ac subsequenter per nos post nostrum ad Apostolatus apicem assumptionem, ad prædicta peragenda confirmatus, tamen pluribus exactis mensibus, etiam post septennium antedictum, panci tamen tam prælati quam Doctores & Magistri, in dicta Basileens. Ciuitate conuenerant, prout percepimus ex relatu dilectissimi filij Iohannis Pulchripatris, ad Nos & Venerabiles fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales per dictum, & eosdem Prælatos Doctores & magistros destinati, asseruissetq_3 ipsos, ppter numeri paruitatem, tot tantarumq_3 verum peragendarum mole insufficientes penitus videri, & inhabiles ad versutias hæreticorum, & eorum fallacia argument a defendendi: quodq_3, ibi non erant Regum atq_3 Principum oratores, cum quibus de Conciliis & pacificatione tractaretur: locũ etiam Basileensis Ciuitatis minime tutum videri propter plura eis vicina, quæ Bohemorum hæretica labe infecta erant. Insuper ad ipsum Ciuitatem Basileensem dicebat tutum nõ patere accessum, propter subortũ bellum inter dilectos filios nobiles viros Burgundiæ atq_3 Austriæ Duces. quare præfatus Ioannes, doctorum Cardinalis & congregatorum nominibus nobis supplicauit, vt cum verisimiliter propter causas prædictas Prælati eo minime cõueniissent, ipsos vocare, & eis præcipere: Reges vero & Principes, ac etiam Græcos hortari vellemus & inuitare, vt Basileam accederent, vel idoneos mitterent oratores, per quos posit hæresis Bohemorum, quæ armata dicebatur, extirpari, reducto Græcorum ecclesiæ fieri, & pax ac tranquillitas Christiani populi pertractari. Præterea dum eramus in minorib. cõclani pro celebranda futuri Pontificis electione vna cũ eisdẽ fratrib. cõstituti, nos verbo adstriximus illo in loco Cõcilium celebrare siue celebrari facere, in quo maiori parti ipsorum fratrũ magis vtile, expediensq_3 & oportunum videretur: ac dictis fratrib. visum fuerit melius, Concilium prædictum ad Ciuitatem Bononiensem commutari: idcirco quia prædictis causis & aliis, quas honestis gratia tacuimus, cõmori, ne tantum bonum amplius differretur, vt in ipso Concilio possemus personaliter interesse, de fratrum prædictorum consilio & assensu, cum Basileæ nulla viderentur præparamenta, sed potius impedimenta subesse Concilium huiusmodi ad præfatam Ciuitatem Bononiens. commutauimus, sperantes quod ad eam nobis cum præfatis fratribus & nostra curia, ac charissimo in Christo filio Romanorũ Regi illustri, cum in Italia esset, prout nunc est, facilior esset accessus quodq_3 conuenient. ibidem nobis ambobus esset in prædicto Concilio Prælatorũ & Principum numerus copiosus, ac etiam Doctores & magistri ad tantum pondus idonei, quib. Romana curia & ipsa Bononiensis Ciuitas plurimum sunt referta, statuqq_3 Romanæ Ecclesiæ propter absentiam nostram longinquam, vtiqq_3 in periclitatione quod ad tẽporalia proculdubio extitisset, facilius conseruari posse videbatur. Græci insuper, quos ipsi Basileæ existentes, nos vt vocaremus ad Cõcilium, sunt hortati, commodius Bononiam accedere potuissent, quam Basileam, tum propter maris propinquitatem, tum quia cum ipsis Græcis conuentum erat de loco Cõcilij in Italia eligendo: tum etiam quia nobis Ecclesiæ facilior eorum sustẽtatio extitisset, cum præfatus prædecessor nos etiam per antea expensas ipse pro eorum accessu & recessu ad Cõcilium obtulerimus. Verum quia ex plurimorum fidelium relatione percepimus, quod plura quæ tũc Basileæ Cõcilij celebrationem impediebant, vtiqq_3 cessarunt nam primum Dn. concedente ipsorum Ducum bella sublata sunt, & aliqui pro parte Bohemorum Basileam venisse dicuntur, quod nobis & gratissimum, si cõtingat eos ad Catholicam fidem reuerti: quodq_3 etiam ibidem nũc est magistrorum & prælatorum maior solito numerus, & nobis per Romanorum regem præfatum, ac venerabiles fratres, & electos filios nobiles viros electores sacri Romani Imperij extiterit supplicatum, vt consentire vellemus, Basileæ generale Concilium celebrari, pro bono vniuersalis Ecclesiæ militantis: Nos indicantes non esse reprehensibile, si secundum: varietatem temporum, statuta quandoqq_3 variantur humana, nebonum si quod Basileæ fieri posset, aliquatenus impediatur dicta dissolutione Cõcilij non obstante, statuimus, volumus & mandamus de eorumdem fratrum consilio, quod Basileæ sacrum generale Concilium per nostros legatos illuc quanto citius transmittendos & qui nomine nostro ibidem præsideant, celebretur. Et cum præfati electores obtulerunt circa libertatem & securitatem Concilij se taliter curaturos, quod nos & per nos mittendi, & alij ad ipsum Cõcilium cõuenturi, poterimus contentari, committimus eisdem & tenore præsentium mandamus, vt ipsi curam, diligentiam & sollicitudinem securitatis prædictarum, ac cust. diam tam loci Basileens. quam Concilij, & maxime legatorum quos illuc profisci contigerit, in se sus. ipiant, præstent, & ita circa illos vacent, & intendant, ac vacari & intendi faciant & procurent, vt tutus & liber ad præfatam Ciuitatem Basileens. omnibus accessus pateat residentibus pariter, & recessus. Interim vero Basileæ conuenientes, ad extirpandam hæresim Bohemorum ac ipsos ad sanctam fidem Catholicam reducendum, pacem & concordiam inter cunctos Christi fideles tractandũ intentos existere volumus & mandamus. Hoc autem omnia volumus ad omnium deducere notitiam, & valuis palatij nostri Apostolici ac Basilicæ Principis Apostolorum vrbis affigi & ad diuersas mundi partes etiam destinari ad prædictorum notitiam pleniorem: mandantes omnib. & singulis venerabilib. fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, cæterisqq_3 ecclesiarum & monasteriorum prælatis, ac omnibus & singulis aliis qui ad Concilia generalia venire tenentur, vt in Basileensi Concilio infra trium mensiũ

spatium à die datæ præsentium computandum debeant conuenire. Nulli ergo, &c. si quis, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Dominicæ Incarnationis 1432. 16 Kalend. Martij, Pontificatus nostri anno secundo.

IX.

Eugenius IV. Pontifex.

ARCHIEPISCOPO COLONIENS. ET EOdem exemplo, aliis Ecclesiarum Prælatis: ne vadant, aut ire permittant Basileam.

EVgenius Episcopus seruus seruorum Dei Venerabili fratri Archiepiscopo Colonien. salutẽ & Apostolicam benedictionem. Quoniam ex multorum relatione sentimus murmurare nonnullos, audita dissolutione Concilij si quod esse congregatum videbatur in Ciuitate Basileensi, opinantes forsitam nos subterfugere velle Concilium, quod semper optauimus, nos fraternitatem tuam aui satam fecimus per præsentes quod illa fecimus cum maturo consilio & deliberatione iustu ex causis in litteris nostris expressis, quæ non fuerunt fictæ, vt aliqui garriunt. sed veræ & efficaces fuerunt. Etiam sunt aliæ causæ, quas nolumus specifice exprimere, quia manifestari non possent sine quorundam Principum nota: sed si aliæ causæ omnes defuissent, vna potissima fuit per se omnibus nota, infirma scilicet nostri corporis valetudo. Nos enim qui in minoribus constituti in Constantien. Concilio reformare Ecclesiam cupiebamus, iam in Pontificatu nostro desiderium perficere, & in tam pio opere laborare personaliter plurimum affectamus. Ideo Concilium induximus in Ciuitate Bononiens. Neqq_3 enim cum agendum sit de reformatione vniuersalis Ecclesiæ, cuius directio & cura ad nos pertinet, & de nonnullis aliis grauissimis rebus concernentibus statum Reipublicæ Christianæ, nobis inconueniens visum est, tantam rem fieri debere per legatos, sine nostra præsentia & venerabilium patrum nostrorum sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. Sed sicut ei placuit, cui insertu abilia consilia, grauissima persona nostræ superuenit infirmitas, à qua licet paulatim conualescere incipiamus, tamen non omnino liberati sumus, ita vt possimus sine certissimo mortis periculo ad remotiores partes accedere. Igitur in loco magis vicino Concilium celebrare, & in eo præsidere decreuimus. Quare nemo iuste succensere nobis potest, si ex omni voluntate Dei quam ostendit in nobis, illud dicimus, quod ei gratum & vtile Ecclesiæ fuæ fore nõ dubitamus. Miramur itaqq_3 venerabilis frater de quibusdam qui magis quærentes euertere & deformare, quam stabilire & reformare Ecclesiam, hæreses fouere, & bella suscitare, prout hactenus notorie fecerunt, quam præmissa extirpare, & in dulcedine pacis reducere: obloquuntur & studeut contra voluntatem, & decretum nostrum, Episcopos & Prælatos in Basilea sub nomine Concilij cõgregare, non vt ibi per eos reformetur, sed vt penitus obruatur status Ecclesiæ, & fides Catholica confundatur. Licet Archiepiscopi & Episcopi, quoad reformationem in vita & moribus, diffinitiuas voces habeant in Concilio generali, tamen ex iuramento prius præstito, parere & obedire Apostolicis mandatis sunt adstricti: nec remanere Basileæ qui erunt, nec de nouo accedere, sed potius ad veniendum Bononiam sepræparare debuissent, postquam decreti nostri notitiam habuerunt. Pleriqq_3 stare & accedere sunt coacti in quibus nec eius nec Concilij generalis authoritas constitit, quorum voces & deliberationes minime liberæ sunt, cum ab eorum qui compulerunt voluntate dependeant. Itaqq_3 digni non sunt, neqq_3 habiles, qui dent legem Ecclesiæ neqq_3 aliis nationibus, neqq_3 religioni Christianæ. Hos enim in Concilio proxime celebrando Bononiæ in tempore constituto, vel citius quam primum sufficiens Prælatorum numerus aderit, videbimus, iudicabimus cum Concilio in talibus oportuno, super causa eorum. qui Basileæ remanserunt vel illuc nouiter accesserunt & inspirante nos Domino, qui inspirat iusta & sancta consilia in his ad quæ Concilium Basileæ fuit principaliter ordinatum, salubriter prouidere conabimur. Quare venerabilis frater, cum tibi etiam qui in Ecclesia Dei notabile membrum existis, solers immineat cura præmissorum, qui de veritate rerum & statu personæ nostræ es plenius informatus, qui vides in hoc turbine fluctuantium voluntatum, sub hac infirmitate asserti Concilij, rem Ecclesiæ periculose committi quæ maioribus consiliis indigeret: quibus vtinam omnes debito in tempore sufficere possemus, & sentire potes non per vniuersalem Christianorum voluntatem, sed per aliquos conspiratores, ad perniciem Ecclesiæ prælatos fictisq_3 rationibus, coloratisq_3 argumentis induci, & nõnullos exquisitis modis & cõminationibus impelli, vt ad id asserti Cõcilium vadant, quod & lapsu temporis & nostra autoritate est dissolutum: fraternitatem tuam in Dn. exortamur, quatenus per nuncios & litteras tuas, quomodocumq_3 noueris aptius conuenire, retrahere procures prælatos circumstantes, & temporales Dn. exortari, vt ipsi se retrahant & à dicto asserto consilio Basileens. Etsi qui iuissent, hos penitus

reuocare, in quam maiori numero fieri poteſt, ipſos inducendo, vt ad indictum per nos Bononienſe Concilium ſupradictum, vt tenentur debito tempore quanto citius poterunt, venire procurent: & temporales Dn. ſuos oratores, ad dictum Bononienſe Concilium mittant, qui ſuis honoribus adſint, negotia dirigant, & iuſtis deliberationibus foueant, ſicut de Chriſtiana eorum deuotione ſperamus: quo in tempore tum etiam ad ipſum Bononienſ. Concilium debeas aduenire. Qua in re omnem tuæ virtutis conſtetum vigorem excitamus in hac iuſta cauſa Eccleſiæ Dei, vt omnis mundus intelligat ſanctò operi ſanctas te atq; feruentes operas poſuiſſe, & nos ad merito tuos honores feruentius animemur, no bis de tempore in tempus notifiando quantum (vt ſperamus) virtus tua profecerit, & proſequta fuerit in prædictis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1431. 3. Idus Febr. Pontificatus noſtri anno primo.

X.

BASILEENSES, NECQVICQVAM PENSI habentes mandata Eugenij, ſignificant, ſe velle Baſileæ manere, & Concilium diſſolutum continuare.

XI. *Diuerſæ Baſileenſ. ad diuerſos Epiſtolæ.*

SAcroſancta generalis Synodus Baſilienſis, in S. Sancto legitime congregata vniuerſalem, Eccleſiam repreſentans, vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Zelus domus Dei quæ eſt Eccleſia, extra quam non eſt ſalus, nos inuitat atq; charitatiue compellit, aduerſus hæreſes vaſtatrices tunicæ inconſutilis Chriſti, quæ fides eſt ortodoxa, viriliter inſurgere & non minus peruerſis moribus, quibus, proh dolor, infectus eſt populus Chriſtianus & in dies in omni ſtatu amplius inficitur, ſalubriter obuiare, nec non bellicis cladibus pene vbiq; terrarum fidelem populum deſtruentibus & quaſi ad nullitatem inſeparabiliter perducentibus, quantũ vires noſtræ gratia Diuina adiutæ valuerint, finem ac remedia opportuna adhibere: pro quibus cauſis eſtudenter neceſſariis & maxime arduis hic in S. Sancto cõuenimus, tam generalium Conciliorum Conſtantienſ. & Senenſis, quam expreſſis mandatis fœlicis recordationis Dn. Martini Papæ V. nec non & ſanctiſſimi Dn. noſtri moderni Eugenij IV. authoritatib. expreſſis, & ſpecialibus repetitis mandatis Reuerendiſſimo in Chriſto Patri Dn. Iuliano S. Angeli Diaco. Cardinali, Apoſtolicæ Sedis legato, atq; huius ſacri Concilij præſidenti. Verum antiquus humani generis hoſtis, inſidias more ſuo parare volens tot tantiſque bonis, quæ ex hoc ſacro Concilio prouenire ſperantur, famam (vt audimus) per diuerſa loca diffundere conatur, q; hac ſacro S. ſynodus Chriſtianæ religioni tam vtilis & neceſſaria, diſſolui, aut prorogari, vel in aliquem alium locum transferri debeat, ex quo cum veriſimiliter timeamus, nonnullos huiuſmodi rumoribus à ſancto eorum proposito huc forſam veniendi retrahendos, ideo tenore præſentium ſignificamus, nos in hoc ſacro concilio firmiter permanere: & accedente gratia S. Sancti, diligentiſſime laborare ad prædicta ſancta opera quæ inchoamus, perficiẽda: nec vlla ex cauſa vel occaſione hinc recedere, antequam aliquod efficax remedium circa prædicta adhibitum fuerit, cum euidenter conſtare poſſit ex diſſolutione huius ſacri Concilij ſecutura fidei Catholicæ, ſtatus Eccleſiaſtici, & totius Chriſtiana religionis ruina. Speramus & pro certo tenemus, attenta integritatis & vitæ ſanctitatis fama, qua huc vſq; nunc vixit ſanctiſſimus Dn. noſter Eugenius Papa IV. ipſum omnẽ fauorem & auxilium daturum ad conſeruandum hoc ſacrum Concilium, quod authoritate præcedentium Conciliorum, & ſui anteceſſoris, & ipſius, inchoatum ac ſtabilitum extitit: nec quiſquam aliquo modo credat quibuſcunq; perſonis aut litteris aliud aſſerentibus. Et ob hanc rem m. ntem noſtram plenius explicandam, iam noſtros ſolemnes deputauimus ad ſuam ſanctitatem Ambaſiatores. & ſi quid in cõtrarium aliquo modo fuiſſet inſinuatum, aut inſinuari contingeret, id omni veritate carere credatis. Nec veriſimile eſt quod bene informatus Dn. Apoſtolicus Vicarius Ieſu Chriſti, ad quem principaliter pertinet extirpare hæreſes, reformare mores corruptos & procurare pacem in populo Chriſtiano, aliquo modo cogitare diſſoluere hoc ſacrum Concilium, præſertim contra decreta Concilij Conſtantienſis per prædeceſſorem ſuum & eundem approbata, & à tantis ſolennibus viris mature digeſta, quod efficacius remedium ad hæc faciendа reperiri non poteſt, ex cuius diſſolutione certitudinaliter hæreſum, deformitatum ac guerrarum & odiorum induratio ac etiam multiplicatio. Noſtræ quippe profeſſionis eſt, nos exponere morti pro domo Dei, Eccleſiam eius defenſare aduerſus tam imminentia pericula, potiſſimum id temporis quo ad dictam noſtram S. Synodum Bohemos ſperamus aduenire, & in ſacra fidei vnione nobiſcum reduci. Nam noſtras litteras quibus ad idem eoſdem monebamus ſalubriter & charitatiue, honeſte ac reuerenter ſuſceptas intelleximus. Cæterum concordia Regum, Principum & Communitatum, quibus ſuper hiis litteras noſtras direximus, per hoc præſens ſacrum Concilium efficienda ſperatur, præcipue pax regni Franciæ, pro qua Reuerendiſſimo in Chriſto Patri Dn. Cardinali S. Crucis, Apoſtolicæ Sedis legato in Francia, die noctuq; adhoc tendenti, & laboranti, noſtras litteras & nuncios ſpeciales tranſmiſimus. Qui quidem Dn. Cardinalis locum conuentionis aſſignanda partibus nobis rotificandum reſcripſit, quatenus vna cum eodem ad tam ſanctum opus concurrere efficaciter valeamus, propter quæ ſaluberrima opera Spiritus ſancti qui huius ſacri Concilij cuſtos eſt, & protector, adiutrice gratia perficienda, hic de omni regione conuenimus, atq; in publica ſeſſione noſtra decima quarta decembris in maiori huius Ciuitatis Eccleſia celebrata, per noſtra decreta hic tamdiu permanere congregati ſtatuimus, quouſq; prædictæ neceſſarij vrique, ac plurimi fructuoſi effectus votiuos fines ſortiantur: quod fine, & inflexibiliter perficere, vt premiſimus, intendimus. Ea propter deuoti viri in Chriſto ſyncere dilecti, vos in Domino obſecramus, pro huius noſtræ Synodi ſalubri directione deuote exorare, proq; huiuſmodi felici ſucceſſu diuinam clementiam humilius implorare: nec non etſi quæ litteræ, ſchedulæ, ſcripta, mandata, quocumq; nomine cenſeantur, à quibus perſonis inueneritis aut receperitis, noſtræ huic ſanctæ intentioni obuiantia, aut ſaluberrimos effectus præfatos quoquo modo impedientia, nobis indilate tranſmittere curetis: nec eiſdem adhærere, aut ſinceritate, quam noſtræ congregationi geritis, nullatenus recedere velitis, quocumque colore per quoſcumque prætenſo. Reuerendos autem patres, Dn. prælatos, & cæteros, qui de iure vel conſuetudine ad ſacram generalem Synodum venire tenentur admonemus & mãdamus ſub pœnis iuris ac ſub debito iuramenti, qua tenus celeriter, ad noſtram congregationem accedant in propria perſona: aut ſi fuerint corporali impedimento detenti, honorabiles & doctos viros de ſuis Eccleſiis bene inſtructos deſtinare non omittant: ſic autem facientes Chriſto cuius cauſam gerimus, maxime placebitis: Eccleſiæ ſuæ ſanctæ imo & toti Chriſtianitati dignum famulatum præbebitis, vos vere fideles, Dei honorem, Eccleſiæ ſuæ meliorationem volentes & affectantes monſtrabitis atq; gratiã in præſenti, & gloriam in futuro poſidebitis, quam vobis conferre dignetur præſenti Synodo præſentialiter aſſiſtens Spiritus ſanctus. Datum Baſileæ vigeſima prima Ianuarij Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo. Pontificatus dicti Domini Eugenij Papæ quarti anno primo, ſub ſigillo Reuerendi in Chriſto Patris Domini Philiberti Epiſcopi Conſtantienſis Prouinciæ Rotomagenſis. De mandato dictæ Sanctæ Synodi, V. ſapientia.

XI.

BASILEENSES, REGI GALLIARVM, VT Prælatos & Oratores mittat.

XII. *SAcroſancta Generalis Synodus Baſileen. &c. Chriſtianiſſimo Principi, & Sereniſſimo Domino, Domino Regi Franciæ, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Pro quam pijs & populo Chriſtiano neceſſariis cauſis, hoc ſacrum Concilium congregatum ſit, iam diu litteris ac nunciis veſtræ ſerenitati ſignificauimus, aliud enim hæc Sancta Synodus non intendit, quam vt hæreſes bella ac vitia de populo Chriſtiano extirpentur: & quamquam in omnibus Regnis ac prouinciis vbi bella vigent pacem & concordiam firmare deſideremus, ad veſtrum tamen præclariſſimum Regnum pacificandum propenſius oculos noſtros dirigimus. Hæ igitur tam ſanctæ cauſæ, ac memoria eorum quæ veſtri præclariſſimi maiores pro exaltatione fidei & conſeruatione Eccleſiæ Catholicæ ſemper egerunt, firmam nobis ſpem præbent, quod ſerenitas veſtra huic ſacro Concilio ex quo tot bona prouenire ſperarunt, omnem fauorem & auxilium impendet, atque omnia faciet, per quæ hæc ſancta opera quæ proponimus, iam ad effectum Dei gratia perduci videmus. Audimus enim Eccleſiæ gallicanæ prælatos in Ciuitate bituricenſi opera veſtra conuenisse ibique Spiritu Sancto illuminatos concluſiſſe ſacrum hoc Concilium Baſileenſe fore non ſolum legitime congregatum, quinimo hoc tempore per maxime neceſſariũ vt in hoc loco vbi cæptũ eſt, ſine dilatione aut mutatione continuetur: & pro ſubueniendo vniuerſalis Eccleſiæ neceſſitatibus, expedit vt ad id omnes, præſertim Regni veſtri Franciæ, proficiſcantur: Hinc equidem magnam lætitiam non immerito ſuſcepimus, tum quod Spiritus ſanctus non patitur veritatis lumen latere ſub medio: tum quod ex ea deliberatione fidei & Eccleſiæ, magna incrementa ſucceſſura ſperamus, pro qua re ipſi Spiritui ſancto in primis, cuius dono hoc factum eſt: Deinde veſtræ ſerenitati gratias agimus, & eam dignis laudibus commendamus, quæ ad tam ſanctum opus diligentiam præbuit. Amplinſque ipſam commendaturi ſumus cum hanc ſaluberrimam concluſionem executioni mandari*

mandari ſentiemus. Quapropter eandem S. quanto efficacius poſſumus deprecamur, & obſecramus, vt quemadmodum inter Reges Chriſtianos anteceſſores veſtri ſemper primi fuerunt ad auxilium fidei, & Eccleſiæ, propter quod Chriſtianiſſimi vocari meruerunt: ita maiorum veſtrorum imitando veſtigia, idipſum pro viribus & omni ſtudio agere diligenemini, omnemque operam dare, vt predicta deliberatio tam laudabilis, & veſtræ ſerenitati ac regno veſtro honorifica, per celerem aduentum Prælatorum veſtrorum, ſimul cum inſigni veſtra ambaſiata ad hoc ſacrum Cõcilium per rei executionem toti mundo illuceſcat. Ex quo & apud omnipotentem Deum meritum immortale, & apud homines ſummam laudem vbiq; conſequemini, & ipſam tandem vniuerſalem eccleſiam, vobis quidem chariſſime Princeps agendorum vrgens neceſſitas omnem dilationem expoſtulat amputari, eo permaxime, quoniam vt ab Ambaſſatoribus noſtris ad hæc tractanda tranſmiſſis, nobis inſinuatum eſt, aduentus Bohemorum ad hoc Concilium de proximo præſtolatur: quia in re Regnum veſtrum inter cæteras Chriſtianitatis partes magna literatura refulgeat, ipſorumq; prælatorum, veſtræque Ambaſiatæ præſentia, dante altiſſimo, ſit fructuoſa. Datum Baſileæ die 7. Maij 1432.

XII.

BASILEENSES, CONSILIARIIS REGIS Galliarum, eodem argumento.

XIII. *SAcroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata vniuerſalem Eccleſiam repreſentans, Reuerendis in Chriſto Patribus, & illuſtribus ac magnificis Dominis Conſiliariis Chriſtianiſſimi Regis Franciæ ſalutem, &c. Deſtinamus præfato chriſtianiſſimo Regi Franciæ litteras infraſcripti tenoris.*

Hic inſerta fuiſſe intelligatur epiſtola præcedens ad Regem Franciæ miſſa, eamque bis eodem deſcribi loco, otioſum tranſcriptoribus fuiſſe viſum: atque ideo omiſſam, alioqui non omittendam in fine.

Cum autem hæc omnium Chriſtianorum negotia communia ſint, & veſtra ſicut noſtra interſit, vt ſaluti Chriſtianæ reipub. conſulatur, veſtras paternitates & dominationes rogamus, & exhortamur vt pro honore & debito veſtro apud præfatum Chriſtianiſſimum Principem efficaciter laborare velitis, quatenus tam prælati Gallicanæ Eccleſiæ, quam ipſius Chriſtianiſſimi Regis inſignis Ambaſiata, prout tantum Principem decet, huc ad communem Chriſtianæ religionis vtilitatem ſine mora accedant. Datum Baſileæ, vt ſupra.

XIII.

BASILEENSES DOMINO TREMOLLIENS. eodem argumento.

XIV. *SAcroſancte, &c. Magnifico Domino N. de Tremollia, &c. Cum Diuino munere vobis conceſſum ſit vt in oculis Chriſtianiſſimi Regis Franciæ gratiam inueniatis, & apud eum locum & authoritatem, inter primos habeatis, merito die noctuque cogitare debetis, vt ipſe Deus hanc gratiam vobis conſeruet & amplior. Quod nullo modo melius conſequi poteſtis, quam ſi fidei & eccleſiæ defenſionem totis viribus procuretis. Certi ſumus ad notitiam veſtram diu peruenieſſe, quemadmodum pro hæreſibus, bellis ac vitiis ex populo Chriſtiano extirpandis, hoc ſacrum generale Concilium, apud Baſileam congregatum legitime ſit, quibus rebus cum nihil Deo gratius, & Chriſtianitati vtilius fieri poſſit, merito ſperare poteritis, gratiam Dei & hominum vobiſcum permanſuram ſi huic ſacro Concilio fauorem vobis poſſibilem præſtiteritis. Itaque curare, quantum in vobis eſt, debetis, vt hoc Concilium à Spiritu ſancto inceptum, veſtra opera ac diligentia creſcat, & humana obſtacula, quæ illud quoquo modo impedire poſſent pro viribus tollere & amouere. Qui enim aduerſus hoc Concilium aliquid agit, cauſa eſſe videtur, vt hæreſes, bella & peccata in Chriſtianitate perdurent. Qui vero illi fauet eſt protector fidei procurator pacis ac ſanctæ reformationis. Audimus prælatos eccleſiæ Gallicanæ apud Ciuitatem Bituricenſ. conuenientes inter ſe, concluſiſſe, adhoc ſacrum Concilium proficiſci. Quæ res non ſolum præfato Chriſtianiſſimo Regi ac regno ſuo, honorem & vtilitatem maximam allatura eſt, ſed toti Chriſtianitati profectum, propterea vos efficaciter rogamus, & exhortamur, vt apud ipſum Dominum Regem diligenter intercedere velitis, vt prædicta concluſio per aduentum prælatorum, ad ipſum Concilium ſimul cum ambaſiata executioni demandetur. Ex quo (vt prædiximus) proculdubio gratiam Dei & hominum vobis & veſtre poſteritati comparabit, & vniuerſalem eccleſiam ad omnia, veſtrum ſtatum & honorem conſeruantia exinde obligatam efficietis. Baſileæ vt ſupra.*

XIV.

BASILEENSES ARCHIEPISCOPO RHEMENSI, Cancellario Franciæ.

XV. *SAcroſancta, &c. Reuerendo in Chriſto Patri Domino Archiepiſcopo Rhemenſ. &c. Reſcripſit nobis venerabilis vir Prior Conuentus Chamberiaci Ordinis Prædicatorum, Ambaſiator noſter, quanto zelo huic ſacro Concilio aſſiciamini, cuiuſq; profectum deſideretis, & cum diligentia quæratis: pro qua re quia cauſa Dei agitis, ipſe vobis in hoc & alio ſeculo digne retribuat. Eccleſia vero pro huiuſmodi fauore, quem ſibi impenditis ſuarum orationum & meritorum apud Deum participem faciet, & ad omnia veſtrum honorem & ſtatum concernentia, obligatam ſe vobis merito profiteatur. In hanc rem quæ veſtram Paternitatem, tanquam Chriſtianũ & antiſtitẽ non minus tangit quam nos, nihil aliud dicendum videtur, niſi vt ſolita diligentia opus hoc ditinum proſequamini, ex quo cum extirpatio hæreſum, pacificatio populi Chriſtiani eradicatio vitiorum ſequi ſperetur, magnum apud Deum meritum, & apud homines laudem accepturi ſitis, optime intelligitis. Scribimus Chriſtianiſſimo Regi Franciæ, & ſuo Conſilio, & quibuſdã particularibus apud eum potentibus, prout idem prior ex veſtro Concilio nos aduiſauit, & litterarum copias hic interclusas mittimus. Si quid illud ad proſecutionem iſtius rei, nec non ad pacem clariſſimi regni Franciæ ad quam toto corde aſpiramus, faciendum videtur, vos maxime deprecamur, vt nobis ſignificare velitis.*

XV.

BASILEENSES ARCHIEPISCOPO Lugdunenſi.

XVI. *SAcroſancta, &c. Reuerendo in Chriſto Patri Domino Archiepiſcopo Lugdunenſi, &c. Cum magna iucunditate & exultatione audiuimus litteras quas ad nos & Reuerendũ in Chriſto f. atrem Dominum Epiſcopum Lauſanenſ. cum adiutamento eccleſiæ Gallicanæ deſtinatu. Intelleximus ex his, & aliorum relatu quanta prudentia & ſollicitudine in congregatione Prælatorũ apud Bituris in fauorem huius ſanctæ Synodi, imo totius Chriſtianitatis laboraueritis, & quid per medium veſtræ ſapientiæ & diligentiæ Spiritus S. ibidem concluſi fecerit, hinc luce clarius perpendimus, hoc ſacrum Concilium ita ſtabilitum vt iam modicum de humanis obſtaculis timeri poſſit. Hoc tam magnum ac felix nouum quilibet veſtræ aſcribit circumſpectioni: & quod ibi concluſum eſt veſtra opera contigiſſe exiſtimat. Pro quæ re ipſe omnipotens Deus cuius cauſam tam laborioſe viriliterq; defendiſtis reddet vobis in cælis præmiorum menſuram bonam, conſertam, coagitatam, & ſuperfluentem. Nos omnes quicunq; in hoc ſacro Concilio ſumus, auditis his litteris, mira in vos ferimur dilectione, & nomen veſtrum ac laudes in ore omnium paſſim reſonant: vos patrem, defenſorem ac protectorem ſacri Concilii omnes appellant. Agite igitur optimi Antiſtites quemadmodum capiſtis, & opus tam laudabile veſtra virtute in eccleſia gallicana inchoatum, entimmini ad finem perducere, & concluſio illa per celerẽ aduentum prælatorũ reipſa compleatur, præſertim vt paternitas veſtra ſicut antrix fuit huiuſmodi deliberationis, ita prima ſit in exequendo. Nam cum alii huc vos proficiſci viderint, mox ſequentur. Aduentus veſter ad nos, iudicio omniũ multo vtilior reputatur, quam progreſſus ad vrbem. Timemus ne abſentia veſtra aut diuturna mora ſacro Concilio ſit damnoſa, & acceſſus ad vrbem in nihilo fructuoſus, ex his quæ à fide dignis percepimus: qui Cõcilio aduerſantur, ita fixi in ſua opinione videntur, vt in perſuaſionibus humanis modica ſpes haberi poſſit. Spiritui S. & nobis viſum eſt, vt omiſſo acceſſu ad vrbem, ad hanc ſacram Synodum, quam Spiritu S., regi non dubitamus, quanto citius properetis: Verum ſi in congregatione prælatorum apud Lugdunum put. ueritis aliquandiu pro vtilitate Concilij immorandũ, hoc veſtræ ſapientiæ committimus. Valete feliciter. Scriptum Baſileæ vt ſupra & datum.*

XVI.

BASILEENS. WLADISLAO REGI POLONIÆ, & eodem exemplo aliis Regibus.

XVII. *SAcroſanctæ, &c. congregata Sereniſſimo Domino Principi Domino VVeladislao Polonię Regi, &c. Regiæ dignitatis proſperũ augmentum, ac omnipotentis Dei benedictionem. Non ambigimus ſatis diuue diuulgatum eſſe apud veſtram ſerenitatem, ſacroſanctam hanc Synodum in hac Ciuitate Baſileenſi rectè congregatam exiſtere, pro rebus eccleſiæ ac omnium orthodoxorum promouendis & bene gerendis, pro veprium hæreticarum de finibus fidelium extirpatione, morum deformium in cunctis ſtatibus emendatione, proque bellicarum rerum, quæ, proh dolor, his temporibus populum Dei circumdant, ſedatione: quibus nihil dignius, & fideli populo ſalubrius ſub cœlo valet afferri. Vnde ſi quis Zelum Dei in corde gerat ſi quiſpiam Principum ſalutem, ſubiectorum atque communem profectum*

& vtilitatem, prout ad hoc tenetur, quærat, non sacrum hoc Concilium, dignificare, fauorizare & promouere tenetur, eius sanctissimis determinationibus firmiter inhærendo. Contraria vero & præiudicialia sibi possitenus impedire, & vt auferantur de medio, totis viribus in Dei obsequium debet aspirare. Quamobrem vestram dominationem ac Regiam celsitudinem, vt Principem Catholicum, & fidei Christi fidelem propugnatorem, obsecramus, & exhortamur per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus ad tam necessarium & accommodum opus expediendum & Deo duce perficiendum in populo fideli, placeat aliquos doctos & peritos, diuinarum & mundanarum rerum experientia imbutos, ad hanc nostram congregationem quantocius destinare: nec non Reuerendos Patres Archiepiscopos, Episcopos, Abbates cæteroſque qui de iure vel consuetudine sacris Conciliis generalibus interesse tenentur, sub vestræ dignitatis iurisdictione & protectione temporaliter constitutos, per litteras vestræ serenitatis sollicitare & modis aliis congruis inducere, vt non postponant ad conueniendum illico nobiscum: at prout præclare famæ de vestra celsitudine volat per orbem vniuersum, qualiter vt Principem Catholicum decet, contra perfidos hæreticos brachia potentiæ vestræ viriliter expendistis: sic exhortamur vestram serenitatem, & deuotionem vt in exaltationem sacræ fidei feruenti animo sitæ ad eorundem inimicorum reductionem in vnionem fidei Catholicæ operam continuo dare velitis, Christi fideles adhoc viis ac modis conuenientibus inducendo & confortando, & si in quantum opus manu armata pugnando & resistendo ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, fidei Catholicæ incrementum, & Ecclesiæ sacrosanctæ continuam prosperitatem, quod vtique ad Principatus vestri honoris titulum cedit pariter & decorum. Nec moueat vestram Dominationem rumor de dissolutione huius sacri Concilii, si quis ad præsentiam vestræ serenitatis forsam delatus est, qui ex leuitate & sinistra suggestione hæc dubium processit. Quoniam nostræ intentionis est, ad conseruationem fidei Catholicæ & cunctorum fidelium consolationem in laudem creatoris nostri firmiter perseuerare, cunctis christicolis nobis assistentibus in vinculo charitatis, vsque ad eiusdem sacri Concilij felicem consummationem, ne incredulí dicant in cordibus suis. Trepidauerunt timore vbi non erat timor, & glorientur in malitia sua, putantes nos sacræ fidei certamen declinasse. Confidimus etenim, quod in hac sanctissima re considerata intentione rectissima, celsitudo vestra nobiscum in vnum concurrat. Pro quibus omnibus plenius explicandis, Reuerendum in Christo Patrem fratrem Aegidium Episcopum Rosensem, ordinis fratrum Carmelitarum, exhibitorem præsentium ad vestram serenitatem curauimus destinare, cuius relatibus in præmissis placeat fidem credulam propensius adhibere. Spiritus sanctus sacri Concilii author dirigat vestram illustrem celsitudinem in cunctis agendis ad vtilitatem Ecclesiæ sanctæ cum votiua prosperitate. Datum Basileæ, &c.

XVII.

XVIII. PRÆLATI ET CLERVS GALLIARVM, QVI Bituris conuenerant, Basileensibus. Monita quædam specialia.

1. INprimis, quod attentis hæresibus Bohemorum & eorum insultationibus, guerrarum calamitatibus, & morum in clero & populo vndique deformitatibus, conuentioneque Basileæ triplici authoritate Apostolica legitime facta, quæper annum durauit & vltra, & ad quam de vniuersis mundi partibus plures conuenerunt, spiritu sancto duce, meliora & vicinioraſ salutis sperantes, & mandati ibidem Bohemi, qui sæpius per vniuersa mundi climata diuulgarunt se à Catholicis non potuisse audiri, & generali Concilij determinationi stare velle; quibus nihil omnino respondere vtile non esse videtur, ne forte existiment Catholicos responsionis penuria declinare certamen, & fides lædatur non intelligentium mentes ipsorum: Nonque pastorum sed mercenariorum personas gerere videantur prælati maiores & minores, terga silentio præbendo, qui libere veritatem pronunciare, & eandem populi defendere tenentur, vbi honor Dei debitus & proximorum salus adimitur, eximereque cito & obeuantes introducere infra ecclesiam iubentur. Ideo nedum honestum & vtile sed necessarium est, Concilium Basileense celebrare, & pro posse ad Dei laudem & intentos fines stabilitum exaltari.

2. Item quia naturaliter homo homini subesse aut tributa soluere abhorret, & cum error Bohemorum spiritualem & temporalem præsidentiam, aut tributa decimarum, oblationem & quæuis alia ecclesiastica, nec non & temporalia abolet & exercetur, ideo hic cancer lenius serpit: sicenim ex Alexandria Arii scintilla, nihil naturale habens in magnam excrenit flammam: quanto magis hic error, per meatus naturales veniens & auaritiæ fecommiscens facilius multo inflammabit? Videx est enim error iste dissimulantium aut comminuentium eum tam ecclesiasticorum quam secularium: quia enim ecclesiastici qui pastorum more se pro ouibus & veritate opponere debeant, & non fugere ante faciem fidem persequentis dissimularunt: Ideo vbique in Bohemia templa Dei incenderunt, sacerdotes Dei spoliarunt & variis cruciatibus trucidarunt, nouis & inauditis tormentorum generibus adinuentis: sacramenta ecclesiastica pro nihilo reputarunt, & in tam varios errores deciderunt, vt Catholicæ ecclesiæ doctrinæ ibi in paucissimis & latentibus hominibus consistens, in nullo ab aliis audiatur, & ideirco nedum honestum aut vtile sed & necessarium & generale Concilium absque dilatione celebrari: quia non est expectandus Antiochus qui templum Dei totaliter spoliet, vasa argentea auferat pariter & aurea, coinquinet sancta, fideles occidat, incircumcisis trucidet circumcisos: sed præueniendum & ne videamus mala gentis nostræ & sanctorum.

3. Item quia Rex Bohemiæ & alij Principes nobiles, qui gladium portant ad laudem bonorum vindictamque malorum, patientius tollerarunt fidem vacillari, templa & personas ecclesiasticas vt præmittur laniari, illum postea seminarunt errorem, Dominum temporalem in peccato publico mortali non posse populo præsse, & quodlibet peccatum, peccatum & mortale pro suo arbitrio reputantes, fugarunt & Regem, & Principes, & nobiles: & quos habere potuerunt, membratim conciderunt, suis vxoribus & filiabus Virginibus, sanctimonialibus & aliis quibuscunque sine reuerentia violatis, castella ipsorum diruerunt, & omne Diuinum à se penitus abrecerunt sine alia cognitione iudiciaria: nec fuit possibile, Ecclesia tacente & demum fugata, nobilibus resistere: populus enim multus est, nec facile est vnum Dominum aduersari populo multo.

4. Item præfati Bohemi venenum per epistolas plurimas diuulgarunt, per vniuersas mundi partes & plurimos infecerunt, & vt Bohemiam prætereamus remotam, Domini nostri Regis infectas partes non fileamus, nonne in Baillitia Matisconensi, & comitatu Forensi visus est à paucis annis citra populus in Dominos suos nobiles insurgere, & impias manus in eos iniicere, non nobilitati, non sexui, non ætati aut conditioni parcentes, libros censuales sine terrena concremantes, castella inuadentes, & Dominos suos suis mobilibus spoliantes? Antiqua sunt dicere quod in tota patria sufficerent duo sacerdotes, & quod omnes nobiles ad labores propriarum manuum teneantur ex sententia diuina in genus humanum & personam Adæ: in sudore videlicet vultus tui vesceris pane tuo prolata. ex quo inferebant tributa Dominis temporalibus non debere solus. & quantum deuet, aut coniungatur error iste Bohemis, iudicet sapiens quisque. & nisi exterminatus fuisset prudentia Domini Baillius Matisconensis vna cum nobilibus patriæ, dum nasceretur error ille, multorum supplicijs & patibulis iam diuulgabatur in plurimos populos.

5. Item nonne etiam in Delphinatu est quædam portio inter montes inclusa, quæ erroribus adhærens prædictis Bohemorum, iam tributum imposuit, leuauit & misit eisdem Bohemis, in quibus fautoria manifesta hæresis prædictæ debet indicari? & nouit Deus si multorum popularium latentia corda leuiter detegerentur, subleuata amplius Bohemorum malitia, & ab eisdem semmaretur, Concilium generale aufugisse, non valens respondere rationibus Bohemorum prædictorum, hoc præsertim in tempore, cum populus ex guerrarum malitiis lacessitus, de pauperatum se potius vidit, & in partibus multis videtur furere, & ex populoribus multi ducti sunt ad prælia. Ea propter cito, imo citissime obuiandum est per Dominum nostrum Regem, nec non & per ecclesiam Catholicam, quæ tamen alias occurrere non potest nisi Principum & nobilium fortitudine, vel iurium & Clericorum ratione.

6. Item si Principum Nobilium fortitudine concurrendum est, quod licet cum ferro abiicienda sint vulnera, quæ medelam non sentiunt, quia cum gens illa immersa valde & indomita sit, ac in suis erroribus indurata, vinci non potest, nisi maxima Catholicorum ad hoc vnitorum multitudine, & cum expensarum grandi mole: Principum autem & Catholicorum multitudo hos hæreticos expugnantium haberi non potest sine pacifications regnum, & Principum, ad inuicem vbique terrarum contendentium. Et ideo moris fuit ecclesiæ Catholicæ volentis Principes in subsidium terræ sanctæ aut contra infideles commouere, prius eos per media Conciliorum generalium pacificare, aut saltem longas & fidas treugas inter ipsos inire, & fideliter in facie ecclesiæ firmare ac vno agmine ad fidem defendendam inducere: & ad hunc finem Basileense Concilium conuocatum est, nec ecclesiæ, quæ in fide defendendæ à facultatum contributione se excusare non debent vel possunt, contributum imponi alias potest. Nec patietur se tributariam fieri quam ex ordinatione Concilii generalis, vt patet ex constitutione Constantiensi, nec obeditum est Domino Martino contra Bohemos subsidia imponere volenti. Ex quibus infertur, necessario Concilium generale celebrandum, cum principum & nobilium tuitamine postmodum

dum, vel onus ecclesiæ imponendum fuerit, sine quibus hæc in re, ad bella procedi non potest.

7. Item si occurrendum est iurium & clericorum ratione, quæ via videtur accommoda, quia Spiritus S. in vnum congregatos in nomine eius dirigit & per generalia Concilia frequentius hæreses sunt extinctæ, sicut hæc hæresis Bohemica speratur extinguiin Concilio Basileens. ad quod vocati sunt dicti Bohemi cum magna charitate, & qui litteras eiusdem Concilii acceperunt, & si venerint ad Concilium generale, præfatis expetit ecclesiam Catholicam in vnum conuenire: quia quod à pluribus quæritur, facilius inuenitur: salubriusque est fidei, & Papæ consultius, causam fidei vnitati committere quam vni: & sic omnino assistendum est & subleuandum generale Concilium & non differendum, maxime quod vbique vniuersitates studiorum ob guerras & rerum inopias sint multum depopulatæ, nec sit expectandum vt ex toto senescat, vel morte pereat litteratorum antiquorum peritia. Si vero Bohemi non venerint ad Concilium sic solemniter mandati, tunc sua obmutesceat garrulitas quod non potuerunt audiri: Tunc conuocata erit ecclesiæ vniuersa, & Principes & Christi fideles poterunt ad pugnã animari: tunc ecclesiæ tributa & subuentiones iustæ imponi, imo gratius & benignissime ferent sua voluntate imposita, & in posterum hac de causa imponenda.

8. Item licet iuste induci possit bellum contra hæreticos damnatos, sapius tamen reprobata videtur in hac causa à Deo qui aufert corda principum, fortitudo, cum Catholici iteratis vicibus fugerunt, nemine persequente, inscrutabilisque Dei iudicia, licet nullus hominum valeat discernere, aut iudicare. Suaderi tamen potest, quod monstruosos mores in Clero & populo volsit purgari sicut contra hostes fidei congredi, ne cæcus cæco ducatum præberet, aut gestans trabem in oculo festucam in oculo proximi erueret. Ne etiam diuisi Principes Hæreticos ab ecclesia diuisos exterminare conentur: quibus pacem consulendo, prius suadendum est: Medice cura teipsum. Quis enim nesciat à Viennensi Concilio anno 1311. celebrato, circa morum deformitatem nullum fuisse celebratum generale Concilium, & variis in varios ex vetusta corruptela, quam pro iure consuetudinis vendicant, decidentium deformitatum mores? quis nesciat conflictas causas & diffugia, post assignata generalia Concilia, ne celebrentur eadem, admunitæ & meminisse diuinam sententiam decet: Ierusalem, Ierusalem quoties volui te congregare, quemadmodum Gallina congregat pullos sub ala, & noluisti? ecce relinquetur vobis Domus vestra deserta. Visitat quoq; iam fere vbiq; terrarum Dominus plebẽ suam in gladio, fame & peste. Et si dictos corruptos mores, quibus vehementer Deus offenditur insequi & vlcisci differimus, ad irascendum vtique diuinitatis patientiam prouocamus. Nec tamen dicti corrupti mores extra Concilium generale, cum de omnium statu agatur, honeste vel breuiter possint emendari, aut Reges & Principes ad pacem & treugas induci.

9. Item ponderandum est, quod post tempora Apostolorum cum persecutiones contra ecclesiam ferueserẽt non habuit facultatem Ecclesia conueniendi in vnum vsque ad tempora Constantini Magni. Sic igitur multiplicatis vitiis in Clero & populo multiplicet & Dominus flagella contra religionẽ Christianam si aduersus Deum rebellantem, & Pharaonis more indurantem non est credibile quod Ecclesia tunc ad Deum confugiens leuiter audiatur ad conuentionẽ Conciliorũ, sed redibit ad prædicta persecutionum tempora, libertatem non habens congregandi: Hoc ipse Dominus regio ore professus est: Multiplicatæ sunt, inquit, infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Non congregabo cõuenticulaeorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

10. Item quod visis Sanctissimi Domini nostri Eugenij Papæ dissolutionis eiusdem Concilij causis, nec non & rationibus contrariis in quibusdam instructionibus per sacrum Concilium generale Basileense ad eundem Dominum nostrum Papam directis, vt dissidia cessent, quæ satorizizaniæ ingerere posset, per Clerum ecclesiæ Gallicanæ consulendum est, & consulit humilusque supplicat Domino nostro Regi vt progenitorum suorum more schismata extinguentium, & Ecclesiam depressam subleuantium, his occurrat, vt prius extinctum, quam natum, malum huiusmodi inextinguibile videatur. Per hæc enim Deum sibi placabit Ecclesiam per amplius obligabit, vestigia prædecessoris imitabitur, & fama eius in omnem terram diuulgabitur.

11. Item quod præfatus Dominus noster Rex, re & titulo Christianissimus, à paternis non declinando traditionibus & vestigiis præmissis, assurgens pro se & Ecclesia Gallicana, notabilem dirigat ad præfatum Sanctissimum Dominum nostrum Papam Ambasiatam, exorando vt pro fidei necessitate, proque religionis Christianæ vniuersali vtilitate mander continuari & celebrari idem generale Concilium Basileense, obstruendo ora in fide orthodoxorum, suamque sanctitatem clementissimam malignantium.

12. Item quòd præfati Ambasiatores instent apud Reuerendiss. Patres Dominos Cardinales & sacrum Collegium, de præmissis eos reddentes attentos, vt Ecclesiæ incommoda præcauentes, deuotius exorent eundem Dominum nostrum, & in singulari & per modum collegij, vt celebrationi Concilii quæ fit S. honori accedat, & Ecclesiæ plurimæ vtilitati intendere velit, mandando continuari idem Concilium, & prælatos absentes, quatenus opus est arctius conuocando.

13. Item hoc sacrum Concilium pro extirpatione hæresum aliisque causis diu assignatũ non debet dici cum Bohemi iam damnati initum, sed pro eorum totali extirpatione, & fidei defensione, super quibus causis legitime conuocatum, licet & in eodem Concilio si dicti Bohemi venerint, ponsint doceri & charitative instrui & tractari, nec non si possibile est reduci. Suaq; attenta multitudine quæ sero domari sine sanguinis humani multa effusione non potest, feueritate disciplinæ detrahi valet & potest, & ibi reperientur contumaces, & Catholici in Concilio præsentes, & diuulgata fama absentes, audaciores & firmiores reddentur. Imo sperandum est de Dei misericordia, quod Deus pugnabit pro illis, quia veritas vincit.

14. Item quod placeat Domino nostro Regi suas dirigere litteras Imperatori, & Dominis Ducibus Sabaudiæ & Mediolanensi quod velint suo nomine cum charitate plena fauere Cõcilio, ipsius Imperatoris grandi instantia, & in eius tuitione conuocato. Faueant etiam omnibus euntibus & redeuntibus ad idem, & in singulari prælatis & aliis quibuscunq; de Regno Francia Domino nostro Regi subditis. Nihilq; à quibuscunq; permittiant acceptari contra Dominum nostrum Papam, curiam Romanam, vrbem vel patrimonium eorundem, vnde ipse & collegium occasionem indignationis, dilationis, suspensionis, ac inuocationis Concilij assumant: quia exinde fructus speratus Concilij deperderetur, hæreses augmentarentur, & mores sordidi in amplius fordescerent in Dei offensam & populi Christiani corruptelam.

15. Item quod clerus Regni Franciæ in Concilio Bituricensi ad mandatum Domini nostri Regis (vt præmittitur) congregatus, pro præfata ambasiata dirigenda ad Sanctissim. Dom. nostrũ Papam, elegit concorditer Reuerendissimum in Christo Patrem Dominum Archiepiscopum Lugdunensem ex parte Ecclesiæ Gallicanæ Ambasiatorem & Legatum, tanquam virum in quo est zelus Domus Dei, & in iure eximium professorem, qui licet totis viribus retinendo præfatam ambasiatam omnimode recusaret, precibus tamen cunctis licet inuitus, onus præfatæ ambasiatæ pro necessitate pariter & honore Ecclesiæ suscepit: quem si Dominus noster Rex pro se & ex parte sua dirigat ad præfatum Dominum nostrum Papam Ambasiatorem & Legatum, ita vt vna fiat ambasiata ex parte Domini nostri Regis & Ecclesiæ Gallicanæ, Ambasiata erit maioris authoritatis, efficacie & virtutis, quoniam funiculus duplex non æque facile rumpitur vt simplex, fietq; Ambasiata cum minori expensa. Et vt ita fiat humilius clerus supplicat Domino nostro regi.

16. Item ne tædio affectum ex longa mora & pluri expensa sacrum generale Concilium videatur, vt assumant pennas, volent & non deficiant: vtque præfatus Dominus noster Rex alios præueniat in benedictionibus huius dulcedinis, quod ad dictum Concilium aliquos suos præmittat Oratores, nunciantes intentionẽ regiam & Ecclesiæ Gallicanæ sanctam pro qua missa est solennis Ambasiata ad Papam, patiaturq; prælatos sub censuris ecclesiasticis & religione iuramẽti adstrictos & ab eodem Concilio authoritate Apostolica vocatos, vt ad idem Concilium vadant, pront suis conscientijs attenta vocatione & rei necessitate videbitur expedire.

17. Item quod pro expensis præmissorum & in vsus præfatos conuertendorum, & non alias vel alio modo, consentiant leuari quartam partem vnius decimæ super Clero Regni & delphinatus: ita tamen, quod cum de iure communi, etiam ex beneficio Concilij Constantiensis Papæ non liceat imponere decimam aut partem eiusdem clero vniuersaliter vel particulariter, nisi sacro generali approbante Concilio, aut de consensu Cleri eiusdem, quod Dominus noster Rex non patiatur clerum Regni aut Delphinatus grauari authoritate Apostolica alia decima aut parte eiusdem, maxime cum Clerus sit oppressus ex guerris & monetis, & amplius grauabuntur Prælati ex accessu ad Concilium generale.

XVIII.

ORATORES BASILEENSIVM, REGI ET Proceribus Angliæ in Comitio.

Gerardus Landrianus, Episcopus Laudensis dicebat.

XIX. FAcite quod Dei est, & ipse faciet quod vestrum est; ex sacris litteris, apud Gregorium, epistola octaua. Pauci his antea proxime, more instituroque maiorum præmissis, credimus Serenissime & Christianissime Rex, Reuerendissimi Patres & illustres Domini, vos iam iam, pro summa prudentia vestra plane intelligere debuisse, omnia nos iusta, vtilia, & nimirum toto orbi necessa-

saria, hodierno die Serenissimam maiestatem vestram nomine sacri Basileensis Concilij rogaturos fore. Quapropter si qui nunc sunt, hoc in Sanctissimo ac celeberrimo Patrum, & procerum ordine, quos forte offendi contingeret, qui cum apud maximum & gloriosissimum omnium Regem totque sapientissimos & præstantissimos viros verba facimus, non eam dicendi artem aut elegantiam adferamus, quam eloquentissimi ipsi viri vel expectassent, vel pro summo splendore huiusce loci dignum fore iudicassent: hos tales oramus & obsecramus, vt potius rationem & summam æquitatem causæ, de qua paulo post agemus considerare velint, quam tarditatem aliquam in dicendo nostro accusare: neque tantum quo ornatu verborum, quam quid & qua side dicatur, aduertant, diximus enim in principio nationis nostræ, facite quod Dei est. Quis vnquam vllo tempore pro iustiore aut sanctiore causa quemque in orbe Regem aut Principem adiit? quis pro tam salubri & honesto negotio nuncius ad Regem, regiis præcipue virtutibus insignem nulla etiam elegantia adhibita, non ea quæ exoptet, omnia impetrare posse confidat? Animaduertite diligenter (quæso) ipsam missionis nostræ causam, non minus certe nec essariam quam honestam. Missi sumus à sanctiss.mo Basileensi Concilio ad Regem, & quidem in toto orbe terrarum fidelissimum & Catholicum, ne fides ipsa, quam fluxam satis & quassam habemus, turpiter pereat, præsidium aduocatur. Missi sumus ad Christianissimum Regem, ne rempubl. tam Christianam misere quidem afflictam, vitiis prauisque moribus debilitatam & deformem, ac nunc quidem in summo discrimine positam cum subuenire maxime possitis, periclitari non patiamini missi: summ. ad Regem natura mitem, iustum, mansuetum, pacis amatorem, vt per ipsum pacem, otium, tranquillitatem, concordiam ipsi, suisque omnibus, & vniuerso orbi terrarum pariamus. Missi sumus tandem ad regem clarissimum animo, atque genere illustri præter cæteros natum: vt ad tam præclara & salubria Dei opera, comitem se & participem ad sacrosanctam Synodum iungere velit: Synodum à deo in Spiritu sancto & in omni bono opere legitime congregatam vniuersalem summi & immortalis Dei Ecclesiam representantem, ac non minori stabilitate iuris firmatam, quam in vnum rerum necessitate vocatam. Quæritis in ea ædificationis & ordinationis suæ solenne ac legitimum exordium? at hoc celeberr.mo omnium Constantiensi Concilio decreta & constituta fuit, in quo decerte diuinarum, humanarumq. litterarum, ex omni parte nobis sapientissimi homines conuenerant, in quo inclita hæc hæ inquam doctissima natio vestra summo honore interfuit: in quo sapientiæ lumina intacta, & contra formæ mundi ornamenta collecta fuerunt. Quæritis summam in ea authoritatem? at hæc eadem Synodus patrum, sacerdotum, Regum, Principum, Ducum, nationum, & communi omnium consensu, tanta frequentia hominum, quantam vnquam fuisse constat, vna voce, vno ore decreta, statuta, definita, declarata, promulgata fuit. Quæritis in ea summorum Pontificum consensum, at hæc sanctissimorum quondam Martini, & nunc Domini nostri Eugenii plurimis litterarum monumentis obsirmata, stabilita est & consecrata, & adiicit adhæc omnia simul non mediocrem Concilium Senens. authoritatem. Nonne omnes in eo Patres, hoc Basileense Concilium pro statu Ecclesiæ sanctæ Dei, pro communi omnium salute, ad hoc tempus necessario celebrandum esse censuerunt. Itaque si diligenter omnia in vnum colligere volumus nullum vnquam Cœcilium, tot decretorum monumentis, tot diuersis vt ita dicam authoritatibus ædificatum, vel latum, congregatumque, vel vidisse, vel audisse, vel etiam legisse fatebimur. At quam nunc hæc sacrosancta Synodus non opportuna modo, sed & si nullo vnquam tempore statuta fuisset maxime necessaria sit, paucis attendite & recognoscite, sanctissimæ fidei & Reipublicæ Christianæ vulnera. Primum an dissimulare possumus, nisi sœdissime quidem & non mediocri totius nominis Christiani periculo, in omni ferme regione orbis exortas, atque excrescentes in dies magis nefarias & hæreticas factiones, venenatamque illam in primis & pestiferam Bohemorum luem? Bone Iesu quam longe lateque iam fines extendit? Quis enim non acerbe doleat, clarissimum olim populi christianum regnum alienum, auersumque à fide & religione nostra factum? Quis præterea non miserabitur tot innumerabiles animas, illorum falsa pestiferaque doctrina pellectas, igni & suppliciis æternis quotidie deperire? neq; est animus nunc commemorare hoc loco, quantas strages, cædes, & incendia populo Christiano hæc pestis hominum attulerit, quod sanctissima Dei templa, aras, reliquias martyrum pollutis sacrilegisque manibus prophanarit, non enim omnia singulariter absque lacrimis, Christianis præcipue hominibus, enumerari possunt. Sed nec his finibus continet hæc contagiosa pestis. Serpit enim in dies magis ac magis hoc exitiale malum: atque sceleratissima ac superstitiosa gentis vesanæ temeritati parum facinoris in eo esse videtur dum turpia & teterrima omnia in Ecclesiam Dei, & in religionem, in fidem, disciplinam sanctorum Patrum flagitiosissime moliuntur, nisi ciuilem etiam vniuersi orbis politiam funditus euertant: tantumque eis superest odij & hostilitatis in rempublicam Christianam, & non solum aduersus Christos Domini, sed etiam aduersus reges & Principes vtique Diuino iure constitutos, plebis & multitudinis imperita temeritas ita odia concitare conentur, pro concione publica prædicantes, omnes homines inter se pares esse neque alium alio superiorem fore, negantes præterea vectigalia & tributa principibus dari oportere: quo sit vt multi non modo homines, sed populi, vt nouarum rerum semper cupidi sint, cum à vera & Catholica ecclesia tum à Principibus etiam suis, aut reipsa & animis & voluntate certe deficiant. Itaque hodierno tempore cum hoc superstitiosum & maleficum genus hominum magna iam ex parte reductionis ablata spe ad sacrum Concilium venire obtulerit si hæreses neglecti forte haberi volet, vel si cum ipsos armis vincere non potuimus, turpe esset cogitari à facie eorum cædem, extollent se insolenter, & conflagrabit profecto in tantum incendium hic vs morbi, vt frustra postea desperatæ rei subuenire cupiamus, operemur igitur (ab Apostolo instituti) bonum dum tempus habemus, nec tanti ac tam speratæ boni occasionem nobis oblatam præterire sinamus.

Atque vt intelligatis ex omni parte orbis congregandi Concilij summam imminere necessitatem, conuertite nunc oculos ad sanctam Ecclesiam Dei iacentem & afflictam, ac longa profligationum æbiditate pene profligatam. Bone Deus quantum ab antiquis honoribus & à prisca maiorum nostrorum dignitate, & à quibus Christiana Reipublicæ status diuina sacrorum Conciliorum intermissione decidit, videris ne dum discordiis nimium pertinaciter inter nos decertamus, quidquid opum, opulentiarum, splendoris ornamenti ac sanctimoniæ in florentissimo olim populo Christiano à maioribus nostris summa industria & vigilantia partum fuit, id omne nos dissentionibus & simultatibus nostris totum ferme perdidisse? videris propterea, vniuersum ferme orbem ardere bello, inter Principes populosque Christianos teterrima concitata odia. O cæcitatem incredibilem, omnia effundi, omnia exhauriri ad arma, ad funestissimos exercitus, in stragesque non hæreticorum vt debuit, comparandos, sed in perniciem totius populi Christiani. Recogitate nunc tot nobilissimos exercitus, tot illustres proceres casos, tantum sparsum sanguinis Christiani, tot florentissimas vrbes euersas, tot pulcherrimas patrias igni ferroque absumptas, vt nulla certe pro his tantis malis satis vnquam digna inueniri præmia possint. Recogitate nullam ferme plagam orbis, calamitatum vel dissentionum vacuam esse, nullam vacare bello. Quid igitur: his ne inquam turbulentissimis temporibus nostris, frigescente in dies magis charitate, huius Concilij celebrationem superuacuam an summopere nobis necessariam fore putabimus, solam certe viam & vnicam spem calamitatum nostrarum opprimendarum? etenim cum multa à maioribus nostris diuinitus instituta sint salubria quidem & vtilia, nihil tamen grauius, nihil commodius, quam quod sacra Concilia in orbe Christiano celebrari voluerunt: quibus solis fidem Christianam pacem, otium, tranquillitatem, concordiam sapientissimi illi homines vel dari vel posse conseruari crediderunt facileque vbi hæc fieri desierint, in aduersum omnia ire & præcipitari putarunt, atque ita esse, longo vsu, non sine tamen ingenti iactura rerum nostrarum experti sumus, quidquid enim hæresum, quidquid bellorum, quicquid discordiarum, dissentionum, calamitatum, quibus misere nimium nunc populus Christianus premitur, omnia inquam per intermissionem Conciliorum exorta sunt. atq; olim sancti Patres, vt quiddam parum honeste, parum verecunde, parum moderate fieri conspiciebant, Concilia statim, nullo interuallo facto, cogebant in vnum, neque morbos per negligentiam aut desidiam excrescere sinebant, nullo sane alio sanctiori instituto aut documento, vtilius communi omnium saluti aut posteritati sue consulere posse putantes. Nos igitur tantorum Patrum soboles, sedendo stantes & otiosi adspicere potuimus tam exitiosa & in dies magis excrescentia mala gentis nostræ, præsertim cum ita saluberrimum ad omnes morbos medicamentum nobis relictum sit, quo nihil certe conuenientius, nihil prudentius, nihil ad omnes gentes communius fieri potest? Est enim Concilium omnium patrum, Regum, Principum, gentium, & publicum totius orbis Concilium. In quo ex omni parte sacri humanique iuris doctissimi viri conueniunt: in quo Spiritus sanctus adsistit, & idem Spiritus paraclitus, qui nos docebit omnia, qui nos complexus est: nec errare, nec decipi, nec falli sinit: quæ omnia ideo breuioribus verbis prosequimur; quoniam pro summa prudentia, & zelo Religionis qui in vobis est, à sanctissima maiestate regia & à vobis sapientissimis viris iam diu profecta & cognita fuerunt. Memini enim, paucis ante annis exactis, maiestatem vestram, vt summe quidem omnium Christianissima est, honorificam omni dignitate legationem ad sanctissimum quondam Martinum destinasse, ve pro summis ne essitati-

bus & periculis Reipublicæ Christianæ, quæ immalescentibus quotidie malis, in summo discrimine esset, diem futuri tunc Concilii anticipare vellet: tantum fidei & populo Christiano matesias religiosissima vestra subuentum iri putabat. Itaque Serenss. Rex Illustres Principes, & amplissimi Domini, iam iam exoptata & tamopere vobis expectata dies illuxit, iam sanctissimis Patribus frequens congregatum omnium & firmitate Concilium est, & idipsum iam sanctissimus Patribus frequens. Illa inquam dies illuxit, in qua iustissimæ voluntati & diuino ardore vestro fidei & reipublicæ subuenire cupientis satisfacere possitis, in qua quantum virtutis, quantum regij animi, quantum beneuolentiæ erga sanctissimam religionem, & publicam salutem habuistis, habetisque, tantum hodierno die in vniuerso populo Christiano declarare queatis, non enim agitur nunc de ceremoniis, de solemnis, de diebus profestis, de ornatu templorum, de splendore vrbium: sed cum res Christiana discordiis, bellis de hæreticis factionibus iamdiu multiplicata sit & laboret, agitur de salute religionis, & sacratissimæ legis Iesu Christi: agitur de conseruatione regum, principum totius q; populi Christiani, agitur ne vnica humanæ salutis institutio, maioribus nostris nobis relicta, omnia scilicet in futurum sacra Concilia penitus sublata perpetuo desperent. Agitur consequenter, ne orbis terrarum ne nos omnes perpetuo pereamus. Itaq; Sereniss. Rex, præstantissimi Patres, & Illustres Domini vt pro ingenio vestro, & antiqua consuetudine sacris institutis & religionis Dei nostri deditissimis, sequimini veterem impetum animi & diutini desiderii vestri. Sequimini sanctum & antiquum morem clarissimæ & religiosissimæ patriæ vestræ, & ecclesiæ ac reipublicæ à nobis auxilium deprecantibus subuenire non tardetis. Etenim cum præcipuo quodam loco dignitatis summa etiam gloria inter omnes orbis reges enitescit, cum vel virtute, vel religione, vel genere, vel charitate patriæ, vel gloria rerum nemini cedatis: cum hæc inclyta natio tanta frequentia prudentissimorum eloquentissimorumq; virorum affluat: ita vt antiquorum fama, palma sapientiæ, tam diuinarum quam humanarum litterarum sine controuersia apud vos sit, nihil sanctissimæ maiestati vestræ regio nomine dignius, vel sanctissimorum maiorum vestrorum virtuti magis proprium facere potest, quam quod pacem Christianam (vt Rex & vir certe natura vestra pacifici estis) & dare omnibus & suscipere velitis, neque vlla alia de virtutibus vestris, & si innumerabiles & maximæ sunt, magis proximos aut similes Deo vos facere potest. Fateor summas esse laudes, & vere regias, aliquid fortiter, iuste, clementer, magnifice, liberaliter agere: aut patrocinium diuinæ legis sanctissimæ pacis recipere, ne fides, ne religio, ne res sacræ, ne status Christianus, ne hæc omnia funditus pereant, viribus atque animo fortiter incumbere: quis pro hoc tam illustri negotio, non diuinos magis honores quam humanos decernendos esse putauerit. Sed nimis multa de his ad vos, honestæ laudis & certæ veræque gloriæ cupides. Haud enim clarissima virtus vestra suasore ad bene vecteque operandum egere videtur. Vt igitur finem faciam, cum hoc sacrosanctum Concilium rite fundatum, congregatum, & rebus nostris necessarium sit, sacram maiestatem vestram deprecatur & orat, imo potius Spiritus sanctus paraclitus in eo existens, cuius solicissimis auspiciis, oleo lætitiæ præ consortibus vestris vnctus rex estis & consecraeus: primum vt vestris & præclarissimis regnis, lectissimos quosdam & sapientissimos viros, quorum magna sane & infinita pœne apud vos multitudo est delegatis & pro summa dignitate Regia Maiestatis ac celeberrima in toto orbe terrarum Catholici nominis fama, qua semper sanctissimi maiores vestri vos ac præclare fuistis legatione omnium authoritate insignem atque dignissimam, ad sacrosanctum Basileense Concilium mittite, & cum cæteris Principibus Christianis quorum magna sane pars egregiam iam & magnificas legationes pro hoc communi incendio extinguendo, ad idem Concilium misit, cæteri quoque missuri videntur, de extirpatione hæresum, de virtute, de conseruanda religione, de pace, de sancti monia morum in melius constituenda, honestissimo certamine contendatis. Proximum est quod omnibus animi sensibus à sacra maiestate vestra sacrum idem Concilium petit, vt cum hostibus vestris, ad quos nomine sacri Concilij hisce de causis decreta legatio est, pacem, charitatem concordiam, opus certe à natura vestra non abhorrens inire velitis: pace confecta tanquam salutis vniuersæ iactis fundamentis, non dubitamus omnem populum Christianum iacentem diu quidem & oppressum ad pristinæ dignitatis suæ recuperandæ spem erigere se, & reuiuiscere debere. Agite igitur oramus omnes per sanctissimam memoriam iam pacionis Iesu Christi, quæ pacis sunt: condonate immortali Deo ac Creatori vestro acceptas iniurias: excutite odia, quærite pacem, fruminimtam singulari & excellenti bono, quod nobis Redemptor noster vltimo testamento reliquit, cum ex esturus ex hac mortali vita dixit. Pacem meam relinquo vobis, dilecta enim nomen est pacis. Res vero ipsa cum iocunda tum salutaris, nam nec sacram legem, nec fidem, nec societatem humanam, nec rempublicam charam habere videtur, quem discordiæ, quem bella delectant. Nostis illud tritum quod dici solet, Concordia res parvæ crescunt, discordia maxime dilabuntur. Nos igitur authoritate & nomine sacri Basileensis Concilij, si quid huic tam salutiferæ & necessariæ rei à nobis præstari posse videritis, omnia non solum forti animo, sed & libenti animo hodie præsto sumus omnia patiemur, nihil subterfugiemus, modo hinc omnibus mortalibus summe desideratæ pacis, dirigente Deo nostro vel satisfacere, vel prodesse possimus. Postremum est ex ditione regnorum vestrorum reuerendissimos, reuerendosque Patres qui ad sacrum Concilium iuxta sanctiones antiquas venire tenentur, id vt faciant, adhortari velitis: vt Ecclesiæ & communi omnium saluti, præstanti prudentiæ & authoritate, quemadmodum in Concilio olim Constantiens. ingenti præter cæteros scientiæ ac religionis laude fecerunt consulere, & prodesse queant: quæ omnia si vt optamus & confidimus à vobis confecta erunt, facietis certe, vt primo dictum est, quod Dei est, & ipse altissimus & immortalis omnium Pater, dignitatem gloriam ac amplitudinem nominis vestri augendo, faciet quod vestrum est: & tandem in numero beatorum relati certum & definitum in cœlo locum obtinebitis. Ad laudem & gloriam omnipotentis æterni Dei, & totius Curiæ triumphantis, Amen.

XIX.

HENRICVS REX ANGLIÆ, Basileensibus.

XX.

Sacrosancta generali Synodo Basileensi, in Spiritu sancto legitime congregatæ, vniuersalem Ecclesiam representanti. Henricus Dei gratia, Rex Angliæ & Franciæ, ac Dominus Hyberniæ, sui ipsius recommendationem, & ad vniuersalis ecclesiæ bonum feliciter prosperari. Vestræ sacratissimæ congregationis litteris nobis tam præsentatis primis videlicet aute aduentum Reuerendi Patris Domini Episcopi Laudensis, nobilisque & magnifici militis Domini Rasali de auro de Bononia, Præceptoris sancti Ioannis Ierosolymitani lanuen. Nec non egregij viri fratris Guidonis Prioris Conuentus Chambricen. de Sabaudia Ordinis Prædicatorum, sacræ paginæ Professoris, Legatorum vestrorum ad nostram præsentiam transmissorum: secundis vero per eosdem in ipsorum ad nos accessu, credentique pro parte nostra ipsos in conspectu trium statuum Regni nostri deuotissimo sermone seriosus exposita, postquam pissimum sanctæ vestræ Congregationis propositum ad hoc tendens, vt tam fidei orthodoxæ, hæreticorum versutiis & variis erroribus nunc temporis multipliciter impugnatæ, celerius succurratur, quam vt damnati mores omnium statuum in melius (quantum altissimus concesserit) reformentur discordiaq; Regum & Principum, quibus Christianitas miserabiliter atteritur, posse tenus sopiantur, nobis elegantissime declaratum est proparte celeberrimæ congregationis vestræ quæ sequuntur à vobis incepimus postulare, quorum primo videlicet vt nostri Oratores & Legati ad præfatam Synodum destinentur animimus animo perlibenti, ipsorumque Dei opitulante gratia, aduentum modo possibiliori maturabimus vt optatis. In secundo autem per Oratores eosdem à nobis postulato, quod videlicet pacem inter nos & aduersarios nostros, præsertim in Regno nostro Francia concernit, in eundam, scire dignetur vestra concio sacrosancta, quod in hoc pacis negotio instantius, & hortamentis Reuerendissimi Patris Domini Cardinalis sanctæ Crucis condescendimus firmo cum proposito, per quæcumque vias rationabiles, ipsius tractatui pacis cum ipsis aduersariis nostris efficaciter intendendi, sperantes in Domino, quod dicti Reuerendissimi Patris labor in ea frustrari non debeat, sed fructuosum & gratum sortietur effectum. Veruntamen si ex suorum laborum & meditationis industria, fructus in ea parte speratus (quod absit) non sequatur, ambasiatores nostri ad vestrum cœtum destinandi circa ipsius pacis ineundæ progressum vlteriorem venient sic instructi, vt cunctis per eos luculentius apparere debeat quod ab omni tempore fuimus, sumus & erimus fauente altissimo dispositi & inclinati ad ipsius pacis bonum per quæcumque media rationabilia & conuenientia intendere, prout conuenit Principi Christiano. Cæterum in Spiritu sancto ad unata Synodus gloriosa, litteras salue fecuritatis, & salui-conductus, qui per Concilium generale volentibus adire per vestros Oratores prædictos petebantur, animo libenti concessimus, exhortationem q; prælatorum regni nostri de accedendo ad Concilium memoratum per nos faciendam, vt vestri etiam pro parte est peritum, libenter exequentes, quos tamè ad opus hoc aggrediendum vrgere oportet, ad quod pro viribus absq; stimulo voluntarie se disponunt. Cæterum vestrum sacrosanctum cœtum ad operis inchoati consummationem feliciss.mam tueri dirigere que dignetur Senatorum cogitatum pissimus inspirator. Scriptum sub priuato sigillo apud Palatium nostrum VVestmonasterien se vigesimo die Iulij mensis, anno regni nostri decimo.

XX.

EVGENIO IV. PONT. MAXIMO, Henricus Rex Angliæ.

XXI. *Littera Regis Angl. ad Eug. pro continuatione Concil. Basil.*

BEatissime Pater, humillima recommendatione præmissa, vestræ beatitudini litteris quas nuper per manus egregij viri Domini Petri de Mella, Nuncij Apostolici, cum ea quæ decuit reverentia suscepimus, vna cum credentia per eundem nobis desuper seriose exposita, intelleximus eandem sanctitatem vestram certis ex causis vos moventibus, Concilium Basileense dissolvendum fore decrevisse, ac aliud Concilium Bononiæ ex tunc adunandum cum dimidio celebrandum indixisse, nostamen in eisdem litteris, quam in eiusdem sanctitatis vestræ nuncijs viua voce exhortando, vt cum tempus postulaverit, ad ipsam Bononiensem Synodum nostros oratores transmittere placeret, qui circa Christianæ eligionis & Sedis apostolicæ statum, & honorem ea proponant & operentur, quæ rege Catholico digna sint. His itaque Pater beatissime intellectis, non ab re mente turbata, eo permaxime fuimus stupefacti, quod nullum conuenientius præsidium muneriputauimus, quo sancta mater ecclesia sese ab extremis horrendisque periculis iam vndique imminentibus tueretur, quo celerius hæreticorum conatus opprimi, aut Catholicorum mores in melius reformari valerent, quam vt per præfixum Concilij generalis cœtum adunatum; præmissis & aliis instantibus periculis sine vlteriori prorogationis dispendio succurratur. Cernimus quippe depræsenti, & ante hoc tempore animo perspicaci intuebamur, nedum progenitorum nostrorum, sed & nostris heu, quomodo temporibus, fides Catholica statusque ecclesiasticus & laicalis vbique iam fluctuet, & procellis magnis agitetur, adeo quod reparandis reformandisque præter præmissa exorbitantiis complurimis, quas ad gregis Christi turbationem non modicam in dies ingruere conspicimus, mora nociua existit: & multa gignit dilatio pericula, quæ nihilominus fidelium animarum saluti, cui celeriter succurrendum est, periculosiora (proh dolor) comminantur. Hus propterea Pater Beatissime, aliisque motibus incitati, Basileens. Ciuitatis locum pro vniuersali Synodo celebrandæ, authoritate sufficienti alias limitatum, tanquam in Christiani orbis medio positum ab hæreticis Bohemisque per Dei gratiam ad sanctæ matris Ecclesiæ vnitatem reducendis, haud longe distantem, satis commodum & congruum reputantes, ad sanctissimæ memoriæ Martinum Papam V. prædecessorem vestrum, nostros Oratores dum in humanis agebat pro anticipatione ipsius Concilij Basilieus. destinasse meminimus. Cuius reuerentia sicut & tunc, sic & nunc pro procrastinatione fauores impendere regios non debere, Dei ecclesiæ, cuius in ipso negotia prosperari speramus, expediens fore non credimus: quinimo considerantes vt veraciter informamur, quod multi de notabilioribus Christianæ religionis Principibus ad præfatum Concilium Basileense iam suos Ambasiatores destinarunt, ipsumque Concilium tam Prælatorum quam Doctorum, ac aliorum probatissimorum illuc assidue confluentium numero non modico in dies excrescit, in his quæ fidelium pacem fidei nutrimentum, & ecclesiæ statum & honorem ac animarum salutem respiciunt, & aliis quæ in ipsa sacra Synodo generali tractari & expediri debeant, nos eis conformare intendimus prout decet. Vestram itaque Beatitudinem filiali affectione attentius exoramus, & exhortamur in Domino Iesu Christo, quatenus præmissis attentis, ad dicti Concilij quod vniuersalis ecclesiæ profectibus tam necessarium tamque oportunum arbitramur, progressionem, & ipsius vsque ad finale complementum tractandorum in eodem continuationem, paternos fauores, & assistentiam benigne adhibere dignemini, firmissime (si placet vestræ sanctitati) in mente tenentes, quod si non omnia in Concilio apud Basileam congregato expediri queant, quæ pro bono vniuersalis ecclesiæ occurrerint, Concilio apud Bononiam seu alibi congregando (si opus fuerit) nostros illuc oratores, cum postulauerit ad vestræ sanctitatis complacentiam animo paratissimo transmittemus. Caterum Pater Beatissime corde sincero supplicamus, quatenus memorati circumspecti viri Domini Petri vestræ sanctitatis Nuncij moram in Regno nostro Angliæ diuturniorem, excusatam habere dignetur vestræ Beatitudinis clementia, quod non sui defidia, sed variis circa progressum dicti Concilij Basileens. occurrentibus nouis, secundum varietatem occurrentium, nouas desuper deliberationes haberi, & noua oportuit Consilia præparari. Beatitudinem vestram, &c. Datum, &c.

XXI.

BASILEENSES. BOHEMIS.

XXII. *Vt fines ad Concil. Ba-*

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata, militantem ecclesiam representans, vniuersis & singulis sui ordinis doctoribus, nobilibus consulibus, clientibus, cæterisque regni Bohemiæ incolis, vnionem, concordiam, charitatem & pacem in Domino nostro Iesu Christo. Dum eminentissimam redemptoris nostri dilectionem, qua pro nostra salute non dubitauit manibus tradi nocentium, & ignominiosissimæ mortis subire tormentum (quæ præcepit nobis alterius onera portare, & mutuam ante omnia charitatem habere) attentius consideramus cum maxima cordium nostrorum amaritudine vestram à nobis conspicimus dissensionem. Quamobrem ex intimis affectionibus nostris cupimus, tam grauem & noxiam diuisionem in concordiam reuocare, vt omnium nostrum sub vno Pastore Christo, quem admodum paulo ante fuerat, sit eadem credulitas & charitatiua dilectio, & eisdem spiritualibus pabulis in cauli reficiamur dominicis, prout latius ex epistola nostra à vobis reuerenter, (vt certificati fumus) recepta, lucide potuistis agnoscere. Quod & confirmauerūt Oratores nostri Nurimbergæ existentes suis litteris vestris discretionibus nouiter transmissis. Ex quibus grandem mutuæ vnionis spem concepimus. Testificamur enim coram Deo, magnam tristitiam, & dolorem assidium, cordibus nostris incesse, de tam diuturna, & merito deflenda diuisione, super omnia pacem, concordiam & in credendis salubrem vnionem, ex intimis affectionibus desideramus, quantum Deus annuerit, perficere. Nec ab hac Synodali congregatione quouis modo intendimus discedere, donec omnia nobis possibilia pro votiua, & optata nostra ad inuicem vnione peregerimus, in Domino sperantes, qui præsto adest omnibus inuocantibus eum in veritate, quique neminem vult perire, sed omnes viam veritatis agnoscere, quod piorum intercessionibus exoratus, & diligentiis humanis ad hoc (vt decet) exhibitis Spiritus sancti illustrante gratia mutuam concordiam & affectuosissime huiusmodi desideratam vnionem consequemur. In hoc autem amplius confidimus, quod potissima medicina talibus dissentionibus subuenire solita, pacata est, sacra scilicet præsens Synodus, cuius director est Spiritus sanctus, eam deficere aut quoquomodo deuiare non permittens, in his præsertim, quæ salutem animarum concernunt. Neque enim fieri potuit quod Christi oratio, quapatrem exorauit, ne ecclesiæ fides deficeret non fuerit exaudita. Est itaque certa regula, indeficiens mensura, cunctos fideles rectissime regulans, quæ credenda aut agenda sint, saluberrime demonstrans. Adhortamur igitur vos in visceribus Christi, & in illa salute, quam à iusto iudice speratis, quatenus omnes vestros conatus ad tam sanctum & diuinum vnionis & concordiæ opus appenendo, viros timoratos in lege Christi exercitatos, communem salutem & pacem, non particularia commoda affectantes, de quibus vobis alias scripsimus, ad hoc sacrum Concilium placeat quanto citius destinare, quibus plenam & omnimodam securitatem accedendi, standi & redeundi, promptis & non fictis dabimus animis, atque apud quoscunque, de quibus necessarium fuerit, fiu etiam oportunum, procurare non omittemus, nec in aliquo desiciemus (quantum vires nostræ suppetunt) tam salutifera & Deo gratæ operationi. Super autem salutis-conductibus ad hoc necessariis scribimus illustribus Principibus Dominis Marchioni Brandeburgens. Alberto Austrię, & Ioanni Bauariæ Ducibus. Nobili Vlrico de Rosenberg, ac etiam Consulibus Nurembergens. & Egrens. nec non Ambasiatoribus nostris in locis vocis vicinis persistentibus. Accingimini itaque sacro fidei baptismate insigniti, operas vestras efficaces apponere ad Regni vestri cum cæteris firmam pacem, & concordiā & vnionem. Tædeat vos (quæsumus) cladium bellicarum, & hinc inde tam horridorum flagitiorum perpetratorum, ac viribus totis communem animarum & corporum salutem procurare satagite. In his siquidem, Deo authore, vobis coassistemus fideles cooperatores, hoc tamen quantocitius fieri rogitamus, quatenus morum, omniumque statuum emendationi, latius & efficacius intendere valeamus ad Dei honorem & sui immaculate sponsæ Ecclesiæ sanctæ. Pax autem Christi exuperans omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras, vosque ad diuitias gloriæ, & cognitionem veritatis Deificæ perducere dignetur. Datum Basileæ in nostra Congregatione generali die sabbati, octauo die mensis Martij, anno à natiuitate Domini 1432. sub sigillo Reuerendi in Christo Patris Domini Philiberti Episcopi Constantiens. Prouincię Rothomagensis, quo de præsenti vtimur.

fil. destinent.

XXII.

SALVVS CONDVCTVS BOHEMIS, Basileam euocatis.

XXIII. SAcrosancta generalis Synodus Basileens. in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam representans, vniuersis viris Ecclesiasticis, Nobilibus & toti Populo Regni Bohemiæ, vnitatē & pacem in Christo Iesu Domino nostro. Dudum hac sancta Synodus inter alia sanctitatis opera, quæ proposuit & proponit, hoc principaliter cordi gerens vt præclarum Bohemiæ Regnū in eadem vnitate cum aliis Christi fidelibus coniungatur, vosper suas litteras syncera charitate requisiuit,

vt ad sacrum Concilium nuncios destinaretis, liberam eis offereus audientiam, salutumque conductum: quod sanctum opus vt eo maturius expediretur, venerabiles & religiosos viros fratrem Ioannem Nyder Priorem domus Prædicatorum Basileens. in sacra pagina Professorem, & Ioannem Monachum Cistercienses ordinis Conuentus de Mulenbrum nuncios, pro hac re sollicitanda ad Ciuitatem Nurembergensem destinauit. Qui (vt nobis pridie scripserunt) litteris exhortatoriis ad vos super hoc transmissis, vestras postmodum à vobis oblata pacis desideria amplectentibus acceperunt, in quibus inter alia continetur vt predicti nostri nuncij ad Egram pro finali conclusione aduentus vestri se transferant. In primis Creatori modo gratias agimus qui taliter huius rei disponit initia vt finis optatus verisimiliter sequi speretur. Deinde vt res ista quæ Diuino potius quam humano consilio cepta esse videtur, debitum sortiatur effectum, vt tam regnum vestrum, quam totus mundus euidenter agnoscat, fyncerum parumque huius sanctæ Synodi desiderium, ecce quod politici sumus per primas litteras iam nunc efficaciter exequi properamus. Omnibus igitur illis personis, cuiuscumque dignitatis præeminentiæ, conditionis vel status existant Ecclesiastici vel secularis quas ad hoc sacrum Concilium destinare volueritis in eo numero & pro tempore & sub his modis & conditionibus tam in standō, veniendo & redeundo, quam in audientia prabenda, de quibus predicti nostri Ambasiatores vobiscum aut vestris nuncijs in Egra vel alibi conuenerint, tempore præsentium plenissimum ac liberrimum salutum-conductum, verissimamque veritatem veniendi ad hanc Ciuitatem Basileens. ibidemque manendi & deinde ad præfatum regnum Bohemiæ redeundi, pura fide & integro corde concedimus & veraciter impartimur. In hoc quoque saluoconductu omnes quascumque clausulas includi & contineri volumus, quæ pro plena & efficaci securitate eorum, in veniendo, standō, & redeundo necessariæ sint & opportunæ, & quæ de iure vel consuetudine in saluis-conductibus apponi debent aut solitæ sunt. Vniuersos autem & singulos Christi fideles, Reuerendos Patres, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Prælatos & clericos, nec non Illustres Principes, Reges, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, milites, vniuersitates ac communitates Ciuitatum, Castrorum & Villarum, earumque Consules, Scabinos, & officiales & alios cuiuscumque conditionis, & status, Ecclesiastici & secularis, quocunque nomine censentur, per viscera misericordiæ Dei nostri exhortamur & obsecramus, eisque nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ authoritate à Deo vniuersali ecclesiæ concessa, districte præcipiendo mandamus, quatenus predictos nuncios & Ambasiatores Regni Bohemiæ huc venturos, cum omni charitate, benignitate, & mansuetudine, veniendo, standō, & redeundo pertractent, nec eis vel familiaribus eorum inferant nec per aliquem inferre quoquomodo permittant, quamcunque offensam, lesionem, aut iniuriam: Alioquin aduersus contrarium facientes, tanquam turbatores pacis, & vnitatis ad debitas pœnas tam per censuram ecclesiasticam, quam brachium seculare, seueriter procederetur. Caterum quod in primis litteris roganimus, nunc ad memoriam vestram reducimus, vt tales viros mittere huc velitis, super quos spiritus Domini requiescere speretur, mites videlicet, timoratos, humiles corde, pacem optantes, & non quæ sua sunt quærentes, sed quæ Iesu Christi: qui nobis & vobis & toti populo Christiano hic pacem, & in futuro seculo vitam eternam donare dignetur: qui viuit benedictus in secula, Amen. Acta fuerunt hec in Congregatione generali nostra, præsentibus dicte nostre sanctæ Synodi Basileens. notariis & scribis subscriptis sub sigillo Reuerendi in Christo Patris Domini Episcopi Constantiensis, Prouincie Rothomagensis, quo ad præsens vtimur, die Veneris vigesima octaua mensis Martij, anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

XXIII.

ORATORES BASILEENSIVM, Bohemis.

XXIV. *De expectā do eorum finali responso.*

AMpliorem spectabiles viri redintegrandæ inter nos pacis spem, vestris è litteris concepimus: supplices proinde Dominum rogantes, quatenus quod salubre in vobis vtrinque pro sua laude & nostra ad inuicem renouanda in synceritate fidei & dilectionis vnanimitate incepit, ipse (qui vinculum est & osculum pacis) perficiat, perfectumque insolubiliter firmet. Et vt flagranti, qui in nobis est hac parte, affectui qualicumque, pro viribus effectu respondeamus, parati sumus (vt repetitis) charitatiuum vestrum & finale (vt verbis vestris vtamur) in destinatum diem non modo patienter, sed & gaudenter præstolari responsum, nihil dubitantes quin & hac sacrosancta Basileensis Synodus, digesto scriptorum vestrorum audito tenore, laudabit & probabit eum, vestramque excusationem tanquam rationabilem fauorabiliter admittet, & promissum responsum æquaniniter expectabit. De procurando vero vestrarum litterarum salubris ac nuncis securitate circum-

XXIII.

ORATORES BASILEENSIVM, Bohemis.

XXV. *Pro personis ad Concil. mittendis.*

VNiuersis Viris Ecclesiasticis & toti populo Regni Bohemiæ, Frater Ioannes Nyder, Prior domus Prædicatorum Basileens. Et Frater Ioannes de Mulbrun. Ordinis Cistercienses, sanctæ Synodi Basileensis pro certis suis & præterrim infrascriptis negotiis humiles Nuntii, pacem quam secundum Deum optatis.

Et si cupitæ rei quoque expectatio aliquid ex mora pœne contineat, differentius tamen & potissimum in ea quæ in periculo versatur salutis, multum anxietatis habere videtur admixtum. Cum igitur dicta sancta & inclyta Congregatio, exortum inter nos dissidium, in noxam animarum Christi sanguine redemptarum vergere dolenter conspiciat, & tantam iacturam cum innumeris aliis inde prouenientibus incommodis & damnis, velut pia mater deplangat, salutemque vestram sicut omnia ardenti desiderio, (prout ex ipsius digito Dei compositis litteris perpendere potestis) expetat & expectet, modicum sibi hactenus fecisse videtur, eo quod vniuersitati vestræ trinas eiusdem continentiæ litteras transmisit, nisi quadruplicatis eisdem nos binos cum eis nuncios pro rerum gerendarum expeditiori prosequutione, ne quod tam auide desiderat, præter spem longius protrahatur, emitteret. Oblatam ergo à tam piis & pacificis mentibus viam & gratiam, securi mox in Christo charissimi, ne paruipendatis, sed tanquam ab Angelo pacis celitus annunciatam, reuerenter cum præsentibus (quæsumus) accipiatis, & ad componendum ea quæ vnitatis & pacis sunt ocyus Oratores instruite, nuncios confestim dirigite ad nos bona & pura fide. Iuxta commissum ac etiam consilium, auxilium & fauorem eorum, de quibus indubiam gerere poteritis fidem, vestris mittendis, de tam sufficienti & rationabili securitate veniendi, standi, redeundi, & singula à vobis sibi rationabiliter imposita agendi, & prosequendi, nomine & mandato dicti sacri Concilii prouidebimus, quod merito poteritis & debebitis manere hac parte contenti. Et si adhuc cautius & citius prouidendum, ac prouide tractandum, mittere ad nos huc aliquos decreueritis, cum eis super hoc medio pacificorum in omni mansuetudine & securitate agemus, & ipsorum aduentum (si nos de hoc citius certificare curaueritis, vsquequo dicti Patres & Domini de Concilio indulgebūt) libenter præstolabimur. Rogamus tamen affectione qua possumus & hortamur in Domino quatenus pro vestrorum cauenda securitate, pro nostra ad inuicem redintegranda in benevolentia societate, tales & tam rationabiles vias concipere & offerre, & huiusmodi ex aduerso oblatos recipere & admittere studeatis, vt euidenter appareat, quo ea quæ veritatis sunt, bono & decenti ordine quaritis. Absit vt cum de concordia fidei, & simplici intentione intendimus quocunque inuoluero aut contextu verborum, quæ iuste & rationabiliter expeti, aut secundum honestatem reddi de facili non possint, exigere aut pacem simulare, bonaque & sanguinem nostrum aliquatenus à modo stire videamur: sed rationabilibus & parabilibus in lenitate contentis ad inueniendum & dandum requiem animabus mutuo conueniamus. Quantocius etiam fieri poterit, mittite quos missuri estis, ne pro nimia dilatione, sanctum & necessarium reformationis opus, de quo inter reliqua principaliter & efficaciter missa ad aurarum manu nunc agitur, ali-

quatenus retardetur. Melius enim est & haud dubium salubrius, viriliter se in communi contra vitia, quibus expugnamur, erigere fœdus cum virtutibus & proximis pacifici: quam sanguinem fundentes & animas pereli citantes, crudeliter se in alterutrum armare. Exurgamus adhuc, & quæ retro fient, quantū cum Domino possimus, muniriamus & offensarum obliti, Deo reconciliari: in ea quæ antea sunt pacis fœdera, toto nisu conemur, nec vos nec quenquā detineat ad res caducas inordinata quæ affectio, aut deterreat ex præteritis, qualitercumq; gestis, inflicta forsam & non pacata passio. Si ipsi condicenda inter nos pacta, bona fide seruaueritis, non erit qui ex vobis quemquam iniuste aliquatenus offendat, cum omnes qui in Christiano fœdere sunt, securitatem quam in verbo præfati Concilij policentur, indubitanter præstabunt. Confidenter ergo venite in Domino, nihil hæsitantes, confidimus quoniam secundum depositionem quam Cōcilium sumpsit in rectis & simplicibus viris, & ordinato procedendo modo, exordium, vestra cooperatione, si oportune veneritis (relicti is siue cōcordatis reliquis quibus à nobis vtrinq; discrepare videmini) formationem disciplinæ ac morum, in nimium (proh dolor) in populo Dei collapsorum cum bonæ voluntatis hominibus pura & simplici intentione promouere curaueritis, mundus de fructu glorioſorum huiusmodi laborum lætabundus posperabitur, & votiuum in virtutibus & donis gratiæ sumet incremētum ac in pace tandem bonæ pectoris & temporis, æternæ pacis authorem concordi & iubila voce laudabit: quia malis pœnalibus quibus nos ne flamma vitiorum exureret, & exureret, clementer hucusq; pur gi & permisit profectum nostrum, sicut nouit, dignanter promouit, ac cum tentatione prouentum salutarem effecit, vt feminantes in lachrymis meritorum manipulos proferentes, præmia gloriæ in patria metamus gaudentes. Præstet homo natus & datus nobis paruulus Iesus Christus Dominus noster, qui vt nos vnanimes & gloriosos in domo sua efficeret, seipsum vsq; ad infima carnis nostræ & ignominiam crucis exinaniuit, suaq; & tanta & inaudita à seculis humilitate, nomen quod est super omne nomen in quo & nos saluos fieri oportet promeruit. Humiliemus & nos mitis præceptoris vestigia imitantes, animas nostras: non alta sapientes, sed simplicibus cōsentientes, ac ea quæ recta, quæq; vera & sancta sunt, sine invidia alter alteri communicemus, & iucundam proculdubio (prout in via datur) vitam agemus, quam vitæ iucunditatem nulla vsquam peritura rei quamlibet lata possessio poterit recompensare. Speramus, sicut oramus & optamus, quia nouus agnus, imo nouus ipse omnis laudatæ nouitatis promotor, nouum vobis spiritum pro sua laude, vestra salute, & fidelis populi, noua de vestra ad se in pace accessione lætitia, misericorditer inspirabit vt sic bonis & donis eius exhilarati & insuſtigratum nobis super præmissis sicut desideramus & anheli expectamus, respondsum pro vestra vrbanitate quantocius demandetis. Datum Nurembergis, sub impressione sigilli nostri Patrui Ioannis Priorus memorati, quo & ego Pater Ioannes Mulbrun in testimonium præmissorum secum vtor ad præsens, die quinta Ianuarij, anno à Natiuitate Domini, millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

XXV.

BASILEENSIBVS, ORATORES EORVNdem, missi ad Bohemos.

XXVI. SAcrosanctæ & venerabili Synodo Basileensi, Patribus & Dominis omni nobis veneratione & amore colendissimis inclytarum dominationum vestrarum obedientiam Frater Ioannes Nyder Prior, & Ioannes Mulenbrun.

Reuerendissimi & Indulgentissimi Patres & Domini, viri sapientia clari, virtute præstantes, & laudata constantia vbiq; colendi: à diebus quibus nos Deus congregauit in vnum, & præsertim postquam sub titulo sacrosanctæ vestræ Synodi, ad Regnū Bohemiæ eulodia pacis manarunt, corda multorum, tristitia prope absorpta in spem consolationis respiraruntexultantibus animis Dominū tanquam auxilium eis desuper venisset, laudantes, quod tantæ miserationis oleo corda vestra perfudit, vt vobis de fratribus, qui in pressura sunt tanta cura fuisset, firmiter tenentes, quod citius & cumulatius & laudatius inimicos nostros in spiritu lenitatis & verbo Dei, quam flatu furoris & ore gladii reduceretis, argumentū sumentes ex retroacti infausti nostri successibus. Ex quibus plerique in tantā deciderunt pusillanimitatē, vt de pace temporali, qualibuscumq; nisi vestra sollicitudo præueniſſet, cogitabūt prouidere remediū. Audito autē postea, quod congregatio vestra, in quam spem (vt præfertur) conceperunt, mandata fuisset dissolui geminata tristitia obrigueruntanquā quo se conuerterent, aut quod facerent, nescirent. Et ad nos venientes siue nuntientes, scisciratisunt, quomodo se factū haberet, aut quid à modo facere deberent, cum nunc sua fiducia se frustratos viderent. Nos licet non minore essemus secundū audita, visa & lecta, mœrore perculsi, ipsos vt poteramus animantes, consortauimus in eo potissimū, quod perseuerantes tanquam de vestra constantia hæsitantes, nobis commissis prosequti fuimus. Nam nihil scripti aut nuncij a vestris patrum retroactibus vsq; nunc recepimus. Nobis autē & reliquis, quos ad plenū consolari non potuimus, in qualicumq; turbatione consistentibus, sperantibus autem, quod de propinquo nobis aliquid consolationis mandaretur, superuenit desideratus admodum de Egra nuncius, deferens nobis litteras Consulatus Egrens. continentes quod litteras sacræ Congregationis vestræ, & nostras, quas nobis cum suis destinarēt, attulisset. Quas cum recepissemus gaudio multo referti sumus. Dubij tamen adhuc quid vestræ esset voluntatis, aut quid de vobis ageretur, vtrumq; enim est, & solliciti mansimus, super scripta eadem, nihilominus iuxta consilia fidelium & prudentium respondentes, misſam vobis nanciumm cum gratiarum actione remisimus, & eodē expedito, mox vestra lata & clara scripta superuenerunt, & litteris nobis à Bohemia primū, & à vobis deinde ad vniuersos directis, in vulgare nostrum intelligibiliter translatis consulatui Nurembergensi denuo is vestris, data sibi ad petitionem copia, insinuauimus, qui in priſtinam sibi videntur constitui spei consolationem. Deinde alter ex nobis, qui hæc scripsit, reliquo vtilius occupato Illustrem Principem & Dominū Marchionē Brandeburgens. tunc adiit ad quinque miliaria distantem, & sibi præmissa omnia per ordinem exposuit, Qui cum auide & magno gaudio singula audiuisset copias nouatorū, & lectorum petiit. Et postquam de consilio & auxilio innocatus fuisset magnifice & ex animo (vt videbatur) respōdit, se longo nunquam tempore meliora percepisse noua, & quasi de somno cordialis mœstitiæ euigilasse, & in sententia præsentibus Reuerendo Patre Domino Episcopo Eichſtetens. & quampluribus nobilibus & notabilibus personis respondit. Ego scio quia inter fui, quod secundum decretum Concilii Constantiensis ipſi sancti & venerabiles Patres congregauerunt Concilium sicut iure potuerunt. Et suspicari non possum, quod aliud quā mere honorem Dei, consolationē & salutem totius Christiani, qui in tristitia est populi quærunt: quia longe sunt ab insultibus eorum qui nos de propinquo tam hostiliter impugnant, damna inferunt, & offendunt. Et qui licet ab eisdem in suis regnis securi sunt, adhuc ex charitate de nobis sollicitj, pacē nobis procurare satagunt. Quare sicut tu ipsorū nomine petis & requiris, ego cum omnibus mihi subditis ecclesiasticis & secularibus firmiter & constanter adhærebo. Et huius rei gratia sicut tu nomine quo supra petis quam citius fieri poterit, & præsertim cum Reuerendus Pater Dominus Herbipolensis qui ab infirmitate, quā de proximo incidit, notabiliter respirauit modico fortiter effectus fuerit, quia vir boni & acuti consilij est, & bene affectatus de Concilio, rogabo, quos potero Principes, vt mecum in Nuremberga conueniant, ad deliberandum quomodo nuncijs mittendis de Bohemia ad Concilium vel Nurembergā aut alibi, de securitate prouideatur: ad confortandum etiam hoc sacrum Concilij in sua, sicut cœpit prosecutione ad sibi adhærendum, ac etiam Prælatos, Doctores, & notabiles viros mittendum, &c. Et ad flatim committ, vt suis singulis officialibus seriose scriberetur, vt nuncios de Bohemia ad Concilium, vel ad nos mittendos, saluos conducerent, & ire per suas terras & dominia, nulla prorsus illata iniuria, permitterent. Commisit etiam vt litteræ sibi allatæ multiplicarētur, & ad singulos Principes, Prælatos, Dominos & communitates vicinas, cum suis scriptis in eorum consortationem mitterentur. Et cum ego qui ad ipsum veni, quærerem, an hæc per ipsum taliter dicta, & repetita V. P. scribere possem: respondit quod audaciter affirmarem & scriberē, quia ita indubitanter facere proponeret. Ac taliter, & tam consolab liter loquutus est, vt firmiter teneamus, quod magnam cum suis amicis & subditis consolationē vobis quātocius offerret. In quo vobis valde expedire videret, q; scripta fauorabilia in genere, siue specie, à Sereniss. Rege Rom. obtinerētur: quibus singulis huiusmodi suis Principib, cōmunitatib. & subditis nūdaretur, quatenus vobis adhæreret, & faueret. Ac etiā vos ipsi ad Principes electores & specialiter ad supradictū Dom. Marchionē, & Ducē Saxoniæ specialiter scriberetis, gratias primū agentes de suo bono, pposito, fideli assistētia & fauore. Et q; mitterent suos Prælatos & Ambasiatores, &c. & ita ad consulatū Nurembergens. q. optimi sunt & fideles in hoc negotio cooperatores. Memoratus vero Dōus Eichſtetens. satis fauorabiliter suę meæ regsitione respōdit: sed efficax & finale respōsum vsq; ad consultationē suorū suspēdit, & speramus sicut optamus q; aliquas partiū nostrarū prælati, de suspicione, q̄ cōtra se est, tanquā nō faueāt vestræ cōgregationi, & vocationi Bohemorū aduersentur, contrario actu fauorabiles scil. oratores mittentes, se citius purgabūt. Quod si nō fecerint, sed eatenus suam voluntatē prosecuti fuerint, vt vestrū (q; absit) commodum absoluant, vel fructu sperato euacuent: tunc nos qui salutem ipsorum & omnium iugi precamur instantia, aliud ex his, quæ videmus & audimus, in verbo veritatis, conuicere non possimus, quam q; eorundem & omnium sibi fauentium instabit periculum maius quam omnia reliquorū. Quod inde syllogizamus. Nam ipsi quos, ipsq; timemur, Boheni vicinis sibi latissimis regnis, ac ipsi Alemanæ grauissima hactenus damna intulerunt, vt vix aut nusquam alia via restet resistendi vel occurrendi, quam per medium & succursum vniuersalis Ecclesiæ, in virtute

virtute Synodi generalis congregatæ: quæ interpellante tempore se colligens, viam tantis malis occurrendi in spiritu mansuetudinis exorsa est, eos de quibus agitur vocans. Vnde spem tantam & consolationem innumerabiles (vt præfertur) ceperunt & ipsi se in Bohemia vtcumque resoluere, & propius accedere (vt speratur & ipsi ex scriptis præsentibus iuncti is conicere poteritis) ceperunt. Quid nobis sperandum eris si cuiuscumque facto vel causa vocatos non legitime expectaueritis, & reliquos spe sua frustraueritis, quam quod vtcumque vocati, in eos qui sibi deluerunt, fortius se, & atrocius armabunt? Ergo dilectissimi & gratissimi Patres vndecumque, & qual umcumque opinionum sicut in eo quod semel consilio vnanimi omnium, qui tunc præsentes eratis, & sufficienter & ardenter absentium aduentum desideraſtis, & expectaſtis, mature conclusum est, & nomine vniuersalis ecclesiæ rite emanauit ab omnibus (vt præmittitur) Laudatum est, & hodie laudatur conuentus: & concordes, imitatorum præsentium (prout de congruo decet) expectetis, sed & expetatis, omneinque possibilem diligentiam pro ipsorum reductione adhibeatis, & honorem à Deo, & hominibus incunctanter habebitis. Si secus (quod absit) feceritis, indelebilem ecclesiæ ignominiam inferetis. Quod per extensum tam oculatu, & perspicacibus viris declarare, superfluum putamus. Nec videmus cur velut inermes, & misteriorum Dei expertes fugere debeamus, cum omnium nostrum vna sit & firma sententia, quod in dubium vocari non debent, quæ soleminter & diserte à sacris Conciliis sancita sunt, aut fide sanctorum probata. Admittamur ergo, illibata fidei nostræ tenore manente, qui vocati sumus & audiamur non quod solidiores hi tamquam dubij fiant, quibus dat om & diuina nosse misteria: sed certe vt iidem ipsi, qui delusis errorum inuoluti sunt tenebris, Catholicis nostri fidei firmis Doctoribus, errorum nebulas ratione, & arte discutientibus, in claram probatæ fidei nostræ cognitionem, si Dominus annuerit reuocentur. Similiter & si illi qui huiusce modi non modo subdole serpentibus, sed & pastum nunc palam volantibus, seq; infirmis animis infigentibus, hæresum iaculis perniciose vulnerati sunt, ocyus sanentur. Quod nisi factum, & citius factum fuerit, vid. bitis partes, quod lugebitis. Sed id quod veremur accidat: nos quibus aliquid vestræ a parte solicitudinis imposuisti is quique rem tanquam sub prospectu nostro, non sine merore cadentem acrius sed & amarius plerumque metuimur, cum reuerentia supplices rogamus. Et quia expedire, & vix aliter absq; grauissimo scandalo & irremediabili, fieri posse putamus, bona fide consulimus, ne irrita faciatis, aut quantū in vobis est, fieri permittatis etiam sub pericilo corporalis salutis, cum pro domo Dei secundi prosi tionem nostram (vt rationabiliter scribitis) nos marum. qui periculis aut impulsibus vsq; dum ruat, non cedit, ponere debeamus, ea si il. qua spiritu S. dictante, non modo semel aut altera, sed & tertia, vt ipsi (de quibus agitur) suis ad nos scripturis testantur, imo & quarta vice de ore vestro processerunt. Sed eos quos tam solenniter vocatis, quia ardenter eorum (vt oportet) salutem optatis quamlibet longius abesse videatur, si venire voluerint, vt magnam nobis & multis spem scriptus suis dederint, expanso lætisinu recipere, benigne & patienter audire, in viam salutis & veritatis misericorditer, & mansuete dirigere, & si redire respiscentes cupierint, in communionem fraterne admittere, aliaq; constanter, & perseueranter facere velitis, quæ pro ipsorum reductione, & ecclesiæ pace, & reformatione apud vos salub. iter statuistis. Vnde fidelium mentes, quæ à iucunditate, quam vestris (vt præfertur) salutari conuentione, ordinato in agendis processu denotaq; & simplici conuersationelonge viuificum fœtum odorem in ædificationem fidelium spargentibus conceperunt, stupefactæ nimis, & velut amentes conciderunt, geminata continuandaque lætitia erigetis. Hæc ad qualemcunque vestram consolationem amore, qui reuerentiam nescit, scripsisse voluimus, petentes nos de incuria, & rusticitate, haberi misericordiser excusatos: quia bona & simplici fide vobiscum, velut cum patribus nostris & præceptoribus indulgentissimis agimus. Neque cultus, emendatus, aut mundus propter temporis angustiam, quæ posita sunt, rescribere curauimus, de vestra benigna supportatione confisi. Caterum si vobis videatur, deputentur venerabiles Patres Domini Terbraccens. & de Langens. Ordinis Cisiertiensis, harum partium de vicino Abbates, aut alij, prout vobis videbitur, qui frequentius nobis vestro nomine de occurrentibus nouis & bonis, in consolationem nostrorum, & aliorum, scribant per occurrentes opportune nuncios. Mittimus dominationibus vestris copias litterarum communitatis Nurembergens. nobis à Pragens. directarum & nostrarum ad eosdem: Et sicut Pragenses Nurembergensibus pariformiter & Egrens. scripserunt, qui optimi mediatores in currenti nostro negotio existunt: Etiam accepimus ab amicis Ecclesiæ quosdam professionis articulos in quos dicuntur sub magno apud nos satis, si Doctores & Clerus Ciuitatis Pragens. veteris & noua conuenisse. Quos si in congregatione audire voluerit is, nulli tamen copia decernatur, quousque plenius, quod expectamus, responsum habuerimus, ne forsan ipsi in instanti sua, & plena totius regni congregatione, melius & aliter deliberent. Committatur tamen aliquibus Doctoribus sacræ paginæ, & aliarum facultatum, sicut videbitur, vt diligenter videant & examinent, quatenus oportuno tempore quid agendum sit, ea parte proferant. Verum huiusmodi articuli in lingua & scriptis Bohemicis ad nos peruenerunt, & in latinum quidam Doctor celebris in medicina, alter vero in idioma nostrum Alemanicum transtulerunt. Mistemus vtrumque, vt collatione adhibita eorum habita clarius intelligere ipsorum intentionem possitis, & de occurrendo eis cogitare salubrius erit, & (vt confidimus) facilius ipsi s litterali congressu deuincere quam hostili campo cum eis sub periculo cladis aut fugæ nostrorum confligere. Quid expediet, victio vos spiritus qui velut hospes benignus cordia vestra inhabitat, docebit, vt optabimus, & in giter orabimus. Nostri memores in Domino. Valete. Scriptum Nurenberge 16. Februarij, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

XXVI.

ANDREAS DE PETRA, ARCHIEPISCOPVS Colossensis, Orator Eugenij Papæ IV. Basileensibus ad diem 22. Augusti congregatis pro Concione.

XXVII. MAximam mihi dicendi fiduciam præstat, Reuerendissimi Patres cæterique vos viri lectissimi, hic vester conuentus amplissimus ac spectatissimus. Cum enim plurimos apud vos istic videam, quorum singularissima sapientia atque humanitas, longa mihi familiaritate perspecta & cognita sit; alios vero omnium virtute & optimis actibus ornatos esse confidam, omnes autem vos ad Christiana religionis conseruationem & amplitudinem comparandam aduentasse intelligam: dubitare non possum quo minus pro sapientia æquo animo me dicentem audiatis, præsertim cum illud à me dicendum sit quod omnium vestrum salutem & immortalem gloriam attinet, omnibus enim hominibus naturæ inest, vt ea quæ ad se pertinent libenter audiant: & cum hanc vestram curam & studium ad hoc solum contulisse videamini, vt sauientes hæreses extinguantur, ecclesiastica & ceremoniæ repetantur, Christianis nes paci restituantur, pro quibus omnibus apud vos sermonem habendus est, non maior debet esse in me cura dicendi, quam in vobis audiendi voluptas. Sed antequam ad eam disputationem descendam, necessarium fore existimo, vt quid Doctor gentium Paulus dicat, audiamus. Non sit, inquit, schisma in corpore. Ita enim veritatis quondam constituerat Apostolus Paulus Praedicator Corinthios disidentibus dixerat, sicut primæ epistolæ 12. capite scriptum est. Huius Apostolicæ præceptionis intelligentia, patres, cognitu facilis fiet, si prius ille spiritus qui quondam igneo splendore descendens, rudium illorum & trepidantium hominum animos, & glutino charitatis coniunxit, & summa sapientia illustrauit, suo ardore corda nostra inflammet: quod vt facere dignetur, ad ipsum mentes nostras, cogitationesque vertamus. Hoc modo eius suffragio postulato, ad propositæ iussionis perceptionem reuertamur.*

XXVIII. *Inter ea disidentiæ genera, patres optimi, quæ membra corporis mistici agitant atque perturbant nullum eo deterius quam schisma nominatur, est enim totius disciplinæ caput atque primipium, admirique corporis ecclesiastici vnitatem, cuius perniciem idem Doctor prospiciens in capite prædictæ epistolæ eosdem Corinthios summa obtestatione precatus est, vt illam pestem diffugerent. Obsecro inquit vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi vt idipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata. Situ autē perfecti in eodem sensu & in eadem scientia. Quid autem nomine schismatis intelligi debeat, patres doctissimi neminem vestrum dubitare existimo. Græcus enim à quo & in primis illi voci significatio data est, per illud nomen, scissuram quandam, ac diuisionem intelligit, non illam certe qua quisq; peccator à Deo diuiditur, de qua olim Isaias loquens dixerat: Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum. Nec rursus illam diuisionem intelligo qua ab vnitate fidei quispiam segregatur. Illa enim in aliud impietatis genus transcendit. Quod idem Græcus rectius hæresim nominauit. Sed de illa scissura nobis præsens disputatio est, cum quis eodem religionis cultu seruato, recte præcipienti parere contemnit.*

Triplex diuisio.

XXIX. *Cuius definitionem, licet aliis verbis, eadem tamen sententia, Beatissimus Pater Augustinus cum aduersus Faustum scriberet aperte ostendit: Schisma, inquit, est, eadem opinantem, atque eodem ritu colentem, in quo cæteri, solo congregationis delectari dissidio. Ex quo & illud sequi necesse est, vt ab vnitate quam Spiritus sanctus in Dei ecclesiam inducit & seruat, voluntarie recedatur. Sic B. Doctori 22. q. 39 art. visum est. Plurima dissidiorū genera membris ecclesiasticis corporis acciderunt. discordia scil. contentio, rixa, seditio, bellum hæresis & omnis animi indignatio, quam B. Paulus Galatis scribens enumerat. Ex his*

Nullum deterius in corpore mystico dissidentiæ genus quam schisma.

S. hi ma quid ex Augustin.

Discordia.

Contētio.

Rixa.

Seditio.

Bellum.

Hæresis.

XXX. *Schisma omnium horum pessimū: nam ex illo omnes illæ animi indignationes facile fluunt. Ex schismate Discordia. Contentiones. Rixæ. Seditiones. Bella.*

Hæresis.

XXXI. *Schismaticus ecclesiæ sticum ordinem turbat. Ecclesiast. pacem dirimit.*

omnibus Patres Reuerendissimi, nihil est quod tantam perniciem corpori mystico inferat, quem admodum distidentia schismatis. Cætera namque animorum diuersa studia aliis atque aliis proprietatibus: hoc detestabile facinus soli vnitati ecclesiasticæ obiectatur, nam & discordia concordiæ opponatur, cum quis suam alterius sententiæ præferat, id tamen eo modo fieri potest, vt discordantium quilibet bonum dicat & cupiat quamquam in modo rei conficiendæ differat sicut de Paulo & Barnaba in assumptione Marci discipuli legimus, vt est Act. 15. cap. Contentio etiam, licet ex ipso dicendi modo animorum contrarietatem significet, honeste tamen fieri potest, cum aliquis pro dignitate hominis atque negotii acrimoniæ debita vsus, ad veritatis defensionem accedit. Vnde & Catholici aduersus fidei hostes contentiones commouent, vbi prius ad certamen vocantur, sicut gloriatur testatur 1. Reg. 4 Rixa insuper etsi à peccato diutius esse non possit, vt B. Doctor desinit (nam qui rixatur, & ad contradicendum paratus est, vt placet Isidoro & de ipsa contentione latatur. alios quoque ad contradicendum inducit) priuatum, nihilominus malum est, & inter paucos accidit. habet enim priuati belli naturam, nulla publica authoritate firmati, seditionem vero esse aliquod crimen, & ipsa ratio persuadet, & B. Paulus testis est: quicum quædam peccata grauia prohibuisset Corinthios, seditionem etiam enumerauerat, sicut primæ epistolæ duodecimo capitulo legitur. Est enim malum, quod soli societati Ciuium aduersatur. Per ipsum autem bellum & si maximas vrbes diruptas, plurimas respublicas euersas, florentissima regna depopulata legamus, nonnulla tamen bella iuste fieri posse nemo sapiens dubitauit. Cuius sententiæ B. Augustinus est in eo sermone, quem pro puero Centurionis habuerat. Et hæc quidem animorum aduersitas illi vnitati obiicitur, quæ ad misticorum membrorum coniunctionem attinet. Quod si ad ordinem illum conuerteris, qui ad caput corporis huius ecclesiastici spectat, aliud quoddam pestiferum diuisionis genus inuenies: quod etiam bipartitum B. Thomas intelligit, siquidem ea sentire ac prædicari à quoquam cōtigerit cum omni dura & improba pertinacia, quæ fidei veritatem & manifestatem offendant. Is quisq; fuerit ille, hæreticorum numero aggregatur, quod aliis accommodatioribus verbis B. Doctor Augustinus, aduersus Manicheos declarat: Qui in Ecclesia (inquit) Christi morbidum aliquid prauumque quid sapiunt sic correcti, vt sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, sua q; pestifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt. Hæc infidelitatis genere inter scissuras ecclesiasticas esse quidquam detrimi, nullus Doctorum affirmat. Tacta enim fidei fundamenta sua opinione enertit, renditque ad primæ veritatis iniuriam. Quanta autē Christiana religioni publica damna intulerit, facile scies qui volet, si Simone Samaritano à quo omnis hæresis initium sumpsit, vsq; ad Ioannem Huss, nostræ ætatis vltimum hæresiarchā, annales ecclesiæ repetere statuit. Vltimum contendentium genus, schismæ nomen accepit, quod accommodatius græco vocabulo, vos Patres latini schisma nominatis. Hoc inæstimatum malum & si manifesti ac veritati mystici capitis non aduersetur, cum in primis neq; insolitum dogma prædicet, nec vestrem corruptelam defendet: habet tamen quandā proprietatem pestiferam, quæ Christianæ paci & vnitati vehementissime officit. Qui enim ecclesiæ Principi subesse renuit, & membris ecclesiæ ipsi subiectis communicare recusat, quemadmodū Beatus Doctor ostendit, is in vnitate mystici corporis manere non potest. Vnde & schismaticus inre nominatur, ex eo etiam, tanquam ex fonte quædam iniquitatis, omnes illæ superiores animi indignationes facile fluunt, schismaticus enim absque discordia esse non potest, cum se melioræ & sanctiora dicere & profiteri glorietur. Contentiones etiam in ipso schismate nutriri necesse est, cum ea quæ prauæ schismatici senserunt improba temeritate defensent. Rixæ schismatico nomine desunt, etenim ad contradicendū semper paratus est, ne minus recte fecisse iudicetur. Seditiones populi Christi ex ipso schismate maxime occidūt. Scinditur enim in aduersa studia vulgus, & populis velut gregis post terga pastorum sequuntur. & quia ratione vulgo constare non potest, quod prauæ semel acceperat, & ferro & sanguine probare molitur, vnde & bella publica surgunt. Quod si paulo longius schismata perstiterit hæresim parit. Confingit enim aliquam sibi hæresim schismaticus, vt recte ab ecclesia recessisse videatur, sicut Beatus Ieronimus dixit.

Cumq; ex contemptu illius qui authoritatem & locum mystici capitis tenet hoc detestabile malum proficisci videatur, idcirco schismaticus ecclesiasticum ordinem non mediocriter turbat: & quia reliquorū membrorum communionem respuit, spiritum Dei non habet, sicut Pelagius Papa testatur vt est 24. dist. q. 1. schisma insuper quia schismaticus in vnitatem vnum nō est, sicut idem Pontifex dixit, quantum ex ipso fuo malefitio ecclesiasticā vnitatem & pacem penitus dirimit, pro qua instituenda & conseruanda, filius Dei paulo minus minoratus ab Angelis in terram descenderat, pro qua summam inediam variosq; la-

bores perpessus est, sanguinem proprium fudit, mortem subiit nihilque horum abhorrnit, quæ suæ maiestati aduersarentur, imo illud constitutionem huius sociatissimi corporis conducere videretur. Cum itaq; tantorum præclarissimorum atq; admirabilium operum huius hoc vnum pernitiosissimum schismatis facinus admittatq; corrumpit, iustissime veritatis Doctor ipsum à Christiana religione depellit, dicens: Non sit schisma in corpore, Patres si capitis hæresim zizania extirpare. Non sit schisma in corpore si quæritis vitam ecclesiasticam reformare. Non sit schisma in corpore si desideratis insensatos animos mitigare.

XXXII. *Triplex ægritudinū genus in corpore humano. Consimilia membra. Officialia.*

Quantum igitur ad primum attinet, Patres, & si spiritus sanctus istam corporis ecclesiastici magnitudinem dirigat atque informet, totosq; (vt sic dixerim) infusus per artus hanc agitet molem & magno se corpori misceat, sicut ille poeta dixit: id tamen huic corpori accidere videmus quod & naturali euenire physici dicunt, vt anima scil. incorrupta & integra, membra sæpe aliquo morbo laborent. Quod ex triplici ægritudinum genere accidere medici disputant. Omnis enim humani corporis languor, aut est membrorum consimilium, aut officialium aut ex vtrisq; constitutorum. Constare autem cuilibet vestrū arbitror, Patres doctissimi, quid nomine consimilium aut officialium membrorum intelligi debeat. Illa consimilia membra sunt, quibus toti, & partibus eadem denominatio datur, vt si quis carnem, nervum, os, & huiusmodi dixerit. In officialibus autem, toti & partibus nulla vna & eadem denominatio specialis competit: vt oculus, pes manus, & eorum similia. Aegritudinem itaque consimilium membrorum, illam dicunt medici esse, cum variata propotione calidi, frigidi sicci & humidi qualitatum primarum aduersa dispositio inducitur. Cum vero officialibus membris languor aliquis accidit, hunc aut in forma, aut in numero, quantitate, aut impositione euenisse contendunt. Ex his quæ diximus, quid & de membris mixtis intelligi debeat, non erit difficile cognitu.

Ex vtrisq; mixta.

XXXIII. *Ecclesia habuit consimilia.*

Hæc omnia translata quadam significatione, mystico corpori conuenire inuenio. Habuit corpus hoc membra consimilia, habuit officialia, habet ex vtrisq; composita. Eo enim tempore quo Dei ecclesia prima erudimenta Christianæ religionis acceperat consimilium membrorum formam præferebat, cum esset credentiū cor vnum & anima vna in Domino: nec diceretur eis aliquid proprium sed essent eis omnia communia, sicut Actor. 4. cap scribitur. Officialia vero membra tunc ecclesia habuit cum authoritate & operibus crescere cœperat, aut cum potestate, ordinis & iurisdictionis vsum authoritate publica receptauerat, quod à Syluestro ad posteros quosq; Romanos Pontifices processit, sicut historia produnt, & in canon. ponitur 24. dist. q. 8. triburum.

Habuit officialia.

XXXIV. *Membris mysticis diuersa morborum genera contigerunt. Et primum consimilibus Hæresis. Tempore D. Augustī. numerus hæreseon nō satis exploratus.*

His misticis membris varia diuersaq; membrorum genera contigerunt; Morbum autem hic non aliud iuxta B. Augustini sententiam, quam hæreticam prauitatem intelligo, quod idem etiam B. Ieronymus sensisse videtur, qui hæreticum hominem putridæ carni comparauit. Enumerare autem, propriis q; nominibus omnia illa vobis Patres exponere, esset quidem iucundum si ratio temporis non haberetur. B. Augustinus in libro quem de hæresibus accuratissime scripsit, non à se nec ab alio quoquam numerum omnis hæreseos satis exploratum fuisse existimat, quamquam Philaster Brixiensis Episcopus, centum & 28. genera hæresum vsque ad illam suam ætatem contigisse commemoret. Cogitare itaque facile potestis Patres Reuerendiss. quot errorum genera in agro Dominico disseminata postea fuerint, si Philaster centum & 28. hæresum nomina recensuerit, quod B. Augustinus sequens, librum de hæresibus scripserat. Hæc immensa, vt sic dixerim, errorum sylua, & si à Beatis Apostolis sanctisque patribus ac sacris conciliis conculcata dissipataque dicatur, penitus tamen succendi non potuit.

XXXV. *B. Isid. 157 hæreses ab Apostolis, SS. Patribus & Cōciliis condemnatas asserit ab Apostolis Menandrini & Saturnini. Adyti. Nicolaitæ. Apostolici.*

Nam Beatus Isidorus, postquam quinquaginta & septem hæresum capita numerauerat, illæ omnes dicit à sanctis Apostolis, sanctisq; Patribus, ac sacris Conciliis fuisse condemnatas. Quod qui volet, facile scies, si rerum temporumq; successiones & ordinem repetat. Nam menandrini, ac saturnini, magni diaboli laquei, cū Simone mago Principe illius hæreseos à B. Petro Apostolo condemnati sunt, qui eundem Simonem & eius pecuniam in perditionem abiecerat. Qui vero humanitatis officio satisfactum iri arbitrantur, si quisq; rem solam priuatam curaret, quod adytis hæreticis attribuitur, hi Ananiæ & Saphyræ horrendo interitu condemnantur, quos ambos idem Petrus subita morte multauerat, sicut Actuum quinto capite scriptum est. Nicolaitarum vero impudentem lasciuiam Ioannes in Apocalypsi cum ad Ephesinam ecclesiam scriberet reprobauit. Nam etsi priorem charitatem in illa ecclesia amissam conqueratur, in hoc tamen illam dignam commendatione duxerat, quod Nicolaitarum impudentiam fugerit. Hoc habes, inquit, quod odisti facta Nicolaitarum. Illi vero qui connubiis detrahunt, & omnem legitimum thorum turpitudinem putant, qui etiam Apostolicos se vocare

præsum-

Septentrionales hæretici. Diuersæ Hæreses.

Quæ De hæreses permittat.

XXXVI. *Alius morbus membris officialibus. Arrius. Macedon. Nestorius.*

Eutyches et Dioscorus.

XXXVII *Cōc. Nicæ. sub Syluest. cōt. Arriū Constantinop. sub Damaso cont. Macedon. Ephesinum sub Cælest. cont. Nest. Calcedon. Synod. sub Leone cōt. Eutych. & Dioscor.*

XXXVIII. *Sanctorū Pat. doctrina errores depulit. Multiplex hæresū pestis omnino tolli non potuit.*

XXXIX. *Orbis diuisio in 7. climata & in 4. partes. Orientalis 10. Prouin. Occidentalis 36. Septēt. 12. Merid. etiā 12. prouin. continent. Hæresis totū orbem peruagata.*

XL. *Prima habitantium regio ab Arrio infecta. Armeni Eutychiani in Hesperia Saducæi Cerdoniani, Tertull. Cataphry.*

XLI.

præsumperant Beati Pauli Apostoli sententia condemnantur, qui ad Colosf. scribens præcepta quibus coniuges omni reprehensione carerent tradiderat: Mulieres, inquit, viris subditæ estote sicut oportet in Domino. & alibi. Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Et hæc quidem in prima ætate Ecclesiæ contigisse inuenio.

Cum autem eadem membra officialia esse cæperunt, alius pestilens morbus erepsit. Arius siquidem alexandrinus cum de forma ecclesiastici corporis, hoc est de plena essentia filii Dei (secundum Augustinum) inique sanxerat & prædicauerat, dicens eum esse alterius naturæ à patre, maximam vbique pestem effudit. Macedonius vero de numero Diuinitatis iniquam sententiam ferens, dicensque Spiritum sanctum, seruum patris ac filii, multos corruperat. Nestorius quantitatem maiestatemque huius mystici capitis, vehementer opinione prauæ minuit, cum ipsum Saluatorem nostrum, summum quidem virum, & Deo dignum esse affirmasset, sed eundem Deum omnino negauerat, Eutyches vero atque Dioscorus ipsam dispositionem humanitatis Christi inique transtulerat, affirmans eandem diuinitatis potentiam exhaustam fuisse atque exorptam in membra mystica sparsit.

Contra quos velut aduersus publicam pestem inuecti quondam Romani Pontifices Synodos sacras conuocarunt. Nam Syluester natione & dignitate Romanus trecentorum & octodecim patrum consensu quos in Nicena congregauerat Arrium hæreticū declarauit. Damasus vero vita & eloquentia clarus in secunda Synodo centum & quinquaginta Patrum conuentu Constantinopoli coacto Macedonium blasphemum detexit. Nestorianam vero hæresim Cælestinus ducentorum Patrum in Ephesio conuenientium authoritate reprobauit. Ita & Leone Pontifice præcipiente Calcedonensis Synodus sexcentorum & triginta Patrum præsentia Eutyches atque Dioscorus ana hemati æterno subiecti sunt. Sic & aliæ vniuersales Synodi authoritate Romanorum Pontificum congregatæ ad morbum aliquem depellendum conuenerant licet illæ priores quas paulo ante enumeraui dignitate quadam cæteris aliis præferri videantur, quemadmodum dist. 15. canon. positum est. Ipse enim totam fidem Christianam complexæ quemadmodum Gregorius dixit, quasi quatuor paradisi fluuii, totum orbem irrigauerant.

Quod vero sanctorum Patrum doctrina errores depulerit testes sunt Athanasius, Basilius Cælestinus, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus Christianæ religionis clarissima lumina, qui aduersus omne hæresis genus inuictissime scripserunt. Sed nec Apostolorum summa in terris potestas nec sacrorum Conciliorum authoritas, nec sanctorum Patrum admirabilis illa & pæne diuina sapientia efficere potuerunt, quominus multiplex hæresum pestis, quæ semel insederat, per totum orbem effusa, infinitum hominum multitudinem ad infernum deducat.

Qui de orbis dimensionibus disputant, præter eam participationem, quam in septem climata diuidunt aliam quandam vulgatiorem addunt, qua totum quod ab homine colitur, in Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem, Meridionalemque plagam distinguunt. Primam partem in decem Prouincias diuidi dicunt in Indiam scil. Syriam, Adonis Phœniciam, Syriam, Palestinā & reliquas, quæ à quadraginta & tribus gentibus habitatas affirmant. Occidentalis portio in sex & triginta Prouincias distincta est, quæ quinquaginta & quatuor gentium homines continet. Septentionalis autem regio in duodecim Prouincias porrigitur, quarum gentes triginta vnam esse affirmant. Meridionalis & ipsa in duodecim partes distincta est, quarum gentes ob interiacentia deserti spatia certo numero comprehendi non possunt. Per has igitur vastissimas regiones ac varios gentium mores, omnia illa hæresum genera quæ vel ab Epiphanio Cyprio, aut Philastro, aut Augustino, siue Isidoro numerantur, respersa atque effusa sunt. Nec est quod si veterum hæresum Principes de medio sublati fuerint, desinant qui eorum errores & sapiant & defensent.

Primam habitantium regionem, Arriana hæresis vehementer inuasit. Macedoniani facile numerari non possunt; quos Armenos appellamus, gens certe amplissima, & frugalitate præcipua, Eutychis atque Dioscori peruersam eruditionem sequuntur. In Hesperia vero plaga Saducæos qui resurrectionem negant & animas cum corporibus simul interire affirmant. Plures inuenies Cerdonianos qui duo principia ponunt: Tertullianos qui animam per traductionem esse à corpore arbitrantur: Cataphryges qui Sacramenta Ecclesiastica negant, sufficere tamen ad humanam salutem aiunt si infantis amniculi sanguis, quem immanibus punctionibus (vt Augustinus ait) à corpore innocentis exterquent mixtus farinæ panem à se sumendum conficiunt.

Pars insuper quæ septentrioni subiecta est plurimos habet qui Catholicæ fidei aduersantur. Sunt qui negant Romanam Sedem esse matrem ac principem reliquarum; quod an hæresin sapiat testis est Nicolaus Papa 22. dist. omnis. Præterea sunt nonnulli qui aiunt animas exutas corporibus nondum ad suas loca receptas. Alij purgatorii pœnas figmenta existimant. Sinistræ autem orbis positio quam meridionalem dicunt hæresibus plena est. Illic Nestorianorum nomen & genus amplissime patet: Sabellianorum hæresis latissime prædicatur. Valentiniani; Appellitæ, Arrhontiani, Carmimani, Ebionitæ numero facile comprehendi non possunt. Nequeo Patres Reuerendiss. vobis enumerare infinitam (vt sic dixerim) hæresum multitudinem, quæ tot gentium animos corruperat: quod vnde proueniat aut quo author procedat, dignoscere certe facile non est, nisi (vt placet sanctis Doctoribus) ideo illud Deus fieri passus est vt credentium fides probetur & ne fidelium ingenia tranquilla credulitate contorpeant. Fieri etiam potest Deum tot hostes suæ fidei esse pati, vt tyrannos Christianæ religionis habeant quos vincere possint. Tantam igitur zizaniarum varietatem ab agro Dominico non solum non diuellere, sed nec excerpere quidem humana ingenia supperunt. Satis igitur est, si de his duntaxat potestas ecclesiastica propensius curet, quibus vel beneficium reddendum est, aut si tales sint hostes, aut religioni magis ac magis officiant. Sunt autem (ni fallor) duo genera hominum qui fidei catholicæ aduersantur, graeci, scilicet atque Hussitæ de quibus prouidere oportet: Et illis quidem vt pro suscepti beneficiis gratia digna reddantur, istis vero ne contagione pestifera totum corpus ecclesiasticum ladant. Neminem vestrum, patres, præterire arbitror græcorum gentem sic optimis artibus floruisse, vt omnium gentium nationes incredibili quadam virtute superauerit. Taceo de cæteris disciplinis, quas omnes à gentibus græcorum profectas, omnes vno animo fatentur, quicquid Dei ecclesia docet & prædicat, idipsum etiam suis nominibus à Græcis in latinum traductum est. Quod si parentibus maximum debeamus, quia genuerunt ac educauerunt: si præceptoribus plurimum quod erudierint: certe satis aperte significari non potest, quantum vos patres Latini Græcorum generi debeatis, à quibus illud vobis collatum est quo nihil præstantius ab homine præstari potest. Hi ergo, quos memoro Græci ad vnionem Ecclesiæ venire contendunt, non eo pacto quo quidam eos fallendi gratia dicunt accedere, sed aperte & absque vlla simulatione. Pontifex siquidem maximus Martinus, felicis memoriæ, Papa Quintus, sic sua sapientia atque humanitate Græcos ad opus vnionis attraxit vt de tanta opinionum, & postulationum diuersitate ad vnam & solam differentiam concesserint, quis scilicet locus ille sit qui pro conuocanda Synodo vtriusque generis Patres, apte suscipere posset. Habeo huius rei testes grauissimos qui huic vestræ clarissimæ spectationi adsunt & quæ dico in præsenti audiunt, nec audita vobis Patres, pronuncio sed quæ vidi & quæ præcepto eiusdem Præsulis ipse concertaui & publica stipulatione concluseram. Quorum græcorum propositum & in Eugeni Papa sanctissime pro tua religione eximia & animi amplitudine, nuper ampliora & certiora te ipsis facturum spondendo confirmasti. Nec credi potest vt Christianorum quispiam his tuis sanctissimis desideriis atque conatibus contraire possit. Ad hoc enim opus tam salutiferum nemo Christianorum quicquam suorum excipere debet.

Græcorum conuersio. Illa siquidem Constantinopolitana Sedes habet in Asia, Africa, & Europa vastissimas prouincias atque amplissima regna, plurima genera hominum, linguis & moribus longe dispariis, quiomnes ad fidei Catholicæ obedientiam atque religionem conuolarent, si Præsul Constantinopolitanus, vt quondam facere solebat, honorem & debita iura Romano Pontifici redderet. Illud autem, Patres optimi, facile fieri si non sit schisma in corpore. In nouam enim Ecclesiæ sciffuram dilabi & inueteratos schismaticos ad vnionem ecclesiæ reducere velle, illud quopacto fieri possit non satis intelligo. Quomodo enim Græcus, tantum in hoc nostro ecclesiastico corpore dissidium audiens, eisdem se coniungere vellet? Aut cum Romanum Pontificem tam facile à suis contemni viderit, eidem honores debitos reddat? Nonne videbit? Nonne vtrosque leues & longe à Christianæ caritate seiunctos iudicabit? Nonne postulanti vt ad gremium ecclesiæ redeat mox euangelicam illam respondebit sententiam: Frater vade, eruе prius trabem de oculo tuo & tunc veniens eruе festucam de oculo fratris tui? Cum superiori tempore nullus indubitatus Pontifex haberetur. Neminem Græcorum aliquis audiuit qui de vnione Ecclesiæ tractaret: at vbi omnium dissidentium vota ad vnum pastorem conuenerant, mox Legati Græcorum Pontificem adierunt & coram gloriosissimo ac Inuictissimo Romanorum Rege Domino Sigismundo semper Augusto, pro vnionis negotio Imperator & Patriarcha Constantinopolitanus voluntatem & vota triginta sex articulis patefece-

XLII. *Duo genera hominū quæ tunc fidei catholicæ aduersabātur Græci & Hussitæ. Laus Græcorum.*

XLIII *Non parua momenta Græcorum conuersionis. Quantum in Præsul. Constant. positum.*

Imperator & Patriarcha Const.

triginta sex articulis voluntatem suam patefecerunt.

rant. Scio quod verum loquor, & quod hæ manus litteras obsignatas expleuerint & quæ illic continebantur ex Græcis latina fecerant. Vnde cum honestissimæ Græcorum petitiones, Principibus nostræ religionis visæ fuerant, mox Dominus Ioannes Episcopus Cardinalis tituli S. Sixti, vir omnium sua ætatis religione & sapientiæ spectatissimus Legatus in Græciam declaratus est: quem illuc properantem si mors è medio non sustulisset, plurimum nunc populi ac nationes vtitu, & religione essent vobis similimi, quorum nullum in præsentiarum habetis. Nec certe credendum est Græcos ab illa sua honesta opinione recessisse: eadem est gentis illius ad reconciliationis opus intentio, idem omnino desiderium, eadem postulatio, nisi quod filius qui nuper Imperio successit, ad vnionis negotium longe ardentior sit, quam vnquam fuerit pater: quo fit vt ad reconciliandum gentem illam Catholicæ fidei viâ paratior modo sit. Quod si locus aliquis ad conuocandum vtrunq; gentem optimus daretur, videretis Patres Reuerendissimi plurima de Græcis facta fuisse indicia, quæ omnino constare non possent. Hos igitur fructus vberrimos de Græcis vos Patres præstantissimi referetis, si non sit schisma in corpore.

XLIV. *Hæreseos pestilens. Hussitarũ hæresis vt tamen vera veterum hæresum.*

Alterum perditissimorum hominum genus, de quibus ob summam perniciem, generali omnium Patrum institutione consulendum est, Hussitas intelligo. Genus profectò pestilens & velut exitiale virus per corpus ecclesiasticum repens. Nec vnum sed multiplex ac atrocissimum malum, huius hæreseos morbus est. Nam si quis illorum hominum peruersas sententias quas grauissimis Christianorum cladibus amplificare voluerunt recensere voluerit, veterum hæresum irritamenta quædam fuisse fatebitur. Cogitanti enim hanc nouellam corruptionem, è vestigio Nicolaitæ Gnostici. Cerdoniani, atq; Marcionitæ occurrent. Adamitæ quoq; & Cathari, ac Apostolici. Huic hæresi non defuerunt Anarchitæ, Arriani atque Ionimani quamplurimi, quos omnes Epiphanius Cyprius, vir omnium Orientalium Patrum sapientia & sanctitate insignis, inter nominatissimos hæreticos scripsit: nec solum multiplex hæresis hæc, sed & funestissima Christiano populo extat. Plurima damna ab Arrianis, Nestorianis, Monothelitis, Ichonomachis ecclesia Dei perpessa est: sed nulla fuit tanta hæretica pestis quæ huic cladi comparari possit. Hæc enim omnia intra humana atque Diuina peruertens nulla pietate in etatem vel sexum amplissimas & opulentissimas patrias igni & ferro subiecit. Patet eius immanissimæ strages in Bohemia, Moravia, Silesia, Marchia, Austria Hungaria, ac cæteris circumfinitimis adiacentibus nationibus. Quod si hoc captiosissimum, ac fallacissimum hominum genus, ab illa sua immani consuetudine ac funestissima rabie conquieuerit, veluti queiter salutis & reconciliationis ingressi, nulla sit mora patres præstantissimi quo minus Pontifex Maximus ac tota concio Patrum, operam suam ac studium conferant, vt lupos rabidos in oues conuertat. Nihil hoc opere salubrius, nil certe vtilius. Sed enim inter vos Patres Ecclesiasticos sine diuersa sententia, hoc fieri minime potuerit. Nam totum Hussitarum studium in eo positum est, vt clericorum insolentias, voluptates, auaritiam, superbiam atque ambitionem quibus hunc vestrum statum ecclesiasticum & amplitudinem deiciant, atque prosternant, vulgo continuo prædicent. Illud autem quantum quibusdam maximis viris placeat, & populis rationi consentaneum videatur, aperte ostenderem, si hæc omnia vobis clarius non paterent. Igitur qui cupit Hussitas ad vnionem ecclesiasticam reuocare, illud prius efficere studeat, vt nouella Zizania euellerentur, vt nulla mentis affectio, nulla in rebus gerendis perturbatio, sed timor Dei, charitas proximi, zelus ecclesiasticæ pacis opera vestra perficiat. Illud etiam summo studio agendum est, vt debitus honor ac reuerentia Pontifici Maximo quem vnicum loco Dei in terris suspicimus tribuatur.

Hussitarũ studium.

XLV. *Eugenij laudes & zelus in propaganda fide Catholica.*

Quod omnino faciendum quisque hominum iudicauit de huius Patris Sanctissimi ac Beatissimi vitæ integritate & innocentia nouerit. Ad hæresum extirpationem ac infidelium expugnationẽ nemo Christianorum illo flagrantior. Taceo alia ipsius sanctissimæ Præsulis ornamenta virtutum. Illa enim aliud tempus desiderant cum priuatis negotiis operam daret, contra infidelium ac hæreticorum errores & impetus plurima egregia & memoria digna cogitauerat atque instituerat. Reuerendissimorum Patrum Cardinalium numero aggregatus, mox quæ priuatim excogitauerat, publica authoritate perficere conatus est. Propterea, & legationem in Epirum, Macedoniam, Tractam, Propontidem, Asiam, Ciliciam, Syriam atque Aegyptum, vbi vetæ fidei iura & dignitas in spretum maximum venerunt, paratissimo animo suscepisset. Propterea & consecutus fuerat quibus artibus illæ nationes potestati Ecclesiæ adigi possent. Quod si ipsi pro magnitudine animi & zelo fidei, parem potestatem, & authoritatem conferri contigisset, nihil est quod vexillum sanctissimæ Crucis, inter remotissimas gentes summa gloria nostræ religionis non figeretur. Adscitus sanctissimi Romani Pontificis dignitati, quæ iam toi labentibus annis excogitauerat, in effectu omnino deduxisset, si intestina discordiæ atque victima bella, sancto eius

propositu impedimento non extitissent: non tamen destitit quominus ad Hussitarum rabiem extinguendam diuersis studiis vigilaret. Quod aperta ratione probabitur, cum necessitas postulauerit. Secretarium Imperatoris Græcorum nuper ad se venientẽ, ita grate remisit, vt idem Imperator statuerit legationem amplissimam ad Summum Pontificem dare, vt de loco aliquo idoneo pro congreganda Synodo videatur. Hoc iam factum fuisse credendum est, nisi aliqui inexspectatus, vel alias insperatus casus impedimento fuerit. Sub tali igitur nostræ religionis Patre, & Præsule, & veterum & recentium hæresum respersa zizania facile euellentur, si vos reliqui Patres eius præcepta iustissima, tanquam deuotissimi filij suscipere statuatis. Ad quod pium & necessarium opus & totius ecclesiæ diuturna consuetudo, & veterum Cõciliorum authoritas, & sanctorum Patrum sententia vos hortantur. Quare Patres per immortalem Deum, per intemeratam fidem cuius defensionem suscepisse videmini, per illud districtum horrendumq; iudicium, ad quod vos omnes, volentes, nolentes detrahemini, in hac maximarum rerum consultatione, moderatione animi vti velitis, nec cum exteriorũ gentium hæreses purgare queritis, nouellos errores domi nutriatis: sed de hæresis extirpatione, hactenus dixisse sufficiat, à modo de reformatione pauca dicam.

XLVI. *De reformatione.*

Mysticum corpus Ecclesiæ domus nominatur.

Varietas structuræ.

Hoc mysticum corpus de quo hactenus memoriam feci, alias etiam appellatione Domus nomen accepit, sententia illius, qui ad Hebræos scribens dixerat: Christus tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. In hoc sanctissimo templo, nemo aliud fundamentum ponere potest, præter illud quod posuit Christus scil. Iesu, sicut 1. ad Corinth. 3. c. dicitur: hanc structuram mirabilem, ille sapientissimus Architector, non simplici sed varia quadam compositione erexit. Ipse enim dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorũ, in opus ministerij in ædificationem corporis Christi, sicut quarto ad Ephes. scribitur. Hæc est illa varietas quam in spiritu Dauid quondam prospiciens dixerat: Adstitit, inquit, Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Varietatem autem non illam intelligo, qua ex bore, auro, variisque coloris genere parietes in regiis principum ornari solent, sed Apostolorum doctrinam, confessorum, martyrũ vt gloriosa testatur, puritatem virginum, lamenta pœnitentium. Id autem optima ratione fuisse facile quisq; iudicabit, si huius corporis mystici, aut domus ecclesiasticæ naturam, ordinemq; prospexerit. Nam cum gratia huius fundamenti vel capitis, plene tota in partibus extare non possit vt dicit Doctor Beatus, ideo vario modo singulis distributa est. Propterea quidam Apostolici, alij vero prophetæ dari dicuntur. Cumq; id fieri nequeat, Patres reuerendissimi, vt quisquam se solo æque officia pluribus satisfacere possit. Vnde & membra corporis singulis actionibus occupantur, idcirco ecclesia circum amicta varietate describitur. Et quia officium sponsæ, simul & nomen accepit, ideo ipsam decoram, ornatamque monilibus placet & ipso experimento ostenditur. Nam & Regina Saba præter illam admirabilem sapientiam quam argumentando in Salomone cognouerat, prospecto seruorum habitaculo & ordine ministrantium, maxime admirata, spiritu ipso defecerat, sicut 3. Reg. 10 cap. scribitur. Huius itaq; structuræ egregiæ, & si fundamentum solidum inconcussumq; persistat, ornatus tamen ac cæterarum partium ordo labefactari indicantur. Nam loco Apostolorum eos hodie cernimus, de quibus Paulus Corinthiis scripserat: Pseudoapostoli, inquit, operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi. Nec alios puto, Patres optimi hodiernos prophetas existere, nisi eos duntaxat, quibus Ezechiel in spiritu videns dixerat: Væ, inquit, Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum & nihil vident, quasi vulpes in desertis Prophetæ tui Israel.

Gratia sponsæ partibus vario modo distributa.

Ecclesia sponsa decora & ornata.

XLVII. *Clericorũ vitia.*

Nequeo Patres reuerendissimi crimina & casus grauissimos eorum hominum vobis exponere, qui dignitate & authoritate velut in quadam specula constituti magistri debent esse publicæ disciplinæ, omnes enim declinauerunt & ab officio recedentes, inutiles facti sunt, sicut Propheta testatur. Aptissime describit Isaias Clericorum ignominiam, secordiam, lasciuiam, segnitiem, immunditiam, turpitudinem, ambitionem, auaritiam. Speculatores eius inquit, cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia, canes impudentissimi, nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignorauerũt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisq; ad auaritiam suam vsq; ad nouissimum. Cum igitur ex eorum criminibus ac vitæ corruptione, qui virtutem ad disciplinam professi sunt, huius mystici templi structura grauissimum lapsum atque ruinam minetur, optime ecclesiastica salutis consultris, vt redintegratio fiat, quam vos vulgo reformationẽ nominatis.

Quantum differunt Clericorũ scelera à crimnibus laicorum.

Cæterorum vero hominum vitia, priuatam: Clericorum vero scelera publicam perniciem inferunt. Nam cum populi omnes in sacerdotem atque Pontificem, tanquam in præceptorem virtutum suspiciant, id indubitata fide putant à se factum iri, quod ipse faciendum delegerit. Sed hanc rem perdifficilem plenamque laboris, ea ratione efficere poteritis, quod non sit schisma in corpore. Nam cum ipsa spirituali structura sit vnitatis multiplicitas, tamẽ inter cætera, illa præcipua indicatur quam ille cœlestis ac individuus spiritus, dividens singulis prout vult, sicut primæ ad Corinthios 12 cap. scribitur. Fieri autem minime potest vt hi qui aduersa bonis moribus sentiunt, & qui manifestam ruinam Ecclesiæ parant spiritu Dei ducantur. Eo etiam enim in præceptis maiorum ad vitæ innocentiam atq; religionis, vellequempiam ducere, perdifficile, nisi cum spiritus Dei prius induxerit. Plena sunt libri omnes Christianorum sanctissimis exhortationibus pleni præceptis saluberrimis, pleni exemplis admirabilibus. Quod de vita & honestate Clericorum decerni & præcipi potest, id totum amplissimus litteris & maximis codicibus continetur. Et nemo tamen facit legem, sicut dicit saluator. Prius itaque spiritus rogandus est, vt doceat & inspiret quopacto impleri debeam sine iustificationes sicut propheta precatur. Cæterum impossibile quidem videtur de principatu Ecclesiæ, ac de moribus disputare simul atque decernere.

Mores Ecclesiastici reformari possunt si non sit schisma.

Hierusal. sub Onia sacerdote. Alia sub Iasone.

XLVIII. *De capite ac Principe Ecclesiæ.*

Nam cum de capite ac Principe senatus Ecclesiastici occupatur ornatu publicæ honestatis, satis apte vacare non potest. Extant Gentium, atq; Christianorum monumenta amplissima, quæ hanc rei grauissimum testimonium afferunt. Vnum solum in præsentiarum sufficiat. Cum per Oniam Pontificem solum res Iudæorum ageretur, ciuitas sancta in omni pace habitabatur, leges q; optime custodiebantur sicut 2. Machab. 3. c. scribitur. Sed postea quam ad ambitionem Iasonis fratris, collatio summi Pontificij ad Onitham translata est, mox gymnasia & Ephebia in ciuitate Dei fuerant instituta, horrendum certe scelus, & omnibus seculis inauditum facinus. Confracto itaque atque collisio Ecclesiastico corpore, integritas honestatis atque religionis constare minime potest. Præterea quem vos Patres Ecclesiasticis institutis coercere poteritis qui mox alios quæsturus nõ sit à quibus grate susceptus, prioris vitæ corruptelam non teneat? & inde huc venientem nemo corrigere audebit, ne suo exemplo alij secuturi teneantur. Itaque Patres sapientissimi mores Ecclesiasticos ea ratione potestis cõponere si non sit schisma in corpore. Hortatur nos ad hoc opus perneccessarium dignitas beatissimi Patris nostri Eugenij Pontificis maximi qui Petri Sedem tenet & fidem, sine cuius authoritate nulla lex aut decreta satis roboris habere possunt. vt est dist. 22. sacrosancta. Cuius sententiæ B. Thomas 22. q. 1. art. 10. fidelissimus testis est. Hortatur vos ad hanc Ecclesiasticam disciplinam, huius sanctissimi patris integritas, qui cum à puero vsque ad hanc confectam ætatem vitam præclarissimis virtutum muneribus exornauerit, adeo vt in ipso corrigendum, addendumue nihil omnino videatur, tamen vt optimi Præsulis morem gerat, hunc quam vos Patres reformationem nominis, à seipso incipi cupit si huic publicæ actioni debitus ordo tribuatur. Ouero Pontificem, ô pastorem Gregis Dominici meritissimum. Quem superiorum Pontificum, obsecro Patres, vestra tenet memoria qui ista protulerit? te igitur Patres lectissimi, & huiusmodi pijssima patris atque Pontificis meritissima vota & desideria impleatis, si vultis mores Ecclesiasticos integritati pristinæ restituere.

De pace cõmuni quã Ecclesiastici Prælati procurare summo studio debent.

XLIX. Sed de reformatione quid sentiam, iam patres audistis à modo & de pace pro extrema oratione particula paucissimis vtar. Cum plurima sint exercitia inter cetera, Patres lectissimi, quæ ad sacerdotis atque Pontificis officium attinẽt, tamen illud præcipuum est quod in conciliandis pacandisque populis constat: siquidem sacerdotis propria actio dicitur, cum inter Deum hominemq; medius quasi conciliator accedat. vt placet B. Tho. 3. par. q. 30. ar. 1. Propterea & sacerdos à Deo legem & sacramenta recipit quo populis voluntatẽ Diuinam significet, consiliariique volentibus paramenta debita retribuat. Et rursus acceptas ab hominibus oblationes & sacrificia, Domino offert, vt Diuinam maiestatem hominis vitio vehementer infensam, placet, atque conciliet, hoc acute prospexit qui ait: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, ad hebræos 5. capit. Hæc autem munera tunc placationis efficaciam habent, cum homines excussis odiis ac simultatibus ad offerendum remissionem reuocantur. Quod quanto studio agendum sit, saluatoris præcepto ostenditur. Si offeres inquit, munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersus, &c. Et rursum si non dimiseritis fratribus. In quibus omnibus ostenditur humanas oblationes & munera, nullam prorsus habere efficaciam nisi homo se prius inimico concilet. Hoc autem inter cædes & bella fieri posse non video. Quomodo enim inter eos vis charitatis & amicitiæ aut seruari, aut inripere poterit, qui mutuis impetitionibus exuuias & spolia quærunt quorum alter in alterius effundendum sanguinem iurat, qui liberos à parentum cuiusq; amplexibus impudice abduxit? Quæ omnia cum in illorum congressibus fieri videamus, difficillimum est, humanitatis, charitatis, ac pietatis quippiam in illis hominibus reperiri qui bella sequuntur. Præcipuum itaque sacerdotum atque Pontificum officium agitis Patres reuerendissimi, qui inflatos atque tumentes animos Principum placare curatis, eo præsertim tempore quo nullum Christianorum regnum vacet. Sed illud prius summa cura agendum est, Patres Reuerendissimi vt non sit schisma in corpore. Quis enim ad alienas discordias sopiendas sufficiet, qui ad maxima & intestina bella pacari cogetur? Aut quis aliquem mediocrum vel etiam pertissimum summo morbo laborantem vidit, qui aliis ægrotis pharmaca porrigat? Oportet igitur prius domesticam pestem purgare & inde aliorũ languores extinguere.

L. *Pacis bonum.*

Quod optime facturi estis, Patres sapientissimi, si pacis quæ nihil vtilius desiderari potest vim & naturam seruabitis. Pacis enim bonum non in eo solo consistit, quod vnionem diuersa optantium faciat. hoc enim & concordiæ datur. Imo vt sancto Doctori videtur, id concordiæ proprium est: sed id maximum pacis officium est, vt renitentem varium appetitum in vnum consensum debito ordine adigat. Propterea & Beatus Augustinus 19. de ciuitate Dei, cum multa genera pacis enumerasset id tanquam proprium pacis adiecit, quod sit scilicet tranquillitas ordinis, qui in partium disparium que rerum ac hominum, debita distributione consistit. Hoc si & vos, Patres Reuerendissimi, ad Pontificem maximum fratrem & præsidem omnium, seruare curabitis, nauiculam Petri à dissidentibus fluctibus tranquillam reddetis, Principum animos maximas cædes spirantes pacabitis, hæreticos reluctantes ad iugum Ecclesiasticum subducetis, infidelium impetus, qui totam rabie dictim in Christianũ sanguinem debachantur, mucrissima potestate deprimetis. Illud etiam cum summa omnium vestrum gloria fiet, vt apibus amarine ratione probetur, nulla vnquam ambitione, nulla iniquitate, sed solius religionis amplificandæ gratia, hos varios & diuturnos labores vos constantissime suscepisse. Quod nobis omnibus ille concedat qui sine fine viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

XXVII.

IOANNES ARCHIEPISCOPVS TARENtinus, Eugenij Pont. Max. Nuntius, ad Basileenses, pro authoritate Summi Pontificis.

In nomine Iesu Christi Amen.

LI.

HVmanissimam & sanctissimam Domini nostri dignissimi summi Pontificis D. Eugenij Papæ IV. intentionem, quam ex iniuncto legationis officio communi horum Patrum & Dominorum meorum consensu & iussione in præsentia explicaturus sum, nobis Reuerendissimi in Christo Patres & Domini, si quanta decet dignitates vestras charitate & animorum moderatione intellexeritis, populo Christi sanguine redempto vnionem & pacem & vitæ nouitatem, nostris vero animabus salutem, & multarum curarum requiem allaturam esse in spiritu paracito, & huius tam pij propositi motore & directore plane confidimus: sed vt stabilius & certius in eusmodi rei natatione fundamentum constituamus, exordiendum in primis præcipua editione arbitramur ab ipsius Apostolici supremæ potestatis & iurisdictionis origine, & derivatione. Deus igitur ideo magnus Dominus & rex magnus super omnes Deos spiritu habitus est Prophetico, Reuerendissimi patres, quoniam curam habens factura sua non repellit Dominus plebem suam habere certe Diuinitatem ab excelso solio suo perrigilè humani generis curã, omnis ferme & quæ bene instituta humanitatis, & quæ de sursum mentib. illabitur, disciplina testatur. Hinc gaudere eam optimo eique cognatissimo viro in ethicis Aristoteles arbitratur: & quod diuinum est in nobis, hoc est intellectum diligentes, & honorantes re beneficiare. Hinc illud ad Thimotheum Apostoli dogma, quo eos quibus quarumcumq; publicarum rerum tutela committatur, diuino nutu ad huiusmodi officij functionem assumptos edocet, emanauisse constat, para etenim diuinitatis essentia totius entis perfectione abunde respersa, omnium essentium esse per prius atque perfectius in se complectitur.

LII. *Quib. nominibus diuina essentia nuncupata.*

Quamobrem eam quæ tantarum formarum capax extat, naturam, communi omnium vocabulo Deum quandoque veteres nuncupauerunt, quandoque, omnium essentium primum, quandoque archetypum, quasi rerum omnium exemplare simulacrum

Cumque ex eius perfectionis & bonitatis redundantia, atque omnipotentia interminata & ineffabili, nulla exteriori violentia coarctante, nulla impellente necessitate, sed mera ac libera voluntate, eius esse existentiæ vniuersa Creatura secundum accommodatas specierum perfectiones sortita sit. Operatorium principium Plato. Primam causam Aristoteles Dominum Dominationum scriptura, magnum Dominum (tanquam omnium à voluntate proficiscentium libere Dominus opifex constituatur) naturam illam appellauit propheta. Sed cum splendore inæstimabilis prouidentiæ eius inter mundi semina, interque varias rerum species, & vnius & eiusdem rei potentias atque dispares rerum cultus, ordo quidam regiminis atque lex & ritus naturalis innascatur, rectorem olympi gentiles, Regem Regum scriptura magnum regem super omnes Deos, hoc est, Angelicos spiritus seu motrices orbium intelligentias, illam ipsam nuncupauit propheta Dauid.

LIII. *Quàm a nobis ex Dei omnipotentia bonitate & charitate profluxerint.*

Ex illa itaque Diuinæ naturæ bonitate & omnipotentia, tantarum illa rerum apud geneſim conſcripta emanatio effluxit. Inde rerum inter ſe tanta, tamque admirabilis propagatio excreuit. Ex hac vero ad humanum genus charitate, prouidentia, ſtudio, atque cura, illa legis traditio & tabularum digito Dei conſcriptio, ortum traxere. Hinc morum, ſacrificiorum, ceremoniarum directio, hinc illa ineffabilis coæterni & conſſentialis patri & ſpiritui ſancto verbi incarnatio, hinc paſſio, hinc reſurrectio, hinc Apoſtolorum miſſio, & cum eſſet mundum præſentia ſua corporali, incarnatum illud verbum relicturum, illa mirabilis ſacramenti conſtitutio, atque Vicarij eius electio illiuſque cum ſuprema authoritate & poteſtate ſublimatio & inthronizatio cui data eſt ſuper vniuerſo populo Chriſtiano plena poſſeſſio atque iuriſdictio. Quamquam enim populus ipſe per diuerſas diœceſes diſtinctus, tamen ſicut vna eſt Eccleſia ab vnico fundatore & capite Chriſto Ieſu, ita vnum oportet conſtituere populum Chriſtianum, & veluti in vno ſpeciali populo vnius Eccleſiæ caput. Hæc eſt ratio Beati Doctoris Thomæ atque ſententia 4. contra gentiles capit. 76. & canonum ſacrorum inſtituta concordant caput huiuſmodi Epiſcopum almæ vrbis eſſe & Petri ſucceſſorem & Principatum Eccleſiæ vniuerſalis in Eccleſia Romana præſidere 11. diſt. capit. Nolite.

Vicarij Chriſti electio in ſuprema potestate.

Sicut vna Eccle. ſic & vnus pop. Chriſtian. Rom. Epiſ. princeps vniuerſalis Eccleſ.

LIV. *Poteſtas & authoritas à Chriſto Petro data. Chriſtus Rom. fundauit Eccl. & eius voce primatũ ſuper oẽs alias Eccl. obtinuit.*

Et hæc poteſtas & præſulatus authoritas Petro tributa fuit, non ab hominibus, ſed ab ipſo redemptore & ſaluatore noſtro & ab Apoſtolis cum maxima veneratione cuſtodita. Non enim quælibet terrena ſententia, vt eſt textus 22. diſtinct. cap. omnis. *ſed illud verbum quo conſtructum eſt Cœlum & terra, per quod condita ſunt omnia elementa, Romanam fundauit Eccleſiam. Idem expreſſius innuitur* 21. diſtinct. capit. In nouo, & *cap. ſequenti cuius initium eſt. Quamuis vniuerſa per orbem Catholicæ Eccleſiæ conſtitutæ vnus Chriſti thalamus ſint, ſancta tamen Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutionibus cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini & ſaluatoris noſtri primatum obtinuit:* Tu es *inquit* Petrus, & ſuper hanc petram, &c. *Et paulo infra concludit: Ita in his omnibus punctis quanto celſior gradus tanto maior authoritas inuenitur: in maioribus ſiquidem regendi & iubendi eſt poteſtas, in minoribus obſequendi neceſſitas.*

LV. *Expediebat quod in vnitate per vnius viri ſententiam Eccleſia conſeruaretur.*

Congruum etiam eſt & expediens ad Eccleſia vnitatem vt fideles in fide conueniant, cumque contingat frequenter circa illa quæ fidei ſunt quæſtiones moueri & diſſonas ſententias promulgari, ex quibus ſciſſura in Eccleſia ſæpe numero eſt exorta, expediebat (vt beatus Doctor cõcludit) quod in vnitate per vnius viri ſententiam, Eccleſia conſeruaretur. Cum igitur caput & fundator Eccleſiæ Chriſtus in neceſſarijs non defecerit, quam ita dilexit, vt pro ea ſanguinem ſuum fuderit: cum etiam de ſynagoga & Eſaia dicatur. Quid potui facere vineæ meæ, & non feci? *non eſt dubitandum, quin ex Chriſti ordinatione vnus toti & vniuerſali Eccleſiæ præſit, cuius iudicio atque ſententia diſſentiones circa fidem, & graueſſimæ quæſtiones tollantur, & cæmimentur, quod clare innuitur* 22. diſtinct. capit. Multis. *vbi ad litteram ita dicitur: Maiores vero & difficiliores quæſtiones, vt Sancta Synodus ſtatuit, vt & beata conſuetudo exigit, ad Sedem Apoſtolicam ſemper referantur, huius beatus Doctor egregiam loco ſuperiori rationem aſſignat: Quoniam cum pax & vnitas ſit finis regentis & gubernantis, & vnitatis congruentior cauſa ſit vnus quam multi; videtur quod omnes ſubditorum diuerſitates ab vno, bene diſpoſita politia, debeant extirpari. Propterea Ariſtoteles in politicis monarchiam democratiæ & ariſtocratiæ præferre videtur. Id etiam regiminis genus vniuerſæ mundi partes naturali quodam deſiderio appetere videntur. Quamobrem in extrema phyſicorum Ariſtotelis parte ſcriptum eſt,* Entia nolunt male diſponi, Vnicus ergo Princeps.

Chriſtum igitur per quem Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt optimum dediſſe Eccleſiæ ſuæ regnum nusquam eſt ambigendum, quod quidem ad inſtar regiminis triumphantis Eccleſiæ ordinauit. Hinc Iohannes in Apocalypſi aiebat: Vidi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de Cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo: *Et Moyſi dictum eſt quod omnia faceret, quemadmodum ſibi in monte monſtratum fuerat, & toelis primo dictum eſt.* Congregabuntur filij Iuda & filij Iſrahel pariter, & ponent ſibi caput vnum, *& Dominus dixit,* fiat vnum ouile & vnus paſtor, *cui ſoli poteſtatem pleniſſimam & abſolutam tradidit ad omnia fidei myſteria exequendum & ad eum principaliter de gregis ſalute & directione, ac fidei vnitate & integritate, diſpoſitio & iudicium ac ſententia ſpectarent, & vt per eum ad alios huiuſmodi miniſterium & authoritas diffunderetur.*

LVI. *Eccleſ. Cathol. ad inſtar regiminis triũphantis Eccleſ. à Chriſto ordinata.*

LVII. *Claues ſoli Petro promiſſæ vt ea rum poteſtas per eũ ad alios diffunderetur.*

Hinc primo Paſtori ante aſcenſionem ſuam Dominus dixit, paſce oues meas *& ante paſſionem:* Tu iterum conuerſus, confirma fratres tuos, *& illi ſoli promiſit,* tibi dabo claues regni cœlorum, *vt oſtenderetur (vt inquit Beatus Doctor) quod poteſtas clauium per eum eſſet ad alios diffundenda vſque ad ſeculi finem, iuxta illud Eſaiæ:* ſuper ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet iſtud & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodo & vſque in ſempiternum, *Et Matthæi vltimo Dominus aiebat:* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi; *nec obſtat quod plerique dicunt verba illa fuiſſe Petro in perſona totius Eccleſiæ: textus enim illud declarat* q. quæſt. 3. Aliorum hominum verſũ primo. *Replicabo, Vnũ dictum eſt:* Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, &c. *Hæc magna ex parte ex dictis Beat. Doctoris loco ſuperiori habentur, quibus fine huius capituli ita concludit ad litteram. Et per hoc excluditur quorundam præſumptuoſus error, qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia & ſubiectione Petri, ſucceſſorem eius Roman. Pontificem, vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem non recognoſcentes.*

LVIII. *De ſummi Pont. ſuprema poteſtate & authoritate certiſſima doctrina.*

Secundum tamen canonica decreta de ipſius ſummi Pontificis ſupremæ poteſtatis amplitudine certiſſima doctrina traditur. Hinc enim dicitur, quod ſolus in plenitudine poteſtatis vocatus eſt, alij autem in partem ſolicitudinis in c. ad honorem de aũ. & vſu pallij, & ſolus ſedet in illa ſede quam Dominus in perſona B. Petri ſibi ſpecialiter elegit, vt in c. Per venerabilem. §. ſane qui ſi. ſunt legitimi *& iudicat ſolus, & diſponit vt ſibi placet* q. quæſt. 3. cap. Cuncta per mundum, *Ipſe enim habet arbitrium cœleſte.* cap. de ſum. Trinit. leg. 1. *& ei conceſſi ſunt iura cœleſtia & terreni imperij à Domino Redemptore noſtro.* 22. diſtinct. cap. omnis *vbi & textus ad litteram:* illam vero ſolus ipſe fundauit, *de Romana Eccleſia loquens,* & ſupra Petram fidei mox naſcentis erexit. qui Beat. Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul & Cœleſtis Imperij iura commiſit, *facit ad idem* capit. ſequens, ſacroſancta: *Et principes ac omnes homines ei obedire tenentur,* de maior. & obed. cap. Omnes Principes, & cap. ſolitæ, *cui nec quiſquam dicere poteſt, cur ita facis?* 19. diſtinct. cap. In memoriam, *acei ſit pro ratione voluntas, & quod ei placet, legis habet authoritatem,* in capit. de iure naturali. §. ſed & quod Principi. *Per huius authoritatis vires, frequenter emergentibus mundo diſſenſionibus atque diſſidiis, opportune diuina prouidentia occurrit.*

Principes & omnes homines ei obedire tenentur.

Sed cum nimium collapſa eſſet nouiſſimis temporibus, ac per deuia præceps rueret libertas humana, miſericors & miſerator Dominus, qui non eſt vſquequaque iuxta præſumptam prophetæ ſententiam, plebem ſuam relicturus, virum optimum, omnium decore virtutum, iuſtitia, prudentia, temperantia, modeſtia, ſanctimonia, atque præſentium temporum acerbitati tempeſtatique, & tantis Petri nauiculæ fluctibus accommodatiſſimum videtur, magno animo, robore, patientia, conſtantia, & longanimitate redimitum, clementem tamen pium, charitate & omni heroica virtute refertum in ea ipſa ſede locauit, quo præſentium temporũ horrendis Eccleſiæ ſuæ ſcandalis aliiſque vniuerſi populi ſui malis ſuccurreretur eaque eleuarentur. Huius igitur nos authoritatis viri, huius poteſtatis, huius ceremoniæ nuntij, & oratores, quamquam immeriti, ad vos ſumus Patres optimi. Nunc autem ad inſtitutum Domini noſtri intentionis explanationem proficiſcamur, ſiprius tamen pauca ad rem ipſam pertinentia, de geſtis præteritorũ temporum ad memoriam reduxerimus, plurimum cauſæ noſtræ fauoris ac veſtræ intelligentiæ commoditatis conferemus.

LIX. *Eugenij Laudes.*

LX. *Conc. Baſilean. Mart. V. Pon. inſtone ſtabilitum ab Eugen. confirmatum.*

Sanctiſſimus Dn. noſter digniſſimus ſummus Pontifex, verus, indubitatus atq; vnicus Dei & Dn. noſtri Ieſu Chriſti Vicarius cui ſolum conuenit in altum vere deducere, hoc eſt, in profundum diſputationum & difficultatum ſeſe immiſcere, 24. quæſt. 1. *Non turbatur ratis hæreſibus inueteratis & his quæ in præſentiarum incrementa vid. buntur habere, ac inteſtinis per totam Chriſtianitatem, odiis, diſſentionibus, & hoſtilibus armis, amiſſo etiam & ferme extincto totius Eccleſiaſticæ libertatis priuilegio, ac multiformibus clericq; & Chriſtiani populi deformitatibus, ſine ſanctorum patrum atque illuſtriſſimorum Principum aſiſtentia, fauore, ope, & opere facile & opportune obuiare non poſſe Concilium Baſileæ ex bonæ & recolendæ memoriæ Dn. Martini Papæ V. authoritate per Senenſe Concilium promulgatum, atq; eiuſdem Dn. Martini inſtione ſtabilitum, poſt ipſius obitum & ſanctitatis ſuæ aſſumptionem, robur habere voluit & proſequutionem, ratum & gratum per Apoſtolicas ſuas bullas gerens, quidquid poteſtatis in eare reuerendiſſimo in Chriſto Patri & Dn. noſtro ſingulariſſimo, digniſſimo Cardinali S. Angeli, Apoſtolicæ Sedis legato, per prædeceſſorem ſuum collatum fuiſſet.*

Ad Conc. Cathol. & hæretici æqualiter nõ ad diſputationem ſolum ſed ad S. ſancti cõmune iudicium inuitati.

LXI. *Quib. cauſis inducẽ ad Conc. Baſil. diſſoluendũ & illud Bonon. trãſferendum.*

Cumq; amplificationem illius ſynodi, vt optaſſet, & rerum magnitudini expediuiſſet intueretur: quando etiam per orationem eorum pancorum Prælatorum qui tunc Baſileæ præſentes erant, de ipſius Concilij debilitate & prauitate certitudinem accepiſſet, eſſetq; cum inſtantia requiſitus, vt talia faceret quæ nouam conuocationem prætendere videbantur: illud abinde diſſoluit & ad Ciuitatem Bononienſem vna cum litteris à ſolutionis conuocauit, per interdictionem tam modici temporis, vt nonniſi continuaſſe dici poſſit, ita vt illa diſſolutio nihil aliud in effectu, nec ex ſua ſanctitatis mente, voto & intentione, quam loci mutationem importare videretur. Quod ſane Patres Reuerendiſſimi non abſq; grauitate ſumma, atq; multa circumſpectione, & longa & matura deliberatione, ac ſyncera ad Deum & Eccleſiam ſuam ſanctam charitate factũ eſſe exiſtimare debetis. Intuebatur enim ille Pontifex ſanctiſſimus, tantarum rerum expeditionem non eſſe finem optatum habituram, niſi ſua ſanctitas Concilio adeſſet, & cum Reuerendiſſimorum Patrum & Dominorum meorum ſacri Collegij, aliorumq; magnorum Principum & totius Chriſtianitatis orthodoxorum Præſulum conſultatione, fauore atq; præſidio, tanta tamq; ardua negotia dirigeret atq; diſponeret: quod in hac ipſa Ciuitate propter notoriam ſanctitatis ſuæ inualetudinem, & quoniam plerisq; Illuſtriſſimi Principes ad eum locum cõuenire denegabant, nullatenus fieri potuiſſet. Accedebat inſuper ad hoc quod locus iſte nimium vicinus videbatur potentiæ Huſſitarum: & magnæ imprudentiæ tributum fuiſſet, maxime poſt agnitionem periculi quod non parum formidabile eſſe orator ipſe referebat, vniuerſalem Eccleſiam tanto ſuppponere diſcrimini: quin inſuper neq; eo facta eſt modo hæreticorum vocationem ſine offenſa, vel ſaltem tacita detractione damnationis de ea hæreſi in ſacro Concilio Conſtantienſi factæ ſua ſanctitas ſuſtinere potuiſſet, cum per vocationem illam non ad diſputationem ſolum, ſed ad S. Sancti commune iudicium Eccleſia noſtra Catholica & hæretici æqualiter inuitarẽtur. Illius ẽt vocationis verba vt cum pace veſtra dicam, hæc ſunt: Ecce iam locus & facultas plenæ audientiæ præbetur, iam inuitamini, non coram paucis, ſed vniuerſis audiemini quantum libet: Audietis & vos ipſos reſpondentes, ſanctus adſtabit medius ſpiritus iudex & arbiter, quid in Eccleſia tenendum & agendum ſit. Erimus ſimul & in oratione perſeuerantes, & tam diu feruenter ſuam pietatem ieiuniis, gemitibus, precibus, obſecrationibus, ac ſanct. operib. interpellabimus, vſquequo ipſe charitatis autor & veritatis Doctor corda vniuerſi populi illuſtrabit, ad cognoſcendam, amplectendamq; veritatis & vnitatis ſemitam. *Ecce quod per hæc verba nõ ad recognoſcẽdum damnatum errorem Huſſitæ vocantur ſed ſubmittendum ſe pariter cum Eccleſia Catholica ad inueſtigationem veritatis: quod certe Huſſitis fauorem & authoritatem maiorem ſidelibus vero ambiguitatem & perplexitatem præſtare videbatur.*

LXII. *Locus Cõc. minime ac cõmodatus. Non erat tunc tutũ in Germ. neq; ſecurũ de Huſſ.*

Sed quando illis fuiſſet vt conuincerentur, & ad cognoſcendum damnatum errorem, audientia præſtanda. locus ipſe ad id deputari non debuiſſet, attento quod ſecundum relationem oratoris illius, certe Ciuitates circumadiacentes, illo peſtifero morbo labefactari cœperant. Item tamq; de huiuſmodi hæreſibus non erat tutum neq; ſecurum in Germania publice tractatum facere: rum quia per huiuſmodi cõtentiones corruptis maior commoditas, & occaſio tributa fuiſſet alios corrumpendi, tum quia Bohemis ipſis maiorem fauorem præſtari quam alibi ſuſpicari poterat, ſicut in duob. tantum huius hæreſis ſceleſtiſſimis capitibus, initio nascentis mali experientia viſum eſt. Quid igitur cenſendum putatis Patres optimi ſi in tanta multitudine adaucta infectione, & poſt tributas nobis neſcio quo occulto Dei iudicio, tantas ſtrages, ibidem & publice recuperentur? Non erat etiam ille locus Græcis ad vnionem tam pie tamq; feruenter adſpirantibus accommodatus, plures etiam alia cauſæ & multo grauiores, illius communationis deliberationem auxerunt: quarum expreſſio poſſet maiora quam ſint ſcandala excitare, & quarum inueſtigationem facile ingredi poſſet quiſquis præteritorum temporũ non nimis vetuſtam habet memoriam, & præſentium diſpoſitiones libero animo & abſq; paſſione meditetur huiuſmodi ſanctitatis ſuæ deliberationem, ac Bononienſ. Concilij nouam conuocationem omnibus mundi Præſulibus atque principibus intimauit, etiam illis ex vobis, patres optimi, qui pro tempore hic reſidebant: optima ſpe fretus ne huiuſmodi ſanctitatis ſuæ mandatis orthodoxis quiſquam veſtrum contrairet. Sed heu Reuerendiſſimi patres ne dum mandata ſanctitatis ſuæ ſpreta ſunt, ſed quidam ex vobis ante diſſolutionem ſegnes & ad veniendum remiſſi videbantur, poſt diſſolutionem ſolertiſſimi atq; perpetes facti ſunt quidem qui hic aderant, poſt diſſolucionem cum aliquali diſplicentia læti & immobiles permanſerunt: quod certe, ſi ex impreſſione aut timore, qui caderet in conſtantes viros factum ſit, ſed quam ſit ab obedientia & humanitate veſtra alienum veſtri ipſi diiudicate.

LXIII. *Spectat ad Rom. Pon. Conc. conuocare vel conuocata ſua ſententia roborare.*

Spectat etiam ad ſummum Romanum pontificem non ſolum generales ſynodos conuocare, ſententia roborare Concilia conuocata, alias in irritum labitur, quicquid præter eius authoritatem ſtatuitur: & non proprie Concilia, ſed conciliabula nuncupantur, textus eſt diſt. cap. multis. *Inſuper quoties aliqua de vniuerſali ſynodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo quod non intelligitur, rationem: aut ſponte, hi qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant, ad Apoſtoli. am Sedem pro percipienda ratione conuenient: aut ſi forte (ſicut de talib. ſcriptum eſt:* peccator cum venerit in profundum malorum contemnit) *ita & obſtinati & contumaces extiterint, vt doceri non velint eos ab eadem Sede Apoſtolica aut attrahi ad ſalutem quoquo modo neceſſe eſt, aut ne aliorum perditio poſſint eſſe, ſecundum canones per ſeculares opprimi conuenit poteſtates* text. eſt eadem diſtinctio. nec licuit. *Quam ſit igitur periculoſum, in hac ipſa re mandata tranſgredi Apoſtolica* capit. illud *inſpicite Patres optimi,* Nulli fas eſt 19. diſtinct. *cuius ego ſeriem ne aures & dignitates veſtras tam grauiter offenderem, ſub ſilentio præterendum eſſe ſtatui.*

LXIV. *Prima Sedes à nemine iudicanda.*

Grane quidem igitur & periculoſum ab omnibus cenſetur Reuerendiſſimi patres hoc quod paulo ante diximus: ſed maiori cum admiratione dignum exiſtimatum, quod Romanum Pontificem citare præſumpſerit cum diſtinctio. 9. quæſt. terr. *ſcriptum ſit:* Nemo iudex iudicabit primam ſedem inſtitiam temperare deſiderantem: *neque etiam ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur, & gloſſa* ſuper verbo omni clero, *habet:* Ita *argumentum, quod Concilium non poteſt Papam iudicare, vt extra de, electi. ſignificaſti, Vnde ſi totus mundus ſentiret in aliquo negotio contra Papam, videtur quod Papæ ſententiæ ſtandum eſſet,* vt 24. quæſtio. prim. Hæc eſt fides. *Nec ob argumentum gloſſa in contrarium, quia orbis maior eſt vrbe,* 93. diſtinctio. *legimus, quia illud intelligitur cum Papa diſſentiret à tota Eccleſia in articulis fidei* 15. diſtinctio. ſicut ſancta, *vbi eſt gloſſa ad hoc notabiliſſima ſuper verbo,* præſumpſerit, *& illa gloſſa ſatis ſufficienter ſoluit obiectionem quæ fieri poſſet per* capit. illud frequens, *editum in ſacro Concilio Conſtantienſi: quod certe non ita arctat Papam quin poſſit ex ſuprema ſua authoritate ſuper loco & tempore celebrandi Concilij diſpenſare. Quam quidem authoritatem nimis impia vult præſumptione violare quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis: & id quod accipit à veteribus, non ſequendo, vt eſt textus,* libr. 19. diſt. Ita Dominus.

Papa poteſt ſuper loco & tempore celebrandi Cõcilij diſpenſare.

LXV. *Legum cum eſſentia in authoritate & prudẽtia Principis reſeruatæ ſunt.*

Moraliter etiam huiuſmodi legum circumſtantiæ ſemper in authoritate & prudentia Principis reſeruatæ ſunt, mutatis enim illis, frequenter non ſolum diſpenſationem, ſed abrogationem leges paſſæ ſunt. Elici poſſunt hæc ex ſententiis Ariſtotelis in fine decimi Ethic; alias eſſet nimis inhumana huiuſmodi conſtitutio. Poſſet enim locus ad Concilium deputatus infra illud decennium euerti in quo nullo vnquam tempore Prælatorum congregatio fieri poſſet, neque alibi, ſi ſoli ſummo Pontifici conſtitutionis illius diſpenſatio non tribueretur. Poſſet etiam conſtitutio illa ex tempore niſi in talibus diſpenſatio locum haberet, effici inutilis & captioſa, quod ab omni lege alienum eſſe debet 4. diſtinct.

In Pontificis Pontifice & sine causa dispensat legibus in sua oblidit. remanentibus.

Erit autem lex. *Formale enim legis & causas, personas, loca & tempora metiri*, distinct. 29. sciendum, &c. necesse, *neque propterea*, cap. illud frequens, *& alibi edita in sacro Concilio Constantiensi, & causa & inualida reputari debent, quotidie enim in posticiis, etiam sine causa, ne dum cum grauis causa insit, vt est communis Doctorum sententia, Papa dispensat cum penitus tollit, legibus in sua soliditate remanentibus.*

Illud preterea patres optimi, quam sit ab omni religione alienum, Domini nostri Iesu Christi vicarium, ad instantiam & pro interesse vnius viri, etiam quantacumque dignitate prediti vestro decreto impeti & molestari. Scio quoniam scitis Reuerendissimi Patres & frequentius me vidistis, c. illud frequens: *aliorum hominum cuius ego superius mentionem feci, illius tamen recentem memoriam vobis ingeram, & inquam, aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari: sed Sedis istius Prælatem suo fine quæstione reseruauit arbitrio, voluit beati Apostoli successores cælo tantam debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagine inuiolatã habere conscientiam. Nolite æstimare eas animas inquisitionis non habere formidinem quas Deus præcateris suo reseruauit examini. Scitis insuper Patres quanta cum humanitate, Marcellinum Episcopum almæ Vrbis, suo ore etiam de Idololatria convictum, Concilium rite congregatum, colligere in sinu suo causam exhortatum est, tanquam non liceret à quoquam primam sedem indicari.* 21. dist. Nunc autem *facit adhoc* c. lequens, &c. In tantum.

Illud ibi sub silentio prætereundum esse statim Patres Reuerendissimi, quã fuerit à vestra sapientia & charitate remotum, post illam loci mutationem, contra libertatem, authoritatem, & potestatem summi Romani Pontificis conatos vos esse, immo verius præsumpsisse pluries statuere, & edita promulgare, nostris, quam formidabiles esse huiusmodi transgressiones sanctorum patrum decreta declarent. Vnde non dubium est vt est textus 22. distinctio. capit. prim. Omnes, *quod pluries allegauimus: quia quisquis cuiusliber Ecclesiæ ius suum detrahit, in iustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium detrahit, ab ipso primo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille vocetur minus, hic sit dicendus hæreticus, fidem quippe violat, qui aduersus illam agit quæ mater est fidei: & ille contumax inuenitur qui eam cunctis Ecclesiis non præluisse cognoscitur. Sed si neque pœnæ formido, neque conscientiæ vermiculus r primere vos potuit, Patres optimi saltem cõmunis, quod habent membra cum capite depresso, discrimen continere vos debuit, finis enim illius capituli.* Aliorum hominum, *cuius toties mentionem fecimus, talis est: Rursus pater sanctorum voce pontificum, dignitatem sedis eius factam esse toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, vbique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de hac mihi per prophetam dictum videtur*: si hæc humiliarur, ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam vestram: *Multa ad hæc reprimenda, longe lateque in toto iuris & canonum ambitu conscripta sunt, quæ prætereunda esse censemus, vt celerius ad legationis nostræ fructum ingrediamur.*

Nemo profecto est, Patres optimi, qui de rebus grauibus æquo & moderato animo iudicet, qui non plurimum admiretur, huiusmodi progressus vestros, opinetur que grauia illos, & grauiora quam sint scandala, in Ecclesia Dei pariturosquibus quantum ex alto permittitur & quantacum clementia & charitate possit, sanctissimus Dominus noster summus Pontifex obuiare proponens, charitates vestras humanissime deprecatur, hortatur, monet, requirit & obtestatur, per eam quæ Sedi Apostolicæ obligamini, obedientiam, per integritatem fidei vestræ, per salutem animarum vestrarum, per vnionem Ecclesiastici corporis. Christi sanguine complantati, per ipsum Iesum Christum, Deum & Dominum nostrum, vt ab huiusmodi progressibus abstinentes, ad pacem, ad vnionem, ad reformationem cleri & fidelium, ac intermissæ libertatis Ecclesiasticæ instaurationem, modo quo potestis meliori cum sanctitate sua conuenientis, & quoniam Concilij desiderium sanctitati suæ & vobis commune esse videtur, suum tamen tanto feruentius, quanto plus sua interest, vt pote qui in eo prodesse habet, debet & vult, decreuit & deliberauit, & vult vt omnino Concilium generale celebretur, in quo non solum sua sanctitas adesse, & præsse vult, sed vt membra condignam reformationem humili & mansueto animo tolerent, statuit vt in primis reformatio à persona suæ sanctitatis inchoetur, non solum à tempore quo ad summum Apostolatus apicem assumptus est, sed tenera iuuentutis procedaturque ad reliqua totius Romanæ curiæ membra: demum alios mundi Principes atque Prælatos secundum gradus tangat, & pungat, quo totus Christianæ professionis populus, correctionis fructum salutemque percipiat, statuens sacrum illud Concilium, ita protegere, vt nullo vnquam tempore illud dissolui patiatur, nisi prius (quantum possibile Deus permisit) secte, vepres, hæreses, & discrimina ab agro Dominico procul pellantur quo Christi populus, vnus & pacificus sæclis, atque Euangelicæ vitæ puritè renouatus ac Christi charitate & deuotione accensus, Christi crucem atque Christiani populi sanguine madefactos mucrones in hostes Crucis, domus & terræ sanctæ occupatores conuertere possit. Quam diem si Deus dederit, vt oculis proprijs sua sanctitas intueatur, nihil in hac vita fructuosius, nihil desideratius, nihil iucundius sese consecuturam speraret. Hic erit Deo rem & causam suam promouente & protegente, Patres optimi, sacri illius Concilij finis, hic terminus, hic fructus. Vult igitur sua sanctitas Concilium, vult omne bonum.

Concilii finis & fructus.

Duabus igitur tantum in rebus seu circumstantiis à sanctitatis suæ decreto dissentire videmini. Altera deputatum per sanctitatem suam locum detestatur, altera interpositi temporis dilationem, virumq; pro pace, & consolationis via, & ne membra à capite separentur ex innata humanitate sua sanctitas prouidere dignatur. Ad primam enim dissensionem tollendam, quemcumque alum in Italia Ecclesiæ immediate subiectum locum offert: cuius Dominio pro tempore celebrandi Concilij, sese expoliare decernit, & sub Concilij potestate ponere, cum conditione quod post finem Concilij Ecclesiæ & suæ sanctitati restituatur. Ad secundum, illam temporis dilationem tollere, & sese ad locum per nos eligendum, & deputandum, modo prædicto, personaliter & absque interm dio conferre. Ad quem primo congressu magnam Prælatorum multitudinem secum ducet, alios cum celeritate ex omnibus mundi partibus venire compellet. Ad quem etiam locum plerosque mundi Principes venturos, plerosque solemnes ambasiatores & procuratores missuros certo confidit. Nos etiam iussu suæ sanctitatis vobiscum illuc si nunc venire placet, ne quidquam temporis interponatur, properare spondemus, vobis & cuilibet vestrii omnium præteritorum perpetuis temporibus valituram rem sionem pollicentes, ac omnimodam libertatem, & securitatem. Quod si forsam Germaniæ reformationem, reductionemque Bohemorum commodius in Germania fieri arbitaremini, sua sanctitas est longe al crius sententiæ, vt præmissum est, præsertim quia authoritas præsentiæ sanctitatis suæ, ad tantarum rerum expeditionem, plurimum necessaria videtur. Et an vltra Italiæ limites sese, propter notoriam imaletudinem conferre posset, qui etiam quinquaginta passuum progressu lassatur, vos ipsi diiudicate, neque existimare debetis Patres optimi, Bohemos, si eorum intentio pia & recta foret, ab eorum salute, ab vnione fid lium, ab æmenissima pace propter loci distantiam retardari: neque propter ipsorum hæreticorum reductionem, quam tamen credere, consideratis multis, mens fugit, postponenda est orientalis Ecclesiæ renouatio, quæ tanto Patribus incredibili sapientia, & sanctimonia, refertis abundauit, vnde scilicet doctrinæ fidei gloria merito est tributa, cuius inclinationem nusquam hactenus promptiorem vidimus neque stricto & iusto Dei iudicio eius magis necessariam, neque à tam pio & Catholico Principe oblatam. Pereunt sane in tarditate reductionis Hussitarum anima, pereunt orientalium schismaticorum & absque dubio & longe plurium. Modus est igitur vt absque intermedio vtrique inuitentur, ne cum illis simul pereamus & nos, vt si illi obstinatione ad gehennam adficent, liberemur & nos. possunt certe vno eodemque contextu ad vnitatem Ecclesiæ hi duo populi reuocari, possunt & debent maximecum ab altero inuitemur & nos. Tamen si in ea opinione vestra perstitis, placet suæ sanctitati ne propterea ab eius vnitate recedatis, quod in ambarum harum rerum expeditione Reuerendissimus Dominus meus legatus intendat. Placet insuper quod vos eidem adiumento sitis si hoc fructuosius quam sine intermedio ad Concilium proficisci, existimatis. Quod si complementum rerum eiusmodi, per Dominum legatum & vos fieri non possit, reliquum quod ad perfectionem extabit supplebitur in Concilio generali. Germaniæ tamen reformatio plus antiquorum canonum obseruatione in qua modesta coactio necessaria esse videtur, quam nouarum constitutionum editione indiget. Quain re Dominum legatum potestate & fauore circumfultum, dari poteris aptissimus modus, præsertim cum Clerus huius patriæ hactenus Deo deuotissimus extiterit, & ad obedientiam fere ex natura paratissimus, facile itaque ad decorem pristinum reducentur.

Concilii finis & fructus.

LXIX. *Pontifex offert Patrib. quem cunq; aliũ in Italia loco pro concil. & personaliter accedere.*

Pon. ppt. innua etudi dinẽ extra Italiæ limi tes se conferre non potest.

Hæc est sanctissimi Domini nostri pia intentio, Patres, hoc desiderium, hoc votum atque decretum. Suscipiatis igitur Reuerendissimi Patres insitum vobis verbum quanta cum oportet charitate & humilicate, ne, qui videmini pacis, vnionis & reformationis amatores, notiorum schismatum, dissentionum, & deformitatum capita reputemini. Amplectamini amore Iesu Christi, charitatem non fictam,

ea est

LXVII. *Quã formidabile sit contra Rõ. Pont. potestatem & authoritatem conari. Rom. Eccl. priuilegiũ detrahens in hæresim labitur & hæreticus dicẽdus est. Discrimen mẽbrorum capite depresso.*

LXVIII. *Expositio Legationis.*

Reformationem à se ipso inchoat repetit Pontifex.

Ecclesia ornent. reuocatio non postponenda.

Vno cõtextu possunt & Graci & Hussitæ reduci. Alia Eugenij ad Basilcens. oblatio.

Germaniæ reformatio plus antiquorũ canonũ obseruatiõe quã nouarii cõstitutionũ editione indiget.

LXX.

ea est de qua Apost. ad Corinthios *ait*: Charitas patiens est benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt: non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, gaudet autem veritati. *Ea qua summopere appetere videmini, Patres optimi, profecto magna, & arduæ sunt, & fontem præse honesti & boni ferunt, quorum tamen appetitus humilitatis freno continendus est*, cogitans enim magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogitat humilitatis. *Aurelius ille Augustinus ait. Efficiendum est igitur, prout ille noster Arpinas (gentilis tamen sed moralissimus) Cicero in officiis inquit*: vt appetitus rationi obediant, eam neque præcurrant, neque propter pigritiam aut ignauiam deserant, sintque tranquilli atque omni animi perturbatione careant, ex quo elucebit omnis constantia, omnisque moderatio, *nam qui appetitus longius euagantur, & tanquam exultantes siue cupiendo, siue fugiendo, non satis à ratione retinentur, sine dubio finem & modum transeunt, & relinquunt atque abiiciunt obedientiam, cui subiecti sunt lege naturæ. Bene igitur August. aiebat, quod mensura humilitatis cuiq; ex mensura ipsius magnitudinis data est. Bonum est igitur quærere dignos iustitiæ fructus, patres, si tamen humilitatis frenum non relaxetis: quia Chrysostom. ille Graecus inquit*: si iustitiæ coniunxeris humilitatem, quo non ibit? adsistet ipsi tribunali Diuino in medio Angelorum, *Pensate igitur rerum quas agitatis magnitudinem patres, commensurate dignitates vestras, & ita omnia ponderate, vt opera vestra Diuinæ voluntati conformentur. Hæc est igitur voluntas Dei vt cum Apostolo concludamus*, ab omni specie mali abstinere vos. *Ita autem Deus pacis significet vos per æquum, vt integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela in aduentu Domini Iesu Christi seruetur.*

Ego Iacobus Adsericus presbyter Tarentinus, publicus Apostolica authoritate notarius, & Reuerendissimi in Christo Patris Domini Iohannis Archiepiscop. Tarene. &c.

XXVIII.

NVNCIVS EVGENII PONTIFICIS. Basileenses acti in transfuersum:

LXXI. SAcrosancta generalis synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam representans, ad futuram rei memoriam.

Duob. modis S. sanctus contristari dicitur.

Cogitanti huic sacræ synodo, in Spiritu sancto legitime congregatæ, quod vobis venerabilibus Iohanni, & Andreæ, Tarentinensi, & Collosensi Archiepiscopis ac Bertrando Episcopo Magalonensi, nec non dilecto Ecclesiæ filio Antonio de sancto Vito Palatij Apostolici causarum auditori, Oratoribus Sanctissimi Domini Eugenij Papæ Quarti, pro iis quæ suo nomine bis exposuistis, responsum sit, duo ipse Spiritus sanctus persuadet, primum vt (secundum Apostolum) non in sublimitate sermonis, & doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus loquatur: Deinde vt summum Pontificem, & vos & quoscumque huic sacro concilio aduersantes sub iis verbis Apostolicis admoneat, quibus Beatus Paulus ad Ephesios vsus est: Nolite, inquit, contristare Spiritum sanctum. *Vtinam non à tristitia dicendi exordium assumere possemus, & ab ea præsertim, quæ in Spiritum sanctum committi dicitur. Duobus modis sacri Doctores exponunt Spiritum sanctum contristari, vel cum boni dono Spiritus sancti, & propter charitatem contristantur de his quæ non recte faciunt: vel cum Spiritus sanctus ab homine non recte facienti, repellitur more humano. Sicut enim homo de domo pulsus, tristis recedit, ita Spiritus sanctus propter non recte facta hominum deserit eos, & ab his recedit, non ipse tristis, sed tristes dimittens quos deserit. Connectendo inuicem vtramque expositionem, obsecrat hac Sancta Synodus cum omni mansuetudine, lenitate & modestia summum Pontificem & vos eius oratores, ne Spiritum sanctum contristare velitis: tum propter nos ipsos Concilium celebrantes, ne tristitiam, merorem que patiamur, intuentes ipsum non recte agere, dum dissipare, & euertere conatur hanc sanctam vniuersalem synodum pro salute populi Christiani congregatam: Tum etiam propter ipsum Dominum Eugenium, vosque & alios Concilium impugnantes, ne sic agendo, Spiritum sanctum à vobis repellatis. Ipse enim habitare non consueuit cum his, qui operibus aduersantur charitatis. Inter nostram autem & vestram tristitiam, hoc refert, sicut inter præsentem & futuram, meritorque & pœna dignam. Nos enim vehementer illa sentimus zelo domus Dei incensi. Grauissime quidem contristata est hæc Sancta Synodus tacta dolore cordis intrinseci, cum amaritudine & fletu volens congregare filios suos, sicut gallina pullos sub alis suis & non permittitur; volens fidei & Ecclesiæ periclitanti succurrere, & prohibetur. Et quod causa maioris doloris est, ab eo prohibetur, qui omnem animi conatum & studium ad tam sanctum & necessarium opus, more prædecessorum suorum conuertere deberet. Ipse autem summus Pontifex, vosque & alij Concilio contradicentes, tristitiam nunc non sentitis, nec animaduertitis quantum scandali, ac perturbationis in Ecclesia sic agendo seminatis: sed copiosior ac maiori compassione dignus hic morbus est, quo non sentitur, sentietis autem postea, dum scandala nata esse videritis, & cum apud illud terribile Christi tribunal stabitis, de singulis vsque ad minimum quadrantem rationem reddituri. Sed hoc nos in angustiis & tribulationibus consolatur, quod huiusmodi tristitia in gaudium atque præmium Domini nobis conuertetur: aduersantibus autem, ad iudicium: quod vtinam per condignam pœnitentiam in misericordiam commutetur, quemadmodum optamus & oramus pro vobis, & pro omnib. nos persequentibus & calumniantibus. Si Dauid videns prænaricantes, & non custodientes testimonia Domini tabescebat: si Christus Dominus super vnam Ciuitatem ruituram lachrymatus est, quanto dolore affici debet Sancta mater Ecclesia, videns per aduersantes Concilio, toti populo salutem impediri? Quis eas animas numerare posset, quas sat anas errorum, atque hæresum laqueis implesque mundi partibus alligatis tenet quasque alligaturus est contagione pestifera, nisi celeriter per hoc sacrum Concilium prouideatur? Quæ autem Christianitatis portiuncula est, quæ domestico, Ciuili, crudelique bello & exitiali odio non agitetur, adeo quidem vt atrocior Christianus quam saracenus? Quid attinet vltra ad dicendum cum omnis & Ecclesiastica, & Christianæ vitæ disciplina, vbique pene extincta videatur? Hæc omnia spes erat & exspectatio gentium per hoc sacrum Concilium posse reparari: & iacta fundamenta iam erant, ita vt populus Christianus hac spe respirare videretur. Tam sancta igitur & necessaria opera si perturbari videamus nonne maximo dolore contristari nos oportet, præsertim cum ab eo perturbatio hæc veniat qui primus pro suo officio ad succurrendum esse deberet? Quis Catholicus hæc audiens se à lachrimis temperet? Quis ille est cuius viscera ad compassionem moueri non debeant? Merito ergo summum Pontificem exoramus, ne Spir. sanctum contristare velit.*

Crudelia bella & Ecclesiast. disciplina pene extincta.

Quam formidabile sit in Spiritum sanctum delinquere, hinc cognoscite, quod cum cæteræ peccata vel in Patrem, vel in filium commissa, remittantur, solum peccatum in Spiritum sanctum veritas attestatur, nec in hoc nec in alio sæculo remittendum. Quid magis in Spiritum sanctum committitur, quam perturbare sacra Concilia, quæ Spiritu sancto dirigantur, cuius existentia extirpantur hæreses, eliminantur schismata, damnantur errores, discordia in pacem vertitur, vitia ad mores sanctos commutantur? Quid boni, ac sancti est in Ecclesia Dei, siue ad fidem, siue ad mores siue ad generalem Ecclesiæ statum spectet, quod ex ipsorum Conciliorum saluberrima doctrina non fluxerit? Merito igitur tam grane peccatum, tam grauem meretur pœnam, præsertim cum non in vnam personam aut gentem, sed in omnes homines & populos præsentes, & futuros, & in totum Christi mysticum corpus perpetretur. Si scandalizantium de pusillis minimis Ecclesiæ, tam terribile iudicium minatur Deus, quid putatis illi fiet, qui vniuersalem scandalizat Ecclesiam? Quo maiori loco quis positus est, & maior cura sibi commissa, eo transgressio damnabilior. Sanguis omnium pereuntium propter hæreses, bella & morum deformitatem, ab eius manibus exigetur, qui impedimento est, ne illa tollantur. Sed & hoc auget tristitiam nostram, quod is qui percutit, aut se percutere non recognoscit, aut dissimulat. Quis non turbetur, si percussor percusso dicat? Cur me cedis, cum potius ad percussum id dicere pertineret? Venitis ad nos & sub specie virtutis exhortando proponitis, non fit schisma in corpore. Sanctum est hoc verbum & omni acceptione dignum: sed rectius factum esset si ad eum qui vos misit, huiusmodi sermonem seriatim exposuisset is. Saltem, quod ab eo recedentes non fecistis, facite ad eum redeuntes. Ei enim per maxime opus est vt dicatis, non sit schisma in corpore. Nos enim nihil aliud quæsiuimus, nec quærimus, hoc cupimus, hoc oramus. Et ne sit schisma in corpore quam orie, quam suppliciter per diuersos oratores suam sanctitatem exoranimus, vt sicut Catholicum Pontificem decet, velit Ecclesiæ Catholicæ se coniungere, quam hoc sacrum Concilium represen'at. Quoties deprecati sumus, ne Sanctam Synodum perturbet, ac persequatur? Quoties supplicauimus, ne intolerabilium scandalorum, quæ suus dissolutionis pretensæ conatus parturire potest, vel

LXXII. *Quam formidabile sit in S. sanctum delinquere.*

esse oc-

esse occasio. Dicite nobis; si duo ad certum tempus, vel aliquod completum opus, societatem misissent, & alter eorum ante tempus, vel operis finē velit societatem dimittere, alter autē vsq; ad finem temporis, vel operis perdurare, quis horum censendus est societatis scissor & diuisor? Si duobus seruis mandat Dominus, vt laboratum in agrum vadant, vsque ad fructuum tempus, & alter in via retrocedit, alius autem in agro laborans, vsque ad messem perseueret: quis eorum alter alterum deferere & quis Domini mandatis obtemperare dicendus? & si recedens perseueranti dicat, recede & tu ne sit diuisio inter nos, an debet ille recedere. & potius conseruo quam Domino, parere? Nemo est tam hebetis sensus qui ista non diiudicet. Videamus ergo, si placet, quis scindit societatem, aut fraternitatem Ecclesiæ, quis ab alio se diuidit, quis sanctæ matris Ecclesiæ mandata contemnit. Conuent vniuersalis Ecclesiæ mist cum Christi corpus, in celeberrimo Constantiensi Concilio, vbi Spiritu sancto dictante, vnanimi consensu pro generali statu Ecclesiæ conseruando desinitum est vt deinceps Concilia certo tempore celebrentur. & modo, ad colendum agrum dominicum, & inde euellendum vepres, spinas & tribulos hæresum, errorum, & schismatum, & excessus corrigendum, & deformata reformandum.

LXXIII. *Martin V. iuxta decretū Con. Coſt. aut. deſignatit Papiā pro futuro Cōc. quod poſtea Senas tranſlatū ſ. it. Ibi Ciuitas Baſileenſ. pro loco futuri Concilij electa.*

Huius statuti vigore felicis recordationis Dominus Martinus Papa Quintus, per litteras apostolicas locum proximi Concilij ordinauit sub his verbis: Ad perpetuam rei memoriam: Cupientes & volentes decreto huiusmodi Concilij Constantiensis satisfacere, inter alia disponenti, quod omnino generalia Concilia celebrentur in loco, quem summus Pontifex per mensem ante finem huius Concilij, approbante & consentiente Concilio, deputare, & assignare teneatur, pro loco dicti proximi celebrandi Concilij, eodem consentiente, & approbante Concilio, ciuitatem Papiensem tenore præsentium deputamus. Postea captum est celebrari Concilium Papiense, quod de consensu Concilij translatum est ad Ciuitatem Senensem, & ibi consentiente & approbante Concilio, per nuncios Apostolicos electa est hæc Ciuitas Basileensis, pro loco proximiter nunc sequentis Concilij in septennio celebrandi. Aduenit septennij tempus, Congregatur hic Concilium, non solum iuxta decreta duorum generalium Conciliorum, sed accedente expresso consensu ipsius Martini, & moderni Domini Eugenij, destinantium ad hoc legatum suum. Ecce iussu Spiritus sancti, vniuersale Concilium legitime congregatum est ad colendum agrum Dominicum. Adest a principio summus Pontifex per legatum suum, postea ante finitum tempus, & opere non completo recedit, deseritque laborantes in agro Domini. Nunc igitur qui habet oculos videat quæ diuisionem, scissuram, rixam, contentionem, ac scandalum faciat, quæ omnia ex schismate prouenire communeraſtis. Nunquid nos propria authoritate huc venimus? Si Ecclesia bis congregata in duobus Conciliis, si duo Romani Pontifices ita statuerunt, si id agimus quod ipse Spiritus sanctus per organum Ecclesiæ decreuit, cur nobis dicitur, Non sit schisma in corpore? Cum Christus dixisset, nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: multi ex discipulis audientes dixerunt: Durus est hic sermo, & murmurantes, scandalizati sunt, & retro abierunt. Et cum Iesus diceret duodecim discipulis: Nunquid & vos vultis abire? Respondit Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Quis horum se diuisit? an recedentes, an remanentes cum eo à quo vocati fuerant? Sed ad viciniora veniamus exempla. Olim Papa Ioannes vigesimus tertius, congregato Constantiæ Concilio, inde recessit, dans suo recessu quantum in eo erat, occasionem dissolutionis præteritæ. Nunquid qui Constantiæ remanserunt vsque ad finem, dicendi sunt temerarij & præsumptuosi? Nunquid vt sequamur Iohannem dicendum eis fuisset, Recedite hinc, ne sit schisma in corpore? An potius finaliter pronuntiatum fuit, recessum suum fuisse illicitum, & scandalosum? & quis non videat plus esse, expresse conari dissoluere, quam solum corporaliter ex Concilio discedere? Igitur si hi pronunciatum sit huiusmodi dissolutionem non valuisse, nihil noui factum est. Qui vsque ad finem Constantiæ perseuerauerunt, ab omnibus commendati, & laudati sunt; sic speramus in Domino contingere his qui in hoc constanter perseuerauerunt. Desinite igitur propter sanctam perseuerantiam nostram, calumniari nos & dicere, Non sit schisma in corpore, quasi nisi hinc recesserimus, schisma fiet in corpore. Nos potius speramus quemadmodum per alia Concilia salubriter prouisum est Ecclesiæ variis calamitatibus afflictæ, ita & per hoc, Deo concedente, prouidebitur. Sed dicitis si manseritis hic, venient scandala: dolemus, & contristamur, & propterea ipsum obsecramus, ne Spiritum sanctum contristet, ne sit causa scandalorum: quia & si necesse sit, vrait veritas, venire scandala, væ tamen illi per quem scandalum venit. Is qui huius est author scandali, cum vnico verbo id tollere possit, cur differt? In manu sua est, sine vlla difficultate potest. Non opus est congregare pecunias, exercitus aut naues, quemadmodum si Hierusalem (vt asseritis) recuperare velit. Reuocet præsentem dissolutionem, & sublatum est omne scandalum. Reddet vna & sibi & Ecclesiæ pacem. Nec pudere aut quouis humano respectu ab hoc retrahatur, quoniam Romanus Pontifex cum videt sibi aliquid falso suggestum, aut quod tendat ad noxam, se fecisse cognouerit, sta im reuocare consueuit, quia imo plurimū gloriæ & honoris hinc sibi accedet. Omnes enim intelligent plus fil i esse Ecclesiasticam pacem, quam propriam voluntatem. Nam ratis plurimas hæreses à Principio nascentis Ecclesiæ vsque in hodiernum diem exortas & per sanctos Patres & Concilia fuisse sublatas. Verum id esse fatemur.

Rō. Pont. cum videt ſibi aliqd ſal ō ſuggeſtum aut quod ad noxam tend. t ſe ſe ciſſe cognouerit ſtatim reuocat.

Et cum peculiare sit & proprium Conciliorum priuilegium extirpandi hæreses & à Spiritu sancto indultum, nullatenus ea impediri, sed foueri oportet. Si Ecclesiasticos annales relegamus, vix vllam hæresim, nisi per Concilia, sublatam inuenimus. Merito igitur cauendum est, ne tam leuiter dissoluatur, quod tantum Christianitati profectum facere consueuit. Dicitis duo genera esse hominum qui fidei Catholicæ maxime aduersantur, Græcos & Hussitas de quibus prouidere oportet. Fatemur his duabus gentibus reconciliandis intendendum fore, & hæc sunt studia nostra. Nec puteris Græcorum nos esse oblitos, sed cogitantes per litteras & nuncios huc eos aduocare. Postea in hanc sententiam venimus, summo Pontifici deferre, ipsumque rogare vt solemnes oratores ad eos mitteret, quatenus huc reconciliationis causa accederent, daretque omnem operam ad hoc sanctum negotium. Ita per nuncios nostros dilectos Ecclesiæ filios, primo Magistrum Iohannem Pulchripatris, deinde Iacobum de Sirck Scholasticum Treuirensem, & Thomam Ferne Officialem Parisiensem, suæ sanctitati nunciamus. Detulimus etiam suæ sanctitati pro honore sanctæ Sedis apostolicæ in plerisque aliis, arbitrati, vt (sicut ad officium eius spectabat) hæc & alia necessaria exequeretur. Sed vsque nunc spe nostra frustrati sumus. Nam dum in modestia & simplicitate procedimus, & calumnias & iniurias patimur: & dum sacram Concilium suæ sanctitati, honorem exhibet, ipsam hanc Sanctam Synodum perimere labor.t.

Extra Eccl. ſiam non eſt ſalus.

LXXIV. *Proprium Concilio rū hæreſes extirpare.*

Græcos autem maxime nobis cordi est, sicut & alios, Ecclesiæ reconciliare: pro qua re sancta & necessaria, omnibus viribus laborare intendimus: & quidquid pro eorum reductione faciendum est, promptum animo offerimus. Et vt omnibus nostra sincera innotescat intentio, te venerabilem Archiepiscopum Colossensem, quia alias hoc negotium pertractasti, deprecamur, vt nomine nostro hanc legationem vna cum Collegis tibi per hanc sacram generalem Synodum adiungendis, ad illos velis suscipere, oblaturus eis pro parte nostra, quicquid pro ipsis conuertendis offerendum videtur. Tibi autem pro viagio tuo, condignas expensas dare offerimus. Sed cum quis hoc facile futurum, si schisma non fiet in corpore iam paulo ante respondimus, nos non futuros schismatis causam, cognoscere & ipsi, & omnes potuerunt, nos non contemptum ire summum Pontificem vt dicitis: imo illam reuerentiam, quæ Beati Petri successori debetur, sibi exhibere voluimus, dummodo à corpore Ecclesiæ extra quam non est salus, se nolit segregare. Quod si fecerit (quod tamen non credimus) nunquid & nos tanquam Canes muti, non valentes latrare tacebimus, & periclitantem Ecclesiam claudore adspiciemus? Nunquid non & Paulus restitit in faciem Cephæ in eo in quo reprehensibilis erat? Non propterea Græci ad vnitatem ecclesiæ accedere, & propriam salutem, quæ sine veritatis Catholicæ confessione haberi non potest, cognoscere negligent. Sed quomodo credendum est, Bononiam Græcos esse venturos, si tam facile Concilia dissolui videant? Quam igitur spem Græci concilio Bononiensi vel alibi celebrando habebunt, si tam solemne Concilium per septennium expectatum, & per duos Pontifices Romanos confirmatum, re infecta, in limine ipso euanescat? Græci maiorum suorum in hoc vestigia imitantes sine celebratione Concilij reductionem ipsorum fieri non posse arbitrantur. Nam ipsorum Patres quicquid ad fidei veritatem pertinebat, per Concilia soliti sunt definire. Necessarium ergo est, ne spem Conciliorum perdant, vt firmum & stabile hic Basileense Concilium perseueret: ad quod si venire decreuerint, & Romanæ Ecclesiæ reconciliari intendant, quidquid eis pro ipsorum aduentu necessarium fuerit, libenter offerimus: & omnia quæcunque habemus, parati sumus vsque ad nuditatem, imo vsque ad animam pro eorum reductione exponere. De loco autem non est quod causare possint. Nam si Bononiam vsque perueniant, paululum plus laboris accipient huc proficiscendo. Et cum olim ad Ciuitatem Lugdunensem remotiorem quam ista sit, ac deinde ad Ciuitatem Constantiensem oratores miserint, non minus

Baſilienſ. ad Græcos legatus deſignatur.

LXXV. *Archiepiſc. Coloſſen. & Baſileenſ. ad Græcos legatus deſignatur.*

minus commode ad hanc venire potuerint. Accipiat igitur tua deuotio hanc sanctam legationem pro nomine Iesu Christi & salute Græcorum quorum certe maiores ab Ecclesia omnia merito esse recognoscimus. Postea de crudelitatibus Hussitarum, & quam periculosa sit eorum hæresis subiectis. Non potestis in hoc tantum dicere quin plura referenda essent, propterea maxime admiramur, cum illi nihil tantum odio habeant, quam nomen & authoritatem summi Pontificis, quod totis viribus huic Concilio aduersetur, quod tam diligenter pro eorum conuersione laborat. Quod autem hoc desit, culpa erit illius, qui per diuersam sententiam ab eo quod Ecclesia in Constantia statuit, se diuisit & hanc nouitatem & diuisionem induxit. Sed quæ spes reductionis esse poterit, si decreta Concilij Constantiensis, in quo illa hæresis damnata dñt, infringantur? Quod autem prius studendum sit, vt prius nouella Zizania euellatur videamus. Fatemur in quotidiano cum omni patientia, modestia, & longanimitate, vt sacro Concilio summus Pontifex, prout tenetur, adhæreat. Sed speramus in Domino quod vel ipse Dominus Papa Eugenius tandem veritati & rationi acquiescet, vel mundus huius sacri Concilij iustitiam recognoscens eidem adhærebit. Fatemur mores Ecclesiasticorum corruptos, indigere reformatione, pacemque potissimum esse necessariam in populo Christiano, & hoc esse præcipuum sacerdotis officium, pacis negotiis intendere. Sed hoc fieri non posse, si schisma sit in corpore. Superuacuum & iterum de eadem re rationem reddere. Credimus Deo & hominibus constare, nec voluntatem, nec operam nostram ad schisma tendere. Multiplicatis precibus oramus ipsum Dominum Eugenium, ne se ipsum à corpore abscindat, nec offendiculum, tam sanctis operibus, ob quæ Concilium congregatum est & vos necessaria esse dictis, velit gratis apponere.

Extra Vniuerſ. Eccl. nulla vera virtus.

LXXVI. *Summi Pon. ſumma cura ſacra Conc. foue runt.*

Olim summi Pontifices summo studio ac cura fouebant sacra Concilia, & ea summo cum honore prosequebantur: & quæ in illis fiebant, non vt ab hominibus, sed à Spiritu sancto dictata venerabantur. Si veteres relegantur Historiæ, nullo tempore fuit tam necessarium celebrare Concilium, quam modo & in hoc loco: nullumque vnquam fuisse Concilium legitur tot authoritatibus stabilitum, & nihilominus a summo Pontifice tam graviter & multipliciter impugnatum. Dicitis, impossibile videri, simul de principatu Ecclesiæ & moribus disputare; disputatio illa cur necessaria sit non intelligimus. Nos semper debitum suæ sanctitati reddimus, semper reddat & ipse quod vniuersali Ecclesiæ, recognoscendo authoritatem Concilij generalis, iuxta decreta sacræ Constantiensis Synodi. Et quoniam se offert, vt reformatio ab ipso incipiat, si huic actioni debitus ordo seruetur, vtinam facta verbis compenset. Sed hoc primum ab eo munus reformationis optamus, vt tollat ante omnia dissolutionem præsentem quæ iuxta decreta Concilij Constantiensis fieri non potuit, nec tolerari potest sine fidei & status Ecclesiastici pernicie. De cæterisque per Dei gratiam facile concordabimus, si hoc duntaxat fecerit. Quantum ad debitum ordinem quem seruandum dicitis, hoc est quod optamus, nullum autem magis debitum ordinem esse credimus, quam vt ille seruetur, quem Patres nostri in Concilio Constantiensi in quo & ipse affuit, instituerunt. Multa etiam de virtutibus eius differuistis, in hoc laudandus est Deus, à quo omne bonum. Rogandus etiam, vt quod illi deest, pro sua clementia largiatur. Hoc illud est vt ab vniuersali Ecclesia non se scindat, extra quam nulla est vera virtus: hoc faciat, vt ipsum condignis laudibus prosequamur. Et hæc ad ea quæ primo loco per venerabilem Archiepiscopum Colossensem relata sunt, dixisse satis est. Nunc autem ad proposita per venerabilem Archiepiscopum Tarentinum, dicendum restat.

LXXVII.

In primis late explicat iurisdictionem & potestatem summi Pontificis, quod caput sit & primas Ecclesiæ, vicarius Christi, & à Christo non ab hominibus vel Synodis alia prælatus, & pastor Christianorum: & ei datæ sunt à Domino claues, & vni dictum est: Tu es Petrus, & solus in plenitudinem potestatis vocatus sit, alij in partem solicitudinis, & multa eiusmodi, quæ cum vulgatissima sint minime necessarium erat recensere. Ista plane fatemur & credimus, operæmque in hoc sacro Concilio dare intendimus, vt omnes eandem sententiam credant. Et nihilominus ipsum Romanum Pontificem dicimus obedire teneri mandatis, statutis, ordinationibus & præceptis huius Sanctæ Synodi Basileensis & cuiuscunque Concilij generalis legitime congregati, in his quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris, quemadmodum declaratum extitit, per generale Concilium Constantiense, Catholicam representans Ecclesiam, cuius Catholicæ Ecclesiæ, quemadmodum & summi Pontificis æquum fuisset saltem panciſſimis explicare potestatem. *Quod cum non feceritis, di-*

Huſſitarū crudelitates.

In primis hoc nos meminisse decet Catholicam Ecclesiam illam esse cuius Confessio in symbolo continetur, sanctam Ecclesiam Catholicam. huius Ecclesiæ tanta authoritas est vt sola Christi Euangelia illa dicantur quæ Ecclesia recipit, plures enim de Apostolis etiam scripsisse dicuntur Euangelia, sed quia quatuor tantum approbauit Ecclesia, illa sola & non alia veneramur. Ideo Beat. Augustinus in pleriſque locis asserit: Euangelio non crederem nisi me Ecclesiæ authoritas commoueret. *Illa enim sacra scriptura dicitur quam sacram declarat ecclesia. Huius ecclesiæ determinationi Catholici omnes merito suas sententias submittunt, & nisi ab ipsa approbentur ecclesia, Catholici esse non possunt.*

LXXVIII. *Quæ ſit Eccleſ. Cath. & quæ illius authoritas.*

In primis hoc nos meminisse decet Catholicam Ecclesiam illam esse cuius Confessio in symbolo continetur, sanctam Ecclesiam Catholicam. huius Ecclesiæ tanta authoritas est vt sola Christi Euangelia illa dicantur quæ Ecclesia recipit, plures enim de Apostolis etiam scripsisse dicuntur Euangelia, sed quia quatuor tantum approbauit Ecclesia, illa sola & non alia veneramur. Ideo Beat. Augustinus in pleriſque locis asserit: Euangelio non crederem nisi me Ecclesiæ authoritas commoueret. *Illa enim sacra scriptura dicitur quam sacram declarat ecclesia. Huius ecclesiæ determinationi Catholici omnes merito suas sententias submittunt, & nisi ab ipsa approbentur ecclesia, Catholici esse non possunt.*

Hæc sancta ecclesia tanto priuilegio à Christo saluatore nostro, qui eam sanguine suo fundauit; dotata est, vt eam errare non posse firmiter credamus. hoc solum competit Deo natura, ecclesiæ vero priuilegio. Præter autem ecclesiam nemini vnquam tale munus communi lege datum esse legimus: non Angelis, hi enim à principio errare potuerunt, & multi ex eis errarunt: non primis parentibus, nam hi à Diabolo decepti sunt: non hominibus, nam omnis homo mendax; non summis Pontificibus quorum nonnulli in hæreses & errores lapsi esse dicuntur & leguntur. Ecclesia sola sine ruga, & sine macula est, quæ errare non potest in his quæ ad salutem necessaria sunt. Vtique Spiritus sanctus, qui mentiri non potest, se cum ea permansurum vsque ad finem sæculi, & eam per Spiritum sanctum in omni veritate docendam esse pollicitus est. In ista regeneramur, roboramur, nutrimur, & vnificamur; extra istam nec salui esse, nec Deo placere possumus. Ianua Cœli est per quam solum ad Cœlum iter est.

LXXIX. *Eccl. Cath. errare nō potest. Speciali priuilegio à Chriſto ſic dotata. Sola ſine ruga & ſine macula. Ianua cœli & iter ad cœlum.*

Sponsa enim Christi dicitur, & vnica, & pulchra, sine macula, & sine ruga: soror, amica, columba, formosa, speciosa, perfecta, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentium, suauis, mitis, decora, & quæ merito beatissima prædicatur: pro eius que fortitudine & firmitate, terribilis dicitur vt castrorum acies ordinata. Hæc enim mater & magistra omnium fidelium, ac etiam corpus Christi mysticum nuncupatur, cuius caput ipse Dominus Iesus Christus. Nec mirum, si errare non potest, quæ caput habet Christum, Doctorem Spiritum sanctum, huius tanta est authoritas, vt qui contumaciter eius doctrinæ contradicere præsumpserit, hæreticus esse couincatur. Quæ domus etiam claues soluendi & ligandi accepit à Domino. hanc domum si quis corripientem corrigentemque contempserit, sit tibi, inquit Dominus, vt Ethnicus & publicanus. Decuit quidem tantam ecclesiæ conferri potestatem vt cum omnis homo obliquabilis sit & peccabilis, ipsa esset in terris, cuius iudicio, quod errare non posset quilibet subiceretur.

Sponſa Chriſti. Hortus cōcluſus. Mater & magiſtra omnīū fidelium. Corpus Chriſti myſticum. Chriſti caput eccleſ. Habet claues ligādi atq; ſoluendi.

Nec solum ecclesiæ decreta, & sententiæ antenticæ sunt quibus irrefragabiliter stare oportet, sed etiam eius facta & consuetudines, instar habent sacrarum scripturarum. Sacræ enim scripturæ, & consuetudini ecclesiæ patribus, & idem vtrique pietatis debetur affectus. Præteristis etiam silentio sacrorum generalium Conciliorum authoritatem, quorum notitia cum omnibus fidelibus necessaria sit, ideo de potestate eorum pauca perstringere non erit inutile.

LXXX. *Eccl. facta & conſuetudines inſtar habēt ſacrarum ſcript.*

Istorum Conciliorum & ecclesiæ Catholicæ eadem videtur esse potestas. Definitum enim est in Concilio Constantiensi, quod Synodus generalis in Spiritu sancto legitime congregata Catholicam representat Ecclesiam, & potestatem à Christo immediate habet. Idem etiam Martin. Papa in suis litteris Apostolicis sententias quasdam Concilij Constantiensis interserens exprimit; Quæcunque igitur proxime dicta sunt de authoritate ecclesiæ trahi ad generale Concilium, quod illam representat necesse est. Alioquin non recta esset representatio, si eadem in representante & representato authoritas non inesset. Et hoc solum satis foret ad probandum omnem Concilij potestatem, nec alia probatione vt necessarium videretur: vtique cum maior probatio esse non posset, quam ipsius ecclesiæ quæ errare non potest. Nihilominus propter ipsorum reuerentiam aliquid amplius referamus.

LXXXI. *Concilio. & eccleſ. Cathol. poteſtas.*

Audite quanta authoritatis sint ipsa Concilia, quantamque reuerentiam, non solum primatæ personæ, sed & sancti summi Pontifices, ipsis Conciliis habuerunt. Inquit Beat. Cœlestinus in Epistola ad Synodum Ephesinam transmissa vt refert Isidorus in libr. Conciliorum: *Spiritus sancti testatur præsentiam, congregatio sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia nec potest veritas ipsa mentiri, cuius in Euangelio ista est sententia:* vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum

LXXXII. *Quanta authoritatis Concilia.*

in medio eorum. *Quod cum ita sit, nam nec hi tam breui numero spiritus sanctus deest, quanto magis nunc interesse credamus in vnum conuentum turbæ sanctorum? sanctum namque Concilium est pro debita veneratione collectum, in quo nunc Apostolorum frequentissimæ illius (quam legimus) congregationis aspicienda reuerentia est.*

LXXX-III. *Quæ reuerentia Cõcilio habenda.*

Et idem Isidorus in eodem libr. in gestis tertiæ Synodi Toletanæ inquit: Vnde valde necessarium prospexi vestram in vnum conuenire multitudinem, habens sententiæ diuinæ fidem quæ dicit: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. *Credo enim Beatam sanctæ Trinitatis Diuinitatem huic sacro interesse Concilio, & ita tanquam ante conspectum Dei, in medio vestri fidem meam protuli. Ecce Beatus Papa Cælestinus eam reuerentiam habendam esse dicit congregationi Concilii, quæ debetur Collegio Apostolorum, vtpote in cuius medio ipse Christus assistit, Spiritus sanctus & ipsa Trinitas. Quodque spiritus sanctus in Conciliis iudicet, & propterea Concilia errare nequeant, testis est scriptura actuum Apostolorum, quæ dicit: Visum est spir. tui sancto & nobis. Etiam B. Ieronymus comparat Concilii authoritatem soli, vt sicut Sol suo ardore humores riuulorum deficcat, ita Concilium sua authoritate omnem contrariam superat argumentationem. Inquit enim in fine disputationis, contra Luciferianum: Poteram omnes disputationum tuarum riuulos, hoc vno ecclesiæ sole siccare, de authoritate Concilii generalis loquens.*

LXXX-IV. *Concilii authoritas authoritati sacræ scripturæ comparatur. Gener. Cõcilia vt Euangelia veneranda.*

Item Concilii authoritas authoritati sacræ scripturæ comparatur, quia vt ait Beatus Augustinus de fide Christiana: Catholica ecclesia per orbem diffusa tribus modis probatur existere: quicquid in ea tenetur, aut est authoritas scripturarum, aut traditio vniuersalis, aut certe propria & particularis institutio: sed authoritate tota constringitur, vniuersali traditione maiorum, nihilominus tota. Ecce par authoritas & scripturarum & vniuersalis traditionis. Sed concilia generalia, vniuersali traditione & consensu sunt & recipiuntur: Videntur etiam generalia Concilia, vt euangelia fore veneranda. Ratio enim, propter quam Beatus Gregorius quatuor prima Concilia, vt euangelia suscipit & veneratur, ipsa est, quia dum sunt vniuersali consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumpserit absoluere quos ligant, aut ligare quos absoluunt. Sed hac ratio eadem est in ceteris generalibus Conciliis. Vniuersali enim consensu constituta sunt. Beatus etiam Augustinus ad Ianuarium, asserit generalium Conciliorum saluberrimam in ecclesia authoritatem esse, quæ si saluberrima, & salutem continet: Qui ergo authoritati Concilii contradicit, contræ salutem agit. Quantam deuotionem reuerentiamque, Christi fideles Conciliis habere debeant, hinc patet quod antequam esset facultas in vnam congregandi & celebrandi Concilia, Christianitas multiuersas hereses scissa est: postquam autem capta sunt Concilia celebrari omnis heresum atque errorum caligo, tanquam sole illustrante depulsa est.

LXXX-V. *Concilia legit. statuendo nõ errant.*

Quod etiam Concilia statuendo non errant, hinc liquide constat, quia omni manent stabilita vigore, vtique cum Spiritus sanctus illa dirigat & inspiret. Vnde inquit Beatus Isidorus quod si qua sint talia Concilia, quæ sancti Patres spiritu Dei sanxerunt post illorum quatuor authoritatem, omni manent stabilita vigore. Hinc etiam euidenter patet, quod Concilia errare non possunt: quomodo quilibet Summus Pontifex qui est Pastor & Caput Ecclesiæ, tenetur prout in Concilio Constantiensi statutum fuit, quam primum in Summum Pontificem electus est, profiteri coram suis electoribus, fidem Catholicam tenere secundum traditiones Apostolorum, generalium Conciliorum, & post nominationem aliquorum Conciliorum, subiicitur etiam nec non Lateranensis, Lugdunensis, Viennensis, Generalium etiam Conciliorum, & illam fidem vsque ad vnum apicem immutilatam seruare, & vsque ad animam & sanguinem confirmare, defensare, & prædicare. Et ita professus fuit felicis recordationis Martinus Papa Quintus, ita etiam creditur, Dominum Eugenium modernum professum esse. Quilibet ergo Christianus, eandem fidem tenere obligatur, quam Ecclesia Catholica & Apostolica tenet, & approbat. Quod si errare possent Concilia generalia in his quæ ad salutem sunt necessaria, profecto nonis vanum ac pernicioſum esset, ad talem fidem populum Christianum adstringi. Quantæ etiam sint authoritatis Concilia generalia, hinc luculenter aduerti potest, quod ab eorum potestate nemo eximitur, etiam Summus Pontifex, vt constat Concilii Constantiensis decretum in hæc verba: Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, &c. ordinat, statuit, definit decernit, & declarat, vt sequitur.

Et primo quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Catholicam militantem ecclesiam representans, potestatem à Christo immediate habet: cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & generalem reformationem ecclesiæ Dei in capite, & in membris. Item declarat quod quicunque cuiuscumque status, vel dignitatis existat etiam Papalis, qui mandatis, statutis, siue ordinationibus aut præceptis huius sanctæ Synodi & cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, etiam ad alia iuris subsidia si opus fuerit recurrendo. Nec quisquam illud dicere præsumat, quod aliquod generale Concilium legitime congregatum, inualidum sit aut errare possit: quia si hic pernitiosus error admitteretur, tota fides Catholica vacillaret, nec aliquid certi in ecclesia haberemus: quia qua ratione errare potest vnum, possent errare & reliqua: quoniam vt inquit Beatus Augustinus, si ad scripturas sanctas admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? Quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosæ falsitatis obtractetur improbitas? Quis iam de potestate Concilii generalis super omnes alias potestates ambigere poterit, tot irrefragabilibus testimoniis comprobata? Ex his manifeste conflat, authoritates quæ de summi potestate Pontificis allegatis, non probare quo minus ipse Pontifex mandatis vniuersalis ecclesiæ & Concilii generalis obedire teneatur. Sed id diutius axat probant, quod omnes singulares homines particularesque ecclesiæ, ipsi Pontifici obedire debent, nisi in his quæ huic sacræ Synodo, & cuilibet alteri legitime congregatæ præiudicium generarent. Nam & si sit caput ministeriale ecclesiæ, non tamen est maior tota ecclesia, alioquin errante Pontifice, sicut sæpe contingit, & contingere potest, tota erraret ecclesia, quod esse non potest, & si caput sit & principalis prælatus huius corporis mystici, est nihilominus intra corpus. Nam si extra corpus esset, tunc non pertineret ad corpus, nec tunc caput esset. corpus igitur hoc, totum continet & ipsum quod dicitur caput, & singula membra.

LXXX-VI.

LXXX-VII.

Nec quis dicat quod ipsa pars principalis potentior est, ac dignior reliquo toto corpore & ceteris membris, & per consequens illi potius obediendum: quia ratio, experientia, & authoritas dictant contrarium. Ratio quia reliquum totum corpus, etiam non computato Papa, secundum legem communem errare non potest in his quæ sunt fidei. Alioquin si errare posset, cum certum sit Papam errare posse, tunc & Papa & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret ecclesia quod esse non potest. Experientia etiam demonstrat, quia sæpe experti sumus & legimus Papam licet caput & principalem partem, errasse: reliquum autem corpus, Papa etiam errante, errasse nunquam legimus. propterea reliquum sæpe totum corpus condemnauit atque deposuit Papam, tam ratione fidei quam morum. Sed nunquam Papa condemnauit aut excommunicauit, aut deposuit reliquum totum ecclesiæ corpus. Licet ergo tam Papa quam Ecclesia claues habeant ligandi atque soluendi, Papa tamen nunquam in totam ecclesiam claues ligandi atque soluendi exercuit. Ecclesia autem sæpenumero in Papam. Authoritas etiam scripturæ euangelicæ idem probat, nam hoc quod dixit Christus: Si peccauerit in te frater tuus, dic ecclesiæ: & si ecclesiam non audierit: sit tibi vt ethnicus & publicanus, *omnes homines comprehendit, & quod Petrus & successores illa authoritate comprehendantur, ostendit Paulus qui in faciem restitit Cephæ & coram omnibus. Ecclesiæ enim dixisse videtur qui coram omnibus dixit, quoad successores Petri. Iam supradictum est, qualiter, sæpe peccata eorum dicta fuerint ecclesiæ, & ab ecclesia punita: & qui non audierunt ecclesiam fuerunt habiti vt ethnici & publicani, vt legitur de Anastasio & Liberio. Probat hoc etiam authoritas vniuersalis ecclesiæ, quæ non potest errare, ita desinientis in Concilio Constantiensi, quod peccata Pontificum circa fidem, vel schisma, vel mores, possunt dici ecclesiæ cuius præceptis & ordinationibus tenentur obedire: & si obedire contempserint, condignæ pœnitentiæ possunt subiici & ad alia iuris remedia recurri, & per consequens possunt excommunicari. quo facto vt ethnici & publicani habebuntur. Hoc etiam si pluribus alijs rationibus & authoritatibus posset comprobari, satis est authoritatem vniuersalis ecclesiæ adducere. Ipsa enim errare non potest: & quicquid determinet scripto, aut consuetudine vniuersaliter faciat, eiusdem reuerentiæ & authoritatis est, cuius sacra scriptura. Vnde si in euangelio reperimus scriptum de-*

Ecclesia nõ potest tota errare in rebus fidei.

cretum

cretum illud Constantiensis Concilij, quod Papa teneatur obedire Concilio, &c. hæreticum esset, hoc renocare in dubium. Sic & hæreticum est si quis illi decreto contumaciter contradicat.

LXXX-VIII.

Et quia ad alia nostra festinat oratio, omnes argumentationes quæ fieri possent in contrarium, hac vnica authoritate Ecclesiæ veracissime confutamus. Ita Beat. Hieronymus post longam disputationem confundit atque conuincit Luciferianum dicens: Poteram omnes tuarum propositionum riuulos, hoc vno Ecclesiæ sole siccare, *de authoritate Concilij loquens. Qualecumque ergo nomen dignitatis aut potestatis de Papa scriptum inuenitur, ad particulares quoscumque homines, & singulares Ecclesiasticos referendum est, non supra vniuersalem Ecclesiam, ita vt potius Papa Ecclesiæ quam Ecclesia Papæ tota obedire cogatur. Nam & si Papa maior sit in Ecclesia, non tamen maior est tota Ecclesia. Vni autem quare dictum est,* Tibi dabo claues regni Cœlorum? *Sancti Doctores exponunt, vt vnitatem designaret Ecclesiæ; & ideo ab vnitate exordium proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna esse demonstraretur. Et Petrus quando claues accepit, vt dicit Augustinus Ecclesiam significauit. Nec putetis quia Ecclesia claues habeat & imperium super omnes, quod ideo sunt multi Principes, contra Philosophicum dictum Entia nolunt male disponi; pluralitas principantium mala: vnus ergo Princeps. Ita enim est vnus Princeps, & vnitati fidelium, non singulis hac iurisdictio à Domino conceditur, & ideo ab vno incipere voluit, vt perfectam vnitatem, atque vnanimitatem designaret: quia vnitas Ecclesiæ maior est, atque perfectior quam vnitas vnius Regis, aut Imperatoris terreni. Hic enim & errat & in varias sententias atque controuersias sæpe scinditur. Ecclesia autem nec errat, nec sibi ipsi contradicit. Nec comparandum est corpus Ecclesiæ, aliis politicis corporibus Ciuitatum, & vniuersitatum: quia in medio huius Corporis est* CHRISTVS, *qui ipsum regit ne erret. Alia autem politica corpora humanis & variis voluntatibus gubernantur, neque in hac materia congruit allegare errorem illorum, secundum Beatum Thomam, qui se subducere nituntur ab obedientia Petri, successorem eius Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes: quoniam de singularibus Ecclesiis & personis id intelligendum est, non de vniuersali Ecclesia, quæ sæpe obedientiam iustis ex causis Romanis Pontificibus subtraxit, vt Marcellino, Anastasio, Liberio, Iohanni* XII. *Benedicto* IX. *Benedicto* XIII. *Iohanni* XXIII.

Quare vni dictum est tibi dabo claues, &c.

Eccles. nec errat nec sibi contra dicit.

LXXX-XI. *Progredientes deinde ad materiam Concilij, dicitis, quod sanctissimus Dominus Eugenius ratus hæresibus, bellis, ac deformitatibus, sine sanctorum Patrum & Principum assistentia opportune obuiari non posse, Concilium Basileense ex Domini Martini Papæ, fœlicis recordationis authoritate, per Senense Concilium promulgatum, atque eiusdem Martini iussione stabilitum, post ipsius obitum & suæ sanctitatis assumptionem, robur habere voluit, & prosequutionem, ratum & gratum per suas Apostolicas Bullas gerens, quicquid potestatis in ea re dilecto Ecclesiæ filio Iuliano Sancti Angeli Diacono Cardinali Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, per prædecessorem suum collatum fuisset. Fateamini ergo & bene Concilium hoc legitime congregatum, quia stabilitum fuisse dicitis authoritate Apostolica, & per Concilium Senense, & roboratum per Dominum Eugenium. Et quia facultas data præfato legato, circa prosequutionem Concilij, ratificata extitit per ipsum Dominum Eugenium modernum, optime veritatem narrastis, ita enim fuit vt dicitis. Quod igitur pluribus authoritatibus stabilitum fuit, & quo plures necessitates illud celebrare suadebant, eo minus decuit illud perturbare, & conari dissoluere: & quidem pro tot necessitatibus non solum Concilium, alias indictum perseuerare debebat, sed si indictum non fuisset de nouo debuisse indici. Propterea nemo est qui non vehementer admiretur, tam ex abrupto & sine causa huiusmodi dissolutionem. Sed excusatis hoc factum esse, quia non videbat: & per oratorem nostrum requisitus, vt ea faceret quæ nouam conuocationem prætendere videbantur, illud abinde dissoluit. Quænam ista excusatio est? quinimo si amplificari non videbat ad amplificandum operam dare pro suo officio debuisset. & idipsum petebat noster orator obsecrans vt omnem fauorem Concilio præberet, & ad ipsius prosecutionem intendere dignaretur. Nunquid si infimus medio supplicet vt eum sanet, medicus eum interficere debet, ne in sanando laboret: Orator noster ad nos reuersus, quicquid Romæ exposuerat vt asseruit hic publice retulit, ex dictis, quicumque eum audiuit, nihil aliud indicat, nisi quod cum omni instantia fauorem per*

Dominum Eugenium Concilio præstandum, & eius perseuerantiam postulabat. Si nolebat summus Pontifex exhortari Prælatos, vt hic citius properarent, saltem ad actum dissolutionis prorumpere non debebat, sua enim sponte venissent Prælati. Vt igitur necessitatibus Ecclesiæ, quæ moram non patiebantur citius fuisset prouisum, supplicabatur vt per suas litteras exhortari vellet præsertim Italiæ Prælatos quos nos pro reuerentia summi Pontificis cui propinqui sunt, citare pro tunc distulimus: immo etiam requirebatur vt si commode posset, sua sanctitas huc venire dignaretur. Sed si Prælatos Bononiam ad annum cum dimidio comocauit, quomodo non poterat eis scribere, præfertim Prælatis Italiæ, quod statim huc venirent, vt necessitatibus præsentibus prouideretur? Sed volebat ipse personaliter interesse. Ideo quia infimus ad annum cum dimidio distulit, quid ipse sciebat si interim moreretur, an & anno cum dimidio perfecte sanatus esset? Sed & præsentia sua multum prodesse posset, fatemur. Sed si adesse propter infirmitatem non posset, as propter infirmitatem Papæ, infirmitas Ecclesiæ tam periculosa negligetur? Magnæ fuerunt hæreses, Arianorũ, Nestorianorũ, Manichæorũ, Donatistarum: & multa alia grauissima pericula tunc temporis in Ecclesia imminebant; Et nihilominus tussit summus Pontifex per suos legatos Concilia celebrari.

XC.

Dicitis, cum magna & matura deliberatione dissolutionem factam esse. Si longa & matura deliberatio fuisset facta, debuisset mittere huc ad sacrum Concilium & scire certius, an sic facere expediret. Quis melius in rebus agendis deliberat? an præsens an absens? facta Concilij & harum partium magis innotescebant nobis quam aliis. Et propter reuerentiam sacri Concilij, Catholicam repræsentantis Ecclesiam, ad maturam deliberationem habendam, Concilium consuli oportebat, non absenos. Sed audiuimus aliquos ex venerabilibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus contradixisse, alios autem nunc dicere se male tunc fuisse circumuentos & iam melius de veritate informatos aperte contradicere. Audiuimus fuisse tunc, & nunc multo maiorem murmurationem in curia de hac dissolutione. Quamplurimi & fere omnes qui in curia nomen habent virorum bonorum, huiusmodi factam dissolutionem damnant omnes qui extra sunt Cardinales, omnes quasi Principes & populi, & qui bonum Ecclesiæ cupiunt, Concilium laudant & dissolutionem reprobant. Causa etiam in bulla dissolutionis expressa, cum pace dictum sit, non sic se habent prout per nostros ambasiatores suæ sanctitati nunciauimus: qui etiam tot & tanta, ex ipsa dissolutione si effectum haberet, scandala sequi dixerunt, quod habentes etiam cor lapideum, molliri debuissent. Sed ex quo nunc constat, ipsas causas veras non esse cur modo mutat propositum? Cur pax perturbatur Ecclesiæ? Dicitis hunc locum vicinum Bohemis. Dictat iste locus à Praga per quindecim dietas, sunt ciuitates & Principes intermedij potentissimi. Ciuitas ista fortissima flumine Rheno & mœnibus & viris Catholicis munita, vicina ad tria miliaria linguæ Gallicanæ. In istis partibus ille metus est de exercitu Pragensium qui Romæ. Putat sua sanctitas nos esse ita improuidos quod si hic locus esset tam vicinus Bohemis, quod merito timendum esset, hic manssissemus, aut maneremus? Sed miraret, habuit sanctitas sua exercitum hostium in portis Romæ, nec timuit nec recessit: & hic timet inimicos per quindecim dietas longinquos? Inter alias dissolutionis causas hanc esse dicitis, quod Bohemos vocauimus eo modo quod sanctitas sua sustinere sine offensa non potuisset, aut detractione damnationis in Concilio Constantiensi factæ. Vocatio ista non potest sustineri sine offensa aut detractione Concilij Constantiensis, sed dissolutio Concilij bene potest sustineri. Concilium Constantiense mandat fieri Concilium (fieri autem cum effectu intelligitur) non prorogari tempus non mutari locum; contra omnia ista fit, & nihil de hoc dicitur, sed calumniamur quia vocauimus Bohemos. Nunquid in decretis Concilij Constantiensis scriptum inuenitis quod Ecclesia non debeat eos ad instruendum & informandum conuocare? Non miramur si ex dictis oratoris nostri occasio sumpta est ad dissipandum Concilium, quandoquidem ex pijssimis nostris litteris id factum esse videamus. Vtinam propter honorem summi Pontificis hanc causam in litteris suis non inserusset, videlicet quod huiusmodi vocatio fuerit in iniuriam Sedis Apostolicæ sacrorumque Conciliorum, & contra decreta sanctorum Patrum, ac statuta legum imperialium: Sed valde mirandum est quod in eisdem litteris damnatur & approbatur. Si audientia concessa Bohemis, reprobatur: Cur Græcis conceditur cum & hi & illi ab vnitate Ecclesiæ separentur? Si Concilium Bononiæ propter illos indicitur, cur Concilium Basileense pro-

pter Bohemos & multa alia necessaria iam indictum, dissolui procuratur? Cum Bohemica hæresis periculosior sit, ad illam accuratius foret intendendum. Mirandum est si verum sit: dicitur Venerabili Archiepiscopo Gnesnensi concessum esse facultatem per summum Pontificem audiendi Bohemos; singulari personæ conceditur quod vniuersali Ecclesiæ non permittitur. Si Epistola nostra diligenter & non ex liuore vel odio consideretur, plane constabit, non ad iniuriam authoritatis Apostolicæ nec Conciliorum Constantiensis & Senensis immo ad reuerentiam & honorem eorum factam fuisse vocationem; vocauimus enim vt nobiscum in eadem vnitate coniungantur, & vt quia à nobis aliquandiu diuisi fuerunt, iterum in charitate nobis reconcilientur. Si hoc non fieri poterit ad quod nos laboramus, cædet proculdubio ad honorem Sedis Apostolicæ. Ipsam enim reuerebuntur quam vsque nunc contempserunt: Cadet ad gloriam Conciliorum Constantiensis & Senensis quia illa fidem & ritum qui in his Conciliis declaratus est, quem vsque nunc non tenuerunt, à modo tenebunt. Cur ergo retorquetur adiniuriam, quod quæritur ad honorem?

XCI. Nec contra decreta sanctorum Patrum, nec contra leges canonicas aut ciuiles huiusmodi vocatio facta est, sine asserere velimus eos vocatos ad instruendum sicut veritas est sine ad disputandum. Si ad instruendum nemini dubium est quin opus pium & meritorium, & Prælatorum officio necessarium. Si ad disputandum, & ad hunc finem vt errans instruatur & reducatur, cuius eadem ratio sit, similiter erit opus pium, & laudabile, vt inquit Beat. Paulus ad Titum: Oportet Episcopum, & cætera, & subdit: vtpotens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: immo permaximum periculosum fuisset, denegare audientiam Bohemis quam vbique locorum diuulgabant se postulare, & eis non concedi, ob hanc causam qui eorum articuli erant ita manifeste veri, quod nostri Episcopi & sacerdotes non poterant eis respondere, nec cum ipsis conferre audebant: propter quod scrupulus non paululus in animis hominum præsertim simplicium ista audiendi erat exortus. Omnis autem Schola Theologorum, canonistarum, & legistarum affirmat eam disputationem de fide quæ non sit causa perfidiæ seu tumultus, vel vt in dubium reuocet: Sed ad instruendum, vel clarius patefaciendum veritatem, vel conuincendum, vel confundendum hæreticos seu infideles, vel confirmandum Catholicos fore licitam: immo Beat. Thomas. Secunda secundæ dicit in casu simili sicut est noster, quod quando simplices viri sollicitati sunt aut pulsati ab infidelibus vel hæreticis, corrumpere nitentibus in eis fidem, tunc necessarium est publice disputare de fide. per hoc enim simplices firmantur in fide, & infidelibus aufertur decipiendi facultas. Alioquin ipsa taciturnitas eorum qui resistere deberent peruertentibus fidei veritatem esset erroris confirmatio. Allegat Beat. Gregorium, quod sicut incauta locutio ita errorem protrahit, ita indiscretum silentium eos qui eruditi poterant in errore derelinquit. Constat autem Alemanos per libellos & Epistolas Bohemorum sollicitari vt eorum errores sequantur, allegando ad eorum peruersum sensum multas authoritates. Ergo secundum Beat. Thomam & Beat. Gregorium visi fuissemus confirmare errores Bohemorum, nisi hoc casu dedissemus eis audientiam. Quid ad hoc respondebunt nostri calumniatores? hoc etiam sæpenumero actum fuisse per sacra Concilia & sanctos patres legimus, cum hæreticis vel infidelibus etiam prius damnatis. Syluester in Concilio Romano publice disputauit cum duodecim scribis Iudæorum, quibus & per CHRISTVM & Apostolos per tot annos ante, veritas Christianæ fidei prædicata fuerat, & in ea disputatione dati fuerunt Iudices, duo gentiles Cirithon & Zenophilus. Beat. Athanasius publice disputauit cum Ario cuius error prius in celeberrimo Concilio Niceno damnatus fuerat. In qua disputatione sedit arbiter quidam, nomine Probus gentilis homo. In Synodo Calcedonensi orthodoxi disputarunt cum Nestorianis, dudum in Concilio Ephesino damnatis: Et post multa inter eos fuit conuentum, vt nostri orarent secundum fidem nostram & illi secundum fidem suam. Et charta quædam in qua & nostra fides, & errores illorum describerentur, super corpus Beatæ Euphemiæ poneretur vt DEVS veram fidem manifestaret, quod & factum est. Item licet error ille qui asserit CHRISTVM vnius dumtaxat fuisse naturæ, prius fuisset damnatus, tamen in Synodo Constantinopolitana in quæ præsedit sanctus Episcopus Flaccianus, Eutiches qui hunc tenebat errorem fuit ad Synodum vocatus, & plene auditus & secum disputatum, fuitque per acta precedentium Conciliorum conuictus. Item licet error quem tenebat Luciferianus fuisset ante damnatus, nihilominus Beat. Hieronymus disputauit cum ipso & eum per acta precedentis Concily conuicit. Quamuis errores Donatistarum sequentium Arianos, olim in Concilio Nicæno damnati fuissent, nihilominus fuit congregata Synodus Carthaginensis & ad eam Donatistæ per nuncios Concilij vocati sunt. Et inter alia conuocationis verba ista sunt: Hanc ergo pacificam & ex charitate venientem vocationem contemnere non debetis. Et si quid veritatis vos habere arbitremini, non dubitetis asserere, id est vt cõgregato nostro Concilio, delegatis ex vobis, quibus causam vestræ assertionis committatis: vt & nos possimus hac facere, etiam de Concilio nostro deligantur, qui cum eis quos delegeritis, constituto loco & tempore, quicquid est quod nostram à vobis separat communionem, cum pace discutiatur, & tandem adiuuante DOMINO DEO nostro IESV CHRISTO, finem veternosus error accipiat. Beatus etiam Dominicus & duodecim Abbates in partibus Tolosanis, cum Albingensibus quorum errores fuerant damnati, publice disputauit apud Fanum Iouis, sub iudicibus deputati.

XCII. Sed ideo calumniari videmini Epistolam, quia non ad recognoscendum errorem, sed ad submittendum se pariter cum Ecclesia veritatis inuestigationi sint vocati, quod Hussitis fauorem & authoritatem, fidelibus vero ambiguitatem, & perplexitatem præstare videtur. Cur sicut partem Epistolæ ita non recitastis & totam? Cur etiam addidistis vbi addendum non erat? Aut sicut post verbum, audictis & nos: addidistis respondentes, cur non addidistis, instruentes & informantes? Circa principium Epistolæ dicitur. Nihil tam ante oculos nostros versatur, quam vt vos in eadem vnitate nobiscum coniungamini. Hinc satis innuitur, ex quo damus operam, vt nobiscum coniungantur in eadem vnitate, quod vnitatem dimiserint, & eam opus sit vt recuperent. Item & verbum illud, & forsam diffidium nostrum aliquamdiu DEVS in Ecclesia permisit. Ac verbum illud: Quanta lætitia erit in Cœlis si vos qui aliquandiu diuisi fuistis iterum nobiscum in vnitate & charitate reconciliemini? Hoc aperte indicauit eis necessarium esse reconciliari nobiscum, ex quo necessario oportebat cognoscere errorem. Verbum etiam illud, scimus quia noster cœlestis paterfamilias, bonum fidei semen seminauerat, sed venit inimicus homo, & superseminauit Zizaniam: hoc manifeste demonstrauit eos à veritate errasse, ac necessarium fore vt superinfundatur vos gratia Spiritus Sancti. Forte molestum & vobis verbum illud: Ipse Spiritus Sanctus astabit medius Iudex & arbiter quid in Ecclesia DEI tenendum & agendum sit, vel forte verbum illud: Aderit plane Spiritus Sanctus, in cuius nomine congregata est hæc Sancta Synodus. Ipse erit Dux & rector Concilij, perfecte illuminaturus corda hominum, vt viam ambulent charitatis & pacis. Nobis autem est gratissimum & suauissimum, illum nobis Iudicem, & Ducem constitui, quem nobis CHRISTVS dedit dicens: Cum autem venerit Spiritus paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ipse vos docebit, & suggeret omnia quæ dixero vobis. An Spiritum Sanctum vos habere Iudicem indignamini? An potius hominem quam DEVM velletis elegißemus Iudicem. Merito in Principio sermonis nostri dicere persuasimus ne Spiritum Sanctum contristaretis. Blasphemia esset, si quis negaret Spiritum Sanctum dictare sententias, Canones, & decreta Conciliorum. In actibus Apostolorum hoc expressum auditis, cum dixerint Apostoli iudicantes non esse seruanda legalia: Visum est Spiritui sancto & nobis. Leo Papa inquit sacrorum patrum canones spiritu DEI conditos, & totius mundi reuerentia comprobatos. Et Isidorus: etsi quanta sunt alia Concilia quæ Sancti Patres spiritu Dei pleni fan-

Quæ disputatio de fide licita sit.

xerunt. Si spiritualis homo iudicat omnia, secundum Apostolum quanto magis ipse Spiritus sanctus, per quem homo accipit vt sit spiritualis? Quid est dicere Astabit medius Iudex & arbiter, nisi quod ipsamet synodus erit illa quæ iudicabit, & arbitrabitur? Non enim aliud iudicare & arbitrari poterit, quam Spiritus sanctum suggeret. Quid iterum aliud est dicere, Astabit Iudex, nisi quod iudicabitur in hoc Concilio, prout iudicatum est in Constantia? Nam cum sententia illa condemnationis Hussitarum, à Spiritu sancto dictata fuerit, & ipse nesciat aliam sententiam quam veritatis, vtique cum idem sit in omnibus Conciliis, idipsum hic veraciter iudicabit quod in illo.

XCIII. Si quis autem obiicit, quomodo iam iudicatum iterum iudicabitur? Dicendum est quod cum fiat ad salutem proximorum, non est incongruum idem repetere. Professio enim fidei facta in Concilio Nicæno, in pluralibus sequentibus Conciliis repetebatur. Quoties necesse est, toties mater Ecclesia aperire debet os ad docendum & instruendum. Non omnes Spiritus sanctus eodem tempore illuminat, sed vbi vult, & quando vult spirat. Qui in vno Concilio illuminationem non acceperunt, dono Spiritus sancti, forsam accipient in alio. Ideo necesse est sæpe frequentari Concilia, vt hæresis quæ in vno tolli non potest, tollatur in alio. Non enim hæresis Ariana, vel alia eodem tempore extinctæ sunt. Illuminabit ergo, vt speramus, Spiritus sanctus corda Bohemorum, in hoc Concilio, & ostendet ipsis quid tenere, & agere debeant in Ecclesia. Propter eos hoc verbum dictum est, & propter alios orantes orabimus, vt Spiritus sanctus illustret corda vniuersi populi ad cognoscendum amplectendumque veritatis & vnitatis semitam, non enim de populo Christiano, sicut sunt & ipsi Bohemi, & alij errantes, cognouerunt adhuc & amplexi sunt veritatem & vnitatem. Cur nobis molestus est, quod in ducem elegerimus Spiritum sanctum. Si B. Syluester disputauit cum Iudæis sub duobus Iudicibus gentilibus: si Athanasius cum Ario sub vno iudice Pagano: si Orthodoxi cum Nestorianis, sub iudicio corporis mortui sanctæ Euphemiæ: si Concilium Carthaginense requisiuit Donatistas, vt illa controuersia terminaretur per aliquos vtrinque eligendos: si Beat. Dominicus cum Albigensibus sub certis Iudicibus, cur nobis non licuit eligere in iudicem spiritum Paracletum? Quod autem putatis nõ in Germania huiusmodi audientiam dandam si danda esset hoc (secundum Thomam) nullo modo rationi congruit. Nam sicut in loco vbi non est nota hæresis disputare periculosum est, ita vbi nota est & homines ab hæreticis infestantur, disputare ad declarationem necessarium videtur.

Spiritus sanctus nõ omnes eodẽ tempore illuminat.

XCIV. Quod vero dicitis ex ista vocatione præstari fidelibus ambiguitatem, vel perplexitatem miramur vnde hæ adinuentiones proueniant, cum ex hac non ambigui, vel perplexi, sed certiores, & firmiores populi Alemaniæ facti sint videntes nostram confidentiam, & fidei firmitatem in vocandis illis: maximeque exhilarati sint, sperantes ex hoc illos Ecclesiæ reconciliandos. Duo autem scelestissima capita huius hæresis, quæ commemoratis, nonne tandem vltimo supplicio tradita sunt? Si omnes hæretici talem fauorem haberent, pauci fierent hæretici. Quæ autem sint illæ plures & grauiores causæ, quæ præbuerint occasionem dissolutionis nescimus; si personam summi Pontificis tantum respiciunt, propter hoc non debet periclitari status Ecclesiæ, si autem Ecclesiam æquius fuisset intimare Concilium, quod representat Ecclesiam vt prouideret. Hoc autem scimus quod hic est plena & omnimoda securitas.

Duo capita Hussita. vltimo sup plicio tradita.

XCV. Dolenter refertis quod dissolutioni præfatæ non paruimus, & mandata Apostolica per nos spreta sint. Hoc ideo facimus quia Deo plusquam hominibus parere oportet, Sancta mater Ecclesia cui quilibet parere debet, nos legitime congregauit, vt tollendis deformitatibus hæresium, bellorum, ac vitiorum, quæ plurimæ sunt in populo Christiano, efficaciter intenderemus. Ne Ecclesiam, & Christum Ecclesiæ principale caput contemneremus, perseuerandum censuimus in opere nobis iniuncto. Exposuissemus fidem Orthodoxam, Christianam religionem, omnem denique Ecclesiasticum statum, periculo mina & euersionis, si sic dissolutioni pretensæ paritum fuisset, quemadmodum oratores nostri, notissime sanctitati suæ latissime exposuerunt. Scriptum est in sexta Synodo Constantinopolitana: Cum læditur fides parentum reuerentia, velut inutilis & periculosa despicitur, & amor erga filios fratresque vitatur. Ad postremum, etiam super ipsam vitam mors potius à piis patribus eligitur, vt meliorem resurrectionem consequantur. Potius autem nobis dolendum foret, sicut & mundus dolet, quod talia tentata sunt aduersus hoc generale Concilium, & contra vniuersalis Constantiensis Concilij ordinationem, cui cum summus Pontifex obtemperare tenetur, his pœnis subiicitur, quas contra inobedientes statutas esse dicitis, Sed nec prætensæ dissolutioni parauimus, quia fieri non potuisse constabat; Nam & si magna sit Papæ potestas, id tamen sibi facere non licet iuxta communem omnium sententiam, vnde vniuersalis Ecclesiæ status turbetur, perclitetur, aut decoloretur. Sed cum iudicio omnium ac nostro, Ecclesia nunc vniuersali reformatione necessario indigeat, merito istud Concilium, quod ad hoc institutum est, dissoluere non licuit. Impeditur enim hæresium extirpatio, pacificatio populi Christiani & deformitatum correctio. Vnde in prima sessione huius Concilij, facta ante dictam prætensam dissolutionem, definitum est, quod procurans hoc Concilium impedire, dissoluere, prorogare, vel mutare, seueriter punitur, & procedatur contra eum, tanquam communis pacis perturbatorem, cum ex hoc prædicta bona impediri videantur. Nec Papæ fas est decretum illud Constantiense quod incipit, frequens, abolere: vel taliter agere quod dispositio sua reddatur inutilis, vel frustratoria: esset enim contra mentẽ Ecclesiæ, quæ illud decretũ edidit pro vniuersali Ecclesiæ statu conseruando circa quod Papa non dispensat. Statim autem tollere Concilium iam inceptum, nihil aliud videtur, quam non celebrare: imo multo deterius propter graue scandalum quod in Ecclesia nascitur in tali ludibrio. Quod autem pro vniuersali Ecclesiæ statu conseruando ipsum decretum editum sit, ex præfatione ipsius liquet. Dicit enim: frequens Generalium Conciliorum celebratio, agri Dominici precipua cultura est, quæ vepres spinas, & tribulos hæresium errorum & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat & vineam Domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit: horum vero neglectus, præmissa disseminat atque sonet. Propterea nullo pacto Ecclesia tolerare debet, imo se vsque ad animam & sanguinem opponere, ne tale ostium aperiatur, & tam vtile toti Christianitati statutum euanescat. Ex mente etiam dicti decreti videtur, dissolutionem prædictam non valuisse. Vult enim quod in fine cuiuslibet Concilij, locus futuri Concilij eligatur per mensem ante, approbante & consentiente Concilio: & sic non debere dissolui nisi prius consentiente Concilio locus per mensem ante pro futuro Concilio electus sit. Item cum prohibeatur in dicto decreto prorogatio, multo magis videtur prohibita dissolutio, plus enim est auferre, quam differre. Prorogatio dilationem inducit, dissolutio peremptionem: & licet mutatio certo modo concedatur, dissolui non. Hoc autem fecit Papa, dissolutio expresse fuit, non loci mutatio. Item mutatio loci ex causa conceditur, quod ad Concilium futurum. Dicit enim textus decreti: locum autem pro futuro Concilio absque euidenti causa non mutat. Non autem concedit mutari posse sine consensu Concilij locum Concilij actu congregati: quia de seipso disponere, ad ipsum Concilium pertinet. Nam si ad Concilium spectat facere reformationem supra caput, & membra: ad ipsum etiam videtur spectare, de his sine quibus reformatio fieri non potest, & an locus reformationis continuandus sit vel mutandus. Item si actu congregato Concilio locus pro futuro Concilio eligi debet, consentiente Concilio, quanto magis pro ipso Concilio actu tam congregato, continuando vel transferendo ad alium locum? Cum enim certa forma per hoc decretum indicatur, Papa ipsam seruare tenetur. Alioquin frustra eis lex indiceretur.

Frequens Concil. celebratio agri Dominici præcipua cultura.

XCVI. Probatur ex alia ratione dissolutionem non valere, quia vt prædictum est, cum Papa teneatur obedire statutis, ordinationibus, & preceptis cuiuscumque Concilij in his quæ pertinent ad fidem, schisma & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris: & si non obedierit, puniri potest. Constat, ipsum in his casibus, esse inferiorem Concilio, & Concilium maius eo, cum possit reformare, statuere, mandare & punire. Inferior autem legem superioris tollere non potest, nec ipsum suum superiorem extinguere vel annihilare. Alioquin implicaret euidentem contradictionem; Tenetur obedire, & non tenetur quia potest dissoluere. Cum ergo Concilium congregatum sit propter prædictas causas, & inter alia statuerit sub magna pœna, ne quis procuraret dissolui aut mutari ipsum: Papa cum illi obedire teneatur, nullatenus dissoluere potest, alioquin si potest dissoluere, non tenetur obedire. Ex quo necessario infertur, quod aut decretum prædictum non valet, aut dissolutio, quia sibi inuicem contradicunt. Præterea ante tempus Concilij Constantiensis nullum dubium erat, quod congregato Concilio super facto fidei contra Papam, Papa illud dissoluere non poterat: quia si potuisset dissoluere, potuisset non iudicari: quod tamen sibi non licebat: quia in fidedenius potest per Concilium iudicari. Ergo sicut in isto casu, ita dicendum est nunc congregato Concilio super reformatione generali in capite & in membris: quia isti tres casus fidei, schismatis & reformationis, sub eadem declaratione Concilij Constantiensis continentur, quod non solum scripto declarauit Concilium Constantiense, sed

Alia prætensæ rationes quare non parue rint.

etiam facto: Quia Benedictum propter schisma, Iohannem XXIII. propter deformitatem vitæ deposuit. Et si dicatur: sicut Papa potest congregare Concilium propria authoritate, ita eadem potest dissoluere: Respondendum quod longe differt. Ante enim Concilij congregationem Concilium non est: sed vt primum congregatum est, statim potestas vniuersalis Ecclesiæ, quæ est immediate à Christo, & quam Concilium representat, transfunditur in ipsum Concilium, vel potius continuatur in eo, & fit ipsum Concilium super Papam, & cunctos alios: quemadmodum si quis homo subiiciat se alicui, postquam subiectus est, non potest se ab illa subiectione eximere, nec potestatem sui superioris dissoluere, sine sui superioris consensu; quia quod à principio fuit voluntarium, ex post fit necessarium. Et hoc modo intelligenda sunt iura dicentia, quod Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem fiunt, & robur accipiunt: Robur enim (vt communiter) accipiunt vt congregentur, non vt congregata potestatem iudicandi, & statuendi à Papa consequantur. Etsi quis forte dixerit, In Conciliis intelligitur excepta authoritas Papæ, ideo Papa non subiicitur: Respondetur illud esse verum quando persona Papæ specialiter non includitur: sed si specialiter includeretur, non posset excipi, quia esset contradictio. Sed in palis dignitatis, obedire tenetur præceptis Concilij. Quod aũi prædecreto Concilij Constantiensis specialiter dicitur, quilibet etiã Pa-dicta dissolutio non valuerit clare deducitur ex decreto tertiæ sessionis, Concilij Constantiensis, in quæ fuit definitum, etiam ante processum inchoatum contra Iohannem, quod Dominus Ioannes XXIII. Romanam curiam, & officia publica illius siue illorum officiarios de Ciuitate Constantiensi ad alium locum non mutaret aut transferret, seu personas dictorum officiariorum, ad sequendum eum, directe, vel indirecte cogeret sine licentia & authoritate ipsius synodi; & hoc quoad illos officiarios, & illa officia, per quorum absentiam Concilium verisimiliter dissolueretur vel læderetur. Et si contrarium fecisset vel faceret in futurum, aut aliquos processus seu mandata contra dictos vel alios quoscumque illi sacro Concilio adhærentes, & censuras Ecclesiasticas aut alias pœnas vt ipsum sequerentur fulminasset, seu fulminaret, aut fulminauerit, esset totum irritum & inane, nec eisdem processibus, censuris, & pœnis, tanquam irritis & inanibus quomodolibet obediendum foret. Si ergo Papa non potest priuare Concilium aliquibus suis suppositis, per quorum absentiam verisimiliter Concilium dissolueretur, vel læderetur; multo minus potest priuare ipsum Concilium seipso, & ipsum annihilare. Si non potest facere aliquid, vnde verisimiliter Concilium dissolutatur; vel lædatur, multo minus potest ipsum Concilium veraciter & expresse dissoluere, vel ladere. Nihil videtur certi huic rationi posse responderi. Item Concilium Constantiense declarauit in eadem sessione, quod si qua priuatio vel translatio personarum existentium in ipso Concilio, vel adhærentium, facta fuisset in lesionem Concilij per Iohannem, à tempore inchoationis eiusdem Concilij esset irrita & inanis. Ecce quomodo declaratur nullum, quod fit in lesionem Concilij. Et aduertendum quod hæc duo capitula, loquendo de pœnis inflictis & censuris fulminatis & priuationibus factis in præteritum ante tempus sessionis, intelligi oportet per modum declarationis esse irritas, & eis tanquam irritis & inanibus non esse obediendum. Alioquin si valuissent nõ fuisset dictum hoc modo, nec fuissent annullatæ: quia secundum regulam iuris factum legitime retractari non debet etiam si ad eum casum deueniat à quo incipere non posset. Item in decima sessione fuit pronuntiatum, recessum dicti Iohannis de Constantia, fuisse illicitum, & Ecclesiæ Dei & dicto Concilio notorie scandalosum. Si ergo recessus qui verisimiliter, & præsumptiue tendebat ad dissolutionem fuit declaratus illicitus, quanto magis apparet actum ipsum dissolutionis esse illicitum? Iam ergo luce clarius constat, dissolutionem non valuisse. Quocirca mirandum non est si non paruimus; magis autem mirandum, quomodo statuta vniuersalis Ecclesiæ pro vniuersali bono & cum tanta maturitate promulgata, ita leuiter infringantur. Vtinam qui sedent in Sede Petri legerent aliquando acta Prædecessorum suorum, à talibus profecto abstinerent. Inquit Beat. Gregorius, si ea destruerem quæ antecessores mei statuerunt, non constructor sed euersor esse iuste comprobarer. Item absit à me vt statuta maiorum cum sacerdotibus meis infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo. Item Leo Papa: Quæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt vtilitatem nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa. Item Gelasius Papa: Confidimus quod nullus iam Christianus ignoret vniuscuiusque synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem, præ cæteris opor-

tere quam primam: quæ & vnamquamque Synodum sua authoritate confirmat, & continua moderatione custodit; custodire igitur habet & non tollere. Item Vrbanus Papa. Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges: quod & nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde nouas leges condere potest, vnde Euangelistæ aliquid nequaquam dixerunt: vbi vero aperte Dominus vel eius Apostoli & eos sequentes sancti Patres, sententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare potest: Sed potius quod prædicatum est, vsque ad animam & sanguinem confirmare debet. *Item Zozimus Papa;* contra statuta Patrum aliquid vel mutare, nec huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconnulsis radicibus viuit antiquitas cui decreta patrum sanxerunt reuerentiam. *Item Leo Papa:* Ideo permittente DOMINO Pastores hominum sumus effecti vt quod Patres nostri siue in sanctis canonibus, siue in mundanis affixere legibus excedere minime debeamus. Contra sanctorum Patrum quippe agimus saluberrima instituta, si quod ipsi Diuino statuerant consulto, intactum non conseruamus.

Item ex Concilio Calcedonensi à sanctis patribus in vnaquaque Synodo, vsque nunc perlatas regulas tenere constituimus. Quod autem subiicitis, si de aliqua vniuersali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendum de eo quod non intelligitur rationem, ad Apostolicam Sedem conueniendum esse opus non fuisset nauare. Nam de Constantiensi Synodo aut eius decretis nulla est dubitatio. Synodus illa authentica est, & Catholica decreta eius authentica sunt, & ita clara & intelligibilia, vt nulla egeant declaratione. Ista autem Synodus legitime inchoata est, & legitime continuatur. Si autem aliquo modo de intellectu gestorum illius Synodi dubitatio oriretur, cum modo sit congregata, quæ Catholicam representat Ecclesiam, ipsius iudicium esset exquirendum. Beatus autem Gregorius cuius est capitulum illud, Nec licuit, *loquebatur aliquibus Episcopis particularem Synodum celebrantibus, qui nolebant retractare statuta Vniuersalis Synodi Constantinopolitanæ: Quod si tunc temporis aliqua alia Synodus vniuersalis actu congregata fuisset & de gestis prioris Synodi aliqua ambiguitas fuisset orta, proculdubio ad ipsius vniuersalis Synodi denuntiationem recurrendum esse dixisset* GREGORIVS *& suum iudicium iudicio Synodi submisisset, qui prius dixerat de Conciliis loquens, quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumpserit absoluere quos ligant, & ligare quos absoluunt.*

XCVII. *Asserunt se non præsumpsisse Papam citando.*

Si ista venerabiles viri recte considerastis, taceretis forsitam verbum illud quod admiratione sit dignum, nos præsumpsisse citare summum Pontificem. Non est præsumptio, nec admiratione dignum, si quid iuridice sit, nisi quis velit admirari tanquam constanter & virtuose factum, præsumptio fuit rem illicitam & scandalosam tentare. Et quia actus erat, qui notorie scandalizabat & conturbabat Ecclesiam, authoritate sacri Concilij ipsum summum Pontificem obsecrauimus, & monuimus & vt dissolutionem prætensam tolleret, & ab hac Sancta Synodo non alienum se faceret. Paulo superius audistis Concilium Constantiense pronunciasse recessum illum Iohannis fuisse illicitum & scandalosum. Optime nostis quod Ecclesia potest ac debet, ac sæpe consueuit, cum Papæ illam scandalisat, eum monere, & requirere vt desistat. Hoc certe quod egimus non ad iniuriam factum est, sed ad honorem vtilitatemque Ecclesiæ, ac suæ sanctitatis, vt tollendo ab Ecclesia scandalum, vtriusque honor atque vtilitas conseruaretur. Sed additis, quod nec ab Augusto, nec à populo, nec ab omni Clero iudex iudicabitur, allegando argumentationem glossæ, quod Concilium non potest iudicare Papam, & si totus mundus sentiret in aliquo negotio contra Papam, videtur quod Papæ sententiæ standum sit. Sed illa glossa pro; & contra allegat & non se firmat. Sed in capit. legimus *quod allegatis tenet, quod statutum Concilij, præiudicat statuto Papæ. Superius ad hoc dictum est quod per quemcumq; clerum particularem papa non iudicatur, & ita textus loquitur, non tamen excludit Ecclesiam vniuersalem: quam qui corrigentem non audierit sit tibi (inquit Christus) vt ethnicus & publicanus, quam eandem authoritatem eadẽ glossa dicit etiam habere locum in Papam, & istud dicit in c. si Papa, dummodo sit tale crimen, de quo posset accusari, vt puta dum scandalisaret Ecclesiam. vbi etiam ait nomine fratris quemlibet Christianum*

continere. Glosse & Dd. in hac materia ante Concilium Constantiense sæpe vacillabant: modo vnum, modo aliud dicebant, & scholastice disputantes non se firmabant. Magnum oportet explicare volumen, si singulorum dicta & argumenta in medium proferre vellemus, propterea ad imparandum curiosas & contentiosas verborum concertationes ecclesia vniuersalis magistra omnium Constantiæ congregata diffinuit hunc passim. Itaque si authoritas quæritur, quis non præferat vniuersalem ecclesiam & omnes homines dictis vnius Doctoris aut decem, aut quorumcunque, cum authoritas ecclesiæ & sacræ scripturæ vt supra dictum est, æquiparentur? sacram autem scripturã quis nesciat præferri omnibus doctoribus vt plane est 11. in decretis? *omnes autem Doctores dicta sua Ecclesiæ submittunt. Sibi non potest proferre sententia iudicio illius qui errare potest? Iterum autem hic respondet Beronymus:* Poteram omnes tuarum propositionum riuulos vno ecclesiæ sole exiccare. *Quantum vero ad dispensationem faciendam super capite.* Frequens breuiter dicendum est non posse in eo quemquam dispensare, *in quo sibi imponitur lex, quam necesse seruare habet. Si autem aliquis casus contingat rationabilis mutandi locum Concilij, decretum illud optime prouidet. Vnde non est dicere quod alias inhumana esset constitutio illa.*

Auctoritas Ecclesiæ & sacræ scripturæ æqui parantur.

XCVIII. *De Dominico Capranica à Martino V. auctum in Cardin. electo,*

Addidistis etiam, indignum esse ad instantiam vnius, quantumcunque dignitate præditi, molestari decreto nostro Summum Pontificem, putamus sentire vos de dilecto ecclesiæ filio Dominico Cardinali, firmano communiter nuncupato. Dolenter de re ista verbum facimus. Ipse grauissime in publica sessione ac generali sacra congregatione nostra quæstus est, quanta potuit cum honestate, intolerabilem sibi fuisse irrogatam iniuriam, petens sibi per Concilium ministrare iustitiam, quam alibi consequi non potuit. Retulit quemadmodum à felicis recordationis Martino Papa V. assumptus fuerat in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem, post cuius mortem accessit ad vrbem, & vna cum aliis Cardinalibus in electionem Romani Pontificis vt Cardinalis & electus interuenirer. Et licet se ad electionem admitti instantissime peteret, nihilominus (vt asseruit) eo spreto & contempto, fuit ad electionem Summi Pontificis processum, in magnam iniuriam & damnum ipsius & suæ dignitatis Cardinalatus, & in publicum scandalum totius ecclesiæ, contra bonos mores & sanctorũ Patrum instituta, quod hactenus nunquam auditum fuit. Asseruit etiam post electionem Domini Eugenij plures sibi illatas iniurias cum omnium bonorum suorum & fructuum suæ ecclesiæ firmanæ de facto expoliatione & quod super prædictis nunquam potuerit obtinere iustitiam, quam per medium nonnullorum venerabilium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, pluries sibi fieri petiit, & requisiuit maxime cum nec Romam posset sine euidenti mortis periculo (vt asseruit) accedere. Patres Concilii aduertentes prædicta, & recognoscentes quod negotium istud esset gratissimum, & merito per Concilium non negligendum, maxime vt declaret ius ipsius, an sit Cardinalis vel non, vt in futura electione, quando sedem vacare contingeret, sciatur an sit admittendus, vel non, ne scandalum aliquod in ipsa electione, vel post oriri posset, commiserunt causam istam iudicibus Concilii, in quantum concernit ius ipsius, diuntaxat cognoscendam. Et vt Patribus Concilii magis de iure suo constaret, legi fecit copiam cuiusdam decreti, felicis recordationis Martini Papæ Quinti, vt asseruit, cuius tenor sequitur, & est talis:

Tenor bullæ Martini V. qua Dominicus Capranica se Cardinalem esse prætendebat.

Anno à natiuitate Domini 1426. die Veneris 9. Cal. Iunii, Romæ in Palatio sancti Petri præsentibus omnibus Cardinalibus qui erant in curia, excepto Cardinali Aquilegiensi qui tunc infirmabatur, ad quem fuerunt missi duo Cardinales, videlicet Placentinensis & de Comite, pro eius voto sciendo, & ipsis consistorialiter congregatis, in forma consueta scrutinio præcedente secreto, publice creauimus, assumpsimus, atque publicauimus vltra Cardinales eadem die assumptos & publicatos, Dominicum Episcopum, Ilerdensem, in Presbyterum, Prosperum de Columna, Dominicum de Capranica electum Firmanum, Iulianum de Cæsarinis auditorem cameræ Diaconos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui Ilerdensis & Firmanus alias iuxta modum consuetum creati fuerant, sed ex bonis causis tunc & nunc vna cum aliis duobus noluimus publicari, sed dicto Ilerdensi seruatimus locum suum licet publicatus non sit. Item volumus, statuimus, & ordinamus quod si contingat nos mori ante publicationem dictorum quatuor Cardinalium, habeantur statim pro publicatis solenniter, etiam quoad electionem Romani Pontificis, & ad omnia alia, etiam si tituli ipsis quatuor assignati non essent. Item volumus, statuimus, & de Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, & mandamus omnibus & singulis Cardinalibus sub pœna excommunicationis, ipso facto, & inhabilitationis omnis actiuæ & passiuæ, quoad electionem Romani Pontificis, quod in casu scilicet mortis nostræ ante publicationem dictorum quatuor Cardinalium, quod ipsi alij Cardinales teneantur, & debeant, immediate scilicet infra diem naturalem, habita notitia mortis, publicare prædicta, dictosque quatuor Cardinales recipiant pariter & admittant in omnibus ac si publicati & admissi fuissent, sicut superius est expressum. Ita fuit A. Cardinalis Prænestinus Laudensis propria manu. Ita fuit A. Cardinalis Bononiensis propria manu. Ita fuit F. Epi copus Sabinensis, Cardinalis Venetiarum, propria manu. Ita fuit G. Cardinalis Senensis, propria manu. Ita fuit B. Cardinalis Placentinens. manu propria. Ita fuit G. Cardinalis sancti Marci, manu propria. Ita fuit R. Cardinalis de Brancaciis, propria manu. Ita fuit A. Cardinalis sancti Eustachij, propria manu. Ita fuit L. Cardinalis de Comite.

Asseruit autem prædicti decreti originalem schedulam, eiusdem Domini Eugenii tunc Cardinalis Senensis, manu propria conscriptam. Addens etiam duos ex venerabilibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ante ingressum conclauis, de libere ipsum admittendo ad electionem, prout in dicto decreto continetur, protestatos fuisse: quorum duorum protestationem in publica forma in dicta sacra generali congregatione legi fecit, quæ omnia ingesserunt stuporem, atque scrupulum magnum in animis sanctorum audientium, existimabatur autem à Domino factum, vt isto tempore sacrum Concilium celebrarctur ad prouidendum, tam insolitis nouitatibus.

Prætensa protestatio duorum Card. in fauorem Dom. Capranicæ ante ingressum conclaui.

XCIX. *Acta ab ipsis post dissolutionem Conc. tanquam summa Vsurpatione facta defendere conantur. Summus Pont. caput Ecclesiæ & Romæ Sedes principalis inter alias.*

Quod autem post dissolutionem præsumpserimus multa statuere, & edicta promulgare, dolemus vehementer nos tam modicam iustitiam sacri Concilii & authoritatem Ecclesiæ animaduertere, quod ea quæ cum summa ratione facta sunt, præsumptionem vocetis, nos autem æquo animo vestra non recte dicta toleramus, & potius pati iniuriam quam reddere volumus: licet quæcumque agimus ita euidenter iusta sint & licita vt probatione non indigeant, nihilominus omni poscenti parati sumus rationem reddere. Magnum aliquid vos dixisse putatis, dum dicitis, quod qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium detrahit, ab ipso omnium ecclesiarum capite traditum, in hæresim labitur. Idem sentimus & nos, ac multo firmius. Dicimus enim Summum Pontificem esse caput Ecclesiæ, & Romanam Sedem Principalem inter alias sedes. Sed nunquid dum partem laudatis obliti estis totius? Nunquid dum vanam ecclesiam extollitis, eam quæ vniuersalis est, prætermittitis? si hæreticus est qui Romanæ ecclesiæ primatum aufert, quanto maior ille hæreticus erit, qui eam Ecclesiam in qua Romana continetur, & præest super omnes ecclesias in omnes homines potestatem habere negat? Item & hæreticum illum fateri debetis qui putat Concilium generale, & specialiter illud Constant. Ecclesiam Catholicam non representare, aut in his quæ ad fidem seu bonos mores pertinent, posse errare, hoc si nobiscum credatis, omnis controuersia facile soluta est. Si Sedi Apostolicæ credendum est, & obediendum, credite litteris Apostolicis Martini Papæ Quinti in quibus ista continentur. Commemoratis nobis pœne formidinem ac conscientiæ vermiculum, Ecce aduenit tempus quod prædixit Propheta: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Qui nouitates inducunt, qui sanctorum Patrum decreta infringunt, qui hæresum, bellorum ac vitiorum exitipationem impediunt, qui pacem perturbant ecclesiæ, hi loquuntur de conscientiæ vermiculo. Si rationi non creditis saltem exemplis credite. Qui in Concilio Constantiensi per recessum Ioannis Papæ romano serunt, nunquid contra conscientiam fecerunt? nunquid non ab omnibus commendati sunt & commendantur? Nos id idem facimus, nisi quod lentius procedimus expectantes si forte molliscat cor Summi Pontificis. Hortamini nos ad pacem & vnionem, vtinam cor oris responderet. Ecce genibus flexis & plicatis manibus, crudele bellum quod nobis & ecclesiæ infertur, tolli exoramus. Sed quomodo vera pax esse potest, si gladium infixum in vulnere tenetis? clamamus, tollite gladium, & obliniscimur vulnerum, definite percutere & non recordamur iniuriarum, pax & vnio in manu Pontificis est, quam sibi dari ecclesia postulat, non dispergat filios sub alis matris suæ congregatos, non disiipet greges quos sibi commisit Dominus. Ecce si quid culpæ commissum est tollendo dissolutionem prætensam, sacrum Concilium penitus abolet, dummodo ipse Pontifex à persequendo desistat, tollatque dissolutionem in perniciem Ecclesiæ tendentem. Si dignabitur venire, nemo erit nostrum qui pedes eius non osculetur vt Petri, qui vt Vicarium Christi non honoret, erit Concilij Caput, omnes

cum respicient, omnes ei complacere, obsequi, & quantum cum Deo poterunt, deseruire curabunt. Postremo concluditis, in duobus esse dissentionem & in tempore, & in loco. Quod tempus dicitis placere Summo Pontifici, vt non prorogetur vlterius: loci autem electionem dat nobis dummodo sit in terris Italiæ Ecclesiæ Romanæ subiecti is, cum personaliter velit interesse, cuius dominio durante Concilio, se spoliare intendit. Reformationem autem Cleri Germaniæ & reductionem Bohemorum committit præfato Legato. Et vt nos ei adiumento simus, si huc fructuosius, quam sine interuallo ad Concilium proficisci existimamus: quod si complementum rerum huiusmodi, per nos & prædictum legatum fieri non posset, reliquum quod ad perfectionem extabit supplebitur in Concilio generali. Quantum ex his verbis intelligimus, Dominus Eugenius non solum non reputat hoc Concilium, sed nec vult vllo pacto hic celebrari Concilium sed dat nobis electionem loci in Italia in quo futurum celebretur Concilium. Quod hoc sit legitimum Concilium euidenter ostendimus. Propterea necessarium esse arbitramur tam saluti animæ suæ quam vtilitati ecclesiæ, vt sua sanctitas dissolutionem prætensam tollat, simpliciterque recognoscat Concilium, & illi tota mente adhæreat, hoc enim nullatenus prætermitti potest: tum quia fieri non potuit, tum quia notorie scandalizat ecclesiam: tum ne futuris temporibus detur occasio abolēdi capitulum frequens: *quod ita est in ecclesia necessarium sicut oculus in capite: sine Dei & totius Ecclesiæ grauiofensa, dissolutioni prætensæ consentire non possumus.*

C. *Alias rationes allegat quare dissolutioni consentire nō possint.*

Nam præter alia mala quæ prædicta sunt, hoc inde sequeretur, quod fateremur ecclesiam errasse, quæ hic iudicauit dissolutionem fieri non potuisse. Abrogemus etiam decretum Constantiensis Concily, sed etiam de Conciliorum potestate, ex eo enim decreto, vt persæpe dictum & Papa Concilio, non Concilium Papæ subiicitur. Quo autem ad loci mutationem maius quod allegatis, est Papæ debilitas quæ prohibet Papam huc accedere, & tamen interesse Concilio necessarium reputat. Si Bononiam accedere poterit, & Basileam poterit. Et si paulum plus temporis itinerando expeni oporteat, non est curæ. Alioquin futuris temporibus propter infirmitatem Papæ oportebit Concilium ad locum residentiæ Papæ transferre. Plura Concilia & de rebus grauissimis, Papa absente quam præsente celebrata sunt. Ipse Dominus Martinus licet grauissime esset infirmus tempore inchoationis Concilij huius, non tamen transferri Romam vel Italiam mandauit, & quantum coniecturari potest nihil est quod magis Pontificem modernum ab hoc loco retrahere debeat quam suum prædecessorem. Mundus hanc excusationem non capit, quod propter infirmitatem hoc fieri debeat, cum alij Pontifices non obstante agritudine Legatos suos destinauerint. Nunquid mundana gloria animum suum pulsat vt si quid in Concilio glorioſum agendum sit, suæ præsentiæ tantum attribuatur? Sed absit hoc à Vicario Christi qui omnia ad gloriam Dei referre debet: quanquam quidquid in Legatorum suorum præsentia factum fuerit sibi ascribi poterit. Sed qua conscientia potest à nobis mutatio loci concedi vel peti, cum tanto tempore laborauerimus, vt Bohemos huc traheremus, & ipsi cum nostris oratoribus in magnorum præsentia Principum colluserint velle huc venire, & iam acceperunt tam nostrum quam multorum Principum saluos conductus? si hinc euanescat Concilium, spes reconciliationis Bohemorum perpetuo tolletur animum reductionis si quem habent, videntes se delusos indurarent magis quam vnquam esset certe confundere ecclesiam, & periclitari fidem. Daremus enim multis populis occasionem, vt Bohemis se coniungerent putantes fidem nostram veram non fore, & nos aliquid non habere per quod possimus eos instruere. Quod si dixeritis, maneb. hic Legatus, & nos, hoc ergo est dicere vt simus hic non vt Concilium. Sed hic si ri non potest, nam à Concilio vocati sunt & ad Concilium venire consuluerunt: & nisi sit Concilium nullo modo venient, videtur non modicam spem tota Bohemia in Concilium ponere. Dicent & ipsi Bohemi. Principes atque populi Germaniæ se à nobis deceptos quod vsque nunc dixerimus, hoc esse verum Concilium, si nunc consentiamus hic non esse Concilium, quam fidem de cætero mundus habebit Conciliis? si hoc fecerimus nihil aliud restat, nisi vt tanquam deceptores per Principes & populos ipsos lapidemur & trucidemur, vel in manibus Bohemorum tradamur: Vtramque enim gentem, delusisse videbimur, consultus nobis esset vt hinc fugeremus quam amisso nomine, & authoritate Concilii, hic moraremur. Nec videmus quod profectum aliquem Dominus Legatus quo ad reformationem facere posset, si hoc Concilium extinguatur. Nam ita vbique mali mores inueterati sunt, quod nisi fiat generalis reformatio in ecclesia, nunquam fiet particularis alicuius prouinciæ. Solent enim omnes dicere: Reformentur alij & reformabimur nos. Illud etiam dicunt: Reformentur capita, reformabimur & nos. Vnde iudicio omnium necessarium est authoritate Concilij generalis fieri generalem reformationem, in qua potius ad exequendum, quam ad condendum nouas leges intendendum videtur. Quantum vero ad loci mutationem in Italia, cur à nobis expectatis responsum, cum nobis optime constet, hoc tempore impossibile esse ibi celebrari Concilium. Italia tota ardet guerris, omnis gleba suos habet armigeros, & prædones & vix simplices viatores secure transire possunt. Quot varietates & mutationes statuum sint in terris ecclesiæ vos melius nostis. Est etiam in omnibus ecclesiæ terris penuria non modica, si mente lustratis omnes christianitatis regiones, vix vlla est, ad celebrandum Concilium accommodatior, securior ac fertilior hoc loco intus & in circuitu. Quod ante omnia est ponderandum. Bohemi ad Italiam nullatenus venirent, quos etiam ad veniendum huc potenti Principum manu conduci oportebit. Non enim aliter concludi potuit aduentus eorum, nisi magni quidam Principes se obligauerint personaliter eos huc conducere, quod sine magnis expensis fieri non poterit. Ipsi etiam Bohemi oratoribus nostris in Egra expresse dixerunt sentientes famam istius dissolutionis prætensæ & nouæ indictionis Concilii Bononiensis nullatenus se montes transituros. Etiam vt inquit B. Thomas huiusmodi materiam in alienis partibus vbi hæresis nota est periculosum esse tractare. Est etiam aliud propter quod pati non debemus mutari locum, quia hoc destrueretur, nec aliud fieret Concilium. Nullus enim veniret, nec se ad tam longum tter exponeret, ea præsertim ratione, quod quilibet existimabit, quod sicut factum est hic, ita futurum esse & multo magis in Italia. Et si dicatur promitteretur non dissolueret nisi omnia completa sint, erunt qui replicabunt, si duorum Conciliorum, & duorum Pontificum authoritas non valuit, quin prædicta dissolutio fieret, multo minus valebit simplex promissio. Diceturetiam si Dominus Papa decederet, successor faceret si ut nunc fecit Dominus Eugenius. Nec putetis homines esse rudes quod huiusmodi non cognoscant artes. Existimatur nihil aliud quæri per multas ac varias vias nisi quemadmodum hoc Concilium dissipetur. Tot angustias & molestias mentis & diuersos labores, qui sunt hic, passi sunt pro sustentando Concilio, quod si scirent mutandum esse locum statim ad propria redirent, amplius non visuri Concilium suspicantur multi quod non tam loci mutatio, quam extinctio decretorum Concilij Constantiensis quæratur, ex quo quanta mala in ecclesia nunc, & in futuris temporibus sequerentur, vix enarrari posset. Hæc igitur & multa alia arctant conscientias nostras, vt nullatenus dictæ dissolutioni prætensæ, aut loci mutationi præbeamus assensum. Quare obtestamur, obsecramus, & cum quanta possumus instantia requirimus præfatum sanctiss. D. Eugenium per passionem Domini nostri Iesu Christi & salutem animæ suæ & per debitum quo obligatur ecclesiæ cum omni fauore huic sacro velit adhærere Concilio. Obtulimus quæ supra audistis. Offerimus etiam omnium molestiarum quas ex huiusmodi dissolutione perpessi sumus velle obliuisci. Offerimus etiam quicquid dici aut cogitari potest, nos fidelissime facturos, quantum cum Deo fieri poterit, pro omni honore & statu tam suæ sanctitatis quam omnium suorum, dummodo integre ac simpliciter huic sanctæ Synodo se coniungat. Quod si prouæ suam sanctitatem decet ostendet nolle sibi schisma in corpore, nec spiritum contristabat, qui sibi & nobis & toti populo Christiano hic perfectam charitatem, & in futuro sæculo vitam æternam donare dignetur, Amen. Datum Basileæ in congregatione nostra generali 3. Nonas Septembris, anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo.

Mutationē & electionem loci in Italia accepare reuocant.

Suspiciones ex mutatione loci.

XXIX.

SIGISMVNDVS REX ROMANORVM A BASILEENSIBVS SEDVCTVS, EDICTALI DIPLOMATE DIVULGATO SIGNIFICAT SE VELLE ADHÆRERE CÆTVI BASILEENSI.

CI.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Rex, semper Augustus ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus tenore præsentium vniuersis, quod cum inter alios orbis Principatus sacrum Rom. Imper. diuinitus institutum obtineat principatum, cui Deo authore præsidemus, & assiduæ pulsemur sollicitudine, vt ea quæ concernunt religionem Christianam & bonum ecclesiæ sanctæ Dei, quorum aduocatus & protector ex officio nobis incumbenti sumus & esse debemus, procurare que habeamus stabilitatem & felicem progressum eorundem. Sane cum ex sacrorum generalium Constant. & Senens. Conciliorum decreti constitutione suscepta felicis recordat. Martini Papæ V. & deinde sanctissimi Domini Eugenij Papæ IV. successoris immediati, authoritatiua approbatione sacrum Basileense Concilium initiatum fuerit, roborque & authoritatem sumpserit & progressum habeat, & successiue idem sacrum Concilium Basileen. & Romanos Patres in eodem existentes & illud celebrantes, cum instantia fuerimus requisiti, vt tanquam aduocatus Ecclesiæ sanctæ Dei, & defensor protectionem ipsius in nobis assumeremus, prout ad nos pertine-

pertinere dignoscimur, quod personaliter exequi non valentes vocati & inuitati primo per Dominum Martinum, & ipso sublato per Dominum Eugenium Summos Pontifices prædictos, transire ad Italiam prout transiuimus. Et propterea loco nostri protectionem in nobis assumendo, prout tenebamur in eodem sacro Concilio, protectorem dimisimus Illustrem Principem Vilhelmum Comitem Palatinum Rheni, & Ducem Bauariæ auunculum nostrum charissimum, deputauimusque, & instituimus cum plena authoritate & omnimoda potestate, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Et quia (vt percepimus) nonnulli vaniloquentes, non recte sentientes ipsum sacrum dissuadere ac turbare per exquisitas vias moliuntur, vt de nostra pura mente interpretatio neque ciusdem, & voluntate, cunctis appareat euidenter, ad confutationem iniqua peruerse loquentium volentes Reuerendissimos sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Deo amabiles, nec non venerabiles Abbates, Prælatos & omnes alios in Ciuitate nostra Basileense congregatos & congregandos, sacrum generale Concilium facientes, illud celebrare intendentes, sacrosanctam que vniuersalem ecclesiam repræsentantes, & eidem adherentes, & adherere volentes & quoscunque alios de eadem nostra intentione, & voluntate claros reddere & securos, ad ipsius sacri Concilij corroborationem firmiorem & authorizationem prout ad nos potest quouis modo pertinere, animo deliberato, & ex certa nostra scientia, motuque proprio in verbo nostro regio dicimus, ac tenore presentium attestamur, quod omnes ab initio prefati sacri Concilii Basileens. semper absque omni dubio simpliciter, atque pure eidem adhæsimus, adhæremusque firmiter, & quamdiu durauerit continuatum fuerit, adhærebimus inconcusse, nec faciemus, nec fieri permittemus Deo authore quantum in nobis fuerit, quod sit vel esse possit directe vel indirecte contra ipsius sacri Concilii authoritatem, & libertatem, seu in præiudicium aliorum in eodem vel agendorum in futurum, quo ad ea propter quæ est conuocatum & etiam congregatum. Præsentium sub nostræ maiestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Senis anno Domini 1432. die 22. mensis Nouembris, Regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. 46. Rom. 23. Bohemiæ vero 13.

CII. *Pontifex Rom. etiā Oecumenicis Conc. superior esse probatur.*

Lib. de Romano Pōt. cap. 7.

Iure diuino est caput vniuersalis Ecclesiæ.

2. *Fundamentum est vniuersalis Ecclesiæ.*

3. *Princeps vniuers. Ecclesiæ.*

Hæc Sigismundus Rex à Basileensibus seductus edicebat, quando triuola illorum, ad solidissimas Oratorum Eugenij Pontificis, quas superius adscripsimus rationes, responsione perfusus, existimaret quemcumque cætum esse supra suum Præsidentem, adeoque Concilium esse supra Summum Pontificem: cum tamen iure diuino, Pontifex Romanus, non tantum singulis, verum etiam omnibus, tam coniunctim, quam diuisim, ouibus, agnis, & Ecclesiis seu mandris, adeoque non tantum cœtibus, verum etiam Oecumenicis Conciliis superior sit. Enimuero, (vt alibi demonstrauimus) Pontifex Romanus, iure diuino *Caput est vniuersalis Ecclesiæ*, siue toto orbe diffusæ, siue in Concilio Oecumenico, in persona Prælatorum coeuntis. Itaque non tantum loco, sed etiam auctoritate antistat vniuersali Concilio. Namque Caput, & situ, & administratione antistat, & singulis membris, & toto corpori. Eam ob rem Chrysostomus Petrum Apostolorum Principem, *Apostolici chori* nominat *Verticem*, quod is toto cœtu Apostolico maior esset, & Concilio Apostolorum præsideret. Quamquam vero Paulus ei in faciem restiterit: non ideo tamen illum in ordinem depresserit, charitate corrigente, non authoritate corripiente vsus; non secus atq; digitus caput pruriens scalpit, non imperio, sed ministerio, vt vtrobique seruetur proportio, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, ad ædificationem corporis, quæ est in charitate, à sanctorum inter se communione.

Iure diuino, Pontifex Romanus, *Fundamentum* est vniuersalis Ecclesiæ, in quo post Christum velut in Vicario angulari tota superstructio spiritualis inædificatur, connectitur, sustinetur, & conseruatur. Præstat itaque vniuersæ inædificationi, non minus quam Christus vniuersæ moli totius Ecclesiæ. Agnouerunt eam in Petro præstantiam Apostoli. Namque & in Euangeliis, & in epistolis, & in Conciliis, & in suffragiis, & in sententiis ferendis primas ei concedebant; quod animaduertit Cyrillus Alexandrinus, in Thesauro.

Iure diuino, Pontifex Romanus, *Princeps* est vniuersalis Ecclesiæ, cui Christus, & *Petræ*, & *Ostiarii*, non vnius cœli, sed omnium *cœlorum* tam *nomen*, quam *Principatum* communicauit. Itaque pari potestate, quam Christus, non tantum super singulos cœlos, seu Sanctos, sed etiam super omnes in vnum congregatos præditus, vniuersis eminebit; vtpote cui etiam *Principatus super humerum eius*; & cui amplissima ligandi & soluendi omnes & singulos fideles potestas, primum, & immediate, & per eum Ecclesiæ concessa.

4. *Præpositus domus.*

Iure diuino, Pontifex Romanus est *Præpositus Domus*, quæ columna & firmamentum est veritatis. Itaque præcellit vniuersam Christi familiam, super quam à Domino est constitutus.

5. *Confirmator fratrū.*

Iure diuino, Pontifex Romanus est *coryphæus & confirmator Fratrum*; quod illius solius Fides non deficiat. Primogenitorum itaque prærogatiua, maior est omnibus Fratribus, quos Ecclesia Christo vel genuit, vel in vnum adunauit.

6. *Pastor gregis Christi.*

Iure diuino, Pontifex Romanus *Pastor est totius gregis Christi*. Itaque cœtus Pastorum & Prælatorum, quamquam in Concilio congregatorum, cum ad gregem Christi pertineat, nunquam erit superior Principe Pastorum, cui datum est agnos & oues pascere; adeoque Concilia conuocare, transferre, dissoluere, confirmare, abrogare, declarare, dispensare, ac decernere id quicquid ad salutem gregis Christi spectat.

7. *Fons sacerdotij & totius authoritatis spiritualis.*

Iure diuino Pontifex Romanus, *Fons est Sacerdotii, & totius auctoritatis spiritualis*; cum omnes alij sint *membra de membro* vt Paulus docebat, ab vno supremo visibili Hierarcho, velutià capite, vel radice, potestatem ordinis & iurisdictionis participantes, & ei omnia quæcumque habent accepta referentes. Itaque vt inferiores gradu, ita etiam minores auctoritate fuerint; non secus quam septuaginta Seniores, vel Moyse cuius portionem spiritus accepere, vel summo legis veteris Pontifice, ad quem omnia referebant; nec minus quam barba Aaronis, aut ora vestimenti eius vngutine odorifero è capite descendente imbuta, ipso vertice Aaronis, qui fons vnctionis.

8. *Vicarius Christi.*

Iure diuino, Pontifex Romanus *Vicarius est Christi*, cui Christus, vt sanctus Chrysostomus in Matth. cap. 16. animaduertebat, *quod Patris est, & suum, vbique terrarum vniuerse concessit, & homini mortali, omnium quæ in cælo sunt auctoritatem dedit*: adeoque commune sibi cum Petro tribunal esse de clarauit, vt iudicia per eum iudicata, etiam in cœlis firma remaneant. Itaque non minus quam Christus, vniuersali Ecclesiæ; & cætui Apostolorum atque discipulorum, adeoque Oecumenico Concilio & congregationi Pastorum Prælatus est. Maxime quod Christus, ad exemplar ciuitatis supernæ Hierusalem, nouæ istius de cœlo descendentis regimen constituit. Itaque sicut in Hierusalem illa quæ in cœlis est Mater nostra, vnus Princeps Agnus, Sacerdos in æternum, omnibus sanctis superior est; cui omnes cum singulatim, tum vniuerse, diuisimque ac simul omnes subsunt, obtemperant, & caput inclinant, ad eum modum in Ecclesia eminere Vicarium Principem voluit, cui omnes Ciues & domestici Dei, non tantum vt separatim singuli, sed etiam vt simul vniuersi pareant, & tam vniuersis quam singulis Prælatum agnoscant, venerentur, & fateantur.

9. *Omnium Christ. Pater & Doctor & Primas totius Orbis.*

Iure diuino, Pontifex Romanus est, *omnium Christianorum Pater, & Doctor, & Primas totius Orbis*, cui in Beato Petro Apostolorum primo, regendi vniuersalem Ecclesiam Christus amplissimam contulit potestatem. Itaque superior est omnibus suis filiis, discipulis, participibus, Prælatis, Episcopis, Concilio denique ipso Orbem vniuersum Christianum repræsentante. Non est enim filius super patrem, neque discipulus super Magistrum, neque particeps supra vnctum præ participibus omnibus, neque subditus Primate Principe, neque qui regitur supremo Rectore.

10. *Indubitatus Petri Successor pari cum eo dignitate & authoritate.*

Iure diuino Pontifex Romanus, *indubitatus est Petri successor, pari dignitate iuxta & authoritate, cum Petro Christi Vicario præditus.* Itaque non minus quam ille omnibus Apostolis, etiam is omnibus & singulis Episcopis, cætuique illorum præstabit. Enimuero Petrus, ipso quoque Christo superstite, cæteris coapostolis præerat, proque omnibus curam gerens, aut respondebat, aut requirebat. Cum enim inprimis Christus discipulos, quem se, vel homines, vel illi ipsi dicerent percontatus fuisset: Petrus, tamquam os Apostolorum & caput, pro omnibus, *Tues*, inquit, *Christus filius Dei viui.* Rursus, cum illos, an vellent ipsi quoque abire, interro-

gasset; Petrus pro ipsis ait: *Domine, ad quem ibimus? verba æternæ vitæ habes.* Deinde, cum Christus, vt omnes essent parati, eos moneret, quia qua hora filius hominis venturus foret, non putarent: Petrus pro illis, *Domine*, interrogauit, *an ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Item cum Christus difficile ostenderet diuitem intrare in regnum cœlorum, proindeque diuitias contemnere suaderet: Petrus qui claues Regni cœlorum acceperat, de his quæ ibi iam sunt confidit, & *pro Orbe terrarum*, vt inquit Chrysostomus, interrogat vniuersa dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis.* Iam vero Christo ad dexteram Patris in cœlos recepto, Petrus super cætum Apostolorum se esse superiorem factis ostendit. Pro electione Matthiæ, *Sicut ille*, vt ait Chrysostomus, *cui à Domino commissum erat ouile, & vt Princeps cæterorum* Concilium indixit; in eodem Concilio, velut *chori eius Princeps, auctoritate sibi à Christo tradita qua omnes habebat in manu*, vt idem memorat Chrysostomus, primus vt præses surrexit, primusque sententiam dixit: In alio Concilio, de abrogatione legalium, primus item quæstionem definiuit, in alio præterea, cum Apostoli congregati, antequam in gentes proficiscerentur, normam prædicationis in commune statuerent, tesseramque Christianitatis scilicet Catholicum Symbolum sententiis signarent, Petrus Princeps primus dixit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, vt Augustinus serm. 115. de tempore* affirmat. A Petro manauit hæc prærogatiua in omnes successores Romanos Pontifices, vt illi Concilia indicerent, Conciliis præsent, in Conciliis præscriberent, Concilia confirmarent, moderarentur, iudicarent, infirmarent, corrigerent, abrogarent, dissoluerent, damnarent, nulli Concilio obnoxij, à nullo vnquam Concilio in iudicium vocati, aut damnati, quod alibi abunde demonstrauimus; ex quibus crassam Basileensiū, in superiore responsione ignorantiam, non difficile est agnoscere. Sane in Marcellinum Papam quem Basileenses adducunt, vt Nicolaus I. Michaeli Imperatori scripsit, *nullus Episcoporum proferre sententiam ausus est, dum ei sapissime omnes prohiberent, tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio. Et iterum: Noli, aiunt, audiri in nostro iudicio, sed colligе in sinu tuo causam tuam. Et rursus; quoniam ex te, inquiunt, iustificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. Et iterum dicunt; Prima Sedes non iudicatur à quoquam. Tu reus, tu iudex: noli à nobis iudicari. Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis.* Hæc de Marcellino, quem Basileenses frustra pro se torquent. De Ioanne XXIII. quod Patres Constantienses sententiam tulerint, quomodo, & quo iure id factum fuerit; alibi satis superque manifestum fecimus, quæ ne frustra repetamus illud sufficerit, illum non apud omnes indubitatum fuisse Pontificem: ideoque potuisse iudicio Concilij subiacere; adeoque potuisse Patres Constantienses legem sancire, non in verum indubitatumque Pontificem, sed in dubium & incertum, vt Concilium Generale isto, non illo superius sit, adeoque potestatem habeat Concilium reformandi Ecclesiam, etiam in capite, sed dubio ac incerto.

Quamquam autem is verus sensus decreti Constantiensis fit ac fuerit, Basileenses tamen, à Dominico Capranica profugo, & à Philippo Duce Mediolanensi incitati, vt Eugenium Pontificem, quem caput & Pastorem suum, adeoque Concilio omni iure prælatum agnoscebant, in ordinem redigerent, Constantiense decretum, ad absolutum sensum torquentes, ausu temerario continuare conciliabulum voluerunt, & hæc subsecuæ attentarunt.

CIII. *Summarium quorundam actorum à Basileensibus temere actitatorum.*

Ad diem 15. Februarij, secunda sessione habita, Constitutionem Constantiensem, de præeminentia Concilij male intellectam, & aliorsum detortam publicarunt.

Præcipiti temeritate sanxerunt, quod nullus, etiam Papalis dignitatis, possit ipsum Basileense Concilium dissoluere, aut ad alium locū transferre, seu ad aliud tempus prorogare, absque eiusdem Basileensis Concilij assensu: cum tamen ex praxi Ecclesiæ patet, Pontifices Romanos, auctoritate propria, dissoluisse, transtulisseque, quin etiam reprobasse Concilia, neque vnquam vlli Concilio fuisse subiectos.

Pari temeritate decreuerunt, quod nemo venientium, aut qui venerunt Basileam, etiamsi quis eorum Papalis existeret dignitatis, possint à Basileensi congregatione discedere, sine eius consensu, cum tamen euidens sit, Pontifices Romanos à nemine hominum posse cogi, quod ipsi sint superiores omnibus & singulis.

Pari temeritate, innoxios illos declarauerunt, quos Eugenius, pro summa in Ecclesiam vniuersam authoritate, vinculis Ecclesiasticis innodauerat, quod mandatis Apostolicis inobedientes, Basileæ substiterant, & cæterum præuaricatorum, vel numero auxerant, vel authoritate siue laica, siue vsurpata defendere conabantur.

Ad 12. Kal. Iunij, nihilo saniores facti, tertio conuenientes, pari temeritate, reiecerunt rationes, propter quas Eugenius significabat, se iure merito Concilium Basilea Bononiam transtulisse: atque magis in profundum malorum præcipitati præcipitantesque, decreuerunt, se habere à Christo authoritatem immediate, cui omnes, etiam Papalis dignitatis obedire teneantur, cum tamen sole ipso clarius sit, Christum, non Concilio, non cuiuis Episcoporum, non omnibus Episcopis, sed soli Petro, Claues Regni cœlorum dedisse, ipsum Ecclesiæ fundamentum, caput & Pastorem constitutum fuisse, pro ipso Christum, ne illius Fides deficeret orasse, ac ipsi curam confirmandorum Fratrum, regendi gregis, dirigendorum membrorum, administrando Regno cœlorum & pascendæ familiæ, adeoque ipsi immediate, non Ecclesiæ, ac nonnisi per ipsum, Ecclesiæ auctoritatem in Ecclesiam collatam fuisse: ipsumq; non minus quam caput, Patrem, Pastorem, Rectorem, Principem à Domino membrorum, filiorum, ouium, gregis, familiæ, subditorum, ab iudicio & auctoritate Concilij exemptum iure diuino esse, fuisse, & in perpetuum fore.

Pari temeritate, monuerunt authoritate vsurpata, Eugenium, ne Concilium dissolueret, & Cardinales, vt vna cum ipso Basileam properarent. quin temeritatem temeritati addiderunt, quando illi & illis, si non veniret, aut non venirent, disciplinæ Ecclesiasticæ vincula per comminationem ostentarunt.

Ad 12. Kal. Iulij, maiore temeritate, quasi iam Eugenium exauctoratum haberent, electioni locum assignarunt; subditos Romano Pontifici, ab omni vinculo iuramenti liberos esse pronunciarunt, auctoritatem Oecumenici Concilij sibi vsurparunt. Pontifici, ne Senatū Apostolicum augeret, interdicere præsumpserunt, & Vicarios Prouinciis atque vrbibus Ecclesiæ Romanæ & Eugenio subiectis, nullo iure imposuerunt, adeoque & spirituali, & temporali iurisdictione Eugenium exuere, omninoque de Sede deponere visi sunt.

Ad 8. Idus Septembris, peccatum peccato adiicientes, Eugenium, quod Basileam non venisset, contumacem denunciarunt, & S. R. E. Cardinalibus, tempus quo Basileam venirent prorogauerunt, peiusque illos habuerunt, quam si Apostolica Sedes iam vacasset, aut vacaret.

Ad 15. Kalend. Ianuarij, superbia eorum ascendente semper, Eugenio, quem nuper Sanctissimum & Innocentissimum appellauerant diem dixerunt: ne Bononiam vel alibi Concilium transferret edixerunt; si quod ille Concilium congregaret, Conuenticulum non Concilium debere dici decreuerunt, ad illud ne quispiam accederet prohibuerunt, facta quædam ab Eugenio in rebelles iuridica rescidерunt, potestatem in temporalibus illi eidem Eugenio detraxerūt, atque vix non in triumphum Pontificem duxerunt, vt scilicet Principes Sacerdotum, Scribæ & Leuitæ, Iesum Pilato, vel Herodi traderent. Sed exactius ista cognoscentur ex ipsissimis actis, quæ adiungo.

ACTA BASILEÆ TOTO anno 1432.

SESSIO II.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis, ecclesiam militantem repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

AD laudem Dei omnipotentis, ac benedictæ individuæque Trinitatis gloriam & honorem, pro hæresum atque errorum extirpatione, morum in capite & in membris Ecclesiæ Dei reformatione, ac regnum & regnorum cæterorumque Christicolarum adinuicem, authore discordiarum procurante, dissidentium pacificatione, in Spiritu sancto legitime congregata, decernit, statuit, diffinit, declarat, & ordinat, vt sequitur:

Decretum, quod Concilium Basileense est legitime inchoatum.

CIII. Et primo, quod eadem sacra Basileensis Synodus, sacris Constantiensi & Senensi Conciliis generalibus decernentibus atque ordinantibus, & authoritate Apostolica interueniente, fuit & est in hoc loco Basileensi debite legitimeque ac rite initiata & congregata. Et ne de eiusdem sacræ Basileensis Synodi potestate à quoquam dubitetur; ipsa eadem Synodus duas declarationes ex decretis Synodi Constantiensis in præsenti sessione, aliis suis decretis editis seu edendis inferendas, ordinat & decernit, quarum quidem declarationum tenor primæ sequitur, & est talis.

Decretum, quod Concilium Generale est super Papam in his, quæ fidei, & schismatis sunt, &c.

CIV. *Quomodo, cur & quā do hoc verū fuerit videprasertim D. Tur recremata in sua summa de Eccl. lib. 2. & ob id incipit à Concilio ū natura deuiare, & in errores prolabi, & merito à Leone X. Conuenticulus nuncupatur. Erronea declaratio. Obstinata erroris & sequutio.*

Et primo declarat, quod ipsa Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans potestatem immediate à Christo habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & ad generalem reformationem ecclesiæ Dei in capite & in membris. Alterius vero tenor sequitur in hæc verba.

Quod inobedientes Concilio puniantur.

Item, declarat, quod quicunque cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præceptis huius sacræ Synodi & cuiuscunque alterius Concilij generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Præmissis igitur & nonnullis aliis Constantiensis Concilij, præsertim capituli quod incipit, Frequens in priori huius sacræ Synodi Basileensis sessione recitati, decretis attentis, prælibata Synodus Basileensis decernit & declarat, quod ipsa pro hæresum extirpatione ac morum generali reformatione ecclesiæ in capite & in membris, nec nō pace inter Christianos procuranda (vt præmittitur) in Spiritu sancto legitime congregata, per nullum quauis authoritate, etiam si Papali dignitate præfulgeat, dissolui aut ad alium locum transferri seu ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debeat aut potest, debebit aut poterit in futurum, absque eiusdem Synodi Basileensis deliberatione & consensu.

Irritum, & inane est quod hic decernitur rationibus supradictis structura qualibet namque super arenā posita labitur.

Quod personæ Concilii non debeant extra Concilium trahi, vel impediri.

CVI. Item diffinit, ordinat & decernit hæc sancta Synodus, quod nulla persona, cuiuscunque status, dignitatis seu conditionis fuerit, in eadem Synodo actu existens aut futura, eidem incorporata vel incorporanda, à tempore arrepti itineris ad ipsam sanctam Synodum sine fraude continuati, ad recedendum ab eadem, à quoquam quauis authoritate etiam si Papali dignitate præfulgeat, directe vel indirecte in læsionem seu perturbationem dictæ sanctæ Synodi, inuita sine deliberatione & consensu ipsius sanctæ Synodi requiri, moneri, compelli citari, euocari ad alium locum, etiam curiam Romanam valeat, seu ne ad eandem sanctam Synodum veniat, possit aut debeat quomodolibet impediri. Si autem à quoquam quauis authoritate, etiam si Papali dignitate præfulgeat (vt præmittitur) in contrarium attentatum fuerit, seu attentaretur in futurum, aut processus pœnales vel mandata, etiam censuras ecclesiasticas seu translationes prælatorum inuitorum, vel priuationes aut inhabilitationes eorundem seu aliorum beneficiatorum quorumcunque, aliasve quascunque pœnas continentes, vt ab eadem sancta Synodo recedant, vel non accedant ad eandem, aut eidem non adhæreant, fulminati fuerint, fulminentur, aut fulminarentur in futurum, totum sit irritum & inane, nec eisdem processibus, censuris ac pœnis, tanquam irritis & inanibus quomodolibet obediendum fore, prædictosque processus & censuras, cum omnibus inde secutis & inde secuturis, quatenus de facto processissent, aut procederent in futurum, cassat, & irritat, & annullat, & pro cassis, irritis, atque nullis habendos decernit, diffinit, ordinat & declarat.

Quod hi qui tenentur interesse Concilio, non recedant sine licentia.

CVII. Item, decretis sacri Concilij Constantiensis inhærendo, statuit, ordinat & decernit, quod Prælati & alij qui tenentur huic sacro Concilio interesse, ab hoc loco ante finitum Concilium, nisi ex causa rationabili per deputatos seu ab hoc sacro Concilio deputandos examinanda, non recedant. Qua quidem causa examinata & legitime approbata, possint recedere de licentia illius vel illorum, qui pro tempore habent vel habebunt authoritatem. Et tunc taliter recedens, teneatur dimittere aliis in loco remanentibus suam potestatem, sub pœnis iuris per hoc sacrum Concilium indicendis, & in facientes contrarium exequendis.

Promotores alii. Item quia plures promotores in eadem sancta Synodo, & etiam notarij ad conscribendum acta eiusdem sunt necessarij, citra aliorum per ipsam sanctam Synodum in ipsius prima sessione deputatorum reuocationem, Magistros * Adamarium de Rossilione Licentiatum in decretis, Archipresbyterum Viuariensem & Canonicum Lugdunensem, Henricum de Behenheym Licentiatum in decretis, officialem Basileensem promotores, & Petrum Bruneti baccalaureum in decretis, Canonicum Atrebatensem, notarium eiusdem ordinat & deputat.

* *Adamarum.*

Datum in Sessione publica eiusdem sanctæ Synodi in Ecclesia maiore Basileensi solenniter celebrata, decimoquinto Calendas Martij, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

SESSIO III.

CVIII. SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans. Olim sacrum Constantiense Concilium volens futuris Ecclesiæ necessitatibus prouidere, matura deliberatione statuit & decreuit, vt post finē ipsius Concilij in quinquennium, deinde in septennium, & postea perpetuo futuris temporibus de decennio in decennium, generale Concilium celebretur, cuius decreti vigore felicis recordationis Martinus Papa Quintus, ipso Constantiensi approbante Concilio, statuit in ciuitate Papiensi proximum tunc Concilium celebrari, quod ibidem cœptum fuit, & de consensu, & approbatione ipsius Concilij, ad ciuitatem Senensem translatum. In quo Senensi Concilio fuit electa hæc Basileensis ciuitas, pro futuro tunc Concilio in septennium celebrando. Appropinquante autem fine ipsius septennij, præfatus Papa Martinus volens decreto Constantiensis & ordinationi Senensis Conciliorum satisfacere, vt debebat, Reuerendissimum in Christo Patrem & Dominum, Dominum Iulianum sanctæ Romanæ Ecclesiæ sancti Angeli Diaconum Cardinalem, Sedis Apostolicæ destinauit legatum, cum plena potestate eidem Concilio vice & authoritate Sedis Apostolicæ præsidendi. Quod etiam Sanctissimus Dominus Papa Eugenius Quartus ratum habuit & approbauit. Proinde hoc sacrum generale Concilium in Spiritu sancto legitime congregatum, prouida & matura deliberatione considerans, hæreticam pestem in partibus Bohemiæ nimis sæuire crudeliter, quæ Dei occulto iudicio, bello pluries attentato non potuit superari, atque quod in diuersis mundi partibus, clam hæretica pestis pullulat atq; serpit, quodque proh dolor multas Christianas prouincias bellorum desecat rabies & deuastat, morumq; nimia deformatio diuinam maiestatem offendit tantis & tam pestiferis malis, omnipotentis Dei gratia largiente, ad extirpationem hæresum, pacemque in Christiano populo componendam, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris studiose occurrere, & salutaribus remediis prouidere, disposuit, & vt hæc ad optatos fines commodius duci possent, cōsiderans hæc sancta Synodus præsentiam Summi Pontificis, Reuerendissimorumq; sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in ipso Concilio esse accommodam & multimode fructuosam, venerabilem virum Magistrum Ioannem Pulchripatris, sacræ Theologiæ Professorem, ad Sanctissimum Do-

Hæresis Hussitica.

Bella. Mores deprauati.

minum

gitime

minum Eugenium Summum Pontificem destinauit, atque ad præfatos Reuerendissimos Dominos Cardinales, præfatum Sanctissimum Dominum Papam exorando & supplicando, vt huc (si commode posset) personaliter accederet, ipsiq; sacro Concilio fauoribus & auxiliis assisteret opportunis. Denuoque venerabiles viros Iacobum Sirik scholasticum Treuirensem, & Thomam *Fieno decretorum Doctorem, suos pro eadem causa Oratores ad eundem Dominum Papam & Dominos Cardinales transmisit. Cum autem ad notitiam ipsius Concilij peruenisset, præfatum Dominum Papam ex sinistra informatione motum, dissolutionem ipsius Concilij attentasse, quæ quidem dissolutio in periculum euersionis fidei cederet euidenter, nec non Ecclesiæ Dei graue scandalum, ad eundem Dominum Papam atque Reuerendissimos Dominos Cardinales, suos destinauit prorinus Ororores, Reuerendum Patrem Dominum Ludouicum de Palude Episcopū Lausanensem, & Magistrum Henricum Stater Decanum Traiectensem, ad supplicandum, instandum & requirendum præfatum Dominum Papam, vt ipsam dissolutionem reuocare dignaretur, huicque sacro Concilio in tam laudabilibus operibus suffragaretur auxiliis & consiliis opportunis.

*Fiene. Oratores ad Papam destinati.

Oratores alij.

Decernitur, dissolutionem Concilij nullatenus fieri posse.

CIX. Consideransque hæc sancta Synodus, præfatam dissolutionem Concilij contra decreta Constantiensis Concilij esse factam, tendereque in euersionis fidei graue periculum, & status ecclesiastici turbationem & detrimentum, atque scandalum totius populi Christiani, eandem dissolutionem decreuit nullatenus fieri potuisse: quinimo, ipsa minime obsistente, ad prosequutionem eorum quæ pro fidei stabilitate & salute Christiani populi laudabiliter sunt incepta, esse cum Spiritus sancti gratia procedendum. Verum cum redeuntibus præfatis Episcopo Lausanensi & Decano Traiectensi, optata responsio à Sanctissimo Domino Papa non fuerit reportata, licet non solum à prædictis Concilij oratoribus ipsius Concilij nomine, sed etiam à Serenissimo Domino Sigismundo Rege Romanorum fideli Ecclesiæ aduocato, præfatus Sanctissimus Dominus Papa supplicatus, interpellatus, requisitus, rogatus fuerit, & totis nisibus, multiplicatis vicibus obsecratus, idcirco hæc sancta Synodus innitens decretis sacri Constantiensis Concilij, quorum verba hæc sunt: Quod sancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem ad extirpationem dicti schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.

Monitio contra Papam.

CX. Item declarat, quod quicunque, cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si papalis existat, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præceptis huius sanctæ Synodi, aut cuiuscunque alterius Concilij generalis legitime congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, (si opus fuerit) recurrendo. In hac solenni sessione ipsum Sanctissimum Dominū Papam, nec non Reuerendissimos Dominos Cardinales modo & forma infra scriptis interpellare decreuit. Hæc igitur sancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, prædictum beatissimum Dominum Papam Eugenium cum omni reuerentia & instantia supplicat, & per viscera misericordiæ Iesu Christi exorat, requirit, & obtestatur, ac monet, quatenus prætensam dissolutionem, sicut de facto processit, de facto reuocet, & ipsam reuocationem, quemadmodum & dissolutionem fecit, per diuersas mundi partes transmittat & publicet, ab omnique impedimento dicti Concilij penitus desistat. Quinimo eidem (vt debet) faueat & assistat, omniaque præbeat subsidia & auxilia opportuna, nec non infra trium mensium spacium, quod ad hoc pro termino peremptorio præfigit & assignat, si corporalis ipsius dispositio patiatur, personaliter veniat. Sin autem, personam vel personas loco & vice sui destinet & transmittat cum plenaria potestate, ad omnia & singula in hoc Concilio peragenda vsque ad totalem ipsius conclusionem, per omnes & singulos actus gradatim & successiue. Alioqui si hæc sanctitas sua facere neglexerit, quod de Christi Vicario non est aliqualiter sperandum, sancta Synodus (prout iustum fuerit, & Spiritus sanctus dictauerit) necessitatibus Ecclesiæ prouidere curabit, & procedet, secundum quod iuris fuerit diuini pariter & humani. Similiter præfatos Reuerendissimos Dominos Cardinales, qui tanquam principales Ecclesiæ Dei cardines ad hæc feruentius intendere debent, exorat, requirit, obtestatur & admonet, quatenus cum præfato Domino Papa super prædictis sollicitam instantiam faciant, huicque sacro Concilio faueant, assistant, & auxilientur modis omnibus opportunis. Et cum præsentia ipsorum, pro eorum authoritate magnaque prudentia & experientia rerum, sit huic sacro Concilio plurimum opportuna, ipsos Dominos Cardinales & quemlibet eorum requirit, monet, & citat, quatenus infra spatiū trium mensium ab intimatione præsentium (quem terminum pro trina ac canonica monitione præcise & peremptorie præfigit & assignat) ad dictum sacrum Concilium Generale veniant, Canonico impedimento cessante: alioquin, cum eorum negligentia ad ipsum sacrum generale Concilium veniendi, vt tantis necessitatibus Ecclesiæ succurratur, in periculum grauis iacturæ fidei Catholicæ, totiusque Ecclesiæ detrimentum censeatur proculdubio redundare: hæc sancta Synodus, lapso termino supradicto, contra eos qui venire neglexerint, eorum exigente contumacia, procedet, prout diuini pariter & humani dictauerit & permiserit ordo iuris, & necessitatibus Ecclesiæ altissimo largiente prouidere curabit. In præmissis autem dicta Synodus Reuerendissimum Dominum Cardinalem sanctæ Crucis quamdiu tractatibus pacis regnorum Franciæ & Angliæ insistet, includere non intendit, atque quo ad Reuerendissimos Dominos Cardinales, Placentinum & de Fuxo vulgariter nominatos, & Cardinalem sancti Eustachij, cum in propinquioribus locis existant, ad quorum spatium mensium restringit terminum supradictum. Mandat insuper hæc sancta Synodus vniuersis & singulis Dominis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarū prælatis, clericisque, notariis & personis ecclesiasticis, nec non aliis Christi fidelibus, cuiuscunque status, dignitatis, gradus & conditionis existant, omnesque & singulos Principes & Dominos, etiamsi imperiali, regali, ducali, seu quauis alia præfulgeant potestate, requirit & rogat, qui pro præmissis fuerint requisiti, seu requisitis, in virtute sanctæ obedientiæ ac obtestatione diuini iudicij, & sub pœna excommunicationis, quatenus prædicta omnia & singula dicto Sanctissimo Domino Papæ, atque Reuerendissimis Dominis Cardinalibus insinuent, intiment, & notificent, ac intimari & insinuari, seu notificari faciant personaliter eisdem, si ad eos totus & accommodus pateat accessus. Sin autem, ei vel illis ad quos personaliter accedendi facultas non sit, in eorum habitationibus nec non in porta palatij Apostolici & in Ecclesiis sancti Ioannis Lateranensis, sanctiPetri, & sanctę Mariæ maioris de vrbe, copias per publicum Notarium confectas affigendo, si hoc tute fieri possit. Sin autem, in principalibus ecclesiis ciuitatum Suttinæ, Viterbij & Senensis, vel aliarum trium ciuitatum vicinarum, de quibus fuerit bene visum. Quæ quidem loca hæc sancta Synodus decernit esse idonea pro executione omnium præmissorum. Et nihilominus hæc sancta Synodus futuris cupiens obuiare casibus, vt omnis euitetur dispendiosus circuitus, cum rebus de quibus agitur supra modum periculosa sit mora, ordinat & decernit, huiusmodi admonitionis & citationis decretum, postquam in hac solenni sessione lectum fuerit & publicatum, Ecclesiæ cathedralis Basileensis valuis affigi, vt si forte contingat ipsius intimationem exequi non posse modo aliquo præmissorum, eo casu ex nunc tanquam publico edicto, ad quatuor mensium spatium ab hac die in antea computandum, censeatur quo ad omnes eius effectus facta insinuatio, monitio & citatio, sicque suos omnes effectus sortiri & arctare eos, quibus dirigitur, decernit, ac si personaliter in-

simuatum & præsentatum fuisset, viribus peremptoriis & commonitionibus suprascriptis hic habitis pro insertis. Insuper hæc sancta Synodus declarat & protestatur, quod nihilominus prædictis dilationibus pendentibus, cum iam præcesserit à iure vocatio ex decreto Concilij Constantiensis rerumque necessitas id suadeat, & qualitas agendorum in vlteriore prosecutione Concilij & agendis in eo, procedere intendit ordinate, debite ac mature, nec propterea supersedere aliqualiter in processu. Tandem hæc sancta Synodus decernit citationes contra omnes prælatos & alios, qui ad Generale Concilium venire tenentur, omnesque & singulos Generales ordinum quorumcunque, ac etiam inquisitores hæreticæ prauitatis, sub dilatione termini, seu terminorum, de quibus deputatis fuerit bene visum, cum pœnis & censuris & clausulis opportunis. Datum Basileæ in sessione publica sanctæ Synodi Basileensis, celebrata in Ecclesia maiori huius ciuitatis, sub sigillo eiusdem sanctæ Synodi, sub anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo, indictione decima, die vero Martis 29. mensis Aprilis, præsentibus notariis & scribis huius sanctæ Synodi suprascriptis.

Notarii alii noui.

Item quia plures notarij & scribæ ad conscribendum acta huius sacri Concilij sunt necessarij hæc sancta Synodus, citra tamen aliorum notariorum per ipsam alias constitutorum renocationem, venerabiles viros Magistros Bartholomæum de *Lucigniano ciuem Senensem, & Thomam Cheseneloti baccalaureum in decretis Rhemensis diœcesis, notarios eiusdem deputat & ordinat. Datum Basileæ in, &c. vt statim supra.

*Lutigniæ

SESSIO IV.

Salvus-conductus Bohemorum.

CXI. SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans. Tenore præsentium significamus vniuersis, quod omnibus & singulis sacerdotibus, baronibus, nobilibus, militaribus, populatibus, & aliis quibuscunque viris, cuiuscunque status, conditionis aut qualitatis existant, de regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ, de Praga & ciuitatibus, ac aliis locis eorundem, & omnibus aliis ecclesiasticis & secularibus personis, qui aut quæ vna cum ipsis ad generale Basileense Concilium mittentur, ac profecturi existunt, omnibus eorum personis, quocunque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, infra tamen numerum ducentarum personarum, tenore præsentium, nostrum plenissimum ac perfectum saluum-conductum concedimus atque damus, verissimamque securitatem veniendi ad hanc ciuitatem Basileensem: ibidemque manendi, standi, morandi, nobiscumque de quibuslibet negotiis opportunis ipsis commissis tractandi, placitandi, disponendi, concludendi, & terminandi impartimur: ac in loco vel in locis hospitiorum suorum diuina officia sine impedimento nostrorum peragere permittimus, sic etiam, vt propter illorum præsentiam neque in itinere, neque in alio loco itineris in eundo, manendo aut redeundo, neque in ipsa ciuitate Basileensi à diuinis officiis cessetur, quouis modo per modum interdicti. Cæterum in Generali Concilio seu Synodo Basileensi articulos quatuor, pro quorum claritate instant, oretenus aut in scriptis liberis poterunt offerre, aut propalare, scripturis sacris bearorumque Doctorum verbis, sententiis & rationibus eos declarare, adstruere, & persuadere, & si opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij Generalis respondere, aut cum aliquo vel aliquibus de Concilio super eisdem disputare, aut charitative absq; omni impedimento conferre, opprobrio, cōitio, contumelia procul moris, seruatis forma & modis inter nostros Legatos & nuncios prædictorū regni & Marchionatus in Egrensi ciuitate specificatis & vniformiter conclusis: & signanter, quod in causa quatuor articulorum per eos attentorum, lex diuina, praxis Christi Apostolica & Ecclesiæ primitiuæ vna cum Conciliis Doctoribusque fundantibus seueraciter in eadem, pro veriori & indifferente iudice in hoc Basileensi Concilio admittentur. Et illis peractis vel non peractis, quandocunque de mandato aut consensu suorum maiorum ad propria reuerti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque vlla renitentia, occasione & mora, saluis rebus illorum & suorum pariter honore & personis, vice versa poterunt vel poterit iuxta beneplacitum libere & secure redire, de scitu tamen deputandorum per Concilium, vt pro tunc opportune securitati eorum prouideatur sine dolo & fraude. Nihilominus in hoc eorum saluo-conductu omnes quascunque clausulas includi ac contineri volumus, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena & efficaci & sufficienti securitate in eundo, stando, ac redeundo necessariæ sunt & opportunæ, hæc notanter propter bonum pacis procurandū & obseruandum luculenter expressantes. Quod si quispiam aut aliqui ex illis, siue in itinere ad nos in Basileam veniendo, siue ibidem demorando aut redeundo, aliquod enorme (quod absit) egerit aut egerint, per quod posset assecurationis eorum beneficium eis aut eorum alicui concessum, annullari aut cassari: volumus etiam, ac admittimus, & concedimus, vt talis vel tales in facinore huiusmodi deprehensi vel deprehensus ab ipsis duntaxat, & non ab aliis, condigna animaduersione cum emenda sufficienti, per partem nostram merito approbanda & laudanda, mox puniatur aut puniantur, illorum assecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Et pariformiter, si quispiam vel aliqui ex nostris, siue in itinere ad nos in Basileam veniendo, siue ibidem demorando, aut redeundo, aliquod enorme (quod absit) egerit aut egerint, per quod posset assecurationis ipsorum beneficium eis aut alicui eorum concessum, annullari aut cassari: volumus, vt tali vel tales in facinore huiusmodi deprehensi, à nobis aut à nostris duntaxat, & non ab aliis, condigna animaduersione, cum emenda sufficienti, per partem Dominorum ambasiatorum & nunciorum merito approbanda & laudanda, mox puniatur aut puniantur, præsenti assecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis.

CXII. *Ambasiatoribus data facultas è ciuitate Basileen. ad libitum ad aram captādam exeundi & nuncios suos mittendi.*

Volumus etiam, quod liceat ipsis ambasiatoribus omnibus & singulis, toties quotiescunque opportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de ciuitate Basileensi, & reuerti ad eandem, nec non nuncium vel nuncios suos ad quæcunque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos, seu missum & destinatum suscipere, toties quoties eis videbitur expedire, ita quod aliqui vel aliquis per deputandos Concilij socientur, qui eorum securitati prouideant, vel prouideat. Insuper nec in sermonibus, seu prædicationibus publicis aut aliis collationibus, in præiudicium, derogationem seu deteriorationem causæ ipsorum quatuor articulorum, pars nostra terminis quibuslibet, in confusionem vergentibus, poterit aut debebit vti & portiri in loco ciuitas Basileensis. Qui quidem saluus-conductus & securitates stare ac durare debent & à tempore, & per tempus, quo in nostræ, & nostrorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & vsque ad Basileam perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, & rursum post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum præmisso, cum ipsi petierint, aut Concilium habita huiusmodi audientia, ipsis recessum indixerit, à Basilea vsque in Tustan, *Tatoniam, aut Englispurg, in quem ex locis istis maluerint, Deo fauente restituemus, dolo & fraude prorsus exclusis. Etiam pro vniuersis & singulis Christi fidelibus, & specialiter pro Sanctissimo Domino Romano Pontifice, pro Serenissimo Principe Domino Sigismundo Romanorum, &c. Rege, ac venerabilibus Dominis Cardinalibus, Archiepiscopis & Episcopis ac Dominis Abbatibus, Prælatis & clericis, nec non Illustrissimis Principibus, Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & nobilibus militibus, vniuersitatibus, & communitatibus ciuitatum, castrorum, & villarum, earumque consulibus, scabinis, officialibus, & aliis cuiuscunque conditionis & status, & ecclesiastici, vel secularis existant, quocunque nomine censeantur, & pro subditis omnium præmissorum, & pro tota parte eorundem promittimus bona fide & spondemus, quod nos omnes & singuli prædicti præscriptam assecurationem & saluiconductus eorum formam, in omnibus suis conditionibus, punctis & clausulis superius expressatis, inuiolabiliter & inconcusse bona fide & puro corde obseruabimus & cu-

*Taconiā.

stodiemus, obseruabunt & custodient. Insuper promittentes sine fraude & quolibet dolo, quod nolumus, neque debemus occulte vel manifeste, quacunque occasione prætensa, vt aliqua authoritate, vel potentia, iure, statuto vel priuilegio legum vel canonum, & quorumcunque Conciliorum, specialiter Constantiensis & Senensis quacunque forma verborum expressa, in aliquod præiudicium saluoconductui, seu assecurationi ac publicæ audientiæ, ipsis per nos concessæ vel concesso. Quod si nos aut aliquis ex nobis, vel nostris, cuiuscunque conditionis vel status, aut præeminentiæ existens, præscripræ assecurationis & saluiconductus formam & modum, in quocunque puncto vel clausula violauerit, (quod tamen auertere dignetur omnipotens) & sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, & ipsorum arbitrio merito approbanda & laudanda, habeant nos & habere poterunt incidisse in omnes pœnas quas iure diuino & humano, aut consuetudine, huiusmodi saluorum conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione, aut quauis in hac parte contradictione.

Datum in sessione publica eiusdem sanctæ Synodi, in ecclesia maiori Basileensi celebrata, duodecimo Calendas Iulij, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

CXIII. *Epistola Concilii ad Bohemos.*

EPISTOLA BOHEMIS MISSA SVPER CONclusione in Egra facta, in quarta publica sessione lecta.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, vniuersis viris ecclesiasticis, nobilibus & toti populo regni Bohemiæ, vnitatem & pacem in Christo Iesu nostro Domino. Pridie Oratores nostri ex oppido Egra ad nos reuersi, & ibidem cum nunciis vestris conclusa serioſe referentes, magno gaudio hanc sanctam Synodum repleuerunt. Asserunt enim, cum tanta charitate & mansuetudine, hoc sacrum vnionis negotium fuisse tractatum, vt non aliud existimemus, quam Spiritum sanctum pacis & vnitatis authorem in medio interuenisse. Concepimus ex his, quæ referunt, magnam spem futuræ vnionis & indissolubilis inter nos charitatis. Pro qua re (sicut dignum est) ipsi Spiritui sancto, cuius munere hoc factum esse non dubitamus, gratias ex toto corde retulimus, eleemosynas ieiuniaque & orationes solennes indiximus, & vbique vsque ad rem optato fine concluſam, indici faciemus. Laudamus & benedicimus Dominum, qui tam lætam nobis præbuit diem, qua nullam adhuc sensimus lætiorem, postquam hunc locum attigimus. Parari enim semitam videmus ad magnam Dei gloriam & grandem populi Christiani profectum. Nemo nostrum fuit, dum ipsi oratores singula vobiscum acta recensebāt, qui vel oculis vel corde non fleret. Commouebantur inusitato gaudio viscera audientium, rem tam concorditer fuisse concluſam, sperantiumque post hanc aliam multo lætiorem diem adhuc succesſuram. Exultemus igitur, & iubilemus inuicem Deo salutari nostro, qui recordatus misericordiæ suæ, incipit plebē suam tanta cum lætitia visitare. Leuemus manus nostras ad cœlum, glorificantes Dominū nostrum Iesum Christum, quia pacem, quam quotidie diebus nostris ecclesiæ dari petimus, iam appropinquare videmus. Magnificemus Spiritum paracletum qui animos paulo ante dissidentes, in hanc spem pacis repente conuertit. Sed si pro hac spe tantum gaudij suscepimus, quam magna & inenarrabilis erit illa lætitia tam nostra quam vestra, quando optatum pacis & vnitatis finem re ipsa intuebimur? Vt autem recognoscatis, quantum hæc res nobis est cordi, ipsis nostris nunciis in communi congregatione auditis, formam saluiconductus & ea, quæ cum vestris ambasiatoribus concluserunt, nihil addito vel retracto, hæc sancta Synodus vnanimi omnium consensu approbauit. Et ecce ipsum saluum conductum in publica sessione decretum, de verbo ad verbum, quemadmodum in Egra * conditus fuerat, ad vos destinamus. Misimus etiam, vt nil ex parte nostra desit, fratrem Ioannem de Mulbruno, vnum ex nunciis nostris, qui in Egra fuerant, ad Sereniſſimū Principem Dominum Regem Romanorum, vt ab eo saluum-conductum in ea, qua optatis, forma obtineat. Quem vt primum habuerimus, ad vos sine mora transmittemus, paratiſ semper agere omnia, quæ pro vestra tutela & libera audientia necessaria videbuntur. Vtinam sicut fas est nobis verba exprimere, ita mentes nostras in publicum exhibere possemus. Vtinam sicut hanc epistolam lecturi estis, ita corda nostra palam inspicere posseris. Profecto non dubitamus, quin cognita nostra in vos summa charitate, mox sine vlteriori tractatu in vnitate spiritus connecteremur. Et quoniam Saluatoris nostri sententia est, non qui inceperit, sed qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit: vos omnes per Spiritum sanctum huius sacri negotij directorem hortamur & obsecramus, vt quemadmodum rem ipsam feruenter inchoastis, ita firmiter constanterq; vsq; ad veræ vnionis complementum perseueretis. Speramus in Christo Iesu videre Deum, & iam prope est forte, quo alter alterum fraterna charitate nos inuicem complectemur, & vnanimes in eadem Sanctæ Matris Ecclesiæ domo cum iocunditate perpetuo habitabimus. Confidimus in Domino tantam adhuc inuicem futuram dilectionem, vt nullum inter nos fuisse olim dispendium videatur. Et quanquam nondum hæc sancta vnio, pro qua laboramus, completa sit, tamē ipse Spiritus sanctus tantam huius rei spem & affectum cordibus nostris impressit, vt quod futurum est, iam quodammodo in foribus adesse credamus. Vos corpore abientes estis, sed ob hanc spem in visceribus charitatis, & vinculo veræ dilectionis, quasi præsentes amplectimur, & præ gaudio nosipsi flentes, tanquam mater filium ex longinqua patria redeuntem, vos tenerrime osculamur. Iam igitur quanarram proximæ mutuæ vnitatis pepegisse videmur, & vos dudum futuros, nostros dilectissimus fratres iam esse existimamus. Talia enim ipse Spiritus sanctus initia dedit, vt non aliud quam pacem, charitatem & vnitatem hinc * attingere speremus. Læto ergo animo vtrique simus, & iocunda mente inuicem viuamus, cum prope in ianuis gaudium, quod nemo tollet à nobis, per Spiritum sanctum accepturi simus. Sed vt citius faciliusq; consequamur, vigilemus supplices in orationibus, & continuis precibus Dominum nostrum Iesum Christum deuotis mentibus exoremus, vt quod operari incepit, confirmet atque perficiat. Hora iam est, vt sancta mater Ecclesia, quæ pro tam duro filiorum suorum dissidio diu * consternata est, pro pace & vnitate lætari & exultare incipiat, luctumque præteriti temporis conuertat in gaudium. Tempus iam aduenit, vt qui eodem Christi charactere insigniti sunt, & eodem baptismatis fonte renati, deposita omni dissensione, eundem charitatis, & vnitatis Spiritum induant, & ad augmentum gloriamque nominis Christiani totis viribus intendant, fidemque orthodoxā protegere curent, quam infideles pagani multis in locis ignominiosē pessundant, & extinguere moliuntur. Eia igitur cum nostræ dilectionis & syncera voluntatis iam certis sitis, amodo vestros legatos præparate, quales in primis literis postulauimus, vt cum regius saluus conductus aduenerit, cum pleno mandato ad hoc sacrum Concilium proficiscantur. Quos ita grate benigneque susipiemus, vt à parentibus filij susceipi consueuerunt. Spiritus sanctus paracletus, in cuius nomine hæc sancta Synodus est congregata, nobis & vobis & toti populo Christiano hic veram dilectionem & pacem, ac in futuro sæculo vitam æternam donare dignetur, qui cum Patre & Filio regnat benedictus in secula. Amen.

Datum in sessione publica solenniter celebrata in Ecclesia maiori Basileensi die Veneris, vigesima mensis Iunij, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

IN EADEM SESSIONE QVARTA, DECRETA Concilii Basileensis.

CXIV.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, attendens quod ad prouidentiæ spectat officium, perspicaci consideratione futura prospicere, & aduersus ea quæ reipublicæ possent inferre dispendia, salubriter prouidere. Cum itaque eadem sancta Synodus ad extirpationem hæresum, pacem in Christi populo & morū reformationem cum Spiritus sancti gratia, prout statu rerum & temporum considerato, est admodum necessarium, sit intenta, &

Isal. 49.

** conditū.*

Matt. 10. & 14.

** Contingere.*

** contristata.*

propterea venerabiles in Christo Patres sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ad ipsum sacrum Concilium euocauerit, existimans eorum in sacro Concilio præsentiam pro eorum authoritate, sapientia, rerumque notitia, multimode fructuosam: eisque tanquam veris obedientiæ filiis ad sacrum Concilium venientibus, si alibi contingeret Apostolicæ Sedis vacatio, in iacturam eorum qui obedientes vacationi sacri Concilij deseruirent, vtilitati Ecclesiæ posset redundare, cum tamen vt obedientia non iacturam afferat, sed potius vtilitatis & honoris augmentum, ratio cunctis nota suadeat. Et ne aliquibus forsitan venire negligentibus prodesse in obedientia videatur, hæc & alia quæ animum cuiuscunque prudentis ad hoc mouere possent & deberent, prouida attentione prospiciens hæc sancta Synodus, statuit, decernit, atque diffinit, quod in euentum vacationis Sedis Apostolicæ, hac sacro generali durante Concilio; electio Summi Pontificis in loco istius sacri Concilij fiat, & interdicit, ne alibi celebretur. In contrarium attentata quauis authoritate, etiam si Papali, non obstantibus quibuscunque constitutionibus editis vel edendis, aut aliis in contrarium facientibus, ac si de ipsis esset de verbo ad verbum faciendа mentio specialis, aut iuramento firmata existant, quibus ex certa scientia derogat, & decernit; nulla & irrita esse, nulliusque roboris vel momenti ipso iure: contrarium vero attentantes, sint tam actiue quam passiue, quoad electionem Romani Pontificis, & ad quascunque alias dignitates inhabiles, & omnibus habitis dignitatibus perpetuo priuati, & infamiæ notam ac etiam excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Quod si forsan aliqua de facto prætensa electio præsumeretur, tam electus prætensus, quam illi adhærentes, & eum pro tali gerentes, supradictas pœnas incurrant pari modo. Absolutionem vero omnium & singulorum, qui præmissas sententias aut earum aliquam incurrerint quoquo modo, dicta Synodus tantummodo, præterquam in mortis articulo, sibi reseruat. Decernens; præsens decretum ligare, afficere, vim & effectum habere atque sortiri, post quadraginta dies continuos proxime secuturos à die publicationis eiusdem.

Locus obscurus.

Ne viriumenti aut promissionis alicui facta, aliqui astricti se putent, vt ad Concilium venire non possint.

CXV.

Item ordinat, statuit, decernit & declarat, quod quicunque & singuli Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Prælati, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Vicarij Ecclesiæ Romanæ, vasalli, communitates, Romanæ curiæ officiales, Summi Pontificis familiares, siue alij cuiuscunq; conditionis existant, siue quibuscunq; nominibus censeantur, propter iuramenta, promissiones vel quaslibet alias obligationes, præfato summo Pontifici, seu alteri ad hoc eius mandato deputato aut deputando, seu quibusuis aliis quomodolibet super quacunq; re vel causa, & sub quacunq; verborum forma præstita seu præstanda, nullatenus obligantur & astringuntur, aut se impeditos à veniendo ad hoc sacrosanctum Concilium occasione dictorum iuramentorū, promissionum vel aliarum obligationum prætendere possunt, aut poterunt in futurum, quo minus absq; periurij seu infamiæ nota ad ipsam Synodum teneantur accedere, qui de iure aut consuetudine sunt astricti. Cæteri vero, qui vocati & requisiti fuerint, & omnium prædictorum procuratores, obedire & adhærere ipsi Concilio, & libere accedere possint, & teneantur, & eidem licite interesse. Processus vero quoscunque suspensionis & excommunicationis, interdicti, nec non priuationis dignitatum, beneficiorum seu officiorum quorumcunque & commendatum reuocationes, ac inhabilitatis sententias seu periurij aliasve pœnas, mulctas & censuras in se continentes, in ipsos occasione præmissorum per quemcunque quauis, etiam Romani Pontificis, authoritate fulminatos, cum omnibus inde secutis aut secuturis, eadem sacra Synodus nullos, cassos & irritos, ac nullius roboris seu momenti existere pronunciat, declarat, & diffinit: & quatenus de facto processerūt seu processerint, reuocat, cassat, irritat, & annullat, & pro cassis, irritis, nullis habendos statuit & decernit.

De bulla plumbea.

CXVI.

Item vt gesta in ipsa Synodo durabiliori testimonio roborentur, statuit & ordinat ipsa Synodus, quod de cætero in literis suis authenticis vtatur bulla plumbea pendente cum chordula canabis aut serici, prout varietas causarum & rerum, super quibus literæ eædem conficientur; postulabit, in vno missione Spiritus sancti in specie columbæ, in alio vero lateribus, horum verborum, Sacrosancta generalis Synodus, Basileensis, sculpturas continente, decernens eisdem plenam & omnimodam fidem adhibendam fore.

Quod Papa, durante Concilio, non possit creare Cardinales, nec creatos publicare.

CXVII.

Item cum multiplicatio Cardinalium sit Ecclesiæ dispendiosa & onerosa, propterea & ex aliis rationabilibus & legitimis causis eandem sanctam Synodum mouentibus, statuit, ordinat, atque ex certa scientia hoc irrefragibili decreto decernit ipsa sancta Synodus, quod durante hoc sacro Concilio, Romanus Pontifex à loco istius sacri Concilij absens personaliter, non debeat nec possit aliquem, vel aliquos cuiuscunque dignitatis, conditionis, gradus seu status existant, in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, vel Cardinales, quouis modo aut quocunque quæsito colore vel causa assumere, pronunciare secrete aut publice, aut pronunciatos seu assumptos secreto publicare. Et si secus attentatum fuerit, ex nunc in antea irritum sit & inane, nullusque roboris vel momenti. Quod si forsan taliter de facto assumpti aut pronunciati, se pro Cardinalibus gerere, aut nominare præsumpserint, quibuscunque dignitatibus priuati, & ad omnes & singulas futuras inhabiles, ac quicunque eos pro Cardinalibus gerentes & reputantes, ex nunc prout ex tunc sententia excommunicationis innodati sint ipso facto, à qua præterquam in mortis articulo, nisi à præfata Synodo absolutionis siue habilitationis beneficium obtinere non possint.

Datum in sessione publica *eiusdem Synodi in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, duodecimo Calendas Iulij, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

** Celebrata in Ecclesia maiori Basileensi die Veneris 20. mensis Iunij, anno à natiuitate, &c.*

COMMISSIO FACTA PER CONCILIVM IN EAdem sessione Domino Cardinali sancti Eustachij, super regimine ciuitatis Auinionensis & Comitatus Venayssini.

CXVII.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, dilecto filio Alphonso, sancti Eustachij, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, ciuitatis Auinionensis & Comitatus * Venaycini in spiritualibus & temporalibus pro nobis, & sancta matre Ecclesia Vicario generali, salutem & omnipotentis Dei benedictionem. In pacis authore hæc sancta Synodus congregata, cum vniuersi populi Christiani pacem & tranquillitatem exoptans, per diuersas mundi partes ad procurandum ea quæ pacis sunt, & scandalis obuiandum, suæ sollicitudinis opus impendat, Ecclesiæ proprium patrimonium ab hoc procurandæ pacis & tranquillitatis studio expers esse nullatenus decuit, quinimo ipsam debet specialis intuitus cura fouere. Cum itaque ad ipsius sacræ Synodi notitiam fide dignorum sit relatione deductum, quod ciuitas Auinionensis, quæ sanctæ Dei Ecclesiæ semper fidelissima & obsequentissima fuit, certis vrgentibus rationibus & causis necessariis, Vicarium per Summum Pontificem ad ipsius regimen destinatum, se admittere non debere prætendat, atque ad eundem Summum Pontificem pluras ambasiatas destinauerit, pro virili & salubri gubernatione ciuitatis eiusdem, ac Comitatus * Venaycini eidem adiacentis, supplici-ter postulans, vt de alio vtili eis prouideretur Vicario, quod hucusque obtinere nequiuit, nec sperat posse obtinere, quinimo is, qui pro Vicario destinatus est, intendit & nititur susicipere gubernationis officium inuita ciuitate, congregare satagens multitudinem gentium armatarum. Vnde super præmissis informatione recepta ex his & aliis, quæ honestas censet calamo non promenda, de turbatio-

** Venaycini.*

** Venaycini.*

ne, & periculo graui ſtatus ciuitatis illius & patriæ ex veriſimilibus & vrgentibus rationibus dubitandum, eſſerque nimis graue diſpendium, ſi forte (quod auertere dignetur Altiſſimus) Eccleſia perderet illud tam nobile patrimonij ſui membrum, aut guerrarum inquietudine turbaretur. Idcirco hæc ſancta Synodus huiuſmodi periculis cupiens obuiare, ciuitatemque illam & comitatum in pace & quiete fouere, regimen & gubernationem ciuitatis ipſius, & comitatus vſquequo cum Summo Pontifice per ipſam ſanctam Synodum, vel aliquo eius nomine habito pleniori tractatu, fuerit aliter ordinatum, maxime attento, quod propter locorum diſtantiam, & viarum diſcrimina non poteſt facile haberi recurſus ad dictum Summum Pontificem, & periculum ſit in mora: tibi cuius futuræ vtili & fideli gubernationi fidem facit aliarum terrarum Eccleſiæ regimen, per te hactenus fideliſſime plurimumque vtiliter geſtum, duxit ad honorem Dei, ſanctæ matris Eccleſiæ, ac huius ſacræ Synodi, tenore præſentium plenarie committendum, cum plenaria poteſtate regendi, & gubernandi dictam ciuitatem Auinionenſem & Comitatum *Venayciñi, omnemque in eiſdem iuriſdictionem, merum & mixtum imperium, per te vel alium ſeu alios exercendi, officiales amouendi, etiam ſi Pontificali præfulgeant dignitate, & alios vel eoſdem inſtituendi, iuramenta ſeu promiſſiones recipiendi, ac illa relaxandi cum quibuſcunque ſemel vel pluries, quoties viſum tibi fuerit opportunum. Quaſcunque pecunias, fructus, prouentus & emolumenta in illis ciuitate & comitatu, ratione iuris Papalis vel ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, aut quocunque iure vel titulo, pro tempore præterito, præſenti & futuro Cameræ Apoſtolicæ debitas & debita, recipiendi & exigendi, ac recipi & exigi faciendi, contradictores quoslibet vel inobedientes cenſuris eccleſiaſticis & aliis compeſcendi remediis opportunis. Et generaliter cum *omnibus illis poteſtatibus & facultatibus, quas bonæ memoriæ Franciſcus Archiepiſcopus Narbonenſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius, à fœlicis recordationis Domino Martino Papa Quinto & alias habuit, dum ageret in humanis, licet etiam hic ſpecifice non exprimantur. Mandans tibi in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœnis iuris, quatenus curam & regimen prædictum humeris tuis impoſitum reuerenter ſuſcipias, ac diligenter & fideliter exequaris, vtilitatem publicam, tranquillumque & pacificum ſtatum ciuitatis illius & comitatus ſic procurare ſollicite ſtudeas, ipſumque regimen & gubernationem pro modo tuæ ſapientiæ ſic vtiliter gerere, vt apud Deum æternæ vitæ merita, & apud mandatum fama tua laudis & gloriæ ſuſcipiat incrementa. Mandat inſuper omnibus officialibus, ciuibus incolis & habitatoribus dictæ ciuitatis & comitatus capitaneis, necnon caſtrorum caſtellanis, *balliuis, & aliis officialibus quibuſcunque, quonis nomine cenſeantur, & aliis vniuerſis, quatenus tibi & per te deputandis officialibus ad regimen eorundem, & nulli alteri pareant, obediant, & intendant, in omnibus & per omnia, quemadmodum præfato Archiepiſcopo Narbonenſi dum viueret, & pro Eccleſia Romana dictæ ciuitatis, & comitatus regimen & gubernationem gereret, faciebant, & facere tenebantur, quibuſcunque promiſſionibus, iuramentis, obligationibus, & aliis quibuſcunque diſpoſitionibus in contrarium facientibus, non obſtantibus vllo modo. Hæc namque ſancta Synodus, omnium quorumcunque prædictis obuiantium vim & effectum, præſentium authoritate ſuſpendit. Et quicquid per te rite, ſpiritualiter & temporaliter geſtum & ordinatum, actum vel ſententiatum fuerit vel prouiſum, hæc ſancta Synodus ratum & gratum habebit, ac faciet authore Domino inuiolabiliter obſeruari.*

Venayſini. *Bailliuis.*

Datum in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ Synodi in Eccleſia maiori Baſileenſi die Veneris *vigeſima menſis Iunij, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

*12. menſis Iulij.

Hæc ſeſſio habita eſt in vigilia S. Laurentij.

CXVIII.

SESSIO V.

De cauſis fidei.

SAcroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, conſiderans quod ipſa inter alia fructuoſa opera ad hæreſes extirpandum, & à fide deuios ad eiuſdem fidei orthodoxæ vnionem reducendos, in Spiritu ſancto principaliter congregata dinoſcitur, & propterea conſtituit accommodum fore, imo neceſſarium pro cauſis fidem concernentibus, in hoc ſacro Concilio tractandis & examinandis, de perſonis idoneis prouidere: ea propter conſtituit & deputat iudices, ad audiendum omnes & ſingulas cauſas fidem quomodolibet concernentes, venerabiles Franciſcum Papienſem, Conradum Ratiſponenſem Epiſcopos, & dilectum filium Eccleſiæ Ioannem Abbatem Ciſtertienſem, quibus in cauſis huiuſmodi per deputatos ad hoc, prius examinatis, ipſiſque deſignatis & remiſſis, dat poteſtatem in prædictis cauſis in hoc loco Concilij & extra, citandi ac audiendi, cognoſcendi, decidendi & alia faciendi, quæ ad dictas cauſas pertinent, & pertinebunt, vſque ad ſententiam diffinitiuam excluſiue. Et vt eo facilius cauſæ prædictæ ſuum finem debitum conſequantur, eadem ſancta Synodus, vt ipſi iudices prædicti aut duo ex eis, tertio ſtaturis horis non veniente, terminos in cauſis huiuſmodi tunc occurrentes, tenere & obſeruari facere, & alias ſummarie, ſimpliciter & de plano ac ſine ſtrepitu & figura iudicij procedere valeant, ſtatuit & decernit.

Cauſarum fidei iudices.

De procuratore fidei.

CXIX. Item ſancta Synodus prædicta deputat & conſtituit dilectum Eccleſiæ filium Nicolaum Amici, Licentiatum in Theologia, in cauſis fidei præmiſſis procuratorem generalem hoc durante Concilio, cum poteſtate ſubſtituendi de conſenſu, & authoritate iudicum prædictorum, qui nullam cauſam promoueat, niſi primum per deputationem fidei fuerit examinata & admiſſa.

Procurator.

Deputantur iudices ad examinandum cauſas generaliter.

CXX. Item dicta ſancta Synodus, ne inter cæteros vberes fructus pro quibus procurandis ſummopere deſudat, Iuſtitia indebite grauatis, pro qua ad eandem confluunt, miniſtrando deficiat, aut ipſius executio plus debito negligatur, volens in præmiſſis opportunis remediis prouidere, conſtituit, ordinat, & deputat iudices ſeu commiſſarios ad audiendum omnes cauſas, ad dictam ſanctam Synodum deuolutas ſeu deuoluendas, deductas ſeu deducendas, cauſis concernentibus fidem exceptis, venerabiles Berengarium Petragoricenſem, Petrum Auguſtenſem prouinciæ Maguntinæ, & Delphinum Parmenſem Epiſcopos, quibus in cauſis præmiſſis per deputatos ad hoc prius examinatis, ipſiſq; remiſſis & deſignatis dat poteſtatem, non obſtantibus feriis, in loco Concilij & extra citandi, audiendi, cognoſcendi, referendi & diffiniendi, & alia faciendi quæ ad dictas cauſas pertinent & pertinebunt. Et vt eo facilius cauſæ ſeu negotia ad debitum finem perueniant, eadem ſacra Synodus, vt tres aut duo ex ipſis, tertio ſtaturis horis non veniente, terminos in cauſis huiuſmodi tunc occurrentes, tenere & obſeruari facere, & alias ſecundum qualitatem cauſarum procedere valeant, ſtatuit & decernit, cauſis tamen Eccleſiarum cathedralium maioribus earundem, dictæ ſactæ Synodo reſeruatis, de quibus ſe non impediant, niſi de generalis congregationis patrum & ſuppoſitorum eiuſdem, etiam citra ceſſionem publicam commiſſione ſpeciali. Ratificatque nihilominus hæc ſancta Synodus, & approbat omnes commiſſiones quarumcunque cauſarum, etiam cathedralium & maiorum, ſub quacunque poteſtate in generali congregatione dictis iudicibus ſeu aliis commiſſariis hactenus factas, nec non proceſſus exinde ſecutos, ac etiam in antea per eoſdem continuandos.

Iudices alii.

Ordinatio Præcognitorum.

CXXI. Item ne iudices prædicti quaslibet cauſas ad hoc ſacrum Concilium delatas ſeu deferendas, paſſim & indiſtincte importunitate petentium deuicti, audiendas recipiant, ſed potius de qualitate ipſarum ratio habeatur: hæc ſancta Synodus conſtituit, & deputat dilectos Eccleſiæ filios, Iulianum Apoſtolicæ Sedis Legatum ſancti Angeli, & Dominicum ſanctæ Mariæ in via lata, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconos Cardinales, & quemuis præſidentem nunc

& in futurum pro tempore exiſtentem, & venerabilem Franciſcum Gebennenſem Epiſcopum, ad dilectum Eccleſiæ filium Henricum Fleckel, Palatij Apoſtolici cauſarum auditorem, dictarum cauſarum præcognitores, dans & concedens quinque prædictis vel maiori parti, aliis ſe abſentantibus vel non conſentientibus, poteſtatem cauſas huiuſmodi primum diligenter examinandi & diſcernendi, quæ aut qualis illarum in hoc ſacro Concilio tractari, audiri, cognoſci decenter poſſint, ſeu diffiniri debeant, & quas tractandas ſeu in generali congregatione *reſerandas, aut abſque relatione, præmiſſa cognitione decidendas iudicauerint, ad ipſos iudices remittere habeant deſignatos, ſub modificatione procedendi prædicta. Et niſi ad eos ſic (vt præmittitur) remiſſæ fuerint, de illis ſe non impediat quouis modo.

*ſor. referendas.

Quod vltra tres menſes poteſtas iudicum non duret.

CXXII. Item decernit hæc ſancta Synodus, quod poſt tres menſes continuos à die præſentis publicationis computandos, tam iudicum pro fide, quam pro aliis cauſis prædictis audiendis, deputatorum pariter & præcognitorum poteſtas finiatur. Sit tamen in poteſtate dictæ generalis congregationis, in locum quorumlibet prædictorum, etiam citra ſeſſionem publicam, quos decreuerit, deputare.

Ne incorporati trahantur ad iudicium extra locum huius Concilii.

CXXIII. Item ſtatuit & diffinit, quod nullus huic ſacro Concilio per ſe vel ſuum procuratorem legitime admiſſum incorporatus, etiam procurator ipſe aut incorporandus, in futurum à tempore arrepti itineris ſine fraude continuati, animo ad hanc Baſileenſem Synodum veniendi, pro qualitunque cauſa ſeu lite, mota ſeu mouenda, aut quauis alia occaſione, ad Romanam curiam ſeu coram quocunque iudice ordinario vel delegato, extra locum Concilij, illo durante, inuitus trahi ſeu euocati, aut contra ipſos inuitos, aut aliquem eorundem procedi poſſit. Si quid vero in contrarium attentatum fuerit, quouis modo per *quæcunque, quauis, etiam Summi Pontificis, authoritate, decernit irritum & inane, nulliuſque roboris exiſtere ſeu momenti. Nihilominus hæc ſancta Synodus offert ſe paratam de omnibus ſuppoſitis eiuſdem aut aliquo eorum, querulantibus ſeu actionem mouere volentibus, miniſtrare iuſtitiæ complementum.

* quemcunque.

Ordinatur auditor ordinarius cameræ.

CXXIV. Item hæc ſancta Synodus deputat & conſtituit dilectum Eccleſiæ filium Henricum Fleckel Apoſtolici palatij cauſarum auditorem, huius ſacri Concilij iudicem & auditorem ordinarium, dans & concedens eidem omnem poteſtatem ſeu iuriſdictionem, quam in Romana curia de iure ſeu conſuetudine exercet, ſeu exercere habet Apoſtolicæ cameræ auditor.

Soldanus conſtituitur.

CXXV. Item conſtituit & deputat dilectum Eccleſiæ filium Titianum de Laude Soldanum, cum poteſtate quam habet Soldanus curiæ Romanæ.

De aliis officiariis.

CXXVI. Item de cæteris officiariis in hac ſacra Synodo neceſſariis, ordinetur & diſponatur in congregatione generali, & quæcunque ibidem ſuper deputatione eorundem officialium acta, ſeu ordinata fuerint, eiuſdem firmitatis & authoritatis exiſtant, ac ſi facta fuiſſent in publica ſeſſione.

Deputantur notarij.

CXXVII. Item quia plures notarij & ſcribæ in eadem ſancta Synodo ad conſcribendum acta eiuſdem ſunt neceſſarij, citra aliorum per ipſam ſanctam Synodum in aliis ſeſſionibus deputatorum reuocationē, magiſtros Enſelinum de Guiſcardis de Blenſaco iuris canonici Profeſſorem, Gerhardum Rouſelli, Georgium Frey de Vilshouen, Conradum Kneulin de Dyeppurgh, Petrum de Noxeto clericos Vercellenſis, Nouiomenſis, Patauienſis, Maguntinenſis & Placentinenſis diœceſis, notarios & ſcribas eiuſdem ordinat & deputat.

Notarij ſeu ſcribæ alij.

Datum Baſileæ in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ Synodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, quinto idus Auguſti, anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

SESSIO VI.

Baſileenſium celebrata die ſexta menſis Septembris.

CXXVIII. ANno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo, die ſabbathi ſexta menſis Septembris in Eccleſia maiori Baſileenſi, in qua ſeſſiones celebrari ſolent, ſexta huius ſacræ Synodi Baſileenſis ſeſſio celebrata hoc modo: Primo videlicet Miſſa ſolennis de beata virgine Maria, per Dominum Philibertum Epiſcopum Conſtantienſem præſidentem celebrata, & demum ſuffragiis, antiphona Exaudi, ac litaniis cum Euangelio ſecundum Lucam, *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit,* ac hymno: *Veni Creator Spiritus, &c.* cum verſiculo & collecta decantatis, aſſiſtentibus Dominis Legatis Placentino & Firmano Cardinalibus, cum triginta duobus aliis Prælatis in eorum mitris planis & *pluuialibus exiſtentibus, & Domino Duce Wilhelmo Bauariæ protectore huius ſacri Concilij, venerabiles Viri Magiſtri Nicolaus Amici, & Hugo *Berardi, promotores huius ſacri Concilij, per organum Magiſtri Hugonis ſuam petitionem fecerunt in ſcriptis, vt ſequitur.

*Luc. 10.

*Plumalibus.

*Bavardi.

Promotores Concilii dant petitionem.

CXXIX. Reuerendiſſimi Patres & vos alij Domini mei præſtantiſſimi, ſacroſanctum generale Concilium in Spiritu ſancto legitime congregatum celebrantes, ac vniuerſalem Eccleſiam repræſentantes, cum ex decreto tertiæ ſeſſionis huius ſacri Concilij Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Eugenius cum omni reuerentia & inſtantia fuerit per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti exhortatus, requiſitus ac monitus, quatenus prætenſam diſſolutionem huius ſacri Concilij de facto reuocaret, ſicut de facto proceſſerat quæ notorie vniuerſalem ſcandalizat Eccleſiam & populū Chriſtianum, & ipſam reuocationem, quemadmodum & diſſolutionem fecerat, per diuerſas mundi partes tranſmitteret & publicaret, ab omnique impedimento dicti Concilij penitus deſiſteret, quinimo eidem (vt debebat) faueret & aſſiſteret, omniaque præberet ſubſidia & auxilia opportuna, nec non infra trium menſium ſpatium peremptorie præfixum & aſſignatum (ſi corporalis ipſius diſpoſitio pateretur) perſonaliter veniret: ſin autem, perſonam vel perſonas loco & vice ſui deſtinaret & tranſmitteret cum plenaria poteſtate ad omnia & ſingula in hoc Concilio peragenda, vſque ad totalem concluſionē ipſius, per omnes & ſingulos actus gradatim & ſucceſſiue. Et dictus Dominus Eugenius Papa quartus, ea ſuper quibus monitus fuit, facere non curauerit, ſed in ſua prætenſa diſſolutione perſeuerauerit, & etiam perſeueret, ac omnem perturbationem & euerſionem huius ſacri Concilij multipliciter moliatur, nec infra terminum præfixum venerit aut miſerit, idcirco nos promotores huius ſacri Concilij producentes memoratum decretum monitionis & citationis, ac executionem legitime & debite factam, petimus, ſupplicamus inſtantiſſime & requirimus dictum Dominum Eugenium Papam Quartum, per hanc ſacram Synodum decerni & declarari contumacem in prædictis, atque ad vlteriora debite procedi, prout neceſſitates Eccleſiæ Dei exigunt & requirunt, ac prout eſt diuini iuris pariter & humani. Deinde productis per eos monitione & citatione contra Dominum noſtrum Papam Eugenium modernum & Dominos Cardinales cum duobus inſtrumentis executionis eiuſdem, etiam petito & inſtanter requiſito, per ſacroſanctum Concilium præfatum Dominum noſtrum Papam contumacem reputari, & ad vlteriora procedi, prædictus Dominus Epiſcopus Conſtantienſis præſidens, de mandato Concilij iniunxit Reuerendis in Chriſto Patribus, & Dominis, Dominis Petragoricenſi & Ratiſponenſi Epiſcopis, vt interrogarent, ſi Dominus noſter Papa aliquis pro eo poteſtatem vel mandatum ſufficiens habens, eſſet in dicta ſeſſione, ſe præſentaret. Qui quidem Domini ambo Epiſcopi, videlicet Petragoricenſis & Ratisponenſis,

Promotores petunt Papam per Concil. cōtumacem decerni & contra eū procedi.

primo super gradus ante altare dictæ sessionis ter eundem Dominum nostrum Papam vocauerunt alta & intelligibili voce sub his verbis: Est ne aliquis hic pro Domino Eugenio Papa Quarto cum legitima potestate, cuius contumacia nunc accusata est? Compareat in hac sessione publica. Similiter hoc idem fecerunt ter ante maius portale dictæ ecclesiæ. Deinde facta relatione per eosdem Dominos Episcopos Domino Episcopo præsidenti, quod neminem pro præfato Domino nostro Papa repererant accesserunt ad dictam sessionem Nuncij & Oratores ipsius Domini nostri Papæ, videlicet Domini Tarentinus & Colossensis Archiepiscopi, episcopus Magdalonensis, & dominus Antonius de S. Vito, sacri palatii causarum auditor. Et ipsis sedentibus in eadem iuxta dominum Ducem protectorem, dictus magister Hugo alter promotorum, alio sibi assistente, trina vice cum instantia petiit ab eisdem dominis nunciis & oratoribus, an haberent aliquod mandatum vel potestatem à domino nostro Eugenio Papa quarto. Qui respondérût, quòd erant simplices nuncii & oratores domini nostri Papæ. Et tunc ipse promotor, attento quod dicti Oratores nullam faciebant fidem de mandato, nomine Concilij protestatus est de nullitate actorum & agendorum per eosdem. His itaque peractis Dominus Magdalonensis Episcopus, alter dictorum Nunciorum, narrauit se alias in principio sui aduentus literas credentiales Dominis hic in Basilea congregatis exhibuisse & præsentasse. Et quod illa quæ dicere intendebant, in eorum credentia continebantur. Deinde Dominus Archiepiscopus Tarentinus ibidem quandam fecit supplicationem exhortatoriam, fumens pro themate. *Obsecro vos in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, &c.* supplicando iterum, quod pro bono & vtilitate Ecclesiæ sanctæ Dei, & ad euitandum scandala, Domini dignarentur supersedere in negotio processus contra Dominum nostrum Papam & Cardinales. Qua supplicatione & requisitione facta, & habita inter Dominos aliquali deliberatione, Dominus præsidens eisdem dominis oratoribus respondit, quod super propositis per promotorem Concilij, & per eosdem Dominos petitis, Domini de sacro Concilio deliberarent, & tantum facerent, quod totus mundus merito de Concilio prædicto deberet contentari. Et tunc Dominus Colossensis Archiepiscopus, de huiusmodi gratiosa responsione regratiatus est. Et his sic peractis, Domini Nuncij & Oratores prædicti à loco publicæ sessionis recesserunt, & se absentarunt. Demum promotores Concilij prædicti per organũ Magistri Hugonis (prout supra) accusarunt contumaciam Dominorum Cardinalium, vt in schedula quam in suis tenebat manibus, continetur, videlicet: Item consimili modo accusamus contumaciam Reuerendissimorũ Dominorum Cardinalium, qui vigore dicti decreti moniti & citati fuerunt, procedi petétes ad vlteriora, vt supra, Iordani Episcopi Sabinensis, de Vrsinis vulgariter nominati Antonij Episcopi Ostiensis, Bononiensis vulgariter nuncupati, Hugonis Episcopi Prænestini, de Cypro vulgariter nominati, Petri tituli sancti Laurentii in Cœlio monte presbyteri Cardinalis, de Fuxo vulgariter nominati, Ioannis tituli sancti Laurentij in Lucina presbyteri Cardinalis Rhotomagensis, Ludouici tituli sanctæ Cæciliæ presbyteri Cardinalis Arelatensis, Henrici sancti Eusebii presbyteri Cardinalis de Anglia, Antonii tituli sancti Marcelli presbyteri Cardinalis Dominici tituli sanctorum Ioannis & Pauli presbyteri Cardinalis Ilerdensis, Ioannis tituli sancti Petri ad Vincula presbyteri Cardinalis, Ioannis tituli sancti Sixti presbyteri Cardinalis, Wilhelmi sanctæ Anastasiæ presbyteri Cardinalis de Monte forti, Angeloti tituli sancti Marci presbyteri Cardinalis, Francisci tituli sancti Clementis presbyteri Cardinalis Venetiarum, Alphonsi sancti Eustachii Diaconi Cardinalis, Lucidi sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi Cardinalis de Comite, Ardecini sanctorum Cosmæ & Damiani Cardinalis Nouariensis, Prosperi sancti Georgij ad velum aureum Diaconi Cardinalis de Columna. Tunc vero dicti Domini Petragoricensis & Ratisponensis Episcopi, de mandato sacri Concilii, vt supra, ante altare ter, & ante valuas Ecclesiæ etiam ter, eosdé Dominos Cardinales aut aliquos pro ipsis vocauerunt. Et facta eorum relatione de præmissis, quod neminem inuenerunt, Dominus auditor * Domini Legati

Protestatio de nullitate Nunciorũ Pont. eo quod nõ facerent fidem de suo mandato.

Contumaciæ Cardinalium similiter in Concil. accusata.

* *Cardinalis.*

surrexit in medium, & dixit, quod paratum se offerebat, exhibere mandatum sufficiens coram Dominis à Concilio deputandis, pro quinque Dominis Cardinalibus vocatis, videlicet Dominis de Cypro, Arelatensi, sancti Sixti, Rothomagensi, & de Monte forti: similiter allegare causas rationabiles, propter quas Domini, Ilerdensis qui iam habitus est, in congregatione generali excusatus, nec non sancti Petri ad Vincula, sancti Eustachii de Fuxo, & de Anglia Cardinales, merito pro excusatis habebuntur. Præterea Magistri Simon de Valle & Ioannes de Raguso Ordinis Prædicatorum, pro & nomine domini Cardinalis Bononiensis, dixerunt se habere mandatum sufficiens, & obtulerunt, se coram eisdem dominis deputatis producere velle. Similiter magister Laurentius de Rotella, obtulit se rationabilib. de causis excusaturum dominum cardinalem de Columna. Et tandé his peractis, concilium per organum domini præsidentis deputauit dominos Frisingensem, & Bellicensem episcopos, qui viderent & examinarent producta per promotores & petita, necnon mandata dominorum cardinalium, ac huiusmodi excusationes audirent, & omnia concilio referrent. De quibus omnibus & singulis præmissis, præfati promotores nomine Concilii petierunt, & quiliber eorum petiit, ad perpetuam rei memoriam, sibi fieri à nobis notariis, & aliis vnum vel plura, instrumentum & instrumenta. Datum in sessione publica eiusdem sanctæ, &c. vt supra.

SESSIO VII.

Sessio ista habita est die 6. Nouembris, tunc feria 4. anno 1432. CXXX.

Quod sedente Concilio, vacante sede Apostolica, extra Concilium non procedatur ad electionem.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Dudum hæc sancta Synodus super electione Romani Pontificis, in casu vacationis Sedis Apostolicæ hoc sacro durante Concilio, quoddam edidit decretum huiusmodi sub tenore: Ad prouidentiæ spectat officium, perspicaci consideratione futura prospicere, &c. vt habetur in quarta sessione §. CXIV. ideo non est necesse hic inserere.

Prorogatio temporis Cardinalium veniendi ad Concilium tempore vacationis Papatus. CXXXI.

Cum autem ex eodem decreto apud aliquos exorta sit dubitationis occasio, ne tempus decem dierum ad intrandum conclaue præfinitum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, per constitutionem editam in generali Concilio Lugdunensi, saltem à tempore notæ vacationis in loco huius Concilij curreret & arctaret, quod nimis rigidum videretur, & terminus nimis breuis propter multos ex eisdem Cardinalibus, qui à loco ipsius Concilii esse possent in remotis locis absentes: hæc sancta Synodus cupiens omnem dubitationis materiam amputare, & ea quæ ad pacem & vnitatem ecclesiæ Dei sanctæ accommoda sunt, vigilanti studio prouidere, & tam in his quam in omnibus quæ fidei Catholicæ exaltationem, generalemque reformationem & pacem populi Christiani concernere dinoscuntur, pro quibus est in Spiritu sancto legitime congregata, cum omni modestia debitaque maturitate procedere, præsentis decreti tenore decernit, quod in casu vacationis Sedis Apostolicæ præsente durante Concilio ante sexaginta dies à die vacationis continue computandos, ad electionem Romani Pontificis procedatur.

Quod Papa non disponat de beneficiis Cardinalium. CXXXII.

Statuit quoque hæc sancta Synodus, quod de beneficiis Cardinalium, qui contra præinsertum decretum aliquid præsumpserint attentare, statim possit per eos ad quos de iure communi spectat libere disponi per viam collationis, præsentationis, electionis, seu cuiuslibet alterius prouisionis, etiam si essent ecclesiæ Metropolitanæ, cathedrales, aut alia quæcunque beneficia quocunque nomine censeantur, quæ in titulum vel commendam à prædictis Cardinalibus tenentur, reseruationibus Apostolicis specialibus, aut generalibus, & aliis in contrarium facientibus minime obsistentibus.

Datum

** Die Iouis 6. mensis Nouembr. Habita 18. Decembris 1432.*

CXXXIII.

Basileensis Cõc. sess. 3. Præfiguntur Eugen. PP. alii 60. dies ad reuocãdam dissolutionem Conc. Basil.

Datum in sessione publica eiusdem sanctæ Synodi in Ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, * Octauo Idus Nouembris, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

SESSIO VIII.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans.

Cum iamdudum de mense Aprilis in huius sacri Concilij sessione solenni editum & publicatum fuerit decretum huiusmodi seriei Sacrosancta, &c. Olim, &c. quod quidem vocationis decretum debite extitit executum, & in termino constituto solenni sessione celebrata sexta die mensis Septembris per promotores huius sacri Concilij fuerit ipsius Domini Papæ & Cardinalium absentium contumacia debite accusata, ambasiatoribus ipsius Summi Pontificis tunc in hac ciuitate personaliter constitutis, qui quidem ambasiatores ad locum ipsius sessionis venientes, magnis precibus à dicto sacro Concilio petierunt, in procedendo contra dictum Dominum Eugenium Papam & Cardinales supersederi: & licet secundum iuris ordinem, attenta magna dicti Domini Eugenij & dictorum Cardinalium contumacia, & multis supplicationibus & instantiis in dicto decreto memoratis procedendum fuisset ad declarandum ipsos esse contumaces, & alia iuris remedia opportuna; volens tamen agere cum omni mansuetudine & lenitate, & si forte resipiscerent expectare, maxime attendens quod charissimus Ecclesiæ filius Romanorum Rex Illustris & fidelis Ecclesiæ aduocatus, iugiter apud eundem Dominum Eugenium & Cardinales instabat ambasiatis, literis & tractatibus, vsque in præsens supersedit ab vlterius procedendo. Cum autem à die dictæ accusationis contumaciæ sint lapsi tres menses & vltra, & etiam à die suæ prætensæ dissolutionis annus effluxit, ipseque Dominus Eugenius monitionibus supradictis sanctæ matris Ecclesiæ renuat obedire, sed in sua prætensa dissolutione huius sacri Concilij perseueret, ipsum euertere, & disperdere variis modis satagens, & aliam congregationem sub nomine generalis Concilij indicere, in graue scandalum & damnum totius Ecclesiæ bonique publici perturbationem, & decretorum sacri Constantiensis Concilij contemptum & enervationem, ac etiam fidei Catholicæ detrimentum, cum hoc sacrum Concilium ad extirpationem hæresum per Dei gratiam sollicitudine & operam præbuerit & præbeat, ex qua fructus optimus in proxima dispositione videtur idcirco ad omnem superabundantem cautelam, suique omnem mansuetudinem & grauitatem ostendendum, & ipsum Dominum Eugenium Papam in magis manifesta contumacia constituendum, eundem per viscera misericordiæ Iesu Christi, & sub obtestatione diuini iudicij admonet, exhortatur, & eidem ex parte omnipotentis Dei præcipit, atque mandat quatenus infra sexaginta dies ab hac die, præsentisque decreti in valuis ecclesiæ Basileensis affixione, continue subsequentes, dictas prætensas dissolutionem & conuocationem congregationis sub nomine Concilij generalis publicæ reuocet, & huic sacro Concilio etiam pure & simpliciter adhæreat realiter & cum effectu, & deinde cætera in præinserto decreto contenta adimpleat cum effectu. Alioquin si infra prædictum terminũ prædictas prætensas dissolutionem & conuocationem non reuocauerit publice, & ipsi sacro Concilio pure & simpliciter (vt præmittitur) non adhæserit, dicta sancta Synodus absque vlteriori monitione, requisitione, vocatione, seu citatione, contra ipsum super præmissis & omnibus aliis in Concilio peragendis vsque ad finem debitum inclusiue procedet, prout Spiritus sanctus dictauerit, & tam de iure diuino quam humano fuerit procedendum: adiiciens quod si dictus Dominus Eugenius Papa præmissis parere aontempserit, & dicto termino sexaginta dierum pendente, aliquas promotiones fecerit ad cathedrales ecclesias vel ecclesiasticas dignitates, vel alia quæcunque beneficia vel officia in fomentum dictæ suæ prætensæ dissolutionis, & enervationem, diminutionem seu impedimentum huius sacri Concilij de quo ipsius sacri Concilij arbitrio iudicabitur, an factæ fuerint in fomentum talis promotionis, hæc sancta Synodus cassat, irritat, & annullat. Mandat præterea in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna priuationis, quam ipso facto incurrant, omnium suorum beneficiorum & officiorum, commendarum, pensionum & gratiarum quarumcunque etiam expectatiuarum, omnibus & singulis sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis ecclesiarum Prælatis officiariis curiæ & clericis quibuscunque in Romana curia existentibus, cuiuscunque status & conditionis existant, quatenus in casu prædicto post lapsum dicti termini infra viginti dies proxime & immediate sequentes, à curia Romana recedant, & deinde Cardinales omnino sub pœna prædicta ad hoc sacrum Concilium, omni mora postposita, veniant. Patriarchæ vero, Archiepiscopi, Episcopi, ac alij ecclesiastici, prout de iure vel consuetudine qui ad generale Concilium ire tenentur, sub pœnis iuris iter suum sine fraude continuando, ad hoc sacrum Concilium veniant: reliqui vero qui ad generale Concilium non tenentur venire, ad residendum & Deo seruiendum maneant in propriis beneficiis: vel ad hoc sacrum generale Concilium sine moræ dispendio & omni fraude cessante, se transferant & accedant. Decernit tandem hæc sancta Synodus, huius decreti publicationem in præsenti sessione factam, eiusque affixionem in valuis maioris Ecclesiæ Basileensis habere vim monitionis, citationis, & executionis, & ita vniuersos arctare, ac si personaliter apprehensi & eis intimatum fuisset. Insuper, prout in prioris monitionis edicto continetur, hæc sancta Synodus declarat & protestatur, quod nihilominus huiusmodi dilatione sexaginta dierum pendente, cum id rerum necessitas suadeat & qualitas agendorum, in vlteriori prosecutione Concilij & agendorum in eo, procedere intendit ordinate, debite & mature, nec propterea in præsessum aliqualiter in processu. Datum in sessione publica eiusdem sanctæ Synodi, in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, * decimoquinto Calendas Ianuarij, Anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

** Die Iouis 18. Decembris.*

DECRETVM QVOD VNICVM DEBET esse Concilium.

CXXXIV.

Cantic. 6.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Sicut vnica est Ecclesia sancta Catholica, Christo ipsius sponso dicente, Vna est columba mea, dilecta mea, & fidei articulo hoc profitente, cum vnitas diuisionem non capiat: sic esse non potest, nisi vnicum generale Concilium, ipsam sanctam Ecclesiam Catholicam repræsentans. Cum ergo in hac ciuitate Basileensi decretis sacrorum generalium Conciliorum Constantiensis & Senensis, & duorum Romanorum approbatione Pontificum, scilicet felicis recordationis Martini Quinti, & Eugenij Quarti, generale Concilium institutum & stabilitum sit, & in Spiritu sancto legitime congregatum, isto durante Concilio constat aliud generale Concilium alibi esse non posse. Quicunque igitur hoc sacro durante Concilio, aliam congregationem sub nomine generalis Concilij erigere, aut facere præsumpserit, non Catholicæ Ecclesiæ Concilium, sed schismaticorum conuenticulum erigere, aut facere conuincitur. Idcirco hæc sancta Synodus omnes Christi fideles, cuiuscunque status, ac dignitatis, etiam si Papalis, Imperialis vel regalis existant, sub obtestatione diuini iudicii, quod in Chore, Dathan & Abiron authoribus schismatis scriptura sacra commemorat, admonet & hortatur, & in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœnis contra schismaticos à iure indictis, districte præcipit atque mandat, ne hoc sacro durante Concilio, aliam congregationem sub nomine generalis Concilii, quæ reuera non esset Concilium facere, aut cõgregare, ne ad ipsam tanquam ad generale Concilium, etiam prætextu cuiuscunque promissionis, aut iuramenti, accedere vel interesse, aut recurrere quoquo modo, neq; pro Concilio generali habere, reputare, aut etiam nominare præsumant, etiam si iam indictum prætendatur, siue in futurum indici attentetur: Si quà vero persona ecclesiastica, etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, aut alia quæcunque cuiuslibet status, gradus, aut conditionis existat, Bononiam vel ad aliquem locum sibi

Num. 16. Psal. 105.

nomine generalis Concilij, isto durante, præsumat accedere, vel ibi manere, sententiam excommunicationis & priuationis omnium beneficiorum, dignitatum & officiorum & inhabilitationis ad ipsa, incurrat ipso facto: Et de dignitatibus, officiis & beneficiis talium, per eos ad quos de iure spectat, etiamsi cathedrales, aut metropolitanæ Ecclesiæ fuerint, libere disponatur.

Decretum pro incorporatis, quod eorum beneficia conferrinon possunt per Papam vel alium.

CXXXV. Ambitiosorum accensa cupiditas, non contenta de acceptis beneficiis gratias non agere, & humanitatis in se iura violare, interdum adeo exardescit, vt eos qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt, vt omni laude sint digni, subuertere moliatur & à suis deiicere beneficiis, cum tamen pro eorum bonis actionibus, vt extollerentur amplius dignum esset. Ideo opus est iuris prouidere remediis, vt tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur audacia, & nocendi facultas. Quisquis igitur tantæ ambitionis fuerit, vt Ecclesiam cathedralem, dignitatem, officium aut beneficium, pensionem vel commendam alicuius ex incorporatis, seu incorporandis, postquam fuerint incorporati, seu adhærentibus huic sacro concilio, attentauerint à Romano Pontifice vel quouis alio impetrare, aut etiam acceptare si motu proprio conferatur, non solum iure, quod in tali Ecclesiæ dignitate, officio seu beneficio habere prætendit, sed omnibus beneficiis sit ipso iure priuatus, & ad obtinendum in futurum inhabilis. Si qui vero ante huiusmodi editionem decreti tales impetrationes, aut attentationes habuerint, careant gratiis etiam proprio motu concessis.

Quod Papa non potest imponere nouas gabellas in terras Romanæ Ecclesiæ, & de non alienandis terris Ecclesiæ.

CXXXVI. Cæterum cum ad notitiam huius sacræ Synodi, fide dignotum sit relatione deductum, quod dictus Dominus Eugenius Papa super alienandis nonnullis ciuitatibus, & castris & terris Ecclesiæ Romanæ & aliarum Ecclesiarum, habuit & habet diuersos variosque tractatus, quæ quidem alienationes in fomentum dictæ prætensæ huius sacri Concilij dissolutionis, & ipsius concilij eneruationem fieri moliuntur, & in damnum & iacturam patrimonij beati Petri aliarumque Ecclesiarum cederent manifeste: idcirco his & alias ex bonis & iustis causis, quæ ad hoc cuiuslibet recte sentientis animum inducere debent, hæc Sancta Synodus eidem Domino Eugenio omne alienationis, infeudationis & impignorationis genus bonorum immobilium, ac etiam mobilium preciosorum & iurium Ecclesiæ Romanæ, & aliarum Ecclesiarum quarumcunque, necnon authorizationem alienationum bonorum immobilium & iurium aliarum Ecclesiarum, omnemque indictionem seu impositionem nouarum gabellarum, & aliorum onerum in alma vrbe Romana & aliis terris Ecclesiæ Romanæ, necnon impositionem cuiuscunque grauaminis seu subsidij sub nomine decimæ vel quocunque alio nomine censeantur, penitus interdicit, omnesque alienationes, infeudationes & impignorationes de eisdem bonis immobilibus, & iuribus Ecclesiæ Romanæ, & aliarum Ecclesiarum, & authorizationem huiusmodi per dictum Dominum Eugenium factas & fiendas, ac gabellas & alia onera per eundem Dominum Eugenium posita seu imposita cassat, reuocat, irritat, & annullat adeo vt nec ius aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam pariant. Datum in sessione publica eiusdem Sanctæ Synodi in Ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, decimo quinto Calendas Ianuarij, Anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

CXXXVII. *Diuersa rationes ad conuellendam hanc & aliarum Sessionem Sedis Apostolicæ, in superioribus, & in aliis inferioribus sessionibus edita sunt, multis Prælatis & Doctoribus in vtroque iure graduatis, sapientia & virtutibus clarissimis non consentientibus edita sunt; quorum plures, attendentes prædicta decreta, aduersa esse Sanctorum Patrum doctrinis; non modo in Deputationibus suis contradixerunt, & reclamauerunt; verum etiam in sessionibus ipsius Conciliabuli, in quibus talia decreta ad furorem quorundam hostium Apostolicæ Sedis, cum multitudine populli parui pretij & nullius authoritatis publicata sunt, interesse noluerunt.* Quamobrem *non possunt dici conclusa aut acta, vnanimi consensu totius Synodi*; sed quorundam conspiratione, quibus primo placuit errare ab vtero, postea loqui falsa. Alias rationes adducebat *Iohannes de Turre cremata*, ad conuellenda harum & aliarum Sessionum, contra Sedem Apostolicam acta; quas operæ pretium fuit isthic adscribere, vt posteritati palam fiat, Basileensibus nullam authoritatem fuisse, nullam æquitatem vel apparentem extitisse, qua potuissent, tanta quanta præsumpserunt aduersus Pontificem Eugenium audere.

Sessionis contra Sed. Apost. acta quib. patet B sileenses non potuisse tanta aduersus Eug. Pont. audere. Deinde nō fuit ab vniuers. Cōc. factum.

1. Inprimis fundamentum quod ex Constantiensi Concilio pro Basileensibus stare videtur, nihil pro eis facit. Præsupponebant Basileenses, quasi in Concilio Constantiensi fuerit vniuersaliter diffinitum, quod Concilium generale in Spiritu sancto legitime congregatum, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem à Christo habeat immediate, cui vniuersaliter quilibet, cuiuscumque status, siue dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur. Cæterum numquam in Constantia, sub hac forma legitur aliquod decretum. Declaratio autem facta per Patres illos sub obedientia Ioannis 23. congregatos, emanauit sub hac forma. *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione ac reformatione Ecclesiæ in capite & in membris fienda, declarat, quod ipsa in Spiritu sancto congregata, generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo habet immediate, cui quilibet, &c.* Ecce manifeste, quod decretum illorum Patrum, non loquitur vniuersaliter, de qualibet Synodo vniuersaliter, sed de illa Constantiensi singulariter; pro cuius tempore non erat in Ecclesia vnus Pastor totius Ecclesiæ indubitatus. Secundo, dato & non concesso, quod esset vniuersaliter factum; nihil omnino valet, neque habet aliquam necessitatem; quoniam non ab vniuersali Concilio, sed ab aliquibus Patribus, obedientiæ Iohannis XXIII. est factum.

1. *Ratio: præsupposititū falsū quasi in Concil. Const fuerit definitum: Quod Concgenerale potestatem à Christo habeat immediate cui omnes etiā Papa obedire teneatur: nā non loquitur vniuersaliter.*

Pro quo notandum; quod congregatio illa Constantiæ celebrata, tria tempora habuit. Primum fuit, in quo sola obedientia præfati Iohannis, quem Balthasarum Cossam vocabant, Constantiæ conuenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corrarius, vocatus in obedientia sua Gregorius XII. iuri suo cedens, præfatæ congregationi sub certis modo & formis se coniunxit. Tertium tempus est, in quo Reges & Principes, ac Prælati obedientes Petro Luna, Benedicto XIII. vocato, in obedientia sua, per suos Oratores noua facta conuocatione Concilij se vnierunt præfatæ congregationi, ad pacem dandam vniuersali Ecclesiæ; & fuimus nos tunc præsentes in minoribus constituti. pro quo solo tempore, conuenientibus omnibus simul tribus obedientiis fuit certum dicere, quod vniuersalis Ecclesia repræsentatiue congregata esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quin asserere, quod sola obedientia Ioannis faceret Concilium Generale vniuersalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium & scandalosum aliis duabus obedientiis. Ergo decreta illa, ab vna obedientia facta, non valent; maxime quoniam authoritati illius, aliæ duæ obedientiæ, scilic. Gregorij & Benedicti apertissima contradictione in plena congregatione se opposuerunt, & eorū contradictio fuit acceptata. Contradixit ac reclamauit inprimis Gregorius ita in sua obedientia vocatus, qui verum se Romanum Pontificem asserens & scribens, mittens post præfatam declarationem factam ab illis de obedientia Iohannis. Oratores suos Constantiam; commisit eis Dominis, scil. Cardinali Sancti Sixti, Ioanni electo Patriarchæ Constantinopolitano, Archiepiscopo Treuerensi, Comiti Palatino, Carolo de Malatesta, auctoritatem, congregationem ipsam Constantiensem, in quantum per Serenitatem Regiam, & non per Balthasarum se nuncupari facientem Ioannem XXIII. vocatam, vice sua

Cōgregatio Cōstantia tempora habuit.

conuocandi, & authorizandi in generale Concilium, remota tamen omnimode inde prædicti Balthasaris præsidentia & præsentia ab eisdem. Verba sunt formalia bullæ, datæ authoritatis præfatis Oratoribus, quæ inserta est in gestis præfati Concilij. Quod autem hæc verba & gesta Domini Gregorij præfato decreto contradicant & opponantur, manifestum est. Contradixit præterea eidem decreto, obedientia Dominorū Regum, Prælatorum, Principū & communitatum, qui Petro de Luna Benedicto XIII. vocato, tanquam vero Sumo Pontifici vniuersalis Ecclesiæ adhærebant. Nam vt ex gestis eiusdem Concilij patet, pro eo quod tenebant præfatos Patres Constantiæ cōgregatos, sub obedientia Ioannis, siue etiam Gregorij non facere Concilium vniuersale, nec eorum Congregationē repræsentare Ecclesiam Dei Catholicā, noluerunt se illi vnire, nisi prius iuxta compactata in Narbona cum Domino Imperatore Sigismūdo, noua fieret per eos, (apud quos verā esse arbitrabantur Dei Ecclesiam) Concilij conuocatio; sicut & factū est, nobis præsentibus in minoribus constitutis, quæ omnia ita facta esse, & ab omnibus acceptata. Synodus ipsa Constantiensis per diuersas sessiones apertissime testatur. Quibus tribus obedientiis tandē ita in nomine Christi Constantiæ cōuenientibus, sub intentione celebrandi Conciliū vniuersale, habita est certitudo & fides apud omnes Christi fideles, vniuersale Conciliū vniuersalē Ecclesiam repræsentans Constantiæ celebrari, & non ante, concurrente ambigua inter fideles concertatione, apud quem triū pro Rom. Pontificibus se gerentiū Apostolicæ Sedis authoritas resideret, & Principatus. Vt enim testatur deuotissimus Bernardus lib. 5. de consideratione; *Fides ambiguū non habet, alias, si habet, fides non est, sed opinio.* Ex qua contradictione aliarum duarū obedientiarū clarissime percipit quisq; doctus, quam præsumptuosa sit illa assertio, ꝙ obedientia illa Balthasaris Constantiæ conueniens faceret Concilium vniuersalē Ecclesiam repræsentans. Præterea, ea quæ adducuntur de his decretis Cōcilij Basileensis, nullius sunt roboris aut momenti, quoniam in illorum determinatione, non modo non interuenit vniuersalis Ecclesia, sed obedientia vna tantum, scil. Ioannis XXIII. vt dictum est, sed etiam non integre tota illa obedientia, quoniam plures Patres doctissimi illius obedientiæ, illis non præstiterunt cōsensum aut assensum suum. Item nec ipse in sua obedientia vocatus Ioannes XXIII. quoniam cum post recessum suum à Constantia, Scaphusæ constituerus, audiret præfatam declarationē conclusam, Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Francię visitantibus eum, videlicet Domino Duci Bauariæ, Domino Nicolao de Calauilla aliisq; eorū Collegis amaro animo conquestus est, falsa quædam & erronea, aduersus authoritatē Rom. Pontificis decreta, per æmulos suos, post recessum eius esse conclusa. Quinto præfata decreta Concilij Constantiensis non valent, quoniā nunquam fuerunt per omnes alias obedientias simul approbata, imo nec repetita imo tota Synodus ex tribus obedientiis cōgregata, statutis suis videtur designasse, decretū illud nunquam in mente sua insedisse, ꝙ patet ex duobus. Primo, ex eo quod *in sess. 36.* ita dicitur: *Sacrosancta Constantiensis Synodus statuit & decreuit quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam deproximo assumendus vel deputandus, cum hoc sacro Concilio, per singulas nationes, debeat reformare Ecclesiā in capite Romana Curia secundū æquitatem & bonū regimen Ecclesiæ, &c.* & sequitur *in 13. art.* propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi, vel deponi. Ecce quod manifeste datur intelligi, ꝙ Synodus illa hoc discernens, non approbauerit, neq; in mente habuit illa decreta prima Constantiæ. Secundo ex illo, quod præfata Synodus Cōstantiensis, postquā Papa Martinus fuit creatus morem obseruando antiquorum Conciliorū, humiliter petiuit ab eo confirmationē & roborationem omniū quæ fecerat. Cum autem cōfirmare & roborare superioris authoritatis sit, planissimum est, quod Synodus illa integra ex omnibus obedientiis christianitatis, nō erat huiusmodi fidei, vt crederet, ꝙ Concilium vniuersale habeat à Christo immediate potestatē, cui etiam Papa obedire teneretur. Sexto præfatū decretū Cōstantiense nō subsistit quoniā per Apostolicā Sedē non fuit approbatū; imo videtur per Dnum Martinum reprobatum, siue annullatū, in condemnatione erroris Ioannis Wiccleph, & Ioannis Huss, inter quos, vt patet in Bulla, q̄ approbante Concilio Constant. Dnus Martinus misit vniuersis Prælatis nationis Germaniæ, vnus articulus cōdemnatus est. Quod Petrus, non est, nec fuit Caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, Secundus articulus, de quo mandat præfatus Dnus Martinus Prælatis & Inquisitoribus Fidei, vt inquirant suspectos de præfatis erroribus; Vtrū credant, ꝙ Papa Canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius proprio nomine expresso, sit successor B. Petri, habens authoritatē supremam in Ecclesia Dei. hæc ibi. Clarissimū est autē, ꝙ hi duo articuli, per Dnum Martinū assentiente & approbante Concilio plenario Constantiensi, videlicet, ꝙ Papa sit Caput sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, i. e. vniuersalis, & quod habeat supremam potestatem in Ecclesia Dei, non possunt simul stare cum decreto illo, quod Constantiæ factū legitur, per quosdam de obedientia Ioannis, de superioritate Conciliorū super Papam, quoniam vt habetur *in c. inferior, dist. 21.* Sola Sedes potior, inferiorem conuenienter absoluit, nec potest quisquam, qui inferioris authoritatis est, eum qui maioris potestatis est deiicere, aut propriis subiugare diffinitionibus. Si ergo Papa manens Papa, alterius iudicio præterquā Dei subiacet, nō posset stare in veritate articulus ille diffinitus Constantiæ per Dnum Martinū, ꝙ Papa habeat supremā potestatem in Ecclesia. Septimo præfata decreta Constantiensiā nō subsistunt, quoniam expresse sunt contra sacrorum Conciliorum Canones, & Apostolicę Sedis diffinitiones, sicut in superioribus est demōstratum. Quare quicquid diffinitum sit in contrariū, quibuscunq; viribus careat, iuxta cap. *hæc est fides Pater Beatissime 24. q. 1.* Octauo, decreta illa non subsistunt, quoniam sanctorū Patrum sententiis, quorum doctrinam in his quæ Fidei sunt, vniuersalis iam approbauit Ecclesia, manifeste contradicūt, sicut patuit exemplariter in superioribus, vbi pro Principatu Romani Pontificis testimonia induximus ex Beatis Hieronymo, Augustino, Cyrillo, Ambrosio, Chrysostomo, Theophilo, Cypriano, atq; Leone I. quorum sententiæ in materia Fidei cum iam ab vniuersali Ecclesia sint firmatæ, vt patet in quinta Synodo, nulla authoritate, nulla hominum diffinitione possunt repelli. Omnis quippe contradictio facta horum Patrum sententiis, fieret profecto Fidei ipsius vniuersalis Ecclesiæ. Prima namq; salus, vt habetur *in c. 1. 25. q. 1.* est rectæ Fidei regulam custodire, & à cōstitutis Patrum nullatenus deuiare. Nono præfata decreta non subsistunt, quoniam contradicunt communi doctrinæ clarissimorum doctorum tam iuris diuini quam humani, qui, vt in superioribus declaratum est, de venerabili Hugone de S. Victore, de Alberto Magno, de S. Thoma, de Magistro Alexandro de Ales, de S. Bonauentura, &c. qui testimoniis scripturarum sanctarum, & Canonum reuerentia totius Orbis consecratorum, & authoritatibus Summorum Pontificum clarissima luce demonstrant, Romanū Pontificem ita principatū habere in vniuersa Ecclesia, vt extra casum hæresis, in quo à Papatu caderet, solum Deum iudicem superiorē habeat, cuius Vicariatus immediatus existit. Est autem mirabile, quod Patres illi Constantiæ congregati, voluissent vno ictu non solum delere, sed hæreticare tantorum Patrum doctrinam. Est autem hic non prætereundum, quod habetur *in cap. placuit 36. q. 2.* quod authoritas Concilij non præiudicat authoritati Hieronymi, & maxime, cum diuinæ scripturæ innitatur. Vbi dicit gloss. quod hæc ratio est, quia roboratur authoritate veteris testamēti, & Concilij Meldensis. Si autem vnius sancti Doctoris authoritas, roborata authoritate sacræ scripturæ, & authoritate vnius Concilij, præiudicat authoritati vnius Concilij vniuersalis, vt ibidem dicitur, quanto magis authoritas tantorum Doctorum & sanctorum, roborata & sacra scriptura, & Conciliis vniuersalibus, & diffinitionibus Apostolicę Sedis, præiudicare debet decreto vnius obedientiæ tantum, & tempore schismatis? Ex quibus omnibus liquido colligitur, ꝙ cum decreta Constantiensia, edita tempore schismatis, idq; ab vna tantummodo Ioannis XXIII. obedientia, cōtradicentibus aliquibus promulgata, nullius sint momenti, nec necessitatem aut virtutem habeant euertendi Fidem, quam de Rom. Pontificis Principatu semper seruauit sanctorum Patrum authoritas, & vniuersalis Ecclesiæ pietas venerata est, frustra pro fundamento à Basileensibus adducta sunt, ad deprimendum Eugenium indubitatum Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ supremum Pontificem.

Fides ambiguum nō habet.

In his decretis Cōc. Constant. vna tantū. interuenit obedientia sed nec tota imo nec ipse Ioann. 23. vocatus.

Decreta Conc. Constant. nunquam fuerunt per omnes alias obedientias simul approbata.

Synod. Cōstant. confirmationē gestorum à Martin. V. petiit confirmare aut tē superioris est. Dictum Decretū Constant. non fuit per Sedem Apost. approbatū.

Imo in plena. sio Cōc. fuit definitū Papam habere supremam potestatem in Eccles. Dei.

Prædicta decreta Cōstant. sunt contra Cānones & Apost. Sed. definitiones.

Contradicunt SS. PP. sententiis.

Contradicunt communi doctrinæ clariss. Doctorum V. I.

Authoritas Concilium præiudicat authoritati Hieronym.

CXXXVIII. *Alia ratio nullitatis actorũ Basil. contra Eug. quia ab Apost. Sedis hostibus gesta, & non fuerunt vnanimitate vniuersali conclusa.*

Secundo; acta Basileensia contra authoritatem Eugenij, præter hoc quod ad furorem quorundam Apostolicæ Sedis hostium fuerunt gesta editaque, non fuerunt vnanimitate vniuersali conclusa, quia non expectata plene vniuersali Ecclesia, nec integre Synodo congregata. Non enim expectatis plurium Regum & Principum Oratoribus conclusa fuerunt, licet aliquos eorum nouissent iam in via constitutos. Vnde Basileenses, cupidi renouare decreta sua, (postquam Eugenius Pontifex ad Principum preces paulo post reuocauerat dissolutionem Concilij quam fecerat) timentes Dominorum Castellię & Angliæ Regum Oratores, quos iam propinquare nouerant, pro eorum sapientia & zelo ad fidem & Apostolicã Sedem conclusionibus eorum non prębituros assensum, practicauerunt, vt ante aduentum præfatorum Dominorum Oratorum innouatio fieret suorum decretorum, quod factum est, in sessione 18. Nullus autem profecto sanæ mentis vir, qui nouit, cum quanta grauitate, integritate, & modestia, Fidei iudicia tractanda sunt, iudicabit esse vniuersali consensu totius Ecclesiæ conclusa, à spirituque sancto dictata, in quibus huiusmodi factiones & practicæ interuenerunt.

CXXXIX. *Rom. Pon. prærogatiua & potestas.*

Hæc Ioannes de Turrecremata, qui inuictissimis argumentis, à sacræ scripturæ auctoritate, à recepto vsu primitiuæ, & consequentis totius vniuersalis Ecclesiæ, à Canonibus Conciliorum, à doctrina SS. Patrum, à consensu Orbis Christiani, à perpetua possessione & praxi, à Regũ & Principum exemplis, à diffinitionibus Sedis Apostolicæ, à priuilegiis diuinitus Romano Pontifici datis constabilitisque, denique ab omnibus titulis quibus aliquid iuste possideri petiris, demonstrauit, Romanum Pontificem in Primatu & amplitudine Apostolicæ dignitatis, Petro Apostolorũ Principi succedere, 2. non ab Apostolis, neq; à Conciliorum ordinatione, aut dispositione Sacerdotum, non à Cardinalium designatione, non à Constantini donatione, non ab Imperatorum aut Regum indulgentia, sed immediate à Christo, primatum & amplitudinem dignitatis suæ habere; 3. Christi Vicarium, & locum eius supremũ in terris tenentem esse; 4. Caput, Pastorẽ, Rectorẽ, & Pontificem supremũ in omnes agnos & oues Christi, i. e. super omnes fideles Oues & Pastores, adeoq; Patrem Patrum, & Episcopum Episcoporum, & Catholicæ, hoc est vniuersalis Ecclesiæ Antistitem, tota vniuersali Ecclesia, etiam simul in aliquo Oecumenico Concilio, vel congregata, vel repræsentata superiorem; 5. cui omnes potestates Ecclesiasticæ subiiciantur; ipsumq; audire, & præceptis ac ordinationibus illius, de necessitate salutis omnes obedire teneãtur; 6. immediatus Prælatus, & Iudex non tantum singulorũ, verum etiam omniũ Christianorũ, Pastorum, Principũ, & populorum; 7. qui solus habet plenitudinẽ potestatis in vniuersa Ecclesia Dei, & à quo omniũ Prælatorum Ecclesiæ potestas deriuatur; 8. cuius potestas & auctoritas à nullo alio, quam à Christo Deo qui immediate contulit potest restringi aut amplificari; 9. qui à nulla oue, à nullo grege potest iudicari, aut in ordinẽ reuocari: 10. qui possit pro arbitrio voluntatis suæ, ad ædificationẽ Corporis Ecclesiæ, omnes Pastores vocare, de omnibus iudicare, ipse à nemine iudicari; adeoq; omne vas quod aduersum se consurgeret, scil. omnem cætum & congregationẽ, siue, si contra se aliquid conaretur, sine si ex aliis iustissimis causis necessarium videretur, dissipare, dissoluere, confringere, scilicet, Concilia indicere, conuocare, dissoluere, transferre, abrogare, omnes aduersantes sibi reprimere. nec nisi soli Deo innocentiam suam probare: quod quidem olim agnouerunt Patres Concilij Romani, qui præsidente Syluestro Summo Pontifice, præsentibusq; Augustis, Constantino & Helena decreuerunt; *Nemo iudicabit primam Sedem; quoniam omnes à prima Sede desiderant iustitiam temperari; quoniam nec ab omni Clero, nec ab omni populo Iudex omnium iudicabitur.* Et subscripserunt 284. Episcopi, 42. Presbyteri, 5. Diaconi & Constantinus, Augustinus, & mater eius Helena Augusta.

CXL. *Obiecta Eugenio à Basil. à Fratricellis haereticis haustā plena falsitatis impietatis haeresis & impostur arum.*

Præter hæc, idem Ioannes de Turre Cremata, Basileensium superiores cauillationes, contra Pontificiam auctoritatem, Oratoribus Eugenij oppositas diluebat, clarissimisq; argumentis & exemplis, falsum esse demonstrabat, id quod illi refractarij garriebant; scil. quod Pontifex, si se ab aliquo Concilio, seu cœtu Episcoporũ errantium separaret, schisma faceret: quod eiusmodi erronum, aut præuaricatorum, vel rebellium decretis teneantur: quod sit inferior, tota & vniuersali Ecclesia, quod non immediate à Christo potestatem habeat, quod errare possit, adeoq; non vnus ex eis errauerit, quod Concilij, excluso illo, non possit errare, neque vnquam errauerit: adeoq; Pontifex vt errans Concilio non erranti obnoxius sit; adeoq; Concilia, in aliquos ex eis iudicium exercuerint, ac sententiã tulerint: ea nimirum potestate, quam à Christo, qui solus iudex est in medio Concilij, immediate habent, atq; ea auctoritate, quæ par est collegio Apostolorũ, & scriptis Euangeliorũ, cui si quis non obtemperauerit, aut ei forte contradixerit, hæreticus censeretur: quodq; Eugenius Pontifex, quamuis (vtpote maior in Ecclesia & singulis nõ omnibus præstantior) potuerit Concilij indicere, adeoq; robur Concilio vt congregaretur tribuere, non tamen potuit congregatũ, aut dissoluere, aut alio transferre, aut potestatẽ ad iudicandũ illi à Christo concessam restringere, aut decreta Constantiensia abrogare; cum ille non sit maior tota Ecclesia, atq; sit intra corpus Ecclesiæ, cui omnis quicumque fuerit tenetur obedire, & statuta Patrum non transferre, non mutare, non violare. Hæc inquam rebellium, & à furore ebriorum Basileensium, non aliunde quã à Marsilio Patauino, à Guilhelmo Occamo, à Michaele Cæsenate, & à cæteris fratricellis hæreticis, ab Ecclesia non semel damnatis hausta oracula, Ioannes Turrecremata, falsitatis, impietatis, hæresis & impostur arum conuicit, manifestumq; fecit, vt corpus sine capite, non corpus sed cadauer, sic quemcumq; cætum, sine visibili in terris supremo capite, non fidelium Ecclesiam, sed cætum præuaricatorum esse: adeoque posse errare, & non semel, sine Romano Pontifice errasse, neque vnquam inuitum Pontificem iudicasse, aut in inuitum sententiam tulisse; neminem Pontificũ Romanorum in fide defecisse, adeoq; neminem illorum, iudicio Cõciliorum, subiectũ aut esse, aut fuisse, proinde ab hac incorrupta, illibataq; fide, pro qua ne deficeret Christus efficaciter orauit, illũ Conciliis errare potentibus, iure diuino prælatum esse, vt ea non tantum indicere, verum etiam congregare, dissoluere, transferre, moderari, regere, decreta tollere, interprætari, executionẽ differre, & omnia deniq; quæ ad ædificationẽ corporis spectant facere possit, pro ea clauium potestate, quam Christus immediate, non Ecclesiæ, sed Petro dedit, & in Petro omnibus eius successoribus promisit, & pro ea auctoritate, qua Christus, Petrum, atque eius successores Romanos Pontifices, supra vniuersum corpus Ecclesiæ, ac super omnes & singulos agnos & oues præstare voluit: vt Romanus Pontifex sit maior, in, & tota Ecclesia, intra sed tamen non infra, sed supra vniuersum corpus mysticum, intra & supra ouile vniuersum, Caput, Pastor, & Princeps Pastorum. *Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 94. & seqqqq. & lib. 3. multis in locis.*

Cætus sine visibili humano capite non fidelium Ecclesia sed cætus præuaricatorũ.

CXLI. *Iustus Eug. à Bohemis metus ad dissoluendũ Concil.*

Pro hac in omnes & singulos auctoritate, iuxta ac potestate, potuit Eugenius Pontifex, iure merito Basileense Cõcilium dissoluere, & alio transferre, maxime vrgentibus grauissimis, iustissimisq; causis. Aliquas earum, superiore anno narrauimus. Contra has, nihil solidum opposuerunt Basileenses. Metus enim, qui à Bohemis hæreticis, Eugento, pro loco & euentu Concilij incussus fuerat, non omnino discutiebatur, quin potius in immensum augebatur, ex his quæ in dies accidebant, atq; sequebantur. In primis enim post illam magni exercitus Germanorum fugam, quamplurimi nobiles & oppida vicina Bohemiæ pacta cum Hussitis inierant, neque parum suspicionis sollicito Pontifici iniecerant, ne fœderibus mutuis deuincti in perniciem Ecclesiasticorum conspirarent, vel potissimum inescati spe potiundorum Ecclesiasticorum bonorum, quæ tunc in prædam, nonnemo pseudocatholicorum destinabat. Accedebat, quod cum Iulianus Cardinalis rem infeliciter gestam cuperet emendare, nouumque Crucesignatorum exercitum cogere, hi, cui pam turpissimæ fugæ, in Principes, qui interfuerant reticientes, neminem Principum inter se velle habere, nedum supra se aliquem eorum cum potestate Ducis aut præfecti exercitus tolerare, sed vnum aliquem ex se Ducem copiarum legere volebant: Bohemi porro hæretici, cum aliquis tractationem pacis, & mentionem Concilij illis iniecisset, nullos alios quam Principes viros pro obsidibus postulabant,

bant, vnde maximum periculum euidentissime, siue dimicaturis, siue disceptaturis Catholicis imminebat, vel exercitu ceruorũ, sine leone duce, in aciem prodeunte, vel caterua Doctorũ, sine Præsidibus pacis & tranquillitatis, in disputationẽ, in ciuitate iam infecta, & in capita Catholicorũ grassante, præsertim cum his qui triumphantiũ in morem veniebant, & docere non doceri, præiudicare non iudicari, audiri non audire, sententiam ferre non latam ferre cupiebant.

CXLII. *Quam præiudicato animo forent Bohemi in re controuersa.*

Quam proni essent Bohemi, ad tractatus Conciliares, & quam præiudicato animo forent in re controuersa, præter ea quæ ex superioribus literis apparent, euidens est ex his quæ Cochlæus de historia Hussitarum scripsit. Ista habet.

Bohemi, non per omnia nostris fidentes, in literis suis petebant, vt Oratores Concilij, Ioannes Gelhusius Monachus Mulbrunensis, & Ioannes Nider, Ordinis Prædicatorum Theologus (sc. metuendum illis nimium fuerat, à duobus religiosis, inermibus) cum Principibus vicinis Egram venirent; suos illic affuturos, quibus cum de publica fide danda, quam saluum conductum vocant, & aliis rebus tractaretur. Ne quid possent conqueri, decretus est ei Conuentui dies 27 Aprilis, quæ erat Dominica *Quasimodogeniti*. Eo die venerunt illic Oratores Basileensiũ supranominati, Nider, qui erat Prior Conuentus Prædicatorum Basilcæ, & Ioannes Gelhusius, & cum iis Fridericus de Parasbergo Decanus Ratisbonensis, Iurisconsultus, Albertus Præpositus & Pastor apud S. Sebaldum Nurembergensis, Henricus Tockius Canonicus Magdeburgensis, Theologus, & præter eos Fridericus Marchio Brandeburgensis Ioannes Dux Bauariæ aliique Proceres cum 250. equis. De Bohemis, nemo aderat, quia Pilzenenses, & Dominus Suanbergius, non miserant eis saluum-conductum. Id cum ex literis nostri intelexissent, effecerunt, vt ab Egrensibus & Cubitensibus nuncij Bohemorum, Nicolaus Humpoltzius, Secretarius maioris ciuitatis Pragensis, & Matthias Clumpezanus, Præfectus Piestensis, deducerentur. Hi, die 8. Maij cum 19. equis Egram venerunt. Postridie, apud Marchionem, Henricus Tockius eleganti oratione illos, sumpto ex Euangelio themate, *Pax vobis*, salutauit. Illi, quod ipsi Catholicis fecerant, non modo non excusarunt, sed potius quasi à Catholicis, atrocibus iniuriis affecti fuissent, per summam impudentiam exposuerunt, eamque rem tantarum causam cladium extitisse commenti sunt. Disputatum est, deinde de saluo-conductu. Obsides postulabant Bohemi; non quosuis, sed Principes & Nobiles. Id cum Catholicis non placeret, & res ita differretur, cœpit vulgus apud Egram clamare, per Ecclesiasticos stare & Principes, quominus cum Bohemis procederet concordia. Itaq; necessitatem duobus Principibus præsentibus imposuerunt, vt ipsi se obligarint. Hoc idem paulo post, rogantibus Basileensibus Patribus, fecit protector cõgregationis Wilhelmus Dux Bauariæ, item ipsi Basileenses, & Sigismundus Cæsar. Præterea promissio facta est, hoc idẽ omnes Principes & Ciuitates præstaturos, per quorum ditionẽ profecturi essent Bohemi atq; adeo ipsam Ciuitatem Basileensem, quæ sane diplomata salui-conductus, paulo post missa sunt Pragam. Durauit ille Conuentus Egrensis, dies 21. Tantorum interposita fide Procerum, nec tamen Bohemi Basileam properarunt, sed vsq; ad initium Octobris expectationẽ omnium ludificarunt, quibus tamen diebus, non nisi exploratores duos, Nicolaum Humpoltzium, & Ioannem Zarzensem Basileam, qui quod ibi agerent curiosius inuestigarent, inspicerentque, miserunt. Præferebant, quasi de fide Basileensium, Bohemi subdubitarent, adeoque fidem publicam innouari desiderarent. Extrahendo tempori, omnia faciebant. Tandem cum hi, die 10. Octobris, in congregationem, quæ apud Prædicatores conuenerat introducti, confirmationem pollicitationum, & literas saluiconductus à Patribus Basileensibus impetrassent, domum reuersi, vix tandem suis persuaserũt, nullum subesse dolum, sed serio tem agi. Ergo delegerunt, Oratores, quos Basileam mitterent: sed tales, ex quibus apparebat, hæreticos, more suo tumidos ac peruicaces, non discendi studio, sed docendi præscribendique prurigine teneri. Præcipui nominis inter hos fuere, Procopius Rasus, Ductor exercitus Thaboriratum; Magister Ioannes de Rokyzana Concionator & Pseudoapostolus Pragensium; Magister Nicolaus de Paletzo, Thaborensium pseudoepiscopus; Magister Petrus Payne de Anglia, patria profugus hæresiarcha; Wilhelmus Coska, non tam Equestri dignitate, quam Ecclesiarum direptione & vastitate insignis, & Matthias de Clumpezan Præfectus Piestensis cum 300. equis. Quo animo hi omnes ferent, declararunt, cum vexillum explicarent, cuius vna pars Crucifixi imaginem habebat depictam, altera calicem Eucharistiæ figura superposita. *Cochlæus lib. 6. hist. Hussitarum.*

Quales Oratores Basileam miserunt.

Non ignorabat hæc omnia Pontifex Eugenius, & quid porro à peruicacibus ac ferocientibus hæreticis expectandum vel non sperandum foret, vt erat acre præuidens, non obscure præcipiebat. Ergo, vel hac potissimum de causa Concilium dissoluebat, & transferebat, maxime cum indignum existimaret, id quod Iulianus cum Basileensibus concesserat hæreticis dogmata Catholicã in dubium vocare, & tot Conciliorum, quorsub antecessoribus suis ad damnandos Wicleffitas & Hussitas conuocata sunt, auctoritatem, siue in contemptum, siue in discrimen adducere. Euentus declarauit, an frustra meruerit Eugenius: quod in subsequentibus narrabimus.

CXLIII. *Alia causa dissolutionis Concil. certior fuit. sp. vnionis Graecorum cum Occidentali Ecclesia. reuos cerũ miserea b Amurathe afflictis ac ipsis pene oppressis.*

Certiora sperabat, de vnione Græcorum, cum Occidentali Ecclesia. Necessitate vrgebantur, vt auxilia à Pontifice & Europæis Principibus aduersum Turcas postularent. Hæc non aliis conditione offerebat Eugenius, nisi cæterquam vt Ecclesiæ Occidentali reconciliarentur, vnirenturque. Ergo illi, non minore desiderio vnionem, quam subsidia flagitabant. in extremum fere discrimen per imprudentiam Ioannis Paleologi Imperatoris adducti. Regnabat apud Turcas Amurathes secundus, Mahometi filius, paterni imperij proferendi, sine modo cupidus. Ab eo cum sibi Græci meruerent, Mustapham eius patruum, quem in Lemno, non admodum arcta custodia adseruabant (fugerat is è fratris carcere, & in eorum manus peruenerat) emiserunt, omnibusque rebus instruxerunt, vt cum Amurathe committeret. Hic quidem Græci, semetipsos, resque suas planissime perditum ierc, præ nimia imprudentia, parumque abfuit, quin Constantinopolis capta & direpta ab Amurathe fuisset. Duces Amurathis in Europa relicti ab Mechmete Patre, vt filio in regnum succedenti obtemperarent accesserant ad Ioannem Palæologum, petentes, ne in præsentiarum Græci dissentire vellent, neue ipse quid contra ea quæ promisisset Mechmeti, nouarum rerum cupidine moliretur. Baiazites quoque, vnus de numero optimarum Amurathis, declaratus Iudex & Dux Europæ, Legatus venerat ad Ioannem adhortans eum ad fœdus faciendum, quo iuberetur ipsi auxiliaris esse, si quando vlus postularet. Et quo magis animum Paleologi Imperatoris commoueret, offerebat obsides 12. nobilium filios. His addebat aureorum myriades 20. nec non regionem plurimam Calliopoli adiacentem, quantamcunque eo loci Græci petissent. Hæc quidem pollicebatur & dabat, vt Mustapham Paleologus missum faceret, neutrisque supperias ferret; sed ipsos potius sineret concurrere infestis armis, eumque quem belli euentus Regem declarasset, Regno præesse pateretur. Hæc præconis voce, ad Ioannem Imperatorem iuuenem, nec quicquam moderati, vt sibi pararet Regnum cogitantem, referebantur. Arbitrabantur namque res suas melius habituras, si illi inimicitias inter se gererent hostiles, seque feliciore rerum successu vsurum quam hactenus, si discordias inter se fouissent. Etiam hinc magnam sibi pollicebatur felicitatem fore, si ambo sua opera indiguissent. Præterea hæc cogitatio eius subibat animum; Quod si inter se diuiserint Regnum, & id super vtroque recubuerit, fore vt facile superare possit vtrumque, cum neutri, quantum ad Regni magnitudinem spectat tum sit conferendus. Id autem commodissime euenire putabat, si Regnum inter se distribuerent, & ambo regnarent. Post longe aliam tenebat sententiam. Totus namque stetit à partibus Mustaphæ. Pater autem Ioannis, qui Regnum administrabat, diuersum à filio sentiebat. Nam censebat fœderum religionem nec temerandã, nec violandam esse: & qui id feciſſet, nihil boni ei vnquam euenturum, nec quicquam prohibere, quo minus cum errato suo pereat penitus. Hæc Ioannes floccipendens Mustaphæ adhæsit, neque tamen Calliopolim, quam pactus fuerat, à Mustapha obtinuit. Turci enim rem istam ini-

Mustaphae contra Amurathem à Io. Paleologo imp. destinatur.

quis patiebantur animis, vt illam vrbem Mustaphas Græcis traderet, cum parum honestum sibi fore arbitrarentur, Regno nondum satis firmato, vrbem talem Græcis donare. Agebat tunc Ioannes in Pericontesо, amori importuno sacerdotis cuiusdam filiæ, quam deperibat, operam impendens. Transitu in Europam Amurathes arcendus fuerat. Neglexit Paleologus. Amurathes porro nactus nauim Genuensium maximam, quæ forte appulerat, pactus cum gubernatore mercedem quantam petiisset maximam, vt se cum peregrinis, & Ianuæ militibus, nec non cum reliquis copiis in Europam traduceret, ex Asia traiecit, & à Turcis desertum Mustapham, in fugam dilapsum, subque arbusto montis Togani latitantem nactus, cum illi guttur laqueo fregisset, expeditionem aduersus Constantinopolim & Græcos sumpsit, copiisque vrbi admotis eam capere adnisus, obsidione cinxit, eoque Palæologum impulit, vt is Legatos ad pacem petendam, ad Amurathem miserit. Eam cum summis votis affectaret, neque tamen à tyranno impetraret, necesse habuit ad alium Mustapham, Amurathis fratrem, annorum 13. puerum, qui hac tempestate apud Caramanum Cilicem agebat, victum & necessaria ab eo capiens, respicere, & illum Amurathi opponere. Frustra hunc Palæologus accersiuit. Infelix puer, ad lanienam properauit, vitamque in ipso fere auspicio conatuum, hunc in modum amisit. Vbi Constantinopolim venit, sermones sparsit per Turcos, magnis promissis eos accendens, præhendabat singulos, quibus promittebat duplum eorum quæ sub Amurathe habuissent accepturos. Et quidam Turci, at pauci ad puerum illum transtugerunt. Puer autem transgressus in Asiam, auxilio Palæologi instructus, locum qui Hieron nominatur expugnauit. Iter facienti per Asiam, Turci qui ibi erant adiungebantur, vt qui esset Mahometis Imperatoris filius. Ibi tum Aliazes cognomento Saraptares, siue pocillator, cui ab Mahomete puer ille commissus erat, per proditionem Amurathi puerum tradere pacisceitur. Pactis autem satis firmatis, conclusum est, vt puer Amurathi prodideretur. Misso itaque nuncio significauit Amurati, vbinam terrarum puer ageret. Cum puer Nicæam venisset, vrbem eam cepit, & cum ibi moraretur, optimates Turcorum conciliabat. Hyems erat, qua prohibebatur puer longius procedere. Amurates cum nunciante Aliaze Saraptare intellexisset puerum Nicææ versari, assumptis sex mille Ianuarum militibus, quam ocyssime in Hellespontum venit, & transiens recta in Bithyniam abiit. Et cum inopinatus & improuisus in vrbem irrupuisset, puerum ab Aliaze proditum comprehendit. Puer enim excitus tumultu, confugerat ad Aliazem, cui obediebat, vt se defenderet ab imminenti periculo. Aliazes puerum metum omittere, & bono animo esse iussit, & sic eius fratrem expectauit. cui vbi in Regiam vrbis sedem processerat, puerum in manus tradidit, quem acceptum, laqueo, vt moris est tyrannorum illorum præfocauit. Interempto fratre Amurates, omnē deinde vim belli in Græcos mouit, ac Thessalonicam illustrem Græciæ ciuitatem, antiquitate, amplitudine, authoritate, pulchritudine, amænitate, religione, opibus, opportunitate situs tum terra, tum mari, celebritate populi, præstantia dignitateq; insignem, ad cuius Ecclesiam Paulus Apostolus aliquando literas dederat, vi captam penitus, superiore anno diripuit, moxque continuo victoriæ cursu, Phociden cum Attica, Bæotiam, Ætoliam, Acarnaniam, & omnem citra Peloponnesum regionem vsque ad sinum Corinthiacum incredibili celeritate perdomuit. *Laonicus lib. 5. auctor hist. Turcicæ tom. 1. Leonclauius hist. Musulm. Turc. lib. 14.* Bello itaq; Turcico oppressus pœne, Ioannes Palæologus, Eugenij Pōtificis opem ante alios post Martini mortem imploruit, & hanc vnionem Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali, quo facilius impetraret suppetias, Sedi Apostolicæ repræsentauit. Quod negotium, cum præsentē manum expectaret, & Oratores Græci, Basileam, tanto interuallo remotam petere derrectarent, Eugenius, vt quantocius rebus illorum prospiceret, & tam illos Ecclesiæ recōciliare, quam illis vtilis ampliora in tempore subsidia submistrare posset, Concilium, Bononiam transferebat.

CXLIV. *Status Italiæ postulabat vt Concil. Bononiam transferretur.*

Status quoque Italiæ postulabat, vt Basilea Bononiam Concilium transferretur. Philippus Vicecomes, Dux Mediolani, homo, *vt Aeneas Syluius memorabat*, quietis impatiens, imperitandi auidus, in bello pacem, in pace bellum quærens, omnia miscebat, ac inprimis, in Florentinos Venetorum socios, exercitum miserat, nec non Senensem rempublicam, Lucenses, Pisanos, & complures Etruscos, contra illos concitauerat. Sigismundus quoque Rex Romanorum, per speciem insignium Imperij Romæ accipiendorum, ab eodem in Italiam magnis pollicitationibus euocatus adductusque, eas, quas partim ex Pannoniis & Bohemis, partim ex Germanis Italilq; trahebat copias, non tam pompæ ornandæ, quam Italiæ turbandæ, vltus fuit conduxisse. Etenim ab eius in Italiam aduentu, tum Herturia, tum etiam, Gallia togata, parum quietæ fuere. Senenses, ad eum Placētiæ subsidentem, Oratores miserant, suppetias postulantes contra Florentinos. Neque defuit ille flagitantibus, sed ad primos dies veris appetentis, Lucam, & inde Senas properauit, inque ea vrbe residens, suos quos adduxerat equites peditesque, Senensibus ad infestandos Florentinos permisit. Non potuit Eugenius Pont. sociis Florentinus, & ipse quoque deesse, sed cum intellexisset Sigismundum iniquiorem sibi à Philippo & Senensibus factum Romam ideo properare, vt & diadema extorqueret, & ad continuandum Fa. Læ Concilium compelleret, adeoque, vt se exauctoraret, Nicolaum Tolentinatem, & Nicolaum Forte Bracchium Braccij ex sorore nepotem, cum non contemnendiis copiis in Etruriam destinauit, qui vna cum Michaele Attendulo viribus coniunctis, auxilio Florentinis forent, atque si potuissent transitu Arni Sigismundum prohiberent, adeoque ad pacis consilia tam illum, quam Senenses, & Philippenses impellerent. Ferociebant Senenses in primis diebus, à præsentia Sigismundi. Enimuero, dum Pontificiarum copiarum Præfecti, ad distinendum, transituque Arni arcendum illum ab Eugenio missi, in Maritima Senensi prædationi vacarent, siue à Philippensibus corrupti, quod multi opinabantur, siue dulcedine prædæ detenti, tempus & commoditatem Sigismundo dederunt, vt sine noxa Arnum transmitteret, Senasque ingressus copias suas Senensibus coniungeret. Auxerant vires Senensium, auxiliarij aliunde vel acciti, vel sponte accurrentes Philippus, Bernardinum Cardam Comitem, cum aliquanta manu suorum illis submiserat.

Iacobus Vicanus Vrbis Præfectus Eugen. infensus.

Iacobus Vicanus vrbis Romæ Præfectus, infensus Eugenio Pontifici, non minus quam Ludouicus Columna Romanus, sponte accesserant. Iacobum Vicanum, voluerat non ita pridem Eugenius bello lacessere, quia Columnensium bello, vicina vrbi oppida, & Romam plurimis affecerat molestiis, nec videbatur satis quieturus, quamprimum aliqua rerum nouarum contra Ecclesiam moliendarum occasio se obtulisset. Ergo Ioanni Cornetano, ex familia Vitellensi, Recanatensium Episcopo, quod partium esset in prouincia præfecto contrariarum, belli curam contra eum iniunxerat: is vero rem vehementi aggressus animo, cum Nicolao Fortebraccio, & Ranutio Farnesio, oppidis illum minoribus intra paucos dies spoliauerat, ac Vetrallam inde ducens, oppidum in via olim Cassia natura loci mœnibus defensoribusque munitum, machinis & diuturna obsidione expugnauerat, nec non ciuitati Vetulæ, qui locus populo pœne vacuus, arcem habet munitissimam, & portum infero mari celebertimum, qui Centumcellensis prisco tempore dicebatur, castris admotis, tertiodecimo oppugnationis die, ei tam arcem quam ciuitatem & portum eripuerat; isautem Senas profectus, reliquum quod poterat contrahere virium, Senensibus addiderat: & quod summa est, Sigismundum Cæsarem, per multas criminationes iniquiorem Pontifici fecerat.

Ludouicus Columnius Eugen. non bene cupit & quare.

Æque non bene cupiebat Eugenio, Ludouicus Columnius, causam fuisse istam memorabat, Blondus. Martini Pōtificis Ludouici gentilis, anno superiore defuncti, cum Ecclesiæ præfuisset, fastigij felicitas, q̄ semper in rebus cōtigit humanis, admixtā habuit infelicitatis partem, & q̄à multis hac tempestate nō insulsē iactatū est, quæ res defuncti Pontificis omniū iudicio sapientissimi maximas cumulauit laudes, eadem suffecti opulentissimam labefactauit fortunam. Martinus namq; qui omnia Pastoris boni munera prudentissime obiisset, & quam reperit rerum inopem Ecclesiam ad summū potentatum euexisset, pecuniarū vim ingentem

Mustapha ab Amurathe strangulatur.

Alius Mustaphæ frater proditus & laqueo similiter necatus.

Thessalonica capta et magna pars perdomita ab Amurathe.

summa coacernauerat diligentia, cui superstites fuerunt nepotes ex Rentio fratre tres, vnus Cardinalis Prosper nomine annos natus duodeviginti; Princeps Salernitanus alter, omnibus ætate superior, Antonius nomine, qui tamen nōdum attigerat quartum supra vigesimum ætatis annum, & Edoardus natu minimus, vix infantiam supergressus: His; patritia Columnensium familia oriundis, erant Romæ amici & clientes multi vetustæ familiæ gratia parati quorū tamen numerum Martini Pontificatus adauxerat: & propter oppida à maioribus possessa, omnes illi terrarum Ecclesiæ arces in potestate habuerāt. Et quidem nouo Pontifici Eugenio declarato, Adriani molem sancti Angeli castellum, & arcem Ostiæ adolescentes restituerant, & magnam partem pecuniæ dono miserant: cæterum nec sic quidem quietem retinere potuerant. Concitauerant enim factionis Columnensi aduersq; Cardinales Eugenium in illos, quos non pecunia magis exhaurire, quam omni statu opibusque cuperent spoliare. Et cæteris Ecclesiæ Cardinalibus ob meritā Martini, & adolescentium innocentiam id ægre ferentibus ardere cæperat iuuidia odioque Senatus: eoque loci iam adducta res erat, vt Columnensibus hostilem in se Pontificis animum intelligentibus omnia in vrbe Roma, & per Prouinciam suspicionis plena essent.

Philippi cogitationes.

Causa alienationis Philip. Mediol. ab Eugen.

Iam Philippus alienato fuerat animo à Pontifice ex hac causa. Oratoribus Principum liberorumque populorum Pontificem nouum ex more veneratum aduementibus, primi quod ferme sunt cæteris propinquiores fuerant à Florētinis, Philippo, & Venetis missi inter quos pacem componere quum rogaretur Pontifex, futurum protestatus est, vt se acrem experiretur hostem, quicumq; illam renuerat oblatam, vel postea quod pridem acciderat violasset constitutam. Quod vero interim Florentini suæ reipublicæ, copiis post delerum apud Lucam exercitum denudatæ periculum imminere dicerent, perentib. dimisit Pontifex Michaëlem Attendulum Ecclesiæ militantem: ac iisdem oratoribus de Senensi populo quærimoniam deferentibus, quod neglecto fœdere secum perdurante, ad Philippi partes transierat, misserat Pontifex Senas Cardinalem Bononiensem, ex gente Corraria Venetum, qui Senenses à bello cessare, & neutri partium consentire curaret. Tulit ea graniter Philippus, & suspicatus Pontificem odium erga continuare, quod Legatus pridem apud Bononiam concepisset, illum, vt postea euentus docuit, tamquam hostem persequi constituit. Ergo cum intellexisset, Columnensibus infestum factum esse, aggressus est pendentes illos in bellum contra Pontificem impellere, effecitque, vt Orator quem Romæ tenebat nomine Iacobum Vrbanus, Stephanum Columnam Eugenio obsequentissimum à Pontifice alienauerit, & Roma, ad Principem Salernitanum abduxerit, coniurationi socium adiunxerit. Primi ausi fuerant, bellum Eugenio inferre, infestatq; cohortes vsque ad aream S. Marci in vrbe producere: actumq; dubio procul tunc fuisset de Pontifice, nisi Marinus Caraciolus Comes S. Angeli, ab Ioanna Regina Siciliæ feudatario iure obligata cum copiis missus, hostem intra viscera vrbis iam admissum retrocedere compulisset. Cogitabat Philippus, qua erat vigilantia, acrimoniaque hinc Columnensium, inde Genuensium, & qui eos secuturi videtentur tyrannorum opibus, illinc Pontificias, hinc Florentinorum res affligere, vt postea arma contra Venetos integer ac prope victor assumeret, qui hæc omnia præsentientes bellum illi inferre statuerant. Et quidem sequestre & Pontificis Legato Cardinali Cyprio, data fuerat ab Eugenio pax Columnensibus. In ea vero illud cernere stupendum fuit, opes maximas illis à Martino relictas, infra sextum quam obierat mensem mirabili profluuio effluxisse, quod Princeps Salernitanus, partim eas Caudolæ, & aliis quos antea conduxerat militibus stipendum dissoluerit, partim Pontifici ex conditionibus restituere compulsus sit. Accesseruntque alia detrimenta, quod simul cum Narniæ, Orti, Surani, Gualdi, Nucerini, Assisii, Aesculi, Immolæ, Forliuii, & Foripompilii arcibus ex patrui sententia spōte redditis, alia dimittere coactus fuerit circa vrbem castella: vt omittam, quod Ioanna Regina, Salernum etiam illi abstulerat, in Eugenii Pontificis gratiam. Bonis ergo tot & tantis exuti cum essent Columnenses, ex eis Ludouicus ad Sigismundum Senis hærentem properauit, & vna cum aliis militiæ auctoratus, varia in Florentinos rentauit.

Maximæ opes à Mart. V. suis relictæ infra sex menses effluxerunt.

Vario Marte hinc inde certatum est: modo Florentinis superioribus, modo Imperialibus, & fœderatis. Sub Toporio oppido, equites Pont. & Florentini, Philippenses profligarunt, qua victoria elati, vbi venisse in vrbem Lucam Cæsarem cognouerunt, eo vadentes, ad ipsas prope portas castris positis, cuncta circa vrbem populati sunt, intus manente Sigismundo, ac prohibere vastationem nequeunte.

Philippen. equites à Florent. & Pontif. deleti.

Ad diem Iulii XII. Senas Sigismundus ingressus, maiores postea quam ante præuiderat difficultates, tam Florentinis reprimendis, quam in itineri Romam prosequendo reperit. Quamobrem cum nullam nisi conciliato per pacis fœdera Pontifice, viam suis rebus videret efficaciorem, ad demerendam Eugenii gratiam inclinauit. Senenses, & à bello diuturno, & à diuturna præsentia Sigismundi exhausti, afflictique, primi fuerunt qui Oratores, Carolum Agnolinum in Episcopatu Eugenio successorem, Thomā Duccium, & Bartholomæum Boncompagnium, ad Eugenium destinarent, præteritorum veniam postulantes, & Pontificem Sigismundo conciliare satagentes. Commemorabant illi Sigismundi Regis in rempublicam Christianam & Ecclesiam Romanam merita, quod is Amuratho Turcarum Principi vires oppositisset, quod in Concilio Constantiensi schisma Ecclesiæ, submotis tribus de Pontificatu contendentibus extinxisset, quod vnum indubitatum Pontificem Sedi Apostolicæ imponi curauisset, quod contra Bohemos hæreticos copias non semel eduxisset, quodq; non paci turbandæ, sed componendæ in Italiam penetrasset, atque nonnisi aliena culpa iustam illius iram incurrisset, cum alias ipse summo studio in Apostolicam Sedem propensus, supremi post Deū in terris fastigii reuerentissimus esset. Missi post hæc vtrinq; tractandis inter illum & Sigismundum rebus nuncii: deinde cum hi nihil efficerent, missi à Pontifice duo viri summi Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Montis fortis, & Lucidus de Comitibus Romanus, alter Senis diem obiit, alter re infecta Romam rediit. Missi item à Cæsare Romam Episcopus Curiensis & Caspar Schlise Cancellarius Imperialis, & Laurentius Vngariæ Marescallus, ambo equestris ordinis viri præstantes, qui etiam re infecta redierunt. Statu itaq; Italiæ per hunc modum turbato, glisscente præterea inter se ac Sigismundum diffidio onem poterat Eugenius Concilium Basileam pridem indictum non dissoluere, & Bononiam euocare, quo ipse præsens accederet, & tum integritatem innocentiamq; suam Ecclesiæ probaret, tum qui rempublicam Christianam miscerent omnibus aperiret; tum vero, vt pacem Italiæ turbatæ conciliaret. *Blondus dec. 3 lib. 4. Orlandus, Malauolta hist. Senen. lib. 2. par. 3. Leonardus de rebus sui temp. S. Antonius tit. 22. c. 9. §. XI.*

Sigismūd. & Senenses de pace cum Pont. cogitant & Oratores ad eum pro tractatione mittunt sed nihil efficitur.

Addit idem Sanctus c. 10. §. 2. causam grauissimam, cur Eugenius Concilium Basileense dissoluerit: quod Philippus Vicecomes, omnes suæ iurisdictionis ciuitatum Episcopos, contra Eugenium conspirantes, mandato suo Basileam direxisset: & Cardinales aliquot Romanæ Ecclesiæ ab eo alienassent ex quibus nōnulli clā insalutato hospite, alii patenter occasione inuenta alicuius bonæ rei fiendæ vrbe discedentes Basileam conuolarant, simulq; cum aliis Episcopis & Prælatis, aduersum se consilia contulerant.

Alia dissolutionis Conc. causa ob eundem 1 hlip.

Ingens momentum rebus nouandis accesserat, quod Eugenius Pontifex, aduersus Sigismundum Cæsarem, & Philippum Ducem Alphonsum Regem Aragonum euocasse diceretur. Flagrabat Alfonsus desiderio regni Neapolitani, ex quo pene eiectus fuerat, recuperandi. Eius rei neq; magnam, neq; nullam spem tenebat. Terrebant aduersariæ factionis vires, Aragoniis validiores. Confirmabat animum gentis ingenium, externa imperia facilius parare armis quā retinere solitæ: vt sæpe magnis Principibus artes desint, quibus subiectos populos in pace regant, potius quam quibus hostes armis superent. Vtriusque nationis, Gallicæ atq; Neapolitanæ varios mores esse cogitabat, studia contraria, accessuram breui discordiam extremum malorum. Ab Ioanna Regina, & aulicis, quasi à capite, malorum contagionē in reliquum reipublicæ corpus diffundi perituram breui, ituramq; in præceps eriam si nullus impelleret. Inanis ea cogitatio non fuit. Ludouicus Andegauensis, quem Ioanna in

CXLV. *Reb. Neapolitanis & Pontificiis turbatis non erat opportunum Eugenio Basil. Conc. continuare.*

filium adoptauerat, in Calabriam ablegatus; bellum inde curare iussus, neq; alias partes imperii attingere.

Auctor consilii Ioannes Caraciolus, quo solus, vti ante consueuerat, amoto æmulo regnaret, alieno nomine, sua inuidia, communi malo. Ab hoc, in momento Reginæ subirato, principium fortunæ Alfonso. Postulabat ille ab Ioanna Regina, Salernitanum principatum Columniis ereptum, Traiano filio suo, quem ad sublimius fastigium euehere conabatur. Cumque non impetrasset, in Reginam commotior, non modo conuitiis illam exacerbauit, verum etiam vt vulgo ferebatur, colapho impacto omnino à se alienauit, vt de eo perdendo consilia cum Cobella Ruffa Ducis Sessani vxore contulerit. Non ignotum id fuit Caraciolo. Ergo ingenio cautus & sagax, vt rebus suis præsidium pararet, Alphonsum in Regnum reuocabat: omnia prona fore, Gallicum potentiam mora consensuisse, se, suosque in eius fide & potestate futuros. Simplicius Antonius Vrsinus Tarentinus Princeps Alphonsi amicitiam colebat, homo nobilis, impiger, factiosus, potentiæ & copiarum auidus. Is conuitio propemodum Alphonsum euocabat; Gallicę leuitatis & arrogantiæ tædere cæpisse (sic ille loquebatur) integra factionis studia supereſſe; ex aliis plerosque secum voto stare. Se modo in conspectum daret, odio turpitudinis vniuersam multitudinem in partes accessuram; si moraretur spem, externa tamen conquisituros præsidia. His Alfonsus litteris famaque excitatus; neque multum magnificis pollicitis credere, neque oblata studia reiicere. Nisi Eugenio Pontifice probante, ac Regina volente, de imperio Neapolitano rursus armis contendere graue erat. Fratribus tamen in Hispania relictis, ipse classe instructa, in qua sex & viginti triremes erant, naues onerariæ nouem, ad X. Kalend. Iunij, è Valentino littore soluens, primo in Siciliam appulit: deinde Lothophagite insula ad littus Africæ non omnino frustra tentata, de Neapolitano Regno conquirendo consilia agitauit.

Ioann. Caracciolus fraudulenter occisus auctore Consilij Cobella Russa.

Iam ad XV. Kalend. Septembris, auctore consilii Cobella Ruffa, quæ præcipuum gratiæ & auctoritatis locum apud Reginam nacta erat, eoque implacabili odio in Caracciolum ferebatur, Ioannes Caracciolus, inimicorum conspiratione dum ficta fraude ad Reginam, quasi apoplexi correpta esset vocatur, ferro, vt erat semicalceatus, peremptus interierat nocte ipsam insequente festam lætitiam, quam Neapolitanis & Reginæ exhibuerat, cum Traiano filio vxorem desponsaret, Mariam Iacobi Caldoræ filiam. Ab illius casu, credebat Alfonsus viam sibi ad Regnum è superis aperiri. Neque is occasioni defuit, sed proceres Neapolitanos sollicitauit, & ad Ioannam Reginam missa legatione, Aenatiam insulam contendit, ex propinquo omnia diligentius exploraturus. Misit & ad Eugenium, Oratores, Fratrem Antonium Fanensem, quo à Confessionibus vtebatur, & Matthæum Piccadium, qui Pontifici & Sedi Apostolicæ societatem & auxilia, contra Philippum Vicecomitem & reliquos confœderatos offerrent, si modo is Regni Neapolitani titulum & iura, Alfonso permitteret seu adeo concederet. Totius rei decretum ab Ioanna pendere videbatur. At illa simulabat sese pacem non aspernari, icto cum Andegauensi fœderis aliquantum pœnitere, atque ad priora consilia cupere animum reuocare; modo facultas esset, & sine armis. Retractandis conditionibus reliquum æstatis extractum. Eo ventum, vt Regina Ludouico Andegauensi non abdicato, Alfonsi alioqui Aragonii adoptionem non instauraret, sed tantum in decem annos inducias cum eo stabiliret, initæ cum Gallis memor societatis.

Inducię Decennales inter Reg. & Aragonum.

Factum Cobellæ consilio & hortatu, quæ multum & familiariter Regina vtebatur; alienis semper imperiis obnoxia, nunc fœminæ: vsque eo, vt bello pacisque consilia vna maxime administraret. Pudendam ignominiam. Sed prona tamen ciuitas in luxuriam, morum vitio affluentique copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ, terrestrisque modo præsentibus frueretur, nulla honesti cura mouebatur. Plebem maxime nulla honesti, inhonestiq; cura solicitabat. Sic erant studia hominum hac tempestate. Miserat & Eugenius, Parentinum Episcopum S. R. E. Thesaurarium & Ioannem Boscolensem I. V. D. Prothonotarium Apostolicum nuncios, ad Alphonsum Regem, opis contra hostes implorandæ causa: quæ res, quemadmodum Alphonso spem auxerat, ad regnum Neapolitanum recuperandum, ita Sigismundum Cæsarem magis irritauerat, ad Eugenium perdendum. Quo in statu, cum res Pontificiæ, & Neapolitanæ essent: non erat opportunum Eugenio, Basileæ Concilium continuare; quo iam hostes illius conuenerant, sub auspiciis tam potentium Principum, quam erat Sigismundus Cæsar & Vicecomes, Philippus congregati.

CXL VI. *Controuersia in Hispan. de iurib. Arch. Tolet.*

Incidit inter hæc controuersia in Hispaniis, de iuribus Archiepiscopi Toletani. Ioannes Contrerius Archiepiscopus Toletanus, dirimendis dissidiis inter Castellæ Regem & Alphonsi fratres, ex quibus Petrus captus, Henricus intra Albuquerquum obsessus tenebatur, arbiter designatus, Agredæ primum deinde Turrasone crucem potestatis insigne præferebat. Ioannes Valterius Turiasonensis Episcopus, id contra morem maiorum, scitaq; gentis, vsurpari, & tam sibi quam suo Metropolitano, qui Archiepiscopus Cæsaraugustanus est præiudicium fieri quærebatur. Dicebat Prouincias Toletanam & Tarraconensem, cui primo Turiasonensis Episcopus parebat antiquitus fuisse distinctas: decreto Sanctorum Patrum & more maiorum, vini Archiepiscopo in alterius Prouinciam nihil iuris esse. Turiasonensem Episcopum, ex quo à Tarraconensi seiunctus est, ad Cæsaraugustanum pertinere; Toletano, non nisi in suffraganeos Episcopos potestatem patere. Se Dalmatium Archiepiscopum Cæsaraugustanum, non vero, aliquem alium quempiam agnoscere, adeoq; Toletanum non debere insignia dignitatis, in aliena Prouincia ac diœcesi præferre. Reponebat Toletanus, sibi ab eo tempore, quo in Hispaniis Prouinciæ & diœceses distinctæ sunt, titulum & ius Primatis in vniuersas Hispaniarum Ecclesias acquisitū fuisse, se Primatem Hispaniarum esse ac proinde insignia primatis in omnibus Prouinciis & Ecclesiis præferre posse: vel potissimum ab authoritate Sedis Apostolicæ & Pontificum Romanorum, ex quibus Paschalis, Calixtus II. Honorius II. Eugenius III. Alexander III. dignitatem Primatis Toletano Archiepiscopo ratam esse voluerunt, quorum priuilegia, Innocentius III. datis apud S. Ioannem Lateranensem ad Archiepiscopos & Episcopos Hispaniarum litteris dicitur confirmasse. Multa contra ea, Dalmatius Cæsaraugustanus Archiepiscopus opponebat. Toletanus Archiepiscopus Agredi se tenens Aragoniis finibus abstinebat, ne res à verborum disceptatione veniret ad manus. Vnde nihil communi consensu gerebatur, resq; communes præ priuatis cupiditatibus negligi videbantur, importuna contentione de iuribus Ecclesiarum suscepta. *Mariana lib. 21. c. 5. Surita lib. 14 c 5, & 8. Summontius lib. 4. hist. Neapolit.* qui addit:

CXL VII. *Augustissimum Annuntiatæ Virg. Xenodochiū Neapoli à Ioanna Regina cōditum.*

Ioannam Reginam, à deuotione in ædem SS. Virginis Lauretanæ inflammatam, & à F. Matthæo Licensi Minoritano, Diui Bernardini socio incitatam, amplissimum & augustissimum Xenodochium, titulo Annunciatę virginis, Neapoli, hoc anno condidisse, primum lapidem propriis manibus in fundamentis posuisse, & ditissimis possessionibus attributis locupletasse.

Mariana addit, Eugenium, ideo Episcopos in Italiam trāsferre conatum fuisse, quod existimaret locorum propinquitate, minorem rebus nouandis fore opportunitatem. Resistebant Sigismundus Cæsar Germaniæ æquior, quam Italiæ. Cæteri Principes ab vtraq; parte sollicitati: ac Aragonius nominatim, in vnam obtinendi Neapolitani Regni curam intentus maxime, vnde melior spes affulgebat, præterito Eugenio adhærere Sigismundo visus est, oratoresq; ex Aragonia Basileam destinari mandauit. Alfonsum Borgiam Valentinum Episcopum ac duos alios, è Theologis vnum, alterum ex nobilitate. Idem eius exemplo fecerunt alii Reges Hispani. Diegus Oreni Comes legatus adiunctus est Episcopis & viris sacratis à Lusitano Rege: vnde non modicum Eugenio periculum c. 6.

CXL VIII. *Alphon. relicto Eugenio adhæret Sigism. & Legatos Basileam mittit.*

Istud cum didicisset Nicolaus Albergatus, Cardinalis S. Crucis, ad conciliandos Galliarum & Angliæ Reges, ab Eugenio Legatus, depositā omni spe extinguendi tum inter eos Reges dissidii, Romam reuertens, ex itinere Basileam progressus est. Cumq; audisset, Basileenses pessimo exemplo constituisse, Pontificem Concilii dissoluendi iure ac potestate carere, & tamquam Concilii decretis obnoxius foret, dicto illis audientem esse oportere, aliaque multa ad Sacrosanctam illam maiestatem conuellendam insidiose parare; vehementius (vt S. Antonius scripsit) homo antiquæ probitatis exarsit, atq; grauiter Basileenses, factaq; eorum increpuit, & vt in auctoritate summi Pontificis ipsius Christi Vicarii permanerent, admonuit; atq; inde Bononiam ad Ecclesiam suam reuisendam accessit. *Carolus Sigonius in vita B. Nicolai Albergatic. 13.*

CXL IX. *Card. Albergat. Basileam se confert & Basileenses acriter reprehendit.*

Plurimi Episcoporum, in Eugenium, siue à Basileensibus, siue à partiariis Principibus irritati conabantur suos subditos à Pontifice auertere. Quamobrem censuris propositis edicebant, ne quis eorum Romam etiam pro suis negotiis aduerset concedere, aut ibidem manere. Horum temeritatem habuit Eugenius castigare edita, quam adiungo constitutione.

CL. *Eugenij cōstitutio cōtra eos Episcopos qui subditos suos à Pontifice auertere conabantur.*

Diuina, in eminenti Sedis Apostolicæ specula, disponente clementia constituti, ad ea libenter intendimus, per quæ Officiales prædictæ Sedis obsequiis eius (ad quam veluti omnium fidelium matrem, pro animarum salute quærenda, & iustitia prosequenda, de diuersis mundi partibus confluit multitudo) tutius & quietius se promptiores valeant exhibere. Hinc est, quod nos ex certa ratione aliis causis moti, etiam nonnullorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, districtius inhibemus locorum Ordinariis, nec non Commissariis & delegatis eorum, cæterisq; vniuersis & singulis, quacumque potestate & auctoritate præfulgeant, cuiuscumque dignitatis, gradus, vel præeminentiæ fuerint, ne contra Officiales præfatos, quocumque nomine nuncupentur, in nostris & dictæ Sedis obsequiis nunc & pro tempore existentes, nec non quoslibet alios pro suis & eorum causis vel negotiis prosequendis ad Sedem prædictam venientes, ac in ea (durante negotiorum & causarum huiusmodi prosecutione) moram trahentes & recedentes ab eodem procedere, aut in eos excommunicationis, suspensionis vel interdicti, aut priuationis officiorum, aut beneficiorum, seu quamuis aliam sententiam promulgare præsumant. Nos enim omnes & singulos processus & sententias, contra tenorem & mentem nostræ inhibitionis huiusmodi latas & habitas, & in posterum habendas, ac etiam promulgandas, & quæcumq; inde secuta, declaramus nulla, irrita, & inania, nullius q; extitisse, vel existere roboris vel momenti: nec non quidquid in contrarium, à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contingeret attentari, etiam decernimus irritum & inane. Et nihilominus, in omnes & singulos Ordinarios, & officiales, Commissarios, & delegatos eorum, qui se de dignitatibus ac beneficiis Ecclesiasticis quibuscumq; Officialium, aut negotia huiusmodi apud dictam Sedem prosequentium prædictorum, eos illis forsan priuando, atq; priuatos decernendo, seu declarando, vel cuiuscumq; priuationis prætextu illa personis aliis conferendo, seu de illis in eos quomodolibet se intromittendo, tam in dantes quam in recipientes, excommunicationis, suspensionis, & interdicti latas sententias promulgamus, quas volumus eos ipso facto incurrere. A qua quidem excommunicationis sententia absolui nequeant, nisi à nobis, vel per nos deputandis, præterquam in mortis articulo constituti. Præmissa autē à die affixionis præsentium ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, ex certa scientia quoscumque ligare volumus & arctare. Non obstantibus Apostolicis, & quibuscumq; generalibus, aut Prouincialibus, aut Synodalibus Conciliis, edictis, constitutionibus, ordinationibus, & Apostolicis priuilegiis, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodolibet vel differri etiamsi de illis eorumq; totis tenoribus habenda esset in præsentibus mētio specialis, & quæ præsentibus volumus habere pro sufficienter expressis cæterisq; contrariis quibuscumq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, declarationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. XXXII. Octauo Idus Martij, Pontificatus nostri anno secundo. extrau. Commun. li. 5. de priuilegiis.

CLI. *Eug. Burchardo Abbati heremi Deiparæ matris in Heluetia facultatem audiendi confessiones & alia Eccles. sacramenta administrandi pro eo & eius successoribus cōcedit.*

Eodem anno Eugenius Pontifex cum audiuisset ex relatione Burchardi Abbatis, heremi Deiparæ matris Monasterii in Heluetia Ordinis S. Benedicti, antiquitate, religione, frequentia, miraculis toto orbe celeberrimi, plurimaad capellam eiusdem Deiparæ loci Heremitarum Dominum, vt pie creditur, ipsius Virginis meritis operari miracula, nec non pro forriendis, quas inibi felicis recordationis Leo Papa VIII. gratiose concessit indulgentiarum muneribus, ingentem vtriusq; sexus Christi fidelium confluere multitudinem intellexisset, vt eorundem fidelium deuotio inibi feruentius inualesceret ac animarum salus huiusmodi propagaretur amplius, ipsiq; fideles dictarum indulgentiarum magis efficerentur participes indulsit auctoritate Apostolica, vt ipse Burcardus, eiusq; successores Abbates Heremitarum, nec non idonei per eos deputandi sacerdotes seculares vel Regulares in proximum decennium possent libere & licite quorumcumq; fidelium, ad ipsum Capellam & Ecclesiam confluentium confessiones audire, eiisq; ab omnib. suis peccatis, nisi talia forent propter quæ Apostolica Sedes merito consulenda existeret, absolutionis beneficium impendere, nec non Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica sacramēta ministrare. Dat. Romæ V. Idus Martii Pontif. anno 2.

Christophorus Harthmannus, eiusdem Cœnobii Monachus & Bibliothecarius, hæc de eiusdem Sacelli miraculosa dedicatione in annales ipsius Heremi retulit.

CLII. *De miraculosa dicti sacelli dedicatione.*

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. XVIII. regnante Ottone Imperatore, mense Iunio, celebrata est Synodus Engelheimensis sollicitatu Agapeti Pontificis propter dissensiones ortas inter Hugonem Franciæ Ducem, & Ludouicum Regem, interq; Artaldum Rhemensem Episcopum, & Hugonem illicite substitutum eius vrbis Præsulē. In ea inter plures Germaniæ Episcopos interfuit Cunradus Constantiensis Episcopus. Iam reliqua ad vsum eiusdem cœnobij Heremi Deiparæ virginis ædificia, templumque monasterio, pro loco & facultatibus amplissimum, quo à S. Meginrado structum Deiparæ sacellum insigni mole circumdederat, incluseratq;, cura irremissa & impensa, operarumque assiduis laboribus promouerat eo Abbas Eberhardus, vt consecrari possent. Itaq; ineunte Septembri, paratis omnibus ad eam rem necessarijs, ad Cunradum Episcopum Constantiam misit, quando eius Episcopatus terminis, monasterium, templumq; & Sacellum consisterent, eorum ad consecrationem venire ne grauaretur. Inuitatus etiam antiquam ob necessitudinem & amicitiam, moremque ab Apostolicis temporibus receptum, S. Vldaricus Augustæ Vindelicorum Episcopus. Vtrumq; comitati plures primæ nobilitatis totius prope Germaniæ superioris viri: magnus concursus vicinitatis factus, tantorum virorum reuerentia, simul & loci, cuius religionem & celebritatem iam late sparserat fama, inuisendi colendique desiderio pertrahebantur. Haud paucos, Eberhardi, & Monachorum inibi agitantium sanctitatis opinio, alios etiam propinquitas sanguinis attraxerat.

Angelorū cantus de nocte audiens.

Adpulit ad Heremum Cunradus Idibus eiusdem mensis, nouoque in Monasterio diuertit. Nocte quæ secuta est, cum solito more, circa eius medium orationis causa surrexisset melodiam longe suauissimam auribus excepit, cumq; magis magisque animum mentemque intenderet, certissime animaduertit, Angelos cantum eundem, & ordinem, ceremoniasque in Sacelli Deiparæ, cuius causa aderat, consecratione habere, quæ in dedicationibus Ecclesiarum ab Episcopis vsurpantur. Audiere eadem, & percognouere haud pauci Monachi, aliique nonnulli, quos precum & meditationum studium idem tempus intentos, & vigiles attinuerat. Ipse Cunradus, ceremonias his verbis, libro quē de secretis secretorum inscripsit, posteritati prodidit, quæ inferere operæ pretium putaui, rei miraculo, simul tanti viride, & quia illa sola ex eo volumine facti raritas an potius Dei benignitas conseruauit, & posteris testimonium dicere voluit. *Descendit*, inquit, *Dominus de cœlis, casula violacea ante altare ad sacrum officium celebrandum, cui quattuor Euangelistæ insulam capiti eius imponentes, & more consueto, deponentes. Angeli aurea thuribula deferebant; alii suis, vt ramis arborum stabant. Iuxta Dominum S. Gregorius flabellum in manu tenens. S. Petrus in manu tenens baculum pastoralem: Sanctus vero Augustinus & Ambrosius, stabant ante Dominum. Maria Virgo ante altare stabat splendida, sicut fulgur. Sanctus Michael Præcantor erat. Sanctus Stephanus legit Epistolam, Beatus Laurentius Euangelium. Sanctus cantabatur sic. Sanctus Deus in aula gloriosæ virginis, miserere nobis. Benedictus Mariæ filius in æternū regnaturus, qui venit &c. Agnus Dei sic. Agnus Dei miserere vinorum in te credentium, miserere nobis. Agnus Dei, miserere mortuorum in tepie quiescentium, miserere nobis. Agnus Deus, da pacem*

Testimonia consecrationis miraculosæ.

Vox de cælo lapsa locum esse cõsecratum.

vitus & defunctus in te pie regnantibus. Dominus vobiscum. Respondebant Angeli. Qui sedet super Cherubin, & intuetur abyssos. Hactenus D. Cunradus supra memorato libro, de iis quæ eadem nocte cognouit.

Verum cæpta luce quam exaltationis sanctæ Crucis memoria & honore illustrauit Ecclesia, ea in feriam V. incideret, anno bissextili) paratis ad manum necessariis, magna attentione omnibus Curadum præstolantibus, ipse solus cunctari, moraſq; nectere, neq; interea sacello pedem efferre, ibidem fixus, immobilis attonitus inhærere, & obstupescere, donecad meridiem iam rempus vergeret. Tum vero omnes vrgere, sollicitareq; qui aderant Antistites, solemnitatem tandem & officia inchoaret promouereq; & cessandi finem faceret, neq; vlterius tantum mortalium cõuentum distineret. ille adhuc causas obrendere, an aliud signum expectare. Ibi vero tum omnes veluti vana, & tamquam cælestium ex meditatione nata somnia memorantem reprehendere, obiurgare; postremo ad sacrorum ministeriũ & consecrationis opus, illis posthabitis impellere & cogere, donec cunctis, re inopinata, perculsis, & exhorrescentibus, cælestem delapsam vocem, *Cessa cessa frater diuinitus capella consecrata est*, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, & Cunrádum vera cognouisse, & Sacellum Dei, quæ cælitus dicatum & consecratum esse, nemo postea dubitauit, quæ tum tantorum virorum præsentia & testimonio comperta, & merito credita, crebriora inde, & hucusq; confirmarunt miracula. Igitur Cunradus, Sacello, vbi initium consecrationis facere instituerat egressus, comitantibus qui præsentes erant, & Deum, Deiq; Genitricem magnificantibus, Basilicam porro Sacello circumiectam, solitis ceremoniis, in nomen & titulum S. Mauritii & sociorum ita Eberhardo postalante consecrauit, dedicauitq;. Mox ad sua quisq; alius alio reuersi, rei gestæ notitiam longe lateq; diffudere.

CLIII. *Leo VIII. consecrationem sanctam & ratã habet ac monasterio magna priuilegia & Sacello indulgentias concedit.*

Post annos XVI. dum Romæ versaretur Otto, cũ Adelheide, & filio, cæterisque Germaniæ & Italiæ primoribus Leonem VIII. id temporis summum Pontificem monuit idem Cunradus Constantiensis Episcopus, huius quod ante annos XVI. in dedicatione Deiparæ Matris apud Heremitas Sacelli suæ diœcesis euenerat miraculi, simulq; consilii expetiit, an sibi, posteriſue, re quam retulisset, certa & comperta, manum nouæ dedicationi admouere liceret. Leo rei nouitate & Cunradi iuxta authoritate, & omnibus perspecta sanctitudine, & aderat quoq;, qui idem testabatur S. Vldaricus Augustanus Episcopus, permotus, eorum qui aderant consilio & consensu, non modo diuinitus factam consecrationem sanctam & ratam habuit, confirmauitque, sed etiam magnis priuilegiis Monasterium, & eos qui pietatis causa Sacellum adirent indulgentiis impertiuit, vt pluribus apparet ex bulla in eam rem 3. Idus Nouembris data, cuius exemplum sic habet.

Bulla priuilegiorum & indulgentiarum prædictarũ.

Leo Episcopus, seruus seruorum Dei. Conuenit Apostolico moderamini pia religione pollentibus benuola compassione succurrere, & posse eorum, siue nos consulentium animis, alacri deuotione impartiri assensum, & consilium. Ex hoc enim lucri potissimum præmium à conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca ad meliorem fuerint sine dubio statum producta. Igitur omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentib. & futuris notũ esse volumus, quia venerabilis Frater & Coepiscopus noster Constantiensis nomine Cunradus, corã dilectissimo filio nostro Ottone Imperatore, & Adelheide sua chara coniuge, cum aliis multis Principib. nostro suggessit Apostolatui, Quod ad locum quendam in suo territorio situm, Cella Meginardi votatum, Anno ab incarnatione Domini D. CCCC. XLVIII. ad hoc vocatus venisset, quod Capellam vnam in honore Sanctæ, & superexaltatæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ XVIII. Kal. Octob. illic consecraret. Sed cum circa medium noctis, more solito, causa orationis surrexisset, dixit se dulcissimum canticum, cum quibusdam religiosis Fratribus eiusdem loci audiuisse. Et cum diligentius, quod hoc esset perscrutari voluisset, veraciter comprehendit, talem cantum, & talem ordinem Angelos tunc habuisse in illius Capellæ, pro qua ipse venerat consecratione, qualem adhuc Episcopi solent habere in Ecclesiarum dedicatione. Mane autẽ facto, & apparatis omnib. Episcopum tardantem & vsq; circa medium diem fere differentem, Capellam aggredientes, vt promissum inciperet officium deprecati sunt. Sed eum resistentem, & visionem exponentem acriter reprehenderunt, donec audita tandẽ voce aperta, Frater ecclesiã, diuinitus consecrata est: ter audierunt. Et tunc perterriti, rem prædictam gestam, veram & sanctam cognoscentes approbabant, Ecclesiam præfatam ex illa die cælitus consecratã veraciter affirmantes. Vnde prænominatus Episcopus, & dilectus Frater noster adiens limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli nostri, consuluit authoritatem. Si post hanc visam & certam veritatem, sibi vel post eũ alicui Episcoporũ, manũ liceret apponere. Nos ergo consultis venerabilib. viris Fratrib. & Coepiscopis nostris, Hattone scilicet Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Brunone Colon. Ecclesiæ Episcopo, Annone Vormatiensis Ecclesiæ Episcopo, Ottuino Hildensheimensis Ecclesiæ Episcopo, Okkon. Mimidonensis Ecclesiæ Episcopo, Erkenbaldo Argentinensis Ecclesiæ Episcopo, Vldarico Augustensis Ecclesiæ Episcopo, Hartberto Curiensis Ecclesiæ Episcopo, necnon Eggehardo Augiensi Abbate, & Burcardo Sancti Galli Abbate, & aliis quam pluribus, quorum consilio, nominatæ Capellæ consecrationem ratam esse confirmamus, & ne præsens Episcopus, vel aliquis successorum manum deinceps audeat admittere auctoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli, & prædictorum Fratrum & nostra sub anathemate inhibemus. Præterea, rogatu, & instinctu dilectissimi filij nostri Ottonis Imperatoris, qui non parum Cellam dilexerat, & Deo dilectæ uxoris eius Adelheidæ, nec non Fratrum prædictorum consilio, sub diuini iudicij obtestatione, & anathematis interdicto statuimus & præcipimus, vt si quicunq; homo potens, vel impotens spiritualis vel secularis, ausu temerario, contra hoc Apostolicæ auctoritatis priuilegium agere præsumpserit, aut præfatum Monasterium cum aliquib. pertinentiis eius, quæ vel in præsenti possidet, vel quæ Deo donante, in ius & Dominium eiusdem Ecclesiæ deuenspserint, cuiquam, nisi communi & seniori Fratrum Deo ibi famulantium consensu, & consilio concesserit, & Abbati, Fratrumq; suorum vsibus subtraxerit, ac aliquo modo de lecto suis quietis eos exactauerit, siue homines eius, vbicunq; locorum maneant, iniuriose & iniuste oppresserit, nisi resipuerit, & Deo primum, & post famulis suis satisfecerit, auctoritate Dei, & nostra, non solum anathematis vinculis innodetur, sed & à Regno Dei alienus existat: obseruatores autem Omnipotentis Dei gratia benedicat, & à cunctis peccatorum nexibus absoluat. Nos & consisi Omnipotentis Dei gratia, & Apostolorum Petri & Pauli, ac sacrosanctæ matris Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis auctoritate, cunctos prædictum locum conseſſi & contriti deuote visitantes, à culpa & à pœna reddimus absolutos.

Scriptum autẽ per manum Petri Notarij, & Scriniarij Sanctæ Romanæ Sedis, in mense Nouembrio, 4. Idus Nouembris Lectum 3. Idus Nouembris, assidente Domino Leone Papa in sede sua iuxta altare Sancti Petri, coram Domino Ottone Imperatore, filioq; eius Ottone, atq; Imperatrice Adelheide, & venerabilibus prædictis Fratribus, nec non multis aliis Principibus, tam Romanis, quam Teutonicis, & confirmatum per manum Domini Leonis Papæ huius nominis Octaui, in ordine autẽ CXXXVI. An. ab incarnatione Domini D. CCCC. LXIII. Indictione VII. Feliciter Amen.

Meminit huius facti eriam Hermannus Contractus *Eodem*, inquit, *anno Nongentesimo Sexagesimo quarto, Reg. Romæ commorante, cum cæteris Principibus, idem Papa Leo consecrationem Capellæ cælitus factam in Monasterio Sancti Meginardi, coram vinciibus, scriptũ confirmauit* Idem Contractus Angelicæ consecrationis meminit anno D.CCCC.XLVIII. *Capella*, ait, *in Cœnobio Sci Meginardi cælitus consecrata est XVIII. Kalend. Octob.* Martinus Polonus eiusdem meminit in Ottone I. *Eodem tẽpore*, inquit, *Capella S. Meginardi in prædicto cœnobio Heremitarum Constantiensis Diœcesis cælitus est consecrata, XVIII. Kalend. Octob. Sancto Cunrado Constantiensi Episcopo hoc testante.*

CLIV. *Quid ad salutem hæreticorũ procurãdã Ioan. Nider. Et quid hoc tempore in Germania & finitimis regionibus mirandi acciderit.*

Eugenius Pontifex, illo quod narrauimus priuilegio voluit locum ornare, propter augendam deuotionem populi, qui ibi multus confluebat excitatus per ingentia miracula ad consolationem piorum & ad confusionem impiorũ patrata. Quid ad pro urandam salutem hæreticorum, Ioanni Niderio Basileensium nuncio vadẽti euenerit, quidue hoc tempore in Germania, & finitimis regionibus mirandi acciderit, luber ex eodem scribente producere. Illud narrat. *li. 3. c. 12. Fornicary.*

Cum, *inquit*, de Mesis Bohemiæ à ciuitate egressi venissemus, vbi ex parte Basileensis Concilii, hæreticis audientiã sibi dari, si venirent promisimus, venimus in comitatu Domini Frederici Marchionis Brandeburgensis, in oppidum suum quod Culmach dicitur, super quo castrum inexpugnabile in alto iacet, in monticulo, dictum Plassenberg. ibi nimirum tale narrante nobis Marchione paulo ante euenerat. Intrauerant hæretici territorium idem cum tanta potentia cui nullus resistere valuit, & oppidum prædictum

Iconoclasta à Iudæo bombarda occisus.

statim obtinuerunt. Fugerant igitur de omnibus locis adiacentibus, & de ipso oppido ad castrum gratia præsidij. Monachi & Clerici, Moniales, & Iudæi, & vulgus magnum. Interea armigeri qui erant in castro, dietim certo tempore castrum exeuntes cum balistis & bombardis manualibus, per decliuum montis descendebant supra oppidum, in perfidos iacula pro posse iacientes, & vice reciproca idem ab hæreticis expectantes. Quadam igitur die cum nostri more solito à castro descenderent, quendam Iudæum secum habuerunt, in manualibus bombardis satis exercitatum. Videntes nostros hæreticí, statim ad Ecclesiã oppidi cucurrerunt, & imaginẽ Christi in monte Olueti orantis, qui ibi effigiatus erat in lapide vel coctis lateribus, de Ecclesia ad plateã, vt nostri cõspicerent iniuriã, traxerunt. Aliquis ex perfidis audacior, ad eandẽ protensas manus in oratione habentẽ propius accessit, & educto gladio, ad nostros alta voce deridorie clamauit; *Ecce*, inquit, *Deus vester, si placet, liberet se.* Et ita illico caput imagini detruncauit. Quo viso Iudæus, bombardam suam ad iactum disposuit, & ad Christianos ait: Quanquam alterius sim Fidei à vobis, tamẽ pro posse Fidem vestram defendam. Ignem ergo machinæ admouit, & primo ictu, omnibus mirantibus perfidum iconoclastam occidit. Fecit Deus vindictam in perfido, ad defendendum honorem & cultum imaginum quas alibi alias aliis ostentis illustrabat.

Arbor pomifera mirabilis.

In Basileensi (*persequitur narrare idem Nider lib. 4. cap. 6.*) Concilio à viro valde fide digno Archidiacono Barchinonensi Domino Ioanne de Polomar Decretorum Doctore egregio audiui pridie, multorum, inquit, mercatorum relatione didici fide digna, qui in Regno Granatensi fuerunt inter Saracenos, ibidem se vidisse arborem pomiferam, cuius fructus qualitercunque incidatur, semper in parte incisa imago Crucifixi claro elucet aspectu.

Lapis pretiosus mirabilis.

In nostra Theutonia Marchio Badensis habet hodie lapidem pretiosum, & visu pulchrum, qui in quacumq; parte inspicitur, cuiq; Christi Crucifixi imaginem distincte in se ostendit, qui immunditiã menstruatæ adeo fugit, vt à tali visus, statim tetra caligine in parte obducitur, quæ tamen successiue, & succedentibus annis paulatim de se abscedit. Repertus autem fuit in quodam agro à rurali viro ante non multos annos primitus, & ab eodem pro modico redemptus pretio, sed pro nunc inter suprema clenodia dicti Marchionis reputatur.

Alij mirabiles lapides in quodam fonte.

Præterea cum sententias in Vniuersitate Viennensi legi, venit illuc filius Regis Portugalliæ Dñus Petrus, cum exercitu nõ minimo, iter arreppturus (vt dicebatur) in terrã sanctam. Ab huius igitur militis prudentis & deuoti ore audiui, suo tempore in terra Saracenorũ circa Septam ciuitatem, (quam pater suus cæperat paulo ante in Saracenia) in fonte quodam repertos esse lapides varios, quibus, vt videbatur, naturaliter insita erant nomina noſtræ Fidei, & Incarnationis Christi, licet sparsim. Nam in quibusdam literis *Aue Maria*, in aliis, *Gratia plena*, in quibusdam, *Dominus tecum*, & ita de Christi Dei Incarnatione similia plura claro legebantur intuitu. Faciebat istud prodigij Deus, (vt in Concilio Constantiensi, à quodam Professore Theologiæ & artium, valde deuoto percepi) in loco rudis & simplicis populi, vt exinde, quemadmodũ & ex arbore quadam nocte sola Natiuitatis Dominicæ poma germinante, oculis hominum proposita facilius manuducerentur, ad facilius & deuotius credendum articulos Christi Natiuitatis & humanitatis. Quæ autem, & vbi ea arbor fuerit, narrabat idem Nider.

De quadã pomo in hyeme & folum in nocte natiuitatis poma ferẽte.

Sunt vix duodecim anni elapsi, quod non multum à Ciuitate Nurembergensi in diœcesi Bambergensi, pomus creuit in loco campestri & communi, quæ multis annis, vt sequitur, in vigore permansit. Hæc autem arbor super omnia quæ nostris audiuimus temporibus, mirabilis conditionis extitit. Nam in æstatis principio, in vere videlicet, floruit, fronduit, & versus autumnũ more aliarum arborum poma fructificauit. Porro annuatim, in austerrima & inclementissima hyeme, semper, & solum in Natiuitate Christi, quando virgo virginum, saluo integritatis flore Dei genuit filiũ, pomella virentia in quantitate artus vnius virilis digiti prodnxit. Est autem pro tunc patria ad duos menses aurea, & post ad rotidem, & esse solet niuibus profundis tecta, cõgelationibus clausa, & ventis rigidissimis perflata, & in commoda eadem omnia frutecta vna cum arboribus patiuntur eodem tempore. Stupore autem augebat prodigij, quod nec antea, nec postea, sed duntaxat præfata nocte sanctissima pomella germinata sunt. Non enim sicut arbores hortenses cæreræ timo nutriebatur, non circumfodiebatur sarculo, nec sæpi circumdabatur aliqua. Solebant præterea tempore annuo de ciuitate Nurembergensi, & adiacentibus locis diœcesis Bambergensis plures præfatorũ fide dignissimi testes accurrere, & tota nocte vigilare, vt rei veritatem comprobarent. Vidi ego præsentari ad videndum in oppido Forchem dictæ diœcesis eiusdem pomi pomellum Magistro Ordinis nostri Generali Bartholomæo Texerij. Fuerunt præterea tempore Constantiensis Cõcilij in eodem plures viri fide digni, præsertim Dominus Episcopus Rigensis Doctor diuini & humani iuris reputatissimus, qui testes huiusmodi prodigij existentes, multos hæc credere fecerunt, qui antea fidem de eo negabant penitus. Idem me præsente propositũ est pari modo in loco Basileensis Concilij corã multis Doctoribus sacræ paginæ, & iuris Canonici, ac artistis & Philosophis ne cab aliquo audiui qui mere naturali hoc posset operi rationabiliter attribuere. Legi propterea in libro de vegetabilibus & plantis, Dominum *Albertum, naturæ totius Secretarium*, in quo nihil huiusmodi causæ potui inuenire.

CLV. *De abominanda quæ hæresi & hypocrisi enormi in Suenia.*

Ostensum istud patratum fuit, ad probandam Virginitatem Diuæ Dei parentis, quam hac tempestate hæretici, aut verbis blasphemabant, aut factis abominandis impugnabãt, Currit namq; hodie, (*pergit narrare idem Nider, lib. 3. c. 5.*) atq; serpit in partibus Sueuiæ inter quasdã personas vtriusq; sexus seculares & Ecclesiasticas, religiosos & religiosas hæresis, & hypocrisis tam enormis, vt eam ad plenũ, ne aures audientium maculem exprimere non audeam. Nam sibi licere asserit mentiri ad placitũ, pacta nulla seruare, occidere etiam innocentissimũ, & si pater foret aut mater. Nunquã ieiunat, nisi vt in cibo non deprehendatur ab aliis, lacticinia & carnes cum ouis comedit Quadragesimali tempore; vbi potest occulte laborat in festiuitatibus Ecclesiæ, otio vacat diebus aliis, cerimonias omnes Ecclesiæ, velut essent opera animalium hominum, non spiritualium, spernit corde tenus, & quæ deterius est, virginitatis decus, abstinentias, vestimentorum & stratus duritiem, superstitiones corporales esse affirmat, & eisdem resignare docet. Solam perfectionem & virturem esse affirmant in contemplatione quadam altissima spiritus, qui carnem & ossa non habet, cum tamen ipsi, prout scio, non modo carnaliter, sed bestialissime viuant. Nam ad tantum perfectionis apicem se venisse gloriantur, vt nihil eis pro peccato imputari valeat. Vnde Summo Pontifici, pro minimo ducunt, si quando non obediunt, vel aliis Pastoribus Ecclesiæ sanctæ. Insuper in feruore congressus maris cum fœmina, vbi etiam secundũ Ethnicos ratio absorbetur, & homo bestiæ assimilatur, supremam contemplationẽ & raptum excellentissimum dicunt consistere, ob quam causam sibi mutuo ad nutum in his obtemperant quando libet. In quam sectam, heu, multos occulte de numero nobilium & ignobilium, de virginibus & viduis traxerunt miserabiliter. Reperi in libro Manuali, quem pro sua persona, per totum Dominus Albertus manu conscripsit propria, se eadem annotasse, videlicet, quod suo tempore in Colonia fuit eadem hæresis, vnde puncta supradicta, ac articulos plures quam hic notauerim, manu propria præfatus conscripsit Dominus, quod prætermisi, quia reuera tam sunt blasphemi, & subuertentes omnem rempublicam, & statum Ecclesiæ totius, vt calamo eos manifestare erubescam. nec in nequitia pares vidi in libris Augustini, Isidori, aut Guidonis, quorum quemlibet constat tarissime scripsisse de diuersis hæresibus. Antiqua est igitur hæc pestis origine, rendens ad libertatis spiritum. Si vero de vestitu quæris, habitu, scias, vniformi non vtuntur, sed quantumcunque pretioso & dissoluto, aliquando se tegunt, aliquando vero plurimum vili, vtrumque pro loco & tempore, vt prodantur nullatenus. Nam eo ipso quo se credunt impeccabiles, sine omni tempore licitum putant omnem habitum, quem vt larcant crebro variant, alioquin proderentur cirius. Cum simul sunt, si verba scire placet eorum, nonnunquam vtuntur verbis ad inuicem amatoriis, meretriciis, lenonum morem gerentes. Si vero conuiuunt aliis, vltra quam credi valet verbis vtun-

Eadem hæresis fuit Colonie.

Theutonicales libri sermonum subtilium.

tur subtilibus, comptis, sublimibus, spiritualibus, & metaphysicalibus, quantum sustinere potest lingua Theutonica, adeo vt eos vix aliquis intelligere possit etiam litteratus, quibus involuunt, de spiritu, de abstractione, de luminibus variis, de personis diuinis, & de contemplationum gradibus altas sententias. Vnde quidam libri Teutonicales sermonum subtilium, eorum malitiæ satis deseruire videntur, qui de talibus loquuntur vocabulis, quos quidam, nisi fallar, fatue vel periculose, aut scripserunt, aut scribi permiserunt, aut saltem ab aliquibus Beghardis, vel hæreticis, qui certis, honestis, & antiquis Religionum Doctoribus sicte adscripti esse videntur. Sub prædictis igitur verbis virus suæ pravitatis abscondant, & suæ malignitatis hæreticæ venenum propinant. Hi pro pede sui erroris in suum reprobum retorquent sensum auctoritates illas Apostoli; *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*, ad Galat. 5. non aduertentes quod statim subditur; *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, quibus hi pleni sunt. Deinde pro se allegant illud ibidem; *Vos in libertatem vocati estis fratres.* non attendentes quod subditur, *ne libertatem, in occasionem detis carnis.* Et ita ad necandum simplices verbis ornatis vruntur, toxicum mortis ibi propinatur; exercitia corporalia pro eos vilipenduntur, ad meditandum nescio de quo spiritu afficiuntur, & ad opera carnis tandem omnes eorum discipuli deuoluuntur, licet sicut tigrides plenæ virtutibus specierenus tantummodo esse videantur, *& cap. 6.*

CLVI. *De quodã sæculari sacerdote honesto exteriùs sed interius in his quæ ad fidem corruptissimo & eius impietatibus.*

Noui aliquando virginem diuitem, & non minimi status, omnium vicinorum iudicio & meo, deuotam valde & castam, quæ Confessorẽ quendã Religiosum habuit multa prudentia & probitate pollentem, cui obediebat lõgo tempore. Vocata est tandem ad quarundam fœminarum nomine deuotarum domunculam, quam quidam, vt videbatur multum honestus sacerdos secularis intrare solebat, sed reuera corruptus fuerat in his quæ ad veram Fidem pertinent. Deinde cæpit quibusdam ex eis ad partem sumptis, doctrinas speciales tradere de patientia, obedientia, & de arte contemplandi quædam arduissima subtexere. Finxit miser se easdem videre ad diuina magis dispositas. Et in hoc sexum inanis gloriæ maxime cupidum decepit amplius, inter quas præfata virgo fuit principalior. Delirare tandem cæpit, vel verius malignati Sacerdos præfatus, quousque persuasit omni verecundiæ esse abrenunciandum fœminis, quemadmodum Christus nudus pro nobis, *vt ait*, in Cruce pendendo fecit: & nisi ista fierent, perfectionis apicem à nullo attingi posse affirmabat. Exinde autem de sexu fragili quædam deuenerunt in tantam stultitiam, vt se clam coram Clericis in hoc complicibus passim denudarent, sine carnali commixtione. Tandem postremo persuasit, vt Eucharistiæ Sacramentum diuinissimum, quod semel in die Sacerdos vix dignus est sumere, quemadmodum vnica vice vnica die Christus se patri in ara Crucis obtulit, id multotiens à fœminis sumeretur, eo quod gratia Sacramentalis qualibet communione, vt aiebat, augeretur, non aduertens id esse contra generalem consuetudinem totius Ecclesiæ. Exinde factum est, vt aliquando in loco secreto tres fœminæ nudæ totaliter, flectentes genua coram prædicto perfido, Eucharistiæ Sacramentum reciperent, eadem hora & die vltra quinquagesies. Coniacebant interea viri talibus complices, clerici scilicet seculares cum fœminis, & nonnunquam multi cum multis vno in lecto, nec ad lapsum carnis, vt fatebantur, procedebant, sed vt passiones Veneris funditus abnegarent, se in seipsis mutuo continebant, sed verius inficiebant. Inter quos continentes iste Sacerdos, principalis perfectionis esse dicebatur. Adducebãtur etiam aliquando clanculo de distantibus religiosarum domibus ad dictam officinam lutosam & porcinam aliæ famosæ in bonis fœminæ, quæ indulgentias dæmonum, quas præmisimus, vt domestice acquisierunt. Nam principales actores huius nequitiæ, disponente Deo, postremo capti, hæresim publice coacti sunt reuocare. Quantum conijcere potui, non video quin plures maiora ibi crimina perfecerunt, quam si operi carnali simpliciter institissent. Credo insuper quosdam ex eis qui principales in perfidia fuerunt, dæmonis opere protunc maleficiatos esse, ne monerentur ad naturales & plenos actus incontinentiæ, vt exinde cæcati se passioni eidem crederent, & aliis persuaderent penitus se mortuos esse. Facillimum est enim dæmonibus infrigidare, vbi Deus permiserit. Adamiani hæretici dudum descripti à veteribus Doctoribus Ecclesiæ, sacrificia & orationes nude esse offerendas Deo, vt isti suis fieri persuaserunt; & ex talium radice verisimiliter isti & istæ pullulauerunt. Virginem tamen de qua retuli firmiter credo florem suæ pudicitiæ in bello tali, Deo mirabiliter protegente, retinuisse. Nam hæresiarcham ante fatum corde diligere nunquam potuit, sed omni tempore horrorem quendam de eo intra se sensit, qui affectum eius ad perfidiam amaricauit. Curiositas autem & desiderium acquirendæ perfectionis sibi à principio præmissæ, eam in vesana societate & communione Eucharistiæ promissis cæcauerant, & diu retinuerant; à quibus tamen totaliter recessit, & ista mihi patefecit.

CLVII. *De quodã alio eiusdẽ sectæ perdito & eius peruersa doctrina.*

Est quidã de eadem secta perdita, qui hodie vt rigridis se ostendat, & bonos lateat, nunc seculares, nunc Regulares, modo rusticorũ, modo vero nobilium vestimẽta defert, qui aliquãdo Beghardus fuit, seu Lolhardus. Hic in eodem statu & habitu librorũ subtilissimorũ in nostro vulgari, vt vereor, periculose conscriptorum, stilum & modũ loquendi comprissimum, & altissimum didicit, sed vbi nescio, ac quando primum infectus fuit hæresi pernicios issima antedicta, cuius practica hæc est, & fuit, ad acquirendum discipulos atq; discipulas. Nam primo sub specie deuoti fratricelli domum aliquarum deuotarum mulierculam explorat, quam intrando aliquotiens priuatim verbum Dei ornatissimis verbis seminat, de alta perfectione & contemplationis gradibus differendo. Cui postq̃ data est crebra audientia, incipit cõtra exercitia corporalia, videlicet, ieiunia, abstinentias, orationes vocales, & similia inuehere, exponendo quomodo ea imperfectorum sint propria, & necessario dimittenda ab eo qui perfectam vitam cupit apprehendere. Ceremonias Ecclesiæ quascumque, vt de festiuitatibus, de audientia multa missarum, & diuini officij, imo prædicationum, pœne nullam existimationem dicit esse habendam, sed quieti corporis & contemplationi iubet pro viribus insistere, & per similia sexum fœmineum faciliter per verba pulchra solet mulcere ad suum fauorem. Interea studet, non multas, sed vnam præsertim prouectæ ætatis aliqualiter, & maiori auctoritate inter eas fulgentem, vel paucas alias eligere, quibus aliquotiens ad partem facit exhortationes specialiores, vt virus suum eisdem passim infundat. Vbicumque autem quicquam de sacræ scripturæ passibus sibi per simplices verisimiliter potest obiici, illud soluit, ad suam sectam sensum retorquendo. Postremo, secundum quod obedientiam maiorem incuetur in his quæ inescatæ hamo perfidiæ proximiores sunt, vnam eligit, cum qua extra testimonium oculorum loquitur secrete, & ne turbentur aliæ, neue quis alienus superueniat, custos loci ponitur. His opportunitatibus captam, & allectam clarius inficit, dicendo, quod corporis integritas & castitas ceremonia quædam, & exercitium corporale est, non mentis vera perfectio; quod oportet indifferentem se facere, & procul ab omni passione verecundiæ, & timoris, & quod propriam voluntatem opus est in omnibus abnegare, etiam nude viro coniacendo, si iuberur, tueri vero castimoniam corporis vocat propriæ voluntatis vsum. Huic perfidæ doctrinæ postquam misera crediderit, audet hæreticus, aut maleficiatus à dæmone, aut aliunde satur libidine, pluribus virgini coniacere noctibus in nullo eam violando, sed ausu dato diutino, tandem eripit thesaurum irrecuperabilem, hora qua minime credit; delinitque postmodum verbis mendacibus si prædicta mœsta fuerit, ita vt deinceps oneratam peccatis obedire faciat ad placitum omni eam de sua secta poscenti, præsertim cum ad locum vocata fuerit, vbi omnes & soli de vna professione existunt. Solent enim eligere quædam loca inopinatiora malis, vt leprosiora, vel domos sequestratas ab hominibus, & quas mutatis prius propriis vestibus ne intrando agnoscantur, conuenire consueuerunt. Districtum scio, vbi virgo quædam (si bene memor sum) prope sexagenaria primo florem perdidit pudicitiæ in tali consilio malignantium, nec vllatenus sibi finit persuadere, præfata perfidias esse, & pertinax in secta sua vsq; modo perseuerat. Noctibus namque Venereis, & in epulationibus, quas faciũt vbi possunt splendidis, dicuntur opere dæmonis quasdam reuelationes raras habere, quibus illecti tales, velut boni spiritus illuminationibus multæ inpersuasibiliter adhærent. Noui aliam quæ circa trigesimũ suæ ætatis annum defloratam per prædictum lupum fuit, & delusa tempore plurimo, licet immanitas quam detestabatur vitiorum, cum Christi gratia eam compunxerit ad vere pœnitendum, *& cap. 7.*

CLVIII. *De quadã muliere tempore Ratisbon. Conc. multis erroribus à dæmone infectæ sed postmodum resipiscente.*

Audi etiam quid acciderit cuidam fœminæ, quam tempore præsentis Basileensis Concilij vidi in ciuitate Ratisponensi, & iuuabam inquirere. Fuit virgo hæc soluta, nec virũ aliquando habuit, nec de incontinentia fuit suspecta, sed de ciuitate in ciuitatem, & de domo in domum fæpe mutauerat loca, hæc continuando plurimis annis. In anno autem ætatis suæ fere 53. Ratisponam venit, ac ibidem verba quædam satis incauta, quoad fidei normam emisit, propter quod coram Vicario Ratisponensis Episcopi accusata, ab eodem carcerali custodiæ mancipata est. Superuenit interea in negotio Bohemorum missus à præfato generali Concilio Dominus Ioannes de Polomar Barchinonensis Archidiaconus, vir omni deuotione plenus, & tam in diuino quam in humano iure apprime eruditus, cuius ego tunc itineris eiusdẽ socius & collega extiti. Vocati igitur fumus ad dictæ fœminæ examen, in quo dierim probata, inuenta est errasse multipliciter, nec tamen læsa esse videbatur in cerebro ad rationis defectum; quia ad singula sibi obiecta valde astute respondit, & inquisitis ab ea, valde mature, ne sibi contradiceretur, cauere studuit. Se enim Dei spiritum, seu reuelationes diuinas habuisse dixit, se obedire Papæ, in his quæ male disposuisset renuit, se esse beatiorem Principibus Apostolorum dum in via fuerunt, affirmauit, se inobliquabilem, seu impeccabilem esse credidit, & tandem matrẽ totius Christi Ecclesiæ, quæ in Basileensi Concilio repræsentabatur, se esse, verbo, & signis capitis sui constanter conclusit. Nitebantur propterea multi qui præsentes fuerunt, & ego, verbis persuasoriis ex sacta pagina, vt proteruam à fœmineo erueremus capite, sed profectus ibi fuit nullus. Dixit enim voce audaci, se scire quod in præfatis nullatenus erraret, sed potius sui examinatores: & ita se ad subintrandum ignem, pro veritate sua paratam ostendebat. His visis, Archidiaconus qui supra, ad Doctores tam Theologiæ, quam aliarum facultarum, quorum multi præsentes erant, ait. Videbitis, ait, quod sola vexatio dabit intellectum. Vnde ne cesse est, vt per iustitiæ publicæ quæstiones ad chordas trahatur, lente aliqualiter, prout sexus iste sufferre poterit. Vos autem (ait secreto ad me, & ad mei ordinis socij quendam Lectorem multum deuotum & litteratum) in istius fœminæ prospectu ostendatis, nolle interesse eius torturæ, nec si placet interfitis, vt erga vos beneuola ipsa amplius permaneat, & ita per torturam humiliatam; magis postmodũ idonei eritis ad conuertendum ipsam. Fecimus, & factum est per omnia, vt præmittitur. Et quæsitum est ab ea dum torqueretur, à quo errores suos, &, an aliquam discipulam, vel huiusmodi erroris conscium haberet: quia in his nunquam, nisi negatiuam prius dederat, videlicet, quod à nullo homine errores suos didicisset, nec quemquã docuisset, sed apud se tacite illa credidisse fatebatur, Angelo, vel spiritu Dei docente, vt ipsa inquit. Torta igitur parumper, nihil noui præteritis addidit, nec quemquã fatebatur hominem reum esse nisi se, constanter alleruit. Et credo verum dixit, sed satis humiliata est astuum suorum vexatione, vnde in turrim captiuitatis reductam, eadem die ad vesperam visitauimus ego & socius meus ad iussum Domini Archidiaconi miseram præ doloribus se mouere vix potentem. Visis autem nobis valde eiulare cæpit, & fidenter causari quam grauiter læsa esset. Nos vero humiliatam eam esse considerantes, & eam iam videntes præsumere de nobis, variis historiis ei ostendimus, quomodo multi insignes viri & litterati, reuelationibus incautis decepti fuissent, & per angelum Sathanæ seducti, & quam fragilis esset sexus fœmineus, non adiutus sacræ scripturæ testimonio, multipliciter pertinasimus. Tunc per Christi gratiam ipsa resipiscere cœpit, & promittere, quod in omnibus me sequi vellet, & socium. Credidit igitur se deceptam esse ac mihi, vt purgaretur animus, confessioné Sacramentalem fecit de omnibus à iuuenture sua commissis spontaneã, seq; ad publice reuocandũ errorem, & ad pœnitendum exhibuit. Et ita tertia die postea coram Ciuitate Ratisponensi, multis præ gaudio & misericordia flentibus, præmissa omnia ad effectũ perduxit. Nunquam postmodũ comperũ fuit, à quo errores didicerit, sed creditũ est, q̃ solum magnũ spiritum deceptorẽ habuit, quem instinctu interiori pro Angelo lucis in reuelationibus falsis susceperat, nec cuiquam experto vel litterato viro hæc, an à Deo essent ad examinandũ se exhibuerat, neq; diuinum adiutoriũ sufficienter contra erroris spiritum inuocauerat, nec insuper acquisita scientia, aut per sacræ scripturæ rudimenta se iuuare poterat. Vnde nihil mirum, si de proprio confisa ingenio decipi tam graniter meruit, de se præsumendo.

Quantum ad falsas reuelationes, vel visiones, quibus sæpe sæpius mulieres deuotiores seducuntur, & sedueunt, fuit hac tempestate non modica seges talium deceptarum, & alios decipientium fœminarum. Narrat idem *Nider, lib. 3. c. 8.*

CLIX. *De falsis reuelationibus vel visionib. quibus sæpe mulieres deuotiores seducuntur.*

Fuit paulo ante hoc Basileensẽ Concilium in Ciuitate Friburgensi Constantiensis diœcesis, in Monasterio sanctæ Claræ virgo quædam iuuenis professa, & hodie viuit, Magdalena nomine. Hæc in raptibus & extaticis visionibus, ac à sensu alienationibus apud totam adiacentem patriam famam acquisiuit pergrandem. Rapta enim aliquando fuit, vt dicebatur) in corpore & anima, vel eisdem se ab hominum conspectu latenter subtraxit circiter tribus diebus, intra quos quæsita per omnes Monasterij angulos, nullibi reperta esse dicitur. Sed tertia die qua inuẽta est, venit quædam schedula in medio chori, quasi de cœlo submissa, in qua continebatur, quatenus Sorores omnia temporalia ad præscriptum sanctorum Patrum seruare in communitate inciperent, & continuarent, alioquin diuina vltio sequeretur, quo territę complures, propria abiiciebant, & deuotius Deo seruire moliebantur. Cum igitur fama Magdalenæ diuulgaretur in lõgius, & sibi sorores velut Dei Prophetissæ in cunctis crederent, nescio quo ducta spiritu, longe ante festum Natiuitatis Christi prædicere cæpit assertiue, se certa die (quam expressit) singulariter circa festum Epiphaniæ morituram corporaliter, & ab hoc seculo migraturam. Quod fœmineus sibi sexus velut nouæ Prophetissæ credidit, & in funeralibus præparamentis ad nutum obediuit. Iussit enim ipsa Magdalena sibi præparari nouum & depictum, in quo sepeliretur de asseribus sarcophagum, candelarum post eius decessum accendendarum sufficientiam, & similia funeralia. Hæc noua statim ad omnes adiacentes volabant regiones per diœceses tres, Constantiensem, Argentinensem & Basileensem. Credidetunt antedicto vaticinio statim plurimi, de vtroque sexu, plus tamen de fœmineo, qui leuis est cordis; alij vero quid futurum esset dubitabant. Appropinquante autem die statura, in magna multitudine venerunt de prædictis regionibus in curribus & equis, & pedibus, nobiles rustici, clerici, monachi, seculares & Ecclesiastici nõ pauci euentũ rei intueri cupientes Hæc vt audiui satis miratus sum, & vt certionarer de gerendis, de Basileensi Conuentu, vbi etiam ad vnam dietam solum distabam, virum fide dignum & deuotum Procuratorẽ nostri Conuentus Fratrem Ioannem ad Friburgum direxi, sibiq; commisi, vt spectaculo pro posse adesset, & quid gereretur mihi postmodum denũciaret, quod & fecit. Aduenientе itaque die qua Prophetissa hæc de seculo migraturam se prædixerat, prudentes viri seculares de Ciuitatis Consulatu, vt certitudo facti non fucaretur, & si qua fictio adesset notaretur, deputauerant testes idoneos, & Magistrũ Paulum in Medicina suum Physicum, qui in pulsu prædictæ notaret Sororis moriturae vitam adesse vel abesse. Astantibus igitur Sororibus omnibus mane inchoato, & dictis viris, & multis aliis maturis Ecclesiasticis & Regularibus, plebeiis vero extra in Ecclesia tantum prodigium expectantibus, venit Soror Magdalena, caput suum in gremium cuiusdam Sororis inclinauit, extemplo satis se raptam in extasi vere vel ficte ostendit, & ita satis immobilis aliquamdiu iacuit. Cumq; quædam ambigerent, an mortua foret, vel viua, medicus publice pulsum eius tangens vitam adesse dixit. Tandem vocẽ quandã, nullatenus vt antea virgineam, sed grossam satis emisit dicens, *Ad Sarcophagum.* Sed cum populus in Ecclesia, & viri in choro nulla certa mortis indicia in Magdalena ista conspicerent, & cum impatientia diu satis expectassent, ipsa

Magdalena quædã ordin. S. Clarę professa in raptibus & extaticis visionibus ac à sensu alienationibus apud totam patriam famam pergrandem acquisiuerat sed quid postea contigerit.

Vaticinium eius de sua morte redditur falsum.

randem publice surrexit, & cibum corporis postulauit; nec mors affuisse approbata est. Deridere cœperunt se multi tunc mutuo in spectaculo populi, & subsannare in seipsis intorum cordium leuitatem. Alij raptum mortem fuisse interpretabantur: reliqui vero quibus confutio maior adscribi poterat, tergiuersationes facti plurimas aduexerunt. Tantæ autem humiliationis opus confusio ista egit, vt interim, non sicut antea, hæc Magdalena se prophetissam ostendat.

CLX. *Quid de dictæ mulierculæ prædicto vaticinio censendum, an à Deo an à dæmone an à natura, an ab arte fingente talia.*

Multi inquirebant, quid censere deberent de præfato vaticinio eius mulierculæ, num à Deo fuisset, vel à dæmone, vel à natura, vel ab arte fingente talia. His Nider respondebat, sententiam non præcipito, virgo tamen, vt credo, à iuuenture per matrem (cuius notitiam bonam habui) ad timendum Deum nutrita est. Audiui quod in Monasterio se caste & deuote similiter gesserit. Satis insuper conicio, quod à natura, sicut & mater, imaginationem abstractissimam faciliter à corporalibus habuit. Anima enim vnius dominium habet in corpus suum, quod alteri esset impossibile, vt *Beatus Augustinus lib. 14. de ciuitate Dei probat cap. 24.* vbi sic dicit: *Hominum quorundam naturas nouimus multum ceteris dispares, & in ipsa raritate mirabiles. Nonnulli, vt volunt, de corpore fingunt, quæ alij nullo modo possunt, & audita vix credunt. Sunt enim qui & aures mouent, vel singulas, vel ambas simul. Sunt qui totã Cæsariem capite immoto in aperto quantũ capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocantq; cum volunt. Sunt qui eorum quæ deuorauerunt incredibiliter plurima & varia, paululum præcordiis contractis, tanquam de sæculo quod placuerit integerrimũ proferunt. Et quidam voces auium, pecorumque, & aliorũ quorumlibet hominum sic imitantur, vt nisi videantur discerni omnino non possint. Nonnulli ab imo sine pudoreita numerosos pro arbitrio sonitus edunt, vt ex illa etiam parte cantare videantur. Ipse sum expertus, fudare hominem cum vellet. Notum est quosdam flere cum volunt, atq; vbertim lachrymas fundere. Iam illud est multis incredibilius, quod pterig, fratres memoria recentissima experti sunt. Presbyter fuit quidam Restitutus nomine, in parochia Calamensis Ecclesiæ, quando ei placebat (cogebatur autem vt hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coram scire cupiebant) ad imitationem quasi lamentatiõis cuiuslibet hominis voces, ita se auferebat à sensibus, & iacebat similimus mortuo, vt non solum vellicantes atq; pungentes minime sentiret, sed etiam aliquando igne vreretur admoto, sine vllo dolor is sensu, nisi postmodum ex vulnere. Non autem obnitendo, sed non sentiendo mouere corpus, eo comprobabatur, quod tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus, hominum tamen voces, si clarius loquerentur, tanquam de longinquo se audisse postea referebat.* Hæc Augustinus.

Tales igitur qui se à corporeis sensibus faciliter à natura possunt alienare, mira in conspectu aliorum, aut propria industria, aut dæmonum versutia, aut bonorum Angelorum ministerio possunt efficere. An autem in his quæ de dicta Magdalena retuli, diuinum aliquod in præcedentibus dictis extasibus fuerit, Deo committo. Vnũ scio, quod instinctus bonorum spirituum veri sunt; falsi autem, à malis immittuntur spiritibus, vel à phantasiis ascendunt corporeis, quibus multi decipiuntur, in variis visionibus. Mori, & non mori, contrariantur. Scimus etiam, vbi verbis facta non concordant, ibi deceptionem adesse. Vnde multum videtur verisimile prædictam puellam esse deceptam cum sibi credentibus, vt etiam indifferenter graues viri autumant, qui spectaculo interfuerunt. Nec Ionam quis quærat adducere, & Nathan, pro prædicta virgine testem in contrarium, quia & si ex magno vsu prophetandi, Dei prophetæ nonnunquam suo spiritu aliter prædixerint, quam rei veritas se haberet, tamen tales (vt Beatus Gregorius *homil. 1. sub finem*, super Ezechielis principium, per historiam de Dauid & Nathan probat) statim errorem suum corrigunt, antequam prædicta à se humano spiritu, veniant ad effectum. Ista autem de qua mentionem fecimus, prædixit se protertia die mori corporaliter, mortua non est, quia octo anni iam præterierunt, & adhuc est in humanis: nec à quoquam audiui, quod se deceptam esse fateretur. Bonum ergo esset mulierculis, in suis assertis visionibus, autem credulam non cito præbere, quod, quia multi Religiosi & Clerici aduertere omittunt, idcirco aliquoties coram prudentibus viris ad ruborem extremum ponuntur.

Mater dictæ puellæ

Mater istius virginis (prout mihi conflat) valde alia via Deo seruiendi, tam in medio seculi constituta, quam in Monasterio nostri Ordinis professa, humiliter incessit. Fuit enim viduata viro satis iuuenis, & apta secũdis, quas sprecuerat, nuptiis, operibus misericordiæ in hospicalibus, licet satis diues esset, velut ancilla, longo tempore se mancipauit, & inter hæc omnia, vitam contemplatiuam, super omnes quas fere vidi viduas, deuotius duxit. Instinctibus variis, quos multipliciter habuit, nisi ad litterarorum ponerentur examen, non faciliter credidit, sed an ex Deo essent probauit. Post copiam vero diuitiarum spiritualium, quas in vira vsque ad ætatis suæ circiter quadragesimum annum coacernauerat, Monasterium iam in prouecta ætate (quia reformarum erat) in Subtilia videlicet, in ciuitate Columbarum intrauit. Inde ibidem professa, ex obedientia mera, ad reformandam in Basilea ad Lapides, cum aliis, nostras sorores reformare iuuit, vbi, sicut antea, frequenter in suis deuotionibus alienata sensibus corporeis, sincero corde Christo sine sui ostentatione vacare studuit. Et quia quodam tempore, plus & frequentius inspiraram se esse putabat ad communicandum, quam reliquæ sorores in consuetudine habuerunt, renuente hoc & improbante suo Confessore discreto, statim humiliatis spiritu se errasse confitebatur. In his si filia (quæ satis iuuenis erat, quando Propheram se esse dixit) imitata fuisset matris humilitatem & taciturnitatem, tutius puto, & cum minori confusione sui suorumque ambulasset.

aliæ viæ Deo seruiendi incessit.

CLXI. *Alia Begutta in Polonia similiter confusa.*

Audiui præterea in loco Basileensis Concilij, à venerabili Magistro Petro nostri ordinis sacræ Theologiæ Professore, Inquisitore Prouinciæ Poloniæ, quod in sua Prouincia, quędam Begutta, fere per omnia sicut supradicta Magdalena, mortem suam ad certam diem prædixit, qua nullatenus eueniente, non minorem quam præfata Magdalena confusionem pro laude à cunctis reportauit, *&c. 11.*

CLXII. *De quadã prope Constantiam in Cellis reclusa magnæ famæ quæ multa sanctitate pollere dicebatur sed postea fictrix & deceptrix inuenta est.*

Grauius est, quod subiungit. Fuit paulo ante tempus Cõstantiensis Concilij, prope Constantiam in Cellis oppido quædã recluſa magnæ famæ, contemplatrix alta, quæ multa dicebatur sanctitate pollere, sed ab his qui nullatenus probare norunt spiritus, an ex Deo sint. Ad hanc velut ad matrẽ, de Cõstantiensi Clero seculari, plures & deuotiores Sacerdotes, & in vicinia similes, refugiũ diuinæ consolationis habere famabantur, quorũ quosdam satis noui, erant enim quidam ex eis non minimi status viri. Ostenderat autem se prædicta fœmina sæpenumero iacere veluti in extasi, & in raptu extatico, à quo reuersa, & expergiscens, secreta quæ nõ nouerat suis postmodũ dicere solebat. His dictis sacerdotes quidam mulierculis nimium credentes, fidem de sanctitate recluſæ habere cœperunt. Venitq; tempus, quo ab eisdem pro vero in Constantiensi ciuitate vulgabatur, & pro constanti asserebatur, quod in recluſa, prædicta certa die quæ nominabatur, quinq; Christi stigmatũ insignia, in manibus, pedibus, & in corde fœminæ certitudinaliter apparere prædicabantur. Super quo, die quæ futura erat, nõ paucę sed notabiles personæ seculares & Ecclesiasticæ de dicta ciuitate euntes, in Cellas venerunt. Interfuerunt etiam huic spectaculo Sacerdotes aliqui, pseudoprophetissæ magnificates fimbrias, qui aduenas duxerunt, pro videndis (vt aiebant) Dei mirabilibus. In locum igitur venientes, vbi iacebat velut in raptu immobilis fatua, nullũ Christi stigmatũ in ea signũ viderunt, nec de prophetatis quicquam apparuit, licet diu esset expectatum. Cumque attrediarum videret populum quidam nouæ contemplatricis Sacerdos, voce magna clamauit: Patientiam habete, expectare, quæso respicite. Quo verbo, murmur coercitum est paulisper. Postremo diei spatio, plurimo populo discedente, nihil nisi confusio maxima illata est omnibus, qui deliramentis fœminæ, & suis reuelationibus crediderunt. Nam omnes qui aderant, manifestum deprehendentes mendacium, se veniſse erubuerunt. Fuit præsens his in parte piæ memoriæ Frater Henricus de Reinfeldia nostri ordinis sacræ Theologiæ Professor, qui coram multitudine statim sermonẽ inchoauit, in quo, quam multiplex esset spiritus erroris, & quam fatuũ esset faciliter propriis ingeniis credere, inq; mirabilibus ambulare super se periculosum, & talibus insistere erroneum, multis edocuit. Nec multo post elapso tempore ista fictrix, & vnus de fictoribus, tanquam suspecti de Fide, per Officialem Constantiensem, in pœnitentiam, reuocationemq; quorundam male

male assertorum ab eis confusibiliter & satis publice positi sunt: vt sic quam debile sit nostrum ingenium agnoscerent, & in humilitatis spiritu de cætero melius Deo seruirent. Proueniunt eiusmodi deceptiones, à præsumptione mulierum; quæ cum gloriæ appetentes sint, quæ volunt omniunt & fingunt, & post quam viros sibi credulos fecerint statim ex hinc maiora de se præsumere incipiunt, deceptæ videlicet humanæ laudis fauore, quo quanto quis amplius nutritur, tanto per vitus inanis gloriæ plus erigitur, vsque quo diuina prouidentia deponat potentes de sede, & præsumentes de virtute sua humilier. Proueniunt huiusmodi deceptiones ab illo, qui non tantum leonis instar in Ecclesiam Catholicam furit, verum etiam more draconis, afflatu pestifero quamplurimos venenat, nec minus in aperto bellum fidelibus exhibet, quam in occulto obseruat, & insidiatur calcaneo, quem aliqua anima deuota cupit eleuare, ad supremum perfectionis fastigium, *& c. 1. lib. 3.*

CLXII. *De aliis mulieribus extasin passis.*

Vidi aliquando, & audiui sæpius fœminas, (vt videbatur) satis bonæ famæ rapi, quantum visu perpendi potuit, ad interiora ab externis sensibus, veluti extasin quandam ex deuotione paterentur. Vidi insuper aliam, quæ in publica prædicatione alicuius, de Christi charitate audita sententia coram omnibus clamorem quendam in altum extulit, quasi non valeret amorem sui pectoris ad Christum clausum in antea retinere, & tamen à multis litteratis tales profictis habebantur; quod flexibiles ad malum, inconstantes ad bonum, & pronas valde ad vanam gloriam esse agnoscerent fœminas. Notidiam cuiusdam virginis habui quæ in seculo omnium eam noscentium, fama bona & deuotione plena extitit, & ingressa reformatum Monasterium, non minus in Dei obsequio videbatur sincera quæ tamen in Monasterio victa per cenodoxiæ vitium reuelationem finxit, & extasin, quam numquam habuit; vt mihi coram suo superiore sponte propria fatebatur. Nam cum audisset in mensa legi sæpius, quam abstracte priores Sancti & Sanctæ vixissent, vt de numero eorum & earum esse censeretur, nonnumquam publice mere ficta clamare cœpit voce alta, & in illo, vel cadendo solo tenus effigia re raptum, vel mentis excessum. Multo tamen deinde elapso interuallo temporis conscientiæ stimulis coacta & agitata, vt illud facinus sibi diuina clementia dimitteret rubore summo perfusa, & non in Sacramentali confessione, qualis fuerit, mihi & suppriori manifestauit.

CLXIII. *De alia quæ postea errorem suum fassa est.*

Audiui etiam à sanctæ memoriæ patre Conrado primo reformatore nostri ordinis, Prædicatore in tota Alemannia gratiosissimo, quod quædam fœmina, apud populum magnæ reputationis existens, in prædicationis audientia, deuote coram cunctis clamare quasi in iubilo cœpit, quæ tamen falsa est clam postmodum, quod illud non ex charitatis feruore, sed tantum ex inani gloria faciebat. Scilicet, calcaneo fœminili, serpens tortuosus, vt per eas viros perderet, insidiabatur hoc eodem tempore, quando leonina ferocia exæstuans, omnia diuina, humanaque vastabat.

CLXIV. *Miscellanea abominabilium facinorum hæreticorũ tunc temporis.*

Enimuero, *vt idem Nider lib. 3. narrat*, hæreticis dæmone incitati, hac tempestate, incendebant Ecclesias & Monasteria, nullam sanctimonialem, nullum Religiosum, non Carthusienses, non reformatos, nec deformatos, in regno Bohemiæ viuere finebant. Nihil de imaginibus sanctorum nec de ornamentis Ecclesiarum tenebant, sed omnia ista destruxerunt, & illicita esse dixerunt, & quod dererius est Sacerdotes & Religiosos plurimos gladio occidebant, alios pollicibus amputatis eiecerunt, residuos cruciatibus affecerunt; necnon cum chrisinate sacro, & Sancto oleo (quod nefas est facere, & audire horrendum) calceos suorum pedum inunxerunt. Extra Regnum, & intra, multo tempore, nulli sexui, nulliue ætati, non gradui, nec statui Catholico pepercerunt. In cõuentu Francestenẽsi suppriorem, qui omnibus diebus vitæ suæ integer obseruator suæ Regulæ, & deuotus in ordine nostro vsque ad finem vitæ permansit, rogo inflammato iniecerunt & consumauerunt, qui tanta patientia ignem sustinuit, vt perfidi faterentur, in mortis periculo nullum similem reperisse inter Catholicos. Et quamquam tam Orphani, Orebitæ & Thaboritæ, quam Pragenses Calixtini, omnes essent hæretici & schismatici, tamen diuina permissione tam incredibili errore sunt obcæcati, pariter & multati, vt aliquotiens vna secta aliam inuaderet, & vt victrix victam occideret, hæreticus hæreticum, & schismaticus schismaticum. Vnum tantum fuit signum, in quo omnes concordabant, communicare videlicet sub vtraque specie diuinissimæ Eucharistiæ Sacramento, quod multi indignissime sumebant, post grauia facinora, sine præuia Sacramentali Confessione, & semota debita veneratione. Alii vero, Sacerdotes videlicet, multi missam celebrabant, verius execrabant, sine altari & vestimentis per manus Episcopi sacratis. Et quamuis tam diuisi inter se essent, vt præmittitur, tamen quando fideles eos inuadere disponebant, sicut Pilatus & Herodes statim amici facti sunt. Accidit in eadem clade persecutionis hæreticæ, quod multos turbauit non modicum, vt quando armatura fidelium se ad bellandum contra perfidos disponeret, fere semper fideles territi terga verterent fugiendo, licet perfidi primum prope Pruxis sub Misnensium dominio bellum grande perdiderint; & circa finem malorum prædictorum, sub Ducis Ioannis de Bauaria exercitu vice altera succubuerint: ac sub Ducis Alberti de Austria gentibus aliquotiens graues cædes pertulerint. Nec mirum si aliquando toties terga verterint Catholici. Nam peccatores victoriam obtinere solent multoties, contra se iustiores Deo permittente.

Peccatores multoties victoriam obtinere solent contra se iustiores Deo permittente.

CLXV. *Rex Polon. Sbigneo succenset eo quod Cracouiæ à sacris celebrari mandasset ad aduẽtũ Bohemorũ hæreticorũ.*

Hoc anno, Legati eorundem hæreticorum Bohemorum, Wladislaum Regem Poloniæ Pabianiciæ, quod oppidum cum omni territorio Sacri Collegii Cracouiensis Basilicæ est, adierunt, auxilia contra Cruciferos pollicentes, & Coributho qui eis militauerat Regem reconciliantes, adhæc Basileensis cætus propensionem erga se nunciantes, vtque porro in eo conuentu illis adesse vellet interpellantes. Miserant, quemadmodum superius diximus, Basileenses, suos ad Bohemos Egræ Conuentum agentes Nuncios, qui eos blande in viam reuocarent, aut certe ad congressum & colloquium amice inuitarent, prolixe omnia promittentes. Hæc igitur tunc Polonorum Regi, Bohemi nunciabant. Grata fuit ea legatio Regi & Procerib. bellum ex grauissimis causis in Cruciferos molientibus. Quare comiter & laute Legati habiti sunt; & assentientibus Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopis qui tunc aderant, ad Sacrorum communionem admissi. Perfuncti vero legatione, cum reuerterent & Cracouiam contra præceptum Regis ex itinere diuertissent, cessatum est à Sacris mandato Sbignei Episcopi: licet absentis, adstipulante vniuerso cætu Sacerdotum, & Theologorum, & Iureconsultorum, quos Vicarius Episcopi ea de re conuocarat. Contumeliosum id visum Bohemis. Regi vero (qui tamen id futurum diuinauerat) & cæteris Episcopis permolestum fuit, quod Sbigneus vnus omnium acta ac decreta irrita faceret. Accendebant etiam magis iram Regis, Ioannes Menzicus Dambrouius Palatinus Russiæ, & Petrus Corcibocus, qui Bohemos honoris causa iussu Regio deduxerant. Itaque exarduit is in Episcopum, & venienti ad se Visliciam, dextram benevolentiæ symbolum non porrexit, quin asperioribus etiam verbis cum increpuit, & Petri Vissi fortunam (eiectus erat Episcopatu Cracouiensi) ei comminatus est. At ille Sacerdotalis officii & constantiæ memor impertertitus respondit, *Fauorem se, non offensam Regis meritum arbitrari, quod solus, & salutis, & existimationis eius, quæ ab inimicis eius, & maxime Cruciferis cum alias, tum in Basileensi conuentu proscideretur, optima fide curam haberet prouideretq; omni ratione, ne Rex merito prosatore hæreticorum traducatur; & cum de Religione agitur, neque Regis, neque cuiusquam omnino vultum atque minas se reformidare, quin id faciat, quod rectum esse intelligat. Authoritate Archiepiscopi, & cæterorum Episcoporum nihil se in hac parte mouri habentem adstipulatores, diuini humanique iuris professores. Petri Vissi calamitatem desineret commemorare, quæ non tam innocenti Episcopo,*

Consilia & impertertritas Sbignei ad iratum Regem responsio.

quam

Quantus periculo ii contempror extiterit.

quam iniurioso Regi ignominiosa accidisset. Neq; vero ea se terreri : paratum, non modo quasuis contumelias, pro Religione, verum etiam exilium atque mortem subire.

Cum autem Rex subiiceret, se quoque diuini & humaniiuris peritos diuersæ sententiæ authores habere: acciti primores Academiæ Cracouiensis, & cum his commissi Ioannes Saffranecius Wladislauiensis, Ioannes Theologus Chelmensis, Episcopi, & Wladislaus Oporouius Pontificii iuris peritus, Procācellarius Regis, qui postea Wladislauiensis Episcopus fuit haud difficulter refutati sunt. Neque tamen penitus Regis ira in Sbigneum resedit; admonitusque is est ab Ioanne Tarnouio Palatino Cracouiensi, vt sibi diligenter caueret: subornatos enim esse à Rege, qui eum de medio tollerent. Et egit quidem gratias Palatino Sbigneus: sed nihil tamen ea nocte, in quam sibi periculum comparatum esse acceperat, de consuetudine sua remisit. In eodem cubiculo, eodem lecto cubuit, nullam sibi custodiam adhibuit: nocteque intempesta, cum vno Sacerdote, & puero lumen præferente, ad matutinas precationes ad templum adiit, neque aduersi quidquam ei accidit, quod Rex vel mutasset consilium, vel vanus ille terror fuisset. Nec multo post, Sacerdotem hæreticum qui ad Regem venerat, idem Sbigneus eiecit, vir excelsi animi, & sempiterna posteritatis memoria dignus. Quod is iussu Regio gladium, Principatus insigne. Sigismundo Coributho, in Lithuaniæ Ducem electo detulerit, indicio habeo, Coributhum, Bohemis non amplius fuisse.

Sbigneus Coributho gladium detulit.

CLXVI. *Coributho Lithuan. principatus à Vvladislao Polon. Rege delatus & quibus conditionibus.*

Enimuero id temporis Wladislaus Rex Suitrigellone, qui Lithuaniæ ducatum ambiuerat posthabito, profligatoque, Lithuanorum proceribus consentientibus, Principatum Lithuaniæ, his conditionibus detulerat; vt iureiurando interposito reciperet, se in fide & clientela Regis, qui supremi Ducis Lithuaniæ titulum retineret, & Polonorum, semper futurum, eosdem cum eis amicos, hosteſque habiturum, suisque stipendiis eis militaturum; cum Suitrigellone, & Cruciferis, nullum fœdus contra Regem, & Polonos seruaturum; Olescum, quod tunc ab exercitu Regio obsidebatur, Grodlum, Rathnum, Vetlios, Lopatinum, & omnem Podoliam, quæ in ditione Polonica fuisset, deinceps quoque esse passurum; diadema Regium contra sententiam Polonorū, ne vltro quidem oblatum, à quoquā accepturum; neminem, nisi Regem, & liberos eius in principatu successorem relicturum; Michaëlem vero filium, & reliquos hæredes suos legitimos in Trocensi tantū dominatu & patrimonio sibi successuros, fidem & subiectionem Regi, Regnoq; profitentes, atque seruantes: iis vero, si absque suis hæredibus decederent, Regem & Regnum hæredes fore: Volyniam quoad vixeret sibi concessam, & adiunctam, quemadmodum & Vitoudo concessa esset; se mortuo, in ius ac ditionem Polonorum reuersuram esse. His omnibus probatis, & signatis, Sbigneus Episcopus princeps legationis Regiæ, gladium, Principatus insigne, Sigismundo Regis nomine publice tradidit. Interfuit his omnibus Ludouicus commendator Torunensis, cum tribus Collegis à Paulo Magistro Cruciferorum, ad ineundam nouam cū Sigismundo, posteaquā Suitrigello principatu eiectus erat, societatem missus. atque is enixe studuit infecta reddere, quæcumque à Polonis Proceribus agebantur: adiutorem ad id nactus Georgium Butrim Lituanum, hominem ingeniosum & callidum, quippe qui multas Christiani orbis regiones peragrasset. Sed irriti tamen ii conatus fuere, iussique Cruciferorum Legati, veluti hostes, Lithuaniæ finibus statim excedere.

Rege delatus & quibus conditionibus.

CLXVII. *Polonici exercitus de Russis victoria Regi quasi per miraculū significata.*

Retulit paulo post Regius exercitus, de Russis rebellibus, apud Moraquam fluuium, victoriam, quasi per miraculum Regi significatum. Abest locus ille prælii à Leopoli non minus quadraginta milliaribus Russicis bene longis, & tamen quo die hostes cæsi sunt, hoc est, vltimo Nouembris, cum Rex in templo, vbi tunc totos dies transigebat, diuinam opem sedulus imploraret, non ignarus cum quam grauibus & insidiosis hostibus exercitui suo res esset, rumor de victoria sparsus totam vrbem impleuit. Nec author eius rumoris inueniri potuit, ita vt vana lætitia exultasse homines viderentur. Postero die certo nuncio, res omnis vt gesta erat, cognita est, gratiæque actæ Deo, ac dona à Rege missa militibus. Nec multo post cumulata est Regi ea lætitia, profligato à Sigismundo Duce apud Ossimianos insigni strage Suitrigellonis exercitu, è Russis, Tartaris, & Liuonien sibus collecto, de quo ad X. M cæsa, quattuor capta esse relata sunt: Suitrigello quidem pernici fuga crebro mutando equos euasit. Sigismundus monimentum victoriæ, Templum & Collegium Sacerdotum apud Ossimianos postea instituit. Hac gemina victoria Rex lætus, Leopoli discedens, Cracouiam ad Comitia, ad Natalem Christi indicta venit & ouans pedibus vrbem ingressus, ad complura templa festas supplicationes obiuit, priusquā arcem ascenderet. *Cromerus lib. 20. de rebus Polonorum.*

CLXVIII. *Duo Iudæi in Creuzenach cōbusti ob puerum martyrio affectum.*

Hocanno, in die Sancto Parasceues, in quadam possessione Monasterii Sponheimensis, sub tempus diuini Officii, venerunt ad villulam non longe à Cœnobio Sanctæ Catharinæ positam quæ Willer appellatur, duo Iudæi, qui blandis sermonibus atque promissis, quendam puerulum VII. annum ætatis agentem capientes, extra villam occulte duxerunt in vicinam Syluam, quæ Dumus Lupina (vulgariter Wolffshek) appellatur, & est monasterii Sponheimensis possessio, ipsumque crudeliter martyrizantes interfecerunt, & collecto eius sanguine abierant, innocentis pueri corpusculum inter ipsa frureta insepultum relinquentes. Repertum vero postea innocentis cadauer ad Creuzenach, cum honore perlatum est, & diebus aliquot insepultum in cæmeterio Parochialis Ecclesiæ steterit, sperantibus multis, quod signis & miraculis martyrium eius per Dei clementiam foret declarandum. At vbi nullum miraculum apparuit, sepelierunt illud in cæmeterio retro chorum, versus Orientem, vbi Crux Lapidea hodie cernitur erecta. Iudæi quoque deprehensi, in Creuzenach extra oppidum igne combusti sunt. *Thrithemius in Chron. Sponheimens.*

CLXIX. *Deceptiones ex reb. pro sanctis habitis quæ tamen non erant.*

Dissimile huic est, quod *Ioannes Nider* narrat *lib. 3. c. 11.* & contigit hoc fere anno, vel altero. Rem gestam audi infra decennium. Fuit in ciuitate Rauenspurg Constantiensis diœcesis, puer scholaris annorum XIII. circiter. Hic aliquibus diebus à loco sui hospitii perditus, quærebatur vbique diebus multis in præfata ciuitate. Tandem repertus est extra ciuitatem iacens super quandam arborem, quæ pinus vocatur, distans à ciuitate per mediam leucam, vel integram. Nullum vulnus habuit, nec laqueus an se iugulasset, vel eum alius, comparuit, nec interfectoris cuiusquā vestigium euidens. Cœperunt hinc multi de plebe, statim tamquam martyrem à Iudæis clam occisum colere, miracula ab eo facta mendacissima fingere, capellam ligneam erigere, & ad lapideam ædificandam lapides coacerua re, custodes qui peregrinorum emungerent pecuniam nouo dedicatā martyri adhibere; & veluti summa de martyrio haberetur probatio, duliam ignoto sancto exhibere. Certabant verbis inter se seculares & Ecclesiastici, quisnam puer esset, quibusdam dicentibus, quia opinio de puero bona est, aliis contradicentibus, & in eos inuehentibus qui talibus cito credunt, & seducunt turbas. Humatus est in hoc dissidio puer per terræ Baliuum in castro prope, nec quenquam locum sepulchri adire sinebat, vsque quo dum rei veritas aperiretur. Sed plebs nimis credula, putatiuum martyrem abnegare noluit. Et quia sepulchrum adire nequiuit, frequētauit saltem, vt credidit, martyrii locum, pinum videlicet campestrem, siluestrem potius. Habuit autē puer virum quendam cognatum, qui se diuinitus inspiratum credidit, vt sub pœna peccati non desisteret, quo dum pinus martyri sanctificaretur. Hic negotio plurimam attulit difficultatem. Venit tandem ad locum Imperator Sigismundus Romanorum Rex, vir circumspectione plenus; qui diligenter examinatis partibus & testibus negotii, reperit ibi multimodas intercessisse fallacias, fraudes, & decipulas. Vnde motus pinum secuit, capellam quia non consecrata erat, destruxit, & reipublicæ, ne ignorum colerent, penitus interdixit. Ad hunc modum sancti huius mira cessauerunt.

Ignotum vel non canonizatū aut reliquias de nouo inuētas prohibemur venerari.

Simili deceptio facta est satis nouiter circa adorationem cuiusdam hostiæ in Colonia, miraculose (vt putabatur) repertæ, & diu à multitudine populi adoratæ, quousq; dolus ad lucem prodiit. Auaritiæ n. gratia id excogitatum fuerat, vt in Concilio Basileensi, de hoc Officialis Coloniensis, scilicet, Varentrax longam historiam me audiente texuit. Similiter accidit eodem tempore circa Magdeburgensem Ecclesiam de deceptione simili, quam à quodam Magistro Henrico Canonico ibidem, & sacræ paginæ professore audiui. Fecit Sigismundus conformiter ad Ecclesiasticas sanctiones. Ignotum enim, aut non canonizatum pro sancto publice colere, aut reliquias de nouo inuentas venerari, prohibetur ab Alexandro III. & Innocentio III. in decretalibus *tit. de Reliquiis & veneratione sanctorum.* Item falsa miracula prædicare à Leone X. *in Concilio Lateranensi.* Scilicet, ne illorum cineres venerentur in terris, quorum animæ ardent igni inextinguibili in inferis.

CLXX. *Raymundi Lulli cultus improbatur.*

Ad hanc Regulam infallibilem quibusdam respicientibus, non placet cultus, qui à Maioricanis exhiberi dicitur Raymundo Lullo; quod & pro sancto illum Ecclesia non agnouerit, non admiserit, non probauerit, & in suspicione hæreseos occubuisse illum ipsum adeoq; & titulo, & honore martyrum indignum aliqui non immerito existimauerint, vel hoc potissimum inuincibili argumento permoti: talem doctrinam Raymundus Lullus prædicauit, & in talis doctrinæ prædicatione à Mauris lapidatus, occubuit, qualem scripsit, Sed scripsit hæreticam, vt nouissime anno Domini 1617. corā Sāctissima cōgregatione S. officii Illustrissimorū Cardinalium, Romæ à grauissimis Theologis, qui septuaginta & amplius articulos (vt omittam alios, ex libris quos Raymundi Lulli negant esse Lullistæ) partim hæreticos, partim erroneos & temerarios, ex libris Lulli à Procuratore eiusdem Lulli pro libris ipsius Lulli admissis, excepros repræsentarunt, & non à Christo in forma crucifixi (vt à Lullistis asseritur) apparente, sed à dœmone hæresum & errorum auctore, Raymundo idiotæ, nullasq; litteras scienti insinuatos, ceu inspiratos esse, certissima illatione ostenderunt, probatum est. Necessario itaq; prædicauit hæreticam, erroneamq;. At in talis doctrinæ prædicatione, si quis occubuerit, dicunt illi viri doctissimi, se nescire, quo possit Martyrum, vel numero accenseri, vel honoribus ornari.

CLXXI. *De B. Petro confluentino Dominicano & eius sanctitate.*

Iustiore nomine meretur, Beatorum titulos & honores F. Petrus Confluentinus, Basileæ, in Germania, Dominicanum ordinem professus, hoc anno 1432. vita functus. Paucos quidem annos in ea Religione vixit: expleuit tamen in ea rempora multa, insigni fide, feruenti deuotione, ingenti sanctitate, Angelico non tantum aspectu, verum etiam innocentia præstans, atque miraculorum operatione illustris. Diuam virginem Deiparentem, ac post virginum Primiceriam, Sanctam Vrsulam præcipuo venerabatur affectu. Ab hac impudicitiæ triumphatrice, meruit quoddam insigne donum, quod erga omnia tentamenta pudicitiæ non frustra opponeret. Semel enim à maligno tentatus, cum ad stipitem crucifixi sese prostrauisset, & contra feruentissimum libidinis æstum, quo iam pene conflagrabat, remedium à virgine virginum Iesu, Maria, & Vrsula flagitaret, videre meruit S. Vrsulam duobus comitatam gloriosis virginibus, quæ sibi amulerum, non ad præsentaneam tantum, sed ad futuram aliquando superuenientem flammam cælitus donarer. Ab hoc antidoto diuinitus dato, victor perpetuo euadebat, aduersus stricturas illius, cuius *de ore flamma egreditur, & halitus eius prunas facit ardere.* Ab his victoriis, cum lætus & orans ex hoc seculo emigraret suauissimum risum risit atque Patri curam infirmorum habenti, qui causam risus in agone insoliti inquirebat, significauit; *Ecce non rideam, cum videam sanctam Vrsulam cum vniuerso virginum agmine mihi adesse, quæ meam animam graui isto carcere eductam excipiat, & Cælo inferat?* quæ cum dixisset, expirauit. *Leander Alb. l. 5. de viris illustrib. Ord. Prædicat. & Michael Pius lib. 1.*

ANNO CHRISTI 1433.

Eugenij Papæ 4. Anno 3.
Sigismundi Rom. Imperatoris. Anno 1.

I. *Pax inter Senens. & Florēt. eorumq; socios conflabilita.*

DEcem mensibus, quibus Sigismundus Rex Romanorum Senis hæsit, nulli negotio magis incubuit, quam paci inter Senenses & Florentinos eorumque socios componendæ, vt tandem pacata Italia reconciliatoque sibi Eugenio Pontifice, Romanorum Imperii titulum & diadema, Romæ consequeretur. Et quidem in Florentinis & Senensibus conciliandis, ipse operam frustra nauasse visus est, pertinacibus vtriusque vrbis, ad deponenda arma, restituendaque vtrimque ablata, animis. Intercessit inter eos & illorum socios, Philippum Mediolani Ducem; qui Senensibus fauebat, & Venetos qui Florentinis adhæserant, Nicolaus Marchio Atestinus, Sigismundo & Eugenio monentibus atq; Ferrariæ ad VI. Idus April. his conditionibus pacem decreuit.

Philippus Vicecomes Fulcheria insula Venetis cederet. Quæ post sanctam superioribus diebus pacem, in agro Brixiano & Bergomate de iis cepisset, redderet. Marchioni Ferratensi adempta, quæ in potestate haberet ipse restitueret: idem vt faceret Allobrox, daret operam. Rolando Palauicino ignosceret. Ne quid in Lunensi agro præter Pontremulum possideret. Quod in citeriore Gallia dominium teneat, ne alpes, aut Flaminiam versus prolataret. Quæ de Aloisio Vermio in agro Placentino occupauisset, dimitteret. Captiui nobiles milites præstantiores vtrimq; in libertatem sine pretio restituerentur. Florentini & Senenses bello vtrimq; capta redderent. Lucenses liberi sint ne quid quod in Florentinorum, aut gentis Fregosæ ditione fuisset, retinerent. Ludouico Populoniæ Regulo, ne quid rei deinceps ne qua societas cum Philippo esset. Nemo deniq; sociorum, quidquam, viaut dolo malo partum retineret. Capta de Pisanis Volaterranisque redderet Florentino Philippus, curaretque Senenses capta eo bello infra mensem reddere, aut si recusarent, nullis eos in posterum fauoribus adiuuaret. Qui Venetis militauerant, subditisque eius Reipublicæ, prisca redderetur rerum sub Philippo securitas, Pacis conditionibus prout erant constitutæ, cæteris in partibus impletis, quum non liberasset Philippus Georgium Cornarium, eo contentionum res processerant, vt solum ob eius rei defectum habendam pro infecta pacem Veneti fuerint protestati. Sed Philippus missis Venetias, Andræa Bartholomæo Imperialis familiæ Genuensi, & Francisco Gallina consiliariis suis, qui iureiurando affirmarent Georgium interisse, senatui satisfecit. Ad hunc modum pax Italiæ constabilita fuit.

Blondus dec. 3. li. 5.

II. *Sigis. cum Eug. ingratiam redit.*

Cum Eugenio quoque Pontifice, quo cum graues aliquamdiu exercuit simultates, Sigismundus Rex in gratiam tandem rediit. Missis ab eo iterum Oratores, impetrauerunt, vt Romam veniret, imperiali diademate ac fastigio sublimandus. Istud est mandatum à Sigismundo, Oratoribus missis Romam datum, & in publico Patrum consessu, ad diem VII. Aprilis Romæ coram Eugenio lectum.

III. *Mandatū à Sigism. oratoribus suis Romā missis datū pro imperij diademat. c. insequendo.*

Sigismundus Dei gratia Imperator Romanorum semper August. ac Hungariæ Bohemiæ Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex.

Notum facimus tenore præsentium vniuersis, quod quamuis inter sanctitatem D. Domini nostri Papæ Eugenij, & maiestatem nostram fuerit semper & sit per Dei gratiam bona concordia & perfecta syncritas animorum, nihilominus quia per multos aliquando complurima incōmoda hinc inde relata sunt, sicut plerig, mortalium prompti sunt ad Zizaniam inter Principes seminandam, & imprimendas suspiciones quo nihil periculosius esse potest, ne forte de claritate mentium vtriusq; dubium, quod huc vsque volauit, amplius perseueret, consideranresetiam ex nostra integra iniunctione bonum publicum sequuturum, deliberauimus de proximo visitare sanctitatem prædicti Domini nostri & vrbem Romam pro suscipiendis Imperialibus nostris coronis, & aliis rebus perarduis, tangentibus Rempub. Christianam & pacem Italiæ, pertractandisque vt perfectius & plenius pertractari possint, mittimus ad sanctitatem præfati Domini nostri Papæ Eugenij dilectos consiliarios & Ambasiatores nostros magnificos Matikonem Comitem Keuis-

nens. & Capitaneum Nandor albens. & Casparem Nick. vicecancellarium nostrum & Capitaneum terrarum Egræ, constituentes creantes ordinantes & facientes ipsos tenore præsentium ac auctoritate regia nostros veros & legitimos procuratores & factores, & nuncios speciales. & quidquid melius esse & dici potest. Dantes q. eisdem plenariam & omnimodam potestatem, plenam licentiam & facultatem exponendi sæ sanctitati pro nobis deuotionem & reuerentiam filialem quam ad sanctitatē Romanam ecclesiam syncero affectu gerimus. Nec non petendi & impetrandi à sua sanctitate fauorem & gratiam consuetos, offerendo quoq. eidem sua sanctitati, fidelitatis & cuiuslibet alterius generis iuramentum simul vel successiue. Et nihilominus petendi à sua sanctitate, nobis per manus suas imponendam vnctionem, consecrationem & Romani imperij diadema, ac promittendi quod illa dum apud sanctitatem suam fuerimus in propria persona si opus fuerit innouabimus: ac omnia & singula alia peragendi, & concludendi, promittendi & spondendi, quæ mutuā vnionem, charitatem, & concordiam vitæ, sanctitatem suam & Maiestatem nostram, & super eminentiæ & dignitatis Principes, qui super alios à Domino constituti sumus, facere & conservare possint, vt eis am à sanctitate sua. si opus fuerit obligationes quæcumque acceptandi cæteraq. omnia faciendi, finiendi & concludendi, quæ nos facere possemus. si personaliter adesse mus: ratum, & gratum habentes, & habere promittentes, verbo nostro Regio, quidquid per præfatos oratores & procuratores nostros actum, factum, siue gestum fuerit, ac si illud in persona propria fecissemus; volentes illa omnia nostris Regijs litteris, & sigillis si opus fuerit, denuo roborare præsentium sub nostræ Maiestatis sigillo. testimonio litterarum. Datum Senis Anno Domini 1433. die 16. mensis Martij, regnorum nostrorum Hungariæ 46. Romanorum 23. Bohemiæ vero 13.

IV. IVRAMENTVM, EX DIPLOMATE DVObus Sigillis signato, ab Oratoribus Sigismundi Regis in Cōsistorio publico, coram Eugenio Pont. præsente, & acceptante, tactis Sanctis Euangeliis, & sacris Crucibus cum SS. Reliquijs præstitum & recitatum.

NOs Matiko de Kallonz Comes Keuuinens. & Capitaneus Mandor albens. &c. Caspar Slick vicecancellarius & Capitaneus terrarum Egræ, Ambassatores & Procuratores Inuictissimi Principis & Domini Sigismundi Roman. Regis semper Augusti, ac Hungariæ Bohemiæ &c. Regis gloriosissimi ad sanctiss. & clementiss. D. nostrum Papam Eugenium IV. destinati recognoscimus tenore præsentium vniuersis, quod nos de mandato & licentia præfati serenissimi Domini nostri regis, cuius pleno & sufficienti mandato fulciti sumus, quodque sigillatum in manu ipsius sanctissimi Domini nostri dispositum hodie dato litterarū nostræ præsenti in consistorio Apostolico generali in manus sua sanctitatis præstitimus in forma quæ est ista. Nos Comes Matiko & Caspar Slick vicecancellarius, Procuratorio nomine quo supra promittimus, & tactis euangeliis sacrosanctis iuramentum firmamus sanctitati præfati Domini nostri, sico & Ecclesiæ nomine huiusmodi iuramentum accipienti, quod serenissimus Dominus rex Sigismundus Ecclesiam, & fidem Catholicam, pura fide, totis viribus conseruabit reuerenter & etiam defendet, omnemque haresim & schisma, & hereticos quoslibet, fautoresque & receptatores & defensores eorum exterminabit pro posse, ac nunquam cum saraceno, Pagano schismatico seu alio quolibet communionem Catholicæ fidei non habente aut cum aliquo alio præfatæ Ecclesiæ inimico vel rebelli, seu eidem manifeste suspecto, vnionem quamlibet, parentelam aut confederationem inibit: sed tam vestram quam successorum vestrorum personas, honorem & statum manu tenebit & defendet ac conseruabit, contra omnes homines cuiuscumque existerent præeminentiæ, dignitatis, aut status eidem adijcientes iuramento, quod eadem maiestas manu tenebit semper atq. seruabit, priuilegia omnia per prædecessores suos Reges ac Imperatores Romanos præfatæ Romanæ Ecclesiæ, ac alijs quibuslibet Ecclesijs, quocunque concessa tempore & continentia cuiuscumq., ipsaque omnia ac specialiter & præcipue per præclaræ memoriæ Constantinum, Carolum Henricum, Ottonem I V, Fridericum secundum atq. Rodolphum prædecessores ipsius, præsertim super concessione, recognitione aduocatione, quitatione, ac libera admissione terrarum & prouinciarum Rom. Ecclesia vbilibet positarum, quarum etiam multas expressit sedi apostolicæ Romanæ Pontificibus sub quocumq. tenore concessis confirmabit, & ex certa scientia innouabit, ac etiam de nouo concedet, & terras ipsas, ac etiam Prouincias cognoscet ad ius & proprietatem ipsius Ecclesiæ plenissime pertinere, easq. nihilominus ex abundanti, de nouo Ecclesiæ præfatæ donabit. sub præditto se obligans iuramento, quod ipsas, vel aliquam ipsarum partem, nullo vnquam tempore occupabit, seu quantum in eo erit occupari permittet, possessiones aut semitas habebit seu quomodolibet possidebit, nec in eis etiam potestarie, seu cuiusuis Capitaneæ officium aut iurisdictionem quamcumque per se vel alium exercebit, quodque vt Princeps Catholicus, sæpe dictæ Ecclesiæ aduocatus atq. defensor ipsam iuuabit & consilijs & auxilijs ipsi assistet opportunis, contra quoscumq. inobedientes & Rebelles eidem & præcipue contra occupantes & turbantes terras prædictas seu prouincias, vel partem quamlibet earundem, sub eodem etiam iuramento promittimus quod tam ipsam Roman. quam alias Ecclesias libertatem ecclesiasticam bona, iura, prælatos, & ministros Ecclesiarum ipsarum, ipse Dominus Rex manutenebit, conseruabit, ac defendet suo posse. Et quod Ecclesia Romana vasallos contra iustitiam nullatenus offendet, deuotos & fideles etiam in Imperio constitutos benigne tractabit nec eos opprimet contra iustitiam aut quantum in eo erit per illud opprimi sustinebit, sed in suis potius iuribus & iustitijs conseruabit. Sic eum Deus adiuuet & sancta Dei Euangelia. Et sic nos procuratores, nomine præfato recognoscimus, confirmamus, innouamus, concedimus & donamus, & cætera facimus secundum tenorem qui superius continetur: Promittentes insuper quod præfatus serenissimus Dominus noster rex, hoc quoq. iuramentū per nos (vt præmittitur) præstitum in manus sue sanctitatis vel legatum eiusdem sanctitatis si illos præmittere decreuerit personaliter innouabit, suas regias patentes litteras & sigilla consueta super illis tradendo. In cuius rei testimonium sigilla nostra propria præsentibus sunt appensa. Datum Romæ Anno 1433. die 7. mensis Aprilis.

V. RECEPTO SVPERIORE IVRAMENTO, & litteris publicis confirmato, Eugenius Pontifex tandem pacem dare Sigismundo Regi ipsumq; Romæ Imperatorio diademate ornare decreuit: quidque Oratores venientes in vrbem promisissent, obtinuissentq; promulgatis quas adiungo litteris significauit.

EVgenius &c. ad futuram rei memoriam. Quoniam Dominus Dei filius, de cælis ad terram descendens ad saluandum genus humanū, inter cætera diuina præclarissima documenta, tanquam pacis mediator, pacem discipulis suis reliquit: cuius sanctus fructus est, quasi substantia vitæ & terminus conseruare humanam societatem, vnde fides augetur, spes subleuatur, & charitas ampliatur vtpote cum ipsa sit directiua iustitiæ, regnorū principatuum omniq. spiritualis & temporalis status valida & robustissima conseruatio: nos moniti ipsius Dei filij salutaribus documentis pacem tanquam bonorum omnium productricem semper optauimus & optamus, & vniuersali bono sanctæ Ecclesiæ Dei totiusq. populi Christiani. Vt itaq. omnis mundus intelligat sinceritatem nostræ affectionis, ad tranquillitatem, & quietem Reipub. Christianæ, continuis meditationibus & affectibus adspirare, deductis inter nos & charissimum in Christo filium Sigismundū, Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ regem illustrem, certis tractatibus, multa bona concernentibus, demum cum dilectis filijs nobilibus viris Matikone Comite Keuuinens. & Capitaneo Nandoralbens. & Casparе Slick Regio vicecancellario & terrarum Egræ Capitaneo, eiusdem Regis oratoribus, habentibus ab ipso Rege sufficiens mandatum, infrascripta capitula, & omnia in ipsis scripta seruabimus, quæ de verbo ad verbum fecimus hic inscribi, quorum tenor sequitur & est talis.

In Dei nomine Amen. Infrascripta sunt capitula, conuentiones, & pacta inita & firmata inter sanctissimum Dominum nostrum Eugenium Papam IV. ex parte vna, & magnificos viros consiliarios, procuratores legatos ac ambasiatores serenissimi Principis & Domini Sigismundi Romanorum regis semper Augusti ex parte altera: De quorū mandato publico plane constat per litteras regias, suo pendente sigillo sigillatas videlicet magnificos Matikonem Comitem Neuuinens. & Capitaneum Nanderalben. ac Casparum Slick vicecancellarium dicti Domini regis & Capitaneum terrarum Egræ, anno Domini 1433. die septima mensis Aprilis indictione 11. pontificatus sanctissimi Domini nostri prædicti Domini Eugenii Papæ 4. anno 3.

VI. *Conuentiones & pacta inter Eug. & oratores Sigism. firmata.*

In primis dictus Comes Matiko & Caspar prædicti procuratores, & procuratorio nomine dicti Domini Regis Sigismundi promiserunt dicto Domino nostro Eugenio stipulantes & recipientes tam suo quam Ecclesiæ nomine, quod ipse serenissimus rex Sigismundus per totum præsentem mensem Aprilis veniet Viterbium, vbi ipse inueniet sanctissimum Dominum nostrum Eugenium, & vt verus eius spiritualis filius dicto tempore ibidem ipsum visitabit.

Item promiserunt procuratores, procuratorio nomine quod supra ipsi sanctissimo Domino nostro Eugenio, stipulantes & recipientes, vt supra, quod ipse Dominus rex præstabit personaliter Papæ omnia illa iuramenta, & alia faciet ad quæ tenetur, tam de consuetudine, quam de iure, siue etiam etiam eius legati, per suam sanctitatem specialiter destinando, seu destinandis.

Item promiserunt dicti procuratores, quod ipsum iuramentum per seipsos procuratores, hodie in generali consistorio præstatum, in propria persona, & personaliter iterum ipse rex præstabit sanctissimo Domino nostro Eugenio, vel eius legato, seu legatis specialiter destinato, seu destinandis, non obstante dicta protestatione iuramenti per procuratores ipsos ante facta.

Item promiserunt dicto nomine quo supra, quod Dominus rex veniet ad visitandum sanctissimum Dominum nostrum Viterbium, vel ad vrbem, solum & duntaxat cum comitiua, & familia sua, quam in præsenti habet Senis, dummodo nullum scienter ducat hostem, vel inimi cum ecclesiæ, vel Domini nostri Eugenij Papæ IV. vel rebellem Romani populi. Et si ex inaduertentia aliquem secum duxerit, vel aliquos, illes sua maiestas ad requisitionem Domini nostri Papæ, illico licentiet & remittat.

VII. Quid cum Eugenio Pontifice Sigismundus Rex constituerit, significabat Basileensibus, admonens, ne sinistris rumoribus per quosdam maleuolos sparsis, fidem adhiberent.

Sigismundus, Dei Gratia, Rom. Rex semper Augustus ac Vngariæ, Bohemiæ, &c. Rex. Reuerendiss. in Christo patribus ac venerabilibus Dominis, sacrosanctæ generali Basileensi Synodo, in Spiritu sancto legitime congregatæ, vniuersalem ecclesiam repræsentanti, amicis nostris charissimis ac grate & syncere nobis dilectis.

Reuerendiss. in Christo Patres ac Domini ac venerabiles & egregij, syncere grateque dilecti, ad requisitionem & continuatam instantiam vestrarum paternitatum, vt ad sacrum Concilium nos quanto citius conferremus, satis constabunt operas nostras, atq. studium, vt consilijs vestris nos cōformare possemus, quemadmodū prefecti ipsi Concilio & rebus peragendis per præsentiā nostram non modicū commodi euenturum speratimus. Stacq. res nostras aptauimus vt siue per terrā, siue per mare disponeremus procedere, omnibus periculis & discriminibus paruipensis. Veruntamē approbante Domino Summo Pontifice sacrū Concilium, ad persuasionē nonnullorum notabiliū virorū, & etiam oratorum nostrorū, & Imperij sacri Principum Electorū, qui nobis eiusmodi bullas exhibebant, nobisq. recessum nostrum sine Imperialibus insulis penitus dissuadebant, cum sanctitate sua remansimus concordes in deificis licitis & honestis. Sicq. per totū istum mensem Aprilis cum S. sua in Viterbio constituemur, & vsq. mediū Iunij vel prius in vrbe Roman. à S. sua coronabimur, præstabimusq. & innouabimus sibi illa iuramenta, quæ nostri prædecessores Rom. Pont. præstiterunt. Ifundq. aduecimus q. ipsum manutenebimus, quantū cum Deo poterimus, quoniam nos vsquequaq. ad alia obligari non permisimus, nec permittemus. Et hæc V. P. ideo describimus vt si aliquis hanc concordiā finistre initam, forsitan interpretari vellet, illud à V. P. non credatur: quoniam hæc concordia bonis respectibus facta est. Dispositiq. sumus semper ipsi Cōcilio iuxta bullā per nos traditam, in professionē fidei, pro quibus ipsa Synodus est congregata, plenarie fouere, & constanter adhærere. Certificantes vos, q. nisi S. sua sæpe dictum Concilium approbasset, indubie sine ipsis coronis, quas propter facta ipsius Concilij tanto tempore pretermisimus, ad propria redissemus: quem admodum de his omnibus illustris Princeps & locum tenens noster dux Vilhelmus V. P. poterit clarius informare, cui in dicendis velit credere tanquam nobis. Datum Senis die 15. Aprilis, Regnorum anno Hungariæ, &c. 48. Rom. 23. & Bohemiæ 13.

VIII. Sigismundus Rex Romanorum, Viterbio, datis litteris, significat Basileensibus, quid ei cum Eugenio conuenerit de profectione Concilij, & aliis.

Reuerendiss. in Christo Patres, ac venerabiles, gratæ & syncere nobis dilecti. Translapsis diebus geminatis nostris litteris vestris paternitatibus notificauimus concordiā inter Sanctiss. Dn. nostrum Papam ac maiestatem nostram secutam, quemadmodū non ambigimus, iam lympide cognoscere potuistis. Et ecce propter rerum agendarum progressum, modo ad hanc Ciuitatem Viterbiensem, intrauimus, continuaturi iter nostrum versus vrbem Romanā. ad visitandū sanctitatem Domini nostri, quam septimana proxima sine dilatione annuente Domino conuenire speramus: & quoniam præter bullam admissionū sacri Basileensis Concilij, qua & certi reddimur, dudum habuistis, reperimus per Legatos & Oratores sua S. eandem bene dispositam ad fauores sacri Concilij, & eorum maxime, pro quibus ipsum sacrum Concilium congregatum exi-

IX. *Sigism. Rom. Imp. ingredit.*

stit. Et nos quoq. vna cum S. sua illā & alia bona opera fauorizare intendimus, quæ S. sua iam suos præsidentes & Legatos misisset dudum apromptuatos, nisi legitima impedimenta, prout percepimus obstitissent. Intendit autem sua S. prout nobis dici fecit illos quantocyus expedire: nihilominus ne sacrum Concilium ex huius modica dilatione patiatur discrimen, eadem S. sua pronunciauit nonnullos alios præsidentes, prout in bullis suis Apostolicis clarius colligere poteritis. Adhortamur igitur vestras paternitates, maiori affectione qua possumus, quatenus eosdem benigne velitis suscipere, nilq. interim admittere quod possit cedere in perturbationē sanctitatis sue & pacis vniuersalis ecclesiæ. Quoniam nobis conuenientibus breuissimis vt prædiximus, his diebus, vna cum S. sua, solennes nostros oratores super singulis ad vestras paternitates mittemus, sperantes in Domino, quod omnia pro bono reipubl. Christianæ bene manebunt composita, & ad id omni studio intendemus; qui scandala in Ecclesia Dei (ipse nouit) molestē ferimus. Datum Viterbij, die nona mensis Maij, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. quadragesimo septimo, Romanorum 23. Bohemiæ vero 13. &c.

Sigismundus Dei Gratia Roman. Rex semper Augustus, ac Hung. Bohem. &c. Rex.

Ad mandatum Domini Regis

Caspar Slick. *ext. tom. 4. Concil. editionis Biniana.*

Hæc Sigismundus Rex Rom. Basileæ congregatis Patribus significabat, fore ex ipsis suburbiis Romanis. Die 21 Aprilis, ab vrbe Senensi discesserat. Comites ei dederant Senenses, Augustinum Burghesium; & Guidocium Iunctam exprima nobilitate viros, qui toto itinere, quod est per territorium & ditionem Senensem, sumptus ei ex publico facerent, & Romam vsque, maiore qua potuerunt securitate deducerent. Ad 21. diem Kal. Iun. ipso festo Ascensionis Dominicæ Romā ingressum, Clerus & populus vrbicus, à ponte Miluio vsq; ad Basilicam Principis Apostolorum, solenni & maxima illum deduxit pompa. Eugenius Pontifex ad ea las eiusdem Basilicæ, cum Cardinalibus & præciputis ex clero obuius, ad osculum pedis, manus & oris admissum, comiter excepit; ac pridie earundem Kalendarum, in quam diem festiuitas SS. Pentecostes hoc anno inciderat, solenissimis cærimoniis inunctum, coronatumque Imperatorem & Augustum appellauit.

X. *Qualia Sigism. iuramenta præstiterit.*

Hoc ipso die, tum ante, tum peracta inauguratione Sigismundus, iuramenta, quæ per litteras & Oratores Eugenio & Sedi Apostolicæ aliquoties scripserat, fecerarq;, tum voce in coram omnibus quorum intererat, tactis Euangeliis, Cruce, & Sanctorum Reliquiis innouauit, tum datis signaturisq; ex more quatuor diplomatibus confirmauit iurauitque scil. *Ecclesiam & Fidem Catholicam, pura fide, totis viribus cōseruare reuerenter ac etiam defendere; omnem hæresim, & schisma, & hæreticos quoslibet, fautores q., & receptatores, ac etiam defensores eorum exterminare pro posse; nunquam cum Saraceno, pagano, hæretico, schismatico, seu alio quolibet communionē Catholicæ Fidei nō habente, aut cum aliquo alio Romanæ & vniuersali Ecclesiæ inimico, vel rebelli, seu eidem manifeste suspecto, vnionē quamlibet, parentelam, aut cōfœderationē inire, sed tam Eugenij, quam eius successorum Rom. Pont. personas, honorem, & statum manutenere, defendere, ac cōseruare contra omnes homines, cuiuscunq. existerent præeminentiæ, dignitatis, aut status: priuilegia omnia per prædecessores suos Reges ac Imperatores Romanorum, Romanæ Ecclesiæ, ac aliis quibuslibet Ecclesijs, quocumque tempore concessa, & cuiuscunq. cōtinentia, ac specialiter per Constantinum & Carolum Magnos, per Henricum, Ottonem IV. Fridericū II. Rudolphum, Henricum VII. Carolum IV. VVenceslaum & Rupertum prædecessores ipsius, præsertim super concessione, aduocatione, recognitione, quietatione, & libera admissione terrarū & prouinciarum Romanæ Ecclesiæ vbilibet positarum, præcipue Marchiæ Anconitanæ, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & cōfinibus suis integraliter, cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundē: Exarchatus Rauennæ & Pentapoli, ac Romandiolæ, & Bertenorij Comitatus, cum ciuitate Bononiensi, & cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundē, vallis quoq. quæ Spoletana dicitur, siue Ducatus, cum Ciuitatibus Perusij atq. Castelli, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus, integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem: Massa quoque quæ Trebaria nuncupatur, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem; Patri-*

moniq; etiam Beati Petri in Tuscia, cum ciuitatibus Tuderti, Narniæ, vrbis veteris, & Reatæ, cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem. Comitatus quoq; Sabinæ, cum ciuitate Interamnensi & cum arce Cæsaris, & terra quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus eorundem. Comitatus quoque Campaniæ atque maritimæ, vrbis Romæ, Ferrariæ, Regnorum Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, Comitatus Venaysini cum omnibus prouinciis, ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, oppidis, castris locis, terris alijs, & territorijs vbilibet positis, Sedi Apostolicæ, Romanisque Pontificibus sub quocunque tenore concessis confirmare, & ex certa scientia innouare, ac etiam quatenus opus sit de nouo concedere, eaque omnia ad proprietatem ipsius Ecclesiæ pertinentia esse recognoscere; quemadmodum de facto per diplomata data signataque, recognouit, concessit, innouauit, confirmauitque; addito iureiurando, quod ipsas, *nullo*, inquit, *vnquam tempore occupabimus, vel occupari quantum in nobis est permittemus, ciuitates, loca castra, terras, Regna & Prouincias supradictas, vel aliquam ipsarum, vel earum partẽ; nec in ipsis vel aliqua ipsarum, vel earum parte iurisdictionem aliquã per nos, vel per alium geremus, vel exercebimus: nec ullo tempore aliqua, possessiones, vel iuras habebimus, vel possidebimus, in eisdem terris, vel Prouinciis vel aliqua ipsarum seu parte earum: nec officium aliquod geremus per nos, vel per alios, Potestariæ, vel Capitaniæ seu quocunque nomine censentur in ipsis, vel aliqua ipsarum, vel earum parte: & quod tanquam Princeps Catholicus, aduocatus, & Defensor Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iuxta bonus ipsam fibique assistemus, contra quoscunque occupantes, inuadentes, vel turbantes, Prouincias ipsas, ciuitates, loca, Castra & terras, vel aliquas ipsarum, vel earum partem: & quoscunque inobedientes, seu rebelles Ecclesiæ, præcipue in prouinciis, Ciuitatibus, locis castris, & terris eisdem in nullo fauebimus, vel manutenebimus, seu per quoscunque faueri, seu manuteneri, quantum in nobis est permittemus sed contra ipsos assistemus, consiliis, auxilijs & fauoribus opportunis Sancta Romanæ Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, & Apostolicæ Sedi, quousque rebelles & subditi, ad plenam reuerentiam & obedientiam reducantur. Promittentes quoque Sanctam Romanam Ecclesiam, & Ecclesias, & libertatem Ecclesiasticam, & bona iura, Prælatos, & ministros ipsarum manutenere, conseruare, & pro viribus defensare, vasallos quoque Romanæ Ecclesiæ, contra iustitiam non offendere, & quod deuotos, & fideles Ecclesiæ, etiam in Imperio constitutos benigne tractabimus, & contra iustitiam non opprimemus, nec per alium quantum in nobis est opprimi permittemus, sed conseruabimus in iuribus & iustitijs eorundem. Prædicta autem omnia & singula inuiolabiliter obseruare, & obseruari facere, & nullo vnquam tempore contrauenire iuramus ad Sancta Dei Euangelia, &c. Datum Romæ pridie Kal. Iunij. anno Domini M. CCCC. XXXIII.*

XI. *Imp. Stratoris officio fungitur & Pont. equũ pedes ducit*

Peracta coronationis cæremonia, voluit Eugenius Pontifex Sigismundum iam creatum Imperatorem, vsque ad plateam molis Adriæ, eques de more comitari. Tenuit stapedẽ ac frenũ equi, Sigismundus, donec Pontifex ascendisset, atq; à gradibus Basilicæ, per aliquod interuallum stratoris officio functus, Pontificis equũ pedes ipse duxit: inde suũ conscendens, dextra Pontifici data, honorẽ quẽ Eugenius in comitando detulerat humiliter admisit: atq; illo in Palatiũ vaticanum reuertente, in ponte Adriano aliquantũ subsistens, vt Imperatorum mos est, multos tum Germanos tum Italos, & in his Philippum & Guidonẽ Vrsinos. Hugolinum Trinciũ & Conradum eius filium, Ioannem S. Eustachianum & Hieronymum Capellos, Polydorum Balionem, Rinalducium Comitem Signiæ, Ioannem Papariscum, Euangelistam Processum, Cæsarem Sanguineum, & Camillum Ciacium, in equestrem ordinem ascisuit, Lateranumq; profectus solenne epulum Principibus dedit.

XII. *Ieiunij solemnis edictum.*

Die 17. Iunij, quo adhuc Romæ tum deuotionis, tum Reipublicæ tranquillandæ gratia perstiterat, ad horã circiter 22. Solis deliquium ingens aspexit, portentũ maximæ calamitatis, quæ statim ab eius ex vrbe discessu, Eugeniũ Pontificem excepit. Abiens deinde cũ bona Eugenii gratia, ædẽ Lauretanam Diuæ Dei parentis inuisit, inde per Picentes & Flaminiã iter faciens, Ferrariam, atq; Mantuã peruenit. Rauennæ, ad Hostasiũ Polentanũ, ex prima nobilitate ciuẽ diuertit: eundemq; militari gladio ab se cinctũ, insigni pompa, in equestrem ordinẽ cooptauit. Ferrariæ, erga Nicolaum Atestinum egregiã benevolentiã exhibuit, apud quem interim aliquot dies cum fuisset, inde Mantuam digressus, 15. Kal. Octob. cũ auxit amplissimo diplomate, ciusdẽ ferme sententiæ, ac persimili ei, quod ante Carolus IV. conceperat, insuper quatuor & viginti castella partim in agro Mutinensi, partim Regiensi, eo iure quam quo optimo dono illi dedit. Mantuæ cũ esset, Ioannem Franciscum Gonzagam, qui traditum à maioribus dominium Vicarii Cæsariani titulo obtinebat, atq; tum familiæ in Augustum nomen obseruantia ac fide, tum propria in ductandis exercitibus peritia ac virtute dignitatẽ fine dubio meruerat, Marchionali titulo, additis imperij signis ornauit, & Barbaram Ioannis Marchionis Brandeburgensis filiam, Ludouico Ioannis Francisci filio in vxorẽ spopondit, eaque ratione familiam Gonziacam colonestare visus fuit & quod Sigismundo Imperatori puella affinitate cõiuncta erat, & quod pater Ioannes Marchio potestatem eundi suffragia ad creãdum Imperatorem habebat. Princeps & Magistratus Venetorum, duodecim viros illustres delegerunt, qui Imperatori, per eorum dominij fines iter facienti, comitatum, honoremque officiose præstarent. Et quidem Sigismundus tanta varietate animi vel fortunæ ex Italia reuersus est, vt inimicissimus Philippo Duci Mediolanensi abierit cuius fauore & opib. Italiam inuaserat: Venetorum autem, quibus maxime inimicus venerat, vt pote quibus cum antea prælia multa habuerat, & à quibus quasdam ciuitates recuperare volebat, Duce Veneti exercitus Carolo Malatesta amicissimus factus discessit. quorum etiam aspectu, Florentinis quanquam apud Lucam grauiter ab eis offensus, non omnino succensuit Præ cæteris autem, Eugenio Pontifici, ad quem exauctorandũ properauerat, reconciliatus, Basileã, licet podagræ doloribus vexaretur, & molestiis iunctis impar esset ferendis, vel deferri voluit, vt in eum inflammatos iam Patres mitigaret, auctoritatemque illius integram conseruaret: non mediocriter ab illis qui contra nitebantur violatam. Res est.

XIII. *Italiæ motus & Eugenij calamitates Philippo Mediol. Duce eum perdere studente.*

Post pacem Italiæ compositã, Cæsare domũ profecto, populi diuturnis bellis fessi vix respirare, & desideratæ quietis fructũ ipe vsurpare cæperant, cũ Philippus Vicecomes Mediolanensiũ Dux, quietis impatiens, vt & Pontificẽ Eugeniũ perderet, & Sanctæ Sedis imperij compos viam sibi ad Italicum Regnũ, ad quod non minore q̃ pater animo, sed haudquaquã pari prudentia & fortuna semper aspirauerat, aperiret, muniretq; , omnes occasiones tentauit, quibus Italiã pacatã turbaret. Momentũ fuerat primariũ, in Eugenio Pontifice, quẽ hostis loco habebat, Philippus, propter Brixiam, Bergamum, & nonnulla alia suo dominio à Venetis detracta, eisdemq; ex pactis, quibus Pontifice in perpetuum attributa. Ergo Romæ, Columnenses & Vicanos, in agro Romano, Nicolaũ Fortebraccium Ecclesiæ copiarũ ductorem, in Piceno, Flaminia & Aemilia rerũ potentes proceres, contra illũ conciauit: ac pidẽ temporis, Franciscũ Sfortiam cũ copiis militaribus, ad inuadenda Rom. Eccl. bona, destinauit: & q̃ caput rei est, Patres Basileenses siue amplius irritauit, siue plura q̃ ipsi in Eugenium decreuerant finxit. Sparsitq; , vt Eugenium non modo rebus omnibus exueret, sedeq; Apostolica eiiceret, verum etiã cõprehenderet, & in vincula coniiceret. Nemo exactius, neq; magis ex fide narrat hæc omnia, quam Flauius Blondus, Eugenio Pontifici à secretis, & post Blondum Platina, eiusdem Succẽturiator. De Nicolao Fortebraccio res ita habet. Hunc virum ingenio & manu promptum, Philippus ab Eugenio imprimis alienauit. Militauerat prius sub Eugenio Nicolaus, ac eius nomine, Iacobum Vicanum, vrbis Præfectum Vetralla oppido, & ciuitate veteri spoliauerat. Hinc inchoato pridem vitæ instituto insistens, cũ emeriti ad eam diem stipendij pecunias peteret, si quando offerebantur, dum tamen occupata restitueret Ecclesiæ loca, Põtificem simulatis iudificans verbis rem ducebat. Ea indignitate cõmotus Pontifex, par pari referre cogitans, Michelettũ Attendulum à populo Florentino impetrauit, quem Fortebracchio stipendiorum solutionem vrgenti, neq; tamen occupata restituere cogitanti opponeret. Et oppressisset quidẽ Fortebraccium Micchelettus, si tantũ ingenij, quantum virium habuisset. Enimuero Fortebraccius, conscientia sceleris motus, cum iam non amplius stipendia Pontificis dissimulare posset, & quæ dudum multa latenter contra Eugenium & Ecclesiam fuerat meditatus exequi cupiens, relicto in Vetralla peditatu, Castrum nouum Stephani Columnæ

Fortebraccius ab Eug. alienatur.

lumnæ oppidum accessisset, facile poterat obsideri, & reprimi. Astu ingenti euasit, & Vibuetanos è medio fugę cursu, magno detrimento affecit; inde Columnensibus Prænestinis, bellum in Campania; & circa Romam, partim inopia, partim ineptitudine parum acriter gerentibus socium se addidit, nec non Iacobum Vicanum Vrbis Præfectum, & Antonium Pisanum qui Senis fuerant sibi adiungens, Vetrallam reuersus est. Oportuit Pontificem, Micheletto qui contra Columnenses & inermes, & adolescentes, bellicis rebus nequaquã idoneos parum profecerat, Micciuccium Aquilanum, & Masium Fesclanum, à Piceno reuocatos, auxilio Viterb um mittere, copiasque contra Fortebraccium augere. Siue autem casus & rerum Ecclesiæ infelicitas ita tulerit, siue Fortebraccius ea audacia & fortitudine, Ecclesiasticis è contra milites ea fuerint ignauia, quum Pontifici duo millia & quingenti circa vrbem essent equites, & totidem mercenarij pedites, nunquam destitit Fortebraccius, quin Vetralla egressus, quoties libuisset, partim castella Ecclesiæ oppugnaret, occuparetq; ; partim Prouinciam & agrum popularetur Romanũ; adeoq; malum illud late serpsit, vt Fortebraccius, qui septingentos equites, pedites octingentos, rerum, vt constabat, omnium ęgenos adduxerat parte copiarum Columnensibus data, parte apud Castellum nouum posita, & milites Pontificis vbiq; superaret, & vsque ad portas vrbis omnia redderet inquieta.

Fortebraccius Milites Pont. vbique superat & vsque ad portas Vrbis omnia inquieta reddit.

Accessit Pontificis & Ecclesiæ rebus, magna ex eo bello calamitas illa, quod nulli vrbem adire, nulli poterant tuto exire; nisi quos Ecclesiæ milites magno perducerent præsidio. Vnde sensim factum est vt Pontifice pecuniis exhausto, & stipendia minus abunde militibus persoluente, qui desides primo & ignaui fuerant, reiecta in Pontificem culpa qui sibi stipendia non persolueret, curam omnem abiicerent militandi.

XIV. *Alii motus in Italia à Philippo Duce concitati.*

Fortebraccio ad eum modũ contra Vrbem impulso, alios motus in Romandiola adnisus est concitare Philippus. Cũ namq; Pontifex Fantinum Dandulũ ciuem Venetum Prothonotarium Apostolicum Bononiæ Gubernatorem constituisset, isq; ob seditionẽ à Zambeccariis inrentatam, compressos illos hortante, ac per arma auxilium afferente Baptista Canidulo, ciuitate eiecisset. Baptistam item patria pariter eiicere cupiebat, & porta quam Diui Stephani vocant munita. Gatam apud Forumliuij Ecclesiæ militantem occulte acciuerat. Huius aduentum Baptista exploratum habens, portam vi receptam ipse muniuit, & nihil vltra molitus per cinitatem more solito inambulabat. Ea indignitate permotus Fantinus, Bononia sine Gubernatore dimissa, magno cum retũ Pontificis periculo Venetias se recepit. Huic cum suffectus esset Marcus Episcopus Auinionensis, Pontifici agnatus, Dux Mediolani eiectos patria Zambeccarios, Antonio Bentiuolio etiam extorri coniungens, cum magnis copiis ad portas Bononiæ misit. Ciuibus in Pontificis fide constanter manentibus, castella pleraque illi tentauerunt, & tandem solo Monteuelio per fraudem occupato, re infecta in Lombardiam redierunt.

XV. *In Piceno res Pontif. nequaquã prospere.*

Apud Picenum quoq; , res Pontificis interea nequaquam prospere gerebatur, vnde Philippo magna occasio turbandi oblata. Sanccius Carillo, à patruele Hispano Cardinale iussus militia quam pro Romana hactenus militauerat Ecclesia deserta, ad Malatestas Pisaurenses desciuit, & prætensis Basilcensis cętus litteris, cuius se diceret belli ducem, Francisco Picinino aliisq; Malatestarum copiis adiunctis, subito impetu in Pisaurum facto, ciuitate potitus fuisset, nisi Ioannes Vitellius Recanatensis Episcopus Prouinciæ Pontificius Præfectus, rapido sine copiis præteruolans cursu, Pisaurenses sola præsentia in fide retinuisset. Parum tuncabfuit, quin perfidiæ suæ Sanccius dederit pœnas, quem à Picinino longius remotum, & cum Luca Castellano aliisq; hostium copiis contra Sorbolongum Ecclesiæ castellum castra incaute metatum, Sigismundus Malaresta ad Ecclesiæ stipendia conductus, meridie aggressus fudit, fugatumq; omnibus copiis spoliauit. Paucis item interiectis diebus, Franciscum Picinum, Vitellins, cum quingentis, & paulo post Iosiam Aquauiensem cum sexcentis ac Ioannem Malauoltam Senensem cum centum conduxit equitibus, & qui hostes lacessere fuisset solitus, tutandæ ab illis prouinciæ adiecit animum, quousque Venetis qui Pontifici afficiebantur intercedentibus, pax Malatestis Pisaurensibus eo consilio fuit impetrata, vt Vitellius afflictis apud vrbem rebus Ecclesiæ opem ferret.

Fortebraccius namque, de militum Pontificis, & eorum qui vrbis curam gererent ignauia certior factus, Castello nouo cum copiis digressus, pontem Miluium die 25. Augusti noctu occupauit, & præda vndiq; ab vrbis muris abacta, Lucanum etiam, & Salariæ viæ Anienis pontes die 6. Septembris cepit. Dehinc nullo qui resisteret inuento, Columnensibus vero quod poterant præsidium subministrentibus, Tyburi castra admouit: quam ciuitatem, cum paucis, vt sperabat, diebus nequiuisset capere, in Latinum vrbis agrum delatus, omnifariam rerum prædam abegit. Iisde admotis ad vrbem castris, paucos ad sanctæ Agnetis moratus dies, Anagniam obsidere perrexit. Ea autem ciuitate constanter resistente, post triduum castra mouens, montana Abbatiæ Sublacensis castella impetiit, & eorum multis duce Antonio Pisano potitus, quædam diripuit, quædam solo æquauit: Romæ interea trepidatum est, & vigiliæ pro portis habitæ. Nec tamen defuerunt Romani Ciues, qui priusquam Michelettus & alij subito accitimilites aduenirent, pontem Miluium Salariumque vi expugnatos reciperent. Aduentu Micheletti in vrbem; res Pontificis nihilo erectior facta est, cum interea in Patrimonio, adiacentibusque vrbi quibuslibet locis, omnia belli incendio conflagrarent. Pontifex etiam, qui in Vaticano Diui Petri Palatio parum esset securus, ad media vrbis loca, Diui Laurentij in Damaso ædem se contulit. Cumque milites qui suã apud vrbem stipendia merebantur, paruo nimis cernerent esse præsidio, Recanatensem Episcopum iussit dimisso in Piceni prouincia Sigismundo Malatesta, quascunque habebat copias ad se traducere. Eius aduentu, Pontifex, ad diui Petri palatium reuersus est. Episcopus autem castris contra Marinum Principis Columnę oppidum locatis, oppida quæ in circuitu rebellauerant, nonnulla etiam deditionem fecerant, recepit in fidem. Cumq; haberet exploratum, Principem Columnam Fortebraccium que in Genezano esse castello, parum vt rebatur munito, copias eo consilio eaque spe raptim admouit, vt vel clausos ad deditionem compelleret caperetque, vel si extra munitiones repugnare pergerent, prælio vt minabatur confectos opprimeret. Huic castra ad portas vt constabat metaturo. Fortebraccius ad primum lapidem factus quadrato agmine obuius, prælium conseruit, diuque hostem solito ferociorem conatur repellere, captus fuisset, nisi ex oppido qui remanserant accurrentes, Micheletum, Franciscumque & Iosiam paululum repressissent. Prælio autem acri conserto, cum neque intra munitiones vellet Fortebraccius se recipere, neque aperto posset campo resistere, collem vitibus vndique consitum conscendit, & equitibus qui parum in eo valerent loco, intra Genazanum magna ex parte iussis, cum peditibus in pugnam adeo feroci incubuit animo, vt quem Ecclesiastici victum superatumque sæpius acclamassent, atq; etiam de victoria nuncios Romam misissent, victore sine an victi essent incerti, prælio excesserint. Qua die Vitellensis & socij, quum perspexissent, quid exiguæ hostium copiæ aduersus tuorum multitudinem possent, animo conciderunt. Positis itaque in castellis quæ receperat & Tybure præsidiis, ad Pontificem Romam venit, sed in itinere obuios habuit, qui renunciarent, Pisaurenses, vrbe contra fœdus Malatestis tradita, rebellasse. Quamobrem ira percitus Franciscum Picininum, Iosiam Aquauinam, aliosque quos adduxerat præmittens, duos apud Pontificem dies morarus, Picenum versus magnis itineribus properauit. Quod vero in verustissimis & carie ipsa confectis quandoque euenit ædificiis, vt dum vnum attollere vel stabilire insudas tignum, collapsa è regione muri pinna, trabes tigno attrahat immixtas, itidem in rebus Ecclesiæ, per ea tempora contingebat. Tertio namque à Pontifice profectus die Vitellensis, intellexit, Assisinatensium arcis maiorem custodem suorum fraude occisum, & arcem ipsam in manus Fortebraccij deueniisse potestatem: dumque ciuitati præsidium allaturus copias in itinere dispersas apud Spoletum parat colligere, renunciatum est minorem maiori arci consensisse, & ciues præsidij quod parabatur ignaros, dedidisse Fortebraccio ciuitatem. Iisdem item diebus, Franciscus Picininus

XVI. *Fortebraccius pontẽ militum occupat & ab vrbis muris prædam abigit.*

Recanatẽ. Episc. Eug. auxiliatur. Pisaurenses rebellãt. Assisinaten. arx cũ Ciuitate Fortebraccio tradita. Picininus Episc. cum Fortebraccio prælium conserit.

Pontificem deserit.

spreto Vitellensis imperio, in agrum Perusinum secesserat, stipendia sibi, vt aiebat, debita à Pontifice expectaturus, quam quam nō defuerunt qui è vestigio intellexerint, quod rerum postea docuit euentus, illum Ducis Mediolanensis, & genitoris Nicolai iussu, importuno Ecclesiæ tempori esse subtractum.

XVII. *Alij Fortebracchij conatus tyburoccupat montē rotundum in suas partes impellit de capiendo Pont. consilium init.*

Reuersis à prælio apud Genazanum, vt diximus, commissō, ad vrbem Pontificis & Ecclesiæ copiis, & Vitellensi in Picenū properante, retinuerat Romæ Pontifex Michelettum. At Fortebracchius, qui maximis Eugenij conatibus obstitisset, insana debacchabatur audacia. Laurentij itaque Columnensis ductu Tybur adiens, ciuiumq; perfidia introductus, Ludouicū & Ioannem Mostardam Forliuienses, cum copiis quas ibi præsidio diu habuerāt cepit, & Montemrotundum Vrsinorum oppidum suis partibus compulit adhærere: Micheletto item, vt illum inde abduceret, & simul perdita in Campania recuperaret Ferentinum accedente, per mediam noctem, Palatium S. Petri, quod tunc inhabitaret Pontifex, irrumpere noctu meditatus, ad secundum ab vrbe lapidē via Aurelia subtirit. Et dubio procul ad capiendum Eugenium vlterius processisset, nisi calones quatuor, quos lignatum vadētes interceperat, stationes diligenter palatiū custodire affirmassent, & ad montemrotundū retrocedere persuasissent.

XVIII. *Philip. nouam calumniat. in rebus Pont. & Eccles. Rom. instigit.*

Interea Vitellensis Picenū ingressus paucis quas sub Iosia, Ioanne Malaiolta, & Romano Cremonensi habebat copiis diffisus, à Pisaurensi bello tamdiu stetit abstinere, quoad facta esse intelligeret rem Pontificis & Ecclesiæ erectioē. Nam post captas, aduersa magis aliorum fortuna q̄; propria virtute Tiburtinā Assisinamq; ciuitates adeo elatus erat animo Fortebracchius, vt suos etiā cōtemneret commilitones, ac sceletū administros. Hinc enim Antonū Pisanū, cui Senis accito pollicitus fuerat, prædæ, quantacumq; fieret, participē illū fore, compulit, vt retentis Abbatiæ Sublacēsis castellis, & Lucano, q̄ loca Fortebraccij nomine receperat ad Pōtificē transiret: cuius aduentu facile apparuit futurū, vt Fortebraccius à magna meliorij; militū parte derelictus, agro oppidisq; Ecclesiæ posset expelli: nisi Philippus Mediolanēsiū Dux, nouā & quidē maximā calamitatē rebus Pōtificis & Romanæ Ecclesiæ inflixisset. Franciscus namq; Sfortia, qui annos supra decem Philippi stipēdia secutus, affinitate quoque cum eo, ducta in vxorē eius filia cōtraxerat, & maximas cum Nicolao Picinino simultates inimicitiasque perpetuo exercuerat, (quas tamē altera Sfortia genitore, altera Braccio Mōtonensi, quasi hæreditarias habuissent) occasionem Philippo exhibuerat, nouamoliendi in Eugenīū iam nimis diuexatum. Ergo cum eam simultatē odiorumq; speciē, satis fidei habituā fallendo Eugenio Philippus intelligeret, (q̄ duos tantæ potentiæ viros, tam acriter dissidentes, simul teneri non posse vero simillimū videretur,) Sfortiā in Pontificem mittere cōstituit. Is itaq; partim supplex, partim vt ferueſcere videbatur, ira indignabundus, sæpenumero petitum à Philippo impetrat commeatū: creditores per præconē de repetendis à legione pecuniis fecit admonitos, Manfredoniam, Beneuentumq;, quas ciuitates paterna possidebat hæreditate famulos præmittit, hyberna militibus paratures; impedimentorumq; parte Anconā præmissa, ea ratione naues simulat præparare, vt quamprimū eo applicuisset, sarcinas omnes, pedites q;, & milites imponeret ægrotantes. Et quia ducentis triginta passuū millibus, ab Scultenna Mutinēnsis agri fluuio, per Romandiolā & maris Adriatici littus in vltimā Asculani agri partē, ad Troentū fluuiū, per Ecclesiæ loca esset iter facturus, securi transitus litteras à Pōtifice postulauit, spōsoremq; dedit Micheletti ex gente Attendula cognatū, se nedū hostem, sed mitissimū hospitem prouincialibus affuturum. Pontifex vero, quem prima terruissent simulationis indicia vt audiuit post disseminatā in Lombardia profectionis Sfortiæ famā, illū copias in agro Parmensi expedire, Venetos, Florentinosq; socios certiores per nuncios fecit magnum sibi, aliis oppresso difficultatibus, à Philippo parari malū; q̄ nisi auertere secum illi pergerent, præuideret, illum res ipsorū & Ecclesiæ oppressurū. Exant quatuor Pontificis epistolæ, ad Venetos, Florentinosque, priusquā Sfortianæ copiæ Bononiensem attigissent agrum, datæ, quibus omnem futuri temporis calamitatē, nisi illi subuenirent, prænunciauit. Illis autem, Gatam, Ecclesiæ, & Guidantonium Manfredum, Venetorum stipendia merentes, quorum alter Bononiæ, alter esset Fauentiæ, satis magno præsidio futuros respondentibus, q̄ potuit Pontifex, Gubernatores Prouinciarū & ciuitatum, vt rebus Ecclesiæ prudenter cōsulerent, admonuit, ipse, datā à Sfortia fidem magnifacere Nunciis ostendens, litteras securi transitus obsignauit; cum ecce Sfortia, Bononienses, Imolenses, Fauētinos fines prætergressus, apud Forumliuij cum legione cōsedit, ad decemque dies moratus, nihil hostile molitus est, sed in tua perseuerās simulatione, Nuncios præmittebat, qui an naues portum attigissent Anconitanum ocyus nunciarent. At Piceni Gubernator, Recanatensis Episcopus, aduentu Sfortiæ in Romandiolam audito, etiam à Pontifice de cura Prouinciæ habenda admonitus, Iosiam Aquauiuanū cum copiis Esium misserat, Prouincialibus in fronte positis affuturum; & Recaneti, quam fidelissimā sibi ducerent ciuitatem, populorum Prouincia conuentu habito, eos adhortatus fuerat, ne transeunti Sfortiæ & iter acturo longissimum, portis quispiam patentibus receptacula afferret, in quibus libens fortassis legionem haberet in hybernis. December enim, qui solet habere duriora tempora imminebat. Dissoluto conuentu redeuntes in partiam Oratores, omnia à Gubernatore quietiora conciuibus nunciabant, cum Sfortia, veri quam à Firmanis contra Ecclesiā coniuratis expectabat Nuncij aduentu, mouens, prius in Piceno fuit visus quam eum ex Romaudiola mouisse exploratum habuerit Gubernator. Inde à Metauro per littus Adriatici ducens, Mondauiū, Senogalliamque oppida dimisit illæsa. Exploratoribus vero quos præmiserat, Iosiam Aquauiuanū apud Esium esse renunciantibus, qui paribus castris subsequi destinasset, præsidiū Prouincialibus ostensurus acies quatuor quę in auersa oppidi parte insidias illi obtenderent præmisit, & exercitum portis admouit. Vix loca insidiis, qua Iosiani castris auersum existimauerant exiturum, Sfortiani cæperant, cum acies illæ quas ciuitatem senserat præterisse, exercitum fuisse existimans, auersa quæ ad littus ducit via egressus parum abfuit quin Sfortiæ obuiaret cum exercitu veniēti. Finis vero Sfortiam quamprimū signa intulit admittentibus, tecta diutius consilia patuerunt. Nam patentes cætus Basileensis litteras, quibus Philippum Mediolani Ducem, Romanæ Ecclesiæ, & ipsius pseudosynodum Italia Vicarium esse; aliasque item, quibus se à Philippo Duce subtitutum generalem belli ducem, contra Eugenium Pontificem apparet, per Prouinciam circumtulit. Ea honestatis specie, timentibus, & nullo firmatis præsidio populis ostensa, fecit, vt oppida quæ circumstant, Cingulum, Seuerinum, Mons Sanctus, Corinaltum, Mondauium, & tenuiora qua q; Esini & Senogallensis agri oppida subito Pontifici rebellarent. Profectus, vt dixi Esio Iosias, omnia post se sentiens rebellasse, Recanetum versus copias ad Gubernatorē ducere intendebat. Sed quum Sfortianos insequi haberet exploratum, copiis derelictis, Scalinum qui primus ad fluminis Esini portum fuit obuius, cum suis quos pluris faciebat commilitonibus consendens, ad propria in Brutios nauigauit. Eam rem Sfortia compertam habens, aliquos mittere cæperat, qui palantes dissipatosque interciperent Iosianos: sed Firmanā ciuitatē, vt pridem erat constitutū, audiens Pontifici rebellasse, cōsilio mutato cum copiis aduolauit. Vitellensis vero Esium rebellasse, fugisse Iosiam, aduentare Sfortiam, Firmanos tumultuari, vno audiens impetu, opis simul & consilij inops, quum nulli satis fatis rerum posset prouidere, sibi soli quem Prouinciales oderant circumspexit. Erat tamen vnica in tanto rerum æstu spes munitissimæ arcis Firmanæ. Si namque Gubernator illas quæ superfuerant copias eo contraxisset, Firmanam ciuitatem recuperasset, & Prouinciæ partem quæ à tergo remaneret facile conseruasset. Is vero, quod Recanatenses, quorum Ecclesiæ præsideret, in ea qua centū annis vsi fuerant fide confideret perseuerare, apud illos constitit. quem tamen longe fefellit opinio. Nulli namque Prouincialium, maiore erga Pontificem & Ecclesiam perfidia vsi sunt, cum vno eodemq; tempore, equis, suppellectiliq; ipsius Episcopi Sfortiæ in prædam permissis rebellauerint, Firmanæ arcis custodes, ciues suos, illā Sfortię præter spem dare curauerint; perq; Prouinciā Oratores miserint, populis suo exemplo ad perfidiam concitandis. Sic Sfortia, vndecimo, quam intraueſat die, tanta cum tranquillitate Piceno potitus est, vt præter Luponenses, quos inter se dissidentes prædæ exposuit, nulla Prouincialibus calamitas inflicta sit.

Firmani contra Eccles. conati.

Esini Sfortiam admittunt.

Diuersa oppida Pont. rebellant.

Recanatenium perfidia.

Sfortia Piceno potitur.

XIX. *Alii à Philipp. submissi qui Pont. euertere peregant.*

Inchoatæ interea rerum Pontificis ruinæ, Philippus Dux Mediolanensis acri insistens animo, Italianum, Foroiulianum, & Antonellum Senensem, cum equitibus octingentis, peretni, & subsidia pollicenti Conrado Trincio Fulginati, Ecclesiæ Vicario mittebat. Is in Lugensi castello dies quatuor commorati, Antonium Ordelaffum noctu ad mœnia Foriliuij perduxerunt, & muros scalis ascendentes illum in dominatum recipi conclamarunt: sed à ciuibus, fidem Ecclesiæ constanter seruantibus armis repulsi, Picenum versus iter è vestigio ingressi sunt. Cum vero Sfortiam iniunctum à Philippo facinus iamiam aggressum esse, & omnia pene Piceni loca in illius potestatē audissent venisse, castella aliquot Vicariatus Mondauij, quæ in fide Pontificis etiam persistebant, pro Guid Antonio Vrbinate cœperunt: quamquam plurimi hac tempestate inuenti sunt, quos nullus tenuit honesti fidei que respectus, quin in rebus Ecclesiæ grassarentur. Guid Antonius namque Manfredus, in Fauentia Pontificis Vicarius, Immolensis agri castella quinque; Malatestæ Ariminenses, Ceruiam; & quibus per inueteratū licere videretur furorem. Fortebraccius, Pergulam; Malatestæ Pisaurenses, Senogalliam cum agri oppidis, & decem castella Vicariatus Mondauij occupauerunt. Recanatenses tamē tantę perfidiæ eam admiscuerunt moderationē, vt peretni Sfortiæ Episcopū tuum tradere recusauerint; qui rebus, vt tunc erant afflictis, in Episcopio abditus, omnia negligere simulabat. Quoniam autem Sfortia potitus Prouincia, gloriosæ Virginis Deiparentis in Laureto Sacellum inuisurus esset, simulauit Episcopus, ad quem spectaret ornamēta excipiendo victori necessaria præparare, & omnibus quæ essent sibi salua, per noctem, vicinæ quam occultæ conduxerat Latinæ nauī immissis, ipse ad auroram Recaneto cum Clericis profectus, de ornamentisque & apparatu sollicitudinem præferens, ædem perlustrauit; & reuersis qui nunciarent nauem vicino littori adhæsisse, ad illam fugiens auolauit. Delatus Venetias, quo capsas 16. spoliis Picentum plenas detulit, Rauennā nauigans, Thomam Tragurienſem Episcopum ibi reperit, quem Forliuienses, nulla necessitate adducti, vocato, quem prius Italiano, Foroiuliano, & Antonello Senensi coniunctum spreuerant, Antonio Ordelaffo viro omnium egeno, rebellantes, ad diem Calend. Ianuar. quintam ceperant, & ludibrio aliquot diebus habitum, rebusq; vacuum dimiterant. Quumq; ambo Episcopi, aduersos vicissim commiserati casus multa dixissent, Vitellienſis Florentiam, & inde Romam, Tragurienſis Venetias petiuere. Secunda interim fortuna, vt est mortalium natura, immoderatius quam par fuisset vsus Sfortia, non contentus Piceni dominatu, turmas aliquot cum germanis fratribus, Ioanne & Leone Sfortiis præmisit in Tudertinos, motilq; signis subsecutus, audiuit Tudertinos prius ab Ecclesia desciſcere, & sibi dominiū detulisse, quam germani copias admouissent. Hinc medio subsistens cursu, Cōradino Trincio Fulginei Vicario, Pontifici & Ecclesiæ inimico hortante, validū Nucerinum Ecclesiæ oppidum capit, & Spoletinis, illorumque arcis munitissimæ custode Episcopo Auximano frustra tentatis, Falcum constituit oppugnare. Sfortia suos germanos cum auxiliaribus Fulginatis copiis oppugnationi præfecit, & Tuscanellam se contulit, qua subito, & paulo post Suriano, quod in Cimini montis cacumine situm, vim pati nequit, primo accessu Recanatensis custodis perfidia potitus est, tunc q; germanos re Falci infecta ideo ad se vocauit, vt iunctis eo in loco copiis, Hetruscum Ecclesiæ Patrimonium, p̄ lurimas in partes partito exercitu aggrederetur, eamq; regionē Piceni exemplo, sola belli fama atq; ostentatione conficeret.

Alij Sfortiæ contra Eccles. progressus.

Recanatēsis Episcop. fuga.

Prouinciæ & vrbes diuersæ Pont. rebellant.

Incaluerat per id temporis Fortebraccij furor, isque etiam prætensis Ducis Mediolani, quem Synodi Basileensis in Italia Vicarium asserebat decretis sese consilio dicebat & Ecclesiæ militare. Cumq; milites Pontificis, reliquasq; vires omnino conterminaret, montem Falisconū in patrimonio, maioremq; Campaniæ & maritimæ Prouinciarum partem sibi subiecerat: & demum illius furore, ac Sfortiæ in patrimonium aduentu, Sabini omnes Pontifici rebellauerant. vt iam breuior narrationis futura sit ratio, quæ in fide perstiterint, quam perdita enumeranti. Viterbienses enim Sfortiæ consentientes, inane dominij nomen Ecclesiæ & Pontifici refutabant; pariter Cornetani faciebant. pariter Sutrini, Anguillariæ Comites, Ceretæ Domini & Rainutius Farneratius. Soli Narnienses, & vicini Interamnenses castellani fidelis Iacobi Mellæ, cui postea Condulmario Pontificis dono fuit cognomē, auxilio, Spoletaniq; munitissimę arcis præsidio, Ortani, & qui Taliacotio, dominabantur Vrsini, ac Immolenses in Romandiola, ea tempestate in fide Pontificis perstiterunt. Nam Perusini in ducatu, Bononienses in Romandiola, licet Ecclesiæ & Pontificis Gubernatores retinuerunt, hostes fuerunt maximis honoribus prosecuti. Magna item Romanorū ad eam diem fuit constantia, quos armentis omnibus, pecuniis quoq; defensioni suę per multos menses oportuit cōtribuere.

Qui in fide perstiterint.

Eo autem in tempore venerunt in vrbem à Basilea Sigismundi Imperatoris, & Caroli Regis Francorum, ac Philippi Ducis Burgundiæ Oratores, ad Pontificem introducti. Frequenti tunc Prælatis, & Romanis Ciuibus Curia, cum solitas singuli à suis Principibus commendationes facillent, constituisse dixerunt, vt spectatæ virtutis Baptista Cigala Genuensis eques, Imperatoris Oratorum alter verba faceret, quæ pari singulis formula à suis Dominis fuissent iniuncta. Is qui iureconsultus esset, vir facundia singulari, huiuscemodi habuit orationem.

XX. *Oratores Sigism. & Reg. Franc. & Duc. Burgund. ad Eug.*

Maxima, Pater Beatissime, *de inuictissimo Imperatore Sigismundo Tuæ Sanctitatis merita, maxima in eum congesta cumulata q; à Tua Beatitudine beneficia, non adeo sunt obscura, vel tractu temporis inueterata vt hoc in loco, istis q; auditoribus recensenda, aut verbis multo longa q; oratione videantur illustranda: quoniam eodem operimur tecto, isdem claudimur parietibus, eisdem obuersamur ædibus, in quibus non multis ante tractis mensibus, magna eorum qui nos corona circumstant frequentissima inspectante Prælatorum Ecclesiæ, Romanorum q; Ciuium parte, illum qui vana illectus spe in Italiam Tibi aduenisset hostis, opprobrio à fœdifragis habitum ex hoste amicum, ex insidiatore fidum reddidisti, & desiderato dudum, frustra q; alter quasi Imperialis culminis ademate, Augusta quoq; appellatione, inaudita omnibus seculis humanitate, ac liberalitate profusissima exornasti. Quam vero hoc tantum, quo nullum maius excogitari potest beneficium, bene locatum, quam fuerit grato homini impensum? & rebus ipsis ostendit hactenus Cæsar tuus, & paucis ego verbis in hac publica multorū audientia demōstrabo, quorum q; maior a, quibus secreto tecum tractandis, summorum christianitatis Principum Oratores aduenimus, certo tibi erūt documento, nihil hoc tempore Imperatori vel maius esse, vel antiquius, quam vt parem Sanctitati Tuæ beneficii rependat vicem, non vt te Romanorum Pontificem, vt tu illum Imperatorem, faciat, sed vt summo olim Cardinalium consensu, & debita institutionum Ecclesiæ, legumq; sacrarū obseruantia creatum, pro virili sua conseruet, augeat, tueatur.*

Verba Baptistæ Cigalæ ad Pont. quibus ostendit falsam esse epistolam quam Philip. fingit sibi à Basileensibus missam spe quæ auxiliorum ab Imp. submittendorum facit.

Decedens Italia, cum multi, quos tuenda Sedis Apostolicæ dignitati in Concilio Basileensi pridem esse voluisset, se se multitudine oppressos superatos q; renunciassent affirmarēt q;, nihil esse spei rei quum, quin scissa miserabiliter Ecclesia concideret, atque interiret honor tuus, nullis, Princeps meus, alpium asperitatibus, nullis longi itineris difficultatibus absterreri potuit, quin ætate grauis, & podagra pene confectus, Basileā mirabili aduolauerit celeritate, & quorundam compressere ora, qui tanta ducerentur cecitate, vt maximo labore à sua maiestate dudum apud Constantiam vrbem quæstiram vnionem Ecclesiæ parui facerent, tollere, dummodo Sanctitatis Tuæ officerem dignitati. Sed hæc Pater Sancte, omnibus nota præterea. Illa attingam, quæ & re centia sunt, & interitissima à Maiestate sua curantur diligentia. Lætipridem ad nos attulerant quamplures nunciį, perditū hunc Nicolaum Fortebraccium post varios in rebus Ecclesiæ concisos motus, post tantas agitationes, eo loci adductum esse, vt nisi fuga sibi consuluisset, ab Ecclesiastico milite opprimeretur: dumq; à iucunda omnes tui flatus & nominis amantissimi penderemus expectatione, ista molestissima nos perculit & examinauit Francisci Sfortiæ in Picenum irruptio. Capit autem admiratio tot populos, sub Ecclesiæ libertate, quam successiuis olim à progenitoribus accepissent seculis nutritos, à viro fortunæ exposito, & sola rapinarum fama cognito, celerius fuisse subactos, quam tantæ magnitudinis prouincia potuerat peragrari. Quærentibus vero & dil genter percunctantibus, quibus adminiculis id esset factum, nunciant ex Italia qui aduenerunt, epistola narrant quotquot perfertuntur, Synodi Basileensis tanti factum esse in Italia auctoritatē, vt vnica eius epistola, imo illius exemplum, quod Sfortia & Fortebraccius præseferant, omnibus omnis ficis & Romanæ Ecclesiæ copiis prætulerint, Ducemq; Mediolani præten-

so Vicariatus Concilij in Italia titulo, Sfortiam, Fortebracciumq; substituisse, qui prophanarum Ecclesiæ rerum statum recipiant, Pontificemque Eugenium ad exitium persequantur. Hunc populos qui Ecclesiæ afficiuntur, paucis verbis in sententiam adduci, vt Ecclesiam molestius sub Pontifice agitatam deserentes, Basileensi cœtui per arma illius Ducis potenti consentiant. Eum vos, Pater Sanctissime, vosq; qui circumstatis omnes audite. Eum Ducis Mediolani dolum audiens Imperator, vehementi dolore affectus, congregationē ex more vocandi impatiens, vicos, comptta, Basilicasq; percurrens, obuios, accitosq; è domibus quosque interrogat, scisitatur, quidnam hoc esset, quod malo natu desolationiq; Italiæ & Christiani nominis Philippus Vicecomes, auctoritate Basileensis Synodi gereret in Italia: quis confecisset epistolas. Et quia singuli sese inscios dicerent, cultui vacare, congregatis ex more nationibus, ad Deputatos retulit. Tandemne non solum Cæsaris, sed Principū christiani nominis omnium qui aderant Oratorum, maxima cum doloris indignationisq; significatione accuratius exquisita, nullas à Synodo Duci Mediolanensi datas esse litteras, nulla Vicariatus decreta fuisse concessa reperiri potuit. Hinc q; maiori, quæ secreto acturi summus tractare in Italiam venturis data sunt, instante Imperatore, à Synodo publica, à singulisq; Principum Oratoribus priuata, ad Tuam Sanctitatem mandata, vt Synodum, Principes, Nationes à crimine, quod an falso obiicitur, ab iniusti tanti sceleris nota purgemus. Vt insidiæ, fraudes, doli, contra Sanctitatem Tuam, contra Romanam Ecclesiam, ipsiusq; Prouincias, à quibus struantur, fiant, parentur, in conspectu Sanctitatis Tuæ auditus omnibus, & per loca Italiæ, quæcumq; redeuntes adire poterimus, notum faciamus. Quia tamen, nec breui hinc discedere, alia tecum acturi licet, nec singulas adire poterimus Ciuitates, epistolas mittemus, quas profecturis Serenissimus dedit Imperator, huiusmodi purgationem habentes, spemq; insuper à sua Maiestate inicientes populis, qui destinata ab eo Tuæ sanctitati præsidia constantes expectabūt, nec fraudulentis credent Ducis Mediolani artibus, aut prædonum minis insultibusq; absterrebuntur, quominus Sacrosanctam Tuam Sanctitati & Romanæ Ecclesiæ fidem seruent.

Hæc Cigala quum dixisset: in eandem sententiam pauca etiam dixerūt collegæ; & ad populos, qui aut fluctuabāt, aut in fide persistebant, datæ sunt epistolæ Imperatoris, illa paucis perstringentes, quæ prolixius ab Oratoribus dicta erant. *Blondus dec. 3. lib 5. MS. monumentorum ciuitatis Cornoti apud Fortunum Lælium. Notæ diariæ Romanæ Stephani Infixuræ, & historia familiæ Sfortianæ MMSS. ex Bibliotheca Sfortiana. Platina in Eugenio I V. Simoneta de rebus Sfortiæ lib. 3. Pigna de rebus Atestino. lib. 6. Iustinianus histor. Venetæ lib. 7. S. Antoninus tit. 22. c. 10. §. 1.*

XXI. Pronum fuerat Basileensibus negare, ea quę Philippus Mediolanensium Dux vulgabat, sibi ab illis delata fuisse. Qui tamen acta illorum anno superiore aduersus Eugenium patrata in memoriam reuocauerit, nescio an magis illis quam Philippo fidem adhibebit, ne illum in Italia Vicarium suum in ditionibus Ecclesiæ Romanæ esse voluerint, neue illum in Pontificem armauerint. Si enim superiore anno, quod extat in actis publicis, in Comitatu Venaysino Vicarium præfecerant, & ab obligatione iuramenti omnes Eugenio obnoxios, liberos esse pronunciauerant, & quasi iam exactoras sent illum, tam de electione futuri Pontificis, quam de administratione bonorū Ecclesiæ Romanæ nonnulla præscripserant: nescio, an continuerint, an vero, quod magis verosimile est, impulerint Philippum, iam sua sponte ruentem, ad opprimendum Eugenium. Enimuero, non molliora, ipsi illi, hoc etiam anno, in Pontificiam maiestatem admiserunt, quam antea præsumpsissent.

XXII. *Quam absurda Basileenses etiā hoc anno in Pont. Maiest. admiserint.* Ad 11. Kalend. Febr. nona sessione celebrata, censuras Eugenij, aduersus illos qui cœtui Basileensi adhærarant, ad eoque schismatis & rebellionis rei, virgam Pontificiam meruerant, abrogarunt.

Vndecimo Kalend. Martij, in decima sessione, Eugenium, ad sua subsellia traxerunt, contumaciæ reum peregerunt, & quem non ita pridem summa cum laude sanctitatis vitam traduxisse confessi sunt, quasi multorum criminum obnoxius esset, processum iudiciarium in illum instituerunt.

Quinto Kalendas Maij, non tam innouata, quam per summam temeritatem amplificata, & contra Patrum Constantiensium sensum detorta Constantiensi Constitutione, illum infra se detraxerunt: & quasi inter-Pontificium iam esset, regulas non tantum electoribus futuri Romani Pontificis, sed etiam ipsi futuro summo Pontifici, ingenti impudentia ac insolentia præscripserunt, vtque supremus omnium Pastor, iure iurando præmisso, se in ordinem ipse rediget, & auctoritate dignitateque diuinitus data, sese exueret, modis inauditis conati sunt.

16. Kalend. Iulij, extra sessionem, ne quis Pontifici Concilium dissoluenti obtemperaret, diuulgatis litteris edixerunt. 3. Idus Iulij, in duodecima sessione, iterum contumaciæ nomine accusarunt, monitorias, vt Bononiense Concilium dissolueret, & Basileensi adhæreret, adiecta suspensionis à Paparu pœna, aculeato verborum stylo illi perscripserunt: ac præterea, omnibus, Eugenium, & Romanam Curiam sequentibus, vt illum, illamque desererent, sub grauissimis pœnis & censuris præceperunt.

11. Septembris, cum iam septem Cardinales eo se contulissent, tertio, contumacem Pontificem appellarunt, & terminum intra quem aut veniret, aut acta illorum probaret, illi qui omnes in manu habet, & omnes ligat ac soluit præfixerunt, neque Nuncios Pontificios, qui de nullitate actuum protestabantur, exaudire voluerunt.

7. Idus Nouembris, quasi potuissent frænum illi iniicere, modum & formulam, ex qua actiones eorum probaret, & quasi se infra se deiiceret, confinxerunt. Præstat hæc omnia ex ipsis actis cognoscere; ante quæ, visum est operæ pretium eas litteras quas 16. Kalend. Iulij dederunt, cum in actis Synodalibus non sint insertæ, ad perspiciendam illorum malitiam, vel pertinaciam adscribere.

Ita habent, tomo 4. Concil. editionis Binianæ.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

XXIII. *Basileensis litter. quibus ne quis Pontifici Concil. dissoluenti ab temperet edicunt.*

Speranit hactenus hæc sacra Synodus, per diuturnam patientiam suam posse Summum Pontificem ad ea quærationis & æquitatis sunt aliquando deflectere. Cogitauit diu expectando efficere, vt ipse Summus Pontifex cognita nostra mansuetudine, hoc sacrū Concilium vniuersalem repræsentans Ecclesiam veraciter recognosceret, & illi, quemadmodum tenetur, pure & simpliciter adhæreret, idq; quod scandali & perturbationis causa in Ecclesia fuerat, sine difficultate reuocaret. Credebamus iam aduenisse diem, quo de ipso meliora concipere deberemus, ac dolorem quem vsque nunc ex sua scandalosa dissolutione perpessi fueramus, à modo ex sua humili adherentia conuerteremus in gaudium. Sed quod non sine fletu referimus, spe nostra frustrati sumus, & quotidie maior dolendi causa augetur, quoniam quem tolerando & differendo delinire curauimus, eum in suo proposito duriorem experimur. Præstolati sumus per annum integrum ac dimidium, vt offensam illam dissolutionis grauissimam, quæ notorie vniuersalem læsit Ecclesiam, pœnitendo emendaret, & expectauimus vt Dominus Eugenius pro sua clementia & benignitate, huic sanctæ Synodo se penitus conformando nos omnes consolaretur. Sed quantum, proh dolor aspicimus, maiori indies amaritudine & dolore nos contristat? Quid enim acerbius Ecclesiæ potest accidere, quam quod qui Custos & Caput illius est, deberet eam præ aliis fouere & honorare, ipsam nolit recognoscere, sed quotidie magis contemnat & despiciat? Heu magnam quærelam habet de moderno Pontifice Sancta mater Ecclesia, cuius authoritatem omni studio opprimere satagit, & quo modestius ab ea admonetur & obsecratur, eo pertinacius eam audire negligit. Quam mansuete ac modeste erga eum hæc sancta Synodus, licet grauiter lacessita, se gesserit, nemo est qui tam ignorat. Postquam enim Dominus Eugenius, in notorium Ecclesiæ scandalum, & perturbationem christianæ Religionis, hoc sacrum Concilium tanta sollicitudine institutum, dissoluere conatus est, destinauimus primo nostros Oratores, vt per eos informatus de pluribus scandalis, quæ ex huiusmodi dissolutione secutura erant, ipsam penitus tolleret, & sacrum Concilium, prout inchoatum erat, ad honorem Dei, & auctoritatem Ecclesiæ perfici pateretur, quod cum facere recusaret, ipsum citauimus & monuimus, vt infra quatuor menses, ab ipsa dissolutione desisteret, ac sacro Concilio adhæreret.

Quibus elapsis, licet per Promotores ipsius sacri Concilij, ipsius Domini Eugenij contumaciam accusantes requireremus, vt ipsum, prout iuris erat, declararemus contumacem, & aduersus eum iuris remediis procederemus; instantibus tamen Ambasiatoribus ipsius Domini Eugenij, & in publica sessione nos orantibus, vt in huiusmodi processu supersedere dignaremur, pro tunc; & vsque ad tres menses sequentes distulimus. Quibus transactis, licet merito ad

suspensionem ipsius, tamquam incorrigibilem, & notorie scandalizantem Ecclesiam, ab omni administratione Papali procedere potuissemus, minus tamen secum agentes, ipsum iterum monuimus ac citauimus, & ex parte Omnipotentis Dei præcepimus, vt infra sexaginta dies prætensam dissolutionem omnino reuocaret, & huic sacro Concilio, publice, pure, ac simpliciter, & cum affectu adhæreret. Quo adueniente termino, interim per Promotores Concilii, ipsius Domini Eugenii contumaciam fortius accusantes, instantius requisiti fuimus, vt amplius tam notoriæ contumaciæ non parcentes, partes iustitiæ exequeremur. Decreuimus nihilominus aliquandiu supersedere, expectantes si forte per tam exuberantem Concilii mansuetudinem ad cor reuerti, & demum resipiscere vellet. Interim ante vos tres, ac Dominum Episcopum Ceruiensem ad nos Ambasiatores transmisit, cum quatuor diuersarum facultatum bullaris litteris, loco instructionum eis datarum, quæ cuique videnti, non paruam admirandi occasionem præbuerunt, ira variis cautelis & inuolutionibus plenæ, non quasi res ecclesiastica inter ecclesiasticos, sed vt res prophana inter mercatores tractaretur. Prima autem instructio erat, vt ad ciuitatem Bononiensem accederemus, quam si non acceptatemus, succedebat secunda, vt alium in Italia locum pro futuro Concilio eligeremus: quod si nobis non placebat, offerebat tertiam ad arbitrium duodecim prælatorum, ac Ambasiatorum principum hic existentium quibus, an eiusmodi petitio iusta foret, committeretur, qui si declararent, Christianitati Concilium expediret in Alemania celebrari, fieret cum modis & conditionibus in sequenti instructione expressis. Quarta autem instructio erat, vt si nihil prædictorum nobis placeret, facultatem haberemus eligendi vnam de Ciuitatibus Alemaniæ, Basileæ tamen semper occlusa. Quod autem ex his non solum dissolutio sublata non sit, sed magis firmata, ac monitioni huius sacri Concilii nullatenus paritum, ita manifestum est, vt probatione alia non indigeat, quinimo & vos ipsi Ambasiatores conati estis non nullis rationibus, quamquam friuolis, probare, hoc Concilium non fuisse rite inchoatum: & tanquam tempore decreto non inceptum, lapsu temporis expirasse, atque etiam si rite congregatum fuisset, licuisse Papæ sua potestate id dissoluere. Quibus nomine sacri Concilii responsum est, & luce clarius probatum, sanctum hoc Concilium legitime extitisse inchoatum, necà Romano Pontifice sine ipsius Concilii consensu dissolui potuisse: quodque cum honore Dei & ecclesiæ prædictis bullis rem illicitam, & valde absurdam petentibus, nullatenus Concilium posset annuere. Post hæc fama publica referente ad nostram peruenit notitiam, ipsum Dominum Eugenium quasdam litteras decimo sexto Calendas Martii, duobus videlicet diebus ante finem dictorum sexaginta dierum in publico promulgasse consistorio, de quarum tenore postmodum certiores effecti fuimus, per nuncios Dominorum electorum Imperii, qui publica Congregatione nostra illas perlegi voluerunt; Harum litterarum hic est affectus, quod ipse Dominus Eugenius statuit, vt Basileæ Concilium per suos legatos quanto citius transmittendos celebretur. Interim vero Basileæ conuenientes, ad reductionem Bohemorum ad fidem Catholicam, pacemque inter cunctos Christi fideles tractandum, vult esse intentos. In principio autem dictarum litterarum exprimitur, quemadmodum, per felicis recordationis Martinum Papam Quintum, Cardinalis sancti Angeli principaliter destinatus fuisset, ad extirpandam hæresim Bohemorum, cum potestate in Basileensi Concilio præsidenti, si in tempore congruo & decreto, prælatorum ibi condecentem copiam reperiet, quod ipse Cardinalis satis dilucide confutauit, asserens sine vlla conditione, sibi iniunctum fuisse, vt ipse Concilio præsideret quemadmodum ex litteris ipsius Domini Martini euidenter apparet, nec aliud à dicto Domino Martino in mandatis habuisse, nisi hoc solum, & bina vice repetitum vt bene faceret. Quo vero ad tempus decretum, quia ipse Dominus Eugenius intelligit necessarium fuisse, vt statim & immediate post septennium à fine Concilii Senensis, Concilium Basileense inchoari debuerit, præfatus Cardinalis explicauit, qualiter nec à iure communi hoc cautum est, nec mens Papæ Martini, qui primo voluit intendendum fore ad expeditionem militarem congregandam contra Bohemos, quam vt Basileam ipse Cardinalis pergeret, nec intentio istius Domini Eugenii, qui multis post mensibus ipsi Cardinali per suas litteras iniunxit, vt expedito negotio Bohemorum, Basileam pro Concilio celebrando accederet, fuitque statim post septennium Concilium opus inchoari. Iustificare etiam conatur præfatus Dominus Eugenius causas propter quas; dissolutionem præfatam fecisse se asserit: quas non fuisse sufficientes, nec sic se habuisse, in responsione data primis Ambasiatoribus clare continetur. Per has autem litteras nemini videtur aliquo modo satisfactum esse monitioni & requisitioni nostræ. Non enim recognoscit fuisse aut esse Concilium, sed statuit vt celebretur per legatos, quantocitius transmittendos. Ante igitur quam legati veniant, & Concilium inchoetur, secundum has litteras Concilium dici non poterit: quod ex illa clausula manifestius constat, quæ dicit: Interim enim Basileæ conuenientes ad reductionem hæreticorum & pacem volumus esse intentos. Si enim interim intelligeret esse Concilium, non posset ipsum ad duos tantum casus restringere, cum & de reformatione, & de quibuscumque negotiis totius ecclesiæ, facultatem habeat Concilium generale. Quod si interim (vt prædictum est) intelligit non fuisse Concilium, subsequenter dicendum est, non esse dissolutionem sublatam, neq; impedimento est quod dicat. Volumus vt dicta dissolutione non obstante, Concilium per legatos transmittendos celebretur: quoniam ista clausula futurum dumtaxat respicit Concilii celebrationem per legatos faciendam, non autem Concilium iamdiu inchoatum. Hic enim non reputat esse Concilium. Vnde clausula ista, *non obstante*, non solum vere tollit prædictam dissolutionem, sed firmat, sicut exceptio alicuius casus ab aliqua regula, extra illum casum firmat regulam. Cum ergo non reputet esse Concilium ante aduentum legatorū & celebrationem per ipsos faciendam, nec dissolutionem quoad præterita, tollat: quis non iudicet ipsum non parere mandatis Concilii, quibus cautur, vt pure, simpliciter & cum effectu adhæreat? rei enim quæ secundum eum non est, adhærere non potest. Sed vos oratores, euidenter cognoscentes per has litteras decreto Concilii minime fore satisfactum misistis, vt ipsi asseruistis in deputationibus huius sacri Concilii, præfatum Dominum Episcopum Seruiensem, supplicaturum Papæ, vt decreto prædicto satisfaciat, post cuius Episcopi ab hinc recessum, per duos menses & amplius hoc sacrum Concilium procedere distulit, nonnulli enim ex patribus sacri Concilii, sperabant perfectam adhærentiam adueniente dicto Domino Episcopo Seruiensi, assecuturam, sed nec propterea amplius factum esse cognoscimus, imo quotidie nobis manifestius innotescit, Dominum Eugenium in suæ dissolutionis proposito firmiter perdurare. Misit enim tandem nonnullas litteras, & in quibusdam ex eis, quatuor nominat designatos legatos Cardinales superuenturos ad præsidendum: in aliis, quinque prælatos, in aliis præfatum Dominum Cardinalem sancti Angeli, simul cum prædictis deputatis, & in omnibus his facultas data refertur ad litteras datas decimo sexto Calendas Martii, in quibus, non vetus approbatur Concilium, sed nouum per legatos indicendum expectatur. Scripsit præterea nobis, nominandum sacrum Concilium, O vtinam recta id diceret intentione, quod quidem nos facile crederemus si huic nominationi reliqua consonarent, aperientes enim litteras legimus tale principium: Postquam statuimus in Ciuitate Basileensi debere Concilium celebrari, de hoc statuto cautum est in litteris decimo sexto Calendas Martii, sed in illis vt prædictum est, nouum expectatur Concilium indicendum, nec nunc dicit quod iam statuerit, sed quod statuit debere celebrari, quæ verba futuram celebrationem expresse significant. In his etiam litteris refert se ad facultatem datam legatis, & in huiusmodi facultate ad prædictas litteras decimo sexto Calendas Martii se refert. Quicquid ergo in omnibus litteris dicitur, intelligendum est de futuro Concilio per legatos celebrando. Sed & non mediocriter facultas data legatis nos admirari compellit, in qua negotia quæque vniuersalis

Ecclesiæ per dictos præsidentes expedienda mandantur cũ consilio Cõcilii, quæ verba iuxta significationem propriam; aut regulas iuris Canonici & Ciuilis, innuunt, vt consilium Concilii peti duntaxat; non autem sequi oporteat. Igitur si concilium consuleret aut dictauerit aliquid Ecclesiæ expedire, & præsidentibus non liceat fieri, secundum eum non licebit. Quid si præsidentes nihil eorum, quæ ad fidem vel generalem reformationem ecclesiæ pertinent, aut aliquid quod fidei vel bonis moribus contradicat, agere decreuerunt, Concilium ergo prohibere non poterit? Ergo de iudice fiet Consiliarius? Quid si præsidentes totum concilium condemnare, vel iudicare deliberent, secundum hoc contradicere non poterit, ergo de Iudice fiet reus; delatorium esset ergo & falsum decretum illud, tanta maturitate à sanctis patribus in Concilio Constantiensi digestum, in quo cauetur, quod quilibet cuiuscumque dignitatis, etiamsi Papalis statutis, mandatis & decretis Concilii generalis obedire teneatur in his quæ pertinent ad fidem, extirpationẽ schismatis & vniuersalem reformationem ecclesiæ in capite & in membris: quod si non obediuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. Secundum hoc non solum præsidentes, sed & Papa obnoxius est decretis & præceptis Concilii. Ergo potius Concilium cum consilio Papæ vel præsidentium, quam è contra negotia ecclesiæ concludere debet, quod si in verbis memoratæ facultatis stare oporteret, vt quid hic conuenissemus, acturi præcipue de reformatione capitis, à quo primum reddi rationem decet? cuius languor si curatus non fuerit, totum corpus secundum Beatum Gregorium, infici necesse est, & talem fuisse ipsius Domini Eugenii mentem, in hoc videlicet Concilio capitis non esse faciendam reformationem, verba illa satis innuunt in fine ipsius facultatis posita, videlicet, agendi, tractandi, disponendi, statuendi, declarandi, decidendi, & concludendi, quæ in præmissis & circa ea pro statu nostro & eiusdem Ecclesiæ ac salute animarum fidelium, &c. nec non reformatione in omnibus membris suis noueritis expedire, talibus enim litteris ratio nulla assentire persuadet, nec dicere vllo pacto possumus, ipsum satisfeciſſe monitioni nostræ. Alioquin fatemur hoc non fuisse Concilium, & gesta in eo, esse irrita: & communiter Ecclesiam quam hic esse omnes reputauimus & merito reputamus, non fuisse ecclesiam, & nos omnes extitisse schismaticos, quod si hoc Cõcilium infringi pateremur, vacillaret profecto præteritorum Conciliorum authoritas & præsertim Constantiensis, à quo istud dependet, & secundum cuius decreta hoc institutum est. Nam si fateamur aliquod Concilium reuocari in dubium eadem ratione de cæteris hæsitari poterit; Quid ergo roboris & firmitatis in ecclesia remanebit, si sacrorum Conciliorum mutabitur authoritas, per quam post sacra Euangelia quidquid fidei habeamus elucidatum est? Absit à nobis vt tale pestiferum vulnus ecclesiæ patiamur inferre. Præter hoc, & aliud enorme præiudicium sequeretur, quod tam Concilium illud quod nouiter ipse Eugenius celebrari instituit, quam alia futura, Romanis Pontificibus in ipso limine nullo contradicente, dissoluere fas esset: ex quo quanta possunt mala succedere, quis satis enarrabit si insurgant in ecclesia hæreses, errores, superstitiones, vitia, deformitates ac bella, & cærera omnia quæ Christianam religionem perturbare possint, & in præcipitium deducere, si Papa velit ecclesiam incorrigibiliter ac notorie scandalizare, ac deuorare plebem Domini, sicut escam panis, & fidem Catholicam tandem peruertere: Concilium vel non congregabitur, Papa prohibente: congregatum, eo mandante dissoluetur. Cassetur igitur Concilium Constantiense, & decreta sanctorum Patrum, quæ declarant in his quæ vniuersalem statum ecclesiæ concernunt, Papam nihil posse immutare. Fruſtra enim membranas occupant si vnico verbo Papa potest illa irritare, & quod deterius est authoritate ecclesiæ talia posse videretur, Si post huiusmodi contradictionem, inter Concilium & Papam actam, Concilium quasi victum liti cederet, & ipsum & alios Romanos Pontifices in possessione dissoluendi Concilia poneret; quæ tandem spes erit quo præfatus Dominus Eugenius decreta huius sacri Concilii seruet, & seruari faciat, si ipsum Concilium spernat recognoscere? quibus etiam remedii vti poterimus vt statutis hic promulgandis non contraueniat, si ipsum Concilium per quod statuta fiunt, irritari patiamur? Mori malumus quam tanto errori per ignauiam cedere; si maiores nostri pro legibus paternis viriliter decertare & mori statuerunt, cur nos sic erimus degeneres, vt pro conseruatione vniuersalis ecclesiæ idipsum non faciamus? si de priuatis rebus ageretur, ac personalem pateremur iniuriam, esset forte cedendum: & patienter propter Deum ferre laudabile foret. Iniurias autem Dei impune tollerare iuxta Beati Chrysostomi sententiam nimis impium foret. Hic articulus de quo disceptamus, fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest. Si Dominus Eugenius sanctam Ecclesiam non audierit, quam hoc Concilium repræsentat, oportebit tandem haberi vt ethnicum & Publicanum. Si Ecclesiam amplius offendere non vult, recognoscere necesse habet hoc verum fuisse & esse Concilium, ipsumque dissoluere nequiuisse, & illi pure & sine simulatione adhærere. Si vult vt de ipso bene concipiamus, desinet tot bullis, totque inuolutionibus & se & nos defatigare. Ista enim magis difficultates augent. Si declarasset hoc Basileense Concilium, per statuta, generalium Constantiensis, & Senensis Conciliorum, ordinationemque Domini Martini & suam inchoatum, verum semper & sine interruptione fuisse & esse Concilium, & illi pure & simpliciter adhæsisset, dissolutionem prætensam iuxta decreti nostri tenorem reuocasset, suo debito honori satisfeciſſet: reddidisſetque se Deo & hominibus gratum, & quid quid cum Deo possemus, sicut alias oblatum est, libenter faceremus, sicut ei semper offerimus. Ex prædictis igitur iustissimis cautis admirandum non est, si vos in præsidentes non admittimus, paratos non offerentes, cum præfatus Dominus Eugenius suum debitum fecerit, cum omnia modestia debitum nostrum facere. Alioquin si secus fieret, & Deum & ecclesiam, & ipsam fidem grauiter offenderemus, multisque scãdalis daremus, & nunc & futuris temporibus occasionem. Iam omnibus constat iustitia & veritas; quas nos defendimus, & quam mansuete, & patienter tanta temporis prolixitate ipsas apud Dominũ Eugenium prosecuti sumus. Testis est Christianus orbis, patientiæ & mansuetudinis nostræ. Nunquam in annalibus legitur Romanum Pontificem notorie scandalizantem Ecclesiam tam suppliciter obsecratũ, tam instanter monitum, & requisitum, & tandiu, sicque patienter ab ipsa ecclesia expectatum, cogit nos amodo zelus domus Dei & Catholice veritatis defensio vehementius insurgere & acriora contra induratum morbum adhibere remedia. Oramus tamen omnipotentem Deum, vt cor præfati Domini Eugenii emolliat ad consentiendum iustis sanctæ matris Ecclesiæ monitionibus, ne horrendũ illud iudicium incurrat quod Dominus scandalizanti vnum de pusillis suis minimis comminatur. Datum Basileæ in congregatione nostra generali decimo sexto Calendas Iulii. Anno à natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio.

cum

SESSIO IX.

In qua Concilium recipit Sigismundum Imperatorem.

XXIV. *Ianuarij Die 22. An. 1433.*

SAcrosancta generalis synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Inter iustitiæ opera nil iustius, nilque dignius esse constat, quam eos, qui pro vniuersalis Ecclesiæ vtilitate solicitudinis studia, vtilesque labores impendunt, ac puro mentis affectu solertibusq; vigiliis Ecclesiastica iura tuentur, ipsius Ecclesiæ munire præsidiis, aduersus ea præsertim incommoda, quæ in eos pro impensis Ecclesiæ Dei obsequiis moliuntur. Cum itaque charissimus Ecclesiæ filius & eiusdem fidelissimus aduocatus, Sigismundus, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex pro vniuersalis Ecclesiæ vtilitate, huius sacri Concilii generalis ipsam repræsentantis protectionem in se suscipiens, ipsique constanter adhærens, suæ laudabilis solicitudinis studiis virtuosisque laboribus, tam cum Domino Eugenio Papa quarto, vt attestatum dissolutionem ipsius Concilii reuocando ipsi Concilio adhæreret, quam etiam cum Christianitatis principibus, & prælatis, dominisque & communitatibus, ipsius sacri Concilii fauorem & augmentum studuerit & studeat multifariè promouere: idcirco dignæ gratitudinis vicem rependens hæc sancta Synodus, eundem sibi specialis protectionis suo munimine suscipit, nec non quoscunque processus, etiam priuationem regnorum prouinciarum, dominiorum, & quarumlibet dignitatum forsan continentes, contra præfatum Romanorum regem factos, aut etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, aut aliis quibuscunque per ipsum Dominum Eugenium Papam, aut alium eius nomine prolatos, vel in posterum quouis modo faciendos, aut etiam proferendos, authoritate omnipotentis Dei cassat, irritat, & annullat, ac, si de cætero attententur, fieri nunc pro tunc cassos & nullos esse decernit, ac nullius existere roboris vel momenti. Vniuersis autem Christi fidelibus etiam sub pœnis latæ sententiæ excommunicationis & priuationis dignitatis cuiuslibet ecclesiasticæ vel mundanæ interdicit, ne quispiam ipsi domino Eugenio Papæ aut alteri eius nomine, circa processus huiusmodi factos vel fiendos, aut eorum executioni quouis modo obedire, vel parere præsumat. Quinimo præfato Regi quilibet obediat, & parere teneatur, sicut prius de iure tenebatur, ac si dicti processus nunquam emanassent, vel etiam emanarent.

In eadem sessione cassat synodus processus contra ducem VVilhelmum protectorem Concilij, & alios adhærentes Concilio.

XXV. Et insuper pari modo quoslibet processus per præfatum dominum Eugenium Papam, aut alium eius nomine, contra quoslibet alias personas cuiuslibet gradus, status præeminentiæ & honoris extiterit, etiamsi si regali, regnali, ducali, aut alia quauis præfulgeant dignitate, & præsertim contra dilectum Ecclesiæ filium nobilem virum Wilhelmum ducem Bauariæ, huius sacri Concilii nomine præfati Regis Romanorum protectorem, nec non Ciuitates, vniuersitates quarumcunque ciuitatum & terrarum, & maxime Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subiectas, vicarios quoque rectores gentium, armigerorum & capitaneos officiales & singulares personas earundem, huic sanctæ Synodo adhærentes factos & prolatos, vel in posterum faciendos aut proferendos, etiam contra similes personas, ciuitates & vniuersitates, quæ in futurum adhærebunt, postquam ad hæserint, hæc sancta synodus cassat, irritat & annullat: & si in futurum fieri attententur, nunc pro tunc cassos & nullos esse decernit, ac nullius existere roboris vel momenti. Vniuersis quoque CHRISTI fidelibus, etiam sub simili pœna latæ sententiæ excommunicationis & priuationis dignitatis cuiuslibet ecclesiasticæ vel mundanæ interdicit, ne quispiam ipsi Domino Eugenio Papæ, aut alteri eius nomine, circa processus huiusmodi factos vel fiendos, aut eorum executioni quouis modo obedire vel parere præsumat. Celebrata fuit hæc Sessio die vigesima secunda Ianuarii, Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio. Lecta & publicata per reuerendum patrem & Dominum, dominum Franciscum Episcopum Cumanum, celebrante reuerendo Domino Patriarcha Antiocheno.

SESSIO X.

XXVI. *Die 19. Feb. 1432.* ANno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, indictione vndecima, die vero Iouis decima nona mensis Februarii celebrata fuit Sessio decima in naui ecclesiæ Basileensis. In qua post Missam de Spiritu sancto per reuerendum in Christo patrem Dominum Matthæum Albiganensem solenniter decantatam, orationibusque', litaniis, Euangelio secundum Matthæum: *Matth. 19* *Dixit Simon Petrus ad Iesum, Ecce nos reliquimus omnia &c.* aliisque suffragiis cum hymno, *Veni creator Spiritus*, decantato, assistentibus & præsentibus in eadem quadraginta sex prælatis in mitris eorum planis, de quorum numero tres presbyteri, & duo diaconi Cardinales, in vtrisque lateribus collocati extiterunt. Nec non illustrissimo principe Domino Wilhelmo duce Bauariæ &c. huius sacri Concilii protectore, vna cum aliis quampluribus, honorabilibus vtriusque tam spiritualis quam sæcularis status personis, ex iniuncto sibi mandato pro parte ipsius sacræ Synodi, reuerendus in CHRISTO pater Dominus scilicet *Crimanus Episcopus ambonem ad hoc ordinatum ascendens, decreta infra scripta de verbo ad verbum alta & intelligibili voce legit, & solenniter publicauit. *German. *Cuman.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis, in spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Pridem in octaua Sessione huius sacri Concilii in decreto citationis Domini Eugenii Papæ Quarti, clausula quædam infra scripti tenoris adiecta fuit, videlicet adiiciens, quod si dictus Dominus Eugenius Papa præmissis parere contempserit, & dicto tempore sexaginta dierum pendente aliquas promotiones fecerit ad carhedrales ecclesias vel ecclesiasticas dignitates, vel alia quæcunque beneficia vel officia, in fomentum dictæ suæ prætensæ dissolutionis, & euentationem, diminutionem seu impedimentum huius sacri Concilii, de quo ipsius sacri Concilii arbitrio iudicabitur, an factæ fuerint in fomentum tales promotiones, hæc sancta Synodus cassat, irritat, & annullat. Hanc autem clausulam pro tuitione huius sacri Concilii & personarum eidem adhærentium, hæc sancta Synodus extendit, & vires habere vult, vsquequo per ipsam sanctam Synodum super hoc aliter fuerit ordinatum.

Extensio decreti quod incipit, Ambitiosorum.

XXVII. Ex eadem etiam causa decretum illud, quod incipit, Ambitiosorum, &c. in eadem Sessione promulgatum, hæc sancta Synodus extendit ad personas collegiorum, capitulorum, monasteriorum, & conuentuum, seu alias quascunque, quæ aliquem admittere seu recipere præsumpserint in possessionem dignitatum, officiorum, vel beneficiorum personarum, quæ in dicto decreto exprimuntur.

Accusatio contumaciæ Papæ.

XXVIII. Deinde dictis decretis pronunciatis, promotores præfatæ sanctæ Synodi, per oraculum magistri Henrici de Behenheym officialis curiæ Basileensis, &c. contumaciam Domini nostri Papæ Eugenii Quarti accusarunt, prout in schedula continetur, cuius tenor sequitur, & est talis: Reuerendissimi reuerendique patres & Domini, cum iamdudum de mense Aprilis proxime præterito, in publica Sessione hæc sancta Synodus exorasset, monuisset, ac debite omni cum instantia humiliter requisiuisset Dominum Eugenium Papam quartum, vt illam suam prætensam dissolutionem huius sacri Concilii alias per ipsum factam, sicut de facto processerat, de facto etiam reuocare deberet, ac ipsam etiam reuocationem, quemadmodum & dissolutionem huiusmodi prætensam, per diuersas mundi partes transmitteret & publicaret, ac ipsi sacro Concilio Basileensi (sicut tenebatur) assisteret fauoribus opportunis, fuerit quoque statutus exinde sibi terminus quatuor mensium ad veniendum personaliter, vel alias personas idoneas mittendum ad hoc sacrum Concilium cum plena potestate ad omnia & singula peragenda in hoc sacro Concilio, prout hæc latius in decretis ipsius sanctæ Synodi continetur, & dicto ter-

mino

mino quatuor mensium aduenient, fuerit per nos sæpe dictæ sacræ synodi promotores & procuratores, ac nomine eiusdem coram vestris reuerendissimis paternitatibus ipsius Domini Eugenii, nullatenus in præmissis parentis, contumacia debite accusata, petitumque ipsum contumacem declarari. Et licet tunc sancta synodus solita vtens mansuetudine, huiusmodi petitionem nostram non spreuerit, neque contumaciam petitam declarauerit, producta tamen nostra assumens, interloquendo se deliberare velle decreuit. Quæ quidem deliberatio per tres menses exinde subsequentes perduravit, per quos hæc sancta synodus ad omnem eius grauitatem & mansuetudinem in procedendo clare ostendendum, ipsi domino Eugenio expectato, si forte resipiscere, etin præmissis, nec tamen adhuc parente, die decimooctauo mensis Decembris proxime præteriti in publica sessione cum adhuc viderent præfatum Dominum Eugenium in priori sua contumacia perdurare, ac etiam quod longe deterius erat, hoc sacrum Concilium subuertere variis modis sa tagere, nec non quandam congregationem sub nomine generalis Concilii in præiudicium & euersionem huius sacræ synodi indicere, ipsum per sunm decretum solenne iterato ad superabundantem cautelam, & vt in magis manifesta constitueretur contumacia, omni cum reuerentia admonuit, exhortata est, ac eidem ex parte omnipotentis Dei præcepit atque mandauit, quatenus infra 60. dies à dicta die decimaoctaua mensis Decembris subsequentes prædictas prætensas dissolutionem & conuocationem congregationis sub nomine generalis Concilii publice reuocaret, huicque sacro Concilio publice pure & simpliciter adhærerer, realiter & cum effectu: alioquin hæc sancta synodus absque vlteriori monitione seu citatione contra ipsum super præmissis & omnibus aliis in ipso sacro Concilio peragendis vsque ad finem debitum inclusiue procederet, prout Spiritus sanctus dictaret, & tam de iure diuino quam humano foret procedendum. Verum reuerendissimi reuerendique patres & domini, cum præfatus dominus Eugenius, dictis 60. diebus iam elapsis pro vltimo & peremptorio termino sibi quo ad præmissa assignatis, circa omnia & singula sibi per hanc sacram synodum (vt est præmissum) præcepta & mandata negligentem se reddiderit, & minime paruerit, imo in eius priori contumacia (quod dolenter referimus) adhuc perseueret & perduret, nos duo, magister Hugo & ego, promotores & procuratores prædicti, ad probationem & iustificationem omnium & singulorum præmissorum pridie in generali congregatione in domo Prædicatorum 17. huius mensis habita producentes & repetentes omnia & singula instrumenta & decreta, acta *actitata, & munimenta in præmissis facientia, & maxime primæ monitionis & requisitionis cum executione earundem debite facta, nec non eiusdem domini Eugenii contumaciam alias accusatam, ac decretum huius secundæ citationis cum eius debita publicatione & executione prout hæc omnia latius apud acta huius sanctæ synodi sunt conscripta, præfati domini Papæ contumaciam accusauerimus; debita cum instantia requirentes, vt eundem vestræ reuerendissimæ paternitates pro contumace haberi vellent & reputari: contraque eundem super præmissis & omnibus in hoc sacro Concilio peragendis vsque ad finem debitum inclusiue, sine vlteriori citatione, prout Spiritus sanctus dictaret, procedere: nec non certam diem professione publica habenda ad huiusmodi contumaciam solemniter accusandam deputare, & locum congregationis generalis fore habilem pro huiusmodi actu contumaciæ accusatæ, declarare dignarentur: vestræque reuerendissimæ paternitates post nonnullas deliberationes dictum locum congregationis ad hoc habilem & idoneum ad præmissa decernentes, & declarantes, pro præmissa contumacia per nos accusanda, hanc diem, necnon & sessionem publicam præsentem nobis misericorditer statuere & assignare decreuistis prout hæc omnia in supradictis actis huius sacri Concilii plenius continentur, ad quæ, quo ad hoc, nos referimus. Vnde reuerendissimi reuerendique patres & domini, iuxta prædictam sessionis publicæ assignationem, nobis (vt præfertur) gratiosius concessam, nos prædicti promotores itato cum ea qua possumus & debemus instantia, apud reuerendissimas dominationes vestras & coram hoc sacro Concilio, præfati domini Eugenii Papæ super omnibus & singulis in dictis citationum decretis contentis, contumaciam accusamus, petentes & eadem cum instantia requirentes, vt reuerendissimæ paternitates vestræ (prout iustitia suadet, & ordo iuris postulat & rationis) declarent ipsum dominum Eugenium in præmissis contumacem, ac pro taliem habeant & reputent, & insuper contra ipsum super præmissis & omnibus aliis in hoc sacro Concilio peragendis vsque ad finem debitum inclusiue, sine vlteriori citatione (prout Spiritus sanctus dictauerit) de iure diuino pariter & humano fuerit procedendum, procedi, ac prout in huius sacræ synodi decretis plenius continetur. Qua siquidem contumacia (sicut præfertur) in scriptis accusata, reuerendissimus pater dominus Cardinalis legatus *pro & nomine sacri Concilii inunxit reuerendis patribus dominis Vticensi & Nouariensi episcopis, quatenus ad valuas eiusdem ecclesiæ irent, ad inquirendum vtrum sanctissimus dominus noster Eugenius Papa Quartus, cuius contumacia nunc per promotores fuit accusata, aut aliquis alius eius nomine esset ibidem, qui vellet comparere coram sacrosancta synodo ibidem existente, facturus & adimpleturus illa ad quæ per duas citationes seu moniciones citatus seu monitus fuit. Qui quidem duo domini Episcopi de mandato quo supra, assumptis etiam nobis notariis infrascriptis, ad easdem valuas iuerant, alteque & intelligibili voce per organum præfati domini Episcopi Nouariensis trina voce proclamauerunt, inquirentes prout eisdem per dictum dominum legatum nomine dicti sacri Concilii fuerat iniunctum, petentes à nobis notariis publicũ instrumentum ad perpetuam rei memoriam, &c. Qua sic facta trina proclamatione, nemineque pro dicto domino Eugenio comparente, ad præsentiam eiuldem sacri Concilii in eadem ecclesia constituti, redeuntes, retulerunt, prout supra, proclamasse, necaliquem nomine prædicti domini Eugenii coram eis comparuisse. Post quam quidem relationem promotores sacri Concilii per organum domini officialis Basileensis proponentes, dixerunt in effectu similia verba: Reuerendissimi reuerendique patres & domini, audiuerunt vestræ reuerendissimæ paternitates relationem per dominos Vticensem & Nouariensem Episcopos factam, & quia præfatus dominus Eugenius, licet debite vocatus & expectatus, per se vel alium non comparuit, prout neque comparet, eius contumaciam iterum & ex superabundanti accusarunt, trina vice petentes ipsum per sacrum Concilium pro contumace reputari, & declarari, reproducentes & repetentes acta & decreta huius sacri Concilii Basileensis, nec non duas citationes & earum executiones vna cum omnibus actis & actitatis in huiusmodi causa, petentesque diem certam pro sessione publica super huiusmodi declaratione fienda, eisdem assignari. Quibus petitis Dominus Cardinalis legatus & præsidens generalis dicti sacri Concilii & nomine eiusdem, verba sua dirigens ad ipsos promotores, dixit: Venerabiles promotores audiuit hæc sancta synodus relationem factam per præfatos dominos episcopos, & petitionem vestram, idcirco hæc sancta synodus iudices huius sacri Concilii deputat & ordinat ad videndum & ad examinandum processum factum contra eundem Dominum Eugenium, & referant in congregatione generali. Qua facta relatione, sacrum Concilium deliberabit super declaratione contumaciæ & aliis in huiusmodi causa peragendis, ac in sessione super hoc decernenda vobis respondebit. De & super quibus omnibus & singulis supradicti promotores & eorum quilibet, ad perpetuam rei memoriam, petierunt & petiit à nobis Notariis fieri vnum vel plura, publicum * & publica instrumenta. Datum in sessione publica eiusdem sanctæ synodi, in Ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, die Iouis decimanona mensis Februarii, Anno à Natiuitate Domini 1433.

si r. acta, &c.*

for. pro se, &.*

for. vel publica, instrumentum vel.*

SESSIO XI.

XXIX. SAcrosancta generalis synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Quoniam frequens generalium Conciliorum celebratio tamquam agri Dominici præcipua cultura, vniuersalem Ecclesiæ statum concernit, ideo summa cum diligentia intendendum est, vt cunctis obstaculis quæ tam salubrem institutionem impedire possent, accuratè obuietur. Inhærens igitur hæc sancta synodus ordinationi decreti Concilij Constantiensis, quod incipit, FREQVENS, cupiensque, ne scandala, quæ (proh dolor) diebus nostris contigerunt, fututis temporibus in perniciem Ecclesiæ repullulent, statuit & decernit, vt Romanus Pontifex, qui primus in vinea Domini laborare, & alios suo exemplo ad laborandum trahere tenetur, per se vel legatum de latere aut legatos, eligendum vel eligendos, de consilio & assensu non auriculari duarum partium Cardinalium, in Conciliis generalibus debeat interesse: nec non omnes & singulæ personæ ecclesiasticæ quæ de iure vel consuetudine generalibus Conciliis adesse debent, deinceps ad ipsa generalia Concilia tam vigore ipsius constitutionis, FREQVENS, indicta, quam huius sacri Concilii Basileensis, vel alterius futuri legitime congregati authoritate indicenda, sine alia vocatione venire personaliter astringantur, nisi legitimo detineantur impedimento: quo casu, personas idoneas cum sufficienti mandato destinare teneantur. Quod si ipse Romanus Pontifex, & aliæ prædictæ personæ hoc facere neglexerint, aut ipsum Concilium quoquo modo de facto impedire, mutare, prorogare, dissoluere, operam dederint, & infra quatuor menses cum reali satisfactione non resipuerint, ex tunc Romanus Pontifex à Papali, & prædictæ personæ à suarum dignitatum administratione sint ipso facto suspensi. Quæ quidem Papalis administratio ad sacrum Concilium ipso iure deuoluatur. Quod si pœnas prædictas per duos menses post dictos quatuor animo sustinuerint indurato, contra tam Romanum Pontificem, quam prædictas personas, vsque ad priuationem inclusiue, per Concilium generale procedatur.

Constantiensis Concilii sess. 39

XXX. *Quod liberum sit cuilibet venire ad Concilium.*

Statuit quoque hæc sancta synodus, vt non obstante quacumque, etiam Romani Pontificis prohibitione, omnibus quibuscumque cuiuscumque status & conditionis existant, etiam si sint sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, liberum sit ad generalia proficisci. Quodque ipse Romanus Pontifex ad ipsa Concilia generalia accedere volentibus & præsertim prædictis Cardinalibus, licentiam (si petierint) impartiri teneatur.

XXXI. *Declarat Concilium, verbum de prorogatione Concilii: & cassat attentata in contrarium, vel attentanda in futurum.*

Declarat quoque hæc sancta synodus verba illa, videlicet, Nullatenus prorogetur. in dicto decreto posita, ita prohibitiue intelligi, vt etiam per Papã prorogari non possit. Quodque Concilium actu congregatum, dissolui aut de loco ad locum mutari sine ipsius Concilii expresso consensu, per Romanum Pontificem nullatenus possit, cassatque, irritat, & annullat, si quid forsitan contra hæc vel etiam in derogationem aut impedimentum ipsius Concilii generalis, personarumque & prælatorum ac suppositorum eiusdem, per priuationem, translationem, censuraque ecclesiasticas, vel aliter quomodolibet in futurum contigerit attentari.

XXXII. *Quod non dissoluatur, aut mutetur Concilium, nisi de consensu duarum partium cuiuslibet, &c.*

Statuitque ex certis rationalibus caussis, vt præsens Basileense Concilium per neminem, etiam si Papalis fuerit dignitatis, dissolui aut de loco ad locum mutari possit, nisi de expresso consensu duarum partium cuiuslibet deputationis, votis singulorum scrutatis, subsequentique approbatione duarum partium congregationis generalis, similiter scrutatis votis singulorum, ac demum in sessione publica facta declaratione. Obsecratque per viscera misericordiæ IESV CHRISTI, & per aspersionem sui sanguinis pretiosi omnia suppolita huius sacri Concilii tam præsentia quam futura obtestatur, vt ante completam reformationem in capite, & in membris, quantum rationabiliùs fieri poterit, nullatenus dissolutioni consensum præstent, nec loci mutationem fieri permittant, nisi ex causis iustis & manifestis.

Constantiensis Concilii sess. 39 vbi supra.

XXXIII. *Quod locus Concilij eligatur per mensem ante dissolutionem, & declaratur verbum illud, In decennium.*

Iuxta ipsius Constantiensis Concilii ordinationem, vult omnino saltem per mensem ante tempus dissolutionis eligi locum pro futuro celebrando Concilio, declaratque ad abundantiam cautelæ, verbum illud, IN DECENNIVM, in prædicta positum constitutione, sic intelligi debere, vt decennium totaliter compleatur, & eo integre completo, ex tunc facultatem Concilii generalis celebrandi incipere. Quod si casu aliquo contingat, eos qui Conciliis generalibus interesse tenentur, in principio temporis non aduenire, declarat, non propterea dictam Concilii celebrandi facultatem expirare, sed vt* quantocitius commodè fieri poterit, celebretur. Ne autem diu differre possit, statuit, vt per 20. dies ante prædictum decennii tempus completum, vel aliud, si forsitan ex caussa per Concilium præfigi contingat, Romanus Pontifex per se vel legatum aut legatos suos, necnon Archiepiscopus, in cuius prouincia vel diœcesi fuerit Concilium celebrandum, & omnes prælati vicini loco celebrationis Concilii per quatuor diætas vulgares, cessante impedimento Canonico, in propriis personis: vel eo obsistente, per viros idoneos ad hoc vicarios constitutos, adesse teneantur, vt de loci dispositione, & aliis præparatoriis Concilii valeant habere tractatum. Die autem inchoationis Cõcilii generalis præfinita, hi qui ibidem fuerint, Missam de Spiritu sancto solenniter celebrent, & Concilium ex eo die stabilitum & inchoatum esse efficaciter censeatur. Verum propter multas necessitates quæ contingere possunt veniẽtibus ad Concilium, exhortatur hæc sancta synodus eos qui tunc præsentes fuerint, vt ad ardua negotia concludenda, nisi decenti expectatione absentium moderata, congruo interuallo temporis non procedant, sed sic diuino timore præuio procedatur in cunctis cum debita grauitate, sicut tanta magnitudo negotiorum vniuersalis Ecclesiæ exigit & requirit. In his autem casibus, in quibus secundum decretum statuti Constantiensis, Papæ licet locum futuri Concilii de consensu sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium mutare, statuit, vt si Papa id facere negligat, collegium Cardinalium hoc suppleat, ita tamen, vt duæ partes ipsorum Cardinalium consentiant, seruando nihilominus modum qui in dicto capitulo, FREQVENS, continetur. Ipsam autem loci mutationem, si fieri contingat, iurabunt dicti Cardinales, secundum Deum & conscientiam suam illam facere, & ex caussis manifestis in capitulo, FREQVENS, contentis.

** quantocitius.*

Constantiensis Concilii sess. 39 vbi supra.

XXXIV. *Quod electores Papæ, ante ingressum conclauis iurent, quod si quis eorum eligatur, seruabit dicta decreta.*

Vt præmissa facilius executioni demandentur, statuit ipsa sancta synodus, quod electores Romani Pontificis ante ingressum conclauis iurare, Deoque & Ecclesiæ promittere teneantur, quod si contingat aliquem ex eis in Papam assumi, præmissa supradicta decreta, statuta & ordinata seruabit, & posse adimplere realiter & cum effectu curabit, adiiciens, quod quicunque in Romanum Pontificem futuris deinceps temporibus assumetur, inter alia quæ profiteri debet, iuxta decretum Concilii Constantiensis, quod incipit, Quanto Romanus Pontifex, &c. iuret etiam præsens decretum efficaciter obseruare. Quam quidem professionem teneatur postea in primo publico consistorio de nouo facere, profiteaturque, si eorum, quæ in hoc decreto continentur, fuerit violator, nec non ratione cuiuslibet notorii criminis Ecclesiam scandalizantis, iudicio generaliis Concilii se esse subiectum. Hancque professionem tam ipse quam collegium Cardinalium inferant litteris, quas de noua assumptione Papæ per orbem de more transmittent.

In sessione Constant. 39.

Quod publicetur hoc decretum in synodis.

XXXV. Vt tam salutaris ac necessarii decreti nullus possit ignorantiam prætendere, mandati hæc sancta synodus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus metropolitanis episcopis, vt in prouincialibus & synodalibus Conciliis prælatis religionum in suis capitulis generalibus huiusmodi decretum legi faciant & publicari.

Concilium cassat iurisdictionem factam curialibus Romanæ curiæ, ne teniant ad ipsum Concilium.

XXXVI. Cum liberum esse debeat omnibus, ad hoc sacrum Concilium generale, quod vniuersalem repræsentat Ecclesiam, proficisci & consequenter quicquid in contrarium quacunq; authoritate etiam si Papali, statuatur, irritum sit censendum: ideo hæc sancta synodus cassat, irritat, & annullat quæcunque mandata, etiam sub censuris, priuationibus beneficiorum & officiorum, inhabilitationibus ad eadem, & aliis quibuscumq; pœnis facta & fienda, tam per Dominum Eugenium Papam Quartum quam eius cameratium, vel alium eorum authoritate, curialibus & officialibus Romanæ curiæ, vel aliis quibuscumque personis cuiuscunque status & dignitatis existant, ne de curia Romana recedant, per quæ facultas ad hoc sacrum Concilium veniendi, tolli, impediri, vel restringi quomodolibet posset. Datum Basileæ in sessione publica celebrata in ecclesia maiori Basileensi, quinto Kalendas Maij, Anno à Natiuitate Domini 1433.

Die 14. Iulii, tunc feria tertia. 1433.

SESSIO XII.

Decretum citationis contra Papam.

XXXVII In Constantiensi Concily sess. 39. SAcrosancta generalis synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Sancta Catholica Ecclesia in sacro Constantiensi Concilio conueniens, cum animaduerteret neglectum sacrorum Conciliorum, præteritis temporibus occasionem fuisse hæresum, errorum, schismatum ac plurimarum deformitatum in populo Christiano, ipsorumque Conciliorum frequentationem, optimum fore dictarum pestium ac malorum antidotum, diuina inspiratione instituit, deinceps certo modo & tempore generalia Concilia celebrari. Prius autem, ne quisquam de ipsorum Conciliorum potestate hæsitaret, declarauit Concilium generale Catholicam Ecclesiam repræsentans potestatem à Christo immediate habere, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, atque ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Quodque eius mandatis, statutis, ordinationibus & præceptis super præmissis seu ad ea pertinentibus, quicumque etiam si Papalis fuerit dignitatis, obedire contumaciter contemnens, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciendus est, & debite puniendus, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Authoritate igitur memorati Constantiensis Concilii, ac deinde ex instituto sacri Concilii Senensis, approbationeque felicis recordationis Martini Papæ Quinti, & moderni Domini Eugenii Papæ Quarti, hæc sancta Synodus Basileensis legitime congregata, ad opus generalis reformationis Ecclesiæ in capite & in membris, nec non ad extirpationem hæresum, omni cum diligentia in suo primordio procedere decreuit. Sed quoniam absque pace Christianorum principum hæc duo sanctissima opera non facilem executionem habere poterant, professa est etiam ad pacem concordiamque Christiani populi velle totis viribus laborare, quemadmodum hactenus fecit, feciisseque vberius ac forte felicius, nisi grauibus fuisset per præfatum Dominum Eugenium obstaculis impedita. Et quoniam inter Christianos nemo est, cuius pro sua dignitate magis interfit quam summi Pontificis, huiusmodi sacris operibus intendere, hæc sancta synodus à suæ congregationis initio Dominum Eugenium per binas ambaßiatas cum magna instantia deprecata est, vt suas operas consiliaque & auxilia ad ipsum synodum fouendam & promouendam vellet impendere. Cum vero ab ipso Domino Eugenio Papa pro suo pastorali officio omne genus subsidii & suffragii speraremus, lugubri nuncio ad nos perlatum est, hoc sacrum Concilium tam solemniter institutum, & pro tam necessariis negotiis congregatum, in publico consistorio de facto, cum de iure non posset, tentasse dissoluere. Quod nos audientes, tristitia consternati, magnoque mœrore confecti sumus. Nec modo nos sacrum Concilium celebrantes huiusmodi, præterita dissolutio supra modum scandalizauit, sed & omnem populum Christianum, qui tam sanctorum operum fœlicem exitum magno cum desiderio expectabat. Existimans tunc hæc sancta synodus, sinistris informationibus ipsum Dominum Eugenium fuisse circumuentum, mox ad eum venerabilem Episcopum Laudunensem & Decanum Traiectensem oratores destinauit, eidem ostensuros causas prætensæ dissolutionis à veritate procul esse, supplicaturosque vt cum huiusmodi res grauiter ac notorie Ecclesiã perturbaret, plurimæque in Christiano populo exinde calamitates secuturæ essent, ipsam dissolutionem tam scandalose factam, omnino reuocaret, & huic sanctæ synodo, sicut dignitatem suam decebat, cum effectu adhæreret. Sed, istorum oratorum rationibus ac precibus nequaquam motus, eos ad nos vacuos remisit. Quod tam graue ac notorium scandalum hæc sancta synodus ferre non valens, ipsum dominum Eugenium in publica sessione monuit, vt infra quatuor menses prætensam dissolutionem tot scandalorum causam, penitus aboleret. Interim autem & post charissimus ecclesiæ filius Sigismundus Romanorum Imperator illustris tamquam Ecclesiæ fidelis aduocatus, pluribus notabilibus ambasiatis ac crebris litteris ipsum Dominum Eugenium humilime deprecatus est, vt ab huiusmodi Ecclesiæ perturbatione omnino desisteret. Idi, sum etiam, zelo fidei & ecclesiæ succensi quamplures reges & principes, Cardinales ac prælati, tam in curia Romana quam extra, rogando, obtecrando, monendo, sedula cum instantia fecerunt. Et quidem tot preces & requisitiones vndique sibi porrectæ sunt tam pie, humiliter & deuote, vt (quod dolenter referimus) si pax & tranquillitas Ecclesiæ sibi fuisset cordi, nullatenus dissentire potuisset. Circa autem ipsorum quatuor mensium exitum ad nos quatuor oratores transmisit, non vt emendarent, sed errata defenderent, nosque increparent, quod mox tuæ prætensæ non paruissemus dissolutioni. Quibus per responsiones huius sacri Concilii, veritas tam iuris diuini & humani, quod sine consensu Concilii dissoluere nequiuerat, quam facti, quod causæ prætensæ dissolutionis veræ non fuerant, extitit luce clarius patefacta. Transactis his quatuor mensibus, cum in publica sessione promotores sacri Concilii ipsius Domini Eugenii contumaciam accusantes, eum contumacem declarari peterent, sancta synodus à dictis oratoribus exorata, vt supersedere dignaretur pro tunc, & vsque ad tres menses postea distulit. Et cum interim nulla suæ emendationis indicia apparerent, imo quotidie in suo proposito durius perseuerans, innumeris modis, quos honestatis causa reticemus, ipsam sanctam synodum dissipare & euertere conaretur: nos, licet suadente iustitia, acrioribus remediis vti potuissemus, nihilominus mansuetudinis nostræ non immemores, iterum ipsum monuimus, & ex parte omnipotentis Dei præcepimus, vt infra sexaginta dies dissolutionem prætensam prorsus reuocaret, & sacro Concilio pure, simpliciter, & cum effectu adhæreret. Quibus exactis, iterum per promotores Concilii ipsius domini Eugenii contumaciam fortius accusantes, instantius interpellati sumus, vt ad declarationem contumaciæ, & ad pœnas, quas tanta contumacia exigebat, procederemus. Et nihilominus aliquandiu differre decreuimus, si forte tantam sacri Concilii pietatem videns, ipse quoque ad pietatem flecteretur. Interea quatuor alii sui oratores ad nos superuenerunt, varias secum facultates; imo verius difficultates & inuolutiones afferentes, per quas monitioni nostræ nullatenus parebatur, nec prætensa irritabatur, sed potius firmabatur dissolutio. Multa etiam alia in his continebantur non mediocriter absurda, & sacro præiudicialia Concilio, quibus, sine Dei offensa & graui iactura ecclesiæ,

clesiæ, nullatenus assentire poteramus, prout hæc in responsione dictis ambasiatoribus sextadecima die Ianii tradita, diffuse describuntur. Post itaque duos menses, qui decima nona Februarii expirarunt, vsque ad præsentem diem patienter distulimus, sperantes ipsum Dominum Eugenium plenam tandem adhærentiam præbiturum, sed (vt rei euidentia iam demonstrat) quo magis pulsatur, eo amplius suas obturat aures. Et quanto secum benignius ac modestius agitur, eo tenacius in suæ dissolutionis proposito perseuerat: & quantum ex eius verbis factisque colligi potest, nil aliud prætendere videtur, nisi vt ecclesiam perturbet, iusque sibi & successoribus faciat, non solum abrogandi ritum sacrorum Conciliorum & ea pro libito dissoluendi, sed & ipsorum sacratissima decreta spiritu Dei promulgata, à quibus status pendet vniuersalis ecclesiæ, irritandi & abolendi, & præsertim declarationem illam, quod in his quæ ad fidem, extirpationem schismatis, & generalem ecclesiæ reformationem in capite & in membris pertinent, quilibet, etiam Papalis dignitatis, decretis generalis Concilii subiicitur. Ex quibus quot quantaque mala ac scandala ex nunc & in futurum succedere possint, satis omnibus liquet, & in præfata responsione latè exprimitur. Cum ergo iam vltra annum & dimidium, in cassum apud eum laborauerimus, nec nostris aut aliorum precibus & monitionibus flecti velit, nec eum quantacunque mansuetudine ac patientia ad ea quæ pacis & rationis sunt, mouere queant, quid amplius frustra immorandum est? Forsan nostram patientiam putat assensum, & ex longa dilatione fiduciam perseuerandi assumit, quasi arbitretur se recte fecisse, nec ecclesiam in eum quicquam posse, cui nullam irrogare pœnam ausa est. Veremur, ne facilitas veniæ, incentiuum sibi tribuat delinquendi. Timemus, ne si delicta notoria intacta dimittamus, fouere ipsa iudicemur. *Matth. 16. & Mar. 8.* Christus Deus noster cum in Hierusalem pergeret, opus nostræ redemptionis impleturus, & Petrus eum prohibere vellet, compescuit eum, dicens: Vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. *Galat. 2.* Beatus Paulus cum vidisset B. Petrum Apostolorum principem circa obseruationem legalium reprehensibilem fore, & non ambulare ad veritatem Euangelii, restitit ei coram omnibus in faciem, & eum à simulatione, in quam alios deducebat, veritatis zelo repressit, Ecclesia Catholica sæpenumero summos Pontifices, siue à fide delirantes, siue prauis moribus notorie Ecclesiam scandalizantes, correxit & iudicauit, neque vbi de fidei periculo aut scandalo religionis Christianæ agebatur, Romanis Pontificibus pepercit. His exemplis ac rationibus hæc sancta synodus excitata, habens à Deo authoritatem animaduertendi in eos qui ipsam non audiebant, consideransque expedire tam saluti animæ ipsius Eugenii, quam statui vniuersalis Ecclesiæ modernis futurisque temporibus, amodo in dictum dominum Eugenium actoribus remediis, quoniam quidem leniora non prosunt, procedere decreuit. Et quamquam in tam notorie & incorrigibiliter scandalizantem Ecclesiam, statim posset finalem ferre sententiam, nescions tamen maternæ pietatis obliuisci, intuitu etiam præfati sereniſſimi Imperatoris, qui per suas litteras super hoc nos exacte rogauit, adhuc ipsum Dominum Eugenium tertio monere, ac etiam tertiam ei indulgere dilationem proponit, vt in sua potestate sit, si velit pœnam euitare: idcirco hæc sancta synodus præfatum Dominum Eugenium, cum quanta potest instantia & affectu per viscera misericordiæ IESV CHRISTI rogat, orat, obsecrat, monet, citat & requirit, & ex parte omnipotentis Dei vltimo & peremptorie mandat & præcipit, vt prædictam prætensam notorie scandalosam dissolutionem penitus reuocet, & hoc sacrum Basileense Concilium, per Generalium Constantiens. & Senens. Conciliorum statuta, approbationemque felicis recordationis Martini Papæ Quinti, & ipsius Domini Eugenii legitime inchoatum, declaret à tempore huiusmodi inchoationis continuatum fuisse & esse, prosecutionemque semper habuisse, continuarique ac prosecutionem habere debere, & ipsi pure & simpliciter adhæreat, & cum effectu, & huiusmodi reuocationem declarationemque & puram adhæsionem, per suas litteras more Romanæ curiæ bullatas huic sacro Concilio notificet infra sexaginta dies à die præsentis publicæ sessionis immediate sequentes. Quod si dicta omnia & singula infra præfatos dies adimpleuerit cum effectu, hæc sancta synodus ex sua solita benignitate & clementia ipsum Dominum Eugenium, quantum cum Deo poterit, honorare & honorari facere intendit. Si vero (quod absit) in pertinacia perdurans, omnia & singula prædicta inter præfatos sexaginta dies realiter & cum effectu non adimpleuerit, elapsis dictis sexaginta diebus, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, hæc sancta Synodus in virtute omnipotentis DEI, à quo super omnes Christi fideles immediate potestatem vendicat, prædictum Dominum Eugenium manifeste contumacem, notorie, incorrigibiliterque scandalizantem Ecclesiam, ab omni administratione Papatus in spiritualibus & temporalibus, ipso facto suspendit, & suspensum esse declarat, processuraque tandem ad vlteriora, vsque ad tententiam finalem inclusiue, si opus fuerit, ipso Domino Eugenio amplius non citato, prout Spiritus sanctus dictauerit: omnem autem ipsius Papatus administrationem in his omnibus, quæ in spiritualibus & temporalibus ad solum Papam, vel ad solam sedem Apostolicam de iure pertinere noscuntur, eadem sancta synodus post dictum terminum ad seipsam decernit & declarat ipso facto esse deuolutam. Quicquid autem in alio prædicto per ipsum Dominum Eugenium, lapso dicto termino, ratione Papatus factum fuerit & attentatum, decernit irritum & inane. Quo casu omnes reges, principes, communitates, & alios quoscunque cuiuslibet status & dignitatis existant, hæc sancta synodus monet & requirit, & eisdem in virtute sanctæ obedientiæ & sub diuini obtestatione iudicii mandat ac ecclesiasticis vero personis, quacunque dignitate etiamsi Cardinalatus, Patriarchali aut Pontificali præfulgeant, sub pœnis quas ipso facto incurrant excommunicationis & suspensionis ab omnibus dignitatibus, beneficiis & officiis quocunque nomine nuncupentur, etiamsi forent Metropolitanæ aut cathedrales ecclesiæ, siue in titulum siue in commendam obtineant, Vicariis autem gubernatoribus, vasallis, feudatariis & subditis Romanæ Ecclesiæ, sub pœna priuationis ipso facto omnium feudorum & aliorum quorumcunque iurium & priuilegiorum, quæ ab ipsa Romana Ecclesia obtinent, districte præcipit, vt præfato Domino Eugenio, durante prædicta suspensione, prætextu cuiuslibet iuramenti, subiectionis aut promissæ fidelitatis, nullatenus ratione Papatus obediant. Adiicit quoque hæc sancta synodus, quod si præfatus Dominus Eugenius, dicto termino 60. dierum pendente, aliquas promotiones fecerit ad cathedrales ecclesias vel ecclesiasticas dignitates, & alia quæcunque beneficia vel officia in fomentum dictæ suæ prætensæ dissolutionis, & enerationem, diminutionem seu impedimentum huius sacri Concilii, de quo ipsius sacri Concilii arbitrio iudicabitur, an factæ fuerint in fomentum, eadem sancta synodus huiusmodi sic factas promotiones cassat, irritat, & annullat. Mandat præterea in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna priuationis, quam ipso facto incurrant, omnium suorum beneficiorum & officiorum, commendarum, pensionum & gratiarum quarumcumque etiam expectatiuarum, omnibus & singulis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis ecclesiarum Prælatis, officialiis curiæ & clericis quibuscumque in Romana curia existentibus, cuiuslibet status aut conditionis existant, quatenus in casu prædicto post lapsum dicti termini infra 30. dies proxime & immediate sequentes, à curia Romana recedant, & deinde Cardinales omnino sub pœna prædicta ad hoc sacrum Concilium, omni mora postposita, veniant: Patriarchæ vero, Archiepiscopi, Episcopi & alii ecclesiastici, prout de iure vel consuetudine ad generale Concilium ire teneatur, sub pœnis iuris iter suum sine fraude continuando, ad sacrum Concilium arripiant. Reliqui vero qui ad generale Concilium non tenentur venire, ad residendum & Deo seruiendum in propriis beneficiis, vel ad hoc sacrum Concilium sine morae dispendio & omni fraude cessante, se transferant, & accedant. Omnes autem causas tam ecclesiasticas quam profanas, ciuiles & criminales, inter quascunque personas, cuiuscunque status, conditionis aut dignitatis existant, in curia Romana pendentes, lapso dicto termino 60. dierum, in casu prædicto ab ipsa curia Romana eadem sancta synodus ad se aduocat, & aduocatas esse vult,

Hæc, sicut cætera plenius, nimis acerbe in Pontificem dicuntur.

In electum non partium ante Pont. administrationē eum suspendunt.

Omnes ab eius obedientia interea eximunt.

Promotiones si quas fecerit annullant.

Præfigunt 60. dies pro reuocatione.

vult, expresse inhibens sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus iudicibus, auditoribus & commissariis quibuscunque prædictæ curiæ, ne post dictos dies in præfatis causis procedere, aut quicquam agere quoquo modo præsumant. Qui quid autem contra hanc aduocationem & inhibitionem attentari contigerit, ipso iure decernit irritum & inane. Decernit tandem hæc sancta synodus, huius decreti publicationem in præsenti sessione factam, eiusque affixionem in valuis maioris ecclesiæ Basileensis, vim habere monitionis, citationis & executionis, & ita vniuersos arctare, ac si personaliter apprehensi & eis intimatum fuisset. Insuper hæc sancta Synodus declarat & protestatur, quod nihilominus huiusmodi dilatione 60. dierum pendente, cum id rerum necessitas suadeat, aut qualitas agendorum, in vlteriori prosecutione Concilii & agendorum in eo procedere intendit ordinate, debite & mature, nec propterea supersedere aliqualiter in processu. Datum in sessione publica eiusdem sanctæ Synodi in ecclesia maiori Basil. 3. Id. Iul. anno à Natiuitate Domini 1433.

Decretum de electionibus & confirmationibus Episcoporum & Prælatorum sub eadem duodecima sessione expeditum.

Quemadmodum in construenda domo præcipua est architectoris cura, vt tale iaciat fundamentum, super quo firmum perduret ædificium: ita in generali Ecclesiæ reformatione potissimum est huius sanctæ Synodi studium, vt tales ecclesiis præficiantur pastores, qui tanquam columnæ & bases ipsam ecclesiam doctrinæ & meritorum viribus firmiter sustentent. Quanta autem in eligendis prælatis diligentia adhibenda sit, officium eis iniunctum euidenter ostendit. Ad regimen enim assumuntur animarum, pro quibus Dominus noster Iesus Christus mortuus est, & sanguis eius pretiosus effusus. Propterea sacri Canones spiritu Dei promulgati, prouide statuerunt, vt vnaquæque ecclesia ac collegium seu conuentus sibi prælatum eligant. Quibus hæc sancta synodus eodem spiritu congregata inhærens, statuit & distinxit, generalem reseruationem omnium ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum & monasteriorum ac dignitatum electiuarum, per Romanum Pontificem de cætero fieri, aut facta vti non debere, reseruationibus in corpore iuris clausis, & his quas in terris Romanæ Ecclesiæ ratione directi seu vtilis dominii mediate vel immediate subiectis fieri contigerit, semper exceptis: sed quod per electiones & confirmationes canonicas, secundum iuris communis dispositionem, prædictis metropolitanis, cathedralibus, monasteriis & collegiatis ecclesiis ac dignitatibus electiuis vacantibus, debite prouideatur, non derogando propterea statutis, priuilegiis & consuetudinibus rationabilibus, quibuscunque postulationibus in dispositione iuris communis remanentibus. Decernitque hæc sancta Synodus rationi fore consentaneum & Reipublicæ accommodum, vt contra hoc salutare decretum Romanus Pontifex nihil attenter, nisi ex magna rationabili ac euidenti causa, in literis Apostolicis nominatim exprimenda. Et vt eo firmius hoc salubre decretum custodiatur, vult eadem sancta Synodus, vt inter alia quæ Romanus Pontifex in sua assumptione profitebitur, iuret decretum hoc inuiolabiliter obseruare. Et quoniam tales (vt prædictum est) oportet esse Prælatos, hi ad quos ius pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, vt dignam coram Deo & hominibus electionem faciant, exactamque proinde apponant solicitudinem, vt tales eligant, qui tanto officio valeant satisfacere. Scientes quod si vel dolose vel negligenter ac timore domini postposito, in re tam graui se gesserint, sicut authores erunt & causa malorum pastorum, ita participes sient pœnarum, quas ipsi mali pastores in districto Dei iudicio patientur. Et cum humanæ fragilitatis conatus nihil sine omnipotentis Dei suffragio queat efficere, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit adueniente die, hi ad quos Pontificis vel Abbatis spectat electio, in ecclesia conueniant, magna cum deuotione Missam de Spiritu sancto audituri, quem humiliter exorabunt, vt eos ad dignum eligendum pastorem inspirare dignetur. Et vt eo facilius hanc gratiam obtinere mereantur, quo deuotius ad actum electionis accedant, contriti & confessi sacramentum Eucharistiæ reuerenter suscipient. Ad locum vero electionis ingressi pro quocunque Prælato, qui per electionem assumitur, iurabunt in manibus eius, qui capitulo præsidebit, & ipse præsidens in manibus eum immediate sequentis, sub hac forma: Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo & tali sancto vel sanctæ, sub cuius vocabulo dedicata est ecclesia, eum eligere, quem credam futurum ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus vtiliorem, nec illi vocem dare, quem verisimiliter sciuero promissione aut datione alicuius rei temporalis, seu prece per se aut alium interposita, aut alias qualitercunque directe vel indirecte, pro se electionem procurare. Idem iuramentum præstet, confiteaturque & communicet, qui constituit procuratorem ad eligendum certam personam. Necnon & procurator generaliter ad eligendum constitutus in casibus, in quibus secundum iuris communis dispositionem in huiusmodi electionis negotio procurator cõstitui potest. * Quod etiam iuramentum præstetur, ab his, in quos continget super electione futuri Prælati fieri compromissum, qui etiam confiteri & communicare teneantur. Quod si prædicta non fecerint, pro illa vice eligendi sint ipso iure potestate priuati. Deinde eligãt in præfatum prælatum virum ætatis legitimæ, moribus grauem, literarum scientia præditum, in sacris ordinibus constitutum, & alias idoneum, secundum Canonicas sanctiones. Quo si aliter & de alia persona, quam vt prædictũ est, aut per Simoniacam prauitatem electionem fieri contigerit, electio sit ipso iure irrita & inanis. Et sic Simoniacum eligentes, præter alias pœnas, perpetuo sint ipso facto iure eligendi priuati. Alii vero Canonicis pœnis subiaceant. Simoniace autem electi, & qui huiusmodi Simoniacæ electionis participes fuerint, taliterque eligentes & confirmati, in horrorem tanti criminis pœnam ipso facto excommunicationis incurrant, nec à tali reatu & excommunicatione electi & confirmati absolui possint, nisi ecclesias & dignitates, ad quas turpiter assumpti sunt, libere resignauerint, & ad eas obtinendas quas nefario ingressu adepti sunt, perpetuo reddantur inhabiles. Ad tollendam autem omnem ambitionis radicem, obsecrat per viscera misericordiæ Iesu Christi hæc sancta Synodus, ac instantissime exhortatur reges & principes, communitates & alios cuiuscunque gradus & dignitatis existant, ecclesiasticæ vel mundanæ, ne electoribus literas scribant, aut preces porrigant pro eo, qui per se vel per alium tales preces, seu litteras procurabit, multoque minus comminationes, impressiones, aut aliud faciant, quo minus libere ad electionem procedatur. Similiter in virtute sanctæ obedientiæ ipsis electoribus præcipitur, ne ad huiusmodi literas vel preces, comminationes vel impressiones (vt præmittitur) quenquam eligere præsumant *. Facta autem electione, & ei ad quem ius pertinet confirmandi, præsentata, si appareat coelectus, vel se opponens electioni, nominatim vocetur, ad videndum discuti electionis negotium. Et nihilominus generaliter edictum publicum in ecclesia, in qua facta est electio, proponatur, iuxta constitutionem felicis recordationis Bonifacii Octaui *. Comparentibus autem aliquibus vel non, nihilominus ipse confirmator ex officio tanquam in negotio inquisitionis procedat, omnem adhibiturus diligentiam, vt tam forma electionis, quam merita electi & omnes circumstantiæ debite examinentur, & discutiantur. Et si electio confirmanda sit vel infirmanda, iudicialiter confirmetur vel infirmetur. Et vt omnia munde & sine labe ac labis suspicione procedant, non solum exigere aliquid quantumcumque paruum, sed etiam gratis oblata, confirmator ratione confirmationis sub nomine subiectionis, subsidii, gratitudinis aut alio colore, prætextu cuiusuis consuetudinis aut priuilegii, per se vel alium nullatenus recipere præsumat. Notariis autem, & his qui scripserunt in huiusmodi causis, emolumentum aliquod moderate taxetur, habendo respectum ad laborem & operam Scripturæ, non ad fructuum prælaturæ valorem. Si vero confirmatores prædicti, electiones non seruatis superius ordinatis, & de personis non idoneis (vt præmittitur) factas, vel alias per Simoniacam prauitatem confirmauerint, eo ipso confirmationes huiusmodi sint nullæ. Confirmantes * autem alias personas, quam vt supra dictum est, pro ea vice: per Simoniacam

simileiuramentum subeat, confiteatur atq; communicet, vt præmittitur.

vel acceptent.

quæincipit, Et

autem, iure confir

mandi sint perpetuo priuatæ & inhibitionis propter ipsam Simoniacam labem, si

niacam autem * labem, si eam commiserint, etiam sententiam excommunicationis incurrant eo ipso, à qua nisi per Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere non possint. Summum vero Pontificem hęc sancta synodus exhortatur, vt cum speculum & norma omnis sanctitatis & munditiæ esse debeat, pro confirmatione earum electionum, quas ad eum deferri contigerit, nihil penitus exigat aut recipiat: alioquin, si secus faciendo notorie & incorrigibiliter ex hoc Ecclesiam scandalizet, futuro Concilio deferatur. Pro oneribus autem, quæ ipsum pro regimine vniuersalis Ecclesiæ subire oportet, proque sustentatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium & aliorum necessariorum officialium, hoc sacrum Concilium ante sui dissolutionem omnino debite & congruenter prouideat. Quod si contingat aliquam circa hæc prouisionem non facere, tunc illæ ecclesiæ & beneficia, quæ vsque nunc ex noui prælati assumptione certam taxam soluerint, deinceps medietatem huiusmodi capere per annum post adeptam pacificam possessionem soluere in partibus teneantur, duratura huiusmodi prouisione, donec prædictis Papæ & sustentationi Cardinalium fuerit aliter prouisum. Per hæc eadem sancta Synodus non intendit in aliquo præiudicare sanctæ Romanæ & vniuersali Ecclesiæ, nec alteri cuicumque. Datum in sessione publica eiusdem sanctæ Synodi in ecclesia maiori Basileensi, solenniter celebrata die Lunæ 13. Iulii, Anno Domini 1433.

3. Idus Septemb.

SESSIO XIII.

XXXIX. *Accusatio contumaciæ Papæ, facta per promotores sacri Concilij in decimatertia dicti Concilij sessione celebrata.*

DIe Veneris 11. mensis Septembris, Anno Domini 1433. in Ecclesia maiori Basileensi fuit celebrata decimatertia huius sacræ Synodi Basileensis sessio hoc modo, scilicet. Missa de Spiritu sancto per reuerendum patrem dominum Matthæum Episcopum Albinganensem Italicæ nationis celebrata, Antiphonis, Litaniis & suffragiis vt in aliis sessionibus dictis, lectoque Euangelio secundum Matthæum, *In illo tempore: Respiciens Iesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, &c.* ac hymno, *Veni creator spiritus, &c.* decantato cum versiculo & collecta, septem dominis Cardinalibus & aliis dominis Prælatis & Patribus in eorum mitris planis & * plumalibus existentibus in multitudine copiosa, assistente domino Guilhelmo Duce Bauariæ, sacri Concilii nomine serenissimi principis domini Imperatoris protectore, promotores sacri Concilii per organum venerabilis viri domini Stephani de Nouaria, legum Doctoris, alterius promotorum huius sacri Concilii, accusarunt contumaciam sanctissimi domini nostri Eugenii Papæ Quarti, prout in quadam schedula, quam ipse magister Stephanus promotor in suis tenebat manibus, quamque de verbo ad verbum alta & intelligibili voce legit, latius continetur, cuius tenor sequitur & est talis †: Reuerendissimi reuerendique patres & cæteri domini metuendissimi quia nuper de mense Iulii proxime præterito & die decimotertio eiusdem, hæc sancta Basileensis synodus in publica sessione in præsenti ecclesia Basileensi celebrata, attente considerans, sanctissimum dominum Eugenium Papam Quartum exhortationes, obsecrationes, requisitiones, citationes & monitiones per eandem sacram synodum sibi repertis vicibus factas, vt huic sacrosancto Concilio adhæreret, & eidẽ fauores (prout tenetur) impenderet, aure surda pertransire, nec ipsum aliquatenus ad vota (prout tamen ipsum sacra Synodus sperabat) inclinari, & quanquam ex tunc ipsi sacra Synodus propter ipsius domini Eugenii manifestam contumaciam, ad huiusmodi contumaciæ declarationem contra ipsum procedere non immerito potuisset, quam admodum etiam pro tunc per promotores & procuratores dicti sacrosancti Concilii Basileensis, licet immerito debita sui cum instantia postulatum, volens

Matth. 18.

Luc. 17.

** plumalibus.*

** labem, perpetuo (ipso facto) iure confirmandi sint priuatæ, & nihilominus propter ipsam Simoniacam labem, si*

† *Reuerendissimi reuerendique patres & cæteri domini metuendissimi quia nuper de mense Iulii proxime præterito & die decimotertio eiusdem, hæc sancta Basileensis synodus in publica sessione in præsenti ecclesia Basileensi celebrata, attente considerans, sanctissimum dominum Eugenium Papam Quartum exhortationes, obsecrationes, requisitiones, citationes & monitiones per eandem sacram synodum sibi repertis vicibus factas, vt huic sacrosancto Concilio adhæreret, & eidẽ fauores (prout tenetur) impenderet, aure surda pertransire, nec ipsum aliquatenus ad vota (prout tamen ipsum sacra Synodus sperabat) inclinari, & quanquam ex tunc ipsi sacra Synodus propter ipsius domini Eugenii manifestam contumaciam, ad huiusmodi contumaciæ declarationem contra ipsum procedere non immerito potuisset, quam admodum etiam pro tunc per promotores & procuratores dicti sacrosancti Concilii Basileensis, licet immerito debita sui cum instantia postulatum, volens*

solita sua mansuetudine aduersus eundem Dominum Eugenium vri, & iterato ipsum ex superabundanti charitative requirere & monere, certum decretum monitorium edidit & decreuit, quo idem Dominus Eugenius exoratus, requisitus, monitus, & interpellatus, ac in virtute omnipotentis Dei, sub certis pœnis, modis & qualitatibus eidem mandatum extitit, vt infra sexaginta dies à dicta sessione habita computandos, pure, simpliciter & libere huic sacrosancto Basileensi Concilio adhæreret, necnon prætensam dissolutionem eiusdem sacri Concilii per ipsum alias attentatam, reuocaret, & alia in huiusmodi decreto contenta cum effectu adimpleret, alioquin pœnas in huiusmodi decreto contentas, ipso facto incurreret, prout hæc in dicto decreto latius continentur, ad quod nos, promotores prædicti nos referimus in hac parte, & hic pro repetito cum aliis omnibus actis sacri Concilii ad causam facientibus, haberi volumus & repetimus. Cum autem finis præfatorum sexaginta dierum instet de præsenti, & nec ipse Dominus Eugenius per se, neque per alium hanc sacram Synodum de huiusmodi sua adhæsione pura, simplici & libera, ac reuocatione dictæ prætensæ dissolutionis, aliorumque in dicto decreto contentorum adimpletione, aliquatenus certificauerit, nec de præsenti certificet, sed eidem decreto & contentis in eo contumaciter satisfacere contemnat, in non modicum vniuersalis Ecclesiæ damnum, Christi fidelium scandalum, atque huius sacri Concilii Basileensis vniuersalem Ecclesiam repræsentantis contemptum: idcirco nos promotores & procuratores antedicti, ex officio nobis incumbenti, coram hac sacrosancta Synodo debita cum instantia humiliter requirimus, quatenus eundem Dominum Eugenium contumacem (prout est) declarare, ipsumque pœnas in decreto contentas incidisse, decernere, ac ipsius contumacia exigente, ad vtiliora (prout Spiritus sanctus dabit, & ordo iuris & rationis exigit) procedere dignetur, super huiusmodi requisitione & contumaciæ accusatione & aliis, requirentes pervos dominos Notarios publicas fieri instrumenta. Prædictis autem vt præmittitur factis, & contumacia accusata, illustris princeps dominus Dux Guilhelmus per organum venerabilis fratris Petri ordinis canonicorum regularium, nomine & ex parte serenissimi domini Imperatoris & suorum, & dominus Iohannes Offenburg nuncius præfati domini Imperatoris, repetierunt illa quæ alias, vide licet die Lunæ proxime præterita dixerant, & promiserant in congregatione generali, pro dilatione & prorogatione triginta dierum consequenda, eadem iterum dicentes, repetentes & promittentes. Similiter magister Ginum & nonnulli alii, nomine Concilii & ciuitatis Basileensis, pro huiusmodi dilatione institerunt, & quod amplius pro vlteriori dilatione nunquam facerent instantiam, sunt protestati, de quibus similiter petita sunt per promotores instrumenta publica.

Post hæc contumacia dicti Domini nostri Papæ in scriptis (vt præfertur) accusata, & deducta ad notitiam dominorum prætensorum Archiepiscopi Spalatensis & Episcopi Ceruiensis, ambasiatorum eiusdem domini nostri Papæ, mox ipsi ad dictam congregationem accesserunt, & lecturam decretorum, quam reuerendus pater dominus Martinus episcopus Lectorensis Gallicanæ nationis de mandato sacri Concilii iam inceperat, interruperunt, quique quædam verba intermiscentes, duas bullas clausas sub bulla dicti domini nostri Papæ Eugenii credentiam in effectu continentes exhibuerunt & obtulerunt: quibus aperiis & deinde lectis, vt moris est, præfati Dominus noster Archiepiscopus Spalatensis, & episcopus Ceruiensis, proposuerunt in effectu, quod ipsi ad istud sacrum Concilium turbationis causa nullo modo accedebant, sed solum ex eo, quia ipsis relatum erat per aliquem ex suis commensalibus, quod in dicta generali sessione ipsius domini nostri Papæ contumacia fuerat accusata, ac si contra præfatum Dominum nostrum Papam procederetur, vel procedi peteretur. Et quoniam (vt asserebant ipsi ambasiatores) terminus citationis decreti Concilii quem 60. dierum dicebant, hac die hodierna non cadebat, nec iuxta illum terminum præfixum citationis dominus noster Papa præfatus eadem die per se vel alium comparere tenebatur: ideo solum pro sui informatione, & ne

Protestatio oratorum Eug. in Conc.

Indebite.

contra præfatum dominum noſtrum Papam quoquo modo ſaltem *debite procederetur, illuc acceſſerant, prout accedebant, proteſtantes de huiuſmodi termino & nullitate proceſſus ante dicti, petentes de his à nobis notatiis inſtrumenta. Quibus auditis, reuerendiſſimus in Chriſto pater dominus Cardinalis ſancti Angeli legatus, & huius ſacri Concilii generalis præſidens, verba ſupra dictorum Archiepiſcopi Spalatenſis, & Ceruienſis Epiſcopi in effectu reſumens, eiſdem nomine ſacri Concilii effectualiter reſpondit, qualiter ſacrum Concilium propoſita per præfatum Archiepiſcopum Spalatenſem, & Epiſcopum Ceruienſem, benigne & cum manſuetudine audiuit: ſed quia aſſerebant ſe audiuiſſe, ſacrum Concilium contra præfatum Dominum noſtrum Papam procedere, ideo dixit ſe male informatos fuiſſe. Sed bene verum erat quod hodie terminus 60. dierum alias per decretum ſacri Concilii præfato domino noſtro Papæ præfixus, de adhærendo præfato Concilio pure & ſimpliciter, prætenſamque diſſolutionem dicti Concilii reuocando hodie inſtabat, ideirco promotores ſacri Concilii volentes termine prædicto ſatisfacere, ipſius domini noſtri Papæ contumaciam accuſauerunt, petendo, & requirendo, cum nullus pro domino Papa adeſſet, volens decreto monitorio prædicto ipſius domini noſtri Papæ nomine ſatisfacere, quatenus eum contumacem & in pœnas in decreto contentas incidiſſe declararent, procederentque ad vlteriora, prout daret Spiritus ſanctus, & dictaret ordo rationis. Quapropter petiit ipſe dominus Cardinalis legatus & præſidens nomine ſacri Concilii, quatenus ſi dictam adhæſionem ipſius domini Papæ haberent, ipſeque dominus Papa præfato Concilii decreto ſatisfeciſſet, aut ipſi eius nomine debite ſatisfacere vellent, de præmiſſis adhæſione & ſatisfactione fidem facerent cum effectu. Nam ſic faciendo, doraina & patres de Concilio illam adhæſionem cum magno gaudio, decantantes: TE DEVM LAVDAMVS, ſuſciperent. Alioquin venerabiles patres ipſius ſacri Concilii citius mortem eligerent, quam eccleſiam DEI prætextu talis diſſolutionis periclitari permitterent, adiiciens quod bene verum erat quod ad ſereniſſimi Principis domini Imperatoris ſupplicationem & inſtantiam, ſacrum Concilium præfatum 60. dierum terminum domino Papæ præfixum, vſque ad 30. dies ab hac die computandos, prorogandum duxerat, & prorogare intendebat ſub *modis & formis in decreto primo contentis. Et nihilominus, quia dictæ bullæ ſimplicem credentiam continebant, dixit idem dominus legatus, quod ſi aliquid exponere volebant, quod libenter à patribus Concilii audirentur. De quibus ipſe reuerendiſſimus pater Dominus Cardinalis legatus & præſidens, nomine ſacri Concilii petiit à nobis notariis inſtrumentum: hoc idem nomine ſacri Concilii petierunt promotores. Poſtque præfatus magiſter Stephanus alter ex promotoribus, reſpondens his quæ prius dixerant dicti oratores Papæ, dixit quod quantum ad ipſum & alios promotores, ſatis erat, quod tunc contumaciam Papæ accuſarent, & alia facerent & peterent, vt in ſua ſchedula ſupraſcripta cõtinetur, & quod prædicta facere poterant de iure, quia tunc expirabat terminus, cum tempus deberet de momento in momentum computari, & ſi vlterius expectarent, non haberent dominos congregatos, coram quibus facerent ea quæ eſſent neceſſario facienda pro præmiſſis: & quantum ad ipſos promotores pertinebat, officium eorum erat ita facere, deliberatio vero ad ipſam ſynodum pertinebat, petens de his omnibus publica inſtrumenta. Tandem cum non conſtaret de adhæſione prædicta vel alias ſatisfactione efficaci ipſius domini Eugenii, ipſiſque Archiepiſcopo Spalatenſi, & Ceruienſi Epiſcopo per illuſtriſſimum dominum Wilhelmum ducem Bauariæ, ſacri Concilii nomine dicti Imperatoris protectorem & *vices gerentem, per organum diſcreti viri fratris Petri ordinis canonicorum regularium S. Auguſtini, gratioſe requiſitis, vt ſi adhæſionem huiuſmodi haberent, illam ſacro Concilio offerrent, & ob hoc totus mundus lætaretur: alioquin ſacrum Concilium in ſuis agendis nullo modo perturbarẽt, & ad vlteriorem dictorum decretorum pronunciationem & publicationem procedere permitterent, & tandem neque ad requiſitionem præfati domini legati, neque ad requiſitionem ipſius ducis præfati, ambaſiatores Papæ aliquam adhæſionem offerrent, ſiue aliquam credentiam exponere vellent, placuit dictis dominis ambaſiatoribus ipſius domini noſtri Papæ, dicti decreti prorogatio. Quibus quidem ſic peractis, & dictis ambaſiatoribus à loco ſeſſionis recedentibus, & ſe abſentantibus, præfatus reuerendiſſimus pater dominus epiſcopus Lectorenſis de mandato ſacri Concilii, publice alta & intelligibili voce, loco ad hoc deputato, huiuſmodi decreta de verbo ad verbum legit, & pronunciauit ſub his verbis:

modo & forma.

Reſponſum Cardin. S. Angeli Præſidentis Conc.

XL. *Decretum Baſileenſium quo ad petitionem Sigiſmun. Imp. Terminus lx. dierum Eug. ab ipſis præfixus ad alios xxx. dies prorogatur.*

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Dudum ſiquidem hæc ſancta Synodus volens periculis & grauiſſimis ſcandalis, quæ ex prætenſa huius ſacri Concilii diſſolutione per Dominum Eugenium Papam Quartum facta, vniuerſali Eccleſiæ notorie imminebant ſalubriter prouidere, poſtquam reiteratæ exhortationes ac requiſitiones Synodi præfatæ & multorum principum ac dominorum, ſpecialiter chariſſimi Eccleſiæ filii Sigiſmundi Roman. Imperatoris illuſtris, & eiuſdem Eccleſiæ aduocati, vt dictam diſſolutionem reuocaret, & putam ac ſimplicem adhæſionem præfatæ ſynodo faceret, minime profuerunt: tandem iuſtitiæ zelo compulſa, & ne morbus huiuſmodi in exitium & ſcandalum intolerabile militantis eccleſiæ perduraret, die 13. menſis Iulii, proxime præteriti, in ſolenni ſeſſione decretum monitorium ſub certis pœnis & aliis in eo contentis, aduerſus dictum Dominum Eugenium Papam decreuit, cuius tenor de verbo ad verbum ſubiicitur, & eſt talis: Sacroſancta Catholica Eccleſia in ſacro Conſtantienſi Concilio, &c. vt ſupra eſt totaliter ſcriptum. Cum autem die termini adueniente, ſolenniter in maiori eccleſia Baſileenſi publicam tenentes ſeſſionem ſederemus, ſeruatis ſeruandis, vt ſi ipſe dominus Eugenius aut alius pro parte eiuſdem comparere, & ſacrum Concilium de partitione contentorum in decreto prædicto certificare vellet, facultatem haberet, dilecti Eccleſiæ filii *Hugo † Barardi de Vercellis, & Stephanus de Nouaria legum doctor, huius ſacri Concilii promotores, præfati Domini Eugenii Papæ contumaciam, nec per ſe nec per alium, de adhæſione ſua pura & ſimplici, necnon de partitione omnium & ſingulorum contentorum in dicto decreto, quæ facere tenebatur, accuſarunt, & eum inſtantia poſtularunt, vt ad vlteriora aduerſus eum (prout exigeret iuſtitia) procederemus. Cum autem circa proceſſum huiuſmodi intenderemus, dilecti Eccleſiæ filii Wilhelmus Bauariæ Dux, huius ſacri Concilii protector, & Ioannes Offenburg miles & ciuis Baſileenſis, litteras credentiales in eorum perſonis pro parte dicti chariſſimi Eccleſiæ filii Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, huic ſacræ Synodo directas, alias in ſacra generali congregatione exhibitas, & in vim *eorum explicata repetierunt. Quorum expoſitorum tenor in effectu talis extitit: Reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini, mandat nobis illuſtriſſimus, & inuictiſſimus Romanorum Imperator, vt ſolitas recommendationes & oblationes ſacratiſſimo huic cœtui exhibeamus ſui parte, necnon perſeuerantiam animi ſui circa adhæſionem continuo eidem Concilio faciendam nunciemus. Quodque licet notiſſimum ſit, ſuam ſereniratem variis nunciis & oratoribus ac litteris continuo dictum Dominum Eugenium Papam ſuper adhæſione plenaria ſacri Concilii ſolicitaſſe, & excitaſſe, etiam ſe ad ipſum perſonaliter transferendo, non ſine maximis periculis, incommodis & expenſis: tamen poſtquam habitam notitiam per litteras ſibi præſentatas ſacri Concilii, de decreto monitorio cum ſuſpenſionis pœna contra ipſum, eum ſummam feciſſe diligentiam Romæ, dum ibi fuit, vt ad parendum iniunctis per ſacrum Concilium inclinaret, ſignificaremus: & cum ſperaret, in ea re poſſe proficere, cumque (vt aſſerit) immemores exiſtere non debetis de his, quæ in ſacro Conſtantienſi Concilio fecit pro vnione Eccleſiæ & de periculis & incommodis quæ ſubiuit, & quæ etiam paſſus extitit patiturque pro iſto, ſpem non mediocrem eum in veſtra beneficentia recipere, deberis merito exiſtimare. nam exploratiſſimi ſunt commeatus per eum facti ad Cathaloniam & Gallias Angliamque, pro dicta ſanctiſſima Eccleſiæ vnione, & nouiſſime ad Italiam pro iſtius ſacratiſſimæ Synodi felici progreſſu, vnde hac fiducia fretus, nobis iniunxit, vt cum maxima inſtantia pro eiuſdem parte, caſ-

* *Stephanus de Nouaria legũ doctor & Hugo Berardi de Vercellis.*

† *Berardi.*

* *eorum explicato. Tenor litterarum credentialium Sigiſmun. Imp.*

dem

dem veſtras reuerendiſſimas dominationes rogaremus & deprecaremur, vt terminum alias 60. dierum Domino Eugenio Papæ præfixum, in proxima præcedenti Seſſione, per 30. dies in eiſdem modis & qualitatibus, prout eſt, prorogare ob ſuam contemplationem & ſingularem complacentiam dignaremini: quodque ſacrum Concilium certificaremus, quod de cætero nullam aliam circa proceſſum Papæ ipſius peteret dilationem, ſed libere permitteret per ſacrum Concilium procedi, prout dictauerit & ordinauerit faciendum, & cunctis per ſacrum Concilium ordinatis & ordinandis acquieſcet & obtemperabit, & quantum poterit, inuiolabiliter faciet obſeruari. Et vt in maiori robore hæc ſancta Synodus perſeueret, indicamus ſuam exiſtere intentionem, infra iſtos 30. dies quos petimus, vbi huiuſmodi prorogatio concedatur, dictam ſuam ſerenitatem huc profecturam. Statimque habita notitia prorogationis eiuſdem, omnes Alemaniæ principes conuocaturum ad hunc locum, & cum eis efficaciter inſiſtere, vt eidem Concilio debeant adhærere. Et inſuper, ne huiuſmodi dilatio ſacro Concilio vel eius ſuppoſitis aut ipſorum familiaribus poſſit eſſe damnoſa, contentatur idem Imperator, quod durante huiuſmodi 30. dierum prorogatione, ſi quid Papa attentauerit contra aliquem prædictorum, ex nunc illud & alia quæ antea attentauerit, per ſacrum Concilium irritentur & annullentur. Cum autem inter noſtra pectora reuolueremus eiuſdem Sigiſmundi Romanorum Imperatoris grandia obſequia vniuerſali Eccleſiæ impenſa, & quæ in futurum impendi non dubitamus, quamquam huiuſmodi dilatio nonnullis ex multis cauſis vniuerſali Eccleſiæ onoroſa videatur, tamen dictorum obſequiorum intuitu, ac etiam à certo tenentes, quæ per dictos Wilhelmum ducem illuſtrem, & Ioannem Offenburg militem, pro dicti Imperatoris parte expoſita & oblata fuere, ſyncere obſeruabuntur, petitioni huiuſmodi annuendum decernimus. Spiritus ſancti ergo nomine inuocato, cuius nutu dirigitur in agendis hæc ſacra Synodus, & per eius gratiam ſperat omnia feliciter producere ad optatum dictum terminum 60. dierum, alias dicto Domino Eugenio Papæ quarto in proxima (vt præmittitur) ſolenni Seſſione præcedenti aſſignatum, ad certificandum ſacrum Concilium de ſua pura, ſimplici & libera adhæſione, & dictæ prætenſæ diſſolutionis Concilii reuocatione, & aliis quæ in dicto decreto continentur, cum omnibus qualitatibus, pœnis ac modis, & quibuſcunque aliis dependentibus ab eiſdem, in eo inſertis, ad 30. dies proxime futuros hæc ſancta Synodus prorogat, & tunc terminum prorogatum, eandem vim, executionem & modum, quem habebat terminus 60. dierum, recipere decernit, ordinat & declarat, ac ex nunc ſtatuens & decernens, quod ſi infra hoc ſpatium 30. dierum plenarie idem Dominus Eugenius non adimpleuerit omnia & ſingula, in præfato decreto monitorio contenta (vt præmittitur) abſque alia declaratione facienda ſuper dicta non paritione & alia quacunque ſolennitate requiſita, ad vlteriora procedet, vt in dicto monitorio decreto continetur. Et proinde omnibus ſuper præfata ſuſpenſione, quam durare vult, quouſque aliter per Concilium fuerit ordinatum, & aliis huiuſmodi proceſſibus contentis, litteras opportunas ſub bulla ſacri Concilii poſtulantibus, per dilectos Eccleſiæ filios Iulianum ſancti Angeli ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ ſedis legatum, & huius ſacri Concilii, necnon & alios ſacrarum deputationum præſidentes, vel duos ex eis, eſſe tradendas, decernentes quod de cætero nulla alia dilatio ad cuiuſcunq; inſtantiam concedatur. Datum Baſileæ in publica Seſſione ipſius ſacræ Synodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata tertio idus Septemb. anno à natiuitate Domini 1433.

Aliud decretum pro ſuppoſitorum tuitione.

XLI. Sacroſancta Baſileenſis generalis Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam præſentans, ad perpetuam rei memoriam. Vt ſacri Concilii & ſuppoſitorum eiuſdem indemnitati congrue prouideatur, ſtatuit & decernit hæc ſancta Synodus, quod quæcunque per Dominum Eugenium Papam quartum vel alium ſua authoritate in præiudicium, læſionem, derogationem ſeu iniuriam ſacri Concilii vel incorporatorum ſeu incorporandorum eidem; per ſe vel per procuratorem, & familiarium ipſorum, ſeu in eorum ſeruitiis vbicunque exiſtentium, facta ſeu diſpoſita fuerint; à die inchoationis Concilii præſibati, ſientque & diſponentur forſitan in futurum, titulumi vel poſſeſſionem quomodocunque tangentia, ſiue in Cardinalatus & Patriarchatus dignitatibus, aut in prælaturis etiam cathedralium & metropolitanarum eccleſiarum & etiam monaſteriorum, vel aliis eccleſiaſticis beneficiis, præſtimoniis, commendis, vnionibus, penſionibus, officiis & rebus eccleſiaſticis vel temporalibus; & circa ipſa aut alias quomodocunque & qualitercunque, etiam ſi motu proprio directe vel indirecte, per ſe vel alium, ſint ipſo iure irrita & inania, & pro infectis penitus habeantur. Et ex nunc hæc ſancta Synodus partes læſas in priſtinum ſtatum integre reponit, & mandat per quemlibet iudicem competentem, audita querela partis læſæ, & probata, incorporatione & nouitate prædictis ipſo facto omni exceptione remota, ſtrepitu & figura iudicii ceſſantibus, omnia reponi in eum ſtatum, in quo fuerunt ante dictam factam nouitatem. Quod ſi dictus iudex in tali repoſitione doloſe vel alias perpetuam ſe habuerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, à qua niſi per ſacrum Concilium, eo durante, non valeat abſolutionis beneficium niſi in mortis articulo, abſolui nequeat quoquo modo: & nihilominus ad obtinenda prædicta & quæcunque alia beneficia ſeu officia, perpetuo ſit inhabilis. Talium etiam conceſſionum executores prædictis pœnis volumus ſubiacere. Vt autem fraudibus quæ excogitari poſſent, obuietur, quia cum datarum anticipationibus in præiudicium aliorum litteræ Papales, vel aliorum ipſius Papæ authoritate, ſub data ante diſſolutionem huius ſacri Concilii in præiudicium alicuius prædictorum rendentes, produci poſſent, niſi ante dictam Concilii diſſolutionem fuerint publicatæ, eis nulla fides debeat adhiberi, & pro nullis penitus habeantur. Datum in Seſſione publica eiuſdem ſanctæ Synodi, in Eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata tertio idus Septembris, anno à Natiuitate Domini 1433.

Quibus ſic lectis & pronunciatis, petitoque per eundem Dominum Epiſcopum, an huiuſmodi decreta prædictis Dominis de Concilio placerent generaliter reſponſum extitit,

per verbum, *Placet*, nemine se ad hoc opponente vel reclamante: tunc præfati magister Stephanus & alii promotores sacri Concilii, de præmissis omnibus & singulis modo quo supra acta & facta sunt, à reuerendis patribus dominis sanctæ sedis Apostolicæ protonotariis & nobis notariis & aliis in sessione præsentibus, ad perpetuam rei memoriam petierunt instrumentum, assistentes in testimonium præmissorum inuocando.

Postremo vero præfatus dominus Dux, protector nomine dicti Domini Imperatoris atque suo, de præfata termini prorogatione modo, quo per decretum factum est, dominis de sacro Concilio regratiatus est, & similiter magister ciuium & nonnulli alii nomine Concilii & ciuitatis Basileensis, asserens & affirmans idem dominus Dux, quod de omnibus quæ in ipsis decretis modo lectis continentur, contentissimus erat. Et quod ex huiusmodi dilatione nouiter data, fecerat sacrum Concilium maximam complacentiam domino nostro imperatori. De quibus etiam præfati magister Stephanus & alii promotores similiter petierunt à nobis notariis publica instrumenta. Subsequenter vero his peractis, instante supradicto magistro Stephano de Nouaria promotore, Alexander præfati domini Cardinalis legati & præsidentis ac sacri Concilii custor, huiusmodi decreta tam pro prorogatione termini, quam etiam pro tuitione suppositorum eiusdem sacri Concilii, sub bulla dicti sacri Concilii confecta, in valuis ecclesiæ maioris Basileensis cunctis intuentibus more solito affixit, & per spatium vnius horæ vel circa, affixam dimisit. De quibus ipse magister Stephanus nomine promotorio à nobis Notariis petiit instrumentum.

SESSIO XIV.

XLII. *Decreta eiusdem sessionis celebrata in Ecclesia Basileensi, assistente domino Imperatore in habitu imperiali. Alia prorogatio monitionis Papæ ad nonaginta dies.*

S. Ilac Eloncnsis. SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans. Terminum sexaginta dierum datum sanctissimo Domino Eugenio Papæ Quarto, iuxta formam monitorii, citationis & suspensionis in sessione duodecima promulgati, ac deinde ad triginta dies, & postea pluribus vicibus vsque in præsentem diem prorogatum, hæc sancta synodus volens ergo ipsum Dominum Eugenium omni mansuetudine & benignitate vti, tenore præsentium ad nonaginta dies ab hac die immediate sequentes, cum omnibus clausulis, qualitatibus & conditionibus in decretis tam monitoriis sexaginta dierum, quam prorogationis ad triginta dies inserris, prorogat, & prorogatum esse statuit, ita tamen, quod si infra prædictos nonaginta dies omnia & singula contenta in quadam schedula, cuius tenor inferius describitur, realiter & cum effectu præfatus dominus Eugenius non adimpleuerit, pœnæ in dictis decretis monitorii ac prorogationis contentæ, eo ipso inflictæ sint, & esse intelligantur. Tenor autem prædictæ schedulæ sequitur, & est talis:

XLIII. *Formula adhæsionis tres, Eugenio Papæ à Concilio præscripte.*

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam: Vt mentis nostræ integritas ac deuotio, quam ad vniuersalem Ecclesiam & ad sacrum generale Concilium Basileense gerimus, omnibus constet euidenter, ideo tres litteras nostras, quarum tenor de verbo ad verbum inferius describitur, & alias quascunque & quicquid per nos aut nostro nomine in præiudiciũ aut derogationem prædicti sacri Basileensis Concilii, seu contra eius authoritatem factum & attentatum seu assertum est, cassamus, reuocamus, irritamus & annullamus, cassas, nullas & irritas fuisse & esse declaramus. Vel sic: pridem tres nostras litteras in palatio Apostolico promulgari fecimus, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis. Verum cum ex * prædictis literis nonnulla scandala orta sint, & oriri possint, ideo ipsas & alias quascunque ac quicquid per nos aut nostro nomine in præiudicium aut derogationem prædicti sacri Basileensis Concilii seu contra eius authoritatem factum & attentatum seu assertum est, cassamus, reuocamus, irritamus & annullamus, cassas, nullas & irritas fuisse & esse declaramus. Vel sic, in fine literæ adhæsionis: Quapropter tres litteras nostras pridem in palatio Apostolico promulgatas, quarum tenor de verbo ad verbum inferius describitur, & alias quascunque, aut quicquid per nos aut nostro nomine in præiudicium aut derogationem prædicti sacri Basileensis Concilii seu contra eius authoritatem factum & attentatum seu assertum est, cassamus, reuocamus, irritamus & annullamus, cassas, nullas & irritas fuisse & esse declaramus. Poterit præfatus dominus Eugenius eligere vnam de prædictis, formis, quæ sibi magis placuerit.

* *Dictis nostris.*

Forma adhæsionis.

XLIV. *Forma adhæsionis, à Concilio Papæ præscripta.*

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dudum sactum generale Concilium Basileense, per generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum statuta, approbationemque felicis recordationis Martini Papæ Quinti ac nostram, pro extirpatione hæresum ac generali reformatione ecclesiæ in capite & in membris, & pertinentibus ad ea legitime inchoatum, ex certis causis in aliis nostris litteris expressis, de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio dissoluimus. Verum cum ex dicta dissolutione ortæ sint graues dissensiones, & grauiores oriri possent, nihilque magis optemus, quam quod prædicta sancta opera suum debitum sortiantur effectum, decernimus & declaramus præfatum generale Concilium Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ legitime continuatum fuisse & esse, prosecutionemque semper habuisse, continuari ac prosecutionem habere debere ad prædicta & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset. Quinimo præfatam dissolutionem irritam & inanem declarantes, ipsum sacrum Basileense Concilium pure, simpliciter & cum effectu ac omni deuotione & fauore prosequimur, & prosequi intendimus.

Decreta cassationis censurarum, priuationum & suspensionum contra Basileenses.

Item præfatus dominus Eugenius reuocabit quoscumq; processus quarumcumque censurarum, priuationum & suspensionum factos contra supposita huius sacri Concilii Basileensis & adhærentes eidem, necnon omnia gesta & facta in præiudicium, læsionem & derogationem eorundem, eis legitime non citatis, nec legitime defensis, de quibuscumque dignitatibus, beneficiis, commendis & officiis, etiam si Cardinalatus, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, Abbatiæ, &c. existant iuribus & bonis quibuscunque, & specialiter contra reuerendissimos dominos Cardinales de Cypro, S. Sixti, & Firmanum, ac omnia in pristinum statum per suas literas reducet, ac si non emanassent cum clausulis opportunis mandando sub pœnis formidabilibus omnibus, qui se de dictis dignitatibus, beneficiis, commendis & officiis, iuribus & bonis intromisissent, vel ratione dictarũ priuationum seu suarum ordinationum quarumcumque se vellent intromittere, vt ab ipsa intromissione & omni molestia penitus desistant. Vtrum autem fuerit legitima citatio & defensio, stabitur iudicio ipsius sacri Concilii. Quodque deinceps nouitatibus & grauaminibus, seu præiudiciis inferendis ipsi sacro Concilio, vel suppositis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum defectu desistet, vt sit vera charitas inter sacrum Concilium & suam sanctitatem ad Dei honorem & vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ, ac sine aliquo rancore aut suspicione consistere valeat: & vt ipse Dominus Eugenius possit agnoscere puram ac rectam sacri Concilii intentionem, ac veram charitatem, quam erga ipsum habet, & habere in futurum intendit, oblationem alias factam in responsione, data primis ambasiatoribus ipsius Domini Eugenii, quæ incipit, Cogitanti, &c. Iterum hæc sancta synodus, etiam alia addendo, repetit ad hunc modum: Ecce si quid culpæ commissum est attentando dissolutionem, aut in confectione & publicatione trium bullarum in reuocatione per ipsum Dominum Eugenium fienda contentarum, sacrum Concilium penitus abolet, dummodo ipse Dominus Eugenius omnia & singula superius contenta, realiter & cum effectu adimpleuerit, & infra terminum in præsenti decreto nostræ prorogationis statutum, huic sacro Concilio per suas authenticas literas significauerit. Quod si fecerit, nemo erit

nostrum,

nostrum, qui pedes eius vt B. Petri non osculetur, qui vt vicarium Christi non honoret: Etsi Concilij caput, omnes ad eum respicient, omnes ei complacere, obsequi, & quantum cum Deo poterunt, deseruire curabunt. Offerimus etiam, quicquid dici, aut cogitari potest, nos fidelissime facturos, quantum cum Deo fieri poterit pro omni honore & statu tuæ sanctitatis, quam omnium suorum. Datum in sessione publica eiusdem sanctæ synodi in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, septimo idus Nouembris, anno à Natiuitate Domini 1433.

Papa, consentit Concilio.

SESSIO XV.

De Concilijs Prouincialibus & Synodalibus.

Huic sessioni interfuit Imperator cum insignijs.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad futurã rei memoriam. Pridem hæc sancta synodus quoddam saluberrimum promulgauit decretum, pro stabilitate & robore generalium Conciliorum, quorum frequens celebratio præcipua est agri dominici cultura. Verum cum ad eandem culturam non dubium sit pertinere, episcopales synodos & Concilia prouincialia, prout veteres canones decreuerunt, frequentari: ideo eadem sancta Synodus, antiquos & laudabiles mores nostris cupiens temporibus obseruari, statuit atque præcipit, synodum episcopalem in qualibet diœcesi post octauas dominicæ resurrectionis vel alia die secundum consuetudinem diœcesum, ad minus semel in anno, vbi non est consuetudo bis, annuatim celebrari per diœcesanum propria in persona, nisi canonico impedimento fuerit præpeditus, & tunc per vicarium ad hoc idoneum. Quæ synodus saltem biduo vel triduo duret, vel prout necessarium episcopis visum fuerit.

XLVI. *Modus episcopales synodos & Concilia prouincialia celebrandi, & primum de synodis.*

Prima autem die conuenientibus diœcesano & omnibus aliis, qui huiusmodi synodo interesse tenentur, infra Missarum solennia vel post, diœcesanus vel alius eius nomine verbum Dei proponat, exhortando omnes ad bonos mores sectandum, abstinendum à vitiis, & ad ea quæ pertinent ad ecclesiasticam disciplinam & officia singulorum, & præsertim vt hi quibus animarum cura commissa est, diebus Dominicis & aliis solennitatibus plebem subiectam doctrinis & monitis salutaribus instruant. Postea legantur statuta prouincialia & synodalia, & inter alia aliquis compendiosus tractatus, docens quomodo sacramenta ministrari debeant, & alia vtilia pro instructione Sacerdotum. Deinde ipse diœcesanus de vita & moribus subditorum solerter inquirat, labem Simoniacæ prauitatis, contractus vsurarios, concubinatum, fornicationem, & alia quæuis crimina & excessus debita correctione cohibeat. Alienationes rerum ecclesiasticarum à iure prohibitas reuocet, clericorum abusus, & aliorum subiectorum, qui circa diuinum officium & delationem debiti habitus defecerint; in melius reformet & emendet. Et quoniam multa scandala sæpe contingunt, eo quod constitutio Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit, *Periculosa*, edita super clausura monialium, non seruatur: studeat ipse diœcesanus, vt omnino iuxta ipsius constitutionis tenorem executioni demandetur: necnõ vt quicunq; religiosi diœcesano subiecti, regulas & constitutiones suarũ religionum, præsertim vt ab eis omnis proprietas abdicetur, inuiolabiliter obseruent. Ne etiam in receptione ipsorum ad religionem, quicquam per Simoniam exigatur. Præcipua autẽ in ipsa synodo episcopi cura sit inquirere ac debitis remediis occurrere, ne aliquod dogma hæreticum, erroneũ, aut scandalosum seu piarum aurium offensiuum, sortilegia, diuinationes, incantationes, superstitiones & quæuis diabolica figmenta diœcesim suam inficiant. Instituanturq; præterea testes synodales, viri graues, prouidi, & honesti, legis Dei zelum habentes iuxta diœcesum latitudinem in numero competenti, aut alii eorum potestatem habentes, vbi alij non sunt adhoc instituti, qui si diœcesano minus idonei videantur, eos amouendo, alios (*prout ei videbitur expedire*) instituat. Hi autem in manibus ipsius diœcesani vel sui vicarij iurare teneantur, vt tradit canon, *Episcopus in synodo*, qui per anni circulum lustrantes ipsam diœcesim, quæ corrigenda vel reformanda viderint, his ad quos talia corrigere vel reformare pertinet, referant. Quæ nisi correcta vel reformata iam fuerint, ad sytiodum subsequentem perferant, in qua debitis remediis occurratur. Sed & præter illa, quæ à testibus synodalibus vel aliis eorum officia exercentibus, diœcesanus audierit; inquirat & ipse diligenter de cunctis subditorum suorum excessibus, & taliter in delinquentes insurgat correctionis debitæ disciplina, vt aliis malignari volentibus transeat in exemplum.

Libro 6.

De regularibus.

De hæreticis.

XLVII. *De Concilijs prouincialibus.*

Celebretur quoque in singulis prouinciis saltem infra biennium à fine Concilij generalis; & deinde ad minus semel de triennio in triennium, prouinciale Concilium in loco tuto. In quo tam Archiepiscopus quam suffraganei omnes & alij, qui in huiusmodi Conciliis prouincialibus interesse tenentur, debite vocati intersint. Quod si episcopus canonico fuerit impedimento detentus, procuratorem suum destinet, non solum ad excusandum & probandum absentiæ caussas, sed etiam ipsius nomine in Concilio interessendum, susciendumq; quicquid Concilium duxerit statuendum. Alioquin ipse episcopus à perceptione medietatis fructuum vnius anni suæ ecclesiæ, qui personam in ipso Concilio deputandam, in ipsius ecclesiæ suæ fabricam effectualiter conuertantur, eo ipso sit suspensus. Alij vero venire negligentes, Concilij arbitrio puniantur, aliis iuris pœnis in suo robore duraturis. Concilio autem generali durante, & per sex menses ante huiusmodi prouincialia Concilia non celebrentur. Porro in huius inchoatione Concilij ipse metropolitanus vel alius eius nomine, infra Missarum solennia vel post, exhortatorium sermonem faciat, ea quæ ad statum ecclesiasticum, & præcipue ad pontificiale officiũ pertinent, serioso memorando, cõminandoque singulis, quod iuxta Propheræ sententiam, si eorum culpa cuiusuis anima perierit, illius sanguis de manibus eorũ à Domino exigetur. Præcipue autem fiat eunc monitio exacta, vt dignis & bene meritis, quorum vita sufficienti testimonio nota sit, ordines & beneficia sine vlla Simoniaca labe cõferantur. Et super omnia, vt in animarum cura committenda, summa diligẽtia & matura inquisitio adhibeatur. Et vt bona ecclesiastica nullatenus ad vsus illicitos, quinimo ad honorem Dei, ecclesiarum conseruationem (habendo secundum sacros canones præcipuam curam pauperum & indigentium) laudabiliter conuertantur, scientes quod de his omnibus apud tribunal æterni iudicis vsque ad minimum quadrantem rationem reddituri sunt. In quibus quidẽ Conciliis de corrigendis excessibus, moribusq; subditorum reformandis & præcipue qualiter Episcopi in conferendis beneficiis & confirmandis electionibus, ministrandis ordinibus, deputandis confessoribus, prædicando ad populum, & punicdo excessus subditorum, obseruationeq; episcopalium synodorum, cæteriſque ad officium episcopale ac iurisdictionem & administrationem eorũ in spiritualibus & temporalibus quomodolibet spectantibus se gesserint, & præsertim an à Simoniaca labe manus innoxias seruent, diligens inquisitio secundum iuris dispositionem fiat, vt omnes qui in præmissis deliquisse comperti fuerint, per ipsum Cõcilium corrigantur & puniantur. Simili modo de ipso metropolitano circa omnia supradicta diligenter inquiratur, cuius excessus & defectus ipsum Concilium eidem specialiter exprimat, ipsum admonendo & obsecrãdo, vt cũ aliorũ pater vocetur, & esse debeat, à talibus omnino desistat. Et nihilominus inquisitione de ipso habitã, in scriptis redactã, ad Romanum Pontificem vel aliũ eius superiorem, si quẽ habeat, sine mora transmittat, vt ab eo punitione & reformatione suscipiat condecentẽ. Inter cætera, si quæ discordiæ, contentiones & inimicitiæ inter quoscunq; viguerint, quæ quietem & tranquillitatem prouinciæ possent perturbare, curet omni studio sacrum Concilium illa sedare, & more piorum patrum ad pacem concordiamq; fideliorum vigilanter intendat. Et si inter regna, prouincias & principatus huiusmodi discordias suscitari contingat, mox sancti Dei antistites Concilia prouinciarum suarum simul congregari procurent, & sibi inuicem Concilium & auxilium impendentes, cuncta discordiarum fomenta amputare studeant: neque hoc alicuius amore vel odio prætermittant, sed ad Deum solum & salutem populi mentis oculos erigentes, ad sanctum pacis opus, omni repiditate semota inuigilent.

Pœna addita.

Exech. 3.

Matth. 5.

XLVIII. *In Concil. Pron. eligantur qui ad Concil. gener. debeant proficisci.*

Cogitenturinsuper in prouinciali Synodo, quæ immediate generale Concilium subsequens antecedit, omnia quæ in eodem generali Concilio visa fuerint profequenda, ad Dei gloriam & prouinciæ commodũ, salutemq; christiani populi. Ibidemq; eligantur in numero competenti, qui ad proximũ generale Concilii vice totius prouinciæ debeant proficisci, quibus per subsidiũ vel alias protuideatur, prout de iure & Concilio prouinciali fuerit visum, expedire, ita tamen, ꝙ illi qui vltra personas (vt prædictũ est) deputatas ad ipsum Concilii generale accedere voluerint, aut eorũ clerus nullatenus propterea grauentur. Relegantur quoq; in vnoquoque prouinciali Concilio, quæ secundũ Canonicas sanctiones in eisdem legi præcipiuntur, vt ea & inuiolabiliter obseruentur, & transgressoribus pœnæ debitæ inferãtur. Quod si metropolitani vel diœcesani prædictis terminis in celebrandis prouincialibus & episcopalibus Synodis, cessante legitimo impedimento, fuerint negligentes, medietatem omnium fructuũ & obuentionũ ratione suarum ecclesiarum ad eos pertinentium, fabricæ ipsarum ecclesiarum applicandam eo ipso amittant. Qui si in eadem negligentia per tres proximos menses perseuerauerint, ab officiis & beneficiis sint ipso facto suspensi. Quibus trãsactis temporib. sub antescriptis pœnis, antiquior in prouincia ordine episcopus ipsiꝰ metropolitani episcopi, aut maior in dignitate poſt pontificalem in sacris cõstitutis, nisi ad alios forsan de consuetudine vel priuilegio pertineat, negligentiã in celebrandis prædictis prouincialibus & episcopalibus Synodis supplere teneatur.

Pœna negligentiũ celebrare prou. & Episc. Synodos.

Iubet insuper hæc sancta Synodus omnibus prælatis religionum & ordinum quorumcunq;, ad quos celebrare capitula pertinet, ꝙ illa statutis temporibus sub prædictis pœnis seruent, & seruari faciant, in quibus secundũ canonicas sanctiones & religionũ constitutiones, cum omni studio & diligentia ad veram singularem religionum & ordinum reformationẽ intendant, ita vt deinceps in singulis monasteriis iuxta proprias regulas & constitutiones, debite regularis vigeat obseruantia: & præcipue, vt tria substantialia professionis vota omnino obseruentur. Per præmissa autem hæc sancta synodus non intendit iuribus quorumcunq; quomodolibet derogare. Datum Basileæ in sessione publica celebrata in ecclesia maiori Basileensi 6. Kal. Decemb. Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringentesimo trigesimotertio.

Religiosis quoq; iniungitur Capitulorum celebratio.

Hactenus acta Basileensium huius anni, &c.

XLIX. Quid porro vlterius circa dispositionem Concilij, Pontifex Eugenius egerit, placet ex eius litteris cognoscere.

I.

Decernit, continuationem Concilij Basileensi. cum reuocatione dissolutionis eiusdem.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Dudum sacrum generale Basileense Concilium pro reformatione morum, extirpatione hæresum & pace populi Christiani per generalitũ Constantien. & Senens. Conciliorum statuta, ordinationemq; fel. record. Martini Papæ V. prædecessoris nostri ac nostram inchoatum, ex certis causis, in litteris nostris tunc expressis, ad ciuitatem Bononiensem de fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalitũ consilio & assensu, cum subscriptione commutauimus. Verum cum ex illa commutatione nonnulle dissentiones subortæ videantur ac nõnullas ex dictis causis quibus ad huiusmodi commutationem, seu dissolutionem faciendam principaliter motisumus, aliter iam se habere cognoscamus, vbi hilq; aliud optemus quam vt sublata omni materia dissentionis, ad hæreses bella & morum deformitates de populo Christiano extirpandas salubriter intendatur, ad Concilium etiam ad instantiam charissimi in Christo filij nostri Sigismundi Rom. Imperatoris, semper Augusti, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis illustris de fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, volumus & contentamur præfatum generale Basilcense Concilium à tempore inchoationis suæ inchoatum fuisse & esse, prosecutionemq; semper habuisse & continuari, prosecutionemq; ad prædicta habere debere, perinde ac si nulla commutatio, translatio, ac dissolutio facta fuisset, quinimo præfatam commutationem, translationem, seu dissolutionem reuocantes ipsumq; Concilium Basileense pure, simpliciter & cum effectu, ac omni charitate amplectimur, quo viribusq; illud promouere & omni fauore prosequi intendimus: ita tamen, quod præsidentes ad nostri præfati Concilij præsidentiã admittantur cum effectu, ac omnia & singula contra personam, authoritatem, ac libertatem nostram & sedis Apostolicæ, ac venerabilium patrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, & aliorum quorumcunq; nobis adhærentium in dicto Concilio, facta & gesta per dictum Concilium prius omnino tollantur, & in pristinum statum reducantur. Sicq; vna mente & vno spiritu cum charitate & puritate, ad ea quæ præmissa sunt, in dicto Concilio procedatur. Nulli ergo, &c. si quis, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, &c. Calendis Augusti, Anno Incarnationis Dominicæ 1433.

Ego Antonius tit. sancti Marcelli manu propria subscripsi.
Ego Iordanus Episcopus Sabinens. ad fidem manu propria subscripsi.
Ego Lucidus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diac. Card. subscripsi.

L.

II.

Concedit Nunciis suis facultatem abrogandi omnia, contra Basileenses, decreta

Eugenius, &c. Venerabilibus fratribus Bartholomæo Episcopo Spalaten. Christophoro Episcopo Ceruien. ac Dilecto filio Nicolao S. Mariæ de Moniacis Monturegd. is diœcesis Monasterii Abbati salutem, &c. Cum vos ad petendum quacumque in Basileens. Concilio contra personam, authoritatem ac libertatem nostram, & Apostolicæ Sedis ac venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, & aliorum quorumcunq; nobis adhærentium facta, & gesta per dictum Concilium reuocari & in pristinum reduciper litteras nostras deputauerimus: Idcirco ad tollendum omnem dissensionis scrupulum, vobis in eventum reuocationis, prædicta omnia & singula, quæ per nos seu authoritate nostra contra dictum Concilium, seu singulares personas dicti Concilij, cuiuscunq; status, præeminentiæ seu conditionis existant, etiam si sint dictæ ecclesiæ Cardinales, quouis modo facta & gesta essent, etiam si de eis vel eorum aliquo habenda esset in litteris nostris mentio specialis, reuocandum pariter & in statum pristinum reducendum authoritate Apostolica de prædictorum fratrum nostrorum Consilio, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem: volentes quod in executione prædictorum, duo ex vobis, tertio absente, vel alio quomodolibet impedito, seu non interessente procedere valeatis, ratum & gratum habituri, quidquid in præmissis & circa præmissa per vos seu duos ex vobis, vt præmittit, fieri & exequi contigerit: idq; facturos vsq; ad satisfactionem condignam, authore Domino, inuiolabiliter obseruari. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1433. Idibus Augusti. Pontificatus nostri anno tertio.

Ego Antonius tit. sancti Marcelli manu propria subscripsi.
Ego Iordanus Episcop. Sabin. ad fidem manu propria subscripsi.
Ego Lucidus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. subscripsi.

III.

Mittit quatuor Cardinales Legatos à Latere, qui Concilio Basileensi præsideant.

LI. *Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Iordano Sabinensi & Petro Albanensi Episcopis, ac dilecto filio Nicolao tit. sanctæ Crucis in Hierusalem, & Angelotto, tit. S. Marci presbyteris S.R.E. Cardinalibus, Apostolicæ Sedis Legatis, salutem & Apostolicam benedictionem. Alta nos cura sollicitat, dum vnice Sedis cui diuina voluntate præsumus, ponderosum anxiæ seruitutis officium cogitamus dum pro necessitate gerendarum rerum, his quæ præsentium nostram exigunt, non possimus præsentialiter interesse, humanæ carnis infirmitatem aduertentes, his rebus adducimus promptum spiritum, vt quantum in nobis est grata Domino seruitia conferamus. Dudum siquidem sacrum generale Basileen. Concilium pro reformatione Ecclesiæ, extirpatione hæresum, & pace populi Christiani iuxta generalium Constant. & Senens. Conciliorũ statuta, ordinationemq; fel. record. Martini Papæ V. prædecessoris nostri, celebrari mandauimus. Cumq; nihil magis optemus quam ipsum Concilium felicem habere progressum, & ad debitum finem perduci, nosq; propter debilitatem corporis nostri ad ciuitatem Basileen. per tanta terrarum spatia in præsentiarũ transire non possimus: vos fide, bonitate vitæ integritate & sapientia præclaros, consilij magnitudine conspicuos, ac in maximis nostris & ecclesiæ præfatæ negotiis diuturna experientia comprobatos, prout etiam ante decreuimus, Legatos nostros & Sedis Apostolicæ cum plena & omnimoda potestate legatorum de latere, de fratrum nostrorum consilio, authoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, & ordinamus, vosq; ad ciuitatem Basileen. ad præsidendum in dicto Concilio, tanquam pacis Angelos, prouidimus destinandos. Idcirco vobis & illis, seu illi ex vobis, quos vel quem in dicto Basileen. Concilio pro tempore contigerit interesse, nostro & Sedis Apostolicæ nomine, & authoritate in dicto Concilio præsidendi, nec non omnia & singula, quæ ad generalem reformationem ecclesiæ, in capite & in membris & pertinentibus ad ea, extirpationem hæresum, pacem & concordiam principum & totius populi Christiani noueritis pertinere, promouendi, proponendi, atq; cum consensu, deliberatione, & approbatione dicti Basileen. Concilij, tractandi, ordinandi, deliberandi, concludendi, statuendi, disponendi, terminandi, decernendi, decidendi, declarandi, & exequendi. Insuper contradictores omnes, & rebelles cuiuscunque status, gradus, præeminentiæ vel conditionis existant, & quamis ecclesiastica vel mundana etiam si regalis, Cardinalatus, vel Pontificali præfulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia appellatione postposita compescendo. Et super his auxilium brachij secularis inuocandi, præsertim charissimi in Christo filij nostri Sigismundi Rom. Imper. semper Augusti, ac Hungariæ & Bohemiæ regis Illustris, qui tam ex dignitatis suæ debito, quam iuramenti nobis præstiti, ad hoc nos vitur obligatus. Nec non omnia alia & singula, cum consensu, deliberatione, & approbatione dicti Concilij vt præmittitur, agendi, gerendi, & faciendi, quæ in præmissis & circa præmissa, & tam circa modũ & ordinationem celebrationis præfati Basileens. Concilij & omnium & singulorum in eo agendorum, eorum decisionem, perfectionem & executionem videritis necessaria fore, aut quomodolibet opportuna. Et quæ Romani Pontificis & sedis Apostolicæ nomine in generali Concilio præsidentes, in prædictis seu circa prædicta per omnia gerere & facere consueuerunt & possunt, de prædictorum fratrum Consilio authoritate prædicta, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem, ratum & gratum habituri, quicquid super præmissis per vos, seu illos seu vnum ex vobis, quos vel quem in præfato Concilio (vt præmittitur) interesse contigerit, vna cum eodem Basileensi Concilio deliberatum, ordinatum, conclusum, statutum, dispositum, & decretum fuerit. Idq; faciemus in satisfactionem condignam authore Domino inuiolabiliter obseruari. Quocirca circumspectioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inuunctum vobis ministerium laboris huiusmodi pro Dei atq; nostra & sedis Apostolicæ reuerentia suscipientes illud iuxta datum vobis à Domino prudentiam, exequamini quo fructus optati veniant, quos speramus: vosque illam quæ pias causas agentibus superna retributione impenditur, gloriam consequamini felicitatis æternæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1433. 18. Calendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno tertio.*

IV.

LII. Mittit alios Nuncios, qui per absentiam Cardinalium Legatorum, Concilio Basileensi præsiderent.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei Venerabilibus fratribus Ioanni Archiepiscopo Tarentino & Petro Episcopo Paduano, ac dilecto filio Ludouico Abbati Monasterij S. Iustinæ aduanæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sacrum generale Basil. Concilium iuxta Constant. & Senens Conciliorum statuta celebrari mandauimus, dilectum filium Iulianum S. Angeli, S. Romanæ Ecclesiæ, Diac. Card. eidem Concilio, nostro & sedis Apostolicæ nomine, prout etiam per fel. record. Martinum Papam V. prædecessorem nostrum, ad id deputatus fuerat, præsidere mandauimus. Postmodum vero venerabiles fratres nostros Iordanum Sabinen. & Petrum Albanen. necnon dilectos filios Nicolaũ tituli S. Crucis in Hierusalem & Angelottum tituli S. Marci, S. Rom. Ecclesiæ Episcopos & Presbyteros Cardinales, ad huiusmodi Concilij præsidentiam etiam deputauimus, prout in litteris nostris super inde confectis plenius continetur. Cumq; aliqui ex post deputati, ex nonnullis rationabilibus & honestis causis, adhuc occupati, ad dictum Concilium tardiùs arripientes, forsitan vemre tardaret, volentes prosecutionem dicti Concilij aliquatenus impediri vel etiam differri, vos seu illos ex vobis, quos in dicto Concilio pro tempore contigerit interesse, fide, bonitate, prudentia præclaros, ac in magnis nostris & præfatæ ecclesiæ negotiis longa experientia comprobatos, ad præsidentiam dicti Concilij nostro & Apostolicæ sedis nomine loco dictorum Cardinalium & in ipsorum, vel aliquorum, aut alicuius ex ipsis absentia de fratrum nostrorum consilio deputauimus cum omnimoda potestate dicto consilio vna cum illis, qui pro tempore præsentes fuerint, continuandi, Nec non omnia & singula gerendi, agendi, & disponendi, de quibus in litteris nostris super præsidentia & facultate præfatis Cardinalibus concessa seu concessis, & quẽadmodum ipsis Cardinalibus dedimus in mandatis, plenius continetur, ratum & gratum habituri quicquid super præmissis & circa præmissa, per vos seu illos, quos ex vobis in dicto Concilio pro tempore contigerit interesse, iuxta facultatem prædictam ordinatum, deliberatum, statutum, decretum & dispositum fuerit. Idq; faciemus authore Domino vsq; ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Quocirca circumspectioni vestræ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus inuunctum vobis ministerium huiusmodi pro Dei ac nostra & sedis Apostolicæ reuerentia suscipientes illud in omnibus & singulis suprædictis, iuxta datam vobis à Domino prudentiam, omni studio & industria exequamini, quo fructus optati veniant, quos speramus: vosque illam quæ pias causas agentibus superna retributione impenditur, gloriam consequamini felicitatis æternæ. Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1433. 17. Cal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio.

V.

Iuliano Cardinali, authoritatem præsidendi prorogat.

LIII.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Iuliano S. Angeli Diacono Card. Apostolicæ sedis legato salutem & Apostolicam benedictionem. Authoritate præsentium tibi iniungimus, quatenus præsidentiam in sacro generali Basil. Concilio, ad quam fel. record. Martini Papæ V. prædecessoris nostri, & nostra authoritatibus deputatus extitisti, vna cum aliis legatis & præsidentibus, ac eorum substitutis per nos postmodum deputandis, seu in futurum forsitan deputandis, iuxta facultatem per nos eis concessam, nostro & sedis Apostolicæ nomine continues, ac secundum tibi datam à Deo prudentiam, cum præfatis, vt præmittitur, ad debitum & felicem finem, cum Dei honore & vtilitate Reipubl. Christianæ, perducere studeas. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ 1433. 16. Calen. Ianuarii Pontificatus nostri anno tertio.

Hæc Pontifex, pro continuatione Concilii Basileensis decernebatnæ nõnulla alia, quorum anno subsequente in actis Concilii tenores de verbo ad verbum inserti sunt, in eandem rem edicebat: suprema necessitate adductus, à grauissima persecutione; quæ illi à Philippo Mediolanensium Duce; qui non modo hostes armatos, in eius perniciem, vt supra narrauimus, immiserat, verum etiam & Ecclesiasticorum complures, tam Romæ Cardinales, quam Basileæ Episcopos, ad eum euertendum impulerat. Enimuero, cum Eugenius, per hos dies, iterum de tollendo Basileensi Concilio, ad Senatum Cardinalium retulisset; etiam inter eos multa de Pontificis & Concilii authoritate differebantur: cum non deforent aliqui à Philippo corrupti, qui maiorem Cõcilio quam Pontifici affirmarent, adeoque Eugenium Conciliaribus subsellijs subiicerent. Ad eorum dicta Basileenses respicientes, magis pertinaces propositi, nec quicquam rationes pro Eugenio, proque Pontificia maiestate, ab Episcopo Lausanensi, & Decano Traiectensi (qui Roma ad factum Eugenii tuendum venerant) adductas admittere voluerunt; sed rebellium ficti potentia, vt infra quatuor mensis, rogationem de abolendo Concilio antiquaret edixerunt. Cumq; eadem de re semel ac iterum totidem Legatos audiuissent, circumacto tempore, tres alios menses, postremo duos, ad illud idem decretum inducendum eidem statuerunt; decreturi iam iam, quæ in Pontificem, vt ipsi appellabant, seditiosum ac schismaticum, solent vel possent vulgari: nisi Imperator Sigismundus intercessisset, & sexaginta dies alios impetrauisset; quibus, si edictum non abrogaret, sacra ac prophana cum iurisdictione arcebant: iamque ad Principes Christianos scripserant, ne ei parerent: Aulicis, vt ab eo discederent: Romanis iudicibus, ne lites, aut vllas in vrbe quæstiones haberi paterentur. De eiusmodi decreto, vt & cæteris Nicolaum Ateſium certiorem fecerunt, exemplo etiam illius transmisso, quod 3. Kalend. Iulii datum fuerat, additæque litteræ, quibus egregiam ipsorum scilicet, Eugenii longe aliam mentem testificarentur, petentes, vt & ipse cum Concilio sentiret, eique faueret. Inter hæc Philippus, quotidie prope à popularibus, quorum plurimi Basileæ fuerãt, litteras exprimebat, in hanc ferme sententiam; omnibus in ore esse Pontificatus Eugenio abrogationem. Faciebat verisimile, vt Eugenium odio & metu impleret: vt in eum periculorum prospicientem odium Basileensium magis inflammaret, vtque eum dolo malo sede eiiceret. Namque & in eam rem finxerat, vel potius à Basileensibus deceptis has extorserat, quibus se vicarium ac vindicem Concilii factum, potestatem accepisse ostentabat, ad omnia Pontificiæ ditionis oppida de Eugenio capienda, ipsoque intercipiendo, ac Basileam mittendo. *Pigna lib. 6.*

LIV. *Quanto studio Philipp. Dux Eug. perniciem quæsierit. Cardd. aliqui à Philipp. corrupti.*

Non minorem necessitatem Eugenio Pontifici attulit Alfonsus Aragonum Rex, Regni Neapolitani recuperandi cupiditate inflãmatus. Ioanna Regina, Antonio Vrsino Tarentinorũ Principi, propter immodicas quas possidebat opes infensa, misso Ludouico Andegauensi Calabriæ Duce, quem filium sibi adoptione adciuerat, bellum illi intulerat. Antonius porro partim fœminei imperij & probri fastidio, partim Gallicæ gentis odio, partim auertendi à se belli desiderio, Alfonsum Regem pridem ab Ioanna adoptatum, deinde abdicatum, Regnoq; eiectum, ad ineundam eius regni possessionem euocauerat; iamq; is valida classe comparata, in con-

LV. *Quanta necepiras Eug. Pont. ab Alphonso Arag. Rege illata ad consentiendum continuationi Bas. Conc.*

spectum Neapolis, ad Aenariam insulam, numerosum exercitum aduexerat. Placuit, Reginam, missa legatione placare, tentareque: Si forte illa Ludouicum Andegauensem abdicare, sibique olim decretam adoptionem, vna cum iure successionis in Regno Neapolitano restituere vellet. Erat, quæ Ioannam in fauorem Alfonsi inclinaret, Cobella Rufta Ducis Sinuessani uxor, Reginæ super omnes alios mortales potens, & quæ Ludouico non bene cupiebat, cum Antonio vero Vrsino consilia communicabat. Destinatis ergo vtroque citroque Oratoribus, iam inter Reginam Alfonsumque secreto conuenerat, de Ludouico pellendo, de tabulis adoptionis instaurandis; deque Ducatu Calabriæ Alfonso in possessionem tradendo. Desiderabatur Pontificius consensus. Itaq; Alfonsus misit ad Eugenium nuncios, fratrem Antonium Fanensem, & Matthæum Puiadem, qui confirmationem tabularum secreto confectarum postularent, iusque & possessionem Regni Neapolitani impetrarent. Non poterat quicquam concedere Eugenius, viuente Ludouico, ac proinde omnia conanter Carolo Galliarum Rege. Itaq; cõditiones, quibus non parem futurum existimaret Alfonsum, proponebat: videlicet, classem ad portum Telamonis admoueret, militem in maritimam Senensium exponeret, Sigismundum Romanorum Regem Senis adhuc agentem à profectione Romana auerteret, adeoq; bellum in illum deferret, Patres Basileam congregatos dissiparet, continuationemq; Concilij modis quibus posset impediret; societatẽ cum Venetis & Florẽtinis secum fœderatis, aduersum quoscunq; Sedis Apostolicæ hostes iniret, ac pari conatu in Philippum Mediolani Ducem, eiusq; emissarios Sfortiã & Fortebraccium moueret. Ista, & nonnulla alia, nomine Pontificis Episcopus Concordiensis exponebat, ne omnino videretur Alfonso & Ioannæ aduersari, & vt eodem tempore, Sigismundo Regi Romanorum, Carolo Regi Galliarum, Philippo Duci, Basileensibus, & reliquis hostibus, merum, à noua cum Alfonso Societate iniiceret. Alfonsus vt erat acri ingenio, statim perspexit, quonam Eugenius collimaret. Quãobrem Sigismundi congressum & amicitiam, antequam is Romam proficisceretur, expetiit, nec non Basileensibus ad prosecutionem Concilij animos addidit, inq; Arragoniam Nuncio destinato, Reginam vxorem, quæ oratores Basileã mitteret, & Prælatos Regnorum suorum ad Concilium prosequendum impelleret, admonuit, qui & Basileensibus, vt Eugenio Pontificatum abrogarent, inque locum illius, vel Petrum Fuxum, vel Dominicum Ramum, vel Ioannem Cardonatum Dominicanum, vel Nicolaum Albergatum, inter Cardinales eruditione & multis ornamentis præstantes, sufficerent, datis literis hortatus est. Præter hæc conatus est, Nicolaum Panormitanum, inter insigniores eius seculi facile principem, quique facile poterat de vna re in vtramq; partem disceptare, ab Eugenio auertere: nec nõ Philippum Ducem, atque Genuenses, in Societatem trahere: ac insuper proceribus Neapolitanis, & in his Rogerio Caetano, ac Oliuerio Francono Antonio Vrsino, multa polliceri, si modo arma & vires secum, contra Andegauensem & Eugenium coniungerent. Neque Sigismundus, aut à colloquio, aut ab amicitia Alfonsi abhorrebat, quin potius ad vtrumque, missis ad eum Nunciis, altero ex Scalanis fratribus, & Ioanne Orlando, inuitabat, omniaque se facturum, quæ is in suam rem proponere vellet pollicebatur, quæ cum Eugenius perspecta haberet, & à mutuo illorum Regum congressu aliquid grauius metueret, necessitate summa adductus, ad Sigismundum potius respexit & quicquid ille de continuando Concilio proposuerat, si modo Patres, ea quæ contra dignitatem, & prærogatiuam Sedis Apostolicæ decreuerant retractallent, abrogallentque, admisit, tanto facilius, quanto videret, posse in eo Concilio controuersiam dirimi, de iure Regni Neapolitani inter duos potentissimos competitores, Ludouicum, & Alfonsum, à leuiare mulierbri data occasione exortam. Ergo societate cum Sigismundo inita, stabiliraque, tanto amplius Alfonsum irritauit; sed hic dolorem eã de re conceptum dissimulauit, & tam ad illum quam ad Sigismundum Nuncios misit, qui excularent; apud Pontificem quidem, quod classem ad portum Telamonium, pro die dedita non appulisset, fupperiasque non tulisset, ne scilicet aliquid nouare videretur: apud Cæsarem vero, quod ad diem colloquio deputatam non aduenisset, quod superfluum congressum existimaret, conciliata pace inter hunc & Eugenium, cui bono colloquium postulasset.

Alphonsus Eug. insensus redditur.

Alphonsi astutia.

Faciebat, simulandi, & dissimulandi magnus artifex, ne vires vtrinque coniunctas contra se conuerteret, neue omnino à spe consequendi Regni excideret, si alterum exeis, vel sane vtrumque, suffugio vel consilij, vel colloquij, vel auxilij offendisset. Ea propter, & ad solemnia inaugurationis Sigismundi Imperatoris, Romam, qui pompæ interessent alios Oratores ire iussit, & commemorationē Ferdinandi patris cum eo strictioris quam Perpiniani coram contraxerant amicitiæ, tanto vehementius se ad eius necessitudinem exarsisse præsetulit, quãto amplius desiderabat. Eugenium, aut in partes suas flectere, aut si recusaret perdere. Præterea, arbitrium totius inter se & Regem Castellæ, nec non Ludouicum Andegauensem controuersiæ Sigismundo permittebat, nec alium aut iudicem, aut pacarium, se velle iustiorem aut æquiorem habere præseferebat, cui magis fidendum aut committendum esse tam graue negotium existimaret. Premebat interim viam quam inierat Regno consequendo, & Ludouico eiiciendo. Nam Proceres Neapolitanos, totis viribus follicitabat, qui iureiurando fidelitatis sibi dicerent, & tam Iacobo Caudolæ copiarum Regiarum præfecto, quam Andegauensi factioni omnia iniquiora facerent.

Alphonsi congressũ cum Imp. vitant.

Videbat hæc omnia Sigismundus Imperator, & cum alia ratione hominem cupiditate Regni inflammatum cuitare non posse, Concilij Basileensis continuationem ab Eugenio expressit, ac omnia quæ Alfonsus vel postulauerat, vel insinuauerat, ad tractationem Conciliarem reiecit, simulq; in se recepit, Basileæ curaturum, vt pax inter eum & Ioannem Castellæ Regem conciliaretur, vt Eugenius in illum propensior factus, ea quæ inter se & Ioannem tabulis signata fuerant, comprobaret, modo is ipse coram præsens interesset, cum suis, tum reipublicæ Christianę grauissimis negotiis ibidem tractandis. Enimuero, propositum, Pontifici quidem dicebat, arma contra Turcas vertendi, sibi vero, Genuensium vrbem, quæ iuris imperij Romani esset, à tyranno vindicandi, cuius classe in sancto bello aduersum hostes Christianiratis uteretur. Huic rei, inducias in quinquennium cum Venetis pactas affirmabat, & tum auxilium contra Genuenses, tum præsentiam illius in Concilio Basileensi postulabat, ac prius quam vel ille ab insula Aenaria solueret, vel ipse ex Italia discederet, iterum ad colloquium inuitabat.

In Africã fidem Eugenio in-fert Sanutus.

Alfonsus, quamquam nihil magis quam Concilii continuationem vrgeret, nec quicquam ardentius quam cõgressum Imperatoris prius exoptaret, cum tamen pacem inter Eugenium, Sigismundum, Venetos, ac Florentinos stabilitam esse intellexit, Ducemque Sinuessanum & alios Proceres Neapolitanos Ioannæ Reginæ atque sibi aduersari, nec non arma contra se à confœderatis expediri animaduertit, ratus id quod erat, consilia omnia ad se Italia eiiciendum spectare, congressum cum Imperatore vitauit, negotiisque aut suis, aut alienis non omnino necessariam Conciliarem tractationem respondit, cui iam cum Ioanna conuenisset; cum Rege Castellæ res prope confecta esset: belli facti indicendi potestas, ad solum summum Pontificem, qui Reges & Principes Christianos solus excitare, congregareque posset pertineret. Quod autem Genuensium vrbis recuperationem attineret, se ab auxiliis ferendis non omnino alienum esse, si prius Imperator, vna cum Pontifice, subsidio illi ferent, ad Regnum Neapolitanum, quemadmodum par existimauerat, consequendum. Ad eum modum rebus succedentibus, cum nulla ratione posset, armis Neapolitanam vrbem tentare, ne videlicet aut Reginam viuentem, aut Pontificem Sigismundi Imperatoris & aliorum fœderatorum principũ societate potentem irritaret, ac Ioanna Regina ab ea armata plurimum sibi metueret, induciis cum ea ad decem annos pactis, in Afticam, ab Aenaria, contra Saracenos soluit, cum illi Eugenius Pontifex, datis literis, C. M. aureorum à Clero Regni Aragoniæ nomine subsidij in bellum fidem exigendi indulsisset. Nihilotamen placatior Eugenio factus, Dominico Ramo Cardinali Illicitano auctor fuit, qui se Ba-

Eug. sibi metuens ad Sigism. respicit.

sileam quantocius conferret, & abdicando illi omnem omnino lapidem moueret. Non potuit Eugenius continuationem Concilij vlla ratione cuitare, quam tanta, quanta erat necessitas ab Alfonso illata, extorquebat. *Surita lib. 14. Annalium. cap. 11. 12. 13. 14. 15.*

Julian. Card. Legat. Bohemos ad ea quæ pacis & vnionis sunt luculenter est exhortatus.

L. VI. *Basileenses oratores suos ad comitia Polonica mittunt.*

Inter hæc Basileenses, non intermittebant, literis datis, & Nunciis destinatis, Reges ac Principes Christianos, ab Eugenio auertere. Indixerat Vladislaus Rex Poloniæ per hæc tempora Cracouiam comitia. Eo aduenerunt Oratores Basileenfium, postulantes, vt Rex cum omnibus ditionibus suis Concilio aduersus Pontificem faueret, cui iam abrogare Pontificatũ Patres nitebantur. Responsum est à Rege: diligentius eum consulturum, ac deinde Legatos suos Basileam cum certo responso missurum. *Cromerus de rebus Polon. lib. 20.* Addit idem historiographus, Oratores Basileensium, à Rege postulasse, vt vexandis bello Cruciferis supersederet, Concilioque causam omnem cognoscendam & arbitrandam permitteret. His pariter responsum est, non abhorrere à pace Regem, si à Cruciferis ipsi satisfieret. Inde oratores dimissi, in Prussiam ad Cruciferos, vt eos ad accipiendam conditionem pacis à Rege oblatam adducerent, profecti, nihil impetrarunt. Vnde tertiis comitiis bellum in Cruciferos decretum, & Bohemorum hæreticorum auxilia, quamuis refragantibus Episcopis, contra eos accita: duodecim oppida munita, partim vi, partim per deditionem in noua Marchia de eis capta, Pomerania ad eum modum vastata, vt soli quatuordecim pagi inter lacus & paludes siti intacti relicti fuerint, captiuorũ tantus numerus, vt duobus tantum florenis diuenderentur, seu redimerentur: Matronis & puellis captiuis iustus honor adhibitus, datæque publice custodia, ne quid in eas contumelioſe à quocumque fieret, factaque diligente conquisitione, nc qua priuatim à quopiam occulteretur, omnes ad Vistulam deductæ, traiectæque nauibus liberæ dimissæ sunt. Perhonorificum id fuit Polonis apud ipsos etiam hostes, omnesque eis omnia bona precari, suis veto, qui longe essent in populanda Polonia dissimiles, mala imprecari. Atque vtinam in templis, monasteriis, & rebus sacris Poloni milites eadem abstinentia vsi fuissent. Sed plus hic valuit ira, &, dolor immanissima direptorum à Cruciferis in Cuiauia templorum. Itaque Peplinense monasterium magnificentissime ædificatum, & opulentum diripuerũt: ac paulo post Oliuense quoque cœnobium direptum exusserunt. Id vero Polonis summæ laudi fuit, quod cum auxiliares inter se hæreticos Boemos habuissent, nihil omnino labis tunc ex eorũ consuetudine contraxere, quin odisse magis eorum fœditatem & impietatem cognitam cæpere.

Bellum tõtra Cruciferos.

Quantum odium hæreseos Episcopis Poloniæ fuerit.

Quantum porro odium hæreseos Episcopis Poloniæ fuisset, vel etiam ex hoc facinore quod adiungo libet agnoscere. Cum Rex Vladislaus esset Prisouiæ, venerat ad eum Bohemus quispiam Sacerdos hæreticus, à Christiano Astrologo, nuncians, vt mortem prope sibi imminentem caueret. Id cum ille semotis arbitris ageret, Sbigneus Episcopus Cracouiensis, veritus, ne quid de Religione hæreticus ille Regi suaderet, grauiter Regem obiurgauit, quod neminem de consiliariis ad audientiam Bohemi adhibuisset. Et satis fecit quidem Rex Sbigneo, nihil Bohemum, neque de Religione, neque de Republica secum locutum esse, sed tamen coactus est primo quoque tempore, instante Sbigneo perfidum dimittere, propterea quod is vulgo praua dogmata disseminarer. Tanti fuit vel odium hæreseos, vel solicitudo pro Rege, ne is aliquo errore inficeretur, sed se immaculatum ab omni contagione conseruaret.

Quam honeste Polonis ergà matronas & puellas captiuas habuerint.

L VII. *Quid sanandis Bohemis hæreticis hoc anno Basileenses egerint.*

Quid vero sanandis Bohemis hæreticis, hoc anno, Basileenses egerint, quid in tractatione cum eis acciderit, Ioannes Cochlæus enarrabat istis verbis.

Anno Domini M. CCCC. XXXIII. die IV. Ianuarij, Oratores Bohemorum, peruenerunt Basileam. At sub eorum aduentum, effusus extra mœnia vrbanus populus, ex Synodo quoque complures ad portas, alij frequentes in plateas, qua transitum esset conuenere; Matronæ, pueri, puellæ, senestras & tecta compleuere; alij illum digito designare, peregrinos habitus, non visa prius vestimenta mira, horribiles hominum facies, truces notare oculos. In vnum tamen cuncti Procopium Rasum defigere lumina ac dicere; illum esse qui toties Catholicorum fudisset exercitus, qui tot oppida subuertisset, tot fidelium millia neci dedisset: quem sui pariter atque hostes metuerent, intuitum, ducem, audacem, intrepidum, neque labore, neque timore superandum.

Postridie (vt ait Æneas) vel nono die (vt nonnulli habent) eiusdem mensis, cum ad Synodum accessissent Bohemi, Iulianus Cardinalis Legatus, illos benigne allocutus, longam & luculentam habuit orationem, ad ea quæ pacis & vnionis essent eos exhortans. eam inferius adscribemus, quod digna sit alioqui, atque etiam necessaria, vtab his omnibus legatur, qui de sacris scripturis superbientes auctoritatem Ecclesiæ vel parui faciunt, vel omnino contemnunt. Cæterum Bohemi, quibus par facundia non erat pauca responderunt. Extat autem in quodam peruetusto codice, Ioannis Rokizanæ responsio in hæc fane verba.

Collatio, seu præsentatio Bohemorum, coram Domino Legato Præsidente in Concilio Basileensi.

LVIII. *Responsio Ioan Rokizanæ Bohemorum nomine.*

Ipse Dominus Deus Nazarenus, qui est Crucifixus, in cordibus omnium nostrum sit abunde fixus. Pater Reuerende, coram Paternitate vestra verbum proponendum iam assistens est istud.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt 2. Corinth. 1. Cum heu his nostris nouissimis & periculosis temporibus, refrigescente charitate, & superabundante iniquitate, omnes deliquimus, proiecimusque à nobis iudicia Domini vera, iustificata in semet ipsa: ac per hoc inutiles facti sumus, cum non sit qui faciat bona etiam vsque ad vnum, scribitur Psalm. 13. Ipse tamen Deus Benedictus, benignus, multum misericors, & præstabilis super malitia, Iohel 2. qui non solum Pater misericordiarum est sed & pater luminum, gignens ex se vero Deo & homine, verum Deum & lumen, cœternum sibi & substantiale: à quo omne datum optimum, & omne datum perfectum est desursum descendens, &c. Iacob. 1. Hic, inquam, pater est misericordiarum, profundens suæ misericordiæ & bonitatis radios in orbis quamlibet partem. qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, nec est qui se abscondat à calore eius, cum solem suum oriri faciat super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos, Matth. 5. Hic, inquam, talis, volens reducere deordinatissima nostra ad sua iudicia primitiua, etsi affligat filios Ecclesiæ multiplicibus afflictionibus & variis perturbationibus, non tamen aufert abillis misericordiam, qui est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Sicut in Psalm. dicitur, si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustitias meas prophanauerint, &c. Ipse enim more illius Samaritani, existens pater misericordiarum, infundens vinum, infundit & oleum, cum secundum multitudinem dolorum nostrorum, consolationes suæ animas nostras lætificent. Et merito, quia est Deus totius consolationis. Consolatus namque est nos, ex huius venerandi Concilij Basileensis simultanea aggregatione & celebratione, cum sciamus, ipsa Concilia (quæ tamen sunt debite, rite & legitime per spiritum sanctum celebrata) plurimorum malorum resecatiua fore, & amputatiua, sicut hoc apparet votanter in primo Concilio Apostolorum (de quo Actuum XV.) celebrato. Consolatus est de post nos ipse Dominus, qui est Deus totius consolationis de pia & multumpaterna per ipsum venerandum Concilium Basileense, ad interessendum præsentialiter, euocatione, sicut hoc apparet, ex epistolarum variarum nobis missarum diserti ssimis hortamentis. Consolatus est insuper nos ipse Deus, per securam, tutam, honestam, siue honorificam, variarum personarum spiritualium & secularium, probarum & honestarum in hanc Ciuitatem Basileensem, deductionem. Consolatus est & super hoc ipse Deus nos, per honestam dispositionem, etsi non in actu exercitatam, in debita tamen dispositione ordinatam, vt in ipso aduentu nostro, & approximatione ad locum Ciuitatis Basileensis, in via extra ciuitatem occursus certarum personarum & exitus, pro nostri decenti susceptione fuisset celebratus. Harum autem omnium consolationum (si tamen aliquid sapimus) hoc plene cognoscimus, Paternitatem vestram fore causam & actorem vnum præcipuum, & principalem. Quare nos præsentes nomine nostro & absentium Bohemorum, secularium & spiritualium, grates reddimus cum debita reuerentia per ualidas: cupientes Paternitatem vestram bene valere, & in longa tempora, per Altis-

simum singula conseruantem, in profectum Ecclesiæ conseruari. Offerētes nos Paternitati vestræ in omnibus, in quibus saltem valemus, secundum Deum obsequi & famulari. Speramus de Paternitate vestra, & super hoc in Deo confidentes, quia manum vestram in vlteriora dirigetis, vt ea quæ sunt veritatis, legis Christi, immaculatæ iustitiæ, vnionis Sanctæ & pacis, sortiantur effectum, finem debitum & prosecutionem, quatenus nos ipsi sic consolati, possimus ad propria remeantes, consolari & eos qui sunt in omni pressura & anxietate, atq; graui oppressione per bella his in annis & diebus periculosis, altrinsecus contra se mutuo cōtinuata: vt sic reueniamus cum exultatione, asserentes manipulos gaudij, vnionis, pacis, & quietis. Quod ipse pater misericordiarum, & Deus totius consolationis donare dignetur, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum Amen.

LIX. *Articuli à Bohemis ad diē destinatam propositi ad quos à Catholicis abunde responsum fuit.*

Post hæc postulanit idem Rolsizana Bohemorum nomine, diem quo audirentur. Destinatus est eis itaq; dies 16. Ianuarij. Quo die ipse, primum articulum de Cōmunione sub vtraq; specie proponere cepit, vsque in tertium diem, semperante meridiem. Deinde Nicolaus Taborita, secundum articulum de corrigendis peccatis publicis, in medium protulit, per bidui spatium. Post quem Vldaricus presbyter Orphanorum, tertium articulum de libera prædicatione verbi Dei, duobus item diebus proposuit. Quartum vero articulum, qui erat de ciuili dominio Clericorum, per triduum absoluit Petrus Papne Anglus. Fecerunt autem Partibus copiam suarum disputationum in scriptis, & gratias: gerunt, quod auditi fuissent. Quamquam tres posteriores satis inciuiliter in Catholicos inuecti fuerant. ac nihil veriti erant, Ioannem Wiccleph & Ioannē Hus, quos iampridem Ecclesia damnauerat, Doctores Euangelicos nuncupare.

Res exigebat, vt Bohemis aliquid responderetur. Itaque surgens Ioannes de Ragusio, Dalmata, Theologiæ Professor, Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, petiit clara voce, in medio congregationis, potestatem sibi dari vt primato nomine responderet, ad primum articulum Bohemorum. Assensit Synodus, octoque diebus ille respondit horis antemeridianis. Antequam vero incepisset respondere, Ioannes Abbas Cisterciensis, orationem ad Bohemos habuit, vt se submitterent determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ, quam Sacrum Concilium repræsentaret. Ea res Bohemos non parum offendit. Cumque Ragusinus, inter respondendum, hæreseos & hæreticorum vocabulum crebro haberet in ore, non poterat hoc tandem ferre Procopius Bohemus, quin surgens cum stomacho, de hac iniuria coram Patribus publice conqueritus est: Conterraneus, *inquit*, noster iste iniuria nos afficit, hæreticos nos subinde vocans. Ad quæ Ragusinus: Quia, *inquit*, conterraneus vester sum, lingua & natione, propterea tam aude cupio vos ad matrem Ecclesiam redire. Parum autem abfuit, quin ob eam offensionem Basilea Bohemi abirent, vixque placari potuerunt. Quidam etiam ex Bohemis, voluerunt Ragusinum ad finem vsque disputantem audire. Ad secundum deinde articulum respondit, insignis Theologus, Aegidius Carlerius Decanus Ecclesiæ Cameracensis, per quattuor dies. Ad tertium articulum, Henricus, cognomento Frigidum ferrum, Theologus Ordinis Prædicatorum, per dies tres. Ad quartum postremo, Ioannes Polomar, Archidiaconus Barcinonensis, auditor causarum Sacri Palatij Apostolici, tribus item diebus. Afficiebat autem Bohemos tædio nostrorum vt illis videbatur prolixitas. Et quamuis nostri accurate respondissent, nihilominus tamen illi articulos suos adhuc pertinaciter defendebant, præsertim vero primum, adeo vt Ioannes Rolcizana in oppugnandis responsionibus Ragusini totos sex dies insumpserit.

Procopius ad nomen hæreticorum indignatus de iniuria conqueritur.

LX. *Iuliani Cardin. legati exhortatio ad Bohemos.*

Anteistatum auditi fuissent Bohemi, piam ad eos orationem habuit Iulianus Cardinalis, dicens; *Audiuit hac Sancta Synodus per decem dies magna cum patientia, quattuor vestrorum articulorum propositiones, singulaque à vobis dicta notauit diligenter & accurate, inter quæ illud potissimum animos nostros exhilarauit, quod in principio sermonum vestrorum, vos instanter deprecati estis, vt omnem suspitionē sinistrā aduersus vos de cordibus nostris ejiceremus; pium, & charitatiuū assumeremus de vobis æstimationē. Lætificati etiam nō mediocriter nūc sumus audiētes per organū Magistri Ioannis de Rolcizana, vos magnū vnionis & pacis habere desiderium. Quod autē nobis gratias agitis pro benigna & charitatiua audientia vobis tradita, nihil aliud dicendum est, nisi quod gratum nobis est si quid gratum vobis fecerimus: idemque in omnibus, quantum cum Deo poterimus, nos facturos esse pollicemur. Nec parum nobis consolationis attulit protestatio, per eundem Magistrum Ioannem explicata in principio, ac deinde per alios sequentes repetita, inter alia hæc verba continens, credimus insuper, Domum suam, Sanctam Ecclesium, fundatam tam firmiter super firmam petram, quod portæ inferi aduersus eam prævalere non possint. Quæ, secundum Gregorium & Augustinum, est vniuersitas fidelium per totum mundum dissusa, crescitque & fructificat in mundo vniuerso. adiicientes, quod prompti essis in ope ipsius capitis Christi Domini, mortis diræ potius sustinere martyrium, quam electiue aliquid dicere, quod foret Christi fuæque Ecclesiæ veræ sponsæ contrarium voluntati. Ex his omnibus, si animus vester huiusmodi verbis corresponder, bonam spem futuræ vnionis concipimus. Nec nos reliqua terrent, quæ postmodum in expositione ipsorum articulorum dixistis. Dummodo enim mens parata sit, veritati, cum ostensa fuerit, acquiescere: verba, quæcumque postmodum proferantur, non multum animo aduertenda sunt. Intentio hominis illa est, quæ in omni re primum considerari debet. Ista opus gratum, vel ingratum efficit. Hac merito oculus hominis appellatur, qui, si simplex fuerit, iuxta sententiam Saluatoris, totum corpus lucidum erit. Si intentio recta sit in cordibus vestris, queinadmodum verba vestra recte intellecta significant, non nisi bonos fructus hinc nascituros speramus. Intentio namque hominis arbor est, quæ (vt inquit Dominus) si bona fit, non potest malos fructus facere. Quamquam alcuius arboris cortex durus sit, & folia amara, si tamen ipsa arbor in se bona sit, fructus bonos faciat necesse est. Cum igitur talem mentem vos habere dicatis, & hoc Sacrum Concilium rectissimam intentionem ad veritatem & charitatem super omnia gerat: (cuius rei euidens testimonium vobis perhibere possunt epistolæ multæ ad vos missæ, diligentiaque in vestra vocatione adhibita) restat, si qua inter nos vtrimque verba proferre contingat, sine asperitate, sine pungentia, aut forte qua comminanter sonare videantur, vt nemo nostrum turbetur, neque formidet, nec propterea spes veritatique concepta, quoquo modo diminuatur. Sed quando sermonem asperum aures nostræ aut vestræ audierint, mox vtriusque partis intentionem ad memoriam reuocemus. Tunc benigni erimus & patientes: non emulabimur, neque inflabimur, non commouebimur, non irritabimur, sed charitatiue inuicem alter alterum supportabimus. Nimirum quia charitas, ex qua huiusmodi procedit intentio, ita nos facere suadebit. Ad hanc igitur vestram intentionem nos respicientes, plurimum confortati sumus, & gratias agimus omnipotenti Deo, qui talem nobis inspirauit animum, rogantes suam maiestatem, vt in hac bona intentione nos perseverare faciat, & eam quantocius fieri potest, in hoc sacro Concilio ad actum & rei executionem deducat. Vos autem ex toto corde hortamur, vt ita agatis, quod demum ex fructibus vestris, hanc ipsam intentionem vestram veraciter cognoscere possimus.*

Illud autem quod postulatis, vt bonam de vobis æstimationem accipiamus, libenter audimus, libenterque exaudimus. Nihil enim magis optamus, nisi vt res sic disponantur, quod eandem de vobis existimationem habere possimus, quam de nobis ipsis habemus. Vtinam iam factum esset, (quod tamen per gratiam Spiritus Sancti cito fieri speramus) vt nostrum ac vestrum cor esset vnum, & anima vna. Sed vt hoc fiat, necesse est omnem dissidij occasionem, & quicquid nos ab inuicem separare potest, vtrinque in medium proferamus. Si vnitatem & pacem perpetuam inter nos contracturi sumus, & in eodem spiritu ambulare intendimus, expedit vt omnis diuersitas opinionum, omnesque varietates sententiarum procul effugentur: & secundum Apostolum, idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata. Propterea permaxime necessarium est, vt nihil inter nos occultemus, sed sine factione & simulatione, quicquid credimus ac sentimus, in lucem producamus. In hoc sacro Concilio conueniamus, quod fornax est & caminus Spiritus Sancti, vbi omnem scoriam ac rubiginem auri & argenti, & quicquid sine ad fidem, sine ad mores pertinet, ad purum expurgare oportebit. Mos est eorum, qui diu inter se litigarunt, si quando concordiam inire desiderant, vt omnes controuersias simul componant; alioquin, si vel vna remanserit indecisa, facile lites & odia suscitabit. Ignis penitus extinctus dici non potest, si aliqua eius superfit fauilla: qualicet minima sit, paulatim crescendo potest totam domum incendere. Ita & nos omnem ignem discordiarum nostrarum taliter extinguamus, vt nulla prorsus scintilla remaneat.

Proposuistis proximis diebus, Quattuor duntaxat articulos. Sed audimus, præter hos quattuor multa alia vos habere dogmata peregrina, in quib. à nobis dissentitis. Necessarium est ergo si vera vnitas & pacis fra-

fraternitas inter nos sit qua debet, vt omnia in hoc Concilio propalentur, quatenus per gratiam Spiritus sancti, qui pacis & vnitatis est auctor, debita ac salubris prouisio fieri possit. Nec ex leuibus coniecturis ista accepimus. Partim enim à fide dignis personis audiuimus, illorum qui hic sunt, & propriis oculis in Bohemia viderunt; partim etiam ex nostra relatione perpendimus. Magister enim Nicolaus secundo loco proponens; inter alia nominauit Ioannem Wiceleph, Euangelicum Doctorem. Si illum creditis esse virum Euangelicum; consequens est, vt dicta eius authentica reputetis. Si vero ita non putatis; æquum esset, vt hoc nobis innotesceret. Multa ex his, quæ infra sequuntur, prædictum Ioannem Wiceleph dogmatizasse accepimus. De his igitur, & quibusdam aliis, vos rogamus, vt nos certificare velitis, quid credatis, & quam super his fidem habeatis. Nec requirimus, vt mortua, & rationes vestras nunc explicetis; sed satis modo est nobis, vt ad singulos articulos respondeatis, per verbum, credimus, aut, non credimus. Quod si feceritis, prout speramus, tunc aperte cognoscemus, vos cupere, vt bonam de vobis æstimationem capiamus. Si quid autem est, de quo velitis per nos certificari; interrogate audacter, & confestim vobis respondebimus. Parati sumus enim, iuxta B. Petri doctrinam, vnicuique poscenti reddere rationem de ea quæ in nobis est fide.

LXI. *Card. proponit illis XXXIV. articulos.*

Hæc cū dixisset Iulian. Cardinalis, proposuit illis circiter XXXIV. articulos, quorum præcipua pars erat ex sæpe damnatis dogmatibus Iohannis Wiceleph; quales sunt. *Substātia panis & vini, remanent post consecrationē. Accidentia non possunt esse ibi sine subiecto. Christus non est in Sacramento realiter corporali præsentia. Sacramentum confirmationis est inutile. Confessio apud Sacerdotem est superuacua. Sacramentum extremæ vnctionis est inutile. Sacro christmate non sunt inungendi illi qui baptizantur. Vanum est orare pro mortuis. Non sunt inuocandi sancti. Non veneranda sacræ imagines, nec sanctorum vel quiæ. Non obseruanda ieiunia, aut festa Ecclesia, &c.*

Disputatio à sp̄tatione parit.

Cumque in scriptis tradidisset ea Oratoribus Bohemorum; illi deliberantes dixerunt, se venisse, tantum vt quatuor illos articulos proponerent, non tam sito, quam totius Regni Bohemici nomine. Post aquam vero à quatuor illis Theol. Catholicis, ad quatuor illorū articulos responsum fuit, quamuis accurate, copiose, ac solide; illi tamen pertinaciter affirmabant, eos articulos firmissime fundatos esse in Euangelio. Cumque dies multi negotio huic impenderentur, & res adeo sollicite sine intermissione ageretur, vt Patres, omnia alia negotia quamlibet magna & ardua, horis antemeridianis postponerent, neque tamen quicquam proficeretur, nisi vt disputationem disputatio pareret; tandem aliud remedium tentatum est, ab Illustrissimo Principe, Bauariæ Duce Wilhelmo Protectore Concilii: videlicet, vt omissis disputationibus, res amice componeretur. Quare, Pragæ postea, Ioannes Polomar, coram cunctis Regni Statibus orationem habens, in hæc verba retulit.

LXII. *Ioan. Polomar refert Statibus Bohemiæ quomodo tentata fuerit amicabilis compositio.*

Placuit verò communi assensu, vt inter disputationes prædictas, darentur aliqui dies ad agendum particulares tractatus, ad quos deputati fuerunt pro sacro Concilio tres Cardinales, vnus Archiepiscopus, & quatuor Episcopi, ac alii Doctores & Magistri, vsque ad æqualem numerum vestrorum Ambasiatorum. Inter hos, & Ambasiatores vestros, per aliquot dies tractatus habiti fuerunt. Demum vero, deuentum est ad minorem numerum Tractatorum, vt quatuor tantum pro qualibet parte essent electi. Inter quos primo, & denuo, inter omnes vestros ac nostros Tractatores appunctatum & conclusum est, de Ambasiata ad Regnum hoc inclytum, per sacrum Concilium destinanda. Disputatum itaque fuit per dies quinquaginta, à XVI. die Ianuarii, vsque ad diem VI. Martii: ab eo autem die, vsque ad XIV. Aprilis, in particulari delecta tractatum est. Festinantibus autem Bohemis redire in patriam, synodus decreuit insigē Legationem cum Oratoribus Bohemorum Pragam mittere, vbi ad diem festum SS. Trinitatis populus esset conuēturus. Oratores autem Synodales fuerunt, Philibertus Constantiensis in Normannia Episcopus, Prouinciæ Rothomagensis, Petrus Augustensis Episcopus, Ioannes Polomarius iuris Pontificii professor, Fridericus Parsberger Præpositus Ratisponensis, Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis, Alexander Sparur Iurisconsultus Anglus, Thomas Haselbachius Theologus Viennensis, Henricus Tockius Canonicus Magdeburgensis Theologus, Martinus Bernerius Decanus Turonensis in sacra Theologia Bac-

Synodus destinat Pragam mittere legationem cum Oratoribus Bohemorum.

calaureus, & Iohannes Gelhusius Monachus Mulbrunensis.

LXIII. *Credentiales Oratoribus Basil. data.*

Dedit eis literas Credentiales, quarum tenorem, cum ad historiæ cognitionem nonnihil conducat, hic ex vetusto codice inserere connenit, in hæc fane verba.

Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, Vniuersis Sacerdotibus, Nobilibus, & toti populo Regni Bohemiæ, vnitatem & pacem in Christo Iesu Dominо nostro.

Quanto charitatis ardore, quantoque affectu vnitati & pacis, quam in vniuerso Christiano populo ardenti desiderio peroptamus, in huius sacri Concilii congregationis mitto, ad vos nostras charitatiuas direximus literas, nouit ille qui scrutator est cordium, & vos per exhibita signa intelligere sat potestis; subsecutaque diligentia in transmittendis nostris Ambasiatoribus ad confinia vestra, pro huius prosecutione tractatus, ostendit. Atque, quo studio, quam intenta cura fit actum, vt vestri Ambasiatores ad hoc sacrum Concilium destinati salui conducti sint, & tam mitinere, quam in hoc loco, benigne, amice, & honorifice suscepti sint & tractati, eisque libera & plena audientia data; eorum speramus relatu satis notum. Cum autem (licet quantum ex nobis est omnia sit possibilis cura, operaque adhibita,) ve optatus pacis, & vnitatis conuideretur tractatus, & sequeretur effectus, ad finem deduci non valuit optatum: in eodem charitatis fructuore perseuerantes constanter, ne quicquam ex parte nostra deesse videatur, sed Deo palam sit & mundo, quam sollicite pacem & vnitatem procuraret totu conatibus intendamus, promptique simus exhibere vobis viscera charitatis, hac etiam vestra Oratoribus fieri vtile suadentibus, nostros ad vos Legatos decreuimus destinare, videl cet Venerabiles Philibertum Episcopum, &c. Quibus in & super agendu, tractandu, & Deo propitio concludendis vobiscum p enam consultiuus potestatem.

Præfatos igitur Legatos nostros, prout decet vestrum honorem, & Legatorum suscipiendorum religio postulat, à vobis benigne suscipi petimus, & tractari, audientiamque præstari citam, pacificam, & benignam; atque explicanda per eos fidem adhibere credulitatem indubie, ac si præsentibus literis omnia forent seriatim scripta. Datum Basileæ Idibus Aprilis, Anno Domini M CCCC XXXIII.

LXIV. *Alii quoque Oratores Principum & Communitat. cum eis Pragam venerunt.*

Præter nominatos autem Synodi Legatos, alii quoque Oratores Principum & Communitatum, simul cum illis Pragam venerunt, quemadmodum Iohannes Polomar in oratione sua ad Bohemos commemorat, dicens; *In quæ precor, Dei misericordiam agnoscite, & nostram erga vos benevolentiam, & veræ dilectionis in Domino charitatem. Nihil aliud quam charitas Christi nos traxit ad vos, & propriorum larium & negotiorum compulit obliuisci. Venimus ad vos Ambasiatores numero decem, pro parte sacri Concilii, quorum tres sunt de Francia, vnus Episcopus de Normannia, de vno extremo Franciæ versus mare Oceanum, distat eius domus per XL. dietas. Alter, de extremo alio Franciæ. Tertius quasi de medio vtriusque. Est hic etiam Doctor vnus de Anglia.*

Quinque vero sunt Teutonici, vnus Episcopus Augustensis, & reliqui de diuersis partibus. Ego vero inter omnes minimus, de partibus Hispaniæ, Regni Aragoniæ, ciuitate Barcinonensi, adhuc per XLVI. dietas distante. Prætereundum non est, quod Illustris Princeps, Dux Sabaudiæ, quem negotium hoc specialiter non contingit, sed pro sola contemplatione sacri Concilii, & pro bono pacis Christianitatis quam zelatur, velut bonus & Catholicus Princeps, suum ad hoc notabilem Ambasiatorem transmisit; atque nos, prout à sacro Concilio mandatum habemus, Illustres Principes & Communitates vicinas exhortati sumus, vt pro vtilitate negotii, suos Ambasiatores transmitterent.

Barones quoque & Communitates Regni vobiscum dissidentes, pro bono pacis vocauimus; quorum aliqui, scilicet Dominus, Marchio Brandenburgensis, Iohannes Dux Bauariæ, Episcopus Bambergensis, Communitates Nurembergensis, & Egrensis; statim suos nobiscum miserunt; & alii citius venissent, sicut nobis scripserunt, si Saluos-conductus habuissent. Venimus igitur ad vos, nos sacri Concilii Ambasiatores, dico sacri Concilii, non vnius hominis, etiam magni Principis, sed Concilii Generalis, quod omnes in se continet Christianitatis Principes, & Prælatos, & populum vniuersum; cum vniuersalem Ecclesiam repræsentet: Venimus pro pace & vnitate in Christo Iesu, & eius Euangelica doctrina. Venimus in nomine eius, portantes pacem. Venimus cum charitate, in hoc inclyto Regno, in hac egregia ciuitate, cuius vestio beneplacito,

sub vestro Salvo-conductu, & in fide & securitate vestra quietis mentibus sumus, pacatisque animis & tranquillis. Profitemur quidem, sicut & dignum est, ac magna cum gratitudine commemoramus, quod in hoc inclyto Regno valde bene & cum lætitia recepti sumus, in hac egregia ciuitate, & alibi per quas transiuimus, atque à Magnifico viro Domino Iacobo, valde honorifice tractati. De hoc gratias simus plurimum, plusquam verbis possimus explicare, magnasque referimus gratias, & obsequia optamus grata rependere, neque vnquam immemores erimus officiorum. Sed nec, cum Deo propitio ad sacrum Concilium reuertemur, sub silentio relinquemus, quin referemus, vt decet, quatenus id per orbem vniuersum (cum de cunctis Christiani orbi finibus ibi adsint) vestram expandatur ad laudem, & ab ipso sacro Concilio debitam gratitudinem habeatis.

LXV. *Ioan. Rokyzana de pace Eccles. & reformationem habet, & inter alia Regio Bohemiæ has esse conquestus.*

Hæc Ioannes Polomar, nomine suo & aliorum Basilea missorum oratorum, in Comitio Pragano dixit. Econtra, nomine omnium Bohemorum, Ioannes Rokizana, de pace Ecclesiæ, & reformatione morum, ex variis Scripturæ sacræ sententiis contexta oratione coram eis habuit, ac multa de iniuriis Regno Bohemiæ his temporibus illatis conquestus est, his ipsissimis verbis, ad Oratores Basileensium, & aliorum directis.

Reuerendi Patres. Induens personam communem, alloquor Paternitates vestras in persona Coronæ Bohemiæ, & dico: Cogitate quæ sunt bonæ famæ, non solum vestræ, sed & meæ Coronæ Bohemiæ. Ecce congruit mihi dicere, illud Canticorum V. Vt dilectus meus, Christus Iesus, locutus est mihi, per diuinam misericordiam, anima mea liquefacta est; quia per amorem ad suas veritates accensa, quas mihi inspirauit. Quæsiui illum, sc. promouere in suis veritatibus præclaris; & non inueni: multorum corda dissolita. Inuenerunt me custodes ciuitatis, scilicet Prælati & Sacerdotes; percusserunt, & vulnerauerunt me, detractionibus & infamiis. Tulerunt pallium meum, famæ, gloriæ, & laudis, quantum in illis fuit.

Et infra. Iacob siquidem pater meus qui me dilexit tenerrime, fecerat mihi præ aliis fratribus, Regnis & districtuum regionibus, tunicam polimitam, hoc est varijs odoribus famam respersam. Sed fratres mei Zelo inuidiæ agitati, maculauerunt illam in sanguine infamiæ, & detestationis: & proiecerunt me in cisternam, in grauium sententiarum timodationes. Precor ergo vos Reuerendos Ambasiatores, qui modo transitis per longinquam viam, attendite & videte dolorem meum, si similis alicui Regno sine illius euenit demeritis. Heu, mulier vidua ego sum. Mortuus est vir meus, 2. Regum 14. Nam Rex Diuæ memoriæ Wenceslaus, qui me tuebatur, Coronam suam promouebat, mandans literis suis veritates dilecti mei Iesu, quas adamaui. Et videntes me inimici mei viduam, dicunt; Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus vidue. Vos vero Ambasiatores Reuerendi, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, Isaiæ 1. Aduenam & pupillum, & viduam nolite contristare, Hieremiæ 22. Hæc est religio munda & immaculata, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, Iacob. 1.

Humiliter ergo peto; cogitate, & agite, quæcunque sunt bonæ famæ meæ, & reddite pallium meum, meam sedecet famam promouendo, quam inimici mei auferre conabantur, & conantur. Hæc ille.

Polomar autem in oratione sua, qua multo copiosius ac vehementius adhortabatur ad pacem & vnitatem Bohemos, circa finem, huic querelæ respondens ait:

LXVI. *Responsio Polomar ad hanc querelam.*

Iam igitur verbis finem imponam, viri Generosi, viri spectabiles, viri prudentes. Oblatam vobis pacem, & vnitatem accipite. Hanc vobis ex parte sacri Generalis Concilii, puro corde, syncera mente offerimus; potestatem habentes, si hanc, vt offerimus, acceptare voluerint pacem & vnitatem, omnia impedimenta & obstacula tollere, & aduersantia abolere, & restituere patriæ huic pallium istud honoris & famæ; quo venerabilis Magister nomine vestro proponens, spoliatam esse questus est: & omnes honores, priuilegia, & libertates instaurare. Et vt breuiter multa comprehendam; sic hanc discessionem, vnitatis glutino connectere, vt nulla, quoad iuris effectum, remaneant vestigia cicatricis.

Intrabimus terras vestras, & vos nostras cum pace & vnitate; Ecclesias, Sacramenta, & orationes communes habebimus. Hi Reuerendi in Christo Patres Episcopi, missarum solemnia cum vestro beneplacito in vestris Ecclesiis celebrabunt. Sacramento confirmationis, quod à tempore Apostolorum solis Episcopis commendatum est, munient pueros vestros, & alia impendent, quæ sunt Episcopis referuata.

Dixerat hæc, & alia Polomar, satis modeste. Cæterum responsio Baronum, Clientum, Communitatum, & Sacerdotum Regni Bohemiæ, ad proposita à Legatis Basileensium, in congregatione eiusdem Regni, longe durior fuit, quam meruerat mitissima Legatorum oratio. Quamuis enim multa dicerent in responsione sua Bohemi, de bono pacis & vnitatis, quemadmodum & Legati dixerant: omnem tamen culpam dissidii reiiciebant in Sedem Apostolicam & Concilium Constantiense, quasi inique processerint atque egerint contra Ioannem Hus, & Hieronymum de Praga, ac etiam contra totum Regnum Bohemiæ, per iniquas censuras, & bullas Cruciatas. Denique quantum extulerat Conciliorum authoritatem Polomar Legatus; tantum extenuabat eam Bohemorum responsio, dicens: Concilia posteriora, quæ in lege Dei expressata non sunt, non solum in moribus, sed etiam in fide errasse, & errare posse. Nam quod in viridi contigit, in arido quoque euenire potest. Columnæ autem validissimæ militantis Ecclesiæ, Apostoli scilicet, omnes in fide errasse videntur; & pro triduo passionis Christi, in sola virgine Maria Dei genitrice fides Catholica conseruata fuit. Nullus igitur Christianus cogendus est, *aiebant*, vt stet dictaminis Papæ aut Concilii, nisi quod in lege Domini sit expressatum. Nam Concilia Generalia à multis retroactis temporibus celebrata, reperiuntur valde pauca reformasse in fide, pace, ac moribus Ecclesiæ; sed semper in vita, fuisque decretis notabiliter exorbitasse, nec se in fundamento quod Christus est stabiliuisse: vnde eorum dictamini, siue doctrinæ, nolint se submittere, simpliciter, & de plano. Et Deo duce, *inquiebant*, non erunt parati, neque prompti, ad subiiciendum se, tam improuidæ ipsorum informationi, aut decreto: ne per huiusmodi temerariam subiectionem, vitam & fidem obligentur habere contra salubrem Domini nostri Iesu Christi doctrinam. In summa, nolebant vllam inire, aut agnoscere pacem, nisi prius acceptarentur, & approbarentur quatuor eorum articuli, quos pro Euangelicis veritatibus habebant.

LXVII. *Quid Bohemi ad dicta Polomar seu Legatorum Basil. responderint.*

Nolunt se submittere nisi approbentur quatuor eorum articuli.

Aiebant itaque; si simul veritatem legis Euangelicæ amplectimur; simul vnum in Domino fieri valebimus. Nam teste sententia Doctorum, non possunt seruari fœdera pacis, inter quos est fidei bellum. Auferatur materia litis, quæ est controuersia pro nostris quatuor salutaribus articulis; & ipsa vnitas simul cum pace in nos inducetur. Sic nempe, si vnanimes fieri debemus, idem sapere, idem sentire, & idem in fide expedit singulos dicere, & profiteri.

Post hanc principalem responsionem, quæ per organum M. Ioannis Rokizanæ facta erat, adiuncta fuit per organum Procopii Rasi, breuis de bellorum exercitiis appendix, in qua tota culpa bellorum in nostros reiiciebatur, quod pars nostra cruente contra eos Crucis erectionem procurauerit, ipsum Regnum Bohemiæ gladio & igne immaniter vastando. Multos tamen fructus inde enatos fuisse dixit; tum quia quamplurimi salutarium quatuor articulorum exsufflatores; & aduersarii pertinaces, compulsi per bella fuerint, eosdem veritates ore ac opere profiteri. Tum quia multitudo numerosa fidelium populorum, eosdem salutigeras veritates rite obseruantium, fuerit hactenus per bella ab hostili sæuitia protecta, quæ alias per hostes coacta fuisset resilire, & ipsas veritates impugnare, & item SPIRITVM SANCTVM veritatis Doctorem delinquere. Tum quia grandis illa bellorum inquietudo, dederit occasionem Patribus congregandi CONCILIVM in BASILEA, & causam audientiæ BOHEMIS in CONCILIO datæ: quod pro insigni munere diuino accipiendum sit, vt per hoc veritates illæ, cunctis fidelibus salutares, vniuersis nationibus innotescerent: nec cessaturus sit ille tumultus bellorum, nisi illæ benedictæ veritates ab ECCLESIÆ membris & suppositis fuerint fideliter acceptatæ.

Procop. Rasi breue de belli exercitiis appendicem habet fructuosum fuisse asserens.

Ad responsionem Baronum, & aliorum Regni Statuum, replicauit Ioannes Polomar, nomine omnium Legatorum, in hæc verba.

LXVIII. *Replica Polomar ad responsionem Regni.*

Omnium communis est vox; hoc omnes nostri vestrique sermones pariter consentiunt, quod pacis & vnitatis bonum, tanquam donum perfectum, est summopere diligendum, diuino vero vitandum, quia malum est pestiferum, & Regni Dei, quod est populus Christianus destructiuum. Sed hoc dicere & confiteri non sufficit, nisi ponatur in opere. Solus noster Regnus

tiam mandatorum Dei, sine adimpletione ipsorum, non sufficit, nec leuat, sed magis aggrauat pœnam, dicente Domino in Euangelio; seruus sciens voluntatem Domini sui; & non faciens, plagis vapulabit multis. Postquam ergo scimus voluntatem Domini & confitemur, ipsam opere impleamus; festinemus scissuram tollere, pacem & vnitatem habere, abiiciamus odia, & rancores euellamus ex cordibus, diligamus nos inuicem, habeamus pacem & vnitatem. Si creditis, quia creditis & confitemini, quod sicut dolor est homini, si eius membra diuidantur, aut caro scindatur; ita dolor Christi est in nobis, si corpus eius, id est familia vel societas Christianorum vllo modo diuidatur. Si Christum omnes diligimus; si magna eius beneficia memoramur, cur dolori corporis eius non occurrimus, & subuenimus? cur vulnera non alligamus? Si corpus eius verum, fuit pro salute corporis mystici multis plagis & vulneribus sauciatum, tantum non satis est, nisi & à nobis filiis suis in suo corpore mystico vulnera dira sustineat! Si propterea bella vos dicitis gessisse, vt pacem adipisci possitis: ecce iam optatum finem habere potestis: à bellis ergo cessandum.

Aurea ratio.

Iam vobis pax offertur via plana, via Regia, via facili, via iusta & vobis honorifica valde: prout in primis propositionibus demonstratum est, & clarebit amplius, quando rationibus, quæ in contrarium deducuntur, congrua satisfactione repulsis, veritatis aura prælucente, velati discussis nubibus, Sole meridiano clarius intuebitur, prout ex inscriptis liquida est videre. Parabamus tractatibus vnitatis & pacis multo amplius expedire, præteritorum malorum non renouare memoriam; quoniam solet talium memoria interdum accendere animos, & ad iram odiumque prouocare. Dubitamus ergo valde, ne hoc à maligni hostis procedat astutia, qui cum charitatem extinguere semper studeat, nunc videns contra sua maligna opera, pacis & charitatis fieri hortamenta, sub specie boni sua iactat semina, cum vetera commemorat. Ideoque Patres in sacro Concilio, huic periculo obuiare volentes, nonnulla huiusmodi, quæ ibi per aliquos ex vestris dicta fuerunt, cum patientia tolerantes, sine responso permiserunt transire; ne forte inde sumeretur tractatus rumpendi occasio. Quod attinet Patres Constantienses, non illi qui in Concilio Constantiensi congregati fuerunt, seminauerunt semina bellorum & iurgiorum: sed ante Constantiense Concilium, inimico humani generis superseminante zizaniam, in medio vestri dissensio pullulauit: & vestri alterutrum se hæreticantes, ad sedem Apostolicam vestri vestros de hæresi detulerunt. Vtique non super communione sacrati calicis; cum ista materia nondum publice habu isset initium, nec propter eam processum fuit contra magistros, quos de medio vestri dicitis emissos: sed credimus, quod velitis dicere, pro parte Regni transmissos. Quod non sic auditum, nec legimus à narrantibus gesta Concilii, saltem quod constaret Concilio. Sed propter alia, quæ (vt credimus) vos ipsi huiusmodi esse digna tali iudicio iudicaretis, si vobis vera fore constaret. Ac si causa iusta ista esset atque legitima non esset iudici, sed restibus imputandam, si forsitan vera non esset.

At vero quod vos discessionem feceritis (semper salua pace loquendo) agnoscere clarum est. Cum enim essemus omnes vnus populus, & haberemus societatem fidei & sacramentorum, in qua patres vestri, aui, proaui, & cæteri progenitores, per multa centena annorum permanserunt inconcusse cum reliquo populo Christiano; non licuit iure communis societatis, inconsultis aliis facere nouitatem. Hoc Iurisconsultorum leges decernunt, & dictat ratio naturalis. Cum enim ciues vnius ciuitatis societatem habeant in iuribus, & in bonis communibus ciuitatis, puta statutis, consuetudinibus, priuilegiis, foro, prætorio, plateis & huiusmodi: nunquid liceret vni parti ciuitatis, aliis inconsultis, circa hæc facere nouitatem: puta mutare statuta, vel consuetudines, priuilegiis renunciare, forum vel prætorium, aut plateam vendere, prodere? Nonne si vna pars hoc attentaret: resistendum ciuitatis instam haberet querelam, illosque hoc attentantes, discessionem feciſſe, quilibet ratione iudicans indicaret? Cum ergo in fide & sacramentis, cum reliquo populo Christiano societatem haberetis, & omnimodam vnitatem: non debuistis circa ritum sacramentorum facere nouitatem, sociis inconsultis. Si communicare sub vtraque specie vobis vtile putabatis: cur non consuleb atis socios & amicos?

LXIX. *Deca. Camer. respondet ad ea quæ Procop. de bellis proposuerat.*

Hæc & id genus multa, obiecit vir ille doctissimus Hussitis & Thaboritis, in fecunda & tertia ad illos habita oratione: quæ proculdubio honestissimos quosque Bohemorum, ad pacem & vnitatem Ecclesiæ adduxissent: nisi obstitissent vana replicandi garrulitate loquaces sophistæ, concionatores Pragenses, & Sacerdotes sanguinarii Thaboritarum: qui responsa futilia duplicantes ac triplicantes, salubertimas Legatorum exhortationes, atque fideles instructiones, in deteriorem partem trahebant, atque insistre interpretabantur. Cæterum ad ea, quæ Thaboritæ per organum Procopii Rasi de bellis proposuerunt, respondit eximius Theologus Ægidius Carlerius, Decanus Cameracensis, qui arma & bella in quibus illi confidebant diffuadens, inter cætera sic ait.

Porro, si Christi imitari vultis vestigia, quomodo arma capessere tentabitis? Filei enim sic exordia sumunt in pace. Nec discipulos elegit ditiles aut potentes, sed pauperes, impotentes, & infirmos. Si veritatem penes vos esse arbitramini: opus non est ad arma conspicere: ex quo veritas, Regali potentia, omnibusque aliis fortibus fortior, de omnibus triumphat. Vnde vacuos esse à veritate se profitentur, qui confugiunt ad gladios: maxime, cum via inuestigandæ veritatis concedatur. Igitur, ne longe à veritate esse astruamini: ad ima loquere. Ad inquisitionem veritatis in materia vestrarum articulorum, vltra eam, quæ pridem facta est in Concilio, conuertimini.

Placitum enim erit nobis, in præsentia sacri Concilii, quantum voluerit is, per viam disputationis ingrederecum: & vbi pauci arbitrabuntur esse doctores ad tantæ rei iudicium: si liberuerit, ipsa disputata mittemus in scriptis ad omnes famosas Vniuersitates, vt ordinatum fuerit. Post hæc sancta Synodus, non aliter quam veritas habet, omnibus declarationibus studiorum visis, Spiritu sancto inspirata, super his definiet, quod tenendum erit ab vniuersis Christianis. Hæc est via Regia, quæ non declinabit ad dexteram, neque ad sinistram: ambulate in ea. Si forte illam sequi non vultis: quia da ibi, vos de illis articulis optime instructos: & quod Dominus Deus illos vobis reuelauit: non adeo illam viam spernere debetis. Nam si reuelatio vestra ex Deo est: stabit. Nec Spiritus sanctus, in generalibus Concilijs præsidens, sua vnquam opera dissoluet, &c.

LXX. *Verba Henr. Tockÿ coram conjudibus vtr. ciuit. Prag.*

Habuerunt & alii ex Legatis Basileensium, data occasione, orationes ad Bohemos; ex quibus Henricus Tockius, Canonicus Magdeburgensis, sacræ Theologiæ professor, die secunda Maii, coram consulibus vtriusque ciuitatis Pragensis, in Prætorio maioris ciuitatis, hunc in modum exorsus est.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit. Ioan. 16. & in Euangelio Dominicæ præsenti, Gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum. 1. Ioan. 1.

Dilectissimi nobis in Christo, Magnifici & discreti viri: gaudium vestrum inceptum desideramus perfici, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Quid dicam? Gaudium vestrum, an vestrum, seu meum? Nostra gaudium vestrum, nostrum ac meum. Vestrum; quia post tribulationes & angustias, gemitus, fletus, & multiplices dolores, & miserias, de maxima Dei misericordia, gemina vestra charitate, factum est gaudium magnum in illa ciuitate. Actum 8. Nostrum autem gaudium: quia aditores sumus gaudii vestri. 2. Corinth. 2. Meum vero etiam est gaudium vestrum, quia meum gaudium, omnium vestrum. Item 2. Corint. 2. Hoc gaudium anno præterito in oppido Egrensi, vobis concludentibus de veniendo ad sacrum Concilium, fuit natum, anno præsenti, vestris Basileam venientibus, erat multiplicatum. Nunc nostris & vestris Pragam concurrentibus, est prouide continuatum. Dei misericors Dominus Deus noster, quod in prima Generali congregatione Regni Bohemiæ fuit consummatum, vt gaudium vestrum sit plenum.

Et infra, post multa.

Dimissa (inquit) *generalitate, ad te reuertor ô Praga, Metropolis Bohemiæ, ciuitas magnifica, Regibus & Principibus cunctis veneranda; dum pacis & vnitatis dulcedine in Domino fruebaris, ô quam gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei? Psalm. 86. Antiquæ tuæ dignitatis memores, stupefacti, pia mente compatimur, & floridum illum statum, ac pristinam gloriam toto mentis desiderio peroptantes, cooperabimur pro posse restaurare, vt primæuo flore iuuenescas, & fructus parturias præ omnibus vberiores. Compatimur quidem, videntes quid nunc es. Tunc illa famosissima, maximis & potentissimis ciuitatibus connumerata, vix paucis (si tamen aliquibus) secunda; multis prior in donis, vt maior in imperio, fide, deuotione, pace, concordia, rerum opulentia, seculari ac diuina sapientia, & politica gloria floruisti? Tu nedum Regale, sed Christianitatis Occidentalis Ecclesiæ imperiale solium possedisti. Tu omnium literarum diuinæ & humanæ sapientiæ Gymnasium fœcundissime continuisti. Tu totius, & cuiuslibet religionis & veritatis Christianæ exemplum extitisti. Quid autem mane sis? tu scis, & intra teipsam iudicare bis. Meum est, te consolari, non turbare. Tuum est, teipsam co-*

gnoscere, iuxta illud oraculum γνῶθι σεαυτὸν, quod est, cognosce teipsum, &c.

LXXI. *Mart. Berner. ad Magistros Studii Pragens.*

Die 13. Maii, cum Cletus Vniuersitatem Pragensem repræsentans, Oratores Basileensium visitasset, & habita oratione excepisset; Martinus Bernerius, Decanus Turonensis, sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus, nomine Oratorum Collegarum, inter cætera sic locutus est.

Quoniam vero, præclari viri, sermo vester, multum de veritate peroravit; de verbo igitur veritatis thema præcurrat, Iacobi 1. & in epistola currenti Dominica scriptum; Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. *Quis ille, qui genuit? nimirum pater luminum, de quo Iacobus prædixit:* Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à patre luminum. *Porro hominum duplex est generatio. Vna animalis, secundum quam primus homo Adam factus est in animam viuentem. Alia spiritualis; quæ est per spiritum diuinum vitificantem. Per illam per diuinitur ad humanum esse per hanc ad diuinum, vt simus quodammodo participes diuinæ naturæ.* Maxima, *inquit Petrus*, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.

Et infra.

At vero secundum animalem generationem, quidam ad hoc tantum producuntur, vt humanum esse participent, neque tamen alios homines generent, vt infantes & paruuli. Alii, non tantum vt homines sint, sed vt alios generare possint, vt iam adulti, & perfecti. Sic in spirituali generatione, quæ est per verbum veritatis, alii ad hoc tantum perducuntur, vt spirituales sint & diuini; non tamen vt alios in esse gratiæ per verbum veritatis Christo generent; vt laici, & alii simplices paruuli in Christo. Alij in tantum perducuntur, vt & alios per verbum veritatis Christo genuent. Hæinsnodi erat, qui dicebat; Ego per Euangelium in Christo vos genui. Hoc proprie est eorum, quibus datur manifestatio spiritus, ad vtilitatem scilicet Ecclesiæ.

Et infra.

Hoc esse initium creaturæ Dei, generando eam per verbum veritatis, eo euidentius Ecclesia sancta continet, quo singulari priuilegio ei concessum est, vt edocta à Spiritu sancto, in determinanda veritate necessariorum ad salutem minime possit errare. Proinde Ecclesia dicitur omnium fidelium mater, eo quod generet Christo per verbum veritatis; veritatis inquam puræ, & synceræ, quæ nihil habeat erroris admixtum, quæ propterea à cunctis fidelibus, & audienda est, & honoranda.

Et ad finem, post multa.

Vos vero qui spirituales estis, hortamur & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi, operam dare, vt vna nobiscum sitis initium creaturæ Dei, hoc est, incolarum Regni, hoc est per eorum renouationem, & regenerationem, ad sanctam pacem & visionem, vere sanctam & piam, & ab vniuersis Christi fidelibus desideranti animo concupitam; ab eis quoque, lachrymis, precibus, ieiuniis, & eleemosynis, ab eo qui pacis & non dissensionis Deus est, efflagitatam. Si hanc Dominus donauerit vnionem sanctam, quanta (putatis) erit confusio Sathanæ, & infidelibus paganis & Saracenis? Quod, è contra gaudium & exultatio vniuersis Christi fidelibus, imo vero & in cœlo coram Angelis Dei qui per gratiam suam hanc operari dignetur, ad ipsius gloriam & honorem. Amen.

LXXII. *Magistri dan. Oratoribus in scriptis suam de articulis propositis informationem.*

Tanta facilitate dixerat Bernerius, vt ab eius oratione permoti Magistri, dederint Oratoribus Basileensium in scriptis, suam de articulis propositis informationem; quam duo antiqui codices, concorditer sic habent.

Ista schedula fuit concepta per Magistros Studii Pragensis, & data Oratoribus sacri Concilii in Bohemiam missis; specialiter autem mihi Ægidio Carlerio, Decano Cameracensi fuit porrecta.

Postulauerunt Barones, & alij, vt articulis quatuor intellectum salubrem assignemus.

Magistri Congregati.

1. *De libertate verbi Dei dixerunt, vt sub potestate Diœcesani & iure eius, libere prædicetur.*

2. *De euellendis peccatis dixerunt, vt spirituales in spiritualibus, seculares in secularibus, secundum potestatem à Deo eis concessam extirpent publica mala.*

3. *De bonis Ecclesiæ dixerunt, quia non debent seculares vel alij, bona Ecclesiæ, (quia sunt patrimonium Crucifixi, & quia sunt communia res Ecclesiæ & pauperum) sibi appropriare; quia sacrilegium esset. Quia tamen pro opposito, quasi semper obijcitur, quod talia bona sint superflua. Ad hoc dixerunt: si sint superflua, tunc illi qui habent super ea potestatem dispensatoriam, conuertant in vsus pios & communes. Ad nos talia non pertinet definire. At ciuiliter non debere esse superhis dominari dixerunt. Quia dominium ciuile, (vt videtur) præsupponit pro subiecto, bona temporalia per modum proprietatis possessa: Bona autem Ecclesiæ collata, sunt bona communia. Igitur impertinenter se habet ad ea dominium ciuile. Aliqui tamen dixerunt, quasi superflua tenentem in talibus bonis præmittentes, vt relictis congruis necessariis Clero, pars auferatur; & super tales partes spirituales & seculares simul aliqui dispensatores constituantur; vt seculares pro se non trahant, & spirituales non dominentur. Cleric autem, super sibi derelictis iudicio non contendat, & sibi subditos non iudicet, pœnas pro excessibus infligendo temporales, quia ipsi talia iudicant fore conditiones ciuiles, seu Dominii ciuilis.*

4. *De communione vtriusque speciei dixerunt, quia est à Christo tradita & instituta, ab Apostolis, & sua Ecclesia practicata, & ideo est animæ vtilis, meritoria, & salubris; dummodo fuerit in charitate iuxta limites sanctorum Patrum, practicata. Ad præceptum, vel necessitatem eius dixerunt, quia adhuc est eis dubium, an cadat sub præcepto; aut sub quali præcepto, qualisve pœna illum sequeretur, qui hoc præceptum omitteret, aut quouismodo non impleret.*

Hæc autem nesciunt, per aliquod Concilium alicubi fore definita. Sed ex quo Concilium Basileense nunc congregatum, dicit, & offert se velle ferre iudicium in talibus, iuxta doctrinas sacræ scripturæ, & sanctorum Patrum authoritates, ideo volunt decisionem expectare. Aliqui tamen dixerunt: Quia est necessaria necessitate conditionata, vt videlicet, quis cognoscens eam ipsam fore talem, dum locus & tempus, adsunt congrua, ipsam amplectatur sub gratuibus pœnis: vt per hoc præteriti, non sic communicantes, tanquam adhuc ignari excusentur. Et sua dicta volentes probare, dixerunt: quia communiter Doctores Ecclesiæ dicunt: quinque Sacramenta esse necessitatis, duo libertatis. Inter prima etiam Sacramentum Eucharistiæ numerant. Priores dixerunt, quia asserunt hoc idem, quod Doctores. Qualis autem vnusquisque prædictorum Sacramentorum sit necessitas, Concilij est interpretari. Speramus ergo, quia si in hac clausula vtriusque partis aliquis salubris intellectus daretur vnanimis, multa conquiescerent, occasio bellandi tolleretur; clamor insurgeret, Pacem, pacem affectamus. Hæc Magistri Vniuersitatis Pragensis.

LXXIII. *Mittuntur denuo Basileam Oratores pro declaratione illorum quatuor articulorū.*

Sequuti sunt postea diuersi inter Legatos & Bohemos tractatus: post quos, & multas Legatorum exhortationes ad pacem; cum vana loquacitate, perspinosas & aculeatas responsiones, Hussitarum & Thaboritarum Sacerdotes ludificarent Legatos, atque pertinaciter suis quatuor articulis insisterent; ne tota spes pacis euanesceret, visum est vtrique parti, denuo mittere Basileam Oratores, pro declaratione illorum quatuor articulorum. Transmissa igitur à Patribus, pro Oratoribus Bohemorum, noua securitate, ac saluo conductu, venerunt illi Basileam, simul cum Basileensium Legatis. Cuius sane rei gestæ seriem, nemo melius explicat, quam Orator Basileensium, Ioannes Polomar, Hispanus, in ea oratione, cuius initium est, *Magister, scimus quia veraces.* Quam in suo secundo in Bohemiam aduentu Pragæ habuit ad Bohemos. In ea post multa sic refert;

LXXIV. *Relatio Polomar ad Bohemos de eorum Oratoribus & articulis ab ipsis in Conc. oblatis.*

Ambassiatoribus vestris cum honore susceptis, data est audientia sine mora, publica, pacifica, & benigna. In qua post literarum vestrarum exhibitionem, per orationem discretè & ornate peractam, & alia quæ ad rem pertinent, pro explicatione essentialium suæ Ambassiatæ, lecta fuit cedula huius seriei.

Hos articulos Paternitatibus vestris offerimus, quatenus intuitu optandæ cunctis mortalibus pacis & vnitatis, velitis ipsis in hac forma subscripta, vestrum prabere consensum, vt libere teneantur, doceantur, & irreuocabiliter obseruentur, in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ, & locis eis adhærentium in hac parte.

Primo, vt communio diuinissimæ Eucharistiæ vtilis & salubris, sub vtraque specie, scilicet panis & vini, vniuersis Christi fidelibus, in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ, & locis eis in hac parte adhærentium constitutis, per Sacerdotes libere administretur.

Secundo, vt omnia peccata mortalia, & præsertim publica, per eos quorum interest, rationabiliter, & secundum legem Dei cohibeantur, corripiantur, & eliminentur.

Tertio, vt verbum Dei à Sacerdotibus Domini, & Leuitis idoneis, libere & fideliter prædicetur.

Quarto, vt non liceat Cæro, tempore legis gratiæ, super bonis temporalibus seculariter dominari.

LXXV. *Thaboritæ & alii hæret. Pilznā obsident.*

Porro Thaboritæ & Orphani, gens ferox & inquieta, rapitijs & bellis assueta, duce Procopio Raso, post pacis & vnitatis tractatus, profectis Basileam Oratoribus Basileensium, simul cum Bohemorum Legatis; cœperunt oblidere vrbem Catholicorum, Pilznam, quæ semper in fide Catholicæ Ecclesiæ fidelissime permansit. Venerunt igitur contra eam hæretici, Thaboritæ Orphani, & Pragenses, aliæque ciuitates cum potestate magna (vt habet antiquus Chronicorum liber) in die S. Margaritæ, & circumillantes eam dura obsidione, & crebris oppugnationibus, misere vexauerunt ciues illos in tegro peneanno. Quia de eadem Polomarus, in supradicta oratione eō iuerens ait; *Vtinam moniionibus nostris, imo sanctæ matris Ecclesiæ, prælatis nostris, & ipsius totius Christiani orbis requiescere voluissetis; & hanc crudelem audaciam deposuisse: aut saltem, cum petebamus, tractatibus pendentibus treugas fieri: fassent gradu reconditi in vagum: non fuissent secuta tot mala, quæ interea, tam secularia, & quotidie adiuncta. Placata fuisset ex hoc*

Ipsius autem, quam vtrimque diritne optamus vnionis tenorem offerimus in hac forma. Paratissimus vniri, & ipsi vnum, quomodo omnes Christiani fideles vniri secundum legem Dei obligantur. Et adhærere, ac obedire quibuscumque nobis legitime præfectis, in omnibus Ecclesiasticis, quæcumque nobis secundum legem Dei mandauerint. Quod si quicquam, Concilium, aut Papa, aut Prælati, quod à Deo prohibitum est, determinauerint faciendum, aut sacerint, vel quod in Canone Bibliæ scriptum est præterierint, aut præscripserint mandauerint; cum Canones tales dicant execrabiles & anathema, obedire non obligamur, nec obediemus. Hæc verbis offerimus, inter nos & vos, vt sepponimus concludenda; expeditis nostris quatuor articulis, secundum modum in Egra ex vtraque parte concordatum: cuius sententiam & iudicium, etiam in futuris emergentiis, volumus ab omnibus acceptari.

Præterea, ipsud per Ambassiatores nostros, tandem ad Concilium pro finali vnione faciendam transmittendos, volumus (exigente & vigente æquitate) propter confirmationem & conseruationem pacis & vnitatis obtinere: vt vnione facta, Concilium, suis patentibus literis præ cæteris omnibus Primatibus, archiepiscopis, Episcopis Regibus, & Principibus, & vniuersis vtriusque status fidelibus, quatenus nos & nobis in hac parte adhærentes, & adhærere volentes, amplius palam vel occulte hæreticare, aut quouis modo infamare, aut etiam hostiliter inuadere non præsumant, propter aliquem prædictorum articulorum, & præsertim propter primum, quem asserimus, & asserere proponimus Domino cadere sub præcepto, vsque ad finalem & concordem, per Concilium & nos, secundum formam Iudeis in Egra conflatis, circa difficultates prædictorum articulorum (si quæ occurrerint) fiendam.

Nam illius æquissimis iudicijs legibus & decretis, optamus, Domino disponente in Concilio sedentis, cooperari fideliter, ad reformationem totius Ecclesiæ, in capitibus, à tubis & membris. Quam quidem sententiam (vt verisimile dijcimus relatu) vtique proposuit Concilium circa reformationem Ecclesiæ, atque stipendit.

Insuper, vt litium & litigiorum inter nos & coincolas nostros materia radicitus euellatur, ea vnionem inter nos & Concilium celebrandum; stud volumus per nuncios nostros ad Concilium mittendos obtinere, vt facta vnione, ipsum Concilium modum & hortamentis congruis, scribat, induat, & efficiat, quantum in eo est, quatenus omnes & singuli Sacerdotes, cuiuscunque præeminentiæ aut dignitatis existant, in eidem Regno & Marchionatu Moraviæ, præsertim quo ipsos articulos nondum in effectu obseruantes, quæant cum honoris sui conseruatione, & valeant libere ac fideliter exequi, & amabiliter obseruare, & docere. Nam sic in sancta veritate vnitis, erimus nunc gratiæ diuinæ participes, & in futuro visionis ipsius iucundæ consortes. Amen.

Lecta vero schedula, ac visis quæ pro vnitatis modo ibidē sunt scripta, multorum vultus immutari cœperunt, & concepta spes aliquantulum infirmari, dicentibus quam plurimis: Est hæc vnitas Ecclesiastica, & vnio quæ requiritur in populo Christiano? Hæc non vnitas, sed duplicitas est. Non est in Christiana vnitate dicere: Nos, & vos, sed tantum nos. Vnus est populus Christianus. Pura simplex, & perfecta debet esse vnitas Ecclesiastica non ambagibus, non duplicitatibus inuoluta. Tandem quia materna viscera negare non potest pia mater de reuni sacrum Concilium iterum destinare ad vos, & iterum ad veram, puram, & simplicem vnitatem ac pacem hortari. Quam si ac, quemadmodum acceperat, prioribus omnibus abolitis, eris ei charissimum filium: nec aliter habiti, quam Regna cætera, potentatusque, & Populus populi Christiani. Hæc Polomarus:

Porro Thaboritæ & Orphani, gens ferox & inquieta, rapitijs & bellis assueta, duce Procopio Raso, post pacis & vnitatis tractatus, profectis Basileam Oratoribus Basileensium, simul cum Bohemorum Legatis; cœperunt oblidere vrbem Catholicorum, Pilznam, quæ semper in fide Catholicæ Ecclesiæ fidelissime permansit. Venerunt igitur contra eam hæretici, Thaboritæ Orphani, & Pragenses, aliæque ciuitates cum potestate magna (vt habet antiquus Chronicorum liber) in die S. Margaritæ, & circumillantes eam dura obsidione, & crebris oppugnationibus, misere vexauerunt ciues illos in tegro peneanno. Quia de eadem Polomarus, in supradicta oratione eō iuerens ait; *Vtinam monitionibus nostris, imo sanctæ matris Ecclesiæ, prælatis nostris, & ipsius totius Christiani orbis requiescere voluissetis; & hanc crudelem audaciam deposuisse: aut saltem, cum petebamus, tractatibus pendentibus treugas fieri: fassent gradu reconditi in vagum: non fuissent secuta tot mala, quæ interea, tam secularia, & quotidie adiuncta. Placata fuisset ex hoc diuina miseratio, & non amplius exacerbata. &c.*

LXXVI. *Hussitæ Barones & nobiles tyrannidis Procopii pertæsi Ducem sibi eligunt.*

Erant Bohemi eo tempore inter sese plurimum diuisi; Thaboritæ & Orphani, formidabiles erant vniuersis; quorum præcipuus dux fuerat Procopius Rasus. Huius tyrannidem ægre ferebant Barones, & nobiles plerique: licet & ipsi à parte Hus contra Ecclesiam starent. Longe enim mitiores & tractabiliores erant Calixtini Hussitæ, quam Thaboritæ: nec tam longe ab Ecclesiæ fide aberrabant; maxime circa Sacramentum Eucharistiæ, in quo non panem, vt Thaboritæ, sed speciem panis, sicut Catholici, fatebantur. Præter has sectas, erant plerique Barones Catholici, qui decebant de parte Imperatoris, qui Sigismundum Cæsarem pro legitimo Rege suo agnoscebant. Inter Barones de parte Hussitarum, præcipuæ authoritatis erat Dominus Mainardus de noua domo.

Is conuocatis cæteris dicebat: *Nimis indignum esse, vt qui Regi imperium abdicauerint, Procopii Rasi tugum ferant, illum dominum esse: illum pro sua libidine pronunciam regere, vectigalia exigere, tributa imponere, delectum habere militum, exercitum quo velit ducere, rapere, spoliare, occidere; nullum pati, qui suis consilijs aduersetur. Nobiles tuxta atque ignobiles ei mancipia esse. Nullum hominum genus infelicius esse Bohemis, quos semper in castris versari oporteat; æstates atque hyemes sub dio agere, in duro iacere solo, in armis omnibus horæ versari; nunc ciuilibus bellis, nunc externis agitari. Excutiendum ergo esse tandem tyranni crudelissimi iugum: neque ferendum, vt qui cæteras gentes armis vicerint, Procopio seruiant.*

His dictis, placuit omnibus, accersere publice conuentum Procerum & ciuitatum, in quo Regni status reformetur. In coegitur conuentu, Mainardus, rerum de statu Regni conquerens, dixit; *Illi Regno bene esse, in quo neque per otium marcescant homines, neque per bellum atteruntur: Bohemos autem multis iam annis expertes fuisse quietis: attritum assiduis calamitatibus Regnum; periturum prorsus, nisi breui prospiciatur. Inolitos iacere ægros: homines atque armenta sensim deperire. Id vero hinc accidere, quod omnia in potestate vnius sita sint, qui sine consilio Procerum ciuitatumque pro suo arbitrio rem gerat. Illi soluere esse bellum. Quia si pacis locus foret, imperium eius sine cōsideret. Deligendum igitur esse vnum ex nobilitate Ducem, cuius potestas annua sit: nonnullosque ei adiungendos, quorum consilio domi, belloque, rempublicam administret.*

LXXVII. *Formula concordiæ à Conc. Basil. concepta super declaratione quatuor articulorū.*

Ne vero, vsurpare sibi Barones imperium viderentur, ex media nobilitate assumendum Ducem consuluit. Ium est continuo in sententiam Mainardi: & communi omnium consensu Dux gentis declaratus est Albo Rosenbergensis antiquæ nobilitatis homo, sed tenui censu; quem Capitaneum & Gubernatorem Regni vocauerunt. Et erant quidem apud eum Maiestatis insignia; authoritas vero exstitit apud Mainardum.

His ita constitutis, reuersi sunt è Basilea Pragam, cum tribus Oratoribus Bohemorum, quatuor Legati Basileensium qui etiam antea ab illis in Bohemiam missi fuerant, scilicet; R. D. Philibertus, Episcopus Constantiensis, Rothomagensis Prouinciæ; Ioannes de Polomar, Henricus Tockius, & Martinus Bernerius. Redierunt autem sub festum S. Martini, & permanserunt ibi, vsque ad festum Purificationis Mariæ. Ioannes de Polomar, in oratione sua (cuius initium est, *Magister, scimus quia veraces*) ad congregationem Regni, recitauit declarationem quatuor articulorum à Patribus Basileensibus factam, quæ postea in formula concordiæ de nouo est recitata; quam sane à multis Prælatis & Magistris, vtpote Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & Doctoribus, à Basileensibus ad hoc specialiter deputatis; multorum dierum deliberatione diligentissime conceptam fuisse affirmabat. Hæc est formula concordiæ, vltima die Nouembris constituta.

Compactata Pragæ proposita.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Hæ quæ infrascripta sunt, per gratiam sancti Spiritus concordata sunt, inter Legatos sacri Concilij Basileensis, & Generalem congregationem inclyti Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ, in ciuitate Pragensi.

Primo. Vocata congregatione, nomine dictorum Regni & Marchionatus, & propter Regno & Marchionatu, omnibusque & singulis eorundem Regni & Marchionatus, qui sunt de parte ipsorum, recipiendi &

acceptabunt, & facient bonam, & firmam, & perpetuam pacem, & Ecclesiasticam vnitatem, quam profitebuntur & firmabunt debito modo. Quo facto, Domini Legati, auctoritate dicti sacri Concilii, admittent, & recipient dictam pacem & vnitatem, & pronunciabunt pacem generalem vniuersi populi Christiani, cum in oris & habitatoribus dictorum Regni & Marchionatus. Tollent omnes sententias censuras & plenam abolitionem facient; & mandabunt vniuersis & singulis Christi fidelibus, quod nemo deinceps dictum Regnum & Marchionatum propter præterita infamare præsumat; nec ipsa, aut eorum incolas inuadere, aut offendere; sed eis Christianam pacem obseruent, ipsosque tanquam fratres eorum, sanctæ videlicet matris Ecclesiæ filios reuerentes & obedientes habeant, & firma dilectione contractent.

Circa primum.

Circa materiam primi articuli, quam Ambasiatores dictorum Regni & Marchionatus obtulerunt sacro Concilio, sub hoc forma.

Quod communio diuinissimæ Eucharistiæ vtilis & salubris, sub vtraque specie, scilicet panis & vini, vniuersis Christi fidelibus in Regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ, & locis, eis in hac parte adhærentium constitutis, per Sacerdotes libere ministretur. Est hoc modo concordatum. Quod dicti Bohemis & Morauis, suscipientibus Ecclesiasticam vnitatem & pacem, realiter & cum effectu, & in omnibus aliis, quam in vsu communionis vtriusque speciei, Fidei, & ritui vniuersali Ecclesiæ conformibus; illi, & illæ, qui talem vsum habent, communicabunt cum duplici specie, cum authoritate Domini nostri Iesu Christi, & Ecclesiæ sponsæ eius. Et articulus ille, in sacro Concilio discutietur, quoad materiam de præcepto, ad plenum; & videbitur, quid circa illum articulum pro veritate Catholica sit tenendum, & agendum, pro vtilitate & salute populi Christiani. Et omnibus mature & digeste pertractatis; nihilominus, si in desiderio habendi dictam communionem sub duplici specie perseuerauerint; hoc eorum Ambasiatoribus indicantibus, sacrum Concilium, Sacerdotibus dictorum Regni & Marchionatus, communicandi sub vtraque specie populum, eas videlicet personas, quæ in annis discretionis constitutæ, reuerenter & deuote postulauerint, facultatem in Domino pro eorum vtilitate & salute largietur. Hoc semper obseruato, quod Sacerdotes, sic communicantibus, semper dicant, quod ipsi debeant firmiter credere, quod sub specie panis non caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie, integre, integer & totus est Christus. Ac Legati sacri Concilii, per suas literas, auctoritate sacri Concilii mandabunt vniuersis & singulis, cuiuscunque status aut conditionis existant, vt dictis Bohemis & Morauis, vtentibus dicta communione sub duplici specie, nemo audeat improperare, aut eorum famæ, aut honori detrahere. Et hocidem faciet sacrum Concilium, quando concessionem libertationis faciet memoratam.

Circa secundum.

Circa materiam trium articulorum sequentium, per præfatos Legatos sacri Concilii dictum est in forma sequenti.

Quoniam circa doctrinam Catholicæ veritatis, sic sobrie & caute incedendum est, maxime à sacro Concilio Generali, vt veritas declaretur verbis sic ordinate conceptis, vt nulli sit in futurum offendiculum, vbi posse impingere & habere occasionem erroris: & vt verbis vtamur beati Isidori, ne aliquid per obscuritatem prolatum captionem contineat.

Circa materiam de cohibitione & correptione peccatorum, in quo posuistis articulum hos verbis; omnia peccata mortalia, & præsertim publica, per eos quorum interest, rationabiliter, & secundum legem Dei cohibeantur, corrigantur, & eliminentur. Ecce verbum, per eos quorum interest, nimis est generale. & posset esse offendiculum. At iuxta scripturæ sententiam; non debemus ponere offendiculum ante cæcum: & claudendæ sunt fossæ, ne bos vicini ibi lædatur. Omnis talis occasio tollenda est. Dicimus ergo, quod secundum sacræ Scripturæ sententiam, sanctorumque documenta Doctorum, sic Catholice tenendum est. Quod omnia peccata mortalia, præsertim publica, quantum rationabiliter fieri potest, secundum legem Dei & Sanctorum Patrum instituta, sunt cohibenda, corripienda & eliminanda. Potestas autem puniendi criminosos, non ad priuatas personas, sed ad eos tantummodo pertinet, qui iurisdictionem habent in eos, fori distinctione, iuris & iustitiæ ordine, obseruatis.

Circa tertium.

Circa materiam de prædicatione verbi Dei, in qua posuistis articulum hoc tenore. Quod verbum Dei, à Sacerdotibus Domini & Leuitis idoneis, libere, ac fideliter prædicetur. Ne ex verbo, libere, sumeretur accasio vagæ & dispendiosæ libertatis, quam nec vos (vt sæpe dixistis) intenditis, circumstantiandum est. Dicimusque, quod secundum Scripturæ sacræ sententiam, sanctorumque documenta Doctorum, sic Catholice tenendum est. Quod verbum Dei, à Sacerdotibus Domini & Leuitis, ad hoc idoneis, & per superiores ad quos pertinet approbatis & missis, libere, non tamen passim, sed ordinate & fideliter prædicetur: salua authoritate Pontificis, qui est præordinator in cunctis, iuxta Sanctorum Patrum instituta.

Circa vltimum.

Circa materiam vltimi articuli, sub iis verbis expressi; Non licet Clero, tempore legis gratiæ, super bonis secularibus temporaliter dominari. Meminimus, quod dum in sacro Concilio super hoc disputatio ageretur publica & solennis, ille qui ad disputandum per sacrum Concilium extitit deputatus, duas conclusiones posuit sub his verbis. Prima, quod Clerici non religiosi, seu qui voto se ad hoc non obligarunt, licite possunt habere & possidere quæcumque bona temporalia, hereditates paternas, aut aliorum si eis relinquantur, & alia bona iuste acquisita, ex causa donationis, vel alterius liciti contractus, vel arte licita. Secunda, quod Ecclesia potest licite habere & possidere bona temporalia, mobilia & immobilia, domos, prædia, villas, oppida, castra, ciuitates; & in eis habere priuatum & ciuile dominium. Ille siquidem ex vestris Ambasiatoribus qui disputabat, concessit easdem dicens; illas sensisse articulos bene intellecti non contradicere: cum ipse articulum suum intellexerit, de dominio ciuili formaliter intellecto: ex quo & aliis satis posset intelligi, quod verba, seculariter dominari, in præinserto articulo posita, ad aliquem specialem dominandi modum vel vsum videantur referri.

Sed quoniam doctrina Ecclesiæ non est verbis ambiguis pertractanda, sed plane: propterea illud, quod secundum legem Dei, & sanctorum documenta Doctorum, Catholice tenendum est, duximus exprimendum, videlicet; præmissas duas conclusiones esse veras; quodque Ecclesiastici viri, bona Ecclesiæ quorum sunt administratores, debent fideliter administrare, iuxta sanctorum Patrum salubria instituta: ipsaque bona Ecclesiæ, ab aliis iniuste non debent detineri, vel occupari. Dicta vero congregatio declarationem dictorum trium articulorum, quæ veritati sacræ Scripturæ innititur, suscipit, & accepit.

Verum, quia circa ipsorum trium articulorum materias, nonnullis videtur, abusus plures & deordinationes aliquas occurrere; est intentionis ipsius cõgregationis, quod super reformatione dictorum abusuum & deordinationum, intendit in sacro Concilio, per suos Ambasiatores instantiam & sollicitudinem adhibere. Et quod si quæ etiam singulares personæ: tales reformationes vellent in sacro Concilio permouere modo debito & honesto, quod hoc eis liceat, & sit concessa facultas. Præfatis vero Legatis sacri Concilii hoc placuit, quoniam sacrum Concilium ad morum reformationem intendit, & vult (præstante Domino) studium & sollicitudinem adhibere; ipsique Legati, cum omnem bonam reformationem in Ecclesia Dei fieri, toto desiderio cupiant; ad omnia quæ bonam reformationem Ecclesiæ concernunt, adiutores, & cooperatores esse volunt, & pollicentur. Tandem postquam per Dei gratiam, pro causis fidei cessabit omne bellum, & erit pax bona, pro cuius conseruatione debet adhiberi omnis diligentia, videtur valde expediens, quod etiam pro causis aliis non concernentibus fidem, si quas habent cum circumstantibus vicinis, essent omnes partes ab omni via facti; & de ipsis controuersiis, per dietas placiti, vel alias in sacro Concilio, vel extra, concordia, amicabili ĩpositione, vel iudicio terminentur. Pro firmitate & obseruatia pacis, per dictos Legatos sacri Concilii, dabitur omnino firma, & procurabitur Bulla Concilii, & mandata ipsius sacri Concilii ad omnes Principes & communitates circumstantes, & alia quæ necessaria fuerint, & opportuna. Pro parte vero dictorum Regni & Marchionatus, dabuntur literæ cum sigillis firmis & munimentis opportunis. Procurabitur pax, & seruari mandabitur: & omnia alia fient, quæ pro obseruatione dictæ pacis & vnitatis necessaria fuerint & opportuna.

Concordata & firmata fuerunt præmissa & suprascripta, per plures Magistros & Sacerdotes, à Generali congregatione Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraniæ deputatos, ipsius congregationis nomine & mandato speciali; inter supra nominatos dominos Legatos sacri Concilii, parte ex vna, & dictam generalem congregationem parte ex altera, & per manuum stipulationem parte ex vtraque, cum verbali promissione super præmissa facta. In ciuitate Pr-genfi, in Collegio quod dicitur Caroli, Anno Domini M CCCC XXXIII. Indictione XII. Mensis vero Nouembris die vltima. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Eugenii, diuina prouidentia Papæ IV. anno 3. præsentibus ad hæc prouidis & honestis viris, &c.

Thaboritæ, & Orphani, aliique hæretici, qui Pilznam obsidebant, in hanc concordiæ formulam consentire nolebant. Cochlæus hist. Hussitarum lib. 7.

Thaboritæ in hanc formam consentire nolunt.

Æneas Syluius, qui pars non postrema Basileensium fuit, aliqua quæ à Cochlæo intermissa sunt, memorabat: quæ ad lucem historiæ faciunt. Scilicet. Cum Bohemi, Basileam vocarentur, fuerunt inter eos duæ sententiæ; Orphani, & Thaboritæ,

LXXVIII. *Alia de Oratoribus*

Bohemorũ ad Concil. narratio.

bonæ, & plebs fere omnis, eundum esse negabant; Ioannis & Hieronymi exemplum in medium afferentes, qui Constantiam ad Synodum profecti sub fide Sigismundi, publice combusti fuissent. Nobilitas vero Maynardũ sequuta principem nouæ domus, virum cordatum, & ingenio dextro, *perendum esse Concilium omnino arebat; nec tolerandos videri, qui nouas peregrinasve de fide sententias, nouumq; ritum Religionis inuenissent; si id eorum factorumq; rationem vniuersal Ecclesiæ redderent, & quæ vulgo inculcauerant, coram doctis defenderent.* Vicit hæc sententia. Missi Doctores. Hos exceptos hospitaliter, postridie in concione accersitos Iulianus Cardinalis benigne allocutus, longa & luculenta oratione quæ adhuc extat, ad ea quæ pacis & vnionis essent cohortatus est: *Ecclesiam, Christi Saluatoris sponsam, omnium fidelium matrem esse, dictitans: Claues ligandi atque soluendi habere; candidam, sine ruga, sine macula; in his quæ necessaria ad vitam æternam esse creduntur, errare non posse. Qui eam contempserit, ethnicum publicanumq; censendum; eam nusquam melius, quam in Concilio generali repræsentari. Statuta Conciliorum, Ecclesia placita exist. mari: Concilia, nõ minus quam Euangelia credi oportere, quorum authoritate, & ipsa sacrarum literarum eloquia recepta sunt. Bohemos, qui se filios Ecclesiæ dicerent, vocem matris audire debere, quæ filiorum oblusi non potest; eos insipiendum sine matre vixisse, neq; id nouum esse. Complures aliquando fuisse, qui matrem reliquêre: rediisse tamen, qui salutem optauere; regnante diluuio, omnes periisse qui extra arcam remansere, Dominicum agnum, in vnis ædibus comedendum; extra Ecclesiam, non inuenire salutem, hanc esse hortum conclusum, signatum, fontem, cuius aquam si quis biberit, non sitiret in æternum. Ex re sua fuisse Bohemos, qui eius aquæ fluenta apud Concilium requisiuerunt, matremque tandem adire statuerint. Fa. esse etiam odia debere, ponenda esse arma, omnemq; belli materiam procul abiiciendam: aud. turos benigne Patres, quæcunque Bohemi pro sua causa dicere velint, tantum parati animo sint, ne bene consulta Sanctæ Synodi consilia respuant, quibus non Bohemos tantum, sed omnes Christi fideles acquiescere oportet, si modo æterne vitæ participes esse velint.* Audita est Cardinalis oratio, summo Patrum consensu. Bohemi pauca respondere, quibus parfacundia non esset: *Se neq; Concilia, neq; Ecclesiã contemnisse, aduersus inauditos, Constantiæ sententiam latam, nihil de religione Christiana detrahere, incorruptam apud se Patrum authoritatem manere, quodcunque Bohemi asserant, sacris literis atq; Euangelio confirmari; venisse, vt innocentiam suam Ecclesiæ patefaciant, petereq; audientiam publicam, in qua laici quoq; adsint.*

Bohemorũ responsum.

Neq; id negarum. Interrogati, quænam illa essent, in quibus ab Ecclesia Romana dissentirẽt, quatuor illos articulos proposuere, de communione sub vtraq; specie, de ciuili cleticorum dominio, de libera prædicatione verbi Dei, & de correctione peccatorum quæ publica essent. Nam quamuis plurima sint, quæ Hussitarum perfidia aduersus Catholicæ fidei veritatem struere ac prædicare non dubitaret, coram Concilio tamen, Doctorumq; cœtu, hæc tantummodo tueri posse arbitrati sunt, eaque nomine Regni proposuerunt. Verum quum Iulianus Cardinalis Legatus, alia quoque de Bohemis accepisse se affirmaret, quæ Christianas aures offenderent; inter quæ illud esset, quod Religiones Mendicãtium inuentum esse diabolicum prædicarent; assurgens Procopius Rasus: *Neq, hoc falsum est*, inquit, *nam si neq, Moyses, neque ante eum Patriarchæ, neq, post eum Prophetæ, neq, in noua lege Christus Dominus, neq, Apostoli, mendicantes instituere: quæ non intelligit, diaboli, tenebrarumq, opus esse?* Excepta est ingenti auditorum cachinno Procopii vox. Legatus vero, vt erat mansuetissimus pater, argumentationem indocti hominis placide dissoluit. Neque enim Patriarcharum tantum Prophetarumq; placita, & quæ Christus docuit, instituitque: quæque sanxerunt Apostoli, verum Ecclesiæ quoque decreta, quæ sancto dirigente Spiritu ducitur, opera Dei esse monstrauit; quamuis etiam ex Euangelio sumpta esse mendicantium vita videri possit. *Sylu. in Hist. Bohem. c. 49. & 50.*

Procopij frivola argumentatio.

Optimum Gratiæ, in Beneficio rerum expetendarum, etiam hoc addit: quod cum Bohemi dixerint, se nolle de tribus articulis, posterioribus dare responsum, nisi prius super materia communionis, quid esset eis offerendum, audirent, opus fuerit explicationem rei ita facere, quæ facta fuit, & in scriptis tradita sub forma sequenti.

LXXIX. *Explicatio super vnis-*

In nomine Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, de cuius sacratissimæ Eucharistiæ Sacramento tracturi sumus; vt ipse qui hoc sacratissimum Sacramentum instituit, quod est vnitatis & pacis, illud in nobis effici faciat, quod designat, vt videlicet simus vnum in ipso Domino Iesu capite nostro; & vt ipse conterat versutias diaboli, qui sua maligna astutia, ex Sacramento pacis & vnitatis occasionẽ bellorum ingessit: vt dum de modo communicandi Christiani contendunt, communionis fructu priuentur. Vnde B. Augustinus in Sermone de infantibus, in Decretis de Consecr. dist. 2. Quia passus: *Ita Dominus noster Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & vnitatis nostræ in mẽsa consecrauit. Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.* Hoc ante omnia duximus præmittẽdum, quod consuetudo Generalis Ecclesiæ (quam etiam patres vestri, & vos ipsi olim seruastis) per lõgissima tempora hoc habuit & habet; quod, non conscientes, sub specie tantum panis communicant. Quam consuetudinem, ab Ecclesia, & sanctis Patribus rationabiliter introductam, & diutissime obseruatam, non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito immutare. Igitur dictam consuetudinem Ecclesiæ immutando, assumere vsum communicandi populum sub vtraque specie, absque authoritate sanctæ Matris Ecclesiæ, licitum non est, sed illicitum. Sancta vero mater Ecclesia, suadentibus causis rationabilibus, facultatem communicandi populum sub vtraque specie, potest concedere & elargiri. Et talis communio, quæ sine authoritate Ecclesiæ attentata foret, esset illicita: cum autem de authoritate & licentia sanctæ matris Ecclesiæ fiet, erit licita, si alia non impediant.

Circa materiam vtriusque speciei, Fidei, & ritui vniuersali Ecclesiæ conformibus.

Consuetudo generalis Ecclesiæ de communione.

Diximus: *Si alia non impediant*; quoniam vt ait Apostolus: *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Vnde B. Isidorus, & habetur, de Consecr. dist. 2. *Qui celebrate viuunt, & in Ecclesia communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari; discant, nihil ad emundationem sibi proficere.* Et Augustinus eadem dist. *Et sancta, malis nocere possunt; bona sunt ad salutem, malis ad iudicium.* Suntque hoc plures authoritates. Etenim inter primos communicantes Apostolus Iudas fuit, sed quia indigne suscepit; proditionis peccatum habens in corde, sibi nihil profuit; quinimo extunc diabolus, in eum maiorem exercuit potestatẽ. Ratio hoc magna demonstrat. Quis vestrum Dominum suum in hospitium suscepturus, non cum omni cura domum suam studeret mundare pariter & ornare, vt ipsum Dominum posset honeste suscipere? Susceptur us igitur Dominum & Saluatorem nostrũ in hospitio animæ, debet ipsam animam diligenter mundare & ornare. Mundare per Sacramẽtum pœnitentiæ, cũ amaritudine & contritione cordis, peccata sua humiliter, pure & integre veraciter confitendo, & suscipiendo satisfactionẽ debitam, & pœnitentiam salutarẽ. Ornare vero purpura sanctę deuotionis: vt sic corde purgato, & feruore deuotionis ornato, accedat ad diuinissimũ Sacramentum, in quo est Deus mundum reconcilians sibi. Admonet igitur, exhortatur, & præcipit Sancta Synodus, vt omnes Sacerdotes exhortentur diligenter & moneant populum, & omne studium, & sollicitudinem adhibeant, vt nullus ad hoc sacratissimum Sacramentum, nisi debite præparatus accedat, cum magna reuerentia & deuotione; ne quod pro animæ salute suscipitur, in iudiciũ condemnationis redundet, dum suscipitur indigne.

Sancta malis nocere possunt, bonis sunt ad salutem.

Præterea dicunt Doctores, quod dicta consuetudo communicandi populum sub specie panis tantum, ab Ecclesia & Sanctis Patribus fuit rationabiliter introducta, propter rationabiles causas: specialiter propter duo pericula, scilicet errotis, & irreuerentiæ. Erroris, fuit enim error Nestorianorum, credẽtium, quod sub specie panis sit sola caro Christi, & sub specie vini solus sanguis Christi; quod est error. Nam veritas est, quod sub qualibet specie est totus Christus; viuus, & integer, caro, sanguis, anima, & diuinitas. Et sub specie panis est totus Christus, viuus & integer; & sub specie vini, non est tantum sanguis, sed totus Christus viuus & integer. Quoniam, vt ait Apostolus: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur.* Semel ergo tantum mortuus, iam non moritur, nec sanguis à corpore separatur. Vt igitur huic errori obuiaretur, & magis imprimeretur fidelium mentibus, quod sub qualibet specie est totus Christus; dum non solum verbo, sed etiam ipso signo indicaretur, vsum fuit vtile, sub vna tantum specie ministrari. Efficacius

Consuetudo communicandi populum sub specie panis tantum est propter duo pericula scilicet errotis, & irreuerentiæ.

LXXX. *Confutatio communicandi populum sub vtraque specie introductæ, ex horis scilicet & irreuerentiæ.*

enim imprimitur,quando cùm doctrina verbali sensuale aliud signum concurrit.Ideo Sacramenta instituta sunt,& sacrificia; Ideo & Dominus noster Iesus Christus in parabolis loquebatur,& sapientes in parabolis loquuntur; vt dum cũ doctrina sua similitudo repræsentatiua concurrit,efficacius mentibus imprimatur.

Multa possunt cõtingere quæ cederent in irreuerentiam Sacramenti dando illud sub vtraq; specie cui libet.

Secundum periculum est irreuerentiæ. Etenim,quamuis omnia Sacramenta cum magna reuerentia tractanda sint; istud tamen diuinissimum Sacramentum super omnia alia, cum maxima & summa reuerentia tractandũ est. Alia siquidem Sacramenta sunt vasa diuinæ gratiæ; non tamen per ea realem Domini nostri Iesu Christi præsentiam obtinemus. In hoc vero sacratissimo Sacramento Dominus noster Iesus Christus,sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum;ideo tractandum est cum omni studio,& cautela,ne aliquid contingat,quod cedat in irreuerentiam ipsi⁹ Sacramẽti.Et cum in calice sit sub specie liquida,multa possunt contingere,quæ cederent in irreuerentiam ipsius sacratissimi Sacramenti,tam ex parte ministrantis,quam ex parte susc.ipientis,quam etiam ex parte speciei vini,quæ est magis ad alterationem suscipiendam dispositа, quam species panis. Vos qui practicastis per experientiam nostis. Nam Doctores de hoc multa dicunt, & nobis,à fidedignis multa relata sunt;quæ cum audiuimus, exhorruerunt pili corporum nostrorum,& animi nostri nimio terrore concussi sunt. Dictum est nobis;accidisse, quod cum Sacerdos ad infirmum, Sacramentum sub duplici specie detulisset,quando infirmo voluit de calice ministrare, nihil ibi reperit; totum enim,dũ per viam agitando veniret, distillauerat. Et alibi,cum mane die Dominicæ ministraretur,quod ex præcedenti die fuerat reseruatum, talis alteratio facta erat, vt qui suscipiebat, ferre non valens emiserit. Heu casus horrendi, & non sine magna cordis amaritudine referendi. Præter hæc, multa alia nobis indigna relata sunt: & quisque volens prudenter aduertere,poterit,quanta possint accidere,cogitare. At vero quam sint hæc grauia,ex Decreti sententia poteritis intelligere,de Consecr.distinct.II. *Si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terram, lingua lambatur. tabula radatur. Si non fuerit tabula, vt non conuilcetur sanguis, locus radatur, & igne consumatur, & cinis in altari recondatur. & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat. Si vsque ad tertium,octo diebus pœniteat. Si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & linteamina quæ stilla tetigerit,tribus vicibus minister abluat, calici subterposito: & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.* Præterea audiuimus sæpe contingere, quod Sacramentum in calice non sufficit multitudini communicantium; & tunc fit nouiter consecratio calicis tantum, & à Presbytero non communicante; quod est à Sanctorum Patrum doctrina plurimum alienum. Et etiam dicitur,quod aliqui interdum, vinum non consecratum,pro consecrato ministrant; quod maximum sacrilegium est.

Fit igitur isto modo, quod vobis suscipientibus Ecclesiasticam vnitatem & pacem, realiter, & cum effectu, & in omnibus aliis, quam in vsu communionis vtriusque speciei, fidei,& ritui vniuersalis Ecclesiæ vos conformantibus; vos qui talem vsum habetis,communicabitis sub duplici specie, cum authoritate Ecclesiæ. Et articulus ille in sacro Concilio discutietur ad plenum; & videbitis, quid circa illum articulum,pro veritate Catholica sit tenendum, & agendum pro salute & vtilitate populi Christiani. Et omnibus mature & digeste pertractatis; nihilominus, si perseuerantes in desiderio vestro, hoc vestri Ambasiatores postulauerint; Sacrum Concilium,Sacerdotibus vestris communicãdi sub vtraque specie populum vestrum, eos videlicet qui in annis discretionis constituti, reuerenter & deuote postulauerint, authoritatem & facultatem in Domino largietur: hoc semper obseruato,quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicant: *quod ipsi debent firmiter credere, quod sub specie panis non caro tantum,nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer totus Christus.*

LXXXI. Hoc est Basileensium tam liberale Decretum; vt etiamsi ab illorum cœtu fuisset definitum,communionem sub vtraque specie,aut non esse de præcepto diuino,aut nõ esse pertinendam vniuersaliter: ipsi tamen, non ex suo liberales, pollicebantur, se velle illis postulantibus (& quid,nisi Decreta Conciliorum nihili facientibus?) concedere. Ita enim, præter hæc superiora, Oratores Basileensium, Magistris & Sacerdotibus Bohemorum hæreticorum,ad dubia,& quæstiones propositas respondentes,renunciarunt. Adscribam eas responsiones,ad pleniorem notitiam historiæ.

Quid præterea Oratores Basil. Magistris & Sacerdotibus Bohemorum hæret. ad dubia & quæstiones propositas respondérint.

Primo dixerunt: quod non est intentionis Sacri Concilii permittere communionem sub duplici specie, permissione tolerantiæ, vel sicut Iudæis fuit permissus libellus repudii; quia cum Sacrum Concilium viscera maternæ charitatis exhibere dictis Bohemis & Moraniæ intendat; non est intentionis Concilii permittere tali permissione, quæ peccatum non excludat; sed taliter elargiri, vt authoritate Domini nostri Iesu Christi,& Ecclesiæ veræ sponsę suæ sit licita,& digna sumentibus vtilis & salutaris:

De punitione peccatorum.

Item,cum circa materiam de punitione peccatorũ,fuisset per dictos Bohemorum Magistros & Sacerdotes dictum, quod ex Sacris Scripturis habetur,quod interdum Deus excitat corda priuatarum personarum,ad correptionem & punitionem peccatorum; & sic videretur licere inferioribus corrigere suos superiores & punire.

Responderunt,& ostendentes textum Sancti Augustini in Decretis 3.q. *Qui peccatis malos in eo quod mali sunt, & habet causam interfectionis, minister Dei est: qui vero sine aliqua publica administratione, maleficum, furem, sacrilegum, aduiterum, periurum, vel quemcunque criminosum interfecerit, aut trucidauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur; & tanto acrius, quanto non sibi à Deo concessam potestatem abusiue vsurpare non timuit.* Et certe molestius susciperet ista ciuitas, si aliquis priuatus attenderet punire vnum criminosum, & erigeret furcam in platea,& ibi eum suspenderet, quam si vnus homo interficeret vnum hominem in rixa, vel per insidias. Alios etiam textus B.Ambrosii & Hieronymi eidem concordes allegarunt.

Replicarunt Bohemi,& dixerunt,quod lex Dei sancte& debite posita est:attamen præter legem,Deus aliquando facere videtur.Nam in Lege dicitur simpliciter: *Non furtum facies;* & tamen mandato Dei, filii Israël asportarunt bona Ægyptiorum,quæ receperant commodata. Item in eadem lege scribitur simpliciter: *Non occides;* ex quo B.Augustinus lib. 1.de Ciuit. Dei probat,quod nemini licet occidere seipsum. Et cum instantiam facit de Samsone,respondet,& dicit hęc verba: *Cum autem Deus iubet, sequę iubere sine vllo ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accusęt?* Hic in proposito, verba Augustini habeatis pro responso.

Responderunt Oratores, quod videat quisq; si Deus iubet,& se iubere,sine ambagibus intimat, & probet spiritus si ex Deo sint. Sed de talibus non est lex danda,nec multum ambigendum. Nam per hoc facile insurget occasio faciendi seditiones, & inferioribus dabitur ansa insurgendi contra superiores. Et quando aliquis furatus esset,vel interfecisset, diceret, quod spiritu Dei motus est; sed certe nisi de hoc bene constaret, puniretur.

Dixerunt denuo, quod aliqui sunt casus, in quibus laici habent potestatem in Clericos.

Fuit responsum, quod certi sunt casus in iure, in quibus laici habent potestatem in Clericos; & etiam aliquando super Cardinales. Nam si mortuo Papa, Cardinales non vellent intrare Conclaue ad electionem Papæ faciendam; Rex, Princeps,vel alius dominus,seu potestas secularis,posset eos compellere. Sed in illis casibus,iam non est ille priuata persona, sed authoritate iuris vtitur iurisdictione. Similiter est intelligendum de aliis casibus in iure expressis.

Dixerunt vlterius,quod nullum ius fori habet iustitiam, nisi ius poli illud approbauerit. Fuit responsum; quod nullum ius fori habet iustitiam, si sit contra legem Dei, quia lex Dei est regula omnium legum. Sed exigitur magna peritia, in applicando regulam ad regulatum.Nam interdum alicui videtur,quod sit tortuositas in regulato,& non est; sed est defectus in applicando,quia non debito modo applicatur regula ad regulatum.

De prædicatione verbi.

Circa articulum de prædicatione verbi Dei fuit motum, quod interdum aliquis Prælatus ex sua inuidia vel malitia, sine causa rationabili, bonum & idoneum prædicatorem, bene & Catholice prædicantem inhibet prædicare.

Fuit responsum, quod satis intellexerunt, quod abusio Prælatorum inordinate agentium, magnam occasionẽ præstitit his turbationibus, & quod in eorum partibus nunquã audiuerunt tales querelas: Sed prælati fauent bonis prædicatoribus, & eos ad prædicandum excitant precibus, fauoribus,& honoribus. In talibus autem casibus,iam sunt à iure præscripta remedia. Quando aliquis prohibetur iure suo, habet remedium appellationis; & si bene confidit, quod sit appellatio iusta, vtatur iure suo; omni violentia brachii vtriusque spiritualis scilicet,& secularis semota. Nam exitus causæ declarabit, si ipse habebat iustam causam appellandi. Tunc declarabitur, superiorem male prohibuisse, & appellantem iuste fecisse. Et superior iniuste prohibens,debet corripi. Si autem iuste fuerit prohibitus; & ipse sua temeritate superioris iustum mandatum spreuit; dignum est, quod ipse digna animaduersione puniatur.

De dominio seculari apud Clericos.

Circa quartum articulum fuit motum: An liceat Prælatis Ecclesiasticis,actus seculares dominij in propria persona exercere.

Fuit responsum,quod si per verbum *actus secularis dominij*, intelligitur actus, quos vnus secularis dominus posset agere,seu exercere;sicut sunt vendere,impignorare, infeudare,modis & formis à iure ordinatis:tunc potest. Sed sunt aliqui actus, quos non licet in propria persona exercere; sed debent habere Oeconomum, Vicedominum,vel Procuratorem, qui hæc exerceat.De quibus actibus in iure cauetur, in Rubrica: *Ne Cler. vel Mon.sec.negoc. se immisc.* & aliis in rebus.

Fuit etiam motum, an illa potestas coactiua, quæ debet exerceri per Oeconomum,&c. sit apud Prælatum Ecclesiæ. Dominus Ioannes Polomar respondit, quod hæc quæstio præsupponit aliam;de qua sunt diuersæ opiniones inter Doctores,apud quem sit dominium Ecclesiæ.Et vlterius: An actiones sint in persona tutoris, vel Procuratoris; vel, licet non sint in eorum persona,tamen per constitutionem actoris vel procuratoris, cuius exercitium demandant ipsi actori vel procuratori: & alias intricationes, de quibus non est opus ad præsens agere. Et cum multum instaretur; diceret opinionem suam, respondit; quod etiamsi otium haberent, & liberet, delectarii in disputando; daret optionem arguenti. Sed magis esset opinio sua, quod dominium rerum Ecclesiæ est apud Christum; & quod Prælati,& alij Ecclesiastici, sunt Canonici administratores,ad instar tutorum: sed ampliorem habent potestatem , seu administrationem quam tutores: & constituendo Oeconomum,seu Vicedominum,&c.eorum constitutione debite facta,Oeconomus, aut Vicedominus habet illam potestatem coactiuam , seu exercitium iurisdictionis.

Item circa quartum articulum, pro declaratione primæ conclusionis,est concordatum,quod verba,*iuste acquisita*, in ipsa posita,omnia in eadem contenta determinant.

Item circa secundam conclusionem; cum sacri Canones & Doctores sic loquantur: *Bona Ecclesiæ, res Ecclesiæ, facultates Ecclesiæ*,&c.& inter Doctores variæ sint opiniones,apud quẽ sit ipsarum rerum dominium; prout *not. Gloss.in cap. Expedit.* 12.*q.*1. Ad nullam illarum opinionum intendunt aliquem coarctare,nec aliquam illarum opinionum excludere; sed sit vnicuique facultas illam quæ sibi melior videbitur,probabiliter sustinere.

Dixerunt præterea dicti Bohemi,quod ipsi tenent,quod Clerici, aut viri Ecclesiastici, rerum temporalium Ecclesiæ sunt administratores,& non domini: ad modum loquendi Scripturæ,Doctorum Sanctorum,& Canonum.

Item dixerunt, quod in omnibus emergentiis stare vellent dictamini iudicis, ex vnanimi consensu in Egra compactati. Et quidem hæc inter Basileenses vel Patres,vel Oratores,ex vna parte, & Bohemos ex altera parte,hoc anno, tum Pragæ,tum Basileæ gesta sunt. *Ortan.lus Gratius in fascic. rerum expetend.*

LXXXII. *Propositũ & narratio hæreticorũ.*

Proposituri fuit hæreticis, Ecclesiasticos, rerum temporalium dominio exuere; laicos, in prædicatione verbi Dei, pares illis facere; adeoq; administrationem rerum spiritualium,ad laicos trahere:laicam potestatem,in illos armare,& ipsam tandem furori plebeio, & audaciæ populari subiicere;ritus Ecclesiæ receptos, & consuetudines probatas conuellere; Sacramentorum energiam eleuare; veritatem sanctissimæ Eucharistiæ corporis & sanguinis Domini, in dubium addacere; Conciliis generalibus authoritatem detrahere;vnaq; cum schismate, hæresi omnifaria,Ecclesię membra non tantum diuidere, verum etiam contaminare; à pusillanimitate spiritus & tempestate, quæ Basileenses occupauerat, perturbauerat que;dum à soliditate illius super quẽ Ecclesia constructa, immobile robur, cui neque portæ inferi prævaleant acquirit,præcipiti temeritate diuulsi,non tantum trepidarent timore vbi non erat timor, sed etiam præcipitarent sententiam, quo opus non erat,& quo non poterant. Rectius sane fecissent, si more ab Orthodoxis Patribus vsitato,rem omnem ad Summum Pontificem, Romanæ Ecclesiæ Episcopum detulissent. Pro eius enim vnius Fide,Christus orauit,ne deficeret: atque illi vni & soli Christus concessit, vt confirmaret Fratres, & vt nodos omnium controuersiarum incidentium,vel de Fide,vel de vsu Sacramentorum, vel de reformatione morum, solueret, ligaret, decideret. Quia tamen zelo conuersionis perditorum flagrabant, Oratores, placuit Deo, illos, quasi per miraculum Pragæ seruare. Ioannes Nider, narrabat,quid hoc anno acciderit illis Pragæ morantibus.

LXXXIII. *Oratores Basil. cum eorum familia Pragæ qui si per miraculum seruati.*

Fuerunt,ait,aliquando in Praga ex parte Basileensis Cõcilii transmissi Domini, Episcopus Constantiensis Prouinciæ Rothomagensis, Episcopus Augustensis, Archidiaconus Barcinonensis, Decanus Turonensis, & multi Doctores diuini & humani iuris cum familia multa; sed humili apparatu,omnes & Clericali, vt conarentur reducere perfidos ad gremium Sanctæ matris Ecclesiæ. Protelabatur autem diæta multis hebdomadibus, & mensibus, propter duritiem perfidorum. Grassabatur in populo pestilentia actu validissima,quæ diætim centena circiter hominum necabat. Spectaculum tunc Deus mirantibus omnibus perfidis fecit in hospitio nostrorum, vt licet in omnibus adiacentibus propinquis & distantibus domibus pestilentia regnaret valide, nunquam tamen domum præfatam fidelium intrauit; nec per totum decursum præsentiæ eorum quilquam mortuus, nec peste in minimo tactus fuit. *N.dar lib.3.Formicarij.c.*12.

Stetissent coniuncti vna cum capite Ecclesiæ Eugenio Pontifice,quem exauctoratum volebant Basileenses; dedisset profecto Dominus virtutem multam,verbo virtutis suę, quod tam Iulianus in præfatione, quam illi quos diximus, quatuor Theologi,in dissertationibus contra hæreticos susceptis edixerant. Et quidem Iulianus Cardinalis, hac oratione,quam promisi adscribere, Bohemos allocutus est, in Synodo Basileæ.

Iesus Christus. Amen.

LXXXIV. *Oratio Iul. Card. Legati ad Bohemos in Synod. Basil.*

Locuturus pro publica populi Christiani vtilitate, opus mihi esse arbitror, vt personam priuatam exuam,& induam publicam; tam publicam, vt omnes comprehendat, & nemo ab eius iurisdictione eximatur.Hæc est illa sancta Ecclesia, sponsa Christi, & Christianorum omnium mater. Hæc, inquam, quæ nos omnes ad hũc locum diuinæ benedictionis vocauit, & ad nuptiale inuitauit conuiuium , antequam ea pro quibus conuenimus tractare incipiamus, pauca nobiscum ex visceribus charitatis loqui decreuit. Itaque iam non me quasi meipsum loquentem audiatis, sed tanquam matrem & alumnam communem, sanctam Dei Ecclesiam. Ego duntaxat ministeriũ præbeo, & rudem linguam,qua vt instrumento vtatur,tantum accommodo. Ipsa autẽ est quæ concipit,& dictat sententias. Nec vos admiratio teneat,q̃ hæc tam grandis & circũspecta Domina,ex hac magna congregatione,in qua plurimi sunt & sancti & litterati, me solũ elegerit,indoctum & peccatorẽ. Habet.n.apud Deũ nescio quid priuilegii officium publicum, quo diuina potẽtia, virtutes suas crebro exercere consuecuit.Cum itaque Præsidens

sim temporis huius in hoc sacro Concilio, quanquam supra modum indignus, elegit me sponsa Christi, non vitæ merito, sed authoritate officii, per quem animi sui cõceptum explicaret. Quod si forsitan (vti vereor) ex ore meo aliquid ineptum effluxerit; non imputetis quæso huic sapientissimæ mulieri, quæ in nulla re errare consueuit; sed tantum incircunciſis pollutisque labiis meis, quemadmodum nec imputandum foret magistro in arte Musica peritissimo, si instrumentum rubiginosum aut confractum in quo psallit, raucam & non benesonoram vocem emittit. Vos autem obsecro, vt interim me loquente tacite in cordibus vestris oretis, quatenus honore sanctæ matris Ecclesiæ nostra inspiratione Spiritus sanctus igniculo illo, quo labia Isaiæ purificauit, saltem per horam purificare tenetur & mea. Deinceps magna cum deuotione & reuerentia matrem nostram loquentem audiamus omnes, & attente consideremus diuini exordii verba, quibus nos allocutura est, quæ sumpta sunt ex B. Apostolo Paulo ad Philipp. *Si qua consolatio in Christo*, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis eandem charitatem habentes vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate: inprimis nolo existimetis, ad aliquos tantum ex vobis me verbum facere. Ad vniuersos prout cuique opus est meus sermo dirigitur, totam ego hanc congregationem, non partem alloquor. Omnium enim vestrum æqualis mihi cura est. Nam omnes filii mei estis, & in vtero meo, non sine magno labore concepti. Ego enim sum sponsa Christi, in quo secundum Apost. ad Coloss. *Non est masculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, circunciſio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia, & in omnibus Christus.* Auscultate igitur diligenter omnes qui hic adestis, in cordibus vestris recondite, in spiritu lenitatis, quæ dictura sum, & pro viribus enitiminiminiplere gaudium meum. Naturali iure & diuina lege filioli mei constringimini credere consiliis meis, & præceptis meis obtemperare.

LXXXV *Quid natura suadet filio erga matrẽ. Ad quid filij erga parentes lege diuina, tenentur. Meritum filij honorantis & supplicium contemnẽtis.*

Natura ipsa filio suadet, cum se à matre genitum esse sciat, & ab ea super omnes se amari cognoscat, vt eam similiter diligat, honoret & consoletur, & eius omnibus acquiescat consiliis. Ita Tobias senior admonebat filium suum, *honorem exhibebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes quanta & quæ pericula passa sit propter te in vtero suo.* Lex etiam digito Dei scripta inter præcepta quæ ad humanam societatem pertinent, hoc primum iubet, vt parentes à filiis honorentur, propter quod Apostolus instruit Coloss. *Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim beneplacitum est in Domino.* Quantum meriti filius honorando matrem quantumve supplicii eam contemnendo expectet, Scriptura diuina insinuat dicens: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorat matrem.* & rursus: *Fili mi ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo.* Econtra, *Maledictus à Deo qui exasperat matrem.* Accedit præterea, quod consiliis meis sine vlla dubitatione parere debetis; quia nõ sum sicut vna de stultis mulieribus huius sæculi, sed in omni virtute & sapientia ab omnipotenti Deo plenissime imbuta, propter quod certi esse debetis, præcepta mea tanquam ex sapientiæ fonte manantia, non posse esse nisi salubria, nec illud omittendum est, quod quidquid vobis cõsuluero aciusdero facillimum est, & supra modum delectabile. Quæ cura mihi sit de salute vestra hinc facile perspicere potestis, quod gaudiũ meum impleri non potest, nisi & vobis bene sit. Gaudium meum ex vestra pendet vtilitate, non possum esse læta nisi & vos lætos atque vnanimes intueat. Carpuntur viscera mea, si quem de filiis meis vel modicum lædi videro. Crucior tota si quid accidat eis infortunii. Madescunt tunc præsertim genæ meæ lachrymis cum inter filios meos dissidii aliquid ortum sentio. Et licet aliquæ interdũ matres repertæ sint quæ dimissis filiis ad nouos maritos seu procos se transtulerunt, & voluptatibus propriis satisfacere cupientes, filiorum suorum obliuiscantur. Ego tamen de numero illarum computari debeo, prout experientia manifestat, de quibus Isaias scribit: *Nunquid obliuiſci potest mater infantem suum, vt non miseretur filio veteri sui?* Quãquam etiam quidam sint patres aut domini, qui filiorum culpis miseriisque non mouentur dicentes: satis mihi est, quod bene ago & mihi bene sit: de cætero neque iniquitas mea, neque delictum meum. Ego autem non sic, licet enim nihil mihi conscia sim, hoc me non consolarur, nisi & idem filiis meis adesse videam. Nec mihi satis est semel admonuisse, nisi iterum atque iterum & sine intermissione vsq; in finem sedulo eos commonefaciam. Dilectissimi mei, ita vos omnes affectu quodam inexplicabili diligo, vt nulla tam grauia esse possint discrimina, quibus libens pro salute vestra me vltro non obiicerem. Quot martyria, tormenta, persecutiones à sœuis Imperatoribus & Tyrannis in primitiua adolescentiæ meæ ætate pertulerim pro salute eorum qui tunc erant filiorum, & qui postea successerunt, & successuri sunt, quis vnum posset enarrare? Inundauerunt plateæ ciuitatum sanguine membrorum meorum, vt fides Catholica illibata in filiis meis persisteret. Ita quidem vos omnes in præcordiis meis infixi estis, vt nonnisi de vestris commodis cogitare queam, pro quibus non solum alligari, sed & moti in membris meis pro vnoquoque vestrum omni tempore parata sum, sequor in hoc vestigia sponsi mei, qui ita me & corpus meum dilexit, vt pro ea animam suam ponere non dubitauerit. Vidi ipsum sæpe numero lachrymantem ac dolentẽ pro membris meis. Audiui ipsum inter maximos cruciatus clamantem: *Pater ignosce illi*, licet dilectus vndique manaret sanguine, & atrocissimis tormentis vndique agitaretur, nihil tamen aliud quam salutem filiorum meorum sitiebat. Sic & me sponsam & discipulam suam facere decet, & memoriam continuam vestri habere, ac die noctuque gemitibus inenarrabilibus clamare & interpellare ad Deum pro vobis, vt nemo pereat ex his quos tradidit mihi. Propterea sic anxia ac sollicita postulo, vt impleatis gaudium meum. Quanto mentis affectu, quantaque anxietate, & vehementia deprecationem hanc meam ad vos porrigam, ex verbis Apostolicis modo propositis animaduertite: *Si qua consolatio est in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum.* Quid est dicere, si qua consolatio est in Christo, nisi quia maxima est? quam si habere vultis, opus est impleatis desiderium meum.

Persecutiones & martyria in primitiua Ecclesia.

LXXXVI *Quanta in Christo consolatio.*

Immoremur si placet paululum in hoc Christi nomine, non enim decet memoriam sponsi mei sic perfunctoriam transire. Eius quippe amore langueo, & liquefacta est anima vt primum nomen dilecti mei insonuit auribus meis. Quid quæso, maius dici potest, quam consolatio in Christo, qui est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra? fallitur qui putat aliis in rebus consolationem posse reperiri. Ad ipsum duntaxat pro consolatione accedere oportet, quoniam *per Christum*, vt inquit Apostolus, *abundat consolatio nostra.* Ipse solus est qui dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris.* Et rursus: *Qui sitit veniat ad me & bibat.* Possidete quod vultis aurum, argentum, regna, ciuitates, scientiam & eloquentiam, & quicquid sub cœlo est: sine Christo molestias potius quam consolationem experiemini, Solus Christus est consolatio, pax, tranquillitas & quies: quod ipse, transiturus ex hoc mũdo discipulis suis dixit: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Si igitur filii mei consolationem in Christo obtinere speratis, necesse est vt impleatis gaudium meum. Non enim aliter Dominus meus vos consolabitur, nisi & vos vnicam sponsam suam consolemini, quam vt animam suam, & pupillam oculi hic diligit.

Solatium charitatis.

Sequitur: si quod solatium charitatis, hoc est, si charitatem habere vultis, & ex charitate solatium implete desiderium meum. Charitas dilectio est, vbi dilectio ibi delectatio; vbi delectatio ibi solatium & gaudium: vbi charitas est ibi Deus est, quia Deus charitas est. Econtra vbi charitas non est, ibi nec Deus nec quidem boni aliquid esse potest. Si igitur charitatem & Deum & commune bonum cum Deo consideratis, votis meis satisfacere vos oportet. Si præceptum primum causa charitatis est vt diligatis Deum: diligendo me diligitis profecto Deum: quia Christus Deus & ego vna mystica persona sumus, cuius ipse est caput, duoenim sumus in carne vna, & hoc est illud magnum Sacramẽtum, de quo inquit Apostolus, *in Christo & Ecclesia.* Si item ex charitate diligendus est proximus, quis vobis proximior est quam ego mater vestra, & talis mater quæ non semel vt aliæ matres, sed præter sacri Baptismi generationem cõtinue

Vbi charitas, ibi Deus.

Ex charitate Deus diligendus.

Diligendus & proximus.

in verbo

in verbo prædicationis, & exhortationis vos patio. Ita in persona mea, inquit Apost. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Iterum & tertio: si qua societas Spiritus sancti, inplete gaudium meũ, quid hoc significat nisi quod si vultis habere vnionem quam facit Spiritus sanctus in omnibus fidelibus, si vultis esse participes Spiritus S. & eius societatem habere; si vultis vt Spiritus sanctus habitet in vobis, lætificate matrem vestram Ecclesiam? O vehementis admirationis genus, quam ignitus est hic sermo, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad compagem animæ, spiritus ac medullarum.

Vnio Spiritus S. in omnibus fidelibus.

LXXXVII *Beneficia Ecclesiæ à Spiritu S. collata.*

Sed non tam propere Spiritus S. memoriam percurram[9]. Nam ineffabile quoddam in ore meo dum ipsum recenseo sentio suauitatis nectar. Et quia multa hic Spiritus paracletus mihi beneficia cõtulit, multum equidem, ne ingrata sim, diligere ipsum debeo: suæ enim custodiæ dimissa sum, ne videar orphana. Ipse me protegit, ne portæ inferi prævaleant aduersus me, ipse me fouet, dirigit & gubernat. Ipse primum induit me adolescentulam virtute ex alto, & in me resedit per ignem, vt charitate arderem, & in lingua vt linguis omnium loquens, omnes docere possem. Ipse adstat super auribus meis, & quidquid dixerit Christus, ipse suggerit mihi, docetque me omnem veritatem, Spiritus ipse veritatis, nec me vnquam errare passus est, neque (vt spero) vsque ad consummationem sæculi patietur, hic mihi abunde largitus est septem eius sacratissima munera, Spiritum videlicet sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ, pietatis & timoris, dona ipsius Spiritus sancti habeo, vt per sapientiam sim matura, per intellectum prouida, per consilium cauta, per fortitudinem animosa, per scientiam discreta, per pietatem misericors, per timorem humilis. Multa nimis de Spiritu S. dicenda forent; sed quis ad lucem, quam inhabitat inaccessibilem accedere poterit? Nunc autem duo hæc de doctore meo referre satis sit, vt vnusquisq; Christianus cognoscat, quantum amare & reuereri ipsum debeat. Spiritus paracletus hic est, de quo conceptus & incarnatus est Redemptor generis humani Iesus Christus, Deus meus, & Deus vester, Dominus meus, & Dominus vester. Ipse etiã est, de quo inquit Apostolus: *Nemo potest dicere Christus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Si igitur huius Spiritus Sancti qui tam mirabilium est patrator operum, societatem habere vultis, implete gaudium meum. Tandem & quarto vos obsecro per viscera miserationis, si qua in vobis sunt, vt impleatis gaudium meum.

Septem dona Spiritus sancti.

LXXXVIII *Omnis summa Christianæ disciplinæ in pietate & misericordia cõsistit. Opus hoc Deo maxime cordi.*

Omnis summa Christianæ disciplinæ in pietate, & misericordia consistit, quantum misericordiæ & pietatis opus Deo sit cordi, hinc constat quod in extremo mundi iudicio de misericordia solum ratio exigetur, *pietas seu misericordia ad omnia est vtilis, promissionẽ habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*, secũdum Apostolum. Hic enim diuitias & gloriam, & in futuro vitam æternam consequitur. De hoc dictum esse videtur, q̃ scribitur in lib. Sap. *In dextra eius anni vita, in sinistra illius diuitiæ & honor.* Si ergo promissionem huius vitæ æternæ optatis, miseremini matris vestræ, quæ tam diu de filiorum suorum dissidio vehementer affligitur, per viscera misericordiæ Dei vestri vos oro, vt in vestra me vnitate consolemini. Non violentum aliquid à vobis exigo, sed ipsum naturalem affectum, qui ad misericordiam vos merito inclinare debet, tum ad omnes homines, tum præsertim ad matrem vestram, & membra vestra, inquit Apostolus. In idipsum solicita sunt membra; & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur & cætera. Cum sitis membra corporis mei, naturali pietate, tam matris vestræ, quam cæterorum membrorum, ex vestro dissidio se affligentium, misereri ac compati debetis. Si vt primum Ioseph vidit Beniamin fratrem suum paruulum in Ægyptum deductum commota sunt viscera eius, nec se cohibere poterat, quin lachrymæ ex oculis erumperent: quanto magis viscera vestra commoueri debent ad pietatem, & oculi erumpere ad lachrymas, visa matre vestra & genitrice, tot fratrum vestrorum diuturno mœrore rabefacta? Si igitur filioli mei contestor, & aduitro vos per consolationem Christi, per solatium charitatis, per societatem Spiritus sancti, per viscera miserationis, vt gaudium quod de vobis cõcepi, hoc in loco compleatur. Intelligitis, puto, cur dixerim, implete gaudium meum: hoc significat aliquid gaudii cæptum esse, aliquid autem restare vt impleatur, cæptum est gaudium in corde meo, cum tempus huius sacri Concilii celebrandi aduenit, per quod spes mihi non parua erat, vt filii mei vndique colligendi, infirmitatibus corporis mei, quæ, proh dolor, grauissimæ sunt, opportune prouiderent, & fidem orthodoxam, quam ipsa proficeor viriliter ab impugnantibus tuerentur, pacemque vbi exulantem inter fines meos reducerent, ac virtutes multis in locis ac personis fere extinctas resuscitarent, quemadmodum hæc omnia in aliis sacris generalibus Conciliis per Spiritus sancti gratiam sæpe numero facta sunt; huiusmodi autem gaudium tunc auctum est, cum per piissimas huius sacri Concilij litteras, Bohemiæ populus ad hanc sanctam Synodum magna cũ charitate conuocatus est, & eilibere audientia oblata. Sed tunc præsertim exultauit animus meus cum conuenientibus huius sacri Concilii & Bohemorum Ambasiatoribus in oppido Egræ, vnanimiter conclusum est, vt vos Bohemi ad hunc locum proficiscereminí; quod, Deo disponente, iam oculis meis factum video. Nunc autem spes futuri gaudij magis ac magis appropinquat, quando filios meos ante hæc tempora inuidia diaboli inter se diuisos, nec respicere audentes, nunc insimul modeste confidere, pacifice loqui, & mansuete inuicem conuersari adspicio. Et quo magis corpora coniunguntur, eo maior spes est conciliandorum animorum. Multum quidem effluxit temporis, quo lætiorem diem experta non sum; quando quidem verisimilia futuræ vnionis fundamenta, ex tam fœlici initio inter filios meos iacta esse videntur. Agite igitur filij mei, implete gaudium meum, date operam, vt quod tam laudabiliter inchoastis, optato fine terminetis. Gaudium cæptum est, restat vt consummetur, in manu vestra est consummare illud, & consolari matrem vestram, atque omnem exhilarare populum Christianum, qui magno cum desiderio finem conuentionis vestræ præstolatur. Facite, obsecro, ne frustra huc veniſſe videamini. Sic agite vt tot labores iam vltra annum incassum non disperentur, & gentes tam grandi de vobis spe concepta non frustrentur. Quis tam duri cordis filius est, qui tam vehementer obsecratus, audeat contraire maternis precibus? Quis tam inhumanus atque impius reperiri potest, qui sic efficaciter à matre adhortatus, mox non acquiescat, & cum Salomone dicat: *Pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.*

Sub hac igitur spe filioli mei explicabo vobis desiderium meum, & confidenter aperiam quod illud sit gaudiũ, quod tantopere per vos impleri efflagito. Sed hoc filii mei scitote nihil difficile aut laboriosum me petituram. Dulcissimũ erit & vtilissimum, & quo magis contrectabitur, eo dulcius atque vtilius fiet. Hoc est, inquam, gaudium, quod impleri postulo: primum vt idem sapiatis omnes, deinde vt eandem charitatem habeatis. Quid de hac duplici petituncula vobis videtur filij? Nunquid præcipio vobis, vt transfretetis maria, per orbẽ peregrinemini, cum hostibus pugnetis? Non iubeo vt contemnatis diuitias, vt corpora vestra maceretis ieiuniis, vt martyria & tormenta subeatis. Nihil horum, vt audistis, quanquam & si ista præciperem, contemnenda non essent. Nam & fratres vestri qui vos præcesserunt, iussu meo hæc & maiora sæpe numero fecerunt. Sed hoc duntaxat hortor, hoc moneo, vt idipsum credatis, & alter alterum diligat. Credere facillimum est, amare dulcissimum, vtrumque vero vtilissimum. His duobus præceptis conficiendis re nulla extrinsecus opus est. Credite & amate inuicem in cordibus vestris, & satisfeciſtis desiderio meo. In momento, in ictu oculi hoc agere potestis. Velitis hoc factum est. Primum est igitur vt idem sapiatis. Quid est, idem sapiatis, nisi vt non diuersa alter ab altero de fide Domini nostri IESV CHRISTI sentiatis? A fide incepi, quia fides Christianæ religionis & omnis salutis ianua est: Hæc est fundamentum & radix omnis ædificationis, quæ creuerit in domo mea. *Aliud autem fundamentum, secundum Apostolum, nemo potest ponere quam quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS.* Hoc autem fidei fundamentum, quam firmiter sustentet ædificium quod superimponitur, quantaque illud virtute ac gratia communiat, & hæc radix quam saluberrimos, suauissimosq; ex se producat fructus, quo alio

LXXXIX *Duo & quidem facilia à Bohemis hæret. petiti Eccles.*

Fides salutis omnis ianua.

Fundamentum omnis ædificationis.

probe-

Bona nobis ex fide promanantia.

probationis genere vti opus est, nisi hoc solo testimonio q̃ Christus Iesus, per quem facta sunt omnia, huius ædificii basis ac fundamentum fieri dignatus est? huic ergo tam stabili fundamento si quis corde puro, & conscientia non ficta inhæserit, primum ab immunditiis, si quas habet, purificabitur, vt in Actibus Apostolorum scriptum est: *Fide purificans corda eorum*, purificatus vero, mox in Domino iustificabitur, vt inquit Apostolus: *Arbitramur hominem iustificari per fidem.* Sic autem anima per fidem purificata ac iustificata merebitur desponsari à Domino, vt ipse per Oseam inquit: *Desponsabo te mihi in fide.* Quicunq; vero sic desponsatus fuerit, fortis fiet, vt illi magno aduersario nostro leoni rugienti possit resistere: *cui*, inquit Petrus, *resistite fortes in fide.* Huic qui resistere potuerit eiusdem fidei virtute facillime vincet & superabit mundum. *Hæc est victoria*, inquit Ioan. *quæ vincit mundum, fides nostra.* Mundo autem deuicto benedictionem accipiat per eandem fidē à Domino; quia qui ex fide sunt, secundū Apostol. benedicentur à Domino cū fideli Abraham, sed & hæc amplius, quia Christus in corde fidelis animæ habitaculum faciet. *Habitare*, inquit Apost. *Christū per fidem in cordibus vestris:* nec solū habitabit, quinimo per fidem in filium adoptiuum assumet. *Omnes enim*, inquit Apost. *filij Dei estis per fidē:* postquā autem fidei merito tantū muneris à Domino consecuti fueritis, & respondebit nobis sicut olim centurioni: *Fiet tibi sicut credidisti;* & quemadmodū Chananeæ, *magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Tam pretiosa est huius fidei radix & semen eius, q̃ si modicū quid ex ea habueritis, quid autē minus dici potest q̃ granum sinapis? dicetis huic mōti, transferte, & transferet se. Quanq̃ autem non semper eo modo, quo verba petentis sonant, quis exaudiatur: obtinetur tamen per fidem id quod magis petenti prodest, ad viram, præsertim æternam in qua omne desiderium includitur, cuius vitæ æternæ per fidem hic promissionem consequemur inquit Tobias: *Filii sanctorum sumus, & vitā expectamus, quam Deus daturus est his, qui numquā mutant fidē.* Quid plura? sine hac ambulare nō potestis, quia *per fidem ambulamus*, inquit Apost. sine hac nec etiam viuere, quia *iustus ex fide vivit. Sine hac*, vt idem attestatur Apost. *impossibile est placere Deo.* Sine hac quilibet in abyssum errorum mergitur, sicut in profundum maris mergi incipiebat Petrus, cui dictum est à Domino: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Videat igitur vnusquisque quantum stabilitatis ac firmamenti ex hoc fundamento, quam pretiosos fructus ex hac radice, quantaque cœlestia bona ex hac fidei professione assequi possit. Qui dergo illa pretiosius? recte inquit Petrus: *Probatio nostræ fidei pretiosior est auro, quod per ignem probatur.*

XC. *De domo cuius fundamentum est fides, id est de Eccl. Cathol. & quis eius ædificator. Soliditas domus.*

Sed ad veram adipiscendam fidem filioli mei, primū nosse oportet, sub qua domo huius modi, q̃ ante dixi, fundamētum iactum sit, & quemadmodū ad eam perueniatur. Super hoc fundamentum domus mea à Domino ędificata est, ipso dicente: *Super hanc petrā* (videlicet fidei) *ædificabo Ecclesiā meam.* Videte quis hic ędificator & architector; is cuius manu facti sunt cœli & terra, & cuius ordinatione perseuerant dies, & omnia seruīt sibi. Hic est noster fabricator, tam solide huic fundamento domum meam superimposuit, vt quanq̃ potestas Satanæ tanta sit, vt secundū Iob. nulla sit ei similis in terris, quem ipsa veritas principem huius mundi appellat, tamē aduersus hanc meam domū priuilegio Christi nihil prævalere possit. Scrutamini scripturas, & nullam domū sic fundatam, nec tale ei munus indultū inuenietis. Hanc domū perflare venti possunt, concutere non possunt, fulguraq; ac turbines aērij illam tangere, sed non euertere, quia *hæc est domus Domini, firmiter ædificata, bene fundata super firmam petram*, nō super arenam, aut trabes putridas seu saxa mortua, fundata hęc sacrosancta mea domus, sed super lapides pretiosos iaspidis & sapphiri & aliorum decem, quos in Apocal. nominatim Ioan. enumerat, sed quod omnibus pretiosis lapidibus pretiosius est super petram Christi viuam. Nec etiā mortali manu hominū facta est, sed *nova descendit de cœlo à Deo parata sicut sponsa ornata viro suo.* Neminī vt hanc molem demoliator ingredi fas est quam 12. Angeli, vt in eadem Apocal. scribitur, in portis custodiunt. Sed qualem intus putatis esse istam domum? an caliginosam, an forte ad depellendum tenebras: lumen ibi esse ex oleo, aut cera compositum, aut quod plus est, solem aut lunam in illa lucere? Maius aliquid habet, & longe maius. Sed quod illud esse potest sole & luna maius

Fundatæ super petrā Christi viuam.

Duodecim Angeli illā custodiunt. Quale lumen intus eam illuminet.

lumen? Audite Ioan. in Apocal. dicentem: *Et ciuitas* (quando paulo superius nouam descendentem de cœlo, & vxorem Agni dixerat) *non eget sole neq; luna, vt luceant in ea. Nam charitas Dei illuminat eam, & lucerna eius est agnus, & ambulabunt gentes in lumine eius.* Et supremum omnium testimonium adducamus. Christus qui mentiri non potest, pollicitus est manere cum ea vsque ad consummationem sæculi. Si quis in hac domo in nomine Iesu Christi congregantur, ibi ipse est in medio eorum, & Spiritus S. lumine suæ claritatis totam replet, vbi filii mei manent in vnitate sedentes. Sed & hoc memoriæ perpetuo fixum tenete, quod Apostol. ad Timotheum scribit: *Hæc tibi scribo, fili mi Timothee, sperans me ad te venire cito. Si autem tardauero, vt scias quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui columna & firmamentum veritatis.* Intret igitur omnis homo securus tam lucidam & tam firmiter constructam domum, quæ nec obtenebrari potest, tantum actalem Dei Patris & Agni & Spiritus Paracliti fulgorem habēs, nec corruere, talibus superinnixa basibus. Et qui ingreditur, maneat & nunquam exeat; & qui exiuit redire nō differat, reduentem autem neminem eiicio.

XCI. *Extra hāc domum nec vera fides, nec salus.*

Extra hanc domum omnia sunt caligo, & tenebræ. Extra istam nec est, nec esse potest vera fides, nec salus hominibus. Et velut qui in Arca Noë reperti non sunt diluuium aquarū absorbuit, ita & quicunq; in sacra hac æde non permanserint, caligine errorum obrui, & tandem perire necesse est. Sed nec ad hanc domum iter cuiquam patere potest, nisi illud ipsa docuero: quoniam nisi à me doctrinam fidei accipiatis, nec fidem rectam, nec Ecclesiæ vnitatem habere potestis. Fides vt scitis ex auditu est, quomodo audietis sine prædicante? sed prædicari quid potest in quo sit salus, nisi Euangelium Christi. Quod autem verum foret Christi euangelium, quomodo scire possetis, nisi vobis illud patefecissem. Auditis nonnullos etiam ex Apostolis scripsisse Euangelia, sed quoniam duntaxat quatuor approbauit, illa vt Euangelia venerantur, alia respuuntur. Neque etiam postquam ad hanc domum iter vobis ostensum fuerit ingredi poteritis, nisi ego cui claues huius domus à Domino traditæ sunt meis manibus adaperiam, vosque introducam. Sine his clauibus ad secretos thesauros cœlestis regis sponsi mei in domo mea reclusos neminem licet introire, & si alienis clauib⁹ intrare cōtenderit, poterit videri intrare, sed non recte intrare. Restat igitur, & iam liquido intellexistis, quod peruenire ad fidem & perseuerare in ea, nisi per me & mecum non potestis. Quamobrem sine mora relictis ouibus me vnusquisque sequatur, & mecum habitet, vt veritas fidei habitet cum eo.

Fides ex auditu.

Quatuor tantū Euangelia ab Eccles. approbata.

Peruenire ad fidem & in ea perseuerare nemo potest nisi cū Eccles. sit.

Liber in quo fides Catholica descripta est nō incongrue, illo libro comparari posset signato septem signaculis, quem (vt Apocal. Ioan. testatur) nemo neq; in cœlo neque in terra, neque sub terra soluere potest, nisi solus Agnus qui occisus est. Ita quidem & hunc librum fidei ac doctrinam eius, nulli creaturæ, neq; in cœlo, neq; in terra, neq; sub terra aliter intelligere fas est, q̃ ego Catholica Ecclesia intelligo ipsā⁹ veri agni, vera sponsa, cui ipse sponsus, vt ex Euangel. Ioan. sæpe legi audistis: *omnia quæ audiuit à Patre, nota fecit.* Neque. n. angelis aut hominibus quantacunq; præditis potestate cōtra meam doctrinam quidquā credendum foret. Ita ad Gal. scribit Apostol. per cuius os loquebatur Christus, *licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus, anathema sit.* Hoc nihil aliud significare videtur, nisi q̃ Angelos de cœlo contra veritatē Euangelij quidq̃ dicere impossibile est, me vero adhuc impossibilius. De hominibus autem quis gloriari potest, vt sibi cōtra Ecclesiæ authoritatem credatur cum Apostolus seipsum velit esse Anathema, si aliud euangelizet, quam q̃ prius secundū Ecclesię doctrinā euangelizauerat. His autē q̃ sub terra sunt, nihil quoquo modo fore credendum quis dubitet, cum Satanas & angeli eius in veritate nō steterint, sed mendaces sint, & mēdacij patres? Si Arius, Manichæus, Nestorius, Faustus, Donat⁹ & cætera huiusmodi mōstra meis tantū clauib. & non ꝓpriis & adulterinis hunc fidei librū aperire voluissent, nunc in inferno cum patre mendacii nō cruciarentur. Si hi pertinaces & obstinati homines meis paruissent præceptis, multaq̃ gentiū cateruas ad locum sulphuris & ignis perpetui secum præcipitassent.

Neq; Angelus neq; hominibus contra Eccles. authoritatē credendum.

Initium saluris hominis est nolle propriæ inniti prudentiæ: sed ipsum ad suscipiendam maiorum suorum disciplinam ac-

Initium salutis hominis nolle propriæ innitī prudētiæ.

nam accommodare, illorum scilicet, quos diutina approbatio authenticos fecit, quorumque doctrinæ, sanctitas vitæ ac manifesta miracula certum præbent veritatis testimonium.

XCII. *SS. PP. & Doctorum interpretatio & doctrina sequenda potius quam vnus vel alter nouator audiendus.*

Quis non sanctos patres ac doctores per multa sæcula à me vbique approbatos, quorum tanta fuit integritas & veritatis zelus, vt prius mortem & omnia supplicia voluissent perpeti, quam leuissimum proferre mendacium, potius quā seipsum, rudis forte ingenii seu non exercitati merito sequi debeat? Quis interpretationem excellentissimorum pene in numerabilium doctorum, ex omnibus mundi partibus in eadem conuenientium sententia, qui ita in sacris Scripturis studiosi fuerunt, vt omne vitæ tempus in his exposuerint, non potius acquiescat, quam duobus aut tribus ieu paucissimis hominibus nouiter scripturas legentibus, nullo fretis doctore, nisi proprio ingenio? Quis non aduertat quam sit Ecclesiæ Dei perniciosus hic morbus nullo pacto ferendus? si enim vnicuique fas est suo sensu exponere & interpretari scripturas, nihil certi erit: omnia confusa, & inuicem aduersa fient, nouum redibit chaos: tot erunt sententiæ quot capita. Quis ille erit ita hebes cui non suppetat audacia nouam fabricare interpretationem? Melius ergo leges humanas conditas esse fateri oportebit. Hæ postquam vel à principe vel à communitate latæ sunt, nemini fas cōtraire, quod si forte aliquid ambiguitatis contineant, priuatis non licet interpretari personis, sed ad legislatorem, seu illum qui iudicando præest, habetur recursus. Si forsitan vestrum aliquis ratione non mouetur, exemplo populi Dei moueatur. Scriptum est in Nehemia, quod congregati sunt Principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Esdram scribam vt interpretaretur verba legis.

Quanta confusio si vnicuique fas esset suo sensu exponere scripturas.

XCIII. *Eccles. Catholica à Christo reuelata ad quā omnes tanquam ad infallibilem regulam aspiciant.*

Et quia vitio naturæ corruptæ homines frequenter errant, frequenterq; inter se discrepant, necessario Dominus noster Iesus Christus fidelib⁹ suis prouidit me sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam in terris relinquens, atque assistentia sua ac Spiritus sancti vsque ad consummationem sæculi & in æternum corroborans, vt in his quæ ad salutem pertinent errare non possem, & ad me omnes tanquā ad infallibilem regulam adspicerent. Si vna sancta Catholica & Apostolica Ecclesia toto orbe terrarum semper vocata & credita sum nemo ab vnitate mea scindat, nemo quod sanctum est, erroneum putet: nullus iudicium proprium aut paucorum vniuersali determinationi anteponat. Catholicum enim Græcum est, quod Latine vniuersale interpretatur. Si Apostolica vocor, vt certe sum, credar vnusquisque indubius, quod sicut Apostoli Spiritu sancto inspirati loquuti sunt, ita loquor & ego. Neque enim solum pro tempore Apostolorum Christus per se & per Spiritum sanctum assistere promisit: sed quod sæpe pro vestro profectu repetendum est *vsque ad consummationem sæculi* & in æternum, nec pro illis tantum orauit Dominus, sed dixit in Euangelio: *Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est, sicut tu me misisti in mundum, & ego pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate, non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, & mundus credat quod tu me misisti, & ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.* Hinc aperte cognosci potest, quod sicut Pater & Filius in vnitate & veritate non discordant, sed vnum sunt: ita omnis Ecclesia & Apostolorum, & eorum qui per eos crediturī sunt vsque in finem, vnius est charitatis & vnitatis. Hinc est quod in Apocal. dicitur, murum ciuitatis descendentis de cœlo quæ est Ecclesia habere fundamentum duodecim Apostolorum & Agni; & Apostol. inquit: *Iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Quis iam non videat quam turpiter seipsum confundit, tot habens diuinæ veritatis testimonia, qui de mea doctrina ac fide aliquatenus dubitauerit? *Sed tū prorsus se comprobat*, vt inquit in Prouerb. Salomon, *qui despicit matrem.*

Christus à tempore Apostol. astitit & astabit vsq; ad finē sæculi sīe Eccles. & sic est vnus charitatis & vnitatis, vt Pater & ipse Spiritus S. vnum sunt.

Qui Ecclesiam audit Christum audit.

Iam igitur qui me audit, Christum se audire credat, & qui me spernit, Christum spernere non dubitet, vt ipse attestatur; Sacrilegus est ac nomine Christiano indignus. Christū enim mendacem facit, qui in mea doctrina aliquid suspicatur fallitas. Cauete ergo filii mei ne vnquam in hanc inci-

Ecclesia nō potest errare.

Ad illā rē currendum quando in scripturis sacris aliquid expositione indiget.

Exemplo discipulorum.

Christus caput Eccl. & Spir. S. ductor Eccles. sequens non errabit.

Eccles. mater benigna & pia.

Expositionum nouitates cauēdæ.

Non est animum ex humano ingenio postulanda ratio.

XCIV. *Filius ꝓ-*

Ie ad fruendum non sufficit, fides debet esse cum dilectione & charitate.

sequuntur ad charitatem pertinent, & quoniam fides sola ad salutem nõ sufficit, nisi vestita sit & comitata charitate: nam vt inquit Apostolus, & si habuero omnem fidem, ita vt mõtes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ideo post fidem præceptum charitatis traditum est: Non expectetis vt ego omnes laudes charitatis hoc vno sermone complectar. Ipsa quidem tam magna est, vt si linguis hominum loquar & Angelorum, vix mediocriter eam explicare possem, vtique cum tantæ dignitatis sit, vt inter virtutes ipsa sola Deus appelletur: *Deus enim charitas est.* Tantæ etiam est authoritatis, vt cum studio referam more humano loquẽs de omnipotenti Deo triumphare visa sit, dum eum de cœlo solo amore traxit ad terram, & in cruce pro salute nostra affixit, & vsque ad ima terræ pro redemptione filiorum Israël migrare coëgit. Quid digne de hac virtute dici vnquam potest, quæ in cœlo & in terra dominatur & regnat, & cum vulr vsque ad abyssum penetrat?

In cœlo & in terra dominatur.

Hæc est illa excellẽtior via, quam demonstrat Apostolus. Nam & prophetare, dæmonia eiicere, virtutes ac miracula facere, sine charitate neminem Deo gratum efficiunt; talia enim facientibus, tandem Christus dicturus est: *Recedite à me operarij iniquitatis, non noui vos.* Et habentibus scientiam Dominus improbat: *Vos clauem scientiæ habetis, sed nec intratis in regnum cœlorum, nec alios intrare finitis*: dare omnia sua pauperibus & seipsum martyrio, sine hac nihil prodesse affirmat Apostolus: Charitas præceptum præceptorum est, in quo omne præceptum concluditur. Nam, vt inquit Apostolus, *finis præcepti est charitas.* Et rursus: *Plenitudo legis dilectio.*

Præceptum præceptorũ est, in quo omne præceptum cõcluditur.

Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, & cætera omnia continet quæ (vt scitis) B. Paulus late commemorat. Charitas fons est proprius & singularis honor, cui non communicat alienus; quæ vt oleum non potest premi in imo, sed superexilit. Si desit, frustra habentur cæteras si adsit, cætera non desunt. Sine hac omnis virtus etiã ipsa fides, vt inquit B. Iacobus, mortua est. Ipsa etiam nominis appellatio, rem quandam charam ex se demonstrat.

Si desit, frustra habentur cætera.

Amplectimini igitur filii mei hanc tam excellentem & diuinam virtutem, apprehendite tam singulare Spiritus S. munus. *Per ipsum* enim, vt inquit Apostolus, *charitas in cordibus nostris diffunditur.* Induimini hanc vestem nuptialem, qua induti, secure discumbetis in mensa regia: nec timebitis, vt dicatur vobis, cur huc intrastis non habentes vestem nuptialem? hac veste induti, pelleris à vobis frigus quo frigebat Petrus, calefacietis se ad prunas Caiphæ; hac veste circundati quæ omnium armatura est fortior intrepidi & illæsi enses hostiũ perfransibitis. Et vt vno verbo omnia complectar, si vultis perfecti esse, super omnia charitatem habete, quæ secundum Apostolum vinculum est perfectionis.

Vinculum est perfectionis.

Sed quemadmodum paulo ante documentum tradidi, quoad rectam fidei regulam peruenire possit, ita & nunc vos eruditam quam facilius à charitate nunquam excidatis. Respicite semper ad me considerantes, me esse matrem & vos filios, recogitate in visceribus meis vos esse conceptos, & eodem lacte nutritos; nunc fratres vos esse, me matrem recognoscetis, & ex eadem carne, eandem carnem vos inficiari non poteritis. Quis ergo vnquam carnem suam odio habere poterit? Attendite etiam quam tenerrime vos semper dilexerim, & quantam vnicuique filiorum meorum charitatem exhibeam, quotque labores & angustias in omni mea ætate pro vobis vbique terrarum passa sim, & à me exemplum capientes, diligatis vos inuicem sicut dilexi vos. Sed & si partem superiorem digniorem que mei corporis caput videlicet aspexeritis, quod est Christus, efficacius charitatis magisterium cordibus vestris imprimetur. Cogitantes namque quod cum mundus nihil meruerit, imo propter sua facinora morte dignus esset, ipse Iesus Christus sola charitate tot tantaque in corpore suo pro salute hominum tormenta pertulit, totque beneficia conferre dignatus est, quot lingua humana exprimere nunquam posset: vox omnem compellendi rancorem deponere, & indissolubili charitatis vinculo confœderati, in fraternum que amorem redire.

Vtilius modus à capitis aspectione.

Dicite mihi, nunquid vos extraneos aut alienigenas esse putatis filii mei? si hoc putatis, mihi iniuriam facitis. Nonne in hoc vos vtero tanto cum labore concepi & portaui? Nonne his lactaui vberibus, & his manibus cibum potumque tanto tempore præbui? Cum ergo fratres germani sitis ex eadem carne geniti, & talia exempla dilectionis à capite & toto meo corpore habeatis, debetis alter alterum fraterna charitate diligere, & cum omni synceritate inuicem reconciliari. O ossa de ossibus meis! ô membra de membris meis! ô viscera de visceribus meis! Quis vos ab inuicem separauit? Quis inimicus homo inter vos seminauit zizaniã? Quis seductor ille accusator fratrum suorum, qui vos ad tãtas inimicitias perduxit? solebatis idem sapere, inuicem vos amare, fouere concordiam, infimul cum pace & charitate versari. Nunc mutatus est per omnia color optimus, nam vnitas in dissentionem, charitas in odium, pax in bellum, fraternitas in hostilitatem pernersa sunt. Cur sic inhumaniter filii mei perstigunt? cur gladiis, igne decertant? cur tam crudeli bello & odio tam detestabili alter alterum persequitur? sunt ne ista iura fraternitatis? sunt ne hæc cognationis & proximitatis indicia? Erubesco referens vix barbari & infideles hæc inter se atrociter facere auderent. Conuertite iam gladios in vaginas, quia omnis qui gladio ferit, gladio peribit. Remittite truces vultus, abiicite minas, deponite arma, proiice tela manu sanguis meus. Abolete penitus ex cordibus vestris omnia dilcordiarum, odiorumque fomenta. Osculamini obsecro vos, in præsentia matris vestræ osculo pacis. Amplectimini vos tenerrime, date inuicem dextras. Cõgratulamini simul, epulamini in mensa mea cibos delitiarũ mearum, pacis & charitatis. Celebrate soleuniter hunc diem festum. Consolamini, cõsolamini filii mei matrem vestram, quæ hunc diem tanto cum desiderio præstolata est. Amate vos inuicem vt fratres decet, & contenta sum, impletum est gaudium meum, & nihil amplius postulo.

XCV. *De vnitatis præstantia necessitate & vtilitate.*

Sequitur in verbis Apost. Vnanimes, idipsum sentientes; hoc est, vt in diuersis corporibus idem sit animus, eadem q; voluntas. Sit hic populus meus quasi vir vnus. Non scindamini in varias sententias: sed quod voluerit vnus in Christo, alter similiter velit. Imitatores estote patrum vestrorum, quorum in primitiua ætate cor erat vnum & anima vna. Nihil vnitate præstantius: quæ quam sit Christianis necessaria, Christus ipse ostendit, qui pro eis orauit, non vt efficerentur diuites aut sapientes huius sæculi, sed vt vnum essent sicut sunt ipse Pater & Filius. Quid vtilius Reipublicæ Christianorum esse potest quam vnitas? hoc modo Christiana creuit religio, & ego propter vnanimitatem filiorum meorum toto orbe terrarum diffusa sui. Cauete modis omnibus discordias, & timete quod comminatur Dominus: *Quia omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus super domum ruet.* Scitis vulgare illud dictum: *Concordia res parue crescunt; discordia aurẽ maxime dilabuntur.* Si vultis pertinere ad Christum, pacem inter vos contrahite, qua nihil esse Deo acceptabilius, hominibusque expedientius, ex hoc facile intelligetis, si meminerit is Christum de cœlo descẽdentem in terram, pacem per Angelos suos annunciasse hominibus, de terraque in cœlum redeuntem eandem pacem dumtaxat discipulis in testamento reliquisse. Sentite idem inter vos, hoc est vt bona malaque singulorum, per charitatem sint omnium. Hoc proprium charitatis est, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. Nisi membra inuicem coniungantur, & suo ordine connexa persistant, & vnum alteri opem ex necessitate præbeat, deficere corpus necesse est. *Vnum enim corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem alter alterius membra in Christo Iesu Domino nostro*, vt inquit Apostolus. Subdit deinde Apost. *Nihil per contentionem & inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.*

Per vnitatem creuit religio Christ.

Pax à Christo in testamento relicta.

Superioribus consentanea sunt hæc & valde accommoda. Cum enim ad hunc locum causa fidei & charitatis veneritis, non decet vt tam sanctum opus contentionis verbis agatis, sed cum omni potius mansuetudine & lenitate. Contentio animos irritat, mentem perturbat, & odia accendit. Nõ possum pati in domo mea, & inter filios meos fieri quæstiones, pugnasque verborum. *Ea bona* enim (inquit Apostolus ad Timoth.) *portantur tumidæ, contentiones, blasphemiæ, & suspiciones.* Et rursus: *His qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, ira, indignatio, tribulatio & angustia.* Cum contentiosis, & per contentionem nihil tractare vnquam consueui. Ita de me inquit Apostolus: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem*

Contentiones odit Eccles.

Inanis gloria quid operetur & quãta eius vanitas.

Inanis gloria cuiusq; boni operis fomentum est, insidiatrixque virtutum, vt fructum quem bene operando acquirerent, per elationem euacuet. Inane est captare hominum laudes, qui cum secundum oculos iudicent sæpe falluntur. Momentanea est ista gloria, ex fastu & cupiditate procedẽs, & quia inanis est constat esse vanam ac vacuam, meritoque contemnendam; ex eo quod inane est, quem fructũ referre poteritis. Quinimo satagite placere Patri vestro cœlesti, qui videt in abscondito: hoc est quærere non inanem, sed æternam gloriam. Quicquid facitis in gloriam Dei facite. Nolite fieri similes Scribis & Pharisæis, *qui* (vt inquit Dominus) *omnia sua faciant, vt videantur ab hominibus, & vocentur Rabbi.* Imitamini potius illa sancta quatuor Ezechielis animalia, habentia facies extentas desuper, & pennas extentas desuper: hoc est, cogitationes vestras quæ significantur per pennas; & actiones quæ significantur per facies, ad Deum semper referte. Si quis inter vos sapiẽs esse videtur, *non glorietur* (vt inquit Ieremias) *in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire & nosse me, quia ego sum Dominus.* Vereamini quod minatur Psalm. *Dominus dissipat ossa eorum qui hominibus placent. Absit vobis gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Si gloriari vultis, in Dom no gloriamini, & hæc sit gloria vestra, testimonium conscientiæ vestræ.* Huiusmodi inanis gloriæ appetitus, in intelligendis scripturis, supra modum obest. Dum enim humanis laudibus aucupandis animus intentus est, primo sensus insolitos nouasque opiniones quærit. Deinde quæ ipse adinuenerit, niuis tenaciter defendit. Vnde fit vt cum redigere intellectum in captiuitatem recuset, quod necessarium est secundum Apost. aliter scripturas intelligat, quam Spiritus sanctus efflagitet, & dum de singularitate sententiæ gloriatur, scripturam nolens corrigere, in errore perseueret. Et quia inanis gloria, filia est superbiæ quæ non consideranus imbecillitatem ingenii humani, effert se supra se, & apostatare facit hominem à Deo, sicut & olim multos ex Angelis: ideo confestim Apostolus in remedium huius vitii subiicit humilitatis virtutem.

Inanis gloria appetitus in intelligendis Scripturis valde obest.

Inanis gloria filia superbiæ.

Remedium humilitas.

XCVI. *Exhortatio ad amplectendam humilitatem.*

Hortor ergo vos filii mei, vt res vestras in humilitate agatis. Nihil dilectissimi mei, citius ad eandem fidei vnitatem & charitatem adducere vos poterit, quam humilitatis spiritus: nihil vero magis dirimere quam superbiæ tumor. Nam sicut nutrix est dilectionis, humilitas; ita mater odij superbia. Si gratiam Dei appetitis, humiles estote; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et ne forsitan humilitatis persuasio grauis cuiquã videatur B. Paulus postquam prædixit, nihil per contentionem & inanem gloriam, sed in humilitate, & continuo subdit: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*; quod maius humilitatis exemplum tradi aut cogitari potuisset, quam quod Dominus & creator omnium se exinaniuerit & seruilem cõditionem acceperit. Quis tam elatus esse potest qui ista cogitans, nõ compellatur fieri humillimus? huiusmodi exinanitio & seruilis formæ acceptio, & si satis foret ad persuadendum omne genus humilitatis, quia tamen acta sponsi mei nimis suaue est recensere, ideo morem mihi in auscultando gerite. Nonne tota eius vita summam redolet humilitatem? Nascitur ex humillima matre, humili nutritio commendatur, in humili tugurio, & inter humilia animalia reponitur, humiles piscatores in discipulos eligit, humiles paruulos amplexatur, prædicando nihil sibi attribuit, sed dicit: *Sermonem quem audistis non est meus.* & rursus: *Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me.* Faciendo miracula dicit discipulis: *Videte nemini dixeritis visionem hanc.* Leproso mundato, *Vide nemini dixeris.* Abluit in documentum humilitatis pedes discipulorum, & vt impleat omnem humilitatẽ, permittit se à seruo baptizari, humiliter omnes audit, humiliterque respondet, etiam cæsus, taceo quam humiliter passionem & crucem tulerit, ne forte fluuius lachrymarum me reliqua dicere, & vos audire impediat. Deficeret me quippe dies, si omnia Christi humilitatis gesta, & documenta referre vellem. Quid ergo intumescis ô homo? ô pellis morticina quid tenderis? ô sanies fœtida quid insolescis? Princeps tuus humilis, & tu superbus? caput humile & membrum superbum.

Christus maximum humilitatis exemplum.

Discite igitur filii à Christo, quia mitis est & humilis corde: sed si vultis filioli mei in hoc sancto vnitatis negotio, vt tractaturi estis, vitare contentiones, inanem gloriam, & omnia in humilitate agere: si vultis celeriter & sine difficultate idipsum sapere, & charitatem mutuam habere, accipite hoc salutare præceptum quod vobis trado, quo nihil consultius, nihil efficacius esse potest.

In omni controuersia sedanda, primum quæritur iudex peritus, & qui non sit acceptor personarum. Nam sine iudice litigantes inter se conuenire rato consueuerunt. Ecce huiusmodi vobis demonstro Iudicem; Ipsa ego sum saucta Dei Ecclesia mater vestra. Compromittite in me; Eligite me iudicem & arbitrum. De sapientia mea cur relinquitur dubitandi locus cum Spiritus S. omnem me doceat veritatem? Si Euangelia & omnis sacra Scriptura à me fidei authoritatem susceperunt, si nihil catholicum dici potest, quod per me nõ fuerit approbatum: si omnes Doctores & Magistri suas sententias meo semper iudicio submiserunt dicentes: *Non crederemus Euangelio, nisi Ecclesiæ Catholicæ authoritas nos commoueret*; quis de cætero ambigat, an cuiuslibet controuersiæ definiendæ competens ego iudex sim.

XCVII. *In omni controuersia sedanda de Iudex peritus quæritur.*

Nemo mẽber arbitra. S. Eccl. Cathol. Doctorum summittas.

De acceptione personarum supernacuum quicquam dicere, cum leges humanæ prohibeant partes à filiis in quibus par constat affectus iudicem recusari? Quis maior vobis honor contingere potest, quam quod sponsa Christi, & Regina adstans à dextris eius iudicet inter vos? quæ maior certitudo veritatis, quam quod discipula Spiritus sancti sententiam pronunciet? Quem vnquam fideliorem Iudicem inuenire poteritis quam amantissimam matrem vestram? Nolite ergo disputando laborare, nec contendendo verbis alter alterum lacescere, Quid vos multitudine librorum oneratis? cur diuersorum Magistrorum sententias in medium affertis? Cur intelligentias vestras humanis inquisitionibus ac subtilitatibus defatigatis? Ecce in medio vestri adest magistra vestra, cuius spiritus Domini sensus mysteria & arcana aperit scripturarum.

Non mihi opus est iudicando, vt legis peritos aduocem, aut Bibliothecas perscruter. Nullius hominis consilio opus habeo, cui consulit Deus. Claritas Domini meum semper intellectum illustrat, & Agnus meus Iesus Christus ante me lucernam defert, ne errem, vt paulo ante in Apoc. Ioan. recitatum audistis.

Nullius hominis cõsilio opus habet.

Et quia ego cum sim toto orbe terrarum diffusa in vno loco tota esse nõ possum, soleo pro necessitatibus Christianæ religionis nonnunquam vrbem aliquam insignem eligere, & ad eam ex omnibus finibus meæ ditionis Episcopos & Sacerdotes, & alios Leuitici generis, & quos voluero de populo Christiano aduocare, quibus in Spiritu sancto legitime congregatis ego ipsa repræsentor, & ibi tribunal meũ erigens, quidquid per huiusmodi congregationem, quam vniuersalem Synodum, seu generale Concilium voco, iudicatum statutumque fuerit, perinde ratum habeo, ac si ego ipsa ore proprio iudicassem ac statuissem. Idque ab omnibus iubeo sub anathemate vbique seruari.

XCVII. *Eccles. cum sit toto orbe diffusa, non potest tota in vno loco esse, & ideo pro necessitatibus exigit, eligit aliquã ciuitatem in qua celebretur Conc. quod ipsam repræsentet: De electione ciuitatis Basil. & potestate & authoritate Concilij.*

Hoc autem tempore nusquam melius quam in hac ciuitate Basileensi huiusmodi generalem Synodum visum est posse iudici. Huic ergo sacro Concilio, quod in Spiritu S. legitime congregatum fateor, omnem meam authoritatem potestatemque impartior, & ambos scientiæ & potestatis cœlestes claues mihi à Domino traditas, veraciter consigno; vt quicquid in terris claudere & aperire, soluere & ligare voluerit, iuxta pollicitationem Christi indubitanter clausum & apertum, solutum, & ligatum reputetur in cœlis. Itaque non aliter nec minus reuerenter hoc Concilium quam meipsam existimare debetis. Quamobrem vt vestra fidelis aduocata vobis suadeo vt pia mater consulo, vt sponsa Christi & regina Christiani populi, impero, vt in omnibus vos ipsos huic sacro Concilio penitus committatis, & ab eius sanctionibus nullatenus declinetis. Si nonnulli aliquando de fide contendentes, vnum vel duos aut paucos elegerint homines, quorum iudicio stare voluerint, quanto magis & vos hanc tam celebrem ex toto Christiano populo collectam Synodum pro dirimenda vestra contentione in iudicem ac-

ceptare debeus? Deus in Veteri Testamento populo suo mandauit,dicens: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, inter lepram & lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegit Dominus Deus tuus, veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit in illo tempore, quæresq; ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcunque dixerint, qui præsunt in loco quem elegit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequerisq; sententiam eorum, non declinabis ad dextram vel sinistram.*

Patres Concil. sunt plusquam Leuitici generis Sacerdotes.

Sed & ad hoc generale Concilium, locus est quem elegit Dominus,in quo sponsa sua sanctum Tribunal erexit. Et hi qui in eo congregantur in locum Sacerdotum Leuitici generis succesſerunt,imo & plus quam Leuitæ sunt,maioremque procul dubio scientiæ potestatisque copiam à Domino perceperunt: Vtique cum illi vmbræ ministri fuerint,hi vero sint veritatis,illi sanguinis & carnis iudices, hi autem spiritus & animæ. Merito ergo ad verbum huius Concilii vestrum omne negotium pendeat, & quidquid sanctum aut prophanum iudicauerit id sine hæsitatione sanctũ prophanumque habetote, ne veniat super vos iudicium mortis, quod inobedientibus comminatur Dominus. In hoc apparebit humilitas & obedientia vestra, si quemadmodũ Christus venit facere voluntatem Patris, ita & vos veneritis facere voluntatem matris vestræ. Acquiescite tandem obsecro monitionibus meis, neq; innitamini prudentiæ vestræ, accipite iussu Dei & meo Iudicem hanc sanctam Synodum, de cuius gremio quilibet esse potest, qui eius iudicio stare voluerit: polliceor vobis quod non aliud iudicabit, quam Spiritus S. dux & rector illius dictauerit. Ipse adstabit medius iudex & arbiter, perfecte illuminaturus corda hominum vt viam ambulent veritatis & pacis. Sed & ipse Spiritus paracletus in cordibus vestris efficacius habitet, & idipsum sapere & eandem charitatem vobis largiri dignetur, cui humilium & mansuetorum semper deprecatio placuit. Sitis in oratione perseuerantes, & tamdiu & tam feruenter suam pietatẽ iuuniis, gemitibus, obsecrationibus,ac sanctis operibus interpellabitis, vsquequo ipse veritatis doctor & charitatis author, corda vniuersi populi per sententiam huius sacri Concilii illustrabit ad cognoscendam, amplectendamque veritatis,& vnitatis semitam.

Spiritus S. dux & rector Conciliorum.

XCVIII. *Conclusio.*

Hora exigit vt iam finem dicendi faciam. Audistis ergo dilectissimi mei consilia & præcepta mea, quam sancta & vtilia sunt: ostendi tandem viam, qua hoc facillime exequi possitis. Apprehẽdite quæso illam qua certe nulla salubrior inueniri potest. Moueat vos honor Dei,qui supra modum ex vestra dissensione læditur. Fides Catholica etiam ab infidelibus blasphematur, inhonoratur & irridetur; nec veram esse credunt, quam per tot sectas hinc inde lacerari inspiciunt. Moneat vos honor matris vestræ, quam hostes nominis Christiani, propter dissidia vestra vbique contemnunt. Moneant vos acerbissimæ lachrymæ, quas pro vobis quotidie fundo;& assiduus dolor,qui me pro vestra discordia excruciat. Vere dicere illud possum,quod scribitur in Canticis: *Inuenerunt me custodes qui circueunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me; tulerunt mihi pallium meum custodes murorum.* Nisi velitis ab omni humanitatis & gratitudinis vestigio declinare, misereri vos decet rerũmnarum ac calamitatum mearum: siccate, cum possitis, filii lachrymas meas, sanate vulnera, restituite mihi palliam meum, quod abstulerunt mihi custodes murorum,idololatræ videlicet & gentiles,& qui in rebus mortuis huius sæculi spem ponunt. Indute me vestem deauratam, circundatam varietate, deauratam quidem charitate membrorum, variatam autem copiosa filiorum multitudine, sed & publica monere vos debet calamitas. Circũspicite vndique quomodo plebs Christiana à Turcis, Saracenis, Tartaris ac Barbaris conculcatur ac deuoratur. Cur non compatimini tot millibus fratrum vestrorum, qui singulis annis,in durissimam infidelium seruitutem redeuntur. O haudsretis cum raptores prædam diuidunt Christianorum,quanta sunt illa lamenta ac suspiria, cum vxor cadit in sortem vni,vir alteri; vni pater, alii filius, vni frater,alii alius. Quanti sunt illi gemitus,quantique singultus miserabilium filiorum meorum, cum inuicem diuiduntur, nunquam se amplius reuisuri? Quis tunc vestrum abstinere posset à lachrymis? desineretis tunc forsitan bellis inuicem decertare. Sed quod lachrymabilius est, quam multi ex his qui captiui ducuntur, non valentes tandem diu ferre seruitutem, fidem Catholicam abnegant, & ad nefandam Machometi sectam peruertuntur. Quot deinde regna, prouincias, vrbes, oppida quotidie capiunt & depopulantur? Iam vos penitus ad angulum occidentis reduxerunt. Modicum restat, vt tandem de finibus terræ vos eiciant. Heu mihi cur tantam matris vestræ fratrumque vestrorum afflictionem non recogitatis? Cur ista audientes,in vos ipsos bellum tam crudele conuertitis, & Christianum ac fraternum sanguinem sine vlla misericordia gratis effunditis.

Dissidia Christianorum ruina maximarum calamitatum.

Harum omnium calamitatum, dissidia Christianorum sunt causa. Si idem saperent, eandemque charitatem haberent, huiusmodi persecutio mox finem acciperet, neque enim vllo pacto ferre possent aduersarios meos sanctum Domini polluere, & in populum Catholicum amplius desæuire; imo quæ infideles nunc Catholicis faciũt, facere possent hæc eadem Catholici infidelibus. Moneat denq; vos regni Bohemiæ ac regionum finitimarum, miseranda calamitas. Quanta in his partibus sanguinis Christiani effusio, quot strages & cædes, conflictus, bella, ruinæ, incendia, deuastationes, depopulationes, quantaque in personis & rebus desolatio ex hoc recenti dissidio tamdudum ortæ sint, sequique verisimiliter formidetur in dies, nisi vera vnitas inter vos fiat, proh dolor, toti orbi plus quam manifestũ est. Profecto lachrymandum potius super hoc quam loquendum foret. Vix inter Christianos alicuius tesseræ memoria est, vnde Ecclesia Dei tantam iacturam perpessa sit, & tanto cruore respersa. Sed si meo acquieueritis consilio, quemadmodum spero, idipsumque sapientes, & mutuam charitatẽ habentes hæc omnia repente cessabunt. Nouus tunc sol super vos quietis & tranquillitatis orietur. Reflorebit in pace vestra Catholicus populus, Christianus orbis totus renouari videbitur. Implebitis cœlum terramque Angelos & homines inenarrabili lætitia, iubilo & exultatione, Tanto inter vos deinde beneuolentiæ nexu cõiungemini, quod præteritorum penitus obliuiscentes, vos ipsos sicut fratres amabitis, & inuicem pro amore certantes, alter alterum charitate superare studebitis. Benedicite semper diem istum, & innumeras Deo omnipotenti gratias referetis, qui in eadem vos vnitate & charitate deuinxit. Quid plura? succedet tandem vobis quemadmodum successit & Christo, quantum tamen humana conditio capere potest. Postquam enim B. Paulus superius commemorauit, quod *Christus exinaniuit se, formam serui accipiens, humiliauitq; se, factus obediens vsque ad mortem*, in præmium huius humiliationis & obedientiæ subdit: *Propter quod exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Sic quidem si vos humiliaueritis, & mihi obedientes fueritis, exaltabit vos Deus super terram, & magnificabit super filios hominum, & dabit vobis nomen quod est super omne nomen, hoc est, nomen regium Christianum, quo nullum inter gentes est gloriosius. Tunc enim digne Christiani erius, & vocabimini, nam hoc nomen, nisi charitatem habentibus non recte congruit. Atque in hoc vestro Christianitatis nomine si vere Christiani fuerit, id est, si spiritualem charitatis vnctionem habueritis, omne genu flectetur. Nam inferi videntes vos eadem fide & charitate vnitos, vobis subiicientur, & tanquam victi & genuflexi contemnescentes, nihil aduersus vos præualere poterunt. Homines vos reuerebuntur, & meo Christiano populo, si vnanimis fuerit, totus orbis quasi genuflexus seruire cogetur. Angeli vero & ciues cœlestes, genua charitatis flectentes, vos honorificabunt & vna nobiscum genuflexi, præsentabunt vos cum iubilo coram Iesu Christo sponso meo, vt in æterna beatitudine viuatis & regnetis cum ipso. Tunc omnis lingua confiteatur, quia meus populus catholicus in gloria est Dei Patris. Ad quam gloriam ipse IESVS CHRISTVS vos omnes & alios filios meos vbique existentes perducere dignetur, qui viuit cum Deo Patre & Spiritu sancto benedictus in sæcula.

AMEN.

Calamitas Regni Bohemiæ & finitimarũ regionum ratione scissuræ ab hæretica facta.

ORATIO,
QVA IOANNES DE RAGVSIO ORDINIS PRÆDICATORVM PROCVRATOR GENERALIS,

Respondit per octo dies in Concilio Basileensi,

AD ARTICVLVM PRIMVM BOHEMORVM,

DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE SPECIE,

Propositum à

M. IOANNE ROCKYZANA, *16. Ianuarij huius anni* MCCCCXXXIII.

XCIX. REVERENDISSIMI Reuerendique Patres, Illustrissime Princeps, Regum & Principum Vniuersitatum atque communitatum Ambasiatores, Oratoresque egregii, vtriusque iuris diuini pariter & humani Doctores eximii & Magistri, Comites, Barones, & Nobiles, ciues insignes, & cæteri in Christo Iesu, omnes Patres Domini & fratres dilectissimi, qui huic sacræ congregationi diuinoque certamini interestis; post valde vtilem acperne essaiam exhortationem Reuerendi in Christo Patris & Domini mei singularissimi Domini Cisterciensis (cuius exhortationis verba vtinam tali fide, tali deuotione, talique charitatis affectu fuissent à cunctis auditoribus accepta, quibus ab eodem patre prolata sunt) responsionem pro modulo meæ paruitatis, & vt Spiritus sancti gratia suggesserit, ad articulum de communione sacratissimæ Eucharistiæ, sub vtraque specie, per Ambasiatores & oratores inclyti regni Bohemiæ propositum, facturus, video me necessitate compellente in præsenti actu quatuor debere peragere. Et PRIMO opportunas & necessarias excusationes præmittere. SECVNDO diuinum auxilium implorare. TERTIO necessarias & consuetas protestationes annectere. QVARTO Catholicæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinem in communione vnius speciei, quo ad populum laicalem, firmare, stabilire & roborare, necnon & aduersa quanto fieri poterit & vires meæ debiles permiserint, propulsare.

Quatuor præmittitur & tractantur.

1. Necessaria excusatio.

2. Implorato diuini auxilij.

3. Consuetæ protestationes.

4. Confirmatio communionis sub vna specie.

Sublimitas materiæ.

PRIMVM igitur prosequendo; triplici me intueor obrui difficultate. PRIMA est obiectæ materiæ altitudo. SECVNDA est astantis huius gloriosissimi ac celeberrimi & sacratissimi cœtus ingenij profunditas, & fuminæ atque incredibilis & pene diuinæ sapientiæ magnitudo. TERTIA est propriji ingenij vehemens insufficientia, inextricabiles tenebræ & profecto inexplicabilis hebetudo. Nam sic altam & profundam inuenio, de qua ad præsens coram gloriosissimis conspectibus vestris sum prolocuturus materiã, vt profecto ad eam explicandam nedum me insufficientem intueor, verum etiam totaliter inhabilem & ineptum. Si enim Paulus Apostolus* diuinorum contemplator & reserator arcanorum, immersus diuinæ prouidentiæ irreserabili atque inatringibili & imperscrutabili profunditati, coactus fuit exclamare: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius?* quid ergo miser dicere potero, de hoc ineffabili sacramento? quod inter mirabilia opera Domini egregius Propheta Dauid enumerat, ita dicens: *Memoriam fecit mirabilium suorum miserior & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Ibi enim Apostolus diuinæ sapientiæ infinitate oppressus cogebatur exclamare: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Ego vero in consideratione huius diuinissimi sacramenti veluti manibus & pedibus triplici, quod difficile rumpitur, ligatus funiculo, nequeo me explicare. In hoc siquidem diuinissimæ Eucharistiæ sacramento diuina omnipotentia ostenditur, summa Sapientia explicatur, & immensa diuinæ bonitatis benignitas declaratur.

Rom. 11.

Psal. 110.

C. *Diuina omnipotentia ostenditur in Sacram. Eucharist.*

Et quidem diuina omnipotentia ostenditur, dum diuino verbo ad elementum accedente, hæc terrena materies, remanentibus accidentibus, in Christi substantiam subito & in instanti conuertitur, dum ipsa panis & vini accidentia, præter naturæ ordinem, absque subiecto relinquuntur; dũ eis modus existendi substantiæ tribuitur, ita vt omnia possint agere & pati, sicut si eisdem adesset propria substantia, dum non mutans locum, nec cœlum deserens Christus totus verus & integer, sub hoc incipit esse sacramento, & non solum totus sub toto, sed totus sub qualibet parte, & quantumuis species diuidantur, frangantur, dentibus masticentur, fiũt in plurimis locis aut vbique terrarum multiplicentur, ipse tamen Christus totus & integer sub qualibet particula diuisionis perseuerat, idemque & vnus in cœlo, & in omnibus locis in quibus hoc sacrificium celebratum aut extitit, non multiplicatus manet ideo penitus, qui ex virgine natus, qui in mundo conuersatus, qui in vltima cœna scipsũ discipulis, hoc sacramentum instituendo, tradidit, qui in cruce pependit, qui mortem pro nobis pertulit, lanceam militis sustinuit, in sepulcro iacuit, tertio die de sepulcro gloriosus resurrexit, in cœlum ascendit, Apostolis Spiritum sanctum misit, sedetque inde ad dexteram Patris, ipse vnus, inquam, idem & totus atque integer est & apud Patrem in cœlo & nobiscum in altari & vbicunque hoc diuinum mysterium celebratur, & sicut non alius & alius hic & ibi Christus, sed vnus verus & totus in omnibus altaribus; sic nec hoc aliud ab illo, sed hoc & illud & omnia vnum verum & immaculatum sacrificium. Hæc & innumerabilia, quæ in hoc continentur sacramento mirabilia fiunt omnipotenti virtute Dei, cum enim sacerdos illa Christi verba pronunciet: *Hoc est enim corpus meum, & hoc est sanguis meus*; panis & vinum in carnem & sanguinem conuertuntur, illa verbi virtute qua Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; qua dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt, qua fœminam mutauit in statuam salis, & virgam Moysi in colubrum conuertit, qua fontes mutauit in sanguinem, & aquam conuertit in vinum. Nam si verbum Heliæ potuit ignem de cœlo ponere, verbum Christi non poterit panem in carnem mutare? quis hoc audeat opinari de illo cui nullum verbum est impossibile, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil? certe maius est creare quod non est, quam mutare quod est; & longe maius, quod non est, de nihilo procreare, quam quod est, in aliud transmutare. Illud autem nemo est qui dubitet, & hoc aliquis dubitabit? absit. Omnino incomparabiliter maius est quod Deus ita factus est homo, quod non definit esse Deus, quam quod panis ita fit caro, quod non definit esse panis, quia non annihilatur, sed in corpus Christi conuertitur. Illud per incarnationem semel factum est; istud per consecrationem iugiter fit.

Ita est inducitur in Sacram. Eucharist.

Ioan. 1. Psal. 108. Genes. 19. Exod. 4. & 7. Ioan. 2. 4. Reg. 2. Luc. 1. Ioan. 1. Nullũ Dei verbũ inepte fabulæ. Mat. 9. quod Deus fadꝰ est homo, quã quod panis ita fiat Christi caro, quod non desinit esse panis.

Vnde Ambrosius in libro de Sacramentis,& habetur de Consecrat. distinct. 2. ca. 1. ait: *Cogor ostendere consuetudinem; potior est lux quam vmbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cœlo. Forte dicas, aliud video: quomodo & tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? & hoc nobis adhuc superest vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis vt probemus hoc non esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maiorem vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione natura etiam ipsa mutatur? Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens: rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam conuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam serpentis & virgæ. Currebant Ægypti flumina puro meatu aquarum, subito de fontium venis sanguis coepit erumpere. Non erat potus in fluuiis, rursus ad Prophetæ preces cessauit fluminis, aquarum naturam meatus. Circumclusus erat vndique populus Hebræorum, hinc Ægyptio vallatus, inde mari conclusus, virgam leuauit Moyses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus contra naturam in sui fontis retinetur exordium. Nonne horæ naturam vel naturibus mutatam flectam vel fluuialiter sus esse mutatam? sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Numquid non præter naturam operata est gratia, vt aquam vomeret petra, quam non habebat per naturam? Maiestas ergo diuina operatur, vt supra populus habere non posset; nisi Moyses legem in aquam, & amaritudinem suam aquarum naturam deposuit, quam infusa subito gratia temperauit. Sitibat populus Propheta vnus ex filiis Prophetarum existit, in est formam & statum, & fluuium mergendi egregiæ libidinis quam ipse ad formam, misit, & in eas legem in aquam, & seruum natandi, virgæ & hoc præter*

naturam facilem cognoscimus: grauior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris potentiæ esse gratiam, quam naturam, & adhuc amen Propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt. Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erat? Non minus est dare, quam mutare nouas naturas rebus. Sed cur argumentis vtimur? sinis vtamur exemplis, imo nationisque exemplo assumamus mysterij veritatem. Nunquid natura vsus præcessit, cum Dominus Iesus ex Maria nasceretur? si ordinem quæramus, virum mixta fœmina generare consueuerat, liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo generat, & hoc quod conficimus corpus, ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? vera vtique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo illius carnis Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum: ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur; & tu dicis: Amen, hoc est, verum est: quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat. Hæc Ambrosius.

Præter naturam est partus Christus.

Quod panis fuerat cum Christus accepit hoc corpus panis erat cum dedit.

Sed diceret aliquis: Certus sum omnino quod Deus hæc valet, & maiora; at non sum certus aliquo modo quod velit. Aduertat ergo, quod Christus panem, cum accepisset, benedixit & dixit: *Hoc est corpus meum.* Veritas enim hoc dixit, & ideo verum est omnino quod dixit. Quod ergo panis fuerat cum accepit, corpus suum erat cum dedit: panis itaque mutatus erat in corpus ipsius, & similiter vinum in sanguinem. Non enim vt hæreticus sapit, sed desipit, ita debet intelligi quod Dominus ait: *Hoc est corpus meum*, id est, hoc significat corpus meum, sicut quod dicit Apostolus: *Petra erat Christus*, id est, Petra significabat Christum; hoc enim ponus dixisset de agno Paschali, quam de azymo pane. Nam Agnus Paschalis absque dubio figurabat corpus Dominicum, sed panis azymus corpus syncerum. Sicut autem Ioannes Baptista, qui dixerat: *Ecce Agnus Dei*, per adiunctum determinauit, *qui tollit peccata mundi*; sic & Christus quod dixerat: *Hoc est corpus meum*, per adiunctum determinauit, *quod pro vobis tradetur*; sicut ergo corpus Christi veraciter tradebatur, ita vere demonstrabatur, non in figura quæ iam cessauerat, sed in veritate, quæ iam aduenerat. Hæc Innocentius. Bene igitur omnipotens Dominus memoriam fecit mirabilium suorum, & talium, ad quæ nullius creaturæ potentia valet nedum actu, aut opere, sed nec cogitatu attingere, vt merito ratione huius ineffabilis potentiæ dicatur ei id quod habetur Hester 13. *Domine Deus Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreueris saluare Israël. Tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ.* Ac si dicat, vt inquit dominus Albertus in Tractatu suo de officio Missæ, talem redemptionis nostræ cibum & pignus impossibile est humanæ infirmitati præparare, sed tibi Domine Deus Rex omnipotens, nihil est impossibile, quia in ditione tua cuncta sunt posita, quia tu verbo simplici tibi coæterno fecisti cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt contenta, & eodem verbo creaturas in id quod vis transmutas, quia Dominus vniuersorum ipse tu es, cuius magnificentiæ cuncta obediunt, & nihil resistit, & hoc est quod dicitur Sapientiæ 15. Subest tibi cum volueris posse; quia quamuis fides in omnibus articulis omnipotentiæ Dei innitatur; in sacramento tamen altaris, in quo consistit fundamentum fidei, & totius Ecclesiæ communio, maxime innititur omnipotentiæ. Ethoc est quod in signo huius sacramenti dixit ad Sararo Angelus, Genes. 18. vbi simul promissio seminis facta est, & confectio cibi Angelorum de tribus farinæ satis, quæ mingua fierunt, & non nisi ab omnipotentia Dei fieri potuerunt. Nunquid Deo quidquam erit difficile? quasi dicat: Non facile est enim Deo creaturas mutare & transsubstantiare, quas fecit, & de cibis nobis consutis, hoc est, pane & vino corporis sui & sanguinis nobis dulcem cœnam præparare. Hinc est etiam quod Lucæ primo Angelus dixit, cum de perfectione & conceptione Dominici corporis & sanguinis ageretur; Non erit impossibile apud Deum omne verbum: & persuasens Virgini vnde hoc fieri posset, dixit: Virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod exponens Origenes, dicit, virtutem altissimi esse virtuosam potentiam Patris, quæ vmbram & imaginem sui ipsius perfecit in Maria Virgine, de creatura vetustatis corruptæ nouum hominem secundum Deum creatum perficiens, & hunc non ad imaginem, sed ipsam imaginem faciens per vnionem, in quo perfecta resultaret potentia Patris. *Hæc Albertus.*

Luc. 1.

CII. *Summa etiam sapientia in hoc diuinissimo Sacramento discernitur.*

Summa etiam diuina sapientia in hoc diuinissimo sacramento Eucharistiæ discernitur, dum iuxta hominis naturalem conditionem hunc Angelorum cibum in eis sensibilibus rebus præparauit, quibus communiter homines vti consueuerunt, in cibo corporali, vt sic per corporalia & sensibilia discerneret & discerent homines in cœlestium & diuinarum rerum cognitionem deuenire. Etenim neque possibile est aliter nobis lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum analogice circumuelatum, vt diuinus ait Dionysius primo capitulo cœlestis Hierarchiæ.

Sapientia Dei se per visibilia manifestat.

Quemadmodam enim infirmi oculi solem nube tectum libere conspiciunt, qui coruscum lumen eius intueri non possunt, sic & diuinum radium lippientibus mentis oculis lucere impossibile est, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum & præparatum prouidentia paterna connaturaliter & proprie quæ secundum nos sunt, &c. Hugo de S. Victore ibidem in Glossa. Vnde Innocentius de officio Missæ ita dicit: Sapientia Dei quæ se per visibilia manifestat, volens euidenter ostendere, quod ipsa est cibus animarum, carnem assumptam proposuit in edulium, vt per cibum humanitatis inuitaret ad gustum diuinitatis, de quo Psalmista: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Totum ergo se Christus pro nobis exhibet in cibum, vt diuinitate nos reficiat, quem corporaliter ore comedimus, vt ita de visibilibus ad inuisibilia, de temporalibus ad æterna, de terrenis ad cœlestia, de humanis ad diuina nos transferat. *Ego sum*, inquit, *panis viuus qui de cœlo descendi*; ecce cibus diuinitatis: *& panis quem ego dedero, caro mea est*; ecce cibus humanitatis. Panis ergo Angelorum factus est cibus hominum, secundum illud Propheticum: *Panem Angelorum manducauit homo*; quatenus qui secundum animam cibum diuinitatis accipimus, etiam secundum carnem cibum humanitatis sumamus; quoniam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus: & quia per gustum homo mortem incurrit, per gustum quoque vitam acquirit; quatenus vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Dictum est quippe de illo: *Quacunque die comederis, morte morieris.* Dicitur autem de isto: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Cibus ille mortalis pependit in ligno scientiæ boni & mali. Cibus iste vitalis pependit in ligno vitæ, quod est in medio Paradisi: illud fuit lignum inobedientiæ, ad quod homo manus extenderet, vt fieret sicut Deus, iuxta quod serpens illi promiserat: *Eritis sicut dij scientes bonum & malum*; istud est lignum obedientiæ, in quo Deus manus extendit vt fieret homo, iuxta quod dicit Apostolus: *Exinanuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Item Albertus Magnus in libro de Officio Missæ ita dicit: *De sapientia autem hunc cibum contemperante dicitur ad Romanos vndecimo: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c.* Et subdit: *Quis enim digne inuestigare valeat qualiter ex antiquo corpus incorruptum sit incorruptum, qualiter noua anima viuificatum, qualiter viramque horum Deitati sit sociatum, & in vnam personam vnitum & assumptum, qualiter in carne infirmitates carnis sustinuerit, qualiter in cruce mortuus sit, & qualiter in corpus & sanguinem principalia elementa conuersa & potibili humani generis, se ipse hominibus in cibum præbuerit. Hæc enim vera sapientiæ DEI sunt nobis absconsita. Vnde Prouerbiorum 9. ipse dans Salomoni, hæc esse sibi absconsita, confiteris: Vtia sicut dissimilia mihi, & quartum penitus ignore: viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia sua.*

Ioan. 6.

Psal. 33.

Ioan. 8.

Psal. 77.

Per gustum homo mortem incurrit, per gustum quoq; vitam acquirit.

Genes. 2.

Ioan. 6.

Genes. 3.

Phil. 2.

Rom. 11.

Albert. vbi supra.

Quæ quidem quatuor idem Doctor pulchre deducens, ac difficultates quæ in hoc sacramento continentur, profequitur ibidem; quæ pro nunc causa breuitatis omittentur: in quibus valde pulchrum est considerare qualiter cœlestis altitudo consilij disposuit, vt sicut tres sunt personæ in vnitate diuinæ substantiæ, scilicet Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, ita tres essent substantiæ in vnitate personæ scilicet diuinitas, corpus & anima: & sicut CHRISTVS secundum naturam diuinam tribus modis existit in omnibus, per essentiam, præsentiam & potentiam, in solis iustis per gratiam & gloriam, in homine assumpto per vnionem: sic voluit vt idem ipse secundum naturam humanam tribus modis in rebus existeret, scilicet localiter in cœlo, personaliter in Verbo, sacramentaliter in altari. Sicut enim secundum diuinitatem totus essentialiter est in omnibus rebus, ita secundum humanitatem totus sacramentaliter est in omnibus locis in quibus conficitur & celebratur. Similiter & in hoc eodem venerabili sacramento immensa diuinæ bonitatis benignitas erga nos miseros & pauperes copiosissime declaratur.

Sicut Christus secundum diuinam naturam tribus modis existit in omnibus, sic secundum humanam tribus modis existit in rebus.

Albert. p. 1.

CIII. *Immensa diuinæ bonitatis benignitas per hoc sacramentum declaratur.*

Vt enim suam ad nos charitatem ostenderet & nostram erga se charitatem accenderet, qui dedit se pro nobis in precium, ipse tribuit se nobis in cibum, vt per precium redimeret nos à morte; per cibum alleret nos ad vitam. *Vnde qui manducat me & ipse viuet propter me.* Quid amplius vnquam pro nobis potuit efficere? Precium se dedit pro nobis in mortem, & cibum tribuit nobis ad vitam, vt mortem nostram sua morte perimeret, & vitam nostram sua vita nutriret. Panis iste si digne comeditur, impinguat. *Poculum tuum inebrians quam præclarum est?* Per hanc ergo sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant. Is enim in hoc sacramento sumitur totus & integer qui est fons & origo totius virtutis & gratiæ. Quap oprer astronomalice respectu omnium aliorum sacramentorum Eucharistia dicitur Græce, quod Latine interpretatum, bona gratia; cuius nuncupationis tex possunt causæ & rationes assignari; quarum VNA est, quia non est nisi gratia, & non nisi gratia esse potest.

Ioan. 6.

Psal. 22.

Quare hoc sacramentum dicatur Eucharistia.

Albert. 6. 1.

SECVNDA autem quia non datur nisi à gratissimo.

TERTIA quia non nisi gratissimis administratur.

QVARTA autem quia non nisi gratiam operatur.

QVINTA quia gratia est super gratiam.

SEXTA quia est omnis gratiæ contentiuum, etenim cum in omnibus sacramentis aliis gratiam eius per partes participamus, in hoc sacramento totum quod videmus, quod tangimus, quod gustamus, est gratia. Vnde Zachariæ 4. dicitur de hoc sacramento. *Exæ, habent gratias gratiam eius*, quia quidquid in omnibus sacramentis & virtutibus sparsim inuenitur, colligitur, totum simul hic in vna gratia inuenitur. Vnde significatur per Gomor, quod est mensura mannæ, quæ vnicuique sufficiebat, Exod. 16. mensura enim sufficiens homini ad salutem non est nisi quæ continet gratiam perfectam, in qua totus Christus continetur. Hæc est Vna aurea, continens manna, ad Hebræos 9. quæ intra sancta sanctorum collocatur, quæ ad vniuscuiusque sufficit capacitatem.

Albert. p. 1.

Longum esset singulas bonitates, gratias & perfectiones huius sacramenti enumerare, & immensam diuinæ bonitatis benignitatem extollere pro præsenti, & potius mens & lingua, imo dies & tempora deficerent quam materia. Etenim vt dicit Innocentius: *Per Eucharistiæ sacramentum Christus eripuit nos à potestate peccandi, liberat à peccandi voluntate. Nam Eucharistia si digne sumatur, à mala liberat, & confirmat in bono, venialia delet & cauet mortalia; vnde cum præmittimus in oratione Dominica: Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie; statim adiungimus: Et dimitte nobis debita nostra, & ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo, quia per panem istum cœlestem liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris. Dedit ergo nobis hoc sacramentum salutis vt quia nos quotidie peccamus, & ipse iam mori non potest, per hoc sacramentum quod in memoriam mortis eius accipimus, remissionem peccatorum quotidie consequamur.* Hæc Innocentius.

Verum etiam vt aliqua ex multis sub compendio proferamus: Primo hoc sacramentum dignæ sumptum in nobis remissionem peccatorum operatur: deinde vitam gratiæ tribuit, & ne à gratia deficiamus, nutrit, augetque & perficit operationem gratiæ, vnionem nostri ad Deum operatur, fouentes in Christum transformat. Præter effectus hos adhuc facimus patientes satiat, inebriat sitientes, temperantes impinguat, confirmat debiles, lætificat mentes, ignit affectum, illuminat intellectum, mirigat tentationes, affectum mortalium reprimit, firmat virtutes, à futuris præseruat peccatis, pœnam minuit, subuenit viuis, proficit defunctis, Spiritum sanctum mittit, tertet dæmones, contra hostes etiam visibiles adiuuat, & tandem ad æternam viam perducit. Nullum igitur est isto sacramento salubrius, quo peccata purgantur, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. Quid plura.

Bonitates gratiæ & perfectiones & hoc sacramento bene sentientes præmeantes.

Hæc pro exercitio & excitatione mentis nostræ de mirabilibus huius ineffabilis sacramenti, quam breuiter curaui perstringere, in quibus & omnipotentiam Dei, summam sapientiam, & inenarrabilem erga nos diuinæ dignationis & benignitatis bonitatem sedulo & grato animo contemplemur, & quamuis parum sit, quod à nobis aut intelligi aut exprimi possit, est enim supra omnem sensum & omnem intelligentiam, id tamen modicum etiam quantulumcunque sit, debet esse magis amatum & desideratum à nobis omni cognitione quam habemus de rebus inferioribus, sic enim & Aristoteles ait in 11. de animalibus, quod quãuis parum sit quod de substantiis superioribus percipimus, tamen illud modicum est magis amatum & desideratum omni cognitione quam de substantiis inferioribus habemus.

CIV.

Excitat quomodo se in hac materia habere velit.

Et in 2. de cœlo & mundo dicit, quod cum de corporibus cœlestibus quæstiones possunt solui parua & topica solutione, contingit auditori, vt vehemens sit gaudium eius, & in 10. Ethicorum cum Simonides cuidam homini præremittendam diu nam cognitionem persuaderet & humanis rebus ingenium applicandum, oportere inquiens humana sperare hominem, & mortalia mortalem; contra eum Philosophus dicit, quod homo debet se ad immortalia & diuina trahere quantum potest: quod vtique & nos Deo adiuuante in præsenti altissima materia quantum poterimus faciemus: tali tamen à nobis sacrorum eloquiorum prædissinita lege, vt non in perfusibilibus aut incredibilibus humanæ sapientiæ verbis spem ponamus, sed in demonstratione à Spiritu mota Theologorum virtutis, secundum quam ineffabilibus & ignotis ineffabiliter, & ignote commungimur secundam meliorem nostræ rationabilis & intellectualis virtutis & operationis vnionem, vt diuinus ait Theologus Dionysius 1. cap. de diuinis nominibus, erimusque circa hæc diuina mysteria tractanda, vt idem Dionysius ait; temperantia & sanctitate constricti; sanctitate quidem diuinis fimiliter inhærendo ab omni nec errore immunes Deo duce obseruabimus, temperantia vero, dum ad diuina perfruranda mysteria non magis nos ingerimus, quam nobis datum de cœlo fuerit & ostensum.

CV. *Ad orationem & diuinum munus inuocationem se conuertit.*

Verum quia vt vox testatur Apostoli *non sumus sufficientes non solum aliquid cogitare aut operari, sed nec cogitare quidem, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est, qui etiam omnia opera nostra in nobis operatur*; ideo secundo loco, vt verbis vtar Platonis, agamus & deliberemus cogita, vocata, vt mos est, prius diuinitate.

Etenim vt idem ait in principio Timæi, omnibus mos est & quasi quædam religio, qui vel de maximis vel de minimis rebus sunt acturi aliquid, precari ad auxilium, diuinitatem, & vt dicit sacer Theologus Dionysius 3. cap. de diuinis nominibus ante omnia ab oratione incipere est vtile, sicut nos ipsos tradentes Deo & vnientes: hæ sunt enim summæ intentiones Dei gratiæ cum aguntur à mortalibus, vt inquit Trismegistus Mercurius in libro de Deo. Igitur vt eadicantur à nobis quæ placent DEO, veritatem declarent, mentes nostras illuminent, gignant concordiam, charitatem accendant, pariant vnitatem & pacem: Primum cum eodem diuinissimo Theologo Parisio non angelis Areopagira videlicet Dionysio 1. cap. coelestis hierarchiæ, Iesum primum lumen inuocemus, quod est, quod veri sit est,

quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad principale lumen Patrem accessum habemus. Etenim vt idem ait Dionysius Theologus. Sicut omnis à patre motæ manifestationis luminum processio in nos optime ac large prouenit, sic iterum viuifica virtus quæ est Christus Iesus restituens nos replet & ad congregantis Patris vnitatem & Deificam simplicitatem conuertit. Sicut enim diuinum verbum per Paulum Apostolum testatur; *ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia*; origo enim fontium, vt inquit S. Bernardus, & fluminum omnium est mare; virtutum & scientiarum est Dominus Iesus Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*, continentia carnis, cordis industria, mentis rectitudo, casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria ex ipso manant. Si quis viget ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde scientiæ, inde sapientiæ sermo, quia gratia & veritas per Iesum Christum facta est, *de cuius plenitudine omnes nos accepimus pro gratia* Ioan. 1. Igitur in nostris præcordiis, fundamentis iactis humilitatis, te Christe Iesu huic cœpto, penes quem hominum & omnium Sanctorum communi consensu maris & terræ regimen esse voluit, certissima salus patriæ, inuoco, vt noster præsens hic sermo, noster hæc instans oratio, noster hic tractatus, atque pium certamen fidelium deuote flagitantibus tuam Christe veritatem fructus pariat salutares, vtque noster actus hic opportunum sortiatur initium, progressum ordinatum accipiat, atque sine competenti & debito terminetur cum effectu sinceræ & veræ vnionis, Amen.

Cap. 1.

Psal. 11.

Col. 2.

Ioan. 1.

CVI. *Ad dubitas positas responsionem habet, ad quam ipsum præmittit.*

SED iam accedo ad tertium mihi vtique necessarium summe, & valde vtile, scilicet ad confuetas debitas & laudabiles protestationes, quibus puro & sincero corde inhærendo puto & spero me ab omni erroris periculo liberari, maxime cum per huiusmodi protestationes, præcipue quæ est omnis erroris mater & origo præsumptio, cuitetur; & omnium virtutum fundamentum stabiliatur humilitas, cui semper præsto adest illuminator & illustrator cordium Spiritus sanctus, qui non nisi super humilem & mansuetum requieuit, docens ipsum omnem veritatem necessariam ad salutem. Protestor igitur in primis, quod in præsenti actu & in quocunque alio per me Deo concedente fiendo in posterum, non intendo, sicut nec vnquam intendi, aliquid dicere, asserere, dogmatizare, aut pertinaciter defendere, quod sit contra fidem Catholicam, sacram Scripturam sane intellectam, determinationem sacrosanctæ Catholicæ & Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, quod sit contra communem intentionem sanctorum doctorum ab Ecclesia approbatorum, aut contra bonos mores, seu quod sit quouis modo piarum aurium offensiuum; Quod si ex ignorantia, quæ in me maxima est, & inaduertentia, aut ex lapsu linguæ aliquid me contra prædicta dicere aut scribere contingeret, quod Deus sua pietate dignetur auertere, ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc, reuoco & annihilo, & habeo pro non dicto, subiiciens me & dicta mea atque scripta correctioni & emendationi Ecclesiæ sanctæ Dei, & specialiter huius sacrosanctæ generalis Basileensis synodi in Spiritus sancti gratia legitime congregatæ, & vniuersalem Ecclesiam repræsentantis, & omnium aliorum, ad quos huiusmodi deuiantes aut errantes pertinet ad viam reducere veritatis, & huic protestationi adhæreo pro præsenti, & adhærere intendo quamdiu vitam duxero in humanis, & vtinam similem protestationem, quo ad singulas eius partes, fecissent domini qui pro regno Bohemiæ proposuerunt, quia & se ipsos & vniuersam Christianitatem à multis laboribus, angustiis & perturbationibus satis facile potuissent & possent liberare, se determinationi Ecclesiæ Catholicæ Romanæ submittentes, quod quandoque, imo nunc, & ipsis & nobis Deus sua immensa pietate dignetur concedere.

Esa. 66.

Protestatur de non dicendo vel asserendo aliquid quod sit contra fidem Catholicam sed dicta & scripta sua correctioni Eccl. Cath. subiicit.

Protestor insuper toto & puro corde & sincera intentione, quod in præsenti actu & tota collatione quam habituros sum coram hoc sacro Concilio Basileensi publice cum dictis Dominis Ambasiatoribus & oratoribus regni Bohemiæ, nihil etiam priuatim, non intendo aliquid dicere aut facere nutu vel signo quomodocunque aut qualitercunque animo vel intentione iniuriandi, nec intendo vti terminis quibuslibet in præiudicium & quouis modo in confusionem ipsorum vergentibus; semper tamen, manente veritate illibata quam Ecclesia Catholica & Romana profitetur, in cuius defensione si aliquid me dicere contigerit, quod forte possit eisdem rationabiliter displicere, ex inaduertentia, vel ex lapsu linguæ illud ex nunc habeo pro non dicto, & rogo eosdem Dominos vt non capiant ad animum, offerens me vsque ad condignam satisfactionem in omnibus, velintque recordari vnius capituli in ipsorum saluo conductu inserti, sub tali verborum forma: Item liberum erit illis sicut & nobis, salua pace & bona honestate, coram dicto Concilio si placuerit, obiicere siue accusare quoscunque status exorbitantes, defectus sibi inuicem, quos senserint, modeste exponendo: velint etiam ad mentem CHRISTI regulam reducere, qua dixit: In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.

Protestatur de non dicendo vel asserendo aliquid quod sit contra fidem Cath. sed dicta & scripta sua correctioni Eccl. Cath. subiicit.

CVII. *Cap. 1.*

FATEOR insuper & protestor cum beato Augustino in libro de vtilitate credendi, circa principium, quia rogaui Deum & rogo, & spero ita fore, si mihi bene conscius sum, quod ad hunc stylum, actum & tractatum pio & officioso animo, non vani nominis appetitione ac nugatoriæ ostentationis accessisse it enim, vt idem inquit doctor, Deus, cui nota sunt arcana conscientiæ meæ, nihil me in hoc sermone malitiose agere, sed vt existimo accipiendum esse veri probandi causa, cui vni rei viuere iam diu statuimus & incredibili solicitudine.

Cap. 2.

Quod non vani nominis appetitu sed veri probandi causa accesserit.

Non igitur de vani nominis appetitu aut rancoris aut malitiæ hodie siue in præsenti actu à vobis præstantissimi patres habear suspectus, nisi forsan elatio incastigati vultus aut verba rigida hæc depingant. Sed rogo præstantissimi Domini mei, si hæc eueniant, recolite, quod corde profiteor, & dare signis veniam, & si forsan interdum me contingat aliquid durius loqui, & à solita exorbitare mansuetudine, indulgete rogo fragilitati dicentis, & audacitati fideli.

Non enim possum omnes alloqui pari corde, nec tamen si in me huiusmodi contingant defectus debent communia reputari ab auditoribus, secundum quod idem gloriosissimus Doctor Augustinus declarat in consimili casu, in epistola ad Proculeianum inter epistolas centesima septuagesima prima: Audiui, inquit, de memorato fratre nostro, te fuisse conquestum, quod nescio quid contumelioseti bi responderit, quod quæso te ne illam contumeliam deputes, quoniam certum mihi est de non superbo animo processisse, noui enim fratrem meum: Sed si quid in disputando, pro fide sua & pro charitate Ecclesiæ dixit, forte feruentius, quam tua grauitas vellet audire, non illa contumacia, sed fiducia nominanda est. Proinde per viscera misericordiæ Dei nostri quemlibet hic assistentem rogo & obsecro, quatenus in inquisitione veritatis prædictorum quatuor articulorum propositorum studeat imitari atque seruare, quod venerabilis Doctor Augustinus in 1. lib. de Trinitate de seipso ait: Non pudebit me, inquit, sicubi hæsito quærere, nec pudebit sicubi erro discere. Quisquis ergo hæc audit vel legit, vbi pariter certus est, pergat mecum; vbi pariter hæsitat, quærat mecum; vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me; vbi meum reuocet me: ita ingrediamur simul caritatis viam tendentes ad eum de quo dictum est, Quærite faciem eius semper.

Cap. 2. & 3

Psal. 104.

CVIII. *De rubore & timore quem causat ipsi tã præclarus tantorum virorum consessus & præsertim ob materiæ altitudinẽ & difficultatem. Epist. 11. secundum edit. Rom.*

CVM denique coram Reuerendissimis paternitatibus vestris omni auctoritate & sapientia prædictis considero me tam alta & grandia tractaturum, dum coram acutissimis ingeniis illustrissimis & omnium literarum peritissimis inuestigandæque veritatis diuino amore flagrantissimis me prospicio locuturum, profecto timor & tremor me taliter obruunt, vt potius silentio opus esset quam verbis, nec mirum, reuerendissimi patres.

Nam si quibusdam etiam constantissimis dicturis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter quam fatigatis & æstuantibus solet: quibusdam tremunt genua, quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labia concurrunt, vt Seneca ait 12. Epistola ad Lucillum, quid mirum si & nunc & alias mihi loquenti, non in conspectu vulgi aut rudis populi, sed in præsentia gloriosissimi Senatus totius orbis

Christiani, prædicta mihi contingerint & contingant: inter hæc enim esse & tuborẽ scio, inquit idem Philosophus, qui grauissimis quoque viris subitus effunditur, magis quidem in iuuenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera fibrarum: nihilominus & veteranos & senes tangit, & quidem nunquam magis quam cum erubuerint timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. Sylla tunc erat violentissimus, cum faciem eius sanguis inuaserat, nihil erat mollius ore Pompeii, nunquam non coram plurimus erubuit, vtique in concionibus.

Fabianum cum in Senatum esset restis inductus, erubuisse memini, & hic illum mire pudor decuit. non accidit hoc ab infirmitate mentis, sed à nouitate rei quæ inexercitatos etsi non concutit, mouet, naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam vt quidam boni sanguinis sunt ita quidem incitati & mobilis, & cito in os prodeuntis, & cætera: hæc, vt dixi, nulla sapientia abigit. superius enim dixerat, postquam verecundiam adolescentis cuiusdam describserat; rubor hic illum, quantum suspicor, etiam cum se conformauerit, & omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur.

Nulla enim sapientia corporis aut animi vitia naturalia poruntur: Quidquid infixum & ingenitum est, leniturarte, non vincitur; aliequin haberet rerum naturam sub imperio, si omnia eraderet vitia, quæcunque attribuit conditio nascendi & corporis temperamentum, cum multum diuque se animus composuerit, hærebunt, nihil horum vitari potest.

Et infra: nihil aduersus hæc sapientia permittit, nihil proficit, sui iuris sunt, iniussa veniant, iniussa discedunt. Hæc Seneca in eadem epistola. Quid plura? & si nunquam prædictis naturæ defectibus impediter, quod vt verum fatear, in primordiis dicendi nunquam arte quacunque ab ineunte ætate mea comprimere valui, nihilominus tamen attenta altitudine rerum & huius sacratissimi cœtus ineffabili sapientia, meaque insufficientia atque inexperientia, tarditate ingenii, hebetudine sensuum, labilitate memoriæ, difficultate iudicii, indiscretione rationis, intellectus imbecillitate, qui se habet ad ea quæ manifestissima sunt in natura, sicut vespertilionis oculus ad lucem diei, vt Philosophus dicit in principio suæ primæ Philosophiæ. Honestior mihi fuga esset, quam quod tantillus in conspecta tantorum ac talium præsumam apparere: Grandes siquidem materias, vt gloriosissimus Doctor noster Hieronymus ait, ingenia parua non sustinent, & in ipso conatu vltra vires ausa succumbunt: quantoque maius fuerit quod dicendum est, tanto magis obtritur qui magnitudinem rerum verbis vult explicare: sed etsi vulgi similia & pedestris materiæ nostra præsentis tractatu dicere oporteret, in tam nihil hominus conuentu sacratissimo me profecto prolocuturum erubescо, quibus non nisi difficilia intellectu alta mysteriis, & imperscrutabilis placent Sacramentis. Neminem namque, vt nobilissimi oratoris testatur sententia, excelsi ingenii virum delectant humilia & parua. habet enim hoc optimum in se generosus animus, quod ad ardua concitatur & honesta, magnarum rerum species ad se vocat & attollit, atque igneæ flammæ comparatus, quæ surgens in rectum iacere ac deprimi potest non magis quam quiescere. Vos potius, gloriosissimi patres, vos qui omni terreno carcris negotio, vos qui cœlesti abundatis otio, lectione continua refecti, oratione assidua saginati, quorum sicut adipe & pinguedine repletur anima supernorum secretorum dulcedine, vos inquam, labiis exultationis deberetis animas esurientium reficere, sitientes potare, & ex superabundante spiritus vestri sagina cordium ariditatem impinguare, qui eiusdem panis verbo, quo viuunt Angeli, dulci ac ineffabili suauitate estis repleti. hæc quidem sunt, gloriosissimi patres, quæ me silere iubent, loqui non permittunt, & imposita ori custodia ad taciturnitatem exhortantur; & reuera, si meares esset hæc, & non fidei, & Ecclesiæ Catholicæ, cuius defensioni etiam vsque ad sanguinis effusionem, specialiter in susceptione gradus magistralis, licet immeritus & indignus, iuramento me astrinxi, longe altius, pertimuissem: & licet naturalis affectus quo ex affinitate linguæ inclyto regno Bohemiæ tota cordis affectione & charitate afficior, me ab hoc certamine quam plurimum retrahat, tamen quia secundum vtriusque Philosophiæ, diuinæ pariter & humanæ doctrinam duobus existentibus amicis, vt dicit Aristotel. Sanctum est præhonotare veritatem; sic enim & ipse solitus erat dicere: Amicus Plato, sed magis amica veritas: quod Prouerbium etiam ab ipso suo præceptore Platone acceperat, qui & ipse solitus erat dicere: Amicus Socrates, sed magis amica veritas; & in Euangelio dicit ipsa prima veritas: *Qui non odit patrem & matrem propter me, non est me dignus*, & multo magis qui non odit patriam linguam & gentem, quod quidem odium non excludit charitatem, ex qua & ipsi pater & mater sæpe præcipueque propter fidei veritatem odio habentur, sic etiam & secundi Esdræ 4. cap. dicitur: *Omnis terra veritatem inuocat, cœlum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum.* & infra: *nec est apud eam recipere personas, neque differentias, sed quæ iusta sunt, facit omnibus, & omnes benignantur in operibus eius, &c.* & hæc quo ad primum, scilicet quo ad excusationes necessarias & opportunas dicta sunt, tum omni humanitate & mansuetudine.

Excelsi ingenii viros humilia & parua non delectant.

Luc. 14.

2. Esdr. c. 4.

His itaque humiliter præsuppositis, Venio ad quartum & principale nostri actus præsentis intentum, videlicet ad responsionem articuli de communione diuinissimæ Eucharistiæ sub vtraque specie.

CIX. *Ad responsionem articuli de Communione vtraque. Status quæstionis. 1. ponuntur suppositiones. 2. conclusiones. 3. resolutiones ad obiecta.*

Pro cuius rei executione proponitur quæstio sub tali verborum forma: *Vtrum communio diuinissimæ Eucharistiæ sub vtraque specie panis sciliset & vini sit vtilis multum & saluti expediens, voti credentium populo necessaria, & à Domino præcepta Saluatore.*

Omissis argumentis pro & contra, gratia breuitatis, in determinatione huius quæstionis sic procedam, quia primo proponentur quædam necessaria ad intelligentiam dicendorum per modum suppositionum quarundam. Secundo ponentur conclusiones ad quæstionem propositam, & tertio respondebo ad obiecta aduersariorum & oppositum tenentium.

Quantum ad primum, ponentur suppositiones quædam generales fundantes omnem materiam fidem & Ecclesiam Catholicam concernentes: Quædam vero speciales & propriæ ad propositam quæstionem & materiam pertinentes.

In omnibus scientiis oportet fieri reductionem ad principia per se indemonstrabilia.

Pro executione primæ partis, primo sciendum est & notandum, quod sicut in scientiis naturalibus oportet fieri reductionem ad principia quæ per priora probari non possunt, sicut sunt indemonstrabilia & per se nota, quorum ratum cognitis terminis cognoscitur veritas, & per ipsa omnia alia quæ traduntur in scientia cuius sunt principia veritas innotescit, cuiusmodi in mathematica sunt: Omne totum est maius sua parte, & si ab æqualibus æqualia demas, ea quæ remanent sunt æqualia, & cæteræ tales propositiones, & in metaphysica: de quolibet est esse vel non esse: ita in doctrina & scientia fidei quæ supernaturalis est, sunt quædam principia indemonstrabilia & per se nota in lumine fidei, quæ per alia non probantur: sed omnia alia quæ in doctrina Theologiæ traduntur; habent notitiam & manifestationem per ipsa. * Item sicut principia indemonstrabilia & per se nota sunt plura, & tamen omnia necesse est reduci ad vnum vniuersalissimum & primum atque commune omnium quod est dignitas omnium dignitatum, sicut est illud: de quolibet esse vel non esse, &c.

** Et laudẽ pertinendum ad vnum principium, quod est dignitas dignitatũ.*

Ex cuius veritate & cognitione omnium aliorum notitia dependet & veritas, vt patet per Aristotelem 4. Metaphys. ita quamuis plures sint articuli fidei, tamen est vnus inter eos qui est ianua & principium omnium aliorum, qui est simpliciter per se notus, quo ad nos, vel nullo modo variabilis in aliquod aliud, quod sit notius quo ad nos, in lumine fidei, per quod aut probari aut manifestari à priori quoquo modo possit in vita præsenti, & hoc est credere sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam regi & gubernari à SPIRITV SANCTO, nec eam posse vllo modo errare in his quæ fidei sunt & necessitatis ad salutem, & tangitur in symbolo, cum dicitur: Credo in Spir. S. sanctam Catholicam Ecclesiam, quia

In hoc, ista debet fides differre à scientia, quia fides, Catholicum,

& Apostolicam Ecclesiam regi à Sp. S.

per ipsum Spiritum sanctum scilicet Catholica Ecclesia sancta est & gubernatur ac dirigitur per eundem qui nec falli, nec fallere potest.

Quod autem prædictus articulus sit inter omnes alios primus, in quem omnes alii resoluuntur manifestum est, quia si qua dubitatio circa alios articulos contingit, statim ad sacram Scripturam veluti ad certissimam & inobliquabilem regulam communiter recurritur, & secundum testimonium veritatis eiusdem, sublatis dubiis veritas eluceſcit. In tali autem recursu ad sacram Scripturam adhuc duplex dubium remanet. Quia cum sacra Scriptura non procedat ex rationibus conuincentibus & ligantibus intellectum, quemadmodum in scientiis naturalibus, & præcipue Mathematicis proceditur, oportet quod modus suus procedendi sit ex auctoritate: quia, vt dicit Boetius, argumentatio fit duobus modis, vel ex ratione, vel ex auctoritate, & licet in scientiis humanis locus ab auctoritate sit debilissimus nisi pro quanto fundatur in ratione, in scientia tamen diuina locus ab auctoritate qui non in humana ratione fundatur, sed etiam in diuina reuelatione, est firmissimus. Quæ autem scripturæ sint diuina reuelatione traditæ, vt earum auctoritati assentiatur, vel quæ non, sciri non potest nisi aliquo approbante, de cuius testimonio dubitari non possit, quod vt qui de nullo particulari homine dici potest, quia quilibet talis potest errare.

Aug. cōtra epist. Manichaic. 5. 6. & li. 28. contra Faustum, c. 2. tom. 6.

Oportet ergo firmitatem scripturatum in approbationem resoluere Ecclesiæ, secundum quod gloriosissimus facit Augustinus qui in pluribus locis ait: *Non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ auctoritas commoueret.* Quod si & ipsa errare posset, vtique nil firmi in scientia diuina remaneret. Deinde cum sacra Scriptura in plerisque locis sit ad intelligendum difficilis, in soluendis huiusmodi dubiis circa fidem emergentibus, sæpe inter doctos accidit varietas & multiplicitas opinionum & inexterminabilis quodammodo difficultas. In hac ergo difficultate scripturarum & varietate opinionum, necesse est habere recursum ad aliquod metrum vel mensuram, per cuius applicationem, verum à falso discernitur; quod vtique non potest esse aliud in humanis, quam ipsa Ecclesia sancta Catholica; quam præsupponimus errare non posse.

Contra negantem principia non est disputandū.

Item sicut in scientiis Physicis contra negantem principia, & præcipue communissima; non est amplius disputandum, ad probandum ipsum à priori, quia non est aliquid prius per quod possit probari, cum ponatur simpliciter primum, vt patet per Aristotelem in 4. Metaph. ita in doctrina fidei contra negantem articulos fidei, & sacræ Scripturæ veritatem, & præcipue Ecclesiam regi à Spiritu sancto, & ita non errare, quod est simpliciter primum in doctrina fidei, non est amplius disputandum à priori, cum non sit aliquod prius in quod possit resolui, vt dictum est.

Si quæ tamen aduersarius concedat, potest ostendi veritas principiorum ex eō cessis, & à posteriori.

Item licet non sit disputandum à priori contra negantem principia, ad ipsa probandum, vt dictum est, tamen excipitur eorum experientia per sensum. & etiam, si aduersarius concedat aliquod eorum, quæ in lumine naturæ nota sunt à posteriori, ex concessis potest ostendere defensor principiorum eorum veritatem, ducendo ipsum ad inconueniens aliquod, aut soluendo rationes, si quas contra veritatem ipsorum adducit. Si autem nihil concedat, tunc nec disputandum nec loquendum est cum ipso, vt patet per Aristotelem in 4. Metaph. prout etiam per se manifestum est: sic & in doctrina fidei à posteriori quidem manifestari possunt & declarari quo ad nos in lumine fidei ipsius principia aliquo modo, vt per exempla, & alia, & contra negantem aduersarium, si aliquod eorum quæ sunt fidei, concedat, ex concessis procedi, vt si aduersarius hæreticus negaret resurrectionem futuram mortuorum, & concederet resurrectionem CHRISTI, posset Catholicus ex resurrectione capitis arguere resurrectionem mortuorum. Sic & Apostolus ad Corinth. facit Epistola 1. cap. decimo quinto. Si autem nil eorum quæ sunt fidei concedat, vt paganus, tunc cum ipso de negotio fidei nihil agendum est, quia talis longe erit à nostra Philosophia, vt Dionysius ait in libro de diuinis nominibus: poterunt tamen fideles per exempla, manproductiones, & persuasiones aliquas, mouere animos infidelium ad credendum, non esse impossibilia, nec diuinæ potentiæ, sapientiæ, maiestati & bonitati inconueniens ea quæ fides prædicat & affirmat, atque rationes naturales ex philosophia humana sumptas, si quas in oppositum & in contrarium fidei mundi sapientes adducerent, soluere & annullare, cum non possint esse demonstrationes, sed qualescunque persuasiones, quia in infallibili veritate impossibile est demonstrare contrarium esse verum.

CX. *Credendū est Eccles. Cath. à sp. S. dirigi & ideo non posse errare.*

QVIA ergo in doctrina fidei vniuersalissimum principium & primum est, Ecclesiam Catholicam credere, à Spiritu sancto dirigi & gubernari, ac per hoc non posse errare in his quæ necessitatis sunt ad salutem, vt dictum est, & ex ipso & per ipsum omnis hæreticorum nequitia eliditur: idcirco licet non à priori, à posteriori tamen ad ipsum declarandum & manifestandum insistendum est. Verum quia huiusmodi declaratio atque manifestatio prædicti vniuersalissimi principii & aliorum in hoc tractatu dicendorum, præcipue & maxime sumenda est ex auctoritate sacræ Scripturæ quæ superficietenus & in cortice intellecta, superbis hominibus & elatis multam materiam præstat erroris, sicut patet intuenti omnes antiquas hæreses & modernas, quæ in defensionem sui erroris, pluribus auctoritatibus sacræ Scripturæ male intellectis se muniunt & defendunt: idcirco vt manifestius & clarius pateat veritas Catholicæ fidei, quam in præsenti, DEO auctore & directore, defendere suscepimus, & omnium hæresum falsitas & malitia: quædam generalia censuimus præmittenda, quibus in intellectu sacrarum Scripturarum, veluti quibusdam regulis atque lineis, dirigamur.

CXI. 1. *Generales aliquot suppositiones pro intellectu Scripturarum.*

IN primis igitur tanquam omnium fundamentum firmissimum stabiliatur, quod omnis scriptura Veteris & Noui Testamenti contenta in volumine Bibliæ, sit edita ab auctoribus suis Spiritu sancto inspirante. Et de Veteri quidem Testamento habetur 2. Petri 1. cap. vbi ait: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines*, in nomine Prophetiæ tanquam in nobiliori parte includens cæteras partes scripturarum.

Omnis doctrina Veteris & Noui Testam. edita est ex inspiratione Sp. S.

De scripturis vero Noui Testamenti habetur Matth. 10. cap. vbi CHRISTVS mittens Apostolos & dans eis auctoritatem prædicandi, & euangelizandi, dixit eis: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.*

Constat autem Apostolos conscripsisse & Euangelistas Nouum Testamentum, & de Apostolo Paulo notum est, quia non ab homine, neque per hominem, sed per reuelationem IESV CHRISTI, vt ipse testatur ad Galat. 1. cap. Ex quibus sequitur; quod principalis auctor sacrarum Scripturarum est Spiritus sanctus, qui est DEVS: homines vero per quos editæ & conscriptæ sunt, fuerunt quasi instrumenta & calami eiusdem SPIRITVS SANCTI. Vnde Propheta: *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis.* Scriba enim doctissimus in lege, vt ait Hieronymus est SPIRITVS SANCTVS.

Psal. 44.

CXII. 2. *Scripturæ sacræ canonicæ tanta est certitudo veritatis, vt nihil plane in ea falsum esse possit.*

SECVNDA suppositio est: tanta est certitudo veritatis sacrarum Scripturarum, vt nihil in eis assertiue positum aut expressum possit esse mendosum & falsum. Patet ex prima, quia auctor ipsarum sit SPIRITVS SANCTVS, cum sit prima & summa veritas, nec fallere nec falli potest aut mentiri.

Et patet Matth. 15. cap. *Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* & Luc. cap. 16 *facilius est cœlum & terram præterire, quam de lege vnum apicem cadere.* quin videlicet propter infallibilem certitudinem ita eueniat, prout lege tactum est & expressum, iuxta sensum quem intendit SPIRITVS SANCTVS.

Ad hanc veritatis regulam confirmandam sunt quodammodo infiniti textus Scripturarum tam Veteris quam NOVI TESTAMENTI, quos adducere longum esset & tædiosum, quam regulam & AVGVSTINVS confirmat his verbis, in libro de videndo DEVM: Fieri nullo modo potest, vt hæc sacrarum literarum auctoritas ex aliqua parte sui mentiatur, hoc enim omnium Catholicorum firma & inconcussa est sententia: & oppositum dicere, est totius fidei nostræ diuerte fundamenta. Quamobrem tota sacra Scriptura debet considerari quasi esset vna propositio copulatiua, ad cuius veritatem exigitur vtram que propositionem & partem esse veram, connectens singulas partes, & vtram affirmans, elucidans & exponens per alteram; alioquin si propositio aliqua sacræ Scripturæ posita assertine per auctorem suum qui est Spiritus sanctus, esset falsa, tota Scripturæ sacræ sicut dicit Augustinus, vacillaret auctoritas.

CXIII. 3. *Esse hominibus dari à Deo, diuinæ bonitati fuit congruum, & humanæ saluti necessarium.*

TERTIA suppositio. Sacram Scripturam à Deo dari hominibus, diuinæ bonitati fuit congruum, & humanæ saluti necessarium patet, quia cum bonum de ratione sua sit communicatiuum, & Deus sit non solum quoddam, sed & omne, summe ac per essentiam bonum, vtique congruum fuit & est, vt se communicet liberalissime omnibus creaturis, secundum vnius cuiusque naturæ exigentiam, à qua, vt Plato ait, porro inuidia hominis longe relegata est. Neque enim diuinum inuidum esse conuenit, vt Aristoteles ponit in 1. Metaph. contra Poetas, qui maxime in communicatione sapientiæ Deum inuidere hominibus asserebant, vnde & Simonides quidam: Solus quidem Deus hunc habet honorem, inquit, virum vero non dignum esse quærere quæ secundum se est Sapientia: & secundum Prouerbium, vt idem Aristoteles ait, multa mentiuntur Poetæ. Cum igitur rationalis creatura, homo scilicet capax sit secundum intellectum & voluntatem diuinæ felicitatis, quia ad hoc ipsum idem Deus & Dominus produxit & creauit propter bonitatem suam, dicente Augustino in libro de doctr. Christi & allegatur à Magistro sentent. libro 2. distinct. 1 quia, inquit, bonus est Deus summus, & in quantum summus bonus summus: vt si quæritur ad quid creata sit rationalis creatura, respondetur ad laudandum Deum & ad fruendum ei, & ad fruendum eo in quibus proficit ipsa, non Deus. Deus enim perfectus, & summa bonitate plenus, nec augeri potest, nec minui.

Quod ergo rationalis creatura facta est à Deo, referendum est ad creatoris bonitatem, & ad creaturæ vtilitatem. Et iterum ibidem Magister dicit: fecit Deus rationalem creaturam quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur. Verum quia hæc fruitio non competit homini secundum naturam suam, licet insit ei capacitas ad eam obtinendam & habendam à natura per gratiam Dei, idcirco ipsa diuina bonitas sicut ipsum hominem ad prædictam fruitionem, quæ comprehensionem rationis humanæ excedit ordinauit, secundum id Esaiæ 64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparauit Deus diligentibus te:* ita eidem sua liberalissima communicatione scientiam & doctrinam sacrarum Scripturarum omnem humani intellectus excedentem capacitatem reuelauit, per quam ad hunc finem dirigeretur, oportet enim præcognitum esse finem hominibus qui suas actiones & intentiones debent ordinare in finem, & hoc est valde homini vtile & necessarium. Vnde Apostolus 1. Tim 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.*

CXIV. 4. *Habet illa vno eodēq; sermone plures sensus.*

QVARTA suppositio. Sacra Scriptura in vno eodemque sermone habet plures sensus, literalem scilicet & spiritualem. patet per Gregorium 3. libro Moral. vbi dicit, sacra Scriptura omnes scientias ipso suo more locutionis transcendit, quia vno eodemque sermone habet plures sensus, dum narrat gestum prodit mysterium. quod Sanct. Thom. 1. part. quæst. 1. artic. 10. ita declarat: Auctor sacræ Scripturæ Deus est, in cuius potestate est non solum quod voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas; & ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significatæ per vocem etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui scilicet est historicus vel literalis sensus. Illa autem significatio qua res significatæ per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, propter quod sensus spiritualis super literam fundatur, & eum supponit. Hic autem sensus spiritualis trifarie diuiditur. sicut enim dicit Apostolus: Lex vetus figura est nouæ legis: & ipsa noua lex, vt Dionysius dicit in Ecclesiastica Hierarch. est figura futuræ gloriæ. In noua etiam lege ea quæ in capite gesta sunt, signa sunt eorum quæ nos agere debemus. Secundum ergo quod ea quæ sunt veteris legis, significant ea quæ sunt nouæ legis, est sensus allegoricus.

Secundum vero quod ea in CHRISTO sunt facta: vel in his quæ CHRISTVM significant, sunt signa eorum quæ nos agere debemus, est sensus moralis, & dicitur tropologicus: prout vero significant ea quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus, sicut exemplariter posset declarari in illo versu Psalmistæ: *Lauda Hierusalem Dominum.*

CXV. 5. *Sensus literalis principalis est, non quem litera prætendit, sed quem Sp. S. scripturarum auctor intendit.*

QVINTA suppositio. Sensus literalis sacrarum Scripturarum principalis est ille, non quem litera prætendit, sed quem auctor earum, scilicet Spiritus sanctus, intendit. Patet exemplariter in sensu parabolico, sine figuratiuo, qui sub literali sensu continetur. Nam in huiusmodi locutionibus parabolicis per voces significatur aliquid proprie & aliquid figuratiue, nec est literalis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum: sic enim cum scriptura nominat DEI brachium non est literalis sensus, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, quia Spiritus est Deus, vt dicitur Ioan. 4. sed id quod per huiusmodi membrum significatur, scilicet virtus operatiua. Ex quo patet quod sensu literali sacræ Scripturæ nunquam potest subesse falsum, vt dicit S. Thomas vbi supra.

CXVI. 6.

SEXTA suppositio. Fides & omnia necessaria ad salutem, tam credenda quam agenda, fundantur in sensu literali, & ex ipso solo argumentatio sumitur ad probandum ea quæ fidei sunt, vel necessitatis ad salutem, & non ex his quæ secundum allegoriam vel alium sensum spiritualem dicuntur; vt Augustinus dicit in epist. contra Vincentium Donatistam. & nil spirituali sensu continetur fidei necessarium quod Scriptura sacra per literalem sensum alicubi manifeste non tradat, vt dicit sanctus Thomas in loco prælegato.

CXVII. 7. ** Intellige explicite, vel implicite, vt ipsemet infra secundum.*

SEPTIMA suppositio. Sacra Scriptura in sensu literali sane & bene intellecta, est infallibilis fidei regula & *sufficientissima.

Prima pars huius suppositionis ex superioribus manifesta est: sed probatur quia cum intellectum, circa ea quæ fidei sunt, contingat errare, vt patet in hæreticis, necesse est esse regulam aliquam per cuius deuiationem aut conformitatem percipiat se intellectus errare vel non errare: Alioquin semper in dubio maneret, & semper fluctuaret, & cum fides sit circa ea quæ humanam intelligentiam & rationem excedunt, secundum illud Apostoli ad Hebræos: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* *Hebr. 11.*

Et secundum Ambrosium: tolle argumenta, vbi fides quæritur: & secundum Gregorium: fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum; patet, nullam humanarum scientiarum regulam esse fidei. Relinquitur ergo quod huiusmodi regula fidei sit sacra Scriptura. Hęc regula est Ioan. 20. cap. vbi ait: Hæc autem scripta sunt vt credatis quod Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius, & Petri prim. capitulo 2. *Habemus firmiorem Prophetarum sermonem cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et Apostolus ad Rom. 15. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus;* & patet quod prædictæ auctoritates sunt sacræ Scripturæ, & de eadem sacra Scriptura loquuntur: & non de aliis scientiis humanitus adinuentis.

Secunda pars patet etiam, quia si sacra Scriptura non esset sufficiens fidei regula, sequeretur, quod Spiritus sanctus insufficienter tradidisset eam, qui est auctor ipsius quod de Deo, cuius omnia opera sunt perfecta, nullo modo est sentiendum. Præterea si sacra Scriptura in aliquibus, q̃ sunt necessaria ad salutem, deficeret, tunc licite & meritorie ea q̃ deficiūt, possent aliunde superaddi, aut si aliqua essent superflua, diminui. Sed hoc est prohibitū à Io. Euang. Apocalyp. vbi ita ait: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illū plagas scriptas*

quæ sunt in libro isto, & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferat Deus partem eius de libro vitæ & de ciuitate sancta, & de his quæ sunt scripta in libro isto. Ex quibus verbis Ioannis Euangelistæ clare ostenditur, in sacra scriptura nihil diminute, nihilque superflue contineri, quod vtique congruit auctori ipsius, qui est Spiritus sanctus, vt dictum est, cuius omnipotentiæ congruit, vt nil diminute; sapientiæ, vt nil superflue & bonitati, vt ordine congruo nostræ prouideat necessitati salutis. Vnde Prouerbiorum 30. *Sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se, ne addas quidquam verbis illius, & arguaris inueniarisque mendax*, & loquitur de diuina sapientia. Sed pro declaratione ampliori huiusmodi regulæ pro ista parte sciendum est, quod sufficientia alicuius doctrinæ necessario intelligatur dupliciter, vno modo explicite, alio modo implicite.

Et hoc verum est in qualibet doctrina & scientia, quia nulla vnquam doctrina fuit tam sufficienter tradita, quod omnes conclusiones in ipsius principiis contentæ explicite, & in propriis terminis fuissent traditæ & expressæ, & sic est in proposito nostro: quia nihil est ad fidem & ad salutem quomodocunque & qualitercunque pertinens, quod non in sacra scriptura sufficientissime explicite aut implicite contineatur.

Vnde Augustinus: Omnis veritas in scripturis continetur latens aut patens, quemadmodum & in aliis scientiis siue speculatiuis siue moralibus & ciuilibus, conclusiones & determinationes, in earum principiis continentur, quæ iuxta exigentiam rerum temporis & personarum atque occasionum varietatem educuntur & explicantur, vt notum est cuilibet in Scholasticis disciplinis erudito, quæ quidem eductio fit per modum illationis vel determinationis, vt in processu huius operis fortasse clarius elucescet. Item sciendum, quod ad aliquam doctrinam addere aliquid, potest intelligi quatuor modis.

Addere aliquid ad doctrinam 4. modis intelligitur.

Primo per modum explicationis, aut declarationis. Secundo per modum suppletionis. Tertio per modum ampliationis. Quarto per modum destructionis, aut contrarii. Primus modus est necessarius in qualibet scientia & doctrina, & specialiter in sacra scriptura, non propter se ipsam, quæ sufficientissima est & clarissima in se, sed propter nos: vnde & declarantibus eam promittit præmium vitæ æternæ: *Qui elucidant me*, inquit, *vitam æternam habebunt*. Eccles. 24. Secundus modus est necessarius scientiis ab auctoribus earum diminute & insufficienter traditis ad ipsarum supplementum; cuiusmodi apud nos scientiæ aut Philosophiæ naturali, quam aut Aristotel. non plene & sufficienter tradidit, aut si perfecte tradidit, ad nos non peruenit complete aut perfecte: Albertus Magnus & alii Physicorum Latinorum multos libros & tractatus ad complementum ipsius addiderunt. Tertius modus maxime si non fuerit excessiuus, sustinendus est & tolerandus ad bene esse, licet non sit necessarius. Quartus modus potest addi in scientiis duobus modis: vel declaratiue tanquam oppositum oppositi, vt verum ex suo contrario & oppositio quod est falsum magis eluceseat, secundum quod Aristoteles posuit, & communiter dicitur: *Opposita iuxta se posita magis eluescunt*, scilicet vnum quodque in sua ratione, quia falsum oppositum vero, eius falsitas ex comparatione veri manifestior fit, & è contrario veritas falsitati. Et sic modus iste ad primum reducitur: qui est vtilis & laudabilis in qualibet doctrina: Vel assertiue pro conclusione tanquam verum, & sic cum destruat veritatem doctrinæ & corrumpat omnino, in qualibet doctrina tanquam venenum abiiciendum est, & tanto amplius quanto doctrina certior fuerit & remotior à contradictione.

Vnde cum sacra doctrina sit certissima in veritate, vt patet ex secundo huius propter auctoritatem eius qui errare non potest, omne contrarium eius omnimodo est repellendum; alioquin sic apponens incurret plagas descriptas, superius per Ioannem Euangelistam. Et hoc modo intelligendæ sunt auctoritates scripturarum quæ prohibent additionem vel subtractionem ad sacram scripturam. Vnde super illo Deuteron. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferatis ex eo*, glossa ordinaria dicit, docet normam æquitatis, & omnem hæresim percutit. Verat enim rectæ doctrinæ aliquid prauæ intentionis addere, vel aliquid veritatis subtrahere. Via enim regia incedendum est, non ad dexteram, vel ad sinistram, quia rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis. Vnde Nicolaus de Lyra: Considerandum est, quod hic prohibetur additio deprauans intellectum legis, non autem additio declarans aut elucidans, secundum quod Ecclesiast. 24. *Qui eluc idant me, vitam æternam habebunt, &c.* Similiter super illo; sermo Dei ignitus, &c. dicit glossa interlinearis: vt hæretici, qui corrumpunt scripturas, ne eis conuincantur: & Hieronymus ibidem; Ne corrumpas eloquia sacratum scripturarum, sicut quidam hæretici, ne eis conuincerentur, fecisse noscuntur. Et Nicolaus de Lyra: Ne addas quidquam quod sit eis contrarium. Possunt tamen bene & meritorie addi illa quæ faciunt ad verba Domini declaranda Eccles. 24. *Qui elucidant me*. similiter super dicto Ioan. Apocal. vlt. dicit glossa ordinaria: quia quod sciebat in Asia esse, qui pro suis erroribus fouendis adderent, vel diminuerent, supponit excommunicationi. Et Nicolaus de Lyra: *Si quis apposuerit, &c.* id est, discrepantia, sicut faciebant hæretici, qui tempore illo addebant discrepantia à veritate Euangelii & aliqua diminuebant à veritate, dicebant, dicentes Christum ante Mariam non fuisse; per hoc tamen non excluditur quin possent aliqua addi licite quæ faciunt ad declarationem totius sacræ scripturæ, & sic fecerunt doctores sancti. & ad hunc modum reducitur si quis mandatis Christi dimissis & neglectis, alias humanas superadderet traditiones, sicut dicunt Doctores super illo verbo Christi: *Væ vobis qui decimatis mentam, ciminum & anetum, & quæ potiora sunt legis dimittitis. sicut misericordiam & iudicium*, Matth. 23. Et alibi increpat Dominus Iudæos, dicens: *Irritum feci stis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Et per Esaiam Prophetam: *Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes & sequentes.* *Matth. 15. Isa. 29.*

CXVIII. 8. *Non est inconueniens sub vno & eodem textu sacrarū literarum plures esse sensus literales.*

Octava suppositio. Non est inconueniens sub vno & eodem textu sacrarum literarum esse plures sensus literales. declarat hæc sanctus Thom. vbi supra, dicens: quia auctor sacræ Scripturæ Deus, quia omnis simul suo intellectu comprehendit, ideo non est inconueniens, vt Augustinus dicit 12. Confessionum, si etiam secundum literalem sensum in vna litera sacræ Scripturæ plures sunt sensus. verbi gratia 1. Paralipomen. 17. cap. dicit Dominus de Salomone: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* & intelligitur de Salomone ad literam, in quantum fuit filius Dei per adoptionem in iuuentute, propter quod Nathan Propheta nominauit eum amabilem Deo, vt habetur 2. Regum 12. Prædicta etiam auctoritas, *Ego ero illi in patrem*, inducitur ab Apostolo ad Hebr. 1. tanquam dicta de CHRISTO ad literam, quod patet ex hoc, quia Apostolus inducit eam ad probandum quod Christus fuit maior angelis, talis autem probatio non potest fieri per sensum mysticum, vt dicit Augustinus contra Vincentium Donatistam, vt supra allegatum est.

Prædicta igitur auctoritas completa fuit ad literam in Salomone, minus tamen perfecte, quia fuit Dei filius solum per gratiam: in Christo autem perfectius, imo perfectissime, qui est Dei per naturam: verba sunt Nicolai de Lyra in prologo Bibliæ.

CXIX. 9. *Ad recte intelligendum sacram Scripturā secundum sensum literalem, considerāda sunt præcedentia & sequentia & alia quoq; loca.*

Nona suppositio. Ad recte intelligendum sacram Scripturam, secundum sensum suum literalem necesse est sæpe vt vnus & idem textus ad præcedentia vel subsequentia referatur, vel ad alia loca in quibus de eadem materia tractatur, quia per ipsam quandoque exponitur, & quandoque suppletur. Vnde Augustinus in libro octuaginta trium quæstionum, quæstio 69. solet circumstantia scripturarum illuminare sententiam: quapropter in verbis CHRISTI hæc regula diligenter notanda est, quia per eam perpendimus sæpe, an verba CHRISTI figuratiue dicta sint an non, quia ex præcedentibus vel ex sequentibus ibidem, vel simul ex vtrisque vel aliis locis sacræ Scripturæ perpenditur & aperitur intellectus; sicut si volumus intelligere quæ istarum locutionum figuratiua sit & quæ non: *Ego sum vitis vera, & Hoc est corpus meum.*

Ex his quæ subiunguntur, aperitur intellectus. Nam ad primam istarum subiunxit ad discipulos, *Et vos palmites*, per quā

subiunctio-

subiunctionem manifeste ostenditur, quod cum discipuli sui nō essent palmites naturales, sed tantum figurales, quod nec ipse erat vitis, cum dixit, *ego sum vitis*, nisi secundum figuram. Ad secundam vero subdit, *quod pro vobis tradetur*, per quod intelligitur, cum ipse verum corpus suum & naturale quod traxit de virgine, tradiderit in cruce pro nobis, quod etiam illud idem corpus quod assumpsit de virgine, & in quo in cruce pepēdit, tradiderit discipulis in cœna, in hoc diuinissimo Eucharistiæ sacramento. Similiter sæpe truncata sententia per alium passim suppletur. Nam ille textus Matth. vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, si precise intelligatur de fide, & de baptismo sine aliis virtutibus, salus est & truncatus, quia prædicta non sufficiunt ad salutem, sed oportet quod aliæ virtutes concurrant, & specialiter Charitas, sine qua nec Fides, nec Baptismus proficit ad salutem, vt patet per Apostolum: & similiter facile esset videre in multis aliis S. scripturæ locis.

CXX. 10. *Ad habendum verū sensum literalem, opus est attendere diligenter ad varium modum procedendi eorum.*

Decima suppositio. Ad habendum verum sensum literalem sacrarum scripturarum, necesse est summo opere cum studio & diligentia attendere varium modum procedendi earundem. Nam in eodem contextu verborum, sæpe aliqua verba accipiuntur literaliter & pure grammaticaliter, & aliqua mystice, & sæpe vnum & idem verbum aliter & aliter: Nam illud Marci 6. *Nihil tuleritis in via nisi virgam tantum*, habet prædictam distinctionem, vbi hæc verba, *nihil tuleritis in via*, accipiuntur literaliter, & sequentia *nisi virgam tantum* accipiuntur mystice pro potestate accipiendi victui necessaria. Item hoc ipsum, *nisi virgam tantum*, aliter accipitur nomine virgæ Matth. 10. Luc. 9. Marci 6. quia in primis locis vbi Christus loquitur de missione Apostolorum, accipitur virga pro baculo, aut rebus necessariis humanæ sustentationi, hic vero accipitur mystice pro potestate accipiendi necessaria ab auditoribus, quam Christus dedit Euangelizantibus. vnde Aug. in de consensu Euangelistarum: Solet, inquit, quæri quomodo Matth. & Lucas commemorauerint Dominum dixisse discipulis vt nec virgam ferrent, cum dicat Marcus: *Et præcepit eis ne quidquam tollerent nisi virgam tantum*, quod ita soluitur, vt sub alia significatione dictam virgā quę secundum Marcum ferenda est, & sub alia quæ secundum Matthæum & Lucam non ferenda, intelligamus. Potuit enim breuiter sic dicere, nihil necessariorum vobis cum feratis, nec virgam, nisi virgam tantum, vt illud quod dictum est, *nec virgam*, intelligatur, nec minimas quidem res: quod vero adiunctum est, *nisi virgam tantum* intelligatur potestas, quia per potestatem à Domino accepram, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur, non deerunt, & subdit ad propositum: Quisquis autem putat non potuisse Dominum in vno sermone quædam figurate, quædam proprie ponere eloquia, cætera eius inspiciat, & v. debit quam hoc temere & incrudite arbitretur, similiter multi passus sacræ scripturæ sibi inuicem essent contrarii, si tamen ad grammaticalem sensum respiciamus, vt patuit in præd. ctis locis, in quibus Matthæus & Lucas dicunt, *neque virgam*, & Marcus *nisi virgam tantum*. Similiter Matth. vlt. præcipitur diligere inimicos, & Luc. 14. præcipitur odiri pater, mater, vxor, filii, fratres & sorores. Item sæpe sacra scriptura sub vno contextu quasi vna persona aliquando loquitur, non tamen ad idem singulæ partes locutionis referuntur, sed altera ad caput, altera ad corpus refertur, scil. altera ad Christum, altera ad Ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum: secundum quem modum intelligitur id Esaiæ 61. *Indum me vestimento salutis, & indumento salutis circumdedit me, quasi sponsum decorauit me corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*, quod enim dicitur hic *quasi sponsum*, intelligitur de Christo capite, & id quod subditur, *& quasi sponsam*, intelligitur de ipsa Ecclesia, similiter Canticorum primo: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* cum enim dicitur, *osculetur me*, desiderium sponsæ sponsum desideranis exprimitur, & quod subditur *quia meliora sunt vbera tua vino*, verbum est sponsi sponsam commendantis. Quia vero mysticum Ecclesiæ corpus est quasi sagena nondum tracta ad litus, continens malos permixtos cum bonis, ideo sæpe in sacra scriptura mali commendantur cum bonis quibus sunt permixti: sicut Oseæ 4. *Puer Israel: & dilexi eum*, & econuerso sæpe boni vituperantur cum malis, sicut Esaiæ 1. scribitur: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Similiter in eodem contextu, aliquando quid ad bonos pertineat, & quod ad malos, exprimitur, sicut Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, verba sunt Ecclesiæ, quæ ratione malorum in ipsa contentorum dicit, *Nigra sum*, sed ratione bonorum subdit: *sed formosa.* & quod subditur quasi pro exemplo inducitur, *sicut tabernacula Cedar.* Cedar enim fuit filius Ismael, à quo descenderunt Saraceni, & refertur ad malos. Quod autem dicitur, *sicut pelles Salomonis*, refertur ad bonos. Per Salomonem enim intelligitur secundum expositores Catholicos & Hebræos ipse Deus, & ideo pelles eius dicuntur, quibus operiebatur tabernaculum in quo boni colebant eum. Quandoque etiam sacra scriptura in suo modo loquendi transit de specie ad genus, siue de parte ad totum, & econuerso, secundum quod patet Isaiæ 13. vbi specialiter loquitur contra Babylonem, primo dicens: *Onus Babylonis*, & deinde transit ad intelligendum verbum de toto mundo generaliter per hoc quod subditur; *à summitate cœli Dominus & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram.* Postea reuertitur ad loquendum contra Babylonem specialiter, eum dicit: *Ecce ego suscitabo super eos Medos qui argentum non quærunt, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient, lactantibus vterū non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum, &c.* quia Darius Medus cum Cyro nepote suo cepit Babylonium, & interfecit Balthasar Regem Babylonis, vt patet Daniel. 5. cap. Quia etiam diabolus cum malis constituit corpus malorum, sicut & Christus cum bonis constituit corpus Ecclesiæ mysticum, dicente Gregorio homil. 10. Gerte iniquorum omnium diabolus caput est; & huius capitis membra sunt omnes iniqui, ideo propter connexionem vtrorumque adinuicem scriptura in eodem contextu loquens de vno, trāsit ad loquendum de altero, sicut habetur Isaiæ 14. vbi loquēs de rege Babylone, qui erat membrum diaboli, transit ad loquendum de principe dæmoniorum, cum subditur ibidem: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris corruisti in terram qui vulnerabas gentes*, & similiter habetur Ezech. 24. vbi loquens de principe transit ad loquendum de diabolo, cum subditur ibidem: *tu signaculum similitudinis plenus sapientia & decore in deliciis Paradisi fuisti.* Sæpe etiam in sacra scriptura contingit difficultas ex parte temporis, quod quidem contingit quadrupliciter vel deficere per Synecdochen, quando videlicet pars ponitur pro toto, sicut cum dicitur in Euangelio Christus tribus diebus in sepulchro iacuisse, cum tamen prima & tertia dies non fuerint integri. Alio modo per minutiarum tēporis omissionem, quæ aliquando in scriptura computātur, & aliquando omittuntur: sicut cum aliquando scriptura loquens de aliquo numero annorum in pluribus locis accidit varietas, quia in vno loco numerantur minutiæ temporis, & ita videntur plures anni, in alio vero loco dimittendo dictas minutias, pauciores videntur. Tertio modo contingit ex variatione termini; quia computatio annorum aliquando incipit in vno loco à priori termino, & in alio loco à posteriori, vnde Gen. 15. c. dictum fuit Abrahæ: *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadraginta annis* Exod. 12. Dicta eadem peregrinatione dicitur, quod mansio filiorum Israel in terra Ægypti fuit 430 annorum, quia computatio huius maioris numeri incipit à natiuitate Isaac, quæ fuit triginta octo annis post egressum Abrahæ de Aram. Quarto vero modo contingit eo quod scriptura sacra loquitur de futuro, per modū præteriti, sicuti Isa. 9. *Parvulus natus est nobis, &c.* & hoc ad denotandum certitudinem Prophetiæ, cuius euentus est de futuro ita certus, sicut iam præteriisset. & hoc est propter certitudinem diuinę præstantiæ, ex qua fit reuelatio ipsi Prophetæ. Est tamen aduertendum, quod talis modus loquendi nō habet locum nisi in Prophetia prædestinationis, quæ est quando aliquod certum contingens reuelatur Prophetæ eo modo, quo est in præscientia Dei, quæ ita infallibiliter tuetur futura, sicut præsentia & præterita. In Prophetia vero comminationis non habet locum, quæ est quando aliqua pœna reuelatur Prophetæ, infligenda populis vel alicui personę particulari, non secundum quod est in Dei præscientia, sed secundum ordinem causarum secundarum, vtpote secundum demerita hominum, sicut est illa Prophetia Ionæ 3.

Difficultas scripturæ ex parte temporu.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur. Hanc enim subuersionem meruerant peccata illius ciuitatis, veruntamen quia talis causa mutabilis est, ideo effectus aliquando non sequitur, sicut in proposito, quia Niniuitæ egerunt pœnitẽtiam, & sic Dominus non influxit eis pro tunc pœnam comminatam. Insuper contingit difficultas in scriptura propter variam mutationem recapitulationis & anticipationis in narratione, quia nõ semper eo ordine gesta & facta scribuntur, & ideo quando proponuntur posteriora, dicitur anticipatio, quando autem fit è conuerso, dicitur recapitulatio, sicut Gen.10. dicitur de filiis Noe: *Ab his diuisæ sunt Insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum legem suam.* & infra eod.cap. *Hi sunt filii Elam in cognationibus & linguis.* postea 11. cap. dicitur: *Erat autem terra labii vnius, & sermonum eorundem*, ex quo patet quod illud quod dictum est prius de diuisione linguarum, dictum est per anticipationem, similiter Gen. 2. cap. postquam Moyses descripserat creationem cœli & terræ, & distinctionem & ornatum partium mundi, dicit: *Istæ sunt generationes cœli & terræ in die quo creati sunt, &c.* Ex hoc patet, quod prædicta dicuntur hic & referuntur, per recapitulationem. Hæ & multæ aliæ difficultates in intelligendis sacris scripturis interueniunt, voluntate & ordinatione diuina, cuius nutu & inspiratione conscriptæ sunt, ad quarum difficultatum elucidationem Donatista quidam Tyconius nomine septem regulas adinuenit, quas Augustinus 3. de doctrina Christiana prosequitur, & declarat Isidorus de summo bono, Nicolaus de Lyra in prologo Bibliæ, & alii multi Doctores, quorum in aperiendis prædictis difficultatibus vestigia sim securus.

CXXI. 11. *Difficultas illa S. Scripturas intelligendi vtilis est ac necessaria ad exercitium studiosorum, & meritũ eorundem.*

VNDECIMA suppositio. Prædicta difficultas in intelligẽtia sacrarum scripturarum est ecclesiæ valde vtilis & necessaria, cum propter exercitium studiosorum, & meritum eorundem. Nam si singula paterent & omnes planũ haberent excessum ad diuina cognoscenda & capienda mysteria, humanum ingenium pigresceret, & multi qui nunc in inquisitione veritatis gloriolo labore occupantur, aut otio marcescerent, aut ad illicita prolaberentur, nec in studio earundem scripturarum haberent illud meritum, quod eis promittitur, tum etiam propter vitandas irrisiones infidelium, & ne etiam apud fideles eadem diuina mysteria vilescerent. vnde Dominus ait Matth. 6. *Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nostre proicere ante porcos, &c.*

CXXII. 12. *Ma difficultate exi stente, necessario requirantur diligentes & fideles expositores, qui tales esse debeant, explicatur.*

DVODECIMA suppositio. Tali ac tanta difficultate in intelligentia sacrarum scripturarum existente, necessario ipsæ scripturæ requirunt diligentes & fideles expositores, qui sunt præditi ingenio, exercitati studio, humiles in iudicio, & immunes ab affectato vitio. Nam ex opposito alterius illorum quatuor, foret facillime falsus intellectus scripturæ subortus, vt si sit homo hebetis ingenii, iners & negligens studii, si superbi & arrogantis iudicii, si denique fuerit infectus & damnatus ex affectu alicuius vitii aut passionis, sicut plerosque excæcat malitia eorum, possent prædicta & quodlibet ipsorum tam ex auctoritatibus quam exemplis & rationibus multipliciter declarari, quæ causa breuitatis, cum sine exitu non inclinquitur.

13. *Inter expositores sacræ scripturæ, facta diligenti comparatione, inuestiendum quæ quæ tales conditiones habeant, vt habeantur.*

TERTIADECIMA suppositio. Inter expositores & declaratores sacræ scripturæ summa cum diligentia facienda est comparatio, & illi quos constat habere conditiones positas in præcedenti suppositione, præferendi sunt non habentibus, similiter reuelationem habentes, non habentibus eam, & donagratis data possidentes, cæteris paribus, non possidentibus eo. Magna enim stultitia & tarditas est hominis, qui diuinis Doctoribus omni sanctitate & deuotione feruentibus, summo ingenio præditis, exercitatis studio, humilibus in iudicio, & omni vitio ac passione spoliatis, qui etiam in vita & post mortem miraculis claruerunt, & interpretandis & exponendis sacris scripturis diuinas & cœlestes reuelationes habuerunt, sequeretur homines rudes ingenio, negligentes studii, superbos & arrogantes ac præsumptuosos in iudicio, depravatos & infectos omni vitio, quibus à percipienda veritate humanus animus retrahitur. Sed heu impletum est hodie illud quod Apostolus prædixerat 2. ad Timot. 4. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria, coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

Ex quo sequitur quod antiqui doctores, cuiusmodi fuerunt Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, & alii qui similiter prædictis conditionibus claruerunt, præferendi sunt modernis, quibus & vitæ sanctitas, & ingenii acuitas, & cæteræ conditiones videntur nostris peccatis defecisse, atque inter modernos illi præferendi sunt qui plures de prædictis conditionibus participant: ac proinde conuincitur & deprehenditur quorundam arrogantia modernorum, vsurpantium sibi illa de Psalmo: *Super omnes docentes me intellexi,* & iterum: *super senes intellexi,* & iterum: *super inimicos meos prudentem me fecisti.* Sed vtinam animaduerterent si veræ sint causæ in eis quæ iunguntur, *quia testimonia tua exquisiui: quia lex tua meditatio mea est*: sequitur vlterius quod incautissimum est fidelibus accipere & sequi nouas scripturarum expositiones aut interpretationes, quas non commendat famosa veterum traditio, neque nouorum exponentium vitæ sanctitas, nec miraculorum attestatio, nec sinceræ veritatis puritas, nec vniuersalis Ecclesiæ certa approbans auctoritas. Patet, quia hoc est se exponere periculo salutis, cum ignorantia legis Dei neminem excuset: & è conuerso omnino cautum & securum est in exponendo & allegando sacram scripturã inniti sententiis antiquorum doctorum Ecclesiæ, de quorũ conditionibus & gratiis in præcedenti dicebatur: quo enim quisque magis ratione vtitur, eo maioris auctoritatis eius verba esse videntur.

Psalm. 118

CXXIII. 14. *Ipsi quoq; doctores declarantes scripturam sacram, ali quando dictorum suorum recipiunt.*

QVARTADECIMA suppositio. Sicut sacra scriptura recipit interpretationẽ & expositionem in suis verbis originalib. sic etiam doctores exponẽtes eam sæpe recipiunt interpretationẽ & expositionem dictorũ suorum, & cõparanda sunt dicta doctorum & etiam vnius & eiusdem doctoris adinuicem, & si aliqua contrarietas in dictis eorundem videatur, reducenda est ad concordiam, & si omnino repugnarent, tunc accipiendus est ille doctor cuius sententia propinquior est veritati & sensui quem intendit auctor scripturarum, qui est Spiritus sanctus, vel ei quem Ecclesiæ auctoritas corroborat. Similiter si dicta vnius & eiusdem doctoris dissona & contraria videantur, ea accipienda est pars quam doctor ex intentione prosequitur, & quæ magis appropinquare videtur veritati aut sensui literali quem exponit, vt si Augustinus aliquo in loco diceret communionem laicam vtriusque speciei esse de necessitate salutis, & alibi diceret vel seruaret oppositum, tunc laborandum esset vt dictus doctor ad concordiam reduceretur, vel ea pars esset amplectenda quam ex intentione prosequitur: prout facit in expositione cap. 6. Ioan. vbi totum illud capitulum ex intentione prosequens exponit & declarat de manducatione spirituali, vt clare declarabitur in sequentibus, &c.

CXXIV. 15. *S. scriptura patitur in lectoribus superbis & præsumptuosis, permittente Deo quod errent.*

QVINTADECIMA suppositio. Sacra scriptura patitur in lectoribus superbis, & præsumptuosis, permittente Deo, quod errent, & proterue agant, incidantque in varias hæreses & errores, & hoc multiplici ratione, neque enim omnipotens Deus & optimus hæreses permitteret, sicut & alia mala, nisi etiam ex ipsis posset & vellet meliora bona elicere, vt Aug. dicit in Enchiridio: *Diligentibus,* inquit Apostolus, *Deum, omnia cooperantur in bonum,* Ad Rom. 8. Nam ex ipsis fideles probantur, doctores peramplius illuminantur, electi purgantur, innocentes maiorem gloriam merentur, & iniuriæ præsuppositiones meritò puniuntur. Multi etenim tempore prosperitatis se putant esse bonos & firmos in fide, exemplo Petri, Luc. 12. qui paratum se dixit cum Christo in mortem & in carcerem ire, qui tamen tempore persecutionis aut dubitant, aut à fide labuntur. Quapropter inquit Apostolus 1. Cor. 11. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* vbi glossa dicit, Non vult Apostolus nec optat vt hæreses sint, sed sic futurum esse prædicit, vt quia hoc vtile est, idcirco ad quid sit vtile declarans subdit: vt non tantum reprobi qui dicũt, ego sum Pauli, sed etiam qui probati sunt in vobis, id est inter vos, sicut illi qui dicunt, ego sum Christi, manifesti fiant hominibus: tunc etiam videtur qui sint solium seu zizania in agro Ecclesiæ. Vtiles sunt, quia tũc Doctores plus illuminantur. vnde glossa Aug. vbi prius multa quidem ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius. & prædicantur instantius, ideoque diuina prouidenti hæreticos multos esse permittit, vt cum insultant nobis, interrogant nos quæ nescimus, exercitamus pigritiam, & diuinas scripturas nosse cupiamus. Vtiles sunt hæreses quia per eos electi purgantur, vnde glos. vbi prius: omnes inimici ecclesiæ, vel errore cæcati, vel malitia deprauati prosunt, quia si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercẽt eius patientiam; si vero male sentiendo aduertantur, exercẽt eius sapientiam. Ab aduersario enim mota quæstio, discendi existit occasio. Postremo vtiles sunt hæreses, quoniam tunc videtur quomodo diuina iustitia humanas præsumptiones punit. Sunt enim quidam hominum tantum de suo ingenio præsumentes, vt totam rerum naturam se reputẽt suo intellectu posse metiri, vt dicit S. Tho. 1. contra gentiles, existimãtes id solum esse verũ quod eis videtur, & esse falsum, quod eis non videtur, exempli gratia si quis crederet intra cœlum & circulum Lunæ esse omnia, necesse haberet credere non esse, quidquid intra ipsum non inueniret: & ex hoc, tanto amore amplectuntur opiniones suas & sectas, vt de contrariis etiam nec cogitare velint, tantoque odio auersi sunt, vt contraria errorum suorum nullatenus videre, respicere aut audire velint, in quibus verificatur illud Prou. 18. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in eius corde.* Quare merito huiusmodi præsumptio nequam venit punienda, quia vt dicit Apostolus ad Rom. 1. de Romanis & sapientibus paganorum: *Cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* vbi glossa: obscuratum est cor, id est, ratio tumore superbiæ obumbrante, & sic paulatim vsque ad insipientiam cor eorum deductum est. Nebula enim erroris contexit cor eorum. Vnde Leo Papa ait: quid iniquius est quam iniqua sapere & sapientibus doctoribus non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt quicunque ad cognoscẽdum veritatem aliquo impediuntur obscuro, non autem ad Propheticas voces, nec ad Euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt, & ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt.

Psalm. 118

CXXV. 16. *Scriptura sacram sui receptione, & authentica expositione, sicut & doctorum explanationes resolumtur in receptionem & approbationem ecclesiæ.*

VLTIMA suppositio pro præsenti ad nostrũ faciens propositum: scriptura sacra in sui receptione & expositione authentica atque intellectum eiusdem, plano & vero, necnon & cuiuscunque doctoris Catholici expositio, intentio siue sententia ad fidem Catholicam pertinens, finaliter resoluitur in auctoritatem, receptionem & approbationem vniuersalis Ecclesiæ, tam quam in primum & vniuersalissimum doctrinæ & scientiæ fidei principium ad quod probandum ex eisdem fundatis auctoritatibus in æternum, & veritatibus eiusdem sacræ scripturæ procedemus diuina gratia & Spiritu sancto dirigente, qui est in secula seculorum benedictus, amen. Et hæc de suppositionibus generalibus dicta sunt pro præsenti.

CXXVI. 1. *Suppositiones speciales & propriæ quæstionem S. Eucha. concernentes. Prima specialis de Eucharistia suppositio. In Sacramento Eucharistiæ est verum corp⁹ Christi & sanguis, licet nec sensu nec ratione possit deprehendi.*

QVANTVM vero ad suppositiones speciales & proprias præsentem quæstionem diuinissimæ Eucharistiæ concernẽtes, primo supponitur tam quam articulus fidei, quod in sacramento diuinissimæ Eucharistiæ sit verum corpus Christi & sanguis, licet nec sensu nec ratione possit deprehendi. Hanc suppositionem doctor sanctus 3. parte summæ quæst. 75. artic. 1. triplici ratione declarat. Prima sumitur ex perfectione nouæ legis respectu veteris, quia sacrificia veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi solum in figura continebant, secundum illud ad Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem*, & ideo oportuit vt aliquid plus haberet sacrificium nouæ legis à Christo institutum, vt scilicet ipsum Christum passum non solum in significatione, vel figura, sed etiam in rei veritate contineret. Quare ratione perfectionis nouæ legis & sacramentorum eiusdem, necessarium est dicere quod hoc sacramentum Eucharistiæ ipsum Christum contineat realiter, vnde Dionysius dicit, 4. cap. Eccles. Hierarchiæ, quod est perfectissimum omnium sacramentorum aliorum, in quibus virtus Christi participatur. Secunda sumitur ex perfectione caritatis & amicitiæ qua ipse dominus Iesus Christus Ecclesiæ suæ sanctæ coniungitur, eo qua prouenit, vt sicut pro salute nostra corpus verum naturæ assumpsit, & in eadem pro nobis passus est, ita etiam cum eodem corpore nobiscum & cum Ecclesia maneat in æternum. Nam vt dicit Philosophus in Ethicis maxime proprium est amicitiæ conuiuere amicis, & quia in propria specie secundum statum mortalem, non erat conueniens, vt maneret nobiscum in æternum, tum propter redemptionem nostram peragendam, tum etiam vt resurrectione sua futuram nostram resurrectionem astruere & nec etiam secundum statum gloriæ conueniebat, cum sit alterius conditionis incomparabiliter distans à natura, necessarium nobis & opportunum fuit & congruum suæ immensæ bonitati, caritati & amicitiæ, vt saltem sub aliena specie in propria tamen corporali præsentia, semper & in æternum maneret cum Ecclesia vt sic per veritatem corporis & sanguinis sui nos sibi in hoc sacram. to coniungeret. Vnde & ipse Dominus dicit Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vnde hoc sacramentum est signum maximæ caritatis Christi ad nos, & nostræ spei ad Christum subleuatio ex tam familiari coniunctione ipsius & nos. Tertia ratio sumitur ex perfectione fidei, quæ sicut est de diuinitate Christi, ita est etiam de eius humanitate, secundum illud Ioan. 14. *Creditis in Deum & in me credite*, & quia fides est inuisibilium. Idcirco sicut Christus dum erat in hoc seculo diuinitatem suam exhibebat discipulis humanitate velatam inuisibiliter, ita & in hoc sacramento carnem suam simul & diuinitatem alienis speciebus velatam modo exhibet inuisibili: Prædicta veritas ex verbis Christi patet, qui ait: *hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Manifestum est autem quod Christus verum corpus suum reale & naturale pro nobis tradidit in cruce & in morte: Ergo illud idem quod sic tradidit, dedit discipulis, quando dixit, *Hoc est corpus meum.* Item idem patet per Apostolum Paulum 1. Cor. 11. *qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non diudicans corpus Domini*, vbi expresse Paulus non dicit, non diiudicans figuram corporis Domini, sed simpliciter corpus Domini: propterea si esset ibi corpus Christi secundum solam significationem ad quid oporteret diiudicare hunc cibum ab aliis? quia quilibet panis eadem ratione posset significare & significat corpus Christi. Oportet igitur ponere quod sit ibi verum corpus Christi: Ad hanc veritatem Catholicam astruendam corroborandam & confirmandam est auctoritas Ecclesiæ, quæ semper tenuit, tenet & tenebit in æternum, tam diu, quam diu hic mundus durabit, quod in hoc diuinissimæ Eucharistiæ Sacramento sit verus totus & integer Christus, quæ veritas fide tenetur omnium Christi fidelium, approbatur doctrina vniuersorum sanctorum doctorum Ecclesiæ, & innumeris miraculis existit declarata, quæ omnia peto hic haberi pro repetitis gratia breuitatis.

CXXVII. 2. *In eodem Sacramento, post consecrationẽ, nullo modo remanet, nec remanere potest panis & vini substantia.*

SECVNDO supponitur, quod in eodem diuinissimæ Eucharistiæ Sacramento post consecrationem nullo modo remanet nec remanere potest panis & vini substantia; quod Doctor sanctus declarat in 4 sent. dist. 10. q. 1. triplici ratione. Prima, quia est contra veritatem scriptura: nam si simul in hoc sacramento esset corpus Christi cum substantia panis, corpus Christi esset ibi concomitanter & quasi in loco, & sic cum pronomen *hoc*, sit demonstrativum substantiæ, Christus falsum dixisset porrigens panem, *hoc est corpus meum*, & debuisset potius dixisse cum hoc vel hic est corpus meum. Quia igitur est contra veritatem verborũ Christi, vt dicit idem doctor omnino est hæreticũ dicere substantiam panis & vini post consecrationem remanere. Secunda quia sic dicere esset dare occasionem idololatriæ populo Christiano. Nam cum huic sacramento exhibeatur veneratio latriæ ratione præsentiæ domini nostri Iesu Christi in ipso existente; si ibi remaneret substantia panis & vini cum speciebus extrinsecæ sint sacramento corporis Christi vtique non dicerent in verum corpus Christi per modum significati magis in substantiam panis, & sic hoõs vnum pro reliquo adorarent, quod esset maximũ inconueniens & omnino importabile. Tertia quia manente veritate in hoc sacramento corporis Christi prout prima suppositio præsupponit, impossibile est eandẽ substantiam panis & vini remanere. Nam manifestũ est quod ante consecrationem ibi corpus Christi non est, oportet igitur quod virtute consecrationis incipiat esse, vbi prius non erat. Non potest aut aliquid esse alicubi vbi prius

nec sensu, nec ratione possit deprehendi.

non erat, nisi aut per loci mutationē, vel per alterius cōuersionem in ipsum: sicut in domo aliqua de nouo incipit esse ignis aut quia illuc defertur, aut quia ibi generatur. Manifestum est autem quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem, quia ab extrinseco aduenirent: primo quidem quia sequeretur quod non remaneret in cœlo; non enim quod localiter mouetur pernenit de nouo ad aliquem locum nisi deserat priorem. Secūdo quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, & hic dici non potest. Tertio, quia impossibile est quod vnus motus eiusdem corporis localiter moti, terminetur simul ad diuersa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat, & propter hoc relinquitur, quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de nouo in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum; quod autem conuertitur in aliquid, facta conuersione nō manet, vnde relinquitur quod salua veritate huius sacramenti substantia panis post consecrationem remanere nō possit, nec tamen substantia panis in præiacentem materiam, vt quidam posuerunt, nec etiam in nihilum conuertitur, vt alii dixerunt, quia, vel sic fieret, nō esset dare aliquem modum per quē corpus Christi verum inciperet esse in hoc sacramēto nisi per solam substantiæ panis conuersionem in ipsum corpus Christi, vt clare deducit idem doctor, 3. summæ eadem quæst. artic. 3.

CXXVIII. 3. *Accidentia panis & vini in hoc sacramento, post consecrationem remanent sine subiecto.*

Ex prædictis sequitur tertia suppositio: videlicet quod accidentia panis & vini quæ sensu deprehenduntur in hoc sacramento post consecrationem remanent sine subiecto. Nam ex quo ibi fides Catholica ponit esse verum corpus Christi, vt dicit prima suppositio, nec remanet substātia panis, vt dicit secunda, oportet quod remaneant sine subiecto: quia si remanerent in subiecto aut remanerent in ipso corpore Christi, aut in aere, aut in aliqua alia substantia, sed nō poterit dici primum, quia corpus humanum nullo modo potest affici huius modi accidentibus, neque etiam est possibile quod corpus CHRISTI gloriosum & impossibile existens alteretur ad susciptendas huiusmodi qualitates, nec potest dici secundum, quia aer non est huius modi accidentium susceptiuus, quia etiam accidens non transit de subiecto in subiectum, vt scilicet idem accidens numero sit quod primo fuit in suo subiecto, postmodum fiat in alio: accidens enim accipit numerum à subiecto, vnde nō potest esse quod idem numero manens sit quandoque in hoc, quandoque in alio subiecto, & videmus etiam ad oculum, quod cum huiusmodi accidentia transferantur de loco ad locum, ad motum harum specierum aer depellitur, quod vtique non fieret si in ipso aere existerent, sicut in subiecto, nec potest dici quod remaneant in aliqua alia substantia pari ratione sicut nec in substantia panis, vt superius dictum est, cum ibi nulla remaneat, nec hoc est inconueniens diuinæ omnipotentiæ & suæ sapientiæ; cum enim effectus magis dependeant à causa prima quam à causa secunda, vtique nulli dubium potest esse, quod Deus qui est prima causa substantiæ & accidentis possit sua virtute infinita conseruare inesse accidens, subtracta substantia, per quam inesse conseruabatur, sicut per causam secūdam: sicut & in genere causæ efficientis potest alios effectus naturalium causarum producere, sine eisdem causis naturalibus, quemadmodum corpus humanum formauit sine virili semine, in vtero virginis. Has tres suppositiones de veritate nostri diuinissimi sacramenti voluit proponere duplici de causa, prima est quia ad sequentia multum mihi deseruient, secunda est ad aliqualiter aperiendam maledictæ & damnatissimæ memoriæ hæresiarchæ Io. Wicleif perfidiam, qui quantum in eo fuit, non diuino sed diabolico spiritu inspiratus visus est tollere à cordibus fidelium fidem huius venerabilis sacramenti, & subuertere vniuersam fidem & Ecclesiam Catholicam, ponens in forma tres conclusiones contrarias prædictis tribus veritatibus Catholicis, videlicet: Christus non est in eodem sacramento identice & realiter, in propria præsentia corporali, contra primā. Substantia panis materialis & similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris, contra secundam. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento, contra tertiam. Quæ sententiæ & propositiones quā sint aduersæ fidei, quam sint blasphemæ in Deum vtpote eiusdem omnipotentiæ, summæ sapientiæ, & summæ bonitati derogantes quam sint piarum aurium offensiuæ, quantum derogent ipsius Ecclesiæ Catholicæ & sacramentorū eiusdem dignitati, quis sufficiat enarrare, cum etiam horror sit nedū loqui aut audire tantas in Deum & Ecclesiam blasphemias; sed nec etiam piis mentibus cogitare: O hominem iniquitate plenum, omnium errore seductum, omnia inuidia sauciatum, omni blasphemia sordidatum: tibi profecto competit illa Apostoli sententia quam Actor. 13. c. protulit: *O plene omni dolo, & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas.*

CXXIX. 4. *In sacramento Eucharistiæ tria sunt consideranda, videlicet, id quod est sacramentum tantum, id quod est res & sacramentum simul, id quod est res tantum & non sacramentum.*

QVARTA suppositio. Sciendum quod secundum Magistrum sent. in 4. dist. 8. in sacramento Eucharistiæ tria sunt consideranda. videlicet id quod est sacramentum tantum, id quod est res & sacramentum similiter & id q̄ est res tantū & non sacramentum. Primum est species visibilis panis & vini quæ post consecrationē manet. Secundum est corpus Christi verum. Tertium est corpus Christi mysticum. Primum dicitur sacramentum quia sacræ rei signum, huius autem sacramenti duæ sunt res, quarum prima est contenta & signata, atque significans, & ideo est res simul & sacramentum, & hæc res est caro Christi quam de virgine traxit, & sanguis quem pro nobis in cruce fudit, quæ res significatur per species visibiles panis & vini, & veraciter sub eisdem continetur & hoc corpus Christi est figura corporis Christi mystici, & ipsum significat. Alia vero res huius sacramenti est corpus Christi mysticum per ipsum sacramentum, significatum, sed non contentum sub eo realiter: nec aliquid aliud secundum se ex vi huius sacramenti significans, & ideo est res tantum & non sacramentum. Vnde Innocentius in summa de officio missæ vbi dicit; tria quippe in hoc sacramento sunt discreta, videlicet, forma visibilis, veritas corporis, & virtus spiritualis. Forma panis & vini, veritas caro & sanguis, virtus vnitas & charitas. Primum oculo cernitur, secundum anima creditur, tertium corde percipitur, primum est Sacramentum & non res, secundum est Sacramentum & res, tertium est res & nō Sacramentū, sed primū est Sacramentū geminæ rei, secundū vero Sacramentū vnius est & res alterius, tertiū vero est res gemini Sacramēti. Nam forma panis vtramq; carnem Christi significat, i. verā & mysticam, sed veram carnē continet & significat, mysticam vero significat, sed non continet. Item sciendum q̄ secundum prædictam duplicem rem huius Sacramenti, est duplex caro Christi siue corpus, vna quam sumpsit & traxit de virgine & sanguis qui fusus fuit in cruce pro nobis; de hac carne dicitur Lucæ vlt. *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* De sanguine vero dicit Ioan. 19. *& continuo exiuit sanguis & aqua.* Alia vero caro & sanguis Christi est spiritualis & mystica: id est, corpus Christi mysticum, cuius corporis caput est ipse Christus, reliqui vero fideles sunt membra, de quo inquit Apostolus 1. ad Corinth. 12. *Sicut enim corpus vnum est & membra multa habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum corpus sunt: ita & Christus, etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles: siue Serui, siue Liberi, & omnes vno spiritu potati sumus*, & infra: *vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*, nec est vis quod in prædicta distinctione in vno membro dicitur caro, in alio vero corpus: quia in hoc Sacramento idem significant. Vnde & Saluator in institutione huius Sacramenti dixit: *hoc est corpus meum*, & Ioan. 6. *caro mea vere est cibus.* Corpus etiam mysticum Christi dicitur caro Christi, vt dicit Magister sententiarum in 4. Hanc distinctionem duplicis carnis siue corporis Christi tangit Augustinus 3 de Trinitate, dicens: *Commendauit enim Christus in hoc sacramento corpus & sanguinem suum, quod etiam fecit & nos ipsos, namque & nos ipsius corpus facti sumus.* Et habetur de consecrat. distin. 2. commendauit. Et similiter Hieronymus super Epistolam ad Ephes. & ponitur in glossa 1. Corinthiorum ita dicens: *dupliciter intelligitur caro Christi & sanguis, vel spiritualis illa atque diuina de qua ipse ait: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Et nisi manducaueritis carnem meam & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis: vel ea quæ crucifixa est, & sanguis qui militis iussus est lancea*: &

Duplex corpus Christi.

Verum.

Mysticum.

Cap. 1.

ponun-

ponuntur hæc verba de consecrat. dist. 2. dupliciter: huius itaque geminæ carnis Christi ipsa visibilis species sacramētum est qui vtramque significat & vtriusque similitudinem gerit. Sicut enim panis præ cæteris cibis corpus reficit & sustentat, vinum hominem lætificat atque inebriat: sic vera caro Christi & eius sanguis plus cæteris sacramentis, gratiis interiorem hominem reficit & saginat. Similiter sicut ex multis granis perficitur vnus panis, & ex plurimis racemis vinum in vnum confluit: sic ex multis fidelium personis, vnitas Ecclesiastica constat, & constituitur corpus Christi mysticum. vnde Apostolus 1. Cor. 10. dicit: *vnus panis & vnum corpus multi sumus.* super quo & Augustinus: vnus panis & vnum corpus dicitur Ecclesia pro eo, quod sicut vnus panis ex multis granis & vnum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia ex multis fidelibus caritate copulante connectitur. Similiter ipsa vera caro Christi aut eius verus sanguis, est carnis Christi mysticæ & ipsius sanguinis mystici signum & sacramentum. Sicut enim vera caro Christi ex multis membris purissimis & immaculatis constat, sic caro Christi mystica, quæ est societas Ecclesiastica ex multis personis à criminali macula, erroris scilicet vel operis libe-is consistit.

CXXXI. 5. *Triplex est manducatio huius sacramenti Specierum, vera carnis Christi & carnis mystica. Prima puræ corporalis. Secunda, sacramentalis.*

QVINTA suppositio: quod secundum tria prædicta quæ in hoc sacramento attenduntur, triplex est manducatio huius sacramenti & sumptio. Scilicet specierum, vera carnis Christi, & ipsius carnis mysticæ. Prima manducatio est puræ corporalis, qua hoc sacramentum comestum masticatur & in stomachum trahitur, & similiter bibitum, & postea digeritur, & vltimo in substantiam sumentis conuertitur. Et sic vere manducantur & bibuntur illæ species, sub quibus veraciter continetur verum Corpus Christi. Alia vero manducatio est sumptio veri corporis & sanguinis Christi sub dictis speciebus panis & vini contentis. Et hęc manducatio dicitur sacramentalis, de qua dicitur Matth. 26. *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*, & ibidem: *bibite ex hoc omnes.*

Et ista manducatio fit dupliciter. Vno modo in sacrificii oblatione. Luc. 22. *hoc facite*, id est, conficite, *in meam commemorationem*, & sic fit sub duplici specie. Alio modo fit in laica siue in simplici communione. Et illa secundum dispositionem & obseruantiam Ecclesiæ fit sub vna specie tantum. Et prædictæ duæ manducationes pertinent ad os corporis.

Tertia spiritualis quæ duplex est.

Tertia manducatio & bibitio est spiritualis, & hæc ad os animæ pertinet. Et hæc est duplex secundum quod duplex est res huius sacramenti. Prima primæ rei scilicet veræ carnis & veri sanguinis Christi, & hæc est deuota cogitatio seu meditatio passionis Domini nostri Iesu Christi, siue ipsius Christi secundum quod sub hoc sacramento continetur, cum vero suo corpore & sanguine, in quo multiplicem sustinuit passionem, & quem pro nobis in ara crucis fudit. Et hanc ipsam cogitationem seu meditationem sequitur ipsius recogitantis vnio transformatiua ad ipsum cogitatum per actum amoris.

Vnde hanc ad manducationem spiritualem sicut in corporali, duo requiruntur: scilicet masticatio & incorporatio. Primo enim requiritur quod homo in fide vera recogitet deuote passionem Christi, cuius memoriale est hoc venerabile sacramentum, & hoc sufficit quo ad minores seu vulgares. Sed quo ad maiores, vltra hoc requiritur, quod deuote recogitent quomodo sub illis speciebus est realiter & vere corpus Christi, Deus & homo, cum suo sacratissimo corpore, quod pro nobis exposuit tam multiplici passioni. Et quod illud ex ineffabili sua bonitate dedit nobis in cibum animarum nostrarum & cætera quæ in hoc sacramento mirabilia opera pietatis continentur. Et talis deuota recogitatio masticationi correspondet. Secundo requiritur quod recogitans vniatur per actum amoris ipsi cogitato scilicet Christo Domino, & in ipsum per amorem quantum potest transformetur. Et hoc in corporationi correspondet.

Secundo manducatio spiritualis, quæ in hoc sacramento tertio principaliter attenditur, & bibitio, quæ est secundæ rei, est consecutio vnionis seu adeptio per fidem & caritatem ad membra Ecclesiæ & cum Christo capite, quam vnionem tam sacramentum quam prima res huius sacramenti significat. Differentia inter prædictas manducationes est, quia prima habet veram & omnimodam rationem corporalis manducationis, vt dictum est, cæteræ vero non: quia caro Christi vera sumpta sacramentaliter, nec laceratur dentibus, nec secundum saporem gustum immutat, nec conuertitur in corporale manducantis nutrimentum. Similiter nec aliæ duæ spirituales, quia nec Christus dum recogitatur eius passio, aut dum sibi mens vnitur per amorem, comeditur, aut materialibus dentibus premitur; nec similiter corpus Christi mysticum dum quis sibi vnitur per fidem & caritatem: intelliguntur tamen & dicuntur prædictæ manducationes per aliquam similitudinem ad manducationem corporalem. Sicut enim cibus corporalis nutrit, augmentat, reficit, confortat, & sustentat corpus, & vitam conseruat: sic & sumptio corporis Christi siue veri in sacramento, & recogitati per deuotionem; siue etiam mystici per fidei & caritatis vnionem, animam nutrit, augmentat, & conseruat in vita spirituali, differunt tamen & per contrarium ad manducationem corporalem, quia cibus corporalis sumptus in sumentem & manducantem conuertitur. Sed Christus dignè sumptus, siue sacramentaliter, siue spiritualiter, non in suscipientem conuertitur, sed potius ipse sumens in Christum transformatur, siue conuertitur. Vnde Augustinus in libr. suarum confessionum dicit: *Quasi audirem vocem Dei de excelso dicentem: cibus sum grandium, & cresce & manducabis me, nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

Differentia harum manducationum.

Similiter in manducatione corporis mystici, sumens non sibi corpus mysticum incorporat, sed potius ipsi corpori mystico & Christo capiti coniungitur & in ipsum transformatur & incorporatur. Item differentia est inter manducationem sacramentalem & spiritualem: quia manducatio veræ carnis fit ore corporali, vt dictum est, sub speciebus sacramentalibus: manducatio vero spiritualis fit ore animæ siue intellectu & voluntate, per fidem & caritatem. Per hæc enim habitat Christus in nobis & nos in ipso tanquam membra coniuncta capiti, secundum illud ad Ephes. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris*, & prima Ioan. 4. *Deus caritas est & qui manet in caritate, in Deo manet & Deus in eo.*

Prima manducatio potest esse bona & digna, & etiam indigna, & tunc ad iudicium, secunda autem semper est bona. Prima exigit secundam, vt sit ad salutem, secunda est sola sufficiens & necessaria ad salutem. Prima vocatur sacramentalis, sine qua multi Martyres sancti & paruuli saluati sunt. Secunda vero vocatur spiritualis, sine qua nullus saluatur.

Necessitas respectu finis triplex. Absoluta.

Vltimo notandum est quod licet necessarium siue necessitas tam à Theologis quam à Philosophis & præcipue ab Aristotele in quinto Metaphysicę, multipliciter distinguantur, tamen quantum ad præsentem spectat materiam necessarium respectu finis est tripliciter distinguendum, quia aliquid dicitur necessarium respectu finis simpliciter & absolute, id scilicet, sine quo nullo modo potest finis obtineri. Alio modo ex conditione siue ex suppositione. Tertio modo necessarium accipitur pro vtili & expedienti: sicut respectu finis qui est æterna felicitas, consequendi aliquid dicitur necessarium esse absolute & simpliciter, scilicet ipsa diuina volitio, sine qua impossibile est simpliciter & absolute dictam felicitatem consequi. Aliquid ex suppositione, & ex communi lege, sicut est Baptismus, de quo habetur Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Qui quidem baptismus non est ita necessarius ed consequendam vitam æternam sicut diuina volitio, quia DEVS non sic suam potentiam alligauit sacramentis, vt sine ipsis non posset aut non valeat dare & conferre vitam æternam cui voluerit. Aliquid autem dicitur esse necessarium respectu dicti finis non simpliciter & absolute, nec ex suppositione, sed secundum quid, qui etiam sine eo potest finis obtineri, licet non ita expedite & de facili: cuiusmodi dicimus consilia Christi necessaria, id est, vtilia ad æternam vitam consequendam, quia per ipsa facilius & expeditius ob dictum finem potest homo peruenire.

Ex suppositione.

Ex vtili & facilitori modo.

CXXXII. *An Communio sub vtraque sit cuiq; populo Christi necessaria. Communio diuinissimæ Eucharistiæ sub vtraq; specie, s. panis & vini toti populo credentiũ non est necessaria, pro modo accepta necessitate. Nec secundo modo eadem communio fidelibus consuetudine & statuto Ecclesiæ in oppositum non est multum vtilis vel expediens. Probatio primæ conclusionis.*

ISTIS præsuppositis: venio ad secundam partem principalem propositæ quæstionis, videlicet ad proponendas conclusiones, pro eiusdem quæstionis decisione, & erunt tres in numero tantummodo, quarum prima sit ista: Communio diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraque scilicet panis & vini, toti credentium populo nõ est necessaria, primo modo accepta necessitate. Secunda conclusio: communio diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraque panis scilicet & vini, non est necessaria toti credentium populo, secundo modo accepta necessitate, nec à domino præcepta Saluatore. Tertia conclusio: communio diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraque panis s. vini consuetudine & statuto Ecclesiæ stantibus in oppositum non est multum vtilis, nec saluti expediens toti credentium populo, imo est multum inutilis eidem nociua. Probationi primæ conclusionis non intendo insistere, cum sit quasi per se nota, quia Deus non alligauit suam potentiam sic sacramentis, vt absque illis non posset & valeat saluare, cum voluerit, nisi forte aliquis Wichlefista vellet dicere, quod omnia ex necessitate proueniant. Ex quo sequeretur, quod solum per hanc viam sacramentorum Deus posset saluare & non aliter, à quo errore pestifero quia video magistrum Ioannem qui hunc articulum proposuit longe remote positum. Idcirco in hac materia me non extendo, sed pergo ad 2. q. in qua consistit pondus belli, & dici & æstus: quam iterum replico, videlicet communio diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraque panis scilicet & vini, non est necessaria toti credentium populo, secundo modo accepta necessitate, necã Domino præcepta Saluatore: probatur hæc conclusio sic. laicis & non conficientibus sufficit ad salutem sumere prædictum sacramentum sub vna specie, ergo non est de necessitate salutis neque de præcepto Christi sumere sub vtraque, consequentia nota est, quia si vna sufficit, sequitur quod altera non sit necessaria neque de præcepto Christi, vt patet ex rationibus sufficientiæ, & necessarii atque præcepti. Assumptum probatur primo per legem diuinam, deinde per praxin Christi, per praxin Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ, tertio per sacra generalia Concilia. Quarto per dicta sanctorum doctorum veraciter se in lege diuina fundantium: Post subiungentur causæ aliquæ & rationes pro conclusione inrenta.

CXXXIII. *Probatio secundæ conclus. per legem diuinam. Christus Io. 6. 15. vicibus fecit mentionẽ de hoc sacramento de pane in manducatione vnde vicies, de carne & sanguine quater, & vino nunquam.*

Et primo per legem diuinam tam noui quam veteris testamenti. Nam in noua lege Christus loquens de hoc sacramento secũdum intentionem aduersariorum. Ioan. 6. quindecim vicibus vel forte pluribus fecit mentionem de hoc sacramento diuinissimo, de pane quidem & de manducatione tantum vndecim vicibus, de manducatione vero carnis & bibitione sanguinis quater. De vino vero in toto processu illo non fecit mentionem, ad ostendendum manifeste, quod sumere sub altera specie tantum, scilicet sub specie panis, sufficit ad salutem, & quod sub ipsa specie panis continetur vera caro Christi, & verus sanguis ipsius. vnde inquit, *Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc enim pater signauit Deus.* Ecce primum testimonium in quo nullam mẽtionem facit de potu, & dicit cibum permanere & sufficere in vitam æternam. Item *non Moyses dedit vobis panem de cælo, &c.* Ecce secundum testimonium in quo hic cælestis panis præfertur mannæ dato per Moysen, quod inter huiusmodi cibos corporales habebat omnem saporem suauissimum, nec erat verus panis, & quod hic scilicet, de quo Christus loquitur, est panis verus: vbi iterum nulla mentio fit de potu, aut de vino. Item *panis enim verus est qui de cælo descendit & dat vitam mundo.* Ecce tertium testimonium de pane qui dat vitam mundo & nihil dicit de vino: Item: *ego sum panis vitæ, qui venit ad me non sitiet, & qui credit in me, non sitiet vnquam.* Ecce quartum testimonium de pane vitæ manifestissimum, qui non solum tollit esuriem sed etiam sitim vt eadem ratione sicut cibus dicitur, & est, sic etiam & potus dicatur. Itẽ quinto: *ego sum panis vita: patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt.* Ecce iterum dicit se panem vitæ & nulla mentio fit de vino. Item sexto: *hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur:* Item in septimo: *ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis mãducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Item octauo: *& panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Item nono: *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis vitam in vobis.* Vbi primo incipit mentionem facere de bibitione sanguinis, nullam tamen mentionẽ faciens de specie vini. Item decimo: *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinẽ, habet vitam æternã.* Item vndecimo: *caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus.* Item duodecimo: *qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo*, in quibus solũ quatuor locis mentio fit de potatione sanguinis, & nullo modo de potatione vini. Et cum sub specie panis cõmeantur totus & integer Christus, manifestũ est, q̃ qui sumit sub vna specie, sumit vtrumq; sc. carnem & sanguinem, & ad.mpler Domini mandatum: *nisi manducaueritis, &c.* Dato q̃ de sacramentali sumptione intelligeretur. Deinde redit ad pristinũ modum loquendi sc. de solo pane, vnde subiungit tertio decimo loco: *sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrẽ, & qui manducat me & ipse viuit propter me.* Et iterum quartodecimo: *hic est panis qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt patres manna in deserto & mortui sunt.* & concludit finaliter: *qui manducat hunc panẽ viuet in æternũ.* Ecce quoties Christus fecit mentionẽ de pane & nullam de vino: & q̃ qui manducat hunc panẽ viuet in æternum. Vnde cum toto illo processu Euangelico nullam facit mentionẽ de vino, sed solum de pane, manifestum est q̃ sumptio istius sacramẽti sub specie panis sufficit ad salutẽ, cui pene in singulis clausulis vitam vel æquiualens tribuit, quem vtiq; q̃ manducat, veram Christi carnem manducat, & verum ipsius sanguinẽ bibit etiam si nunquã de vino gustet. vnde & illud Christi præceptum implet; si tamen de sacramentali sumptione intelligatur. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis:* quia sumendo tãtum sacramentũ panis, sumit vere vtrumque, cum vtrumq; sub altera specie concineatur. Vnde S. Thom. in Postilla super Ioannem super eodem verbo. *Nisi, &c. solus Sacerdos communicat sanguini, nec tamẽ est contra sententiam Domini, quia qui communicat corpori, cõmunicat etiam sanguini, cum sub vtraq; specie totus Christus contineatur, etiam quantum ad corpus & quantũ ad sanguinem.* Hæc ille. Si u. Christ⁹ prædicto mandato voluisset ad vtramq; speciem obligare fideles, proculdubio sicut panẽ totiens nominauit & expressit, ita & vinum alicubi in prædicto processu nominasset, q̃ minime fecit. Vnde in hoc decipiuntur aduersarii quia arguunt à contento ad continens, & præceptũ quod determinat contentũ & rem illius sacramenti, trahunt ad continens, sc. species, q̃ sunt sacramentum tantum. Christus siquidẽ posuit præceptum ad carnẽ & sanguinem dicens: *nisi manducaueritis, &c.* & ipsi trahunt ad panem & vinum. Vlterius, manifesta in prædicto processu Euangelico & verbis Christi cõtradictio implicaretur si illa auctoritas: *nisi mãducaueritis, &c.* esset obligatiua de necessitate & de præcepto Christi, quo ad omnes ad vtramq; speciem, & sic in vno illorum contradictorum prima & summa veritas non diceret verum, q̃ nullo modo est dicendum: pateret tamen sequela. Nam Christus in prædicto processu præmisit: *ego sum panis viuus qui de cælo descẽdi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*, & iterum: *si quis ex ipso manducauerit, non morietur.* Et ne cuncta replicem, ita concluſit in præmissis: *qui manducat hunc panem viuet in æternũ.* Ex quibus pater quod ad v tam habendam sufficit sumptio huius sacramenti sub specie panis. Si aũt ex opposito illa auctoritas; *nisi manducaueritis carnẽ filii hominis, &c.* vt aduersarius dicit, obligat ad sumendũ panem & vinum, sequitur expressa contradictio, quia, sufficit sumere panem ad salutem, & nõ sufficit sumere panẽ ad salutem, quia ad hoc vinum requiritur: cõtradicunt q̃ nullus sanę mentis diceret. Et confirmatur. Nam in prædicto processu pro eodem accipit panẽ carnẽ suam, carnẽ & sanguinem, & se ipsum, & ad omnia prædicta idem præmium apposuit. Nam dixit primo: *si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et declarãs quis esset ille panis, subiunxit: *& panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Et iterum: *Qui mænducat me & ipse vinet propter me.* Ex quibus patet quod idem sunt præmia quatuor, ex quo idem præmium omnib. apponitur. Nam manducare panẽ, manducare carnem & manducare carnẽ simul, & sanguinem bibere, nihil aliud sunt quam manducare ipsum Christũ, quod erat vltimũ, quia siue sub specie panis, siue sub vtraq; sumatur Christus, in tali sumptione nihil confert vitam nisi Christus qui

qui sub vna specie sumit, vtraque sumit, id est, carnem & sanguinem.

CXXXIV. *Alia probatio ex oratione Dominica.*

sub illis speciebus continetur & sumitur. Et sic de primo &c.

Item secundo principaliter probatur idem ex lege Christi, Lucæ 11. cõ in Discipuli petierent vt eos Christus orare doceret, ait: *cum oratis dicite: Pater noster qui es in cælis, &c. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c.* Et Matth 6. dicitur: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, quod vtique principaliter & specialiter de pane huius sacramenti intelligendum patribus sanctorum Doctorum exposuerunt, qui materiam in nobis non substantialẽ, sed supersubstantialem sc. gratiam augere & augmentar. Vnde Hieronymus dicit: *quando peccamus vt peccatorem vel præcipuum nobis Deus tribuat, panem, illum petimus qui dicit: ego sum panis viuus qui de cælo descendi.* Et Beatus Cyprianus: *panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est, hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus. Ne qui in Christo sumus, & eucharistiam quotid e ad vsum salutis accipimus, interced. nte aliquo grauiori delicto dum absentes & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore seperamur, petimus ergo, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione eius & corpore non recedamus.* B. quoq; Aug in lib. de bono perseuerantiæ, *perseuerantiam ergo à Domino petunt sancti quando petunt ne à corpore Christi separentur, sed in ea sanctitate permaneant qua membrum quo inde separari nec reantur, crimen admittant:* & in collationibus Patrum dicitur: *cum dicit hodie, ostendit eum quotidie esse sumendum & bestemam prabitionem eius non sufficere, nisi hodie quoq; similiter fueris attributus omnig, tempore hanc orationem debere profundere, indigentia eius quotidiana commonet, quia non est dies in quo non opus sit nobis huius esu ac perceptione cor interioris nostri hominis confirmare.* prædictas auctoritates adducit S. Thomas in gl. continua super Matth. Titus etiam dicit: *panis ille medicina animarum est, deserens vitam per hominem, hunc ergo quotidie accipe, vt tibi quotidie prosit: sic viue, vt quotidie merearis accipere.* & Lyra tractans illud Matth. 6. *panem nostrum quotidianum*, dicit: *Omnia Sacramenta ordinantur ad hoc Sacramentum quomodo petimus quando dicimus panem nostrum supersubst mtialem. Dicitur autem supersubstãtialis, quia transeundat vitam corporalẽ, & perducit ad vitam æternam.* Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & per eundo hoc sacramentum, petimus omnia alia qua ordinantur ad ipsum:* Et subdit Lyra: *Lucas Euangelista 5. cap. vocat eum panem quotidianum quia quotidie ipsum summus per ministros Ecclesiæ qui hoc sacramentum percipiunt pro se & pro tota communitate.* Ex quorum Doctorum auctoritate patet quod in prædicta oratione Dominica per panem quotidianem & supersubstantialem intelligitur corpus Christi, quod in sacramento altaris accipimus, quod docet nos Saluator petere ab eo. Cum igitur in prædicta oratione Christus nullam fecit mentionem de potu aut vino, sed tantummodo de pane, manifestum est quod sufficit species panis tantum, aliquin insufficienter Christus suos docuisset orare discipulos. Item Ioan. 1. dicitur. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Vbi per Augustinum secũdum omnes Doctores intelligitur Christus, qui figurabatur per agnum paschalem comestum in figuram comestionis huius sacramenti, & sic Eucharistiæ sacramentum hoc in loco sub vna specie sc. comestibili exprimitur. Item Lucæ 15. habetur de prodigo, quod ei patet occidit vitulum saginatum, per quem Christus significatur: propter gratiæ pinguedinem, qui vitulus occisus manducabatur, nulla mentione facta de bibitione, & licet forte biberent, non tamen fit mentio, tam quam de impertinenti, sicut nec de lotione & de alijs quæ huiusmodi conuiuijs solent accidere & fieri, tam quam de impertinentibus ad intentionem propositam: vbi inquit Lyra: Adducite vitulum saginatum vt epulemur, & occidite vt manducemus: id est sacramentum Eucharistiæ fidelibus ministrate. in quo immolatur Christus, qui est vitulus saginatus propter gratiæ pinguedinem, & manducemus, quia in primitiua Ecclesia non solum ministri Ecclesiæ sumebant hoc sacramentum, sed etiam omnis populus quotidie, vt habetur Act. 2. *Erant perseuerantes in fractione panis.*

Cypria. de orat. Dominica.

Aug. de bono perseuerantia. c. 1.

Coll. 9. c. 2.

CXXXV. *Ex doctrina Apostolica.*

Item tertio ex doctrina Apostolica. 1. Corinth. 5. inquit Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, per quem transire debemus de hoc mundo ad patrem, vt dicit gl. Immolatus est, quem sc. edere debemus. Vbi Apostolus non dicit, immolatum est vinum, quod bibere debemus, vnde & subdit postmodum: *itaq; epulemur:* & non dicit, bibamus, *in azymis sinceritatis & veritatis*, vbi nullam mentionem facit de vino aut de potu, sed solum de pane azymo, secundum quod Ecclesia Romana conficit. Item Apostolus 1. Corinth. 11. in fine cap. *Itaque fratres mei cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis.* Qui textus secundum gloss Ambrosij sic exponitur: itaque fratres mei, cum conuenitis in vnum ad similitudinem cœnæ Dominicæ ad manducandum, supple, corpus Domini, inuicem expectate, supple ieiuni dum omnes conueniant, vt multorum oblatio simul celebretur. Si quis autem esurit, supple & impatiens, non vult expectare, domi manducet, sc. suos cibos, id est, pane terreno pascatur, nec postea Eucharistiam sumat, vt non in iudicium, supple, damnationis, conueniatis. Ecce quam aperte & notanter Apostolus, licet in præcedentibus locutus fuerat de modo quem Christus tenuerat in vltima cœna quãdo Apostolos in Sacerdotes ordinans communicauit sub duplici specie, in sola manducatione, sui sermonis imposuit finem, nullam faciens mentionem de bibitione, ad manifeste ostendendum, quod sufficit sub specie panis & per modum manducationis non conficientibus hoc sacramentum sumere.

CXXXVI. *Ex lege diuina veteris testamen. 1. Cor. 10.*

Item quarto ex lege diuina veteris testamenti: Manifestum est enim secundum Apostolum, quod omnia vel plurima veteris testamenti contingebant in figuram eorum quæ sunt in nouo testamento: *omnia*, inquit, *in figuram contingebant illis*, vnde & huius sacramenti quod est præcipuum & potissimum, atque finis omnium aliorum sacramentorum nouæ legis, plures figuræ præcesserunt. Inter quas sunt tres præcipuæ secundum Magistrum sententiarum in 4. dist. 8. videlicet panis & vini oblata per Melchisedech sub lege naturæ, agnus Paschalis, & manna sub lege Mosaica. Sed panis & vinum, oblata per Melchisedech summum Dei Sacerdotem Gen. 14. qui Christum præfiguravit, vt dicit Apostolus Heb. 7. Hic enim Melchisedech Rex Salem, Sacerdes Dei summi, qui obuiauit Abrahę regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui decimas omnium dimisit Abraham. Primum quidem quia interpretatur rex iustitiæ, deinde autem & rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neque finem habens, assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in æternum, de quo & iam ait Ambrosius super illud Matth. 26. accipite & comedite. *Christus*, inquit, *suis discipulis obtulit in cœna, quod Melchisedech repræsentat in figura.* Et idem in libro de sacramentis, & allegatur per Magistrum sententiarum in dist. 8. *Eo hoc accipit anteriora esse sacrificia Christi, anteriora quam Iudæorum, obtulit enim Melchisedech panem & vinum similis per omnia filio Dei, cui dicitur: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, & Beatus Hieronymus super illo; *Comantibus illis accepit*, dicit: postquam typicum paschæ fuerat impletum, & carnes agni cum Apostolis comederat, ad verum paschæ transgreditur sacramentum, vt sicut in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis sic figuratum repræsentaret. Per hunc itaque Melchisedech panis & vinum oblata, non leguntur à populo sub vtraq; specie sumpta, sed solum per Melchisedech oblata. Sic etiam hodie solum Sacerdos celebrans sumit sub vtraque specie. Similiter nec agnus paschalis sumptus reperitur cum vino vel huiusmodi bibitione, sed comestus, & licet forte biberent, non tamen bibitio cadebat sub præcepto. Similiter manna omne de sacramentum in se habens, sine præcepto bibitionis sumebatur, quod quidem manna in scripturis panis angelorum & esca nominatur. Vnde Sapien. 16. *Esca Angelorum nutristi populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti eis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem*, & in Psalmo, *panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* In quibus nulla mentio fit de vino aut de potu. Insuper sanguis in veteri testamento oblatus Domino in altari & non populo vitus est immolati. Vnde Leuitici 1. dicitur Sacerdotibus, *Sanguinem fundentes per altaris circuitum*, & 4. ibidem: *pro peccato Sacerdotis vel etiam totius multitudinis Sacerdos offerat vitulum, cuius sanguinem aspergat contra velum sanctuarii, & de eodem ponat super cornua altaris, residuum fundendo in basim altaris holocausti.* & 17. ibidem dicitur. *Sanguinem dedi vobis vt super altare meum expietis pro ani-*

Lib. 4. d. 8.

In c. Matt. 26.

Psal. 77.

manibus vestris: in cuius etiam signum soli Sacerdotes veteris testamenti vtebantur libaminibus & his sacrificiis, quæ fiebant ex fluida materia, scilicet oleo & vino. Item 1. Reg. 2. cap. quidam Sacerdos in desiderio populi & omnium non sacrificantium hunc cibum desiderantium dicebat & petebat: *dimitte me obsecro ad vnam partem Sacerdotalem vt comedam buccellam panis*: duæ enim partes sunt Sacerdotis sacrificantis & conficientis, sc. panis & vinum, & sub ambabus & sub qualibet ipsarum totus & integer Christus: populus itaque non ad ambas partes sacerdotis, sed ad vnam petit & obsecrat admitti, & ad eam quæ est sub specie panis, ad quam vtique admittitur, vt buccella corporis Dominici satietur. Huius insuper figura præcessit, vt inquit Albert. M. in tract. de off. Missæ, in tribus satis farinæ Gen. 18. cum Abraham sederet in ostio tabernaculi sui, vidit tres angelos descendentes per viam, quibus tria sata farinæ similæ commixta parari fecit in subcinericios & azymos panes, per quod innuitur laicos solum ad vnam speciem debere admitti, eo q de vino nullam mentionem facit, tria vero sata fuisse narrātur propter triplicem substantiam quæ in hoc sacramento continetur, sc. corpus, anima & deitas. Similiter in comestione Heliæ huiusmodi manducationis sacramentalis expressissima figura præcessit, quando subcinericium panem comedit cum potu aquæ, nulla facta mentione de vino, in cuius cibi fortitudine, ambulabat quadraginta diebus & noctibus. Patet igitur ex lege diuina tam noui quam veteris testamenti, quod communicare laicos aut non conficientes, sufficit sub altera specie tantum, scil. panis, & per consequens non esse de necessitate salutis, siue de præcepto Christi, sumere sub vtraq;.

3. Reg. 19.

CXXXVII. *Ex praxi Christi.*

Secundo principaliter probatur ex praxi Christi, & primo quia in toto Euangelio non reperitur, quod Christus communicauit aliquem laicum sub vtraq; specie, tantummodo duodecim Apostolos, vt patet Ioan. 12. vbi duodecim Apostolorum pedes lauisse fertur, & Marci 14. vbi dicitur quod vespere facto venit cum 12. Apostolis, & Luc. 22. *cum facta fuisset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* Quos duodecim ante in sacerdotes ordinauit, & dicunt communiter Doctores omnes, in eadem cœna, per illa verba, *accipite, hoc est corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem.* Et postmodum eos communicauit, & licet pro tunc solus Christus conficeret & non Apostoli, tamen communicauit eos sub vtraq; specie non vt laicos, sed vt Sacerdotes, dans eis exemplum & doctrinam, qualiter & ipsi conficientes conficere & sumere deberent. Præterea si huiusmodi communio sub vtraque specie fuisset, de necessitate salutis, nequaquam matrem aliosque vtriusq; sexus caros, qui ipsum Dominum & mentis & corporis passib. sequebantur, à prædicta communione exclusisset, quod tamen videtur fecisse, cum exceptis duodecim, vt dictum est, non legantur dictæ cœnæ interfuisse. Item hoc idem patet ex satietatibus Christi, quib. satianit turbas & discipulos suos ante & post suam resurrectionem. Scribitur etenim Matth. 14. & Io. 9. quod Dominus satiauit quinque millia hominum de quinq; panibus & duobus piscibus, & Marc. 8. habetur, quod satiauit quatuor millia de septem panibus, in quibus satietatibus nulla mentio fit de potu aut vino siue aqua aut quocunque alio liquore. Et licet non habeatur ex textu, quod satietates prædictæ fuerint de pane veraciter transsubstantiato in corpus Christi, tamen veraciter tenendum est quod ille panis diuina potentia multiplicatus, & tam mirabiliter satians corpora manducantium, typum & figuram gerebat huius sanctissimi panis, qui de cœlo descendit & dat vitam mundo, quia sicut ille panis ineffabili quadam suauitate refecit manducantium corpora, & in quadam admiratione omnes suspendit, ita vt quærerent ipsum regem facere, & vt ipsum sequerentur: sic iste panis cœlestis & supersubstantialis repletine effabili suauitate animas se digne sumentes, & eas sic in sui amorem & admirationem conuertit, vt nihil præter Christum in cordibus ipsorum regnare permittant, sicque ipsas trahat, vt omnibus postpositis, currant in odorem vnguentorum suorum, vnde Christus Ioan. 6. loquens de prædicta satietate corporali, ait: *Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis*, & statim post subiunxit loqui de hoc sacramentali & spirituali pane, si tamen de sacramentali intelligitur, vt per prædictam satietatem corporalem manuduceret in satietatem spiritualem huius sanctissimi panis, de quo statim subiunxit: *operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quam filius hominis dabit.* Item post passionem suam, & habetur Lucæ vltimo, *& factum est cum discumberet IESVS in Emaus*, cum illis scilicet duobus discipulis Cleopha & alio, *accepit panem benedixit & fregit, & porrigebat illis*, vbi secundum multos Doctores, corpus sub specie panis solum eis tradidit, eo quod nullam facit mentionem de vino, vnde Augustinus in Homilia de concordantia Euangelistarum, *à Christo facta est permissio impedimenti vsque ad sacramentum panis, vt vnitate corporis participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus posset cognosci.* Item Beda, super eodem, *impedimentum permittit esse Deus, donec ad sacramentum perueniatur, sed percepta veritate corporis Christi, impedimentum inimici aufertur, vt Christus possit agnosci.* Item Theophylact. *Sed & aliud innuit, quod scilicet sumentibus sacrum panem aperiuntur oculi eorum, vt eum cognoscant, magnam enim habet & ineffabilem Domini caro virtutem.* Item glossa est, & est Bedæ: *Per panem corpus Christi & eius sanguinem signabat.* Item Ioan. vlt. Christus manifestauit se discipulis septem ad mare Tyberiadis, vbi accepit panem & piscem assum & dabat eis, quod verbum tractans Innocent. dicit: *per assum piscem quem Christus cum suis discipulis comedebat, intelligi debet corpus Christi quod in ara crucis assatum fuit.* Vnde Beatus Gregorius in Homilia 27. dicit per assum piscem intelligi debet mediator Dei & hominum, pro nobis passus, & patet ibi nulla mentio fit de potu vel vino. Item sequenti die post institutionem prædicti sacramenti Christus docuit exemplo & opere non solum non esse de necessitate salutis sumere sub vtraq; specie quo ad laicos, sed nec simpliciter sumptio prædicti sacramenti in latrone, cui mox credenti & dicenti: *memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*, promisit Dominus paradisum, dicens: *Hodie mecum eris in paradiso*, absque qualicunq; huius sacramenti perceptione quod etiam in innumeris Martyribus probatum est: qui absq; huius perceptione sacramenti ad regna cœlestia feliciter peruenerunt, quod & de pueris Baptizatis sancta tenet Ecclesia.

CXXXVIII. *Ex praxi Apostolica.*

Item probatur ex praxi Apostolica & primitiuæ Ecclesiæ simul, quia dicitur Act. 2. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis*, sancti, secundum glossam, vt Magister historiarum in scholasticis historiis exponit fractionem panis, id est Eucharistiæ, quia in primitiua Ecclesia fideles crebro communicabant & conueniebant ad percipiendam Eucharistiam: in quo loco scriptura nullam mentionem facit de vino aut de potu. Eodem modo & Albert. M. exponit de Apostolis & de ista fractione panis. Item de nullo Apostolorum legitur quod huiusmodi communionem duplicis speciei practicauerint quo ad laicos, vel de eo doctrinam tradiderint aut præceptum, excepto Paulo Apostolo, qui recitatiuè Corinthijs narrat, qualiter Christus sub duplici specie hoc sacramentum instituerat, & solum Corinthijs apud quos solos erat huiusmodi consuetudo. Et indubitanter si fuisset Christi præceptum indifferenter, quo ad omnes, communicare sub vtraque specie, S. Paulus expressius scripsisset de ipso tam Corinthijs quam de alijs fidelibus quibus suas transmisit epistolas: præcipue Romanis qui erant caput mundi, & Hebræis pro quibus cupiebat esse anathema vt eos lucri faceret, similiter quilibet Apostolorum & Euangelistarum scripsisset aliquid de huiusmodi præcepto sine quo non esset salus hominibus; quod quia non fecerunt, ideo indubitanter tenendum est quod non sit præceptum Christi.

CXXXIX. *Ex praxi multorum antiquorū Sanctorū.*

Idem patet ex praxi multorum sanctorum antiquorum & præcipue in Ecclesia, de sancta Petronella B. Petri Apostoli filia, de qua sic in eius legenda legitur, quod in extremis post multa ieiunia & orationes corpus Domini suscepit, & demum in lecto se reclinans, post triduum ad Christum migrauit. Item attestatur B. Eusebius ad Damasum Portuensem Episcopum de morte gloriosissimi Hieronymi, vbi refert, quomodo B. Hieronymus varie & multipliciter sacramentum Dominicum recommendans, Eucharistiæ sacramentum sub specie panis ab alio suscepit, vbi refert verba Hieronymi in hunc modum: *Rogo vos fratres, vt Domini mei afferatis*

feratis corpus, quatenus in suo lumine videam lumen, vt firmans super me oculos suos, det mihi intellectum & instruat me in via hac qua gradiar, his verbis finitis post longas orationes vir Dei gloriosus sacrum Domini corpus suscipiens ad terram supinus redijt. hæc Eusebius. sic & idem B. Eusebius in extremis positus sub specie panis communicauit, vt de eo scribit Beatus Cyrillus in Epistola ad Beatum Augustinum de mirabilib. gloriosissimi Hieronymi. Illo etiam modo Beatus Ambrosius in extremis communicauit de manibus Beati Honorati Wercellensis Episcopi. Idem habetur de Beato Benedicto, de quo in legenda sua dicitur quod vltima die exitus sui, in oratorium portari se fecit, & ibi exitum suum Dominici corporis perceptione muniuit. Idem refert Beatus Gregorius tertio Dialogorum, quod Beatus Agapitus Papa, quemdam claudum & mutum sub vna specie communicans eum plene sanauit. Idem habetur de beata Lucia quod ipsa spiritum non tradidit post gladij in guttur eius immersionem, donec Sacerdos corpus Dominicum ei traderet. Idem de B. Dominico & Francisco & in multis alijs Sanctis habetur per omnia. Idem Wilhelmus in suo sacramentali Hugonem de sancto Victore sub vna specie tantum communicare debuisse, narrat, sub his verbis: quod cum Hugo de sancto Victore excellentissimus Doctor vltima infirmitate laboraret, corpus Domini instanter petebat sibi dari: & cum nullum cibum continere posset, fratres eius turbationem timentes simplicem hostiam sibi obtulerunt, quod ille cognoscens per spiritum ait: *Misereatur vestri Deus fratres cur me ita deludere vultis? iste quem postulatis, non est Dominus Deus meus.* Et illi attoniti mox corpus Domini attulerunt. Sed ipse videns se non posse recipere, eleuatis in cœlum oculis ac manibus sic orauit: *Ascendit filius ad patrem & spiritus ad Deum qui misit illum*, & inter hæc verba emisit spiritum, & corpus Domini ibidem dispauit. Ecce quam manifesta & clara narratione refert hic Doctor sanctum Victorem debuisse sub vna tantum specie communicare.

CXL. *Ex doctrina sacrorū Conciliorum.*

Tertio principaliter probatur ex doctrina & institutione sacrorum Conciliorum. Nam vt habetur ex libro Conciliorum Isidori, ita in sexta Constantinopolitana Synodo legitur: *citra sanguinem ceremonias in Ecclesiis celebramus: ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas & sanctificamur participes effecti tam sanctæ carnis quam pretiosi sanguinis Christi.* Ecce quam aperte hæc sancta Synodus ponit distinctionem inter communionem laicam & Sacerdotalem, nam quo ad laicos dicit citra sanguinem ceremonias in Ecclesiis celebramus, & vocat communionem laicam ceremonias, quia præcepto & statuto Ecclesiæ introducta est. Quo ad Sacerdotes vero subiungit. *Ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas & sancti ficamur, participes effecti tam sanctæ carnis quam pretiosi sanguinis Christi.* Nam si vtraque pars istius decreti, ad laicos vel ad Sacerdotes sine distinctione referretur, vtiq; manifestam implicaret contradictionem. Item in prima parte excludit sanguinem, cum dicit: *citra sanguinem &c.* & in 2. dicit: *participes effecti tam sanctæ carnis quam pretiosi sanguinis.* Clarum igitur est hoc decretum nec aliquo modo potest inficiari aut infringi. Idem longe clarius ostendit vndecimum Toletanum Concilium ita dicens: *Cum nihil in diuino cānone debeat esse confusum, nil dubium, nil etiam indiscretum, in collatione nostræ cœtus relectus est canon Toletani primi Concilij, in quo præceptum est, vt si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, vel vt sacrilegus repellatur: nec adiecta est ibi discretio voluntatum, cum infidelis hæc talia infideliter agat infidelis accipiat fideliter, quod naturalis illum necessitas deglutire non sinit. Solet enim humana natura infirmitatis in ipso mortis exitu prægranata tanto siccitatis pondere deprimi, vt nullis ciborum illationibus reficiatur, sed vix tandem illati delectetur poculi gratia sustentari, quod etiam in multorum exitu vidimus, qui peractum suis votis sacra communionis expectantes viaticum, collatam sibi à Sacerdote Eucharistiam reiecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire.* Ex quo decreto manifeste ostenditur quod etiam tempore primi Concilij Toletani infirmi tantummodo sola hostia communicabant, quod patet ex declaratione suprapositi decreti. Nam refert quod primum Concilium Toletanum fecerat statutum, vt quicunque Eucharistiam à Sacerdote acceptam non sumeret, velut sacrilegus repelleretur. Et quia in hoc decreto non fuerat facta distinctio, de voluntate & necessitate cum & infidelis hæc talia infideliter agat, & fidelis accipiat fideliter quod naturalis illum necessitas deglutire non sinit: Declarat sequens Concilium, quia cum multi fideles in exitu mortis positi, tanto siccitatis pondere deprimantur, vt nihil possint deglutire, nisi aliquo poculo vel liquido mediante, manifestum est quod tales accipiendo Eucharistiam, hostia scilicet sine poculo, bona & sancta intentione, si eam propter siccitatem reijcerent, non incurrerent sacrilegij crimen. Et hoc per experientiam probant sancti patres in dicto Concilio existentes, quod etiam, inquiunt, in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expectantes viaticum collatam sibi à Sacerdote Eucharistiam reiecerunt, non quod hoc infidelitate agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire. Ex quo luce clarius patet, quod sub sola specie panis tunc temporis sacra communio ministrabatur infirmis, ait enim: *præter Dominici calicis haustum*, quia quando Eucharistia sine calice ministrabatur, ideo sæpe ex huiusmodi siccitatis pondere grauati cogebantur reijcere, quam deglutire non valebant, & hoc est quod dicit, *sed quod præter Domini calicis haustum traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire.* Idem similiter ex Concilio Rhemensi ostenditur, & habetur de communione & conse. distinct. 2. cap. perueniat 29. vbi declaratur, quod sufficit dare Eucharistiam sine hostiam infirmis sine vino. Nam quidam presbyteri in tantum parui pendebant diuina mysteria, vt laico aut fœminæ sacrum corpus traderent ad deferendum infirmis, quos sancta Synodus grauiter reprehendit, & statuit quod talis temeraria præsumptio amplius fieri non debeat, sed presbyter per semetipsum debeat infirmum communione, in quo decreto solum fit mentio de corpore Christi, & nullo modo de vino aut de sanguine. Tenor vero dicti decreti est talis. *Peruenit ad notitiam nostram quod quidam presbyteri in tantum parui pendant diuina mysteria, vt laico, aut fœminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus probibetur vt nec sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committunt: quod quam sit horribile, quamque detestabile, omnium religiosarum animarum aduertit prudentia: ideo interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio vlterius fiat, sed omnibus modis presbyter per semetipsum infirmum communicet, quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit.* Item ex Concilio Wormatiensi eadem distinctione cap. presbyter; præcipitur quod presbyter Eucharistiam, id est, hostiam, vt dictum est, semper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur, vnde dicit Canon: *presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur*, super quo ait glossa, *sanguinem non præcipit seruare, quia opus esset nimia cautela in eo seruando.* Et addit Archidiaconus: *addere præterea non est opus, quia vbi est corpus, ibi est & sanguis:* & in glossa super cap. Comperimus eadem distinctione super verba: *aut integra percipiant: hoc intelligo de conficiente. Nam infirmis, vel sanis, in necessitate, sine vino corpus sumere potest.* Ex quibus omnibus patet, quod communio sub vtraque specie non est de necessitate salutis. Ex quo per sacra Concilia sanis patiter & infirmis concedebatur tantummodo sub vna specie. Item non solum infirmis Sacerdotibus, sed etiam sanis ab eorum officijs depositis à sacris Concilijs concessa est vnius speciei communio, vnde distinctione 50. cap. si Episcopus, & habetur ex Concilio Agathensi dicitur quod si Episcopus, presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officij honore depositus, in monasterium detrudatur & ibi quamdiu vixerit; laicam tantummodo communionem accipiat, eundem modum loquendi habet Pelagius Papa de laica communione; distinct. 55. vbi ita dicit: *si Euangelica, monitio ira undiam nec vsque ad verbum furentem prostitire permittit ne si rachæ fratri suo quis dixerit, sit reus gehennæ ignis, quali putamus pœna plectendus est, qui non solum pugnis impie percussit in Ecclesia ordinis hominem ministerio seruientem, sed quasi non sufficeret ad eadem manus, instigante ita se Diabolo, rapina est ad iracundiam, vt sustinuit solum percutere, sed etiam cruentet oculum fratris. Sit quoniam hu iusmodi excessus grauiori esset pœna plectendus, bene tamen fraterni*

Rhemensi cap. 2.

Cap. 33.

Cap. 12.

Cap. 7. Cap. 50.

Cap. 3. Canon ha bet Gela sius Papa.

tas tua fecit eum ab officio presbyteratus remouens. Hoc tamen sollicitudinis tuæ sit, vt locum ei pœnitentiæ constituas, & in aliquo eum monasterio retrudas, laïca sibi tantummodo communione concessa, similiter ex Concilio Sardicensi habentur duo decreta de eadem communione laica huiusmodi sub tenore: Item Hosius Episcopus dixit: *non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de ciuitate sua ad alteram transire ciuitatem, manifesta est enim causa qua hoc facere tentant; cum nullus in hac re inuentus sit Episcopus qui de maiore ciuitate ad minorem transiret, vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, & vt Dominationem exerceant. Si ergo omnibus placet, huiusmodi pernicies austerius vindicetur, vt nec laïcam communionem habeat qui talis est*, responderunt vniuersi, *placet*. Item idem Hosius Episcopus dixit: *Etiam si talis alius exstiterit temerarius, vt fortasse excusationem afferat quod populi litteras acceperit, cum manifestum sit potuisse paucos præmio & mercede corrumpi, qui sinceram fidem non habent, vt clamarent in ecclesia & ipsum petere viderentur Episcopum, omnino hos fraudis damnandas esse arbitror, itavt nec laïcam in fine communionem talis accipiat, quod si nobis omnibus placet, statuite.* Synodus respondit, *placet*. Ex istis duobus decretis manifeste declaratur, quod communio secundum se non est de necessitate salutis, alioquin impie prædictum Concilium statuisset, vt taliter delinquens nec laïcam communionem in fine acciperet, ait enim: *ita vt nec laïcam in fine communionem talis accipiat.* Per cõmunionem autem laïcam quid potest intelligi aliud quam communio simplex sub vna specie: & sub ipsa præcipuè, quod vt communiter minus potest adferre periculi reuerentiæ tanto sacramento debitæ, cuiusmodi est species panis: & ad hoc sunt omnes doctores iuris Canonici, quib. credendum est vtpote exercitatis & peritis in arte sua, vnde super prædicto cap. Hosius Abbas exponit laïcam communionem, id est corpus Christi. Innocentius, id est, viaticum. Hostiensis, id est, panem benedictum vel corpus Christi & idem dicit Io. Andreæ in Nouella. Item Clemens Papa (& habetur de conse. dist. 2. c. tribus gradibus) dicit: *tribus gradibus commissi sunt sacramenta diuinorum secretorum, id est presbytero, Diacono, & Ministro, qui cum timore & tremore clericorum religiosa corporis Domini custodire debent.* & sequitur ibidem, *tanta in altari certo beloca sita offrantur, quanta populo sufficere debeant, quod si emanserint, in crastinum non reseruentur sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur, qui autem residua corporis Dominiquæ in sacrario relicta sunt, consumunt non stat m ad accipiendos communes cibos conueniant.* Ecce quam manifeste in prædicto canone habetur, quod reliquiæ clericorum corporis Domini custodiendæ sunt cum magna diligentia, & nulla penitus sit mentio de reliquiis vini aut sanguinis, nec de custodia ipsius, de cuius tamen custodia si fuisset in vsu, potius debuisset cautela adhiberi, & ordinatio siue statutum fieri, cum in ipso sanguine maius immineat periculum. Item sancta Synodus Romana, cui B. Leo Papa præsedit, c. quibus, de consec. dist. 2. loquens de veritate corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento, inter cætera ita dicit: *Idem est corpus de quo dictum est: caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Circa hoc corpus, aquilæ sunt quæ alis circumuolant spiritalibus, vnde & idem corpus Christi edimus, vt vitæ æternæ participes esse participes.* vbi notanter sancta Synodus corpori Christi solidum copulatiuam attribuit; *caro mea, &c.* ad ostendendum quod sub specie panis, sub qua, ex vi conuersionis verborum, est proprie corpus Christi, vere & realiter ac integre vtrumque contineatur, scil. caro Christi & sanguis, & quæcunq; alia se habent ad perfectionem Christi ex naturali & reali concomitantia, & quod idem corpus Christi edimus, nulla mentione facta de sanguine, aut de vino, siue de potu, vt vitæ æternæ possimus esse participes: ad ostendendum quod sufficit sumere sub vna specie, nouissime vero declarauit hoc sacrum Constantiense Concilium, cuius tenorem Papa Martinus V. in quadam bulla sua interserit quem pro præsenti recitare gratia breuitatis omitto.

Cap. 1.

Cap. 23.

Cap. 38.

CXLI. *Auctoritas conciliorũ quanta. Epist. 118.*

Quanta autem sit auctoritas sacrorum Conciliorum, ostendit Augustinus ad Ianuarium ita dicens: *Conciliorum in Ecclesia est saluberrima auctoritas, quibus Ecclesiæ negotia terminantur*, & in libro de fide Catholica, idem dicit: *si quis aliquas scripturas præter illas quas Ecclesia Catholica recipit & in auctoritate habendas esse tradidit, fuerit veneratus, anathema sit.* Idem Gregorius, & habetur distinct. 15. *sicut sancti Euangelij quatuor libros sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor.* Et subdit: *cunctas vero personas quas præfata veneranda Concilia venerantur, veneror, & quas respuunt respuo.* Quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumpserit aut soluere quos ligant, aut ligare quos soluunt, nec mirum, cum ipsa sacra generalia Concilia regantur & dirigantur à Spiritu sancto, imo ab ipso Iesu Christo. Nam si ipse Dominus promisit se esse in medio duorum vel trium in nomine ipsius congregatorum, quanto magis erit in medio Patrum seniorum omnium Christi fidelium in sacris Conciliis generalibus congregatorum? quod expresse sancti Apostoli exemplo declarauerunt Act. 15. vbi præsidentiam in Concilio Spiritui sancto attribuerunt, vel potius insinuauerunt, dicentes in eorum Epistola decretali, *visum est Spiritui sancto & nobis*: quod etiam attestatur Cælestinus Papa ad Synodum in Epheso constitutam: *Spiritus sancti testatur præsentiam congregatio Sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius in Euangelio ista sententia est: vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, nam nec huic tam breui numero Spiritus sanctus deest, quanto magis cum nunc interesse credamus quando in vnum conuenit tanta turba sanctorum, sciendum namque est pro debita veneratione Concilium in quo vtique nunc Apostolorum frequentissimæ illius quam legimus congregationis aspicienda reuerentia est, nunquam hu defuit M gister quem receperant prædicandum, affuit semper is Dominus & Magister, sed nec docentes à suo Doctore deseruisse sunt: docebat ille qui se inserat, docebat qui dixerat quod docerent: docebat qui in Apostolu suis se confirmat audiri.* hæc Cælestin. Item Damasus Papa ad Aurelium Archiepiscopum de seruandis canonibus SS. Patrum & decretis in Concilio editis, prout refert Isidorus in l. bro Conciliorum. ita scribit: *Reuerendissimo fratri Coepiscopo Aureolo Damasus: scripta sanctitatis tuæ debita veneratione suscepimus, in quibus situe veneretionem ad prudentiam tuam Apostolica inflatæ, vt dignum erat cognouimus, quæ de te quædam ex his, quæ per istis missimus: & quædam adhuc cum iterum miseris, mittere cupimus. Nullum tamen à B. Petro principis Apostolorum sine prædecessorem nostrorum prætermissimus de quorum statutis aliquid tibi Ammonium presbyterum, & Felicem Diaconum sub certis signaculis non mittere mus. Quæ te & custodire optamus & aliis prædicanda ac publicanda mandamus, vt ab omnibus inuiolate debita veneratione custodiantur & inuiolate seruentur, atque ab omnibus futuris temporibus diligenter venerentur: quod violatores voluntarij canonum grauiter à sanctis patribus indicantur, & à Spiritu sancto, cuius instinctu ac dono dictati sunt damnantur, qui blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur, & qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter, vt præfixum est, aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt: talis enim præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum, qui, ve iam prælibatum est, contra eum agunt cuius impulsu & gratia iidem sancti ediderunt canones, Diabolica vero nequitia plerosque subtiliter fallere solet, & ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis sæpissime illudit, vt pro salubribus nocitura persuadeat, idcirco norma sanctorum canonum qui sunt Spiritu Dei conditi & totius mundi reuerentia consecrati, fideliter à nobis est scienda, & diligenter tractanda, neque quomodo sanctorum patrum statuta, absq; ineuitabili nec sitate, quod absit, transgrediamur, sed fideliter me per ea gradientes, cum eis qui eos instinctu cõsiderunt diuino, mercedis gloriam & laboris cumulum eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur:* quod nobis præstare dignetur ipse Spiritus S. in cuius nomine in hac sancta Synodo congregati sumus. Amen.

Cap. 2. Greg. lib. 1. regist. Epistola 24.

Cælestinus epist. 7. Epistolarum decretalium Romæ editarum, To. 1. p. 2.

Epist. 5.

Quarto principaliter probatur ex consuetudine Ecclesiæ quæ ex antiquissimis temporibus & ex multis centenis annorum fuit vniuersaliter in Ecclesia introducta. Sunt enim vltra ducenti & trecenti anni vel saltem prope, quibus doctores Catholici in libris eorum & scriptis cœperunt laudare & approbare vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem in cõmunione sub vna specie, vt paulo post patebit, in allegatione Doctorum. Clarum autem est quod hæc consuetudo non fuit vno die, aut vno mense, seu vno anno in Ecclesia vniuersaliter introducta, imo nullus Doctorum ipsam laudantium & approbantium, potuit aut sciunt assignare temporis originem, quo hæc consuetudo vniuersaliter orta

CXLII. *Ex consuetudine ecclesiæ.*

habue-

habuerit, propter antiquitatem suam: vnde indubitanter tenendum est quod communio sub vtraque specie nunquam fuit in Ecclesia Dei vniuersali, sed secundum varium exemplum Christi, varia fuit semper habita consuetudo, Christus enim in cœna sub duplici specie tradidit, instante sua passione, sed post resurrectionem suam legitur, secundum intentionem sanctorum, confecisse sub sola specie panis, vt patuit superius, quando in Emaus cognouerunt eum duo discipuli in fractione panis. Sic etiam & de primitiua Ecclesia & de Apostolis legitur in Ierosolymis, quod erant perseuerantes in fractione panis, & communicatione: Actuum 2. quod intelligitur de communione panis sancti, vt in præcedentibus fuit declaratum, & Corinthii sub duplici specie communicabant, vt patet per Apostolum, & sic communiter semper mansit huiusmodi diuersitas communionis laicalis, sub vna vel sub duplici specie, donec propter pericula & varios errores, vniuersalis Ecclesiæ consuetudo obtinuit communionem vnius speciei, cuius consuetudinis principium aut initium, nec in memoriis hominum, nec in scriptis Doctorum, aut in annalibus scribentium reperitur: Et cum consuetudo, cuius initii memoria non habetur, iure statuti habenda sit, vt dicunt leges, vtique pro lege habenda est & tenenda. Quanta autem sit auctoritas consuetudinis Ecclesiæ Romanæ, ostendit Augustinus in libello, de cura pro mortuis agenda, qui ait: quod si nulla esset auctoritas sacræ scripturæ, quæ doceret orare pro defunctis, tanta est auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quod pro lege firmissima sine dubitatione est tenenda, similiter sanctus Thomas secunda secundæ quæstione decima, artic. 12. dicit: *maximam authoritatem habet Ecclesia consuetudo quæ semper in omnib. est amulanda: quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet*, Vnde subdit: quo magis standum est auctoritati Ecclesiæ quam Augustini vel Hieronymi vel cuiuscunque Doctoris. Qualiter autem transgressores consuetudinum coercendi sunt, ostendit Augustinus ad Consulanum presbyterum, & habetur distinct. one 2. cap. in his rebus: qui dicit, quod mos populi Dei, & institutа maiorum pro lege tenenda sunt, & sicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt, & in libro confessio. ita dicit: *quæ sunt contra mores hominum, fugitiua pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se gentis aut ciuitatis, consuetudine & lege firmatum nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis est enim omnis pars vniuerso suo non congruens.* Item Augustinus, facere contra consuetudinem prohibet epistola 18. ad Hieronym. ita dicens: *contra Ecclesiæ fundatissimum modum nemo sentiat.* Item Damascen. libro 4. sentent. suarum: *semper consuetudo Ecclesiæ seruanda est & contrarium dogmatizantes & suam praxin confirmantes non sunt audiendi.* Item Hieronym. in quadam epist. contra Vigilantium. *quid necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit? nisi forte Balsamum mihi, & Barbetum, & Thesaurum Manichæi, & ridiculum nomen Lenticulæ proferas &c.* Cum igitur Ecclesia non recipit in communione laica vtramque speciem, ipsam vtique recipere ridiculum est, pernicio sum & superfluum: propter quod Beatus Thomas dicit 2. 2. quæst. 93. artic. 1. *Sicut enim falsarius esset, qui aliquæ proponeret ex parte alicuius quæ non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo, contra modum diuina auctoritate ab Ecclesia constitutum.* & articulo 2. *Si enim aliquid sit, quod quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam neque ad hoc quod mens feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentia moderate refrenentur, aut etiamsi sit præter Dei & Ecclesiæ institutionem vel consuetudinem communem, quæ secundum Augustinum pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum & superstitiosum &c.* Cum itaque dicta communio sub vtraque specie quo ad laicos, sit contra communem consuetudinem Ecclesiæ, vtique tanquam superflua repellenda est. Manifestum est autem quod iam à multis centenis annorum, prædicta consuetudo communicandi laicos seu non conficientes, sub vna specie tantum scilicet panis in ecclesia, nemine contradicente vniuersaliter introducta est, vt patebit satis ex dictis Doctorum de hac consuetudine mentionem facientibus.

Epist. 86. dist. 11. c. 7.

lib. 3. c. 8.

Cap. 3.

Aug. ep. 86

CXLIII. Quinto principaliter probatur per sanctorum Doctorum attestationem, qui in locis quodammodo innumeris, de huiusmodi sacramento & communione facientes mentionem, nihil de potu aut vino memorati sunt, sed tantummodo de corpore CHRISTI, siue de pane aut esca locuti sunt: per hoc ostendentes sufficere sub sola specie panis sumere diuinissimæ Eucharistiæ sacramentum. Vnde Ambrosius in libro de sacramento, *ista est, quam accipis, ipse panis vitam qui de cælo descendit, vita æterna substantiam administrat. Et quicunque hunc panem manducauerit, non morietur in æternum, quia corpus est Christi*, & habetur de consecr. distinct. 2. cap. reuera. Idem eadem distinct. scilicet consecr. in multis capitulis, videlicet in cap. omnia: & in capitulo, nullo sacramento, & in capitulo, non iste panis est, & in capitulo, ante benedictionem, in quibus locis manifeste habetur quod sumptio huius sacramenti sufficit tantum sub specie panis. Item idem Ambrosius in libro de paradiso loquitur sub his verbis: *Cum igitur in cibo neque præmium sit, quia esca nos non commendat Deo: neque magnum periculum sit, quia non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore, videtur sine dubio à tanto auctore non esse præceptum, nisi hunc cibum ad illum Prophetic um referas, quem pro magno præmio Dominus sanctis pollicetur suis: Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis. Hic est enim cibus in quo vita dissinitur æterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur. Quandoquidem panis viatus atque cœlestis ipse Dominus est, qui vitam dat huic mundo. Vnde & ipse ait: nisi manducaueritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam, erat ergo panis aliquis de quo præcripserat edendum. Paradisi incolis: quis illæ accipe quem dicat: panem inquit Angelorum manducabit homo. Est enim bonus panis, si facias voluntatem Dei; vis scire quam bonus panis? ipse filius manducat hunc panem, de quo ait, meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui in cœlis est:* Hæc Ambrosius: vbi primo notandum quod hic doctor sanctissimus & vnus ex quatuor columnis Ecclesiæ, veraciter se fundat in sacra scriptura & in doctrina Christi. Deinde notandum est quod dicit: *videtur sine dubio à tanto autore non esse præceptum*, vbi dicit *sine dubio*, omnem ambiguitatem excludens, non esse præceptum. Tertio notandum est ex dictis suis, quod si intelligatur præceptiue, quod hoc spiritualiter intelligendum est, de spirituali manducatione, vt patet per totum residuum quod sequitur: *nisi hunc modum ad illud Propheticum referas.* Item beatissimus noster Hieronymus vt superius fuit allegatus, loquitur de duplici carne Christi, videlicet spirituali & diuina, de qua intelligitur illa auctoritas, *nisi manducaueritis*, de ea quæ crucifixa est & sepulta. Quæ vt fides Catholica tenet, est vere realiter & in propria persona ipse Christus in hoc sacramento, & non spiritualiter tantum. Item idem beatus Hieronymus super Leuiticum ita dicit: *de his quidem hostia quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet, de hac vero quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli edere licet*, vbi notanter dicit, *edere*, & nullam mentionem facit de bibere, & habetur de consecrat. distinct. 2. de hac. Item Beatus Hieronymus in quodam sermone dicit: *singuli autem accipiunt Christum Dominum & in singulis portionibus totus est, nec per singulos comminuitur, sed integrum se præbet in singulis*: & habetur de consecrat. d stinct. 2. singuli: Item Augustinus in epistola ad Irenæum: *Christus panis est de quo qui manducat, viuit in æternum, & de quo ipse met dicit, panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: & habetur de consec. dist. 2. Christi. Item in sermone de verbis Domini, & habetur in glos. 1. ad Corinth. 10. *Non ergo timeamus fratres manducare panem istum, ne forte sanemus, id est, consumamus illum, & postea: quid manducemus non inuenimus manducatur Christus, vnde manducamus, qua surrexit occisus, nec quando manducamus partes de illo facimus. Et quidem in sacramento fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem vel corpus Christi*, & super Psalmo 16. Idem dicit: *indæi pascebantur tanquam de cœna Domini, & nos de cruce Domini pascimur, quod corpus ipsius manducamus.* Ecce Augist. in prædictis omnibus solum mentionem facit de pane, & nullam de potu. Item Hilarius dicit, & habetur de consecr. dist. 2. *si non sunt tanta peccata vt quis excommunicetur, non se debet à medicina corporis Domini nostri Iesu Christi separare.* Item idem de Trinitate, & habetur de consec. distinct. 2. *in Christo pater & Christus in nobis est, vnum in his esse nos faciat. Si vera carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere ille homo qui ex Maria natus fuit, Christus est*

Ex testimonio SS. Patrum.

Cap. 69. Ambr. de his qui initiantur sacramentis. Cap. 8. & 9.

Cap. 74.

Cap. 85.

Cap. 56.

Cap. 40. Ambros. de Paradi. c. 9

Esai. 65.

Ioan. 6.

Psal. 77.

Cap. 76.

Cap. 77.

Cap. 57.

In gl. hoc fusius habetur, vide de consecr. dist. 2. c. 70. In vita.

Cap. 15. Hæc reperiuntur apud Aug vsti. to. 2. ep. 82.

nos, vero sub mysterio carneum corporis eius sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & Christus in nobis. In quibus similiter Hilarius de potu nullam facit mentionem. Quid plura? longum esset narrare antiquorum sanctorum Doctorum dicta, per quæ videntur omnia innuere sufficientiam communionis sactæ sub vna specie. Sed iam oculos nostros dirigamus ad Doctores posteriores, qui tamen nos & hanc nostram per plura centena annorum præcesserunt, quorum dicta & sententiæ sequuntur in hunc modum.

CXLIV. *Ex testimonio Doctor. tunocen. Pontifex.*

In primis igitur occurrit antiquissimus Doctor & summus Pontifex Innocentius in tractatu de officio Missæ particula quarta de sacramento Eucharistiæ cap. vtrum panis sine vino vel è contrario valeat consecrari. Vbi inter cætera ita loquitur. *Si vero vinum inueniri non posset, vel aliquo casu defuerit, quæritur vtrum nec sitrate vel casu cogente, sola panis materia posset in Eucharistiam conficrari: sicut sub sola panis specie debet Eucharistia seruari.* Et infra concludit. *In his vtrq; regionibus in quibus alterutrum inueniri non potest, licite posset alterutrum sine altero consecrari, minus enim ignorantia, quam necessitas, vel negligentia quam difficultas excusat.* Hæc Innocent. In quibus verbis hic Doctor affirmat vt prius dictum quod sub sola panis specie debet Eucharistia seruari, secundum, quod in his regionibus, in quibus alterutrum inueniri non potest, licite possit alterum sine altero consecrari. quæ nullo modo possent stare in veritate si communio sub vtraque specie esset de præcepto Christi. Item Alexand. de Ales Doct. antiquus, solemnis, & profundus in doctrina diuina pariter & humana & sanctæ vitæ, magnæq; auctoritatis in tota Schola Theolog. in 4. part. suæ sum. de materia sacramenti Eucharistiæ quærit, vtrum liceat corpus Christi sumere sub specie panis tantum siue sub specie vini. Et respondendo ad illud dubium dicit, quod quia Christus integre sumitur sub vtraque specie, bene licet Christum sumere sub specie panis tantum, sicut fere fit à laicis vbiq; in Ecclesia. Quod autem dicunt canones comperimus, intelligitur de conficiente. Ecclesia autem illud sacramentum dispensare consueuit sub specie panis tantum, tum propter periculū effusionis quod forte accideret, si sub specie vini dispensaretur, tum propter vitij infidelitatis amotionem quod se non immerito simplicium mentibus ingereret, si semper sub specieb. panis & vini daretur, quia si ita fieret possent simplices credere, quod Christus non contineretur integer sub altera specie, sicut contigit quandoq; vnde aliquib. religiosis petentibus & instantibus vt sub vtraq; specie sumerent hoc sacramentum, Sacerdote quodam pio celebrante cum faceret fractionem, concauum patenæ totum visum est repleri sanguine. Ad q̃ obstupuerunt ipse & circumstantes; sed cum contingeret Sacerdos partes hostiæ, totus i le sanguis visus est reintrare, & sic petitioni & tentationi illorum fuit penitus satisfactū. Et in scripto suo super Ioh. vbi exponens illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.* dicit quod solus sacerdos communicat sanguini. Reliqui vero s. non sacrificantes communicant corpori. Item Albertus M. summus Philosophus & maximus Theologus sanctæq; vitæ, qui & in vita & post mortem claruit miraculis, in tractatu de corpore Christi dicit: *hoc est quod dicitur. 1. Reg. 2. in desiderio populi hunc cibum desiderauit admittere me obsecro ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedam buccellam panis. Vnica enim & singularis pars Sacerdotalis est hostia corporis Christi, ad quam populus admittitur vt buccella corporis Dominici saltetur.* Et consequenter sub dit figuram vnius speciei inter buccellas, dicens. *Et hoc est figuratum Gen. 18. vbi dicitur cum Abraham sederet in ostio tabernaculi sui, vidit tres Angelos descendentes per viam, quibus tria sata farina similæ commixta parari fecit in subcinericios & azymos panes.* Hæc Alber. per quæ innuit laicos solum ad vnam speciem esse admittendos, eo quod de vino nullam facit mentionem. Item idem Alb. M. tenuit & credidit, quod Ecclesia possit dispensare cum Sacerdotibus in partibus in quibus vinum non reperitur, quod cum sola hostia possent conficere. Cuius verba in propria forma sunt quæ sequuntur & habentur in tract. de offic. Missæ circa fin. *Ad hoc autem quod quæritur de terris in quibus vinum nullo modo possit haberi, dicendum videtur quod de hoc consultatio ad eam haberi debeat, quid sit agendum, tamen propter intolerabile damnum animarum, quod incurritur ex sacramenti defectu, videretur mihi esse cum talibus dispensandum, vt corpus Christi sine calice haberent, & confi-*

Alex. de Ales.

q 11. ar. 4.

Albert. M.

Cap. Quoniam Christus continetur in forma sacramentalibus.

De ritu concelebrantis ex parte ministri.

S. Thom.

cerent sacramentum. Quia sicut patet per ante dicta, corpus non est sine sanguine, & anima & Deitate, quamuis non sit ibi sanguis ex virtute consecrationis sacramenti. hæc Alber. Item B. Thom. discipulus eiusdem Alberti Magni, qui fuit excellentissimi ingenii, imo potius Angelici quam humani, diligentissimi studij, humillimi iudicii. & omni omnino spoliatus inordinata passione, vitæ sanctissimæ, qui scientiam suam plus oratione & meditatione, quam studio & lectione à Domino promeruit. Quotiens enim sanctus Dei disputare, legere, scribere, vel dictare voluit, prius ad orationis secretum accessit, & inde surgens inueniebat sic in promptu, quod scriberet vel dictaret, quasi in libro aliquo didicisset. Hic doctor cum quadam nocte orationi insisteret, sancti Apostoli Petrus & Paulus ipsum de textu dubio scripturæ propheticæ plenissime instruxerunt, cuius doctrinæ & ipsa prima veritatis testimonium perhibuit. Nam postquam ediderat officium corporis Christi, & scripserat materiam in tertia parte huius diuinissimi sactamenti, oriare, ab imagine Christi crucifixi talis vox audita est, *bene scripsisti de me Thoma, quam ergo recipies pro tuo labore mercedem?* & respondit S. Thomas: *Domine, non aliam mercedem recipiam nisi te ipsum.* Audiamus igitur quid talis ac tantus Doctor dicat in materia nostra. Ecce ipse in 3. parte sum. suæ quæst. 80. art. 12. mouet in forma articulum in responsione ad 3. art. sic dicit. *Circa huius sacramenti vsum duo possunt considerari. Vnum ex parte ipsius sacramenti. Aliud ex parte sumentium. Ex parte ipsius sacramenti conuenit quod vtrumq; sumatur s. corpus & sanguis, quia in vtroq; consistit perfectio sacramenti, & ideo quia ad sacerdotem pertinet, hoc sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium, reuerentia summa requiritur & caute'a, ne aliquid accidat quod vergat ad iniuriam tanti mysterii, quod præcipue posset accidere in sanguinis susceptione, qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia crescente multitudine populi Christiani, in qua continentur senes, Iuuenes, & paruuli, quorum quidam non sunt tanta discretionis vt cautelam debitam circa vsum huiusmodi sacramenti adhibeant, ideo prouide in quibusdam Ecclesijs seruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, sed solum à Sacerdotibus sumatur:* hæc ille.

Lectione 7. in 6. c. Ioão

CXLV. *Responsiones ad rationes pro parte aduersa adductas. Cap. 11.*

Ad rationes vero quas adducit in oppositum respondet vt sequitur, & primo ad auctoritatem Gelasij quæ habetur de cons. distinct. 2. Comperimus, dicit quod Gelasius Papa loquitur quantum & sacerdotes, qui sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam tori communicare debent, vt enim loquitur in Concilio Tolerano: *Quale erit sacrificium, vbi nec ipse sacrificans esse dinoscitur?* Ad secundum de perfectione huius sacramenti dicit quod perfectio huius sacramenti, non est in vsu fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni huius sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat vtrumque. Ad tertium de repræsentatione Dominicæ passionis, dicit, quod repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrati, potest autem à populo corpus sine sanguine sumi, nec exinde eidem aliquod sequitur detrimentum, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert & sumit, & sub vtraq; specie totus Christus continetur, vt supra habitum est, hæc S. Thomas in proprijs terminis. Item idem in Postilla super Iohan. dicit: *propter periculum effusionis in aliquibus Ecclesijs seruatur, vt solus sacerdos communicet sanguini, reliqui vero corpori. Nec tamen est contra sententiam Domini, quia qui communicat corpori, communicat etiam sanguini, cum sub vtraque specie totus Christus contineatur, etiam quantum ad corpus sanguinem. Sed sub speciebus panis continetur corpus Christi, ex vi conuersionis; sanguis vero ex naturali concomitantia. Sub speciebus vero vini continetur sanguis Christi, ex vi conuersionis, corpus vero ex concomitantia:* hæcille, qui & paulo superius declarans, quid intelligat per id quod dicit: *in pleraque locis, in quibusdam Ecclesijs,* dicit: *vbi ministri altaris continue & corpore & sanguine communicant:* per quæ verba manifeste declarat quod tempore suo in nulla Ecclesia laici communicabant sub vtraque specie, nisi solum ministri altaris, & hoc solum in quibusdam, & non in omnibus. Item idem Doctor in scripto suo super 4. senten. dist. 12. sic arguit vno art. *communicatio corporis Domini & sanguinis æqualiter debetur omnib. membris Christi, sed aliis datur corpus Christi sine sanguine,*

q. 3. ad 2.

ergo

ergo sacerdos sibi à sumptione sanguinis abstinere potest. Respondet præfatus Doctor, quod perfectio huius sacramenti in vtroque consistit, & ideo sacerdo. celebrans qui alterum tantum sumeret, imperfecte sacramentum peragerat. Vnde sacerdotes secundum canones iudicantur de conse. distinctione 2. cap. comperimus. Secus autem de alijs, qui illud sacramentum non perficiunt, quia eis subtrahitur sanguis propter effusionis periculum. Vnde & sacerdos in parochia cum quando non consecrat, corpus sine sanguine sumit. Item idem Sanctus Thomas in 4. distinct. 12. quæstione 2. in responsione ad 3. artic. primi artic. ita dicit: *Ad tertium dicendum quod populo non datur sanguis propter periculum effusionis, quia citius vna gutta sanguinis laberetur, quam aliqua particula corporis. Vnde minus istis altaris, secundum consuetudinem aliquorum, datur participatio sanguinis de quibus præsumitur quod in talibus magis sint cauti. In lege enim veteri de libaminibus nihil habebant offerentes, sed soli sacerdotes, per qua significabatur ea bus huius sacramenti.* Hæc Sanctus Doctor. Idem Doctor in alio loco dicit quod laicis debet dari simplex vinum, non consecratum, sed aqua, pro ablutione, non tamen propter mysterium aliquod, sed vt laudetur ora sumentium, ne maneant aliquæ reliquiæ Eucharistiæ intra dentes vel gingiuas, & etiam vt non seruetur Eucharistia in ore propter maleficium exercendum, vt expertum fuit tempore Ambrosij quo in truncoapum, hostia consecrata, per vnam mulierem fuit seruata, & absconsa, vt apes augerentur. Et vlterius dicit quod Sacerdoti semel sufficit in die communicare, alijs autem probatis perfectis sufficit de octaua in octauam, communioni autem populo qui non est magna deuotione occupatus, ad minus semel in anno. Et consequenter dicit: Sacerdos peregrinans alijs Eucharistiam sub vna specie, porest illa vel similia verba proferre: *Corpus & sanguis Domini nostri IESV CHRISTI proficiat tibi in vitam æternam,* & non solum, *corpus Domini nostri*, & dans vinum simplex pro ablutione, debet vel potest dicere: *In nomine Domini nostri* IESV Christi. *Amen.* Longum esset replicare verba & loca quibus & in quibus dictus Doctor hanc veritatem fidei Catholicæ ex proposito & intentione prosequitur: Nam in sermonibus de corpore CHRISTI sermone 29. ad longum spacium, & per medium sermonis, sub tali titulo. *Secundo quæritur quare populus non accipiat sanguinem, sicut Sacerdos sub specie vini.* Prosequitur respondens & assignans triplicem rationem quam ibidem deducit ad longum. Similiter & in compendio Theologicæ veritatis, & in quæstionibus de sacramentis & in multis alijs locis. Quo ad prædictum Doctorem & pro presenti dictę allegationes sufficiant. Item Bonauentura Doctorum vtiq; deuotissimus, & sanctæ vitæ, profundæque scientiæ & doctrinæ, qui etiam miraculis claruit distinctione 11. quarti sammarum dicit, *duo sunt circa hoc sacramentum consideranda, primum est eius efficacia, secundum eius significantia, & sic aliquid potest esse de integritate vel de perfectione huius sacramenti dupliciter. Vno modo quo ad efficaciam (scilicet illud quod ex parte sacramenti requiritur ad totalem effectum eius) & sic neutra species est de integritate sacramenti, sed qualibet quantum est ex opere operato, sufficit sine alia ad causandum totalem sacramenti effectum, & hoc ideo, quia efficacia sacramenti non est ratione signi, sed ratione contenti sub sacramento: Idem autem per omnia continetur sub vtraque specie & secundum eundem modum existendi. Nec plus sumit qui sumit vtramque speciem quam qui sumit alterutram tantum, vt dicit Magister dist. 11. quarti. Vnde sicut sub speciebus panis est totus Christus cum corpore, anima, sanguine & Deitate, ita sub speciebus vini est totus Christus cum omnibus eius dem & secundum eundem modum existendi, quia sicut sub speciebus panis Deitas est vnita humanitati, sic sub speciebus vini: & sicut hic anima informat corpus, ita & ibi: & sicut hic sanguis est inclusus inter venas corporis, ita ibi sub speciebus vini: & ita in modo existendi nulla est diuersitas, hic & ibi, quamuis in consecratione sit diuersitas, quia panis conuertitur in corpus tantummodo, & cætera sunt ibi concomitanter. Alio modo aliquid est de integritate sacramenti, quantum ad omnem significationem, scilicet illud quod requiritur ad totalem & completam illius sacramenti significationem, hoc modo omnes species sunt, & qualibet illarum est de integritate & perfectione sacramenti, eo quod per ambas & per nullam earum seorsum sufficienter & complete exprimitur huius sacramenti significatio, quod sic patet. Hoc sacramentum significat Christum, vt nutrimentum perfecte reficiens se digne communicantes sacramentaliter, sed cum perfecta refectio corporalis vt communiter fit sine miraculo non fiat in pane solo, aut in vino solo, sed in vtroque non potest vna species sola significare Christum vt perfecte reficientem, sed vna significat eum per modum cibi reficientis, ratione corporis sui, & alia per modum potus ratione sanguinis, ambe vero simul hoc complere significant. Quare requirantur ad integritatem significationis huius sacramenti. Fedicis notanter, vt communiter, seu sine miraculo: quia in sanctis atibus Christi, quibus plura multa quinque panibus & duobus pisibus faciauit, populus plene ac perfecte fuit refectus sine potu, tunc ad argumentum primum respondeo dicit: *Esi totum in vtraque specie continetur, non tamen alterum perfecte significatur, & ideo fideles perfectum sacramentum recipiunt, quia ad efficaciam recipiunt. Sed quantum ad significationem sufficit quod fi. clesia facit in eorum presentia.* Sed dicit: *nec oportet quod ipsi recipiant sub speciebus vini propter periculum effusionis & erroris.* Hæc Bonauentura: Item Petrus de Tarentasia Doctor excellentissimus, summus Romanus Pontifex & Sanctæ & deuotæ vitæ distinctione 11. quarti. *cum ergo in hoc sacramento sit ratio signi, scilicet significatio pertinens ad sapientiam, & ratio causæ seu causalitas, pertinens ad gratiam & quia gratia est omnibus necessaria, ideo omnibus traditur sub vna specie perfectione causalitæ gratia. Sub qua cum maiori cautela siue reuerentia potest tradi. Sed sapientia non est sic omnibus necessaria, ideo à solis maioribus, id est presbyteris vel ministris altaris sumitur sub vtraque specie, quia maiorem cautelam & reuerentiam se habere sunt:* Hæc ille: Item Richardus de media villa Doctor profundus & magnæ auctoritatis in Scholis. dist. 11. quarti dicit: *communiter non debet hoc sacramentum populi tradi sub vtraque specie propter periculū effusionis sanguinis, & etiam propter periculi erroris, est. populus communis crederet Christum non esse totum sub vtraq; specie, maioribus tamen in quibus neutrum prædictorum periculorum probabiliter timetur, sub vtraque specie dari potest, non tamen minorem efficaciam recipiunt illi quibus datur sub altera specie tantum, quam illi quibus datur sub vtraque, eo quod sub vtraque specie totus Christus continetur. Sumptio tamen sub vtraque specie facit ad expressiorem mysterij significationem.* Item Nicolaus de Lyra, in expositione sacrarum literarum meo iudicio post antiquos Doctores excellentissimus & bonæ vitæ, tractans illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis &c.* dicens: *non intelligendum quod hoc sacramentum sub vtraque specie fidelibus sit exhibendum, sed tantum hoc modo à Sacerdote sumendum. Fuit enim in primitiua Ecclesia populus sub vtraque specie communicaret, tamen postea prouisum ordinatum est, vt non communicet sub specie vini propter periculum effusionis, & quia sub specie panis accipitur quodammodo sanguis, in quo totum ibi continetur, quia sub vtraque specie est totus Christus, tamen aliter & aliter, quia sub specie panis est vera caro Christi virtute sacramenti, cætera vero iuncta per concomitantiam: & eodem modo sub specie vini est sanguis Christi ex vi sacramenti, Cætera vero concomitanter:* & ibidem dicit, quod sacramentum Eucharistiæ non solum proficit Sacerdoti sumenti sed etiam toti Ecclesiæ & illis qui sunt in purgatorio, cuius ratio est, quia Eucharistia non est tantum sacramentum, sed etiam sacrificium Ecclesiæ, in quantum continet Christum passum, & ideo proficit omnibus fidelibus: Si sumatur alio modo, sicut à laico, tunc proficit sibi soli sumenti, quia officium eius non est offerre sacrificium, sed tantum sumere sacramentum. Et super illud Apostoli 1. ad Corinth. 11. *probet autem seipsum homo*, dicit idem: *hic sit mentio de duplici specie, nam in primitiua Ecclesia sic debatur fidelibus, sed propter periculum effusionis sanguinis modo datur tantum sub specie panis. Sacerdos tamen celebrans accipit sub vtraque specie, non tantum pro se, sed pro aliis:* Hæc ille: Item Dominus Petrus de Palude, Patriarcha Ierosolymitanus, Doctor vtique magni ingenij & profundæ scientiæ & sanctæ & deuotæ vitæ in 4. sentent. distinct. 11. sic dicit: *Secunda conclusio est quod non debet sub vtraque specie dari populo, sed solum sub specie panis propter periculum effusionis, sicut olim esset timendum de sacrificiis & oblationibus quæ erant in materia solida. Sed soli ministri de libamminibus, quæ erant in materia liquida, Graciam communicant carni & sanguini, & in quibusdam Ecclesijs est consuetudo quod communicans sub vtraque specie, nec est peccatum, quia quando mos erat, crimen non erat, & ita caute in illis Ecclesijs siue monasterijs faciunt, quod nihil effundatur: sed vulgo indifferenter daretur, esset maius periculum:* Item Scotus, qui præ alijs tam in medicina & subtilitate doctrinæ antonomastice nomen Doctoris subtilis in scholis obtinuit, in 4. sentent. distinct. 8. in 1.

Similè quæ habet Cyrill. Hierosolym. cat. 5. 6. & Thom. Cantipratanus lib. 2. c. 40.

S. Thom. de Sacramento altaris c. 29.

lib. 6. c. 16. S. Bonau.

quæst. 2.

Petr. de Tarentasia.

Richard. de media Villa. a. 4. q. 6

Nicolaus de Lyra.

Pet. de Palude q. 1.

Scotus.

Thomas de Argentina

verum sacramentum à non ieiunis possit recipi, dicit in summa, quod Sacerdos post consecrationem huius sacramenti rigidissimum habet mandatum Ecclesiæ ad hoc, vt percipiat vtrumque, laicus autem non habet aliquod mandatum Ecclesiæ ad hoc vt percipiat vtrumque, ergo non est necessitatis, hæc ille. Item Thomas de Argent. Doct. valde profundus & magnæ auctoritatis in scholis, sup. 4 distinct. 8. dicit: *sicut Sacerdos in die Parasceues celebrando non debet vti vino consecrato ex statuto Ecclesiæ, sed sola hostia reseruata in precedente die, nec obligatur ad conseruandum & sumendum sanguinem sub specie vini tali die, sic nec laica persona post communionem corporis Christi tenetur ad sumptionem sanguinis, sed potest sumere vinū non consecratum:* Hæc ille: & idem in alia quæstione dicit. *licet in passione Domini sanguis fuerit separatus à corpore v/q; ad horam qua surrexit à mortuis. Et si in medio tempore fuisset consecratum corpus Christi fuisset corpus, sine sanguine, & si calix fuisset consecratus, sanguis fuisset sine corpore, & post resurrectionem sanguis est vnitus corpori & in sempiternum sic manebit, & propter hanc vnionem realem sanguinis & corporis Christi sub vtraque specie panis & vini recipiens habet totum corpus Christi, & totum sanguinem: ideo communi populo, secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ veritas corporis & sanguinis Christi datur sub specie panis tantum, & hoc propter periculum distillationis sanguinis quod posset accidere si sub specie vini rudi & impetuoso populo traderetur sacramentum.* Et consequenter arguit pro vtraque specie sic: *sanguis per modum potus solum datur sub specie vini: igitur cuilibet Christiano sanguis Christi debet dari sub specie vini, ne priuetur vita spirituali. Respondetur, cui datur corpus Christi, illi datur spiritualis perfectio per modum cibi & potus quantum ad rem significatam, licet non quo ad speciem significantem.* Et consequenter arguit: *Omnis ordinata refectio de communi lege & sine miraculo datur per modum cibi & potus, respondetur, quod qui digne recipit corpus Christi sub specie panis, vere manducet eius carnem & bibat eius sanguinem, quamuis hoc non fiat ita sub proprio signo exteriori, sicut si reciperet illud sub speciebus vini. Nam Christus sub speciebus panis est anima spiritualis cibus & potus*, hæc ille: Item ibidem arguit sic, *si sub speciebus panis haberetur sanguis Christi, tunc in vanum iterum Sacerdos conficeret sanguinem calicis, consequentia tenet, quia frustra ordinatur alius actus ad habendum quod de facto habetur realiter. Responderetur, quod ideo distinctim & diuisim debet fieri consecratio sanguinis, vt expresse significetur, quod in Christi passione sanguis per effusionem fuerit separatus à corpore, ergo quamuis sanguis Christi concomitanter sit sub speciebus panis, sub quibus corpus est vnitum sanguini ex vi sacramenti, propter tamen dictam significationem, idem sanguis ex vi sacramenti est sub speciebus vini, & corpus concomitanter, & ideo non est frustra, quia ille actus quo ordinatur ad sanguinem, est alius ex vi verborum sacramenti, quam ille qui est ex vi verborum sacramenti panis.* Hæc ille: Ad idem est Hugo primus postillator totius Bibliæ. similiter Gorra. & pene quotquot scripserunt super Euangelia, aut super sententias: Item quidam doctor Anglicus solemnis & valde profundus, dictus Fiscare super 4. distinct. 11. ita dicit: *Quæritur*, inquit, *quare non datur populo corpus Christi sub speciebus vini sicut sub specie panis, vel simul sub vtraque? Responsio, Multiplex assignatur ratio: Vna quam tangit Iulius Papa de consecr. distinct. 2. Alia est propter periculum, fatilius enim elaberetur gutta quam hostia. Tertia, quia nil ge & in sacrificiis offerebantur sanguina, de sanguine autem nihil habebant offerentes sed tantum Sacerdos, licet de sacrificio haberent, & ideo vt innotesceret congrua veritatis significatiu de sacrificio, scil. de corpore Christi sub specie panis datur populo, sed sub specie sanguinis non.* hæc ille: Quid plura? longum esset omnes Doctores Theologos hoc in loco enumerare, & vniuscuiusque propriam sententiam in hac nostra materia replicare. Sed iam ad Dd. iuris canonici accedamus, quorum sententias breuiter perstringemus. Ecce gl. ordinaria dist. 2. de consec. c. presbyter. sub verbo. *Eucharistiam semper habeat paratam*: ita dicit: *sanguinem non præcipit seruare, quia opus esset nimia cautela in eo seruando.* Item eadem gl. de eodem, 3. c. comperimus, super verbo, *aut integra*, dicit: *Et hoc intelligo de conficiente. Nam infirmus vel sanus in necessitate, sine vino corpus sumere potest:* ad quod confirmandum adducit dicta glossa tres solennes Doctores & antiquos, videlicet Hugolinum, Laurentium, & Ioannem, vt patet ibidem. Item Archidiaconus in eadem distinctione cap. presbyter, addit ad gloss. præallegatam, dicens: *addere præterea non opus est, quia vbi est corpus, ibi est sanguis.* Item idem Archidiaconus in capit. comperimus, hanc materiam ex dictis Petri de Tarentasia, hoc modo declarat: *dic ad huius declarationem quod in huiusmodi sacramento est ratio signi & ratio causæ; significatio pertinet ad sapientiam, sed causalitas ad gratiam. Quia ergo gratia communiter omnibus necessaria est, sed non sic sapientia, efficacia vero æqualis est sub vtraque sed non significantia, ideo omnibus traditur sub altera specie, in qua potest tradi cum reuerentia & cautela maiori. A maioribus vero tantum id est presbyteris, & ministris sumitur sub vtraque specie.* Hæc Archidiaconus. Ad idem est Ioannes in summa confessorum, & Hostien. in summa sua. Idem Rudolphus in pastorali nouello, in metris de hac eadem materia loquens, ita dicit: *Hic & ibi cautela sit hæc, ne presbyter ægris, aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi. Nam fundi leuiter posset, simplexq; putaret, Quod non sub specie esset Iesus totus vtraque. Sed facit hic aliter nouitatum gratia mater.*

Doctores iuris canonici.

Cap. 39.

Cap. 12.

Attendant igitur quæso oppositum huius veritatis tenentes & libera ratione diiudicent, quæ pars habeat Doctores ex proposito & intentione in materia loquentes potiores in conditionibus superius enumeratis, in quadam suppositione generali. Comparabitur ne quidam Iacobellus, primus vniuersalis consuetudinis Ecclesiæ effractor, & primus huius nouitatis in regno Bohemiæ inuentor, in perspicuitate ingenij, in exercitatione studij, in humilitate iudicij, in immunitate vitij & passionis, in sanctitate viræ, in reuelationibus & inspirationibus diuinis, in intellectu diuinarum scripturarum, in perceptione diuinæ voluntatis, in cognitione veri præfatis tot & tantis sanctissimis & profundissimis doctoribus, in quorum doctrina & vita fulget Ecclesia vt Sol & Luna? Vbi quæso præfati Iacobelli miracula vitæ sanctitatem testantia? Vbi gradus magistralis seu doctoralis, vel potius scripta & opera sufficientiam doctrinæ suæ declarantia? Mirares vtique & non mira. Non mirum quidem quod vnus homo detur in reprobum sensum, sed mirandum quod post se trahat innumeram multitudinem fidelium, mirandum vtique & dolendum, quod tam gloriosum & notabile regnum, derelicta vniuersali Ecclesiæ consuetudine, vnius hominis nouitatem sequi voluerit. Ecce tot doctores, tam sanctissimos in vita & tam in doctrina & scientia diuinarum scripturarum profundissimos, qui ex proposito & ex intentione atque in propriis terminis sole clarius nostram declarant & determinant sententiam, adduxi, & adduco in medium. Det mihi magister Ioannes, siue pars aduersa, à tempore quo Christus hoc instituit sacramentum, vsque in præsentem diem, vnum doctorem fidelem & Catholicum, qui ex proposito & ex intentione mouerit in libris, aut scriptis, siue in dictis suis, hanc quæstionem in forma siue in sententia: Vtrum in communione laica vtraque specie panis sc. & vini sit de necessitate salutis, & de præcepto Christi: & qui determinet pro parte aduersa, contra tot tantos & tam sanctissimos viros, & in diuinis scripturis Doctores profundissimos, in loco præsenti per me adductos, & offero me ad subeundum omnem pœnitentiam & pœnam corporalem dictandam & inferendam per hoc sacrosanctum generale Concilium, in Spiritu sancto legitime congregatum. Nec apud partem aduersam dicti sancti Doctores per me hoc inducti pro præsenti, & quorum libri hic in oculis omnium fuerunt reuoluti, possunt aut debent haberi suspecti quoquo modo, cum omnes per longa annorum spacia hanc nouitatem præcesserint, alij pene per ducentos annos, imo per plures, vt Innocentius. Alij fere per ducentos, vt Alexander de Ales, Albertus Magnus, Sanctus Doctor Bonauentura. Alij per centum quinquaginta, & alij per centum, & nullus est qui ad minus non præcesserit per quinquaginta annos, quorum vtiq; vita & doctrina etiam in regno inclyto Bohemiæ, & in vniuersitate Pragensi ante hoc disturbium claruit, & in magna veneratione habiti sunt.

CXLVI. *Iacobellus primus vniuersalis consuetudinis Eccles. effractor & huius nouitatis in Bohemia Inuentor.*

Res mira.

Antiquitas Doctorum.

Sexto principaliter prædicta veritas rationibus quibusdam persuaderi videtur, ex suppositione fidei Ecclesiæ & doctrinæ sanctorum. Et primo sic prima ratio: Omnis substantia habens omnem perfectionem & virtutem sub vno accidente, sicut sub pluribus, & nihil perfectionis aut virtutis siue effectus ab accidentibus capiens, dum talis substantia sub vno accidente accipitur, non est necesse quod sub pluribus capiatur, sine Christi præcepto vel statuto Ecclesiæ. Sed Christus est substantia omnem perfectionem & virtutem

CXLVII. *Probatur hæc veritas rationibus.* 1.

rutem habens & continens sub vno accidente, id est, sub specie panis vel etiam sub specie vini. Igitur si accipitur sub vno accidente sc. panis, non est necesse quod capiatur sub pluribus, nisi obstaret Christi præceptum vel Ecclesiæ statutum. Maior patet per illud doctrinale Physicorum, vbi dicitur quod peccatum est fieri per pluta, quod comperenter posset fieri per pauciora. Nec hoc etiam est de præcepto Christi, nec pro nunc de statuto Ecclesiæ. Minor etiam patet, quia si Christus non haberet omnem perfectionem sub vno accidente sicut sub alio, tunc Christus sub vno accidente non esset perfectus, & quod ab accidentibus aliquem acquireret perfectionem, quod nullus sanæ mentis diceret.

2. Secunda ratio. Si Sacerdotibus quandoq; congruit communicare sub vna specie tantum, sine peccato, tunc à fortiori laicis. Sed de facto Sacerdotibus in sexta feria paraseeuæ ex statuto Ecclesiæ congruit, sicut præmittitur, communicare igitur & laicis, consequentia tenet per regulam topicam si illud quod minus videtur inesse, & inest, tūc & illud quod magis. Statuit autem Innocentius Papa Eucharistiam à die cœnæ celebrare sub specie panis pro fidelibus communicandis & ad implendum officium sequentis diei, in quo sacramentum non conficitur. Ratio autem à doctoribus assignatur, quia in prædicta sexta feria sanguis fuit effusus de corpore Domini, & dimissus à corpore realiter, vnde non oportet illa die quæ ex re rerum toto ostento prædictam diuisionē commemorare, per huiusmodi species visibiles designari. Quapropter & eadem die Sacerdos sumit sacramentum tantummodo sub specie panis ad refectionem potius in persona totius Ecclesiæ, quam ad significationem. Item quia sicut in veteri lege in secundo tabernaculo quod dicebatur sancta sanctorum, semel in anno solus Pontifex intrabat, non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia. vt ait Apostolus ad Hebræos 5. sic ad ostendendum quod ea die solus noster summus Sacerdos Dominus Iesus Christus intrauit per sanguinem de quo Apostol. ibidem. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta*, nullus ea die celebrat, vnde Rabanus de institutione clericorum Capitulo 67. *in hac die sacramenta penitus non celebrantur, sed Eucharistiam in cœna Domini consecratam, vt actu officio lectionum & orationum, & sancte crucis salutatione resumunt.*

3. Tertia ratio. Si prædicta communicatio laica sub vtraque specie esset de necessitate salutis, sequeretur quod omnes Sacerdotes & laici à tempore cuius huiusmodi communicatio sub vna specie orti non habuit, peccassent mortaliter, & per consequens, quod essent damnati quod est error manifestus, quia sic sanctus Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, & alij innumeri sanctissimi patres essent damnati, quod piæ aures exaudire perhorrescunt. Assumptum probatur: Primo de Sacerdotibus quidem, quia obligabantur populo ministrare hoc sacramentum sub vtraque specie, ex diuino præcepto, & hoc facere neglexerint, imo facere noluerint, & sic populum priuauerint iure suo, quod habuit in tali sacramenti perceptione, & impedierunt salutem ipsorum, quod non potuerunt sine graui & mortali peccato facere. Si enim spoliare honore, aut rebus, aut iure quod habet in aliqua possessione, esset peccatum mortale, quanto magis spoliare quenquam salute & iure suo in perceptione tantæ rei. Item non solum Sacerdotes non ministrabant aut subtrahebant populo tantum sacramentum, sed etiam docebant populum quod licitum esset, sic sub vna sola specie communicare, nec timebantur aliter: Et in hac suppositā aduersariorum opinione pro veritate docebant errorem contra diuinam legem, & faciebant sibi gregem commissum in tam magnis & arduis rebus periculosissime errare, quod vtiq; facere non poterant sine grauissimo peccato mortali: Sicut si prælatus doceret gregem sibi commissum quod fornicari esset licitum, aut seipsum propria auctoritate indifferenter vindicare, & similia, quæ secundum erronea sunt. Similiter laici, si fuissent obligati ad vtramque speciem, peccassent mortaliter non faciendo diligentiam, nec petendo id quod sibi ad salutem competebat. Sicut non excusatur laicus, si non sit baptizatus, nec petit baptizari, quia quilibet tenetur diligentiam facere ad habendum id sine quo saluari non potest. Consequentia patet similiter. Omnis enim qui peccat mortaliter, nec saltem in extremis pœnitus conteritur & confitetur, is profecto inter damnatos computatur. Manifestum est autem, quod à multis centenis annis à quibus prædicta communio sub vna specie introducta est, nullus sanctorum Sacerdotum sic laicis ministrantium, siue etiam ipsi laici sic accipientes, contriti sunt aut confessi de huiusmodi ritu, quasi peccassent mortaliter, & sic omnes essent damnati, & per consequens omnes patres nostri, & Bohemorum, & qui nos & eos in regno Bohemiæ præcesserunt, essent damnati & æternis ignibus & pœnis deputati, quod necipsi, nec aliquis sanæ mentis assereret. Et sic vlterius pro huiusmodi & taliter defunctis non esset orandum, nec alia suffragia essent pro eisdem facienda, & per consequens prædictam communionem sub vtraque specie asserentes, pro parentibus eorum orare non deberent, nec aliqua alia pietatis opera exercere, quod credo non solum apud nos Catholicos, sed etiam apud ipsos aduersarios impium esset asserere, & audire. Nec sufficit dicere, quod prædecessores saluati sunt per vnam speciem, quia notitiam scripturarum non habuerunt, sed iam ex quo scripturæ apertæ sunt & reuelatæ, non sufficit sub vna specie tantum, sed sub duabus communicare, quia nullus excusatur per ignorantiam alicuius quod de necessitate, scire tenetur & specialiter, cum ea quæ credenda sunt explicite, expresse in sacra Scriptura sunt posita, ignorans enim ignorabitur. Et sequeretur quod eadem de causa omnes pagani & infideles essent saluandi pace, quia ignorant Baptismum esse de necessitate salutis, mandata Dei, articulos fidei, sacramenta & alia quæ in Ecclesia sunt de necessitate salutis, & dicuntur esse. Item omnes persequentes & obsidentes Christianos, propter nomen Christi, putantes se obsequium præstare Deo, essent immunes à peccato, quia propter ignorantiam putant se bene facere, de quorum numero quandoque fuit Paulus Apostolus qui de se ipso ait 1 ad Timoth. 1. *Quia prius blasphemus fui & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Vbi manifeste dicit se fuisse blasphemum & contumeliosum, licet ignorantiam fecerit, & nisi fuisset misericordiam consecutus, vtique ignorantia non excusasset eum. Similiter si prælatus doceret populum suum, quod CHRISTVS non esset DEVS, sed pura creatura, & populus crederet, sic cecus non excusaretur à graui peccato, sic etiam ignorans, fornicationem esse prohibitam lege diuina, non propter hoc, si fornicatur; excusatur à peccato mortali. Ad confirmationem huius facit illud Euangelij: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Oportet ergo eos de necessitate fateri, aut quod patres & antecessores eorum in regno Bohemiæ, qui fuerunt per multa centena annorum ante ipsos, cum ignorantia non excuser eos, damnatos esse: aut quod ipsi harum nouitatum inuentores erant, & per consequens damnentur, si pertinaciter agant. Et præterea scripturæ, de quibus aduersarij gloriantur se noviter intellexisse, ante multa centena annorum à sanctis patribus sensum Christi, secundum Apostolum, habentibus in se, lectæ & optime expositæ atque intellectæ fuerunt, nec non & optimo fundamento stabilitæ, & per singula studia affirmatæ & approbatæ, qui si necessitatem huiusmodi communicationis sub vtraque specie in his scripturis cognouissent, vtique statuto Ecclesiæ fuisset huiusmodi communicatio assignata, cuius oppositum apparet manifeste. Non enim verisimile est tam sanctissimos viros & sapientes, atque totam Ecclesiam, per tam grande annorum spatium, tam damnabiliter errasse, & hodie in errore persistere, cum ipsa à Spiritu sancto regatur, qui eam non sinit errare, in his potissime, quæ necessaria sunt ad salutem, vt infra manifestissimis testimoniis approbabitur.

Quilibet tenetur diligentiam facere ad habendum id sine quo saluari non potest.

Matth. 15.

Præterea si prædicta communio sub vtraque specie fuisset sub præcepto, sequeretur quod Deus præcepisset aliquid impossibile aliquibus; consequens falsum, quia derogat diuinæ pietati: vnde Hieronymus excommunicat, imo

verius excommunicatos denunciat in quadam epistola, omnes qui dicunt Deum aliquid impossibile præcepisse, consequentia tamen patet, quia multi homines sunt qui naturaliter nec bibere, nec odorari vinum possunt, & per consequens nec sub speciebus vini possunt communicare. Si ergo antecedens esset verum, sequeretur, quod omnes huiusmodi essent in statu damnationis, quod nullo modo est dicendũ, quia propter inexistentiam à natura, nullus est vituperandus, vt dicit Aristot. in Ethicis. Idem etiam accidit de multis infirmis, qui sub vna, vel sub alia specie Eucharistiam sumentes, iplam deglutire non possunt, & si deglutiant, tamen retinere non possunt, sed potius euomunt, vnde aut impie aut improuide Christus suum corpus & sanguinem sub duplici specie sumendum præcepisset. Impie quidem, quia multi contra naturam & sine causa damnarentur; improuide autem, si nesciusset huiusmodi casibus prouidere, quod de omnisciente sapientia Patris nullo modo est suspicandum. *Aristot.*

Alia ratio ex correspondentia figuræ ad figuratum. Item ad solos Sacerdotes pertinet offerre sacrificium secundum illud ad Hebræos 8. *Omnis enim pontifex ad offerenda munera & hostias constituitur.* Sed vinum & sanguis nunquam offerebatur nisi in sacrificio per manus Sacerdotum in lege veteri, ergo ratione correspondentiæ figuræ ad figuratum, nec in noua lege debet offerri vinum, quod sanguinem repræsentat, nisi in sacrificio per sacerdotes.

Augustin. Alia ex vniuersalis Ecclesiæ consensione. Item Augustinus in libro qui intitulatur contra epistol. Manichæi quam vocant Fundamentum: *Id autem scientia & voce securum est asserere, quod in gubernatione Ecclesiæ Dei Saluatoris nostri Iesu Christi vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Cum igitur communio sub vna specie consensione vniuersalis Ecclesiæ roborata sit, vt patet de superius inductis, scientia vtique & voce illam asserere & tenere securum est; & oppositum omnimode insecurum. Item Beatus Hieronymus scribens symbolum fidei ad Damasum Papam, ita loquitur: & habetur 24. quæstione 1. *Hæc est fides Papa beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus, in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & sedem tenes. Si autem hoc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit.* Item idem gloriosissimus Hieronymus eisdem & causa & quæstione, cap. quoniam vetusto, loquens ad Romanum Pontificem, dicens: *Ego nullum præmium nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam petram, ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Noe Arca non fuerit, peribit regnante diluuio,* & in fine capituli subdit: *Non noui Vitalem, Melitonem respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit. Qui Christi non est, Antichristi est.* Ex prædictis gloriosissimi Hieronymi auctoritatibus bene pensatis & intellectis, concludat rario vniuscuiusq; quid sequatur. *Cap. 25.*

CXLVIII. *Motiua aliqua ex plurimis quib. Eccl. Cat. hunc ritũ introduxit & continuat.* Postremo licet prædicta sufficiant ad prædictam communionem veraciter confirmandam, & specialiter Ecclesiæ consuetudo, atque sacrorum Conciliorum quæ errare non possunt, statutum & ordinatio: nihilominus ad maiorem veritatis manifestationem & ad conuincendum contumaces, motiua aliqua ex plurimis, quibus sancta mater Ecclesia hunc ritum introduxit, bene & laudabiliter continuauit, hodieque continuat, & obseruat, sunt inducenda: Et primum quidem est, vt euitetur periculum distillationis & effusionis sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quem tractare est valde periculosum propter speciem naturalem fluxibilitatem, quæ possent effundi de facili, præsertim cum multitudine frequenter fit pressura, & multi sæpe ad communionem veniunt homines tremuli, barbati, infirmi & paruuli, circa quorum sacramenti sumptionem multa possent & grauia pericula imminere, & per consequens peccata, quæ non de facili possent euitari. Quale autem sit peccatũ effusionis & distillationis sanguinis Domini nostri Iesu Christi, ostendit Augustinus lib. 5. Homilia & habetur 1. quæstione 1. *Interrogo vos fratres, dicite mihi, quid plus esse videtur vobis, Verbum Dei, an corpus Christi. Si vultis verè respondere, hoc vtique dicere debetis, quod non sit minus Verbum Dei, quam corpus Christi: & ideo quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi datur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta sollicitudine obseruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde puero pereat, quia non minus reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.* Ecce quod Augustinus dicit, quod reus erit, qui sua negligentia corpus Christi in terram cadere permittit, & non minus qui verbum DEI negligenter audierit, reus autem est quilibet, qui in grauibus peccatis delinquit; quapropter et Sacerdos qui per negligentiam guttam sanguinis Christi super terram aut pallam fundit, debet pœnitere quadraginta diebus, & palla comburi, & lapis radi: & terra lambi, & in sacrarium reponi, vt dicitur de consecratione, distinctione 2. *Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, vt non conculcetur locus, corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare recondatur, & Sacerdos quæ ragginta diebus pœniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat &c.* Hæc autem tam dura pœnitentia non imponeretur Sacerdoti, si non esset valde grane peccatum. Si ergo per negligentiam cadente sanguine in terram lambi, & tabula radi debet, & post ad ignem proijci rasura vt comburatur: quanto magis pepla mulierum, & barbæ virorum Christi sanguine madidatæ, deberent comburi, eo quod ex proposito & sine necessitate, ac irreuerenter sic Christi sanguine perfunduntur. Si etiam Sacerdos qui sic negligens reperius fuerit, tam dure puniendus est, vt per quadraginta dies pœniteat, quanto magis personæ laicæ puniendæ sunt; & si non magis aut æque, nihilominus grauiter puniendæ venient, pro huiusmodi excessibus, & irreuerentijs commissis, quam vtique punitionem & pœnitentiam cum magna difficultate laici facere possent, & vtique absq; causa & necessitate. Cauendum ergo fuit Ecclesiæ, & summa diligentia procurandum, vt rudis populus non exponeretur grauis tam grauibus periculis peccatorum & pœnarum. Ex quo decreto Pij Papæ, manifestissimo signo coniecturari potest, quod consuetudo vnius speciei est antiquissima. Nam hic Pius Papa fertur fuisse decimus post Beatum Petrum Pontifex in Ecclesia Romana, vt refert Augustinus in epistola ad Generosum, & sedit in cathedra Petri circa annum Domini centesimum quinquagesimum tertium, qui absque dubio si fuisset tempore suo consuetudo vtriusque speciei, ita bene prouidisset circa effusionem sanguinis, quæ contingeret aut posset contingere in sumptione laicorum, sicut prouidit circa pericula, quæ contingunt in ministratione ministrorum siue sacerdotum. Imo amplius & diligentius, in quantum laici, mares & fœminæ, senes & iuuenes, infirmi, & alii sunt minus cauti, & minus circumspecti atque discreti in tractando diuina mysteria, quam sint ministri ad hoc specialiter deputati. Aut igitur aduersarii producant tam antiquum decretum, quod secundi prouisionem circa huiusmodi pericula laicorum faccre, quod non facient in æternum, aut fateantur nobiscum antiquitatem consuetudinis vnius speciei, ex hoc decreto prouisionem fecere in periculis contingentibus circa effusionem sanguinis per ministros; sicut etiam fit in alio decreto ex Concilio Aurelianensi de custodia corporis Christi, nulla facta mentione de sanguine, aut de specie vini, & habetur de consecratione, distinctione secunda cap. qui bene: vbi ita Concilium determinat: *Qui bene non custodierit se ipsum, & mus vel aliud aliquod animal comederit, quadraginta diebus pœniteat.* Ex quo decreto similiter patet, quod sola hostia siue Eucharistia seruabatur sine sanguine: *Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars ceciderit & inuenta fuerit, triginta dies pœniteat.* Ex quo decreto similiter patet, quod sola hostia siue Eucharistia seruabatur sine sanguine, quia indubitanter, si sanguis fuisset præceptus seruari, multo maior cautela fuisset adhibita in custodiam illius, quam in custodiam hostiæ, cum sit maioris periculi ad custodiendum. Quocirca S. Doctor tertia parte summæ suæ dicit, quod circa vtrum huius sacramenti duo possunt considerari, vnum ex parte ipsius sacramenti, aliud ex parte sumentium. Ex parte sacramenti conuenit, quod vtrunq; sumatur, scilicet corpus & sanguis, quia

Cap. 27.

Quam antiqua vnius speciei consuetudo Epist. 165.

Cap. 54. Sola hostia seruabatur sine sanguine.

Duo circa vsum sacramenti possunt cõsiderari.

quia in vtroque consistit perfecto sacramenti. Et quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare & perficere, nullo modo debet corpus CHRISTI sumere sine sanguine: Ex parte autem sumentium requiritur summa reuerentia & cautela, ne aliquod accidat quod vergat in iniuriam, aut in irreuerentiam tanti mysterij: quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi, & quia crescente multitudine populi Christiani, in qua continentur senes, & iuuenes, & paruuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelam debitam circa vsum huius sacramenti adhiberent, ideo prouide in quibusdam Ecclesiis obseruatur, vt sanguis sumendus non detur populo, sed solum à Sacerdote sumatur. Secundum, propter infirmos, pro quibus deberet sanguis sub speciebus vini, in sacrario reseruari, circa quem multa horribilia possent contingere. Nam de facili congelaretur, vel in acetum transmutaretur, & ita corrumperetur sacramentum, & sic acetum purum pro sanguine CHRISTI daretur fidelibus, & sic de facili idololatria committeretur: In æstate etiam de facili vermes aut musculæ in eo orirentur, etiam quantumcunque vas clausum custoditur, vnde fieret abominabile sumentibus ad bibendum, & multa alia quæ non possunt exprimi. Similiter importando ad infirmos ad longum spacium sanguinem, multa possent occurrere pericula & interuenire, sine quibus Sacerdos ipsum portaret, siue pedes, vt tempore pluuiarum, glaciei, & multis alijs modis. Tertium propter virare errores, ne videlicet populus communis, qui tantum iudicat secundum sensum, credat CHRISTVM non esse totum sub vna specie, sicut multi hæreticorum, vt Nestorius & Pelagius, & eos sequentes asseruerunt. Nestorius enim sic sub vtraque specie ministrauit, existimans quod sub specie panis esset tantummodo corpus CHRISTI sine sanguine, & sub specie vini sanguis sine corpore, quia sic in parasceue sanguis fuit diuisus à corpore, & è conuerso; quod omnino falsum est & hæreticum; quia licet in parasceue ita fuerit, & sic in hoc sacramento, si eadem die fuisset celebratum, sic fuisset, vt asserit, propter mortem, quia & anima & sanguis separabantur ab inuicem, & à corpore, non tamen nunc ita est, quia CHRISTVS resurgens ex mortuis, iam non moritur, & per consequens nec sanguis ab ipsius corpore separatur. Pelagius vero & ipsius sequaces dicebant Saluatoris innitentes, *nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* dederunt laicis sub vtraque specie, & etiam paruulis statim post Baptismum, & si speciem panis sacramentalem non possent sumere, dicebant quod debebat conteri cum sanguine, & sic infundi in ora puerorum, & si forte aliquam eiecissent, dicebant illud esse comburendum, imitantes illi Scripturæ Exod. 12. *Si quid residuum fuerit, comburetis*, multi etiam ita extensiue hunc textum acceperunt, vt vltra Pelagianos non solum ministrarent vinis vtramque speciem, sed etiam defunctis, vt refert venerabilis Beda in Homilia super Matth. 26. cap. Datur ergo non conficientibus sub vna specie, vt euitentur prædicti errores, vt videlicet CHRISTVS non credatur in hoc sacramento diuisus, secundum diuisionem speciecrum, sed quod sub altera totus sit & integer, contra id quod Nestorius asserebat; & ne credatur illud dictum CHRISTI necessitatem inducere absolutam, vt Pelagius asseruit, ita vt etiam pueris vsu rationis carentibus, & aliis amentibus dari deberet, & ministrari, ne forte eis sub diuersis speciebus, alius & alius CHRISTVS crederetur, præcipueque apud illos qui intelligere nequeunt, idem corpus per diuinum miraculum sub alienis dimensionibus posse in diuersis locis contineri: Quartum, vt veritas vmbræ & figuræ corresponderet. In veteri enim lege, de libaminibus, per quæ sanguis CHRISTI præfigurabatur, nihil sumebant laici, sed soli Sacerdotes, vt prædictum est. Quintum, propter honorem & dignitatem Sacerdotalis officij: dignum enim & iustum est, vt caracterem & dignitatem Sacerdotalem & officium quibus à communi populo distinguuntur, & si non quantum ad rem & affectum cæteris paribus, in signis tamen dum ministrant & celebrant hoc sacramentum, à cæteris distinguantur, & quadam extrinseca in mysterij huius oblationis dignitate, refulgeant, vnde quidam doctor dicebat Albertus de Padua, in quadam sua Quadragesimali Homilia in cœna Domini, ait: *Congruit etiam inter ministros Ecclesiæ & populum esse differentiam, & ideo populo sufficit esse de corpore CHRISTI: sed ministros oportet esse quasi animam corporis, dirigendo populum subditum, ideo illi corpus tantum, isti etiam sanguinem, in quo est anima, sumunt.* Ne etiam crederetur virtus huius sacramenti æque principalius consistere in sumptione & consecratione. Si enim laici ad vtramq; speciem admitterentur æqualiter Sacerdotibus, & sub vtraq; specie communicarent, facile crescente temeritate & malitia hominum, laici fortasse mulierculæ possent præsumere aliquid non solum sic sumendum, sed etiam conficiendum, quod quam detestabilis & damnabilis error esset, nullus sanæ mentis dubitat. Finaliter Ecclesia debuit cessante causa tollere & amouere effectum. Cum enim Eucharistiæ sacramentum etiam secundum virtutem nominis, sit sacramentum caritatis, quæ sola celat & operit multitudinem peccatorum, 1. Pet. 4. In primitiua autem Ecclesia, laicorum caritas effer buerat in tantum, quod pro Christiano nomine sitiebant, sicut sitit cervus ad aquæ fluuium, effundere sanguinem proprium & hoc principaliter ex triplici causa. Primo ex vicissitudine amoris, ad quam inuitabat Apostolus dicens: *hoc sentite in vobis, quod & in CHRISTO IESV.* Secundo ex recompensatione satisfactionis, prout Beatus Petrus hortabatur fideles, dicens: *CHRISTO igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Tertio propter exemplum Apostolorum quos videbant vltro se passionibus ingerere atque persecutionibus, de quibus dicitur Actor. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati:* in cuius feruoris signum CHRISTO eos ad passionem inuitanti secundum Hieronymum, *poteritis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* efficaciter respondenrunt: *possumus*, ex feruore martyrij. His itaque & alijs de causis illa sacra primitiuæ Ecclesiæ non solum clericorum, sed etiam laicorum caritas, ita eos ad passionem martyrij animabat, vt alter alterum certaret præuenire, decantans cum Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*, tunc etenim qui Episcopatum desiderabat, non aliud quam martyrium optabat, secundum Gregorium in pastorali: ad quam intentionem dicebat Apostolus: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Talii igitur deuotione & charitate in sanctis laicis existentibus, & persecutoribus omni momento & loco mortem intendentibus, tunc qualiber hora licebat laicis in prouocationem & deuotionem effundendi sanguinem proprium, bibere de calice altaris sanguinem CHRISTI, & hac in causa & ad propositum loquebatur Beatus Cyprianus epist. 37. de lapsis: *Et cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarios volumus, munimento Dominicæ securitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis CHRISTI sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesiæ poculum Dominica iure communicationis admittimus?* Cum igitur talis feruor caritatis erat singularis priuilegij, Apostolo attestante capite primo ad Philip. *Vobis datum est pro CHRISTO non solum vt in eo credatis, sed etiam vt pro illo patiamini,* & secundum Augustin. *Sicut nullus est melior in hac vita introitus quam per Baptismum, sic nullus turior exitus quam per martyrium, in quo sicut in Baptismo, omnia tolluntur peccata: in cuius mysterium super CHRISTVM primum baptizatum, & super Stephanum primum pro CHRISTO lapidatum, cœli leguntur aperti.* Cessante illo feruore caritatis & deuotionis, & hoc singulari priuilegio, quod erat martyrij desiderium, vtique cessare debuit & debet hoc, quod in signum illius desiderij dabatur laicis. Nec obstat, quod sacerdotes conficientes sumunt sanguinem, in eis deficiente illa caritate & deuotione, de quibus prædictum est, quia non solum pro se ipsis, sed pro tota Ecclesia, in qua non est extincta caritas, nec in sempiternum extinguetur, DEO offerunt sacrificium. Et etiam quia ad ipsos pertinet non solum ad efficaciam sumere, sed etiam ad significationem. Vnde Nicolaus de Lyra super illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis, &c.* dicit: *Sacramentum Eucharistiæ non solum proficit Sacerdoti sumenti, sed etiam toti Ecclesiæ, etiam illis qui sunt in purga-*

CXLIX. *Secundum motiuum propter infirmos.*

CL. *Tertium motiuũ ad vitandum errores.*

CLI. *Quartum motiuum.*

CLII. *Quintum propter dignitatẽ sacerdotalis officii.*

Rom. 6.

CLIII. *Sextum. Cessante causa tollitur effectus Charitas primitiuæ Eccl. ex triplici causa. Philip. 2.*

1. Pet. 4.

Serm. 4. feria 5 maioris hebd. in ord. 246.

Psal. 115.

Iuxta edit. P. melii epist. 54.

1. Tim. 2.

Augustin.

Sacerdos non pro se tantum sed pro tota Eccl. Sacrificium offert. Sacerdos sumit non solum ad sanctificandum eli etiam ad significationem.

rorio. Cuius ratio est, quia Eucharistia non est tantum sacramentum, sed etiam sacrificium Ecclesiæ, inquantum continet CHRISTVM passum, & ideo proficit omnibus fidelibus. Si sumatur alio modo, vt à laico, tunc proficit sibi soli sumenti, quia officium eius non est offerre sacrificium, sed tantum suscipere sacramentum, & quia etiam Apostolis præceptiue dictum est: *hoc facite in meam commemorationem*: per quæ etiam verba in Sacerdotes constituebantur, vt patebit. Ex his & alijs motiuis, consuetudo & auctoritas Ecclesiæ obtinuit, vt non conficientibus tantummodo hoc sacramentum sub specie panis traderetur. Et hæc de positione mea præsenti dicta sufficiant, ad laudem omnipotentis Dei, cui sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

CLIV. Expedita diuino auxilio positione primæ & secundæ conclusionum propositarum pro veritate Catholica, postergata etiam tertia, quæ ex dicendis dependet, accedo ad vltimam partem præsentis actus, videlicet ad respondendum obiectis partis aduersæ. Et licet quamplurimum cogitauerim, quem ordinem in respondendo tenere deberem, an ordinem conclusionum mearum, vel suæ positionis. Tandem deliberaui potius insequi positionem proponentis, licet ordo doctrinæ & materiæ propositæ exigeret oppositum. In qua responsione tenendo hunc modum, qui ea in quibus conuenimus vel differimus, referam breuiter, vt hoc venerabile auditorium percipiat tam conuenientiam quam differentiam nostram.

M. Rokezani insufficiens protestatio. Inprimis igitur quo ad protestationem quam idem Magister nomine omnium suorum proposuit in medium, videtur quod sit insufficiens. Primo quo ad credulitatem fidei articulorum. Secundo quo ad Ecclesiam quam profitetur. Tertio quo ad submissionem, qua dicunt se velle submitti correctioni, in casu quo deficerent. Qua in prædictis locis solum stant in genere, circa quod latent æquiuocationes, vt dicit Aristoteles non terminantes se ad aliquod certum particulare & determinatum. Nam dicunt se credere articulos fidei ad illum intellectum ad quem benedicta Trinitas & Dominus Iesus præcepit & vult credi. Cum enim voluntas benedictissimæ Trinitatis non innotescat hominibus, nisi per scripturas sanctas, quas contingit bene & male intelligi; aut per Ecclesiam, quam ipse Dominus non finiterrare; vel per reuelationem, cum nihil eorum exprimant, patet quod insufficienter articulos fidei profitentur.

NB. Similiter cum dicunt se credere sanctam Ecclesiam per totum mundum diffusam, cum multiplex sit varietas in acceptione Ecclesiæ per totum mundum diffusæ. Nam multi dicunt Ecclesiam Catholicam tantummodo constare ex prædestinatis, siue fidelibus, siue infidelibus, multi etiam dicunt eam constare ex fidelibus in gratia gratum faciente constitutis. Alij vero ex cunctis fidelibus, in vnitate fidei, ritu sacramentorum, & præceptorum Dei existentibus, dicunt constare Ecclesiam, cum ad nullam prædictarum acceptionum se determinent quod ad credulitatem Ecclesiæ, patet quod protestatio eorum est insufficiens. Deinde cum proprie ad Ecclesiam, deuiantes & errantes à fide & in moribus, pertineat corrigere, ad cuius iudicium quemliber fratrem errantem Dominus, tanquam ad inobliquabilem regulam, remisit, dicens: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matth. 18. pater, quod submissio ipsorum est in indiuiduo vago, & in re instabili & incerta, & per consequens omnino protestatio eorum est insufficiens; quia non submittunt se alicui certo iudici.

NB.

CLV. *Conclusiones M. Rokezan de communione.* Secundo in declaratione terminorum in conclusione sua positorum, ponit trimembrem diuisionem de communione corporis CHRISTI, & dicit quod primo modo communio corporis CHRISTI dicitur societas sanctorum, & solum talium est vnum corpus CHRISTI mysticum, cuius caput est CHRISTVS. Secundo modo communio significat sacramentum corporis & sanguinis CHRISTI, per cuius sumptionem dignam homo ingeritur ad communionem primo modo acceptam. Tertio modo accipitur communio pro congregatione omnium credentium in CHRISTVM, bonorum Christianorum simul & malorum, & hæc est vulgaris acceptio communis & minus propria. Circa primum membrum Magister proponens intendit quod corpus CHRISTI mysticum, quod est Ecclesia, sit societas & Ecclesia sanctorum, cuius caput est CHRISTVS, ex quo declaratur, quod ipse intelligat per Ecclesiam solum congregationem fidelium in gratia constitutorum, vt patet etiam per declarationem suam, cum dicit, quod in hac communitate fidelium, de qua loquitur, talis & tanta est vnio, quod quodlibet membrorum omnium bonorum est particeps, nisi per peccatum mortale sit mortuum & abscissum, in qua re quantum deuiet à veritate, ostenditur ex duplici capite. Primo ex ratione capitis, quæ ipsi CHRISTO competit. Secundo ex ratione membrorum & corporis, secundum quod corpus eius in hac vita peregrinatur. *1. Prima refutatio.*

Ratione primi, sc. ratione capitis, probatur sic: Propria ratio capitis accipienda est ex propria operatione eiusdem, maxima autem & propria operatio CHRISTI hominis, secundum quam vere & proprie est caput Ecclesiæ, est saluare: à qua operatione tanquam sibi maxime propria, proprio vocabulo ac nomine nuncupari voluit, Iesus sc. quod nomen est quod Saluator, quod nomen fuit sibi impositum ab æterno, licet ab Angelo fuerit pronunciatum ex tempore, Luc 1. *Et vocabis nomen eius Iesum*, & Matth. 1. *quod vocatum est ab Angelo prius quam in vtero conciperetur.* Cuius interpretationem & sensum ibidem Angelus exprimens, postquam dixerat: *& vocabis nomen eius Iesum*, subiunxit: *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quorumcunque igitur ipse CHRISTVS & Saluator erit, vtiq; & caput. Ex quo ipsius propria operatio est saluare. Sed ipse est Saluator omnium hominum, & maxime fidelium, vt ait Apost. ad Tim. 4. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*, vt dicitur 1. Ioan. 2. Ergo ipse CHRISTVS est caput omnium hominum, & maxime fidelium, & non tantum omnium nostrum, sed etiam totius mundi. Pro cuius declaratione sciendum est, quod differentia est inter corpus naturale hominis, & corpus Ecclesiæ mysticum, vt dicit doctor sanctus, p. 3. q. 8. art. 3. quia membra naturalia sunt omnia simul, non sic autem Ecclesiæ, neque quantum ad esse naturæ, cum constituatur ex omnibus hominibus qui fuerunt à principio mundi, vsque ad finem ipsius, qui non sunt simul, neq; etiam quantum ad esse gratiæ, quia etiam eorum qui sunt in vno tempore, quidam carent gratia, eam postmodum habituri, aliis iam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici non solum accipiuntur secundum quod actu sunt, sed etiam secundum quod in potentia. Quædam autem in potentia, quę nunquam ad actum reducuntur, quædam verò ad actum reducuntur quandoque. Et hoc secundum triplicem gradum, quorum vnus est per fidem, secundus per caritatem viæ, tertius per fruitionem patriæ. *Differentia inter corpus naturale & mysticum.*

Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, CHRISTVS est caput omnium hominum: sed secundum diuersos gradus, quia primo & principaliter est caput eorum, quia actu sibi per gloriam vniuntur. Secundario eorum, qui ei actu vniuntur per charitatem viæ, tertio qui sibi vniuntur per fidem, quarto eorum qui vniuntur sibi solum in potentia nondum ad actum reducta, quandoque tamen reducenda per diuinam prædestinationem. Quinto eorum qui sibi vniuntur in potentia, quæ tamen nunquam reducetur ad actum, cuiusmodi sunt homines in hoc mundo viuentes, qui non sunt prædestinati, qui nunquam sibi vniuntur per fidem, aut charitatem, qui tamen decedentes de hoc mundo, desinunt esse in potentia vt vniantur CHRISTO, *hæc in summa S. Thomas vbi supra.* Ex quibus sequitur primo quod CHRISTVS est caput principaliter Ecclesiæ triumphantis, & non solum animarum omnium, sed etiam angelorum, secundum illud quod Apostolus dicit ad Coloss. 2. loquens de CHRISTO, qui est caput omnis principatus & potestatis, & ad Ephes. 1. quod constituens eum, sc. CHRISTVM, Deus Pater ad dexteram suam in cœlestibus super omnem potestatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput *Christus caput Ecclesiæ triumphantis.*

Christus caput eccl. militantis. caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, qui in omnibus adimpletur. Sequitur etiam quod Christus est caput secundario Ecclesiæ militantis, de qua in præsenti loquimur, ordine tamen præscripto seruato in personis, & non solum aliquorum, sed etiam omnium hominum, qui ab initio mundi fuerunt, & erunt vsque ad finem mundi; hi tamen actualiter Christi Ecclesiam militantem constituunt, qui actu Christo aliquo modo vniuntur, scilicet per fidem aut caritatem. Ex quibus manifeste colligitur, quod Christus est vere & proprie caput non solum in gratia constitutorum, sed etiam in fide sibi vnitorum & vnitate sacramentorum. Secundo declaratur falsitas prædicti primi membri ex ratione conditionis Ecclesiæ peregrinantis & militantis in hac vita, in qua necesse est esse simul malos cum bonis, quod vtique efficacissimis scripturarum & Doctorum testimoniis ostendendum est. Et primo quidem ex similitudinibus quas Christus adducit in Euangelio, quibus comparat præsentem Ecclesiam. vnde Matth. 25. ait Dominus: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus*, quinque videlicet prudentibus, & quinque fatuis, super quo sic ait Gregor. *Sed sciendum nobis est quod sæpe in sacro eloquio regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur, de quo in alio loco Dominus dicit: mittet filius hominis angelos, & colligent omnia scandala de regno eius. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inueniri poterunt scandala quæ colligantur. Vnde rursus dicitur: Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: in quo, doctor qui mandatum soluerit, minimus vocatur: cuius enim vitam despicitur, restat vt eius prædicatio condemnatur: Quid ergo per hanc sententiam nisi præsens Ecclesia regnum cælorum dicitur, & quia ex vtroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis denunciatur, in qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis sunt admixti, recte similis virginibus prudentibus, fatuisque esse perhibetur. Quousque enim hic vitiamur, necesse est vt vitam præsentis seculi permixte agamus. Boni enim soli nusquam sunt nisi in cælo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno: hæc autem vita quæ inter cælum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita mixta vtrarumque partium ciues communiter recipit. quos tamen sancta Ecclesia & nunc indistincte recipit, & postmodum in egressione discernet.* Item sancta Ecclesia comparatur sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti. Idem vbi supra Gregor. Homilia: *Sancta Ecclesia sagenæ missæ in mari comparatur, quia & pisces atroribus est commissa, & per eam quisque ad æternum regnum à præsentis seculi fluctibus trahitur, ne in æterna mortis profunda mergatur, quæ ex omni genere piscium congregat, quia ad peccatorum veniam sapientes & fatuos, liberos & seruos, pauperes & diuites, fortes & infirmos vocat,* & infra: *Nunc enim bonos malosque communiter quasi permixtos pisces fidei sagena continet; sed littus sanctæ Ecclesiæ, id est, finis iudicat, sagena quid trahebat.* Et Chrysost. super illud: *Collegerunt bonos in vasa sua,* &c. inquit, *Ecclesia media est inter calum, quod est tantum bonorum locus, & infernum qui est tantum malorum. Ipsa vero Ecclesia est media, quia indifferenter bonos & malos colligit.* Item Ecclesia militans comparatur areæ, secundum illud Luc. 3. *Ipse vos baptizabit in aqua & igne, & Spiritu sancto, cuius ventilabrum in manu eius, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem,* &c. vbi per aream Ioannes intelligit & designat præsentem Ecclesiam, vt exponunt communiter sancti, & præsertim Augustinus qui super Psalm. 25. *Iudica me Domine,* dicit: *Area est Ecclesia huius temporis: sæpe diximus, & paleam habet, & frumentum:* Item ad Petrum diaconum in libro de fide dicit, cap. 43. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & in ea vsque ad finem seculi frumento mixtas paleas contineri.* & infra: *In fine vero seculi, bonos à malis etiam corpore separandos, quando venit Christus habens ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili:* Item eadem præsens Ecclesia comparatur nuptiis. de quibus Matth. 25. dicitur; *Simile est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio,* &c. *qui egressi congregauerunt omnes quos inuenerunt bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium, vbi,* vt Gregor. inquit, *aperte ostenditur, quia per has Regis nuptias Ecclesia designatur, in qua mali cum bonis conueniunt, permixta quippe est diuersitate filiorum, quia sic homines ad fidem generat, vt tamen omnes per imitationem vitæ ad libertatem spiritualis vitæ, culpis exigentibus, non perducat. Quotusque namque hic viuimus,* &c. vt supra de decem virginibus, &c. Idem super illud Matth. 22. *Intrauit autem Rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali,* &c. dicit: *Intrat enim ad nuptias, sed cum veste nuptiali non intrat, qui in sancta Ecclesia existens fidem habet, sed caritatem non habet:* & Simon de Cassia super illud: *Egressi sunt servi eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium,* &c. dicit, quod ex omnibus nationibus crediderunt homines, ex quibus Ecclesia impleta est, & ex malis & ex bonis Christianis constat Ecclesia, & mixtum est Ecclesiæ Christi corpus, quamquam ipse velit eam exhibere gloriosam, non habentem maculam neque rugam, sed in area negotium agitur vbi paleæ sunt & triticum, nondum enim ventilabrum excussit vnum ex altero, sed boni & mali discumbunt in nuptiis Ecclesiæ militantis, dispari vita, dispari cultu, disparibus moribus atque meritis, quousque decernat super vtrumque Rex, qui nouit non perperam, sed in veritate profere iudicium, qui excludet merito excludendos, & iuste absque macula super mensam Ecclesiæ epulantes in pace dimittet: Item præsens Ecclesia comparatur Arcæ Noe, in qua animalia mitia fuerunt cum immitibus, coruus cum columba, & homines cum animalibus, per quæ boni & mali in Arca Ecclesiæ significantur. *2. In ecclesia militante sunt boni malis permixti. Patet similitudine prudentium & fatuarum virginum. Hom. 12. Matth. 13. Matth. 5. Greg. hom. 38. Sagena missa in mare. Matth. 13. Hom. 11. Area. Nuptiarum. Hom. 38. Arca Noe.*

Item Ecclesia militans comparatur domui magnæ, de qua Apostolus loquitur: *In magna domo,* inquiens, *non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam,* vbi inquit glossa: *In magna domo quæ est Ecclesia, scilicet domus Dei viui, columna & firmamentum veritatis* 2. ad Timoth. 2. *non solum sunt vasa aurea & argentea. Quod dupliciter intelligitur: vno modo per vasa aurea & argentea, intelliguntur electi, per lignea & fictilia reprobi, & sic, quod sequitur, quædam in honorem, refertur ad vasa aurea & argentea, quædam in contumeliam, referetur ad lignea & fictilia vasa. Alio modo per vasa aurea & argentea intelliguntur boni in præsenti, siue electi siue reprobi, per lignea & fictilia omnes mali in præsenti, siue reprobi, siue electi, & tunc quod sequitur, quadam in honorem, quadam in contumeliam, referetur indifferenter ad vtrumque. Primo ergo modo exprimitur sic. In magna domo, id est, in Ecclesia, non solum sunt vasa aurea, id est, electi perfecti, & argentea, id est, electi imperfecti, sed lignea, id est, reprobi aperte mali, aut ne incendio præparati, & fictilia, id est, reprobi ficte boni, qui non ita aperte sunt mali: & quædam quidem scilicet vasa aurea & argentea sunt in honorem, scilicet in vsum honorabilem ordinata hic gratia & in futuro gloria. Quædam autem scilicet lignea & fictilia, in contumeliam, id est, in vsum vilem hic culpa, & in futuro gehennæ. Secundo modo legitur sic: In magna domo, id est, in Ecclesia, non solum sunt vasa aurea & argentea, id est, omnes boni perfecti & imperfecti, & hoc siue præscit, siue electi, sed & lignea & fictilia, id est, mali aperti & occulti, & hoc similiter siue electi siue reprobi: & quædam quidem scilicet ex vtrisque, tam ex bonis, quam ex malis, sunt in honorem, scilicet electi, quidam autem in contumeliam, scilicet reprobi. Ex bonis enim quidam ad tempus tantum boni sunt, tamen in fine sunt mali, & hi sunt in contumeliam. Quidam autem perseuerantes in bono, & hi sunt in honorem. Similiter de malis quidam ad tempus sunt mali tantum, tamen in fine sunt boni, & hi sunt in honorem: Quidam autem sunt perseuerantes in malo, & hi sunt in contumeliam.* Ecce quam planum & apertum testimonium sacrarum scripturarum, & sanctorum Doctorum, quod præsens S. Ecclesia militans continet in se bonos & malos, prædestinatos & præscitos, sicut nauicula quæ Christum cum Apostolis & Iudam cotinebat, qui & inter Apostolos habebatur Apostolus. *Est ergo*, ait August. super Psalm. 51. in prologo, *regnum terrenum & regnum cœleste regnum eradicandum, & regnum in æternum plantandum. Modo in hoc seculo ciues vtriusque regni permixti sunt, corpus regni terreni & corpus regni cœlestis commixtum est.* Post hæc declaratur prædicta veritas Catholica ratione fundata in veritate diuinarum scripturarum, & assumitur sic: Ecclesia Catholica est illa Ecclesia, quam fideles profitentur in symbolo tam Apostolorum quam etiam Nicæno, cum dicitur: *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam.* & iterum: *Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Aut igitur profitentur id quod credunt, aut id quod non *Domus magna.*

credunt; aut solum id quod dubitant. Non est dicendum, quod profitentur id quod non credunt, quia tunc mentirentur, nec id etiam quod dubitant, quia tunc non haberent fidem, quæ est firma adhæsio ad credibilia, quam dubitatio excludit. Oportet igitur quod profiteantur id quod firmiter credunt. Aut igitur vlterius credunt se esse de gremio Ecclesiæ Catholicæ non profitentur, aut non; si non, tunc hæretici mentiuntur quando dicunt apud eos esse Ecclesiam Catholicam, vel se esse de gremio Ecclesiæ Catholicæ ex quo non credunt se esse in ea; si sic, oportet quod per aliquid accipiant huiusmodi credulitatem. Aut igitur hoc erit, quia nota est eis prædestinatio, aut quod sint in gratia gratum faciente constituti per se, aut quia habent per reuelationem, sed non primo modo, quia cum diuina prædestinatio nihil ponàtin prædestinato, cum sit sola diuina voltio. qua ab æterno voluit aliquem ad vitam æternam ordinare, non potest esse nota prædestinato, nisi quantum sibi à Deo reuelaretur: Similiter nemo secundum se, nisi sibi reuelatur, scit an amore vel odio dignus sit, vt scriptura dicit. S igitur hæretici credunt se esse de gremio Ecclesiæ Catholicæ, oportet quod habeant hoc per reuelationem, & tunc vnusquisque eorum examinet coram Deo conscientiam suam: vbi & quando hoc fuerit sibi reuelatum.

CLVI. *Si numerus prædestinatorũ, aut in gratia constitutorum tantum, esset Ecclesia in symbolo credenda, nulla esset ipsius certitudo, nec esset ciuitas supra montem posita.*

Stig tur numerus prædestinatorum tantum, vel eorum qui sunt in gratia constituti, est Ecclesia Catholica patet, quod nulla est certitudo ipsius, quod nullo modo est dicendum de Ecclesia Catholica, quæ est ciuitas super montem posita, id est, super Christum ædificata, quæ non potest absconditi, vnde Chrysost. super Matth. & super hoc verbo: *Non potest ciuitas abscondi*, & allegat S. Thomas eum, *hæc ciuitas Ecclesia sanctorum est, de qua dicitur in Psalmo: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Ciues eius sunt omnes fideles, quibus Apostolus ait: Vos estis ciues sanctorum, hæc ergo ciuitas posita est super montem Christi, de quo Daniel 2. dicitur: Lapis abscissus sine manibus factus est mons magnus. S. ne non potest abscondi supra Christum posita, etiam si ipsa voluerit, mons enim qui eam portat facit eam omnibus manifestam, sic & Apostoli, & Sacerdotes, qui fundati sunt in Christo, non possunt esse occultandi, etiam si voluerint, quia Christus eos manifestat.* hæc Chrysost. Quæ ideirco supra montem posita describitur, vt & habitantibus in ea sit firma & certa securitas, & vt cunctis exteris pateat ad eam confugere seu venire volentibus: in qua licet gratia Dei insunt, vt firmiter credimus, multi prædestinati & multi in gratia constituti, quorum meritis adhuc durat mundus, non tamen propter prædestinationem aut gratiam quæ occulta sunt, sancta Ecclesia dicitur Catholica, sed propter communionem vnius fidei, sacramentorum, & præceptorum, quæ omnibus possunt esse nota & communia bonis scilicet & malis. Item prædest natio & gratia huiusmodi Ecclesiæ quam fingunt aduersarii, minus nota est aliis, quam ipsimet qui se dicunt in eadem existere: igitur quantumcunque fulgerent per mundum bonis operibus, cum sæpe angelus Sathanæ transfiguret se in angelum lucis, non propter hoc auderet homo se ipsis comungere, tanquam Ecclesiæ Catholicæ, quia semper dubitandum esset de ipsis, an essent pseudo prophetæ, de quibus cautos nos redd dit Dominus, dicens: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Oportet igitur quod certa & manifesta sint signa & indicia Ecclesiæ Catholicæ, per quæ discernantur oues à lupis, huius autem signa sunt veritas fidei, vnitas sacramentorum & præceptorum Dei. Item Christus resoluens vltimam correctionem fratris remisit ad Ecclesiam, ita dicens: *Si te non audierit, die Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Aut ergo Christus remisit nos ad aliquem certum iudicem aut incertum. Non est dicendum incertum, quia tunc nunquam fratris correctio sequeretur. Oportet igitur quod ad certum iudicem transmittat nos. Cum igitur Ecclesia prædestinatorum & in gratia constitutorum, sit homini incerta, vt dictum est, oportet quod huiusmodi remissio sit ad Ecclesiam, quæ sit nota & certa viatoribus, secundum statum viæ præsentis, cuiusmodi est Ecclesia Catholica in vnitate fidei & sacramentorum vbique per orbem perseuerans. Ex quibus patet, quod corpus Christi mysticum prout in hac valle miseriæ peregrinatur, quo Ecclesia eius, non solum prædestinatos aut solum in gratum faciente constitutos retinet & comprehendit, sed simul bonos & malos, fide rectos, Christo capiti adhærentes.

Matth. 7.

Matth. 8.

Aut fratris peccatum eidem denunciare.

Vlterius ex prædictis potest colligi vna descriptio Ecclesiæ Catholicæ, talis videlicet, quod Ecclesia est corpus mysticum, organicum, fide Christi animatum. Corpus ponitur loco generis, additur mysticum ad differentiam corporis naturalis, licet ad similitudinem eiusdem dicatur hic Organicum propter diuersitatem statuum, graduum & officiorum, ad similitudinem diuersorum membrorum in corpore naturali, quæ sunt diuersa organa, quæ declarans Apostolus inquit: 1. ad Cor. 12. *Sicut corpus vnum est, & multa membra habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum corpus sunt, ita & Christus habet multa membra in suo corpore.* & iterum: *Vos autem estis corpus Christi & membra de membro*, & iterum: *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi sumus vnum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Et sicut verum membrum seruit sibi & toti corpori, sic in Ecclesia militante diuersi in diuersis statibus & officiis sibi & aliis in Ecclesia subseruiunt. Ex quibus verbis & sententiis Apostoli clare habentur prædictæ particulæ ties, scilicet, quod Ecclesia est corpus mysticum, organicum, additur autem: fide Christi animatum, per quam Ecclesia militans in tali esse constituitur, & ab omni alia Ecclesia, siue congregatione distinguitur. Dicitur autem animatum fide, quia sicut anima corpus, sic fides animam & specialiter formata per gratiam vinificat, secundum id ad Roman. 1. & 10. ad Hebr. *Iustus autem meus ex fide viuit*, quod non solum intelligendum est de fide formata, sed etiam informi, quia etiam mali fideles per fidem, & in se ipsis viuunt, licet non vita perfecta, & cæteris membris Ecclesiæ ac Christo capiti coniunguntur, & multas vitæ operationes exercent, & ita se habet fidelis peccator ad caput Christi, & ad corpus Ecclesiæ, sicut membrum in corpore naturali, non quidem mortuum totaliter & præcisum, sed tanquam membrum mortificatum & vitium corpori, quia adhuc in ipso est radix vitæ scilicet, ipsa fides. Non igitur verum est quod fidelis per peccatum moriatur ex toto, aut abscindatur à corpore, vt proponens dicit. Et de mortificatione quidem dicit S. Thomas 3 parte summæ, artic. 3. loquens de huiusmodi peccatoribus fidelibus: *Percipiunt*, inquit, *tamen tales, à Christo quendam actum qui est tradere, sicut si membrum mortificatum aliqualiter moueatur ab homine.* Quod etiam non sint membra abscissa, ostendit Augustinus contra Donatistas, dicens: *Si cuius est manus aridа, verum quidem est membrum, quamuis sine sanguine & inefficax, & mortuum, sic & fides cum sit vera, tamen sine operibus mortua est*, & habetur 1. quæst. 1. sicut vigesimi. Alii vero sic describunt Ecclesiam, Ecclesia sancta Catholica militans siue viatrix est vniuersitas fidelium bonorum & malorum, orthodoxam fidem tenentium, in sacramentis Ecclesiasticis societatem habentium: quæ in sententia in idem redit cum prima. Sed iam ad id quod in prima generali suppositione præmisimus, & sæpe promisimus, gressus nostros dirigamus, scilicet, ad probandum Ecclesiam Catholicam errare non posse, cuius declaratione ponitur talis propositio: Impossibile est Ecclesiam Dei militantem Catholicam errare in his quæ fidei sunt & necessitatis ad salutem. Quæ propositio licet quondam fuerit apud omnes Doctores Catholicos, & sanctos, & alios fideles, & nunc sit principium fidei per se notum & manifestum, tamen propter quosdam qui eam friuole difficultant, ad consolationem fidelium, & eorum qui eam difficultant confutationem, ipsam ex fundamentis in æternum fundatis sacræ scripturæ, multipliciter probabimus in præsenti. Et primo, quia prædicta propositio virtualiter est articulus fidei, vt patet in symbolis tam Apostolorum quam Nicæno, in quibus fideles profitentur, se credere sanctam Catholicam Ecclesiam. In altero enim dicitur: *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam*, in altero. *Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Idem autem est credere Ecclesiam Catholicam esse sanctam, & Ecclesiam Catholicam non posse errare in his, quæ necessaria sunt ad sa-

anima ecclesiæ. Abacuc. 2.

Peccator quomodo in Ecclesia.

3. q. 8. ar. 3. ad secundum.

Lib. 4. c. 4.

Cap. 47.

CLVIII. *Alia ecclesiæ descriptio.*

Impossibile est ecclesiã Dei militantem, in his quæ fidei sunt & necessitatis ad salutem errare Probationes.

1. *Aliquin non esset pro tempore, quo erraret, sancta.*

ad salutem, quia pro tempore quo erraret in prædictis, non esset sancta, sed esset maculata errore mortifero peccati mortalis, vnde B. Augustinus in expositione symboli: *Ista est sancta Ecclesia, non habens maculam aut rugam: multi enim & alii Ecclesias congregarunt, vt Marcion, vt Valentinus, vt Hebion, vt Manichæus, vt Arius, & cæteri omnes hæretici, sed illæ Ecclesiæ non sunt sine macula vel ruga perfidiæ, & ideo dicebat de illa Prophetia: odium Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. De hac autem Ecclesia quæ fidem Christi integram seruat, audi quid dicit Spiritus sanctus in Canticis Canticorum: Vna est columba mea, vna est perfecta genetrici suæ. Qui ergo hanc fidem in Ecclesia susceperit, non declinet in consilia vanitatis, & cum iniquis gerentibus non intret.* hæc Augustinus. Ex hoc argumentor sic: Nihil erronei aut falsi subest aut subesse potest articulis fidei; sed prædicta propositio est articulus fidei, ergo sub ipsa aut in ipsa non subest, nec potest subesse aliquid erronei aut falsi. Assumptum pro minori parte probatum est, sed maior patet, quia qua ratione sub vno articulo daretur falsum, eadem ratione & sub alio, & ipsa tota fides vacillaret, & omnia in dubium verterentur, quod nullo modo est dicendum. Secundo, Ecclesia regitur à Spiritu sancto, sed Spiritus sanctus errare non potest, ergo nec Ecclesia. Prima pars innuitur tam per symbolum Apostolorum, quam Nicænum, cum statim post articulum Spiritus sancti, cum dicitur, *Credo in Spiritum sanctum*, subiungitur articulus de Ecclesia, videlicet, *sanctam Ecclesiam Catholicam*, vt sit sensus, Credo in Spiritum sanctum, supple dirigentem, gubernantem, & sanctificantem, sanctam Ecclesiam, imo & viuificantem, vt dicitur in symbolo Nicæno, vnde Albertus Magnus in expositione symboli quam ponit in tract. tu de officio Missæ, dicit: *Deinde symbolum posuit Iacobus Minor, dicens: sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem: respiciens enim ad hoc quod sanctus Spiritus datur & mittetur ad sanctificandum creaturam, quæ sanctitas nunquam fallit in Ecclesia, sed non nunquam fallit in personis, dixit, sanctam Ecclesiam, & quia omnis articulus fundatur in diuina & æterna veritate, & non super creatam veritatem, quia omnis creatura vana est, & non habet solidam veritatem, ideo ille articulus sic resoluendus est, ad proprium opus Spiritus sancti, hoc est, credo in Spiritum sanctum non solum secundum se, sicut dixit præcedens articulus, sed etiam credo in eum, secundum proprium opus eius, quod est, quod sanctificat Ecclesiam, quam sanctitatem profudit in sacramentis & virtutibus & donis quæ dat ad sanctitatis perfectionem, & eandem in miraculis & donis gratis datis, si ut sapientia, scientia, fides, discretio spirituum, operatio sanitatum & prophetia, & huiusmodi quæ dat Spiritus ad sanctitatis Ecclesiæ demonstrationem.* hæc Albertus. Similiter patet per illud Ioan. 14. *Rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Similiter per illud: *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* & per illud: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem venerit Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem.* per omnia & similia datur manifestissime intelligi commissum fuisse regimen Ecclesiæ Spiritui sancto, Christo, præsentia corporali, ab Ecclesia recedente, secundum illud: *Si ego non abiero, paraclitus non veniet ad vos, Si autem abiero, mittam eum ad vos.* & Spiritus sanctus docuit ecclesiam omnem veritatem, scilicet, ad salutem necessariam, & in signum huius inuisibilis missionis, & assistentiæ Spiritus sanctus fuit datus in die Pentecostes in signo visibili, scilicet in linguis igneis, Apostolis, & cæteris fidelibus, in quibus pro tunc erat Ecclesia, & qui eam constituebant.

Expositio illa ieiunii Rufini, habetur in 3. tomo Cypr. Psalm. 25.

Cant. 6.

2. *Non regeretur à Spiritu sancto*

Ioan. 16.

3. *Non diceretur in omnem veritatem vsque ad consummationem seculi.*

Sap. 2.

Secunda pars patet, quia Spiritus sanctus dicitur à Christo Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, & cum sit Deus qui est prima veritas, errare non potest. Sed fortasse dicit aduersarius quod prædicta verba sunt de Apostolis & primitiua Ecclesia, quando Ecclesia erat in vera imitatione doctrinæ & vitæ Christi constituta, sed recedente ab imitatione Christi, & immergente se vitiis & peccatis, recessit ab ea Spiritus sanctus, qui non habitat in corpore subdito peccatis, & per consequens, incidit in varios errores & hæreses, sed contra Christus promisit indefectibilem sui assistentiam Ecclesiæ, vsque ad consummationem seculi, ideo prædicta non solum intelliguntur de Apostolis, & primitiua Ecclesia, sed simpliciter de ecclesia duratura vsque ad finem seculi. Assumptum patet Matth. vltimo. cap. *Euntes docete omnes gentes, &c.* Et subdit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Manifestum est autem quod Apostoli non sunt, nec erunt in hoc mundo vsque ad consummationem seculi, non igitur pro ipsis solis dictum est, sed & pro successoribus eorum duraturis vsque ad consummationem seculi. Vnde Chrysostomus in homilia super hoc eodem passu: *Quia vere eis magna iniunxerat, erigens eorum sensus dicit: Ecce ego vobiscum sum, quasi dicat, ne dicatis, difficile est iniunctum negotium, ego sum vobiscum, quia omnia facio leuia, non autem cum illis solum dixit se futurum esse, sed & cum omnibus qui post illos credunt, non enim vsque ad consummationem seculi Apostoli mansuri erant, sed sicut vni corpori fidelibus loquitur.* Hæc Chrysostomus. Item Beda: *Ex hoc autem intelligitur quod vsque ad finem seculi non sunt defuturi in mundo qui diuina mansione & inhabitatione sint digni in Ecclesia.* Item in glossa ordinaria habetur sic: *Quod Apostolis per successionem vniuersali Ecclesiæ promittit. Nota quod vsque ad finem seculi.* Item Hieronymus ibidem: *qui ergo vsque ad consummationem seculi cum discipulis se esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurum.* hæc Hieronymus. Si igitur Ecclesia aliquo tempore errasset, aut errauerit de facto, quomodo Christus erit aut fuit semper cum ea omnibus diebus? Similiter etiam promisit assistentiam Spiritus sancti vsque in æternum ita dicens, Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Sed dicet aduersarius, prædicta verba dicta sunt Apostolis, cum quibus fuit Christus, quam diu fuerunt in hac vita, eos hic per gratiam protegendo, & in persecutionibus adiuuando, & post hanc vitam fuit & erit cum eisdem per gloriam vsque ad consummationem seculi, & vsque in æternum cum eisdem manebit Spiritus sanctus, vnde prædicta verba non videntur extendi ad alios, sed tantum ad Apostolos, contra hoc expresse est intentio Christi, quia mittens eos in mundum vniuersum prædicare & docere omnes gentes, & dixit eis: *Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.* Ibi enim promisit se permanere cum eis quo ipsos mittebat, vsque ad consummationem seculi. Cum ergo in mundum eos mitteret, in mundo se esse cum eis promisit manifeste, & cum eisdem mansurum Spiritum sanctum, & hoc est etiam, quod dixit superius Chrysostomus, Beda & Hieronymus. Præterea Christus fuit exauditus in omnibus petitionibus, & rogaminibus, sed ipse rogauit pro fide Petri, vt non deficiat, ergo fides Petri non deficiet, nec deficit. Primum patet ad Hebræos quinto, vbi dicit Apostolus, quod Christus exauditus est pro sua reuerentia, & Ioan. 11. vbi Christus ait: *Pater gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego enim sciebam quia semper audis me.* Secundum patet Lucæ 22. vbi Dominus ait ad Petrum: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, hoc autem non potest intelligi de fide personali Petri, quia in illa defecit in terna abnegatione, vt patet ex textu Euangelii, & similiter patet ex verbis consequentibus, cum subiungitur: *& tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*, qui vtique non diceretur conuersus, nisi fuisset prius à fide propria auersus: Intelligendum est igitur, quod Christus rogauerit pro fide, quam ipse confessus fuerat, dum dixit: *Tu es Christus filius Dei viui*, & super quam ipse Christus fundauit Ioam Ecclesiam, eodem Domino dicente. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Pro fide igitur Ecclesiæ CHRISTVS rogauit, vt non deficeret, & non pro fide personali Petri. Quare si in aliquo necessariorum ad salutem pro aliquo tempore errauerit, aut erraret Ecclesia totaliter, Christus Dominus & prima veritas non dixisset verum, nec fuisset exauditus, pro sua reuerentia, quod est contra prædicta, & omnino falsum. Vnde Albertus Magnus super eodem passu, *Ego rogaui vt non deficiat*, scilicet finaliter, *fides tua. Hoc argumentum efficax est pro fide Petri, & successore ipsius, quod fides non finaliter deficiat. Nam bonum primo: Non adiicit vltra, vt pertranseat per te Belial, vniuersum interiit.* hæc Albertus. Item Gorram, *Fides tua, id est, Ecclesiæ tibi commissæ, scilicet, Romanæ Ecclesiæ. Vnde hoc est argumentum quod fides Romanæ Ecclesiæ quam in ea Petrus plantauit, sit semper duratura.* hæc ille. Item quod Christus rogauerit non solum pro Petro & Apostolis, sed pro omnibus

Hanc quia Matth.

S. Tho. in Catena, super hoc capite.

S. Hier. in cap. Matth 28.

4. *Defeceret fides Petri contra promissionem Christi.*

Albert. in cap. 22. Luc. 7.

5. *Item aboleretur Apostolorum, pro quibus Christus rogauit.*

sequen-

sequentibus, patet manifeste Ioan. 17. vbi cum præmisisset ardentissimæ caritatis pro ipsis discipulis orationem, vt, *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt vnum sint, sicut & nos*, & infra: *sanctifica eos in veritate: Sermo tuus veritas est, sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum, & ego pro eis sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Posthæc subiunxit: *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt, per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: vt mundus credat, quia tu me misisti.* Et patet, quod omnes qui crediderunt, & credunt, siue credent, vique ad finem seculi in Christum, credunt in ipsum per verbum & doctrinam Apostolorum, quamobrem & in symbolo Niceno profitemur: *Ecclesiam Apostolicam*, non alia de causa, nisi quia in verbo & doctrina Apostolica fundata est, dicente Apostolo ad Ephesios. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum &c.* Vnde & Ioan. in Apocalypsi 21. describens murum ciuitatis sanctæ Ierusalem, quæ est Ecclesia militans, describit eum eam habere duodecim fundamenta, & in ipsis nomina duodecim Apostolorum, & agni. Si igitur aliquando deuiasset Ecclesia ab hoc fundamento, seu fundamentis doctrinæ Apostolicæ per errorem, sequeretur quod Christus non fuisset exauditus, vt prius.

Ephes. 2.

Præterea si Ecclesia posset errare in his, quæ necessaria sunt ad salutem, sequeretur, quod non esset securitas, neq; aliqua certitudo credibilium existentibus in ea, & per consequens nec aliqua fides pateret, quia qua ratione vnus articulus, & vnum dogma Ecclesiæ in dubium veneretur, eadem ratione & omnia alia per ipsam prædicata & ordinata, sicut si quis dubitaret, an Christus resurrexerit, eadem ratione dubitaret an in cælum ascenderit, & similiter de aliis, & ita non haberet securitatem certitudinis de aliquo, & cum dubius in fide, infidelis sit, vt habetur cap. 1. de hæreticis, quia fides cum dubitatione stare non potest, sequitur manifeste, quod si Ecclesia errare posset, quod nulla securitas certitudinis esset in ea, & per consequens fides non esset in Ecclesia, quod est omnino contra Christum, indefectibilem securitatem Ecclesiæ suæ promittentem, qui ait Petro: *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, super quo verbo ait Hier. *portas inferi* inquit, *vitia errores & peccata* (quoad agenda) *vel certe hæreticorum doctrinas* (quoad credenda) *quæ aduersus Ecclesiam præualere non possunt*, nec potest dicere aduersarius, quod aliunde capiat certitudinem, aut securitatem credendorum, quam ab Ecclesia, quia aut eam haberet à Deo per singularem inspirationem, aut ab aliquo homine particulari, aut forte per Euangelia quæ continent doctrinam Christi. Sed non primo modo, quia talis inspiratio cum sit occulta & supernaturalis, oporteret quod aliquibus signis supernaturalibus, seu miraculis manifestaretur, quemadmodum doctrina Apostolorum confirmabatur signis & miraculis. Si igitur doctrina aduersariorum habetur per inspirationem, ostendant signa & miracula, & credemus eis, quod non faciant in æternum, quia summa veritas, cuius est miracula facere, non potest perhibere testimonium mendacio & falsitati, simpliciter nec secundo modo, quia multo magis potest errare quilibet particularis homo, quam Ecclesia vniuersalis, vt patet, quia plura videt & subtilius oculi, quã oculus, similiter nec tertio modo, quia necipsa Euangelia haberent certitudinis securitatẽ, nisi fuissent ab Ecclesia approbata & acceptata. Cum enim multa Euangelia & actus reperiantur, quæ dicuntur fuisse ab Apostolis compilata, sic enim legitur in decretis d. 15. *Actus nomine Andreæ Apostoli apocryphi, actus nomine Petri apocryphi, actus nomine Philippi Apostoli apocryphi, actus nomine Thomæ apocryphi, Euangelium nomine Thaddæi Apostoli apocryphum, Euangelia nomine Thomæ Apostoli, quibus Manichæi vtuntur apocrypha, Euangelia quæ falsauit Lucianus, apocrypha, Euangelia quæ falsauit Hycius, apocrypha.* & infra: *reuelatio quæ appellatur Pauli apocrypha. Reuelatio quæ appellatur Thomæ apocrypha: Reuelatio quæ appellatur Stephani, apocrypha:* Cum itaque omnia prædicta Euangelia, & cæteri libri prænominati reperiantur scripti, vnde certi sunt aduersarii, quod ista quatuor Euangelia contineant veritatem, alia vero non, & quod ista scripta sunt à veris Apostolis, & non illa? quodque illa falsificata sint, & non ista? & consequens ista quatuor sint recipienda, alia vero tanquam falsa respuenda? cum ipsi non audiuerint Christum prædicantem, nec docentem, nec viderint ipsum mirabilia facientem, nec alia dicta aut facta ipsius, quæ in dictis quatuor Euangelistis scripta sunt, nec vlterius viderint hos quatuor Euangelistas magis quam alios, vt possent ex doctrina, vita aut miraculis magis approbare istorum Euangelia, quam aliorum, nisi quia vniuersalis Ecclesia ista quatuor recipit, illa vero respuit: Si ergo vniuersalis Ecclesia non dirigeretur à Spiritu sancto, in his quæ fidei sunt & de necessitate salutis, & potest in illis errare, sequitur, quod in recipiendo illa quatuor Euangelia, & alia respuendo, errare potuerit, & ita verteretur in dubium, an ista quatuor Euangelia contineant doctrinam, facta & miracula CHRISTI. Et vlterius, quidquid prædicti aduersarii affirmant ex dictis dictorum Euangelistarum, totum erit dubium, & sic apud eos nihil erit certum in fide, aut securum, & consequenter nullam habebunt fidem: Hoc profecto intellexit Augustinus, cum dixit in libro contra epistolam fundamenti, & etiam contra Faustum hæreticum, & in multis aliis locis: *non crederem Euangelio, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoueret*: Si dicat aduersarius, accepto hæc quatuor Euangelia, & non alia, quia primitiua Ecclesia, quæ propter assistentiam Spiritus sancti errare non poterat, illa respuit, & ista acceptauit, quibus tamen non crederem, si ea moderna, & quia propter vitia & peccata recessit Spiritus sanctus tam modo alios spretis, acceptasset: Contra quod potest argui vt supperius, per illud Christi: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, &c.* præterea cum prædicti aduersarii non fuerint in primitiua Ecclesia, vnde sciunt, quod ipsa hæc acceptauerit, & alia respuerit; reuera non aliunde quam ex attestatione modernæ Ecclesiæ, cuius attestatio si dubia fuerit, multo magis & id quod attestatur, sub dubio remanebit.

Matth. 16.

Cap. 5.

Matth. 18

2. Cor. 3.

Tract. 18. in Ioan.

Præterea cum hæc Euangelia veram Christi doctrinam facta & mirabilia contineant, vtique ad veram & certam fidem habendam, intelligentia in verbis & factis Christi opus est, vt videlicet eum sensum in verbis Christi apprehendamus, quem ipse Christus intendit, alioquin non haberemus veram doctrinam eius, neque fidem, quemadmodum contigit pauperibus Lugdunensibus, qui secundum literalem sensum, sed non Christi, illud dictum intelligentes. *Siccum tuus scandalizat te, erue eum & proice abs te*, oculos sibi eruebant cum contingebat eos peccare per oculos, qui vtique sic facientes, non habebant sensum Christi: non enim Dominus eruitionem corporalem oculorum sed spiritualem vitiorum, quæ per oculos, & alia membra committuntur, præcepit ibidem. vnde & Ioan. 6. loquens de manducatione & bibitione sui corporis & sanguinis, cum diceret: *nisi manducaueritis, &c.* manifeste scandalizati etiam discipulorum quidam, retro abierunt, putantes ipsum loqui de carnali manducatione, subiunxit: *Spiritus est, qui viuificat, caro autem non prodest quicquam.* & Paulus Apostolus: *littera occidit, Spiritus autem viuificat*, quia in intelligendo sacras scripturas non semper literalis sensus & grammaticalis est accipiendus, sed mysticus & spiritualis est requirendus, vt superius dictum est. Cum ergo quilibet particularis homo in intelligendo doctrinam CHRISTI, & verba eius possit errare, & decipi, quemadmodum & omnes hæretici decepti sunt, qui ex aliquo dicto sacræ Scripturæ male intellecto, sui erroris occasionem sumpserunt & originem: dicente Augustino homilia super Ioannem 18. *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. Itaque carissimi, valde cauta audire debemus, ad quæ capienda parvuli sumus, & corde pio & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, vt quod secundum fidem qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus, quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere non potuerimus, dubitationem non asseramus, intelligentiam differamus: hoc est, vt etiam si quid nescimus, bonum tamen & verum esse minime dubitemus. Et ego fratres*

7.

qui

Nemo esset certus de illo scripturæ sensu.

qui suscepi loqui vobis, cogitandus sum à vobis qui fuse operim, & quæ susceperim. Suscepi enim tractandi diuina homo, spiritual a carnalis, æterna mortalis. Etiam à me, carissimi, longe sit vana præsumptio, Si volo sanus in domo Dei conseruari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, pro modulo meo capio, quod vobis appono, vbi aperitur, pascor vobiscum, vbi clauditur, pulso vobiscum. hæc Augustinus. Et si similiter vniuersalis Ecclesia posset errare in intelligendo & exponendo doctrinam Christi, sequitur manifeste quod nullus esset certus de vero intellectu scripturarum, & per consequens de fide, quæ ex vero intellectu scripturarum accipitur, & sic omnes essent infideles, cuiusmodi sunt aduersarii, asserentes Ecclesiam vniuersalem posse errare in his quæ fidei sunt & necessitatis ad salutem. Nec sufficit, quod aliquis confiteatur ore verba, nisi etiam sine dubitatione credat intelligentiam & significationem verborum Christi, quia vtrumque Apostolus ad Roman 10. coniunxit, inquiens: *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vnde si quilibet particularis homo potest errare, & similiter Ecclesia vniuersalis, in accipiendo veram significationem verborum Christi, patet, quod nullus haberet fidem, quæ omninodam excludit dubitationem, ex quo intelligentia verborum Christi sub dubio remaneret. Dicendum est igitur vniuersalem Ecclesiam in exponendo Euangelia & sacram Scripturam errare non posse, & à Spiritu sancto dirigi, accidem, tanquam infallibili & diuinæ regulæ debere quemlibet fidelem adhærere, & qui non faciunt, pro hæreticis sunt habendi. Vnde sanctus Thomas secunda secundæ quæstion. 5. artic. 3. dicit: *Obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in scripturis sacris & doctrina Ecclesiæ. Vnde quicunque non inhæret sicut infallibili & diuinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in sacris scripturis manifestata, non habet habitum fidei.* Et infra: *Et sic manifestum est quod hæreticus qui pertinaciter discredit vnum articulum, non est paratus in omnibus sequi doctrinam Ecclesiæ.* & infra: *vnde & manifestum est, quod talis fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quandam secundum propriam voluntatem.* Et infra in responsione ad secundũ argumentum dicit. *omnibus articulis fidei inhæret fides propter vnum medium, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in scripturis secundum doctrinam Ecclesiæ sane intelligentis, & ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret.* hæc B. Thom. Sed forte diceret aduersarius, volens fugere verum Ecclesiæ iudicium, se velle intelligere scripturas secundum expositionem doctorum & non ecclesiæ. Contra, quia sicut dictum est de Euangeliis, cum multi scripserint & exposuerint scripturas & Euangelia, vnde ipsi aduersarii erunt certi, qui doctorum fuerint & sint boni, & sequendi, & qui mali, & respuendi. Cum non omnes indifferenter acceptentur, nec etiam respuantur propter contrarietatem & diuersitatem plurium ipsorum, circa eundem passum scripturarum, manifestum est quod hoc iudicium & discretio Ecclesiæ relinquitur, & non alicui particulari homini, vt patet in decretis distinct. 15. vbi illi Doctores approbati, vel reprobati habentur, quos ecclesia approbat vel reprobat. Quis enim aduersarius indicauit, Beatum Augustinum vel Hieronymum, vel quemcunque alium esse sanctum, & Doctorem Catholicum, nisi approbatio Ecclesiæ? Et si dicat, quod ex vita ipsius: vnde scit legendam ipsius non esse apocryphum, nisi ex auctoritate Ecclesiæ? quæ si potuit & potest errare in aliis, vtique & in hac doctorum approbatione. Præterea cum inter Doctores multa sit varietas opinionum & contrarietas, & sæpe circa idem dictum Doctoris eiusdem multa contingat ambiguitas: Necesse est per aliquem doctorem infallibilem tolli huiusmodi dubia, & declarari, & cum quilibet particularis homo falli possit & errare, necesse est quod Ecclesia sit huiusmodi infallibilis expositor & doctor credendorum & agendorum.

Matth. 18

Cap. 14.

Bernardus epist. 174

8. Tolli diuersitas opinionum variorum doctorum non posset.

9. Neque doctores sancti se iudicio Ecclesiæ & sedis Apostolicæ

Præterea nemo debet maiorem fidem dictis & expositionibus Doctorum adhibere, quam ipsimet Doctores sibiipsis adhibuerunt, vel ab aliis adhiberi voluerunt. sed ipsi in dictis & expositionibus ipsorum sæpe dubitabant, & ne damnabiliter errarent, in omnibus se & sua dicta omnia correctioni ecclesiæ subiiciebant. Ergo fideles non debent expositiones doctorum certitudinaliter esse veras reputare, nec eis certam fidem adhibere, nisi in quantum fuerint doctrinæ Ecclesiæ consonæ vel per Ecclesiam approbatæ. Minor patet pene per omnes doctores qui sua dicta corrigenda Ecclesiæ vel summo Pontifici subiiciebant. Vnde 24. q. 1. *quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros & coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris authorem referri debere.* Contra cuius auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit. Sic enim dicit Hieronymus eadem quæstione: *hæc est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus & tenemus, in qua si minus pavite, aut parum caute forte aliquid positum est, cupimus emendari à te, qui Petri fidem & sedem teneo. Si autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio approbatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit.* Beatus etiam Bernardus in epistol. ad Canonicos Lugdunenses ita dicit: *quæ autem dixi, absque præiudicio sane dicta sint, sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ eiusmodi sunt vniuersa, reseruo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.* Similiter S. Thomas in prooemio super Euangelia scribens Papæ Vrbano IV. ita dicit, *suscipiat itaque vestra sanctitas opus vestro discutiendi corrigendique iudicio vestræ solicitudinis, & obedientiæ meæ fructum, vt dum à vobis emanauit præceptum, vobis etiam reseruetur finale iudicium, ad locum vnde exeunt flumina, reuertantur.* Idem secunda secundæ q. 2. artic. 10. dicit, *maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus amulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Vnde magis est standum auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati Augustini vel Hieronymi, vel cuiuscunque Doctoris.* hæc sanctus Thomas. Ecce quomodo & quam manifeste se & dicta sua sancti doctores correctioni sanctæ matris Ecclesiæ subiiciunt, vnde & nullum dictum alicuius sancti valet, si contra determinationem Ecclesiæ allegaretur, quia auctoritas Ecclesiæ semper maior est auctoritate cuiuscunque quantumcunque docti, aut sancti viri, & per consequens, omnibus æmulanda, præterea si dicunt aduersarii se velle intelligere Scripturas, secundum expositionem doctorum, & non Ecclesiæ, tunc aut ipsi stabunt expositioni doctorum viuentium, aut eorum, qui ab hac vita migrauerunt. Si primo modo, cum inter viuentes sæpenumero, immo sæpissime contrarietas oriatur, & dissensio, vt patet specialiter, inter doctores Catholicos & hæreticos: ad contrarietatem & dissensionem hanc tollendam, quis erit iudex in vita præsenti nisi Ecclesia? Si secundo modo, vt quidam doctorum aduersariorum dicunt, tunc si discordia oriatur de intellectu authoritatum sanctorum doctorum iam defunctorum, quis erit iudex? nunquid alii doctores defuncti? & si sic, tunc orta discordia in dictis aliorum, quis iudicabit? Si vlterius, alii doctores defuncti; tunc erit processus in infinitum, quod est omnino absurdum. dicendum igitur est, quod tam dicta doctorum viuentium quam defunctorum, ad iudicium Ecclesiæ, tanquam ad infallibilem & diuinam regulam sunt referenda, & eius sententia tam in expositione scripturarum sanctarum, quam intelligendo dicta doctorum, & in aliis necessariis ad salutem, tanquam diuino ore prolata, à cunctis Christi fidelibus est amplectenda & acceptanda. Præterea ad principale propositum redeundo, inter Christum & Ecclesiam est matrimonium spirituale, teste Apostolo; qui ex verbis protoplasti dicentis, *& erunt duo in carne vna.* concludit, *sacramentum hoc in magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sed sicut in matrimonio carnali præcipue fides thori exigitur, sic & in spirituali, dicente Propheta: *desponsabo te mihi in fide*, sicut igitur fractionem fidei in thoro adulterii macula sequitur, sic & in matrimonio spirituali demutio ab his, quæ fidei sunt & necessaria ad salutem, sequitur macula erroris, & per consequens adulterii spiritualis, quod est contra Apostolum dicentem ad Ephes. 5. quod Christus radidit semetipsum pro Ecclesia, vt exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi.

submississent. Innocentius Papæ epist. 26.

10. Si Christus sponsæ

Præterea quicunque dat alicui ex caritate id quod incõ

Præ-

dedit seipsum, cur non & gratiam nefalle queat.

Ioan. 3.

Rom. 8.

parabiliter maius est respectu alicuius finis consequendi, dat etiam id quod minus est, respectu eiusdem, & tanto amplius, quanto magis est necessarium ad dictum finem consequendū. Sed Christus dedit sponsæ suæ Ecclesiæ seipsum, vt patet per Apostolum immediate allegatum, quod incōparabiliter maius est, quam ipsam non sinere errare in his quæ fidei sunt. Ergo idem contulit vt nullo modo possit errare in prædictis, quod est maxime ecclesiæ necessarium, quia ad ipsius salutem. Si igitur Christus ex caritate seipsum tradidit Ecclesiæ, & pro ecclesia; si Deus Pater mundum sic dilexit, vt filium suum vnigenitum daret, vt inquit Ioannes, & qui proprio filio suo non pepercit, vt ait Apostolus, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit? & si omnia; quomodo assistentiam sui, seu Spiritus S. indefectilem nobis, seu suæ Ecclesiæ, qui eam non finat errare in his quæ necessaria sunt ad salutem, non donauit? *commendat Deus caritatem suam in nobis*, inquit Apostolus ad Rom. 5. loquens in persona omnium Ecclesiam constituentium, *quoniam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus.* Quomodo autem nos vel Ecclesia salui erimus, si in his quæ fidei sunt errauerimus? aut quomodo derelinquet Ecclesiam, ex fidelibus collectam, lauacro baptismi regeneratam & suo sanguine pretiosissimo redemptam, vt non ei adsit in his, quæ necessaria sunt ad salutem? Si pro eadem adhuc ex infidelibus, & peccatoribus atque idololatris colligebatur, tam turpissimam & ignominiosissimam mortem sustinuit, vt exhiberet sibi eam gloriosam non habentem maculam, neque rugam, vt dictum est. Et hæc profecto conclusio & intentio Pauli est, in prædictis verbis: *Commendat Deus caritatem suam &c.*

II. *Nullus verus amator, amati curam & prouidentiam, deponit, multo minus Christus Ecclesiæ.*

Præterea nullus sapiens sui ipsius, aut eius, quod ex caritate & dilectione vera amantem in amatum transformante se ipsum reputat, dum potest & valet, curam & prouidentiam prætermittit. Sed CHRISTVS tanto caritatis affectu Ecclesiam diligit, vt non aliam & aliam, sed vnam & eandem personam se & Ecclesiam reputet, vt patet Actuum nono, vbi Christus ad Saulum loquens Ecclesiam persequentem, ait. *Saule Saule quid me persequeris?* Christus enim iam in cælo regnabat, & Saulus in terra non ipsum, sed membra sua, & fideles suos prosequebatur, & tamen transformans caritas, cogebat ipsum persecutionem sponsæ propriam reputare, & vnam eandemque personam fateri, cum ait, *quid me persequeris?* sic & in fine mundi, mundum iudicaturus dicet, *quod vni ex minimis feciſtis, mihi feciſtis.* ergo Christus cum potens sit & valeat, nunquam sponsæ suæ Ecclesiæ prouidentiam prætermittit, & curam.

Matth. 25.

12. *Si prouidentia in naturalibus non deficit, multo minus in gratuitis.*

Præterea quanto gratia est potior natura, tanto & diuina prouidentia, quæ est secundum gratiam, est potior & efficacior respectu prouisorum, quam sit prouidentia quæ est secundum naturam. Sed diuina prouidentia, quæ est secūdum naturā, nunquam deficit vniuersaliter, ergo nec secundū gratiam deficiet totaliter, vt videlicet Christus sponsam suam Ecclesiam, quam indefectibiliter gubernat secundum esse naturæ, & eidem prouidet secundum conditionem suæ naturæ, permittat errare in his quæ maxime necessaria sunt ad statum gratiæ & salutis, cuiusmodi est error in fide.

13. *Synagoga non defecit, quomodo ab Ecclesia?*

Præterea Ecclesia Christianorum est multo præstantior, quam fuerit synagoga Iudæorum, patet tam ratione legis, quam sacerdotum, sacramentorum, & omnium in ea contentorum. Sed Deus nunquam ex toto deseruit synagogam Iudæorum, pro tempore quo ipsam durare oportuit nec eam errare permisit circa fidem, de qua Isaiæ 21. *Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stans tota nocte bus*, & eiusdem 49 dicit Dominus: *Numquid potest mulier obliuisci infantem suum? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui*, quæ omnia & infinita huiusmodi dicta sunt ad literam de synagoga, pro tempore suæ durationis. vnde & Pharisæorum doctrinam Dominus tanquam veram, licet ipsi essent mali, approbauit, cum dixit: *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, &c.* Ergo nec Ecclesiam Deus deserit, aut errare permittit,

Matth. 23

in his quæ sunt necessaria ad salutem, pro toto tempore diuinationis suæ, q̄ quidem durabit vsq; ad consummationē seculi, præterea omnis architectus sapiens ædificat domum suam firmiter, tantum quantū scit & potest, siue super firmam petrā, siue aliter. Sed CHRISTVS fuit & est sapientissimus architectus, ergo ædificauit domum suam, q̄ est Ecclesia, firmiter, & super firmam petrā, maior pater per Apostolum, qui ait: *vt sapiens architectus fundamentum posui.* Et Matt. 7. *Similis est sapienti qui ædificauit domum suam supra firmam petram.* minor etiam patet, quia Christus Dei sapientia, & Dei virtus secundum Apostolum, est etiam architectus, quia ædificauit Ecclesiam secundum illud: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si ergo Ecclesia posset errare, aut erraret aliquando, vt dicunt aduersarii, sequitur manifeste, quod Christus non ædificauerit Ecclesiam suam firmiter & supra firmā petram, & per consequens, quod non fuerit architectus sapiens, & quod falsum dixisset, quod portæ inferi non præualerent aduersus eam: q̄ omnia sunt à fide aliena. Dicendum est igitur & concludendum firmiter, quod licet descendat pluuia, flent venti, veniant flumina hæreticorū & malorum hominum, & irruant in domum hanc Ecclesiæ Catholicæ non tamen cecidit, neque cadet, quia firmata est supra firmā petram. Vnde & Apostolus, vocat eam columnam & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. ita scribens Timotheo: *vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamētum veritatis.* super quo Ambrosius in epist ad Timoth dicit: *cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector est Damasus. Mundus enim in præuaricatione est, diuerso turbatus errore, ideo illic necesse est, vt dicatur esse domus Dei, & veritas, vbi secundum voluntatem suam timetur.* Hæc Ambrosius: Ecce quam aperte hic doctor declarat, vbi sit Ecclesia, quæ est domus Dei, illa scilicet & ibi, cui tēpore suo, Damasus Papa præsidebat S. Ecclesia Romana. Tenendum itaque est fide inconcussa, Ecclesiam Christi & Petri nauiculam, quamuis agitetur multis interdum turbinibus, in hoc tempestuoso mari & procelloso, nunquam priuari præsentia Christi, & gubernaculo Spiritus sancti, qui eam non finit errare in his quæ fidei sunt, & necessitatis ad salutem. Cætera quæ de Ecclesia erant dicenda hoc in loco, gratia breuitatis dimissa sunt, cum hæc in audientia publica fuerint recitata.

CL VIII.

PROSEQVENDO responsionem inchoatam de Sabbati ad dicta magistri proponentis in materia articuli communionis sub vtraque specie, quia coactus tempori breuitate, non valeo omnia dicta eius, vt opportunum esset, perscrutari, tamen ne clausis oculis pertranseam illa, quæ mihi videntur in positione sua difficultatem habere, referam per articulos, discussionem eorum sequentibus reuerendis magistris & doctoribus relinquendo; curabo autem pro præsenti ad ea solum respondere, quæ faciunt, vel videntur facere contra intentionem meam, in articulo propositio per eundem. Inprimis igitur post ea quæ de insufficientia protestationis dicta sunt, & de acceptione Ecclesiæ, qua visus fuit ponere Ecclesiam constare solum ex iustis, & in gratia gratum faciente actualiter constitutis: difficultatem adfert id quod dicit in secundo membro diuisionis, quam facit de communione, quod per sumptionem diguam corporis & sanguinis Christi homo ingeritur ad communionem primo modo acceptam, & sit de societate Sanctorum. Et quod ad hunc sensum intelligatur auctoritas Augustini in homilia: *Corpus Domini à quibus sumatur.* Item circa tertium membrum dictæ diuisionis, dicit, quod à communione, quæ minus proprie & vulgariter accipitur, sit excommunicatio hominum à iudicibus Ecclesiæ, & quod huiusmodi excommunicatio fertur quam plurimum non pro peccato mortali, sed solum de facto, & non de iure, & solum pro veniali. Item in resumptione prædictæ trimembris diuisionis dicit, boni Christiani cum malis non habent vnitatem vitæ & Spiritus in Christo, sicut viuum membrum à mortuo, & ad hoc inducit Apostolum 1. Cor. 10. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum* & 2. Corin. 6. *Quæ est conuentio Christi ad Belial?* Item in corollariis quæ infert ex præcedenti notabili, in primo dicit, quod non omnis qui eiectus est de vera communione puta per excommunicationem iudicis, eiectus est de secun-

Ad secundum & tertium membrum diuisionis Rokiz. de communione.

da com-

14. *Non impedit relatum Christum ad firmam petram, quo supra firmam petram ædificauit.* 1. Cor. 3. Matth. 16.

da communione. Item in secundo corrolario dicit, quod minus est perniciosum & incautum communicare tam cum scito excommunicato à iudice, quam cum scito mortaliter peccante. Et ad hunc sensum adducit Apostolum: *nolite communicare, &c.* Item in tertio corrolario ponit, quod notorii peccatores debent à communione sanctorum propelli. & ad hunc sensum inducit exemplum de Dathan & Abyron. *Numer. decimosexto*, vbi dicitur: *Recedite à tabernaculis hominum, &c.* quæ ibi prosequitur contra manifesta peccata. Prædicta scilicet, quæ mihi videntur, saluo iudicio meliori, extra materiam meam posita, non modicas in se continere difficultates, quas vt prædixi, Doctores & Magistri subsequentes, vt spero plenissime aperient & declarabunt. Deinceps ad ea, quæ me contingunt oculos aperiam.

Eucharist. communio quandoq; pro hostia tantum. Cap. 93. Superius in tertia principali probatione.

Et primo ad id quod supponit, videlicet, quod communio Eucharistiæ, Græce dicitur panis & calicis Sacramentum. Ad quod dicendum, quod hoc non semper verum est, quia quandoque accipitur pro hostia tantum, sicut patuit ex Concilio Toletano 12. superius allegato, & etiam per capit. presbyter de consecr. dist. 2. vbi ex Concilio Wormatiensi præcipiebatur sub his verbis; *presbyter Eucharistiam semper habeat paratam. vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur:* vbi secundum glossam, Eucharistiæ nomine, sola hostia designatur. Nam dicit, *sanguinem non præcipit seruare, quia opus esset nimia cautela in eo seruando.* nec est de intentione Gregorii dicere in loco præallegato, quod Eucharistia significet panem & calicem, quasi de suo principali significato, imo dicit sic: *Cum panis & calicis Sacramentum, Græce Eucharistia dicitur, Latine bona gratia interpretatur.* Et sequitur: *& quid melius sanguine & corpore Christi?* Ex quibus verbis patet, quod nomen Eucharistiæ non competit speciebus, sed ipsi rei, scilicet, carni & sanguini Domini nostri IESV CHRISTI. vnde sanctus Thomas tertia parte summæ suæ loquens de nominibus huius Sacramenti, & Petrus de Palude in 4. distinct. 8. dicunt in forma, quod licet istud Sacramentum sit vnum perfectione & ordine, est tamen diuersis nominibus nuncupatum. Nam inquantum est rememoramentum Dominicæ passionis dicitur sacrificium, hostia & oblatio, & hoc modo significatio eius refertur ad præteritum. In quantum vero significat rem, respectu præsentis temporis, tunc cum duplex sit res huius Sacramenti, vna significata & contenta, scilicet Ecclesiastica vnitas, ideo ratione primæ rei significatæ & contentæ, vt dicit dominus Petrus de Palude, dicitur Eucharistia quasi bona gratia, quia continet in fontem gratiæ: Eucharistia enim Græce, bona gratia Latine interpretatur. Ratione vero secundæ rei significatæ, scilicet vnitatis Ecclesiasticæ nominatur communio, vel Synaxis, secundum quod omnes per hoc Sacramentum significantur aggregari, in vnum corpus Christi mysticum. vnde dicit Damascenus, quarto libro, quod dicitur communio, quia communicamus per ipsam CHRISTO & participamus eius carne & Deitate, & quod communicamus & vnimur per ipsam ad inuicem. Dicitur etiam in Græco metalepsis, *μετάληψις*, id est, assumptio, quia vt Damascenus dicit, per hoc filii Deitatem assumimus. Quare suppositio generaliter non est vera, imo vt in pluribus & quasi semper Eucharistia supponit pro hostia tantum.

Istud Sacramentū diuersis nominibus nuncupatum. Sacrificiū hostia oblatio. Eucharistia. Communio vel synaxis. Cap. 14. Metalepsis seu assumptio.

Præcepta quædam obligant semper, & pro semper quædam semper, sed non pro semper.

Quantum ad secundum notabile, quod est de differentia terminorum, scilicet, licet, expedit, & necessarium, & quod huiusmodi Sacramenti sumptio non sit necessaria, necessitate absoluta, sumus satis concordes, vt dictum fuit in prima conclusione mea. Quantum ad tertium notabile, de differentia præceptorum Dei, licet concordemus de eo, quod dicit, quod quædam obligant semper, & pro semper, quædam autem ad semper, sed non pro semper. Nihilominus in exemplo posito, de diligere Deum, videat ipse si bene dictum sit, cum diligere dicat actum elicitum à diligente, licet sit actus immanens, & non transiens in exteriorem materiam, sicut & intelligere, & si quilibet teneatur sub præcepto omni tempore & momento incessanter, & sine interpellatione intelligere, & diligere Deum actuali elicione actuum, & ipse faciat dum dormit, comedit, & bibit, & in aliis rebus occupatur, videat ipse & indicet, quia hoc est proprium Angelorum & comprehensorum in patria. Credo tamen quod accipit diligere pro habitu dilectionis & non pro actu, & sic vtique verum est. Et hæc dicta sint contra præsuppositā breuiter.

CLIX.

Sed iam venio ad primam partem suæ positionis, in qua dicit, quod communio diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraque panis scilicet & vini, vtilis multum est, & saluti expediens. Contra quam in forma positi conclusionem meam tertiam, in terminis contrariam; in quibus conclusionibus tam sua quam mea, duo tanguntur. vnum est, quod communio diuinissimæ Eucharistiæ sit multum vtilis, & saluti expediens, & in hoc simus concordes, quia tanta est vtilitas huius sacramenti, & tot effectus diuinos in sumentibus digne operatur, vt nec ipse Magister, nec ego, imo nec omnes linguæ mortalium, etiamsi omnia membra conuerterentur in linguas, sufficerent enarrare, imo nec etiam ipsi Angeli, & Sancti in patria comprehensores possunt, nec valent comprehendere. Secundum, quod attenditur in prædictis conclusionibus, est, in quo consistit contrarietas inter ipsum & me, videlicet, quod sub duplici specie, vel sub vna ministretur quo ad populum laicalem. Auctoritates igitur quibus probat vtilitatem sumptionis huius Sacramenti concedo, quia nihil aliud intendunt, quam vtilitatem simpliciter sumptionis huius Sacramenti, quæ vtilitas sequitur plene & perfecte in digne sumentibus siue sub vna, siue sub duabus speciebus sumatur, cum sub altera plene & integre caro CHRISTI, & sanguis eius, imo & totus Christus sumatur, ratione cuius sumptionis sequuntur omnes prædicti effectus. Quapropter falsè infertur, & male, cum ex prædictis auctoritatibus sic concluditur. *Quare sequitur, quam vtilis est, & quam expediens saluti fidelium diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraque communio, si fuerit digne celebrata*, nisi forte propter id, quod dicit; *digne celebrata*, vellet referre ad celebrationem Sacerdotum, qua proprie celebrare, & offerre sacrificium in rebus sensibilibus Deo, pertinet ad Sacerdotes, licet etiam ex prædictis auctoritatibus, nec hoc sequatur, cum pure loquatur de manducatione, & sumptione corporis CHRISTI, nisi forte auctoritas Alexandri Papæ, qui dicit: *Nihil sacrificio maius esse potest*; quia vt dictum, solum Sacerdotum est offerre sacrificia Domino. Sed iam pro declaratione auctoritatum Ambrosii, sancti Thomæ, Alberti Magni, Innocentii, & multorum aliorum, qui sequuntur, est diligenter notanda distinctio, quæ sequitur, ex qua spero per gratiam IESV CHRISTI, satisfacere omnibus audientibus, non habentibus animum passione aliqua obumbratum, quæ distinctio, præsuppositā Catholica veritate, est ita clara & ita distincta, quod nemo poterit contra eam aliquid obiicere, nisi proterua voluntate.

Vtilitates Eucharistiæ inessabiles.

Et hæ tam perfectæ redeunt ad communicantem sub vna quam sub vtraq;

De consecr. dist. 2. c. 9. Nihil.

CLX.

Sciendum igitur, quod triplex est huius Sacramenti perfectio, videlicet rei, signi, & effectus. Perfectio huius Sacramenti, quantum ad rem, consistit in integritate & totalitate præsentiæ rei & contentæ & signatæ in hoc Sacramento, videlicet ipsius Christi, & sic sub vtraque specie huius Sacramenti, simul totus CHRISTVS vere & totaliter continetur, & sub altera similiter. Vnde idem per omnia, continetur sub vtraque specie simul, & sub altera tantum, & secundum eundem modum existendi. vnde sicut sub speciebus panis & vini simul totus & vnus Christus & integer continetur, scilicet cum corpore, anima, sanguine, & Deitate, sic per omnia sub speciebus panis per se sumptis, & similiter sub speciebus vini, imo & sub qualibet particula panis, & sub qualibet gutta vini, & secundum eundem modum etiam existendi, quia sicut sub specie panis est vnita Deitas humanitati, sic & sub speciebus vini, & sicut hic anima informat corpus, ita ibi, & sicut hic sanguis est in clusus intra venas corporis, ita sub speciebus vini. & ita quantum ad rem, & in modo existendi rei in hoc Sacramento, nulla est diuersitas, siue consideretur sub ambabus, siue sub altera tantum speciebus. Sed in conuersione est diuersitas, quia ex vi Sacramenti, panis tantummodo in corpus Christi conuertitur, videlicet, quod ex carne, ossibus, neruis, & aliis huiusmodi integratur. Cætera vero sunt ibi ex vi naturalis & realis concomitantiæ, scilicet, anima, sanguis, & Deitas, quæ corpori CHRISTI realiter, & naturaliter consequenter sunt vnita, quia vt dicitur

Triplex est perfectio huius Sacramenti. Rei, Signi, effectus. Perfectio rei, consistit in ipso Christo integro sub qualibet specie.

Diuersitas est in conuersione.

ad Romanos sexto, *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim vivit, vivit Deo.* Vnde cum corpus non viuat nisi per animam, & anima animalis in sanguine est, vt habetur Genes. nono. Necesse est naturali concomitantia, sit ibi & sanguis & anima. Et cum Deitas nunquam corpus, quod assumpsit, deposuerit aut dereliquerit, necesse est, vt etiam sit ibi Deitas, non solum absolute considerata, ratione suæ immensæ maiestatis, sed etiam hypostatice ex reali concomitantia. Similiter sub speciebus vini est tantum sanguis Christi ex vi sacramenti directe, tanquam terminus per se consecrationis. Corpus vero, anima, & Deitas sunt ibi, vt dictum est, ex naturali & reali concomitantia. Si quis vero in triduo mortis Domini confessus hoc sacramentum, prædicta realiter separata in ipso, scilicet corpus, sanguis, & anima, ab vtroque, quia sub specie panis fuisset corpus & diuinitas, sed non anima, neque sanguis, quia erant in re per mortem separata, & similiter sub specie vini: Sic igitur in hoc Sacramento vbicunque est aliqua pars Sacramenti, siue sub specie panis, siue sub specie vini, siue aliqua pars corporis aut sanguinis CHRISTI, ibi est totus & integer CHRISTVS. vnde beatus Hilarius loquens de hoc Sacramento, & habetur de consecratione, distinctione secunda, *vbi pars est corporis, ibi & totum.* Hieronymus etiam, & habetur eadem distinctione singuli. *Singuli accipiant Christum Dominum, & in singulis portionibus totus: nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet singulis:* Magister quoque sententiarum libro quarto, distinction. 11. ita dicit: *Sub vtraque specie totus sumitur Christus, nec plus sub vtraque, nec minus sub altera.* Eadem enim ratio est, vt ait Hilarius, in corpore Christi, quæ in manna præcessit, de quo dicitur Exodi 16. *Qui plus colligerat, non habuit amplius, nec qui minus parauerat, habuit minus.* & infra: *nec debent dici duo Sacramenta, sed vnum, quia sub vtraque specie idem sumitur,* & habetur de consecratione, distinctione 2. vbi pars. Item Augustinus in libr. sententia. Prosperi, *quia semel immolatus est Christus, hoc autem sacrificium exemplum est illius, id ipsum, & semper id ipsum, proinde vnum est hoc sacrificium, aliquin quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi, sed vnus vbique est Christus, & hicplenus, & illic plenus.* & habetur de consecratione, distinct. 2. In Christo: his auctoritatibus ostenditur manifeste, quod in hoc Sacramento sub qualibet specie est totus & integer, atque plenus Christus, & sub vtraque simul, imo & in qualibet particula, scilicet, cum corpore, sanguine, anima & Deitate, & cum omnibus quæ ad perfectionem & integritatem ipsius pertinent. nec in hoc debet aliquis fidelium dubitare, quia hæc est fidei Catholicæ, & omnium sanctorum Doctorum sententia, &c.

Cap. 78. *Cap. 77.*

CLXI. *Perfectio signi.*

Alia perfectio huius Sacramenti consistit in signo, siue in significatione, secundum quod concurrunt omnia illa & integre, quæ requiruntur ad totalem & completam illius Sacramenti significationem; & secundum hoc ambæ species, sicut & quælibet earum est de integritate, & perfectione sacramenti, eo quod per ambas, & per nullam illarum seorsum, sufficienter & complete exprimitur huius Sacramenti significatio. quod patet primo, quia hoc sacramentum significat Christum, vt nutrimentum perfecte reficiens se digne manducantes, sed cum perfecta refectio corporalis non in solo pane, aut in solo vino consistat, sed in vtroque simul, vtique vna sola specierum non potest significare CHRISTVM, vt perfecte reficientem, sed vna significat eum per modum cibi reficientis, & famem tollentis, ratione sui corporis, & alia per modum potus sitim extinguentis, ratione sanguinis, vnde nulla seorsum, sed ambæ simul hoc complete significant. quare ambæ species ad integritatem significationis huius sacramenti requiruntur. Secundo, quia hoc sacramentum institutum est in memoriam Dominicæ passionis, secundum illud, *hoc facite in meam commemorationem.* & Apostolus 1. Corinth. 11. *Quotiescunque manducaueritis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* prout videlicet CHRISTVS in sua passione fuit in corpore suo subiectus multiplici afflictioni, & secundum quod eius sanguis fuit à corpore separatus. Sed hoc non potest significari, nec repræsentari, per alteram speciem tantum, sed per vtramque simul. Igitur ad completam & perfectam significationem passionis Christi & repræsentationem, vtraque species requiritur, scilicet, species panis, quæ post consecrationem in altari frangitur, per quam corpus Christi subiectum multiplici fractioni seu pœnalitati significatur. Et species vini, per quam seorsum sanguis CHRISTI effusus ostenditur. Ad huius passionis igitur completam significationem, requiruntur ambæ species, vnde Augustinus in libro sententiarum Prosperi, *dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis effusio delatere significatur.* Tertio, quia sacramentum hoc significat assumptionem totalis humanitatis assumptæ à Christo, tam quo ad animam, quam quo ad corpus, & etiam significat perfectam nostram redemptionem, scilicet in anima & corpore. Vnde dicit Magister sententiarum in quarto, distinctione secunda, quod in duabus speciebus celebratur, & animæ & corporis in Christo susceptio, & vtriusque in nobis liberatio significatur: hæc autem significatio non potest fieri per alteram speciem tantum: sed per ambas simul, vt per speciem panis significetur corpus: per speciem vini significetur anima, cuius sedes est in sanguine, secundum modum scripturæ dicentis, quod sedes animæ est in sanguine.

Cap. 7.

CLXII. *Perfectio effectus Eucharistiæ.*

Tertia vero perfectio huius Sacramenti est effectus ipsius, qui est argumentum gratiæ, deletio peccatorum venialium, præseruatio à futuris peccatis, quædam refectio spiritualis animæ & tandem in perseuerantibus & digne sumentibus adeptio æternæ gloriæ. Hi autem effectus, vt manifestum est, non dependent à speciebus sacramentalibus, nec ex significatione qua repræsentantur per dictas species passio Dominica, perfectum spirituale nutrimentum, perfecta à Christo nostræ humanitatis assumptio, & totius hominis per passionem suam perfecta & integra redemptio, sed ex perfectione & totalitate rei: secundum quod superius dictum est. Vnde Albertus Magnus in tractatu de officio Missæ ita dicit respondendo ad quædam obiecta: *Ad hæc autem & similia non est difficile respondere ei, qui apud se bene habet scientiam Sacramentalem, dicis enim debet, quod sicut in omni Sacramento, ita & in isto est aliquod Sacramentum tantum, sicut forma Sacramentales, & aliquid res & Sacramentum, sicut corpus Christi verum, & aliquid res tantum, sicut gratia nutriens spiritualiter ad incorporationem Christo faciendam. Forma enim sacramentales signant tantum, & nihil causant. Corpus autem Christi verum significat & causat: Gratia autem nutriens spiritualiter significatur & causatur, & nihil vlterius significat, sed causat in mystico corpore incorporationem, quæ fit fidelium in Christum. Et hæc de causa ista tria sunt in Sacramento, ita scilicet, quod primum est significans, & non significatum: tertium autem significatum, & non significans, medium autem est significatum & significans. Quicquid autem ex institutione diuina significat gratiam, Sacramenti nomen habet & rationem, quia Sacramentum est inuisibilis gratiæ, visibilis forma: cuius speciem gerat, & causa existat, sicut dicit Augustinus.* Hæc Albertus: Cum igitur sub vtraque specie totus & integer Christus contineatur, & seorsum sub qualibet, manifestum est, quod siue sumatur sub ambabus speciebus, siue sub altera tantum, cum totus & integer sumatur vtroque modo, quod indigne sumentibus totus & integer effectus consequitur.

Cap. Quid in hoc sacramento sit sacramentum tantum, quid res tantū, &c.

CLXIII. *Responsio ad authoritates Doctorum ex aduerso allegatas.*

Ista igitur distinctione præsuppositā: Venio particulariter ad auctoritates, quæ inducuntur, & primo ad auctoritatem beati Ambrosii. Dicendum igitur quod verum est, quia in morte Christi liberati sumus, & quod hoc sacramentum in memoriam illius diuini beneficii celebratur, & quod ad tuitionem vtriusque, animæ scilicet, & corporis, vtrumque scilic. caro & sanguis sumitur, siue sub duplici specie, siue sub vna accipiatur, verum quantum ad significationem, hæc tuitio vtriusque completius & perfectius sub duplici specie, quam sub vna designatur, licet non magis sub duplici, quam sub vna, quoquo modo, in simplici sumptione, ad prædictorum tuitionem operetur. Quo ad significationem faciendam, sicut & passionis Christi, quantum ad species visibiles, pertinet ad sacerdotes, quibus solis ipse Deus dixit: *hoc facite in meam commemorationem, &c.* Vnde in libro sententiarum distinctione secunda, libr. 4. post prædicta verba Beati Ambr. subdit: *sed sub vtraq; specie sumitur, quod ad vtrumq; valet, quia sub vtraq; specie sumitur totus Christus. Sed si in altera tantū sumeretur, ad alterius tantum, id est, corporis aut animæ, non vtriusque pariter, tuitionem valere significaretur.* Ecce quomodo Magister loquitur de significatione. non enim dicit, ad alterius tuitionem tantum valere, sed alterius tantum tuitionem significaretur valere. Immo dicit, quod sub vtraque specie sumitur, quod ad vtrumque valet.

Ad Augustinum.

Ad Hugonem.

Ad idem est Hugo in quarto de Sacramentis, vbi ita dicit: *Nunc videtur dicendum, quod licet in duabus speciebus sumatur, tamen sub vtraque inter Christus sumitur. Non enim potest esse corpus sine sanguine, nec sanguis sine corpore esse potest. Sed ideo in duabus speciebus sumitur huius vt significetur sacramenti duplex effectus. Valet enim vt ait Ambrosius ad tuitionem corporis & animæ, & quod sumitur in pane, valet ad vtrumque, & similiter quod in vino sumitur, quia in pane totum & integrum sumimus. Sed si in pane tantum sumeremus, alterum tantum significaretur, secundum quod ad tuitionem corporis valeret. Iterum, si in vino tantum sumeretur, licet hoc sufficeret ad corporis & animæ tuitionem, tamen hoc solum significaretur quod pro salute animæ susciperetur.* hæc ille.

Ad S. Thomam.

Post hæc adducit S. Thomam parte 3. quæst. 74. art. 1. dicentem de distinctione duplicis speciei, & similiter eadem parte quæst. 76. art. 2. Ad quem dicendum, quod sanctus Doctor ex proposito & ex intentione tam in 3. parte, quam in quarto sententiarum, & pene in omnibus scripturis suis, in quibus tractat hanc materiam, determinat pro parte consuetudinis Romanæ Ecclesiæ, & eandem consuetudinem multipliciter laudat & approbat, secundum quod in præcedentibus ex dictis suis satis fuit diffuse declaratum. Sunt autem doctores allegandi ad eum sensum quem ipsi intendunt in dictis ipsorum, & non ad sensum repugnantem, sicut & sacra scriptura. sed videtur mihi quod Magister opponens, omissa doctorum clara & manifesta intentione, nititur & laboret eosdem doctores capere in sermone, quemadmodum & Iudæi obseruabant Christum. Verumtamen ne credat se Doctores Catholicos in hac materia in contradictione deprehendisse, respondendum est. Et primo ad dicta huius doctoris, qui in prædictis locis intendit assignare causas, quare in consecratione huius sacramenti, vtraque species requiritur, cum tamen idem contineatur vtrobique & quod vna specierum nullo modo superfluit, & ad hoc ostendendum triplicem causam assignat. Prima est expressior significatio Dominicæ passionis. Secunda est expressior significatio completæ refectionis spiritualis. Tertia expressior significatio saluationis vtriusque hominis, quorum omnium repræsentationem facere pertinet ad sacerdotes, quibus dictum est & præceptum, *hoc facite in meam commemorationem.* quod autem dicit, *conueniens est vt seorsum exhibeatur fidelibus tam ratione vsus, quam ratione effectus.* Dicendum quod Doctor loquitur de institutione huius Sacramenti, causas assignando, quod non frustra sub duplici specie institutum sit, & sic id quod dicit quod seorsum exhibeatur fidelibus, refertur indifferenter ad Ecclesiam, & verificantur verba sua, tam in sacerdotibus, quam in non sacerdotibus, quibus sic ex consuetudine ministrabatur, vt dictum est de ministris quarundam Ecclesiarum, specialiter in ordine Cistertiensium. Id vero quod dicit, quod corpus CHRISTI exhiberetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ sub diuersis speciebus, intelligendum est significative, vt sæpe dictum est, & secundum quod dictum est ad auctoritatem Ambrosii. ex quibus patet, quod quantum ad rem, & simpliciter, nulla est vtilitas maior capere sub vtraque specie, quam sub vna, imo stantibus consuetudine vniuersali, & statuto Ecclesiæ in oppositum, quibus fideles tenentur conformari & obedire, capere sub vtraq; est damnabile & pernicioſum.

Vlterius quod ex communione sub vtraque specie augeatur gratia in sumente, scilicet ratione adiunctæ secundæ speciei, negatur simpliciter. & ad auctoritatem Augustini dicendum, quod dicta auctoritas Augustini ponitur in glossa ordinaria super Psalmo 22. In quo Psalmo Dauid enumerat decem dona Dei, quæ prædicta glossa vocat decem gratias, & post nonam gratiam ponit auctoritatem iam allegatam, quam sic incipit: *Nota quod calicem & sanguinem Christi psalmista per seponit, quasi aliam gratiam à mensa & corpore Christi, cum tamen caro sine sanguine, &c.* In qua auctoritate glossa implicite soluit illam quæstionem, Cur psalmista enumerando dicta dona Dei seu gratias, mensam & corpus Christi & calicem & sanguinem distinguit, velut duas gratias, & duo dona Dei. Cum species panis & vini sint vnum sacramentum totale & non duo, & caro Christi non possit de lege communi esse aut sumi sine sanguine, & è conuerso, eo quod totus Christus est sub vtraque specie. Et respondendo reddit istius distinctionis tres causas. Prima est distinctio essentialis corporis Christi & sanguinis eius. & hanc tangit, cum dicit: *sed quia caro non est sanguis, & sanguis non est caro.* Secunda est diuersitas conuersionis, & illam innuit cum subiungitur: *& panis in carnem conuertitur, & vinum in sanguinem, & non è conuerso.* Tertia est distinctio specierum panis & vini, & istam dat intelligere, cum addit: *& sub diuersis speciebus vtrumque sumitur.* Et hæc est totalis intentio auctoritatis illius, in qua nulla mentio fit de communione laicorum sub vtraque specie, & illud quod in fine ipsius ponitur, *& sub diuersis speciebus vtrumque sumitur.* refertur ad Sacerdotes sacrificantes; ad quos pertinet sub vtraque specie consumere, & sumere propter perfectam sacramenti significationem. Et ex hoc patet quod falso infertur & male; cum dicitur, quod sit alia gratia sub illis diuersis speciebus, & per consequens sumens sub vna, non sumit vtraque, quia illa distinctio tantum ponitur propter rationes prædictas, quæ nullo modo inferunt aliquam distinctionem in re aut in effecto, vnde & caute Augustinus & glossa inquiunt, *ideo mensam & calicem hic distinguit, velut diuersas gratias.* & superius in principio auctoritatis dixerunt; *qui calicem, id est, sanguinem Christi per se ponit quasi aliam gratiam, &c.* Non enim aiunt quod sint diuersæ gratiæ, sed propter prædictas diuersitatis causas dicunt velut, id est, quasi diuersas gratias. Ex quo nullum potest inferri præiudicium communioni sub vna specie, quasi minus contineat in se aut rei aut gratiæ. Ad illud igitur quod ex prædictis auctoritatibus videlicet Ambrosii, Thomæ & Augustini concludit, videlicet quod sint diuersæ gratiæ siue efficaciæ, & diuersi fructus sub duabus speciebus, negatur, vt expositum est, quia ex dictis illorum nihil sequitur.

Quare fideles intelligere debent, quod nihil vtilitatis, nihil virtutis, nihil gratiæ aut cuiuscunque spiritualis effectus, sumitur per sumentes hoc sacramentum sub duplici specie magis, quam per sumentes sub altera tantum, cæteris paribus, & ex opere operato, & quod eis per consequens nihil aufertur spiritualis effectus, nisi occasio erroris, periculum effusionis, & irreuerentia, quæ in multitudine populi minus discreti & minus cauti posset accidere huic venerabili sacramento in administratione sub specie vini.

Non plus sumitur, quo ad effectum, sub vtraq; quā sub vna contentū.

CLXIV. *Ad obiectionem Alberti Magni.*

Ulterius ad auctoritatem Alberti Magni dicendum primo, quod tempore Alberti Magni non dubium est quin modus & consuetudo vnius speciei iam erat in ecclesia introducta, nec reperitur quod eam hic Doctor profundissimus in loco aliquo redarguerit, aut reprehenderit, quod vtique audacter fecisset, si ipsam quoquomodo credidisset, aut putasset illicitam, imo prædictus Doctor putauit & credidit, non solum Ecclesiam posse ministrare laicis, hoc Sacramentum sub vna specie, sed etiam credidit quod Ecclesia posset cum sacerdotibus dispensare, vt in illis partibus, in quibus non potest vinum de facili reperiri, conficerent sub vna specie. Vnde in tractat. suo de Missa prope finem dicit. *Propter intolerabile damnum animarum quod incurrunt habitantes in terris, vbi non habetur vinum, expediret vt dispensaretur, vt Christi corpus sine calice confici posset.* Et sub dictationem illius dicti dicens: *corpus enim non est sine sanguine, & anima, & Deitate, quamuis non sit ibi sanguis vi consecrationis.* non est igitur dicendum nec præsumendum, quod tantus Doctor sibi ipsi in allegatis auctoritatibus fuerit contrarius.

Supra in testimoniis S. Patrum.

Ad auctoritatem igitur eius allegatam dicendum, quod loquitur de sacerdotibus celebrantibus & conficientibus hoc sacramentum, quod manifestissime patet, & sole clarius ex ipsius responsione, quam immediate ad dictum dubium motum subsequitur, quam responsionem Magister Ioannes, ea ex causa dimisit, quia totaliter facit contra eum. Nam Albertus respondens, ita dicit: *Sed ad hoc dicimus, quod Christus postquam exhibuit corpus suum sub specie panis, tunc etiam*

In cap. de huius potus præparatione.

postea exhibuit sanguinem suum sub specie vini, & vtrumque sacramentaliter esse celebrandum præcepit in Ecclesia, per statuta Apostolica, & ideo Ecclesia instructa actione Christi, vtrumque celebrat, diuisim conficiendo corpus sub specie panis, & diuisim conficiendo sanguinem sub specie vini. Quod autem sic diuisim hæc duo exhibuerit, & celebranda instituerit Christus, patet Matthæi 27. hæc Albertus. Qui post prædicta cum testimoniis Euangelistarum probasset, quod Christus sub duplici specie hoc sacramentum instituerit, & ita celebrandum & conficiendum in Ecclesia, per statuta Apostolica præceperit, Subiungit: *ex omnibus istis accipitur, quod Christus sub vna specie panis corpus suum tradidit, & sub altera specie vini, tradidit sanguinem, & sic seruandum instituit, & cum Christi actio sit nostra instructio, pro certo hæc duo nobis seruanda esse præcepit, & ideo sub vna specie corpus, & sub alia tradimus sanguinem.* Hæc Albertus in loco, vbi dictus Magister allegat eum, in quo vnusquisque vel sciens Grammaticam potest intelligere hunc Doctorem, quod non loquitur nisi de celebrantibus & conficientibus hoc sacramentum.

Celebratio sacram. Euchar. per sacerdotes in Ecclesia vbi est per statuta immediate à Christo, sed per statuta Apostolica.

Vlterius valde notandum verbum, quod ibi dicitur, quod CHRISTVS vtrumque sacramentaliter celebrandum esse præcepit in ecclesia, per statuta Apostolica. Ex quo verbo patet intentio huius Doctoris, quod etiam celebratio huius sacramenti per sacerdotes in Ecclesia non est præcepta immediate à Christo, sed per statuta Apostolica: q̃ tamen statuta Apostolica ipsi Christo attribuit ad declarandum, quod nihil Ecclesia statuit, aut potest statuere, quod concernat fidem, aut aliquid necessarium ad salutem sine Christo ipsam dirigente, & eidem assistente, vsque ad consummationem sæculi. vnde & inferius ait assignans rationem de duplici specie in celebratione: *hanc autem fidei Christi & Ecclesiæ hæc sit causa, &c.* vbi & Christo & Ecclesiæ hoc factum attribuit, & ex hoc fundamento dependet illa sententia sua, qua, vt superius dictum est, asseruit, quod in partibus, in quibus non reperitur vinum, Ecclesia posset dispensare, vt sub specie panis tantum sacerdos conficeret, quod vtique nullo modo posset fieri, si fuisset Christi præceptum tantum obligans in celebratione huius sacramenti & sumptione, quantum aduersarij conantur persuadere. Ad verbum autem, *tradimus sanguinem*, dicendum, quod sæpe Doctores subinducunt personam totius communitatis, vel Ecclesiæ, & loquuntur in numero plurali, & sic & iste Doctor loquitur in persona Ecclesiæ. Nam superius dixerat, quod Christus vtrumque sacramentaliter celebrandum esse in Ecclesia, per statuta Apostolica præceperat, & postmodum subdit, *& ideo sub vna specie corpus, & sub altera sanguinem tradimus*, per modum scilicet statuti & doctrinæ, quasi diceret, nos Ecclesia tradimus & mandamus, siue statuimus & docemus sub vna specie corpus, & sub altera sanguinem debere celebrari. secundum quod & Apostolus in nostra materia loquitur, 1 Corinth. 11. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis.* Non enim Apostolus acceperat communionem sacramentalem à Domino per modum, quo communicans recipit Eucharistiam à sacerdote, nec similiter ipse ita tradidit Corinthiis, nisi per modum doctrinæ, vñ argues paralogiazt in acceptione termini *traditus*.

Lib. sent. 4 dist. 10.

Ad aliud autem quod inducitur de eodem Doctore, videlicet de diuisa vel diuersa operatione corporis à sanguine, &cæt. dicendum, quod idemmet doctor super illa litera textus Augustini, quod sacramentum componatur ex visibili elementorum specie, & Domini nostri Iesu CHRISTI carne, sacramento videlicet, & re sacramenti, dicit sic: *non intendit hic Augustinus determinare partes essentiales sacramenti, sed potius dicere ea quæ exiguntur ad veritatem & sacramenti perfectionem, secundum quod est effectiuum vnitatis corporis mystici, quod est Eccl sia. Species autem visibiles operantur illam per modum significandi, vt Magister dicit in sequenti distinctione, quia sicut vnus panis fit ex multis granis depuratis, & vinum conflatur ex multis vuis, sic Ecclesia congregatur ex multis fidelibus, corpus autem Christi efficit illam per modum causæ.* hæc ille. Ex quibus verbis eiusdem Doctoris manifeste colligitur, quæ sit operatio specierum sacramentalium, quia est ipsa significatio, prout etiam superius dictum est per eundem doctorem, quod formæ sacramentales nihil causant, sed solum significant. Ista igitur eiusdem Doctoris præsupposita declaratione, manifesta est intentio sua, quia videlicet sicut ad nutrimentum corporale sumitur potus ad perfectionem nutrimenti, ita & in nutrimento spirituali, datus est potus ad perfectionem nutrimenti spiritualis, scilicet ipse sanguis Christi, & quantum ad hoc, vt superius dicebatur post Hugonem de sancto Victore, & Magistrum sententiarum totum completur & continetur sub altera specierum. verum quia perfecta refectio, quæ consistit in cibo & potu spirituali, non significatur per vnam speciem, idcirco idem doctor ait, quod diuisam habet operationem sanguis à corpore, corpus enim dedit Christus in communionem sui & membrorum, sanguinem autem dedit in redemptionem. Istæ autem sunt diuersæ operationes, quod vtique verum est tam in se, quam etiam in signo, tamen cum vtrumque scilicet corpus & sanguis contineatur sub altera specie; patet quod sub altera specie vtrumque sit, communio scilicet & redemptio, non tamen vtrumque per alteram speciem significatur, & ideo sunt diuersæ operationes, & essentialiter inter se, & etiam in signis. & hoc est quod idem Doctor concludit, quod cum dominus sic ordinauerit, & multiplicauerit sacramenta, quod omnes gratias sacramentales habeamus in sacramentis, supple, effectiue, & significatiue, & alia gratia sit redemptionis per sanguinem, quam communionis per corporis sumptionem, non sufficit in Sacramento habere elementum significans communionem, nisi etiam haberetur elementum significans redemptionem: vbi expresse Doctor concludit totam istam diuersitatem existere in diuersitate significationis, & non in re, quoad effectum. non enim dixit, non sufficit in sacramento habere elementum efficiens seu causans, sed significans communionem. Ex quibus manifeste patet, quod quantum pertinet ad esse rei, nulla vtilitas resultat communionis duplicis speciei, quia ista pluralitas solum requiritur propter compleram significationem faciendam completæ refectionis, seu aliorum, quæ per hoc Sacramentum efficiuntur in nobis per dignam sumptionem.

CLXV. *Ad Innocentium. Superius in testimoniis SS. Patrum.*

Ad auctoritatem Innocentii dicendum, quod ipse, vt superius dictum est, tenet in sequenti capitulo, quod sub sola specie panis debet Eucharistia seruari. Item quod in illis regionibus, in quibus alterutrum inueniri non potest, licite potest alterutrum sine altero consecrari, & in fine capituli, approbat modum qui tenetur in Parasceue de sumptione Eucharistiæ sine specie vini. Ex quibus patet, quod hic Doctor non fuit opinionis, quod vtraque species fuerit, vel sit de necessitate salutis, siue de præcepto Christi, quia si sic, nullum prædictorum potuisset rationabiliter concedere. Ad auctoritatem igitur quæ hic inducitur, dicendum, quod loquitur de Sacerdotibus actu conficientibus, quorum est conficere simul, & sumere sub vtraque specie, propter perfectam significationem, vt in superioribus sæpe dictum est, quod patet ex hoc, quia nullam mentionem facit de laicis, & quia loquitur de oblatione & consecratione, quæ solis competunt sacerdotibus, hoc etiam rubrica eiusdem capituli ostendit, quæ dicit, *cur Eucharistia sub duplici specie conficiatur.* Et idem quod de sumptione dicit, referendum est ad sacrificium, quia ad sacrificantem pertinet, vt dictum est, vterque actus, scilicet conficiendi & sumendi, & hoc propter significationem perfectam, tam Christi passionis, quam etiam salutis vtriusque hominis. Si enim in sacrificatione vna tantum species conficeretur, & sumeretur ad alterius, corporis, scilicet, vel animæ, salutem pertinere significaretur, sed idcirco vtrumque à Sacerdotibus conficitur & sumitur, vt mors CHRISTI & salus vtriusque hominis significetur. Quod autem vlterius additur, quod nec sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vini bibitur & comeditur, verum est quoad signum extrinsecum, sed tamen quo ad rem quæ est caro & sanguis, & quo ad effectum, qui est exstinctio esuriei & sitis, vel quo ad perfectam & completam cibationem, quæ principaliter in quolibet nutrimento attenduntur, ita plene & perfecte sub vna specie vtrumque sumitur, sicut sub vtraque, & vere comeditur corpus Christi, & vere ipsius sanguis bibitur. Vnde Præpositiuus qui fuit Doctor antiquissimus, quem sanctus Thomas, & multi antiquorum Doctorum allegant, in quæstionibus de Sacramentis dicit, *sub hac specie sanguinis est corpus & sanguis, & sub specie panis hæc su-*

mis sanguinem, vel ergo comedis vel bibis sanguinem. Sed non est dicendum quod comedis, ergo bibis, & sub hac specie comedis, Solutio, sub hac specie comedo & bibo: hæc præfatus Doctor antiquus. Idem dicunt Petrus de Tarantasia, & Thomas de Argentina, & pene omnes; qui approbant communionem sub vna specie: nec tamen in sacrificio vna species superfluit alteri, imo sicut vtraque requiritur ad perfectam significationem prædictorum, sic & prædicti duo actus. qui respiciunt rationem significationis, prædictas species, necessario exigunt. quare totum quod idem Doctor & Pontifex loquitur, ad sacrificium referendum, in quo tam vtraque species, quam vterque actus propter significationem prædictam requiruntur. Ad auctoritatem S. Thomæ de diuersis instrumentis, dicendum est, quod in hoc sacramento, panis & vini non sunt diuersa instrumenta, sicut nec diuersa sacramenta, nisi materialiter, & ita non est nisi vnum instrumentum, per quod Deus in nobis operatur perfectam nutritionem & cibationem, vnde nec sub duplici specie diuina virtus diuersas efficacias operatur, vnde Albertus in tractatu de Missa dicit, *quod autem obijcitur quod duæ institutiones faciunt duo sacramenta: dicendum, quod non sequitur, nisi duæ institutiones essent de duabus materiis diuersis & duabus formis diuersis, & duabus gratiis in sacramentis substantialiter effectis diuersis, quæ hic non sunt, quia duæ materiæ panis & vini, indicant vnum perfectum nutrimentum, quod in perfectione nutrienda altera illarum materiarum indicare non sufficit, formæ etiam ad formam refertur ad perfectionem vnius sacramenti, vna etiam est gratia in vtroque effecta, & ideo duæ esse non possunt.* hæc Albertus: Ex quibus sole clarius patet, quod nullum bonum, nulla vtilitas sequitur ex sumptione duplicis speciei, cum nulla efficacia magis sub vna quam sub duplici contineatur, & cum fiat contra determinationem Ecclesiæ, non solum non est expediens saluti, sed omnino est damnabilis, & nociua; maxime si pertinacia adiungatur.

De huius sacramenti forma super vinum. Impressum exemplar habet. diuisi.

Nulla vtilitas ex sumptione vtriusque speciei.

CLXVI. *Ad auctoritates quæ procedunt ex effectib. appropriatis sanguini. S. Thom. 3 q. 78. ar. 3.*

Vlterius ad auctoritates sequentes, quæ procedunt ex effectibus appropriatis sanguini. Et primo ad auctoritatem S. Thomæ dicendum, quod ipsemet Doctor declarat seipsum & verba sua atque sententiam. Nam dicit *per hæc verba, hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem, per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento, quæ quidem, scilicet virtus sanguinis effusi in passione, ad tria ordinatur. Primo quidem & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, secundo ad institiam gratiæ, quæ est per fidem. Tertio ad remouendum impedimenta vtriusque prædictorum, scilicet peccata.* In quibus verbis expresse doctor ostendit, quod prædicta tria secuti sunt fideles ex effusione sanguinis Christi in passione, & eadem virtus passionis operatur in hoc sacramento, & non dixit doctor, in sacramento tanto sanguinis, sed in sacramento simpliciter. Et licet prædicta verba, *noui & æterni testamenti*, & alia quæ sequuntur, adiuncta sint futuræ consecrationis sanguinis propter maiorem expressionem & similitudinem, quæ eiusdem sanguinis habetur in specie appropriata, scilicet vini, tamen effectus prædicti cum non sequantur speciem, manifestum est quod vbicunque est sanguis ille qui effusus est, ibi sunt omnes effectus eius. Cum igitur sub specie panis sit verus sanguis Christi, immo totus & integer Christus, manifestum est, quod ibi erunt omnes effectus virtualiter & sufficientissime eiusdem sanguinis. Et mirabilis causa quam adducit, eiusdem doctoris declarat veritatem, cum subdit, quod sanguis non solum habet efficaciam in Sacerdotibus qui hoc conficiunt Sacramentum, vel aliis qui sumunt, sed etiam in illis pro quibus offertur. Si enim sanguis CHRISTI proficit illis offertur: licet non sumant ipsi, nec in re, nec in signo, quanto magis proficiet illis qui capiunt & sumunt ipsum in re, licet non in signo, vt Sacerdotes faciunt, ex quo secundum se nulla virtus sequitur aut causatur, vt dixit Albertus. Ex quo patet, quod populus fidelis, in subtractione calicis, non spoliatur quibuscunque effectibus salutiferis, aut quomodocunque vtilibus, cum sanguis CHRISTI non auferatur ab eis, sed solum species & signum repræsentans, & hoc propter pericula effusionis & erroris.

Ibid. ad 8.

Ad S. Cyprianum. Supra mo mo 6.

Ad auctoritatem Cypriani dicendum primo, quod ipse in hac auctoritate nullam necessitatem ponit aut præce-

Supra in testimoniis SS. Patrum & Doctor.

Ad aliam auctoritatem sancti Tnomæ quam allegat sermone trigesimo, dicendum primo, quod mirum est quomodo magister proponens non aduerterit ad præcedentem sermonem, immo ad vnam lineam præcedentem dicta, quæ assumit pro se. nam idem Doctor in sermone 29: quærit ex intentione, *quare populus non accipit sanguinem sicut sacerdos*: & assignat tres rationes quas ibidem diffuse prosequitur, quarum prosecutio hic gratia breuitatis omittitur, quia dicti sermones satis communes sunt. Dicitur igitur quod omnes illi effectus quos enumerat doctor præfatus in dicto sermone trigesimo, sunt effectus ipsius rei, id est, veri sanguinis Christi, & non speciei, idcirco sanguis Christi siue significetur per aquam, siue significetur per vinum, siue per quemcunque alium liquorem, seu aliam rem sensibilem & quicquid potest dici de effectibus eius, de vtilitatibus, de dulcedine, totum sibi competit ratione sui & non ratione speciei neque igni. Idcirco quicunque digne sumit, siue sub specie panis, siue sub specie sibi appropriata, semper consequitur tuos effectus.

Et idem dicendum est ad effectus & vtilitates, quas enumerat Chrysostomus, & non solum Chrysostomus, sed quicquid vnquam dixerunt omnes Apostoli, omnes Doctores, & quicquid potest cogitari, aut imaginari de ipso sacratissimo sanguine Christi, totum sibi competit secundum naturam suam, & non secundum speciem, à qua nihil accipit virtutis aut efficaciæ, quod vtique dicere esset non solum hæreticum, sed omnino insanum. Cum igitur totus & integer sanguis, & Christus contineatur sub vna specie, vel sub duabus, quomodo unque consideretur, totum sibi competit, vt dictum est, ratione sui, & non ratione speciei, quapropter non valet illatio, qua Magister proponens infert ex dictis auctoritatibus S. Thomæ & Chrysostomi dicens: *Ex quo patet quam pretiosos & nobilissimos effectus gratiarum facit calix sacramentalis illis, qui cum puritate conscientiæ accedunt, & quam salutiferos omnium fidelium necessarios & opportunos, quod quidem efficit in eis vi sacramenti. & ex institutione Christi specialis.* quia nullo modo prædicti effectus veniunt ex vi Sacramenti, sed ex vi præsentiæ & existentiæ sanguinis Christi veri, qui ita perfecte, complete & integre est sub vna specie, sicut sub duabus, licet non sit ibi tanquam in appropriato signo. Ideo vniuersi fideles considerantes pura & sancta fide, tam pretiosos effectus non consequi species & accidentia sine substantia & subiecto existentia, sed verum Christum, id est, verum sanguinem eius; nec contineri sub illis accidentibus ex vi Sacramenti, sed ex vi præsentiæ & existentiæ Christi. Idcirco per viscera misericordiæ Dei nostri exhortor & obtestor omnes Christi fideles, quatenus etiam si oporteret perferre mille mortes, ignes, & ignes, non permittant se abduci à consuetudine sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, in communione sacratissimi corporis sub specie panis, sub qua totus, perfectus, & integer Christus continetur, plenus gratia & veritate, de cuius plenitudine omnes nos accipimus gratiam pro gratia. Ioan. 1.

Ad S. Chrysostomum.

Ad auctoritatem Armachani, dico primo, quod dictus Doctor in multis aliis suis dictis fuit suspectus, & de hæresi notatus. fateor tamen me hoc dicere ex auditu, & ex relatione multorum, non quod legerim errores suos. Deinde dico quod hæc authoritas sua non facit contra me, quia sumendo sub vna specie sacramentali, est sumptio sacramentalis corporis & sanguinis Saluatoris nostri, & sic dico, quod non est negandum, sed firmiter astruendum, quod sic sumere multum prodest fidelibus ad vitam spiritualem agendam.

Ad Armachanum.

Ad illud quod inducitur de Ecclesia primitiua, concedo, quod propter deuotionem qualibet die sumebant fideles Sacramentum Eucharistiæ, non tamen sub vtraque specie. Et hoc patet per authoritatem quam proponens inducit Actuum 2. capit. vbi dicitur de quotidiana fractione panis, nulla facta mentione de vino, aut de calice.

Ad morem primitiuæ Ecclesiæ.

Similiter dicendum est ad authoritatem Anacleti Papæ,

Ad Anacletum.

qui videlicet ſtatuit, quod fideles ſæpe communicarent, non tamen habetur, quod ſub duplici ſpecie. & dato etiam quod ſub duplici ſpecie ſtatuiſſet, non tamen propter hoc fuiſſet ſtatutum Chriſti immediatum ſiue præceptum eius, ſed Eccleſiæ, aut Papæ, vnde & ipſemet Anacletus teſtatur, non quod CHRISTVS, ſed quod Apoſtoli ita ſtatuerunt, ita enim dicit: *ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Et dato etiam quod ſub duplici ſpecie communicaſſent, non tamen hic feruor erat in ſanctis viris propter ſpecies vnam vel duas, ſed propter verum Chriſtum Dominum noſtrum, qui in hoc ſacramento æqualiter, & ſecundum rem & ſecundum effectum continetur, ſiue ſub vna ſiue ſub duplici ſpecie ſumatur. Quod autem ſæpe accedere digne & deuote, & cum diſcuſſione debita ſit vtile & valde proficuum, immo ſumme neceſſarium cupienti, & deſideranti in via Domini non tegredi ſed progredi, omnes Doctores Catholici prædicant, laudant, hortantur, admonent, & obſecrant inceſſanter fidelem populum, immo contra negligentes Eccleſia Romana Catholica pœnas inſligit, vt vel ſaltem ſemel in anno hoc ſacratiſſimo cibo reficiantur. Et licet antiquitus in frequentatione huius myſterii fidelis populus fuerit feruentior, nihilominus & adhuc in veneratione eiuſdem ſolers & diligentiſſima cura adhibetur, tam in miniſtrando, quam in ſaciatis, in quibus conſeruatur; quam etiam in celeberrima feſtiuitate, quæ ſingulis annis apud vniuerſos Chriſti fideles, præter quotidianam venerationem, ſolemniter & deuotiſſime peragitur.

CLXVII. *Ad epilogū opponētis.* Regratior autem Magiſtro proponenti de auctoritate quam adducit ex Exodi quintodecimo, vbi Dominus, in figura huius Sacramenti, præcepit Iudæis, dicens: *ecce ego pluam vobis panes de cælo, egrediatur populus, & quæ ſufficiunt per ſingulos dies colligat*, quia in dicta figura nulla mentio fit de pluuia vini, cui tamen magis competeret quod pluueret, quam pani, cum vinum originaliter ſit aqua, cui competit pluere proprie, & non pani. Vlterius ad epilogum, quem facit ex præcedentibus, cum dicit: *Et patet quam vtilis & expediens ſit ſaluti hominum communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſub ſpecie vtraque, à Chriſtianis digne celebrata: hoc autem patet ex verbis Chriſti, ſententiis Doctorum, praxi primitiua Eccleſiæ, & libro Conciliorum, ex dicto Anacleti ſupra iam & immediate adductis & allegatis.* Dicendum primo, quod iſte epilogus & illatio peccat in materia & in forma. In materia quidem, quia nulla prædictarum auctoritatum neque Chriſti neque Doctorum, neque praxis primitiuæ Eccleſiæ, neque Papæ dictum Anacleti ex libro Conciliorum, neque etiam figura facit quantumcunque mentionem in verbo, vel in ſenſu, de duplici ſpecie pertinente, quoquomodo ad communionem laicam, ſed ſolum de carne & ſanguine Domini noſtri, quæ ſub vna ſpecie continentur & celebrantur, atque de conficientibus illis Sacerdotibus. patet intuenti & examinentur omnes auctoritates inductæ, quia non reperietur aliqua quæ intendat aliquo modo tangere communionem laicam ſub vtraque ſpecie. Secundo peccat prædictus epilogus in inferendo à dicto ſimpliciter ad ſecundum quid. Nam omnes auctoritates prætactæ intendunt perſuadere vtilitatem deuotæ ſumptionis huius Sacramenti, ſimpliciter & abſolute, non habendo reſpectum ad vnam vel ad duplicem ſpeciem, niſi pro quanto quilibet tenetur in ritu Sacramentorum ſequi conſuetudinem & ſtatuta Eccleſiæ Catholicæ: & nihilominus proponens trahit has contra conſuetudinem & ſtatutum Eccleſiæ, & ad ſenſum repugnantem, & omnino contrarium intentioni Doctorum, qui ſemper & in omnibus niſi ſunt ſequi conſuetudinem & ordinationem Eccleſiæ, omnia dicta eorum correctioni Eccleſiæ ſubmittentes.

CLXVIII. *Ad correaria.* Tandem ſucceſſiue dicendum eſt ad correlaria, quæ inferuntur. Et primo quo ad primum, quando dicit, quod quamuis Chriſtus totus plenus Deus & homo ſit ſub alterutra ſpecie, cum plenitudine omnium gratiarum, non tamen vno modo omnem gratiam diſpenſat, ſed per diuerſa ſacramenta, diuerſas gratias idem ipſe Chriſtus confert. Ex iſto correlario habentur tria. Primum eſt, quod ſub alterutra ſpecie eſt totus CHRISTVS, plenus, Deus & homo, cum plenitudine omnium gratiarum. Secundum eſt, quod non vno modo omnem gratiam diſpenſat. Tertium eſt, quod per diuerſa Sacramenta diuerſas gratias idem ipſe Chriſtus confert: ex quo applicando ad propoſitum: panis & vinum ſunt diuerſa ſacramenta. Contra prædictum correlarium ex oppoſito tertii, & primo inſtabo contra ſecundum dictum prædicti correlarii. Et aſſumo ſic: panis & vinum non ſunt diuerſa ſacramenta, ſed vnum: ergo Chriſtus non confert diuerſas gratias per illa duo. Argumentum patet ab oppoſitis, quia ſicut ad diuerſitatem ſacramentorum, ſequitur diuerſitas gratiarum, vt dicit aduerſarius, ita per oppoſitum, ad vnitatem cauſæ ſiue ſacramenti, ſequitur vnitas gratiæ. Aſſumptum paret per omnes Doctores, qui loquuntur de vnitate huius ſacramenti, omnes enim concorditer concludunt, vnum eſſe ſacramentum formaliter, ratione finis & perfectionis; plura ſecundum quid & materialiter: Ad hoc nota Doctores Albertum Magnum, S. Thomam, & alios &c. Manifeſtum eſt autem, quod vnitas effectus ſequitur vnitatem formæ, patet etiam quia effectus huius ſacramenti eſt vnus principalis, videlicet ipſa ſpiritualis refectio, vt ſupetius dixit Albertus. Si ergo non ſit niſi vnum ſacramentum & vnus effectus, ſitque ipſe Dominus ſub alterutra ſpecie cum plenitudine gratiarum, vt prima pars correlarii dicit, ſequitur de neceſſitate, quod vno modo omnem gratiam diſpenſat, prout competit ei ſecundum rationem huius ſacramenti, quæ eſt refectio ſpiritualis, quod eſt contra ſecundum, & per conſequens, ſiue ſumat ſub vna ſpecie, ſiue ſub altera tantundem ſumit, & eodem modo de gratia, ſiue quacunque diuerſitate aut diminutione, quantum ad rem, licet cum ſub altera ſumitur, non vtrumque ſignificatur, prout ſupetius dictum eſt ſecundum intentionem Magiſtri ſententiarum, quod ſub prima ſpecie CHRISTVS eſt verus cibus, & vera vitis, reficiens plene & perfecte vtrumque, animam ſcilicet & corpus, & ſimiliter ſub ſecunda ſpecie, licet non vtrumque ſignificetur per proprium ſignum. Adillud autem quod dicit quod primam deguſtationem Chriſtus vocat comeſtionem ſiue manducationem, & ſecundam bibitionem, dicendum, quod falſum eſt, quia Chriſtus non refert manducationem, & bibitionem ad ſpecies panis & vini, ſed ad ipſas res, ſcilicet carnem & ſanguinem, cum dicit: *caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus &c.* Et, *niſi manducaueritis, &c.* quare ſiue ſub vna ſpecie ſumat, ſiue ſub duplici, vera vtrunque facit, quia vere comedit carnem, & vere bibit eius ſanguinem. quare non ſequitur quod ſit alia & alia efficacia ſub vna & ſub alia ſpecie, quia ſub altera ſumit completam nutritionem, & completam refectionem.

Vnitas effectus ſequitur vnitatem formæ.

CLXIX. *Falſum quod ſub duplici ſpecie quemlibet gratiā accipiat.* Ex prædictis patet, quod falſum infert & male, ſecundum correlarium, videlicet quod ſub duplici ſpecie capiens, diſpoſitiue duplicem gratiam accipit ſupra illum, qui in vna ſpecie accipit, cæteris tamen paribus, quia vt declaratum eſt, hoc falſum eſt, & ſatis reſponſum eſt ad auctoritatem Auguſtini. Item in tertio correlario infert, quod luce clarius patet, quod magnum ſacrilegium committunt qui Sacramentum calicis ab Eccleſia fidelium contemptibiliter rauferunt. In quo Eccleſiæ Romanæ duo imponit, ſacrilegium ſcilicet & contemptum, & ex his tertio damnationem, quia in probatione dicit, quod à populo Chriſtiano ſub altera ſpecie gratiam & efficaciam abſtrahunt damnabiliter. Nam ſi præceptum Chriſti tradit & determinat vtramque ſpeciem, & ita manifeſte proponens dicit, nullo modo Eccleſia poſſet à contemptu excuſari, & per conſequens à ſacrilegio, & vlterius à damnatione. Nec poteſt dicere quod ignorantia excuſaret Eccleſiam à ſacrilegio, & contemptu, & per conſequens à damnatione, quia vt alias dictum eſt, ignorantia iuris, in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, cuiuſmodi ſunt præcepta diuina & Chriſti, non excuſat. Quare ſi tam aperte notauerit partem noſtram, & tam dure eidem ſacrilegium, contemptum & damnationem impoſuerit, fueritque & ipſe, & ſua pars, patienter & modeſte auditus ab hoc ſacro Concilio, & ab hoc venerabili auditorio, vtique & ipſe & ſui, verba non ad eos directa, nec etiam de eis, Deo teſte, intellecta, vel dicta, immo pure, & ſincere prolata, deberent patienter & modeſte ſufferre: & ita rogo propter pium Ieſum procedamus in inquiſitione veritatis iuxta regulam B. Auguſtini in primo de Trini

Ignorātia iuris in his quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem nō excuſat.

tate hic per me alias allegatam, qui de ſe ipſo: *non pigebit me*, inquit, *ſicubi hæſito quærere; non pudebit me, ſicubi erro diſcere. Quisquis ergo hoc audit vel legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum, vbi pariter hæſitat, quærat mecum, vbi errorem ſuum cognouit, redeat ad me, vbi mecum, reuocet me. Ita ingrediamur ſimul catholicam viam tendentes ad eum, de quo dictum eſt: quærite faciem eius ſemper.* Verum quia auctoritates & rationes quas adducit, præcedentes & ſubſequentes, ad corroborationem dicti correlarii, non faciunt ad propoſitum, ideo nihil concludit. Similiter quartum correlarium, in quo dicit, quod multum damnificantur fideles altera ſpecie ſubtracta, nihil concludit, quia patet, quod nihil minus nec in re, nec in effectu capit ſumens ſub vna ſpecie, quam ſub vtraque. Et hæc dicta ſint quo ad primam partem ſuæ poſitionis. Ad laudem omnipotentis Dei, cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Supra in narratiōne.

CLXX. *Reſponſio ad ſecundā propoſitio nis partem.* Vlterius progrediendo ad ſecundam partem propoſitionis, in qua intendit tria probare, videlicet quod communio ſub vtraque ſpecie ſit à CHRISTO toti populo credentium ad communicandum inſtituta. Secundo quod ipſa communio ſacramentalis ſit de neceſſitate, & de præcepto CHRISTI. Tertio quod illa auctoritas, *niſi manducaueritis, &c.* intelligitur de ſacramentali manducatione, & non de ſpirituali. Licet poſſit dici pro expeditione materiæ, quod prædictæ difficultates ſint omnino extraneæ, & nullo modo facientes ad propoſitum: & probationes introductæ, aut auctoritates conſimili modo in vanum occupant membranas, in hac materia. Quia dato quod CHRISTVS hoc ſacramentum inſtituerit pro ſingulis generibus omnium fidelium, & quod eius vſum mandauerit obſeruari ſub præcepto, quodque etiam dicta auctoritas Ioann. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* intelligeretur de ſacramentali manducatione, non tamen adhuc haberent intentum, immo nullo modo habent de communione vtriuſque ſpeciei, quod ſcilicet cadat ſub præcepto. Nihilominus ne videar ſubterfugere materias propoſitas. quamuis non ſint ad propoſitum principalis intenti, pro veritate dilucidanda, dicam aliquid de quolibet.

Chriſtus in vltima cœna inſtituit ſacramentum ſub vtraq; ſpecie.

Et quantum ad primum, dicendum, quod CHRISTVS inſtituit hoc ſacramentum in vltima cœna ſub vtraque ſpecie, & ſic ſuos diſcipulos communicauit: & hoc intendunt & referunt narratiue auctoritates inductæ Euangeliſtarum, videlicet Matthæi, Marci & Lucæ *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, & bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus &c.* & ex iſtis auctoritatibus nihil poteſt aliud inferri nec infertur. Ad auctoritates vero quæ ex ſexto capitulo Ioannis adducuntur, dicetur in ſequentibus loco ſuo. Vlterius cum dicit quod Paulus Apoſtolus dicit eſſe inſtituram cœnam ſacramentalem communitati fidelium, propter Dominicæ paſſionis commemorationem, 1. ad Corinthios 11. Cum dicit: *Ego enim accepi à Domino, &c.* dicendum primo, quod Paulus loquitur ibidem de communione ſacramentali. deinde quod ipſe loquitur pure & ſincere narratiue referendo: ſcilicet, qualiter CHRISTVS in cœna hoc ſacramentum confecerat. tertio, quod ipſe Paulus nec in verbis, nec in ſententia, nec in quocunque ſigno euidenti, referendo prædictam cœnam Dominicam, innuit, quod Chriſtus ſic agendo in cœna inſtituerit dictum ſacramentum ſub vtraque ſpecie pro Apoſtolis, aut pro fidelibus quibuſcunque, & qualitercunque in futurum. nec vlterius dicit Apoſtolus, quod Chriſtus hoc Sacramentum frequentandum aut celebrandum ſiue etiam ſumendum præceperit, aut manducauerit; nec etiam ipſe Apoſtolus in toto illo proceſſu aliquid mandat vel præcipit, ſed omnia quæ ibi dicuntur, vel narratiue referuntur, aut ex ſuppoſitione per admonitionem dicuntur: Nam totum illud ad narrationem pertinet, quidquid dicitur ab illo loco: *Ego enim accepi à Domino*, vſque ad locum *hoc facite quotieſcunque biberis, in meam commemorationem.* quidquid autem vlterius ſequitur, ad exhortationem pertinet, videlicet, *quotieſcunque enim manducaueritis, &c.* Non enim dicit quod Chriſtus ſic facere præcepit aut mandauit, neque ego præcipio aut mando, vt ſic faciatis, aut vt ſic ſumatis, ſed, *quotieſcunque enim manducaueritis &c.* quo modo dicendi, etiam ſecundum ſenſum Gram-

maticalem, nihil infertur, aut intelligitur, niſi conditionalis ſuppoſitio quaſi diceret, quod Chriſtus ſic in cœna fecit, & ſi vos vultis facere, faciatis ad eum finem, ad quem ipſe dixit faciendum, ſcilicet in Dominicæ mortis commemorationem. Deinde taliter ſumite, quod potius cedat vobis in ſalutem, quam in damnationem, & antequam aliquis accedat, probet ſeipſum, ne videlicet cum conſcientia peccati mortalis accedat, habeat etiam diſcretionem, vt cum ea reuerentia accedat, ſicut decet tantum ſacramentum, diiudicando corpus Domini ab aliis cibis corporalibus, & carnalibus, & nihil aliud Paulus in toto proceſſu hoc intendit aut deducit, & notandi ſunt hic duo textus Apoſtoli: *probet autem ſeipſum homo, & non diiudicans corpus Domini*, contra illos, qui in maximam irreuerentiam huius diuiniſſimi ſacramenti, communicant infantes, ſtatim poſt baptiſmum, & alios amentes & vſu rationis carentes.

CLXXI. Deinde Magiſter proponens proſequitur intentionem ſuam, dicens; *Quod autem communio dictiſſima Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie in toto credentium populo ſit neceſſaria, patet per illud Ioannis 6 Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &cæt. Importat namque hoc dictio, niſi, neceſſitatem præceptiuam, non ſolum de comeſtione, ſed & de bibitione ſacramentali, obligatiuam omnium fidelium ſub carentia vitæ æternæ*; hæc proponens. Reſpondendo ad hanc auctoritatem quæ male intellecta eſt Achilles aduerſariorum, poteſt dici tripliciter. Primo, quod dicta auctoritas non intelligitur præceptiue, nec includit in ſe aliquod præceptum vel mandatum. Secundo, dato, quod importaret præceptum, non intelligitur de ſacramentali, ſed de ſpirituali manducatione, quarto modo accepta manducatione, in præcedentibus declarata. Tertio, dato, licet non conceſſo, quod dicta auctoritas ſtaret præceptiue, & de ſacramentali ſumptione intelligeretur, adhuc non haberet aduerſarius intentum de duplici ſpecie. Primus modus dicendi declaratur, quia non eſt neceſſarium quod vbicunque in doctrina CHRISTI ponitur nota, præcepti vel affirmatiue, vel negatiue, quod ibi vel illud obliget ex neceſſitate, ſed ſemper oportet recurrere ad intentionem dicentis. Vnde legitur Matthæi nono, de duobus cæcis, quibus curatis, comminatus eſt Dominus, dicens, *videte ne quis ſciat.* Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa, vt puta gratias agentes: manifeſtum eſt autem quod Chriſtus non intendebat eos obligare ad ingratitudinem vel ad peccatum. Similiter præcepit Apoſtolis, dicens: *nihil tuleritis in via, neque baculum, neque peram, neque calceamenta, neque duas tunicas habeatis*, quod vtique nullo modo ad literam, & præceptiue poteſt intelligi, quia neque Chriſtus, neque ſui diſcipuli hoc fecerunt. Nam ipſe Dominus plures veſtes habuit, vt patet Ioann. 13. *ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua.* Non eſt autem dicendum quod tantum vnam tunicam habuit, & illa depoſita nudus lauerat pedes diſcipulorum. Similiter quando crucifixus fuit, plures veſtes habebat, ſecundum illud, *diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Item beatus Bartholomæus habuit ſandalia, Paulus baculum, Petrus caligas, & per conſequens calceamenta. Vnde Angelus ad eum Actuum 12. *Surge præcinge te & calcea te caligas tuas.* Similiter idem Saluator ait in alio loco: *niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, quæ ſententia ſi præceptiue intelligeretur, & literaliter, non video quomodo Reges, Duces, Marchiones, Barones, Milites, Nobiles, Ciues, & alii diuites ſaluarentur: cum diſcipulatus CHRISTI ſit ad vitam æternam conſequendam neceſſarius, cum tamen legamus Mariam Mrgdalenam, Martham, & Lazarum, cæteraſque mulieres, quæ de facultatibus earum miniſtrabant Domino, diuites fuiſſe, & diſcipulas eiuſdem. Similiter Ioſeph ab Arimathia, ſingulariter diſcipulum Domini nominatum, diuitem fuiſſe Euangelium commemorat, & Nicodemum ſimiliter, & Zachæum. Sanctum denique Gregorium, Sylueſtrum, Conſtantinum, Carolum magnum, Henricum, Wenzeslaum, cæteroſque innumeros ſanctos, quos opulentiſſimos conſtat extitiſſe, ſancta Eccleſia inter CHRISTI diſcipulos, & regni cœlorum poſſeſſores commemorat. Similiter Marci decimo CHRISTVS permiſſionem libelli repudii in lege veteri vocat præceptum,

Supra in ſuppoſitione.

Non eſt neceſſarium vt vbi ponitur nota præcepti affirmatiue vel negatiue, ibi ſequatur obligatio ſub neceſſitate.

Matth. 10

Pſalm. 21. Matth. 27.

Luc. 24.

vbi ita loquitur ad Phariſæos de libello repudij: *quid vobis præcepit Moyſes?* & infra: *ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis Moyſes præceptum iſtud.* manifeſtum eſt autem, omni homini, ſcienti ſacras literas, quod nunquam fuit præceptum, accipiendo in propria ſignificatione præceptum, de libello repudii dando in lege veteri, ſolum permiſſum fuit propter vitare homicidia, & alia maiora ſcandala.

CLXXII *Verba Chriſti, niſi manducaueritis, &c. intelliguntur de manducatione ſpirituali.*

Ex quibus patet, quod prædicta auctoritas: *niſi manducaueritis*, poteſt intelligi non præceptiue, non obſtante nota præcepti Verum tamen dato, quod dicta verba intelligantur præceptiue, dico quod non intelliguntur de manducatione Sacramentali, ſed de manducatione ſpirituali, quod quidem multipliciter oſtenditur, & primo per expoſitionem ipſius Chriſti, quia nulla melior eſſe poteſt, qui qualiter eſſent prædicta verba intelligenda, *niſi manducaueritis*, mox declarans, ſubiunxit, dicens: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vbi notandum, quod ſicut Chriſtus loquens de baptiſmo, Ioann. 3. primo præmiſit indiſtincte & indeterminate præceptum, de ipſo inquiens, *Amen Amen dico tibi*, ſcilicet Nicodemo, *niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* & cum multiplex ſit natiuitas, carnalis, ſcilicet, de qua idem Nicodemus intelligebat, vnde dixit: *Quomodo poteſt homo natus cum ſit ſenex? nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire & renaſci?* & ſpiritualis, ad declarandum, de vtra iſtarum natiuitatum intelligeretur mox ſubiunxit, modum etiam ipſius oſtendens: *Amen Amen dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* ita eſt omnimode in propoſito: quia cum multiplex ſit comeſtio, ſcilicet, carnalis, de qua ad literam Iudæi intelligebant, ſacramentalis, & ſpiritualis, vt in prima parte declaratum eſt, Chriſtus loquens de manducatione ſuæ carnis, primo præmiſit præceptum indiſtinctum & indeterminatum non exprimens modum manducationis, dicens: *Amen Amen dico vobis, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, poſtmodum vero quomodo hoc fieret, & quis modus eſſet manducationis ſuæ carnis declarauit, inquiens: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*: ſicut igitur præceptum baptiſmi indiſtinctum determinatur & declaratur per aquam & ſpiritum, videlicet: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*: ita præceptum indiſtinctum de manducatione ſuæ carnis determinatur & declaratur per id quod dicitur: *in me manet, & ego in illo.* hæc autem non mea, ſed Auguſtini ſententia eſt, homilia vigeſima ſexta ſuper Ioannem, vbi primo declarat, quis ſit cibus iſte & potus, de quo Chriſtus hic loquitur: *Niſi manducaueritis carnem, & biberitis ſanguinem*, ita dicens: *hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & iuſtificatis, & glorificatis ſanctis, & fidelibus eius, quorum primum iam factum eſt, id eſt, prædeſtinatio: ſecundum & tertium factum eſt, & fit, & fiet, id eſt, vocatio & iuſtificatio: quarum vero nunc in ſpe eſt, in re autem futurum eſt, id eſt, glorificatio. Huius rei Sacramentum, id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in Dominica menſa præparatur, & de menſa Dominicæ ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitum, res vero ipſa cuius ſacramentum eſt omni homini ad vitam, nulli ad exitum, quicunque eius particeps fuerit:* hæc AVGVSTINVS. Ecce quam aperte hic Doctor declarat, quid intelligat Dominus per cibum & potum, de quibus Dominus loquitur in prædicto textu, *niſi manducaueritis, &c.* ait enim, *hunc cibum & potum ſocietatem vult intelligi.* Vlterius cum dicit: *huius rei Sacramentum, id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti, &c.* per hoc etiam quod dicit, *quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitum.* oſtendit differentiam inter manducationem ſacramentalem & ſpiritualem, quia ſacramentalis indifferens eſt ad vitam & ad mortem: ſpiritualis vero ſemper eſt ad vitam: vnde dicit: *res vero ipſa, &c. omni homini ad vitam, nulli ad exitum*: Item idem Doctor ibidem ſupra dictam ſententiam replicans, oſtendens quid ſit cibus & potus qui eos à quibus ſumitur immortales & incorruptibiles facit, id eſt, ſocietas ipſorum ſanctorum.

Tract. 26.

Auguſt. vnius in ſerm.

CLXXIII. *Sacramē*

Et ſubdit declarans rem ex ſimilitudine ſacramenti: Nam ſacramentum eſt ſacræ rei ſignum, & ſimilitudinem eius gerit, dicens: *Propterea quippe ſicut eiſdem ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, corpus & ſanguinem ſuum in rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Namque aliud in vnum ex multis grana conficitur, aliud in vnum ex multis acinis conſtat*: hæc ille. *propterea*, inquit, quaſi diceret, ideo Dominus tradidit corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, vt ſimilitudine ſua eſſent Sacramentum corporis Chriſti myſtici, ſcilicet, ipſius ſocietatis Sanctorum, de qua hic agitur & tractatur. Vltimus idem Doctor proſequens inceptam explanationem de ſpirituali manducatione quomodo fiat, & quid ſit manducare & bibere, ſubdit ibidem ita dicens: *Denique iam exponit quomodo id fiat quod loquitur, & quid ſit manducare corpus eius, & ſanguinem bibere; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illum eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere, ac per hoc, qui non manet in Chriſto, in quo Chriſtus non manet, proculdubio nec manducat* * *eius carnem, nec bibit ſanguinem, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducet, & bibat.* hæc AVGVSTINVS. Vbi expreſſe idem Doctor declarat, quod manducare & bibere nihil aliud eſt in hoc loco, niſi in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere, quod etiam in ſequenti homilia circa principium oſtendit, dicens: *Expoſuit autem modum attributionis huius doni ſui, quomodo daret carnem ſuam manducare, dicens: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. ſignum quia manducauit & bibit, hoc eſt, ſi manet & manetur, ſi inhabitat, & inhabitatur, ſi hæret & non deſeritur. hoc ergo nos docuit, & admonuit myſticis verbis, vt ſimus in eius corpore, ſub ipſo capite in membris eius, edentes carnem eius, non relinquentes vnitatem eius.* hæc ille. Et in fine eiuſdem homiliæ 24. Idem epilogando dicit. *hoc totum quod Dominus de carne & ſanguine ſuo locutus eſt, & quod in eius diſtributionis gratia vitam nobis promiſit æternam, & quod hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & ſanguinis ſui, vt in ipſo maneant, & ille in ipſis.* Etinfra: *hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectiſſimi, vt carnem Chriſti & ſanguinem non edamus tantum in ſacramento, quod & multi mali, ſed vſque ad Spiritus participationem manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus, aut eius Spiritu vegetemur.* hæcille. Item idem Doctor libro vigeſimo primo de ciuitate Dei, capite vigeſimo primo, de hac eadem materia ita loquitur: *qui ergo eſt in eius corporis vnitate, id eſt, in Chriſtianorum compage membrorum, cuius corporis ſacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueuerunt, ipſe vere dicendus eſt manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti: ac per hoc hæretici & ſchiſmatici ab huius vnitate corporis ſeparati, poſſunt idem percipere ſacramentum, ſed non ſibi vtile, immo vero etiam noxium, quo iudicentur grauius, quam vel tardius liberentur. Non ſunt enim in eo vinculo pacis, quod in illo exprimitur ſacramento.* & infra poſt multa, conſequenter ſubdit: *nec iſti ergo dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti, vt etiam alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti, & membra meretricis. Denique ipſe dicens: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, oſtendit quid ſit, non ſacramento tenus, ſed reuera corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere. hoc eſt enim in Chriſto manere, vt in illo maneat & Chriſtus. ſic enim hoc dixit, tanquam diceret: qui non in me manet, & in quo non maneo, non ſe dicat, aut æſtimet manducare corpus meum aut bibere ſanguinem meum. non itaque manent in Chriſto, qui non ſunt membra eius, non ſunt autem membra Chriſti qui ſe faciunt membra meretricis, niſi malum illud pœnitendo eſſe deſtiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint.* hæc Auguſtinus, vbi apertiſſime declarat intellectum prædictarum auctoritatum, & quid ſit manducare & bibere, quia non ſacramento tenus, ſed reuera corpus CHRISTI manducare, & ſanguinem eius bibere, eſt in Chriſto manere, ita vt in illo maneat & Chriſtus. habitat autem Chriſtus in nobis, & manet per fidem, dicente Apoſtolo ad Epheſios tertio, *habitare Chriſtum in cordibus noſtris per fidem*, manet etiam in nobis, & nos manemus in Chriſto per caritatem, dicente Ioanne 1. Ioann. 4. *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et per conſequens manducare carnem Chriſti eſt ſacræ rei ſignum & ſimilitudinem eius gerit.

Aug. tract. 27. in Ioā.

Tract. 27.

Aug. de ciuitate Dei lib. 21. c. 25

Manducare carnem

Chriſti & bibere eius ſanguinem eſt credere in Chriſtū & eidē per charitatē adhærere.

ſti, & bibere ſanguinem ipſius, nihil aliud eſt, quam credere in Chriſtum, & eidem per caritatem adhærere. Quod etiam ipſe Dominus eodem capitulo apertiſſime declarat, cum ait: *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam.* manifeſtum eſt autem quod ad non eſurire & non ſitire peruenitur per manducare, & bibere, & per conſequens credere in Chriſtum, & venire ad ipſum, quod fit per fidem & caritatem, idem ſunt quod manducare & bibere. vnde eodem capitulo ait idem Dominus: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* & poſt: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* manifeſte oſtendens idem eſſe *qui credit in me*, &, *ſi quis manducauerit, &c.* & per conſequens, quod idem ſit credere, & mãducare. Quod autem manducare hunc panem, ſit idem quod manducare carnem eius, & ipſius ſanguinem bibere, vt omnis tolleretur ambiguitas, & ne fieret vis in verbis, ſimiliter ipſe Dominus declarat, inquiens, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, de qua carne litigantibus Iudæis, & dicentibus. *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Subiunxit, *Amen Amen dico vobis, Niſi manducaueritis, &c.* Manifeſte oſtendens idem eſſe manducare panem hunc, & manducare carnem ſuam, & ſuum ſanguinem bibere, & per conſequens vt fiat proceſſus de primo ad vltimum, idem quod credere in ipſum, & eidem per caritatem adhærere. Ex quo proceſſu patet primo, quod Chriſtus manet in nobis, & nos in Chriſto, per fidem & caritatem. Secundo patet, quod credere & amare per caritatem, idem eſt in hoc loco quod manducare & bibere, quæ duo confirmantur per beatum Auguſtinum, qui qualiter maneamus in Chriſto, & qualiter CHRISTVS in nobis, oſtendit in homilia 27.

Tract. 27.

Vbi ita dicit, *diximus enim fratres hoc Dominum commendaſſe in manducatione carnis ſuæ & potatione ſanguinis ſui, vt in illo maneamus & ipſe in nobis, manemus autem in illo cum ſumus membra eius, manet autem ipſe in nobis, cum ſumus templum eius, vt autem ſimus membra eius, vnitas nos compaginat, vt compaginet vnitas, quid fecit niſi caritas? & caritas Dei. Vnde Apoſtolum interroga, Caritas*, inquit, *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum S. qui datus eſt nobis. Ergo Spiritus eſt qui viuificat. Spiritus enim facit viua membra, nec viua membra Spiritus facit, niſi quæ in corpore, quod vegetat, ipſe Spiritus inuenit. Nam Spiritus qui eſt in te, ô homo, quo conſtas vt ſis homo, Nunquid viuificat membrum, quod ſeparatum inuenitur à corpore tua? Spiritum tuum dico animam tuam, anima tua non viuificat, niſi membra, quæ ſunt in carne tua, vnum ſi tollas, iam ex anima tua non viuificatur, quia vnitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur, vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparari à corpore. ſi enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius: ſi non eſt membrum eius, non regetur ſpiritu eius. Quisquis autem*, inquit Apoſtolus, *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Spiritus ergo eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Quid eſt, ſpiritus & vita ſunt? Spiritualiter intelligenda ſunt: Intellexiſti ſpiritualiter? Spiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? Etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt.* hæc Auguſtinus. de hac eadem ſpirituali manducatione & inhabitatione Chriſti in nobis, & noſtra in Chriſto, idem Doctor homilia 22. Exponendo illud, *caro mea eſt pro mundi vita*, loquitur ita dicens *Norunt fideles corpus CHRISTI. ſi corpus CHRISTI eſſe non negligent, fiant corpus Chriſti ſi volunt viuere de ſpiritu Chriſti. de Spiritu CHRISTI non viuit niſi corpus Chriſti. Intelligi te fratres mei, quid dixerim homo es & ſpiritum habes, & corpus habes. Spiritum dico, qui anima vocatur, qua conſtat quod homo eſt. Conſtat enim ex anima & corpore, habes ſpiritum itaque, ſpiritum inuiſibilem, corpus viſibile. Dic mihi quid ex quo viuat? ſpiritus tuus viuit ex eo, pone tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Reſpondit omnis qui viuit, qui autem hic non poteſt reſpondere neſcio, ſi viuit. Quid reſpondet omnis qui viuit? Corpus vtique meum viuit de ſpiritu meo. Vis ergo & tu viuere de ſpiritu Chriſti? in corpore eſto Chriſti. Nunquid enim corpus meum viuit de ſpiritu tuo? meum viuit de ſpiritu meo, tuum viuit de tuo, non poteſt viuere corpus Chriſti, niſi de ſpiritu Chriſti. Inde eſt quod exponens nobis Apoſt. Paulus hunc panem: Vnus panis, inquit, vnum corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis, O ſignum vnitatis, O vinculum caritatis, qui vult viuere, habet vnde viuat, habet vbi viuat, accedat, credat, incorporetur vt viuificetur, non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum quod reſecari mereatur, non ſit deſtortum de quo erubeſcatur, ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum, hæreat corpori, viuat Deo de Deo, nunc laboret in terra, vt poſtea regnet in cælo:* Hæc Auguſt. Cuius verba vtinam tali virtute cordibus audientium & legentium imprimerentur, quali feruore à dicto Doctore ſanctiſſimo edita, conſcripta & prolata ſunt. Et hæc dicta ſunt ad confirmationem primi.

CLXXV. *Aug. tract. in Ioan. 25*

Quod autem manducare & bibere idem ſit quod credere, oſtendit idem Doctor homil. 22. exponens illud: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*; ita dicens: *dixerat enim illis: operamini eſcam non quæ perit, ſed quæ permanet in vitam æternam. Quid faciemus? inquiunt, quid obſeruando hoc præceptum implere poterimus? reſpondit Ieſus & dixit eis: hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille: hoc eſt ergo manducare cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes & ventrem: crede & manducaſti:* Hæc Auguſt. vbi expreſſe declarat, quod operari cibum, de quo hic Dominus loquitur, idem eſt quod manducare, & manducare idem quod credere. Item idem eadem homilia: *Verus ergo panis ille, qui dat vitam mundo, & ipſe cibus eſt, de quo paulo ante locutus ſum: Operamini cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam*: Item ibidem oſtendit, quod non ſolum credere & manducare idem ſint, ſed etiam manducare & bibere idem ſunt, declarans illud: *Ego ſum panis vitæ; qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam*, vbi ita dicit: *Qui venit ad me hoc eſt quod ait, & qui credit in me, & quod dixit, non eſuriet, hoc intelligendum eſt, & non ſitiet vnquam, prouoque enim illo ſignificatur æterna ſatietas, vbi nulla eſt egeſtas.* hæc Auguſt.

Tract. 26.

Item idem Doctor homil. 23. ad idem dicit: *Daturus ergo Dominus Spiritum ſanctum, dixit ſe panem qui de cælo deſcendit, horſum nos vt credamus in eum. Credere enim in eum, hoc eſt manducare panem viuum: qui credit in eum, manducat, inuiſibiliter ſaginatur, quia & inuiſibiliter renaſcitur, infans intus eſt, nouus intus eſt: vbi nouellatur, ibi ſaturatur.* hæc AVGVSTINVS. Ex quibus luce clarius patet, quod ſecundum intentionem Auguſt. in hoc loco, & in toto proceſſu huius capituli idem eſt manducare & bibere, quod credere & inuiſibiliter intus per caritatem pingueſcere & ſaginari, credere autem in Chriſtum, & eidem inhærere per caritatem, quid aliud eſt quam viuere in vita gratiæ? & per conſequens habere in ſe vitam æternam? dicitur enim de fide ad Roman. 1. *Iuſtus autem meus ex fide viuit.* & de caritate 1. Ioan. 4. *Qui non diligit, manet in morte.* Fides autem & Charitas ideo præſtant vitam, quia illi coniungunt & faciunt inhærere, apud quem eſt fons vitæ, imo qui eſt ipſa vita, qui de ſe ipſo ait: Ego ſum via, veritas & vita. Ioan. 14. & de quo dicitur Deuter. 30. *Ille adhæreas, ipſe enim eſt vita tua.* Idem ergo eſt credere in Chriſtum, & ipſum diligere, & habere vitam, vnde Auguſt. homil. 23. ſuper illo: *Amen Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam*, ita dicit: *reuelare ſe voluit quid eſſet: Nam compendio dicere potuit, qui credit in me, habet me. Ipſe enim Chriſtus verus Deus eſt, & vita æterna*, a *qui ergo credit in me, inquit, it in me, & qui it in me, habet me* b. *Quid eſt autem habere me? habere vitam æternam. Vita æterna mortem aſſumpſit, vita æterna mori voluit, ſed de tuo, non de ſuo*: hæc Auguſtinus. Ex quibus omnibus tam ex intentione Chriſti, quam etiam ex intentione Auguſtini verba Chriſti poſtillantis & exponentis patet, quid intelligatur per hunc cibum & potum, de quo ipſe Dominus loquitur, quia ipſa vnitas & ſatietas ſanctorum, denique quomodo fiat huiuſmodi mãducatio & bibitio, & quid ſit vtrunque, ſcilicet manducare & bibere, quia hoc eſt manere in Chriſto, & Chriſtum in ſe manentem habere. Vlterius quomodo per fidem & charitatem Chriſtus in nobis, & nos manemus & inhabitamus in Chriſto, poſt hæc quomodo credere & charitate diligere idem eſt quod manducare & bibere, imo etiam quod manducare & bibere idem ſunt, & finaliter quomodo ad credere & manducare tanquam ad vnum & idem, ſequitur vita æterna, per quæ omnia luce clarius oſtenditur, quod prædictus textus, Ioan. 6. *Niſi manducaueritis, &c.* immo & totum illud capitulum intelligitur de ſpirituali manducatione, & nullo modo de ſacramentali.

Quòd credere & Chriſti & eidē per charitatē adhærere hēt in ſe vitam æternam.

Tract. 26.

a *Hæc verba non hēt textus impreſſus.* b

Item CHRISTVS remouens carnalem intelligentiam Iudæorum & diſcipulorum, expoſuit qualiter hæc manducatio intelligenda ſit, cum dicit: *Spiritus & vita ſunt*: ſpiri

Aug. de ciuit. Dei lib. 21. c. 27. in fi.

tu diter

CLXXV. *Quomodo differant spiritualis & sacramentalis manducatio.* *Supra in suppositione 5.*

tualiter intelligenda sunt: intellexisti spiritualiter, spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? etiam sic illa spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.

De illa igitur manducatione Christus loquebatur, quæ secundum se vitam præstat, & hæc est sola manducatio spiritualis: Sacramentalis autem manducatio non semper dat vitam, imo sæpe mortem, vt patet per Apostol. dicentem: *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Vnde hæc differentia est inter spiritualem manducationem & sacramentalem, vt in prima parte dictum est, quia spiritualis manducatio semper dat vitam, Sacramentalis vero sæpe dat mortem, vt dictum est, & quod de spirituali manducatione Christus hic loquitur, patet, quia vbicunque hic de manducatione loquitur, semper adiungit vitam, quæ vtique ad sacramentalem semper non sequitur, immo potius mors, vnde & in ipso præcepto: *Nisi manducaueritis*, dicit, *non habebitis vitam in vobis.* quia, *qui manducat hunc panem, viuet in æternum, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Quæ si de sacramentali intelligerentur, vtique semper qui sacramentaliter sumeret, semper viueret vita spirituali, quod falsum est, quia multi comedunt ad mortem. Vnde Augustinus homil. 23. super Ioannem: *Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Vnde dicit Apostolus, iudicium sibi manducat & bibit. Non enim buccella Dominica venenum fuit Iudæ, & tamen accepit, & cum accepit, inimicus in eum intrauit, non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit.* Ecce quam expresse Augustinus ait, quod sumptio sacramentalis est indifferens & ad bonos & ad malos, & ad vitam & ad mortem, sed non sic est de sumptione & manducatione, de qua hoc in loco Dominus loquitur, quod aperte idem Augustinus eadem homilia loquens de hoc præcepto, *Nisi, &c.* declarat dicens: *Quomodo quidem detur, & quonam modus sit manducandi ipsum panem, ignoratis, verumtamen nisi manducaueritis, &c. hæc non vtique cadaueribus, sed viuentibus loquebatur. Vnde ne ipsam vitam intelligentes de hac relitigarent, securus adunxit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, hanc ergo non habet, qui ipsum panem non manducat, nec ipsum sanguinem bibit. Nam temporalem vitam sine illo habere homines possunt, æternam vero omnino non possunt. Qui ergo non manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem, non habet vitam in se, & qui manducat eius carnem, & bibit eius sanguinem, habet vitam æternam: Ad vtrumque autem respondit quod dixit, æternam. Non ita est in alia esca, quam sustentando huius * temporalis vitæ causa sumimus, nam qui eam non sumpserit, non viuet, nec tamen qui eam sumpsit, viuet, fieri enim potest, vt senio vel morbo, vel aliquo casu plurimi, & qui eam sumpserunt, moriantur, in hac autem cibo & potu, id est, corpore & sanguine Domini non ita est. Nam & qui eam non sumit, non habet vitam, & qui eam sumit, habet vitam & hanc vtiq; æternam.* Spiritualis igitur manducatio, de qua hic agitur, pertinet ad bonos tantum, sacramentalis vero indifferenter ad vtrosque, vnde Ecclesia cantat in prosa festi corporis Christi: *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam sit dispar exitus, &c.* Sic enim Petrus & Iudas sacramentaliter comederunt, sed alter ad salutem, alter vero ad damnationem, quare patet manifeste, quod si prædicta doctrina Christi de sacramentali manducatione intelligeretur, quod omnes sacramentaliter manducantes essent saluati, & omnes sacramentaliter non manducantes, essent damnati, quod patet esse falsum in vtrisque, quia multi sacramentaliter manducantes damnantur, vt patet de Iuda, & multi sacramentaliter non comedentes, vt pueri & martyres, saluati sunt, & saluantur. Nec valet si dicat aduersarius, quod intelligitur de manducatione sacramentali simul cum spirituali, quia spiritualis manducatio & sacramentalis sunt manducationes propriis proprietatibus condistinctæ, & Spiritualis quidem manducationis proprietas eam necessario consequens, est, semper manducanti conferre vitam formaliter. Sacramentalis vero manducatio est indifferens ad vitam, vel ad mortem, licet enim ex se semper sit ad vitam, quia ipsum sacramentum in se continet fontem vitæ, tamen ratione dispositionis sapientis, id quod secundum se vita est, fit mors manducanti. *Non enim buccella Dominica venenum fuit Iudæ, & tamen accepit, & cum accepit, inimicus in eum intrauit, non quia malum accepit, sed quia bonum malus accepit.* hæc Augustinus homil. 13. Cum igitur ex propriis effectibus deueniatur ad cognitionem propriarum causarum, vtique si ex verbis Christi volumus sine errore venire in notitiam, de qua manducatione in hoc loco Christus intelligat, necesse est vt conferamus effectus harum manducationum, ad ipsas manducationes, tanquam ad proprias causas, quia ergo in isto toto processu huius capituli manducationi Christus tribuit vitam, quæ est proprius effectus huius spiritualis manducationis, vtique ex proprio effectu, ex necessitate concluditur, quod Christus loquitur hic de spirituali manducatione. Et sicut ex sensibili nunquam possemus venire in cognitionem hominis, inquantum homo, nisi per aliquod additum ad sensibile, licet etiam ipsum sensibile conueniat homini, ita quantumcunque vita sequatur ad manducationem sacramentalem, ex quo non est sibi necessario nec tanquam proprium, annexa. Ex ipsa vita, non potest argui aut inferri manducatio sacramentalis. Oportet igitur quod sicut ex sensibili infertur animalis, sic ex vita in loco præsenti, inferatur manducatio spiritualis: præcipue cum Christus in nulla parte præsentis c. nec per se, nec per accidens, faciat quomodo mentionem de sacramentali manducatione. Satis enim mirabile esset, quod Christus diuina sapientia, Dei virtus, & immensa bonitas, voluisset sua præcepta & salutem humanam tali inuolucro verborum obumbrare, & tam periculose instantibus temporibus vniuersalem Ecclesiam errare, & tam longo tempore, cuius initium aut origo, nec in memoriis hominum, nec in annalibus scribentium, reperitur, vnde præter prædicta, manifestissimum signum, quod non de sacramentali manducatione loquatur, est, quia in prædicto præcepto, si tamen præceptiue teneatur, nullam facit mentionem de speciebus, panis, scilicet, aut vini, imo quod plus est, quotiescunque loquitur, Ioan. 6. de corpore aut sanguine suo, nullam vnquam facit mentionem de speciebus. ad ostendendum, non de specifica seu sacramentali sumptione intelligenda fore verba ipsius, sed spirituali, vt dictum est. Item si illa verba, *Nisi manducaueritis*, intelliguntur sceptiue de sacramentali sumptione, patet ratione & illa: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, quia non videtur ratio, quod Christus in tam modico spatio mutasset modum & sententiam dicendi, vt nunc de sacramentali & immediate post, de spirituali sumptione loqueretur sine aliqua nota diuersitatis.

Tract. 26.

Forsan periculosè.

Sed quod secunda auctoritas non intelligatur de sacramentali, patet, quia sensus esset, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet*, id est, in sacramento panis & vini manet, *& ego*, id est, sacramentum panis & vini, *in illo*, quod nullus sanæ mentis diceret. Item quod spiritualiter intelligenda sint verba Christi & doctrina de mãducatione & bibitione, ostendit Apostol. 1. ad Corinth. 10. *Nolo vos*, inquit, *ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem mãducauerunt, & omnes eundem potum biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* super quo ait glossa, & colligitur ex dictis Augustini homil. 25. *Omnes eadem escam manducauerunt spiritualem, quam & nos, corporalem vero alteram, id est, manna, quod significat Christum, & idem credentibus effecit, quare? quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud est virtus sacramenti. Sacramenta illa fuerunt, sacramenta sunt & nostra, & vtique eiusdem rei. Manna enim Christum significauit, hunc panem significat altare Dei. Christus enim panis est qui de cælo descendit. Si quis manducat ex hoc pane, non morietur in æternum, sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non ad visibile sacramentum, qui manducat intus, non foris, qui manducat corde, non qui premit dente, ideo Apostolus vigilanter non simpliciter ait, manducauerunt eandem escam, sed addit spiritualem, quia spiritualem eandem manducauerunt, quam & nos corporalem vero alteram, quia illi manna, nos aliud: & vigilanter ait, patres nostri, & non illorum, per hoc tantum bonos significans, quibus nos similes sumus. Nam illi fuerunt, qui eandem escam spiritualem manducauerunt, quam & nos, & tamen & aliud illi, & aliud nos, sed specie visibili aliud, quod tamen hoc idem significarent virtute spirituali.* hæc ibi.

Tract. 26.

Verba Christi & doctrina de manducatione & bibitione spiritualiter intelligẽda

Quomodo Patres nostri manducauerit eandem escam quã nos & eundem potũ biberunt.

Ex quibus verbis paret tam Apostoli, quam glossæ, quod eandem escam spiritualem patres nostri manducauerunt, & nos manducamus, & eundem potum spiritualem biberunt, & nos bibimus, quod nequaquam intelligi potest de sacramentali, quia vt dicit glossa, aliud ipsi, aliud nos. Quæ est igitur illa esca spiritualis? & quis potus? nonne caro Christi & sanguis? vtique: ipse enim mediator Dei & hominum, Christus Iesus, qui est caput super omnem Ecclesiam, ad Ephes. 1. qui erat cibus & satietas secundum Deitatem, angelorum, secundum humanitatem factus est cibus & esca viatorum, non solum eorum qui post aduentum suum in carne in ipsum crediderunt, sed etiam præteritorum. Sed quomodo manducauerunt? fide vtique, & dilectione, tunc enim manducauerunt carnem, quando crediderunt implicite vel explicite, filium Dei carnem humanam de nostræ mortalitatis substantia assumpturum, & similiter biberunt eius sanguinem, quando modo simili se crediderunt & sperauerunt liberari, per supplicium suæ amantissimæ passionis. Ea propter summo desiderio clamabant sancti patres veteris testamenti, per oracula prophetarum: *Vtinam disrumperes cælos & descend. res.* & rursus: *Emittite Domine agnum dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Verba ista sunt Isaiæ 16. cap. Hoc itaque modo manducare carnem suam, & bibere sanguinem suum, turbis Iudæorum & discipulis suis Dominus præcepit, vt videlicet in eum crederent, sicut ipse ait: *Qui credit in me, habet vitam æternam: ego sum panis vitæ, & hic est panis de cælo descendens, vt si quis manducauerit ex ipso, non moriatur,* & hoc est in Christo manere, & ipsum in se habentem habere; hoc est quod longo sermone auribus discipulorum inculcare volebat, non species panis aut vini, dicens: *Manete in dilectione mea.* Sicut Ioannes testatur, maxima caritate, feruantissimoue desiderio perfusus, precibus suis, dilectissimum patrem pro hac spirituali manducatione, vt eam sui discipuli haberent, rogabat dicens: *Non pro mundo rogo, sed pro his qui credituri sunt in nomine meo. Rogo pater, vt sint vnum nobiscum, sicut ego & tu vnum sumus. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Quid plura? Innumerabilia sunt loca Augustini in quibus dictam auctoritatem Ioann. 6. *Nisi manducaueritis, &c.* de spirituali manducatione exponit & declarat, & ne omnia præteream, homil. 11. super Ioannem, declarans in facto Nicodemi illud quod dicit Euangelista, videlicet quod multi crediderant in nomine eius, & ipse Iesus non se credebat eis, simpliciter & de plano hoc 6. cap. Ioannis inducens, declarat & exponit de spirituali manducatione: Item idem lib. 3. de doctr. Christiana, qui locus non est parui pendendus, quia in eo tradit modos & regulas ad intelligendum sacras scripturas, & ad accipiendum verum sensum literalem sacrarum scripturarum, vbi inducens sæpe dictam auctoritatem: *Nisi manducaueritis*, ita dicit: *Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videatur iubere, figura ergo est, præcipiens passioni Dominicæ esse communicandum, & suauiter atque vtiliter esse recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.* Hæc Augustinus. Ad idem est glossa ordinaria super eodem textu, *Nisi manducaueritis.* quæ ita dicit: *Sed quæritur, quomodo in vitam æternam? cum quidam ad mortem, vt dicit Apostolus.* & respondet, *Si quis comedit in Altari cum hac comestione, de qua hic agitur, scilicet, cum fide operante ex dilectione, hic comedit in vitam æternam. Si quis vero aliter, in mortem.* hæc glossa. Ecce quam aperte demonstrat, de qua comestione hic agatur, quia de illa, quæ cum fide & dilectione operatur. Ad idem est Innoc. in lib. de officio Missæ, part. 4. cap. 10. super illo verbo, *accipite & comedite.* vbi ita dicit: *Accipite & comedite, ac si diceret, comedite & comedite, vtramque huius sacramenti comestionem insinuans. Dupliciter enim corpus Christi comeditur, quia dupliciter intelligitur, verum scilicet quod de virgine traxit, & in cruce pependit; & mysticum quod est Ecclesia Christi spiritu vegetata. De vero corpore Dominus ait: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: de mystico dicit Apostolus: vnus panis & vnum corpus multi sumus: verum corpus Christi comeditur sacramentaliter, id est, sub specie; mysticum autem comeditur spiritualiter, id est, in fide: de comestione sacramentali Dominus ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem; hoc modo tam boni quam mali corpus Christi manducant, sed boni conducunt ad salutem, mali vero comedunt ad iudicium, nisi enim & mali corpus Christi manducarent, non dixisset Apostolus, qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diudicans corpus Dominum. Nam & Iudas cum aliis Eucharistiam traditur accepisse. De spirituali vero comestione Dominus ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. hoc modo comedunt corpus Christi soli boni; vnde, qui manducat carnem meam, & bibit, &c. vt quid paras dentem aut ventrem: crede & manducasti, qui manducat, id est, credit in Christum, comedit: sum, quando incorporatur Christo per fidem, id est, membris eius efficitur, vel in vnitate corporis eius firmius solidatur.* Hæc Innoc. Longum esset singulos Doctores inducere, qui hanc auctoritatem, & totum præsens capitulum de spirituali manducatione principaliter & ex directo exposuerunt, sed hæc tantum sufficiant pro præsenti.

Tract. 26.

Isai. 64.

Ioan. 17.

Tractat.

Cap. 16.

CLXXVI. *Respondetur obiectis à parte aduersa.* *Supra suppositione 13.*

His itaque luce clarius præsuppositis, accedo ad respondendum obiectis, quæ videntur facere contra hanc intentionem & declarationem Christi & sanctorum. Et primo ad auctoritatem Nicolai de Lyra, & forte aliorum, qui videntur prædictam auctoritatem, *Nisi manducaueritis, &c.* exponere de sacramentali manducatione: vbi primo reducenda est ad memoriam quædam suppositio generalis, quam præposui in principio præsentis actus, videlicet quod inter Doctores exponentes sacram scripturam, facienda est comparatio in ingenij acuitate, in studij assiduitate, in humilitate iudicij, in immunitate virij & passionis, in sanctitate vitæ, in diuinis inspirationibus, & aliis huiusmodi, quæ præstant auctoritatem doctoribus: & ille Doctor sequendus est circa expositionem vnius passus Scripturæ, in quo reperiuntur plures conditiones de prædictis. Et dicebatur vlterius, quod doctores antiqui qui in prædictis conditionibus excesserunt reperiuntur, præferendi sunt modernis doctoribus, præcipue quatuor doctores, quos tanquam quatuor columnas sustentantes Ecclesiam Catholicam in veritate fidei & doctrinæ Catholica ecclesia recipit, & veneratur, videlicet Augustin. Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, inter quos Augustin. præcellit ingenio, & excellentissimus habetur. præferenda est igitur auctoritas sua in expositione Catholicæ veritatis omnibus doctoribus modernis, quantæcunque auctoritatis vel ingenij fuerunt, & ita inquantum Nicolaus de Lyra, vel quicunque doctorum modernorum eidem Augustin. in aliquo passu contradicere viderentur, omnino sunt postponendi, maxime quando expositio Augustini propinquior est sensui, quem auctor scripturarum intendit. Vel dicendum, & melius, quod principalis intellectus literalis illius auctoritatis cum sit figuratiua, vt patuit superius per Augustinum in tertio de doctr. Christ. est spiritualis communio, eo modo, quo exp. ositum est, sed ad sacramentalem sæpe per quandam adaptationem à doctoribus adduci consueuit. Solent enim doctores, sicut & Ecclesia, multas auctoritates adaptare ratione similitudinis vel alterius correspondentiæ, vel secundum literam, vel secundum sensum ad intentionem ipsorum. Nam Euangelium, quod Ecclesia in festo assumptionis decantat, quantum ad literam & sensum eius, non est de Beata virgine, sed ei adaptatur, sic & doctores loquentes de hoc ineffabili sacramento, sæpe ad confirmationem dictorum adducunt auctoritates habentes vel sonantes similitudinem vel secundum literam, vel secundum sensum ad intentionem ipsorum, sicut cum Doctores loquuntur de veritate huius sacramenti, probant verum corpus Christi in eo contineri, per illa verba Christi, cum dixit: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* & verum sanguinem ipsius per illa verba: *Hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur.* quæ verba non possunt intelligi figuratiue, sicut illa: *Ego sum vitis vera.* &, *petra autem erat Christus.* vel alio quocunque modo, vt quidam hæreticorum intellexerunt, sed vere & realiter, & secundum literam, sicut vere & realiter corpus suum pro nobis tradidit, & verum suum sanguinem pro nobis fudit. & nihilominus ad id probandum inducunt alios, eiusmodi sunt in dicto capitulo Ioann. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* & iterum: *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* quæ quidem auctoritates habent omnimodam similitudinem quantum ad literam cum pri-

Quædam scripturarum loca, ob similitudines in quibusdã specialiter adaptantur.

mis, sed non quantum ad sensum literæ primum & immediatum, quia primæ verè & realiter intelligendæ sunt, secundæ autem spiritualiter, & secundum eundem sensum, secundum quem exposita est illa 1. *Nisi manducaueritis, &c.* Similiter in Clementinis de reliquiis & veneratione sanctorum. Si Dominum in sanctis: per adaptationem adducitur illa auctoritas: *Ecce ego vobiscum sum, &c.* Ad declarandam veritatem & realem præsentiam Christi in hoc sacramento: cum tamen de primo suo intellectu non intelligatur, nisi de assistentia sua per gratiam, sic enim ibidem dicitur: *In hac verò sacramentali Christi commemoratione Iesus Christus præsens sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum, ascensurus enim in cœlum, dixit Apostolis & eorum sequacibus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, benigna ipsos promissione confortans, quod remaneret & esset cum eis etiam præsentia corporali.* nec potest dici in hoc loco, quod vterque sensus tam spiritualis quam sacramentalis sint ex æquo sensus literales, & quod obligent ad vtrumque, quia illic duplices sensus literales reperiuntur solum in his scripturis, in quibus aliquid competit figuræ, & aliquid secundum excellentiorem modum figurato, prout ipse Nicolaus de Lyra declarat, in illis verbis cap 17. Paralip. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Dicendum igitur ad Nicolaum de Lyra, vel quod auctoritas sua cedat auctoritati Augustini, vel quod ipse exponit prædictum textum, per quandam applicationem ad sacramentalem manducationem, nec dicit quod Christus præcipiat, sed dicit, quod hic consequenter ostenditur huius sacramenti necessitas, dictum est autem quod necessarium accipitur multipliciter, & in eralias acceptationes accipitur pro vtili: & sic & ego concedo, quod sumptio huius sacramenti est valde & multum vtilis, & valde necessaria. Eodem modo intelligitur dictum August. quo dicit, panem quotidianum huic tempori necessarium, id est, vtilem, quod ex ipsis dictis apparet, cum dicit: *Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eos accipere.* non ergo bene infert ex prædictis, cum dicit: *ex quo patet quod Eucharistia est panis huic tempori* necessarius, & sic ex necessitate & præcepto expetendus & accipiendus, quia non sequitur, iste panis est necessarius, id est, vtilis & valde vtilis, ergo est ex præcepto: & vlterius non sequitur, Hoc sacramentum est ex præcepto Christi, ergo sub vtraque specie. Et quia pene in singulis auctoritatibus, quas adducit, pro necessitate huius sacramenti, dictum modum arguendi tenet & inferendi, in quo paralogizatur, mutans quod in quale, & substantiam in modum: idcirco venio ad tertium modum dicendi pro expeditione faciliori, videlicet, dato, quod dicta auctoritas Ioannis intelligeretur de sumptione sacramentali, & quod hoc sacramentum sit de præcepto Christi, quo ad singulos fideles, adhuc tamen aduersarij non habent intentum de vtraque specie. Nam de necessitate & præcepto huius sacramenti inter doctores nulla videtur varietas, etenim quidam videtur dicere, quod hoc sacramentum neque quo ad celebrationem seu confectionem in sius per manus sacerdotum in sacrificio, est de præcepto Christi immediate, & multo minus quo ad sumptionem vulgarium, dicētes, quod verbum Imperatiui modi in sacra scriptura multipliciter accipitur, & non semper præceptiue.

Sumitur enim quandoque præceptorie, quandoque exhortatorie, quandoque Optatiue, siue deprecatorie, quandoque inuitatorie, quandoque iuxta vulgarem modum ironice, & fortasse pluribus aliis modis quos diligens scrutator scripturarum posset reperire. Sed quantum ad præsens spectat de prætactis modis exempla in medium adducantur: & pro primo facit illud Oseæ Prophetæ, cui Dominus præcipiens dixit per verbum Imperatiui modi: *Vade fume tibi vxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicarios, quia terra fornicans fornicabitur à Domino.* Et rursus Sap. 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Pro secundo modo, scilicet exhortatiue, facit illud Apostoli: *Surge à mortuis, & illuminabit te Christus.* & Matt. 6. *Nolite dicere quid manducabitis, & quid bibetis, &c.* cui etiā simile est quod dixit Matth. 5. *Nolite iurare omnino, neque per cœlum, neque per terram, &c.* prout tradit August. in libello de sermone Domini in monte. & in sermone quem de periurio scripsit, vbi dicit, quod non prohibuit Dominus iuramentum. De tertio modo, videlicet optatiuo, siue deprecatorio, pleni sunt libri Prophetales, qui expectantes aduentum Christi, verbis Imperatiuis loquebantur, quorum vnus dicebat: *Veni ad nos liberandum Domine Deus virtutum, & ostende nobis faciem tuam, & salui erimus.* & Esai. 16. cap. *Emitte*, inquit, *Domine agnum dominatorem terræ de petra deserti, &c.* Et in alio loco: *Veni Domine, & noli tardare.* Pro quarto modo, videlicet inuitatorio, habetur Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me.* & multa huiusmodi similia possent induci, ad ostendendum, non semper modum Imperatiuum præceptiue poni. Et de ironico modo, modus communis sæpe haber, quemadmodum si magister dicit discipulo pigritanti: dormi puer dormi, volens ipsum à desidia & graui torpore ad vigilantiam excitare. Dicunt igitur, consideratis his acceptionibus Imperatiui modi, quidam, quod, accipite, & hoc facite, licet sint verba Imperatiui modi, non tamen præceptum important, & ita similiter ponuntur ibi, vt dicunt, exhortatorie, & inuitatorie, quasi dicat, hoc facite in meam commemorationem, quia vobis proderit ad magnum augmentum gratiæ, vnde potius per modum consilij, quam præcepti dictum est. Sicut & illud: *Vade & vende omnia quæ habes*, & ita etiam se expediunt de glossa interlineari, qua dicitur, & aliis ministrate, qui modus dicendi satis dicere tur conueniens, qui vellet insequi textum Ioann. *Nisi manducaueritis*, secundum spiritualem manducationem tantum. Hanc sententiam viderur secutus fuisse Albertus Magnus, qui, vt alias allegarus hic per me & lectus, dicit, quod Christus verumque sacramentaliter celebrandum præcepit in Ecclesia per statura Apostolica, attribuens præceptum Ecclesiæ Christo tanquam principali agenti & imperanti propter indefectibilem sui assistentiam qua ipsi Ecclesiæ assistit, & assistet vsque ad consummationem seculi. Nam Ecclesia nihil potest facere sine Christo, ipso dicente: *Sine me nihil potestis facere.* Alij vero dixerunt, & dicunt, quod hoc sacramentum, quo ad celebrationem in Ecclesia per sacerdotes & ministros in præsentia populi, est de præcepto Christi immediato, & fundant hoc præceptum in illis verbis imperatiue prolatis: *Hoc facite in meam commemorationem*, sed quoad sumptionem non sacrificantium, aut non celebrantium, non est de præcepto Christi, sed solum de præcepto Ecclesiæ, ad hoc sunt in terminis propriis Alexander de Hales, & Bonauentura, quorum dicta sequuntur in hunc modum. Nam Alexander de Hales quarta parte summæ suę quærens de necessitate actus manducandi, quærit, vtrum necesse sit manducare corpus Christi, & arguit auctoritatibus, 1. Ioan. 6. *Nisi manducaueritis, &c.* & 1. Corinth. 11. Item ex statuto Ecclesiæ: *Omnis vtriusque sexus.* Item quia baptismus est sacramentum necessitatis, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Et simili modo videtur, quod hoc sacramentum sit necessitatis propter eundem modum loquendi, *Nisi manducaueritis, &c.* In contrarium arguit, quia illud sacramentum, & solum illud, est necessitatis, quo non suscepto, non viuit quis vita gratiæ, sicut patet de baptismo ante susceptionem eiusdem, ergo si hoc sacramentum est necessitatis, vtique ante ipsius susceptionem nullus viueret vita gratiæ, quod manifeste falsum est, quia tunc nullus saluaretur, si moreretur ante eius susceptionem. Respondet iste doctor, quod hoc sacramentum non est de necessitate salutis, quantum est de sua institutione, sed si est, hoc est ex assumpto officio, vel de mandato superaddito, verbi gratia, Ecclesia constituit, vt fideles communicent semel in anno, & in morte, vnde si quis negligit, non est sine contemptu, & peccat mortaliter, & hæc constitutio Ecclesiæ est sub præcepto, vt patet ex decretali prædicta; scilicet, *Omnis vtriusque sexus*, post prædicta respondet prædictus Doctor ad argumentum, & primo ad illud Ioann. 6. *Nisi manducaueritis, &c.* dicit, quod intelligitur de manducatione spirituali & per fidem, sine qua nullus adultus saluabitur, nec etiam paruulus: aut de manducatione sacramentali, ratione institutionis Ecclesiæ: & sic intelligitur etiam quod adducitur de similitudine Baptismi. Ad aliud de institutione Ecclesiæ, dicit, quod communio, eo modo quo institutum est ab Ecclesia, debet obseruari, nec potest negligi sine offensa mortali, suppetente facultate, hæc iste Doctor in summa. Item dominus Bonauentura

Optatiue.

Psalm. 79

Inuitatorie.

Ironice.

Alex. ab Hales. q. 4. q. 11. art. 4

Qui negligit præceptum eccl. communicandi semel in anno & in morte peccat mortaliter. Dupen. & v. miss.

Verbum Imperatiui modi multipliciter accipitur.

Præceptorie Oseæ 1.

Exhortatorie. 1. Thes. 5.

L. b. 1.

tura in 4. dist. 12. mouens quæstionem, vtrum necesse sit ad hoc sacramentum accedere, & arguit eisdem auctoritatibus, quibus supra Ioann. 6. In contrarium vero arguit per Augustinum, *Quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti.* sufficit ergo ad manducandum credere, nec tenemur, sumere sacramentum. Item effectus huius sacramenti est deletio venialium peccatorum, & augmentum virtutum, sed neutrum est de necessitate salutis, ergo, &c. Item si necesse esset accedere, paruuli qui non accedunt, nec manducant, omnes damnarentur. Respondēdo dicit iste Doctor, quod hoc sacramentum non est de necessitate salutis, quantum est de sua institutione, sed si est, hoc est, ex assumpto officio, vel mandato superaddito. Ex assumpto officio, quod necessarium est exequi, vt cum sacerdos viuit de altari, vt Parochianus debet seruire altari. Si autem non viuat de altari, sed in libertate sua remaneat, non tenetur magis quam alius homo ex debito: sed magis de bono & ex æquo. Ex mandato superaddito, quod Ecclesia instituit vt fideles communicent semel in anno, & in morte, vnde si quis negligat non esse sine contemptu, & peccat mortaliter: Ratio autem quare Ecclesia instituit, est, quia hoc sacramentum est salubre, & multi erant negligentes de sua salute. Institutio autem Ecclesiæ sub præcepto fuit: Omnis vtriusque sexus fidelis, cum ad annos discretionis peruenerit, vt ad minus in Pascha recipiat Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam duxerit abstinendum, alioquin viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura: Constat autem quod hæc est pœna excommunicatorum. Ex his patet responsio ad obiecta. Nam verbum Domini Ioan. 6. intelligitur de manducatione spirituali, quæ est per fidem & charitatem, sine qua nemo adultus saluatur, hæc iste Doctor in forma. De hac etiam opinione fuisse videtur Sanct. Thom. dum legeret sententias, vt patet in 4. sentent. distin. 9. qu. 1. art. 5. vbi sic quærit: *Iterum videtur quod manducatio corporis Christi sit de necessitate salutis, &c.* & in fine positis argumentis pro & contra, sic determinat dicens, quod gratia est sufficiens causa gloriæ, vnde omne illud sine quo potest haberi gratia, non est de necessitate salutis: hoc autem sacramentum præsupponit gratiam, quia præsupponit Baptismum, in quo gratia datur, neque debet peccato præueniri, quod gratiam priuet, & ideo quantum est de se, non est de necessitate salutis, sed de ordinatione Ecclesiæ homines obligantur secundum Ecclesiæ statutum, corpus Christi semel in anno sumere, hæc Doctor præfatus, quo ad eandem sententiam, in multis aliis replicat. Alij vero videntur sentire, quod tam celebratio huius sacramenti, per modum sacrificij, quod fit per sacerdotes, quam etiam ipsius vsus, quo ad singulos fideles, est de præcepto Christi, & hanc opinionem sequentes, adhuc videntur variari, quia alij dicunt hoc esse de præcepto Christi expresso & explicito, quantum ad substantiam, & ea quæ sunt essentialia sacramento. Alij vero ex præcepto implicito, primum modum videtur sequi Nicolaus de Lyra: secundū modum S. Thom. in tertia parte summæ, vbi allegat eum dominus proponēs: etenim dicit, quod spiritualis manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum, & sic secundum ipsum in prædicto loco spiritualis manducatio expresse cadit & explicite sub præcepto Christi, quod patet, quia dictus Doctor vbiq; illam auctoritatem: *Nisi manducaueritis* principaliter declarat & exponit pro spirituali manducatione, & in ipsa specialiter includit votum percipiendi hoc sacramentum, & ita secundum eundem, intelligenda est auctoritas, quam inducit ibi. Matth. *hoc facite in meam commemorationem*, quia sicut in illa, *nisi manducaueritis*, secundum ipsum, includitur implicite sacramentalis sumptio, sic & in illa, cum enim per prædicta verba communiter secundum omnes doctores, *hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos in Sacerdotes ordinauerit, si illa verba expresse & explicite quo ad substantiam & quo ad modum, obligatiue, ad omnes indifferenter fideles extenderentur, manifeste sequeretur, quod omnibus fuisset collata potestas conficiendi hoc sacramentum, viris & mulieribus, paruis & magnis, & sic quilibet esset hic & hæc sacerdos, quod nullo modo est dicendum, neque etiam cogitandum. Oportet ergo secundum intentionem dicti Doctoris, quod præceptum de sumptione sacramentali in prædictis verbis includatur implicite & in medulla: cum autem in prædicto præcepto, *hoc facite in meam commemorationem*, duo includantur, videlicet substantia sacramenti, quæ significatur per hoc pronomen demonstratiū, *hoc*, & commemoratio Dominicæ passionis, oportet quod alterum, videlicet, id quod est substantiæ, pertineat ad omnes, id autem quod se habet ex consequenti, & quasi finis quidam atque modus, tantummodo ad Sacerdotes pertineat: ipsa videlicet sub diuersis signis & speciebus Dominicæ passionis repræsentatio: & quod hæc fuerit dicti Doctoris intentio, patet ex articulo immediate sequenti, in quo ex intentione quærit, vtrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine, & determinat sicut alias hic lectum est & declaratum. Non est autem pium credere, neque est verisimile quod talis ac tantus & tam sanctissimus vir & Doctor, in tam modico spatio, sibi ipsi contradiceret, ibi ponendo necessitatem sacramenti, & hic vero necessitatem alterius speciei. In præcedenti igitur articulo declarat eodem sub præcepto substantiam & rem huius sacramenti quo ad omnes. In isto autem articulo declarat & substantiam & modum eodem sub præcepto solum Sacerdotibus, non autem vniuersis Christi fidelibus. In hac igitur ac tanta varietate Doctorum, nihilominus sua dicta Ecclesiæ iudicio submittentium, ipsa sancta mater Ecclesia ab initio semper in rebus dubiis cepit & tenuit partem securiorem, & tutiorem. Nam quo ad celebrationem & consecrationem huius sacramenti Ecclesia instituit & præcepit, quod hoc sacramentum frequentaretur in Ecclesiis Christi fidelium, siue Christus præcepit siue non præcepit. Similiter quo ad vsum fidelium huius sacramenti, Ecclesia eligit partem tutiorem, præcipiens vniuersis Christi fidelibus capacibus & dispositis varie, secundum varietatem temporum, conditionum, personarum, sumptionem eiusdem sacramenti. Quia vero in modo ministrandi hoc sacramentum non conficientibus, nulla vnquam fuit varietas opinionum, an sub vna vel sub duplici specie possit ministrari, quia vt alias dixi, ante nouitatem cuiusdam Iacobelli in regno Bohemiæ, non reperitur doctor, ab institutione huius sacramenti, fidelis & Catholicus, qui in forma vel in sententia moto dubio determinauerit, quod sic vel sic, scilicet, sub duplici, vel sub vna specie Christus præceperit hoc sacramentum ministrari fidelibus, & quod ecclesia non possit sic vel sic in administratione eius facere & statuere: ideo & ipsa Ecclesia propter multas causas superius allegatas, statuit sub vna specie ministrari. Redeundo igitur ad propositum nostrum, nihil prædictis difficultatibus temere diffiniendo, dico quod si etiam ministratio quod ad non conficientes dicti sacramenti caderet sub præcepto, non tamen vsus eius sub duplici, aut sub vna specie, cadit sub præcepto Christi.

Prosequor igitur ordinem auctoritatum suarum respondendo ad singulas, & ostendendo ad oculum & cum digito, quod per nullam earum concludit intentum. Adducit igitur Ambrosium in glossa ordinaria super verbo: *Cæteras cum venero disponam, &c.* Ex quibus infert tam Apostoli, quam glossæ verbis, quod Apostolus præcipit de sacramento, dicens: *tenete quod dixi*, Scilicet accipite & manducate, & calicem bibite, tenete inquit, & non intermittite nec mutate. Hæc est illatio domini proponentis, quæ quantum a liena & aduersa sit tam à mente Apostoli, quam à glossa, nullus habens intellectum potest decipi, dicit enim Apostol. *Cæteras cum venero disponam*, glossa autem dicit, *tenete quod dixi*, cætera autem de eodem, id est, quæ ad eiusdem sacramenti ordinē pertinēt, cum venero disponam. In quibus verbis nullo modo dantur intelligi ea quæ infert dominus proponens, qui omni modo distrahit textum glossę Ambrosi. contra intellectum Apostoli. Nam Apostolus in prædicto loco non instruit Corinthios neque docet, qualiter debeant communicare, sed qualiter pacifice, modeste, cum discretione, cum probatione conscientiæ debeant accedere ad sumptionem huius sacramenti, vnde refert Ambros. *tenete quod dixi*, id est, accipite, manducate, & calicem bibite, & non intermittite, nec mutate: sed potius tenete quod dixi quantum ad deuotionem, puritatem conscientiæ, pacem & concordiam & pietatem. Similiter dicendum ad id quod

Effectus communionis.

S. Thom. p. 3. q. 80. art. 12. Supra, in testimoniis SS. Patrum & Doctorum.

S. Thom. p. 3. q. 80. art. 11.

Patet in decreto de pœn. & rem. lib. 6.

CLXXVII.

Ad Gloss. in verba, cætera, si venero, disponam.

dicit: *his cerere non potestis*, videlicet virtutibus prædictis, ad digne sumendum hoc sacramentum: vnde, *his carere non potestis*, non refertur ad communionem sub vtraque specie, sed ad virtutes de quibus dictum est. Et licet similitudo quam inducit de vita corporali, quæ videlicet sine cibo & potu non possit continuari, valeret transferendo ad vitam spiritualem, respectu huius sacramenti, non tamen sequeretur, quod vtraque species exigatur, quia vita animæ non consistit in speciebus, sed in ipsa vera carne Christi, & vero sanguine eius, vnde cum sumendo sub vna specie quisque fidelis sumat carnem & sanguinem, manifestum est quod sumit perfectum alimentum & nutrimentum, quo viuit anima, quia vere comedit carnem Christi, & vere bibit sanguinem eius, de quibus ipse Dominus dicit: *Caro mea vere est cibus, &c.* sed tamen simpliciter falsum est, quod sine sumptione quotidiana aut frequenti, anima non posset stare, vegetari, augmentari & continuari in vita perfecta & spirituali, vt patet in multis sanctis Patribus; & specialiter in S. Paulo primo Eremita, qui per 40. annos manfit in Eremo absque huius Sacramenti sumptione. Similiter de S. Maria Ægyptiaca, quæ fere per totidem annos sine communione permansit. Et sic ad Nicolaum de Lyra dico, quod ipse loquitur persuasiue, & communiter inducés populum ad frequentem sumptionem huius sacramenti, quod vtique valde vtile est, non autem intendit ibi necessitatem præceptiuam inducere ad quotidianam sumptionem vel frequentem, & multo minus frequentem sumptionem sub vtraque specie. Ad auctoritatem Paschasij dicen lum quod ipse loquitur de carne & sanguine, quæ duo præstant vitam animæ, non autem speciebus panis & vini, quæ secundum se nihil cauſſant in anima, imo nec gustat eas, cum corporaliter sumuntur, & corporaliter in stomachum trahuntur, vnde dicit *quod iustum & pernecessarium est, &c.* quod autem dicit, quod ideo bene simul in calice *redduntur, quia de vno calice passionis Christi hæc duo nobis manatunt, intelligendum est quod caro Christi & sanguis in calice redduntur, id est, traduntur, quia etiam in calice totus & integer Christus continetur, sicut & sub specie panis, & qui hoc non credit, infelix est, quia si cibo & potu materiali vita humana sustentetur, multo magis carne & sanguine Domini nostri Iesu Christi vita spiritualis, potius autem in hoc loco hic Doctor calicem nominauit, quia panem quia comparat effectum huius sacramenti ad passionem Christi, tanquam ad causam, quæ passio magis in specie & in similitudine vini exprimitur, & etiam quia passio in scripturis calix appellatur: secundum illud: *potestis calicem bibere quem ego bibiturus sum?* & idem Dominus in Oratione de monte dixit: *Pater transfer à me calicem istum*, vnde dicit: *quia de vno calice passionis Christi &c.* quare cum in dicta auctoritate Paschasij, nulla mentio fiat de pane & vino, sed solũ de cibo & potu, quæ duo carni & sanguini Christi attribuit, vtique non bene refert proponés dicti doctoris intentionem, ad sacramentum panis & vini.

Ad auctoritates Sanct. Thomæ & Doctoris subtilis, Scoti scilicet dicendum, quod nulla earum probat aliquid de duplici specie sed solum volunt, quod sumptio sacramenti huius sit de præcepto Christi, & non aliud intendunt dicti doctores, eo modo quo superius declaratum est. Ad illud autem quod infert ex dicto Scoti, quod sumptio seu communio sacramenti est maioris necessitatis quam consecratio tanquam finis melior & nobilior ipsa consecratione, & dicit quod hoc est contra omnes aduersarios huius veritatis, dicentes consecrationem esse de præcepto, nõ communionem, sed salua gratia sua aduersarij communionis sub vtraq; specie non dicunt hoc, imo dicunt oppositum, quia dicunt, quod simul consecratio & sumptio, quæ fit per Sacerdotem in Altari, perficiunt simul vnum sacrificium, quod prodest non solum ipsi consecranti, sed toti Ecclesiæ militanti, & etiam dormientium in purgatorio, & in hoc tali sacrificio vtique consecratio ordinatur ad sumptionem, in qua & ipsum sacrificium perficitur. Sed bene dicunt aliqui, quod communio non sacrificantium non est necessitatis, neq; præcepti, nisi Ecclesiæ. Ad secundum quod infert ex dictis Scoti quod omnibus loquitur Christus, vt ipse dicit, & omnes obligat ad manducandum & bibendum sacramen: aliter, dicendum, quod salua gratia inferentis ex dictis Scoti non potest elici quod illa auctoritas Christi obliget ad manducandum & bibendum sacramentum hoc sub diuersis speciebus sacramentaliter cum expresse teneat Scotus oppositum, vt alias extitit cum digito & ad oculum ex libris suis declaratum.

Ad Paschasium lib. de sacramento corporis & sanguinis Domini, c. 9. aliter m. s. codex: cernuntur.

Matt. 20. Luc. 22.

Patrum & doctorum, ad finem.

CLXXVIII *Dist. 13. q. 2. ad quartum.*

Post prædictas auctoritates inducit auctoritates Conciliorum & canonum, quæ similiter probant necessitatem præcepti ad sumendam carnem Christi & sanguinem in sacramento: nec tamen probant præceptum Christi, sed tantum Ecclesiæ quæ habet auctoritatem ligandi, & soluendi, statuendi, & præcipiẽdi, & cuius præceptum obligat ad pœnam æternam, quemadmodum & præcepta diuina, vnde sicut contemptores legum diuinarum, sic contemptores legum Ecclesiasticarum, & hoc in futuro, si sine pœnitentia decesserint, veniunt puniendi, vnde lex Ecclesiastica ita necessitatem imponit subditis eiusdem, sicut & lex diuina, quia ipsa lege diuina præcipiendi & statuendi auctoritas Ecclesiæ data est, secundum id: *Qui vos audit me audit*: &, *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi vt ethnicus & publicanus.* & secundum illud: *Super cathedram Mosi, &c. quæcunque dixerint vobis, facite, &c.* tamen quicquid sit, nulla prædictarum auctoritatum deseruit sibi, quocunque modo intelligantur, aliquid ad propositum duplicis speciei. Vlterius Magister proponens inducit auctoritates ad probandum, quod ille textus Ioann. *6. Nisi manducaueritis*, intelligatur de manducatione sacramentali & bibitione, & non de sola spirituali. Et primo per glossam duplicem ordinariam, dicendum, quod dato quod illa auctoritas intelligatur de sacramentali manducatione, non tamen ex dicto textu habetur necessitas duplicis speciei, nec ex ipsis glossis, imo ex dictis glos. habetur manifeste sufficientia vnius speciei & comestionis. Nam in nulli fit mentio de bibitione vini, sed de sola comestione, & vlterius vtraque glossa exponit de commestione altaris, & per consequens glossa trahit hunc textum ad Sacerdotes, qui soli conficiunt, & comedunt in altari, & sic intelligendo hunc textum siue spiritualiter, vt Auguſt. & alij doctores antiqui, siue de sacramentali comestione altaris, bene dicunt: ergo, per locum à contrario sensu, omnes aduersarij, dicendo illam literam non esse exponendam de spirituali vel sacramẽtali manducatione altaris, sed eam debere trahi ad communionem laicam vtriusque speciei, decipiuntur, & male dicunt. Deinde adducit auctoritatem Remigij multam & satis longam super eodem verbo: *Nisi manducaueritis, &c.* in qua tota auctoritate, & in omnibus per proponentem ex ea elicitis, non reperio nec video aliquid, in quo possit vel valeat suum fundare intentum, quoad præceptum communionis sub vtraque specie. Deinde quo ad auctoritatem communionis, plus facit contra eum dicta auctoritas, quam cõtra tenentes oppositum. Nam cum dicit: *Ad hanc spiritualem alimoniam, ad hoc mysticum epulum & diuinum nos Dominus inuitat, &c.* manifeste decarat se loqui de spirituali manducatione, quod manifestius declaratur, cum consequenter dicit in §. Nam vero: *subsequenter exponit quomodo id fiat, & quid sit manducare carnem eius, & sanguinem bibere. Qui manducat, inquit, meam carnem, & sanguinem meum bibit, in me manet, & ego in illo, hoc profecto est hanc escam manducare, & hunc potum bibere, manere in Christo & Christum in se habere mansionem, &c.* Vbi hic doctor S. Remigius conformiter ad Auguſt exponit quidditatiue & essentialiter quid sit manducare carnem eius, & sanguinem bibere, & respondet, *qui manducat*, inquit, *meam carnem, &c.* vbi expresse declarat, quod manducare & bibere in hoc loco sumitur pro manere in Christo, & è conuerso Christum in se manentem habere. Ad eundem sensum, totum residuum illius auctoritatis tendit, scilicet, de spirituali manducatione. Nec obstat de exemplis quæ inducit de comestione sacramentali, vt expositum est in dictis Auguſt. loquens enim Auguſt. & Remigius abbreuiator eiusdem, de vero sensu, quem Christus intendit de his verbis, scilicet, de spirituali manducatione, adducunt sermones de sacramentali manducatione, sicut cum adducitur figura ad figuratum, & sacramentum ad id quod significat & figurat. sicut si loqueremur de passione Christi, adduceremus figuras veteris testamenti, quæ Christi passionem præfigurabant, vtiq; non omnia quæ dicerentur de ipsa passione Christi in se, & quæ dicerentur de figuris illis, ad idem referentur, quia semper aliud est figura, aliud figuratum. Similiter si loquere

Ad Remigium.

Luc. 10. Matth. 18 Matth. 23

Ad gloſſã ordinariã.

Supra in teſtimoniis SS.

mur

mur de corpore Christi vero, in hoc sacramento, & adduceremus materiam sacramenti, vt puta panis & vini, vtique nõ quicquid diceretur de vero corpore Christi, hoc intelligeretur de speciebus, nec è conuerso ita est proprie in proposito. Cum enim hoc sacramentum altaris quantum ad species suas, & quantum ad primam rem contentam, quæ est vera caro Christi, & verus sanguis eius, sit sacramentum corporis Christi mystici, vt patet omnibus materiam huius sacramenti intelligentibus, si sacerdotes loquentes de corpore Christi mystico & spirituali, & carne eius mystica, adducant materiam huius sacramenti, siue quoad species, siue quo ad ipsam primam rem eiusdem, sicut signi ad signatum, & sacramenti ad id cuius est sacramentum, non est dicendum quod idem sit, & quod ad idem referantur omnia, quæ dicuntur, tanquam idem esset signum & signatum, res & sacramentum. Et hæc est profecto, saluo iudicio meliori, vera intentio Auguſt. & Remigij & multorum aliorum doctorum, dictum capitulum Ioan. exponentium, qui exponentes de spirituali corpore Christi mystico, & de manducatione, adducunt materiam sacramẽti altaris, tanquam signi ad signatum, & sacramentum ad id quod significat & figurat. Vlterius dato quod Remigius loqueretur in illa parte, ad hanc spiritalem alimoniam, de sacramento altaris; adhuc ex ipsis verbis suis declaratur, quod non necessitatem sumendæ huius alimoniæ nobis indicit per hoc enim cum dicit, *tanquam*, cum sit aduerbium similitudinis, vtique similitudinariam, non perfectam necessitatem expressit, per quod dat intelligi, quandam magnam & vehementem vtilitatem, non præcepti innuit necessitatem. Vlterius patet per aliud, per illud scilicet, quod sequitur, quod dictus S. Remigius non acceperit in verbis prædictis stricte necessitatem. Nam infra dicit, quod ipse Dominus mysterium sui corporis & sanguinis voluit a fidelibus per Sacerdotum ministerium fieri mandauit rationabili sacramento, quod vtique proprie accipiẽdo mandatum & præceptum nullo modo stare potest in veritate, quia omnino Catholicæ veritati sanctorumque Patrum traditionibus, & sententiis esset contrarium & aduersum, qui nullo modo dicunt obligari vniuersam fidelium congregationem ad huius venerabilis sacramenti quotidianam sumptionem. Vnde Auguſt. & habetur de consecr. dist. 2. *Quotidie Eucharistiam sumere nec laudo, nec vitupero, &c.* Dicendum igitur, quod Remigius in dicta auctoritate, verbum mandari large accepit, non pro præcepto proprie. sed exhortatiue, quia qui taliter possit disponere vitam suam, vt omnino caueret à peccatis mortalibus, & ex sumptione quotidiana huius sacramenti sentiret se in deuotione ac feruore proficere, valde necessarium esset & vtile sic animæ dispositæ, frequenter & quotidie ad hoc sacramentum accedere. Sicut igitur hoc verbum, *mandauit*, proprie non potest determinare illud, quod dicitur, *quotidie*, sic minus determinat illam necessitatem. Ex omnibus tamen prædictis hoc in dubie habetur, & manifeste, quod dicta auctoritas Remigij in nullo deseruit sibi ad communionem laicam sub vtraque specie. Ad auctoritates Auguſt. quas consequenter inducit, quæ videntur eidem me Doctori contrariari, qui, vt dictum est, sole clarius & luce meridiana in multis locis declarauit, Euangelium Ioan. debere intelligi de spirituali manducatione, non esset difficile respondere, eundem doctorem ad concordiam reuocando ex libris eiusdem, ex quibus dictæ auctoritates assumuntur: Nihilominus quia tempore coarctor, dico, quod nulla prædictarũ auctoritatum, dato, quod omnes intelligerentur de sacramentali sumptione, probat propositum de duplici specie, in communione laicali. Et sunt auctoritates Augustini, prima *a* in libro de meritis & remissione peccatorũ. Secunda *b* contra Cresconium Grammaticum. Tertia in lectionibus Dominicæ primæ in aduentu Domini. Quarta *c* libro primo de baptismo paruulorum, vt ipse allegat eam, quæ incipit, *Auferatur ergo dubitatio, &c.* quæ tamen ponitur in libro de meritis & remissione peccatorum, nisi velit vnum & eundem librum prædicto duplici titulo insignire. Quinta Psa. 98. super illo verbo: *adorate scabellum pedis eius.* veruntamen vt detur occasio volenti dictas auctoritates Augustini intelligere, in quo sensu ab eo prolatæ sunt, subiungo auctoritatem suam, quæ habetur tranſumptiue de consec. distin. 4. cap. *nulli dubitandum &*

Ad S. Auguſtinum.

a *lib.* 1. *cap.* 20.

b *Lib.* 1. *cap.* 25.

c *Cap.* 4.

Cap. 13. De Eccleſiaſticis dogmatib. cap. 53.

Cap. 13.

ambigendum est. vbi ita dicit: *nulli ambigendum est, tum corporis & & sanguinis Domini vnumquemque fidelium participem fieri, quando membrum Christi in baptismo efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio etiam si antequam panem illum edat & calicem bibat, de hoc seculo, in vnitate corporis constitutus, abscedat, quia illius sacramenti beneficio non priuatur; quando in ipso hoc quod illud sacramentum significat, inuenitur. In illo enim sacramento corpus & sanguinem suum in nobis commendauit, quod & fecit nos ipsos, nam & nos corpus Christi facti sumus.* hæc Auguſt. Et iterum idem ad Bonifacium ita scribit: & habetur ead. dist. 4. cap. in Ecclesia, vbi dicit: *non cogitetis vitam habere non posse paruulos qui fuerint expertes corporis & sanguinis D. N. Iesu Christi, dicente Dom. no: Nisi manducaueritis carnem, &c. Manifestum est enim tunc vnumquemque corporis & sanguinis Domini participem fieri, quando in baptismo membrum Christi efficitur.* Hæc Auguſt. Ex his auctoribus & vltima resolutione quam facit idem Doctor dictorum suorum libro tertio de meritis & remissione peccatorum, siue de baptismo paruulorum, studiosus lector & pius dictum excellentissimum doctorem non contrarium nec sibi ipsi dissonum, sed maxime vniformem & concordem in suis dictis & sententiis clare percipiet & intelliget. Similiter dicendum est ad auctoritates Origenis & Chrysost. quia ex ipsis nihil concluditur ad auctoritatem communionis sub vtraque specie, cum nullam mentionem faciant de specie vini, sed solum de carne & sanguine, quæ ita integre plene & perfecte sumuntur à fidelibus sub vna specie, sicut si sumeretur sub duplici. Similiter dicendum est ad auctoritatem Innocentij, quia nihil facit ad propositum de præcepto aut necessitate communionis sub vtraque specie. Eodem modo ad dominum Armachanum dicendum est, quod nihil confert sua auctoritas ad communionem vtriusque speciei: imo quantum potest concipi ex verbis eiusdem dicti text. Ioan. *6. Nisi manducaueritis, &c.* non intelligitur de manducatione sacramentali quãtum ad intentionem suam, dicit enim: *si quis vero dictum Saluatoris, omnino velit accipere de manducatione & bibitione sacramentali, tunc intelligendum est de modificatione, &c.* vbi expresse & manifeste declarat se loqui non ex sua intentione cum dicit: *Si quis vero, &c.* Ad auctoritatem vero Eusebij dicendum, quod Eusebius loquitur de confectatione qua Christus in cœna vinum in sanguinem commutauit, & quotidie commutat in altari, quod manifeste ostenditur ex verbis eius, dum dicit: *Aduerte quam euidenter constat vini creaturam Christi sanguinem nuncupandam*, quod vtique non fit nisi in altari vbi prius est vini creatura, & deinde Christi sanguis post consecrationem nuncupatur, post quam consecrationem nullo modo sanguis Christi est vini creatura. Et ad hunc sensum per quandam adaptationem ad Sacramentum altaris inducit auctoritatem. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Et præterea dictus doctor nullam mentionem facit in prædictis verbis de communione laica aut de præcepto siue de necessitate illa de qua hic loquimur, nec etiam de quacunque alia. Et hæc sint dicta ad secundam partem suæ propositionis ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, &c.

De cons. dist. 2. c. 62. commendauit. Cap. 130.

Cap. 4.

Ad Origenem & Chrysost.

Innocent. Armachanum.

Eusebium.

Euseb. in homil. de corpore & sanguine Christi.

Vlterius prosequendo tertiam partem suæ positionis, proponens ita dicit: *Cum autem plurimi aduersariorum diuinissimæ communioni sub vtraque specie ad laicos propter tot testimonia & sanctorum auctoritates resistere non valentes ipsam communionem benedictæ Eucharistiæ sub vtraque specie ad laicos fideles concedunt, quantum in se est, & de se esse licitam & Catholicam, quia à Christo institutam, & ab Apostolis & Ecclesia primitiua prædicta, & hæc eorum confessio patet per eorum plurima scripta, sed in hoc latibulum omnes confugiunt, dicentes, quod ipsa communio vtriusque speciei non sit de præcepto*: hæc proponens. Ad hoc dico, non propter auctoritates & rationes quas aduersarij adducunt, quia nullæ sunt, sed propter veritatem in se, quod communio huius sacramenti secundum se considerata, est licita & Catholica, & digne sumentibus ac deuote multum vtilis ac necessaria; sed quod fiat sub vna vel sub duplici specie, est indifferens ad meritum vel demeritum, nisi pro quãto ecclesiæ consuetudo aut statutum determinat ad vnam vel ad duplicem speciem. Nam Christus instituit sacramenta, sed modum eadem dispensandi, reliquit ecclesiæ, vt tenent omnes doctores concorditer: Quando igitur consuetudo Ecclesiæ habebat duplicem speciem, tunc nulli lice-

CLXXX

Christus instituit sacramẽta sed modũ dispẽsandi reliquit Eccl.

bat communicare ſub vna ſpecie in locis in quibus huiuſmodi conſuetudo ſeruabatur, & ſimiliter oppoſita conſuetudine in Eccleſia, ex rationabilibus cauſis inualeſcente, & maxime ſtatuto & præcepto vniuerſalis eccleſiæ confirmata, nulli licet non conficienti communicare ſub vtraque ſpecie: vnde nullo modo concedimus ipſam communionem ſub vtraque ſpecie eſſe licitam & Catholicam, quo ad laicos, licet ſic Chriſtus fecerit & Apoſtolis tradiderit, & Apoſtolus in primitiua Eccleſia Corinthiorum ſic facere permiſerit, ſtante ſtatuto eccleſiæ in oppoſitum. Nec confugimus in latibulum, qui eſt locus hæreticorum, dicentes, quod ipſa communio ſub vtraque ſpecie non ſit de præcepto: imo manemus in ipſa veritate Catholica, ſicut in ciuitate ſupra montem poſita, quæ omnibus ſole clarius eluceſcit. Ad auctoritates igitur Euangeliſtarum, videlicet Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. dico, quod ſtant narratiue, quia Euangeliſtæ narrant modum quem Chriſtus tenuit in confectione huius ſacramenti & verbum hoc, *facite*, quod innuit præceptum, ſi præceptiue teneatur, refertur ad Apoſtolos, quos per illa verba in ſacerdotes ordinauit, & ad ipſorum ſucceſſores, tantum; alioquin omnes viri & mulieres eſſent ſacerdotes, & poſſent hoc conficere ſacramentum, quod nullus ſanæ mentis diceret. Ad gloſſam autem quæ dicit, *& alia data*: dicendum quod gloſſa non dicit, quod Chriſtus præcepit Apoſtolis aliis dare: dato enim, quod non concedatur pro præſenti, quod Chriſtus præcepiſſet diſcipulis, dare aliis hoc ſacramentum; non tamen præcepit ſic dare, quapropter noranter gloſſa non expreſſit ſic, vel taliter, vel hoc modo aliis dare. Ad canticum Eccleſiæ: *dedit fragilibus, &c.* dicendum quod Chriſtus ſacrificium iſtud & inſtituit & commiſit ipſum celebrandum ſolum presbyteris quibus ſic congruit ſumere, non tamen ſic dare cæteris: quapropter notanter dicit: *quibus ſic congruit vt ſumant & dent cæteris.* & quod iſta ſit intentio illius cantici, patet tam ex ſummo pontifice, quam ex compoſitione officij, quam ex ipſa eccleſia cantate dictum canticum. Nam tempore Vrbani, & docto is ſancti, qui officium corporis Chriſti, & prædictum canticum compoſuit per totam eccleſiam vniuerſaliter erat vnius ſpeciei conſuetudo, vt patet ex doctrina eiuſdem doctoris. Ad Nicolaum de Lyra, dicendum quod ſecundum opinionem verum dicit, quod per illa verba, *hoc facite*, iniungitur eccleſiæ huius ſacramenti vſus, ſed non habetur ex hoc, quod iniungatur laicali populo vſus communionis ſub vtraque ſpecie. Vlterius ad auctoritatem Damaſcen. cum dixit: *Dixit Dominus Ieſus hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem, omnipotenti eius præcepto, donec veniat, efficitur.* dicendum eſt quod ibi præceptum Damaſcen. non intendit referre ad Apoſtolos, quaſi ipſis ſit præceptum, vt ſic miniſtrent aliis, ſed refert ad naturam panis, ſcilicet, & vini conſecrandam, vt obediat præcepto omnipotentis Dei ſiue Chriſti, dum videlicet ad verba prolata ſacerdotis, panis & vini ſubſtantia in corpus & ſanguinem Chriſti diuina & omnipotenti virtute conuertitur. Eſt igitur ſenſus, *& hoc facite*, id eſt, conficite, & conſecrate tranſmutando naturæ ſubſtantiam in corpus Chriſti & ſanguinem, non vtique virtute veſtra, ſed omnipotenti eius præcepto, quo ſcilicet non ſolum ea quæ ſunt, poſſunt conuerti in alia, ſed etiam ea quæ ſunt poſſunt in nihilum redigi, & ea quæ non ſunt, ad eſſe produci: ſecundum quod dicit in Pſalmo, *ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Si enim Damaſcenus voluit referre id præceptum ad Apoſtolos, vt ſic deberent facere donec veniat, ſuffeciſſet ſibi ſimpliciter dicere: hoc facite præcepto eius, ſine additione *omnipotenti*, quia ad mandatum obligatorium faciendum non exigitur omnipotentia, cum & prælati & puri homines poſſint obligatorie præcipere, in quibus non eſt omnipotentia, quæ vtique ad naturalem tranſſubſtantiationem ſubitam & inſtantaneam de neceſſitate requiritur. Et ad hunc enndem ſenſum proprie loquitur Paſchaſius in ſequenti allegatione, cum dicit: *Credo ô fili, quia ita eſt quomodo ipſe dixit, & dubitare factum non potes, ipſe mandauit & creatum eſt, præceptum poſuit dicens, in meam commemorationem hoc facite.* Nam tota intentio Paſchaſij in hoc loco eſt, inducere fidem tranſſubſtantiationis panis & vini in veram carnẽ Chriſti & in verum ſanguinem eiuſdem, ad quam tranſſubſtantiationem credendam, ipſe hortatur quemlibet fidelem, quod ex verbis eius patet. & ex perſuaſionibus, cum dicit: *Credo ô fili, &c.* & ibi punctus faciendus eſt, *præceptum poſuit*, & poſtmodum ſequendum eſt. *in meam commemorationem facite*, quidquid tamen ſit, ſiue Päſchaſius, ſiue Damaſcenus, ſiue Nicolaus de Lyra, & quicunque alij dicant, quod illa verba *hoc facite in meam commemorationem*, dicta fuerunt à Chriſto Apoſtolis præceptiue, & in perſona ipſorum, cæteris ſacerdotibus, & per conſequens Eccleſiæ, in cuius perſona ſacerdotes vt miniſtri tenentur hoc Sacramentum celebrare, conficere, & paſſionem Chriſti ſub vtraque ſpecie repreſentare in cõſpectu & præſentia fidelium, concedo, nec tamen aliquid ſequitur pro communione ſub vtraque ſpecie.

Laicis cõmunio ſub vtraque ſpem nullo modo eſt licita.

Ad verba: Hoc facite.

Ad gloſſã.

Ad verba Hymni: dedit fragilibus.

Ad Nicol. de Lyra.

Ad Damaſcenum lib. 4. c. 14

Pſal. 148.

Paſchaſius de corpore & ſanguine domini c. 15.

CLXXXI. *Quid per illa verba, hoc facite intelligatur.*

Ad illud igitur quod refert proponens, quod per illa verba, *hoc facite*, intellexit non ſolum confectionem, ſed manducationem & bibitionem ſacramentalem; & quod illa verba dixit præceptiue, dicendum quod præceptum illud, ſi tamen præceptiue teneatur, extendit ſe ſimul ad confectionem & ad manducationem & bibitionem, quo ad ipſum conficientem, quia ſacerdos conficiens tenetur ſicut conficere, ſic & vtrumque diſtincte, ſeorſum & ſeparatim ſumere: vnde non ſequitur, quod per illa verba Dominus præcipiat ſolam manducationem & bibitionem ſacramentalem, ſecundum quod reſpicit vniuerſaliter omnes, ſed ſolum prout manducatio & bibitio ſunt coniunctæ conſecrationi, ſcilicet in ipſo ſanctificante. Ad auctoritatem S. Thomæ dictum eſt in præcedentibus, quod in dictis verbis dictus Doctor intendit fundare præceptum implicite ſacramenti ſecundum ſe conſiderati, ſed non ſub vtraque ſpecie, quam in ſequenti articulo dicit non eſſe de neceſſitate, neque de præcepto. Etenim, ſecundum quod fuit in præcedentibus aliqualiter aperiam, in hoc ſacramento duo ſunt attendenda: vel ea quæ ſunt eſſentialia, vel ea quæ ſunt accidentalia. Quantum ergo ad eſſentialia, quæ ſunt forma materia, intentio, & ordo, Chriſtus dedit præceptum, quod vtique inuariabile ac immutabile eſt: ſed non quantum ad accidentalia, cuiuſmodi ſunt, tempus, conditio materiæ, modus ſumendi, ritus conficiendi, & huiuſmodi, quæ Chriſtus dimiſit in poteſtate Eccleſiæ, vt circa ipſa ordinaret, prout ei Spiritus ſanctus rector eiuſdem inſpiraret. Vnde ſicut in poteſtate Eccleſiæ fuit ſtatuere, vt non niſi à ieiunis hoc ſacramentum conficeretur, & etiam niſi in certis caſibus ſumeretur, cum tamen Chriſtus poſt cenam ipſum conficeret & diſcipulis dederit ad ſumendum. Et ſicut in poteſtate fuit Eccleſiæ, per aliquod tempus in fermentato conficere, licet Chriſtus in azymo confecerit: ſic eodem & pari modo fuit & eſt in poteſtate Eccleſiæ propter aliquas cauſas neceſſarias & rationes mutare modum communicandi laicos, vt videlicet ſub vna & non ſub duabus ſpeciebus quemadmodum Chriſtus tradidit communionem. nec videtur ratio quare potius illa quam hunc modum mutare potuerit, cum iſte modus ita ſe habeat per accidens, ſicut & illa. Et hæc diſtinctio expreſſe innuitur in præcepto Chriſti, cum ait: *hoc facite*, non autem dixit, ſic, vel hoc modo facite, *hoc*, enim ad ſubſtantiam refertur, non ad modum. Sed contra arguit proponens, quia ipſe Chriſtus ad vtrumque addit præceptum *hoc facite*, vt recitat Apoſtolus: dicendum quod materia in hoc ſacramento poteſt duobus modis conſiderari. Vno modo reſpectu rei contentæ, cuiuſmodi eſt verum corpus Chriſti, & verus ſanguis eius. Alio modo reſpectu rei ſignificatæ cuiuſmodi eſt paſſio Chriſti, refectio ſpiritualis, tuitio corporis & animæ & cætera, ſi qua ſunt, quæ in hoc ſacramento repræſentantur. Ratione primi, panis & vinum cadunt ſub præcepto diſiunctiue, quia vel vtrumque vel alterum ipſorum ſufficit, cum ſub vtraque, & ſub altera ipſarum, verus & integer Chriſtus contineatur, vt fuit declaratum in ſuperioribus ſatis diffuſe, ratione vero ſecundi, capit vtrunque copulatiue ſub præcepto, quia paſſio Chriſti non poteſt perfecte repræſentari ſub altero ipſorum, & hoc ipſius Chriſti verbis expreſſe comprehenderetur. Non enim ait ſimpliciter, *hoc facite*, ſed addit, *in meam commemorationem*. Si enim dixit tantummodo *hoc facite*, planum eſſet quod altera ſpecies ſufficeret: quia vero addit: *in meam commemorationem*, Vtraque neceſſaria eſt: vnde & Paulus vtrumque complexus eſt copulatiue in huiuſmodi commemoratione facienda dicens: *quotieſcunque ea im manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*: ideo etiam ad vtrumque apposuit præceptum, vt vtrumque ſimul oſtenderet fore neceſſarium ad huiuſmodi Dominicæ mortis repræſentationem: ſi enim ad vnam ſolum apposuiſſet, videretur, quod ſola ſpecies ſufficeret ad repræſentationem: vnde Apoſtolus eſt declaratiuus Lucæ Euangeliſtæ in hac parte, & Lucas aliorum Euangeliſtarum, qui non fecerunt mentionem de huiuſmodi præcepto. Quia vero huiuſmodi commemoratio Dominicæ paſſionis tantummodo conficientibus ſiue Sacerdotibus præcepta eſt, vt ex ſuperioribus patet, cum ait: *Facite*, quod idem eſt, quod conficite vel ſacrificate, idcirco ſufficit, quod ſoli ſacerdotes in Eccleſia coram populo conficientes & ſacrificantes huiuſmodi repræſentantes paſſionem, ſignis exterioribus, ſpeciebus ſcilicet panis & vini, non autem quod ſic cæteris miniſtrent: & licet ſi non ſacrificantes ſumerent ſub vtraque ſpecie, ſicut antiquitus Corinthii faciebant, & modo faciunt Græci ſimiliter, & repræſentarent mortem Domini, ſicut & ſacrificantes, non tamen eodem modo: quia ſacrificantes ex præcepto, hi vero ſine præcepto: & vlterius expreſſius ſignificantes, quia non ſolum in ſumptione ſub vtraque ſpecie, ſed principalius in confectione, & in eleuatione, & cæteris ſignis & ritibus CHRISTI paſſio repræſentatur, quam in ſola ſumptione.

Aliud exẽplar in ſcr. habet eſt. Iuxta Lucã.

Supra in expoſitione horum verborum. Niſi mãducaueritis, &c. *In ſacramento Euchariſtiæ conſideranda eſſentialia, & accidentalia illa ſunt immutabilia hoc variabilia.*

Materia in hoc ſacramento dupliciter conſideratur.

Ad S. Cyprian.

Ad auctoritatem Cypriani quæ hic ponitur & ad cæteras quæ infra ponuntur, primo dicendum eſt, quod non omnia opuſcula neque dicta eiuſdem ſancti martyris ab eccleſia acceptantur, ipſe enim cum octoginta Epiſcopis in quadam ſynodo prouinciali, ſub eodem Cypriano, in ciuitate Carthaginenſi celebrata, dixit, hæreticos & chiſmaticos non poſſe baptizare, & quod baptiſmus ab hæreticis collatus eſſet lauacrum diaboli, in quo tamen ipſe non tenetur eo quod Eccleſia oppoſitum determinat, vt habetur 3. diſtinct. Sed ſciendum, & in quarto ſententiarum diſtinct. 6. contra quem in hac materia egregius Doctor Auguſtinus edidit librum, quem de vnico baptiſmo nominauit, de quo martyre idem Auguſtinus dicit: *Ego viſa ſanctitate Cypriani, eidem adhæſiſſem, niſi me Romana Synodus retraxiſſet.* Et ſubdit: *Ego dicta Cypriani non approbo, cuius martyrium veneror, cuius ingenium laudo, quia nec Eccleſia approbauit: vbi male ſenſit, hoc purgatum eſt igne paſſionis.* Hæc Auguſtinus vbi bene attendendum eſt excellentiſſimi doctoris Auguſtini exemplum & documentum, & perpetuo memoriæ retinendum: libenter ſiquidem, tum propter ſanctitatem tum propter excellẽtiam ingenii, ſecutus fuiſſet opinionem huius ſancti & glorioſiſſimi martyris Cypriani, quod tamen non fecit, propter Romanam ſynodum, quæ oppoſitum illius determinauerat: nec auſus fuit dicta Cypriani approbare, quæ non approbauerat Eccleſia. Si tantus Doctor & tam excellentiſſimi ingenii ac ſanctiſſimæ vitæ, Auguſtinus ſcilicet non fuit auſus ſequi, tam ſanctiſſimum & profundiſſimum martyrem, ſtante in oppoſitum determinatione Eccleſiæ, quid faciemus nos miſeri homunculi, qui vix ſcimus alphabetum componendo balbutire, non dico profunda ſcripturarum indagare? nunquid prudentiæ meæ inſiſtendo, erecta ſcilicet cerui-ce, huius hominis quantumcunque ſancti & excellentis ingenii ſententiam aut ſen ſum noſtrum præponemus & anteferemus ſententiæ & determinationi Catholicæ Eccleſiæ? abſit hoc à nobis, & à cordibus cunctorum Chriſti fidelium. Prædicta idcirco præmiſi de dicto martyre, non quod velim ipſum in hac materia noſtra negare, ſed vt appareat quia non in omnibus eius doctrina eſt ſequenda: Dicendum igitur, quod nec in iſta auctoritate, nec in omnibus aliis ſequentibus quoquo modo prædictus martyr, nec implicite nec explicite ponit aut dicit, communionem vtriuſque ſpeciei, quo ad laicos, eſſe de præcepto Chriſti, aut de mandato eius, deinde in hac auctoritate loquitur de ſacerdotibus & celebrantibus, quibus Dominus præcepit facere in commemorationem ſuæ mortis, quod patet, quia loquitur in propria perſona, qui erat Epiſcopus, & etiam loquebatur & ſcribebat Epiſcopis, quibus vtique præceptum fuit, vt facerent in commemorationem mortis Domini: vnde dicit, quod ſic à

Domino præcipitur, vt quotieſcunque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus. Hanc autem reprehenſionem faciebat prædictus martyr aliis Epiſcopis non occaſione vnius vel duplicis ſpecici, quo ad populum laicalem, ſed in primitiua eccleſia multi ſacerdotes multipliciter aberrabant tam circa celebrationem huius ſacramenti, quam circa diſpenſationem eiuſdem ad populum: nam aliqui hoſtiam ſanguine intinctam populo porrigebant, alii vuas vino apponebant, & vinum presbyteri ſumebant, vuas vero dabant communicantibus laicis, & pro infirmis in ſacrario reponebant alii vero pannum lineum muſto tinctum per totum annum ſeruabant, & in tem, ore ſacrificii aqua partem eius lauantes, loturam illam miniſtrabant. Alii lac dabant pro ſanguine, vt pater de conſenſ diſtinct. 2. didicimus, & capitu o, cum omne crimen: Illa igitur aduertens & multa alia hic ſanctus martyr fieri præter modum à Chriſto traditum in miniſtratione & oblatione huiu ſacri myſterii, zelo accenſus, præ ertim Epiſcopos reprehendit, tanquam eos ad quos pertinebat alios corrigere & ad vitam reducere veritatis, & hæc eſt totalis & vera intentio prædicti martyris tam in præſenti auctoritate, quam in omnibus ſequentibus, prout declarabitur loco ſuo: & per dicta patet, quod ea quæ infert proponens, omnino falſa ſunt, quia non ſequuntur ex intentione dicti doctoris.

Epiſt. 63. edit. Pamel. antiq. lib. 2. ep. 3.

Cap. 6.

Ad Lyram.

Vlterius ad auctoritatem can. 6. *Niſi manducaueritis*, cum Nicolao de Lyra, dicendum, dato quod eſſet præ e tum de ſacramentali ſumptione, nullo modo tamen præceptum eſt, de vtraque ſpecie, vt dictum eſt, & clare oſtenſum etiam ſecundum intentionem Nicolai de Lyra, qui ponit ibidem vt alias allegarum eſt, verba in hunc modum: *non eſt intelligendum, quod ſcil. et hoc ſacramentum ſub vtraque ſpecie fideibus ſit ex hibendum, ſed tantum hoc modo à ſacerdotibus eſt ſumend. m: licet enim in primitiua Ec leſia populus ſub vtraque ſpecie communicaret, tamen poſtea proinde ordinatum, vt non communicet ſub ſpecie vini propter periculum effuſionis.* Item ad Sanct. Thomam quem inducit in quæſtionibus ſuper 4. ſimiliter dicendum, quod nihil concludit de vtraque ſpecie: ſimiliter gloſſa interlinealis nullam mentionem facit de ſpecie vini. Item inducit Sanct. Thom. ſermon 20. & eius auctoritatem recitat longum ſpacium, in qua auctoritate S. Doctor nec in verbis nec in ſententia nec in quocunque ſigno explicite vel implicite facit mentionem de communione laica vtriuſque ſpeciei, nec in tota illa auctoritate facit mentionem de vino aut de ſecunda ſpecie. Et q uantum ad auctoritatem Ioan. 6. *Niſi manducaueritis, &c.* ſæpius repetitum eſt, quod ſi intelligitur de ſacramentali, ſolum cadit præceptum ad carnem & ſanguinem, & non ad ſpecies ſacramentales, quapropter correlaria quæ infert, pro quanto aliquid infert pro vtraque ſpecie falſe & male infert, quia in toto proceſſu ille Doctor non fecit mentionem de vtraque ſpecie, ſed ſolum de corpore & ſanguine Chriſti alicubi, alicubi vero ſine determinatione de ſacramento, quare ex dicta auctoritate nihil concludit, quo ad vtramque ſpeciem. Vlterius inducit eundem doctorem in eodem ſermone, quod ſpiritualis ſimul & ſacramentalis manducatio corporis & ſanguinis Chriſti eſt vtilior & ſalubrior ſola manducatione ſpirituali, quod vtique concedo, cæteris parib. s, tamen hoc nihil facit ad vtramque ſ eciem. Item ad Paſchaſium, quem inducit in tractatu ſuo de corpore Chriſti, dicendum primo, quod dictus doctor nullam facit mentionem de præcepto aut de neceſſitate. Deinde i, ſe loquitur in perſona laicorum de ſola manducatione, cum dicit: *& comedimus*, & de modo quo ſacerdotes conficiunt dictum ſacramentum, ſcilicet in pane corporis Chriſti & potu ſanguinis, quæ de agro corporis nobis quotidie per officium ſacerdotum matureſcunt. Et ad hoc inducit figuram benedictionis frumenti & vini. Quare nihil dicta auctoritas valet ad propoſitum: in ſequenti particula ſolum loquitur de carne Chriſti & eius ſanguine, & nullam facit mentionem de ſpeciebus, & ſic ſimiliter nihil concludit ad intentum vtriuſque ſpeciei: Ad Albertum Magnum dictum eſt ſuperius, quia loquitur ſolum de conficientibus & ſacerdotibus, & cum hoc de ſignificatione: Item ad B. Bernardum quem inducit in ſermone ad Petrum de corpore Chriſti, primo dicendum, quid iſte doctor ſenſerit de illa auctoritate: *Niſi manducaueritis, &c.* qui ſuper 3. verſu Pſalm. 90. dicit: *quid*

Ad Sanct. Thom.

De ſacramento altaris, c. 20

Paſchaſ. de corpore & ſanguine domini c. 21.

Ad Albert. Magnum.

S. Bern. in Pſal. Qui habitat, de tertio verſu.

De vita solitaria fol. 1748. Sermone de cœna dominj qui habetur inter quosdam à cyprus, fol. Basil. edit. 2185.

est autem manducare eius carnem, & bibere eius sanguinem, nisi communicare passionibus eius, & eius conuersationi quam gessit in carne? Vnde & in hoc designat illud illibatum altaris sacramentum, vbi Dominicum corpus accipimus, vt sicut videtur illa panis forma in nos intrare: sic nouerimus per eam quam in terra habuit conuersationem, ipsum intrare in nos, & habitare per fidem in cordibus nostris: hæc ille. Item idem Bernard. in epistol. ad fratres de monte Dei, ita dicit: *sicut enim quicumque habet sensus Christi, quantum Christiano piè agi expediat, quantum seruum Dei seruum redemptionis Christi decet, & vtile eis sit, vna saltem alhaque die hora passionis ipsius ac redemptionis attentius recolere beneficia ad fruendum suauiter in conscientia & recondendum fideliter in memoria, quod ist spiritualiter manducare corpus Christi, & bibere eius sanguinem in memoriam eius, qui in se credentibus præcepit, dicens, hoc facite in meam commemorationem, in quo etiam propter peccatum inobedientiæ, quam impium sit, hominem tante pietatis Dei esse immemorem, palam omnibus est, cum amici hominis abeuntis sub quolibet signo commendatam memoriam nefas sit obliuisci;* Ex quibus verbis manifeste patet quid prædictus doctor sentiat de illa duplici auctoritate, videlicet, *Nisi manducaueritis*, &, *hoc facite*: quia ambas interpretatur præcipue & spiritualiter. Sed iam ad auctoritatem suam per aduersarium adductam dicendum est videlicet quod D. N. Iesus Christus Ecclesiæ sponsæ suæ & columbæ dulcissimæ hoc dotalitium, scilicet, corpus & sanguinem suum indulsit sub sacramento, in suæ passionis & mortis memoriam; & quidem quotidie frequentatur & fit in ecclesia per operationem & ministerium sacerdotum, pro omnibus fidelibus tam vinis quam defunctis.

CLXXXII *Non omnia quæ Christus ecclesiæ reliquit ad omnes spectant. Alioquin oës essent sacerdotes Prophetæ, Apostoli. Ephes. 4. Inser. de cœna domini.*

Non enim omnia quæ Christus dimisit ecclesiæ, eodem modo conueniunt singulis de ecclesia, alioquin cum Christus dimisit ecclesiæ sacerdotium, sequeretur quod omnes essent sacerdotes, omnes Prophetæ, omnes Apostoli, omnes Pastores & Doctores, quod patet falsum esse manifeste, quia nec omnes Sacerdotes, nec omnes Prophetæ, &c, & tamen omnia Christus indulsit ecclesiæ suæ sponsæ secundum quod dicit Apostolus: *quosdam quidem dedit apostolos, &c. in consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi:* similiter in corpore naturali oculus datus est non sibi soli, sed corpori, nec tamen omnia membra sunt oculus. Similiter Christus hoc dotalitium in quantum est memoriale suæ mortis indulsit ecclesiæ in persona sacerdotum, vt non solum sibi, sed toti ecclesiæ deseruirent. Ad istud autem quod dicit Bernard. *idem fieri præcepit*, referêdum est ad illud præceptum, quo Christus præcepit Apostolis, dum eos in sacerdotes ordinauit, dicens: *hoc facite in meam commemorationem*, vbi præcepit confectionem huius sacramenti in pane & vino, quod ad solos pertinet sacerdotes. Quod quidem præceptum si vniuersos fideles obligaret, sequeretur, quod omnes laici mares & fœminæ deberent & possent hoc sacramentum conficere, quod omnino falsum est, absurdum & erroneum: item ad Durand. dicêdum quod nullam mentionem facit de duplici specie, sed tantummodo dicit quod sacramentum hoc est de necessitate salutis, ratione præcepti Domini, & etiam ecclesiæ, ex quo non sequitur, quod vtraque species sit de præcepto: Item ad Armachanum primatem Hiberniæ dicendum, quod iste expresse approbat ritum Ecclesiæ Romanæ & consuetudinem vnius speciei, vel saltem eum non reprobet, quod vtique fecisset, si credidisset eam fore illicitam, alioquin assimularetur canimuto non valenti latrare, & cum duo sint officia sapientis, videlicet meditari, & defendere veritatem, & falsitatem atque impium detestari, secundum illud: *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium*: vtique non fuisset doctor veritatis si visa impietate, non fuisset eam detestatus. Approbat igitur consuetudinem Eccles. Roman. ex quo narratur eam, & fulcit rationibus, nec eam reprehendit, vt decuisset doctorem Catholicum, vt patet in fine auctoritatis eius. Nam ita dicit: *Ecclesia tamen Romana in vsu habet solum vinum calicis conferre post communionem corporis Christi.* Ecce narratio; *ne forte per negligentiam, quæ leuiter posset contingere in ministrando in multitudine populi sacramentum sanguinis Christi fidelibus quibuscunque, aliquid effunderetur de ipso sacramento, quæ periculum non est in ministratione corporis Christi fidelibus indistincte, & ideo populo sacramentum sanguinis non ministrat quam-*

Ad Durã. dum. li. 4. dist. 9. c. 2.

Ad Armachanum.

uis fieri posset licite iuxta scripturam canonicam. hæc Armachanus. Vlterius ipse idem in præcedentibus, non dicit quod vtraque species sit de necessitate, aut de præcepto Christi, sed iuxta legem siue scripturam canonicam licite possit sub vtraque specie ministrari, supple, non obstante consuetudine & statuto Ecclesiæ in oppositum. Vlterius Magister proponens inducit, quod multum ac commodum esset in materia fidei, & aliis, conformari ecclesiæ primitiuæ, & ad hoc inducit auctoritatem Bedæ in homil. infr. 8. Ascensionis Domini, dicentis: *Perfectum vitæ magisterium est Ecclesiæ primitiuæ actus imitari.*

CLXXXIII 2. *Thess. 2.*

Ad idem inducit Apostolum, qui dicebat fideles debere imitari eos, & debere stare & tenere traditiones, quas didicerant siue per sermonem siue per epistolam. Ad quod dicendum, quod si praxis Christi & exemplum non obligat sub præcepto: multo minus praxis Apostolorum, aut primitiuæ Ecclesiæ. Nam praxis & exemplum Christi non obligat de necessitate salutis ad ipsum imitandum in omnibus suis actionibus & operationibus, quod patet inductiue in singulis generibus operum Christi. Nam non tenemur de necessitate Christum imitari in operibus supernaturalibus: vt puta in faciendis miraculis, similiter nec in omnibus operibus moralibus, vt puta in his quæ pertinent ad perfectionem, nisi quis se sponte voto proprio astrinxerit, vt est paupertas, castitas, obedientia & huiusmodi, quæ si ratione exempli obligarent, vtique omnes Christiani ad prædicta obligarentur, & sic omnes diuites, in matrimonio constituti, essent in statu damnationis, quod est omnino hæreticum. Similiter Christus ieiunauit 40. diebus & noctibus non habuit propriam domum, sponte permisit se crucifigi, & multa alia pati, in quibus imitari non tenemur de necessitate. Alioquin omnes hæretici, sicut sunt eo quod hæretici, essent in statu damnationis, qui in prædictis Christum non sequuntur: similiter in sacramentalibus & cæremonialibus Christus permisit se circumcidi, octauo die in templo præsentari, Pascha vetus celebrauit, & vt ad nostra veniamus, hoc ineffabile sacramentum, de quo est sermo in præsenti, ipse Dominus in cœna confecit, & post alios cibos ipsum tradidit edendum discipulis, in quibus omnibus Ecclesia nec imitatur Christum, nec tenetur imitari, imo tenetur non imitari. Et pari ratione non tenetur nec obligatur, ex ratione praxis vel exempli, imitari Christum in communione sub vtraque specie. Si igitur praxis Christi & exemplum non obligat sub præcepto, multo minus praxis Apostolorum aut primitiuæ Ecclesiæ. Siue igitur in primitiua Ecclesia fuit hic modus communicandi laicos sub vtraque specie vniuersalis in tota Ecclesia, siue partialis in aliquibus Ecclesiis, vt communiter tenent omnes, quia non potest sufficienter probari hunc modum fuisse vniuersalem, nec aliquem Apostolorum dedisse communionem sub vtraque specie, excepto Apostolo, hoc Corinthiis permittente, non sequitur tamen, quod etiam nunc ita debeat fieri aut obseruari, cum Christus nullibi vt declaratum est, sic, vel sic fieri mandauerit aut præceperit. Ad auctoritatem vero Bedæ dicendum primo quod nullam facit mentionem de hoc sacramento. Demum quod ipse loquitur de imitatione vitæ in moribus, nec necessitatem imponit, sed inuitat ad perfectionem. Vnde dicit: *perfectum vitæ magisterium est Ecclesiæ primitiuæ actus imitari*, non autem dicit, necessarium vitæ magisterium, &c. multa enim in primitiua ecclesia fiebant, ad quæ tamen moderna non obligatur ex præcepto, & vt exemplariter dicatur, legitur quidem in Act. Apost. 4. c. quod multitudinis credentium cor vnum & anima vna, nec q; quisquã eorum quæ possidebat aliquid suũ esse dicebat, sed erãt illis omnia cõmunia, & quod offerebãt precia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum, diuidebaturq; singulis prout cuiq; opus erat: hoc quidem tunc fiebat, sed tamẽ non præcepto nec q; de necessitate salutis, nec tenentur oës fideles ad huiusmodi cõmunitatem. Paulus etiam circumcidit Timoth. Act. 16. & Apost. præceperunt quod gentiles conuersi ad fidem abstinerent à sanguine & suffocato, Act. 15. quæ tamẽ sine periculo omittimus, cum nullum ipsorum sit de necessitate salutis. Similiter sacerdotes tunc licite ducebant vxores, non autem tẽ-

Non tenẽtur fideles in omnib. imitari Christum, in suis actionibus. Patet in miraculis, obseruatione consiliorum. Ieiunio 40. dierũ. Spontanea passione. Sacramẽtalibus & cæremonialibus.

Multo minus tenentur obseruare in omnibus praxim Ecclesiæ primitiuæ.

Vt constat ex cõmunitate rerum, circumcisione aliquãdiu tolerata, & similibus. Imo vxorati pro monebantur ad sa-

cerdotium, ab vxoribus tamen abstinebant. S. Ambr. in 4. c. ad Ephes.

pore præsenti, & multa alia fiebant in primitiua Ecclesia, quæ modo licite non fiunt, & sic dicendum est, de communione vtriusque speciei, &c. Item in primitiua ecclesia quasi omnibus indifferenter licitum erat baptizare, prædicare, & huiusmodi. vnde Ambrosius super epistol. ad Ephes. *& ipse dedit quosdam Apostolos*, ita dicit: *vt creseret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est Euangelizare & baptizare & scripturas in Ecclesia explanare: at vbi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conuenticula constituta sunt, & rectores ac cætera officia in Ecclesiis ordinata sunt: quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res & vilissima videretur.* hæc ille. Post prædicta Magister proponens praxin dictæ Ecclesiæ primitiuæ volens diligenter confirmare & pertractare, inducit multa exempla, & primo exemplum Corinthiorum, apud quos viguit communio prætacti calicis prout ex epistola Apostoli Pauli colligitur, ad quod dicendum, quod sicut praxis Christi qui sub vtraque confecit & tradidit discipulis, non obligat ex necessitate aut ex præcepto, sic multo minus exemplum Corinthiorum & praxis eorundem obligabit Ecclesiam ad sic vel sic faciendum.

S. Dionys. c. 3.

Vlterius inducit practicam & auctoritatem Dionysii scribentis de ecclesia, Hierarchia, c. de Eucharistia, compertum. Ad quod dicendum, quod prædictus S. Philosophus & summus Theologus fuit discipulus Pauli, & Græcus, & Atheniensis natione, quia igitur in primitiua ecclesia Græci ab Apostolo susceperunt consuetudinem vtriusq; speciei, eam seruarunt vsque ad præsentem diem, & sic Dionys. consuetudinem Græcorum sequens, loquitur in prædicta sua auctoritate, & glossa eiusdem, de prædicta communione vtriusque speciei: In nulla tamen parte illius auctoritatis nec in toto illo capitulo, imo nec in tota sua doctrina, B. Dionysius dicit illam communionem esse necessariam vel de præcepto Christi, & per consequens per ipsum nihil contra veritatem Catholicam & ecclesiæ consuetudinem concluditur. Vel dicendum ad dictam auctoritatem Dionysii, sicut dicit S. Thom. in 3. part. quod sicut sacerdos offert vnum calicem pro omni populo, & ideo calix populo non datur, Sicut etiam sacerdos sacrificans vnionem calicis quo ad meritum & remissionem peccatorum omnibus qui adsunt de populo fide & deuotione diuidit & distribuit, Sicut enim pro omnibus orat & pro omnibus offert, imo & ipsi cum ipso offerunt. Sicut enim sacerdos ait pro omnibus orans; *& omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, &c.* Sic & ipse sumens in persona omnium, omnes sumunt cum ipso, quia ipsius oblationis omnes fideles efficiuntur participes per remissionem peccatorum & augmentum gratiæ & in his sacerdos sacram consummat actionem.

Ad Orig.

Vlterius ad Orig. quem inducit in hom. 16. sup. lib. Num dicendum, quod ipse intelligit predictum rextum Iohann. 6. *Nisi manducaueritis, &c.* de duplici manducatione, sacramentali scilicet & spirituali: vnde eodem modo intelligitur dictum suum, sicut & prædicta auctoritas: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, expositum est autem supra, quod prædicta auctoritas siue intelligatur de sacramentali manducatione, siue spirituali, non tamen aduersarius habet intentum, quod vtraque species cadat sub præcepto, in cuius signum, nulla mentio fit de speciebus panis & vini: verum si prædictus doctor vel ex prædicta auctoritate vel ex aliis dictis eiusdem traheretur ad communionem vtriusque speciei, tunc dicendum esset, quod ipse loquitur secundum consuetudinem Græcorum, cum ipse Græcus fuerit natione, apud quos, vt dictum est, fuit & est consuetudo vtriusque speciei, non tamen aliquo modo dicit eam esse de necessitate aut de præcepto Christi. Deinde inducit practicam B. Donati, allegans B. Gregorium & passionale, &c. Dicendum, quod B. Greg. nullam mentionem in loco præallegato facit de sanguine, sed solum de reparatione calicis. Et ad historiam legendæ suæ est dicendum, quod B. Donatus ministrabat populo sanguinem, secundum consuetudinem, quæ tunc in ecclesia sua tenebatur, & secundum quod quidam dicunt, propter prædictum scandalum, quod sibi contigit in prædicta fractione, licet per miraculum reparauerit, deinceps dictus martyr cœperit populo ministrare hoc sacramentum sub vna specie: eius exemplum alii propter similia scandala & alia quæ numerata sunt, cœperunt similiter facere: & quia prædictus martyr non affirmabat neque docebat duplicem speciem esse de salutis necessitate aut de præcepto Christi, id eo non plus concludunt aduersarii exemplo suo, quam fecerint exemplo Christi & aliorum sanctorum, qui sub vtraque specie hoc Sacramentum ministrauerunt. Item ad id quod inducit de S. Thom. quod videlicet diaconi habent dispensare sanguinem Christi fidelibus, dicendum, quod doctor sanctus ibidem describit actus quos in sacris constituti ex officiis ipsorum exequi possunt: quapropter si esset consuetudo, vel si ecclesia non statuisset oppositum, quod sanguis Christi sub specie vini populo ministraretur, vtique diaconi ex officio possunt ministrare; secundum quod de B. Laurent. legitur, & allegatur, per B. August. sed hoc nihil facit ad propositum de necessitate & præcepto vtriusque speciei. Vlterius ad Leonem Papam, dicendum, quod prædictus Leo Papa scripsit cõtra Manichæos, qui negabant Christum resurrexisse à mortuis, & per consequens nec diem Dominicum volebant celebrare, sed in contemptum Dominicæ resurrectionis & ecclesiæ Dei illo die ieiunabant, & sic de huiusmodi hæreticis loquitur, quod ad regẽdam suam infidelitatem immiscebant se conuentibus Christianorum, & interdum quando latere amplius non poterant, indigno ore simulando se esse Catholicos, corpus Christi recipiebant, sanguinem autem Christi haurire de calice omnino declinabant, existimantes nondum Christum resurrexisse, sed ipsum adhuc mortuum esse, ideoque ex consequenti credebant corpus eius sine sanguine existere, & sic propter illam infidelitatem Christi sanguinem omnino cauebant recipere ab altari, Non est similis ratio in illis, & in nostris Christi fidelibus Catholicis, quia illi propter dictam infidelitatem sanguinem nolebant capere, nostri autem propter consuetudinem & præceptum Ecclesiæ laudabiliter, & ex causis necessariis & rationalibus introductam. Et vlterius patet, quod in dicta auctoritate Leo Papa nullam fecit mentionem de necessitate aut de præcepto Christi, quare nihil facit ad propositum, ad quod probandum eam aduersarii introducunt, & per consequens non sequitur, quod communicantes sub prima specie, & calicem haurire declinantes dicantur sacrilegii crimen committere: nec etiam à societate sanctorum sunt expellendi, & sic excommunicandi, nec ab ipsis tanquam ab excommunicatis est declinandum, vt Magister proponens ex dicta auctoritate Leonis inferit: quia nec communio calicis est præcepta, & per consequens nec grande scelus contra legem Dei committunt communicantes sub vna specie, nec iubet etiam eadem causa in nobis, sicut iuberat in illis hæreticis, de quibus Leo Papa loquebatur, potuisset tamen dominus proponẽs honestius inferre, quod intendebat, vel saltem honestatem meam cum maiori patientia supportare: Deinde ad auctoritates Gregorii dicendum, quod Gregor. loquitur in dicta auctoritate de sanguine Domini, & non de specie vini, qui sanguis vere & complete sumitur sub prima specie sanguinis Christi per ora fidelium funditur.

Ad S. Thom. lib. 4. dist. 24. q. 2. ar. 3. ad 5.

Ad Leonem Papam. Manichæorum demẽtia.

Ad S. Greg.

CLXXXIV. *Ad S. Aug. c. 36.*

Vlterius ad auctoritates Aug. & primo ad illam quæ habetur *de cons. dist. 2.* quia passus, *&c.* dicendum, quod Aug. loquitur de fidelibus & populis, inuitans eos ad huiusmodi sacramenti perceptionem, magis sub nomine calicis, non ratione sacramẽtalis sumptionis, sed ratione significationis, sc. ratione contenti & effectus, qui sanguini appropriatur, vid. ratione refrigerii & lætitiæ spiritualis, quod manifeste innuitur cũ dicit: *& vos post ieiunia, post labores, post humilitatem, & contritionem, iam in nomine Christi tanquam ad calicem venistis*, quasi diceret, post anxietates & labores præsentis seculi, tanquam ad refrigerium, id est, ad consolationem spiritualem ad calicem venistis, & notanter ait, *tanquam ad calicem*, & non simpliciter ad calicem venistis, ad innuendum quod non de sacram. calice, sed de eo quod per calicem significatur intelligit, quod etiam sequentia verba declarant cum dicit: *& vos ibi estis in mensa, & ibi vos eis in calice, nobiscum vos estis.* Est enim populus in calice simul cum sacerdotibus, inquantum populus Christo coniungitur, qui per aquam significatur: ideo enim aqua in calice miscetur, vt populus Christo suo capiti vniri significetur, & cum subiunxit: *simul enim hoc sumimus, simul hibimus*, non ibi subsistit, sed quomodo populus simul bibat

nobiſcum declarans adiunxit, *quia ſimul viuimus*, dicuntur igitur laici bibere nobiſcum quia ſimul viuunt nobiſcum caritate coniuncti. Ex quibus patet manifeſte quod Aug. non dicit abſolute quod populus bibat de calice ſacram. quod oſtendit per illud, quod dicit, *tanquam ad calicem veniſtis*, & per illud enim declarat *ſimul bibimus*, per, *ſimul viuimus*, quare ſecundario poſſet dici, quod Aug. ibi loquitur de bibitione & ſumptione myſtica, vt patet per illud, *ſimul bibimus, quia ſimul viuimus*, ſupple vniti in caritate Dei, qua fideles efficiuntur vna vita in Chriſto & cum Chriſto. Et quod ſic debeat intelligi dicta auctoritas, *quia paſſus, &c.* oſtenditur per ſubſequentem auctoritatem : *nulli ambigendum eſt, vnumquemque fidelium corporis & ſanguinis Domini participem* fieri, vt fuit ſuperius allegatum. Item ad ſecundam auctoritatem eiuſdem doctoris quæ ponitur de conſe. diſt. 2. *Cum frangitur hoſtia, &c.* Dicendum, quod hæc auctoritas omnino intelligitur de ſacrificantibus ſacerdotibus, ad quos Chriſti paſſionem ſuis myſteriis & actibus pertinet repræſentare. Nam dictum eſt, quod Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus ſacerdotibus dicta ſunt illa verba: *hoc facite in meâ commemorationem*. Quod igitur illa auctoritas ſic intelligatur, patet ex verbis in eadem poſitis, & debite ponderatis. Nam dicit: *dum frangitur hoſtia, &c.* Patet autem, quod hoſtia frangitur à ſacerdotibus & non à laicis. quæ fractio nihil aliud ſignificat, quam corporis Dominici in cruce immolationem; frangitur autem in tres partes, ſecundum triplicem differentiam corporis Chriſti, myſtici, vt patet per Magiſt. diſtin. 12. 4. lib. ſent. Sicut igitur per prædictam fractionem, quæ fit per ſacerdotem, vulneratio veri corporis Chriſti deſignatur, ſic & per ſpecies vini & earum de calice in os ſacerdotis fidelis fuſionem, expreſſa effuſio ſanguinis Chriſti in cruce facta pro noſtra reconciliatione ad Deum ſignificatur. Vnde & in ſimul prædicta duo coniunxit, videlicet: *dum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur*, vt ad eundem vtrumque pertinere deſignaret, ſcilicet fractionem & ſanguinis ſumptionem, ſcilicet ad ſacerdotes.

Cap. 17.

Cap. 3.

Epiſt. 54.

Supra in motiuis Eccleſia pro vna ſpecie circa finẽ.

Quomodo intelligendum quod dicitur : Sanguis Chriſti in ora fidelium funditur.

Proſano tamen intellectu eius quod dicit Aug. & multi alii ſancti doctores, notandum eſt, id quod dicit Wilhelmus Pariſien. de ſacram. par. 3. *ſi à ſanctis aliquando dicitur quod ſanguis ille ſanctiſſimus in ora fidelium funditur, intelligequod non funditur, ſed mittitur, & hoc cum ipſo & in ipſo ſacro corpore cuius eſt, non extra.* hæc ille. quia & ſuperius declaratum eſt, ſanguis Chriſti eundem modum habet exiſtendi, quãtum ad veritatem, ſub ſpeciebus vini, quem habet ſub ſpeciebus panis, quia ſub vtriſque ſanguis eſt in corpore, in venis, & non extra. Vnde proprie nec corpus manducatur nec ſanguis bibitur, ſed hi actus proprie ad ſpecies terminantur, ſub quibus vere & proprie ſumitur caro ſcil. & ſanguis, licet ex vi conuerſionis aliter & aliter: Vel dicendum, quod etiam ſi indifferenter intelligatur de omnibus fidelibus, verum erit in communione vnius ſpeciei, quod ſanguis Chriſti in ora fidelium funditur ſub ſpeciebus panis, quia cum non alium modum ſanguis Chriſti habeat exiſtendi ſub ſpeciebus vini, quam ſub ſpeciebus panis, cum nec ibi, nec hic ſit effuſus, ſed intra venas corporis incluſus, ita bene ſub ſpeciebus panis in ora fidelium funditur, ſicut ſub ſpeciebus vini: vnde ſicut prædicta fractio hoſtiæ in altari non eſt niſi ſpecierum tantum, & non corporis Chriſti, cũ ſit infrangibile, impaſſibile, & incorruptibile, ſic etiam nec illa effuſio eſt ſanguinis Chriſti, eadem ratione, ſed tantummodo ſpecierum vini. Quare ſub quibuſcunque ſpeciebus tradatur fidelibus, ſemper ſanguis Chriſti in ora ipſorum funditur, eo modo ſane intelligendum, quod dictum eſt.

CLXXXV. *Ad S. Cyprianum iterum.*

Epiſt. ad Calcium 63.

Vlterius dicendum eſt ad auctoritates quæ inducuntur ex dictis ſancti martyris Cypriani & ex epiſtolis eiuſdem. Et primo ad primam, quod dictus martyr reprehendit Epiſcopos, quia ſub vna ſpecie populo miniſtrarent, imo in tota doctrina prædicti martyris & in omnibus epiſtolis ſuis nunquam reperietur, nec in verbis nec in ſenſu, quod ipſe tractauerit in materiam vnius vel duplicis ſpeciei, an videlicet cadat ſub præcepto Chriſti vel quod ipſe dicat duplicem ſpeciem eſſe de præcepto Chriſti, ſed quia in calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciebant quod Ieſus Chriſtus fecerat, ſcilicet vinum cum aqua tantummodo mixtum offerendo, ſed vt lac pro vino, vel vuas admiſcendo, vel aliquod aliud offerendo, conſecrando, ſicut & miniſtrando populo contra ritum & modum à Chriſto traditum, & ideo reprehendendi erãt, quia grauiter errabant, vel forte quia calicem non conſecrabant, aut forte aquam vino non miſcebant. Offerre autem populo ſub vna ſpecie, ex conſuetudine & ſtatuto Eccleſiæ, non errare, & ita non reprehenſibile, imo laudabile & meritorium, cum nihil agatur in calice Dominico ſanctificando, quod Chriſtus non fecerit, in quo totus error prædictorum conſiſtebat. Si enim in ſanctificando & conſecrando calicem Domini, conſecraſſent vinum & aquam, ſicut Chriſtus fecerat, & ſicut nunc eccleſia facit, licet aliter populo poſt conſecrationem hoſtiam miniſtrarent, non conſecratum vinum vel aquam, ſicut nunc facimus, non fuiſſent tantum reprehenſibiles, niſi in quantum contraueniſſent conſuetudini Eccleſiæ. Ad ſecundam auctoritatem eiuſdem, dicendum, quod loquitur martyr ſecundum conſuetudinem quam habebat in eccleſia cui præſidebat. Et ſicut tunc neceſſarium erat, id eſt, vtile, in quotidiana pugna exiſtentibus ſumere Euchariſtiæ ſacram. iuxta morem Eccleſiæ ſub vtraque ſpecie, ſicut & nunc valde vtile eſſet, & eſt fidelibus ſæpius accipere hoc diuiniſſimum ſacramentum ſub vna ſpecie, quã actmentur contra inſtantia huius miſerabilis mundi pericula & tentationes quas iam Antichriſtus per ſuos miniſtros parare incepit, & grauiſſime producere, nec minus erunt armati fideles, ſub vna ſpecie ſumentes, quam eſſent illi qui idem & tantundem ſumebant ſub vtraque. Et vtique optime facit ad propoſitum auctoritas eiuſdem martyris loquentis de preſſura & de temporibus Antichriſti, qui Chriſti milites his grauiſſimis temporibus fide incorrupta & veritate robuſta debent ſe parare ad perſiſtendum fortiter, & vt armentur & fortificentur, debent quotidie ſpiritualiter fide & deuotione calicem Domini bibere, & ſæpe ad ſacram. communionem vnius ſpeciei, ſub qua vera caro Chriſti & verus ſanguis Chriſti cum cæteris concomitantibus continetur, accedere, quemadmodum & ad communionem ſub duplici ſpecie, de qua idem martyr loquebatur propter conſuetudinem, quæ tunc in eccleſia ſua habebatur, fideles deuotiſſime accedebant. Ad tertiam eiuſdem dicendum, quod dictus martyr loquitur de communione ſimpliciter, nec eſt ſenſus quod tunc aliqui ſacerdotes miniſtraſſent militaturis pro Chriſto, hoſtiam tantum, ſine vino, & quod propter hoc ipſos reprehenderet, ſed quia denegabant eis ſimpliciter ſacramentum, vtitur autem magis terminis ſanguinis & poculi propter ſimilitudinem effundendi ſanguinis in martyre. Ad quartum eiuſdem martyris, dicendum, quod calix Domini lætificat turbam non ratione ſpecierum, ſed ratione rerum, vt ſæpe dictum eſt, & ideo ſiue ſub vna ſpecie, ſiue ſub duplici ſumatur, fideliter & deuote, ſemper lætificat turbã; quia vero tempore prædicti martyris conſuetudo erat duplicis ſpeciei, idcirco ex quo calix dabatur populo, debebat dari eo modo, quo Chriſtus dederat, videlicet vinum cum aqua mixtum propter ſignificationem. Nam aqua populum ſignificat, quæ mixta in calice coniunctionem populi ad Chriſtum ſignificat, quod vtique non faciebant illi, quos dictus martyr reprehendebat, & ob hoc errabant, vnde merito erant reprehendendi. Cum autem dicitur: *Veritas Dominica, &c.* dicendum, quod verum eſt, quod Chriſtus ſeorſum panem, & ſeorſum vinum tradidit. Non tamen ſic præcepit laicis tradendum, nec de hac veritate loquitur hic martyr, ſed de veritate ſanguinis ſiue vini & aquæ, quæ in calice debet offerri, & pro tunc populo tradi, quam veritatem non ſequebantur illi, qui hic reprehenduntur, quia vel lac offerebant, vel aquam non admiſcebant, vel aliquem alium errorem ex prædictis in conſecrando & miniſtrando committebant. Ad aliud, quod qui ex contemptu dimittebant tunc bibere ſanguinem Chriſti, quaſi erubeſcentes, errabant & grauiter peccabant, cum ex contemptu, tum quia contra conſuetudinem Eccleſiæ faciebant, & ex hoc ſignum erat modicæ deuotionis & modici feruoris, qui ad ſuſtinendum martyrium maximus requiritur. Similiter & nũc dicere poſſumus quod ſanguinem pro Chriſto effundere non poterunt qui ſanguinem Chriſti ſub duplici ſpecie, ſicut ſunt ſacerdotes, vel ſub vna vt laici, bibere erubeſcunt, ſacram communionem contemnentes.

Ad

Ad Fulgentium.

Ad auctoritatem quæ ſub nomine Fulgentii allegatur dicendum, primo, nullam facit mentionem de neceſſitate aut de præcepto Chriſti, nec facit mentionem de communione laica, quare in nullo aduerſatis ſuffragatur, ſed aduertendum, quod prædicta auctoritas ſub nomine Fulgentii allegata, non eſt illius antiquiſſimi doctoris, cuius auctoritas in magna veneratione habetur apud Eccleſiaſticos doctores, quod patet tam ex diuerſa allegatione dictæ auctoritatis quam etiam ex ſuſpecta doctrina, quæ in dicta auctoritate videtur contineri: nam vt refert Magiſt. Thomas Anglicus, qui doctrinam Wickleff pleniſſime legit, optime intellexit, & fortiſſime atque acerrime, vt verus Eccleſ. Catholicæ filius & doctor Catholicus, impugnauit, hunc Fulgentius Wickleff animo vocabat magnum Ambroſium, vel ſaltem magni Ambroſii diſcipulum. Alii vero ſubſequentes Wickleuiſtæ hunc eundem vocauerunt & vocant Iſidorum. Alii vero Waleranum, Alii autem vocant & nuncupant Fulgen. hanc autem falſam nominationem dictæ auctoritati & aliis fortaſſe dederunt Wickleuiſtæ, vt propter auctoritatem dictorum Doctorum, quorum falſe nomina aſſumunt, facilius valeant ſimplices & incautas mentes decipere, vnde videtur prædicta auctoritas eſſe Berengarii, qui aliquando male ſenſit de veritate huius ſacramenti, cuius reuocatio habetur *de conſecr. diſt. 2.* Ego Berengarius, qui vt refert Magiſt. Thom. *in 2* à damnatæ memoriæ Wickleff differebat, quia dicebat in hoc Sacramento poſt conſecrationem, panis & vini ſubſtantiam remanere ſimul cum vero corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Wickleff vero totaliter amouit ſubſtantiam & veritatem corporis Chriſti ab hoc ſacramento. Ita dicit Waleranus 3. *cap.* de azymo & fermentato. *Significari*, inquit, *panem illo dixi Eccleſiam, non in eo, quod offertur, & conſecratur, ſed in eo quod de multis granis, vt dictum eſt, conficitur. Nam in eo quod conſecratur, nec ipſum individuum corpus Domini ſignificat, ſed eſt transfuſo in ſe Dei verbo per fidem paſſionis. Dominus enim, non, hoc ſignifi: at, ſed hoc eſt corpus meum, inquit.* Hæc ille, cuius memoria in damnatione eſt: videtur autem fuiſſe prædictus Berengarius tempore Anſelmi, vt poteſt perpendi ex epiſtola, quæ in proœmio ponitur libri eiuſdem Anſel. de corpore & ſanguine Domini, in qua eundem redarguit de errore ſuo, quem tenebat in capitulo de Euchariſtia & fraterno monet, vt errorem ſuum corrigat. Patet ſecundo, quod dicta auctoritas non ſit magni Fulgentii, propter ſuſpectam doctrinam in ea contentam. Nam manifeſte ſapit errorem Berengar. qui poſuit ſubſtantiam panis & vini ſimul cum ſubſtantia corporis Chriſti in hoc ſacramento remanere. vnde dicit: *Verbum Patris carni & ſanguini quem de vtero virginis aſſumpſerat, & pane ac vino quod in altari ſumitur, medium interueniens, vnum efficit Sacramentum.* Ecce quam aperte hic patet venenum, cum dicit: quod verbum Patris interueniens ex carne & ſanguine & pane ac vino vnum efficit Sacramentum, quod eſt omnino contra fidem Catholicam. Idem oſtenditur error per verba ſequentia, cum dicit, quod cum in ora fidelium ſacerdos diſtribuit panis & vinum abſumitur & tranſit, partus autem virginis cum vnito ſibi Verbo patris & in cœlo & in hominibus integer permanet & inconſumptus. Ecce iterum dicit, quod in ora fidelium ſacerdos diſtribuit panem & vinum, quod omnino eſt à fide Eccleſiæ alienum. Ex quibus manifeſte colligitur, quod dictus auctor cuius eſt dicta auctoritas, & multæ aliæ ſimiles, nec auctoritate Ambroſius magnus fuerit, nec eius diſcipulus, nec fide Iſidorus, nec ætate Fulgent. ſed potius Berengi quandoque in fide de vino, & contemporaneus Anſelmi, vel forte aliquis eius Berengar. diſcipulus in errore: quapropter ſimpliciter neganda eſt huiuſmodi auctoritas, & cæteræ ſimiles, cum eodem auctore, laborandum tamen eſſet, vt originalia haberentur magni Fulgentii, & aliorum, vt manifeſtior fieret ſacrilega malitia Wickleffiſtarum, qui non deſinunt ſacrarum ſcripturarum & Cathol. Doctor. ſanum peruertere ſenſum. Legi ſiquidem eiuſdem Fulgentii tractatum de fide incarnationis filii Dei, inſuper libellum eiuſdem de quinque quæſtionibus ad Ferdinandum Carthaginenſem Diaconum, & nihil de huiuſmodi ſuſpecta doctrina valui deprehendere in dictis eiuſdem præclariſſimi & glorioſiſſimi Doctor. Ad antiqua miſſalia, dicendum, quod miſſalia antiqua continent rubricam & notulam ſecundum conſuetudinem primitiuæ eccleſiæ, in qua aliquibus locis conſuetudo erat communionis vtriuſque ſpeciei quo ad populum: nec tamen in illa notalia, dicitur, quod ſic fieri debeat ex neceſſitate aut ex præcepto: & vt clauus clauo rerundatur, cum adducunt antiqua miſſalia, adducamus & nos antiquiſſima, in quibus rubrica & notula de officio diei paraſceues ſentiat, & ponit, quod illo die corpus & ſanguis non debent conſecrari, ſed quod hoſtia à præcedenti die debet ſeruari, ſola ſpecies ſcilicet panis debeat ſumi à ſacerdote. Quod ſi tali ac tanto die ſufficit toti Eccleſiæ ſub ſola ſpecie panis corpus Chriſti & ſanguinem ſumere, multo magis ſufficiet ſic ſumere laicis. Et ſine dubio ſi fuiſſet præceptum Chriſti, ſemper ſumere ſub vtraque ſpecie, nequaquam Eccleſia tali die, in quo maxime Chriſto paſſo compatitur & conformatur, in pœnitentia, in ieiuniis, in vigiliis, in peregrinationibus & aliis piis, ſanctis, & deuotis operibus, prætermitteret præceptum Chriſti adimplere, nec permiſiſſet Deus à tantis temporibus, tam periculoſe errare Eccleſiam, & in tali die in qua maxime fideles & populus Chriſtianus humiliatur, compungitur, & Chriſto Domino ex intimis cordibus afficitur & comparitur. Ad relationem Nicol. de Lyra, quod fideles antiquitus in vtraque ſpecie communicabant, & quod ſic dabatur fidelibus in primitiua Eccleſia, ſæpe conceſſum eſt, & conceditur, nec tamen Nicolaus de Lyra dicit aut refert, quod hoc facerent ex præcepto Chriſti. Similiter ad Wilhelmum de monte Landuno dicendum eſt, quod ipſe refert, quod tempore ſuo in multis locis communicabatur cum pane & vino, & cum toto ſacramento, ſane intelligendo pro pane & vino ſpecies ſacramentales, non tamen dicit Doctor, quod in illis multis locis fieret huiuſmodi communio ſub vtraque ſpecie ex præcepto Chriſti. Similiter ad id quod Nicolaus de Lyra dicit, quod per Apoſtolos ſuos facit & fecit & Dominus hoc conſuluit miniſtrari omnibus Chriſtianis per orbem diffuſis, verum dicit, ſine ſub vna ſpecie, ſiue ſub duplici miniſtretur, quia etiam ſub vna ſpecie verum & perfectum conuiuium carnis Chriſti & ſanguinis miniſtratur, nec dicit, quod ſub vtraq; ſpecie Chriſtus præcepit omnibus Chriſtianis miniſtrare. Et idem dicendum eſt ad auctoritatem eiuſdem de multiplicatione virginum. Ad auctoritatem, S. Thom. in qua facit mentionem de diſpenſatione ſanguinis per Diaconos, & de S. Laurentio, & ad auctoritatem Auguſt. qui inducit S. martyrum in Romana Eccleſia Chriſti ſanguinem diſpenſaſſe, dictum eſt ſuperius in reſpoſione ad quandam auctoritatem dicti S. Thomæ.

Cap. 42.

Thom. vt Valdenſ. de ſacram. Euchariſtiæ, c. 93.

Error Berengarij.

Sed iam ad auctoritates duorum Concil. quas iam addúcit dicendum eſt, & primo ad decretum Concilii Carthaginenſis quarti dicendum, quod Euchariſtia, vt dictum eſt ſuperius, in quodam decreto duodecimi Concilii Toletani proprie accipitur pro hoſtia, tamen quandoque accipitur pro toto ſacramento, hoſtia videlicet & ſanguine. Nunquam vero, quantum memoriæ occurrit, Euchariſtia accipitur pro ſolo ſanguine. Tota ergo difficultas huius decreti remanet in hoc verbo, *infundatur*, quia infundi pertinet ad liquidam materiam. Quare dicendum, quod illud verbum, *infundi* reducatur ad Euchariſtiam, vt ſit ſenſus, *infundatur*, id eſt, immittatur, non ſub ſpecie vini, quia non dicit hoc Canon, ſed ſub ſpecie panis, vel è conuerſo Euchariſtiæ nomen trahatur ad verbum, *infundi*, vt videlicet ſit ſenſus Origenis: infundatur Euchariſtia, ſcilicet ſub ſpecie vini, vel quod vtrunque ſtet in propria ſignificatione, & per ſyncopam de toto ſacramento intelligatur, vt ſit ſenſus, quod detur ſacramentum ſub ſpecie panis, ratione nominis Euchariſtiæ, & ſub ſpecie vini ratione verbi, *infundi*, & quocunque modo intelligatur, nullum inconueniens ſequitur, nec aduerſarius habet intentum, quia Concil. diſponebat adminiſtrationem ſacramentorum ſecundum conſuetudinem, quæ tunc in Eccleſia Affricana & Carthaginen. ſeruabatur. Nec dicit ille Canon, quod ideo ſic Sanct. Concil. inſtituerit, quia eſſet præceptum Chriſti aut cuiuſcunque Apoſtolorum, quod ſtatutum & præceptum Concilii, ex quo non emanabat originaliter ex præcepto & oblatione Chriſti, potuit rationabilibus & iuſtis de cauſis, per conſuetudinem vel per decreta ſummorum Pontificum aut etiam Concilior general. ſequentium abrogari. Ad illud autem, quod adducitur de

CLXXXVI. *Supra probatione 3. ex doctrina ſacrorũ Concilio rum.*

Concilio

Cap. 17.

CLXXXVII *Responsio ad tres rationes aduersarij.*

Concilio 4. Tolet. dicendum, quod nulla mentio fit ibi de speciebus, sed tantummodo de corpore & sanguine Domini nostri quæ duo plene & perfecte sumuntur sub specie panis.

Postremo & finaliter adducit Dominus proponens tres rationes, quarum rationum omnes maiores propositiones concedo, sed pro declaratione minorum propositionum reducenda est ad memoriam distinctio posita à principio responsionis ad auctoritates inductas per eundem, dicebatur enim ibi, quod in conclusionibus suis & meis duo erant attendenda, videlicet ipsa communio secundum se considerata, non habito respectu ad vnam vel ad duplicem speciem, aliud, quod talis communio debeat dari sub vna vel sub duplici specie populo laicali vel non conficientibus. Quantum ad primum, concordia est inter ipsum & me, videlicet communio diuinissimæ Eucharistiæ est multum vtilis, valde necessaria Christi fidelibus, & quod innumeros effectus spirituales efficit in accipientibus & sumentibus digne, & quod etiam secundum multorum doctor. intentionem & opinionem, cadit sub præcepto omnibus Christi fidelibus vsum rationis & discretionis habentibus & taliter dispositis, prout decet & congruit honori & reuerentiæ tanti sacram. & ad hunc sensum concessi sibi omnes auctoritates sanctorum extollentes vtilitates & effectus huius diuinissimi sacramentum etiam quæ necessitatem aut præceptum videntur importare; & similiter ad hunc sensum concedo sibi omnes propositiones suas minores, & auctoritates quibus probat eas. Sed quantum ad secundum, videlicet, quod sit vtile & necessarium, aut de præcepto Christi sumere dictum sacramentum magis sub duplici specie quam sub vna, nisi inquantum Ecclesiæ consuetudo vel statutum magis ad vnum modum vel ad aliud declinaret, negaui, & nunc finaliter nego, quia nulla auctoritas in tota sua positione posita, siue sit auctoritas sanctarum scripturarum, siue cuiuscunque sancti, aut doctoris, nec implicite nec explicite, nec aliquo modo dicit, innuit, aut prætendit præceptum Christi determinare magis duplicem speciem, quam vnam, vel è conuerso, in communione vel sumptione laicorum vel non conficientium; vnde patet, quod in omnibus huiusmodi argumentationibus paralogizatur arguendo à simpliciter ad secundum quid: imo in istis vltimis rationibus, auctoritates quas adducit ad probandum minores suas, vt plurimum potius faciunt pro vna specie, quam pro vtraque: sicut est *panem de cælo dedisti, &c.* Item de conuiuio siue de nuptiis, quas rex fecit filio suo, in quibus nulla fit mentio de vino aut potu, tanquam de impertinenti ad sacram. quod illæ nuptiæ præfigurabant, & quibus nullo modo concluditur necessitas aut præceptum vtriusque speciei. Et hæc dicta sunt de 3. part. & vlt. & per consequens de tota positione, qua dictus dominus proponens potuit coram hoc sacro Concil. Basil. in Spiritu sancto legitime congregato pro defensione communionis laicalis seu non conficientium sub vtraque specie, in qua responsione & defensione consuetudinis Eccl. Cathol. si quid minus sufficienter positum est, pium & benevolum desidero correctorem, & nihilominus prædicta subiicio correctioni & emendationi huius sacrosanctę generalis Synodi Basil & ex toto corde adhæreo protestationi per me in principio huius actus præmissæ, ad laudem omnipotentis Dei, cui sit laus, honor & gloria, per infinita secula seculorum, Amen.

CLXXXVIII. *Ecclesia fidelium Catholica nō est minoris authoritatis circa ea quæ pertinent ad fidem & regimē Christiauorum quam synagoga.*

Pro finali confirmatione veritatis Catholicæ, & consuetudinis communionis sub vna specie, quantum arctitudo temporis permittit præsenti actui, videndum est per exemplum & per experientiam, quæ est rerum omnium magistra quid possit vniuersalis Eccles. Cathol. circa ea quæ pertinent ad fidem & regimen Christi fidelium. Et ante omnia præsupponendum est, quod Ecclesia Christi fidelium, non est minoris auctoritatis sub lege Euangelica, quam fuerit synagoga Iudæorum sub lege Mosaica: Repetimus autem, quod non solum synagoga vel in ea existentes pro tempore præter legem Dei noua statuta, traditiones, & ceremonias statuerit, sed etiam circa præcepta diuina dispensauerit, quod plane inducitur & declaratur per exempla. Et 1. *Hester* 9. vbi Iudæi constituerunt 14. diem Mart. esse solemnem: fertur enim ibidem, quod quando sententia, quæ erat in mortem omnium Iudæorum sub rege Assuero de gentium, mutata

Synagoga non modo

fuit in sententiam salutis, tunc statutum fuit, vt 14. dies mensis 12. cum omni lætitia inter dies festos celebraretur, vt in posterum agnoscatur &c. Et paulo post: *Omnis autem prouincia & ciuitas quæ noluerit huius solemnitatis esse participeps, gladio & igne pereant*, vt habetur *vlt. c. ibid.* præceptum igitur de die huius festiuitatis, non erat legis diuinæ, sed vnanimi consensu populi statutum est, & tantum vniuersaliter in lege veteri per Iudæos & tenetur omni anno vsque in præsentem diem. Item Iudas Machabæus & fratres eius, & vniuersa ecclesia Israel constituerunt, vt agatur dies dedicationis altaris, ab anno in ann per dies 8. 1. *Mach.* 4. Dauid quoque constituit cantores & summos sacerdotes, 1. *Paral.* 15. multa huiusmodi statuta, ceremonias & ordinationes diligens lector in veteri lege percipiet, siue communi consensu populi factas & ordinatas, siue etiam particularium, insignium tamen personarum, gratas & acceptas Deo: quemadmodum habetur de Ionadab patre Rechabitarum de quibus legitur *Hier.* 35. vbi habetur quod Deus præcepit Hierem. vt intraret in domum Rechabitarum, & inductis Rechabitis in domum Domini, daret illis vinum ad bibendum, & eidem Hierem. iuxta verbum Domini facienti responderunt Rechabitæ in domo Domini: *non bibemus vinum, nos & domus nostra in æternum*, ad quos Hier. dixit: *cur bibere non vultis iuxta verbum Domini vobis oblatum vinum?* Responderunt: *quia pater noster Ionadab filius Rechab, nobis constituit, vt nos ædificemus domos, non colamus agros, aut vineas, & non bibamus vinum in æternum.* Et circa fin. eiusd. c. laudauit Dominus obedientiam Rechabitarum, & præmiū adiiciendo dixit: *pro eo quod obedierunt Rechabitæ, præcepto patris sui Ionadab, non deficiet homo de domo Rechabitarum in sempiternum.* Ecce quam aperte declaratur, quod etiam præter legem Dei licet facere particularibus personis ordinationem vel statuta, semper tamen in bonum, & in his quæ tendunt ad perfectionem quemadmodum fecit Ionadab filius Rechab, cuius præceptum ipse Dominus approbauit, quod vtique non fecisset nisi placuisset ei. Quantum vero ad immutationem diuinorum præceptorum, in veteri lege patet, quia licet circumcisio strictissime præcepta fuerit, vt patet *Gen.* 17. quando Dominus apparuit Abrahæ 99. annor. existenti dicens ad eum: *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter te & me*, & infra: *statuamque pactum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno*, & infra: *tu ergo custodias pactum meum & semen tuum post te, in generationibus suis: hoc pactum est quod seruabitis, circumcidetur ex vobis omne masculinum & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me, & vos: infans octo dierum circumcidetur in vobis: omne masculinum in generationibus vestris tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestra, eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo quia pactum meum irritum fecit.* Ecce fœdus æternum, ecce pactum sempiternum inter Deum ex vna parte, & Abraham semen eius in generationibus suis post ipsum, parte ex altera: Nihilominus Moses cum de Ægypto Israel filios educeret, tam stricte à Domino præceptam circumcisionem per annos 40. ob cauam laboris itineris prætermisit, non enim filii Israel leguntur circumcisi in deserto, sed postquam eos Ios. eduxerat, in terram promissionis trans Iordanem, ibi in Galgalis seu in colle præputiorum iuxta præceptum Domini eos circumcidit. *Ios.* 5. Item legitur 1. *Mach.* 2. quod Matthatias cum sua societate, non obstante, quod dies sabbati fuisset tam de lege naturæ, quam de lege scripta, strictissime præcepta, constituerunt scilicet Iudæis, quod non licebat secundum legem, vt pugnarent cōtra gentes etiam diebus sabbatorum: Item *Leuit.* 8. habetur, quod panis propositionis laicis non debebat exponi ad manducandum, & tamen Dauid cum pueris suis, tempore necessitatis, apud Abimelech sacerdotem eis vsus fuit, vt patet 1. *Reg.* 2. *Matth.* 12. *Luc.* 6. Sic denique serpentem æneum quem Dominus præcepit fieri per Moysen, dicens, *Num.* 21. *& fac serpentem æneum, & pone eum pro signo*, S. Ezechias rex. 4. *Reg.* 18. destruxit, sic enim refert scriptura de eo, *fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater, ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum quem fecerat Moyses. Siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum.*

pro tempore, noua statuta, traditiones, & ceremonias instituit.

Patet in festo Sortium. Encæniorum. Institut. cancorum.

Obligatione Rechabitarum à patre.

Quædam verba in Hieremia non habentur.

Sed & in quibusdā præceptis diuinis dispensauit.

Patet in circumcisione. Iosue 5.

Pugna in sabbatho.

Panibus propositionis. Dauid ad manducandos datis.

Serpente æneo destructo.

Ex

CLXXIX *Ecclesia potest statuta condere, præter ea quæ in scripturis expressa sunt & ipsam legem interpretari.*

Non solis Apost. hoc dictum.

Ex quibus & quam pluribus aliis exemplis veteris Legis, satis man feste colligitur, quod si synagogæ Iudæorum, vel eiusdem gubernatoribus, vel aliis particularibus licuit, statuta, ordinationes, & Ceremonias statuere, & ex certis & rationabilibus causis etiam diuinam Legem interpretari, & ex hoc immutare aut tollere, siue tuspendere pro tempore, multo magis hoc licet & licebit Eccles. Catholicæ, & eius vniuersali Pontif. Papæ, scilicet qui totius Ecclesiæ curam gerit, qui non est minoris auctoritatis in populo Christi, quam fuerit Moses in populo Iudæorum, maxime cum ipse Christus indefectibilem assistentiam sui & Spiritus sancti Ecclesiæ Catholicæ promiserit, dicens & loquens Apostolis: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* & similiter eisdem loquens de assistentia Spiritus sancti *Iohann.* 14. dixit: *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Et ne quis æstimet quod solis Apostolis & non futuris Ecclesiæ rectoribus sic hoc dictum. Ideo *Ioann.* 14. idem Dominus dicit: *Ego rogabo patrem & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Potest igitur Eccles. Catholica statuta & ordinationes facere, præter ea quæ in lege Christi expresse continentur, & etiam ipsam legem Christi interpretari, & ex certis & rationabilibus causis, pro locorum & temporum varietate præcepta eius & ordinationes suspendere, tollere, aut immutare, pro tempore, quod tamen nusquam factum est, quia nunquam præceptum in virtute aut in substantia vsquequaque ab Ecclesia sublatum est aut immutatum: & ex hoc concluditur, quod si etiam communio vtriusque speciei fuisset de præcepto Christi, quod tamen nullo modo conceditur, quia nullo modo verum est, ipsam ecclesia Catholica ex certis causis potuisset immutare aut tollere, multo magis quam Moyses circumcisionem vel Machabæi sabbathum: quæ tam stricte sime diuina lege obseruati mandabantur, & ritum vnius speciei statuere. Et hæc ratio in materia omnino conuinceret aduersarios, si conuenirent nobiscum in acceptione, quid est Ecclesia Catholica, quia nullo modo auderent negare præeminentiam legis Euangelicæ & ecclesiæ Catholicæ ad legem Mosaicam & synagogam Iudæorum. Sed iam ad ea quę ecclesia Catholica Christi in præteritum fecit, statuit & ordinauit, oculos dirigamus vt præteritorum memoria mentem mouear nostram, de præsentibus & futuris cogitare. In primis quidem manifestum est Bibliam, quæ est fundamentum totius fidei nostræ, & Ecclesiasticæ disciplinæ, robur & auctoritatem accepisse ex acceptatione & approbatione ecclesię vniuersalis, secundum reparationem & innouationem Esdræ scribæ magni sacerdotis, cuius innouatio per multa tempora, ante Christi aduentum fuerat, per synagogam Iudæorum acceptata & approbata. Inluper manifestum est multos in eodem volum. libros contineri, qui apud Iudæos in auctoritate non habentur, sed inter apocryphos computantur. Qui tamen apud nos in eadem veneratione & auctoritate habentur, sicut & cæteri, & hoc vtique non nisi ex traditione & acceptatione vniuersalis ecclesiæ Catholicæ, quibus contradicere nullo modo licet pertinaciter. Insuper cum multi Euangelia scripserint, vt habetur distinct. 15. in decretis, vt pote, Bartholom. Nicodemus, & quam plures alii de quibus dictum est in superioribus: tamen ecclesia Catholica omnibus aliis spretis, quatuor tantum modo acceptauit, approbauit, & in auctoritate atque in summa veneratione habere voluit. Et quod prædicti libri Diuinæ legis tam veteris quam noui Testamenti auctoritatem ab ecclesia habeant: patet per egregium Doctor. Augustin. contra Faustum hæreticum ita dicentem *Nostrorum librorum auctoritas ex gentium consensione per successores Apostolorum Conciliorumque roborata vobis aduersa est*: & iterum: *non crederem Euangelio, nisi me ecclesiæ Catholicæ auctoritas commoueret.* Item quis 14 Epistolas Pauli in auctoritate habendas statuit, & quis quintam decimam resecauit? Nam & vnam Laodicensibus scripsit, de qua ipsemet Apostolus facit mentionem Coloss. 4. c. in fin. vbi dicit: *& eā quæ Laodicensium est vobis legatur*: Similiter cum quod plures dubium fuerit quis eam quæ ad Hebr. est epistol. scripserit, quis eam asserpsit Paulo Apostolo? cum plures etiam eiusdem epistolæ ad Senecam legantur, quis eos remouit, vt non cum cæteris in auctoritate habe-

Vt constat ex acceptatione & approbatione librorum noui & veteris Testamenti.

Aug. contra Faustū Manichæū lib. 11. c. 2. & lib. 13. c. 5.

Contra epist. Manichæi quæ dicitur fundamentum c. 5.

rentur? vtique hæc omnia auctoritate solius Ecclesiæ gesta sunt, cuius etiam auctoritas epist. canonicas, Act. Apostolor. & Apocalyps. Ioannis inter canonicos & diuinos libros haberi voluit, statuit, & ordinauit. Item cum plures Bibliam in Latinum transtulerunt, siue de Hebræo siue de Græco, solius tamen nostri Hieron. gloriosissimi translatio ecclesiæ auctoritate antefertur. Cum igitur omnis nostra auctoritas in affirmanda veritate Catholica & aduersa falsitate cōfutanda ortum habeat à fonte sacrarum scripturarum, vtiq; multo fortius habebit ab ipsa Ecclesia Catholica, quæ & ipsas scripturas sacras tradidit, & statuit in auctoritate habendas: Præterea glossa ordinaria super totam Bibliam, libri sanctorum Doctor. Ambrosii, Hieronym. Augustin. Greg. & aliorum, leges ciuiles, decreta, decretales, & omnes aliæ scripturæ, quæ inter Christianos in auctoritate habentur, non aliunde habent auctoritatem, nisi ab ecclesia, & in tantum valent quantum ab ecclesia probantur, aut saltem sustinentur aut permittuntur. Insuper auctoritate ecclesiæ vniuersitates & studia fundata sunt, gradus magistrales & doctorales in omni facultate ordinati & concessi sunt in eisdem. Denique quanta circa fidem ecclesia Catholica statuerit vel ordinauerit, vel pro infallibili veritate tenenda mandauerit, manifeste liquet. Nam licet ex scripturis sanctis constet esse trinitatem in diuinis, tamen, quod singuli in trinitate existentes, personæ nominentur, hoc ecclesia Catholica ordinauit & statuit. Insuper quod in Christo non sint duæ personæ, vt quidam hæreticorum posuerunt, cum ex scripturis manifeste non habeatur, hoc per doctores suos ecclesia declarauit. Similiter, quod mater Christi, mater Dei diceretur. Item nusquam in Canone sacræ Scripturæ reperitur, quod paruulus recenter baptizatus, qui nec corde credit ad iustitiam, nec ore confitetur ad salutem inter fideles & credentes computetur, & nihilominus ecclesia ita determinauit, & statuit, quod si quisquam negare hoc ausus fuerit, apertus vtique iudicabitur hæreticus. Vnde Augustinus de verbis Apostoli, sermon. 14. *vbi ponis paruulos baptizatos? profecto in numero credentium. Nam ideo ex consuetudine antiqua, canonica & fundatissima paruuli baptizati fideles vocantur.* & infra, *inter credentes inter baptizatos paruulos numerabis, nec indicare vllo modo aliter audebis, si non vis apertus esse hereticus, ergo ideo habent vitam æternam, quia qui credit, habet vitam æternam. Nolo eis sine ista fide, & sine isto Sacramento huius fidei, promittere vitam æternam.* & infra: *rationationes eorum scilicet Pelagianorum adhuc videntur compellere, sed auctoritate reprimuntur Ecclesiæ ne non dicam spuris hominum obruantur, sed ipsorum insanientium lachrymis tanquam fluuio pertrahantur*: & sic patet, quod ecclesia fundauit ibi fidem, quæ ex Canone scripturæ non habetur. Item nullus Canon Bibliæ te docet, quod si aliquis mortuus fuerit, & non crediderit, quod talis saluetur: imo habetur oppositum, Marc. vlt. *qui crediderit & baptizatus fuerit (salvus erit, qui vero non crediderit, damnabitur*, & nihilominus fides ecclesiæ statuit, vt quilibet fidelis firmiter credat, paruulum baptizatum etiam si ante vsum rationis moriatur, saluari: vnde Augustinus ponitur in cap. 15. q. 1. c. Firmissime, vbi sic habetur: *Paruulos vero qui necdum propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere possunt, Sacramentum fidei, quod est sanctum baptisma, quamdiu rationis ætas eorum capax esse non potest sufficere ad salutem*: Item sola auctoritas ecclesiæ constituit, vt compatres in baptismo paruuli fidem pro ipso respondeant, loco ecclesiæ, & quod fides ecclesiæ sufficit paruulo, sic baptizato, quam diu ad ætatem non peruenerit, ad salutem. Et sic auctoritas ecclesiæ nobis instituit, vt paruuli per aliorum pedes ad fidem veniant, per aliorum corda credant, per aliorum linguas in baptismo respondeant & fidem confiteantur. vnde Augustin. in libr. 3. de liber. arbitr. & habetur de consecr. distinct. 4. *Illud perseruari bominet solent sacramentum baptismi Christi quid prosit paruulis, cum eo accepto plerumque moriuntur, priusquam ex eo quid quam potuerunt cognoscere, quare satis pie rectèque credimus, prodesse paruulo fidem eorum à quibus consecrandus affertur, & hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, vt ex eo quisque sentiat, quid sibi profit sua fides quando in aliorum quoque beneficio, qui propriam nondum habent potestatem, cōmoda sit.* Insuper nusquam legitur in sacris literis quod Apostoli symbolum minus quod in diuersis locis diuinis silentio dicitur, composuerint aut fecerint, vel in duode-

Ex receptione nominis personæ in SS. Trinit. Item baptismo paruulorum, & assignatione compatrum.

Cap. 13. Cap. 72.

cim

Ex symbolo Apostolorum.

cim articulos distinxerint, & tamen fideles tenent & credunt, imo & nominant ipsum symbolum Apostolicum & hoc non nisi auctoritate Ecclesiæ, & specialiter Concilii Nicæni, cuius etiam auctoritate & articulus de descensu Christi ad inferos tenetur, firmiter creditur. Ipsum etiam sacrum Concilium Nicænū secundum & maius symbolum edidit, in quo plurima fidem concernentia declarauit, quod & publice & aperta voce vbique in cunctis ecclesiis Catholicis dicitur & cantatur, cui postmodum articulum, de processione Spiritus sancti à filio, ecclesia addidit, cuius auctoritate etiam symbolum Athanasii in diuinis officiis canitur. Quanta vero Ecclesia Catholica de his quæ ad fidem pertinent interpretata fuerit, declauauerit, exposuerit, manifestat confutatio innumerabilium hæresum, ad quas enumerandas non sufficeret tempus, nec manus ad scribendum, nec lingua ad narrandum valeret, in quarum confutatione tot veritates fidei elucidatæ, manifestatæ & apertę fuere, quæ prius latebat in aperto, quot fuerunt hæreles confutatæ: sed iam descendamus ad ea, quæ eadem Catholica circa diuina præcepta sacramenta immutauerit. Etenim licet in lege veteri prohibitæ fuissent lege diuina imagines visibiles, nedum ipsius Dei, sed quorumcunque sanctorum hominum, nec de post in scripturis siue veteris siue noui Testamenti concessa licentia eas faciendi aut fabricandi reperiatur, nihilominus Ecclesia Catholica edocta à Spiritu sancto, nedum permilit, imo statuit & ordinauit, vt venerabiles imagines Christi, gloriosissimæ suæ matris, & cæterorum sanctorum fierent, quibus manu ducerentur homines ad memorandum & recordandum gesta & facta Domini nostri Iesu Christi, & aliorum sanctorum, vt sic excitarentur ad eorum imitationem, & vt eorum sæpius implorarent pro luisque, viuis & defunctis, suffragia & auxilia. Insuper licet dies sabbathi fuerit strictissime ad obseruandum & custodiendum præcepta & mandata, vt patet Genes. 2. cap. vbi legitur, quod post creationem sex dierum cessauit Dominus die septimo ab omni opere quod patrauerat, & benedixit dici septimo, atque in lege scripta postmodum in legitimum sempiternum constituerit, sub diuersis pœnis diem hunc septimum à cunctis generationibus celebrandum obseruari. Vnde & collectorem lignorum in die sabbati mandauit Dominus lapidibus obrui, vt patet Numerorum 15. & pro firmiori ratificatione suæ constantissimæ voluntatis, & pro diligentiori custodia speciali munimine consignauit hoc præceptum, dicens: *Memento vt diem sabbati sanctifices.* Nullum enim aliorum præceptorum tantæ memoriæ signo consignauit: qui dies magna sub custodia & religiosa obseruatione semper habitus fuit & custoditus, etiam tempore Apostolorum, & longe post obseruatus, & nihilominus propter reuerentiam & beneficium Dominicæ resurrectionis dictus dies sabbati, ex sola consuetudine Ecclesiæ vniuersalis, fuit in diem Dominicum commutatus, præter auctoritatem cuiuscunque scripturæ sacræ veteris vel noui Testamenti. Item Dominus præcepit Exod. 12. in legitimum sempiternum, quatenus fidelis populus celebraret Paschia Domini ad vesperum die 14. mensis primi quod præceptum etiam Ecclesia Catholica per multa tempora post obseruauit, tandem Spiritu sancto duce, sine cuiuscūque scripturæ auctoritate prædictum ritum, quo ad tempus, propria auctoritate permutauit, taliter vt nunquam pascha nostrum cum pascha Iudæorum coincidat, & semper in die Dominico celebretur. Item vt supra habitum est, in principio, licet circumcisio in lege fuerit strictissime mandata obseruari, fuerit que ipse Dominus noster IESVS CHRISTVS circumcisus, & omnes Apostoli, & etiam post ascensionem Domini fuerit obseruata: nihilominus absque alia authoritate scripturæ Apostoli eam immutauerunt auctoritate Spiritus sancti, Ecclesiam dirigentis & gubernantis, vt habetur Actor. 15. vbi dixit Petrus: *quid tentatis imponere iugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari quemadmodum & illi*, vnde & infra, statuerunt Apostoli omnino eam debere tolli, scribentes epistolam ad fideles, qui erant Antiochiæ, per manus Pauli & Barnabæ, dicentes: *visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris quam hæc necessaria, &c.* Ex quibus manifeste ostenditur potestas Eccle-

Ex vsu imaginum.

Ex mutatione diei Sabbati in Dominicam.

Ex ordinatione Paschatis.

siæ, & veritas indefectibilis in his quæ fidei sunt, & necessitatis ad salutem: & Paulus ad Galat. 5. post decretum & statutum Apostol. ait: *si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit.* vbi apparet totalis ablatio imo annihilatio circumcisionis, quæ debuit, sub pœna mortis lata ab ipso Domino, æternaliter obseruari, Item innumeræ cerimoniæ erant in lege veteri præceptæ celebrari à Domino, quas Apostoli post, & Ecclesia sustulerunt, ex certis & rationabilibus causis.

Item videamus mutationes factas circa præcepta Christi & sacramenta nouæ Legis, & primo circa sacramentum baptismi, quod ipsi circumcisioni in noua Lege succedit. Nam Dominus noster Iesus Christus ascendens in cœlum, præcepit Apostolis dicens Matth. vltim. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, in quibus verbis dedit eis & limitauit formam baptismi, & in persona eorum toti Ecclesiæ, & tamen non post longum tempus, ipsi Apostoli & Ecclesia, dimittendo dictam formam, *in nomine Patris, &c.* traditam per Dominum, baptizabant tantum in nomine Christi, dicentes: *Te baptizo in nomine Domini Iesu Christi.* Cum autem hoc nomen Iesus Christus dicat vnam personam tantum duarum naturarum, hæc autem nomina, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, dicant tres personas in vna natura tantum, patet maximam esse differentiam inter has duas formas baptismi, scilicet, *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & in nomine Iesu Christi*, & licet secundum rem & essentiam idem sit baptismus, qui fiebat primo, & nunc in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & in nomine Christi, tamen tanta videtur esse differentia, vt si quis nunc in nomine Christi baptizaret, non baptizaret, vt dicit S. Thom. in tertia parte. Nec prætermittendum est, de mutationibus factis in Ecclesia, circa hoc sacramentum baptismi tam quoad tempus baptizandi, quam quoad ætatem baptizandorum, quam etiam quoad personas quæ possint hoc sacramentum ministrare. In principio enim huius sacramenti baptizabantur solum illi, qui per se sciebant fidem interrogati respondere. Sed postmodum, ne paruuli & alii vsu carentes rationis, subessent periculo damnationis, Ecclesia prouidit circa eorum baptismum, vt etiam superius tractatum est. Tenuit etiam Ecclesia pro statuto, quod præter vigilias Paschæ & Penticostes nullo modo solennis baptismus celebraretur, omnesque ad prædictas vigilias, excluso necessitatis articulo, baptizandi seruarentur porro nec ex doctrina Christi & Euangelii, nec etiam ex doctrina alicuius Apostolorum habetur expresse, quod aliquis habeat potestatem baptizandi exceptis Ecclesiasticis, quorum statum præfigurabant Apostoli, quibus solis dictum est, *ite baptizantes, &c.* & nihilominus in necessitatis articulo mares & fœminæ, pagani, Iudæi & hæretici possunt baptizare dummodo seruent formam, materiam, & intentionem Ecclesiæ: vnde hoc? certe quia sic declarauit Ecclesia, sic ordinauit, & quia sic ei placuit suam auctoritatem omnibus communicare in necessitatis articulo: Item non modica mutatio etiam in sacramento matrimonii secundum successionem temporum auctoritate Ecclesiæ facta est. Nam in principio suæ institutionis erat illimitatum, ita quod masculus & fœmina, vterini & germani poterant legitime matrimonialiter copulari, & post aliquam multiplicationem humani generis ordinatum fuit, ne in prima linea consanguinitatis contraheretur, deinde post abundantem multiplicationem, vsum huius arctando sacramenti, ordinatum exstitit, vt non in propinquiori quam quinta linea consanguinitatis posset matrimonium contrahi: ex quibus patet, quod certus vsus sacramentorum conceditur paucitati hominum, qui tamen multitudini ex certis causis denegatur. Et sic potuit esse, imo ita fuit, quod in primitiua Ecclesia quando adhuc homines pauci erant Christiani, dabatur Euchatistiæ sacramentum fidelibus populis, sub vtraque specie, quibus multiplicatis propter sæpe enumerata pericula, quod paucis concedebatur, nunc multitudini denegatur. Item quamuis Deus in lege naturæ, quando hoc matrimonii sacramentum instituebatur, statuisset, quod vnius viri tantummodo vna esset vxor, & è conuerso: prout patet Genes. 2. Quando Spiritus sanctus dixit per Adam: *Relinquet homo patrem suum & matrem suam & adhærebit vxori suæ*: sequitur: *& erunt duo in carne vna*: nihilominus hæc lex mutata fuit in Sanct. Patriarchis, vt patet in

Ex abolitione cæremoniarum veteris legis. CXC.

Mutationes factæ ab Eccles. circa præcepta Christi & Sacramenta nouæ Legis. Circa Baptismum.

3. q. 66. art. 6.

Quilibet potest baptizare in necessitate.

Circa matrimonii.

In lege veteri plures vxores habuerunt.

In lege noua Lex huiusmodi mutata ab Eccl.

Matth. 19.

De ducenda vxore fratris sui defuncti.

De diuortiis.

Mutatio circa Sacramentū pœnitentiæ.

Circa Sacram. Ordin. S. Hieron.

Lamech, qui primus simul duas vxores habuit, in Abraham, similiter & Iacob, in aliis etiam sub lege constitutis, in quibus Lex vetus vxorum pluralitatem videtur approbasse. Sed adueniente lege noua, in qua perfecto Euangelica experimitur mutata est lex nuptiarum atque matrimonii, & reducta ad priorem institutionem & honestiorem, vt vnus vni, & è conuerso tantummodo coniungantur in figura Christi & Ecclesiæ vniuæ sponsæ, de quorum matrimonio ait Apostol. ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc*, scilicet matrimonii, *magnum est, dico autem in Christo & Ecclesia* Hanc autem reductionem ad pristinum statum nullo modo legimus reductam ex quibusuis sacris literis, nisi ex statuto & consuetudine Ecclesiæ, nec audebit quis dicere quod tempore legis naturæ & legis Mosaicæ, non fuerit in hominibus verum matrimonium aut quod ipsorum fuerit aliud sacramentum matrimonii à sacramento legis gratiæ, præter dictum Christi in Euangelio loquentis de huiusmodi Sacramento: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Etenim Sacramentum matrimonii, & Sacramentum pœnitentiæ in lege naturali, scilicet Mosaica & Euangelica locum habuerunt, quamuis in vsu fuerint multipliciter immutata. Item præcipitur 25. cap. Deut. quod habitantibus fratribus germanis simul, vno moriente absque liberis, vxor defuncti alteri non nubat, sed accipiat eam frater eius, vt suscitet fratri suo semen, quod in noua lege ad aliquod tempus fertur perduralle, quæ eandem lex nulla adhuc scriptura promouente, per ecclesiæ consuetudinem & statutum sublata est, quibus statuitur & prohibetur, quod sponsus non possit contrahere matrimonium cum aliqua consanguinea sponsæ mortuæ vsque ad quintum gradum consanguinitatis exclusiue. Item Saluator noster Dominus noster Iesus Christus, Matth. 19. accedentibus ad eum Pharisæis ad ipsum tentandum, & ab eo quærentibus, *si licet homini dimittere vxorem suam, quacunque ex causa?* ita respondit: *Quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur:* & nihilominus sancta ecclesia Catholica non solum ex hac causa, sed ex pluribus aliis permittit & facit rationabiliter diuortia fieri, vt patet in frigidis, & maleficiatis, de affinibus, ex causis hæresis, & pluribus aliis causis. Ecce quot & quantæ mutationes circa tam magnum & necessarium sacramentum auctoritate Ecclesiæ contigerint. Item in sacramento pœnitentiæ, quod ab Adam in Paradiso incepit & debet durare vsque ad consummationem seculi, similiter mutatio magna facta est secundum successionem temporum. Nam cum confessio sit pars principalis pœnitentiæ, tempore legis naturæ ad eam tantummodo Deo faciendam mentaliter tenebantur: succedente vero lege Mosaica, vltra hoc homines obligabantur ad confessionem cerimonialem extrinsecam prout per aliquod sacrificium homines manifestabāt se hoc vel illo peccato deliquisse, vt habetur Leuit. 4 & 5. vt habetur eodem lib. 16. sacerdotis positis manibus super caput hirci, omnes filiorum Israel confitebantur iniquitates. Sed adueniente veritate Euangelicæ legis, eram confessio nem vocalem de vnius cuiusque cogitationibus, locutionibus, operibus, & omissionibus clare distincteque faciendam instituit ecclesia sacerdoti auctoritatem & iurisdictionem habenti, in secreto, non vt homini, sed vt Deo, sine offensa quacunque honoris confitentis, sub formidabilib. & execrabilibus pœnis præcipiendo & mandando sacerdoti, ne quoquo modo signo aut verbo prodat aut reuelet peccata confitentis: de qua quidem confessione singulariter & specialiter, quatenus solum sic secrete & articulariter fieri debeat sacerdoti, nulla de Scripturis sacris habetur traditio, nisi quantum ad sic agendum Spiritus sanctus mouit & direxit ecclesiam, quæ nihilominus originaliter fundat se in auctoritate clauium, quæ ipsi Ecclesiæ ab ipso Domino traditæ sunt, dicente Petro: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris, &c.* & Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: quia igitur sacerdotes habent remittere peccata, vtique oportet, vt agnoscant ea, & sic Spiritu sancto ducente sancta Ecclesia confessionem vt præmittitur secretam statuit & ordinauit. Item circa sacramentum Ordinis videtur ecclesia addidisse, Nam in primitiua ecclesia erant duo tantummodo ordines, diaconatus scilicet & sacerdotium. Et secundum B. Hieronymum idem tunc erat Episcopus & Sacerdos, quo ad nomen: non autem quantum ad rem, quod tamen nunc non est. Item circa sacramentum diuinissimæ Eucharistiæ multa videntur addita vel mutata. Nam forma qua calix consecratur in nullo Euangelistarum in propria forma verborum reperitur, sed videtur per ecclesiam ex omnibus dictis Euangelistarum compilata, & in ea sint aliqua addita. Etiam in consecratione hostię ecclesia addidit hanc dictionem, enim: cæterum Christus instituit hoc sacramentum, & ministrauit post cœnam, & tamen Ecclesia immutauit, & ordinauit vt non nisi à ieiunis de mane celebraretur & ministraretur, nisi in necessitatis articulo. Imminente etiam errore de obseruatione legalium, Leo Papa ordinauit, vt pro tempore in fermento conficeretur, licet Christus consecrarat in azymo, ad quem ritum postmodum, cessante dicto errore, ecclesia reuersa est. Denique ecclesia ordinauit ritum & modum ad hoc sacramentum celebrandum cum talibus orationibus, epistolis & euangeliis, secretis, mysticis signis, vestibus sacris & vasis consecratis, in ecclesia, in altari, cum luminaribus, cum assistentibus, & aliis quæ pro deuotione & solennitate tanti sacramenti fiunt, de quibus per singula discurrere longum esset: Item in pluribus quæ Apostoli statuerunt, secundum temporum successionem & temporum varietatem facta est mutatio. Nam Apostoli in Concil. 3. Hierosol. celebrato, de quo habetur *Actor.* 15. sublata circumcisione, & omnibus quodammodo cerimoniis veteris legis, statuerunt vt fideles deberent tantummodo abstinere ab immolatis simulacrorum, sanguine, suffocato, & fornicatione, & nihilominus statim post prædictam sublationem circumcisionis, Paulus Apostolus circumcidit Timoth. qui ex parte gentili natus fuerat, propter vitare scandalum Iudæorum, qui erant in illis locis, vt habetur *Actor.* 16. Insuper hoc dictum Concilium de cessatione legalium, Apostoli & seniores qui erant Hierosolymis, adueniente Paulo, propter scandalum euitandum, sustinuerunt adhuc cerimonias legales, & voluerunt vt Paulus ascendens templum, purificaret se & sanctificaret tanquam ambulans & custodiens legem, vt habetur *Actor.* 21. Est post prædicta etiam ex ipsis præceptis quæ per Apostolos tradita erant seruanda, quædam consuetudo ecclesię immutauit. Nam ex prædictis quatuor, primo & quarto manentibus illæsis, de non edendo de immolatis siue idolis & de custodiendo se à fornicatione, secundum & tertium mutata sunt, quia & sanguinem edimus & suffocatum. Item Paulus Apostolus dicens: *Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse*, in quibus verbis præceptum Apostoli includitur, & ex hoc, & etiam ex ratione significationis bigamiæ, cui semper est annexa irregularitas: & nihilominus Papa, & multo magis Ecclesia, potest imo & de facto dispensat in bigamis, non obstante præcepto prædicti Apostoli: Vnde dicit sanctus Doctor *in 4. dist. 27.* in responsione ad dictam auctoritatem Pauli, quantum ad ea quæ sunt de necessitate sacramentorum & fidei, nec ecclesia nec Papa potest dispensare, sed in aliis quæ sunt de institutione Apost. cum ecclesia nunc habeat eandem potestatem statuendi & destituendi quam tunc habuit, potest per eum qui primatum tenet in ecclesia, dispensare: Quapropter & Lucius Papa dispensauit cum Panorm. qui erat Bigamus.

Circa Sacram. Euchar.

Leo Papa.

De modo celebrandi missam ab Eccl. instituto.

Timoth. circumcisus post sublatam circumcis.

Papa in bigamis dispensat. Quæst. 3. ar. 3. ad 2.

S. Thom. ibid.

CI.

De aliis ordinationibus & immutationibus ab Eccles. factis.

Item sancta mater ecclesia docuit signum sacratissimæ crucis in fronte depingere, ipsa docuit in eodem signo benedictiones fieri sacramentorum & consecrationes, pro defensione & contra insidias malignorum spirituum sal & aquam benedicere, & ea in simul miscere. Ipsa docuit fontes baptismatis benedicere, pro congregatione fidelium, ad sacramenta percipienda, ad doctrinam diuinam audiendam, ad diuina mysteria peragenda, & ad laudandum Deum specialiter ecclesias fabricari, cœmiteria vbi fideles sepelirentur, & exequias mortuorum facere & omnem alium ritum Ecclesiasticum adinuenit, quem per singula explicare dies nobis potius deficeret, quam materia dicendi, in quibus immutationibus faciendis, sancta mater Ecclesia pro locorum, temporum, & personarum varietate exemplum habuit à Deo, & à Christo Domino: Nam licet fides confiteatur Deum esse omnipotentem, omniscientem, æternum, inuariabilem, & omnimode incommutabilem, ipse tamen immutabilis & immobilis, secundum exigentiam & diuersitatem temporum, & varias leges, dedit, vt aliter homo in statu naturæ, aliter

aliter in tempore legis, & aliter in statu gratiæ saluarentur: Non quod tunc esset alia fides, quam nunc, sed vna & eadem, per quam omnes iusti ab Abel, vsque ad vltimum iustum, Deo placuerunt, quia secundum Apostolum, *vna fides, vnum baptisma, vnus Deus omnipotens*, & ita licet semper eadem fides manserit; ceremonias & protestationes fidei ipse Deus immobilis & inuariabilis, secundum varietatem temporum, variauit. Ipse etiam Dominus noster Iesus Christus magister & exemplum omnium actuum Ecclesiæ, in assumpta humanitate, suas sanctissimas constitutiones & sua præcepta, iuxta qualitatem temporum, pro informatione Ecclesiæ, immutauit. Nam vt habetur *Matth. 10. Marc. 3. Luc. 9.* Dominus Iesus Christus mittens suos discipulos ad prædicandum, præcepit eis, vt non haberent sacculum neque peram, & similiter præcepit eis, *in viam gentium ne abieritis, in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Nihilominus, mutata conditione temporum, & ipse Dominus mutauit sua præcepta. Etenim instante passionis tempore, quo eum oportebat sua præsentia corporali suos relinquere discipulos, plurima exempla relaxauit. Nam Lucæ 22. ait: *Quando misi vos sine sacculo & sine pera, nunquid aliquid defuit vobis?* Responderunt, *nihil.* Tunc Christus dixit eis: *Nunc autem dico vobis, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram*: & post resurrectionem suam ascensurus in cœlum, quos ante passionem suam tantum modo addo ad Iudeam miserat, mittit in vniuersum mundum, dicens Marc. vltimo. *Ite in mundum vniuersum & prædicate Euangelium omni creaturæ*, & similiter Matth. vlt. ita: *docete omnes gentes baptizantes eos, &c.*

Ephes. 4.

Christus quoque sua præcepta mutauit pro qualitate temporum.

His nimirum exemplis diuinis, & Christi hominis, sancta vniuersalis Ecclesia edocta, nihilominus à Christo & à Spiritu sancto directa, cum sciat nihil velle Deum nec Christum Dominum nisi salutem nostram, & omnia præcepta, statuta, Concilia, & alia ad hunc vnum & solum finem ordinari, prædictas mutationes, variationes, statuta, ceremonias fecit, & statuit & ordinauit: Si igitur Ecclesia Catholica tot & tanta, ducta & directa à Spiritu sancto fecerit, in præteritum statuerit, & ordinauerit, Iuste, sancte, rationabiliter & sine reprehensione, ac etiam in diuinis Christi & Apostolicis præceptis mutationes, & interpretationes fecerit. Quis tam insanus & hebetis ingenii audebit asserere Ecclesiam, ex rationabilibus & vrgentibus causis, non potuisse communionem duplicis speciei mutare in communionem vnius? præcipue cum nec sit de præcepto Christi, nec aliquod detrimentum incurrant non conficientes sic sumendo? Si enim immutauerunt Apostoli formam baptismi quæ dat essentiam Sacramento taliter, vt si quis nunc in illa forma, qua ipsi Apostoli baptizabant, baptizaret, non esset baptismus; quanto magis potest ecclesia mutare vel tollere vnam speciem, quæ se tenet ex parte materiæ, & ex qua nihil essentiæ Sacramenti deperditur, nec etiam sumenti gratiæ? Si tot & tanta facta sunt tam circa hoc Sacramentum, quam circa alia, auctoritate Ecclesiæ, mirum profecto videtur, cur etiam circa communionem & vsum huius Sacramenti ecclesia non possit statuere, vt sic, vel sic, sumatur. Et si quæratur, quæ aut vbi, aut quo tempore, ante Constantiense Concilium fuit duplicis speciei in vnam auctoritate Ecclesiæ facta mutatio? Respondendum est secundum Augustin. & habetur *distinctione prima, cap. 2.* Ecclesiasticarum. Vbi dicitur, quod *Ecclesiasticarum institutionum quasdam Scripturis, quasdam vero Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas, accepimus, quasdam vero consuetudine roboratas approbauit vsus, quibus parendum, & idem vtrisque pietatis debetur affectus.* Et infra, enumeratis pluribus, de quibus auctor & locus & tempus ignorantur, subiungit, *hæc & alia in hunc modum non pauca, nisi quia tacita ac mystica traditione à patribus Ecclesiastico more, & reuerentiori diligentia sunt in mysteriis obseruata magis silentio, quam publicata scripto.* Cuiusmodi sunt immutatio Sabbathi & Paschalis festiuitatis, crucis signatio, aquæ & salis benedictio, multorum præceptorum & cæremoniarum veteris legis immutatio: multa quoque quæ nunc in sacrificiis fiunt, vt & forma consecrationis calicis, benedictionis fontium, baptismatis & multa huiusmodi, quibus sola consuetudo vniuersalis ecclesiæ auctoritatem tribuit, & sic est etiam communio vnius speciei, cuius immutationis & auctor & tempus & locus ignorantur, & vsque ad Constantiense Concilium, sola ei rationabilis consuetudo & sanctorum Doctorum comprobatio auctoritatem præbuit, quam postmodum compellente aduersariorum instantia, idem sacrosanctum Concilium approbauit. Et vt postmodum, non vt consuetudo tantum, sed vt statutum & ordinatio ecclesiæ vniuersalis veneraretur. Ad laudem omnipotentis Dei, qui est benedictus in secula seculorum.

Cap. 5.

Eccl. ex ratione vrgent. causis ortum communion. duplicis speciei mutare in vnius.

CXCII.

Septem regulæ pro intellectu authoritatū inducturū, notandæ. Prima.

Vltimo vero & finaliter pro facili & manuali solutione dictarum auctoritatum & aliarum quas pro se adducunt aduersarii, notandæ sunt diligenter septem Regulæ quæ sequuntur. Primo itaque sciendum, quod quamuis plures auctoritates sacræ Scripturæ & etiam sanctorum loquantur indifferenter de communione sub vtraque specie panis scilicet & vini, non tamen prætenduit præceptum, nec dicunt, huiusmodi communionem sub vtraque specie quoad laicos esse de necessitate saluris, vel de præcepto Christi, & sic omnes huiusmodi auctoritates adducuntur per eos friuole & impertinenter, nihilque contra Catholicam veritatem concludentes, cuiusmodi sunt authoritates Apostoli, priori Corinthior. vndecimo, quæ indifferenter loquuntur tam de Sacerdotibus conficientibus, quam laicis in quibus tamen nullum præceptum exprimitur, vt plene patuit loco suo dum de ipsis superius egeretur in speciali. Secundo sciendum, quod auctoritates tam sacræ Scripturæ, quam etiam doctorum multorum, facientes mentionem de communione sub vtraque specie continentes in se præceptum vel vim habentes præcepti, vt in pluribus loquuntur, & sunt intelligendæ de Sacerdotibus sacrificantibus, quorum est conficere hoc Sacramentum & sub vtraque specie sumere propter perfectam significationem & repræsentationem Dominicæ passionis, & mortis, spiritualis refectionis completæ, & aliorum quæ in hoc Sacramento repræsentantur, non autem de communione laicorum, quorum capere & sumere est solum propter efficaciam, & non propter repræsentationem, cuiusmodi est auctoritas Christi, qui solis Apostolis, quos in Sacerdotes instituerat, præcepit vt hoc facerent sub vtraque specie in suam commemorationem. Hoc modo etiam intelligitur capit. Papæ Gelasii Comperimus, de quibus in locis suis dictum fuit superius. Tertio sciendum, quod auctoritates sanctorum si quæ forte sunt loquentes de huiusmodi communione sub vtraque specie, restringendæ sunt ad tempus illud, in quo mos ille in Ecclesia seruabatur. Consuetudo enim ecclesiæ quæ habuit ex causa rationabili originem, siue fuerit generalis simpliciter in tota ecclesia, siue in aliqua sui parte notabili, vtpote in vna natione, vel regno siue etiam in vna prouincia aut diœcesi, vim habet obligatiuam legis & præcepti, nec alicui particulari scienter licet contra eam agere: aut ipsam sua sponte præterire in loco vbi communiter obseruatur: vnde dicit Augustinus ad Casulanum presbyterum, quod mos populi Dei & instituta maiorum pro lege tenenda sunt: & sicut prævaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiarum coercendi sunt. Quapropter si quis Latinorum in Orientali siue Græca ecclesia, contra morem ipsorum in azymo conficeret, peccaret, vt dicunt doctores communiter, & è conuerso si Græcus apud nos ageret in fermentato, propter diuersam consuetudinem ecclesiarum. Quia igitur Christus ita sub duplici specie discipulis in vltima cœna ministrauerat hoc Sacramentum, multi sequentes hunc ritum tenuerunt, & in multis ecclesiis indistincte quo ad non sacrificantes, habitus est pro inuariabili consuetudine, & pro lege, nunquam tamen hæc consuetudo ministrandi laicis sub vtraque specie fuit in ecclesia omnimode generalis, quia etiam tempore Apostol. legitur Actor. 2. quod erant perseuerantes fideles in doctrina Apostol. & communicatione fractionis panis, & orationibus, & in fine cap. quod erant fideles frangentes panes circa domos quotidie, quod vtique de pane sacramentali doctores intelligunt, & specialiter Magist. historiarum in historiis Scholasticis, vbi nulla mentio fit de vino aut potu: nec est verisimile quod in tanta re ab hoc ritu Ecclesia tam generaliter recessisset, nisi in aliquibus aliquo exemplo præcedente deducto ex Apostolis & primitiua ecclesia, etiam rationabilibus & necessariis causis concurrentibus. Auctoritates igitur loquentes sub præcepto de laicis, restringendæ sunt ad tempus, & ad ecclesias in quibus huiusmodi consuetudo pro lege habebatur; qua consuetudine cessante, cessat obligatio huiusmodi auctoritatum & veritas, quia quælibet auctoritas vera, ex causa tantum, cessante causa veritatis eius, cessat veritas & allegatio eius: sicut ista: Christus est incarnandus, quandoque fuit vera, quia causa veritatis ipsius erat futuri temporis quod nondum aduenerat, sed iam, futuro pro tunc tempore adueniente, & Christo nato, causa ipsius veritatis ablata est & per consequens ipsa pronūc remanet falsa, quia non est vera, Christus est incarnandus. Cum igitur auctoritates huiusmodi doctorum non erant veræ, nisi ex consuetudine, vim legis & præcepti habentes, cessante consuetudine, eorum veritas cessabat & allegatio. Et valde diligenter est aduertendum, quod nullus doctorum Catholicorum per aduersarios allegatorum, & ita credo de omnibus aliis loquentibus de huiusmodi communione sub vtraq;, dixit eam indifferenter quo ad omnes esse de præcepto Christi, aut de necessitate saluris, ita quod vna species non sufficiat sine alia: nec aliqua auctoritatum per aduersarium adductarum dictum præceptum Christi intendit quoquomodo aut prætendit. E contrario autem multi Doctor. Catholici dicunt communionem diuinissimæ Eucharistiæ non conficientibus sufficere sub vna specie, vt in superioribus diffuse ostensum est. Quarto notandum, quod authoritates tam sacræ scripturæ quam aliorum doctorum, quæ videntur facere mentionem de sumptione huius sacramenti sub duplici specie, quo ad laicos, vel indifferenter quo ad omnes, duplici modo loquuntur, vel nomina rerum assumentes vel nomina specierum. Exemplum primi, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Caro enim & sanguis sunt res Sacramenti, & ea quæ ex naturali aut reali concomitantia consequuntur adhæc. Exemplum secundi, 1. Cor. 11. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini, &c.* panis enim & calix qui vinum continet & pro vino accipitur, sicut sæpe continens pro contento, sunt nomina specierum huius Sacramenti. Inter has autem locutiones diligens lector hanc differentiam attendat, quoniam in auctoritate quæ est ex terminis specierum, nūquam aut raro inueniet notam præcepti aut terminum vim præcepti habentem, per quam possit deprehendi, quod huiusmodi sumptio specierum cadat & obliget ad præceptum, ad ostendendum, quod huiusmodi sumptio sub vtraque specie non est de necessitate salutis, & per consequens de præcepto Dominico. Quod si forte in aliqua auctoritate doctoris alicuius repertum fuerit, ad præcedentem immediate regulam recurrendum est, vel saltem ad eam, quæ in loco vltimo adducetur, quæ est finalis resolutio omnium. In auctoritate vero, quæ constat ex terminis rerum sæpe imo sæpissime reperitur præceptum, vel in propriis terminis, vel in æquiualentibus sicut patet in primo exemplo: *Nisi manducaueritis, &c.* Si tamen de Sacramentali manducatione dicta auctoritas intelligatur, ad declarandum, quod ex præcepto diuino tenetur quilibet fidelis Christianus rem vtramque huius sacramenti sumere, siue spiritualiter siue etiam realiter, secundum quod in sacramento continetur & cum vtraque res vere & integre sub qualibet specierum contineatur, perfecte adimplet præceptum, quicunque sub vtraque, vel sub vna accipit speciem, quia præceptum rem, non speciem determinat. Et per hanc aduertentiam multæ auctoritates & rationes aduersariorum euacuantur, imo ipsorum totale & principale fundamentum, scilicet: *Nisi manducaueritis, &c.* penitus eneruatur. Quinto sciendum, quod in auctoritatibus sacræ scripturæ & sanctorum per manducationem corporis, & bibitionem sanguinis, intelligitur, in generali sumptio vtriusque, quod vtique ita vere & integre fit sub vna sola specie, sicut sub vtraque, cum sub qualibet ipsarum per se sumpta, totus & integer Christus contineatur, vt declaratum est. Et etiam si ad proprietatem locutionis attendamus; non proprie sanguis in calice bibitur, sed sola vini species, cum sub specie vini eundem modum sanguis Christi habeat existendi, quem habet omnimode sub specie panis. Etenim sicut sub specie panis, sanguis habet esse intra corpus Christi, & intra venas ipsius inclusus, sic per omnia & sub specie vini, quia non est effusus extra corpus, aut à corpore diuisus, sicut

Secunda.

Tertia.

Epist. 84.

Quarta.

Quinta.

per species designatur, in memoriam Dominicæ passionis, sæpe itaque scripturæ & doctores sancti loquentes de hoc sacramento, etiam secundum quod sub vna specie continetur, vtuntur manducationis & bibitionis terminis pro sumptione, ad significandum fidelibus, quod sub vna tola specie panis sumant corpus & sanguinem Christi verum vere & realiter, & non aliter sub ambabus, quam sub vna earum, nec magis efficaciter. Sexto etiam intelligendum, quod multæ auctoritates facientes mentionem de communione laicali sub vtraque specie, potius spiritualiter intelligendæ sunt, quam sacramentaliter, vt de multis patuit. Quando enim sacerdotes in altari in conspectu populi conficiunt sub dupli ci specie, & similiter sumunt in memoriam Dominicæ passionis, tunc populus assistens fide & deuotione, manducat & bibit & corpus & sanguinem Domini spiritualiter in sinceritate fidei, per recogitationes bonas & sanctas meditationes, masticando & hauriendo ore cordis; & se Christo vniendo per affectum amoris. Hunc modum actualis manducationis spiritualis, qui tertius fuit superius assignatus, tangit Augustinus, *vt quid paras ventrem & dentes? Crede & manducasti.* Multæ auctoritates intelliguntur de modo spiritualis manducationis, superius similiter tacto, secundum quem modum illam auctoritatem: *Nisi manducaueritis carnem, &c.* exponit Augustinus, vt clare ostensum est loco suo. Septimo & vltimo notandum, quod nulla auctoritas cuiuscunque sancti aut doctoris habet efficaciam ad aliquid probandum aut concludendum authentice, in aliqua materia fidem aut salutem animarum concernente, nisi in quantum doctrinæ Ecclesiasticæ congrueret, aut ab Ecclesia approbaretur: vbi autem contrarium & dissonum haberet aliquid, totum, vt falsum, repudiatur & inutile, & hoc ideo, quia non doctrinæ doctorum Ecclesia subiicitur, sed è conuerso doctrina ipsorum Ecclesiæ tanquam indeficienti regulæ, quæ errare non potest, vt clarissime monstratum est in capitulo huiusmodi materiam declarante. vnde & Augustinus contra epistolam fundamenti, non solum doctrinæ doctorum, sed etiam ipsi Euangelio præfertur Ecclesia: *Euangelio non crederem*, inquit, *nisi me Ecclesiæ auctoritas commoueret.* Etenim cum plura reperiantur scripta Euangelia, quam quatuor, vt puta Andreæ, Thomæ, & multorum aliorum, illa nihilominus obtinuerunt auctoritatem, quæ ipsa Ecclesia approbauit, & illa reprobata sunt, quæ ipsa reprobauit. quare & omnes doctores Ecclesiæ suas doctrinas merito Ecclesiæ iudicio submiserunt, & submittunt quotidie. Sic & Paulus ad Galatas 2. non obstante, quod Euangelium suum à Christi reuelatione habuisset, tamen vt authenticaretur, ascendit cum Barnaba Hierusalem, vbi pro tunc Ecclesia principaliter residebat, & contulit cum illis, scilicet Apostolis, & aliis in quibus Ecclesia consistebat, & seorsum cum illis, qui videbantur esse aliquid, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset. Cum igitur Ecclesiæ consuetudo obtinuerit generaliter, à multis retro temporibus, vt non sacrificantes sub vna specie, communicent, fueritque dicta consuetudo per generalia Concilia approbata & declarata, non esse contra diuinam voluntatem aut Christi præceptum, manifestum est, omnem auctoritatem cuiuscunque doctoris, quantumcunque sancti, aut ingenio & sapientia præditi, contra hanc consuetudinem & statutum Ecclesiæ nihil posse concludere, quapropter si adduceretur aliqua auctoritas, cui per aliquam prædictarum regularum non posset satis fieri ad plenum, maxime propter proteruiam aduersantis, respondens fidelis Catholicus ad hanc vltimam regulam, tanquam ad portum tutissimum, confugiat, quia vnico hoc ecclesiæ sole, vt ait Hieronymus, in disputatione contra Luciferianos, omnium aduersariorum argumentationum riuulos facile poterit deficcare. Ad laudem omnipotentis Dei, & exaltationem fidei Catholicæ.

Sexta.

Supra, in suppos. in nes. in tertia manducatione spirituali.

Septima.

Hieron.

Et hic finis est positionis & responsionis Magistri Ioannis de Ragusio S. Theologiæ Professoris, Ordinis fratrum Prædicatorum, factæ in sacro generali Basilecnsi Concilio, ad dicta Magistri Iohannis de Rockizano Bohemi, in articulo communionis sub vtraque specie. Anno Domini M. CCCC. XXXIII.

ÆGIDII CARLERII DECANI ECCLESIÆ CAMERACENSIS Oratio,

QVA RESPONDIT PER DIES QVATVOR, IN CONCILIO BASILEENSI, AD ARTICVLVM SECUNDUM BOHEMORUM,

De corrigendis peccatis publicis.

Quem proposuit per biduum

NICOLAVS TABORITA.

AVDISTIS Reuerendissimi Patres, Illustrissime Princeps, Celeberrimi, inclyti & doctissimi viri, venerabilesque Oratores regni Bohemiæ profundam, præcelsam & veram positionem de communione diuinissimæ Eucharistiæ, per quam ostensum est, non esse de necessitate salutis, nec præceptum à Christo Saluatore quoscunque non conficientes sanctam communionem accipere sub vtraque specie, scilicet panis & vini. Iam precor, patientes aures commodate, facite quietum silentium, vt dum sermo, qui vt spero, de regalibus sedibus venit, in hoc diuino cœtu libere currat, nullus subrilia spererab ore dicentis, neque subest ingenium, neque hoc patitur materia. Debet, si Philosophorum dicta memini, sermo rei esse subiectus, non res sermoni. Vnde cum de punitione peccatorum futura sit Oratio, in ea vt in moralibus typice & figuraliter procedendum est. Cum manus ad opus ponere tentaui, quorsum oculos, quorsum articulos digitorum scribentium quorsum deniq; animum voluerem pauidus, nesciebam. Obtulit se lata materia, & angustus erat locus ingenii, sparsa valde & colligendi virtus nō erat. Quodque eum necessitatem rei intelligerem, quod in ea pendeat salus orbis, & signanter Catholicæ Ecclesiæ vltra quam credi potest: *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Ea propter postulaui à Domino, vt oriretur mihi Sol veritatis, pergerem ad opus meum, & ad operationem meam vsque ad vesperam, id est, finem huius actus, & dixi: *Reuela oculos meos, & consid. rabo mirabilia de lege tua.* Psalm. 118. Non miretur aliquis, quod reuelationem peto oculorum. Pro regendo vno populo Rex Salomon sapientiam poposcit, vt sciret introitum & exitum suum. Et ego vermis & cinis pro reparatione populi vniuersi lumen sapientiæ non quæram? Ille de populi circumcisi regimine acturus erat, nec in viribus suis fuit confisus. Et ego pro salute Christianorum, pro quibus Dominus noster Iesus Christus sanguinem suum fudit, pro pace & vnitate laborem assumens, vt qui coniunxit duos parietes Iudæorum & gentilium in vno angulari lapide Christo Iesu, iungat & nos in vinculo Spiritus & charitatis. Sperabo in virtute mea? magna certe mihi cura est vos & hoc famosum atque inclytum regnum Bohemiæ, Galliæ meæ regioni olim amicum, conciliare & sociare in fœdere sempiternæ pacis, & vt vnanimes de cætero habitemus in domo Domini, vnde ipsos dilectos propter Deum venerandos Nuncios Bohemorum Oratores velim, vt si aliter sapiam quo ad aliqua, quam ipsi in articulo, de punitione publicorum peccatorum, non moueantur eorum resides animi: Neque enim ad rosas venitur nisi per medium spinarum, nec mel quis reperiet, nisi se ingesserit exercitui apum, neque in difficilibus, nisi post disputationem veritas lucebit. Si in hoc non sit modicus labor, non erit tenuis gloria. Aperui oculos mentis. Peto patres dignissimi, quoniam visio mihi obscura est, & eam non plene intelligo, calamitatem Ecclesiæ mente reuoluens, cum super eam ploraret planctu magno, vt alter Hieremias, *vidi vallem succensam & faciem eius à facie Aquilonis.* Et quoniam intelligentia opus est, in tali visione, dixi Deo: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Dicam tamen vt intelligo, quæ nā sit hæc olla, quæ succensio, quæ facies contra faciem Aquilonis. Olla ista huius sacro sanctæ Synodi, necnon & horum venerabilium oratorum Bohemiæ cogitatio est, in qua vt in olla, concepta & auisata reponuntur. Siquidem intellectus possibilis est omnia fieri, vt agens omnia facere: succensio, ardor & zelus est; facies quæ anterior pars est capitis, intentio non incongrue accipitur. Aquilo regio frigida & sicca, à qua, vt Ieremias Prophetatestatur, panditur omne malum & peccata, Carent enim calore gratiæ, & honore pietatis. Cogitatio itaque huius sacri Concilii & præsentium venerabilium oratorum Bohemiæ succenditur. Et huius cogitationis intentio versa est contra peccata. Igitur peccata in olla cogitationum vestratum, patres eximii, & viri venerabiles, profecto combuntur; quoniam aduersus ea zelus affectuum vestrorum commotus est. Sed quemadmodum ignis in aliena materia vrit & crepitat, ita quam diu in peccata zelus accenditur, turbidus est & inquietus. Et sicut ignis in propria materia iam non ignis, carbo, aut ignis flamma, sed ignis lux est non vrens, sed lucens, non agitata, sed quietus; ita cum zelus exustis peccatis in meditatione permanet, lucidus est, non vrit, non laborat, sed tamen in ardore crescit, de quo Propheta Psal. 38. *In meditatione mea exardescit ignis.* Quis vero succensor & ollæ faber est, qui sufflauit sub ea prunas? ipse est venerabilis proponens articulum de punitione peccatorum, prunas rationum suarum & auctoritatum cum retulit, sufflauit, quem creans Dominus ad vos misit, vt ollam ardentem amplius succenderet. De quo Esai. ait 54. c. *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum*, adeo dilectus meus faber exsufflauit, prunas succendit, vt olla ipsa pene resoluta liqueſcat. Sed sicut cum videt operarius flammam excrescere, vt vas proferat in opus suum, aquam mittit in ignem, neque tamē succendere desinit, ita cum zelum venerabilis proponentis admodum vehementem viderem ad combustionem vitiorum, timens cum vitiis eam ipsius ollæ vitionem, aquam moderationis huius ignei zeli vt alter faber, mittere curaui; videram equidem quoniam flamma vltra fornacem effundebatur cubitis multis, & succenderat eam valde, vnde ego intelligens omnem excessum periculosum, imo vtile in vita esse, ne quid nimis, præterea quod male ministrat omnia Impetus, socius officii, differenti ministerio, præparani antidotum, aquam ad ignem attuli, vt aliquid ex ambobus nobis medium fieret; medium enim amar Dominus: stat medius venientium ad baptismum: Iesus in medio Doctorum est. In medio duorum aut trium congregatorum in nomine suo, in medio discipulorum suorum dum dixit, *pax vobis*, non est ergo pax nisi in medio. Igitur extremitatem venerandi proponentis ad medium tentabo reducere, vt ad pacem veniamus, tū in camino ignis erit, vt in propria materia, dum purgatis vitiorum rubiginibus, & combustis, ignis cœlestium desideriorum ardebit suauiter, hunc Dominus suscitat, hunc Dominus agitat, hunc succendit, de quo ipse loquitur Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Ideo ignem misit in terram, quoniam iuxta verba legis Deus ignis consumens est, Deus æmulator qui in rubo ardenti apparuit, qui ductor fuit populi in columna ignis per noctem: tunc impletum est verbum Euangelici Prophetæ Esaiæ 10. *Erit lumen Israel in igne, & sanctus in flamma ignis*, lucet ignis iste obsecro Domine in corde meo, vt reuelentur oculi mei, & considerem mirabilia de lege tua, ardeat ad consumptionem peccatorum, vt verba ignea proferam, & sit sermo meus vt faculæ ardentes, vt illo ollam cordis per venerabilem proponentem supra modum, quantum in se fuit, succensam, nec furere faciam, nē extinguam, sed aspersio aquæ moderationis, feruorem cordium in correctione temperet, & ignitum eloquium frigida commoueat, quatenus reformatione S. Ecclesiæ ad Dei laudem peracta, zelus domus Dei vltra non crepitet, nec prunas denuo sufflare necesse habeamus in præsenti, sed luceant fidelibus quasi luminaria in firmamento, & tandem in lumine sortis sanctorum fulgeant vt stellæ in perpetuas æternitates, præstante Domino Iesu Christo, qui est lucerna eius, qui cum Patre & Spiritu S. est Deus benedictus in, secula seculorum, Amen.

Ad declarationem veritatis materiæ, Secundi articuli, qui est de punitione peccatorum, nuper pro parte venerabilium Oratorum inclyti regni Bohemiæ propositi venturus, & veritatem iuxta vires ostensurus, vnam protestationem, vnamque supplicationem vt componerem, ratio iudicauit. Protestor, quod iam dicenda submitto correctioni, & emendationi

Psalm. 54 *Psal. 103.* *Psalm. 118.* *3. Reg. 3.* *Hierem. 1.* *Psal. 118.* *Hierem. 1.* *Psalm. 38.* *Esai. 54.* *Luc. 12.* *Deut. 4.* *Esai. 10.* CXCIV.

mendationi huius sacræ Synodi Basileensis, affirmans quod affirmandum dictabit; negans quod negabit, à sua confessione nullatenus, quamdiu vixero, discessurus. Supplico cum omni reuerentia, vt dicenda vniuersi cum omni mansuetudine suscipiant, Scientes quod neque animo turgido vel indignanti, neque temerario proposito sed in spiritu lenitatis & in visceribus charitatis zelus domus Dei hanc sarcinam me suscipere coegit.

Articulus Hussitarū.

Audistis patres reuerendissimi, inclyti domini ac viri percelebres, prolatum articulum sub hac forma: *Peccata mortalia publica, & quantum rationabiliter fieri potest, priuata, aliique deordinationes legi Dei contrarie, in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorundem, debite iuxta dictamen diuinæ legis per Christi fideles tam spirituales, quam seculares, prout congruit vtrisque, sunt cohibenda, corrigenda, castiganda, & posse ab eisdem propellenda.* Deducendo enim proponens propter Christum dilectus, multa inierunt, scilicet de potestate legis humanæ, per quos, & quando peccata publica & secreta, quantum fieri potest, sint corripienda, de peccatis Prælatorum & sacerdotum, de indulgentiis, absolutionibus, & consecrationibus, de peregrinationibus, & venerationibus reliquiarum, & excessibus circa illas, de pluribus scelleribus aliis intrinsecus & extrinsecus contingentibus Sacerdotes ipsos & alios fideles. Materiam igitur hanc latam & spatiosam, ad tria pucta breuiabo. Primus erit de punitione peccatorum publicorum, de veritate tenenda circa vnam specialem materiam huic proposito aliqualiter attinentem. Secundus pertractabit, per quos fieri debeat peccatorum publicorum punitio. Tertius satisfaciet pro posse rationibus, per proponentem inductis, & erit de aliquibus incidenter per eum expositis, & excessibus narratis, cum indictione, vt circa hæc iniat debita per reformationem prouisio.

Diuisio totius tractatus.

CXCV.

Quantum ad primum de punitione peccatorum priuatorum, nō est magna difficultas, maxime vt in articulo proponitur, quia dicitur; & quantum rationabiliter fieri potest priuata. tamen de illis aliquid dicetur in prosecutione materiæ de punitione peccatorum publicorum. Notandum ergo quod peccatum mortale multas habet descriptiones, Non enim habet definitionem dicentem, quid est. Nam multa sunt entia non habentia quidditatem vel essentiam, vt sunt priuationes & negationes, & sic descriptiones peccati mortalis sunt sermones maioris declarationis. Itaque dantur à B. Augustino quatuor descriptiones peccati mortalis. Primum, peccatum mortale est, *dictum, factum vel concupitum contra legem Dei.* Secundum, peccatum est, *voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat*, hoc dicitur libro de duabus animabus. Tertium peccatum est, *neglectis rebus æternis tempo. alia sectari* hoc dicit de libero arbitrio. Quartum, peccatum est, *vel fruendis, & frui vtendis*, libr. 83. quæst. Ambrosius sic peccatum diffinit, Peccatum est, *præuaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia mandatorum.* Anselmus, peccatum est, *carentia debitæ iustitiæ ex propria voluntate procedens.* Quoniam vero formale peccati est defectus à rectitudine, rectitudo autē per essentiam est lex æterna participata in recta ratione. Forma peccati est exorbitatio à lege Dei, aut recta ratione; & hic recessus à rectitudine debita, ponitur in omnibus descriptionibus Augustini. Est verum quod etiam ponitur materiale peccati scilicet actus. Itaque omnes descriptiones peccati ab Aug. datæ complectuntur materiale & formale. Descriptio Ambrosii dicit solum formam & causam deficientem, ex quo illud formale procedit, cum dicit, *à voluntate procedens*, à voluntate scilicet non efficiente, sed deficiente, cuius defectus est causa carentiæ rectitudinis debitæ inesse actui, qui dicitur culpa aut peccatum. Hæc dicta sunt, quia quid nominis, est principium doctrinæ. Inter cætera descriptiones, illa quæ est Ambrosii, videtur bene propria, quia formalis, & illam accepit proponens articulum.

Primum notabile.

Secundo notandum, quod peccatum dicitur publicum, quod habet facti euidentiam, quod probabiliter negari non potest. Priuatum vero, quod caret tali euidentia facti, quemadmodum dixit proponens.

Contra Faustum Manichæū lib. 22. c. 27. *De duabus animabus cap. 11.* *De libero arb. c. 16.* *Libr. 83. quæstionū, q. 30.* *Ambr. de parad. c. 8.* *Anselm. de peccato orig. c. 6.* *Cur Deus homo, lib. 1. c. 9.*

Tertio notandum, ad tollendum æquiuocationem in sequentibus quadruplex est iudicium, quoddam est discussionis, aliud est condemnationis vel generaliter diffinitionis, secundum quod est actus iustitiæ. Aliud comparationis, aliud assessionis. De iudicio discussionis seu discretionis ostendens Apostolus, quomodo homo debet se ipsum probare, ait: *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.* De iudicio comparationis, quo aliqui iudicari dicuntur, quia respectu aliorum aliqui iudicantur, vt loquitur Alexander Halis in 3. scribitur Matt. 12. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quam Ionas hic, Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ videre sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic.* de iudicio assessionis Matth. 19. *iudicantes 12. tribus Israel.* Et ista distinctio vtilis erit ad propositum in sequentibus de consideratione peccati secundum se, & in comparatione ad subiectum, non est inutilis distinctio, vt in sequentibus cohibitio, ad peccatum in se referatur, correctio autem, punitio & propulsio, ad peccatum in subiecto, id est, ad peccantem.

1. Cor. 11. *Part. 3. q. 25. art. 1.*

Quarto notandum quod duplex correctio, quædam est actus iustitiæ pro cohibitione pœnæ, alia est charitatis ad cōseruationem conscientiæ, & hoc iterum ad tollendam æquiuocationem in tollendis non erit impertinens. Nam sæpe propter identitatem nominis, cōfolat quis de vno in aliam. Exordiendo igitur ab origine legum, sit hæc propositio 1. *Ponenda est lex æterna in summo omnium Principe.* Cum enim mundus diuina prouidentia regatur, necesse est in gubernante esse dictamen practicum omnium ab eo directorum, in quantum à ratione practica artis increatæ processit, vt sic sua prouidentia in ipsum vt finem vltimum reducatur. De qua dicit B. Augustinus in libr. de libero arbitr. *Lex qua summa ratio nominatur, non potest cuiquam intelligenti nisi incommutabilis æternaque videri.* Et idem de vera religione dicit: *Menti nostræ concessum est videri legem veritatis immutabilem*, sed omne immutabile dicitur æternum. Ponenda est ergo lex æterna, ab hac deriuatur in nobis lex naturæ, velut quædam participatio eius, per quam inclinamur ad proprios actus ad finem vitæ humanæ, de qua, super illo ad Rom. 2. *Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, huiusmodi legem non habentes sibi ipsis sunt lex*, dicit glossa: *Et si non habent legem scriptam, habent tamen legem naturalem, qua quisquis intelligit & sibi conscius est, quid bonum, quid malum*, hæc est impressio de qua Propheta in Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* De hac etiam dicit Augustinus in lib. 83. *ex ineffabili atque sublimi rerum administratione quæ fit per diuinam prouidentiam quasi transscripta est lex naturalis in animam rationalem.*

Propositio prima. *Aug. de libero arbitr. c. 6.* *Aug. de vera relig. c. 30. tom. 1.* *Rom. 2.* *Glos. ord. in ca. 2. ad Rom.* *Psalm. 4.*

CXCVI.

Secunda propositio. *Vltra legem æternam & legem naturalem oportet ponere legem humanam*, humana enim ratio non potest participare ad plenum dictamen rationis diuinæ, sed suo modo & imperfecte ac secundum obscuram resonantiam, vt loquitur Albertus Magnus. Ideo sicut ex parte rationis speculatiuæ per naturalem participationem diuinæ sapientiæ inest nobis aliquorum communium principiorum cognitio, non autem cuiuslibet veritatis, sicut in diuina sapientia continetur, sic etiam ex parte rationis practicæ naturaliter homo participat legem æternam secundum quædam principia communia, non autem secundum particulares directiones singulorum, quæ in æterna lege continentur. Vnde necesse est, quod ratio humana procedat ad particulares quasdam legum sanctiones. Et hæ dicuntur lex humana. sic dixere quidam, quod initium iuris est à natura profectum, deinde quædam in consuetudinem, ex vtilitate rationis, venerunt, postea res à natura profectas, à consuetudine probatas legum metus & religio sanxit. Igitur prima ratio necessitatis legis humanæ sumitur ex imperfectione rationis nostræ, quæ de singulis agendis non potest iudicium ferre ex solis principiis practicis legis naturæ. Et illam tangit S. Thom. 1. 2. *quæst. 91. art. 3.* in corpore. Præterea etsi vi refulgentiæ legis æternæ in nobis, & super vultus rationalis creaturæ infusi radii diuini luminis, quædam naturalis inclinatio sit in nobis ad virtutes, perfectio tamen est peraliquam disciplinam, quæ perfectio præcipue consistit in retrahendo hominem ab indebitis delectationibus, ad quas proni sunt homines, maxime iuuenes. Ideo necesse est hanc disciplinam haberi ab alio. Et quidem in bene dispositis ad virtutes ex bona dispositione naturæ, vel consuetudine, vel diuino munere, sufficit disciplina paterna, quæ est per monitiones, in pronis vero ad vitia, qui verbis non facile

Propositio secunda. *S. Thom. 1. 2. q. 91. art. 3. in corpo.*

mouentur, necessaria est disciplina coactiua, per vim aut metum, vt saltem sic male facere desistant, denique cæteris vitam quietam, & tandem mediante consuetudine, ad hoc perducantur, vt voluntarie faciant, quod à principio metu impleuerunt. Talis vero disciplina est disciplina legum. Hæc ratio tangitur à B. Thoma 1.2. *quæst. 95. art. 1.* in corpore. Hæ duæ viæ differunt, quia vna sumitur penes cognitionem, alia penes actionem. Ex prima ratione sequitur, quod præcepta legis humanæ deriuantur ex præcepto legis humanæ multa, & communiter per modum determinationis communium principiorum. Sicut ex illo principio legis naturæ: Qui male facit, est puniendus, deriuatur præceptum, quod tali vel tali pœna est puniendus. Aliqua etiam deriuantur ex præceptis legis naturæ per modum conclusionum ex principiis, vt ex illo legis naturæ: Nullum malum est faciendum, deriuatur illud præceptum legis humanę non est occidendum, scilicet propria auctoritate. Et ea quæ deriuantur per modum conclusionum ex præceptis legis naturæ, sicut ex principiis, vigorem habent, non solum quia lege sunt posita: sed etiam ex lege naturæ: Quæ vero deriuantur per modum determinationis, cum non sint inclusa in illis, vt sunt conclusiones in principiis, habét ex sola lege humana vigorem. Hæc in summa habentur à Thoma 1.2. *quæst. 95. art. 2.* in corpore. Et infra: *quæst. 99. art. 3 & 4.* ostendit, quod lex diuina ordinet homines ad Deum, & ad hominem, & quod vtrumque in communi, pertineat ad dictamen legis naturæ, ad quod pertinet præcepta moralia determinare. Determinatio in his quæ ordinant homines ad Deum, facta est in lege veteri per cæremonialia. Determinatio vero in his quæ ordinant homines ad inuicem, facta est in lege ipsa per iudicialia. Et huius determinationis cæremonialium & iudicialium necessitas fuit, quia vniuersalia non mouent sufficienter ad opus: vnde ex hoc præcepto: Deus est adorandus, sine particulari pius & religiosus affectus nesciebat exire in opus, sed aut, vt inspirabatur vnicuique, vt factum est ante legem datam, aut ex post per cæremonialia fuit determinatum, sic adoratum est, sic sacrificatum est tunc: ideo etiam ex præceptis: Non furtum facies, Non mœchaberis, & sic de aliis, quæ sunt legis naturę & moralia, si nō fuisset determinatum postea, qua pœna fur, aut mœchus, aut homicida, & sic de aliis, puniendus erat, iudex non nisi proprio arbitrio pœnā sciuisset infligere; ideo vt debitus ordo hominū ad inuicē & pacis ordo seruaretur, oportuit iudicialia præcepta superaddere moralibus. Videtis exemplū, quantum ad illud de obseruatione Sabbathi, quod in generali, quantum ad actum colēdi, morale est, quoniam Moyses non habens qua pœna puniendus erat, qui ligna collegerat in Sabbatho, Dominum consuluit. Et iterum Iosue super furto Achior, quod non simplex furtum videbatur, sed furtum de Anathemate Iericho, responsum petiit à Domino. Quoniam vero cæremonialia legis veteris sunt mortua & mortifera & iudicialia eiusdem mortua, necesse fuit sub lege gratiæ esse leges humanas, quæ præcepta moralia legis diuinæ & naturalis per deriuationem ab illa determinarent. Alioqui iudex homo læpe nesciret furem, homicidam, adulterum qua pœna puniret, sicut sciens, quod currendum est, sed nesciens quo cursum dirigeret, nūquam inchoaret. Hæc ideo posita sunt, vt non despiciantur leges humanæ, sed omnino teneantur necessariæ, quæ tantum bonæ sunt, inquantum diuinæ legis rectitudinem & iustitiam imitantur.

S.Thom.1, 2.q.95.ar. 1.in corp.

Num.15.

Iosue 7.

CXCVII *Propositio tertia.*

Tertia propositio. *Quamuis omnia peccata mortalia & maxime publica sint à quolibet fideli detestanda, non tamen omnia possunt puniri lege humana.* Primam partem conclusionis suppono. Alteram probo sic. Isidorus 5. Etym. c. 21. dicit, quod lex debet esse honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem, patriæ, loco, temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate ciuium conscripta. Ex hoc ergo quod lex debet esse possibilis secundum naturam & consuetudinem patriæ, & ex hoc quod pro communi omnium fertur vtilitate, deducitur conclusio sic. Lex ponenda est hominibus secundum eorum conditionem, ergo secundum diuersos hominum mores, diuersæ leges sunt ferendę, imo secundum varietatem temporum sunt mutandę. Cum igitur non sit eadem conditio perfectorum & imperfectorum, & aliqua sint possibilia perfectis, quę non imperfectis, legislator, qui multitudini præest cui & fert legem, in qua communiter maior pars est imperfectorum, cuius intentio est ciues facere bonos, possibilia multitudini debet præcipere, alioquin faceret eos deteriores, cum transgrederentur perfectionis præcepta. Ille ergo prohibet à quibus possibile est faciliter multitudinem abstinere, & quæ vertuntur in nocumentum communitatis. Alia vero, quæ non sunt huiusmodi, tolerat & permittit. Hæc ex Thom. 1.2.q. 95. *art. 3.* in corpore. Si vero multitudini, in qua maior pars regulariter est imperfectorum, difficilia præciperet, & leuiora aut minus grauia prohiberet, quia nimis vellet emungere, eliceret sanguinem rebellionis & contemptus, aut turbationis pacis. Quod si vinum nouū, id est præcepta perfectæ vitæ, mittatur in vtres veteres, id est, in homines imperfectos vtres rumpuntur, & vinum effunditur: id est, præcepta contemnuntur: & homines ex contēptu ad peiora mala prorumpunt. Hæc ex sancto Doctore accipiuntur. Vnde furta, homicidia, adulteria, &c. quæ conturbant politiam, & à quibus multitudo faciliter abstinere potest, humana & ciuilis lex prohibet. simplicem autem fornicationem, aut simplex meretricium, si fiat vis in verbo, licet sit peccatum mortale, & diuinæ maiestatis offensiuum tolerat. Nam per ipsum non turbatur politia, nec plebium multitudinem lusibus, deliciis & voluptatibus deditam facile est abstinere. Dicit enim Hieronymus in epistol. ad Oceanum, *venter mero æstuans, cito despumat in libidines.* & quidam, *proximus*, ait, *à Libero patre intemperantię gradus est*, imo punitio pœnalis huius peccati occasionem daret maioribus criminibus & pareret in politia graue scandalum. Item Augustinus de hoc peccato loquens, libr. de ordine, vt Thomas refert, ait: *aufer meretrices de rebus humanis; turbaueris omnia libidinibus.* Item de tolerantia Iudæorum scriptum est Psalm. 58. *Dominus ostendit mihi super inimicos, ne occidas eos.* & tamen sunt mali, igitur, &c. De hac vero tolerantia sic dixit Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 11. in corpore: *Humanum regimen deriuatur à diuino, & ipsum debet imitari. Deus autem quamuis sit omnipotens & summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerso, quæ prohibere posset, ne eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur, sic ergo in regimine humano illi qui præsunt recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona tollantur, vel etiam ne aliqua peiora mala incurrantur.* Allegat ibi Augustinum lib. de ordine dicentem: *Aufer meretrices, &c.* vt supra: *sic ergo infideles tolerari possunt, quamuis peccent, propter aliud bonum quod eis prouenit, vel propter aliquod malum quod vitatur. Ex hoc autem quod Iudæi ritus suos obseruant, in quibus olim præfigurabatur fidei veritas, quam tenemus, hoc bonum prouenit, quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi figura nobis repræsentatur quod credimus, & idem in suis ritibus toleratur. Aliorum vero infidelium ritus qui nihil veritatis aut vtilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, scilicet, ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset prouenire, vel impedimentum salutis eorum qui sic tolerati conuertuntur paulatim ad fidem: propter hoc enim etiam hæreticorum & paganorum ritus aliquando Ecclesia tolerauit, quando erat magna infidelium multitudo.* Hæc ille. Item Gregorius dicit de Iudæis. & habetur in decreto, distinction. 45. cap. *Qui omnes festiuitates suas, sicut hactenus ipsi & patres ipsorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant obseruandi celebrandique licentiam.* Item Augustinus primo de libero arbitrio dixit: *Lex humana non potest omnia quæ male fiunt punire, vel prohibere, quia dum auferri vellet omnia mala, tollerentur etiam plura bona, & impediretur vtilitas communis:* Propterea idem eodem libro ait: *Ista lex quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedit atque impunita relinquit, quæ per diuinam prudentiam vindicantur:* neque enim quia non omnia facit, ideo quæ facit improbanda sunt, verum, si non omnia mala publica possit pœnaliter punire, tamen prohibet omnia, & punit quæ vergunt in aliorum nocumentum in politia. Nam Augustin. vt Alexander recitat in suo 3. ponit in lib. de decem chord. differentiam inter flagitiosos & facinorosos, & dicit, quod flagitiosi sunt qui peccāt in se, facinorosi vero qui peccant in alios, eis nocendo. Et contra tales qui nocent proximis, datæ sunt leges, vt ciro de mediis rapiantur, vt scilicet sint velut membra putrida in corpore societatis humanæ. Et ideo à societate sunt abscindendi, propterea sic dicit Isidor. 5. lib. Etym. *Factæ sunt leges, vt eorum metu humana coerceatur audacia, turaque sit inter improbo*

S.Tho.1.2 q.95.ar.3. in corp.

Prou.30. Matth.9.

1.2.q.96. ar.2.ad 2.

Hieron.

Lib.2.c.4. S.Th. 2.2. q.10.ar.11 in corp. Psal.58.

Lib.11 epi. 15.c.3. syncera.

Lib.1.ca.5.

Cap.10.

Isid.libr.5. c.10.

innocentia.

innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas. Cogit interdum lex humana nonnullos legem Euangelicam obseruare, secundum quos dicitur Luc. 14. *Exi in vias & sepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Et hoc testatur B. Augustinus ad Vincentium Donatistam, dicens: *Hæc autem primitus sententia mea erat, neminem ad vnitatem Christi esse cogendum: verbo enim agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuersa est, quam nunc videmus ita huius vestræ animositatis perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur.* Et commemoratis aliis pluribus, subiungit: *His omnibus terror legum, quibus promulgandis Reges seruiunt Deo in timore, ita profuit vt nunc alij dicant: iam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit, & dilationem mortulas amputauit. Alij dicant: Hoc esse verum iam sciebamus, sed nescio qua consuetudine tenebatur: Deo gratias, qui vincula nostra disrupit, & nos ad pacis vincula transtulit. Alij dicant: Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam cognoscendam metus fecit esse intentos, quo timuimus, ne forte sine vllis rerum æternarum lucru, damno rerum temporalium ferirentur: gratias Domino, qui negligentiam nostram salubri terroris excussit. Alij dicant: Nos ex ipsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nescieramus nisi intraremus, nec intraremus, nisi cogeremur: gratias Deo, qui trepidationem nostram flagello abstulit, experiendo docuit, quam vana & mœnia de Ecclesia sua mendax fama iactauerit. Alij dicant: Putabamus quidem nihil interesse, vbi fidem Christi teneremus: sed gratias Deo. qui nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur, ostendit. Seruiant ergo reges terræ Christo, leges edendo pro Christo.* Hæc Augustinus.

Augustin. epist. 48.

Quomodo se habere debeat lex ciuilis circa Meretrices.

Ex quo sequitur, quod illa mala quæ lex humana permittit ad vitandum maius malum, & maxime illa quæ sunt circa delectationes tactus, gustus, & olfactus, sicut est simplex fornicatio, & magis proprie loquendo, simplex meretricium, tenetur pro posse restringere, puta, quantum ad locum, vt Meretrices non sint in loco honesto ciuitatis, sed in loco quasi sterquilinij, vbi sunt purgamenta ciuitatis. Nec sint in locis priuatis, ne inuerecundius peccetur, sed in loco publico. Et melius videtur fortasse, vt in suburbiis ciuitatum. Quantum ad progressum, nec currere permittantur per vicos & plateas ciuitatis, non tabernas aut comessationes cū viris frequentare. Quantum ad ornatum, ne pretiosis vtantur vestimentis, ne auro vel argento capita fulgeant, non intortis crinibus, non intrinseca capillatura videantur ab hominibus, non tunicæ manicas ad terram habeant, non redimicula mitrę, ne, vt quidam loquitur, videantur Ideæ Berecynthiæ matris. Sicque per legem humanam ciuilem fieri debet, vt non sicut licitum, hęc pestis maneat in vrbibus, sed tanquam malum, licet minus, ad vitandū maiora, ita vt quātum possibile est, insolentia reprimatur, nec in loco permittantur meretrices manere ad quem pateat aliunde licitus accessus: propellantur ergo omnino à domibus mechanicorū, stufarum, & locis balnealibus, ne sub prætextu alicuius liciti peccetur licentius: quinimo nec permittantur simili habitu vti, vt honestæ mulieres. Teneatur insuper lex ciuilis delectationes gustus temperare pro posse, scilicet, ne tabernas viri scuriliter, & sic ingurgitando frequentent, nec illuc taxillarij aut alij accedant. Nec pateat illic fœminæ suspectæ accessus. Ne tabernarij vina sophisticent, ne ad eas accedentibus falsa offerant irritamenta malorum: Et generaliter posset prohibere humana lex & punire omnia peccata mortalia publica, à quibus facile est multitudinem abstinere, tribus concurrentibus, scilicet iurisdictione, conuictione & pace salua. de quibus dicetur infra: alia tolerat & permittit propter quid, bonus legislator, vt ædificatores in Lesbia insula. Est enim Lesbia insula, in qua regula plumbea ædificare oportet, eo quod sunt ibi durissimi lapides cirius malleo frangibiles, quam vt possint eorum nodi rectificari. Itaq; regula ibi ædificantium plumbea est, vt ad durissimos lapidum nodos flectatur, & rursus rectificetur. non omnes, sed enormes tortuositates deuitans. Hæc est doctrina principis Peripateticorum Aristotelis, Arist. 5. Ethic. A quo sicut à cæteris, vt ait Augustinus, tanquam ab iniustis possessoribus Catholi-

Circa tabernas.

Lesbia insul.

Arist.l.b.5 Ethi.c.10.

ci possunt extorquere veritatē: sic seruit Domino in timore lex humana. Sic tamen discat à lege Domini lex humana, vt non puniat omne peccatum mortale quod fit in hoc seculo.

S.Thom. lect.16. Augustī. cxcviii. Lex humana aliqua crimina potest punire mortis supplicio;

Et tamen aliqua crimina licite potest puniri mortis supplicio. Nec in hoc contradicit Euangelicæ legi, vt proponēs exposuit. Probatur hoc sic: glos. interlinearis super illo Exodi 20. *Non occides*, dicit, *iudex occidit reum, sed lex quæ iubet.* innuens quod auctoritate iustitiæ hoc liceat, quia si nulla auctoritate liceret, superflue dixisset, *sed lex*: hæc glossa non est præcepti iudicialis nec mortui, sed moralis in lege gratiæ manentis in vigore. Nam secundum quod dicit Rabbi Salomon vt recitat Nicolaus de Lyra, in isto præcepto homicidium tantum prohibetur, propter quod imponitur pœna mortis. Alia vero mala quæ corpori aut rebus possūt inferri, prohibentur aliis præceptis iudicialibus. Item scriptū est Prou. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Deus autem potest occidere, cum sit auctor vitæ, & mortis habeat imperium, ipso dicente Deut. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam & ego sanabo.* Ergo reges quibus ipse concessit regnare, hoc possunt facere per iustitiam, scilicet, mortem inferre. Item ad Rom. 1. dicitur de committentibus grauia mortalia, *qui agunt talia, digni sunt morte.* Sed de iudice dicitur in 13. quod Dei minister est, ergo quos Deus iudicat ad mortem, potest iudex licite interficere. Et maxime illos qui per legem diuinam adiudicandi sunt morti, secundum quod dicitur Luc. 19. *Inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interfecite ante me.* Item ad Rom. 13 dicitur de temporali principe: *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram qui malum facit.* Ergo male facit occidendo non peccat, cū facit auctoritate iustitię, quia Dei minister est. Cyprianus super illo Deut. 13. *Si audieris in vna ex ciuitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illa, dicentes: Eamus, seruiamus diis alienis quos non nosti, interficies necabile omnes qui sunt in ciuitate cade gladij*, dicit: *Huius præcepti memor Mattathias, 1. Mach. 2. interfecit illum qui super altare sacrificabat.* Si ante aduentum Christi hæc præcepta sunt, quanto magis post aduentū Christi sunt obseruanda? Et si dicitur quod non est obseruandum hoc præceptum, quia iudiciale, & per consequens mortuum. Esto, quod ea ratione, quia iudiciale erat, non sit seruandum, tamē ea parte qua in noua lege fundamentum habet, sicut expositum est ex verbis Apostoli ad Roma. 1. & 13. Et sicut statim patebit in verbis Saluatoris implicite contentum, licite potest impleri. Amplius B. Augustin. dicit: *Cum quis iuste occiditur, lex occidit, non tu:* ait ad iudicē: Rursus dicit Hieronymus ad Riparium: *Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas*: & quod de punitione vltimi supplicij scilicet mortis intelligat, apparet, quia præmisit: *Legę vindictam Phynees, austeritatem Heliæ, zelum Simonis Cananei, qui in duos magos Zaroe & Arfaxat ignitos serpentes extorsit, Petri seueritatem Ananiam & Saphiram trucidantis, Paulique constantiam, qui Elymam magum æterna cæcitate damnauit.* Et tunc subiungit: *Non est crudelitas, &c.* Et post hæc verba subiungit: *Vnde & in lege dicitur: Si frater tuus & amicus, & vxor quæ est in sinu tuo, deprauare te voluerint à veritate, sit manus tua super eos, & effunde sanguinē eorum, & auferes malum de Israel.* Item August. in serm. Domini in monte, ait: *Helias multos morte affecit, & propria manu & igne diuinitus impetrato, quem constat Spiritu sancto repletum, sic dicitur Luc. 1. de Ioanne Baptistā, ipse præcedit ante illum in spiritu & virtute Heliæ, & alij multi magni & diuini viri eodem spiritu consulendis rebus humanis non temere id fecerunt.* Item idem in eodem: *Verbis Apostoli Petri Ananias & vxor eius, sicut in Act. Apostol. legimus, exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti.* Ex quo sumitur ratio, quod si in plenitudine temporis nullum liceret occidere, Petrus aut non occidisset, aut, vt communiter dicitur, sententiam mortis non promulgasset.

Augustī. in quæst. Leuitici 46 & ad cap. 16. S. Hier. ep. 53. aduer. Vigilant. Num. 15. 3. Reg. 18. Abd. lib. 6. Act. 5; Act. 13. Lib. 1. de vera medit. Luc. 1. Act. 5.

Adduco pro hac parte rationes Alexan. de Ales doctoris irrefragabilis. Prima, si ex iustitia leuiores pœnæ inferendæ sunt alicui pro culpa aliqua, cum ipse per illas nōdum corrigitur, sed addit præteritæ culpæ contumaciam, manifestū est ꝙ cum cōtumacia est grauis peccatū, ꝙ merito contumaciæ debet crescere pœna, aut contumacia remanebit impunita. Quia ergo crescere potest quantūliber cōtumacia, crescere potest de iure quantūliber & pœna. Quare necesse est, vt ipsa vel sit mors corporalis, vel æqualis illi, cū mors corporalis nō sit pœna infinita. Per hanc aūt viam à flagellis leuibus

Probatur per rationes.

1 Par. 3. q. 47. memb. 4. art. 2.

2

venitur ad gratia, à grauibus ad vulnera, ab illis ad tormẽta, à tormentis ad ipsam mortẽ, per similia cõtumaciæ tormẽta.

Secunda ratio: cum proportionales sint culpæ & pœnæ illis debitæ: si ergo alicui culpæ debetur flagellatio, maiori culpæ duplo maior flagellatio debetur. Et sic in decuplo, & centuplo, & tanta poterit esse flagellatio, quod inducet mortem, sequitur ergo de necessitate, quod mors corporalis pro aliqua culpa potest infligi.

In plerisq; sensus magis quam verba citantur.

3

Tertia ratio: occidens hominem iniuste, aut puniendus est pœna mortis, aut minori. Si primum, habetur intentum. Si pœna minori, aut finite minori, aut infinite. Non secundum, quia non seruaretur æqualitas pœnæ ad culpam, cõtra illud: *Secundum quantitatem delicti erit & plagarum modus*, & cõtra illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Si finite minori, adhuc idem: Et sicut dum quis damnificauit aliquem in mille marcis, nõ sufficienter puniretur restituẽdo vnam, sic nec in proposito.

Deut. 25. Apoc. 18.

4

Quarta ratio: Aut mors corporalis maior est omni culpa, aut non. Si primum, ergo iniustus est Deus, qui eam inflixit toti generi humano pro comestione fructus ligni scientiæ boni & mali. Iniustus est Christus, qui eam inferet Antichristo, sicut dicitur 2. Thess. 2. *Quem Christus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Si secundum, ergo inferri potest licite pro aliqua culpa: nec valet quod dicunt Dominum Matth. 5. dixisse. *Ego autem dico vobis non omnino resistere malo.* Nam sicut dicit August. Non prohibetur vindicta quæ fit ad correctionem. Et iterum idem ait ibidem. *officia vindictæ possent bono animo imperari, quomodo iudex, quomodo lex.* intelligetur ergo prohibita in iuria personalis vindicanda libidine vindictæ, non de iniuria Dei vel Ecclesiæ vindicanda zelo iustitiæ: Nec illud quod allegant ex *Matth.* 13. de prohibitione eradicationis zizaniorum, valet, nam hoc fecit Dominus vt parceretur tritico, nõ vt parceretur zizaniis in detrimentum tritici. Ideo vbi crescunt zizania in detrimentum tritici & suffocationem, nullatenus crescere finẽdi sunt, sed si opus est per mortem corporalem vindicandi. Rursus nec prohibuit Dominus simpliciter eradicationem zizaniorum, sed eradicationem generalem dubiam & suspectã, ne scilicet de ambiguo iudicemus, vt est inter lolium & triticum dum sunt in herba. De isto inferius aliqua dicentur: dicit ergo Alexander. Maleficus potest interfici duplici de causa, aut quia homo, aut quia maleficus. Si interficiatur quia homo, interficitur odio personæ, & hoc prohibetur cum dicitur, *Non occides*, quia maleficus occiditur odio malitiæ & amore iustitiæ. Et tunc distinguendum: Aut occiditur ab illo, qui habet auctoritatẽ, vt à principe seculari, & hoc non prohibetur ibi, *Non occides.* Aut ab illo qui non habet potestatem, & sic prohibetur, cum dicitur: *Nõ occides.* Nõ est ergo illicitum occidere maleficum in eo quod maleficus, ab eo qui habet auctoritatem, imo in hoc ille est Dei minister. Teste B. Hieron. lib. 4. super Ezechielem, dicentem: *Qui malos percutit in eo quod sunt mali, & habet vasa interfectionis id est potestatem vt occidat pessimos minister Domini est.* S. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 2. & 3. in corpore Determinat quod peccatores possint iuste occidi pro salute totius Reip. ad quem quilibet comparatur vt pars, vnde sicut membrum putridum pro salute corporis licite potest à corpore abscindi: Sic peccator periculosus Reipubl. & infectiuus, qui verisimiliter nõ potest sanari propter salutem boni communis, laudabiliter & salubriter occiditur: modicum enim fermentum totam massam corrumpit, 1. *Cor.* 5. Hostiensis in summa. lib. tit. 25. idem dicit in substantia quod Alexander & Thomas, & rursus de eodem. 6. *lib.* 14. de Lyra idem sentit Exod. 23. *Insontem & iustum non occides.* Ex verbis enim suis potest hoc elici, & in hoc cõcordant Doctores. vnde nescio vnde venerit hæc adinuentio, nisi vt maior licentia detur, fingere volentibus noua: Tanta de lege humana dicta sunt, quia proponens in articulo suo videtur eam negligere, quo correctionem, castigationem, expulsionem peccatorum publicorum, aut parui pendere, imo contemnere in quodã notabili, vbi dicit: *Ne autem aliqua ex isto dicti modis, peccata castigandi aut corrigendi, occasionem accipiant secundum iudicialia legis, pro nunc obligantia, aut secundum humanas leges, legi Euangelicæ dissonas, reos mortis supplicio puniendi: illud præmissis adiungimus.* vbi videtur dicere eas legi Euangelicæ dissonas, plectere mortis supplicio, cum tamen audiueritis Saluatorem nostrum hoc facturum in Antichristo, Petrum fecisse, aut à Domino factum promulgasse in Anania & Saphira; audiueritis auctoritates Veteris & Noui Testamenti, & doctorum sanctorum cum rationibus difficilibus Alexandri.

Maleficus duplici de causa potest occidi. Alexan. de Ales p. 3. q. 54. mẽb. 1. art. 3.

Hier. lib. 3. super Ezechiel. in c. 9. Item 23. q. 5. Qui malos. cap. 29.

1. Cor. 5. Hostiensis.

Exod. 23.

Iam ad eorum intentionem magis accedo, ponens hanc vnicam conclusionem: *Licet omnia peccata mortalia sint diuina lege expresse vel implicite prohibita, non tamen omnia peccata mortalia publice ab homine sunt, ex dictamine huius legis, pœnaliter per iudicium punienda.* Prima pars conclusionis nota est, secunda probatur: Deus qui est iustissimus iudex, aliqua in lege veteri permisit, multo ergo magis habet homo permittere, cuius potentia executiua est remissior lege diuina præceptiua, aut prohibitiua. Patet assumptum primo, Moyses occidẽdo Ægyptium peccauit. Nam Augustinus contra Faustum loquẽs de illo, & etiam de Petro qui abscidit auriculam Malchi sententialiter dicit, quod vterq; nondum regimen assumserat, hic synagogæ, iste Ecclesiæ: vterque non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiæ regulam excessit, vterque odio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccauit. tamen illud peccatum Moysi non legitur à Domino punitum, imo postea ducatum populi Hebræorum ab eo accepit. Itẽ vsura est de se mala. sed licet Deus possit facere de re non tua quod sit tua, quia est Dominus vniuersorum, tamen fieri non potest, vt quod habetur in se conuolutam malitiam, licite fiat. Cũ ergo vsura, in ratione vsuræ habeat in se conuolutam malitiam, licite fieri non potest: tamen in lege veteri non puniebatur, imo ad extraneos permittebatur. *Deut. enim* 23. scriptũ est: *Non fœneraberis fratri tuo ad vsuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*, hoc vero, *sed alieno*, non dicitur velut præcipiendo aliquid iusto, sed permittendo infirmo: Poteram allegare de repudio vxoris in veteri lege, quod vtiq; permittebatur. & vt communius doctores tenẽt, erat peccatũ mortale, propter varietates opinionum, dimitto. Item inquisitio, seu inuestigatio de adulterio, per sacrificium zelotypiæ, si hoc non ex zelo iustitiæ, ac reuerẽter, ac cum supplicatione fieret, erat peccatum mortale publicum, tamen non puniebatur, imo in lege illa. *Num.* 5. lex sacrificij zelotypiæ fuit instituta in hunc modum: *Si spiritus zelotypiæ concitauerit virũ contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falso suspicione appetitur: Adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro ea, &c.* erat ibi duplex actus, vnus sacerdotis, qui secundum diuinam institutionem quasi coactus offerebat, ne vir peius faceret, putans se sua suspicione relictus, vxorẽ interficeret. Et iste actus erat acceptus Deo & approbatus. Alius actus erat spiritu zelotypiæ concitati. & hic si sine præsumptione probabili, aut ex inuidia, vel alio inordinato affectu procedebat, erat malus, tamen permissus à Deo, non approbatus. arguit ratio. Itẽ occisio filiæ Iephte fuit mortale peccatum publicum, dicit enim canon Isidori 22. q. 4. *In malepromissis rescinde fidem, in turpi voto nouta dere tũ quod incaute vouisti, ne facias, impia est promissio quæ scelere adimpletur.* Non tamen legitur à Deo fuisse punitum. Quod aũt fuit peccatũ, patet aliunde. Ad hoc quo iuramẽtum sit licitũ requiruntur tres comites, scil. iudicium, iustitia & veritas sicut scriptum est Ier. 4. *Iurabis, viuit Dominus, in iustitia, iudicio & veritate;* promissio aũt illa caruit iudicio discretionis, & fuit eius impletio iniusta & impia. Item Sap. 11. scriptum est: *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* & post pauca: *Parcis autem omnibus, quoniã tua sunt Domine, quia amas animas.* Ex quo patet, Deũ non semper punire propter peccata, sed parcere aliquãdo. Itẽ Ezech. 33, dicitur: *Si dixero impio; morte morieris, & egerit pœnitentiã à peccato suo, fecerit q; iustitiam & iudicium.* sequitur: *vita viuet, & non morietur; omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei.* Item glo. ord super illo Psal. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt dispergerem de ciuitate omnes operantes iniquitatem.* dicit sic in persona Christi: *tempus misericordiæ est, nox est, nondum omnia sunt manifesta in hac nocte, abundant tentationes, in qua pertranseunt bestiæ siluestres, & catuli leonum, id est, diaboli quærunt escam sibi. In hac ergo nocte parco, tolero, corrigo, sed in matutino cum dies iudicij aduenerit, & erunt omnia aperta, quæ modo sunt occulta, interficiebam omnes peccatores terræ, id est, omnes mali mittentur in ignem æternum, vel interficiebam, id est, puniebam in matutino iudicij interficiendos.* Nam Nicol. de Lyra dicit super illo Exod. 21. *Si*

CXCIX.

Propositio quarta.

Aug. lib. 22 c. 70. cont. Faustum.

Deut. 23.

Cap. 5.

Hierem. 4.

Sap. 11.

Eze. h. 33.

Psal. 100. ex. S. Aug.

Exod. 21.

quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo auellis eum vt moriatur, pœna homicidij intelligitur de interfectione Iudæi ideo dicitur, occiderit proximum suũ, non intelligitur de interfectione gentilis. Ex ait, vt dicit Rabbi Solomon qui per insidias occidebat, interficiebatur, & extrahebatur si ad ipsum confugisset, de altari, &c. Si sacerdos occidisset, extrahebatur, nisi officium ministrandi incepisset, quo casu expectabatur complementum ministerij, quo peracto trahebatur ad mortem, & sic locus sacer erat refugium in aliquibus casibus, inter quos erat homicidiũ gentilis, quod erat mortale, & interdum publicum, tamen non puniebatur, si homicida confugisset ad altare.

CC.

Probatur ex testimonijs legis nouæ. Ioan. 8.

Tertio probatur conclusio ex testimoniis legis nouæ, Ioan. 8. Dominus & saluator noster dixit mulieri in adulterio deprehensæ sibi oblatæ: *Nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo*, nocentem in misericordia indamnatam remisit. Cum ergo Christi actio nostra sit instructio, vt allegauit proponens articulum de cõmunione diuinissimæ Eucharistiæ, aliqua crimina sunt ab homine misericorditer relaxãda, per iudicium, vel non punienda. Præterea peccatum Samaritanorum nolentium recipere Iacobum & Ioannem, fuit mortale & notorium, tamen non fuit punitum. Nam cum indignati discipuli dicerent: *Vis ignis descendat de cœlo, & consumat eos?* Respondit Dominus: *Nescitis cuius spiritus estis filij.* Luc. 9. Amplius de zizaniis seminatis in agro quæ serui volebant eradicare, & dicebant: *Vis imus & colligimus ea?* Dominus respõdit: *Ita sinite ea crescere vsque ad messem, ne colligentes zizania simul eradicetis cum eis & triticum*, Matth. 13. Ex qua parabola apparet, quod mali tolerandi sunt inter bonos, donec sine periculo bonorum poterunt ab eis separari, quod erit ad messem finalis iudicij. Sic enim ipse Dominus Iesus illam exponit, dicens: *Ager est mundus, semen hi sunt filij regni, zizania filij nequã, Messis vero est consummatio seculi, messores Angeli.* Rursus scriptum est vbi supra, Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti, quæ cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bones in vasa sua, malos autem foras miserunt.* Regnum cœlorum est militans Ecclesia, & hæc est similis sagenæ missæ in mari tempestuoso huius mũdi: habet pisces bonos & malos, hoc est, iustos & iniustos.

Luc. 9.

Matth. 13.

Abac. 1.

Nam Abacuc primo: *Facies hominum quasi pisces maris.* implebitur illa sagena dum erit completus numerus electorum, educetur, cũ de vita corruptibili transibit ad incorruptibilẽ, quod fiet in consummatione seculi, bonorum piscium in vasa recentia, & electio malorum, & iustorum præmiatio in regno Dei & impiorum tortura, & compedes, ac alia Gehennæ supplicia. & hæc omnia patent ex expositione Saluatoris, qui ait: *Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli & separabũt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium.* Ergo vsque ad consummationem seculi in sagena Ecclesiæ militantis erunt simul boni & mali. Vnde super illo sic dicit Gregorius, vt Thomas in expositione Ecclesiæ recitat: *Sancta Ecclesia sagenæ comparatur, quia & pisces oribus est commissa, & per eam quisque ad æternum regnum trahitur à præsentis seculi fluctibus, ne æternæ mortis profundo mergatur, quæ ex omni genere piscium congregat, quia ad peccatorum ventum, sapientes & fatuos, liberos & seruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos vocat.* Post pauca sequitur: *sicut enim mare seculum, ita seculi finem signat litus maris, in quo in fine boni pisces in vasis eligentur, malij proijcientur foras, &c.* Nunc enim bonos malosque communiter quasi permixtos pisces fidei sagena cõtinet, sed litus indicat sagena Ecclesia quid trahebat. Et hoc est quod Hiero. dicit, vt Thom. recitat, *dum sagena extrahetur ad litus, tunc verum discernendorum piscium signum demonstrabitur.* Item id patet in nuptiis quas fecit Rex regum Deus pater filio suo, in quibus vocati sunt boni & mali, & impletæ nuptiæ iustis & iniustis Nam dicitur Matth. 20. *Egressi serui congregauerunt omnes quos inuenerunt, bonos & malos*, quia in Ecclesia militante admixti sunt boni cum malis. Sic ergo in Ecclesia militante sunt boni & malisted in Ecclesia triumphante solum boni; propterea cũ Dominus intrasset, quod erit generaliter in finali iudicio, & particulariter in morte cuiusliber hominis, & vidisset hominem non habentem vestem nuptialẽ scilicet caritatis, Rex præcepit eum eiici, & mitti in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium: Et quod simul sunt boni & mali in Ecclesia militante, dicit sponsus Canticorum 1. *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Item Matth. 25. dicit ipsa veritas. *Simile est regnum cœlorum decem virginib. quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ, quinq; autem erant fatuæ, & quinq; prudentes. Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum in vasis suis, cum lampadibus:* Regnum hoc cœlorum non est Ecclesia triumphans, quia ab ea nullus fatuus recipitur: Est igitur Ecclesia militans, in qua sunt virgines prudentes & fatuæ, igitur boni & mali, ergo non omne peccatum etiam publicum de ea pellitur aut excluditur. Præterea Apoc. 2. scriptum est Angelo Ephesi Ecclesiæ, *memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, veniam tibi, & mouebo candelabrum de loco suo nisi pœnitentiam egeris.* In angelo, &c. Præpositum & Episcopum Ecclesiæ Ephesinæ intelligere debemus, secundum quod scriptum est Malachiæ 1. *labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem de ore eius requirunt, quia Angelus Dominiexercituum est.* ipse peccauerat, & tamen non expellitur à Ioanne. Sed monetur. Isidorus autem super eodem textu ait: *Præpositus lapsus in vitium monetur vt memor sit vnde ciderit, & pœnitentiam agat, & priora opera faciat, vt non moueatur candelabrum eius. Nam candelabrum doctrina sacerdotalis, vel honor potestatis quem gestabat intelligitur*: malus ergo interdum præpositus est in Ecclesia militante. Non ergo statim post quam malus, est compellendus, imo sustinendus ad tempus, & tale vitium esse posset, quod puniendus & expellendus esset de officio, per eum ad quem spectat, & tale quod permittendus, vt postea videbitur. Præterea super maledictione ficus, quæ tribus annis fructum non attulit, dicit beatus Augustinus lib. de verbis Domini sermone 31. *Arbor ficulnea est humanum genus, tres anni, in quibus illa non fecit fructum, tria tempora sunt: vnum ante legem: alterum sub lege: tertium sub gratia, in quibus humanum genus, quantum ad multos, infructuosum fuit, puta sine meritoriis operibus: maledictio est illa diuina sententia, quæ in finali iudicio fulminabitur*: hæc ille. Tertio anno, scilicet tempore legis Euangelicæ dimittitur & non præcinditur. Nam Luc. 13. per cultorem vineæ dicitur, *dimitte eam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora*, post tres annos succiditur, quia post seculum peccator aridus, sola folia, non fructum boni operis habens, in ignem æternum mittitur: Parcit ergo Dominus multis in Ecclesia existentibus, ergo & homo parcere debet, & non nulla mala permittere siue tolerare ex causa.

Matth. 13.

In 13. cap. Matth.

Matth. 20

Cantic 1. Matth. 25.

Matth. 23.

Aug. hom. de verbis Domini. 31

Luc. 13.

CCI.

Ex praxi Christi. Esa. 53. Gregor. hom. 18.

Ex praxi Christi apparet, quoniam peccata in illum commissa patientissime sustinuit. De eo enim Esa. 53. scriptum est. *Tanquam agnus ad occisionem ductus, coram tondente se non aperuit os suum.* De cuius patientia quo ad proprias iniurias, ait beatus Gregorius homilia 18. super illo Ioann. 8. *Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat & iudicet. Illatas contumelias patris inducio reseruat, vt profecto nobis insinuet quantum nos patientes esse debemus, dum se adhuc vlcisci non vult ipse qui iudicat.* Item non contentus Scribas & Pharisæos non puniri, ex abundantia caritatis suadet turbis vt obediant ipsis, quanquam multa mala publica committerent, dicens illis Matth. 22. *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite.*

CCII.

Ex praxi Apostolorum. Act. 6.

Ex praxi Apostolorum manifesta est conclusio. Nam illi multa mala viderunt, nec puniuerunt omnia, quantum ex sacro codice potest perpendi. Legitur Actuum 6. murmur factum fuisse Græcorum aduersus Iudæos, quod viduæ eorum despiciebantur in quotidiano ministerio. Nec hoc legitur iudicialiter aut per pœnas iustitiæ punitum, quamuis esset publicum: leguntur contentiones fuisse & zeli ad inuicem inter Corinthios, non tamẽ legitur hoc peccatum pœnaliter fuisse punitum. Item erant aliqui pseudoapostoli, & illi erant publici peccatores, tamen illos permittebat Apostolus, quia quamuis bene docebant, tamen malo animo faciebant, quidam propter inuidiam, quidam propter cõtentionem, dicitur enim ad Philip. 1. *quidam propter contentionem & inuidiam, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quidam ex caritate, scientes, quoniam in defensione Euangelij positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincere, existimantes se pressuram suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omnimodo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur.* Maledictiones etiam in Apostolo erant peccata publica, nec tamẽ puniebantur, ad eorum saltem in-

1. Cor. 1.

Phil. 1.

stantiam; imo dicit, 1. Cor. 4. Apostolus, *maledicimur, & benedicimus, blasphemamur & obsecramus.* Rursus contradictio Iudæorum verbi Dei, erat peccatum mortale publicum, nec legimus Apostoli eos punivisse pœna iustitiæ positiva. sed solum privativa, quia dixerunt, *oportebat vobis primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, Ecce convertimur ad gentes. Sic enim Dominus præcepit nobis.* De aliis sanctis idem ostendit sancta mater Ecclesia, quorum patientiam in tormentis, absque in torrores contemptu aut indignatione, pulcherrimo metro canit suauiter, cũ ait: *Ceduntur gladiis moventium, non murmur resonat non querimonia sed corde tacito mens bene conscia, conseruat patientiam.*

Act. 13.

CCIII. *Ex authoritate sacrorum canonũ dist. 50. c. 25) in epist. ad Bonifac. 50. vt constitueretur 1. quæst. 7. Quotiens 13. 23. q. 4. forte c. 11. Aug. ser. 24. de verbis Apostoli. Gal. 6.*

Dehinc authoritatibus sacrorum canonum probatur cõclusio, ostendendo enim quomodo rigor iustitiæ debeat tẽperari ex peccantium multitudine, ait S. Augustinus Bonifacio, & habetur I. di. ca. vt constitueretur, *verum in huiusmodi causis, vbi per graues dissensionum scissuras nov huius aut illius hominis, est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid severitati, vt maioribus malis sanandis syncera caritas subueniat.* Item 1. quæst. 6. cap. Quotiens dicit Innocentius epist. 22. *Quoties à populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem vindicari non potest, inultum solet transire; prior a ergo diuinitenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcauendum* iterum 23. quæst. 4. forte: & habetur ab Augustino libro vnico de baptismo. *forte, inquit Augustinus, ibi in populo Dei stat iuxta te amarus, raptor, inhians rebus alienis, quem nosti talem, & fidelis est, vel fidelis nominatur. Non eum potes de Ecclesia pellere, non habens aliquem aditum castigando & corripiendo corrigere, accessurus es tecum ad altare, noli timere, vnusquisque onus suum portabit, sed quomodo, inquis, ferrem quem noui malum? Nonne melius est ipsum ferre, quam te foras efferre? Ecce quomodo feres, attende Apostolum ducentem, vnusquisque onus suum portabit. liberet te ista sententia.* Ex isto habetur quod ferendi sunt interdum mali. Item 23. quæst. 4. Torendi. & habetur ab Augustino lib. de verbis Domini, Dicitur enim ibi: *tolerandi sunt mali propace, necorporaliter ab eis recedatur, sed spiritualiter. Spiritualiter autem exire est facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cuiusque salua pace:* habetur hic quod pro pace saluanda tolerandi sunt quandoque mali, imo & quod à correctione malorum pro pace saluanda, est nonnunquam cessandum, Alioquin frustra addidisset, *ad correctionem pace salua.* Quod etiam interdum rigor iuris relaxetur ad vitandum contentiones, patet per illud, 1. quæst. 7. *Quoniam quidquid.* vbi Hilarus Papa sic ait: *Quoniam quidquid ab alterutra parte est iudicatum, omnium videmus peruersitate confusum, temporum necessitate perspecta hanc rationem de animus ad veniam pertinere quod gestum est.* Ibi tolerat Papa quendam ad Episcoparum assumptum suo metropolitano inscio, quia vt ait Apostolus 1. Corinth. 11. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem non habemus consuetudinem.*

Cã. 1. Augst. de verbis Domini c. 18.

1. q. 7. quoniam quidquid c. 13.

1. Cor. 11.

CCIV. *Ex authoritate Doctorum.*

Postea probatur cõclusio auctoritatibus sanctorum Doctorum, puta, non omnia peccata mortalia publica sunt ab homine, ex dictamine diuinæ legis, pœnaliter per iudicium puniendæ. Quædam enim illorum sunt, quæ sine periculo bonorum puniri non possunt ab homine, vt cum in multitudine sunt boni & mali, & non possunt discerni isti ab illis, & talia sunt permittenda ab homine, si tamen ex illa permissione non sequatur maius scandalum, quam ex punitione: Quædam sine periculo schismatis Ecclesiæ, aut grauis turbationis puniri non possunt, vt peccatum Principis, aut alterius qui sociam habet multitudinem. Quædam, & si sunt manifesta illi, cui punitio de iure conuenit, cum illa conuinci non possunt: hæc & similia per hominem non sunt punienda ex dictamine legis diuinæ: Illud vero dictamen est: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Consequenter idem in parabola de tagena matis bonos & malos pisces continente Et in nuptiis filij Regis, in quibus fuerunt boni & mali, designatur. Hæc declarario ideo facta est, ne videar fautor peccatorum, dum nitor ostendere talia non esse per hominem iudicialiter castiganda, & * ne videar agnitor conditionis Ecclesiæ militantis, ponendo in eam bonos & malos, dũ tamen sit vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.

Matth. 13.

Matt. 20.

* *Pro ne aliud exemplar habet vt, Contra epist. Parmen.*

Prima auctoritas ad probationem conclusionis est Augustini in lib. contra epistolam Parmeniani, dicentis *hæc de scriptis sanctis documenta proferimus, vt appareat facile non esse quidquam grauius sacrilegio schismatis, quia præscindendæ vnitatis nulla est iusta necessitas, cum sibi nequaquam spiritualiter nociturus malos bonis ideo tolerant, ne spiritualiter seiungantur à bonis, cum disciplinæ seueritatem considerato custodiendæ pacis refrenat, aut differt, quam tamen securitas exerit, cum apparet, sine vulnere schismatis, ad salubrem correctionem posse aliquid Ecclesiastico iudicio vindicari.* Item idem respondens circa principium 2. libri contra epist. Parmeniani Donatistæ Carthaginensis Episcopi ad illud per sequaces ipsius adductum. *Væ his qui dicunt quod nequam est bonum, & quod bonum est nequam, Qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem, qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce,* concludit post multa: *Quisquis ergo vel quod potest arguendo corrigit vel quod non potest corrigere, saluo pacis vinculo excludit, vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest æquitate improbat. firmitate supportat, hic est pacificus, & ab illo maledicto immunis, de quo dicit scriptura: væ vobis qui dicunt quod bonum est nequam, & nequam bonum, &c. omnino liber prorsus securus, penitus alienus.* porro idem respondens ad illud per sequaces Permeniani in Esaia præpositum: *Nunquid valet manus Domini saluos facere, aut aggrauauit aurem ne exaudiat? Sed delicta vestra distinxerunt inter medium vestrum & Dei. Peccauque fuerint mali inter bonos non obsunt bonis, sicut nec paleæ frumentis, donec veniat Dominus area ferens ventilabrum in manu sua, vt mundet aream suam frumenta recondat in horreum suum, paleas vero comburat igne inextinguibili, sicut non obsuit bonis tanta multitudo sceleratorum, qui per Ezechielem dicti sunt, illis videlicet qui gemebant & mærebant facinora populi quæ fiebant in medio eorum, vnde quia eos corrigere non poterant, nec ab vnitate populi Dei se vllo modo separare volebant, pro merito innocentissimo tolerantiæ suæ signari meruerunt, & in illorum perditorum vastatione atque interitu liberari,* hæc ille. Item idem in 3. lib. cõtra epistolam Parmeniani super illo verbo 1. Cor. 5. *Si quis vero frater nominatur in vobis, & sit aut fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut ebriosus, aut rapax, ne quidem cum eo cibum sumere:* dicit in sententia quod non præcipitur sola separatio cordis. Nam idem Apostolus dicit alibi: *Si quis vocauerit ex infidelibus & voluerit ire, omnia quæ vobis apponuntur manducate, nihil interrogantes,* & sic hic permittit communionem fidelis cum infideli, vt prius prohibuit communionem fidelis cum fideli peccatore, modo ab omni malo se separandum est corde, ergo plus prohibet, puta separationem corporalem, quam cum infideli permittit. Dicitur igitur in sententia Augustini quod ie separandum est à corpore ab his de quibus loquitur Apostolus, si tamen sine periculo schismatis fieri potest, ait enim in forma: Cum quis fratrum, id est Christianorum intus, in Ecclesiæ Societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt Anathemate dignus habeatur, fiat hoc, vbi periculum Schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcipit 2. *Thess. 2.* dicens, *vt inimicum non existimetis, sed corripite vt fratrem.* Non enim est is ad eradicandum, sed ad corrigendum Quod si se non agnouerit, neque pœnitendo correxerit, ipse foras exi & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ vnitate diximetur. Nam tunc non est metus eradicandi triticum. Itaque quando, vt ait Augustinus in forma, ita cuiusque crimen notum est, & omnibus execrabile apparet, vt vel prorsus nullos vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ, cum sine læsione vnitatis Ecclesiæ potest fieri vindicta, cum Ecclesia ab illo crimine quo anathematisatur, est aliena, ideo dixit Apostolus: *Si quis*: ad differentiam ab aliis notandam. Item nominatur, ad ostendendum, quod crimen est notorium & famosum. Tunc subiungit in forma, *neque enim potest esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quam dolor & gemitus, &c.* Ideo Apostolus cum iam multos comperisset in immunda luxuria & fornicationibus inquinatos, non iridem præcepit vt cum talibus nec cibum sumerent, in 2. epist. 12. cap. sicut vetarat prius. Nec dici poterat, Si quis fornicator nominatur in vobis, propter multitudinem, sed dixit, *ne iterum cum venero, humiliet me Dominus, & lugeam multos, ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia & luxuria:* aliquibus autem interpositis, dicit B. Augustinus. *Consilia separationis & insania sunt & perniciosa, atque sacrilega, quia & impia sunt & superba, & plus pertrahunt infirmos bonos, quam seruant*

Habetur etiam 23. q. 4. c. cum quisque, &c.

Cap. 1. Esa. 5.

Esa. 59.

Ezech. 9.

Cap. 2.

Ezech. 6.

2. Cor. 12.

Gregorius. *rigant animosos malos.* Item B. Gregorius super illo Deutero. 7. de septem generalibus gentilibus interimendis vsque ad interfectionem, ait, *patienter tolerandi sunt mali, vbi aliqui inueniuntur boni.* Iuxta illud dictum Abraham, Gen. 18. *Si fuerint in ciuitate Sodomorum decem iusti, non delebo eam propter illos.* Item beatus Hieron. epist. ad Dardanum ait *Ipsa metropolis tua prius Iebus, postea Salem, tertio Hierosolyma, & nunc Aelia Iebuæos expellere non valuit, sed manserunt cum eis in scandalum exemplumque vitiorum.* Hoc ipsum, quod aliqua peccata per hominem hic non puniuntur, sed Deo reseruantur vindicanda, significatum est in Dauid, qui peccatum Ioab non puniuit, sed Salomoni vindicandum reseruauit, vt quod manu forti, iudex scilicet non puniuerit, verus Salomon Christus inultum non relinquat, Insuper super isto Apostoli, 1. Cor. 5. *Auferte malum ex vobis ipsis.* In 3. lib. contra epistolam Parmeniani dicit August. in sententia, quod vbi quis impediretur separare malos à congregatione Ecclesiæ, si à se ipso auferat malum, non eis corde miscetur, atque ita spiritualiter non solum coniungitur bonis, sed etiam separatur à malis, sed quod hoc modo non sufficiat, vbi non impeditur, declarat, cum infert, aliquibus interpositis, & dicit sic in forma: *Quapropter quisquis etiam contempserit Ecclesiæ Dei disciplinam, vt malos cum quibus non peccat, & quibus non fauet, desistat monere, corrigere, arguere. Si etiam talem gerit personam & pax Ecclesiæ patitur, vt etiam à participatione sacramentorum possit quempiam separare, non alteno malo peccat sed suo. Ipsa quippe in tanta re negligentia graue malum est. Et ideo sicut Apostolis admonet si auferat malum à se ipso, non solum aufert audaciam committendi, aut pestilentiam consentiendi, sed etiam pigritiam corrigendi & negligentiam vindicandi, adhibita prudentia & obedientia in eo, quod præcipit Dominus, ne frumenta lædantur* hæc ille. Ergo si pax Ecclesiæ turbaretur, aut frumenta lædarentur, ecclandum esset à punitione pro tunc; præterea Augustin. super illo Ioann. 8. *vbi sunt qui te accusabant:* Nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo. Ait, *audiuimus vocem iustitiæ quia dixerat Dominus, Qui vestrum est sine peccato, primus in illam lapidem mittat. Audiamus vocem misericordiæ: dixit ei Iesus, Nec ego te condemnabo, à quo forte, te condemnari timuisti, quia in me peccatum non inuenisti, nec ego te condemnabo. Qui est Domine? Fautes ergo peccatis? non plane. Attende quod sequitur, vade & iam amplius noli peccare. Ergo & Dominus damnauit peccatum, non hominem. Nam si peccatorum fautor esset, duceret, vade, vive vt vis, de mea liberatione esto secura. Ego te quantumcunque peccaueris te ab omni pœna, etiam gehennæ & inferni tortoribus liberabo. Non hoc dixit, intendant ergo qui amant in Domino mansuetudinem & timeant veritatem, Etenim dulcis & rectus Dominus.* Amplius B. Ambros. super eodem sic dixit ad Studium epist. 76. *Exierunt scilicet qui accusabant adulteram exierunt foras, & remansit solus Iesus & mulier in medio stans. bene ait quod exierunt foras qui nolebant esse cum Christo. Foris litera est, intus, mysteria denique discedentibus illis remansit solus Iesus, & mulier in medio stans, donaturus peccatum, solus remanet Iesus, quia non potest hoc cuiquam homini cum Christo esse commune vt peccata condonet, solus hoc munus est Christi, qui tulit peccata mundi, meruit & mulier absolui, quæ recedentibus Iudæis remansit sola cum Christo. Vide lector diuina mysteria, clementiam Christi, cum accusatur mulier caput Christus inclinat, eleuat autem vbi deficit accusator, ita nullam damnari vult, absolui omnes: Ecce & hic ait, Nemo te lapidauit: quem vtique interrogat qui videbat? sed interrogat nubis, vt nosceremus non esse lapidatam. Aduerte quomodo propriam sententiam temperauit, vt Iudæi de absolutione mulieris calumniari nihil possent, sed in se magis calumniã retorquerent si quæri vellent. Dimittitur enim mulier, non absoluitur, quia deerat accusator; non quia innocens esse probatur. Quid ergo quereretur qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij destiterant? Addit autem deinde; Vade & amodo vide ne pecces, emendauit ream, non crimine absoluit. Etenim seueriore sententia culpa damnatur, si vnusquisque crimen suum oderit, & in se incipiat condemnare delictum, etenim cũ reus occiditur, persona magis quam culpa punitur, vbi vero culpa deponitur, absolutio est pro pœna peccati. Quid est ergo, vade, & amplius noli peccare? hoc est, ex quo Christus te redemit, corrigit gratia, quam pœna non emendauit.* hæc Ambrosius: Ex qua auctoritate apparet aliquod peccatum à Christo non esse punitum, concretiue loquendo, id est, fœminam istam adulteram non esse lapidatam, vt lex iubebat. Cæterum super illo. *Nescitis cuius spiritus estis*, dicit Beda; *Reprehendit Dominus non exemplum Prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus, animaduertens eos non amore correctionis, sed odio desiderare vindictam, itaque postea quando eos docuit, quid esset diligere proximum, sicut se ipsum, infuso etiam Spiritu sancto, non defuerit tales vindictæ, quamus multo rarius, quam in veteri testamento, quia sequitur, filius hominis non venit animas perdere, sed saluare, quasi dicat. Et vos, qui eius spiritu signati estis, etiam acta eius imitemini, nunc pie consulentes, sed in futuro iuste iudicantes:* Item super eodem sic loquitur Ambrosius. *Non enim semper in eos, qui peccauerunt, est vindicandum, quia nonnunquam amplius prodest clementia tibi ad patientiam, ipso ad correctionem. Denique Samaritani citius crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur.* Ita Hieronymus super illo, *vis imus, colligimus ea?* quod de zizaniis dicitur, ait: *datur locus pœnitentiæ, & monemur ne cito amputemus fratrem; quia fieri potest vt ille qui hodie noxio depranatus est dogmate, cras resipiscat & defendere incipiat veritatem. Vnde subditur, Ne forte colligentes zizaniam, eradicetis & triticum:* Chrysost. autem sui, er eodem ait, *intuenda est seruorum diligentia, etenim festinans zizaniam euellere, quod monstrat eorum de semine sollicitudinem, ad hoc enim solum resipiscunt, non vt aliquis puniatur, sed vt seminata non pereant. Quid autem Dominus respondit, subditur, & ait, non:* Hieronymus vero circa hoc dicit, *videtur hoc esse contrarium illi præcepto, Auferte malum de medio vestrum. Si enim prohibetur eradicatio, & vsque ad messem tenenda est patientia, quomodo ejciendi sunt quidam de medio nostrum? Sed inter triticum & zizaniam, quod nos lolium vocamus, quam diu herba est, & nec dum calamus venit ad spicam, grandis similitudo est & in discernendo aut nulla aut perdifficilis distantia, præmonet ergo Dominus ne bi quid ambiguum est, cito sententiam proferamus: sed Dei iudicio reseruemus.*

Aug. tract. 33. in Ioã.

S. Tho. in catena Luc. 9.

Ambr. ad Studium epist. 76.

Cap. 1.

In cap. 13. Matthæi.

Hier. ibid.

CCV. *Ratio quare mali quandoq, in Ecc. tolerantur. August. in quæstionibus ex V. T. c. 12.*

Ratio autem quare aliqui mali in Ecclesia sunt interdum tolerandi, quia tales sunt vtiles bonis, siue vt per eos exerceantur, si e vt illorum comparatione magna eis exhortatio fiat vt nitantur ad melius: Sicut dicit Augustinus de quæstionibus Euangelistarum, Aut quia bene docent, puta quia donum habent scientiæ, aut interpretationis scripturarum, aut aliud. Quæ omnia dantur ad vtilitatem non recitantis; sed Ecclesiæ, teste Apostolo, 1. Cor. 12. Quod propterea sæpius diuina dispositione bonis mali sunt permixti, vbi enim erant Moyses & Aaron; ibi fuerunt murmuratores sacrilegi, vbi Zacharias, Simeon, & cæteri sancti, ibi fuerũt Annas & Cayphas, vbi Christus & discipuli, ibi Iudas, Scribæ & Pharisæi, propter quod attendenda sunt Domini Iesu Saluatoris verba, quibus docuit, à quibus nos obseruare debeamus, dixit enim, *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. Non dixit, à mercenariis, qui licet vera dicant, quærunt quæ sua sunt, & mali sunt, imo de his qui super Cathedram Moysi sedebant, quia vere docebant, dixit, *quæ dicunt, facite:* Vnde mali viri recte docentes videntur tolerandi interdum. Verum, quod illorum & cæterorum peccata publica sunt punienda, tribus concurrentibus, scilicet iurisdictione, conuictione, & pace salua. De iurisdictione dicit Augustinus super illo verbo: *Quid enim mihi de his qui foris sunt*, id est infidelibus, *iudicare?* Deus iudicabit. De his qui *intus sunt*, id est fidelibus, *putredo est à me resecanda*, loquitur ibi in persona iudicis puta Apostoli, sed de hoc videbitur in secundo puncto, de conuictione dicit idem Augustinus super illo primæ Corinth. 11. *Qui manducauit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Sibi, inquit, non tibi. Sane si iudex es, si apud te accusatur, si veris documentis testibusque conuincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada, iudicium siquidem humanum procedere debet ex causis manifestis, cum homo tantum videat ea quæ patent*, 1. Regum 6. Ideo puniendus de crimine debet conuinci. Tertia de pace saluanda dicit Augustinus in lib. cont. Parmen. Ad illud Esa. lib. 2. *Recedite, recedite, exite, immundum nolite tangere*, per aduersarios allegatum, dicit, *immundum non tangi; qui ad peccatum nulli consentit, exit autem inde; & salua fit eius causa apud Deum, si etiam disciplinam corripiendi & arguendi salua pace non negliget. Nam qui vult corporaliter quasi manifestos malos deserere, spiritualiter deserit latentes bonos, quos inexpertos & intrognitos cogitur accusare, dum separationem suam cõatur defendere,* multis interpositis, dicit: *cum laude patientiæ mali tolerantur ne ignoti boni damnentur, sic Isaias ipse dicit: Recedite, recedite, exite inde immundum nolite tangere.* in medio immundi populi polluta etiã labia habentis corpo raliter habitauit Ieremias, ab immũdo populo non discessit Dauid mundus & iustus. qui dixit: *Non*

Matth. 7.

Matth. 23. peccata publica puniendi tribus cõcurrentibus. Augst. Alexander ab Ales lib. 3. q. 41. incemb. 1. in resolut. Similia habet August. serm. de pœnit. qui est 50. vide 2. q. 1. Multi cap. 18. Aug. aduersus epistolam Parmeni lib. 3. c. 4. Tom. 7.

Hier. 23.

Requisita ad aliquē interficiēdum secūdum legē. Exod. 23.

Supra propos. 3. probat. 4. Ambr. in glo. ordinaria, & ab Alexādro ab Hales in d.q. citatur. August. Citat Alexander ab Hales eadem quæst. Deut. 1.

In tribus debet se iudex Deo conformare. Exod 23. Deut. 1.

Tom. 2. August. epist. 64.

Quando peccata non talia publica possunt puniri.

sed tum concilio vsurpatus, & cum sacinoresis non introibo, non reliquit corpore omnes malos, imo reprobatum Saulem venerabatur. Non ergo corporalis recessus, vbi salua pace Ecclesiæ fieri non potest est necessarius, sed spiritualis, vt malis non consentiamus. Alexander de Halis in tertia parte tangit ista sub alia forma dicens, quod ad interficiēdum secundum legem requiruntur plura scilicet, iusta causa, iustus ordo, iustus animus. Iusta causa, quod reus meruerit interfici, quia dicitur Exodi 23. *innocentem & iustum non occides.* Iustus ordo vt occidens habeat potestatem, & reus sit convictus de crimine: habeat potestatem inquam, iudex, vel à diuina auctoritate, quæ est in lege, vel ab eius voluntate, scilicet Dei, intellecta per inspirationem internam, quam dico ego, probet per miracula aut per sacram scripturam, priusquam sit ei de necessitate credendum, propterea dicit Augustinus super illo Matth. 5. *Officia vindictæ possunt impleri quomodo iudex, quomodo lex*: per Ambros. super illud 1. Corinth. 5. *modicum fermentum totam massam corrumpit. Si quis potestatem non habet, quem scit reum, abicere, vel probare non valet immunis est; & iudicium non est sine accusatore damnare, sicut nec Christus Iudā abiecit*: iustus animus vt fiat solum amore iustitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ: Augustinus in quæstionibus super Exo. *Cum minister iudicis occidit, quem iudex iubit occidi, profecto ipsā sponte sarit, homicida est etiam si occidit eum, quem scit à iudice debuisse occidi.* quod hæc tria sint necessaria ad iustam punitionem exequendam, deducitur sic, iudex gerit in iudicando vices Dei. Deuteron. 1. dicitur, *Audite illos*, scilicet populum, *quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille siue peregrinus, nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia iudicium Dei est.* Debet ergo Iudex ex quo eius iudicium est Dei, in tribus se ei conformare. In potestate, in veritate & bonitate, vt potestas referatur ad ordinem iustum, veritas ad iustam causam, bonitas ad iustū animum. hoc Exod. 23. insinuatur, cum dicitur, *prouide de omni plebe viros sapientes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam. Sapientes, timentes Deum*, ecce primum, *in quibus sit veritas.* Ecce secundum, *qui oderint auaritiam*, ecce tertium. Item Deuteron. primo repetitur sub alia forma, Cum dicitur, *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, ne ponam vos vobis principes.* In sapientia intelligitur veritas, In conuersatione probata bonitas, In principatu potestas. Vbi vero alterum prædicto cum, scilicet iurisdictio, conuictio & pax salua defecerit, non poterunt peccata publica puniri. Nam si puniendus non est isti subiectus, non habebit in eum ferre iudicium si crimina non possint manifestis iudiciis probari, esto quod sint iudici vt personæ singulari nota, non poterunt puniri, quoniam iudicium humanum ex testimoniis manifestis procedere debet, si sine periculo schismatis aut turbationis Ecclesiæ iudicium exerceri non potest, cessandum est à pœnali punitione, & iudiciali, vt est in peccato multitudinis, aut principis, quem sequitur multitudo. Nam Augustinus epistola ad Aurelium de peccato multitudinis, ostendens, quod non seueriter cum ea agendum est, dicit, *non aspere quantum æstimo, non duriter, non imperiose peccata multitudinis, aut prauæ consuetudinis corripiendæ sunt. Ista tolluntur magis docendo, quam iubendo, magis monendo, quam minando: sic enim agendum est cum multitudine peccantium, & si quid minatur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram, ne nos in nostra potestate, sed Dominus in nostro sermone tigeatur*, hæc Augustinus. Et vbi istæ tres conditiones sunt, peccata mortalia publica possunt puniri. Ex quibus patet, quod hoc modo dicendo non defenduntur peccata cum tribus scilicet, iurisdictione, conuictione, & pace salua concurrentibus, dictum sit omnia peccata publica mortalia esse punienda sed non conceditur peccata puniri absque ordine iuris, vt in detrimentum Ecclesiæ vel boni communis.

Articulum autem propositum multum inuolutum reperio æquiuocationibus, compositione, vel diuisione, posset enim habere sensum verum & sensus falsos, prout in fine secundi puncti declarabitur. Et quoniam magis ex probationibus & notabilibus, quam ex serie terminorum articuli proponens prætendit dicere, omnia peccata mortalia publica esse arguenda, punienda, corripienda castiganda & expellenda, præmissa, vt audistis in conspectu huius sanctæ synodi narraui, cuius correctioni & emendationi eidem deuoto corde submito. Hoc de primo puncto sufficiat.

CCVI.

Quantum ad secundum punctum, vbi videndum est per quos & quomodo correctio, castigatio & expulsio peccatorum est facienda. Nam dicit articulus sic. *Peccata mortalia publica & quantum rationabiliter fieri potest priuata, aliaque deordinationes legi Dei contraria in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorundem, debite iuxta dictamen diuinæ legis Christi fideles tam seculares, quam spirituales, prout congruit vtriusque sunt cohibenda, corripienda, castiganda, & proposse expellenda.* Et quoniam duplex est modus correctionis & castigationis. Vnus ex fraterna caritate procedens. Alius ex auctoritate & potestate; erunt duæ conclusiones. Prima de fraterna caritate, & est talis. *Quilibet fidelis potest & in casu tenetur, quemlibet pro peccatis suis saltem priuatis alium corripere correctione fraterna.* Fundatur autem correctio ista in verbis Saluatoris nostri Iesu Christi Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipsum solum.* Ordo autem seruandus est in illa, de quo subditur. *Si te audierit, lucrātus es fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum. Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Quod correctio ista sit licita & honesta, patet ex triplici lege; naturali, scripta, & gratiæ. Ex naturali, quia lege naturæ præceptum est, *hoc facies alio, quod tibi vis fieri*, id est, quod velie debes tibi fieri. Debes autem velle, vt alius te corrigat quando peccas, vt emendes, ergo debes tu hoc vnicuique facere. Ex lege scripta, nam Deuter. 22. dicitur, *Non præteribis bouem aut ouem errantem sed reduces fratri tuo. Etiamsi non est propinquus frater tuus nec nosti eum, duces in domum tuam & erit apud te, quandiu ea quærat frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de omni re fratris tui, & si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse in via, non despicias, sed subleuabis eum cum eo.* hæc de benignitate legis ad literam ob seruanda erant quod si de brutis proximorum debebat alter esse solicitus, quanto magis de proximo errante, propterea scriptum est Ecclesiast. 17. *misericordiam mandauit Deus de proximo suo. Viæ illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconse ab oculis ipsius.* huius autem curam neglectam à proximo in lege tamen præceptam, Beatus Bernardus ad Eugenium deplorabat dicens. *In effectu cadit alius, succurritur ei, cadat anima, & non est qui reuocet eam.* Ex lege gratiæ per textum allegatum Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* glossa autem ostendit eam esse licitam, quæ dicit, *peccantem zelo iustitiæ corripiamus, & pœnitenti viscera misericordiæ pandamus.* Beatus Augustinus ib. de Correctione & gratia, ponit quatuor casus cui exercenda est fraterna correctio. Prima, vt peccator suum peccatum & se recognoscat. Prou. 29. *virga & correctio tribuit sapientiam*, vnde non correpti, quia se ignorant & peccata sua, alios confundunt, propterea sequitur, *puer qui dimittitur voluntati suæ, confundet matrem suam.* Secunda vt de peccato cognito dolorem, pudorem & timorem habeat. Tertia vt peccator se deformem ex peccato videns, reformari desideret, & Deum oret, ne in tali debilitate permaneat. Quarta vt si corripiens correpto nō proficiat, tamen sibi valeat vt peccatum effugiat & meritum acquirat, vnde 23. moralium cap. 20. Greg. dicit, *Caritatis zelus mala quæ corrigere non valet, increpare non desinat, ne se participem delinquentium ex consensu taciturnitatis adiciat.* Et Augustin. de correctione & gratia, ait, *sine desperatione corripiamus, quia si filius pacis est quem corripimus, requiescet super eam pax vestra; Sin autem, ad vos reuertetur.* Quod vero sit in præcepto tamen affirmatiuo, quod obligat semper, sed non pro semper, sed pro tempore, & loco & aliis circumstantiis, patet ex textu Saluatoris dicentis, *corripe*, vbi manifeste videtur imperare. Glossa ibi ait, *ita peccet qui fratrem suum vidit peccare & tacet, sicut qui peccanti non indulget.* Sed præceptum est indulgere peccanti, ergo & corripere peccantem. Et August in lib. de verbis Domini sic ait, *si neglexeris corrigere, peior factus es eo qui peccauit*, Beatus Thomas 2. 2. qu. 33. art. 2. in corpore deducit quod sit in præcepto ex ratione finis qui est fratris emendatio, ad hoc autem ordinatur correctio fraterna, sicut ista quæ est paterna, Aut per cohibitionem pœnæ & virtute iustitiæ quis ordinatur ad bonum commune. Et dicit, quod est necessaria fraterna correctio secundum quod ad emendationem fratris ordinatur. Et hoc in quarto magis declarat dist. 19. osten-

Ecclesi. 17.

De consideratione lib. vltra medium.

Cap. 4. & 5. quo ad sensum.

Gregor. Cap. 15.

Glossa ordinaria in 18. c. Matt. Serm. 16. S. Tho. 2. 2. q. 33. artic. 2. in co.

S. Thom. dist. 19. q 2.

Albertus. Richardus de media villa lib. 4. sen. dist. 19 Hostiens. August. de verb. Domini ser. 16. Chrysost. in c. Matt. 5 & 18.

dendo quod per præceptalegis diuinæ sufficienter homines in vita ordinantur, & quemadmodum in exercitu est duplex ordo, vnus quo totus exercitus ordinatur ad ducem, alius partium exercitus ad se inuicem; sic in Christiana conuersatione duplex est ordo, vnus ad prælatum, alius singulorum ad inuicem, vnde vterque debet præcepto legis diuinæ instrui, iuxta primum ordinem, omnes tendere debent ad illud, ad quod prælati intentio recta versatur. Et ad hunc finē commune scilicet bonum debet prælatus eos dirigere: iuxta secundum, vnusquisque alteri præbere debet auxilium ad bonum suum consequendum. Sicut ergo tenentur subditi prælato suo obedientiam exhibere, & ille subditis curam solicitudinis impartiri, ita isti sibi inuicem ferre auxilium nō solum in corporalibus, imo magis in spiritualibus hæc sententia de obligatione ad correctionem fraternā, est Alberti in quarto suo, Richardi de media villa, Hostien. in sua summa, & omnium Doctorum.

Duplex modus correctionis. Vnus ex charitate fraterna procedens. Propositio prima de correctione fraterna.

Auctoritates autem aliquorum audiamus, dicit Augustinus de verbis Domini, *monet nos quidem Dominus non negligere inuicem nostra peccata, non quærendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas, debemus enim iuuando corripere, non nocendi cupiditate, sed studio corrigendi.* Chrysostomus autem dicit sic. *Considerandum autem quod quandoque Dominus eum qui contristauit, ad eum qui contristatus est ducit, sicut cum dicit. Si recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersus te, Vade reconciliare fratri tuo. Quandoque eum qui iniusta passus est, iubet dimittere proximo, sicut ibi, dimitte nobis debita nostra, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hic autem aliū excogitat modum. Nam eum qui contristatus est, ducit ad eum qui constristauit, ideo dicit. Si peccauerit in te frater tuus, vade ad eum, quia enim ille qui iniuste fecit, non facile veniret ad excusationem, verecundatus, hunc qui passus est ad illum mittit & non simpliciter, sed vt corrigat quod factum est, ideo ait, vade corripe eum.* Item idem, *non autem dicit accusa, neque increpa, neque vindica, neque vindictam expete, sed argue, id est, rememora sibi peccatum, dic ei, qui ab eo passus es, ipse enim ira & verecundia detinetur ebrius factus, quasi graui somno, vnde oportet te qui sanus es, ad illum qui agrotat adire*, & B. Hieronymus ait: *Sciendum tamen quod si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem, qua præcipitur vt debitoribus nostris debita dimittamus, propter quod & hic dicitur: si peccauerit in te frater tuus, &c.* Rursus Chrysostomus dicit: *Ideo autem præcipit ei arguere, qui passus est iniuriam, & non alij, quia ille qui fecit iniuriam, ab eo manuetus sustinet, & maxime si solus eum corripiat, cum enim qui vindictam expetere debeat, hic salutis videtur diligentiam habere, maxime hoc cum potest propitium facere*, ne tamen ex verbis istis & quibusdam præmissis quis credat, quod solum iniuriam passus habeat delinquentem corripere, cum iuxta Doctores cuilibet hoc competat, cui peccatum est notum, tamen cum certis circumstantiis: dicendum est, quod hoc quod dicitur *in te*, non intelligitur solum contra te, tanquam iniuriam sustinenti, nisi dicatur quod siue Deo siue alio iniuriato iniurietis, sed *in te*, id est, te sciente. Vnde Augustinus. *Aliquando scias fratrem tuum esse corripiendum inter te & ipsum solum. Aliquando vero coram omnibus, quid autem quando facere debemus iuridice? Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, quare? quid est in te peccauit: tu scis quia peccauit, quia enim secretum fuit quando in te peccauit, secretum quære, cum corrigis quæ peccauit. Nam si solus nosti quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector sed proditor.* hæc Augustinus. Si tamen sint occulta peccata, sic videtur habere locum quod dicit Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus*, quoniam enim te publice offendit, iam non solum in te peccat, sed etiam in alios, quos turbat.

Eodem sermone de verbis Domini 16.

CCVIII.

Corollarium 1.

Ex conclusione sequitur primò, quod superiores possunt inferiores corrigere & corripere correctione fraterna, & contra subditi superiores. Et semper dicetur, *fraterna*, si debitis circumstantiis suis induta sit, nempe prælatus, est frater, & est pater, & superior, est superior dignitate vel officio, pater beneficio, frater fide, religione, aut naturæ conformitate. Quia prælatus & superior, debet inferior ei reuerentiam & honorem, quia pater amorem, quia frater adiutorium. Et ita si peccat, correctionem secundum quod Prouer. 18. scriptum est, *frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma, &c.* Debet autem hæc correctio habere tres conditiones, maxime dum superiores ab inferiotibus corripiuntur, vt dicit Augustinus de Ancona, primo debet habere discretionem & debitam diligentiam, vt semper speretur & probabiliter credatur eius emendatio; Secundo debet habere subiectionem & debitam reuerentiam, vt non fiat modo temerario, & cum proteruia. Tertio debet habere dilectionem & benenolentiam, vt non fiat causa diffamationis & detractionis. Propter defectum primæ conditionis, debent inferiores increpari, si sine discretione debita superiores corrigant & corripiant, & secundum hoc in lege diuina iussum erat bestiam quæ montem tangeret lapidari Exod. 19. propter defectum secundæ, Oza fuit percussus. Nam cum esset de genere sacerdotali, secundum quòdam, propriis humetis debebat portare Archam Domini. Thomas in 4. dicit quod tangere Archam non erat Leuitarum, sed sacerdotum. Ideo percussus fuit, quia officium superioris vsurpauit. Et in vtraque responsione apparet, quod irreuerenter se habuit, ideo percussus fuit, propter quod dicitur in textu 2. Regum 6. cap. *propter temeritatem percussus est à Domino.* Propter defectum tertiæ, Maria soror Moysi fuit percussa lepra, quia causa murmurationis, diffamationis & detractionis insurrexit contra Moysen, habetur Num. 12.

Superiores possunt inferiores corripere correctione

Hieron. in 18. c. Matt.

Vbi supra.

Num. 12.

CCIX.

Secundum corollariū. Magna discretio in correptione hac adhibenda.

Infero secundo, cum discretione magna huiusmodi correctio facienda est, ad quatuor siquidem inspiciendum est, vt dicit Albertus Magnus, in quarto sententiarum, scilicet ad quantitatem culpæ delinquentis, ad spem emendationis, ad statum personæ quæ admonetur, & ad zelum qui mouet corripientem: si culpa est leuis, & timetur ne turbatio grauior sequatur, non renetur corrigere, quia peius subsequetur. Item si probabiliter desperatur de emendatione, non tenetur corrigere, quia nihil faceret nisi prouocare ad pœnam. Adhæc, si status alius est personæ, cum reuerentia & excusatione delicti, debet potius admonere quam corripere, & rogare potius quam increpare. Quarto si videt se ex rancore & inuidia moueri vel aliqua alia radice, tunc non debet facere, quia tales cito prorumpunt in verba contumeliæ, & tunc ex minori malo, factum est maius malum. Et ista distinctio est optima, hæc Albertus Magnus.

CCX.

Corollariū tertium. Correctio debet aliquando esse lenis, aliquando aspera.

Tertio infero, quod correctio inferiorum à superioribus debet esse aliquando lenis, aliquando aspera, nunquam tamen omnino carere dulcedine. Hostiens. in summa sua distinguit, & partem habet à Thoma in 4. sic inquit, *si peccatum fiat ex ignorantia vel infirmitate, debet corripere leniter & moderate.* Et hoc etiam dicit Thomas vbi supra. Galat. 6 *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis*, Si peccatum sit ex passione, & superinducta mala consuetudine, est corripiendum partim leniter, & partim dure, prout dicit cōmentator 1. Ethic. *Iuuenis enim*, inquit, *passionum sectator, non solum persuasionibus & monitionibus corripiendus est, sed opprobriis & contumeliis frequenter indiget*: Vnde Heli, licet moneret filios suos iuuenes quos nouerat inique agere, quia non intulit opprobria aut contumelias, dicitur non corripuisse, id est, non sufficienter, 1. Regum. 2. Quando peccatum committitur ex electione & puta malitia, tunc corripiendum est dure. Gregorius in pastorali: *Nonnulla peccata sunt vehementer increpanda, vt cum culpa ab auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis ab increpantis ore sententia tur.* hoc etiam dicit Thomas. Præterea ex parte increpantium, distinguendum est, Aut increpantes sunt Iuuenes, aut Senes. Si iuuenes, debent corripere aut monere humiliter. Si senes corripiant moderate & mature. Alios senes reuerenter, prælatos humiliter. Si vero corripientes essent prælati corripiant senes obsecrando, iuuenes humaniter monendo. 1. Timoth. 4. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem, iuuenes vt fratres, &c.* Qui autem generosus est animus humanus, & facilius ducitur quam trahatur, vt dicit Seneca, In omni correctione aliquid miscendum est mānsuetudinis, vt caritas, ex qua vt ex radice correctio procedere dignoscitur, semper fulgeat. Idem Seneca ait in Prouerb. *Semper obiurgatione aliquid blanditiæ admisce.*

Seneca de clementia l. 1. c. 24. simile quid habet. Seneca. Corollariū quartum.

Infero quarto ex hoc, quod correctio est præcepta, quod obligat non pro semper, sed pro aliquo tempore, quia est præceptum affirmatiuum. Tria autem ex parte corripientis

Correctio est præceptum non tamen obligans pro semper.

Ex parte corripientis requiritur.

Peccati cognitio certa.

Mansuetudo in corripiendo.

Si in alio non sit tanta corripiendi aptitudo.

Ex parte peccantis.

Spes emendationis.

Prouerb. 9. Qui peccatum mortale.

Si non sit spes maioris opportunitatis. Augustin. de ciuit Dei lib. 1. c. 9. S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. ad. 3.

CCXII. *Corollarium quintum, Correctio ordinata est ad emendationem peccatis, vnde à Saluatore datur obseruandus.*

* *Paruit: alterius exemplar non: Sed hæc videtur magis omnibus.*

Loco supra citato.

quæ debent esse, & tria ex parte correpti, quibus existentib. obligat, alias non. Primum est certa peccati cognitio Eccl. 11. *Prius quam interroges non vituperes quemquam, & cum interrogaueris, corripe iuste.* Secundum est mansuetudo in corripiendo Psalm. 89. *quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Tertium est quod in alio non sit tanta aptitudo ad corripiendū, quoniam si alij æque boni vel meliores adsint aut peccanti magis familiares, & probabiliter æstimatur quod magis proficient, pro tunc non obligatur iste, præsertim nisi verisimiliter appareret quod isti omnes negligerent. Sic enim profecto obligaretur, nam tunc sibi competit illud 3. Reg. 20. *Custodi mihi: virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Primum requisitorum ex parte peccantis, est spes de correctione, alias vt dictum est, non obligatur quis talem corripere. Prouerb. 9. *Noli arguere derisorem ne oderit te.* Secundum quod tuum peccatum sit mortale. Nam dicitur, *si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si non, tandem dic Ecclesiæ.* per hoc quod liberatur quis à veniali, non est lucratus quis eum, quia propter hoc nō erat perditus, Nec oportet talem propter hoc denunciari Ecclesiæ.

Tertium quod non est spes maioris oportunitatis in corripiendo: dicit enim Augustinus primo de ciuitate Dei, *Si propterea quisque obiurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia tempus opportunum inquiritur, nō est occasio cupiditatis, sed consilium caritatis.* hæc sententialiter ex illo Doctore. Tres autem casus tangit sanctus Thomas secunda secundæ, quæst. 33. art. 2. ad tertium. Et item Richardus de media villa. In quorum primo meritorie à correctione fraterna quis se abstinet, si scilicet, opportunum tempus expectetur. In secundo cum peccato mortali, dum probabiliter scit se posse fratrem peccantem emendare, tamen pro temporali commodo aut meru amittendi aliquid temporale. In tertio cum peccato veniali, dum non habet spem probabilem de emēdatione fratris per eum, & nimis inhiat iste, qui habet corripere, temporalibus. Non tamen ita, quod si constaret, quod frater posset à peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem omitteret, quibus in animo suo præponit charitatem fraternam.

Sequitur per hoc, quod ista correctio ordinata est ad emendationem peccantis, Ordo, si peccata sint occulta, à Saluatore datus, seruandus est: si admonitioni caritatiue peccans ipse *paruit: itaque si monitus non paruit aut acquieuit, est vltra procedendum, suppositis dispositionibus & circumstantiis antedictis. A duo candus est enim vnus testis vel duo, quos speremus probabiliter velle correpto prodesse non obesse; quos si non audierit, dicendum est Ecclesiæ, id est, prælato vt iudici. Ratio huius sicut vbi vna lenis medicina non proficit ad salutem corporis, adhibenda est fortior, vt tamen minus grauetur infirmus, quantum fieri potest, sic in sanatione spirituali vbi secreta monitio non sufficit, ad graviora procedendum est, quod fit cum testis vnus assumitur vel duo, qui triplici ratione aduocantur: prima vt videant. Secunda vt testes sint admonitionis factæ. Tertia vt negantem coram Ecclesia, id est, prælato conuincant, possem etiam non incongrue per Ecclesiam intelligere Concilium generale. Et sic talis ordo est obseruandus, primo frater delinquens monendus est caritatiue, si non acquieuerit, dicendum est prælato, vt est priuata persona, quia nullus est qui magis debeat illi prodesse quam persona prælati, si sic eum non audierit, adhibendus est vnus testis vel duo ad iterum monendum; Et si illos non audierit, dicendum est prælato vt iudici. Et coram illo contemptus negauerit conuincendus est per testes adhibitos, quia scriptum. *In ore duorum vel trium stat omne testimonium.* hunc ordinem tangit Thomas in quarto. Et quod dicendum est prælato ante testium adhibitionem, vt tamen est priuata persona, habetur ab Augustin. in regula. Verum quod in aliquibus secretis vel priuatis peccatis non est obseruandus iste ordo de necessitate, vt si quis tractaret de proditione ciuitatis, aut de subuertendo populū in fide, aut moribus; Nam statim procedendum est ad denunciationem, talium, admonitione secreta prætermissa, vt impediatur tantum nocumentum, nisi firmiter quis existimaret quod per solam secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire, nec tamen contra ordinem Christi fit, quia talia peccata non sunt solum *in* te, sed etiam in alios, sed in illis peccatis quæ tantum nocent peccanti directe & per se, aut pacis, ordo tenet. De prælatis autem qui committunt peccatum occultum, & postquam moniti caritatiue & humiliter ac reuerenter fuerint, nolunt acquiescere correctioni, vtrum sic procedendum est ad denunciationem, dicit Albertus super 4. quod non, & dicit in forma sic, in dist. 19. 3. q. Vtrum idem ordo obseruandus est in correctione cuiuslibet hominis? Ad responsionem post reprobationem cuiusdam opinionis, dicimus, cum quibusdam, quod ad omnes extendatur, sed ad omnes prælatos est admonitio in denunciatione non procedens. In aliis autem potest procedere in denunciatione, vt supra dictum est. Et in articulo priori, vtrum hæc correctio fraterna sit omnium in omnes, dicit sic in solutione. *Omnis homo omnem hominem cum reuerentia & mansuetudine tenetur admonere & corripere de delicto, sed non vlterius potest denunciare si est inobediens, quia si prælatus supremus est, non habet iudicem.* ibi loquitur de supremo prælato specialiter, & etiam statim dixerat vniuersaliter de omni prælato. Quidquid sit, manifestum est quod vbi prælatus monitus non obedierit, licet ad superiorem, si habeat, recurrere quis posset, non est ad populum recurrendum, prout dicit proponēs, coram eodem hæc peccata sua arguēda, nisi immineret fidei periculum, vt communiter Doctores exemplificant, addere possem, & in periculo schismatis & corruptionis morum in Ecclesia per malam doctrinam. Vnde dicit Thomas secunda secundæ, quæst. 23. artic. 4. Ad secundum: quod in faciem resistere coram omnibus, excedit modum fraternæ correctionis. Et ideo sic Paulus Petrū non reprehendisset, nisi aliquo modo esset par quantum ad fidei defensionem, sed in occulto admonere & reuerenter hoc potest etiam ille qui non est par. Vnde Apostolus ad Colossenses vltimo scribit, vt prælatum suum admoneant. Cum dicit, *dicite Archippo Episcopo, ministerium tuum impleas.* Sciendum tamen quod vbi immineret fidei periculum, etiam publice essent prælati à subditis arguendi. Vnde etiam Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, publice Petrum arguit. Et sic et glo. dicit Augustin. ad Galat. 2. Ipse Petrus exemplum maioribus præbuit, vt ficubi forte rectum tramitem reliquissent, non dedignarentur etiam à posterioribus corrigi. hæc Thomas ibidem, in 4. distin. 19. dicit sic. In forma respondendo ad vnam rationem quæ est de reprehensione Petri à Paulo. *Dicendum*, inquit, *quod Paulus restitit in faciem Petro coram omnibus, sicut ibidem ad Galat. 2. dicitur, hoc autem excedit modum fraternæ correctionis, qui prælatis à subditis debetur. Non enim prælati à subditis coram plebe seu multitudine, sed humiliter in priuato corripiendi sunt, nisi immineret periculum fidei. Tunc enim prælatus minor fieret si in infidelitate laberetur & subditus fidelis maior.* Idem dicit Richardus de media villa, dico vlterius quod fraterna correctio de peccatis præteritis publicis locum habet. Etiam dicit Thomas, publica reprehensio, saluis his quæ dicta sunt de prælatis, dicit enim hic sanctus Thomas secunda secundæ quæst. 33. artic. 7. in corpore, quæsierat enim vtrum in correctione fraterna secreta admonitio ex necessitate præcepti debeat præceeere denunciationem. *Distinguendum est*, inquit, *Aut enim peccata sunt publica, aut occulta. Si quidem sunt publica, non tantum adhibendum est remedium ei, qui peccauit, vt melior fiat, sed etiam aliis, in quorum notitiam deuenit, vt non scandalizentur. Et ideo talia peccata sunt publice arguenda secundum illud 1 Timoth. 5. Peccantem coram omnibus argue, vt ceteri timorem habeant, quod intelligitur de peccatis publicis, vt dicit Augustinus in libro de verbis Domini.* ibi dicit S. Thomas quod remedium vt melior fiat illi adhibendum est. Et hoc fit per correctionem fraternam, sicut quod coram omnibus arguitur, remedium est aliis, ne ipsum in culpa sequantur, vt de republica tollatur scandalum.

Sexto infero, quod cum prælati presbyteri & Ecclesiastici sint superiores laicis, non est fraterna correctio faciendа eis, coram multitudine laicorum. De peccatis etiam publicis personalibus, neque etiam fidem, neque subuersionem morum per malam doctrinam directe concernentibus, vt per illam inducantur laici ad subtractionem obedientiæ respectu sacerdotum. Istud corollarium ponit vltra præmissa, quod non debent induci laici ad subtrahendam obedientiam presbyteris etiam malis malitia personali, quanquam

CCXIII. *Ordo in corripiendo prælato seruandus.*

Epist. 19. inter medium & finem.

1. *Tim. 5.*

Serm. 16.

CCXIV. *Corollarium sextum. Ecclesiastici presbyteri non sunt publice corripiendi, nisi in certis casibus, ne populus*

etiam

Abstrahatur à debita obedientia.

Exod. 20.

Deut. 17.

Alexander ab Hales p. 3. q. 33. memb. 4. art. 5.

Matth. 23.

Telesphorus in epistola sua decretali.

Greg. Nazianz. oratione 40. in sanctū baptisma.

Chrysost. epist. 2. ad Timoth. hom. 2.

Rom. 13.

Prou. 8.

Iob. 34.

Apoc. 2. & 3.

etiam sit publica, patet per illud Exod. 20. *honora patrem tuum*, quod non tantum de patre carnali, sed spirituali intelligitur. Et istud morale præceptum est, ideo semper manet: lex etiam dicebat, Deut. 17. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, moriatur homo ille, & auferes malum de Israel. Cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* quamuis autem hoc præceptum, quia iudiciale erat, sit mortuum, ratio tamen præcepti manet, scilicet de obediendo sacerdotis imperio. Nam hoc morale est, quia præcipitur honorare patentes, nec hoc valet dicere, quod hoc solum intelligitur de bonis. Nam dicit Alexander de Hales in tertia parte suæ summæ, quod malo prælato quam diu ab Ecclesia toleratur, debetur honor. Et quamuis male præsideat, quousque ab Ecclesia deponatur, vt bene præsidens, debet haberi, & intelligitur de malitia personali, patet corolarium istud per illud Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt vobis, facite.* & 1. Petr. 2. *Subditi estote in omni timore dominis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste.* Pater etiam auctoritatibus Doctorum sanctorum. Dicit Telesphorus Papa VII. à B. Petro, ex computo Augustin. decreto suo cap. 3. *Ipsi qui proprio ore corpus Domini conficiunt ab omnibus sunt audiendi & timendi, & non dilacerandi, aut detrahendi, quia à quibus populus Domini se benedici, saluari, & institui cupit, nullatenus debet eos arguere. Nec vulgus in eorum accusatione suscipi, populus enim abbeis docendus est, & corripiendus, non ipsi à populo, quia non est discipulus supra magistrum.* Apparet per hoc quod populus debet obedire sacerdotibus, & se non subtrahere ab eorum obedientia. Item Gregorius Nazianzenus 2. oratione in sancta lumina post medium, *Demum etiam illud docet quomodo subiectos esse oporteat eos qui accedunt adgratiam, his quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, maxime etiam si dignitate aliquæ sibi vel sapientia præditi videantur, nemo dissimulet baptismum, nemo contemnat, nemo prædicatoribus fidei & dispensatoribus gratiæ resistat atque repugnet, sed cum omni humilitate & veneratione subijciat.* hæc ille. præterea Chrysost. super epist. 2. ad Timoth. homilia 2. dicit, *Nescis quid est Sacerdos? quoniam Angelus Dei est, non enim quæ sui ipsius sunt loquitur, si contempseris, non enim contemnis, sed eum qui in thronisauit eum, Deum, & vnde manifestum est quod Deus in thronisauit eum? nisi hanc habeas opinionem, spes tua euacuata est. Si enim nihil agat Deus per eum, neque lauacrum habes, neque mysterijs particeps, neque beneficijs frueris. Non ergo Christianus es. Quid ergo; Omnes ordinat, etiam indignos? Non omnes quidem in thronizat, per omnes tamen ipse operatur, salutem populi moliens, non illorum intrans merita.* hæc ille: profecto hæc sententia in illo verbo Saluatoris fundata est, *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* forte dicet quispiam, ideo publice malis sacerdotibus non obedio, quia propter huius malitiam publicam dominium super me perdiderunt, puta quæso dominium in caritate fundari? si hoc credis, cum certi esse non possumus de alio si sit in caritate. Cum nec de nobis ipsis sumus, Sapiente teste, qui ait, Ecclesiast. 9. *Nemo scit an odio vel amore dignus sit.* Et Apostolo qui dicit, 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non hoc iustificatus sum*, certi esse non possumus, de aliquo, si sit verus Dominus, & ita non solum spiritualia dominia ambigua erunt, sed & temporalia: quod si dicatur, imo certi erimus, donec aliquod publicum mortale commiserint, Si sic dicitur, ergo dominium aut spirituale aut temporale in caritate non fundatur, cum per mortale occultum quis dominium non amittit: porro ostendo, quod per mortale publicum nō amittitur dominium, saltem per peccatum personale, quod fidem non corrumpit, aut Ecclesiam non scindit, vel bonos mores per malam doctrinam directe non perimit, dignitates & dominia sunt à Dei prouidentia deriuata. Nam ad Roman. 13. dicitur, *qui potestati resistit, diuinæ ordinationi resistit.* Et Prouerb. 8. dicit æterna sapientia, cuius munere omnia gubernantur, *per me Reges regnant, & legum cōditores iusta decernunt.* Ergo quibus dedit Dominus potestates & imperia, illi veri sunt Domini. Constat autem Dominum interdum facere malum hominem regnare super populum ad populi afflictionem Iob. 34. *Qui regnare facit hominē hypocritam, propter peccata populi.* Igitur tales quamuis sint mali culpa personali, tamen Domini sunt. Idem manifestum est in angelis Ephesi, Pergami, Thyatiræ, Sardis, & Laodiceæ, aduersus enim illos Episcopos Dominus comminationes reuelat, quarum aliquæ non sunt pro peccato veniali, imo mortali, & tamen adhuc Episcopi sunt, & non ipso facto depositi: præterea Ansel. in glo. super illo. 1. Cor. 1. *vt scias quæ à Deo donata sunt nobis*, ait: *multi habent donum spiritus Dei, & nescièdo à quo habent, impia vanitate iactantur, nemo donis Dei beatus qui danti est ingratus.* Item Aug. super Psal. 66. v. 1. *Alia sunt dona quæ dat Deus inimicis suis, & alia quæ non seruat nisi amicis suis. Quæ sunt dona quæ dat Deus inimicis suis? quæ num. memoram. Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessariis, aut soli boni vel sani facti sunt vel ab ægritudine conualescunt.* hæc Augustin. Quid mirum, si dominia dat peccatoribus, fidelibus tamē, qui etiam infidelibus larga dedit Imperia? imo & infidelem super populū suum regnare constituit? pater in Nabuchodonosor. Erat enim ille idololatra, sed & rex constitutus à Domino super populum Israel peccantem, Hieremiæ siquidem 27. scripti est. *ego feci terram & homines & iumenta quæ super faciem terræ sunt, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manus Nabuchodonosor regis Babylonis seruæ mei, Insuper & bestias agri dedi ei vt seruiant illi, & seruient ei omnes gentes, & filio eius & filio filij eius*, videtis quomodo Deus, eum præfecit in Regem terræ Israel, sicut de ipsis Propheta loquitur in textu. Nec solum eum, sed filium, & filium filij. Nec potest dici quod Deus dicatur facere hoc permissiue, quia Dominus addidit, *Seruiet mei, & bestias agri dedi ei.* Iterum Cyro adhuc idololatræ dedit Dominus regna terræ, Isaiæ enim 45. *hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dextram vt subijciam ante faciem eius gentes & dorsa Regum vertam*: Sequitur & ibi: *dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum.* Hieron. in Commentario lib. 12. ait: *huius dextram apprehendit & tenuit, vt nullus fortitudini eius valeret resistere: legamus Xenophontis octo librorum Cyri maioris historiam & propheticam Esaiæ cernemus expletam, quæ enim ciuitas illi non patuit? quis non Regum terga subiecit? qui muri prius inexpugnabiles non illius obsidione subuersi sunt?* hæc ille: Amplius Cæsar erat iniustus iniustitia fidei, tamen Dominus dominium suum confirmauit, Cum ait: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Pilatus etiam erat iniquus Christo, iustificans in fauorem Iudæorum, tamen suam potestatem approbauit, cum ait: *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Propterea dicit Augustin. lib. de quæstionibus veteris & noui Testamenti, *Dei imaginem habet Rex sicut Episcopus Christi. Quamdiu ergo in cathedratione manet, est honorandus, si non propter se, vel propter ordinem, vnde Gentilem, in potestate tamen positum honoramus, licet indignus sit.* Hæc ille. Patet quomodo in Rege personam distinguit Augustin. ab ordine, si fuerit peccator in persona, meretur priuari bonis Dei. Sed quia est Rex ex officio, meretur habere Dei bona etiam valida, honores excelsos ab homine, & à Deo visiones & somnia, proinde idem lib. de Ciuitate Dei dicit in effectu, quod idem Deus dedit regna piis & impiis, qui Mario Imperium ipse & Gaio, qui Constantino Christiano, & Iuliano apostatæ. Patet ergo quod verum dominium non fundatur in gratia gratum faciente, sed in diuina prouidentia, sicut in causa efficiente, secundum quam propter occultas nobis causas suæ æternæ sapientiæ manifestissimas, bene vult malis, & interdum male, pœnaliter vero bonis, cum autem visum erit in sequenti conclusione Sacerdotes populo non esse subiectos, apparebit irrationabile, ipsos coram populo de peccatis suis personalibus publicis arguere, hypocrisim detegere, & coram ipso suis manifestis sceleribus contraire, vt dixit proponens, dum tamen non sint in subuersionem, per falsam doctrinam; in quo casu possunt argui publice coram populo, vt supra dictum.

* *Alius liber habet, August.*

Matt. 22.

August.

August. de Ciuit. D. l. 5. c. 21.

Sequitur septimo ex præcedenti, quod subditus populus non potest licite subtrahere decimas & oblationes à malis sacerdotibus publica malitia personali, nec valet excusatio auaritiæ, hoc facere volentium, quia nolunt tales nutrire in peccatis, quod tamen facerent dando, vt dicunt. Probatur. Christus sustentauit Iudam proditorem, deditque illi buccellam panis, & fecit eum participem mensæ suæ, & adhuc erat sacerdos. Item Deus pascit gentiles, in orbe, hæreticos, impios Christianos, ita vt Iob dicat: *abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant eum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum*; Iob. 12. Et veritas ipsa de hoc ait: *Qui Solem*

CCXV. *Septimum Corollarium. Populus nō potest licit. subtrahere prouentus malis sacerdotibus. Iob. 12.*

Augustin. *suum facit oriri super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos.* Item Augustin. tractatu de oratione Dominica, qui incipit, *Sanctissimis Apostolus*, ait, *ipsum panem carissimi, quo venter impletur, quo caro quotidie reficitur, ipsum panem videtis dare Deum, non solum laudatoribus suis, qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, laudas, pascit te, blasphemas, pascit te, vt pœnitentiam agas, expectat te, si non te mutaueris, nam natte. Quia ergo panem istum accipiunt boni & mali à Deo, putas non est alter panis:* Hæc ille. Item idem prima parte sermonum serm. de generalitate eleemosynæ, qui incipit: *Sunt qui dicunt, da misericordiam, & ne suscipias peccatorem. Illa enim ob hoc dicta sunt, ne vnquam peccatori benefacias, propterea quia peccator, sed quia bono est, itaque verumque præceptum tenebis, non ad vindictam remissus, nec ad subueniendum. Omnis enim, qui ratione arguit peccatorem, quid aliud quam vult non esse peccatorem? Odit ergo in illo, quod odit Deus, vt perimatur, quod homo fecit, & liberetur, quod Deus fecit, peccatum autem homo fecit, ipsos homines Deus.* Et infra: *Bene facimali propter hoc, quod humilis est, & ne deideris impio propter hoc quod impius est, quoniam & altissimus odit peccatores, & impiis reddet vindictam, qui tamen non solum propter quod peccatores & impij sunt, verum etiam quod homines, facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, ita nulli hominum claudenda est misericordia, nulli peccatori impunitas relaxanda.* hæc Augustin. Ex quo patet, quomodo potest dari malis, nec tamen nutrient malitia, ideo possunt reddi decimæ, vtique iustissime debitæ, nec ideo nutrietur malitia: nam soluentur quia debitæ & quia illi sunt sacerdotes, non autem, quia mali. Item Hier.

Matth. 22 in Comment. super illo in cap. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, dicit sic. *Porro quod ait reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, id est, numum tributum, & pecuniam, & quæ sunt Dei Deo, id est, decimas, primitias & oblationes:* hæc Hieron. Tũ autem Cæsar Tiberius erat Tyrannus, successor Tyranni & hæres; sacerdotes, infideles, auari, & in malo pertinaces, ad pietatem indociles, in mortem Domini iugiter meditantes, & tamen illis decimas Dominus iubet dari, si illis dandæ sunt, cur non sacerdotibus malis, tamen fidelibus? Rursus idem in annotationibus super illo: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potа illum*, ait, *Noli negare, quod Dominus nulli negat; quamuis sit blasphemus & impius, hoc enim faciens, carbones congeres super caput eius, vt cum sibi carbones intellexerit, * per tuam indebitã misericordiam congregari, excutiat eos, hoc est, conuertatur, & diligat te quem habuerat aliquando perosum.* Item: *Idem Deus nulli negat blasphemo & impio. & nunquid ipse cibat inimicos suos contra se ipsum? non sed contra se ipsos eis gratitudo Domini gratitudo & seruorum eius obesse potest ad pœnam. Domini gratitudo autem seruis eius crescet ad gloriam, quia nec ideo pascunt peccatorem, vt amplius peccet, sed magis, vt gratia Domini victus à delicto quiescat:* hæc Hieron. Chrysost. autem super Ioan. homilia 70. *Qui manducat meum panem, omnia alia*, inquit, *dimittens, hoc vnum quod sufficiens erat eum, scilicet Iudam, detnere & conuertere, posuit Christus, qui à me nutritus est, qui apud mensam communicauit, hoc autem dixit eruditens eos, qui male faciunt, benefacere etiam. si manserint insanabiliter habentes.* hæc ille. Ponderate quod dicit, *& si manserint insanabiliter habentes.* Nam illis benefaciendum, non obstante malitia, docet Dominus Iesus, vt ait Ipse Chrysost. Si vero zelum habens correctionis vitiorum, vtinam secundum scientiam, causetur dicens, quod nisi coram multitudine populi vitia cleri arguantur, & improbentur, iudicabit simplex populus illa esse licita, ideo vt eis consulatur, necessarium est, omnibus talibus publice coram populo contraire, dico quod non habet, vnde rationabiliter conqueratur: Nam iuxta præmissa doctrinam Saluatoris insequẽdo, sacerdotes delinquentes publice peccatis personalibus, potest fraternaliter cum reuerentia, honore & mansuetudine corrigere, adhibitis debitis circumstantiis, quod si illum non audierit, adhibeat vnum vel duos testes; quos si non audierit, dicat Ecclesiæ, id est, prælato Ecclesiæ, qui est superior sacerdotis delinquentis. Si ille neglexerit, potest ad superiorem recurrere, vsque ad summũ Pontificem, quem si rursus desidem in correctione ista iudicauerit, habet pro finali recursu generale concilium, quod requisitum & * corrigendis informatũ nullatenus deficiet, speciali enim quadam præsentia paraclitus Spiritus sanctus ei adest, & Christus, qui sponsam suam Ecclesiam Catholicam in concilio generali repræsentatam, nullatenus errare permittit, quam desponsauit sibi in fide & in misericordia & miserationibus vsque in sempiternum, propter quod in morum reformatione non est ambigendum, concilium generale tramitem veritatis vnquam relicturum; hoc tantum restat, vt omnis puritatis amator, conciliorum generalium celebrationem toto corde & opere procuret. Ecce lenem Domini, ecce mandatum de correctione fraterna. Ecce practicam horum contra malitiam sacerdotum personalem: dixi, personalem, quia si in fide aut doctrina erraret, & peruerteret populum, hoc modo, si mores sanctos documentis malis niterentur euertere, aliter esset procedendum, vt dictum est, nec peccarent solum in te, sed in omnes Christianos. Vbi vero omitteretur celebratio generalium Conciliorum, quod Deus auertat, remedium est prædicatio verbi Dei maxime ad clerum facta. In illa fiat generalis exprobratio vitiorum, ne vnquam putent insipientes vitia sibi licere. Ad populum vero exprobratio vitiorum cleri, non videtur expediens, nisi cum magno moderamine, & diligenti verborum temperantia fiat, ne clero populus infestus insolentior fiat, & abiiciat omnem reuerentiam & obedientiam. Vbi tamen probabiliter appareret populum errare credendo, vitia cleri iam non esse vitia, esset per veram doctrinam ei succurrẽdum, sed hoc diebus nostris euenire pro magna parte populi non permisit Dominus. Non ego arguendi sunt mali sacerdotes malitia personali coram populo propter hoc, vltra præmissa, hanc vnicam facio rationem. Ordo fraternæ correctionis ostendit, quod ab ea iturin correctionem paternam seu iudiciariam, dum illa non sufficit. Nam post correptionem inter te & illum, vnus vel duo testes, adhibẽtur, vt conuincatur iam correptus coram iudice. Postea si negauerit, dicetur Ecclesiæ, id est, prælato, vel vniuersali Ecclesiæ in negligentia prælatorum, si illam non audierit, excommunicatur vel excommunicatus est. Ideo sit tibi vt ethnicus & publicanus. Igitur vbi fraterna correptio non sufficit, curritur ad iudicem, vt qui volens corrigi noluit, nolens corrigatur: modo populus, vt postea patebit, non est iudex sacerdotum, nec habet excommunicare aut claues Ecclesiæ, sed potius pastores, & Ecclesia vniuersalis seu Concilium illam repræsentans. Igitur corrigendo coram populo malũ sacerdotem, legem correctionis fraternæ quis transgreditur, & non ingreditur ordinem iudiciariæ potestatis, ergo hoc non est faciendum.

Hier. in caput ad Roman. 12.

** Textus impressus habet sua. Item in Ps. 43. in ep. ad Hedibiam 50. Chrysost. hom. 70.*

** m.s. co. ex alter. debite corrigendum inforatum. fo 2.*

SEQVITVR SECVNDA CONCLVSIO.

CCXVI. *Qui subditorum suorum peccata mort. pub. iudicialiter corrigere possint.*

SECVNDA conclusio. *Soli habentes auctoritatem à lege, à diuina voluntate, per inspirationem seu reuelationem cognita, aut ab aliquo illorum commissi, possunt licite in quolibet statu corrigere iudicialiter subditorum suorum peccata mortalia publica:* Ista conclusio probatur lege diuina, praxi Apostolorum, & Ecclesiæ primitiuæ, decretis libri Conciliorum Isidori, & sanctorum Patrum, & auctoritatibus sanctorum Doctorũ, se fundantium in lege diuina.

Supra propositione 4 Aug. contra Faustũ Manichæũ lib. 2. c. 22.

Primo probatur ex testimoniis veteris testamenti, Exodi 2. scriptum est: Cum quidam Hebræus alteri faceret iniuriam, & Moyses iniuriantem corriperet, Ait correptus: *Quis te constituit iudicem super nos? nunquid vis me interficere, sicut heri interfecisti Aegyptium?* Augustinus autem contra Faustum dicit, super interfectionem Ægyptij per Moysen. *Moyses non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitia regulam excessit, quia nondum à Domino principatum acceperat*, vt prius allegatum est. Secundo: Sic Dauid quendam iuuenem (Dicunt multi Doctores, quod fuit Doeg Idumæus, qui dixerat se Saulem occidisse, licet mentiretur) occidit. Nam 2. Reg. 1. dixit illi iuueni; *quare non timuisti manum tuam mittere, vt occideres Christum Domini?* Et paulo post dixit, *sanguis tuus super caput tuum sit.* Iussitque eum interfici: hoc autem non fecisset, si sibi licuisset Regem Saulem occidisse. Non ergo illi licuit, quãuis Saul esset malus, & reprobatus à Domino, ne regnaret. Tertio, Prouerb. 30. dicitur: *per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Primum est per seruum, cum regnauerit*, hoc autem fieret, si subditi vellent defectus superiorũ publicos per iustitiam vindicare. Quoniam vero orbis perturbatio mala est, hoc non licet. Quarto, Psalm. 71. dicit Prophe ta: *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Ibi

2. Reg. 1.

Prou. 30.

Psal. 71.

iud-

iudicium iustitiæ committi precatur Propheta, non cuilibet, sed Regi, aut filio Regis, vel his, qui iuste aliis præsunt.

Prou. 19. Iterum Prouerb. 19. Sapiens ait: *Non decent stultum deliciæ, nec seruum dominari Principibus.* Ex illis patet subditos non debere superiorum peccata per iustitiam corrigere. castigare aut punire. Item Isa. 10. dicit Spiritus sanctus: *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est*, licet autem hoc dictum sit contra præuaricatores diuinorum mandatorum, quod patet ex pronunciatione pœnæ diuinitus comminatæ: Rationabiliter tamen potest exponi de insurgentibus in superiores, delicta eorum cupientes sub titulo iustitiæ vindicare. Rursus, vt allegatum fuit, inobediens sacerdotis Imperio moriebatur in lege. Ex quo verbo hoc morale accipiendum est, quod sacerdotibus euangelicis, in his quæ bene præcipiunt, populus teneatur obedire, nõ ergo habet populus eorum peccata personalia, per iustitiæ potestatem corrigere. Si dicatur, quod hoc verum est de bonis. Nam malos presbyteros puerulus Daniel iudicauit; vt patet Daniel. 13. Respondebo, quod ita fecit, sed hoc fuit accepta à Domino super hoc speciali potestate, quæ innotescit hominib⁹, aut per miracula, aut per testimonium sacrarum scripturarum, hæc autem, de qua hic inspiratio diuina ex scriptura manifestatur. Nam dicitur: *suscitauit Deus spiritum pueri iunioris, cui nomen Daniel.* Præterea eodem modo videtur dicendum, quod subditi possunt peccata principum seculatium publica, auctoritate iustitiæ punire & corripere, & hoc esset seditiosum & subuersio omnis principatus temporalis. Amplius: superiores non habent ab inferioribus puniri, propter eorum negligẽtias in iustitia ministranda aut regimine; & specialiter Ecclesiastici à laicis. Illorum enim defectus Dominus iudicabit & non populus terræ. Quod patet Isa. 3. vbi dicitur: *Stat ad iudicandum Dominus.* quod ad prælatos aut ad sacerdotes hoc dictum sit, patet. Nam paulo post dicitur: *vos depasti estis vineã meam, & rapina pauperis in domo vestra*, sic enim ad hoc propositum allegat Alexander illam auctoritatem. Idem patet Ezechielis 33. de speculatore enim dicitur: *Nisi insonuerit buccina, cum viderit gladium venientem, sanguinem perentis de manu eius requiram*, non populus terræ, sed ego, supple, Dominus. Hæc enim sunt verba Domini. Non habet ergo negligẽtias exigere populus ex auctoritate, de manibus prælatorum aut presbyterorum, sed Dominus, quamuis possit pro defectibus & negligentis in officio, querimoniam superioribus ipsorum Ecclesiasticorum deficientium, porrigere, ac pro peccatis personalibus eos monere fraternaliter, modo dicto in præcedenti conclusione.

Prou. 19. *Isaiæ 10.* *Isaiæ 3.* *Ezech. 33.*

CCXVII. *Matth. 26.* *Aug. lib. 22. contra Faustum Manichæũ c. 70. to. 6.* *Rom. 13.* *Rom. 14.* *1. Pet. 2.*

Deinde probatur conclusio testimoniis noui testamenti, & primo Matth. 26. dicit Saluator: *omnis qui gladium acceperit, gladio peribit.* Ille vero dicitur gladium accipere, qui propria auctoritate iustitiæ pœnas exercet. Vnde August. *Ille gladium accipit, qui nulla superiori aut legitima potestate vel iubente vel concedente in sanguinem alicuius armatur*, ergo soli tales, non qui gladium accipunt quoniam gladio peribunt, sed quibus gladius à Deo datus est, habent peccata publica auctoritate iustitiæ vindicare. Secundo Apostolus Roman. 13. dicit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nam qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Post pauca subdit, *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram, ei, qui male agit.* Ex his patet quòd inferiores subdi debent potestatibus sublimioribus, & sic non habent de illis potestatibus iustitiam facere, non enim habẽt gladium datum à Domino, sed princeps qui Dei minister est, contra operantes malum. Si de facto faciunt, gladium accipiunt, & gladio peribunt, vt dicit Dominus. Tertio, Apostolus reprehendit eos, qui iudicant non sibi subditos. Dicit enim ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit.* Nec potest dici, quod propter peccatum Domini efficiantur subditi dum tamen illud peccatum sit tantum personale, & nõ sit in fide, aut contra Rempublicam, ad cuius custodiam, & fidei defensionem, ordinatum est Dominium, sicut probatum est supra. Quarto, 1. Pet. 2. Petrus Apostolus: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum*: specificando autem cui, subiungit, *siue Regi quasi precellenti, siue ducibus quasi ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Si dicatur, quod bonis parendum est, non malis. Cõtradicit illud 1. Pet. 2. *Serui subditi estote in omni timore Dominis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*

CCXVIII. *Praxis apostol. Ioan. 21.* *Actor. 5.* *Actor. 8.* *Actor. 2.*

Consequenter ex praxi Christi Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ, sic ex praxi Christi. Christus vni tantum, non omnibus dixit, scilicet Petro: *Pasce oues meas*, Ioan. vltimo. Dans vni, non pluribus, vniuersalem auctoritatem corripiendi peccata subditorum, & in virtutibus eos nutriendi. Item ex praxi Apostolorum. Petrus solus tanquam caput aliorum, diuinam sententiam in Ananiam & Saphiram promulgat, quia defraudauerant de pretio agri. mentiri Spiritui sancto, vt habetur Actuum quinto, in quo patet, quod superior habet ferre iudicium aut promulgare. Cæterum cum Simon Magus offerret pecuniam Apostolis, vt haberet potestatem dandi Spiritum sanctum. per impositionem manuum, solus Petrus, vt aliorum Princeps, legitur eum corripuisse imperiose dicens: *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. Præterea cũ Paulus percussus iussu Ananiæ summi sacerdotis Iudæorum, dixisset: *percutiet te Deus paries dealbate.* Et quidam astantium ei apposuisset, *sic summum sacerdotem Dei maledicis?* Respõdit: *nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum*, per hoc se excusans de maledicti pronunciatione ostẽdens, quod superioribus non sunt maledicta inferenda, & multo minus corporales pœnæ per inferiores: De his Apostoli verbis habetur Actuum 23 Nec valet, quod Paulus restitit Petro in faciem. Nam habetur Galat. 2. *Cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*, quia cum superior peccatin facto fidei, fit inferior in hac parte. Et subditi non lapsi, fient superiores, vt Thom. in 4. dist. 19. vel magis glossam sequendo dico, quod in defentione fidei Paulus fuit par Petro: dicit enim glossa *super illo Restiti ei in faciem, vt par*, ita dicit Richardus de media villa in quarto, dist. 19. In vna responsione tangitaliam, quæ Thomæ videtur conformari in quarto, quod vbi imminet periculum fidei, inferior potest superiorem etiam publice arguere, vt etiam dicit Thomas in 2. secund. immediate supra, securante in fine quinti Corollarij dictum est. Et hoc maxime dico verum esse, quando periculum est in mora, nec dilationem recurrendi ad superiorem periculum patitur. Ita dicit de pari tare Petri & Pauli in defensione fidei. Augustinus de Ancona, lib. de potestate Ecclesiastica, quæst. 7. art. 2. ad primum, vbi ostendit, quod Paulus fuit minor Petro, maior, & æqualis. Minor quidem potestate prælationis, quia solus Petrus fuit Cephas, id est Caput totius Ecclesiæ: Maior autem prærogatiua electionis, quia electus fuit à Christo post resurrectionem & post glorificationem. Vnde in Bulla Papæ, Paulus ponitur ad dextram. Æqualis in officio prædicationis, & fidei defensionis. In hac autem reprehensione fides defensionis tangebatur, quantum ad cessationem legalium, vnde ad Galat. 2. post verba assumpta sequitur de Petro, *Non enim ambulabat ad veritatem Euangelij.*

Supra Conclus. 5. 4. dist. 19. *Tho. 2. 2. q. 33. art. 7* *Augustin. de Ancona.* *Constantinus.* *Psal. 81.* ** m.s. a ter Iudæorum.*

CCXIX. *Praxis angelica.*

Allego vltra praxim Apostolicam, praxim, vt sic dicam Angelicam Michaelis Archangeli, qui dum cum diabolo de corpore Moysis altercaretur, noluit imperare, sed Domino imperandum reseruauit. De hoc enim habetur in epist. Iudæ: *Cum Michael Archangelus altercaretur cum diabolo de corpore Moysis, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi Dominus.* si punitionem noluit Archangelus in diabolum sine auctoritate superioris, scilicet Dei, exercere, sed Domino reseruauit; cum homines non sint meliores Angelis nec delinquentes peiores diabolo, vindictam malorum non debent exercere, sed superioribus reseruare.

Posset ex praxi primitiuæ Ecclesiæ satis facile, idem deduci permultis. Sufficiant autem duo exempla, quæ si non sunt de primitiua Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia satis primitiua. Vnum est Constantini Magni, de quo in 3. lib. historiæ tripartitæ dicitur, quod Episcopis inter se dissidentibus & libellos famosos contra se inuicem Constantino offerentibus, ipse dit: *Dominus constituit vos sacerdotes, & potestatem dedit vobis de nobis iudicandi, ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autem non potestis iudicari ab hominibus, propter quod inter vos Dei solius expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen, vos estis nobis dati Dij, & inuenti estis, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est Psalm. 81. Deus stetit in synagoga * deorum, in medio autem Deos*

dijudicat. Aliud est exemplum de obedientia Theodosij erga beatum Ambrosium, ex quibus apparet Principes seculares Christianissimos iudicib. Ecclesiasticis paruisse, quàquam aliqui eorũ mali essent, sicut paruit in primo exemplo.

CCXX. *Clemens Papa epistol. 1.*

Ex his autem quæ in lib. conciliorum Isidori habentur, probatur conclusio. In epistola Clementis Papæ ad Iacobũ fratrem Domini de morte S. Petri dicitur. *Episcopos à solo Domino iudicandos aut remouendos, & non ab aliis esse dicebat, quia sui sunt & non alterius. Et quis est, qui alterius iudicet seruum? Nam si ita non patiuntur homines, ne eius Decorum, nec Dominus Dominantium, hoc nullatenus patitur.* Item Euaristus Papa, vt eodem lib. Conciliorum Isidorus narrat, decreto suo nono, ait: *non est itaque à plebe aut à vulgaribus hominibus arguendus Episcopus vel accusandus, licet sit inordinatus, quia pro meritu subditorum dispositur à Deo vita istorum,* & transsumptione habetur 2. quæst. 7. non est. Item ex decreto Alexandri primi in eod lib. Conciliorum Isidori dicitur: *Relatum insuper est ad huius sanctæ & Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnia negotia Ecclesiarum, ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente Principi Apostolorum Petro, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quod quidem æmuli Christi eiusque sanctæ Ecclesiæ insidiatores, sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare præsumant, cum magis Apostolus Christianorum causas ad Ecclesias deferri, & ibidem determinari præcipiat. Taliter prænaricantes præuaricati sunt in Deum suum, & non obediunt præceptis eius.* Amplius in Concilio generali Parisien. & habetur in c. nullus iudicum, de for. compet. sic fuit diffinitum: *Nullus iudicum neque presbyterum neque diaconum, aut clericum vllum aut minores Ecclesiæ sine permissu Pontificis, per se distringere aut condemnare præsumat, quod si fecerit, ab Ecclesia Dei, cui iniuriam irrogare dignoscitur, tam diu sit sequestratus quousque reatum suum recognoscat, & emender.* Sunt tamen casus speciales, in quibus iudex secularis potest esse iudex clerici, qui notantur per Hostiensem, & alios Doctores in d. c. Nullus de for. comp. Rursus, quod dignitas Episcopalis sit maior Imperiali, exceptis temporalibus, quæ Episcopus ab eo recipit, declarat Innocentius III. illustri Imperatori Constantino, in cap. solicitæ, de maioritate & obed.

De for. comp. c. nullus. 1.

Hostiens. de foro cõp. c prædicta. De maioritate & obedientia. c. 6. Greg. Nazianz. in orat. ad ciues Nazianzenos. di 10. c. 6. 2. q. 7. c. 5. laicos.

Item ex decretis SS. Patrum apparet conclusio. Primo, in decreto distin. 10. dicit beatus Gregorius Nazianzenus Imperatoribus Constantinopolitanis, quod etiam potestas tribunalium Regiorum, lege Christi subiecta est potestati Ecclesiasticæ. Ideo non debent regulariter Ecclesiasticorum delicta à Principibus secularibus puniri. Et multo minus à populo vel aliis Christi fidelibus. Item 2. quæst. 7. cap. laicos, dicitur: *Laicos non accusasse Episcopos, hactenus obseruatum & constitutum est, quia non sunt eiusdem conuersationis, & oppido quidem eis infesti existunt.* Iterum 23. quæst. 5. cap. Non frustra, dicitur ab Augustino ad Macedonium: *Non frustra instituta sunt potestas Regia, ius cognitoris, vngula carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris, habent omnia ista modos suos, causas, vtilitates rationes: hæc cum timentur, & mali coercentur, & boni quieti inter malos viuunt.* In hoc patet, quod ad solam auctoritatem publicam pertinet peccata publica per iustitiam punire.

23. q. 5. c. 18. Non frustra Aug. epist. 14. ad Maced.

Postremo auctoritatibus SS. Doctorum in lege diuina veraciter se fundantium, probatur conclusio per August. primo de ciuit. Dei, & recitat Thom. in gloss. super Matth. 5. cap. *Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio*, dicit enim sic. *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, qui autore Deo bella gesserunt, ac personam gerentes publicæ potestatis, iustissime rationis imperio, sceleratos morte puniuerunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium, nequaquam scelerate, sed obedienter occidere, hi ergo excipiuntur, quos Deus occidi iuberet siue lege lata siue ad personã pro tempore, expressa iussione, non autem ipse occidit, qui ministerium dat iubenti, sicut administer gladius est venti:* hæc August. Ex quo patet, quod solum ad habentem auctoritatem, siue à lege, siue speciali iussu Dei, pertinet pœnam per iustitiam inferre. Item idem super Matth. eodem cap. dicit: *Non prohibetur vindicta, quæ fit per correctionem, nec hac ei conceditur, nisi ei, cui potestas ex ordine data est.* Rursus idem primo de ciuitate Dei ait: *qui sine aliqua publica administratione, maleficum interfecerit, velut homicida reputabitur.* Iterum idem super Matth. 5. cap. *officia vindictæ pos-*

CCXXII. *August. li. de ciuitate Dei c. 21.*

Aug. vbi supra. August. in

sunt bono animo impleri, quomodo iudex, & quomodo lex. Præterea Gregor. super Deuteron. 23. *Si intraueris segetem proximi tui, franges spicas, & manu conteres, falce autem non metes*, dicit, *talem iudicy mittere non potest quis in eam rem, quæ alteri videtur esse subiecta.* Ex his patet probata conclusio, quod soli habentes auctoritatem à lege, aut à diuina voluntate per inspirationem seu reuelationem cognita, aut ab aliquo illorum commissi possunt licite in quolibet statu corrigere iudicialiter subditorum suorum peccata mortalia publica. Ex quo patet, quod peccata puniti nõ possunt, nisi adsit iurisdictio, & quia iudicium humanum procedere debet ex manifestis, oportet, quod adsit conuictio, oporteret etiam, vt in primo puncto deductum fuit, quod fiat absque turbatione boni communis. Ideo oportet, quod sit pax salua. His igitur tribus concurrentibus, ex primo puncto, & ex isto declaratis, scilicet iurisdictione, conuictione, pace salua, peccata publica sunt punienda, alias non, nisi vbi maius scandalum oriretur ex dissimulatione punitionis peccati, quam ex turbatione pacis Ecclesiæ, aut boni communis, sicut etiam dictum fuit in primo puncto.

q. Euang. lib. 1. c. 20. tom. 4. Deut. 23. Greg.

CCXXIII. *Primum Corollarium. Peccata publica personarum Ecclesiasticarũ à laicis nõ sunt punienda, exceptis quibusdam casibus. Gen. 47. Deut. 17.*

Ex hac conclusione infero primo, quod peccata publica personalia prælatorum, sacerdotum, & aliorum Ecclesiasticorum Christi fidelium, per laicos non sunt punienda, etiam secundum dictamen legis diuinæ, per cohibitionem pœnæ, exceptis casibus, etiam paucis infra dicendis, in quibus nec eis liceret, nisi esset ab Ecclesia specialiter concessum, hoc probatum erit, si fuerit ostensum, quod non sunt laicis, quo ad ea, subditi, hoc autem sic patet. Primo ante legem scriptam, secundo in lege, tertio sub Euangelio. Ante legem in regno Ægypti sub Pharaone manifestum est sacerdotes ab omni regali exactione fuisse liberos. Cum enim omnes essent Pharaonis Imperio subiecti, & inseruitutem subacti, sola terra sacerdotum permansit libera, habetur Genes. 47. In lege vero non reperiuntur sacerdotes populo esse subiecti, immo è contra. Nam diffinitio quæstionum ad sacerdotis pertinebat arbitrium, ei, quod obediendum lex iubebat sub pœna mortis. Deuteron. enim 17. scriptum est: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit pro illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.* sequitur paucis interpositis: *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.* sub Euangelio autem sacerdotium liberum est ab omni potestate seculari, quantum ad eorum personas, maxime probatur per id Matth. 17. vbi Christus interrogauit Petrum, *à quibus Reges accipiunt tributum, an à filiis, an ab alienis?* Respondit Petrus: *ab alienis*: Et Dominus, *ergo filij sunt liberi.* per hoc intelligens Apostolos, discipulos, & eorum successores esse liberos à subiectione temporali, vnde quod soluit tributum, fuit ne scandalizarẽt exactores tributorum, ideo dicit, *ne scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum & cum piscem qui primus ascendet, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & pro te.* Ecce patet Ecclesiasticas personas liberas esse à tributis; & aliis oneribus Principum terrenorum. Augustinus autem, vt recitat Thomas in gloss. super Matth. 17. cap. super illo verbo. *Ergo filij sunt liberi* sic ait, *dicit Christus omni regno filios esse liberos, id est, non esse vectigales, multo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno, scilicet filij regni ipsius, sub quo sunt omnia regna terræ.* Hieronym. vero in eadem glo. dicit sic. *Dominus autem noster, & secundum carnem, & secundum spiritum filius erat Regis, vel ex Dauid stirpe generatus, vel omnipotentis patris verbum, ergo tributa quasi Regum filius non debebat.* Origenes autem ibidem sic ait: *Vide Christi prudentiam, qualiter nec renuit tributum, nec simpliciter iubet dare, sed prius ostendit se non esse obnoxium, & tunc dat, quorum vnum fecit, scilicet dare tributum, vt illi scilicet exactores, non scandalizarentur. Hoc autem, quod ostendit se liberum, vt non scandalizentur discipuli.* Hæc Origenes. Ita ego dico Ecclesiasticos liberos à subiectione populari, & omnium laicorum, quoad personales & actus eorum personales, præterquam in certis casibus in respondendo exprimendis, vt prius dictum est,

Matth. 17. Matth. 17. August. de quæst. Euang. lib. 1. cap. 23. Hier. in c. 17. Matt. Hæc habet Chrysost. hom. 59. in c. Matt. 17

& vt

& vt non scandalizem discipulorum Domini successores, si putarem aliquos dicere velle sacerdotes Dei, quia reuera sunt medii inter Deum & populum: Ex quo fit, vt dicãtur os Dei, & os populi. Os Dei pro eo, quod mandata Dei populo exponunt. Os populi, quia preces offerunt & sacrificia, pro populo; subiectos esse quoad iudiciariam punitionem cuilibet fideli Christiano, laborarem auctoritates multiplicare, sed quia hoc esse falsum iudicandum puto, supersedeo. Vile namque & captiuum esset sacerdotium, si indisciplinatis & conuersis ad terram laicis esset subiectum, nec aliud sibi quam dolendum esset super flumina Babylonicæ confusionis, Igitur ex quo subditi non sunt laicis modo dicto, non sunt ab eis taliter puniendi.

CCXXIV. *Corollarium secundum Licet Christi fideles possint iudicare Ecclesiasticas personas in iudicio discretionis, non tamen damnationis. Ioa. Chrys. in opere imperfecto in Matth. ho. 43.*

Infero secundo, quod licet quilibet Christi fidelis posset iudicare iudicio discretionis, de peccatis publicis sacerdotum, & aliorum Ecclesiasticorum, tamen nullus eorum potest iudicare iudicio condemnationis & diffinitionis, vt est actus iustitiæ de peccatis publicis personalibus eorundem, modo nuper expresso. Prima pars à proponente videtur concedenda, & est nota satis. Nam tale iudicium non prohibetur de proximo, aut de superiori. Secunda pars patet ex hoc, quod tale iudicium non debet fieri, nisi de inferioribus. Ostensum est autem, quod sacerdotes non sunt inferiores Christi fidelibus laicis, igitur, &c. Audite quid dicat Iohann. Chrysostom. super Matth. in opere imperfecto, Homilia 43. Et loquitur popularibus, Homilia quippe est sermo ad populum: *Vos*, inquit, *qui sedetis in Ecclesia quasi sacerdotum iudices, & non auditores, aliena discutientes, & propria non considerantes, ex vobis ipsis iudicate de Sacerdotibus, sicut vos omnes auditis & non omnes facitis, quod auditis, sic sacerdotes omnes docent, & non faciunt, quod docent. Nam in hominibus dignitas quædam diuersa est, omnium autem natura vna est, homines enim ab initio creati sunt propter se, postea autem sacerdotes ordinati sunt propter vos, propterea natura eorum, ipsorum est, Ordinatio autem eorum, vestra. Vnde, si bene vixerint, lucrum est eorum, si bene docuerint, vestrum. Accipite ergo, quod vestrum est, & nolite discutere quod alienum est. Sicut enim Sacerdotes etiam infideles, docent propter fideles, melius iudicantes, propter bonos etiam malos fouere, quam propter malos eriam bonos negligere. Sic ergo vos, propter bonos Sacerdotes, etiam malos honorate, nec etiam propter malos, bonos contemnatis. Melius est enim iusta præstare malis, quam bonis subtrahere, frequenter enim & de malo homine bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretiosum aurum producit. Nunquid propter vilem terram pretiosum aurum contemnitur? Non. Sed sicut aurum eligitur, & terra relinquitur, Sic & vos suscipite doctrinam, & mores relinquite,* hæc Chrysostomus. Apparet ex ista auctoritate, quod de moribus non habent iudicare. Nam propter peccata personalia Sacerdos non redditur par aut inferior laicis. Cæterum idem Chrysostomus super Iohannem Morali seu Homilia 85. sic inquit: *Nunc non est dicere, super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, sed super Cathedram Christi sederunt Sacerdotes, Eius enim acceperunt doctrinam. Idcirco Apostolus ait: pro Christo legatione fungimur: Non videtis in his quæ foris sunt principibus, vniuersos curuantes, & genere meliores existentes, multorum etiam vita & prudentia, his, qui iudicant eos, sed tamen propter eum, qui dedit iudices, nihil horum exagitant, sed venerantur sententiam Regis, & si quicunque abiectus fuerit, qui acceperit principatum demum si vbi homo inthronizauit, tantus est timor, vt inthronizato obediamus, inthronizante Domino, contemnemus eum, qui inthronizatus est, & conuiciabimur, & decem millibus opprobriis laniabimus, & fratres nostros prohibiti iudicare, aduersus Sacerdotes linguam exacuemus?* Ecce arguit Chrysostomus à maiori: populares Christianos non debere iudicare magistros, qui prohibiti sunt iudicare fratres sibi pares. Quoniam dicit Dominus, Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* de quo autem iudicio intelligat, patet ex sequentibus, quia subiungit, *nolite condemnare, & non condemnabimini*, vnde improperando tale iudicium præsumptum vel vsurpatum à populo, quod ei non conuenit de sacerdotibus, dicit idem Chrysostomus super 2. epistol. ad Timoth. homil. 2. & ait: *Si debemus examinare vitas principantium, ipsi debemus esse inthronizatores magistrorum, & quæ sursum, inferius fient, sursum pedes, inferius caput.* Et idem 3. Dialogorum, & quidem, inquit, *sacerdotes in veteri Testamento habebant potestatem non curandi, sed ostendendi tantum eos, quos constabat fuisse mundatos, & nosti quantum ibi imminebat labor: at hi scilicet in no-*

Matth. 7. Chryso. ho. 2. in epist. ad Tim. 2. circa medium. Chrys. de sacerdotio lib 3.

uo Testamento, non corporis lepram, sed immunditiam mentium, non ex parte probandi, sed omnifariam mundandi obtinent potestatem, propter quod, qui despiciunt, magis mihi rei, quam Dathan & Abyron videntur, dignique maiori supplicio, quam illi. Nec valet, quod diceret aliquis, Dominus Maiestatis Christus Iesus concessit populo Iudæorum iudicare de vita & operibus eius: dicit enim Iohann. 10. *Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere.* quomodo ergo non potuerunt Christi fideles de suis ministris iudicare quibus de Domino hoc licuit? Hoc, inquit, non valet, Nam Dominus non dixit: Si non facio opera pattis mei, iudicate me, sed dixit, *nolite mihi credere*, hæc opera erant miracula, quæ sunt testimonia veritatis, prædicationis & doctrinæ. Concessit ergo Christus, vt propter miracula mundi crederent, non vt vitam cum operibus iudicarent: Proinde rea B. Gregor. in pastorali libr. 3. cap. 5. ait: *Admonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temere iudicent, si quid fortasse eos agere reprehensibiliter vident, ne vnde recte mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora demergantur, admonendi sunt, ne cum culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed si qua valde sunt eorum prauа apud semetipsum diiudicent, vt tantum diuino constricti amore, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent, quod melius ostendimus, si Dauid factum, ad medium deducamus: Saul quippe persecutor, cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis Dauid inerat, qui iam longo tempore persecutionis eius malа toler. abat, cumque viri sui ad feriendum eum accederent, fregit eos * rationibus, dicens: Quia manum in Christum Domini mitterem non auderet, qui tamen occulte surrexit, oramque chlamydis eius abscidit. Quid per Saul, nisi mali rectores, quid per Dauid, nisi boni subditi designantur?* Post multa dicitur: *Post hoc, Dauid percussit cor suum, eo, quod abscidisset oram chlamydis Saul facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum ratione reprehendenda iudicantur: Et si quando contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse vt per afflictiones pœnitentiæ cor præmatur:* Ecce quod etsi iudicio discretionis de manifestis iudicare possint inferiores, non tamen iudicio condemnationis aut diffinitionis, quæ est actus iustitiæ. Et hoc est, quod dicitur 25. Moral. cap. 21. super illo Iob: *Qui regnare facit hominem hypocritam, quia*, inquit, *rectores habet iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temere vitam iudicare regentium, neque enim frustra per semetipsum Dominus ex nummulariorum fudit, & Cathedras vendentium columbas euertit, nimirum significans, quia per magistros quidem indicabat vitam plebium, sed per semetipsum facta iudicat & examinat magistrorum.*

Ioann. 10.

Greg. in pastor. p. 3. c. 5.

* *pro ratione, exemplaria impressa habẽt, responsionibus.*

Greg. 25. mor. c. 21.

CCXXV. *Corollarium tertium. Propter malitiam Ecclesiasticorum siue laicorum non potest quis licite ab vnitate Ecclesiæ recedere. Aug. contra epist. Parm. lib. 1. c. 2. Gen. 22. Gen. 26. Gen. 28. Gal. 3.*

Tertio infero, quod propter malitiam non huiusmodi, siue Ecclesiasticorum, siue laicorum, non potest licite se aliqua natio ab vnitate totius residui orbis Christiani separare, putans se Ecclesiam esse. Hic duo dicuntur, Primum, quod non est putandum, quod Ecclesia Catholica sit in vnica Regione. Secundum, quod vna natio se ab aliis diuidere non debet, propter multorum peccata publica. Primum patet sic. Arguit beatus Augustinus primo lib. contra epistol. Parmeniani, dixit enim Dominus Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, & Isaac: *in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, pro eo, quod audiuit Abraham patter tuus vocem meam*, ad Iacob dixit: *Ego sum Deus Abrahæ Patris tui, & Deus, Isaac, ne timeas, terram enim, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo & erit semen tuum tanquam arena maris, & replebitur in mare, & in Aquilonem, & in Orientem, & benedicentur in te omnes tribus terræ in semine tuo.* Et ne de Iudæis dictum putetur, quod sit semen Abrahæ, in quo benedicendæ sunt omnes gentes, Apostolus exponit, dicens; *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dicit, & seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo, qui est Christus.* In Christo ergo omnes gentes benedictionem habituras, tanta auctoritate promissum est, tanta exhibita veritate, & non pudebit dicere ad pugillum orbis illam diebus his esse coarctatam ihæc Augustinus. Porro, sicut Augustin. arguit Dominus in parabola zizaniorum ait, quod paterfamilias seminat bonum semen in agro, Exponens autem illam, ipse ait: *Qui seminauit bonum semen, est filius hominis, Ager est mundus. Bonum semen hi sunt filij regni, Zizania vero sunt filij nequam.* Ergo Christus filius regni posuit illud in agro, id est, mundo, non in aliqua portiuncula terræ, aut in Africa, vt arguit Augustin. in fin. primi lib. contra epistolam Parmeniani: sed in toto orbe ab ortu solis vsque ad occasum: hoc Dominus veritatis declarat, Matth. 24. *Si quis*

Eodem lib. pag. vlt. Matth. 24

Aug. de q. Euang. lib. 1. c 38.

S. Hieron. hæc verba profert etiã ex stat S. Thom. in gloss. super c. 20. Mat. Isidorus de summo bono c. 26. Isidor. lib. 3. c. 1. Honorius. ug. de fide ad Petrum c. 3.

37. 45. Ph. Ip. 2.

Aug. tract. 50. in Ioan. habetur 23 q. 4. cap. 3. Quid.

CCxxvi. *C. roll. 4. Ecclesia militans non est pro communi statu; absque mixtura malorum cum bonis. Aug. lib. 3. contra epist. Parm. c. 2. Iuer. 23.*

Matth. 25.

Psalm. 36.

Matth. 23

mihi dixerit, ecce hic est Christus, id est, in ipsa parte mundi, *aut ibi*, scilicet est fides Catholica, *nolite credere, si dixerint vobis, ecce in deserto est*, hoc est, in dogmate Philosophorum, *nolite exire*, scilicet à fide Ecclesiæ, *si dixerint, in penetralibus est*, id est, in doctrinis occultorum hæreticorum, *nolite credere*. Est ergo fides Catholica post eius publicationem sicut fulgur, quod patet ab Oriente in Occidentem. Sic enim exponit beatus Augustinus de quæstionibus Euangelistarum, dicens: quod Orientis & Occidentis nomine, totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia. Isidorus libr. de summo bono, 16. cap. dicit: *Sancta Ecclesia ideo dicitur Catholica, quod vniuersaliter per omnem mundum sit diffusa, Hæreticorum enim Ecclesia in partibus mundi coarctantur, hæc vero in toto orbe diffusa expanditur.* Idem 8. lib. Etymolog. *Ecclesia Græce dicitur conuocatio, Latine Catholica dicitur vniuersalis.* Eandem sententiam habet Honorius super illo, Cantic. 4. *Duo vbera sunt duo capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Eandem Augustinus de fide ad Petrum. Patet ergo prima pars Corollarii. Secunda, quod natio non se debet diuidere à reliqua parte orbis propter peccata publica multorum, satis fuit in primo puncto deducta. Et hoc propter peccata particularia, & non fidem concernentia, vnde quamuis sine periculo schismatis bonì à malis recedere non possint corporaliter, debent corporali præsentia manere, recedere vero spiritu, ne scilicet peccatis malorum consentiant. Sic enim Apostolus dicit ad Philipp. 2. *Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ atque peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes*, Augustinus super verbo Ioann. & habetur 23. q. 4. dicit: *Quid ergo vult Dominus noster Iesus Christus, fratres mei, admonere Ecclesiam suam, quando vnum perditum scilicet Iudam, inter duodecim habere voluit, nisi vt malos toleremus, ne corpus Domini diuidamus? Ecce inter Sanctos suos est Iudas, ecce fur Iudas, & ne contemnas fur sacrilegus, non qualiscunque fur, sed loculorum Dominicorum, sed sacrorum.*

Infero quarto, quod Ecclesia militans non est pro communi statu, absque mixtura malorum cum bonis, sed hoc proprium est Ecclesiæ triumphanti, quod tamen sentire videntur, qui tam rigide, non saluo ordine iuris, nec pace præposita, omnia mala publica volunt de communitatibus Christianorum, & in quolibet statu propellere. Patet corollarium per August. 3 lib. contra epist. Parmeniani dicentem: *Inter omnia, quibus eorum sacrilegus tumor apparet, nullo se loco magis aperuit, quam in eo, quod ausus est etiam illud Ieremiæ Prophetæ ponere, vt persuaderet hominibus communionem Donatistarum, non solum Ecclesiam veram esse, sed etiam talem in hoc tempore, qualis post vltimam ventilationem Ecclesia sancta futura est.* Verum illud Ieremiæ fuit, *quid paleis ad triticum?* dicit sic Augustinus de Parmeniano & complicibus *considerent, si in eis inest qualiscunque sensus humanus, nunquid in agro dici potest quid paleis ad triticum? quando in eadem radice portantur? nunquid in area, vbi pariter teruntur? sed vtique in horreo, quid paleis ad triticum? veniet ille pater familias ferens ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam, frumenta recondet in horreum, paleam vero comburet igne inextinguibili. Nam per aliam similitudinem omne triticum omnium nomine, omnis palea bonorum nomine significatur, quæ duorum pecorum genera sub vno pastore pascuntur, sed venit filius hominis cum Angelis suis, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor separat oues ab hœdis, &c. tunc implebitur Prophetia, quid paleæ ad triticum? quando non poterunt pascua esse communia hœdis & ouibus.* Ipse etiam idem Augustinus Donatistis ita respondit ad propositum in tractatu Psalm. *Suspicamini quid vultis de nobis, si boni sumus, in Ecclesia Christi frumenta sumus; Si mali sumus in Ecclesia Christi, palea sumus, tamen ab area non recedimus, tu qui venis tentationis foras volasti, qui es? triticum, non id tolleret ventus ex area? Ite ergo, vbi es, agnosce quid es.* Et infra: *quid autem sumus, ille nouit, ad quem gemimus, de malis tamen dictum est illud, super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Vides, quod in Cathedra Moysi, cui successit Cathedra Christi, sedent & mali, & tamen dicendo bona, non obsunt auditoribus, quare tu propter malos istam Cathedram dimisisti? Redi ad pacem, redi ad concordiam, quæ te non offendit, si bona loquor, & bona facio, sequere me si autem non facio, quod dico, habes consilium Domini, quod dico fac, quod autem facio, noli facere, tamen à Cathedra Catholica noli discedere.* Hæc Augustinus. Non nisi in Ecclesia est salus, quod testatur Remigius super illo Matthæi 21. *Accesserunt ad eum*, scilicet Christum, *cæci & claudi in templo, & sanauit eos*, dicens: *Quod in templo sanatur, significat, quod homines non nisi in Ecclesia sanari possunt, cui data est potestas ligandi atque soluendi, tamen in Ecclesia sunt cæci & claudi.* Vnde Origenes: *In templo enim Dei id est, in Ecclesia non sunt omnes videntes, neque recte ambulantes. Sed alii quidam sunt cæci, alii autem claudi, Qui ex eo, quod intelligunt propriam cæcitatem, & scientes, quia nullius est opus, nisi Christi Iesu, vt sanentur, accedentes ad verbum Dei sanantur.* Hæc ille. Et habentur in gloss. Thomæ, Matth. 21. vbi supra: hæc dicta sunt, vt ostendatur veritas tenenda circa propositum articulum, de punitione peccatorum publicorum, & fallitas respuatur, vt appareat æquiuocatio, & multiplicitas compositionis & diuisionis in illa, & euolutio harum volutionum. Articulus enim fuit iste. *Peccata mortalia publica, & quantum rationabiliter fieri potest priuata auferque deordinationes legi Dei contrarie, in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorum, debite iuxta dictamen diuine legis per Christi fideles, tam spirituales, quam seculares, prout congruit verisque sunt cohibenda, corripienda, castiganda, & pro posse ab eisdem propellenda.* Primo enim id complexum, *quantum rationabiliter fieri potest*, potest determinare cohibitionem, correctionem, &c. peccatorum publicorum & priuatorum, vt sit sensus, peccata publica & priuata, aliæque deordinationes legi Dei contrariæ sunt cohibenda, corrigenda, castiganda, &c. quantum rationabiliter fieri potest. Certe iste sensus iudicio meo esset verus. Vel potest determinare cohibitionem, correctionem, castigationem, &c. peccatorum priuatorum, vt sit sensus, quod publica sunt cohibenda, corrigenda, & peccata priuata sunt etiam cohibenda, quantum rationabiliter fieri potest, &c. & iste est falsus, quantum ad peccata publica, quia posuit omnia esse cohibenda, corripienda, &c. simpliciter, & sine restrictione; in moralibus enim indistinctæ vniuersalibus æquiualent: simpliciter autem, & sine restrictione dicere, omnia peccata publica esse cohibenda, corrigenda, corripienda, &c. ostensum est in primo puncto, esse falsum, si de cohibitione, correctione, &c. loquatur, quæ sit auctoritate iustitiæ. Si vero de cohibitione, correctione, &c. fraterna loquimur, sic priuata, dum tamen ad notitiam aliquius venerint, sunt corripienda &c. sicut & publica specialiter personalia, nec oportuit apponere illam restrictionem, *quantum rationabiliter fieri potest*, ad peccata priuata magis quam ad publica. Secundum istam variam determinationem potest esse compositio aut diuisio, vt sciunt Logici.

In cæna S. Thomæ Matth. 21

Origenes tract. 15. in Matth. 21

CCxxvii

* *Alterum exemplar pro, iudicem, habet indirecte.*

Præterea circa hoc, quod dicitur, *iuxta dictamen diuinæ legis*, immorandum aliquatenus, quare omittitur mentio legum humanarum, quæ sunt licitæ, & regulant hominem * iudicem, quasi regula homogenia, & propterea nullus enim qui veritatem agnoscit, ambigit, quin lex humana habeat vim obligatiuam à lege Dei, sed quare omittitur sermo de lege humana, non bene video, nisi quod proponens intendat tam spirituales, quam seculares, omnia per solam legem diuinã, recturos esse, & disposituros; quantum concernit punitionem vitiorum, & leges humanas, quantum ad hoc, non esse necessarias aut vtiles, falsum esse monstratum est, & tamen visum est, quomodo punienda sunt peccata publica, lege diuina, in primo puncto. Item in articulo; hoc complexum, *prout congruit vtrisq;*, licet in superficie rationabiliter positum videatur, est tamen obscurum: per hoc enim nescitur, quomodo aut seculares, aut spirituales habeant peccata corrigere, arguere, cohibere, per prædicta tamen satis arbitror ostendisse veritatem. Denique circa illud, quod dicitur, *sunt cohibenda, corripienda, castigãda, & pro posse ab eisdem propellenda*, latet equiuocatio. Nam cohibitio, correctio, castigatio & propulsio possunt dicere actus correptionis fraternæ vel iudiciariæ. Item ly *pro posse*, potest determinare omnia ista quatuor participia, *cohibenda, corrigenda, castigãda, & propellenda*. Aut solum vltimum, scilicet *propellenda*. & hoc magis proprie, quia in eadem categorica ponitur. Si dicant, actus correctionis fraternæ, siue hoc, quod dicitur, *posse*, determinet omnia quatuor participia, siue solum vltimum, videretur sensus, quoad hoc esse verus, nisi forte fieret vis de peccatis infidelitatis, aut aliter rempublicam directe turbantibus, & pro ilum Christianum, sic ut patuit in prima conclusione secundi

puncti. Si dicant, actus correctionis iudiciariæ, & ly *pro posse*, determinet omnia quatuor participia, sic nõ bene video, quomodo possit articulus habere veritatem, quo ad hoc, cum seculares nihil habeant iurisdictionis in Ecclesiasticas personas. Si determinet vltimum solum participium, *propellenda*, simpliciter falsus est articulus quo ad priuata participia *cohibenda, corrigenda castiganda.* Nam falsum est, vt ostensum est in secunda conclusione primi puncti, seculares seu laicos habere auctoritatem iudiciariam, cohibendi, arguendi & castigandi peccata publica sacerdotum, specialiter personalia. Secundum ista patet, quomodo verus est, & quomodo falsus erit articulus propositus.

Patet etiam circa primum corollarium eadẽ ambiguitas, quantum ad secundam partem, vbi dicit, *per spirituales & seculares rectores in eorum officiis, modis ipsis congruentibus, in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorum, sunt cohibenda, corripienda, castiganda, & pro posse ab eisdem propellenda.* Pro prima parte est verum, in qua dicitur, deordinationes & peccata mortalia, antedicta, cum sint prohibita sub pœna damnationis æternæ, propter nulla lucra mundi sunt defendenda & fouenda, absit autem à piis fidelium mentibus, vt aliqua mortalia foueant aut defendant, licet tolerent aliqua, vel permittant per cohibitionem pœnæ impunita.

Secundum corollarium, quia expresse de cohibitione, correctione, castigatione, & propulsione fraterna, quæ fit ex lege caritatis, loquitur, verum est nisi de peccato infidelitatis, aut alio E. clestam aut Rempublicam conturbante, fieret exceptio. Et in casu, vbi mora esset facienda, quia in tali casu omissa secreta admonitione, esset ad publicam denunciationem procedendum, ad vitandum periculum, vt determinatum est in secundo puncto. Est enim corollarium hoc in forma: *dicta peccata & deordinationes in communitatib, Christianorum, & quolibet statu eorundem, non solum per rectores prædictos, sed per omnes generaliter Christi fideles, tam spirituales quam seculares, debite modis ipsis congruentibus, ex zelo caritatis sunt corrigenda, corripienda, castiganda, & pro posse ab eisdem propellenda, & nullo modo defendenda aut facienda.*

Tertium corollarium est in forma: *Peccantibus rectorib. tam spiritualibus quam secularibus, vel aliis cum suis status superioribus, subditi fideles licite possunt illos, vel malitiam eorum caritative arguere, hypocrisim eorum detegere, & eorum manifestis sceleribus etiam coram aliis publice contraire.* Istud quo ad primam partem, quæ loquitur de reprehensione fraterna superna superiorum, est verum, sed quantum ad secundam partem, quod hypocrisim eorum possint subditi deregere, & eorum manifestis sceleribus contraire coram aliis. Si intelligitur coram suis superioribus, verum adhuc est, sed si intelligitur coram non superioribus, sicut magis apparet ex aliquibus sequentibus, est falsum, & ostensa est falsitas in secundo puncto. Inferior enim non habet peccatum sui superioris denunciare, nisi superiori illius, vt cum secreta monitio non sufficit, per medium denunciationis veniatur de correctione fraterna ad paternam. sed nec habet suum superiorem accusare, nisi coram iudice suo, nec ideo hoc debet facere, id est, dicere peccata superioris coram populo, vt ille verecundiam habeat, & resipiscat à malo. Nam ipsum infamare est malum, & non sunt facienda mala, vt bona eueniant, dicit Apostolus. etiam, quia per hunc modum citius tolleretur ab eo verecundia, ex quo enim esset infamatus, perdita esset verecundia, quæ secundum Aristotelem est timor ingloriationis. De hac materia satis extense dictum est, videtur enim seditionem inducere, &c.

*Rom. 3.**

Arist. lib. 4 Eth. ca. 9.

Corollarium 4. Grauẽ red dẽt võnem negligentes correptionẽ quo uis modo.

Quartum corollarium in forma: *Quanta mala sunt in communitatibus, & rectores, Domini temporales, Scabini, iudices, siue pastores, consequenter & omnes generaliter Christi fideles, tam spirituales, quam seculares, talia totis conatibus mediis ipsorum concernentibus neglexerint arguere & prohibere, pro peccatis delinquentium grauissimam reddent rationem.* Istud corollarium est valde multiplex, si intelligatur de rectoribus & pastoribus, quo ad suos subditos, referendo singula singulis, credo corollarium esse verum. Si fiat permutatio subditorum, vt per hoc intelligatur Scabinos & iudices seculares, quia non cohibuerunt, correxerunt, &c. potestate iudiciaria, Ecclesiasticos, falsum est, vt patuit in secundo puncto. Si intelligatur de cohibitione etiam fraterna, est verum, si tamen neglexerint corrigere illo modo, tempore, quo correctio fraterna obligat, quo ad fideles non iudices, si de iudiciaria potestatis neglectione loquatur corollarium, falsum est, quod si de fraternæ correctionis neglectu intelligitur, verum est, modo, vt statim dicam. Hæc de secundo puncto.

CCXXVIII. *De absolutionibus à pœna & à culpa & Indulgentiis.*

Quantum ad tertium punctum, vt vno ordine respondeam ad rationes proponentis, veritas ipsa ostendenda est contraria aliquibus dictis ipsius. Primum dictum est eius, etsi non in forma, tamen in effectu sententia. *Absolutiones à pœna & culpa factæ sunt, & per Papam fiunt venales, & Indulgentiæ non sunt in lege Dei fundatæ.* Pauca dicenda sunt de absolutionibus à pœna & à culpa: ex isto, quod iste non est communis modus concedendi absolutiones à Summo Pontifice. & si aliquæ Bullæ sub tali forma dentur surreptitiæ, creduntur impetratæ ideo quia curia Romana hunc stilum communiter non habet: dicunt enim communiter Doctores Magister sententiarum 18. dist. 4. Guillermus Altisiodorensis, in summa. Doctor S. scilicet Thomas, Bonauentura, Scotus & Richardus de media villa, quod solus Deus culpam remittat principaliter. Sacerdos autem vi clauium solum ad hoc agit, aut per modum instrumenti animati ad hoc gratiam non attingendo, sed ad eam disponendo, vt dicunt aliqui, aut ex pacto diuino, vt alij lo quuntur. Et ideo non potest summus Pontifex à culpa absoluere, vi clauium, nisi sicut cæteri sacerdotes subditos suos, hoc est ad hanc remissionem per applicationem clauium disponere, illam ostendere esse à Deo factam, partem pœnæ temporalis remittere, &c vt habent doctores. Sed interdum summus Pontifex cõcedit ex rationabili causa plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, aut relaxationem alicuius partis iniunctarũ pœnitentiarum, & ad hoc, quantum ad plenariam peccatorũ Indulgentiam, intelligo, saluo iudicio meliori, Indulgentiam pœnarum pro peccatis debitarum. Ad hunc enim sensum dicitur, quod sacerdos dimittat peccata, & etiam eo modo de quo dictum est. De venalitate autem, & aliis excessibus factis, non est opus aliquid dicere, nisi quod tollendæ sunt.

Phil. 2:

Quantum vero ad Indulgentias, ostendo, quod sunt fundatæ in lege Dei, ad quod deducendum, supponendum est; quod Indulgentia dicit relaxationem pœnæ debitæ, sed quia oportet, vt saluetur diuina iustitia, & qui peccauit, quia debitor est, soluat, & vt alius satisfaciat pro eo, per Indulgentiam pœna peccatorum relaxatur, ex hoc, quod merita alterius isti applicantur: ergo pro Catholico dicere oportet in Ecclesia esse thesaurum meritorum Christi, & Ecclesiæ & Sanctorum. Christus enim per suam passionem nõ tantum satisfecit pro culpa primi parentis, sed etiam sibi meruit exaltationem, non in se, sed in hominum fide & deuotione, & proprij corporis glorificatione & nomen quod est super omne nomen, iuxta verbum Apostoli ad Phil. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Secundum quod doctores declarant in 3. sent. pulcherrime. meruit etiam nobis iahuæ cœlestis apertionem. passio eius, quia à diuino supposito fuit exhibita, & à voluntate eius accepta, fuit infinite bona. Ideo excessit debitum, quo Adam erat obligatus pro peccato suo. Illud vero quod vltra debitum solutũ est, remanet in thesauro ecclesiæ. Ecce principaliter radicem thesauri ex abundanti merito passionis Christi, de quo scriptum est 1. Io. 2. *Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem Iesum Christũ iustum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nõ pro nostris autem tantũ, sed pro totius mũdi.* Fides etiam Ecclesiæ & caritas eius merentur multum. Sancti præterea, qui supererogauerunt his meritis, cumulauerunt & metita, &hi omnes in Gazophylacio spirituali Ecclesiæ reposuerunt. ex his ergo constat meritorum Ecclesiæ thesaurus, secundum quod scriptum est Eccles. 1. *Sapientia & disciplina, timor Domini, & quod beneplacitum est illi, fides & mansuetudo, adimplebit thesauros illius.* Iam in paucis videtis id, vnde fit Indulgentia, etiam in lege Dei veraciter fundatum. Rõnem aũt cur fieri debeat Indulgentia, audite. In communitatibus humanis & politiis thesaurus publicus propter duo solet erogari. Primum est, propter principis gloriam & honorẽ. vt faciunt reges curiales, & fecit Rex Assuerus. Hest. 1. Secundũ propter communitatis necessitatem, vel vtilitatem. Nam

t. Ioãnis 2.

Eccl. 1:

Indulgentiæ.

Hest. 1:

quando læditur communitas, stipendia & donatiua proferuntur militibus pro ea pugnaturis. Simili modo thesaurus Ecclesiæ ab his qui habent cum dispensare, duplici causa debet erogari: primo propter Dei gloriam & honorem, qui per multa relucet in Sanctis eius, honorantur autem Sancti in constructione Basilicarum, & commemoratione virtutum suarum, per sermones & prædicationem sanctam. Secunda causa propter communem vtilitatem Ecclesiæ, vt est defensio terræ sanctæ, defensio fidei, & similia, pro istis causis in genere thesaurus Ecclesiæ per indulgentias communicatur. Verum non à quocunque, nec cuicunque, nec pro quacunque causa distribui potest, aut debet. Sed sub tribus conditionibus communiter à Doctoribus assignatis. Prima, quod sit in conferente auctoritas. Secunda, quod sit in suscipiente caritas. Tertia, quod sit in causa pietas, non restat nunc aliud ostendere, quam quod auctoritas conferendi sit in lege Dei fundata. auctoritas illa competit vniuersaliter summo Pontifici siue sit bonus, siue malus, dum tamen ab Ecclesia toleretur. Nam non ex vitæ merito confert indulgentias, sed ex potestate. Aliis, quibus datum est, conceditur specialiter huiusmodi distribuere indulgentias. Dico igitur, quod potestas summo Pontifici conueniens generaliter, & inferioribus particulariter, fundatur in hoc passu Scripturæ Matth. 16. vbi Dominus loquitur Petro illam gloriosam confessionem facienti, cum dicit: *Tu es Christus filius Dei.* Cui dixit Dominus: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* dum subdit, *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Si intelligere vellet aliquis solum de absolutione peccatorum, & ligatione pœnæ satisfactoriæ, hoc improbatur à Magistro sententiarum, in quarto, & ab omnibus Doctoribus, & etiam à proponente hunc articulum, quoniam auctoritas vindicandi, excommunicandi, competit Prælatis Ecclesiæ, nec hoc negat proponens, licet multos excessus nat rauerit, & illa auctoritas specialiter ibi fundatur, vt dicunt Magistri & doctores. ostendo tamen, quod illud, *quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris, &c.* non solum ad potestatem clauium in foro conscientiæ aut contentioso, sed ad multa alia extenditur. Primo Ecclesia Bibliam pro Canonica & sancta Scriptura acceptauit, & talem declarauit. quatuor Euangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem authenticauit, non aliorum Apostolorum, aut discipulorum, vt Nicodemi. Item Bibliam innouatam per Esdram scribam ipsa Ecclesia recepit, ab eadem translatio Hieronymi, aliis prætermissis acceptata est. Eadem auctore glossa, ord. super Bibliam, libri etiam beatorum Augustini, Hieronymi, Gregorii, Ambrosii, auctoritatem sumpserunt, vbi collata ei fuit hæc auctoritas in Canone, non alibi quam hic: *Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, &c.* Petrus Apostolus formam Baptismi à Christo traditam, mutauit in istam: *Ego te baptizo in nomine Domini nostri Iesu Christi,* & hoc fecit, vt nomen Christi prius odiosum, fieret amabile. Post potitiam nominis Domini Iesu Cbristi in cordibus fidelium, Ecclesia hac forma dimissa, rediit ad institutam à Domino formam, vbi data fuit hæc potestas mutãdi formam à Saluatore institutam? Et vbi Ecclesia habuit potestatẽ formam à Petro datam mutare? Cæterum Dominus septimum diem, completis sex dierum operibus, sanctificauit, Genes. 2. post hanc diem Sabbathi sanctissime in lege præcepit, ita, vt colligentem ligna in Sabbatho mandauerit lapidari, Nu. 15. Et hoc Christus in Euangelio, cum aliis præceptis decalogi approbauit, Matth. 19. hoc Apostoli & Ecclesia Catholica diu post obseruauit, tamen postea Ecclesia hanc obseruantiam mutauit in obseruationem diei Dominicæ, scilicet octauæ. Itẽ Dominus præcepit celebrare Pascha 14. die mensis primi, à vespera in vesperam, tanquam legitimum sempiternum, Exo. 12. & sic diu Ecclesia obseruauit, tamen postea dies Paschæ semper Dominica celebranda in stituta est. Rursus Leuit. 17. & Deut. 12. prohibitum fuit, & Apostoli in suo Concilio celebrato approbauerunt, vt patet Act. 15. comedere immolatum simulacris, sanguinem suffocatum, atque fornicari; postmodum Ecclesia seruatis primo & quarto, mutauit secundum & tertium. Apparet quomodo multa mutauit Ecclesia, quæ à Deo, Christo & primitiua Ecclesia, erant præcepta & obseruata. Præterea Sacramentum Matrimonii, quod teste Apostolo magnum est ratione suæ significationis, scilicet coniunctionis Christi & Ecclesiæ in statu innocentiæ institutum, & in Paradiso delitiarum, in principio admisit viterinos, & germanos simul posse matrimonialiter copulari, scilicet masculum & fœminam, postea denegatum est de prima linea consanguinitatis; post hæc multiplicato genere humano, Ecclesia prohibuit vsque ad quartam lineam consanguinitatis inclusiue. Item in lege veteri, mortuo viro sine liberis, frater ducebat vxorem fratris defuncti, vt susciteret eius semen; & hoc obseruatum est diu in lege nouæ, deinde introducta publicę honestatis iustitia prohibitum est virum contrahere cum aliqua consanguinea suę sponsæ, vsque ad quintum gradum exclusiue, ac per hoc fratrem cum defuncti sponsa fratris.

cram. Matrim.

Circa Sacramentum Eucharistiæ Ecclesia aliqua mutauit. Præsens enim forma consecrationis sanguinis est alia, ab ea, quam in Euangelistis reperimus, licet substantia sit eadem. Addidit etiam in consecratione corporis illam coniunctionem, enim. Rursus Leo Papa ait, quod aliquo tempore, propter errorem de obseruatione legalium, conficiebatur in fermentato. Nunc non licet, similiter in Ecclesia primitiua erant tantum duo ordines sacri, scilicet diaconatus & sacerdotium. Et secundum Hieronymum, idem erat Episcopus & sacerdos, saltem dico ego, eodem nomine appellabantur. hæc sunt nunc mutata.

Circa Sacram. Euchar.

In Sacramento Pœnitentiæ, quod vsque ad finem duraturum est, ab initio lapsus humani facta est mutatio. In lege enim naturæ sufficiebat confessio mentalis soli Deo, in lege vetcri obligabantur homines ad confessionem cæremonialem, ita quod aliquo sacrificio ostenderent homines se peccasse hoc vel illo peccato. Sacerdotes vero illi, manibus positis super cornu hirci confitebantur peccata filiorum Israel, & nunc in lege gratiæ, quia Sacerdotibus conuenit remittere peccata, modo prædicto, vt peccator sine scandalo sua peccata confiteatur secrete sacerdoti, & sic absolnat, instituit Ecclesia. Videtis, quomodo fere in omnibus Sacramentis multa mutauit Ecclesia. Si non potuit, nec valuit, quod fecit, nec nunc esset obseruandum, quod tamen absurdum ab omnibus iudicatur: Si potuit, vbi in Scriptura sacra sibi data est, & lege Dei illa potestas? & non reperitur specialius ad ista esse concessum, quam per illud dictum Petro, & successoribus suis: *Quod cunque ligaueris super terram, &c.* Nam non dixit Dominus: Quodcunque ligaueris aut solueris absoluendo, pœnitentiam iniungendo, excommunicando, ab ea soluendo, sed, *Quodcunque ligaueris super terram, &c.* Nec dixit, Quodcunque ligaueris ergo hominem, sed vt vniuersalem potestatem ei concessam necessariam ad salutem humani generis ostenderet, dixit vniuersaliter, & sine restrictione, *quodcunque ligaueris,* scilicet claue non erante, *super terram erit ligatum & in cœlis.* Ecce ibi fundata est potestas Indulgentias conferendi.

Circa Sacram. Pœnit.

Vt autem intentionem proponentis omnino euacuem, ostendo, quod, esto, quod in lege Dei, hoc est, in Scriptura Veteris & Noui Testamenti, non posset reperiti fundata auctoritas specialis, & expressa, ad huiusmodi Indulgentias distribuendas vel conferendas, sufficeret sola Ecclesiæ auctoritas, quæ reuera in Scriptura Euangelica fundatur, patet Iohan. 14. vbi Dominus dicit: *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis.* Et ne puteretur hoc dictum solis Apostolis, ibi dicitur toti Ecclesiæ: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* vnde ostendo, quod ecclesia multa facere potest, & fecit, tamen non habetur ex Canone super his specialis & expressa auctoritas. Ecclesia numerat inter fideles paruulos baptizatos, numerat inquam, sub pœna hæresis. Vnde Augustinus de baptismo paruulorum: *Ibi ponis paruulos baptizatos? Profecto in numero credentium:* non nisi ex consuetudine Ecclesiæ antiquæ Canonica fundatissima. Et infra: *Inter credentes baptizatos paruulos numerabis, nec iudicare aliter vllo modo audebis, si non vis apertus esse hæreticus.* Ecclesia etiam instituit, vt compares in Baptismo, fidem paruuli pro eo respondeant. Et sic Ecclesiæ auctoritas ordinauit, vt paruuli per aliorum pedes ad fidem veniant, per aliorum corda credant, per aliorum linguas in Baptismo respon-

Ser. 14. de verbis Apostol. tom. 10. vide in responsione M. Ioan. à Ragusio pro finali confirmatione, quid possit Ecclesia circa hæc.

Conditiones indulgentiis annexæ.

Matt. 16.

Potestas clauium ad multa extenditur.

Circa Scripturam sacram.

Circa formam baptizandi.

Circa diẽ Sabbathi. Gen 2. Nume. 15.

Matt. 19. Exod. 12. Circa præceptum nõ comedendi immolata simulacris. Leuit. 17. Deut. 12. Act. 15. Sanguinẽ suffocatum aut fornicandi. Circa Sa-

respondeant, & fidem fateantur. Item Ecclesia in Nicæno Concilio secundum Symbolum edidit, post Symbolum Apostolorum authorizauit etiam Symbolum Athanasii. Item in toto Canone non habetur, quod Pater in diuinis, aut Filius, aut Spiritus sanctus nominetur, Persona, sed ab Ecclesia habetur: etenim in illo, quod *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, &c.* Cum quærerent hæretici, qui tres? non habens Ecclesia, quid ex Canone responderet, importunitati hæreticorum satisfaciens, inuenit hoc nomen, Persona, & dixit, Tres personæ. Præterea, etsi Canon Bibliæ dicat, beatam Virginem esse matrem Christi, tamen non reperitur in eo, quod dicatur mater Dei, sed hoc Ecclesia determinauit, vt dicatur non solum Christotocos, sed etiam Theotocos, id est, non solum Christi mater, sed & Dei mater. Denique non habetur ex Canone, vt illa signacula, quæ in perficiendis Sacramentis modo fiunt, sint facienda; nihil de benedictione fontium baptismalium; aquæ benedictæ, exequiarum defunctorum, & aliorum multorum, quæ tædium generent, omittam, quæ tamen Ecclesia sancta obseruanda instituit. Videris, quanta sit auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, de qua Augustinus contra Faustum hæreticum auctoritatis Ecclesiæ impugnatorem dicit, & habetur 11. dist. q. 3. Vides in hac re, quantum valet Ecclesiæ auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, vsq; ad hodiernam diem, succedentium sibimet Episcopatum serie, & tot populorum consensu firmatur. Et Chrysostomus dicit, vt refert Augustinus de Ancona, de potestate Ecclesiastica, quæst. 29. quod homini mortali omnium, quæ in cœlo & in terra sunt, potestatem commisit Deus, & validiorem cœlo Ecclesiam esse monstrauit. Huic nempe B. Hieronymus omnia dicta sua, & fidem submisit & habetur 24. q. 1. *Hæc est fides, Papa beatissime,* vnde dato, quod in Scriptura sacra non reperiretur specialiter & expresse fundata potestas conferendi Indulgentias, adhuc auctoritate Ecclesiæ, quæ Spiritu sancto regitur, infallibiliter in his, quæ pertinent ad salutem, potuit tam pretiosi thesauri apertio demonstrari, & de nouo aliquando iussi ui, sicut & illa, quæ prius memorata sunt, nisi dicatur, quod auctoritas modernæ Ecclesiæ est minor, quam primitiuæ, quod falsum est. cum auctoritas mutandi statuta Ecclesiæ, & instituendi, non sequatur sanctitatem vitæ, sed officium & dignitatem, quæ æquales sunt nunc & tunc, nec alias claues habet modo, quam tunc. vnde Augustinus sermon. 18. ait: *Nemo dicat Ecclesiæ primitiuæ tempora præualere istis Ecclesiæ, quia tunc Christus & Apostoli fecerunt miracula, & non modo, quia tunc fiebant sanitates corporum, non modo animarum.* Debent ergo sufficere purantibus Indulgentias non esse in lege Dei fundatas, quæ dicta sunt, nec proponant vltra sensum suum, dictis & scriptis Doctorum Theologorum Magistri sententiarum, Guilhelmi, Altisiodorensis, Alberti Magni, Thomæ, & aliorum, quorum tanta est in Ecclesia reuerentia, vt non liceat oppositum afferere huius, quod omnes communi consensu determinant.

Aug. in lib. 11. contra Faust. Manich. ca. 2. & citatur dist. 11. c. 9. palam. Augustin. de Ancona, de eccl. potest. q. 29. ar. 1. Chry. to. 3. hom. cum de ipsius expulsione ageretur, in tom. 5. homil. de Spiritu S. Hieron. ad Damas. in expositione symboli, 24. q. 1. c. 14. Hæc est fides. Augustin. Illud (non) in altero exemplari non habetur.

CCXXIX. *De auctoritate & potestate Eccles.*

Aliud dictum proponentis, *Peregrinationes per homines inuentæ,* vt dicit proponens, *superstitiosæ sunt. idololatriam sapientes, & cleri auaritiam nutrientes,* quod ostendo non esse verum, suppositio, quid nominis peregrinationis: Est enim peregrinatio de manso suo longior recessus, vt acutiori deuotione Deus adoretur. Quod illæ sint in lege Dei fundatæ, & non per homines inuentæ, vt dicit proponens, & aliquibus auctoritatibus nititur colorare, probo: Scriptum est Deut. 16. *Tribus vicibus per annum, apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, in solemnitate azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum.* Ecce, quod ex lege Dei ter habebant peregrinari in Hierusalem filii Israel quolibet anno, & quod aliquid deberent offerre in templo, patet. Nam dicitur ibi, *Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offerat vnusquisque secundum quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.* Iuxta hanc regulam legis Dei ascendit Iesus cum parentibus suis ad idem festum Paschæ, vt habetur Luc. 2. vbi Beda: *Euangelista Dominum post natiuitatem, continuo cum hostia transfert ad templum,* supple, cundum illo singulis annis cum parentibus, *ducit & duodennem, in templo Doctorum chorii inserit.*

De peregrinationibus.

Deut. 16.

Luc. 2.

Item, quod non fuerit solum cæremonia, pro Iudæis, sed pro Gentibus, patet, nam Zachariæ vltimo scriptum est: Et

Zach. 14.

omnes, qui reliqui fuerint, de vniuersis Gentibus, qui venerunt contra Hierusalem ascendent ab anno in annum, vt adorent Dominum regem exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum, & erit, qui non ascenderit de familiis terræ Hierusalem, vt adorent Dominum regem exercituum, non erit super eos imber. Secundum quam Prophetiam Gentiles quidam ascenderant cito post suscitationem Lazari, vt adorarent in die festo, Ioh. 12. Et vir Æthiops Candacis Reginæ Æthiopum, Eunuchus venit adorare in Hierusalem, Act. 8.

Ioan. 12.

Act. 8.

De cuius iustitia dicit venerabilis Beda super isto passu, *pro virtute & integritate mentis vir appellatur, nec immerito, qui tantum studij in Scripturis habebat, vt eas etiam in via legere, non cessaret, tantumque amoris in religione gerebat, vt aula regia derelicta, de vltimis mundi partibus veniret ad templum Domini, vnde iusta mercede, dum quæreret interpretem lectionis, Christum quem quærebat, inuenit.* Præterea pastores venerunt peregre ad Saluatoris ortum; & tres Magi peregre profecti sunt adorare Regem Iudæorum à Solis ortu. De quibus ait Augustinus in secunda parte sermonum, serm. 31. *In his terris de longinquo isti peregrini puerum istum nondum verba promentem adorauerunt, vbi cuncs illius tuenem miracula facientem crucifixerunt. Isti in membris parui Deum adorauerunt, illi in factis magnis nec tanquam homini pepercerunt.* Hæc Augustinus. Dictum est de peregrinis in ortu Saluatoris, quos Herodes impius non inculpauit. Iam de peregrinis mulieribus Christum in sepulchro visitantibus subsequetur auctoritas, dicit Euangelista: *Vesperc autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi:* venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum, Matth. 28. super quo Hieronymus in commentario: *Quod diuersa tempora ipsarum mulierum in Euangeliis describuntur, non mendacij signum, vt impij obiiciunt, sed sedulæ visitationis officium, dum crebro adeunt & recedunt, & non patiuntur à sepulchro Domini diu abesse vel longius.* Hæc ille.

Luc. 2. Matth. 28. Hier. in 28 ca. Matth.

Adest alia auctoritas de Nicodemo, qui venit peregre visitare sepulchrum Domini, cum mixtura myrrhæ & aloes, quasi librarum centum. De Ioseph similiter ab Arimathia notabili viro, qui inuoluit syndone munda Dominicum corpus. hi tamen in Euangelio laudantur, ipse etiam Dominus non dedignatus est se peregrinum ostendere discipulis euntibus in Emaus. Item Hieronymus ostendit, quomodo Virgo Maria mater Dei visitabat post ascensionem eius loca passionis. Et hoc facit in sermone de assumptione B. Mariæ, ad Paulum: *Christus,* inquit, *ab omnibus est amandus, ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus, maxime tamen ab ea ardentius, cuius & Dominus erat & filius, fortasse ergo præ nimio amore, in loco, quo sepultus dicitur, interdum habitasse eam credimus, quatenus piis pasceretur internus amor obturibus. Sic namque locus medius est hinc inde constitutus, vt adire posset Ascensionis vestigia, & locum sepulturæ ac Resurrectionis, & omnia in quibus passus est, loca inuisere, non quod iam viuentem quæreret cum mortuis, sed vt suis consolaretur aspectibus. Hoc quippe habet impatiens amor; vt quæ desiderat, inuenire se credat, ignorat siquidem iudicium, multotiens ratione caret, modum nesit, nec aliud cogitare potest, quam quod diligit. amor non capit de impossibilitate solatium, neq; ex difficultate remedium:* Hæc Hieronymus.

De deuotione & honore fidelium erga sepulchrum Domini. Luc. 24. Tom. 9. epist. 10. ex iis quæ tribuuntur S. Hieron. ex edit. Mariani Victorij, vltrà medium;

Ex quibus apparet, cum quali deuotione, & in quanto honore à fidelibus habitum sit sepulchrum Domini, vt sic implera sit hæc Propheta Esaiæ 11. cap. de illo loquens, cum ait: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* De cruce autem Domini loquitur B. Augustin. libr. de visitatione infirm. cap. 3. ostendens, quod in magna reuerentia habeatur à Christianis, & dicit sic: *Habent siquidem Christianorum arcana, illius Dominicæ crucis quoddam venerabile monumentum; quod de crucis ipsius imaginatione crucem cognominant, quod & nos omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem crucifixi nostri veneramur. Adjicitur etiam super crucem quædam hominis tnibi patientis imago, per quod salutifera Iesu nobis renouatur passio. hanc complectere humiliter, venerare suppliciter, cum hac ad memoriam tibi ipsum reducat crucifixum.* Hæc ille. Post hoc immediate sequitur notabilis processus de confessione vocali facienda. Præterea peregrinatio magna commemoratur ad locum, vbi Dominus cœlos ascendit, de quo Sulpitius ita loquitur: *Illud autem mirum est, quia locus ille, in quo postremo insisterant diuina vestigia, cum in cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pauimento cum reliqua stratorum parte non potuit, siquidem quæcunque applicabantur,*

Esai. 11.

Aug. de visit. infirm: lib. 2. c. 3. & 4.

Sulpit. in sacra hist. lib. 2. vltra medium:

insolens humana suscipere, terra resfuerit excussis in ora apponentium sæpe marmoribus, quinetiam calcati à Deo pulueris adeo documentum perenne est, vt vestigia impressa cernantur. Et cum quotidie consistentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arca non sentit, & eandem adhuc sui speciem, velut impressis signa vestigiis terra custodit. Prorsus de peregrinatione ad sepulchrum Domini legitur 12. libro historiæ Tripartitæ, cap. 15. de qua dicit Cassiodorus: *Theodosius Imperator pro beneficiis sibi à Deo collatis, gratias referebat, pluribus honoribus Christo sata vota compensans, coniugemque suam Eudociam, ad Hierosolymam destinauit, hæc enim & ipsa votum habuerat, si filiam videret nuptam, quæ tam Hierosolymis Ecclesias constitutas, quam per singulas ciuitates positas honorauit, & cum pergeret, & cum denuo remearet.* Hæc ille. Proinde beatus Hieronymus epistola contra errorem Arrianæ & Eunomianæ perfidiæ circa peregrinationem ad loca sancta, ad Rusticum, ipsum peregre proficiscendum ad loca sancta inuitat. Dicit enim sic: *Narrauit mihi vxor quondam tua, nunc soror, atque conserua, quod iuxta præceptum Apostoli ex consensu, abstineris vos ab opere nuptiarum vt vacaretis orationi.* Et infra: *Cumque vos rabies Barbarorum, & imminens captiuitas separaret sub iurisiurandi testificatione pollicitum, vt ad sancta transeuntem loca vel statim vel postea sequerer, & seruares animam tuam, quam vitus fueras negligentia perdidisse, Reddeo ergo, quod præsente Deo spopondisti. Incerta est vita mortalium, nec ante rapiaris, quam impleas sponsionem. Imitare eam, quam docere debueras.* Sequitur post: *tu vagaris in patria, imo non in patria, quia patriam perdidisti? Ista pro te in locis venerabilibus resurrectionis & crucis, & cunabulorum Domini Saluatoris, in quibus paruulus vagit, tui nominis recordatur, teque ad se orationibus trahit, vt si non tuo merito, saltem huius saluaris fide.* Hæc Hieronymus.

Socr. lib. 7 c. 46.

Hier. to. 1. epi. 46. ad Rusticum.

CCXXXI. *De Veneratione reliquiarum & Visitatione Basilicarum. Augus. de dogmat. Eccles. c. 73 tom. 3. Concilium Gang. c. 21 Aug. contra Faustū lib. 20. ca. 21. tom. 6.*

Deinde Augustinus libro de diffinitionibus rectæ fidei, cap. 40. sic inquit: *Sanctorum corpora, & maxime beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, sinceriſſime honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta, & diuino cultui mancipata assectu piissimo, & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus credatur.* Hæc ille. In Gangrensi etiam Concilio statutum legitur in hunc modum: *Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca, & Basilicas Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel oblationes quæ ibi celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contemnendas, Anathema sit.* Rursus Augustinus contra Faustum, libro 20. *Populus*, inquit, *Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur.* Et infra: *Quod offertur Deo, qui Martyres coronauit, & apud memorias eorum, quos coronauit, vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adiuuante possumus.* Hæc ille. Dicit Augustinus, quod licitum & charitatiuum est, visitare Martyrum memorias, in locis illis oblationes facere. Peregrinationum veritatem testantur Stationes Romæ, quas ferunt B. instituisse Gregorium. Quam plurima dicta Sanctorum transeo, contentus sufficienter probasse, peregrinationes fundamentum habere in diuina Scriptura, & firmamentum in sanctis Doctoribus, profecto se in diuina lege fundantibus. Ac per hoc necesse inuentiones hominum, nec superstitiosas, nec idololatriam sapientes, nec per se cleri anaritiam nutrientes. Nam oblata, Deo, vt dicit S. Augustinus, offeruntur, in veteri etiam lege præcipiuntur, nec oblatorum clerus est proprietarius, sed possessor vsufructuarius, minister, & dispensator. Si per accidens auaritia cleri se immergat, hoc malum est, hoc per eos, ad quos spectat superiores licitcet cum iustitia puniendum, per alios charitatiue arguendum, modis tamen supra dictis.

Adoratio triplex.

Latria.

Circa multa, quæ in veneratione reliquiarum contingunt peccata, vt narrauit proponens, vt sunt expositiones earum venalitate ficta, spoliatio pauperum peccatorum, horrenda continuatio auaritiæ sacerdotum, & simulata spes ponendi numinis in eisdem, &c. hoc vnum dico, quod veneratio sanctarum reliquiarum Sanctorum & sanctarum non est improbanda. Etenim de se honesta est licita & sancta. Verum non pluri honore aut maiori sunt venerandæ reliquiæ, quam Sancti, quorum sunt.

Supponendum est enim ex Doctoribus, triplicem esse adorationem, scilic. latriæ, hyperduliæ, & duliæ. Latriæ, quæ Deo; hyperduliæ, quæ creaturæ sub ratione magnę excellentiæ, vt virgini Mariæ, in quantum est mater Dei; duliæ, quæ cæteris creaturis ratione excellentiæ exhibetur. Et quidem pro nunc non est loquendum de dulia, quæ debetur superioribus ratione dominii. Nam sic etiam debetur non modo bonis, sed & malis, sed de ea, quæ exhibetur sanctis, ratione sanctitatis, hæc debite sanctorum reliquiis exhibetur, non quasi in istis numinis aliquid vel sanctitatis existat, sed propter ordinem quem habuerunt ad Sanctos, quorum sunt reliquiæ. Habent etiam Doctores in 3. quomodo cultus seu adoratio debetur alicui per se, in quo considerandum, quid adoretur, & ratio, cur adoretur. Quod adoratur, suppositum est vel persona. Cur adoratur, vt nunc loquimur, est virtus, vel sanctitas. debetur autem alicui per accidens nomine habitudinis ad eum, cui per se debetur, vt cruci Christi, imagini eius, & Sanctorum, & hoc modo reliquiæ adorantur, nec hoc est, idololatrare, quoniam cultus latriæ nullis Sanctorum, qui fuerunt puræ creaturæ, exhibendus est. Idololatria enim dicitur latria exhibita idolo, siue puræ creaturæ: Quod autem ratione habitudinis ad aliquem, honor sit exhibendus, vt Vesti Regiæ, propter Regem, probatur ex eo. quod 1. Reg. 24. dicitur, cū præcidisset Dauid oram chlamydis Saul, percussit cor Dauid, dicens: *Propitius sit mihi Deus, ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini*, tamen Regem non tetigerat, sed chlamydem. Præterea inter diuinas contumelias Christus propherice commemorat, quod crucifixores eius diuiserunt vestimenta, & vestem sortiæ posuerunt, dicens: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Quam certe vestem venerabilem, imo *adorabilem, Iohannes in Apoc. 19. dicit esse conspersam sanguine, & in eo, & in femore ipsius Domini scriptum erat: *Rex Regum, Dominus dominantium.* Præterea B. Hieronymus ad Ruffinum, libr. 3. scribit, se adorasse præsepe, & sancta cunabula Saluatoris. *Contendi*, inquit, *Ægyptum, lustraui monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aspides latere perspexi, protinus concito gradu Bethlehem meā reuersus sum, vbi adoraui præsepe, & in cunabula Saluatoris.* Idem de S. Paula in eius Epitaphio sic ait: *Perrexit Bethlehem*, scilicet sancta Paula, *& in dextera parte itineris stetit ad sepulchrum Rachel, atque inde ſpecum Saluatoris ingrediens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, &c.* Et post pauca: *iurabat se cernere fidei oculis infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepi Dominum, Magos adorantes.* Et multa ibi de sublimibus consolationibus ponit, quas sancta Paula merebatur. De adoratione autem crucis Christi, loquitur Damascenus 4. lib. (sententiarum, cap. 3. dicens: *Adoramus signum Christi, vbi vtique fuerit signum, illic & ipse erit.* Sequitur: *Omnia ergo, quæ Deo adiacent, adoramus, vt ipsi venerationem offerentes.* Quoniam autem non puto, proponentem detrahere veneration̄i, aut adorationi sanctarum reliquiarum propter habitudinem quam ad Sanctos, cuius sunt habuerunt, scilicet forte, quia sunt ossa, vestes, aut alia artificialia, aut naturalia, multa de hac materia prætereo. Abusus autem per ante narratos vitupero, & reprehensione dignos iudico.

Adoratio.

1. Reg. 24.

*Ioann. 19. * alterum exemplar habet bonarabilem. Apoc. 19. Hiero. adu. Ruffin. lib. 3 epist. 7. Hier. epist. 27 tom. 1.*

Esai. 1.

Vide Damasc. lib. 4 orth. fidei, c. 17. & in orat. de imagin.

Literas Confraternitatum & confessionales proponens vituperat, & reuera non dubium, quia multa mala sub hac specie pietatis parantur, puta quæstus illiciti, deordinati fauores, audacia peccandi, & multa similia. Verum non sunt de se illicitæ Confraternitates, ipsæ imo honestatis titulum habent, & parere possunt fructum. Nam *frater, qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma*, Prou. 18. Licet enim suffragia Ecclesiæ prosint omnibus, in vnirate eius existentibus, ex parte charitatis, quæ non quærit quæ sua sunt, sed facit omnia cōmunia, vt dicit Apostolus, tamen ex parte intentionis, his, quibus applicantur, prosunt magis, quam aliis. Et per hoc institutæ, concessæ, vel permissæ sunt fraternitates ipsæ. Ostendo, quod hæ in Scriptura sunt fundatæ. Nam, vt habetur Exod. 8. impius Pharao vocans Moysen & Aaron, ait: *Adorate Dominum, vt auferat ranas à me, & populo meo, & dimittam populum vt sacrificet Domino.* Et in eodem cap. ait: *Ego dimittam vos, vt sacrificetis Domino, rogate pro me.* Ecce principem paganum, qui orationes postulat, quomodo ergo precibus se cōmunicare negabit fidelis? Item apparet de Heliodoro, cuius amici rogauerunt Oniam summum sacerdotem, vt orarer

CCXXXII. *Confraternitates.*

Prou. 18.

1. Cor. 13.

Exod. 8.

2. Mach. 3.

Ephes. 1.

Ad Phil. 1.

Ad Col. 1.

Chrys. in opere imperfect. in Matt. homil. 14.

Aug. de dono vid. c. 23. to. 4.

Aug. ep. 33. tom 2.

Aug Epist. 149. to. 2.

pro illo, vt habetur 2. Macha. 3. Rursus probo, quod Apostoli fecerunt homines participes suorum suffragiorum. Primo sic Apostolus Ephesios per literam suam facit esse participes suarum orationum, nam sic eis scribit in primo ca. *Propterea ego audiens fidem vestram, quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.* Nec tantum Paulus commemorat orationes, sed alia meritoria opera offert facere pro Philippensibus, nam in primo ca. dicit: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis, pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra, in Euangelio Christi, à prima die vsque nunc.* Qui ergo dicit, *in cunctis orationibus meis*, nihil minus dicit implicite quam literæ, quæ Vigilias, Missas, prædicationes, ieiunia, & similia concedunt Christi fidelibus, eas facientibus esse communes. Item idem ad Collossenses primo scribit: *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*, nulla littera fraternitatis modo talia promittit, quanta fecit Apostolus pro Collossensibus. Præterea Chrys. super Matth. in opere imperfect. hom. 14. ait: *Libenter audit Deus, quando Christianus non solum pro se, sed etiam pro aliis orat, pro se enim orare naturæ est, pro altero autem gratiæ, pro se orare necessitas rei cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur, dulcior est autem oratio ante Deum non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.* Ex qua fraternitas commendatur, & Deo acceptabilis ostenditur. Item Augustin. *Pro se orationem impetrat, qui se precibus Ecclesiæ, virginum, Cofessorum, in domo Iulianæ inseripe-stulat*, lib. de sancta viduitate in fine dicens: *Obsecro vos per illum, à quo donum hoc accepistis, & huius doni præmia speratis, vt me quoq; orationibus vestris memineritis inserere, cum tota domestica vestra familia.* Et inter epistolas Augustini in epistola 16. quæ est Paulini ad Augustinum, ait Paulinus: *Omnes in Christo Sanctos, quales tibi cohærere non est dubium, à nobis saluta, commenda nos omnibus Sanctis, vt tecum pro nobis orare dignentur.* Hæc ille. Et Augustinus Epistola 74. quæ est ad Profuturum, dicit: *Commendamus Sanctis orationibus tuis & dies & noctes nostras, vt oretis pro nobis, ne rebus intemperanter vtamur, vt noctes æquo animo toleremus, vt etiam si ambulemus in medio vmbræ mortis, nobiscum sit Dominus, ne timeamus mala.* hæc Augustinus. Reperiuntur & multa opera beati Gregorii in quibus perit sociari precibus Sanctorum Item Amorosii, Anselmi, Iuonis Carnotensis. Tales auctoritates valde multas, amore breuitatis omitto, vide non sophismata sunt literæ fraternitatum, sed Christianis vtilia subsidia, tamen abusum vitupero, turpes quæstus perhorresco.

CCXXXIII. *Literæ confessionales.*

Confessionales etiam literas concedere, ex causa rationabili iustum est. Nam & priuilegia de confessionib. audiendis nullus Doctor notabilium reprobat, imo approbat. Data enim sunt non in fauorem Confessorum, aut odium alicuius, sed in fauorem Pœnitentium.

CCXXXIV. *Excōmunicationes.*

Ad rationes per proponentem factas cum aliis respondebo, De sententia excommunicationis dicit, quod feruntur ex liuore vindictæ, aut odio. *Si fiunt*, inquit, *ob veritatem, & in hominem in gratia permanentem, sunt irritæ & inanes.* Si velit dicere, quod sententia lata à iudice ex odio, aut inuidia, aut propter vindictam, nullo casu teneat, huius oppositum dico cum Doctoribus: B. Thomas in 4. distinct. 18. sic dicit in forma: *Excommunicatio*, inquit, *potest dici iniusta dupliciter. Primo, ex parte excommunicantis, quia ex odio vel ira excommunicat, & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamuis ille, qui exercet peccet, quia ille iuste patitur, quamuis iste iniuste ferat. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia fertur sententia ordine prætermisso. Et tunc si fit talis error ex parte sententiæ, quæ sententiam nullam faciat esse, non habet effectum, quia non est excommunicatio. Si autem sententiam non ammittet, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel solutionem petere ab excommunicante, vel ad superiorem iudicem recurrere, si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque, quod est debita causa ex parte excommunicationis, quæ non est debita ex parte excommunicati, sicut cum quis pro falso crimine in iudicio probato excommunicatur, & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.* Ex quo sequitur, quod excommunicatus pro falso crimine, tamen probato in iudicio, licet per falsos testes, vel confessato, censetur vere excommunicatus in foro exteriori Ecclesiæ militantis, tamen est in gratia. Nam dicit, quod humili atis meritum recompensat excommunicationis damnum. Igitur talis incurrit damnum excommunicationis, & sic patet, quod in casu reputatur vere excommunicatus, qui est in gratia, nec iudex peccat, si nihil prætermittat de contingentibus, secundum ordinem iuris, & maxime, dum sibi non constat de innocentia rei.

S. Thom. dist. 18. q. 2. ar. 1. ad 4.

Ad rationes autem factas, pro vno notabili, quo probare videtur, quod non sit per legem humanam inferendum alicui mortis supplicium. Primo respondendum est, & primo illam de Circumcellionibus, quæ est Augustini ad Marcellinum comitem, dico cum Alexandro de Halis, quamuis pro illis scelleratis Augustinus supplicando sparū vitæ eis reseruare posuerit, non legum seueritatem, qua tales morte plectuntur, non seruandam esse docuit. Vnde noto quatuor: primo, quod Augustinus dat intelligere, quod secundum seueritatem legum erant grauiora passuri, quam poscebat. Et quia poscebat vitam eis seruari, sequitur, quod erant vitam iuxta legum sanctiones, amissuri. Et hoc ibi, *Ne forte sublimitas tua censeat eos tanta legum seueritate esse plectendos, vt qualia fecerunt, talia patiantur.* & quoniam occiderunt aliquos presbyteros Catholicos, erant enim isti occidentes Donatistæ, digni erant morte. Secundo, quod supplicat pro misericordia, vt scilicet misericorditer cum eis agatur. Nam ibi dicitur: *ideo, ut hæ literæ obtestor fidem tuam, quam habes in Christo, per ipsius Domini nostri Iesu Christi misericordiam vt hoc non facias.* ideo de misericordia hoc petit, non de iustitia. Tertio dicit, quod dissimulare posset, quia non per suos delati erant ad Comitem, sed per * Notarios, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat. Ex quo duo implicite dantur intelligi: Primum, quod poterat dissimulare, ideo quod faciebat, erat opus supererogationis. Et sicsi Comes non acquiescebat, sed iustitiam faciebat, non peccabat. Secundum, quod Notarii, id est, officiarii habent vigilantiam de saluanda pace Reipubl. & sic obsistere & denunciare possunt reos iudici seculari, qui potest facere iustitiam. Et hoc patet per illud, quod sequitur: *Non quod scelleratis hominibus licentiam faciorum prohibeamus auferri*, ait Augustinus, & illud secundum hic notatum est. Quarto, quod ex capitulo elicitur, & breuiter consideranti totum illud capitulum apparet, quod Augustinus flectit ad misericordiam, vt seueritatem legum per hoc auertat, & maxime, quia isti Circumcelliones erant clerici, licet essent Donatistæ. nec ex hoc habetur, quod peccasset ille Comes, si eos occidisset, sed admonetur, vt agat misericorditer.

CCXXXV. An lege humana sit inferendū alicui mortis supplicium. Alex. an. ab Hales p. 3. q. 34. ar. 3. Aug. epist. 159. ad Marcel. tribunū, to. 2

** Notoria habet text. impressus.*

Ad rationes huius, quod tangit Chrysost. super * Ierem. dico, quod duplices sint modi peccantium, quidam ex infirmitate, aut ignorantia, alii ex consuetudine vel malitia. Item quidam animo verecundi sunt, alii sine verecundia. Cum primis mitius est agendum, cum secundis durius, de istis secundis vero non loquitur Chrysost. sed de primis. Ad illud Prouer. 30. *qui nimis emungit.* Item ad illud, *iustitia vel misericordia multum discutitur*, ad illa duo vno verbo dico, quod in omni virtuoso actu oportet, quod prudentia habeat ducatū, est enim origo virtutum, vt omnes morales virtutes in ea connectuntur, 6. Ethic. Prudentiæ vni existenti, omnes simul inerunt, & ita oportet esse directionem omnium mediorum ad finem, vt nihil minus fiat, hoc dicit Sapiens Prou. 30. hoc quod dicit illud decretum allegatum, vt misericordia remperet seueritatem iustitiæ, & iustitia erigat remissionem misericordiæ.

*For. * super Ioann. Duplices sunt modi peccātum. Prou. 30. Arist. Eth. lib. 6. c. 13. Chrysost. homil. 47. in Matt. to. 2*

Ad illam Chrysost. super illo Matth. 13. *Sinite vtraq; crescere, &c.* dico, quod si bene verba eius considererentur, sunt pro me, nam loquitur de occisione hæreticorum, ex qua sequeretur schisma, aut turbatio Ecclesiæ. Et ego concessi, quod in tali casu non oportet secundum iudicia vindicare. dixi enim, peccata esse punienda, tribus concurrentibus, scil. iurisdictione, contictione, & pace salua. Et hoc non esset in proposito, sed vbi pace salua fieri posset, erunt occidendi, nec oppositum dicit Chrysost.

Iam accedendum est ad principales rationes proponentis, primo ad illas, per quas visus est probare articulum. Ad primam, vbi dicit, ꝙ Deus præcepit Deut. 31. vt filii Israel

CCXXXVI. *Deut. 31*

auferant malum de medio sui, dico, cum Deus præcipiat hominibus, non præcipit, nisi quod possibile est huiusmodi, vt scilicet auferat malum de medio populi, iurisdictione, conuictione, & pace salua concurrentibus, vt dictum est. Item dico secundum August. in lib. contra epist. Parmeniani, tractantem illud verbum Apostoli: *Auferte malum ex vobis.* quod vbi mali, salua pacis vnitate, separari possunt à bonis, separandi sunt corporaliter; vbi hoc fieri non potest, est faciendum spiritualiter scilicet, non consentiendo peccatis illorum, vnde sic malum auferant ex eis: etsi non possunt malos separare à congregatione sua. Ibi enim dicit August. in forma: *Videamus, si forte non frustra non dixerit Apostolus: Auferte malos à congregatione vestra, sed auferte malum ex vobis ipsis. quia cum quisque impedetur ab Ecclesiæ congregatione malos homines separare, si à se ipso auferat malum, non eis corde miscetur, atque ita spiritualiter non solum communitur bonis, sed separatur à malis.* Vel secundum eundem Augustinum, libr. de decem Chordis, dicendum, quod quidam sunt flagitiosi, qui non nocent aliis, quidam facinorosi, qui nocent aliis: propter istos leges positæ sunt, vt satis in positione dictum est. Ideo isti tollendi sunt de medio populi, proscribendo, incarcerando, aut aliter, aut mortis supplicio, saluis tribus prædictis, iurisdictione, conuictione & pace salua, Et ad hoc ostendendum, dum dicit dominus: *auferant malum*, addidit, *de medio sui*, & Apostolus, cum dixisset, *auferte malum*, subiunxit, *de medio vestri.*

Aug. to. 7. lib 3. cont. Parmen. c. 1. & seq.

Aug. de decem chordis.

Leuit. 19. Ad secundam Leuitici 19. dico, cum de Lyra, quod intelligitur, *non oderis fratrem tuum*, ex rancore & odio, dissimulans peccatum suum donec potiis cum destruere, *sed publice argue eum*, hoc est, voce expressa. iuxta illud Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus.* Non autem dicit, *publice*, id est, coram omnibus corripe eum correctione fraterna. Si autem per Ly, *publice*, intelligatur correctio facta in publico seu iudicio, tunc est intelligendum de peccatis, quæ possunt probari. Et tunc talis correctio pertinet ad iudicem exequendo, ad accusantem denunciando, ad testes probando. Et sic patet, quod non omnia peccata, &c. possunt puniri, sed solum concurrentibus tribus iam dictis.

Matt. 18.

Deut. 23. Ad tertiam 23. Deuter. de prohibitione meretricii dico, quod lege diuina, & olim, & nunc meretricium est prohibitum in illo præcepto morali, Nõ mœchaberis. verum, quod in lege veteri vltra hoc præceptum decalogi, erat datum iudiciale de prohibitione meretricii. Nunc vero non prohiberur ab homine per iudicium ciuile legis humanæ, sed nec potest conuenienter legem diuinam prohibentem homo executioni demandare, non enim subest ei potentia huic legi adæquata. Nec est Omnipotens, vt sciat ex malo elicere bonum, vt Deus, ideo ne deterius contingat, tolerat, & permittit. Cur autem in lege veteri prohibeatur iudiciaiiter hoc peccatum, non nunc lege humana. Ratio est secundum aliquos Doctores, quia tunc permittebatur Iudæis repudiare vxores, & hoc, quia proni erant ad odiendum ex duritia cordis sui, & occidendum eas. Ideo si in prohibite fornicari potuissent, magnum fomentum odii habuissent. Nunc autem non licet, nec permittitur vxorem repudiare, nec sunt ita faciliter odiosi in vxores viri.

Ad quartam, de destructione idolorum, &c. Respondeo primo cum B. Augustino contra Donatistas, quod ex sensu mystico non sumitur conueniens argumentum. Nam & magnus Areopagita dicit, quod Theologia symbolica non est argumentatiua. vnde si ad literam de destructione idolorum, eiectione leprosorum, & exterminatione septem Gentium ratio literalis quæritur, plana est solutio, quia idola erant Iudæis incitamentum idololatriæ, ad quam erant promptissimi. Præterea lepra est morbus infectiuus, ideo pelli debet leprosus de cœtu sanorum. Septem istæ nationes ideo exterminari iubentur, quod idololatriam suasissent. Ex sensu allegorico rationem sic factam soluo. Nomine idolorum peccata infidelitatis accipio, nomine lepræ peccatum hæresis. Ita exponit venerabilis Beda in Homilia super illud Luc. 17. *Dum ingrederetur*, scilicet Iesus, *in quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi*, inquit, *hæretici non absurde intelligi possunt, quia scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur errorum, non eam vel abscondunt imperitiam suam, sed prosumma peritia proferunt in lucem*, & reliqua, vt ibi. Potest etiam per lepram intelligi mala doctrina in moribus. Talia peccata

Aug. epist. 48. tom. 2. non procul à medio. Dionysius Areopa. in ep. ad Tit.

S. Aug. l. 2. c. 2. quæst. Euang. 4.

sunt non modo fraterna correctione arguenda & castiganda, sed si publica sint, etiam per iustitiam cohibenda & punienda. De talibus possunt inferiores publice superiores arguere, quia iam specialiter per peccatum infidelitatis desinunt esse superiores, quo ad hoc. & ista dicta sunt in positione. Ratio autem huius, quod peccata infidelitatis & hæresis, similiter & malæ doctrinæ, nimis contagiosa sunt. Illorum enim puta infidelium, aut hæreticorum sermo, vt cancer serpit, dicit Apostolus 2. Timoth. 2. Quod in septem Gentibus, quas præcepit Dominus exterminari, septem peccata mortalia intelliguntur, non est ad propositum arguentis, sed oppositum eis, & ad propositum meum, imo vero est de Scriptura sacra sumptum. dicitur enim Iudicum primo: Quod filii Beniamin habitabant in Hierusalem, nec deleuerunt Iebusæos habitatores vrbis. Item quod Cananæus cœpit habitare cum tribu Manasse, quod tribus Ephraim non interfecit Cananæum, qui habitabat in Gaser. Et plura talia. In secundo capitulo dicitur: *Iratusque est furor Domini in Israel, & ait: Quia irrium fecit Gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit, Et ego non delebo Gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est, vt in ipsis experiar Israel, vtrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum.* An non apparet, quod permisit Dominus istas Gentes ad exercitium, ex quo experimentum accipitur? Ex quo apparet, quod mali multi sunt permittendi inter bonos ad probationem bonorum, vel exercitium, secundum quod dicit Apostolus. 1. ad Corinth. 11, *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant*, vel vt ipsi mali sic permissi per diuinam patientiam expectentur ad pœnitentiam, aut vt impœnitentes thesaurizent sibi iram Domini in die furoris eius, vel alia causa nota diuinæ dispositioni. vnde ratio secunda est ad propositum meum, & oppositum eius. probant enim, quod boni tolerant secum malos, quia filii Israel non deleuerunt Iebusæos, per quos secundum proponentem peccata, vel peccatores intelliguntur, sicut per filios Israel boni: Item simili modo dicerem, quod cum permitterentur esse in populo cæci & claudi, grandi aut paruo naso, per quæ peccata, vt exponunt Doctores, signantur, mali inter bonos sunt permittendi, si tamen pace salua eiici non possint. nam & grex porcorum iuxta homines fuisse legitur Matth. 8. vbi per porcos gloss. carnaliter viuentes intelligit, & per homines, rationabiles; à quibus dæmones, id est, peccatum mortale, expelluntur, & permittuntur à Deo intrare porcos, hoc est, vitam pecudum eligentes.

2. Tim. 2.

Iud. 1.

Iud. 2.

1. Cor. 11.

Matth. 8.

Ad quartam de comminationibus diuinis Leuitic. 26. & Deuter. 28. concedo eas, & per hoc ostenditur, quod Dominus ipse omnia mortalia potest punire, sicut & prohibet. Propterea lex Domini immaculata est, ait Propheta: Non sic homo, qui interiora non iudicat, quia homo videt ea quæ patent, 1. Reg. 16. Nec omnia exteriora rectificat propter defectum potentiæ executiuæ. nam non potest, vt Deus de lapidibus, id est, obstinatis suscitare filios Abrahæ, scilicet facere fideliter credentes & sancte viuentes.

Leuit. 26. Deut. 28.

Psalm. 78.

Ad sextam, Deuter. 22. Dominus dedit præceptum, *Si genuerit homo, &c.* dico, quod illud est verum, & ad literam, filius contumax, nolens patris aut matris obedire præceptis, lapidabatur. Sed secundum sensum literalem non accipit opponens: quia non vult leges humanas mortis supplicium inferre, licet oppositum probatum sit. Glossam tamen non nego, imo recipio, sciens quid dicat Origenes super Leuitico circa principium 24. cap. comparans innitentem sensui literali, Ægyptio, innitentem sensui spirituali, Israelitæ, & quod qui literam tenet, & sensum literalem grammaticalẽ, Ægyptius est, matrem habens Israelitam, quia literam Scripturæ, sed patrem Ægyptium, quia sensum carnalem. Qui vero literam tenet, & sensum spiritualem, ex toto est Israelita ex matre propter literam; ex patre propter spiritualem sensum. Et quomodo Ægyptius cadit, quia litera occidit, Israelita stat, quia spiritus viuificat, hoc dictum totum est, vt pareat, quod Scriptura non est intelligenda semper secundum sensum Grammaticalem, sed secundum sensum literalem, quem primo per verba intelligit Spiritus sanctus, & secundum sensus mysticos. Placet ergo, quod filius contumax puniebatur, quia contumacia illa erat graue peccatum, & ianua omnium malorum propter abiectionẽ disciplinæ. Propterea

pterea hoc morale hic inserendum est: Magna cura Ecclesiæ esse debet, & huic sanctæ Synodo, vt iuuenes sub virga disciplinæ arceantur, nec Magistri auctoritas sit remissa, nec torpeat disciplina detur que per loca talis scholarum ordo, vbi à puero amor Dei & timor, virtutum honestas, & feditas vitiorum primum, postea literæ doceantur. Nec nego, peccata publica esse punienda, si tamen adsint prædicta. Quantum ad punitionem iustitiæ, scilicet iurisdictio, conuictio, pax salua, cum aliis debitis circumstantiis.

CC-XXXVII *Item cum.*

Ad auctoritatem Hieremiæ primo: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, &c.* concedo illam, & quod Prædicator habet euellere, dissipare, disperdere, & destruere verbo prædicationis vitia, plantare & ædificare virtutes, sed quia actus prædicationis est actus virtutis, dirigi debet prudentia, & debet habere circumstantias tactas, ibi, *Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, ne quando populum instituere molitur, scandalizet.

Ezech. 34. Ad auctoritatem Isaiæ etiam concedo similiter, & etiam auctoritatem Ezechielis 34. vbi Dominus comminatur pastoribus, qui, quod infirmum fuit, non consolidauerunt, ibi enim arguitur negligentia pastorum, dum quod poterant sanare, non sanauerunt, & infirma non confortauerunt, & sic de aliis. Item abusus bonorum sibi ad vsum concessorum, sub diuinæ maledictionis obtestatione prohibetur.

Matth. 18. Ad rationes de nouo testamento. Matth. 18. præcipitur: *Si peccauerit in te frater tuus*, istam omnino concedo, & est pro me, sicut pro opponente, loquitur enim de correctione fraterna, de qua concessum est in prima conclusione secundi puncti, quod est exercenda, & quomodo ibi visum est.

2. Tim. 4. Ad illam de Apostolis, 2. Tim. 4. illam concedo, nam instruit Timotheum Apostolus in regimine populi, tam in correctione fraterna, quam paterna.

Ad illam Apostoli 1. Tim. 5. *Peccantem coram omnibus, &c.* dico, quod illa auctoritas intelligitur de correctione paterna, secundum quam iudex subditum potest corripere, arguere, castigare, vel punire publice de peccato publico.

1. Cor. 5. Ad rationem 1. Corinth. 5. *Omnino auditur inter vos talis fornicatio, &c.* dico illam auctoritatem esse pro me. nam concessum est publica peccata mortalia punienda, modo ibi dicto, & maxime grauia multum scandalizantia Ecclesiam, & turbantia populum, quale erat peccatum Corinthii, de quo loquitur auctoritas, quia habebat vxorem patris sui. Et vt extus habet, & de Lyra etiam dixit, talis fornicatio nunquã licita fuit iudicata etiam inter Gentes. Nam ab initio mundi, vt de Lyra, fuit hoc exclusum, tanquam illicitum. propter reuerentiam enim naturalem, quæ debet haberi ad patrem & matrẽ, illæ duæ personæ semper à matrimonio fuerunt exclusæ, tanquam à dictamine legis naturalis. Hunc ergo fornicatorem tam abominabilem, coram Corinthiis puniuit Apostolus, qui auctoritatem habebat à Domino. Et peccatum erat publicum & scandalosum, neque ex hoc vllum sequebatur periculum schismatis in Ecclesia, quod dedit eius corpus vexandum Sathanæ, vt spiritus eius saluus esset.

1. Thess. 5. Ad rationem primæ Thessalonicens. vlt. Corripite, &c. Concedo eam simpliciter loquitur enim Apostolus de fraterna correctione.

Ephes. 6. Ad auctoritatem Apostoli, Ephes. 6. *Et vos patres nolite ad iracundiam, &c.* Ista ratio est de disciplina patris familias. & concedo eam pœnitus, nec probat ex hoc, quod omnia peccata sunt punienda, cum patres solum super liberos & familiam habeant regimen œconomicum, & super extraneos non; & aliqua possibilia peccata suæ familiæ sufficienter punire non possunt.

Matth. 18. Ad rationem Matth. 18. *Qui scandalizauerit, &c.* potest dici, quod illud intelligitur de scandalo in fide, quod fit peccato infidelitatis. Nam non tantum dixit Dominus, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis*, sed adiunxit, *qui in me credunt*, quasi diceret; Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, propter fidem, qua in me creditur. Alio modo, quod intelligitur de scandalo actiuo generaliter. Et sic secundum Gregorium in pastorali, & Nicolaum de Gorra, sensus est, qui sanctitatis specie, verbo, vel exemplo, cæteros destruit, melius (id est minus malum) fuisset, vt cum sub exteriori habitu ad mortem terrena * pœna constringeret, quam propter sacra officia, in culpa cæteris imitabilem, se ostenderet, quia si solus caderet, tolerabilior eum pœna cruciaret. Qui enim peccat in habitu religioso, multos lædit malo exemplo. Et sic illud est de speciali peccato, scilicet hypocrisis, ex quo non potest inferri vniuersalis conclusio, de propulsione peccatorum. Chrysostomus conformiter sanuit, quod de speciali peccato hoc intelligitur. Nam dicit: *Si autem comperit non scandalum vocat, ne mireris, multi enim pusillanimes ex eo, quod despiciantur scandalizati sunt.*

** text. impressus habet acta.*

Chrys. in idem cap.

Ad illud, Lucæ 19. *Et ingressus in templum, &c.* dico, quod ista ratio est contra facientem. Apparet enim, quod Dominus peccata Sacerdotum per se ipsum punire voluit, quæ erant in pecuniæ mutatione, & venditione columbarum. Hæc enim fiebant ad vtilitatem eorum, & ipsorum ordinationem. Propterea dicit Gregorius 25. Moralium: *Neque enim frustra præsumpsit Dominus eas nummulariorum fidei, & Cathedras vendentium columbas euertit, quibus, significans quas per Magistros quidem iudicat viam plebium, sed per semetipsos, facta examinat Magistrorum*, vt dictum fuit. Non ergo pœ inferiores fideles, sunt prælati puniendi, per cohibitionem pœnæ, nec per eos coram aliis reprehendendi, vt dixit proponens, nisi de peccatis infidelitatis, schismatis, aut malæ doctrinæ directe vergentibus in nocumentum aliorum fidelium.

Luc. 19. Matth. 21.

Grego. lib. 25. moral. c. 21.

Ad illam, Lucæ 18. *Deus autem non faciet, &c.* dico, quod illa non probat propositum suum, quod à quolibet fideli omnia peccata sunt corrigenda, castiganda, &c. Sed quod à Deo, quod concedo. ibi enim, secundum Albertum, isto passu, & etiam Nicolaum de Gorra, ostenditur præeminentia diuinæ iustitiæ ad iudicem iniquum. qui, vt parabola habet, Viduæ diu iustitiam distulerat, & adhuc, non amore iustitiæ, sed causa molestiæ virandæ tarde reddiderat. Non sic vero Deus scilicet facit, &c. & sic nihil concludit.

Luc. 18.

Albert. in idem cap.

Ad illam primæ Iohann. 3. *Scitis, quia ille apparuit, &c.* dico cum Ægidio de Roma in hoc passu, quod tollere peccatum tripliciter est. Primo diminuendo facta, Iohann. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Secundo, adiuuando, ne fiant. Tertio, ducendo ad vitam, vbi omnino fieri non possunt. Et in omnibus his modis Christus tollit peccata mundi. Ex duobus primis modis apparet magis oppositum proponentis, quam propositum. extertio nõ arguitur ad propositum, quia est de Ecclesia triumphante. Item dico, quod tollit peccata, quia pretium pro peccato humani generis soluit in cruce, abstulit peccata, quia legem immaculatam, omne mortale prohibentem instituit, tamen manifestum est, quod peccata aliqua permisit, manserunt etiam peccata Iudæorum, remanserunt & Gentium, crucem putantibus Iudæis scandalum, & Gentibus stultitiam, vt dicit Apostol. 1. Cor. 1. Similem intellectum habet illud: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.*

1. Cor. 1. 1. Ioan. 3.

Ad illam de epistola Iudæ, *Ecce venit Dominus, &c.* dico, quod istud allegatum loquitur de aduentu Domini ad iudicium, in quo omnia mala tunc punientur. Et hoc sonat, quod adhortatiue subditur, *hos quidem arguite, illos vero saluate de igne rapientes*, hoc est, eripientes de igne inferni, in quo sunt, impœnitentes & incorrigibiles. Iterum hoc accipitur ex gl. de Lyra in hoc passu.

Ad illam, 2. Corint. 10. *In promptu, &c.* dico cum Petro de Tharantasio postmodum Innocentio Quinto, quod illud, *vlciscí omnẽ inobedientiam*, facit distributionem pro generibus singulorum, ita vt in omni statu minorum scilicet & maiorum, & mediocrium inobedientia in promptu vindicetur; aut in omni modo, scilicet cordis, oris, & operis, sed non habet opponens, quod faciat distributionem pro singulis generum.

2. Cor. 10.

Ad illam, 2. Timot. 3. *Omnis Scriptura diuinitus, &c.* dico vno modo, quod hæc ratio arguit de correctione in verbo prædicationis, quæ sit per modum exhortationis, declarationis, aut exprobrationis, quæ quamuis modum correctionis fraternæ excedat, quia fit publice, tamen ex caritate procedit, aut procedere debet, nec per eam puniuntur in speciali peccato, nec proprie puniuntur, sed reprobantur, & instruuntur auditores, vt perfecti sint ad omne opus bonum. Alio modo, quod loquitur in distincte de omni vtilitate Scriptu-

2. Tim. 3.

Glo. ordinaria in c. 18. Matth.

Tit. 1.

Gl. decreti distin. 25. post c. 3.

Dist. 81. c. apost. 2.

Crimina-lia peccata XI.

Pœnæ 8. S. Th. m. 2 2. q. 108 art. 3. Aug 2. de ciuit. Dei, c. 11.

Rom. 13. 1. Pet. 2.

Hebr. 12.

Dan. 13.

Leuit. 20. Deut. 13. & 18. Leuit. 24. Num. 25. Deut. 21. Deut. 22. Deut. 13.

Alexan. ab Ales 3. p. q. 35. n. 2. art. 2. Aliquando puniuntur peccata per scientes ali quando per nescientes. Esai. 10. 4. Reg. 25. 1. Mach. 1.

CC. XXXIIX

Gubernatio est opus Dei.

Augustin.

Iudas in ep. Can.

Act. 5.

Act. 13.

2. Cor. 11.

Gal. 3.

Act. 6.

1. Cor. 5.

ræ diuinitus inspiratæ, & sic habet gl. ord. cum dicit: *Vtilis est ad docendū neficientes, ad arguendum & conuincendum de malo negligentes ad corripiendum, id est, increpandum duriter malo persistentes ad erudiendum pœnitentes & incipientes discere.* Nec hæc expositio aliquid arguit contradicta.

Ad illam ad Tit. 1. *Oportet Episcopum sine crimine esse, &c.* sequitur: *Sunt enim multi vaniloqui, seductores maxime qui ex circumcisione sunt, &c.* dico, quod secundum gloss. decreti dist. 25. *Nunc autem*, crimen quadrupliciter accipitur, Primo modo large pro omni delicto, siue mortali, siue veniali, siue ex deliberatione, siue non, sicut dicitur in Catone: *Nemo sine crimine viuit.* Secundo modo, stricte pro omni culpa, siue veniali siue mortali, ex deliberatione procedente. Tertio modo strictius pro omni culpa mortali, quæ est criminalis infamia, de hoc dicit textus: *Crimen est querela*, id est, *peccatum accusatione & damnatione dignum*, hoc modo accipitur in textu allegato, Titio. *Oportet Episcopum sine crimine esse.* Quale autem sit, declaratur dist. 81. c. Apost. Paulus, *Si quis*, ait text. *est sine crimine, vt est homicidium, adulterium, & aliqua immunditia fornicationis furtum fraus, sacrilegium.* Quarto modo sumitur strictissime, prout vt graue peccatum accusatione, & damnatione dignissimum. Sumendo igitur tertio modo, dico, quod omne crimen est peccatum mortale, sed non è contra, sed solum mortale capitale dicitur crimen. Doctores autem aliqui enumerant XI. species talium, scilicet peccatum infidelitatis, peccatum contra naturam, homicidium, crimen læsæ Maiestatis, sacrilegium, incestus, conspiratio, adulterium, falsum testimonium, simonia, vsura. Dicuntur autem ista esse capitalia, quia secundum Doctores inducunt ad damnationem, exilium, vel aliam pœnam, secundum leges ciuiles, vel excommunicationem, depositionem, vel aliam pœnam, secundum leges Canonicas & iura. S. Thomas 2. 2. q. 108. artic. 3. recitat secundum Augustinum sequentem Tullium, octo pœnas, quas infligere solet lex ciuilis, & sunt mors, verbera, talio, seruitus, vincula, exilium, damnum, ignominia. Et accipiuntur istæ octo pœnæ, secundum octo, quæ homo maxime diligit, & in hoc, quod quælibet pœna est alicuius horum priuatiua. Quæ octo sunt vita, iocunditas, integritas, libertas, expedita operatio patria bona temporalia, fama. Mors est contra vitam, verbera contra iocunditatem, talio, puta oculum, pedem, &c. contra integritatem, seruitus contra libertatem, vincula contra expeditam operationē, exilium, contra patriam, damnum contra temporalia bona, ignominia contra famam. Sex vero communiter assignantur in genere pœnæ iuris Canonici, suspensio, excommunicatio, depositio, intrusio, carceratio, verberatio. hęc per digressionem dicta sunt. Dico igitur ad propositum, quod auctoritas Apostoli vera est, *oportet Episcopum sine crimine esse*, sumendo crimen tertio modo. Quantum ad illud: *sunt enim multi inobedientes, &c.* dico, quod textus soluit seipsum. Crimen enim seductionis & subuersionis est valde graue, & maxime, si sit in fide, vnde non est necesse in talibus præcedere secretam monitionem, sed si periculum est in mora, procedituri ad denunciationem coram superiori. Et ibi imminet cito periculum, vt dictum est, potest argui, quo ad talia coram omnibus. quia omnes tangit, & maxime in infidelitatis crimine. Ex quo qui erat superior, desinit, quo ad hoc esse superior. De istis loquitur Apostolus, verum adhuc solum loquitur Tito, ibi Episcopo cui ex officio incumbit. Sic ergo nec de crimine omni, nec omni homine loquuntur allegata.

Ad rationes, Rom. 13. *Si male feceris time, non enim sine causa principes gladium portat, &c.* Et infra 1 Pet. 2. *Subiecte estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue ducibus, quasi ab eo missis, &c.* ad Hebr. 12. *Quis enim filius, quem non corripit pater? &c.* Concedo istas omnino. Duæ primæ loquuntur de punitione iustitiæ ab homine, vt Dei ministro. 3. de ipsa diuina iustitia, qua nunc, vt pater filios castigat. Nam iuxta Prophetam, Psalm. 44. *Virga directionis, virga regni tui.* Quod vero allegat Gregorium dicentem, quod per hoc, quod Dominus eiecit dæmonia, & quod concessit Discipulis hoc facere, signat, &c. hoc etiam concedo, sed est ad appositum, & non propositum proponentis, quia non omnia dæmonia Discipuli eiicere potuerunt, patet Matth. 17. Marc. 9. vbi apparet, quod Discipuli dæmonia lunatica non potuerunt eiicere. Nam & Dominus dicit hoc genus dæmoniorum non eiici, nisi in oratione & ieiunio, per quod iuxta multos Doctores, signatur peccatum luxuriæ; quod reuera sine oratione & ieiunio, vel moderata abstinentia, difficile comprimitur. Et quia populus communiter pro magna parte non instat orationi & ieiunio, & hoc rector homo cognoscit, non punit simplex meretricium, sed tolet ad maius malum virandum.

Ad rationes de praxi Christi Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ. Ad istam de praxi Christi, qui dure clerum & alios arguit, dico, quod Christus clerum arguebat propter crimen infidelitatis, quia legem veritatis intelligere nolebat. Vnde prostrauit Paulum, & cæcauit, quia persecutor erat veritatis, quamuis pro crimine infidelitatis, quilibet possit superiorem, scilicet, qui fuit superior, arguere publice, vbi tale periculum imminet, quod non patitur dilationem, non tamen pro peccatis publicis personalibus punire per iudicium iustitiæ & auctoritatis, licet posset traterna correctione secrete arguere, superiori, scilicet, si opus fuerit, denunciando. Dico vltra, quod non omnia opera Christi imitari tenemur. vt declarat Alexander de Hales, in 4. Sunt nempe tria genera operum Christi, quædam potentiæ, vt miracula, quædam sapientiæ, vt institutio Euangelicæ legis, & similia. Quædam bonitatis, & hæc duplicia sunt, quædam pietatis, quædam iustitiæ punitiuæ. In operibus potentiæ non vult Deus imitari à nobis, imo Angelus in hoc, quod in potentia Dominum imitari voluit, peccauit. Nec in secundis. nam in hoc Adam peccauit. In tertiis vero vult, quantum ad opera pietatis, Matth. 5. *Estote misericordes, sicut pater vester misericors est.* Non autem, quo ad opera iustitiæ punitiuæ, nisi quibus commissa est auctoritas à lege, vel inspiratione probata per sacram Scripturam, vel miracula. Ratio autem, cur nisi habens auctoritatem, debet exercere actus iustitiæ, quia gubernatio est opus Dei. Ideo illi soli competit gubernare, cui Deus commisit: Hoc autem tantum per legem. aut voluntatem per reuelationem consueuit committere. Summæ, ergo religionis est imitari, quem colimus Christum, vt dicit Augustinus, quo ad opera bonitatis & pietatis, quo ad omnes; & iustitiæ, quo ad habentes auctoritatem. In hoc, quod allegat opponens, Christum puniuisse per temporalium subtractionem aliquos, nescio, ad quem finem hoc facit. si per hoc inducere vellet, quod principes possent temporalia subtrahere ab ecclesiasticis, male illis ventibus, hoc esset insustinibile, quia nullam habent iurisdictionem in illos, vt supra dictum est, & pulchre declarabit venerandus Doctor responsurus de ista materia; si, quod superior potest subditum suum per subtractionem bonorum temporalium interdum punire, hoc concedo. Concedo, quod Christus exprobrauit incredulitatem Discipulorum, & duritiam cordis. Concedo etiam, quod Angelis peccantibus non pepercit, sed tradidit vinculis æternis, &c. vt dicit Iudas Apostolus in Canonica sua. Praxim Apostolicam in punitione peccatorum concedo, vt fuit allegatum de Petro. *Actuum 5.* & Paulo, *Actuum 13.* de Elymago, peccata enim ista, propter quæ puniuerunt, aut puniuda declarauerunt, quod dico propter punitionem Ananiæ & Saphiræ, secundum multos, erant grauia & scandalosa, vt patet in litera. Praxim item Ioannis Baptistæ, in reprobatione peccatorum per viam prædicationis & Propheratum. sed ex hoc non concluditur, omnia peccata mortalia publica esse punienda, nec omnia puniuerunt. Nam erant multi Pseudoapostoli tempore Pauli, nec legimus per eum aut alios Apostolos esse punitos. Galatæ infensati non dicuntur nec leguntur fuisse puniti per Apostolum pœna iustitiæ, sed tãum per prædicationem correpti, *ad Galat. 3.* Ortum fuit murmur Græcorum aduersus Iudæos, quod viduæ eorum despiciebantur in quotidiano ministerio, *Actuum 6.* nec illud legitur punitum. Et facile multa similia reperirentur impunita propter periculum schismatis in Ecclesia, aut alia occulta nobis, tamen iusta ratione. Quod ad praxim primitiuæ Ecclesiæ allegat, quod communitas Corinthicum spiritu Apostoli tradidit Corinthium Sathanæ in carnis interitum, per hoc arguens, quod populus possit peccata publica punire, dico, quod ex serie textus non habetur, quod communitas Corinthiorum hoc fecerit, sed Apostolus. Nam dicitur sic:

Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu tradere huiusmodi hominem Sathanæ, textus dicit: *iudicaui*, non iudicauimus. Et Nicolaus de Lyra dicit: *Ego quidem habeus auctoritatem super vos*, vbi patet, quod ipse, qui habebat auctoritatem, iudicauit. Præterea punitio malorum presbyterorum, de qua *Dani. l. 13.* ostensa & sententiata est per Danielem auctoritate sibi à Deo data. Nam ibi dicitur: *Suscitauit Deus spiritum pueri iuuenis, cui nomen Daniel.* Executio autem per populum, & in veteri lege, multas executiones per populum leginus in spiritualibus casibus, vt in crimine idololatriæ *Leuitici 20. Deuteron. 13. & 18.* in blasphemia Dei, *Leuitici 24. Num. 25.* pro violatione Sabbathi in colligente ligna illo die, *Num. 25.* pro inobedientia contumaci filiorum ad parentes, *Deut. 21.* pro violatione virginis desponsatæ, *Deut. 22.* hanc executionem faciebat populus, sed auctoritate legis & iudicum sententias ferentium secundum legem. Ita dicit de Lyra super illo Deutero. 13. *statim interficiens eum*, dicit, *iudicatum fuerit per iudices.* Allegat, quod populus Iudæorum ab alienigenis, &c. Concedo hoc, sed non ideo hoc fecerunt sine peccato alienigenæ. Nam in subactione ista duo considera, actionem & intentionem captiuantium. Aliquando enim, vt dicit Alexander in summa vtrumque à Deo excitatum est, dum vtrumque est bonum, scilicet captiuatio & intentio captiuantis. Aliquando actio à Deo excitatur, & non intentio, Dum actio bona est, quia à Deo volita, sed intentio mala, qui odio vel ira, aut alia mala passione excitata: Aliquando siquidem puniuntur peccata per scientes. Aliquando per nescientes. Exemplum de secundis, vt populus Iudæorum fuit punitus per Sennacherib Esaiæ 10. *væ Assur virga furoris mei*, & per Nabuchodonosor 4. *Reg. vltimo.* Et etiam per Antiochum. *Machabæorum 1.* Exemplum de primis, vt quod peccata Amorrhæorum fuerunt punita per filios Israel. Isti enim sciebant se à Domino excitatos punire peccata harum nationum. Sed Assyrii, & Rex Babyloniæ, &c. etsi punirent, nesciebant, se ex diuino præcepto punire. Nam filii Israel monebantur à Domino, quo ad punitionem & intentionem punientis, quia hoc faciebant ex diuino mandato accepto, & vt voluntatem Domini adimplerent. sed alienigenæ Assyrii, & cæteri, vtique Domino mouente subigebant populum Israel, sed non vt implerent Domini voluntatem, imo ex odio cupiditate, aut alia mala intentione hoc faciebant, ideo peccabant. Ita populus vel ciuitas non habens vsum iurisdictionis, puniendo pœnaliter, peccarent, nisi super hoc acciperent a Domino mandatum speciale, & hoc probaret sacra Scriptura, aut miraculo, vt sibi esset credendum.

CC. XXXIX. *Aug. sup. epist. Ioann. tr. 7. to. 9. 23 quæst. 5. cap. 36. Non putes 23. q. 5. c. 35. Duo ista. 5. q. 5. c. 1. Non res in dicans. August. ep. 109. to. 2. 23. q. 5. c. 36. Non putes. August.*

Ad auctoritates Sanctorum. ad primam Augustini, super epistolam Iohannis, & 24. quæst. 5. *Non putes, &c.* Respondeo cum glos. quod istud intelligitur de illis, qui habent aliquam potestatem super alios, vel de Canonica denunciatione, ad quam quilibet tenetur: Per Canonicam denunciationem intelligit glos. fraternam correctionem. De multis vero modis habendi potestatem, habetur super 23. q. 4. *Duo ista*, vt est in Episcopo erga plebem suam, pauperi regenti domum suam, diuiti regenti familiam suam, marito erga coniugem suam, patri erga prolem, iudici erga prouinciam, Regi erga Gentem.

Ad illam de Augustino, *Non vos iudicetis malenolos*, de quo 5 quæst. 5. dico cum gloss. quod textus ille de denunciatione loquitur, & de secreta correctione, & est argumentum, quod quilibet tenetur ad denunciationem, de quo 23. qu. 5. *Non putes.* Ista sunt verba glossæ. Intelligo autem denunciationem hic, admonitionem fraternam, ad quam quilibet tenetur pro loco, tempore, & aliis circumstantiis aut denunciationem testibus factam: aut Ecclesiæ, si secreta munitio non sufficit.

Ad illam Augustini in sermone de seruo Centurionis, dico, quod Augustinus ostendit magnitudinem mali eorū, qui impune peccant, nam peccatum est pœna magna peccantis. Et quia ex impunitate assumunt sibi ausum peccandi, tamen commode duobus malis minus malum, ad vitandum maius tolleratur, & maius malum est malum totius, quã partis. Permittitur malum in parte, ne fit malum in toto. Ideo ad vitandum schisma in Ecclesia, aut turbationem boni communis, aliqua manent ab homine impunita.

Ad illam Augustini, *Si ea, de quibus Deus vehementer offenditur, &c.* 23. q. 4. dico, quod illud capitulum loquitur de punitione potestatis iudiciariæ, & est verum, cum iudex differt iudicare & punire ea, vnde Deus vehementer offenditur. Nota quod vehementer designat grauitatem, si tamen salua iurisdictione, & conuictione hoc facere possit. Dei patientiam prouocat. sed non si istis saluis punire non possit.

Ad illam Augustini ad Chrysostomum, dico quod est vera istis tribus iam concurrentibus, iurisdictione, conuictione & pace salua, seu vnitate Ecclesiæ, aut Reipublicæ.

Ad illam Hieronymi 23. q. 5. Regum, vbi dicitur, *Regum est proprium, &c.* Ista auctoritas vera est, sed arguit ab insufficienti, assumit enim auctoritas, quod officium Regum proprium est facere iudicium, & iustitiam, scilicet in foro suo. Cæteroquc casus enumerat, facere iudicium & iustitiam, vt liberare vi oppressos, de manu calumniantium, peregrino, pupillo, & viduæ præbere auxilium, sanguinem innocentem non effundere. Isti sunt casus *septem. Concedo, quod in istis, & in omnibus suæ legi subiectis pertinet facere iudicium, sed ex hoc cõcludit, quod omnia peccata debet punire, si sint mortalia publica, & hæc insufficienter. tum, quia lex humana nõ prohibet omnia, tum quia homo legem diuinam omnia pro hibentem mortalia, non sufficienter potest executioni demandare omnia scilicet puniendo pœnaliter, vt dictum est. Deficit autem argumentum, quia ex hoc, quod diuina lex omnia mortalia prohibet, videtur concludere, quod ergo omnia in hoc seculo pœnaliter puniat, quod non concedo. Item, quia, Ecclesiastici non subduntur potestati seculari, quo ad personas, ideo, &c. Ad illam Hieronymi in libro Iudicum: *Traduntur autem peccatores, &c.* illam concedo, nec video, quo modo est ad propositum.

Ad illam Hieronymi in Prologo Bibliæ, *Sancta rusticitas.* Ista autem intelligitur de resistendo contra impugnatores fidei maxime, nam hoc modo potissime Ecclesia impugnatur, & de resistentia ei competente, puta, orando, corripiendo, arguendo publice fidei peruersores, si & quando opus est, cum aliis circumstantiis requisitis, Bonum autem opus fit vno modo, malum autem, multiuario. Quod vero de talibus intelligatur, patet manifeste ex serie verborum illius capituli.

Ad illam auctoritatē Gregorii in Registro Reginæ Francorum Brunichildæ: *Conscriptum sit, iustitia eleuat Gentem, &c.* Hic dico, quod in allegatione ista aperit opponens mentem suam manifestius, quam in articulo suo, aut primo Corollario. Nam per hoc videtur sentire, quod principes seculares habeant auctoritatem puniendi peccata publica sacerdotum, & quod debeant hoc facere, ne Dominus manum ad feriendum extentam excutiat. Hoc autem ostensum est, esse falsum, in primo Corollario secundæ conclusionis, in sexundo puncto. Dico igitur, quod auctoritas Gregorii intelligitur de correctione competente suæ iurisdictioni. puta, si sacerdotes sint publice mali, vt Regina suis subditis prohibeat, ne in peccatis sacerdotum dent auxilium vel fauorem: vt fœminas, cum quibus impudice peccant, sicut etiam sonat auctoritas, proscribant de suis dominiis, aut alio modo licito, non autem in persona sacerdotum aut ecclesiasticorum aliquem actum iurisdictionis exercendo, aut, intelligitur de correctione fraterna, dum dicit, *de correctione sceleris studiosissime cogitate.*

Ad illam Gregorii ad Constantiam Reginam Galliæ, *Et quia summum, &c.* dico, quod hoc de iustitia sectanda accipitur. Allegatur ad casum particularem, puta, quod quidam prædones villas Ecclesiæ Episcopi Iuliani spoliauerunt, & nocturnis incendiis cremauerunt. Petit igitur Gregorius Papa, vt immunitas violata præsumptio & sacrilegium, sicut auctoritate Ecclesiastica, ita regia dignitate talem finem accipiant, ne filii nequam, & membra diaboli talia præsumant de cætero attentare.

Ad illam Gregorii in Registro, *Dum scripsimus, &c.* Dico, quod illa loquitur de executione sententiæ Ecclesiasticæ, Regem monendo, vt illam exequatur, aut iudicibus Ecclesiasticis assistat, dicit enim: *Vestris amputari sinibus faciatis quidquid carnalia vitia sacerdotum, & simoniacam prauitatem, tam, scilicet,*

Dan. 13.

Leuit. 20. Deut. 13. & 18. Leuit. 24. Num. 25. Deut. 21. Deut. 22. Deut. 13.

22. q. 4. c. 50 Si ea de quibus.

August.

Hiero. sup. Hierem. c. 22. 3. q 5 cap. 133. Regū officium est proprium.

*pro septē, alter m.s. habet pij, ex similitudine harū literarum & numer.

Cap. 4.

Hieron.

Greg. li. 9. in Reg. epi. 64. in dist. 4. ad Brunichildam Regiman.

Grego.

Greg. in regist. lib. 9. c. 53. in dist. 4. ad Theodoricum regem Francor.

Gregor. in reg libr. 7 in distin. 1. ep. 5. eadem 33. q. 4 ca 47 Si quis igitur. Deut. 6. Aug. ep. 50 to. 2 2 q. 4. c. 24. t. pie pietas. 23. q. 4. c 5. Quid ait. t. Aug. epist 168 to. 2.

damnata, aut vt scripsimus per Episcopos damnanda & arguenda, illa è vestris æquitari simbus faciatis.

Ad illam Gregorij Brunichindæ, Reginæ Francorum. *Si quos igitur, &c.* Ecce concedo illam; sed accipiendo, vt hoc iuste fiat. Nam non sufficit iustam rem facere, sed iuste dicente Scriptura, Deuter. 16. *Quod iustum est, iuste exequaris*, puta vt sit iustus ordo, iusta causa, iustus animus. Si iustus ordo, non ergo nisi in subditos & de crimine convictos. In illos correctio etiam iustitiæ fieri potest, verum, vbi magna populorum strages immineret, parcendo multitudini, esset seueritati detrahendum, vt dicit Augustinus Bonifacio, & habetur 23. q. 4. *ipsa pietas*, & hoc est quod dictum est prius. quoniam crimina punienda sunt, quando salua pace Ecclesiæ feriri possunt, vt dicit B Augustinus in 2. & 3. lib. contra epistolam Parmeniani. & contra Faustum, vt habetur 23 q. 4. *Quid facient?* vbi sic dicitur: *Ecce quod crimina sunt punienda, quando salua pace Ecclesiæ ferri possunt, in quo tamen discretio est adhibenda, aliquando enim deliquentium multitudo diu per patientiam est expectanda aliquando in paucis est punienda, vt eorum exemplo ceteri coerceantur.*

Matth. 18. Chrys. ho. 6. Chrys. in opere imperf. in c. Matth. 5.

Ad auctoritatem Chrys. super illo Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, &c.* dico quod illa manifeste loquitur de correctione fraterna & hic illam concedo.

Ad illam, Chrysostomus in opere imperfecto super illo Matth. 5. *Qui irascitur fratri suo, &c hoc intelligendum est*; Illa non est ad propositum. Ibi enim reprehendit patientiam irrationabilem. quoniam, vt inquit, vitia nemat, negligentiam nutrit, bonos inuitat ad malum: non tamen dico ego, vt per se agens sed vt remouens prohibens, vt puto, quia iram per zelum, qui causa est correctionis & iustitiæ exercendæ, remouet. verum est tamen, quod B. Hieronymus in Homilia super illo, ex sententia Thomæ super Matthæ. 5. allegatum sic ait: *Omnis qui irascitur fratri suo, in quibusdam codicibus additur (sine causa) cæterum in veris & firmis tota sententia est, & ira penitus tollitur, Scriptura dicente: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Si enim iubemur verberanti alteram præbere maxillam, & inimicos nostros amare, & orare pro persequentibus, omnis iræ occasio tollitur. rationem igitur est ergo (sine causa) quia ira viri iustitiam Dei non operatur.* Hæc illæ Posset dici. quod Beatus Hieronymus non damnat omnem iram, cum aliqua sit iusta. scilicet, quæ est per zelum, sicut scriptum est Iohannis 7. *Zelus domus tuæ comedit me*, sed tanquam consilium suader, omnem iram de corde propellere. Ad illam in opere imperfecto super illo Matthæ. 4. *Vade retro Sathana, exasperatus est &c.* dico, quod vera est, & intelligitur, vt vnusquisque modo sibi inconuenienti iniurias Dei, & offenias hoc est peccata mortalia, & maxime, quæ sunt in Deum directe, corrigat, nec patiatur inulta, vt princeps, per iustitiam pœnæ ex iudicio, inferiores subditi per correctionem fraternam, & ista sunt vera, modo tacto in positione.

Ioan. 7. Chrys. in op. re imperf. in c. Matth. 4. hom. 5.

Isid. v. li. 3. de sum. bono. cap. 53. 23. q. 5 c. 20 Principes seculi. 32. dist. c. 20. Eos, qui.

Ad illam Isidori, de qua 23. q. 5. *Principes seculi*, dicit glossa sic, quod hic quatuor capitula ad hoc inducuntur, vt principes ecclesias defendant, & reos non permittant viuere, nec tamen ex isto capitulo, aut aliis sequentibus potest inferri, quod principes in personas exclesiasticas habeant exercere iudicium, nisi in casibus, quin glossa exprimuntur. Et adhuc non potest illud, nisi ex ordinatione ecclesiæ, & concessione speciali, in subsidium ecclesiasticæ iurisdictionis. Primus, cum sunt incorrigibiles: de quo 22. distinct. *eos qui*: ibi etiam dicitur, quod, si diaconi post susceptum ordinem velint vacare vxoribus, à sacro ordine remoueantur, id est, remouendi iudicantur, intelligo hoc, quo ad administrationem quia character est indebilis, officio atque beneficio carere decernuntur, quod si ab Episcopo commoniti non se correxerint, principib. indulgemus licentiam, vt eorum fœminas mancipient seruituti: Et textu patet, quod non datur licentia, vt in personam diaconi iurisdictio secularis exerceatur etiam post monitionem Episcopi. sed in fœminam eius, & ad id dicit glossa, quod hoc est verum, cum Episcopus eam corripere non potuerit, aut suffecerit. Nam primo debet eas in seruitutem redigere, si potest, sed si non sufficit, tunc itur ad brachium seculare & secundum glossam, per punitionem talis fœminæ dicitur exercere brachium seculare indicium in Ecclesia, quia ex quo illa est de familia sacerdotis vel diaconi, potest dici, inquit glossa, quod est de foro Ecclesiæ, sicut & alii, qui sunt de familia eius, vt 89. distinct. *Indicatum*, & 12. q. 2. *Ecclesiarum seruos.* vel ideo censetur talis fœmina de foro Ecclesiæ, quia ratione delicti fit quis de foro alterius, vt 6. q. 7. placuit: de istis incorrigibilibus habetur 23. q. 5. de liguribus cap. 43. Item 24. quæst. 3. c 18. *Ecce autem.* Secundus casus est propter ambitionem, 79. distinct. *Siquis pecunia.* loquitur, de intruso in Papatu pecunia vel gratia humana, aut populari vel militari tumultu, &c. licitum est, inquit capitulum, *humano auxilio à sede Apostolica pellere.* Tertius casus est, cum fidem moliuntur Ecclesiastici peruertere, 17. distin. *Nec licuit.* vbi in fine dicitur de obstinatis & contumacibus. eos ab eisdem Apostolicis sedibus, aut attrahi ad salutem, quoquo modo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint secundum Canones per seculares comprimi potestates. de hoc satis dictum est supra. Quartus casus, cum clericus est falsarius, vt extra de crimine falsi. *ad falsariorum.* Quintus casus, cum ecclesiastici schisma faciunt & contemnunt excommunicationem, vt hic 23. q. 5, de liguribus. Sextus, vbi potestas Ecclesiastica deficit. vt in præsenti capitulo, *Principes.* Septimum de tributis transeo. extra illos & alios, si sint aliqui à iure determinati, nihil iurisdictionis habet laicus in clericum, hoc est in personam clerici. Et quod habet in istis, est auctoritatis Ecclesiæ, in subsidium Ecclesiasticæ iurisdictionis, vt dictum est.

dist. 89. c 5 Indicatum est. 2. q. 2. c. 59. Ecclesiarum seruos. Et conc. Toletanen. 3. c. q. 3. c. 4. Plauit. dist. 79. c. 9 Si quis pecunia. dist. 17. c. 4. Nec licuit. Item de falsariis ad falsariorii libr. 5. & 20 art. 7.

Ad illam de Ambrosio 32. q. 1. Cum *annunciatum*, concedo illam, nec facit ad propositum, sed ostendit, quod in iustificatione impii, dum culpa recedit, aduenit gratia, & è contra in peruersione.

32. q. 1. c. 9 Cum venit cuatum.

Ad auctoritates Canonum. Ad Primam Pelagii Apostolicæ auctoritatis. & 24. q. 3. Ista est magis contra opponentem, quam pro eo. Nam si exemplo Apostolicæ auctoritatis, puta Pauli, tradendi sunt Sathanæ, id est, excommunicandi peccantes, sequitur. quod non nisi habens auctoritatem, sicut ille habebat, super Corinth. nec nisi pro crimine scandalizante, vt erat illud facinus Corinthi, qui tenebat vxorem patris, aut aliud graue alteri vel pluribus nociuum, debet ferre iudicium pœnæ, & sic non pro quolibet peccato mortali etiam publico nec quilibet potest per iustitiam punire, quod est contra eum.

CCXL. *24. q. 3. Apostolicæ auctoritatis, c. 13.*

Ad illam de Leone Papa 24. q. 3. illud capitulum intelligitur de tolerantia conuentationis quorundam Catholicorum cum hæreticis. Tolerare enim hoc graue peccatum est, quia nullum magis infectiuum arbitror, & contagiosum peccatum, quam hæreticam prauitatem, vnde sacerdotes vel Episcopi, in illo casu tacentes, cum tamen innotescat, canes muti dicendi sunt, non valentes latrare, cum lupi rapaces gregem inuadunt, vnde eis dici potest illud Isaiæ 22. *Quid tu hic aut quasi quis hic? Ecce Dominus asportari te faciet, sicut gallus gallinaceus asportatur.*

24. q. 3. Illud sane 2. 24.

Esai. 22.

Ad illam Leonis Rustico Narbonensi Episcopo, &c. dico, quod hic dicit, quia non amore vindictæ, sed iustitiæ; non odio personæ, sed vitii correctio est facienda. Et hoc dixi sæpius in secundo puncto, nec aliquo modo concludit, quod omnia peccata sunt punienda.

Epist. 92, Edit. vonis antiqua, 95. edit. Rom. 86. odio habeatur, c. 2. 23. q. 3. ad ministratores, c. 26.

Ad illam, Ioannis 8 *Administratores, &c.* dico, quod loquitur de peccatis, aliis nocentibus vt patet. Nam dicit de rapacibus, de nocentibus pupillis & viduis, & quod querimonias audiant pro Episcoporum tuitione illorum, &c. Ex hoc arguit ab insufficienti, quod ergo omnia peccata mortalia sint punienda, quia multa sunt, quæ nocent directe & per se aliis, nec est facile totam multitudinem ab illis abstinere, & prohibitio talium cum punitione pœnali confusionem faceret in politia, aut schisma in Ecclesia, aut aliud graue periculum vel peccatum, sicut dictum est.

Ad auctoritates Conciliorum: Ad illam de Concilio Apostolorum, dico, quod à quatuor prohibuerunt abstinere fideles, scilicet ab immolatis idolis, sanguine suffocato, & fornicatione, placet tamen mihi, quod omnia peccata mortalia sint diuina lege prohibita. Nam hoc in prima parte conclusionis primi puncti dictum est, sed non sequitur, quod ideo sint omnia per hominem punienda. Ad illam ex Concilio Turonensi, *incestuosi parricidæ.* illud capitulum loquitur de aliquibus grauibus peccatis puniendis, afflictione pœnæ, quia actores illorum monitis ecclesiæ noluerunt obedire, ex qua particulari, nullo modo potest concludi

Conc. Turonen. III. c. 41. habetur 23. q. 5 incestuosi, c. 22.

vniuersalis; omnia peccata mortalia publica sunt punienda per cohibitionem pœnæ.

2. Paral. 30.

Ad illam auctoritatem 2. Paralipomenon 30. qualiter muto Concilio, &c. dico, quod apparentiam ad probandum vniuersalem, omnia peccata, &c. non habet opponens. nisi ex illo textu, *destruerunt altaria, quæ erant in Ierusalem, atque vniuersa, in quibus idolis adolebatur incensum subuertentes, &c.* tamen ille textus solum loquitur de destructione idololatriæ, & omnium ad eam pertinentium. Ex qua particulari destructione male potest concludi omnium peccatorum destructio.

2. Para. 34

Ad illam, 2 Paral. 34. qualiter Iosias conuocatis vniuersis, &c. dico, quod apparentiam accipit opponens est illo, *Abstulit Iosias cunctas abominationes, de vniuersis regionibus filiorum Israel.* Ad quam dico, quod Scriptura non dixit, omnia peccata. sed, *cunctas abominationes*, per quas peccata idololatriæ intelliguntur, in multis passibus Scripturæ. Et hoc etiam videtur sonare textus sequens, cum subditur: *Et fecit eos, quotquot fuerant in Israel seruire Domino deo suo.* Et expressius apparet

4. Reg. 23.

idem 4. Reg. 23. tamen si per abominationes intelligantur peccata mortalia, dicendum videtur, quod sit distributio accommoda, puta, quod maiora peccata abstulit, vel distributio pro generibus singulorum, tamen magis sto in prima solutione, quia magis consonat textui & gl. de Lyra.

Augustin.

Ad illa, quæ circa probationem conclusionis seu articuli dicuntur, apparet, quod de correctione fraterna assumantur: Et specialiter auctoritas Augustini, libro primo, contra Cresconium Grammaticum, dico, quod loquitur. quod per sequenda sunt vitia, amore iustitiæ, non libidine vindictæ. ita vt vitia, quia Christo inimica puniantur non homo, & sic arguit de modo punitionis, non de punitione, vnde si ex modo inferat illam, immutat quale in quid, & fit fallacia. In declaratione dicitur vnum bene notandum. nam proponens declarauit, quomodo vnicuique congruat corripere peccata mortalia publica. Nam dicit, quod prædicatoribus prædicando contemplantibus orando, vel aliter promerendo, secularibus iudicibus, aut principibus secundum potentiam coactiuam conseruando, iuxta legem Euangelicam conuenit corrigere. Et quod omittens, iuxta suum officium, peccat in Deum & proximum, & quantum & quomodo hæc non sint vera, ostensum est, nisi vellet singula singulis referre, ita, vt cum loquitur de potestate iudiciaria, intelligat respectu suorum subditorum, si de fraterna correctione intelligeretur, correctio aliud esset, sicut monstratum est.

CCXLI.

Ad rationes primi Corolollarij, concedo rationem, quæ probat, quod peccata mortalia publica, &c. non sunt fouenda aut defendenda. Hæc fuit prima pars Corollarij. Ad rationes arguentes contra secundam partem, quod per rectores spirituales & seculares, ex officio modis ipsis congruentibus, in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorum, sunt cohibenda, corripienda, castiganda, & pro posse ab eisdem propellenda. Ad primam Dominus Dominantium, Rex Regum, Deus Omnipotens hoc fecit, & hominibus faciendum iniungit, vt patet ex discursu veteris & noui testamenti, ergo rectores hoc facere debent. Dico quod nec omnia peccata mortalia publica Dominus puniuit in lege veteri, nec omnia in lege noua, sicut late deductum fuit in conclusione primi puncti, sed nec omnia punienda mandauit in lege noua. Imo dicit Lucæ 6. *Estote misericordes sicut pater vester cœlestis misericors est.* Dixit & Matth. 18. cum quæreret Petrus, quoties fratri in eum peccanti esset parcendum: *Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies.* Et iterum: *Nonne oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum? & iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum sic*, inquit Saluator, *& pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiserit vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.* Dixit & Apostolus ad Ephes. 4. *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis* Et Petrus prima Petri 3. *In fide autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.*

Luc. 6. Matth. 18. Ephes. 4. 1. Pet. 3.

Proponens allegat, quod Dominus puniuit superbiam in Lucifero & quibusdam, auaritiam in Achor, & etiam certis personis, &c. quæ ad longum non recito, quia concedo semper tamen argumentum suum deficit, quia arguit ab insufficienti. Non enim sequitur, puniuit peccata in ipsis, ergo in omnibus. Siquidem iudicia sua, sunt abyssus multa, & alta profunditas, quis inuenit eam? Interdum itaque ita dure corripuit, vt non solum homines peccantes, sed & irrationabilia propter eos puniuerit, vt appares in thesauris Iericho. & animalibus Amalechitarum, in pecunia Simonis Magi, in possessionibus Ægyptiorum, & hoc, sicut aperuit nobis Alexander Doctor irrefragibilis triplici de causa, scilicet ratione Sacramenti, ratione detestationis peccati, ratione flagelli. Ratio Sacramenti Thesauri Iericho, *Iosue 6.* Et animalia Amalechitarum, 1. *Regum* 15. puniuntur. Nam Iericho interpretatur Luna, & significat mundum; cuius auaritia damnatur, cum thesauro Iericho. Anathematizantur Amalechitæ, qui interpretantur lingentes, significant carnalium desideriorum voluptates, quæ debent mortificari, quod denotatur in interfectione animalium Amalechitarum. Ratione detestationis peccati. Pecunia Simonis Magi damnata est pro peccato suo, *Actor.* 8. Ratione flagelli, possessiones Ægyptiorum traditæ sunt grandini, *Exod* 9. vt in illis puniantur & flagellentur, in quorum amore supra modum delectabantur. Interdum ita pepercit, vt duxerit iustus in stuporem, dum non contenta fuit clementia sua crucifixoribus parcere, sed orabat pro eis. Videris mirabilem diuinæ dispositionis scientiam & arcanum inscrutabile confortarum, non possimus ad eum, vnde non debet simi argumentum pro punitione ab homine, ex punitione Dei, potius sumendum est exemplum ignoscendi aut corripiendi in spiritu lenitatis & benignitate Christi, ipso dicente: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Et per Propheram Ioel peccatores vocante, cum dicit: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Ioel. 2. Et cognoscite, quam amarum est, dereliquisse Deum vestrum, *derelinquentes fontem aquæ viuæ, & fodientes sibi cisternas dissipatas*, in nimio rigore, scilicet punitionis, *quæ non valent continere*, Ierem. 2. *aquas*, scilicet misericordiæ.

Psalm. 35. Triplicè de causa irrationabilia punit Deus. Ios. 6 & 7. Alexand. ab ales par. 3. qu. 41. mem. 4. art. 2. ad 2 & seq. 1. Reg. 15. Act. 8. Exod. 9. Matth. 11. Ioel. 2. Hier. 2.

Ad illam de Fabiano Papa, 3. q. 1. *Deus ergo ad hoc præordinauit vos, &c.* dico, quod illud capitulum loquitur de pœna infligenda contra facientes calumniam sacerdotibus, & vim eis inferentibus, quod patet primo ex rubro, patet etiam ex continuatione. Nam in fine capituli præcedentis dicitur: *Dominum crucifigunt, qui eum in suis sacerdotibus persequuntur*: quia crux à cruciatu dicitur, magnum autem cruciatum sustinet, qui vim patitur. Patet tertio ex fine capituli, quod opponens obticuit. Nam postquam dixerat *illum vero qui calumniam vel opprobrium facit, abscindatis*, sequitur, quod tacituri fuit, *& Dominum in suis sacerdotibus opem ferat is*, hoc autem totum concedo, & est contra opponentem. qui dicere videtur aperte, per seculares sacerdotes esse puniendos.

Fabia. ep. 2. 3. qu. 1. Deus ergo; c. 6.

Ad illam, *Nisi in sancta communitate Christianorum, &c.* dico, quod ista ratio deficit, si tendat ad hoc, quod fornicatio simplex, & omnia mortalia non solum correctione fraterna, aut generali correctione prædicationis sunt corripienda, sed etiam persecutiones potestates coercenda & omnino punienda aut expellenda de communitatibus Christianorum. Ista, inquam, ratio deficit in duobus; primo in hoc, quod non distinguit inter prohibitionem & punitionem, & tamen magna est distinctio facienda, cum lex Dei prohibeat omne mortale, nec tamen in hoc seculo Deus puniuit omne mortale, etiam publicum, vt ostensum est. Nam arguit Paulum omnes fornicationes prohibuisse & ex hoc concludit, quod omnes sunt puniendæ. Secundo deficit in hoc, quod non distinguit species peccatorum in vno genere, aut etiam genera. quia ex punitione fornicationis Corinthij vult arguere punitionem omnis fornicationis, quod fieri non debet, quia illa, quam puniuit, non fuit simplex fornicatio, imo fuit incestus, & aliquo modo contra naturam, & contra reuerentiam naturalem, quæ debetur patri, & ex hoc vxori eius, quæ est cum illo vna caro. Si tendat ratio, quod fornicatio & alia mortalia sunt correctione fraterna corripienda, non nego, imo concedo, absit etiam, quod sint fouenda, sed dico, quod est tolerandum simplex

meretricum & permittendum propter causas ante memoratas. Placet insuper mihi, quod omia peccata mortalia sint Spiritu sancto dictante prohibita, sed Concilium Apostolorum, *Act.* 15. non omnia prohibuit, sed tantum quatuor, scilicet, ab idololatriciis, suffocato, sanguine & fornicatione. Illa vero clausula, *& ea quæ vobis fieri non velitis, nescieritis*, non est de Canone seu textu, nec est apparentia, quod esse debeat, quia est vnum principium legis naturæ omnibus ventibus ratione norum, talia vero nõ cadunt sub Cõsilio. Si tamen omnia mortalia prohibuisset, nõ ideo omnia essent hic pœnaliter punienda, sed in tribunali & foro adaquato diuinæ iustitiæ, puta in extremo iudicio, & in foro conscientiæ de omnibus mortalibus occurrentibus memoriæ.

CCXLII. Ad rationes secundi Corollarij editas. ad primam, quæ nititur probare, quod communitates habeant punire peccata primo ad primam de communitate Corinthiorum assumit, quod puniuit Corinthium, dico, quod non sentiando puniuit, sed Paulus, quia vt dictum est, dixit: *iudicaui eiusmodi hominem*, non dicit, iudicauimus, nec iudicastis. Est verum, quod hoc fecit illis congregatis cum suo spiritu, in vinculo fidei & caritatis, & etiam scientibus. Quod si aliquis contendere velit, quod illa iudicauit, tunc diceretur, quod fuit cum Paulo & auctoritate eius. Nam dicit: *Congregatis vobis & meo spiritu*: Quod allegat, *corrigite inquietos*, de Thessalonicensibus, intelligitur de instructione exhortatoria prælatorum & non communitatis eorum, mox enim, cum eos de obedientia & sustentatione prælatorum docuerat, vt dicit Petrus de Tarantasia, & specialiter respectu curiosorum, gyrouagorum, ideo dicitur, *inquietos*. Est hæc instructio Corinthiorum, quia sufferebant Pseudoapostolos, quos insipientes dicit, eoque, quod in carne gloriabantur, reprehendit, & hoc est speciale & graue peccatum, contradictores, scilicet verorum prædicatorum, tolerare, non tamen concluditur, quod nulli peccatores sint tolerandi existo.

Ad illam Ambrosij 23. q. 5. *Remittuntur*, dicentis, *puniuntur peccata per homines, &c.* dictum est supra de hac materia satis. ad præsens tantum dico, quod si communitas puniret, Deo ad punitionem eius, & intentionem mouente, non peccaret, sic enim haberet auctoritatem: sed si puniret Deo ad actum punitionis mouente, & non ad intentionem, peccaret, quia quamuis punitionis actio esset bona, non tamen intentio punientis. Præterea esto, quod communitas posset aliqua peccata punire ex auctoritate, non tamen ideo punire posset peccata clericorum, cum non sint eis subditi, vt palam factum est, nisi à Deo vel Ecclesia acciperent expressam potestatem, & nunc fieret Authoritate Dei, aut ecclesiæ, & magis Deus vel ecclesia hoc faceret.

Ad illam de Anacleto Papa 24. q. 3. *Tam sacerdos, quam reliqui fideles, &c.* dico, quod illud capitulum intelligitur de correctione fraterna, quod ad omnes, & de iudicaria potestate, quo ad sacerdotes, dum dicitur: *Aut si incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia separentur*. Nam glossa dicit: *hic est argumentum, quod istud, si peccauerint, spectat ad omnes*: & super illo verbo, *separentur*, dicit, *ergo sacerdotes habent officium excommunicandi*: Et ita hæc ratio est pro me. Ad illam, Ioann. 8. distinct. 86 dicente: *Facientis proculdubio. &c.* dico, quod ista omnia hic allegata vera sunt, de differentibus disciplinam ex negligentia, aut aliqua inordinata, vel indiscreta affectione, quasi aliquid humanum passi. Non autem de omittentibus seueritatem iustitiæ, ex cautis rationabilibus. præterea vesunt de negligentia punitionis peccatarum turbantiũ bonam consistentiam politiæ, & eorum, à quibus facile est plebeiam multitudinem abstinere. Aliorum vero peccatorum punitio omittitur, pro salute boni communis, aut ad peiora vitanda; & non negligitur. neglectio enim est omissio eius, quod quis scit & potest facere, & ad hoc tenetur. Impotens autem humana potestas non potest omnia peccata mortalia punire, nec omnia dirigere recte. Ex quo fit, quod cauet maiora & punit ex auctoritate minora quamuis mortalia, relinquens diuino examini, aut foro conscientiæ vel finali.

CCXLIII. Ad rationes tertij Corollarij. Ad illam, cum dicitur: *Patet ex lege correctionis fraternæ, &c.* concedo, quod superiores possint ab inferioribus corripi correptione fraterna, sed non vt opponens intelligit, in deductione, scilicet vt denunciatio post decretam monitionem fiat coram populo, sed debet fieri coram suo superiori. Et si Summus Pontifex peccet peccato personali, debet secrete cum humilitate & reuerentia moneri. Si autem nolit acquiescere post adhibitionem vnius aut duorum testium, poterit denunciari Concilio generali, si non, sic non est alter recursus, res est Deo committenda, & pro eo orandum.

Ad hoc, quod de Christo allegat, dico, quod secundum Gregorium in homilia, vt Thomas in expositione huius passus recitat, non submittit se Christus correctioni populi, sed ex ratione probat se peccatorem non esse, vnde ait: *Pensate autem mansuetudinem Dei, relaxare peccata venerat, & dicebat. Quis ex vobis arguet me de peccato? non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iustificare.* Quod dicit de Moyse, dico, quod instructus fuit lethro. Nam dicitur in textu: *Audi concilium meum*, non correctus, quia non peccauit. De Dauid dicendum, quod illa correctio, quam fecit Nathan, fuit fraterna, & etiam Nathan in spiritualibus erat maior Dauid, 2. qu. 7. *Nosti* quamuis par in parem, & maiori in minorem, & è contra posset istam exercere, debuis seruatis circumstantiis. De resistentia Pauli erga Petrum, quod fuit publica, iam dictum est. Imminebat enim magnum periculum fidei. Nam Petrus simulatione inducebat ad obseruantiam legalium contra veritatem Euangelij. De Salomone, qui deposuit Abiathar sacerdotem, dico primo cum de Lyra, quod fecit diuino instinctu, seu diuina voluntate, quia conspirauerat contra ipsum Salomonem, & diuinam ordinationem, atque Dauid patris eius, & vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Hely. sicut etiam dicitur in textu. Dicerem secundo, quod sacerdotium euangelicum succedit magis sacerdotio Melchisedech, quam Leuitico, Propheta restante, cum ait: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Non enim hæreditate possidetur sanctuarium Dei modo, vt in lege, sed diuina vocatione quis ad illud assumitur, non parentum fauore. propterea etiam Melchisedech non legitur habuisse patrem aut matrem. Erat enim Leuiticum sacerdotium satis seruile, & ad illud per Reges assumebatur. Ideo non mirum, si ab officio potuerit, per Regem Salomonem, Abiethar deponi. Modo Regibus sacerdotium euangelicum non est obnoxium, ideo nec Reges possunt tales instituere, vel destituere, aut iuridice punire. Et hæc ipsa, de successione sacerdotij Euangelici, magis sacerdotio Melchisedech, probantur ex hoc, quod lex naturæ perficitur per Euangelicam, lex vero Moysi euacuatur per eam, saltem quo ad cæremonialia & iudicialia. moralia vero, quæ manent, pertinent ad legem naturæ. Translatio ergo legis infert translationem sacerdotij, sicut è contra Apostolus dicit ad Hebræos 7. *Translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat.* Ex quo ergo lex naturæ, in qua fuit sacerdotium Melchisedech, non est translata, & lex Moysi translata est, sine euacuata, in qua erat sacerdotium Leuiticum, habeo intentum.

Ad illam, Hieremiæ 14. *Dixit totus populus, &c. sacerdotes nostri, &c.* dico, quod aliud est Deo lachrymosum quærimonium facere propter peccata sacerdotum. Aliud est huiusmodi peccata coram populo arguere. Primum licet interdum, maxime tamen, dum non habetur ad superiorem hominem recursus. Secundum non licet pro peccatis personalibus prælatorum; primum faciebat populus non secundũ.

Ad illam, *Superiores sæpius viuunt illicite, &c.* dico, quod inferiores ex hoc, quod non impugnant iuridice, seu ex potestate superiores, quia non possunt, nec illos licet pœnaliter punire superiores, non sunt consentientes. Ad hoc propositum dicit glossa interlinearis, ibi, *qui potest, debet & habet iurisdictionem.* Et conformiter dicit ad hoc, *nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, si potest.* dicit glossa. Et sic exponitur de sentent. excommun. quantæ. Ad capitulum ergo allegatum potest responderi, sicut ad illud: Facientis culpa. dist. 86.

Ad illam de Gregorio, 2. q. 7. *sicut*, inquit, *laudabile*, dico, quod illud capitulum loquitur de correctione ex auctoritate. Nam ibi Gregorius incitat Episcopos in Concilio Bizantij congregatos, vt primatem Clementium informatione sacerdotali præuia puniant aut iudicent, & sic non facit ad pro

Greg. ho. mil. 18.
Exod. 18.
2. q. 7. Nosti, c. 41.
2. Reg. 12.
Gal. 2.
3. Reg. 2.
1. Reg. 2.
Psal. 109.
Hebr. 7.
De sentem. excom. c. Quantæ. 47.
2. q. 7. Sicut laudabile. c. 46. Greg. lib. 10. ep. 27. in ed. Ro. 35.

Amb. lib. 2. de Cain. & Abel. c. 4. 23. q. 5. Remittuntur. c. 49.
Anaclet. ep. 3. 24. q. 3. Tam sacerdotes. c. 14.
dist. 86. c. 1 acentis culpa. c. 3.

propositum proponentis, quod inferiores corrigant per infictionem pœnæ superiores, & laici Ecclesiasticos, sed magis ad propositum, quod talis correctio sit per superiores.

2. 7. Nosti incompetenter c. 41 Ad illam de Leone, 2. q. 7. dicente: *Nosti incompetenter aliquid agimus, &c.* dico cum Doctoribus, quod hæc subimissio fuit perfectionis & non de biti. Ad decretum allegatum, quod hoc sit debitum, quod incipit. Nos si *incompetenter aliquid agimus, &c.* vbi inducitur Balaam Prophera reprehensus ab asina, in quo per Balaam superior, per asinam inferior intelligitur. Dico, quod hoc non ostendit inferiores ex auctoritate posse reprehendere superiores, nec superiores se debere subiicere inferioribus in illa correctione. Patet in textu ibi sequenti, vbi dicitur: *Verum est, quod per asinam subditi, & per Balaam prælati intelliguntur, non tamen hoc exemplo probantur prælati accusandi à subditis, sed subditis forma tantum datur humiliter reprimendi prælatis, si forte eos ad malum cogere voluerint.* Et post pauca subditur: *Licet eis in huiusmodi voces conquestionis prorumpere, & prælatis suis dicere: Cur nos verberibus affligitis? Cur nobis iniuste minimini? Nunquid vobis inobedientes aliquando fuimus, nisi nunc, cum ad malum cogimur?*

Beda. Ad expositionem Bedæ dico, quod licet prima facie videatur ad hoc venire, quod prælati mali à subditis possint reprehendi, quod si de fraternali correctione intellgeretur, non negarem, tamen bene consideranti, loquitur de malis prælatis in fide errantibus, aut subditos prædicando ad malum trahentibus, vnde sic habetur in textu: *Quia etiam*, scilicet prælati, *in præcipitium suos mergunt auditores, quibus non salutaria, quæ corrigant, sed quæ illos delectant erronea prædicant, de quibus aperte subditur*, scilicet in secunda epistola Petri. 2. *Hi sunt fontes sine aqua, & nubulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur, sed infatuatum, à porcis conculcatur. Et qui dicit: pax vobis, plerunque non columba, sed coruus reputatur.* Profecto loquitur, vt apparet diligenter consideranti de prælatis male docentibus, & dictum est supra, quod talibus possint subditi resistere ad superiorem recurrendo. Et si periculum sit, istos publice reprehendere. Non sic autem pro peccatis personalibus, seu pro vita eorum mala.

2. Pet. 2.

Aug. in Ps. 81. 23. q. 3. Ostendat, c. 11. Ad illam Augustini super Psalmo 81. & habetur 23. qu. 3. *Ostendat Propheta, &c.* dico, quod differentia est inter prohibere & punire, quod potest quis prohibere superiori, nec peccet modo suo, monendo, exhortando, & sic prohibitio est in respectu futuri, punitio per pœnæ infictionem non fit nisi per superiorem, & est respectu peccati præteriti. Dico ergo, quod capitulum loquitur de prohibitione prælati, ne peccet, & hoc potest fieri per inferiorem, per modum exhortationis, & cum reuerentia, sed hæc non est punitio, quæ est actus iustitiæ, nec correctionis fraternæ, sed præseruatio à periculo, nec popularis multitudo aliud facere potest.

Ad illud, quod infert quod oportet superiorem clericum à laico iudicari, &c. sicut dixit à principio, est quadruplex, iudicium assessionis. comparationis discretionis, & condemnationis seu diffamationis, quæ est actus iustitiæ. Primis tribus iudiciis potest inferior de superiore iudicare, & hoc de manifestis, aut vbi est vehemens suspicio, & hoc probant hic allegata saltem de tertio modo. Quod vero Christus & Apostoli, alij Sancti voluerunt, vt allegatur, se & opera sua substerni iudicio laicorum. iam de Christo dixi, de Apostolis & Sanctis dicendum, quod si fecerint, hoc fuit perfectionis & non necessitatis.

8. q. 1. Vereor. c. 22. Hieron. in 1. c. epist. ad Titum. Ad illud Hieronymi, 8. q. 1. dicentis: *Vereor, quomodo Regina Austri, &c.* dico, quod illud capitulum loquitur de iudicio comparationis. Sic enim dicitur: *Regina Austri iudicabit homines sui temporis, & Niniuitæ, qui ad prædicationem Ionæ, crediderunt, condemnabunt eos, qui maiorem Ionæ Saluatorem contempserunt.* Hoc est dicere. vita hominum temporibus Reginæ & Salomonis comparata vitæ Reginæ, erit culpabilis & condemnanda: sic & de vita Niniuitarum, & eorum, qui Saluatorem cotempserunt, dicendum. Et tunc illud, quod sequitur; *Sic plurimi in populis Episcopos iudicent*, est de eodem iudicio comparationis accipiendum. Nam dicitur: *sic*, id est, simili modo plurimi in populis *Episcopos iudicent*, subtrahendo se ab Ecclesiastico gradu, scilicet quo ad opera, & ea, quæ Episcopo conueniunt non exercentes. *iudicent* comparatione, hoc est, meliores laici comparati ad Episcopos malos, ostendent ex comparatione malam esse vitam Episcoporum talium.

Ad illam, *Item in die iudicij licebit, &c.* dico, quod ista ratio arguit de iudicio assessionis, aut comparationis, & postea transfert se in eadem ratione ad iudicium discretionis, ex quo surgit sæpius correctio fraterna: De Salomone Abiathar sacerdotem, de Daniele iudicante duos iniquos sacerdotes, Nabuchodonosor dictum est, quia proponens dicit, quod in hoc Nabuchodonosor non reprobatur. dico, quod ex textu non laudatur in hoc, secundum Alexandrum in 3. quo ad intentionem, sed quantum ad actionem, quia cooperabatur Domino, dicitur seruus Domini, & licet à Deo dicatur seruus eius, hoc est, quia ei dedit dominium, & quia Domino, quantum ad actionem, licet non quo ad intentionem, seruiuit. De Tito & Vespasiano dicendum, quod iusto Dei iudicio puniterunt sacerdotes & habitatores Ierusalem, quia occiderunt filium Dei, & vendiderunt Iustum pro argento, Amos 2. Et vt impleretur verbum Dei, Lucæ 19. dicentis: *Venient & circumdabunt te vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, eo quod non cognouerit tempus visitationis tuæ.* Et præterea lex Moysi implera erat, & sic figura cessauerat, quare & sacerdotium. Erat enim iam Synagoga ducta ad tumulum. De sancto Ambrosio dicendum, quod erat Arcadio in spiritualibus superior. Quod Hieronymus refert de Damaso, dicendum, quod ita accusatio fuit pia insinuatio, super fama, aut potius super infamia de librico carnis Et nullus negat, quoniam inferiores possint superiores arguere, tamen cum reuerentia fraterna liter, aut eis infamiam clamorosam insinuare. Sed negandum est, quod licet eos publice coram populo, in speciali reprehendere, aut detractorie infamare. Qualiter vero de illis in prædicatione agendum sit, est in fine conclusionis secundi puncti.

Alex. ind. ab Ales. p 3 q. 35. mem. 2. art. 2. ad 1. Item 23. qu. 5 c. Remittuntur 49. Amb. de Cain. & Abel. c. 4. Amos 2. Luc. 19.

CCXLIV. Ad rationes quarti Corollarij. Primo ad rationes de Rectoribus in spiritualibus, &c. Ad illud Ezech. 3. & 33. capitulis, *Speculatorem. &c.* Ista probat comminationem factam à Deo, contra negligentiam Rectorum spiritualium, in officio prædicationis, si veritatem vitæ & iustitiæ non docuerunt sunt subditos. Et hoc etiam manifeste innuit auctoritas primæ ad Timoth. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* & hoc nihil facit ad propositum de punione per viam iustitiæ superiorũ per inferiores, & Ecclesiasticorum per laicos. Scabinos, aut iudices, aut communitates.

Ezech. 3. & 33.

1. Tim. 5.

Ad illam Originis homilia 7. super Iosue dicentis. *Quando sacerdos, &c.* Istam omnino concedo. arguit enim negligentiam superiorum in officio & prædicatione & punitione inferiorum. Sed vt sæpe dictum est, non est negligere, omittere corrigere, quod quis rationabiliter emendare nõ posset, vnde Rector spiritualis peccata publica gladio verbi, & auctoritate iustitiæ tenetur corrigere, prout potest. Quæ vero per infictionem pœnæ non potest castigare, verbo Dei detestatur.

Orig. ho. 7. in 6. c. Iosue.

Ad illam de Rectoribus secularibus, Num. 25. vbi tangitur periculum eorum, si mala in communitatibus eorum non cohibuerunt. Et ad Originem, ibi, *populus peccat, & principes ostentantur.* Dico, quod pro peccato populi, principes interdum puniuntur, quia propter negligentiam correctionis populi multitudo licentior fit ad malum & procliuior. Quoniam autem curam populi princeps suscepit, si culpabili omissione peccata permiserit impunita, reus erit insolentiæ eius. Tales autem fortasse fuere principes populi, qui cum viderent filias Moab missas ex consilio Balaam, ad castra filiorum Israel, vt propter eos populus peccaret & vinceretur, qui ab eodem maledici non poterat, non cohibuerunt populum ad eos accedere, cum vnus Zambri scilicet, coram filijs Israel legatur accessisse ad Cozbi Madianitidem filiam Ducis, & cum ea peccare non eruberit Et nihilominus reperimus vnum pro alio puniri interdum, absque peccato, tribus causis vt dicit Alexander: Prima est excitatio sollicitudinis caritatis, vt non tantum quisque se obseruet à peccato, pro se, sed etiam alij diligentiam adhibeant ad custodiam vnius, ne & ipsi pro illo puniantur. Secunda causa est ostensio vnitatis, quæ debet esse quantum, ad vinculum

Orig. in c. 25. Num. hom. 20.

Tribus cau sis vnus pro alio puni tus. Alex. ab Ales. p. 3. q. 41. in 4. art. 1.

Aug. in q. sup. Ios. lib 6.c.8.to.4

culum societatis. Nam propter peccatum Achaz, vt dictum est, peccauit populus. Tertia causa est detestatio peccati, & offensio magnitudinis eius, vt videatur quantum peccaret multitudo, hoc vel illud faciendo, quoniam vnus sic agendo peccauit. Thomas vero 2. 2. *q. 108 art. 1. ad 1.*

Tho 2. 2. q. 108 art. 1. ad 1.

Primo, quia est aliquo modo alterius, vt filius punitur pro peccato patris. Secundo, per deriuationem vnius in alium aut quia vnus alium imitatur, aut per modum meriti vt subditi pro peccato principis, patet in punitione populi, pro peccato Dauid, numerantis populum. 2. Regum. 24. propter quod dicit quidam: *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.* Tertio, ad commendandum vnitatem humanæ societatis, & sic vnus, etiam bonus, pro malis in eadem societate patitur. Iuxta istos modos satis manifestum est nonnunquam aliquem sine culpa, non tamen sine causa puniri. Verumtamen principes filiorum Israel, non sine culpa eorum æstimandum forte est, fuisse punitos pro peccato populi; quia corrigere neglexerunt, cum possent, vt tangit Origenes.

2. Reg. 24.

2. q. 7. Quinece, 32.

Ad auctoritatem Augustini, 2. qu. 7 *Quinec*, increpantis Rectores, nec sui nec suorum curam habentes, concedo. Rursus ad illam, quæ de vindicta Heli loquitur, in commi natione Angeli Ecclesiæ Sardis, propter eorum negligentias in correctione suorũ, etiam concedo. Illam etiam, quæ est Leonis ad Aquilegiensem Episcopum: Inferiorum ordinum culpæ &c.

1. Reg. 2. Apoc. 3. Dist. 86. Inferiorũ culpæ ordinum, c. 1. Leo Aquilegiensi Epist. ep. 3. & 84. seu 86.

Ad auctoritatem Isidori, lib. 3. de summo bono, quæ vera est, de omittentibus doctrinam ministrare, & sarculo correctionis fraternæ vitiorum spinas purgare, dum & quibus, cum aliis circumstantiis, obligantur, & maxime de illis, qui pastoralis dignitatis, aut vocationis officio adhuc stricti tenẽtur. Propterea Apostolus prima Corinth. 5. Corinthios arguit, quod non corripuerunt illum notorium fornicatorem correctione fraterna, de quo sæpe est mentio facta.

1. Cor. 5.

CCXLV

Possuit proponens quatuor causas, propter quas corripienda & castigandi sunt peccata. Prima, quia populus videns peccatores non puniri vel argui per ecclesiam & publice, credunt ea, quæ committunt non esse peccata, vel non tam grauia, sicut in se sunt. Secundo, quia ipsi alliciuntur ad peccandum similibus peccatis. Tertio, quia facilius ad aliqua graniora ruunt. Quarto, quia vna communitas coram Deo propter publicos peccatores damnatur, vt populus Israel, propter fornicantes cum Madianitis, &c. Nullus profecto sanæ mentis est, qui non dicat, peccata mortalia publica esse punienda, dicentes enim oppositum, fautores essent crimi num, ac meo iudicio seuiori disciplina arcendi, quam crimina facientes, eo, quod non paucorum autores essent, sed omnium, quæ sub prætextu illius erroneæ doctrinæ licentius agerentur. Ideo pono, quod multa peccata publica sunt punienda per inflictionem pœnæ, ab his, qui iurisdictionem habent super illos. Et in hoc proponens & ego, nõ summus discordes: differimus autem, quantum potui ex articuli Corollariis notabilibus, rationibus accipere, in quatuor. Primo, quia ponit omnia peccata mortalia publica esse punienda per iudicium, & hoc apparet, quia in articulo dicit peccata mortalia publica indesinite, & tales in moralibus regulariter a quibuslibet vniuersalibus. Et ex rationibus ad eundem, specialiter ex declaratione, quæ incipit, *Vnde id apparet*, & ego pono oppositum. Secundo, quia ponit, quod à quolibet Christi fideli peccata mortalia publica quorumcunque tam Ecclesiasticorum quam secularium, sunt publice coram quibuscunq; charitative arguenda, patet ex secundo Corollario & tertio, & ex declaratione ante Corollaria, quæ incipit, *patet etiam ex dilectione Dei*, &c. Et ego pono oppositum. Tertio, quia ponit, quod peccata publica mortalia superiorum sunt prædicanda etiam coram populo, & hoc apparet ex tertio Corollario, & rationibus, & declaratione, quæ incipit: *Sunt multa alia peccata prælatorum.* Et ego dico, quod peccata clericorum specialia illi statui, non sunt populo nuncianda in verbo prædicationis immoderate, imo cum magna discretione & sobrie, etiam vbi faciendum esset, puta, si verisimiliter populus crederet ea, quæ sacerdotes committunt non esse peccata, aut minora, quam sint, aut caperent autum peccandi ab eis, aut aliquid aliud simile.

Num. 25.

Differentia inter respondentẽ & proponentem hoc art. c.
1
2
3

Rationes huius suo loco tangẽtur. Quarto, quia ponit, quod peccata mortalia publica quorumcunque, sunt per potestates seculares coactiue punienda, & hoc vbi correctio fraterna, aut generalis reprehensio per prædicationem verbi Dei non sufficeret. Apparet ex declaratione, quæ incipit: *Vnde, quia lex diuina:* Et ego pono oppositum ad non subiectos. Dico enim, quod peccata clericorum non sunt pœnaliter per iudices seculares corrigenda, aut coram eis arguenda, nisi esset peccatum in fide, aut tubuersione morum per falsam doctrinam, & casibus exceptis à iure in vna responsione specialiter, & vt ibi expressis, aut si aliqui alij sint à iure concessi, hoc enim & solum possunt in illis, quod eis conceditur, & indulget, & quod hoc non possunt in illos, est in fauorem iurisdictionis ecclesiasticæ. Alioquin Ecclesia, si potestati seculari subiaceret, cum fletu clamare deberet illud Threnorum 1. *Facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo: Ideo plorans ploravit in nocte, & lachryma eius in maxillis eius.* Ista vero, quæ pono aduersus dicta proponentis, per extensum in positione declarata sunt. Addit opponens, quod quamdiu peccata mortalia publica in communitatibus non prohibebuntur, tam diu maiores in plebe & cum plebe erunt in periculo damnationis; quod non apparet verum, de peccatis non subditorum, & si prohibeant ipsos non subditos, modo sibi competenti illis, scilicet, correctione fraterna, quia ergo alius modus eis non conuenit, & quamuis peccatores, inquit, inter alios existentes suo exemplo aliquos aliquo modo attrahant, non tamen sunt omnes vt contagiosi. sicut enim dictum est ante, sunt quidam flagitiosi secundum doctrinam 8. Augustini, lib. de decem chordis, & secundo de doctrina Christiana, & quidam facinorosi. Primi sunt qui non nocent aliis, secundi, qui nocent. Contagiosi igitur peccata, sunt hæreses & schismata, mala doctrina in moribus, defensionis vel excusationis publicæ in peccatis, incitamenta aliorum ad peccandum, & similia, taliter peccantes dicuntur oues morbidæ contagiosæ: peccantes aliis peccatis, non. Tales fuerunt illi impij Chore & Abyron, erant namque schismatici, alios ad schisma prouocantes, vnde bene dicitur per Rectorem: *Recedite à tabernaculis impiorum hominum*, ne scilicet, infecti eorum peccatis, inuoluamini in eorum pœnis. De illis dicit Hieronymus super Ieremiam: *Pollutur ex vno peccatore populus, sicut ex vna ore morbida vniuersus grex inficitur.* Quod vero allegatur 4. q. 1. dist. ab eodem, & ab Origene, quod prius fuit allegatum & hoc responsum est, de negligentia sacerdotum, aut pusillanimitate, aut timore seruili peccata arguere dissimulantium, verentium linguas corrigendorum, ex quo peccato omissionis aliquando venit ira Dei super populum, est magis ad oppositum quam ad propositum, quia per hoc ostenditur auctoritas sacerdotum super aliis, quorum est suis subditis viam salutis ostendere: ex cuius defectu grauiter peccant, non ergo subiiciuntur iudicio definitionis secularium.

4

Thren. 1.

Aug. lib. de decẽ chordis de doctrina Christiana, lib. 3. c. 10. to. 3.

Num. 16.

Rabani sunt non Hieronymi. Dist. 45. sed illud c. 17.

Circa peccata prælatorum & sacerdotum, quia causæ ruinæ populi sunt sacerdotes mali, ait Greg. Et proponens allegat, & ex hoc concludit, quod eorum peccata sunt maxime arguenda, dico, quod hæc sunt vera, sed intendit, non per seculares pœnali iudicio, non per prædicatores coram populo, nisi cum moderamine & sobria granitate verborum, nisi error esset in populo credente, quod talia licerent, tunc enim essent talia peccata seuerius detestanda in se, sed non referendo ad auctores coram populo libere & sine freno, vt prætendunt dicta proponentis. Nam per quoslibet charitatiue, vt dicit, coram aliis corripienda sunt, ergo arguenda peccata prælatorum & sacerdotum, primo caritatiue, & correctione fraterna, etiam à quolibet, vbi non sufficit, procedendum est vltra iuxta formam Saluatoris. Adhibendus est vnus testis, vel duo, & corã illis cõmonendus est, vt desistat, quod si non audierit, dicendum est ecclesiæ, id est, prælato. Et si neglexerit, ab eo potest ad superiorem scil. ad Summũ Pont iri. Quod si dissimulauerit, aut ipsemet peccauerit, dicendum est ecclesiæ, id est generali concilio, quod, vt dicũ fuit, correctionem nullatenus omittere credendum est. Si Concilium non audierit, sit tibi vt ethnicus & publicanus, excommunicatus, exclusus, à cœtu fidelium. Aliud non habent Christi fideles laici in sacerdotes. Sunt etiam arguenda peccata prædictorum, per prædicatores, & generaliter re

CCXLVI. *Peccata prælatorũ & sacerdotum quomodo arguenda.*

prehendẽda, sed potius in sermonibus ad clerum, & ibi duriter, interdum suauiter est agendum. Emplastrum ex pietate & iustitia, conficiendum est, pietas exhibeatur, vt mater; iustitia, vt pater assistat. Simoniacam prauitatem in clero, & diuersis statibus aggrauauit, & ego illam pariter detestor. Abradenda est de Ecclesia hæc pessima pestis. Allegauit ipse proponens multa dicta Sanctorum hoc mortiferum virus rei robantia, quæ sana intellecta etiam ipse accepto pertransiens diuersos modos simoniæ, qui veri sunt.

4
5
6
7
8

CCXLVII. *Absolutiones à pœna & culpa.*

Esa. 3. Hier. 6. Ezech. 13.

Accedo ad rationes, quibus probare videbatur, factas absolutiones à pœna & à culpa, & indulgentias, non esse in lege Dei fundatas. Primo assumit illud Isaiæ 3. *Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Secundo assumit Ierem. 6. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax.* Item illud Ezech. 13. *Væ, qui consuunt pulluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum, & violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmentum panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendaciis*, Iam dixi quo ad absolutiones à pœna & à culpa, quod non est communis modus tradendi isto modo eas, sed dantur sub modo remissionis omnium peccatorum, id est, omnium pœnarum pro peccatis debitarum, aut alicuius partis illarum. Tunc dico ad has tres rationes, quod petunt principium, loquuntur enim de seducentibus populum per falsam exhortationem, aut intuitu gratiæ captandæ aut auari quæstus. & cum applicat ad propositum absolutionis & indulgentiarum, supponit, quod sint mendacia cum veritates sint, & præparationes fructuosæ ad viam salutis, si tamen seruetur debitus ordo, & moderatio honesta in eis. Et quasi videtur arguere à superiori ad inferius affirmatiue. Et hic locus non tenet secundum logicos. Arguit enim æquialenter, Pastores in multis, vt dicendo populo scelerato, quod est beatus; dicendo affligenda quæ sunt pax; & multa eidem pro temporalibus recipiendis fingentibus, seducunt illum, ergo seducunt eum in isto proposito de absolutionibus & indulgentiis.

Ps. 75.

2. Para. 14

Iam ad rationes contra peregrinationes procedamus. Ad primam assumit illud Matth. 24. *Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, &c.* dico, quod ista auctoritas non allegatur ad propositum. Non enim est contra Deum aut Sanctos colentes, & ecclesias ex deuotione visitantes. Sed contra eos, qui dicunt ecclesiam Catholicam esse in aliquo angulo terræ, aut fidem Catholicam in aliqua particulari regione, sicut per expositiones Hieronymi & Augustini superius ostensum est: Ad secundam Hieremiæ, id est, *Pastores eorum seduxerunt eos, fecerunt que vagari in montibus*, &c. dico, quod istud Prophetа dixit, quia Rectores populi prouocabant populum ad quarendum Dominum extra terram suam & locum, quem elegerat. Siquidem in lege veteri erat locus determinatus in Iudæa, vbi oportebat adorare, nec extra terram erat verus cultus Dei, sed idololatria tantum secundum Prophetam: *Notus in Iudæa Deus.* Propterea incitare populũ, vt adoraret alibi, quam in terra Iuda, erat eum seducere. Nunc quia venit plenitudo temporis, colitur Deus ab ortu solis vsque ad occasum, quoniam vbique pro fide eius sanguine Martyrum rubricata est terra. Ideo prohibere visitare loca Sanctorum, & ex speciali deuotione propter præsentiam pignorũ suorum, id est, corporum & cinerum ibi existentium eos ibi quærere. hoc videtur impium. Ad tertiam de Aza, 2. Paralipom. 14. dico, quod Aza prohibuit idololatriam, confregit idola, lucos succidit & portauit, imo præcipit adorare Dominum. In istis placuit Deo, non autem prohibuit peregrinationem in Hierusalem, ter in anno, secundum quod erat præceptum in lege Domini. Ipse enim soluisset legem. Et hoc est, quod dicitur in textu allegato: *Subuertit altaria peregrini cultus*, id est, idololatriæ, *& excelsa, confregit statuas lucosque succidit ac præcepit Iudæ, vt quæreret Dominum Deum patrum suorum.* Et ex illa clausula, *præcepit Iudæ, vt quæreret*, sequitur, quod implicite præceperit peregrinationem populo in Hierusalem. Ibi enim specialiter & excellentiori modo colebatur, Nec ex diffidentia peregrinatur populus, sed propter octo causas Prima, ad excitandum Sanctorum imitationẽ. Secunda, propter acquendam deuotionem. Tertia, vt Sanctorum meritis fideles ipsi socientur. Quarta, vt eorum orationibus adiuuentur. Quinta, vt sint ad orandum Deum plus memores. Sexta, vt satisfiat honori SS. pro eorum laboribus. Septima, vt ex Sanctorum præsentia coram omni Ecclesia rũtilemus splendidius. Octaua, vt Ecclesiæ obediãt, cum per peregrinationem eis iniungitur, & sic obediendo satisfaciant pro peccatis. Quomodo igitur prohiberi possunt peregrinationes, ad quas Deus vocat? Vocauit Moysen ad rubum ardentem, & discalceatus accedit, cum Saul etiam malus ad cuneum Prophetarum venisset, prophetare cœpit. Non facerent SS. reliquiæ in beata * requie manentium, quod mortalium viatorum fecit præsentia? An aliquis limina SS. visitare prohibebitur, & concessum erat adire Propheras? Non modica est enim recreatio mentium deuotarum, relicta quandoq; Ecclesia sua domestica, alia loca sancta, vel Sanctos Dei Seruos, accessu ipso corpore, & petere & contemplari ad oculum, velut de eo, qui mortuum suum in loco sacro elegit sepeliri, Notat Aug. lib. de cura pro mortuis agenda, dicens c. 5. *Cum plurimum interfit, vbi ponatur corpus mortui sui. qui pro spiritu eius Deo supplicat, quia & precedens affectus locum elegit sanctum, & illic corpore posito recordatus locus sanctus eum, qui præcesserat, renouat, & auget affectum*: hæc ille. Per hoc ad illud Sapientiæ: *Considera in Deo, & mane in loco tuo, &c* dico, quod loquitur de permanentia & quiete cordis, ex cuius inquietudine fiunt homines vagi, mobiles, & instabiles ad omne opus bonum: hæc enim mala instabilitas. Sed deuote peregrinantes confidunt in Domino, manent in loco suo, scilicet in Deo suo, in quo iustus secundum diuinam Scripturam manere perhibetur, licet corpore ambulet, secundum quod dicit quidam: *Cœlum non animum mutat, qui trans mare currit.*

Exod. 3. 1. Reg. 19.

* *Virgine.*

Aug. de cura pro mortuis agenda, cap. 5. tom. 4. Eccl. 12.

Ad illam, quod Dominus noster Iesus Christus peregrinationem illam solemnem, quæ erat Hierusalem ter in anno, reuocauerit, seu spiritualem intelligentiam huius dederit, cum allegat illud Ioan. 4. *Mulier crede mihi, venit hora, quando nec in monte hoc, nec Ierosolymis adorabitis patrẽ, &c.* dico, quod Dominus de modo colendi eum, illam instruit, quod non secundum ceremonias legis, vt in monte Syon vsque tunc fiebat, esset colendus, sed in spiritu & veritate doctrinæ Euangelicę. Ideo Augustinus epistola prima ad Hipponensem Ecclesiam ait: *Vbique quidem Deus est, & nullo continetur loco vel clauditur, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudeos, in occulto etiam iustificet & coronet. Verumtamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc mirabilia fiant, & in aliis non fiant? In multis enim notissima est sanctitas loci, vbi sancti Felicis Nolensis corpus conditum est, quæ volui, vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere. Nunquid & non Africæ martyrum corporibus plena est: & tamen nusquam scimus hic talia fieri, sicut enim, quod Apostolus dicit: Non omnes Sancti habent dona curationis, nec omnes habent diuid: cationem spirituum, nec in omnibus memoriis Sanctorum ista voluit fieri ille, qui dividit propria vnicuique, prout vult*: hæc ille. Ex quo patet, quod licet sit vbique Deus, in vno solo templo colatur, tamen dignatus est ad honorem alicuius Sancti miracula facere vno loco, & non alio, & alia hic, alia ibi. Nam & de sancto Fortunato, libro primo dialogorum, cap. 10. dicit B. Gregorius: *Cur multa de eius vita dicimus, cum nunc vsque, ad corpus illius tot virtutum documenta teneamus? Dæmoniacos quippe absoluere, ægros curare, quotiens ex fide petitur, vt viuens consueuerat, hoc indesinenter facere, & apud mortua sua ossa indesinenter perseuerat*: hæc ille. Itaque peregrinatio in montem Syon, & ciuitatem sanctam, per doctrinam Saluatoris non est damnata, sed ad intelligentiam spiritualem declarata, vt quæratur Deus & Sanctorum suffragia postulentur, vbi deuotio spiritualis & sanctitatis succensus ignis ardebit, & hoc est, quod dixit mulieri Samaritanæ: *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate*, nec occasione peregrinationum vtique laicorum, si ex charitate fiant, putet propias parochias esse contemnendas, sicut nec tempore illo

Aug. epist. 137.

Ioan. 4.

Greg. lib. dial. c. 10.

Ioan. 4.

Causæ peregrinationum.
1
2
3

figurali synagogæ spernebantur, licet ter in anno esset ascensus in Hierusalem. Concedo tamen, quod peregrinationes absque deuotione charitatis modicum aut nihil prosunt ad meritum vitæ æternæ. Et hoc est quod dicit beatus Augustinus de verbis Apostoli sermo 2. *Non corpore*, inquit, *impellitur quis ad Christum venire, sed desiderio colligatur, &c.* Idem dicit Augustinus super illo: *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Cum ait: *Non ambulando ad Christum curritur, sed credendo.*

Aug. hom. 2. de verbis Apostoli. Aug. tract. 26. in Io. Ioan. 6. Hiero. in 24. c. Mat.

Ad auctoritatem Hieronymi dicentis super illo Matt. 24. *Nolite exire, nolite credere, &c Stultum est enim in parvo loco vel abscondito quærere qui totius mundi lumen est.* dico, quod non est contra peregrinationes, sed contra putantes, Catholicam Ecclesiam, aut fidem esse in vna parua regione, vt dictum est.

Ad auctoritatem Bedæ, super illo Matth. 9. *Sequere, &c.* dicentis *sequere me, & non tam incessu pedum, quam executione morum*, dico, quod verum est, quod peregrinatio corporalis, sine spirituali pinguedine deuotionis, parum prodest. Iuxta dictum Apostoli prima ad Timoth. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis est, pietas ad omnia valet.* Narrat proponens multa peccata & abusus circa peregrinationes, quas non discredo, sed puto esse vera, & illi ab omni bono viro pro posse tollendi sunt. Hoc non vitiat peregrinationes, quando sunt bene factæ ex charitate & aliis circumstantiis debitis nisi enim essent bonæ, & non essent approbatæ à sanctis Patribus. Igitur cum sint per Doctores sanctos iustificatæ patet, quod sint licitæ. hoc etiam probatur. Nam de Cleto Papa III. à Petro, vel eius coadiutore dicitur, in Chronica Martini sic. *Hic Cletus Pontifex scribens omnibus populis approbat & commendat peregrinationes ad Sanctos, & maxime ad limina S. Petri, asserens quod validior est ad salutem S. Petri visitatio, quam duorum annorum ieiunium, & illos anathemate execratur, qui visitationem Apostolorum impedunt vel dissuadent:* hæcibi. Siquidem virtutibus ipsis, vt obiecto contigit male vti, vt dicunt Doctores. Nam dicit Apostolus: *Scientia inflat.* sed bon, vt in principio elicite actum, cur etiam non potuerunt aliqui mali vti, vt obiecto peregrinationibus.

1. Tim. 4.

Anno 71. Christo nato.

1. Cor. 8.

CCXLIX. *Sanctæ reliquiæ. De reliq. & vener. Sanct. cum ex to. 2.*

Post prædicta veniendum est ad obiecta circa veneration nem sanctarum reliquiarum. Ad auctoritatem Innocentij de reliq. & venerat. Sanctorum, *cum ex eo, quod quidam, &c.* Concedo illud decretum: prohibetur enim, ne antiquæ reliquiæ extra capsam trahantur propter turpem quæstum, aut vt vendantur, & ne de nouo inuentæ sine auctoritate sedis Apostolicæ venerentur, per hoc dico ad id, quod de nouitate, &c. Nam si auctoritate Sedis Apostolicæ hoc approbatum est, peregrinatio, & consequenter veneratio ista laudabilis est, si non: tunc fieri non debet.

Ad auctoritatem Chrysostom. in opere imperfecto super Matth. 10. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, &c.* dico, quod Chrysost. improbat fastum ædificantium sepulchra pretiosa ex substantia pauperum, qui illos euiscerant, vt celebrent sibi nomen sempiternum, putantes stulte, felicem vitam in memoriis hominum debere recõdi, nec minori ratione ar guendi sunt, qui Basilicas extruunt de bonis alienis, velut enim interfectores filiorum ante faciem patris, computat illos Sapiens. Nam dicit Eccles. 34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi victimat filium in conspectu patris.* Nec licere iudico debere destrui ecclesias, vt nouæ ædificentur, sed ob reuerentiam Dei & Sanctorum, de proprio monumenta ædificari Martyribus & aliis Dei seruis, prorsus laudabile est. Siquidem Beda ornatum sepulchrum Domini lib. VI. super Marcum exponit, ita dicens: *Demonumento Domini ferunt, qui nostra ætate de Hierosolymis in Britanniam venere, quod domus fuit rotunda, de subiacente rupe excisa, tanta altitudinis, vt intra consistens homo vix manu extenta culmen possit attingere* Et finaliter inquit: *Color autem eiusdem monumenti ac loculi rubicundo & albo dicitur esse permixtus.* Ecce domus & sepulchrum Dom ni spatiosa & ampla atq; honorata à matre Domini, ab Apostolis, à Christi fidelibus, qui etiam interfremitus infidelium ipsum sepulchrum adorare venerunt. Narrat hoc fecisse S. Ambrosius Helenam Reginam, S. Hieronymus S. Paulam, cæterique Sancti quam plurimos. Audite de decore sepulchri B. Mariæ Virginis, B. Hieronymũ in sermone de assumptione illius ad Paulam & Eustochium

Chrysost. in opere imperf. in c Mat. 23. hom. 45. 4

Eccl. 34.

Ambr. 10. de obitu Theodosii imp. post med.

dicentem. *Monstratur sepulchrum eius cernentibus nobis vsque ad præsens in vallis Iosaphat medio, quæ vallis est inter montem Sion, & montem elueti posita, quam & tu ô Paula aspexisti, vbi in eius honore fabricata est ecclesia miro lapide tabulata, in qua sepulta fuisse, vt scire potestis, ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc vacuum esse Mausoleũ cernentibus ostenditur.* Habetur etiam Marci 6. de Ioanne Baptista, quod discipuli venerunt & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumẽto Refert Beda, quod Iosephus & Euseb. de hac sepultura rescripserunt, scilicet de venerabili sepulchro Ioannis. De hac sepultura & de veneratione fidelium, & miraculorum crebro concursu in Epitaphio sanctæ Paulæ, qualiter illuc venit peregre, docet Hieronym. quod gratia breuitatis omitto.

Hieron. de assumpt. Deipara virg. post inuntium. Mar. 6.

Hieron. in Epitaph. Paulæ. c. 6. Item in antecedentib. & sequentibus.

Allegat peccata prælatorum & sacerdotum, in omissione culpabili prædicationis verbi Dei, & prohibitione prædicare volentium, in non communicando laicos, nullius mortalis conscios, sub vtraque specie, scilicet panis & vini. In habenda dominia ciuilia super diuitiis & bonis temporalibus. Ad quæ responderi per me non oportet, cum quilibet horum trium articulorum peritissimos habeat defensores. Tetigit etiam de sententia lata per Fel. Re. Alexandrum Papam IV. prædicationem verbum Dei prohibentem extra claustra & particulares Eccle sias. Rursus de sententia Constantiensis Concilij lata contra cõmunicantes laicos sub vtraque specie. De hinc de defensione dominiorum temporalium, per Papam & cæteros prælatos. Quas materias patribus meis memoratis defendendas remitto: Tetigit verbum de erectione cruciatæ, contra Bohemos, & inuectione in sacerdotes, si sitiãt sanguinem eorundem vel non, verum quoniam quærentibus pacem, occasiones sunt amputandæ iurgiorum, satius ha. vice de hac re supersedere arbitratus sum. docet enim me ille, qui dicit, *claudite iam rivos pueri, sat prata biberunt.*

Alex. IV. alius liber m. s. habet V. Vide de haret. excõmunicatos. §. Quia vero c. 13.

Cum de Bulla Alexandri fecit mentionem prædicationum restringentis, &c. Subiunxit, quod emanauit principaliter, & maxime ob Magistrum bonæ & laudabilis, ac sanctæ memoriæ Ioannem Huss, vt speratur, sacræ paginæ Baccalaureum formatum, & prædicatorem vtique Euangelicum, virum bonum, iustum & Catholicum. à multis annis, in regno nostro vita & moribus, & fama laudabiliter approbatum. debebat. vt salua pace loquar, proponens, ista subticere, qui gestorum in sacro Concilio Constantiensi volebat approbationem audire, debebat subticere ista, quæ Ioannes Huss articulos reprobatos & damnatos sub medio positos esse cupiebat. Qui desiderat concordiam præterit. litis acta non refert. Dicam, sola veritate motus, teste Deo, quoniam Concilia generalia in materia fidei errare non possunt, inter quæ Constantiense Concilium Ioannem Huss præter suas assertiones erroneas condemnauit, nullus de cætero eum pro Catholico habeat, aut Euangelico prædicatore. Nec Ioannem Wickleff, cuius errores gratiissimi sunt, quorum nonnulli pro quanto, errores antiquorum hæreticorum Pelagij, Manichæi, Donati, Berengarij, Massiliani, & quorundam alorum, sapiunt, si opus fuerit ad plenum declarandorũ, dudum ante nostra tempo ra damnati fuere. Æstimo forte, quod si proponens articulos Ioan. Wickleff, & Ioan. Huss attendisset, & libros eorum legisset, vt patres, qui fuerant in Constantiensi Concilio, nobiscum diceret, non posse eos fateri Catholicos, Hieronymum vero non nimium extollat nobis, coram expertis loquitur Doctoribus & Magistris almæ matris meæ Vniuersitatis Parisiensis, qui verbositatem suam non modicam triduo sustinentes in repetitione per eum facta in sancto Bernardo Parisiis ad omnino quare & in omnibus, volente autem ita Domino, ne inaniter gloriaretur, soli regentes vici straminis, & in pauco numero se illi obiecerunt, illius tumentia verba reprimentes. Non enim dignum iudicabatur, gratissimos patres, in Theologia, & Decretorum Facultatibus Professores se tam leui personæ debere opponere. Ego autem tunc conflictum vidi, finem exspectaui, confusionem suam vidi. ita vt recesserit hospite insalutato, & necesse sibi erat. Alioquin aliqua minus bene dicta coactus fuisset reuocare. ista precor non amaro animo quis suscipiat. Nam hæc ideo dicta sunt, ne dicta per ante à proponẽte de illorum iustitia cordi insideãt, sed veritas, quæ à me dicta est, eluescat. Nec enim nouum

Locus hic corruptus est.

Hieronym. Pragensis fuit Parisiis.

est

est populus occasionem sumpsisse credendi alicui personæ pro sua apparenti sanctitate, dudum enim similia prioribus contigerunt, vnde citius est talibus indulgendum, dum propter speciem pietatis, ipsi quasi inscij in impietatem labũtur.

Consequenter mentem suam proponens aperit de modo reprehensionis peccatorum publicorum prælatorum & sacerdotũ, per viam prædicationis, & alias, dicit enim, quod omnia talia sunt in prædicatione per sacerdotes, & aliis modis per omnes Christi fideles, secundum quod eorum statui competit, data pertinacia, charitative arguenda, & detegenda etiam coram clero & populo.

CCL. *Tres modi correctionis peccatorum.*

Resoluendo dicta sua, tres modos correctionis inuenio peccatorum, & habet, vt dicit, quilibet suos executores. Primus est correctionis fraternæ, & hic competit omnibus Christi fidelibus. Secundus modus correctionis per viam iustitiæ, & hic competit iudicibus. Tertius est modus correctionis generalis in prædicatione, & hic competit prædicatoribus. Ecce tres modos, & apparet quis cuilibet statui competat. Quomodo igitur peccata prælatorum & sacerdotum sint per homines corripienda correctione fraterna, dictum est, & ibi tactum quod peccata eorum personalia non sunt arguenda coram multitudine, & sufficienter deductum, quod hoc est prætermittere ordinem fraternæ correctionis, & quod hoc rationabiliter fieri non debet, nisi in casibus iam dictis. De correctione ex auctoritate potestatis, quæ à pluribus dicitur paterna, etiam dictum est sufficiẽter, quod laici iudices Ecclesiasticos non possunt per iudicium pro delictis, aut peccatis publicis punire, cum non sint suæ iurisdictionis, nisi incertis casibus tactis in vna responsione, & adhuc auctoritate Ecclesiæ.

De correctione generali, quæ fit per prædicatores, quia latius illam deduxit, iam dixi, & iterum dico, quod coram clero hoc fieri potest plane iuxta exigentiam transgressionũ aliquando duræ, aliquando suauiter, aliquando mixtum, vt tempus postulat aut personæ, coram populo, dico vt prius cum Doctoribus, quod non est facienda de peccatis prælatorum personalibus, & sacerdotum, nisi cum magno moderamine verborum & competenti decentia. Etiam cum ratio indicat hoc esse faciendum, quod forte esset, vbi populus occasione accepta à vita sacerdotum crederet talia peccata, ideo non esse peccata, aut non tam grauia, vt sunt, eo quod impune videt talia committi. Et hęc plaga populi probabiliter prædicatori innotesceret, aut vbi populus sine verecundia similia sacerdotibus perpetraret. Dico secundo, quod peccatum infidelitatis prælatorum aut sacerdotum, si quod esset, & per malam doctrinam populum inficeret. est publice populo prædicandum, & instruendus populus, vt se à talibus obseruet. Sic Dominus & Saluator fecit, cum prædicabat, dicens: Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Dico tertio, quod peccatum sollicitationis ad malum, qua populum commouerent ad peccandum, vel in Deum vel in proximum in irreuerentiam Ecclesiæ, aut inobedientiam principum, tale esse publice populo denunciandum, & coram eo arguendum. Sic ait Dominus, Matth. 16. *Cauete à fermento Pharisæorum & Saduceorum.* Et idem habetur Marci 8. Et bene *Pharisæorum*, Pharisæi enim interpretantur diuisi diuidentes vel violenti, aut dissipantes. Sacerdotes autem sic suadentes populo, essent à Deo per peccatum diuisi, diuiderent populum à Deo suo, grauem inferrent iustitiæ & veritati violentiam, & dissiparent profecto Rempublicam, quæ non tam viris constat, quam moribus. Dico quarto, si sacerdotes committerent publice casus, pro quibus iurisdictioni seculari, ex concessione iuris Canonici subiiciuntur, illos posset prædicator coram iudicibus ipsis aperire tamen cum protestatione de non tenendo ad pœnam sanguinis. Patet, quia peccata publica licite possunt denunciari ad iudices competentes. Nam sicut supra secundo puncto dictum fuit, remedium adhibere debet, non solum peccanti, sed aliis, ne scandalizentur, & maxime hoc sit, cum denunciatur peccatum his, qui possunt prouidere. Dico quinto, quod peccata personalia à præmissis, aut ad illa reducibilibus, prælatorum aut sacerdotum, non videntur in prædicatione coram populo detegenda specialiter, ea referendo ad statum ecclesiasticum; nisi vt habitum est in primo dicto. Actus enim præ-

dicationis ex charitate procedere debet ad emendationem nedum peccantium, sed & astantium, quibus peccata narrantur. Sic enim faciendo peccantes coram subditis scandalizarentur, & sic verecundia esset eis ablata. Subditi vero vtilitatem superiorum cognoscentes, eos contemnerent. Putando ergo, sanare vinum aut pancos prædicator læderet plures, superiores scilicet & inferiores, debet enim non modo prædicatpr esse vtilis in verbo, sed & discretus eloquio, vt non solum praua nullo modo, sed nec recta quidem nimio & inordinate proferantur, quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud audientium corda loquacitas incauta opportunitate leuigatur: hinc est, quod in veste sacerdotis erant tintinabula, vt sonus prædicationis eius audirentur. Erant & illis iuncta mala punica, in quibus vnitas fidelium designatur, per quod signatur, vt talis sit prædicatio sacerdotis, & tam discreta, vt non scindatur vinculum vnitatis. hæc in sententia habentur à B. Gregorio, libro 2. pastoralis sui, cap. 4. & 43. distin. *Si Rector, &c.* Si dicatur, vbi conscientia & fama simul esse non possunt, proponenda est famæ conscientia, verum est, cæteris paribus. sed conscientiæ succurrendum est postposita fama recurrendo ad superiorem. Et ita dicunt Doctores, cum oportet procedere ad denunciationem non ad inferiores. Item cum creditur seruari vnius conscientia, seruatur & illius propter scandalum & populi, quia illum superiorem, aut superiores corrigere non valet, & tamen eos contemnit aliter faciendo, scilicet peccata personalia publica à præmissis, &c. in prædicatione coram populo facta publice arguendo, & specialiter referendo ad statum Ecclesiasticum cum improperio, & nonmodeste & sobrie, sequuntur ista inconuenientia. Primum, sacerdotes infamantur, & fiunt inuerecundi amisso suo honore, & sic pro cliuiores ad mala. Secundum. eorum status, qui dignissimus est, læditur & coguntur recedere, quasi ab hominibus. Eccles. 33. *Si læseris eum iniuste, in fugam conuertetur.* Tertium, boni propter malos diffamatos scandalizantur, & tunc currit pœna contra scandalizantes, de quo Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt*, statu siquidem sacerdotij læso, bonos in isto statu scandalizari necesse est. Quartum, subditi laici contemnunt suos pastores, propter malam eorum vitam palam ipsis prædicatam. Et sic cõtemnunt Dominum sacerdotum Iesum Christum Lucæ 10. *Qui vos spernit, me spernit, & qui vos odit, me odit, & qui me spernit spernit eum, qui misit me.* Quintum, sacerdotes fiunt populo odiosi, nam ex contemptu mox surgit odium & rancor. vnde Psalm. 108. *Locuti sunt aduersus me lingua dolosa, & sermonibus odij circumderunt me.* Sextum, populus paratur per odium ad inobedientiam ad superiores, & irreuerentiam, maxime, quia valde multi ex illo sunt clericis infesti, prout dicitur 6. lib. *Clericis laicos oppido infesto tradit antiquitas*, vnde ira Domini venit super eos, secundum quod scriptum est Danielis 9. *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus recessimus, & declinauimus à mandatis tuis ac iudiciis, non obediuimus seruis tuis, Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris principibus nostris, patribus nostris omnique populo terræ tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei, sicut & hodie, &c.* Sacerdotes autem mali, si tamen recte doceant, serui Dei dicuntur, & Prophetæ, quia alta, & à cognitione populi longe posita nunciant. Quod autem inobedientia ista mala sit, apparet, quia dicit Dominus de sacerdotibus in mortem suam conspirantibus, auaris, *quæ dicunt facite.* Septimum inconueniens est, subtractio decimarum, oblationum, & aliorum reddituum debitorum sacerdotibus. Nemo enim inimico in ratione dati vel accepti libenter communicat. & in hoc populus mandatum Dei prænaricatur. Quia Malachiæ 3. scriptum est: *Inferte omnem decimam in horreum meum, vt sit cibus in Domo mea.* Et Apostolicum, quia primæ Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus magnum est si nos carnalia vestra metamus?* quasi dicat, non est. Deuteron. 25. lex dicit: *Non alligabis os bouis triturantis.* Et quod illud propter prælatos & sacerdotes prædicantes dictum sit, patet, quia sequitur: *Numquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique hæc dicta sunt?*

B. Greg. par. 2. pastoral. c. 4. dist. 43. Si rector. c. 1. Locus intricatus, & vt videtur corruptus.

Irreprehensiones publicas ad statum Ecclesiasticũ peculiariter relatas sequuntur varia inconuenientia.

1
2
Ecchos 33.
3
Matth. 18
4
Lucæ 10.
5
Psal. 108.
6

Clericis laicos lib. 5 de immunitate Ecclesiarum. c. 6. Daniel. 9.

7

Malach. 3.

1. Cor. 9. Deut. 25.

Ad vtilitates, quas dicit oppones sequi ex tali publica prædicatione coram populo, contra clerum, dico quod & si per accidens aliqua vtilitas accederet, per se sequerentur

CCLI.

plura mala. Correctio enim illa generalis nisi moderamen maximum. & cautela adesset, induceret ex se inferiorum & superiores contemptum, alia, quæ dicta sunt. Ideo ostendens quomodo sobrie loquendum est de superiorum defectibus coram inferioribus, vt maneat deuotio eorundem apud illos, dicit Nicolaus Papa: & habetur 21. dist. Nolite. *Nolite nos æstimare facta cuiuscunque proximorum nostrorum, quæ sunt digna reprehensione, velle defendere, sed quod ita velim filios circa spiritualem patrem, & discipulos erga magistros deuotos esse & sobrios, vt nulla penitus temeritate ad eorum vitam, vt non dicam dijudicandam, sed nec saltem tenuiter reprehendendam prosiliant.* Præterea non credat prædicator neglexisse correctionem sibi competentem ex officio, dum tamen clero sufficienter in prædicatione peccata eius annunciauerit. Esto quod coram populo non fecerit, quia hoc sibi non præcipitur, quoniam prædicatori Propheræ dicit Dominus Isaiæ 58. *Annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Non dicit, die domui coram alio peccata eorum, sed dixit: *domui Iacob peccata eorum.* Item speculatori Ezechieli dicit: *Si tu annunciaueris impio, ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Non dixit, si annunciaueris impio coram populo &c.

Esai. 58. Ezech 3. & 33.

CCLII. Ad rationes, quibus probat, quod peccata prælatorum & sacerdotum sunt coram populo publice prædicanda. Ad primam Christus arguit clerum coram turbis, Ioan. 8. dum ait: *Vos ex patre diabolo estis, &c.* dico cum Lyra, quod Christus illum clerum arguit, quia infidelis erat, nam auctorem fidei, Dominum nostrum Iesum Christum volebat occidere: Et hoc est, quod subditur in textu allegato, *quia vultis me interficere.* Nec legere coram populo hoc Euangelium, est clerum Euangelicum, per prædicationem corrigere, sed recitare, quomodo Christus clero figurali & turbis prædicabat. Et iste casus est exceptus per ante. Nec volo dicere, quod vbi esset clerus & populus in vnum congregati, quoniam communia vitia vtriusque statui competentia possint debite reprobari, sed intentio mea est de vitiis personalibus & specialibus statui clericali pertinentibus, quod talia maxime ad illum referendo, non sunt publice coram populo denuncianda, nisi modo præmisso.

Ad secundam, *Apostolus præcipit, &c.* dico, quod verum est, quod Apostolus loquitur Timotheo Episcopo, sed non dicit, prædicta coram omnibus statibus vitia cleri, sed dicit, *prædica verbum, insta, oportune, argue, obsecra, increpa in omni patientia,* & sic arguit ratio ab insufficienti.

2. Tim. 4.

Ad tertiam, *Prophetæ sancti, sacerdotes, * rustici, &c.* dico quod Daniel presbyteros occidit, nam illi sollicitabant ad malum mulieres, Dicitur enim Dan. 13. *Sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis.* Et ille casus fuit exceptus. Ita de Elia dicendum, nam Prophetæ Baal male docebant, patet 3. Reg. 18.

* *forsan: interfici iusserunt.* Dan. 13. 3. Reg. 18.

Ad quartam, *Licet toti Ecclesiæ, &c.* Istam rationem concedo, & est casus exceptus, secundum quod prius dictum est.

Ad quintam, *Licet constitutionem Ecclesiæ sanctam denunciare, &c.* dico, quod hoc est promulgare constitutionem Ecclesiæ, sed hoc non est prædicare. Illa enim constitutio de vitando notorios concubinarios, est pœnalis, pœnæ autem non inferuntur per legem, nisi contra transgressores, & sic non puniuntur boni, sed improperio vitiorum per prædicatorem coram laicis, etiam boni scandalizãtur, quia per eam non secernuntur à malis particulariter.

Ad sextam, *Licet clericos inobedientes, &c.* concedo totum. Valde enim suadeo peccata cleri publica puniri per suos iudices, quod fit, cum propter inobedientiam, canonica monitione præcedente, excommunicantur, aut alia pœna iuris, vt suspensionis, intrusionis, carcerationis, depositionis puniuntur. Ratio autem statim vila est, quare licet publice etiam laicis videntibus punire clericos, & non vitia cleri coram illis in prædicatione detegere, sine magno verborum moderamine.

Ad septimam, *Significat vnum cœtum clericorum in hæresim, &c.* concedo rationem, & est prodictis.

Ad octauam, *Quod clerus publice & singulariter alij clero imponit. &c.* dico, quod clerus imponens alteri manifesta crimina, in appellationibus, hoc facit coram suo iudice, ita, quod cleri & sacerdotes post fraternam correctionem secretam, si non corrigantur, possunt suo superiori denunciari, & hæc est via tenenda in correctione clericorum.

Ad nonam, *Licet, vt communiter dicunt, &c.* dico, quod pro aliquibus criminibus clericus potest publice puniri imo dicunt iura, quod per iudicem secularem, sententia Ecclesiæ præuia, sicut cum est falsarius, & de aliis. sed non sequitur, quod ideo licet in prædicatione coram populo ipsum sic infamare aut denunciare. Ratio, quia prædicatio est actus charitatis, punitio iusta * lationis, aut alia publica, est actus iustitiæ: & iustum est, quod publica crimina non sint occulta punitione corrigenda, nam in punitione per iustitiam solus reus infamatur, in prædicatione coram populo non solus, qui peccat, sed boni propter eum, quia non discernitur singulariter in verbo prædicationis, sicut in iudicio.

* *Lationis forsan tationis.*

Ad decimam, *Quando dicit, &c.* dico, quod non est illicitum scribere, quod licitum est proferre. Cum ergo Dominus illos Scribas & Pharisæos dure pro eo, quod veritatem non cognouerunt, neque tempus visitationis suæ, arguerit, & etiam coram turbis, quid mirum est, si hoc scripserunt Euangelistæ?

Ad vndecimam, *Dominus Iesus, &c.* iam dixi, quod contra clerum infidelem prædicauit, cuius erat sacerdotium transferendum cum translatione legis: Ita contra sacerdotes infideles, si qui essent, liceret prædicatorem populum monere, imo etiam quilibet Christi fidelis posset ibi contradicere, maxime, vbi immineret fidei periculum.

Posuit proponens multa signa peccatorum mortalium, in apparatu, in gestu, in colloquijs, & alijs, quæ non necessaria ad memoriam reducere puto, quoniam illa lucide narrauit, & memoriter intellexisti, vt æstimo.

CCLIII. Iam dictis cupiens finem imponere, quatuor differentias in materia correctionis & punitionis peccatorum publicorum inter nos existentes, prout concipere possum, sub Epilogo repero. Prima, quia ponit omnia peccata mortalia esse punienda per cohibitionem pœnæ. Quod dico ad differentiam correctionis fraternæ. Et ego probaui oppositum, habeo enim legem diuinam, praxim Christi, & Apostolorum, ac primitiuæ Ecclesiæ, auctoritates sacrorum Canonũ, & dicta sanctorum Doctorum Augustini, Hieronymi, Gregorij, in lege diuina veraciter se fundantium, vt audistis. Secunda differentia: à quolibet Christi fideli peccata mortalia publica prælatorum & sacerdotum, data eorum pertinacia, esse publice coram laicis arguenda. Et ego posui oppositum. Habeo Doctores, Albertum, Thomam, Richardum de media villa, Hostiensem, & nonnullos alios qui dicunt, quod resistere coram omnibus in facie superiori, inferiorem non decet. Et quod Paulus hoc Petro non feciſſet, nisi aliquo modo par ei fuisset, quantum ad fidei defensionem. Et ita dicit gloss. ad Galat. 2. secundum quod diffuse monstratum est. Tertia differentia, quia ponit, quod peccata mortalia publica prælatorum & sacerdotum sunt prædicanda etiam coram populo. Et ego dixi, quod peccata personalia clericorum specialia illi statui, non sunt populo nuncianda per prædicationem immoderate, sed cum sobrietate & discretione, dum ratio indicat coram eo hoc esse faciendum: *Dixi personalia*, ad differentiam peccatorum populo directe nocentium, vt est infidelitas, & mala doctrina in moribus. Dixi, *specialia illi statui*, quod communia peccata illis & populo, potest prædicator arguere coram populo, potest, & ea, quæ directa sunt populi infectiua, modo superius expresso. Sed personalia & propria statui clericorum immoderate aut cum exprobratione, vel improperio coram populo non sunt per prædicatores arguenda. Prædicatio enim non fit pro peccato vnius personæ, sed multitudinis. Modo multitudo modeste & leuiter arguenda est, vt dicit B. Aug. epist. ad Aurelium prius allegata, etiam quia talis contra finem, ad quem instituta est, militaret. Est enim ad correctionem & emendationem, & talis foret ad confusionem magnam. Quarta differentia, quia ponit, quod peccata mortalia publica quorumcunque, sunt per potestates seculares coactiue puniendа, vbi correctio fraterna, vel generalis reprehensio per prædicationem verbi Dei, nõ sufficeret. Et in hoc, quod ponit de peccatis prælatorum, sacerdotum, & Ecclesiasti-

1' *Differentia inter proponentis & opponentis sententias.* 2 Galat. 2. 3 4

corum quorumcunque, quia dixerat vniuersaliter, *quorumcunque.* Ego posui oppositum, & ostendi, quod peccata personalia ecclesiasticorum, puta, quæ neque fidem aut bonos mores, ex se inficiunt, aut subuertunt per doctrinam, exceptis etiam casibus à iure potestate seculari concessis, non sunt per eam pœnaliter punienda. Et habeo Scripturam sacram, praxim Christi & Apostolorum, sacros Canones, & dicta SS. Doctorum, se in lege diuina veraciter fundantium, &
5 in 2. conclusione, secundi puncti diffuse probatum est. Sunt
& aliæ differentiæ, vna, quia negat legem humanam posse
6 licitè punire reos mortis supplicio. Et ego probaui oppositum. Altera differentia est, quia negat indulgentias, & dicit eas in lege Dei non esse fundatas. Ego autem probaui eas, fundamentum in lege Dei habere, & Ecclesiæ auctoritate fuisse introductas, ad magnam vtilitatem fidelium, ad honorem Dei & Ecclesiæ profectum. Altera differentia, quia
7 dicit, peregrinationes esse ex inuentione hominum, idololatriam sapere & superstitionem. Ego probaui oppositum. & ostendi, quod in lege veteri fuerũt institutæ & præceptæ, & à Christo Saluatore obseruatæ, & à Sanctis sollicite visitatæ, & satis extensæ, vt audiuistis. Altera differentia, quia po-
8 nit, quod literæ fraternitatum non videntur à Domino Deo nostro Iesu Christo introductæ, neque ab Apostolis concessæ, aut visitatæ, sed magis videntur detestandæ, cum per talia sophismata lex Dei insufficiens ad populum fidelem regendum, contemnatur. Et ego dixi & probaui oppositum, quod
9 hæ sunt in Scripturæ fundatæ. Alia differentia inter nos est, in absolutionibus & excommunicationibus, vt audistis, excessus aggranauit, tantum ignem zeli succendit, vt si ita foret, vt vult, Ecclesiastica Hierarchia turbaretur, tumultuaretur ignobilis contra nobilem, puer contra senem, apertus esset puteus dissensionum, abyssus scandalorum. Surrexi igitur, vt ignem mitigarem, non extinguerem, correctionem peccatorum non tollerem, sed ordinarem. hæc modificatio, quę per me dicta est, ex aqua flammam sub olla, de qua ac initio, remittens, vt peccata per disciplinam ardeant, sed succedentes prunas non cõsumant. Corrigantur peccata, permaneat Ecclesiasticus ordo, & debito gradu cuncta sub sistãt. Si paulum dilectus meus faber succendere desinat, modum ponat in vindicta peccatorum, mecumque de indulgentiis, & aliis prædictis sentire velit, desinam aquam moderationis aspergere secum, vt alter fabrum ignem moderatæ punitionis peccatorum sufflabo, vt in olla ardente versa ad faciem Aquilonis, peccata vt possibile est, vrantur. Et sibi videatur aqua mea amara, quia aqua contradictionis est, erit tamen sibi, vt aqua Syloe, quæ vadit enim silẽtio. Paratum auxilium in hac sacra Synodo est situm, in modo correctionis vnanimes sumus, qui, quod corrigenda sunt vitia, concordamus. Expurgabit in olla charitate Christi succensa peccatorum rubigines. Et exibit opus eius de fornace ignis, vt vas purissimum, erit Ecclesia in camino hoc ignis examinata & purgata, vt non iam sint columbæ Christi vnicæ sponsæ eius, id est, * Ecclesiæ, pennæ deargentatæ & posteriora dorsi eius in pallore auri. Sed de auro mundo veræ charitatis, vt fulgeant iusti, & tanquam scintillæ in ardimento discurrant. Quod nobis præstet in commune, in cuius nomine congregati sumus, Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre & Spiritu sancto est imperium, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Alterum exemplar habet etiã Psalm. 67. Sap. 3.

ORATIO,

HENRICI KALTEISEN DOMINICANI, PROFESSORIS SACRÆ THEOLOGIÆ IN CEleberrima Colonienſi Academia, & hæreticæ prauitatis inquisitoris.

QVA IN CONCILIO BASILEENSI, ANNO M. CCCC. XXXIII. PER DIES TRES refutauit tertium articulum Bohemorum.

DE LIBERA PRÆDICATIONE VERBI DEI,

Quem proposuit per biduum

VDALRICVS PRESBYTER ORPHANORVM.

CCLIV. PAtres & Domini Reuerendissimi, Doctores prudentissimi, inclyti Bohemiæ regni Oratores egregij, cæteriquè confratres mei præclarissimi, in medio tam magnatorum, tamque auditorij diuinissimi locuturus, renuit consolari anima mea, nisi consolationes Dei lætificassent eam cum Psalmista. Quam obrem spem finaliter in eius potui exuberantiam, qui dat omnibus effluenter, Iacob. 1. qui assecurat, promittens: *Aperi os tuum, & ego implebo illud, dans verba Euangelizantibus virtute multa*, in Psalmo, Baptisma interueniente Dei genitrice virgine Maria, per quam veluti per canalem, & aquæductum gratiarum, quidquid diuina largitas influit, quidquid humano generi dare virtutis & gratiæ disposuit, largissimo S. Spiritus imbre infundit, secundum mellifluum Bernardum in sermone, beatis omnibus occurrentibus Dei Sanctis, qui charitatis vinculo constricti nobis miseris inuocantibus, non minus quam Hieremias Dei Propheta multum orans pro populo & vniuersa ciuitate, dicitur 2. *Machab. vlt.* quorum suffultus meritis iuxta materiam articuli tertij, in ordine propositorum, qui est de prædicatione verbi Dei, parumper locuturus, assumo verba themaris Dominicæ iam currentis, *Luc.* 8. conscripta: *Qui in corde bono, & optimo audientes retinent verbum, fructum afferunt in patientia.* Pro cuius introductione noto cum B. Thoma 22. *q.* 177. *art.* 1. Ad hoc, quod verbi Dei orator efficaciter loquatur, tria requiruntur, vt scilicet doceat, delectet, & flectat, doceat intellectum instruendo, delectat affectum demulcendo, flectat effectum procreando. Et quamquam duo prima in facultate docentis vt plurimum reperiantur, tertium tamen solius Dei esse dignoscitur, nisi enim interius Spiritus sanctus doceat, in cassum exterius vos Doctoris laborat, secundum B. Gregorium, in homilia de festo Pentecostes, sicut enim impossibile est, quod sola pluuia fructificet terram, nisi flauerit etiam ventus, sic non est possibile, quod sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius, vt ait Beatus Chrysostomus, homil. 20. Idcirco, vt per me dicenda, in cunctis nobis fructum afferant in patientia, tria noto. Primum, vt locus congruus adaptetur, *in corde bono & optimo;* Secundum vt modus debitus obseruetur, *audientes verbum retinent.* Tertium, vt fructus debitus reporretur, *fructum afferunt in patientia.* Primum docet intellectum. Secundum demulcet intellectum. Tertium flectet effectum, vt sic his simul concurrentibus, opus præsentis actus optatum reportet profectum. Dico primo & principaliter, reseruatis duobus membris pro sequentibus diebus, vt fructum verbi Dei in patientia auferamus; necesse esse nobis locum congruum, vt adoptemus, qui est in corde bono & optimo, bono per industriam naturalem, & optimo per gratiam iustificantem, ait Nicolaus de Lyra ibidem; *bono*, per fidem illuminantem, *& optimo*, per gratiam operantem. Optimum enim est gratia stabilire cor. Vnde Gorra super eo-

Psalm. 93. Iacob. 1. Psalm. 80. Psalm. 67

Bern. ser. de nativit. Mariæ.

2. Mach. 15.

Luc. 8.

Tria requiruntur vt verbi Dei orator efficaciter loquatur.

Greg. homil. 30.

Chrys. homil. 25. in oper. imp.

Nicol. de Lyra. Hebr. 13.

dem, *in corde bono*, per disciplinæ & virtutis exercitium, *& optimo*, per internæ contemplationis & consolationis solatium. Secundum Albertum, *in corde bono*, id est, mundo à peccato Matth. 5. *& optimo*, scilicet, diuinæ voluntati in omnibus conformato, secundum beatum Augustinum, super illo Psalm. *Qui saluos facit rectos corde, in corde bono*, per dilectionem Dei, vt seipsum, *& optimo*, per dilectionem Dei super omnia. sic *Maria optimam partem elegit*; Luc. 10. ac vt reor ex caussa quidam hæsitanti, quid offerre posset Deo gratissimum, edoctus est per Angelum, offerre curuitatem lunæ, rotunditatem solis, & primam partem rotæ: per quæ intelligi docuit, C per curuitatem, O per rotunditatem, & R per rotæ primam partem seu literam, quæ tria simul composita hoc nomen, Cor, afficiunt, hinc secundum Isidorum & Catholicon cor etymologisatur, c. custos, o. omnium, r. rerum. quare hoc volens sibi Dominus præparare, clamat: *Quis est iste, qui cor suum applicet, vt appropinquet mihi? ertisque mihi in populum, & ego ero vobis in Deum*, Hierem. 30. Aliter autem formatur animal à natura, aliter à pictura. Nam natura animal formando, incipit à corde, & sic secundum proportionem cordis cætera membra figura, ait Aristot. 16. *de animalibus*. pictor vero nihil curat de corde, & tota sollicitudo est circa membra exteriora componenda: sic si sacram vnionem cupimus, si veritatis normam quærimus, si reformationem salutarem appetimus, non in verbis exterioribus, sed cordis optimi penetralibus, id est, non linlingua tantum, sed opere & veritate amplecti debemus. Ad hoc quæso *hodie, Si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*, ait Psalmista, quoniam *cor durum male habebit in nouissimis*. Ecclesiast. 3. Cor durum est, quod seipsum non exhoret, nec sentit, quod cor durum sit, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur in precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum. Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi forte quem miserans Deus, abstulerit ab eo cor lapideum, & dederit cor carneum, iuxta Propheram. Bernardus de consideratione lib. 1. quidam namque reproborum in potestatem dæmonum occulta & iustissimo Dei iudicio rediguntur, Isaia attestante: *Ipse misit eis furorem, & manus Dei dauit eis eam in mensuram, vsque in æternum possidebunt eam.* quidam electorum dimittuntur à Deo, ex diuina iustitia incidere in errorem peccati, sed tamen miseratione eius reducti, denuo conuertuntur, de talibus enim Dominus per Propheram loquitur: *Et dimisi eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi*: sanctus Isidorus de summo bono, lib. 20. cap. 15. talis sicè domino reductus, potest apte cum Propheta dicere: *Inuenit seruus tuus cor suum, vt oret te.* 2. Regum 7. sic Nabuchodonosor per tempora multa sua exigente culpa à Deo derelictus, tandem reductus est, & restituta figura pristina, id est, intelligentia humana, Danielis 4. hoc Dauid periuit, cum ait: *Cor mundum crea in me Deus*, sciens, quod *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. 5. quæ visio tota merces est, quæ visio summum bonum finale & æternum gaudium est, quam nobis concedat benedictus Iesus, qui imperat & regnat, Amen.

Matth. 5. Albertus Magnus in Luc. cap. 8. August. Psalm. 7. Luc. 10.

Cor.

Hier. 30. Differentia inter naturam & picturã. Aristot. de partibus animaliũ, lib. 3. c. 4.

Psalm. 94

Eccles. 3.

Exech. 36. Bern. lib. 1. de consid. ad Eugen.

Esai. 34.

Esai. 57. Isidorus.

2. Reg. 7.

Daniel. 7. Psalm. 50. Matth. 5.

CCLV.

Quemadmodum Deus & natura nihil agunt frustra, sed sicut in necessariis non deficiunt, nec abundant in superfluis, ira imitator vtriusque, prout ipse ex alto concesserit, nec in superfluis abundare, nec in necessariis deficere, propono: sed iuxta materias per dominum proponentem ministratas, notanda quædam obscure posita declarabo, omissa supplebo, sed & à virtute deuia arguendo emendabo, iuxta Apostolicam doctrinam, vt sit veritatis Doctor exhortari potens in doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere. Obtulit dominus venerabilis Vlricus proponens in sua propositione certa enthymemata, circa quæ intendo declarationi insistere arguendo sic: Christus mandat hoc, ergo hoc est faciendum. Christus prohibet hoc, ergo hoc non est faciendum. bene sequitur, non autem sequitur de puro homine sic Papa mandat hoc, ergo hoc est faciendum. Papa prohibet hoc, ergo hoc non est faciendum, &c. nisi addito isto medio, & in lege Dei veraciter se fundat. Obtulit in primo notabili, duplex esse verbum Dei, scilicet, Christum Iesum, qui est verus Deus & homo, & vtrumque Testamentum, ibi defectum per eum commissum intendo supplere, deinceps quædam intulit, quæ intendo constanter redarguere, vel modificare, & veritatem credi necessariam adducere, quorum primum est: Tantæ perfectionis sunt verba Dei, quod eis nil licet addere, nec subtrahere. Secundum, quod causa ruinæ populi maxime est causa malorum sacerdotum, hoc declarabo lucidius propter multa mala de sacerdotibus domini. In secundo notabili, enarrata, vbi additur, quod nemo amplius nocet, nec Ecclesiam scindit, sicut sacerdotes mali, hoc intendo modificare. Innotabili tertio, quod tenetur præceptiue, vbi inter multa redarguenda sunt hæc inserta. Primum, quod non obseruantia consilij Dei non obligat non obseruantem ad peccatum veniale, sicut præcepti ad mortale. Secundum, quod est præceptum Domini cuilibet diacono & presbytero libere prædicare verbum Dei, ita quod sub præcepto obligante non prædicantem ad peccatum mortale, cadit actus prædicandi in ipsis. In quarto proposuit super verbo, libere, quod diaconus & presbyter liberantur ad prædicandum, dum suscipiunt diaconatus & presbyteratus ordinem legitime, & quod extunc nullum impedimentum illegitimum obsistere debet, secundum legem Domini nostri Iesu Christi, ibi etiam reprehendit, quod missantes plurimi, sed prædicantes sunt paucissimi, & altarium multiplicationem.

Secundum

Tertium.

Quartum.

Consequenter prædicta probando venerabilis Vlricus proponens probat articulum auctoritatibus & rationibus sibi gratis. Et infert primo istam conclusionem. Non obstante inhibitione, aut prætensa excommunicatione lata iam aut minata, sacerdos domini debet fideliter & libere verbum domini annunciare, quia debet Deo magis, quam hominibus obedire. Addit secundo, quod sacerdos dimittens fidelem prædicationem, propter hominum inhibitionem, seu prætensam excommunicationem, est apud Deum excommunicatus, quia tales non seruant mandatum Dei, & ergo maledicti, & excommunicati. Et sunt hæc, primæ veritatis, quæ Deus est, cum adiutorio constanter reprobanda. Tertio, quod sacerdotes Dei verbi prædicationem fidelem non debent omittere propter scandalum peruersorum. Quarto, quod non, solum sacerdotes minores, sed & prælati maiores tenantur verbum Dei fideliter annunciare.

1

Actor. 5. 2

3

4

Hæc est dicendorum materia, prout propositio cogit vestra. Antequam harum difficultatum declarationem aggrediar præsupposita recognitione ignorantiæ meæ, & imbecillitatis notoriæ, quam recognosco corde, & confiteor ore. Nihilominus ex mihi iniuncto, colla obedientiæ submittens, iugo, vires hinc resumo, quoniam causam Dei agimus, quoniam salutem animarum quærimus, in quibus nostra sufficientia ex Deo est, qui promisit: *Dum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* Duo autem inter multa mihi necessaria protestor. Primo, quod omnia per me vnquam dicta, nunc & in futurum dicenda, iudicio; ac diffinitioni huius sacrosancti generalis Concilij Basileensis sincere & plene submitto, credens & confitens, quidquid ipsa sancta Synodus credit & confitetur, quod si aliud dixero quod auertat Altissimus, ex nunc reuoco, & retracto, pro non dicto haberi desiderans; secundum quod non est mentis meæ parum aurium offendicula verba proferre, aut saluo conductui venerabilium Oratorum inclyti regni Bohemiæ quouis modo præiudicare, quod si ex lapsu linguæ contigerit, ex nunc veniam postula, qua indiget lingua seu maxilla in chamo & fræno rationis seu imperio voluntatis non constricta, quibus protestationibus in qualibet sequentium materiarum quasi innouatis aciteratis, præsuppositis Prædicatorum Ordinis ego minimus prædicationem verbi Dei defensurus iuxta articuli tertij exigendam, quam adduxit venerabilis Vlricus dominus proponens in clyti regni Bohemiæ Orator, secundum formam per ipsum seruatam procedere intendo. Et ideo si formalitatem aliquando egressus fuero, nõ mihi indignemini, quia formam traditam inuestigabo.

2. Cor. 3. Matth. 10

CCLVI.

Articulus proponentis iste est: *Verbum Dei exemplo Christi & Apostolorum, à sacerdotibus Domini libere, & sine impedimento fideliter & veraciter debet prædicari & annunciari.* Iuxta

Articulus, propositus

cuius

Aduersarij notabile primum.

cuius deductionem dominus Vlricus proponens venerabilis talem habuit ordinem. Primo notabilia circa aliquorum terminorum expositionem, præmittendo. Secundo, articuli decisionem annectendo. Secundum ergo ordinem vestri processus, erit forma mei progressus, hoc promisso, quod necdum propositionibus positis, sed & earum probationibus declarandis insistam, ne dum verbis, sed & intentioni, prout ex verbis colligere potui, inniteudo, & primo in proœmio suæ collationis inter cætera ista fuerunt verba eiusdem: *Istud est argumentum infallibile, hoc mandat Christus Iesus, ergo hoc est faciendum. Hoc prohibet Christus, ergo hoc non est faciendum: De puro autem homine infalliliter non sic sequitur de forma, non enim sequitur vniuersaliter. Hoc mandat Romanus Pontifex, hoc dicit Eugenius Papa, ergo verum, aut faciendum, hoc prohibet Papa, ergo non faciendum. Sed audito isto medio bene sequitur, hoc dicit Romanus Pontifex, & in scriptura Canonica se fundat veraciter, ergo hoc est verum, aut faciendum.* & quantum hoc in superficie videatur tute dictum, tamen quia primæ consequentiæ possent multis materiam ministrare erroris & inobedientiæ & rebellionis, ideo circa eas parum insistere, non absonum iudicabunt. Obtulit dominus proponens argumentationem talem: *Christus Iesus mandat hoc, ergo hoc est faciendum: Christus Iesus prohibet hoc ergo hoc omittendum.* Circa quam sciendum, quod non omne mandatum Christi, quod habet notam mandati, habet efficaciam mandati, dicit enim venerabilis Gorra. *Luc.* 7. quod est triplex præceptum domini, vnum proprie dictum, obligans ad faciendum, vt illud; *Honora patrem & matrem.* Exod. 20. Aliud minus proprie dictum, tentans ad probandum, vt illud: *Tolle filium tuum*, Genes. 22. Tertium impropriedictum, scilicet, docens tantum ad iendum, vt dum dominus præcepit ei quem curauit, nec quam diceret: hæc ille. cui alludit Magister primo sententiarum, *lib. 1. dist. 45.* dicens: Quod Deus non vult ab hominibus fieri omnia, quæ præcepit, vel non fieri quæ prohibet, præcepit enim Abraham immolare, non tamen voluit. Non enim ideo præcepit, vt fieret, sed ad probandum fidem Abrahæ. Et in Euangelio præcepit sanato, ne cuiquam diceret ille autem prædicauit vbique, intelligens Deum nõ ideo prohibuisse, quin vellet opus suum prædicari. sed vt daret formam homini laudem humanam declinandi, capitulo finali dicit, distinguens de voluntate signi & beneplaciti. *Fit omne, quod Deus beneplacito vult fieri; & omne quod vult non fieri, nequaquam fit, non ita est de signis, quia sic præcipit Deus multis, quæ non faciunt, & prohibet quæ non cauent, & consulunt quæ non implent.* hæc ille, vbi dicit S. Thom. *Quamuis non vellet Deus voluntate consequente, quod Abraham filium occideret, voluit tamen voluntate antecedente, quod voluntas Abrahæ in hoc ferretur, secundum quod iam erat ordinatum, & talem voluntatem præceptum expressit, & sic fictio non fuit ista, & de illis, qui contra præceptum Domini opus prædicant, licet Christus noluerit hoc, quod præcepit voluntate consequente, voluit tamen voluntate antecedente homines in hoc tendere, vt gloriam mundanam de temporalibus bonis non quærerent, sed Dei; & hoc præceptum expressit.* hæc ille. Vnde communiter tenent Doctores, circa distinctionem quadragesimam quartam, primi sententiarum, quod quando præceptum datur in documentum, non in præceptum, non obligat; sicut si prælatus præciperet aliquid grande suo monacho, & tamen cordetenus, nollet illud fieri, sed statim, cum frater hoc facere inciperet, eum reuocaret, ita quod præceptum illud est directe signum voluntatis præcipientis, ita quod velit obligare subditum ad exequendum voluntatem præcipientis, sed non est directe signum, quod velit rem præceptam impleri, talia enim fiunt ad sumendum experientiam de obedientia subditi, vel ad ostendendum pluribus obedientiam vnius exemplo. Ideo recitat ibidem quatuor solemnes opiniones dominus Patriarcha de palude, circa istam conclusionem, *Deus quandoque præcipit fieri, quod tamen non vult fieri.* Secundo addit venerab. proponens Vlricus enthymema. *Non sequitur, Papa mandat hoc, ergo hoc est faciendum, nisi addito isto medio, & in lege diuina veraciter se fundat.* Ego assumo sic: *Papa mandat hoc, & in lege Domini saltem expresse se veraciter non fundat, da modo contra mandatum domini non præcipiat, neque contra sacrorum generalium Conciliorum statuta, ergo hoc est faciendum.* Pro cuius deductione duxi aliqua notare: Primum est, quod

Verbum Dei exemplo Christi & Apostolorum à sacerdotibus Domini libere & sine impedimento fideliter & veraciter debet prædicari & annunciari.

Triplex mandatũ Domini. Exod. 20. Gen. 22.

Mag. sent. lib. 1. dist. 45.

Dist. 47. q. 1. art. 1. ad 1.

Papa non est nomen ordinis, sed tantum iurisdictionis & officij, paret, quia Papa potest cedere papatui. ita quod non sit amplius Papa, non tamen potest cedere sacro ordini, quin semper sit ordinatus, postquam est ordinatus. Secundo, quia Papa vt Papa, non habet potestatem conficiendi corpus Christi verum, nisi consecretur in presbyterum, quamuis posset gubernare corpus Christi mysticum, etiam si non habeat sacerdotij gradum, vt deducit venerabilis magister August. de Ancona, in lib. de Ecclesiast. potestate, quæst. 4. art. 2. Secundum, quod quamdiu Papa est fidelis, etsi in moribus sit malus, potest & debet dici sanctus aut sanctissimus, non quidem ex vitæ merito, sicut Christus dicitur sanctus Sanctorum, sed ex sanctificandi alios officio, sic enim Num. 18. dixit dominus ad Moysen: *Tu & filij tui, & domus patris tui portabitis iniquitatem sanctuarij*, & secundum translationem antiquam 70. interpretum dicitur, *sumetis peccata sanctorum*, vbi clare patet, quod etiam homines peccatores dicuntur sancti, ex officio, quia Moyses cum familia signati sunt portare iniquitatem sanctuarij, & sumere peccata sanctorum, si sanctuarium, quomodo haberet iniquitatem? & si sancti sunt, quomodo habent peccata? Venerabilis Thom. de Walden. lib. 2. cap. 36. 1. c. & Concilia generalia dicuntur sancta & sanctissima, non à sanctitate personarum inibi existentium, sed ex plenitudine officij sanctificandi, & infallibili assistentia Spiritus sancti sic & Ecclesia Catholica dicitur sancta, non propter sanctitatem omnium existentium in ea, cum sint multi peccatores, sed propter sanctissima eius officia, propter Sacramentorum sanctitatem existentium in ea, non enim talia dicuntur sancta ex opere operante, sed ex opere operato. Ideo Sanct. Cyrillus in epist. Synodica directa Nestorio, quæ incipit: *Religioso & Deo amabili*, nominat Papam sanctissimum & venerandissimum, similiter sacrum generale Concilium, similiter sanct. Hieronym. Papam vocat sanctissimum, gloriam sanctitatis suæ magnificans in libro, qui intitulatur de gestis Romanorum pontificum, in principio scribens ad Damasum Papam. Tertium, quod Papa ratione officij sæpe aptissime nominatur beatus seu beatissimus, non quasi extra statum viæ æternaliter constitutus beatus, sed propter admirandam suæ potestatis excellentiam, quæ prope Christum attingit, quidquid enim potestatis, quidquid gratiæ Sacramentalis, quidquid dispensationis cœlestis à Christo capite Ecclesiæ commissum est, ipsa Ecclesia dispersa, & Papa in fide non errante, totum est eius dispensationi commissum. Hinc beatus Hilarus etiam Imperatorum Constantinum propter auctoritatem Imperialem beatissimum nuncupauit in epistola sua ad eundem de fide. Et beatus Ambrosius quibusdam scribens Episcopis & sacerdotibus malis, quos de symonia & multis excessibus redarguit, beatissimos & sactissimos patres nominat in libro suo pastorali, quem de obseruantiis ipsorum intitulat. Quarto ergo dico, quod si Papa aliquid mandat faciendum, quod non est contra legem Dei expresse, aut contra statuta aliqua sanctorum Patrum, etiam si se literaliter in lege Dei veraciter non fundat, ei obediendum est. Hinc dicit beatus Cyrillus Episcopus Alexandrinus, in libro thesaurorum: *Vt membra maneamus in capite nostro, Apostolica throno Romanorum Pontificum, à quo medium est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, ligare & soluere, loco illius, qui ipsum edificauit, & nulli alij, quod suum est plene, sed ipsi soli dedit, cui omnes iura diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipsi Iesu Christo obediunt.* hæc ille. Pariformiter sanct. Chrysostom. cum omnibus doctoribus super illo: *Pasce oues meas*, scribentibus, & beatus Bernardus in principio tertij libri ad Eugenium. Sed dices: Papa malus est, & prælati pessimi sunt, respondet Dominus: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæ vobis dixerint, facite, secundum opera eorum nolite facere*, Matth. 23. Et eius Vicarius immediatus inquit: *Obedite præpositis vestris, non tantum bonis, sed & discolis*, 1. Petr. 2. cuius rationem assignat B. Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, dicens: *Episcopus, & presbyter, & diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum. Nec dicitur, si quis Episcopatum desiderat, bonum gradum desiderat, sed bonum opus desiderat*, quod in ma-

Papa non est nomen ordinis, sed iurisdictionis & officij.

August. de Ancona, de eccl. potestate q. 4. art. 2.

2

Num. 18.

Thomas Walden. lib. 2. doct. fidei, c. 36. & 37.

Cyrillus.

Vide Walden. in loco citato.

3

Chryf. in 21. c. 10. Io. Bernar. de consid. lib. 3.

Amb. lib. de sacerdotali dignitate, c. 2. tom. 4.

4

Matth. 23. 1. Petr. 2. Hier. lib. 1. contra Iouin. c. 19.

CCLVII

1

Bern. sermone super Cant. 66.

Luc. 10.

CCLVIII. *Aduersarij notabile primum.*

Triplex verbū Dei. Incarnatum Exaratum, Inspiratum, priuatum. Publicum.

2. Pet. 1. Psalm. 84. 2. Tim. 3.

Eodē Spiritu Scriptura sacra exponitur, quo inspiratur. Ephes. 4.

Deut. 17.

Distin. 15. Sanct. Romana c. 3.

S. Aug. ad Fortunat. epist. 111.

ziori ordine constitutus, possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. hæc ille. Vnde B. Bernardus super Canticis, serm. 67. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, & qui non obedierunt eis, tanquam Episcopis, mobedientia rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem, & dicentem, quæ dicunt, facite, patet, quamuis Scribæ, quamuis Pharisæi, quamuis peccatores maximi, propter Cathedram tamen Moysi, ad eos quoque nihilominus pertinere, quod idem dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* hæc ille. Patet ergo, quid sit de illa argumentatione sentiendum: Papa mandat hoc, ergo hoc est faciendum, etiā si sē nō fundet expresse in diuina lege, & tantum de procemio domini proponentis.

Post hoc expedito procemio, dominus proponens in articulo incipit proponere notabilia, & fuit primum notabile circa illud complexum, *Verbum Dei*, vbi in sermone vel sententia distinxit, verbum Dei dupliciter per eum intelligi, vno modo accipiendo pro Christo Iesu Deo vero & homine. Secundo modo pro omni verbo veritatis, quod locutus est Dominus per suos Angelos, Prophetas veros, & filium suum, & per sanctos suos Apostolos; & in scriptis reliquit ad futura tempora. Et isto secundo modo dicebat se vsurum, in proposito, illo complexo, *Verbum Dei*, & quanquam istud non sit reprehensibile, quo ad ea, quæ dicta sunt, est tamen reprehensibile propter ea, quæ omissa sunt. Vnde dico, fuit enim necesse addi tertium modum, quod scilicet Dei verbum est verbum inspiratum, hoc enim oportet vti verbi Dei prædicatorem, si non vult inducere populum in errorem, vnde dico, quod triplex est Dei verbum, non solum incarnatum, & exaratum, sed etiam inspiratum, & hoc est geminum, vnum priuatum, aliud publicum. Primo, inquam, est verbum Dei merito dicendum & nuncupandum, scilicet inspiratum, priuatum, id est, personis priuatis, de quibus ait vertex Apostolicus: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt homines Dei.* Et Psalmista: *Audiam quid loquatur in me Deus.* hinc Apost. & eius vtilitatem expressit: *Omnis doctrina diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*, 2. ad Timoth. 3. non sunt ergo S. doctorum scripta, quorum prudentissima scientia explanat scripturæ sacræ, ab aliquo vilipendenda, sed quasi à Deo veneranda: quia est regula, quod eodem spiritu Scriptura sacra exponitur, quo fuit inspirata, quod eleganter Apostolus ostendit, dicens; quod Christus ad cōsummationem Sanctorum dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, & ne ibi crederetur esse status, quasi aliorum scripturæ non essent à Deo, subdit: *quosdam vero Doctores*, cuiusmodi sunt scripturæ sanctorum Gregorij, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, post hos beatorum Bernardi, S. Thomæ, & aliorum multorum, etiam non canonizatorum, quibus proculdubio Spiritus sanctus aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas, quatenus mysticos sensus, quibus sacra Scriptura est grauida, aperirent, & ad communem hominum capacitatem redigerent, alioquin quomodo Deus præcepisset, Deuteron. 17. in his quæ sunt ambigua & difficilia, refugiendum esse ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore? *Et facies, quæcunque dixerint tibi qui præsunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam illorum, non declinabis ad dexteram neque sinistram.* vbi continuo subiungitur: *qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio; qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de domo Israel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Ideoque distinct. 15. in cap. Sancta Romana Ecclesia, multa sanctorum Doctorum enumerantur opuscula, iam per Ecclesiam acceptata, & sibi soli ad iudicandum reseruata. Et subditur, propter Doctores ibi non expressos, quod etiam aliorum Doctorum, Patrum orthodoxorum, qui in nullo à sancto consortio Romanæ Ecclesiæ deuiarunt, nec ab eius fide & prædicatione semoti sunt, scripta suscipienda & legenda sint. Alij autem moderni non canonizati ad legendum conceduntur, & ad impugnandum etiam à singularibus personis, si in eis aliquid veritati dissonum reperitur, secundum quem modum B. August. dicta sua ad aliorum exponebat discutientiam, dicens in epist. ad Fortunatian. *Neque enim quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis hominibus debetur, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte inuenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel nobis, nam talis, inquit, ego sum in scripturis aliorum, quales volo esse intellectores meorum.* hæc ille. Est ergo verbum Dei verbum inspiratum, ad prædicandum necessarium sanctis Doctoribus, in ædificationem corporis Christi mystici, quibus ait Dominus: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* vt quilibet talis dicere possit: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.* 2. Regum. 23. & hoc de priuato. Ex quibus elicio, quod etiam illud non vere dictum est, vbi dicit proponens venerabilis, verbum Dei esse tantæ perfectionis, quod nihil possit ei addi aut subtrahi, quia licet ea explanare, & dubia emergentia determinare, & talibus promittitur merces magna, dicente sapientia: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, Eccles. 24. non ergo licet subtrahere, id quod est necessitatis scripturæ, sed licet addere, quod est pro eius elucidatione, quod tam pulchre ostendit Dominus in expositione parabolæ Euangelij præsentis Dominicæ, vbi sic ait B. Gregor. *Est quod sollicite in hac ipsa expositione Dominicæ penſare debeas, quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas diuitias significare diceremus, ad credendum vobis, forsitan mens vestra dubitaret. Vnde & idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere, quod dicebat, vt sciatis rerum significationes quærere in his etiam, quæ per semetipsum noluit explanare. Exponendo ergo, quod dixit, figuratè se loqui, innotuit, quatenus certos vos redderet, cum vobis nostra fragilitas verborum eius figuras aperiret.* hæc ille. Auctoritates in contrarium adductæ intelliguntur, *qui addiderint*, id scilicet quod textum falsificaret, aut perfidiam saperet, prout nuper satis declararum est. Quantum ad aliud verbum inspiratum, verbum Dei aptissime nominatum, & per omnia verbi Dei prædicatoribus necessarium, quod est inspiratum publicum, est cuiuslibet generalis Concilij legitime congregati statutum & decretum, cuius auctoritatem Dominus sibi asscripsit, dicens collegio Apostolorum: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, Luc. 10. quibus suam promisit assistentiam, dicens: *Vbi congregati fuerint duo vel tres in nomine meo, in medio eorum sum.* quod de congregatione generalium Concil. intelligendum exponit B. Cœlestinus in epist. ad Synodum transmissa, vt refert Isidorus in lib. Conciliorum. Hoc expressius idem Saluator noster innuit. Concilio Apostolico promittens in persona Ecclesiæ: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Ioann. 16. & ne hæc credantur dicta personis Apostolorum tantum, ait cap. 15. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, vt maneat vobiscum in æternum.* Ergo inest ille Spiritus sanctus omnibus congregationibus generalium Conciliorum, & omnia ibi concluſa sunt verba Spiritus sancti; ideoque determinationem sacri Concilij non sibi Apostoli, sed Spiritui S. attribuerunt. *Placuit*, inquiunt, *Spiritui S. & nobis.* Act. 15. Vnde valde cauendum est, ne ab informatione & sententia huius sacri Concilij generalis Basileensis, in Spiritu S. legitime congregati, quisquam se alienum reddat, ne contra Dei sententiam videatur recalcitrare, verba Spiritus S. abnegare, & à Catholica Ecclesiæ sanctæ se vnione separare. Hęc modica conscripsi, residua reseruans replicationi, & si contingat fraternali confabulationi, vnde concludere pro nunc possumus, quod distinctionem circa id complexum, *Verbum Dei*, minus complete posuit Proponens, cum in ædificatione corporis mystici oporteat, ad minus etiam verbo inspirato vti. Ideo non solum quatuor Concilia prima, sed & omnia alia à sanctis instituta custodienda & recipienda mandantur & decernuntur, *dist. 15.* Sancta Romana Ecclesia.

Demum ad secundum notabile procedendo super illo complexo, *à Sacerdotibus Domini*, distinxit dominus proponens, de sacerdotibus bonis & malis, post multa vitia malorum sacerdotū enarrata, & quomodo nemo amplius nocet in Ecclesia Dei, quam sacerdotes mali; & quia tanta mala enarrauit de malis, & pauciora bona de bonis, dicam subsequen-

Bern. sermone super Cant. 66.

Luc. 10.

CCLVIII. *Aduersarij notabile primum.*

Triplex verbū Dei. Incarnatum Exaratum, Inspiratum, priuatum. Publicum.

2. Pet. 1. Psalm. 84. 2. Tim. 3.

Eodē Spiritu Scriptura sacra exponitur, quo inspiratur. Ephes. 4.

Deut. 17.

Distin. 15. Sanct. Romana c. 3.

S. Aug. ad Fortunat. epist. 111.

Matth. 10.

2. Reg. 23.

Eccles. 24.

Greg. homil. 15.

Inspiratū verbum publicum.

Luc. 10. Matth. 18.

Cœlestin. ep. 7. edit. Roman.

Ioan. 16. Ioan. 15.

Act. 15.

Dist. 15. S. Roman. Eccl. c. 3.

CCLIX.

Sacerdotes ex ambitu honorandi.

Probatur exemplis veteris testamenti. Gen. 9. Greg. in homil. 25. c. 22. Gloss. ord. Gen. 9.

Eccl. hist. Theod. lib. 1. c. 11.

Item & in nouo testam. Matth. 8. 1. 2. Luc. 17. Augustin. de baptismo contr. Donatist. lib. 6. c. 44. Matth. 10 & 11. Luc 10. q. 1. cap. nonne. 37. 3.

sequentia. Prælati & Presbyteri mali, non solum boni, sunt magnifice honorandi & reuerendi, ne videantur omnino spernendi, quos gloriosus DEVS sibi specialiter elegit ex Gentibus mundi, non ad confortandum eos in malum, sed magis ad reuocandum Presbyteros malos, & confirmandum bonos, & docendum cunctos, in qua honorifica maiestate constituit Dominus Presbyteros Ecclesiæ. Et primo ex veteri Testamento, Genes. 9. vbi dicitur, quod Noe inebriatus dormiuit, detectis verendis iacuit in tabernaculo suo: quod cum vidisset Cham, non cum texit, sed duobus fratribus annunciauit. At vero Sem & Iaphet videntes, auertebant facies suas. *Quid est ergo, quod filij pallio verenda patris superiecto dorsis pallio auersi veniendo operiunt? Nisi quod bonis subditis, sic præpositorum suorum mala displicent, vt ab aliis nota occultent: Operimentum auersa deferunt quia dijudicantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre, quod tegunt.* Et nota, quod pater expergiscens semen Cham maledixit, sed duos patrem tegentes benedixit. Hanc maledictionem fugere voluit sanctissimus Imperator Constantinus, de quo in Ecclesiastica histor. libro quarto, capit. decimo, dixisse narratur: *Si propriis oculis vidissem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monastico habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamidem meam expiccarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur:* Hoc autem Christus adhuc in vita sibi partim recompensauit, quia postmodum in bellis felicissimus fuit, vt dicit beatus Augustinus de ciuitate Dei, libro 5. Secundo idem expresse Dominus præcepit, Exod. 22. *Dijs ne detrahes, & principi populi tui non maledices.* Glossa, id est, *sacerdotibus & Ecclesiæ doctoribus, qui populi principantur*, cum enim omnis detractio perniciosa sit, in illos est perniciosior. Tertio, Deuteronom. 5. *Honora patrem & matrem tuam, vt longo viuas tempore.* Glossa. *Hoc est maximum & primum mandatum, in altera tabula, honora, scilicet, patrem corporalem & spiritualem, officio pietatis, & honora similiter matrem, id est, Ecclesiam sanctam.* Quarto, quia Thren. 4. Hieremias destructionis causam assignans, ait: *Facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.* Glossa: *Imo Deum in suis sacerdotibus contempserunt, nec Deum in his venerati sunt, ideo diuisi sunt à facie Domini, quia per orbem dispersi sunt,* & alia glossa: *Nota, quam terribile sit sacerdotes contemnere, nec faciem eorum erubescere, id est, illis monentibus & videntibus, à sceleribus non cessare.* Quinto patet per Dauid, qui quamuis sciret Saul malum, tamen quia vnctus erat in Regem & consecratus, & coram populo nondum depositus, eundem nunquam graniter inhonorauit, sed in spelunca, in papilione & vbique pepercit. Vnde glossa 1. Regum 24. & est venerabilis Bedæ, & beati Gregorii: *Quid per Saul, nisi mali rectores? Quid per Dauid nisi boni subditi significantur? Saul ventrem purgare, est prauos prepositos conceptam in corde malitiam, vsque ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia, factis exterioribus exequendo monstrare quem tamen Dauid ferire metuit, quia pia subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinere, propositorum vitam nullo gladio linguæ percutiunt, etiam cum imperfectionem reprehendunt, qui etsi quando propter infirmitatem se abstinere vix possunt, extrema quædam, atque exteriora prepositorum mala, sed tamen humiliter loquuntur, & quasi oram Chlamidis silenter incidunt, quia dum Prælati dignitati, saltem innoxiæ, & latenter derogant, quasi Regis suppositi vestem scindunt, sed tamen ad semetipsos redeunt, seque de tenuissima vestis laceratione reprehendunt.* Insuper ex nouo Testamento, & primo per Christi facta & iusta, nam Matthæ. 8. sanato à se leproso, ait: *Vade, ostende te sacerdotibus*, quos sciuit pro tunc pessimos, *& offer*, inquit, *munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis*, cum glossa, *mittit ad sacerdotes propter humilitatem, vt sacerdotibus deferat honorem.* Secundo per illud, Lucæ 17. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Super quo beatus Augustinus libro de baptismo: *Nonne Sodomitæ tunc erant Gentiles? peiores ergo Iudæi, quibus Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis in die iudicij, quam vobis. Et quibus Propheta dixit: Iustificasti Sodomam, id est, in comparatione ad vos iustificata est. Nunquid tamen ideo Sacramenta diuina, quæ apud Iudæos erant, talia, quales erant ipsi, quæ Dominus quoque ipse sit suscepit, & ad ea celebranda leprosos, quos ipse mundauerat, misit?* & sequitur: *Eadem sacramenta, & in bonis hominibus illius temporis, erant & in malis peioribus, quam sint Ethnici, quandoquidem Sodomitis in malitia prælati sunt, & tamen illa Sacramenta erant in rerumque integra & diuina.* Hæc ille. Hoc tertio expressius habetur in verbo Christi, Matthæ. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, facite, secundum vero opera eorum nolite facere.* Vbi beatus Chrysostomus dicit: *Sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, sic & auditores doctrinam suscipiant, & in vos relinquant.* Frequenter enim de homine malo procedunt bona. Hoc expressius Dominus docuit, qui Iudam multis honoribus decorauit, quamuis enim sciret, eum esse peccatorem, furem, & proditorem, imo vocauit eum diabolum. Nihilominus in tantum eum honorauit, quod potestatem dedit, super omnia dæmonia, & vt languores curaret, & ante faciem suam prædicaret & baptizaret. Hoc secundum beatum Augustin. factum est, vt discamus non contemnere Sanctorum collegia, si contingat aliquem malum inter eos reperiri. Nullum est, nec vnquam fuit sanctius collegium, dicit sanctus Thomas super Iohann. 6. quam collegium Apostolorum, in quo tamen vnus inuentus est proditor & latro. Ideo dicit Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 103. articul. 2. quod Prælati non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, sed propter excellentiam dignitatis, secundum quam sunt Dei ministri, & in eis etiam honoratur tota communitas, cui præsunt.

Chrys. ibidem in opere imp.

August.

Tho. in c. 1va. 6. & 3. Th. 2. 2. q. 103. art. 2. ad 2.

CCLX. 1. *Cur populus Dei honorare meruto debeat sacerdotes.*

Luc. 22. 2. Luc. 10. 3. Matth. 8. 4.

Sunt autem notabiles causæ, quare populus Dei multum debet honorare Sacerdotes. Prima, quia eum, qui mundum creauit, soli de cœlis adducere queunt, in altari Missam celebrando, quia discipulis, quos in sacerdotes consecrauit, Dominus ait in cœna: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Secunda, quia eis omnia Sacramenta, & velut medicinas contra omnes animæ morbos principaliter, & ex officio commendauit, quia stabellarii Euangelici lauciati soli habent curam, prout de Samaritano tangitur, Luc. 10. Tertia, quia soli habent auctoritatem ligandi & soluendi à peccatis, & ab excommunicationibus, secundum illud Matthæ. 8. *Amen dico vobis, quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlo, & quæcunque soluerit is, erunt soluta & in cœlo.* Quarta, quia de orationibus eorum, eo, quod sunt ministri Ecclesiæ, certius est, quod efficaciam pro populo & animabus fortiantur, quia quando, vt ministri Ecclesiæ, quidquam faciunt celebrando, vel huiusmodi, Pontificis vicem gerunt, de quo ad Hebræos 5. *Omnis namque Pont fex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quinta, quia in animabus & corporibus per septem ordines distinctos, quos quilibet recipit, Deo amplius consecrati sunt, & per consequens distinctos characteres super laicos habent impressos, propter septem ordines, propter quod 1. Petr. 2. dicitur: *Vos autem Genus electum, regale sacerdotium, Gens sancta, populus acquisitionis.* Sexta, quia lumen Ecclesiæ sunt & Doctores, de quibus Matthæ. 5. *Vos estis lux mundi, & sal terræ.* Vltima, quia per manus eorum solum benedicuntur omnia, quæ in cultum Dei habent consecrari, sicut Ecclesiæ altaria, vestes, Eucha istia, Matrimonium, & sic de similibus, his ait Dominus: *Qui vos audit, me audit & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Qui ergo sacerdotes non audit, sed spernit, atque, vita sua neglecta, discutit nimis sacerdotum opera. Non mirum, si Dominus tales cadere permittit, vt etiam ecclesiastica contemnant Sacramenta, & finaliter infideles moriantur, vt deducit beatus Gregorius, prima quæstione primo. Multi secularium. Inter cætera, etiam istud Corollarium Dominus Vlricus proponens subinstulit: *Causa ruinæ populi sit maxime ex culpa sacerdotum malorum.* Circa quæ dicta istam propono conclusionem: *Etsi interdum ita contingat, non tamen est vniuersaliter verum, quod ruina populi causa sit maxime sacerdotum malorum ex culpa, quinimo sæpe ex malitia populi, propterea prouenit sibi ruina, & populi demeritis exigentibus, degenerare permittitur à Deo, * sacerdotum à bonis moribus.* Hanc probo primo, similitudine. Secundo, ratione. Tertio, auctoritate. hoc enim pro tanto indicaui necessarium fore, quia non videtur aliud dictum: *Omnis ruinæ populi prouenit ex malitia clericorum*, nisi quod clericus detur per hoc ad manus gladii laicorum, ne patiantur ruinam propter excessus clericorum. Vnde istam * seditionis volens determinare malitiam, primo accedo similitudinem hoc modo: Comparamus cum Doctoribus allegorizantibus illum textum, Geneseos 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Clerum mundo superiori, id est, cœlo cum stellis, & residuum po-

Hebr. 5.

Luc. 10.

1. Pet. 2. 6. Matth. 5. 7.

1. q. 1. Mul ti. c. 84.

** forsan sacerdotium. Non omnis ruina populi à sacerdotibus malis prouenit, probatur primo simi litudine. * alius liber melius: seductionis.*

pulum mundo inferiori, ſcilicet, terræ cum Planetis comparando. vt apte poſſumus, ex hoc ; quod ſicut ſecundum Philoſophos inferior mundus à cœlo & ſtellis gubernatur, ita tota virtus reſidui populi à clero dependere habet, & augeri, atque in vltimum felicitatis finem dirigi. Cum ergo cœtus laicalis ſubordinatus eſt cœtui clericali, tanquam ſuo magiſtratui, vt ab illo doctrinis illuminetur, virtutibus roboretur, & fructibus repleatur. Ideo clerus, de quo ſcriptum eſt: *Regale ſacerdotium, genus electum* : congrue, reſpectu laicalis populi, cœlum eſt, plenum ſtellis magnis, & paruis, fixis & erraticis. Stellæ maiores, prælatos; minores, ſubditos, quorum quidam comparantur ſtellis fixis , ſicut hi qui ad certam diœceſim, vel parochiam ſunt limitati, ad illuminandum illos, quibus ipſi ſunt præfecti, vt eos ex alto ſcientiæ illuminent, fructumque ſalutis fœcundent. Stellis autem erraticis, alii prædicatores per mundum diſcurrentes, ſic enim, qui docti fuerunt: *Dan.12.* *Quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, Danielis duodecimo. Sicut igitur interdum eſt, non ſemper, quod ſecundum habitudinem & diſpoſitionem ſtellarum cœli bonam, & malam, alteratur & diſponitur hic inferior mundus conuenienter, vel diſconuenienter; ita ſæpe propter defectus & indebitos reſpectus in inuicem ſtellarum firmamenti, quod eſt allegorice clerus, variis turbatur moleſtiis inferior populus, verum, quod ſicut non omnia inferioris mundi incommoda ex influentia ſuperioris proueniunt, ſed ſæpiſſime ab inferiori, vt ſi iſta inferiora ſuperiorum influxum non recipiunt, vbi & quando deberent, vel ſi per vapores vel nubes ab infra aſcendentes abſconduntur ſtellæ, & per conſequens debitus earum impeditur influxus, & iſta inferiora, vel ſicut terra & aqua eclipſant Lunam, & Luna Solem: ita terreni populi cæcata voluntas & auaritia eclipſam poteſtatem ſeculærem, quæ eiſdem vitiis tenebroſa facta, eclipſat ſæpe poteſtatem ſpiritualem, vnde ſecure aſſero, quod ſicut exorbitantiæ & deordinationes inferiorum mundi, tam in naturalibus, quam in moralibus, non ſemper reputandæ ſunt deordinationi curſus ſtellarum, & qui contrarium ſentiant, magnam cœlo iniuriam faciunt, vt dicit beatus Auguſtinus libro quinto, de ciuitate Dei, capite primo, ita non eſt verum dicere, quod omnis ruina populi proueniat ex inordinationibus cleri. quinimo ſtaret, clerum eſſe regulariſſimum, & populum deordinatum, ſicut fuit in Eccleſia primitiua, vbi erat clerus ſanctiſſimus, & populus tyrannis plenus. Inſuper à primæuo ita fuit, tempore Moyſis, qui fuit ſacerdos, & rector filiorum Iſrael optimus, & tamen populus fuit duriſſimæ ceruicis, & à domino multipliciter flagellatus propter peccata ſua propria, & multo ſæpius fuiſſet, ſi non Moyſes ſeruus Domini, ſtetiſſet in confractione in conſpectu Dei. Inſuper tempore Chriſti, Apoſtolorum ſanctorum Martyrum, qui omnes fuerunt optimi, & peſſimi populi multi. Secundo hoc probatur ratione. Ruinæ populi maximæ proueniunt ex peccatis populi, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Sed maxima cauſa ruinæ populi eſt malitia ſui liberi arbitrii; cum nemo ad peccandum poſſit cogi, nec eſt peccatum, niſi inquantum voluntarium, ſaltem actuale, ergo non ſemper cauſa ruinæ populi ſunt Sacerdotes mali; ſed inclinatio in malum liberi ſui arbitrii. Secundo, hæc quæ ſæpe fiunt diuina promiſſione ex malitia ſpiritus maligni, non ſunt attribuenda clero innocenti, ſed pleræque ruinæ & plagæ in populis proueniunt diuina permiſſione à ſpiritibus malignis, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos.* Tertio, illa delicta non ſunt clero imponenda, quæ committunt populi, & ſufficienter arguuntur per prælatos, nec ab eis ſuſcipiunt talium peccatorum exemplum, ſed infinita peccata committuntur à populis, quorum nullum exemplum videnti in ſacerdotibus, imo publice arguuntur ab eis in ſermonibus, & priuatim in confeſſionibus, ergo ſi aliqua patiuntur populi, talis ruina non eſt culpa cleri. Ad hoc eſt experientia, dicimus enim, quod tempore beati Gregorii & Ambroſii, fuit clerus bonus & regulatus, & multi ex eis ſunt ſancti canonizati, & tamen tunc tot fuerunt ruinæ in populis, quod beatus Gregorius in homil. 2. Dominicæ Aduentus, ſcribit omnia ſigna in Euangelio conſcripta de ruinis bel-

Pſal. 105.

Secundo ratione quadrupliciter.

1.

Pſal. 88.

2.

Pſal. 77. 3.

Aug. lib. 5. de ciuitate Dei, c. 1.

Greg. hom. 2. Dom. in. Cæ aduentus, 35.

lorum, peſtilentiarum, & ſeditionum ante diem iudicii ventura, ſuis temporibus fuiſſe completa, ergo tales ruinæ non ſunt clero aſcribendæ. Quarto ſic. Illæ ruinæ non ſunt quocunque modo clero attribuendæ , quæ nec ex populi nec cleri culpa ſciuntur euenire, ſed ſic eſt, quod multa flagella Dei eueniunt multis, non propter cuiuſcunque culpam, ſed Dei gloriam oſtendendam, ſicut cæcus natus fuit, de quo Dominus ait: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Iohann. 9. Sic & S. Iob creditur multipliciter flagellatus, non quod ipſe, vel aliquis alius hoc demeruerit, ſed vt patientiæ ſuæ virtus toti mundo innoteſceret, ſecundum beatum Gregorium, Iob. 1. Ergo vt prius. Vltimo, ſicut illa, quæ ſæpe proueniunt ex cauſis naturalibus, etiam ſi totus mundus eſſet optimus, non ſunt ſacerdotibus per maximæ impuranda, ita eſt de ſterilitate terræ, de aeris intempeſtate, peſtilentiarum immenſitate, quæ, & ſimilia ſæpe ex cauſis naturalibus proueniunt hominibus: ergo non eſt tutum dicere, omnes ruinas populorum ex culpa ſacerdotum euenire. Tertio hoc probatur auctoritatibus ſacræ Scripturæ, & primo Iob 34. cap. dicitur : *Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Vbi beatus Gregorius Moralium lib. 25. dicit: *Alibi quoque per Prophetam dicit: Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. Quid ergo nobis illos præeſſe deſpicimus, quorum regimina ſuper nos ex Domini furore ſuſcipimus? ſi autem ſecundum merita ſubditorum, perſonæ regentium tribuuntur, vt ſæpe, qui boni videntur; accepto regimine, mox mutentur, ſicut de Saule Scriptura exprimit, qui cor cum dignitate mutauit. Cum, inquit, paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es, quare feciſti ergo malum in oculis Domini? ſic ergo pro qualitate ſubditorum diſponuntur corda rectorum, vt ſæpe pro merito gregis delinquat vita paſtoris.* Et ſequitur: *Denique certum eſt, quod ita ſibi inuicem rectorum vita connectantur, & plebium. vt ſæpe ex culpa paſtorum deterior fiat vita plebium, & ſæpe ex vita plebium mutetur vita paſtorum.* Ex quo habetur, quod propter peccata populi quandoque efficiuntur Sacerdotes boni, mali, quia non merentur habere bonos, ſicut malum corpus non meretur habere caput bonum. Cui conformiter loquitur beatus Iſidorus de ſummo bono, libro quarto, capite decimo, inquiens: *Propheta dicit: Dabo tibi Regem in furore meo, ex hoc manifeſte claret bonam malamque poteſtatem à Deo ordinari, ſed bonam Deo propitio, malam irato. Reges quando boni ſunt, muneris eſſe Dei, quando vero mali, ſceleris eſſe populi, nam ſecundum merita plebium, diſponitur vita rectorum : Irascente enim Deo, talem rectorem populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato meruerunt, nonnunquam etiam pro malitia plebis Reges mutantur, & qui ante videbantur boni, accepto regno, fiunt iniqui.* Et libro tertio, capite trigeſimo nono, dicit: *Pro merito plebium diſponitur à Deo vita rectorum exemplo Dauid peccantis in comparatione principum, qui ex merito plebis præuaricantur.* Hæc ille. Beatus Hieronymus 8. quæſtion 1. *Audacter fortaſſe aliquid dicimus, tamen quod ſcriptum eſt dicimus, non ſemper princeps populi & Eccleſiæ per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt, ſi mali ſunt actus noſtri, & operamur malignum in conſpectu Domini, dantur nobis principes ſecundum cor noſtrum, & hoc tibi de ſcripturis probabo, audinantque, quod Dominus dicit: Fecerunt ſibi Regem, & non per me; principem, & non per conſilium meum, & hoc videtur dictum de Saule, quem vtique ipſe Dominus elegerat, & Regem fieri iuſſerat : ſed quoniam non ſecundum Dei voluntatem, ſed ſecundum populi peccatoris meritum fuerat electus, negat eum cum ſua voluntate vel conſilio conſtitutum, tale ergo aliquid intelligimus etiam in Eccleſiis fieri, quod pro meritis populi, aut in verbo, aut in opere potens à Deo tribuitur rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini, talis Eccleſiæ datur index, ſub quo famem & ſitim populus patiatur.* Hæc ille. Ecce quam lucide claret, quod non omne malum ruinæ populorum ex culpa proueniat Sacerdotum malorum. Per hoc patere poteſt, quid reſpondendum ſit ad auctoritates per dominum opponentem inductas, & multas ſimiles, ſcilicet, Bedæ ſuper Matthæum vigeſimo primo dicentis : Quod ideo Dominus de templo eiecit vendentes, quia cauſa ruinæ populi maxime fuit Sacerdotum culpa. Ad idem allegauit Gregorium dicentem ibidem. Similiter audiſtis iam mentem beati Gregorii, & ita poſſem de aliis exemplificare. Numquam fuit mens beati Gregorii, quod omnes ruinæ populi eſſent ex culpa cleri, ſicut nec dominus proponens vniuerſaliter, ſed indefinite

Ioan. 9.

Greg. in Iob. c. 1. 5.

Tertio auctoritate. Iob. 37. Greg. moral. lib. 25. c. 20. Oſea 13.

1. Reg. 15.

Iſidorus.

8. q. 1. c. audaciter. 18. non eſt Hieron. ſed Orig. hom. 4. in lib. Iud.

tantum

tantum poſuit, & tanto cautius. Quia tamen nonnunquam ſimplices audientes, neſcientes inter vniuerſale & particulare diſtinguere, ſeducuntur; ideo ſciendum, quod modus loquendi Doctorum eſt, quod ſicut ſæpe in Scripturis pars ſumitur pro toto, & è conuerſo, ita & in propoſito, quando dicitur maxime, id eſt, ſæpe, & pro magna parte, ſicut etiam communiter ſumi ſolet, ſemper pro frequenter, & cauſa pro occaſione : quæ tamen occaſio non eſt cauſa, niſi per accidens. Eſt ergo fideliter credendum, quod ſicut ſæpe ruinæ populi proueniunt ex culpis cleri, ita è conuerſo, ſæpe ruinæ cleri proueniunt ex culpis populi, huius diſtinctionem ſolus nouit, qui omnes ſimiliter clerum & populum iudicabit, qui eſt diſcretor meritorum, & diſtributor mercedum vnicuique prout geſſit in corpore. Ceſſet ergo prouerbium iſtud in Iſrael: *Patres noſtri comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, quoniam filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii, ſed anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Ezechiel, 18. hæc de primo. Conſequenter dominus proponens Iohannem Hus extollit præconiis multis. Ad hoc dico, quod non propter virtutes ſuas, nec propter hoc, quod Simoniacam hæreſim deteſtatus eſt, vt proponens dicit, ſed propter errores multos, quorum quoſdam per ſe faſſus eſt, quoſdam in ſuis tractatulis conſcripſit, quoſdam proborum teſtimonio conuictus eſt. Vnde non de bono opere, ſed propter blaſphemiam iudicatus eſt, de quo heri ſatis dictum eſt, ideo ſupersedeo. Ego autem volens nunc baſim & fundamentum omnium dicendorum de materia prædictorum Sacerdotum ponere, Pono aliud, & eſt iſtud notabile ſuper eodem complexo, de ſacerdotibus Domini, ſcilicet, quod ſunt duplices ſacerdotes Domini, ſiue boni ſint, ſiue mali. Aliqui curati, alii non curati. Et ſoli curati habent ordinarie verbum DEI prædicare poſt Prælatos maiores, ſcilicet, Epiſcopos. Alii non curati, non tenentur, nec debent prædicare verbum Dei, niſi ex ſpeciali licentia Prælati. Pro cuius deductione, duo ſunt notanda. Primum de ſcientia in quolibet presbytero requiſita, & ſi reperiremus, quod minor ſufficit ſacerdoti ad ſacerdotium, quam ad prædicandum requiratur, habeo propoſitum. Secundum de originali ſucceſſione presbyterorum, qui ſcilicet ſuccedant ordinariis primis prædicatoribus, quorum fuit officium per verbi Dei prædicationem illuminare mundum, ſicut Apoſtoli & ſeptuaginta duæ Diſcipuli. Quantum ad primum nota verba ſanctæ Thomæ in quartum Sententiarum, diſtinctione vigeſima tertia, in quæſtion. 3. Quanta ſcientia requiratur in ordinando, in reſponſione ad primum articulum, ſcilicet, ad auctoritatem Malachiæ ſecundo. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de manu eius requirent*, oſtendere volens, de quibus Sacerdotibus hæc verba intelligantur, dicit de curatis tantum. *Sacerdos*, inquiens, *habet duos actus, vnum principalem ſuper corpus Chriſti verum, & alium ſecundarium ſuper corpus Chriſti myſticum, & ſecundus actus dependet à primo, ſed non conuertitur, & ideo aliqui ad ſacerdotium promouentur, quibus primus actus tantum committitur ſicut religioſi, quibus animarum cura non committitur, & à talium ore non requiritur lex, ſed ſolum, quod à Sacramenta conficiant, & ideo talibus ſufficit, ſi tantum de ſcientia habeant, quod ea, quæ ad Sacramentum ſpectant, rite perficere poſſint, ſicut in vitis Patrum multi ſimpliciſſimi presbyteri leguntur fuiſſe, qui vitæ erant ſanctiſſimæ. Alii autem promouentur ad alium actum, qui eſt ſuper corpus Chriſti myſticum, & à talium ore populus legem requirit. vnde in illis ſcientia legis eſſe debet, non quidem, vt ſciant omnes difficiles quæſtiones legis: quia in his debet recurſus ad ſuperiores fieri, ſed ſciant ea, quæ populus tenetur ſcire vel credere de lege: ſed ad ſuperiores Sacerdotes, ſcilicet Epiſcopos pertinet, vt etiam ad ea, quæ difficultatem in lege facere poſſint, ſciant, & tanto magis, quantum in gradu altiori collocantur.* Hæc ille. Ad eadem concordat ſententiam dominus Albertus Magnus, eadem diſtinctione dicens : *Diſtinguendum videtur mihi in ordinandus, quidam enim ordines ſumunt ex ſola deuotione, vt monachi, & alii quidam religioſi. Alii recipiunt ordines, vt in illis miniſtrent populo verba, Sacramenta miniſtrando ſeu diſpenſando, vt religioſi quidam, & illi qui ſunt intitulati ad curam animarum. De primis diſtinguendum puto, aut enim habent curam animarum, in ſuis ordinibus, vt Abbates & Confeſſores, ab Abbatibus conſtituti, aut non habent nec habebunt: ſi habent, idem iudicium videtur de eis, quod de aliis habentibus curam animarum : ſi autem non habent, vt hi qui*

1. Cor. 7. Ezech. 18.

CCLXI. *Sacerdotes curati, & non curati.*

Minor ſcientia ſufficit ſacerdoti ad ſacerdotium, quam ad curam animarum.

Albertus Magnus.

Malach. 2:

Oſtienſis.

Raymundus.

Diſt. 38. c.

Ignorantia. 1.

Diſt. 38. c. Quãdo II. Libellus officialis quid?

Diſt. 21. In nouo. c. 2.

c. præcedenti.

Auguſt. de Ancona. de poteſtate Eccl. c. 104.

Luc. 10.

CCLXII

causa deuotionis tantum ordinem ſuſcipiunt, videtur mihi quod non teneantur, niſi vt ſciant pronunciationem Pſalmorum & lectionum, & illorum diſtinctiones, quæ ex ſcientia Grammatica addiſcuntur. Si autem officium docendi ſuſcipiunt ex beneficio, vt clerici intitulati vel ex profeſſione, vt quidam religioſi, dicendum videtur, quod tenentur plura ſcire, & ea credo eſſe, quæ groſſe ſunt exponenda populo in fide & moribus, quæ rudimenta Chriſtianæ fidei vocantur, & vt in aliis determinent caſus, & quæſtiones ſecundum conſilia ſuperiorum. Vnde omnes, inquit, auctoritates inductas in contrarium, inter quas etiam eſt illa tam allegata. Malachiæ ſecundo, intelligo de huiuſmodi ordinatis, & quantum ad huiuſmodi ſcientiam, ſcilicet diſcernendi, quid mortale & quid veniale, in quibus, & quæ articuli ſolemnizati ab Eccleſia, & cætera talia: Et ad alia, meo iudicio, non tenetur, niſi ſit in altiori gradu conſtitutus. Hæc Albertus. Concordat his Oſtienſis, libro 1. Rubric. 2. de tempore ordinand. cap. 4. & cui ſub §. quarta regula, vbi in ſumma ſatis etiam videtur concordare Raymundus §. vltim. in ſumma, & multi ſunt alii ad idem ſcribentes, quorum dicta omitto hic conſcribere breuitatis gratia, & ob huius diſtinctionis cauſam æſtimo inoleuiſſe hanc conſuetudinem, quæ in antiquiſſimis Eccleſiis obſeruatur, ſicut in Eccleſia Treuerenſi, in qua, quicunque debet promoueri ad gradum ſacerdotalem fertur, ſi non habet beneficium curatum, promitti. Hoc etiam habet communis practica Eccleſiæ, quod ſi vnquam beneficium curatum adipiſcitur, ſe de nouo ad examen manifeſtare ſeu præſentare, quia oportet ipſum ex tunc populo prædicare, & Sacramenta miniſtrare; ad quod prius non fuit obligatus, & de iſtis ſacerdotibus, ſic ad curam animarum ordinatis, dicit Canon, *Ignorantia*, diſtinction. 38. *Ignorantia mater cunctorum malorum maxime in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docenda officium in populis Dei ſuſceperunt*, non loquitur ergo, niſi tantum de curatis, quod oſtendit Capitulum ſequens, ex Concilio Toletano, dicens : *Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem à ſuo ſacerdote accipiant, vt ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedant*, & eſt libellus officiorum, in quo officium presbyteri officiandi, baptizandi, & Sacramenta miniſtrandi continetur, vt dicit glo. ibidem. Et ſic patet primum, ſcilicet, quod minor ſcientia requiruntur ad ſacerdotium, quam ad prædicandum, ergo non omnes ſacerdotes ſunt obligati, ſub præcepto Domini prædicare verbum Dei. Sequitur etiam, quod non niſi curati, vel ex profeſſione religionis obligati tenentur prædicare ordinarie verbum Dei.

Quantum ad ſecundum, ſcilicet, quomodo hoc pateat ex originali ſucceſſione presbyterorum, dico, quod ſicut ſoli Pontifices vel Epiſcopi ſunt ordinarii ſucceſſores Apoſtolorum, quanquam ſunt multi alii Prælati in Eccleſia Dei, ita ſoli Presbyteri curati ſuccedunt ſeptuaginta duæ diſcipulis Domini, quanquam ſint multi alii Presbyteri & Diaconi. Iſtud patet originaliter ex glo. Luc. 10. vbi dicitur ſic: *Sicut in Apoſtolis præceſſit forma Epiſcoporum, ita in 72. Diſcipulis figura reluxit minorum presbyterorum*, hoc ſecundario claret diſtinct. 21. in nouo. vbi ſic dicitur: *Videntes Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos roganerunt Dominum meſſis: vt mittat operarios in meſſem. Vnde ab eis electi ſunt 72. Diſcipuli, quorum typum gerunt Presbyteri, atque in eorum loca ſunt conſtituti in Eccleſia*, de quibus ſacerdotibus hoc intelligatur, ibidem exprimitur in capitulo præcedenti decreti, vbi dicitur ſic : *Simpliciter vero maiorum & minorum ſacerdotum diſcretio in nouo Teſtamento ab ipſo Chriſto ſumpſit exordium, qui duodecim Apoſtolos tanquam maiores Sacerdotes, & ſeptuaginta duæ Diſcipulos, quaſi minores Sacerdotes inſtituit, ita quod veri paſtores ſunt tantum Epiſcopi, ſed plebani ſunt paſtores ſubſtituti, ac cooperatores inſtituti.* Item dicit venerabilis Doctor frater Auguſtinus de Ancona, in libro de Eccleſiaſticis poteſtate, capit. 104. articul. 1. quod ſoli curati, qui vocantur ſecundi ordinis Presbyteri ſuccedunt ſeptuaginta duos diſcipulis Domini, non quod ſit per omnia ſimilitudo, ſed inter multas differentias quatuor reperio eorum conuenientias. Prima eſt in poteſtate Domini. acceperunt enim diſcipuli à Chriſto poteſtatis dominium, quando dictum eſt eis, Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*, ac ſi diceret, dedi vobis poteſtatem eiiciendi omne genus immundorum ſpirituum ab obſeſſis corporibus. & hoc ne

putaretur

putaretur esse dictum de bestiis, vt exponit Beatus Chrysostomus. Istud autem repræsentant presbyteri curati in Sacramentorum administratione, vbi, & per quæ dæmones seu serpentes, id est, peccata expelluntur à pœnitentibus. Secundo in administrationis officio, quod 72. discipuli receperunt, quando dictum est eis : *In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui.* Quia enim bonorum omnium pax mater est, sine qua cætera inania sunt. Ideo Christus misit discipulos pacem primo offerre tanquam bonorum omnium initium, quorum ministros eos faciebat, vt dicit beatus Chrysostomus ; hoc autem repræsentant curati presbyteri in Euangelii sancti prædicatione, in qua primo numeranda est pax, iuxta illud ad Rom. 10. *Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* Tertio in charitatis vinculo, quod 72. receperunt, quando bini missi sunt in omnem ciuitatem & locum, in signum, quod qui charitatem Dei & proximi non habent, officium prædicationis nullatenus assumere debent, vt beatus Gregorius exponit. Istud totum repræsentant presbyteri in plebis curæ receptione, pro qua ipsam animam, & vitam propriam tenentur exponere. Vltimo in honoris præconio, quod 72. Discipuli receperunt, dum reuersi cum gaudio dixerunt: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* vt dicit glossa, Gaudebant enim, quod quasi sublimes effecti terribiles dæmonibus & hominibus erant, hoc autem repræsentant presbyteri, in subditorum iurisdictione, à quibus, si bene præsunt eis, digni duplici honore debent haberi, vt dicit Apostolus primo ad Timotheum quinto. Repræsentant ergo discipulos Christi Domini sacerdotes curati hoc modo, quamuis etiam sit dissimilitudo, quia isti non possunt facere miracula, sicut illi, nec habebant determinatas parochias, sicut isti, sed prædicabant in omni loco, quo erat Christus venturus, Lucæ decimo. Ex quo iterum sic arguo. Illis tantum conuenit ex officio ordinarie prædicare, qui succedunt Apostolis, & 72. Discipulis, sed nulli eis succedunt nisi tantum Episcopi & curati, ergo diaconis & presbyteris non curatis, non conuenit vllo præcepto Domini actus prædicationis. Et tantum de notabili secundo, per maxime in hac materia opportuna. Ex isto sequitur, quod totum fundamentum vestrum est debile, & à veritate arenosum, vbi dixistis, super notabili, libere, quod libertas prædicandi confertur à Domino cuilibet diacono & presbytero, per ministerium Episcopi in sua ordinatione, & quod tale officium debent libere exequi, irrequisiti, imo nolentibus prælatis. patet ex iam dictis, luce meridiana clarius. Et istud probo sic limpidius. Omne, quod confertur presbytero in collatione sacri ordinis, est aut ratione characteris, aut auctoritate clauium, sed neutrum eorum dat presbytero libertatem actus prædicandi, nisi habeat curam commissi populi, ergo non conuenit sibi prædicare, ratione accepti ordinis per ministerium Episcopi. Assumptum declaratur pro maiori, quia secundum omnium Theologorum scholam in sacerdotio non confertur, nisi duplex potestas, vna super corpus Christi verum illud ad conficiendum, & hoc virtute characteris sacerdotalis. Alia super corpus Christi mysticum, quæ est potestas clauium, scilicet potentia ligandi & soluendi, & scientia discernendi inter lepram & non lepram, quæ scientia non dicit nouum habitum, sed auctoritatem discernendi in foro conscientiæ, quam prius non habuit, & executionem vtriusque non habet, nisi materiam aptam, & sibi ministraram accipiat. Vnde sicut cæteri presbyteri non possent missam celebrare si hostiam aptam, quasi materiam requisitam, non haberent, ita nec possunt absoluere, vel ligare, nisi populum sibi commissum, id est, materiam requisitam, accipiant. Nam omnis actio hominum seu naturalis, sicut requirit potentiam, qua fiat, ita requirit materiam in qua fiat. non plus legi ego conferri presbytero, per episcopi ministerium in collatione characteris & clauium sacerdotalium. Et sic patet maior. Minor probatur de vtroque. & primo, quod non virtute clauium : quia, vt dictum est, virtus clauium sacerdotii est in ligando, soluendo, & discernendo in foro conscientiæ. sed hic nulla fit mentio de prædicatione. ergo non potest rite dici, quod ratione sacerdotii habeat libertatem prædicandi. Secundo, nec ratione characteris, quod patet ex descriptione eius, quæ est triplex, vt communiter allegatur circa quartum Sententiarum, distinctione quarta. Prima est: *Character est signum distinctiuum, quo quis ab aliis diuiditur, & ad aliquod spirituale dandum vel suscipiendum deputatur.* Secunda est : *Character est signum sacrum communionis fidei & potestatis diuinorum, & sacræ ordinationis fidelium, datum à diuina beatitudine.* Tertia est: *Character est distinctio à charactere æterno, impressa animæ rationali secundum imaginem, consignans Trinitatem creatam, Trinitati creanti, & recreanti, & distinguens à non signatis secundum statum fidei.* Et constat diligenter intuenti, singulas particulas harum descriptionum, quod nulla earum importat prædicandi actum libere, ergo ratione characteris, vt character est, nullus habet auctoritatem exercendi actum prædicationis. Confirmatur, Apostoli in cœna Domini virtute characteris ex consecratione sacerdotali non receperunt potestatem libere prædicandi, ergo nec modo presbyteri illam recipiunt ratione Episcopalis ministerii. Tenet consequentia, quia in cœna Domini fuerunt consecrati in presbyteros, per illa verba, *hoc facite in meam commemorationem*, & receperunt characterem sacerdotalem, sed in die Paschæ post dedit eis potestatem prædicandi, dicens: *Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos*, Iohannis vigesimo. Et dicit sanctus Thomas, quod in illa cœna non dedit eis Dominus nisi actum primi alem sacerdotii scilicet conficiendi corpus Christi verum. sed post in die Resurrectionis superaddidit aliam potestatem, scilicet ligandi & soluendi, dicens : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Iohannis vigesimo cap. In quarta Sententiarum, diuinctione vigesimo tertio, vbi vult Scotus, quod forte propter has distinctas potestatis characteris, & clauium adhuc odie imprimatur sacerdotibus duplex character, vnus, quando Episcopus dat sibi calicem cum patena, hic dicitur character ordinis. Alius quando Episcopus imponit sacerdoti manus, dicens : *Accipite Spiritum sanctum.* qui diceretur character clauis, nusquam autem legitur, quod imprimatur aliquis alius character, virtute cuius sibi conferatur libertas vbique prædicandi, & de his habemus postea clarius & prolixius in Corollario articuli principalis, quod est primum in ordine Corollariorum, & tantum de notabili secundo.

Circa tertium notabile domini proponentis, super illo verbo, *debet*, dixit proponens debere capi præceptiue, ita quod ex præcepto domini sacerdotes essent obligati prædicere verbum Dei, de quo post videbitur in materia principali, quæ est materia articuli. ibi etiam notauit vnum silentio non prætereundum, scilicet, quod hæc esset differentia inter præceptum & consilium, quod præceptum Dei est doctrina seu statutum obligans hominem, sub pœna peccati mortalis. Consilium autem Dei est doctrina specialis, solum obligans sub pœna peccati venialis. Istud restat impugnandum, quoad secundam partem, quia à veritate est omnino deuium, & dico secure, quod non obseruantia consiliorum diuinorum in Euangelio conscriptorum, ea ratione, qua consilia sunt, nullum obligat ad peccatum veniale, nisi tantum eum, qui seruare vouit, quia illi deinceps non sunt consilia, sed vota, quorum transgressio non est venialis, sed mortalis culpa, iuxta illud Psalmistæ: *vouete & reddite.* Glossa beati Augustini, *vouere est voluntatis, sed reddere necessitatis.* Et dixi notanter, quod transgressio consiliorum, vt consilia sunt, non obligat, cum talia sub certo modo intellecta, non sint consilia, sed præcepta, & sic eorum transgressio est mortalis non venialis culpa. Ponamus sub exemplo. nam consilium ex Matth. 5. *Diligite inimicos vestros*, istud est præceptum quantum ad dilectionis affectum, sed quantum ad dilectionis effectus est consilium quia inimico velle gratiam & gloriam necessitatis & præcepti est, sed ostendere illis signa beneuolentiæ, hoc perfectionis & consilii est. Vnde ad hoc non omnes tenentur. Insuper illud : *Si quis percusserit te ad vnam maxillam, præbe ei aliam.* est consilium quoad exteriorem exhibitionem, sed præceptum est quoad interiorem animi præparationem, vt scilicet homo paratus sit sustinere patienter, & alteram percussionem, si cedere hoc crederet in bonum. Præterea corrigere fratrem delinquentem, est consilium, si frater peccet venialiter. sed est præceptum, si peccet mortaliter, &

Curatis succedunt 72 discipulis.

Character quid?

Apostoli quando facti sunt sacerdotes.

Thom. 4. sent. d. 24. q. 2. art. 3. ad 2.

Scotus 4. sent. d. 24.

CC. LXIII. *Tertium notabile aduersarii.*

Consilia non obligat ad veniale vt vult aduersarius.

August. in Psal. 75.

Matth. 5.

vbi

vbi spes sit de eius emendatione, & ita de aliis multis, cæteris circumstantiis saluis. Tunc propositum ostenditur falsum primo auctoritatibus, secundo rationibus. & primo auctoritatibus, dicit enim Hieronymus contra Iouinianum, 14. qua. 1. *Quod recipitur imperatur, quod imperatur, necesse est fieri, si non fiat, pœnam habet : vbi consilium datur, offerentis arbitrium est*, ergo si in pura arbitrii libertate consistit consilium, non obseruantia, nullum erit peccata. Secundo tum auctoritate sacri generalis Concilii Carthaginensis quarti dicit : *Consilia Domini non præcipientis, sed exhortantis sunt.* exponendo illud Euangelium : Si quis vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et habetur ibidem cap. *Episcopus*, Ter. io, auctoritate per proponentem allegata, in capitulo, *Quod debetur.* Vbi dicit beatus Augustinus : *Præcepto Domini non obtemperare, peccatum est, & consilio si vti noluerris, minus boni adipiscens, non mali quidquam vel aliquid perpetrabis.* Vbi expresse innuitur ex beato Augustino, quod aliquid mali non perpetrat, qui consilia Domini non seruat, ergo nec venialiter peccat, cum venialiter peccare sit aliquid mali perpetrare. Quarto, ex positione Archidiaconi qui dicit ibidem, quod est duplex consilium. Primum est consilium reuerentiæ, & qui hoc non recipit, peccat, 6. distinction. cap. *Testamentum.* sicut consulebatur in veteri Testamento, quod pollutus nisi aqua lotus fuerit, ei usque ad vesperam Ecclesiam intrare non permittebatur, & hic nunc de pollutione dicit, quod aliquando à celebratione cogit abstinere, quod cadit sub consilio reuerentiæ, quam ad Sacramentum homo debet habere. Aliud est consilium, inquit, perfectionis, cui licet non pareatur, non est peccatum. ergo secundum Archidiaconum non seruare consilia, quæ sunt perfectionis exhortamenta, non est aliqua culpa. Quinto, est ad idem Hugutius, qui dicit ibidem, hanc esse differentiam inter præce, tum & mandatum, quia mandatum tenet medium inter consilium & præceptum, in hoc quod mandatum est vltra consilium & citra præceptum, mandatum enim cogit sicut præceptum, & peccatur, si non impletur, & hoc, inquit, differt mandatum à consilio, ita quod si consilium non impletur, nec peccatur. Ergo nec venialiter, cum veniale peccatum sit vtique peccatum.

Ex his duobus elicio primum, inter præceptum & consilium esse multiplicem distinctionem. Secundum, non seruare consilia non obligat fideles ad veniale peccatum. Quantum ad primum, prima distinctio est quod consilium est persuasio boni melioris, ad quod non tenentur Christiani, etsi velint, sed præceptum est obligatio boni necessarii, ad quod singuli obligantur, etiam si nolint. Vnde seruare Dei præcepta cunctis est necessitatis; seruare consilia, est puræ voluntatis, id est libertatis. Secunda, quia consilia pertinent ad perfectos ; præcepta ad perficiendos, sed permissio ad imperfectos seu infirmos. Tertia, præcepta separant nos ab illicitis, sed consilia à concessis. Quarta, per præcepta declinamus à peccato, per consilia ab occasione peccandi. Quinta, per præcepta maxime negatiua, pœnam fugimus, sed per consilia præmia annullamus. Sexta, ad præcepta constringimur ex debito, ad consilia non nisi ex voto. Septima, præceptum nunquam fit consilium, sed consilium per votum fit præceptum. Octaua, præcepta data sunt ad consequendum finem beatitudinis. Sed consilia ad expeditius consequendum illum finem. Vnde præcepta ordinant ad finem: sed consilia sunt quasi media aptissima ad consequendum illum finem; sicut equum ascendere, est aptius medium perueniendi ad terminum, quam peditare. Nona, præcepta sunt omnibus expedientia, sed consilia non propter indispositionem aliquorum, quia eorum affectus ad ea non inclinatur. Et ideo dominus consilia Euangelica proponens, semper facit mentionem de idoneitate & voluntate hominum, ad obseruantiam consiliorum. Dans enim consilium perpetuæ paupertatis, Matthæ. 19. præmittit : *Si vis perfectus esse, & tunc subdit, vade, & vende omnia.* Similiter dans consilium perpetuæ castitatis cum dixit : *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerint propter regnum cœlorum.* Statim subdit: *Qui potest capere, capiat.* Et similiter Apostolus, 1. ad Corinth. 7. præmisso consilio suggerens, dicit : *Porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis injiciam.* & ita patet distinctio inter consilia & præcepta Euangelica. Ex his sequitur statim secundum, scilicet, quod non obseruantia consiliorum non obligat fideles ad veniale peccatum, quod probatur ex tribus. Primo, quia secundum omnes doctores ; peccatum veniale obligat facientem ad aliquam pœnam, in præsenti vel futuro persoluendam, licet non sit grauis, & cito soluta ; sed non obseruantia consiliorum ab his, qui non vouerunt, nullum obligat ad quamcumque pœnam in præsenti aut futuro sustinendam, quia illam nec pœnitentiarii iniungunt, nec non obseruantes consilia, talem pœnam soluunt, ergo non videtur eos incurrere talem culpam venialem, patet assumptum, quia peccatum veniale dicitur id, quod aliqua venia indiget seu indulgentia, sed non obseruantia consiliorum non indiget venia, cum nihil mali actum sit, vt dictum est, ergo vt prius. Secundo, hoc illud, quod est in pura voluntate hominis, non obligat hominem ad eligendum vel respondendum, sub quacumque specie peccati, imo poterit libere hoc acceptare, vel non acceptare. Sed sic est de consiliis Euangelicis, ergo si non acceptauntur, nullum peccatum incurritur. Tertio sic. id, ad quod nemo obligatur, nisi ex voto proprio, si non facit, nullo modo peccat. sed ad consiliorum obseruantiam nullus obligatur, nisi qui vouit, vt dictum est, ergo qui talia non seruat consilia, nullo modo peccat. Pro quo sciendum, quod istud valde periculosum est dicere, propter quatuor præcipue, primo, si non obseruantia consiliorum obligaret ad peccatum veniale, & peccatum veniale ad aliquam pœnam licet modicam; peccatum veniale secundum obligaret ad duplam pœnam; tertium ad triplam; & sic deinceps. Sed valde graue esset omnibus fidelibus, qui consilia non seruant, nec vnquam seruare proponunt, quod toties peccatum veniale incurrerent, quia grauem & diutinam pœnam finaliter soluerent. ergo non est verisimile, quod non obseruantia consiliorum inducat veniale peccatum. Secundo, quia veniale peccatum vltra hoc multiplicia incommoda animæ affert. Nam primo animam maculat, quod sic intelligendum, si sit imago aliqua depicta, aliquando denigratur, vt videri non possit ; aliquando vero obscuratur, vt videri quidem possit, sed non plene discerni. Et ideo propter talem denigrationem dicit beatus Gregorius, quod veniale obscurat, mortale denigrat. De quo etiam Beatus Augustinus, in libro de pœnitentia ait : *Peccata venialia, si multiplicentur, decorem nostrum ita exterminant, vt à cœlestis sponsi amplexibus nos separent* ; quod exponit beatus Thomas, prima secundæ, quæstione octagesima nona, articulo primo, quod hoc verum est dispositine, in casu, vbi multa venialia disponunt ad mortale. Secundus effectus est, quod, venialia peccata imminuunt feruorem charitatis, sicut aqua in ignem proiecta, licet ignem non extinguat, tamen feruorem illius minuit. Tertius est, quod potentias animæ in operibus bonis lassat, sicuti quando ponitur onus super equum, licet non succumbat, tamen est minus promptus ad ambulandum. Quartus, quod retardat ad gloriam, quia homo, qui deberet, & posset statim post mortem euolare, cogetur ad tempus propter venialia in Purgatorio stare. Quis vnquam tantæ crudelitatis esset, quod omnes has pœnalitates vellet cuilibet, qui consilia non seruaret, infligere ? Insuper tertio, quia omnium Doctorum hæc veritas est, vt prædixi, quod præbere alteram maxillam est consilium, & tamen CHRISTVS hoc non fecit, ergo CHRISTVS venialiter peccasset contra illud Euangelii : *Quis ex vobis arguet me de peccato* ? Iohannis octauo, *qui peccatum non fecit*, prima Petri secundo. Finaliter quarto ex eo, quod sicut ad remissionem peccati mortalis exigitur desertio actus peccandi, cum voluntate in posterum abstinendi, sic quoque peccatum veniale in præsenti factum, non dimittitur, nisi actu & proposito deseratur.

Constat autem, quod non obseruantes consilia, vt frequenter, nec actu recipiunt, nec proposito intendunt seruare ea. Ergo talibus illa peccata venialia nunquam remitterentur in præsenti vita, sed restaret longa & acerba pœna à talibus hominibus post hanc vitam sustinenda, quod negat omnis, & tota Theologorum schola, quia de consiliis Apostolus loquens, ait, vt prædictum est, *hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis injiciam*, 1. ad Corinth. 7. Ex his patet responsio ad ea, quæ Proponens allegauit, 14. qu.

1. q. 1. ca. Quisquis. 3

14. q. Episcopus. c. 1.

Aug. ſ. 19 contra Faustum, c. 25.

14. q. 1. c. 2 Quod debuit.

Dist. 6. ca. Testamentum. 1.

Consilium reuerentiæ. Perfectionis.

Matth. 19.

1. Cor. 7.

1. Greg. citatur à S. Tho. d. 16. lib. 4. q. 2. ar. 1. add. 3

August. de pœn. c. 2. & serm. 4. de sanctis.

Thom. 1. 2. ar. 1. q. 89

Ioan. 8.

1. Cor. 7. 14. q. 1.

prima,

Quod debetur. c. 2. & Quisquis c. 3. Aug. li. 19. contra Faust. c. 25.

prima, *quod debetur*, non habetur ibi, quod transgrediens consilium Dei, peccet venialiter, sed tantum, quod si consilium non seruas, minus bonum adipiscaris, sed, inquit, *non mali aliquid impetrabis*, & hoc contra ipsum, quia si non mali aliquid perpetrat, ergo nec venialiter peccat. Similiter in capitulo sequenti. quod etiam contra se adducit, vbi dicitur, quod consilium datur offerentis arbitrio, ergo non obligat ad veniale aliquo modo. Insuper super illo complexo, exemplo CHRISTI & Apostolorum, notauit, quomodo, & ad quantum exempla Christi, Apostolorum, & primitiuæ praxes & exempla non obligant, pro eorum sequela, sed quia dicta sunt in sententia per Reuerendum Magistrum meum, Iohannem de Argusio, ideo nunc supersedeo, quia habentur in alio opusculo meo. Epilogus præsentis lectionis hic est in summa, quod in arguendo, sic primo, *Christus mandat hoc, ergo hoc est faciendum*, non valet ex forma, sed forte ex materia, quia Christus aliquando mandat, quod non vult fieri, quia non manducat sub forma præcepti, sed per modum alicuius documenti. Item bene sequitur: *Papa mandat hoc, & non fundat se expresse in lege diuina*, vt superius dictum est, *ergo hoc est faciendum*. quia quidquid mandat, quod legi Dei, aut aliquibus sacris Canonibus non obuiat, licet expresse hoc non contineat, faciendum est, quia, vt deduxi, Papa non est nomen ordinis, sed officii & iurisdictionis, & dicitur sanctissimus, & beatissimus. etiam si sit malus, dummodo non sit hæreticus, quia hæc sibi conueniunt, non ratione meriti personalis, sed ratione officii, potestatis, & vniuersalis iurisdictionis. Hæc circa argumenta dicta sint.

Epilogus actus primi diei.

CCLXV

Circa primum notabile habemus, quod verbum Dei diminutiue expressit, eo quod verbum Dei tertio modo captum, scilicet inspiratum non posuit, quod tamen necessarium est prædicatoribus. Ex quo vlterius deduxi, quod verbum Dei inspiratum est duplex, scilicet priuatum, quod Deus per sanctos Doctores expressit; & publicum, quod scilicet statuta generalium Conciliorum statuit, & diffinit. Circa hoc concluſi, quod illud per dominum proponentem adductum, scilicet, quod verbum Dei tantæ sit perfectionis, quod ei nil addi aut auferri possit sub allegatis pœnis, quod licet sit maximæ perfectionis, possumus tamen addere ad declarandum, licet non debeat addi contrarium. Circa secundum notabile, de sacerdotibus Domini, distinxi inter curatos & non curatos, ostendens, quod non curati ordinarie non tenentur prædicare verbum Dei, & quod soli curati presbyteri succedunt 72. discipulis Domini, non in omnibus secundum æqualitatem, sed secundum figuram & similitudinem, ex quo concluſi, quod non est vniuersaliter verum, omnes ruinas populi prouenire ex culpa malorum Sacerdotum, quia sæpe propter peccata populi datur à Deo eis Sacerdotes, & Prælati mali. Vnde dominus proponens caute egit, quod indefinite, non vniuersaliter posuit. Circa tertium notabile super verbo, *debet*, vbi dixit illud capiendum præceptiue asserendo, quod transgrediendo consilium Dei, committat quis peccatum veniale, reprobaui hoc multipliciter & veraciter. Ostendo, quod consilium Christi non obligat vnquam ad peccatum veniale, cæteris paribus, sed sæpe ad mortale eum, qui vouit, vel in casu, quo consilium præcipitur. Hæc est summa dictorum, quæ quæso accipite in corde bono & optimo, vt præmisi in themate, vt fructus sequatur in patientia, de quo Dominus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, in præsenti per gratiam, in futuro per gloriam, Amen.

Luc. 21.

CCLXVI.

Hebr. 1.

Multifarie, multisque modis, Patres & Domini venerandissimi, *olim Deus loquens*, voluntaris suæ beneplacita Patribus veteris Testamenti pandens *in Prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio suo vnigenito*, ad Hebræos primo, quem ex matre, sed Virgine nasciturum: eandem obumbrauit, Filius imprægnauit, & Spiritus sanctus adaptauit, vt esset sine grauamine grauida, sine corruptione fœcunda, sine dolore puerpera, secundum Bernhardum in sermone, qui ex voluntate patris, vt dispersos in vnum colligeret, quos tandem in æterno ouili vnico vinicus sit pastor reficeret, in totius sui in humanis discursus periodo, in huius mundi agro duo inseruit, scilicet veritatem & gratiam, quoniam veritas & gratia per IESVM CHRISTVM facta est, *Iohann. primo*, veritatem, id est, fidem illuminantem intellectum & gratiam, id est, dilectionem iustificantem affectum, quæ sunt duo, in corde bono & optimo requisita, prout heri dixi per thematis verba, *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, fructum afferunt in patientia*, vbi postquam expositum est primum principale, quod est locus aptificandus in corde bono & optimo, restat declarare secundum, vt annectatur modus congruus, per quem demulceatur & delectetur auditorum animus, vtique audientes verbum Domini retinent intellectu, vt instruantur affectu, vt delectentur re, vt teneantur memoriter, & re impleant efficaciter. Non minus reus est, qui verbum Dei audierit negligenter, quam qui corpus Christi in terram sua negligentia cadere permisit: prima, quæstione prima, *interrogo. Omnisetiam, qui audit verba mea, & facit ea, similis est homini, qui ædificat domum suam supra firmam petram*, Matthæi septimo, *si consentiens esto aduersario tuo*, Matthæi quinto. Aduersarius tuus, verbum Dei est, si facis, quod audis, concordasti cum eo, si autem non facis, rixaris cum eo, & si non composueris te, vt facias, tradet te iudici tuo, & iudex ministro, & in carcerem mittent te. Beatus Augustinus, *in libro de decem chordis, cap. decimo*. Sed diceret forte simplex laicus, aut hirsutus clericus: Certe hoc facio, verbo Dei me conformo, sicut prædicat prælatus meus, ita credo, ita & ago. Respondeo, optime facis, si bene te docet ille Prælatus vel Sacerdos. Nam in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur errorem cuiuscumque docentis, in talibus nec ignorantia, nec simplicitas excusat. Ait sanctus Thomas, *Quodlibeto tertio, articulo decimo*. Ita Euangelium diffinit, si cæcus Doctor cæco populo ducatum præstet, neuter excusabitur, sed ambo simul in foueam cadunt, *Matthæi decimoquinto*. Sed quid igitur facit clerus & populus insurgentibus doctrinis inlolitis, à quibuscumque Doctoribus? Respondet beatus Augustinus, libro tertio de doctrina Christiana, consulere debet regulam fidei, quam de Scripturarum locis planioribus, & Ecclesiæ auctoritate percepit, & id credere, quod secundum Ecclesiæ auctoritatem tenetur publice, debet etiam ad Dei misericordiam recurrere, & eius illuminationem incessanter implorare, dicens cum Psalmista: *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte*. orans cum Ecclesia, *à cæcitate cordis libera nos Domine*. Debet etiam ab aliis peritioribus inquirere, non enim Deus deficiet suis, nisi in pulsando fuerint negligentes. Nam *custodit Dominus omnes diligentes se*, in Psalmo, custodietque rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter, Prouerbiorum secundo. debent & vltimo simul omnes ad scrutamen conscientiæ recurrere, & se toto corde contrito & humiliato Deo committere, vt insonet illa vox Domini in tantæ perplexitatis turbine in auribus tam docentium, quam audientium subiectorum. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, quæ germinatur, *Lucæ decimotertio*. quia sæpe Dominus iratus malos prædicatores malis mittit, vtrumque per vtrosque iuste damnet, ait S. Eusebius, super illo. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* ad Romanos decimo. Nempe pro male merito plebis, auferetur doctrina prædicatoris, & pro bono merito audientis tribuitur sermo Doctoris. In potestate enim diuina consistit, vt cui velit Deus doctrinam veram dare, vel auferre, faciat, vt hoc pro dicentis vel audientis sit merito, vt modo pro culpa plebis auferatur sermo Doctoris, modo vero vtriusque meritis tribuatur. Sanctus Isidorus, libro tertio de summo bono. cap. 44. *Melius illis erat viam iustitiæ non agnoscere, quam post agnitionem retro conuertere, &c.* 2. Petri 2. *Beati ergo, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Lucæ vndecimo. hoc est, retinere, tenere, scilicet, implere opere, vt gratiam in præsenti, & gloriam sempiternam valeamus repertare, quam nobis concedat Iesus gloriosus, qui imperat & regnat, Amen.

Bern. serm. 3. de laudibus Mariæ virgini, & alibi.

Ioan. 1.

1. q. 1. c. Interrogo, c. 94. Aug. li. 50. homil. 26. Matth. 7. Matth. 5. Aug de decem chordis, c. 10.

Nullus excusatur cuiuscunque docentis errorem sequendo. Thom. Quodlibeto 3. ar. 10. Matth. 15. Aug. de doctrina Christi. lib. 3. c. 37

Item 26. Quid agendum insurgentibus doctrinis insolitis. Psal. 144. Prou. 2.

Luc. 13.

Eusebius. Rom. 10. Pro culpa plebis auferetur sermo Doctoris. Isidorus.

1. Pet. 2. Luc. 11.

CCLXVII.

Sacerdotes Domini, exemplo Christi & Apostolorum, non debent libere & sine impedimento prædicare verbum Dei, nisi vltra & supra omnem potestatem, quam in sua consecratione sacerdotali acceperunt, se probare possint, esse missos à Deo, vel ad hoc sufficienti Ecclesia prælato. Simile per omnia, & multo fortius est de diacono, vt infra patebit, & hoc ad sensum expositionis terminorum

pro

Probatur conclusio per legem æternam.

proponentis. Ista conclusio restat probanda multipliciter, primo lege diuina, secundo, praxi Christi, tertio, praxi Apostolorum, quarto, praxi Ecclesiæ primitiuæ, quinto sacrorum Conciliorum, sexto Doctorum in lege Domini veraciter se fundantium. Circa primum notandum, quod per legem diuinam intelligo legem quadrifariam, æternam, Mosaicam, Euangelicam, & Canonicam. Probatur conclusio primo per legem æternam. Nam lex æterna est ratio summa in summo principe Deo, cui semper obtemperandū est, per quam mali miseriam, boni bonam vitam merentur, per quam illa, quæ temporaliter sunt recte fertur, rectæque mutatur, secundum beatum Augustinum, *libro primo, de libero arbitrio*, & ibidem, vt breuiter tibi notionem æternæ legis explicem, lex æterna est, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima. Quod declarans sanctus Thomas in prima secundæ, *quæst. 93. artic. 2.* deducit, quod omnis lex Hierarchiæ deriuatur à lege æterna, ac per hoc omnia sunt constituta in ordine debito, si suo modo regulantur à lege æterna, dicens: sic lex importat quandam rationem directiuam actum in finem ordinatum, constat autem, quod in omnibus mouentibus ordinatis, oportet, quod virtus secundi mouentis deriuetur à virtute mouentis primo, quia mouens secundarium non mouet, nisi quantum à primo mouetur, hoc patet in artificialibus & moralibus. In artificialibus quidem ratio artificialium actuum deriuatur ab architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur. In moralibus etiam in omnibus gubernantibus videmus, quod nomen gubernationis deriuatur à primo gubernatore ad secundos, & inferiores subordinatos.

1. q. 1. c. Interrogo, c. 94. Aug. li. 50. homil. 26. Matth. 7. Matth. 5. Aug de decem chordis, c. 10. Omnis lex Hierarchiæ deriuatur à Lege æterna.

Cum ergo lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est, quod omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriuentur. Hæc ille. Quæ autem sit ratio, & quis ordo in illuminatione fidelium seruandus ab æterna lege deriuatus: Notandum, quod sicut in Ecclesia triumphante sunt tres Angelicæ Hierarchiæ, quarum Trinitas beatissima caput est, quarum suprema illuminat ipsa Trinitas per se, suprema mediam, & media infimam, & non econuerso: ita in Ecclesia militante, sunt tres status suo modo illam imitantes, sub vno capite, quod est CHRISTVS, secundum quod homo, summum Papa loco Christi tenet in terris, secundum quod homo, loco Apostolorum, tertium curati loco 72. Discipulorum. Ex quibus apparet, qui secundum diuini principatus ordinem, quæ Hierarchia vocatur, sint ordinarii Ecclesiæ Doctores, ad quos inexcusabiliter, ratione qualitatis sui status, pertinet illuminare populum Dei, ac cæteros actus Hierarchicos exercere, scilicet ad Papam, Episcopos, ac plebanos, vel loca eorum tenentes.

Tres Hierarchiæ in Eccl. triumphant. Tres status in Eccl. militante sub vno capite.

CLXVIII.

Ex hac consideratione subsequentia consideranda sunt attenta mente. Primum est quodammodo quædam causa & ratio, quare modo cessent speciales visibiles illuminationes & inspirationes hominum ab Angelis, quæ tamen olim abundabant. Ratio esse potest, quia quando homo facit debitum suum, vt de salutaribus eruditur, si non est doctrina inter homines, qua erudiri possit, consequens est, vt iuxta diuinum ordinem iam expressum illuminetur ab Angelis, & ita erat, & est de profundis mysteriis diuinis, quæ vltra hominem sunt, pro quibus erat opus reuelatione. Modo autem, quia scientia Domini plena est terra, & de omnibus sufficienter Ecclesia Christiana erudita, ita quod si diligentiam volunt facere, quorum interest, & diligenter addiscere, quæ scire debent, possent ex scripturis omnia negotia, & omnem casum necessarium ad salutem salubriter expedire & discutere, & ita videtur, quod exspectare iam diuinam reuelationem in casibus etiam arduis, sit tentare Deum, ex quo Deus sufficienter illuminauit Ecclesiam in omni scientia diuina pariter & humana.

Speciales visibiles illuminationes hominū ab Angelis cessant, quia Deus sufficienter illuminauit Eccles. in omni scientia diuina & humana.

Secundum est, quod distinctionem & varietatem statuū in Ecclesiastica Hierarchia est necessarium facere, quod ostendit S. Thomas *secunda secundæ, quæst. 183. artic. 2.* propter tria. Primo propter sanctæ vniuersalis Ecclesiæ perfectionem. Sicut enim in rerum naturalium ordine, perfectio, quę in Deo vniformiter & simpliciter inuenitur, non potuit in vniuersitate creaturarum reperiri, nisi differenter & multipliciter: Ita etiam multitudo gratiæ, quæ est in Christo, vt in capite, diuersimode ad eius membra redundat ad hoc, quod corpus Ecclesiæ sit perfectum; & hoc est, quod Apostolus ait ad Ephesios 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, glossa. *Ecce quomodo alii plus, alii minus dedit, hominibus dat ad mensuram, ipse vero non ad mensuram accipit, hos autem omnes dedit in opus ministerii, vt scilicet quisque posset plene facere opus ministrationis sibi creditæ, si enim vnus omnia haberet, non perfecte ageret singula.* hæc ille.

Tres Hierarchiæ in Eccl. triumphant. Tres status in Eccl. militante sub vno capite. Ephes. 4. Glossa ord. ibid.

Secundo, propter necessitates actionum, quæ in Ecclesia sunt necessariæ, oportet, inquit, ad diuersa officia, seu diuersas actiones, diuersos homines deputari, ad hoc quod expeditius, & sine confusione singula expediantur, & hoc est, quod Apostolus dicit, ad Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa habemus membra, non autem omnia membra eundem actum habent.* Item, *multi vnum corpus sumus in Christo.*

2.

Tertio hoc pertinet ad dignitatem & pulchritudinem Ecclesiæ, quæ in quodam ordine consistit, vnde in laudem Ecclesiæ dicitur in Psalmo, quod est circumamicta varietate, gloriosa doctrina Apostolorum, confessione Martyrum, puritate Virginum, & lamento Monachorum seu pœnitentium ornatur Regina, id est, Ecclesia, in cuius figura Regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis, & habitacula seruorum, ordinesque ministrantium, non habebat vltra spiritum, 3. Regum 10. cap. Nam in magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia. hæc sanctus Doctor. Idem sub aliis verbis ostendit Dominus Petrus de Taranthasia, qui & Innocentius IV. ad Ephesios 4. & præter prædicta, addit duas rationes alias, dicens. *Facta est distinctio officiorum, propter multa in Ecclesia, primo propter mystici corporis integritatem secundum illud* 1. ad Corinthios 12. *si totum corpus oculus, vbi auditus? Secundum, propter singulorum membrorum vtilitatem, dicitur enim* prima ad Corinth. 12. *non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarii.* Et Deuteron. 1. *Non possum solus sustinere vos, ait ille fidelis Moyses, ad quod refertur, quod Apostolus* ad Ephesios 4. *dixit, veritatem facientes in charitate crescamus, in illo scilicet Christo, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem tunicturam subministrationis, secundum mensuram in operationem vnius cuiusque membri, quia secundum diuersos gradus Ecclesiæ membrorum, competunt diuersis diuersi actus minores scilicet & maiores, sicut alii Episcopi, alii Sacerdotibus, alii religiosis secundum expositionem Lin. & ibidem.*

Ephes. 4. Distinctio officiorum in Ecclesia cur instituta. 1. 1. Cor. 12. 2. Deut. 1. Ephes. 4.

Glossa ord. ibid.

2.

Tertium, quod isti diuersi status in Ecclesia, sunt fundati per Christum, dum iret personaliter in terris, per expressas similitudines. Quarum vna est, quod Apostoli, & septuaginta duo discipuli non fuerunt Presbyteri, nec Diaconi vsque ad cœnam Domini, tunc enim soli Apostoli fuerunt Sacerdotes consecrati, sed de 72. Discipulis non reperimus ex textu, nisi quod forte Matthias, qui successit in locum Iudæ, & septem, qui ex eis creduntur per Apostolos facti Diaconi, sic sunt ab Apostolis ordinati, non est ergo dicendum, quod illi, qui nec sunt Episcopi, nec plebani, sint à diabolo introducti, cum præfati neutri horum essent, dum à Christo fuerunt electi. Alia via est, quia Matth. 24. Dominus noster diuersitatem omnium ad Ecclesiam pertinentium voluit ostendere, ait sub similitudine, *duo in agro, duo in lecto, duo in mola, alter assumetur, alter relinquetur*, vbi secundum beatum Augustinum, libro quæstionum super Euangelio quæstio. 46. tres status Ecclesiæ patescunt. per duos in agro intelliguntur prælati, per existentes in lecto religiosi, per gyrantes in mola laici, quorum semper vnus assumetur, scilicet bono fine terminans, alter relinquetur, male finiens.

Diuersi status in Eccl. sunt fundati à Christo dū esset in terris per similitudines expressas. Matt. 24. Aug. lib. 2. qq. Euangelicarum c. 44. infra 168. & 169.

Nam in agro sunt, qui in Ecclesia laborando præsunt. In lecto sunt, qui contemplationi in clausis vacant. In mola autem sunt, qui in mundanis sollicitudinibus gyrāt. De his etiam tribus statibus, Ezechielis 14. *Si tres viri, Noe, Iob, & Daniel in sua iustitia saluabunt animas suas*, secundum beatum Augustinum parte prima sermonum, sermone 29 Beda libro quinto super Lucam, capite septimo per Noe, qui Archam rexit, prælati, per Dan. elem, qui contemplationi vacauit, religiosi, per Iob, qui vxoratus fuit, laici intelliguntur. Hunc ordinem Psalmista intelligens dixit: *Ecce, quam bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum*, & quæ iuncta vni-

Ezech. 14. Augustin. Beda. Psal. 132.

tas subdit; *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, de hinc in oram vestimenti.* Nam vnguentum, id est pinguedo totius Ecclesiasticæ sanctitatis, vt est in capite, scil. in Christo homine, prout congruit Ecclesiasticæ Hierarchiæ, descendit in barbam suam, id est, beatum Petrum, proximum eius Vicarium, & quemlibet eiusdem legitimum successorem. Dehinc in barbam Aaron, id est, cuiuslibet prælati seu Episcopi legitime succedentis, dehinc in vestimentum, id est, Ecclesiasticos, dehinc in oram vestimenti, id est, populares, qui sunt extrema pars Ecclesiasticæ Hierarchiæ. De quo ordine ait mellifluus Bernardus 3. de consideratione dicens: *Nec vilem reputes formam hanc, quia in terris est, exemplar enim è cœlo habet, neque enim filius potest facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem, præsertim cum ei sub nomine Moysi sit dictum: vide, vt omnia facias secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, viderat hoc, qui dicebat, vidi ciuitatem sanctam, Hierusalem nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Ego enim propter similitudinem dictam reor, quod sicut illic Seraphim, & Cherubim, ac cæteri quique, vsque ad Archangelos & Angelos, ordinantur sub vno capite Deo, ita hic quoque sub vno summo Pontifice, Primates, vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non est parui pendendum, quod & Deum habet auctorem, & de cœlo ducit originem. Quod si dicat Episcopus: nolo esse sub Archiepiscopo, & Abbas, nolo obedire Episcopo, hoc de cœlo non est, nisi tu forte quempiam Angelorum de cœlo audisti dicentem: Nolo esse sub Archangelis, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuiquam, nisi soli Deo.* Hæc sanctus Bernardus.

Bern. lib. 3. de consideratione vltra med. fi. Ioel 3. Exod. 25. Apoc. 21.

Seraphim & Cherubim.

Hierarchia Ecclesiastica non labefactada. 1.

Quartum, quod summa diligentia inuigilandum, ne hic ordo Hierarchicus tam regulariter à Deo institutus, ab vllo infringi patiatur: Infringetur autem & confundetur, si quilibet Sacerdos, qui se non posset probare à Deo, vel prælato Ecclesiæ missum, sibi officium prædicationis vsurparet, quod ex tribus claret: primo, quia talis ordinem diuinitus institutum iam regulariter enarratum prosterneret, quia nec de primo gradu Ecclesiasticorum illuminatorum qui est Papa, nec de secundo, qui sunt Episcopi, nec de tertio, qui sunt plebani, existens, nec ad hoc assumptus, officium cuilibet eorum surriperet contra Hierarchicum diuinæ ordinationis modum, qui est, quod nil bonitatis in inferioribus effulgeat: quod à superiori potestate non deriuetur. Æquissima enim diuinitatis hæc lex est, vt infima per media, media per suprema in Deum reducantur, secundum beatum Dionysium. Secundo, tales presbyteri ex hoc perturbarent ordinem Ecclesiasticum, quia si tres, quatuor vel decem ad eandem Ecclesiam venirent, & quilibet eorum prædicare vellet, nec alter alteri cedere, quilibet sanæ mentis intelligere potest, quantæ ex hoc sequerentur seditiones in populis, contradictiones in sermonibus, & ita in actibus Ecclesiasticis nullus ordo, sed sempiternus horror pararetur. Tertio, quod eadem ratione, qua sic liceret cuilibet Diacono & Presbytero vbique prædicare, liceret etiam tam libere & sine impedimento quemlibet Sacerdorem vbique confessiones audire, ligare, soluere, excommunicare, & absoluere, omnia Sacramenta ministrare, quemlibet Episcopum in qualibet Ecclesia ordines conferre, & quemliberiudicem, videlicet Ecclesiasticum prælatum vbique iurisdictionem exercere, tot disturbia insurgerent, quod non nisi horror sine ordine in Ecclesiastica Hierarchia esset, sed quantum talis confusio repellitur & detestatur à sanctis, audiamus. Nam beatus Gregorius in Registro, vbi scribit Romano defensi ri Siciliæ, hoc habetur 11. quæstio. 1. *Peruenit ad nos.* Nam si vnicuique Episcopo iurisdictio non seruetur, quid aliud agitur, nisi vt per eos, per quos Ecclesiasticus ille ordo custodiri debuit, confundatur? & sicut dicitur de Episcopo, ita de inferioribus prælatis & plebanis dici potest. Ex tali enim confusione ordo honestus à rebus tollitur. Ideo beatus Augustinus dicit tertio de natura boni: *Omnia tanto magis bona sunt, quanto magis ordinata sunt, & tanto minus bona sunt, quanto minus ordinata sunt.* Et lib. 6. suæ musicæ idem inquit: *Inhæreamus Deo, & non timeamus tantum illum ordinationem, sed etiam non frangendum ordinem incorruptissimum, certumque teneamus,* * contra quod ad literam Apostolus de in Ecclesia propherantibus, prouidens ait: *Omnia honeste & secundum ordinem fiant in vobis,* primæ ad Corinth. 14. *Quæ namque à Deo sunt, ordinata sunt,* scribitur ad Romanos 13. cap. Ecce lex æterna pro conclusione nostra.

11. q. 1. Peruenit ad nos c. 39. Greg. li. 8. epist. 32.

Aug. de natura boni c. 3. Tom. 6. Aug. lib. 6. sua musica c. 13. * *forsan, circa.*

1. Cor. 14. Rom. 13.

CCLXIX. *Per legem Mosaicam.*

Secundo probatur eadem conclusio per legem Mosaicam. Nam S. Hieremias in vtero sanctificatus, fuit Sacerdos & tamen oblatum à Domino prædicationis officium non solum non importune acceptauit, sed & humiliter recusauit, quanquam finaliter acceptaret. Ergo conclusio vera consequentia nota. Maior probatur, quia in principio suæ Prophetiæ dicitur: *Verba Hieremiæ filis Helchiæ de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathot.* Et beatus Hieronymus in prologo Hieremiæ, qui incipit: *Hieremias Propheta*, dicit, *fuit enim Anathothites, quæ est vsque hodie viculus tribus distans millibus à Hierosolymis, Sacerdos ex sacerdotibus, & in vtero matris sanctificatus.* Minor patet, quod non obstante quod fuit tanus, tamen dum eum Dominus mitteret, non prius se de prædicationis officio intromiserat, sed nec tunc acceptare decreuerat, imo recusauit dicens: *A a a. Domine nescio loqui, quia puer ego sum.* Vbi dicit S. Thomas ad propositum eius de presbyteris & de omnibus: *Non missi, non sunt audiendi propter præsumptam ac ceritatem.* Et quid per multa discurrimus? Ezechiel fuit Sacerdos, vt dicit beatus Hieronymus in principio eiusdem, Daniel Sacerdos, vt Septuaginta interpretes dicunt, licet Magister historiarum, dicat eum de semine Regio progenitum, in principio libri. & sic de multis sanctis Domini Prophetis.

Hierem. 1.

CCLXX. *Per legem naturæ.*

In lege etiam naturæ omnes primogeniti à Noe vsque ad Aaron Sacerdotes fuisse, qui in coniuiiis, & oblationibus populo benedicebant, ait Magister in historia Scholastica. *Exod. 14. c. de victoria Abrahæ.*

Exod. 29.

Post hanc lege naturalem in lege scripta Deus instituit Sacerdotes. Genes. 29. dicens Moysi: *Facies, vt mihi in sacerdotio consecrentur. Aaron & filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonii, erunt que Aaron & filii eius sacerdotes in religione perpetua.* Vnde nullus tũc debebat fungi sacerdotio, nisi de tribu Leui & semine Aaron. Vnde, quia Chore, Dathan & Abiron volebant sibi vsurpare sacerdotium, incensum offerendo, terra deglutiuit eos, vt patet Num. 16. Sed constat de omnibus his, quod licet sacerdotes essent, nullus tamen se de prædicationis officio intromisit, nisi specialiter sibi à Deo expresse imponeretur, quod etiam signis patentibus probauerunt. Ergo conclusio vera, quæ dicit, quod super omnem potestatem, quam Sacerdos accipit in sacerdotali ordinatione, requiritur adhuc, vt possit se probare missum à DEO, vel eius Vicario, scilicet sufficienti Ecclesiæ Prælato.

Num. 16.

CCLXXI. *Per legem Euangelicam.*

Tertio probatur eadem conclusio ex lege Euangelica dupliciter. Et primo sic. Postquam misit Apostolos & Septuaginta duos discipulos, Apostolos, tanquam Episcopos, Septuaginta duos, tanquam plebanos, licet adhuc non essent tales; tamen figuram eorum ferebant, secundum gloss. Luc. 10. Illo non obstante, quod ipse eos misit, non obstante, quod etiam figuram omnium curatorum gerebant, adhuc ostendere volens, quod auctoritate superiorum indigebant, ait illis: *Messis quidem multa, operarii autem pauci, rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*, quod ad literam exponitur de messe prædicationis verb: Dei: vnde si quæratur, quare vult rogari? respondet glossa, quod ideo vt scilicet ex sua misericordia per iuternam inspirationem, vel per ministros suos mittat prædicatores in Ecclesiam suam. Alia ratio multorum Doctorum est, vt per hoc doceat ordinem, quem omnis prædicatuus seruare debet, vt scilicet à superiori suam admissionem exspectet, prout exponit Archid. d. 21. *In nouo.* Vbi hæc auctoritas ponitur. Secundo sic: Certum est omnibus, quod sanctus Baptista fuit Saeerdos: quia primogenitus filius sacerdotis, missus à Deo vt testimonium perhiberet de Dei filio, vt patet Ioan. 1. Hic quamquam Spiritu sancto repletus tantæ sanctitatis, quod Christus esse potuisset credi, tamen de prædicationis officio se intromittere ausus non fuit, donec supra auctoritatem sacerdotalem, etiam nouam diuinam commissionem recepit, dum factum est verbum Domini super Ioannem in deserto, & tunc primo incepit prædicare, vt patet Lucæ 3. vbi dicit Dominus Albertus sic, quod ibi data est Ioanni auctoritas prædicandi. Nota, dicit ibi datam, ergo prius non habuit eam

Luc. 10.

Luc. 3. Albert. in Luc. c. 3.

Dist. 21. In nouo, c. 2. Ioan. 1.

Luc. 3. Matth. 17.

eam, licet esset Sacerdos sanctissimus; dicit eum ibi primo, missum ad prædicandum, sine qua speciali missione non habuisset auctoritatem prædicandi, vt dicit. Vnde quatuor ibi exprimuntur, scilicet modus prædicandi verbum, verbum prædicatum, auctoritas iniungentis, & prædicationis sublimitas. Et consequenter ostendit Albertus, quod etiam istud se extendit ad omnes alios Sacerdotes, dicens: *Factum est verbum Dei.* Ecce auctoritas. Dominus enim misit eum ad prædicandum, & non aliter prædicaret, iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Hæcille. Quid ergo nos dicemus, qui vltra sacerdotalem ordinationem aliam superiorem auctoritatem volumus?

Rom. 10.

CCLXXII. *Per legem canonicã. 2. Tim. 2. Gloss. interl.*

Quarto probatur per legem diuinam Canonicam. Et primo sic. Secunda ad Timoth. 2. cap. *Fili*, inquit Apostolus, *confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Glossa, *qui idonei sunt scientia, sanctitate, & vitæ, alios docere, illis debet prædicatio committi, quia apti reputantur.* Nota, quod dicit, *commenda*, in contextu; & *committi debet*, in glossa: non quod quilibet etiam Sacerdos seipsum ingerat, sed quod expectet vsque dum sibi committatur officium prædicationis. Sed diceres, Quis est idoneus? Respondeo quod & si hoc certitudinaliter sciri non possit, hoc tamen ex certis signis haberi potest, quæ ponit venerabilis Augustinus de Ancona Eremitarum ordinis in libro de Ecclesiastica potestate, *quæstio. 15. art. 2.* Primum si per eum veritas fidei non peruertatur. Secundum, si per eum Ecclesiæ mandatum non contemnatur. Tertium, si per eum peccatum accusatione dignum toto conatu fugatur. Quartum, si per eum nouus viuendi ritus non inducatur. Quintum, si per eum etiam verbum Dei delectabiliter audiatur. Sextum, si per eum charitas proximi non spernatur. Septimum, si per eum de operibus bonis mundi gloria non quæratur. Et hanc conclusionem nostram beatus Apostolus tam expresse declarat de se ipso, 2. *Corinth.* 10. Vnde arguo sic, Paulus fuit Sacerdos, Episcopus & Doctor gentium, sed ipse noluit se extendere ad prædicandum, nisi tantum illuc, vbi fuit à Christo specialiter missus. ergo nullo modo licet alicui alicubi prædicare nisi solum in illo loco, vbi missum à Deo vel Prælato se potest ostendere. Consequentia nota est. Maior omnibus clara est, Minor ostenditur: Dicit enim sic: *Nos autem non gloriabimur in immensum, sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi vsque ad vos in Euangelio Christi, non enim superextendimus nos in alienis laboribus gloriantes, & in aliena regula.* & increpans eos, qui se intromittunt prædicare populis, qui sunt alius commissi, dicit: *Non in aliena regula, in his quæ sunt præparata gloriari, qui autem gloriatur, in Domino glorietur. non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Hæc ille. Sensus est. *Non gloriabimur in immensum.* id est, non exercebimus potestatem prædicandi vltra mensuram nostram, quia Deus voluit, quod solis Corinthiis pro tunc prædicaret secundum Ambrosium *nec superextendemus*, id est, vltra potestatem nobis commissam, prædicationem nostrã non extendimus. Nam superextendere, secundum glossam est, vltra quam conceditur extendi, *vsque ad vos enim pertenimus*, id est potestas nobis concessa ad vos se extendit. & ita dixit se non habere gloriari in alienis laboribus, & in aliena regula, quia non debuit prædicare sibi non commissis, & hoc ex lege diuina.

Auguſt. de Ancon. q. 15. art. 2. Quis sit idoneus Prædicat.

Cor. 10.

CCLXXIII. *Ex praxi Domini nostri Iesu Christi.*

Est ergo secundo eadem conclusio deducenda ex praxi Domini nostri Iesu Christi, per quam eadem hoc modo ostenditur conclusio; & primo in seipso, secundo in suis Apostolis. In se quidem, cum ipse esset Sacerdos diuinissimus in vtero matris, in primo instanti suæ conceptionis consecratus, officium tamen prædicationis non exercuit, nisi dum vltra omnem auctoritatem sacerdotalem, quodammodo auctorizarus esset, ita quod Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum descendit, & vox patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Lucæ 3. Et adiecit, *ipsum audite.* Matth. 17. Secundo patet hoc idem ex hoc, quod vt nos doceret, quantumcunque presbyteros doctos & sanctos non haberet ius vel præceptum alibi prædicandi, nisi quo posset nos missos probare. Ait: *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Matth. 15. scilicet ad prædicandum personaliter, nisi tantum Iudæis, secundum gloss-

Luc. 3. Matth. 17.

Matth. 15.

sam, licet per Apostolos prædicaret tandem toti mundo. Ecce praxis Christi in se, quis audeat ergo sibi libere posse vbique asserere? Secundo idem in suis Apostolis seruauit. & hæc est ita clara, quod merito sufficeret pro omni doctrina. Primo sic. Nam Dominus noster suos Apostolos in cœna consecrauit in Sacerdotes, dum ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ 22. Et tamen ostendit, quod non sufficit eis auctoritas sacerdotii, ad officium prædicandi, nisi esset de nouo, & iterum ad hoc missi. Ideo post sacerdotium primo in die Paschæ misit eos ad prædicandum, dans auctoritatem; *Ioan. 20.* &c. dicens: *Sicut misit me viuens Pater, ita & ego mitto vos.* & illa missione non obstante, vt scirent, vbi deberent prædicare, scilicet, ne crederent in sola Iudæa debere permanere, sicut prius quando præceperat eis quod in viam gentium non abirent, iterum misit illos dicẽs: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marcus & Matth. vltim. Secundo sic. Quanquam Apostoli essent Sacerdotes, & iam bis missi, de nouo ad prædicandum scilicet die Ascensionis, & Paschæ, nihilominus adhuc voluit docere, non licere etiam cuilibet presbytero sanctissimo & doctissimo, vbi & quando vellent prædicare, absque noua superioris commissione, quæ fit Spiritus sancti auctoritate, ait eis in hora suæ ascensionis. *Ecce ego mittam Spiritum Patris in vos, vos autem sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto:* quod tractans B. Gregorius in suo libro tertio pastorali cap. 26. ait: *Admonendi sunt ergo, quos à prædicationis officio vel imperfectio, vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit, ne dum sibi tantum officii præcipitatione arrogant, viam sibi subsequentis emendationis abscindant; Ipsa enim veritas, quæ repente, quos vellet, roborare posset, & vt exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam plene discipulos de prædicationis virtute instruxit, mandauit eis, vt in ciuitate sederent, donec induerentur virtute ex alto.*

Luc. 22. Matt. 28. Marc. 16.

Greg. li. 3. pastoral. cura 6. 26.

Idem S. Thom. in glossa *continua.* Idem Hugo: Idem Glossa ordinaria. Ecce praxis Domini nostri Iesu Christi.

In cap. 24. Luc.

CLXXIV. *Ex praxi Apostolorum.*

Tertio probatur conclusio ex praxi Apostolica, qua clare deducitur conclusio prædicta. Et primo ex praxi Apostolorum, ex praxi Septuaginta duorum discipulorum. Primum arguitur. Primo in speciali de aliquibus, secundo in generali de omnibus. Quantum ad specialem praxin quorundam Apostolorum, patet, licet presbyteri essent, non tamen alicubi prædicauerunt, nisi quo speciali Dei, vel B. Petri summi Pontificis auctoritate fuissent missi.

Et primo hoc beato Petro accidit, de quo dicit Martinus *in Chronica cap. 3.* quod ipse adhuc viuens in carne sibi duos substituit, qui ambo presbyteri fuerunt, scilicet Linus & Cletus, volens quod ipsi curæ omnium Ecclesiarum intenderent, ita scilicet, quod non prædicarent, ipse vero Petrus verbi Dei prædicationi & orationi ac contemplationi insisterent. Præterea Paulus licet à Christo missus, licet Vas electionis, & Sacerdos sanctissimus, imo Angelus terrestris, & homo diuinus, secundum Dionysium, scribit se non fuisse ausum, sed prohibitum prædicare in Asia à Spiritu sancto, qui etiam eum, quo minus intenderit, misit ad Macedones, vt ibi prædicaret, *Actorum 16.* Demum idem sanctus Apostolus multos presbyteros secum habuit, sed nullum ex his misit Corinthiis ad prædicandum, nisi solum Timotheum, qui licet presbyter esset, tamen missionem Apostoli exspectauit, ne quisquam aliorum ab Apostolo non missorum adiuit, ne mittentis conculcaretur auctoritas, & extolleretur missionis vtilitas, vnde dicit 1. ad Corinth. 4. *Misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas in Christo Iesu:* quasi dicat secundum beatum Augustinum in libro sermonum Domini in monte serm. 49. *Neminem enim habeo tam inibi vnanimem qui sincere affectione pro vobis sollicitus sit. Nonne*, inquit, *cum illo multi erant? Sed quid sequitur? Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi, & ego Pastorem vobis mittere volui, non mercenarium. Nam multi mercenarii sunt, & vix intenuit Paulus vnum Pastorem, quem mitteret inter multos mercenarios, quoniam Pauci Pastores, multi mercenarii.* Hæc ille. Ex quo claret expresse, quod Apostolus sibi retinuit auctoritatem mittendi Prædicatores, quos vellet, & non mittendi, quos nollet, licet Sacerdotes essent, hi qui secum erant, ita & nunc fit in Ecclesia, dum prælatus deliberat ex multis bonis, quem mittere ad prædicandum placeat:

Act. 16.

De B. Petro.

De B. Paulo.

1. Cor. 4. Aug. simile quod habet tract. 46. in Euang. Ioan. to. 9. de verbis Domini serm. 49. Phil. 3.

De S. Mar. Euangelist.

Vltimo B. Marcus Euangelista nostris presbyteris vtiq; non inferior; Sacerdos fuit & non minus conscius secretorum Dei, qui quanquam Euangelium scripserat, adhuc missionē Petri expectauit, cuius ipse discipulus fuit. Vnde venerabilis Beda in expositione primæ Canonicæ Petri super illo. *Salutat vos Marcus filius meus charissimus*, dicit, *Marcum filium nominat, quia eius baptismate dicitur filius effectus. Vnde patet*, inquit, *quod priusquam Marcum de Roma Alexandriam ad Euangelizandum mitteret, Epistolam scripserat, tempore autem Claudii Principis, & Petrus & Marcus Romam venerunt, & ipse Marcus descripto Romæ Euangelio suo, Alexandriam missus est.* Hæc Beda.

Beda.

Ecce praxis Apostolorum specialis, docet vltra Sacerdotii auctoritatem requiri superioris missionem. Idem dixi ex praxi eorundem deducendum generali. Deducit namq; Dominus Patriarcha Petrus de Palude ordinis mei Prædicatorum Theologus & Iurista eximius, *in tractatu de Ecclesiastica potestate, articulo secundo, conclusione secunda.* quod, quamuis Apostoli ante Christi passionem fuerunt regimini Christi, immediate subiecti, tamen post gloriosam eius ascensionem in prædicando, absoluendo, baptizando, fuerunt summo eorū Pontifici Petro subiecti, non solum Christi institutione, qui eum omnibus præfecit, dicens: *Pasce oues meas*; Sed etiam Apostolorum volitione, quoniam ipsi Apostoli voluerunt, B. Petrum esse summum Pontificem eorum, vt dicunt Hugutio & Archidiaconus, & est textus dist. 22. *Sacrosancta.* Quid mirum? nam dixerat Dominus, *Fiat vnum ouile & vnus pastor.* Ioan. 10.

Petrus Paludanus de Ecclesiast. potestate collata Apostolis concluſ. 2. Vbi dicit Apostolos post Christi ascensionē Petro fuisse subiectos. Ioan. 10. Dist. 22. Sacrosancta n. 6. 2. ex Anacleti epist. 3. c. 3.

Et hunc vnum designans soli Petro ait: *Pasce oues meas*: ergo ex tunc nullus nisi auctoritate Petri, habuit oues pascere, nec regere vbicunque. Vnde ipsius auctoritatis fuit vocare alios in partem solicitudinis, scilicet pastores, quemadmodum ipse ordinauit de successore Iudæ in apostolatu, quanquam Apostolis aliis dederit electionem, & omnia cum consensu disposuit Apostolorum, sicut nunc Papa de consilio confratrum suorum Cardinalium. Similiter ipsius officii fuit de Diaconibus, Officialibus, & Prædicatoribus, ordinare & eos in officia mittere, licet electionem aliis voluerit committere, sicut fecit, dum ait: *Considerate ex vobis viros boni testimonii*, & elegerunt Stephanum primum Primicerium septem Diaconorum, Actorum 6. sicut etiam Moyses constituros sub se Principes, quamuis per se potuisset eligere, tamen electionem populo commisit. *Date ex vobis viros, &c.* Deuter. 1. Vnde omnis electio & institutio ad aliquam rectoriam, pro tunc in tota Dei Ecclesia oportuit fieri à Petro, & deinceps ab eius successore, vt dicit Clemens Papa successor B. Petri dist. 80. *In illis.* Idem dicit S. Thomas 4 sententiarum distinct. 19. art. 1. ad primum, quod licet potestas ordinis æqualiter collata Apostolis, tamen potestas iurisdictionis non est data eis nisi præsuppositа auctoritate distributiua Petri, ita quod omnia facerent secundum eius ordinationem. Item contra Gentiles, libro quarto, cap. 76. Idem ostendit per hoc, quod soli Petro dictum est post passionē, *pasce oues meas.* Et ante passionem, *& tu conuersus, confirma fratres tuos*, & quia sibi soli promisit claues regni cœlorum, prout gloriosissime deducit ibidem, & concludit, dicens: *per hoc concluditur quorundam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia & subiectione Petri, successorem eius Pontificem Romanum vniuersalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes.* Hæc ille. Idem Hugutio & Archidiaconus in c. *Ita Dominus.* Idem dominus Cameracensis, qui in tractatu de Ecclesiastica potestate, enumerat sex genera potestatum, concludit, omnes æqualiter datas Apostolis, vltima dempta, quæ est potestas distributionis soli Petro commissa.

Dist. 80. In illis c. 2. Clemens ad Iacobū epist. 1. S. Tho. 4. sent. dist. 19. q. 1. ar. 3. add. 1. Item lib. 4. contra Gentiles, c. 76. Ioan. 21. Luc. 22. Matth. 16. Dist. 19. Ita Dominus ca. 7. Leo Papa epist. 78. Potestas distributionis soli Petro commissa.

Omnem ergo potestatem prædicandi, baptizandi, & similes receperunt Apostoli à beato Petro, post Ascensionem Domini, non quo ad auctoritatem, quia illam à Christo receperunt, sed quoad auctoritatem executionem, ne quis mitteret falcem in messem alienam spiritualiter aut temporaliter: vnde eius fuit diœceses diuidere, vnicuique suam assignare. Necobstat, quod Christus eos miserit in orbem vniuersum; quia ipse indistincte mittit, distinctionem vero Petro reliquit. Sicut Iosue diuisit terram in funiculo distributionis, quam tamen non ipse, sed Dominus dedit, ita B. Petrus Ecclesiam distribuit, quam tamen non Petrus, sed solus Christus proprio sanguine suo acquisiuit, vnde dicit glossa 2. Corinth. 10. *nutu enim Dei factum est, quod partitum erat vnicuique, ad quos in prædicatione dirigeretur, vt singuli aliquos populos haberent proprios, de quorum fide gloriarentur.* Ecce praxis Apostolica quam expresse est pro conclusione nostra. Idem duxi deducendum per praxim 72. discipulorum, illi enim non leguntur à Domino missi, nisi ante eius passionem & tunc tm in Iudæa non ita ample sicut Apostoli, qui fuerunt per totam Iudæam missi, sed restricti, ne alibi prædicarent, nisi quo Christus venturus erat personaliter ad prædicandum, vt patet Lucæ 10. vnde ipsi post Christi Ascensionem, vt prædicarent, leguntur per Apostolos ad hoc officium de nouo electi, vt dicitur 21. distinct. *in nouo. videnes*, inquit, *Apostoli messem multam, id est, totum mundum verbo Euangelii illuminandum, & operarios paucos, quia ipsi pauci erant pro tanta multitudine conuertenda, rogauerunt Dominum, vt mitteret operarios in messem suam, & ipse elegerunt 72. discipulos, & miserunt eos ad prædicandum.* Vbi dicit Hugutius, quod Dominus in Veteri Testamento Leuitas per se instituit, sed in Nouo per Apostolos, d. 93. *Diaconi.* Ex quo patet conclusio assumpta ex praxi Apostolorum, & 72. discipulorum, ex quibus Eusebius in historia sua Ecclesiastica, lib. 2. ca. 1. dicit, quod Dominus post resurrectionem suam Petro & omnibus Apostolis omnem scientiam tradidit, qui eam vlterius 72. discipulis tradiderunt. Hæc ille.

2. Cor. 10. glo. ordinaria ibid. De 72. discipulis. Luc. 10. Dist. 21. in nouo, c. 2. Dist. 93. Diaconi. Euseb. lib. 2. c. 1.

Quarto probatur hæc conclusio ex praxi Ecclesiæ primitiuæ, à cuius ergo exordio inchoantes, ipse beatus Clemens qui fuit immediatus successor S. Petri, quam B. Petrus sinet in summum Pontificem erexit, in articulo mortis suæ hæc scribit in epistol. sua ad Iacobum Ierosolymorum Episcopum in fine epistolæ, dicens: nullum presbyterum in alicuius Episcopi parochia aliquid agere debere absque eius permissu, cunctos etiam presbyteros propriis Episcopis, in omnibus absque mora obedientes, instituente Domino, esse debere docebat: hæc ille. Hinc beatus Dionys. Areopagita discipulus B. Pauli distinguens tres actus Hierarchicos attribuit Diacono, purgare, illuminare Presbytero, sed Episcopo perficere: ita quod in Ecclesia primitiua Diaconus dicebatur baptizandos purgare, id est, exorcizare. Sed presbyter illuminauit dum baptizauit, non enim intelligitur ibi illuminare, id est, prædicare. Sed dicitur baptizatio illuminatio, quia baptizato diuina lumina communicantur, quæ sunt habitus virtutum Theologicarum fidei, spei & charitatis, quæ ibi infunduntur secundum expositionem Alberti M. sed solius Episcopi erat baptizatum perficere, id est, prædicare & confirmare, ita exponunt commentatores *c. p. 5. in Ecclesiast. Hierarchia.* Post hoc Papa Martinus in Chronica, & habetur 23. quæst. 1. *Ecclesias singulas*, qui sedit anno Domini 270. cum prius non essent nisi parochiæ & plebaniarum * ones Episcopi, ipse distinxit parochias ab Episcopatibus & diœceses à prouinciis, dans singulos singulis presbyteros, mandans vt singuli suis terminis contenti essent, & alienos non vsurparent, quanquam multi presbyteri essent. Ex quo patet clare, praxin Ecclesiæ primitiuæ pro conclusione assumpta sententiare.

*Dionys. c. 5. Eccles. Hierarch. Dionys. vt habet 23. q. 1. Ecclesias singulas c. 1. * alia lectio habet omnes. Dionys. epist. 2. CCLXXVI. Ex conciliis antiquis. De hæret. cum ex iniuncto, li. 7. c. 12. Ephes. 4. Rom. 17. Luc. 10. L. 5. de hæreticis. Excommunicamus, tit. 7. c. 13. §. ytius vero.*

Quinto hæc conclusio probatur per concilia antiqua, & per omnia idem ostenditur nobis libro quinto de hæret. ca. *cum ex iniuncto.* ex Concilio Lateranensi habetur sic. *Sicut multa sunt membra vnius corporis, omnia vero non eundem actum habent, ita sunt ordines in Ecclesia diuersi, sed non habent omnes eundem actum. Sic idem officium. Nam secundum Apostolum, alios dedit Dominus Apostolos, alios Prophetas, alios doctores; Cum ergo Doctorum ordo sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium vsurpare. Nam secundum Apostolum, quomodo prædicabunt nisi mittantur? & veritas ipsa præcipit, rogate Dominum messis, vt mittat operarios in vineam suam,* & in cap. *excommunicamus* quia vero, dicitur sic: *omnes qui prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab Apostolica sede, vel loci Episcopo sui ceptam, publice vel privatim sibi prædicationis officium vsurpauerint, excommunicationis vinculo nodentur, & nisi quantocius respuerint, alia competenti pœna plectantur.* Hæc ille. Notate hæc verba, signate mysteria. idem habetur sententialiter ex Conciliis generalibus, vt patet dist. 71. & 72. ex Conciliis Carthaginensibus, primo, quarto & quinto, Antiocheno & Romano, & Mileuitano, vbi præcipitur in omnibus istis, quod Presbyteri vel Diaconi, aut in quocunque ordine Ecclesiastico constituti fuerint, si recesserint de Ecclesiis suis, non debeant suscipi in aliena Ecclesia, sed cogi etiam per excommunicationem, vt inde exeant, & ad suas redeant. Idem dicitur 7. q. 1. Episcopi, ex Concilio Carthaginensi. Episcopi vel Presbyteri si causa *visitandi ad Ecclesiam alterius Episcopi* reniunt, *in suo gradu, id est, honore suscipiantur, & tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem conseruandam inuitentur.* glos. Hugutii & Archidiaconus, *quod nisi inuitentur, eis non licet.* 9 q. 2. *Nullus primas.*

Dist. 80. In illis c. 2. Clemens ad Iacobū epist. 1. S. Tho. 4. sent. dist. 19. q. 1. ar. 3. add. 1. Item lib. 4. contra Gentiles, c. 76. Ioan. 21. Luc. 22. Matth. 16. Dist. 19. Ita Dominus ca. 7. Leo Papa epist. 78. Potestas distributionis soli Petro commissa.

Vnde Presbyteri debent secum gerere literas dimissorias Episcopi, alias non debent recipi, nec ad quid quā admitti. dist. 71. *hortamur.* Et sic patet conclusio nostra per sacra Concilia.

7. q. 1. Episcopi, c. 38. 9. q. 2. Nullus primas. dist. 71. hortamur c. 8.

CCLXXVII. *Ex doctrina doctorū. Ambros. in cap. 4. ad Ephes.*

Loco sexto si imporauerit is dicta doctorum, in lege Dei veraciter se fundantium, inter multa pauca pro nunc adducam, residua post allegaturus partim. Sit primus B. Ambrosius, super Epistolam ad Ephesios, dicens: *vt creseret plebs, & multiplicaretur inter inimica omnibus concessum est, euangelizare & baptizare, & scripturas in Ecclesia explanare. At vbi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conuenticula constituta sunt, & rectores, & cætera officia in Ecclesiis ordinata.* Sequitur: *quasi omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res & pestilens videretur*, hæc ille. Secundus B. Gregorius, & assumitur 6. quæst. 0. 3. *scriptum est in lege per alienam messem transiens falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere, & manducare. Falcem ergo tuā in messem non debes in meam segetem, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis expolia, & in Ecclesiæ corpus admouendo & persuadendo quasi mandando conuerte.* quod exponit glossa Hugutii & Archidiaconus, ad literam de prædicatione verbi Dei, quam nemo debet in Ecclesiis exercere, quasi ius habens in eis, absque licentia prælati Ecclesiæ illius, sed bene potest transeundo aliqua verba ædificatoria occurrentibus dicere, & sic eos in hortum Ecclesiæ, quasi mandendo corroborare. Sed tertius beatus Bernardus super Cantica, serm. 64. inquiens, *nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Et Apostolus ait, quomodo prædicabunt nisi mittantur? & summus monachus non esse officium docere, sed lugere: Ex his similibusque collectis mihi texo rete, & capio vulpem, ne demoliatur vineam. Clarent namque & certum est, quod prædicare nec * publicè conuenit monacho nec honestè expedit, nec non missi licet. Porro contra hæc tria venire, quanta conscientia demolitio est? ergo quicquid tale ingeratur animo, siue illud sit tua cogitatio, siue in missoper Angelum qualum, deprecor agnoscere, speculam, & malum sub specie boni.* hæc ille.

*6 q. 3 scriptum est c. 1. respons. 9. ad Aug. Deut. 23. Bernard. in Cant. ser. 64. Hebr. 5. Rom. 10. * publice in textu impresso non habetur. S. Thom. Quodl. beato 12. q. 17. art. 29*

Sit quartus sanctus Thomas, qui quodlibet. 12. quæst. 17. istam materiam determinat, & quæstionem in terminis propriis mouet, an scilicet liceat prædicare cuicunque absque licentia Prælati superioris, & respondendo dicit, quod nullus quantumcunque doctus vel sanctus debet prædicare absque Prælati auctoritate, quia nullum agens naturā est agere nisi super determinatam materiam, sibi ministratam, prædicatio autem publica respicit totam Ecclesiam. Tota autem Ecclesia & cura publica Ecclesiæ Prælatis est commissa, & ideo nullus debet exercere; quod requiratur auctoritatem publicam, nisi auctoritate Prælati. hæc ille. Sit quintus doctor solennis, licet modernus, Henricus de Hassia, qui parte vltima super Genesim dicit, quod prædicatio non permittitur, nisi missis, scilicet vltra gradum sacerdotalem, specialiter à Deo tantum, vel à Deo per hominem, secundum illud ad Rom. 10. *quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Alio quin pseudo prædicatores non essent prohibendi, cum tamen & ipsi prædicent in nomine Christi, & plerunque idem quod veri prædicatores, vt clarum est. *Insuper*, inquit, *& si facientes miracula in nomine Christi, non debent prohiberi, quia nullius vsurpant officium, nec cuiquam iniuriantur, tamen publicæ prædicationes in diœcesibus alienis, absque canonica missione prohiberi debent, quoniam Episcoporū & curatorum presbyterorum vsurpant officium, & eis iniuriantur.* & postea declarat, quomodo dicentes se missos à Deo, tenentur hoc probare per scripturam, vt Ioannes, vel per miracula, vt Moyses, prout iam dictum est, ex conciliorum determinatione. Sit sextus venerabilis Augustinus de Ancona in Ecclesiastica potestate, quæstio 64. artic. 2. dicens: quod nec Episcopis, nec Presbyteris liceat prædicare, nisi missis eis specialiter auctoritate Papæ. Nam à actus prædicationis est actus iurisdictionis, licet non coactiuæ, sed omnis iurisdictio à Papa dependet, cuius est signum, quod ipse cuilibet Episcopo suam præfigit diœcesim, & auctoritate sua quilibet plebanus suam & sibi commissam gubernat Ecclesiam, ergo sicut absque auctoritate superioris, nec ipsi sunt diœcesani, nec plebani curati, ita nec sine auctoritate Papæ conuenit eis prædicare. Sit pro nunc septimus honorabilis Thomas de Walden Anglicus, qui per omnia quasi in propriis terminis concordat prout patebit inferius. Ad idem sunt omnes postea in corollario allegandi, ad idē sunt omnes prius per alios indices allegati, & prout præmissi, non credatis nos in sententia concurrere, quia ambo dicimus, quod Sacerdos vel Diaconus ad hoc quod prædicet debet esse missus, sed in hoc differimus, quod vos dicitis, quod illa missio fit ex mandato Domini, & ex ministerio Episcopi in collatione ordinis Diaconatus vel Sacerdotii, & contra hoc militant quæ dicta sunt, & quæ dicentur, reprobabunt illud. Octauus sit Wilhelmus Episcopus Parisiensis in suo sacerdotali, dicit quod auctoritas prædicandi presbytero non datur, nisi dum curā animarum sibi committitur, hoc enim officium est curę animarum annexum. Nunquam enim dicitur eis in sua ordinatione, ite, docete, seu prædicate; docere enim seu prædicare speciale est officium Episcoporum, propter quod in suis consecrationibus dicitur eis, ite prædicate populis. Episcoporum etiam est, doctores in diœcesibus constituere; quia nulli licet prædicare in quacunque diœceſi, nisi de mandato Episcopi. hæc ille.

Nullus quantumcunque doctus debet prædicare sine licentia sui Prælati. Henricus de Hassia. Rom. 10. Augustī. de Ancona, de Ecclesiastica potestate. q. 64. a. 2. Omnis iu-

ISTA pro tanto conscripsi, quia horum oppositum directe in vestris præsentatis scriptis reperi, dixistis enim in vna conclusione, quod quilibet prædicator verbi Dei debet esse missus. & in notabili super termino, *libere* dixit proponens talis missio seu licentia datur per ministerium Episcopi, & à domino, quando ad ordinem Diaconatus vel Presbyteratus quis promouetur. Conclusistis ergo, quod ex mandato Christi teneretur prædicare, nec possent ab vllo proh beri, & ne videretur hoc mirabile, direxistis ad rationes, quas facitis consequenter ad probandum oppositum eorum, quæ dixit ad quas respondebo hoc modo. Prima fuit hæc: sacerdos Domini, spiritu IESV instigante, potest, sine speciali Episcopi licentia aut Prælati prædicare verbum Dei, ergo sibi licet. tenet consequentia, quia *oportet magis obedire Deo quam hominibus.* Act. 5. Respondeo, quod assumptum verum est, si aliquis Sacerdos se à spiritu Iesu instigatum ad prædicandum probare potest. *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint.* Circa istam materiam qua quidam dicunt se spiritu Iesu instigari ad prædicandum, notandum quod valde dubiosum est & periculosum homini semper se præsumere inspiratum à Spiritu sancto sciendum, quod secundum beatum Thomam 2. 2. quæst. 171. art. 5. meus humana inspiratur à Spiritu sancto dupliciter: vno modo per expressam reuelationem, puta per spiritum Propheticæ, vel per donum discretionis spirituum, & qui hoc modo inspiratur, certissimus est quod non decipitur, verumtamen vt prædixi, nec isti missioni credere tenentur alii, nisi probet se sic missum per scripturam vel miraculum, *de hæretico, cum ex iniuncto.* Alia est inspiratio per internam instigationem; quæ vocatur instinctus, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur, vt dicit B. Augustin. *lib. 2. super Genes.* & distinguere, an talis instinctus sit à Deo, an à diabolo; tam est difficile, vt vix aliquis viuens in hoc semper posset esse certus, vt dicit B. Bernard. *super Cant. hom. 33.* & hoc propter motionem mentis nostræ, & Spiritus sancti maximam similitudinem, & Angeli Sathanæ in Angelum lucis transfigurationem. Vnde quam stultum sit semper credere tales instinctus à Deo veniſſe, patet ex hoc, quod etiam Prophetæ decepti fuit nonnunquam, putantes esse spiritum Dei, cum spiritus proprius loqueretur, vt dicit B. Greg. super Ezec. sunt tamen aliqua signa, quibus discerni potest an sit instinctus à Deo. Primum si sit conformis diuinis scripturis. Vnde dicit beatus Gregorius moral. 23. super illo Iob 33. *Semel loquitur Deus & idipsum si, cundo non repetit, hoc est dicere, Dens singulorum cordibus priuatis vocibus non respondet, sed tale eloquium construit, per quod cunctorum quæstionibus satisfacit, in scriptura quippe suus eloquio, causas nostras singilli si requirimus, inuenimus.* hæc ille. Secundum, si talis motio approbatur spiritualium virorum, & maxime Prælatorum iudicio, secundum Bernardum: propter hoc Paulus etiam postquam reuelationem Christi ha-

risdictio à Papa dependet. Th. Wal. Guilelmus Parisiensis. Prædicatio nis officii est cura animarum annexum. ccl xxviii. Responsio ad primum arg. aduersarii. Act. 5. 1. Ioan. 4. Tho. 2. 2. q. 171. art 5. Dupliciter mens humana inspiratur à Sp. sancto. De hæret. cum ex iniuncto. supra in 5. probationē conclusionis. Aug. l. 2. in Genes. c. 17 to. 3. Bern. in Cant. hom. 33. Greg. hoc. in Ezech. Signa quibus discernitur instinctus diuinus à proprio. 1. Greg. lib. mor. 23. c. 6 huius 18. & 19.

buit, mittitur ad Ananiam, Cornelius ad Petrum, sic Eunuchus instruitur per Philippum, vt approbationem & iudiciũ virorum spiritualium requirere doceremur, sicut de hoc plenius in collatione Patrum habetur.

2. Bernard. Act. 10. 9. 8.

Tertium est affectus, quem talis interior motio causat. Nam spiritus diuinus facit hominem intus humilem, flexibilem. Spiritus diabolicus præsumptuosum & pertinacem. Nam sunt viæ diaboli, secundum B. Bernardum super illud Psalmistæ. *Qui habitat*.

3. Bernar. in Psal. Qui habitat in versum 11. ante medium.

Quartum est ordo inspirandi, quia ordo commotionis Spiritus S. est, quod loquitur primo in turbine. facit hominẽ pauidum, timoratum & percussum, & propriam fragilitatem cognoscere, & postea erigit in spem. Ecõtra autem diabolicus Spiritus, vt dicunt glossæ Lu. 1. & Matt. vlt. de terrore boni Angeli, qui virginem beatiss. Mariam salutando, & mulieres terruit circa sepulchrum.

Serm. 11. 4.

Quintum est secundum circumstantias personę, si instinctus non trahat supra propriam * personam, & contra debitum ordinem personarum, inter quas viuit. nam quæ à Deo sunt, ordinata sunt, ad Rom. 13.

5. * alter liber mensuram. Rom. 11. 6.

Sextum, secũdum circumstantias personarum; inter quas viuit, si charitatem non infringit, si pacem non turbat, vt B. Bernardus respondit cuidam Abbati, qui se putabat spiritu Dei moueri. Multa talia signa poni possunt non tanquam certæ scientiæ sed tanquam quædam coniecturę, quia, vt dictum est, scientiam de talibus vix aliquis habere potest. Vnde Iob 9. *si venerit ad me, non videbo eum, & si abierit, non intelligã.* vbi dicit B. Greg. *donec verum alternantium suis nescitur, accessus, re. essusque diuinus ignoratur. Spiritus enim vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quo vadat, ideo periculosum est omni spiritui credere, sed probandi sunt spiritus, si ex Deo sint.* docet B. Ioannes Euangelista. Si ergo quæris, quis instinctus ad prædicandum, & lucrificandum animam proximi diuinus possit dici. Respondeo, quod hoc ex quinque possit discerni. Primum est, si illi sic moti non moueantur ex affectu & desiderio proprio, sed quantum in ipsis est semper desiderant sibi vacare, & ne quaquam officio prædicationis deseruire, sed necessitatis charitate, vel superioris imperio, ad hoc cogantur, arrogantes vero & appetitu laudis vanę mouentur, seipsos ingerunt, & occasionem quærunt, vt loqui & docere possint, nec expectant, donec vtilitas exigat vel necessitas requirat.

Iob. 9. S. Greg. li. moral. 9. c. 11. Qualis instinctus ad prædicandum possit dici diuinus. 1.

Secundum est, quod illi, qui bene efficiuntur, non se esse ex hoc aliis meliores, reputant, eo quod ipsi alios docẽt, sed se magis reputant, sicut veraciter sunt, in maiori periculo, arrogantes autẽ peccatores alios despiciunt, se cunctis sapientiores & meliores reputantes. His duobus dicit B. Gregor. 23. moral. *Sancta vniuersalis Ecclesia spiritualis quisque prædicator, in cunctis quæ dicit, soleri cura se inspicit, ne in eo quod recte prædicat, vitio se elationis extollat, ne vita à lingua discordet,* & infra, *indignũ se omnibus iudicat, etiam cum dignus cunctis viuat, scit enim, quod bona, quæ innotescunt hominibus, sine periculo vtcunque esse possint, & quamuis sapientem se esse sentiat, vellet tamen esse sapiens nec videri, atque sibi hoc omnimodo quæ loquendo proditur, pertimescit, & si licet tacere, appetit, dum esse multis tutius silentium cernit, eosque se feliciores putat, quos intra sanctam Ecclesiam, locus inferior per silentium occultat, & tamen vt S. Ecclesiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit, sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit, hoc seruat voto, illud exercet min sterio, hanc autem docendi formulam arrogantes ignorant. Neque enim loquuntur, quia causæ eueniunt, sed quia causas venire appetunt, vt loquantur.* hæc Greg.

S. Greg. li. 23. moral. c. 4.

Tertium est, quando quis magno affectu accenditur ad prædicandum, cuius tamen statui repugnat publice prædicare, sed magis incumbit in solitudine vacare, sicut monachis multis, quorum officium est plangere, non docere, secũdum B. Hieronymum.

3. S. Hieron. aduersus Vigilant. c. 6.

Quartum est, si aliquis debilis, & nondum à concupiscentiis * exercitatus & in humilitate fundatus instigetur ad prædicandum volens aliis proficere, & se negligere. Vnde B. Bernard. super Cant. serm. 81. *quod tuum est spargis & perdis, si priusquam infundaris tu; totus semplenus festinas effundere contra legem agentes in primogenito bouis & ouis primogenita tendens. Nimirum vita atque salute, quam alteri das, te fraudas, dum sana vacuus intentione, gloria inanis vento inflaris, aut terrena cupiditatis veneno inficeris, & lethali apostemate turgens interis.* hæc Bernar.

4. * forsan exercitatus Bern. serm. 81. super Cant. Deut. 15

Quintum est, si affectus hominum ingerit ad prædicandum, qui nec à Prælatis missus est, nec à Deo, siue per vocationem spiritualem, & de his tribus vltimis dicit B. Bernard. super Cant. serm. 64. *clarẽt namque & est certum, quod publice prædicare monacho non conuenit, nec nouitio expedit, nec non misso licet. Porro contra hæc tria venire quanta conscientiæ demolitio est? ergo quidquid tale animo suggeritur, siue illud sit tua cogitatio, siue immissio per Angelum malum, dolosam agnosce vulpeculam, id est, malum sub specie boni.* hæc ille. Et notandum quod vbi omnia hæc concurrunt, discerni potest, an inspiratio à Deo vel diabolo prouenerit secundum humanam coniecturam, non secundum necessariam scientiam. Sed tria vltima sunt manifesta diabolicæ inspirationis indicia. Et sic patet, quod sit dicendum ad argumentum, vbi assumitur, Sacerdos spiritui Iesu inspiratus, potest prædicare, nolente Prælato quocunque. Obtẽdant se inspiratos, & credimus eis. Si quæritur, qualiter hoc probari debet, dico, quod per miraculum, aut scripturæ sacræ testimonium. & hoc probo multipliciter. 1. ex Veteri Testamento. nam Exod. 3. dum Dominus mitteret Moysen ad denunciandum Pharaoni eius voluntatem, ait Moyses, *quod signum ostendis mihi, vt credant mihi Pharao & filii Israel, quod me miseris?* statim virtutem miraculorum Dominus sibi dedit, vt virgam in colubrum & ẽconuerso transformare posset. In nouo: ex praxi Christi in se & in suis Apostolis. In se, quia cum dixit, *ego ex Deo processi, & veni in mundum, neque enim à me ipso veni, sed ille me misit*, Iohan. 8. volens ostendere, quomodo hoc esset verum, primo direxit * idem ad scripturas dicens, Ioan. 5. *Scrutamini scripturas, illæ testimonium perhibent de me.* quæ autem fuerint illæ Scripturæ, ostendit ipse Luc. vlt. dum aperit discipulis sensum, vt intelligerent scripturas, dicens: *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt de me, in lege Moysi & Prophetis & Psalmis*, & quia ad scripturarum testimonium non attenderent, vt essent inexcusabiles, fecit opera miraculorum, quibus debebant ipsum credere à Deo missum, ait enim *si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ioan. 15. Ecce quomodo Saluator docuit, quod quicunque sese à spiritu Iesu instinctum ad prædicandum dicit, hoc probare tenetur miraculis, vel scripturis de se conscriptis. Idem in suis Apostolis idem practicauit. Nam vt statim dum eos misit, virtutem miraculorum eis tribuit, dicens: *infirmos curate, leprosos mundate, &c.* Matth. 10. Eadem etiam fuit praxis Apostolorum, qui suam nouam doctrinam confirmarunt per miraculorum consummationem. vnde Marc. vlt. *illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Ita B. Paulus ait Corinthiis: *signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, signis & prodigiis & virtutibus.* hoc est, apostolatus sua in vobis signa monstrauit, per patientiam in moribus, & prodigia in signis, secundum B. Hieronymum. Hoc promisit certitudinaliter Prophetа dicens, *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*, id est, virtute fidei & miraculorum, secundum expositionem Cassiodori. hæc determinatio Concilii Lateranen. in cap. *cum ex iniuncto, de hæreticis*, dicens: *quod si forte quis argute respondeat, quia tales inuisibiliter mittantur à Deo, nisi non visibiliter mittantur ab homine, cum inuisibilis missio multo sit dignior quam visibilis, & diuina longe sit melior, quam humana, potest rationabiliter responderi, quod cum illa interior missio sit occulta, non sufficit cuiquam vnde tantum asserere, quod sit missus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus assereret, sed oportet quod astruat illam inuisibilem missionem per operationem miraculi vel scripturæ testimonium speciale. Vnde cum Dominus mittere vellet Moysen ad filios Israel in Ægyptum, vt crederent ei, quod missus esset ab ipso, dedit ei signum, vt mutaret virgam in colubrum, & virgam iterum reformaret. Ioannes quoque Baptista, speciale suæ missionis testimonium protulit de scripturis, dicens: Ego vox clamantis in deserto: parate viam Domini, sicut dixit* ISAIAS PROPHETA. Hæcisti. Et sic patet solutio ad primum.

5. Bern. super Cant. ser. 64. Indicia veri prædicatoris. Ioan. 8. Ioan. 5. *forsan eosdem. Luc. 24. Ioan. 15. Matt. 10. Marc. 16. 2. Cor. 12. Hier. in c. 12. 2. ad Cor. Psal. 67. c. cum ex iniuncto, de hæret. li. 5. c. 12.

Secunda ratio fuit hæc: Ligius homo sub potestate regia constitutus, spiritu Dei instigatus, potest dare eleemosynam corporalem indigenti, sine speciali licentia Regis, ergo multo magis Sacerdos Domini potest licite prædicare verbum Dei sine speciali licentia Prælati, cum eleemosyna spiritualis sit multo dignior corporali. Respondeo negando consequentiam, non est enim similitudo conueniens. Nam

Ioan. 1. Isa. 40. CCLXXIX. Responsio ad 2. arg.

laici possunt dare eleemosynam, & eamen non possunt prædicare ordinaria potestate cum sit solius sacerdotis officium 16. quæstio. 1. *adiicimus*. Insuper quod sacerdos prædicet, requiritur quod vltra sacerdotalem auctoritatem habeat cõmissionem specialem ad prædicandum, vt probatum longe satis superius. Sed hoc non oportet de dando eleemosynam corporalem, saltem regulariter loquendo, ergo claudicat similitudo.

16. q. 1. adiicimus, ca. 19.

Tertio, quia licet quilibet debet communicare eleemosynam spiritualem pro posse; tamen Apostolus docet singula secundum ordinem fieri debere: non autem esset debitus ordo, sed sempiternus horror; si quilibet sacerdos posset prædicare, vbi vellet, absque speciali commissione, vt probatum est supra ex æterna lege.

Quarto, quia ex eodem fundamẽto arguere possem, missare pro aliis est eleemosyna spiritualis, ergo cui licet dare eleemosynam corporalem, licet celebrare missam, cum maior sit eleemosyna spiritualis, quam corporalis. consequens falsum. ergo claudicat prouerbium.

Quinto, quia dare eleemosynam nõ est prohibitum, sed prædicare contra voluntatem Prælati est prohibitum sub pœna excommunicationis, in cap. *cum ex iniuncto*, vt iam dictum est, ergo, &c. Insuper non est simile de pane materiali & verbo Dei prædicando, quoniam ex eleemosyna materiali non sequitur periculum apud suscipientes eam, sicut periculum sæpe videmus sequi ex libertate prædicandi propter adiunctionem venenatam doctrinæ, quæ consueuit misceri cum forma veritatis eloquii, quemadmodum consueuerunt facere pastores hæreticorum, & ideo Ecclesia sancta volens huiusmodi pericula remouere ex Spiritu S. edocta, ordinauit, quod nullus tribueret panem ouibus Christi publice, absque auctoritate superioris pastoris, qui agnosceret quale pabulum suis ouibus conueniret. S. Tho. in 4. dist. 15. soluit dicens de eleemosyna, q. 3. a. 2. quod sicut dare eleemosynam corporalem non cadit sub præcepto obligante, nisi ad tempus necessitatis, & vt alicui in necessariis vitæ subueniatur: Ita ad doctrinam alterius non obligatur homo præter debitum officium, nisi in his quæ sunt de necessitate salutis, & quando non esset qui instrueret, vel quando aliquis alium errantem videret, nisi esset alius qui ex officio facere teneretur. Alias autem docere, est consilium & supererogatio quædam, sicut & de eleemosyna corporali dictum est. hæcibi.

S. Thom. 4 dist. 15. q. 3 art. 3. ad 1.

Tertia ratio vestra fuit hæc: Consummato matrimonio, coniuges sine licentia speciali Prælati possunt licite generare filios carnales. ergo sacerdotes Domini possunt licite generare filios spirituales per prædicationem verbi Dei, sine licentia Prælati. Resp. negando consequen. propter dissimilitudinem, quia generare filios carnales est principalis finis & bonum matrimonii, alius finis, scilicet quod est institutũ in remedium contra concupiscentiam, est secundarius. Sed generare per prædicationem filios spirituales non est principalis finis sacerdotii, quia vt dictum est prius in notabili, de distinctione sacerdotum curatorum & non curatorum principalis est actus sacerdotii conficere corpus Christi verum. sed secundarius est actus super corpus Christi mysticum, scilicet generare filios spirituales, in foro pœnitentiæ, vel Sacramentorum collatione, aut verbis Dei prædicatione, sed iste secundus actus non conuenit omnibus sacerdotibus, nisi tantum curaris, vel à Prælatis ad hoc deputatis, vt dicit idem B. Thom. & Albertus M. Ad confirmationem quasic assumitis: Peius est semen verbi Dei non admittere vel suffocare, quam semen carnale, sic ẽconuerso melius est semẽ verbi Dei spargere & suscipere, de quo suscitentur filii carnis. Ideo dicit Dominus Matt. 10. *Quicunque non receperint vos neque audierint sermones vestros, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, quod tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicii, quam ciuitati illi.*

CCLXXX. Responsio ad 3. arg. Matth. 10.

Respondeo quod verum concluderitis, si Prælati verbum Dei omnino suffocarent, & necessariam doctrinam populo subtraherent, quod vtique non fit ex hoc, quod non quilibet sacerdos prædicat, sed magis semen verbi Dei spargitur, quia, per eos ad quos spectat, scilicet curatos, & à Prælatis missos, copiose seminatur. vnde si quis tales impediret vel prohiberet, ille semen doctrinæ suffocaret, & grauiter reprehendendus esset. Quemadmodum B. Hieronymus scribit ad Austicum Monachum, & assumitur d. 95. *Ecce ego*, dico reprehendendos Episcopos, qui prohibuerunt curatos ne in præsentia eorum prædicarent populis, & sic doctrina necessaria subtrahebatur eis; sicut hic dicitur de semine spirituali non suffocando, ita dicit B. Thomas, de nõ abscondendo, secunda 2. q. 175. artic. 1. quod ille Dominica frumenta doctrinarum non dicitur abscondere, cui ex officio non competit dispensare, nec ei iniungitur à superiori, sed ille dicitur abscondere ea, qui officium sibi commissum negligit, vel pertinaciter recipere renuit. Insuper, sicut non quilibet ager seminari debet à quolibet agricola, sed tantum ab eo, cuius est, vel qui ad hoc conductus est, ita non quilibet populus à quolibet Presbytero instruendus est per publicam prædicationem; nisi tantum ab eo, cuius est, scilicet curato, vel qui ad hoc á superiori conductus est. Nullus enim debet gloriari in aliena regula, nec in immensum extendere Euangelium, id est, prædicationis actum; ita 1. ad Corinth. 10. hoc est quod dicitur, *ne mittas falcem in messem alienam.* Præterea, licet semen carnale, si ad vas appropriatum seminatur, adhibitis debitis circumstantiis, est meritorium; Ita si seminetur in personam prohibitam, est fornicationis, seu adulterij peccatum; ita quanquam verbum Dei secundum ordinationem Ecclesiæ seminare in locis commissis sit licitum; tamen adulterari, id est, ibi prædicare, vbi prohibitum est fieri, est demeritorium, imo excommunicationis incurrunt tales periculum, vt patet *de hæreticis. Excommunicamus.*

dist. 95. c. ecce ego. cap. 6. S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 1. ad 3. Lib. 5. c. 7. excommunicamus, cap. 13.

Quarta ratio fuit hæc: cum Heldad & Medad prophetarent, noluit eis Moyses prohiberi, Numer. 11. Sed dicit: *Quis det, vt omnis populus prophetizet?* Ergo, &c. Respondeo, negando consequentiam; quia magna est differentia inter prophetare & prædicare. Nam prophetare mulieribus conuenit, sicut & viris. Sed prædicare non potest proprie conuenire, nisi tantum viris: Nam mulieri docere non permitto, 1. *Timoth.* 2. nec viris omnibus, nisi tantum Presbyteris regulariter *in c. adiicimus*, 16. q. 1. c. 19. quia tori populo fuisset vtile recepisse donum prophetiæ, sed nõ est vtile Ecclesiæ, quod quilibet Sacerdos vellet prædicare libere, & si esset vtile, omnes optaremus. Præterea ad prophetandum non requiritur aliquid per se, nisi illuminatio mentis prophetiæ diuinitus per lumen diuinum impressum, sed ad prædicandum plus adhuc requiritur, scilicet missio ad certum locum seu populum; vnde missio tria importat: 1. auctoritatem ex parte mittentis. 2. idoneitatem ex parte missi. 3. determinatum locum seu populum, ad quem mittatur: primum est terminus à quo; secundum medium ad quod; tertium est terminus ad quem; sententia est Domini Alberti Magni super *Luc.* cap. 10. de missione discipulorum. Insuper quinto, si Deus omnibus communicaret donum prophetiæ, ex hoc nulla * distasia fieri posset, seu deordinatio Ecclesiasticę Hierarchiæ. Sed si singuli presbyteri indifferenter vbique prædicare vellent, sequeretur maximus error in Ecclesiast. Hierarchia, vt probatum est ex lege æterna; ergo non est simile prædicare & prophetizare.

CCLXXXI. Responsio ad 4. arg. *Missio tria importat.* *Albert. in Luc. 10.* * alter liber discordans.

Sexto, quia habens donum prophetiæ, potest illo immediate vti absque alia probatione, sed qui habet donum prædicandi, non potest eo vti, nisi probet se à Deo missum, per scripturam vel miraculum, vt dictum est in responsione ad primum argumentum vestrum: ergo iterum non est simile.

CCLXXXII. Responsio ad 5. argum.

Vltima ratio vestra fuit hæc. Ita licet facere Christi Sacerdotibus, sicut Apostolis & 72. Discipulis: sed illi à Christo missi, non iuerunt ad petendum licentiam prædicandi à Prælatis, vel alter ad alterum, ergo ita & nunc sine licentia speciali licet prædicare Presbyteris. Respondeo, negando consequentiam, quia licet Apostoli potuissent prædicare sine licentia aliorum Prælatorum, quia habebant licentiam sui Prælati, scilicet Christi, non sequitur, quod ergo quilibet sacerdos, cum non sit omnis talis taliter licentiatus à Christo. Etiam consequentia non valet ex eo, quod non omnes Presbyteri succedunt Apostolis, sed solum Episcopi, vt patet *distinct. 21. in nouo.* in actu iurisdictionis. Respondeo secundo negando illud quod pro minori assumitis, quia, vt probatum est superius loco tertio, scilicet praxi Apostolorum, &

d. 21. in nouo. c. 2.

discipulorum Christi, dictum est, quod Apostoli licet recepissent à Christo Domino immediate auctoritatem prædicandi, tamen executionem illius auctoritatis receperunt à Beato Petro, quia sibi soli tradita fuit potestas pascendi vniuersaliter, & secundum eius distributionem iuerunt singuli Apostoli ad implendum præceptum Christi. In cuius signũ etiam dictum est; quod Apostoli voluerunt Petrum esse omnium eorum summum Pontificem; prout deductum est satis clare ibidem. Respondeo tertio, quod Apostoli & discipuli non indiguerunt petere licentiam à Prælatis illis; quibus volebant prædicare, quia poterant se probare missos à Deo, & per Scripturas à Christo prophetatas; nunc impletas, qui debebat mittere discipulos. De quibus Psalmista: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* & iterum per signa miraculorum, quæ fecerunt copiose; hæc enim sunt duo necessaria ei pro altero eorum: qui vult prædicare absque licentia Prælati, vt ostendat se missum esse à Deo, vt probatum est, responsione ad primam rationem vestram. Et iterum, quia illi Prælati non fuerunt superiores Apostolorum, sed Apostoli fuerunt Prælati ipsorum. De quibus Psalmista: *Constitues eos principes super omnem terram.* Ad confirmationem quæ assumitis contra prædicta; Beatus Apostolus Paulus vocatus à Christo ad prædicandum, non fuit ad Apostolos petere licentiam, vt patet ad Galat. 1. Respondeo, quod ratio fuit, quæ dicta est, scilicet quia potuit probare, se à Christo missum immediate per signa miraculorum, ideo dicit S. Thomas *ad Galat.* 2. Sed posset dicere aliquis Paulo, vnde constat nobis, quod tibi sit commissum Euangelium in gentibus? Respondet Paulus, *per operationem Christi.* Sicut etiam patet, quod Petrus accepit Euangelium à Christo propter miracula, quæ fecit Christus per eu, ita patet, quod ego scilicet Paulus, ab ipso accepi scilicet Christo, etiam propter miracula, quæ operatus est in me; vnde dicit, *qui operatus est Petro*, id est, qui Petrum Apostolum fecit in Iudæa, scilicet Christus, ipse operatus & mihi inter gentes, id est, me fecit Apostolum gentium, nec tamen totaliter omisit, sed venit ad Petrum, & contulit secum, & cum aliis Apostolis Euangelium, vt patet *ad Galat.* 2. Sequitur Epilogus.

Quare Apostoli & discipuli nõ indiguerunt petere licentiã à Prælatis illis, quibus prædicare volebant.

Psal. 18.

Psal. 44.

Galat. 1.

Galat. 2.

CCLXXXIII. *Epilogus.*

QVOD ista conclusio, conclusioni proponentis contraria, est vera, secundum expositionem terminorum præhabitam: *Verbum Dei à Sacerdotibus Domini non debet libere ac sine impedimento fideliter prædicari & enunciari*; ex deductione sequũtur ista. Primo, quod ordinarie prædicatores in Ecclesia sunt Episcopi & curati, quia illi proprie succedunt duodecim Apostolis, & septuaginta discipulis Domini. Secundũ, quod alij gradus in Ecclesia non sunt à diabolo, quia à Christo & in Veteri Testamento sunt præfigurati, vt in agro Prælati, in lecto religiosi, in mola laici. Tertium, quod iam non est expectanda reuelatio à Deo vt manifestet quid credere debeamus, quia scientia Domini plena est terra & Ecclesia sufficienter in omnibus illustrata. Quartum, quod multum decorat Ecclesiam Dei, esse diuersos status, sicut decorat corpus humanum, quod habet diuersa membra, quorũ quodlibet habet distinctum sibi proprium actũ. Quintum, quod iste ordo Ecclesiasticus debet indefectibiliter seruari, ne si quilibet vellet indifferenter prædicare confunderetur tota Monarchia principatus monarchici. Sextum, hoc probatum est auctoritatibus Veteris & Noui Testamenti. Septimum, quod licet omnes Apostoli essent à Christo immediate missi ad prædicandum, non tamen licuit cuilibet eorum ire quo voluisset, nisi præsupposita, ante diuisionem auctoritate Petri, quia soli dictum est: *Pasce oues meas.* Octauum, quod valde periculosum est credere, se à Spiritu S. inspiratum, nisi possit hoc probari per Scripturam vel miraculum. Vnde nulli creditur, quod sit missus ad prædicãdum à Deo, nisi probet scriptura vel signo. Hæc quæso, in corde bono & optimo accipite, vt fructus optatus sequi valeat. Quilibet vestrũm verbum, quod audiunt, attente retineat loco eius, qui ait: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* In præsenti gratiam, in futuro gloriam conferendo, quam nobis concedat Iesus Christus benedictus in sæcula gloriosus, Amen.

Ioan. 14.

CCLXXXIV.

IAM pro tertio & actu finali in Beatiss. Trinitatis nomine, Patris, inquam, misericordiarum, cuius omnipotentia aperuit ora multorum, filij vngeniti, cuius omni sapientia disertas facit linguas infantium, & Spiritus sancti paracleti, cuius omni clementia, materiam suggerit dicendorum, Patres reuerendissimi, cæterique Domini præstantissimi, mediante beatissima Dei genitrice, cui non deest potestas, cum sit mater omnipotentiæ, nec industria, cum sit mater sapientiæ, neque adiuuandi voluntas, cum sit mater totius clementiæ & misericordiæ, secundum B. mellifluum Bernardum in Sermone, actum nunc diebus continuatum geminis iam concludendum sub brevibus, resumo verba in altera vice alterata. *Qui in corde bono & optimo verbum Domini audientes retinent, fructum afferunt in patientia.* Vbi postquam declaratum est primo, quod locus congruus est aptificandus, in quo fructificare queat sermo diuinus, quod fit in corde bono & optimo. Consequenter quomodo obseruandus est modus debitus, si audientes verbum retinent finaliter, est nunc concludendum, si ita fecerimus, quem consequemur profectum, scilicet, *fructum afferunt in patientia*; & quis est iste fructus, quem intendimus, quem quærimus, quem Dominus donet vt reperiamus? certe non alius, quam ille, quem in patientia expectamus, in hoc nomine *patientia* etymologizatus. Hæc enim est etymologia eius: *Patientia*, pacis entia, patientia, pacis scientia, patientia, pacis encœnia. Nam pacis entia sunt pax in gratia vel gloria, pacis entia in propria conscientia, pax cum seipso: pacis scientia, pax cum proximo, sed pacis incœnia, pax intelligitur cum Deo, pax conscientiæ cum seipso, & pax Angelicæ modulationis. *In terra*, inquit, *pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. 2. pax amicitiæ cum proximo est, pax Apostolicæ prædicationis, optata solis filiis pacis, *Luc.* 10. pax gratiæ & gloriæ, est pax Christi ferè salutationis, qua in vnum congregatis; *Pax*, inquit, *vobis.* Ioannis 20. hanc itaque patientiam, veræ pacis existentiam Psalmista dicit, pacem multam, *pax multa diligentibus legem tuam*; multa, quia conscientiæ, amicitiæ & gratiæ; multa, quia Angelica, Apostolica, & Christifera; multa, quia secum ipso, proximo, & cum Deo; multa, quia per nos multos, multoties corde optata, ore postulata, & nunc opere exhibita, atque doctrina; multa, quia non vnius hominis tantũ, sed totius regni inclyti Bohemiæ, Marchionatusque Moraviæ, pro salute æterna; multa, quia omnium nostrum vobiscum, & omnium vestrum nobiscum, vnione fraterna. Pax multa vtique erit, si vna fides, vnum baptisma, vnus omniũ Sacramentorum Ecclesiæ ritus, vnus clericalis viuendi modus, vna spes certa, vna charitas firma, & vna Ecclesia sancta Catholica, nobis omnibus cor vnum fuerit, & anima vna in Deo. Ecce fructus in patientia, in pacis veræ existentia. Hinc consilio Aurelii Augustini de verbis Domini, Serm. 8. *Qui hanc pacem acceperit, ipsam teneat, qui perdiderit, ipsam repetat, qui amiserit, ipsam requirat, qui enim in ea*, inquit, *inuentus non fuerit, abdicatur à Patre, exheredatur à Filio, nihilominus alienus efficitur à Spiritu sancto.* De hac pacis scientia orat quotidie Eccles. *Da pacem hanc in diebus nostris.* Et Psalmista: *Fiat pax in virtute tua.* In hac patientia, id est, veræ pacis efficientia; possidebitis animas vestras, in præsenti in gratia, in futuro in gloria, quam nobis dignetur præstare propter suam magnam gloriam, propter suæ infinitæ misericordiæ clementiam, propter vulnerum suorum, mortis, crucis, & passionis patientiam & amaritudinem, Iesus Dominus benedictus in sæcula gloriosus, Amen.

Hoc caput in alio libro prorsus non habetur.

Supra initio.

Psal. 121.

CCLXXXV *Corollaria.*

Ex præscriptis elicio aliqua corollaria, quorum cuiuslibet Dominus proponens oppositum mihi iminis trauit falsum in sententia. Primum, quod non quilibet Sacerdos habet potestatem prædicandi libere ex vi sacerdotalis consecrationis, sed virtute iurisdictionis. Secundum, Non est præceptũ Domini, quemlibet Presbyterum prædicare verbum Dei. 3. licet Papæ vel Episcopo prohibere, ne quilibet Sacerdos prædicet absque sua licentia libere vbique & sub pœna excommunicationis sententiæ. 4. multum salubre est multos missantes esse, etiamsi pauci prædicantes possent haberi. 5. congruit cultui diuino, quod in Ecclesia Dei sit altarium multiplicatio. 6. exceptio Diaconi officio sibi non est præceptum à Domino; verbi Domini libera prædicatio. 7. propter scandalum permentorum debent aliquando Sacerdotes Domini omittere verbi Dei prædicationẽ. 8. non obligan-

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

tur Prælati maiores prædicare verbum Dei, quin in certis casibus possint licite supportari. Primo dixi, quod non quilibet Sacerdos Domini habet facultatem prædicandi actualiter verbum Dei, ex virtute suæ consecrationis, quia sibi per ministerium Episcopi confertur officium Sacerdotale, cuius oppositum venerabilis proponens dixit in notabili de libertate super verbo, *libere*. & probatur dictis multorum Doctorum. Primo S. Thomæ in Tractatu de contra impugnãtes Religionem dicens, quod potestas Sacerdotalis ad duo ordinatur. Primo & principaliter super corpus Christi verum consecrandum. Et huius potestatis executionem statim cum ordinatur, accipit, nisi sit defectus in ordinatione, vel in ordinato. Secundo ordinatur ad corpus Christi mysticum per claues Ecclesiæ, quæ sibi committuntur, & huius potestatis executionem non recipit, nisi cura ei committatur; vel nisi auctoritate alterius curam habentis hocagat, nec tamen potestas Sacerdotalis frustra datur ei, quia habet executionem in hoc, ad quod ẽt potestas sacerdotij principaliter instituta; sed inquit, officium prædicationis non ordinatur ad aliud, nisi ad prædicandum; vnde cum priuilegium Principis non debeat esse inutile, vt iura dicunt, ex hoc ipso, quod Papa committit alicui officium prædicandi, ille habet executionem officij, quicunque sit ille. Hæc ibi. Secundo idem 2.2. q. 185. art. 1. quod dispensatio frumentorum spiritualium, id est doctrinarum, non est facienda ad arbitrium cuiuslibet. Sed primo & principaliter secundum dispositionem Dei, secundario autem ad arbitrium superiorum Prælatorum, ex quorum persona dicitur 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Hæc ille. Tertio, Dominus Albertus super Ecclesiasticam Hierarchiam cap. 2. vbi B. Dionysius docet, quomodo Episcopus debet prædicare ei, qui ad baptisma accedit, arguit quod non debuit baptizantem inducere ad prædicandum, quia prædicare & baptizare sunt distincta officia, & respondet, quod licet sint distincta officia; conueniunt tamen in relatione ad vnum principium, quo descendunt. Sicut enim iuri dictio prædicandi deriuatur à Pontifice in alios, ita & baptizatio, licut dicitur ad Roman. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Vnde ponendo vtrunq; officium circa vnam Pontificis personam, est intentio sua ostendere, quod vtrunque descendit ab ipso. Hæc ille. Idem patet clare per ambos istos in 4. Sentent. dist. 23. vt supra allegatum est in notabili de dist. Sacerdotum curatorum, & nõ curatorum. Quarto idem ostendit venerabilis Augustin. de Ancona *in lib. de Ecclesiast. potest. te, q. 64. art. 1.* ostendẽs, quod etiam prædicare in Papa est officium iurisdictionis, & non sacri ordinis, quia & Papa electus, qui non esset Sacerdos, prædicare posset per se; & cum hoc, officium prædicationis aliis committere; sed non posset ea, quæ sunt ordinis, nisi prius esset consecratus. Et hoc ideo, quia id, quod est ordinis, respicit corpus Christi verum. Sed quod est iurisdictionis, respicit corpus Christi mysticum. *Et ibid. artic.* 2 probat, quod prædicare non licet Episcopo vel presbytero absque licentia Papæ, quia prædicare est iurisdictionis actus. Sed omnis iurisdictio derinata est Episcopis & presbyteris à Papa, ad quem spectat d œceses & parochias distinguere, & cuilibet suam assignare; ergo absque auctoritate Papæ non licet eis prædicare. Quinto, idem per totum suum processum ponit venerab. Thom. de Walden, qui non concedit, quod ex ordine vel officio sacerdotali cuiquam competit prædicare, nisi possit se missum probare per signa; si à Deo sit, vel monimenta, si à prælato se asserat missum. Sexto, hoc Dominus Ioan. Gerson *in Tract. de Eccles. potestate* videtur velle dicens, quod potestas Ecclesiastica iurisdictionis non coercitiue in sua latitudine considerata, nedum ad sacramentum pœnitentiæ, sed etiam ad aliorum sacramentorum administrationem, imo ad prædicationem est extensa, quæ omnia respiciunt corpus Christi mysticum, horum ratio est, quæ iuridice est dicta, quod Presbytero in sua consecratione non datur, nisi duplex potestas, scilicet, ordinis, & clauis, quarum neutra adfert libertatem prædicationis.

1. Corell. Non quilibet Sacerdos habet facultatẽ prædicandi libere ex virtute cõsecrationis sacerdotalis, probatur.

S. Thom. lib. contra impugnantes religionẽ. c. 4. non procul à fine.

S. Thom. 2 2. q. 185. art. 1. ad 3.

1. Cor. 4.

Albertus.

Rom. 10.

Aug. de Ancon. de Eccles. pot. q. 64. art. 1. & 2.

The. Walden l. 2. doctrin. fid. c. 70. & seq. tom. 1.

Gerson de pot. Eccles. confid. 5. Tom. 1.

CCLXXXVI. *2. Corell. Non obli-*

Ex isto sequitur secundum Corollarium, scilicet, quod non obligatur quilibet Sacerdos ex præcepto Domini prædicare verbũ Dei, quod quamuis ex dictis pateat; probatur tamen ex superabundanti, & primo ex veteri lege sic. Illud non est presbyteris præceptum, de quo se licite excusare possunt, sed Ieremias se licite ab officio prædicationis excusauit, nihilominus presbyter fuit, vt dictum est; ergo non fuit hoc præceptum. Maior nota est, quia præceptum obligat non facientem ad peccatum mortale. Minor probatur per B. Gregorium *in pastorali*; & sanctum Thomam in Glossa *Ierem.* 1. vbi excusat Moysen & Ieremiam ex amore Dei voluisse contemplationi insistere. Et Esaiam, qui sponte se obtulit ex amore proximi prodesse. Secundo, sic ex lege noua. Nam Apostolus perfectionem corporis Christi mystici differens, dicit de presbyteris, quod Christus dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum: *Nunquid*, inquit, *omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* 1. Corinth. 12. Ex quo claret manifeste, quod non omnibus presbyteris præceptum prædicare, cum non sint omnes Apostoli, nec Euangelistæ. Tertio sit, prędicare est pascere, sed non omnes presbyteri sunt pastores, cum non habeant gregem sibi commissum, iuxta illud 1. Pet. 4. *Pascite eum, qui in vobis est, gregem*; scil. commissum non alium; iubet ergo, &c. Quarto sic, ad presbyterum sufficit aliqua scientia sacrarum literarum, quæ non sufficit ad prædicandum, vt prædictum est, non ergo oportet quemlibet Sacerdotem esse prædicatorem, patet consequentia, quia da oppositum, & sequitur, quod quilibet Sacerdos qui prædicare nescit, sit continue in peccato mortali, quod falsum est, quia legimus de multis sanctis presbyteris, qui fuerunt simplicissimi, nec sciuerunt nisi Missam pro mortuis, vel de B. Virgine Maria, & fructu tibi, & vinis, & de sanctis fecerunt. Quinto sic, inter actus officij Sacerdotalis principalius est confectare corpus Christi, & magis sibi annexum, quam prædicationis officium. Sed nullus dicit Sacerdotem ex præcepto obligari omni hebdomada celebrare Missam, aut etiam mense, imo ex familiari instinctu Spiritus S. si qui totaliter abstinent à celebrando, excutantur, sicut legimus in viris Patrum de quodam Sancto, qui ordinatus nunquam postea celebrauit, & B. Marcus legitur sibi pollicis partem abcidisse, ne celebrare posset, *distinct.* 13. 4. dicit S. Thom. vt etiam refert B. Hieron. in Prologo super Marcum, ergo multo minus prædicatio sic est præceptra, quod non prædicantes obligentur ad mortale peccatum. Sexto sic, si quilibet Sacerdos teneretur ex præcepto Domini prędicare populo, tunc nullus talis, nisi ex speciali dispensatione Domini posset se dare solitariæ vitæ aut religioni, cui prædicare non competit, sed contemplatiuæ vacare vitæ, quæ teste B. Gregorio super Ezech. est charitatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere, & soli conditoris desiderio inhærere, &c. consequens falsum, vt paret de multis Sanctis, qui mundum fugerunt in desertum, anachoreticam viram duxerunt; & de aliis presbyteris religiosis, qui nunquam prædicauerunt, sed cum Maria Magdalena optimam vitam seu partem elegerunt, *Luc.* 10.

gatur quilibet Sacerdos ex præcepto Domini prædicare verbum Dei. Ierem. 1. Gregorius in past. p. 1. c. 1. in 1. Moral. lib. 35. c. 13.

Ephes. 4. 1. Cor. 12.

1. Pet. 4.

CCLXXXVII. *Solut. arg. 1. contrarij, ex verbis: Ite, prædicate. Matth. 28. Marc. 6. Actor. 10. Matth. 10.*

Restat ergo solnere auctoritates multas, quibus probare nisus est Venerabilis proponens, quemlibet Sacerdotem ad prædicandum obligari ex præcepto Domini. Primo illud Matth. & Marci vlt. & Actor. 10. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Petrus ait: *Nobis præcepit Deus prædicare populo.* Et Matth. 10. hos duodecim misit, & præcepit eis dicens: *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum Dei.* Ad hos omnes simul respondeo, quod veritas est quod Christus præcepit Apostolis prædicare, sed ex hoc non sequitur, ergo omnibus presbyteris & diaconibus, quia presbyteri & diaconi non sunt successores Apostolis, sed soli Episcopi. Vnde Psalmista: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Glossa B. Augustin. id est, *pro Apostolis Episcopi.* Idem patet per Glossam *Matth.* 10. & est supernus deductum in secunda differentia posita inter Sacerdotes curatos, & non curatos, & vt clarius hoc constat, notandum quod hæc verba: *Ite in orbem*; vel, *euntes in mundũ vniuersum*; & similia non fuerunt præceptiue ad quemlibet Apostolorum dicta, q. probatur. Primo, quia si non; tunc omnes Apostoli peccarent mortaliter,

8. Thom. 4 d. ff. 13. q. 1. art. 2. q. 1. ad 1.

Gregor. in Ezech. Homil. 14 circa medium.

Augustin. in Psal. 44.

eo quod nullus eorum fuit in orbem vniuersum, nec aliquis eorum prædicauit Euangelium omni creaturæ, secundum sensum literæ, & sic fuissent transgressores illius præcepti, & sic fuissent omnes damnati. Secundo nota, quod etiam illa verba non fuerunt dicta Apostolis singulis, per modum cõsilij, quia frustra daretur consiliũ, quod nullus posset, etiamsi vellet perficere, sed non fuisset possibile humano more cuicunque Apostolorum, quod perambulasset totum mundum, ergo hoc non fuit sibi à Domino consultum. Tertio dico, quod illa verba non fuerunt dicta cuilibet Apostolorum simpliciter, sed omnibus simul collectiue & generaliter, in cuius signum non dixit Dominus ad quemlibet, vade: sed collectiue, ite; vel, euntes docete; vnde licet nullus eorum, tamen omnes collectiue prædicauerunt per mundum vniuersum, sicut & nunc, licet quilibet Episcopus, qui est successor Apostolorum, nõ prædicet vbique, tamen omnes simul qui in mundo sunt, ita disponunt, quod pabulum verbi Dei ministratur populo sufficienter. Quarto, quod illud præceptum datum est Apostolis indistincte, vt intelligerẽt; quod distinctionem Petro commisisset, cui soli dixit: *Pasce oues meas.* Ita & nunc dato, quod hoc præceptum Episcopos obligaret, qui sunt Apostolorum successores, adhuc nullus eorum esset sufficienter missus ad officium prædicationis per totum mundum, quia non possunt prædicare in aliena diœcesi, si prohibeantur ab Episcopo illius loci, nisi speciali sibi committeretur auctoritate superioris, vel à Deo missos specialiter probare se possent. Quinto concludo, quod per illa verba: *Euntes docete*, non est præceptum Presbyteris & diaconibus, vbique prædicare, quia si sic, si non facerent, essent in statu damnationis. Insuper & omnes Carthusienses, Cistercienses, & religiosi alij, qui nunquam prædicarent, in peccato mortali essent, quia facerent cõtra præceptum Christi. Et vltimo, si sic in generali obligarentur, ipsi essent magis perplexi, quo essent missi, & ad quos. Si ad vniuersum orbem, vbi exsequerentur? & si ad omnes, quomodo idiomata scirent? & si omni tempore, quando prædicabunt, & quando cessabunt? & si ad certum locum, vbi est expressus? si ad certos, nullibi est expressum. Nam ad actum prædicandi requiruntur tempus, locus & auditores, quæ in illis verbis generalibus: *Ite in orbem. Euntes in mundum. Ite, docete omnes gentes*; non sunt assignata, si dixeritis, quod sunt missi vt vadant iuxta suum arbitrium, quocunque eis licuerit vel videbitur, & quando, & vbi, hoc faceret infinitam perturbationem in regno Ecclesiastico, & turbarent totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem, quod reprobatũ est supra in principio ex æterna lege.

Secundo adducitis Apostolum 1. Cor. 9. *Væ mihi si non euangelizauero*; respondeo, quod merito, ipse enim ad prædicãdum fuit obligatus, & expresse ad hoc à Domino legatus. *Non*, inquit, *misit me Dominus baptizare, sed euangelizare:* quia secundum Glossam, baptizare possunt minores Presbyteri, sed ad prædicandũ requiruntur homines excellentioris virtutis, i. ad Cor. 1. sed ex hoc non habetur propositũ vestrum.

Tertio ad id, 2. Timoth. 2. *Verbum Dei non est alligatum*, dico quod hoc verbum nihil videtur facere ad propositum, quia secundum textum & Glossam ad literam, quod Apostolus ibi ostendit, quod quanquam vinculatus esset corpore, non tamen ligatus fuit in ore, quod non posset docere præsentes verbo, vel absentes scripto, verbum Dei sic prædicando, vnde præmittit ibidem: *secundum euangelium meum, in quo laboro, vsque ad vincula.* Ad hunc sensum etiam B. Gregor. exponit eandem auctoritatem 3. Moral. c. 31. super illo verbo, Vibratur enim clypeus hasta, sic inquiens: *Verbum Dei non est alligatum, quia doctores sancti pro defensione fidei supplicia subeunt, ad eandem fidem, quos valet, rapere etiam inter verba non desistunt. Vnde idem Apostolus ait: in quo scilicet euangelio laboro vsq; ad vincula, quasi male operans. Sed Verbum Dei non est alligatum, quasi diceret, hasta quidem suppliciorum ferior, sed tamen verborum sagittas emittere non desisto, vulnera crudelitatis accipio. sed cor infidelium vera loquẽs transfigo. Idea Sancti cum vulnera patienter sustinent, prudenter contra corda infidelium sagittas prædicationis reddunt. Vnde nonnunquam agitur, vt ipsi qui in persecutione sæuiunt, non tam doleant, quod cor prædicatoris emolliunt, quam quod per eius verba etiam amittunt.* Hæc ille.

Quarto illud Luc. 12. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* hoc omnino non probat propositum, quia intelligitur tantum de curatis & prælatis, prout eam exponunt postillantes. Nam Dominus multa dixit in parabolis; volens B. Petrus scire, an istæ parabolæ tangerent omnes generaliter, vel Apostolos specialiter, quærit, dicens: *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Et respondet, quod ad eos tantum, & ad loca eorum tenentes, vnde subdit: *Quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis?* Albertus non extraneis, sed illis, id est, sibi commissis, quibus debet principaliter intendere quilibet prælatus, iuxta illud 1. Timoth. 5. *Si quis suorũ, & maxime domesticorum curam non gerit, fidem negauit, & est infideli deterior.* Hinc est, quod Dominus dicit Ioan. 10. *Proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit, & oues illum sequuntur.* Hinc est etiam quod Paulus dicit Actor. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus S. rectores & Episcopos*; quasi diceret, illis specialiter teneminí, qui regimini vestro sunt commissi. Hæc Albertus: Cui alludit Glossa Bedæ, vobis qui dispensatores estis instituti, hoc ministerium specialiter commissi de custodia & præparatione, vt & alios & vos præparetis in aduentum iudicis. Et Hugo ibidem: Dominus constituit seruum *super familiam suam*, id est, Ecclesiam, *vt det illis*, id est, suis, quibus tenetur magis quam alienis; sibi enim dicitur Prouerb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

Quinto ad illud 2. Timoth. 4. *Predica verbum.* Respondeo vt supra, quia Timotheus fuit Episcopus Corinthiorum, ideo B. Apostolus ostendit sibi quid sit officium Episcopi, dicens: *Predica verbum*; scilicet, in tua plebe, quia illuc tè misi, & non alibi.

Tunc ad auctoritates veteris Testamenti adduxistis: Primo illud Esai. 58. *Clama ne cesses.* & quadragesimo: *Vox dicentis clama.* & ibidem: *super montem excelsum, &c.* Respondeo, quod istud præceptum Isaiam solũ obligat, & ipse tenebatur hoc facere, quia se sponte obtulit; dum Dominus ait: *quem mittam?* ait ille: *Ecce ego mitte me.* Isai. 6. Nec exemplum eius omnes presbyteros obligat, quia ipse presbyter non fuit, cum esset de semine regio, sed presbyteri erant de tribu Leui. Sed contra hoc assumpsit dicens: *Et si quis dicat, hoc fuisse tantum Prophetis præceptum, audiat Apostolum ad Roman. 15. dicentem: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et Iacob. 5. Exemplum accipite fratres exitus mali & longanimitatis, laboris & patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini.* Respondeo, quod ex hoc non habetis, quod præcepta data Prophetis, obligent Diaconos & Sacerdotes noui Testamenti, sub precepto, prædicare verbum Dei, nec dicunt hoc Apostoli allegati, sed S. Paulus dicit sic: *Ad nostram doctrinam scripta sunt.* Sed quæ est doctrina? subdit: *vt per patientiam & consolationẽ scripturarum spem habeamus.* Per patientiam scripturarum, id est, per exempla patientiæ in patribus ostensa, quæ reperiũtur in Scriptura sancta. Spem retributionis æternæ concipiamus nos accepturos secundum Glossam, & ad hoc sonãt verba B. Iacobi allegata, vbi sic præmittitur: *Patientes ergo estote fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat fructum pretiosum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum.* Post subdit, quod allegastis, & concludit: *Ecce lætificamus eos, qui sustinuerunt, sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, &c.* Ecce quod docent nos patientiam seruare in aduersis, & nihil ad propositum est. Illa autem auctoritas: *Super montem excelsum ascende.* probat directe contrarium eius quod intenditis, scilicet, non esse præceptum Domini, quod singuli Presbyteri debeant prædicare, nisi mittantur in speciali, quod ostendens Apostolus ait ad Roman. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: quam speciosi super montes pedes euangelizantium pacem?* vbi secundum expositionem almæ matris meæ Vniuersitatis Colonien sis notanter dicit, pedes, vt denoret ordinem prædicandi auctoritatis, quæ effluere debeat & prouenire à superioribus, vel dico, quod ad solos Prælatos curatos se extendit, de quibus Beatus Gregorius iam exponit in pastorali, cap. 15. Adduxistis etiam Ezechiel. in cap. 3. & 33. dicentem: *Fili hominis speculatorem dedi te, & sanguinem eius de manu speculatoris requiram.* Respondeo, quod speculator populi proprie est Episcopus eius, vnde dicit B. Isidorus de summo bono, lib. 3. capit. 35. *Speculatores cæci omnes, id est, imperiti Episcopi, non valentes resistendo malis, plebes commissas per verbum doctrinæ defendere.* Hæc ille.

ille. Quod ostendens etiam de curatis B. Gregor. in Glossa ait: *Prædicatorem speculatorem vocat, cui enim aliena cura committitur, speculator dicitur, vt in mentis altitudine sedeat, & vocabulum nominis ex virtute actionis trahat.* Item illud Leuit. 10. *Habeatis scientiam discernere, &c. docebis filios Israël.* Glossa exponit de curatis, dicens: *Sa. erdotum est docere, & subiectos instituere.* Vltimo illud Deuteron. 31. *Leges verba legis huius coram omni Israël.* Respondeo, quod illa auctoritas non probat, quod omnibus Sacerdotibus conueniat sub præcepto Domini prædicare, quia illa verba dixit Moyses tantum Iosue, quem sibi Dominus substituit, qui esset dux populi in terram promissionis, & sic legeret verba legis populis, vt seruarent ne occiderentur ante ingressum in terram promissionis, & sic patet solutio ad auctoritates quas adduxistis contra Corollarium meæ conclusionis.

CCXCIII. *Ad obiect. ex scriptis SS. Patr. ad. dist. 43 sit rector. 6. 1. Greg. p. 2. sup pastor. l. c. 4. Ad 2. August. August. cõtra ep. fundamenti, c. 5. tom. 6.*

Ad primam, quæ est B. Gregor. distinct. 43. sit rector, illa soluit seipsam, quia loquitur de rectoribus, id est, curatis, & cõcludendo vobiscum, quod illi debent prædicare sibi commissis, vnde dicit: sit rector, & continuè nominat pastores in eod. cap. & quidquid dicit de Sacerdotibus, ipsemet de pastoribus & rectoribus intelligi ostendit.

Ad secundam, quæ est B. Augustini in Prologo sermonũ, dicentis: quod Sacerdotes præesse non debent, qui prædicare nesciunt, nec alij tacere debent, quod sciunt, etiam si non præsint. Respondeo, dobito, B. Augustinum ita dixisse; tamen dico, nequaquam est mens B. Augustini, quod velit aliquem Sacerdotem non curatum, absque missione speciali à Deo vel Prælato, prædicare, quæ etiam probari possit esse alicui commissa, prout ipsemet probat, scribens contra Epist. fundamenti, cap. 3. dicens, quod quicunque vult prædicare, primo & ante omnia de eius Apostolatu est inquirendum, dicens: *Videamus quid me docuit Manichæus, & potissimum illum librum consideremus, quem fundamenti Epistolam dicitis, vbi totum pene continetur, quod creditis, certe sic incipit: Manichæus Apostolus Iesu Christi, prouidentia Dei Patris, hæc sunt salubria verba, de perenni ac vino fonte. Iam patienter quæso attendite, quid quæram. Non credo istum esse Apostolum Christi, quæso ne succenseatis, & maledicere incipiatis, nostis enim me stetisse nihil à vobis polatum temere credere. Quæro igitur quis sit iste Manichæus, respondetis Apostolus Iesu Christi, non credo, iam quid dicas, aut quid facias non habebis, promittebas enim scientiam veritatis, & nunc quod nescio, cogis vt credam.* Et infra: *Quod si in Euangelio aliquid apertissimum de Manichæi Apostolatu inuenire potuero, infirmabis mihi Catholicorum auctoritatem, qui iubent vt tibi non credam, quæ infirmata iam nec Euangelium credere potero, quia nisi per illos illi credideram, ita nihil apud me valebit quidquid inde protuleris.* Et infra: *Illi enim scilicet Euangelio, credens, non inuenio quomodo possim etiam tibi credere, Apostolorum enim nomina, quæ ibi leguntur, non inter se continent nomen Manichæi. In loco autem Iudæ, qui successerit, in Actib. Apost. legitur.* Hæc ille. Constat autem quod presbyteri ex speciali commissione non missi ad prædicandum non sunt pro Apostolis veris acceptandi, ergo nequaquam de mente B. August. quod qui curam non habent, prædicare debeant absque vocatione speciali, intelligere ergo oportet sua verba, iam dicta, & ad Orosium in fine libri, scilicet, quod qui non præsunt Presbyteri, debent disponere cum prælato se mitti, & sic prædicare populo, si videtur congruum prælato, vnde quod dicit in auctoritate, *debent*, non est debitum necessitatis, sed congruitatis, quam distinctionem S. Thom. ponit in pluribus locis, scilicet in 4. sent. distinct. 5. de ministris baptismi, art. 2. ad 1. art. Et 3. part. q. 74 art. 5. ad 3. quia non obligantur, nisi Prælato videatur congruere. Sic B. Apostolus adhuc Saulus, accessit ad principem Sacerdotem, & petiit ab eo literas in Damascum, vt admitteretur contra discipulos Domini, Actor. 8.

S. Thom. 4. dist. 5. q. 2. art. 2. ad 1. 3. q. 64. ar. 5. ad 3. Actor. 8. Ad 3. Hier. in 3. cap. Ezech.

Ad tertiam, quæ est B. Hieronym. super Ezechiel. 3. *Dicente me ad impium*; loquitur de curatis, quia dicit: *prædicare tenetur Sacerdos*; sed probatum est supra ex B. Thoma & Alberto, quod nullus tenetur prædicare, nisi curatus; vnde ostendebatur distinctio inter Presbyteros curatos & non curatos. Vel loquitur de eo, cui hoc Dominus vel Prælatus præcipit, sicut Prophetæ fecit; ostensum autem est, quod non est præceptum Domini, sacerdotes non curatos prædicare.

Ad 4. Isidorus.

Ad quartam, quæ est Isidori, de Summo bono, lib. 3. c. 56. *Sacerdotes damnabuntur, si peccantes non erudiant.* Respondeo, quod ad literam loquitur de curatis prælatis, vnde subdit circa medium capituli: *Nonnulli Prælates gregi quosdam pro peccatis à communione eiciunt, vt pœniteant, sed quasi forze vincere debeant ad melius exhortando, non vindicant.* Et circa fin. cap. dicit: *Notandum ab omni Pontifice vehementer, quod tanto cautius agat, quanto durius à Christo formidet iudicari.* Pro quo & sequentibus sciendum, quod antiqui Doctores sæpe pro eodem ponunt, istos terminos Episcus, præsul, rector, & sacerdos seu presbyter, sicut iste hic facit in eod. cap. quia antiquitus pro eodem censebantur quo ad vocabulum, licet non quo ad gradum, & statum, prout notat Isidor. 7. Erymolog. exponens 22. nomina Ecclesiæ ministrorum; & 21. dist. *Ceros.* Nec pro tunc erant multi Presbyteri, nisi Episcopi, & curati seculares, clerici vocabantur Monachi, de quibus loquitur tota causa 12. q. 1. ostendit enim ibi, quod hoc nomine Episcopus significat Patriarchas, Sacerdotes, Archiepiscopos, & Metropolitanos, illud nomen Sacerdos significabat Imperatores, Reges, Episcopos & Presbyteros, quia & Reges erant Pontifices & Sacerdotes. Vnde dicit Imperatores Romanorum Pontifices dictos, quorum rationes & diuersitates exponit ibidem, ita in proposito, auctoritates sanctorum eosdem terminos, sæpe pro eodem sumunt, & sic non possunt trahi pure ad Sacerdotes præsentis temporis, sed pro sacerdotibus Episcopi & curati plebani accipiuntur.

Ad quintam, quæ est Chrysost. Homil. 44. *Sacerdotes nisi omnem veritatem manifestauerint populo, dabunt rationem in die iudicij*, possem respondere vt prius, tamen respondeo, quod *omnem veritatem*, facit distributionem accommodam, & non vniuersalem distributionem, quia nullus est Sacerdos, qui sciat omnem veritatem. Sic etiam Glossa dicit super illo: *Spiritus S. docebit omnem veritatem*, id est, necessariam ad salutem. Tamen vltra hoc dico, quod manifestare fit per admonitionem fraternam, etsi non semper per prædicationem publicam. Hanc distinct. innuit Glossa 1. Cor. 12. vbi dicit Apost. *Sermo meus, & prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. Sermo*, inquit Glossa, *dicitur, qui fiebat in priuato, prædicatio in publico.*

Ad sextam, quæ est B. Gregor. dist. 43. Ephes. Respondeo, quod illa modicum facit ad rem, quia Paulus ostendit se fecisse, quod sibi præceptum fuit, scilicet, denunciare Ephesiis omne consilium Dei, ita & quilibet, cui sic præceptum est, tenetur facere.

Ad septimam, quæ est B. Gregor. Hom. 17. *Nos qui ex oblationibus vitiorum fidelium*; loquitur de pastoribus, sicut ipse erat pastor vniuersalis Ecclesiæ, ideo dicit, nos.

Ad octauam, quæ est B. August. in lib. contra Manichæos loquitur de curatis, vnde dicit: *Qui electus ab Ecclesia ministerium euangelizandi & baptizandi renuerit.* Et infra: *Qui autem curam lucrandorum refugit aliorum &c.* Ad nonam 43. dist. *Dispensatio est nobis cœlestis seminis munera*; loquitur de Episcopis, quia dicit, nobis, ita ex Concilio Carthaginensi 4. Ad decimã: *Episcopus nullam reiudicatis ad se causam retrocat, sed vt lectioni, orationi, & prædicationi verbo tantummodo vacet*; expresse de Episcopis loquitur. Ad vndecimam, ex Concilio Toletano in cognorantia, dist. 38. *Sciant Sacerdotes Scripturas sacras, & canones, vt omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat*; loquitur ad literam de curatis, quod probatur dupliciter: primo per verba ibidem expressa, quæ sunt: *Ignorantia maxime vitanda est in Sacerdotibus, qui docendi officium impopulis susceperit*; & constat, quod illi sunt curati. Insuper per capitulum immediate sequens, quod loquitur de plebanis, dicens: quod dum ad suas parochias ordinantur, debent recipere librum officialem, id est, officiorum. Et ita apparet, quod auctoritates sunt competenter & veraciter solutæ.

Ex præmissis sequitur Corollarium tertium, scilicet, quod non est præceptum diaconibus à Domino, ex vi diaconatus officii, prædicare populis verbum Dei, cuius oppositum posuit Dominus proponens. Patet ex omnibus his, quæ præmissa sunt ad probandum hoc, presbyteris non esse præceptum, multo minus diaconibus. Præterea secundo istud non est diaconibus præceptum, quod ex equi non debent absque commissione speciali, quia nec presbytero, vt probatum est in conclusionis deductione, ergo diacono non est prædicare præceptum à Domino, nec sibi prædicare li-

CCLXXXVIII. *Ad 2. obiection. Si non Euangelizauero. 1. Cor. 9.*

CCLXXXIX. *Ad 3. Verbum Dei non est alligatum. 2. Tim. 2. Iob. 39. Greg. lib. Moral. 31. cap. 23.*

CCXC. *Ad 4. ob-*

Ioan. 21.

Ieci. Quis putas. Luc. 12.

Alber. in 12 cap. Luc. 1. Tim. 5.

Ioan. 10.

Actor. 20.

Beda.

Hugo.

CCXCI *Ad 5. obiect. Predica verbum. 2. Tim. 4.*

CCXCII. *Ad obiect. ex Veteri Testam. Esai. 58. Esai. 40. Esai. 6.*

Rom. 15. Iacob. 5.

Esai. 40.

Rom. 10. Esai. 52.

Gregor. in lib. pastor. par. 2. c. 3 & 4. Ezech. 3. & 33. Isidorus.

Pro eodem sumuntur sæpe Episcopus, præsul, rector, Sacerdos, presbyter. Isidor. lib. 7. etym. c. 12. dist. 21. ecclesiæ. 12 q. 1.

Ad 5. Chrysost. Hom. 44. in Matth. nope. imperfect. tom. 2. Ioan. 16. 1. Cor. 12. Lyran.

Ad 6. Gregor. lib. 1. Epist. 33. Actor. 20. Ad 7. Gregor. homil. 17.

Ad 8. August. Ad 9. Dist. 43. c. 5. dispensatio. Ad 10. Conc. Carthag. 4. c. 20. dist. 88 Episcopus nullã, t. 6. Ad 11. Dist. 38. c. 1 ignorãtia, ex Concil. Toler. 4. c. 24. & Arelat. 4. c. 1. CCXCIV. Coroll. 3. Nõ est præceptũ diaconibus à Domino ex vi diaconatus officij, prædicare populis verbum Dei:

3.

cet, nisi probet se missum à Deo, vel eius sufficienti prælato. Tertio sic, hoc ex doctoribus sic deducitur. Illud quod solis sacerdotibus & prælatis conuenit, regulariter hoc non est præceptum diaconibus, sed neque licet eis absque auctoritate superioris: Ita est de actu prædicationis verbi Dei, quod regulariter nulli conuenit, nisi tantum sacerdotibus & Episcopis, vt patet 16.q.1. *adiicimus*. hoc ergo officium nec præceptum est, nec congruit regulariter diaconibus, & hoc *in c. perlectis, distinct.*25. Quarto ducit Hugucius, quòd diaconibus nunquam licuit prædicare, nisi cum ad officium prædicandi à Sacerdotibus fuerant inuitati vel rogati; sic enim & non aliter potest diaconus prædicare licite, *distinct.* 92: in sancta, *&c.* Diaconus, *&* 11. *q.* 1. sicut enim. Quinto, idem expresse dicit D. Wilhelmus Parisiens. in suo sacramentali de Sacramento ordinis, quod diacono non conuenit prædicare ex officio, eo quod dum consecratur, sibi in porrectione Euangelii, non dicitur: Accipe potestatem prædicandi; sed, *Accipe potestatem legendi Euangelium, pro viuis & mortuis.* Sexto sic, B. Thomas 4. *distinct.* 6. dicit, quod diacono non licet prædicare, sed bene baptizatum instituere, quia solius Presbyteri & Episcopi actus est prædicare. Septimo sic, B. Dionysius quinto capitulo Ecclesiasticæ Hierarchiæ, distinguit diaconum à presbytero, eo quod diaconi est purgare ante baptismum catechizando, presbyterorum illuminare baptizando, sed Episcoporum post baptismum perficere prædicando & confirmando; ergo prædicare non conuenit diacono ex officio vel præcepto.

4. 16.q.1.c. 19. *adiicimus. dist.*25.c.1. *perlectis. dist.*93. *diaconus.c.*13. *& d.*92.c. 2. *in fatis.* 11.q.1.c. 30. *sicut enim.*

5. 6. *Thom.* 4. *d.*5.*f.*6.q.2. *art.*2.

7. *Dionys. Areopag.c.*5. *Eccl. Hier. Dist.*25.c. 1. *perlectis. Magist. in* 4. *dist.*24 *diaconorii ordo. De hæret. cum ex inuncto.l.*5. *tit.*7.*c.*12.

Per hæc respondeo ad ea, quæ in contrarium adduxit, scilicet, auctoritatem Isidori, & habetur 25. *distinct.* perlectis. & per Magistrum in 4. *dist.*24. vbi dicitur: *Sicut lectoribus Vetus Testamentum, ita diaconibus nouum prædicare præceptum est.* Ad hoc respondeo primum secundum Hugucionem ibidem, quod intelligitur cum diaconus à Sacerdote rogatur vel inuitatur, vt iam dictum est. Secundo, secundum Henricum Botz, & habetur de hæreticis, *lib.*6. *cap.* cum ex iniuncto, dicentem, quod diaconus non potest prædicare, nisi ex delegatione. Tertio, secundum Ioannem Teutonicum *in Glossa cap. adiicimus.* dicit, quod prædicare ponitur pro legere publice, & hæc est verissima responsio, quia diacono est præceptum publice legere Euangelium. Hoc idem affirmat Laurentius distinct. 92. in sancta, dicens: *Hoc intellige ex delegatione, aliàs solius Presbyteri officium est, prædicare. Vel,* inquit, *hic prædicationem appellat lectionem Euangelicam.* Idem loco tertio asserit Wilhelmus Duranti in rationali diuinorum, in capitulo de diacono, vbi de diacono dicit, quod præceptum est sibi prædicare, id est, legere Euangelium publice. Et nota, si sic tunc lectores haberent prædicare vetus, Diaconi nouum Testamentum, & sic officium prædicationis esset multum commune, & reputationis modicæ, & diuisum quo ad materiam prædicandorum.

*dist.*92.c. *in sancta. Durant. in ration. diuin. lib.* 2. *cap. seu rubric.*9.

CCXCV. *Coroll.*4. *Cõgruum est multos esse Missam celebrantes, etsi nõ sint tot prædicatores. Gregor. Seneca Epist.*38. *Missa debet celebrari quotidie, & cur. S. Thom.*4. *dist.*13.*q.*1. *art.*2.*q.*3. 2. *Psal.*58.

Ex isto sequitur quarto, quod valde congruum est, multos esse missantes, vel Missam celebrantes, etiamsi non tot sint populo prædicantes, probatur multipliciter. Primo, quia prædicatio est pro loco & tempore moderanda & intermittenda. Sed Missa est quotidie continuanda, ergo propositio vera. Consequentia nota, & probatur maior, quia dicit B. Gregorius in quadam Homilia: *Dispensanda est prædicatio pro loco, tempore, & auditorum capacitate, quæ si rara fuerit, non sufficit, si assidua, vilescit, nec multis sermonibus opus est, sed efficacibus,* ait Seneca Epist. 38. Insuper Saluator noster triginta tribus annis in hoc mundo fuit, & tantum prædicauit tribus, triginta annis tacens: Et ad minorem accedamus, quæ probatur primo ex doctrina communi, quæ est S. Thomæ 4. *distinct.*13. & Innocentii *in libro de Missa*, dicentis: quod Missa debet esse in Ecclesia quotidie quintuplici ratione: 1. quia oportet semper paratã esse medicinã contra quotidiana peccata. 2. vt lignum vitæ semper sit in medio Paradisi. 3. vt nobis Christus quotidie vniatur sacramentaliter, & nos ei spiritualiter. 4. vt sit apud nos iugis memoria Dominicæ passionis. 5. vt vero agno loco typici quotidie vtamur, quem Iudæi ad vesperam conuertendi esurient, famem patientes vt canes, secundum Psalmistam. Secundo, hoc statutum est propter hæresum eliminationem, dicitur namque in rationali diuinorum, *lib.*4 *cap.*1. quod dum hæreses in diœcesi Moguntina pullularent, scilicet, qui Trinitatem impugnarent, ex institutione Alcuini Magistri Caroli Magni, Bonifacii Archiepiscopi Moguntinensis rogatu, statuentis prima Feria de Trinitate dicebatur Missa, secunda de sapientia, tertia Feria de Spiritu sancto, quarta de Charitate, quinta de Angelis, sexta de sancta Cruce, septima de Beata Virgine: Cessante causa illa, cessauit & effectus. hæc ibi. Hinc est, quod propter deuotionis reuerentiam, & Sacramenti necessitatem plures Sacerdotes solent plures Missas in eodem die celebrare, sicut de S. Leone Papa legitur, quod eandem Missam septies, aliquando nouies celebrauit, vt dicit Minatensis, vbi prius. Tertio, hoc est, vt sicut in Veteri Testamento fuit sacrificium, ita in nouo panem accipiamus quotidianum. Quarto, propter multitudinem Sacerdotum, quorum maior est numerus, qui habent Missas celebrare, quam prælatorum qui habent prædicare. Quinto ratione populi, quia populo iam fundato in fide, maior est necessitas prouidendi de eo, quo negligentiæ quotidianæ purgãtur, gratiæ augentur, & virtutes roborantur, ad quod est virtus Missæ. Non sic de prædicatione, ergo, &c. Ad ea, quæ in contrarium adducta sunt, primo sic: Christus tantum semel missauit, & pluries prædicauit. Ergo vultis ad minus concludere, quod si Sacerdos vult sæpe celebrare, debet etiam sæpe prædicare. Respondeo, negando consequentiam, tum primo, quia si omnes presbyteri quotidie celebrarent Missam, adhibitis debitis circumstantiis, esset valde laudabile; sed si omnes quotidie prædicarent, esset confusibile; tum secundo, quia Christus non instituit hoc Sacramentum propter seipsum, sed propter perfectionem viatorum, vt qui manducarent eum, haberent vitam æternam. *Ioan.*6. ergo non oportuit eum toties celebrare, sicut prædicare. Ideo dicit Apostolus ad Hebr. 10. *Vna oblatione confirmauit sanctificatos in sempiternum.* Et ideo quia homo quotidie indiget salutifera eius virtute, potest quotidie laudabiliter illud Sacramentum accedere, ideo dicit Dominus Luc. 11. vbi docet petere panem quotidianum; & B. Augustinus dicit in expositione in libro de verbis Domini: *Si quotidie acceperis hoc Sacramentum, quotidie tibi est hodie, tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit; hodie enim est, quando Christus resurgit.* Hæc ille; prout dicit S. Thomas *in* 3.*p.q.*80. *artic.*1. Tum tertio, finis etsi sit primum in intentione, est tamen vltimum in consecutione. Eucharistia autem est finis ad quem omnia Sacramenta ordinantur, secundum B. Dionysium, sed prædicatio Christi fuit dispositio fidelium ad credendum, & ad digne suscipiendum hoc diuinissimum Sacramentum: ergo licuit sæpe prædicare pro credentium prædicatione, tantum semel missare, sicut licet finis sit vnicus, tamen media ad eundem finem sæpe sunt plura. Tum quarto, quia Missa suo modo tam plena est mysteriis, sicut sol atomis, mare guttis, firmamentum stellis, & sicut cœlum empyreum Angelis, oportuit præcedere multas dispositiones prædicationum ad finaliter credendum tantum mysterium, quod per vnicam celebrationem Christi est institutum. Tum quinto, quia Missam quam Christus celebrauit in memoriale suę passionis instituit, sed tantum semel mori debuit, ergo sufficienter egit, & tantum semel celebrauit, sed habuit in multis locis prædicare, & multa documenta in credendo, agendo, cauendo, gliscendo, timendoque tradere, quæ non potuit vnico actu expedire, ergo decuit pluries eum prædicare, & tantum semel missare. Secundo sic arguit Dominus proponens. Inter omnia sacerdotis officia, post vitæ iustitiam, plus est laudanda prædicatio, quia longe extensius prodest, ergo diligentior, vel æque diligens debet esse sacerdos ad prædicandum, sicut ad missandum. Respondeo, quod antecedens est declarandum, vt patet ex dictis, quia actus missandi præceptus est omnibus Sacerdotibus etiam sæpe fieri, addita commoditate, Domino dicente: *Hoc facite, &c. quotiescunque feceritis, &c.* Luc. 22. vbi vox *quotiescunque* importat multitudinem missationis, etiam actus prædicationis non est omnibus præceptus à Domino. Ergo, laudabilius est Sacerdotes non curatos satisfacere præcepto Domini celebrando, ad quod sunt obligati, quam prætermissis missationibus, prædicando ad quod non sunt astricti. Insuper 2. quia missare est actus ordinis sacerdotalis, quem singuli habent ex charactere sacerdotali, sed prædicare est

*Minatensis lib.*4.*c.*1. 3. 4. 5.

Responsi. ad obiect. de pluries prædicando.

*Ioan.*6.

*Hebr.*10.

*Luc.*11.

*August. de verb. Dom. Serm.*28. *Tom.*10.

Ad 2. *obiectionem.*

In casu a quo laudabilius est prædicare quam missare.

*S. Thom.*3. *p.*3.*q.*79. *ar.*2. *ad* 2. *simile quid habet.*

re est actus pure iurisdictionis non coercitiuæ, vt prædictum est, magis enim astringitur Sacerdos ad id, quod sibi conuenit ex vi ordinis sacerdotalis, quam ad id, quod sibi nõ conuenit, nisi supernueniat commissio iurisdictionis. Sciendum tamen, quod in casu forte esset laudabilius prædicare ei, qui habet auctoritatem, quam missare, scilicet si esset populus infirmus vel infidelis, deficiens in his, quæ credere vel agere tenerentur, tum, si talis Sacerdos sibi vtrumque facere non posset, potius esset ei prædicandum, quam missandum, & tunc diceretur prædicare esse melius, quam missare, non simpliciter & absolute, sed stante tali conditione. Et sic secundum quid, cederet perfectius minus perfecto, scilicet in ordine ad talem populum infirmum & ægrotantem, sicut vinum licet in se sit melius, quam aqua, tamen aqua melior est febricitanti. Veruntamen vt communiter actus missandi non repugnat actui prædicandi, imo simul stant, & vnus ordinatur ad alium, sicut prædicatio ordinatur ad hoc, vt populus deuotius præparetur ad audiendum Missam. In cuius signum prædicatio sæpe solet fieri infra Missam ante eleuationem. Sed secundum communem formam prædicatio non est præstantior his quæ sunt ad finem, sed prædicatio est ad finem missationis, scilicet vt celebrantes deuotius agant, & astantes intimius consequantur eius fructum. Vnde secundum S. Thom. 3. part. Quæst. 79. artic. 2. ad 2. effectus sacrificij in quolibet homine participantur secundum dispositionem, sicut & cuiuslibet virtutis actiuæ: nam actus actiuorum sunt in patiente bene disposito, ad quam bonam dispositionem operatur prædicatio. Certum etiam est, quod missatio frequentata seu quotidiana est vniuersali Ecclesiæ necessarior, quam prædicatio quotidiana, attenta iam vulgata doctrina fidei. Ex quo sequitur, quod ista argumentatio non valet: Christus pluries prædicauit, & tantum semel missauit; ergo salubrius est prædicare quam missare. Nã in simili forma sequitur: Christus sæpe manducauit, sæpe orauit, sæpe cubauit; ergo melius est orare, manducare, cubare, quam prædicare vel missare, non sequitur iterum: Christus sæpe prædicauit, & tantum semel crucifixus est; ergo vtilior est eius prædicatio, quam passio, quia non arguitur semper perfectio ex hoc, quod aliquid multiplicatur in sua specie magis per indiuidua, quam aliud, imo magis arguit imperfectionem, eo quod huiusmodi multiplicatio indiuiduorum super quadam defectibilitate fiat indigentia fundatur, quia sicut species non potest perpetuari in vno indiuiduo, sed apparet perpetuitatem in multis sibi succedentibus, sic in corruptibilibus est huiusmodi multiplicatio, quæ tamen non est in æternis. Insuper media ordinata in finem vltimum, quę se habent ratione vtilis, multiplicantur, sed finis vltimus, qui habet rationem honesti, non multiplicatur, vt clarum est, quia potior est conditio finis vltimi, qui non multiplicatur per indiuidua, quam conditio mediorum, quæ multiplicantur. Ergo, &c.

CCXCVI. *Coroll.*5. *Congruit cultui diuino in Ecclesia, vt sit rationalis altarium multiplicatio. S. Thom.*2. 2.*q.*85. *ar.* 2. *ad* 3. *August. de ciuit. Dei lib.*8.*c. vlt.*

*Exod.*25. 27.30. 1. *Mach.*4. *Psal.*117.

Ex isto sequitur Corollarium aliud, scilicet quintum. Congruit cultui diuino in Ecclesiis, vt sit rationalis altarium multiplicatio. Cum enim secundum Dominum Wilhelmum Parisiensem in suo Sacramentali, tanta sit necessitas missationis, quod sine illo sacrificio non esset sufficienter prouisum fideli populo, nec cultui diuino; hinc vt dicit S. Thomas 2.2.q.85. artic.2. ad 3. *Templa & altaria Sanctis erigimus, non quod ipsos, sed solum Deum, qui nobis & ipsis Deus est, honoremus. vt dicit B. Augustinus lib.*8. *de Ciuitate Dei. Vnde Sacerdos super altari offerens sacrificium, non dicit, offero vobis sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agimus, & eos ad imitationem eorum incitamur.* Hæc S. Thomas. Hæc autem altaria sicad Dei cultum erigere, Patres veteres nos docuerunt. Nam Noë primus, deinde Abraham, Isaac & Iacob, altaria ædificasse leguntur, qui non aliud nisi lapides erecti intelliguntur, super quos sacrificia mactabant, quæ supposito igne diuino cremabantur. Moyses etiam fecit altare de lignis Sethim, & dicitur altare Thymiamatis, quod vestiuit auro purissimo, prout dicitur *Exod.*25 27.30. *cap. &* 1. *Machab.*4. Iudas Machabæus, & fratres eius, & vniuersa Ecclesia statuerunt, vt dies dedicationis altaris ab anno in annum, per dies octo celebretur; hinc in Psalmo dicitur: *Confitemini altare eius in condensis vsque ad cornu altaris*; vt videlicet in diebus festis adeo conueniat populus ad Ecclesiam, quod fiat condensatio, id est, compressio vsque ad cornu altaris, ita quod Ecclesia impleatur populo & clero, ideo translatio Hebraica habet, in congregationibus, & translatio Romana habet, in confrequentationibus; videlicet populi Christiani, secundum expositionem de Lyra. Vnde Beatus Gregor. 9. Moral. moraliter: *Solennem namque diem Domino in confrequentationibus constituit, quisquis se assidue in eius desiderio assigit, qui nimirum solennitatis dies vsque ad altaris cornu tendi præcipitur: quia tamdiu necesse est, vt quisque se offeriat: quousque ad superni sacrificij altitudinem, id est, gaudia peruingat æterna.* Hæc ille. Salomon quoque, legitur 3. *Reg.*7. *cap.* altare aureum fabricauit. Ab his ergo antiquis Patribus altaria modernorũ sumpserunt exordium: Nempe altare & ara; quæ aliquoties indifferenter inueniuntur. Interest tamen, nam altare, quasi alta res, vel alta ara dicitur, in quo Sacerdotes incensum adolebant: Ara vero, quasi area, id est, plana, de ardore dicitur, quia in ea sacrificia ardebant. Porro triplici ex causa hæc altaria consecrantur: Primo ad Sacramentum in ipsis offerendum, iuxta quod Genesis 8. dicitur: *Ædificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Hoc autem Sacramentum est corpus & sanguis Christi, quod in memoriam passionis Christi immolamus, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Secundo ad nomen Dei sibi inuocandum, vnde Genesis 12. *Ædificauit altare Abraham Domino, & inuocauit ibi nomen Domini qui apparuit ei.* Hæc autem inuocatio, quæ fit super altare, proprie dicitur Missa, ex eo, quod cœlestis missus, scilicet, Christus à Patre, qui ipsam hostiam, & per eundem à nobis Patri mittitur, vt pro nobis intercedat. Tertio, ad cantandum Missas in eo, vnde Eccles. 47. *Dedit illi contra inimicos potentiam, & stare fecit cantores contra altare. & in sono eorum dulces fecit modos.* Ex quibus apparet, quod obiectio domini proponentis nulla est, vbi allegat contra pluralitatem altarium istud Oseæ 8. *Multiplicauit Ephraim super altaria ad peccandum.* Nec illud Amos 3. *Visitabo super altaria Bethel.* & Oseæ 10. *Tribulus ascendit super aras eorum*; quia illa dicta sunt contra eos, qui ædificabant altaria idolis, & immolauerunt dæmoniis, & non Deo, Diis quos ignorabant, vt dicitur *Deuteron.*32. Nos autem non sic, sed soli Deo vero, & Sanctis eius in gloriam ipsius, quoniam *mirabilis Deus in Sanctis suis*, dicitur Psalmo vlt. de quibus Psalmista dicit in plurali: *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.* Psalm. 83. vbi dicit B. Augustin. super illo: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Est quoddam altare sublime, inuisibile, quo non accedit iniustus, ad illud altare solus accedit, qui ad istud visibile securus accedit, illuc inuenient vitam suam, qui in isto discernit causam suam.* Et Glossa ait: *Notandum, quod ad altare Missam celebraturus, Sacerdos ascendens, ait: Introibo ad altare Dei, desiderio enim & amore superioris & inuisibilis altaris hoc visibile adire cum modestia debet, æterna non caduca petiturus, vt Christi celsitudinem humilitate sequatur, qui sic istud altare exponit, dicens: Ad Deum scilicet introibo, qui lætificat iuuentutem meam; accedo enim modo in vetustate, tunc astabo gaudens in nouitate.* Hæcibi. *Sic ergo offeres munus tuum ad altare.* Matth. 5.

In Triplici de causa altaria cõstruuntur.

*Genes.*8.

*Luc.*22.

*Genes.*12.

*Eccles.*47.

Osee 8. *Amos* 3. *Osee* 10.

*Deut.*32.

*Psal.*150.

*Psal.*83. *Psal.*42. *August. ib.*

CCXCVII. *Coroll.*6. *Cuicunq; ex causa rationabili Papa prohibet actũ prædicationis sub pœna &c. ex sententia excommunicationis tenetur obedire, si non vult pœnã illam incurrere.*

Sextum Corollarium. Cuicunque ex causa rationabili Papa prohibet actum prædicationis, vel Episcopis loci sub sententia excommunicationis tenentur obedire, si non vult pœnam illam incurrere. Pro ista declaratione hîc sunt notanda tria: 1. quod licet Papæ, Episcopo loci, vel Prælatis prohibere, ne quilibet Sacerdos prædicet in locis sibi commissis, vel Diacono indistincte: 2. quod iniuste excommunicati aliquando debent obedire, & sententiam multum timere. 3. quod talis excommunicatio iam lata non meretur dici præcensa, sed vere & obligatorie impensa, si prædicatio ex causa rationabili alicui fuerit prohibita, patet 1. quia tota ratio domini proponentis cur illi hoc non possint, est, quia Presbyteri & diaconi obligantur prædicare ex præcepto Dei, & ipsi non possunt contra præceptum Dei, igitur in tali præceptione non est eis obediendum. Et audistis ex prædictis, quod non est præceptum taliter, ergo illa ratio nulla. Et probatur corollarium, quia licet illud Papæ & Episcopis circa officium prædicationis, quod licuit Christo statuere & prohibere, & practicare in se & suis discipulis, ideo enim dicuntur vicarij Christi in terris, sed Christus in se ipso practicauit, quod quamuis Sacerdos esset à primo

conceptionis suæ instanti, tamen à prædicatione triginta annis abstinuit. Insuper in suis Apostolis statim dum eos misit, certa loca, imo maximam partem mundi, eis interdixit, dicens: *In viam gentium ne abieritis.* & 72. discipulis restrinxit, ne prædicarent nisi in loco vbi ipse erat venturus; præterea & Apostolos, quos in totum mundum misit, adhuc ad certos dies prædicare prohibuit, dicens: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Similiter Apostolus Paulus volens prædicare Romanis, tandem Antiochenis, prohibitus est à Spiritu sancto. Si ergo tam licite Christus & Spiritus sanctus istos prohibuit, ne prædicarent, quando & vbi vellent, cur non Papa ita de presbyteris & diaconibus facere posset? Et hæc de primo. Secundo, Papa vel Episcopus potest illud promulgare, quod dudum statutum & seruatum est ab vniuersali Ecclesia Dei, sed vniuersalis Ecclesia statuit restrictionem prædicantium à principio, scilicet in Conciliis Nicæno, Carthaginensi, Romano, & multis aliis, vt patet 71. & 72. *distinct.* ergo si iam hoc ad practicam ponitur, non est rebellandum; dictum est enim, quod ibi præcipitur sub sententia excommunicationis, non admittendos presbyteros alienos in Ecclesiis absque sufficienti testimonio, & licentia sui Episcopi. Tertio sic in propriis terminis. Istud ponit Innocentius III. & acceptauit Ecclesia Dei vniuersalis, scil. quod omnes prohibiti, vel non missi auctoritate summi Pontificis, aut Episcopi loci, non possunt prædicare sub pœna excommunicationis, & aliis remediis, vt patet ibi: *quia vero, de hæretico, cum ex iniuncto.* Aut ergo Ecclesia Dei tanto tempore à Concilio Nicæno, vsque nunc licite accepit illa statuta, aut non, si sic, habebo propositum, si non, ergo interim vniuersalis Ecclesia steterit in errore, quod est contra Euangelii: *Portæ inferni non præualebunt aduersus eam.* Item: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Et: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.*

Matth.10. Luc.10.

Luc.24. Actor.16. Rom.15.

dist.71.72.

De hæret.c. cum ex iniuncto,12.

Matth.16. Matth.28. Luc.22.

Ad auctoritates, quas in oppositum inducit, prima est Bedæ super isto: *Inuenietis asinam*; dicentis, quod hic doctoribus præcipitur, non desistere à prædicatione. Respondeo, quod loquitur de Doctoribus Ecclesiæ; & hi sunt, qui ad prædicationis officium sunt instituti, semper præsupposita auctoritate legitima. Nam Doctores præcipuum tenent ordinem in Ecclesia, & sic Doctores intelliguntur Prælati magni, *in c. ex iniuncto.* in illa auctoritate non nominantur Presbyteri aut Diaconi, sed soli Doctores, vnde non probat propositum.

Ad auctoritates allatas in oppositum ad Bedam. Doctores præ ipsum tenent ordinem in Eccles. Ad Hieron. ad Rusticū Epist. opum Nō bon. dist.95. Ecce ego, c.6. Ad Anace. Epist.1. dist. 43. scimus, c.3.

Ad aliam Hieron. ad Rusticum, dico quod loquitur de Episcopis, qui prohibuerunt inuidia diabolica permoti, curatos in presentia eorum prædicare propriis populis sibi cōmissis; & hoc non licuit, vt patet *dist.95. Ecce ego.* nec hoc fecerunt congruitate; sed, inuidia simulante, dicitur ibidem.

Tertia est Anacleti 43. *dist scimus.* vbi dicitur, quod doctores non debent tempore persecutionis subtrahere verbum, dico quod loquitur ad literam de curatis; vnde dicit Rubrica eiusdem capituli: *Verba prædicationis Prælati suis perse. uturibus non subtrahant.* Idem dicit Glossa ibidem, quia in istis auctoritatibus, scilicet Bedæ & Anacleti immediate iam expressis, & sæpe pariformiter in dictis doctorum fit mentio de Doctoribus. Respondeo, quod loquuntur aut de Doctoribus curatis, & sic plana est res; talibus enim conuenit prædicare nec fugere persecutionis tempore. Aut de non curatis, & sic est duplex opinio; vna, quod Doctoribus Sacræ Theologiæ conuenit vbique prædicare, ratione auctoritatis doctoralis, quia sic licentiantur, auctoritate Papæ, sicut & Episcopus in tota diœcesi; & hoc vult Augustin. de Ancona *in lib. de Eccles. potestate, q.64.* & hoc videtur prætendere Decretal. de hæret. *cum ex iniuncto.* dicens, quod doctoris ordo est præcipuus in Ecclesia Dei, vnde prædicationis officium nullus sibi debet vsurpare, nisi missus, ex quo sequi videtur, quod in tantum sint doctores priuilegiati, quod sint acta missi; & ideo *Glossa in c. scimus, distinct.43.* comparare eos videtur vel saltem connumerare Prælatis, qui tacere non debent, sed prædicare tempore persecutionis, & illius opinionis videntur fuisse illi Doctores per p oponentem allegari, sed est alia opinio his contraria S. Thomæ *in lib. contra impugnantes religionem.* & domini Patriarchæ de Palude *in lib. de Ecclesiast. potest.* dicentis, quod ex doctorali gradu non habent doctores posse prædicare vbi libet, nisi de bono placito curatoris singulariter obtenta, ideo auctoritates illæ non ligant. Et quid est tot libros voluisse, & Doctores allegasse, cum, etsi omnes doctores mundi aliter, vel taliter sentirent, sola Ecclesiæ auctoritas, quæ toties hanc materiā decidit, quæ hanc conclusionem, quod licet prædicare diacono vel Presbytero absque licentia superioris sedis Apostolicæ, au. Prælati loci, & quod ipsi hoc prohibere nō possent licite, sub pœna excommunicationis sententiæ condemnauit, vt ostensum est, sufficeret ad compellendum quemlibet Catholicum, ad credendum eius oppositum. Sic enim B. Hieronymus postquam longo tractatu disputauit contra Luciferianum, concluſit: *Poteram hoc vnico sole, omnium disputationum tuarum riuulos exsiccare.* de auctoritate vniuersalis Ecclesiæ loquens, ita & nos credamus, ita quæso singulos, determinationem Ecclesiæ clariorem sole accipite, sicque omnium doctorum, qui tamen sua dicta eiusdem solis eradiationi exposuerunt exsiccanda, corripienda, & emendanda intelligite.

cles. potest. art.6.

Hieron. aduersus Luciferianū.

Quantum ad secundum sciendum, quod sententia iniuste lata dummodo à suo iudice fiat, semper est formidolose timenda, & hoc nisi eius sententia errorem inducat, vel peccatum mortale afferat, tunc enim nec timenda esset, nec tenenda. Et sic probatur propositio primo ex 8. Synodo n. q. 3. *Si quis fratres aut patrem aut absconditi fuerit locutus, cum excommunicato, aut tunctus communione, statim cum eo excommunicationis contrahat pœnam.* Et Vrbanus Papa ibid. *Quibus Episcopi nō communicauerint & quos etcerint, non recipiatis; valde enim timenda est sententia Ex. sopi. huet iniuste liget.* Hinc ex Concil. 4. Carthag. dicitur ibid. *Clericus qui Episcopi districtionem circa se putat iniustam, recurrat ad Synodum.* Ioan. insuper Chrysost. super Epist. Pauli ad Hebr. c. 2. *Vincula Ecclesiastica non sunt contemnenda, non enim homo, sed Christus est, qui ligat, qui hanc potestatem dedit, & dignos fecit homines tanto honore.* Et hoc est quod dicit B. Gregor. in principio: *Sententia pastoris siue iusta fuerit, siue iniusta, timenda est.* Glossa: *Nisi in duobus casibus, scilicet cum sententia est post appellationem lata, & cum continet intolerabilem errorem.* Extr. de sent. excom. per tuas. Tertium casum apponunt quidam, cum pro indebitis exactionibus aliquis excommunicatur, Extra. de excess. Prælat. *cum ad quorundam.* vnde dicunt communiter doctores, quod ideo excommunicatio etiam iniusta est timenda & seruanda, quia non nocet innocenti, sed purgat eum, & sic licet iudex iniuste agat, iste tamen iuste patitur, etiamsi non seruaretur, forte ille contemptus tamen, iniusta faceret iustam, per talem autem excommunicationem iniustam non tollitur charitas, sed solum excluditur homo à communione Ecclesiæ, & à suffragiis Ecclesiæ quæ ita Prælati subtrahere possint, vt dicit venerabilis Augustin. de Ancona, *in lib. de Eccles. potestate, q.27.* hoc est consilendum est, vt sustineat executionem patienter, humiliter, & deuote, & quod prælenter se excommunicatori, offerens canonicam satisfactionem, si in aliquo offendit, & sic instanter petat absolutionem, si ita fecerit, erit ei ad meritum, alias si contemneret, peccaret mortaliter, *de sent. excom. per tuas.* Vel potest querimonari contra iniustum excommunicatorem coram suo superiori, vt alias dictum est. Quantum ad tertium, si Ecclesia vniuersalis prohiberet Sacerdotes, vbique prædicare, vel Prælati, verbum Dei, non sit excommunicatio prætensa, sed veraciter ordinatione impensa, probatur, sicut de Papa in vniuerso orbe, & Concilio generali, ita similiter dicendum est de Episcopo in districtu diœcesis suæ. In septem casibus communiter secundum omnem scholam Theologorum & Iuristarum, non est sententia timenda, nec tenenda. Primo, si conferatur à non suo iudice. Secundo, si feratur à suo iudice, sed excommunicato publice; nam excommunicatus excommunicare non potest. Tertio, si aliquis excommunicetur à delegato contra intentionem de legantis. Quarto, si lata est sententia post prolatam appellationem. Quinto, si feratur à suspenso à potestate iurisdictionis. Sexto, si feratur nulla admonitione præmissa, & nullo iuris ordine seruato. Septimo, si sententia contineat peccatum mortale, vel aliquid quod sit contra fidem. Planum est autem, quod nullo istorum modorum excommunicatio ista, qua prohibentur prædicantes, ne vbique libere prædicent, quodcunque istorum includit; nullus enim potest cauſare Ecclesiam vniuersalem esse nō suum iudicem, vel sententia excom-

Sententia à suo iudice lata, etiam iniusta formidanda. 11.q.3. si quis, c.28. 11.q.3. quibus, c.27.

11.q.3. clericus, c.30. 11.q.3. nemo, c.31. Chrysost. Hom.4 in epist. ad Hebr. Gregor. Homil.26 in Euang. 11.q.3. sententia. c.1. de sent. excom. per tuas, c.31. De excess. Prælat. cū ad quorundam, c.7. August. de Ancona de Eccl. potest. q.27. ar.3.

Sententia Ecclesiæ prohibens quibuslam prædicationem, nō est prætensa, sed veraciter impēsa. Amonit. vbi supra. Sententia non formidanda in 7. casibus.

excommunicationis eam esse ligatam, nec etiam sentē tiam esse contra intentionem delegantis, nec à iurisdictione eam per aliquem superiorem esse suspensam, vel iuris ordinem non seruatum, cum Ecclesia in generali Concilio congregata, nullo iuris ordine positiuo ligetur, nec potest sententiare errorem, vel aliquid, quod est peccatū mortale, vt præfatum est superius in declarando, quid sit verbum inspiratum, scilicet, verbum Spiritus S. per sacra generalia Concilia decretum. Pariformiter de Papa & Episcopis est dicendum, vbi nullus obuiat prædictorum casuum: ergo si talis sententia excommunicationis profertur contra eos, qui vbiq; volunt prædicare, Ecclesiasticam tranquillitatem perturbare, & horrorem sempiternum in Ecclesia ex hoc ponere, quis dubitat, quin talis sententia non debeat dici prætensa, sed veraciter, & ex obligatione impensa?

Corollarium septimum, cuius etiam dedit Dominus exponens contrarium. Sacerdotes Domini debent aliquando omittere fidelem verbi prædicationem propter scandalum perueſorum. Pro quo sciendum, quod ea, quæ sunt populo prædicanda, sunt in triplici differentia. Aut enim sunt credenda, aut articuli fidei, aut agenda, vt moralia Dei præcepta, vel corrigenda, vt ea, quæ sunt circa informationem bonorum morum. Falsitates ergo & errores, quæ opponuntur credibilib⁹, & his quæ sunt de integritate fidei, & Sacræ Scripturæ, prædicator tacere non debet, transgressores vero diuinorum mandatorum eodem modo tacendo & non pronunciando esse peccata damnosa, est pestis: in persona enim talium dicitur Thren. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, stulta, & non aperiebant iniquitatem tuam;* quia tales ex grauioribus leuiora, quasi diuina auctoritate, peccantibus nunciant, dicentes bonum malum, & malum bonum; sicut Glossa ibidem dicit, sed quæ sunt circa morum informationem corrigenda, propter vitationem maioris mali, & ne auditores peiores fiant, quandoque sunt dissimulanda; vt dicit venerabilis Aug. de Ancona, vbi supra. Ex his elicio, quod in duobus casibus licite potest prædicator verbi Dei tacere, & non prædicare. Primus est ad * malum maius, quam ex sermone suo sequatur bonum, puta schisma, vel rebellio contra fidem, vel contra præcepta Dei, aut superioris; non enim licet, vel saltem non tenetur prædicator populo prædicare, quem videt finaliter magis quo ad singulos, * quam ex sua prædicatione proficere, iuxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus;* secundum expositionem Beati Augustini & Chrysosto. ibid. vnde dicit Beatus Hieronymus super duodecim Propheras, & assumitur 11. q. 3. *Quando ergo vr Ecclesiasticus prudens atque intelligens multas impietates in ea, quæ vocatur domus Dei, esse cognouerit, & non solum multas, sed & fortes, & quæ opprimere possunt iustitiam, & in tantum doctorum rabiem processisse, vt accipiant precium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes quoque deuitent in portis, & audire contemnant, taceat illo tempore, non det sanctum canibus, & mittat margaritas ante porcos, qui conten si conculcent eas, & imitetur Ieremiam dicentem, solus sedebam, quia repletus sum amaritudine.* Hæc ille. Hoc etiam Dominus discipulos docuit: *In quamcunque domum intraueritis, dicite pax huic domui; qui autem non receperit vos, exite de illa ciuitate, etiam pulueren pedum vestrorum excutientes.* Item, *si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Vnde B. Augustinus in lib. 3. contra Epist. Parmeniani, & assumitur 23. q. 4. *non potest salubris esse correctio, nisi eum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem, cum vero idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonus restat: quam dolor & gemitus.* Et infra: *Reuera, si contagio peccandi multitudinem inuaserit disciplinæ diuinæ seuera misericordiæ necessitas est, nam conflita separationis, id est, excommunicationis; tunc insania sunt & pernicioſa atque sacrilega, quia impia & superba sunt, & plus pertarbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos.* Hæc ille. Et hoc est, quod in Psalm. Dominus dicit de seipso: *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis;* scilicet, quæ non docuit, quia salubrem admonitionem recipere non potebant, qui contentionum sententiam perquirebant, secundum expositionem * Isidori, *& dolor meus renouatus est;* scil. pro contemptu & obstinatione malorum, sed renouatus est pro damno bonorum, quia mittunt pastum verbi Dei, secundum Hugucionem. Hoc etiam de praxi Apostolorum exponit B. Augustinus super illo Psalm. *Et veritas tua vsque ad nubes,* dicens, *intelligimus doctores veritatis omnes portantes istam carnem caliginosam, per quos Deus corruscat miraculis, & tonat præceptis, de quibus dicit Dominus per Isaiam: Mandabo nubibus meis, ne fluant super eam, videlicet super vineam malam, hoc est, plebem Iudaicam, imbrem, id est, mandabo Apostolis meis, vt deserant Iudæos, & non euang. lizent.* Hæc ille. In cuius figuram S. Pauli & Timoth. vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia, & tamen volebant in Bithynia, nō permisit eos Spiritus sanctus, sed misit eos ad Macedones, *actor. 16.* Secundus casus est, si scandalum oriatur ex doctrina prædicantis interandientes, quod exponit Alexander de Hales in fine secundæ partis. Si omnes scandalizantur, vt dicit S. Thomas 2.2. *quæst.* 43. *art.* 7. quod quæ sunt de necessitate salutis omitti non debent propter cuiuscunque scandalum, sed in his quæ necessitate non sunt, dicendum videtur, quod scandalum quod ex his oritur, quandóque procedit ex malitia cum scilicet, aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona, scandalum concitando, & hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Domini scandalizabantur, quod esse contemnendum Dominus docuit *Matth. 15.* Quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, & huiusmodi est scandalum pusillorum propter quod sunt spiritualia opera vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet, quousq; reddita ratione huiusmodi scandalum cesset:

*ccxcviii Corell. 7. Sacerdotes Domini debent aliquando omittere fidelem prædicationē propter scandalum perueſorum. Tripicis generis sunt ea quæ popul. sunt prædicanda. Thren. 2. Gloss. ord. Duobus casibus potest prædicator verbi Dei tacere. * præauēdum. * ad præauertendū malum malū. * deficere. Matth. 7. Augustin. de serm. Dom. in monte li. 2. Chrysost. in eum locum Homil. 24. 11. q. 3. quando ergo c. 23. Hier. in Amos Propher. c. 3. Hier. 15. Matth. 10 Augustin. lib. 3. cont. Epi. Parmen. c. 2. 23. q. 4. Non pont. c. 32. Psal. 38. Isidorus. * alter liber Cassiodorus. Psal. 35.*

Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, non videtur nisi ex malitia esse, & sic propter ipsum non huiusmodi spiritualia opera dimittenda; vnde idem dicit & *in 4. Sentent. distinct. 38. artic. 7.* quod licet tunc quam sit falsum docendum, est tamen actus docendi aliquando licite differendus propter melius, scilicet propter scandalum pusillorum præseruandum, cuius rationem reddit ibidem dominus Patriarcha de Palude dicens, quod doctrina cum sit Eleemosyna spiritualis, ad subleuandam miseriam alterius, non est dimittenda quando creditur, quod ex ea sequitur spiritualis profectus, quando autem talis profectus non sequitur, sed magis irritatio audientis, iam non est bonum spirituale, & ideo si ad tempus dimittitur propter scandalum audientis, non omittitur aliquid, quod pro tunc habeat rationem spiritualis boni. Hæc ille. Et per hæc sunt soluta, quæ adducit dominus proponens pro parte sua, quia intelligitur dum scandalum nascitur de his, quæ ad salutem audientium spectant, fine quibus saluari non possent, tunc enim propter scandalum perueſorum non est omittendum verbum Dei, vt dictum est; non ergo fuit rutum, illam conclusionem ponere absolute, & sine necessaria distinctione:

Augustin. Esai. 5. Actor. 13. Actor. 16. 2. ad vitā dum S. anddalum. Alex. ab Ales. p. 2. q. 169. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7 Vnde scandalum ex hīs oriatur. Matth. 15. Thomas 4. dist. 38. q. 4. art. 2. Pet. de Palud. 4. sent. dist. 38 q 6

Vltimum Corollarium dominus proponens dixit: *Non solum Sacerdotes minores, sed & Prælati maiores tenentur verbum Dei fideliter annunciare;* ad quod declarādum dico, quod Prælati & Presbyteri teneantur per se vel per alios verbum Dei fideliter annunciare, non tamen ita tenentur prædicare, quin in casibus sex vel septem ad minus possint supportari. Pro quo notandum, quod in quinque casibus Prælati maiores possunt licite omittere prædicationem verbi Dei, & per alios supplere.

ccxcix Corell. 8. Prælati & Presbyteri tenentur per se vel per alios verbū Dei fideliter annuncia re, non tamen ita tenētur prædi care quin ad minus in casibus aliquot possent supportari.

Primus est, si sint impeditæ linguæ, vt patet Exod. 4. de Moyse, quem Dominus constituit supremum Prælatum in Synagoga, ait: *Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius.* Glossa dicit secundum Hebræos: *Gracilem & tenuem vocem habuit, & necesse erat clamorosa voce vti, quia regio fastu prope accedere non permittebatur.* Insuper ibidem Dominus ait: *Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit, ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* Vbi Glossa super illo: *Ipse loquetur pro te,* hic subaudiatur ad populum; & cum dicit ibi: *loquetur ad populum;* indicat in Moyse principatum, in Aaron ministerium. Simili de causa B. Valerius Episcopus B. Vincentio Diacono verbum Dei ad prædicandum commisit, cuius Vincentij passionem seu historiam in Ecclesia legimus, quam quidam B. Augustinum scripsisse dicunt, vbi sic dicitur: *Vincentius nobilis genere, sed fide & religione nobilior, B. Valerij Episcopi Diaconus fuit, cui Episcopus qui impeditioris erat linguæ, vices suas commiserat, & ipse orationi & contemplationi vacabat, vnde & ipse B. Valerius Vincentio ait: Iamdudum tibi fili dulcissime verbi Dei curam*

I. Exod. 4.

commiseram, & nunc quoque pro fide quæ astamus responsa committo.

II. Secundus casus est, si nescit linguam populi plene, sicut in vita B. Augustini dicitur, quam scripsit Possidonius Calamensis Episcopus, vt ait Cassiodorus libro de illustribus viris, dicitur enim ibi quod sanctus vir Valerius Hipponensis Episcopus ordinauit B. Augustin. in Presbyterum, vir pius & Deum timens exultabat, & Deo gratias agebat, preces quas frequentissime fudisset Deo, exauditas à Domino narrabat, vt sibi concederetur talis, qui posset verbo Dei & doctrina salubri Ecclesiam Domini ædificare, cui rei se homo natione Græcus, minus que lingua Latina & literis instructus, minus vtilem præuidebat. Ideo eidem Presbyero, scilicet B. Augustino potestatem tradidit coram se & Ecclesia Euangelium prædicandi, & frequentissime pertractandi contra vsum quidem & consuetudinem Affricanarum Ecclesiarum. Hæc ibi. Sic enim B. Augustin. adhuc viuente Valerio non successit, sed ei accessit. Septima, quæst. 1. *non autem*, c. 12

III. Tertius casus, si sit infirmus, vel nimis senex, tunc enim per Sacerdotes prædicatio & alia opera sacerdotalia expleri possent, sed pontificalia per Episcopos vicinos, non enim propter infirmitatem debet Episcopus deponi, ne afflictio afflicto superaddatur, sed per alios suppleri, quæ per eum minime possent perfici, vt probatur auctoritatibus multis septima, quæst. 1. *scripsit mihi*. & seqq. cap.

IV. Quartus casus, si ad concordandum discordantes laborat, est enim officium Episcopi discordantes, tam clericos quam laicos concordare, vt probatur dist. 90. per totum, vbi ex Concil. Carthagin. 4. dicitur: *Studendum est Episcopis vt dissidentes fratres siue Clericos, siue Laicos magis ad pacem, quam ad iudicium coërceant.* Ibidem dicit Innoc. II. *Præcipimus vt Episcopi ad solum Deum, & salutem populi habentes respectum, omni tepiditate semota, ad pacem firmiter tenendam, mutuum sibi consilium & auxilium præbeant, nec hoc alicuius odio vel amore prætermittatur; quod si quis in hoc Dei opere repidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.* Hæcille.

7. q. 1. *scripsit mihi*. c. 1. & seq. dist. 90. per totum & studendum est. 7. ibid. c. 11.

V. Quintus casus, quando pauperibus suis oppressis tenetur subuenire, & pietatis operibus diuersis insistere, vbi verisimile est quod maiorem fructum faciant, quam si pro tunc prædicarent, de' quibus dist. 84. *peruenit.* & cap. seq. & *distinct.* 86. vbi scribit B. Gregor. Marianum Episcopum excitandum, quod videbatur obdormiuisse, & quod patientibus non succurrebat, nec alienam miseriam, propriam credebat. & *dist.* 80. per totum. exhortantur Episcopi defendere oppressos, & resistere oppressionibus omniu ad se confugientium. Idcirco *Gloss.* 3. Reg. 5. vbi litera habet, quod Adoniram erat super huiusmodi indictionem: *Fuerunt enim Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia Latomorum in monte, absque præpositis, qui præerant singulis operibus, numero tria millia & trecenta, præcipientium populo*; dicit: *Adoniram Dominus meus excelsus, hoc est, Christus, qui operariis templi præponitur, vt ordinet quibus mensibus ad operandum exeant, quibus ad curandum domum suam redeant, cum prædicatorum mentes familiarius informat, vt discernant quando oporteat Ecclesiam ædificare prædicando, vel alia officia præstando, vel quando ad conscientiam suam examinandam, aut quasi ad propriam domum inspiciendam reuerti, vt orationibus & ieiuniis superno inspectore, & visitatore digna sit.* Et subdit Gloss. *Notandum autem, quod pars in monte lapides scindebant, pars onera portabant, diuersa enim sunt dona spiritus, & quidam maiorem docendi, & proteruos arguendi constantiam habent, quidam mitiores ad consolandos pusillanimes existunt, quidam vtraque virtute præditi ad opus domus Domini conueniunt.* Hæc ibi. Ex quo patet, quod Episcopi & Prælati rite à prædicationis actu sunt excusati, dum tamen variis & arduis pro sibi commissarum ouium & rerum occupantur distractionibus.

3. Reg. 5.

Gloss. ordinaria ibid.

VI. Sextus, si Episcopus insistit sacræ Scripturæ studio seu expositioni, vt ex S. Thoma constat, quia tunc proficit pluribus, & prædicatores docet aliis prædicare; dicit enim in quodliberis, quod licet in casu necessitatis salubris sit Episcopis & Doctoribus, relictis propriis officiis saluti animarum particularium intendere, sed tamen simpliciter magis est vtile & meritorium Sacræ Theologiæ studio insistere, & circa doctrinas popularium non intendere. Nam ratio demonstrat, quod melius est eos erudire de pertinentibus ad salutem, qui in se, & aliis proficere possunt, quam his, qui tantum sibi prosunt. Insuper in quolibet artificio videmus, quod semper melius habet, qui disponit de artificio, & dicitur architector, quam alij qui manu operantur, vnde ipse etiam maiori precio conducitur. In ædificio autem spirituali sunt quasi manuales operarij, qui particulariter insistunt curæ animarum, puta Sacramenta ministrando, vel aliquid huiusmodi particulariter operando; sed quasi principales artifices sunt Episcopi & Doctores, qui imperant & disponunt, & docent alios, qualiter operari debeant. Sic ergo simpliciter melius est docere sacram Scripturam, quam intendere prædicationi, si bona intentione fiat. Vnde 2. Tim. 2. *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*; & quasi hos casus simul comprehendit capitulum *inter cætera*, dicens de officio iudicis ordinarij, lib. 1. *Inter cætera, quæ ad salutem animarum pertinent populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime nosatur ei perneceſſarium, quia ſicut corpus materiali, ita anima ſpirituali cibo nutritur, eo quod non ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo. quod procedit de ore Dei; vnde cum ſæpe contingat, quod Epiſcopi propter ſuas occupationes multiplices, vel inuitudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias, ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis reprobandum eſt omnino, nec de cætero tolerandum, per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioeceſes & diffuſas: generali conſtitutione ſanximus, vt Epiſcopi viros idoneos, ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone.* Et infra: *Vnde præcipimus tam in cathedralibus, quam in Eccleſiis conuentualibus, viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadiutores & cooperatores habere, non ſolum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confeſſionibus & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris quæ pertinent ad ſalutem animarum.* Ad ea, quæ in oppositum allegauit Dominus proponens, scilicet quod in primitiua Ecclesia tam Apostoli, quam septuaginta duo discipuli per se prædicabant, & in locum eorum nunc Episcopi & inferiores Presbyteri successerunt, vt dicit Anacletus, *distinct. 21. in nouo.* Respondeo, quod verum est, quod in loca eorum successerunt, non tamen sequitur ex hoc, quod sicut illi personaliter per mundum discurrerunt, & vbique prædicauerunt, ita & isti facere teneantur, sed sufficit quod in casibus præscriptis per alios idoneos ad hoc deputatos fiat, & ita quilibet in sua dioecesi prouideat, vt patet ex dictis.

2. Tim. 2.

De off. iudic. ordin. inter cætera. c. 15.

Matth. 4.

dist. 21. in nouo. c. 2.

EPILOGVS HVIVS LECTIONIS CONCLVSIVVS hic eſt.

CCC. 1. VT sciant volentes quid de præsenti actu secum afferant, ista ex iam dictis eliciuntur. Primum, quod non ratione ordinis sacerdotalis, sed ratione non coërcitiuæ iurisdictionis, competit pluribus Presbyteris actus publicæ prædicationis; quia officium prædicationis sic est à sacerdotio distinctum, quod non omnibus Sacerdotibus competit, & etiam aliis, quam Sacerdotibus competere ex speciali commissione potest. Secundum, quod non est præceptum Domini, quemliber Presbyterum libere prædicare verbum Dei, quia multi sancti fuerunt, qui tamen nunquam prædicauerunt: nec omnes Presbyteri succedunt Apostolis, nisi tantum Episcopi, his solus præcepit Deus prædicare Euangelium regni Dei. Tertium docuit Christum sæpe prædicare ad instruendum populum in credendis & in agendis, & tantum semel celebrare ad instituendum hoc mysterium in commemorationem vnicæ suæ passionis. Quartum, si esset populus adhuc infidelis & conuertendus, forte ibi esset necessarior prædicatio, quam Missæ celebratio; vbi ambo simul fieri non possent, sed considerata iam fide deuulgata vniuersalis Ecclesiæ pro salute tam viuorum, quam mortuorum, vtilior est Missæ celebratio, quam prædicatio. Quintum conuenit diuini cultus augmento, esse pluralitatem altarium rationabilem, in statu Ecclesiastico, non vt Sanctis vel idolis immolemus, sed vt verum Deum glorificemus, & in Sanctis eius laudemus. Sextum, vt quicunque non vult sententiam excommunicationis incurrere, cesset velle prædicare vbique, si prohibitus sit à sufficienti Prælato Ecclesiæ, quia talis sententia per multa generalia Con-

2. 3. 4. 5. 6.

cilia est dictata, nec interim errauit vniuersalis Ecclesia sancta. Septimum est, excommunicationis sententia etiam iniuste lata est timenda, ne ex contemptu fiat valida. Octauus, propter scandalum peruersorum sæpe est prætermittendum Dei verbum, præsertim in eo, qui prædicare non est obligatus, aut in his, quæ sunt de necessitate salutis. Nonum, Episcopi & Prælati maiores non sunt sic ad prædicandum obligati, quin ex certis causis sint sæpius rationabiliter supportati. Finaliter est veritas articuli, scilicet, quod Sacerdotes & Diaconi singuli & distincte non debent libere & sine impedimento prædicare verbum Dei. Hæc quæso, charissimi Domini accipite *in corde bono*, per fidem illuminantem credendo, *& optimo*, per gratiam iustificantem retinendo, tenēdo corde bono, & perficiendo opere, vt fructum reportemus *in patientia*, veræ pacis existentia, pacis entia, cum vobis ipsis, pacis scientia, cum proximis, pacis encœnia cum Deo & omnibus Sanctis eius. Sic nunc finaliter pacem Christi opto vobis, quam obtulit suis discipulis resurgens ex mortuis in gloria immortalitatis, quam nobis præstare dignetur, cui omne genu curuatur, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat per sæcula. Amen.

7. 8. 9.

* *for. non sunt.*

Vide supra in tit. 3. actus.

Et quemadmodum in principio, ita nūc in fine hæc præscripta huius sacrosanctæ Synodi offero correctioni, quemadmodum extra locum Concilij indefinenter me subiecit almæ matris meæ Vniuersitatis Colonien sis determinationi & decisioni.

REPLICA DE PRÆDICATIONE VERBI DEI, Henrici Kalteiſen.

CCCI. REVERENDISSIMI Patres, & Domini præstantissimi, excellentissimi Præsules, Doctores eximij, inclyti Regni Bohemiæ, Oratores egregij, in Christo fratres singulariter præcolendi. Etsi iuxta facti Canonis veritatem omnia suis debent conuenire temporibus. 2. 2. q. 4. *Si Ecclesia.* nam *omnia tempus habent, & suis spaciis transeunt vniuersa sub sole.* Eccles. 3. Nihilque sit tam *Philosophiæ cognatum*, quam *locis & temporibus aptare sermones*, ait Socrates, teste Macrobio, *de conuiuio Saturnalium, lib. 7.* quia hæc vis adhibenda est eloquentiæ, vt orator personarum temporumque moderator existat, *non enim semper & apud omnes eodem modo loquendum.* Tullius *de oratore libro tertio*, cum præsens tempus & locus id exigant, vt in hoc Concilio sanctorum, & congregatione, domini Oratores regni Bohemiæ, qui iam contra prius per me hic enarratam Catholicam veritatem per modum replicæ dubia nonnulla eructarunt in materia de verbi Dei prædicatione contententur copiose, ideo pro omnibus generali nostrum exhortatione assumo verba tempori currenti, & materiæ præsenti congrua, *Luc. 11.* ex Euangelio currentis Dominicæ exarata: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; vbi Beda venerabilis non tantummodo eam, quæ verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed & omnes, qui idem verbum spirituale auditu fidei concipere, & boni operis custodia, vel in suo, vel in proximorum corde parere, & quasi alere studuerint, asserit esse beatos.

22. q. 4. *si Ecclesia.* Eccles. 3. Macrob. in Saturnal. lib. 7. c. 1. Cicer. de orat. *Verba hic ponderanda.*

Luc. 11.

Beda.

Duo necessaria auditori verbi Dei.

In quo claret duo esse congrua auditori verbi Dei necessaria, quorum primum est audientia docilis: *Beati qui audiunt verbum Dei.* Secundum perseuerantia finalis, *& custodiunt illud.* Primo inquam, auditori diuini sermonis congruit obedientia docilis; sic enim beati, scilicet qui audiunt verbum Dei. Beatum namque quodlibet membrum ex hoc dicitur, quando actus sibi proprius est, secundum optimum & perfectum statum virtutis eius, in nullo impeditus; sic enim beati dicti sunt oculi qui viderunt filium Dei, *Luc. 10.* & beatus venter, beataque vbera, quæ ipsum nutrierunt. *ibid. 11.* ait D. Albertus Magnus, *& vere beata sit aures, quæ quod foris percipit, & boni operis custodi. perficit.* S. Thomas in Glossa continua. Sic etiam, *Qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti.* Matth. 7. Vir, inquam, sapiens est Christus, qui ædificat domum suam, id est, Ecclesiam suam supra petram, id est, fidei fortitudinem; vir autem stultus, diabolus est, qui ædificat domum suam, id est, omnes impios, super arenam, id est, inconstantiam infidelitatis, aut super carnales homines, qui dicuntur arena propter sterilitatem; & quia sibi non co-

1. *Luc. 10.* *Albert. ibi.* *Matth. 7.*

hærent, sed sunt per diuersas opiniones dispersi, & quia sunt innumerabiles. Exponit S. Chrysostomus ibid. & sequitur: *Diabolo autem similis est, qui audit verba Dei, & non facit; ea enim quæ audiuntur & non sunt, separata sunt & dispersa, & ideo assimilantur arenæ. Sicut autem domus diaboli destructa est per Christum, ita & tales super arenam fundati, cadunt, & est ruina magna, si quis de fundamento fidei aliquid ruinæ fuerit passus.* Hæc Chrysostomus. *Super arenam* enim, quæ fluida est, & in vnam copulam non potest redigi, *omnis hæreticorum sermo ad hoc ædificatur vt corruat.* B. Hieronymus ibid. Est vere magna ruina talis hominis secundum omnem dimensionem magnitudinis; longa, quia in foueam nunc culpæ, tandem in baratrum cadet gehennæ æternæ, quæ magna est, quia irreparabilis, ex commento venerabilis Lyræ. Ruina est enim hæc intelligenda magna, quia dicturus est Dominus audientibus, & non facientibus: *Ite maledicti in ignem æternum*; secundum Rabanum, lata, quoniam in fluuiis blandarum & sensuū illabentium voluptarum illecebræ significantur, quibus primum fides riuis patentibus immadescit, post quas fluuiorum procursus, id est, grauiorum per cupiditatem motus incurrit, vt exinde tota ventorum vis circumflantium desæuiat, id est, vniuersus diabolicæ potestatis spiritus. Hilarius ibidem. *Ruina, inquam, alia, quia totius fidei & omnium articulorum collisiua; qui enim vnicum fidei articulum dyscredit, nullum simpliciter credit, sed totam fidem abnegauit, adeo quod nec habitum fidei retinet informis, aut formatæ fidei*, ait S. Thomas 2. 2. quæst. 5. artic. 3. cuius rationem assignat, dicens: *Species cuiuslibet habitus, dependet ex ratione formali obiecti, qua sublata species habitus remanere non potest: fidei autem siue formatæ aut informis obiectum formale est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, vnde quicunque non inhæret doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, sicut infallibili diuinæ regulæ non habet habitum fidei, sed ea quæ sunt fidei, alio modo tenet quam per fidem, scil. per opinationem; ille enim qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam regulæ infallibili omnibus assentit, quæ Ecclesia docet: alioquin si de his quæ Ecclesia docet quæ vult tenet, & quæ non vult, non tenet, non iam inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam regulæ infallibili, sed propriæ voluntati.* Hæc S. Doctor. Vnde concludit, quod sicut peccatum mortale contrariatur charitati, ita discredere vnum articulum, contrariatur fidei; sed charitas non remanet in homine post vnicum peccatum mortale: ergo neque fides manet postquam homo vnicum articulum discredit, & in fine dicit: *Sic est de perfecte credere, sicut de perfecte obedire. Sed ad perfecte obedire Deo, requiritur obseruantia omnium mandatorum suorum, à quo deciderit quicunque vnum præceptum frangit, qui enim in vno offendit, factus est omnium reus*: dicitur Iacob. 2.

2. 2. q. 5. art. 3.

Chrysost. in oper. imperf. ibid. *Diabolo similis qui audit verbum Dei, & non facit.* *Hier. ibid.* *Lyra.* *Rabanus.* *Rom. 2.* *Ioan. 8.* *Ioan. 10.* *Genes. 7.* *Matth. 16.* *Luc. 22.* *Ioan. 8.* *Psal. 18.* *Cassiod.* *Ioan. 8.* *Discredere vnum articuli contrariatur fidei.* *Iacob. 2.*

Adiuro igitur vos singulos per Deum sanctum, per Deum viuum, per Deum verum, per viscera misericordiæ Dei nostri, per vulnera & sanguinem Christi, quatenus determinationi S. Ecclesiæ in credendis & agendis plene, simpliciter & plane vos submittatis: ipsa enim est regula infallibilis in terris, cuius fides non deficit. *Luc. 22.* contra quam portæ inferni non præualebunt; extra quam qui repertus fuerit diluuio æternæ damnationis peribit, sicut extra arcam salus nulli hominum fuit, sicut patet *Genes. 7.* qui aliunde ascendere conatur, fur est & latro, patibulo & rota infernalibus cruciandus, *Ioan. 10.* sicut de contrario beati tunc in spe, tandem in re, qui hoc verbum Dei audiunt, & faciunt, *non enim auditores legis tantum, sed factores iustificabuntur.* Roman. 2. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Ioan. 8.

Secundo, concluſi finaliter, quod auditori verbi Dei cōgruit, ne dum obedientia docilis vt faciat, sed etiam perseuerantia finalis, ne deficiat, sed custodiat illud, dicit thema: *Etenim seruus tuus custodiet ea, in custodiendis illis retributio multa.* Psalm. 18. *Custodir, inquam, ea non ad tempus, si vsque vltimum vitæ spiritum in tali deuotione perseuerat.* Exponit ibid. Cassiodor. *sic qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ioan. 8. *Natura ex Deo, non vitia ex Deo, hoc etiam tibi dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant; nam hoc commune erat omnibus, sed etiam prædicti, quod non fuerunt credituri, ea fide qua possent à peccatorum obligatione liberari.* B. Augustin. super eod. Sed qui sunt hi prædicti, alio nomine præsenti? profecto qui non audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, teste B.

2. *Augustin. tract. 42. in Matth.*

Bernard.in Serm.qui intitulatur de Septuagesima; vbi inter cætera ſpei noſtræ ſigna oſtendere volens, quis poſſet ſecure conſidere ſe de numero prædeſtinatorum exiſtere, inquit:

Sic porro inter ea, quæ fiduciam præſtant & materiam ſpei, vnum illud maximum eſt, de quo nunc cœpimus loqui, qui eſt ex Deo, verba Dei audit. Nonnullos ſic interdum audientes mouenies, ac ſi nihil ad eos pertineant, quæ dicuntur non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogitare ne forte quod audiunt dictum ſit propter eos, magis autem, ſi forte ſermo Dei viuus & efficax (qui ſuo & non eius qui loquitur arbitrio fertur vbicunque voluerit) ſi, inquam, manifeſte aduerſus vitia illa proceſſerit, quibus ſentiunt ſeſe obligatos, diſſimulant & auertunt oculos cordis quaſi bet admuentione palliant vitia, & ſe dicunt miſeri ſeipſos. In hu, inquit, ſalutis ſigna non video, magis autem vereor, ne forte propterea non audiunt verbum Dei, quia non ſunt ex Deo.

Hæc Bernard. Ciues ergo Babylon ex diabolo ſunt, ciues Ieruſalem ex Deo ſunt. Primi etſi verba Dei audiunt, non cuſtodiunt. Secundi, ſi audiũt, perfecte & exacte cuſtodiũt.

CCCII.

Signa prædeſtinationis.

I.

Et hæc erat vera differentia inter electos & præſcitos, & ſigna probabilia exiſtunt. Quij enim ex Deo ſunt ita verbum Dei audiunt, quod per ſigna ſuæ prædeſtinationis ſigna pandunt, prout ex variis doctoribus colligunt. Primum eſt, ſi viriliter pugnantes tres hoſtes deuincit, carnem, mundum & diabolum, *quod enim natum ex Deo vincit mundum.* Secundum, ſi in hoc mundo non ciuem ſe manſurum, ſed hoſpitem viantem conſideret, ſi diuitiæ affluant, cor non apponens, ſed de rebus huius mundi quanto minus poteſt vrens, ſemper in cœlo theſaurizans, vtpote ſe de hoc mundo non eſſe recognoſcens, dicens cum Apoſtolo: *Non habemus manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Tertium, ſi ei omnia cooperantur in bonum, proſpera ad timorem, aduerſa ad amorem, peccata perecta ad humiliationem, vt in proſperis cautior, in aduerſis patientior, in recordatione peccatorum ſuorum in oculis ſuis vilior, in pœnitendo feruentior, in aliorum compaſſione defectuum promptior. Si enim *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*, Roman. 8. Quartum, ad dictamen conſcientiæ incurrere, delicta iuuentutis deplangere, proprijs & aliorum ſe iudicio ſubmittere, ne forte rea ſit peccati mortalis, vbi & in quo creditur eſſe iuſta, ſicque à peccatis continere, dignos pœnitentiæ fructus agere, & arduam vitæ opera exercere, quæ ſummario deducit Bernard. ex illo 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dãt in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis.* Spiritus contribulatus, aqua lamentationis, & ſanguis amoris, vt intuitu Chriſti ſanguinis contineat à peccatis: de his & ſimilibus ibid. B. Bernard. *Quis poteſt dicere ego ſum de electis, & ego ſum de prædeſtinatis ad vitam? ego ſum de numero electorum? reclamante Scriptura. Neſcit homo, an amore vel odio dignus ſit. Certitudinem vtique non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos; ne dubitationis anxietate cruciemur, propter hoc data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſanctitatis, vt indubitabile ſit, eum eſſe de numero electorum, in quo illa ſigna permanſerint.* Hæcille. E contrario, quanquam ciuium Babylonis filiorum præſcitionis multa ſunt ſigna, vtpote, quia cuncta eis temporalia proſpere ſuccedunt, qui ducuntin bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, ſub flagellis huius mundi non ingemiſcere, ſed magis indurari, velut Pharao, cuius induratum cor finaliter perit, frequens recidiuatio in mortale, ſicut recidiuatio frequens in firmorum, ſignificat vicinam mortem, velle cõtentari de bonis præſentis vitæ, & æterna vita carere: tamen ſingulare ſignum quod homo ex diabolo ſit, id eſt, ad diabolum per finalem impœnitentiam pertineat, eſt, quod in pertinacia alicuius peccati vel erroris perſeuerat, præſertim in ſenio, cum iam non ſit ſpes vitæ ſuæ longæuæ; quibus valde pertimeſcenda eſt ſententia Domini, Ioan. 8. *In peccato veſtro moriemini*; cuius ratio ſub ditur: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*; & quæ ſunt illa deſideria ſubditur: *Ille enim homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit* vitæ inſtæ, & *veritas in eo non eſt*; ſanæ doctrinæ, ſecundum expoſitionem S. Thom. ibi. Sic enim qui à veritate doctrinæ ſeu fidei paulatim decidunt finaliter in peccatis ſuis deceduntur, prout illud nomen verum indicat, de quo quoties vna litera ſubtrahitur, toties ſignificatio permutatur. Vnde dicitur ſic mettice:

Quinq, placet rectis ſed quatuor altile figit
*Sunt tria pars anni, *ſic duo male ſonant.*

Senſus eſt, iſta dictio *verum* habet quinque literas, & ſua ſignificatio placet rectis, ſed ſi tollatur vltima litera ſcil. M. reſiduæ literæ faciunt verũ, quod figit altile; ſi tollatur quarta & quinta, ſcilicet V & M, manet ver, quæ eſt pars anni; ſi tollatur R cum ſequentibus, non niſi ve relinquitur, in veritate non ſtatur, ſed mors in peccatis conſequitur: * Ira ſi per M. memoria, V veritas, M maior Prælatorum, V voluntati & imperio reſiſtitur, & recalcitratur, mors raro bona acquiritur: *qui enim non obedierit Sacerdotis imperio, morte moriatur homo ille.* Deuter. 17. *Pacem ergo & veritatem diligite, ait Dominus omnipotens*; quod ſi feceritis, Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum, & iuxta thema, beati eritis, ſi verbum Dei quod audieritis, opere & corde cuſtodieritis modo in ſpe, tandem in re, quod nobis concedat clementiſſimus Deus, qui viuit & regnat. Amen.

* *In altero libro habetur: vel ſi M. maiorũ prælatorũ V. voluntati & imperio R. reſtituitur.*

CCCIII.

INPRIMIS circa iſtam concluſionem: *Hoc mandat Chriſtus Ieſus, ergo faciendum: Hoc prohibet Chriſtus Ieſus, ergo non faciendum:* dicit Dominus Replicans, quod ſatis notabile eſt apud ſe, quod circa illam conſequentiam immorauerim: *Æſtimo*, inquit, *quod cogitauerus ipſam eſſe quaſi fundamentum poſitionis meæ.* Sed ego dedi ſibi aliam cauſam in ſcriptis, vtpote, quod talis modus arguendi poſſet cauſa eſſe erroris, & ſeductionis multorum, dicentibus populis eſſe præcepta quæ non ſunt, & non eſſe quæ ſunt, & ſi bene conſidero, hoc eſt totum inter nos ſchiſma, quod vos dicitis communicare populum ſub vtraque ſpecie, eſſe præceptum Chriſti, prædicare debere Diaconos & Presbyteros eſſe præceptum Chriſti, aboleri omnia peccata mortalia publica, eſſe mandatum Chriſti, clerum non habere ciuile dominium, eſſe præceptũ Chriſti; & neutrum eorum credo ego eſſe præceptum Chriſti. Et quia tanta oritura erat inter Chriſti præceptorum cognitionem diuerſitas, ideo petebar Pſalmiſta, & nos ſecum petere debemus: *Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua*, non illa decem, quæ vtique ſciebat, ſed intelligere inter ea quæ videntur eſſe Dei præcepta, & non ſunt, vt ſciamus quæ ſit diſcretio & differentia, ideo iam licet ſufficienter declaratam, adhuc circa idem reddam triplicem rationem, quarum 1. eſt, quod non omne verbum Chriſti habens notam ſeu formam præcepti, eſt præceptum Chriſti præceptiue ſumendum. Vnde dicit Archid. 22. q. 4. *Prophetauit*, dicens, *præceptum Dei eſt in multiplici differentia, quandoque præcipit factum & voluntatem vt ibi: Diliges Dominum Deum tuum. Quandoque voluntatem & non factum; vt dum præcepit Abraha immolare filium, tamen noluit eum immolari; vbi dicit B. Ambroſ. ex lib. de Patriarchis: Non enim volebat Dominus à Patre immolari filium, nec impleri hoc munus volebat, quia quem pro filio immolandam obtulit, ſed tentauit affectum Patris, ſi Dei præcepta præferret filio.* & infra: *Non mittas, in quit, manum tuam in puerum, nec facias illi quidquam, affectum tuum inquiſiuit, non effectum exegi, tentaui mentem tuam, ſi etiam filio dilectiſſimo non parueres propter me.* 22. q. 2. *non enim. Tertio quandoque factum, & non voluntatem, vt Exod. 6. præcepit, vt filij Iſrael accommodarent vaſa aurea & argentea ab Ægyptijs, non tamen voluit per hoc, vt alij exemplum ſumerent ſpoliandi, ait B. Auguſtin. in lib. Quæſt. & aſſumitur* 14. q. 5. *dixit Dominus. Quarto, neque voluntatem, neque factum, vtpote quando aliquid myſticum præcipit, vt ibi, ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, vbi non oculus erui, ſed intentio prauæ præcipitur; ex cindi præcipit Dominus quandoque vt inſtruat, vt in cæco quem ſanauit, quandoque vt tentet, vt hic de præcepto Abrahæ, quandoque vt impleatur, vt ibi: Diliges Dominum Deum tuum.* Hæcille. Hinc etiam alludit eximius ille doctor antiquus generalis ordinis mei Prædicat. M. Hubertus ſuper illo verbo: *hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus*, in principio regulæ B. Auguſtin. dicens, quod quædam reperiuntur in verbis diuinis, quæ habent in ſe modum & intentionem præcepti, vt eſt illud, *hoc eſt præceptum meum, vt diligatis vos inuicem.* Quædam vero quæ habent præceptum non in modo, ſed in intentione, vt eſt illud de ſanatione ſurdi & muti, Marc. 7. *præcepit eis ne cuiquam dicerent.* Quis enim audeat hoc dicere; quod in tenderet eos Dominus per hæc obligare, per quod peccaſſent non aliter prædicando miraculum, plus & plus, quanto plus & plus prædicabant, vt taceret? Hæcille. Et infra dicit: *In Euangelio Matthæi dicitur: præcepit tibi, ne quid tolleretis in via, niſi virgam tantum: illud verum præcipiendi potius importat intentionem voluntatis, quam veritatem præcepti: infra Scriptura ſacra eodem modo loquitur, & tamen quædam reputantur ſimplices exhortationes, quædam præcepta, ſicut* Luc. 6. *cum dicitur: ſi quis te percuſſerit ad vnam maxillam, præbe ei alteram conſilium eſt, & cum dicitur: in eodem cap. mutuum date, nihil inde ſperantes, licet ſit idem modus loquendi, tamen eſt præceptum.* Hæcille. Patet ergo tan multipliciter oſtenſum, quod non omne verbum Chriſti habens notam præcepti, habeat voluntatem & intentionem præcepti: & per conſequens non obligat ad faciẽdum. Ex ſuperabundanti autem item deducitur ex teſtimoniis vtriuſque Teſtamenti. Primo ſic. Nam Geneſ. 3. Dominus præcepit protoplaſtis, dicens, *creſcite & multiplicamini, implete terram.* Et tamen noluit quemlibet hominem hoc præceptũ obligare, ſed ſolum aliquos de multitudine quos tamen non expreſſit in ſpecie, vnde dicit S. Thom. 2. 2. quæſt. 152. ar. 2. ad 1. argum. *præceptum habet rationem debiti, ſed dupliciter dicitur aliquid eſſe debitum. Vno modo ita, vt impleatur à quolibet, & hoc debitum ſine peccato præterire non poſſit. Aliud eſt debitum implendum à multitudine: multa enim ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ implenda vnus homo non ſufficit ſed implentur à multitudine, dum vnus hoc, alius aliud facit. Præceptum ergo legis naturæ datum homini de commeſtione, neceſſe eſt, quod ab vno quoque impleatur, aliter enim in diuiduum conſeruari non poſſet: ſed præceptum datum de generatione, reſpicit totam multitudinem hominum, cui neceſſarium eſt, non ſolum quod multiplicetur corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter proficiat & idoneè ſufficienter prouideatur humanæ multitudini ſi quidem generationi carnali operam dent, quidam ſpirituali, ab illa carnali abſtinentes, & contemplationi vacent ad totius humani generis pulchritudinem & ſalutem, ſicut quidam in exercitu caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladijs decertant, quæ omnia debita ſunt multitudini, ſed per vnum impleri non poſſunt.* Hæcille.

Pſal. 118.

Præceptũ Dei eſt in multiplici differentia. 22. q. 2. ſi qualibet prophetauit.

Ambr. lib. 2 de Patriarchis Abraham. c. 8.

22. q. 2 c. ſi qualibet. 12. nonenim. Exod. 6. Auguſt. in lib. quæſt. Exod. q. 39 14. q. 5. Dixit Dominus, cap. 12. M. Hubertus.

Secundo ſic: ſummum & maximum mandatum veteris, & nouæ legis non habet intentionem præcepti eo modo per omnia, quo habet notam præcepti, ergo non obligat ad faciendum ſecundum notam præcepti, ſed tantum ſecundum intentionem præcipientis. Aſſumptum probatur ſic: quia illud, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, tota virtute, & ex omnibus viribus tuis*, eſt ſummum præceptum & primum & maximum mandatum Domini, & tamẽ illud non obligat viatorem aliquem, ſecundum formam quam offert, ergo habeo propoſitum. Et aſſumptum probatur, quia ſecundum Theologos multos, quorum ſententiam complectitur dominus Petrus de Palude, Patriarcha, tertio ſententiarum, diſtin. 17. q. 3. illud præceptum aliquo modo præcipitur, alio modo conſulitur, & aliquo modo promittitur.

Ioan. 15.

Marc. 7.

Marc. 6.

Pet. de Palude.

Charitas præcipitur.

Præcipitur enim dupliciter; vno modo, quo ad habitum & præparationem animi, quia charitas parata eſt quantum & quando poteſt ex toto corde diligere. 2. præcipitur quo ad actum, dupliciter: vno modo priuatiue, vt homo nihil contrahat, nec contrahere animo proponat, quod charitati obuiet, quod eſt ſolum peccatum mortale. Alio modo, quoad actum poſitiue, quando & quantum eſt neceſſe, alitemon. Secundo modo conſulitur & hoc quantum ad actũ charitatis quantum eſt poſſibile, & debitis circumſtantiis obſeruatis. Non enim ex præcepto tenetur homo quantum poteſt ex toto corde diligere, quia nõ tenetur facere omnia bona, quæ poteſt, ſed quanto plura bona fecerit, & Deum plus dilexerit, tanto melius ſibi erit: & quia conſilium datur de meliori, ideo iſto modo eſt conſilium, ſic etiam illud, *quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare.* Tertio modo promittitur, ſc. quoad actum perfectum & nõ interruptum, ſicut n. eſt in promiſſo etiam nobis, quibus nunc non eſt in præcepto, nec in conſilio, cum ſit nunc nobis impoſſibile, quod tunc erit facile & delectabile, quando non ceſſabimus noctu dieque dicere *ſanctus, ſanctus, ſanctus.* Iſa. 6. hæc ille. Dominus noſter per verbum imperatiuum dicit ad Iudam, *quod facis fac citius.* Iohan. 13. tamen noluit per hoc præcipere, vt traderet eum Iudæis, alias Iudas non peccaſſet, ſed præceptũ Domini impleuiſſet. vnde dicit ibid. B. Auguſt. hæc ille. *non præcipit facinus, ſed prædixit Iudæ malum, nobis bonum, non tam in perditorem perfidi ſcindo, quam ad ſalutem fidelium feſtinando.* Et Chryſoſt. *hæc enim quod dicit: quod facis, fac citius, non præcipientis eſt, neque conſilij autem, ſed exprobrantis & oſtendentis, quoniam ipſam nolebat ſceleris perditionem impedire.* hæcille. Eſt ergo illa forma concedenda. *Hoc mandat Chriſtus ſub propria nota, & intentione præcepti: ergo hoc eſt faciendum.* Alioquin ſi mandat ſub nota

Conſulitur

Eccl. 9. Promittitur.

Eſa. 6.

Ioan. 13.

D. Tho. in catena. Chryſ. in Pſal. 4. & in hom. 13.

Luc. 6.

Gen. 3.

Tho. 2. 2. q. 152. art. 2. ad 1.

præcepti, & nõ voluntate ſeu intentione præcepti, nõ ſemper obligat, vt ex prædictis clare eſt deducẽdum. Secunda ratio ad idem eſt propter multiplicationem & æquiuocam acceptionem huius termini *mandare* vel *præcipere*; accipitur n. vno modo, prout mandare vel præcipere idem eſt quod rogare. Sic accipit beatus Gregor. 1. quæſt. 1. *ſi iuſtum*, dicens *filium veſtrum mandaſtis ad ſacrum ordinem promoueri.* Gloſſ. Archid. *mandaſtis, id eſt, rogaſtis vel ſupplicaſtis: ſic enim minor mandat maiori.* 11. q. 3. *Rogo*, vbi beatus Gregor. *Rogo & moneo, ne quiſquam excommunicato præſumat communicare*, vbi, *rogo*, ponitur præceptiue ſecundum glo. *monemus quos habemus ch ros* 28. quæſt. 1 *ſic enim*, ſic etiam rogare ponitur pro mandare, & mandare pro rogare, 23. quæſt. 4. Guiliſarius. Alio modo pro mandate idem eſt, quod permittere, diſt. 55. *qui partem digitj vel quis abſcidit, non admittitur ad ſacros ordines ſed ſi nolens fit vel caſu. Canones præcipiunt clericos fieri*, Gloſſa Hugonis & Archid. præcipiunt, id eſt, permittunt, 31. qu. 1. *hac ratione*, vbi dicit Chryſ. & eſt 1. Corinth. 7. *hac ratione Apoſtoli præceperunt ſecundas adire nupcias propter incontinentiam hominum*, gloſſ. *præceperunt, id eſt, permiſerunt.* diſt. 55. *qui partem.* & 1. diſt *Domino ſancto.* vbi Iidorus ſcribit ad Maſſanum Epiſcopum, *ſilos ad priſtinos gradus canones redire præcipiunt, quos pœnitentia præcluſit ſatisfactio.* vbi dicit Archid. *præcipiunt*, id eſt, permittunt, 33. quæſtio 2. *hoc ipſum.* Tertio modo præcipere ſeu mandare idem eſt, quod conſulere, ſic accipitur 22. q. 1. *non eſt*, vbi dicit B. Auguſt. ſuper epiſt. ad Galat. *non eſt contra præceptum Domini iurare.* Archidiac. *contra præceptum, id eſt conſilium*, quia illud Matth 5. *nolite iurare*, eſt proprie conſilium ſecundum Barthol. & Laurent. & tamen B. Auguſt. vocat illud *præceptum.* Quarto modo præcipere idem eſt, quod tentare, ſicut iubendo ſignificamus, quę fieri ſæpe nolumus, ſed experimentum obedientiæ quærimus, ſicut de Abraham dictum eſt, vt patet Geneſ. 22. & Richardus de 12. Patriarchis 22. *prophetauit.* Quinto modo præcipere idem eſt quod inſtruere, ſicut Chriſtus præcepit cœcis curatis, ne cuiquam dicerent, & ipſi magis & magis miraculum prædicabant, Matt. 9. vbi beatus Hilarius: *ſilentium Dominus cœcis imperat, quia Apoſtolorum erat proprium prædicere.* Et beatus Hieronymus, *Dominus quidem propter humanæ itatem fugiens iactantiæ gloriam, hoc præceperat, & illi propter memoriam gratiæ non poſſunt tacere beneficium.* Et B. Gregorius 19. Moralium: *Quærendum autem nobis eſt, quid ſit hoc, quod ipſe omnipotens, cui hoc eſt velle, quod poſſe, & tacere virtutes ſuas voluit, & tamen ab eis qui illuminati ſunt, quaſi inuitus inuocatur, niſi quod ſeruis ſequentibus exemplum dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultari deſiderent, & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, occultentur ergo ſtudio, neceſſitate publicentur, & eorum occultatio ſit cuſtodia propria, eorum publicatio ſit vtilitas aliena.* hæcille. Ex prædictis ſatis patere poteſt, quare dixerim iſtam conſequentiam apud me non valere. Ex quibus etiam ſequitur, quod illud non eſt verum, quod dominus replicans hic dixit, ſed in ſcriptis mihi non tradidit, ſcilicet quod adductum de Abraham non fuit præceptum, ſed tentatio. Probat per textum, quia dicitur Geneſ. 22. *Tentauit Deus Abraham*, dico quod fuit præceptum & tentatio ſimul: non obligans, niſi vt prædictum eſt.

1. q. 1. Fili. 1. c. 122. Greg. li. 4. epi. 3. ſed. 74. 1. q. 3. Rog. c. 25. Greg. in reg. lib 5. c. 14. 8. 28. q. 1. ſic enim 1. q. 1. Guiliſar. 30. d. 55. qui partem c. 6. 31. q. 1. hoc ration. c. 9 Chryſ. in opere imperf. ho. 32. diſt. 50. Dom. ſancto c. 28. 33. q. 2. hoc ipſum. 11. 22. q. 1. Nõ eſt. 2. Gen. 22. 27. q. 2. ſi qualibet 9. propheta uit c. 2. Matt. 9. Hilarius. Hiero. in c. 9. Matth. Greg. 19. mor. c. 18.

Namque quod fuerit præceptum, præter ea quæ dicta ſunt, dicit S. Thom. 2. 2. q. 104. ar. 4. ad ſecundum. Ideo etiam dicit textus imperatiue. *Tolle filium tuum, & offer illum.* Tolle & offer ſunt verba præceptiua. De cœcis curatis mecum concordat. Et ſic conſequentiam meam approbat, grates ſibi, quia in hoc ſoluit debitum, & quod dicit nos laborare in æquiuoco, quia ego intelligo de mandato impefecto, ipſe de perfecto, dubito valde, quia hoc non probat teſtimonio ſcræ ſcripturæ, iuxta regulam Hieronymi ad Demetriadem, per ipſum adductam contra Papæ auctoritatem. *Sacræ ſcripturæ teſtimonium non habens, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

Tho. 2. 2. q. 104. ar. 4. ad 2.

Hier. ad Demetr.

Conſequenter arreſtat ſe in conſequentia illa. *Papa mandat hoc, & in lege Domini ſaltem ſe expreſſe non fundat, dominodo contra mandatum Domini non præcipiat, nec contra ſacrorum generalium Conciliorum ſtatuta quædam: ergo hoc eſt faciendum.* Reſpondet: *ſicundum Hieronymum ſcripture ſacre auctoritatem non habens, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Conſimiliter exempliariter: Papa mandat venerandum Concilium transferre ad Bononiam, ergo eſt faciendum.* hæc ille. Ad primum reſpondeo, quod

CCCIV.

hoc multum est irrationabiliter dictum, quia summi Pontificis atque Prælatorum maiorum decreta, constitutiones, cæteræque ipsorum sanctiones, in prædictis iam prænarratis casibus tanquam leges ex Dei auctoritate deriuatas, debemus venerando atque obediendo suscipere, nonillas redarguere, aut humano sensu discutere, prout alma mater mea vniuersitas Colonienſis deducit hoc modo Primo ductu naturalis luminis; vnumquodque enim potestea, ad quæ eius potestas aut auctoritas se extendit, propter quod videmus quod principes super communitates in subditos ferunt leges, iura & statuta, cum potestate coactiua imponentis ea subditis seruanda. Cum igitur Christi vicarius Papa, & alii rectores supplent vicem Christi, potestatem auctoritatis nõ amittendo, quamuis forent peccatores. Concluditur clare quod eorum ordinationibus tanquam à Deo emanantibus, reuerenter sit obediendum. Cui alludit alia regula formosa. Nam qui dat principale, dat accessorium annexum. Et rursus alia regula dicit: cuius est finis, illius est disponere de mediis ad finem.

Papæ supplet vicem Christi nõ amittendo potestate auctoritatis, quamuis peccator foret. ergo eius ordinationibus obediendum.

Cum igitur rectores communitatis instituuntur ad pacificandum vitam subditorum adinuicem, hoc autem requirit quod eis præfigatur aliqua seu disciplina viuendi, contingat autem hoc per constitutiones pro legibus latas à rectoribus; eadem igitur necessitate, quælibet communitas requirit rectores & leges, seu constitutiones ab eis latas pro felici vita communitatis. Præmissæ veritati correspondet illud antea ex Euangelio commemoratum, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, facite.* *Matth.* 23. volens Saluator expresse, quod ordinationes seu constitutiones suorum Prælatorum, subditi teneantur recipere, & viuendo secundum eas conuersari, tendit etiam ad idem, quod Dominus Petro ait: *Tibi dabo claues regni cœlorum. Quodcunque legueris super terram, &cæt. erit an quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Ac si diceret, mandata & statuta, quæ manant ex auctoritate tua, ex eo debent haberi canonica, quia verius emanant ex potestate mea, qua in re memoriter est attendendum, quod Christus fuit nouæ legis institutor, veterem implens, cessauerunt autem legalia & iudicialia, remanentibus præceptis moralibus veteris legis, quę obligant non ex vi illius legis, sed ex vi inscriptionis eorum in cordibus nostris, secundum illud Apostoli Rom. 2. *Rom.* 2. *Cum enim gentes, quæ legem non habent: naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

Dominus ergo continuat moralia præcepta in noua lege, superaddit autem Sacramenta & consilia, non autem instituit aliqua præcepta iudicialia, hoc autem, quia mysterio non vacat, obnoxius perpendamus: nam hoc ipso nos scire voluit, quod Prælatis & Principibus commisit instituere tales ordinationes, circa suos, prout pensatis locis & personarum conditionibus & aliis circumstantiis videntur cõgruere & expedire. Vnde Luc. 10. dicitur, *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Ex quo plane sequuntur corollaria: diuinæ voluntati illos repugnare qui decreta, decretales, cæteraſque ordinationes aspernantes, tanquam authenticas renuunt recipere & honorare. Nam auctoritas Prælatorum à Deo est, & sic per idem est repellere Prælatos, & Dei auctoritatem. 2. est, quod nullus potest se legitime ab obedientia Papæ in prædictis casibus subtrahere, quod patet: nam Saluator Dominus noster Iesus Christus per suam passionem meruit iudiciariam potestatem super omnem creaturam: iuxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* vnde glossa dicit, super illo verbo Psalm. *Dominabitur à mari vsque ad mare*: id est, à quolibet fine terræ diffunde tur, & tam late dilatabitur Ecclesia. Vicarius autem Christi est Papa, vnde nullus potest se subtrahere ab obedientia eius de iure, sicut nullus potest se de iure subtrahere ab obedientia Dei. Sed sicut Christus recepit à Patre ducatum & sceptrum Ecclesiæ gentium, ex Israel egrediens, super omnem potestatem & principatum, super omne quodcunque est, vt ei genua cuncta curuentur; sic ipse Petro & eius successoribus plenissimam potestatem commisit, vt dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro thesaurorum. Tertium est, quod Papa etiam aperte malo, in fide tamen firmo, quamdiu toleratur ab Ecclesia, est obediendum, quod probatur, *obedi-*

Matth. 16.

Rom. 2.

Luc. 10. *Diuinæ voluntati repugnant qui decreta Pontif. respuunt.*

Matt. 28. *Psal.* 71.

Cyrillus.

1. Pet 2.

te, inquit Papa Petrus, *præpositis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis*, quam auctoritatem Replicans nuper negauit, & per consequens errauit: & probatur propositio dupliciter, primo auctoritate alia prædicta. Nam super illo ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, licit gloss. *potestatibus bonis & malis, in eo quod sublimiores sunt, obediendum est.* si ergo obedientia & subiectio debetur alicui ratione potestatis sublimioris, quamdiu durat in Papa talis sublimior potestas, tamdiu debet permanere in omnibus subditis, eius subiectio & obedientia: quamdiu manet causa, debet permanere effectus. Secũdo probatur hoc, ratione. Nam potestas plationis est donũ gratiæ gratis datæ, non donum gratiæ gratũ facientis. Sed talę donũ gratiæ gratis datę, non tollitur in Papa per aliquod peccatũ, nisi solũ per vnum puta per crimen hæresis, vt supra dictũ est: per talem. peccatũ solũ Papa desinit esse Papa. S ed p cætera alia peccata, potestas prælationis in eo non tollitur, quia cũ sit donum gratiæ gratis datæ, non tollitur per peccatum si peccato directe nõ opponitur. Ad secundum respondeo, quod ex mea forma non sequitur: *Papa transtulit Concilium ad Bononiam, ergo faciendum.* quia addidi directe, *modo contra quædam generalium Conciliorum decreta non mandaret*, de quorum numero est Concilũ sacrum Constantiense, quod in capitulo *frequens* illam translationem prohibuit: prout clare & late in respõsione data per præsens sacrum generale Conc. primis Ambasiatoribus Papæ videre potestis. Consequenter replicans inuehit cõtra hoc quod dixi, quod Papa propter admirandæ suæ potestatis excellentiam prope Christum attingit, dicens, quod hoc verum est, sicut distat cœlum à terra, & sicut attingit terra prope cœlum: ego autem ostendam meum dictum esse verum. Pro quo sciendum, quod ex scriptis meis non habetur, Papam esse æqualis potestatis cum Christo, sed quod summam in terris habeat iurisdictionis potestatem, Vnde secundum Grammaticos, *prope*, est aduerbium positiuum, comparatur prope, prius, proxime, vt dicit Catholicon. Vnde dico, quod litera, prope, non dicit æqualitatem, nec paritatem, sed quandam appropinquitatem excellentioris similitudinis & iurisdictionis. Isto modo dicit beatus Augustinus in libro confessionum. *Duo enim fecisti Domine, vnum prope te scilicet angelicam creaturam, & aliud prope nihil, scilicet materiam ipsam primam.* Sed clarum est, quod nec Angelus est æqualis Deo, nec materia nihil. Sed ratione similitudinis & proportionis maioris dicitur prope Deum Angelus, quia inter omnes creaturas Deo similior in participatione suæ bonitatis, in esse naturali, & ideo dicit Ezechiel. *Tu signaculum similitudinis*, quod exponens dominus Albertus dicit, *sigillum fundatum*, materia vero prima, ratione potentialitatis & exspoliationis actualitatis dicitur prope nihil. Et sic bene dixi, quod ideo Papa prope Christum attingit, quia quidquid potestatis, quidquid gratię sacramentalia, quidquid dispensationis cœlestis, à Christo capite Ecclesiæ commissum est, ipsa etiam Ecclesia dispersa, & Papa in fide non errante, totum est eius dispensationi commissum. Pro quo sciendum, quod Petrus successit Christo, non quod ipse esset Christus; succedit enim vnus Papa alteri, & vterque est Papa, nec vnus altero maior, sed Petrus non successit Christo, quod esset æqualis Christo in persona: Non enim dicimus quod sint plures Christi, quorum vnus succedat alteri. Nam etsi sint, qui dicantur dii siue in cœlo siue in terra, siquidem sunt dii multi & domini multi: nobis tamen non est nisi vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 8. Succedit ergo Petrus Christo, & quiliber alius Papa succedit sibi, vt vicarius eius, in officio & potestate iurisdictionis Ecclesiasticæ, non in persona. Ad secundum autem quomodo potestas Papæ prope Christum attingit, ita quod ei nulla in terris potestas comparari põt, dico quod triplici maioritate, Potestas Papæ maior omnia auctoritate Ecclesiastica, Ecclesia segregata. Et primo maioritate auctoritatis. Dignitate quidem maior est potestas Papæ omni alia, quia sicut dicit beatus Ambrosius & ponitur 96. distinct. *Duo sunt*, quippe aurum non tam preciosius est plumbo, quam regia potestate est altior dignitas sacerdotalis: videmus enim colla Regum & Principum submitti genubus Sacerdotum, & ab eis benedici & inungi.

Glo. interlineari ibi.

Papa summam habet in terris iurisdictionem.

Aug. 12. li. confes. c. 8. & seq.

Ezech. 28.

Isid. li. 10. c. 18.

Publica iustitiæ.

S. Tho. 2 2. q. 80. ar. 1.

1. Cor. 8.

Potestas Papæ quomodo maior alia.

I. *Dist. 96. Duo sunt c. 10.*

Et se-

Ambr. de sacerdotali dignitate. c. 2.

Heb. 7.

Hugo de S. Victore de sacra. par. 2. q. 4.

II. *Dist. 22. omnes. 6.*

III.

Dist. 9. Imperatores. August. ad Bonifac. epist. 50.

Aug. con. epi. fundamenti. c. 5.

CCCV. *Tres sanctitatis species. Dist. 40. Non nos. c. 1.*

Sanctitas status.

* *alter lib. ad Deum.*

Rel gionis. Tho. 2. 2. q. 81. ar. 8.

Isid. li. 10. c. 18.

Publica iustitiæ. S. Tho. 2 2. q. 80. ar. 1.

CCCVI. *Sanctificatio authoritatiua, Instrumentalis.*

Et secundum Apostolum ad Hebr. 7. absque vlla contradictione verum est, quod semper qui minor est à maiore benedicitur, patet enim hoc per Hugonem de S. Victore 2. libr. de Sacram. p. 2 vbi distinguit dupliciter potestatem, spiritualem & secularem, & subdit quantum vita spiritualis dignior est quam terrena, & spiritus quam corpus, tantum spiritualis potestas terrenam potestatem, siue secularem honore & dignitate præcedit.

Secũdo potestas Papæ est maior omni alia potestate maioritate causalitatis, quia eius potestas causat omnem aliam potestatem examinando, confirmando & iudicando: vnde dicitur 22. dist. quod cuiuslibet ordinis dignitatem & potestatem Rom. Pont. haber instituere & confirmare: eius vero potestatem solus Christus fundauit & confirmauit: nullius namque potestatis electio temporalis vel spiritualis est ipsi⁹ confirmatio, nisi solum electio ipsius Papæ vel de auctoritate eius.

Tertio, potestas Papæ est maior omni alia auctoritate, quia nullius imperatoris, regis, vel alterius leges seu statuta alicuius roboris seu dignitatis esse censentur, nisi quantum sunt per auctoritatem Papæ confirmatæ & approbatę: vnde dicit August. & ponitur 9. dist. quod quicunque legibus imperatorum, quæ pro voluntate Dei feruntur obtemperare non vult, acquirit grande supplicium: quicunque autem legibus imperatorum, quæ contra legem & veritatem Dei ferũntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium: namque tanta est auctoritas Ecclesiæ & Rom. Pont. vt Aug. dicat contra epist. fundamenti, *Ego nunquam crederem Euangelio, si non crederem Ecclesiæ*, id est, si me auctoritas Ecclesiæ non compelleret.

Dehinc vbi dixi, Papam sanctissimum & beatissimum etiam in moribus malum, distinxi de duplici sanctitate, scilicet innocentiæ & sacramentali. Ego dico addendo speciem tertiam, quæ trifaria est, scilicet status, religionis, & æquitatis publicæ. De sanctitate status dicitur dist. 40. *non nos.* Symmachus Papa, *quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ auctoritatis attollat? in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci prædecessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui erigantur, illustrat.* Hæc ille. Vbi dicit Archidiaconus, & concordat gloss. quod sufficit, quoad subditos, eum reputare sanctum, nisi constet de contrario. Vnde non refertur sanctitas ad * eum, sed ad æstimationem bonorum subditorum. De secundo, scilicet sanctitate Religionis, ostendit S. Thom. 2. 2. quæstio. 81. artic. vltim. quod sanctitas idem est quodammodo quod religio, dicens. *Nomen sanctitatis duo videtur importare. Vno modo munditiam, & huic significationi competit nomen Græcum, dicitur enim agios quasi sine terra. Alio modo importat firmitatem, vnde apud antiquos sancta dicebantur, quæ legibus erant munita, vt violari non deberent. Vnde & hic tur aliquid esse sanctum quia est lege firmatum. Potest etiam secundum Latinos hoc nomen sanctus ad munditiam pertinere, vt intelligatur sanctus quasi sanguine tinctus, eo quod antiquitus illi qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur. vt Isidor. dicit in lib. etymolog. & vtraque significatio competit, vt sanctitas attribuatur his, qui diuino cultui applicantur: ita quod non solum homines, sed etiam templa & vasa, & alia huiusmodi sanctificari dicantur ex hoc quod diuino cultui applicantur.* Hæc ille.

De tertio, scilicet sanctitate publicæ iustitiæ; dicit Andronicus Peripateticus, vt allegat eum S. Thom. 2. 2 quæst. 80. artic. 1. inter cætera iustitiæ annexa ponit sanctitatem, quia promulgatores iustitiæ publicæ, sancti præsumi debent, ex quibus sic argno. Omnis talis præsumi merito debet sanctus, qui est in statu Ecclesiasticæ dignitatis eleuatus, quoad primum; qui est diuino cultui applicatus quoad secundum; qui est minister iustitiæ publicæ, quoad tertium. Sed Papa vt Papa, est huiusmodi in summo cuiuslibet horum constitutus, ergo ipse non incongrue dici potest sanctissimus, etiamsi sit in moribus malus, donec non sit ita iudicatus, sed ab vniuersali Ecclesia toleratus.

Deinde, quia dixi, Papam esse putatum sanctissimum ab officio sanctificandi, dicit quod auctoritatiue nemo potest sanctificare, niti Deus, & est conditio Antichristi. Ego sanctifico, & dico quod hoc indiget declaratione, quia est duplex sanctificatio, auctoritatiua, scilicet, formalis, & illam solus Deus causat: & sic verum est, quod dicit. Alia instrumentalis, quæ dicitur sanctificatio Pontificalis, & illa conuenit istis, nec est conditio Antichristi, ita dicere Sacerdotes sanctificare. Vnde Augustinus libro secundo de baptismo parvulorum versus finem. *Catechumenos per signum Christi, & orationem, manusque impositionem puto sanctificari, & quod accipiunt. quamuis non sit corpus Christi. est tamen sanctum, & sanctius quam cibi quibus alimur, quia Sacramentum est*, hæc ille. Et loquitur de Eulogiis, & Chrysost. in opere imperfecto, homil. 14. *Laicus Sacerdoti panem offert, vt Sacerdos accipiens sanctificet, & eiporrigat. quod enim panis est, offerentis est, quod autem sanctificatus est, beneficium est Sacerdotis.* Hæc ille. Idem Hieronymus super Ezech. 44. vbi dum de primitiis agit, dicit: *primitiæ quoque ciborum nostrorum Sacerdotibus offeruntur, vt nihil gustemus nouarum frugum, nisi Sacerdos ante gustauerit: Hoc autem facimus, vt reponat Sacerdos benedictionem & oblationem nostram in domo sua, siue vt ad impetrationem suam Dominus benedicat domibus nostris.* Adiungit exclamando de Sacerdotali dignitate. *Grandis dignitas Sacerdotum, &c.*

Ex istis patet, quod licet vnus solus sit sanctissimus, à quo omnis sanctitas, & per consequens omnis actiua sanctificatio originaliter, à sanctissimo Deo sit, ergo in istis & non in aliis omnibus conformiter, sicuti est vita, veritas, virtus, &c. Tamen per medium Sacerdotii tanquam infra Deum & communem populum constitutum, sanctificationem ita operatur, quod beneficio Sacerdotis, vt dicit Chrys. creaturæ etiam irrationales sanctificationem dicuntur capere, & rationales, vt dicit B. Augustinus de Catechumeno, quia magna est illa dignitas Sacerdotalis, secundum S. Hieronymum, quia per signa, & verba & orationes confimiles, non eadem significatione, sed instrumentali, operari possunt alii sicut ipsi.

Si ergo opponens bene prospexisset consequenter, qualiter ipsi Iesu Christi vicario attribuo sanctificationis officium, non fuisset opus tantis superfluis verbis, probando, quod sit conditio Antichristi, dicere aliquem Sacerdotem siue Prælatum: Ego sanctifico. Nam sanctificatio potest alicui attribui dupliciter: Vno modo auctoritatiue, & illa est propria Deo, secundum illud Exod. 31. *Ego Dominus qui sanctifico vos.* Et isto modo attribuere sanctificationem alicui puro homini, in quantacunque dignitate constituto est conditio Antichristi. Alio modo sanctificare conuenit alicui instrumentaliter, siue ministerialiter, & hoc modo conuenit Sacerdotibus & Prælatis sacrificationis officium, & hoc in Sacramentorum dispensatione, quia Sacramenta sunt vasa sanctificationis: hac ratione dicuntur Sacerdotes, quasi sacra dantes in Sacramentorum dispensatione, ad sanctificationem animæ. Sic attribuere Prælatis & Sacerdotibus sanctificationis officium, non est conditio seu opus Antichristi, sed negare, id est opus Antichristi, veritimi inimici Christi, quia suis concessam ministris negat potestatem. Vbi notandum, quod S. Thom. in distinct. artic. 2. loquendo, quomodo competat ministris Ecclesiæ cooperari Christo in ministerio sanctificationis animarum ponendo quatuor modos cooperandi alicui agendi, dicit circa quartum modum, qui est, vt disponẽs materiam ad effectum principalis agentis suscipiendum, dicit sic: quod sic disponere contingit dupliciter, vel ex opere operante siue docendo siue merendo, & sic homines cooperantur Deo in peccatorum remissione. *Dei*, inquit Apostolus, *coadiutores sumus*, vel ex opere operato, qui sic confert Sacramenta, quæ disponunt ad gratiam per quam fit remissio peccatorum. Et hæc est cooperatio ministerii, quæ ministris Ecclesię competit, de quibus 1. Corinth. 4. *nos sic existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum.* Ratione istius sanctificationis dicit Chrysost. lib. de dignitate Sacerdotali, *per istos Sacerdotes Christum manumus, per ipsos Dei filio coniungimur, per ipsos membra beati ipsius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis non solum reuerendi magis quam iudices aut Reges, sed & magis erunt honorabiles quam parentes.* Hæc ille.

Et propter ista minus bene perspecta infert Dominus Replicans, dicens, quod propter ista excellentia potestatis attributa, sequuntur apud simplices, immo & aliquando apud doctos multa inconuenientia; vt inordinatus respectus, obedientia inordinata, prouectio vsque ad oscula pedum beatorum. Non sic faciebat Petrus verus

Augustin. de peccat. & remiss. pecat. li. 2. c. 26. Chrys. in ope. imp. ho. 14. Hieron. in 44. c. Ezech. li.

1. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Chrys. de Sacerdot. li. 3. c. 4.

Exod. 31.

CCCVII.

Christi

Reuerentia quæ exhibetur Pontifici non est inordinata. Tho.22.q.80. S.Tho.2.2.q.102.a.2.& 3.

Christi vicarius,&c. Respondeo, quod illa reuerentia, quæ fit summo Pontifici, non est inordinata, sed suæ potestati excellentiæ condigna. Dicit enim S.Thom.2.2.quæstio.80. artic.1. quod triplex est virtus iustitiæ, scilicet Religio, quæ debetur Deo, Pietas, quæ debetur Patriæ & Parentibus, & Obseruantia, per quam, vt Tullius dicit, homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu & honore dignantur, & de hac obseruantia dicit ipse ibidem. quæstio.102.artic.2. quod honor semper debetur alicui propter aliquam excellentiam vel superioritatem, imo dicit si prælati sunt, non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, sed propter excellentiam dignitatis, secundum quam sunt Dei ministri & etiam eis honoratur tota communitas, cui præsunt. Ex quo elicio, quod cum secundum Tullium, honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis; Istud autem contingit dupliciter fieri, primo in testimonium virtutis suę propriæ, & gratia suæ bonitatis & sanctitatis. Secundo in testimonium virtutis Christi & gratia Christi, cuius vicarius existit, iuxta illud 1 Corinth.4. *sic nos existimet homo, vt ministros Christi*, quamdiu est vicarius & quamdiu non desinit esse Papa, dato quod si aperte malus, honor Papalis sibi subtrahendus non est. In cuius forte figuram, ante suam passionem permisit Dominus in domo Pharisæi, Mariam Magdalenam osculari pedes eius, & post resurrectionem, vt mulieres accederent & tenerent pedes eius, vnde in signum quod Papa non sibi, sed Christo, illum honorem attribuit, crucem supra pedem in sandalibus gerit, quasi non suos pedes, sed in honorem crucifixi, cuius locum in terris tenet, crucem illam osculandam, offerat.

1. Cor.4.

Quare Papa signum crucis supra pedem in sandalibus gerat.

Euseb.in hist.Eccles. lib.4.c.13.& 14.

Et quid mirum, si hoc fit summo Pontif. in honorem Christi, cum etiam fiat quibusdam regibus in recognitionem temporalis dominii? hinc de S.Polycarpo dicitur li.4. Ecclesiast.hist cap.13. *Polycarpus non solum ab Apostolis eruditus est cum his qui Domanum viderant, sed ab Apostolis in sis ordinatus Smyrnensis Ecclesiæ Episcopus*, de eodem ibidem dicitur, quod cum martyrizari debuit exteriori detracto indumento ac cingulo resoluto, calciamenta quoque pedibus tentabat educere, quæ nunquam nisi à religiosis quibusque fide ac deuotione semetipsos inuicem præuenientibus resolui consueuerant: ita namque in omni etiam reliqua vita sua venerabiliter ab omnibus colebatur. Nec est æstimandum, quod Papa filium tantæ obedientiæ in osculo pedum detineat; quia more piissimi Patris ad osculum manus seu maxillæ subito suscipit. Nec obest, quod de Petro obiicit, quia Petrus non ideo, quod honor ille non sibi deberetur, sed quia cum Petrus & alii Apostoli facerent multa miracula, credebantur dii ab aliquibus gentibus, sicut patet *Act.*14.de Paulo & Barnaba, vbi facto miraculo circa claudum quendam, turbæ clamãtes eos esse Deos, volebant eis thuificare; & ideo hac ratione non permittebant se debito etiam honore venerari. Et ne in proposito de Petro aliqui sic sensissent. Vnde dicit glossa super verbo *adoravit eum, sic adoravit vt Deum*, quæ fuit imperitia non nequitia: non enim eum Angelus hoc docuit sed doctorem esse Petrum, ideo dicebat Cornelio: *surge.nam & ego ipse homo sum.*

Act.14.

Act.10.

CCCVIII. *De sanctitate Conciliorum gener. Sap.1. Eccl.9.*

In eadem materia inuehendo contra quod dixi, *Concilia generalia dicit sancta & sanctissima. Etiam ibi dico*, inquit, *dato quod sit aliquod generale Concilium & omnes personæ inibi existentes sint non sanctæ, vnde debeo scire, quod Spiritus sanctus illi Concilio infallibiliter assistat, cum dicitur* Sap.1. *Spiritus enim sanctus disciplinæ fugiet fictum?* Sed si bene recolo, dixit in isto publico auditorio: *non possum videre, quomodo Spiritus sanctus assistat illis, &cæt.* Ad quod dico, nota quod iste casus non subiacet humanis iudiciis, quia nemo scit, an amore vel odio dignus sit: imo esset iudicium crudele, opinari singulos esse malos in Spiritu sancto congregatos, quia Dominus vsque adhuc reseruauit sibi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua coram Baal, *Rom.*11. vnde dico quantum ad materiam in se, quod Concilium generale legitime congregatum in necessariis ad credendum ad salutem deficere non potest, etiamsi Prælati sunt mali, quod probatur sic: Deus & natura non deficiunt in necessariis, sed saluti humani generis non videretur sufficienter prouisum, si Concilia generalia possent deficere in his, quæ sunt de necessitate saluris. Ergo huiusmodi Concil.in his quæ sunt de necessitate salutis, defi-

Rom.11.& 3.Reg.19. Concil.generale legitime congregatum in necessariis adhæret dendum ad salutem deficere nõ potest etiamsi Prælati sint mali.

cere non possunt. Consequentia videtur nota. Maior patet primo per omnes Philosophos, qui hanc pro maxima reputant in naturalibus; per diuinam etiam prouidentiam circa genus humanum prouidentem potest ostendi, quia propter hoc collata sunt Sacramenta, sacra Scriptura diuinitus est reuelata, verbum est incarnatum. Etiam minor patet, quia pro salute humani generis oportet esse aliquam regulam in obliquabilem & indefectibilem seu indeuiabilem, ad quam genus humanum habeat recursum in credendis, quia *sine fide*, vt dicit Apostolus, *impossibile* est placere Deo, alias non esset eidem sufficienter prouisum ab optimo legislatore Christo: sed nullus particularis homo est huiusmodi sufficiens regula, vt non possit in fide errare, vt etiam * Papa aliquando fecit. Ergo oportet dicere, quod habeantur recursus ad Ecclesiam vniuersalem, aut ad Concilium generale. Cum ergo Ecclesia vniuersalis, non possit in vnum congregari secundum seipsam propter eius amplitudinem per orbem vniuersum, sequitur, quod huiusmodi regula, ad quam habetur recursus in necessitate fidei, est Concil generale legitime congregatum, Ecclesiam vniuersalem repræsentans. Ergo sequitur quod Concil. generale in his quæ sunt de necessitate salutis errare non potest. Pro cuius intellectu notandum est, ex culpa originali, & ex excellentia credendorum, credenda transcendunt humanam facultatem, ideo requiritur supernaturalis concursus ad eorum reuelationem, & licet in scriptura contineantur, non tamen euidenter & sufficienter pro quolibet, ideo prouisum est de tertio medio, scilicet facere exterius quod in se est, secundum illas Patrum traditiones in celebrationibus Concil. general. Ex quibus potest deduci, quod in Concilio congregati non sunt proprie qui loquuntur. Spiritus enim sanctus loquitur in eis: in his, quæ determinantur in fide. Nam ex quo prouisum est sufficienter posita exteriori forma, Spiritus sanctus residuum operatur, ex speciali enim prouidentia Dei, quam habet de salute hominum, videtur inferendum, quod si forma ad extra seruetur, Spiritus sanctus habebit suam efficaciam, veritatem reuelandi. Quantumcunque enim ministri essent inepti, tamen malitia non tolleret efficaciam Spiritus sancti; quia potest esse organum Spiritus sancti, sicut proportionabiliter asina Balaam locuta est, impropriè, quia magis Spiritus S. locutus est, & quemadmodum Balaam, Num.22. & 23. vocatus à Balac, vt malediceret populo, cui Deus benedixit, & ipse benedixit, licet coactus, ita in Concilio generali in malis & iniquis Prælatis, male viuentibus Spiritus S. loqueretur veritatem, hoc fundatur vt dictum est, id est, prudentia Dei de necessariis, de nostro fine consequendo, quod non esset, nisi in Concilio generali infallibilis daretur auctoritas, non obstante ministrorum malitia, imo cum Balac audiuit quod Balaam benedicet populo Dei, ait: *Quid est quod agis? quia vt malediceres vocauite.* Respondit: *non possum aliud loqui nisi quod iussit Dominus*, ita similiter vbi agitur de instructione populi, quantumcunque inualesceret malitia Prælatorum possum dicere cum Balaam, *Non possum dicere, nisi quod Dominus iusserit.* iterum secundo respondit Balaam, *benedictionem prohibere non valeo, Non est*, inquit, *Deus, vt homo, vt mentiatur.*

Hebr.11.

** Falsum est, si dicas, vt Papa, vt Papa est, intelligit. Papa non est priuata persona. Sive o illorum sententiæ quatur, quæ Papam Concilio subiiciunt, falsam sententiam sequatur, quam refutat Bellar. li.4. de Pont.c.2. & seq. & li.2. de Cõc.l.cap.13. seq. Malitia ministrorũ non tollit efficaciam Spiritus S. Num.22. & 23.*

Non autem est, vt videtur, quod Deus specialiori modo regat Ecclesiam suam, quam ante incarnationem populum suum rexit. Ideo dixit Matt. vlt. *vobiscum sum omnibus diebus ad consummationem seculi.* & eiusdem 16. *porta inferi non prævalebunt aduersus eam*, hoc est, Ecclesiam, quam Concilium generale repræsentat. imo Christus, post aduentum suum in carnem, cum Sacerdotes synagogæ mali essent, & generatio prauа & adultera vocarentur, nihilominus dicit turbis, *omnia quæcunque vobis dixerint, facite.* Ex quo euidenter concludi potest, quod ea, quæ Sacerdotes seu Prælati nouæ legis in Concilio generali congregati, post publicationem Euangelii dicunt, in his quæ sunt fidei, & de necessitate salutis, pertinaciter contrarium asserere. vnde dicit Innoc. & 23.q.1. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris auctorem referre debere.* Ad eandem auctoritatem spectat implicita & occulta in fide pro temporum ætate congruentia explicare & declarare, vt patet quod inferiores Ecclesiæ filii implicite & occulte credebant post modum explicite & publice profiteantur.

Matth.28. Matth.16.

Matth.23. Quæ Prælati in Cõcil. congregati dicunt in his quæ sunt fidei & de necessitate salutis tenẽda sunt.

Celestin. epist.7.

libus aliis in nomine Domini congregatis possint exponi. Et tamen proprie & antonomastice de Conciliis general. ista esse intelligenda: sanctorum auctoritatibus ostenditur. Sicut enim ait beatus Celestinus in epist.ad synodum Ephesinam transmissa, vt refert Isidorus in lib.Concilior. *Spiritus sancti indicat præsentiam congregatio Sacerdotum. Certum est enim, quod legimus, quia nec potest veritas ipsa mentiri, cuius in Euangelio ista est sententia: vbi duo vel tres congregati fuerunt in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. quod cum ita sit, nam ne huic tam breui numero Spiritus desit, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in vnum conuenit tota turba sanctorum? sanctum namque est pro debita veneratione Concilium, in quo vtique nunc Apostolorum frequentissima illius, quam legimus congregationis assistenda reuerentia est.* & idem Isidorus in eodem libro, in gestis tertiæ Synodi Toletanæ in epistol. seu confessione Reccaredi Regis, inquit, *valde necessarium esse perspexi beatitudinem vestram in vnum conuenire, habens sententiæ Dominicæ fidem, qua dicit: vbi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Credo enim beatam sanctæ Trinitatis diuinitatem, huic sacro interesse Concilio, & ideo tanquam ante conspectum Dei in medio vestri fidem meam protuli.*

Matt.18.

Iob.15.

Tanta reuerentia Conc. gen. debetur quanta Collegio Apostolorũ. Hiero. aduersus Luciferianũ.

Ex quo patet quod B. Papa Celestinus eam reuerentiam habendam esse dicit congregationi Concilii, quæ debetur collegio Apostolorum, vtpote in cuius medio ipse Christus assistat, S.Spiritus, & ipsa Trinitas tota: hinc est quod B.Hieron. comparat Concilii auctoritatem soli, vt sicut sol suo ardore humores riuulorum desiccat, ita sacrum Concilii sua auctoritate omnem contrariam superat argumentationem: inquit enim in fine disputationis contra Luciferianum: *Poteram omnes tuarum disputationum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.* De auctoritate Concilii generalis loquens. Ad auctoritatem Sapientiæ *Spiritus sanctus non habitat in corpore subdito peccato.* Respondeo secundum S. Thomam in quæstione de veritate, *quæst.* 12. *art.* 5. quod sapientia se confert in anima dupliciter.

Thom.de veritate, q.12.a.5.ad 5 Dupliciter sapientia se confert in anima. Albert.

Primo modo, vt ipsamet Dei sapientia inhabitet, & sic homines sanctum faciat & Dei amicum. Secundo modo solũ quantum ad effectum, & sic non oportet, quod sanctum faciat vel Dei amicum, & sic confert se in mentes malorum, quos Prophetas constituit. Albertus 4.sentent. dist.19. vbi Magister dicit: *Quidam putant hoc potestatem tantum illis esse cõcessam, qui doctrinam & vitam Apostolorum seruant.* dicit Albertus. *Isti sunt illi hæretici qui vocantur Cathari.* & cum pro eis arguit, *in malevolam animam non introibit sapientia*, dicit quod intelligitur ista auctoritas quantum ad inhabitantem gratiam, & non ad comparationem gratis datæ.

CCCIX. *De additione vel subtractione ad verbum Dei.*

Finaliter circa istam materiam sic assumitur, vbi ego dixi, quod illud non est vere dictum: *verbum Dei est tantæ perfectionis, quod nihil posset ei addi vel subtrahi, dico*, inquit, *si istud non est vere dictum, nec illud* Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo.* Respondeo negando illam conditionalem, quod antecedens est verum, & consequens falsum. Quod antecedens sit verum illud scil. non esse vere dictum, quod verbis Dei nihil licet addi vel subtrahi, patet, quia secundum B.Aug. *in lib.de vera relig.cap.16.* in his quæ sunt fidei, talis est regula seruãda quod falsa & damnanda semper sunt respuenda, vera autem & approbata semper sunt tuenda, dubia autem tam diu credenda sunt, quamdiu aliquid doceat ratio, nisi contrarium aliquod præcipiat sanctæ matris Ecclesiæ auctoritas. Posse ergo Papam, Ecclesiam vel S.Doctores, aliquid addere super illa quæ sunt fidei, dupliciter potest intelligi: vno modo, quantum ad dubii interpretationem vel determinationem. Alio modo, quantum ad occultorum & implicitorum explicationem: Vtroque autem modo potest addi scripturæ sacræ licite super ea, quæ sunt fidei. Nam si aliqua sunt dubia & obscura in fide, ad prædictos pertinet interpretari, post quorum præsertim Papæ vel generalis Concil. determinationem, hæreticum esset, pertinaciter contrarium asserere. vnde dicit Innoc. & 23.q.1. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris auctorem referre debere.* Ad eandem auctoritatem spectat implicita & occulta in fide pro temporum ætate congruentia explicare & declarare, vt patet quod inferiores Ecclesiæ filii implicite & occulte credebant post modum explicite & publice profiteantur.

Aug.de vera relig. c.10.simile quid habet.

Duobus modis potest addi scripturæ sacræ licite super ea, quæ sunt fidei. 23.q.1. quoties.c.12.

Quod autem consequens sit falsum, patet, quia dicit scripturam esse falsam, & dicta Doctoris quæ adducit, adiuuet idem ex alio, quia sacra scriptura promittit præmia exponentibus eam, dicens Eccl.24. *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* sed replicans eisdem Doctoribus debitam reuerentiam subtrahit, vbicunque sibi placet, vt patet ex dictis responsis. Ergo non sequitur, verba sua fore falsa, quod ergo verba scripturæ sacræ sunt falsa. Ad auctoritates ergo dico. ad 1. Deuter. 4. *Non addetis ad verbum quod loquor, nec auferetis.* dicit glossa. *docet normam æquitatis, & omnem hæresim pereuntis, vetat enim rectæ doctrinæ aliquid præue intentionis addere, vel aliquid veritatis subtrahere: Via enim regia incedentium est non dexteram vel sinistram quia rectæ viæ Domini. & iusti ambulabunt in eis.* & nihilominus de Lyra inquit: *Cõsideranda est hic, quod hic prohibetur additio depranans intellectum legis, non autem additio declarans aut elucidans, secundum quod scribitur* Eccles.24. *qui elucidant me, vitam sempiternam habebunt.* similiter super illo: *sermo Dei ignitus* dicit glossa: *vt hæretici qui corrumpunt scripturas, nec ea commentantur.* Et B.Hieron. ibidem. *ne corrumpas eloquia sacrarum scripturarum, sicut quidam hæretici, ne commiscentes vinum fictis nos, bibere.* Et Lyra: *ne addas quidquam quod sit eis contrarium: potes tamen & meliorie addere illa, quæ faciunt ad verbum Domini elucidandum.* Similiter super dicta Ioan. Apocal. vltim. dicit glossa: *quia quidam fiebat in Asia esse, qui pro suis erroribus fouendis, aliquid addebant, vel minuerent supponit excommunicationem.* Et Lyra ibidem *si quis ergo posuerit, id est, discrepantia, sicut faciebant hæretici, qui tempore illo addebant discrepantia à veritate Euangelii, & aliqua dimittebant de eius veritate dicentes Christum ante Mariam non fuisse; per hoc tamen non excludit, quin ipse mi aliqua addi licite, quæ faciunt ad declarationem sacræ scripturæ. Et sic fecerunt doctores sancti.* Hæc ille. Non est ergo verisimile, si sancti credidissent, se peccasse, quod sanctis laboribus exponi scripturam intendissent. Circa secundum notabile, vbi dixi, prælatos malos & bonos magnifice ratione officii honorandos; & præsertim causas septem adduxi. Quo ad tertium, vbi dixi ideo quia ipsi soli habent auctoritatem ligandi, & soluendi à peccatis, secundum illud Matth. 18. *quodcunque ligaueris super terram, &c.* contra hanc arguit replicans. *Non soli Sacerdotes habent auctoritatem ligandi & soluendi à peccatis, igitur, &c.* Videte quæso, quomodo ostendit se auctoritates sacræ scripturæ intelligere aliter, quam Christus suis discipulis innotuit. Ego enim allegani illam auctoritatem Matth.18. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*: quam auctoritatem saluator non voluit de B.Trinitate intelligi, quia eam numero Apostol. non comparauit, sed nec de laicis disponentibus se per cõtritionem, sed tantum de Apostolis & eorum successoribus per sacri ordinis sacerdotalis susceptionem. Dico ergo, quod illa consequentia nil valet. Trinitas habet auctoritatem absoluendi à peccatis actiue, ergo non soli Sacerdotes, quia est æquiuocatio in terminis, vt patet ex dictis, nouit n. omnis qui me intellexit, quod intellexi de auctoritate quam habent soli Sacerdotes, qui sunt homines consecrati per ordinationem Episcoporum, non de Trinitate vel Christo homine. Dico ergo aliqua: Primum est, quod soli Sacerdotes habent auctoritatem claues in foro pœnitentiæ, de qua loquitur in proposito, reste B.Ambr. vbi ait super verbo prædicto, *hoc ius*, sc. ligandi & soluendi, *Sacerdotibus est concessum.*: vnde S.Thom. *in 4.sent. dist.19 q.1.* dicit quod introitus in cœlum per dimissionem peccati vocatur claus ordinis, & hanc soli Sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur pro populo in his quæ directe sunt ad Deum, hæc ille. Secundo dico, quod laici, etsi se disponere possunt ad remedium pœnitentiæ, nullo modo tamen verum est, quod ex hoc habeant auctoritatem ligandi & soluendi dispositiue, quia iste est periculosissimus modus loquendi. Ideo etiam opponens non audebat eum nominare, qui istum modum adinuenit. Nam ex modo loquendi Doct. Cathol. non habemus nisi triplicem auctoritatem ligandi & soluendi, vt posuit S.Thom. *in 4.sent.distin.19.* Vna est auctoritatis & est solius Dei, qui propria virtute peccata dimittit. Alia excellentiæ, quam solus Christus habet homo, qui merito excellentiæ passionis operatus est salutem nostram. De qua Apocal.3. *qui habet clauem, aperit, & nemo claudit.* Tertia est ministerii, & istam non dicitur habere Trinitas increata, cum sic principale agens, & non instrumentale aut ministeriale remissionis peccato-

Eccl.24.

Deut.4. Glossa ibid.

Osee 14. Lyra ibid.

Eccl.24.

Hier. ibid. glo. interl. ibi.

Glos.ord.ibid.

Lyra ibid.

Matth.18.

Soli Sacerdotes habẽt auctoritatem claudi in foro pœnitentiæ. Ambros. S.Thom. in 4.sent. dist. 19.q.1. ad 3. Laici non habent auctoritatem ligandi & soluendi dispositiue. Triplex auctoritas ligandi & soluendi. S.Thom.ibi. ad 2. Auctoritatis excellentiæ. Apoc.3. Mansfig.

tum: nec Christus cum sit caput Ecclesiæ, in quo per excellentiam plenitudinis est potestas illa: sed soli Sacerdotes, qui ministri dicuntur Christi, & de talibus loquebar in positione mea iuxta illud Ambrosii: *hoc ius*, scil. ligandi & soluendi, *solum Sacerdotibus est concessum*. nusquam licite adderetur potestas quarta, scilicet dispositionis, quia quantumcunque laicus se disponat ad pœnitentiam, tamen sibi non conuenit illa auctoritas Christi, de qua ego loquebar: *Quodcunque ligaueritis super terram, &cæt.* Matth. 18. quod etiam assumpsit. *Christus homo habet auctoritatem dimittendi peccata, ergo non soi Sacerdotes*. patet ex dictis, quod nil valet cõsequentia, quia alia ratione Christus, & alia Sacerdotes habent auctoritatẽ soluendi & ligandi à peccatis. Quia vt dicit S. Thom. vbi supra virtus aliquid agendi est, in instrumento, & in per se agente, non eodem modo, sed in per se agente perfectius. Potestas autem claues quam habemus, & aliorum Sacramentorum virtus est instrumentalis, sed in Christo est, sicut in per se agente ad salutem nostram, per auctoritatẽ quidem, in quantum est Deus, sed per meritum in quantum est homo. Clauis autem de ratione sua exprimit potestatem aperiendi & claudendi, siue aliquis aperiat quasi principale agens, siue quasi minister: & ideo in Christo oportet ponere clauem, sed altero modo, quam sit in eius ministris. Et ideo dicitur, quod habet clauem excellentiæ: & tantum de illo.

S.Tho.4. sen. dist.19 q.1. art.3. ad 2.

CCCX. *Sacerdotũ orationes sunt efficaces pro pop.*

Assumpsit vlterius contra quartam causam, vbi dixit Sacerdotes honorandos, eo quod de eorum orationibus certius est, quod efficaciam pro populo & animabus sortiantur, ibi dicit, quod si Sacerdotum orationes debeant esse efficaces pro populo, primo oportet quod sic Sacerdotes Deo placeant per virtuosa opera, alias ipsum Deum prouocant ad deteriora. Dico quod hoc est simpliciter falsum, quia est bene congruum, sed non simpliciter vt sit necessarium, quia vt dicit S. Thom. in 4. sen. dist. 45. *de scff. agitis, quæ fiunt per malos*, inquit, *duo possunt considerari. primo ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris, & quia vestia Sacramenta ex seipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam æqualiter explent, per quoscunque fiant: quantum ad hoc, suffragia per malos facta, defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operans. Et sic dicit inquendum est, quia operatio peccatorum suffragia facientis, potest vno modo considerari, vt est eius, & sic nullo modo meritoria esse potest, nec sibi nec alii. Alio modo quantum est alterius, quod dupliciter contingit, vno modo; in quantum peccator faciens suffragia gerit personam totius Ecclesiæ, sicut Sacerdos dum dicit in Ecclesia exequias mortuorum, & quia ille intelligitur facere, cuius nomine vel vice fit, vt pater per Dionys. in 13. c. Eccl. Hierarch. inde est quod suffragia talia Sacerdotis, quamuis sit peccator, defuncto prosint quasi ex persona Ecclesiæ facta, cuius ipse minister est. Alio modo, quando agit, vt instrumentum alterius, opus est in ministerii est magis principalis agentis, vnde quamuis ille qui agit vt instrumentum alterius, non sit in statu merendi, actio tamen eius potest esse meritoria, ratione principalis agentis sicut si seruus in peccatis existens quodcunque opus misericordiæ facit ex præcepto Domini charitatem habentis. Vnde si aliquis in charitate decedens præcipiat sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamuis illi per quos fiunt, in peccato existant, magis tamen valerent, si in charitate essent, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.* Ad Greg. in Pastorali. *cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, animus iudicis ad deteriora prouocatur.* Respondet S. Thom. quod quamuis ex parte eius displicet oratio peccatoris, non sit accepta, tamen ratione alterius, cuius vice vel imperio agitur, potest esse Deo accepta. Et per hunc modum soluuntur aliæ auctoritates, quia oratio quam Sacerdos facit, sibi non prodest, nisi sit in charitate prodest tamen aliis, in quantum est minister publicus Ecclesiæ. Et sic patet quam male dixerit in illa sua positione, quod oportet Sacerdotem Deo placere per bona opera, si debeat exaudiri pro populo.

Gregor. ibid. ad 2.

CCCXI. Præterea accedens ad propositiones, vbi dixi solos curatos ordinarie post prælatos maiores, scil. Episcopos debere prædicare, & religiosos ex voto suæ professionis, quoad hoc sunt astricti: dicit quod istæ propositiones patiuntur instantiam pro tempore, quo non erant curati, & qñ Ecclesiæ, & parochiæ adhuc non erant diuisæ. Vnde quærit, si soli Episcopi succedant Apostolis, & soli curati 72. discipulis, quorum successores sunt minores Presbyteri & non curati. Pro quorum fundamentali discussione dico præter ea quæ nuper dixit in sua replicatione, præsertim cum vnus ex dominis Bohemis supplicauit hoc declarari, & in scriptis tradi. Quæro à vobis domine Vlrice, cum Dominus in Veter. Testam. non instituerit; quod expresse legatur, nisi Aaron in summo Pontif. minores Sacerdotes & Leuitas. Vnde ergo cantores, quos Dauid instituit? Vnde etiam illa distinctio Sacerdotum, quorum hebdomadatim 72. thurificabant, 1. Paral. 13. Respondeo, quod omnis status Ecclesiasticus est à Domino nostro Iesu Christo institutus, teste Apost. ad Ephes 4. *Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit scriptura: Ascendens in altum dedit dona hominibus*. quæ sint illa dona, subdit: *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem SS. in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia.* Et eadem sentent. habetur 1. Corinth. 12. Ex quo patet quod hæc perfecta & plena distinctio maxime in hora ascensionis Domini à Domino instituta est, vt notant verba præmissa allegantia illud Psal. *Ascendens in altum dedit dona hominibus*, ex quo iterum sequitur, quod distinctio & varietas in Ecclesia statuum, graduum & dignatum; non principaliter ex institutione Ecclesiæ, aut cuiuscunque puri hominis auctoritate processit, quare neceam destruere potest. Sed diceres, quomodo istos status instituit, cum non nisi Apostolos duodecim & 72. reliquit discipulos? respondemus secundum gloss. Innoc. III. *ipse dedit*, quia sic ascendit, vt adimpleret omnia, *omnia*, inquit, *adimpleuit, quia ipse dedit*, id est, gratis instituit, non eorum meritis, *quosdam quidem Apostolos*, scilicet duodecim prædicationis suæ vicarios Lucæ 6. *elegit*, inquit, *duodecim, quos & Apostolos nominauit, quosdam autem Prophetas*, scilicet futura prædicentes, sicut Agabus Actorum 21. vel Prophetas, id est, Scripturas exponentes, Actorum 13. *Erant in Ecclesia quæ erat Antiochiæ Prophetæ*, id est Doctores, *alios vero Euangelistas*, id est, Euangelii annunciatores, vt 7. Diaconi, Actorum 6. vel etiam Scriptores, vt 4. Euangelistæ. *Ego enim*, inquit, *Ierusalem Euangelistam dabo*. Esa. 41. *alii autem Pastores*, & Doctores, & Episcopos, qui pascant exemplo, & doceant verbo, iuxta illud Ierem. 3. *dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascam vos scientia & doctrina*. Et Esa. 30. *Non faciet vltra auolare ad te Doctorem tuum*, vel dico secundo, quod ipse Christus hanc diuersitatem Hierarchicam dedit & instituit virtualiter, dum Spiritum sanctum misit inuisibiliter, qui docuit Apostolos & eorum successores, quæ cuiuslibet status Ecclesiastici officio congueret, prout ipse Saluator promisit Apostolis suis. *Adhuc*, inquiens, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*, & ne crederetur eis solis datus, sed etiam posteris eorum successoribus, ait, *ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui docebit vos omnem veritatem, vt sit vobiscum in æternum*. Iohan. 15. sic enim Christus per Prælatos dicitur Ecclesiasticam Hierachiam instituisse, teste Apostolo. *& ego si quid donaui, in persona Christi vobis donaui*. & hoc est quod dicit D. Patriarcha Petrus de Palude *de Ecclesiastica potestate, concl. 3.*

Ephes. 4. *1. Cor. 12.* *Psal. 67.* *Distinctio & varietas graduum & statuũ in Ecclesia à Christo prosecta.* *Innocent.* *Act. 21.* *Act. 13.* *Act. 6.* *Esa. 41.* *Ierem. 3.* *Esa. 30.* *Ioan. 14. & 16.* *2. Cor. 2.* *Palud. de Eccl. potestate. August. de consensu Euangelistarum. c. 34. in fine, tom. 4.*

Ad tertium argumentum quod Christus dedit pastores dando primum & vniuersalem pastorem immediate dicendo Petro: *pasce oues meas*. Sic etiam dicit B. Augustin. in libro de consensu Euangelist. ostendens Christum Euangelium scripsisse, & tamen Euangelistis commiserat scribere, dicens: *omnibus discipulis suis per hominem quem assumpsit, tanquam membris sui corporis caput est itaque cum illis scripserunt, quæ ille ostendit & dixit, nequaquam est dicendum, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognouerunt: quidquid enim ille de suis dictis & factis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus, imperauit.* hæc ille. Vnde in persona Prælatorum Ecclesiæ dicit Dominus: *qui vos audit me audit*, Lucæ 10. cuius rationem subdit, Apostolus vbi prius, dicens: *ex quo*, scilicet CHRISTO capite Ecclesiæ, *totum corpus Ecclesiæ compactum est per omnem iuncturam subministrationis*, id est, per quam communicationem fidelium, vnus communicat & subministrat alteri bonum quod habet à CHRISTO capite: vnde subdit, *secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri*, quia secundum gradus membrorum ECCLESIÆ competunt diuersis actus diuersi, maiores scilicet & minores, sicut alii a-

Luc. 10. *Ephes. 5.*

Lyra in 4. c. epist. ad Ephes.

ctus Episcoporum, alii sacerdotum, alii Religiosorum, & sic de singulis, secundum expositionem venerabilis de Lyra ibid. licut alia est operatio cuiuslibet membri, alia operatio oculi, alia pedis, & vere per Iesum Christum hoc est totum; quia augmentum corporis sui facit, & hoc quantum ad profectum eorum qui iam sunt de corpore, ipse dico, tendens in ædificationem sui, secundum quod Christus accipitur pro capite cum membris, & hoc quantum ad illos, qui sunt de corpore ecclesiæ, prout dicit Innoc. *ibid. 2.* supponendum, quod præmissa officiorum varietas regitiua, sit hierarchica dispositio siue subordinatio, & vna sit Papalis auctoritas suprema, ex præinstitutione, & non tantum humana, sed diuina auctoritate, iuxta illud Ioan. 20. *pasce oues meas*, vnde licet Apostolus dicat, *dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas*, non nominando papalem eminentiam, singulariter tamen præsupposuit id per Christum expresse factum, vnde ad inferendum illud quod dictum est, præmisit. *vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, q.d. quod vni plus, & alteri minus donatum est, cum vni supremum regimen ecclesiast. sit commissum, ideo dicit idem Apostol. 1. Cor. 10. *Non immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus*, vbi gl. dicit: *Vsurpans sibi regimen animarum, sine commissione Christi, aut sui vicarii, vel potestatem sibi commissam vltra terminum sibi præfixum extendens, non secundum mensuram regulæ, sed immensum gloriatur.* hæcibi.

1. Cor. 10. Glossa.

CCCXII. *Apostolorum status tripliciter consideratur.*

Ex præmissis infertur, quod secundum statum Apostolicum, singulariter tria genera Ecclesiasticorum ipsis Apostolis succedere dignoscuntur, scilicet Cardin. episcopi, Religiosi. Pro quo sciendum, quod Apostoli possunt tripliciter considerari. vno modo, prout fuerunt Christi assessores, ante suam ascensionem; Alio modo, prout facti sunt pastores dispersi, per mundum prædicant. 3. modo à vocationis eorum principio, vsque ad fin. iuxta modum perfectionis & conuersat. 1. inquam considerari possunt Apostoli, vt fuerunt Christi assessores primo, & postea B. Petro assederunt, vt domestici & familiarissimi amici & secretarii, & hoc modo succedunt eis reuerend. Patres, domini Cardin. quasi domestici Papæ consiliarii & assessores, sed quantum ad 2. statum episcopi succedunt Apostolis, & hoc noranit Apostolus distinguens status ecclesiæ, quia cum distinguit statũ pastoralem, cui incumbit cura animarum particularium, à statu Apostolico, ad quem spectat regimen & ordinatio totius ecclesiæ generalis, & iuxta hanc sententiam dicit Archid. 22. dist. c. *sacrosancta*, quod Papa debet scl inter Cardinales annumerare, ratione status Apostolici, in quo sunt cõdiuidendo cum à statu pastorali, licet etiam in statu Apostolico fuerunt pastores. Sed status in se sunt diuersi, & prius fuerunt in statu Apostolico per Christum inst. tuti, quam in pastorali per Petrum, quia ante passionem omnes duodecim fuerunt Apostoli, sed post passionem institutus est Petrus à Christo omnium pastor, & tunc status pastoralis est ordinatus, cum Apostolicus status ante fuisset. Petrus ergo & sui successores verunque retinent statum, sed Cardinales Apostolicum duntaxat, & ita diuersitas inter nunc vocatos Cardinales & Episcopos, qui in statu Apostolico vario modo succedunt Apostolis, notatur in glo. 2. Cor. 3. super illud fidelibus dictum, *omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo*, qui erat episcopus eorum, *siue Cephas*, id est, Petrus, qui omnibus maior erat. Ex quo sequuntur aliqua. Primum, quod ad statum Cardin. tanquam ad statum Apostolicum, primo pertinet vna cum Papa, regimen & ordinatio totius ecclesiæ. Nam sicut perfectio status Episcopalis in hoc consistit, secundum S. Thom. 2. 2. quod quis ex voluntaria obligatione se obligat ad hoc quod curam proximorum gerat, & saluti eorum insistat, videlicet eorum, qui suo Episcopali regimini specialiter sunt commissi: Ita perf. ctio status Cardinalatus in hoc consistit, quod ex charitate se obligat, vt cum capite suo Christi vicario, generaliter fidem & Christianitatem vsque ad sanguinis effusionem defendat, in cuius signum capellum rubeum portare dicuntur.

2. Cor. 3. Glo. interl.

I.

Thom. 2. 2. q. 184. a. 7 ad 1.

II. Sequitur secundo, quod Cardinales sunt in statu perfectionis altioris, quam sit generaliter status pastoralis, quia inferiores pastores tenentur se exponere pro grege particulari; sed Cardinales tenentur se exponere pro Ecclesia vniuersali, quod est perfectius, quia bonum quanto communius, tanto diuinius, vt dicit Philosophus.

Cardinales succedũt Apostolis vt assessores. Episcopi vt prædicatores. 22. dist. sacrosc. c. 2.

Tertio sequitur ex eodem, quo ad sedem Apostolicam scilicet Papam & Cardinales, præ cæteris sedibus particularibus pertinet declaratio veritatũ necessariarum aut vtilium ad salutem, siue quantum ad fidem, siue quantum ad vtile regimen Ecclesiæ militantis, quia in hoc succedunt Petro & cæteris Apostolis, quantum ad statum Apostolicum primitiuum, de quo dictum est: *Euntes docete omnes gentes*. Matth. vltim. Si vero obiicitur, quod Cardinales Diaconi non succedunt Apostolis, cum omnes fuerint Presbyteri: Respondetur, quod licet non succedunt in ordine Presbyteratus, tamen succedunt in ordine diaconatus, & nihilominus succedunt eis, quantum ad ordinem hierarchicum Cardinalatus, ad intellectum supetius declaratum, vnde quantum ad hoc, Cardinales Diaconi non solum iure prædicto, sed etiam laudabili & approbata consuetudine iam præscripta, præcedunt Episcopos, licet ordo Episcopalis dignior sit ordine diaconatus. sicut v. g. Archidiaconus, licet non sit Presbyter, tamen præest plutibus Presbyteris suo Archidiaconatus ordini hierarchico subiectis 25. dist. perlectis. Et sic Cardinales etiam non Episcopi præcedunt Episcopos, quia comparantur senatoribus, qui erant primi post Imperatorem, & dicebantur Patres conscripti. De hoc per Archid. de offic. leg. c. 1. libr. 6.

Matth. 28 *Cardinales non Episc. præcedũt Episcopos.* *25. dist. per lectũ.* *De offic. le. c. 1. lib. 6.*

Quantum ad secundum statum Apostol. pro vt diuisi sunt à Petro per vniuersum mundum, succedunt eis proprie episcopi cum omnibus his, qui sub hoc nomine, Episcopus, dignoscuntur comprehendi, de quo dicit Rabanus libr. suo de natur. rerum: *Ordo*, inquit, *Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchas, Archiepiscopos, Metropolitanos atque Episcopos. Patriarcha græca lingua interpretatur summus Patrum, qui primum, id est, Apostolicum retinet locum, & ideo quæ summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut Rom. Antioch. Alex. Archiepis. græco vocabulo dicitur, quod sit summus Episc. tenet enim vicem Apostolicam & præsidet tam metropolitanis, quam Episcopis cæteris. metropolitani autem à mensura ciuitatum vocati sunt, singulis enim prouinciis præeminent quorum auctoritati & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti, sine quibus reliqui Episcopi nihil agere licet, solicitudo enim totius prouinciæ ipsis commissa est. Omnes autem superius designati ordines, vno eodemque vocabulo Episcopi nominantur, sed ideo priuato nomine quidam vtuntur, propter distinctionem potestatum quam singulariter acceperunt. Patriarcha pater Principum, ἀρχὴ γὰρ enim Princeps, Archiep. Princeps Episc. sicut metropolitanus à mensura ciuitatum.* hæc ille. Sed notat D. opponens vnam clausulam, quam dicit me prætermisisse, in c. *decretis*. vbi dicitur quod talis distinctio est sumpta à vana gentilitate, quod voluit notari. Respondeo, quod nomina ista flamines & archiflamines, ecclesia in gentilitate reperit; sed gradus eis correspondentes B. Petrus & Apostoli à Christo acceperunt: & ideo nomina permanserunt, & in distinctionem Ecclesiasticæ dignitatis cesserunt, vel cum S. Tho. vbi arguit in 4. dist. 24. ritus ecclesiæ non debet magis conformari ritui gentilium, quam ritui Iudæorum, ergo respondet quod ritus Iudæorum non erat diffusus in diuersis regnis & prouinciis, sed tantum in vna gente, & ideo non oportebat, quod sub eo, qui habebat potestatem principalem alii Pontifices distinguerentur, sed ecclesiæ ritus: sicut & gentilium, per diuersas nationes diffunditur, & ideo oportuit, quod quantum ad hoc magis gentilium ritui, quam Iudæorum, status ecclesiæ conformetur: vnde licet ordo iste Ecclesiasticus quoad distinctionem graduum prælationis, sit ritui conformis gentilium, nõ sequitur quod sit malus aut vanus, aut non à Deo institutus: quoniam ecclesia constituta est ex vtroque pariete, scilicet gentilitatis & Iudæorum: ita ritus Ecclesiæ modo capitur ex conformitate vnius, modo alterius, prout dicit Hugo lib. 2. de Sacram. par. 3. c. 4. hæc ille. Et hi ordines à B. Petro & S. Apostolis efflaxerunt, prout testatur etiam B. Clem. secundum quod etiam allegat Hugo, vbi prius, & habetur in libr. illius, in princ. qui solet inscribi decreta Pontif. Dicit enim sic: *In illis quatuor in quibus apud Ethnicos primi flamines eorum atque primi legis Doctores erant, Episcoporum primates poni, vel Patriarchas ordinauit, qui reliquorum Episcopo-*

Rabã. lib. de institu. cler. c. 5. simile habet. *Metropolis mater ciuitatum.* *d. dist. 21. ca. Decretũ.* *Tho. 4. sen. d. 24. q. 3 art. 2. ad 2.* *Hugo in. Epist. 1. Clemen.*

rum iudicia, & maiora quoties necesse foret negotia in fide agitarent secundum Domini voluntatem, sicut sancti constituerunt Apostoli, & ita vt ne quis iniuste periclitaretur, definirent. In illis autem ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Ethnicos Archiflamines, quos tamen minoris ducebant quam memoratos Primates, Archiep. instituit præcepit, qui non tantum primatum, sed Archiepiscoporum nomine fruerentur. hæc ille. Ex quo patet, quod Apostolis hi gradus succedunt, quo ad statum eorum.

Religiosi perfectione conuersationis. 16 q.1. ex auctoritate c.24. Status Christi repræsentatus essentialiter. Num. 6.

Quantum ad tertium statum Apostolorum, scilic. perfectioris conuersationis, eis succedunt Religiosi. vnde dicitur 16.q.1. *ex auctoritate* quod Monachi Apostol. figuram tenent, & hoc quantum ad proptiorum renunciationem, vt exponit glo. Pro quo sciendum, quod repræsentare statum Christi & Apostol. potest intelligi dupliciter: vno modo essentialiter, & sic omnes qui obligant se ad perfectionis opera, secundum tria vota essentialia, repræsentant Christi & Apostol. perfectionis statum: scribitur enim Numer. 6. quod omnes Nazarei, qui volebant se domino consecrare voto se astringebant ad perfecta opera. Quantum ergo ad hoc, quod omnes religiosi voto se obligant, astringentes se ad opera supererogationis, secundum illa tria essentialia vota, essentialiter repræsentant Christi ad Apostolorum perfectionis statum, cum Apostoli primus vocati fuerint ad statum religionis, secundum illa tria vota, sicut de voto Apostolor. infra dicetur. Nam mox vocati ad Christum, *relictis omnibus, secuti sunt eum.* Matt. 4. Super quo verbo dicit Chrys. *tria sunt quæ relinquere debent venientes ad Christum. Primo substantias mundiales, quæ per nauem intelliguntur. Secundo, operationes carnales, quæ per rete intelliguntur. Tertio, reuerentias paternales, quæ per patrem intelliguntur.* hæc ille. Secundo instrumentaliter, & sic secundum diuersum modum viuendi in voluntaria paupertate, diuersimode religiosi Christi & Apostol. perfectionis statum repræsentant. Pro quo sciendum, quod ad perfectionis statum multa requiruntur: formaliter quidem necessaria est charitatis perfectio; efficienter vero trium votorum principalium perpetua obligatio; instrumentaliter corporalis in vigilijs & ieiunijs exercitatio & regularis obseruatio. Essentialiter autem Christi & Apostol. in modo viuendi imitatio. Quantum ergo ad charitatis perfectionem Episcopi sunt in perfectiori statu cæteris aliis. Requirit enim pontificalis status charitatem perfectam iam acquisitam, non acquirendam. Quantum vero ad trium votorum principalium perpetuam obligationem, omnes religiosi, qui ad illa se obligant, sunt æqualiter in perfectionis statu: Quantum autem ad corporalem exercitationem Monachi & professores regulæ beati Benedicti, *arctiorem viuendi modum perfectionis statum requirunt, quam alii. Sed quantum ad modum viuendi Christi & Apostolorum imitationem religiosi mendicantes magis sequuntur illum modum viuendi, quam alii, cum in communi possessiones non habeant, nec in speciali, sed solum de his, quæ quotidie offeruntur à Christi fidelibus in victu & vestitu necessaria recipiant. Quemadmodum Christus cum suis discipulis nunc mendicando, nunc necessaria oblata recipiendo. Ex quo patet, quod Religiones non sunt institutæ a puto homine, quantum ad vota essentialia, in quibus consistit omnis religionis perfectio, sed præsupponuntur illa vota esse instituta à Christo, in ipsa Apostolorum vocatione, sed solum quantum ad quædam accidentalia, puta quantum ad habitum & ordinationem regulæ, vel institutionem, quæ sic firmitatem habent, non nisi cum approbatione Ecclesiæ. Hoc addito, quod certarum religionum habitus non est humanitus inuentus, sed de cœlo ostensus & datus, quemadmodum beatissimi virgo habitum ordinis mei Prædicatorum ostendit Magist.* *Rainaldo, ipsum curando mirabiliter à sua infirmitate, ad preces B. Dominici, & ex tunc eum habitum, quem videtis, ordo acceptauit, quem non homo, sed beatissima virgo Maria nobis contulit, cum habitum Canonicorum regularium fratres nostri baiularent, vt patet ex legenda B. Dominici. Ex quo patet, quod ecclesiastica Hierarchia succedit Apostolis; sc. Cardinales vt assistentes, Episcopi vt ministrantes, & Religiosi vt perfectionis vitam imitantes.

alius lib. arctiori modo.

Reinhardo.

Matth. 4. Chrys. in opere imperf. Instrumentaliter.

72. discipuli in triplici habitudine considerantur.

Aliud genus à Christo institutorum est 72. discipuli, & hi etiam possunt in triplici habitudine considerari. Primo vt missi à Christo ad prædicandum ante suam passionem. Secundo vt missi ab Apostolis post Christi ascensionem. Tertio vt diaconi per quorundam ex eis ordinationem. Nam in primo statu succedunt eis Presbyteri curati. in secundo quoad aliquid Presbyteri alii, in tertio Archidiaconi iudices & cæteri Clerici. Primo inquam, si considerantur 72. discipuli, vt à Christo missi ad prædicandum in omnem locũ, quo erat ipse venturus, & non alibi, repræsentant statum & figuram curatorum Presbyteror. qui sic sunt ad vnam plebẽ seu Parochiam limitati, quod præsunt illic, & non alibi, & sic declarauit in prima positione mea super illo complexo *à Sacerdotibus Domini*, notando, quod soli curati succederent in prædicatione ordinaria 72. discipulis Domini, quia illi soli sunt Presbyteri secundi ordinis, aut minoris ordinis appellati, vt ibidem sufficienter deductũ est. Expressius declarat dominus Patriarcha Petrus de Palude in lib. de Eccles. potestate, concl. 3. Sed secundo modo prout ab Apostolis fuerunt missi, considerantur quoad duplicem actum. Primus est super corpus Christi verum, quia creduntur multi ex eis fuisse ordinati in Presbyteros, licet in scriptura canonica non reperiatur. Secundus actus quoad corpus Christi mysticum in quantum ab Apostolis receperunt auctoritatem exequendi potestatem clauium, & in vtroque actu succedunt eis curati: sed in primo tantum sacerdotes alii, quia vt dictum est in alia positione ex S. Tho. principalis actus sacerdotii, qui est consecrare super corpus Christi verum, omnibus sacerdotibus conuenit. sed secundarius actus sacerdotii, qui est Christi corpus mysticum non conuenit nisi curatis. Considerando autem eos tertio modo prout quidam fuerunt ex eis facti diaconi, vt Stephanus Archidiaconus, sic eis succedunt Clerici cõsimilium nominum & inferiores Prælati seu Clerici, quemadmodum de hoc scribunt doctores antiqui multi, sufficit tamen ad præsens quod in Concil. Chalc. statutum est, vt aliqui Presbyteri ordinari possint: si in martyrio prouisi fuerint de 72. *Neminem.* vbi dicit glo. quod *martyrium*, vocatur, vbi reponitur reliquiæ martyrum, & constat satis, quod illi fuissent male illuc limitati, si fuissent ad prædicandum vbique obligati. Et ita non successerunt 72. nisi in actu principali, qui est actus celebrationis officii super corpus Christi verum.

Supra.

Paludan.

dist. 70. nominem, 6.1

CCCXIII. *Duo corrigenda à replicante.*

Præmissam deductionem latius præsertim in hoc vltimo puncto declarassem, nisi infirmitate grauatus fuissem, ea tamen quæ tacta sunt in positione dominorum Bohemorum, dixi, quia ex his corrigere possunt & debent inter multa pũcta per dominum Replicantem hæc duo, primum vbi dixit quod non habemus expresse in scriptura Canonica, quod Christus instituerit Petrum summum Pontific. Apostolorum. Secundum quod ibidem dixit in statu Ecclesiæ primitiuæ non fuisse, nisi tantum duos gradus, scilicet diaconatus, & presbyteratus: eo quod idem erat in primitiua Ecclesia Sacerdos & Episcopus. Et quanquam hæc duo sunt ostensa, expresse esse falsa immediate superius, tamen pro maiori euidentia de 1. sciendum, quod Petrus à Christo positus est super Apostolos, tanquam Princeps & Prælatus eorum, quod ex scriptura Canonica patet, vbi dominus ait Petro, *pasce oues meas*, vbi dicit Chrys. *Eximius enim Apostolorum erat Petrus, & os discipulorum & vertex collegii, vnde & negatione deleta, committit ei Prælationem fratrum, & negationem quidem ei non exprobrat, sed dicit, si diligis præsidet fratribus.* Idem Chrysos. super Act. Apostol. ait: *Petrus à filio super omnes qui filii sunt, potestatem accipit non vt Moyses in gente vna sed in vniuerso orbe.* Et ita patet, quod soli Petro dictum est illud verbum, *pasce oues meas*, & ita bene ego addidi literam *soli* licet in textu Euangelii non habeatur, nec addidi, vt verba textus, sed vt doctores exponere solent verba eadem. Et idem B. Bernard. ad Eugenium inquit: *quæ subte sunt, quæ sint illa, si quæras certe orbem exeundum est, qui forte vellet explorare, quæ non pertinent ad tuam curam.* Et paulo ante. *itaque tu & hæres, & orbis hæreditas.* & supra: *Indagemus quis sis, videlicet quam personam in Ecclesia Dei geras. Es enim Sacerdos magnus, summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum:* & infra: *tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidam & alii cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto differentius vtique præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti sunt, nec modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium ouium pastor. Vnde id probare quæris? Ex verbo Domini, cui enim non dico Episcoporum, sed Apostolorum sic absolute & indifferenter tota commissa sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas, quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regni? oues meas, inquit, cui non planum non designasse aliquas, sed designasse omnes?* & reliqua quæ ibi sequuntur. Ad propositum.

Prus Petrum à Christo positum super Apostolos. Chrys. in Matth. 16. Ioan. 21. Petrus per tex & os Apostolorum, Chrys Bern. 3. consil. lib. 2. considerationum.

dist. 21. In nouo, c. 2. CCCXIV. De æqualitate & inæqualitate Apost.

Ad ea, vbi Replicans volens ostendere propositum suum, arguit, primo ex Canone *in nouo*, dist. 21. vbi dicit, quod omnes Apostoli fuerunt pares, quia parem honorem & potestatem à Domino receperunt. Respondeo quod verum est de potestate ordinis sacerdotalis primo, & episcopalis tantum, quæ non recipit maius & minus, sed non est vera de potestate iurisdictionis, vt declaratum est etiam nunc, & in mea positione ex multis Doctoribus & per hoc sunt solutæ auctoritates aliæ, quas adducit quia Dominus omnibus simul dixit: *hoc facite in meam commemorationem*, loquitur de potestate ordinis. Similiter: *Accipite Spiritum sanctum.* Sed quia dixit Dominus Replicans, quod illud, *pasce oues meas*, non fuit dictum soli Petro, sed sibi in persona aliorum: In oppositum oportet ostendere veritatem. Nam textus sibi soli ostendit dictum. *dixit Iesus Petro. Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues meas:* & quod soli Petro dictum est illud verbum, *pasce oues meas*, & per hoc Petrus sit constitutus summus Pontif. totius Ecclesiæ, patet per subsequentia: dicit enim super eodem verbo B. Cyrillus Episcopus Alex. *vt membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Rom. Pontifice, à quo nostrum est quærere, quid tenere, & quid credere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere & ligare, loco illius, qui ipsum ædificat, & nulli alii, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam Domino Iesu Christo obediunt.* hæc ille. super eod. Ioan. vltim. dicit Theophil. *finito prandio commissionem omnium mundi Petro commendat, non aliis, vnde dicitur: cum ergo prandisset dicit Simoni Petro Iesus: Simon diligis me plus his? pasce oues meas; tanquam non esset vbi ostenderet Petrus amorem suum Christo, nisi esset pastor fidelis sub principe omnium pastorum.* hæc ille. Nicol. de Lyra, *dixit Simoni Petro, volens ei beneficium speciale conferre, Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues meas.* hæc ille. S. Tho. dicit sic: *pasce oues meas, vt sic non posset dici Christianus, qui dicit, se non esse sub cura pastoris ipsius, scilicet Petri, iuxta illud Ezech. 39. Pastor vnus erat omnium nostrum. Et Oseæ 1. Ponent sibi caput vnum. Petro autem hoc officium congrue omnibus intermissis commissit, quia secundum Chrysost. eximius Apostolorum erat, os discipulorum, & vertex collegii.* hæc ille. Gorra: *Sed quæritur cum alii discipuli circumstarent, qui Dominum diligebant, propter quod à solo Petro quæsitum est de dilectione? Ratio vna est,* inquit, *quia sibi erat cura gregis specialiter committendi inter alios, ideo ab eo specialiter de illi ectione quæritur.* Allegat Chrysostomum, vt iam dictum est. Item S. Thomas contra gentiles, lib. 4. cap. 76. *Quia Dominus corporalem præsentiam Ecclesiæ erat subtracturus, oportuit vt alicui committeret, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ gereret curam, hinc est quod Petro dixit ante Ascensionem, Pasce oues meas, Ioannis vltimo, & ante Passionem: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22. & eisdem promisit, Tibi dabo claues regni cœlorum, Matth. 16. vt ostenderet quomodo potestas Ecclesiæ per eum ad alios esset deriuanda ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem,* hæc ille.

Ioan. 21.

Cyrillus.

In Catena S. Thom.

S. Tho. in 21. c. Ioan. lect. 3.

Io. Chrys. in 21. c. Io.

S. Tho. contra gentes li. 4. c. 76.

CCCXV. *Non idem esse Episcopum & Sacerdotem. Aug. de hær c. 53. S. Th. 2.2. q. 184. art. 6. ad 1.*

Quam reprehensibile autem sit secundum, eo magis debeo enarrare, quo sperabam replicantem prouidenciorem fuisse, dicere enim quod in Ecclesia primitiua, idem fuerit Episcopus & Sacerdos fuit hæresis Arianorum, vt dicit beatus Augustinus *lib. de hæresib. cap. 53.* qui Arius, quia desideratum Episcopatum adipisci non potuit, vilipendendo Episcopatum, tandem dixit à presbytero Episcopum nulla differentia debere discerni. vnde dicit S. Thom. 2.2. q. 184. art. 4. ad 1. quod secundum nomen olim presbyteri & Episcopi non semper distinguebantur, quia sæpe pro eodem in sacra Scriptura sumuntur, sed secundum rem semper fuit inter eos distinctio, etiam tempore Apostolorum. Ad hoc autem quod allegat Apostolum, & Magistr. fecit. respondeo, quod Apostolus allegat regulam Episcopalem, dicens 1. Tim. 3. *Si quis desiderat Episcopatum, bonum opus desiderat. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* & de Diaconis post. [illegible]itur, de presbyteris mentionem non facit, non ideo fac[illegible]st, quod idem

1. Tim. 3.

fuerit nunc presbyter & Episcopus, sed quia illa doctrina, quam soli tradidit Episcopo etiam conuenit & presbytero. vnde dicit Chrysost. *ibidem homil.* 11. in expositione eiusdem textus, sic disputans de Episcopis, & designans eos, dicens: *Quæ quidem habere, à quibus autem abstinere oportet, & ordinem Presbyterorum dimittens, ad diaconos transsiliuit, quia vtique quoniã non multum medium est, etenim hi sacerdotes ministerium fusce[illegible]runt, & præsidentiam Ecclesiæ, & quæ de Episcopis dixit, hæc & Presbyteris conueniunt, in enthronisatione enim sola super eos ascenderunt, & hoc solum videtur superabundare Presbyteris.* hæc Chrysost. ad idem inquit Haymo: *Quare tacuit de presbyteris? ideo, quia in ordinatione Episcopali comprehenduntur Presbyteri. Omnis enim Episcopus Presbyter est, & tamen non omnis Presbyter Episcopus est.* hæc ille. & quod nullo modo fuerit mens alia Apostoli, quam quod alterius gradus essent presbyteri & Episcopi, patet ibidem *c.* 4. dicentem: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Quem ergo credis hic Apostolum dixisse presbyterum, nunquid simplicem Sacerdotem? nõ ita, sed presbyterum ibi dixit Episcopum, vnde Chrysost. in expositione ho 3. ibid. *Cum impositione manuum Presbyterii, non de Presbyteris, sed Episcopis dixit. non enim Presbyteri Episcopum vtique inthronisabant.* hæc ille. Ecce quod simplices presbyteri non conuenienter inthronisassent, id est, consecrassent Episcopum. Fuerunt ergo distincti ab Episcopis presbyteri, etiam tempore Apostoli, sicut & supra dictum est de Patriarchis, Presbyteris, &c. Quod etiam ille allegat Hieronymum distin. 95. olim. nihil pro eo est, quia non dicit Hier. quod non esset distinctio inter Episcopum & Presbyterum, etiam quando communi consilio sacerdotum actum est, quod vnus præesset omnibus, quia nihilominus hoc iubente Domino factum est, & non minus Episcopi super Presbyteros extiterunt. vnde ibidem Hier. in epist. ad Euagrium: *Nam & Alexandriæ Marcus Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Presbyteri vnum ex se electum in excelsiori gradu collocabant, quem nominabant Episcopum, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant ex se quem industrium nouerint, & Archidiaconum nuncupauerint.* hæc ille. & assumitur *dist. 93. in c.* legimus. Et dicit ibidem Hier. *super Isaiam hom. 2.* super illo textu: *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti. Porro qui ab aduentu Christi & Romano imperio prophetiam differunt, quinque ciuitates vel legem Domini, quæ in Alexandria interpretata est, vel quinq; ecclesiæ ordines, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, fideles catechumenos sentiunt.* hæc ille. Quod autem idem dicit Hier. dist. 93. legimus. *idem Sacerdotem esse & Episcopum.* intelligendum secundum nuncupationem, nõ secundum rem, vt exponit Hugutio & Archidiac. ibidem. Vnde Isidorus *in lib. officiorum de statu clericali, cap. 9.* de Sacerdotibus scribit, quod Moyses figuram Christi in veteri testamento gerebat, & vere per omnia Christi, quoniam fuit similitudo mediatoris Dei, qui est inter Deum & hominem Iesus Christus, qui est verus Dux populorum, verus princeps Sacerdotum, & dominus Pontificum, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen. Aaron summus Sacerdos, qui primus in lege sacerdotale nomen accepit, primus qui pontificali stola indutus victimas obtulit. Et infra: *Quo loco contemplari oportet Aaron summum Sacerdotem Episcopum fuisse, & etiam filios eius Presbyterorum figuras præmonstrasse. Fuerunt enim filii Aaron & ipsi Sacerdotes, quibus merito astare debuissent Leuitæ, sicut summo Sacerdoti,* hæc ibi. & capitulo septimo dicit: *Presbyterorum ordo exordium assumpsit à filiis Aaron, vt dictum est, qui enim Sacerdotes vocantur in veteri testamento, illi sunt, qui nunc appellantur Presbyteri, & qui nuncupantur Principes Sacerdotum, nunc Episcopi nominantur.* hæc ibidem. Nam Paulus Apostolus eosdem presbyteros, vt vere Sacerdotes, sub nomine Episcoporum ita assueuerat, loquens ad Titum: *Huius, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates, Presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui, si quis sine crimine est, oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Qua sententia ostendit etiam presbyteros sub Episcorum nomine taxari. Vnde ad Timotheum de ordinatione Episcopi & diaconi scribens, de Presbyteris omnino tacuit, quia eos in Episcoporum nomine comprehendit. Secundus enim, & pene primo coniunctus est gradus, sicut & ad Philippenses Episcopis & Diaconibus scribit, cum vna ciuitas plures Episcopos habere non possit. Et in Actibus Apostolorum Presbyteros eccle

dist. 21. In nouo, c. 2. CCCXIV.

Chrys ho. 11. in 1. ep. ad Tim. c. 3

Inthronisatione, χειροθεσία manuum impositione, ordinatione. Haymo. 1. Tim. 4. Chrysost. ibi. hom. 13.

dist. 56. olim, c. 5.

Hier. ad Euagr. ep. 85. tom. 2.

dist. 93. legimus, c. 13. Hier. Glos. ord. Hie. in ep. ad Tit. c. 1. Isid. lib. 2. cap. 5. Moyses figura Christi gessit.

Isid. lib. 2. cap. 7.

Tit. 1.

Act. 20.

Ab initio Sacerdotii legalis semper fuit distinctio Episc. à Presbytero. Ad Magist sent.

siæ, Hierosolymam iturus congregauit, quibus inter cætera ait: *Videte gregem, in quo vos Spiritus sanctus Episcopos ordinauit.* Vnde etiam tales in Ecclesia presbyteros constituendos esse, sicut Episcopos, & Apostolus ad Titum loquitur, & canones ipsi testantur. Ex quo patet, quod ab initio sacerdotii legalis, vsque nunc semper fuit distinctio Episcopi à Presbytero, licet sæpe eodem vocabulo censerentur propter propinquitatem, quam habent in auctoritate, quia Episcopus excedit presbyterum tantum iurisdictionis dignitate. Ad Magistrum sententiarum *in quarto distin.* 24. capitulo penultimo dico, quod nunquam fuit suæ mentis asserere tantum duos gradus, fuisse in primitiua Ecclesia, ita quod Presbyter & Sacerdos essent idem, vere plicans videtur eum intelligere, sed in eodem capitulo dicit distinctos: *ipsi enim*, inquit, *in singulis ciuitatibus Episcopos & presbyteros ordinauerunt*, sed loquitur ibi de sacris ordinibus, dicens: quod in Ecclesia primitiua tantum isti duo dicebantur sacri, scilicet Diaconatus & Presbyteratus. Subdiaconatum esse ordinem sacrum postea Ecclesia instituit, vbi dicit sanctus Thomas, quod licet omnes ordines sint sacri, specialiter tamen isti duo dicuntur ordines sacri, quia isti duo habent actum super ipsum sacramentum. Subdiaconus vero super vasa tantum. Ex isto patet, quod male respondit Replicans, dum de distinctione status Hierarchici in lege a terna distinct. b. Hierarchia triplici, dicit: *Sic dico, prout ex prædictis patet, ista similitudo patitur instantiam, cum Ecclesia militans solos duos gradus habebat, vt dicit Magister in quarto. Item eum idem erat Presbyter, qui & Episcopus, vt asserit Hieronymus. Et quando in locum 72. discipulorum successerunt minores Sacerdotes.* hæc ille.

In Psal. 132 August.

Et quia istam materiam continuando, magis elucescet veritas. Ideo notádum, quod quia ego dixi ex parabola Euangelica: per duos in agro, Prælatos, per duos in lecto, Religiosos, per duos in mola, Seculares intelligendos. Ipse dicit hanc expositionem secundum alios non esse de mente Christi. Sed per duos in agro intelligi statum dominorum sæculatium, per duos in lecto Spirituales, vt est clerus Christi, in mola, fideles Laicos, videtur etiam contra Religiosos inuehere, vbi dixi, quod ad lectum pertinet, qui in claustris vacat, dicit enim Paulum in lecto contemplationis quieuisse, & tamen discurrendo mundum conuertisse, *& vtinam omnes*, inquit, *Religiosi facerent, & liberè prædicarent.* Circa quod inprimis notandum, quod ipse nullum allegat Doctorem, sed in genere dicit, secundum alios, & quicunque sint illi, non est adæquata comparatio. Sed B. Augustinus, qui multo melius nouit mentem Christi, quam quicunque alii innominabiles nouelli, sententiam meam approbat, dicens in expositione Psalm. 132. de tribus enim ipsis generibus dictum est: *Duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur: duo in lecto, & duo in mola, alter assumetur, alter relinquetur*, quam auctoritatem vt perfectius intelligatis, & persequi Religiosos desistatis, audite quid præmittit beatus Augustinus super Psalmo: *Ecce quam bonum*, dicens, *hoc primum consideremus, vtrùm de omnibus Christianis dictum sit, ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. An aliqui sunt certi atque perfecti, qui habitant in vnum, nec ad omnes pertineat ista benedictio, sed ad quosdam, à quibus tamen desciscitur ad cæteros. Ista enim verba Psalteri, iste dulcis sonus, ista suauis melodia, tam in cantico, quam in intellectu, etiam monasteria peperit, ad hunc sonum excitate sunt fratres qui habitare concupierunt in vnum. Iste versus fuit tuba ipsorum, sonuit per orbem terrarum, & qui diuisi erant, congregati sunt in vnum.* & infra: *Vnde illi 120. qui simul erant in vno loco post resurrectionem Domini, & ascensionem eius in cælum, & ipsi primum habitauerunt in vnum ipsi primum audierunt, sed non soli audierunt, venit enim ad posteros ista charitatis exultatio, & votum Deo. Vouetur enim aliquid Deo, vt actum est: Vouete & reddite Domino Deo vestro*, & infra: *Ex voce huius Psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis.* & infra: *Verumtamen charissimi sunt & Monachi, qui falsi sunt, & nos nouimus tales, sed non perit fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod non sunt, tam sunt enim Monachi falsi, quam Clerici falsi, & fideles falsi, omnia ista tria genera; qua aliquando vobis commendauimus, habent bonos suos, habent malos suos. De isto dictum est, duo in agro, duo in lecto, in agro sunt, qui gubernant Ecclesiam, in lecto autem eos intelligi voluit, qui amauerunt quietem, non miscentes se turbis, non tumultui generis humani, in otio seruien-*

Aug. lib. 2. super Euang. q. 44.

Supra in probatione articuli per legem diuinam, consid. 3.

CCCXVI. *De parab. Euang. duorum in agro duorũ in lecto & duorum in mola.*

tes Deo, & tamen inde vnus assumetur, alter relinquitur, &c. hæcibi. Idem perfectius dicit libro 2. quæstionum super Euangelia, quæst. 44. dicens: *Tria hominum genera hæc videntur significari. Vnum eorum, qui in agro quasi erant, qui sunt Prælati, qui præsidendo laborant. Alterum eorum: qui otium & quietem eligunt, neque negotiis Ecclesiasticis sunt occupati, quæ illorum quies, Latino nomine significata est. Alterum eorum qui in plebibus constituti, reguntur à Doctoribus agentes ea, quæ sunt huius sæculi, quos & fœminarum nomine signauit, quia consilium, vt dixi, præpositorum regi eas expedit, & molentes dixit, propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum, quas tamen in vnum molentes dixit in quantum de ipsis rebus & negotiis suis præbent vsibus Ecclesiæ. Tertium eorum qui operantur in Ecclesia ministerio, tanquam agro Dei. In his ergo tribus generibus bina sunt rursus genera hominum, hi in singulis, & pro robore viarum suarum discernuntur, cum enim omnes ad Ecclesiæ membra pertinere videantur, aduenientes tamen tentatione tribulationis, & ex illis qui sunt in negotiis sæculi, & ex illo qui Deo ministrant in Ecclesia, & ex aliis in claustro, aliqui manent, aliqui cadunt, qui permanet assumetur, & alius relinquetur; non quasi de hominibus dictum est, sed de duobus generibus affectionum in singulis generibus trium professionum.* hæc ille. Ecce quod sanctus Paterille non posuit laicos in agro, quasi primum locum teneant in Ecclesia Dei, sed in molendino, quia status infimus est Ecclesiasticę Hierarchiæ, nec ponit clericos in lecto, sed religiosos, & sic de singulis. Ad idem *in eodem cap.* 44. dicit de concordando, scilicet Psalterium cum cithara, id est, legem veterem cum noua. *Ad illa*, inquit, *tria genera, quæ assumuntur, arbitror etiam pertinere illa tria nomina virorum iustorum, quos solos liberandos Ezechiel Prophera pronunciat, Noe, Iob, & Daniel. Videtur enim Noe pertinere ad eos, per quos Ecclesia regitur, sicut per illum in aquis arca gubernata est, quæ figuram gestabat Ecclesiæ, Daniel autem, qui elegit cœlibem vitam, id ist, nuptias terrenas contempsit, vt sicut dicit Apostolus, sine sollicitudine viueret, cogitans, quæ sunt Dei, genus eorum significat, qui sunt & in otio, sed fortissimi tamen in tentationibus, vt possint assumi. Iob autem, quia & vxorem habuit, & filios, & amplas terrenarum rerum copias, ad illud genus pertinet, cui molendinum deputatum est, sed tamen vt sint fortissimi in tentationibus, vt ille fuit, non enim aliter assumi poterunt, nec puto alia esse genera hominum, quibus constet Ecclesia, quam ista tria, habentia binas differentias propter assumptionem & relictionem, quamuis in singulis multæ studiorum voluntatumque diuersitates, ad concordiam tamen, vnitatemque concurrentes possint inuenire.* hæc Augustinus. Concordat B. Gregorius de distinctione assumendorum & liberandorum in Ecclesia, & ordinum *distinctione, libr. 31. Moralium*, & concordat cum tribus viris Ezechielis iam nominatis, *libr. 1. Moralium*, vbi tractat istum textum: *Nati sunt Iob septem filii, &c.* Et quia licet dominus Replicans in scriptis non dederit sic tamen recolo de mendicantibus dixit, quod illi fratres in lecto non vacarent, eo quod mendicando discurrerent. Respondeo, quod hoc argumentum est voluntarium, non charitatiuum. Nam & Christus cum Apostolis & discipulis ad lectum contemplationis attinebãt, quia omnem perfectionis statum exercebant, & tamen per mundum discurrebant, nunc prædicando, nunc mendicando, secundum quod Deo fuit placitum. Item non sequitur, Religiosi non sunt semper in claustro, ibi continue contemplando, dico, quod sufficit, quod illuc pertineant ad votum prælati exeuntes, & redeant. Sic enim dicitur, quod Episcopus tenetur Ecclesiam suam sine intermissione docere. 7. *quæst.* 1. vbi dicit Archidiaconus super verbo, sine intermissione, quod aliquid bene dicitur fieri sine intermissione, licet medius actus interueniat, *vt ff. de verb. oblig.* continuus. vnde si testator decem legauerit vxori suæ, si cum filio moraretur cõtinua mora, nõ requiritur, vt per singula momenta cum eo moretur, *de cond. & demonst. l.* si quis ita. Ad hæc *extra* Rex pacificus, *in princ.* quotidie. ibi exponitur quotidie, id est, assidue. vnde dicit: *Argumentum est ex his, quod hoc testimonium valet, semper iste exercuit ibi spiritualia vel quotidie, & tamen quandoque fuit absens. Sicut causa stillicidii perpetua est, & tamen non cadit semper. ff. de verb. sign. prædiorum foramen, extr. de cler. non resident. ex parte secundum Vincentium.* hæc ibi, & *in c. pessimè 7. q. 1.* dicit, quod verbum, residens, non est amare intelligendum, ita vt nunquam inde discedat, & quod semper vigilet. *ff. de ædict. lib. de ed.* si quid venditor. Sicut ergo hi dicuntur residere, & docere, licet aliquando absint, ita Religiosi

Aug. lib. 2. super Euang. q. 44.

Ibid. c. 44.

1. *Cor. 7.*

Greg. 31. Mor. c. 19.

Greg. lib. 1. Mor. c. 11.

Sine intermissione, non continuam moram significat. 7. quæst. 1. sicut vt. c. 11.

7. q. 1. peruenit. c. 20

giosi semper censentur esse in claustris, & in lecto contemplationis, licet aliquando alia faciant. Ad hoc autem, quod in scriptis mihi tradidit, dicens: *Quod autem dicit, Religiosi vacant in claustris, videtur in oppositum venire Paulus, qui quamuis fuerit in lecto contemplationis, non tamen in claustris vacabat, sed per mundum discurrens gerebat sollicitudinem omnium Ecclesiarum.* & infra: *Vtinam vere Religiosi habiles & idonei à vacatione in claustris exirent, & verbum Dei libere annunciarent, cum messis quidem multa, operarii autem pauci.* Respondeo, quod Paulus non debuit stare in claustro quietis; quia ad hoc fuit à Domino electus, & publice vocatus, miraculorum gratia dotatus, vt portaret nomen Domini coram gentibus & regibus, & certe si ita essent vocati religiosi singuli, merito exirent prædicare verbum Dei, sed quia iuxta dictamen multorum Religiosorum, melius vobis esset domine Vlrice, claustra alicuius arctæ religionis intrare, quam in seculo perdurare, & cõtra præceptum Dei & Apostolorum, praxin vniuersalis Ecclesiæ, sine licentia, contra prohibitionem superiorum prædicare, ibique in pane arcto, & aqua breui præterita peccata deplangere, & plangenda iterum non cõmittere: ideo opto & ego, quarenus relictis omnibus religionem ingredi velitis, vt spectaculum Dei mundo & Angelis existatis.

Act. 9.

Gerson de vita spirituali, lectione 5. Nullus obligatur ad consiliorũ obseruantiam nisi qui ea vouit.

Th. 22. q. 186. art. 2.

CCCXVII. Quantum ad tertium notabile super verbo *debet*, posuit differentiam inter præceptum & consilium, quia dixit Lyr. *debet*, capiendum præceptiue, vbi dum ego impugnassem descriptionem suam consilii, quod esset doctrina specialis, obligans sub pœna peccati venialis, offendi multipliciter, quod consilia Euangelica, vt consilia sunt, nullum obligant sub pœna cuiuscunque peccati, quibus Replicans, si mentẽ docilem adhibuisset, contentari debuisset: pro vlteriori tamen eius informatione dicendum, quod Doctores communiter scribentes, circa dist. 47. primi sententiarum, duplex est Dei voluntas, sc. signi & beneplaciti; Voluntas beneplaciti respicit præcepta. Signi quandoque præcepta, quandoque consilia, vtraque tamen voluntas respicit bonum, per modum complacentiæ, hoc modo, sc. quod voluntas Dei antecedens signi, quæ est voluntas consilii, differenti ratione respicit ad bonum cum voluntate Dei antecedente, quæ est præcepti, quarum tamen vtraque respicit bonũ per modum complacentiæ. Voluntas antecedens signi, quæ est cõsilii, respicit sic bonum per modum complacentiæ, ita tamẽ, quod oppositum non displicet, hinc secundum Bonauenturam consilium, quod est bonum supererogatum, non habet malum directe oppositum, Et hinc est, quod consilium non habet signum suppositum, sicut habet præceptum, non enim est reperire, quod habeat per modum displicentiæ, ita quod oppositum displiceat, hinc secundum Doctores communiter ponitur donum Spiritus, quod est donum cõsilii, donum regitiuum in his, ad quæ non tenemur. In his, ad quæ tenemur, non oportet consiliari, hinc dominus Bonauentura in suo Breuiloquio ponit duplicem rectitudinem in faciendo bonum, scilicet necessitatis & perfectionis, quæ est in supererogando vltra debitum, illud etiam expresse declarat S. Thom. 1. 2. *q.* 108. *art.* dicens, quod hæc est differentia inter præceptum & consilium, quod præceptum importat necessitatem. Consilium a. est in optione, & est de his quæ per melius & expeditius potest homo consequi finem suum, qui est beatitudo æterna. Et in summa contra gentiles, *lib.* 3. *cap.* 130. dicit, quod consilia dicuntur diuinæ legis admoniones, non præcepta, in quantum suadetur homini, vt propter meliora minus bona prætermittat. Ad quod potest adduci ista manuductio palpabilis. Nam cum sit quædam politia inter Deum & hominem, dicente Propheta: *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Sicut in politia humana, quæ est ad diuina exemplificata, videtis esse aliquas leges exterminatiuas, sub pœna capitis aut mortis, quæ capitales aut mortales nominantur, quę sanciuntur proprio vocabuli nomine præcepti. Alias videtis esse minores, sub pœna minoris, sc quę non est exterminatiua, quæ dicitur pœna ciuilis, & possunt nominari huiusmodi leges ordinationes siue mandata. Et tertio quasdam consultationes, quibus contrahuntur, qui sunt de politia ad faciendum, si libeat, opus excellentiæ, q si velint & fecerint, præmiabuntur glorioſe: Si autem non fecerint, nullo modo puniuntur, neque illa non factio eis aliquo modo imputabitur ad pœnam quamcunque, clarumq;

Duplex Dei voluntas, signi & beneplaciti.

De præcepto & consilio.

Bonauentura in breuil. loq. c. 9.

S. Th. 1. 2. q. 108. ar. 4.

Th. contr. gentil. lib. 3 cap. 130.

Psalm. 94 Gerson de vita spirituali, c. 5.

14. q. 1. quod debetur. Archidiaconi, Hugonis, S. Thomæ, ad quas nihil mihi respondit. Item multas rationes, sc. de effectibus peccati venialis, & quod peccatum veniale non dimittitur, donec actu & voluntate deseratur, & si consilia non seruare esset peccatum veniale, vel pœna peccati venialis, nunquam esset homo sine peccato veniali, nisi actu ac voluntate inciperet seruare consilia, nihil respondit, & bene fecit, quia consentire debet. Ad aliqua respondit, sed nihil soluit.

c. 2. Aug. li. 19. cont. Faustum. 6. 19.

Et primo, ad hoc quod consilium de dilectione inimicorum vocaui consilium, dicit quod Saluator mandatum illud vocauit minimũ, dixi pro tunc, quod aliquo modo est præceptum, sc. quo ad affectum, alio modo est consilium, s. quo ad effectum: arguit contra; quod etiam est præceptum in casu necessitatis, fame morientem pascere etiam si sit inimicus. Non est contra me, quia consilium in casu necessitatis est præceptum. Ego non loquor hoc modo in proposito, & notum est non proterunienti.

CCCXVIII. *Alia solutiones contra quasdam, opponenti replicas.*

Ad aliud, vbi argui, quod si non obseruantia consiliorum induceret pœnam venialis peccati, homines ignoranter incurrerent magnam retardationem à vita beata, quia tot pœnas venialium inducerent, cum pœnitentiarii hic nullam pœnam iniungerent, vt homines de hoc pœniterent, quod consilia non seruant. Respondit, *non sequitur, nam peccata diuersis modis dimittuntur in præsenti vita.* Ego autem dixi, quod peccata venialia nunquam dimittuntur in præsenti vita, nisi actu & voluntate deserantur; sed communitas omnium hominum fere nunquam actu proponit, velle seruare consilia. Ergo illa non obseruantia consiliorum nunquam dimittitur eis in præsenti vita. Sed secundum vos tali non obseruantiæ correspõdet pœna peccati venialis, ergo illa pœna nun-

quam dimittitur in præsenti vita, sed reseruatur ad purgatorium.

Ad illud, negat mihi illam: *Illud quod est in pura voluntate hominis, non obligat hominem ad pœnam*, quia dicit, *mandata Dei sunt in pura voluntate hominis, & tamen hominem obligant.* Ego & quilibet benevolus, non omnino obtusus, concipere potest, accipiendo illud *esse in pura voluntate hominis*, quod si fiat, bene facit, si non, nulla pœna incurritur: sic dicunt doctores esse consilia in pura hominis voluntate, ita quod si ea fecerit præmium acquirer. Si non, pœnam nullam incurrit. Ipse aũt æquiuocãdo trahit ad hoc, quod stet in libertate hominis absolute facere, vel nõ facere. Dico ergo quod præcepta aliter sunt in hominis libertate, quia ita proponit Deus homini præcepta vt eligat vitam si fecerit ea, vel mortem, si nõ fecerit. Non sic est de cõsiliis, vt dictũ est. Ergo tales euasiones in materia fidei adducere dignũ est reprehensione, &c.

Vltimo respondit ad id, vbi argui: *Nemo obligatur ad consiliorum obseruantiam sub quacunque pœna, nisi qui vouit eam*: dicit quod hoc non est verum, quia Apostoli obligantur ad consiliorum Christi obseruantiam, nec tamen vouerunt consilia obseruare eo modo, quo fratres mendicantes. Respondeo, quod quomodo professi sint Apostoli, nescio, nisi vt veri mendicantes, & omnium mendicantium Patres & prædecessores. vbi dico, quod distinguendum primum, quod Apostoli fuerunt mendicantes, & hoc, quia tanta paupertas fuit eis præcepta, quod sine pera & aliis incederent, præsertim post Christi ascensionem in prædicationis officio discurrendo inter æmulos, & planum est, quod imperiose non poterant præcipere, vt darentur eis necessaria, ergo tunc saltem æstimo, quod necessaria victus humiliter mendicabãt. Vnde ad idem multa alia adducit Augustinus de Ancona, de Ecclesiastica potestate q 89. art. 4. vnde Theoph. Luc. 10. super illo verbo: *In eadem domo manente edentes quæ apud eos sunt*, dicit, *vide ergo qualiter discipulos mendicare instituit, & pro pretio eos habere nutrimentum voluit*, imo dicit, *adeo mendicos mittit, quod neque peram ipsos vult portare, neque aliquid quibus indigerent*, secundum quod Apostoli se voto Religionis consilia quædam astrinxerunt. dicit enim B. Augustinus de ciuitate Dei: *Dixerant potentes illi, scilicet Apostoli, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? hoc votum potentissimi vouerant; sed vnde hoc eis vouerunt, nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est: Dans votum vouenti.* hæc ille. Idem B. Hieronymus contra Iouinianum, dicit Apostolos vouisse perpetuam cõtinentiam, eo quod Dominus meus eis diceret: *Amen dico vobis, quicunque domum, aut agrum, aut vxorem, &c.* dicit etiam de voto Apostolorum clarius, Augustinus de Ancona q. 90. artic. 4. & q. 84 art. 1.

Aug. de An con. de potest. Eccl. q. 89. ar. 4. Theop. in 10. cap. Luc. Aug. de ciu Dei, li. 17. c. 4. Hier. con. Iouin. ep. 50. ad Pam mach. c. 8. & li. 15. in Esa. 50. Aug. de An cona, de po test. Eccl. q. 90. art. 4. CCCXIX. Responsio ad sophismata seu argumenta aduersa vii 4. 1.

Restat nunc respondere ad sophismata, quæ pro se induxit. Ad Armachanum dico, quod in nullo obligat ad sibi credendum, quia suspectus est in multis dictis suis. Dico secundo, quod ipse loquitur satis caute, quia dicit, quod discipuli Domini non poterant transgredi consilia Christi sine veniali delicto. De aliis dicit, *Sancti Patres non sanxerunt, vt semper seruarentur consilia in facto, sed in prompto animo, vt cum expedire videbitur, seruetur in facto.* Et Armachanus secundo adducit sanctum Thomam, de quo miror cum nihil faciat ad propositum, nec loquitur ibi verbum de consiliis. Tunc facit rationes quatuor. Prima est hæc: *Omne consilium Christi obseruatum affert præmium, non obseruatum, affert damnum.* Probat per sanctum Thomam 4. de veritate sacræ Theologiæ, libro quarto dicente: *Consilium affert præmium, non seruatum vero adducit supplicium.* Respondeo negando consequentiam, ad obligationem dico, quod liber non est sancti Thomæ, sed vt creditur, Vlrici de Argentina, & notate quæso, quam periculose iste allegat Doctores, quia omnino non habetur ibi, quod iste dicit, sc. *Consilium obseruatum præmium affert, præceptum si non seruatur, adducit supplicium.* hæc ille. Alibi sic: *consilium seruatum affert præmium, non seruatum non affert supplicium.* & sic est pro me.

In comp. Theol. lib. 5. c. 68. 2.

Secundo sic arguit: *Omne illud quod obligat ad reddendum rationem in die iudicii, obligat sub aliqua pœna. Sed aliquod consilium Christi est huiusmodi*: puta consilium de compescentia verborum otiosorum, vt dicit, quod S. Thomas in libro prædicto ca. 70. dicit, illud esse consilium, dicens sic: quod septimum consilium est compescentia verborũ otiosorum. Dico quod compescentia verborum otiosorum non est consilium, nec est præceptum, sed est mandatum, cuius transgressio est peccatum veniale, sicuti præcepti transgressio est peccatum mortale. Ad auctoritatem dico, quod iterum male imponit. Non enim dicit Doctor, septimum consilium esse illam compescentiam verborum otiosorum. Sed dicit sic: *Septimum consilium est de simplicitate verborum*, vt ibi, *sit sermo vester est, est, non, non*, cuius sensus est, si affirmatio vel negatio est in ore, sic etiam in corde, & loquitur consequenter de non iurare omnino. & non dicit verbum de compescentia illa. Et supra modum miror, quod audetis ita libros false allegare, peruertere, & truncare. vtique falsarius monetæ comburendus est, multo magis falsarius sacræ scripturæ; sed vos habetis saluum conductum, & sic proficiat vobis.

3.

Tertio arguit sic: Quicquid est Christiano pura iustitia seruandum, est sub aliqua pœna: sed consilia sunt huiusmodi, igitur, &c. Nego Minorem, quia pura iustitia dicit debitum, quod rigor iustitiæ requirit sub aliqua pœna. sed consilia vt consilia sunt, à Christo non sunt, sic de rigore iustitiæ promulgata, quod si Christianus ea non seruauerit, aliquam pœnam incurrat, vt dictum est, & quando probat, dicens, quod Christus non potest nisi puram iustitiam consulere Christiano, nego illam: nam Christus & de facto consuluit opera supererogationis, & illa non sunt puræ iustitiæ, vt dictum est, ergo, &c.

Quarto sic arguit sic: Omnis Christianus debet Deo amplius seruire atque perfectius, quam facit de facto, & potest consulere perfectius seruitium, ergo, &c. Distinguo Maiorem, quia est duplex debitum, scilicet necessitatis, & supererogationis. Loquendo de debito necessitatis, quod obligat ipsum ad culpam, ego nego, quia debito necessitatis multi facerent tantum, quantum obligantur; debito perfectionis nemo astringitur, nisi qui voto obligatur. vnde dicit S. Thomas 2.2.q.186.art.2.ad 2. *Sicut diligere Deum ex toto corde tenenitur omnes, est tamen aliqua perfectionis totalitas quæ sine peccato prætermitti non potest, aliqua autem quæ sine peccato prætermittitur, dum tamen desit contemptus. Ita etiam omnes tam Religiosi, quam seculares tenentur aliqualiter facere, quidquid operari boni possunt; omnibus enim communiter dicitur* Eccl. 19. *Quidquid potest manus tua instanter operare. Est tamen aliqui modus huius præcepti implendi, quo peccatum vitatur, si scilicet homo faciat quod potest, secundum quod requirit conditio sui status, dummodo contemptus non adsit agendi meliora, per quem animus firmatur contra profectum spiritualem.* hæc ille.

Tho. 2.2.q. 186. art. 2. ad 2. Eccles. 19.

Et quia conclusionem meam principalem probaui secũdum formam iudicis condicti, ipse Replicans volens apparere, quasi aliquid corraserit circa meas auctoritates, quas ũ nullam repeto solutam: I. sic argui ex lege æterna, prædonabo pertria inconuenientia, quæ sequerentur ex deordinatione illa, qua quilibet Sacerdos, vel diaconus prædicaret. Primum erat, quia perturbarẽt hierarchicum ordinem tam diuinitus regulatum, quia nec de primo gradu illuminatorum, scil. Papæ, ne de 2. qui sunt Episcopi, nec de 3. qui sunt plebani existentes, officium cuiuslibet vsurparent. 3. fuit, ꝙ si liceret eis vbiq; prædicare, eadem ratione & confessiones audire, Sacramenta ministrare, quemlibet Episcopum vbique consecrare, & sic nulla est iurisdictio in Ecclesia. Ad has nihil respondit, & ideo stant in suo robore. 2. fuit hæc, quia tales volentes vbique prædicare, causarent turbationem si venirent simul tres, quatuor, vel duodecim ad eandem Ecclesiam, quilibet vellet prædicare, nullus vellet alteri cedere. Respondit, quod adhuc non vidit horrorem, sed hæc nõ soluunt, quia non argui, quid vos videritis, vel non videritis, sed quod ita fieri sit possibile. Et dicit aduersarius, si 6. vel 8. fratres de ordine mendicantium possunt se compati in casu simili, cur non Sacerdotes Domini? Respondeo id quod ideo primi se compatiuntur, & non secundi, quia Religiosi non dicunt nec credunt, se obligari ad prædicandũ ex præcepto Domini. Et insuper nullo modo prædicare attentant sine beneuolo consensu Prælati & etiam plebani. Sed 3. quia ipsi habent ordinem in prædicãdo, distribuendo dies, & vna deputatur Prædicatoribus, alia Minoribus, alia Augustinensibus, & cæteris. Tales autem rationes non sunt inter presbyteros & diaconos ac clericos illos, quia illi dicirent se ex præcepto Christi prædicare debere, nec obedire prohibenti, cum magis oporteat Deo quam hominibus placere.

CCCXX. Continuat confutationem replicarum oppo nentis. Sup. prob. art. 1. confid. 4. Sup. ibid. arg. 3.

benti,

Sup. prob. art. 2.

Reprobaui per Hieremiam, qui erat Sacerdos in vtero matris sanctificatus, & tamen mandatus à Domino, adhuc se excusauit. Respondit aduersarius, dicens: *Nihil aliud video, nisi quod cum magno timore debeat Sacerdos officium prædicationis à Deo etiam oblatum, acceptare.* Sed hoc non soluit argumentum meum, quia non argui iuxta vestrum videre, sed quod videre debeatis, ostendi vobis per illud, quod ibi vobis dicit S. Th. de omnibus presbyteris & alijs: *non missi sunt audiendi propter præsumptam auctoritatem.* Ad hoc nihil respondet.

Supra 3. prob. art. Matth. 9. Luc. 10. Dist. 21. in nouo, 6. 2.

Tertio argui ex lege Euangelica: postquam Saluator misit discipulos, dicens: *Rogate Dominum messis, vt mittat operarios.* vbi dixi ex Archidiacono, quod ideo vult rogari, vt ostendat, quod omnis prædicans à superiori suam debet admissionem suscipere. In nouo. *distinct.* 21. Respondet ad hoc, *superius satis est dictum.* Rogo vbi? non reperio superius nec inferius satis esse dictum, per quod solutum est tam fundamentale argumentum.

Supr. ibid. arg. 2.

Quarto argui de Ioanne Baptista Sacerdote sanctissimo, qui non prædicat, nisi de nouo auctorizatus, dum factum est verbum Dei super eum in deserto, dicit: *Verum est, nullus debet fungere nisi missus à Deo per internam inspirationem, vel per hominis auctorizationem.* Quero à vobis, an vos istis missi aliquo istorum modorum? non secundo modo, quia non ostenditis per canonica monumenta, nec primo modo, quia non apportatis diuini instinctus signa, quæ expressi per longum processum superius, ergo &c. Iterum ex responso argui sic: Nullus ad prædicandum debet se ingerere, nisi missus à Deo per internam inspirationem, vel per hominis auctorizationem, sed multi diaconi & presbyteri sunt, qui non mittuntur, & forte nunquam mittentur, nec vos ipsi, per Dei inspirationem, aut hominis auctorizationem. Ergo talibus nunquam licebit se ingerere ad prædicandum, tamen est eis præceptum à Domino secundum vos, ergo tales non faciendo præceptum Domini damnabuntur. conformiter secundum vos, Sacerdotes & Diaconi debent prædicare, quia est præceptum Domini, & quia illam potestatem acceperunt in sua consecratione, ergo ad hoc, quod prædicent, nec indigent diuina inspiratione, nec hominis auctorizatione. Ergo defecistis in illa responsione.

Supr. loco cit. arg. 2.

Quinto argui ex scriptura canonica, 1. Timoth. 2. *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* dicit: *Concedo, quod prædicatio commendata est his, qui idonei sunt, nec alias essent ad Sacerdotium admittendi.* Dico, quod argumentum meum non est solutum, quia multi admittuntur ad Sacerdotium rite & legitime, qui non sunt apti ad prædicandum, s. in his tribus, v. t., scientia & facundia. Vtam omnes debent habere bonam. Quo ad scientiam, declarat diffuse, quia multi sancti Patres Sacerdotes fuerunt, qui prædicare nescierunt, & quod minor scientia requiritur in his, qui ordinantur extra curam, quam in illis, qui ad curam animarum applicantur. Quo ad facundiam, certum est, multi sunt pertitissimi viri, qui non sunt facundi ad prædicandum, absit, quod illi deberent omnes à Sacerdotio excludi. Sic enim B. Valerius fuit Episcopus Hipponensis, & nihil ominus tantæ impeditionis linguæ, quod B. Vincentio prædicationem verbi Dei commisit, nec per se prædicauit.

CCCXXI. Supr. prob.

Sexto argui de beato Paulo, qui 2. Cor. 10. de seipso dicit: *Non enim gloriabuntur in immensum, neque superextendimus nos in Euangelio Christi.* Ad hoc nihil respondit, nisi quod glossauit illum textum, per longum, & tamen finaliter stat istud argumentum: Apostolus fuit Sacerdos, & cum hoc generaliter & specialiter missus, & noluit tamen se superextendere, & hoc est quod dicit Glossa, *Non enim gloriabimur in immensum: id est vltra mensuram nostram, quod illi faciunt, qui vsurpando sibi curam non commissam gloriantur vltra mensuram*, nec iuuat, quod dicit de Lyra ita recipiendum, quod Apostolus per verba intendit se non esse comparandum pseudoapostolis, quia de Lyra sic exponit, vt ego sic in scriptis tradidi. Similiter Innocentius III. & glossa ordinaria, dicens: *Superextendere est vltra quam concedatur extendere.* Et sic patet, quod nulli licet se in officio prædicationis superextendere. Ergo non potest quilibet vbiq; prædicare libere.

Septimo argui de praxi Christi, qui cum esset Pontifex & Sacerdos, noluit tamen prædicare nisi in 30. anno, & nisi prius auctorizatus voce Patris & Spiritus sancti visibili susceptione. Respondit, *quod ex isto non video aliud, quam quod Sacerdos sit maturæ ætatis, & Spiritu S. instigatus ad prædicandum*, certum dixi, & dico quod illud videre debueratis, sc. quod ista duo non faciunt ad prædicandum, quia matura ætas annorum multis adest, quibus scientia, facundia & vita deest. instinctus Spiritus sancti incertus est, nisi assumit signa, per quæ Spiritus sancti approbetur præsentia. Ego autem hic alia video. Primum est, quod prædicator verbi Dei debet esse maturæ ætatis, secundum quod licet sit diuinitus inspiratus, & actu Sacerdos, sicut Christus fuit Spiritu S. repletus. Adhuc non debet prædicationis officium assumere, nisi auctorizetur & mittatur à superiori. Ideo Christus licet esset Sacerdos sanctissimus, non tamen incepit officium prædicationis, nisi à Patre & Spiritu S. sensibiliter auctorizatus. Et si quis diceret se adeo auctorizatum, probet per Scripturam, vt Christus Ioan. 5. dicens: *Scrutamini scripturas, illa testimonium perhibent de me*, aut per miraculum, vt Christus Ioan. 10. *Si mihi non creditis, operibus credite.* Insuper quæro, an Christus peccauit non prædicando ante 30. annum, an non? si non, ergo non fuit sibi præceptum, nec per consequens alijs: si sic, ergo non fuit Deus, cum Deus peccare non possit. Ideo sciendum, quod est triplex ætas in homine consideranda, vna respectu ætatis, siue annositatis, sicut notum est omnib. Et quantum ad hanc, expedit & decet, vt cui ex officio incumbit ante ætatem maturam non præsumat publice prædicare, exemplo Christi, prout in articulo deductum est. Sed ista ad prædicandum non sufficit. Vnde secunda est senectus vel ætas respectu conuersionis alicuius, & ita dicuntur iuuenes vel nouitij, qui licet sint annosi, sunt tamen à seculo recenter conuersi, sicut quondam dicebantur neophyti, qui ad fidem nouiter confluxerant. Senes vero, qui diutius conuersi, vel longius in spirituali vita conuersati. Et similiter hoc modo, si iuuenes vel neophyti non debent prædicare, multo minus qui errorib. obstinati nondum à cognitione veræ fidei sunt reducti. Vnde Apostolus prohibet neophytum ordinari, & Moyses prohibet arare in primogenitis boum, & tondere primogenitum ouium, de quibus Apost. ad Heb. 5. *Etenim cum deberetis Magistri esse propter tempus, rursus indigetis vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis quibus lac opus sit.* Est ergo tertia senectus, sc. interioris hominis confirmatio & stabilitio in bono, iuxta ordinem hierarchicæ dispositionis, quæ sola sufficit ad officiũ prædicationis, & hanc docuit in prætacta praxi Dominus noster Iesus Christus. Vnde Beatus Bernardus super illo Luc. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*, dicit sic, *quamdiu virtus & Dei sapientia, quasi infirmus aliquis aut incipiens lates in populo? quamdiu nobilis rex, & rex cœli, fabri filium te pateris & appellari pariter, & putaris. Etenim Lucas testatur, quoniam adhuc filius Ioseph putabaris. O humilitas, virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis? parum aliquid scio, vel magis mihi scire videor, & iam silere non possum, impudenter me, & imprudenter me ingerens & ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum & Christus cum tanto tempore silebas, cum seipsum abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris vtiq; timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus nouerat esse timendum, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere, & quod post docuit verbo, iam clamauit exemplo, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* hæc ille. & ne quilibet se ad talem senectutem statim ingerat, sed electionem seu approbationem prælati expectet; Ideo B. Ambros. super Psalmo: *Beati immaculati*, super versu: *in quo corrigit adolescentior viam suam*, pertractans multa quæ ad præsentem senectutem requiruntur, dicit etiam illud quod dixit ad Moysem, vt sibi seniores eligeret, quos ipse nosceret esse seniores. *Et nunc, inquit, quibus hoc Spiritu Dei committitur officij, vt eligant seniores viros, eligunt sine dubio inter seniores iuuenem corrigentem viam in cassed a verbo Dei.* hæc ille. Ista sunt & similia, quæ docet nos praxis Christi, illo non obstante, quod Dominus Replicans dicit, se nihil aliud videre, quam sua dicta.

CCCXXII. supr. loco cit. arg. 2.

Ad octauum, vbi Dominus dixit Matth. 15. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel*, non dicit missi ex Lyra, quod egomet dixi, scil. personaliter prædicando Iudæis, tunc Christus fuit Sacerdos summus, & tamen negat super totum mundum personaliter missum. Ergo neq; diaconus

art. 4. in 2 deductione conclus.

Qualis esse debeat prædicator verbi Dei.

Ioan 5. Ioan. 10.

Senectus triplex. 1.

2.

Matth. 11.

Amb. Psal. 118. to. 4.

Deut. 15. Hebr. 5.

3.

Bern. ser. 1. de epiphania, nõ procul à fin. Luc. 3.

neque simplex Sacerdos debet se putare vbique missum, ita quod libere liberetur vbique seminare Dei verbum, cum omnis Christi actio nostra sit instructio. Item vbi diaconus vel Sacerdos habet libertatem prædicandi, ibi habet præceptum prædicandi, secundum vos, sed habet libertatem vbique. ergo habet præceptum.

Supr. loco cit. de praxi Christi in suos Apostolis. Lyra in 20. c. Ioan. S.Th. ibi.

Ad nonum, vbi argui, quod Saluator noster consecrauit Apostolos suos in presbyteros in cœna, & post hoc scil. in die suæ gloriosissimæ resurrectionis dedit Apostolis auctoritatem prædicandi, dicens: *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.* ergo auctoritate consecrationis sacerdotalis illam non habebant, dicit ex Lyra, mitto, id est, mittam, salua reuerentia Lyræ, secundum sententiam S. Thom. tunc missit actu eos, quia dicit sic: quod ibi Dominus Apostolis iniungit Apostolicum officium. Apostolus enim idem est quod missus, dicens: *S cut misit me Pater, & ego mitto vos.* cui alludit B. Gregorius, dicens ibidem, *id est, ea charitate, qua me Pater diligit, & ego vos dilgo, cum inter scandala persecutorum vos mitto, qua me non nisi pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.* & B. Augustinus: *Æqualem autem Patri Filium nouimus. Sed hoc verbum Mediatoris agnoscimus, medium quippe se ostendit, dicendo: Ille me, & ego vos.* quibus concordat doctor Gorra, dicens, *id est, sicut ego à me ipso non veni, sed missus sum, sic ego mitto vos, dans vobis auctoritatem. Vnde ad Roman. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Et Isai. in capite 6. petuit hanc auctoritatem, dicens: Ecce ego mitte me. Econtra de malis Prophetis Hierem. 23. Currebant, & ego non mittebam, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* hæc ille. Ecce quot Doctores concurrunt ad sententiam meam, scil. quod in die Paschæ per illa verba, dedit eis potestatem prædicandi, ergo non habebant eam prius, per consecrationem sacerdotalem in cœna præcedenti factam. Et dicit Dominus Replicans, istud non esse factum in die Paschæ, textus dicit, quod factum est ipso die resurrectionis, licet sero esset, & fores fuissent clausæ. Nescio quid hoc intendit, nisi quod textum male intelligit, qui dicit, *ipso die resurrectionis erant discipuli simul in vnum congregati propter metum Iudæorum, & cum esset sero, & fores essent clausæ, venit Iesus & stetit in medio eorum, dicens: Pax vobis, & ostendit eis manus, & pedes:* Ex quo patet, quod adhuc dies erat, quia non legitur, quod luminaria accendissent, vt manus & pedes eius viderent. *& tunc iterum ait illis: Pax vobis, sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.* hæc ibi, &c.

Supr. loco cit. arg. 2. Luc. 24.

Ad decimum, vbi ex illo Luc. vlt. *Ecce ego mitto promissum Patris in vos, vos autem sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* dicit hoc esse contra me, quia dixi eos esse missos in die ascensionis, & tamen secundum eum non esset contra me, quia ipse exponit ex Lyra, *Ecce ego mitto,* id est, mittam. & nescio quid velit per hoc. Nam verum dixi, quod in die ascensionis sint missi, & tamen prohibiti ad certos dies, vt quiescerent, donec virtute ex alto induerentur. Vnde dico, quod sancti Apostoli tribus vicibus ad prædicandum leguntur missi. Primo, antequam essent Sacerdotes, vt in sola Iudæa prædicarent. Secundo, in die Paschæ, scilicet resurrectionis Dominicæ, quando iam ante triduum fuerunt consecrati in Sacerdotes, tunc fuit eis commissa prædicandi potestas, & quasi quædam declaratio per Christum facta, quod aliqui essent venturi, qui absque commissione legitima vsurparent sibi prædicationem verbi, ratione gradus sacerdotij, ostendens, hoc non esse verum, sed supra Sacerdotium requiri specialem missionem, ideo iterum misit eos, dicens: *Sicut misit me viuens Pater, &c.* Et quia adhuc poterant esse dubij, vbi deberent prædicare, quia in prima missione prohibuit, ne alibi quam in sola Iudæa prædicarent. Ideo tertio misit eos declarando, quod non in sola Iudæa, sed in toto orbe esset Euangelium publicandum per eos, dicens in hora ascensionis: *Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Tribus vicibus Apostoli ad prædicandum missi.

CCCXXIII *Sup. prob. in prob. 3. ex praxi Apostolorum.*

Ad vndecimum de praxi Apostolorum adduxi ad speciales praxes, 1. Petri, 2. Pauli, 3. Timothei 4. Marci. Ad omnia hæc nihil respondit, & optime fecit, quia in veritate euadere potuit. quin concedere conclusionem per me intentam oportuit, prout praxes illæ clarissime adducunt. Quo ad praxin generalem Apostolorum, vbi honori beati Petri detraxit. Timeo & certifico eum, quod si non resipiscat, Petrus clancs continebit, nec sibi ianuam regni aperiet. dixit enim primo, quod non habetur ex scriptura canonica, Petrum fuisse summum Pontificem à Christo institutum, cuius contrarium latissime est heri deductum. dixit secundo quod ego addidi proprio, li. *soli*, dicens: *Soli Petro dictum est, pasce oues meas, tibi dabo claues,* ego dico verum est, quod Euangelistæ addunt, *soli*, primum verbum soli Petro dictum est, secundum sibi soli excellenter; Quo ad illud, *pasce oues meas,* dicit Sanctus Thomas, quod hoc Petro in tanta singularitate conuenit, quod Christianus dici non potest, qui se ad obedientiam summi Pontificis subtrahit. Quo ad 2. dicit Rabanus, *quia enim regem cœlorum maiori deuotione præ cæteris confessus est, merito præ cæteris, collatis claubus regni cœlestis donatus est.* Et valde notandum quod dicit Origenes, quod Petro dicit Dominus: *Quodcunq; solueris super terram, erit & solutum in cœlo.* sed omnibus dicit: *Quodcunq; solueritis super terrã, erit & solutum in cœlo. Ad signandum,* inquit, *primatum & principatum in Petro super omnes.* Petrum etiam omnibus præfecit, dum ait, *pasce oues meas,* ait B. Aug. de quæst. veteris & noui testamenti, q. 20. cap. 17. videte iam, an sine causa addiderim, soli, licet non sit verbum textus.

Thomas. Rabanus. S. Thomas in cit. Origen. Matth. 16. Aug. in q. noui test. cap. 57.

Ad duodecimum, vbi argui de praxi septuaginta duorum discipulorum, nihil ad propositum respondit mihi, quia exponit illum textum, *Rogate Dominum messis,* totaliter de missione facta per Christum personaliter in principio vocationis septuaginta duorum discipulorum, quod ego non nego. sed argumentum meum istud fuit in sententia. Licet septuaginta duo à Christo missi fuerunt ante eius passionem, tamen post eius gloriosissimam ascensionem nullibi prædicabant, nisi quo eos Apostoli miserunt, ergo quantum ex praxi illa, nullus nostrum habet facultatem alicubi prædicandi, nisi vbi mittitur auctoritate Apostolorum, id est, prælatorum Ecclesiæ. Antecedens probaui ex c. in nouo. quod Apostoli videntes messem multam, & operarios paucos, *rogauerunt Dominum messis.* & sequitur: *& ipsi elegerunt septuaginta duo, & miserunt eos ad prædicandum.* hæc ibi. Confirmaui ex Eusebio. Ista ergo ratio stet in alto. Quæritur vbi septuaginta duo facti sunt sacerdotes? Respondeo cum Petro de Palude, quod hoc in scripturis canonicis non reperitur, nisi quod septem facti sunt Diaconi, & Matthias in locum Iudæ successit, & similia, &c.

Supra in 3 prob. conclusionis ex praxi Apost. circa finem. Matth. 9. Dist. 21. in nouo, c. 2. Luc. 10.

Ad tredecimum de praxi primitiuæ Ecclesiæ simpliciter nihil respondit, & optime tacuit, quia in veritate euadere non potuit. Ostendi enim quod primus Papa post Petrum beatus Clemens, prohibet omnibus Sacerdotibus ne quid quam agere audeant in cuiuscunque presbyteri parochia absque plebani consensu. Et beatus Dionysius attribuit prædicationem Episcopo proprie & antonomastice distinguens tres actus hierarchicos, secundum tres gradus Ecclesiasticos, sc. purgare diacono per exorcisationem: illuminare presbyteto, per baptizationem: perficere Episcopo, per confirmationem & prædicationem, iuxta declarationem per me nuper factam.

Sup. in pro bat. 4. con clu. de praxi primit. Eccl.

Progrediendo ad auctoritates sanctorum Doctorum, respondit tantum ad tres, cum ego adduxissem octo. Primo ad Ambrosium, qui dicit in sententia cætera. *Rectores & cætera officia distincta sunt, ne si vnus posset omnia, vilescerent singula.* Respondit, quod hoc ideo est, quia aliud officium presbyteri, aliud diaconi; sed hic nihil est ad mentem Ambrosij, quia litera loquitur de prædicatione & baptizatione, quę fuerunt, dicit, singulis concessæ in principio, sed fundata Ecclesia dicit, si nunc vnus singula faceret, omnia vilescerent.

CCCXXIV *Sup. prob. 6. conclus. ex doctrina Doct.*

Ad auctoritatem Gregorij in c. scriptum est 6. quæst. 3. allegat gloss. & non sine vsura comportauit eam, non enim habet gloss quæ proprie dicitur gloss decreti, seu apparatus Ioan. nisi quod Episcopus in aliena diœcesi publice prædicare, tanquam ius habens in populis illis, nõ potest, sed pertranseundo sine solemnitate potest eos monere bonum, sicut & monachus & quilibet alius, secundum quosdam tamen potest prædicare, non tamen concitando turbam. 15. d. Et nota quod ipse ibi interposuit, & addidit etiam solenniter, vt hic, tamen non concitando turbas. 16. q. 3. placuit, littera, *solenniter*, non habetur in gloss, imo gloss. habet: *sine solemnitate potest eos monere.*

Sup. loco citato. Dist. 19. secundum. c. 7. 16. q. 3. placuit, cap. 55.

Ad tertiam, quæ est beati Bernardi, dicentis: *Monacho neophyto, & non misso, non licet prædicare.* Respondit: *Concedo, quod*

Supra loco citato.

non

non misso, non licet prædicare, nisi ex speciali missione, sed multi monachi sunt Diaconi & Presbyteri ergo non licet Diacono & presbytero prædicare absq; speciali missione. Ex concesso sic. Non misso prædicare non licet, sed nulli diaconi vel presbyteri nisi curati, sunt missi, sicut & aliqui Religiosi. Ergo nullis talibus nisi curatis licet prædicare absq; noua missione. Sed dicis, quod omnes Presbyteri & Diaconi sunt missi. Quero à quo? aut à Deo, aut ab homine. Si à Deo, oportet hoc probare, siue fiat illa missio per reuelationem manifestam, siue per inspirationem occultam. Sic enim docet B. Iohannes: *Probate spiritus an ex Deo sint, & nolite omni spiritui credere:* Sic etiam quilibet posset dici, etiam hæreticus, laicus, vel mulier, quod fuit missi à Deo, si ab homine, oportet quod ille sit prælatus Ecclesiæ illius, vbi prædicare intendis, cum nullus Vngarus habeat licentiare ad prædicandum in Anglia, nec econuerso, sed tantum sunt duo genera prælatorum, qui possunt dare licentiam prædicandi alijs, sc. Papa & Episcopus loci illius, vbi prędicare intendis. Nam plebanus nõ potest licentiare ad prædicandum in sua parochia generaliter, nisi tantum approbatos viros, s. sacræ Theologiæ professores, & similes, vt dicunt Franciscus Zabarella, Henr. Voyt, & multi iuristæ, c. cum ex iniun. de hær. ergo sine licentia Papæ vel Episcopi loci tales dicuntur non missi, nec habent posse prædicare verbum Dei. hæcibi.

Iohn. 4. 1.

CCCXXV. *Supr. in 5. prob. conclus. ex Cõcilio antiquis.*

Hinc respondet ad Concilia generalia, quę adduxi, & primo ad c. cum ex iniuncto. dicit concludendo sic: *Patet clare ex prædictis, quod sicut non est causa sufficiens ad probandum, quod ille Sacerdos vel Diaconus ad prædicandum à Deo est missus, quia facit miracula, sed conferri veritatem facere iustitiam, mundum contemnere, gloriam spernere, opprobria sustinere humiliter. Sacerdoti & Diacono cestimonium est sufficiens, vt habens legis Dei notitiam, prædicare libere Iesu Christi Euangelium, quia sic est à Deo missus, & illa est missio, de qua ad Rom. 10. quomodo prædicabunt nisi mittantur?* hæc ille. Ecce iam palam locutus est, & erroris sui totum spiritũ euomuit, & quod vsq; huc semper palliauit, nunc detexit, dixit enim: *Oportet prædicantem esse missum.* Sed iam auditis quod dicit: *Sufficit ostensio bonorum operum ad illius missionis efficaciam, nec alia missio Prælati requiritur.* Sic enim exponit Apostolum, vt auditis. Sed instio. Contra istam conclusionem bimembrem pono duplicem conclusionem: Prima est contra primam partem, secunda contra secundam partem; prima est ista. *Causa sufficiens ad probandum quod ille Diaconus vel Sacerdos est missus à Deo ad prædicandum, qui facit miracula.* probatur multipliciter: primo sic. Illa est causa sufficiens se ad probandum à Deo missum, quam Dominus dedit Moysi quærenti: *quod signum ostendis mihi, vt si dixerint Pharao aut filij Israel, non misit te Dominus,* alias Dominꝰ insufficienter misisset Moysen, si causa probationis fuit insufficiens. Sed Dominus non ostendit sibi aliam causam, ob quam tenerentur Pharao & filij Israel sibi credere ipsum à Deo missum, quam virtutem miraculorum, conuertendo virgam in colubrum, & econuerso. Ergo ista est adhuc sufficientissima ad probandum se missum à Deo ad prædicandum, facere miracula. 2. sic: Illa est ad eundem finẽ causa sufficiens, quam Dominus assignauit suis discipulis ad confirmationẽ suæ prædicationis, quia non misit eos insufficienter. Sed ipse Dominus non dedit aliã causam discipulis, dum irent ad prędicandum, cur vbiq; admitti deberent, nisi quia miracula facerent, vnde illos mittens ad prædicandum ait, *infirmos curate, leprosos mundate, dæmonia eiicite,* Matth. & Luc. 10. ergo facere miracula est illius probationis causa sufficiens. 3. ti. illa causa est sufficiens, quam Dominus in sua praxi assignauit ludęis ad probandum veritatem suę missionis, quia ipse omnia bene facit. Sed ipse assignauit eis illam causam, sc. operationem miraculorum suorum, dicens: *Si mihi non creditis, operibus credite. Et si opera non feci sicut alius, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioan. 10. quæ de operibus miraculorum, expresse exponit Sanctus Thomas. De Lyra, & alij. Ergo facere miracula est sufficiens causa ad probandum, se missum à Deo ad prædicandum. Quarto sic: Illa est sufficiens causa, qua beatus Paulus probauit, se & Petrum à Deo missos ad prædicandum. Sed hoc virtute miraculorum. Ergo &c. Maior patet ad Galat. 2. vbi dicit, *qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.* vbi dicit sanctus Thomas. *Sed posse aliquis dicere Paulo: vnde constat nobis, quod tibi sit commissum Euangelium à Deo inter gentes? Respondit Paulus, per operationem Christi in me. Sicut enim patet, quod Petrus accepit Euangelium à Christo, propter miracula, quæ fecit Christus per eum. Ita patet, quod ego fuisse Paulus ab ipso Christo accepi etiam propter miracula, qua operatus est in me,* hæc ille. Vnde & idem probat summ Apostolatum, dicens: *Signa Apostolatus mei facta sunt inter vos, in omni patientia, in signis & prodigijs, & virtutibus,* hoc est, *patientia in moribus, & prodigia in signis.* prout exponit Beatus Hieronymus. Similem sententiam posui prius. Sed nil mihi est responsum ad illa & bene, quia concludunt necessario, nedum quod facere miracula sit sufficiens causa, sed quod illa sint necessaria, nisi adducatur testimonium ex scriptura. Et hoc vult c. *cum ex iniuncto, de hæret.* vt patet intuenti. Sed contra hoc auisat dominus opponens, dicens, quod in fine mundi discipuli Antichristi magis quam Christiani miracula facient, prout *Matth. 24.* patet. Respondeo, quod mirabilia, quæ fient tempore Antichristi, sunt respuenda, quia non sunt vera miracula, & cum hoc iam ex scriptura canonica auisata est Ecclesia, quod non sunt miracula vera, vnde nec Christus, nec Apostolus vocat opera Antichristi miracula, sed signa & prodigia, vnde dicit *ad Thessal. 2.* quod aduentus Antichristi erit secundum operationem sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, vnde dicit S. Thomas 2. 2. *quæst. 178.* ex beato Augustino 2. *de ciuitate Dei,* quod illa signa mendacij dicuntur signa vera, quia faciunt veras res, sicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas, & serpentes veros, non autem habebunt rationem veri miraculi, quia fient virtute dæmonum & naturalium causarum ad hominum deceptionem, sed operatio miraculorum, quæ attribuitur gratiæ gratis datæ, fit in virtute diuina ad hominum vtilitatem. Secundo arguit sic: *mali faciunt miracula, 1. q. 1. Teneamus. Ego facere miracula non est sufficiens causa* Respondeo, quod duplices sunt mali, aut qui male viuunt, aut qui male docent. Dico ergo cum S. Thoma vbi prius, articulo secundo ad tertium argumentum, quod miracula semper sunt vera testimonia eius, propter quod fiunt, vnde sicut hi, qui male viuunt, nunquam faciunt miracula in testimonium suæ sanctitatis, sed si quandoque Deus miracula per eos fecit, est in testimonium virtutis diuini nominis quod inuocant, aut testimonium virtutis Sacramentorum, quæ applicant seu exhibent ita qui falsa docent, nunquam possunt facere miracula, in testimonium veritatis illius falsæ doctrinæ: secus si quis etiam male viuat, & bene doceat, talis enim sæpe miracula facit, non in testimonium suæ sanctitatis, quam non habet, sed in testimonium suæ veræ doctrinæ, quam docet, & hoc tam clare docet Dominus Marci 9. vbi postquam discipuli, *Domine, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum,* ait Dominus illis, *nolite prohibere eum,* & subdit tamen dicens: *Nemo est qui faciet virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me.*

2. Cor. 12. Hæret. Matth. 24. Antichristi opera non erunt vera miracula. 2. Thess. 2. Tho. 22. q. 178. art. 1. ad 2. Aug. 2. de ciuit. Dei, c. 19. Miracula fiunt virtute diuina. 1. q. 1. Teneamus, c. 56. Aug. tract. 13. ad 3. 6. 10. S. Th. 2. 2. q. 178. art. 2. ad 3. Mali esse quandoq; miracula facturi. Marc. 9.

1. *Sufficiunt miracula ad probandam missionem extraordinariam.*

2.

Matth. Luc. 10. 3. Ioan. 10. 14. 15.

4.

Tho. ibid.

Contra secundam partem suæ conclusionis sic ista propositio, *sicut causa sufficiens est facere miracula ad probandum se missum à Deo ad prædicandum, ita non sufficit facere quæcunque perfectionis & sanctitatis opera ad sufficienter se probandum missum à Deo ad prædicandum, hoc addito, nisi adducat specialem de se scripturam facta testimonium.* Probatur dupliciter, primo modo sic, quia talia opera sunt sæpe apparentia extrinsecus, & non existentia intrinsecus, sicut Dominus ait hypocritis Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* & pseudoapostolos se in Apostolos Christi transformant, sicut Angelus Sathanæ in Angelum lucis. 2. *Cor.* 11. ideo Dominus admonet nos, dicens: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. & hoc quia licet Dominus noster esset sanctissimus in omni operatione sanctitatis, docuit tamen non sufficere illa opera ad hoc, vt ludęi crederent eum missum à Deo eis in legislatorem, sed direxit eos, super & præter omnia opera suæ sanctitatis, ad opera miraculorum, dicens: *si mihi non creditis, operibus credite,* vt dictum est. Similiter & Apostoli erant sanctissimorum operum, & tamen probant suam missionem per miracula. Sed contra hoc adducit dominus Replicans auctoritates dicens, quod probatio sanctitatis non est signus

CCCXXVI *Non sufficit facere quæcunq; perfectionis opera ad sufficienter probandũ se missum à Deo ad prædicandum. 2. Cor. 11. Matth. 7.*

facere

facere, sed iuste viuere, & sic de singulis. Ad ea simul respondeo, quo auctoritates sicut stant, verissime sunt. Ego enim concedo, quod facere miracula non est semper signum sanctitatis illius qui facit, sed dico, quod facere miracula ad probandum se esse missum à Deo ad prædicandum, est signum sufficientis probationis, vnde aliud est esse hominem Dei seu virum bonum, aliud est, esse prædicatorem aptum. Qui ergo bene viuit, ostendit se esse Deo alijs in exemplum, sed non probat per hoc se missum ad prædicandum sine licentia Prælatorum, nisi ostendat suæ missionis miraculum. Sed contra hoc assumit sic: *Si hæc requirerentur vniuersaliter, tunc maxime deberet dubitari de Patribus huius Concilij sacerdotibus, quod sint à Deo missi, cum nullum adhuc viderim operari miraculum, vel habere super hoc testimonium scripturæ sacræ speciale, vltra alios Sacerdotes*, respondeo, quod Patres huius Concilij sacri non indigent facere miracula, quia nullus eorum iactat se inuisibiliter esse missum à Deo, ita quod velit prædicare, non habita licentia, imo reclamante, & sub sententia excommunicationis prohibente Prælato cuiuslibet eorum. Sed vos qui dicitis, vos licentia Prælatorum non indigere & posse vbique etiam Prælatis contradicentibus ad vitam meliorem transire, sc. prædicare, vos tenemini miraculis, vel scripturæ testimonio ostendere. quod illam potestatem habetis à Deo ita dicit c. *cum ex iniuncto* 2. quia horum Patrum Reuerendiss. doctrinam & fidem à Deo esse, approbat vniuersalis Ecclesia Spiritu S. edocta, qui docet eam omnem veritatem, secundum promissionem Domini nostri Iesu Christi, patriformiter summus Pontifex vicarius eius vnicus in terris, cui Dominus in persona Ecclesiæ ait. *Ego rogauí pro te, vt non deficiat fides tua,* & iterum: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* & iterum: *Ecce ego vobiscum sum omnib. diebus vsq; ad consummationem sæculi.* & iterum: *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis, vt sit vobiscum in æternũ.* 3. quia qui noua prædicat & insolita, probat vos facitis Bohemi. tenetur illam nouam doctrinam comprobare nouis signis, quia Saluator noster vt primo misit Apostolos ad prædicandum nouam doctrinam, s. de regno Dei, dedit eis simul cum hoc potestatem super omnia dæmonia eliciendi, & vt languores curarent. *Matth. & Luc.* 10. vbi dicit Beda *lib.3. cap.3.* super Luc. *Concessa primum potestate signorum, missi prædicare verbum Dei, vt promissorum magnitudini attestaretur magnitudo factorum, fidemq; verbis daret virtus ostensa, & noua facerent, qui noua prædicarent.* hæc ille. Si dicis, non est iam tempus faciendi miracula, quia dicit Isidorus lib.1. de summo bono, c.25. *Antequam Antichristus appareat, virtutes ab Ecclesia cessabunt.* Respondeo quod iam cessarunt miracula, non ideo, vt qui vult prædicet & dicat, se missum à Deo, & hoc sufficiat, nec miraculo probare debeatis, sed ideo, quia fides Catholica est plene fundata, nec eget probatione noua & hoc est quod dicit Beatus Greg. 2. parte homiliarum, homil. nona, *vt fides credentium creuerit et miracula, fuit nutrienda: quia nos cum arbusta plantamus, tamdiu aquam superfundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus, quia si radicem fixeris, irrigando cessamus.* hæc ille. & hæc de materia miraculorum.

Consequenter de literis commendatitijs dicit, quod inuentæ sunt propter malos. Respondeo, quod vtique hoc verum est, quod propter Pseudoapostolos, dicit gloss. 2. Corinth. 3. super illud: *Numquid commendatitijs egemus literis, sicut quidam, sc.* qui sunt Pseudoapostoli? Respondit S. Thomas in libro de contra impugnantes Religionem, prope finem: Proprie duo sunt genera hominum, sc. non missi prædicantes, & falsa docentes, de quibus ambobus simul Dominus ait 23. *Non mittebam eos, & ipsi current,* quo ad primũ. *Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Quo ad secundum. Illi sunt qui tenentur habere literas commendatitias, qui prædicare volunt inuitis Prælatis. Ad id quod dicitur Actorum decimotertio, quod Paulus & Barnabas sedebant in templo, & Principes miserunt ad eos, ut haberent verbum exhortationis ad plebem, dicit [illegible] horum prædicatio efficax reddebatur, quod [illegible] asserunt ad prædicandum, sed regni fuerunt, glo[illegible] *audituri legem, non qui essent prædicaturi, ecce homo,* dicit glossa, *dicunt Principes ad Apostolos: Si habetis de hac materia aliquam exhortationem dicere, prædicationis vel lectionis.* hæcibi: Non debent iuramento, tum quia solus, tum qua in re propria. 4. q 3. de test. *licet,* & hoc est quod communiter volũt canones, quod nulli licet prædicare in diœcesi cuiuscunq; Episcopi, sine eius licentia. 16 q.1. *cunctis fidelibus,* & summo opere omnib. Presbyteris & Diaconibus, & reliquis clericis attendendum est, vt nihil absq; Episcopi propria licentia agant, non vtiq; missas sine eius iussu quisq; Presbyterorũ in sua parochia agat, non baptizet, neque quicquam absque eius permissu faciat. Hæc ibi. Vnde dico, quod talis à Deo missus tenetur se Prælato insinuare, & ab eo licentiam petere, quod si missio esset occulta, tenetur eam probare per miracula vel scripturam sed si manifesta, & magnifice probata esset, & Prælatus malitiose nolle eum licentiare, forte sufficeret licentia diuina.

Post hæc aggreditur responsiones meas, vbi inter multa resumptione indigna, dicit primo, quod vbi ego dixi non esse simile de pane materiali, & spirituali. Quia in eleemosyna materiali non sequuntur pericula apud suscipientes, sicut in pane verbi, quod spargerent hæretici, dicit hoc non esse vniuersaliter verum, sed & ex superflua eleemosyna, quam Clerus recipit, omne malum in Clero subsecutum est, & enumerat multa vitia. Dico, hoc est omnino dubium. Nam in cœlo orta sunt schismata, vbi ista temporalia non fuerunt: Et hodie pauperiores sunt deteriores. Iure certum est, quod diuitiæ sunt organa ad virtutem, secundum Philosophum primo Ethic. & sunt multis materia bene operandi. Dicit etiam, quod male agui, descendendo de vno statu in alium, sic sc. secundum eum sequeretur, vbi arguit, *licet dare eleemosynam corporalem sine licentia, ergo & spiritualem, scilicet prædicare.* Sequetur. *Li. et Laico dare eleemosynam corporalem. ergo & celebrare Missam, cum Missa sit eleemosyna spiritualis.* & ipsemet ibi descendit, de statu vno in alium. Posui ibi & alias similitudines, quas dimisit intactas. Postea ad tertiam solutionem dicit, quod, vbi dixi, esse dissimilia, generare filios carnis, & spiritus: quia generare filios carnales esset principalis finis matrimonij: Sed principalis finis Sacerdotij *omnino esset generare filios Dei per prædicationem; sed magis conficere corpus Christi verum. Dicit hoc esse contra factum & dictum Christi, Lucæ 4. *Quia & in alijs ciuitatibus oportet me euangelizare.* vbi habetur ibi, quod principalis actus Sacerdotij non sit super corpus Christi verum. Ad similes fabulas multas, ineptum indicaui respondere, ne obtunderem aures vestras, Patres reuerendissimi.

Circa primum corollarium, vbi dixi, non quilibet Sacerdos Domini habet facultatem prædicandi virtute Sacerdotij, allegui sex Doctores, nihil respondit, nisi tantum in effectu ad propositum, contra illud sc. arguit sic: *Cuicunq; Papa committit officium prædicandi, ille habet ex eodem. Ergo cui Deus committit officium prædicandi, ille habet ex eodem.* Verum est; sed ostendat, quod Deus commiserit officium illud, & credemus ei, vt dicit c. *Cum ex iniuncto.* de hæret.

Circa secundum corollarium, quod probaui sex rationibus, nihil respondit, nisi ad illam, vbi ego probando dixi, quod non esset præceptum Domini, prædicare Presbyteros singulos, dicit; quod neget Maiorem, scilicet illud: *Non est præceptum homini, à quo se licite excusare potest:* quia dicit, eleemosynam esse præceptum, à qua excusentur multi. Dico, quod eleemosyna nulli est præcepta pro tunc, dum ab eius impensione potest licite excusari. Est enim præceptum affirmatiuum, non obligans, nisi pro hic & nunc. Consequenter ibi ego respondendo dixi, quod illud præceptum Domini: *Ite in orbem vniuersum*, non obligabat vniuersos Apostolos, vt quilibet eorum iret in totum mundum, & in quemlibet angulum orbis, quia nullus eorũ hoc fecit, dicit quod istud est contra illud Act. 10. *Nobis præcepit Deus prædicare populo &c.* Nego hic, quia non dicit; præcepit cuilibet nostrum singillatim prædicare in quolibet angulo mundi, licet dispersi ita prædicabant, quod in omnem terram exiuit sonus eorum. Ad illam autem: *Fidelis seruus & prudens*, dixi, quod dicta est de Prælatis, qui sunt constituti super familiam Domini; Replicans dixit, quod etiam alij Presbyteri debent habere curam de familia Domini, iuxta illud Eccl. 17. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo.* Respondet beatus Thomas quodlibetico 12. q. 18. ar. 29. Quod Deus non præcipit cuilibet curare de proximo per publicam prædicationem, sed priuatam admonitionem: Adducit Chrysostom. contra: *Nam Sacerdos debitor est, vt veritatem quam audit à Deo, libere prædicet*, 11. q. 3. *nolite.* Respondeo quod sensus textus est, quod vbi periculum fidei imminet, & confessio requirit, tenetur Sacerdos sicut & laicus veritatem Dei confiteri, & si propter timorem mortis, veritatem non confiteretur, peccaret. Ad auctoritatem Isaiæ, *clama ne cesses.* dixi, quod Isaiæ soli præceptum, dicit quod non, quia secundum Lyram, intelligitur de Christo ad literam, & illa vox dicentis *clama*, extenditur ad Ioan. Baptistam. Respondeo, quod non est inconueniens ad eundem textum habere plures sensus literales, sicut Lyra exponit illam auctoritatem ad Hebr. 10. *& ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* 2. Reg. 7. de Salomone & de Christo, tamen literaliter principalius de Isaia dicta sunt, vt patet ex nuda historia textus, contra vos, qui audebatis dicere, quomodo obligaret omnes.

Post hoc adducit auctoritates tres, quarum sensus est, quod Sacerdotes instituuntur ad prædicandum, & ad interpretandum legem. Respondeo primo, quod sæpe in dictis sanctorum, **Sacerdos** pro Episcopo ponitur, & pro curato, de quibus communiter intelliguntur istæ auctoritates, sicut patet in c. *sit rector.* vbi B. Gregorius dicit, *prædicationis officium suscipis quisquis ad sacerdotem accedit.* vbi ad literam loquitur de rectoribus & pastoribus sub nomine Sacerdoris, ita in proposito. Secundo dico cum D. Gulielmo Parisiensi in suo sacramentali capitulo de sacro ordine, quod Sacerdotum officium fuit semper prædicare, iuxta illud Malach. 2. *labia Sacerdotis custodiant scientiam, & legem de manu eius requirant.* & infra dicit, quod Sacerdos modicam auctoritatem docendi habet quia datur eis cum sola cura animarum, tanquam annexum. Ex tũc enim tenetur docere populum sibi commissum, nunquam tamen dicitur eis in sua ordinatione, *ite docete & prædicate*, docere enim & prædicare est speciale officium Episcoporum, quod in consecrationibus suis eis dicitur: *Ite prædicate populo.* hæc ille. Et per hoc soluuntur duo motiua Domini Replicantis superius prima dicit, *siue cum charactere, siue aliter, hoc scio quod Sacerdos habet potestatem prædicandi,* & probat primo sic, quia si non, cur cantaretur in eorum ordinatione, *Ite in orbem?* Ad hoc dico, quod ego quæsiui à multis Episcopis præsentibus & absentibus, quia dicunt se illud non facere de cantari. Insuper nec in rationali diuinorum reperitur quidquam de isto, & ita non est essentiale officij. Dico secundo, quod quia in aliquib. Ecclesijs ista verba decantantur, hoc fit in fine, quando totum officium est finitũ, & Presbyteri iam segregantur ad se exuendum. Tunc cantãt Clerici: *Ite in orbem &c.* Et tunc dico duo. Primum quod ista deuotio est pure ceremonialis, & non habet vllam efficaciã ad mittendi eos ad prædicandum, secundum quod ista decantatio non mittit Presbyteros, eo quod illi, qui cantant, non habent auctoritatem mittendi eos, nec Episcopus potest mittere nisi per diœcesim suam, vt dicunt Doctores circa c. *cum ex iniuncto.* de hær. Arguit 2. sic, quia in pontificali dicitur: *Oportet Episcopum benedicere, præesse, & prædicare.* dico vt prius quod ibi ostenditur, quod sit officium Sacerdotis. Sed illius officij executio non datur, nisi dum cura sibi committitur, aut aliunde executio impertiatur. Vnde dicitur 24. q. 1. *miramur*, quod aliud est potestas officij, aliud est executio in plerisq; est vnum sine altero, vt in Monachis, qui habent officium, sed non executionem, nisi ex speciali commissione: ita dicitur in c. *adiicimus.* Ecce quod singuli Sacerdotes in sua dedicatione presbyteratus baptizandi & prædicandi potestatem accipiunt, sed executionem illius potestatis non habent, nisi ad talia assumantur, sicut agens naturale potentiã habent agendi, sed non habent executionem illius potentiæ, nisi habeat materiam sibi ministratam, vt applicat de prædicatione S. Thom. quodlibetico 12. quæst. 18. art. 29. vt prædictum est. &c.

Circa tertium corollarium de Diaconibus dicit, quod mea propositio non fuit contraria suæ, & ego dixi tunc, quod sic: quia licet non dicat in conclusione de præcepto, tamen exponit ly. *debet*, capi præceptiue, dicit me truncasse glossam. *In sancta.* dico, quod verba superflua caueo, recepi quod deseruirent mihi, omisi quo non indigerem, & tamen posui contrarium eius quod posui, si non in conclusione, tamen in declaratione. Adhuc pro mea cõclusione stant, pro me adducta; quia allegaui septem rationes, & non respondit

mihi

7.7.1. *Episcopi.* c.38. 1. *quæst.* 2. *Dua.* c.2.

Spiritus S. ductus potest ingredi religionem nolente Episcopo.

Sap. 7.

c. *venerabili.* de test. & in c.1. de reliquijs & veneratione Sanctorum, & sic tenetur se præsentare Prælato, etiam si sit missus à Deo missione inuisibili, & probare eam modis prædictis, & dico maxime si requisitus fuerit. 1. propter Paulum, qui se Petro non statim præsentauit, sed diu post vocationem, & hoc quia à Christo vocatus, nec à Petro requisitus, propter certitudinem miraculorũ, quæ fecit Dominus propter Paulum, & propter S. Equitium Abbatem, qui missus à Deo per Angelum tandem requisitus per Prælatum, subito ei parere voluit, nisi Dominus miraculorum euidentia præuenisset, vt patet lib. 1 dialogorum, c.4. & probatur propositio multipliciter: primo per B. August. in fine ad Orosium dicentem, *illum cognosce missum à Deo, quem non paucorum hominum adulatio eligit, sed illum, quem vita & mores optimi, & Apostolicorum examinatio commendat Sacerdotum*, hæc ille. Ecce quomodo non sufficit se dicere missum à Deo, ex moribus optimis, sed etiam requiritur Apostolicorum Sacerdotum, & Prælatorum examinatio. 2. dicit gloss. hoc de offic. ord. *inter cætera.* quod nulli licet prædicare, nisi mittatur auctoritate Episcoporum, vel Apostolicæ sedis, de hæret. c. *excommunicamus.* §. *quia vero.* hæc ibi. Si nulli, ergo necesi, qui se dicit à Spiritu S. inspiratum, præsertim si requisitus fuerit à Prælato. 3. dicit B. Bern. vt allegatũ est de instinctionibus: *ea cogitatio, quæ pudica videtur, nec ad vitia trahit aperte tunc diuinam à Deo nouerit esse si pacifica sit, si Prælati tui atque spiritualium fratrum approbetur iudicio: quoniam non facit Dominus verbum, quod non reuelauerit seruis suis.* propter hoc Paulus mittitur ad Ananiam, sic Cornelius dirigatur ad Petrum, sic Eunuchus instruitur per Philippum vt approbationem & iudicium Prælati, & virorum spiritualium requirere doceremur, sicut de eo plenius in collationibus Patrum habetur. 4. hoc dicit Zabarella de hæret. c. *excommunicamus.* super verbo, *visitare*, dicens, *qui*, inquit, *prædicat sine licentia, dicitur visitare* & talis est, qui probatur non missus, vel qui non habet auctoritatem à Papa, vel ab Episcopo loci, vel qui missionem non comprobat per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium, ita quod sit missus eo modo, quo scriptura præcepit, secundum Innoc. & dicit Hostiensis, quod in hac re tam ardua, non credetur ipsius

c. *venerabilibus.* de test. 10. 9. 8.

1.q.4. *nullus*, c.16.q.1. *cunctis fidelibus* c.41.

CCCXXVIII.

Supr. cor. 1.

Supr. cor. 2.

Eleemosyna est præceptum affirmat: nõ obligans nisi pro hic & nunc.

Act. 10.

Eccl. 17. *S. Thom. quodl.* 12. *q.* 18. *ar.* 29

CCCXXIX.

Supr. cor. 1.

Nam Sacerdos debitor est, vt veritatem quam audit à Deo, libere prædicet, 11. q. 3. *nolite.*

1. q. 3. *nolite*, c. 86. *Auctor operis imperfecti*, ho. 25 *Esai.* 58.

CCCXXX.

Gregor. 2. *par. pastoralis.* c. 4. *dist.* 23. *fit rector.* c. 1. *Gulielm. Parisiensis.*

Docere & prædicare est speciale officium Episcopi.

Aliud est potestas officii aliud executio. 24. q. 1. *Miramur.* c. 37. 16. q. 1 *adiicimus.* c. 19.

Tho. quodl. 12. q. 18. art. 29. *Sup. cor.* 3.

Dist. 29. *in sancta*, c. 2. *Greg. li.* 4. *epist.* 44.

ubi ad vicinam, & loco illius adduco Wilhelmum de monte Laudano qui dicit in Rubrica de ordine Diaconatus, quod officium Diaconi est prædicare, id est, legere recitando Euangelium & Epistolam, *quæ sunt de nouo Testamento*. Et subdit, *nec est digna quæ prædicare verbum Dei nisi licet ratione huius ordinis, quia solus Magister in Theologia, seu Episcopus, & alii, qui ad hoc officium, scilicet prædicandi propter curam animarum delle fuer.* &c. hæc ille. Sed adhuc, vt Dionysius diu in ista minister accedat, quasi Diacono officium prædicationis attribuat, neque quam. dicit enim Dominus Albertus ibidem &c. post verba Dionysij, quod Dionysius dicit, quod illi communia erant in consummatione orationibus, scilicet quibus consecrabantur Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, & ista esse communia, primum est, quod signantur signo crucis. Secundum, quod recensentur ab Episcopo eo nomine, quod ad talem ordinem assumuntur. Tertium, quod osculantur omnes Sancti, qui adsunt. Quartum, quod quilibet horum ab Episcopo consecratur. Primum notatur ibi dicens *signaculum crucis forma*, id est, in modum crucis. Secundū ibi *salutatio*, id est, recitatio ex nomine, quod ad talem ordinem assumuntur, quia Episcopus dicebat signanter. Ille de Sacerdotibus in Episcopum diuina eum prouehente gratia assumetur. Et similiter de aliis. Tertium ibi: *salutatio*, id est, osculatio, & hic erat casus consecrationis in primitiua Ecclesia: vnus Episcopus potest Episcopum consecrare, hæc ille. Ex quibus patet, replicantem non intellexisse Dionysium. Prædicatio enim dicitur ibi passiue pro recitatione publica ex nomine. Et quia dicit, me truncasse glossam, ostendam ipsam truncasse illam partem glossæ, quæ totam sua m gl. excitat. Verbum enim ipse cessauit, sequitur & sic in sede Apostolica. Ex quo quidam dicunt in Romana Ecclesia, & de Cardinalibus hoc tantum seruandum, hic verbum intelligit generaliter esse prohibitum, cum ad legendum Euangelium sint instituti, quod patet ex illo verbo, quod dicit, *infra missarum solemnia*. hæc ibi, vt dicit glossa quod nullo modo est dicendum, Diaconi officium esse prædicare publice, sed legere Euangelium, quod notat textus qui sequitur in eod. cap. dicens: *Qua de re præsenti decreto constituto vt in sede hac sancta altaris ministri cantare non debeant, soluto, Euangelicæ lectionis officium infra missarum solemnia exsoluant.* hæc ibi. Nota, dicit, quod solam lectionis Euangelicæ officium exoluat, quod potius dixit *prædicare*, & sic ipse truncauit textum cum glossa satis preiudicialiter, parte ergo, quod nisi Diaconissam curati, non conuenit eis absq; licentia speciali prædicare. Sed dicit Replicans, *nisi cadat casus, si officium Diaconi non est nisi legere Euangelium, cur eius offitium sit tam periculosum, vt dicit Augustinus. ante omnia.* Respondeo, quod non ideo dicitur periculosum, quia habet legere Euangelium, sed quia Diaconus habet in omnibus assistere Presbytero, & ministrare in omnib. quæ aguntur in sacramentis Christi, sc. in Christmate, in patena & calice, & sic de singulis, vt patet in *c. perlectis. dist. 23. & in c. cleros, dist. 21.* sicut in Sacerdotibus consecratio, ita in Diacono ministerij dispensatio. Et cum periculosum legere officium Sacerdotij propter sacrum ordinem quem habet, vt caste viuat, bonam viram ducat, & Sacramenta digne tractet, sic & omnia illa extinguuntur in Diacono, & tamen multi sunt Presbyteri, qui non tenentur prædicare, nihilominus officium eorum est periculosum propter ordinis eminentiam, & eorum, quæ ad ordinem requiruntur presbyteralem, sic & in Diacono.

Circa quartum corollarium ponit, vt dicit, mihi oppositum, sc. quod congruit valde multos esse prædicantes, etiam non coniunctim populo missantes. Non est mihi oppositum, quia sanctum est, quod in casu congruit multos esse prædicantes, in casu multos missantes, simul ambo habere non possunt: dixi enim licite inter cætera; Sciendum tamen, quod in casu forte esset laudabilius prædicare ei, qui habet auditorem, quam missare, &c. Scilicet populus infimus & infidelissimus, quæ credere vel agere nescit. Tunc si talis Sacerdos simul vtrumque facere non posset, potius esset ei prædicandum, quam missandum. Et tunc dicerem prædicatorem audiendum, quam missare, non simpliciter & absolute, sed sub tali conditione, & sic est dictum quid cederet perfectius mihi ac perfecto. Contendimus de talem populum informem & agrestem esse, sicut barbarum vinum dicit de se sit melius quam aqua, tamen aqua melior est febricitanti. Verumtamen communiter actus missandi non repugnat actui prædicandi, imo simul stant, & vnus ordinatur ad alium, sicut prædicatio ordinatur ad hoc, vt populus deuotius præparetur ad audiendum Missam, in cuius signum prædicatio solet communiter fieri ante eleuationem, sc. post Euangelium, sed populo iam bene conuerso, dixi, vtilius est sæpe missare, & interdum prædicare, quam quotidie prædicare, & raro missare. Quod autem inter cætera dicit, quod negligentię Christiani populi plus purgantur per alia, quam per missarum consuetudinalem auditionem, puta per eleemosynarum largitionem, verbi Dei deuotam auditionem, Eucharistiæ communionem; dico quod hoc aliquando fallit, quod plus purgantur per ista, quam per missarum auditionem, quia sæpe cum maiori deuotione & dispositione audit Missam, quam faceret alia illa, vel alterum ex his, & sic per capit effectum spiritualis communionis & incorporationis corporis Christi, vnde non solum Sacerdos, sed & circumstantes dicuntur *communicantes*, ideo licet ipse sacerdos communicet, tamen in plurali orat, dicens, *purificent nos, quæsumus Domine sacramenta quæ sumpsimus*. Ad rationes in contrarium adductas, Ad 1. *illud plus congruit populo, cuius exemplum Christus, & apostoli, & primitiua Ecclesia in se plus ostendunt, sed illi plus prædicauerunt, quam miserunt, ergo &c.* Resp. quoad Christum, non sequitur, Christus pluries prædicauit, & tantum semel missauit, ergo vtilius est prædicare, quam missare, quia vt prædixi, Christus tantum semel passus est, & pluries prædicauit; & tamen eius passio vtilior est quam eius prædicatio; non enim quod pluries fit, de eo melius est, sed imperfectius, vt declaraui. Ad Apostolos & Ecclesiam primitiuam, An illi sæpius prædicauerunt vel celebrauerint, nescio, credo quod quotidie celebrauerunt, nam fideles quotidie communicauerunt de consec. dist. 2. *peracta*, ergo & Apost. necesse verisimile quod Apostoli induxissent populum ad quotidie communicandum, nisi hoc etiam exemplo ostendissent, & ipsi missando celebrassent, vnde erant perseuerantes in oratione, & ministratione panis. Ad secundum, vbi arguit, *illud valde congruit populo quod est pabulum dignioris partis hominis, sed hoc est verbum Dei.* Respondeo, quod non minus est pabulum animæ auditio Missæ per quam homo incorporatur Christo, vt dictum est. Ad tertiam: *Illud plus congruit populo, per quod plures conuertuntur ad fidem, sed tale est prædicatio. ergo &c.* Respondeo, quod in casu, vbi populus indigeret conuerti, & Sacerdos non posset vtrumq; simul facere, celebrare & prædicare, potius esset prædicandum, quam celebrandum. Ad quartū. *Illud plus congruit populo per quod generantur in filios Dei, sed hoc est prædicatio.* Resp. quod vbi populus esset extra fidem, & sic nō essent filii Dei, iuxta illud Ioan. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, vtilior esset prædicatio. Sed dum sunt filij Dei per fidem, vtunque est populus in fide fundatus, vtilior est celebratio. Dico etiam quod missato in hoc excedit prædicationem, quia prædicatio tantum conuertit viuos, celebratio Missæ etiam adiuuat defunctos. In plerisq; tamen prædicatio & missa, in se habent adinuicem, vt excedentia & excessa. Ad quintum. *Illud plus congruit populo, cuius executionem Dominus strictius præcepit fieri, sed hoc fuit prædicatio.* Respondeo, quod Dominus non minus præcepit Apostolis Missas celebrare, quam prædicare. Nam sicut præcepit dicens, *euntes prædicate*, ita præcepit, *hoc facite in meam commemorationem.* tamen comparationibus omissis, tenemus cum B. Augustino, q. 1. *interrogo.* quod non minus est verbum Dei, quam corpus Christi, secundum glossam hoc modo, quod plures conuertit, & facit compungi hominem, vt omnia peccata per verbum Christi quandoq; tollantur. Sed per corpus Christi venialia tantum tolluntur, vt de consec. dist. 2. cap. *iteratur &c. quotidie*, hæc ille. Tamen inter omnia grata Deo Patri, gratissimum est sacrum Missæ officium, nihil enim in sacrificijs maius esse potest, quam corpus & sanguis Iesu Christi, de conse. dist. 2. *nihil.*

Circa quintum corollarium inter cætera diffamatoria dicit de exemplis & altaribus, *sicputant enim cœci duces cum cœco populo, quod verus Dei cultus & honor, aut Sanctorum laus consistat in ampla exemplorū structura, aut in alterium splendida multitudine, &c.* Pro certo dico, quod non misum, si populus audiens talia prædicare Sacerdotes, frangit & pla, euertat altaria, destruitq;

Dionys. de cap. 3. de Eccl. Hierarch. c. 5.

Alias lect. singulariter.

Dist. 92. Ita sanctorum. Alios & hos ecclesiæ.

Locus ne videatur emendatus.

Dist. 93. Missæ omnia. c. 7. & c. ad Deum. & Ita Deum epi. c. 8. Dist. 23. perlectis. c. 2. Dist. 21. cleros. c. 1.

Concurrit. Super. 4.

De consec. dist. 1. Pet. actis. 6. 10.

Vbi celebrans scandalizaret aliquem præstat à celebratione abstinere.

Ioan. 1.

1. q. Interrogo c. 94.

de consecr. dist. 2. iteratur c. 71. de consec. dist. 2. quotidie. de consec. dist. 2. nihil.

cccxxxvii Sup. cor. 5.

Sancta.

Sancta. Vere ita est, sicut Dominus Replicans dixit in vno corollario, causæ ruinæ populi sunt maxime sacerdotes mali, præsertim hæretici pessimi, præambuli Antichristi, qui quidquid Christi nomine consecratum est, Antichristi more demoliri conantur, & in tantis sacrilegijs, cum quid agam, ego ignoro, hoc mihi residui est, ad omnipotentem oculos erigere cordis, & clamantem exaudiet me, secundum magnam gloriam suam, orantem illud Psalmistæ: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Redde vicinis nostris septuplū in sinum eorum, improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine, nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur in sæculum. Amen.*

Psal. 78.

cccxxxiv *Sup. cor. 6.* Circa sextum corollarium: *Cuicunq; ex causa rationali Papa prohiberet officium prædicandi sub excommunicationis sententia, ille teneretur obedire.* Probaui ex praxi Christi, & suorum Apostolorum ex Concilio Nicæno, Carthaginensi, & alijs, ex *casum eximiunctio.* & sententialiter concluſi; quomodo vnico sole, id est, Ecclesiæ vniuersalis auctoritate, omnia suarum disputationum allegata, poterant exsiccare, sicut B. Hier. post longam disputationem dixit ad Luciferianum. Responsionem nullam reportaui, & optime, quia spero quod consentiat veritati à me irrefragabiliter probatæ.

S. Hieron. contra Luciferianū.

cccxxxv. *Sup. cor. 7.* In septimo corollario meo mihi condescendit, & se correxit, quia primo posuit, quod propter scandalum peruersorum non esset omittenda prædicatio. Nunc declarat se, dicens: *sicut ego posui, quod non simpliciter, sed aliquando possunt ad tempus propter scandalum pusillorum.* hoc ego concessi, & scripturis multis probaui. Tamen quia non obstante illa declaratione, probat primam conclusionem tripliciter. Ego respondendo ad 1. articulum: *Nullum præceptum Domini propter scandalum peruersorum est omittendum, sed fidelis prædicatio verbi Dei est præceptum Domini, ergo &c.* Resp. quod in tali casu, vbi, vt dixi in prima positione, omnes scandalizantur de prædicatione, non est præceptum Domini prædicare, imo est præceptum eius pro tunc tacere, iuxta illud Matth 7. *Nolite sanctum dare canibus*, secundum expositionem beatorum Chryso. & Aug. Ad 2. *Oblatio venerabilis sacri Eucharistiæ non est omittenda propter scandalum peruersorum, ergo nec prædicatio.* Resp. quod in casu vbi celebrans scandalizaret aliquem, vtpote, vt si esset publicus concubinarius, vel simile crimine notorio conuictus, deberet prius à celebratione abstinere, quam in scandalizatione celebrare. Ad 3. *Pabulum fidelium non est omittendum propter scandalum peruersorum, sed prædicare est huiusmodi.* Respon. quod in casu scandali prædicatio non est pabulum scandalizatorum, vt deduxi in positione alias, ex Petro de Palude.

De offi. iud. ord. inter cæt. c. 15

cccxxxvi *Sup. in cor. 8.* In corollario octauo increpat me, quod dixi, Prælatos & Episcopos posse per se vel per alios in certis casibus satisfacere officio prædicationis, vbi ipse vult, quod per se teneantur: & dicit, quod non æstimat me aliud velle, nisi Prælatos liberare & excusare à fideli verbi Dei annunciatione. Resp. quod nunquam mentis meæ fuit hoc, sed suspicionem suam euomuit. Sæpe enim dixi, officium Episcoporum esse prædicare verbum Dei, sed intendo illud quod dicitur lib. 3. de offic. ord. cap. *inter cætera, quæ ad salutem animarum spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei maxime nosci tur ei necessarium, quia sicut corpus materiali, ita anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Vnde cum sæpe contingat quod Episcopi propter suas occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omnino, nec de cætero tolerandum) per seipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioeceses & diffusas generali constitutione sancimus, vt Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumāt, potentes in opere & sermone.* hæc ibi, ibi enim comprehenduntur pene casus quos posui, in quib. pro loco & tempore iuxta negotiorum concurrentium varietatem, possunt Prælati prædicationis officio per alios prouidere.

cccxxxvii Hæc sunt, quę ego frater Henricus Kalteiſen, ordinis fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor, ac prauitatis hæreticæ inquisitor, vobis Bohemis conscripsi, pro vestra reductione ad vnitatem sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, pro vestra eruditione iuxta mihi ministrata in 3. articl. s. de verbi Dei libera prædicatione. Hæc audistis, quæso corde credatis, & ore confiteamini, vt fructum æternę beatitudinis consequi mereamini, iuxta thema in huius replicæ principio assumptum, s. *beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Præscripta autem singula huic sacrosanctæ generali Synodo Basileensi offero corrigenda, cuius iudicio me subijcio per omnia.

Terminata fuit hæc replica, in præsentia sacri Concilij, & Bohemorum recitata 1433. in hebdomade pœnosa, celerrime & abrupte collecta propter nimiam festinantiam Bohemorum ad recedendum. Ideo propitium requirit correctorem.

ORATIO IOANNIS DE POLEMAR, ARCHIDIACONI BARCINONENSIS, APOSTOLICI PALATII CAVSARUM Auditoris. cccxxxviii

QVA

In Concilio Basileensi anno 1433. per dies tres refutauit quartum articulum Bohemorum,

DE

CIVILI DOMINIO CLERICORVM

QVEM

PROPOSVIT PER TRIDVVM

PETRVS RAYNE ANGLVS, hæreticorum primarius.

DEVS *in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* *Psal. 69.*

Excelsus ille Propheta Dauid, de quo scriptum nouimus Deum dixisse, quod inuenerit hominem secundum cor suū, sic suæ humilitati omnium virtutum solido fundamento fixus stabat, vt nihil de suis viribus ingenioue præsumeret, sed tanquam in se deficiens, diuinum ad se poscebat adiutorium festinare, & velut imbecillis infans, qui etsi manu teneatur à matre, nihil sui corpusculi fragilitati confisus, dum gremio eius toto corpore non inhæret, matrem inclamitat; & palpitando tremēs inhærere festinat. Sic inculcata petitione Deū in adiutorium eius intendere, & ipsum Deum ad adiuuandum se festinare deposcit. Hanc Prophetæ, Deoque accepti vni vocem Sancta mater Ecclesia per omnes dies in singulis diuinorum officiorum exordijs laudabili more exhibendā assumit. Nec immerito ad diuinas laudes accedens, Dei auxilium deprecatur. Sciens quod aduersarius noster, qui iuxta beati Petri doctrinam, circuit, quærens quem deuoret, tunc infremit vehementius, tunc instantius suas molitur insidias, cum diuinis obsequijs appropinquare nos cernit, hinc Sapiens ait: *fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2. c.

1. Reg. 13. Psal. 88. Act. 13.

1. Pet. 4.

Eccl. 2.

Ergo hominum minimus aggressurus hoc tam grande negotium, matris meæ morem seruabo, vt pro diuini auxilij imploratione ipsam propheticam accipiam vocem; Etsi in dictandis precibus apud Iudices solemnis patronorum iamdudum approbatorum insequi formas, quanto magis apud Dei maiestatem in offerendis precibus, vti decet verbis eorum, quos Deo placuisse cognouimus, quam maxime quæ ab Ecclesia sancta Catholica Spiritus S. magisterio docta, sunt in quotidiano vsu recepta? Iam iam igitur sanctum Dauid, sanctamq; matrem Ecclesiam imitans, ad te Deus meus mundi creator, & prudentissime gubernator tota cordis intentione, cum fiducia plena recurrens postulo atque dico, *Deus in adiutorium meum intende, &c.* Da Domine mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam seruus sum ego, & filius ancillæ tuæ Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, da mihi in apertione oris mei sermonem cum fiducia, & vt notam facere cunctis valeam huius articuli veritatem. Et tu gloriosissima Dei genitrix virgo Maria, vosq; omnes ciues Ierusalem ciuitatis supernæ tam angelici spiritus quam humani me supplico vestris precibus adiuuare, Siluester, Gregori, Thoma, Cantuariensis, cęteriq;

Sap. 9.

sancti Pontifices, qui in Ecclesia Dei postquam temporalibus afflui mirabiliter coruscatis, vos in vestra causa interpello, assistite mihi, gloriam vestram defendi deposco, vestrum quoq; omnium, qui præsentes adestis deuota orationis suffragia pro me fieri postulo; atq; vt pro omnibus communiter exoremus, dicens: *adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem in diebus nostris. Amen.*

2. Mach. 2.

Reuerendissimi in Christo Patres, Illustrissime Princeps, ac Reuerendi in Christo Patres in Ecclesia Dei prælatione fungentes Doctores atque Magistri, cæteriq; viri perspicui, qui de vniuersis Christiani orbis nationibus in hoc loco diuinæ benedictionis in Spiritu S. congregati estis, ad celebrandum vniuersalis Ecclesiæ rite congregatum generale Concilium, non indigne ferant vestræ reuerentiæ humili supplicatione deposco, nec vitio temeritatis præsumptionis asscribant, si ex tanta doctissimorum virorum copia ego cunctis inferior, hoc tam grande negotium aggredi ausus sum. In eo namq; studio in quo nutritus fui *minori affert constitutio primum locum, vt difficiliora maioribus referuentur, propterea qui primum locum vendicat, non præsumptuosus, sed magis humilis reputatur, haclege si eius, hoc mihi licere putaui. Ego igitur si placuerit, primo dicam, & vos denuo corrigitis, quoniam hoc est mentis meæ firma sententia, quod omnia dicta meæ sanctæ matris Ecclesiæ, & huius sacri Concilij ipsum representantis, correctioni sint & determinationi subiecta. Nec mirum, si ego sciolus hoc dico cum doctissimi ac sanctissimi Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, cæteriq; Doctores ipsius sanctæ matris Ecclesiæ determinationi subiecerint dicta sua. Ego igitur corrigi, & emendari sum paratus, si quid forsan proferam minus recte, imo & extunc haberi volo pro non dicto.

*alterum exemplar iuniori.

Est & in alio mentis meæ intentio declaranda, quod nihil intendo dicere in iniuram, contumeliam, vel offensam dominorum Ambasiatorũ ineliti Regni Bohemiæ hic præsentium, sed cum eorum bona pace: quod si forte inaduertenter aliquid dixero, quod in eorum iniuriam vel offensam videatur sonare, quod nullatenus me facturum puto, cum non sit ex meo animo, haberi postulo pro non dicto, quoniã testis mihi est Deus, quod nullatenus eos offendere nec exasperare cupio, sed placare, A vobis dominis Ambasiatoribus postulo gratam & benignam pariter & attentam audientiam accommodari sermonibus meis, quoniam in veritate loqui intendo & ex charitate, per quam pro vestra salute pariter & honore non solum mea, sed meipsum impendere sum paratus. Det nobis omnipotens Deus per suam clementiam, suppliciter postulo, idem sapere, & in vnanimitate & charitate suæ maiestati acceptabiliter famulari, Amen.

cccxxxix

Iam ad disputandum articuli materiam appropinquans, ne velut rustic⁹ & agrestis hospes illotis manibus ad diuinam mensam accedam, breuem præfationem decreui præmittere, non peregrinam, sed vtique pertractan dæ materiæ satis consonam, pro cuius fundamento suscipio verbum ex Euangelio his diebus sæpius recitato. *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel.* Luc. 2. cap. Expauescit anima mea, nimioque terrore concutitur audiens verba Prophetę huius, de cuius veritate dubitare non licet, cui tale ab Euangelio testimonium perhibetur, quod erat *homo iustus & timoratus, expectans redemptionem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.* Quid dicis sancte Propheta? de quo loqueris? *Ecce hic positus est &c.* Plane de Iesu ad matrem eius Euangelista dictum ostendit. Quid hoc, nonne Angelus, qui eius conceptum ad Ioseph nunciare venit, dixit, quod *ipse saluum faceret populum suum à peccatis eorum?* Matth. 1. Nonne & tu expectans ipse eras redemptionis Israel? & ad aspectum eius, tanquam redemptionem vidisses Israel, exultasti, & benedixisti Dominum, dicens? *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Si ergo ipse est salutare Dei, si est lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israel, quomodo nunc dicis: *Ecce hic positus est in ruinam:* Si dixisses: Ecce hic positus est ad ruinam gentium, & resurrectionem Israel, dixisses quod sperabant Iudæi. Sed vtrumque dicis in Israel. Israel populus Dei erat, ergo in populo Dei vtrunque contingit, quod aliis erat in resurrectionem, aljis in ruinam. Quid hoc? tabescere fecisti velut araneam animam meam: Sed & frustra conturbatur homo, quoniam verba Prophetæ mentiri non possunt, & mysterio magno non carent: videamus, si suggerente Spiritu sancto aliquid capere ex eis possumus. Iesus saluare est, Iesus lumen est, quomodo saluat? quomodo illuminat? vtique per sermonem suum, quia verbum eius erat lux, ex se illuminans omnem hominem, sed non omnis homo est illuminatus ex eo, non luminis, sed visus defectu. Vnde Origenes, *Sicut enim lux, etsi oculos debiles turbet, lux est, hoc modo Saluator perseuerat, & si plurimi corruant, neque est eius officium destructio, sed eorum vesania. Quamobrem non solum ex salute bonorum, sed etiam ex malorum dissipatione virtus eius ostenditur. Nam sol quia multum radiat, propterea visus debiles præcipue turbat.* Et Chrysostomus: *Attende autem distinctionis exquisitam prolationem, præparatio quippe salutis dicitur coram omni populo, sed casus & subleuatio plurium; diuinum enim propositum est salus singulorum. Casus autem & subleuatio consistit in plurium intentione credentium & non credentium.* Iam vt opinor videre incipimus quomodo ipse Iesus, qui pro salute hominum venit in mundum, positus est in aliorum ruinam, & aliorum resurrectionem, in Israel, sed non vere Israel. In Israel, secundum carnem, sed non in Israel secundum Spiritum; hoc idem Euangelicis testimonijs comprobemus. Idem ipse Christus dixit, Ioannis 5: *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, viuent.* Ecce quomodo in resurrectionem multorum non omnium, quoniam qui audient viuent, *audient*, id est, obedient, *audient* aure cordis, multi enim audierunt aure corporum, qui non habuerunt vitam, prout Augustinus exponens hunc passum, ait: Addatur aliud testimonium ex Euangelio Ioannis 9. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, qui vident, cæci fiant.* Sic ergo in aliorum resurrectionem, & aliorum ruinam. Addamus & tertium, vt tria sint qui testimonium dent, iuxta canonicam Ioannis. Et istam materiam clarius legimus in Euangelio, *Ioannis 6.* quod cum Christus dixisset, *nisi manducaueritis &c.* multi discipulorum dicentes: *durus est hic sermo*, & abierunt retro, & remanserunt cum Iesu duodecim. Ecce sermo Dei, qui lux est vera, non solum in Israel, sed in Christi discipulis aljs in vitam fuit, alijs in ruinam, vnde Augustinus super Psalmo 54. Et habetur de consecrat. dist. 2. *Prima quidem hæresis fuit à discipulis Christi velut à duricia sermonis eius facta est. Cum enim dicerent: nisi quis manducauerit &c. illi non intelligentes dixerunt adinuicem, durus est hic sermo, & separauerunt se ab illo, remansit cum duodecim, instruxit eos, Spiritus est, inquit, qui viuificat, caro nihil prodest, verba quæ locutus sum ad vos, Spiritus & vita sunt. Intellexit ista spiritualiter, Spiritus, & vita sunt. Intellexisti carnaliter, etiam sic illa Spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt &c.* Et sic prima hæresis à sermone CHRISTI occasionaliter orta est propter illorum malam intelligentiam; sic & vniuersæ hæreses, quæ ab initio nascentis Ecclesiæ ortæ sunt ex hoc processerunt. Exemplificemus de aliquibus. Fuerunt quidam hæretici vocati Carpocratiani, qui ex Euangelio Luc. 2. *Cum inducerent Iesum parentes eius*, falsum suscipientes intellectum, dixerunt Christum hominem tantum fuisse, & de vtroque sexu progenitum, contra illum articulum fidei, *Natus ex Maria virgine.* Fuerunt & alij vocati Cerinthiani, qui ex eo, quod dixerat, *Non veni soluere legem*, dixerunt circumcisionem esse seruandam. Contra illud Apostoli ad Galatas 5. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest.* Fuerunt & alij qui se nominabant Apostolicos, quia dicebant se Apostolicam vitam seruare, & neminem posse saluari, qui proprium possideret, propter illud verbum Christi, *Nisi quis renunciauerit omnia quæ possidet &c.* horum sectator fuit Manichæus & etiam Iulianus apostata, qui sub hoc colore Christianos suis facultatibus spoliabat. Fuerunt & Adamiani, qui ex illo verbo Christi, *Nisi effic. iamini sicut parvuli iste.* dicebant, quod ad statum primæ innocentiæ oportebat redire, & ideo nudi orabant. Audiui aliquando in Bohemia aliquam sectam his similem fuisse, quæ tamen exfflata & delera fuit. Deo gratias. Fuerunt & alij vocati Anthropomorphitę qui propterea, quia legimus in sacra scriptura, *dextera Dei fecit virtutem, & terra scabellum pedum eius*, & alia similia, credebant Deum habere humana membra, contra illud Ioannis 4. *Deus spiritus est.* fuerunt Heraclionitæ, dicentes omnia consilia perfectionis data à Christo in Euangelio esse obligatoria omniam Christianorum, Monachos tantum recipiebant, & coniugia respuebant. Fuerunt & Donatistæ, qui ex eo quod Christus dixit, *Pater maior me est*, denegant Filium secundum diuinitatem, æqualem esse Patri, contra quos in Symbolo dicitur, *æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* fuerunt & quidam, qui ex eo quod Christus dixit Apostolis, *nolite portare neq; peram &c. neq; calceamenta*, nudis pedibus ambulabant, omnes calceatos damnabant, fuerunt & qui propter verbum Iacobi omnino nolebant iurare, quidam etiam licita iuramenta respuebant: fuerunt & qui propter verbum Christi, *Si quis reliquerit patrem & matrem, vxorem, filios &c.* relinquebant vxores, filios etiam paruulos non curabant alere, neq; parentes etiam debiles, contra quos in Gangrensi Concilio multa decreta facta fuerunt, quæ habentur trigesima distinctione: *Si qui filii.* & multis. Et hæc causa exempli dicta sufficiant. Nam multæ aliæ hæreticorum sectæ, Deo permittente, in Christiano populo ortæ sunt, de quib. Isidor. 8. *lib. etymoh.* & habetur 24. quæ fere omnes ex sacra scriptura, non tamen bene intellecta, se fundamentum accipere crediderunt. Vnde Chrysost. de laudibus Pauli, hom. 4. *Omnes hæreses*, inquit, *prædicant Christum, sed non omnes sane prædicant atq; legitime.* Nũc autem August. audiamus & eius consilium diligenti animo perpendamus, serm. 18. super illud Ioan. 5. *Non potest filius quicquam à se facere &c.* sic inquit: *Neq; enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scriptura bonæ intelligũtur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audaciter asseritur. Itaq; charissimi caute hoc audire debemus, ad quæ capienda paruuli sumus, & corde pio, & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanctitatis, vt quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus, quod autem secundum sanam regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligenti iam differamus, hoc est, vt etiamsi quid sit, nescimus, bonum tamen & verum esse, minime dubitemus.* O sacrum & memorandum documentum, illorum præsumptionem confundens, qui quicquid eorum intellectus non ceperit, reprobant & condemnant. Nam sic consulit Aug. *Sed etiam si nescimus*, inquit, *bonum & verum minime dubitemus.* magna ergo reuerentia scriptura sacra suscipienda est, & eius vera intelligentia est cum diligentia flagitranda. Nam non in verborum foliis est Euangelium, sed in radice rationis. Vnde Hiero. in Epist. ad Galatas, & est in decretis 1. q. 1. *Marcion & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes non habent Dei Euangelium: quia non habent Spiritum S. sine quo humanum fit Euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in ratione rationis.* Et ad hoc proposítum Cassianus in secunda collatione Abbatis Sereni iuxta principium, cum dixit, quod sacra scriptura est ager fertilis, in quo sunt aliqua, quæ ad literam pastum habẽt, sicut illud: *audi Israel Deus tuus vnus est*, dicit quod etiam aliqua sunt, quæ nisi allegorica explanatione extenuata fuerint, & spiritualis iguis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem interioris hominis cibum, sine corruptionis *labe peruenient, magisque ex eorum perceptione læsio quam vtilitas subsequetur, vt est illud: *Sint lumbi vestri præcincti.* Et, *qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat.* Et, *qui non accipit crucem, & sequitur me, non est me dignus.* Quod quidam districtissimi Monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, eas que iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Et idem in prima collatione Abbatis Moysi sub parabola de trapezita, cuius studium est, ne in moneta decipiatur, *agnoscite*, inquit, *nos hæc spiritualiter obseruare debere, sub huius nominis exemplo demonstrat primum, vt quidquid cordibus nostris irrepserit, vel si quod vobis dogma fuerit intromissum: verum nam sit diuino illo & cælestis spiritus igne purgatum, an ad Iudaicam superstitionem pertineris, seu de secularis Philosophiæ tumore descendens, in superficie tantum profiteat pietatem diligentissime perscrutemur, quod ita poterimus implere si illud Apostolicum fecerimus: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* quo genere quosdam dicit fuisse deceptos, & infra subiungit.

Magna reuerentia est sacra script. suscipienda.

Hier. in ep. ad Gal. c. 1. q. 1. Marcion & Basilides c. 64 Cassianus collat. 8. quæ est Sereni secunda.

Deut. 6.

Luc. 2. Iesus positus in ruinam & resurrectionem multorum & quomodo.

Matth. 1.

Psal. 38.

Origenes.

Chrysost.

1. Cor. 10.

Ioan. 5.

Aug. tract. 19. in Ioan. c. 5.

Ioan. 9.

1. Ioan. 5.

Ioan. 6.

De consecr. dist. 2. prima hæresis c. 44.

Omnes hæreses ob malam intelligentiam orta.

Prima hæresis in discipulis Christi.

Carpocratiani.

Luc. 2.

Cerinthiani.

Matth. 5.

Gal. 5.

Apostolici.

Luc. 14.

Adamiani.

Matth. 19.

Anthropomorphitæ.

Psal. 117.

Esai. 66.

1. Ioan. 4.

Ioan. 4. Heraclionitæ.

Donatistæ Ioan. 14.

Luc. 10. Nudipedes

Matth. 19. Marc. 16.

Dist. 30. si qui filii c. 1. 2. & seq. 24. q. 3. Quidam autẽ c. 39. Isid. lib. 8. etymo. c. 5. Chrysost. Aug. tract. 18. in Ioan. c. 5.

Aug. tract. 19. in Ioan. c. 5. Ioan. 9. 1. Ioan. 5. Ioan. 6.

Magna reuerentia est sacra script. suscipienda.

Hier. in ep. ad Gal. c. 1. q. 1. Marcion & Basilides c. 64 Cassianus collat. 8. quæ est Sereni secunda.

Deut. 6.

*exẽplar impressum habet: clade.

Luc. 12. Luc. 22. Matth. 10.

Cassia. collat. 1. c. 20.

1. Ioan. 4.

tra illud Ioannis 4. *Deus spiritus est.* fuerunt Heraclionitæ, dicentes omnia consilia perfectionis data à Christo in Euangelio esse obligatoria omniam Christianorum, Monachos tantum recipiebant, & coniugia respuebant. Fuerunt & Donatistæ, qui ex eo quod Christus dixit, *Pater maior me est*, denegant Filium secundum diuinitatem, æqualem esse Patri, contra quos in Symbolo dicitur, *æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* fuerunt & quidam, qui ex eo quod Christus dixit Apostolis, *nolite portare neq; peram &c. neq; calceamenta*, nudis pedibus ambulabant, omnes calceatos damnabant, fuerunt & qui propter verbum Iacobi omnino nolebant iurare, quidam etiam licita iuramenta respuebant: fuerunt & qui propter verbum Christi, *Si quis reliquerit patrem & matrem, vxorem, filios &c.* relinquebant vxores, filios etiam paruulos non curabant alere, neq; parentes etiam debiles, contra quos in Gangrensi Concilio multa decreta facta fuerunt, quæ habentur trigesima distinctione: *Si qui filii.* & multis. Et hæc causa exempli dicta sufficiant. Nam multæ aliæ hæreticorum sectæ, Deo permittente, in Christiano populo ortæ sunt, de quib. Isidor. 8. *lib. etymoh.* & habetur 24. quæ fere omnes ex sacra scriptura, non tamen bene intellecta, se fundamentum accipere crediderunt. Vnde Chrysost. de laudibus Pauli, hom. 4. *Omnes hæreses*, inquit, *prædicant Christum, sed non omnes sane prædicant atq; legitime.* Nũc autem August. audiamus & eius consilium diligenti animo perpendamus, serm. 18. super illud Ioan. 5. *Non potest filius quicquam à se facere &c.* sic inquit: *Neq; enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scriptura bonæ intelligũtur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audaciter asseritur. Itaq; charissimi caute hoc audire debemus, ad quæ capienda paruuli sumus, & corde pio, & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanctitatis, vt quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus, quod autem secundum sanam regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligenti iam differamus, hoc est, vt etiamsi quid sit, nescimus, bonum tamen & verum esse, minime dubitemus.* O sacrum & memorandum documentum, illorum præsumptionem confundens, qui quicquid eorum intellectus non ceperit, reprobant & condemnant. Nam sic consulit Aug. *Sed etiam si nescimus*, inquit, *bonum & verum minime dubitemus.* magna ergo reuerentia scriptura sacra suscipienda est, & eius vera intelligentia est cum diligentia flagitranda. Nam non in verborum foliis est Euangelium, sed in radice rationis. Vnde Hiero. in Epist. ad Galatas, & est in decretis 1. q. 1. *Marcion & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes non habent Dei Euangelium: quia non habent Spiritum S. sine quo humanum fit Euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in ratione rationis.* Et ad hoc proposítum Cassianus in secunda collatione Abbatis Sereni iuxta principium, cum dixit, quod sacra scriptura est ager fertilis, in quo sunt aliqua, quæ ad literam pastum habẽt, sicut illud: *audi Israel Deus tuus vnus est*, dicit quod etiam aliqua sunt, quæ nisi allegorica explanatione extenuata fuerint, & spiritualis iguis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem interioris hominis cibum, sine corruptionis *labe peruenient, magisque ex eorum perceptione læsio quam vtilitas subsequetur, vt est illud: *Sint lumbi vestri præcincti.* Et, *qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat.* Et, *qui non accipit crucem, & sequitur me, non est me dignus.* Quod quidam districtissimi Monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, eas que iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Et idem in prima collatione Abbatis Moysi sub parabola de trapezita, cuius studium est, ne in moneta decipiatur, *agnoscite*, inquit, *nos hæc spiritualiter obseruare debere, sub huius nominis exemplo demonstrat primum, vt quidquid cordibus nostris irrepserit, vel si quod vobis dogma fuerit intromissum: verum nam sit diuino illo & cælestis spiritus igne purgatum, an ad Iudaicam superstitionem pertineris, seu de secularis Philosophiæ tumore descendens, in superficie tantum profiteat pietatem diligentissime perscrutemur, quod ita poterimus implere si illud Apostolicum fecerimus: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* quo genere quosdam dicit fuisse deceptos, & infra subiungit.

Secundo sollicite nos explorare conuenit, ne auro purissimo sit spurium, per aliam interperatio coaptata, metalli pretiositate nos fallat, quo etiam est, quod Domino Saluatori callidissimus diabolus vel mimi simplicis sententiam imponere, dum ea quæ generaliter sunt ipsorum in intelligendi personis, malevola interpretatione corrumpere etiam specialiter huic, qui Angelorum custodia non egebat, adaptare conatur, dicens, mitte te deorsum. Angelis enim suis mandauit Deus de te, ne offendas ad lapidem pedem tuum, præcise scilicet ea quæ scripturarum callida assumptione conuertens, & ad contrarium sensum noxium quic detorquens, vt imaginem tyrannici vultus, sub colore nobis auri fallentis obiiciat. & infra: *quæ cum sint nostræ saluti professioni que contraria, tamen velamine quodam misericordiæ ac Religionis obtecta, facile imperitos, incautosque decipiunt, imitantur enim numismata veri Regis, quia videntur ad præsens plena pietatis, sed non sunt à legitimis monetariis, id est, Catholicis & probatis Patribus figurata, nec de Cardinali ac publica cotidianis eorum prædecessorum officina, sed furtim fraude dæmonum fabricatæ, non sine detrimento imperitis, quibusque ac ignorantibus ingeruntur.* & infra: *Erit ergo necessaria nobis ista discretio, vt primum nos materia auri veri seu falsati fallentisq; non lateat. Secundo, vt has cogitationes, quæ mentibus nostris operã pietatis, tanquam adulterina numismata, & paracaraxima reprobemus, vtpote quæ falsam imaginem Regis non legitime signata contineant, velut illa, quæ in auro pretiosissimo scripturarum, vitioso & hæretico sensu, non veri Regis, sed tyranni præferunt vultum, similiter discernentes refutare possimus.* Attendamus obsecro, & mente iugiter habeamus huius sancti Patris sapientissimum dogma, qui sub similitudine de moneta; falsam nos docet cauere doctrinam. Etenim sicut ipse declarat, moneta falsa est, siue quæ de non bono metallo fabricata est, siue quæ non habet veram imaginẽ, quia non est fabricata in publica officina. Sic est pariformiter in doctrina. Omnis doctrina suspecta, siue sit, quæ ex sacra Scriptura non est accepta, siue quæ ex sacra scriptura verba suscipiat, sed non est in sensu, quem Spiritus sanctus flagitat, applicata. Sicut diabolus fecerit, quando dicebat Christo, *mitte te deorsum, scriptum est enim, Angelis suis &c.* Auctoritatem scripturæ assumebat, sed in sensu sophistico atque falso. Et sicut timens decipi in moneta, volensq; sibi bene cauere, non vult recipere monetam, nisi de publica officina. Sic fidelis Christianus, qui tute vult dirigi in doctrina sana, nullam suscipiat, nisi quam in publica officina publice & generaliter in Ecclesia Dei videt suscipi & approbari, sicut enim B. Aug. ait, *omnis Catholicus securus partem detestatur, cui Ecclesiam vniuersalem Apostolicæ sedis roboratã, non communicare cognoscit.* Vnde Hiero. super illo verbo Pauli ad Gal. c. 2. *contuli cum illis*, sic ait, *ostendit se non habuisse securitatem Euangelii, nisi auctoritate Petri & aliorum verborum esset*, id est, nisi deduxisset ipsum ad publicã officinã. Sic ergo Paulus ostendit se non habere securitatem Euangelij; nisi deduxisset ipsum ad publicam officinam; ad Concilium Ecclesiæ, quis auderet doctrinam aliquam suscipere; aut docere, quam nõ approbauerit sancta Dei Ecclesia? Et ad idem est August. contra Faustum. *Apostolus enim Paulus, post Christi assensionem de cælo vocatus, si non cum Apostolis communicaret, & cum eis Euangelium conferret, quo eiusdem societatis esse appareret, Ecclesiæ illi omnino non communicaret.* & hęc ponuntur per glossam in loco prę allegato. Iam igitur recolligendo prædicta, cum sermo diuinus, iuxta dicta themat is prę sumpti, positus sit in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, in resurrectionem sane intelligentium, & in ruinam peruertum sensum capientium ex eodem; vt supra deductum est, sobrie & humiliter suscipi debet, neq; statim quod prima significatione verborum aliquid sonare videtur, illi sensui adhærendum est, quotiam non verborum foliis, sed in radice rationis consistit Euangelium, vt Hieronymus dicit, & est supra allegatum. Omnesque hæretici, & diabolus etiam, pro se allegant scripturam, vt prædictum fuit. Sed consulendi sunt maiores, quid senserint Patres Spiritu sancto pleni, non inniti propriæ prudentiæ contra Salomonis doctrinam. Super quo verbo Hieronymus inquit, *prudentia sua innititur qui ea, quæ sibi agenda vel dicenda videntur, præponit decretis Patrum.* Sed potissime standum est determinationi sanctæ matris Ecclesiæ, cui Hieronymus, Augustꝰ. & omnes Doctores sua dicta submittunt, & à qua illorum pendet auctoritas, vnde enim est, quod dicta Hieronymi, Augustini, & talium auctoritatem habent, nisi quia sunt ab Ecclesia ap-

Aug. Gal. 2. Hier. in ep. ad Gal. c. 2

Aug. contra Faust.

Sermo diuinus positus in ruinam & resurrectionem multorum humiliter suscipi debet. Prouerb. 3. Hiero. in Prou. c. 3.

Standum determinationi

Cap. 22.

probata? sicut legitur 15. dist. *Sancta Romana*. Si igitur doctores sua dicta determinationi Ecclesiæ submiserunt, & vt auctoritatem habeant, ab illa sumpserunt, quis eius audebit sententiæ refragari? Si quis ergo optat sacræ scripturæ profundissimum pelagus transfretare, in naui Ecclesiæ hoc tutus faciat, alias infallibiliter demergetur. Oremus ergo Deum omnipotentem, vt mentibus nostris Spiritus S. gratia infundatur, quæ doceat nos omnem veritatem, quatenus sermo diuinus in sacra scriptura reuelatus, non sit nobis in ruinam, sed in resurrectionem, ad ipsius omnipotentis gloriam, atq; laudem, & salutem animarum nostrarum totiusq; populi Christiani. Amen.

CCCXL. *Post Const. baptizarũ tunc Concilia celebrari cœpta. Isid. 5. etymol. c. 16. Dist. 15. canones. c. 1.*

Dignum reor hic dicere, quod cum iuxta præordinationem diuinam Ecclesia sancta Catholica infantiæ suæ tempore, vsque ad præfinitum tempus à patre diras tyrannorum persecutiones passa fuisset, adeo vt sicut Isidorus ait 5. *etymol. cap. 16.* persecutione feruente docendarum plebium facultas minime daretur, sed Christianitas in diuersas hæreses scissa esset. Tandem Constantino Principe miraculose à lepræ morbo sanato, & per beatum Siluestrum baptizato, in virilis ætatis robus euasit, tunc, vt idem Isidorus ait, & habetur 15. distinctione, *c. canones*. inceperunt sacra Concilia celebrari. Nicænum primo, in quo sancti Patres, iuxta fidem Euangelicam & Apostolicam, secundum post Apostolos fidei symbolum ediderunt, quod ideo in publica Missa altis vocibus cantat Ecclesia, vt ostentat ex tunc, omni trepidatione exclusa, fidei Catholicæ proclamationem Ecclesiam generaliter accepisse, deinde alia tria principalia Concilia, & alia subsequentia, à quibus omnis Ecclesiæ decor & pulchritudo edocta est, eoque tempore tanquam completis prophetijs, quæ de gloria & potentia Ecclesiæ scripta erant, sicut illa: *& nunc Reges intelligite &c.* Et illud: *Iaspici domæ dimicare festolia*, & illa: *Adorabunt eum omnes Reges &c.* Ecclesia quę dudum velut imbecillis tantum rogare & inuitare poterat, auctoritatem & potestatem acrepit etiam compellendi. Sicut Augustinus scribit Donato. Et habetur 23. quæstione 4. *distinct.*, iuxta finem sic dicit: *Non attendit, quia tunc primum Ecclesia nouello germine pullulabat, nondumque in ea completa fuerat illa prophetia: adorabunt eum omnes Reges terræ, quod vtique quanto magis impletur, tanto maiore virtute Ecclesia potestate, vt non solum inuitet, sed etiam cogat ad bonum, hoc tum Dominus significare voluit: qui quamuis habet magnam potestatem prius tamen elegit commendare humilitatem, & hoc in illa comitiua similitudine, satis euidenter ostendit, vbi missi Dominus ad inuitatos, & venire noluerunt, & ait seruo, Exi cito in vicos & plateas ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc, & ait Domino seruus factum est vt imperasti, & adhuc locus est, & ait Dominus seruo, exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Videmus nunc, quem admodum de his, qui prius venerunt, dictum est, Introduc eos, nunc dictum est, Compelle, ita significata sunt Ecclesiæ viscera, adhuc crescentis, vt essent vires ad compellendi.* Hæc Augustinus. Ex tunc quidem per diuersa donatia tam dicti Constantini, quam aliorum fidelium Principum, aucta est Ecclesia Dei in temporalibus bonis ampla possessione, non quidem, quin iam ante Ecclesia temporalia bona habuisset, vt inferius deducetur, sed quia ex tunc amplissime magnificata est. Et quam diu principum sæcularium ad Ecclesiam fuit, eritq; deuotio, & inter illas duas potestates, Ecclesiasticam sc. & sæcularem, ecclesiam & imperium, fuit, erit ve vnitas & concordia, fuit & erit quoq; orbi tranquillitas, & felicitatis decor. Ideoque humani generis inimicus, cuius proprium est vnitati & charitati aduersari, & Christiani populi profectibus obsistere, sæpe nisus est superseminare zizaniam, & subortis discordijs inter has duas potestates, insurrexerunt homines acuti ingenio, sed non in bonum, quorum aliqui prouocati, quia non poterant in Ecclesia promotiones quas optauerunt obtinere, vel quia districti fuerant, vel correcti, alij alijs passionibus impulsi, disputare inceperunt & asserere, quod Ecclesia non poterat bona temporalia possidere vel habere, maxime ciuile dominium, sed nec defuerunt, qui sententiam omnino contrariam affirmarunt dicentes, non solum Ecclesiam posse licite possidere & habere bona temporalia, & ciuile dominium, sed etiam Papam tanquam Christi Vicarium, qui vniuersorum est Dominus, omnium ciuilium dominiorum esse primum administratorem, imo & Dominum, eo modo, quo dominia hominibus sub Deo competunt. Et ad hoc possem allegare magnam copiam Doctorum, sic tenentium, suisq; scriptis & tractatibus hoc firmantium. Fuit quoq; quidam Cancellarius Parisiensis, qui sic intitulat suam tractatum: *Interdum contingit quod virtute volens vnum errorem, inuidit in contrarium &c.* & positis aliquibus exemplis, sic subiungit: *modo consimili circa potestatem Pontificum veritas medium ponit, inter illos duos errores. Nam error VValdensium fuit, successoribus Apostolorum, videlicet Papæ & Prælatis Ecclesiasticis repugnare dominium in temporalibus, nec eis licere habere diuitias temporales:* & posita alia contraria iam superius memorata opinione, subiungit: *inter has opiniones contrarias, quarũ primam erroneam omnes putant, puto quod veritas medium ponit, scilicet quod Prælatis Ecclesiæ non repugnat habere dominium in temporalibus, & iurisdictionem, contra primam opinionem erroneam, nec tamen eis debetur per se ratione status sui, & ratione quia sunt vicarii Christi, & Apostolorum successoris, sed eis possunt competere ex concessione Principum.* hæc ille.

Diuersæ opiniones de dominio temporalium, an possit competere personis Ecclesiasticis.

Ego quidem inter has opiniones quid sentire valeam, vt tamen præmissis protestationibus & bona pace loquar, nisi quod prima opinio, scilicet, quod Ecclesiæ non liceat habere diuitias temporales, quam præscriptus Doctor dicit ab omnibus erroneam reputatam, & nonnulli asserunt fuisse condemnatam in Concilio generali, de quo in c. *excommunicamus*. de hæreticis, introducto sit, & defensa ab his, qui sub colore cuiusdam palliatæ honestatis, tanquam prætendentes optare Ecclesiæ sanctitatem, ipsam destruere vellent. Vnde Hieronymus in minori Breuiario super illo verbo Psalmi, *vt destruas inimicum & vltorem*, sic inquit, *Inimicum & defensorem hæreticum, qui cum nequitia sua impugnat Ecclesiam, eam tamen defendere assimulat.* Et Augustinus super eodem, *quem nisi hæreticum. Nam ipse est inimicus & defensor, qui fidem Christianam cum impugnat, videtur defendere.* Vnde Gregorius 23. moralium. *Sæpe hæretici per hoc quod esse hominibus despicabiles solent, cum à catholicis fere gentibus sanctam Ecclesiam venerari conspiciunt, opinionem eius quibus valent obtrectationibus lacerare contendunt dicentes: idcirco illi cuncta temporalia suppetunt, quia ei præmia æternorum munerum subtrahuntur. Quorum vocibus Helihu obuiat, dicens: Ne forte dicatis, Inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum, non homo, at si arrogantes intra sanctam Ecclesiam, sed tamen fideles contra hæreticos dicant, per hoc quod sanctam Ecclesiam in honore hominum florere temporaliter cernunt, proiectam à Domino non credatis. Scit enim redemptor eius & in hoc itinere solatia venienti tribuere, & peruenienti ad æternam patriam superna præmia reseruare. Incassum igitur dicunt, quod Deus eam non homo proiecerit, cum ven. rari eam à cunctis fere hominibus videtis: quia sicut terrenæ glorię adiumentum tribuitur, vt per hoc multiplicius etiam ad cœlestia subuehatur.* sic Gregorius. De alijs autem opinionibus, siue de omnino contraria, siue de illa, quam ipse dictus Doctor ponit mediam, mihi dicere non est opus. Satis mihi est falsam opinionem refellere, & quod Ecclesiæ bona temporalia habere & possidere liceat, demonstrare. Hunc ergo ordinem, Deo propitiante tenebo. Primo rationes in contrarium factas soluere & enodare curabo. Secundo licet primum sufficeret, tamen nihilominus quasi ex superabundanti veritatem, quæ est, sc. quod Ecclesiæ & Prælatis, & personis Ecclesiasticis licitum sit habere & possidere bona temporalia, firmissimis demonstrabo documentis. Hæc quæ præmisi, dante Domino, credo me sic luculentius agere, si passim insequar vestigia Magistri Petri, qui hunc articulum proposuit, eiusq; scripta, quæ obtulit, in quo præterire nolo, quod cum in medijs propositorum sit vacuus, vt clare Deo propitio deducetur; in principio tamen & in fine plurimum loquitur rigide & Ecclesiastico statui detrahendo, & ea quæ in ipsis principio & fine loquitur, relinquit penitus sine aliquo fundamento. Dicit in principio, quod in tranquillitatis & discordiæ mundi causa est dominatio Cleri, super bonis immobilibus seu mobilibus huius viæ, & ad hoc dictum nullam probationem adducit.

c. excommunicamus, de hæret. li. 5. ti. 7. c. 13

Hieron. in Psal. 8.

Aug. ibid.

Gregor. 23 moralium.

Iob. 32.

Ego autem è contrario dico, quod ad tranquillitatem & pacem orbis multum proficit potentia & dominatus Ecclesiæ, nisi enim Ecclesia haberet potentiam, tanta esset indisciplinatio, & arrogantia hominum superborum, volentium inniti opinionibus propriis, quod nisi esset magna potentia Ecclesiæ ad comprimendos eos, quotidie hæreses pullularent & recrescerent: hoc vnusquisque volens aduertere, per seipsum intelligere potest, quoniam varietates opinionum cum capitositate & pertinacia non desunt, sed per timorem comprimuntur, & potest hoc aperte cognosci ex eo quod erat antequam Ecclesia hanc potentiam haberet, prout patet ex dictis Isidori iam superi? allegatis, quod ante illa tempora Constantini iam non erat facultas docendarum plebium, cum Christianitas in diuersas hæreses scissa esset: etiam ex dicto Augustini superius allegato, possem & adhuc multa alia deducere, quæ dimitto, ne efficiar nimis longus.

CCCXLII. *Conclusio aduersarii.*

Ponit demum conclusionem suam de his terminis: *Secularis possessio, sicut & ciuile dominium iure diuino & humano, Doctorum sanctorum sententijs, & ratione efficaci, tempore legis gratiæ prohibetur Clero Christi.*

Triplex possessio.

Deinde ad declarandum terminos, facit vnam distinctionem de possessione, & ponit descriptionem possessionis, quam ponit gloss. *super l. 1 ff. de acq. poss.* Quæ dicta per eum possem multipliciter impugnare, sed non curo contentiones verborum. Scio quod illam descriptionem ponit glossa prædicta, & quod diuiditur possessio in has tres species: ciuilem tantum, naturalem tantum, & naturalem & ciuilem, & illam quam ponit ipse dicit sæcularem, non est in C. nec in ff. nec in toto corpore iuris, & tamen eam vult fulcire ex quadam glossa *c. licet de off. ord.* Clare patet, quod non facit ad propositum, videamus textum & gl. textus dicit. *Licet eam circa viros Religiosos quam clericos sæculares.* Distinguit hic duas species Clericorum, seu Ecclesiasticorum hominum, alios Religiosos, alios sæculares Clericos. Glossa exponit quid sit dicere *Clericos sæculares*, & dicit quod Clerici sæculares dicuntur, qui possunt habere *pprium*, sicut & laici, cum Religiosi hoc non possint: Sic & Hostiensis *in c. 1. de sinn. Trin.* super verbo *communem*, dicit, quod sicut Deus creauit naturam spiritualem, corporalem, & hominem, cuius est mixta natura, vt ibi textus, ita genus Clericorum permixtam vtam ducit inter laicos & Religiosos. Quæ quidem allegata glossa facit ad hoc, quod dicatur sæcularis possessio, non est species sæcularis possessionis, imo omnis possessio in hac vita est sæcularis, quia sæculare idem est quod temporale, vt dicit gl. *super Epistol. ad Hebr. 9.* super illo verbo *sanctum sæculare*, id est, temporale. Bene scio differentiam inter res spirituales & temporales, & temporalia possidentur, vt ipsemet dixit. Certe audeo dicere, quod competeret mihi nota est materia possessionis. Nam scio me repetisse in ciuitate Barchinonæ, *c. cum dilectus de præscript.* vbi aderant plus quam quinquaginta Doctores & Licentiati in iure, & ibi latissime examinasse descriptionem & diuisionem possessionis. Et demum quando debui assumi ad officium auditoris Palatij Apostolici repetisse, *c. cum dilectus de causa poss. ff. & proprie.* cui quantum conueniat hæc materia, norunt omnes iurisperiti, tamen ego nescio intelligere, quid dicat ex dispositione terminorum. Scio enim quod interdum possessio capitur pro re possessa. *ff. de verbo. sign. l. imm. tum.* & ita sæpe capitur in sacra scriptura, sicut *Gen. 13.* quod *erat possessio eorum nimia*. Et in Euangelio *Matth. c. 19.* de iuuene qui *habebat possessiones multas*, quos textus ipse allegat & applicat ad descriptionem possessionis supra memoratæ, ad quam nihil faciunt, salua gratia allegantis.

c. licet. de off. ord. l. 1. tit. 31. c. 12.

Gloss. ad Hebr. 9.

c. cum dilectus de causa poss. & pro prietatis, lib. 2. tit. 12. c. 6. Gen. 13. Matth. 19.

Modus procedendi.

Relinquamus ista, & relinquamus alias superstitiones, quas facit de dominio pro declaratione termini positi in conclusione; *ciuile dominium*, quod etiam ad bona mobilia & immobilia iuxta suum conceptum applicari non potest, quoniam in bonis mobilibus habetur ab hominibus priuatum dominium, & non ciuile, quorum bonorum dominia vt plurimum acquiruntur iure gentium, quod est ius naturale. Et valde pauci modi sunt acquirendi dominia de iure ciuili, *l. ex hoc iure. ff. de instit. & iure. ff. de acquiren. rer. dominio l. 1.* & ibi glossa enumerat aliquos paucos modos, quibus dominia acquiruntur de iure ciuili. Et videamus ad intellectum, quid potest velle dicere, & occurrit mihi ista duo. Primo quod Clerici non possunt habere proprium, sed possunt habere omnia in communi, & hoc videtur dicere quarta suppositio si legatur. Sed nescio si hoc ipse sentit, cum, sicut audio, eius vitæ contradicat, nec credo, quod si aduenirent sibi bona hæreditas patris, vel alicuius cõsanguinei vel amici, portaret eam in communi cum fratribus monasterij Sclaorum in Praga, cum quibus viuit. Secundum, quod etiam in communi non possunt habere & possidere bona mobilia & immobilia. Sed & hoc videtur contrariare ipsi quartæ suppositioni, vbi dicit, quod habent in communi. Et maxime contrariatur cõtentus in schedula additiua vltimo data, in qua, vt mihi videtur videns se deficere in probationib. eorum, quę præmiserat, ipsa destruit & nouam materiam introducit, sine alicuius probationis fulcimento. Ego autem dico, quod Clerici non Religiosi, seu qui voto ad hoc non se obligarunt, licite possunt habere & possidere bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum, si eis relinquuntur, & alia bona iuste acquisita, traditione, donatione, ex causa, vel alicuius liciti contractus, vel arte licita. Item quod Ecclesia potest habere & possidere bona temporalia mobilia & immobilia, domos, prædia, villas, castra, oppida, & ciuitates, & in eis habere primatum & ciuile dominium.

Clerici non Religiosi possunt habere & possidere omnia bona temporalia, mobilia & immobilia iuste acquisita.

CCCXLIII. *Ad auctoritatem Num. 18. Anto le. & in hoc vet. Sacerdotes & leuitæ posse dicuntur in numis. & immob. Bonau. in 1. 4. 3. ad 7 Hebr. 7.*

Et ea quæ in contrarium dicta sunt, minime obstant, quibus respondeatur per ordinem. Et primo allegantur auctoritates veteris testamenti, *Num. 18.* & aliæ, in quibus habetur, quod dixit Dominus de tribu Leui, quod in terra illa *nihil possiderent, neq; haberent partem inter eos.* Et super eisdem auctoritatibus radicaliter fundatur prima & secunda ratio de rationibus, quæ in fine post allegationes auctoritatum subiunguntur.

Ad hæc omnia respondeo, quod sicut dicit Magister Bonauentura *super 4. sent. distinct. 24. quæst 1. artic. 3.* Sacerdotij Christi non tam fuit figura Sacerdotium Aaron, quam etiam Melchisedech, secundum quod dicitur ad Hebr. 7. *fuit Rex & Sacerdos*, sic & Christus. Et quamuis honorem regalem recusauerit, & ipse pauper vixerit, tamen propter suam dulcissimam benignitatem, ad hoc alios non attraxit, vnde nullatenus est credendum, statum vniuersalis Ecclesiæ aliter regi quam disponat Spiritus S. Hæc omnia Magister Bonauentura. Cum ergo Sacerdotium Christi sit secundum ordinem Melchisedech, sicut Apostolus ait, nil mirum si sacerdotes possideant temporalia, sicut Melchisedech, qui erat Rex Salem, & nihil ominus Sacerdos altissimi. *Gen. 14.* Sed nolo esse hac responsione contentus. pro parte altera allegat, sunt quinque textus veteris Testamenti, qui videntur sonare, quod Leuitæ nihil debebant possidere in terra promissionis, sed habere decimas & primitias, & oblationes, pro sustentatione sua. Et ego allegabo quindecim textus, quod Leuitæ habuerunt & possidebant bona mobilia & immobilia, seruos, domos, prædia & oppida, & ciuitates. Sed ante volo præmittere, quod in tempore ante legem, vt communiter Doctores dicunt, primogeniti fuerunt Sacerdotes, & præ alijs dominium, & hæreditatem habuerunt. Vnde *Genes. 27.* dixit Isaac ad Iacob: *Esto dominus fratrum tuorum*, quia prima erat benedictio primogeniti, & Genes. 49. *Ruben fortitudo mea primus in donis, & maior in imperio.* quod exponit Hieronym. in glossa de Sacerdotio maiori hæreditate, & imperio super fratres, quæ habuisset, nisi ascendisset cubile patris sui Abraham. Etiam fuit Sacerdos, vt probat Chrysost. *super Matth. 1.* Et quam diues fuerit, omnes scimus. De Melchisedech iam dictum est, & sic patet, quod in populo Dei Sacerdotes fuerunt opulentissimi.

Gen. 14.

Gen. 27. Gen. 49. Hieronym. in Gen.

Chrysost. in c. Matth. in opere imperfect.

Veniamus ad tempus legis veteris, & sequamur ordinem primo. Leuit. 25. *Ædes Leuitarum quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi, si redempta non fuerunt, in Iubileo reuertentur ad dominos, quia domus vrbium Leuitarum sunt pro possessionibus inter filios Israel. Suburbana autem eorum non venient, quia possessio sempiterna est.* Item Leuit. 27. *Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino.* & infra: *si agrum possessionis suæ vouerit, & consecrauerit Domino, &c.* & infra: *si noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatus, vltra eum, qui vouerit, redimere non poterit, quia cum iubilei venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad ius pertinet Sacerdotum.* & infra: *Omne quod consecratum fuerit Domino, siue homo, siue animal, sanctum sanctorum erit Domino.* Item Num. 35. *Locutus est Dominus ad Moysen, præcipe filijs Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suæ vrbes, ad habitandum, & suburbana earum per circuitum &c.* Num. 35. Cum Israel vicisset Madianitas, & de eis tulisset magnipolia, iussit dari Eleazaro vnam animam de quingentis, tã ex hominibus, quam ex bobus, asinis, & ouibus, & Leuitis quinquagesimum caput hominum, boum & asinorum, &

Leuit. 25.

Leuit. 27.

Num.

Num. 31

cunctorum animantium, ex media parte filiorum Israel. Item, *Deut.* 18. de cæteris Leuitis volentibus ministrare dicitur, *partem tiborum eandem accipient, quam cæteri, excepto eo, quod in vrbe sua ex paterna ei successione debetur.* Item *Iosue* 21. dederunt Leuitis filij Israel de possessionibus suis, iuxta imperium Domini, ciuitates & suburbana eorum, & ibi scribitur, quomodo quæ ibet tribus dedit certas ciuitates, alia decem alia tredecim, alia quatuordecim &c. Et in fine subiungit: *Itaq; ciuitates vniuersæ Leuitarum in medio possessionis filiorum Israel quadraginta duo, cum suburbanis suis, singula per familias distributa,* & præterea sex refugij, & sic erant 48. Item 3. *Regum* 2. Salomon ait ad Abiathar Sacerdotem, *vade in Anathot ad agrum tuum,* & sic Sacerdos habebat agrum. Item 2. *Paralip.* 11. Roboam Dei cultum tenente, & Ieroboam idololatriam inducente dicitur, *Sacerdotes venerunt ad Roboam relinquentes suburbana, & possessiones suas.* Ecce quot possessiones habebant Sacerdotes? Item Ieremias Propheta sanctificatus in vtero Sacerdos, emit agrum, soluit pretium, stipulationes fecit, & sibi fieri instrumentum *Iere.* 32. c. Item de eodem 37. cap. *Cum ergo recessisset exercitus Chaldæorum ab Ierusalem, eo, quod esset Ieremias vt iret in terram Beniamin, & diuideret ibi possessionem in conspectu ciuium.* Item *primi Esdræ secundo* de redeuntibus Sacerdotibus à captiuitate sic dicitur: *Habitauerunt ergo Sacerdotes & Leuitæ, & ianitores & cantores in vrbibus suis, vnusquisque Israel in ciuitatibus suis.* Item, certum est, Ionathan fuisse Sacerdotem, ex 1. *Machabæorum*, & ducem & principem ad bellandum: *ibidem* 9. & summum Sacerdotem, *ibidem* 12. qui habuit amplas possessiones, vnde in fine decimi capitis dicitur: *Addidit adhuc sc. Alexander Rex glorificare Ionathan, & misit ei fibulam auream, sicut est consuetudo dari cognatis Regum, & dedit ei Accharon* (nomen est ciuitatis) *& omnes fines eius in possessionem.* Idem *ibidem* 11. Demetrius Rex prædicta confirmauit Ionathæ, & maiora addidit, *sicut Ionathæ Rex sicut fecerunt ei qui ante eum fuerant, & exaltauit eum in conspectu omnium amicorum eius, & statuit ei principatum Sacerdotis, & quæcunq; alia habuit, prius præcisa, & fecit eum principem amicorum.* Item ibidem: *Scripsit Rex Antiochus adolescens Ionathæ dicens, constituo tibi Sacerdotium, & constituo te super quatuor ciuitates, vt sis de amicis Regis. & misit ei vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream & Simonem fratrem eius constituit ducem in termino Tyri, vsq; ad fines Ægypti.* de Sacerdotibus omnia ista dicta sunt.

Sed de Iuda Machabæo & alijs principatum & potentiam habet Machabæorum ostendit, & sic sunt quatuordecim auctoritates veteris testamenti, additur vna de nouo testamento, quantum pertinet ad vetus. *Act.* 4. *Ioseph qui cognominatus Barsabas Leuites, Cyprius genere, vendidit agrum,* hic erat Leuita secundum Magistrum historiæ scholasticæ & Nicolaum de Lyra, habebat tamen agrum quem vendidit, & sic habeo quindecim auctoritates contra quinque, quæ vincere debent; nam æqualis roboris & fortitudinis sunt, cum sint ex textu Bibliæ. Sed in sacra scriptura nulla est contrarietas. quid ergo? videamus verum ipsius intellectum, ne fermo ad corticem literæ intellectus sit nobis in ruinam. Textus per me adducti ad plurimum faciunt testimonium de facto. Quid ergo? fuit violata lex illa data per Deum? absit. Sed videamus ipsius verum & planum intellectum. Ego dicam valde plane, Dominus dedit 12. tribub. Israel terram promissionis, ista terra erat diuidenda inter tribus per partes seu hæreditates separatas, vt verbi gratia, tribus Zabulon habebit Bauariam, tribus Nephthalim Franconiam, tribus Beniamin, Austriam, & sic de alijs, ita sunt distincti & limitati fines tribuum in Canone Bibliæ. Tribus autem Leuitica, cum esset sacerdotalis, non habebat esse separata, sed debebat seruire in sanctuario ad vtilitatem omnium tribuum. Et ideo non habebat sortem seu hæreditatem ad partem, sicut vna tribus ex alijs, sed habebat plus quam aliqua tribus; quia cum essent 12. tribus, sibi non pertineret nisi 12. pars, & habuit decimam omnium, & vltra decimam, primitias, & oblationes, vota, sacrificia, redemptiones & emendas, domos, suburbia. Ecce quantam opulentiam habebant illi Sacerdotes, vtiq; vix credo, quod vel saltem in paucis locis, Sacerdotes nostri habeant maiorem opulentiam, & ita est intellectus illarum auctoritatum, quod non habuit sortem. Si enim Deus faceret tantam gratiam Germanicæ nationi, quod acquirerent terram illam sanctam, & demum deberet sibi diuidere per partes & nationes separatas, certum territorium Bauaris, certum Austrialibus, certum Bohemis, & non darent Sacerdotibus sortem vel hereditatem ad partem, sed cum omnibus partibus haberent in vnaquaque; habebant enim illi Sacerdotes, sicut dictum est mobilia & immobilia, domos, & prædia, in quibus habebant verum dominium, quia poterant illa vendere & alienare, quæ non potest facere, nisi Dominus. Quod autem possent vendere & alienare, patet per illam auctoritatem *Ieremiæ* 32. *& Actorum* 4. Ecclesia hodie in temporalibus bonis non habet aliud nisi oblata à fidelibus, si quis obtulit Ecclesiæ domum, vel agrum, castrum aut oppidum. Sic & illi habuissent si oblata fuissent, quæ erat lex Domini, vt supra est allegatum Leuit. vigesimo septimo: *Si vouerit domum suam.* Sed forte dicet, sed non habebant ciuile dominium, dico, textus non dicit. Non habebant ciuile dominium, sed nihil aliud, quam decimas & primitias possidebunt. In nullo eorum textuum fit mentio de ciuili dominio. Præterea dixi, & verum dixi, quod ciuile dominium non est applicabile ad bona mobilia & immobilia: Sed dicam, quid est ciuile dominium, de quo forte loqui nolunt, licet non expresserint illud, de quo dicitur, quod Imperator est Dominus istius ciuitatis, vel mundi, de quo per Doctores *in l. Bene à Zenone. Cod. de quad. præscript. & in cap. conuenior,* 23. q. 8. Sed non est Dominus illius domus, vel illius, quia imo illi priuati, vel Domini domorum & prædiorum sunt. Sed est quoddam vniuersale dominium quod magis proprie dicitur potestas de publico, seu iurisdictio, cuius descriptio habetur per glossa. *in l. 1. ff. de iurisdictione.* Sed certe tale dominium in populo Israel à principio nullus habebat, nisi solus Deus. Ideo quando voluerunt habere Regem, dixit ad Samuelem, *Non te abiecerunt, sed me, ne regnarem super eos,* 1. Reg. 8. Imo & Leuit. 25. dicit *Terra quoq; non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni estis.* Huius autem dominij seu iurisdictionis administrationem & exercitium habuerunt Domini Sacerdotes. Primum Moyses, qui erat Sacerdos. Vnde Psalmista: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* & idem dux & rector populi Israel. Deinde tempore iudicum, qui regebant Israel, fuerunt iudices plures de tribu Leui, sicut Heli & Samuel, qui fuit de tribu Leui, vt ait Magister historiæ scholasticæ. Et Augustinus in quæstionibus veteris testimenti tractando illud, quomodo Helcana, pater Samuelis decimas offerebat cum esset Leuita? & ibi ad nostrum propositum dicit, quod quia accipiebant vxores de alijs tribubus, sicut Ioiada sacerdos duxit filiam Regis Ioram, & sic habebant possessiones vxorum. Tandem supremum iudicium erat Sacerdotum, dicente Domino, Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, lepram & non lepram, causam & causam, & iudicium inter portas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. & facies quæcunq; dixerint tibi, qui præsunt loco quem elegit Dominus.* & infra: *qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrauerit Domino Deo tuo, ex decreto iudicis, morietur ille homo.* Postea vero venerunt Reges, quorum a quorum tempus non legimus quempiam præter Reges habuisse dominium alicuius ciuitatis, oppidi vel castri. Si nemo habebat, non mirum, si Sacerdotes non habebant. Est namq; mos in aliquibus Regionibus, sicut audio esse in Africa, quod solus Rex habeat dominium ciuitatum, oppidorum, castrorum & villarum. Sed postea temporibus Machabæorum, nonne Mattathias, Ionathas, Iudas Machabæus, & fratres eius Sacerdotes simul fuerunt & Principes, vt historia Machabæorum siquidem attestatur, & sic habuerunt ciuile dominium.

Iam venio ad auctoritates noui testamenti, & primo loco allegantur quatuor auctoritates ordine successiuo, quæ salua bona gratia allegantis valde parum faciunt. Prima est de vocatione Petri & Andreæ. Alia de vocatione Matthæi. In quibus magna vocantis virtus, & obedientia vocatorum merito commendatur. Sed cum non habeant noram præcepti, neq; prohibitionis, non potest ex eis argumentari ad licitum vel illicitum, sed ad laudabiliter imirandum, personarum, rerum & temporũ circumstantijs adhibitis sicut decet.

Hier. 32. *Act.* 4. — *Quid sit ciuile dominium.* — *Ad* 3. *Matth.* 8. *Matth.* 19. *Luc.* 18. — *Ad auctoritates noui testamenti. Ad* 1. *Matth.* 4. *Matth.* 9.

Allegatur secundo loco illud Matth. 5. *Si quis te percusserit in vnam maxillam,* q̃ nihil ad propositum facit. Et illa, *qui tecum vult in iudicio contendere & tollere tunicam*, quæ sic ad literam capta, & quod ad solos Clericos dictum esset, posset induci contra allegantem, nam constaret, quod Clerici possunt habere bona. Sed si ut omnis Doctorum sententia habet, hæc præcepta in præparatione cordis habenda sunt, in exteriori autem operatione id potius agendum est, quod proximi salutari conueniat. Vnde Augustinus ait in serm. de puero Centurionis, & habetur 23 quæst 1. *paratus debet esse homo iustus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos bonos fieri quærit.* & infra: *Ista præcepta magis sunt ad præparationem cordis, quia minus est, quam ad opus quod in aperto fit, vt teneatur in secreto, animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod ei prodesse videtur, quibus bene velle debemus, hinc liquido ostenditur, quod ipse Dominus Iesus exemplum singulare patientiæ, cum percuteretur in faciem, respondit, si male locutus sum, &c. Nequaquam igitur præceptum suum, si verba inspiciamus, impleuit*, & reliqua per eum ibi scripta, vbi etiam hoc cõfirmat ex Paulo, de quo Act. 23. quod percussus in maxillam, non præbuit aliam, sed dixit, *percutiet te Deus, paries dealbate.*

Tertio allegatur illud quod Christus dixit, *vulpes foueas habent.* Ad hoc & ad id quod sexto loco allegatur: *Si vis perfectus esse.* Et id quod Apostoli dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia.* Et quod 10. loco allegatur ex Luca: *Vende omnia quæ habes.* respondere opus non esset, quia omnis homo scit illa non ad Apostolos tantum dicta, immo ad literam dicta fuerunt non Apostolis, sed Scribæ & iuueni illi. Item non obligamur omnia agere, quæ Christus. Nam licet omnis Christi actio sit nostra instructio, non tamen semper ad necessariam imitationem, alias oporteret nos omnes crucifigi. Et ex se rextus ostendit necessitatem non habere, cum ad consequendum vitam æternam sufficienter præmisit, *serua mandata.* Et subiunxit *si vis perfectus esse.* Nec tamen quisquam intelligat, illud necessarium esse ad perfectionem Euangelicã, cum, vt Apostolus testatur ad Colos. 3. Charitas sit *vinculum perfectionis.* Sed quod illud est quoddam instrumentum accommodum, tanquam remouens illud, quod posset esse impeditiuum; essentiale autem perfectionis consistit in hoc quod dicit *sequere me*, non gressibus corporis, sed affectibus, vt hic dicit S. Thom. 2. 2. q 85. art. 6. & in multis aliis, & communiter omnes Doctores.

Ad quartum iam responsum est. Veniamus ad quintam, & simul cum ista accipio septimam & octauam, quia idem dictum Christi est sed à trib. Euangelistis recitatum, vt Augustinus deducit de consensu Euangelistarum. Et quia hæc videtur vt g. re, insistendum est circa ipsas, quia de istis solet fieri magnum fundamentum. Et nunc obsecro, omnes memores esse nostræ professionis, ne sermo Dei ad corticem literæ sit nobis in ruinam. Et ne efficiantur Christi falsi testes, sicut illi, qui dixerunt Christum dixisse, *possum destruere templum Dei, & post tres dies reædificare illud.* Et vnde existens in templo Salomonis, cum ejecisset ementes & vendentes, & petretur ab eo signum, dixit, *soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Iudæi intelexerunt de templo illo, in quo erat, ipse autem loquebatur de templo corporis sui, prout Ioannes verus eius testis & interpres attestatur. Sed vt simus idonei ministri testamenti, sicut dixit Paulus 2. Cor. 3. *Non litera, sed spiritu, quia litera occidit, spiritus autem viuificat.*

Et primo sciendum est, quod per hunc modum loquendi *nolite* vel *noli* non semper inducitur prohibitio, vt contra faciens peccet, sed est sæpe quædam exhortatio vel conforta-tio. Graue nimis esset, si vbicunque in sacra scriptura talis inueniretur locutio, prohibitionem inducere super expressa ad sensum grammaticalem, Lucæ quinto, præcepit ne cui dicerent, Marci decimo de libello repudii. Scriptum est in Euangelio Lucæ decimo quarto: *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, aut fratres, aut cognatos.* Nunquid est intelligendum ex hoc prohibitum inuitare amicos? Vnde Beda, vt Thomas allegauit in glossa: *fratres igitur & amicos, & diuites, alterutrum conuiuia celebrare, non quasi scelus interdicat, sed sicut cætera necessitatis humanæ commercia ad promerendum vitæ cœlestis præmia * modicum valere.* Iterum scriptum est Matth. 10. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt*, nunquid propterea est abiiciendus omnis timor eorum, qui possunt corpus occidere? certe non, sed hoc est intelligendum, ne propter timorem corporis iustitiam deseramus. Item: *in dite sollicitis esse quid manducaturi estis, neque solliciti esse de crastino.* Nunquid est propterea sic abiicienda omnino solicitudo victus & vestitus, pro futuro tempore? certe non. Vnde Augustinus in l. b. 2. de Sermone Domini. *Vehementer cauendum est ne forte cum videremus aliquem seruum Dei prouidere, ne ista necessaria desint, vel sibi, vel his, quorum cura sibi commissa est, tuid cernus eum contra præceptum Domini facere, & de crastino sollicitum esse. Nam ipse Dominus cui ministrabant Angeli propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cum aliquem seruorum eius animaduertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est, quibus portabatur pecunia, vnde victus necessarijs quisquid opus fuisset, præberetur: hoc prouidentia alij Apostoli, Paulus & Barnabas præceperunt collectas fieri in vsus Sanctorum qui erant in Ierusalem.* hæc Augustinus. Hoc de collectis habetur *Actor.* 11 *ad Rom.* 15. & ipse Paulus pro futuro suo itinere talem prouidentiam habuit, & ipse ostendit 2. *Cor.* 9. Et ad *Philip.* 4. Iterum cum Christus dixit, *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, numquid hæc prohibitio fuit magis confortatio quædam, ne timorem aut solicitudinem fortè idololatram haberent? sic in proposito. Iterum quomodo Christus dixit Lucæ 6. *nolite iudicare.* Nunquid prohibuit omne iudicium? absit. Iterum cum Apostolus Iacobus dixit: *nolite iurare.* nunquid propter hoc debet omne iuramentum censeri prohibitum? absit. Tandem cum Paulus dixit Timotheo: *noli aquam bibere.* peccauit Timotheus postea quando aquam bibit? In huiusmodi locutionibus attendenda sunt plura; persona loquens, cui loquitur, res de qua, quo dicendi genere, & qua de causa. Quoniam vt inquit Hilarius, *intelligentia verborum ex dicendi causis est assumenda, & mens dicentis magis est attendenda, quam verba.* Hac vna regula præsupposita infallibili; quæ trahitur ex Augustino tertio de doctrina Christiana, cuius libri principalis intentio est instruere nos ad intelligendam sacram scripturam. Regula est ista. Quod quando scriptura saluari non potest in sensu terminorum grammaticaliter acceptorum, topica seu figuratiua locutio est; Solet enim scriptura tropice seu parabolice loqui, ponens interdum causam pro effectu, vel effectum pro causa: vel rem pro vitio vel virtute, quæ vt communiter, vel vt plurimum solet cõsequi ad eam, v.g. dixit Christus Matth. 5. *Quicunque dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Certe ibi cordis rancorem ad apertam contumeliam prosilientem intellexit alloqui rens. Illitergehennæ ignis Paulus quando dixit Galatis, O insensati Galatæ. Vnde Augustinus libr. 21. de Ciuitate Dei, iuxta finem: *Non dicit fratri suo, fatue, qui eum hoc dicit, minus ipsi fraternitati, sed peccato eius insensus est.* Iterum aliud exemplum. Christus dixit Matthæi vigesimo quarto: *Nolite vocari Rabbi.* Item dixit ibidem, *Patrem nolite vocare in terra.* Certe non hæc nomina nec officia prohibete intellexit, sed ambitionem superioritatis & excellentiæ, quæ talia officia & nomina vt communiter consequi solent. Vnde Augustinus super Psalmo, *Attendite populo meo.* coram Patribus, &c. dicit. *Paulus senior dixit, non vt confundam vos hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo, cum scirem vtique à Domino dictum, Ne vocaueris patrem in terra, quod non ideo dictum est, vt vocabulum honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur, sed ne gratia Dei qua in vitam æternam regenerantur, naturæ vel potestati, vel etiam sanctitati cuiusquam hominis tribueretur.* Ecce quomodo Augustinus docet nos intelligere verba Christi in sensu intrinseco, non grammaticali, vt dicamus, quod quicunque aliquem vocat patrem, peccet, nec quicunque vult vocari Rabbi, quod idem est, quod Magistet, alioqui peccaret Magister Petrus Anglicus, qui bene vult vocari Magister, & multi alij quotidie peccaremus. Nunc autem ostendendum est, quod ipsæ auctoritates saluari nõ possunt, primo ex hoc quod Euangelistæ sibi inuicem contradicere videntur. Cum Matthæus & Lucas dicit, *neque virgam*, Marcus autem dicat, *nisi virgam*, & sic duo negare videntur, alter videtur cõcedere. Vnde oportet quod figuratiue loquatur, prout Augustinus dicit in de consensu Euangelistarũ. Item quod nec Christus nec Apostoli hanc doctrinam seruarunt, patet, nam Christus habebat loculos, in quibus portabatur pecuniæ ad emendum necessaria Ioannis 13. cap. super quo Augustinus in homilia 62. *Habebat ergo Dominus loculos à fide-*

Ad 2. *Matth.* 5. — *Aug. de puero centurionis* 23. q. 1. *Paratus* &c. — *Act.* 23. — *Ioan.* 2. — *2 Cor.* 3. — CCCLV. *Verbum, Noli aut nolite, non semper prohibitionem sonat.* — *Luc.* 5. *Marc.* 10. *Luc.* 14. *S. Tho. in cate. ex Beda.* * *textus imprimis habet nihil. Matth.* 10. — *Col.* 3. — *Tho.* 2. 2. q. 184. a. 1. *Ad* 4. 5. 7. & 8. — *Aug. de consensu Euangelistarum l.* 2. c. 30. — *Matth.* 26. — *Matth.* 5. — *Deut.* 17. — *Aug. in q. veteris testamenti.* q. 46. in 4. — *Act.* 4. — *Tribus Leuitica non debebat esse separata vt aliæ.*

libus oblationes conferuans, & suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuebat, tunc primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, vt intelligeremus, quod præcepit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruaretur à Sanctis, sed ne Deo pro ista seruiatur, & propter inopiæ timorem, institia deseratur. Hæc Augustinus. Hoc idem patet ex illo Euangelii Ioannis quarto, quando Iesus loquebatur cum Samaritana, quod Apostoli ibant in ciuitatem cibos emere. Et Marci. 6. dixerunt discipuli, *eamus emamus pro denariis panes, & demus eis.* Nec CHRISTVS intrans ciuitatem, interrogabat, &c. Nec intrabat quamcunque domum, & ibi manebat, sed recipiebat conuiuia, & à sanctis mulieribus sibi ministrabatur. Item panem secum detulerunt Petrus & Andreas quando iuerunt piscari, *Ioannis vltimo.* Item non legimus quod Apostoli seruauerunt illam clausulam, vt intrantes ciuitatem peterent, quis in ea dignus esset, & ibi manerent. Sed de Paulo legimus in communi legenda, & in historia scholastica, quod conduxit domum Romæ, & ipse recepit stipendium seu subsidium ab aliis Ecclesiis, de quibus videbat apud Corinthios 2. Corinth. 11. ad Philippen. 4. *Scitis autem vos Philippenses quando profectus sum à Macedonia, nullam ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli, quia Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis.* Circa ista verisimile est, quod in pecuniam mittebantur, & ab eo conseruabantur, sed vtcunque sit, siue pecunia, siue æs, siue panis, siue vestimentum, omnia essent contra prohibitionem, si prohibitio esset. Et collectæ missæ in Ierusalem, de quibus *Act. 11. & ad Roman. 15.* contra prohibitionem essent, si prohibitio esset. Et Petrus calceamenta habebat, quomodo Angelus dixit ei, *calcia te caligis tuis.* Actor. 12. cum tamen textus Euangelii dicat, *neque calciamenta*, & sic omnes deberemus ire discalciati, tamen neminem video discalciatum, sed omnes calciati ambulamus. Sed & Sixtus & Laurentius, qui thesauros habebant Ecclesiæ, Nicolaus & Ambrosius, & multi Sancti tanti gressi fuissent, quæ nullatenus sunt dicenda. Videamus ergo verum intellectum, quoniam ad literam iuxta sensum grammaticalem stare nō possunt, nisi dicamus, quod fuit non præceptum sed documentum vtile, pro illa missione, qua missi fuerunt ad populum Iudæorum prædicare pœnitentiam, & quod appropinquabat regnum Dei, ita dixit Augustinus, in libro contra Adamantium, discipulum Manichæi; hoc non fuit præceptū sed documentum vtile pro illo tempore, & hoc est de mente Chrysostomi, prout dicit sanctus Thom. 2. 2. *quæst. 185. distinct. 6. in corp.* secundum articulum. Pro cuius declaratione est sciendum & docendum, quod Apostoli bis fuerunt à Christo missi, primo, tantum ad Iudæos prædicare, quod appropinquabat regnum cælorum, & pro hac illa lege acceperunt. Secundo fuerunt missi post resurrectionem à Christo in vniuersum mundum prædicare Euangelium omni creaturæ, & hæc missio fuit libera, nec coarctata terminis terrarum, sicut prima, nec cærimoniis illis limitata, sed in lege perfectæ libertatis, sicut dixit Iacobus capite primo, & hoc satis ostenditur, quia dicit Augustinus secundo libro de doctrina Christiana: *illi evidentium, qui fuerunt ex Iudæis, seruarunt illam communem vitam, quæ erant legitimis honoribus assueti. Alii autem qui de gentibus conuersi fuerant, talem vitæ modum non seruauerunt.* Illa ergo prima missio cum suis regulis præterit. Nec iam prædicamus, quod appropinquat regnum cælorum. Sed in secunda missione succedimus ad prædicandum Euangelium omni creaturæ.

Vel dicamus ad mentem loquentis magis attendentes, quod magis confortatio quam prohibitio fuit, & demonstratio facultatis & potestatis, vt non timerent sine fiducia & pera ire ad prædicandum sed omnem anxietatem & sollicitudinem deponerent, & hic est cōmunis modus loquendi. Si enim aliquis nostrum mitteret seruum suum, & sciret quod in via nil sibi deficeret, quia vel alius socius, omnia necessaria secum ferret pro ambobus, vel irent per domos amicorum, vbi eis nil deficeret, diceret illi, Non portare panem neque vinum. Sic ergo volebat eos carere omni sollicitudine, temporalium, & omnem timorem expellere, augereque fiduciam. Et hoc est de mente Chrysostomi, prout eum allegat S. Thomas in glossa continua super Matth. 10 vbi inter alia sic dicit *ab omni eos soluens sollicitudine, vt vna sola*

Ioan. 4. *Marc. 6.* *Ioan. 21.* *2. Cor. 11.* *Philip. 4.* *Act. 11.* *Rom. 15.* *Act. 12.* *Quomodo intelligenda illa Apostoli facta dubitio dimittendo nec portando peram &c.* *Aug. contra Adamantium Manichæi discipulum Chryss. super illa verba: Salutate Priscam habetur immediate post Epist. ad Rom.* *S. Tho. 2. 2. q. 185. ad 2.* *Chrys. in 10. c. Mat.*

det in animo cura, quæ est doctrinæ, à qua etiam eos soluit, dicens, neque solliciti sitis quid loquamini. Et alia dicit, quæ hic longum esset recitare, sed poterimus in libro videre. Hoc etiam est de consensu Euangelistarum. De mente Augustini vbi sic dicit, *vnde satis ostenditur, cur eos hoc posidere aut ferre noluerit, nō quo ineffaria non sint sustentationi huius vitæ, sed quia eos sic mittebat, vt eis hoc deberi demonstraret,* & reliqua quæ longum esset hic scribere, videre poterimus in libro. *Aug. de consensu Euangel. ibi supra.*

Et tandem vt his finem imponam cum glossa ordinaria, *radicem omnium malorum auaritiam de cordibus voluit amputare, ipsam intendens, per aurum, argentum, æs, &c. quæ auaritia solent esse materia.* Sicut & prædixi de illis auctoritatibus: *Nolite vocari Rabbi, & nolite patrem vocare.* & in hoc concordant multorum Doctorum sententiæ, quas ex glossa S. Thomæ poterimus videre. Sic in illo Deuter. 17. *Cum electus fuerit Rex, non multiplicabit equos,* &c. intelligendum est non simpliciter, sed ad pompam & superfluitatem, alias peccasset in hoc Dauid tam commendatus à Domino, qui certe multiplicauit equos, & familiam ampliauit. Sicut ergo ibi sub illis verbis, non absoluta illarum rerum prohibitio intelligenda est, sed ad pompam & superfluitatem, vt ibi dicit Lyra, sic & hic auaritia prohiberur, quæ vtique, etsi in omnibus hominibus reprehendenda sit, est in Sacerdotibus detestanda. Huic sensui concordat Ambrosius, sicut allegat Thomas super illud Lucæ *Dominus post*, &c. qui voluit ad hoc derinare tractatum, vt spiritualem tantummodo locus iste formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate relecta, contemptisque diuitiis, sed etiam carnis illecebris abdicatis, & Theophylactus quidam etiam Apostolos non portare peram aut baculum, aut duas tunicas, sic intelligunt, vt non thesaurizent. *Deut. 17.* *Ambr. in 10. Luc.*

CCCLXVI
Ad 6. & 11

Venio consequenter ad sextam, & huic coniungo 11. quia similes sunt. vna est Marci, alia Lucæ, de illo, *si vis perfectus esse*, ad quod iam dictum est supra, non Apostolis, sed illi inuenti fuisse dictum. Et si dicatur, quod Prælatis competit esse perfectos, dixi & dico quod illud: *Vende*, &c. non est essentiale perfectionis, sed instrumentum sine quo bene potest esse perfectio. Paret de Abraham, de quo dictū est Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* De Iob, Tobia, & multis aliis, de quibus infra dicetur. Cum autem subiungitur, *Facilius est camelum per foramen acus introire, quam diuitem intrare regnum cælorum.* hoc generaliter ad omnes pertinet tam Clericos quam Laicos. Quomodo autem hoc intelligatur, ipsemet Christus declarauit Marc. 10. Nam cum dixisset, *quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt*, & discipuli obstupuissent, quasi declarando rursus ait, *filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis intrare in regnum Dei?* Ecce de quo diuite loquitur, qui spem suam in pecuniis suis ponit. Vnde Augustinus super Psalmo, *Quid gloriaris in malitia*, &c. *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum. Quando Dominus noster Iesus Christus abeuntes illi à se diuitis contristato dixerat, Vende omnia, &c.* & magnam desperationem diuitibus pronunciarat, vt diceret, *facilius posse camelum per foramen acus intrare, quam diuitem in regnum cælorum. Nonne continuo discipuli contristati sunt, dicentes apud semetipsos, quisnam potest saluari? diuites paucos attendebant, latebat eos tanta pauperum multitudo, non sibi poterant dicere esse difficile est, imo impossibile est vt diuites intrent in regnum cælorum sicut impossibile est vt camelus per foramen acus: Omnes pauperes intrant in regnum cælorum; diuites soli excluduntur? Quot sunt enim diuites? at vero pauperum innumerabilia multa. Non enim tunc ad ista respiciebant oculi nostri, sed ad illa multa. Non enim tunc ad ista spectant oculi nostri in regnum cælorum, sed vestis cuique fulgor iustitiæ deputabitur. Sunt ergo pauperes æquales Angelis Dei, indutis stolis immortalitatis fulgebunt iusti sicut sol in regno patris sui. Quid nobis est de diuitibus pauca solliciti esse, atque laborare? non hoc senserunt Apostoli. Sed cum Dominus hoc dixisset, facilius est camelum, &c. illi apud se dicentes, quisnam poterit saluari? Quid ait respondit? non facultates sed cupiditates: viderunt enim ipsos etiam pauperes esse non habentes pecuniam, habere tamen auaritiam, & vt noueritis, non pecuniam in diuite, sed auaritiam condemnari. Aduertite quod dico, respicio illum diuitem stantem iuxta te, & forte in illo est pecunia, & non est auaritia, in te non est pecunia, sed est auaritia, pauper ulcerosus arumnosus, linctus à canibus, non habens non habens forte ipsam vestem, ablatus est ab Angelis in sinum Abrahæ, ecce pauper gaudes modo. Nunquid suam tibi & vlcera optanda sunt? Nonne patrimonium tuum sanitas est? Non est in hoc.* *Aug. in Psalm. 51.* *Matt. 19.*

Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis. Nam diues qui sublatus est, non vides quo sublatus sit? Quis est sublatus ab Angelis? pauper ærumnosus & vlcerosus, quo sublatus sit sinum Abrahæ, lege Scripturas, & inuenies diuitem Abrahæ, & nouacia, quia diuitia non puniuntur. habebat Abraham multum auri & argenti, pecorum, familiæ, diues erat, & in sinum eius pauper Lazarus sublatus est, & in sinum diuitis pauper recipitur, an potius ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes? Quid ergo culpat Scriptura? non dixit, Ecce homo qui fuit dives, sed ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, non quia habuit diuitias, sed quia in ipsis sperauit, & in Deo non sperauit: ideo damnatur, ideo punitur, ideo monetur de tabernaculo eliquam motus ille terrenus, sicut puluis quem proiicit ventus à facie terræ, ideo existit pars radix eius de terra viuentium. *1. Tim. 6.* Numquid huic similes sunt diuites de quibus Paulus loquitur: *Præcipe diuitibus huius sæculi non superbe sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* & infra: *denique illis quid præcipit? Diuites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, & sibi fundamentum bonum reponant in futurum, si communicauerint non habenti, introibunt per foramen acus? introibunt plane. Nam & pro illo ipse camelus introibit, ipse enim prior introiit, quem sicut camelum nemo sarcina passionis oneraret, nisi ipse se in terram deponeret, & ipse hoc dixit, quod hominibus impossibile est, Deo facile est* & infra: *Os eorum locutum est vanitatem, &c. neque clamor in plateis eorum. Denique quid in illis reprehenditur? Non quia ista habuerunt, nam & boni habent ista, hoc intendite. Sed quid, ne pasim diuites reprehendatis,* & rursum: *Ne de paupertate & egestate præsumatis. in quo ergo isti notantur? Quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Hæc omnia Augustinus. Et ad hoc dictum Chrysostomus super Matth. 19 quod allegat Magister Petrus, Chrysostomus sic dicit: *Non pecuniis detrahens, sed eis qui detinentur ab ipsis.* *Psal. 143.* *Matth 19.* *Luc. 22.*

CCCLVII

Septima fuit coniuncta cum quinta, & vtrique simul responsum. Venio ad octauam, cui & duodecimam coniungo, quia & eadem auctoritas est à duobus Euangelistis recitata, quarum solutio satis liquet ex originali Chrysostomi, quem Magister Petrus allegat: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, non contenti regere subditos suos, violenter eis dominari nituntur, inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc.* Ecce quod intendit reprobare tyrannicum dominium, & ostendere quod prælatio Ecclesiastica debet esse iusta & caritativa, ad modum pastoratus cum sollicitudine, pro vtilitate omnium, ministrando eis ad animarum salutem, & hoc est, quod Petrus Apostol. air, *1. Pet. 5.* quæ auctoritas in loco simili per Magistrum Petrum posita est: *Pascite qui in vobis est, gregem Domini, &c. non dominantes in Clero, sed forma facti gregis.* Sed aduertendum est, quod ibi est vna glossa, quæ sic dicit: *Pascite non solum verbo & exemplo, sed corporalis subsidio.* ex qua apparet, quod Prælati ecclesiæ de bonis temporalibus debent tantum habere, quod sufficiat pro eorum vitæ necessariis, & possint etiam subditis & pauperibus in necessitatib. subuenire, quod in sacro loco latius Deo propitio declarabitur. *Chry. super M. tth. 19.* *Ad 8. & 12 Matth. 20.* *1. Petr. 5.* *Glos. ord.*

CCCLVIII

Nona fuit coniuncta cum quinta & septima, & simul vtrisque responsum, & hoc quantum ad illud Luc. 9. *Nihil tuleritis, &c.* Ad id autem quod subiungitur ex Luca cap. 14. *Qui non renuncians omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus, & si non odit patrem & matrem, &c.* Dico, quod ista non pertinent ad Clericos tantum, sed ad quemlibet Christianum dicta sunt, quia accipitur sic Christi discipulatus. Veruntamen ad quoscunque referatur, quomodo hoc intelligendū sit, glossa ibi declarat, dicens, quod omnibus mundanis renunciant, quia ita eis licite vtuntur quæ possident, vt tamen mente tendant ad æterna. veritas huius glossæ patet ex consequenti, vbi dicit, qui non odit patrem & matrē, &c. quæ non possunt intelligi de actuali odio, sed quod illa diuino amori non præferat, vt clare deducit Gregorius in homilia super illo Euangelio. hoc etiam patet. nam Lazarus & Maria & Martha non renunciauerant facultatibus, & tamen erant discipuli Christi. Item Nicodemus princeps Iudæorū, & Ioseph ab Arimathia dines erat. & discipulus Christi, de quo Rabanus super Matth. 27. *Magna dignitatis fuit apud seculum, sed maioris meriti apud Deum, quia non erat dives diuitiarum amore, sed tantummodo possessione, ideo diuites non excluduntur à discipulatu Saluatoris. Ille autem dines erat & discipulus, quia nec pecuniæ amator, sed distributor.* hæc Rabanus. Legitur etiam *Act. 21.* quod Paulus hospitatus fuit in domo Philippi Euangelistæ, qui habuit quatuor filias, & sic non renunciauerat *Luc. 9.* *Luc. 14.* *Glos. ord.* *Greg. homil. 37.* *Rabanus.* *Act. 21.*

omnibus, & tamen erat Euangelista, id est, prædicator Euangelii. vnde Beda sic dicit: *Omnium fidelium est renunciare omnibus quæ possident, hoc est sic tenere ea quæ mundi sunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo, habere rem temporalem in vsum, non animo in desiderio, sic teneas ea gerere, vt tamen tota mente ad cælestia tendant.* Ideo venio ad decimam, quæ est: *Nemo potest duobus dominis seruire.* quæ vtique statui pertinet: *Nemo potest seruire Deo & Mammonæ*, neque Clericus, neque laicus. Et ego talem abusum in homine excusare nescirem, quod seruiat ipse diuitiis, sed vratur debite illis. & tunc non Mammonæ, sed Deo seruit ipse, & mammonā sibi subiicit, & etiam Deo seruire facit. Vtiq; Deo seruit Prælatus Ecclesiæ, qui res Ecclesiæ debite administrat, & fideliter. quorum est procurator non dominus, prout etiam Magist. Petrus allegat. *extra de don. fiat.* Et Aug. & habetur 23. q. 7. quod autem. Si autem priuatim quæ nobis sufficiant possidemus, non illa sunt nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus. & hanc etiam Mag. Patrus allegat Cor. 14. *Bedæ.* *Ad 10.* *De don. fra. li. 3. tit. 23. 23. quæst. 7. quod aut. c. 3.* *Aug. ep. 30. ad Bonif.*

Reliquæ auctoritates quæ inducuntur, parum vrgere videntur, quapropter illas omitto causa abbreuiandi. Si autem alicui vel aliquibus earum velint insistere, designent illas, & ego Deo propitio satis faciam: & etiam ex infra dicendis satis patebit responsio.

CCCLIX. *Responsio ad originalia Doctor.*

Venio igitur ad originalia Doctorū, quæ cum sint multa & longa, per singula respondere tempus longissimum occuparet. Sed ego breuius quo potero complectar eadem ad omnia simul quasdam generales responsiones dando, ad aliquas vero illarum, quæ magis vrgere videntur, specialia dabo responsa.

Inprimis nonnulla ipsorum de religiosis loquuntur, licet Magist. Petrus extra scriptum exulent vocem suam, dicens: *Non dicant hæc loqui de Monachis quia Monachi nondum erāt.* Ad quod ego habeo dicere, quod dixisse legimus Aug 23. q. 7. quod autem: *Vsque adeo calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant quam sint inter se contraria quæ loquuntur.* Nonne ipsemet allegat Dionysium de Ecclestica hierarchia, c. 6. dicentem, Monachos esse de statu eorum, qui perficiuntur? Sed Dionysius fuit discipulus Pauli, & contemporarius Apostolorum. Vnde clare liquet, quod in principio nascentis Ecclesiæ fuerunt Monachi, cœnobitæ dico, viuentes in congregatione; Nam prout Cassianus recitat *lib. 2.* & historia Ecclesiastica *lib. 2. ante fin.* Beatus Marcus Euangelista apud Alexandriam Monachorum vitam instituit. Et in legenda B. Marci legitur, quod fundauit Monasterium sanctimonialium fœminarum. *23. quæst. 7. quod aute.* *De Monachis in principio nascentis Eccl.* *Cass. cons. Eccle. l. 2. c. 1. 16.*

Nemo ergo detrahat Religionibus, quæ à tempore Apostolorum, & ab ipsis Apostolis & Christi discipulis sumpserunt originem & initium, & vtique plurimum Dei Ecclesiam illustrarunt. Magna pars Doctorum Ecclesiæ fuerunt Religiosi. Ecce Augustinus, Hieronymus, & Gregorius de quatuor principalibus Doctoribus tres fuerunt Religiosi, his additus Chrysostomus, Magistrum Gratianum, qui compilauit volumen decretorum, Rabanum, Bedam, Hugonem, Richardum de S. Victore, Anselmum, Nicolaum de Lyra, sanctum Bernardum. Thomam de Aquino, Albertum, Bonauenturam, Petrum de Tarantasio, Scotum, & plures alios, qui Ecclesiam Dei suis illustrarunt scripturis. Vtinam omnes tales æmulationes cessarent, & omnes vnanimiter curaremus agere, quæ Christi sunt, tanquam diuersa membra vnius corporis. Nam sicut dicit Apostolus, sicut in vno corpore diuersa sunt membra, ita in vna Ecclesia diuersi status, omnes ad decorem & vtilitatem Ecclesiæ. Et licet in Religiosis multa sint hoc tempore, quæ reformatione indigent, sicut & in cæteris statibus, tamen nihilominus multum illuminant Ecclesiam prædicationibus & doctrinis. Et nemo prudens in caligine loco existens, lucernam extinguit, non bene sibi lucentem, sed habentem fuscum seu scoriam, curat aptare, quo melius poteſt. Nam melius est, quod aliquantulum turbide luceat, quam sibi penitus esset extincta, & hoc volo incidenter non sine causa dixisse. *1. Cor. 12.*

Secundo volo notare, quod talia, qualia de Prælatis Ecclesiasticis dicta sunt, ego volo ostendere de priuatis & principibus laicis esse scripta. Et primo occurrit Deut. 17. *Cum electus fuerit Rex, non multiplicabit equos.* si hic ad literam capien- CCCL. *De duabus viam contemptu ex vtr. qu. cc. ca. 18.*

dum

dum esset, debuisse tire Saul post asinas, sicut quando fuit assumptus in Regem, & Dauid de post fœtantes. Deinde illud Eccles. *Rectorem te constituerunt, esto vnus quasi ex illis.* Et Prouerb. fin. cap. *Noli dare vinum Regibus.* Apud Hermogenem antiquum Philosophum legitur: *Signum perfectionis est in rege abstinentia à pecunia & possessionibus.* Et Aristoteles ad Alexandrum: *Deliria conatus bestialium voluptatum, & desiderium diuiciarum, vere istud est verecundia, istud in præsumptionem mergit.* Et idem 9. Ethicorum: *Verum est de studioso, & amicorum gratia multa agere & pati, & si oporteat mori, proiicit enim & pecunias & honores, & totaliter circa pugnabilia pugna, procurans sibi ipsi bonum virtutis.* Et Valerius libro quarto, capite tertio: *Magna cura præcipuoque studio referendum est, quant opere libidinis & auaritiæ furori similes impetus ab illustrium virorum pectoribus cõsilio & ratione semoti sint.* quod ibi multis illustrium virorum exemplis confirmat. Et Tullius primo de officiis: *Capessentibus rempublicam nihilo minus quam Philosophis, haud scio an magis etiam & magnifi entia & despicientia adhibenda sit rerum humanarum.* Ecce quid dicit? quod non minus, imo magis quam Philosophis adhibendus est contemptus rerum temporalium capessentibus rempublicam. Et Seneca: *Nemo alius Deo dignus est, quam qui opes contemnit.* Multa dicta Philosophorum possent adduci, nisi timerem esse prolixus. Nemo tamen indignum reputet Philosophos allegari, quoniam imitatione dignus beatus Basilius vtile esse valde dicit eorum commemorare sententias: quoniam dum apud eos magna & ardua præcepta legimus, Euangelica leuius ferimus, & facilius perpendimus, quod per multa exempla declarat, mihi autem vnum occurrit nostro conforme proposito. Seneca *epist.* 50. ad Lucillum, ad finem: *Satis diu cum Baiis lutigauimus, nunquam satis cum vitiis, quæ oro persequere fine modo, fine fine, nam illu quoque nec finis est, nec modus, proiice quæcunque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequeunt, cor ipsum cum illis euellendum erat.* Nonne iam leuius audiuimus à Christo illud Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proice abs te,* cum audiuimus Philosophum in exaggerationem vitiorum in tantum prosiluisse, vt dixerit cor etiam euellendum?

Iam veniamus ad nostra, quæ sunt maioris auctoritatis & dignitatis. Et primo occurrit illud Luc. 14. vbi sic legitur: *Ibant autem turbæ multæ cum eo, & conuersus dixit ad illos: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus, & qui non baiulat crucem suam, & sequitur me, non potest esse meus discipulus.* Et in eodem capitulo: *Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quod Beda dicit omnibus Christianis esse dictum, dicens: *Omnium fidelium est renunciare omnibus quæ possident*, vt supra allegatum est. & iterum Matth. 16. *qui non accepit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* hæc non ad Clericos tantum, sed ad omnes generaliter dicta sunt.

Sed addamus aliqua originalia dicta Sanctorum Doctorum, & primo volo capere de horto ipsius Magistri, vt apud eum & suos minus dubia sint. Augustinus in libr. de opere Monachorum: *Si quius terrena reipublicæ aut iuqui principes præclarissimorum literatorum suorum eloquio prædicari solent, quod rem communem vniuersi populi sua ciuitatis, priuatis suis rebus sic anteponebant, vt quidam eorum Africa domita triumphator, quid nubenti filiæ daret non haberet, nisi ex Senatusconsulto de publico dotaretur; quo animo esse debet in rem suam publicam ciuis ciuitatis Ierusalem?* Allegat etiam Augustinus in libr. de contemptu mundi. Et notate titulum libri, in ipso libro Augustinus sic dicit: *Si mundi gloria vana non esset, si diuitiæ terrenæ verabona essent, non earum possessoribus imprecatetur Dominus, Væ vobis diuitibus.* & reliqua. tota illa auctoritas hoc facit. Et ad hoc propositum de informandis qui veniunt ad baptismum, facit illa auctoritas Dionysii, quam Magist. Petrus allegat: *Sed non est summe contrariis simul parti ipandum, &c.* Et si attendamus interpretationem huius nominis, Christianus, sicut de nomine clericus arguitur, & abrenunciationem, quę fit ante baptismum diabolo & omnibus pompis eius, & quid significent vnctiones, de quibus *c. 1. de sacra vnct.* & cætera quæ fiunt in baptismo. Et vestis candida, quæ traditur, de qua Rabanus: *Post baptismum traditur Chrismatis vestis candidadquæ significat innocentiam, & puritatem Christianorum, quam post ablatas veteres maculas, studio sanctæ conuersationis immaculatam conseruare debet.* de cons. dist. 4. vbi multi textus ad hoc. Si ex his omnibus volumus argumentari, sicut ex nomine clerici, & cæremoniis ordinum, profecto grandia argumenta distinctionis Christianæ Religionis accipiemus. Accedat finaliter quod Aug scribit in libello de conflictu vitiorum, *c. de auaritia*, loquitur de bonis temporalibus, & dicit sic: *Ista nec apud homines sæculares sine periculo vel offensa procurantur, quia quanto magis quisque habere cœperit, tanto amplius habere concupiscit sitque vt modum in concupiscendo non habeat, dum innumeris huius seculi curis deseruire sibi mat, vt enim ait Scriptura: Auarus pecunia nunquam implebitur, quæ nimirum, quam sit detestanda, Paulus indicat, dicens: Et auaritia, quæ est idolorum seruitus. Quamque sit noxia, idem exponit, dicens: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa, & nocua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Quam sit detestanda, sapiens denunciat, dicens: Auaro nihil est scelestius. quam sit noxia, Iacobus aperit, dicens: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis, quæ aduenerunt vobis, diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tinea comesta sunt, aurum vestrum & argentum vestrum eruginauit. Et erugo eorum in testimonium erit vobis, & mãducabit carnes vestras sicut ignis. Sed nec Redemptor noster præterire voluit cupiditatis malum, quam noxium sit, ait enim, difficile qui pecunias habent, regnum cœlorum intrabunt. Et rursum, facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* hæc Augustinus. Et post hæc sequitur: *Si sæcularibus viris est perniciosa cupiditatis industria, quanto magis illis perit cloquor, qui habitu & conuersatione tam ieculares esse desierunt, qui totum quod viuunt Domino Deo dauouerunt, &c.* quæ Magister Petrus allegat, & de voto obligatis loquitur, vt sequentia demonstrant. Sed & nonne generaliter diuitias spinas esse Christus dixit, & suffocare verbum Dei? Super quo Hieronymus eleganter adiunxit: *Fallacia diuitiarum suffocat verbum, blanda enim sunt diuitiæ aliud agentes, aliud pollicentes, lubrica est eorum possessio, dum hic illuque circumferunt, & instabilis grada vel habentis deperunt, vel non habentes deficiunt. vnde & Dominus diuites asserit difficile intrare in regnum cælorum, suffocantibus diuitiis verbum Dei, & vigorem virtutum emollientibus.* Multa alia possem ad hoc propositum ducere, quæ per sacram scripturam sanctosque Doctores, scripta & dicta sunt, quæ diuitias detestãtur, & exaggerãdo materiam, duras videntur proferre sententias. Sed vtiq; in his omnibus non est intelligendum ipsas cẽtere abiiciendas esse diuitias. Sicut Seneca dixit post illud prælegatum. *Item nemo alius dignus Deo est, nisi qui contemnit diuitias.* Subinuxit: *quarum possessionem tibi non interdico, sed esse volo, vt illas intrepide possideas, quod vno consequeris modo, si illas tanquam exitiales semper aspexeris, si rẽ fine illa beate victurum speraueris.* Perluadeat tibi hoc idem, qui maiori auctoritate est Dauid Propheta: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere,* non dicit abiicite, sed nolite cor apponere. Vnde Hieronymus ad Saluinam: *Nec diuiti obsunt opes si eis bene vtatur. Nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes & inopiam peccata non caueat.* Et Gregorius decimo Moralium, capitulo vigesimo octauo. *Sunt nonnulli quos census & bona temporalia per timorem non eleuant, sed per misericordiæ opera exaltãt. Et iust nonnulli, qui dum se terrenis opibus abundare conspiciunt, veras Dei diuitias non requirunt, atque æternam patriam non amant, quia hoc sibi sufficere putant, quod rebus temporalibus fulciuntur. Non enim est, census in crimine.* Et Augustinus primo de ciuitate Dei, cap. decimo: *Cum Apostolus dicat: Qui volunt diuites fieri, &c. profecto in diuitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem, quam præcepit alibi, dicens: Præcipe diuitibus huius mundi, non sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui nobis omnia præstat ad fruendum abunde. Bene faciant diuites, sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum futurum, vt apprehendant veram vitam.* Et Augustinus idem super Psalmo: *Quid gloriaris, &c. Ecce homo,* dicit, prout supra latius allegatum est, *quod Apostolus cum audierunt, facilius est camelum, &c. & cum ipsi pauperes essent facultatibus, & in mundo maior sit multitudo pauperum, quam diuitum, & contristati dixerunt, quis poterit saluari? Quid attenderunt ad literam? non facultates, sed cupiditates. Viderunt etiam ipsos pauperes, etsi non habentes pecuniam, habere tamen auaritiam. Et, vt nouerits, non pecuniam in diuite, sed auaritiam condemnari.* & infra: *Vt nouerit, quia diuitiæ non punientur, habebat Abraham multum aur & argenti, pecorum, familiæ, dies erat, & in eius sinum Lazarus pauper sublatus est.* & infra: *Denique quid in illis reprehenditur? Non quia ista habuerunt, nam & boni ista habent: Sed quid?*

Aug. de cõflict. vitior. & virtut. cap. 16.

1. Tim. 6.

Eccles. 10. Iacob. 5.

Marc. 10.

Hier. in 13. ca. Matth.

Diuitiæ nõ ideo abiiciendæ. In excerptis è libris Senec. pa. gi. Roman. edi. 233.

Psal. 61.

Hiero. ad Saluinam. Greg. Mor. c. 28.

Aug. de ciu Dei, lib. 1. c. 10.

Augus. in Psal. 51. Supr. ad 6. & 11. auct.

Aug. de ope re monach. c. 25. to. 3.

Aug. in lib. de cont. m. mund. ca. 5

Dionysius Areop.

De consc. dist. 4. post bapt. ca. 91 Rab. de inst cler. lib. 1. c. 29.

Ecclesiastici. 275

quid? Hi cauendæ, ne passim diuites reprehendatur, & rursus, ne de paupertate & egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de diuitiis, quanto magis non est præsumendum de paupertate, sed de Deo viuo. In quo ergo ista notantur? quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Ideo filii alieni. Hucergo in summa reprobatur, ponere beatitudinem in diuitiis, hoc reprobatur cupido seu auaritia. Nam & sicut sanctus Doctor dicit in summa contra gentiles, libro 3. cap. 133. *Paupertas de se non est bona, nisi inquantum liberat ab illo, propter quæ homo impeditur à profectu virtutum.*

S. Th. cont. gent. lib. 3. c. 133.

CCCLI. *Ecclesia licet habere bona temp. in comm. Aug. de conflict. vitio. & virtut.*

Conclodo igitur ex allegatis omnibus nõ probari, quod Ecclesiæ non liceat habere bona temporalia in communi, imo hoc approbauit praxis Christi & Apostolorum. Et ipse M. Petrus ad hoc allegat duas auctoritates Augustini. vna est de conflictu vitiorum, vbi dicit: *A Sanctis & Religiosis plura habenda sunt, vt melius ab ipsis, quam à popularibus erogentur pauperibus Christi.* Et ego consentio, sed à Prælatis, non autem subiectis. Aia, Si pauperes comparticipes sumus. Et hoc esse licitum, multis auctoritatib. inferius comprobabo. Sed nec etiam obstat ad hoc, quod dixi, quod Clerici, imo Episcopi possunt habere proprium patrimonium, quia de hoc extat sententia canonis Apostolorum, 12. quæst. 1. *Sint manifeste res propriæ Episcopi, & res dominicæ, vt potestatem habeat de proprio moriens Episcopus, si voluerit, & cui voluerit, relinquere.* hoc etiam satis indicat doctrina Apostolica. Nam cum tunc possint habere & filios, quos in omni castitate nutrire debebat Episcopus, ipsosque iubeat Apostolus hospitales esse, satis comecturatur, quod in bonis suis Episcopus. & quilibet Clericus remanebat. Et hoc etiam patet ex illo Act. 21. *Et intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansurus apud eum, huic erant quatuor filiæ virgines.* Et propterea statuit Apostolorum Concilium inuentarium fieri separatim de bonis Ecclesiæ, & de bonis Episcopi, ne confunderentur per mutuam commixtionem, sed appareret quid esset proprium Episcopi, quid Ecclesiæ. Et sic apparet, quod ex tempore Apostolorum iam Ecclesia habebat bona, & nihilominus Episcopus cum suis bonis remanebat.

Epiſcopi possunt habere propr. pari. 12. q. 1. sint manif. c. 21

Act. 21.

Ad auctoritates Duct.

Nec obstant allegatæ auctoritates Augustini, Hieronymi & aliorum, qui ex interpretatione nominis arguentes hoc videntur innuere. Nam primo de Augustino constat, quod ipse dicit, se primo disposuisse non velle habere clericum, nisi enum. iaret omnibus, & esset sine proprio, sed postea mutasse sententiam, sic dicit: *Certe ego sum, qui statui, am nullam ord nare clericam, nisi qui mecum vellet manere,* & infra: *Ecce in consilio Dei & vestro maro consilium, qui voluerint habere proprium, maneant vbi volunt, & vbi possint, non tis aufero clericatum.* 12. q. 1. de Hieronymo etiam ipse scribens ad Damasum Papam. 1. q. 2 ita r: *Clericos illos conuenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, qui parentum aut propinquorum nulla sufragantur bona.* Ecce ergo quod Clerici possunt habere proprium, & ad hoc cõcordat c. sequens, & est Prosperi: *Pastor Ecclesiæ his quibus sua sufficiunt, &c.* Nec propter hoc quod Clerici proprium habent, minus de sorte Domini sunt, nec Dominum in partem seu hæreditatem habere desinunt, quia nõ in illo q̃ possidẽt, beatitudinem suam ponunt, sed in Deo; nec illud pro hæreditate habent sed Deum, & ad eius obsequium illa bona cõuertunt; nec propterea, quia habent bona temporalia, non possint dicere, *Dominus pars hæreditatis meæ,* quoniã & Dauid, qui illa primo dixit, ciuitates, castra & regnum obtinebat.

Ad auctoritates Augustini. 1. q. 2. Cler. c. 6.

Multa possem ad horum probationem deducere, sed gratia breuitatis omitto, maxime, quoniam & hoc iam confitetur in schedula vltimo data, vbi dicunt, quod vsus bonorũ temporalium est ipsi Clero licitus, resecata omni superfluitate & abundantia vitiosa. Et hoc ego dico, quoniam non laudo, sed reprobo superfluitatem vitiosam, & confiteor, q̃ Clerici de bonis Ecclesiæ non debent thesaurizare, ad dicendum pauperes cõsanguineos, vel affines, sed recepta sufficientia pro necessariis personæ, domus, & familiæ, &c. hospitibus cum charitate & decenter suscipiendis, secundum conditionem & statum personæ, residuum debent vel in vtilitatem Ecclesiæ, vel pauperibus erogare, & si de bonis Ecclesiæ libidinose viuant, laute vel crapulose, aut pro pompa superfluitatem vitiosam faciunt expensarum, multipliciter delinquunt, quia rem illicitam faciunt, quod est commune etiam laicis, sed in Clericis grauius. Et qui ad exemplum aliorum dati sunt, male agendo, sicut Gregorius inquit: *Tot mortibus digni sunt, quot populo vitiorum exempla transmittunt.* Item, quia quod pauperum est, male in illicitis expẽdendo, quasi rapinam committunt, de quo coram Deo districtam dabunt rationem. Sic quę non est illicita possessio, sed abusus, vsus vero moderatus laudabilis. in quo mensura certa præscribi non potest, sed consideratis qualitatibus personarum, conditione patriæ & gentium natura administrationis, & aliis huiusmodi generis familiarum, & modus expensarum moderandus est. Nam oportet quod secundum naturam præiudentiæ vel officii pauciores vel plures ministros habere debeant. Et sic sępe errat intuentium iudicium, reputantium aliquem prælatum nimiam habere familiam. Et in veritate loquor, quod mihi hoc contigit, quod cum quidam bono viro mecum conferenti visum est, quod quidam prælatus excederet in familia, ego dixi, vultis vos, & ego calculemus, quis esset competens numerus? & fecimus rationem, & reperimus nihil esse superfluum, & ipse congratulatus fuit mihi, dicens, vere mihi valde placet hoc sic discussisse, quoniam in me ipso scandalizatus eram, & nunc cognosco quod nil superfluum est. Facile in his erramus, quia aliorum necessitates aut non bene scimus, aut non bene aduertimus; fateor autem quod plurimum cauere debent prælati & principes à pomposa & inutilium familiarum sequela. Nam ex hoc eis crescit paupertas, & multæ angustiæ, multaq; oriuntur grauamina subditorum. potest etiam esse vsus, non tantũ laudabilis, sed multum meritorius & fructuosus, quoniam Clericus videlicet bona Ecclesiæ diligit, & vtiliter administrat, & in seipso magna parcitate seruata, largas eleemosynas facit, sicut ego scio, & vidi aliquos per Dei gratiam, nolo cõmendare viuentes, sed de mortuis infra plurima exempla subiungam. Ad prædicta bene facit 1. q. 2. c. facedos. quod Magister Petrus allegat, vbi textus: *Sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed cum laude pietatis accipit à populo dispensanda.* & est dictum Prosperi, cui concordat verbum Augustini 23. q. 7. c. quemadmodum, iuxta fin: *non dominandi cupiditate, sed bene vtendi pietate possideant.*

Quomodo Clerici bona eccl. debeant vti.

Superfluitas & pompa in omnibus à clero vitanda.

Ab inutilibus expensis Prælatorum & Principum ornentur grata animus subditorum. 1. q. 2. sacerdos. 6. 9. 23. q. 7. c. quemadmodũ. 6. 4.

CCCLII. *Prosper de vita cõtem. l. 2. c. 16. Sollicitudo pro bono eccl. fideliter administrata est laudabilis in Prælatis.*

Neque hæc solicitudo, quæ pro his fideliter administrandis habetur, secularis dicenda est, sed Ecclesiastica. Prosper in vita contemplatiua: *Pessiones quas oblatas à populo suscipiunt Sacerdotes, eas non sunt res mundi credendæ, sed Dei.* nec est reprobanda, sed laudanda in Prælatis & his, quibus ex natura officii vel administrationi, cui præsident, competit. Nam vita prælatorum Ecclesiæ non est simpliciter contemplatiua, sed iuxta est activa & contemplatiua, exemplo Moysi, qui nunc ascendebat in montem ad orandum, nunc descendebat ad populum gubernandum. Ideo sacrorum canonum censuit auctoritas, quod is, qui assumendus est in Episcopum, debeat esse in spiritualibus & temporalibus prouidus & circumspectus 39. *dist. in prin.* &c. Petrus diaconus. Et hæc sunt verba B. Greg. *Talis in re, minis arce debet constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam extrinsecus subiectorum vtilitate & cautela sciat esse solicitus.* & Glossa super illo verbo: *Pascite qui in vobis est gregem Domini, non solum verbo & exemplo, sed & temporalium subsidio.* & credo illa glossa fuit excerpta ex dictis Gregorii *ex pastorali ca. 7.* vbi sic ait: *Nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritualia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur, qui cum terrena temporalia funditus negligunt; subditorum necessitatibus minime occurrunt, quorum nimirum prædicatio plerang, despicitur, quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur.* Et hoc late prosequens inducit dictam auctoritatem Petri: Et dicit hanc passionem non tantum cordis, sed corporis, ponendam esse subiungit: non debet per hanc solicitudinẽ temporalium sic se totum impendere, vt spiritualia derelinquat, dicens: *Solicitudo ergo quæ subiectis exterius impenditur subtracta necessitate mensura teneatur, vnde per Ezechielem dicitur: Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant: sed rondentes attondeant capita sua. Sacerdotes namque iure vocati sunt: qui vt sacrum ducatum præbeant fidelibus, præsunt, Capilli vero in capite exteriores sunt cogitationes in mente, qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas præsentis vitæ designant. Quia igitur cuncti qui præsum habere quidem solicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, Sacerdotes recte caput prohibentur radere, & comam nutrire, vt cogitatio-*

nes car-

nes carnis de vita subditorum, nec à se penitus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. vbi & bene dicitur, tondentes tondeant capita sua, vt videlicet cura temporalis solicitudinis, & quantum necesse est, videant: & tamen rescentur citius, ne immoderatius excrescant. dum igitur per administrationis exteriorum prouidentiam, corporum vita protegitur, & rursus per modernam cordis intentionem non impeditur, Capilli in capite Sacerdotis, & seruantur vt cutem couperiant, & rescantur, ne oculos claudant. hæc Gregorius. Ex præmissis clare liquet, prælatos Ecclesiasticos debere esse, non tantum contemplatiuos, sed & actiuos in spiritualibus & temporalibus prouidos & circumspectos, & pro spiritualium intentione curam & solicitudinem temporaliam non abiicere, sed ad vtrumque se apte & decenter aptare. Et prælatus sic viuens non propter hoc dicendus est habere contrarias vitas, & contrarios effectus, vt proponens in rationibus quas in fine subiungit, videtur innuere, quoniam omnia hæc ordinantur ad vnum finem, videlicet ad curam gregis sibi cõmissi, vt patet ex præinserta auctoritate Gregorii. Ad eandem sententiam pertinet dictum Gregorii 6. *Moralium* c. 25. vbi sic ait: *Neque perfectus prædicator est, qui propter contemplationis studium operanda negligit: vel propter operationis instantiam contemplanda postponit.* & hanc sententiam ibi late prosequitur. & infra: *Sæpe qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt. Et sæpe occupati dum bene humanis vsibus viuerent, gladio suæ quietis extincti sunt, hinc namque est, quod nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirunt contemplanda, quàm capiunt, vsque ad peruersa dogmata erumpunt, & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt.* Nunc etiam audiamus Isidorum, docentem nos non scandalizari, si aliqui prælati temporalium solicitudini totaliter dati sunt, quoniam hoc à Dei ordinatione procedit ad vtilitatem Ecclesiæ. Ita Isidorus inquit de summo bono, lib. 3. cap. 39. *Prouidentia plerunque diuini consilii ordinantur propositis mundana & exteriora sectantes, vt temporalibus rebus totaliter se impendant, vt spirituales quietiorem vitam contemplationis exerceant, quia dura sunt quiete viuere volentibus sarcinæ curarum temporalium, prouidet sæpe Deus curis deditos secularibus, ad susceptionem regiminis, vt dum hi exteriora sine tædio procurent spirituales viri rebus interioribus sine impedimento rerum terrenarum deseruiant. Dei ergo ordinem accusent quo instituuntur, qui Episcopos condemnant, dum minus spiritualia, sed magis terrena sectantur. Ex diuini enim tabernaculi dispositione ad iniurias mundi ferendas, & turbines, quosdam instituit Episcopos secularibus curis insistentes, vt hi qui interius superna desiderant nullo terreno obsistente negotio, liberius in hoc quod amant, intendant.* hæc Isidorus. Malitia enim temporum & audacia & proteruitas hominũ malignorum hoc exigit, vt prælati non tantum sine peccato, sed etiam meritorie has temporalium curas exerceant, pro fide, vel etiam rebus Ecclesiæ defendendis, prout infra patebit auctoritatibus & exemplis B. Gregorii, & aliorum, & miraculo ostenso in altero Gregorio, de quo infra. Et sic breuiter me expedio de omnibus originalibus dictis Doctorũ, ad quæ omnia clare patet responsio ex prædictis, vt vnusquisque per se poterit applicare: nam ad singula sigillatim respondere, nimis fuisset prolixum. Si autem Magister Petrus petet ad aliquod speciale responsum, designabitur illud, & Deo propitio sufficiens subresponsio dabitur.

Ecclesiastici non solum debent esse contemplatiui sed etiam actiui in spir. & tempr.

Greg. 6. Mor. ca. 25. & 26.

Isidorus.

CCCLIII. *Clericus potest habere ciuile dominium locorum in quibus iudicium sanguinis exercetur, dummodo illud per officiales laicos exerceri faciat. Hug. de S. Victore de Sacram. li. 2. par. 2. c. 7.*

Cum autem in schedula vltimo data dicit: dominium autem Ciuile ipsi Clero Christi non congruit, aut conuenit, sed nec licet ipsi in persona propria ciuiliter dominari. Si intendit quod Clericus in persona propria non debet iudicium sanguinis exercere, fateor, potest tamẽ habere. & Clericus non religiosus, de proprio patrimonio, & in administratione pro Ecclesia ciuile dominium Castrorum, villarũ, oppidorum, ciuitatum, in quibus tale iudicium per laicos officiales faciet exercere, prout facit Hugo de Sacramentis, 2. parte, & est allegata per Magistrum Petrum, & recte probat contra ipsum. Nam ibi ad literam sic habetur: *Notandum tamen quod principes terreni in terrenis possessionibus quas in subiectis, vel sine subiectis possident Ecclesiæ, aliquando concedunt solam vtilitatem, aliquando vtilitatem & potestatem, vtilitate eo sine potestate concedunt, quando fructum possessionis ad vsum Ecclesiæ transferri decernunt, sed potestat. in iustitiæ exercenda in ipsa possessione ad eius ditionem transire non permittunt. Aliquando & vtilitatem & potestatem simul tribuunt. Vbi tamen aduertendum est, quod Ecclesia licet dictum terrenæ possessionis ad vsum recipiat, potestatem tamen exercendæ iustitiæ per ecclesiasticas personas, aut iudicia secularia exercere non potest, potest tamen ministros habere laicas personas, per quas iura & iudicia ad terrenam potestatem pertinentia, secundum tenorem legum. & debitum iuris terreni exerceant.* Ecce quam manifeste ista auctoritas per Magistrum Petrum allegata ostendit, ecclesiasticas personas posse habere ciuile dominium, & dat modum iurisdictionis exercendæ. Principes enim Catholici & domini temporales pro Dei gloria, & suarum remedio animarum contulerunt ecclesiis multa pretiosa donaria, Castra, villas, oppida, & ciuitates, transferendo in Ecclesiam interdum solam vtilitatem fructuum interdum potestatem & iurisdictionem, quod est ciuile dominium. & in hoc completa fuit prophetia eximii prophetarum Dauid in Psalmo, *Exurgat Deus*. Quem quidem Psalmum Nicolaus de Lyra literalis exposítor, recitato prius sensu Iudæorum volentium illum intelligere de exitu Israel de Ægypto, cum dicit illum nimis inuolutum, & coaptari plene non posse ex auctoritate Pauli *ad Ephes. 4.* qui huiusmodi Psalmi versum: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dona dedit hominibus.* applicat ad dona Spiritus sancti missa in corpus Ecclesiæ, dicit verum Psalmi sensum esse de Ecclesia Catholica Christianorum post Christi passionem, & ad hunc sensum exponit rorum Psalm. & super vers. *Speciei domus diuidere spolia*, ita dixit Lyra, *quod Principes & potentes conuersi ad fidem dederunt Ecclesiæ pretiosa donaria, ex quibus ornata est Ecclesia, vt patet in partibus historiis & legendis Sanctorum. Et hoc quod dicitur spolia domus diuidere spolia hoc est quod dicitur, ad speciem & decorem domus Dei, quæ est Ecclesia, pertinet diuidere spolia, hoc est, diuersis ecclesiis, & personis ecclesiasticis diuidere prædicta donaria. consequenter ostendit, qualiter talibus temporalibus vtendum sit, cum dicitur, si dormiatis, &c. Ad cuius intelligentiam est sciendum, quod κλῆρος græce idem est, quod sors, columba autem hic accipitur pro Ecclesia, quæ columba frequenter nominatur in Canticis: penna. sunt virtutes, eam ad cœlestia eleuantes: dicit ergo tur, si dormiatis, id est, qui statu inter medios cleros, id est, inter statum Ecclesiæ, sc. militantis & triumphantis, quod fit, quãdo sic viuntur homines bonis præsentis vitæ, vt non amittant æterna, sed magis acquirant, diuitiæ enim, sicut impedimenta sunt reprobis, ita probis sunt adiumenta virtutis.* hæc omnia Nicolaus de Lyra.

Ephes. 4.

Psal. 67. Nic. de Lyr.

Cum enim ciuile dominium sit res commerciabilis, vt est communis Doctor. sententia *in l. imperium, & l. more maiorum ff. de iur. om. iud.* & sæpe venduntur castra, villæ, oppida & Baroniæ, quid igitur prohibet, quod laicus habens tale ciuile dominium, titulo donationis, legati, vel hæreditatis, vel alio legitimo titulo in Ecclesiam transferre non possit? Dicit Magister Petrus, quod tali dominio rerum cõmunitas repugnare videtur. Et ad hoc allegat dictum Machani, & alia, ad quod forte aliud quæsuisset responsum, nisi hoc in promptu occurrisset, tam clarum, celebre & famosum, quod Respublica Romanorum à Senatu recta magnum habuit ciuile dominium, & multæ habent hodie ciuitates ciuilia dominia, ergo non repugnat communitati habere ciuile dominium. Sed ex hoc clare liquet, quod nec illa ratio valet, *Prælatus Ecclesiæ non potest exercere in persona temporalem iurisdictionem, ergo Ecclesia non potest illam habere.* Nam & senatores aut consules Romæ non poterant exercere iurisdictionem in prouinciis, in persona propria, sed dabant præsides prouinciarum. Scio quod ciuitates Barchinonẽses habent villas & castra, nec tamen consules ciuitatis possent ibi iurisdictionem exercere, sed creatur ibi officialis qui iurisdictionem exercet.

CCCLIV. *A clero habitualiter delinquente secundũ Hussitas, possunt auferri secularia bona. Licitum est Ecclesiæ & Ecclesiasticis personis habere temporalia.*

Iam nil restat ex dictis ex aduerso, nisi finis schedulæ vltimo datæ, vbi sic habetur: *Insuper circa prædictum punctum tenemus, quod in tantum possit iniquitas regnare in Clero, quod in defectu spiritualis proposito haberet brachio seculari auferre bona temporalia a viris Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus.* Quæ propositio est multum confusa posita, & absq; aliqua declaratione vel probatione. Et ideo posset eadem facilitate contemni, qua ponitur, sed nolo eam prætexere, quin circa ipsam, Deo propitio, enucleem veritatem. Sed istud puto facilius & luculentius agere, cum, sicut præmisi in principio, Ecclesiæ & Prælatis, & personis Ecclesiasticis licitum esse habere & possidere bona temporalia, mobilia & immobilia, & Ciuilia dominia firmissimis documentis monstrabo. Ideo hæc præmittam.

Ad quod probandum quadruplici medio vti intendo, vt sicut

vt sicut in quatuor Euangelistarum testimoniis Euangelica doctrina fundatur, sic in quatuor fundamentis veritas ista firma constitat.

1 *Ratio.*

Et primo sic: Illud constat esse licitum, quod nulla est lege prohibitum, ita dicit Augustinus ad Pollentium 28. qu. 1. iam nunc. Sed hoc nulla lege prohiberur: igitur est licitum. Ratio est in forma. Maior est nota de se, & est Augustini, vt supra, Minoris probatio non incumbit mihi, sed asserenti contrarium, qui dicit hoc prohibitum, prohibitionem ostendat. Nam ad ea, quæ allegata sunt, sufficienter responsum est.

2 Sq. iam nunc, c. 8. Augustin. ad Pellent. l. 1. de adult. coniug. c. 13. & 14.

2. *Ratio.*

Secundo sicut illud est licitum, imo & debitum, quod diuina ordinatione & beneplacito factum est, sed dotatio & glorificatio Ecclesiæ in potentia & dominio temporali, diuina ordinatione & beneplacito, hoc tempore, scilicet à Syluestro, & citra facta est, sicut ipse Deus ante promulgauerat per Prophetas. Igitur, Maior est nota, ad probandum Minorem affero tria testimonia Prophetarũ. Primum eximii Prophetæ Dauid in Psalmo: *Exurgat Deus*, qui Psalmus pertinet ad glorificationem Ecclesiæ, post Christi passionem, vt probat Nicolaus de Lyra ex auctoritate Pauli, vt prædictum est, qui Propheta Dauid hoc prophetauit, vbi dixit: *Speciei domus diuidere spolia*, i. donaria à principibus & potentibus Ecclesiæ data, inter Ecclesias & Ecclesiasticas personas distribuere. Inter alias magnas gratias & glorificationes Ecclesiæ hanc temporalium bonorum amplificationem futuram prænunciauit Propheta.

Quatuor testimoniis probatur huius 2. rationis minor.

Secundum testimonium est Esa. 52. *Consurge, consurge induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancta.* Nicolaus de Lyra primo ex auctoritate Pauli, qui allegat quod infra sequitur: *Quam pulchri pedes annuntiantis & prædicantis pacem?* dicit hoc caput loqui de Ecclesia post Christi passionem. Et dicit quod in hoc capite remouetur tertium impedimentum liberationis factæ per Christum, quantum ad incredulos, quod prouenit ex contemptu humilitatis Christi, ostendendo, quod humilitas Christi fuit dispositio ad gloriam, secundum quod dicitur ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, &c. propter quod exaltauit Deus illum, &c.* non solum post mortem fuit glorificatus, sed etiam ante in operibus miraculosis ad declarationem suæ deitatis, propter quod Christus petens, *glorifica me Pater*, Ioan. 12. audiuit: *glorificaui, & iterum glorificabo*, glorificaui te miraculis, iterum te glorificabo per gloriam. Et sic est in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia; quia post depressiones eius per Iudæos & tyrannos eleuata est in magna gloria, etiam temporaliter, & in ipsis depressionibus specialiter in receptione Spiritus sancti, & miraculis, quæ fiebant per Apostolos, & alios Sanctos, & sic circa primum Propheta alloquitur Ecclesiam primitiuam. *Consurge, consurge* ad opera virtutum, *induere fortitudine* ad tolerandũ constanter persecutiones; sed post persecutiones secuta est pax & honor, ideo subditur: *induere vestimentis gloriæ tuæ.* Et hoc fuit impletum tempore Constantini, qui pacem Ecclesiæ per totum Romanum orbem dedit, & mirabiliter eam honorauit. & infra: *Sede Hierusalem in sede honoris*, quod tunc fuit impletum, quando Roma quæ erat caput mundi, facta est sedes Summi Pont. sede Imperiali translata ad Constantinopolim. Ecce quomodo Nicol. de Lyra expositor generalis Bibliæ hanc Propheriam Isaiæ declarat.

Esa. 52. Lyra in ea. 52. Esa. Rom. 10.

Phil. 2.

Ecclesia post depressiones elevata est in magna gloria.

Esai. 60. Lyra ibid.

Tertium testimonium est Isaiæ 60. quod capitulum Nicolaus de Lyra ostendit intelligendum esse de Ecclesia, dicens: quod sicut in præcedenti capitulo descripta est salus Christi, ita in hoc describitur magnitudo huius salutis. Primo ex parte materiæ recipientis, & subiungit, quod primo ponitur prosperitas militantis Ecclesiæ, ad fidelium multiplicationem, Secundo ex Ecclesiarum ædificatione. Tertio ex bonorum assecutione. Et sic declarat & exponit totum capitulum, & super verbo textus, *fortitudo gentium*, dicit, i. Imperium Romanum, *venerit tibi*. quod impletum fuit tempore Constantini, & infra: *inundatio camelorum*, & dicit, *Constantinus Imperator & multi alii potentes exemplo eius animati, diuitias multas miserunt super talia animalia ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & pauperum Christianorum, & ædificationis Ecclesiarum.* & infra: *& ad ipsa domum.* hic describitur prosperitas Ecclesiæ in Ecclesiarum ædificatione, *muros tuos*, id est, Ecclesias, & hoc patet impletum à tempore Constantini. & infra: *in indignatione mea percussi te*, quia Ecclesia primitiua fuit multum afflicta à tyrannis, quod secundum iudicium humanum videbatur procedere in indignatione Dei, licet fuerit ad probationem: scriptura sæpe habet talem modum loquendi. Et sequitur: *In reconciliatione mea misertus sum tui.* dans tibi pacem, ampliationem & honorem tempore Constantini. & ideo subditur: *& aperientur portæ tuæ iugiter*, quia Ecclesias prius clausas præcepit aperiri, & per imperium suum nouas ædificari, & sequitur in textu, *& venient ad te filii eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum*, dicit Lyra, hic describitur prosperitas Ecclesiæ, quantum ad consecutionem honoris. & infra sequitur in textu, *ponam te in superbiam seculorum*, id est, in gloriam & honorem, ita quod superbia non sonat hic vitium, sed honoris excessum, & sequitur in textu, *& suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis*, i. ab eis accipies nutrimentum, sicut videmus impletum in dotatione Ecclesiæ de bonis principum. & sequitur in textu: *pro ære afferam aurum*, quia in primitiua Ecclesia fuerunt calices & alia vtensilia Ecclesiæ de materia parum pretiosa, postea facta sunt de auro, argento, & de lapidibus pretiosis. & sic habemus tria testimonia Prophetarum, quibus apparet sic à Deo fuisse ordinatum, & per Prophetas pronunciatum, & de ista temporali exaltatione Ecclesiæ facta per Constantinum in persona B. Syluestri, figura præcessit in Ionatha summo sacerdote, cui Alexander contulit coronam auream, & potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, 1. Mach. 1.

Ministrauit mihi Dominus 4. testimonium ex Prophetis, vt quadrato numero velut in Euangelica structura huius articuli probatio sedeat, & est ex prophetia Dauid in Psalm. 103. Quem Psalmum Augustin. exponit de Ecclesia, vnde in Vers: *Super montes stabunt aquæ*, dicit, *Sic propterea dixit, quia Ecclesiam futuram in diluuio persecutionum voluit intelligi, fuit enim tempus aliquando, quo terram Dei, Ecclesiam Dei cooperuerunt aquæ persequentium, & ita cooperuerunt, vt non apparerent nec ipsi magni, qui sunt montes.* & infra: *fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei quia cor regum in manu Dei, deflexit quo voluit, inspse per eos pacem dari Christianis eminus & eminus auctoritas Apostolica.* Et infra cum multa dixisset hoc propositum continuando, quæ omnia inserere longum esset. Tandem super verbo: *Cedri Libani quas plantauit, illic passeres nidificabunt.* sic inquit Aug. *Etenim cedri Libani, nobiles & diuites & excelsi huius seculi, quoniam eum timore audiunt, beatus qui intelligit super egenum & pauperem, attendunt res suas, villas suas, & oës super fluas copias, quibus videntur excelsi, & præbent illas seruis Dei, dant agros, dant boues, ædificant Ecclesias & Monasteria, colligunt passeres nidificantes.* Sunt ergo quidam spirituales nidificantes in cedris Libani, id est serui Dei.

1. Mach. 11.

Psal. 103. Aug. in Ps 103.

Psal. 48.

Tertio illud debet licitum reputari, quod à viris diuinarum literarum doctissimis, vitaque & religione sanctissimis pro licito habitum & factum est. sed hoc est huiusmodi, ergo, &c. hoc argumentum est in hac propria materia viri religiosissimi Prosperi, cuius scripta inter canonicas scripturas habentur, prout dicit Gregorius 15. sancta. hoc argumentum est 12. q. 1. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri.* vbi recitato exemplo Paulini concludit, quod facto satis ostendit, sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profecto communes, possideri. Ad probationem etiam assumptæ Maioris est textus Hieron. 37. dist. qui de mensa, vbi ex facto Sidrac, Misac, & Abdenago: probat non esse licitum facere quod illi fecerunt. Ad idem *text. in c. Lugdunensis* 9. q. 2. Ad probationem Minoris licet possem probare, quod ante tempora Syluestri iam Ecclesiã habuerat prædia & possessiones tempore Vrban. I. qui præsedit an. Dom. CC. XXIII. Item temporibus Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Sixti, Dionysii, Felicis, Marcelli, Eusebii & Melchiadis Romanorum Pontificum, qui præcesserunt Syluestrum: & thesauros, sicut Sixtus, quos Laurentius instante persecutione, pauperibus erogauit, habuerunt. & ciuile dominium, sicut mihi scriptum datum est, quod Philippus dominus Pannoniæ dedit Laureacensi Archiepiscopo qui tũc erat Metropolitanus, villas & prædia in Austria, quæ nunc tenet Patauiens. Ecclesia. de hoc Philippo scribit Gotfridus in Pantheon:

3. Ratio.

dist. 15. S. Rom. c. 3. 2. q. 1. expedit. c. 3. Prosper de vita contemplatiua, l. 2. c. 9. dist. 37. qui de mensa, c. 11. Dan. 1. 9. q. 2 Lugdunen. ca. 10.

Suscipit Imperium, populo plaudente, Philippus,
Iste post Cæsar volait cognoscere Christ-m,
Qui deus Ecclesiis prædia multa suis.

CCCLV *De his qui præfuerũt Ecclesiis habentibus magna dominia circa ea. De Rom. Ponti. & Constant. donatione. Ambros. de obitu Theodosij Imp.*

Sed quia de Ciuili dominio maius fit festum, de his qui præsederunt Ecclesiis, habentibus magna dominia Ciuilia, est loquendum. Et primo de Sede Romana, incipiam à B. Sylvestro, de cuius sanctitate & doctrina victis Iudæorum satrapis, fidei Catholicæ exaltatio testimonium præbet. Sub hoc Nicænum primum sacrum & venerandum Concilium fuit, & post dotationem Ecclesiæ, ex quo satis auctorizatur factum Constantini, quoniam si illicitum fuisset, reprobasset hoc tam celebre Concilium. Sed & habeo testimonium beati Ambrosii, de obitu Theodosii Imperatoris, dicentis: Constantinum magni meriti apud Deum, quia primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei & deuotionis principibus dereliquit. Et Isidorus noster Hispanus idem in suis Chronicis attestatur. Et Græci qui tunc erant Catholici, ipsum Constantinum Catalogo Sanctorum annumerant, & festum de eo cum solennitate agunt 21. Maii. Postea dicam de sancto Marco, sub quo fuit celebrata * sancta Synodus Nicæna, & claruerunt eius tempore & post, sanctus Athanasius, Eusebius, Nicolaus & Hilarius, & Ioan. Chrysostomus. Item sanctus Leo Papa, qui fuit XLIII. post sanctum Petrum. Item Felix Secundus, qui Martyrio coronatus est. Item Damasus Primus, sub quo Synodus Constantinopolitana 150. Patrum, cui Hieronymus illam scripsit epistolam: *Quoniam vetus Oriens inter se furore collisus, indecisam Domini tunicam desuper textam minutatim per frusta decerpit.* Etiam petens ab eo suæ fidei confessionem approbari. & alias multas Epistolas. Item * Cyriacus qui cum vndecim millibus virginibus in Colonia martyrio coronatus est. Item sanctus Symmachus Papa, de cuius vita & miraculis Vincentius *in historiali lib. 23. cap. 1. & 2.* Item sanctus Ioannes Papa, de quo in eodem Vincentio *eodem lib. c. 33.* Item sanctus Agapitus *eodem lib. cap. 61.* Item sanctus Gregorius vnus de quatuor doctoribus Ecclesiæ, cuius sanctitas & doctrina nota est. Item sanctus Martinus, de quo Vincentius *eodem libr. 23. cap. 84.* Item sanctus Stephanus Papa, de quo idem Vincentius *eodem libro cap. 167.* Item Honorius Papa miræ pietatis fuit cuius tunica dæmoniacus quidam indutus fuit & liberatus est. Item sanctus Seuerinus benignus amator cleri & pauperum & possessiones Ecclesiarum ampliauit. Item Ioannes Quartus thesauris Ecclesiæ distractis multa millia hominum per Histriam & Dalmatiam redemit. Item sanctus Martinus Tudertinus, cuius festum celebratur crastino S. Martini Turonensis. Eugenius Primus, laic omnibus benignus & amabilis, maximæque sanctitatis. Agatho dum quendam leprosum oscularetur, mundatus est. Ioannes natione Græcus, hic martyrio coronatus est. Paulus mitissimus & misericors, nocte cum paucis familiaribus ibat visitandum pauperes & infirmos, & eis ministrando. Leo Quartus multæ patientiæ, multæque humilitatis, fecit mirabilia in vita sua, cuius festũ celebratur decimo septimo Calẽdas Augusti. Nicolaus post hunc vir fuit sanctissimus, cui post Magnum Gregorium vix in Sede Romana similis. Omnes prædicti fuerunt in Sede Romana post dotationem Ecclesiæ viri sancti, approbatæ sanctitatis, fuerunt & plures alii virtutibus & scientia clari, sicut Innocentius Tertius, qui tam reuerenter allegatur in tractatu de Missa & aliis operibus. Petrus de Tarantasio, dictus Innocentius Quintus, Doctor clarissimus, & multi alii, quos nominare longum esset. Volui solum prædictos exprimere, qui sancti intitulantur, alii multis omissis. Sed hoc vnum nolo omittere, quia ad propositum valde facit, quod narrat Vincentius *in historiali libro 25. capite 25.* de Gregorio Sexto, qui magna studia & labores impendit ad recuperandum temporalia bona Ecclesiæ à tyrannis occupata, & cum nec hortationibus, nec censuris posset hoc efficere, vi armorum hoc fecit, vnde Cardinales eum, virum sanguinarium, dicentes: cum infirmitate decumberet, de qua decessit, dicebant eum non debere sepeliri in Ecclesia S. Petri cum aliis Pontificibus, quod cum ipse intellexit, vocauit Cardinales, & habito cum eis colloquio, tandem dixit: *Quoniam nostræ & vestræ rationes fallere possunt, committamus omnia diuino examini, corpus meum circa crepusculum more composito ante ianuas Ecclesiæ figite, & sic mentur ianua seris & repagula, si Deus voluerit, vt ingrediar, applaudatis miraculo sin minus, de cadauere meo factatis sicut vobis à maioribus factum est.*

* Cyriacus ille nullus fuit. *Hist. li. 23. Vincen. c. 1. & 2. Vincen. li. hist. 21. c. 33. Vincen. li. 23. c. 84. Vinc. li. 23. c. 169.*

* corpus eius ante portas Ecclesiæ seris ob-

clusas positum est, turbo ingens diuinitus emissus, repagulorum obstacula dirupit, & ipsas valuas vehementi impetu patefactas, ad parietem cum magno fragore impulit. Et hæc dicta sunt de Romanis Pontificibus. Possem per alias mundi Ecclesias Italiæ, Galliæ, Hispaniæ & Angliæ colligere magnum numerum sanctorum Episcoporum, qui præfuerunt Ecclesiis habentibus magnam temporalitatem & ciuilia dominia. Sed nolo pro præsenti, nisi de his circumuicinis & cognitis, & etiam non de omnibus loqui, inciplam ab Ecclesia Moguntina. Ecce sanctus Bonifacius qui tantæ fuit auctoritatis, quod tempore suo dicebant Apostolorum tempora rediisse, hic sua prædicatione multas prouincias illustrauit. In eadem Ecclesia sanctus Lullus Confessor. Item Rabanus Magnus Doctor quotidie allegatur. Item in eadem Moguntina Ecclesia Bardo Archiepiscopus, in eadem Willigisus. In Ecclesia Treuerensi, quam Helena mater Constantini, quæ de Treueris fuit oriunda, pluribus dotauit reliquiis, & bonis temporalibus, adiiciendo primæ dotationi, fuerunt nonaginta nouem Archiepiscopi vsque ad dominum Ottonem vltimo defunctum, ex quibus viginti quinque sunt Sancti, vt habeturin Calendario Archiepiscopi Baldwini, quod in ipsa Ecclesia seruatur. In Ecclesia Colonienſi beatus Seuerinus, qui multis claruit, & claret miraculis. Item sanctus Remedius, item sanctus Cunibertus, item sanctus Haymo, Aglolfius martyr, item Euergisius martyr, item Heribertus, omnes isti fuerunt sancti Archiepiscopi Colonienses. In Ecclesia Leodiensi, quæ opulentissima in temporalibus est, sanctus Maternus, sanctus Hubertus, sanctus Theodardus, sanctus Seruatius, sanctus Lambertus martyr, sanctus Geregisilus, Episcopi omnes. Itẽ in Ecclesia Laureacensi fuit sanctus Maximianus, à sancto Sixto consecratus Episcopus, circa ann. Domini CC.XXIII. qui patrimonium dictæ Ecclesiæ contulit, quod nunc Anasum dicitur, cum omnibus vicinis oppidis & iudiciis secularibus, quæ manent vsque ad præsens in Austria, & obtinet illa Patauiensis Ecclesia. Item S. Adalbertus Ecclesiam Pragensem magnifice dotatam feliciter rexit pluribus annis. Item S. Procopius opulentissimum Monasterium in Bohemia habuit, cuius possessiones inquietantes diuinam interdum vltionem in se experti sunt. Item S. Wolffgangus in Ratisbona. Item S. Corbinianus Frisingensis Episcopus prædia pro eadem Ecclesia hodie nota comparauit. Item sanctus Vdalricus Augustensis Ecclesiam opulentam prædiis & ciuilibus dominiis rexit. Item sanctus Conradus Constantiensis Episcopus. Item sanctus Virgilius Ecclesiam Saltzburgensem dominiis dotauit. Fuit quoque sanctus Virgilius Episcopus Tridentinæ Ecclesiæ, ciuili dominio opulentæ. Prætermittendum non est de sancto Stanislao Cracouiensi Episcopo, qui passus controuersiam super villa Ecclesiæ, à sepulchro eum, qui ante per triennium mortuus fuerat, resuscitatum, ad iudicium duxit in testem. Possem sine falso, si bene quæsiuissem, etiam multo plures reperisse sanctos Episcopos & Abbates qui præfuerunt Ecclesiis & monasteriis habentibus temporalia & ciuilia dominia. Exhorrent vtique piæ aures audire in dubitationem deduci, an licitum sit, quod à tanta sanctorum multitudine per tanta curricula temporum pro licito habitum fuit, practicatum & obseruatum.

De Mog. Archiep. *De Treuir. Præsulib.* *Vide Petr. Marsæum in suo Episcop. Catalogo, & Anton. Monachi cenam de Missa. De Eccl. s. Colon. De Leod. De Laur.* *De Patau. De Prag. Monast. S. Procop. Ratisbon. Frising. Augusten. Constant. Saltzbur. Tridentin. Cracouien.*

CCCLVI. *IV. Ratio. Auctoritate canonũ Apost. & Conc. gen. & aliorum ab Eccl. pro gener. receptorum. Aug. cont. Epist. Manichæi. quam vocant fundamenti. 12. q. 5. c. 21. 12. q. 1. c. 24.*

Quarto idem sic probo. Illud indubie licitum est, quod est auctoritate canonum Apostolorum & sacrorum generalium Conciliorum approbatum; Istud est huiusmodi, igitur, &c. Maior est manifesta, quoniam omnis fidei nostræ, & Christianæ disciplinæ doctrina ab ipsis Apostolis & à sacris generalibus Conciliis, & eorum auctoritate habetur, quod hæc, quæ legimus, sunt Euangelia Christi vera, quod symbolum fidei factum fuerit ab Apostolis, vnde habemus nisi à sacris Conciliis & approbatione Ecclesiæ? ipsa enim quantum ad fidem & mores pertinet pro necessitate salutis errare non possunt. Sicut Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & Gregorius, & omnes Doctores confitentur & tenent. Imo Augustinus dicit: *Euangelio non crederem nisi me auctoritas Ecclesia moueret.* Nunquam enim legitur ab aliquo Concilio rite congregato aliquid, pertinens ad fidem vel mores ordinandos, erronee, determinatum fuisse, propter assistentiam Sp. S. regentis ipsa Concilia, ad probandum mi-

horem

norem habeo primo ex canonibus Apostolorum 12. q. 1. *Sint manifeste res propriæ Episcopi, si tamen habeat proprias, & manifeste res dominicæ.* Ecce duplex patrimonium in potestate Episcopi, proprium, & dominicum. Item ea cau. & q. *præcipimus vt in potestate suarũ Ecclesiæ Episcopus habeat.* Sic enim animæ hominum preciosę illi sunt creditę, multo magis oportet eum curam de pecuniis gerere. His addere libet decretum Pii Papę, qui longe ante Sylvestrũ fuit, Anno scilicet Domini CLIII. vbi sic legitur. *Prædia diuinis vsibus erudita, quidam humanis applicant vsibus, & Deo nostro, cui tradita sunt, subtrahunt, vt sibi inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus secretorum cœlestium dicata à quibusdam irruentibus vexentur: quod si quis præsumpserit, vt sacrilegus iudicetur.* Veniat & auctoritas sancti Vrbani, qui etiam longe præcessit Sylvestrum, causamque & originem, quare & quando Ecclesia prædia & possessiones habere incepit, edisserit, dicẽs: *Videntes autem summi Sacerdotes, & alii atque Leuitæ & reliqui fideles plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus, plura & elegantiora possint ministrare fidelibus, communem vitam ducentibus quam ex precio ipsorum; cœperunt prædia & agros vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ipsa vero res in dutione singularum parochiarum, Episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus; quibus Episcopi & fideles dispensatores eorum omnib. communi vita degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius poterunt, vt nemo in eis egens inueniatur; ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quæ Domino à fidelibus offeruntur. Memoratis ergo augmentationibus ac cultibus in tantum Ecclesia, quibus Episcopi præsident, Domino administrante, creuerunt, & tantis maxima pars earum abundat rebus, vt nullus in eis communem vitam ducens, sit indigens; Sed omnia necessaria ab Episcopo suisque percipiat; ideo si aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.* Hæc Vrbanus. Finis autem iste refertur ad c. *attendendum* infra allegatum. Et de illa damnatione hic loquuntur decreta vndecim Conciliorum. Primum sequendo ordinem voluminis decretorum in ca. *Bene quidem. 96. dist.* Secundum Martini Papæ, 12. qu. 1. *manifesta.* Tertium Antiocheni, ea causa, & q. *Episcopus.* Quartum Eugenii apud Romam, ea causa, & q. *nulli Episcoporum.* Quintum in octaua Synodo vniuersali, ea causa, & q. *Apostolicos.* & cap. *non licet.* Sextum in Concilio Leonis Papæ IV. ea causa. & q. 2. *monemus.* Septimum Vrbani Papæ ea causa, & qu. *de laicis.* Octauum Innocentii III. de re. non alien. *cum laicis.* Nonum Concilii Lateranensis de testa. cap. *cum in officiis.* Decimum Gregorii X. in generali Concilio Lugdunensi, c. *hoc consultissimo.* eod. tit. lib. 6. Vndecimum in Concilio generali Viennensi, clem. prima *a* eodem tit. In omnibus istis generalibus Conciliis pro conseruandis, regendis, & in manu tenendis bonis temporalibus decreta sunt facta. Quid tandem dicã, vt materiæ Conciliorum generalium finem imponam? Primum illud Nicænum Concilium, in quo symbolum fidei conditum fuit, quod in missa cantatur, post dotationem Ecclesiæ factum est. Et deinde omnia alia Concilia, quorum decretis & ordinationibus regitur Ecclesia Catholica, & quicquid ordinationis, decoris & normæ, & finaliter quidquid boni habemus in Christiana Religione, totum pullulauit ab eo tempore, quo Ecclesia dotata fuit. Nam eo tempore ante quam per doctrinam beatissimi Sylvestri Cõstantinus ad fidem conuersus fuisset, docendarum plebium facultas non erat, sed in varios errores erat scissa Christianitas & omnia fere confusa & perdita erant, pro vt Isidorus dicit, vt supra allegatum est, & ex historiographis vnicuiq; legenti palam est. Vtique ab inimico humani generis hæc suggestio est, qui vellet Ecclesiam ad illum statum deducere, vt libere posset Christianum populum laniare. Bene facit fabula de tractatu inter lupum & pastorem. Dixit lupus pastori, quare vis expendere panes tuos ad sustinendum canes, qui mihil laborant, sed tota die dormiunt? Et dixit pastor, ad defensionem onium, ne tu denores. Respondit lupus, & ego hoc facio propter canes, quia molestum mihi est quod illi non laborent, & tu eos pascas, ideo cupio mihi de tuis ouib. pastum. Sed non des illis ad comedendum, & ego non accipiam, laboremus omnes ad quærẽdum victum. dixit pastor, placet mihi: pastore non dante panem canibus, canes mortui fuerunt, tunc lupus libere potuit innadere gregem. Ita diabolus vellet hoc suggere, vt depauperata Ecclesia non essent nisi Clerici pauci, miseri, & ignorantes.

12. q. 2. c. 5. Pius Papa ep. 2.

Vrban. Pp. ep. vnica. 12. q. 1. cap. 16.

1. dist. 96. 6. 1. Symmachus in Synodo Romana. 2. 12. q. 1. c. 20. ex Cõc. Martini. 3. 12. q. 1. c. 23. ex Cõc. Antiochen. 4. 12. q. 1. c. 27. ex Cõc. Rom. 5. 12. q. 2. c. 13. ex Cõ. 8 6. 12. q. 2. cap. 18. ex Conc. Leonis Pap. 4. 7. 12. q. 2. c. 46. ex Conc. Vrb. Pap. Alexandriæ celebrato. 8. de rebus Ecclesiæ non alienandis ca. 12. ex Cõc. generali sub Innoc. 3. 9. de testam. ca. 7. ex Conc. Later. sub Alex. 3. 10. De reb. Eccles. non alienandis.

Superius etiam allegatis velim adducere decreta aliorum Conciliorum, quæ erti generalia non fuerint, tamen ab Ecclesia generaliter recipiuntur, & ius commune faciunt, quia in corpore iuris sunt clausa. Venire poterunt decretum Agathensis Concil. 12. q. 1. Episcopi de rebus. *a* causa, & q. 2. *stoutimus*, & c. *si quis de Clericis*. & tribus. c. sequentibus. *b* Item ex Concilio Ilerdensi, ea causa. & q. *hac cuius placuit. c* Item ex Concilio Toler. quarto ea causa, & q. *Ersi ill'.* Item ex Conc. *d* Aurelianensi, ea causa & q. *si quis de Clericis*, & c. sequenti. *e* Item ex Synodo Ancyrana, ea causa, & q. *si qua* de reb. *f* Item ex Cxncilio Mediomatricis, ea causa, & q. *precaria.* Item ex Concilio *g* Africano ea causa, & q. c. *non habenti*, & ca. *placuit.* Item ex VIII. Concilio Toletano. ea causa & q. *b sæpe fit.* Itẽ ex Conc. Toletano XI. ea causa, q. 3. *iquicunque.* Item ex Concilio Hispalensi, ea causa, q. 5. *k fixum.* Item ex Concilio Parisiensi 23. qu. 8. cap. *l secundum canonicam auctoritatem.* Item ex Concilio Lugdunensi de reb. Eccl. non alienandis. *m* ca. 1. & 2. Item ex Concilio apud *n* Syluan. eod. tit. *nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ.* & sic vltra illorum vndecim generalũ Conciliorum per me prius allegatorum, habemus auctoritates quatuordecim Conciliorum, quas ego sic perfunctorie quærendo collegi, vtiq; multo plures me crederem inuenire, si temporis oportunitate accuratius quæsiuissem. & sic habeo pro me duos Canones Apostolorum, decreta Pii & Vrbani, qui præcesserunt Sylvestrum, vndecim decreta generalium Conciliorum, & quatuordecim decreta aliorũ Conciliorum, quæ ab Ecclesia generaliter sunt recepta.

a 12. *quæst.* 1. c. 19. *ex Conc. Agathensi. ex eodem.* 12. q. 2. c. 23. *& tribus seqq.*
b *Ibid. ex Concilio Ilerdensi. c.* 38.
c *Ibid. c.* 39.
d *Ibid. c.* 4. *& seq.*
e *Ibid. ex Conc. Ancyrano. c.* 42.
f *Ibid. ex Conc. Mediom. c.* 44.
g *Ibid. ex Conc. African. c.* 50.
h *Ibid. c.* 72. *ex Conc. Toletan. VI.*
i *Ibid. q.* 3. *c.* 2. *ex Conc. Toletan. VIII.*
k *Ibid. q.* 5. *ex Conc. Hispal.*
l 23. q. 8. c. 24. *ex Conc. Paris.*
m *ex Conc. Lugdun. supra de rebus Eccl. non alienã.*
n *c.* 5. *ex Conc. apud Syluanen.*

c. Hoc consultissimo ex Conc. gen. Lugd. sub Greg. 10. li. 6. 11. de reb. eccl. non alien. clem. c. Monasterium. ex Conc. Viennen.

In calce huius positionis recolligere volo breuissime duodecim Doctores magnæ auctoritatis in lege Dei veracissime se fundãtes, qui hanc meam sententiam confirmabunt. Primus sit religiosissimus Prosper, qui, vt supra allegatum est dicit, *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, &c.* Secundus Gregor. Nazianz. Magister B. Hieron. conquerens de persecutoribus, dicebat. *Si hinc ab altare excludor, astabo illi. Itari, de quo Dauid: Introibo ad altare Dei, &c.* & infra. *Numquid de cœlesti illa Ierusalem nos poterunt fugare? sa. ultatibus desraudabunt? quibus? meis? facilius alas, quibus minime indutus sum, abscindent. Si autem Ecclesiasticũ, hoc vtique est, pro quo est omnis pugna, pro quo omne certamen.* Hæcille. Habebat ergo Ecclesia facultates.

CCCLVII. *Confirmat sententiam suam auctoritate 12. Doctorum magnæ auctoritatis in lege Dei. Prosper supra ratione 3. Nazz. orat. 18. edit. Billiana, non procul à fine. Auctoritate 4. Doct. Eccles. Amb. li. 2. de offic. c. 28. &c. 30. Hieron. ad Dam. Pap. Aug. hom. 6. super Ioan.*

Nunc veniant quatuor principales Doctores Ecclesiæ. Primo Ambrosius, qui Ecclesiæ Mediolanensis prædiis opulentæ præfuit, & dixit: *Aurum habet Ecclesia, &c.* vt de facultatibus Ecclesiæ in diuersos pios vsus prudenter & sagaciter administrandis, non effundendis ostendit, in libro de officiis, vnde sumpta sunt c. in decretis, octogesima sexta, distin. *non satis*, & 12. q. 2. *Aurum Ecclesia habet.* Et in libello de obitu fratris, ostendit se patrimonium habere indiuisum cum fratre suo Satyro, quod & competens fuisse ostendit, cum ait: *& certe non erat pauper opibus, sed pauper spiritu.* Bene probant prædicta c. *Conuenior*, 23, q. 8.

Huic succedat Hieronymus, qui in Epistola ad Damasum Papam dicit: *Clericos illos conuenit stipendia Ecclesiæ sustentari, quibus propria vel parentum minime suffi agantur.* Iam supra allegatum est. Et sic ostendit facultates habere, & Clericos posse proprium possidere.

De Augustino autem tam à Magistro Petro, quam à me

plura dicta hoc probantia inducta sunt, sed etiam delectat me hoc vnum addere, ex homilia sexta super Ioannem, vbi multa ad hoc pertinentia, sed partem breuem accipio, hæc videlicet verba: *Columba Ecclesia est, quid clamas? non deseramus villas, columbas villas habet. Quæratur quæ sit columba, & ipsa habeat. Nam nostis fratres mei, quia villa ista non sunt Augustini, & si vos non nostis, & putatis me gaudere in possessione villarum, Deus nouit.*

Greg. Mag. Claudat hunc quaternarium numerum sanctissimus Gregorius Papa, qui Ecclesiæ Romanæ præfuit, ciuitates & amplissima dominia obtinenti, cuius amplissimum patrimonium quam sollicite prudenterque rexerit, in registro eius insertæ Epistolæ manifestant. Nunc Petrum ad regendam Siciliam misit, nunc scribit vt a colonis census non exigatur antequã potuerint fructus vendere. Nunc de præparandis nauibus & frumentis ad vibem de Insula Siciliæ transferendis curam gerit, ne in vrbe tritici fiat caristia. Nunc etiam principi militiæ defendenti patrimonium Ecclesiæ à tyrannis, exhortatorias literas mittit. Et alia plura huiusmodi ex ipso colligũtur registro, quæ differere longum esset. Sed hæ sollicitudines atque curæ eum non impedichant, quominus prædicationi verbi insteret, prout homiliæ, quæ leguntur, ostendũt, atque sacrarum scripturarũ expositionibus & studiis incumberet, moraliũ hoc probant volumina, & scripta super Ezechielem: *Cum tamen pene*, inquit, *obsidio vrbi & barbaricus ensis ciuium tum ceruicibus imminerent*; quod ex ipsius libri serie colligitur euidenter.

Cura temporalium bonorum Eccl. non impedit eum ab officio prædicandi.

Habemus sex. Veniat nunc venerandæ memoriæ noster Hispanus Isidorus, cuius dictum ex tertio libro de summo bono iam superius est insertum, nec illũ repeto, nec alium addo breuitatis amator.

Isid.

Octauo loco succedat ille deuotissimus crucis CHRISTI contemplator Bonauentura super quarto sententiarum, distinct. 24. quæst. prima, art. 4. vbi late hanc materiam etiam prosequitur.

Bonau.

Nonus erit Doctor sanctus in diuersis locis, sed signanter 2.2. quæstione centesima & octogesima quinta, artic. 6. & 7. Et in summa contra gentiles, lib. 3. c. 131.

S. Tho. Aq.

Decimo veniat Nicol. de Lyra, quem super expositione trium Propheciarum superius iam audistis, quam aperte declarat hanc sublimationem Ecclesiæ in gloria & potentia temporali, tanquam ex diuina ordinatione procedentem, à Prophetis Dauid & Isaia pronunciatam fuisse.

Lyra sup. testim. 2. Isaiæ.

Vndecimum locum teneat venerabilis Gratianus, qui in §. verũ 23. quæst. 8. sic inquit: *Porro alii sunt*, loquitur de Episcopis, *qui prædia, villas, castella, & ciuitates possident, ex quibus Cæsari debent tributa, nisi imperiali benignitate immunitatem huiusmodi promeruerint.*

Gratian. 23. q. 8. c. 20. §. verũ.

Claudat numerum duodenarium Hugo memorandus, quem ad hunc locum propterea reseruaui, quia Magister Petrus illius dictum, non tamen mihi incognitum contulit, quo nil apertius dici potest, cum dicat, Ecclesiam ciuilia dominia habere posse, iura, redditus, & vtilitates, iurisdictiones, tamen Prælatus non in persona propria, sed per seculares ministros faciet exercere. Possem & plures Doctores etiam allegare, sed duodenarius numerus mihi placuit sacro Apostolorum collegio consecratus.

Hugo de S. Victore super ab auersario citatus.

CCCLVIII. *Hussitarũ assertio de auferendis bonis secularibus & Clero habitualiter delinquẽte praxi & doctrinæ Christi contraicit.*

Cum igitur ex præmissis sole clarius innotescat, clericos, qui ad hoc vorum se non astrinxerunt, licite propria patrimonia possidere, & Ecclesiam posse habere bona mobilia, & immobilia, priuata dominia, & ciuili, quomodo per seculare brachium, siue per laicos, à viris Ecclesiasticis possunt auferri, etiamsi fuerint delinquentes, talis siquidem assertio praxi & doctrinæ Christi manifeste contradicit. Nunquid tempore Christi erant pessimi Sacerdotes, vitiis & sceleribus inuoluti, habitualiter delinquentes, vt domum Dei facerent speluncam latronum, & ex parte diabolo eos esse, & opera patris eorum facere Christus assereret? Possunt vix esse nequiores Sacerdotes, magis scelerati atque sacrilegi his qui in mortem vnigeniti Dei filii conspirarunt, non tamen eis quamdiu eorum durauit Sacerdotium, aut emolumenta, aut honorem, aut obedientiam à populo subtrahi Christus consuluit, non vtique, imo eis præstari & exhiberi mandauit. Vnde cum mundasset leprosum, ait illi, *vade, ostende te Sacerdotibus, & offer munus.* Matth. 8. Luc. 5. Et iterum decem leprosis ab eo mundatis, dixit, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Ecce honorem & emolumentum non auferri, sed exhiberi præcepit. Denuo cum, sicut dicit Chrysostomus, & recitat Thomas in glossa continua, Sacerdotum incorrigibilẽ conditionem ostendisset in capite præcedenti; de ipsorum tamen obedientia generaliter protulit sententiam, dicens, *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite*, Matth. 23. Vnde Martyr beatissimus Cyprianus sic inquit, dicens, *Dominus noster Iesus Christus Rex & Iudex, & Deus noster, vsque ad passionis diem seruauit honorem Pontificibus & Sacerdotibus: quamuis illi nec timorem Dei nec agnitionem Christi seruassent. Nam cum leprosum mundasset, dixit illi: vade, & ostende te Sacerdotibus, & offer donum, humilitate ea, qua nos quoque humiles esse docuit, Sacerdotem adhuc appellat, quem sciebat esse sacrilegum.* Item idem Cyprianus cum de nequitia Episcoporum sui temporis quæstus esset, dicens: *Episcopi plurimi, quos & hortamento oportet esse cæteris, & exemplo, diuina procuratione contempta, procurationes rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, ejurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicibus fœnus augere.* Nihilominus talium contemptorem vocat hostem altaris, sacrificio Christi rebellem, perfide perfidum, pro religione sacrilegum, filium impium, fratrem inimicum, prout hæc ponit Augustinus in de Baptismo contra Donat. Cæterum nonne tales Apostolica ferit sententia, dicens: *quis es tu, qui seruum iudicas alienum? seruus domino suo stat aut cadit*; ad Rom. 14. Clerici serui Domini Dei sunt, & seculares nil iuris aut potestatis in eos habent. Extant de hoc tam legum, quam canonum sanctiones in Parisiensi Concilio, *nullus iudicum clericum, aut etiam iuniores Ecclesiæ, per se distringere aut condemnare præsumat.* Et in multis aliis iuribus tam canonicis, quam ciuilibus, quæ cum sint notissima, inserere prætermitto, optimisque rationibus prudens Magister Ægidius hoc fundauit, ergo etiam si facinorosi sint clerici, à laicis puniri non possunt. Qui enim in facinorosum animaduertit, non habens in eum iurisdictionem, grauissime peccat: vnde Augustinus de ciu. Dei, & habetur 23. q. 8. *Quicunque percutit malos in eo quod mali sunt, & habet causam interfectionis, minister Dei est. Qui vero sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, & peiurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur, & tanto acrius, quanto non sibi à Deo concessam potestatem abusiue vsurpare non timuit.* Nota hæc vltima verba: *grauem quidem Deo facit offensam, & regalia & præeminentiam damnabiliter vsurpat, qui non habens ad hoc commissum sibi à Deo officium, alienapeccata punire præsumit.* Hoc ipsum esse contra legem Dei ex scriptura sacra volo alio testimonio confirmare. Scriptum est Ezech. 33. Ecclesiastico rum Prælatorum officium sub speculatoris nomine, quia debent populis peccatorum pericula nunciare. Et sequitur, *quod si non nunciauerit, & inde aliquis mortuus fuerit, dicit Dominus, sanguinem eius de manu speculatoris requiram*, & sequitur: *non populus terræ, sed ego.* Nota verba *non populus, sed ego*, &c. Ideo Greg. 25. moral. ca. 21. *quia rectores habent iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temere iudicare vitam regentium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum effudit, & cathedras vendentium columbas euertit, nimirum significans, quia per Magistros quidem iudicat vitam plebium, sed per semetipsum facta examinat Magistrorum.* Nonnullis videtur in isto Ioanne Wicleff, huius assertionis principe intueri alterum Simonem Beniamitam, qui cum desiderium suæ cupiditatis in Ierusalem non potuisset implere, per medium Appollonii apud Regem agere statuit, vt templi thesaurum arriperet, prout scribitur 2. *Machab. c. 3.* sic iste, quia, vt dicitur, episcopatum Vigorniensem non obtinuit, & alia suæ voluntatis desideria non valuit adimplere, contra spolia & thesauros templi, principum & secularium hominum studuit animos incitare. Sed quid Heliodoro ad hanc exequendam nequitiam transmisso rontigerit, vt opinor omnes nostis, qualiter in templo prostratus fuerit, grauiterq; percussus, vt in sella gestatoria ductus sit mutus, & de omni salute desperatus. Cum hoc a. Heliodoro diuina clementia misericorditer actũ est, vt hic corriperetur, ne in alio seculo damnationẽ haberet. non sic cum omnib⁹ agitur, sed interdum Deus permittit suas eis explere malitias, quo in æterna damnatione gratius puniantur. Cum enim res quæ templo Dei offeruntur, moriantur mundo, prout lex Dei habet *Leuit. vltimo*, & efficiantur sancta sanctorum, vt ibidem, quoniam Domini Dei sunt, cuius procuratores Ecclesiastici sunt, vt supra dictum est, propter culpas procuratorũ res Domini vsurpare, ratio nulla consentit, sed cum alienæ rei vsurpatio furtum sit, & contra præceptum Dei in decalogo dicentis, *non furtum facies*, res Ecclesiæ vsurpare sacrilegium est. Augustinus super Ioan. 41. *Ecce fur est Iudas, & ne contemnas fur sacrilegus, non qualiscunque fur, loculorum, sed dominicorum; loculorum sed sacrorũ.* Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti & peculatus, peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ, quanto vehementius iudicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit vndecunque tollere, h.e. de Ecclesia tollere, quia aliquid de Ecclesia furatur. Inde perdito comparatur. Vnde Pius Papa, qui fuit anno D. 153. sic inquit: *Prædia diuinis vsibus tradita quidam humanis applicant vsibus, & Deo nostro, cui tradita sunt, subtrahunt, & sibi appropriant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, vt prædia vsibus cœlestium secretorum dicata, à quibusdam irruentibus vexentur, quod si quis præsumpserit, vt sacrilegus iudicetur.* Vnde Vrbanus Papa, qui ante Syluestrum fuit, sic suo decreto loquitur 17. q. 4. *Attendendum est nobis omnibus, ne prædia vsibus secretorum cœlestium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur: quod si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ ergasacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia.* Et hoc idem patet per multos canones, ea causa, & quæstione. Item ex decreto Symmachi Papæ, 12. q. 2. *Indigne quidem ad altare Dei properare permittitur, qui res Ecclesiasticas audet inuadere, aut iniuste possidere, aut iniusta & iniqua defensione in eis perdurare.* & infra: *Valde enim iniquum est, & ingens sacrilegium, vt quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel pro salute animarum, aut requie fidelium vnusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his quibus maxime seruare conuenit, i. Christianis & Deum timentibus hominibus, & super omnia à principibus, & primis regionũ, in aliud transferri vel conuerti permittatur. Propterea qui hæc non prouiderit, & aliter quam scriptum est, prædia Ecclesiæ tradita petierit, vel acceperit aut possederit, nisi se cito correxerit, quoiratus Deus animas perdat, anathemate feriatur, &c.* Sunt & alia capitula plura, quæ gratia breuitatis omitto.

23. q. 8. a. 33.

2. Mach. 3. & 4. Causa defectionis Wichlefambitio.

Inuasores bonorum Ecclesiast. puniuntur.

CCCLIX. *Ad diabolicam suggestionem.*

Sed aduersus hæc forsitan diabolica tentatio suggereret, hoc verum, cum Sacerdotes bene ipsis rebus Ecclesiæ vtebantur; secus, vbi ex ipsis rebus Ecclesiasticis male viuunt, quod iam superius aperte confutatum est. Sed adhuc libet duo dicta B. Augustini aduersus hanc tentationem diabolicam allegare, qui sic in homilia inquit 14. q. 5. *Forte aliquis hoc secum cogitat, & dicit, multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi, non habebo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero: inde nihil nihil boni agunt, mercedem habere potero, si ego eleemosynas dedero; sed huiusmodi cogitatio diaboli calliditate suggeritur. Nam etiamsi totum tribuat pauperibus, quod abstulerit, addit potius peccatum, quam minuit.* Et idem Augustinus ea causa & quæstione: *Neque enim si agris iniquæ ac perperam inuasis, ita quisque vtatur, vt ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam iustificat, neque si alius ruri paterno vel iuste quæsito, aut aruspicato incumbat, ideo culpanda est iuris regula, qua possessor legitimus factus est, nec tyrannico factionis peruersitas laudabilis erat, si regia clementia tyrannos subditos cruciet, nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæuiat. Aliud est namque iniusta potestate iuste velle vti, aliud est iusta potestate iniuste velle vti.* Propellenda est vtique assertio, quod propter Clericorum vitia, licitum laicis sit ad Christi patrimonium manus apponere. Et facile posset præbere aditum ad simile asserendum de regibus, principibus, & aliis dominis temporalibus, nec defuere, qui hoc simili modo asserere iam præsumpserint, quod esse fomitem scandalorum, & seditionum & subuersionis totius humanæ politiæ cunctis intellectu vigentibus palam est. Obsecro igitur quemlibet fidelem dicens verba Ecclesiastici vigesimo octauo: *Sepi aures tuas, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito ostium & seras auribus tuis.*

Aug. de bono coniugii. 14. q. 5. c. 9

Pius ep. 2. 17. q. 4. ca. 12.

17. q. 4. c. 1

12. q. 2. ca. 21.

Eccl. 28.

Hoc vnum in fine actus huius notandum decreui, quod per omnes ætates mundi semper in populo Dei, nisi persecutione diuinæ legis instante, Sacerdotes in magna reuerentia & honore fuerunt, & bonorum opulentia. Tempore siquidem legis naturæ primogeniti, qui & Sacerdotes erant, in honore & hæreditate prærogatiuam præ cæteris habebant fratribus. In lege Mosaica decimas, primitias, oblationes, sacrificia, vota, & redemptiones, & vlera hæc ciuitates & suburbana, vt superius dictum est. In primitiua Ecclesia omnia ponebantur ad pedes Apostolorum, & ipsi distribuebant omnibus. Venit demum persecutio, & tunc consonum rationi erat, vt potior pars persecutionis eos contingeret, qui Christianæ militiæ principes erant. Sed demum pace data Ecclesiæ Christiani Principes, fideleſque populi Christi sacerdotibus honorem & reuerentiam & temporalium opulentiam contulerunt. Hæc pro communi vtilitate à Deo sic ordinata sunt, vt superius est probatum.

Sacerdotes in populo Dei per oẽs ætates in magna reuerentia fuerunt & bonorum opulentia.

Concludam igitur cum beato Leone 25. quæstione prima. *Quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter sunt instituta, nulla commutatione varientur; nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa. Sed manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo iniuste alienum vsurpet, sed intra fines proprios atque legitimos, prout quisque valuerit, in latitudine se exerceat charitatis.*

CCCLX. *25. q. 1. c. 3. Leo ep. 51. Ad priuatũ commodũ non trahantur quæ ad bonum commune sunt præfixa.*

Nemo deformationem morum & rerum turbinem ascribat temporalibus Ecclesiæ bonis. Nam & vbi magna est paupertas, deformitas morum, & turbatio non minor est, vt in aliquibus partibus Apuliæ, & in Insulis Sardiniæ & Corsicæ, vbi Clerus pauperrimus, ignarus & deformatissimus est. Fuerunt quoque cum multa opulentia viri sanctissimi, moresque optimi, vt patet ex prædictis; sed vtique omnium malorum horum causa potissima est, perdita disciplina, patres depulerunt virgas ad corrigendum filios, obliti consilii Salomonis, Magistri non habent ferulas, nec Abbates in capitulo disciplinas, Prælati dominique temporales non corripiunt nisi Bursas, de morum disciplina in nullo statu cura habetur, omnia licentiata sunt, verecundia perdita, obediẽtia vero abiecta, lasciuia, libidines, & voluptates omnia possident, libereq; vagantur, dum pullulantia vitia falce correptionis minime resecantur. In tanta pessimorum morũ colluuione, & veteri perdita disciplina, non mirum si ea, quę ad bonum & malum deflecti valẽt, quę temporalia bona sunt, retorquentur ad malum, cum etiam ea, quæ de sua natura sunt optima, ipsum dico Eucharistiæ dignissimum Sacramentum reprobis cedat in malum. Instauretur igitur morũ disciplina, mores reformentur, & tunc cognoscemus aspere plurimum vtile fore populo Christiano, Ecclesiam Dei bonis temporalibus abundare, quia eis à bonis non nisi bene & laudabiliter vti continget. Sunt namque necessitates plures in populo Christiano, quibus si, vt debitum est, de bonis Ecclesiæ subueniretur, non superfluit atem noxiam, sed fructuosam esse bonorum opulentiam, in Ecclesia palam esset. Quot Christianorum centena inter infideles captiui tenentur, pro quorum redemptione vasa sacra conflasse & vendidisse B. Ambrosius gloriatur, ac vt supra memoraui Iohannem Papam Quartum distractis thesauris Ecclesiæ multos per Hystriam & Dalmatiam redemisse. Desuntne puellæ thoro maturæ, quas parentes pauperes maritare non valẽt? In quibus sicut beatum Nicolaum feciſſe legimus, essent poma aurea conferenda. Sunt & millia pauperum & infirmorum, sunt & multa pauperum iuuenum habilia ingenia, si haberent vnde possent in literarum studio profectum facere. Possem & multa alia huiusmodi memorare opera pietatis, quibus est de bonis Ecclesiæ succurrendum, & ad hoc instituta esse. Sciamus nos quoque Ecclesiastici, iuxta verba beatissimi Augustini, rerum Ecclesiasticarum procurationem gerere, non dominium vsurpatione damnabili vendicare. De qua reddituri sumus in districto Dei iudicio rationem. Pauperum procuratores sumus, quos etsi hic supplices postulantes, in futuro tamen seculo agnoscemus durissimos exactores, si ea, quæ ipsis conferre teneamur, luxuriose viuendo in pompis & lasciuiis expendamus. Dispensatores serui sumus, quos constituit Dominus super familiam suam si dixerimus in corde nostro, *moram facit Dominus*, & manducauerimus, & biberimus cum ebriosis, i.e. laute viuendo, veniet Dominus die qua non speramus, & hora, qua ignoramus, & diuidet scil. animam à corpore, partemque nostram ponet cum hypocritis, ibi erit fletus & stridor dentium, Matth. 24. Eripiat nos Deus a binde, & nos, si eripi volumus, emendemus. Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies

Necessitates plures in populo Christiano. S. Amb. l. 2. offic. c. 28. Sup. in 3. rati. de Pontificib. habentibus dominia ciuilia.

Matt. 24. Luc. 12. 2. Cor. 6.

dies saluteis. Ad hoc sumus in sacro Concilio congregati, vt prauorum morum deformitatis, deposita verustate, induamus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, ad Eph. 4. Hæc sunt Patres reuerendissimi, Patres præstantissimi, quæ circa hunc articulū censui esse dicenda, quæ vestro iudicio corrigenda submitto. Vos verò inclyti Bohemiæ oratores egregios deprecor animo benigno, & cum bona pace suscipere, quoniã ad hoc sumus, vt mutuæ collationis agitatione veritas elucescat, quam nobis omnibus cognoscere & amplecti concedat ille, qui de se dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*, vt veritatem amplectentes, per ipsum qui via est, perueniamus ad vitam gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Amen.

Eph. 4.

CCCLXI. *Nota. Sequens scriptum in altero m.s. libro non habetur, vnde quædam emendari non potuere. Hieron. in prolog. c. 3. sup. in proœmio. Matt. 24.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, Amen. His quæ pro diuini imploratione auxilii, sacratissimaque Domini nostri Iesu Christi matris Mariæ, & omnium Sanctorum intercessionis suffragio, in prioris actus exordia præmissa fuerunt, nec non & protestationibus iis habitis pro expressis, & præfationis nostræ medulla breuiter memorata, quæ videlicet hoc habet, vt ne sermo Christi per malam intelligentiam fiat nobis in ruinã vt hæreticis antiquis & nouis, vt etiam Magistro Petro contigisse fateor, non immitamur propriæ prudentiæ, sensum nostrum, vt Hieron. in quit, Patrum præferendo decretis, sed super intellectu scripturæ sternus sententiæ sanctæ matris Ecclesiæ, eius dico, quæ cognoscibilis est, quæ sicut fulgur, vt Christi verbis vtar, exit ab oriente, & patet vsque in occidentem, & sanctorum Doctorum ab ea approbatorum, de quorũ sanctitate & doctrina per vniuersum orbem clarissima fama coruscat, & ne in moneta doctrinæ decipi nos contingat, nõ accipiamus eam nisi de publica officina, quam videlicet in sancta Dei Ecclesia publice legi, recipique conspicimus. Oues Christi sumus, gregatim pascamur. Sæpe quidem à lupis deuoratur ouis, quæ à grege se segregans, quærit sibi per deuia pasturã. Reuerendissimi in Christo Patres, & Domini, &c. Et rerum grauitas & temporis exigit breuitas, ne more auium gregalarum vniuersos ramusculos saliendo circũuolitem, sed velut picus auis fortissimi rostri, huius populeæ arboris trunco insiliam, & in fortitudine rostri, quam mihi per suam clementiam altissimus donare dignabitur, qui suo dixit Prophetæ, *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, &c.* Ezech. 3. perforato trunco, medullam excutiam, & sic arescet populea arbor ista, quæ nunc leuium frondium numerositate virescens, fructu tamen sterilis, vmbrositate sua segeti Christi possit detrimentum afferre. Meministis Patres & viri optimi, me in prioris actu sic processisse, vt primo loco auctoritatibus & rationibus, per Magistrum Petrum adductis præbuerim cõgruum effectumque responsum, paucis exceptis auctoritatibus, quas non aliter prætermisi, nisi quia iudicaui eas ad suum propositum parum facientes, aut nihil; sicut & vos omnes iudicare non dubito, atque si in vestra legantur præsentia, dicetis proculdubio, quod vulgariter dicitur, Quid ad *rubrum? Cum enim ad ea quæ fortiora videntur, non declinauerim respondere, vt tempus, de quo magna fit ratio, inutiliter expendissem, aliud adhibendo responsum ad illas auctoritates? veruntamen etsi tempus permiserit, etiam legam illas. Nunc autem ad ea festino, quæ priora videntur.

Ezech. 3.

** for. rhõb.m.*

Secundo loco quatuor irrefragibilibus mediis demonstraui, Clericis non religiosis, vel voto astrictis, Ecclesiæ quoque, & Ecclesiasticis viris licitum esse habere & possidere bona temporalia, mobilia, & immobilia, domos & prædia, villas, castra, & ciuitates, dotationemque Ecclesiæ & dilatationem in gloria & potẽtia temporali à diuino beneplacito & ordinatione processisse, Prophetarum oraculis prænunciatam esse, prout quatuor textus Prophetarum exponunt B. Augustinus, & Nicolaus de Lyra, & alteram loquentes de gloria & potentia temporali Ecclesiæ hac ætate, à tempore videlicet Constantini. Confirmaui præterea positionem meam decretis 11. Conciliorum generalium 14. aliorumque, etsi generalia non fuerint, tamen ab Ecclesia generaliter sunt recepta. Attuli testimonium 12. Doctorum, in lege Dei veraciter se fundantium: commemoraui præterea magnam copiam virorum approbatæ sanctitatis, & qui fuerunt in lege Domini eximij, puta Ambrosiũ, Gregorium & similes, qui hanc dotationem Ecclesiæ facto approbarunt, præsidendo Ecclesiis in temporalibus opulentis, & illa temporalia administrando, & potuissem etiam afferre multo plures.

Item dico de Doctoribus & auctoritatibus decretorum, de quibus omnibus qualiter Magister Petrus se expediuerit, omnes nostis. Nec mirum reuera quoniam super omnia fortia veritas fortis est, & veritas omnia vincit. Sed dilatat se in verborum foliis, quæ quam leuia sint ad instar populearum frondium, proculdubio ingenia vestra magna non latet, quæ etiam aliquantulum declarabuntur. Et cum constrictus à me pridem rationibus esset, concessit ciuile dominiũ in Clero non esse prohibitum materialiter, sed formaliter: quod quam sit inane, captiosaque verba ad obumbrandum mentes hominum inutiliter sine fructu, facile est videre, & hoc Deo propitio apertissime declarabo, & quanquam sua conclusio per me in priori actu fuerit penitus improbata, non insequendo terminos sophisticationis suę, sed communem modum loquendi & vsum consuetum terminorum, quem vt ipsemet dicit in 2. charta primæ positionis, declinare præsumptuose absq; causa rationali, non videtur sobrietatem sapere, sed culpabiliter proteruire, & vtique apud realiter & non sophistice disputantes, secundum communem modum loquendi, termini accipiendi sunt, & non decet ambiguas significationes verbis allegare. Sicut inquit Seneca deridẽdo Sophistas, epistola quadragesimatertia ad Lucilium. Et concordat epistola 46. & 47. Et Augustinus in secundo de doctrina Christiana, & inde credo diuina directione, non meis meritis, sed sua gratia fuit, quod dum iam in loco essem, scriptis & dictatis per me hæc addidi verba: *Solent acuti homines quadam subtili ambiguitate, & verborum tegmine obumbrare positiones suas, vt possint eas subtili disputatione, & verborum nodositate saluare, sed dum ab his non sic intelliguntur, errandi occasionem multis præbent. Non cuicunque ipse accipiat terminos, ego loquor plane in eo modo, quo solent à cunctis intelligi, & communi modo loquendi.* hoc tunc dixi, quod quam verum fuerit, vos videtis, euacuare visus est per rimulam, restringens totam positionem suam ad ciuile dominium formaliter intellectum, pro quo & ipsemet dicit, & verum dicit in hoc, quod ego non darem duos halenses, licet pro materiali darem multa centena florenorum, &c.

Seneca ep. 45.48.49 editionis Mureti. Augustin.

Sed nunc volo insequi terminos suos & eius positionem cassam & vacuam demonstrare. Habet sic conclusio sua: *Secularis possessio sicut & ciuile dominium iure diuino & humano, Doctorum sanctorum sententiis, & ratione efficaci, tempore legis prohibetur Clero Christi.*

CCCLXII.

Primo loquitur de seculari possessione, quam speciem possessionis, vt dixi & dico, in iure non inueniet, sed si secularem idem est quod temporale, pro vt exponit glossa super epistola ad Romanos decimo, omnis possessio bonorũ huius vitæ secularis est & temporalis. An vero aliqua sit æterna, indicate. Nolo tempus in his inutiliter consumere, sufficit mihi habere possessionem eo modo, quo iura loquuntur; quia per illa habeo commoda possessionis, quæ à iure data sunt. Ipse habeat suam secularem possessionem, & sicut inquit Poeta: Si tradit peregrinis imaginibus artem subtilis subtile est ipse solus adoret, imo & satis mihi est habere dominium, quia proprietas trahit ad se possessionem, iuribus vulgaribus.

Omnis possessio bonorum huius vitæ est secularis & temporalis.

CCCLXIII. *De ciuili dominio.*

Veniamus igitur ad ciuile dominium, & dein 8. notabili huius positionis secundæ, quod dominium capit suum esse, & per consequens speciem & differentiam vel à subiecto vel à fundamento, vel ab obiecto, & sic ex quolibet horum trium capi potest diuisio dominii in suas species & partes alias subiectiuas. vnde cum tres sint materies rationalium naturarum, patet quod communiter est dare tres modos dominii, vt aliud est naturale, aliud Euangelicum, & aliud humanum. Hæc Magister Petrus. Videtis Patres & Domini, q in hac prima diuisione, quæ sumitur à subiecto, non ponit ciuile dominium. procedamus vltra. sic dicit iterum: *Secundũ fundamẽtum dominii variantur suæ species spectaliter in homine: nam sicut aliud est ius naturale, aliud ius Euangelicum, & aliud ius humanum: Consequenter aliquod est dominiũ naturale, aliquod Euangelicũ, vt est dominium charitatis sine vicarium, quando quis in nomine Christi accipit ab alio ministerium: Et aliquod est dominium coactum, quod variatur secundum varietatem legum, & iuxta ipsum fundamentũ.* Hæc Magister Petrus. Videtis quomodo hic accipit diuisionem dominij secundum varietatem iurium, à quibus ipsa dominia suscipiunt fundamentum, immo omnes Iuristæ faciunt, quod accipiendo ius ciuile stricto modo paucissima dominia possent dici ciuilia. Nam fundamenta dominiorũ sunt plurimum de iure gentium, & paucissimi modi acquirendi dominium sunt de iure ciuili, prout hoc apud Iuristas est vulgatissimum, & patet ex toto titulorum discursu *de acq. rer. dom.* & Instit. *de rer. diuis.* Sed accipiamus latissime ius ciuile pro tota latitudine iuris humani, & ita videtur accipere Magister Petrus in tertio membro suæ distinctionis, & istud est dominium, per quod dicimus, hoc meum, hoc tuum, & hoc est institutum occasione peccati originalis, quia si permansisset illa originalis iustitia, nemo dixisset, hoc meum, hoc tuum, sed corrupta originali iustitia, expediens valde fuit, distinguere rerũ dominia, quia vt dicit lex, communio tolet excitare discordias. *ff. de leg. 2. l. cum pater. §. adhuc.* Et alia lex: *naturale vitium est negligi, quod communiter possidetur. C. quomodo & quando quarta pars, in volumine l 2. cum aliis legib. concordantibus.* Quod si omnia essent communia, quot guloſi essent in mundo, pigri & inertes, & quot dissensiones & iurgia? Et de hoc dominio datur illa descriptio, quod est dominium occasione peccati humanitus institutũ, incommunicabile simul ex æquo multis dominis, sed abdicabile seruata iustitia; ita dixit Magister Petrus. Alij dicunt, seruata, vel non seruata charitate, quia *tum hoc dominum infunderetur in charitate, etiam amissa charitate non perditur. Vide *S. Thom.* 2.2.q.66.ar.2. Sed in hac diuersitate non insisto, qui credo, quod M. Petrus idem fecit, nisi vellet teneri illum errorem, quem ab aliquibus audio teneri, quod quicunque peccat mortaliter, perdit dominia bonorum suorum, & sic Rex regnum, Princeps principatum, miles castrum, ciuis dominiũ, prædia, &c. quod Mag. Petrum sentire non credo. Nunc omnes intelligite, quod omne dominium, quod habent homines in bonis fortunæ, de quo in iudiciis agunt & contractibus, dominium ciuile est, hoc modo ciuile, cum cuilibet competat talis assignata descriptio. Nam omne tale fundamentum accipit à iure humano instituto occasione peccati, & est optima consequentia à definitione ad definitum.

Paucissimi modi acquirendi dominium de iure ciuili.

Communio solet excitare discordias.

** for. cum hoc dominium non fundetur. Thom. 2.2. q.66.ar.2.*

Cancellarius Parisiensis in Tractatu de Ecclesia, vltima consideratione, vltra medium, describit dominium sic: *Dominium est potestas propinqua assumendi res alias, vel vt alias, in usum facultatem vel in vsum iuris, secundum iura vel leges rationabiliter institutas.*

Gerson de potest. Eccl. considerat. 13.

CCCLXIV *Dominiũ quid sit? Ciuile dominiũ Clero Christi tempore legis gratiæ est licitũ.*

Probare iam volo breuiter conclusionem Magistri Petri esse falsam. Et arguo sic: Ciuile dominiũ Clero Christi tempore legis gratiæ est licitũ, ergo conclusio falsa. Consequentia nota, quia conclusio sua dicit, quod est prohibitum. Antecedens meum dicit, quod est licitum. Licitum & prohibitum repugnant, quod est prohibitum non est licitum, ita ipse concessit 2. *quinterno*, 2. *positionis*, *charta* 5. & est cunctis manifestum. Sed ad probandum antecedens allego Augustinum super Ioan. Homil. 6. iuxta finem, vbi contra Donatistas loquens, sic ait: *Modo deficientes vbique, quid vobis proponunt? non inuenientes quid dicant? villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt, proferunt testamenta hominum. Ecce Gaius eis donauit fundum Ecclesiæ, cui præerat Faustinus, cuius Episcopus erat Faustinus? Ecclesiæ, quid est Ecclesia? Ecclesiæ, dixi, cui præerat Faustinus. S. d non Ecclesiæ præerat Faustinus, parti præerat. Columba autem Ecclesia est, quid clamas? non deuorauimus villas, columba illas habet, quæratur quid sit columba, & ipsa habeat. Nam nostri fratres mei, quia villæ istæ non sunt Augustini, & si vos non nosceritis, & putatis me gaudere in possessione villarum, Deus nouit, ipse scit, quid ego de villis sentiam, vel quid ipse fassus sum; nouit gemitus meos, si mihi aliquid de columba imperti ri dignatus est. Ecce sunt villæ. Quo iure defendis villas? diuino an humano? respondeant. Diuinum ius in Scripturis habemus, humanum ius in legibus regum, vnde quisque possidet quod possidet? nonne iure humano? nam iure diuino Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, pauperes & diuites. Deus de vno limo fecit & pauperes & diuites, vna terra sustentat. Iure tamen humano dicis, hæc villa mea est, hæc domus mea, & ibi seruus meus est, &c. iure ergo humano.* Hæc Augustinus. Ex quo dicto patet: Primo, quod Ecclesia habet fundos & villas. Secundo, quod omne dominium horum bonorum, quæ dicuntur bona fortunæ, à iure humano est, *vnde quisque possidet, quod possidet? nonne iure humano?* Habet ergo Ecclesia dominium iure humano institutum, &c. Ergo ciuile dominium, à definitione ad definitum.

** for. rimulam.*

Veniat alius textus, quem allegat Magister Petrus: dicit *primo quinterno, charta quinta*, quod loquitur de ciuili dominio. In declaratione enim definitionis ciuilis dominij, super secunda particula ita dicit: *Ideo Augustinus distinguendo inter ciuile dominium, & dominium secundum differentiam commutabilitatis & incommutabilitatis, ex perfectione in esse diuino, subdita humano dominio vt ciuili. Quis, inquit auarus, &c.* Ipse Magister Petrus posuit partem, ego ponam aliam. Nam habetur *in Decretis 23. q. 7.* ita Augustinus inquit: *Quod autem nobis obiciunt, quod res eorum concupiscamus, & auferamus, vtinam Catholici sint, & non solum qui dicunt sua, sed etiam nostra in pace & charitate nobiscum possideant, vsque adeo autem calumniandi cupiditate ducuntur, vt non attendant, quam sint inter se contraria quæ loquuntur. Ipsi certe dicunt, & inuidiosissime sibi conqueri videntur, quod eos in nostra communione violento legum imperio coarctamus; hoc itaque nullo modo faceremus, si eorum res possidere vellemus.* & sequitur tunc particula, quam Magister Petrus allegat: *Quis auarus quærit compossessorem? quis dominationis elatus desiderat habere consortem?* & sequitur: *Ipsos certe attendant, quorundam suos, iam socios nostros, & fraternæ nobis dilectionis coniunctos, quemadmodum sua teneant non solum quæ habebant, sed etiam nostra, quæ non habebant.* Hæc August. si de ciuili dominio hic textus loquitur, prout & Magister Petrus ex sua allegatione consequentiatur, ciuile dominium non esse prohibitũ Clero Christi.

23. q. 7. c. 3. August. Ep. 50. ad Bonifacium.

Nunc sicut dixit Hieron. contra Luciferianum disputãs, videam si omnes disputationum riuulos possem vnico sole Ecclesiæ siccare. Et allegauit quintũ canonem Chalcedon. Concilij. Et ego profero canonem Apostolorum 12. q. 1. *Sint manifestæ res propriæ Episcopi, si tamen habeat proprias, & manifestæ dominicæ, vt potestatem habeat, de propriis rebus moriens Episcopus sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere.* Ecce duplex patrimonium, vnum Ecclesiæ, aliud proprium. Ergo non solum clerici, sed etiam Episcopi possunt habere proprium. Vtique si prohibitum esset clero Christi, si Clerici expropriatarii esse *haberent necessario, non fecissent Apostolitale decretum; Sed B. Hieronymo ad exsiccandum omnes disputationum riuulos satis esse videbatur allegare vnum canonem Concilii Chalcedonensis; mihi autem cum isto nouo homine non sufficiunt Canones Apostolorum, Pij & Vrbani sanctorum antiquissimorũ Pontificum decreta vndecim Conciliorum generalium, & quatuordecim aliorum. Dicet forsan ipse, quid te occupas recapitulando istas auctoritates? Iam dixi tibi in tertio notabili, quod per illam distinctionẽ de ciuili dominio materialiter, vel formaliter intellecto, concordari possunt ista, & quod ego in materia proposita, vbi fit mẽtio de Cleri dominio, prosequor intentum de dominio cleri ciuili formaliter intellecto. Et iterũ charta septima, volens soluere rationes meas de Melchised. qui fuit Rex & Sacerdos, & de primogenitis in lege naturæ, cũ non inueniat quo euadere possit, nisi per rimulam illam, dicit: *non videntur contradicere articulo à me proposito;* charta octaua, intelligo de possessione seculari, & dominio ciuili formaliter intellecto. Et tãdem secundo quinterno, charta 5. recitat cõclusionẽ meam sub his verbis: *Quod Ecclesiæ Prælatis & personis Ecclesiasticis licitũ est habere & possidere bona temporalia, mobilia & immobilia, & ciuilia dominia.* Et dicit quod ista conclusio articulo per ipsum posito apud bene intelligentes nõ obuiat. Videte quomodo non obuiat? articulus eius dicit, quod ciuile dominium est prohibitum Clero; mea autem cõclusio dicit, quod licitum est quoad ciuilia dominia, suus articulus dicit prohibitum, mea conclusio dicit licitũ, & vtraque de ciuili dominio. Sed dicit ipse: *Propterea dico apud bene intelligentes, quia tua conclusio loquitur de materialiter intellecto, scil. quod habet obiectum dominabile, puta domos, prædia, villas, castra, & ciuitates, & ita loquuntur omnes probationes per te inductæ, ego autem loquor de ciuili dominio formaliter intellecto.* & quid intelligat per hoc, quod dicit formaliter intellecto, declarat, dum nititur respondere ad illud argumẽtum meum, vbi arguit ex hoc quod ciuile dominiũ est res commerciabilis, & dicit sic 2. quint. charta 4. *In quibus*

** for. debeerent.*

rebus aduersarius inuit ciuile dominium esse in rem commerciabilem, quo non nego se ciuile dominium formaliter intellectum, de subiecto in subiectum migrare non posse videtur. Et vt suppono, dicens, Dominus auditor pro illa habitudine præscripti ad subseruiendum non daret duas hallenses, vbi pro dominio materialiter intellecto, ac palpabili, de quo ipse præcipue videtur loqui, aliquot florenorum centenaria dare minime denegaret. Et vt puto, si distinctionem ciuilis dominij materialiter intellecti, & etiam formaliter, vera iter conciperet, contra articulum per me propositum non ita ardenter & laboriose, quamuis, vt supponitur, cum detrimento suæ animæ, laboraret. Sed quia puncta tangit subtilem, &c. Hæc M.Petrus. In quibus verbis animam meam condemnat, sed quid mirum, si hoc agit, qui de Doctorib⁹ Iuris Canonici loqui taliter non veretur, secundo quinterno, charta quarta: *Inter omnes cæcitates Doctorum Iuris Canonici, hæc est stultissima.* Et iterum: *quicquid Doctores Canonici somniauerint.* Si autem Magister Petrus tanti sit, quod eius intellectus præferri debeat Doctoribus iuris Canonici, ad intelligendum canones, & omnes cæci sint, & ipse solus videat, vos iudicate, videbitisque etiam per lectionem textus, quando textus ille, de quo loquitur, nõ po'est aliter intelligi, quam omnes Doctores Canonum intelligunt. Et cum dicit mæ cũ detrimento animæ laborare. Nam cum ipse nitatur *caliginem offundere ante oculos populorum*, vt Hieron. verbis vtar; ego laboro flatu diuinæ veritatis illam expellere, vidistis quanta effudit ad obtenebrandum oculos populorum, quę videtur inducere, quod Clero non licet aliquid habere, sed debent Clerici viuere more Apostolorum, in altissima paupertate, & tamen omnia illa restringit ad ciuile dominium formaliter intellectum, quod non est transmigrabile de subiecto in subiectũ, pro quo dicit esse verum in hoc, quod ego non darem tres hallenses, nec quisquam alius daret, quia frustra daret pro illo, quod ab alio in ipsum transire non potest. Videte quid parturiuit mõs iste, vel verius inflatura terræ, sicut ille Poëta inquit: *Iam mons parturit, & erit ridendum filius nus.*

Videte quid ex omnibus istis intendat? Dominium ciuile formaliter intellectũ, quod non valet tres hallenses, hoc dicit esse prohibitum clero Christi. Videretur nobis pulchrum negotium, q̃ ego quotidie clamarem contra aliquem iudicem, dicens: *Iste iudex non operatur iusta*, & cum cõcitassem populum contra eum, & expulissem eum ab officio, & aliquis mecum veniret, dicens: *quomodo nunc tu dixisti, iste iudex non operatur iusta; ecce, istam & istam sententias, quas ipse tulit, iustæ sunt, qui iuxta illum iura promulgata.* responderem ergo: *verum est, quod iusta operatur materialiter, sed non formaliter.* Et ita ego intelligam, & dixi verum, quia sicut dicunt Doctores, multi operantur iusta materialiter, & non formaliter, quia ille dicitur operari formaliter iusta, qui operatur ex habitu virtutis iustitiæ, modo forte sunt pauci qui operẽtur ex habitu formato, vtinam ex dispositione operarentur iusta. Quæ autem sit differentia inter dispositionem & habitum, tritum est, quia habitus est radicata qualitas, de difficili mobilis à subiecto. Vnde ille qui operatur ex habitu, operatur valde faciliter, imo vt dicit Philosophus in 5. Ethic. valde difficile est habens habitum iustitiæ ad iustitiam habere declinare. Videretur vobis etiam pulchrum, si ego irem ad plateam, vbi venderetur panis, & dicerem: *videte hos panes, populus qui est in hac ciuitate non comedet eos*; & postea in crastinum diceretur mihi: *falsum dixisti mihi, quia panes iam manducati sunt.* Ego responderem: *dixi quia ego intelligebam formaliter, non sunt formaliter manducati, quia forma est mutata, quia non comederunt eos integros & rotundos.* Quæ præstigationes sunt istæ? quæ fascinationes? quæ cura populis est de vestris formalitatibus, & de vestris habitudinibus? hoc autem curandum est, vt vnusquisque in ea vocatione, quo vocatus est, maneat, iuxta doctrinam Apostoli Christi. Et vt S. Leo dicit: *manentibus terminis, quos constituerunt Patres: ne quis alienum vsurpet. sed nostra fines proprios atque legitimos prout quisque valuerit, in latitudine fe exercear charitatis.*

Ostensum est per Dei gratiam de positione Magistri Petri, quam vacua sit & inanis, sed volo probare, quod omnino est falsa, & nolo relinquere sibi illud formale, licet non valeret tres hallenses, vt dictum est. Et ponamus sic: homo laicus habens dominium vel prædium, aut vt comprehendamus ciuile dominium, prout distinguitur contra priuatum, accipiendo distinctionem ex parte obiecti dominabilis, & sic communiter accipitur à Iuristis, prout est potestas de publico cum potestate iuris dicendi. Ponamus quod sit Baro, Comes, vel Rex, & rebus suis, prædio, castro, vel regno non alienatis, efficitur Episcopus, tunc arguo sic: Iste est Dominus istius regni, ergo habet ciuile dominium formaliter intellectum, accipiendo pro illa habitudine dominantis ad dominabile. Consequentia patet ex natura terminorum correlatiuorum. Nam ista est bona consequẽtia: Iste est pater istius, ergo habet illam habitudinem relatiuam, quæ est patris ad filium, non dico, iste habet filium, quia tunc posset materialiter intelligi, quia habet vnum seruum qui est filius alterius; sed dico, iste est pater illius, ergo inter istum & illum est habitudo relatiua, quæ est patris ad filium. Sic dominus est in prædicamento ad aliquid, quia dominium, vt Magister Petrus intelligit, formaliter est habitudo dominantis ad dominabile; ergo hæc consequentia est bona, esse est dominus istius rei, ergo habet istam habitudinem dominãtis ad istud dominabile. Non dico, istud habet istud dominabile, quia bene possunt habere aliquod dominabile, vt custos, vsuari⁹ vel conductor non habet proprietatem; licet Magister Petrus contrarium dicat, quod an verum sit, omnes Iuristæ sciunt, si cõductor dicitur proprietarius, sed relinquamus hoc: non dico ergo, iste habet istam rem, sed dico, iste est dominus istius rei, ergo habet illam habitudinem dominantis ad dominabile. Iam satis declarata est consequentia; sed antecedens probatur per canonem Apostolorum præallegatũ, vbi rex. *potestatem habebat de propriis rebus moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit relinquere.* Item in Concilio Agathẽst de rebus propriis potest testari Episcopus.

CCCLXVI

Nunc post tres annos veniant duæ leges in testimonium, Authent. *licentiam.* C. de Episcopis & Clericis. *Licentiam habeat Episcopus quæcunque ante Episcopatum probatus fuerit habuisse, & quæcunque post Episcopatum iure cognationis vsque ad quartum gradum, ad eum pertenerint, ad quos voluerit vltima voluntate transmittere.* Item in alia auctoritate statim sequenti: *Presbyteros autem & diaconos & subdiaconos, & cantores, lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere sub potestatis pœna præcipimus ad similitudinem castrensium peculiorum, & donare secundum leges & testari, licet sub parentum sint potestate.* Constat ergo quod Episcopi & alii Clerici non sunt exproprietarij, sed licite habent res proprias, de quibus possunt pro sua voluntate disponere, donare, & in testamentis relinquere, & alios de ipsis dominos facere, hoc non facit, nisi dominus ciuili dominio, sicut ex descriptione ciuilis dominij, per ipsum data, lucidum est videre. Et sic antecedens est probatum, quod ille Episcopus vel Clericus est dominus illius rei. Ergo habet ciuile dominium formaliter intellectum. Consequentia superius probata est. Sed forte diceret ipse nunc, Ego non nego Clericis dominium suorũ patrimoniorum, quæ habent ex successione paterna. Et si Rex Angliæ efficeretur Clericus in sacris, vel Episcop. remaneret rex, sicut & nunc est. Sed de bonis Ecclesiæ loquor, in quibus dico, quod Clerici non habent ciuile dominiũ formaliter intellectum. O bone Deus, nec dixi ego, nec aliquis doctus in iure Canon. quod Episcopi vel alij clerici sint domini rerum Ecclesiast. Nonne aperta sunt verba Canonum 12.q.1. *Res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed vt communes & Domino oblatæ cum summo timore non in alios, quam in præfatos vsus sunt fideliter dispensandæ.* Nunquid & ego in primo actu in solutione ad nonam auctoritatem Noui Testamenti, ita dixi: *Vtiq; Deo seruit Prælatus, qui res Ecclesiæ fideliter administrat, quorum est procurator, non Dominus*; prout etiam M. Petrus allegat, de dona. *c. fraternitatem.* Et Augustin. ad Bonifac. *si priuatum possidemus quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem in nobis vsurpatione dominabili vindicamus.* non ergo habent Prælati dominium rei Ecclesiæ, non ipsorum sunt dominia proprie loquendo, sed sunt ministratores. Dicuntur tamen propter ipsam administrationem domini & dominari, quia sunt administratores & dispensatores. Sicut & de Ioseph dicit Scriptura, quod erat dominus vniuersæ domus Pharaonis, Genes. 45. & in Psal. 104. *Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Habent ergo Clerici in bonis Ecclesiæ nõ dominium, sed administrationem, vt iterum dixi, iuxta finẽ primi actus legatur. Ex quibus patet quid sentiam de bonis Ecclesiæ, & quomodo cupiam ipsa fideliter administrari, ne

12.q.1.c. 26.

De donat. c. fraternitatem. l. 3. tit. 24. c. 2. Augustin. Epi. 50. ad Bonifac. 12.q.1.c. 28. Genes. 45. Psal. 104.

in distri-

Ariſtot. 5. Ethic.

1. Cor. 7. Leo.

in districto Dei iudicio reperiantur culpabiles, nec opus per Magistrum Petrum adduci Doctorum dicta ad hoc, quia & ego multa plura legi documenta sanctorum, qualiter Prælati & alij Clerici debent bona Ecclesiæ dispensare. Sed dum ista seminat, forte aliud prętendit obumbrare, videlicet merita Prælatorum Ecclesiæ, vnde caueat, ne incidat in illam sententiam Ambrosii 3. de Officiis: *Si quis non obediat Episcopo, sese extollere & exaltare desiderans, quærens etiam obumbrare merita Episcopi, simulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ, is a vero deuius superbit.*

Ambroſ. de Offic. l. 2. c. 4.

CCCLXVII.

Dixit denuo Magister Petrus in secunda die suæ replicationis sic: *Domini temporales possunt auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus. Suadetur sic. Reges veteris Testamenti auferebant bona temporalia ad nutum diuinum ab Ecclesiasticis delinquentibus. Igitur & reges Noui Testamenti possunt similiter facere ad nutum diuinum habitualiter delinquentibus Sacerdotibus nouæ legis.* Animaduertite supplico pulchram conclusionem domini proponentis, &c. & non dicit *licite* vel *de iure*, sed solam dicit, *possunt*, & ego dico, quod non solum à delinquentibus, sed etiam à Sanctis, videlicet in Totila Rege Gothorum, Iuliano Apostata, de Regibus, & dominis temporalibus, quæ sunt in illa terra, quæ olim fuit Christianorum, nũc est infidelium. Deinde dicit, *suadetur sic*; non dicit probatur, quia vidit, quod non habet probationis efficaciam, sed videamus vim suasionis. *Reges Veteris Testamenti*, &c. quomodo bene probat conclusio sua dicit simpliciter, probatio habet ad nutum Dei, & ego dico, quod diuino nutu non solum Reges à Clericis possunt bona auferre, sed quilibet homo ab alio homine, pater, quia non facit furtum, qui Deo iubẽte ministerium præbet, ita dicit Augustinus in libro Quæstionum Exodi, & habetur 14.q.5. *dixit Dominus.* Et hoc modo populus excusatur à furto, quando Ægyptiorum bona asportauit, esset bona ista consequentia, populus Israël petiit commodari sibi à vicinis vasa aurea & argentea, & ille secũ asportauit: Ergo licitum est asportare. Licitum fuit Samsoni se ipsum interficere. Ergo licitum est seipsum interficere. Videam Augustinum de Ciuitate Dei *lib. 1. cap. 27.* Norunt omnes qui Sacræ Scripturæ aliqualem habent peritiam, quod ex his quæ ad nutum Dei fiunt, non accipitur argumentum. Vnde Beda super Actus Apostolorum, & habetur 26.q.1. *Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas Prophèta sorte deprehensus fit, indifferenter sortibus est credendum, cum priuilegia singularum, vt Hieronymus ait, communem legem omnino facere non possint.*

14.q.5. *Dixit Dominus. c. 12.*

Auguſt. de ciuit. Dei. l. c. 21. 26. 27.

26.q.2. *nõ ſtatum. c. 2. lier. ſupra l. c. Ioan. & ibidem. Nam exemplo. c. 4.*

Sed non prætereundum, quod licet Deus multoties puniat peccata non modo per legitimas potestates, sed etiã per alienigenas gentes Dei iussa exercitas, sententia est Ambrosii & habetur 23.q.5. *remittuntur.* sicut sæpe propter diuinæ maiestatis offensam subactus est populus Iudæorum, vt ex discursu librorum Iudicum, Regum, Paralipom. & Machabæorum, liquidũ esse videtur: tamen non semper talia fiunt sine peccato ab his, à quib⁹ fiũt, vt paret in Senacherib & Antiocho, qui propter peccata populi Israëlitici ipsum populum captuarunt & afflixerunt, & ipsi à Deo grauissime sunt puniti. Nam de Senacherib ab Angelo exterminatore occisi sunt centum & octoginta quinq; de exercitu eius vna nocte, & ipse fugit, & interfectus fuit à filijs suis. 4. *Reg.* 19. Antiochus vero cum Dei nutu multum afflixisset populum Israël propter ipsius populi peccata, tandemque dira plaga percussus crudeli morte vitam suam finiuit, 2. *Machab.* 9. *cap.* legitur. Interdum enim Deus populum suum peccantẽ per malos homines punit, sicut patet ex historiis prætactis. Et vt Augustinus dicit l. 1. de ciuit. Dei, c. 9. *Interdum flagellantur boni cum malis, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam.* Et sic solent Principes facere, qui de malis hominibus faciunt lictores, ita Deus de malis hominibus, & de diabolis facit ministros iustitiæ suæ. Sed tamen diaboli exequendo diuinam iustitiam, non merentur, neque lictor qui causa cupiditatis implet ministerium iustitiæ. Vnde Augustinus in Quæstionib. Exod. 23.q.5. *Cum minister iudicis occidit eum, quem iudex iussit occidi, profecto si id sponte facit, homicida est, etsi enim occidit quem scit à iudice debere occidi.* Ad hoc ergo quod ex nutu Dei possit accipi argumentum ad id, quod cõmuni lege est illicitum, primo oportet, quod vt verbis Augustinus vtar l. 1. de ciu. Dei, c. 26. *Deum se id iubere, sine vllis ambagibus intimet*; ne sit forte diabolica suggestio, quia angelus Sathanæ interdum se transfigurat in angelum lucis. Secundo, vt id exequatur solo affectu exequendi diuinam iustitiam, *absit ab animo*, (vt Augustini verbis vtar contra Manichæos, & habetur 23.q.1.) *qui culpatur nocendi cupiditas, vicisci ulciscendi crudelitas, implacabilitas, feritas rebellanda, libido dominandi*, & si qua sunt similia, quæ corrumpunt animum, & protrahunt à puritate zeli iustitiæ ad cupiditatis affectum, vel alterius animi passionis, quod quam sit difficile, cuncti pensate. Ideo difficile est etiam iusta bella agere; nã etsi iustitia sit, forsan non erit in animo, aut deficiet in modo.

Auguſt. de ciuit. Dei. l. c. 21. 26. 27.

Ambr. ſuper Luc. c. 4.

23. q. 5. remittuntur. c. 49.

Ambr. l. 2. de Cain & Abel. c. 4.

4. Reg. 19. & 25.

1. Mach. 3. Li. et Deus multoties punit peccata per alios, nõ tamen semper ſunt ſine peccato ab his à quibus fiũt. 2. Mach. 9. Auguſt. de ciuit. Dei l. c. 9. Auguſtin.

Ad probandum suum antecedens allegauit, quod Salomon dixit 3. *Reg.* 2. ad Abiathar Sacerdotem, qui adhæsit Adoniæ fratri Salomonis, vt Adonias esset Rex, *vir mortuus es, sed non interficiam te, sed vade in Anathot*, &c. Item de Rege Nabuchodonosor, qui habuit potestatem à Deo ducendi populũ Israël cum Sacerdotibus & Leuitis in captiuitatem Babylonicam. Videte quam sit propria hęc allegatio. Deinde ad idẽ allegat 4. *Regum* 12. quod Ioas Rex Iuda deuotissimus secundum prudentiam Dei tulit omnia consecrata de templo, misitque Azaheli Regi, vt recederet à Ierusalem. Allegat vltrius 4. *Regum* 18. de Ezechia, qui similiter fecit. Item de Dauid qui comedit panes propositionis. Ad ista omnia alia solutione opus non est, quam illa, quam ipsa secum afferunt, ipsemet allegat, quod ista nutu Dei facta fuerunt, & ideo ex eis non accipitur argumentum, vt superius dictum est. Sed prætereire non volo intactum, quod aliam potestatem exercebant Reges in illo templo, & sacerdotio carnali, & figuratiuo veteris legis, quam Christianis Principibus licet exercere in templo & sacerdotio nouæ legis. Quia sacerdotium Christi præcellit sacerdotio Aaronico, in triplici enim excellentia plurimũ eminet, primo quia illud ab Aaron, illud incepit à CHRISTO, & sic illud à seruo, istud à Filio Dei. Secundo, quia illius Sacrificia erant pecora, istius ipse DEI Filius est sacrificium, & Deo Patri hostia. Tertio, quia illi Sacerdotes ligare non poterant vel absoluere. Istis datæ sunt claues regni cœlorum, & dictum est ab ipsa increata veritate: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo; & quodcunque solueris*, &c. quis iam non videt his consideratis, quanta sit differentia inter Sacerdotes nouæ legis, & Sacerdotes veteris legis? & quam alta isti illis præeminent excellentia dignitatis? quanquam patenter omne claudicet argumentum, q̃ de subiectione illorum, trahatur ad istos. Bene per Dei gratiam nostri Catholici Principes, quod in Clericos nisi quantum ab Ecclesia eis conceditur, iurisdictionẽ non habent. 11. q. 1. *Sacerdotibus.* legatur totum ibi de Constãtino. Sed ipsi Principes, Christi sacerdotibus in spiritualibus sunt subiecti. Vnde ille Valentinianus inclytus Imperator Mediolanensi Ecclesiæ dixisse legitur: *Talem in Pontificali Sede constituere procurate, vti & nos à quibus hoc gubernatur imperium, sincere nostri a capita submittamus, & eius monita, cum tanquam homines deliquerimus, suscipiamus, necessario velut medicamenta curantis.* Et quoniam, licet non fuerim præsens, extitit mihi relatum, quod pridem M. Ægidius circa istam materiam multa pulchra disseruit. Hæc pio presenti dixisse sufficiant.

4. *Reg.* 12.

4. *Reg.* 18. 1. *Reg.* 21.

Ex eis quæ nutu Dei facta ſunt, non accipitur argumentum.

Denno Magister Petrus arguit d.c. *si tributum.* 11.q.1. Sunt verba Beati Ambrosii: *Si tributum petit Imperator, potestatem habet agrorum vendicandorum, tollat eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego vtiq;.* Si Magister Petrus fuisset tam bonus decretista; quod sine præsumptionis nota posset dicere, quod doctores Canonistæ fuerunt cæci, & nõ intellexerunt Canonum textus. Si ipse aduertisset ad glossam, credo quod abstinuisset ab illo argumento. Nam Glossa ita dicit super verbo: *potestatem de facto, non de iure. Nam sine auctoritate principis, siue alterius qui detinet res Ecclesiæ, sacrilegus est.* Dicat ipse nunc forte in cogitatione sua, quid ad me de Glossa? quia ipse pro nihilo habet omnes Glossas & dicta Sanctorũ, sed non paruipendat, quoniam Gloss. illa tantum probat, quod dicitur per tex. in cap. *quisquis.* 12. q. 2. & 16. q. 1. *in canonibus*, quia textus hoc apertissime probat, dicit enim textus *in canonibus, &c. valde iniquum & sacrilegium est, quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel salute aut requie animarum suarum, vnusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his, à quibus maxime seruari conuenit, id est, Christianis & Deum timentibus hominibus, & præcipue à Principibus & primis regionum in aliud transferri*

CCCLXVIII.

Theod. l. 4. c. 5. & 6.

11.q.1. *ſi tributum. c. 27.*

Ambr. contra Auxentium. lib. 5. Ep. poſt Ep. 32.

12.q.2.c. 19. *item ibid. c. 4. 16 q.1.c. 57.*

Vel con-

vel conuerti. Generaliter vero quicunque res Ecclesiæ confiscare aut impetere vel peruadere periculosa suæ infestatione præsumpserit, &c. Similiter & quicunq; res Ecclesiæ iussu vel largitione principum, vel quorundam potentum, aut quadam inuasione, aut tyrannica potestate retinuerint, & filiis vel heredibus suis, vt à quibusdam iam factum audiuimus, quasi hereditarias reliquerint; nisi cito res Dei, admoniti à Pontifice agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Potuisset etiam Glossa illa allegare plures alias auctoritates, quæ hoc probant. Gloss. in dict. cap. *in canonibus*, allegat multas concordantias. Præterea scienti intentionem illius capituli, veritas Glossaris est manifesta.

Contendebat B. Ambrosius cum ministris Imperatoris, qui Basilicam tradi hæreticis iussu Imperatoris B. vrgebant Ambrosium, vnde ipse dicebat: *Si tributũ petit Imperator, &c.* Et etiam postea: *Si patrimonium petat, inuadite, si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? &c.* Communis habet locutio, quando quis cum petitore contendit dicere: *Vultis mihi tollere mea? bene potestis.* Non quod intelligat licite & de iure, sed de facto. Et ita Glossam illam communis modus loquendi veram esse ostendit.

Ambros. li. 5. Epistolarum. Ep. 33

Arguit de c. *ex his*. 12. q. 1. quæ sunt verba Gratiani, & ideo non faciunt ius, sed nolo declinare ipsum; verum namque est, quod clericus habens feudum à rege in re feudali subest Regi secundum legem feudi. Et hoc non nego, sed materia est specialis, teneat terminos suos, nec extendatur vlterius.

12. q. 1. c. 22.

CCCLXIX Arguit præterea de c. si q. fin. vbi text. *Patet Simoniacos velut primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus esse deputandos, & si commoniti non respuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos.* Antequam ad solutionem veniam, notandum est, quod non est verum simpliciter, quod omnis Simoniacus sit hæreticus. Sed vt dicunt Doctores communiter, & Archidiaconus recitat in Rosario in cap. *ferutur*. 1. q. 1. Simon Magus, à quo dicitur Simonia, fuit hæreticus, & eius discipuli dicti sunt Simoniaci, & isti erant veri hæretici. Et propterea dicit textus in dicto cap. *ferutur. Simoniaca hæresis, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica supplantatione subrepsit, &c.* Ita quicunq; crederet pertinaciter Spiritus sancti gratiam posse emi pecunia, hæreticus esset. Illi vero qui hoc non credentes, sed cupiditate permoti, studeant emere & vendere spiritualia, nõ sunt hæretici, quia hæresis de sua ratione formali habet, habere errorem in intellectu, circa credibilia fidei, & pertinaciam in voluntate, & ista deficiunt in talibus, quia non deficiunt errantes circa credibile, sed affectu depravato cupiditate, student emere vel vendere spiritualia; & ideo non sunt hæretici, sed grauissime peccant, & in grandi periculo animę suę viuunt, nec fructus beneficiorũ simoniace adeptorum suos faciunt, sed ad restitutionem tenentur, nec saluari possunt, si nõ renunciant beneficiis simoniace acquisitis. Nunc ad solutionem illius argumenti; & c. principes. 23. q. 5. dico, prout doctores cõmuniter dicunt in c. *etsi Clerici*. de iudic. in c. *vt fama*. de sent. excom. dist. 3. casus sunt speciales, in quibus laicis potestatibus à iure conceditur potestas in clericos; & vt breuiter me expediam, secularis potestas in clericum non degradatum & traditum non habet potestatẽ, nisi ab Ecclesia in subsidium inuocata, & ita loquuntur illa c. quare de illis ad alios casus arguẽdum non est. Sed argumentum quod accipit ex c. *Principes rogo* aduertatis quam formalem consequentiam facit, *licet secularibus potestatibus facere coercitionem Clericorum per aliquam speciem terrentis disciplinæ. Ablatio temporalium est species terrentis disciplinæ. Igitur, &* r. Aliquis homo currit, ergo iste homo currit. Mihi licet aliquid facere in personam propter ipsum vtilare, est aliquid facere. Igitur, &c.

23. q. 5. c. 20. in c. etsi Clerici. de iudiciis, lib. 2. tit. 1. c. 4. in c. vt fama, de excom. lib. 5. t. 39. c. 35

Post hoc arguit sic: *Omne quod debet efficere potestatiue finem aliquem per rationabilem commensurationem mediorum ad ipsum; potest licite vi potestatiue subtractione excessus & additione defectus ipsorum mediorum, secundum quod congruit propter ipsum commensurationem faciendam; cum ergo seculares domini debeant potestatiue istis ere necessariam sustentationem Cleri per rationalem commensurationem temporalium, quæ tenentur conferre Clero Christi, sequitur quod possint licite vi potestatiue subtractione & additione ipsorum temporalium, secundum quod congruit propter ipsum commensurationem rationabiliter faciendam.* Ita dicit; nec Maiorem nec Minorem probat, sed totum sine fundamento reliquit, sine fundamento cadat. Dico primo, quod argumentum deficit, quoniam bona Ecclesiarum non sunt solum propter sustentationem Cleri, sed ipsa facta, residuum debet in pios vsus conuerti, vt in primo actu latissime dixit. Præterea si li. *potestatiue* determinat actum commensurationis, prout verissimiliter facit, neganda est Minor, quia potestas talis commensurandi, cum remotione superfluorum, non est apud seculares potestates, & nescio si ipsi concederent se teneri ad conferendum sustentationem Clero, vnde populus teneretur, vnde Ecclesia non haberet, sed graue nimis esset eis, vnde bene prouidit diuina prouidentia, quod dedit Ecclesiæ vnde viuant Clerici & etiam faciant eleemosynas populo, & non habent grauare populum.

Deinde arguit sic: *Clericus licet subtrahere Sacramenta Ecclesiæ laicis delinquentibus; igitur laicis licet subtrahere temporalia potestatiue à Clericis habitualiter delinquentibus.* Ista est vna pulchra consequentia; nescio si in Oxonia vel Cantabrigia sunt tales consequentiæ, bene scio quod non admitterentur, sic sequeretur à simili: Regi licet denegare iurisdictionem suam subdito suo propter delictum, quia, vt sciunt Iuristæ, est vna species coercitionis, & de leuioribus: ergo & subdito licet denegare obedientiam Regi propter delictum; habet tamẽ omnis diuini iuris regula, quod superior in inferiorem habet iurisdictionis potestatem, & non econtra.

CCCLXX.

CCCLXXI

Denique arguit sic: *æque potestatiue potest stipendians subtrahere suum stipendium ab indigno operario, sicut potest digne ea conferre; cum ergo temporalia sunt stipendia laicorum, sequitur*, &c. videre quoniam bene facit argumentum in forma, bene accipit medium; prædicatum in minori, sub subiecto maioris; haberet dicere: sed laici sunt stipendiantes Clericos; & tunc minor est falsa, quia non sunt stipendiantes, bene posset dicere, quod sunt soluentes ea, de quibus stipendia Clericis præstantur. Et sic similiter argui posset, quod licet iusticis, subtrahere stipendia, quæ præstantur militibus. Deinde arguit, quod rectificatio facillima Clericorum esset per subtractionem temporalium, & medicina debet dari per quã aptius sanetur infirmus, &c. Ista argumenta petunt fundamentum. Oportet primo probare, quod rectificatio Clericorum & medicinæ exhibitio pertineret ad laicos, & tunc esset bonum quærere, quomodo aptius fieri, aliàs frustra cõsulrat de mediis, ad quem non pertinet finis. Cum ergo probatum non sit, quod laicis hoc pertineat, imo per me contrarium superius est deductum, & sic deficit argumentatio sine fundamento constructa.

Vlterius arguit ex c. *quicunq*. 17. q. fi. vbi Augustinus recitat factum laudabile Aurelij Episcopi, quod cum quidam non habens filios, omnia bona sua, vsufructu retẽto, donasset Ecclesiæ, postea habuit filios, Aurelius restituit sibi bona. Quid ad propositum? vtique nihil; sed vt Magister Petrus, qui est magnus Iurista, Doctores omnes canonum cæcos reputans, aliquid de iure addiscat, debet scire, quod cum quis nõ habens filios, donauit omnia bona sua, filius nascẽs, postea habet ius ad reuocandam donationem illam, per *tit. de inoffic. donat.* Sed an in totum, sed solum in legitimam, est quæstio inter Doctores: aliqui tenent quod in totum, aliqui quod tantum pro legitima, decebat autem sanctum Episcopum partem benigniorem accipere, & quia illa esset in pios vsus erogaturus, voluit pietate paterna consulere filiis eius, quem vnum fecerat secum vinculum charitatis.

CCCLXXII 17. q. 4. c. 43.

Demum facit quandam suppositionem, quod Clerus enormiter peccaret, si vellet interficere reum, armis acceptis militaret, spoliaret gentes, stupraret virgines, tunc non esset remedium, &c. Esset remedium, & remedia quæ scientibus iura, & etiam vtentibus ratione, facile est reperire, sed non, vsurpare Ecclesiæ bona, quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet. Et cum, vt dictum est, Prælati Ecclesiæ bonorum Ecclesiæ sint procuratores, non dominj; propter delictum procuratoris inuadere bona Domini, non est iustum.

Arguit deinceps sic: quidquid Clerus à brachio seculari debet exigere, quod adiuuet eum ad tuendum & defendẽdum bona Ecclesiæ, & etiam ad subministrandum. Non autem debet exigere, quod bona Ecclesię laici sibi subripiãt, & vsurpent. Et auctoritas quam allegat Actorũ 6. q. dixerunt Apostoli: *Non bonum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mẽsis.* videte quomodo bene facit pro ipso, an potius faciat cõtra. Nunquid dixerunt Apostoli laicis? subripite ista bona, quæ ad

CCCLXXIII

quæ ad pedes nostros offeruntur, quia eorum administratio impedit nos à prædicatione verbi Dei? An potius constituerunt Diaconos, qui illud exercere fecerunt? Ita Prælati Ecclesiarum Apostolos imitando, non dicunt laicis: subripite ista bona, sed constituunt officiarios & ministros, qui illud ministerium impleant. Et ad idem tendit confirmatio, quæ subsequitur, & etiam argumentum eius finale, & eadem solutione depelluntur, licet multa ibi sermocinetur, quæ deberet primo ipse facere, postea docere.

CCCLXXIV. Denuo arguit ex illo, priuilegium *meretur amittere, &c.* Et dicit dotationem Ecclesiæ esse priuilegium. Ad hoc multa possent dici, tamen illud sit brocardicum, & multas habeat limitationes, sed hoc sufficit pro presenti, quod quando priuilegium conferturin non subditum, potest per concedentem non reuocati: præterea dotatio Ecclesiæ non habet naturam priuilegij, sed est ex donationibus vel vltimis voluntatibus, quę in dominio alicuius translata sunt, per successoresillorum non reuocantur, quantumcunque illi, qui tales res habent, eis abutantur; quare tale ius vel actio illis successoribus nullo iure competit.

CCCLXXV Arguit demum de correctione Euangelica, quæ quomodo faciat ad propositum, bene videtis; finis namque illius, secundum Euangelium, est: *dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus & publicanus.* Tandem facit vnum argumentum, hoc habens in effectu, quod sicut licitum sit auferre gladium de manu phrenetici, ne se interficiat, ita licitum est auferre bona temporalia à Clerico, qui abutendo interficit animam istam. Ista comparatio quam sit efficax, omnibus habẽtibus oculos est manifestum; vnicuique enim licitum est auferre gladium de manu phrenetici, ne ipso abutatur, ergo vnicuique licitum est auferre bona cuiusque ab eis abutentibus. Si hoc concederetur, quanta occasio spoliandi alios præberetur, quantaque seditionis & turbationis occasio? Non ita consulit Augustinus; sed dicit, *forte aliquis cogitat, &c.* est in primo actu, & habetur 14. q. 5. c. *neque enim si agris.*

14. q. 5. c. 9 Augustin. de bono cõiugali. c. 14 Supra in fine primi actus.

Post hæc ad rationes meas nititur respondere, & vt quantum illæ responsiones valeant, cunctis sit notum, legam vtrasque, totus effectus solutionum est, quod omnes auctoritates per me introductæ loquuntur de clericis non delinquentibus habitualiter, sed manifestum est, quod non procedunt, quia auctoritates meæ loquuntur de nequissimis Sacerdotibus, & habituliter delinquentibus, qui domum Dei fecerũt speluncam latronum, & in mortem Christi Dei Filij conspirarunt, & de Episcopis, qui cathedra relicta, plebe deserta, aucupabant nundinas negotiationum & vsuris inseruiebant, vt ex earum lectione lucidum est videre.

CCCLXXVI. Vltimate sic subiungit: Videtur quod Christus subtractionem temporalium à Sacerdotibus prophetauit, & pro suo tempore huiusmodi subtractio est implenda; dicitur Matth. 24. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, id est, ipsum templum, secundum Lyram, quia per Romanos fuit destructũ, nec reædificabitur amplius. Hæc Lyra. Item Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Super quo Lyra, id est, regimen Ecclesiæ, alias regnum, *& dabitur genti facienti fructum eius*, id est, Apostolis & eorum successoribus. hæc Lyra. Videre manifestã calumniam, scripturas quæ loquuntur aperte de Iudæis, dicit esse prophetias de clero, & ad sui confusionem ipsemet offert expositionem Lyræ, licet ex textu Euangelij satis sit clarum, dicit: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, id est, tẽplum, quia per Romanos fuit destructum. Quales sunt istæ probationes tales sunt omnes aliæ, quas adducit calumniose, sophistice, extorte, & puræ cauillationes. Repeto igitur admonitionem illam ex verbis Sapientis Ecclesiast. 28. dicens cuilibet Christiano: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam, & os tuum facito ostium, & seras auribus tuis, &c.*

Matth. 24.

Matth. 21.

CCCLXXVII. *Eug. Posti. Constit. de celebratione Festi venet. Sacra. edit.* Hæc insignes isti Theologi dispurabant, contra Hussitas, Thaboritas, Orebitas, Orphanos, & alios huius temporis hæreticos, quibus vnicum propositum fuerat, Ecclesiam Sacramentis viduare, bonis exuere, iurisdictione spoliare, populum in Ecclesiasticos armare, & sacra prophanis, margaritas porcis conculcandas dedere; nullo respectu auctoritatis Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Canonum, Patrum, communisque sensus & consensus Orthodoxorum; quæ omnia perfidi aut contemnebant, aut detorquebant; adeo vt in vanum illi laborasse visi fuerint, qui tantam armaturam fortium, ad rebellendos, cõincendosque errones, ex promptuario sacratiore produxissent. Eugenius Pontifex, vt fidem & cultum Sacrosanctæ Eucharistiæ quam impij vel didebant, vel eleuabant, propagaret, hoc anno Constitutionem de celebratione festiuitatis sacratissimi corporis Christi instituit, indulgentiasque cunctis Christi fidelibus ea die concessit, qua Ecclesiastici in id sedulo incumberent, vt Sacramentariorum hæresim suffunderent, atque extirparent; Ita scil.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Excellentissimum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi Sacramentum, quod appropinquante passionis eius hora Dominus ipse in signum præcipui quo nos dilexit amoris salubriter instituit, eiusque commemorationem sacratissimam iugi mentis exultatione contemplantes, ad hoc inter singulos huiusmodi mercatos sanguine spiritualia dispensare munera votis exposcimus, vt illi condigno assurgentes laudibus, sua frequentius ad ipsius venerationem Sacramenti corda dirigant, & eo, quo corporalis habetur præsentia Saluatoris viatico fructus vitæ complectentes æternæ cœlestia conscendant, ipsum, qui se nobis in edulium tribuit perpetuo conspecturi. Sane dudum piæ memoriæ Vrbanus Papa IV. prædecessor noster, ad Ortodoxæ confessionem & exaltationem fidei, digne & laudabiliter statuens, vt de tanto Sacramento, præter illam quæ diebus iuris fieret in Ecclesia, annuatim memoria solemnior & spectatior haberetur, & ad celebrandum eius tam excelsum, tamque gloriosum Festum, quanta post Octauam Pentecostes Feria designans, ac Christi fideles quoslibet ad colendum illud donis spiritualibus animare volens, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui matutinali officio Festi eiusdem in Ecclesia, in qua illud celebrabatur, interessent centum, qui vero Missæ totidem, & qui inprimis ipsius Festi vesperis similiter centum, qui vero in secundis totidem, illi vero, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij horarum officiis pro qualibet ipsarum quadraginta; eis autem, qui per octauas ipsius Festi matutinalibus, vespertinis, Missæ, ac prædictarum horarum officiis interessent, singulis octauarum ipsarum diebus similiter centum. Et subsequenter fel. rec. Martinus Papa Quintus etiam prædecessor fideles eosdem ad impertienda pro veneratione Sacramenti huiusmodi pottora reuerentia & deuotionis exercitia firmare cupiens singulis ex eis vere pœnitentibus & confessis, qui & quoties in ipsius Sacramenti pro Festo iuniunium, vel loco illius aliud pium iuxta suorum consilia confessorum opus facerent, etiam centum. & qui præmissis in Ecclesie in quibus illa celebrare contingeret, & officiis interessent, nec non Episcopis & aliis Prælatis superioribus, qui dictis officiis libẽter interessent, sed quo minus eis in ipsis Ecclesiis interesse possint pro conservandis suarum dignitatũ iuribus, aliàs tunc legitime impediti pro matutinali ducentos, & pro Missæ officiis totidem, ac pro qualibet vesperarum etiam ducentos. Reliquarum vero videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij Festi octauarum. Rursus autem in quibuslibet octauarum diebus pro singulis matutinalium Missarum & vesperarum similiter centum, nec nõ reliquarum horarum officiorũ huiusmodi quadraginta, illis præterea qui processionis in quibus ipsum viaticum Sacramentum dicto Festo iuxta præfatarum ritus Ecclesiarum deferetur continuo secuti forent, ac quibuslibet in Festo & octauarum diebus huiusmodi pro pace & tranquillitate Ecclesiæ missas deuote celebrantibus pro singulis ipsarum, nec non aliis in eodem Festo Eucharistiæ Sacramentum deuote sumentibus etiã centum, singulis annis profecto vice qualibet eis qui dum corpus Dominicum communicandis deferretur infirmis illud cum incenso luminari præcedendo vel sequendo venerarentur, similiter centum, & qui dum illud alias deuote secuti fuerint quinquaginta dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxarunt. Ac etiam ipse Martinus præd. quod in Festis & diebus octauarũ huiusmodi in terris & locis Ecclesiast. quæ uis authoritate suppositis interdicto pulsatis campanis tamen aperte, & alta voce excommunicatis personis exclusis, sed interdictis vt citius reconciliari possent admissis & illis, qui causam veloccasionem huiusmodi interdicto dedissent, altari tunc nullatenus appropinquantibus, Missæ & officia præmissa licite celebrari possent, authoritate Apostolica duxit concedendum. Nos vero quos interim ad Summi Apostolatus apicem diuina clementia perduxit, etiam pro frequentiori huiusmodi veneratione Sacramenti summis gestientes affectibus nostri parces ministerij salubriter impertiri, necnon relaxationes & concessiones prædict. Apostolico robore muniminis ipsorum nationi fidelium committentes præmissis per eundem Martinum prædecessorem, vt præfertur relaxatis diebus alios totidem dies pariformiter ab ipsis fidelibus consequendis adjicimus per præsentes. Et insuper vniuersos Patriarchas, Archiepiscopos,

Tenor Constit. Eug. 4.

Episcopos & alios Ecclesiarum Prælatos monemus ac hortamur in Domino, ac eis per Apostolica scripta in virtute S. obedientiæ districte præcipiendo, mandamus, & in remissione peccaminum iniungimus, vt per se vel alios eorum subditos per singulas suarum ciuitatum & diœc. Ecclesias in Dominica Feriam & Festum prædicta proxime præcedente, salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti huiusmodi monitis & exhortationibus præsentium quarum etiam tenor inter matutinales Festorum, necnon dierum octauarum huiusmodi lectiones recitetur literarum continentia, & effectu publicare & insinuare procurent. & eiusd. m Sacramenti suffragante mysterio subditi & fideles ipsi spiritualium gratiarum vberiori fulciantur argumento. & ab illo, qui se per ipsum immolauit hostiam post hunc vitæ cursum ad gloriã perducantur æternam. Verum quia difficile esset huiusmodi literas singulis exhiberi, volumus, & eadem auctoritate determinamus, quod earum transsumpto manu publica & sigillo alicuius Episcopatus vel superioris Ecclesiæ cuius munito tanquam præsentes originales exhibeantur literæ plena fides adhibeatur, & perinde ac si originales literæ forent exhibitæ vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1433. septimo Calend. Iunij, pontif. nostri anno tertio.

CCLXXVIII. *Ex miraculo impetrata fœmina magna erga Imaginem B. Virginis, quæ in monte Guardiæ asseruatur apud Bononiam. cultus & deuotio.*

Hæc pro cultu sacrosanctæ Eucharistiæ sanciebat, & largiebatur Pontifex Eugenius hoc anno; quo etiam non defuerant alij, qui cultum Sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, propagarent. Nicolaus Albergatus S.R.E. Cardinalis, Episcopus Bononiensis, reuersus ex Gallicana legatione, Bononiæ agebat, officio vigilantis ac pij Pastoris in sua Ecclesia defungens. Assidue ac vehementes pluuiæ, necnon terrimæ & immoderatæ tempestates, fere vniuersum Bononiensem agrum deformauerant, necnon maximam eiusdem omnibus miecerant, ne, vt sæpe contigerat, legetes maturescentes extingerent. In ea trepidatione, implorata fuit cætera auxilia. Quæ cum depellendæ aëris intemperiei nequicquã opis adferrent, Nicolaus Cardinalis Episcopus vna cum Antianis decreuit, vt imago dilæ Deiparentis, ex aspecta eiusdem Virginis, manu S. Lucæ Euangelistæ expressa, quæ ante complures annos Constantinopoli allata, in Templo S. Mariæ Montis Guardiæ seruabatur, intra mœnia deferretur, atque illa religiose in pompa peragerata, supplicatio de more, adhibitis sacris ac prophanis ordinibus ageretur. Ea cura deuotis sodalibus Hospitalis S. Mariæ mortis cum esset demandata, ipsi IV. Nonas Iulias imaginem deportarunt, atque in Templo S. Matthiæ Cœnobij Dominicanarum Virginum, quæ ipsa in monte Guardiæ asseruabant, collocauerunt. Postero die, tertio, & quarto, Episcopus inde sumptam, in processione publica cum pompa deferri, atq; ad tria templa vrbis præcipua ab omnib⁹ solennes supplicationes fieri præcepit. Hoc facto, precibusq; per intercessionem diuæ Deiparæ admonitis, lux statim optatæ serenitatis affulsit. Vnde postea cõsuetudo inoleuit, ex decreto publico religione cuncta aucta, vt singulis annis, tribus diebus quas Rogationum appellant, eadem imago Reginæ cœlorum, ex monte Guardiæ, in cuius templo à deuotissimis sanctimonialibus perpetuo custodiatur, in vrbem deferatur, & in supplicationibus publicis, solenni cum ceremonia circumferatur, ad hæc vtq; tempora ingentibus miraculis illustris, & coti Flaminiæ, Æmiliæ, Liguribus, Insubribus, Etruscis, & aliis Christi fidelibus venerabilis. *Carolus Sigonius in vita B. Nicolai Albergati, cap. 14.* Ascanius Persius, celeberrimos Scriptores, qui Beatæ Virginis laudes atque miracula ad memoriam posteritatis transmiserunt, imitatus, historiam eius Sacræ Imaginis nuper euulgauit, quam hic adscribere visum, exemplo aliorum, qui Christi matrem, ac cœlorum reginam laudibus prosequuntur, ipsius que gesta, qua verbo, qua scripto propagare & amplificare student; quando quidẽ & ipsi Saraceni, à fide Christiana alieni, & Mahometis Pseudo-prophetæ præstigiis in crassissimos adhuc errores abducti, eam colant, & venerentur.

SACRÆ IMAGINIS DEIPARÆ VIRGINIS, quæ in Monte Guardiæ apud Bononiam asseruatur, Historia.

I.

CCLXXIX. Quo tempore Orientis Imperium Comnenus Manuel, Occidentale Fridericus cognomento Ænobarbus, obtinebat, vir quidam in Græcia fuit, vitæ innocentia, ac religione cumprimis venerandus; quippe, qui vt diuinum Numẽ sanctus colere, vitamq; ab omni noxæ labe puram exigere posset, cum in solitaria ac deserta secessisset loca, ibi diu austere ac duriter vixerat. Hic aliquando Constantinopolim profectus, vbi ipsam vrbem iniit, recta in Basilicam sanctæ Sophiæ tetendit; in qua veneratus Deum, lustrare inde Templum oculis, quæq; in eo digna visu cernebantur, contemplari cœpit. Ibi inter multas Tabula visebatur, in qua imago inerat Virginis Deiparæ, in vlna puerum gerentis vmbilicotenus picta. Subtus autem huiusce modi legebatur inscriptio:

Quomodo dicta Imago ad montem Guardiæ delata fuerit.

Tabula hac, Luca Euangelista manu picta, in fanum eius Monti Guardiæ inædificatum ferenda, ibiq; supra altare locata, sanctissime colenda.

II.

In hanc ergo defixis oculis vir solitarius, miraque imaginis eius reuerentia, ac religione ipsius animũ subeunte commotus, eam pronus adorauit; deinde literas subscripras perlegit. Hæc vbi hominem mira incenderunt cupiditate cognoscendi, quisnam ille foret locus, in quem transferri imaginem iubebant, eius fani Sacerdotes ea de re continuo adiit. Ab his responsum accepit; se à parentibus accepisse, eam tabulam summa semper religione habitam, easque literas ibi diutissime fuisse; necdum tamen, cum de monte Guardiæ perquisitum sedulo foret, compertum esse quidquam. Tum illis vltro pollicetur, si sibi tabulam concedere velint, terrarum se vig; eo peragraturum orbem, donec ad eam diem locum ignoratum reperiat, vbi ipsam deponat. Mirum sane, & vix dignum fide. Sed quid nõ facile euenire posse credas Deo auctore? Impetrat continuo hisce dictis, homo locorum ignarus, vt Græci eam Tabulam illi commiserint. Carolus Sigonius, in eo quem de Bononiensibus Episcopis conscripsit volumine, affirmat diuino viso admonitum fuisse Eremitam, vt montem Guardiæ sedem illi imagini destinatam diligentius per regiones Italiæ quæreret, & reposita illic Tabula finem peregrinationi imponeret. Et obediuit ille quidem, ac inprimis Romam caput Orbis & Religionis adpropeauit: credens in ea vrbe se posse aliquem viæ ducem inuenire, qui recta ad montem Guardiæ deduceret, aut saltem vbinam locorum mons ille emineret, ex fide edoceret. Nec falsus spe, aut votis fuit. Cum enim ea imagine onustus, in Basilicam Principis Apostolorum conscenderet, Pascipouerus quidam Bononiensis ciuis, ex Nobili Pascipouerorum familia natus, illum prætereuntem vidit, & accersitò ad se homine, quid in superficie Tabulæ quam gestabat extaret percontatus, diuina permissione cognouit, imaginem Sacrosanctæ Deiparentis à S. Luca depictam, Bononiensium præsidio destinari: atque mox, Eremitæ, montem Guardiæ inquirenti, aperuit, non agro Bononiensi esse, altero non nisi lapide ab vrbe eminere, in eius vertice Templum Sancto Lucæ extructum profitare. Credidit homo inquirendi anxius, Pascipouero, montem demonstranti, & detracta ex humeris pera, deprompta inde imaginem illi tradidit: cumque ea deinde Pascipouerus illum Bononiam destinauit, & Magistratui Bononiensi, quid Eremita adferret, aperuit. Ad eius aspectum commoti fuere mirum in modum cunctorum animi, quibus diuinæ imaginis spectaculum, sacrum quendam horrorem, mistamque lætitiæ reuerentiam incussit: quippe cum omnium ordinum ciues, pictam Tabulam, non vt ab homine oblatam, sed tanquam de cœlo cernentibus ipsis delapsam esse existimarent, & tam venerabundi, quam summo gaudio exultantes, xoperent. Indictæ mox tridui supplicationes, quas ornatissima pompa, & summa religione obiere, circumlato per vrbem vniuersam cœlesti illo dono. Ad occasum diei tertiæ, placuit Tabulam ad Templum Sancti Lucæ, quod in vertice montis Guardiæ prospectum in vniuersam fere Lombardiã habet, deduceri, atque supra Aram maximam collocari: commissa eius seruandæ cura, religiosæ cuidam ciui, ex nomine Angelicæ, quæ vna cum sociis multeribus, religionis studio locum incolebat.

III.

CCLXXX. *Dei mone Guardiæ vide no-*

Mons iste inter primos Apennini Aquilonares situs, in occasum, eliquanrum vergit, non vltimum aut obscurum, aut longo tramite ascendentibus ad cacumen peruius, cuius

radices alicubi, tantum non alluit fluuius Rhenus, Bononiæ vicinus, Guardiæ nomen inde traxit, quod cum quotidianis fere prælijs Bononienses cum Mutinensibus de finibus contenderent; atq; hi viribus impares, Parmensibus, Regiensibusque ad societatem belli adscitis, in agrum Bononiensem excursiones facerent, statuit senatus populusq; Bononiensis, he hostis imparatos, imprudentesque adoriretur, in monte habendas esse excubias, quas Itali *Guardias* appellant, vt aduentus eius long- prospici, & mature ciuitati ad ipsum propulsandum posset nunciari. Ex eo mons acceptum nomen postea retinuit: ita vt excubiæ illæ custodiæque vrbis, imago ac typus fuisse videantur, veræ huius custodiæ, quæ in eodẽ locata monte, vrbem eandem à quocunque hoste, quin & à quocunq; malo seruatura foret. Sicuti autem mons ipse primus omnium circum circa montium, quod aliqui obseruarunt, à Religiosis coli cœpit, sic non multo ante illarum illuc imaginem sanctæ Lucæ templum in summo ipsius iugo cõstructum liquet, vt esset locus præparatus excipiendæ imaginis diuinitus destinatæ. Sub annũ Domini millesimũ octuagesimum septimum puella quidẽ Bononiensis Angela nomine, paternæ domus commodis, vrbanarumque voluptatum illecebris postliabitis, ad sanctioré vitam à Deo vocata, clam parentes, in hunc montem prima commigrauit, sibi tuguriolum quoddam manu propria ex virgultis composuit, inque eo solitariam agere vitam proposuit. Eam cum diutius patentes quæsiu issent, atq; tandem in eodem tuguriolo, solam, positis genibus, sublatisque in cælum manibus, in oratione occupatam reperissent, atque adhibitis multis precibus, vt ymisque nec quicquam retrahere ab instituto, aut domũ reducere potuissent, sociam ei adiunxerũt quandam mulierem, eodem pietatis studio inflammatam, humilemq; vtriusque casam ad habitandum, & paruam ad Dei cultum ædiculam extruxerunt. Hinc Angelæ ipsi nomẽ Eremitidis vulgo factum. Cumque Religionis illius & sociæ fama indies percrebresceret, ea impulsi Canonici Regulares sanctæ Mariæ Rhenanæ, quorum in ditione mons fuerat, vltro ipsum iis, ac cæteris quę per successionem eas excepturę forent, largiti sunt. Inde Angela, ad nouas capaciores ædes construendas animum adiecit; eum aliæ postmodum sociæ ad eius cõuictum se contulissent: inter quas Angelica, cuius superius facta est mentio. Hæc cum Angelam non magis nomine, q̃ factis & vitæ sanctimonia imitata videretur, vbii la naturæ concessit, à sociis demortuæ sublecta, curam earum suscepit. Quæ postquã grandiori templo & ampliori continentium ædium extructioni, quatenus haud satis ampla ferebat area fundamenta iecisset, à Canonicis Regularibus, quorum antecessores locum Angelę dono dederant, factum illud in cõtrouersiam vocantibus prohibita, summum Pontificem ipsa adiisse fertur, & ab eo, re enarrata, ius suum, hoc est donationis eius (loco ubi, post peroratam vtrinq; causam adiudicato) confirmationẽ impetrasse; nec multo post, anno sc. millesimo centesimo quinquagesimo circiter, cœptam ædificationem absoluisse. Templum ipsum à principio sancto Lucæ dicatum, eidem ad annum millesimum centesimum sexagesimum sactum permansit, quo quidem anno, perlata in id imagine, & Angelicæ concredita, sanctæ Mariæ mõtis Guardiæ tutelare nomen accepit; eiusque deinceps natalis in eo dies, qui Septembris octauus est, ea forte de causa, quod per id tempus tabulam Eremita illuc intulisse, celebratus fuit: & si hodieque sancti Lucæ templum vocitetur; ibique dies illi sacer, qui Octobris duo de vigesimo est, peragi solet quotannis, non amplius Deiparæ natalis: vel etiam ex hac occasione quod famulus, Virginum sacram ædem accolentium, & fructuum eius loci custodiæ præfectus, à nonnullis qui eo per speciem deuotionis & festiuitatis aduenientes, fructus, Septembre matures centes, frustra illo prohibente diripuerant, interemptus fuisset. Ad declinanda igitur eiu modi in posterum mala, vetus ipsi templo & nomen, & sacrum restitutum fertur. Cæterum sancto Virginum quæ in monte degebant numero, nouum iis domicilium proxime Bononiam ad Fossam Circulam attributum fuit: in quo etiam cum præter latrocinia & hostiles inuasiones minus tutæ habitarent, intra vrbem receptæ, ad Ædem sancti Matthiæ positis sedibus perpetuo mansere, ac successu temporis habitum & institutum Dominicanæ Religionis sanctimonialium assumpserę; ea conditione, vt ex numero illarum; ad custodiam sacratæ imaginis, quæ adhuc dum in mõte Guardiæ asseruatur, aliquæ singulis annis submitti consueuerint, alijs exacto anno in locum earum per vices succedentibus.

IV.

CCLXXXI. *Sacra imaginis schema.*

Porro sacræ imaginis, hoc est schema. Tabula ipsa, in quã picta imago est, duum in latitudinem palmorũ, veterum s. Romanorum, ac digitorum ferme quinque in longitudinẽ verò trium, ac digitorum circiter quatuor protenditur. Hæc ita ætatem tulit, vt quantum quidem pareat oculis, vix dum conserir catiem; sanẽ vi naturæ, an peculiari potius eius qui supra naturam omnem est numine, incertum mihi, cui genus eius ligni ignotum. Damna etiam, an ab æuo, an ab hominibus, an vtrinque vertus, in colore pusilla sunt; quippe id credimus, quod credi procliuius, tot ætatum; etsi rebro, aut pie deosculantium, aut aliquid contrahendę religionis ergo admouentium appulsu; vham, aut alteram, quam videmus in pictura labeculam non aliunde factam, alioqui pigmenta ipsa (quæ, aut ex ouo, aut ex glutino illita videntur) per tot centurias annorum, ferme vt recẽtia seruantur. Ea in tabula mater virgo cingulo tenus depicta est, puerum fesum in sinu ad sinistram fouens, caput & ipsa eodem leuiter inclinãs. Facies est nõ puellæ, sed maioris natu virginis, atq; adeo senescentis, neq; id temere. Si quidẽm post resurrectionem, atque in cælum ascensionem Filii eius, excepisse eam Lucas penicillo videtur, matre videlicet, haud abdita amplius apud Christi fideles diuinitate filii nobilitari cœpta, atque vt haud dubie habita Deipara, ita etiam visenda maxime; & vbi visendæ ipsius non esset copia, subsunte ad imaginis eius speciem, eius desiderio. Tam grandæuæ aũt, appinxit puerulum Lucas, vt ex amplexu nati agnosceretur matricum, et iam scito penicillo miscuisset, id quod inerat genuinæ venustatis in vultu adolescentulæ, quando puerum gestauerat, cum grauitate maturioris æui, quam sanctitas venerabilem efficiebat. Collum anterius candido à pingente ob rectum velo, nulla sui parte nudum apparet. Manus quoque ac vestem quo minus inspicere liceat, argẽtea prohibet multis ab hinc annis imposita lamina, qua præter faciem matris, ac faciem nati, quicquid in tabula picti est, operitur. Eas olim qui videre, oblongis testantur esse; vt & fluuium capillum, qui nũc sub lamina ipsa latet. Facies à fronte summa ad mẽtum inum, nouem fere digitos; latitudo eius vbi maxima, sex tantum patet. Colore in habitum q; oris, linea menta que non aliis quam Epiphanii verbis à Nicephoro relatis, quib. ille formam expressit viuentis explicare queam aptius. adeo hæc conueniunt, vt illum hanc habuisse ante oculos tabulam, in describenda dixeris: *Maria inquit, colore fuit triticum referente: capillo flauo, oculis acribus subflauas, & tanquam oleæ colore pupillas in iis habens. Supercilia et erant inflexa, ac decenter nigra. Nasus longior. labia florida, facies non rotunda nec acuta, sed aliquanto longior. Manus simul, ac digiti longiores.* Hæc quidẽ ad vnguem expressa omnia picta tabula exhibet. Nasus pro ipse nõ solũ longus, verum etiam non nihil ad aquilinũ accedens. Frons quo que magnitudine in partem neutram peccante, sed modice ampla, ac decens. Oculi non demissi, nec semiclausi, quales in huiusmodi iconum plerisque cernimus, sed satis patentes, ac recta obtuentes. Litteræ subscriptæ, quas initio memorauimus, propter argenteam illam, cuius paulo ante meminimus, laminam, nullæ videntur. Fides est apud omnes, imaginem hanc sancti Lucæ esse opus, qui vna medicus ac pictor, germanos vultus Christi Iesu, & Beatissimæ matris eius, Petri item Pauliq; Apostolorum accurate delineauit. An vero illa sit imago, cuius Nicephorus meminit; hic non disputo, sed rem integram aliis relinquo: cum non vnam sed plures, sanctus Lucas pinxerit. Imago quidem ipsa in penetralibus templi, edito parietis posita loco; ita vt aræ eius principi, à qua paries ipse per angusta inter capedine seiungitur, impendeat, scalis vtrimque lapideis aditus; ligneoq; pereleganti, atque egregie picto armario, siue vt vocant tabernaculo conclusa, reliquis eam ambientibus sanctorum cõplurib. varioq; ornatu decorata, religione maxima custodiũ haud minore ostenditur, pluriũ tutelæ clauium cõmendata.

lib. 2. c. 23.

V.

Quando cum solennitate in vrbem deferatur.

Ad vrbem quotannis ob solennes trium dierum supplicationes, quas Rogationes appellamus, deportatur, ibique

Cleri, cæterorumq; sacrorum Ordinum, deuotorum item, videlicet laicorum sodalium, qui in processionibus sub propriis insignibus vexillis ingrediuntur, longis agminib. nec non artium quæ in vrbe exercentur Collegiis spectabili pompa præcunt. Magistratibus subsequentibus, reliqua comitate comitantur, per tres eos dies matutinis horis ad certa templa ferri solet. Exportatur præterea, atq; in corbe defertur, noxa frugibus, cæli intemperie, alione grandi præsente aut impendente malo hominib. sanctiores cõprecationes populo indicente. Quamplurimis a. ac prope innumeris fulget miraculis q votiuæ tabellæ, nec non donaria ex auro, argento, cera affixa indicant; quib. quidem oppleri cernuntur parietes: & si multa desiderentur, quæ iconomachorum furor, in transitu Borbonianno, refixit, ignib. absumpsit, & magna ex parte templo denudato, memoriam quoq; miraculorum antiquiorũ extinxit, ad annum Domini 1528. Mansit tamen imagini & loco sacrato sua in populis religio; cuius vel hoc sit argumẽtum, quod cum templum situm sit, in loco ab vrbe remoto, & cluoso; nihilominus tamen, ac si in media vrbe esset, adorantium in eo quotidie, ac sacrificantium, aut aliquid pie agentium, q vndique confluunt perpetuo, cõcursu frequentatur. Eam populorum deuotionem, volentes tãto amplius excitare summi Pontifices, aliique Ecclesiæ Præsides, indulgentias cõplures visitantib. locum largiti sunt. Sacris operãdis in eo templo, cui æq Sanctimonialium præsunt Dominicani Fratres: ab eo tempore, quo illæ habitu Canonicorum Regularium reiecto, Dominicanum induxerunt, anno 1280.

VI.

Soli Iesuatæ eam ad vrbem ferre solent.

Illis primum ius est aperiendi, retegendique imaginem, quando vel publice, vel priuatim ostenditur. Eam ad vrbem pro supplicationib. ferre, cõsuetudo est Clericis Apostoli. is, quos IESVATOS vulgo dicunt, quibus extra portam sancti Mamæ ad sancti Eustachii domicilium est. Et Marcus quidem Episcopus Auinionensis, Bononiæ pro Eugenio Pontifice Gubernator, decretum 3. Kal. Sept. huius anni fecerat, vt deuoti S. Mariæ mortis, deferendæ & referendæ tabulæ potestatem haberent, eamq; dum in vrbe esset, apud se custodiret: progressu tamẽ temporis, magis ad honorẽ Dei genetricis visum fuit, si illam Religiosi, a Sanctimonialibus ornatã ferrent. Vnde a plurimo tempore, non alii quam Iesuati eam portant; nisi cum per vrbem in pompa circumfertur, tum n. intra sacras quidem ædes, duobus diebus, primo s. ac secundo, Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ, tertio vero die insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Petronii Canonici hanc suis baiulant humeris, extra eas, eodem modo inter se partientes vtrinq; Basilicæ sacerdotes Assidui, quos Mansionarios appellant. At obtecturæ hanc, dum è propria remota ede abeat, in altaribus deponere, inde admonere, vnis fere mos est Iesuatis.

Miraculis ab imagine 88. Deipara.

I.

Per eam pluuia impetrata.

Anno Domini M.CCCC.XXXIII. Serenitate, vt dictum est impetrata, cum ad annum vsq; per tres menses perpetuos, sterilis prorsus imbrium cælo, solitã excoxisset ageres, vt summa obducta duritie, nullo subigi instrumento ad cultum posset, nec ad eliciendam pluuiam, æque vt serenandũ aerem, æque esse potentẽ sanctissimam Virginem cunctis existimarent, iterum supplicationib. in triduum indictis, imaginẽ per vrbem solemni religione deportata, pattoctanique Reginæ cælorum implorato, pluuiam abundantem impetrarunt Bononienses, quæ toto triduo ita agrum madefecit, nihil vt optari, aut fingi opportunius potuerit.

II.

Pestis sublata.

Anno Christi 1438. cum tetra pestilentiæ lues, Bononiam incolis exhauriens, ingentem curam omnibus iniecisset, & magistratui vrbi consulere placuisset, ad diuinum propitiandum numen, triduo orationi ad tria templa procedere, atque imaginem Deiparæ virginis, circumferre; et ex constituto ordine peracta, ciuitas voti compos facta, vberrimum pietatis fructum recepit.

III.

Obsidio Bononi soluta.

Cum id temporis obsideretur, oppugnareturque Bononia, hominesq; pii vtriusque sexus, pro patriæ incolumitate, vota huic virgini ad eius imaginem religiosissime nuncupassent, visa est à complurib. Dei Genetrix, inter sanctos Petronium, Dominicumq; eius vrbis patronos, stans pro mœnibus, atque hostium aciem suo aspectu perterrefaciens, ex quo eos referre pedem, atque soluta obsidione inde statim abscedere coegerunt.

IV.

Ab auaris mercatoribus furto sublata ad locii sui postea prodigiose redit.

Cum imago ipsa miraculis inclarescere cæpisset, eaque propter ad se plurimos, non indigenas modo, verum & de proximis exteros, longinquisq; regionib. excitasset, certatim propter latam sibi præfulgentem opem, aut quouis alio nomine votiua dona cõportantes, impulit mercatores quosdam malorum materies ingẽtium auaritia, de imagine hac turpis lucri inire consilia, quæ vt nullum auctoribus speratum quæstum, sed grandem potius infamiam, sic contra summã imagini ipsi peperere gloriã. Res est, sutripere hanc illi, & Venetias aduectam, Reipublicæ Venetæ magnis commutandam præmiis tradere constituerant: quasi vero quæ tantum fuerat maris ac terrarum emensa, vt sedem sibi hic in longinquo figeret, in eandem redire abrepta è proximo neglectura foret. Conscendunt igitur montem, & templum ingressi, tanquam voti rei, totũ ibi diem per speciem supplicantium traducunt, & quasi pius ipsorum comprecationib. dies non sufficeret, rogant, vt sibi illic pernoctare detur; & à sacris Virginibus, quæ tum ibi degebant, facile eos vt cæteros item hominẽs è suo ipsarum animo atq; ingenio fingentib. haud ægre impetrant. Ergo vbi illæ cubitum iuerunt, nocte intempesta inuadunt, in armarium, in quo tabula condebatur; sublataq; inde vera imagine, subdititiam Virginis effigiem q ipsi attulerant subiiciunt, Venetias q; petunt. Animaduertere cum prima luce id facinoris virgines. Itaque alterius cõsilii inopes, indicto sibi in tres dies ieiunio, mœrentes ad diuinum numen cõfugiunt, non sine gemitu ac lachrymis obsecrates, vt thesaurũ ipsis restitui suum velit. Mercatores ipsi tertia à discessu nocte, cum proxime Venetiis abesse nt, inusitato odore in nauigio quo vehebantur afflati, vnde nam ille flagraret, admirãtes exquirũt. Loculos tandẽ surrepti imaginis adeunt, si forte inde manaret, eosque suauissimi ac plane cœlestis odoris vim fundẽtes, sed relicto ibi tantũ imaginis, q desiderabatur inuolucro deprehendunt. Stupor inde, atque animi consternatio consecuta, diu mutos & pene exangues eos habuit, coniectura demde rem assequuti, repetiuisse sc. prodigiose locum suum imaginem, vno oẽs accusantes ore, atque execrantes q item vno omnes animo designauerant facinus, facti pœnitentia corripiuntur: & quæ infamia sacrilegii fugare longius debuerat, eos magnitudo miraculi, pollicita flagitii impunitatem ad Guardiæ montem reuocat. Ibi Virginibus rem vt acciderat enarrant, eas orant, ignoscãt sibi peccatum supplicesq; & procumbentes humi, veniam ac pacem à læso numine exposcunt. Illæ vero eodem die, nõdum conscia miraculi, metum tamen, mœrorem q; in spem, lætitiam q; conuerterant, mox ad armarium conscenderant, & remigrasse veram imaginem, subditiciam inde extrusam, (quæ hodieque de templi pariete in propatulo suspensa, monumentum eius facinoris conspicitur) summa cum animi voluptate compererant.

V.

Dominicanus illarum curiosius inspiciens sacra re percutitur, sed facti pœnitens sanatur.

Anno 1515. Frater quidam Dominicanus (cuius sib haud ignoti nomen, consulto, Leander Albertus qui hæc scripsit, silentio premit) cum à sacræ imaginis custodibus foret prænonitus, quanta hæc afferrari atque adiri veneratione foleret, vtpote & à miraculis, & ab opifice ipso sancto Luca, & à repræsentata Iesu & Mariæ effigie nobilis, ipse contra elevando rem, ac subridendo, se non multum tam multis, tamque variis quæ de ea prædicabantur habere fidei ostenderet, clausoque allaris, cum eam curiositate potius quam religione ductus inspicere properaret: vixdum iis seræ insertis, pauore quodam ac tremore correptus, offusa oculis caligine, vturam se eorum omnem amisisse, mentisque dare pœnas exist mauit, quod rem tam sanctissimam, haud quaquam, vti par erat, sancte adisset, ac magni fecisse visus foret. Ergo statim resipiscens, cuius se affinem agnouit culpæ, eam vltro accusando, vt condonaretur sibi, ademptumque lumen restitueretur, effusis largiter lachrymis impe-

impetrauit, vniusque in horæ interuallo cœcus fuit, & vt primum optatissima sui luce datum, qua maxima potuit religione imaginem contemplatus, atque actis Deo gratiis, ad virgines conuersus, multas quidem se vidisse imagines gloriosissimæ Deiparentis miraculis illustres, nullam tamen cum hac oris maiestate conferendam affirmauit.

VI.

Alius similiter illam videre volens humi pronus concidit.

Anno eiusdem seculi XXXV. quidam vir templum S. Lucæ in quo ea imago asseruatur ingressus, clauem sibi armarii dari postulauerat, vt imaginem, q̃ sereligiosissime venerari profitebatur, coram diligentius posset inspicere. Primo aspectu negatum illi est, quod neq; mos, neque fas esset, à profanis hominibus, sacrum eius tabernaculum aperiri. Ibi continuo se esse sacerdotem ille assimulauit, instandoque euicit, vt sibi clauis afferretur. Eam dum seræ admoueret, subita vi perculsus, atque obstupefactus humi pronus concidit, vnde ægre alleuatus, vbi dolum euentus prodidit, eius remeritate atque audacia grauiter offensis iis qui forte aderant, vehementer confusus animo, vna cum comite qui simul venerat, protinus abscessit.

VII.

Mulieribus impudicis se ostendi nõ patitur.

Eiusdem ipsius seculi anno LXXXVIII. duæ mulieres, quæstum corpore Bononiæ facientes, quarum altera inter sui ordinis primarias, collecta sibi multorum gratia, opibusque florebat, templo adito postulabant custodes, vt imaginem sibi commonstrarent. Æditua ipsa ad parte faciendam eam profecta, clauique seræ indita, diu frustra luctata est, vt eius vertigine pessulum propelleret, ad extremum socias aduocauerat, sed illæ perficere potuerint. Quod cum neque iis succederet, meretrices, frustrato euentu, inde recesserunt. His digressis, cum virgines de re noua ac inusitata conquiescere non possent, armarium repetunt, atque idipsum denuo pertentant. Statim id infixa claue resignatur. Inde exorta suspicio, mulierum illarum culpa contumacem seram fuisse, quæ forte impudicitiæ labe coinquinatę, huiusce intuitu imaginis indignæ forent. Paucis post hæc diebus elapsis, reuertitur ad templum nobilis illa meretrix, atque appellatis sacris Virginibus, quæ sua illuc vsque fuisset vitæ conditio ingenue fatetur. Hinc, ne miretur, ait, si inanem operam, dum sibi ostendere imaginem contenderent, diebus superioribus sumpsissent. Grauari enim puriſſimæ virginis simulachrum sese impuræ fœminæ conspiciendam offerre. Ex hinc consternatæ stimulis haud secus atque œstro percita, cum admissi à se flagitia, & toties diuinum offensum numen dies noctesque verteret; humanis rebus abdicatis, turpissima lustra ganeamque, cum honestissimis connubiis, rum mulierum claustris commutauit, atque maximas gratias virgini Deiparentigegit, quod negato sibi sæ imaginis aspectu, ingenii sibi beneficium contulisset, ad melioremfrugem aspiranti.

VIII.

Duabus mulieribus flosculum è sacra tabula sibi dari petentibus eo remisso sta tim tonitru fulgur & tenebræ exortæ.

Duæ item mulieres haud longo interiecto tempore huc conscenderunt, totum que fere, cum sacris virginibus colloquentes, traduxere diem, ab iis acceptæ perhumaniter, cum se patricias facerent, & quidem tales eas esse, rerum ignaris, liberalis earum forma, & magnifica vestis auro distincta gemmisque facile persuaderet. Cumque præciptans ad occasum iam dies discessum maturandum moneret, rogant illæ virgines, vt vnum, alterumue elargiantur sibi ex iis qui sacram imaginem exornabant flosculis, se eam religionis ergo eos domum ferre, & habere velle dicunt. Non est negarum. At dum vna è virginibus flosculum è sacra reuellit tabula, mutato confestim cæli statu, quod sudum, vt cum maxime fuerat, clarissimus dies repentino nubium concursu tenebricosissimarum in noctem vertit caliginosissimam, additoque crebro & perpetuo fere tonitru & fulgure, postremum fere mortalium rebus impendere exitium: templum quoque ipsum valido non semel succussu agitatum præsentem comminari ruinam videbatur. Ex quo virgines enarrati superius exempli recens adhuc memoria, ratæ, quod res erat, impudicas eas, & quæstuarias fœminas esse, quas tantopere auersatur imago, veritæ etiam ne flosculis illis ad profana, quin & ad veneficia vti vellent, quod facere improbis quibusdam mulierculis nulla est religio; nimirum vt sacris, ac Deo dicatis rebus eo modo abutantur, subiratæ eas inde emiserunt. Emissis, pristinam in faciem omnia redierunt. Porro, quo magis mirã hæc censeas, tantũ procellę, non nisi iis quæ intra templum erant, coortum traditur. Non solum enim rustici accolæ negarunt eo die se vel nubeculam in cælo vidisse; sed & contubernales virgines, quæ à templo aberant, domi sedentes liquido serenum sibi eodem die illuxisse perpetuo cælum affirmabant.

IX.

Missi à Moderatoribus rep. Bonon. qui noctuas seræ armario imaginis affigerent abire coacti sunt.

Anno Christi 1507. cum Bononiensis Reipublicæ moderatores, eius imaginis possessionem aprocurationem ad se vnos pertinere censuissent, ea fortasse de causa, quod ab initio Pascipouerus, eam non nisi ciuitatis Rectoribus scriptis literis commendasset; atque vnam armarii, in qua illa asseruatur, clauem ipsi, alteram custodes eius in monte virgines, tertiam Deuoti hospitalis sanctæ Mariæ mortis haberent, primum omnium obserandi, ac reserandi eius potestatem ad se omnem traducere decreuerant. Missis eo igitur, qui nouas ob id seras armario imaginis affigerent, cum virgines ipsæ quiritantes, eaq; se indignas esse iniuria lamentãtes, nihil quicquam proficerent: ad inuocandam sibi nũnquam frustra vocatam sanctissimæ virginis opem sine mora conuertuntur, eamque obsecrant, vt sua ipsarum, atque adeo sua ipsius tueri iura velit: miraque confestim, eorum qui missi illuc à magistratibus fuerant, conterrefactio consecuta est, qui cum etiam, neque manus illi admouere, neque propius ad locum accedere vnquam potuissent; sed, vt prorsum ire connitebantur, ita pedem referre, tanquam ab aliquo imaginem ipsam, ac virgines propugnante repulsi, cogerentur; irrito in cepto in vrbem redierunt. Ab his de represso prodigiose ipsorum conatu edocti proceres, consilium nouandi quid quam protinus abiecerunt; cum iam periculo satis didicissent, ei tabulæ, vt nullus illo chatior in terris est locus, sic virginum custodia ac ministerio decentius esse nihil.

X.

Borbonii exercitus in agrum Bononien. ad uenientes & multitudinem & cæ nobili occupare ac diripere volentibus Virginis cum imagine & omni supellectilis miraculose periculo præsentissimo eripiuntur.

Anno M.D.XXVII. cum Carolus Borbonius Caroli Imperatoris eius nominis Quinti, copiarum in Italia ductor, infesto cum exercitu Romam petens, ad agrum Bononiensem, qua transiturus erat, aduenteret, militesque illius quocunque inferrent gressum populabundi, nullius non infolentiæ, aut immanitatis vestigia imprimerent (quippe exercitus is magna ex parte, è Lutheranis & aliis hæreticis constabat) occurrendum haud cunctanter ingruenti malo senatus Bononiensis decreuit; vti scilicet, conditione aliqua proposita, pacatum per suum agrum à Borbonio transitum redimeret. Sacram interim imaginem, è monte in vrbem transferri curauit, ne Lutheranorũ impietati, ad ludibrium & contumeliam prostaret, sed vt ab eorum furore, impietateque intacta seruaretur: Virginibus eius custodibus bono esse animo iussis. Si enim nihil tandem æqui à Borbonio impetratum foret, curaturum se, vt ipse etiam in vrbem maiore deduceretur: cum ex improuiso proxima monti hoste occupante loca, nonnulli è Germanis in illum conscendere montem, inque cœnobium irrumpentes, virgines ipsas in templum compulerunt, vbi illæ trepidantes, ac Deiparæ opem implorantes ad vesperum vsque sese continuere. Commodum ergo eius templi subiit porticum, dux quidam cum armata militum XXX. manu: atque seruatorillarum factus interea labantes illarum animos confirmauit, dixitque haud illis metuendum, ne illa cuius asseruauerant imaginem, seruare vicissim eas ac tueri, & præsenti eripere periculo nolit: se etiam ibi adesse, vt eas, vbi sit opus auxilio iuuet. Successit aliud. Primis inde tenebris, Germani, audito templi illius campanæ sono, qui consalutandam Dei Matrem de more admonebat, quasi dato receptui tuba signo, confestim in castra redierunt. Suasit subinde virginibus ille miles, vt fugum adornarent: Germanos decreuisse postridie eius diei, cum prima luce eo reuerti, cunctaque diripere: quæcunque suo vsui forent asportare, cætera subiecto igne exurere, ac omnia pro libidine agere. Quare optimum factu, illuni fauente nocte, in vrbem se & sua quæcunque auferri possent conferre: iis sese offerre itineris ducem; quippe eas illo perducturum incolumes. Iam enim omnia obsideri

suburbana loca, vt vix etiam noctu, solæ si proficiscantur, satis tuta esse fuga videatur. Parent illæ eius dictis, & se, suaq; homini concredunt, è sermone, vultu, & humanitate, ciuem, aut certe indigenam arbitratæ. Conuasatis ergo quæcunque licuit, adiuuantibus onera militibus, cum summum omnibus à ductore silentium per medios ituris hostes esset indictum, se dant in viam, vrbemq; versus iter faciunt. Vbi ad monasterium virginum sanctæ Mariæ Magdalenæ (hodie S. Ioseph o dicatum, & à Fratribus Seruitis, quod parum admodum interuallo ab vrbe distat, inhabitatum) tunc ferme vacuum, peruenere, Dux ipse quasi haberet clauem, fores vestibuli reserat, atque ibi eas noctem illam traducere iubet. Ingredientibus iam, vnam ex eis desiderari nunciat. Hanc perhibent è Marsilia gente adolescentulam fuisse, Leonam nomine, nullis quidem ipsam eius cœnobii initiatam sacris, sed eo erudiendi causa à parentibus missam, Romæo Foscarario poltmodum connubio iunctam. Eam igitur duo milites perquisitum eunt; quam in fossam nacti prolapsam, inde educunt, atque ad suas reducunt. Illa cum inter vias pedem in lubrica tripa incaute posuisset, in subiectam fossam pronoluta, casum suum clamore euulgare minime ausa, ne proderet cæteras, imperatum sibi silentium propria salute potius duxerat. Saluis iam omnibus, crastina luce, inquit Ductor, in vrbem ingrediemini: præsto n. erit, qui vos ac turum introimittat, ego interea loci cum meis vestè vestram omnem ac suppellectilem, ad sancti Matthiæ cœnobium prælatam vestris reddam. Ingressus ille in vrbem, omnia, quo dixerat ferenda curauit, atque eius cœnobii Antistitæ Hippolytæ Castellæ tradidit, saluas esse virgines, & bæui affuturas annuncians. Pauca hæc præfatus, cum suis, qui cuncta fide summa atque silentio reddiderant, vale dicto abiit. Cumque mox à famulo monasterii reuocaretur, vt se vna cum suis parato sibi ientaculo reficeret, se statim cum iis ex oculis eius abstulit, ita vt euanescere omnes viderentur. Paulo ante eius aduentum, quædam è contubernalibus, cui nomen Columbæ Aldrouandæ fuit, insigni pietate virgo, Antistitæ visum hoc renunciarat: cum ipsa in communi omnium trepidatione ac turba, sui sodalitii virgines, quæ in monte Guardiæ commorabantur, summo studio Matri Virgini commendasset, ne illa famulas suas hostibus prædę ac ludibrio esse pateretur, ac paululũ postea conquieuisset: visam videre sibi Præfectum Deuotorum Sanctæ Mariæ mortis se prehensam manu producere ad templum, in quo ei multa ac varia à Beata ipsa Virgine edita miracula in pariete picta digito commonstrabat; tandem recens, necdum vulgatum ostendebat illi miraculum huiusmodi. Inerant in pictura montes & colles nemorosi, ibi passim milites fixis tentoriis, ea turmatim percurrentes loca, villas deuastabant; pecora & quæcunque esui vel vsui forent abducebant; obuium quodque rapiebant, ferebant: cum interim per medios ipsos agmen mulierum Dominicanorum indutarum habitu procederet, magno Angelorum comitatu stipatum. Tum illi Præfectus: *Nostine hosce, & mulieres? Nosse mihi*, inquit illa, *videor. Mons ille, Guardiæ est: has societatis nostræ Virgines, sacrã in monte imaginem custodientes.* Ergo, inquit Præfectus, *nunc illæ è medio euadentes hostibus, à Cælestium caterua iussi Deiparæ deducuntur in vrbem.* Hactenus Columbæ visum. Mox igitur atq; à templo S. Lucæ in vrbanum S. Matthiæ cœnobium perueniere Virgines, conferentes hæc quæ Columbæ in somnis oblata, cum euentis, reuera milites illos qui eas ad Monasterium S. Mariæ Magdalenæ deduxerant, Angelos fuisse in specie humana est iudicatum: idque eo liquidius, quod cum diligentissime requisiti per vrbem fuissent, quinam fuerint, qua porta ingressi, nunquam reperiri potuerit.

Serenitas optatissima reddita

XI.

Anno M.D. LXXXIX. (quod nostris ipsimet hausimus oculis) cum ab ante diem III. Kalend Maii, quo cœpere, ad XII. vsque Kal. Iulii nunquam pene intermittentibus pluuiis obruta fere essent omnia, & messis impendentis præcisa spes videretur, arcessita hæc eadem in vrbem imago fuit. Cuius vix reserato, ad ipsam proferendam tabernaculo, veluti recluso carcere Aquilonibus nubes citatissime diffugientes cælum ac Solem cunctis optatissimum ostenderunt.

XII.

Hydria miraculose aqua repleta.

Anno eiusdem seculi LXXXV. Quarto Idus Iunii, qui tunc secundus è tribus solemnibus sacræ Pentecostes agebatur dies, magna accolarum multitudo in hoc S. Lucæ templum conuenerat. Cumque è vehementiore æstu, atque itineris molestia plerique contracta siti aquam à Virginibus peterent, duas illæ hydrias, quas è longinquo implendas, ad vsum cœnobii procurarant (arefacta scilicet ex ingenti calore loci eius cisterna) exhauriendas sitientibus perliberaliter obtulere. Verum iis perbreui exhaustis, cum subinde noui succederent aduenæ potum rogantes, ea quidem aquæ inopia Virgines, quod suppeditatam omnibus abunde voluissent, maiorem in modum angebantur, nec quo se verterent sciebant; cum ecce tibi Virgo sacri earum cœtus Honoria Blanchetta, hydriam alteram, quę ambæ iam inanes sepositæ fuerant, plenam reperit aquę optimę. Ea omnes conspecta, vix suis ipsarum oculis, vixque sibi ipsis à principio credere; quod satis constaret, domi, ne guttam quidem aquæ fuisse relictam, neque aliquem tum ingressum, qui eam inferre potuisset. Itaque diuinum esse factum omnes affirmarunt, vel tum maxime, cum hæc sola, satis fuisset omnibus bibere volẽtibus. Consimile huic miraculo, aliud post biennium accidisse memoratur.

XIII.

Vacuum dolium similiter vino repletum.

Cum autem Paula Maria Garzonia, eius monasterii Vicaria, Præfecturam suam, expleto iam biennio nouæ relinqueret, videlicet Febroniæ Buttrigarię, acremilli omnẽ domesticã singillatim perscriptã, vt moris est, contraderet, imperatum ab ea Thomæ Stiuano monasterii famulo fuerat, vt vasa omnia vinaria quæcunque vacarent elueret, vti recte curata Vicariæ officium ineunti traderentur. Perexiguum vini in cella inerat, q̃ vix in pauculos sufficeret dies. Itaque magna de prouidendo potu sollicitudo Buttrigariã incesserat, cum interim Virgines famulum mirabundum audiunt, mira domi euenisse clamantem: maximũ omnium dolium, quod ipsemet aqua iniecta perluerat, atque defæcarat, mero & quidem generosissimo se inuenisse plenum. Summa omnium admiratione, vt par erat, excepta re, statim in mentem iis venit id portenti, quod in vacua euenerat hydria; simulque subiit, non semel declarasse Deiparam, eas peculiari sibi curæ esse. Itaq; cum ad cellam oẽs vinariam rei visendæ cupiditate procurrissent, nihil mentitum famulum, sed dolium, quod nuper inane esse certo sciebant, vino iam plenum aperte reperiunt.

XIV.

CCLXXXIV *Sacerdos interor celebrãdum à latronibus mucronibus appetitus à morte ereptus.*

Gerardus fuit Bingardus Mutinensis presbyter, qui mirifica imaginem hanc religione colebat. Is anno 1542. cum Ecclesiæ Aigellatensi (est Argellata, vicus agri Bononiensis) Sigismundum Malauoltam Curatorem Stoffionensis Ecclesiæ, quæ in Mutinensi est. Mutinensem & ipsum, in maximis eius angustiis mutuo data pecunia iuuerat. At is amici benignitate, quem bene nummatum existimabat, ad insidias per summum scelus fortunis eius vitęque struendas abuti cogitans, hominẽ rogauit, vt sibi hospitio illius per dies aliquot vti liceret. Bingardus humaniter illum suis laribus, proprioque excepit cubili: Verum cum breui is, quid ille facinoris animo agitaret intellexisset honestam commentus causam, contubernio hominem exclusit. Ille vero intentatum hinc frustra exitium alio confert, Bondanellensisque Ecclesiæ, quæ in agro est Bononiensi, Rectorem, obtruncat, compilatque. Cumque ipsum conquirentibus ex parricidio satellitibus, nullum is sibi tutiorem putaret conuictum, quam facinorosorum hominum, quos æqualium sceleram conscientia ad obsidendas vias patrandaque latrocinia adegisset, in eorum se recipit gregem, neque Gerardi oblitus vha cum iis in caput eius coniurat. Ergo templum eius matutino ingressi (octo ii fuere) offendunt hominem, inchoatum paulo ante sacrificium Missæ celebrantem, cui tum pauciſſimi, vix scilicet quatuor ex vtroque intererant sexu. Hos ille armatos conspicatus, quid venerint, continuo suspicatur. Itaque puero in sacrificio subseruienti submissa voce præcipit, vt citato gradu rusticos euocatum eat, qui sibi à latronibus circumuento opem ferant. Sed Malauolta, re animaduersa, priusquam ille mandata exhaurit, Sacerdotem stricto aggredi pugione occupat. Ille statim in ipso periculi articulo huiusce recordans imaginis, se ei supplicieter commendat. Mirum dictu, magis visu mirum, Malauolta Bingardum ne contingere quidem, nedum vulnerare potis vnquam fuit; cum tamen sublato aliquamdiu brachio plagam infligere adniteretur. Tandem humi corruens, pugionem à se longe proiecit, id vbi socii vident, vna omnes irruunt cum validis hastis, vt quem ille non potuerat vnus, confertim omnes confodiant. Sed ille innocentia vitæ, ac sacræ potissimum imaginis præsidio munitus, horum ictus, quasi ferro vndiq; septus, cum tamen omnino inermis esset, ita excipiebat, vt hastę ex illisu omnes confringerentur. Hi itaque rei nouitate ac prodigio conterriti, in fugam effusi, tanquam aliquibus ipsos insectatibus, sibi salutem quærunt. Verum breui à satellitibus comprehensi, dignas factis pœnas publice dederunt. Gerardus gratiis actis Deo, ac Deiparæ seruatoribus, fragmenta illa collegit, quæ ad insignis miraculi memoriam asseruabat, ac lubens cuicunque ostentabat.

XV.

Puer rabie correptus sanus effectus.

Anno eiusdem seculi quinquagesimo tertio, puer è Marano Bononiensi pago, correptus rabie, cum notitiam necessariorum, ac familiarium omnium ex mali vi amisisset, obuium quemque promiscue, vt rabidi solent, morsibus appetebat. Tum parentes puerum, nulla scilicet hominum cura sanabilem, ad S. Lucæ templum sibi esse ducendum statuunt. Cum autem, dum eo contenderent, imaginem ad vrbem esse delatã cognouissent, cœptum nihilominus pergentes iter in templum ascendunt. Cumque ii puerum in altari, quod pro imaginis tabernaculo est, imponere cupientes id non auderent; quædam è famulis cœnobii, quæ forte aderat, arreptum eum audacter in media ara collocauit. Statim atque eam insedit, latratus ille frequens, qui rabiosis familiaris est consiluit, furor conquieuit, mira que eum consecuta mansuetudo est; vt placido mox vultu parentibus subblandiretur, neque vllum inde domum tanti mali retulit vestigium.

XVI.

Puer membris destitutæ liber incedit.

Puer quidẽ Bononiensis, anno eiusdem seculi quinquagesimo quarto, corpore per quadriennium ita affecto, vt se vix commouere, nedum ingredi valeret, cum membra suis defecta viribus proprias obire functiones nullas possent, à medicis quos acciuerant domestici, præsertim qui medicinam in vrbe factitabant facile principibus destitutus, atque à suis deploratus iacebat. Tum monasterii S. Lucæ famula quædam, quæ stipem ostiatim cœnobio rogitabat, Ioanna nomine, ad eum forte introimissa, atque eius cognita inualitudine; *Pete*, inquit, *votis cõceptis à Beata Virgine huic malo medicamen, haud tua, (sat scio) in irritum vota cadent. Certo enim, atq; breui conualesces.* Dein cruce quam attulerat, ob partam sibi ex huius imaginis contactu vim, ac religionem iampridem nobilitate, ipsum consignauit. Ille stupentibus cunctis, nullo temporis interiecto, morbo omni liber incedere cœpit.

XVII.

Cæca mulier visum recuperat.

Iulii Veronensis è sancto Petro in Casali, Bononiensi item pago, vxor, contracta cæcitate, per biennium vsu omni caruit oculorum: ita vt sensum aspectus amissum, non magis (humana quidem ope) recipere eam posse, quam de integro è matris vtero prodire, medici dictitaret. Illa vero quod à mortalium nemine sperare licebat, id ipsum cælitus digna, vt impetraret, fiducia petit. Cumque de imagine hac mira prædicari sæpenumero audisset, inde in spem pristinæ valetudinis erecta, cum viro agit, vt ad templum eius adducatur. Ille, quod æque atque ipsa optabat, id haud sibi minus, quã ei sperandum ab hac imagine ratus, nullum precibus eius negauit effectum, atque ipsemet dux itineris illi fuit. Quod anno 1595. ipso peruigilio assumptionis Deiparæ virginis susceperunt. Vix dum illa in montis Guardiæ radices intulerat pedem, cum clamare cœpit, se iam terram cernere virentem; mox & arborum frondes, herbarumque folia oculorum acie distinguere, & quo scandendo montem, sacram proprius ædem accedebant, eo magis nox illa cæcitatis cernendi vi, quasi illucescenti concedens diei, recedebat. Tandem mulier, vbi templum ingressa est, clarissime oculis videre cœpit, perinde ac si nunquam ea corporis parte laborasset.

XVIII.

Angelus Galuanus Ferrariensis, anno eiusdem seculi XCVI. cum degeret Tridenti, atque ibi in ædium culmen domestici fortasse negotii gratia inscendisset, magno inde præcipitans lapsu, imagini huic sibi tantum fama notæ pro salute vota vouit. Concursus statim ad ipsum vndiq; factus est eorum qui prope erant, vt cadauer potius quam spirantem hominem contuerentur. Atque ille sane, cum reliquum corpus vehementer labefecerat, tum vero dextrum crus, brachium itidem dextrum misere præfregerat. Medicorum curæ mandatus, plurimum iis exhibuit negotii, cum de salute eius diu multumque dubitassent. Ipse interim imaginem hanc vsque in ore habere, atque omnem valetudinis spem suæ in ea collocare. Breui, homo quinquagenarius conualuit: sic tamen vt brachium illud, quod vna cum crure ex affrictu perruperat, motu plane destitutum omni, eius item altero breuius, monumentum sui illa ex præalto ruina reliquisset. Ille nihilominus, non quidem arti medicæ, quod viueret, sed Deiparæ ipsius ad filium precibus acceptum referens, vt primum vires confirmauit, illico ad sacram hanc visendam imaginem contendit. Vbi templum ille adiit, serius tamen quam voluisset, factis iam, vt videbatur, peractis, impetrat nihilo secius ab ædituo, cui vnà ac sociis virginibus causam eius itineris explicarat, vt sibi imago commonstrarur. Dumque prostratus humi gratias illi quam maximas potest religione agit, nouum in se portentũ videt. Brachium eius anteà iners, expersq, motus, viribus renouatis, sponte commouetur. Mox, dum tantam ille rem miratur, vna aẽ Deiparam secundum Deum laudibus & gratiis veneratur, superuenit nec opinantibus Sacerdos, & sacrum celebrat. Eo diuinis operato, alterum homini miraculum euenit. Indeenim, vbi dũ sacris interesset, supplex procubuerat exurgens, crus illud breuius, & firmitate, & longitudine exæquatum alteri animaduertit. Ita, dum seruatum se Deiparæ auxilio, huiusce gratia imaginis pie credit, dum se memorẽ tanti beneficii & gratum ostendit, alia ille maxima, atque in veris haud dubie numeranda miraculis ab ea consequutus, vnde membris captus discesserat, eo integer, vix que à suis agnitus reuertitur.

XIX.

Pudẽ & inanis vti non valens ab vtroque malo vindicatus.

Parem, in re non ita dispari, Deiparæ benignitatem, hac eadem intercedente virgine expertus fuit Thomas Ferrarius Bononiensis Ieſuatus, qui quidem quadragesimum iam fere annum, eam imaginem quoties in vrbem deferebatur, ferre solebat. Cum enim dextrum eius pedem, anno 1576. ac manus anno eiusdẽ seculi 82. tanta vis inuasisset mali, vt iis neque vti in præsens valeret, nec valiturus in posterum videretur, vana quæ medentium remedia comperisset; iis damnatis, ad vltimum supplex medelam ab hac imagine popoſcit: & quam ille popoſcit, præsentem sensit opem; ab vtroque statim malo, simul Diuam virginem imploratit, vindicatus. Par erat scilicet, vt qui tot annos imagini huic religiosissime gestandæ inseruisset, ab ea impetraret, vt tot consequuturos, sanctum, ac sibi periucundum præstare eidem famulatum posset.

XX.

Alia gratia per ægrotantes facta testificata.

Mulier est Bononiensis, cui Margaritæ nomẽ, M. Antonii Tumbæ vxor, huic imagini mirum in modum addicta; cuius etiã exemplum ipsa depictum habebat domi, de pariete cubiculi suspensum. Ea hoc anno, qui salutis reparatæ præter millesimum duodesexcentesimus numerabatur, pleuritide tentata, atque in magnum adducta vitæ discrimẽ, dum ita decumbebat, imagini illi, cuius in obtutu ex aduerso pendentis defixa erat, sese identidem commendabat. Cumque à longiore vigilia quietis desiderium obreperet, eos qui aderant discedere illinc, & cubiculum claudere iussit, vt somnum capere, arbitris remotis facilius posset. Id vbi factum, cum se illa ad dormiendum comparasset; vocari se paulo post nominatim audit. Ergo vt erat semisomnis, vocem esse opinata domestici alicuius, orat, ne se interturbent dormitantem. Mox de integro appellata, vt aures arrexit magis,

hæc accepit verba: *Scito, Margarita, Calorum Regina, cuius precibus à Deo salutem iam impetrasti, placere, vt primo quoque tempore expurgas, & quam eius imaginem in cubiculo habes, eam in sacram aliquam ædem transferendam cures.* Ad hæc dicta obstupuit primũ ægrota, deinde vero erecta consedit in cubili, doloreque leuari sibi visa & morbo, quos abire iusserat, continuo introuocat, dumque iis miraculum enarrat, animaduertunt pictam illam imaginem, quæ de patiere pendebat, in lecti ipsius cœlicali fram: quæ quoniam haud humana manu emota videbatur, maior accessit miraculo ab ea narrato fides, mirumque alterum alteri fidem fecit. Eam igitur imaginem, Alphonsus Palæottus Archiepiscopus Bononiensis, re prius diligenter cognita, transferendam in templum mulierum Conuersarum curauit. Silentio illud minime prætereundum, quandam scilicet ex iis, Veronicam nomine, varia tredecim mensium inualetudine cruciatam, statim recepta in suam ædem effigie, pristinę valetudini restitutam fuisse. *Ascanius Persius in historia de hac imagine, Coloniæ apud Kinckium impress.*

Voluit Deus, hæc & plura alia miranda, ab inuocatione Diuæ Deiparentis, apud eius illam imaginẽ patrare, ad amplificandum comprobandumque cultum Beatissimæ Virginis, atque imaginum, quem ab huius seculi Agiomachis & iconoclastis docti posteriores hæretici solent euertere. Et quia Religiosos eius cultus propagatores, cane peius & angue prosequuntur hæretici, eosque bonis omnibus exutos esse vellent; quemadmodum hoc anno in cœtu Basilienſi vnus eorũ perorabat, ideo hac eadem tempestate Deus ostendit, quam grauiter ferat, si quis illos quapiam in re temporaria oppresserit, aut aliquid eorum peculii vsurparit. Duo eius rei exempla narrat Ioan. Nider, qui id temporis viuebat.

CCLXXXV *Punitio diuina ob fraures mendicantes indebite grauatos.*

In oppido Columbarum, in Basilienſi diœcesi, hoc quod nunc refero, accidit. Fuit, & est Consulatus ibidem nõnumque satis grauis, & immisericors conuentib. & monasteriis, atque Clero intra muros ciuitatis eiusdem residentiam habentibus. Venit igitur in mentem Ciuibus & Consulatui, & concluserunt, vt murus ciuitatem ambiens per nouum ante murale muniretur per circuitum ciuitatis totius, velut chlamyde quadam; quod opus diuisim debebat persolui à singulis artificum societatibus, quas Zunfftas vocant Sed cũ magnæ expensæ ad hoc opus exigerentur, coarctauit oppidum ipsum monasteria & conuentus oẽs tam mẽdicantium ordinum, q̃ possessionatorum, vt pro sua rata, partem murorum, sicut Zunfftæ persoluere deberent. Et exinde, vt quisq; sciret, per quantum tractum spatii murus per eum erigi deberet, depingebantur in muro maiori ex opposito ante muralis erigẽdi certa signa pro singulis Zunftis, & monasteriis, vt sic pariam videretur, quo in loco cuiuslibet solutoris terminus & finis esset. Ciuitas autem ipsa, seu oppidum de re publica, artifices & materiam muri, ac ministros illius operis conduxit, & expẽsas primo horum omnium soluit; sed postmodum paratam pecuniam à singulis recepit. Videntes hoc Fratres Dominicani, & ordinis Minorum, ac Eremitarum sancti Augustini, quorum conuentus ibi habentur, allegabant se pauperes esse, & impotẽtes ad soluendum tale opus, etiam pro sua rata. imo & Canonicas sanctiones, in contrarium suæ coactionis allegauerunt: sed apud rusticam gentẽ nihil profecerunt. Erectum est itaque antemurale, & signa primo posita, ac termini ciuibus præfixi, atque monasteriis quæ redditus aliquos possiderẽt: ac præterea pro trium mẽdicantium rata; postremo vero pro Zunfftis secularium, seu artificum. Et postquam opus fere in circuitu perfecte erectũ est diuino & iusto, vt creditur, Dei iudicio, antemurale vsque ad fundum cecidit vna hora; pro illa soluũ præ se parte, q̃ nomine mendicantium Religiosorũ erecta fuit: omnia vero, quæ in antemurali prædicto, per ciues & per Zunfftas soluta fuerunt, steterunt illibata, & illæsa, prout ipse vidi, *ait Nider*, & multorum intuitus oculorum de hoc obstupefacti sunt. Oportuit quc, vt nollent, vellent, ciues, collapsa de suo ærario reerigere, maxima consecuta confusione.

CCLXXXVI *Alia vltio diuina ob in quam indeuium ex rem eccl siasticam*

In eadem ciuitate, eodem tempore plures diuinitus puniti sunt morte temporali. Nam vinitores omnes, seu cultores vinearum dictæ ciuitatis tabernam habuerunt in latere muri conuentus Dominicanorum. In eiusdem tabernæ area, puteum fodere vinitores illi ipsi pro suo solatio affectabant: cumque locum non omnino haberent congruum, nisi angulum quendam dicti muri sibi vsurparent; Fratres de eo postularunt, atque recusantibus de possessione monasterii quicquã concedere, diem apud magistratum dixere, quasi iniusto titulo illum cœnobitæ retinerent. Consules dictæ ciuitatis, iudicium sibi cõtra Fratres vsurparũt, atq; in propria causa suspecti, secundũ vinitores pronunciarunt. Hi porro puteum, magna cum lętitia effoderunt, & marginib. lapideis ad imum vsq; ad summũ perfecerunt. Cumq; lætiores in taberna iam altera die biberent, mancipium quoddam aquam hautire volens, negligentia sua de manu hydriam perdidit, quæ deorsum ceciderat in puteum. Inuocatis igitur vinitoribus, per funem vnus eorum in puteum submittebatur, vt hydriam inquireret, qui diuina permissione ibidẽ statim subitanee suffocatus expirauit. Hoc extracto, secũdus vice prioris pro vrna capienda demittitur: & non minus quam prior suffocatur. Cum vero tertius per funem moderate vsque ad medium putei submissus fuisset, tanto horrore cõcussus est, vt clamans in fune se retrahi vociferarit: atque vitam ægerime retinuerit. Ex his ciues territi cladib. quid mali perpetrassent, tãdem in suis funerib. tarde didicerunt. *Nider l. 4. c. 8.*

Hoc anno rebus humanis exempta est Beata Lyduuina; si alicuius alterius virtutis certe tolerantiæ & patientiæ exemplar. Eius vitam superadmirandam, à Fratre Ioanne Brugmanno Francisco scriptam, & à Surio nonnihil contractã, placuit isthic adscribere, ad hæreticorum præcipue confusionem; quamquam & ad suffusionem quorundam Catholicorum, & præcipue vtriusque sexus Religiosorum, quorum vita deberet esse clarissima lux mundi. CCLXXXVII. *Vita B. Lidwinæ Virg*

I.

Origo.

Lyduina virgo in Comitatu Hollandiæ, oppido Schiedamẽsi traxit originem, è domo valde religiosa. Patrem habuit Petrum, matrem Petronillam, qui labore manuum suarum victum sibi compatantes, in mandatis Domini viuere studebant sine querela, sicut & maiores eorum à quibus orti erant. Petri n. parens Ioannes vir fuit vitæ laudabilis, rectus & timens Deum, & qui defuncta vxore remãsit viduus: corpusq; attenuauit inedia, biduanis ac triduanis ieiuniis hebdomatim illud afficiens, eiq; effecto nõnisi panem & aquã præbens, ac Domino fideliter die ac nocte deseruiens. Quolibet sabbatho peccata sua confitebatur: sacrosanctam Eucharistiam, feruentissimo amore, decimoquinto quoq; die percipiebat, & animi suauissima pietate liquescẽs multus in oratione perseuerabat. Huius Ioannis filius Petrus, ex Petronilla vxore nouem susceptt liberos, mares octo, fœminã vnam Lyduinam, q̃ Dominica palmarum, templo cum passio Domini cantaretur egressa, mira facilitate enixa est. Lyduinæ nomẽ in sacro baptismate impositũ, q̃ potest Latine dici, latæ patientiæ. Reuera n. vt sequens docebit historia, tãta & tam multa perpessa est hæc sacra virgo, vt posset etiam ipsa cum Apostolo dicere, se adimplere ea q̃ desunt passionum Christi in corpore suo. In ipsis posita incunabulis, dire torta cruciatu, post vagitus & lacrymas, non paucos egerebat calculos; & infantula mali doliq; ignara iam pœnis exercebatur, quibus ferendis etiam fortissimorum virorum animi plerunque succumbunt, atque iis ad futura certamina præparabatur.

Infantia.

II.

Cœpit deinde sub parentũ institutione domestica, quantum tenera ferebat ætas, ea quæ Dei sunt studiose addiscere, & lingua balbutiente iucundo animo Angelicam salutationem expromere, sacra loca inuisere, imaginem a. matris Virginis vbi poterat officiose salutare. Accidit id tẽporis Schiedami aliquid mirandum. Mercator quidã eo attulerat imaginẽ sanctissimæ virg nis, venditurus Antuerpiæ in nundinis. Nauigitur eam imposuit, vt veheret. Sed nautæ ad soluendam nauim quantumuis expediti, nulla vi aut ratione eam mouere potuerunt. Aduelarunt multi ad nouæ rei spectaculum, oẽs obstupuerũt ac tandẽ suspicati id fieri propter imaginẽ matris Dei, facile à mercatore impetrauerunt, vt non multo pretio illã Schiedami relinqueret. Eam ciues acceptã, in ædem S. Ioannis Baptistę reuerenter collocauerũt, & crescẽte amore & deuotione populi erga S. Deiparentem, sodalitatẽ, q̃ eo loci quotidianas matris Dei laudes celebrauerit instituerũt. Eam imaginẽ peculiq cultu Liduuina venerabatur:

III.

Puritis & adolescentia.

Cum autem fere iam septennis esset, coæuas sodales pietate & docilitate longissime antecellebat: cõsortia lasciuarũ puellarũ fugiebat, ludos respuebat. Missa crebro à matre, vt fratrib. ientaculũ aut quispiã eiusmodi ferret, clam ibat in templũ & sublatis in cœlum manib. coram memorata sacratissimę virginis imagine, ab intimo pectore credentẽ promebat orationem Quod si interdũ à matre obiurgaretur, propter longiorem moram respondit: Quæso bona mater, ne molestę feras, lotum enim speciosissimam Dominam nostram, & illa mihi blandissim ea risit. Id audiens mater, contiescebat, credens spiritum Dei loqui in puella. Accedente inde ætate, quæ solet caro insolescere, videns Lyduuina totum mundum in maligno positum, & coætaneas puellas per abrupta ferri in discrimina vitiorum, ne candidam innocentiæ stolam quam in baptismo acceperat, aliquo libidinis ardore vel tenuiter inquinaret, conata est fugere de medio iniquitatum. Hortabantur eam homines mundo dediti, vt viro nuberet, carnis delicias consectaretur, cumulandis opibus operam nauaret. At illa sic deprecabatur Dominum; *Auerte à me, Domine Deus, vitiosum cuiuscunq; hominis amorem, nec me sinas, erga creaturam vllam vitiose affici.* Erat autem formosa corpore, statura eleganti: in tractandis reb. domesticis, tametsi duodecim annos nata duntaxat, sane perita & exercitata, moribus composita & grata admodum: vnde fiebat, vt et iam opulenti & honesti viri eam sibi à patre coniugem expeterent. Horum ille precibus victus, cum ei domi esset curta suppellex, tanquam inopiæ suæ opportune consulturus, quasi gloriabundus hæc filiæ proponebat. Illa vero sic respondit: *Ego, mi pater, virginitatis thesaurum fero in vase fictili, quem propter mortalis hominis coniugium, nullo velim pacto perdere. Itaq; oro te, ne mihi posthac sponsi vllam mentionem iniicias.* Sub his illorum colloquijs aduenit mater, arcanorum filiæ suæ conscia, aitq; ad maritum: *Erustra, mi vir, de coniugio filiam appellas, à quo eius & ætas necdum satis matura, & Deo deuota voluntas abhorret. Vnicæ filiæ nostræ, vnico Deo, si ipsa velit, potissimũ consecranda est virginitas.* His à matre dictis, Lyduuina cõstanter & verecũde, nec sine gemitu subiungit: *nullus me mortalis eo allicere poterit, vt sponte nubam. Quod si vi coacta fuero, rogabo Dominũ, vt ea me corporis deformitate afficiat, qua omnium animos facile à me auertat.*

Nubere respuit licet propter pul chritudinẽ valde expetita.

Virginitatem Deo commẽdat & ex morbo diuturno formis fit.

IV.

Sciens autem Lyduuina se inter latrunculos versari, cœpit custodire vias duras; diligentius vitare hominum & puellarũ conspectũ, domi se continere, virginitatis propositam Domino gemebundis precib. commendare. Ita dum seculi fugit strepitus, in solitudine accretuit ei simplicitas in simplicitate deuotio, in deuotione feruor amoris diuini. Vt autem ad S. Spiritus maiora capellenda charismata aptior fieret, castigãs castigauit eam Dominus, & multiplicatę sunt infirmitates corporis eius, vt acceleraret, accelerãdo Dominũ feruẽtius quæreret; quærendo patrem inuenirer arctiq; custodiret. Annos igitur nata plus minus quindecim, ex diuturno morbo admodum deformis effecta est, & decor faciei eius adeo immutatus est, vt qui antea impense eam amauerant, iam illam aspernarentur, faciente id illo qui pulchras amat animas etiam in non pulchris corporibus.

V.

Accidit autem, vt quodã hyberno tempore, cum flumina glacie cõcreta homines, per ea inambulantes facile sustinerent, sodales virgines Lyduuinã, quæ tum recens conualuerat, animi causa inuitarẽt, ad captãda quædã in aquis frigore cõstrictis oblectamenta, vt solent apud Batauos puellæ. Sed illa, vt quę nunquã, instat Sanctę illius cum ludentib. se miscuisset, omne humanum solatium floccipendens, primum assentiri illis noluit. Victa tamen ab illis perurgentibus, vt vel spectatum cum ipsis iret ad glaciem, tandem cessit, abijt que corpore adhuc parum firmo; & puellas sursum deorsumq; curritantes aspexit; cum ecce paulo post vna ex illis rapido cursu aduolans, nec se cohibere valens, in eam casu impegit, eamq; in glaciei fragmẽta prostrauit, adeo diriſſime, vt costa vna corporis eius frangeretur. Mox iocus abit in lacrymas, erumpunt clamores, & quam iucundis animis eo adduxerãt puellæ, eam suis manib. cognati reportãt, desperata prorsus eius salute. Ægre die illo è doloris sui lectulo surrexerat: & nunquam inde descensura incolumis, eo reducitur, Domino haud dubie sic volente. Casus ille subitaneus magnæ omnibus admirationi fuit, & alij quidem atq; alij aliter & aliter de virgine loquebantur; qui autem cordatiores erant, & vitam eius nouerant, dicebant, Domini manum id fecisse: quę etiam rei euentus probauit. Interim vero vndequaq; accersiti medici & chirurgi, omnem operam frustra adhibuerunt: ludẽte eorum artem Domino, qui vulnerat, & solus mederi dignatur. Dolor n. dolori accrescebat: in pectore & sub costis innumeræ existebant perpessiones; accedebat diriſſimũ apostema; iudicio medicorũ fiebant semper posteriora deteriora prioribus, absumebantur exiguæ parentum facultates, tãdem de vita puellæ dispe abatur. Erat per id tempus in Hollandia insignis medicus Godefridus Sonderdanckius, pijs pauperib. valde addictus. Is cum audiuisset, quæ Dominus operari cœperat in virgine: *Infirmitas hæc* inquit: *omnem nostrã medendi vinci facultatem; & si in ea curanda vel aureos possimæ lucrari montes, omnem perdemus industriam. Meo quidem iudicio, author naturæ Deus talia operatur est in hac adolescẽtula, qualia fortasse hactenus compertа non sint. Atq; vtinã possem efficere, vt mea filia iure diceretur: libens ego eo nomine tantum darem auri, quantum est capitis eius pondus.* Sic ergo omni medicorum solatio destitura virgo, sola spe opis diuinę nitens, dico eam excruciante apostemate circa costas, sine vlla requie huc atq; illuc se verſabat. Cõsolabatur filiam pater grandæuus, vt potuit; sed doloribus augmenta capientibus, augebantur simul virginis gemitus sane miserãdi. Erat ei iam angustus locus omnis; vis nimia doloris animum prope absorbebat. Diruptum paulo post apostema est, & humor ex eo profluens, cum aliunde non posset per os cum vomitu tanto cum dolore erupit, vt omnibus membris puella discerpi videretur, omnesq; tanquam ilico mortuã lugerent. Tum vero domestici eius aduertere cœperunt, solum Deum opitulari illi posse. Certe si quis tunc videbat miserlam adolescentulam cunctis viribus destitutã, membrorum omnium officio orbatam genibus & manibus instar monstri cuiusdam humi reptantem, nunc truco, nunc scabello per domus angulos se promouentem, interdum instar vermiculi se agitantem, non se abstinebat à lacrymis. Omnem præterea escam abominabatur anima illius, nam si vel parum sumeret, mox euomere cogebatur. Potum quoq; licet magni pretij prorsus recusabat. Fastidiosus stomachus, vt solent prægnantes fœminæ, sæpe ex lebetibus tepidam, quandoq; è canalib. putentem aquam experetis hauriebat. Stomacho vacuo, aut exiguus, aut pene nullus ei somnus erat. Vnicum ei solatium, per singulas noctes lacrymis rigare stratum suum; ab omnibus pro monstrosa haberi, à sodalibus puellis deseri linqui, cum precesso Iob Deo gratias agere. Quæ vero spiritus amaritudine, quantis corporis cruciamẽtis, quanta vtriusq; hominis dejectione, tres primos annos exegerit; soli Deo notũ est, & quibus hoc ei placuit retelare.

Virginitatem Deo commẽdat & ex morbo diuturno formis fit.

Ex costa ra pta acer bissimos dolor patitur & à medi cis destituitur.

VI.

Quib. autem in oculis Dei fuerit vel hinc liquebit. Corrixabantur quandoq; inter se duo viri in platea; à verbis iam ventum erat ad verbera. Alter, vel metu, vel imbecillitate fugam capessens, in domunculam vbi Lyduuina decumbebat se recepit. Sequebatur alter furibundus, & stricto ense quærebat ex matre Lyduuinæ, vbi esset hostis suus. Negante illa non absq; tremore, illic eum esse, irrumpit insanus in cubiculum Lyduuinæ: scisciatur, num ibi sit. Respondit virgo; Puto eum hic esse. At ille tanquam lumine orbatus, circumspiciens vndiq; neminem vidit, factusq; ex verbis virgineis mitior, inde abscessit. Abijt & alter, gratias agens quod seruatus esset. Mater autem virginis, putans eam responso suo virum prodidisse, obiurgauit eam; etiam alapam addens miserę. At illa patienter tulit, dixitq; se credidisse, posse veritatem conseruare virum, qui ad se confugerat. Hæc vbi dixisset, mater conticuit. Hoc initium signorum fecit in sponsa sua Dominus Iesus.

Incredibilis miraculorum eius.

VII.

Porro humor noxius apostematis per corporis membra se diffundens, diuersas attulit virgini ægritudines valde molestas. Cõputrescebant vicina apostemati membra; marcescebãt, propinqua corporis intestina, vermes horridissimi modo quodã inaudito è profundo corpore emergebant, quorũ erat multitudo ingens, & tanta sæuitia, vt corrosis viscerib., tribus locis ventrem eius disrumperent. Erant foramina il-

Aliud miraculum ob aliquid pingredinis caponem quo

vermium rabiē eius ventrem rodentium sedaret ei negatum.

la forma orbiculari, colore atro, profunditate scutellæ communis. Vermes inde erumpebant quandoq; centum, nonnunquam ducenti, vt plurimum amplius centum quotidie. Aspectus eorum sane horrendus, color cinericius, materia aquata, crassities instar extremæ partis fusi vsitatioris, longitudo qualis est articuli in digitis. Ne autem vitalia membra suo more exederent, malagmate quodam ex adipe frumenti, melle optimo, & pinguedine caponis cōfecto, & ad foramina illa appositō eliciebantur, sed p. iusquā foras pdirent, per omnia virginis vitalia membra peruagari putabantur. Referam obiter, quod tum accidit. Erat Schiedami vir dives, conuiuium opiparum instructurus. Itaque præter alia animantia, etiam capones bene pingues sibi comparauerat. Rogat illum Lyduuina egentissima, primo per nuncium, inde per seipsam, vt parum aliquid de pinguedine caponum sibi impertiret, qua vermium rabiem ventrem ipsius rodentium posset sedare. Negauit homo, ab omni humanitate alienus, dixitque, suos capones esse macilentos. Tum illa: *Rogauite, ait, & repulsam patior. O te Deum, vt catus deuoret, quod mihi omnium miserrimæ dare non vis.* Aduentabat paulo post lautissimi, vt putabatur, conuiuij dies, paratierant capones, extractus adeps, condita omnia in promptuario: crastino mane, quod accuratius seruatum credebatur, totum fuit a bestijs laceratum.

VIII.

Omnia eius membra inauditis doloribus obnoxia Deo eam affligente.

Præter hæc vlcera, etiam dextera scapula Lyduuinæ putruit; ita vt nonnisi colligata fascijs vel mappulis, in aliam posset verti partem absque membrorum dissolutione. Itaque vsque ad supremum vitæ diem supina iacuit in lectulo, vt posset etiam commodius cœlum intueri. Membra omnia dempto capite & brachio sinistro, tanta erant debilitate dejecta, vt ea nequiret mouere. Dextrum eius brachium, ignis quem sacrum vocant vsque ad ossa consumpserat, idque multo tempore vno tantum neruulo hærens, reliquo corpori cohærebat. Caput eius dolorum aculeis & malleolis compungebatur: frontem fissura longa & lata atque flexuosa deformabat: Mentum quoque ad labrum vsque fissum, erat, & concreto sanguine tumidum, ita vt non raro libere loqui non posset. Oculus alter penitus cœcatus erat, alter lumen naturale sine effusione sanguinis nonoque cruciatu ferre non potuit. Facies interdum tumebat; dolebant sæpe dentes per hebdomadas, interdum menses perpetuos, tanta vi & importunitate, vt ad insaniam prope eam redigerēt. Guttur, non raro angina, aliisque morbi anonymi infestabant, adeo vt nonnūquam corpus Christi deglutire vix posset. Tantus manabat sanguis ab ore, naribus, aurib. & oculis eius, vt horrorem afferret adspectantibus, & pijs lacrymarū riuulos exprimeret. Vomebat sępissime rubram aquam tanta copia, vt plerunque mense vno vas inde impleri posset, quod à duobus viris portaretur. Rogata à curiosis, vnde tantus in ipsa existeret humor, nihil alimoniæ sumente, respondebat: *Et vos mihi dicite, viri sapientes, vnde vbi tantus liquor, quæ hyeme prorsus arida videtur?* sicque sapienter indocta doctis faciebat satis. Pulmonis quoque & hepatis particulas reijciebat; vbera eius pustulis & apostematibus, sanie interdum fluentibus, torquebantur. Calculo, instar columbini ouimagno, dirissime afflictabatur, ita vt sępissime & sensu & loquela destitueretur. Hunc vero dicebat sibi potissimum mortem allaturum. In communibus Domini flagellis & castigationibus, quibus interdum Hollandia laborabat, hoc Lyduuinæ tanquam peculiare munusculum diuinitus obtingebat, vt cuiuscunque morbi vel pestis primitijs ipsa afficeretur. Magna intestinorum pars diu ante oculos eius, è corpore pendula eminebat; itaque marcescente inferiore corporis parte, sacculus lana plenus ventri supponebatur, ne omnino effluerent. Tibiarum & pedum priuata sensu, vitam miserabilem multis egit annis. Quod si interdum supra naturam breuissimo temporis spatio diuinitus sensus eis redderetur, id non ad solatium, sed ad noua dolorum genera excipienda mira dispensatione fiebat. Omnis generis febrium, sed diuersis temporibus, paroxysmos patiebatur. Hectica, tertianam, quartanam, perpeti, familiare ei fuit, nunc simplici, nunc composita, modo ephemera vel quotidiana, modo acuta fatigari, ludus quotidianus putabatur. Et ne singulis immo- [illegible] erat aliquod in corpore membrum, quod inauditis [illegible] ser doloribus obnoxium. Nullum apud medicos morbi genus extat, cuius ipsa expers fuerit. Nulla in venis eius sanguinis gutta fuit, quæ Domini virgā paterne castigantis non sensérit. Horum morborum aliqui ad extremum vitæ tempus permansere; quidam ad certum annorum, mensium, hebdomadarum, dierum, horarum spatia duraruntt. Porro annis triginta & octo, nulla ei erat corporis prospera valetudo; sed interior homo gratia Dei erat locuples.

Prima valetudo.

IX.

Accidit autem, vt in principio infirmitatis suæ humanum quid illi obreperet. Audiuit tum forte à sumpto cibo ridentes, & iocis ludentes puellas. Itaq; oblita sui cœpit flere amarissime, quod ceu compedibus vincta, à coæuis puellis prorsus neglectui haberetur. Potest facile venia dari tam duriter flagellatæ; & necdum omnimoda spiritus vnctione delibutæ. Et primis quidem annis quatuor afflictionis suæ, secundum exteriorem hominem patiebatur inuita, eratque ei molestum quicquid cerneret. Cum autem lachrymaretur, vetuli parentes nitebantur eam consolari; quædam etiam adolescentulæ, & cognati, atq; propinqui animabant eam, sed consolatores onerosi omnes illi, solus ille qui percusserat, etiam mederi debuit dolori illius. Quod vt fecerit; iam dicemus.

X.

A quodam pio sacerdote confortata & animata post sumptam Euchar. tota ergā Christi passionis meditationem inflammatur.

Erat tum quidam vir Dei, Ioannes Pot. Is tanquam à Deo missus venit ad eam, cœpitque eam ad patientiam hortari; commemorare ei Christi passionem, humilitatem, labores & sudores; inuitare, vt nocte ac die quoad posset in ijs meditandis versaretur. Promisit illa se id facturam. Et tentabat quidem sensim animo versare vitam & passionem Saluatoris. Sed quod necdum in ollulam suam missa esset farinula Elisæi viri Dei, qui Christus est, amara & insipida erat omnis eiusmodi cogitatio. Reditur igitur ad lamenta & querimonias; quippe mors erat in olla. Redit etiam ad illam Christi Sacerdos Ioannes Pot, percunctatur, quantum in libro charitatis profecerit. At illa: *Tu quidem, mi pater, ad optimum me studium hortatus es; sed mihi incomperendinec finit dolorum acerbitas sapere, quicquid de Domino ieju cogitandum suscipio.* Ille vero cernens bonam animi eius voluntatem, gratulabundus ait: *Labor improbus*, charissima filia, *vincit omnia. Oportet aliquam tibi vim adhibere; fronga resistam, & perfluenies ad nucleum. Perseuera & vinces.* Illa autem dicente: immodicos corporis & animi cruciatus id non finere; vir Domini eam egregie animabat, multis modis eam confirmans, exhortansque vt contemneret sodalium ineptagudia, & oblectamenta breui peritura; fortunam corporis pro nihilo putaret; reuocaret in memoriam ea quæ passi sunt sancti martyres: quam multis iocis, delicijs & voluptatibus sponte caruerint, solo Christo contenti, apud quem nunc summis opibus, honoribus, gaudijs & delicijs sine fine perfruantur. *Sed quia nihil, inquit, poteris viribus tuis: Christum aspice pendentem in cruce, & veritatem doueberis: Christum audi, & sapiens eris: Christum tolera, & requiem inuenies: Christum imitare & perfectione suauissima perfruēris.* Hic auditis Lyduuina, cœpit mittere manum ad fortia, atque intellectu & affectu fitire passionis torrentem. Porro autem venit ad eam tertio Sacerdos Ioannes Pot, afferens Sacrosanctam Eucharistiam, vt solet ad ægrotos, vt illa tunc erat. Cumque eam illi præbuisset; sic locutus est. *Hactenus ego te incitare conatus sum ad commemorandam Domini tui passionem, iam vero ille tibi loquetur. Quod si fortiter & constanter ei obtemperaueris, erit merces tua magna nimis.* Vix ille verba finierat, cum in tantas virgo prorupit lachrymas, vt diebus quindecim vix eas potuerit cohibere. Ab eo momento crescente morbo confirmabatur spiritu, amarum omne ei dulcescebat: nec quicquam iam sapiebat, nisi solus Iesus, & hic crucifixus. Itaque passionem eius in septem distinguebat partes: nec vllum temporis punctum, sine eius commemoratione abscedere patiebatur: adeoque in hac sese exercebat, vt crebro nocte ac die vigilans, horologium exactum animo circumferre videretur. Ex ardenti autem passionis Christi meditatione adeo inflammata fuit, vt non se, sed Christum Dominum

in se patiaffirmaret. His igitur docta exercitijs, creuit in vtroq; homine, donec octauum iam suæ ægrotationis attingeret annum. Magis autem magisque corporis putredo & vermium sęturigo aucta est: corporis viscera plus plusque marcescebant, & doloribus innumeris virgo amplius afflictabatur. Sed hæc omnia ferebat patientissime: & in summis doloribus, qui sæpissime dentium stridorem ei exprimebant, non solum gratias Deo agebat, sed eos ipsos cruciatus, augeri potius quam minui peroptabat: nec vna saltem Angelica salutatione ea quæ patiebatur depellere, si potuisset, voluisset: parata prorsus in flagella Domini.

IX.

Præsentiēr in corpore suo flagella quib. Deus populum ipsius Reg. castigaturus erat, mediam se inter Deū & reos interponebat.

Quodam Bacchanalium tempore, quo solent homines commessationib. & comportationib. indulgere, ipsa passionem Christi commemorans, simulque Christiani populi multam ingratitudinem considerans, ait ad Dominum: *Deus omnipotens & clemens, oro te, vt nouo aliquo cruciatu declares, castigationes has, & flagella quæ patior, te permittente & immittente mihi accidere.* Mira res. Tantus dolor alterum eius crus inuasit, tantaque patiendi materia ab illo die vsque ad Pascha, vt deinceps ausa non fuerit tale quippiam à Domino postulare. Porro in corpusculo suo præsentiebat ea flagella, quibus Dominus populum eius regionis castigaturus erat. Imminente ergo peste quadam, illa tanquam sedula mater, inter iratum patrem & reos filios, mediam se interponebat: ex quo mox bino percussa est vlcere, in gutture, & sub corde. Illa vero gratias egit Deo; & ad sacrosanctæ Trinitatis honorem, petijt etiam tertium adiungi. Confestim autem in gena apparuit vlcus, quo illa summopere lætabatur. Ex his vnum vlcus, cæteris curatis, perpetuo ei inhæsit.

XII.

Frustra in ea curanda laboratur arte humana.

Febrium, quæ ei familiares erant, iste fere modus fuit. Principio, inuadebat calor quidam grauis, & innaturalis. Hunc mox sequebatur unmane frigus & horripilatio: deinde mutato ordine, præcedebat frigus intolerabile, idq; molestissimis ardoribus claudebatur. Erat autem tanta vis harum febrium, vt durāte paroxysmi æstu, mentis impos fieret nec quicquam loqui posset. His febribus, tanquam in camino ignis, supra quam dici queat, dilectam sibi virginem Dominus probabat. Amici autem eius, cum cernerent augeri cruciatus eius, rursus medicos consulere voluerunt. Peruenit autem ad Margaritam Hollandiæ Comitissam fama patientiæ illius. Illa medico suo accito, properat ad eam; ac videns eam, ciusque tugurium, paupertatem, dolores, & cruciatus, totis viscеribus commouetur. Accedit medicus Godofredus, arte sua quam potest reuerenter extrahit è corpore intestina eius, marcida ponit seorsum, saniora reseruat: comperitque è spina dorsi emergere vermes, quos diximus: causam illam dicit, quod nullis salsis multo tępore vsa fuerit. Addit etiam, breui illam hydrope laboraturam, ac deinde nullo vel liquore, vel potu vsuram. Sicq; factum est. His ita gestis abscedit medicus, partim dolens, quod curare eam non posset; partim gaudens, quod cerneret se de illa vera prædixisse: puta quod Dominus in illa facturus esset magna atque inaudita. Permulti inde moti sunt etiam in locis longinquis, vt eam inuiserent; inter quos venit etiam Herbarius quidam peritissimus qui se putabat aliquid in ea effecturum aquis distillatis. Sed cum ingenti studio vnum forte vulnus curaret: mox turgente hydropisi in parte illa, fiebant postrema deteriora prioribus. Virgo autem patientissima, licet sciret à Domino fieri ea quæ patiebatur: ne tamen sibi præsidere, aut Dominum tentare videretur, omnia tacite perferebat: & post humanam industriam, adauctis doloribus, mente redibat ad eum, qui medendo vulnerat, & vulnerando medetur eis, quos amat.

XIII.

CCLXXXIX. Hoc autem admiratione dignissimum est, quod Lyduuina amplius triginta annis non tantum comedit panis, quantus vitro sano, ad vitam sustentandam triduo sufficeret: neq; plus dormiret, quam satis esset homini incolumi trium noctium spatio. Porro toto illo tempore, quo viscera eius compatuerunt, & vermes è corpore eruperunt, nullus prorsus ex eis fœtor exiit: tametsi domus eius humilis erat, cubiculumq; sepulchro similius, quam conclaui. Totidem annis terram non attigit pedibus suis: & sicut multis annis nihil sumpsit alimenti, ista nihil quoque superfluum reiecit. Iacuit immota & supina in lectulo, nec Solis, neque luminis, quamdiu iacuit, luce perfruita est. In ipsis ægrotationis eius primis annis, interdum sumebat valde exiguum pomi fragmentum, idque prorsus insipidum. Quod si nonnunquam buccellam panis, cum parumsimo lactis aut cerasiæ liquore deglutire vellet, fiebat id non sine multo dolore, plurimaq; difficultate. Postea vero illo qualicumque relicto alimento, parum cynnamomi, aut è dactylo, idque rarissime capiebat. Tandem omni cibo abstinens, tota hebdomada perexiguum sumebat vini diluti, admixto saccharo. Instillari potius diceres, quam sibi tantillam portionem. Cum autem parentes eius essent inopes, sæpe aquam fluuialem sibi iussit afferri, facileque internoscere potuit, num è fluxu, an refluxu hausta esset. Ob vicinum autem maris sinum importunitate ventorum aqua fluminis salsedine maris inficiebatur; sed efficiente Domino, adeo dulcis fiebat contra naturæ morem, vt tanquam vino condito illa aliquandiu vteretur. Propter eam cibi abstinentiam somno quoque illam deserente, in solitis precibus & exercitijs spiritualibus non parum cœpit impediri: idque potissimum sub Missæ sacrificio, cui totis viribus & si corpore absens, tamen spiritu præsens a lesse nitebatur. Consuluit igitur Confessarium suum, quid agendum putaret. Sentiens ille, vt vir prudens, tetri dœmonis nequitia id fieri, vt eam à meditationum fructu retardaret, eam quo plus teristeret, eo magis diuexari; suasit, vt quandocunque somnus obreperet, illi indulgeret. Illa volens parere eius consilio, acquieuit. Superuenit interim eximia Paschæ solemnitas: & ecce supra modum infestatur à somnolentia. Tum illa ob reuerentiam festi, capite, & manu quam mouere poterat, illam discutiens & repellens, dœmonem in turpem fugam compulit: atque ab illo die vsque ad supremum vitæ somni expers permansit. Confluxere autem plurimi ad visendum eam: sed alij pietate, alij curiositate & maleuolentia adducti. Extrinsecus autem nihil videbatur in ea, nisi vas lacerū atq; confractū, vas monstrosum, & quædam mortis imago. Scisitabantur scioli & curiosi, ac pterui, vnde in ea febris materia esset, quæ nihil sumeret alimenti. Eos virgo pudibunda nec fugere poterat, nec fugare. Tribuebant illi, quippe homines animales, spiritū non habentes, opera Dei, naturæ potius quā gratiæ: & cum viderent eam in obscuro tugurio decumbentem, procacissime garriebant eam vo tatem esse, merobibulam, dœmoniacā, & id genus alia. Qui autem saniore essent mente, Deo dantes honorem, dicebant, quod à Domino ea fieret, & mirabilia essent in oculis nostris. Ita illa etiam, odor fuit vitę bonis & sanis, odor malis & peruersis, iacens in humili tugurio, perinde vt S. Iob olim in sterquilinio. Etsi autem tam pulmonis quam hepatis, & visceru atq; intestinorū vitales partes partim in ea emarcuerant, partim diro vomitu eiectas videre, contrectare, olfacere cuperent; veritas illa, ne ob hominum applausum perderet thesauros gratiæ, tandem pati noluit, vt quicquam ex ijs quæ ab eius corpore prodirent, reseruaretur: sed omnia teræ infoderentur.

Dæmonis nequitias eam à meditationib. auertere conantis superat.

XIIII.

Obitus matris eius.

Mater eius Petronilla, cum iam senuisset, in morbum incidit. Dolens autem se adolescentiæ tempus partū fructuose exegisse, demū in hæc verba prupit. *En morior paupercula, quæ nihil boni fecerim cunctis diebus vitæ meæ. Sed si tu filia mea, pro me velis intercedere, lęta morior.* Respondit illa, propensissima erga matrem animi pietate & benignitate: *Fortis animo esto, mater mea. Prope est Dominus, qui non despexit contritum & humiliatum cor tuum. Mea vero omnia, labores, dolores, vl. era, plagas, tormenta, vigilias, precatiunculas & exercitia, libens tibi impertior.* Ea re mirifice exhilarata mater eius, migrauit ad Dominum. Lyduuina vero, tanquam iam omni nudata merito, cingulum quoddam crassum, latum & hispidum, ex equorum consectum pilis sibi comparat, eoq; vsque ad mortem mactidum corpusculum stringit: exiguam substantiolam, quam mater ei ante obitum commiserat, pauperib. erogat: omnib. erogatis, ipsa manet egentissima. Adhuc relicta erat ei culcitra:

Marcidum corpus sufficulneo dagerus affligit.

eam quoque zelatrix pauperis pueri Iesu, in stabulo nascentis, tolli iubet: quæ tũ sub putrescente eius corpusculo iam putrescebat, & eius plumæ ita inhærebant virginis corpori, vt absque nouis dolorum stimulis inde auelli nulla ratione potuerint. Ea ablata, suppositus est eius corpusculo tam miserabili durus asser, impositis ei paleis; in quo nunquam dormiens decumbebat supina. Ea vero nullus siccis commemorauerit oculis: cum asser durus, lignum in quo pependit nudus sponsus eius; dolores perpetui ex tali strato nascentes, vulnera eius illi egregie repræsentarent.

XV.

Asperrimũ frigus tota hyeme quæ prolixa fuit, patitur.

Perid tempus fuit hyems longe asperrima, quæ hodieque ob diuturnum gelu dicitur prolixa. Videre tum licebat virgineꝫ pauperculam decumberei n frigore & nuditate, ita vt sæp ssime extremæ corporis partes obrigescerent, mediæ nullas vires haberent. Plumas respuebat tumens hydrops, operimenta duplicia negabat paupertas; ne visitaretur ab amicis, impedimento erat tefrige scens charitas multorum. Interim virginis corpusculum tam immani constringebatur gelu; adeo liuore & tumore debilitabatur, vt vix ita posset vl'o pacto calefieri, vt ad pristinas ægritudines reduceretur. Non raro genis inhærebant guttæ sanguinis, ab oculis manantes. Non dubium, quin è vita fuerit abitura, nisi Dominus inter tot moites quasi mortuam conseruasset. Si quid ei datum esset, ea non indigere se formidans, mox magis egentibus pro suo iudicio mittebat. Erat tum quidam v rinsignis, fama celebri, & vita inculpata, Deum timens, & quem multi reuererentur, Vuerboldus is dicebatur. Cum autem in solennitate Dominicæ Annunciationis mysteiium Incarnationis Christi animo reuolueret, idemque faceret virgo Lyduuina, vterque in spiritu sibi inuicem innotuit, adeoque coniuncti sunt, vt cum postea ad se redirent ab illo mentis excessu, admodum cuperet nosse vterque, quis esset q ieiu in illo raptu vid sset, & quonam loci degerat. Perlata est interim fama Lyduuinæ ad Vuerboldum virum Dei, isque sine mora ad illam profectus est. Veniens autem ad domum eius, vidensque egestatem, & tumentem, fissim ac liuidam faciem, corpusculum putrescens, nec tamen male olens, scatens vermibus, & suaues spirans odores, lachrymatus est vir pissimus. Deinde de rebus diuinis suauiter cum illa conferens, ad extremum summam eius cognouit inopiam. Itaque miseritus eius verecundiæ, tr ginta argenteos ei dedit; molesteque ferens, Ciues loci illius nulla humanitate affici ergo eam misere afflictam, tanquam Eliæ zelo accensus suggestum ascendit, miroque feruore ad illos concionatus est. Sæpe autem postea venit ad virginem vir sanctus, sciens Deum in ea mirabilia operari, dixitque de illa: *Magnum reuera & amplum hæc virgo fundamentum posuit, cuius structura nequaquam poterit breui spatio absolui.*

XVI.

Pater eius decrepitus & pauperculus sed pius à dæmone in aquam extinctus.

Post eas, quos diximus ærumnas, accreuere virgini nouæ molestiæ ex patre vidno, grandæuo, edentulo, quem & paupertas premeret, & æras non sineret labore victum sibi parare. Cuius singularis religio ex hoc potest animaduerti, quod cum esset valde inops, noluit ex illis accipere, quæ filiæ quotidie dabantur. Ait enim: *Non licet seni deuorare pauperis illæ escas tenuitas, quæ pretium sanguinis sunt. Sufficit mihi paupertas mea, vt Christum lucrifaciam.* Venit interea Comes Hollandiæ Wilhelmus Schiedamum, audiensque res Lyduuinæ, accito ad se patri eius dixit: *Pro filiæ tuæ reuerentia, pete à me quod vis pro sustentatione senectutis tuæ.* Respondit ille: *Mundi opes, Illustris Comes, hactenus nec habui, nec habere cupio. Duodecim aurei mihi sufficerent, si illos haberem.* Comes autem aduertens hominis simplicitatem, iussit ei numerari duodecim aureos coronatos annuos: libenter et duplo plus daturus, si senex voluisset. Ille gratias agens Comiti, orabat Deum pro illo, & si quid superesset de illa pecunia, dabat pauperibus liberaliter. Etsi autem decrepitus erat, & tremulus atq; cœcutiens, tamen frequentabat templum. Orat Lyduuina vt domi maneret, sciens illi periculum imminere. Cum enim aliquando se conferret ad vesperti nas preces, obuiam ei venit Satan sub viri specie, aitque ad illum: *Quorsum tendis? Eamus parumper extra portam animi causa.* Credidit homo simplex, doli ignarus, iuitque cum illo. Sed vbi extra oppidum ventum est, miserum senem pestilens impostor in foueam aquis plenam impulit, atque euanuit, non tamen Deus senem neglexit. Nam auriga quidam eius nutu via non trita ducens currum, venit ad locum, vidensque summum pauperculi senis periculum, eum ex aquis extraxit, curruique impositum in oppidum inuexit. Interim fama volat ad aures Lyduuinæ, patrem in aquis præfocatum. Hæc res animum illius tandiu afflixit, quoad ille viuus redisset. Alio tempore cruentus dæmon virginem flammis exurere conatus est. Frater enim eius ad angulum lecturli eius candelam incaute posuerat. Ea, Lyduuina Christi passionem meditante, neque id sentiente, decidit in paleas. Sentiens tamen crepit nres flammas Lyduuina, cum nullus adesset qui opem ferret flammis vndique einctæ, sinistram extendit manum, eaque conterens ardentem materiam extinguit, manu nih l prorsus adusta. Postera luce omnes mirati, valdeque perterriti ob tam præsens discrimen, gratias Dei egerunt, qui virginem seruasset illæsam.

Lyduuina incendium sacto suo flagrans manu extinguit.

XVII.

Quo pacto tempus deduceret cũ deessent alii quando ipsi consolationes spirituales.

Homines pij & religiosi, videntes eam tam inusitatis afflictionibus; non dubitabant, quin etiam diuinis frueretur consolationibns. Itaque dicere ei solebant: *Non ignoramus, Soror charissima, inter hæc tam aspera flagella, spiritualia tibi non deesse munuscula.* Illa respondit: *In instpientia mea dico vobis fratres meiinterdum diuinitus me quasdam vnctiones percipere. Neque enim diu ea possem misera catula, sine micis cadentibus de mensa dominorum meorũ.* Nec tamen dicebat, quales essent illæ vnctiones, solis autem domesticis quibusdam, iisque cumprimis religiosis, magisque familiaribus, parce tamen, indicare solebat diuina charismata, quantum vel gloria Dei, vel fraterna charitas poscere videretur. Interdum vero retrahebat consolationes suas pius Dominus; quo nihil poterat virgini durius accidere. Tum illa sic in acerrimis corporis doloribus derelicta, post omnia sua exercitia, vt tempus fructuose deduceret, loquebatur Angelo suo tanquam illum præsentem cerneret, suauiter inquirens, quo abiisset dilectus suus, cur sic miseram derelinqueret, ipsius amore languentem, & charitatis eius iaculo confixam: multaque id genus alia, pissimum & feruentissimum cordis eius erga Deum amorem spirantia. Orabat etiam Angelum, vt salutaret dilectum suum, & sanctissimam matrem eius, omnes Beatos Angelicos spiritus, Patriarchas, Apostolos, martyres, confessores, virgines, deniq; Sanctos omnes. Hoc pacto deducebat tempus, cum deesset cœlestis consolationis manna: excitabatque sese ad patientiam atque constantiam.

XVIII.

CCLXXXX Angelorũ consortio & obsequius fruitur.

Porro a. visibiliter etiã cum Angelo suo loqui consueuerat, eiusque sœui consortio & obsequijs. Permultos Angelicos spiritus distincte nominabat, & quorum custodiæ deputati essent, apertissime nouerat. Apparebant ei specie pulcherrimorum iuuenum, crucis signum in fronte ferentes, tam luculenta facie, vt solis splendorem longe superaret. Priuabatur autem nonnunquam eiusce modi apparitionibus, propter hominum aduenientium frequentiam. Itaque si quid pulueris ex mundanorum hominum colloquijs, contraxisset, illico confessione detergebat, ne Angeli sui suauissimi familiaritate destitueretur. Solebat die Cinerum, pro sanctæ Ecclesiæ more ac instituto, cineres è Sacerdotis manu accipere, sed si tardaret Sacerdos, Angelus eius vices explebat. Confessarius eius Ioannes Waltheri quandoque venit ad eam, rogans, num cinere sancto consignari vellet. Respondit illa, ab Angelo sancto id iam factum esse. Stupente illo, quid sibi isthuc vellet. Lyduuina dixit vt manu tangeret caput ipsius. Fecit ille, & cineres sensit: ipsdemq; etiam frontem suam communiuit. Docuerat illam Angelus, reuerenter sacros illos cineres à Sacerdote percipere, aliosq; vt itidem facerent adhortari.

Die cinerũ ab Angelo cineres ei dati.

XIX.

Habebat virgo sancta virgam quandam, qua solebat, æstu aut febre ipsam infestante, vel attrahere, vel amouere cortinam, ad lectulum eius pendentem. Cum autem Schiedamum

Angelus ei ligni partẽ ex paradiso terrestri adfert.

damum aliquando incendium vastaret, multique ex vicinis Lyduuinam exportare vellent, ne flammis periret, illa sciens à Domino se seruatum iri, prohibuit ne id facerent. At illi tamen cœperunt auferre asseres ex pariete cubiculi eius, rogati, vt desisterent; pro asseribus primo loco ablatis, pannos suspenderunt. Non enim potuit illa ferre lumen Solis, sed paulo post ab eius oculis sanguine manante, asseres reposiri fuere. Interea stipula seu virga illa perit; accedit sæuissima febris, solstitiales adduntur æstus. His pariter inuctis, virgo tanquam in clibano coquitur, febreq; recedente tandem ad se reuersa, nocte se ab omnibus solam derelictam conspicit. Sed nimio iam fere præfocata æstu, manum suo more ad virgam extendens, eam ab sse comperit. Tum vero præ nimijs doloribus lacrymari cœpit; maxime, quod nemo adesset, qui eam adiuuaret. Sed statim eius adfuit Angelus, lignum quoddam informe adferens, eiusque corpori transuersum imponens. Sentiens illa lignum asperum & crassum, admiratur. Transigit inde noctem illam, in ardoribus illis, vt potest. Mane accersit Confessarium suum; orat vt ex illo ligno virgam tractabilem & leuem efficiendam curet; nihil ei indicans, vnde allatum sit. Abit Confessarius ad artificem. Sed cum illo incendio omnia fere artificum contempta essent instrumenta, ægre dolabram rudem reperire potuerunt. Qua cum cœpissent dolare lignum illud, mirus inde odor exibat, qualem nunquam se sensisse dicebant ij, qui aderant, nec tamen ligni genus cognouerunt. Rapiunt inde particulas decidentes, piaque inter Confessirium & fabrum lis oritur, vter plus sibi vendicare debeat. Nam vel mi nutissima eius particula, propter odoris suauitatem auro non inferior putabatur. Properat inde Sacerdos à primo secundum fabrum lignarium, rapinam primi detestans: sed ibi quoque pia rapina diripiuntur decidentes particulæ. Quæritur, vnde sit allatum lignum; multaque consimilia. Tandem efficitur ex ligno virga, quanta est vlna gracilis: quam Confessirius attulit ad virginem, quærebatque ab ea vnde accepisset lignum illud. Hæc respondit, se id nescire. Nihil enim comperti inde habuit, donec ab Angelo in paradisum terrestrem traducta, ex illo didicit ipsum inde illud attulisse. Dixit autem ei Angelus, lignum illud quandoque dæmones haud secus atque sigillum & supplicium reformidaturos, quod quidem verissimum est; vt non auditione duntaxat ego accepi, sed etiam oculis meis intuitus sum. Vidi enim dæmoniacos, coram huius ligni portiuncula clamitantes & stridentes, atque tremeutes non mediocriter. Et Lyduuina quidem, vbi didicit ligni huius virtutem & pretium, indoluit se illud pluris non fecisse, dolandumque curasse, quod olim esset futurum tam efficax ad nequam spiritus coercendos. Postea vero quibusdam ad virginem confluentibus, vt lignum illud viderent, tangerent, olfacerent, cum inter illos etiam vir quidam lubricus ad tangendum importune se ingessisset, fertur illico magna ex parte pristinam amisisse fragrantiam.

Impetrat vidua cuidam vt angelum videre possit.

XX.

Quantum autem sancta virgo ex Angelorum præsentia cœperit delectationem & consolationem, narrabo hic paucis. Vidua quædam venerabilis eam orabat, vt impetraret ipsi copiam videndi Angeli ipsius. Dixit illa, se rogaturam Dominum. Rogauit ergo & obtinuit. Admonuit autem viduam, vt clauso ostio, apud ipsam staret paulisper, & ecce adfuit Angelus effigie speciosissimi adolescentuli, facie candidissima, vestitu albissimi coloris, oculis micantibus, in capite ceu stellis radiantibus, pileo capitis elegantissime ornatus. Eo conspecto, ineffabili gaudio affecta vidua, nihil cogitare aut dicere potuit, prorsus absorpta. Videbat autem ceu manus innumeras iuxta virginem, tanquam eleemosynam petentium, nulla illic facie apparente. Rogauit autem Lyduuina Angelum, vt viduam illam aspiceret. Fecit hocille tam blande & iucunde, vt non modo animus viduæ magno inde perfusus sit gaudio, sed etiam præ cordis ardore ab lachrymis & gemitibus ad tempus aliquod se illa continere non potuerit: cibum interim corporis plane respuens. Solebat autem Lyduuina interdum suis familiaribus dicere: *nullus est tantus dolor, nulla tanta animi angustia & ægritudo, quæ non facillime euanesceat, si mihi vultum Angelicum licuerit contemplari.* Cogiter hic Lector, quid sit ipse fons vitæ electis suis in patria, si tantum delectat adspectus illorum, qui ei ministrant?

Modus quẽ seruabat angelus quando eũ angus dimittere erat

XXI.

Cæterum, quando eum Angelus, siue in corpore, siue extra corpus, quod me later, aliquo esset ducturus, hunc fere modum seruabat. Apprehensa manu eius, ducebat eam ad suprad dictam Beatissimæ matris Dei imaginem. Ea salutata, proficiscebatur cum illa versus Orientem, ad regionem quandam amœnissimam, quo nullus posset mortalium accedere, vbi mira apparebat liliorum, rosarum, florum aromaticorum, & aliorum delectabilium copia; odorum summa fragrantia: & vbi nec frigoris asfligeret, neque æstus vreret. Plerunque conspiciebatur florum & arbustorum tanta celsitudo & densitas, vt ei impenetrabilis videretur: cum tamen ab Angelo ad dest natum locum facile transferretur.

Tota in timore Domini fundata.

XXII.

Cum autem Christi famula, tanquam aurum in fornace probaretur: flante Austro, perinde vt hortus irriguus, virtutum flores germinare non destitit, alijs quoque optima de se exempla proponens. Fundauit autem structuram mentis suæ, in timoris Domini fundamento. In extremis angustijs semper illi in ore fuit: *O bone Iesu, miserere me.* Adeo defixit in Domino voluntatem suam, vt nihil cogitare, dicere, aut facere præmeditare liberet, quod putaret displicere Deo. Fertur cum patientissimo Iob, & Beato Francisco sæpe dixisse: *Hoc mihi Domine acceptissimum erit, vt affligeas me dolore, non parcens: cum tua voluntatis implectio, sit mihi summa consolatio.* Accurate solebat seipsam examinare & discutere; etiam minutissima quæque in se accusans, & omnium se vilissimam existimans. Itaque libenter omnibus se subdebat; & ab omnibus se vilem dici & haberi, atque etiam infamari non renuebat. Fratris eius vxor, mulier procax, importunis clamoribus eam vexabat, nemini quantumuis præcellenti, aut patienti parcens. Ioannes Dux Bauariæ, mutato habitu, quandoque inuisit Christi virginem, de animæ suæ rebus secretis cum ea collocuturus. Audiens autem mulieris illius loquacissimæ garritus, tandem animo commotus ait ad virginem: *& quo pacto potes ferre apud te eiusmodi hominem, quæ totam hanc domum perturbat?* Illa respondit: *Æquo animo*, Domine mi, *id genus hominum tolerandi sunt infirmitates & imperfectiones, tum vt nostra patientia corrigantur, tum vt virtutum exercitium præbeant iis, quos eo Dominus indigere nouit: tum ne maioris furoris & perturbationis materia eis exhibeatur.* Quibus verbis egregius ille Princeps non mediocriter ædificatus, è crumena sua nummos extraxit, dedirq; mulierculæ bacchanti, quib. eius procax lingua, tum quidem nonnihil frenata est: quod autem correcta sit, plane affirmare nolim.

Eius patientia erga fratris vxorem valde praeclara.

XXIII.

Erga malefactas & miserabiles.

Alia quædam mulier venit quandoque ad Lyduuinam fremens & furens, innumeris eam iniurijs, contumelijs, & conuicijs proscindens, vt posset eius animum commouere. Sed cum hac ratione nihil efficeret, in faciem mitissimæ virginis fœdissime expuit. At vero nec sic quicquam eam permoueri sentiens, clamoribus & maledictis, tanquam vim passa, vicinos concitare cœpit. Sed sancta virgo, in patientia animam possidens, adeo mansit immota, vt voluerti mirarentur. Maleficum vero beneficio compensare volens, clam ei munusculum transmisit, dicebatq; suis: *Illis ego vere debere fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, currere me compellunt.* Certe nemo tam auri vel gloriæ cupidus est, quam illa contemptus sui. Sciebat enim, patientiam perfectum habere opus. Accedebant etiam interdum ad eam quædam morbibundæ, ad eæ debant: Non possumus persuadere nobis te absq; cibo viuere Iesu; suspicamur, te hypocrisi eludere homines. At illa: *Non erro*, inquit, *ea de causa, crimi ni increduli tatis obnoxe, si id credo ex scripturis. Sed tamen vero ne dubitem omnipotentem esse Deum. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Puto vos pie credere, quod in desertis locis pauerit ille Marias illas, Magdalenam & Ægyptiacam. De me si id non creditis, non multum refert: tamen ne veliti n credere omnipotentem esse DEVM, & cur obsecro apud homines, vel negare velim me cibum capere, aut affirmare non capere:*

quando neque malum est vti cibo, neque gloriæ quicquam habet, quantum ad hominem attinet, abstinere omni cibo? Quicquid autem loquantur homines, equidem gratiam mihi diuinitus collatam negare non possum; tacere possum, si in me inquirere desinant homines.

Eius taciturnitas.

XXIV.

De tacirurnitate Lyduuinæ, multa possim dicere. Vox eius vt plurimum suauis & clara; sola, vt puto, Dei gratia id efficiente. Diem vnum è tribus aut quatuor, quo post importunas febres aliqua remissione potiebatur, consolandis hominibus vtiliter impendebat. Nemo illam cachinantem vidit: ex leuitate vix vnquam quisquam ridentem comperit: sed cum grauitate quadam hilarem se quandoq; præbuit, pro ratione materiæ de qua sermo esset, & eorum cum quibus loqueretur. Diligenter obseruabat illud sapientis: *Tempus loquendi, & tempus tacendi.* Detractorum colloquia vehementer abhorrebat, præsertim eorum qui iam defunctorum linguis suis lingunt.

XXV.

CCXCI. *Obedientiam monastica vita cultoribus maxime commendare solebat.*

Monasticæ vitæ cultores, viuacissimis solebat adhortari sermonibus, vt obedientiam cum omni manſuetudine colerent; quod maxima præmia apud Deum virtus ea haberet, quam Christus eis tuo reliquisset exemplo, factus vsq; ad mortem crucis obediens. Monachus aliquis Cisterciensis ordinis, cum electus esset in Præfectum, difficilem se reddidit. Cupiens autem inuenire viam qua illud onus reijceret, ad Lyduuinam venit consilij captandi causa. Ne autem agnosceretur; eamque de alio rem ei exposuit in hunc modum. Quidam ex nostris electus est, charissima, vt pascendarum animarum curam suscipiat. Sed cum permultis eam curam periculis obnoxiam sciat, non vult electioni assentiri; existimans se parum idoneum illi functioni exequendæ. Ei vero Lyduuina ocyus respondit: *Vereor ego*, mi Pater, *ne fratris huius prætextus frivolus sint & vani. Potest monachus sub obedientia degens, honorem fugere; onus, modo vires suppetant, recusare non debet. Formidandum certe est illi, ne incidat in Scyllam, dum vult vitare Charybdim.* Sentiebat enim Sancta virgo, tolerabilius esse propter obedientiam fungi munere, non experto, sed demandato; quam excusso iugo, propriæ militare voluntati. Verum enimuero Monachus ille contempsit consilium virginis, nec impositū sibi onus in se recipere voluit, malens sua frui libertate. Sed. vt quidam ab eius ore acceperunt, in tantas ille postea molestias & afflictationes incidit, quod longe maluisset oneris illius pericula se cum honore humiliter subijsse, quam periculosissimi ocij propria voluntate expeti, dispendia expertum esse.

XXVI.

Dicebat Sancta virgo: *Si quis consultum animæ suæ vellet, in aliquo se loco figeret; atque illic in pectoris sui penetralibus cellulam, siue inclusorium sibi conderet; sine dubio, breui experturus Dei misericordiam & gratiam.* Eos autem vel maxime execrabatur, qui pro sua libidine, & animi leuitate, ab alijs locis ad alia se transferunt. *Non enim solus locus*, inquit, *sanctum efficit hominem, cum semper homo secum ferat.*

XXVII.

Quomodo obedientiã seruari, cõmendabat.

Secularibus hominibus, obedientiam, hoc modo commendabat. *Quisquis appetit, vt Dei spiritus in ipso operetur; ille, Sanctæ Matri Ecclesiæ obediat: itemque Confessario suo, à quo tanquam à Christi vicario, magna eius salus prouenit. Quod si fu fecerit: sentiet animi tranquillitatem; quam hac neglecta obedientia, nequaquam obtinebit.* Paupertatis quam studiosè fuerit; declarant, tugurium, stratum, & rerum penuria. Pauperem spiritu fuisse, testantur, humanæ laudis contemptus, & sui tyncera abnegatio. Si quis ex ea quæreret rebus necessarijs indigente; *haberet ne iacta?* Respondebat: *satis abundo.* Quibusdã autem fœminis eam reprehendentibus, quæ eius norant penuriam, respondit: *Satis abundat, quicu, quod habet, contentus est. Est autem mihi cum hominibus communes non sunt diuitiæ & delitiæ: sunt tamen cum multis communes paupertas & miseria: quibus ego abundans, Deo gratias ago, & conqueſco.* Fander quidem venit ad eam, cernensque viles ædes eius liberaliter obtulit se ei egregiam conditurum domum, in qua degeret honestius. At virgo paupercula; *Tu quidem*, inquit, *dilecte frater, domum in humanis, ampliorem mihi domum non construas. Si quis tamen, me defuncta, hoc loco domum hospitalem ædificare voluerit: oro Deum, ne eleemosyna eius vana in finum eius redeat.* Eiusmodi quidem domum postea illic extruxit Wilhelmus medicus, filius Godefridi medici, cuius supra meminimus. Interim vero dum vixit sacra virgo, tugurium illud palatium ei erat: stratum stramineum lectus eburneus, cingulum cilicinum baltheus Regius, vlcera putrescentia pretiosa monilia, horridæ plagæ oprata solatia; multæ lacrymæ nouæ deliciæ, mundana afflictio mira consolatio, vermes è corpore erumpentes conuiuæ familiares, dolores & angores, dapes opiparæ. Horrabatur alios ad abstinentiam; sed ita tamen, vt eam ratio moderaretur, & sale discretionis conditet. Virginea integritas tam excellens in ea fuit, vt hodieque ab tonomastice virgo dicatur. Veniebant quandoque ad eam libidinis ignibus valde inflammati: quos illa ea causa misere lamentantes, suis consilijs, precibus & pœnis, ad corporis & animi munditiam reuocauit. Si corporis cogeret necessitas; matronas honestas ad illud contrectandum adhibuit: attamen nudum tangi vix ab honestissimis vnquam præmisit. Sciebat enim: *Pudorem virginitatis esse insigne propugnaculum.*

Virginea integritas.

XXVIII.

Liberalitas in egenos.

Ipsa quidem nulla corporis alimonia indigebat: sed tamen propter deuotionem eorum, qui Deum in illa venerabantur, nonnunquam retinebat eleemosynas oblatas, pro sua aliorumque necessitate sibi ipsi parcissima, matrem se pauperibus exhibebat; nulli negans opem, donec terunicius supersesset. Si largiri nihil possit; blandum è pio corde promebat sermonem. Cibos interdum coctos, nonnunquam crudos mittebat. Si quid negligenter in his fieret ab ijs per quos mittebat; dolebat eius animo: quod pauperes, tanquam cœlestis Regni principes futuros, vel ad horulam nollet sua annona fraudari. Nouerat pauperum nomina & habitacula; & quamuis iaceret in tenebris, omnia intueri, omnia distincte cognoscere videbatur, perinde ac si inter homines versaretur. In pauperum vsus iussit hyeme sale aspergere carnes; has salitas cum pisis coctis illis transmittebat. Contigit aliquando, vt cum vicinis diuidendæ vaccæ, ad alendos quarta pars ei cederet pauperes. Ex ea cum ministræ illius quandam portionem cum pisis coxissent, & triginta domibus inde ad saturitatem distribuissent, quidam ait Lyduuinæ: Quemadmodum iussisti, triginta pauperum domibus, de carnibus & pisis tuis ad satietatem dedimus; & tamen in olla nihil diminutum videtur. Euestigio illa respondit: *non pro meis meritis, sed pro sua bonitate id fecit Deus. An ille non dixit: Date, & dabitur vobis?* Comederunt sane ex illis carnibus domestici eius, & aduentantes peregrini: ac omnes admiratione permoti, manum Domini adesse fatebantur, quæ olim vidua farinulam confirmarat. Porro etiam diuites, pro deuotione petebant interdum mitti sibi de buccellis virginis nostræ. Illos vero pauperes ante omnes secreto fouere & pascere studebat, quos ex opulentis nouerat ad inopiam redactos, verecundia à petendis eleemosynis cohiberi. Mendicabat autem etiam ipsa, si deessent carnes, quibus inopes reficeret. Orauit aliquando virum pium, vt si haberet armum porci coctum, mitteret sibi dispertiendum pauperibus. Fecit ille; & mox sensit quam sit grata Deo manus porrecta ad dandum. Vt enim ipse fassus est; cum paulo post coniecisset oculos, eo vnde armum tulerat, vidit alium longe maiorem illic suspensum. Scisciturus ex familia; num quis eum suspenderit! Negarunt omnes: agnouit ille donum Dei: factus est erga virginem nostram deuotior: in pauperes liberalior.

Carnes in olla miraculose non deficiunt.

Animo ei pro pauperibus dato alium maiorem dauit à Deo in locum repositum.

XXIX.

Mulier quædam caduco laborans morbo, sæpe in plateis corruebat. Accidit autem, vt magno spiritus angore correpta, in domunculam Lyduuinæ intraret, potumq; deposceret. Lyduuina nihil tum cogitans de exiguo quod superarat vino, cum sola esset, aquam monstrauit fœminæ, quodam vasculo contentum. Illa totam exhausit; sed sitis extincta non est. Ardet misera, plusque sibi dari petit. Tum Lyduuina recordata vini, digito ostendit: atque illa totum bibita

rursus-

rursusq; potum postulauit. Sed cum nihil liquoris virgo haberet, dedit illi numum quẽdam, vt illo sibi potũ cõpararet; quẽ illa hilariter accipiens, abscessit. Deinde Lyduuinã febribus corripientibus, orat patrẽ, vt pauxillum vini porrigat, quo labia arentia tingãtur. Non n. meminit tunc fœminã morbidã vinũ omne epotasse, Porrigit pater poculũ filię, vnde illa mulier biberat, & ecce plenũ est vino optimo, diuinitus in illud infuso. Stupet virgo, nullũ se melius vlnũ bibisse; nec tñ patri indicat vnde sit: licet & ille stupens admiraretur, neq; coloré neq; saporẽ eius vnq̃ perite. Tãdem cum in vasculo longo rempore durasset, cuiusdã fœminę incuria effusum est. Per id tempus adhuc parcissimè vtebatur vino Lyduuina: itaq; dolsuit illud effusum, quod nunquam aliud habuisset accõmodatius, q̃ citra admixtionem aquæ purum biberet.

Pocula & morbida mulieris ex haustum iterum diuinitus replentur.

XXX.

CCXCII. *Numinis ex eius crumena pro solutione debitorum fratris sui dati non imminuti.*

Cum frater eius Wilhelmus excessisset è vinis multo ære alieno obstrictus, filii eius inciderunt in magnã calamitatem, q̃ vix possent euadere humanitus. Tum Lyduuina illorum misserta, q̃dam elemodia sua octo libris eius regionis distraxit. Nicolaoq; cognato negotium dedit, vt is è crumena, in q̃ nũmos oẽs condiderat, satisfaceret creditoribus. Fecit ille, vt iussus erat, & cum omnib. factum esset satis; q̃ reliquum pecuniæ fuit in crumena, ter coram Lyduuina numeratum est, & tantundem inuentum est, q̃m illa primo posuerat. Illa vero prohibuit, ne cuiq̃ id indicaretur; crumenãq; illam, deinceps voluit crumenam Dñi Iesu appellari. Ex illa, & ipsa expẽdebat in pauperes liberaliter, & Dñs Iesus abunde in fundebat. Quibusdam specialib. amicis aliquando ex ea percunctãtib. quantum ex illa crumena post obitum fratris sui Wilhelmi distribuisset, sic respondit; Quandoquidem video nõ latere vos donum Dei; pro certo confirmo vobis, me de illis octo libris, plusquã quadraginta libras in pauperes erogasse, præter eas quib. fratris mei æs alienum dissolui. Sex annis ante obitũ virginis, multis modis ex ea pecunia datum est pauperib⁹; & illa diuinit⁹ aucta rursus fuit. Post decessum virginis, dimidia pars pecunię in eadẽ crumena reperta est. Quidam etiam eius aurei nummi, cotã trib. fide dignis numerati, illis stupẽrib⁹, visibiliter aucti fuere. Quicquid S. virgo conquirere potuit, tanq̃ paleã reputãs, pene p̃digaliter in pauperes amore Christi elargiebatur.

Ita quantũ eius crumena diuinitus multiplicata fuerit.

XXXI.

Visione animata beneficia in egenos cumulare studet.

Eam a. in pauperes largã benignitatẽ, Christus abunde cõpensabat. Rapta nõnunq̃ in paradisum, vidit quandam lucem mirabilẽ è cœlo vibrari præsertim in animas quorundã adhuc in terris degẽtiũ, quas eo secum raptas cernebat. In illa a. luce vidit tanq̃ beatorũ exercitum speciosissimũ confluere, & in iis Cœlorũ Reginã, Dei matrẽ Sanctissimã. Vidit et mẽsas fericis & pretiosis pannis iustere; eleemosynas, quas p id tẽpus egenis pstiterat, velut è cœlo allatas, aptissime collocari: potiones quoque, quas in vasis fictilib. ipsa pauperib. præbuerat, in crystallinis & aureis poculis admodũ reuerenter exhiberi: itẽq; alia permulta, quæ dederat miseris. Deinde vidit cœtum clarissimum ad instructas discumbere mensas; audiuit sonitum tanquam ad mensas hilariter epulantium; se vero illis alacriter ministrãtem videre sibi visa est. Post hæc ad se reuersa, beneficia in egenos miris modis cumulare studuit, non mediocriter ea visione animata.

XXXII.

Charitas in puerperas & ægrotantes fœminas.

In puerperas & ægrotantes fœminas multam declarare solebat charitatẽ & humanitatẽ. Fercula illis delicatiora parari iubebat; maxime his q̃ cum recta fide vitæ probitatem conitngerent. Ob eiusmodi fœminas adiuuandas, quædã mulier ei non pauco tempore familiarius adhęsit; quæ ei gratũ erat; quippe cui nõ mediocri esset solatio eiusdẽ sexus & voti habere sociam, cui animi sui pietatẽ posset aperire. Itaq; hanc fœminam huc atq; illuc, prout res poscebat, mittere consueuerat; cuius tñ vt certius haberet exploratum animum, plus solito aliquãdo pietate perfusa, cum quadã hilaritate illã ad se vocãs, *Quæso te*, inq̃, *Soror charissima, vt pro tua in miseros misericordia eas ad forũ piscarium, emasq; delicatiores pisciculos, eosq; lautissime coquas, ficus nostri velle ægrotos.* Paret illico deuota fœmina; Lyduuina interim ferenter pro illa orat. Vix illa demum reuersa, exclamat Lyduuina: *Feciſtine charissima, quod petii?* Ait illa; *Feci equidẽ, vt melius potui.* Tum Lyduuina: *Rem*, inquit, *Deo gratissimã feciſti. Pete iã à Domino, q̃ tua conscientia dictabit pie petendum: & ego laborabo apud Dominum, vt impetres.* Respondit illa: *Oro vt mihi remittantur peccata mea, & detur gratia perseuerandi, reliquũ committo charitati tuæ.* Et Lyduuina: *Rem*, ait, *grandem petiſti, sed salubrem. Quod autem mihi commisisti, id Dominus curabit. Abi nunc, & ora tu quoq; pro me.* Sub his verbis mulier, quæ antea mæsto erat animo, perinde ac si grauẽ deposuisset sarcinam, mira consolatione se sensit affectam.

XXXIII.

Domesticis suggeris vt erga pauperes se misericordes præbeant.

Orabat sæpe Christi sponsa Lyduuina Angelum suum, vt domesticis suis suggereret, vt erga pauperes misericordes se præberent. Sedebãt aliquãdo ad mẽsam nonnulli ei magis familiares, cum quidam pręforib. voce miserabili eleemosynam petebat. Confessarius virginis insolitũ petendi modũ admirãs, ocyus exiit ad ostium, sed neminẽ inuenit. Accũbentes illo, rursus clara voce auditur petens eleemosynã. Surgit denuo Sacerdos, sed nullus foris cõspicitur. Cũ ad mẽsam rediisset Sacerdos, tertio petit ille eleemosynam: sed neq; tertio potuit videri à Confessario ꝓpere ad ostiũ urrẽte; cũ ñ vicus ille pateret oculis, nec posset in angulũ deflecti. Nõ parũ igitur turbati illi eunt ad virginẽ, ac q̃d gestum sit, ordine exponunt. Tum illa: *O tardi*, inquit, *ad surgẽdum fratri vestro Angelo. Vsinam illum ex animo plus venerati essetis. Eo enim venit ille, vt experiretur, num inter epulas memores fitis Domini creatoris vestri.*

XXXIV.

Pannus miraculose auctus vt Sacerdoti pauperi subueniret.

Sicut a. Lyduuina eos qui vere pauperes erãt, tum palam, tum secreto mendicantes, benigne fouebat: sic contra detestabatur illos, qui de pietate quæstum faciunt & rapinam, qui se simulant inopes, & hac fraude præripiunt stipem miseris, lupi sane rapaces. Fœmina quædã specie religiosa, re a. vera pr̃sus ficta & lupina, eorum sæpe adibat domos, quos nouerat humaniores, & rebus locupletes. Sciens a. Lyduuinã cum primis piã erga inopes, adiit illam, extremãq; mentita paupertatẽ, sperabat se liberali munere iri affectũ. Laborabat tum Lyduuina acerrimis febrib⁹, ita vt nec domesticis posset verbum eloqui. Incidit a. mulier in Catharinã quandã Lyduuinæ familiarem, veste lugubri indutam, trahensq; longa ab imo pectore suspiria, tremula ac tenui voce vitã ait se cælibẽ clãducere, seq; re se parentib. & amicis esse cõremptui. Putans Catharina vera eam dicere, duxit eã ad Confessariũ virginis D. Ioannem Walteri, virum bonũ, & vere Israelitam. Is audiens fallacis fœminæ quetimonias, illico largam ei prębuit eleemosynã. Altera die recedentib. febribus, Lyduuina, Catharinam mox ad se iubet accedere reprehendit, q̃ mendaci fœminę tam facile cõmodasset fidem; iubet deinceps, maiori vti cautione. Liberet quoq; nudos vestiebat Lyduuina, frera ope piarũ fœminarũ lanariarum. Vestiendus quandoq; erat quidã Sacerdos; sed non erat ei pannus Sacerdotali honestati congruus. Aduenit mulier quędã; ait se habere panni vlnas sex, quas sibi aptauerit: porro filiam quoq; suã aliq̃d pro se indepetere. Itaq; non posse tam multis pannum illum sufficere. Dicit ei Lyduuina; Affer quæso ad me pannum, & Dominus ꝓvidebit. Affertur pannus; Lyduuina, tanq̃ metiri eum velẽs, ducit ad os & manũ: statimq; pannus in tantã excrescit longitudinem, vt & Sacerdoti talaris inde facta sit vestis, & fœmina cum filia abunde haberet, q̃ vtrique sufficeret. Stupent omnes: scisciantur quo pacto id factum sit: Lyduuina respondit: *S. Angeli ministerio factum ne dubitetis, vt & pio Sacerdoti non deesset vestis; & vos necessitate vestra non fraudaremini.*

XXXV.

Doctrinæ eius de otio vitando.

Sapientib. & insipientib. debere se sentiens Lyduuina, cum literas non didicisset, vnicum habuit codicẽ vitã crucifixi Iesu: vnde mirabili auiditate sedula discipula studebat haurire, q̃ aliis effunderet. Veniebant ad eam homines simplices & mechanici, virę consilium ab ea petẽtes. His illa ait: *Ne sitis ociosi, charissimi. Otium n. fœnum, & ru-*

trimentum est vitiorum. Virgines quoq; adolescentulas, q̃ ea ætas plus ferueat, tanq̃ virus quoddã virginitatis monuit vitare otium. Venit aliquãdo puella ad ædes eius, q̃ illa simul atq; ingressa est, mox labori adhibuit, non sinẽs illam vel ad horulam foras euagari. Venit ẽt quandoque ad eam vidua, dixitq; se habere satis ad vitã sustentandã, rogauit, num conduceret ipsi otio se dare & quieti, an potius laboribꝰ incumbere. Huic Lyduuina respondit: *Ad ocium te hortari non audeo. Nosti lanificium: illud si exerceas, nõ vescerã otiosa pane tuo.* Vidua a. negociationem pertimescẽs & pericula cupiditatis allegante, Lyduuina ait: *Lanificium bonum est: q̃ si exerceas vitandi ocii & pauperes adiuuandi causa, non est quod pertimescas. Vt a. te Dominus dirigat; semper velleris vnius lanã dicabis pauperibus. Si id non placet, in honorem quinq; vulnerum Christi, quinq; ein denarios largieris: & Angelus tuus seruabit te, ne offendas.* Accidit inde, vt post multa lucra, vidua illa damna pateretur. Itaq; cum rationes suppurasset cum mercatore suo, ꝓpter superiora damna aureum vnũ subduxit, putans id sibi licere propter dãna. Paulo post obiit ille mercator, ac deinde apparuit Lyduuinæ, aitq; *Dic fœmina illa: restituat tibi aureum, præter ius ab ipsa vsurpatũ, emaq; pro eo cereos ad Missas celebrandas, vt & ego Ecclesiasticis adiuuer suffragiis, & illam non feriat vltio cœlestũ.* His dictis, euanuit. Refert virgo viduæ, quæ audierat: illa videns directum, quod neminem mortalium scire putarat, terrore & pudore correpta, reddit aureum.

Exhortatio ad eos qui matrimonio illecti erant.

XXXVI.

Eos ẽt qui iuncti erant matrimonio, vt mutuã inter se pacem seruarent, virgo adhortabatur. Consiliũ expetentib. dicebat: *Sacrum coniugium, dilecti ipsimi, inissiũ debetis nõ solum corpore, sed ẽt animis seruare fidẽ ad inuicem. Itaq; pacẽ sectemini, vt Deus pacis sit vobiscũ.* Mulier quædam filiam suã cuidam collocauit, & post nuptias gloriabunda exposuit Lyduuinæ conditiones generi sui. At virgo Sancta: *Non magnopere*, inq̃t, *pensandæ sunt opes, pulchritudo, natalium splendor, dignitas & cognatorum turba; potius spectanda virtus, morum disciplina, prudentia, timor Dei, quib. modis parta opes, quo iure teneantur.* Prædixit ẽt ei, filiam eius multa passuram, non tamen defuturum illi diuinum auxiliũ. Quod quidẽ ita euenit. Fuit n. sterilis, afflicta ex morbis, multisque castigata flagellis: sed orãte pro ea Lyduuina, feliciter migrauit ex hac vita. Eo repore vir quidã & mulier, cum essent iuncti matrimonio, & adolescentię feruore raperẽtur in libidines, corporib. suis turpiter abutebantur. Nec id Lyduuinã latuit, Dño id ei reuelante. Hortabatur itaq; iuuenculã, vt ab illa libidinis intẽperãcia abstineret: q̃ nisi faceret, iram Dei, ait, & ipsi, & marito eius imminere. Audiens illa occultum peccatũ suum non ignorare virginẽ, ꝓmisit se deinceps illud vitaturã. Vtrum a. id fecerit, nescio. id tamẽ comperi, ventrem eius paulo post intumuisse, lętantibus amicis, quod concepisse prolem existimaretur. Vt autem Lyduuinę id relatum est. *Frustra*, inquit, *exultant. Non enim tumor iste prolem indicat, sed morbum in fœmina latẽtem.* Quod quidem res ipsa comprobauit, diuturno languore fœminam arripiente, & tandẽ morte iuuenculã sibi vendicãte.

Mater omnium desolatorum efficitur.

XXXVII.

Plerũq; ægri consuebãt ad Lyduuinam, pro consilio recuperandę valetudinis obtinendo; quos illa sæpe in vtroq; homine curauit, piis exhortationib. eos inducens ad resipiscentiã, & Christi virtute à corporib. ægritudines depellens. Cõsueb ãt ẽt ad eam omni ex parte multi Monasticæ vitæ cultores, tentationib. & angustiis afflicti, dinersis animi & corporis doloribꝰ. pressi. Erat n. illa tẽpestate tanq̃ mater oũm desolatorũ. Illa a. sæpe, ẽt in summis iã periculis cõstitutos, ad salutẽ reuocabat. Dederat n. el Dñs spiritum suũ, quo afflictis & ꝓpemodũ desperatis, sic loqui solebat. *Quandocunq; tedio aut angore animi, ẽ vis q̃, ad extrema virium affici te sentis, recurre ocyus ad misericordissimum patrẽ, vt solet infans ad matris vbera; & reuela Domino viam tuã; iacta oẽm cogitatũ tuum in illũ, & ipse faciet, vt omnis angustia tua obliuiscaris.* Ad extremũ hæc subiungebat: *Non solũ æquo, sed ẽt incũdo animo ferẽda est omnis molestia, vel immissa vel pmissa cœlitus; imo ẽt tanquã virga amantissimi parentis complectẽda: quandoquidẽ infinitis modis electos ille suos tanquã aurũ in fornace solet probare.* Erat sane in ferẽtissimis sermonib. eius permultum latentis energiæ, qui in autes dolentium & gementium illati, mentem penetrabant, penetrando instar olei vngebant, vngendo mirum in modum reficiebant. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus optime nouerat: ita tamen, vt in medio nationis, tum infirmæ, tum peruersæ semper incontaminatam se seruaret.

CCXCIII. *Quem arcana non noverat usurarium manifestat qui vere usurarius erat.*

XXXVIII.

Odiosa noctuæ lux est, & bufoni vinea florens. Ita ẽt virginitas libidinosis, superbis humilitas, voluptatum sectatoribꝰ piorum vita crucifixa pmolesta est. Accedebãt interdum ad virginem nostrã, ẽt ventris mãcipia, & frenui potatores, vt aliquid ex sermonibus eius caperent, q̃ carperent. Vsurarius quidã garrulus & cupidus, cũ multa de ea audisset, coram multis ait ad eam. Quid faceres Lyduuina, si Dñs te sum in altari sub speciebus Sacramenti occultatum cerneres, & ex alia parte in propria specie videres? Subticuit paululum virgo: & tandem post lachrymas: *Tamets*, inquit, *non pauci docti & venerabiles mẽ tentarint viri: at nunquã tamen memini tam molestam mihi motam fuisse quæstionem, qualem hic ꝓponit vsurarius.* Non illa viderat virum, necde infami quæstu eius quicquam ab homine didicerat: & tñ prodidit cupiditatẽ eius, fraudẽ cognouit. Stupebãt oẽs eius comites; q̃ppe qui hominis cupiditatẽ non nossent: affectiq; pudore, cum illo q̃primũ abierũt.

Mulierem impudicã virginẽ se mentientẽ acriter reprehendit.

XXXIX.

Mulier quædã nitebatur se in Lyduuinę & domesticorum eius familiaritatẽ insinuare, q̃ dœmoni se ꝓsticuerat Lyduuina id non ignorante. Cum a. cerneret virgo, illã impudenter sæpe iactare castitatem suam; timens, ne forte alias suę libidinis sętore inficeret, cum multa patientia tandem dixit ei, coram familiarib. suis. *Itane ergo virginem te dicere non veres?* Respondit illa audacissime: Prorsus iractam ego me virginem profiteor. Et Lyduuina: *Ego vero*, inquit, *manifeste hoc titulo te gloriari metuo: Certe viginis quinq; virgines, quales tu es, possent in vna mola piperis libere choreas ducere.* Hoc illa audiẽs, pudefacta recessit. Dolebat hoc cuidã q̃ cæteris erat Lyduuinæ familiarior, aitq; illi: Cur pia virginẽ sic vituperando offendisti? Respõdit Lyduuina: *Sine, sine illã. Nolimihi laudare in ille, cõmenta diaboli. Si vis nosse, quam sit verepia: corripe eam solum ob culpas minimas, quias facile poterit in ea aduertere, & comperies, qualis sit.* Fecit id postea, illa fœmina, & ad leuissimum blandæ reprehensionis verbum adeo perturbari cæpit ficta mulier, vt non virgo sed fera pessima: non pudica mulier, sed à malo dæmone obsessa putaretur. Qualis a. fuerit! horrenda eius mors edocuit. Cum enim pro illa defuncta, virgo Lyduuina vellet orare, ait ad eam Angelus: *Noli operam ludere: tum ficta & hypocritis deputata es.*

Principes & magnates reprehendere metuit.

XL.

Non esta. q̃ puter Lector, solũ tenuiores & humiliores conditionis homines à Lyduuina reprehensos. Nõ timuit illa etiam Principum, & magnatum vultus. Venit quandoque ad eam ex longinqua regione Princeps quidam, cupiens colloqui cum ea de arduis quibusdam rebus, ad animæ salutem pertinentibus. Sermone in longum protracto, compunctus sermonibus eius Princeps ille cœpit vbertim lachrymas fundere. Tum illa, occulta, & obliuioni tradita eius peccata retexuit, aitque illi: *Merito quidem, mi Domine, angunt animum tuum leuiores culpæ, quas in patrem tuum admisisti. Sed vereor ne sis cauterizata conscientia, maiora peccata negligens, cum Pharisæis illis excolans culicem, & glutiens camelum.* Simulque commemorauit ei quædam, non risu sed lamentis prosequenda; vt magis compunctus, largiores ab oculis lacrymarum imbres profunderet. Postremo ait ad eum. *Age, quod agis, mi Domine, & luctum amarum fac tibi: à Domino, pro contritione benedictionem, pro lacrymis pacem, pro pœnitentia gloriam consequuturus.* Abiit inde illustris ille Princeps, vitaq; in melius commutata, solita mala in se suisque coercere studuit; sed non diu postea superuixit. Permulti alii nobilissimi vtriusque sexus homines, noctibus, veste mutata illam adibant: quib. illa verba salutis multa virtute eructabat. Si qui autem admonitiones eius sperneret, ẽ in eos seuerius nonnunquam diuina iustitia animaduertit.

De Sacerdote bibulo & libidinoso quem ad meliorem vitam reducere conata est.

XLI.

Mulier quædam loquax, commessationibus dedita, in tantam corruit scelerum voraginem, vt multos tum secundares, tum sacris initiatos, in vitia pertraheret; facta laqueus venatorum, & decipula pedibus insipientium. Sæpe quidem obiurgata à Lyduuina, mansit semper sui similis. Cernens id Sancta virgo, cœpit quibus potuit modis conuictores eius ab illa separare, ne cum illa perirent: cœpit etiam, colubrina eius calliditate deceptos paruulos, è medijs flammis extrahere. Inescarat fœmina illa quendam Sacerdotem; cui ad se accito ait Lyduuina: *Oro te, mi Domine, ne posthac quicquam cum illa muliere habeas commercii: adducet enim te procul à salute tua.* Promittit Sacerdos, se sibi prospecturum: sed mox relapsus, admonitionem virginis vertit in fabulam. Moritur inde filia Babylonis misera: redit Sacerdos ad virginem: perquirit, num quid comperti habeat de statu animæ illius. Dicente virgine; An cuperet ipse videre eam, qualis esset: respondit, se cupere. Orauit virgo Dominum; nec diu post, & ipsa, & Sacerdos, raptiin spiritu, vident procul venientem dœmonum turbam, & inter eos infelicissimam mulieris animam, ineffabilibus subditam cruciamentis, adeo vt præ horrore turbinis, & caliginosæ flammæ, quasi tartarum ipsum adesse putarent. Corripitur Sacerdos pauore incredibili: & vt postea ipse quibusdam indicauit; nisi speciali Dei ope seruatus esset, actum de vita eius fuisset. Sed postea redijt ad ingenium; & vt erat homo bibulus, & potationi deditus, horrorem oblatæ visionis vertit in cachinnum. At pius Dominus, addit visioni diuturnos languores; sed precibus virginis ereptus, non erubuit redire ad vomitum. Tertio, sic percussus est à Deo, vt quamuis rogaret per internuncios virginem, vt Dominum pro se deprecaretur, hoc responsi acceperit: *Quando volui & potui, ille noluit: iam vellem quidem, sed non possum Domini retardare sententiam: neque descendet ille de lecto agritudinis suæ. Oro tamen cœlestem Regem, vt det illi pœnitentiam; & ipsum quantum possum, ad compunctionem exhortor.*

CCXCIV. *Quantum cruciaretur anima rum pereuntium.*

XLII.

Periculis animarum, vti sæpius probatum est, plus cruciabatur Sancta virgo, quam sui corporis doloribus. Cum Moysi deprecari Dominum, solatio erat ei: ferre cruciatus, lucrum putabat: mortificari quotidie, spiritualis erat animæ illius respiratio. Sæpe ei diuinitus reuelabatur, si quis vereretur, si quis scandalizaretur, si quis contristaretur, aut alijs laboraret morbis. Orabat precibus, obsecrabat gemitibus, cogebat lachrymis DEVM: inuitabat promissis, instituebat doctrinis, terrebat minis proximos: ardebat, lucebat, zelabatur honorem DEI. Zelum eius dirigebat veritas, frenabat modestia, firmabat constantia, charitas inflammabat. Vir quidam opulentus & celebris, Schiedami degens, desperatione vexatus, seipsum suspendio necare tentabat. Cum id Confessario suo exposuisset, ille sciens spiritum Dominiin virgine certis experimentis sæpissime se declarasse, ad eam accedens, exponit hominis desperationem, se quotidie necare volentis: se quidem, ait, nihil omisisse eorum, quæ possent miserum sanare; sed in dies illum peius habere. Virgo respondit: Sathanæ hoc artificium est. Puto igitur necessarium illi homini, vt pure confiteatur peccata sua, & pro satisfactione iniungatur ei hoc ipsum, ad quod eum teterrimus Satan instigat. Sciebat virgo, dœmoneni, odio Dei & Sacramentorum, non permissurum vt pœnitentis obedientia fieret, quod ipse serpentina malitia suggerebat. Sacerdote vero dicente, se haudquaquam ausum esse talem satisfactionem vel pœnitentiam homini illi imponere; virgo, consilij diuini non ignara: *Age*, inquit, *Pater id quod dico; periculum omne in me sit; tu ne pertimescas.* Interim, non cessat eum ad laqueum hortari draco pestifer; miser homo, prætentationis importunitate tabescit. Mittitur ocyus pro Confessario; confitetur ille, & per sanctam obedientiam pro pœnitentia iubetur se suspendere. Lætatur ille tali pœnitentia: festinat, oblata opportunitate ad laqueum trabi appensum: illo ad collum adhibito, desilit ex loco, quem ascenderat, vt suffocetur. Mira res. Accurrunt illico dœmones, apprehendunt hominem, rumpunt celerrime restim collo eius implicatum: cum terrore quodam & stridore mirabili mussitantes dicunt; Posthac te non suspendes miser: simulque magno impetu inter parietem & costam quandam illum detrudunt. Vbi cum abscedentibus dœmonibus, trium horarum spatio misere afflictus, & tam animo quam corpore pressus & tremebundus iacuisset, tandem à familia quæ vbique illum quæsierat repertus est, sensimque ad se reuersus, cœpit laudare Deum, & statuit nullo pacto deinceps in tale se discrimen conijcere. Illud consilium, quanquam diuino vt creditur lumine illustrata virgo dederit, admirandum tamen est potius, non imitandum.

Admirandum virginis erga desperatũ quendam consilium sed non imitandũ.

XLIII.

Fœmina quædam, flagitium immane perpetrauerat, hoc, & si confessa erat; nihilominus tamen in desperationem eam trahere nitebatur coluber tortuosus, & chartam quandam nocte in somnis ei obtrudens, in qua scelus ipsius scriptum erat, supra modum illam infestabat, tanquam qui ius sibi in ea vendicaret. Suggerebat miserę, peccatum illud, neque in præsenti, neque in futuro seculo expiari posse. His rebus illa vehementer afflicta, cœpit aliquantisper fidem hosti adhibere, & iam propemodum ad iterandum facinus redire. Sed pius Dominus, qui ad tempus finit multa accidere peccatori, ad pœnam purgatoriam; non eam passus est æternum perire. Reliquiæ peccatorum interdum diem festum agunt suo authori; agente illo, qui dormit in secreto calami, in locis humentibus. Itaque tanquam vim passa, domunculam sacræ virginis intrat; cum multis lacrymis exponit ei amaritudinem cordis sui; quidque nocte viderit, quid legerit, quid audierit, quam fluctuet animo: petit humillime consilium, & auxilium. Tum virgo: *Figmentum diaboli est*, inquit, *quod vidisti: ego, quod potero faciam; tu modo abi hinc in pace.* Credit illa virgini; virgo, causam filius tanquam propriam proponit Domino; agit apud eum lacrymis & precibus; rapitur in spiritu: videt Matrem misericordię in cœtu Virginum; Satanam quoque citatum peremptorie, chartamque tenentem. Orat virgo pia Reginam cœli pro misera muliere: illa mox vi extorquet chartam è manu Satanæ, arreptam discerpit, particularum congeries Lyduuinæ seruanda traditur: pudefacto cruento dæmone virgo lętabunda sibi restituitur: mox accersit Confessarium; non ignarum periculi in quo fœmina versabatur: ostendit ei chartæ particulas, rem totam pandit ordine. Redit etiam tristis mulier, repetit suas querimonias, auditque ex Lyduuina: *Bono sis animo: nihil post hac tibi hoc nomine mali accidet. Quod si ita velis, libens apud Deum iudicem pro te fidem habebo, nihil te passuram detrimenti, propter illud factinus admissum. Quicquid vero tibi ogganniat Satan, tu nullam ei commodes fidem.* His verbis exhilarata mulier, abscessit: & quamuis rediret cruentissimus hostis, illa eum irridens, penitus liberata est, gratias agens Domino, qui talem sibi famulam delegisset.

Pro desperata orat & impetrat.

XLIIII.

Quidam vir flagitiosissimus, præ suorum immanitate scelerum, nulli Sacerdoti confiteri voluit. Tandem eo adductus est, vt pararam se offerret ad dicendum peccata sua Lyduuinæ, vt ea tursus illa Sacerdoti confiteretur. Etsi autem totis viribus se opponeret Liduuina; at ille tamen turpia flagitia sua ei detexit. Illa tursus, consentiente viro, renunciauit ea Sacerdoti, deflens ea tanquam propria, petijtque sibi satisfactionem imponi. Redijt ad eam postea vir ille, vti promiserat, aitque ad eam: Puto te confessam omnia peccata mea; dic iam qualem me vis agere pœnitentiam; libens enim tibi obediam. Et Lyduuina: *Confessi sum*, inquit, *peccata tua: verum autem hoc abs te peto, vt in lecto tuo bene strato cubes nocte vna supinus, & neque in dexteram, neque in sinistram partem reuertas quouis modo.* Accipit ille pœnitentiam siue satisfactionem quasi subridens, ob leuitatem oneris. Opportuno inde tempore, sternitur lectus molliter; cubat delicatulus ille in molli stratu: sed simul atque se reposuit, cœpit affici tœdio: corpus sensit quasi quibusdam compungi aculeis, adeo, vt nunquam tam male se cubasse diceret: licet interim sano esset corpore: sola vertendi se in hanc vel illam partem libertate priuatus. Cum sic ergo magno affectus tœdio iaceret, corporisq; sui incolumitatem lecti mol-

Quomodo flagitiosissimum quẽdam ad pœnitentiam & meliorẽ vitam reduxerit.

hiem, temporis breuitatem, scelerum suorum immanitatem, æternas gehennæ flammas, aliaque multa cogitaret, & tam exigua molestia victum se cerneret: apud se ait: O me peccatorum omnium, quos habet hic orbis, miserrimum, Incolatus iacco hic delicate & molliter: & tamen ea sola causa, quod licet non mihi breui spatio quo libitum est corpus vertere, somnus fugit à meis oculis. En quanta patitur infirmum & putrescens Lyduuinæ corpus, quod tot Domini attritum flagellis, in tenebris & vili iacet habitaculo, idq; annis tam multis? Mutatus est igitur ab eo tempore vir ille ille, factusq; est promptus ad confitendum peccata sua ad agendum pœnitentiam, ad obtemperandum virgini, & ad quæuis dura & aspera perferenda promptissimus. Diceres virginem illam, ceu speculatricem factam domus Domini; quippe quæ vel per literas, vel per nuncios, vel per visum & in somnis (sic enim multis apparebat) sæpe dæmonum insidias & machinationes alijs detexit. Cæterum confessio à viro illo Lyduuinæ, & ab ea nomine illius Sacerdoti facta, non Sacramentalis, sed moralis fuit: Deo, hominem, hoc modo, ad agendum veram confessionem & pœnitentiam disponente.

Sollicitudo eius ne flagitiosa quædam pereat.

XLV.

In pago quodam propinquo oppido Schiedamensi, fœmina quædam grauiter crimine obstrinxerat, vt sine authoritate Episcopi non posset absolui. Hortante igitur eã Sacerdote, vt ad Episcopũ, vel eius Pœnitentiariũ absq; mora propter periculũ se conferret, promisit quidem illa se sic facturam: sed neglexit tamen, animæ suæ mortẽ non formidans. Interea Lyduuina rapitur ad cœlestia, videtque Sanctorum agmina, & in ijs quatuor Ecclesiæ Doctores multa gloriâ insignes, Gregorium, Hieron. Ambros. August. audiretq; illos sibi dicentes: Dic fœminæ illi nolenti adire Episcopum, vt quẽadmodũ Sacerdoti suo promisit, sic quamprimũ faciat. Lyduuina ad se reuersa indicat visionẽ confessario suo; orat eum, vt ocyus se conferat ad cœcam mulierculã, ne ob suam incuriam diuina vltione plectatur. Non cunctatur confessarius, admonet fœminam, non negat illa veram esse visionẽ, sed tamen floccipendens, percata peccatis cumulare pergit. Hinc apparet quam solicita fuerit Lyduuina, ne periret mulier, incuriosa suæ salutis.

XLVI.

CCXCV. Quantum fuerit salutem animarum corporis sui negligere doloribus.

Dolebat interdũ domesticis eius, quod omnes ad se aduentantes audiret, omnibusque responsa redderet; cum tot corporis doloribus, & animi angoribus sine intermissione premeretur. Sed illa dicebat: *Quid dicitis sorores meæ? Itane lucrari nõ debemus Christo animas, quas Sathanas deuorare cupit? Veniãt ad me pauperes oũs: veniant desolati, & quot quot sunt amaro animo: pro ijs enim, longe maiora perpessus est Dominus meus Iesus Christus. Et est reuera maxima pretij qualibet anima, quanta multi abiecti hominis, pro qua filius virginis mori voluit, & vnigenitus Patris æterni pretiosissimum Crucis supplicium perpeti dignatus est.* Dicebat etiam quandoq; adstantibus: *En quam multus sudor occupat faciẽ & pectus meũ.* Illi vero respicientes, & nimiũ calorem atq; sudorem admirantes, acri[?] eam obiurgabãt. Tum illa: *Nihil*, inquit, *hic calet, aut sudor, aut labor est comparandus, cum ijs, quæ propter nos pertulit Dominus: necdum eo perueni, quo illi, qui ait: Optabam anathema fieri pro fratribus meis. Nescit amor modum, cum nos Christus amauerit supra modum.* Nimirum, sic creuit in illa amor Crucifixi Iesu, & meditatio acerbissimæ passionis eius, ita vt nihil ei maiori esset solatio, quam in illius foraminibus, atque plagis, instar columbæ nidificantis, ingiter commorari.

XLVII.

In quanta Christi vulnera & dolores animam eius penetrauerant.

Christi ergo crucifixi vulnera & dolores acutissimi, adeo penetrauerant animam Lyduuinæ, vt quãuis ipsa in singulis membris suis omnis generis cruciatus vehementissimos pateretur, ita vt omnes qui eam cernerent, non possent non multa commiseratione affici, eos tamen cruciatus quasi pro nihilo putaret. Tota vita eius in Christi rebus gestis tanquam in viridario amœnissimo versabatur: in ijs meditando, trahebat ardentissima ab imo pectore suspiria, & ab oculis fundebat lacrymarum imbres, ijsque deficientibus, guttas sanguineas. Illas autem lacrymas, Christi crucifixi amore effusas, apud familiares appellabat rosas suas. Ex his lacrymis quædam hodieque extant, quas ego vidi, earumque mira est fragrantia, vti expertus sum.

XLVIII.

Quanto desiderio tenebatur erga Sacr. Eucha. sumptionem.

Dominici Corporis Sacramentum ardenti desiderio sumebat: adeo vt si die vna catere illo cogeretur, is dies sæpissime ei anni vnius spatium æquare videretur. Pastor Ecclesiæ qui eo tempore fuit, cum illa medium tempus ageret innocentiæ suæ, erat quidem satis literatus, sed in ijs quæ spiritus sunt, plane rudis & imperitus. Is, dæmone agente, multas virginis attulit molestias. Consueuerat illa ab ea ætate, quæ doli capax est, non nisi bis toto anno Eucharistiam sumere: sed doloribus sua capientibus incrementa, crescente etiam Christi passionis meditatione, crebrius eam sumebat. Deinde in magnis solemnitatibus ardentius illam à Pastore petebat. Sed vir durus aspere repellebat preces eius. A planta pedis vsque ad vertic em capitis, non erat ei sanitas: pane corporeo non vescebatur; solum Christum esuriebat, solum Iesum cogitabat, solo Christo viuebat: & tamen negabatur ei ille panis viuus qui filiorum est, nequaquam mittendus canibus. Accidit autem vt Parochus eius quodam die inueniret eam præ desiderio corporis Christi lacrymantem. Cumque lacrymarum causam ab ea peteret, respondit illa: *O Pater mi, ne sprecueris pauperculam tuam, nihil habentem reliquũ, nisi vt Christum meditando se consoletur, Christum sumendo sustentetur, & viuat anima eius.* Sed ille saxo durior, nihil mouebatur. Cum autem Sacerdotes Corpus Dominicum per plateas ferrent ad ægrotos, adeo illius desiderio inflammabatur anima eius, vt nonnunquam spiritum exhalare videretur. Quoties autem tam ardenti amore communicabat, mens eius intus illustrabatur, & sensibili quadam dulcedine, os eius afficiebatur, licet admodum difficulter posset Sacramentum deglutire. Interim vero ne spiritali communione priuaretur, sæpe hanc precatiunculam repetebat: *Participem me fac Deus seruorum tuorum, hodie sub Sacramento tuo mirabili passione tua memoriam agentium, in hac, & totius orbis Ecclesia.* Solebat autem simplicibus dicere: *Quando estis sub Missæ Sacrificio, cogitetis aperiri cœlum, & adesse Angelos; simul & Christi passionem, omni qua potestis deuotione commemoretis.* Alijs autem capacioribus hæc addebat: *Exercetis vos, ad medullitus amandum eum quem sumitis, ad sentiendam animæ ob ectationem, ad sectandam iustitiam eius. Non enim paruum hostiam accipitis, sed filium Regis Regum, & Vnigenitum Virginis, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Ipse est cibus plene reficiens pœnitentem, confortans perficientem, abunde delectans Israelitam transmigrantem: cibus impinguans, non corpus, sed cor: non carnem marcidam, sed esurientem animam: non ventres, sed mentes.* Hæc, & multa alia, quæ legi, pleraque valde sublimia loquebatur.

XLIX.

Porrectam sibi Hostiã non consecratam esse agnoscit.

Cum autem dicat Scriptura: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me:* quid dicemus de Lyduuina, cui inter tot afflictiones, non solum non parabatur, sed etiam negabatur mensa Christi? Parochus Schiedamensis, cuius iam memini, eo diabolo instigante adductus est, vt de Sancta virgine pessime suspicaretur: non vera, sed ficta esse putans, quæ de illa dicebantur. Incidente autem quodam solemni die, rogauit eum virgo per se primum, deinde per alios, vt Sacram communionem ipsi præberet. Sed nihil obtinuit. Conuertit illa se ad deprecandum Dominum. Sed is permittit magis etiam indurari cor Pastoris, vt nouo martyrio probatam filiam illustriorem redderet. Fit Pastor erga illam in dies seuerior, & ad tentandam illam audacior. Tandem periculum facturus; Sit ne verum, quod ajebat illa, se cibum corporeum capere non posse, constituit, ei hostiam non consecratam porrigere. Sed id illam, Angelo eam præmonente, non latuit. Venit interim festum Natiuitatis B. Mariæ: rogat illa sibi dari Eucharistiã: adest Parochus: audit confessionem eius: coram adstantibus offert ei hostiam non consecratam, in idololatrię discrimen eos qui aderant, conijcere non veritus. Sed ô rem mirandam. Vix hostiam senserat in lingua: & ecce corde & corpore mutatur, reijcit quod sumpserat: rem tantillam nec ad momentum in ore ferre sustinens. Pastor vero in sua temeritate, iam apud adstantes deprehensum se pertimescens, simulata audacia dixit ad virginem: Quæ hæc temeritas est, insana mulier, vt corpus DOMINI ex ore reijcias? Respondit illa: *Putasne, Pater, adeo me deliram, vt meum corpus DOMINI & panem vulgarem nullum habeam discrimen? Facile autem illud ab isto internosco, quod illud sumens, nihil me alterari sentio: hunc vero panem, quem tu mihi dedisti, velim nolim cogor reijcere: adeo tota ab eo natura abhorreo, totaque corpore anguitur.* Ille conscius sibi, quod non nisi vulgarem panem ei dedisset, ne adstantes offenderet, rursus ait, se ei corpus Domini porrexisse. Inde abit domum: virgo flagrat desiderio communicandi, nec est qui satisfaciat. Cogiturergo sine pane vitæ manere, vsque ad festum Conceptionis eiusdem sanctissimæ virginis. Tum vero adstitit illi Angelus Domini, multa luce corruscans, atque ei, *ne timeas, neque contristeris, soror mea Lyduuina: propediem videbis Saluatorem tuum, qui sanabit omnes contritiones tuas.* Illa gratias agens, indicauit hæc Parocho suo, ne forte putaret illusionem diabolicam, sed mansit ille obstinatus, vt antea.

L.

CCXCVI. Ignis super eius cubiculum apparet.

Cum vero Lyduuina more suo noctu vigilaret, mulier quædam cuius paruulus filius ægrotabat, consilium peritura venit ad eam. Hanc cum esset consolata, & gaudentem à se dimisisset, mansit sola, exercitijs spiritualibus incumbens in ipso crepusculo, anno dolorum suorum XVII circa festum Beati Thomæ Apostoli. Porro simul atque se dedit deuotioni suæ, viderunt domestici eius magnum ignem in cubiculo illius, quem vt extinguerent, ad eam cucurrerunt. Sed cum nihil cernerent, obstupuerunt. Ait autem illis Lyduuina: *Ite cum bona pace; his nullus est ignis; Ostio autem clauso, oro, vt mẽ nunc solam esse patiamini.* Quod cum illi fecissent, virgo Seraphica, cœlestis contemplationis suauitate profusa, sursum ferebatur in Deum, atque in eum transformabatur, qui pro nobis crucifigi voluit. Non diu post remoto à facie panno, quo se texerat, vidit ceu solare iubar in cubiculo radiare; vidit & Angelum suum prope se stare valde splendidum, eoque tacto, sensit corpus suum ad tempus plane sanatum. Vidit præterea aduentantes Angelos, ceu iuuenes fortissimos, atque alium crucem, alium lanceam, alium clauos, alios alia passionis Dominicæ insignia ferentes, suoque lectulo assistentes. Postea vero etiam Matrem Domini, cum Sanctis non paucis aduenire conspexit. Iacebat tum super paleas supina; erat autem iuxta eam lectulus, propter aduentantes sic sane honeste compositus. Tandem venit Christus ipse in forma speciosissimi pueruli, & in lectulo illo se reponens, virginem blandissime aspiciebat. Mox vero in perfectum mutatus virum, instar Crucifixi totus rubicundus & sanguinolentus apparuit, coronatus spinea corona, & colore affectus, quo solent mortui. In eum ergo intuens virgo plane vigil, mire obstupuit, commixtimque & gaudio, & mœrore affecta est. Cum autem in lucem mens illius absorpta esset, Christus lumen pariter & ardorem diffundens, in medio immensi luminis, virginis corpusculo quinque vulnerum suorum signa luculenter impressit, impressaque reliquit. Cernens autem virgo tam aperta vulnera homines latere non posse, timeretque concursum & applausum hominum, orauit Dominum ita dicens: *Maneat, obsecro Domine, hoc dignationis tuæ sacramentum inter me & te. Sufficit enim mihi gratia tua.* Mirares. Confestim cutis texit illa vulnera; sed dolor atque liuor perpetuo permansit. His ita gestis, vidit Beatissimam virginem arma passionis Christi, quæ ferebant Angeli, reuerenter ex illorum manibus accipere, eique deosculanda exhibere; ac deinde ab oculis suis auferri. Sentiens autem Lyduuina se sensibiliter confixam, respexit ad pedes lectuli sui, viditque illic crucem stantem tanta magnitudine, qua sunt illæ quæ ad morituros deferuntur: simul etiam paruulum ab ea pendentem, & ex eius vulneribus sanguinem profluentem. Eo spectaculo liquefacta anima eius, ait ad Dominum: *Gratias tibi ago Domine, qui me indignam ancillam tuam sic visitare dignatus es.* Audiens autem senex pater eam loquentem, mirabatur, cui loqueretur. Surgens igitur clam, auscultauit ad cellulam eius, quis aut quidnam id esset. Interim is qui apparuerat ei, videbatur per solarium velle recedere. Timens ergo & dolens de eius abitu virgo: *O Domine*, inquit, *situ vere es, in quem credo, obsecro, vt priusquam abeas, signum euidens præsentiæ tuæ apud me relinquas.* Mox ille in speciem formosæ hostiæ mutatus, ter vertebat se supra locum, vbi virgo iacebat: ac tandem consistere visa est, illa hostia, in munda mappula, quæ illic poni solebat. Sub his, pater eius, qui nihil adhuc viderat, cum esset simplex & pius, more suo resedit in filiæ lectulo, scilicetatusque est, num quid fieri vellet, & quis ibi apud eam resedisset. Dixit autem ei filia: *Rogo te, pater, vt ocyus surgas. Habeo enim apud me crucifixum Dominum.* Territus ille, acturum surrexit, viditque hostiam pulcherrimam: accitisque domesticis & vicinis, ostendit eis rem stupendam. Omnes igitur, & timore, & admiratione permoti sunt. Cernebant enim omnes hostiam: sed non eodem modo. Erat enim hostia illa, nec tam parua, vt sunt quæ plebi porriguntur; nec tam magna, vt eæ, quas accipiunt Sacerdotes sacrificantes. Radij autem, eius extremam oram orbiculatim ambiebant: intus habebat Crucifixi effigiem, cum cruentis vulneribus. In latere vno speciatim hærebat superne gutta vna, dimidij pisi magnitudine: poteratque hostia ab omnibus perspicue videri, sed ab alijs facens; à Christi virgine tanquam in aere pendula videbatur. Ad eius autem conspectum, tam animo quam corpore adeo exultabat sponsa Christi, vt formidarent ij qui aderant, ne præ gaudio deficeret. Quædam vero manum suam cordi eius apponens, reipsa sensit cor & viscera eius supra humanum modum exilire. Exultabat plane cor eius in Domino, & delectabatur in Deo salutari suo. Hanc hostiam multi viderunt, idque iureiurando confirmarunt.

Angelum suum nec non alios Angelos cũ B.V. & sanctis sibi apparentes cernit.

Christus ei apparet & signa vulnerum suorum in eius corpore imprimit.

Christus ei apparet pẽdens inter cruce & postmodum in hostiã formosam transmutatur.

LI.

Pastoris eius visum ad quiescendum illam Satanæ commẽtum esse audiebat.

Eadem autem nocte misit sacra virgo quendam ad Parochum suum, qui hæc ei indicarent. Ille vero licet fidem non adhiberet, attamen commoto animo venienus ad virginem: Ecquid, ait, hoc noctis tempore tibi præstari vis? Et illa: *Nonvides*, inquit, *Pater mi, rem quæ hic geritur?* Video, ait ille, commentum Satanæ: præterea nihil. Lyduuina vero: *Nequaquam*, inquit, *pater mi, commentum est diaboli, sed Deus verus, qui te, & me creauit.* Cumque ille rei euidentiam premere non posset, quippe qui perinde vt cæteri cerneret hostiam sanguineis adspersam guttis, attonitus ignorabat, quid ageret. Tandem omnibus iussis foras exire, clauso ostio, adiurauit virginem per tremendum Dei iudicium, vt nemini id quod factum erat, reuelaret. Obediuit virgo, donec maior accessit Prælatus. Inde scitatus Parochus ex virgine, quid fieri vellet de illa hostia. Primum perplexa virgo quid responderet, tandem cum intra se rogasset Dominum, durius exprobranti sic ait: *Quæso, vt hostiam hanc mihi sumendam porrigas.* Illo dicente: vtne igitur Satanam tibi porrigi? virgo respondit: *non Satanam volo, sed Dominum meum.* Ego vero, inquit Pastor, veram hostiam de templo tibi afferam. De hac nescio quid sit, aut vnde sit: planeque consulo, ne illam sumas. Demum porrexit illi eam hostiam, dicens merum esse figmentum diaboli: attamen talem se ei præbere; qualem ipsa crederet. Virgo mitissima dolens vicem eius, hostiam reuerentissime percepit, quæ sicut aliæ hostiæ consecratæ, animo & spiritui eius magnam afferebat delectationem. Postridie veritus Pastor, ne tam stupenda res toto oppido diuulgaretur, pro concione dixit ad populum: Hac nocte, charissimi, Lyduuina non bene compos mentis, à Diabolo periculose admodum illusa est. Petito igitur, vt oretis pro illa, dicatisque orationem Dominicam, vt in fide constans perseueret. Inde cum Eucharistia iuit ad Lyduuinam, turbis eum sequentibus; quibus domum ingrediens rursum dixit, Satanam superiori nocte voluisse decipere Lyduuinam, relicta apud eam hostia commentitia, non consecrata: se vero nunc velle ei dare verum co poris Christi sacramentum. His dictis, intro ingressus sedet iuxta Lyduuinam, quæ nihil rot iniurijs irritata, mature imprimis ait ad eum: *non recte locutus es, mi pater, quod commentum diaboli nocte hac fuerit. An non ego priusquam fieret, Angelo id mihi reuelante, tibi significaui, vt vel sic daret gloriam Deo? Tu nostri arcana pectoris mei. Ego ne Satanæ filiam me exhibui? sed oro Dominum, vti ne hæc tibi imputet ad peccatum.* Tum ille indignabundus; visne, inquit, percipere corpus Domini, quod tibi nunc affero? *Equidem volo*, ait illa, *modo tu quoque velis.* Porrecto igitur ei Sacramento, redit ad templum, populus sequitur; & ecce totum commouetur oppidum aduersus Parochum, adeo vt ille è templo pro-

Plebs in pastorem furit.

gredi non auderet. Venit igitur ad eum Magistratus, orat, vt dicat meram veritatem, vt possit sedari plebs concitata. Respondit ille vt prius dixerat, se sic sentire, meram fuisse illusionem. Aiunt illi: Cur igitur non seruasti commentitiam hostiam? si autem seruasti, vbi nam exposuisti eam? Dicente eo, se combussisse eam; instant illi, vt ostendat locum, vbi combusserit, vt possit fieri diligentior inquisitio. Hic illo obmutescente, populi creuit tumultus aduersus eum. Redeunt Primores oppidi ad eum; rogant, vbi hostia sit. Respondet, se illam in aquam proiecisse. Illis contradicentibus, dicit se eam in cloacam iactasse, ne vesana plebs idolatriam incurreret. His verbis auctus est populi fremitus, quod hostiam à multis fide dignis visam, tot miraculis insignitam in cloacam misisset. Tertio redeunt ad eum quidam ex Maioribus oppidi; hortantur, ne exeat de templo propter plebem commotam. Mittitur interim ad Episcopum, vt absque mora veniat Schiedamum. Is vero ea nocte crebro in somnis monitus fuerat, vt propere iret Schiedamum. Nec cunctatur Matthias Episcopus Suffraganeus Traiectensis; iunguntque se ei non pauci Prælati, & officiarij. Quod vt compert Pastor Schiedamensis, valde animo constematus, mittit clam amicum quendam ad Lyduuinam, orans, ne id quod ab ipso stulte admissum esset, vlcisci velit, sed pro sua humanitate excuset. Promittit optima virgo, se facturam, quicquid saluo Dei honore, fide bona facere possit. Accedunt inde ad eam Prælati, qui venerant, sequente eos Pastore. Fit accurata in rem gestam inquisitio, excutiuntur facta Pastoris, de re tota abunde testantur qui interfuerant. At vero Lyduuina, ne quid Sacerdotij derogaretur honori, obsecrauit Episcopum, vt dimissis laicis, ipsam solam cum alijs Prælatis audiret. Illo assentiente, cum lacrymis sic exorsa est dicere: *Oro, Domine reuerende, vt duo mihi non neges, priusquam respondere compellar.* Ille, vt pius pater consolans eam, Pete, inquit, quod vis; quicquid rationi consentaneum fuerit. Tum illa resumptis vecunque viribus: *Ante omnia*, ait, *peto absolui à vinculo, quo obstricta sum. Aduruut enim me terribiliter Pastor meus; iraq; respondere ausa non sum, nisi prius maiore aut horis tat e absoluta. Deinde obnixe precor, ne quid hoc nomine Pastori meo, vel damni in rebus, vel molestiæ in corpore irrogetis.* Mirabantur illi rogantem eam pro aduersario suo: & cũ promiserunt ita se facturos. Ait ergo: *Protestor ego coram vobis Dominis meis, me libenter mortem oppeturam pro veritate eorum, quæ circa me hic gesta sunt. Nouerit igitur Dominum meum Iesum Christum, in pueri Crucifixi effigie hic ad pedes lectuli mei apparuisse.* Cernebantur autem in ea quinque vulnera, & circa eum multa lux: *Timens autem ego ne me desereret, aio adeum: O Domine, si tu vere es, in quem credo, oro, vt dissoluas eum vinculum, signum relinquas, quo cognoscam te reuera hic adfuisse. Tum ille in hostiam mutatus, mansit apud me. Ego vero illam sacratissimam hostiam sumere cupiens, accepi eam à meo Pastore. Oro igitur, si quid hoc quacunque negligentia vel fragilitate peccauit Pastor meus, vt id ei prorsus condonetis, quemadmodum pollicitus mihi estis.* His à virgine modeste & sedate prolatis, cum Prælati fidem datam fallere non auderent, placati sunt. Facta autem diligentiore inquisitione, innocentia virginis & patientia per omnem regionem innotuit, & Pastoris vanitas confutata est.

Pastoris vanitas confutata & rei gestæ veritas asserta.

LII.

Post hęc pacem cum suo Parocho adepta sacra virgo, cœpit fidentius sacram communionem expetere, sumptamq; magis ac magis esurire. Porro autem in locis impressorũ ipsi à Christo vulnerũ, acrius cœpit sentire dolores: & ardẽtissima charitate sursum ferri in Deum. Etsi vero modis omnib. celata illa cuperet vulnera illata; attamen vbi Domino secus visum est, celare ea non potuit. Solebat autem interim chirotheca sinistrã induere manum cuius odor erat suauissimus, ne quisquã plagam cerneret. Verum enimuero cum adhuc esset in viuis, nocte quadam apparuit ipsa cuidam matronæ, quinq; vulnerum notas vel stigmata ferens in corpore suo: quorum contemplatione miram sensit matrona illa mentis consolationem. Postera luce venit ad Lyduuinam, exploratura, num reuera plagas haberet in suo corpore; vti nocte conspexerat. At sacra virgo præ humilitate affirmare noluit, nec cũ mentiri volens, exultabundo spiritu sinistro brachio strinxit matronæ manũ, & cũ ingenti gaudio dixit: *O caput, caput* tanquam diceret: *Secretum meum mihi: Secretum meum mihi.*

Vulnera sibi à Christo impressa occultare frustra studet.

LVIII.

CCXCVII. *Mercator in Britannia morbo immedicabilem tibia laborans ea aqua quæ ipsa manus lauerat, sanatur.*

Mercator quidã in Britannia fuit, qui nec viderat vnquã Lyduuinam, nec nomen eius audierat. Laborabat is in tibia morbo immedicabili. Cum a. aliquando misere doleret, & ingemiscret, præ mœrore obdormiuit. Admonitus vero est in somnis, vt vel ipse ꝓficisceretur, vel aliũ mitteret Schiedamum Hollãdię oppidũ, qui inde paulũ asportaret aquę, qua Lyduuina virgo manus abluisset suas: additumq; est, ea aqua si tibiam lauet, illico curatum iri. Mane surgit ille, vocat ministrum, iubet ire in Belgiam Hollandiam, & illic diligenter inquirere Schiedamum. Nomen quoq; Lyduuinæ ei indicat, iubetq; secum referre aquam, qua suas illa manus lauisset. Capessit heri sui iussa seruus, abit in Hollandiam, venit Schiedamũ, petit à Lyduuina aquam; nec illa negare potuit, charitate illam cõpellente vt daret. Redit famul⁹ cum aqua ad Dominũ suum, is lauit ea suam tibiã, marcida mox caro reuiuiscit fugit dolor omnis, & tibia in pristinum statũ restituitur.

LIV.

Mulierem fistula incurabili laborantem solo tactu curat.

Fœmina quædam honestæ vitæ, quam aliquando ipse vidi, id quod iam dicturus sum, mihi narrauit. Laborabat ipsa quandoq; morbo graui, sed occulto, cumq; esset Lyduuinæ familiaris, & ad eius consilium vitam suam accommodaret, fidenter ab ea petijt, quid in tanto discrimine agendum putaret. Lyduuina vero: *Scio*, inquit, *te fistula laboraturam, quæ paulatim incrementa accipiet. Sed abi ocyus ad medicos, & pete remedium. Si inuenerint te, gratias agas Deo, sin minus redi ad me.* Abijt illa ad medicos eius loci peritissimos; aiunt illi quoq; fistula ipsam vexari, sed nulla se ratione posse eam curare. Redit ergo mœsta ad sanctam virginem: dicit desperare medicos eius sanctitatem. Illi Deo reuelante non ignorans & animi & corporis eius dolores, primo fundit preces ad Dominum; deinde leniter tangens extrinsecus locum morbi, eum radicitus à fœmina extirpat. Lætatur mulier, & in hunc vsq; diem in laudem virginis tam gestam lætabunda commemorat.

Canonico vox antea canora ad eius preces rauescit.

LV.

Cum a. tanquã anrum electum ꝓbata esset virgo Lyduuina, perinde ac si nihil hactenus profecisset, totam se promultis lucrandis animabus Domino obtulit, tota charitatis flãmis incensa. Spiritu confirmata, corpus pro nihilo putabat, nocte rigans lacrymis stratum suũ, genas cruore tingens pectus suum complens fudoribus. patrem clementissimum conciliare cupiens miseris peccatorib. Et audiuimus, & vidimus permultos, qui ad eam ceu filij ad matrem confluerent, & post suauia colloquia ei vale facientes, orationes eius expeterent. Canonicus quidam ex eis quos Regulares vocant, feruenti spiritu ait ad eam: Quæso instanter ora Dominum, vt auferat à me, quod plus ei displiceat in me, & saluti meæ præcipue impedimẽto est. Ait illa: *Orabo libenter.* Erat ille vir pius, sed cum esset voce bene clara & canora, quadã vanæ gloriæ tentatione cantans agebatur. Orat pro illo Lyduuina; canora vox rauescit; & ne possit ambigi id factum diuinitus, multos ille consulit medicos; adhibentur varia remedia: sed cum nihil posset effici, alius quidã eius professionis Canonicus, coram peritissimo medico quasi subridẽs ait: Noueris Domine medice, hunc meum sociũ aliquando perisse à Lyduuina virgine, rogaret pro ipso Dominum, vt auferret ab eo, quod plus sibi in ipso displiceret. Puto autem hoc iam impetratum esse, reorq; frustra omnem hanc operam insumi. Audiens hæc medicus qui virginem nouerat, Sic, inquit, se res habet, fuerunt Hippocrates & Galenus.

Nepotulus eius febre correptus ad eius orationem sanatur.

LVI.

Habebat apud se Lyduuina paruulum nepotem suum, puerum annorum XII. ipsi ministrantem. Diligebat illũ; sed vt memor esset sui, tũm se collati ministerij, rogabat Dominum, vt ei febrium lam immitteret. Erat a. puero illi poculũ, vnde bibebat. Iussus à Lyduuina circa Natiuitatẽ Beatissimę Mariæ virginis, plenum tenuissima cereusia posuit iuxta lectulum eius. Mane poculum sentitur optimo liquore repletum, tanquam aromatib. Angelicis manib. conditũ. Plurimi inde bibẽtes, testati sunt eiusmodi potũ hactenus sibi incõpertũ fuisse: nec quicq̃ eis nocuit, imo & profuit, & placuit non mediocriter. Bibit vero etiam inde Lyduuinę nepotulus & mox toto corpore diffusis febribus, ad B. Martini Episcopi ferias laborauit. Orante a. ꝓ eo virgine, cõfestim sanatus est.

Potator quidam & bilbio qui alios de ea male loquentibus eam defenderat, postmodũ mortem & bonum vitæ exitum consequi.

LVII.

Noui ego complures, Virgini, cum esset in humanis magis addictos, qui dicerent, frequens hocilli in ore fuisse. Non potest capere lasciuus animus sententiam illam, virtus in infirmitate perficitur: imo & per eam etiam non habira inperratur, Potest hoc confirmari exẽplo illustri, quod nunc commemoro. Rogerus quidam Schiedamensis, strenuus potator erat & helluo. Cum is aliquando in taberna sederet, cum eiusdem factiuæ sociis & ii iam poti linguas effrenes laxarent in electam Christi ancillam, nec ab obtrectationib. virulentis & calumniis sibi temperarent, dicit ẽtque, vel clam voracitati deditam illam, vel dæmonis opera cibum non capere; ille tametsi æque ac illi potaret, non ferens tam virginis iniurias, ait ad eos: sit quæso socii, silentium de virgine, sufficiat nobis stultitia nostra, qua Deum quotidie offendimus. Virgo hæc bona & sancta est, & quicquid in ea fit, à Domino fit. Hæc & pleraque alia dicente Rogerio, illi iam potione calidi, deteriora in virginem vomere cœperunt. Tandem vnus Rogero colaphum infringens, Abi, inquit, homo vilissime, nec noſtram perturbes sodalitatem. Tulit ille patienter alapam, & abscessit. Nihilhorum latuit Lyduuinam, & quid dixissent eius obtrectatores, & quid Rogerus respondisset, & quid passus esset. Cumque ea priusquam hominibus innotuissent, suo Confessario ordine exposuisset, ait ad eum: *Quæso Pater, ocyus te confer as ad Rogerum, dicasque ei, Lyduuina te salutat, & exparte Dei gratias tibi agit, quod pro Dei gloria & suo honore zelum declaraſti, & colaphum tulisti patienter, pro quo Dominus opportuno tempore reddet tibi gratiam.* Mane se confert ad Rogerum virginis Confessarius, commemorat Lyduuinæ mandata: ille stupens: Et vnde illa, inquit scire hoc potuit, quæ heri vesperi facta sunt, nec ex me quisquam resciuit: Respondit Confessarius: Sufficiat tibi eam hæc nosse: tu vero bono sis animo, nihil dubitans Dominum prouisurum. Ab eo die cœpit vir ille se à sociis subducere, vitare peccata, cœpit etiam, tanquam alter Iob, magnam rerum temporalium iacturam facere, flagellis Domini expurgari, in facultatibus, in amicis, in domesticis, in corpore suo procellosas perpeti angustias & vexationes. Sed cum malorum incrementis crescebat etiam in illo sancta patientia, & vbi abundauerat voluptas, vanitas, & iniquitas, iam superabundabat patientiæ tranquillitas, maturitas & charitas. Tandem longa ægrotatione attritus, posita carnis sarcina, lætus migrauit ad Dominum.

Mulier dolore dentium liberata.

LVIII.

Mulier quædam pia, immani corporis dolore pressa, in atrio domus Lyduuinæ plorabat & clamirabat Virgo accito Confessario, rogat, quid istuc sit. Respondet ille, vnam è domesticis præ dolorum acerbitate strudere dentib. & quietem capere non posse. Lyduuina autem iubens eam ad se venire, scisciratur, num velit iuuari ab ipsa. Illa dicente, se id summopere velle, sed sufficere ei proprios dolores, cupere autem, vt Dominum pro se deprecetur. Orat Lyduuina, & statim liberatur fœmina: Dominus autem auget Lyduuinæ cruciatus, ita vt propter morẽ nocte ac die stridore dentium non absque cernentium stupore mirabiliter vexaretur. Puerulus quidam, horrẽdo affectus morbo, lugubres dabat voces, nec quiescere potuit. Allatus ad lectulum, qui erat apud Lyduuinæ statum, mox tacitus quieuit. Roganti Lyduuinæ, num melius haberet respondit iam bene sibi esse.

Puerulus ager sanatus.

LIX.

Liberationem Sacerdotis febricitantis prædicit.

Solebat autem Lyduuina pueros hortari ad sectandam castitatem. Itaque & hunc puerum blande inuitabat ad virginitatis tuendæ studium, quantum illa potuit ætas capere. Et ille quidem postea grandiusculus amauit castitatẽ, eamq; sumpto monachi habitu etiam professus est. Sacerdos quidam probus, & ob vitæ pudicitiam non mediocriter charus Lyduuinæ, febre acutissima correptus, non longe à morte abfuit. Eius soror ex Lyduuina quæsiuit, quamdiu erat febrẽ passurus. Illa respondit, *circa primum Quadragesimæ Dominicam eum curatum iri*, sicque factum est, orante pro illo Lyduuina, quæid cuidam viro religioso indicauit, sed ea conditione, vt ipsa viuente nemini referre præsumeret.

Sibitadum ab oppugnatione præseruat.

LX.

Sæpe illa ob deprecandas clades & pericula impendentia, & patiebatur in corpore, & orabat Dominum. Accidit quandoq; inreditum in eam regione bellum inter patrem & filium. Multis igitur ob tuendam vitam loca tutiora petentibus, quidam è longinquo aduenienes; *Scio*, inquit, morteni me haudquaquã euasurum, nisi me seruent preces virginis, Schiedami latitantis. Id cum ad eam quidam retulisset, humiliter ait, *Gratias ago Deo quod hominem simplicem mihi præpeditum tam bene fidunt, eoque vt secundum fidem illorum fiat eis. Attamen confido in Domino Iesu, quod nobis Schiedamenses non minus bene, vel etiam melius erit, atque victimi circumquaque.* Cum autem dãnis innumeris propinqua oppida afficerẽtur, & classis Schiedamũ totis viribus bellare & euertere niteretur, orante Lyduuina virgine, non potuit oppidũ attingere, irritusq; fuit omnis militum conatus.

LXI.

CCXCVIII. *Animas e purgatorii pœnis eripit.*

Pensitare etiam solebat Lyduuina, quam sanctum & salubre sit orare pro mortuis, qui sunt in regione expiationis, non ad perditionem, sed ad purgationem, non ad destructionem, sed ad castigationem. Itaque arreptis armis spiritualibus, eis ferre conniteba tur suppetias. Nocturno tempore rapta in spiritu ad loca pœnarũ, videbat non absq; summa commiseratione torqueri animas, & ingentes ignium globos in sublime efferri; Roganti a. quandoq; Angelo suum animam, q̃ digito monstrabat, iuuare vellet: se perquam velle respondit: Tum Angelus. *Oportet igitur*, inquit, *per medias transire flammas. Ego vero*, ait, *libens id faciam.* Transiens igitur p flammas, vidit illic tortores sese contrahentes; indigneque ferentes, humanitatem eius, qua animabus cupiebat subuenire. Cumq; iam pertransisset, vidit animã ab Angelo indicatam è pœnis etipi, & postea exultabundã ad cœlos proficisci.

Zelo animarum dicta multos cruciatus in corpore suffert.

LXII.

Roganit eam quædã, vt pro patre suo peridẽpus defuncto oraret. Dicta est a. in spiritu ad regionẽ illam, vbi eius vir anima cruciabatur, aitq; ei Angelus, hic est ille vir, ꝓ quo te deprecaturã ſpoponderi. Vt a. vidit eam vir ille, ait ad socios: Ab eo tẽpore quo purgãdus hunc intraui locũ, spiritũ in carne degentẽ non vidi, nisi spiritũ huius virginis. Sit benedict⁹ Deus, qui mirificauit misericordiam suam mihi in hac hora. Paulo post, orante & patiente pro eo S. Virgine in corpore suo, liberatus est, sicut vxori eius postmodũ est reuelatũ. Vidit aliquando Lyduuina spiritũ cuiusdã defuncti specialib. pœnis excruciari, ferreis stipitib. confixum, audiuitq; ab Angelo suo, eum esse fratrẽ illius fœminę, q̃ petisset vt oraret, ꝓ eo: se quoq; impetraturã, si qua d pie ꝓ eo peteret. Orauit igitur, vt ab illis ferreis stipitib. extraheretur. Ilico à pœnis illis specialib. absolut⁹, ductus est ad cõmunẽ purgandorũ locũ. Sorore a. eius importune scire cupiente ex Lyduuina de statu illius, randẽ ea retulit quid vidisset, iussitq; certas ꝓsentari eleemosynas, & in iis caponẽ q. pauperib. ægrotis pararetur. Fecit illa vt iussa erat; & ecce nocte intempesta adest turba dæmonũ, è quib. vnus caponem manib. tenebat, similem illi qui datus fuerat pauperib. quo grauissime cæcidit facies vtriusq; i. Lyduuinæ, & sororis defuncti illius, & hæc quidẽ postea quo sdã incidit morbus, propter fractũ fumum: quos cum præ dolorũ atrocitate ferre non posset, orauit Lyduuina pro ea, & quamprimũ liberata est, quod a. reliquum fuit pœnarũ, id in Lyduuinã translatum est, sicq; tandem è pœnis anima illa liberata.

LXIII.

Ob zelum animarũ, sæpe cruentos ab oculis fudit imbres Lyduuina, Dominoq; dicebat: *O si possem, Deus meus, carnem & sanguinẽ meum, dare pro animabus illis quas tu castigas?* Pro his ergo orabat, suspirabat, vigilabat, sacrificia offerri curabat, se totũ in holocaustũ immolabat. Balduinus quidã de campo, cum è corpore migrasset, Lyduuina rapta in spiritu vidit hominẽ, facie ipsi ignotum, stare ad pedẽ montis, & volentem quidẽ ascendere, sed minime valentẽ. Audiuit etiam sibi dicentem: Miserere mei, Lyduuina, miserere mei & in montẽ hunc me deportato. Illa accipiẽs eum in humeros suos, tulit in montẽ: sed difficulter sane. Ait a. ad eum, *Qui vocaris?* Et ille Balduin⁹ à Campo, inquit, Mane Confessarius virginis venit ad eam, viditq;, ceu labore graui defessam, & ægre respirantẽ. Itaq; ait ad eã: Ecquid habes filia? Cur ꝑter morẽ, tã difficulter respiras? Illa respõdit, *Ego, pater, à mõte iam veno, in quẽ Balduinũ à Cãpo traſtuli, sudore pariter & labore iam affl cta.* Ille nomẽ viriliã ante crebro audierat, sed virũ ignorabat. Triduo post nesci⁹, eo venit sacrificaturus, vbi Balduinus decesserat: didicit q; à tẽpli custode, eadẽ nocte eũ obiisse, quo Lyduuinę apparuit.

LXIV.

Sacerdos per illam ex pœnis purgatorii eductus.

Sacerdos quidam tota vita sua carnis illecebris deditus, statuerat corrigere mores suos: sed morte præuentus, & si valde contritus, tamen pro peccatis ita vt par erat satisfacere non potuit. Orans aût pro eo Lyduuina, ducta est ab Angelo in illam regionem, audiuitque vocem lugubrem ceu è pute o abyssi, quam Angelus dixit esse Sacerdotis illius. Cumque miraretur eum duodecim annis tam horribili loco detentum, Angelus eam intuens ait: visne aliquid pro eius liberatione perpeti? *volo* inquit, *& quidem libenti animo.* Mox ei ostendit Angelus locum, vbi vorago quædam cernebatur, & gurges æter ac horribilis tanquam torrentium multorum, magno impetu manantium. Hunc gurgitem, inquit idem, transmittas oportet, si vis hanc liberare animam. Illa vero cum in aquas illas terribilem edentes sonitum ingredi timeret, Angelus admonuit, vt infracto animo transiret. Itaque virtute induta cælitus, & ardentissima charitate incensa, ingressa est in tumultuantes vndas illas, & summo labore eas superans; victrix obtinuit quod optauit, viditque repente Sacerdotis illius animam nitæ candidiorem è pœnis euolantē, ac deinde in nitidissimo se riuulo abluentem, & cum iubilo in cælos abeuntem. Illa a. hora Lyduuina ad se reuersa, tāto sudore madere reperta est à domesticis, vt nemo ambigeret, spiritu eam defatigatam, aliunde reuertisse.

LXV.

Sacerdotis anima è singularibus pœnis educta tandem ad cælos euolat.

Fuit alius Sacerdos Virgini deditus & dilectus, quem illa à vita dissoluta ad meliorem frugem reduxerat. Is nō admodum diu à conuersione sua, peste correptus obiit. Orabat aût pro illo, & lachrymabat Lyduuina. Interim extasim passa, valde anxie scire cupiebat, quo in statu res illius essent. Quærente aût ab ea Angelo, num promptā se exhibere vellet ad perferendum aliquid pro illo, respondit. Si sic Deo visum sit, & absque suo detrimēto fieri possit, se id vnice optare. Mox rapta ad pœnarum loca, vidit puteum teterrimum, terribilib. plenum cruciamentis, rogauitq; Angelum, num is locus tartareus esset. Ille vero, non est inquit, hic tartarus, sed non longe abest. Circumspiciens a. vndiq; Lyduuina, intuita est alium locum, absque comparatione terribiliorem, ceu ex aterrimis constructum saxis, & mire profundum: audiuitque illic clamores mirabiles, stridores, gemitus, vllulatus, tumultuationes, malleorum ictus, passiones, quibus animæ sine vlla miseratione, à crudelissimis tortoribus contundebāt. nec loci illius horrori comparari possint, etiam si simul audirentur, totius orbis clamores & fragores. Dictum est autem ei ab Angelo, eo loco damnatos contineri. Cumque ex ea quæreret, an eius videndi cupido istam teneret: præ nimio terrore, dixit; se nolle videre eum, quādo etiam auditus ipse nimis quam molestus esset. Conspexit vero etiam puteum quendam, & ei insidentem Angelum facie mœstum, quem vbi didicit custodem esse sacerdotis, pro quo orauerat, & causas mœroris, ex eius sacerdotis certis demeritis percepit; mox ab Angelo edocta est, speciali illic eum purgatorio castigari. Statimque apertus est puteus, & erupit inde flamma teterrima atque fumosa, simulque eiulatus altissimus. Interroganti Angelo, an vocem illam nosset: respondit Lyduuina, se probe illam cognitam habere. Confestim autem ascēdit anima illa specie ferri ignitissimi, voce confusa dicens: O charissima Lyduuina, ô speculum purissimū, quis mihi det, vt quandoque Dominum in te, & te in Domino contemplari queam! Accidit tum quiddam mirabile. Nam simulatque Lyduuina viditanimam illam ceu ex puteo abyssi ascendentem, tanto pauore consternata est, vt etiam cingulū nouum, crassum & hispidum, quo more suo ad carnem accincta erat, cruore & sanie sua parte medium rūperetur, & illa mox ad se rediret. Rogantibus autem quibusdam, quomodo illa hora se habuerit: *Credite mihi*, inquit, *nisi me vinceret Dei amor & honor, cuius causa in hac vita nihil est quod velim perpeti, si possim obtinere pro voto quicquid cæci ambitus continetur, nollem denuo ita eam sentire terrorem, qualem iam passa sum.* Paucis post diebus, Angelum illum quem mœrentem conspexerat, iucundum & hilarem vidit: tandemq; anima illa extra puteum, ad cōmunem expiationis locum translata est, adiutaque pœnis quas virgo sanctissima ex amore patiebatur, ad cælos euolauit.

CCXCIX. *Quam prudens in responsis.*

LXVI.

Quam vero prudens & cauta fuerit in responsis suis Lyduuina, perspicuum fiet ex iis, quæ subiungo. Loquax quædam mulier, non parum molesta ei erat, vt cognosceret ex ipsa statum cuiusdam defuncti. Allegabat autem eius tēporis virum quendam religiosum, de quibusdam defunctis, si esset interrogatus, affirmatiue respondentem. Sed prudens virgo, alieno periculo cautior facta; *Metum*, inquit, *non est iudicare quemquam. Si autem recte fecit Religiosus ille, quem tu mihi adeo commendas facile pronunciando de defuncto: id ipse iam nouit.* Audierat enim ex Angelo, virum illum, licet alioqui castum & pium, pœnis addictum; quod reuelationibus multa admiscuisset de suo sensu minus vera; atq; propter eiusmodi reuelationes pro sancto habitus, munera laudesque hominum percepisset. Mortuo quoque Wilhelmo Hollandię Comite, quibusdam coniugi eius falso referentibus, Lyduuinam dixisse eum saluum esse in cælis. & Lyduuinam ipsam triduo mortuam, deinde reuixisse: Comitissa illa clam misit hominem, qui ex Lyduuina expiscaretur, an hæc ira se haberēt, & ille quidem curiose ex ea cœpit percūctari: sed hoc ab ea tulit responsum: *Ego, frater, si triduo mortua fuissem, certe ab amicis humata essem. Quod si Comes tam cito ab omnibus est pœnis purgatorii absolutus, possem equidem lugere dilationem incolatus mei, & tam diuturnos meos dolores, vt quæ iam decem & septem annos misere deuoberim.* Iis auditis, callidus homo rubore suffusus, non habuit quod responderet, sed suo frustratus desiderio, retulit suæ dominæ, quid Lyduuina dixisset.

Responsum eius de sacerdote quodam qui ficutiam in virtute passionis Christi debitam non collocauerat.

LXVII.

Solebat illa silentio tegere, quicquid salua conscientiæ integritate, & absque salutis fraternæ detrimento posset celari. De Religiosis viris, itemque Sacerdotibus, quorum inculpatam nouerat vitam, fidentius loquebatur: parcius de secularibus bonæ existimationis: de sceleratis vero & flagitiosis hominibus, etiam adiurata, nonnisi parcissime reuelabat. Sedit aliquando apud stratum eius, Sacerdos quidam, in vulgo, sic satis honestæ & bonæ famæ, sedebant ibi, & cōplures alii. Erat tum ibi vas sinapi plenum, & cum sermo haberetur de pœnis purgatorii, dixit tādem ille Sacerdos: Vellem liceret mihi tot annis degere in locis purgatoriis, quot sunt in hoc vase grana sinapis: modo certo constaret me postea saluum fore. Ad hæc Lyduuina suspirans respondit; *Quid est Domine, quod loqueris? Quid ita parum fidis diuinæ misericordiæ, si scires, qualis sit purgatorii locus, & quas ibi dent pœnas animæ, nequaquam ita loquereris.* Non diu post moritur ille Sacerdos, & amicis cum Lyduuina de statu animæ eius conferentibus, illa ait: *Bene habet anima eius propter suam probitatem: sed melius fecisset illa, si viuens, plus fiducię collocasset in virtute passionis Christi: & mitior quoque purgationis in eum lata esset sententia.* Hinc docemur, quam consultum sit timere Deum, quam pium sperare in Domino. Timor enim frenat animum, ne intumescat, spes deiectum erigit, ne succumbat.

LXVIII.

CCC. *Sæpius ad diuersa loca sancta ab Angelo rapta est & multas consolationes diuinitus accepit.*

Multas autem consolationes accepit diuinitus Lyduuina, maxime in solennitatib. præter ea quæ faciebat & patiebatur ob animas à pœnis purgatorii liberādas. Sæpius etiam noctibus rapiebatur (in corpore, an extra corpus, nescio) ad loca, in quibus olim Christus versatus est. Fuit in monte Galuariæ, vbi passus est Christus, fuit in Nazareth, vbi cōceptus: in Bethleem, vbi natus: fuit præcipue Hierosolymis, & locis vicinis. Denique nullus terræ sanctæ locus celebris est, quem nō vel spiritu, vel specie calcauerit pes eius. Cumque id Confessarius eius admiraretur, illa precibus obtinuit à Domino, vt is quoque consimiliter eo raperetur; ita vt non dubitaret asserere, se cum ea illis in locis fuisse. In eiusmodi vero raptibus feruentissime Dominum deprecabatur. Admittebatur sæpius tanquam præsente Domino, nunc ad pedum, nunc ad manuum, tum etiam confixi lateris oscula: vbi aliquantisper commorata, tantam hauriebat suauitatē spiritus, vt sui ipsius pene obliuisci videretur. Post huiusmodi autem sponsi cælestis contactus, signa euidentia infixorum vulnerum in corpore referebat, quibus constare potuit, aliquid præter spiritum aut speciem imaginariam eam percepisse. Rapta est aliquando in hortum, vbi Dominus sanguinem sudauit; accurate obseruauit, & orationis, & sudoris Dominici modum, atque etiam post illos Christi ar-

gores

gores ad osculum eius admissa, audiuit eum familiariter sibi dicentem: Vtne mecum ire in Caluariæ locum? Respondit illa: *O Domine Iesu, vnica spes vitæ meæ, tecum ire, tecum pati, tecum mori paratus sum.* Itaque diuebat eam secum Dominus Iesus ad Caluariæ montem. Reuersa autem ab iis locis sacratissimis, referebat in labiis pustulas, in membris fissuras, in iuncturis punctiones, in corpore spinarum & tribulorum particulas, diccbatque ei Angelus: signa hæc conspicua; mea soror, idcirco tecum reportasti, vt scias te reuera in locis sacratis fuisse. Alio tempore, cum sic rapta per loca redolentissima proficisceretur, peruenit ad lubrica quædam spatia, quæ videbantur haudquaquam posse transmitti: ibiq; prolapsa, dextrum pedem sensit luxatum. Cumque sibi reddita esset, non modo dolor aculeos in eo pede passa est, sed etiam liuorem ac tumorem illic perspicue suis vidit oculis, & in membris vicinis dies non paucos immanes cruciatus pertulit. Ad eundem modum visa est frequentissime, tanquam à longinquis reuertens regionibus, nunc læsa in digitis, nunc in pedibus, modo ab vrbe Roma, vbi septem inuisit Ecclesias, modo à monasteriis piissimorum Monachorum, eorum præsertim Canonicorum, quorum reformata est vita; modo ex diuersis mundi partibus ab Angelo reducta.

LXIX.

Corpus eius sanctissimum odorem spirabat.

Fiebat autem dispensatione diuina, vt interiorum charismatum copia spiritus affluens, corpori impertiret consolationem reliquas: quod & tamquā instrumentū merendi, & velut vasculus particeps erat afflictionum eius. Anima enim in eius corpore, & corpus simul cum anima, extrema suscipiebant certamina & angores, pariterque collaborabant. Nihil igitur mirum, si simul spatiarentur, simul consolationibus afficerentur, & si futuræ gloriæ præludia, & mensæ filiorum Dei participationem quandam tanquam arrhabonem percipierent, vnaque peregrinarentur. Audiui à quibusdam, qui se tetie conscientia vera dicere affirmarent, cum virgo sancta post huiusmodi raptus ad se rediret, haud secus atque præstantissimorum aromatum apothecam eam redoluisse. Neque enim continere se poterat, quin velut vas plenum musto & absque spiraculo, totum tugurium, & præsentes omnes, quodam impetu spiritus efflando compleret: id q; crebro studiose obseruarunt, homines fide dignissimi. Admouebant sæpe pectori eius, sed furtiue, vultus, nares, & ora sua, vt pro voto hautirent reliquias spiritus eius, & suauissimi odoris. Nihil enim aliud videbatur pectus eius, quam vas electum vnguentorum Domini, & promptuarium cælestium aromatum. Rogata sæpissime, qui se posset in ea deliciarum redundantia continere: respondit virgo: vt minus sapiens dico: quando vos latere non possum, bonum mihi quod humiliat me in infirmitatib. Dominus, sine enim illis pondus consolationum eius fere neq; quam possem. Itaque cum abundo consolationibus, disco postea in corpore miserabili perferre cruciatus. Bona est consolatio, quam nō tumor inflat, sed timor consolidat. Ita ergo Lyduuina rapiebatur ad diuersa spiritualium recreationum loca, vt mox instar puerorum ad scholas à ludis redeuntium gestaretur super eam virga Magistri & Domini Iesu.

CCCI. *Alia quædam de ea miranda.*

LXX.

Neque hoc silentio premendum est, nouisse eam, etiam quæ nunquam viderat personas, Monasteria, cellas, officinas, & exercitia in eis degentium. Mirantibus religiosis viris, vnde tam exacte nouisset eos, qui nunquam ei vis essent, illa dixit: *Dominus id mihi præstitit.* Prior quidā mōasterii Canonicorum Regularium Brielensium, cum pro more sermonem cum illa conferret: Cœnobii sui constitutionem tam distincte ex ea audiuit, ac si tota vita sua per omnes eius angulos peruagata esset. Illo stupente, addidit virgo: *Noueris Pater fratribus in dormitorio quiescentibus, me adfuisse, & singulorum fratrum Angelos custodes in cellulis conspexisse.*

Wilhelmus quidam Hagensis filium habuit Henricum, qui illo inconsulto Carthusianum institutum complexus erat in Brabantia. Cum autem Wilhelmus ille propter virginis famam ad eius ædes veniret, Lyduuina ingredientem nominatim salutat, & filii prosperos successus ei denunciat. Audiens ille se nominari ab ea, quam nunquam vidisset, vehementer obstupuit, quidque ea sibi velit salutatio inquisiit. Respondit virgo: *Filius tuus Dei beneficio factus est Carthusianus: vnde nos gratias Deo immensas agere debemus.* Sed cum ille, sicut & alii plerique, secreta Dei rimari vellet, illa respondit: *Noli quæso, mi hominis esse curiosus.* Ego quidem de talibus, eorum quæ dat nobis Dominus, compellente charitate sapius impertior, sed rationem dare minime. His verbis eum absterrens, à curiosa arcanorum Dei perscrutatione.

LXXI.

Quoties autem Christum Apostolis stipatum viderit? quotes Sanctorum societate fruita sit? prolixitas scribe.e non sinit. Viderunt quamplurimi cubiculum virginis tanto sæpe splendore completum, vt propere accurrerent, existimantes illud ignibus conflagrare. Cum autem cernerent virginem tanto perfusam lumine, terrore concussi, claritatem vultus eius ferre non potuerunt. Scisitantibus domesticis, quinam lucem illam tolerare posset, cum naturale lumen nec ad momentum ferre sustineret: illa respondit: *Credite, credite mihi, lumen diuinæ gratiæ, seu diuinæ contemplationis, tantum differre à lumine quod cernimus, quantum minutis huius solis radius à toto Sole differt. Neque miremini, si lumen naturale non sustinet imbecilla acies, sustinet autem lumen datum cælitus. Qui enim finxit oculum hominis, ipse cum effecerit tale lumen, facile etiam conferet videndi facultatem.*

LXXII.

Sacerdos quidam puræ ac columbinæ simplicitatis venit ad virginem, vt certior fieret de reuelationibus, quæ efficiebant diuinitus, pro sua & aliorum salute. Illa autem nolebat tum ad quædam simpliciter respondere; sed quam potuit commodissime, virum bonum non sine consolatione à se dimisit. At ea causa dolere & angi cœpit sacerdos, veritus, ne sua incuria molestiam ei attulisset. Itaque quam primum ante altare Beatissimæ Mariæ Virginis in templo se prosternens, amarissime fleuit, sed subito mentis exastin passus, vidit virginem quandam diebus stipatam Angelis ad se venire, cantantem cum ipso antiphonam illam, *Salue Regina.* Indead se reductus, propere ad Virginem rediit, quam se offendisse rimebatur. Illa autem non ignara, quid vidisset, Anne, inquit, mœror tuus in gaudium mutatus est? Respondit Sacerdos: Tunc illa fusti virgo, quam modo prostratus vidi mecum plalentem? Nunquam ego sensi tantam mentis suauitatem. Noluit id tum fateri virgo; sed post dies aliquot grauius compulsa verum dicere, non negauit se illam fuisse.

LXXIII.

Mulier quædam pia & casta, in tantum affligebatur animi mœrore & desolatione, vt nullus eam consolari posset. Increscente ea molestia, consuluit Sacerdotes: qui responderunt phantasma quoddam esse. Iam prope ad desperationem accedebat, cum ecce nouissimam omnium consulit Lyduuinam, quæ eam comiter accipiens, optimis admonitionibus & persuasionibus egregie animauit. Paucis post diebus, vtraque mentis excessum patitur, videntque simul, palatium amplum miro artificio constructum, audiuntque cantus suauissimos, cernunt dapes valde opiparas, percipiunt odorum incredibilem fragrantiam. Inter hæc mulier afflicta, videtur sibi rursus explicare animi sui angustias, & Lyduuinam, neglectis omnibus deliciis, more suo rursus interpellare. Tum Lyduuina: *Facessant*, inquit, *lamenta & querimoniæ. Locus hic non mœroris est, sed consolationis.* His dictis, abducit fœminam in locum quendam seorsum, de quo aliud sentire non potuit, quam esse promptuarium quoddam Regalium condimentorum & lautitiarum, cellamque totius mundi aromatum. Inde vero tantam animi suauitatem hausit illa mulier, vt nedum angustiarum omnium prorsus obliuiscereturr, sed etiam ad se reuersa, diebus aliquot vix corporei alimenti odorem vellet admittere. Persæpe autem alii Dei amici viderunt Lyduuinam inter cæli ciues, inter Beatissimos Apostolos, inter choros virginum eam comitantium versan.

CCCII. *Quomodo ipsa ab Angelo ante Dominum Angelorũ & Beatiſſ. Virg. ducta & de velamine ei à B.V. dato quod capiti imaginis eiuſdem Schiedami poſtea imponere deberet.*

LXXIV.

Quid autem miraculi contigerit in ea ſanctiſſimæ Matris Dei imagine, quam hodieq; Schiedami venerantur, iam ſupra commemorauí, addam nunc, quid ab eadem Dei genetrice præſtitum ſit Lyduuinæ. Quodam ſolenni die ſub meridem rogauit ea Confeſſarium ſuum & alios, vt trium horarum ſpatio ipſam ſolam relinquerent. Abeunt omnes, ſed Confeſſarius clam redit, & alicubi ſe abdit intra virginis cubiculum, ſperans ſe viſurum Angelum, quem ex virginis confeſſione didicerat crebro ad ipſam aduentare. Cum autem Lyduuina ſe ſolam putaret, cœpit pro more, ſponſi ſui commemorare beneficia, preces offerre Domino, inuitare Angelum ſuum, & ecce circa primam horam à meridie aduenit Angelus, non tamen vt ſolebat, propius ad lectulum virginis accedit. Illa timens, ne ob aliquam culpam ſuam id fieret, cœpit flere amare. Angelus vero ait ad eam: nulla tua culpa fit, quod tibi non appropinquo, ſed eius potius, qui hic deliteſcit, & his dictis diſparuit. Tum vero ſancta virgo etiam acrius flere cœpit. Ea re pudefactus Confeſſarius cius, acceſſit ad eam, ſuam que culpam cõfitens, promiſit ſe nihil tale deinceps facturum. At illa tertio flens amariſſime, *Itane*, inquit, *etiam tu hæſitás, mi Pater.* Neſciens ille præ verecundia, quid diceret, ocyus exiuit: ſed pius Dominus afflictam virginem conſolatus eſt. Rapta eſt enim ad altare, in quo imago, de qua iam dixim⁹, collocata eſt. Inde ducta per loca pœnarum, tandem ad contemplandos cælicolas, deducente eam Angelo peruenit. Vidit ergo millia millium laudantium Dominum, & coram illo mire exultantium. Tanta autem erat copia bonorum, quæ illic intuita eſt, vt poſtea nec minimam illorum partem explicare poſſet. Quidam autem è ſanctis hortabantur eam, ad tolerantiam, & vt fortiter perferret omnia, quæ deinceps paſſura eſſet. Et nos, aiunt, tametſi tranſiuimus per ignem & aquam, at nunc, vt cernis, in refrigerium educti ſumus. Sub his vidit aduenire Dominum Angelorum, & mundi Dominam Mariam, eamque ſibi dicentem. *Quinam filia charißima, adeo inculta huc veniſti?* Reſpondit illa: *Noſti, mater ſpecioſiſſima, à ductore meo ſic me huc perductam eſſe?* Et Mater Domini ad eam: *Viſne*, inquit, *capiti tuo imponi tegimen, quod manibus fero.* At illa pauida valde, reſpexit ducem ſuum, neſciens quid reſponderet, ne forte peccaret propria voluntate freta. Tertio aũt Regina cæli percunctanti, humiliter reſpondit: *Ego Domina mea, non debeo hic obſequi meæ voluntati.* Dixit autem ei Angelus: *Si vis, tolle illud.* Petiit ergo illud, ſed non abſque magna formidine. Cum ergo ad ſe rediſſet, Beatiſſima Maria cum multis virginibus apparuit ei, tegmen illud manibus tenens, dixitque ei: *Sæpe ex te rogaui, charißima, num velis hoc habere velamen, nec tamen indicare voluiſti voluntatem tuam. En illud iam ego impono capiti tuo: ſed cum è cælo venerit, non niſi ſeptem horis erit in terra. Debis autem illud Confeſſori tuo, & admonebis eum, vt fidem adhibeat donis Dei, & vt imponat hoc velamen capiti imaginis meæ.* Quibus dictis euanuit. Virgo autem poſt actas Deo gratias, velamen de capite depoſuit, & cuius materiæ, ac formæ eſſet, conſideraui. Deinde Confeſſarium ſuum ad ſe vocans, omnia ei narrauit. Ille vero admirabatur. Erat autem velamen illud criſpũ, colore ceruleo, medio interalbum & viridem, texturæ incompertæ, totam domum implens odore ſuaui. Rogauit autem virgo Confeſſarium, vt imponeret illud quãprimum capiti imaginis. Illo cauſante tempus, quod ante horam eſſet, & imago in loco ſublimi conſiſteret, virgo ait: *Dominus prouidebit, vt poſſis ingredi in templum: ſcalam aũt ad boream templi partem inuenies.* Mirates. Egredienti illi domum, mox occurrit templi cuſtos, ſcala inuenitur, qua fretus, impoſuit velamen imagini: quod ſtatim ab Angelo ablatum eſt.

Magna ei cum B.V. familiaritas.

LXXV.

Magna fuit Lyduuinæ cum Beatiſſima Dei genetrice familiaritas, quippe quæ in meditationibus ſuis, ac ſi corpore & animo preſens adeſſet, cum lactante lactabat Iesum, cum geſtante geſtabat, cum exulante exulabat, cum dolente dolebat, quærebat cum quærente, ſtabat cum ſtante ſub cruce. Atque hæc ei erat ſalutaris conſolatio, hoc felix contubernium. Sacro quodam aduentus Chriſti tempore, cum ſe nouis exercitiis renouare meditaretur, vidua quædam Catharina per viſum admonita fuit, vbera Lyduuinæ natiuitatis Chriſti nocte plena lacte fore, & vt ipſa inde ſugeret. Mane ſurgens vidua, ſecreto venit ad Lyduuinam, indicat quid audierit. Stupet Lyduuina, videnſque viduam cupidiſſimam cognoſcendi ea quæ in ſe Dominus operaretur, primo tacet: deinde victa, iubet eam præſto eſſe illa nocte. Aduenienteigitur ſacratiſſima Chriſti natiuitate, nocturnis horis totam ſe Lyduuina confert ad contemplandum Dominicæ incarnationis ſacramẽtum. Interim rapitur ad cælestia, videtque glorioſam puerperam Mariam cum innumera iacarum virginum præſentia, ineffabili harmonia hymnos concinentium. In medio earum ſedebat virgo Mater, Regina omnium ſpecioſiſſima, puerulum habens in gremio, vt olim in diuerſorio. Eadem autem hora virginum illarum omnium vbera lacte repleta ſunt, ſicut & ipſius Matris virginis diuino munere plena fuere, nocte qua Chriſtus ex ipſa natus eſt. Lyduuinæ quoque vbera lacte repleta ſunt, ſed non niſi vna hora duraturo. Rogauit igitur Angelum ductorem ſuum, ne ſineret viduam fraudari deſiderio ſuo, luſſit autem Angelus, ea m nihil eſſe ſollicitam: Qui enim primum lac dedit, inquit, poterit & alterum dare. Cum autem venerit vidua ad ſugendum, tu tantum frices parũ papillam vberis tui, & mox lacte complebitur. Tertia inde noctis vigilia adeſt ſedula mulier: Lyduuina confricat mamillam, & lacte abundat: ſugit vidua, quantum poteſt honeſte tertio attractu elicere, multa in vberibus lactis copia remanente. Tanta autem erat eius lactis dulcedo, vt multo poſt tempore vidua illa ægre potuerit ad capiendum cibum adduci, niſi Lyduuinæ grauiſſimo mandato compulſa fuiſſet.

Nocte natiuitatis vbera eius lacte diuinitus repleta.

LXXVI.

Veniendum nunc eſt ad contemplationes Lyduuinæ, quarum tantus non raro exceſſus fuit, vt quidiu membris corporeis ageretur, interdum ignoraret. Quodam brumali frigore prunas apud ſe habuit in vaſe teſtaceo: quod cum incaute illic relictum eſſet, ignis latus eius vſque ad oſſa cõbuſſit. Caſu autem domeſticæ illius ad eam ingreſſæ, vt viderunt quid pateretur ab igni, pauidæ dixerunt, ſentiſne Lyduuina adueſtionem ignis? Illa tanquam è longinqua regione reuerſa, *Ignem*: ait, *non vidi, nec eius ſenſi calorem: attamen nunc ſentio latus meum.* Tum illæ, Peccauimus, inquiunt, in Deum & te, ſoror, quandoquidẽ non modo carnẽ tuam abſumpſit ignis, ſed fere & coſtam vnam. Reſpondit virgo: *Benedictus Deus, qui me adeo peruexit intus, vt ardorem ignis non ſenſerim.* Percurrebat illa ſpiritu habilis & agilis patriam cæleſtem, plenã deliciarum & diuitiarum Domini. Adepta autem erat per paſſionis Chriſti meditationem, contemplandi vſum, & ſingularem diuini ſpiritus influxum, tantam mentis ſeſeuitatẽ, vt quamuis ab homine literas non didicerit, Euangeliorum tamen, multarumque aliarum ſcripturarum myſteria diuinitus illuſtrata penetraret.

Mirabilis exceſſus.

LXXVII.

Theologus quidam ordinis S. Dominici, cum multa de ea audiuiſſet, quæ ſcire nõ potuit, donec corã cum illa loqueretur. Igitur è Traiectenſi diœceſi veniens, domum eius intrat, & de variis confert cum illa. Tandem ſcire ex ea voluit ſub quadam ſimilitudine, quemadmodum, agente tota ſacroſancta Trinitate, ſolus Filius in vtero Virginis incarnatus ſit. Illa more ſe ſuo humiliter excuſauit. Nolens de re tam ſublimi loqui coram illo. Sed vir doctus id moleſte ferens, terribiliter adiurauit eam, vt diceret, ſi noſſet. Tum pia virgo magno animi correpta dolore, fleuit vehementiſſime, ita vt Theologum quoque illum ſuis lacrymis ad compunctionem permouerit. Inde reſumptis vtcumque viribus, tali ei ſimilitudine explicuit, *quod voluit*, vt vir doctiſſimus ſtupens & admirans, palam teſtaretur, ſe nunquam à Doctoribus tam aptam ſimilitudinem accepiſſe; eamque longe late que diuulgauit, tamerſi ſacra virgo rogaſſet eum, ne cuiquam diceret: factuſque eſt aduerſus obtrectatores virginis acerrimus defenſor, qui ad eam venerat curioſus explorator.

Theologus quidam de myſterio S. Incarnationis illi tentans reſponſo eius obſtupeſcit.

LXXVIII.

Mira vero etiam fuit in illa gratia prophetiæ, ita vt etiam arcana cordium eam non laterent, & abſentia haud ſecus ac præſentia clariſſime intueretur. Mulier quædam virum ha-

CCCIII. *Gratia prophetiæ claret.*

bui

buit prorſus inhumanum, & tum ipſam, tum familiam à Dei cultu terardantem. Orauit illa virginem Lyduuinam, vt apud Deum memor eius eſſet. Lyduuina admoneret eam, vt ſit patiens: promittit tranquilliora. Interim fiant nouiſſima peiora prioribus; cæditur mulier à ſæuiſſimo marito, & iam vitæ tædet eam ſuæ. Tandem currit ad portum oppidi, merſura ſe ſe in aquas. Sub ipſo curſu bonus ſpiritus ei interloquitur; cogit ſiſtere gradum, & hunc in modum loqui ſibi ipſi; Toties miſera fuiſti apud Lyduuinam, multam eius experta erga te beneuolentiam. Nunc ergo etiam inuiſas eam, priuſquam te morte afficias. Nec latuit Lyduuinã fœminæ ſummum diſcrimen. Cumque illa curſim veniret valedictura virgini, iamque pulſaret fores domus eius, Lyduuina exclamat: *Ocyus aperite: quæ enim pulſat, eius anima in amaritudine eſt.* Intrat mulier, proſternit ſe in lectulum virginis, vix in ea manẽte Spiritu: & Lyduuina: *Quid habes*, inquit? *Rectene agitur inter te & virum tuum?* At illa mihi vero, ait, iam vita ipſa faſtidio eſt, iuuat q; illam cum morte cõmutare. Tuo conſilio ſuſtinui adhuc, tuli verba & verbera; Sed iam decretũ eſt in morrẽ ruere. Lyduuina autẽ: *Redi*, inquit, *charißima, ad lectum tuum: ego tibi verbis Omnipotentis Dei pacem à viro tuo denuncio.* Credit mulier, redit in domum ſuam, virum in lecto reperit, cubat iuxta illum, adeo mutatur ille nocte eadem, vt ex lupo in agnum cunctis mirantibus conuerſus videretur.

LXXIX.

Monachus quidem Schoenhouienſis, Ordinis Canonicorum Regularium, cum adhuc eſſet nouitius, miras ſuſtinuit dæmonum infeſtationes, adeo vt deſperaret ſe poſſe in Monaſterio perſeuerare. Conquerebatur nonnullis de vexationibus dæmonum. Et conſolabantur illi quidem verbis: Sed non ſolis verbis curatur ea tentatio. Conſtantia fidei, & mẽtis perſeuerantia opus eſt. Sæpe tñ alios etiã ad lachrymas permouit, referens, quid ipſe intus pateretur. Prior autem eius, vir pius, à quo hæc ego didici, multum erat anxius quid ageret. Tandem ducit eum ſecum ad Lyduuinæ ædes: Sed illa tũ miſerabiliter cruciabatur calculo. Mandat igitur Priori, vt ſolus ad ſe veniat. Venit ille, nec ſine ingenti animi dolore videt tam acerbos Sanctiſſimæ Virginis cruciatus. Et virgo ad illum: *Videſ*, inquit, *Pater charißime, quam me omnes vndique premant dolores multi; itaque breui eſſe compellor. Frater tuus quem huc adduxiſti, probatur nunc grauiter à Domino: Sed hortare eum, vt magno ferat animo: breui enim liberabitur. Attamen oretur inſtanter pro eo: magna enim illi & gratia, & gloria paretur eſt.* Stupet Prior, audiens ex illa, & nomẽ Fratris, & cauſam aduentus ſui; videnſque in ſummis doloribus non ſolum mente ſanam, ſed etiam futuræ conſolationis præſciam. Omnia vero hæc poſtea euenerunt, vti erant à virgine prædicta.

LXXX.

Magnum quandoque nauium apparatum fecere Mercatores, in Orientem naui gaturi. Erat in iis nauclerus quidam induſtrius, Deum valde timens, quod eſt rarum in nautis, & Lyduuinæ eo nomine familiaris. eius enim precibus ſe commendabat peregre profecturus. Sociis autem eius die feſto inter ſe conuenientibus, ille conſulturus Lyduuinã adiit. Cum autem nautæ deliberaſſent die feſto ſolnere à portu, Lyduuina mandauit huic nauclero, ne ipſa inſalutata diſcederet. Venit ergo ad eam, ſed ſane inuitus, quod alii ſtatuiſſent proficiſci. Dixit autem ei Lyduuina: *Quæſo te, Frater, ne die ab aliis præſtituto mari te committas; cur id non expediat, ſuo tempore comperies.* Allegantiillí ſuam ſolitudinem, aliorum frequentiam, & multa alia, Lyduuina ait: *Non eas cum illis: etiamſi ſolus ieris, Dominus tecum erit, & proſperam nauigationem dabit.* Obſtupuit nauclerus: Sed tñ paruit virgini. Abeuntibus gratulabundi, conuicia in illum iactantes, effuſeq; illum irridentes. Ille domum redit. Aliquandiu ſecundo vento commoda nauigatione alii feruntur; ſed poſt incidunt in piratas, qui omnem eorum Claſſem, commiſſa nauali pugna, partim capiunt, partim demergunt, nautis & militibus in captiuitatem abductis. Sequitur inde nauclerus, ſed tutus à piratis; confectiſq; negotiis, redit onuſtus mercibus, & opibus auctus.

LXXXI.

Aliquando imminente ira Dei Schiedamenſibus, illa quibuſdam magnis familiaribus dixit; *Rogaui Dominum pro populo noſtro: ſed cum multum modum caſtigare nos ille decreuiſſet, hoc in nos erit clementiæ eius ſignum, vt ſolo incendio puniantur.* Cum ergo omnia paſſim flamma corriperet, ſimplices quidam volebant tollere aſſeres, qui erant iuxta Lyduuinæ cubiculum, vt liberarent eam ab ignibus appropinquantibus. Illa vero dixit; *Sinite, charißimi, ita me hic iacere, vt hactenus iacui. Ignis enim mihi non aſſeret detrimenti.* Pergebant tamen illi facere, quod inſtituerant: Sed Lyduuina prorſus illæſa permanſit.

LXXXII.

Milites duo inter ſe duello confligere volebant. Mater vero alterius anxia, rogauit Lyduuinam, vt oraret pro filio ipſius. Eam autem Lyduuina bono inſtare animo, prædixitque, filium eius nihil mali paſſurum. & ecce ſopitur odium, redeuntq; in concordiam milites.

LXXXIII.

Sæuiente aliquando peſte, Lyduuina præ cæteris in corpore ſuo duobus locis conſignata fuit. Perente autem illa Sacroſanctam Euchariſtiam, Parochus, cuius ſuper meminimus, venit trepidus ad eam, ore, naribusque obſtructis, ne peſte inficeretur ab illa. Cernens id virgo: *Non eſt*, inquit, *in me pater, morbus aliquis, cuius vel contactu, vel odoratu aliquis inficiendus ſit. Opus enim Dei eſt, non hominis, aut naturæ, quo me plus ſolito grauari cernis.* Pudefactus ille, obmutuit; ſimulans inde audaciam, vtinam, inquit, liceat mihi eousque viuere, vt te videam hinc emigrantem. & illa, *Tu, mi Pater*, ait, *non videbis finem meum; ego potius videbo tuum. Diſponas igitur domui tuæ, ſicut vis coram Domino apparere.* Sed tum quidem more ſuo contempſit verba virginis: paulo poſt vero percuſſus, ſenſit illam vera dixiſſe: miſſoque nuncio, petiit humiliter veniam eorum, quæ ſuſpicioſus & malitioſus in eam perpetraſſet, vtque Deum pro ſe oraret. Audiens autem virgo eum male valere, condoluit ei, rogauitque eum, vt pure confiteretur peccata ſua, res alienas reſtitueret, domus ſuæ res ſerio diſponeret, tanquam certo moriturus. Ille virginis dicta parui pendit, imo & per nuncium remandauit illi, ſe conſcium ſibi non eſſe alicuius rei alienæ à ſe vſurpatæ. Cernens ergo illa occæcatum eum eſſe, iterum miſit, qui particulatim ei indicaret, quænam præter ius retineret. At ille virginis conſilium ſibi vertit in venenum, & beneficium contumeliæ loco habuit, ſicque mortuus eſt. Qualis autem poſtea apparuerit, Dominus nouit.

LXXXIV.

Succeſſit huic Parocho in curam, Ioannes Angeli, natione Batauus: cuius cum eſſent mitiores mores, multas verbo veritatis adduxit ad confitendũ ſibi peccata ſua. In iis quædam valde pia Lyduuinæ ædes quotidie inuiſebat. Id ille admiratus: Quid eſt, inquit filia, quod ſic quotidie Lyduuinam viſitas? Tandem illa reſpondit: Miror te virum prudentem, qui ſis virginis Confeſſarius, nondum expertum eſſe, quod ego in ea quotidie comperio: quod ſi tu quoque comperiſſes, ægre ſane te ab ea diuelli patereris. Sed obſerua, quæſo, manum eius, cum eſ auditurus confeſſionem

fessionem illius, & sentiet quid velim. Facit ille sic; & post confessionem, petit sibi porrigi manum eius, quam vt sensit non aliter quam velut cœlestibus delibutam vnguentis redolere, in has prorupit voces; O vasculum Spiritu Sancto plenum; ô diuinorum apotheca vnguentorum cur me hactenus tantam Dei gratiam celare voluisti, cum tam crebro tibi adfuerim? Ex illo autem odore vir ille, non modo omnium sensuum sensium quandam immutationem, sed etiam animi intimam compunctionem, ira vt sponte virgini ederet quædam horrida peccata sua, & cum lachrymis emendationem promitteret. Cernens id virgo, quædã eius in profundo sentinæ latentia detexit peccata, locum, tempus, & alias circumstantias explicans, quod ille audiens, contremuit, & rubore perfusus, lacrymabundus exclamauit. Quis tibi, ô Spiritus Sancti vasculũ, isthæc reseranit? Sane ille idẽ tibi plura de me indicauit. atque his dictis, in hortulum virginis ingressus, fleuit amare. Post a virginis precibus se commendans, abiit, atque deinde carnem cœpit domare ieiunio, macerare ciliciis, atque aliis pœnitentiæ studiis amissum tempus redimere. Nec diu post, in tam sancto proposito peste correptus excessit è viuis. Quanta autem pro animæ eius liberatione è pœnis Lyduuina in suo corpore tulerit, breuitatis studio silentio præterimus. Possent vero multa dici, quam illa crebro adfuerit spiritu, in partu laborantibus, afflictis & ægris: Sed pauca tantum commemorare sufficiet.

LXXXV.

Cum è ciuibus suis quidam naufragium facerent, illa plorãs dicebat: *O quam tristes hodie percipiemus rumores, de submersis alijs, & alijs à submersione ereptis*? Eius autem verba sequebantur tristes nuncij, & in plateis oppidi luctus passim audiebatur.

LXXXVI.

Imminente inundatione, qua partes Hollandiæ Australes mersæ sunt, quædam fœmina dormiens in pago qui propinquus erat aggeri, quem mare sæuiens perrupit, audiuit sonitum aquarum mire tumultuantium, & valde eximuit. Vidit autem in Spiritu venientem ad se Lyduuinam, quæ etiam saluam eam domum perduxit. Dignum sane admiratione est, cum hæc apud fœminam illam gererentur, Lyduuinam apertis verbis significasse, iis qui tum aderant, in quibus inundantium aquarum periculis mulier illa versaretur.

LXXXVII.

CCCIV. *Dominus eis coronam pretiosam ostendit in mentis excessu.*

Cum iam vigesimum octauum in sua infirmitate annum ageret, coronam illustrem hoc modo adepta est; cum incredibili Spiritus feruore cuperet mari virum pro Christo obire. In quodam mentis excessu ostendit ei Dominus coronam pretiosissimam, gemmis diuersorum colorum egregie ornatam, necdum tamen in orbem penitus absolutam. Vbi ad se rediit cogitabat quænam esset illa corona; rogauitque Dominum, vt castigando corpusculo suo coronæ illi percipiendæ ipsam coaptaret. Sed cum exiguitatem meritorum suorum putaret tam insigni coronæ imparem, ad commemorandam meritorum Christi infinitatem, & amaritudines has, quas propter nos ille pertulit, se contulit: iisque paucula dolorum suorum exercitia componens, humilis Christi ancilla tamquam nihil sibi feciſſe videbatur, atque ad Dominum: *Quinam potest quisq; tuas sectari vestigia, bone Iesu, nisi quasi molestias, damnum, infidias, mundi contemptum, hominum vexationes perferet, totoque animo seipsum pro nihilo putet*? *Pone ergo Domine super illam tuam in semitis tuis, & fac in sistam vestigiis tuis.* Cum sic Dominum illa precaretur, Dux Burgundiæ Philippus apud Holandos inaugurabatur. Vbi autẽ S hied mum venit, quidam eius milites, circa mensis Octobris initium inter se conspirarunt, aduersus Christi ancillam. Audierant enim nihil eam omnino esculentum aut poculentum sumere, sed solum Christi corpus. Cumque cibo & potu farti essent, venerunt ad Parochum, & blandis verbis fingunt se velle videre honoris causa filiam confessionis eius Lyduuinam. Credidit ille, & adduxit eos ad virginem. Vix illi ingressi erant domum, cum ecce instar mentecaptorum clamitare incipiunt, & clauso ostio circa lectulum virginis cachinnari atque tumultuari. Tacuit illa instar ouis. Sed Parochus valde dolens, bonis verbis eos lenire nitebatur. Sed illi contumeliis affectum repellunt; virginis amicum & concubinum petulanter appellant. Inde cum nemo, aut è vicinis, aut domesticis furoriillorum opponere se auderet, illi scelesti accensa candela, omnia virginei corpusculi operimenta abstrahunt, & indignis modis sine vllo pudore contractant corpusculum multimodis afflictum morbis, & hydropisi tumidum: Petronillam neptem eius paruulam, cum se illis obiceret, tanto impetu ad scabellum abiiciunt, vt ad mortem vsque grauiter læsa claudicarit. *His* addunt turpissima in Lyduuinam conuicia, vocant bestiam, prostibulum, voracem, & multa alia; nec paucis eius vulnera cumulant vulneribus. Postea lauant cruentas manus, & ad iactanda in eam probra & contumelias redeunt. Iacet virgo, sanguine in paleas & pannos vicinos fluente: & cum timeret Dei iudicium illis imminere, tandem ait ad eos: *Cur non timetis sinistre interpretari ea, quæ Dominus in me operatus*? *An ignoratis, quid vos maneat*? At illi magis etiam cachinnantes, & tanquam præclaro perpetrato facinore gloriantes, inde recesserunt. Postque hæc res per oppidum vulgata est, multus extitit piarum matronarum ploratus, ob iniurias pudicissimæ virginis irrogatas. Nihil enim tale vnquam auditum fuit apud Hollandos, qui fœmineum genus venerationi semper habere solent. Murmur quoque in populo exortum est aduersus nequam homines, qui inscio ac non consentiente suo Principe, talia perpetrare ausi fuissent. Primores etiam populi venerunt ad Lyduuinam, eamque consolantes, dixerunt se velle conqueri apud Principem. Quibus illa ait; *Nescitis, oro, molesti Principi, neque propter illos contaminetis manus vestras. In cœlo est qui vindicta seruatur, & iam eorum iudicium in promptu est.* Idque verissimum fuit, vno ex illis nebulonibus in mari præfocato; alio mente capto, & in Zelãdia mortuo; tertio in plio, vt fertur, occiso. Quartus morbo correptus, per nuncium veniam à Lyduuina petiit. Cum autem postea sola iaceret Christi ancilla, Angelus ad eam venit instar solis splendidus, atque ad eam; *Salue, charissima sponsa: ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti. Propter inuerecundos tactus virorum illorum, noueris te positam fuisse in vestigio saluatoris. Lucebris & vlucere corpori tuo impositæ, fuere gemmæ, quas in illa corona & adesse vidisti, & deesse.* Missus est deinde dux quidam militum à Principe Philippo cum non paucis militibus, qui Schiedamum eb hostibus tuerentur. Is multa audiuit ex iis, quæ Deus quotidie faceret in Lyduuina: nec ignorabat, quæ ab aliis passa fuisset. vtiã certior esset de omnibus, honestos quosdam & strenuos milites voluit ad dies aliquot Lyduuinæ adesse, & omnia diligenter explorare: & siquidem commentitia deprehenderentur, male illam mulctarent: sin autem vera, laudibus celebraretur. Illi ergo ingressi domum eius omnia perscrutari cœperũt, nec passi sunt quemquam ex domesticis ei adesse. Erant, ni fallor, sex viri, circumdabantque vndique lectulum virginis. Permisit tamẽ dux ille cuidam viduæ id roganti, vt libere posset ad eam accedere; sed ea conditione, vt prius ipsam excuterent custodes ab eo deputati. Manserunt igitur diebus nouem apud virginem, neminem sinentes illam adire, præter hanc viduam: atque interim nulla nox abiit, qua non Lyduuina suauissimis contemplationibus in Deum raperetur. Post dies nouem, milites illi valedixerunt virgini, promiseruntque se apud Principes eam egregie celebraturos; atque eius precibus se cuncta commendarunt; quippe qui certo compensent eam nec edere, nec quicquam bibere.

Quidam militum eam conspurant & audibria ac vulneribus eam afficiunt.

Angelus ei apparet.

LXXXVIII.

Iuuenis quidam seculo nuncium remittere vult ab ea animatur.

Iuuenis quidam Coloniæ Agrippinæ natus, Gerardus nomine, cum mundi huius vanitatem & carnis illecebras fugere decreuisset, ad Lyduuinã venit, consilium ab ea petiturus, quã id ratione faciendum sibi putaret. Eum vt fit illa intuita, tamquam commilitonis sui præsentia exhilarata, spiritum nouum induere videbatur. Cum ergo inter se de rebus spiritualibus colloquerentur. Gerardus ait ad eam: Vellem, Lyduuina vitam ducere solitariã, & esse in aliqua regione, vbi procul semotus ab hominum consuetudine, vni Deo vacarem. & mihi quidem placet Ægyptus, sed vereor ne videar tentare Deum, dum nõ suppetunt vitæ necessaria. Et sic fertur Lyduuina respondisse, tamquam conscia futurorum: *Ne quæso timeas, dilecte frater, Sed accepto virili animo primum adpatientiam te præpara. Cum enim in illam vastam solitudinem te abdideris, parum probaberis initio; Sed antequam tertio die Sol occumbat, tenuem percipies alimoniam, eaq; indies augebitur. Iam manum ad aratrum misisti, cane, ne retrahas eam; Modo ne velis pari il constans athleta haberi.* His virginis adhortationibus factus est Gerardus ad ardua quæque pro Christi more aggredienda alacrior. Deinde valedicẽs ei, in Ægyptum profectus est cum sociis quibusdam: qui tamen cum viderunt horridam solitudinem, ferarum inusitata cõtuberuia, penuriam panis, relicto Gerardo discesserunt. Gerardus vero in arbore sedem sibi constituit, & multum in vera pietate proficiens, sicut Lyduuina prædixerat, cœlestis alimoniæ augmenta percepit, & Angelicis colloquiis perfruitus est. Interim cœlestibus vacans contemplationibus, sepius in Spiritu Lyduuinam videbat.

LXXXIX.

Accidit autem, vt Lyduuinæ frater moreretur, & ea aliquamdiu solitos mentis nõ pateretur excessus. Cauta fuit dolor paulo immoderatus, ob fratris sui obitum susceptus, quẽ illa impẽse amabat, quod seni patri fidus & erga ipsam admodũ officiosus fuisset. Igitur aliquid humani passa, gratia illa soliti raptus ad tempus caruit.

De Gerardo eremita in Ægypto & eius de Lyduuina testimonio.

XC.

Ea tempestate quidam Angl orum Antistes, peregrinationis ergo, terram Sanctam & Sina montem, eliaque Sanctorum loca visebat, perueniq; etiam in Ægyptum, vbi cum cellulam Gerardi in alta & frondosa vidisset arbore, primum obstupuit: inde sumpta fiducia, enixe cum rogauit, vt ad ea quę propositurus esset, sibi respõderet. Ille superne delpiciens, loquebatur cum eo ac cetus sociis. Erat autem cruce valde corpore, sed vultu Angelico. Dixit ergo Episcopus reuerenter: *Dic nobis Abba*, primum, *quamdiu hic delitueris: deinde quo cibo vtaris victus tui inter feras bellua ster tio, unus cibus quisquam cognitus sit, quo nullo vescatur alimento corporeo.* Respondit ille: *Duodecim annis, nullum ego, sic degens, vidi hominem, cœlitus mihi cibatur, vt ultimi fidei Ijsad, panis suauissimus, porro apud Batauos Schiedami virgo est corpore morbido, quæ nullã escã, nullã potionẽ admittit, ea gratia cœlitus & virute antecellit, & Christo propter patientiam familior atque gratior est. Sed de illa tamen satis admirari non possum, quod cum solitat via mecum: apud cælestes eam diebus aliquot eius præsentia careo, nec eam eo nomine gratia, quo solet in huiusmodi rerum excessu à me videri.* At vero Episcopus: *Quæso duas nobis, quæ causa patres tu fieri, vt abs te non videatur. Scio*, inquit ille, *permittente id Domino pro eius tuenda humilitate, plus æquo interdum illam dolere mortem eorum quos diligit: atque idcirco suspicor ego illi diuinas has consolationes ad tempus subduci tas. Oro autem vt si iureditu iter fortasse per Hollandiam, ex hac virgine perquiratis primum, quot annos degerit in hac solitudine: deinde, qua ætate fuerim, cum hoc vitæ genus suscepi rem: postremo, quid causæ sit, quod eius gratia per hos dies frui nõ licuerit.* Postquã aũ illi audierunt virum, ab eo recesserunt: cumque longis emẽsis itinerib. in Hollãdiam venissent, Lyduuinæ indicarunt quæstiones, ab eo propositas. Ad has illa respondit: *Dicam id quod sentio: sed saluo semper iudicio meliori. Fuit ille decẽ & septem annos in eremo; annos fuit natus XIX. cum in eam se contulit: ego vero dum hic versor inter homines seculares, velim nolim mundana audio. Non est igitur mirum, si interdum adspergor pulvere, & à cœlesti illi contẽplatione retardor, atq; ille me præsentem non conspicit, qui ab hominibus remotus, mente habitat in cœlis. Fateor nihilominus reverentiæ tuæ, me plus nimio afflictam fuisse morte fratris mei: & ob eam rem non immerito subtractos mihi illos mentis excessus.* Hac virginis oratione Episcopus cum duobus comitibus fuis non mediocriter ædificatus, gratias ei egit, & precibus illius se commendans, lætus abscessit. De hoc Gerardo eremita postea Lyduuina dicere solebat, colli eius pinguedinẽ in vestis oram exterinsecus se diffundere: & neq; sedere neq; iacere commode eum posse, sed magna temporis parte nocte ac die in genua incumbere. Abiisse autem, è vita, vt ab Anglo dedicit, anno Salutis M.CCCC. XXVI. 12. Calend. Octobr. seque vidisse spirituni eius in cœlos euolantem.

XCI.

Obitus parentis Lyduuinæ.

Postquam autem tempus aduenit, quo pater eius grandæuus erat decessurus è vita, filiis & nepotibus iuxta illo dixit: Ego iam morior: & hoc mihi non minima consolatio, quod mihi conscius non sum, me quicquam habere rei alienæ. Apparuit autem illi beatissima Dei genitrix, dixitque moriturum ipsum sabbatum Conceptionis suæ. Itaque factum est, & filia eius Lyduuina ex Angelo cognouit salutem illius sempiternã. Postea vero ad diuersa locorum spiritu rapta, vidi. dæmones teterrimos quemdam è suis tenẽres, qui patris eius effigiem referret, audiuitque eos procaciter garrientes. En patrem tuũ habemus in nostra potestate, nobiscum pœnas æternas daturum, & si autem illa non crederet, tamen nõ potuit imperare sibi, quin acerbissime ploraret. Eumdẽ in modum rursus alio tempore vidit dæmones, sibi de patris damnatione petulanter insultantes. Sed docta diuinitus, illudi sibi à nequissimis spiritibus, iussit eos cum ignominia abscedere, atq; illi mox tamquam fumus euanuerunt.

XCII.

Visio ei oblata post cõbitũ Petronillæ ipsi charissimæ.

Post dies paucos Patronilla virgo, Lyduuinæ charissima, diem suum obiit. Quam autem grata fuerit Christo castitatis amatori visio oblata Lyduuinæ ostendit. Nocte quadam in extasi vidit innumeros cœli ciues, tamquam in processione incedẽtes, primo Patriarchas, inde Prophetas, tum Apostolos, subinde Martyres, postea alios, atque tandem virgines. Ferabantur vexilla, aderant luminia splendoris inusitati, & videbantur illi vsq; ad cubiculum virginis accedere atque illic collecti, funus quoddã in media domo positum reuerenter assumere, atque eo quo venerant ordine ad sepulturam offerre. Lyduuina eos sequente cum duabus coronis quas manibus ferebat, & tertia capiti impositã. Ad se autem reuersa, cogitabat quid ea visio significaret, an fortassis breui ipsa moritura esset. Sed mox reuelante Deo didicit, Petronillæ obitum ea visione præmonstratum esse: dictum quoque est illi, quo die is futurus esset. Rogauit ergo dominum, vt febris statum tempus anteueniret, quo posset efficacius Petronillam consolari. Aduenientedie à Domino præstituto, Petronilla grauissime laborare cœpit; & eam eodem die circa horam vndecimã Lyduuina expectaret febres horribiles, illæ mane hora quinta eam inuasserunt. Quibus abeuntibus, Petronillam ad extrema tendentem egregie in Domino confirmauit; atq, illa defuncta est, gemmam perceptura coronam, ob mentis & corporis castitatem & certã propter ea, quę à furiolo milite perpessa fuerat cum Lyduuinam vellet defendere.

Superni consolationibus prius ad tempus obnimietatem doloris ex obitu dictæ Petronillæ contracti.

Ea autem sic defuncta, magnus animi dolor Lyduinam rursus afflixit, quod videret tam vnice charam sibi esse destitutam. Itaque priuatæ ei iterum supernis consolationibus, ob mœrotis nimietatem, fauces sunt lacrymæ panes die ac nocte, vt sponsi sibi gratiam conciliaret: poterat que dicere cum Magdalena: *Ardens est cor meum: desidero videre Dominum meum; quæro & non inuenio.* Sane religiosi quidam, itemque piæ matronæ eam consolari nitebantur: sed onerosi erant omnes consolatores. Tandem etiam confessario suo, & domesticis id attentantibus, inter alia respondit: *Vtinam quicquid hic mundus molestiarum habet, mihi subeundum sit: saluâ tamen voluntate Domini mei, tantum vt liceat amissa recuperare dona Dei.* Porro vidua sic dolenti ex animo condolens, rogauit eam, vt syncere sibi diceret, quomodo inter Deum & ipsam ageretur. Tum illa: *Ob culpas*, inquit, *meas gustu & effectu sensibili Sanctissimi Sacramenti, aliisque occultis donis Dei priuata sum. hoc tamen relictum est mihi, quod vitam & passionem amantissimi Iesu, auida mente, sine vllo animi distractione percurro. Nec mihi vlla superest, meo iudicio, exercitandi facultas, nisi aut dilectum per noctes in lectulo Crucis quæram, & à patre derelictum absque spiritus dulcedine aspiciam & mente complectar, in Cruce morientem.*

XCIII.

Per illos igitur dies desolationis suæ & derelictionis internæ, hoc ei peculiare erat exercitium, voce cordis clamare ad Dominum; ob culpas etiã minutissimas scopare spiritum suum, omnes creaturarum labentium consolatiunculas recusare, sanguineas lachrymas, quas rosas appellabat suas, ab oculis elicere. Si amor languere faciens cruciat amantem, Lyduinam ego præ cunctis mihi quidem notis mortalibus, languore ab amore nascente deficientem dixerim. Amor enim languori adducens, si sit verus, nullam mundi consolationem admittit, carnis illecebras respuit, imo purius etiam in carne viuit, blandimentis non capitur, sed Christo tenacius inhæret; difficultate non frangitur, nec vi superatur; sed fit constantior & robustior; non satiatur dum est in corpore; Sed fontem vitiæ ardentius sitit. Ita & Lyduuina, amore languens, dum sic esset destituta, discebat cautius propriam attendere infirmitatem; experiri jan ficte, non germane diligeret. Durauit autem ea virginis derelictio menses quinque. Tandem faciem suam illi iucundissimam ostendit sponsus: ad cuius reditum tanta suauitate illa repleta est, vt qui intrarent in eius cubiculum, putarent in myrothecium & paradisum aromatum ingredi, dicerentque talem fragrantiam se nunquam sensisse. Cumque Lyduuinam rogarent, vnde ea esset? Illa respondit: Quid sit, aut vnde sit, Dominus nouit. Ego vero hoc vnum scio, tametsi homines sublimiter de me sentiunt, fragilem mulierculam me esse. Sed quod illa causa humilitatis caute celabat, Dominus prodidit. Post eam enim afflictionem, tanta ab eius corpore exibat odoris suauitas, vt aduentantes, non humanum corpus, sed pretiosi vnguenti vasculum illic adesse putarent. Sæpe tum illam cœlestis patriæ ciues inuisebant, & multis afficiebant consolationibus; ita vt etiam hybernotempore tanta ex ea tamquam diuersorum florum caperetur fragrantia, ac si è paradiso aduenisset.

Post quinque menses, derelictionem sponsus faciem suam ei ostendit.

XCIV.

cccv. *Morbis omnigenis & dirissimis doloribus ante obitum suum affligitur*

At nihilominus durius, etiam solito omnigenis pene afflictabatur morbis mortalibus: exceptis tamen iis, qui impiis diuinitus infliguntur, & quas diuersæ nationes aliis atque aliis nominibus exprimunt. Epilepsiam sub finem annorum vitæ suæ, ter vna nocte pertulit, cum nec ante, nec post ea laborarit; Prædixerat autem familiaribus suis, se vna tantum nocte ea vexandam, rogauitque eas, vt sui curam tunc haberent. Illis autem obiurgantibus eam, quod precibus à se morbum illum non auerteret, satis afflictam aliunde, hunc in modum respondit: *Nemo in hîc Dei iudicia super me reprehendat. qui enim admonet mihi virgam, multam etiam cumulat gratiam.* Apoplexia & amentia laborasse eam, ab iis qui viderunt, accepi. Sed amentiam se ex Domini voluntate passuram prædixit, & nonnisi semel, idque nonnisi dimidia plus minus hora pertulit. Interrogata, quid eo tempore sensisset; *Nihil aliud*, inquit, *quam sensus meos passim per aëra vagari.* Vt autem illustrior ei corona pararetur, ad extremum intra cranium quasi malleolis dire torqueri se sensit; quibus etiam alii molestissimi cruciatus accedebant: ita vt sub mortem, nihil videretur aliud quam pellis contracta ad ignem, nerais eius instar chordarum citharæ extensis, & ossibus quasi in patella frixis. Calculus, quem prædixerat oni columbini magnitudine fore, & sibi mortem allaturum, duobus mensibus adeo infestus ei fuit, vt intra horam vnam ter loquendi vsum mitteret, corpusque misere contrahens obrigesceret, & dentium particulas præ dolore stridens reiceret, & pene exanimis ineens, adstantes cogeret acerbe eiulari. Quos autem ei dolores extremo tempore vitæ attulerint, apostema virgineorum vberum, immanissimi dentium & oculorum cruciatus, aliæque ægritudines, etiamsi velim, præ magnitudine explicare non possim.

Vtipsa sua ea futurum prædixerat.

XCV.

Aliqua partes ipsi curata.

Iam supra diximus, ignem sactum dextrum eius brachium vsque ad ossa vorasse, & neruos eius perinde vt citharæ fides pulsari potuisse: tum quoque multo tempore ano tantum firmiore neruulo reliquo corporis illud cohæsisse: porro medicos & chirurgos omnes virginis curandæ spem omnem abiecisse. Attamen venit quidam chirurgus peritissimus, qui se brachium illud reintegraturum promisit. Imposuit autem illi cataplasma ex balsamo purissimo, dixitque virgini: Spero me iuuante Deo, brachium illud reductum in locum suum. Sed tu certum habeas, etiam cum fuerit restitutum, non tamen vnquam liberatum te iri ab vlceribus, quæ in eius carne existent. Et hoc reuera sic accidit. Nam etsi curatum fuit vtcunque brachium; vsque ad supremum tamen vitæ eius diem, modo pars, modo totum brachium vlcerum frequentia sic rigebat, vt antea. Solebat autem virgo dicere familiaribus suis: *Videtis, vt brachium dextrum pridem redintegratum, ob creb as pustulas perpetuo in illo nascentes mouere non possim: attamen confido omnipotenti Deo, priusquam exeat anima è corpore, vtraque manu me illum magnificaturum.* quod qui factum sit, post dicemus. Quædam etiam illius viscera, puta pulmo, hepar, Splen, & eis propinqua membra ante obitum eius diuinitus integrè sanitati restituta sunt. Curiosi quidam, cum ad eam venissent, dixerunt ei: Sæpe quidem de te audiuimus, Lyduuina, hepar, pulmonem, aliaque viscera te particulatim reiecisse, & infinitis scatuisse vermibus: Ita que velimus nolle, quomodo sine illis viscetibus in vita durare potueris. Respondit humilis virgo: *Testis est Deus & conscientia mea, vera esse quæ auditis. Sed quid infinita vi potentiæ suæ mihi contulerit Deus, ipse nouit.* Sic illa sapientissime respondit: Sed non omnibus persuasit. Credat mihi Lector, dedisse, præporentem Deum tantam gratiam patientissimæ virgini, vt si Angelus custos eius vel parum attigisset eam, sæpe faciem eius apparuisse radiantissimam, corpusque subito fuisse redintegratum, odoremque valde suauem ab eius membris & pectore erupisse: sed rursus probatam illico morbis grauissimis, prout visum fuit sponso illius.

Obitum suum longe ante præuixit.

XCVI.

Nec raro prædixit obitum suum, etiam longe ante quam

quam abiret è vita. Ab initio diuinarum visitationum solebat tectis verbis dicere Confessario & familiaribus suis, vidisse se arborem speciosissimam, plenam rosarum calycibus, andiuisseque ab Angelo suo, non se prius decessuram, donec illa arbor iustam accepisset quantitatem & calyces illi in rosas abirent. Sub vitæ autem finem rogata ab illis, num arbor illa satis excreuisset, respondit; eam, iam prope suam obtinuisse molem, & è calycibus rosas prodiisse; itaque non dubitare, propinquum esse finem vitæ suæ. Cum aliquando sola iaceret, rapta est in paradisum, vbi tres viditaditus. Admissa ad priores duos, ex tertio vidit radios micare luculentos, vltra modum vincentes radios huius solis. Cumque intrare vellet, occurrit ei auus eius, Ioannes Petri, tamquam passis vlnis, & blando vultu eam introducturus. Sed ad extremum tamen dixit ei: Nondum huc tibi ingredi permittitur, filia dulcissima: iuuari adhuc absre cupiunt, qui sunt in locis purgatoris, & cumulatiora erunt merita tua ex dilatione. Vbi autem compleueris omnia, quæ de te diuinitus decreta sunt, libere tunc euolabis huc nobiscum regnatura. Sibi inde restituta virgo, ardenter quidem aspirabat ad gratiam quam viderat: sed tamen promptissimam se obtulit ad perferendum, quicquid vellet Deus pro ipsius honore, & tua proximorumque salute. Successit inde nocti dies, & pœnis vnctio tanta, vt cum Prior quidem Canonicorum Regularium, ab ea rogatus, celeriter ad eam venisset, tantam ibi senserit vim odoris eximii, vt non dubitaret à Christo sponso fuisse visitatam. Cumque inter se de gaudiis cœlestibus loquerentur, tandem ardens illa desiderio, ait ad Priorem: *Rogo te, Pater, vt si commode possis, redeas ad me in feriis Paschalibus. Quod si tamen viuam me non inueneris, ores quæso pro me.* Et prædixerat illa sane quibusdam, se in Paschalibus diebus decessutam: non tamen certo expresso die: quippe quæ desideraret tum sola esse quãdo Christo redderet Spiritum. Sciscitantibus autem nonnullis an Deus in eius migratione facturus esset miracula, sic respondit: *Putant simplices homines, se, decedente me, visuros mirabilia: Sed non videbunt: quamquam meum non est scrutari, quid Dominus facere velit me defuncta. Ego autem obnixe amicos omnes tam præsentes, tam absentes vt intra annos triginta ab obitu meo, non me commoueant sepulturæ mandatam.* porro omnia sepulturæ necessaria, sicut ab Angelo didicerat, præparari ante iussit, hortabaturque domesticos, vt sine dilatione corpus emortuum humandum curarent. Sic illa quidem pro humilitate constituit; Sed Dominus pro sua gloria fecit quod sibi visum fuit.

Omnia sepulturæ necessaria ante præparari iussit.

XCVII.

cccvi. *Ante obitum apparet ei Christus cum B. V. & Sanctis ac Angelis, amquæ inungit.*

Cum autem iam ad occasum renderet vita eius, accersitis domesticis omnibus, condonari sibi ab illis petiit, si qua ratione quemquam ex iis offendisset. Illi vero cum ea pariter lachrymantes: Tu nos, inquiebant, charissima soror, nulla re offendisti: imo vero virtutum omnium & patientiæ nobis exemplar fuisti: oramusque, vt cum ad sponsum tuum perueneris, nostri memor esse velis. Inde primo Paschatis orto die immenso repleta gaudio est, & in Christi resurgentis gloriam, obiter quidem, sed modo ineffabili absorpta; rogauitque Dominum, vt tandem vernaculam suam tot annis castigatam, dignaretur, posita carnis sarcina trahere in odorem vnguentorum suorum, & è carcere mortis huius educere. Cumque sola esset, cunctis domesticis absentibus, & summo mane, ipso Paschatis die contemplationi vacaret, vidit ad se venientem Dominũ Iesum, cum Sanctissima matre sua, & duodecim Apostolis multisque & Sanctis, & Angelis. Sedit autem Christus ad lectali eius dexteram, Beatissima Maria ad sinistram, aliis in orbem honestissime eam cingentibus. Vidit etiam mensulam ornatam, & in ea ceu facti olei vasculum elegantissimum, crucem quoque pulcherrimam, & cereum valde luculentum, totum cubiculum mirifice illustrantem. Erat tum corpus virginis innumeris angoribus à vertice vsque ad pedes oppressum & afflictum; & ecce sensit ab ipso Saluatore, Sacerdotalibus induto vestibus, loca corporis sui omnia perungi, quæ in morituris sacro oleo vngi solent: Sed nulla Saluatorem audit verba proferentem. Inde Christus ponit in manu eius cereum, eamque tenet cum matre sua, Cruce illic inuisibiliter permanente, donec exhalaret spiritum. Cum autem inuncta esset rogauit Dominum, vt extremum vitæ eius finem tot doloribus & afflictionibus cumularet, vt à corpore exiens anima, sine purgatorio mox ad illum posset euolare. Respondit Dominus: *Ita fiat, filia. vt petis: post biduum cantabis Alleluia cum aliis virginibus in Regno Patris mei*: atque his dictis disparuit. Manifestum autem apud eam Angelus eius, cum quo valde familiariter loquitur. Mane, nullo adhuc quicquam sciente exiis quæ apud eam gesta erant, Confessarius venit ad eam more suo, vt aliquid de reliquiis visitationum eius perciperet. Nocte enim per spiritum viderat illam cum Angelis & Sanctis exultantem: Sensit autem apud eam tantam mirifici odoris fragrantiam, vt quasi ebrius spiritu exclamaret: Congratulor tibi, Soror. Scio enim Dominum hac nocte fuisse apud te, nec dubium, quin ab eo manarit suauitas istius odoris. Illa Respondit: *Gratias ago Deo meo, quod me immerentem sua visitatione dignatus est: Sed scias, Pater, mox corporis mei labores & dolores euectum iri.* Nihil autem indicauit ei de decessu suo. Multo enim tempore rogauerat Dominum, vt sine mortalis vllius cõsolatione, sola redderet spiritum. Tertio autem Paschatis die, quo se non dubitabat migraturam, conuocatis omnibus quos habere potuit magis familiaribus domus suæ: *Si*, inquit, *inueni gratiam apud vos quæso, vt hac die patiamini me manere solam, solo apud me relicto Balduuino nepotulo meo, per quem indicabo, si quid à quoquam vestrum mihi indicari velim.* Illis ergo procul abeuntibus, virgo cœpit exitum summo Domino fideliter commendare, à septima vsque ad horam quartam pomeridianam perurgeri calculi doloribus, cruciari spasmate, vicies è pectore diro vomitu fellis particulas, reiicere. Tandem moribunda, ait vt potuit ad nepotulum suum: *Fili mi, vtinam sciret Dominus meus, quos patiar nunc angores.* Puer lachrymãs, nimiumque tubatus: Visne, inquit, vocem Confessarium tuum? Sed cum nihil iam loqui illa posset, tiraens puer ne deficeret penitus, ei alans acciuit eius Confessarium, aliasque quas inuenire potuit domesticas eius. Veniunt illi lachrymabundi; sed illa iam decesserat. Incredibili igitur dolore omnes affecti, nesciebant quid facerent. Tandem luctu totam complente domum, Catherina quædam, recordata sermonis quem dixerat Lyduuina de dextra manu sua, ait ad socias suas: Videamus, num dextra manus eius cum sinistra coniuncta sit. Hoc enim erit euidens documentum mortis eius. dixit enim adhuc viuens, sperare se vtraque manu magnificaturam Deum, priusquam è viris discederet. Viderunt igitur, & inuenerunt digitos vtriusque manus sese contingentes; quodque maius est, viderunt oẽs cingulum cilicinũ, quo iam triennio corpus strinxerat, Angelicis manibus ita ablatum ab eius carne, vt nexus eius omnes indissoluti cernerentur, sicut carni virginis fuerat adiunctum. Seruatur cingulum vsque in præsens, ex eoque mirus odor proficiscitur. Equidem illud manibus contrectaui meis, & expertus sum dæmonibus valde inuisum & molestum.

commendat Domino exitum summ & moritur.

XCVIII.

Postquam autẽ desiit esse in humanis virgo sanctissima, Confessarius eius nocte in lecto iacens, viditapertis oculis beatam eius animã specie candissimæ colũbæ, collo cũ rostro prorsus aureo, pedib. rubicundis & coruscis, alis argẽtei coloris, quib. volanit in cælum.

Diuersorum visiones post eius obitum.

Virgo quædam huius sacerdotis soror, cum venerabile corpus virginis custoditet, nec somno pressa, nec plane vigil, vidit Lyduuinam à Sanctis Angelis ad cælos euehi, animasque beatorum cum ingenti lumine ei prodeuntes obuiam, dicere gratulabundas: *Optato aduenisti pia soror Lyduuinula: aduentus enim tuus noua nobis parit gaudia.* Vidua quædã Lyduuinæ puro corde addicta sima, neq; dormiẽs neq; vigilãs penitus, vidit aduenire collegium virginũ, & aliorũ militum, in ipsius conclaue intrantium, mensamque nuptialem apparantium. Vidit etiam aduenientem iuuenem speciosissimum, illicque residentem, porro Lyduuinam Regio ornatu ceu sponsam illi è regione assidentem, sibi autem sic loquentem: Memineris, soror mea, crebro me dixisse tibi habituram me in cœlis sponsum præstanti forma præ filiis hominum. Vides iam, vt castissimis eius amplexibus & præsentia perpetua fruar.

XCIX.

Noui ego duas virgines, quas Dominus exercebat flagellis suis, ambas Lyduuinæ addictas: eo nomine anxias, quod nemo esset, qui referret, quo pacto è corpore emigrasset. Itaque XIV. Aprilis die, quo Lyduuina abiit, rapta in spiritu, viderunt locum in quo illa multis annis decubuerat: viderunt etiam Lyduuinam, tamquam ipsa hora supremum trahentem spiritum, quam tamen numquam in carne viderant, omni humano solatio destitutam. Cum autem superato illo miserabili mortis agone, iam redditura esset Spiritum, Christum cum Matre sua, & multa supernorum fi equẽtia amplectem eius lectulum, & post blandissima colloquia animam eius in suauissimos amplexus suos recipientem, ac deinde tradentem eam matri suæ; quæ exosculatam dedit Angelo custodi eius: qui cum eam accepisset, multitudo cœlestis exercitus laudauit Deum, & ad suum eam consortium inuitauit. Multa alia de eius eximia gloria tunc ostensa sunt istis virginibus.

C.

Illustris decor corporis ipsius post obitum à Domino inditus.

Porro Confessarius eius, vir desideriorum, quarto Paschatis die ad locum veniens vbi eius sacrum corpus seruabatur, tantam sensit fragrantiam, quantam numquam in eius vita se percepisse meminerat. Cumque flexis genibus corpus eius veneratus esset, vnã earum quæ illud custodiebãt percepit, vt faciem eius tergeret. Quod vbi illa fecit, mox facies eius (sciebat autem id futurum Confessarius) candida apparuit instar imaginis, pictoris eximii manu elegãtissime depictæ: totumque reliquũ corpus repertum est formosum, solidum & integrum, ac si eadem hora coloribus viuacissimis tinctum esset. Denique præpotens Deus sua gratia, tam illustrem eius defunctæ corpusculo decorem indidit, qualem num quam natura viuenti conferre potuisset. Attamen tribus locis, quibus eam contrectarunt scelesti illi milites, de quibus supra diximus, cicatrices remãserunt, similes filo coccineo. Fatebantur autem virgines, cum aliis quæ iugiter die ac nocte sacrũ custodiebant corpusculũ, non fame, non siti, non somno se grauari; idque ob miram odoris suauitatem, & animi iucũditatem, quam ex eius corpusculi perpetuo adspectu percipiebant. Porro simulatq; fama eius defunctæ vulgari cœpit, ex propinquis & longinquis locis plurimi aduentarunt, vt vel defunctam cernerẽt, cuius tam celebris esset passim existimatio, tum propter variarum ægritudinum perpessionem, tum ob diuinarum cõsolationum affluentiam, tum ob vitæ sanctitatem & perfectionem. Inter multos paruulos qui eo conflebant, infans quidam matris fugens vbera adducẽ[illegible], qui vt vidit virginis corpusculum, stari[illegible] ... vbere fœmineæ facie & innctis manibus ... teneren-

mitre ex eius corpore odoris suauitas.

Infans spreto matris vbere corpusculum ...

ter oculos in illud defixit suos, vt & intuentes pronocaret ad fundendas lachrymas, & saxei pectoris homines, ad præstandam virginis corpusculo reuerentiam emolliret. Decessit virgo sanctissima, anno salutis M.CCCC.XXXIII. 18. Kal. Mali. sub Burgundiæ & Hollandiæ Principe Philippo, eius corpus tumulatũ est honorificentissime, Schiedami, in æde Parochiali S. Ioannis Paptistæ. *Brugmannus apud Surium tom. 2.*

Voluit id temporis, quando hæretici Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum vel diuidebant vel negabãt quando cultum sanctorum, veneration em imaginum, suffragia & preces pro defunctis, Purgatorium, apparitiones, reuelationes, prophetiam, cælibatum, & reliqua Fidei Catholicæ mysteria ridebant, Deas præstare eam virginem, quæ vera & reali exemplorum quæ orbi dedit voce, illa omnia renunciaret, atque comprobaret.

Hoc anno, Amedeus, Sabaudiæ Dux, in Ripaliæ eremum, relicto principatu secessit. Syluius, qui hominã vidit, inq; ea Heremo visitauit, affirmat, eum magis voluptuosam, quam pœnitentialem, cum sex viris equestris ordinis, qui secum penulam & baculum, vt moris est eremitis, assumpserant vitam egisse; credo, *ait*, quod post annis octo secutum est, expectans ad summi Pontificatus cathedram, per eos Patres qui Basileæ conuenerant, euocari. Nam & rumor increbuerat Amedeum Papam futurum. Sabaudia in alpibus sita est, quæ Galliam ab Italia discriminat, & à mari Ligustrio vsque ad Heluetios protenditur. Arelatensis prouincia partem Sabaudiæ contingit, partem Delphinatus, & Rhodanus magnam partem percurrit. Præcipua Sabaudiensis dignitas circa lacum Lemannum, cui & Gebenna, & Lausanna nobiliores ciuitates adiacent. Sabaudiensem domum ex gente Saxonica profectam memorant. Olim Comites fuere. Sigismundus Imperator in Constantiensi Concilio, extincto Comitatu Ducatum erexit. Primus eius gentis Dux, iste de quo imus narratum Amedeus fuit, cuius imperium & vltra, & citra montes late patuit. Duodecim Pontificales Ecclesiæ in eius ditione fuere. Vxorem duxerat ex domo Burgundiæ, Philippi Ducis Sororem. Filiarum alteram Philippo Duci Mediolani tradidit, alteram Ludouico Duci Calabriæ; Ludouico filio primogenito coniugem ex Cypro copulauit. Affinitate, omnibus fere Christianis Regibus iunctus fuit. Fortunatissimum, vicinorum miseriæ fecerant. In Gallia, Burgundorum, & Armeniacorum dissidia flagrauerunt, & Angliæ furor regnum vexauit. In Italia, Veneti & Florentini, aduersus Mediolanensem Principem implacabili odio contenderunt. Amedeus procul ab armis in montibus regnans, nunc horum, nunc illorum arbiter eligebatur, atque vnus fere omnium existimabatur, qui sibi & aliis recte consulere nosset. Diu ad illum quasi ad alterum Salomonem, hinc Itali, inde Galli pro consilio de rebus arduis recurrerunt. Postremo, & ipse quoque, vanam & fluxam huius seculi sapientiam ostendit. Eo iam fere, Basileense Concilium cœpit, quo cum statim ab exordio Pontifex maximus Eugenius discorditer. Obiectat vxor Amedei, quæ vnica eius fuerat. Syriges, vt aiunt, futura vane prædicentes Amedeum adiere, eique summum Pontificatum obuenturum prædixere, quod Eugenius à Basileensibus deponendus esset, & ipse substituendus. Amedeus, siue hac ipe ductus, siue alioquin suopte ingenio repleto quidem charitate & religione, relicto ducali fastigio, & omni sæculi pompa procul reiecta, gubernatione subditorum primogenito commissa, ad eremum concessit. In ripa lacus Lemanni è regione Lausannæ altissima fuerunt nemora, & sub his prata decurrentibus aquis irrigua. Horum magnam partem muro cinxit, fabricisque cellos & domos, & quæ non tenuem in hoc

ECCVII. *De Amedeo Sabaudiæ Duce qui relicto principatu eremum petit.*

mines feras. Prope in littore lacus Ecclesiam ædificauit, Sacerdotes induxit, præbendas erexit, & dignitates aliquas, & mansiones extruxit, in quibus Canonici commode degerent. Nec procul hinc palatium magni operis composuit, fossa & propugnaculis opportune munitum. In eo septem mansiones fuere; sex æquales, dignæ quæ Cardinales exciperent, nulli sua defuit aula, nulli camera, & anticamera, & secreta quædam cubicula, seu pretiosarum rerum receptacula: Septimam Principi dicatam, nemo Rege, aut Summo Pontifice iudicasset indignam. Huc Amedeus ad habitandũ secessit, quem sex proceres secuti sunt, grandæui & ætate prope pares, quorum vxores iampridem obierant. Nemo non sexagesimum annum attigerat. Et quoniam equestris ordinis milites fuerunt, & sæpe in bellis acies duxerant, nec sine gloria militauerant, in ipsa mutatione sæcularis habitus, sub Amedeo domino & magistro suo professionem nouam induerunt, & Sancti Mauritii appellari milites voluerunt. Neque enim procul ab eo loco, Sanctus Mauritius, cum legione Thebæa, pro Christi nomine martyrium pertulit. Cuncti penulam, & pallium, & cingulum, & baculum retortum, quibus eremitas vti videmus, assumpserunt, & barbam prolixam nutriuerunt, & crines intonsos gestauerunt. Loco, Ripalia, nomen fuit, mille passibus fere ab oppido Tononio distanti. Cardinalis Sanctæ Crucis Nicolaus Albergatus, cum iret secundo in Galliam de pace acturus, huc nauibus appulit. Amedeus, per syluam quam diximus muro cinctam, obuiam venit ad portam quæ erat in littore. Spectaculo digna res, & quam vix posteri credant. Princeps sæculi potentissimus, Gallis atque Italis metuendus, quem aureis vestibus ornatum purpurati admodum multi circumsistere consuessent, & secures præire, atque armatorum sequi cohortes, & turba potentum; nunc sex tantum eremitis præcedentibus, & paucis sequentibus Sacerdotibus, in veste vili & abiecta Legatum Apostolicum excepit. Veneratu digna societas visu. Crucem auream eremitæ in pectore gestauerunt. Id tantum nobilitatis signum retinuere; cætera contemptum sæculi præseferebant. Venere in amplexus, Cardinalis, & Amedeus, & multa se inuicem charitate deosculati sunt. Nec satis Cardinalis, aut admirari, aut collaudare conuersionem Principis poterat. quamuis suspecta mutatio calumniatoribus erat, dicentibus Amedeum, scilicet sperare Papatum, atque idcirco eremitam factum. Mansit in hoc habitu, & in hac eremo annos circiter octo: & quamuis curam regiminis ad filium relegasset, grauiora tamen negotia ad se deferri voluit; nec Ducatus titulo se priuauit, nec tam pecuniariam alteri quam sibi credidit. *Commentar. Pii 2. libr. 1. & 7. Guillelmus Paradinus*, qui de rebus Allobrogum Principum scripsit, hæc de Amedeo memorat, quæ adiungo.

ECCVIII. Hoc anno Amadeus VIII. Dux Sabaudiæ, decem ex equestri Ordine viris comitatus; sæculo nunciam remittens, in Ripallioũ eremo, vitam à mundi curis secreta egit, sæpe sæpius illius Monasterii Præfecto dicens; *Hominem qui mundi huius curis molestiisque renunciasset sibi videri non absimilem nautæ, qui post grauissimos exanimatos in æquore labores, tranquillum tandem tutumque ineuctus portum, aliorum cum pelagi tempestatibus aduersisque fluctibus non sine naufragii periculo luctantium, ex loco intuto, Spiritu iam securus, certaminaq; lætus videt. Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas; sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.* Reponebat confirmabat que Prior dicens. *Nunquam infelicis mundi huius deorsum versus meliusque, quam maritima contuleris nauigationi. Quemadmodum enim videmus, eos qui nauigandi marisque sunt inscii saluo nauseaque confectos, grauem illum tetrumque sentina odorem, & molestam nauis qua rebuntur haud ferre nauigationem, mirabilemque plerumque intra se, subuerso ex frequenti illo inordinatoque pelagi motu stomacho, sentire commotionem, eos dum mederi volunt malo, in phaselum velocemque aliquam ex oneraria desilire, quasi tempestatis sentinæque vitio quod conflictetur nauis magnitudo, non perpetua illa fluctuũ martimorũ faciat agitatio. Eodẽ quoq; modo nos, quibus mundus huius perpetuis quasi fluctibus molestisque mentem vehemẽter turbant, animumque semper facium inquietum, malo illo nos leuari posse certo arbitramur, si Principatibus, dignitatibus, honoribus & functionibus demque publicis omnibus vatere ipsos, in solitudinem nos eremumue aliquã abdamus. Sed decipimur (mihi credite) veri subinde specie, dum non minus in angusto abiecto aliquo tugurio, quã in Principatu sublimioreue dignitate aliquã constituos, mundi nos vndique huius circumstantes exagitant que tempestates. Veniam mihi dabis, princeps illustrissime, si liberius te, quam meã doceat fortuna, compellem. Hæc verbor um meorum summa est. Exiguum admodum esset principum aulas, magna illa palatia, & frequentes hominum fugere cœtus, si ipsum te non fugias, dixit tu idipsum seruatore nostro consignanse verbis cum inquit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Q.d. seipsum deserat, *& totum se mihi tradat. In eremum enim solitudinemq; aliquam qui secedunt, si mundum, hoc est, humanos illos effectus, animorumq; vagos motus eodẽ secum cõferunt, quid admodũ quæso illis, quam quod ereliquisse mutant, proficiunt? Necesse ante omnia princeps illustr. est, animum mentemq; ab huiusmodi quas mundus secum circumfert vanis curis cogitationibusque vacuã purgatãq; possus habeamus, militum quippe Christi, inquit D. Hier. perfecto est, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotiis, & tumultu sæculi, iuxta illud Apostoli: Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularib. vt ei placeat, cui se probauit.* Quemadmodum enim fieri haud potest, vt qui supernis inferisq; & quæ ad latus sunt, vno simul tempore contẽplandæ rebus intẽtus est mentis, in proposito sibi scopum recta ferat; ita quoq; saluis sibi propositum scopũ (qui in sapiendo, & propria voluntatis abdicatione consistit potissimũ) haud facile attigerit animus, q. humi defixus semper, curarũq; perpetuo quasi æstu quoad fluctuans tranquillitatem omnẽ auersatur, neq; in alia se attollere potis est. Cui malo obnoxis plerisq; mortalis sunt, qui aut in voluptates immersi, aut auide honoris, potentiæ, diuitiarũ, vanis inutilibusque, quas mundus hic agnatas habet, cogitationib. extricare se nunquam possunt, quinq; à mundo ipso ter misere infelicesq; deseruntur, ipsum anteq; deserant. Nullum autem aduersus omnia animum humanum varie in quietantia distrahentiaq; semper mala, præclarius præstantiusq; reperire remediũ est, quam vt blandimẽ plerumq; illecebris ac incitamentis peccandi mundum hunc valere serio iubeamus, hoc est, vt facto inter corpus animumque diuortio, repudii animus corpori libellum mittat, vt q; sua sibi habere corpus iubeat, nihil sibi commune cum illo retinẽs. Incidẽtes vero calamitates, quas effugere mortalium nemo potest velut asperos esse ventos, quib. nostra in hoc præcelso mari nauigatio, dum ad æternæ salutis tendimus portum, numquam nõ sit exposita, impauidus cogitet. Insuper vt non ita penitus reb. nos immergamus, vt illis inhæreamus, hæc non possesse mille nobis suprema in nos Numinis iram cognoscandi præbent occasiones, amissæ animum varie excruciãt. Quemadmodũ aũt cera, nisi prioris figura deleta vestigia formam aliam nullã admittit, ita animus nullam veræ virtutis, nisi quod partim insedit naturæ partim præclari paulatim affixere mores, sublatum penitus vitium sit. Quæres vno vitæ solitariæ beneficio comparari cõmodissime possit, quippe cui longo vsu diuturnoq; exercitio effrenes animi motus illos comprimere, & in rationi adigere obsequiũ facile sit. Quem modo frasi maxesa, bestias mouere paulatim, tractabiles q; & disciplinæ illi tempore capaces magistrorum diligẽti cura videmus eosdem quoq; quæ animos nostros efferare, pestiferoq; suo veneno infacere solent, fastus, Venus, odium, auaritia, & ad genus vitiorum portenta, sæuas eradicari q; paulatim, & rationi locum tali secessu facere in confesso est. Quippe pietatis vsu est, vt cũ abrectis longe infra se terrenis reb. omnib. cœlestes solum modo meditetur quæ atque cogitationes quoq; actionesq; omnes sibi conformet. Præcelso autem felicitatis portu attingere Dei beneficio datum est nauicula ex tempestate ad veram virtutem fundamenta iecisse conuenit. Neque vt aliter accidat fieri potest, cum deinde de attandis laudibus mentem semper lingua humanum loquitur nihil, auersique ab omni caducarum mortalium que rerum, & quicquid sui pulchritudine mentem nostram distrahere, & in sui nos amorem attrahere queat, obtutu oculi, vnuersi tatis huius contemplandæ fabricæ toti sunt intenti, admirantur que & adorant tot præcla-

præclarorum admirabiliumque operum architectum atque opificem. Cum procul quoq; ab omni turpium fabellarum obscœnarumque cantilenarum (quæ animis bene constitutis expugnandi veræ certæq; instrumenta, & validæ quasi machinæ quædã sunt) auditione aures. Cessantib. quippe voluptatum illecebris illis omnib. quib. mens humana occupata delinitaq; varie distrahi & in auia abripi vt plurimum solet: fieri nõ potest, quin in se paulatim illa reuersa, suismet adminiculis, alienæ, præterquã diuinæ opis, haud indiga, ad veræ virtutis decus citato properet gradu. plenãq; atq; perfectã tũ de æternæ illius essentiæ cogitatione percipiat: cuius semel inflammata desiderio, terrenarũ protinus rerum obliuiscitur, diuinarũq; contemplandis rebus adeo immoratur intentaq; vt, vix cibi potusq; capiendi libidine vlla tangatur, æternæ illius felicitatis dulcedine & suauitate admirabili ob oculos semper oberrante, & humana illa omnia demorante. Ad quã rem consequendam profuerit plurimum, hominum diuino cœlitus afflatorũ nunc lectitasse scripta, eorumq; quos vitæ puritas innocentiaq; cœlestib. illis spiritib. aggregauit (quos nobis tanquam præsentia viuaq; ad virtutem exempla imitandos proponere debemus) vitas & res gestas intueri semper, vt ad earum normam vitam nostram exigamus componamusq;. & quemadmodum pictores, vt oppositam sibi à magno aliquo artifice depictam tabulam, quam proxime exprimant, diligenter ad omnia etiam minima quæq; vt ductus lineamentaq; omnia assequi possint, attendere videmus. ita nos quoque ad omnia præclara acta Maiorum mores nostros conformare.

Dicebat hæc præfectus; auscultabat Amedeus. De hoc ipso Amedeo, ista habet *Mexerus*.

Amedeus Dux Sabaudiæ, annos natus circiter LVI. defuncta Maria vxore, Philippi amita, Ludouico filio commendat Ducatum Sabaudiæ. Ipse apud cœnobium Diui Mauricii solitariam eligit vitam cum Claudio Sextio & Henrico Columberio. Nihil tamen quod cuiusquam esset momenti, absque cõsilio suo à filiis in ducatu fieri permisit. Viginti sibi præcipuos retinuit ministros; cibo potuque exquisito & opiparo vixit, electusq; est postea in schismate Papa Romanus, & Felix appellatus. *Annal. Eland. lib. 16.* De Philippo Amedei affine, hæc narrat *auctor Commentariorum Pii Papæ 2.* quæ illi isto anno 1433. acciderunt.

CCCIX. *Sigismund. Imp. misso feciale ad Philip. Holland. Zeland. & Brab. ab ipso repetit neganti bellum indicit.*

Sigismundus Imp. circa idem tempus Basileam venit: indeq; more gentis, Eraldum, quem fecialem possumus appellare, ad Philippum misit, qui Brabantiam, Hollandiã, Zelandiamq; ab eo repeteret, neganti bellum indiceret. In litteris quas scripsit, Imperatorem se Germanorum, Romanorum, Hunnorum, Bohemorũ, & aliarum multarum gẽtium Regem ac Dominum appellauit, & magnifica facta maiorum inseruit. Philippus in aula splendide ornata, aurea innixus sella multis Procerib. circumfusis, audito nuntio ita respondit: Redi ad Cæsarem, atque hæc renuntiato: bellum mihi esse cum Franco Rege, cuius Grancense oppidum obsideo. Hostis meus, sibi amicus est. Ferat opem obsessis: non longum est iter: ibi pugnãdi copiam facio. Sin hoc recusat: dicito, instare mihi duellum cum Carolo: ad sexagesimam diem, singulare certamen, nisi fallit me hostis, inibimus. Illo peracto, diem statuat Sigismundus: signa, quocumq; in loco voluerit, pugnaturus conferã. bellum offert? bellum accipio. Non sum ego Imperator, neque mundi Dominus; verum magni Caroli sanguis, quem verba terrere non possunt. atque his dictis auream exuens vestem Eraldo dedit. Deinde cum neq; Francus subuenitet obsessis, aut singulare ingredi pugnam auderet; neque Sigismundus, præter querellas & ampullosa verba quicquam attentaret, Philippus, Græcenses in deditionem accepit: transfugas cõiecit in vincula; milites alios nudo pede ignominiæ causa ad Carolum & Sigismundum reuerti iussit; atque in signum recusati duelli trophæum erexit. *Commen. Pii 2. li. 9.* Ista volui enarrare: vt perspicuum sit, à quibus oppressus fuerit Eugenius Pontifex: scilicet à duobus Philippis, altero Mediolanensi, qui socerum; altero Burgundo, qui affinem Amedeum dominandi auidum, Sedi Apostolicæ intrudere conati sunt, quod postea videbimus.

CCCX. *Obitus Ioann. I. Lusitaniæ Regis.*

Hoc anno in humanis esse desiit Ioannes I. Rex Lusitaniæ, propter multa memorabiliter ab eo gesta, Rex bonæ memoriæ cognominatus, non virtutis tãtum militaris, & Imperatoriæ gloria præcellens, sed laubibus etiam religionis, magnanimitatis, liberalitatis & clementiæ præstantissimus. Nonnullis, qui in eius caput coniurauerant, non pepercit modo, sed etiam ingentia munera contulit. Cœnobium Regium Batallense, eo loci quo memorabilem de Rege Castellæ victoriam obtinuerat, Virgini Matri magnificentissimo opere condidit, & Dominicanis attribuit. Ecclesiam Olissiponensem Cathedralem, quæ olim fuberat Emeritensi, postea Brachatensi, Metropolitanam fieri curauit. Septam Mauritaniæ Tingitanæ vrbem maximam, opulentissimam & munitissimam in ora Gaditani freti sitam, magna Saracenorum edita strage, vna die expugnauit, & fidem Catholicam eo inuexit. Defunctus, cum admirabili pompa, & ad illud tempus insolita, perductus est in triumphali curru ab omnium ordinum hominibus, comitantibus filiis, in Monasterium Batallense. *Nonnius de vera Portugal. Regum Genealog.*

Eduardus fil. eius succedit.

Successit patri Eduardus, in magna Procerum frequentia continuo Lusitaniæ Rex pronunciatus. Ipso inaugurationis die à Iudæo medico Gudialla, nouum Regem præmonitum aiunt, cærimoniam pomeridianis horis peragendam videri: astra, si festinaret, infelicem euentum designare. perstitisse tamen contemptu talium, vt fortuitorum ac vanorum. *Mariana li. 21. cap. 6.*

Circa hæc tempora mittitur ad Sanctum Sacellum Diuionense sacrosancta hostia à Duce Burgundiæ Philippo ex Belgii vrbe Insula, vbi eam ante per Robertum Anclou Canonicũ Parisiensem, suum apud Papam Procuratorem acceperat ab Eugenio Papa IIII. cuius Breue ad eundem Procuratorem extat Diuione, Datum Romæ 27. Septembris, anno Pontificatus III. & subscriptum, Poggius, in quo sic ait Pontifex. *Tibi hostiam quandam sub imagine saluatoris in Throno sedentis, (mirabile Sacramentum Dominici Corporis, multis in locis à vesana cuiusdam feritate gladii ictibus perforatum, & ex eo sanguine respersum in locis præfatis) quæ in sacrario nostro erat recondita, tuæ piæ deuotioni concedimus & donamus volentes & mandantes tibi, vt eam in aliqua Ecclesiarum quas possides, aut in alio loco celebri, cum honore & reuerentia recondas, futuris temporibus reuerendam, prout tanti Sacramenti maiestas & magnitudo requirit.* Extat Diuione epistola Ludouici XI. Regis ad Decanum & Capitulum Sancti Sacelli Diuionensis data Blesis 21. die Aprilis, in qua scribit, se grauissimo morbo laborantem non prius Sacratissima Eucharistia refectum esse, quam restituta sanitate, seque tum eam ob causam, tum ob singularem suam erga Diuionenses Hostiam religionem, ad eos mittere illam ipsam coronam, quæ illis Rhemis, solennem inter consecrationem imposita fuerat, Sacræ nimirum Hostiæ offerendam, sicut & etiamnum in die Professionis supra S. Hostiam pendens visitur. Iudæum extitisse, qui plures quam quindecim ictus sacræ Hostiæ intulerit, communis sententia est. *Gualterus in Chronol. Saculi XV.*

ANNO CHRISTI 1434.

Eugenii Papæ IV. anno 4.
Sigismundi Rom. Imperatoris anno 2.

I.

Eugen. in maximas angustias conjectus à Florentinis & Venet. subsidium pecuniarium postulat.

IN quas angustias coniectus fuerit, hoc anno, Eugenius Pontifex, nemo exactius describit Flauio Blondo; qui magna pars fuit consiliorum & ærumnarum Eugenii, cui ille à Secretis. Diximus, anno superiore, à duobus Philippi Vicecomitis emissariis, Fortebrachio & Sforcia, pene omnibus bonis Ecclesiæ fuisse exutum: ac prope non interceptum. His vrgentibus malis, nonnisi hæc vnica spes superfuerat reliqua Eugenio, si horum duorum, qui vetusta, & dudum exacerbata iniuriis exercerent etiam inter se odia, alterum alterius placaret exitio. Sed cum magnis ad eam rem opus esset pecuniis, Pontifex, qui paucas tunc haberet, Venetos, Florentinosque, quorum adductus inuidia Philippus Dux Mediolani, omnia quæ superius ostendimus sibi & Ecclesiæ intulerat damna, de integro instanter pecuniariam opem petiit, & vtrumque hostem, eodm tempore tentare decreuit. Pius tamen saluti suæ, si qua emersisset subita vis consulens, tertiodecimo Kalend. Martii die ad Basilicæ Diui Chrisogoni palatium Trans Tyberinæ regionis se contulit, ac portas vndique armatis militibus communiuit. Misit itaque, ad Fortebracium quidem, qui Tibure morabatur, Antonium Contarenum Venetorum, & Marcellum Stroziam Florentinorum, Oratores; ad Sforziam autem, apud Calcarellam agri Tuscanensis vicum hybernantem, Nicolaum Episcopum Tropiensem: si forte potuisset, aut vtrique arma extorquere, aut alterum contra alterum stipendio auctorare. Hunc ipsum Episcopum Tropiensem ad Florentinos Venetosque destinauit, qui multa apud eos in hanc sententiam verba fecit: *Nisi præsidia adferent subita, de rebus Pontificis actum esse; & malitos qui illi essent reliqui, in Ducis Mediolani potestatem facillime peruenturos, quibus Romanæ Ecclesiæ ciuitates, vt pridem Sforcia & Fortebraccio fecerat, esset in prædam stipendiumque daturus: tantisque copiis sine impensa comparatis, facile illi futurum, Respublicas, Florentinam primo, deinde Venetam, minori quam rem Ecclesiæ negotio perfundare.* Tantis periculis territi, Garam, & Comitem Brandolinum apud Franchum Bononiensis agri oppidum hybernantes, cum equitibus mille trecentis, peditibusque ducentis conducunt, ne ad Ducis Mediolani, illos ad se pellicere cupientis, stipendia se conferrent: simulque vt oppido in fide retento, Bononienses cogerent quoad fieri posset Pontifici obedire: & quattuor insuper ducatorum millia Pontifici pollicentur, Sforciæ, aut Fortebraccio per eum annum singulis mensibus persoluenda: quorum exemplo Florentini totidem promiserunt. Ea Dux Mediolani compertum habens, Imolenses Pontifici & Ecclesiæ deditos, sed Guid Antonii Manfredi bello agitatos, priscina deceptos arte, tanquam Basileensis Synodi in Italia Vicarius pellexit, vt equitibus sexcentis, peditibus ducentis in præsidium acceptis sibi dederent Ciuitatem. Et Fortebraccius quidem, insolenti, & stulta simul, vt postea dicere solitus fuit, pertinacia, quæ sibi à Venetis Florentinisque Pontificis nomine offerebantur recusauit; Franciscus vero Sforcia sese Tropiensi Episcopo facilliorem præbuit. Conscriptus namque ad Pontificis & Ecclesiæ stipendia, Laurentium Leonemque fratres Attendulos, Romam, cum cohorte misit. His, Micheletto, & cæteris Ecclesiæ militibus coniunctis, primo placuit Montem totundum Vrsinis à Fortebraccio ereptum oppugnari. Cæterum, quod Fortebraccius oppidum natura loci munitissimum facile defensaret; inde illi motis signis ad Tybur castra sunt metati: quos insecutus Fortebraccius, conserto ad Numentum prælio fractos, fugatusque, equites amisit circiter ducentos. Nec vlla ratione hoc etiam tempore dubitandum videbatur, quin terrarum Pontificis tyrannide pelleretur, nisi Dux Mediolani, de fœdere quod Sforcia apud Calcarellam cum Pontifice iniisset certior factus, Nicolaum Picininum immisisset. Sforcia, per id temporis montem Falisicum obsidebat, quod oppidum Fortebraccii præsidio tenebatur. Quantumuis ergo, & hic, & Tybure, à Sforcianis Fortebraccius distineretur, nihilo tamen minus quam antea, Hetruscum Ecclesiæ patrimonium, ex Vetralla, & ex Castro Nouo, Romam vero à Columnensium oppidis incursabat, infestabatque. Hinc, siue diuturnitas belli fastidium fecisset Romanis, siue Nicolai Picinini, quem Ducis Mediolani corculum esse constaret, aduentus, quosdam à Pontifice alienasset, in querimonias prorumpebant, à quibus ad illa vsque tempora fortiter temperassent. Curiales, ob eam rem, Pontifici migrandum fore suadebant. At ille forti animi animo respondebat: *Romam, sibi non esse tam faciliter relinquendam.* Cumque à Diui Chrisogoni ædibus, ad Sanctissimæ Virginis Trans Tyberinæ Basilicam à Naualibus remotiorem se contulisset, multi sarcinulis caute præmissis, prout cuique sese obtulit occasio, profecti sunt. Quamobrem Pontifex præsidia sibi parare cupiens, quæ in Sforcia satis firma cerneret fuisse, si modo eum posset datis pecuniis obligare, Vitellescum Recanatensem Episcopum, Florentiam, & Fl. Blondum Venetias simul misit, de stipendiis Sforciæ apud Calcarellam promissis acturos, curaturosque insuper, vt Nicolaus Tollentinas Florentinorum dux belli, qui in ægro Aretino legionem in hybernis tenebat, & tri. emis quam Florentini Pisis habebant, sibi obuiam mitterentur. Tollentinatis ad Venetanam ciuitatem, Recanatensi Episcopo instante accessu impetrato, rem Ecclesiasticam apparuit paruo posse auxilio subleuari. Enimuero Patrimoniales Etrusci, & Romani inprimis, Tollentinatem, non vt Pontificem educeret, sed vt rebus Ecclesiæ præsidio foret, aduenisse eredentes, in magnam spem erecti, Fortebraccianos paruifacere, vnicamq; de statu Ecclesiæ cogitationem cœperant retinere. Eodem aũt, cum nocte vna in agro Ecclesiæ fuisset, abeunte, noua destituti spe oẽs, & Pontificis protectioni penitus diffisi, ad Fortebracchianos, Sforcianosq;, vt erat cuiusq; procliuior animus, inclinarunt: in flãmabatq; hac tempestate res nouas in vrbe molientium animos, oblata, quamque sibi persuasissent, spes Synodi Basileensis, quod Pontifice dedito confiderent euenturum. Ea perditos spe incitatos, Eugenium derinendum, Curiam bene habendã, vt Concilium postea Romã vocaretur, cõstituisse cõstat.

Subsidia Pont. decreta.

Sforcia ad partes Pont. transit.

Fortebracchius fractus & fugatus.

Sforcia interim dimissa Falisco rum oppugnatione, apud Rispanpanum morã trahẽte, Picininus in agrum Viterbiensem se contulit, nonum & ipse incendium in prouincia excitaturus. Instabat tñ apud Pontificem Sforcia, vt, pmissa sibi apud Calcarellã stipendia mitterẽtur. Sed Venetiniq;, Florentiniq;, eos fortium virorum exercit' quorum duces capitali inter se odio flagrarent, nullo inaccessibili monte, nullo prohibitos alto flumine, in eadẽ Prouincia qetos versari audientes, ambos suspicabantur, clam Philippo Duci Mediolani vt pridẽ publice militare; nec adduci poterant, vt Episcopo Recanatensi & Blondo pecunias darent, conquisitorib. quos cum illis Sforcia miserat dissoluendas. Multiplex ẽt ab eodẽ Duce suspicio emerserat, qp Imola, vt diximus occupara, sexcẽtos equites ẽsidio imposuerat; & cũ Forũliuii & Lugũ in potestate haberẽt, Bononia, p Baptistã Cãnetulũ, magis q; Põtifex, aut illius Gubernator Marcus Tarãtasiensis Archiep. potiretur. Præterea, Gasparẽ Cannetulum Baptistę germanũ à Venetorũ stipendio missum, qui recta Bononiã venire simulasset, in Parmẽsib. retinuerat, impuleratq;, vt inde mouẽs, castellum Persicerũ agri Bononiẽsis, inscio, atq; ẽt inuito Tarãta-

Veneti periculum formidantes res Pontificias defensare statuunt.

siensi, cum sexcentis equitibus occupâret, quæ omnia Venetos in metum coniiciebant, futurum vt Philippus ipse, Cannetulorum ductu Tarantasiense eiecto Bononiam obtineret; interclusaq; exinde illis Florentinisq; esset via, ne vllo possent mutuo ſidio se iuuare. Id Veneti periculum formidantes, quod pridem ab Eugenio admoniti rogatiq; facere recusauerunt, constituere; res Pontificias in Romandiola defensare: & Tarentasiensi, quæ pridem efflagitanti negauerant præsidia polliciti, Gatâ illius imperio permisere. Erant tres in prouincia arces munitissimæ, quarũ Præfecti solo nomine illas ꝓ Pontifice & Romana Ecclesia retinebãt. Eas Blondus recipere aggressus, cum de Imolensi parum successisset arcem Perficeti ingenio audaciaq; obtinuit: & Gata ac Brandolino equitum mille trecentorũ ductoribus, copiarũq; Thadæi Estensis parte in oppidum imissis, Cæsparem Cannetulum cum sexcentis quos adduxerat equitib. intercepit; facillimumq; illa die fuit, Bononiã Cannetulorum manib. ereptam in liberã Ecclesiæ ditionem recipere, si Gata & Brandolinus Blondi consilium sequi voluissent, seseq; Bononiam cum exercitu è vestigio contulissent. Sed cum in diuidenda militib. præda tempus triuissent, rẽq; in posterum diem distulissent; Cannetuli, publicâ Bononiæ aream armatis cõplentes, resistere cupientes Griffonos affines, Aloysiũ militem Hierosolymitanum, & Florianum Germanos, rerum Pontificis & Ecclesiæ studiosos trucidauerunt, Marcoq; Gubernatore, & Paulo Truno patriciis ordinis Veneto, spectatæ virtutis viro, quem Veneti hortatum, ad Ecclesiæ & Pontificis statum retinendum, Bononienses miserant, Oratorem, in custodia habitis, ac Philippi copiis Imola accersitis, aperto contra Pontificem bello rem gerere incœperunt.

II.

Romæ omnia pessime succedunt.

Quo tempore ab Eugenio defecerunt Bononienses, Romæ etiam omnia pessime successerunt. Romanin, Philippi Ducis Mediolani & Nicolai Picinini apud Vetrallam Sfortiæ oppositi, instigationib. impulsi, simul potentatus Pontificis desperatione adducti, ad id em Kalendarum Iunii tertiam, Poncelleto Ciuis Romano, paucis q; perditissimis sese duces exhibentib[9], Capitolium inuaserunt, & Populi, Libertatisq; dominatu per vrbem acclamato, portas vrbis ſidio firmauerunt. Excepta fuit Appia, q̃ Sfortiani, Micheletus, Laurenti[9], & Leo, de tumultu certiores facti, obsidione Tyburtina ocyus soluta, præmissis frumẽtatorib. occuparunt, eaq; præsidio munita, cum à Valmõtone aliisq; oppidis familiæ Comitum acciperent commeatum, ad Diui Pauli Basilicam cõsederunt. Postera die q̃ erat tumultuatum Romani Pontificem adeuntes, multis questi sunt de grauib. diuturni belli incommodis, de Ciuium inopia, de maiorib. periculis quæ prospicerent impendere: & aliam sibi regendæ vrbis rationem ineundâ, rem quoq; publicam sibi capessendam fore clamitantes, Adriani molem, q̃ dicunt Crescentii castellum, arcemq; Ostiensem postularunt demãdari custodiendã Ciuibus, quos ad id muneris publico cõsilio delegissent: quib. præcidis, cum dilatio & mora tẽporis opus esset, Francisco Cõdulmario Cardinalem Venetiarum Pontificis nepotem, Camerariumq;, interea dari obsidem cõtenderunt. Pontifice vero mitius respondente, & vt curã Ciuitatis ipsi susciperent permittente, atq; ẽt suadente, instare illi, & arces immoderatius petere, Camerarium q; quousq; redderentur pro pignore efflagitare nõ intermittebant: eoq; temeritatis & audaciæ ꝓgressi sunt, vt cum phumane respõderet Camerarius, ac maiora postulatis melioraq; diceret à Pontifice cõcedenda: aspere in eum licẽtiusq; locuti, manus iniecerint, abstraxerintq; illum à sinu Pontificis, multis obortis lacrymis, ne tanto Romanam vrbem coinquinarent flagitio, exhortantis. Pontificis post hęc domum frequenti custodia sẽpientes, ripæ Tiberis curã eo consilio efferatorib. cõmiserunt, vt quotquot appellerent naues, tamq̃ asportantes Pontificem mergerentur. Eo Romanorum tumultu exãdito Lucidus Cardinalis Comes, qui in domum Pauli Coccij Romani Ciuis diuerterat, mutata veste Scapham sub Flaminia porta conscendens, in Adriani molem Tyberi adnauigauit. Cardinalis Vrsinus deducente Vrsino fratre Nerulam petiit, castellum ꝙ paterna hęreditate munitissimũ possideret. At Recanatensis Episcopus, quo tempore Tollentinas Vrbeueteranam ciuitatem se contulit, miserat etiam Florentinorũ triremem, qua Pontifex posset securus, Pisas, ꝓut constituerat, nauigare. Sed cum paucis ante rebellionem dieb. Romani, illa in naualib. visa, de Põtificis fuga obloqui cæpissent, eam ipse multis quibus esset necessaria ꝓfectio, præmiserat ad Ciuitatem veterem pducendam. Quia vero insularum Italiæ plurimi pyratæ, q̃ primum, Curiales, Romanorũ fidem dubiam ducentes, suppellectilem emittere audiuerant, Romanũ littus, & portũ Ostiæ latrociniis infestabant: Eugeñ. Pontifex, triremem vnam cui præerat Vitellius pyrata Hischeus mercede cõductã, præsidio adhibuerat. Nec erant, q̃ suspicarẽtur illũ se tali cõmissurũ viro; quẽ pyratã, stipendia omnib. quicũq; petiuissent facere solitum audiuissent.

In quo discrimine Eug. inter Rom. versaretur.

Detẽtus eo custodię modo Eugẽ. Romanos benigne alloquitur adeuntes: multa in rẽpublicã, plurima in Ecclesiasticam nititur fundere; breui futurum affirmans, si rem bono suscepissent animo, vt se vrbis gubernandæ molestia liberato, curã gerente rerum Ecclesiæ attentiorem, illis a. Romanæ rei, q̃ in libertatem ꝓpriam putarent vindicatam, prudenter & ex aĩo consulentibus, Romæ status constitueretur optimus: speraq; licere, Romanam rem sub Pontificib. talem denuo futuram, qualem sub Principib. audiuerant floruisse. At illi verba pro verbis reddentes, enixius cõtendebant, vt Romam se cõferret, apud S. Apostolum, fausta m domum prædecessoris sui moderaturus: Eam etenim vallo circumdatã, honestum illi carcerẽ destinauerant, quousq; à Basilẽsi Synodo, & à Philippo Duce Mediolani, quid de ipso fieret, mandaretur. Et tamen interea Picinninũ, missis Oratoribus, vt legionem adduceret rogitabant; Pontificem Eugen. illi, & Romam, pro Duce Mediolani q̃ primum aduenisset, date polliciti. Domesticis vero, & paucis qui in comitatu manserã: Prælatis, Blasio imprimis Veneto, ex Demolina gente patricio qui erat Patriarcha Hierosolymitan[9], Astorgio Anconitano, Nicolao Tropiensi, & Angelo Parentino, Episcopis, ꝑ singulos dies Pontifici renunciantibus; instare illi, omniũ ẽt Romanorũ qui sibi affice. ẽtur iudicio, capitis periculũ; & ꝓpterea, vt sibi fuga cõsuleret suadẽtibus; magnam ipse confidentiã, de vi minimam suspicionẽ præseferre, cæteros adhortari; fecirq; huiusce modi magnitudinis animi rumor, concordi domesticorũ ex sententia loquentium voce dissemin atus, Romanos, de vi in Pontificem deliberabundos, q̃ custodiendo adhibuerant diligentiã remittere, & se le ad parandam Basilicæ Apostolorum domum cõuertere. Id cum esset Põtifici exploratum, Nicolao Episcopo Tropiensi dedit negotium, vt se à Curia profecturum dissimulans, lembum suæ fugæ accõmodum, in naualib. cõpararet. Sed cum nimia Maxfiotti nauiculatoris, cuius cymbam cõduxerat Episcopus, lautitia (ripam nãq; naualium cũi cymba erat alligata mundauerat, cymbamq; ornatius constrauerat) consilium esset detectum; remis Romani, veloq; nauclerum spoliarunt, & Tropiensem conuitioseredargutum, intra vrbem à cõspectu Pontificis amouerunt.

III.

Tumultus cognitæ Pont. fugæ exortus.

Ioan. interim Miletus Ciuis Neapolitanus, Põtificis, cui tunc 24. annos seruierat, Soldanus, forte Trans Tyberinam perambulans regionem; Valentino Neapolitano, qui Vitellio triremis Gubernatori erat Scriba obuiauit, ac inter loquendum cõperit, illum instaurandæ cõmeatu triremi Scaphã cum calonib. adduxisse. Blãde igitur multa Neapolitanum conciuẽ de Maxfiotti imprudentia allocutus, intelligit, Valentinũ, post q̃ compatando cõmeatui aduenisset facinus g̃ãde meditatũ id offerre ꝙ ipse & plurimi auxiliũ q̃ ferent. Scaphã igitur paleis & cœno immundam, inter nauigia vbi à casu fuerat alligata conspicatus, Soldanus, Valentinũ iubet expectare, medio in Tyberis alueo parãtum, & calones cõmeatũ interea à cauponib. cõparate, ad Pontificẽq; è vestigio reuersus, oblatã esse fortuito Scapham renũtiat omnium maxime idoneã, nulli per ornatũ apparatumq; Romanis suspicioni futurã, cuius ductor Neapolitanus Ciuis, & Vitellii scriba sese vltro obtulerit, expectetq; medio Tybridis alueo accessuros. Dies erat Nonarum Iunij prima, & hora tunc ab ortu solis septima: quo in tẽpore Romani nocturna fatigati vigilia, altum sub tectis & in vmbra somnum capiebant. Põtifici igitur Soldanus refert, occasionem optimã esse oblatã, vt clam omnib. ad naualia ire possent. Tũ Pontifex, cui extrema quęq; ante oculos versarentur, memor, quãprimũ adue speraseret, eundũ sibi ad S. Apostoli ædes, vbi aut vitam finiat, aut Pontificatu nephar è spolietur, subito abeundi cõsilio capit, Ipse itaq; & Soldanus, nigris quas in domo habebant Monachorum S. Pauli vestibus indut, à cubiculo egrediuntur: posteriore exinde parte ædium descendẽtes, in inferiorem domesticis Curialibusq; frequẽtatã, ideo tũ æuntes se incognitos esse coniiciunt, ꝙ nullum videnti sedentẽ assurgere, vel ex more in faciem se ꝓsternere; & mulas conscendẽtes strigosissimas, quib. monachi S. Pauli cõsueuerant vectari, porta egressi domus posteriore, ad nauale itadio distãtia, à nullo recogniti pruenere. Erat forte tunc Patriarcha Hierosolymitanus, repentini Pontificis cõsilii nõ ignarus: & Episcopi Anconitanus, ac Parentinus, in aula simulantes Põtificis audientiã expectare. Hos, aduentiens turba Romanorũ stipatus regionis Trastyberinæ princeps Romanus Ciuis interrogat, quid apud Põtificem ageretur. Respondit ei Patriarcha, illum cũprimum ex meridiano somno excitatus fuerit, in cõspectũ eorum se daturum. Valentinus interim, à pincerna quẽ ꝓmiserat Soldanus, in ripæ summitatem accitus, ægre deposcitum mula Pontificẽ, Soldano adiuuante retinet, & per ripæ deuexum brachio sustẽtat descendentẽ. Cũq; Scaphã per littoris iniquitatem sicco vidisset male adhęrere, medium amplexatus, per aquas ad femur vadẽs Scaphæ imposuit resupinum. Tunc remis, vt iussi erãt, incumbentes socii, secundo Tyberi aduolauerunt. Cõuerterat in se multos per ripas naualium fusos, & in vicinis existentes nauibus, nouę rei spectaculum; Mónachos, qui citato aduenisse gradu, dimissis sine custode mulis, ripa præcipites actos esse; & alterum virib. vegetum, Scaphã ingressum, arma remosq; taptim expediuisse; alterum, nisi tacuisset, rapto & violenter abducto similem fuisse, in Scapham humeris cõportatum. Augebat admirationẽ Scribæ oĩbus noti familiarisq; præceps sine euiusq; salutatione ꝓfectio. Dum tñ cunctabundi, alter ab alterius pendet iudicio, Valentinus, naualia, turrimq; custodiæ præterlabitur. Reuersus interea domũ pincerna, Patriarchæ Hierosolymitano renũciat, Põtificem, se vidente nauim ingressum abesse. Et Cardinalis S. Marcelli, quẽ Põtifex, capto Camerario apud se retinuerat, à familiari suo certior factus, Põtificem veste monachali indutũ recedere, futura formidans mala, fugã & ipse intra vrbem cõparat. Ministris perterritis, & multa præcipitanter quiritabundis illum comitantibus. Romani, qui regionis Trans Tyberinæ Principem adduxerãt, illum in aula adeuntes anxii, renunciarunt inferiorem domus partem per Cardinalis S. Marcelli fugã direptæ ab hostib. similem, cuiq; diligentiorem de persona Pontificis habendã esse. Tunc apud naualia, derepẽte, noua incerto authore vox auditur, Põtificem esse, qui simulato Monachi amictu fugiens nauigauit. Resonat clamoribus Trãs Tyberina regio, & arma cẽs raptim q; Põtificem insequendum exciferantur. His exauditis vocibus, Princeps Regionis, post q̃ Pontificem comperit ꝓfugisse, magno incensus furore, Parriarcham quem eius consilii cõscium fuisse assereret, frustra roganté cõprehendi, & in Capitolium duci; alios, Pontificem insequi; alios, bona illius quæ

multa erãt relicta, Populo Romano intacta seruari iuber. Anconitanus vero & Parentinus Episcopi, aliiq; Põtificis domestici; partim Adriani molẽ; partim Romam fuga præcipiti petiuere. Eo perlato in vrbem nuncio, Romani armati inermes q; in naualia cõcurrẽtes, pars qua naui, quando aufugerit, quo fuerit abductus, interrogant; pars, insiliunt equos; pars, pedibus quacunq; casus obtulit insequuntur; pars expedite q̃ à Masiotto acceperãt cymba tergo instare per fluuium ꝓperarunt.

Ventus ei adnersatur.

Fecerat fortuna, q̃ difficillimis quibusq; nouos addit labores, Valentinum, nõ Scaphã triremis, vt cõsueuerat, q̃ agilem elegãtemq; apud Ostiam Vitellius habebat, sed oblatam forte piscatoriam, fluuiatilẽq; populeam adduxisse: cuius carina picis ignara, crassum ꝓ ligni natura villis accipiens limum, iudentes remiges frustrabatur; vt Vento ẽt per meridiem à mari immoderatius reluctante, quo maiore petebant Ostiam conatu eo magis Romã referri viderentur. His remoratus causis Valentinus, nõ prius magnum tortuosi amnis reflexum, ad S. Pauli octo passuum millia per aquæ cursum ab vrbe distantem præterlabi potuit, quam Romani notis accurrentes semitis, terrestri itinere breuiore præoccupassent. Erat tunc forte pro ætatis tẽpore fluuius aqua macer, vt sinuosos recessus aquis pleniores scapha petere cogeretur: & Tyberis cõplẽtes ripas Romani, pars de infimo secundum aquas alueo, hastis in fluuium iactatis; pars balistis, & oblatis forte taxillis; quibusq; telis desuper minabantur. Eorum territi aspectu Soldanus Valentinusq;, Pontificem; vt primo immissus fuerat resupinum, scuto tegẽres, balistis, quas ẽt ipli habebant in hostem versis, scuta duo sagittis hostium præfoderunt: exortoq; Romanorum clamore, minas inter & multa quæ infrittebantur tela delapsi sunt. Qui nauigio insequi properauerant, cymba in subiectã turri naualiũ g̃ aream impacta, desidere sub stiterunt. At pedibus equisq; insecuti, licet primo frustrati essent conatu, neque q̃ insequi destiterunt; sed aliis item semitis, qua se flectit amnis, requisitis, contumelicissimas vbicunq; exauditi portuerũt voces in Põtificem clamanere. Quod tñ spei retrahendi Pontificis principio habuissent, qui paucioriore cursu præcesserant, ad anfractum quem Porti dicunt in Portuensis agri ripa expectantes, Scalinum piscatorium forte oblatum expeditis iuuenib. cõpleuerunt, eosq; in Ostiensem ripam q̃ est è regione traiicientes, insserũt loca virgultis biblisq; obsita insidere: vt si forte Põtifex Scalino in Tyberi viso, armatis hostib. cõfecto, & ripam Portuensem multitudine immunerata ectam cerneret, terrestri & breuiusc ula Ostiam versus via, in qua nullus appareret hostis excendens iret, fugiens caperetur. Die interim ad vesperam declinante, qui Põtificis Scaphę obsistebat ventus remisit, & mari cedente Tyberis rapidior defluebat. Sãs igitur altiuscula puppi Valentinus, hostes primus omnium & inimicum conspicatus Scalinum remiges hortatur.

Ventus se remittit.

Romani Pont. insequũtur.

premia spondet à Pontifice ingentia, gloriam memorat quæ obscurissimo natos loco & genus honestabit suum: qui Romanum Pontificẽ S. virum fauctb. cunctis experiretur; q̃ nẽs hactenus, Sanctissimi Patris merito & miraculo, per sponsorũ umbres, per volantia undiq; tela, per adactas somnum pectori lãceas illæsi trãsiuerint, memorat. Scapha interim concitatius delabens, hostili appropinquat Scalino. Videres Romanos ad Scaphæ conspectum per amnis ripas furentes, partim voce, & iactatis in aera brachiis minitabundos; partim multa Valentino & remigibus, si Pontificem traderent pollicentes; partim spicula, lapides, tela eminus iacientes. Tunc qui Scalinum armati insederant, prorain medio amnis cursu obicientes, spicula & ipsi contorquent, lanceas, quaquaue sum q̃ possunt longe exerunt, vt nullus appareat remigi cursus, q̃n vrobiq; præreclapsurus viscera transfigatur. In eam adductus difficultatem Valentinus, impetendum hostilem Scalinum, proram prora, armis arma vociferat collidenda. Lanceas subito Soldanus aliiq; stantes quattuor, sed ura duo, tres balistas sedẽtes expedit, & medio ipse amnis

Valentin. cũ Scapha Põt. viam sibi per medios hostes vi facit & ad tuerin Ostiensem adlabitur.

cursu

cursu furibundus ruens Valent. hostium proram petere contendebat. Tum Romani cariosa & putrida, vt postea dixerunt, diffisi Scalmo, ac demissæ desuper rapido aquæ cursu, remis q; valide impulsis, fortiter irruentis scaphę impetu mergi timētes, cursum deflexerūt, & securum Valentino fine contentione transitum permiserunt. Exorto exinde vectorum Pontificis clamore, alacritate pleno, sedens ipse tunc primo, qui orationi, institutis q; erga Deum officiis ad eam horam iacens, & magna itineris parte tacitus vacasset, quo gesta essent modo omnia repetebat. Et laudatis pro virtute omnibus, multaq; pollicit⁹, turrim adlabitur Ostiensem. Ad triremem vero Vitelli delatus; Ciuitatis vetulæ portū nocte illa petere decreuerat. Sed vento, qui portum quindecim clauserat dies, etiam perflante, pernoctem in ancoris moratus, Curiæ speciem reperit improuisam. Omnes nam q; Curiales, quos instantibus territos periculis vrbe diximus emigrasse procelloso mari navigatione prohibiti, apud Ostiam, vel in quib. aduenerant nauibus, medio Tyberi, supra fauces tranquillam navigandi tempestatem in ancoris expectabant.

IV.

Pont. Centumcellas appellit & encyclicas ad Principes scribit ac postmodum Pisas, deinde Florentiam venit.

Tranquillo ad auroram mari, Pontifex, ē Tyberi soluens, magno Curialium comitante cœtu, in Ciuitatis vetulæ Centumcellensem portum se receperat. Eo appulsus, alios item reperit, qui vrbe exierāt Curiales; qui maris tempestatibus remorati, nequiuerant navigare: moratusq; in Ciuitate vetula duos dies, epistolas de sua liberatione ad vniuersos Christiani nominis Principes dedit; & triremem Florentinorum tum expeditam conscendens, trirememque Vitelli dignioribus onerans Prælatis, biremibus paruis, quas vocant Sagittinas, octo, Curialibus etiam minoribus plenis consecutis navigans, quarto postquam à Ciuitate vetula soluerat die, tranquillo mari lætus portum intrauit Pisanum. Volans interea tantæ rei fama multos Florentiam præcessos, & per varia Etruriæ loca dispersos Curiales, excuit Pisas & inprimis Cardinalem Sancti Sixti, qui dudum pœnitentia ductus, & in gratiam cum Pontifice reuersus, Senas se contulerat, Romam, si per varias licuisset Prouinciarum agitationes petiturus. Florentini vero, quos longa Ducis Mediolani bella dudum pecuniis exhauserāt, in magnam lucri spem adducti; simulque, quod rei suæ affectum Pontificem, communis inimici manib. ereptum viderent exultantes, maximis illum exquisitissimisq;, vt est eius populi ingenium, consuetudoque, pompæ apparatibus, ad diem vigiliæ Natalitiorum Dini Ioannis Baptistæ, qui apud ipsos, est solennissimus, Florentiam perduxerunt. *Blondus decad. 3. l. 5. & 6.*

V.

Philipp. Dux sex triremes instruxerat vt Eugenii Basileam mitteret.

Hic modus, hæ causæ, fugæ & calamitatis Pontificiæ; cum Philippus Vicecomes Dux Mediolanensis, ad Italiæ Imperium aspirans, magnis illum vndique opprimere niteretur malis: ipsiusque impulsu, Fortebraccius, ita premeret Latii oppida, vt ipsi etiam immineret Romæ; Omne Picenum Sforcia occuparet; Cannetuli Bononiam rapuerint; Piccininus Etruriam vexauerit; Romani defecerint; ad eumque modum fugientem vix non obtruerint, nullo non genere contumeliarum affectum. Platina, & Stephanus Infixura memorant, quod Fortebraccius, cum iam & Tybur, pulso inde Vrsino Comite Taliacotii, & Sublacense oppidum cœpisset; omnes Columnenses, excepto Stephano, quem Princeps Salernitanus diuersa à reliquis gentilibus sentientem interfecit, in partes suas traxerit; & hi porro ad libertatem respicientes, sublato clamore ad arma & libertatem conclamauerint, pulsisque omnibus Eugenii Magistratibus, ac intercepto Francisco Camerario, nouos ipsi Magistratus scilicet, & septem viros è ciuibus Romanis, quos ipsi Gubernatores appellabant, vitæ ac necis potestatem habentes creauerint: atque tandem, Eugenium quoque ipsum in custodiam trahere, & vel Romæ detinere, vel Basileam mittere voluerint. *Platina in Eugenio IV. Infixura in diario.* Neq; enim ex vano, neq; in incertum, sex triremis Genuensium, iussu Philippi Ducis, faucibus Tybetinis imminebant; vt Blondus, qui eas vidit, vixq; ab eis euasit, scripsit. Scilicet, ducendo Eugenio, si comprehendissent illum Septemviri, fuerant instructæ: vt illum voluntati Basileensium, atq; iudicio præpostero subiiceret, adeoq; exauctoratum ludibrio & contumeliæ exponeret.

VI.

Basileenses in præceps acti oratores ad executandum periurium dicendum cogunt.

Namque Basileenses, ab eodem Philippo in præceps acti, id quod nullum Oecumenicorum Conciliorum hactenus præsumpserat, vt primam sedem iudicaret, primi omnium arrogantissima temeritate ausi, huic rei decretum Constantiense detorquere voluerunt, neque alia ratione, Oratores Eugenii, aut ad audientiam, aut ad præsidendum cœtui admittere decreuerunt, quam eos compulerint, coegerint q;, ad id Sacramentum, seu potius execrandum periurium dicendum, quod in tomo Conciliorum adhuc extat, illis verbis.

Tenor periurii.

Anno Domini 1434. Octaua mensis Aprilis, videlicet die Sabbati, in plena congregatione Concilii, Ambassiatores Sanctissimi Domini nostri Papæ moderni fuerunt recepti in sacro Concilio, & iurauerunt secundum schedulam quæ sequitur, propriis nominibus; scilicet fideliter laborare pro statu & honore Concilii Basileensis, & eius decreta defendere, & manutenere; & specialiter decretum Concilii Constantiensis, cuius tenor sequitur, & est talis: Primo, quod Generalis Synodus Constantiensis, necnon alia quæcunque Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habeat, cui quilibet, cuiuscunque status & dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur in his quæ pertinent ad Fidem, extirpationem dictis schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei, in capite, & in membris.

Eug. ad ciuitatis Const. Constantiæ. respondet & nō vult, sed Concilieb. post eius dissolutionem fuisse pronunciat.

Item declarat, quod quicunque cuiuscunque status & dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis huius Sanctæ Synodi, & cuiuscunque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis & siendis, obedire contumaciter præsumpserit; nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur; etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.

Item dicre sanum & salubre consilium, secundum Deum & conscientias suas: & non reuelare vota singulorum, inquantum ex huiusmodi reuelatione verisimiliter possit oriri aliquod odium vel scandalum; & non recedere à loco huius Concilii sine licentia obtenta à deputatis eiusdem.

Hæc illi obtruserunt Oratoribus Pontificiis contra antiquum Ecclesiæ vniuersalis Canonem, quo sancitum est, *Primam Sedem à nemine iudicari.*

VII.

Præter hæc, pronunciato hoc impio decreto, quod Oratores Papæ, Constitutionem Concilii Constantiensis, qua Pontifex Concilii potestati coactiuæ subiiciatur, iuramento confirmare & approbare teneantur: non alia ratione, quinq; Legatos Pontificis Concilii Præsides, quam adempta illis omni iurisdictione coactiua admiserunt: & decretum illud Constantiense, de dubio & incerto Pontifice prolatum, tanquā absolute, de vero & legitimo Pontifice Romano, intelligendum esset comprobarunt, vel adeo innouarunt, quanquam Eugenius Pontifex, ad Constitutionem Constantiensis Concilii, de Synodo vniuersali non interrumpenda, diserte respondens ostenderit, neq; se, neq; quenquam Pontificem Romanum, synodali decreto esse subiectum; nisi bonum pacis publicæ, vel Ecclesiæ id iure naturæ postulet. maxime quia leges Concilii positiuæ sunt, quibus Papa Concilio superior obligari non possit. Addebat, quod illi sine iusto Præside, vniuersalem Ecclesiam repræsentare nequiuerint; adeoq; post dissolutionem Concilii factam, citra consensum Pontificis, non tam Concilium quam Conciliabulum celebrauerint. Quamobrē se nequaquam induci posse, imo vitam se potius amissurum esse declarabat, quam vt prior a acta, in quibus est Constantiense decretum approbet; contentum q; tantum fore, vt Concilium deficeps fiat, & ad finem producatur, modo ipsi Patres, omnia attentata contra Pontificem & Sedem Apostolicam reuocent, Legatos q; Papæ velut Præsides, Summo q; Concilii iudices agnoscant.

Noluerunt auscultare: sed in sextadecima sessione, Nonis Februarii, Bullas quidem Eugenii, pro reuocatione dissolutionis Concilii recitarunt: cæterum ab Ioanne Patriarcha Antiocheno libellum, ex reliquiis Ockami, Marsilii Paduani, & veterum aliorum hæresiarcharum consarcitum, de superioritate Concilii supra Papam, in Conuentu Fratrum Minorum diuulgari tolerarunt; & in subsequentibus duabus sessionibus, ea quæ diximus tum attenarunt, tam promulgarunt: adeoq; & 17. sessionem ad 6. Kal. Maii, & 18. ad 6. Calen. Iulii, necnon reliquas suo ordine succedentes, non conciliariter, sed tumultuose celebrauerint. Placet ista & alia nonnulla, ex ipsis actis Basileensium cognoscere.

SESSIO XVI.

Per quam declarat Papam Eugenium Concilio adhærere, celebratis cæremoniis consuetis, & in ea incorporantur bullæ Eugenii.

VIII.

Hinc sessionis interfuisse asseritur etiam Imperator in habitu imperiali, & prælati 90. omnes sedentes cū mitris albis, planis capitibus eorum superpositis.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Literis sanctissimi domini Eugenii Papæ IV. more curiæ Romanæ bullatis, ac per nonnullos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales subscriptis, quorum tenor de verbo ad verbum inferius describitur, huic sacro Concilio in generali congregatione per venerabiles Ioannem Archiepiscopum Tarentinum & Christophorum Ceruiensem Episcopum oratores suos præsentatis, lectis, examinatis & diligenter inspectis, eadem sancta synodus decernit & declarat, præfatum dominum Eugenium per prædictas litteras satisfeciße plenarie monitioni, citationi & requisitioni huius sacri Concilii, prout in decreto in 14. sessione promulgato, & in schedula in eodem decreto inserta, continetur. Ipsasq; litteras approbat, acceptat, & admittit, ratasq; habet & gratas, & sic ab omnibus haberi vult, mandans dictarum litterarum transumpta sub bulla sacri Concilii dare debere omnibus habere volentibus, quibus transumptis eandem fidem dari decernit, quæ ipsis literis originalibus daretur. Tenor vero dictarum litterarum sequitur, & est talis.

IX.

Literæ Eugenii Pontificis.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dudum sacrum generale Basileense Concilium, per generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum statuta, ordinationesq; felicis recordationis Martini Papæ V. ac nostras, pro extirpatione hæresum, pace populi Christiani ac generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris & per inentibus ad ea, legitime inchoatum, ex certis causis in aliis nostris literis expressis, de fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu dissoluimus. Verum cum ex dicta dissolutione ortæ sint graues dissensiones, & grauiores oriri possent, nihilq; magis optemus, quam quod prædicta sancta opera debitum sortiantur effectum, de consilio & assensu venerabilis fratris Iordani Episcopi Sabinensis, & dilectorum filiorum nostrorum Antonii S. Marcelli, Francisci sancti Clementis, Angelorii tituli S. Marci presbyterorum, ac Lucidi S. Mariæ, Cosmedin. & Ad. decim sanctorum Cosmæ & Damiani diaconorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, decernimus & declaramus, præfatum generale Concilium Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ legitime continuatū fuisse & esse, prosecutionemq; semper habuisse, continuari ac prosecutionem habere debere ad prædicta & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset. Quinimo præfatam dissolutionem irritam & inanem de consilio & assensu simili declarantes, ipsum sacrum generale Concilium Basileense pure, simpliciter & cum effectu ac omni deuotione & fauore prosequimur, & prosequi intendimus. Præterea, vt mentis nostræ integritas ac deuotio, quam ad vniuersalem Ecclesiam & sacrum generale Concilium Basileense gerimus, omnibus constet euidenter, duas nostras literas pridem in palatio Apostolico promulgatas, nam tertias quarum tenor de verbo ad verbum inferius describitur, quæ dicuntur incipere, DEVS nouit, cum à nobis aut de scitu nostro non quam emanarint, licet superfluum videatur, quod non extat, reuocare, tamen quia petitum est, & ad cautelam, si vllo vnquam tempore apparerent, & alias quascunq;, & quicquid per nos aut nostro nomine in præiudicium aut derogationem p ædicti sacri concilii Basileensis, seu contra eius authoritatem factum & attentatum seu assertum est, cassamus, reuocamus, irritamus, & annullamus, nullas & initas fuisse & esse declaramus. Item reuocamus quoscunque processus quarumcunque censurarum, priuationum & suspensionum factos contra supposita huius sacri Concilii Basileensis, & adhærentes eidem, necnon omnia gesta & facta in præiudicium, læsionem & derogationem eorundem, eis non legitime citatis nec legitime defensis, de quibuscunque dignitatibus, beneficiis, commendis & officiis, etiam si cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiæ &c. existant, iuribus & bonis quibuscunque, & specialiter contra Cardinales de Cypro, sancti Sixti & Firmanum, ac omnia in præsentium statum perinde ac si non emanassent, cum clausulis opportunis. Mandantes sub pœnis formidabilibus omnibus, qui se dictis dignitatibus, beneficiis, commendis, officiis, iuribus & bonis intromisissent, vel ratione dictarum priuationum seu nostrarum ordinationum quarumcunque se vellent intromittere, vt ab ipsa intromissione & omni molestia penitus desistant. Verum autem fuerit legitima citatio & defensio, stabitur iudicio ipsius sacri Concilii. Nos autem de inceps à nouitatibus & grauaminib. seu præiudiciis inferendis ipsi sacro Concilio vel suppositis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu desistemus. Tenor vero præfatarum literarum sequitur, & est talis:

Primæ bullæ reuocatæ.

X.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Inscrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo adhortatur nos, maximæ potestatis desuper plenitudine nobis tradita, super vniuersum gregem dominicum in præsulem constituit, vt ad removendum atque extirpandum de agro dominico vepres, ex quibus possent Ecclesiæ suæ sanctæ & Christianæ reipublicæ dissensiones & scandala prouenire, curæ assidua & pervigili intendamus. Sane cum dudum ex certis & rationalibus causis Concilium, quod nonnulli Basileæ congregatum esse dicebant, dissolventes, illud ad ciuitatem nostram Bononiensem duxerimus commutandum, per stmodum cessantibus dictis causis, præfatum Concilium in ipsa ciuitate Basileensi decreuimus per nostros legatos, qui ibidem nostro nomine præsiderent, continuari debere, prout in diuersis desuper confectis nostris literis plenius continetur. Cum autem qui Basileæ congregati erant, prout sunt, etiam post dissolutionem &

decretum huiusmodi, ac etiam ante aduentum dictorum legatorum, non ad communem vtilitatem, sed ad priuatas passiones intenti, nullaq; authoritate sedis Apostolicæ suffulti, multa & grauia, etiam præter illa tria, propter quæ fuerat ibi principaliter Concilium à principio constitutum, tanquam haberent generalis synodi, nobis etiam contradicentibus, protestatem, disponere, ordinare, statuere, sancire, declarare, & mandare præsumpserint, in nostrum & sedis Apostolicæ ac venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium, & aliorum nobis adhærentium graue præiudicium, præter & contra sanctorum patrum decreta & canonicas sanctiones: Nos attendentes, quod ea, quæ per eos sic perperam statuta, facta & ordinata existunt, si sub dissimulatione & silentio præterirent, in magnum atq; euidens præiudicium Ecclesiæ atq; Apostolicæ sedis, & graue scandalum plurimorum verisimiliter redundare possent, cum non ad reformationem, sed deformationem, non ad vnitatem, sed scissuram Ecclesiæ, non ad hæreses tollendas, sed nutriendas, non ad pacem fidelium, sed discordiam seminandam spectare videantur: ac propterea volentes, prout ex debito pastoralis officii tenemur, quantum altissimus permiserit, futuris scandalis celeri remedio prouidere, omnia & singula gesta, facta & ordinata, sancita, decreta & declarata per præfatos Basileæ congregatos & existentes, videlicet citationes, processus & sententias, statuta & decreta, quæ de nobis seu contra nos, iura & libertatem nostram & sedis Apostolicæ vel venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, seu ipsorum aliquem, aut prælatos quoscunque, siue curiales aut Romanam curiam sequentes, vsq; ad præsentem diem facere, statuere, attentare, & ordinare nimium præsumpserunt, & quæ vsq; ad accessum ipsorum legatorum ad suprascriptam ciuitatem Basileensem, & in ipso concilio præfidictum, quomodolibet per eos in futurum fient, agentur, ordinabuntur, sancientur, statuentur, attentabuntur, & mandabuntur, exceptis his, in quibus eis per nostras literas facultatem concessimus, irrita esse & inania, nullumq; effectum debuisse aut debere sortiri, authoritate Apostolica de consilio & assensu præfatorum fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, tenore præsentium declaramus, decernim⁹, & pro infectis haberi volumus & mandamus. Ipsaq; & maxime legationes in terris Ecclesiæ, creationes & ordinationes officialium, beneficiorum collationes, ac omnia & singula inde secuta, vel quæ in posterum sequi possent, ex nunc præfata authoritate, cum de facto processerint, de Apostolicæ potestatis plenitudine cassamus, irritamus, & annullamus, ac nullius esse decernimus roboris vel momenti, districtius inhibentes vniuersis Christi fidelibus, ne decretis, ordinationibus, mandatis, factis & gestis huiusmodi aliquo modo pareant vel intendant, aut pro talib. reputent, declarantes omnes & singulos, cuiuscunq; status, gradus & præeminentiæ existant, etiam si imperiali, regali, Cardinalatus, siue quacunq; alia ecclesiastica siue seculari præfulgeant dignitate nullo vinculo iuramenti, promissionis, facti, aut conuentionis prædictis factæ, quomodolibet se teneri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, constitutionis, voluntatis, mandati, cassationis, irritationis, annullationis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1433. 4. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno 3.

Secunda bulla reuocata.

XI.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. In arcano nostræ mentis sæpissime cogitantes, quod nisi superinualescenti hominum malitiæ, qui Ecclesiam Dei variis quæsitis coloribus perturbare conatisunt, authoritas Romanorum pontificum restitisset, diuersa in Ecclesia Dei scandala emersissent: non solum debitum, sed etiam necessarium reputamus, vt nos quoq; ea quæ in Ecclesiæ scandalum, nostrumq; & sedis Apostolicæ contemptum & dedecus fieri conspicimus, debitis remediis comprimamus. Sane cum ad nostram notitiam nuper peruenisset, quoddam prætensum decretum, datum tertio idus Iulii anno domini 1433. emanasse, in quo inter cætera contineri videtur, nos infra 60, dierum spatium dictis congregatis pure & simpliciter adhærere debere: venerabilibus autem fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon quibuscunq; in Romana curia existentibus mandari dicebatur, vt post ipsum terminum lapsum, infra viginti dies proximè sequentes, sub pœna priuationis omnium beneficiorum suorum, commendarum, pensionum, officiorum, & gratiarum quarumcunque, quam incurrerent ipso facto Romanam curiam relinquerent: omnes insuper causas in ipsa curia pendētes, ad se eo casu aduocabāt, prout hæc & nonnulla alia in ipso prætenso decreto dicuntur plenius contineri: nos ex incumbenti nobis cura officii pastoralis astricti ad tuendam nostram sedis⁹ Apostolicæ authoritatem, Cardinalium quoque patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorū, Officiatiorum & aliorum curialium prædictorum, asserentium ipsius decreti *ex defectu potestatis condentium, ac in hac parte supplicantium, vt super præmissis prouidere vellemus, graui querela cōmoti, authoritate domini nostri Iesu Christi, qui nos suum in terris vicarium constituit, ac de potestatis nostræ plenitudine pronunciamus, decernimus, ac etiam declaramus, præmissum assertum decretum, ac omnia & singula in eo contenta, nullum & inane penitus extitisse, & existere, nullisque authoritatis, valoris vel momenti: ipsumq; & quecunq; in ea comprehensa eadem authoritate reuocamus, cassamus, irritamus, & pro infectis haberi volumus, & mandamus, decernentes insuper & etiam statuentes, processus omnium beneficiorum, officiorum, dignitatum, pensionum, commendarum seu titulorum quorumcunque collationes & dispositiones quascunque, in vim eiusdem decreti quomodocunque & qualitercunq; factas & fiendas, & omnia inde secuta notorie, nullius extitisse vel existere firmitatis. Mandamus insuper omnibus & singulis Christi fidelibus, ecclesiasticis & secularibus, cuiuscunq; dignitatis, status seu conditionis existant, etiam si imperiali, regali, reginali, cardinalatus, patriarchali vel quauis alia præfulgeant dignitate, sub anathematis pœna & priuationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, dignitatum, officiorum & beneficiorum suorum quorumcunque, & inhabilitationis ad illa, seu alia in posterum obtinenda, ne cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, prælatos, officiarios, clericos seu alios Romanam curiam sequentes, in eorum personis seu rebus ecclesiasticis, beneficialibus, spiritualibus vel profanis, occasione præfati decreti turbent quomodolibet vel molestent, nec ea facientibus præstent auxilium, consilium vel fauorem. Pari quoq; pœnę illos, qui authoritate seu occasione quacunque, ea aut eorum aliqua ausi fuerint attentare, volumus subiacere, inhabilitantes eos ad quascunque dignitates, honores, officia & beneficia in posterum obtinenda, supplentes ex eadem potestatis plenitudine omnes defectus, si qui forsan interuenerint in præmissis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ pronunciationis, constitutionis, declarationis, reuocationis, cassationis, irritationis, voluntatis, mandati, statuti, inhabilitationis & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum

*Forte deest, *defectum seu *nullitatem.*

eius, se nouerit incursurum, Datum Romæ apud sanctum Laurentium in Damaso, anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo, tricesimotertio, idib. Septemb. pontificatus nostri anno 3.

Tertia bulla reuocata.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem. Deus nouit secretorum omnium optimus perscrutator, quod vsq; adeo summopere atq; diligenti studio, p curauimus, ne sacrilegum schisma, in Dei Ecclesia nasceretur, quod pauci etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Basileæ conuenientes, ipsum possent verisimiliter (si ab inceptis non desisterent) inducere, nos etiam ad illa humiliando, vt scandala vitarētur, ac ipsis plurima permittendo, ad quæ de iure minime tenebamur, credentes vt exinde pacati, pax & tranquillitas inter nos & ipsos, imo veriùs in Christiana religione oriretur. Sed non profuerunt, siue prodesse possunt, per nos pie, manuete ac modeste cum ipsis dicta & gesta, vt poterit notorie animaduertere Christicola quilibet orthodoxus, quin ipsi velint se à sancta sede Apostolica scindere, & diuinum corpus dominicum, id est, sanctam matrem Ecclesiam, Christi tunicam inconsutilem, lacerare, ac scissuram pestiferam in ipsa conficere, nosq; Petri successorem legitimum, licet immeritum, pro posse confundere, quas res hactenus Christianæ religionis principibus patefacere non curauimus, sperantes nostra cum mansuetudine & patientia omnia ad debitæ iustitiæ semitas posse deducere, ac ipsos ab eorum conatibus & erroribus reuocare. Sed proh dolor nimium iste morbus eorum cancerosus inualuit, & quotidie conualescit, quia nostra clementia & nimia benignitas ipsos contra nos quotidie reddit magis elatos. Et quamuis eorum desideriis condescendentes, mandauerimus iterum debere Basileæ Concilium celebrari, ipsi tamen quoniam nobis oppido sunt infesti, & quos toleraſſe, & ipsis suarum contra sedem Apostolicam rebellionum indulgentiam obtuliſſe, non profuit: eorum tamen intentionem executioni gaudent & cupiunt præcipue demandare, nos falso de variis criminib. imperentes, vt valeant inhumaniter omni pontificali potestate nos perturbare, quorum callide dicta & gesta opus est refellere, ne falsis derractionib. confictis, valeant Christianam circumuenire religionem, ac omnibus Christi fidelibus eorum gesta, dicta & facta horrenda sapere posse in futurum schisma & pestiferam hæresim ostendamus, nostris his literis singulariter eorum obiectis respondentes. Obiciunt igitur primum de nobis obloquentes, quod scandali & perturbationis causa in Ecclesia Dei introducendi, perperam conati fumus sacrum Basileense dissoluere Concilium, quodq; ex hoc vniuersalem Ecclesiam conturbauimus, nec sine consensu Concilii dissolutionem illam facere valuimus: quæ cuncta veritati iuris & facti penitus sunt aduersa. Quoniam primum nostra nunquam fuit aut erit intentio, sacrum dissoluendo exinanire Concilium, ac nolle secundum Constantiensis & Senensis statuta Conciliorum ipsam sacram synodum celebrari, in qua perfidæ hæreses euellerentur, & Deo militantium in Ecclesia reformarentur mores improbi, ac alta pax & dulcis tranquillitas Christiano populo traderetur: quin potius hoc tam salubre negotium semper insedit, & residet cordi nostro. Et his de rebus cupientes vt ipsum per Apostolicæ nostræ solertiæ studium finem debitum consequeretur, in nostræ assumptionis principio ad summi Apostolatus apicem mandauimus, per dilectum filium Iulianum sanctæ Romanæ Ecclesiæ sancti Angeli diaconum Cardinalem, ibidem Basileæ sanctam synodum celebrari. Verum quoniam postmodum, vt aliis nostris literis curauimus Christicolis palam facere, iustis de causis ex parte ipsius Iuliani, & nonnullorum tunc Basileæ conuenientium, per dilectum filium Ioannem Pulchri patris ipsorum oratorem, ad nos specialiter deputatum, nos informati veridica relatione percepimus, quod Basileæ protunc fine magno temporis interuallo ipsius sanctæ synodi celebratio non esset possibilis, Concilium ipsum penitus non dissoluimus, vt ipsi non bene interpretati sunt, sed ad nostram Bononiensem ciuitatem commutauimus, sic quod ipsum in sua essentia consistere voluimus, ac à Basileensi ciuitate solum exoluimus. Quare nos indebite criminantur, quod scandala in Ecclesia Dei introducendi causa Concilium dissipauimus, cum ipsum à Basilea commutare, necessitatibus vrgentibus, coacti fuerimus. Et quamuis nunc nobis ipsas causas per præfatum oratorem intimatas, inficiari non vereantur, orbi tamen toti notissimum est, illas causas celebrandi Concilii impeditiuas, extitisse veras. Nam fere octo menses effluxerant, postquam ipsa initiari debuit sancta synodus, nec adhuc Basileæ conueneranttres Episcopi, aut alii in toto numero decem prælati, regumq; & principum procuratores, siue nuncii pauci, siue nulli aderant, cum quibus de Christianorum pacatione, siue concordia possent aliqua pertractari, vt in Conciliis primum est decens inquirere, Doctorum & magistrorum fere nulli intererant, qui hæreticorum verlutias resistere possent, ac argumenta eorum sophistica scirent refellere & confutare. Locus etiam ipse Basileensis ciuitatis minime tutus videbatur, tum propter armatam finitimam hæresim Bohemorum, tum propter subortam guerram inter dilectos filios viros illustres Burgundiæ & Austriæ Duces. His igitur & aliis iustis & legitimis de causis, non scandalizandi clerum, siue errores studio conficiendi, de ipsorum Cardinalium plurimorum consilio & assensu, qui nunc Basileæ conueniunt, & hanc commutationem damnant, illam fecimus, præsertim his etiam de causis moti, quia sperabamus, quod in Italia consistente charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Romanorum tunc rege, nos facilius ambo potuissemus Bononiam conuenire, adessentque ibidem Bononiæ tunc celerius prælati & principes in numero copioso, siue ipsorum procuratores & nuncii, cum quibus melius & grauiori maturitate singula in Conciliis agenda expedirentur, & maiori cum reuerentia ab omnibus Christi fidelib. reciperentur, quam illa quæ per paucos Basileæ conuenientes fieri forsitan contigissent. Nescimus ergo, quomodo ipsam audent commutationem reprobare, cuius ipsi plurimi fuerunt authores præcipui, damnant namq; eorum gesta, non nostra, quia tunc eramus grauissima corporali infirmitate grauati, cum ipsi dissolutionem & translationem ipsam promouebant, suadebant, & efficere studuerant, nobis præcipue ad memoriam reducentes, & his rationibus compellentes, quod dum eramus in minoribus constituti, vna cum ipsis & aliis fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, voto & iuramento nos astrinximus, quod illo in loco Concilium teneremus, in quo maiori parti Cardinalium magis expediens videretur, cum Basileæ non speraretur posse Concilium celebrari temporibus à iure decretis, iam fine temporis instante, & impedimentis subsistentibus antea enarratis, sicq; ipsi mutationem siue translationem necessariam esse dicentes, & vt alio in loco transferremus, sedulo requirentes. Tandem fuit causa finalis, vt ipsam translationem siue commutationem faceremus, quam tamen & iustam fuisse, & nobis solis cum venerabilibus fratribus nostris S. Rom. Eccl. Cardinalib. facere licuisse (prout egimus) etiam absq, alterius consensu Concilii, nemo sanæ mentis ambigere debet. Nam etsi canon Constantiensis Concilii, qui incipit, *Frequens*, ab ipso Concilio editus, & à felicis recordationis Martino prædecessore nostro non improbatus, locum mutare, vel tēpus incēptionis Cōcilii prorogare nobis sine Concilii consensu prohibere videatur, non tamē decet sic abusiue inter

Narrātur causæ legitimæ dissolutionis Concil.

Ipsim. & Basileen. commutationis Cōc. authores præcipui.

Ad canon. Constantien. Concil. sess. 39.

Maritini V. intentio non poterat eius successoribus præiudicium generare.

pretari, vt, causa imminente nobis etiam soli adempta fuerit circa loci mutationem, temporis prorogationem dispensandi facultas, tum etiam si à Martino edita extitisset, illa non fuisset, siue esse debuisset prolibentis intentio, quæ successoribus suis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari post ipsum, quinimo eadem potestate functuris, & inferatur (prout est secundum omnia iura) in hac parte Cõcilium inferius summo pontifice, papamque ipso priorem nequeunt soluere vel ligare, sed nos in his Concilio superiores, ipsum possemus pro libitu regulare. Namhoc de iure notissimum est, quod possumus quæcunq; statuta, decreta, declarata siue sancita per quoscunq; prædecessores nostros, vel per quæcunq; Concilia, dummodo in ipsis fidei fundamenta non existant, siue ex hoc vniuersalis Ecclesiæ bonum principaliter non turbetur, vt Vicarius Christi & irreprehensibiliter pro nostro amouere & corripere libitu voluntatis: & contra sentire non esse longæuum ab hæresi, velle ligare manus Vicarii IESV Christi, & in terris Dei legati, siue ipsius gesta iudicare vel improbare, quod sacrilegii crimen habet. Sed quæsumus, nobis dicant, qui nobis detrahunt, quæ hæresis, quæ vniuersalis Ecclesiæ turbatio ex hac translatione loci surgere poterat, si nos sanctam Synodum Bononiæ communauimus, vt eius bonum non frustraretur vlterius, quod iam mensibus octo sine fructu aliquo extiterat prorogatum, & ipsius inciandi postmodum Basileæ vestigia commoda nulla videbantur? Profecto nullus per iuris tramites ambulans & non passione sedductus afferet, quod ecclesiæ fecerimus perturbationem, sed salutem: nec celebrationem Concilii frustrauimus, sed id accelerare concupiuimus. Taceant ergo hi, qui sic nobis inhumaniter detrahunt: quoniam non ad Christianorum & Ecclesiæ noxam, commutationem fecimus, sed pro salute tutissima, vt citius quæ in Concilio forent agenda, finem debitum sortirentur. Fuit igitur à Basileensi ciuitate legitima pro tunc nostra Concilii dissolutio, ac ipsius ad Bononiam iustissima translatio, & asserentes contra sunt penitus ab omni veritate ac fide Catholica alieni. Nos insuper criminantur & diffamant, quod sacro Concilio pure & simpliciter non adhæremus, sed quotidie magis & magis contemnimus & despicimus, quodque nos modeste & mansuete monere curauerint, vt scandalosam dissolutionem & Ecclesiæ Christi perturbationem amouere deberemus, quas res inquiunt nos pertinaciter recusare, & has ob causas nos citare & monere non sunt veriti, & tandem (quod est deterius) si eorum vota infra sexaginta dies non adimpleuerimus, nos ab omni pontificali dignitate suspendisse profitentur? quæ quantum contra omnia sint diuina iura pariter & humana, ac hæresim manifeste nutrientia, breuiter ostendemus: nam dissolutionem, quam scandalosam & Ecclesiam perturbantem esse dicunt, legitimis de causis & necessariis iure fecimus, vt ante retulimus. Quod igitur scandalum, quod iuste, honeste & vrgente necessitate factum extitit, potuit generare? Profecto nullum, cum omnia quæ ad salutem Christianæ religionis debuissent in Basileensi Concilio expediri, & quæ pro tunc cum ipsam sanctã Synodum commutauimus, ibidem Basileæ fieri non poterant: melius, celerius & commodius in ipsa Bononiensi synodo perfici valuissent. Quam etiam Ecclesiæ turbationem fecimus, cum (vt paulo ante narrauimus) illo in tempore, quo Concilium commutauimus, fere nulli principati conuenerant? Non poterant igitur perturbari, qui non aderant: quia quod Concilium Basileæ fieret, non curabant. Nam si affectassent, ibidem in tempore conuenissent. Nec quo ad illos qui conuenerant, quia ita pauci numero erant, quod sine nostra authoritate Ecclesiam vniuersalem repræsentare non poterant, quamuis ipsi eam repræsentare se dixerint. Concilio igitur ad ipsam Bononiensem ciuitatem legitime translato, ibidem postmodum Basileæ conuenientes velut locustæ acephali, canonicum sine nostris præsidentibus non fecere Concilium, cum authoritate caterent Apostolicæ sedis. Nec verè sunt, quas faciunt excusationes, quod Constantiensis Senẽsisque atq; felicis recordationis Martini ac nostra authoritate, ipsorum Concilium vires habuerit, & habeat. Nam nos prædictis veris causis subsistentibus, & nostram & piæ memoriæ Martini, & ipsorum Conciliorum authoritates, vt iure fecimus, reuocare potuimus, vt patule supra insinuauimus: quare post ipsam canonicam dissolutionem & authoritatem prædictarum reuocationem, absq; vlla Apostolica authoritate conueniebant, siue conueniunt. Vnde verum non est dicere, eorum canonicum pe st nostram dissolutionem & sine nostris præsidentibus fuisse vel esse Concilium, quoniam nulla rata est vel vnquam erit synodus generalis, quæ summi pontificis non fuerit authoritate suffulta. Nec etiam eorum Spiritus sanctus est caput, cum misericors Iesus Christus super omnia summum pontificem † ecclesiæ post transitum verbi ad patrem, caput, & principem ab ipso Christo & Ecclesia constitutum Ecclesiæ instituerit, nos videlicet, qui locum tenemus ipsius Vicarii Iesu Christi, quamus immeriti. Sacrilegum igitur à nobis postulant & hæreticum, vt declarare velimus, retroactis temporibus Basileæ continue fuisse Concilium, cum post nostram dissolutionem sine nostris præsidentibus regulare non fecere Concilium: quia eorum dicta, gesta & facta omnia cõtra diuina iura pariter & humana perperam sunt confecta, & quæ per nos nullatenus sunt debita comprobari. Et in hoc est quod Christianam religionem circumuenire cupiunt, vt sub colore, quod continue Basileæ Concilium fuisse declaremus, omnia eorum gesta & facta comprobemus, quæ adeo sunt minus bene composita, vt etiam si ab habentibus potestatem promulgata fuissent, essent irritatione, annullatione, & reuocatione dignissima. Nam quod nunquam est lectum, ipsi in ciuitate nostra Auinionensi, & contra nostram voluntatem constituere legatum ausi sunt, illam tyrannidi vnius Cardinalis, nuper cum eis conuenientis subiiciendo, spreto vero legato de latere, pernos & sedem Apostolicam constituto: vnde tot guerrarum strages, tot rapinæ, tot homicidia, tot incendia suborta sunt. Sed tandem clementissimus Deus sua misericordia fauit parti iustiorem causam habenti, quia nostro vero dominio, & sub nostro legato ipsa ciuitas est subiecta. Ipsi insuper de singulis Romanæ curiæ officiis inter seipsos disponere non sint veriti, præsidentes, ad præsidendum in eorum generali Conlilio, deputando, nostris penitus præsidentibus spretis, cum quibus potuissent ac debuissent canonicam synodum facere & firmare. Causarum etiam auditores à seipsis constituerunt, quod nusquam visum est, pontifice summo Romanam curiam tenente, dum ad ipsam extirpationem hæresum, reformationem morum, pacemque Christicolarum vniuersam intenti esse deberent, singulorum causas particulares studeut potius ventilare.

Ad criminationes Basileenſium.

Nulla rata Synodus quæ non fuerit Summi Pont. authoritate ſuffulta.

Exercitium etiam vicecancellariatus officii, vni ex ipsis contra nostram voluntatem tribuere præsumserunt, ac etiam generalia siue publica consistoria celebrare, omniaque attentare non formidant, quæ tantum sunt nobis & sedi Apostolicæ specialiter reseruata, perinde ac si vniuersæ carnis viam essemus ingressi, vel si omnis pontificialis summæ dignitatis potestas esset nobis adhuc viuentibus & in Petri sede legitime constituris, apud ipsos deuoluta: quod asseuerare est hæreticum & prophanum, cum potestas apud nos & ipsos, & sic duos, in solidum esse non possit: quia imaginari non possumus, qua authoritate, quo iure nobis in sede Apostolica consistentibus, beneficia conferant, nisi quod vsurpant contra iustitiam iura nostra. Et quod detestabilius est, illa quæ in nostris prædecessoribus male facta damnant,

Denotat Cardinales S. Euſtachii qui obiit poſtmodum in eodem Concilio.

Denotat Cardinalẽ Rothomagenſem, qui fuit vicecancellarius tempore Conc.

Generalatus Humiliatorum cum principali monaſterio, ſæculari clerico in commẽdam à Baſilcen. datus.

damnant monasteriorum religiosorum secularib, clericis administrationes concessas, ipsi ad instantiam cuiusdam principis secularis fecerunt. Nam officium Generalis Humiliatorum, & illius ordinis principale monasterium, cuidam seculari clerico in commendam sine administrationem concesserunt: quam rem, exemplo veluti pernitiosam, nos antea facere recusauimus. Ipsi vero vt Episcopos habeant, continuo cognita contraria voluntate facere tentauerunt & sub tali eorum colorato titulo clericus ante dictus in dicta administratione intrusus est, ita vt dici possit, quod fere centum monasteria regularia, quę sub officio Generalis dicti ordinis regulari debuissent, sub vnius clerici secularis sunt administratione suppositi: quæ quantum iuri, quantum honestati, quantum bonis moribus conueniant, quisque prudens animaduertere potest. Postremo tandem vlt a aliud, quod nos & plurimos fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales citare conati sunt, etiam postquam decreuimus iterum ibidem Basileæ debere Concilium agitari, nos etiam ab administratione summi põtificatus suspendere freti sunt, vt ad ipsos possent saltem de facto, ipsam nostram summi pontificis potestatem aduocare, & eius administrationem exercere, conferendo beneficia vel officia, & alia faciendo quæ nobis tantum sunt à iure concessa siue permissa. Istæ sunt ergo causæ, quare continue Basileæ fuisse Concilium, per nos declarari cupiunt. Isti sunt, qui, quoniam eorum vota pari non volumus, de nobis tot mendacia confingunt. Istæ sunt hæreses quas extirpare cupiunt, Istæ sunt reformationes debitæ, quas in Ecclesia Dei introducunt, & pax & tranquillitas, quas vniuersis CHRISTI fidelibus disponunt, quia inter seipsos potestatem nostram diuidunt, & sibiipsis ascribere cupiunt, vt quæ beneficia vel officia siue honores, quos à nobis consequi non valuerunt, scindendo Dei Ecclesiam consequantur. Absit igitur à nobis, absit, vt talem declarationem faciamus, & quod talia gesta comprobemus. Prius est enim, vt non solum pontificatum vel partem eius, sed animam tollant, quam fidem Catholicam nobis auferant. De hoc autem vero ad ostendendam nostram synceram & putissimam intentionem, quam habemus, vt Concilium fiat, & quod omnia ad finem debitum perducantur, contenti sumus, & volumus pure & simpliciter continue fuisse Concilium, ita tamen, quod omnia gesta & attentata contra nos, siue sedis Apostolicæ libertatem vel priuilegia, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinales ac nobis adhærentes, prout de facto fecerunt, sic de facto ante omnia reuocent, nostrosque legatos iuxta iuris regulas præsidentes admittant. Obiciunt etiam nobis, & admirati videntur, quod Basileæ tussimus sacram synodum celebrari, ac mãdauimus cum Concilii consilio, agenda per præsidentes perfici. Dicimus, quod Concilium duntaxat potens est, ipsos autem præsidentes sequi necesse est: & ideo si Concilium dictitaret, siue consuleret aliquid Ecclesiæ expedire, præsidentibus vero non placeret, hoc ipsum minime fieri posset, sic quod de iudice Concilium consiliatius formaretur. Sed hi sic dicentes, si nulla iura vidissent, satis est. Nam si ipsi omnia mundi iura percontentur, omnia volunt, quod quæ Concilio statuuntur, declarantur, seu sanciuntur, à Papa vel eius legato constituantur atque promulgentur, sacro Concilio consulente, siue etiam approbante. Nam si Papa vel legatus eiusdem, nollet disponere aliqua, contra Concilium affectaret. Papæ sententia, vel eius legati, personam summi pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cum super omnia Concilia habet potestatem Papa, nisi forte quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum vniuersalis Ecclesię principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potius attendenda. Verba igitur nostratum literarum secundum iuris formam interpretanda sunt, vt quæ ad solum Concilium spectarent, quæ sunt numero plurima, cum Concilio expediantur & fiant, alii vero iuris tramite imitentur. Et hoc est, in quo potissime falluntur, qui Basileæ conueniunt. Nam credunt in singulis agendis esse iudices supra pontificem, quod eorum actiones demonstrant. Nam in singulis se nobis superiores reputant, quod tamen asseuerare est hæreticum & prophanum. Obmutescant igitur, & noscant quod etiam sic cum Concilio fieri mandauit ferre Martinus noster proximus prædecessor, nec velint nostram puram intentionem in singulis lacerare, quam etiam cum aliis lacessere conantur, asseuerantes nostram ad summi Apostolatus apicem non fuisse canonicam electionem. Sed ô misericors Deus, cur oculos tuæ pię iustitiæ contra præfatos non conuertis? Nam plurimi ex his qui talia proferunt, qui nos in Petri Cathedram dirigentes inthronizauerunt, isti nos consecrauerunt, isti nos coronauerunt, & aliqui ex eis, vt à vero CHRISTI Vicario pontificatus insignia susceperunt, alii vero ex eis fere omnes gratias, siue beneficia plurima sunt adepti, & nos annis plurimis pro summo vero pontifice venerati sunt. Igitur imaginari non possumus, qua fronte, qua audacia, quo colore possint nostram Catholicam electionem in dubium reuocare, præsertim cum ipsorum allegant maximam turpitudinem. Quare principes Christiani religiosissimi, vos que alii Christicolæ orthodoxi, per viscera misericordiæ Iesu Christi præfatos Basileæ conuenientes adhortemini, vt desistentes ab inceptis, velint nostros præsidentes admittere, vt canonicam synodum facientes, possint bona illa propter quæ sacrum Concilium est institutum, debitæ executioni demandare. Quod si secus (quod absit) fecerint, & Dei Ecclesiam scindere (vt hactenus sunt conati) concupluerint, nec cum præsidentibus intendere reformationi Ecclesiæ studuerint, tunc vos Christicolas Principes iterum per eiusdem misericordiam obsecramus, qui pro nobis mortem subiit temporalem, vt velitis eorum improbis conatibus pro posse resistere, præsertim ne schisma nefandissimum in Dei ecclesia oriatur. Nam hoc ad principes pertinet seculi Christianos, vt eorum temporibus pacatam velint esse matrem Ecclesiam, vnde sunt spiritualiter nati. Quod Psalmographi verbum ostendit, cum inquit: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore, &c.* Sed quomodo seruiunt principes in timore, nisi ea quæ contra sanctam matrem Ecclesiam & iusta domini sunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Agite igitur, viriliter agite, aduersus Christi vineam, & agri dominicum deuastare cupientes, nec permittere velitis, quod sine authoritate pontificis conciliabula, non Concilia, fiant: quomodo in futurum posset esse exemplum pernicios issimum, vt decem siue plures ad libitum sine sedis Apostolicæ authoritate aliquo in loco prælati conuenirent, scandalizarentque populum Christianum orthodoxum, ac contra Christi Vicarium pro libitu resilirent, vt resistentes malis actionibus, æternam gloriam mereamini. Datum Romæ apud Sanctum Laurentium in Damaso, anno incarnationis dominicæ 1433. Idibus Septembris, pontificatus nostri anno tertio. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, prosecutionis, intentionis, cassationis, reuocationis, irritationis, annullationis, voluntatis, reductionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnatiois dominicæ 1433. 18. Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno tertio. Ego Iordanus Episcopus Sabinen sis manu propria subscripsi. Ego Antonius tituli S. Marcelli, manu propria subscripsi. Ego Lucidus Cardinalis

Locus obſcurus

Pſal. 2.

*de Comitibus Nurtiens. iste fuit scriptor Eugenii: Poggius secretar⁹, Poggiũ, nomen à tergo bullæ scriptum fuit.

de *Comite, manu propria subscripsi. Ioannes de Nursia. Poggius. Datum in sessione publica in Ecclesia maiori B. Sileensi solemniter celebrata, Nonis Februarii, Anno à Natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto.

Die Sabbati 24. Aprilis, 1434. in congregatione generali domini legati sanctissimi Domini nostri incorporati sunt facto Concilio nominibus priuatis, vt sequitur, videlicet reuerendissimi reuerendiq; patres domini Cardinalis sanctæ Crucis, Archiepiscopus Tarentinus, Episcopus Paduanus, & Abbas S. Iustinæ, &c.

Oratores sanctissimi domini Eugenii Papæ quarti in eorum incorporatione iurabunt nominibus propriis, fideliter laborare pro statu & honore huius sacri Concilii & eius decreta defendere, & manutenere, & specialiter decretum sacri Concilii Constantiensis, cuius tenor sequitur, & est talis: Primo, quod generalis synodus in Spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Item declarat, quod quicunque cuiuscunque status vel dignitatis etiam si Papalis existat, qui mandatis, statutis, siue ordinationibus aut præceptis huius sanctæ Synodi & cuiuscunque alterius Concilii generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subliciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Item iurabunt dare sanum & salubre consilium secundum Deum & conscientias suas, & non reuelare vota singulorum, in quantum ex huiusmodi reuelatione verisimiliter posset oriri aliquod odium vel scandalum, &c. Et non recedere à loco huius sacri Concilii, siue licentia obtenta à deputatis eiusdem.

SESSIO XVII.

Super admissione præsidentium in Concilio nomine domini Eugenii Papæ quarti.

XIV. SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, dilectos Ecclesiæ filios Nicolaum tituli sanctæ Crucis in Hierusalem presbyterum, Iulianum sancti Angeli Diaconum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & venerabiles Ioannem Archiepiscopum Tarentinum, & Petrum Episcopum Paduanum, ac dilectum Ecclesiæ filium Ludouicum Abbatem sanctæ Iustinæ Paduanæ, tanquam admittit in præsidentes in hoc sacro Concilio, nomine, vice & loco sanctissimi domini Eugenii Papæ quarti, cum infra scriptis conditionibus & clausulis, plenissimum robur & effectum per omnia habituris, videlicet, sine *omni iurisdictione coactiua, saluo etiam modo procedendi in hoc sacro Concilio hactenus obseruato, præsertim qui continetur in ordinationibus huius sacri Concilii, quæ incipiunt: Primo sint quatuor deputationes, sicut sunt, inter quas omnes de Concilio distribuantur æqualiter, quantum fieri potest, &c. Ordinat etiam, quod præter feriam sextam, in qua ordinaria est congregatio generalis, non possit fieri alia, nisi fuerit conclusum prius per tres deputationes ad minus. Et tunc intimetur ipsis præsidentibus vel alteri ex eis, quod ponat schedulas. Et si non fecerint, vnus ex promotoribus Concilii, vel vnus ex deputationibus quicumque sint, ponat schedulas. Et omnes de Concilio veniant ad congregationem. Alias si non fuerit conclusum per tres deputationes, nullus ad ipsam congregationem accedat. Et quicquid ibi factum fuerit, nullius sit roboris. Et idem de sessione. Item, quod lectis in congregatione generali his quæ conclusa sunt per deputationes, primus inter præsidentes ibidem præsentes, etiam aliis vel alio ex eis absentibus, concludat iuxta ordinationes sacri Concilii. Quod si nolit ipse aut alius de præsidentibus ibidem præsentibus facere, tunc proximior prælatus subsequens in ordine considendi, concludat. Et ipso nolente, alius successiue faciat. Et si forte nullus de præsidentibus veniat ad congregationem, vel ad sessionem generalis Concilii, tunc *primus prælatus (vt præmittitur) pro illo die faciat officium præsidentis. Item, quod omnia acta huius sacri Concilii (sicut hactenus est obseruatum) fiant, & expediantur sub nomine & bulla ipsius Concilii. Datum in sessione publica ipsius sanctæ Synodi, in Ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, sexto Kalend. Maii. Anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quarto.

*proxim⁹ *proximior.

In hac 17. sessione tam solenniter celebrata, interfuit Sigismundus Romanorum Imperator sedens coronatus cum aliis Nobilibus sibi astantibus. Vnus Dux à dextro, tenens ensem euaginatum in manu, iuxta quem Dux Vilhelmus Bauariæ, habens & tenens pomum rotundum deauratum cum cruce in signum mundi, & à sinistro dominus Marchio Brandenburgensis, vnus Electorum Imperii, habens seu tenens sceptrum regale deauratum, &c. Et bene centum prælati, sedentes cum mitris albis, vt moris est, &c.

SESSIO XVIII.

Super innouatione decreti Concilii Constantiensis de authoritate & potestate Conciliorum Generalium, absentibus domino legato Papæ.

XV. SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Ad magnam Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem pertinere dignoscitur, vt ipsius authoritas (cui omnes subesse tenentur) in sacro olim Constantiensi Concilio declarata, sæpius manifestetur, & ad omnium notitiam perducatur. Et quemadmodum nonnulla Concilia præcedentium synodorum salubres institutiones & declarationes reuocate consueuerit, ita & hæc sancta Synodus necessariam illam declarationem de Generalium Conciliorum authoritate, in dicto Constantiensi Concilio promulgatam, sub eodem qui sequitur, tenore innouat: Primo, quod generalis synodus in Spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Item declarat, quod quicunq; cuiuscunq; status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis siue ordinationibus aut præceptis huius sanctæ Synodi aut cuiuscumq; alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subliciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Datum in sessione publica ipsius sanctæ Synodi, in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, sexto Kalendas Iulii, Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto.

Huic sessioni 18. non interfuit Imperator iam ante Basilea digressus.

Constantiensis Concilii sess. 4. Et sup. in hoc Basileensi, sessio. 16.

Constantien. Concilii sess. 5.

SESSIO XIX.

In qua fuerunt pronunciata decreta in materia Græcorum, necnon Iudæorum & Neophytorum.

XVI. SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Sicut pia mater pro filiorum salute semper anxia est, nec vmquam quiescit, donec si qua inter ipsos dissensio sit, sopita fuerit: sic & multo amplius sancta mater Ecclesia, quæ filios ad perpetuam vitam regenerat, omni conatu laborare consuevit, vt omnes qui Christiano nomine censentur, sublato omni dissidio, eandem fidei vnitatem, sine qua salus esse non potest, fraterna charitate custodiant. Quamobrem huius sanctæ Synodi ab initio suæ congregationis, præcipua cura fuit, illud recens Bohemorum, antiquumque Græcorum dissidium prorsus extinguere, & eos nobiscum in eodem fidei & charitatis vinculo perpetuo copulare. Bohemos igitur viciniores primo, deinde Græcos per nostras litteras & oratores pro sancta vnione facienda, cum omni charitate ad hoc sacrum Concilium vocauimus. Et quamquam Bohemorum negotium multi ab initio non solum difficile, sed bene impossibile æstimarent, nostrosque tamquam superuacuos & inutiles iudicarent labores, attamen Dominus noster IESVS CHRISTVS, cui nihil impossibile est, sic salubriter rem ipsam vsque ad hanc diem direxit, vt multo amplius hæc ipsa Bohemorum vocatio Ecclesiæ sanctæ profuerit, quam multi potentissimi exercitus, qui sæpe Bohemiam armata manu ingressi sunt. Quæ res eo ampliorem spem nobis præbet, v hanc Græcorum vnionem cum omni fiducia & constantia prosequamur. Quod quidem eo libentius aggredimur, quo ipsos ad hanc vnionem plurimum affectos conspicimus. Vt primum enim sereniſſimus Græcorum Imperator & Patriarcha Constantinopolitanus per nostros requisiti sunt oratores, mox tres insignes viros de his qui apud eos magnæ videntur authoritatis, (quorum primus ipsum Imperatorem consanguinitate attinet) ad hanc sanctam Synodum destinarunt, sufficienti ipsius Imperatoris mandato cum bulla aurea & eius manu propria subscripta, ac Patriarchæ literis munitos, qui tam in generali congregatione, quam coram commissariis nostris ferventissimum Imperatoris & Patriarchæ, totiusque Ecclesiæ Orientalis ad hanc vnionem desiderium exponentes nos mirum in modum ad tam sancti operis prosecutionem pulsant, ac quotidie excitant, duo inter alia firmiter constanterque asserentes, vnionem ipsam nisi in Synodo vniuersali, in qua tam Ecclesia Occidentalis quam Orientalis conueniat, fieri nullatenus posse, & in ea synodo si fiat, (vt infra conuentum est) omnino ipsam vnionem secuturam. His auditis, summa nobis lætitia ac iocunditas nimirum accessit. Quid enim Catholicæ Ecclesiæ felicius gloriosiusque contingere vnquam posset, quam quod tot Orientales populi, qui numero hominum ab his qui nostræ fidei sunt, non multum distare videntur, in eadem nobiscum fidei vnitate coniungantur? Quid vtilius aut fructuosius ab exordio nascentis Ecclesiæ populus Christianus vidit vel audiuit, quam quod tam diuturnum pernicioſumque schisma penitus extirpetur? Vnde & aliam reipublicæ Christianæ Deo propitio, vtilitatem accrescere confidimus, quoniam ex hac vnione, cum facta fuerit, plurimos ex nefanda Mahumeti secta ad fidem Catholicam conuerti, sperandum est. Quid igitur pro tam pijs ac salutatibus rebus, per Christi fideles tentandum faciendumque non esset? Quis Catholicus pro tanto nominis Christiani orthodoxæ fidei incremento, non modo caducam huius mundi substantiam, sed & corpus & animam exponere non deberet? Quocirca omnem cogitatum nostrum iactantes in DEVM, qui facit mirabilia magna solus, venerabiles Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, præsidentes sedis Apostolicæ, Patriarcham Antiochenum, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, magistrosque & Doctores in numero competenti deputauimus, vt vna cum ipsis Græcorum ambasiatoribus rem istam tractare, & quo ordine ad executionem deducenda esset, prospicere deberent. Qui tam inter se, quam cum ipsis oratoribus sæpenumero conuenientes, habito inter se digesto consilio, ad infrascripta cum ipsis deuenerunt capitula, quæ postea secundum morem huius sacri Concilii per sacras deputationes mature deliberata, ac deinde per generalem congregationem concluſa firmataque solenniter extiterunt. Quorum tenor vna cum mandato ipsius domini Imperatoris sub bulla aurea sequitur, & est talis.

Psal. 54. 71. 135.

XVII. Ambasiatores sereniſſimi domini Imperatoris Græcorum, & domini Patriarchæ Constantinopolitani, videlicet dominus Demetrius *protouestiarius Palæologus Mæotides, venerabilis Isidorus Abbas monasterii Sancti Demetrii, & dominus Ioannes Dissipatus, eiusdem Imperatoris familiaris, conuenientes cum dominis deputatis sacri Concilii, primo exposuerunt, quod si Ecclesiæ Occidentali placeret, vt hæc synodus Constantinopoli celebraretur, Ecclesia Orientalis propriis expensis ibidem conueniret, nec oportet, vt Ecclesia Occidentalis prælatis Orientalis aliquas expensas faceret. Quinimo ipse dominus Imperator, in quibus posset, prælatis Latinis Constantinopolim venturis subueniret. Sin autem placeret, vt prælati Ecclesiæ Orientalis ad tetras Latinorum pro prædicta synodo accederent, necessarium fore propter legitimas causas, vt expensis Ecclesiæ Occidentalis subuenirent. Et cum dictis dominis deputatis videretur multis de causis, hanc vnionem commodius fieri posse in hac ciuitate Basileensi, vbi actu Concilium congregatum est, sæpe ac multum apud ipsos dominos Oratores institerunt, vt hic locus pro hac sancta vnione eligeretur, offerentes impensas ad hoc necessarias. Sed ipsis oratoribus respondentibus, quod cum eorum instructiones limitatæ de certis locis per ipsos Imperatorem & Patriarcham eis datæ sint, non hunc locum eligere qui in ipsis instructionibus nominatus non esset, Domini deputati sacri Concilii, cognoscentes sanctam ac perfectam ipsius Concilii intentionem, quæ est, vt pro honore Dei & profectu fidei Catholicæ nullis parcatur laboribus & impensis, iudicarunt non expedire, vt propter locum duntaxat tantum bonum negligeretur. Acceptarunt igitur, si placeat sacro Concilio, vnum de locis inferius nominandis, cum hoc, quod (sicut inferius est conuentum) mittantur aliqui vel aliquis ad ipsum dominum Imperatorem, Patriarcham & alios, quibus persuadeant per efficaces rationes, vt in hanc ciuitatem Basileensem velint assentire. Loca nominata sunt, Calabria, Anchona, vel alia terra maritima, Bononia, Mediolanum vel alia ciuitas in Italia. Extra Italiam Buda in Hungaria, Vienna in Austria, & ad vltimum Sabaudia. Conuenerunt tamen dicti domini deputati cum ipsis dominis ambasiatoribus, in his quæ sequuntur, si sacro Concilio placeant. Primo dicti ambasiatores promiserunt quod ad huiusmodi synodum conuenient Imperator Græcorum & Patriarcha Constantinopolitanus, & cæteri tres Patriarchæ & Archiepiscopi & Episcopi & alii Ecclesiastici, qui commode venire poterunt. Similiter quod venient ab omnibus regnis & dominiis, quæ

XVII. Tenor Capitulorum per generalem congregationem concluſorum cum Ambasiatorib. Græcorum in negotio vnionis.

subiiciuntur ecclesiis Græcorum, cum plena potestate & mandato vallato iuramento & aliis clausulis opportunis, tam ex parte seculatium dominorum quam prælatorum. Item, quod mittatur vnus vel plures ambasiatores, ex parte sacri Concilii cum octo millibus ducatorum, pro facienda congregatione prælatorum Ecclesiæ Orientalis ad Constantinopolim, quæ octo millia expedientur ab ipsis ambasiatoribus sacri Concilii, prout ipsi domino Imperatori & ipsis ambasiatoribus sacri Concilii videbitur. Ita tamen, quod si dicti prælati nollent Constantinopolim venire, vel postquam Constantinopolim venerint, nollent ad synodum prædictam accedere, tunc teneatur dictus Imperator reddere dictis ambasiatoribus Sacri Concilii, quicquid pro ea re expenderint. Item, quod Ecclesia Occidentalis soluat expensas quatuor galearum grossarum quarum duæ sint de Constantinopoli, & duæ aliunde, pro conducendo dum tempus erit ad portum nostrum, & reducendo Constantinopolim dominum Imperatorem & Patriarchas & Prælatos Ecclesiæ Orientalis cum suis, vsque ad numerum septingentarum personarum. Quibus ipsa Occidentalis Ecclesia impensas faciet hoc modo: Quia pro expensis ipsius Imperatoris & ipsarum septingentarum personarum, à Constantinopoli vsque ad portum nostrum vltimum, dabit ipsi Imperatori quindecim millia ducatorum. A dicto autem vltimo portu vsque ad locum dictæ Synodi & deinde, quandiu manebunt in Synodo, & vsque ad reuersionem ipsorum ad Constantinopolim, faciet dicto Imperatori cum dictis septingentis personis impensas honestas.

Item, quod infra decem menses incipiendos à mense Nouembri proxime sequenti, teneatur sacrum Concilium mittere duas galeas grossas, & duas subtiles versus Constantinopolim cum trecentis balistariis. Super quibus galeis erunt ambasiatores sacri Concilii, & Dominus Demetrius *protonostiarius Palæologus, primus de ipsis ambasiatoribus domini Imperatoris. Qui quidem ambasiatores sacri Concilii, habebunt secum quindecim millia ducatorum, dando domino Imperatori pro expensis suis & Patriarcharum & Prælatorum, ac aliorum venientium vsque ad numerum septingentarum personarum, faciendis à Constantinopoli vsque ad portum vltimum, ad quem debebunt applicare, vt supra. Item prædicti ambasiatores sacri Concilii, ituri cum prædictis galeis, ordinabunt, quod decem millia ducatorum erunt parata ad exponendum, si necessarium fuerit, pro custodia ciuitatis Constantinopolitanæ, propter periculum quod posset interuenire à Turcis ciuitati tempore absentiæ dicti domini Imperatoris, quæ pecuniæ exponentur per aliquem à dictis ambasiatoribus sacri Concilii *deputandis prout necessitas fuerit. Item, ordinabunt prædicti ambasiatores sacri Concilii, de expensis duarum galearum subtilium & trecentorum balistariorum, pro custodia ciuitatis Constantinopolitanæ tempore absentiæ domini Imperatoris, & quod genres dictarum galearum & ipsi balistarii iurabunt in manibus Imperatoris, fideliter se habere. Et capitanei eorum sint, quos Imperator instituerit. Itē, quod prædicti ambasiatores habeant expensas duarum galearum grossarum, tot quot expendi consueuerunt in armando tales galeas. Item, quod huiusmodi ambasiatores sacri Concilii ituri cum prædictis galeis Constantinopolim, nominabunt domino Imperatori portum, ad quem vltimo debebit applicare, & locum vnum de prænominatis, in quo esse debeat dicta vniuersalis Synodus. Laborabunt tamen cum omni instantia, vt ciuitas ista Basileensis eligatur, prout sperandum est.

Item, quod hoc sacrum Basileense Concilium interim stabit firmiter in Basilea, nec dissoluetur legitimo impedimento cessante, quo interueniente (quod Deus auertat) pro continuatione sui iuxta dispositionem capituli, frequens, ad aliam ciuitatem se transferet. Et in casu quo dominus Imperator non contentaretur de isto loco, tunc infra mensem, postquam præfatus dominus Imperator applicuerit ad dictum portum vltimum, sacrum Concilium se transferet ad vnum de prædictis locis nominatis, per ipsum sacrum Concilium (vt supra dictum est) eligendum. Item, quod in omnem euentum prædicta omnia vtrinque adimpleantur. Item, quod prædicta omnia fient firmiori modo, & cum maiori robore & securitate, quo fieri possunt per sacrum Concilium, videlicet per decretum & sub bulla. Item, quod prædictis omnibus conclusis & concordatis, ac (vt præmittitur) firmiter roboratis, summus Pontifex expressum præbeat assensum per suas patentes bullas. Et quod prædicta omnia & singula intelligi debeant bona fide, sine dolo & fraude, & absque impedimento legitimo & manifesto. His omnibus adimpletis, dicunt supradicti ambasiatores Græcorum, & promittunt, quod omnino venient, etiam si bellum foret, & instaret ciuitati. Et ob earum omnium rerum confirmationem tradent mandatum prætati Imperatoris sub bulla aurea sacro Concilio, & pro prædicto Imperatore ipsi & alii iurabunt, scribendo & subscribendo propter firmam & veram fidem, quod fieri debeat cum Deo vniuersalis sancta Synodus si mors Imperatoris non interuenerit, aut impedimentum aliquod manifestum & verum, quod fugi vitarique non posset.

Postremo petitum est ab ipsis ambasiatoribus Græcorum, vt exponerent quædam nomina, in eorum instructionibus contenta. Et primo, quid intelligunt per vrbem, Synodus vniuersalis. Responderunt, quod Papa & Patriarchæ sint in dicta Synodo per se vel procuratores suos, similiter & alii Prælati sint ibidem vere & repræsentatiue, promittentes (vt supra) quod dominus Imperator Græcorum & Patriarcha Constantinopolitanus intererunt personaliter liberi & inuiolenti, hoc est, quod vnicuique liceat libere dicere indicium suum sine cuiusquam impedimento vel violencia, sine contentione, hoc est, sine contentiosa rixosa & contumeliosa. Non tamen excluduntur disputationes & collationes necessariæ, pacificæ, honestæ, & charitatiuæ. Apostolica & Canonica hæc omnia quomodo intelligi debeant, & de modo procedendi in Synodo, remittunt se ad ea, quæ ipsa vniuersalis Synodus declarabit & ordinabit. Item quod Imperator Græcorum & eorum Ecclesia habeat honores suos, hoc est, quos habebat tempore exorti præsentis schismatis, saluis semper iuribus, honoribus, priuilegiis & dignitatibus summi Pontificis, & Romanæ ecclesiæ & Imperatoris Romanorum. Et quod si qua dubitatio oriatur, detur declarationi vniuersalis concilii præfati.

Sequitur tenor mandati dicti Imperatoris sub Bulla aurea, de Græco in Latinum translati.

XVIII. Quoniam missi fuerunt ad sacrosanctum Concilium generale Basileense nostri & Imperii nostri ambasiatores, familiaris noster *protonostiarius Demetrius Palæologus Mæotides, & honorandissimus in sacris monachis Abbas sacri monasterii sancti Demetrii, & familiaris noster Ioannes Dissipatus, ad constitutionem à nobis solicitati generalis & œcumenici Concilii, pro vnione præmediata ecclesiarum Christi, & dedimus eis ambasiatoribus perfectam & plenam potestatem & *bayliam super & in prædictis, mandat, diffinit, & ordinat Imperium nostrum per præsens chrysobulum suum, quod omnia & singula illa, quæ ordinauerint, promiserint, iurauerint, fecerint, & constituerint per scripturam siue scripturas super prædictis præfati nostri ambasiatores, reputentur

*protonostiarius.

In præsentia huius Basileen.

*for. *deputandum.*

In Constitutionis Concilii sess. 39

à nostro Imperio, & affirmata sint, tanquam si à persona nostra præsentialiter facta, ordinata, promissa & iurata forent. Et si contingeret impedimentum aliquod, vel mors in aliquo dictorum ambasiatorum, tunc quod factum est, & promissum erit per duos ex eis, firmum & validum sit, tanquam si per omnes tres factum foret. Et in robur & firmitatem prædictorum, iurat Imperium nostrum per iuramentum debitum & concedens nobis, tamquam Christiano fideli Imperatori, & per orationem & benedictionem sancti mei Imperatoris domini & patris nostri felicis memoriæ, & per animam meam. Factumque est præsens chrysobulum Imperii nostri à mundi creatione sexies millesimo nongentesimo quadragesimo secundo, & à Domini nostri IESV CHRISTI humanitate millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, die vndecimo Nouembr. Constantinopoli in palatio nostro Imperiali. Et subscripsum litteris rubeis manu nostra propria more Imperiali, cum pendenti aurea bulla.

Littera domini Patriarchæ Constantinopolitani de Græco in Latinum translata sub bulla plumbea, & sic talis.

XIX. Ioseph Dei gratia Archiepiscopus Constantinopolitanus, nouæ Romæ vniuersalis Patriarcha, reuerendissimis Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ & reuerendis Episcopis & omnibus aliis deuotis congregatis in synodo Basileensi, condignam & condecentem mitto vobis omnibus ea, qua teneor, charitate & amicitia spirituali salutem. Literas Reuerentiæ vestræ recepimus per reuerendum Antonium Episcopum Sudensem, & fratrem Albertum de Crispis, sacræ Theologiæ magistrum, oratores vestros, ex quibus, & etiam relationibus præfatorum bene notauimus optimam dispositionem atque intentionem Deo amabilem, quam vestra Reuerentia pro tota Christianitate gerit, & specialiter pro nobis, id est, pro vnitate Ecclesiæ sanctæ CHRISTI. Et super hoc lætati fuimus maxime, quoniam h rtimini nos pro illis, pro quibus & nos iam diu hortati fuimus instantes Ecclesiam Romanam. Multoties enim scripsimus, & misimus illuc pro vnitate prædicta, vt omnibus patet. Tantis autem legationibus ex parte nostra factis, & tanta solicitudine ostensa, non permiserunt tamen circumstantiæ rerum, vt finem acciperet nostra voluntas & tractatus. Ad præsens igitur de istis & eisdem & consimili & eadem dispositione, vestræ Reuerentiæ scribimus, quærentes fieri Concilium Oecumenicum, sub præsentia omnium personarum debentium necessario adesse, secundum antiquum ordinem & consuetudinem, & tale Concilium fieri canonicum, liberum, inuiolatum, & simpliciter secundum formas antiquorum Oecumenicorum Conciliorum: & illud omne, quod DEO dante in tali Concilio vnanimiter & concorditer conclusum fuerit, hoc firmum haberi indubitanter & sine contradictione & lite quacumque.

Quæ omnia dicta fuerunt & concessa, & confirmata à sancta Romana Ecclesia, per plures legationes ad eam nostra parte factas. Impedita vero fuit istorum conclusio & effectus, propter temporales circumstantias, vt supra dictum est. Sed quoniam vestra Reuerentia in præsenti tempore tantam promptitudinem super istis ostendit, per legationem specialem quam fecit pro istis, & hortata fuit nos literis & relationibus suorum oratorum, propter hoc & nos mittimus ambasiatores nostros familiarem Imperii *protonostiarium Demetrium Palæologum Mæotidem, & honorandissimum in sacris monachis Abbatem sacri monasterii sancti Demetrii Isidorum, & Ioannem Dissipatum, per quos petimus & rogamus vestram Reuerentiam, quod ad hoc Deo amabile opus vnionis conferatis omnem curam & solicitudinem, vt fiat & concludatur dictum laudabile opus, vestris studio & diligentia, nostris correspondentibus. Cum vero sint aliqua necessaria ad hoc & eius operis executionis, commisimus de istis prædictis nostris ambasiatoribus, qui Vestræ Reuerentiæ latius & clarius omnia referent, & manifestabunt, placeatq; Vestræ Reuerentiæ eisdem plenam fidem adhibere. Datum in vrbe Constantinopoli, millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, die decimoquinto mensis Octobris.

Sequitur confirmatio supradictorum capitulorum.

XX. Suprascripta igitur capitula & conuentiones hæc sancta synodus authoritate vniuersalis Ecclesiæ præsenti decreto approbat, & ratificat & confirmat, statuitque ac decernit, & pollicetur ea & eorum quodlibet seruare, & inconcussa tenere, vt præmittitur. Quæ cum ad incrementum fidei orthodoxæ, vtilitatemque Ecclesiæ Catholicæ, & totius populi Christiani pertinent, omnibus fidem Christi diligentibus, grata plurimum & accepta esse debent. Et quoniam (vt præscriptum est) ipsi Græci propter nonnullas causas postulant, vt sanctissimus dominus Eugenius Papa Quartus, dictis capitulis & conuentionibus expresse consentiat, ne propter hoc tantum bonum negligatur, ipsum Eugenium hæc sancta Synodus cum omni charitate obsecrat & deprecatur, ac per viscera misericordiæ Iesu Christi, cum quanta potest instantia, exorat ac requirit, vt in fauorem fidei & ecclesiasticæ vnitatis, prætactis capitulis & conuentionibus synodali decreto approbatis & ratificatis, per suas literas more Romanæ curiæ bullatas, expressum sensum præbeat. Datum in sessione publica in Ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, septimo Idus Septembris, anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimoquarto.

Aliud decretum de Iudæis & neophytis, in eadem sessione promulgatum.

XXI. Sacrosancta Basileensis generalis synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans ad perpetuam rei memoriam.

Saluatoris nostri IESV CHRISTI sequens vestigia hæc sancta synodus, illud gerit potissime in visceribus charitatis, vt omnes Euangelicam veritatem agnoscant, & in ea postquam agnouerint, fideliter perseuerent. Proinde, vt Iudæi aliique infideles ad orthoxam conuertantur fidem, quique ad ipsam conuersi fuerint, in illa constanter permaneant, his salubribus institutis prouide decernens in primis statuit, omnes diœcesani quosdam in litteris diuinis bene eruditos, aliquot vicibus annuatim deputent in locis, vbi Iudæi, aut alii infideles degunt, ad prædicandum & explicandum taliter Catholicæ fidei veritatem, vt ipsi infideles quiaudiunt, suos valeant errores recognoscere. Ad quam prædicationem sub pœnis tam commercii per fideles illis interdicendi, quam aliis ad hoc opportunis ipsos infideles cuiuscumque sexus in annis discretionis constitutos, accedere compellant. Ipsi autem diœcesani ac prædicantes, ita se erga illos propitios ac charitate plenos exhibeant, vt non solum propalatione veritatis, sed & aliis humanis officiis ipsos Christo lucrifaciant. Christianos autem cuiuscumque dignitatis aut status, quomodolibet impedientes, ne Iudæi ad huiusmodi prædicationem conueniant, aut accedant, notam fautoriæ infidelitatis incurrere ipso facto decernit. Vt autem hæc prædicatio eo sit fructuosior, * quo prædicantes linguarum habuerint peritiam, omnibus modis seruari

*protonostiarium.

*for. * quo maiorem.*

præcipimus constitutionem editam in Concilio Viennensi, de duobus docere debentibus in studiis ibidem expressis, linguas Hebraicam, Arabicam, Græcam, & Chaldæam: quæ vt efficacius obseruetur, rectores ipsorum studiorum inter alia quæ in assumptione Rectoratus iurant, hoc etiam addi volumus, operam se pro ipsius constitutionis obseruatione daturos. In Concilijs etiam illarum prouinciarum, in quibus huiusmodi studia constituta sunt, omnino disponatur, vt hi qui prædictas linguas docturi sunt, stipendia debita percipere valeant. Sacros insuper Canones renouantes, præcipimus tam diœcesanis, quam potestatibus secularibus, vt modis omnibus prohibeant, ne Iudæi aut alii infideles, aut Christianos, aut Christianas in familiares, seu seruientes, aut filiorum suorum nutrices habeant, ac ne Christiani cum ipsis in eorum festiuitatibus, nuptiis, & conuiuiis, aut balneis, seu nimia conuersatione communicent, aut medicos, vel matrimoniorum proxenetas, seu aliorum contractuum mediatores de publico constitutos assumant, nec aliis publicis præponant officiis, aut ad gradus quoscumque scholasticos admittant, nec eis locentur prædia vel alii redditus ecclesiastici. Prohibeantur etiam, libros ecclesiasticos, calices, cruces, & alia Ecclesiarum ornamenta, sub pœna perditionis rei emere, aut pignori sub pœna amissionis pecuniæ mutuatæ accipere. Sub grauibus quoque pœnis cogantur aliquem deferre habitum, per quem à Christianis euidenter discerni possint. Quorum vt euitetur nimia conuersatio, in aliquibus ciuitatum & oppidorum locis, à Christianorum cohabitatione separatis, habitare compellantur, & ab ecclesijs longius quantum fieri potest. Nec diebus Dominicis aliis solennibus festiuitatibus apotheeas aperras tenere, vel in publico laborare præsumant.

De his qui volunt ad fidem conuerti.

XXII. Si quis eorum ad fidem Catholicam conuerti voluerit, bona sua quæcumque habet mobilia & immobilia, ei intacta illæsaque permaneant. Quod si huiusmodi bona ex vsura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, ac notæ sint personæ, quibus foret de iure restitutio facienda, (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum) illis restitui omnino oportet. His vero personis non extantibus, quia talia per manus Ecclesiæ in pios essent vsus conuertenda, hæc sancta Synodus vicem gerens vniuersalis Ecclesiæ; in fauorem concedit suscepti baptismatis, tamquam in pium vsum apud ipsos remanere debere, sub pœna diuini anathematis tam ecclesiasticis quam secularibus interdicens, vt nullam super his, quouis quæsito colore, molestiam inferant, aut inferri patiantur, sed magnum se fecisse lucrum existimet, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam (vt scriptum est) qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in ipso? si ipsi conuersionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, per viscera misericordiæ Dei nostri omnes tam ecclesiasticos, quam seculares hæc sancta synodus exhortatur, vt ipsis conuersis manus porrigant adiutrices. Ipsi quoque diœcesani non solum Christianos ad subueniendum illis exhortentur, sed tam de redditibus Ecclesiarum, prout poterunt, quam de his quæ ad pauperum vsus per ipsos conuertenda deuoluuntur, huiusmodi neophytos sustentare non negligant, ipsosque à detractionibus, contumeliis, paterna affectione defendat. Et quoniam per gratiam baptismi ciues sanctorum & domestici Dei efficiuntur, longeque dignius sit regenerari spiritu, quam nasci carne, hac *edictali lege statuimus, vt ciuitatum & locorum, in quibus sacro baptismate regenerantur, priuilegiis, libertatibus & immunitatibus gaudeant, quæ ratione duntaxat nationis & originis alii consequuntur. Curent insuper sacerdotes baptizantes, & hi qui de sacro fonte suscipiunt, tam ante baptismum quam post, illos in articulis fidei ac legis nouæ præceptis, Catholicæque Ecclesiæ ritibus diligenter instruere. Et tam ipsi quam diœcesani operam dent, ne cum Iudæis seu infidelibus, saltem per longum tempus, penitus conuersentur, ne sicut nouiter contigit ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam perditionem recidiuos efficiat, & quoniam (experientia teste) mutuam inter se neophytorum conuersationem ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere compertum est, exhortatur hæc sancta Synodus locorum ordinarios, vt quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent & studeant, neophytos ipsos cum originariis Christianis matrimonio copulare. Prohibeatur & his neophytis sub grauibus pœnis, ne mortuos more Iudæorum sepeliant, aut sabbata aliasque solennitates & antiquæ sectæ ritus quoquo modo obseruent. Sed & ecclesias & prædicationes nostras, prout alii Catholici frequentent, & in omnibus se Christianorum moribus conformes reddant. Contemptores autem prædictorum, per sacerdotes in quorum parochijs sti sunt, aut alios ad quos de iure vel antiqua consuetudine de talibus inquirere spectat, ac etiam per alios quoscunque, diœcesanis, seu inquisitoribus hæreticæ prauitatis deferantur: & inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, per eos taliter puniatur, quod & aliis transeant in exemplum. De his omnibus in Concilijs prouincialibus & synodalibus diligens fiat inquisitio, & tam circa Episcopos & Sacerdotes in præmissis negligentes; quam ipsos neophytos & fideles prædictorum contemptores, opportunum adhibeatur remedium. Si quis autem, cuiuscumque gradus vel præeminentiæ, huiusmodi neophytos, ne ad obseruationem ritus Christiani, seu alicuius præmissorum compellantur, foueat atque defendat, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas incurrat. Neophyti vero si corrigere post canonicam monitionem neglexerint, quin ad vomitum iudaizantes redire comperti sunt; contra eos tamquam perfidos hæreticos, secundum sacrorum canonum instituta procedatur. Si qua vero ipsis Iudæis vel infidelibus indulta seu priuilegia per quoscunque ecclesiasticos seu seculares cuiuscunque status seu dignitatis, etiam si Papalis vel Imperialis existant, concessa iam sint, vel in futurum concedi contingat, vrgentia quoquo modo in detrimentum Catholicæ fidei, aut nominis Christiani, seu quorumcumque præmissorum, hæc sancta synodus cassa & irrita esse decernit, decretis & constitutionibus Apostolicis ac synodalibus, quæ super præmissis condita sunt, in suo robore duraturis. Et huiusmodi sanctæ constitutionis iugis memoria habeatur, & ne quisquam ipsius ignorantiam prætendere possit, iubet hæc sancta synodus, vt per singulas cathedrales & collegiatas Ecclesias, aliaque pia loca, in quibus vberior est fidelium concursus, semel in anno ad minus infra diuina promulgetur. Datum in sessione ipsius sanctæ synodi, in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, septimo Idus Septembris, Anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimoquarto.

editali.

Hæc ipso anno Basileenses.

Ab his metuens sibi Eugenius, in illas quas memorauimus angustias coniectus, cumprimum Florentiam aduenisset, eas quas adiungo literas dedit-

1. *Ioan.* 3.

Eph. 2.

Eugenius

XXII. *Eug. Florentiæ ad Basil. exhortatoria scribit.*

Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, & dilectis filiis in sacro generali Basileensi Concilio congregatis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Existimaret forsitan aliquis ex his, quæ superiori tempore præcesserunt, mentes nostras non vsque quaque sine nubilo existere: Sed si quæcumque per Oratores nostros, præsertim hoc vltimo loco vobis offerri iussimus, recte intueri voluerit, serenitatem pectoris nostri (vt de nobis loquamur) satis intelliget. Neque id difficile nobis fuerat, qui vobiscum in eundem finem semper processimus: solum in loco celebrandi Concilii, salua semper pietate dissensimus. Nec mirum cum Paulus & Barnabas, propter Ioannem cognomento Marcum inuicem dissentientes separati sint; quos tamen Christi Euangelium copulabat. Optauimus pacem: optauimus Ecclesiæ reformationem. Ob hanc rem non solum cessimus vobis, sed etiam per literas nostras decreto vestro, quemadmodum dictastis, annuimus. Post hæc maiorem in modum (vt præfaris summæ) apertimus cor nostrum. Iterum replicamus: hoc nostrum propositum est, hic noster affectus, vos amare vt filios, obseruare vt fratres, & in benedictionibus dulcedinis vna vobiscum præcipua charitate constringi. Sed etiam de vobis confidimus, vt non alias apud vos sitis: Sed pro ipsius Apostolicæ sedis reuerentia, fideles & deuotos animos ad nos habeatis. Huius siquidem confidentiæ signa perspeximus. Primo, quod ex nostro consensu ad sacrum Generale Concilium plurimum lætati estis. Iterum, quod Præsidentes nostros affectu & opere à modo sic vobis coniunctos, vt pene vnum esse inuicem videamini, audimus. Ex his congratulamur plurimum deuotionibus vestris; congratulamur Ecclesiæ Sanctæ, cui profectum euenire speramus. Congratulamur & ipsi Apostolicæ Sedi, quæ diu non quidem defectu nostro; Sed (vt ita dicamus) temporis malignitate afflicta & angustiata, consolari & honorari à vobis expectat. Vt enim vetera & vulgata prætereamus, quis sine dolore & lacrymis transeat, qua his diebus Romæ passi sumus? Non enim incognitum est, quid conspirationis in nos actum sit; quid venerabiles fratres nostros Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; quid denique in nostros Curiales omnes; quo etiam consilio, quibus medijs, quo authore, aut qua fide omnia ista processerint. Quid vtræ hæc in alijs terris Ecclesiæ Romanæ quotidie machinentur: satis perspicuum est. Christum pro sua pietate eos omnes ad frugem melioris vitæ conuertat. Ob has & alias iustas causas, censuimus malignitati esse cedendum. Itaque ex Ostibe profecti, cum galeis & aliis nauigiis, Deo propitio, in portum Esæum deuenimus. deinde sani & incolumes, ipso Deo iuuante, hodie huc applicuimus. In quem locum, multo honore, reuerentia, & deuotione susceptí sumus. Superest, vt eo affectu, quo cœpistis, in Deum quotidie succrescentes, ad generalem Ecclesiæ reformationem sine vlteriori mora vigiles stis. Sic deuotiones vestras exhortamur in Domino. Nostisenim quantum ea indigeat religio Christiana, quia, vt ait Propheta, à planta pedis vsque ad verticem non, est in ea sanitas. Non multa disputatione opus est, sed obseruatione & exemplo: quibus veluti quodam optimo Rectore, ea quæ à sanctis Patribus diuino spiritu constituta sunt, dirigantur, suumque attingant effectum. Horum Sanctorum Patrum imitatores estote, sicut veri condiscipuli, & filii Dei charissimi. Si quæ igitur pijs, si qua consolatio in Christo, implete desiderium & gaudium nostrum, imo & bonorum omnium. Non deerit vobis gratia diuina, neque bonorum subsidia; sicut in Domino confidimus. Quantum ad nos pertinet, omnes operas nostras pro his rebus libenter offerimus; nihil pro nostro officio prætermittentes, quo gratiam Deo, pacem & salutem populo Christiano, ex his sanctis operibus vindicemus. Datum Florentiæ, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo trigesimoquarto. 9. Kalen. Iulii, Pontificatus nostri anno 4.

Nihil mouit hæc Pontificia exhortatio Basileenses: qui tertio die post superius scriptas scilicet 6. Kalendas Iulii, decretum illud Constantiense innouarunt: cum tamen Eugenius illos moneret, vt pro ipsius Sedis Apostolicæ reuerentia, fideles non peierantes, deuotos non rebelles animos ad illum haberent: ac nonnisi ad Ecclesiæ generalem reformationem, intenderent; Sanctosque Patres, qui Primæsedis Præsulem, solius Dei iudicio reseruatum esse voluerunt, imitantes nihil contra reuerentiam Apostolicæ sedis tentarent, aut auderent.

XXIII. *Defenditur Eug. ab aduersariorum impetitionibus.*

Quod ad illas bullas attinet, in quibus Eugenius declarat, 1. quod generale Concilium Basileense fuerit pro extirpatione hæresum, pro pace populi Christiani, ac generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, & pertinentibus ad ea legitime inchoatum, 2. quod à tempore suæ inchoationis legitime inchoatum extitent, & esse, prosecutionemque semper habuisse, & habere &c. 3. prædictam dissolutionem irritam & inanem fore. 4. quod ipsum generale Concilium pure, simpliciter, & cum effectu, ac omni deuotione & fauore prosequi intenderet. 5. quod reuocaret, quicquid per eum, aut eius nomine in præiudicium & derogationem prædicti Concilii Basil. seu contra eius authoritatem esset. quia adhuc sunt complures, affirmantes, quasi Eugenius decretis Basileensium, consensum Apostolicæ Sedis interposuerit, ad eoq; Constitutionem Constantiensem, de superioritate Concilii super Papam, à Basileensibus detortam, tanta gratia que habuisse vim fuerit: Ioannes de Turre Cremata, Theologus Dominicanus, ophthalmum cæcutientibus, viuens ipse, & videns quæ Basileæ acciderant, hoc malagmate, quod adiungo absterge bat, proque authoritate Pontificis super Concilium reponebat.

Ad ista, sit, facilis est responsio, maxime si vera sunt, quæ à pluribus magnæ probitatis & grauitatis viris dicta sunt in Curia: videlicet, quod præfatæ bullæ magis extortæ fuerint minis, quam de mente Domini Eugenij emanauerint. Nam, vt fertur, Dominus Andreas venetus, Dominij Venetorum tunc Orator, & aliqui Domini Cardinales tunc apud Dominum Eugenium præsentes, timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati sunt præfato Domino Eugenio, quod nisi bullas illas adhæsionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent. Vnde præfato Domino in lecto decumbente, prafati Domini, referuntur, bullas illas taliter qualiter expediuisse, & misisse Basileam. Sed dimissis istis, nos aliter respondemus; dicentes, quod nihil eorum quæ in præfatis bullis, continentur, suffragatur aduersarijs. Quoniam Dominus Eugenius, numquam præbuit consensum decretis Concilij Basileensis, nec ipse, (vt Basileenses fabulantur, & garriunt) cum Sancta Catholica Ecclesia fuit complexus doctrinam, quam aduersarij de authoritate Conciliorum fingunt. quoniam, hæc ipse Eugenius Summus Pontifex, nec vniquam vniuersalis Ecclesia complexa est talem doctrinam; sed ipse semper renuit cum Sancta Catholica Ecclesia, quod Sancta Scriptura, & Sacrorum antiquorum canonum firmat authoritas, & Sanctorum Patrum, ac clarissimorum Doctorum, ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio communis tenet doctrina. Et ad probationem, quam incurrunt ex partibus bullarum adhæsionis, respondetur, negando, quod ex aliqua illarum partium cum veritate potest argui, quod Dominus Eugenius complexus fuerit, aut approbauerit præfatam Basileensium doctrinam. quod per singulas partes discurrendo facimus manifestum.

Non quidem ex prima, in qua dicit, Concilium Basileense congregatum esse legitime, pro extirpatione hæresum: vt patet: Quoniam ex hac concessione nullo modo sequitur, quod ipse Summus Pontifex complectatur, aut approbet, quicquid per illud Concilium fuerit institutum, aut destitutum. Licet enim vniuersale concilium Ephesinum secundum extirpandæ hæresis gratia fuerit legitima

authoritate incheatum; nihilominus, Leo Papa non est complexus præfati Concilii definitiones; imo illas in Concilio Chalcedonensi sequenti, tamquam hæreticas reprobrauit, & damnauit. Præterea: Licet Sancti Patres in Conciliis Vniuersalibus legitima continuatione processerint; nihilominus pro suorum canonum robore atque firmitate, ad Apostolicam sedem legantur semper habuisse in fine recursum: sicut liber Conciliorum, & Summorum Pontificum aperte testatur.

Neque ex secunda parte bullarum adhæsionis, aduersarii habent intentum. Quoniam, licet Dominus Eugenius daclaret præfatum Concilium fuisse continuatum, & continuari debere: propterea tamen non sequitur, quod decreta sua, aut statuta, super quib. eius sedes numquam fuerit consulta, approbauerit. Et tamen, vt felicis, & Sanctæ memoriæ Nicolaus Papa, in epistola quam Michaeli Imperatori scribit: *A Sanctis Patribus in Conciliis obseruatum extitit, vt absque Romani Pontificis cõsensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur.* Vnde ipse Eugenius, Florentiæ, in disputatione publica, de qua nos in minoribus constituti respondebamus allegantiin fauorem Basileensium Domino Iuliano de Cæsarinis Sanctæ Sabinæ presbytero Cardinali, præsentibus Dominis Cardinalibus, pluribusque aliis Prælatis, & Officialibus Curiæ, ad argumentum de huiusmodi bullis respondit ita dicens: *Nos quidem bene progressum Concilii approbauimus, volentes vt procederet vt inceperat; non tamen approbamus eius decreta.* In hoc sapientissime fecit. Quis enim, nisi imprudentissimus Princeps, approbaret decreta quæ numquam vidisset, aut quæ prius non examinasset, si quid in eis minus rectum, minus verum, aut minus expediens contineretur. Vndemos fuit Summorum Pontificum, cum confirmaturi essent decreta Conciliorum Vniuersalium, quibus personaliter non interfuerant, congregare Synodum Prælatorum, qui erant sub Patriarcha Romano; & ibidem diligenti examinatione facta, illa confirmabant; sicut de Beato Syluestro legitur, cum decreta Niceni Concilii approbasset. Item diebus posterioribus Papa Clemens Quintus ita fecisse legitur, & Ioannes Andreas in principio Clementinarum ponit de Constitutionibus factis in Concilio Viennensi, quæ quia, *vt inquit*, aliquæ earum erant ineptæ, aliquæ prolixæ, aliquæ defectiue compositæ, aliquæ etiam non expediebant, fecit illas Clemens recenseri per peritiores: qui aliquas illarum in toto reseruauerunt, aliquas in toto resecarunt, aliquas quoad verba mutauerunt mente seruata: aliquibus vero earum, quibusdam detractis quoad verba, & quoad mentem aliqua sunt addita. Præterea, quod Dominus Eugenius approbando processum Concilii, non approbauerit decreta illius, exinde manifeste colligitur: quod *licet Basileenses, cum maximo studio, repetitis vicibus supplicauerunt, orauerunt, & requisiuerunt per Oratores suos, vt Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, nunquam tamen talem approbationem aut confirmationem habere ab eo potuerunt.* Et merito, quia Sedes Apostolica, in qua religio Christiana semper immaculata permansit, & permanebit, tales decreta, quæ ab Euangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina aliena videbantur, nullo modo ab eo passa fuisset confirmari.

Neque ex tertia particula Bullarum prædictarum, aduersarii habent intentum. Tum quia non ideo Dominus Eugenius dissolutionem factam Concilii irritam esse declarauit; quia ipse, qui Princeps erat Ecclesiæ, facere illam non potuerit: Sed quia agnouit, ex non vetis causis, licet veris æstimatis ex aliquorum relatione illam fecisse. Vnde cognita non existentia causarum; & quod, vt in bulla inquit, ex prædicta dissolutione ortæ erant graues dissensiones, & graviores oriri possent; necnon quod præstabat impedimentum executioni Sanctorum operum, ad quæ Synodus fuerat congregata; *data promissione à Synodo, & securitate à Principibus, quod Apostolicæ Sedis honor, & Sanctitatis suæ illibatus seruaretur*; mutauit sententiam, & voluit, dissolutionem factam, pro bono pacis Ecclesiæ nullam haberi, nec habere firmitatem, reuocans illam, ac irritans. Non enim est nouum, quod Sententiæ Summorum Pontificum, pro consideratione temporum, locorum, & personarum, ac grauium occurrentium necessitatum in melius commutentur. Ait enim Papa Nicolaus *in capite Sententia, vigesimoquinto, quæstione septima. Sententiam Romanæ Sedis, non negamus in melius posse commutari; cum aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione etatum, & temporum, seu grauium necessitatum, dispensatorie quadam ordinare decreuit: quoniam & egregium Apostolum Paulum, quadam feciße dispensatorie legimus, quæ posita legitur reuocasse.*

Neque ex quarta particula cedit aliquid fauoris aduersariis. Quoniam, licet Dominus Eugenius dicat, se velle prosequi, cum omni deuotione & fauore illud Concilium: hoc tamen intelligendum est, in his quæ iuste, & rationabiliter, Salua Fide, Salua Sanctorum Patrum doctrina, Salua Apostolicæ sedis authoritate & reuerentia, per Concilium constituerentur. Præterea, dato quod Papa tunc promisit Concilium illud cum omni deuotione & fauore prosequi, intelligatur approbasse illius decreta; illa intelligatur approbasse, quæ iurisdictionem & auctoritatem Papalem non offendunt, & honori atque præeminentiæ Apostolicæ Sedis non repugnant, seu obuiant, quæ *superiorem nullum, præter Deum recognoscit. de elect. c. Licet.*

Nec ex quinta particula, aduersarii habent propositum suum, quoniam ex tali ratione, & cessatione eorum quæ attenta fuerunt in præiudicium Concilii Basileensis, non sequitur, quod Dominus Eugenius asserere voluerit, aut credere voluerit ea de Concilio in Basileensi, aut quocumque alio: quæ cum veritate Concili s non conueniunt. Nec contra authoritarem Concilii fit negando ei conuenire, quæ iuxta Sanctorum Patrum doctrinam ei non competunt. Cæterum, nec per illam reuocationem voluit Dominus Eugenius, à se, & à Sede sua abnegare, quæ iuxta Scripturas Sanctas, & Sanctorum Patrum sententias, Apostolicæ sedi diuinitus sunt concessa; cum hoc non posset facere: inter quę est illud, *de dependentia aut horitatis Conciliorum à Papa*, & non à conuerso. *Vt patet distinct. decimaseptima per totum.*

Præter hæc, decreta Basileensium prædicta, non sunt valida; quoniam, sicut de decretis factis Constantiæ, per Patres aliquos obedientiæ Ioannis, seu Balthasar, qui dictus est apud illos Ioannes Vigesimustertius, dictum est; Sunt Sanctorum Patrum sententiis, & præstantiorum Doctorum in tota Schola Theologica doctrinæ aduersaria, & contraria. Vbi *non parum admirandum est, aduersarios Basileenses, tanta caligine mentis inuolutos, & excæcatos malitia, vt in materiis Fidei diffiniendis, & declarandis, maluerint sequi homines, ab Ecclesia Dei in doctrina sua damnatos; sicut fuit Marsilius de Padua, Guillelmus Ockam cum complicibus suis: ex quorum doctrina extracta sunt pro magna parte præfata illa decreta Basileensia; & quosdam alios nouellos Doctorellos, præfati Ockam, & aliquorum Fratricellorum opiniones erroneas renouantes; quam Doctores Sanctos, ab Ecclesia approbatos, & alios præstantissimos Doctores antiquos, & reputatissimos in Schola Theologica, quorum doctrina fulget in Ecclesia vt Sol & Luna.* Contra quos ait Hieronymus, &

* Nota.

* Nota.

* Nota.

* Nota.

mus, & habetur in canone, Non afferamus. vigesimo quarto. quæstione prima. *Non afferamus stateras dolosas, nec appendamus quod volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram, ex Scripturis sacris, tamquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus.* hæc Hieronymus.

XXIV. *Nic. Albergat Cardi. honoris Pontif. acerrimus propugnator*

Et quidem ad eum modum, de decretis Basileensium, *Ioannes Turrecremata* sentiebat. *libro secundo de Ecclesia. capite centesimo.* Scilicet, audierat, ac viderat, quid hocanno, pro auctoritate Summi Pontificis supra Concilium, Apostolicæ sedis Legatus, Nicolaus Albergatus tituli Sanctæ Crucis Hierusalem Cardinalis, contra impiorum decretorum conditores egerit. nimirum, neque Sessioni ad VI. Kalendas Iulii interfuerit; neque ad antiquandum illud decretum quicquam intermiserit. Sed & protestationem de nullitate actus interposuit, & ne quid contra honorem Sedis Apostolicæ atque Summi Pontificis decerneretur, nomine Eugenii interpellanegit eumq; Basileenses, vt ipsum tamquam acriorem, à tractatione amouerent, sub specie Legationis ad Eugenium, atque alios Principes Italiæ pacificandos, & bona Ecclesiæ recuperanda, destinassent; non omnino illibenter id muneris suscepit, ne in consilio impiorum persistere, aut in cathedra pestilentiæ præsidere videretur. Quinto Idus Maii, eidem, nonnulla Pontificis nomine postulanti, maiore quam decuit libertate negarunt Basileenses: subsequentibus diebus, interpellantem illorum Fidem, nequicquam audierunt: VIII. Idus Augusti, has quas adscribere visum literas legationis illis sed adiuncto ei collega, Ioanne Ceruante, qui cœtui adhæserat, obtruserunt. Ita habent.

XXV. *Basileenses duos Cardinales vniuersalis Ecclesiæ legatos creant.*

Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam representans, dilectis Ecclesiæ filiis, Nicolao tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, & Ioanni tituli Sancti Petri ad vincula Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteris Cardinalibus, nostris, & vniuersalis Ecclesiæ Legatis, salutem, & omnipotentis Dei benedictionem.

Ad tria maxime Sancta opera, extirpationem videlicet hæresum, reformationem morum, ac pacem inter cunctos Christicolas auctore Domino procurandam, hic in Spiritu Sancto legitime congregati, circa ea, per quæ ipsius veræ pacis & perfectæ quietis desideranda tranquillitas, in singulas orbis partes, Deo propitio subsequi valeat, libenter extendimus vigilantiæ nostræ curas. Proinde leuantes in circuitu nostros oculos, & considerantes, de quo ab intimis præcordiis anxiamur, quot discordiarum fomenta, guerrarum turbines, calamitates & strepitus, diuersæ Italiæ partes hactenus (proh dolor) lachrymabiliter concesserint, adeo vt nisi celeriter occurratur, pene totam ipsam Italiam bellis & discordiis innumeris, in præsentiarum vndique flagrare, & ebullire videamus. Vt autem tantarum guerrarum debacchans furor sopprimi, & iam præparatum extingui valeat incendium, hodieque vigentes guerræ conticescant, ac singula in ipsa Italia discordiarum fomenta, ne deterius inde contingat, Omnipotenti Deo talibus inspirante, in bonum salutaris concordiæ & firmioris vnitatis feliciter commutentur, de vestra circumspectionis industria (quam potentem optre pariter & sermone, in magna experiam & arduis, eximia probitate, fidelitate, magnitudine consilii, morum elegantia, scientia claritate, & aliis grandium virtutum titulis, earum largitor Dominus multifariam insigniuit,) sumentes fiduciam specialem; quod ea, quæ vobis duxerimus committenda exactissimæ ac peruigili opera curabitis adimplere; vos, & quemlibet vestrum in solidum, tamquam pacis Angelos, nomine vniuersalis Ecclesiæ & nostro, ad partes Italiæ, Deo propitio duximus destinandos, & destinamus, vestra diligentia, & solerti indefessaque opera, tam apud Sanctissimum Dominum Eugenium Papam Quartum, quam inter quoscumque Italiæ Principes, Dominia, Communitates, Prouincias, ciuitates, terras, & loca, gentiumque armigerarum Capitaneos, vt discordiæ, differentiæ, dissensiones, atque guerræ de præsent vigentes, & quæ quodammodo in futurum suboriri contigerit, de medio tollantur, & penitus extinguantur: indubitanter tenentes, quod inspirante Regum Rege pacifico, Italiam ipsam ex quotidianis pene guerrarum strepitibus ad metam salutaris concordiæ, & pretiosam pacis thesaurum reducatis: Rursus, cum nonnullæ Ciuitates, terræ, castra, & loca, ad Sanctam Romanam Ecclesiam spectantes, & spectantia, à quibusdam fuerint, & detinentur occupata, quorum recuperatio ad pacem, quietem, & bonum eiusdem Romanæ Ecclesiæ pertinere dignoscitur, cum omni solerti cura & diligentia, per quoscumque modos possibiles, & magis accommodos, elaborabitis hæc loca huiusmodi, ad obedientiam & subiectionem ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & dicti Domini Eugenii Papæ, ac Sacri Collegii Cardinalium redintegrare, & reducere, ipsaque regere, protegere, ac gubernare, ad extremum. Nos enim sententias, quas vos, aut alter vestrum rite tuleritis, & pœnas quas inflixeritis in rebelles, nec non cætera, quæcumque vos, vel alter vestrum inpræmissis, & circa præmissa feceritis, ratas, & rata habebimus, & facimus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum Basileæ 8. Idus Augusti, Anno Natiuitatis M.CCCC.XXXIV.

XXVI. *Eug. Card. Alberg. Basileam. remittit & Basilien. sese obiicere iussit.*

Hæc quidam committebant Basileenses, duobus Cardinalibus, quos superbia præfracta, & præsumptione temeraria, Legatos vniuersalis Ecclesiæ creabant. Ex his Nicolaus, quod videret, ista omnia ad supremam Eugenii contumeliam pertinere, ægerrime quidem tulit; quod vero præcipiti tot Patrum cupiditati se non posse refragari animadvertebat, onus impositum suscepit, & ad Eugenium à Columnensibus Roma pulsum confestim iuit, deque re vniuersa cum eo accuratius deliberauit. Dum autem Florentiæ apud Pontificem esset, iterum Basileenses literas ad eum scripserunt, Sacri Concilii, & vniuersalis Ecclesiæ Legatum appellantes; quibus Procuratorem ei Prosperi Columnæ Cardinalis, capitalis Eugenii inimici & hostis, commendauerunt, vt ipsius ope Ecclesiastica quædam ab Eugenio beneficia obtineret. Tulit indignissime hæc omnia Eugenius. Itaque, vt parem eisdem à quibus prouocabatur molestiam doloremque referret. Nicolaum Basileam redire, ac Legatum actionibus eorum omnibus non solum interesse, sed etiam accurate præesse, & quod posset, sese (si à recto deflocterent) obiicere iussit. *Carolus Sigonius c. 14. Zenus 6. 17. Vita Nicolai Albergati.*

XXVII. *Dua Imp. Grecor. & Basileen. litt. ex quibus patet ipsum Basil. Concl. non aequa quae pro Oecumento agnoscere.*

Poterat sane Eugenius ista quæ acciderant non dissimulare, sed in dissolutione concilii perseuerare. Nam præter quod Legatos illius, Basileenses male habuissent, accedebat grauissima causa, ex occasione Ioannis Palæologi, Imperatoris Constantinopolitani, pro vnione Ecclesiarum laborantis. Quamquã enim illum ad se Basileenses traherent: ille tñ cœtum illorũ videtur, non vsq; quaq; pro Oecumenico Concilio libere ac inuiolato agnoscere: cum quæsit Concilium Oecumenicum congregari, ac deinde petit istud ipsum Cõstantinopoli celebrari. Ergo, ne illud tam Sãctũ vnionis opus interrumperetur; poterat Pontifex Basileensi cœtui non amplius adhærere: Sed Concilium quemadmodum prius dissoluere. Præter ea quæ Basileenses in acta retulerunt, euidãs est in rectio Palæologi ex his literis quas ad iugo.

Ioannes in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Palæologus semper Augustus, Sacrosanctæ Generali Synodo Basileensi salutem in eo, qui omnium est vera salus.

Litteras V. R. recepimus per Reuerendã Antonii Episc. Sudensem, & Fratrem Alberti de Crispis S. T. Magistrum, Oratores vestros, ex quib, & etiam relationib. præfatorum, bene notauimus optimã dispositionem atq; intentionem Deo amabilem, quas V. R. pro tota Christianitate gerit, & specialiter pro nobis, id est pro vnitate Ecclesiæ S. Christi. Te super hoc latare fumus, maxime, quoniam hortamini nos pro illa, pro quibus & nos iam diu hortati fumus instanter Ecclesiam Romanã. Multotes enim scripsimus, & misimus illuc pro vnitate prædicta, vt omnibus patet. Tantis autem legationibus factis ex parte nostra, & tãta solicitudine ostensa, non

permise

permiserunt causam circumstantiæ eorum, vt finem acciperet nostra voluntas & translatus. Ad præsens igitur de eisdem his, & cum simili, & eadem dispositione V. Rs scribimus, quærentes fieri Concilium Oecumenicum sub præsentia omnium personarum necessario debentium interesse, secundum antiquum ordinem & consuetudinem, & tale Concilium fieri Canonicum, liberum, inuiolatum, & simpliciter, secundum formas antiquorum Oecumenicorum Conciliorum. Omne illud, quod Deo dante in tali Concilio vnanimiter & concorditer conclusum fuerit, hoc firmum haberi indubitanter, & sine contradictione, & lite quacunque, qua omnia dicta fuerunt, & concessa, & confirmata à Sancta Rom. Ecclesia per plures legationes ad eam nostra ex parte factas: impedita autem fuit istorum conclusio & effectus, propter temporales circumstantias, vt dictum est. Sed quoniam V. R. in præsenti tempore tantam promptitudinem super istis ostendit, quod legationem specialem fecerit pro istis, & hortata nos fuerit literis & relationibus suorum Oratorum; propter hoc & nos mittimus Ambasiatores nostros, familiarem Imperii nostri Prothonotarium Demetrium Palæologum Methotidem, & honorandissimum in Sacris Monachis, Abbatem scilicet Monasterii Sancti Demetrii Isidorum, & familiarem nostrum Ioannem Dispatum, per quos petimus & rogamus V. R. quod ad hoc Deo amabile vnionis conferatis omnem curam & solicitudinem, vt fiat & concludatur dictum laudabile opus, vestris studio & diligentia nostris correspondentibus, cum nota sint aliqua necessaria ad hoc, & eius operis executionem, commissimus de istis prædictis nostris Ambasiatoribus qui V. R. latius & citius omnia referant, & manifestabunt, placeatque V. R. eisdem dare plenam fidem. Datum in vrbe nostra Constantinopolitana. Anno Millesimo Ducentesimo Trigesimo octauo. die 15. Octobr.

Sacrosanctæ generali Synodo Basileensi, Ioannes in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Palæologus semper Augustus salutem in omnium Redemptore.

Ad legationem nobis factam per V. R. responsum dedimus per nostros Ambasiatores ad vos transmissos, adhortantes, E. V. R. ad Sanctissimum opus vnionis Ecclesiarum Christi diu tractatum cum Beatissimo Domino Papa Eugenio & prædecessore suo, & volente, quod tale diuinum opus ad finem optatũ perducatur. Interea vero prafatus Dominus Papa misit ad nos Nuncium suum & Secretarium, Venerabilem Christophorum Garatonum, concedendo pro tali proposito, & promittendo, quæ nos prius petebamus, & desiderabamus, videlicet, quod fiat Synodus pro dicta materia vnionis in hac vrbe Constantinopolitana, quem Nuncium libentissime vidimus, atque videmus, & acceptauimus illud membrum, quia nobis videtur maxime tendere ad perfectionem dicta Sanctissimæ rei propter causas V. R. relatas, & manifestatas per nostros Ambasiatores, & multo magis libenter acceptauimus, quia certificauit nos dictus Nuncius, dictum Dominum Papam, & V. R. tam in hac re, quam singulis aliis eiusdem esse voluntatis; quod nobis gratissimum est. Quare, cum dicto Nuncio, prædictis nominibus nonnulla conclusimus, super dicta vnionis materia, & pro vltima conclusione, & confirmatione omnium gestorum cum Nuncio antedicto, & pro complemento aliorum, & vt Sanctum opus Deo authore incipiat, mittimus ad prafatum Sanctissimum Dominum Eugenium, & ad V. R. Ambasiatores nostros nobiles viros, Georgium Dissipatum, & Manuelem Dissipatum eius fratrem familiares & dilectos nostros, quibus in relationib. super præmissis placeat dare plenam fidem. Datum Constantinopoli Anno Millesimo Quadragesimo trigesimoquarto. die 13. Nouemb.

Quod ergo Palæologus, Concilium, Constantinopoli fieri peteret & desideraret; poterat Eugenius iniurias à Basileensibus sibi illatas non dissimulare: sed cœtum illorum iterato dissipare: maxime cum & Sigismundum Imperatorem, non omnino æquum sibi animaduerterit fuisse illo in cœtu: in cuius Sessione XVII. Imperialem pompam indutus, non tantum non prohibuit, quin etiam præsentia sua, & Willelmi Ducis Bauariæ qui pomum aureum, ac Marchionis Brandeburgici qui ensem prægestarunt, animauit, vt Pontificia maiestas & auctoritas in Legatus ipsius violaretur. *Tomo quarto Concil. Biniana edit.*

XXVI 11. *Quid Imp. Græc. impulerit ad vnionem cum Latina Eccl. quærendam.*

Dissimulauit vsque ad tempus: quo Basileensium malitia compleretur. Quod attinet Ioannem Palæologum Imperatorem Orientis, necessitatem illi imposuit vnionis quærendæ Amurathes Turcarum Princeps. Auctor historiæ Politicæ Constantinopoleos, rem narrabat istis verbis. Cum regnaret Murata, & in fœdere Græcorum maneret, atque Adrianopoli viuens, expeditionem aduersus Thessalonicam agitaret, rogatus fuit ab Imperatore Ioanne: desisteret à bello Thessalonicensibus inferendo. Cui ipse: *Si esset, inquit, illa ciuitas regno tuo subiecta! abstinerem, amice, hac expeditione. Quia vero ditionis Venetorum est; ibo contra, &, Deo beneiuuante, expugnatam, mihi subiiciam.* Facta fuerat illa ante tempus, Venetorum iuris, vendita ipsis ab Andronico Palæologo, Manuelis F. Profectus cum exercitu Rex Murata, Thessalonicam oppugnauit, eamque vi cepit; magno numero Græcorum occiso. Noluerant enim vllo modo deditionem facere; quamuis magna pollicito: sed ad extremum vsque spiritum restiterant. Acciderunt tunc indigenis Thessalonicensibus multa grauissima; cædes, captiuitates, in alia ex aliis loca venditiones, charorum inter se distractiones, per Orientem Occidentemque dispersiones, dulcis patriæ amissio, & alia generis eiusdem: nullo crudelitatis genere ab impiis, ceu ferocissimis belluis, prætermisso.

Redacta hoc modo in seruitutem non tantum Thessalonica, sed aliis passim oppidis Seruiæ, atque vicinæ Bulgariæ, & aliarum regionum multarum (Dei nimirum permissu, ob punienda peccata nostra; cum, nemine prohibente, nemine armis resistente, nisi paucissimis, iisque infirmis, omni præsidio destituta, desertaque persequeretur) reuersus est; aliorum insuper deuorationem, insatiabilis fera, animo agitans. Attamen speciem quidem præbuit pacem colentis; re autem vera, occasionem & causam aliquam quærebat.

Hæc, & his similia Ioannes Palæogus Imperator cernens; quomodo immanis iste Agaræ ortus canis, vrbes subigeret (quasdam, prætextu speciem habente; nonnullas verbis lenibus, & falsis promissis; alias, viaque oppressione; omnem lapidem, vt dici solet, mouens, nullum dolum omittens, semper aliquid deuorare cupiens;) deproficiscendo in Italiam consilium cepit; & constituendo, quamlibet difficili cum Latinis, Religionis consensu; vt hoc modo aliquibus subsidiis comparatis, Agarenum propulsaret. Qua de re, cum ad Papam Eugenium scripsisset; huic res auditu iucunda fuit, de Concilioque conflando cogitauit; in quo vna ex duabus concors Ecclesia efficeretur, si fieri posset. Itaque & sumptus misit, nauesque necessarias. Nec Papa modo, sed etiam Cardinales, & alii, consensionis cupidi erant; quippe quam sæpe tentassent, sed nihil profecissent, multarum offensionum incursu. *hist. Politica Turco. lib. 1.*

Sed hæc paulo post acciderunt, causamque Eugenio præbuerunt, vt cœtum Basileensem dissolueret; quorum væsaniam, in præsens, forti animo tolerabat.

Poterat non tolerare: etiam in re temporali, præter ea quæ narrauimus, ab illorum emissariis abunde vexatus. Illo Roma pulso, ista acciderunt, partim Romæ partim in reliqua Italia.

XXIX. *Res Romana & Italica post pulsum Roman. Pont.*

Reuersis in vrbem, qui Pontificem insecuti fuerant Romanis, in Curiales grassatum est. Aliquibus tantum fuit cura, partim attonitos latebris tegere, partim sociatos vrbe securos educere, partim prædonũ eripere manib. partim depositas diuitias conseruare. Nec tñ ea in Pontificẽ Ro. impietas, omnino impunis fuit. Nã qui in Adriani molẽ se receperãt Curiales præsertim Põtificis domestici, iactis noctu interdiuq; bõbardis, vsq; ad radices

radices Capitolij populum agitarunt, & Baldassar Ossidanus præsidiarcis præfectus, per pontem Traiani subiectum, impetu in vrbem facto, omnia circumstantia ferro ignique vastauit, peditibusque scapha Tyberim traductis, cum prædam captiuosque ex vrbe sæpenumero abduxisset, omnia infestauit. Michelettus vero, Laurentius, & Leo Sfortia, qui, vt diximus, vrbis rebellione audita, castris à Tybure motis ad vrbem redeuntes portam cæperant Appiã, apud celebertimam Diui Pauli Basilicam castra metati, Latium prædabantur. Sed cum Fortebraccius, vrbis rebellione audita, inducias cum Romanis feciſſet, & ad Picinninum se contulisset apud Viterbium statiua habentem, Sforziani etiam porta Appia Romanis reddita, per pontes trans Tyberinæ regionis abire permissi, ad Sforziam contenderunt, tempus in agro Tuscanensi quoad illi aduenissent de industria ducentem. Fortebraccius coniunctus Picinnino, laceratũ publice probris Sforziam videbatur horis singulis aggressurus. quod Sforzia ex pleratum habens, qua die suos ab vrbe in castra venturos sciebat, Masio Fesulano Ecclesiæ militanti ex Viterbio cum auxiliaribus prouincialium copiis accito, nocte concubia mouit, & acie instructa Fortebraccianos inuadere contendebat. Actum postea inter Sforziam & Fortebraccium, non militaribus, sed quasi ex composito commentitiis artibus; Philippi Ducis Oratoribus etiam, fœdæ seruientibus; dum illos, probris, obsoletorum more, sese lacessentes, ad cõcordiam inuitarent; reuera autem, ad occupanda seu retinenda Romanæ Ecclesiæ bona sollicitarent. Inducias enim tempore, quas ad speciem, inter vtrumque ad aliquot dies posuerant Philippini; Bracciani, Romam versus profecti, traiecto per pontem Miluina Tyberi, pleraq; de Sabinis castra diripuere, & Mallianum Sabinæ regionis oppidum, quod Sforziæ ad eam pauerat diem, oppidanorum perfidia recepere, atque Orziculũ obsidere perrexerunt: Sforzia montem Talisceum iterum obsidione cingere subiit: neq; vnquam alter alterius in conspectum venit, vt aperto Marte de re tota decerneret: vt omnibus apertum esset, vtrumq; colludere; atque Philippi Mediolanensium Ducis, cui clam militare dicebantur, desiderio satisfacere. Inter hæc Venetiarum Cardinalis ferreis vinctus compedibus, Romæ in Capitolina custodia asseruabatur, egre magis ferens impurissimas perditorum hominum in Pontificem voces, quam carceris & compedum qua cruciabatur mole. Iam. Præter hæc, Baptista Cannetulus, quem aduentus Pontificis Florentiam retruerat, artibus Philippinis pollens potensque, Eugenio illudebat. Oratoribus namque Florentiam missis iniunxerat, vt cum de aduentu & salute Pontificis congratulati fuissent, multa de Gasparis germani retentione & equitum direptione, plurima de Venetorum iniuriis quererentur; ad extremum que orarent, vt Bononiam vellet Pontifex à Bononiensibus recipere, qui sibi illam & Ecclesiæ, à Venetorum Ducisq; Mediolanensis armis, magno cum rerum discrimine seruauissent: Prælatos mitteret illam recepturos, agrumque interea vastari à venetorum stipendiariis prohiberet. In dolo omnia faciebat, ab astu Philippi instructus, q̃ hinc apparuit. Victus falsa & subdola supplicum humilitate Eugenius, mittẽs Bartholomæũ Spalatẽsem Archiepiscopũ, Bononiæ Gubernatorẽ, mandauit, vt pace Bononiensibus data, Gatam, Brandolinum que eb iniuriis cohiberet. Baptista Cannetulus, rem variis ducebat artibus, & quandoque oblatos Gubernatores respuebat, aliosque quicunque viderentur ineptiores postulabat: quandoque Gasparis germani commutationem cum Archiepiscopo Tarantasiensi & Truno Patritio, sine damni equitum reflaurione, quam pro æris magnitudine faciebat impossibilem reiiciebat; quousque frumenta, ligna, stramenta, & quæcunque belli vsibus ducere accessaria, Bononiam affatim importarentur, & Philippus Dux Mediolani promissas sibi copias immisisset. Cumque pro Bartholomæo, Ioannem Vitellescum Recanetensem Episcopum, Bononiensibus Gubernatorem mitteret Eugenius, Cannetuli, nullum sibi Gubernatorem dari se passuros protestabantur; & alterũ subrogari postulantes, rem ducebant arte pristina, donec Picinninus duo millia equitum iussu Philippi adduxisset. Opera Philippi Ducis, Picinninus cum Sforzia, inducias in sex mentes fœdera, Eugenio inscio percusserant; quod Philippus vtrique persuaderet, & victum, & victorem simul, in Pontificis, liberorumque populorum potestate futuros. Ita coactis quam maximis copiis, Cannetuli, Bononiam Eugenio subtraxerunt, atque Philippo vicecomiti sese & vrbem permiserunt; non sine magna strage militum Pontificiorum; inter quos Petrus Ioannes Paulus Vrsinus, & Thadæus Estensis, & Nicolaus Tolentinas, nec non ad tria millia & quingenti equites, pedites vero mille capti, Iudibrio Philippinis fuere, ad diem 2. Calend. Septembr: cum nonnisi quatuor interfecti fuissent, vix triginta leuiter vulnerati.

XXX. *Res Pontificis & sociorum meliores efficiuntur.*

Factis, aliena magis culpa, quam propria virtute, Pontificis & sociorum populorum copiis, Picinnino facillimum fuit Florentinam rempublicam euertere trepidantem, & nullis firmatam copiis, præterquã fugaeeptorum Tollentinatis filiorum, quibus vix quinquaginta equites salui erant. Sed dum Bononiensibus morem gerere, vel potius, vt multi existimarunt, rem Bononiensem ea ratione adnisus est firmare, vt eam ciuitatem bello maxime expeditam opportunam haberet, consecutis indies factum est causis, vt prius victoriæ ipsius hasta refixerit, quam Bononiensio, Sancti Petri, Puimatio, & Bazano Bononiensis agri castellis receptis, Francum oppidum oppugnare potuerit. Consumpta namque in ea obsidione per continuos autumni imbres simul cum tempore equorum impedimentorumq; parte non minima, repetiit Lombardiam. Quo in tempore res Pontificis, sociorumq; populorum vbiq; cœperunt esse meliores. Franciscus namque Sforzia, simulac Picinnini victoriam tepescere intellexit, cœptis dudum proponi fœderis conditionibus animum intendebat. Fortebraccius, qui Romam iterum accitus expugnaturis Adriani molis arcẽ Romanis auxilium allaturus in suburbio Dini Petri hactenus confederat, his quas tenebat in Ducatu Spoletano Ciuitatibus & oppidis à Sforzia timens, relictis sine præsidio Romanis Assisium cum turmis omnibus se contulerat. Non parua item rebus Pontificis, sociorumque populorum accessio fuit, Cosmi & Laurentij Mediceorum in patriam reuocatio. Hi anno vix dum elapso Florentia per inuidiam pulsi, Venetiis quo fuerant relegati, summa commorati modestia, Nicolao Donato vexillifero & collegis, qui per id temporis summum Magistratum in ciuitate obtinebant, fibi amicissimis freti, clam egerunt, vt de reditu suo ad populum referretur. Sed cum in scissa, & tunc flagrãte inuidia ciuitate, id fieri, vsitato & veteri more ciuitatis, ac legibus impossibile esset visum; vicit tantorum ciuium gratia, vt posthabitis legibus, vexillifer, & Collegæ, singulos ex ciuibus quos nouerant fautores, rederent attentos: & Palatio, militibus, armis, cibariisq; in aliquot dies munito, omnem in se legum potestatem assumerent, restituendis in patriam ciuibus de populo Florentino bene merentibus; quorum diuitias summas priuatorum, quas in Europa cuipiam esse auditerimus æquiparandas, nulla ex parte ingentibus illorum virtutibus maiores esse, constans apud graues quosque Italicos fama erat. Eos in Palatio apparatus fieri, aduersæ factionis Principes exploratum habentes, Rinaldus Albinus equestris ordinis, Rudolphus Petrutius, & Nicolaus Barbadorus, suos in armis ingentem ciuium & plebis numerum habuere. Et nisi Pontifex authoritate precibusque interceſſiſſet; maximo damno, sed peiore exemplo, ciuili certamine, cædes, incendiaque plurima fuissent commissa. Die Di-

Cosmi & Laurentii Mediceorũ in patriam reuocatio.

uorum Cosmi & Damiani, accito in publicam Palatii aream, vniuersi populi concilio, creati cites trecenti qui summam rerum potestatem sine prouocatione haberent, de reditu Cosmi, Auerardi & Laurentij Medicæorum, ac Angeli Aciaiolo equestris ordinis, deque exilio Rinaldi, Rudolphi, & Nicolai, aliorumque ciuium circirer quinquagiata legem tulerunt; & noui in Magistratibus suffecti sunt Cines, qui rebus Eugenii, Ecclesiæ, venetorumque, consensu maximo studuerunt.

XXXI. *Rebelles Romani à Baldasare Offidamo dolo perbello ludificati tandē in Eug. potestatem veniunt.*

Perbello etiam iisdem diebus dolo, Romanos, Eugenio rebelles, ludificauerat Baldasar Offidamus. Miles etenim Hispanus, nomine Riccius, acri & sub dolo vir ingenio, Campania profugus, Romam cum latronum turma accedens, stipendia petierat terrestria. Cumque minor quam peteret conditio à ciuibus offerretur, indignatus constituit dolo sumere vltionem. Arcem, inquit, vrbis, thesauro vt scitis refertissimam, quod tantopere anhelatis Cines Romani, tradere vobis confido; si munera, tanto facinore digna me consequi posse intelligam. Cum igitur Ciuitate illum donare, Magistratu etiam Septemuirali, qui apud eos tunc esset maximus ornare, & perpetuum insuper Centurionem habere promisissent; constitutis vtrimque signis, quibus arce capta ciuitatis Primatij accurrerent, fugam Riccius simulauit in arcem, aduolansque, aduentus sui causam Baldasarem è vestigio docuit; futurum, si sibi audiuerit, vt Romanorum potentiores, qui præsentem cuperent statum retinere, recipiendę per fraudem arcis sue addictos in potestate haberet, vrbemque per illos recuperaret, & Cardinalem Camerarium carceribus liberaret. Consentiunt Baldasar, Præfidesque, quibus superiorum arcis partium cura à Pontifice fuerat demandata; & dolum procedere cupientissimi, Riccium intra promurale cum manipulo acceptum, custodiæ munera noctu & interdiu obire; quandoque in summa mœnia perductum sese ostendere, & probris Romanos lacessere permisernnt. Romanis etiam Riccius, nocturnas apud portem habentibus excubias ter quaterq; per noctem voce tremula insusurrarat, & nutu gestuque interdin significauerat, sese breui quod fuerat pollicitus confecturum. Die igitur quæ patrando facinori visa est accommoda, Baldasar, quatuorq; illius decurriones vincti, Riccio, & eius manipularibus permittuntur: completur omni in parte arx exulatibus, quales improuisa perculsi clade edere consueuerunt aside summa, deq; infima turris mœniorum, & promuralis parte exaudiuntur voces, arci Riccij dominari. Dumq; Romanos Riccius tāti facinoris expectationi intentos, ripam Tyberis, & pontis repagula videt corona circumsistere frequentissima, de mœnibus primo, tum de promurali, & ramquā moræ impatiens de patente ad portem porta Romanos cier, vt arcem recipiant, obtestatur. Primi omnium aduolant Lælius Magdalenius & Valerianus Mutus, quorum opem clementiamq; Baldasar vinctus obuiam perductus supplex exorauit. Ipsos ocyus subsecuti Ioannes Soma Columnius, Iacobus Galertus Normannus, ac duo alij ciues Romani, Riccium inter complexus hilarem, Baldasarem vinctum conspicati, Romā tunc insigni beneficio Riccii proclamauerāt. Quinq; ex omni turba ciuitatis primores, post alij sex repagula præterueeti, portam arcis intrepidi subierunt; idemque facere omnis parauerat multitudo, maioribus vt constat rapinæ quam gloriæ stimulis agitata, nisi Sancti Gaudentii Ariminensis Abbas, machinamenti duplicitate, maiores simul quam quibus resisti posset introduci copias veritus vetuisset. De arce enim superiore, cuius accuratam susceperat custodiam, rapidum sulphureis bombardarum pulueribus ignem admouens, terribili concrepitu Romanos præcipites attonitosque compulit retrocedere, undecimq; qui processerint interceptis, cæteri intra vrbem mœsti pauidiq, refugerunt. Tum multiplici in populo seditione exorta, qui rebellionis authores fuerant, migrare, & Cardinalem Camerarium abducere intendebant, sibi à coniunctis, affinibusq; & amicis captorum ciuium timentes; quorum vxores, parentesque & liberi, ingens multitudo, castelli tumultu vix dum sopito, Capitolij fores obsederant, preces minasque lamentationibus mixtas fundentes, & curam Camerarij postulantes sibi demandari; quod ab eius salute, suorum vitam libertatemq; intelligerent expectandam. Tandē variis à Capitolio in arcem missis vtro citroq; nunciis, vicerunt, quib. capti erant chari, vt Camerario per Capitolii Palatium cure & custodię suæ dimisso, capti Cines à Præfectis castelli humane tractarentur, quousq; de permutatione, quam Romani publice offerebant, apud Eugenium Pontificem agi posset. Blondus, ita eam rem accidisse narrat. Paulo aliter Platina; sed ex incerto rumore. Præfectus arcis, *scribit*, artibus agendis cum Romanis ratus, adiuuante Baldasare Anfida viro sagacissimo, qui inferiorem arcis partem tuebatur, vni ex militibus suis in certamen prodeuntibus negotium dat, vt captus de industria ab hoste, Castellani scientiā atque anarritiam criminetur; pollicerturq; eis, si velint pactam mercedem præstare, & mortem Præfecti, & arcis proditionem. Fecit ille mandata diligenter. Captus, nullo non genere maleficij in Antonium Ridium conlecto (ita Præfectus arcis dicebatur) fidem dat se cum socijs omnia transacturum. Dimissus itaque arcem ingreditur, vestes Antonij & caligas, addita etiam capitis forma suspendit; à longe idem videbatur. Clamabat Baldasar de scelerato esse sumptum supplicium: ingrederentur aliquot ex optimatibus, & enumerata pecunia iam pacta, arcem reciperent. Credidere miseri nullam subesse fraudem; ingressi aliquot statim capiuntur. Fit clamor exultantium in arce; conijciuntur in populum Romanum missilia, bombardæque exploduntur. Decisi hoc modo Romani de liberandis captiuis cogitantes, & Cardinalem Camerarium Eugenii nepotem quem in vinculis habebant dimittunt, suos qui in arce erant recepturi, & demum in Eugenii potestatem veniant, quarto post libertatem male adeptam mense. Creati Magistratus Ecclesiæ nomine, statim Capitolij firmo præsidio & commeatibus muniunt. Supernenit deinde Ioannes Vitellescus Patriarcha, tantum tremorem Romanis iniecit, vt hiscere præmetu non auderēt: Franciscus Cardinalis Camerarius à vinculis liber, Florentiam iuit, & Eugenium Pontificem, Romanis, quorum primores rebellionis authores diris denouerat, conciliare conatus est.

XXXII. *Ex vrbis captione & Camerarii liberatione Eug. bonā spem in rebus Eccles. concipit*

Pergit Blondus clariora, atq; exactiora narrare.

Perid temporis Camertini, exemplo Fabrianensium, qui paulo ante Clauellenses, verustam in eius oppidi Vicariatu Ecclesiæ familiam, senes pueris mixtos ad numerum duodecim interfecerant, Varanenses quinque numero diuersis in locis vna occiderunt hora, acclamauerunt que populi sub Ecclesia libertatem. Pontifex porro Eugenius, Romanorum in arce captorum nuncio lætatus, permutationi quæ oblata erat accedere simulauit, & Tropiensem Episcopum, quem supra diximus pacis conditiones cum Sfortia apud Calcarellam firmasse, mittens Tudertum apud Sfortiam instare iussit, vt quod ex fœdere deberet, in tanto Ecclesiæ & nepotis sui rerum discrimine præsidium afferret, eaque promptitudine deleret, *ti* quid dedecoris superiori tempore admisisset. Paruit Sfortia, Camerariusque, cuius desiderio Prælatos Curialesque omnes angi intelligeret, liberando, cohortem immittere spopondit; quamprimum pecunias recreandis commilitonibus Pōtifex dissoluisset. Tentatos interea ex Tuderto Romanorum animos, Tropiensis, intelligebat ad Ecclesiam inclinatos. Qua de re cum Pontificem fecisset certiorem, is cui falso, & vt attollit indignos Fortuna persuasum esset, ea sola feliciter successura, quæ Recanatensis gessisset Episcopus, illum ab Imolensi clade reuersum, cū ducatis sex mille Tudertum misit, & ambos iussit Episcopos, munus illud pari exequi potestate. Hi

Sforti anam adducentes cohortem, transtyberina porta sponte ac precario introduxerunt. Recanatensis, contremiscēs ad repentinam huiusmodi deditionem, ne quid doli à Romanis paratum foret, datam ipse portam cum cohorte seruauit. Tropiensis vrbem ingressus, adducente populo Capitolium petiit. Tum Camerario magna populi caterua comitante ad castellum deducto, captiui educti, paxque, & plena, præter spem ac multorum opinionem, delictorum venia Romano populo concessa est. Fretus animo ex vrbis receptione & Camerarij liberatione Eugenius, aliam item in spiritualibus Ecclesiæ rebus, bonam spem, fiduciamque concepit, duobus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Sanctæ Crucis vno, & Sancti Petri ad vincula, quorum hic Basileensibus consensisset, ille demādata legatione summa integritate functus erat, Florentiam redeuntibus. Itaque cum rebus Ecclesiæ temporalibus breui confirmandis, nullum forte existimaret efficacius adminiculum, quam si Sforiam solidioribus astringeret fœderibus, id summa cura & soliciti-

Sforiæ & Pont. fœdus initur.

dine enitebatur: Sed cum Venetorum Oratores Florentinique, quibus cum tractaretur negotium, licet cupientissimi essent, perficere nequiuissent, id etiam à Blondo tentari voluit, qui apud Calcarellam Franciscum Sforiam in sententiam adduxerat. Itaq; vbi Tudertum is accessit, tanta commutatio incessit, vt Sforiia spretis Philippi Ducis pollicitationibus, vt pote qui expertus fuerat, multa illum polliceri, pauca præstare, neglectisque illis quæ Franciscus Gallina & Marcus Siccus Oratores à Philippo missi differebant, Catabricam commilitonem, cui plurimum fideret, cum Blondo Florentiam miserit; & breui in hæc fœdera cōsensum sit; vt Potificis & Ecclesiæ foret Vexillifer, annosque duos equitum trium millium, mille peditum stipendia mereretur. Piceni insuper à summo Pontifice & Cardinalium Collegio, quoad viueret Marchio declaratus, in Tuderto ac Tuscanella ad triennium, in Firmana ciuitate, perpetuus, cum stipis masculinæ & Fratrum successionis iure Vicarius constitutus est; acto expresse, vt cæteris decederet quæ iuris Ecclesiastici obtineret. Formula huiusmodi perscripta, & partium Sigillis obsignata, præcepit Sforiæ Pontifex, vt Fortebraccio bellum inferre pararet. Sed cum pecuniæ illi tardius essent missæ, hyems etiam per Decembrem obstaret aspera; expediendo exercitui operam dare cœpit. Venientem interea ad Christi Natalem Florentiam Camerarium, comitante Episcopo Recanatensi, qui illum ab vrbe prosecutus fuerat, Curiales, & populus Florentinus illum ducentes, maximis sunt honoribus prosecuti. Hæc *Blondus dec. 3 lib. 6.*

Conditiones fœderis.

XXXIII. *Aliæ narrationes de Pont. calamitatibus.*

Eadem habet S. Antoninus, de calamitate Pontificis Eugenii, illi hoc anno à Fortebraccio & Romanis illata, qui, inquit, instigati, vt credebatur ab amicis Philippi & sollicitati, iam conspirabant ad captionem eius. *Antonin. 3 p. tit. 22. c. 10. §. 2.*

Pigna, id clarius narrat: Romani ad Pontificis ædes recta delati, obsidem popoſcerunt Franciſcum Condolmerium nepotem, quem alioqui humaniter verba facientem iniecta in collum manu correptum atque ad terram datum nonnulli inde abstraxerunt, cum Sanctum Apostolum (id loco nomen est) communissent per speciem vt ibi Eugenius tutius habitaret, eodē ipsum compingere conati sunt, eo consilio, quod nec ipsum fugit, vt in custodia asseruatum, vel fame necarent, vel Mediolanum, aut Basileam traherent. Addit, is ipse Pigna. Nouariensis Antistes, non quidem Philippi Legatum, Romæ agebat, sed tñ eius nomine apud Eugenium erat, ac tractandæ paci operam nauabat. Is Pontificem animi causa exigua comitatus cogitantem, excipiendum, atq; ad Philippum abitrahendum curabat. cæterum à conciis delatus, sine vlla quæstione cuncta ordine enarrauit, precibusq; quorundem Cardinalium vitam impetrauit. *Pigna lib. 6. hist. Aestens.*

Ioannes Simoneta, qui de rebus Francisci Sforiæ scripsit, eadem habet; sed iam Concilium Basileæ congregatum, & quidā eo Cardinales profecti erant. Eugenius interim apud Sanctum Grisogonum obsidebatur: quē, ne inde abiret, omni aditu præcluso circumsepiebant: atq; ita aliquot dies quæq; indigna perpessus, tandem mutata veste paruo lembo exceptus per Tyberim, inter iaculantiū tela ex vtraq; ripa multis secundo amne terraq; insequentibus Romanis, Ostiam vix incolumis aduehitur. Romani autem vbi Pontificem consequi nequiuerunt, in Præsules reliquos vbiq; per vrbem impetu facto, bona quæ adhuc illis à fuga superfuerant, in prædam verterunt. Nam multi partim amicorum beneficio, in proximæ vrbi municipia confugerant: partim in Adriani molem se receperant. Inde ad Picininum Legatos mittunt, qui eum ad accipiendam pro Philippo Duce vrbis curam accesserent: donec in Basileensi Conuentu, de Pontificatu, deq; Ecclesiæ rebus decerneretur. *Simoneta lib. 3.*

XXXIV. *Imp. Trapezund. scribit Eugen. & hortatur ad negotium vnionis pro sequendā.*

Conuenit inter Scriptores; Columnenses, Basileenses que, vna cum Philippo Mediolanensium Duce, in perniciem Eugenii innocentissimi Pontificis conspirasse. Non ignorauit eam indignitatem, Imperator Orientis. Quamobrem Eugenio compatiens, sei hunc in modum scripsit, eumque ad prosequendum vnionis Ecclesiarum negotium hortatus est.

Sanctissimo & Beatissimo in Christo Patri & Domino Eugenio Quarto summo Pontifici Romanorum, suo Reuerendissimo, Moreæque Megatonotus Imperator Trapezundarum,

Sanctissime & Beatissime Pater, & Domine in Christo. Binas literas eiusdem S. V. per galeam Venetorum nuc suscepisse fuit certū, vnam Romadatam, alteram quoque Florentiæ. Gratissima nobis, contenta in ipsis, cordiali mente percepimus: cognitionē siquidem prælibatæ Sanctitatis, eum toto nostro imperio, lato animo essentire dispositi. Quis enim desiderio illius lucis videre constructum, magno desiderio optandum? Parcat Deus illa, quibus non est timor Dei, eandem Sanctitatem vexare. Desidero, tanti boni operis vota. S. V. adimplere. Rogamus Altissimum, vt dignetur in præclictis taliter disponere, vt nulla intercedat causa, quæ obsistet prælibatæ Sanctitati ab incepto desistere, vt optatur. Data Trapezundis 1434. die 18. Octobr. ext. tom. 4. Concil.

XXXV. *Alphons. Rex Arag. oratores ad Pont. mittit qui Pontifi. afflicto omnia abunde offerrent.*

Sciuit etiam Alfonsus Rex Aragonum, quæ Eugenio Romæ acciderant; & die 19. Iulii, Martinum Galozium Caurien sem Episcopum, Raymundum Boplum Proregem, & Garziam Aznarium Turiasonensem Decanum, Oratores, Panormo Florentiam destinauit, qui Pontifici afflicto, omniq; ope fere destituto, omnia abunde offerrent. & quidem Eugenius, in tanta necessitate positus libentissime audiuit, quæ ab iis dicebantur; maxime cum ij referrent, Alfonsum ad societatem Venetorum & Florentinorum inclinare. Illud tantum modo suspensum animi tenuit, quod ijdem Oratores, dissuaderent, ne Auinionem se trāsferret; ne Venetias cogitaret; quin imo potius in Aragoniam concederet; quo venturum, vel ipse comitaretur Alfonsus, vel vnū aut duos ex fratribus comitem itineris illi adiungeret; & non tñ commeatum, verum & receptum, vbicumque locorum subsidere vellet, illi honorificum repræsentaret. Vt autem tanto actius Eugenium ad vota sua impelleret, Alfonsus, renuntiabat, quæ Basileenses In illum decreuissent: nimirum electionem illius ad Pōtificatum vitiosam fuisse velle ostendere; quod à suffragijs ferendis excluſi fuissent aliqui, quos Martinus eius antecessor in Senatum Apostolicum coopteſſet. Huic rei, Oratores exemplar Syngraphæ Martinianæ, Basileæ transmissum, ostendebant; in qua is nonnullos designabat Cardinales; quos illo vita functo à Conclaui excluderent alij, ne electioni interessent, & illud præsertim Eugenio Oratores significabant, Basileenses postulasse Alfonsum, qui illis per ministeret in Regnis eius Collectores functorum Cameræ Apostolicæ nomine Concilio instituere, atque subsidium pecuniarium, pro necessitatibus Synodi, ab omnibus Ecclesiasticis exto quere. Vnde apertum foret Eugenio, illos omni-

no intentos esse, ad eum Pontificatu eiiciendam. Faciebat Alfonsus, Eugenio sibi deuinciendo; ne impedimentum præstaret, in Regno Neapolitano consequendo. *Surius hab. 14. Annal. c. 18.*

XXXIV. *Rex Clerus & pop. Aug. Eug. obsequendum esse censent.*

Rex, & Prælati, Clerus & populus Angliæ citra alicuius commodi temporalis respectum, Eugenio Pontifici, potius quam Basileensibus obsequendum esse censuerunt. Cum enim Legati atque nuncii, tam ad Papam, quam ad Basileenses missi redijssent, & rationes Pontificias recensuissent, Synodo Londini conuocata, in qua deliberatum est, vtrum Eugenium Papam, an Concilium Basileense sequerentur: inferior Synodus decreuit, Cõcilio deserto Papæ esse adhærendum: cui decreto etiam ab Episcopis assensum est. *Auctor Antiquitatum Ecclesiæ Britannicæ, in Henrico Chichelepo.*

XXXVII. *Imp. Sigismũd. Pont. res parum curat.*

Sigismundus Imperator qui ab Eugenio exhorsetur, vt is reuocata translatione Basileensi Synodo authoritatem impertiretur, Basilea in Germaniam profectus, parum curæ habuit ad tuendum Pontificem: vel Bohemicis etiam tumultibus impeditus. Thaboritæ, à successu rerum inflati, inceperant, quotidie insolentius agere, nobilitatem contemnere, Praganos pauipendere, simultates inter nouam & veterem Pragam disseminare, vbique religionem deprimere: denique regimen totius Regni vi vurpare; qui digniores erãt, vt porcos pascerent quam homines regerent, vt pote omnes fere Apostasiæ omnibus sceleribus contaminati, aut præuaricatores male conciliati; nam alios magis præcipitos Rectores non habebant. Ergo ea indignitas, non minus quam solitudo teriæ & vastitas, saniores aliquando tandem ordines commouit, vt de somno surgerent, & ad abolendas eiusmodi pestes vigilarent: aut, quod verius est, tempus vltionis iam aduenerat, vt redderet hæreticis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperderet illos Dominus Deus noster. Redderet in quam vicem eis iuxta opera manuum eorum, cædem pro cæde, ignem pro igne, malum pro malo. *Dubravius lib. 27. hist. Bohem.*

Proximam causam inter hæreticos seditionis & exitii mutui, narrabat *Cochlæus l. 8. hist. Hussitarum.*

XXXVII. *Hæreticis in Bohemia inter se tumultuantur & in mutuum exitium ruunt.*

Anno Domini M. CCCC. XXXIV. Cum esset Pragæ vehemens æmulatio & inuidia, inter duos Concionatores, auidissimos plebeæ laudis aucupes, ac fautoris popularis captatores, inter Lupum, inquam, Sacerdotem Orphanorum in noua ciuitate, & Ioannem Rocleyzanam, cõcionatorem Ecclesiæ Beatæ Mariæ ante lætam Curiam in veteri Ciuitate Pragensi, quorum alter in alterum plebem concionando incitabat; Orphani per Lupi Cõciones odio accensi, eluserunt aditus veteris ciuitatis in nouã, turresq; ligneas plurium tabulatorum erexerunt, è quibus Pragenses veteris ciuitatis incolas missilibus infestarent. Hæc vbi Alzo, Regni nouus gubernator accepit, cõuocata nobilitate rem proponit, vt in medium consulerent: quia Thaboritæ & Orphani eius imperium contemnant; contempto autem magistratu, Regnum in pacifico & quieto statu persistere non possit. Placuit omnibus, contemptum vindicare. Pertulerant iam Philznenses decem mensibus duram Thaboritarum & Orphanorum obsidionem. Ad extrema autem redacti, ac fame laborantes, ad Basileensem Synodum misere oratum, ne fidelem vrbem, quæ tam graues lõgo tempore propter fidem Catholicam ærumnas pertulisset, in manus crudelissimorũ hæreticorum finerent peruenire: quod vtique breui futurum esset, nisi subuenirent. At Patres in eo conuentu, cum non haberent erarium publicum, ex priuato argento symbolum dederunt. qua fane cõtributione octo millia aureorum collegerunt, quos confestim miserunt Maynardo, vt collecto exercitu obsessis subueniret. Sciebant enim, eum Procopii Rasi tyrannidi vehementer præ omnibus aduersari. Placuit igitur cunctis nobilibus, cum ea militum manu quam Maynardus comparauerat, Pragam petere. Cumq; veterem ciuitatẽ ingressi essent, ligneas turres amouere, ac parere omnes Alzoni iubent. Negant Orphani Ducem esse, quem neq; ipsi neq; Thaboritæ suscepissent. Fit itaque tumultus; committitur in vrbe prælium. Lupus, vbi suos cedere, pluresque cadere animaduertit, salutem pedibus quæsiuit. Commissum est prælium istud, Sacratissimo die Ascensionis Domini. Albertus Kranzius, ait, capta noua ciuitate, fœnitum esse sine discrimine, in omnem ordinem, ætatem, & sexum: & ad XXII. M. hæreticorum eo die ceciderit, atque maxima præda potitos esse victores. quicquid enim spoliorum Thaboritæ & Orphani, ex captis direptisque vrbibus & vicinis prouinciis acquisierant, ibi repositum fuerat. Quod autem à Catholicis hæc facta esse affirmat, nescio quonam authore, aut teste niratur. Certe antiqui Codices scripti testantur, eos fuisse Hussitas, qui cum Legatis Basileensium compactata fecerant; à quorum parte, & Ioannes Rocleyzana, & illius auditores, antiquæ ciuitatis incolæ stabant; qui vtique non erant vere Catholici. Magis igitur crediderim ibi Bohemis accidisse, secundum illud diuinum per os Isaiæ oraculum: *Concurrere faciam Ægyptios aduersus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum; ciuitas, aduersus ciuitatem.* Vt compleretur illud verbum Christi; *Omne Regnum in se diuisum, desolabitur.* Pilznenses recognita, Procopio è muris illudebant, dicentes, vt ciuibus suis opem ferret, alienos lacessere desineret. stultum enim esse, eum, qui sua tueri nequeat, infestare aliena. Ille ista pro fictis habens; vbi certum de gestis Pragensibus nuncium accepisset, soluta mox obsidione; plenus irarum, cum omnibus copiis versus Pragam iter direxit. Properanti communes amici occurrunt, vt de pace rogarent eum & nobiles agerent. Procopius, ita se pacem habiturum respondet, si noua sibi Praga restituatur; si munitiones deiectæ reficiantur, si Pilzna eo in statu reponatur, in quo fuerat ante dissolutam obsidionem. Namque commeatus iam fuerant eo importati. Nobiles, vbi res factu difficillimas peti vidêt, Procopium q; re vincula, verbera, cædes minari; cum alia via pax inueniri non posset, armis decertare constituunt. Hæc Aeneas Sylvius.

XXII. M. Hæreticorum Thabor. & Orphan. vno die cæsa.

Isai 19.

Alia eiusdem rei narratio.

Ambo Procopii Apostatæ occisi.

Vetustus autem Chronicorum liber sic habet. Anno Domini M. CCCC. XXXIV. Barones Regni Bohemiæ, Dominus Mainardus de noua domo, & Dominus Pratzko cum aliis non multis, & ciues antiquę ciuitatis Pragensis, ad se reduntes, & videntes depræda tionẽ regni, & spolia minis crudelia pauperum p ipsos Thaborita s fieri, consilio inito, feria quinta in Ascensione Domini, ciuitatem nouam Pragensem potenter inuaserunt, & obtinuerunt, totamq; ciuitatem sibi subiugauerunt, quia ipsi de noua ciuitate erant multum partẽ Thaboritarum fouentes, ac ipsos in omnibus contra Barones, & contra ciuitatem antiquam protegentes & adiuuãtes. Hoc audientes illi, qui adhuc circa Pylznam iacuerãt, magno timore perterriti, Sabbatho post Ascensionẽ Domini à Pilzna recesserunt, & progressi sunt versus Pragam, sperantes se è conuerso nouam ciuitatem Pragensem per traditiones ipsorum obtinere. Sed quia ipsi Barones in hoc fuerunt circumspecti, soli cum suis nouam ciuitatẽ custodierunt, & seruauerunt. Videntes hoc Thaboritæ, quod nihil possent proficere, perrexerunt in destructum Grecensem, populum maiorem acquirentes, & compellentes contra Barones pugnare nolentes. Hoc ipsi Barones considerantes, inuocauerunt auxilium Baronum partis Imperatoris. Tunc Dominus Vlricus de Rosis, Dominus Wenceslaus Micholitz de Strakonitz, & alii Barones in districtu Pilznensi cum Pilznensibus, strenuos famosos sequestres & pedestres cum curribus & bombardis, repentino transitu, bene ad XII. M. in subsidium direxerunt; ibique inter Brodam Bohemicalem, & inter Gurym ciuitatem in cãpo cum ipsis conflixerunt, & ipsos Thaboritas prostrauerunt; Procopium Rasum, & alium Procopium parum, Sacerdotes ipsorum occiderunt, & alios multos interfecerunt & cremauerunt, & alios

de cam-

de campo fugauerunt; ipsosque currus omnes & pixides, ac alia instrumenta bellica abstulerunt, die Dominica post festum Corporis Christi. Hęcibi, simpliciter quidem scripta, sed quæ apud me habent fidei non leue pondus.

XXXIX. *Descriptio insignis & Thaboritũ genti bellicosissimæ vltimi prælii.*

Quando quidem vero prælium istud insigne, & Thaboritus genti bellicosissimæ vltimum fuit, operæ pretium fuerit, vt eius descriptio exactior hic ex Aenea Syluio recitetur. Ait ergo. Ventum est ad locum inter Brodam Bohemicã & Burim, quatuor millib. & quingentis passibus à Praga distantem, in agris late patentibus. Ibi currus contra currus incurrunt, & sublato clamore alteri alteros contumeliosissime compellãt, Decreuerat Procopius haud quaquã pugnæ copiam facere, nisi ex occasione prærogatiua daretur. Erat ei animus, recta via Pragam petere, vbi non dubitabat, nouam ciuitatem sibi portas aperturam. At equitatus nobilium, munitiones eius prætergressus, dum forte vltimam partem apertam videt, raptim ingreditur, cædemque facit magnam. Hostes improuiso malo pressi, nesciunt quod agant. Trepidatur totis castris, insolita res terrorem auget. Neq; enim intra munitiones currũ intrasse prius equites aliquando viderant. Cæduntur passim pedites: fit fuga aperta. Ex altera parte mole quadrigarum instant nobiles; sternuntur hostes vbiq; fugientes. Procopius vbi suos retinere non potest, nec audire hortamenta periculum metusq; finit, inter confertissimos hostes dilapsus, cum cohorte, quam sibi ex fortissimis magis quam amicissimis delegerat, aliquandiu hostis impetum retinet, multisq; cæsis victoriam pene hostibus eripit. Sed circumuentus multitudine equitum, non tam victus quam vincendo fassus, telo in incertum misso trãsfoditur. Pari modo & alter Procopius, quem minorem appellari diximus in eodem globo fortiter pugnans occumbit: atq; is finis duobus illis pernicioſissimis ac deterrimis monstris fuit. Sic Thaboritarum & Orphanorum scelerati exercitus, inuicti prius, victi ac deleti sunt. Procopium Rasum quis occiderit, incertum est. Primus eius victoriæ author habitus est Maynardus: post eum, magna Praseonis virtus visa. Coaphco vero Thaboritarum equitatum ductabat, rei militaris apprime peritus, & qui multis aliquando damnis Prutenos affecerat, & à Rege Poloniæ euocatus, vsque ad Gedanum & mare Balthicum victorem exercitum duxerat: ex hoc prælio fuga dilapsus, cum magna parte equitatus Coloniam se recepit. Confecto bello, cum multa millia captiuorum essent, Maynardus concilio Procerum accersito, perdere pestimam plebẽ statuit, quæ nutrita in armis, omnẽ ætatem in castris egerat, nec sub legibus victura crederetur; rapinis, cædibus, atque adulteriis assueta. Qua stante, paratum regnum stare non posset. Sed veritus ne simul innocentes iuste ficeret, qui exagris coacti ad pugnam venerant, voce præconis edici iubet: Nondũ bellum peractum esse: fugisse Coaphconem; Coloniã expugnari oportere; vicinasque per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem necessarios, qui sub Procopiis militassent, viros fortes & in bellis exercitatos. Decretum ergo eis ex publico stipendium, donec regnum pacaretur. Proinde omnes qui stipendia facere vellent, in horrea proxima se reciperent: cauerent, ne rudes inexpertosque belli secum admitterent. Illos sua rura, suosque lares repetere posse. Intrauerunt horrea, (quæ apud Bohemos in villis ex materia culmo tecta frequentia sunt) plerique Thaboritarum & Orphanorum millia, homines nigri ad solem & ventum indurati, aspectu terri atque horribiles, & qui circa fumum in castris vixissent, Aquilinis oculis, impexo crine, promissa barba, corpore proceris, membris hispidis, cute adeo dura, vt ferrum quasi lorica repulsura videretur. Clausa sunt conferta ostia, & ignis immissus horreis, quo fex illa & collanies hominum ignominiosa magmen, post multa quæ parauerat scelera, exusta, contemptæ demum Religionis pœnas dedit. Sigismundus Imperator ex Italia iam reuersus Basileam petierat, dissidioque Patrum quod tunc erat cum Eugenio Papa ad tempus sedato, Vlmam sese contulerat: vbi audita Thaboritarum ac Orphanorũ clade, Legatos in Bohemiam mittit; Regni Proceres commẽdat, qui viros nocentes deleuerint; hortatur, Regni quietem procurent, ac se in Regem suscipiant, quem fratri successorem in gentiũ dederit. Illi ergo magno numero, apud Ratisponam eum conueniunt, Regemq; suum salutant. Venerunt et eorsum & Coaphco, & Ioannes Rockyzana, de rebus suis acturi. Legati quoq; Basileensis Synodi qui Pragæ fuerant, & cum Bohemis certo modo conuenerant, eo se contulere. Imperator, auditis quæ de Religione in commune placuerant, conuenta probauit, eaq; seruari mandauit. Exinde poscentibus Vngaris, nauibus per Danubiũ vectus. Budam petiit. *Cochlæus ex Syluio.*

Post adeptam victoriam multa Orph. & Thaborit. millia quæ superarant in Horreis combusta.

Parta ea victoria, Sigismundus Imperator, Basileensibus, quid acciderit, & quomodo Proceres Bohemorũ ad concordiam inclinauerint, datis literis significauit: quarum hæc sunt exempla.

I.

XL. *Post eam victoriam, Sigismun. Imp. Basileenses eius rei certiores reddit.*

Reuerendissimis ac venerabilibus in Christo Patribus ac Dominis Sacrosanctæ generalis Synodi Basileensis, in Spiritu Sancto legitime congregatis, Ecclesiam vniuersalem repræsentantibus, amicis nostris, charissimis, ac grate & syncere nobis dilectis, Sigismundus Dei gratia Romanorum Imp. semper Augustus. &c. Hungariæ, Bohemiæ Rex. &c.

Reuerendissimi in Christo Patres & Domini, amici charissimi & reuerendi, gratè, syncereq; dilecti. Hodie, hora vesperarum, confluxerunt ad nos nuncii, qui in tribus diebus & citius de Bohemia volantissime applicuerunt, affirmantes nobis iucundissima & felicissima noua de victoria nostrorum & conflictu Thaboritarum, & illorũ qui alias in obsidione ciuitatis Pilznensis erant, qui per Dei gratiam, à quo omnis procedit victoria, in planitie inter ciuitatem Gurim & monasterium Sculitz forti bello cum modico damno nostrorum victoriose prostrati sunt, quarum literarum aliquas originales V. R. P. mittimus præsentibus intercluſas. Hæc R. P. voluimus V. P. pro singularissimo gaudio cunctis Christi fidelibus optantissime nunciare, rogantes corde intimo, quatenus Altissimo Domino infinitas agentes gratias, cum processionibus & aliis solemnitatibus, ad bonum ac felicem progressum tam felicis principii, imo veri medii, omni opere atq; cura vigilare velitis, quoniam & nos similiter de agendis nihil prætermittemus, & quæcumq; in futurum habuerimus, V. P. die noctuq; intimare curabimus. Datum Vlmæ die 4. Iunii.

II.

XLI. *Alia eiusdem ad eos dem lite. de inclinatione Bohemorum ad concordiã.*

Reuerendissimi &c.

Confirmat, continuo Deus noster magnam misericordiam suam super nos, in felici progressu rerum Bohemiæ, quæ Christo disponente, qui cuncta gubernat, in dies considerabilius diriguntur. Scribunt enim nobis illi Oratores nostri, quos in proxima dieta Pragensi habuimus, quomodo omnes Bohemi in vnam sententiam vnamq; voluntatem tracti sunt, in materia articulorum fidei: & quod super reliquis ad nos versus Ratisponam missuri sunt, in festo Assumptionis virginis gloriosæ: taliq; datur spes, vt nihil melius posset superaddi, quarum literarum copias de Bohemico in Latinum translatas V. P. mittimus præsentibus intercluſas. Verum R. Patres, quia ipsi Bohemi multum affectare videntur in huiusmodi dieta Ratisponensi præsentiam venerabilis Episcopi Constantiensis, etiam Auditoris, & Magistri Martini, & aliorum quæ tractatibus ipsorum prius affuerunt; nos opinioni eorum & desideriis concurrentes, illud nedum vtile, verum etiam pro bona conclusione & salubri consummatione omnium tractatuum necessarium arbitrantes, vos attentissime adhortamur, quatenus P. V. velint dare ordinem, vt prædicti Patres & Magistri in huiusmodi dieta omnes interſint. Et si etiam aliqui alii superaddendi fuerint, & illud extollimus etq; laudamus, vt & desideriis ipsorum Bohemorum satisfiat, & ipsi Patres nobis, & nos in nouis peragendis possimus assistere atque consulere. Hæc itaq; R. P. vobis pro consolatione statuimus scribere, vt nihil vos lateat de his, quæ ad nostrum nostram in tam arduis rebus deuenerint. Et quicquid in processu temporis habuerimus, V. P. significabimus, exorantes Altissimum, vt succedent

talia, quæ V. P. cum immensa iucunditate significare posſimus. Datum Vlmæ. 13. Iulii.

II.

Pilznenſes Nicolao Minoritæ, & Procopio Eugel. de victoria contra Thaboritas.

XLII. *Seruitiis noſtris præmiſſis. Amici noſtri charisſimi. Bonas & iucundas nouitates vobis nunciamus, quod omnes inimici noſtri contriti & proſtrati ſunt, ſicut Sacro Concilio, & Imperiali Maieſtati iſta in ſcriptis dirigimus enarranda. Proceſſus autem talis belli fuit. Cum enim vtrique caſtra ex aduerſo metati eſſent, exercitus Huſſitarum multum de bombardis maioribus & minoribus caſtra noſtrorum vexabant & perturbabant. Populus autem communis clamabat, contra Barones murmurans & dicens; Vt quid ita inaniter vitam perdimus, & interſicimur, & tempus vane conſumimus? Progrediamur contra illos; Melius eſt nos pugnando mori, quam ita miſerabiliter perire. Tunc aſſurgentes Barones & Capitanei noſtræ partis, diſpoſuerunt ſe, & ordinauerunt acies, & proceſſerunt ad pugnandum. Cumq; inſtaret hora certandi, & acies contra ſe procederent; nos vero ordinati eramus retro in parte poſteriori, tunc noſtræ acies, ſecundum quod ordinatum erat terga verterunt, fugam ſingentes, ita quod nos qui eramus in cauda in parte poſteriori, fuimus in capite à parte anteriori. Inimici autem hoc videntes, videlicet nos terga vertiſſe, concrepantes buccinis clamabant horribiliter magnis vocibus; Conſurgite, conſurgite, & inſequamur, ecce enim fugiunt. Et ſic omnes aduerſarii conſurgentes, de ſuis caſtris & terribus egreſſi equeſtres & pedites, nos ſunt inſecuti. Nos autem qui eramus in parte poſteriori, videntes quod ſe à ſuis caſtris & terribus elongauerunt, aſſurgentes in nomine Domini, cuius cauſa agebatur, aggreſſi ſumus eos à tergo, & intercepimus eorum regreſſum ad eorum caſtra & terras. Alii autem Barones & nobiles cum omni multitudine conſurgentes à parte anteriori, inuaſerunt eos vnanimiter quaſi vir vnus. Et ſic ante, & à tergo eos tamquam manipulos deiiciebamus, cadentes, quamuis multi reddebant ſe, & reddidiſſent captiuos. Non erat tunc tempus captiuandi, ſed ſolum interſiciendi. Etiam aliqui per nos captiui, extrahebantur violenter de noſtris manibus, & interſiciebantur. Et ſuper hunc modum Domino Deo nos precedente, omnes inimicos proſtrauimus, pacis euadentibus. Pro qua victoria ſit Deo laus & gloria in ſecula. Omnes currus eorum, omnes bombardæ, omnia inſtrumenta bellica, omnia arma defenſiua ablata ſunt; quia omnia ibidem reliquerunt. Nouerit iſta etiam, quod Domini Barones ſtent in campis cum valida potentia, nec recedere intendunt, quoadusq; inchoata ad finem deducant. Imperialis vero Maieſtas, ſolennem Ambaſiatam direxit ad eos, ſcilicet Dominum Pnotham, & Dominum Erneſtum, & alios quamplures; ita quod illa Ambaſiata, multa bona operabitur. Etiam vobis, vt ſciatis, inſinuamus, quod Dominus Imperator ſcripſit nobis, quatenus plures de Concilio & de Ciuitate debeamus venire ad ſuam Serenitatem. Sed duæ cauſæ nos retrahebant. Primo, timor inimicorum, qui ſemper minabantur nobis, quod ſi victoriam haberent, omnibus modis volebant ad nos redire, & in toto nos delere. Noſtra, n. intentio ſemper fuit, libentius velle mori, quam ipſis ſubiici. Sed indeſinenter Deo gratiarum actiones referimus, quod nos de manibus illorum liberauit. Secunda cauſa adhuc nos impedit. Quamuis enim elegerimus eos, qui debeant adire præſentiam Domini Imperatoris; deſunt tamen expenſæ, & impenſæ; quia non poſſumus inter nos conquirere tantum depecuniæ pro expeditione illorũ, & ſtipendiarii pro maiori parte conſurrexerunt contra nos, monentes de ſtipendiis à multis annis retentis. Sic illi repetunt ſtipendia & damna, & nos ſumus in penuria magna. Ergo amici charisſimi, circa Imperialem Maieſtatem, & Sacrum Concilium laboretis, quatenus nobis impendens ſubſidium, quo modicum ab oneribus debitorum in parte liberari poſſimus. Datum in noua Pilzna, feria 3. poſt feſtum Corporis Chriſti.*

IV.

Sigiſmundo Imperatori Pnotha Czaſtolonitz & Arneſtus de Vlatzim Oratores ad Bohemos ab illo ipſo deſtinati.

XLIII. *Sereniſſime Princeps & Inuictiſſime Cæſar, Domine gratioſe.*

Serenitatem veſtram ſcire cupimus, quod illam legationem nobis per S. V. iniunctam, executi ſumus, ad omnes Barones, milites, terrigenas & Ciuitates Bohemiæ in communi, iuxta Concilium eorum, prout nobis veſtra Maieſtas mandauit. Super hoc ipſi tale nobis dederunt reſponſum, quod velunt ad V. S. in die Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis ad Ratiſponam, cum plena poteſtate & reſponſo Barones, & terrigenas, & de Ciuitatibus aliquos deſtinare, quia pars eorum tota, & cum Ioanne Czapkone ſunt ſimul vniti & concordati ſuper illis quatuor articulis; volentes vt & alii cum ipſis ad idem ſe ſubmittent, & ſint in vnitate. Videretur ergo nobis & aliis probis hominibus, quod V. S. in illo termino apud ſe Auditorem Polomarium, & alios de Concilio Baſileenſi, ad hoc neceſſarios habere digneretur. Nam ſi cum ipſis pro huiuſmodi articulis poterit fieri concordia, non intelligimus aliquas alias difficultates. Et ecce tranſimus cum Domino de Roſemberg per eandem viam per quam huc venimus; ſperantes apud eum, ipſum Auditorem inuenire. Volentes etiam cum conſilio Domini de Roſemberg, ſuper iſtis negotiis conferre. Petimus ergo V. S. nolite nobis ad malum imputare, quod paululum deniauimus, & quod ita cito venire non poſſumus; & tamen feſtinabimus, veniendoſque ad V. S. de aliis rebus plenius informabimus. Datum Prage feria 2. poſt feſtum S. Procopii. 1434.

V.

Sigiſmundo Imperator; Alſo de Steinberg.

Sereniſſime Cæſar &c. Scire velitis, quid actum eſt nunc in Pragen. congregatione, circa feſtum S. Ioannis Baptiſtæ. Quando ibidem conuenimus, tunc aliquibus diebus poſt noſtram conuentionem, omnes Ciuitates, quæ nobis contrariabantur, ibi nobiſcum vnita ſunt, excepta Colonia. Et tandem poſt aliquot dies, Czapko, & antiqui Thaboritæ, cum ſuis ſequacibus, & cum dicta Colonia etiam nobiſcum uniti ſunt. Et poſtquam nobiſcum fuerunt compoſiti, ſtatim V.S. nos omnes tale reſponſum dedimus, vt ad vos irent, & veſtram Serenitatem peterent, quatenus V. S. velit appropinquare Ratiſponam, & quod ibidem ad V. S. tranſmittere volumus de terrigenis & de Ciuitatibus, & etiam cum veſtris nuntiis conſulimus, vt peterent V. S. quod eadem V. S. nobis de Saluo conductu prouidere dignaretur, vſque ad numerum 300. equorum, & totidem perſonarum. Rogamus etiam V. S. vt ſi in hã gratioſam velit ex habere. Etiam ſcire dignetur V. S. quod huiusmodi conuentio fieri debet in feſto S. Mariæ proximo. Videtur multis probis hominibus, & mihi ſimiliter, quod habeatis in huiusmodi congregatione Dominum Epiſcopum Conſtantienſem, Auditorem, & alios Doctores, qui alias Prage fuerant à Sacro Concilio deſtinati, & vt illi à Sacro Concilio plenum mandatum habeant. Nam vt ſperamus in Deo, quod omnia negotia bene ſuccedent. Sunt enim quaſi omnes homines, de militaribus, & de Ciuitatibus, qui deſiderant V.S. ſupra ſe dominari. Datum Prage Sabbatho ante feſtum S. Procopii anno 1434.

XLIV. *Satisfecit Bohemorum deſidetio Sigiſmundus Imperator, & Ratiſponam conceſſit. Aduenerunt eo Bohemorum Legati; Regemque ſuum conſalutarunt. Venerunt ſeorſum & Czapko, & Iohannes Rockyzana, de ſuis rebus acturi. Legati quoque Baſileenſium qui Pragæ fuerant, & cum Bohemis certo modo conuenerant, eodem ſe contulere. Sigiſmundus, auditis quæ de quattuor articulis, deq; religione in commune placuerant, conuenta probauit, eaque ſeruari mandauit. Naucl erus, volum. 2. generatione 48.*

XLV. *Mittuntur à diuerſis Regibus oratores ad Syn. Baſil.*

Miſerunt ad eam Synodum Baſileę coactam, diuerſi Reges Europæi, ſuos Oratores, pro ſuis quiſque negotiis; cũ iam audiiſſent, Baſileenſibus cum Eugenio Pontifice conueniſſe. A wladislao Rege Poloniæ, & vniuerſo regno Poloniæ, ex Comitio, apud Corcionum, per tempus Quadragenarii ieiunio habito, deſignati fuere Legati, qui & vniuerſi Regni perſonam ibi ſuſtinerent, & Sigiſmundi Imperatoris, Crucifetorumque obtrectationes, & falſas criminationes, quæ aduerſus wladislaum Regem iactabantur refellerent, ac de vniuerſa cauſa cum Cruciferis diſceptarent. Fuerunt autem Principes eius legationis, Sbigneus Cracouienſis, Stanislaus Poſnanienſis Epiſcopi, Ioannes Conelpolius Cancellarius Regni, & Nicolaus Laſſocius Decanus

Sbigen. vocatus ex ora toribus à Rege Polon. eo defunctus an te diſceſſum ſuum acerbe in Regem & eius vitia in publico conſilio inuehitur.

nus Cracouienſis: Non putauit autem Sbigneus prætermittendam ſibi occaſionem caſtigandi Regis, priuſquã peregre proſiciſceretur. Itaq; in illo ipſo conſeſſu amplisſimo grauisſimis verbis id egit, in hanc ſententiam locutus: *Non recuſare ſe inuictum legationis onus pro honore ac dignitate patriæ ſimul & Regis; ſed non poſſe tamen, quin Regem quibuſdem de rebus pro officio ſuo, priuſquã proſiciſcatur, admoneat. Veteri enim ſe, vt cũ reuerentia è Concilio ſuperſtitem reperiat; quippe quitam grandis natu eſſet, & proſtigatis iam viribus. Neſcire etiam; quonam pacto pleraſque Imperatorũ & Cruciferorum criminationes in ipſum dilnat. Nam & ipſum ſe, & alios pleroſq; omnes in illo conſeſſu, animaduertere, in eo nonnulla reprehenſione digna. Multas quidem in eo, dignas bono Principe virtutes elucere, ſed non carere eum & vitiis, quibus virtutum illarum ſplendor obſcureturs qualia ſint, quod ipſo vel inſcnte, vel permittente, multis per iniuriam, aut certe ſummo quidem iure, & nimis exacta acerba interpretatione iuris bona adimantur, quod oppreſi à potentioribus non vindicentur; quod calamitoſorum hominum cauſa non audiantur atq; decidantur; ipſo in profundam noctem prolixioribus cœnis indulgente, ac deinde magnam diei partem inerti ſomno abſumente. In itineribus etiam pergrauem eum eſſe Eccleſiaſticis iuxta ac equeſtribus hominibus, oppidanisq; & agricolis; propterea, quod audacem ſuum comitatum à rapinis, ſtupris, & iniuriis non cohibeat; ſubeſtionesq; & procurationes præterius & æquum, acerbe, & pignerationes inmentorum exigipatiatur. Ad hæc moneta cudende ſeminio eum poteſtatem feciſſe; eam vero perleuem cudi magno Reipublicæ detrimẽto. Superſtitiones vero eius quaſdam ex priſco dæmonii cultu retentas, quas ipſe quoq; non ignoraret, reincre ſe, pudore prepeditum. Egiſſe his de rebus pleriſq; omnibus, cum ipſo primum quidem ſenatũ arbitris; deinde, paucos etiam arbitros adhibuiſſe: verum quando in eam vſq; diem nihil profeciſſet, in ampliſsimi conſilii conſeſſu id ſibi facere neceſſe fuiſſe, vt quem Dei timor in officio non contineret, pudor hominum duceret emendaret. Quod ni hæc quoq; profutura eſſent, acerbitatis deinde medicamentis ad ſanandum eum vſurum eſſe: licere quidem ſibi, non minus quam aliis diſſimulando, vel etiam aſſentando gratiam eius aucupari, ſed memorem ſe eſſe officii ſui, & nullo neq; metu, neq; gratia deſerturum eſſe ſtationem, in qua ſe Deus & Rex ipſe, & Senatorum, & Epiſcopum conſtituiſſet. Pluris ſe facere incolumitatem patriæ, quam omnia quæ vulgo conſpiſcantur: & pro magnis Regũ in ſe beneficiis, antiquiorem ſibi eſſe eius ſalutem, quam præſentem & aſſentando quæſitam gratiam, qua tamen certa & ſtabilis eſſe non ſoleat.*

Non poterat ſe diutius Rex tenere, quin ſermonem eius interrumperet, ita fremens atq; lacrymans; intemperanter cum & arroganter facere, qui cunctis aliis Senatoribus, cum Archiepiſcopo ipſo Primate & Moderatore conſilii tacentibus, vnus tam acerbe in ſe inueharur. Ibi aſſurgens cunctus Senatus, eandem eſſe omnium ſententiam, & illam Epiſcopi Cracouienſis orationem, ſuam eſſe profeſſus eſt. Quo audito Rex accẽſus magis, è conſilio ſeſe proripuit, multa Sbigneo minitans. Verum cito ad ſe reuerſus, impenſius Sbigneũ poſtea coluit, & corrigere ea quæ ille reprehenderat, ſtuduit. Albertus vero Archipiſcopus, etiam gratias egit Sbigneo, quod maiore fiducia, quemadmodum Dini Stanislai ſucceſſore dignum erat, Regis peccata corrigere aggreſſus eſſet.

XLVI. *De obita Wladislai Reg. Polon. & eius geſtis.*

Non diu poſt wladislaus Rex ſuperuixit; ſed pridie Cal. Iunias, viuendi finẽ fecit; cum prius Sacris myſteriis ſe procurari iuſſiſſet; offenſas omnibus remiſiſſet, ſibiq; viciſſim ab omnibus remitti petiuiſſet; teſtamẽtum condidiſſet; ac ſi quid cuiq; per iniuriam abſtulerat, reddi imperaſſet. Fuit tanta liberalitate & munificentia Wladislaus, vt non modo fiſcum exhauriret, verum etiam magnam partem Regiarum poſſeſſionũ etiam immerentibus, & maximæ venationum, ac cæterarum voluptatum ſuarum, quam quã non inhoneſtarum affectis & miniſtris dilargiretur, ac tota interdum ſingulis hominibus donaret territoria; ſic vt quodam tempore Martinus Quintus Pontifex Maximus prodigalitatem eius ſibi inhibendam eſſe duceret, dato ad A chiepiſcopum Leopolienſem mãdato, vt donatio-

nes eius reſcinderet. Arces & vrbes, neq; nouas condidit, & veruſtas neglixit. Baſilicas Chelmenſem atque Kioninenſem in Ruſſia inſtituit, & Epiſcopis attribuit. Ex his ad Chelmenſem, Ioannem Theologum ſodalidi Dominicani extulit; & in gratiam eius Lublinenſem tractum omnem à Cracouienſi diœceſi aſtrahere, & Chelmenſi adiungere conatus eſt; perficere tamen id, conſtanter aduerſante Sbigneo Cracouienſi Epiſcopo nequiuit. Monaſterium quoq; præter ea, quæ ſuperius commemorauimus, Lublini, Diuæ Brigidæ nomine condidit; in Cazimirienſem vero Parœciã Canonicos Diui Auguſtini inſtitutum profeſſos indaxit: Gneſnẽſe, Sendomirienſe, & Viſticienſe templa, Græca pictura decorauit. Venationum ſine vllo modo auidus fuit, interfectaſq; feras maiores, & præſertim bifrontes, in Prælatos & Canonicos, Academiæque ac Ciuitatis Cracouienſis Præſides & Magiſtratus partiri ſolitus. In peregrinos, hoſpitalis, & munificus. Nullum quamuis exiguum munus aſpernabatur; nec eos qui donarant, irremuneratos dimittebat. Aliquid petentibus à ſe, fere dimidium eius quod petiſſent largiebatur. Itaq; duplum petebant, qui ſimplum aſſequi cupiebant. Offenſarum immemor, ad ſupplicia de ſontibus ſumenda lentus; cultui diuino appritoe dedicus; ieiuniorum diebus pane & aqua fere vtebatur. Abſtemius in omni vita ſua, nec niſi aquæ potu uteus. Cultu corporis neglecto, neq; alijs quam agnellinis pellibus, & lanea ſa fere veſtibus vſus. Ad effundendum ſanguinem humanũ cõtinentiſſimus, vt etiam ſæpe nocentiſſimis parceret. Clementia in ſubditos, & victos ſingularis. In orationibus & poplitum flexionibus prolixus, in adeundis Eccleſiis multum deuotus: Pauperum, orphanorum & viduarum cauſis audiendis, expediendiſque intentus; decretorum Senatus tenax; ſub extremum ætatis caligantibus oculis, adeo vt oporteret ſacrificantẽ ad eum proprius cum ſacra hoſtia accedere, & oculis admouere. Aſſentatoribus ac delatorib. aurem libenter accõmodabat. Superſtitiones quaſdã in eũte ætate imbibitas, ad extremum vſq; retinuit; in quibus illa fuit, quod quotidie priuſquæ prodiret in publicum, ter ſe ſe in gyrum vertebat, & ſtipulã ter confractam in terram abjiciebat. Corpus eius magna pompa, in Baſilica Cracouienſi, conditum eſt. Lithuanorum & Samogitarum gentẽ ad fidem Catholicam conuertit, vt merito gentium illarum Apoſtolus poſſit appellari. *Miechouitus lib. 4. cap. 48. Cromerus lib. 20. de rebus Polon.*

Lithuen. & Samogit. Apoſt.

Ioannes Nider, Prior Dominicanorum Baſileenſium & Inquiſitor fidei, refert, quod cum in Baſileenſi Synodo, pro Wladislao Rege defuncto hoc anno exequiæ celebrarentur, & qui ſermonẽ præſente concione Cõcilii faceret, neſcio cuius negligentia abeſſet, cœpit Iulianus Cardinalis Legatus Præſidens, qui in minoribus conſtitutus in Poloniã fuerat tranſmiſſus aliquando, ita referre; Mihi, inquit, Prætores optimi tamq; experto credite, Rex iſte cuius exequias celebramus, Eccleſiæ Sanctæ vltra quam credi poteſt profuit ſuo tẽpore. Nam à tempore quo Chriſtianiſmum ſuſcepit, vltra triginta millia paganorum ad lumen fidei cõuertit, ſepteẽ Cathedrales Eccleſias de nouo funditus pro neophytis erexit, & in luco vbi prepetuus nutriebatur ignis & adorabatur, Eccleſiam Collegiatam deſtructo igne conſtruxit, & Clerum in tam copioſo numero ibi auxit, vt die & nocte, nulla hora, nullumq; momẽtum exiſtat, in quo non per certos Eccleſiæ miniſtros ſuis laus Altiſſimo perſoluatur. Tanto itaq; Chriſti Eccleſia verſus Septentrionẽ dilatata eſt, vt modo Ordo Theutonicorum præfatus, nullam locum habeat aduerſus quem neceſſario bellum ducat: & tamen certum eſt, quod paulo antea, etiã meo tempore, neceſſe fuit annue perfidis pugnam porrigere. *Nider lib. 4. cap. 9.*

Quantis cum laudibus Iul. Cardin. in Conc. extulerit.

Legati Baſileam à Regno Poloniæ deſtinati, audita morte wladislai, Poſnaniæ ſubſtitere, & Procerum comitio indicto, ex ſententia Sbignei Epiſcopi, Wladislao natu maiori, defuncti Regis filio Regnum

XLVII. *In locũ Patris defuncti wladislaus natum adhuc filium impuberem ſubrogatur.*

detulere,ciq; solenni ritu inaugurando, diem ad 3.Kalend. statuere, eaq; post ad 8.Kal. Augusti prorogata, Alberto Archiep. Gnesnensi, Regē ex præscripta formula sacrāti, renūciātiq; socij adstitere. Iniectus fuerat à quibusdē Procerib. minus quietis scrupulus; qui dicerent, nouum & inusitatū esse, impuberi diadema imponi; in discrimen aūt adduci libertatē & prærogatiuas equestris ordinis, magno labore, & sāguine maiorū suorū partes, illa impuberis Regis coronatione; neq; n. recte ab impubere iusiurandu dari posse. Quod siid in aliud tēpus differatur, difficulter exactū in ab eo qui iā rerum potitus sit. Cæterum hic scrupulus è maioribus natu exceptus est, producto à Stigneo codice è Basilica Cracouiēsi, in quo effigies Cazimiri magni Regis impubes depicta fuerat. De iureiurando Regis, reiecta res ad pubertatē eius; interim aūt placuit, vt Sophia mater, & Primores, Sacri pariter & prophani ordinis pro eo fide iuberent, nec eum prius ad gubernacula Regni admitterēt, quā iusiurandum ritè præstitisset. Illi ipsi, qui inaugurationē Regiam differre tentauerant, cōtra Ecclesiasticum ordinem multam turbam concierāt; occasione controuersiarum, quæ diutius inter Sacrum & Prophanum Ordinem fuerant agitatæ, de quibus sæpius conuentum, nunquā inter partes cōuenire potuit, illis ipsis tribus ciuibus omnia turbantibus. Temperatum est iñ à vi, metu Ecclesiastici interdicti. Ad extremū pedetentim turba omnis conquieuit; complurib⁹ ex iis, qui significierant illarum turbarum, iusto Dei iudicio, quemadmodum creditum est, intra breue tempus extinctis; cæteris vero religione & metu perculsis. Illud aūt in contentionem venerat, ꝙ cupiebant prophani valere constitutionem Iaraslai Archiepiscopi, qua sanciebatur, vt qui agri ex illo tempore coli cœpissent, ex iis ne manipularis decima penderetur. Verum ea constitutio per vim expressa esse ferebatur. Præterea, quem agrum quisque eques, agresti & adscripticio depulso, per se ipse coleret, vt inde Parœco suo decimam penderet, ꝙ is aliis prius ea pendi solita esset. Sed neutrum extortum. Illud modo cōcessum Equiti, vt quoscumq, agros coleret, ex his canapale ne solueret, neq; conueheret suo curru decimā; neq; delectum in ea sacerdos haberet, nisi data opera vitiosum frumentum ab Equite relinqueretur. *Cromerus lib. 21.*

Turbæ cōtra ecclesiasticum ordinem ratione quarundem decimarū motæ.

XLVIII. *Oratores Regis Castellæ ad Basileen. cœtum.*

Sed nos ad Basileensium cœtus narrationem retro uertamus. Missi sunt hoc anno ad eādem Synodum, ab Ioanne Rege Castellæ Oratores, Aluarus Isorna Conchensis Episcopus, Ioannes Sylua Cifontanus Regulus vexillifer Regius, & Alfonsus Carthagena Paulo Burgensi Episcopo natus, pari eruditione, & virtutum omnium indole, Decanus tunc Compostellanus & Segobiensis, annis sequentibus, patre Aquileiæ Patriarcha renunciato, in eius locum Burgensis Episc. creatus. Ea gratia meritis paternis, propriisq; virtutibus est habita. Id præmium datum Castellæ dignitatis, Basileæ in patrum Conuentu defensæ, aduersus Oratores Anglos, qui priora sibi vendicabāt. Defensionē de scripto conceptā cum Patribus obtulisset, Anglorum audaciā fregit. *Marisna. de rebus Hispaniæ lib. 21. c. 6.*

XLIX. *Litera Sigism. Imp. ratione disceptationis Basileæ de prærogatiua quorundam Principum ex consessibus publicis.*

Disceptatum est in dies Basileæ, hoc anno, de prægatiua quorundam aliorum Principum, in consessibus publicis. Extat ea de re Sigismundi Imperatoris, qua Basileensibus gratias agebat, huiusmodi epistola.

Reuerendissimis Reuerendis ac venerabilibus &c. vt habetur in Imp.

Sigismundus Dei gratia Romanōrum Imp. semper Augustus &c.

Reuerendissimi &c. Audiopridem, quod P. V. super controuersia sessionis inter illustres Archiprincipes Sacri Romani Imperii electores, & Ducem Burgundiæ quandam prouisionem fecerint, qua per Ambasiatores vtriusq; partis, Ambasiatorio nomine significata sit, de vestrarum Paternitatum solertia, & ipsorum Ambasiatorum industria confisi spemq; firmā assumentes, quod huiusmodi prouisio, & ipsius Sacri Romani Imperii, ac ipsorum Archiprincipum honoris expediat, sicuti admodum genuisi. Sed intellecto ad præsens, quod quidam Procuratores Illustris Erici Ducis Lauuenburgensis, qui se nominat Saxoniæ Ducē, ac ipsius Sacri Romani Imperii Electorē, & Archimareschallum, huiusmodi prouisionis occasione se de loco Illustri Frederico Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Archimareschallo, Landgratio Thuringiæ, ac Marchion. Missniæ & Ambasiatoribus eius debito intromiserint, seq; intruserint in eodem; satis illud nobis visum est alienum. Et quia genitorem prasati Friderici, ac deinde ipsum Fridericum, de ipso Ducatu Saxoniæ, ac intra eligendi Romanorū Imperatorem, ac etiam ipsius Archimareschallatus officio inuestiuimus; cuius inuestituræ vigore, primum genitor, ac deinde Fredericus natus eius, possessionem Principatus Saxoniæ nacti sunt; & deinde per Illustres Sacri Romani Imperij electores, ad ius & exercitium dignitatis, & officij Principis electoris, & Archimareschalli similiter recepti sunt & admissi, non immerito manssimus admirati de supradicti Ducis Erici, quin imo suorum Ambasiatorum præsumptione, qua possessionem iuris & dignitatis apud alium constitutorum, ante cuentum iudicialis arbitrij violenter inuadere præsumpserunt. Licet itaq; credamus vestras Paternitates, nostros & Imperii nostri Principes, in vestra dispositissima domo, quantum ad sessionem, incessum, vel alium exhibitionem reuerentiæ non alter honorare, quam à nobis & Imperii nostri Principibus honorantur, sicut & nos Ecclesiasticos Prælatos secundum gradus Ecclesiasticorum dignitatum in nostra Curia reuerentur; ne tamen in posterum oriatur discordiarum materia præmissa, quamuis notoria undiq; vestræ Paternitatibus duximus intimanda; quatenus prælibato Frederico & eius Oratoribus, honorem Archiprincipi & Electori, iuxta prouisionis vestræ normam impendendum exhibere velitis, prout nos, & Imperii nostri Principes & vniuersi Proceres sibi impendunt. In quo nobis P. V. facient complacentiam multum gratam. Datum Vlmæ, die 19. Iulii 1434. Tom. 4. Concil.

XL. *Rex Daciæ mittit oratores Basil.*

Rex quoque Daciæ, misit suos Oratores ad eandem Synodum Basileensem, hoc ipso anno; quod existimaret Patribus congregatis cum Eugenio Pontifice bene conuenire. Non deerant plurimi, qui institutum à Diua Brigida ordinem, necnoc librum reuelationum eiusdem Diuæ, à quodam eius sacerdote suggillarent, inque dubium vocarent nonnullas. Enimuero, si Spiritus Sanctus est, quemadmodum est, simplex ac vnicus, neque vnquam sibi, aut suis reuelationibus contrarius; angebat nonnullos, qui vitam Sanctæ Catharinæ Senensis, virginis incomparabilis, legebant, & inter reuelationes huic Diuæ factas, hanc quoque, de conceptione Sanctissimæ Virginis Dei parentis, quod in peccato originali concepta fuisset, reperiebant: quomodo spiritus Sanctus totum oppositum Sanctæ Brigidæ reuelauerit. Erant & alia complura, quę in his ipsis Brigidanis reuelationibus, ad regulam fidei expensa, non omnino quadrarent: quæ zelo, forte non secundum scientiam scriptor ille, forsan etiam de suo conceperat: quæ Theologis emunctæ naris, & acerrimi iudicii, non valde probabantur. Itaque Brigidani instituti Sodales, Erico Regi & Episcopis nonnullis authores fuerant, qui Basileensibus ea de re scriberent. In hunc modum scribebat Rex.

LI. *Litt. Regis Suecię ad Patres Basil. contra suggillantes ordinē à Brigida institutum & librum reuelationum eiusdem Sanctæ.*

Reuerendiss. in Christo Patribus, ac Dominis præstantissimis, honore præcipuo venerandis, pro Concilio generali celebrādo in S. Sancto Basilea legitime congregatis. Ericus Dei gratia, Suecię, Noruegię, Sclauorum, Gothorumq; Rex, & Dux Pomeraniæ. Salutem & synceram nostri in Domino recommendationem.

Reuerendissimi Patres, & Domini. Regalis præeminentia requirit dignitas & officium, illudq; præcipuum in sui pectoris armariolo iugiter versare debet, vt post diuinæ cultum maiestatis, modis & mediis quibus poterit in effectum producat, quod subiectus sibi populus, pacis tranquillitate frui & gaudere valeat, & præsertim qui spretis curis & vanitatibus labentis seculi Deo inhærere (cum sibi seruire, regnare sit) votis desideriis inardescunt, cuiusmodi sunt veriusq; sexus homines Religiosi, & præsertim ordo ille deuotissimus B. Brigittæ, S. Saluatoris nuncupatus, qui in loco Vuadstenen. Regni nostri Suecię, Dei dispensatione (vt pie creditur) laudabile sumpsit initium, & postmodum per diuersas mundi partes in salutem multorum à via rectitudinis aberrantium, commendabile susceperat incrementum. Ipsum nempe B. Brigittæ Sanctissimæ vita, virtutum præclara merita, nec non magnifica & stupendæ, quæ gloriosus & mirabilis Deus in Sancto suo per illam fecerat, & sine intermissione in his terræ finibus facit opera, mentes hominum ad credendum attrahunt, hunc ordinem cum suis viuendi regula & constitutionibus à Deo specialiter processisse. Apparet hoc idem de deuota & irreprehensibili vita personarum in eo degentium, exemplis sanctimoniæ, & doctrina saluberrima quibus innumerabilis populus diuinitus illustratus latam & lubricam deserens viam, quæ ducit ad mortem, arctam cœlestis patriæ semitam ambulat confidenter. Sed heu venerandiss. Patres & Domini accepimus nuper, quod dolenter referimus, ex illius non dubitamus instinctu, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, surrepsisse videlicet in ordine prædicto, nobis dilecto, periculosas quasdam scissuras & contentiones, ob quæ generales confessores, & alia dicti ordinis persona, de monasteriis regnorum nostrorum ad reuerendarum paternitatum vestrarum præsentiam, sacrosanctam scilicet generalem Basileensem Synodum, sunt citati. Etiam vt asseritur ad respondendum nonnullis articulis, contra libros reuelationum prædictæ sanctæ Dominæ, patronæ nostræ conscriptos: qui reuelationum libri in falsitatem indubie multorum, in his fidei & morum titubantium, hic & alibi sparsim per mundum publicati fuerant, & solummodo prædicati. Quamobrem reuerendissimi patres, vestrarum paternitatum, & dominationum congregationem sacratissimam vniuersalem ecclesiam representantem, deuotioribus, & efficacioribus, quibus possumus precibus aggredimur, instantius exorandam, quatenus ex parte Dei omnipotentis, & eius intuitu, cuius in hac parte vices geritis, nostrarumq;, ob deuotarum precum instantiam, personarum & locorum sæpe dicti ordinis, huiusmodi periculosas discordias ad Deo placentem concordiam reuocare velitis, nec non obloquentium ora sic obstruere, quod stare & viuere deinceps poterunt in Dei seruitio, suaque regulari obseruantia, sicut hactenus in monasteriis regnorum nostrorum laudabiliter steterant, atq; vixerunt sub dicta S. Saluatoris regula, secundum ipsius institutionem primitiuam. Insuper quod illa doctrina sanctissima reuelationū B. Brigittæ, sicut in præsens in ecclesia Dei ad ipsius laudem, & gloriam, ad purgationem criminum, bonorumq; morum introductionem, prædicatæ, & publicatæ fuerant, sic & eodem modo publicari & prædicari valeant, & teneri. Alioquin exinde sauciabūtur corda simplicium, scandala abuntur plurimi, & formidandum erit finaliter Christianæ fidei non minimum detrimentum. Spiritus ille veritatis qui procedens de thalamo Diuinæ maiestatis, Apostolorum pectora inuisibili gratia penetrauit, dignetur illustrare corda vestra ad faciendum pacem, & tranquillitatem in ecclesia sua Sancta. Datum Castro nostro Wordlingborg. Anno Domini 1434. tertia die mensis Iulii, nostro sub secreto.

LII. *Litt. aliquorum Episc. & Prælatorum Dan. in eandem rē ad Basileenses.*

In eandem rem, aliqui Archiepiscopi, & Prælati Ecclesiarum Danicarum ab iisdem sodalibus Brigidanis incitati, Basileensibus scripserunt, hoc exemplo.

Reuerendissimis in Christo patribus ac Dominis præstantissimis, prō Concilio celebrandō in spiritu Sancto Basileæ legitimè congregatis. Petrus Lundensis, Aslatus, Nidrosiensis Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopi, Nec non Othoniensis Ioannes Roskildensis. Ioannes Aslocensis, Siggo Sarensis, Andoenus Stauangrē sis, Thomas Strangueinens. Hermannus Wibergensis, Petrus Hamen. Gerardus Binglauensis, & Seuerinus Farensis eadē gratia ecclesiarum Episcopi cum omni humilitate, & reuerentia debita obsequia, vbiquæ ac mandatis vestris in omnibus deuote & fideliter obedire. Gratias agimus patri misericordiarum, & Deo totius consolationis, qui senescentis mundi miseris, ineffabili sua misericordia, & miseris, ne in barathrum desperationis prolabantur, salutaribus remediis subuenit & succurrit. Hinc est, patres reuerendissimi quod Deus inter alia miserationis suæ opera magnifica & gloriosa, quæ ad laudem & gloriam nominis sui fieri voluit, in his vltimis finibus terræ pro consequenda remissione peccatorum, ad dirigendos pedes oberrantium in viam patriæ cœlestis, beatam Brigittam, de regno Sueciæ primogenitam, quasi venam fontis viui, sponsam suam, & canale gratiæ suæ tantis gratiarum aquis abundare fecit, vt non solum regno prædicto, verum etiam quæ fit otiores terrarum per eam misericors Dominus cuius misericordiæ non est numerus, salutis & gratiæ mellifluæ pocula dignatus est misericorditer propinare ex cuius quidem B. Brigittæ meritis & sanctitate, primum in regno Sueciæ, videlicet Wadstein, ordo ille præclarissimus sancti Saluatoris nuncupatus, inoleuit, ac gloriosum suscepit exordium. Deinde successu breuissimi temporis, & hoc satis miraculose in diuersis regnis & mundi partibus, ex inflammatione vtique spiritus Sancti, Regibus & Dominis terrarum atque prælatis diuinitus sacta, plura sunt innouata & multiplicata monasteria, in quibus sororum fratrumque conuentualium feruens, & assiduosa viget deuotio, & vitæ regularis obseruantia secundum ordinem institutæ perfectissime obseruatur, tam per continuas prædicationes, quam per Diuinæ maiestati cultum & obsequium, videlicet missarum solemnia, & diuinarum horarum, iugiter psalmodiam. Vnde quasi infinitis peccatores de die in diem diuinitus inspirati conuertuntur, conuersique in terris proficiunt, magnæ virtutum accumulantes incrementa, & spirituales effectu, calcatis seculi curis. Sentientes, se corruptibile pondus cum mœrore portare, quibus nil agere libeat, nisi solius Dei desiderio, & amori iugiter inhærere. Vnde reuerendiss. patres, nos vna cum principibus, & Prælatis & magnatibus, militibus, & militaribus, nobilibus primis, ac proceribus regnorum eorundem, in magno Parlamento, in castro & oppido Wordlingborg regni Daciæ congregati, nunc accepimus qualiter Confessores totius ordinis prælibati, ad sacrosanctam Synodum Basileens. pro statu salubri, reformatione laudabili, ac incremento felici locorum, & personarum vtriusque sexus in eodem ordine sparsim, per mundum degentium sunt citati. Ea propter Patres & Domini reuerendissimi, dominationes vestras cum humili & deuota subiectione aggredimur implorandas, quatenus si qua in hoc sacro Concilio vsque in præsens litterarū processibus, articulis, quæstionibus, vel querelis, contra dictum ordinem, cuius priuilegia, regulam, constitutiones seu instituta regularia, iam dudum per sacram sedem Apostolicam approbata & confirmata, ac etiam contra libros reuelationum dicta sanctæ Brigittæ Dominæ diuinitus (vt creditur) ostensarum, quomodolibet fuerint attentata, ob nostrarum petitionum humilium instantiam faciatis reuocari. Si qua vero in eisdem reuelationum libris examinanda, & discutienda forsan videantur, tam caute & moderate reformationis sæculo cum lenitatis moderamine emendentur, ne piarum aurium offensiua in posterum sint ea, quæ de his libris reuelationum coram populo ne dum in partibus istis & regnis, sed & alibi per mundum publice prædicata fuerant in Christianæ fidei fulcimentum, alioqui si (quod absit) ex huiusmodi controuersiis libitus, & contentionib. sic (vt præmittitur) motis, & attentatis, insurgeret, aliqua ordinis præfati diffamatio, vel à sui primitiua regularis status vigore discessio, ex tunc (prout verisimiliter formidamus) vbique, & præsertim in partibus istis tam in Clero quā in populo fiet maxima confusio, & deuotionis fidelium feruor ad Deum & illā Sanctam, quæ tot tantis, et tam manifestis claruerat miraculis, et virtutum meritis, vertetur in torporē. Quod vtiq; cedet in fidei Catholicæ turbationē et diminutionē, in scandalū multorū, et ecclesiæ, latem in his orbis finibus, sub hoc pericu loso tēpore non modicū detrimentū. De modo aūt cohabitationis sororum et fratrū in monasteriis ordinis prædicti, quæ sicuta sunt in regnis istis, quam alii quidem pacis amuli, et tranquillitatis, calumniari conantur, nulla datur hic cuiquā Christi fidelium suspitionis occasio, ꝙ eorum habitacula adeo firmis altisq; muris, et ædificiis distincta ac diuisa sunt, prout fere nos omnes, præcipuè aūt qui monasteriorum et locorū eorundē visitatores sumus, vidimus, quod secure, et absq; conscientiarum scrupulo, iuxta primariā ordinis institutionē, quam adeo pie ordinatis facta esse, sorores, et fratres sicut cohabitant, honeste et licite poterunt cōmorari. Valeat et in Deo proficiat vestræ sanctissimæ deuotionis, venerabile collegium à Deo cœlitus inspiratum, ab æterno præuisum & prædestinatum, & iam in hoc occidui mundi eius nostro tempore in spiritu Sancto legitime congregatum. Datum in oppido Wordlingborg Roskildensis Diœcesis, anno Domini 1434. die 3. mensis Iulii nostris sub secretis.

LIII. *Carolina pro immunitatibus ecclesiasticis lata à Patribus Basil. confirmata in nouata amplificata et contra violatores promulgata.*

Et quia alicubi in Belgio libertas Ecclesiastica per quosdem violata fuerat, placuit Patribus Basileensibus, Carolinam quam vocant Constitutionem, pro immunitatibus Ecclesiasticis latam confirmare, seu potius innouare, amplificare, & contra violatores promulgare, istis verbis.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis in spiritu Sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam representans, venerabili

bili Episcopo Adrien. & dilectis ecclesiæ filiis, sancti Liuini Zirinensis, & sancti Seruatii Traiectensis supra Mosam, Traiectensis & Leodiensis diœcesis ecclesiarum, Decanis salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Ad compescendos conatus nefarios perversorū, qui personas & loca ecclesiastica, super bonis & iuribus suis offendere, ac multiplicibus perturbare molestiis non verentur: tanto magis nos decet per Generale Concilium de opportuno remedio prouidere, quanto amplius turbationes huiusmodi & molestiæ in Diuinæ maiestatis offensam, nec non & ecclesiasticæ libertatis dispendium redundare dignoscuntur. Dudum siquidem cum in diuersis mundi partibus consules ciuitatū, & rectores, nec non alii qui potestatem habere videbantur, tot onera frequenter imponerent ecclesiis, vt deterioris conditionis factum subeis sacerdotium videretur, quam sub Pharaone fuisset, qui legis Diuinæ notitiam non habebat, quique omnibus aliis seruituti subactis sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publice eis alimoniam ministrauit: In Concilio Lateranensi, ecclesiæ immunitati prouidendo, sub anathematis districtione prohibitum extitit, ne consules Rectores aut alii prædicti, ecclesias, & viros ecclesiasticos, tallijs seu collectis, aut exactionibus aliis aggrauare præsumerent, transgressores & fautores eorum præcipiendo, anathematis sententia subiacere, donec satisfactionem impenderent competentem: & etiam deinde in generali Concilio editum fuerit, quod si Episcopi forte simul cum Clericis, etiam si tantam necessitatem, vel vtilitatem inspicerent, vt absque vlla coactione ad reuelandas communes vtilitates vel necessitates, vbi laicorum non suppeterent facultates, subsidia per ecclesias laicis ducerent concedenda, minime super hoc consulto Romano Pontifice, concessiones & sententiæ quæ à talibus, vel de ipsorum mandato forent promulgatæ, essent irritæ & inanes, nullo vnquam tempore valituræ. Ac etiam in ipso generali Concilio decretum extitit, illum qui infra tempus sibi reiminis, propter fractionem constitutionum, vel sanctionum, huiusmodi sustinere anathema, tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus. Nec non ipsius successorem qui non satisfaceret infra mensem, manere ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceres compererit, cum succederet in onere, qui substitueretur in honore. Postmodum vero felicis record. Honorius Papa tertius attente considerans, quod quondam Fredericus secundus olim Romanorum Imperator, tunc sub obedientia & deuotione Sanctæ Rom. ecclesiæ persistens, ad laudem eiusdem ecclesiæ, & sacri dicti Romani Imperii, cupiens vt expurgatis quorundā erroribus & iniquis statutis penitus destitutis, de cætero ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete, ac securæ libertate gauderent, ac pie & iuste attendens quod quorundam peruersorum iniquitas adeo abundauerat, vt non dubitarent contra eccles. disciplinā & sacros canones, statuta sua configere aduersus eccles. personas, & eccle. libertatē, edictali lege huiusmodi statuta iniqua irrituauerat: & præceperat irrita nunciari, & omnia statuta & consuetudines, quæ Ciuitates & loca, potestates, & consules, aut quæcunq; aliæ personæ contra libertatem ecclesiæ vel personas ecclesiasticas, ac bona huiusmodi, edere aut seruare tenerent, contra Canonicas vel Imperiales sanctiones, de ipsorum capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicationem, penitus aboleri facerent, & si de cætero talia attentarent, illa ipso iure decreuit esse nulla, & eos sua iurisdictione priuatos. Nec non locum vbi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri fisco Imperiali præceperat subiacere. Potestas vero, consules statutarii, & scriptores statutorum prædictorum, nec non consiliarii locorum ipsorum qui secundum statuta & consuetudines memorata iudicarent ex tunc essent ipso iure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliqualiter non tenere. Quod, si per eandem præfatam constitutionem inuenti forent contemptores, bona eorum per totum Imperium mandauit impune ab omnibus occupari, salvis nihilominus aliis panis contra tales in eiusmodi generalibus Conciliis promulgatis. Et insuper voluit idem tunc Imperator quod nulla communitas vel persona publica vel priuata, collectas, seu exactiones angarias vel perangarias ecclesiis vel aliis piis locis aut ecclesiasticis personis huiusmodi imponere, seu imadere ecclesiasticæ bona præsumerent: quod si secus facerent, & requisiti ab ecclesia vel imperio huiusmodi emendare contemnerent, tripliciter reprehenderent: Et nihilominus banno Imperiali subiacerent, quod sine satisfactione debita nullatenus remitterentur. Statuerat insuper quod quæcunque communitas vel persona per annū in excommunicatione propter libertatem ecclesiæ violatam persisteret, ipso iure similiter dicto banno Imperiali subiaceret, à quo nullatenus exueraretur, nisi prius ab ecclesia benefacto absolutionis obtento. Et insuper ordinauerat, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel Ciuili ad iudicium seculare trahere præsumeret contra eadem Canonicas sanctiones & constitutiones Imperiales: quod si secus faceret, actor à suo iure caderet, & iudicatum non teneret, & iudex foret ex tunc iudicandi auctoritate priuatus: quodque Iudices temporales, qui Clericis & personis Ecclesiasticis iustitiam denegare præsumerent, tertio requisiti suam iurisdictionem amitterent, constitutionem ipsam de consilio etiam fratrum suorum sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium, qui tunc erant, auctoritate Apostolica approbans & confirmans ipsam mandauit inuiolabiliter obseruari: Nec non & statutarios, & scriptores ac violatores prædictos excommunicatos eadem auctoritate nunciari. Et deinde ad audientiam Diuæ memoriæ Caroli quarti etiam Romanorum Imperatoris semper augusti deductum quod nonnulla seculares personæ in potestatibus & officiis publicis constitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alii Domini temporales, nec non Consules Ciuitatum, oppidorum, villarum, & locorum rectores in diuersis prouinciis eiusdem imperii, Dei timore postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes motu proprio de facto contra ipsas personas ecclesiasticas & ecclesiarum libertates, ac eorum priuilegia condiderant, illisque de facto & publice vtebantur contra Canonicas & legitimas sanctiones, vt pote quod nulla bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferentur, & ne Clerici in sacris ordinibus constituti ad agendum & testificandum in Ciuilibus, & maxime in pijs causis aliquatenus admitterentur: quodque ex communicati laici & publice denunciati, in Ciuili foro minime repellerentur. Et insuper prædicti Domini temporales, Consules & rectores qui per seculares potestatem bona Clericorum occuparent, acceperent, & oblationes Christi fidelium minuerent atque restringerent, exactiones, & tallias indebitas de bonis & redditibus ecclesiarum exigerent & extorquerent, possessiones ecclesiarum, personarum earundem deuastarent incendiis & rapinis: Contractus inter Clericos & laicos factos legitime, ad libros Ciuitatum, villarum, & locorum prædictorum, inscribere & sigillare recusarent, donataque, & legata ad fabricas ecclesiarū & structuras, contra prælatorum voluntatem, & aliorum quorum intererat temere vsurpare præsumerent, ac in fraudem & odium Clericorum de bonis etiam, & rebus eorundem Clericorum, quæ non causa negotiationum, sed & pro eorum propriis vsibus, per eorum terras ducebant, seu duci faciebant, telonium accipere & exigere non verebantur: & confugientes ad ecclesiam & eorum cœmeteria exinde extrahere contra Canonicas & Imperiales sanctiones huiusmodi præsumerent, & præsumebant. Idem Carolus Imperator tanquam Christianissimus Princeps, volens in præmissis prouidere de remedio saluteri, etiam de quorundam Ducum, Principum, Comitum, Baronū, Militum fidelium, aliorum sacri Imperii sæpe dicti consilio, authoritate Imperiali, quæcunq; statuta & consuetudines prædictæ tanquam per Canonicas & ciuiles sanctiones expresse reprobatæ cassauit, irritauit, & annullauit, ac cassa & irrita, nullinsque voluit esse roboris vel momenti, præcipiens sub Imperialis bannī pœna, vniuersis & singulis Dominis Principibus & Dominis temporalibus, Consulibus, potestatibus, & aliis officiis publicis in eodem Imperio constitutis quatenus ex tunc eorum statuta & ordinationes, sicut in præiudicium ecclesiasticæ libertatis edita fuerant, omnino reuocarent, & de luce tollerent: quodque secundum ea non iudicarent amplius, nec sententias dictarent, aut de eisdem in iudicio vel extra iudicium, quomodolibet pro se & contra eandem ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronunciauit insuper, & eadem decreuit authoritate, quod quicunque laicus, cuiuscunque, status aut conditionis existeret, ausu sacrilego & propria temeritate audacia, sacerdotem, aut Clericum secularem vel religiosum diffidare, proscribere, capi uare, spoliare, occidere, mutilare, aut in carcere detinere, vel huiusmodi maleficia perpetrantes, scienter recepta et, vel eis fauorem præstare, præter pœnas à sacris Canonibus & legalibus sanctionibus in tales insidias eo ipso redderetur infamis, & omni honore priuatus, nec

nec placita vel consilia nobilium admitteretur quouis modo, hortans insuper in Domino & requirens ecclesiasticos Prælatos illis partibus, in quibus committerentur tabæ, constitutos, vt legem Imperialem huiusmodi per eorum ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores huiusmodi per simulatam ignorantiam suam valerent in hac parte malitiam excusare, prout in constitutionibus & sanctionibus Conciliorum & Honorii prædictorum ac Imperialibus præfatis plenius continetur.

I.IV. *Causa promulgationis dictæ constit. Karolin.*

Cum autem, sicut lamentabili querella dilectorum ecclesiæ filiorum Abbatis & conuentus Monasterii Sanctorum Cornelii, & Cypriani Niuuentis, Præmonstratensis ordinis, Cameracensis Diœcesis, Decani & Prouisoris singulorumque beneficiatorum illi cura & sine cura Decanatus ruralis Walacriæ Traiectensis Diœcesis, super accepimus quod nonnulli principes, Duces, Comites, Barones, Milites communicantes, & alii seculares potestates, earundem constitutionem, & sanctionum Canonicarum & legalium forsan ignari, contra ipsas à Decano & Prouisore, singulaque beneficiatis prædictis, ab Abbate, monachis, & conuentu Monasterii prædicti, eorumdemque subditis, communiter vel diuisim forsan tallias vel gabellas, ac alias exactiones illicitas hactenus exterserunt, & adhuc exterquere minuntur ac etiam bona ipsorum communiter vel diuisim Decani, vel Prouisoris singulorumque beneficiatorum prædictorum inuaserint, auectauerint, occupauerint, detinuerint, & suis vsibus applicauerint; nec non occupare, inuadere, auectare, detinere, ac etiam eisdem suis vsibus applicare similiter de facto præsumant in animarum suarum periculum, nec non Decani & Prouisoris, singulorumque beneficiatorum prædictorum, Abbatis & conuentus Monasterii prædicti, eorundemque subditorum huiusmodi coniunctim & diuisim, non modicum præiudicium atque damnum: Nos in præmissis Decano & Prouisori, singulisque beneficiatis prædictis, Abbati, Monachis, & Conuentui monasterii prædicti, eorundemque subditis præsentibus & futuris communiter & diuisim de opportuno remedio prouidere volentes, discretioni vestræ tenore præsentium in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus vos vel duo vel vnus vestrum per vos, vel alium seu alios, Decano & Prouisori singulisque beneficiatis prædictis, Abbati Monachis, & conuentui Monasterii prædicti, eorundemq; subditis prædictis, contra quoscunque transgressores & violatores constitutionum & sanctionum earundem, cuiuscunque status, gradus, & excellentiæ fuerint, efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis nos contra Canonicas & legales sanctiones & constitutiones huiusmodi videlicet molestari, nec non easdem constitutiones & sanctiones, vbi & quando expedire videritis solemniter publicantes, faciatis transgressores & violatores huiusmodi, si prout iustum fuerit, ac vbi & quoties expedierit, tam diu excommunicatos, & anathematizatos publice nuntiari, donec ab eorundem tallarum, & collectarum, impetitionum, & quarumlibet extorsionum, nec non bonorum Decani & Prouisoris singulorumque beneficiatorum prædictorum, Abbatis, monachorum, & conuentus Monasterii prædicti ac eorum subditorum inuasione, auectatione, occupatione, detentione, & applicatione omnino desistant. Nec non etiam efficaciter restituant eisdem Decano & Prouisori singulisq; beneficiatis prædictis, Abbati, monachis, & conuentui eorumque subditis monasterii prædicti occasione præmissorum, per eos communiter vel diuisim læsis seu grauatis, tallias, gabellas, & exactiones ipsas ac etiam bona ipsorum Decani, & Prouisoris singulorumque beneficiatorum prædictorum, auectata, occupata, detenta, & applicata, communiter & diuisim, ipsis aūt quæ per se vel alios illo prætextu quomodolibet acceperint, imo verius temere, & illicite vsurpauerint, à se libere omino relaxent, ac in manibus vestris iurauerint quod de cætero talia non committent, & ea committentibus non præstent auxilium, consilium vel fauorem, contradictores per censuram ecclesiasticam, & alia iuris opportuna remedia compescendo, inuocato adhoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Cæterum si forsan huiusmodi transgressorum aut violatorum, vel ea fieri mandantium ipsisque consentientium, seu dantium in illis per se vel alios directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium vel fauorem, præsentia præmonitionibus & requisitionibus, per vos de ipsis fiendis iure, seure vel commode haberi nequiret: Nos vobis monitiones & requisitiones huiusmodi ac citationes quaslibet per edictæ publicæ in locis affigendæ publicis, de quibus si verisimilis coniectura, quod ad notitiam dictorum citatorum, & monitorum huiusmodi peruenire valeant faciendi plenam & liberam concedemus tenore præsentium facultatem: volentes quod monitiones, requisitiones & citationes huiusmodi, perinde ipsos arcanos requisitos, & monitos (vt præmittitur) arctant ac si eis factæ & insinuatæ præsentialiter & personaliter extitissent. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ octaui, quibus cauetur, ne aliquis extra suā Ciuitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices extra ciuitatem & diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere, seu aliquos vltra vnam dietam à fine diœcesis eorundem trahere præsumant: dummodo vltra duas dictas aliquis authoritate præsentium non trahatur, ac de personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis quam aliis constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscunque: Aut si aliquibus communiter vel diuisim à sede Apostolica indultum existat: quod interdici, suspendi, vel excommunicari, vel extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Basileæ decimo sexto Calendas Iulii Anno à nativitate Domini 1434. extom. 4. Concil.

Hæc pro immunitate Ecclesiæ sanciebant Basileenses.

Videri etiam volebant, zelantes cultus diuini. Quamobrem Eugenium à Constitutionem, de celebratione corporis Christi, & de indulgētiis pro eadem festiuitate anno superiore à Pontifice promulgatam, etiam ipsi, hoc anno 1434. Constitutioni suæ insertam, die quinto nonas Ianij, innouarunt, vel adeo promulgarunt.

Eugenius porro, cum videret Simonem alicubi pro Petro in Ecclesiis præsidere: Principem Apostolorum, qui Simonem magum res spirituales mercari volentem iusta sententia percuserat imitatum, eam quam adiungo legem contra Simoniacos tulit:

L.V. *Eugenianæ constitutio contra Simoniacos.*

Eugenius Episcopus. Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Cum detestabile scelus Simoniacæ prauitatis tam diuinarum scripturarum, quam sacrorum Canonum auctoritas abhorreat, & damnet, nos considerantes, quod plures pœnarum grauitas, quam Dei timor auertere solet à voluptate peccandi, ac summis desideriis effectantes, vt hoc pestiferum vitium, non ex vsu solum, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter pœnarum metum penitus euellatur.

§. 1. *Prædecessorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærendo, ac etiam omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, priuationis, & interdicti sententias, censuras, atque pœnas dudum à Pontificibus prædictis, & pro talibus reputatis contra Simoniacos quomodolibet latas, & quas illos cuiuscunque status, gradus, Ordinis, Conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus, Patriarchalis, Episcopalis, Regalis, Reginalis, vel alia quamuis Ecclesiastica, seu mundanæ dignitate præfulgeant, & eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum ipso facto incurrere volumus, confirmantes, & innouantes, auctoritate Apostolica declaramus, quod omnes illi qui Simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint Ordinibus suspensi, per electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasuis alias dispositiones, quas Simoniæ labe fieri contigerit, & quæ veribus omnino careant, in Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personalibus officiis, Ecclesiasticis quibuuis beneficiis, aut aliquo eorum cuicunque ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad omnium illorum quæ perceperint restitutionem, sub animæ suæ periculo sit astrictus. Statuentes præterea, quod vniuersi & singuli etiam præmissa dignitate præditi, qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrent, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolui, præterquam in mortis articulo constituti.*

§. 2. *Et vt huiusmodi labis contagium frequentius reprimatur, omnibus & singulis, Ecclesiasticis secularibus que personis, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis, seu conditionis fuerint, in virtute Sanctæ obedientiæ districtè iniungimus, vt eos omnes, quos Simoniam huiusmodi commisisse vel procurasse, aut in ea mediatores esse sciuerint, Pontifici prædicto, vel eius Camerario, aut cui idem Pontifex duxerit committendum, per se vel per alios reuelare quam citius non omittant, quod si non fecerint, absolui non debeant, donec prædicta reuelent. Nulli ergo. Si quis autem.*

Datum Romæ apud S. Chrysogonum. Anno Incarnationis Dominicæ. 1434. XV. Calendas Iunii. Pontificatus nostri Anno quarto.

LVI. *Obitus Cõradi Archiep. Mogunt.*

Eodem anno, obiit Conradus Archiepiscopus Moguntinus, die X. mensis Iunij, in Ecclesia Moguntina sepultus. Eius temporibus Sigismundus Imp. Romanorum, omnes Iudæos qui Moguntiæ plurimi fuerant, custodiæ mancipari præcepit, & magnam ab eis pecuniam pro dimissione extorsit. Synagogam quoque eorum cœpit, vbi nunc Sanctorum omnium in Reuerendissimi D. Suffraganei domo, & nominatim SS. Simonis & Iudæ Apostolorum Sacellum est. Post eius mortem Theodoricus Schancleius de Erbach, Imperij pincerna, Canonicus Metropolitanus, Bingi fuit ad Ecclesiæ Moguntinæ gubernationem asciti, & ab Eugenio Pontifice Max. confirmatus. Huius tempore missi fuerunt à Basileensibus Patribus, qui Moguntini cleri populique dissidia componerent, Nuncii Commissarii, Ioannes Abbas Maulbrunensis, Ioannes Polemarius Cameræ Apostolicæ Auditor, & Ioannes à Lus S. Florini Confluentiæ Præpositus. Enimuero Conradi Archiepiscopi temporibus, inter clerum & ciues Moguntinenses dissensiones in tantum succreuerant, vt clerus omnis à populo fuerit violenter vrbe eiectus, domus sacerdotum effractæ, & multa spolia deportata. Commissarii destinati, totum negotium feliciter composuerunt, atque diris omnibus violatores sacri ordinis exoluerunt, quo etiã anno, in cœlo apparuerunt VII. circuli in modum iridis, arcus contra arcum mirabiliter dispositi: necnon die VII. mensis Octobris in nocte ventus horrendus & validissimus ab Aquilone venit, qui à multi Anglico perascensum Rheni & omnes adiacentes illi regiones vsque ad Italiam, tam in aquis quam in terra deuastauit, infinita hominibus damna intulit. Enimuero domus fortissimas, turres, Ecclesias, & arbores innumerabiles subuertens, multa hominum vtriusque sexus & ætatis millia oppressit. *Trithem. in Chron. Sponheimen. & Nicolaus Serrarius rerum Moguntiac. lib. 5.* Krantzius addit miraculum quod tunc Coloniæ accidit. Cecidit, ait, lapis in Ecclesia Coloniensi insignis magnitudinis vento delectus, per duplicem actus testudinem, locoque Sanctarum ex tribus magis reliquiarum incubuit. Sed tum diuino, vt ferũ, miraculo cessit theca ad parietem, de qua cadenti Saxo locum. Hodie monstrant in Ecclesia Saxum, non longe à reliquiis Diuorum Regum.

Dissensio inter Cler. & Ciues Mogũtin. componitur.

Prodigium in aere & horrendus ventus sub secutus.

LVII. *Miraculũ in Eccles. Colon. ad reliquias trium Magorum.*

LVIII. *Archiep. Magdebur. lite mota contra Ciues sententiam obtinet.*

Hoc ipso etiam tempore, Gunterus Archiepiscopus Magdeburgensis, contra ciues lite mota, sententiam obtinuit. Restiterant illi suo Pontifici, & capitulo maioris Ecclesiæ, occasione sumpta de communienda ciuitate, in hostes, vt illi dixere, Bohemos. Volebant, vt partem aliquam vrbis Archiepiscopus, partem clerus communiret. & Pontifex quidem recusauit; capitulares autem suæ parti communiendæ non satis voluntarij, rem dissimularunt. Creuit deinde inter eos & ciues indignatio, cum ciues operi insisterent, vt omnia Ecclesiæ suæ pretiosa, & peculiaria quisque sua, in locum reportaret tutiorem, veriti popularem tumultum, cessarunt & ipsi loco, diuina in Ecclesia officia intermittentes. Deuotura causa ad actum Basileensem, ciues moræ impatientes, Archiepiscopum in oppido Caluensi inuaserunt, expugnataque arce & direptis omnibus, ipsum vix abire permiserunt. Archiepiscopus, cum causam suam & coram Patribus prosequeretur, & corã Imperatore decertaret, in iure vtrobique victor enasit, vtrobique processus obtinuit; vt nisi intra præfinitum terminum omnia in pristinum statum redigerent, excommunicati & interdicti in Ecclesia haberentur, & rursus banno Imperiali subiacerent per omne regnum, capiendi ab omnibus impune. Simili pœnæ subiecti sunt, qui in crimine participantes fuit. agarentur. *Krantzius lib. 11. Saxon. c. 22. 25.*

LIX. *Obit. Ludouici Andeg. in Calabria.*

Eodem anno 1434. mense Nouembri dimidiato, Cosentiæ, quæ Calabriæ vibs est, Ludouicus Andegauensis, ad spem Regni Neapolitani ab Ioanna Regina adoptatus, corpore multis militiæ laboribus fracto, loci insalubritate tentatus morbo atque oppressus est in ipso ætatis flore, in medio felicitatis cursu, ipsoque in regni obtinendi limine; vix nuptiarum lætitia peracta, ducta recens Margarita Amedei Sabaudiæ Ducis filia, insigni formæ venustate. Ab eius Principis morte, Alfonsus Rex Aragonum, in maiorem obtinendi regni Neapolitani spem erectus, iterum ad Eugenium Pontificem Oratores misit, qui casum illius dolerent, opẽque offerrent. Lætatus ea legatione Pontifex, studia tamen Alphonso remisit; quod regni adscribendi potestas, à voluntate Reginæ quodammodo penderet.

LX. *Obit. Ioan. Contrerii Archiep. Tolet. & Henrici Villena.*

In Hispania, Ioannes Contrerius Toletanus Archiepiscopus decessit XVI. Cal. Octobr. Corpus in templi Toletani maximi Sacellum, cui à Diuo Ildefonso nomen est, celebri funere illatum. Habitis Comitiis de successore creando, cum sententiæ variarent inter Gusmanium Archidiaconum, & Villaquiranum Decanum, diuisis studiis, Ioannes Ceresola Aluari viterinus frater, ex Vxamensi Episcopo supei Hispalensis factus, Rege annitente Toletanus Præsul renunciatus, & ab Eugenio Pontifi. confirmatus est. Coniuncto funere Henricus Villena, Madriti, vbi Rex erat, extinctus est. Amissas opes, atque amplissimos honores ablatos, iniuriamque fortunæ honestis solatiis ad extremam senectutem tolerauit: tanto eruditionis studio, vt ne à magicis quidem sacris abstinuisse feratur. Libri iussu Regis, Lupo Barriento Dominicano, Henricique Principis Magistro examinandi traditi sunt; quorum parte combusta, multorum vituperationem incurrit: libros existimantium magno comparatos, eruditorum vsibus sine periculo noxaque seruari debuisse. At ille Regiam, de scripto concepta defensione, voluntatem excusauit, cui repugnare ea in re fas non esset. *Marian. libr. 21. cap. 7.*

LXI. *Fabrianenses Clauel lorum familiam sibi dominã em fundi tus delent.*

Narratum est superius, sed breuiter, Fabrianenses, quorum oppidum in Picentibus, Mercatorum & incolarum industria non ignobile est, Clauellorum familiam durius sibi & auarius dominantem funditus deleuisse. Id autem quomodo perpetrauerint, vel ad deterrendos ab imporenti dominatu tyrannos, non libet paulo luculentius memorare. Erat natu grandior, ætateque iam confectus Thomas Clauellus qui oppido dominabatur. Eius filius ætate maior Baptista, patris indulgentia fere omnia munera pro arbitrio obibat. Is supra faculates elatus animo cum opes non supperterent, plurima per tyrannidem exercebat, neque rapinæ, neq; libidini cuiquam parcebat: omnia diuina humanaque permiscebat. Hæc mala cum diutius oppidani ferre non possent, irritatis animorum incendiis clam & per insidias se inuicẽ alii alios cohortati, duodecim ex primoribus oppidi ad coniurandum in tyrannos induxerunt. Ii postesquam ex conuento signo dato quid faciendum esset, ad facinus perpetrandum constituissent, die quodam solenni, vbi Reguli omnes cum vniuersa fere familia in templum conuenissent; cantantibus Sacerdotibus eum Symboli locum, quo verba hæc continentur, *& incarnatus est de Spiritu Sancto*, repente strictis gladiis vndique coniurati omnes prosiliunt, impetuque facto, Regulos ipsos, ante sacratissima templi altaria, eo etiam Sacerdote facinoris conscio spectante, qui Christi anam hostiam consecraturus erat, & signum ad incundam patrandumq; scelus

dederat, cum vniuersa eorum familia quæ ibi tunc aderat, permultis confossos vulneribus trucidant. Deinde ad ædes conuolantes, reliquam familiam sine discrimine sexus & ætatis miserabilius interficiunt. Nec defuit, vt ferunt, qui Regię virginis cadaueri per nefandissimam veneris voluptatem se admiscuerit. *Simoneta libro tertio de rebus Francisci Sfortiæ.*

ANNO CHRISTI 1435.

Eugenii Papæ IV. anno 5.

Sigismundi Rom. Imp. anno 3.

I. *Constitutiones quas pro reformatione morum in Clero vniuersali sanxerunt Basileen.*

Qualem, in capite, & in membris reformationem, Basileenses, in Synodo coacta inducere cogitauerint; quoue animo in Eugenium Pontificem Romanum fuerint, hoc anno ostendere cœperunt. Et quidem laudandæ sunt Constitutiones, quas pro reformatione morum in Clero vniuersali sanxerunt; scilicet;

Publici concubinarii, à perceptione fructuum, tribus mensibus suspendantur.

Si concubinam statuto tempore non dimiserint, omnibus beneficiis priuentur.

Mulcta pecuniaria, nullatenus, sub anathemate puniantur.

Filii ex concubinatu nati apud patrem clericum non habitent.

Laici, à concubinatu abstineant.

Excommunicatis, nemo communicet.

Ad horas Canonicas, Clerici, tunica talari & superpelliciis mundis induantur.

In choro, ne confabulent.

In matutinis, post Venite, in Missa post vltimum Kyrie, in reliquis horis, post primum Psalmum, chorum ingressus, vel non admittatur, vel saltem vt absens habeatur.

Præsentia, ad singulas horas distribuantur.

Vagantes per Ecclesiam, totius diei præsentia careant.

Symbolum Nycænum integre canetur.

Sacerdotes, ne debito aliquo se obstringant.

Nulli actus Capitulares, citra necessitatem festis diebus habeantur.

Aruales & theatrales loci ab Ecclesiis arceantur.

Hæc quidem laudanda sunt.

Improbanda vero, & iure merito à Sanctissimo Pontifice reprobata, damnãraque sunt illa, quæ in præiudicium supremi Apostolatus, & sedis Apostolicæ, temerarie, & per summam iniuriam præsumpserunt, in sessione XXI. ad diem IX. Iunii celebrata decernere. Sed hæc præstat ex ipsis actis Conciliaribus, & ex iis quæ postea inter Eugenium & illos ipsos, siue per literas, siue per Internuncios facta, tractataque sunt cognoscere.

Hæc sunt acta.

SESSIO XX.

Decretum de concubinariis in sessione vigesima promulgatum.

SACROSANCTA generalis Synodus Basil. in spiritu Sancto legitime congregata, Vniuersalem Ecclesiam repræsentans ad perpetuam rei memoriam.

Tanto sumus ad concedendum petentibus laudabili per nos ordinatione statuta & decreta sub forma authentica proniores, quanto ex hoc statutis & decretis huiusmodi circa eorum obseruationem valeat fides certior adhiberi. Hinc est, quod nos tenores constitutionum inferius descriptarum, per nos dudum editarum, & in sessione publica per nos in maiori ecclesia Basileensi vndecimo Kalendas Februarii, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto celebrata publicatarum, & apud acta nostra de mandato nostro descriptarum, ad dilectorum ecclesiæ filiorum, & cæt. V. & N. qui tenoris huiusmodi se in iudicio & extra asserunt indigere, supplicationis instrumentum de actis ipsis extrahi & præsentibus annotari fecimus, quæ sequuntur in hæc verba: Quicunque clericus, cuiuscunque status, conditionis, religionis, dignitatis, etiamsi pontificalis vel alterius præeminentię existat, qui post huius constitutionis notitiam, quam habere præsumatur, per duos menses post publicationem eiusdem in ecclesiis cathedralibus, quam ipsi Dioecesani omnino facere teneantur, postquam eadem constitutio ad eorum notitiam peruenerit, fuerit publicus concubinarius, à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, tium mensium spatio ipso facto suspensus, quos suus superior in fabricam vel alium euidentem ecclesiarum vtilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, conuertat: nec non & huiusmodi publicum concubinarium, vt primum talem esse innotuerit, mox suus superior monere teneatur, vt infra breuissimum terminum concubinam dimittat. Quam si non dimiserit, vel dimissam aut alium publice resumpserit, inbet hæc Sancta Synodus, vt ipsum suis omnibus beneficiis omnino priuet; Et nihilominus hi publici concubinarii, vsquequo cum eis per suos superiores, post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem, quorumcumque bonorum, dignitatum, beneficiorum vel officiorum sint inhabiles. Qui si post dispensationem reciduo vomitu ad huiusmodi publicum concubinatum redierint sine spe alicuius dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant. Quod si hi ad quos talium correctio pertinet, eos (vt prædictum est) punire neglexerint, eorum superiores tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinarij, modis omnibus digna punitione animaduertant. In concilijs etiam prouincialibus & synodalibus aduersum tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem à collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna seueriter procedatur. Et si hi, quorum destitutio ad summum Pontificem spectat, per Concilia prouincialia, aut suos superiores, propter publicum concubinatum reperiantur priuatione digni, fortim cum processu inquisitionis ipsi Summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia, & inquisitio in quibuscunque capitulis generalibus & prouincialibus, quo ad suos seruetur, pœnis aliis contra prædictos & alios non publicos concubinarios statutis, in suo robore permansuris.

Publici concubinarij qui.

Publici autem intelligendi sunt non solum hi, quorum concubinatus per sententiam aut confessionem in iure factam, seu per rei euidentiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari, notorius est, sed qui mulierem de incontinentia suspectam & infamatam tenet, & per suum superiorem admonitus, ipsam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibuidam regionibus nonnulli iurisdictionem ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus à concubinatis percipere non erubescunt, patiendo eos in tali fœditate sordescere: sub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alicuius quæstus, talia quouis modo tolerent, aut dissimulent: alioquin vltra præmissam negligentiæ pœnam duplum eius quod propterea acceperint, restituere ad pios vsus omnino teneantur & compellantur. Ipsas autem concubinas, seu mulieres suspectas, prælati modis omnibus

curent à suis subditis, etiam per brachii sæcularis auxilium (si opus fuerit) penitus arcere: qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios, apud patres suos cohabitare non permittant. Iubet insuper hæc Sancta Synodus, vt etiam in prædictis synodis & capitulis hæc constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter.

Iniungat præterea omnibus sæcularibus viris etiamsi regali præfulgeant dignitate, ne vllum qualecumque inferant impedimentum, quocumque quæsito colore, prælatis, qui ratione sui officii aduersus suos subditos pro huiusmodi concubinatu procedunt.

Et cum omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum sit, & sub peccati mortalis pœna necessario euitandum, monet omnes laicos tam vxoratos, quam solutos, vt similiter à concubinatu abstineant. Nimis enim reprehensibilis est, qui vxorem habet, & ad alienam mulierem accedit: qui vero solutus est; si continere nolit, iuxta Apostoli consilium vxorem ducat. Pro huius autem diuini obseruatione præcepti, hi ad quos pertinet, tam salutaribus monitis quam aliis Canonicis remediis omni studio laborent.

1. Cor. 7.

De excommunicatis non vitandis, certo modo non vocatis.

VII. Ad virandum scandala & multa pericula, subueniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam, quod nemo deinceps à communione alicuius in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis vel extra, prætextu cuiuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum obseruare nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, vniuersitatem, ecclesiam aut locum certum aut certam, à iudice publicata vel denunciata specialiter & expresse: aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Nam à communione illius abstineri velit iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo reuelare, nec eis quomodolibet suffragari.

De interdictis non leuiter ponendis.

IV. Quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueuerunt scandala euenire, statuit hæc Sancta Synodus, quod nulla Ciuitas, Oppidum, Castrum, Villa aut locus, ecclesiastico supponi possint interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum aut dominii seu rectorum vel officialium. Propter culpam autem, seu causam alterius cuiuscunque priuatæ personæ huiusmodi loca interdici nequaquam possint authoritate quacumque ordinaria vel delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata ac denunciata, seu in ecclesia publicata, ac domini seu recto es vel officiales ipsorum locorum, authoritate iudicis, requisiti, huiusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad satisfaciendum compulerint: qua etiam post biduum ejecta, recedente, vel satisfaciente, mox diuina resumi possint. Quod etiam in pendentibus locum habeat.

Contra friuole appellantes.

V. Vt lites citius terminentur, super eodem grauamine aut super eadem interlocutoria vim diffinitiuę non habente, nullatenus liceat secundo appellare. Quodque ante diffinitiuam friuole vel iniuste appellans, vltra condemnationem expensarum, damnorum & interesse, in quindecim florenos auri de camera parti appellatæ per appellationis iudicem condemnetur.

Datum in sessione publica ipsius sanctæ synodi, in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, 11. Kal. Februarii, Anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimoquinto.

Requisitio.

Lectis & pronunciatis suprascriptis decretis, de mandatis sacri Concilii per reuerendum patrem dominum Episcopũ Lectorensem, inclytæ nationis Gallicanæ, ipse reuerendus pater dominus Lectorensis Episcopus requisiuit omnes dominos Archiepiscopos & Episcopos in Concilio & sessione prædicta præsentes, vt prædicta decreta, præsertim de concubinariis, mittã ad ecclesias suas, & faciant solenniter publicari. Item quod Archiepiscopi hic existentes, mittant suffraganeis suis absentibus, quod specialiter publicent. Itẽ prælati qui sunt ex parte alicuius regni, intiment prælatis absentibus. Item quod procuratores Archiepiscoporum & Episcoporum intiment ista suis dominis.

SESSIO XXI.

De Annatis.

VI. SACROSANCTA generalis synodus Basil. in S. sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

In nomine Spiritus sancti, paracleti statuit hæc sancta synodus: quod tam in curia Romana quam alibi, pro seu in confirmatione electionum, admissionum, postulationum, præsentationum promissione, collatione, dispositione electione, postulatione, presentatione, etiam laicis facienda, institutione, installatione, & inuestitura, de ecclesiis etiam Cathedralibus & Metropolitanis, monasteriis, dignitatibus, beneficiis, officiisque ecclesiasticis quibuscunq; nec non ordinib. sacris & benedictione ac pallio, de cætero nihil penitus ante vel post exigatur ratione literarum bullæ sigilli, annatarum communium, & minutorum seruitioũ, primorum fructuum, deportuum, aut sub quocunq; alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cuiusuis consuetudinis, priuilegii, vel statuti, aut alia quauis causa vel occasione, directe vel indirecte, solum scriptoribus, abbreuiatoribusq; & regiſtratoribus literarum seu minutarũ, pro ipsorum labore competẽti salario soluendo. Huic autem sacro canoni, si quis exigendo, dando, vel promittendo contraire presumpserit, pœnam incurrat aduersus Simoniacos in fictam, & in ipsis dignitatibus ac beneficiis taliter obtẽtis, nullum ius ac titulum acquirat. Obligationes quoq;, promissiones & censuræ ac mandata, & quicquid in præiudicium decreti huius salubertimi fieri contingeret, nullas obtinere vires, atq; irrita censeantur. Et si (quod absit) Ro. Pontifex qui præ cæteris vniuersaliũ Conciliorum exequi & custodire canones debet, aduersus hanc sanctionem aliquid faciendo Ecclesiam scandalizet, generali Concilio deferatur. Cæteri vero pro modo culpæ iuxta canonicas sanctiones per suos superiores digna vltione puniãtur.

De pacificis possessoribus.

VII. Quicunq; non violentus, sed habens coloratũ titulum, pacifice, & sine lite prælaturã, dignitatem, beneficiũ, vel officiũ triennio proximo hactenus possedit, vel in futurum possidebit, nõ possit postea in petitorio vel possessorio à quoquam etiam ratione iuris nouiter impetrati, molestari, excepto hostilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo protestati, & iuxta Concilium Vien. illud intimate teneatur. Lis autem hoc casu quoad futuras controuersias intelligatur, sisad executionem citationis iurisq, sui in iudicio exhibitionẽ, ac terminorum omnium obseruationem, processum fuerit. Ordinarii autem diligenter inquirant, ne quis sine titulo beneficium possideat. Quod si talem quandocunq; repererint, declarent ius illi non competere, vel huic (si sibi videatur) nisi sit intrusus seu violentus, aut alias indignus, vel alteri idoneo prouideant.

Viennense Concilium.

Quomodo diuinum officium in ecclesia celebrandum sit.

VIII. Si quis principem seculi rogaturus, habitu honesto, gestu decenti, prolatione non precipiti, sed distincta, attenta quoq; mente, seipsum verbo studet componere, quanto diligentius in sacro loco omnipotẽ orabit? Curabit. Debemus sanctæ synodus, vt in cunctis cathedralib. ac collegiatis ecclesiis, horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, laudes diuinæ per singulas horas nõ cursim ac festinanter, sed *asiatim ac tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cuiuslibet versiculi Psalmorum debitam faciendo inter solenne ac feriale officium differentiam, reuerenter ab omnib. persoluantur. Horas canonicas dicturi, cum tunica talari ac superpelliciis mundis vltra medias tibias longis vel cappis, iuxta temporum ac regionum diuersitatem, ecclesias ingrediantur, non capucia, sed almucias vel byrreta tenentes in capite. Qui cum in choro fuerint, grauit tam seruẽt, quam & locus, & officium exigunt, non in simul aut cũ aliis confabulãtes seu colloquentes, aut literas seu scripturas alias legentes. Et cum psallendi gratia ibidem conueniant, iuncta ac clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui maiori fungũtur honore, in Psalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. Philip. 2. Cum dicitur, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, omnes consurgant. Cum nominatur gloriosum illud nomen Iesus, in quo omne genu flectitur, cœlestiũ, terrestrium, & infernorum, omnes caput inclinẽt. Nemo ibidem, dum Horæ in communi publice cantantur, legat vel dicat priuatim officium. Nam non solum obsequiũ, quo obnoxius est choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat. Saper his debite obseruandis, aliisq; ad diuini officii prosecutionem ac chori disciplinam spectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter inuigiler, hincinde ne quid inordinate fiat, circumspiciens. Horum autem transgressores, illius horæ in qua circa prædicta excesserint, vel alia maiori, prout transgressionis grauitas exigit, plectentur pœna.*

*Curabit. *adeatim.

Quo tempore quisque debet esse in choro.

IX. Qui in matutinis ante finem Psalmi, Venite exultemus, in aliis Horis ante finem primi Psalmi, in Missa ante vltimum Kyrieleison, vsque in finem diuino officio non interfuerit, nisi forte necessitate cogente, ac petita & obtenta à præside chori licentia, discedere oporteat pro illa hora absens censeatur, saluis ecclesiarum consuetudinibus, si quæ forte circa hoc arctiores existant. Idem in his obseruetur, qui à principio vsque in finem in processionibus non permanserint. Pro cuius executione deputetur aliquis onus habens notandi personas singulas statuto tempore non conuenientes, iuramento adstrictus agere fideliter, & nulli parcere. Iubet etiam hæc sancta synodus, quod in illis ecclesiis, in quibus singulis horis certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus, (si opus sit) deputentur, vt iuxta mensuram laboris plus minusve quisque capat emolumenti, tollens prorsus abusum illum, quo in vna duntaxat hora præsens, totius diei distributiones vsurpat; & illum, quo Præpositi, vel Decani, aut alii officiales, ex hoc solũ, quod officiales sunt, licet actualiter pro vtilitate ecclesiæ non absint, quotidianas distributiones percipiunt.

Qualiter horæ canonicæ extra chorum dicendæ sint.

X. Quoscunque etiam alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc sancta synodus, si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, vt non in gutture, vel inter dentes seu deglutiendo aut syncopãdo dictiones, nec colloquia vel risas intermiscẽdo, sed sine soli, sue associati, diurnum nocturnũq; officiũ reuerenter verbisq; distinctis peragãt: ac tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur, ad quam se disponere & præparare debent, iuxta id quod scriptum est: Ante orationem præpara animam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum. Eccl. 18.

De hũ qui tempore diuinorum vagantur per Ecclesiam.

XI. Quicunq; in ecclesia beneficiatus, præsertim de maioribus, dum eorum tempore per ecclesiam vel foris circa ipsam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari visus fuerit, non solum illius horæ, sed totius diei præsentiam ipso facto amittat. Qui si semel correctus, non destiterit, per mensem distributionibus careat, vel grauiori (si pertinacia exegerit) pœnæ subiaceat, ita vt tandem desistere cogatur. Prohibeatur etiam, ne diuina officia tumultuosi quorumcumque per ecclesiam discursus impediant aut perturbent. Regulares qui in conuentualibus ecclesiis circa prædicta excesserint, graui superioris arbitrio castigentur. *De Regularibus.*

De tabula pendente in choro.

XII. Vt cuncta in domo Dei ordinate procedant, & quilibet sciat quid sibi agendum imminet, statuatur tabella aliqua, continue pendens in choro, in qua quid per vnumquenq; ex canonicis, vel aliis beneficiatis in singulis horis per hebdomadam aut maius tempus, legendum cantandum ve sit, scribatur. Qui autem, secundum quod ibi descriptus fuerit, facere per se, vel alium neglexerit, pro qualibet hora distributiones vnius diei amittat.

De hũ qui in Missa non complent, Credo, vel cantant cantilenas, vel nimis basse Missam legunt, aut sine ministro.

XIII. Abusum aliquarum ecclesiarum, in quib. Credo in vnum Deum, quod est symbolum & confessio fidei nostræ, non complete vsq; ad finem cantatur, aut Præfatio seu oratio dominica obmittitur, vel in ecclesiis cantilenæ seculares voce admiscentur, seu Missa etiam priuata sine ministro aut per secretas orationes ita submissa voce dicitur, quod à circumstantibus audiri non potest, abolentes, statuimus, vt qui in his transgressor inuentus fuerit, à suo superiore debite castigetur.

De pignorantibus cultum diuinum.

XIV. Abusum etiam illum, cultui diuino manifeste derogantem, quo nonnulli ecclesiarum Canonici contrahentes debita, sic se creditoribus obligant, vt nisi statuto tempore satisfaciant, à diuinis cessetur officiis, abolentes, & obligationem huiusmodi, etiam si iureiurando firmata sit, irritam decernentes, statuimus, vt qui talem illicitum contractum fecerint, trium mensium fructus ipsi ecclesiæ applicandos, ipso facto amittant. Et quamdiu diuina non resumpserint, nullos ex ipsa ecclesia prouentus percipiant.

De tenentibus capitula tempore Miſſæ Maioris.

XV. Prohibet ſancta ſynodus, vt tempore Miſſæ maioris, præſertim ſolēnib. dieb. capitula ſeu actus capitulares, aut alii tractatus p̄ Canonicos nō celebrētur, niſi forte vrgens & euidens ingrueret neceſſitas. Qui vero ad talē horam capitulum indixerit, à diſtributionibus quotidianis per hebdomadam ſit ſuſpenſus, neq; ipſi Canonici pro hora illa diſtributiones ipſas lucrentur.

De ſpectaculis in eccleſia non faciendis.

XVI. Turpem etiam illum abuſum in quibuſdā frequentatum eccleſiis, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum mitra, baculo, ac veſtibus pontificalib. more Epiſcoporum benedicunt, alii vt Reges ac Duces induti, quod feſtum fatuorum vel innocentum, ſeu puerorum in quibuſdam regionibus nuncupatur, alii laruales & theatrales iocos, alii choreas & tripudia marium, ac mullerum facientes, homines ad ſpectacula & cachinationes mouent, alii comeſſationes & conuiuia ibidem præparant: hæc ſancta ſynodus deteſtans, ſtatuit & iubet tam ordinariis, quam eccleſiarum Decanis & rectorib. ſub pœna ſuſpenſionis omniū prouētuū eccleſiaſticorum trium menſium ſpatio, ne hęc aut ſimilia ludibria, neq; etiam mercatrias ſeu negotiationes nundinarum in eccleſia, quæ domus orationis eſſe debet, ac etiam cœmiterio exerceri amplius permittāt, transgreſſoreſq; per cenſuram eccleſiaſticam, aliaque iuris remedia punire non negligant. Omnes autem cōſuetudines ſtatuta ac priuilegia, quæ his non concordant circa hæc decretis, niſi forte maiores adiicerent pœnas, irritas eſſe hæc ſancta ſynodus decernit. Datum in ſeſſione publica in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata die *Iouis 9. menſis Iunii, Anno à Natiuitate Domini 1435.

Matt. 21. Marc. 11. Luc. 19.

*quinto Idus.

SESSIO XXII.

De condemnatione libelli fratris Auguſtini de Roma, Archiepiſcopi Nazareni.

XVII. SAcroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Cum inter cætera pietatis opera, ad conſeruandam fidei Catholicæ veritatē, extirpandoſq; errores & hæreſes hæc ſancta ſynodus potiſſime conuenerit, noſtræ ſolicitudinis præcipuum ſtudium eſt, illico vt pullulare aliquid nouerimus, quod fidei Chriſtianæ puritatem offendere, & ſplēdorem luminis in mentibus fidelium quomodolibet obnubilare poſſit, penitus reſcindere, ægrumq; dominicum à noxiis zizaniis & vepribus cum omni diligentia expurgare. Proinde libellum quēdam editum à magiſtro Auguſtino, vulgariter dicto de de Roma, Archiepiſcopo Nazareno, cuius primus tractatus de Sacramento vnitatis Ieſu Chriſti & Eccleſiæ, ſiue de Chriſto integro inticulatur; ſecundus de Chriſto capite, & eius inclyto principatu, alius de charitate Chriſti circa electos, & eius infinito amore; tanquam non ſanam & erroneam in fide doctrinam continentē, cum ſuis defenſoriis damnat & reprobat. Et potiſſime ſcandaloſam illam, erroneam in fide, in ipſo libello cōtentam; quam piæ fidelium aures ſine horrore audire non poſſunt, videlicet, Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus, quotidie peccauit, quamuis *de capite Eccleſiæ Chriſto Ieſu Saluatore noſtro dicat ſe nō intelligere, ſed ad membra ſua, quæ cum Chriſto capite vnum eſſe Chriſtum aſſeruit, in relligentiam eius eſſe referendam dicat. Nec non & propoſitiones iſtas, & eius in ſententia ſimiles, quas in articulos damnatos in ſacro Conſtantienſi Concilio incidere declarat, videlicet: Non omnes fideles iuſtificati, ſunt membra Chriſti, ſed ſoli electi, finaliter in perpetuum regnaturi cum Chriſto. Secundam ineffabilem præſcientiam Dei ſumuntur membra Chriſti, ex quib. conſtat Eccleſia, quæ tamen non conſtat, niſi ex eis, qui ſecundum propoſitū electionis vocati ſunt. Non ſufficit Chriſto vnitri vinculo charitatis, vt aliqui efficiantur membra Chriſti, ſed requiritur alia vnio. Has etiam quę ſequuntur: Humana natura in Chriſto, vere eſt Chriſtus: Humana natura in Chriſto, eſt p̄ſona Chriſti: Ratio ſuppoſitialis determinans humanam naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata: Natura humana in Chriſto, proculdubio eſt perſona verbi: & verbum in Chriſto natura aſſumpta, eſt realiter perſona aſſumens: Natura humana aſſumpta à verbo ex vnione perſonali, eſt veraciter Deus naturalis & proprius: Chriſtus ſecūdum voluntatem creatam tantum diligit naturam humanam vnitam perſonæ verbi, quantum diligit naturā diuinā: ſicut duæ perſonę in diuinis ſunt æqualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Chriſto, humana & diuina, ſunt æqualiter diligibiles propter perſonā cōmunem: Anima Chriſti videt Deum tam clare & intenſe, quantum clare & intenſe Deus videt ſeipſum. Quas quidem propoſitiones & alias ex eadem radice procedentes, in prædicto libello contentas, tanquam erroneas in fide, damnat ac reprobat hæc Sācta Synodus. Ne igitur per huiuſmodi doctrinam in errorem quempiam Fidelium prolabi contingat, diſtricte præcipit, ne quiſquam præfati libelli doctrinā, & præſertim ſup̄ praſcriptas propoſitiones (vt præmittitur) damnatas & reprobatas, ac ēt eius tractatus defenſorios, docere, prædicare, defendere, aut approbare præſumat. Eos autē qui ſecus egerint, tanquam hæreticos, & alias ānimaduerſione canonica puniendos decernit. In nullo autem per hæc derogare intendit dictis, aut ſcriptis ſanctorum doctorū in prænominatis materiis loquentium; quinimo ea recipit, & amplectitur iuxta eorum veram intelligentiam, per eos aut alios Catholicos doctores in Theologica ſchola communiter expoſitam & declaratam. Nec per hanc ſententiam perſonę præfati Authoris præiudicare intēdit hæc eadem Sancta Synodus, quia etſi debite vocatus fuerit, cauſas tamē abſentiæ allegauit, & in aliquib. ſuis ſcriptis & alias doctrinam ſuam determinationi Eccleſiæ ſubmiſit. Cæterum hæc Sancta Synodus mandat & præcipit omnibus, Archiepiſcopis, Epiſ. Cancellariis vniuerſitatum & inquiſitorib. hæreticæ prauitatis, ad quorum ſpectat officiū, quatenus diligentiam ſolertem adhibeant, & prouideant, ne aliquis dictos librū & libellos defenſorios habeat, aut præſumat penes ſe conſeruare aut tenere; imo ipſos prædictis aſſignare habeat; vt de illis faciant, prout iura diſponunt: alias cōtra tales canonica animaduerſione procedatur. Datū in ſeſſione publica in eccleſia maiori Baſileenſi ſo'enniter celebrata Idibus Octobris Anno à Natiuitate Domini 1435.

*pro

Hactenus acta Baſileen. huius anni.

XVIII. *Edictum Baſileen. quo reditus Apoſtol. Sedis imminuere, vel adſe trahere conati ſunt.*

Præter ſuperiora de annatis, & aliis in præiudicium Sedis Apoſtolicæ, etiam nōnulla alia, æque grauia, contra Sedem Apoſtolicam, & Eugenii Pontif. attentarūt. Inter hæc extat edictum, Collectoribus fructuum Cameræ Apoſtolicæ, præſcriptum: quo reddit⁹ Apoſtolicæ Sedis imminuere, vel ad ſe trahere conati ſunt Baſileenſes. Legitur hoc tenore.

*Sacroſancta &c. Dilectis eccleſiæ filiis, vniuerſis & ſingulis collectoribus, & ſubcollectorib. fructuum & prouentuum Cameræ Apoſtolicæ, aut vniuerſali eccleſiæ debitorum, per Germaniā nationem ſiue Apoſtolica, ſiue noſtra auctoritatib. hinc inde conſtitutis tam præſentibus quem præteritis, & futuris, coniunctim & diuiſim, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Quanta ab initio congregationis noſtræ præcipua nobis cura eſt, recēs, proh dolor, illud Bohemorum antiquiumq; Græcorum diſſidium prorſus extinguere: quo autē ordine ad vtraque hæc tanquam fortiſſima efficaces manus iam miſerimus, liquido conſtat vniuerſis. Sed cū ad ea Spiritus Sancti gratia ſalubriter peragenda, diuerſa & inuitabilia ſubire oporteat onera expenſarum, quæ proculdubio ærarii noſtri iam fere euacuati facultatibus ſolꝰ ſupportare nequimus, hinc deſuper matura conſiderationis intuentes ſcrutinio, nedum aurum, quodcumque habet eccleſia, ſed & cuiuslibet Catholici corpus & animam pro tanto redempēionis bono cenſuimus exponenda. Cum itaque prudem inter alia ſynodica noſtra decreta ſalubriter ſtatuerimus de cætero occaſione annatarum communium & minutorum ſeruitiorum, primorum fructuum, aut ſuo quocumq; alio titulo, colore vel nomine, tam in Romana curia quam alibi, pro eccleſiarum dignitatumque aſſecutione ante vel poſt exigi nihil penitus debere aut promitti, quemadmodum in noſtro decreto deſuper confecto plenius continetur: & nunc ſolum ſupereſt vt hāctenus dicta occaſione exacta ad Dei Laudem pro eccleſia vniuerſale ſupportandū expenſis, & oneribus prædictū vtiliter expendantur. Idcirco vobis omnibus & ſingulis coniunctim & diuiſim in virtute Sanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis ſententia, pœna, quam niſi mandatu noſtri huiusmodi parueritis, incurrimus in his ſcriptis, diſtricte precipiendo mandamus, quatenus infra viginti dies poſt præſentationem præſentium, vobis coniunctim & diuiſim, publice vel occulte factam immediate ſequentes, quilibet veſtrum ita per ſe vel alium ad hoc ſpecialiter conſtitutum, ad nos veniendi arripiat, & inceptum continuet ſine fraude cum quaterno, quem de geſtis, receptis & expoſitis per eum, in ſua collectura aut ſubcollectura officio, toto eiuſdem officii tempore conſcripſiſſet, Dilectis eccleſiæ filiis deputatis nutu noſtro deſuper per nationem germanicam calculum, computum, & rationem de geſtis receptis & expoſitis huiuſmodi redditurus, ſolūturuſque, & præſentaturus fideliter cum effectu eiſdem deputatis pecuniam omnem tempore præſentationis præſentium collectam, & reſtantem in huiuſmodi officio: & deinde congruentibus terminis apud eoſdem acceptandū, in eodem officio colligendam pecuniam, de qua à iam obligatis colligenda etiam ſub dicta pœna diſponat per ſe vel alios, vbi hominus diligenter. Vt autem in his exequendis vobis collectoribus prædictis coniunctim & diuiſim, nulli prorſus præſtetur impedimentum, vniuerſis & ſingulis perſonis ſpiritualibus & ſecularibus cuius cumque, etiam ſi regalis, Cardinalatus vel Pontificalis dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, ſub dicta excommunicatione lata ſententia; Collegiis vero & vniuerſitatibus quibuſcumque, ſub interdicti eccleſiaſtici, quod etiam in contra facientes feci mus in his ſcriptis, pœnis, diſtricte precipiendo mandamus, quatenus omnem pecuniam, pro dicta camera Apoſtolica, aut Domino Papa ſine nobis collectam apud eos, aut eorum alterum ſeu alios ſui mandato forſan depoſitam, vel alias quomodolibet exiſtentem, & deponendam, poſtquam depoſita fuerit, vel alias apud eos extiterit, quam, ſi quauis etiam Apoſtolica ſine dicti Domini Papæ auctoritate apud eos aut vos ſiue aliquem veſtrum forſan nunc aut in futurum, de iure vel de facto auectata foret, præſentibus omnia & ſingula mandata, inhibitiones & proceſſus, quaſcumque cenſuras ſiue pœnas eccleſiaſticas aut ſeculares continentia, in contrarium forſan facta vel fienda, caſſando, tollendo, irritando & reuocando, de vaſtamus: vobis collectoribus & ſuccollectoribus coniunctim & diuiſim, infra trium dierum ſpatium à tempore notitia præſentium immediate ſequentium tradant & aſſignent, ac per nos ad dictos deputatos vt præmittitur fideliter deferri permittant, & adiuuent, nec impedimentum quodcumque ſiue qualecumque circa hoc, vel etiam vt nondum collecta pecunia huiuſmodi colligatur, aut vt præmitti tur deferatur, quomodolibet præſtent, aut præſtari procurent quouis queſito colore, directe vel indirecte, publice vel occulte. At vero ſi, quod abſit, vos aut quiſquā prædictorum, huiuſmodi noſtris mandatis non parueritis, vel non parueritis cum effectu, hunc & omnes in contrarium facientes præſentium tenore peremptorie citamus, & abſque alterius adminiculo executionis citatum habere volumus, quatenus quadrageſima die poſt notificationem præſentium ſibi publice vel occulte factam, de qua adhoc iurati nuncii noſtri relationi ſimplici ſtare debere decreuimus, ſi dies ipſa iuridica fuerit. Alioquin prima iuridica ex tunc immediate ſequentibus, coram auditore curiæ camerę noſtræ aut eius locumtenēte, cui deſuper & etiā cōtra obligatos & non ſolutos, exēptos, & nō exēptos, quoſcumq; cuiuſcumq; ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis, (vt præmittitur) exiſtant, ſpecialem præſentibus tradimus poteſtatē, Baſileæ in iudicio compareant, ad videndum & audiendum ſe pœnas ſupradictas incidiſſe, per eundem auditorem vel eius locumtenentem declarari, & alias contra ſe ad fiſcalis procuratoris noſtri inſtantiam, ad grauiores pœnas & cenſuras etiam vſque ad priuationem beneficiorum, & priuilegiorum omnium, quæ forſan coniunctim vel diuiſim obtinent incluſiue abſque citatione procedi, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali octauo idus Auguſti, anno à natiuitate Domini trigeſimoquinto.

XIX. *Aliud eorundem edictum ne quis à cœtu illorum quoquam prouocet vel à ſede Ap. ſcripta proferat.*

Præter ſuperius præindicati animi edictum, Baſileenſes, etiam iſtud aliud promulgarunt; ne quis à cœtu illorum quoquam prouocaret: neue aliūde, etiam à Sede Apoſtolica, reſcripta proferret.

Concordata deputationum.

Concordant tres deputationes, quod omnes appellationes ab hoc ſacro Concilio emanate & quæcunque inde ſecutæ & ſequenda, caſſentur & irritentur, annullentur. Et tam iudices quam commiſſarii partes, procuratores, & notarii, qui circa præmiſſa culpabiles reperti fuerint, moneantur etiam per edictum, & debite puniantur, & adhoc dati ſunt executores in deputatione reformatorii, Vicarius Friſingenſis. In deputatione pro communibus, Magiſter Guillermus de Conſtantia. In deputatione pacis, Dominus Epiſcopus Lectorenſis; quarta vero de fide concordat cum eiſdem deputationibus, dum tamen excipiatur perſona Domini Ducis Sabaudiæ, & pro eadem deputatione fidei, datus, deputatus, Dominus præpoſitus Gnezuenſis. quodque ex parte Sacri Concilii ſcribatur eidem Domino Duci, ſuper materia huiuſmodi Lauſanenſis. quodque Concilium paratum eſt ſibi & cuicumque de ſuppoſitis Concilii querelanti iuſtitiam miniſtrare. Et ſi opus ſit, eidem tranſmittentur vna notabiles pro actu huiuſmodi.

Item concordant quatuor deputationes, quod contra appellantes ab hoc Sacro Concilio, ſeu à iudicib. & commiſſariis ab eodem Concilio deputatis, extra hoc ſacrum Concilium, intimante; huiuſmodi appellationes ac illis deferentes, ac notarios inde inſtrumenta recipientes, nec non contra illos qui litteras quaſcumque, tam à Romana curia, quam aliunde extra locum ſacri Concilii emanatas, contra incorporatos huic ſacro Concilio exequuntur, & procurant exequi. Et ad procedendam contra huiuſmodi appellantes, intimantes, & alios prædictos fuerunt deputati pro deputatione pacis, dominus Epiſcopus Lectorenſis; pro deputatione reformatoris, Vicarius Friſingenſis; pro deputatione fidei præpoſitus Gnezuenſis: pro deputatione de communibus Dominus Patriarcha Aquileiēnſis. qui contra prædictos procedant cum poteſtate citandi in loco huius ſacri Concilii extra & ad partes etiam perſonaliter, & per edictum, illosque puniendi & caſtigandi vſque ad priuationem officiorum & beneficiorum, atque in futurum obtinenda inhabilitandi, prout iuſtitia & criminis qualitas poſtulant & requirunt, ac eis videbitur expedire: ita tamen quod coram altero eorum in cauſis huiuſmodi poſſit proceda vſq; ad ſententiam excluſiue, quæ tunc conſenſu omnium in generis interueniente poſſit promulgari, & procedendi ſimpliciter ſummarie & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicii omnium iuris, & ſtyli ſolemnitate, atque verminorum obſeruatione ſemotis, ſola tamen facti veritate inſpecta.

Ita concordarunt Domini de duodecim die Iouis 15. Septembr. Anno Domini 1435. die Veneris 16. menſis Septem. anno 1435. in generali congregatione præſidente in eadem reuerēdiſſ. Domino Cardinali legato, lectis concordatis Dominorum de duodecim, inter quæ concordata ſupradicta fuerunt reuerendiſſim. Dominus Cardinal. legatus, nomine & auctoritate ſacri Concilii, iuxta concordata dictorum Dominorum, de duodecim, more ſoliteo concluſit.

XX. *Prærogatiuæ graduum incorporatorum in Conuentu Baſileen.*

Hæc in præiudicium ſedis Apoſtolicæ, & Eugenii Pontificis Baſileenſes ſanciebant. Cæterum, vt ne illis deferat, qui auſus eorum temeratos defendere: multa in fauorem ſequacium ſuorum conceſſerunt. haſque prauæ legis prærogatiuas indulſerunt: iis qui in petram primariam incurrere contenderent.

Sacroſancta &c. ad futuram rei memoriam. Plaſmatoris omnium, qui gradus & formas humani generis per hæc ſpiritualia bona diſponens, quoſdam diuini ſui muneris beneficio, ad præſtigiēdas ignorātia tenebras, perſpicuæ veritatis arcanarum rerum ſic illuminat dogmatibus, vt velut ſplendor firmamenti, & ſtellæ in perpetuas æternitates in eccleſia Dei fulgentes, tam publica quā priuata eruditionis & iuſtitiæ aſſidue commoda procurent, quantum poſſumus & permittit, inſequendo veſtigia ipſorum præſertim qui vineam Domini ſedulo colunt, peculiaribus fauo-

ribus dignè compensationis munere duximus confouere. Sane dudum Dominus Eugenius Papa IV. nonnullos Romanam curiam pro tempore sequentes, & quosdam alios specialibus fauoribus, & variis emolumentorum gratiarum persequens prærogatiuis, quibus eos voluit anteferri, dilectis ecclesiæ filiis in Theologia magistris, & in altero iurium Doctoribus, ac cum rigore examinis Licentiatis, & in Theologia ac altero iurium huiusmodi Baccalaureis, in vinea Domini nobiscum quotidie laborantibus, in assecutione beneficiorum, qua vigore gratiarum expectativarum eisdem dictum Sanctum Eugenium concessarum expectant, graue præiudicium generauit. Nos itaque licet dudum, quod dictæ emolumentorum prærogatiuæ nostra congregationi incorporatis, siue eorum familiaribus obsequiis ipsorum assistentibus, nullum præiudicium generare possent aut deberent subiectis modo & forma statuissemus atque ordinauissemus: tamen circa statum & commodum dictorum magistrorum, licentiatorum, & baccalaureorum prædictorum, qui pro tractandis vniuersalis ecclesiæ negotiis, pernigiles in vinea Domini nobiscum solicitudines impendunt, ne ipsi demum ex dicta vinea fraudare contingat, uberius prouidere cupientes, æquo libratæ considerationi huiusmodi promotorum, authoritate vniuersalis ecclesiæ, tenore præsentium statuimus, decernimus, voluimusque atque ordinamus, quod Doctores, licentiati, & baccalaurei supradicti, illi videlicet qui nobiscum pro vniuersalis ecclesiæ negotiis exequendis per annum in eadem vinea laborauerint, in assecutione beneficiorum suorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam si canonicatus, & præbendæ, dignitates, personatus, officia, integra vel dimidia portiones præstimoniæ & præstimoniales portiones seu administrationes in metropolitanis aut cathedralibus vel collegiatis ecclesiis fuerint, quæ ex nunc & vacantia & in antea vacatura, vigore earundem gratiarum vtte acceptauerint, & de illis sibi prouiderint seu prouisum fuerit, omnibus & singulis aliis Doctoribus, simplicibus, magistris, licentiatis, & baccalaureis, ac aliis quibuscunque antelationum gratiarum huiusmodi prærogatiuis, aut quibuslibet aliis gratiis à Domino Eugenio etiam motu proprio seu quacunque alia verborum forma, etiam priore data & concessis huiusmodi beneficia expectantibus, etiamsi vigore dictarum gratiarum in Canonicos sint recepti, & diligentiores in processibus existant. S. R. E. Cardinalibus & veris sine fraude receptis familiaribus, continuis commensalibus eiusdem Eugenii Papæ & dictis incorporatis Doctoribus, magistris licentiatis & baccalaureis æqualiter graduatis & similibus Apostolicæ sedis officialibus, & his qui earundem gratiarum prætextu assunti existunt, dumtaxat exceptis in executionem beneficiorum huiusmodi præferantur. Et in super inter graduatos incorporatos prædictos, talem ordinem volumus obseruari, quod magis graduatus minus graduato in assecutione beneficiorum prædictorum præferatur, & inter æquales eorundem ius communi conseruetur, non obstantibus omnib. supradictis, ac volitate statuto atq; decreto Eugenii Papæ quæ quoad incorporatos graduatos per annum nobiscū laborantes, huiusmodi vim ferant, volumus haberi pro infectis, nullius q; existere roboris vel momenti, ac constitutionib. ordinationib. indultis, nominationib. facultatibus, & concessionib. Apostolicis quibuscūq; Regibus, Ducibus, Principibus, prælatis, personis & vniuersitatib. concessis, aut in posterū quomodolibet concedendis atq; nostris, de quib. eorumq; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in nostris literis mentio specialis, cæteris q; contrariis quibuscumq;. Nulli ergo &c. Datum Basileæ tertio nonas Augusti. Anno 1435.

XXI. Eccl. suis Legatis in cœtu Basil. plenam potestatem dat de grauissimis negotiis deliberandi & citra præiudicium decernendi.

Præuidebat hæc & alia Pontifex Eugenius, quæ Basileenses in præiudicium Apostolicæ sedis priuatim ordinata, in vulgus edere designabant. Itaque suis in eo cœtu Legatis, plenam potestatem dedit, de eisdem grauissimis negotiis deliberandi, & citra præiudicium decernendi. Ista sunt quæ Legatis scripsit.

Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis, Nicolao, tituli Sanctæ Crucis in Ierusalem, Ioanni tituli S. Petri ad vincula, & Iuliano tituli Sanctæ Sabinæ, Sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteris Cardinalib. Apostolicæ sedis legatis, ac venerabilib. fratribus Ioanni Archiepiscopo Tarentino. & Petro Episcopo Paduano, pro nobis in sacro Basileensi Concilio presidentibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Non est insolitum inimico hominis superseminare Zizaniam vt etiam inter eos qui parē pertexere contendunt, vt in vnum finem conueniant, ex ipsis procedendi mediis, qui pro diuersitate humanorum sensuum in semet differentes reddantur, nonnunquam vario dissidio qui mutuam charitatem vulnerent, oriantur. Hoc autem inter nos, & nonnullos, ac venerabilib. fratribus, & dilectis filiis sacri generalis Basileensis Concilii superiori tempore exortum suspeximus, quod tamen Diuina ammonente clementia, eadem concordiæ locum & pacis inuenit, postmodū vero quasi inter nos, & ipsos, emergeret differentia per nouos Oratores eius generalis Concilii de feruando cum Græcis, de tractando indulgentiis, de causis suppositorum dicti Concilii non admittendis de officialib. nostris ad curiā nostrā nō vocandis, de electionib. expectandis, aut etiā confirmandis, de annatis, seruitiis communib. & similibus non recipiendis fuimus requisiti. Ad quæ omnia per nostros fratres plene responsum. Et licet ex illis responsionib. eidem sacro Concilio satisfecisse speremus, præsertim tamen non esset inconsultum, si quid difficultatis vel scrupuli aut suspicionis forsitan superesse contingeret, abundantius prouidere, & desiderii nostrum ad votum ac pacem amplius aperire, ita vt etiā paruo nubilo sublato de medio, ad ea quæ honorem Dei ac bonum Reip. Christianæ concernunt ante diuinæ claritatis faciem, puris ac serenis animis intendamus. His igitur diligenter attentis vestris circumspectionibus, de quib. plurimū in Domino fiduciā continemus, omnes & singulas differentias, difficultates & suspiciones, si quæ prædictorum occasione vel prædictum superesse, aut in futurū emergere forte contingeret, concordandi, tollendi, sedandi & sopiendi, sufficienti tamen prouisione, quoad annatas, communia seruitia, & alia in quadā ipsius generalis Concilii ordinatione contenta prius facta, ac per nationes & Prouincias approbata & recepta, nec nō alia in premissis, & circa premissa facienda, per quæ ad veram & perfectam charitatē vnanimen concordiam inter nos & fratres & filios nostros, & Dei gloria, exaltatione orthodoxæ fidei Christianæ ac conseruatione honoris & dignitatis Apostolicæ sedis peruenire posse videamus, de consilio venerabilium fratrum nostrorum Iordani Sabinensis, Brandæ Portuensis Episcoporum Ioannis tit. S. Laurentii in Lucina. Antonii tit. S. Marcelli. Ioannis tit. S. Sixti, Vrbanici tit. S. Clementis, Angelotti tit. S. Marci Presbyterorū Lucidi S. Mariæ in Cosmedin. Prosperi S. Georgii ad velum aurei, & Dominici S. Mariæ in via lata Diaconorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium, plenam & liberam tenore præsentium cēdimus facultatem, ratum & gratum habituri, quicquid per vos in premissis ordinatū concordatum fuerit & conclusum. Idq; facientes authore Domino inviolabiliter obseruari. Datum Florentiæ. Anno Incarnationis Dominicæ 1435. Decimo tertio Calend. Martii. Pontificatus nostri anno 5.

Ego Iordanus Episcopus Sabinensis subscripsi.
Ego Branda Episcopus Portuensis subscripsi, &c.

A. de Florentia
F. de Laude.

Hæc Legatis Eugenius committebat. Hi porro, quicquid Basileenses, constituissent, diuulgassent, Pontifici renunciarunt. Pontifex, quemadmodum par fuerat ægro animo tulit, quæcumque prævaricatores ausi fuissent. Ergo vt factum defenderent, illi, Nuncios ad Eugenium miserunt: quorum nomine, vnus Florentiæ coram Pontifice, ad eum modum dixit,

XXII. Basileen. mittunt Nuncios ad Eug. quibus præuaricationes suas defendere conantur & aliqua eō proponunt.

Beatissime Pater. Exigeret præsentia vestræ Beat. in prime dicendorum alloquio orationem ornate compositā, matureq; dispensatam, quæ S. V. dignitatem clementiam, eliasq; virtutes, & dotes summas, in medium adduceret, & rē ipsam Deo gratissimam, & hominib. saluiferā, de qua paulo post dicturi sumus, peroraret. quis autem eloquentiæ Princeps, aut Tullianæ sapientiæ, præsultum supremi vicarii Iesu Christi, modico, & inculto sermone, ad plenū explicare poterit? profecto meam virium, sed ili subiectionis transcendit Facultatem. Rem igitur illico subiiciendam, veritatis nitore submissam video, ratus q; non sum eam verborum lenocinio indigere. Canon mihi locupletissimus testis est, cum superuacuis laborare impendiis quilibet certat facibus adiuuare. Quoniam igitur gratia plenitudo adiectione non indiget, nec illa requirit commendationis argumenta, immō ari in ea re verborum flaccis coloribus amplius non putamus. Ne autem vsque ad fastidii necessitatem meæ se extendat præfatio, ad conceptam materiam orationem conuerto, non tamen de propria virtute, sed de munere largitoris illius, qui dat omnibus affluenter,

& non improbat confidens. Verum P. B. cum parens noster ille solus & vnus Deus gloriosus, fingeret animal rationale, ipsum ex humo sublimatum, ad contemplationem sui arcissimi erexit: & solus homo est qui res cœlestes accepit: spectare eum DEVS cœlum voluit, vt religionem ibi quæret. Apparet non esse rationis humanæ, postpositis diuinis ac humanis præceptis, opes terrenas quæ plerumq; curant animal rationale, venerari. Cum autem P. B. Gloriosissimi Pontifices antecessores V. B. magni, iusti, in cœlestibus rebus experti, summa religione Deum adorabant, iustitiæ cultum colebant, in omnibus Deum præsentem esse putabant, decreta sacrorum Conciliorum in summa reuerentia ac veneratione habere solebant, & à subditis obseruari faciebant: adeo etiam vt D. Gregorius tanta Beatitudinis ac scientiæ Pontifex, quatuor Concilia generalia, vniuersalia, sicut quatuor libros Euangelii professus fuerit, scilicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense. Ratio, quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, & cuilibet vitæ atque communis actionis norma existit. Et cum vniuersali sint consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumpserit absolutè quos religant, aut ligare quos absoluunt. Clarum autem est secundū Gelasii Papæ sententiam, quod eadem veneratione & decreta aliorum Conciliorum custodienda & recipienda sint. Ne dum autem dicta quatuor generalia Concilia, cum suis sequentibus solummodo quoad fidem, Beatus Gregorius se venerari fatetur, sed etiam quoad reformationem, quando subiungit dicens: quia in his cuiuslibet vitæ atque eo tamquis actionis norma existit. Constat autem & luce clarius apparere potest, iuxta sacri Concilii Constantiensis decretum, quemlibet, etiam si Papali fulgeat dignitate, decretis sacrorum Conciliorum obedire debere, in his quæ pertinent ad fidem, schismatis extirpationem & reformationem ecclesiæ in capite & in membris, & pertinentium ad ea. Et si gloriosissimi Principes ea destruere qua antecessores sui statuerunt, erubuerunt: multo magis decet & expediet, quinimo necessarium foret S. V. eorum vestigiis inhærendo, decreta sacrorum Conciliorum summa cum veneratione obseruare, & obseruari facere, & custodire. Sicque P. B. si priscorum sacrorum Pontificum magnifica opera. S. V. attendit, summo studio conabitur gloriam suam triumphalem suis posteris, & vniuerso orbi relinquere profuturam. Nec S. V. retinebet leuis occasio quinimo diuinæ necessitudini satisfaciet, si grato studio suo administcula misericorditer petenda ecclesiæ Dei feliciter condonabit. Non iniustum petimus, non S. V. maximè præliis & certaminibus confligere rogamus, non insuperabiles montes transituram, non ampla terrarum spatia vasti orbis lustrare: sed vt sanctæ Catholicæ ecclesiæ fauoribus benignis participata, bonos felicitatis suæ conuentus, in perpetuum memorabiles conquirat gloriosè. Nunc autem B. P. de vestra sanctitatis benedictione ad rem specialius descendam, alia inuitta posteris temporibus explicaturus.

Considerans itaque sancta Catholica ecclesia, per sacram Synodum Basileensem præsentata reformationem ecclesiæ Dei in capite & in membris vniuerso orbi summa esse necessariam & ad eam perficiendam creberrimis literis. S. V. magna cum charitate, & solertia propulsatam fuisse, in nomine Spiritus sancti paracleti, magnis ac variis impedimentis intercurentibus sua saluberrima promulgauit decreta. Cum autem P. B. ob eorundem transgressionem magna scandala in ecclesia Dei præteritis temporibus exorta sint, & nisi accuratius prouideatur, timendum foret maiora scandala intolerabilia ac schismata grauiora suboriri, maxime autem propter non obseruationem decreti de electionibus, ob quam transgressionem, paucis temporibus elapsis, sequi poterit pernitiosissimum schisma in ecclesia Dei, periculosius quidem quam fuerit aliud nouiter extinctum. Illud namque diuidebat ecclesiam in duas partes, sed si S. V. non seruaret decretum de electionibus per sacrum Concilium promulgatum, timendum foret quod infra decem aut quindecim annos sancta ecclesia Catholica diuisa reperiatur in tot partes, quot sunt diœceses. Proximis insuper diebus, cum Ambassatores sacri Concilii Francofordiæ in solenni conuentione sacri Romani Imperii Principum Alemanie, & electorum essent constituti, audiuerunt grauissimas querelas, maximaque scandala exinde euenire. At statim vero exposti Colonensis & Magutinensis Archiepiscopi, querulosas litteras de nouo sacro Concilio transmiserunt, postulantes humillime & deuote, quatenus sacrum Concilium sub obseruantiis decreti de electionibus ante sui dissolutionem dignaretur opponere remedium opportunum. Quamuis autem P. B. superioribus temporibus sacrum Concil. per honorabilem Dominum Abbatem sanctæ Iustinæ, & demum per duos reuerendiss. Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, pro obseruandis decretis edictis & edendis S. V. requisiuerunt, nunc vero per duos humiles dictæ sacrosanctæ Synodi oratores rogat, petit, hortatur, & per viscera Domini nostri Iesu Christi obsecrat, & amplius requirit, quatenus sanctitas vestra deinceps, cum effectu seruare, & seruari facere velit decreta edita, & edenda per sacrum Concilium Basileense, & in contrarium attentata reuocare. Alioquin P. S. dicta sacra Synodus multiplicibus interpositorum ac scandalorum crebris propulsata opprobriis, incendit dare operam efficacem, per quam decreta sua ab omnibus inviolabiliter seruentur, etiam quacunq; præfulgeant dignitate, prout possibile erit. Vnde iam tot scandala & schismata in populo Christiano suborta existunt, & per amplius sequi verisimiliter timentur, quod sacro Concilio non expedit conniuentibus oculis pertransire. Et si sacrum Concilium non foret congregatum ad obuiandum dictis scandalis, de nouo deberet congregari. Nunquam autem sacrum Concilium patietur se dissolui nisi prius adhibito sufficienti remedio, modo possibili pro obseruandis decretis eiusdem. Quid namque prodesset condere decreta & leges si non manutenerentur. Qualis insuper futuris temporibus spes general. a Concilia congregandi haberi poterit, si decreta sacri Concilii Basileensis, tot laboribus & expensis condita & promulgata, tam de facili violari, ac etiam retractari & irriseri à quocunque tolerarentur: & profecto nisi diligentius prouideatur super obseruantia decretorum, paucis temporibus elapsis, omnis authoritas sanctorum Conciliorum enerubitur, & disciplina ecclesiastica peribit, vulgare namque insolenix vox populi, si durante Concilio hæc fiunt viridi, quid eo dissoluto sperandum foret in arido? Præterea P. B. ad dictam obseruantiam decretorum ex susceptæ reginiinis officio S. V. adstrictæ est. Vnde iuxta Iuliani Papæ sent. officii nostri considerationem non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis Zelus incumbit; & per consequens feruentia desiderio ea quæ sunt Christianæ religionis decreta, Romanos Pontifices seruare oportet. Nec aliquam aliam sedem, secundum Gelasium, vniuersitatis Synodi constitutum, quod vniuersalis ecclesiæ probauit assensus, magis exequi præteritis oportet quam primam, qua vnaquæq; Synodum sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit. Nedum autem verbo & scripto ampletti sed etiam vsque ad vitium & sanguinem, ea quæ Spiritu Sancto dicente Patres definierunt, præcipua virtute defensare & seruare, ab aliisque obseruari facere & custodire. Quod si S. V. fecerit, consequetur profecto sanctæ ecclesia Catholica immensam gloriam, honoremque suscipiet pariter & decorem, sacrum quoque Concilium Basileense in Spiritu sancto legitime congregatum & S. V. vinculo charitatis indissolubili erunt vnum, sicut & nos vnum sumus.

Insuper P. B. quot & qualia scandala præteritis temporibus prouenerint ex eo quod sententiæ etiam tres conformes late in sacro Concilio, in curia Romana reuocantur, retractantur, & reuocantur, ad plene explicandum non sufficeret dies neque mensis. Patres autem sacri Concilii, vt etiam cuncti principes fecisti de hac re non solum admiranter, sed & grauissimè scandalizantur, cum hoc cedat in maximum scandalum, & perturbationem ecclesiæ vniuersalis, fiunt nempe diuersi processus in diuersis partibus: vnus excommunicat; alius vero absoluit, vnus obedit, alter contemnit. Quanta autem mala & contemptus ecclesiastici status hinc prouenient, lingua nostra mortalis ad plenum explicare non poterit, & quod grauius est fiunt processus in Curia Romana, per quos innocentur suppositi Concilii, signanter autem scriptores, & abbreuiatores, cum tamen ita necessaria negotia ibidem tractentur, quod non solum deberent vocari, quinimo & alii mitti. Propterea Pater Beatiss. dicta sacra Synodus S. V. rogat, petit, hortatur, & insuper per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi obsecrat. & requirit, quæ-

tenus sanctitas vestra deinceps aliter velit obedire, quod ista aut consimilia de cætero non fiant. Et præsertim mandare domino Patriarchæ Hierosolymitano, à quo dicitur illud monitorium emanatum, vt illud reuocet, & de cætero consimilia non attentet.

Per amplius autem sanctitas vestra dignetur fouere & habere recommissa supposita sacri Concilii, prout in decreto adhasionis pollicita fuit S.V. facere velle. in omnibus autem S.V. velit sic agere, quatenus patres in sacro Concilio concipere valeant S.V. manutenere sacrum Cœtilium & non per indirectum dissoluere. Quòd si S.V. fecerit totius orbis vniuersitas exinde magnam suscipiet consolationem, & quietem. Sacrum insuper Concilium S.V. erunt vnum sicut & nos vnum sumus.

Postremo Pater Beatiss. sacrum Concil. volens ea significare S.V, quæ proximis diebus in sacro sancto opere reformationis, dudum vniuerso orbi, per suas litteras promisso fecit & ordinauit in præsentiarum in signum participationum tot & tantorum bonorum operum, transmittit S.V. decretum de annatis, vacantiis & communib. seruitiis tollendis, prout ibi ipso decreto statim præsentãdo clarius continetur, & dicta sancta Synodus hortatur & requirit S.V. quatenus velit ipsum decretum in sua curia seruari & alibi obseruari facere & custodire, quoniam ipsum est conforme legi diuinæ & canonibus sanctorum Patrum, & dignetur ipsum benigne suscipere tanquam opus quod principaliter reformandum erat. Quamuis autem P.B. ista annatæ introductæ fuerunt ex causa passagii terræ sanctæ, nunc autem cessante causa, cessare poterit & effectus. Etiam dictæ annatæ hactenus subleuatæ non sunt conuersæ in eum vsum & finem propter quem annatæ adimuntæ fuerunt: maxime autem quoniam superioribus temporibus in subleuationem dictarum annatarum tantus rigor, tantaq; exorbitantia, & tot insuper destructiones, & orbationes insignium ecclesiarum prouenerunt, adeo etiam quod in multis ecclesiis cultus diuinus nedum diminutus, sed etiam in totum in collapsum reductus existit. Multi enim notabiles Prælati ob non solutionẽ annatarum innodati censuris ecclesiasticis, multis annis à diuinis abstinentes, & tandem plurimi in his sic mortui in terra profana inhumati sunt. Alii vero coacti sunt vendere libros, calices, capsas reliquiarum & ornamenta ecclesiarum. Alia autem innumerabilia mala quæ exinde subsecuta sunt in longum enarrare de præsenti supersedeo; Quibus singulis attentis per amplius non expediebat sacro Concilio conuenientibus oculis perstringere. Vnde B.V. si Alexander S. Rom. Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis Episcopus scribens Lutensi ecclesiæ constituerit & decreuerit quod nullus cuiuscunq; gradus clericus pro ecclesiastico beneficio audeat aliquid conferre etiamsi fabricæ ecclesiæ vel in denariis, seu etiam in vsus pauperum donatum tribuendum foret: multo magis decreit sacrum Concil. quod est speculum & norma cuiuslibet vitæ atque communis actionis, decretare, & ordinare, quatenus per amplius in collatione beneficiorum, confirmationum, electionum, admissionum, postulationum, tam in curia Romana quam alibi, nihil penitus ante vel post erigatur directe vel indirecte, prætextu etiam cuiuscunq; consuetudinis, priuilegii vel statuti aut alias quacunq; recepta occasione. Sacrum namq; Concil. nihil noui fecisse videtur, sed antiquissima iura sanctorum Romanorum Pontificum innouauit. Nihilominus P.B. sacrum Concilium omnino dispositum est, & iam laborat per aliquem alium modum honestiorem S. V. & Dominis Cardinalibus talem facere prouisionem, de qua S.V. Dominiq; Cardinales meritò poterunt contentari, præsertim autem si sacrum Concil. informatum fuerit realiter & cum effectu S.V. decreta sacri Concil. Basileen. seruare, & ab aliis obseruari facere & custodiri, prout & S.V. in bulla sua adhæsionis pollicita est ea seruare. Has preces P.B. pro hac vice nos humiles & tantilli dictæ sacrosanctæ synodi oratores S.V. magnacum instantia offerimus, rogantes sanctitatem vestram humiliter & deuote, quod si nobis iniuncta non tam mature aut eleganti stylo quo debuissemus exposuerimꝰ id non sacro Concilio, sed nostræ imperitiæ S.V. adscribere dignetur, Finaliter P.B. optat ipsa sacra synodus vt Deus gloriosus vota & agenda S.V. feliciter dirigat, & cœlestis dono prosequatur, vt per hæc & alia quæ Domino inspirante S.V. in posterorum fecerit, immarcescibilem vitæ æternæ coronam, & triumphalem gloriam consequi mereatur, quæ S.V. & nobis omnibus concedat Iesus Christus, benedictus in sæcula. Amen.

Ad eum modum Nuncius Basileensium, coram Pontifice Eugenio Florentiæ perorauit.

Cæterum.

XXIII. *Responsio Eugen. ad proposita per Ambasiatores Concilii.*

Sanctissimus Dominus noster Papa Venerabilibus viris oratoribus sacri Concilii Basileen. super præpositis & petitis per eos responsum requirentibus, hoc modo respondit:

Quod mens & intentio ac omne studium suum semper fuit, intendere & vigilare ad ea quæ honorem Dei, salutem animarum ac bonum totius ecclesiæ ac Reipub. Christianæ concernerent, signanter ad extirpationem hæresum, reformationem morum, ac pacem populi Christiani, & specialiter ad reductionem Græcorũ & ecclesiæ orientalis ad veram & Catholicam fidem. In qua re quantum laborauerit primum Constantiæ, deinde Romæ tempore felicis record. Domini Martini Papæ quinti prædecessoris sui dum esset in minoribus, postremo postquam ad apicem Apostolatus assumptus fuit, fere omnibus notum est, ita vt non otiose existimet, quod si in ea re fibi credulitas fuisset adhibita iam ad optimum finem peruentum fuisse, aut saltem huiusmodi reductio magnum principium haberet.

Quantum autem ad negotium indulgentiarum, electionum, annatarũ, causarum, & vocationum, scriptorum, & abbreuiatorum Romanæ curiæ, Respondit: quia materia grandes sunt & discussione ac declaratione indigent, se vna cum fratribus suis sanctæ Rom. ecclesiæ Cardinalibus decreuisse, respondere per suos sacro Concilio, quod quamprimum facere intendit, sperans responsiones suas tales esse debere, quæ iustitiæ & honestati conueniant, ipsiq; sacro Conlilio, & omnibus pie sentientibus, ad Dei honorem, pacem ac bonum vniuersalis ecclesiæ gratæ ac acceptæ merito sint futuræ.

Ego Poggius Domini Nostri Secretarius, suprascriptam responsionem de mandato suæ. S. scripsi manu propria, & subscripsi.

Auscultatum cum originali scripto in schedula papyrea, & concordat. Et interfui quando 12. die mensis Augusti millesimo, quadringentesimo trigesimo quinto, præfatus Poggius in Camera Sanctissimi Domini nostri Papæ coram multitudine Prælatorum, Doctorum, & aliorum virorum, respondit dictam schedulam scripsisse, & Dominis Ioanni de Bacchenstein decretorum doctori, & Matthæo Menaige in sacra pagina Baccalaureo, Oratoribus Sacri Basileensis Concilii præfatis, ex parte ipsius Sanctissimi Domini nostri Papæ præsentasse.

Ita & D. Bavard. notarius publicus,

C. Roussellі

XXIV. *Eug. ad postulationes Basileensis satis ineptas per Nuncios Basileam missos respondet.*

Destinauit præterea Eugenius Pontifex Basileam Nuncios, Ambrosium Priorem Generalem Camaldulensium Ordinis, & Antonium Cameræ Apostolicæ Auditorem: qui ad postulationes Basileensium satis ineptas responderent; Ne stulti, sapientes sibi viderentur.

Nuncii & oratores à sacro hoc generali destinati Concilio, ad sanctiss. in Christo patrem & Dominum nostrum D. Eugen. diuina prouid. Papam IV. Venerabiles sc. & doctiss. viri Magister Matth. Neumtzæ sacræ profess. Theol. & Ioan. Bacchenstein decretorũ doctor, iniunctum eis præsequentes officiũ Reuerendissimi Reuerendiq; in Christo patres & Domini, cæterig; vospatres & viri electissimi, plura diuersis orationibus vestris Domini nostri beatitudini exposuerũt, eorumq; adeo plausoria oratio corroborantiũ exhortatoriæ suas petitiones authoritatibus [illegible]rationib. tum quoque persuasionibus ornate, sane atq; discrete: quæ cum omnia reuerendissimis P. & dominationibus vestris, nota fore conspicimus, ad vniuscuiusq; exhortatorie petiti responsionem descendere congruentius iudicamus, quam eorundem dominorum oratorum singula repetamus proposita, verum non declinantes ab ordine, per eos ipsos egregie custodito, vice & nomine ipsius S. D. N. cuius sumus nuncii & oratores immeriti, frater Ambrosius Prior Generalis, & ego Antonius auditor, respondebimus singulis eorum

rum petitionibus, concluse tamen, ne verbis immorari videamur. Ex qua tamen responsione satis aperte colligi poterit quid eorum quisq; dixerit, petierituc.

Ad primum igitur reuerendissimi Patres, vosque viri elegantissimi, per ipsum Magistrum Matthæum primo propositum atque petitum, dicimus, quod sanctissimus Dominus noster, inter omnes alias res, quantumcunque graues, reductionem Græcorum & ecclesiæ Orientalis ad veram & catholicam fidem, semper sibi præcipuam fecit. In qua quidem re, quantum laboris, curæue sumpserit, primum Constantiæ, deinde Romæ tempore fel. record. Domini Martini Papæ V. postremo postquam ad apicem Apostolicum assumptus fuit, multis notum est, præsertim plerisque ex vobis reuerendissimi Reuerendique patres, sicq; materiam illam omnino quo melius potest studio vna cum hoc ipso sacro Concilio paratus est prosequi, gauderetque plurimum, quod hæc Græcorum reductio, vobis patribus & Dominis reuerendissimis facilis videatur, quam quidem primum per sanctitatem suam promotam, aliqui phylacteriam antiquam & cantilenam vocabant, & hæc quoad primum.

Quo vero ad secundum, hoc est, ad materiam indulgentiarum, sic breuiter respondemus. Modus iste habendi pecunias, reuerendissimi patres, grauis est, eo quod ex quæstu prouenirat, qui in similibus superiori tempore multa mala attulit exempla Christiano populo. Item aduentus Græcorum, cuius gratia hoc quæritur, omnino incertus est, quamquam eius oratores aliquod certi cõclusisse videantur. Nam & alias multa policiti sunt, quæ tamen aut rerum, vel temporis necessitate vel alia causa, mutato consilio non seruarunt. Nemo in rem incertam aliquid conferre disponet, sed suspicabitur potius gratia turpis lucri & quæstus id fieri. Regnum Cypri, & insula Rhodi, terrarum Christianorum fortissima propugnacula, ex hoc & scandalum & iacturam grauem patiuntur: similiter & multa pia opera, quæ ad indulgentias huiusmodi promouentur, si contingat huc Græcos non venire, cum & plane arbitrabitur quispiam nos illusisse, & prædam quandam hac fictione quæsiuisse & dicet. Ecce qui in multitudine diuitiarum gloriantur, & præualere voluerunt in vanitate sua, sicque quod pro pietate quæsitum erit ad impietatem asscribetur: quod omnino cauendum videtur, apud eos maxime, qui ad sancta opera conuenisse se profitentur. Quare concludimus Reuerendissimi Patres, quod omnino specien-dum sit Imperatoris & Patriarchæ finale responsum, & habenda certitudo de aduentu eorum; qua habita siue per viam indulgentiarum, siue alio modo, qui melior & conuenientior forsitan esse videatur, S. D.N. se paratum offert ad currendum cum hoc generali Concilio, & omnes possibiles fauores impendendum. Et hæc quoad secundum.

Ad tertium breuissime dicimus quod ipse sanctissimus Dominus noster, nunc etiam paratus est Cardinales & Prælatos, & alias literatas personas, ad tam pium opus & locum electum mittere: imo etiã si contingat eligi locum ad quem sanctitas sua commode possit accedere, personaliter interesse curabit. Interim autem deputabit viros aliquos doctissimos, qui super differentiis Latinorum & Græcorum plene conferant & disputent, quam quam ista materia reperiatur plene discussa. Et hæc quoad proposita per venerabilem virum, Magistrum Matthæum.

*Accedimus modo ad petitiones venerabilis decretorum Doctoris Domini Ioannis de Bacchenstein; & primo quoad conseruantiam decretorum huius sacri Concilii, sic breuissime respondemus. Quod sanctissimus Dominus noster quantum potuit decreta huius sancti Concilii amplexus est, & seruati voluit, & in futurum se paratissimum offert: & si in præterium aliquo particulari casu aliter factum esse videatur, id ex iustis & necessariis causis, si diligenter res inuestigetur, factum fuisse comperietur. Et idem in decreto de electionibus seruatum esse videbitur. Quo vero ad articulum causarum, hoc damus responsum, quod S. D. N. non intendit ex causis quæ in curia recipiuntur, scandalum aliquod facere: sed cum mos sedis Apostolicæ sit, vt norunt Dominationes vestræ, vnicuique ministrare iustitiam, non est mirum si ad se concurrentes susceperit, eique iustitiam per viros doctissimos & in talibus valde expertos ministrari iusserit. Neque semper constat à principio, cum causa committitur, de omni circumstantia Iudicis, à quo ad curiam introducatur, videlicet qua authoritate Iudex processerit. Cuiusq; vocationis, & quibus literis, & quo tempore, & quibus testibus, & quibus rationibus, & quibus allegationibus, & quibus exceptionibus, & quibus replicationibus, & quibus duplicationibus, & quibus triplicationibus, & quibus quadruplicationibus, & quibus quintuplicationibus, & quibus sextuplicationibus, & quibus septuplicationibus, & quibus octuplicationibus, & quibus nonuplicationibus, & quibus decuplicationibus, & quibus vndecuplicationibus, & quibus duodecuplicationibus, & quibus tredecuplicationibus, & quibus quattuordecuplicationibus, & quibus quindecuplicationibus, & quibus sexdecuplicationibus, & quibus septendecuplicationibus, & quibus octodecuplicationibus, & quibus nouendecuplicationibus, & quibus vigintuplicationibus, & quibus vigintiunuplicationibus, & quibus vigintiduplicationibus, & quibus vigintitriplicationibus, & quibus vigintiquadruplicationibus, & quibus vigintiquintuplicationibus, & quibus vigintisextuplicationibus, & quibus vigintiseptuplicationibus, & quibus vigintioctuplicationibus, & quibus vigintinonuplicationibus, & quibus tricuplicationibus, & quibus tricunuplicationibus, & quibus tricuduplicationibus, & quibus tricutriplicationibus, & quibus tricuquadruplicationibus, & quibus tricuquintuplicationibus, & quibus tricusextuplicationibus, & quibus tricuseptuplicationibus, & quibus tricuoctuplicationibus, & quibus tricunonuplicationibus, & quibus quadricuplicationibus, & quibus quadricunuplicationibus, & quibus quadricuduplicationibus, & quibus quadricutriplicationibus, & quibus quadricuquadruplicationibus, & quibus quadricuquintuplicationibus, & quibus quadricusextuplicationibus, & quibus quadricuseptuplicationibus, & quibus quadricuoctuplicationibus, & quibus quadricunonuplicationibus, & quibus quinquagenuplicationibus, & quibus quinquagenunuplicationibus, & quibus quinquagenuduplicationibus, & quibus quinquagenutriplicationibus, & quibus quinquagenuquadruplicationibus, & quibus quinquagenuquintuplicationibus, & quibus quinquagenusextuplicationibus, & quibus quinquagenuseptuplicationibus, & quibus quinquagenuoctuplicationibus, & quibus quinquagenunonuplicationibus, & quibus sexagenuplicationibus, & quibus sexagenunuplicationibus, & quibus sexagenuduplicationibus, & quibus sexagenutriplicationibus, & quibus sexagenuquadruplicationibus, & quibus sexagenuquintuplicationibus, & quibus sexagenusextuplicationibus, & quibus sexagenuseptuplicationibus, & quibus sexagenuoctuplicationibus, & quibus sexagenunonuplicationibus, & quibus septuagenuplicationibus, & quibus septuagenunuplicationibus, & quibus septuagenuduplicationibus, & quibus septuagenutriplicationibus, & quibus septuagenuquadruplicationibus, & quibus septuagenuquintuplicationibus, & quibus septuagenusextuplicationibus, & quibus septuagenuseptuplicationibus, & quibus septuagenuoctuplicationibus, & quibus septuagenunonuplicationibus, & quibus octogenuplicationibus, & quibus octogenunuplicationibus, & quibus octogenuduplicationibus, & quibus octogenutriplicationibus, & quibus octogenuquadruplicationibus, & quibus octogenuquintuplicationibus, & quibus octogenusextuplicationibus, & quibus octogenuseptuplicationibus, & quibus octogenuoctuplicationibus, & quibus octogenunonuplicationibus, & quibus nonagenuplicationibus, & quibus nonagenunuplicationibus, & quibus nonagenuduplicationibus, & quibus nonagenutriplicationibus, & quibus nonagenuquadruplicationibus, & quibus nonagenuquintuplicationibus, & quibus nonagenusextuplicationibus, & quibus nonagenuseptuplicationibus, & quibus nonagenuoctuplicationibus, & quibus nonagenunonuplicationibus, & quibus centenuplicationibus, & quibus centenunuplicationibus, & quibus centenuduplicationibus, & quibus centenutriplicationibus, & quibus centenuquadruplicationibus, & quibus centenuquintuplicationibus, & quibus centenusextuplicationibus, & quibus centenuseptuplicationibus, & quibus centenuoctuplicationibus, & quibus centenunonuplicationibus, & quibus ducentenuplicationibus, & quibus ducentenunuplicationibus, & quibus ducentenuduplicationibus, & quibus ducentenutriplicationibus, & quibus ducentenuquadruplicationibus, & quibus ducentenuquintuplicationibus, & quibus ducentenusextuplicationibus, & quibus ducentenuseptuplicationibus, & quibus ducentenuoctuplicationibus, & quibus ducentenunonuplicationibus, & quibus trecentenuplicationibus, & quibus trecentenunuplicationibus, & quibus trecentenuduplicationibus, & quibus trecentenutriplicationibus, & quibus trecentenuquadruplicationibus, & quibus trecentenuquintuplicationibus, & quibus trecentenusextuplicationibus, & quibus trecentenuseptuplicationibus, & quibus trecentenuoctuplicationibus, & quibus trecentenunonuplicationibus, & quibus quadringentenuplicationibus, & quibus quadringentenunuplicationibus, & quibus quadringentenuduplicationibus, & quibus quadringentenutriplicationibus, & quibus quadringentenuquadruplicationibus, & quibus quadringentenuquintuplicationibus, & quibus quadringentenusextuplicationibus, & quibus quadringentenuseptuplicationibus, & quibus quadringentenuoctuplicationibus, & quibus quadringentenunonuplicationibus, & quibus quingentenuplicationibus, & quibus quingentenunuplicationibus, & quibus quingentenuduplicationibus, & quibus quingentenutriplicationibus, & quibus quingentenuquadruplicationibus, & quibus quingentenuquintuplicationibus, & quibus quingentenusextuplicationibus, & quibus quingentenuseptuplicationibus, & quibus quingentenuoctuplicationibus, & quibus quingentenunonuplicationibus, & quibus sexcentenuplicationibus, & quibus sexcentenunuplicationibus, & quibus sexcentenuduplicationibus, & quibus sexcentenutriplicationibus, & quibus sexcentenuquadruplicationibus, & quibus sexcentenuquintuplicationibus, & quibus sexcentenusextuplicationibus, & quibus sexcentenuseptuplicationibus, & quibus sexcentenuoctuplicationibus, & quibus sexcentenunonuplicationibus, & quibus septingentenuplicationibus, & quibus septingentenunuplicationibus, & quibus septingentenuduplicationibus, & quibus septingentenutriplicationibus, & quibus septingentenuquadruplicationibus, & quibus septingentenuquintuplicationibus, & quibus septingentenusextuplicationibus, & quibus septingentenuseptuplicationibus, & quibus septingentenuoctuplicationibus, & quibus septingentenunonuplicationibus, & quibus octingentenuplicationibus, & quibus octingentenunuplicationibus, & quibus octingentenuduplicationibus, & quibus octingentenutriplicationibus, & quibus octingentenuquadruplicationibus, & quibus octingentenuquintuplicationibus, & quibus octingentenusextuplicationibus, & quibus octingentenuseptuplicationibus, & quibus octingentenuoctuplicationibus, & quibus octingentenunonuplicationibus, & quibus nongentenuplicationibus, & quibus nongentenunuplicationibus, & quibus nongentenuduplicationibus, & quibus nongentenutriplicationibus, & quibus nongentenuquadruplicationibus, & quibus nongentenuquintuplicationibus, & quibus nongentenusextuplicationibus, & quibus nongentenuseptuplicationibus, & quibus nongentenuoctuplicationibus, & quibus nongentenunonuplicationibus, & quibus millenuplicationibus, & quibus millenunuplicationibus, & quibus millenuduplicationibus, & quibus millenutriplicationibus, & quibus millenuquadruplicationibus, & quibus millenuquintuplicationibus, & quibus millenusextuplicationibus, & quibus millenuseptuplicationibus, & quibus millenuoctuplicationibus, & quibus millenunonuplicationibus, & quibus duomillenuplicationibus, & quibus duomillenunuplicationibus, & quibus duomillenuduplicationibus, & quibus duomillenutriplicationibus, & quibus duomillenuquadruplicationibus, & quibus duomillenuquintuplicationibus, & quibus duomillenusextuplicationibus, & quibus duomillenuseptuplicationibus, & quibus duomillenuoctuplicationibus, & quibus duomillenunonuplicationibus, & quibus trimillenuplicationibus, & quibus trimillenunuplicationibus, & quibus trimillenuduplicationibus, & quibus trimillenutriplicationibus, & quibus trimillenuquadruplicationibus, & quibus trimillenuquintuplicationibus, & quibus trimillenusextuplicationibus, & quibus trimillenuseptuplicationibus, & quibus trimillenuoctuplicationibus, & quibus trimillenunonuplicationibus, & quibus quadrimillenuplicationibus, & quibus quadrimillenunuplicationibus, & quibus quadrimillenuduplicationibus, & quibus quadrimillenutriplicationibus, & quibus quadrimillenuquadruplicationibus, & quibus quadrimillenuquintuplicationibus, & quibus quadrimillenusextuplicationibus, & quibus quadrimillenuseptuplicationibus, & quibus quadrimillenuoctuplicationibus, & quibus quadrimillenunonuplicationibus, & quibus quinquemillenuplicationibus, & quibus quinquemillenunuplicationibus, & quibus quinquemillenuduplicationibus, & quibus quinquemillenutriplicationibus, & quibus quinquemillenuquadruplicationibus, & quibus quinquemillenuquintuplicationibus, & quibus quinquemillenusextuplicationibus, & quibus quinquemillenuseptuplicationibus, & quibus quinquemillenuoctuplicationibus, & quibus quinquemillenunonuplicationibus, & quibus sexmillenuplicationibus, & quibus sexmillenunuplicationibus, & quibus sexmillenuduplicationibus, & quibus sexmillenutriplicationibus, & quibus sexmillenuquadruplicationibus, & quibus sexmillenuquintuplicationibus, & quibus sexmillenusextuplicationibus, & quibus sexmillenuseptuplicationibus, & quibus sexmillenuoctuplicationibus, & quibus sexmillenunonuplicationibus, & quibus septimillenuplicationibus, & quibus septimillenunuplicationibus, & quibus septimillenuduplicationibus, & quibus septimillenutriplicationibus, & quibus septimillenuquadruplicationibus, & quibus septimillenuquintuplicationibus, & quibus septimillenusextuplicationibus, & quibus septimillenuseptuplicationibus, & quibus septimillenuoctuplicationibus, & quibus septimillenunonuplicationibus, & quibus octomillenuplicationibus, & quibus octomillenunuplicationibus, & quibus octomillenuduplicationibus, & quibus octomillenutriplicationibus, & quibus octomillenuquadruplicationibus, & quibus octomillenuquintuplicationibus, & quibus octomillenusextuplicationibus, & quibus octomillenuseptuplicationibus, & quibus octomillenuoctuplicationibus, & quibus octomillenunonuplicationibus, & quibus nonamillenuplicationibus, & quibus nonamillenunuplicationibus, & quibus nonamillenuduplicationibus, & quibus nonamillenutriplicationibus, & quibus nonamillenuquadruplicationibus, & quibus nonamillenuquintuplicationibus, & quibus nonamillenusextuplicationibus, & quibus nonamillenuseptuplicationibus, & quibus nonamillenuoctuplicationibus, & quibus nonamillenunonuplicationibus, & quibus decemmillenuplicationibus, & quibus decemmillenunuplicationibus, & quibus decemmillenuduplicationibus, & quibus decemmillenutriplicationibus, & quibus decemmillenuquadruplicationibus, & quibus decemmillenuquintuplicationibus, & quibus decemmillenusextuplicationibus, & quibus decemmillenuseptuplicationibus, & quibus decemmillenuoctuplicationibus, & quibus decemmillenunonuplicationibus, & quibus undecimmillenuplicationibus, & quibus undecimmillenunuplicationibus, & quibus undecimmillenuduplicationibus, & quibus undecimmillenutriplicationibus, & quibus undecimmillenuquadruplicationibus, & quibus undecimmillenuquintuplicationibus, & quibus undecimmillenusextuplicationibus, & quibus undecimmillenuseptuplicationibus, & quibus undecimmillenuoctuplicationibus, & quibus undecimmillenunonuplicationibus, & quibus duodecimmillenuplicationibus, & quibus duodecimmillenunuplicationibus, & quibus duodecimmillenuduplicationibus, & quibus duodecimmillenutriplicationibus, & quibus duodecimmillenuquadruplicationibus, & quibus duodecimmillenuquintuplicationibus, & quibus duodecimmillenusextuplicationibus, & quibus duodecimmillenuseptuplicationibus, & quibus duodecimmillenuoctuplicationibus, & quibus duodecimmillenunonuplicationibus, & quibus tredecimmillenuplicationibus, & quibus tredecimmillenunuplicationibus, & quibus tredecimmillenuduplicationibus, & quibus tredecimmillenutriplicationibus, & quibus tredecimmillenuquadruplicationibus, & quibus tredecimmillenuquintuplicationibus, & quibus tredecimmillenusextuplicationibus, & quibus tredecimmillenuseptuplicationibus, & quibus tredecimmillenuoctuplicationibus, & quibus tredecimmillenunonuplicationibus, & quibus quattuordecimmillenuplicationibus, & quibus quattuordecimmillenunuplicationibus, & quibus quattuordecimmillenuduplicationibus, & quibus quattuordecimmillenutriplicationibus, & quibus quattuordecimmillenuquadruplicationibus, & quibus quattuordecimmillenuquintuplicationibus, & quibus quattuordecimmillenusextuplicationibus, & quibus quattuordecimmillenuseptuplicationibus, & quibus quattuordecimmillenuoctuplicationibus, & quibus quattuordecimmillenunonuplicationibus, & quibus quindecimmillenuplicationibus, & quibus quindecimmillenunuplicationibus, & quibus quindecimmillenuduplicationibus, & quibus quindecimmillenutriplicationibus, & quibus quindecimmillenuquadruplicationibus, & quibus quindecimmillenuquintuplicationibus, & quibus quindecimmillenusextuplicationibus, & quibus quindecimmillenuseptuplicationibus, & quibus quindecimmillenuoctuplicationibus, & quibus quindecimmillenunonuplicationibus, & quibus sexdecimmillenuplicationibus, & quibus sexdecimmillenunuplicationibus, & quibus sexdecimmillenuduplicationibus, & quibus sexdecimmillenutriplicationibus, & quibus sexdecimmillenuquadruplicationibus, & quibus sexdecimmillenuquintuplicationibus, & quibus sexdecimmillenusextuplicationibus, & quibus sexdecimmillenuseptuplicationibus, & quibus sexdecimmillenuoctuplicationibus, & quibus sexdecimmillenunonuplicationibus, & quibus septendecimmillenuplicationibus, & quibus septendecimmillenunuplicationibus, & quibus septendecimmillenuduplicationibus, & quibus septendecimmillenutriplicationibus, & quibus septendecimmillenuquadruplicationibus, & quibus septendecimmillenuquintuplicationibus, & quibus septendecimmillenusextuplicationibus, & quibus septendecimmillenuseptuplicationibus, & quibus septendecimmillenuoctuplicationibus, & quibus septendecimmillenunonuplicationibus, & quibus octodecimmillenuplicationibus, & quibus octodecimmillenunuplicationibus, & quibus octodecimmillenuduplicationibus, & quibus octodecimmillenutriplicationibus, & quibus octodecimmillenuquadruplicationibus, & quibus octodecimmillenuquintuplicationibus, & quibus octodecimmillenusextuplicationibus, & quibus octodecimmillenuseptuplicationibus, & quibus octodecimmillenuoctuplicationibus, & quibus octodecimmillenunonuplicationibus, & quibus nouendecimmillenuplicationibus, & quibus nouendecimmillenunuplicationibus, & quibus nouendecimmillenuduplicationibus, & quibus nouendecimmillenutriplicationibus, & quibus nouendecimmillenuquadruplicationibus, & quibus nouendecimmillenuquintuplicationibus, & quibus nouendecimmillenusextuplicationibus, & quibus nouendecimmillenuseptuplicationibus, & quibus nouendecimmillenuoctuplicationibus, & quibus nouendecimmillenunonuplicationibus, & quibus vigintimillenuplicationibus, & quibus vigintimillenunuplicationibus, & quibus vigintimillenuduplicationibus, & quibus vigintimillenutriplicationibus, & quibus vigintimillenuquadruplicationibus, & quibus vigintimillenuquintuplicationibus, & quibus vigintimillenusextuplicationibus, & quibus vigintimillenuseptuplicationibus, & quibus vigintimillenuoctuplicationibus, & quibus vigintimillenunonuplicationibus, & quibus vigintiunmillenuplicationibus, & quibus vigintiunmillenunuplicationibus, & quibus vigintiunmillenuduplicationibus, & quibus vigintiunmillenutriplicationibus, & quibus vigintiunmillenuquadruplicationibus, & quibus vigintiunmillenuquintuplicationibus, & quibus vigintiunmillenusextuplicationibus, & quibus vigintiunmillenuseptuplicationibus, & quibus vigintiunmillenuoctuplicationibus, & quibus vigintiunmillenunonuplicationibus, & quibus vigintiduomillenuplicationibus, & quibus vigintiduomillenunuplicationibus, & quibus vigintiduomillenuduplicationibus, & quibus vigintiduomillenutriplicationibus, & quibus vigintiduomillenuquadruplicationibus, & quibus vigintiduomillenuquintuplicationibus, & quibus vigintiduomillenusextuplicationibus, & quibus vigintiduomillenuseptuplicationibus, & quibus vigintiduomillenuoctuplicationibus, & quibus vigintiduomillenunonuplicationibus, & quibus vigintitrimillenuplicationibus, & quibus vigintitrimillenunuplicationibus, & quibus vigintitrimillenuduplicationibus, & quibus vigintitrimillenutriplicationibus, & quibus vigintitrimillenuquadruplicationibus, & quibus vigintitrimillenuquintuplicationibus, & quibus vigintitrimillenusextuplicationibus, & quibus vigintitrimillenuseptuplicationibus, & quibus vigintitrimillenuoctuplicationibus, & quibus vigintitrimillenunonuplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenuplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenunuplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenuduplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenutriplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenuquadruplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenuquintuplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenusextuplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenuseptuplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenuoctuplicationibus, & quibus vigintiquadrimillenunonuplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenuplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenunuplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenuduplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenutriplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenuquadruplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenuquintuplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenusextuplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenuseptuplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenuoctuplicationibus, & quibus vigintiquinquemillenunonuplicationibus, & quibus vigintisexmillenuplicationibus, & quibus vigintisexmillenunuplicationibus, & quibus vigintisexmillenuduplicationibus, & quibus vigintisexmillenutriplicationibus, & quibus vigintisexmillenuquadruplicationibus, & quibus vigintisexmillenuquintuplicationibus, & quibus vigintisexmillenusextuplicationibus, & quibus vigintisexmillenuseptuplicationibus, & quibus vigintisexmillenuoctuplicationibus, & quibus vigintisexmillenunonuplicationibus, & quibus vigintiseptimillenuplicationibus, & quibus vigintiseptimillenunuplicationibus, & quibus vigintiseptimillenuduplicationibus, & quibus vigintiseptimillenutriplicationibus, & quibus vigintiseptimillenuquadruplicationibus, & quibus vigintiseptimillenuquintuplicationibus, & quibus vigintiseptimillenusextuplicationibus, & quibus vigintiseptimillenuseptuplicationibus, & quibus vigintiseptimillenuoctuplicationibus, & quibus vigintiseptimillenunonuplicationibus, & quibus vigintioctomillenuplicationibus, & quibus vigintioctomillenunuplicationibus, & quibus vigintioctomillenuduplicationibus, & quibus vigintioctomillenutriplicationibus, & quibus vigintioctomillenuquadruplicationibus, & quibus vigintioctomillenuquintuplicationibus, & quibus vigintioctomillenusextuplicationibus, & quibus vigintioctomillenuseptuplicationibus, & quibus vigintioctomillenuoctuplicationibus, & quibus vigintioctomillenunonuplicationibus, & quibus vigintinonamillenuplicationibus, & quibus vigintinonamillenunuplicationibus, & quibus vigintinonamillenuduplicationibus, & quibus vigintinonamillenutriplicationibus, & quibus vigintinonamillenuquadruplicationibus, & quibus vigintinonamillenuquintuplicationibus, & quibus vigintinonamillenusextuplicationibus, & quibus vigintinonamillenuseptuplicationibus, & quibus vigintinonamillenuoctuplicationibus, & quibus vigintinonamillenunonuplicationibus, & quibus tricesimillenuplicationibus, & quibus tricesimillenunuplicationibus, & quibus tricesimillenuduplicationibus, & quibus tricesimillenutriplicationibus, & quibus tricesimillenuquadruplicationibus, & quibus tricesimillenuquintuplicationibus, & quibus tricesimillenusextuplicationibus, & quibus tricesimillenuseptuplicationibus, & quibus tricesimillenuoctuplicationibus, & quibus tricesimillenunonuplicationibus, & quibus tricesimunmillenuplicationibus, & quibus tricesimunmillenunuplicationibus, & quibus tricesimunmillenuduplicationibus, & quibus tricesimunmillenutriplicationibus, & quibus tricesimunmillenuquadruplicationibus, & quibus tricesimunmillenuquintuplicationibus, & quibus tricesimunmillenusextuplicationibus, & quibus tricesimunmillenuseptuplicationibus, & quibus tricesimunmillenuoctuplicationibus, & quibus tricesimunmillenunonuplicationibus, & quibus tricesimduomillenuplicationibus, & quibus tricesimduomillenunuplicationibus, & quibus tricesimduomillenuduplicationibus, & quibus tricesimduomillenutriplicationibus, & quibus tricesimduomillenuquadruplicationibus, & quibus tricesimduomillenuquintuplicationibus, & quibus tricesimduomillenusextuplicationibus, & quibus tricesimduomillenuseptuplicationibus, & quibus tricesimduomillenuoctuplicationibus, & quibus tricesimduomillenunonuplicationibus, & quibus tricesimtrimillenuplicationibus, & quibus tricesimtrimillenunuplicationibus, & quibus tricesimtrimillenuduplicationibus, & quibus tricesimtrimillenutriplicationibus, & quibus tricesimtrimillenuquadruplicationibus, & quibus tricesimtrimillenuquintuplicationibus, & quibus tricesimtrimillenusextuplicationibus, & quibus tricesimtrimillenuseptuplicationibus, & quibus tricesimtrimillenuoctuplicationibus, & quibus tricesimtrimillenunonuplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenuplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenunuplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenuduplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenutriplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenuquadruplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenuquintuplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenusextuplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenuseptuplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenuoctuplicationibus, & quibus tricesimquadrimillenunonuplicationibus, & quibus tricesimquinquemillenuplicationibus, & quibus tricesimquinquemillenunuplicationibus, & quibus tricesimquinquemillenuduplicationibus, & quibus tricesimquinquemillenutriplicationibus, & quibus tricesimquinquemillenuquadruplicationibus, & quibus tricesimquinquemillenuquintuplicationibus, & quibus tricesimquinquemillenusextuplicationibus, & quibus tricesimquinquemillenusept

Apostolici consessum auditore, Oratoribus sanctissimi Domini Eugenii Papæ quarti, infrascriptam responsionem dedit in modum qui sequitur: Deceret huius sacri Concilii dignitatem, vt cum sanctissimi Domini Papæ oratoribus nunc respondendum sit, tale vtro hoc onus iniungeretur, qui & sacro Concilio & summo Pontifice dignam orationem faceret, sed cum loco tantum & non meritis, hanc responsionem mihi officium tribui hactenus solitum sit, excusabit consuetudo si vestris ornatissimis orationibus par aut simile non reddatur oratio. Excusari & ego debeo iure, qui hunc primum locum non ambitu aliquo, sed superioris assu constrictus meum instinctum consequutus sum: quem etiam non voluntas, sed necessitas ad respondendum coegit. Semper & familiariter ego, quemadmodum apud vos domi solus, nunc vobiscum colloquens, magis quam perorans, principales orationum vestrarum partes assumam, quibus nomine sacri Concilii respondebo, & à vobis initium dicendi faciens, venerabilis Domine Generalis, qui primum Lactanti aut Ciceronis stylo hic peroratis quatuor ex vestra oratione principaliter colligo: Primo hanc sanctam Synodum ad charitatem, pacemque, & vnitatem cum Domino nostro conseruandam exhortati estis. Secundo sanctum piumque eius propositum ac desiderium explicastis, ad hæc tria opera quibus sacrum Concilium intendunt. Tertio sedem potentem esse, & quod opibus abundare opus sit, vt oppressis releuet & indigentibus subueniat. Postulastis demum, loco annatarum, quas decretum nostrum proxime editum abstulit, prouisionem sedi Apostolicæ sufficientem fieri. Vos autem Domine Antoni auditor, duo præcipue apud fratres minores etiam diserte simul amplexi estis. Primo quod hæc annatæ iure diuino, naturali & humano tolerari poterant. Secundo, quod aut suspendatur decretum, aut debita sedi Apostolicæ fiat prouisio.

Exhortatio quam primo loco Domine generalis, ad pacem generalem, charitatemque, & vnitatem fecistis, sanctæ quidem est & salubris, & omni acceptatione digna, quam quilibet Christianus vtraq; manu amplecti debet: quæ quam sit necessaria & vtilis in se quilibet palam experitur, quantumlibet enim homo sit diues aut potens omnia habens naturæ ac fortunæ bona, si pace & vnitate cum proximis caret, nihil iucunditatis, nihil lætitiæ vnquam sentire poterit, sed plures animo molestias, atque angustias secum vbique feret. Nos etiam non passi sumus hoc munere pacis ab ipso summo Pontifice præueniri. nam sæpe numero ac per nostros oratores nouissime Florentiam destinatos, idipsum sua sanctitati nunciauimus, optantes vt vnum essemus charitate ipse & nos sicut Christus orans pro discipulis suis dicebat: Oro pater vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus. Ipse igitur summus Pontifex pacem & vnitatem nobiscum habere desiderat, & nos secum: Ipse illum nobis nunciarat & nos sibi, quid ergo restat, quod ipso & nobis pacem & vnitatem optantibus, inuicemque nunciantibus pax ipsa non sit, an quia sic alter alteri pacem optamus & nunciamus, pacifici dicendi sumus? An etiam quia inter dissidentes, vt modo in Christianissimo regno Francia factum est, pacem componere satagimus, filii DEI vocabimur, si pacem inter nos inuicem non habemus? non quidem, inquit Beatus Hieronymus super Matthæum in verbo illo. Beati pacifici. Ille vero pacificus est qui prius in semetipso, deinde inter alios pacem quærit. Ipse & nos vnum corpus ecclesiæ sumus, qui regimur sub vno CHRISTO *capite nostro: ipse & nos ciuitas Dei sumus. Ipse & nos vna domus Domini sumus, si in hoc corpore, si intra huius Ciuitatis mœnia, si intra huius domus Domini parietes, dissensionum, æmulationum, odiorum bella versentur, quis ipsum & nos pacificos rectè nuncupabit, etiam si in toto terrarum orbe pacem efficeremus? Quid ergo causæ est cum vtrique tam bonam ac sinceram ad pacem se voluntatem habere dicat, quod inter ipsum & nos, non mediocres dissensionum scintillæ apparent? quæ, nisi caute extinguantur, verendum est quod non in maximam erumpant flammam. Quid opus est indicia aut coniecturis huius discordiæ causas inuestigare? Audiamus quid nobis loquatur Dominus* DEVS *noster, Qui loquetur pacem in plebem suam, inquit Deus per os Prophetæ: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax complexæ sunt, demonstrat profecto* DOMINVS DEVS *noster, quod pax sine iustitia esse non possit, imo vt illa sit, iustitiam prouidere oportet.*

Cum ergo ita sit aliter esse non possit, cum sicut veritas attestatur, necessarium est si DOMINVS *noster veram pacem & vnitatem inter nos & ipsum fore desideres, vt quæ ad iustitiam spectant, primo ipse præmittat, hoc est, vt ecclesiæ vniuersali ius suum tribuat. Quod est illud ecclesiæ ius? quæ sunt illa iustitiæ partes, quæ veram pacem præcedere debent? non certæ aliæ, nisi cum ecclesia vniuersalis Spiritus sancto dirigatur, & eam vniuersale Concilium repræsentet, vt decreta synodalia diligenter, & per alios suo exemplo & iussu seruari faciat. Ita & sui antecessores sancti Romani Pontifices, quorum vitam in testimonium sanctitatis etiam miraculis illustrauit* DEVS, *fecerunt, summa veneratione vniuersalium Conciliorum Canones suscipientes, & per eos inuiolabiliter seruari facientes, qui sine maxima & vrgentissima causa aduersus ea non disponebant quicquam, nec ab aliis aliter fieri patiebantur. Inquit enim Beatus Damasus. Absit à me vt sanctorum Patrum Canones absque inexcusabili ratione transgrediar vnquam. Et magnus ille Gregorius, vt sancta Euangelia, Concilia generalia se venerari affirmat: & non solum quatuor illa primæua, sed omnia, dum ea ratione vtitur, quæ omnibus vniuersalibus Conciliis communia est. Beatus quoque Gelasius vniuersalis ecclesiæ statuta asseuerat nullam esse sedem quam magis exequi oporteat, quam primam, non mihi satis esset vsque in crastinum, si singulos tam summos Pontifices, quam sanctos Doctores recensere pergam, qui saluberrimam Conciliorum doctrinam super ceteris aliis asserebant, venerabantur & obseruabant: nec sic faciendo quicquam Romani Pontificis authoritati deperit, aut detrahitur, imo adiicitur & accrescit. Quicquid enim in sacris statuitur Conciliis, sua etiam authoritate statuitur, quæ semper ibi refulget, vt prima & præcipua omnibus, caput & directrix; & cum aut personaliter aut authoritatiue semper in Synodis vniuersalibus interfit, ipseque ecclesiæ rector sit & pastor, decreta Conciliorum, etiam sua & Sedis Apostolicæ non immerito dici possunt. Nos enim vt dixi vnum ecclesiæ corpus sumus, & ipse huius corporis caput sub capite* CHRISTO. *Quicquid igitur sit ab hoc corpore ecclesiastico, etiam si omnia membra in vnum non concurrant, sicut in corpore naturali accidit, magis tamen ac præcipue operatio quæuis capiti appropriatur & ascribitur: ab ipsoque magis quam ab alio corporis membro procedere censetur. Itaque non secus synodalia decreta pro suo debito & honore exequi debet, ac per alios seruari facere, quam si ab ore proprio dictata & promulgata essent. Dum enim ipse præsens est, ipse concludit, ipse statuit & sub nomine sico ac persona eius omnia discernuntur.*

Dum abest, sui præsidentes qui vice eius fungantur, locumque Apostolicum tenent, & personam Pontificis repræsentant, per sacrum Concilium deliberata concludunt. Per Concilium autem statuta in nullo derogant suæ potestati, quin pro tempore, loco, causisque & personis, vtilitate vel necessitate suadente; moderari dispensareque possit atque vti summi Principis Epyeiceia, qua ab eo auferri nequit. Hæc ergo sanctæ Synodus non opes, non quid aliud ab eo postulat, sed hoc vt quemadmodum duntaxat sui egerunt antecessores circa decretorum synodalium obseruantiam, ita & ipse facere dignetur.

Quod si fecerit prout putamus & ex toto corde obsecramus, hinc præeunte iustitia, mox læta fronte soror eius iocundissima succedet pax quæ sine iustitia germana sua antiquiore incedere non consueuit. Quod si forsitan & ipse summus Pontifex dicat, quemadmodum & vos in cordibus vestris nunc dicere suspicor, etiam ex parte huius sacri Concilii præcedere oportere iustitiam, sibique ius suum per nos tribui debere. Nemo nostrum ita irrationabilis est, aut etiam esse debet, quod alio iure in se, alio in alios vti contendat: & ab alio sibi iniuriam fieri petat, ipse alteri deneget. Videamus & inter nos cum charitate discutiamus, si quid est quo Conciliorum ius Sedis Apostolicæ graues, ledat, offendat, minuat, &

ecce nulla erit vt spero difficultas quin omnia ad iustitiæ vestitudinem & regulæ normam rediguntur. Sic igitur vtrique faciendo, tunc rei euidentia animum vtriusque ad vnitatem paratum demonstrabit, & tunc vere pacifici erimus, ac filii Dei vocabimur. Et hinc ad secundam vestræ orationis partem se mihi competens responsum offert. Sic enim vt prædictum est faciendo, tunc euidenter cognoscemus, & vbique palam fatebitur sanctitatem suam ad hæc sancta opera propter quæ conuenimus, veram perfectamque voluntatem gerere, tunc nos super omnes præcipui laudatores ac præcones erimus.

Tertio loco dicitis oportere Sedem Apostolicam abundare ac potentem esse, exemplo illorum Romanorum Pontificum qui Beato Athanasio, Beato Ioanni Chrysostomo ac Beato Thomæ Cantuariensi de sedibus propriis pulsis opem subsidiaq; necessaria contulerunt. Beati quoque Gregorii qui vsque in Hierusalem indigentibus, vitæ necessaria ministrabat. Nos nec re nec verbo in hoc contradicimus: imo non est illa sedes, nec etiam esse posset tam potens ac locuples quin eam pro vtilitate ecclesiæ locupletiorem, potentioremque esse vellemus: quamquam affirmemus, & in illa & in alia episcopalibus sedibus desiderari magis copiam abundantiamque virtutum & meritorum, quam opum aut diuitiarum. Nec certe fecimus aut facere quicquam intendimus, per quod illa sedes iacturam seu diminutionem aliquam authoritatis, ac facultatis pati possit.

Quod si recte cuncta animaduertantur, atq; omni passione sopita iudicentur omnia, nemo asserere cum ratione poterit quicquam per hoc nostrum decretum in diminutionem, damnum, derogationem seu præiudicium illius Sedis fore attentatum.

Et quamquam multæ ad id suppetant rationes tres nunc satis esse iudico. Primo cum nemo inficietur multos in exactione harum annatarum solitos fieri abusus, cum etiam hinc multi scandalum paterentur & scrupulum in conscientiis, ac modus ipse exigendi onerosus esset ecclesiæ, & apud multos speciem mali continere videretur: nos his omnibus hoc decreto prouidimus, sequentes doctrinam CHRISTI, *mandantes nemini incutiendum esse scandalum, & Apostoli præcipientis ab omni specie mali abstinendum. Regulas quoque canonicas ac legales, quæ nonnulla prohibent licet in se non malæ, ob hoc tantum quod vel speciem mali contineant, vel occasionem præbeant delinquendi. Nonne & gratis offerre & eleemosynam dare pium est & charitatis opus? sed quia tempore baptismi nummos proiicere in concham speciem prætendebat mali, emendari & aboleri talem consuetudinem iussit ecclesia.*

Nihil quidem nouitatis per hoc decretum in ecclesia introduximus, sed præcepta & exempla Christi exequi curauimus, ac sanctorum Patrum renouamus instituta.

Quid fecimus? audite & considerate quæso diligenter, statuimus quod beneficia & ordines ecclesiastici gratis conferantur. Nunquid hoc est scelus aliquod aut sacrilegium? Nonne Saluator noster hanc ipsam nobis necessitatem imposuit dicens: Gratis accepistis gratis date? quid fecimus, statuimus quod spiritualia, pacto, conuentione, seu contractu aut opere mumulariorum non distribuantur; sed & CHRISTVS DEVS DOMINVS *noster in domo domini hæc fieri videns, flagello de funiculis facto, Zelo iustitiæ succensus, expulit inde omnes ementes & vendentes, & mensas numulariorum euertit: & cum ipse vetera crimina verbo detestatus sit, hoc vitium manu propria terribili punitione correxit.*

Quid fecimus? decreuimus quod res spirituales sine pecunia interuentu ministrentur. Ac Beatus Petrus primus Christi Vicarius, mentem Domini quotidiana conuersatione intelligens, cum Simon Magus pro gratia spirituali pecuniam offerret eum abhorruit, maledixit, repulit, dicens: pecunia tua tecum sit in perditionem. Nonne sacrorum Conciliorum Romanorum Pontificum, probatorumque Doctorum codices his prohibitionibus pleni sunt, vt videlicet pro rebus spiritualibus & ecclesiasticis, nihil ante vel post ab inuito exigatur? hoc fecimus, hoc statuimus.

Conqueratur ergo qui vult, si tamen iuste id possit, de illis qui talem nobis legem dederunt, quorum decreta renouauimus, non nostra fecimus. Quis ergo iam dicere audebit, sedem Apostolicam, aut alias per hoc tam salubre & necessarium statutum depauperatas & læsas fore? imo iuste dicet, qui ratione vetitur honestatas expolitasq;, & ad decorem pristinæ formæ redactas.

Secundo vero ab omni calumnia nostrum decretum euidenter defenditur. Per ipsum enim non interdicitur quin pro vitæ sustentatione, aliisque ecclesiæ necessitatibus summus Pontifex, aliarumque ecclesiarum Episcopi, charitatiuum subsidium inducere, decimam seu aliam quotam imponere aliquorum beneficiorum ad tempus reseruare vel alias subuentionum species petere possint.

Satis ista essent, nisi & tertiam reddere promissem, quamquam autem sic decretum sit & bene decretum, non tamen adhuc auditum est, quod hæc sancta Synodus uolit Sedis Apostolicæ dignam & competentem facere prouisionem: imo hoc per suos Oratores iam pridem nunciauit & pollicita est, si tamen obseruantiæ decretorum synodalium vt dignum est rationem habuerit: & veluti in corpore naturali reliqua membra suo capiti necessarie prouident, vt vitæ & sustentationi influxus ab illo in ipsa descendant: sic quidem æquum est & rationi consonum vt ecclesia per orbem diffusa, summo Pontifici suisque pastoribus indigentibus, vt ab his salubriter regantur & gubernentur, necessariam subuentionem porrigant.

Nihil autem ad bene regendam conseruandamque ecclesiam, aque vtile & necessarium est, quam vt synodales canones, quos à Spiritu S. dictitatos credimus, non negligantur aut contemnantur.

Illud autem silentio prætereundum non est quod, nec Beato Athanasio, nec Beato Ioanni Chrysostomo, nec Beato Thomæ Cantuariensi, per Romanos Pontifices, nec pauperibus Hierosolymitanis per Beatum Gregorium, de his annatis subuentum est.

Neque enim adhuc hæc vocabula in ecclesia DEI *audiebantur, neque etiam alii sancti Episcopi præclara charitatis & pietatis opera de emolumentis sigillorum explere consueuerant.*

Ex his facile responsum patet ad ea quæ primo loco vos domine Antoni explicastis, quoniam & si pro vitæ sustentatione & aliis iustis necessitatibus, pastoribus ecclesiæ ius commune, naturale, diuinumque & humanum, prouisionem facere iubeant, modum tamen istum, nec illum saltem pro semper non præcipiunt. Illud autem constat quod quanto exactio aliqua plus habet abusus seu oneris aut scandali, vel maiorem speciem mali, tanto amplius à iure naturali & diuino discrepat, qua huic diebus nostris vsitato modo exigendi annatas, admixta esse, nec vos, nec quisquam amicus veritatis inficiari poterit.

Quamquam autem modus exigendi vsitatus sit in ecclesia si tam oneros aut abusiuus esse incipiat, nulli negari fas est, quin modum illum ecclesia posit in alienum leuiorem vel honestiorem conuertere.

Ea autem quæ pertinent ad vitæ sustentationem seu vtilitatem, aut necessitatem ecclesiæ, quæ quidem de iure naturali & diuino esse fatemur, neque abstulimus, neque auferre licitum videtur, imo vt plus dicam etiam præter nonnullos sustentandi modos qui in iure statuti sunt, hæc sancta Synodus vt prædictum est, summo Pontifici prouisionem facere obtulit si & ipse circa synodalium decretorum obseruantiam animum vt decet inclinauerit.

Quo vero ad suspensionem decreti postulastis nulla ratione decere videtur, vt tam salubre decretum conformeq; per omnia legi euangelicæ & sanctorum Patrum institutis, suspendi aut irritari debeat.

Postremo vtrq; vestrum prouisionem sufficientem sedi Apostolicæ faciendam poposcit.

Ad quod sancta Synodus respondet, circa id deliberaturam, quod secundum Deum & rationem sanctam viderit expedire, taliterq; facturam, quod nemo de ipsa Synodo poterit cum ratione conqueri.

Datum Basileæ in nostra congregatione generali tertio Nonas Nouembris. Anno à natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio.

Hæc Iulianus Cardinalis Legatus, nimis præfracte, & obstinato animo respondebat; nihilque residuæ spei Eugenio faciebat, ad conueniendum cum eo cœtu; in quo paucis exceptis, fere omnes, vt in ordinem summam potestatem redigerent, connitebantur: merito, vt posset Apostolica Sedes tunc temporis illas Sponsæ querimonias repetere; *Inuenerunt me custodes ciuitatis, percusserunt me, vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum:* cum nihil illi reliqui facerent, ad eam maiestatem authoritatemque, qua illam CHRISTVS exornauerat super alias, in Apostolorum Principe Petro, cui plenariam potestatem dederat omnium pascendarum; sed & fructuum ex ouibus percipiendorum. Quamobrem, nihil etiam intermiserunt, illi ipsi Basileenses, vt Imperatorem Græcorum Ioannem Palæologum, opis contra Turcas Occidentalium Principum indigentem, eaque de causa vnionem Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali curantem, Basileam traherent: & vel hoc etiam in negotio omnium grauissimo Pontifici obsisterent; qui voluntati Palæologi obsequens, & præsentibus Orientalium necessitatibus consulens, Constantinopolim Concilium dirigebat. Quid Eugenius, quid Basileenses, quid Imperator Orientis, quid Nuncii partium in eo negotio hoc anno egerint, atque quid hinc inde conuenerit, melius est ex libris publicis cognoscere, quas adiunge.

I.

Eugenius Papa, Basileensibus.

XXVI. Epistola Eug. Papæ missæ Concilio.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, & dilectis filiis in sacro Basileensi Concilio congregatis, salutem & Apostolicam benedictionem. Mittimus illuc dilectum filium Christophorum Garatonum, magistrum in artibus, Secretarium & familiarem nostrum, quem anno præterito circa sanctissimæ vnionis materiam, inter Occidentalem & Orientalem ecclesias, Constantinopolim misimus. Rediit autem, & circa materiam prædictam, plene de omnibus informatus est. Quamobrem fraternitates & deuotiones vestras, in tam sancto & diuino opere illum audire velint, fibique in relationibus suis plenam & fidem credulam adhibere. Datum Florentiæ. Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, decimo Calendas Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

R. de Valentia. A. de Florentia.

II.

Basileenses, Eugenio Papæ.

XXVII. Epistola Concil. ad Eug. Papã quãd pro vnione Græcorum nõ decet in Constãtinopoli Synodum celebrare.

Sacrosanctæ &c. sanctissimo Domino Eugenio Papæ quarto. Veniens ad nos dilectus ecclesiæ filius Christophorus Garathonis Orator vester, exposuit huic sanctæ Synodo seriose ac discrete ea quæ apud Constantinopolim egerat, quibus per sacras ipsius sanctæ Synodi deputationes, plene matureque discussis, ac consideratis omnibus quæ in tanta re attendenda sunt, visum est bonori huius sacri Concilii ac sanctitatis vestræ, Imperatoriique, & Patriarchæ Constantinopolitani, ipsius quoque executioni multo magis expedire, vt capitula apud hanc sanctam Synodum, primo tam solenniter conclusa, nomine vniuersalis ecclesiæ ipsiusque Imperatoris & Patriarchæ, per eorum ambasiatores plenum desuper habentes mandatum, quibus postea Sanctitas vestra expressum præbuit assensum, amplectí potius, quam secunda apud Constantinopolim conuenta debeamus, præsertim cum ipsi Græci, tam primi quam secundi Ambasiatores, sæpenumero professi sint, sine vniuersali Synodo hanc vnionem fieri, nequaquam posse: nec factam diu durare posse. Quod si quisquam dixerit satis esse ipsos eam existimare futuram Synodum vniuersalem, licet nos particularem, seu regionalem censeamus, iudicet vnusquisque quantum hoc expediat, & quem finem res habitura sit, si ad tollendas discordias præcedentes, nouam superinducamus discordiam: & de ipsa Synodo quæ fundamentum huius rei est, varia atque diuersa hinc inde censeantur: neque illud visum est expedire, vt certitudo fidei Catholicæ, qua nihil firmius atque certius apud ecclesiam esse potest, quasi per compromissum quoddam in legato, vel legatis, & alio ex parte Græcorum conuenientibus, remitti debeat, vt quod illi super differentiis, quæ inter nos & Græcos fidem ipsam tangentibus, concorditer deliberauerint, id per totam ecclesiam ratum habeatur: nec etiam vllo pacto visum est, vniuersalem Synodum hoc tempore apud Constantinopolim in faucibus Turcarum sitam, potius quam apud terras, qua Romanæ ecclesiæ vnitatem tenent celebrari debere. Super quibus tam ipse Christophorus, quam oratores nostri, mox ad sanctitatem vestram venturi eandem plenius & latius certificabunt.

Datum Basileæ, tertio Nonas Maii. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto.

III.

Basileensium Oratores, Ioanni Palæogo Imperatori Orientis.

XXVIII. Propositio Ambasiatorũ Conc. Basil. facta Constantinop. corã Imp. Græcorum. Prima pars.

Maiestas vestra, Serenissime Imperator, licet omnium virtutum officiis dedita sit, & totius honestatis moribus ornata, nihil tamen regali dignitati decentius, nihil Imperiali vestræ maiestati amplius conuenit, quam procurare Pacem ecclesiæ sanctæ Catholicæ. Neque enim (vt egregius Doctor Augustinus ait) Christianos reges vel Imperatores felices esse dicimus, quia diutius imperant, vel quia filios suos regnantes & imperantes, placida morte relinquunt, vel quia hostes reipublicæ potenter domant: quoniam hæc & alia huius vitæ arumnosa munera siue solatia gentiles & infideles Principes adeo frequenter obtinent, qui tamen non pertinent ad regnum DEI quo tendere debent Principes Catholici, sed felices reges & Imperatores Christianos esse dicimus, si iuste imperant, si DEVM timent, si DEVM colunt, si DEVM diligunt; si pacem eis à DEO datam ad dilatandum cultum DEI diuinæ maiestati seruire faciunt. Felicem vero non immerito dixerim, animam Genitoris vestri pie & recolendæ memoriæ, qui pro fide catholica & pace ecclesiæ, diebus suis plurimum laborauit.

Italiam, Franciam, Angliam, & plurima alia Christianitatis regna pro sancta vnione ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, laboriosissime peragrauit; & licet diebus suis illam videre non potuit, tamen desideriorum suorum meritum, & laborum præmium suorum non perdidit apud DEVM. Fœlix etiam non immerito dici potest maiestas vestra Imperialis, fœlix inquam, nunc spe futuræ beatitudinis, postea per gratiam DEI reipsa futuræ, pro eo quia Zelum DEI habet, ad pacem ecclesiæ DEI Catholicæ.

Scimus enim quod maiestas vestra summos Pontifices nostros, præcrtim Dominum Martinum bonæ memoriæ, nec non sanctissimum Dominum nostrum modernum solicitauit, & per plures ambasiatas requisiit, vt hoc nefandum schisma inter ecclesiam Occidentalem & Orientalem ac medio tolleretur, per quod fides Catholica tantam iacturam patitur, quod infideles totam pene terram Christianorum occupare videntur. Sed vbi fructus laborum vestrorum Serenissime Imperator? Cur charissimus Genitor vester pacem ecclesiæ videre non potuit qui pro ea re, sicus prædictum est, tot labores sustinuit, certa ratio fundamentalis omnium per nos dicendorum hæc est,

quoniam materia dissidii inter Græcos & Latinos non potest tolli, nisi per viam generalis & vniuersalis Concilii, & quoniam summi Pontifices nostri tollere illud ex seipsis sine Concilio generali conati sunt, ideo ad pacem ecclesiæ proficere non potuerunt. Petierunt hanc causam prudentissime, & & cum spiritu DEI loquentes in sacro Concilio Basileensi, oratores insignes maiestatis vestræ, videlicet dominus Demetrius, Isidorus Abbas monasterii sancti Demetrii, & Ioannes Dissipatus fieri Concilium œcumenicum vniuersale, ex vtraque ecclesia Occidentali & Orientali congregatum, duo coram Patribus prafati Concilii constanter affirmantes.

Primum quod absq; tali Concilio œcumenico non posit tolli dissidium.

Secundum quod si fieret, ipsa vnio, vt sperabant, votiuum sortiretur effectum. Quoniam quicquid per vtramque ecclesiam ibidem congregatam, esset DEO inspirante definitum, firmiter crederetur, & vsque in futura semper secula integre & inuiolabiliter teneretur. Narrauerunt etiam deuotionem grandem, quam Maiestas vestra Imperialis semper habuit ad pacem ecclesiæ. Retulerunt etiam feruentissimum Zelum, quem Reuerendissimus in CHRISTO Pater, dominus Patriarcha Constantinopolitanus gerit pro sancta vnione, cuius deuotionis non pauca indicia dedistis, quando rogati per Dominum Episcopum Sudensem, & magistrum Albertum de Crispis Ambasiatores sacri Concilii, vt Oratores vestros ad præfatum destinaretis Concilium, libenter assentientes vos viros insignes ad hoc sanctum opus vnionis conficiendum designastis, quibus honorifice receptis, & in Concilio auditis, & pro eo quod hæc sancta vnio sine practica fieri non poterat, statim per Concilium deputati sunt, ex maioribus Cardinalibus, Præsidentibus Sedis Apostolicæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Doctores, & Magistri in numero competenti, qui vna cum prædictis Oratoribus multis diebus conuenientes, & rem istam mature tractantes, deuenerunt ad certa capitula, quæ secundum morem ipsius præfati Concilii Basileensis, fuerunt per quatuor deputationes concordata, postea in Generali congregatione concluſa, deinde in solenni & publica sessione, missa de Spiritu sancto in maiori ecclesia celebrata, statuto siue decreto ad perpetuam rei memoriam roborata & firmata. Ibique coram Altari in præsentia totius Concilii propositis sacris Euangeliis & cruce Dominica, ipso Domino Isidoro cum stola, iurata eadem capitula per ipsos Oratores vestros iureiurando fuerunt approbata.

O fœlix dies in quam arram futuræ vnionis & vobis dedimus, & à vobis suscepimus. Decreuit enim sacrum Concilium iuxta desiderium vestrum inter cætera capitula fieri Concilium œcumenicum, id est, ex vtraque ecclesiæ congregatum, in quo vnio & pax votiuum sortiri posit effectum. Susceperunt etiam Patres sacri Basileensis Concilii loca nominata per Oratores vestros pro celebratione huiusmodi Concilii œcumenici, ita tamen vt optio loci ex illis nominatis maneat in beneplacito prafati Concilii Basileensis, sicut patet clare & dilucide ex lege & tenore decreti. Porro intelligitur Summum Pontificem implicite decretis sacri Concilii consentire, quando sacro Concilio adhæsit, & ipsum authoritate Apostolica approbauit. Sed non fuit contentum Concilium sacrum nisi iuxta petitionem Ambasiatorum vestrorum ipse sanctissimus Dominus non explicite præberet suæ sanctitatis assensum, licet insuper Præsidentes Sedis Apostolicæ sessioni interfuerint, in qua hoc saluberrimum decretum fuit publicatum, decretationique consenserunt, vigore quoque mandati sui, quicquid ipsi egerunt, actum censeri debeat ab ipso summo Pontifice; Nihilominus prout in decreto fuerat promissum, superaddidit sacrum Concilium, dominum Simonem Ireiron consocium nostrum transmittere ad ipsum summum Pontificem, & offerre suæ sanctitati decretum, & petere suæ sanctitatis consensum, quatenus res cum maiori concordia fieret, & ad pacem quam nos & vos desideramus magis proficeret, Vtinam Serenissime Imperator ipsum sanctissimum Dominum nostrum aque digne possemus commendare.

Commendabilis est pro sua deuotione quam gerit erga pacem ecclesiæ. Videns enim quod sacrum Concilium manus apponeret efficaces ad hoc sacrum negotium, audiens etiam per organum Domini Simonis, quid in se contineret decretum, ignorans quid Orator suus dominus Christophorus in Constantinopoli concluderet, & si quid etiam concluſisset, determinationi sacri Concilii subiciens approbauit decretum, de consensu reuerendissimorum Patrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. Reuersus est itaque Dominus Simon cum benedictione Apostolica, deportans ad sacrum Concilium litteras Apostolicas expressum summi Pontificis continentes assensum; vt ecce quæ facta sint inter Concilium sacrum ex vna parte, & Oratores vestros ex altera, circa decretum, & in materia decreti. Et hæc est secunda pars orationis, dominus Henricus mediabit.

XXIX. Secundæ pars dictæ propositionis.

IV.

Oratores Basileensium, Palæologo Imperatori.

Audistis Serenissime Imperator per organum Domini mei proloquentis, quod materia dissidii inter ecclesiam Occidentalem, & Orientalem non potest tolli nisi per viam sacri & vniuersalis Concilii: sit enim maiestas vestra Imperialis, Oratores vestros insignes petiuisse semper Oecumenicum fieri Concilium in quo pax ecclesiæ, votiuum sortiretur effectum. Nunc igitur habeo declarare Imperiali maiestati vestræ, quare sacrum Concilium viam secundam, quæ hic in Constantinopoli fuerat concluſa voluit acceptare. Certe ratio fundamentalis hæc est, quoniam Concilium Oecumenicum non inducitur per capitula in illa via practicata, sed solum particulare & regionale, dicitur enim in illis capitulis inter cætera: fiat Synodus Generalis ex latere ecclesiæ Orientalis & omnibus Nationibus ipsi ecclesiæ Orientali adhærentibus & subiectis.

Item secundum practicam illius viæ legatus Sedis Apostolicæ venturus erat Constantinopolim disputaturus de differentia Latinorum & Græcorum. Manifestum est autem, quod vnus legatus Sedis Apostolicæ non potest repræsentare Synodum Oecumenicam ex parte ecclesiæ Orientalis. Quare practica illius viæ excludit Oecumenicum & vniuersale Concilium nostrum; Tamen (vt prædictum est) pro perficienda sancta Vnione amplius illa via secunda, si habuisset locum, & noua diuisionis erat fomentum, & maioris discordiæ præbuisset intentum. Putassent Græci Synodum quæ per istam indicebatur capitula, vniuersalem fore debuisse, nos vero particularem & regionalem. Quis fructus sequi poterat vnionis, quam optamus, si de ipsa Synodo, qua fundamentum pacis & vnionis esse debuerat, varia & diuersa sentiamus.

*Certe non modo non sequebatur pax & vnio, sed maior quam vnquam fuerat, surgebat scissura atque diuisio, Græci Octauam Synodum particularem & regionalem esse dicunt, nos illam quasi vniuersalem reputamus. Quid opus est discordiam discordiæ addere, & scissuram nouam antiquæ diuisionis accumulare; non sit inter nos discordia in Synodo futura, sed vnionem tendimus in fundamento concordemus. Si pacem quærimus, opus est vt fundamentum pacificemus. Hæc omnia intelligentes Ambasiatores maiestatis vestræ tam primi quam secundi, dimissa secunda via, acquieuerunt primæ viæ, requirentes instanter sacrum Concilium, vt postquam secunda via non placebat, primam prosequeretur, & decretum ad executionem deduceret. Et quoniam sacrum Concilium dubitabit, an propter concluſa hic in Constantinopoli, maiestas vestra vellet primæ viæ acquiescere, prafati Ambasiatores exhibuerunt, quod * Imperialis maiestatis vestræ per quod maiestas vestra plenam eis concesserit potestatem. Quod sprædictam viam non posset in sacro Concilio obtinere, insisterent totaliter primæ viæ. Asseruitque publice Dominus Georgius Reuerendissimum Dominum Patriarcham Constantinopolis sibi dixisse inter cætera, quod si sacrum Concilium nollet secundæ viæ, quæ hic fuerit concluſæ annuere, sed mallet persistere in primæ viæ, concluſæ in Basileæ, si opus esset, faceret se deferri in humeris, vt propter mandatum datum primis Ambasiatoribus & iusiurandum, non discederet à promissis, & concluſis.*

Sed & Dominus Christophorus Garatanus, Orator sanctissimi Domini nostri qui illo diebus Basileam venerat, deportauit literas Apostolicas ad sacrum Concilium; in quibus sanctissimus Dominus noster totum hoc sacrum negotium Concilio remittebat: cuius optioni commisit, vt quam vellet viam eligeret vel concluſam. Et quidquid in his per sacrum Concilium deliberaretur, ipse approbaret. Tandem igitur ipsum sacrum Concilium, vt ipſi Oratores maiestatis vestræ, primam viam iterum firmauerunt, & determinauerunt illam prosequi, donec DEO authore pacu largiente, per istam viam pax reddatur Ecclesiæ sanctæ. O fœlix hora qua dici poterit Græcorum & Latinorum Ecclesia vna. O beatos oculos quibus Dominus debis statim videre vnionem. Sperant Patres in sacro Basileensi Concilio congregati, diebus suis videre pacem ecclesiæ, pro qua orant sine intermissione. Quoniam vos, & nos magnum zelum pacis habuisse ostendimus, quid superest, nisi vt bonam voluntatem, per operu euidentiam ad consummationem vsquequaque perducamus? Manus est quod in hac re & bona voluntas est: Hanc vtraque pars se habere asserit, & signis euidentibus comprobamus. Apponamus iam manus ad executionem operis, intentio enim sacri Concilii Basileensis est, vt ex parte sua nonpereat vnus apex, vel vnum iota de lege sui decreti.

Quare etiam maiestas vestra debet manus apponere ad hoc opus sanctissimum perficiendum, cum iam tempus habeat opportunum. Ne forte iuxta verbum Saluatoris veniat nox in qua nemo potest operari. Timendum est enim valdesi nolueritis hoc bonum operari, dum tempus habemus & possumus, illud alio remouere non possimus cum voluerimus, Turci, Tartari, Sarracenis & aliis infidelibus iusto DEI iudicio occulto Christianos ita prementibus, vt etiam ad inchoandum hoc opus aspirare sas non sit. Ex quibus omnibus maiestas vestra Imperialis potest perpendere, quod ex iusta causa & rationabili sacrum Concilium direxit secundam viam; quæ fuerat concluſa hic in Constantinopoli, intendit, primam viam prosequi ad honorem omnipotentis DEI, & hæc est secunda pars orationis nostræ. Dominus Simon consummabit.

V.

Palæologo Imperatori, Basileensium Oratores.

XXX. *Tertia pars eiusdē propositionis.*

Meministis vt opinor Serenissime Imperator quod ex ore imperiali processit. Promissus in animam genitoris vestri bonæ memoriæ, & in animam vestram, nec non per fidem quam Princeps Catholicus tenere debet & seruare gratum, ratumque habere quicquid Oratores vestri pro sancta vnione ecclesiarum CHRISTI cum sacro Basileensi Concilio concluderent, sicut patet ex tenore Chrysobuli vestri. Quapropter vestram exhortamur in Domino imperialem maiestatem, & petimus quatenus Maiestas vestra, & etiam Reuerendissimus Dominus Patriarcha vestris personis propriis iureiurando & per bullas auream & plumbeam more soleto ratificare, & quantum in vobis est, executioni demandare ea omnia quæ per Oratores vestros plenissimo mandato suffultos in publica sessione cum ipsa sancta Synodo, vnanimiter vos ipsi concluſistis, & in altari celebrata missa de Spiritu sancto, super sanctis Euangeliis solemniter firmastis.

Secundo petimus quod cum tempus in decreto statutum effluxerit, ne circumstantiæ rerum impediant hoc tam sanctissimum negotium, quatenus debitum tempus statuatur, pro executione concluſorum, in quo maiestas vestra possit exequi quod iurauit, & ecclesia nostra operari quod promisit, præsertim quia si tempus efflauerit, culpa vestra nulla erit. Quoniam firmiter credimus quod si Maiestas vestra notitiam habuisset eorum, quæ in Basilea facta fuerunt, nullo modo aliam viam attentasset. Et ex alio capite maiestas vestra totaliter immunis est à culpa, quia putauit quod sacrum Concilium consentiret in secunda via. Similiter neque fuit culpa sanctissimi Domini nostri, quia licet sanctitas sua misisset huc Dominum Christophorum, ad tractandum pacem, Occidentalis, & Orientalis ecclesiarum, tamen hoc totum negotium remisit ad sacrum Concilium. Sed nec ipse sacra Synodus peccauit, quia ad exequendum decretum suum parata est, & erit, pro cuius etiam executione nos Oratores suos huc transmisit: Quid ergo? Zelus domus DEI hoc fecit, vt eodem tempore plures concurrerent, sequentes doctrinam euangelicam: Simile est regnum cœlorum homini quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretiosa, vendidit omnia quæ possedit & comparauit eam.

Postremo Serenissime Imperator, sicut in mandatis habemus, petimus locum optimum ad celebrandum Concilium œcumenicum, in quo pax ecclesiæ votiuum sortiatur effectum. Et dicimus secundum dispositionem Christianitatis, prout his diebus, proh dolor, dispositæ esse cernitur, non est locus aptior ad celebrandum huiusmodi Concilium œcumenicum, quam Ciuitas Basileensis. Vtinam rationes congruentiæ possent Maiestati vestræ lingua Græca exprimere, quoniam apud vos melius resonarent, quam in Latino sermone. Sed quando lingua deficit, charitas magis inardescit. Quemadmodum enim sol cum multæ tenebræ exterius lucet super terram, sed interius ardet in Cœlo; sic cum maiori loquimur charitate, quando lingua nescit vti Græco idiomate. Caterum plures occurrere possent circa materiam loci oportunitates, quas longum esset enarrare. Sed ex multis quinq; colligimus, quas Imperiali maiestati proponere volumus.

Prima sumitur ex quiete loci, quoniam illa regio est pacifica, quieta & tranquilla: & per consequens aptissima ad tractandum pacem ecclesiæ, sicut scriptum est: In pace factus est locus eius. Propterea Concilium œcumenicum cui Spiritum sanctum oportet assistere, omnino fieri in huiusmodi loco tranquillitatis & pacis conuenit. De cæteris vero partibus Christianitatis, quod dolenter referimus, omnes fere guerris lacerantur, atque etiam consumuntur, &c. Sola illa Ciuitas & regiones circumstantes, quæ supra Rhenum fluuium protenduntur, tranquillitate gaudent & pace: quare Ciuitas illa locus est aptissimus ad celebrandum Concilium œcumenicum, pro consequenda vnione ecclesiæ.

Secunda ratio fundatur in libertate, quæ debet in Concilio œcumenico esse, petimus per Oratores vestros vt Concilium vestrum futurum sit liberum, ita quod vnicuique liceat dicere votum suum, sine vixosa contentione; Quanta autem ibi sit libertas loquendi, consulendi, deliberandi, concludendi, sciunt Ambasiatores Maiestatis vestræ, qui in Ciuitate Basileens. longo tempore fuerunt, quod scilicet, Ciuitas illa, est communium, concordiæ & vnitas; Basilea enim inter cæteras Ciuitates ciuitas propriè appellatur, quia à segregitur & Cines nulla partialitate deiudantur. Amicitia Principis ibidem dominantis neminem opprimit timore: tantaquæ ibi est libertas, quod etiam inimici ecclesiæ, quando ibi accesserunt, maximæ potiti sunt libertate.

Accedit tertia ratio, quoniam congruum est, vt vbi hoc sanctissimum negotium accepit initium, ibi perficiatur. Exhibito enim rerum præteritarum, iudicium est futurarum. Et ideo si in loco illo fiet Concilium œcumenicum, tractatus pacis sortietur effectum.

Quarta ratio respicit fertilitatem Patriæ: quoniam vbicunque celebrabitur Concilium œcumenicum oportet ibi maximam multitudinem gentium conuenire. Conueniet enim ibi summus Pontifex, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & Prælati cæteri ecclesiæ nostræ Occidentalis. Conuenient Reges & Principes & Ambasiatores absentium. Principum. Conueniet etiam Serenitas vestra, cum Patriarchis & Prælatis, Regibus & Principibus ecclesiæ Orientalis. Quomodo posset hæc multitudo viuere, nisi locus abundaret maxima fertilitate? tanta est autem fertilitas Patriæ & Basileens. regionis, quod Concilium generale, ex latere totius ecclesiæ nostræ iam per quinquennium substinuit. Vnde sicut Basilea est in medio totius obedientiæ nostræ, sic & fere præ cæteris fertilior locus est de se & ad illud tanquam ad centrum conflant bona undiq; ab omnibus regionibus.

Vltimo amœnitas loci non parum videtur ad rem pertinere, quoniam in præfata Ciuitate Basileensi tanta est serenitas aeris,

aeris, quod nunquam aut raro subititur pestilentiæ. Quæ cum sit contagiosa infirmitas, solet Concilia generalia, & regionalia sine fructu dissoluere. Petimus igitur Serenissime Imperator quatenus Maiestas vestra illum velit eligere locum, vt absque omni impedimento celebrari possit Concilium œcumenicum. Et ecce nos offerimus pro parte sacri Concilii ad executionem decreti, donec largiente Domino par reddatur ecclesiæ Dei, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

V I.

Palæologo Imperatori, Oratores Basileensium.

XXXI. *Certa promissiones factæ per Ambasiatores Conc.*

Nos &c. Sacrosanctæ generalis Synodi Basileensis in Spiritu sancto legitime congregatæ, vniuersalem ecclesiam repræsentantis Ad Serenissimum Imperatorem Romanorum, & Reuerendissimum Patriarcham Constantinopolitanum Ambasiatores & Nuncii, ad ea quæ in dicta sancta Synodo, pro vnione ecclesiarum Christi perficienda, concluſa sunt, exequendum specialiter destinati: eiusdem sanctæ Synodi ad ea quæ pacis sunt & vnitatis, firmum propositum cognoscendum, vice & nomine eiusdem, tenore præsentium literarum promittimus dare, & cum effectu exhibere, quam citius fieri poterit, vel saltem per galeas quæ venturæ sunt, pro recipiendo ad Concilium venientes, Serenissimum Imperatorem, & Reuerendissimum Patriarcham, præfata capitula, quæ in eadem Basileensi Synodo pro pace & vnione ecclesiarum CHRISTI, hinc inde concluſa sunt, & firmata sub bulla plumbea consueta dictæ sanctæ Synodi, & sub tenore de verbo ad verbum qui sequitur & est talis sacrosancta &c. Quia Ambasiatores nostri &c.

Item permittimus in nomine vt supra, dare præfatis Serenissimo Imperatori & Reuerendissimo Patriarchæ, quam citius poterimus, vel saltem per præfatas galeas saluum conductum sub bulla (vt præmittitur,) & sub tenore de verbo ad verbum, qui sequitur: sacrosancta &c. Quia authore Domino &c.

Item promittimus, quod dictæ sanctæ Synodus, procurabit saluosconductus similiter per galeas destinando præfatis Serenissimo Imperatori, & Reuerendissimo Patriarchæ à Dominus Ciuitatis & partis, in quibus futura vniuersalis & œcumenica Synodus Deo authore celebrabitur. Et similiter ab omnibus Dominis, & territoriis obedientiæ Ecclesiæ nostræ Occidentalis, per quæ siue eundo, siue redeundo transituri sunt, munitos & roboratos modo consueto patriarum & Dominiorum, firmiori modo quo fieri poterit, tenoris qui sequitur, & est talis, &c.

Item promittimus quod dictæ sanctæ Synodus Basileen. sub bulla, siue in bulla saluiconductus, dandi (vt præmittitur) per eandem S. Synodum, declarabit 10. capitulis contentum in decreto, vbi dicitur.

Item quod in omnem euentum prædicta omnia vtiq; adimpleantur, debere intelligi vel intelligendum fore, siue vnio sequatur siue non, in dicta S. Synodo œcumenica &c. In quorum omnium &c.

Datum Constantinopoli in Monasterio Sancti Georgii pro tunc habitationis nostræ vigesimo quinto Nouembris. Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto.

V I I.

Oratores Basileensium, Imperatori Orientis.

XXXII. *Copia promissionis eorundem Ambasiatorum.*

Nos Pater Ioannes de Ragusio ordinis fratrum Prædicatorum, Professor &c in sacra pagina magister Henricus Menger decretorum Doctor Canonicus Constantiensis, vnus ex Ambasiatoribus sacrosancti generalis Concilii Basileensis, & Simon Freiron in sacra Theol. Baccalaureus, Canonicus Aurelian. circa

XXXIII. *Proœmiū decreti & non placuit Imp. dicto.*

proœmium dicimus, quod nunquam fuit de intentione sacri Concilii per aliqua verba in dicto proœmio posita, diminuere honorem ecclesiæ Orientalis aliquo modo. Nec ex aliquibus verbis in eo positis debet aliquis scandalizari.

Dicimus vlterius quod si Ambasiatores ipsorum vel ante promulgationem decreti vel post, aut ex recessu eorum feciſſent aliquam mentionem de dicto proœmio, vel de aliquibus in eo contentis, per sacrum Concilium, debitum fuisset appositum remedium. Verum tamen quia non placuit dictum proœmium, nec placet Dominis ecclesiæ Orientalis, nos cognoscentes feruentissimum desiderium, promptissimam voluntatem, sane tamque intentionem dictæ sanctæ Synodi ad vnionem & pacem ecclesiarum CHRISTI, contenti sumus & promittimus, capitula in eadem sancta Synodo concluſa, dare, & exhibere sub bulla plumbea sacri Concilii, & sub tenore; prout in litteris nostris promissionis continetur.

Ego Ioannes de Ragusio, &c. subscripsi mea manu propria, &c. Eg. Henricus Menger, &c. subscripsi mea manu propria, &c. Ego Simon Freiron, &c. subscripsi mea manu propria, &c.

XXXIV. *Articuli Ambasiatorum Concil. Basil.*

Sicut pia mater filiorum salute, semper anxia est, nec vnquam quieſcit donec ſiqua inter ipſos dissensio sit sopita fuerit: sic multo amplius sancta Mater ecclesia, quæ filios ad perpetuam rei vitam regenerat, omni conatu laborare consueuit, vt omnes qui Christiano nomine censentur, sublato omni diffidio eandem fidei vnitatem, sine qua salus esse non potest, paterna charitate custodiant. Quamobrem huius sanctæ Synodi ab initio suæ congregationis præcipua cura fuit recens illud Bohemorum, antiquum Græcorum diffidium prorsus extinguere, & eos nobiscum in eodem fidei & charitatis vinculo perpetuo copulare.

Primus punctus est de ratificatione eorum quæ gesta sunt, quod videlicet Serenissimus Imperator, & Reuerendissimus Dominus Patriarcha, velint propriis in personis iureiurando & bullas auream & plumbeam more soleto rarificare solenniter, & executioni demandare, quantum in ipsis est, & quæ ipsi in sancta Synodo Basileens. per suos solennes Oratores plenissimo mandato fulcitos, & publica Sessione cum ipsa sancta Synodo vnanimiter concluserunt, & in altari celebrata missa de Spiritu sancto, super sanctis Euangeliis & cruce Dominica iureiurando solenniter firmauerunt.

Secundus punctus est de tempore, quia cum tempus in decreto statutum & expressum, non defectu sacri Concilii, aut ipsorum Dominorum Imperatoris, & Patriarchæ, seu Ambasiatorum eorundem, sed alias ex causis iam efluxerit, necesse est, vt pro executione concluſorum, tempus debitum & competens per vtramq; partem statuatur.

Tertius punctus est de loco Basileensi, quod videlicet præfati Serenissimus Imperator & Reuerendissimus Patriarcha multis ex causis dignentur, & velint assentire, quod Concilium vniuersale & œcumenicum, quod condictum est celebrari, in Ciuitate Basileensi celebretur.

Quartus punctus est de executione decreti, quia videlicet missi sumus ad præsentandum præfato Serenissimo Imperatori & Reuerendissimo Patriarchæ decretum concluſum, in publica forma cum plumbea bulla præfati sacri Concilii Basileen. in quantum attinet ad dictum sacrum Concilium ad inchoandum executionem decreti eiusdem, & concluſorum, contentorum in eodem decreto.

XXXV. *Alii articuli Imp. Cõstantinop.*

Primo dicimus & volumus vt proœmium decreti alias lectum, & intellectum totaliter tollatur, & ad minus corrigatur tali modo, vt possimus remanere in hoc contenti, vt omnis mala & scandalosa suspicio removeatur, quæ poterit per illud proœmium in animis quorundam exoriri.

Secundo si (quod absit) vnio & concordia ecclesiarum CHRISTI non sortiatur effectum, sed recedamus ex illis partibus discordes & diuisi, sicut nunc sumus, quod non afferatur nobis propter hoc aliquod impedimentum, damnum, vel aliquod hujusmodi, quouis modo ex parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imo vt fiat reditus noster ad has partes, cum iisdem honoribus, dispositionibus, factoribus cum quibus illuc accessari sumus, & faciat nobis pars sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnia quæ pertinent ad reuersionem nostram, in tali etiam casu, sicut si essemus concordes & vniti, vt in DEO speramus.

Tertio si contigerit aliquos dominos Reges ac Principes non affuisse tali Synodo nec vera, nec repræsentatiue, propter aliquas causas, tam ex partibus nostris, quam Occidentalibus, quod hoc non intelligatur nec habeatur pro defectu aut reuersione consentorum, & conclusorum, vel ipsius rei, & solicitande sanctissimæ vnionis.

Quarto quod in ciuitate vel Regione in quibus debeat Deo auctore, dictum Oecumenicum Concilium celebrari, & in aliis ciuitatibus ac regionibus Romanæ Ecclesiæ subiectis, veniendo, stando, redeundo nos & omnes nostri nullum habeamus impedimentum, grauamen, nocumentum, vel quodcunq; malum ab aliqua persona tam ecclesiastica, quam seculari, proprie vel communiter, palam vel occulte, ex quacunq; occasione.

Quinto & vltimo, quod si aliquis vel aliqui de quacunque natione, & cuiuscunque formæ & qualitatis ex illis qui ex parte nostræ ecclesiæ ibidem accessuri sunt in aliquo peccaret, iudicium illius peccati spectet ad nos, & nostram partem: pœna etiam illius determinetur nostra discretione, & non habeat super hoc & possit aliquid facere pars Occidentalis ecclesiæ sublectorum nostrorum.

XXXVI. *Alii articuli responsorum Ambasiatorum Concilii.*

Ad primum dicimus, quod nunquam fuit de intentione, per proœmium decreti iniuriam aliquo modo facere ecclesiæ Orientali, nec ex ipso sane intellecto, vt declaratum est, potest vel debet aliquis iuste scandalizari.

Item dicimus quod si Ambasiatores ipsorum, vel ante promulgationem decreti vel post, aut in recessu ipsorum forsitan aliquam difficultatem de dicto proœmio per sacrum Concilium debitum appositum fuisset remedium.

Dicimus vlterius quod non est in potestate nostra, dictum proœmium tollere, aut corrigere siue mutare, aut aliud facere, tum quia non habemus sigillum aut plumbum Concilii, tum quia illius est tollere, corrigere siue mutare, cuius est concedere. Postremo quoad hunc primum articulum dicimus, quod propter prædictum proœmium, nullo modo tantum bonum est omittendum aut aliquo modo differendum. Et offerimus nos ad omnia remedia rationabilia nobis possibilia.

Ad secundum dicimus, quod si loquatur articulus de expensis honestis, clarum est ex tertio & decimo capitulis ipsius decreti. Et si ampliori declaratione indiget, paratí sumus ad declarandum &c. Si autem de securitate loquatur, prouidebitur per saluum conductum.

Ad tertium, quod de reg'bus Principibus, ac Dominis, & principalibus ecclesiæ Prælatis consentire non possumus, quin saltem intersint repræsentatiue, vt patet ex primo capitulo decreti, & declaratione. Quid est Synodus vniuersalis & Oecumenica. Nam inter alia dicitur primo in capitulo: similiter venient ex omnibus Regnis, & Dominiis quæ subiiciuntur ecclesiæ Græcorum, cum plena potestate, & mandato vallato iuramento & aliis clausulis opportunis, tam ex parte sæculatium Dominorum, quam Prælatorum.

VIII.

Imperator Orientis, Basileensibus.

XXXVII. *Copia literarũ D. Imp. Græcorum ad Conc.*

Ioannes in CHRISTO DEO fidelis Imperator, & moderator Romæorum Palæologus semper Augustus sacrosancto generali Concilio Basileens. salutem in eo qui est vera salus. Venerabiles vestri Ambasiatores, missi ad nos cum nostris Ambasiatoribus, hic adfuerunt, portantes nobis litteras vestras. Ex quibus litteris, & etiam relatione ipsorum, cum sapienter & clare expositerint omnia sibi commissa, cognouimus & certi sumus de optima dispositione feruentique desiderio, quæ ad opus vnionis ecclesiarum CHRISTI geritis. Pro quo & nos etiam ante plurimum laborauimus & studuimus, & nunc studemus, & dil gentem operam facimus. Perlecto etiam decreto quod factum est per vos super tali materia, e iam difficultates aliquæ in eo reperiæ, & illis ostensæ, per DEI gratiam remotæ sunt, & grata nobis habuerunt remedia, ita vt vniti, & concordes remansserimus.

Quare per nostrum Chrysobulum illa firmauimus, & roborauimus, sicut de omnibus latius & particulariter Reuerenda Pat. Vestr. à venerabili viro Henrico vno dictorum vestrorum Ambasiatorum scient, qui pro ista causa ad nos reuertitur. Omnia igitur illa quæ ad nos attineant, & à nobis debeant fieri, cum multa dil gentia vsque ad finem DEO authore facturi sumus. Vosque rogamus vt similiter cum pari charitate & promptitudine, ad hanc sanctissimam rem procedatis, & nihil deficiat de incumbentibus vobis, specialiter vero plurimum, & cum multa instantia vos petimus, & rogamus de loco in quo meditata sancta vniuersalis & œcumenica Synodus celebranda est, vt deputetur, & eligatur vnus locus ex maritimis, vt sine difficultatibus, & incommodis magnis possint venire, & conduci necessario congregandi ibidem, & maxime sanctissimus mihi Dominus Oecumenicus Patriarcha, qui est senex, & continua infirmitate grauatus. Et præcipue hoc etiam petimus & rogamus propter Sanctissimum & Beatissimum Dominum Papam, qui caput est ecclesiæ Romanæ, & Occidentalis, & eius præsentia est necessaria, & quam plurimum valet. Propterea (vt diximus) multum rogamus & vos precamur, vt circa hoc bonam diligentiam, & deliberationem faciatis, nihilominus non recedentes à gestis circa hoc & alia inter nos & vos.

Datum in Vrbe nostra Constantinopoli Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, die vigesimo sexto Nouembris.

IX.

Ioseph Patriarcha Constantinopolitanus, Basileensibus.

XXXVIII. *Copia literarum Patriarchæ Constant. ad Conc.*

Ioseph miseratione diuina Archiepiscopus Constantinopolis, nouæ Romæ & Oecumenicus Patriarcha. Reuerendissimis Cardinalibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Reuerendis Episcopis & omnibus aliis religiosis personis, congregatis in sacra Synodo Basileens. dignam & condecentem salutem reddimus reuerentiæ vestræ cum syncera dispositione, & charitate spirituali, & amicitia Venerabiles vestri Ambasiatores, &c. *vt in precedenti litera vsque, congregandi ibidem.* Et maxime propter me qui senex, & continuis infirmitatibus grauatus sum; & præcipue propter sanctissimum Dominum Papam, &c. *vt in littera immediate precedenti vsque ad finem.* Datum Constantinopoli Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, die vigesimo sexto Nouemb. apud Patriarchium nostrum sanctæ Sophiæ.

X.

Frater Imperatoris Orientis, Basileensibus.

XXXIX. *Copia literarum fratris germani Imp. Græcorum ad Conc.*

Sacrosanctæ generali Synodo Basileens. in Spiritu sancto legitime congregatæ, vniuersalem ecclesiam repræsentanti Constantinus in CHRISTO fidelis despotus Romæorum Palæologus, salutem in eo qui est vera salus. Litteras Vener. Reueren. Patres, per venerabiles vestros Ambasiatores recepimus; quibus ex litteris, & ex relatione ipsorum Ambasiatorum, de optima voluntate, & promptitudine, & feruentissimo Zelo, quæ ad hoc diuinum vnionis Ecclesiarum CHRISTI opus geritis, certificati fuimus: quamuis rebus ex ipsis satis intellexerimus eas, quare vestram intentionem quamplurimum laudamus, & vestratum virtutum, condignam iudicamus, cum non possit cogitari alia res in qua Vestra Reueren. Patern. suis viribus atque studiis vteretur rationabilius, & laudabilius quam in hac, quæ ad communem Christicolarum vtilitatem, & Christianæ fidei incrementum spectat. Hortabatur etiam Vestra Reueren. Pat. vt dictis vestris Ambasiatoribus auxilia & fauores circa suum propositum pro quo huc destinati sunt, grate adhibere velimus. Quod quidem licet ab omnibus Christianis veris debeatur, propter rei præsentis dignitatem, nos tamen ipsi magis hoc debere facere existimamus, & per gratiam DEI plus quam debeatur, intendimus super hoc laborare. Et propter hoc quantum nobis possibile est, vt tale diuinum opus ad finem optatum deduci possit, vt valeat, statuimus, & in futurum studemus, & sic mirabiliter huius rei desiderio tenti fuimus, vt Vestram Reueren. Pat. promptissimam in hac re existentem, cum maxima diligentia procurantem (prout prosequitur) & nos ipsi peteremus iterum, & vos rogaremus, vt omnes difficultates velitis è medio tollere, & omnimodum diligentiam adhibere ad consummationem huius diuini Negotii.

Nunc enim multi tractatus & legationes, ab vtraque parte, ad talem terminum cum gratia DEI deuenerunt, vt non indigerent aliquo alio, nisi executione sola, & progressu reali, & cum effectu. Et procul dubio confidimus quod Vestr. Reueren. Pat. facient & bono principio optimum finem apponent. Talem autem intentionem nostram, quam & multis aliis causis iustis habemus, & præter vestram petitionem, multo clariorem & feruentiorem habemus, à venerabili Henrico, vno dictorum Ambasiatorum vestrorum, latius & particularius sciet Vestra Reueren. Pat. qui eidem & de aliis ad istud propositum attinentibus referet. Nos vero semper ad omnes honestas & rationabiles petitiones paratos esse, & fore R. V. P. agnoscat.

Datum Constantinopoli, Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, die vigesimo sexto Nouembris.

XI.

Imperator Orientis, Basileensium Oratoribus.

Cum venerabilis vir Henricus Menger decretorum doctor Canonicus Constantiens. vnus ex Ambasiatoribus sacrosancti Generalis Basileensis Concilii, &c. ad nos transmissus, ad præsens reuertatur ad præfatum Concilium, committimus antedicto Concilio, de statuendo, & designando loco fiendæ generalis & œcumenicæ Synodi, quod designetur, & statuatur locus maritimus, ita quod non sit aliqua Ciuitas excepta Anchona, vt possimus venire ad illum locum cum omnibus necessario debentibus interesse sine difficultatibus & incommodis, cum multi ex illis senes & infirmi existant, & maxime sanctissimus meus Dominus Oecumenicus Patriarcha. Et in tali loco plures Prælati Orientalis ecclesiæ nostræ poterunt aggregari, propter facultatem, & non nimiam distantiam. Qui quanto plures affuerint, tanto vtilius ad perfectionem vnionis erit:

Propterea hoc erit maximum conferens ad vtilitatem & securitatem nostræ Ciuitatis, propter multas causas dicto venerabili viro dictas. Præcipue vero hoc necessarium est propter præsentiam sanctissimi, & Beatissimi Domini Papæ, quod commode aduenire poterit, hoc erit gratissimum, & ad perfectionem præmeditatæ vnionis quam plurimum valens, nec non ad honores & fauores futuri Concilii. Propter istas & plures alias causas debet prædictus Venerabilis Henricus rogare & deprecari dictam Basileens. Synodum ex parte nostra, vt nostra petitio adimpleatur.

Et cum antea per nostros Ambasiatores nominatim nonnulla loca, quæ sunt maritima, petimus, & cum instantia rogamus, vt non fiat impedimentum nostræ petitioni talis locorum expressio, sed sustinere velint laborare illi Reuerendissimi Patres, propter vtilitatem, & securitatem propositæ rei. Etiam vt ostendat & referat, quod omnia nobis spectantia secundum nostram potentiam sine prætermissione adimplebuntur. Propter hoc & prædicta Basileen. Synodus debet facere omnia præmissa per ipsam, & per suos Ambasiatores, integraliter & opportune, & si non fieret neque nos etiam ire poterimus tempore designato, & etiam promisso. Nec poterit aliquis nos reprehendere, considerato quod causa erit Concilii, sicut & nos non dignamur accusare prædictam Synodum propter transactum tempus in decreto determinatum. Cum talis transactio temporis venerit propter circumstantias occurrentes & temporaneas, non ex voluntate Concilii. Similiter autem alii duo Ambasiatores hic remanentes debent facere opportune de expensis & aliis pro Congregatione Prælatorum Orientalis ecclesiæ, prout exitit promissum; quia talibus expensis & aliis non in tempore debito factis, si quis ex ista causa defectus aduenial, nos de expensis nihil respondere debebimus.

Datum in Vrbe nostra Constantinopolitana Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, die vigesimo sexto Mensis Nouembris, sub sigillo nostro Imperiali.

XII.

Patriarcha Constantinopol. Basileensium Oratoribus.

Quoniam propter multas rationabiles necessarias causas, vltimum & non prætermittendum exitit Beatissimum Dominum Eugenium Papam necessario adesse debere, meditatæ & solicitandæ cum DEO sanctæ Catholicæ & Oecumenicæ Synodo provnione ecclesiarum CHRISTI, & ad eam accedere personaliter, & interesse vnanimiter cum sacrosancta Synodo sactæ Romanæ Ecclesiæ & omnibus ipsi ec-

XL. *Commissio Imp. Græcorum facta vni Ambasiatorum Conc.*

XLI. *Concinsio Patriarchæ Constantinop. facta Ambasiatori Concilii.*

clesiæ aggregatus, vt possimus & nos Deo authore, illic personaliter adesse, loco commodo statuto, vna cum potentissimo, & sancto meo Imperatore, & aliis nobis adhærentibus, & sic fiat tractatus & constitutio vnionis, sicut daret Deus, & ab vtraque parte conuentum & affirmatum foret. Propterea humilitas nostra ad præsens committit tibi venerabili viro Henrico Menger decretorum Doctori Canonico Constantiensi ecclesiæ, vni ex Ambasiatoribus sacrosanctæ Basileen. Synodi; ad Synodum sanctam reuerrenti, vt cum fueris cum prædicta sacrosancta Synodo Basileen. studium & diligentiam omnimodam exhibeas, & instantes labores & operis, vt statuatur Beatissimum Dominum Papam, in meditata Oecumenica Synodo interesse personaliter, & non repræsentatiue, dicto, statuto; loco congruente & commodo, pro quiete dict. Beatissimi Domini Eugenii & nostra. Propter hoc tibi facta est presens donatio & concessio nostra in scriptis, causa roboris, & firmitatis.

Datum Constantinopoli, Millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, die 26. Mensis Nouemb.

XLII.

Vnus Oratorum Basileensium, Iuliano Cardinali.

XLII. *Nic. Card. Aberg. ab Eug. missus in Galliam mittitur ad pacem inter Francorum & Anglorum Reges conciliandã.*

Reuerendissimo in Christo Patri & Domino, Domino Iuliano miseratione diuina tit. sanctæ Sabinæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, vulgariter le Angeli nuncupato, in Germania Apostolicæ Sedis Legato V. R. P. Humilis, Henricus Henger. Reuerendissime Pater D minique merendissime secundo Ianuarii cum Galeis ad Ciuitatem Vuentarum Dei gratia veni us, sed non sinus reuersus sum. Et vt in paucis me expediam, quia horam scribendi non habeo, nouerit R. V. P. quod omnia nobis per sacrum Concilium iniuncta votiue expediuimus, ita quod Dominus Imperator & Patriarcha, omnia Capitula per Ambasiatores ipsorum in sacro Concilio concluſa & promissi, & vt in decreto continentur, de nouo similiter per bullam auream & plumbeam ratificauit, &c. Et hoc pro nunc R. P. V. me excusatum habere velit, si non statim veniam, quia pro certo, nihil in hoc mundo tardabit me nisi hoc fero; Nam licet sim infirmus, tamen nihilominus hoc concluſi Deo dante quod iter arripiam, & de die in diem ibo donec & quousque ad R. V. P. gloriosam veniam, quam toto corde videre desidero. Et vos gaudebit cor vestrum, & iterum gaudebit, qui iucundissima, lectissimaque noua sacro Concilio portabo: quoniam tamen virentis oliuæ & vnitatis Ecclesiæ lane portabo; quemadmodum Columba Noe in Arca præcessauit.

Datum Venetiis 4. Ianuarii, Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.

ext. tom. 4. Conc. edit. Binianæ.

Hæc in materia Orientalium ad vnitatem Ecclesiæ reducendorum, rum Eugenius, tum Basileenses. & hi quidem, vt illos Basileam modis omnibus attraherent, eaque ratione Eugenio ægre facerent: qui alioquin Græcos trahebat; quod Basilea, nec illis commoda, nec fortuita foret.

XLIII. *Nic. Card. Aberg. ab Eug. missus in Galliam mittitur ad pacem inter Francorum & Anglorum Reges conciliandã,*

In Galliis agebatur adhuc bellum, inter Carolum Galliarum, & Henricum Anglorum Reges, de regno Galliarum dimicatum; causa & successu prænarratis. Placuit Eugenio, Nicolaum Albergatum S. Crucis Cardinalem, iterum in Gallias Legatum destinare, ad pacem inter eos Reges sanciendam. In quo sc. animo vir optimus apud ebat. Regnum illud Catholicæ piectati ab ipso ortu Christiani nominis dedicatissimum, tetersimo principum dissidio vastari, ac malesanis hominum consiliis vltima pernicie deformari. Itaque omnia sibi tentanda putauit, si qua ratione posset tanto malo mederi. nemi em ad id aptiorem vidit, quam eum, qui bis eam rem causamq; summa industria tractauisset. Itaq; sic ad eum, ornandæ illius, vt fit, potestatis gratia scripsit.

& quid hac in re egerit.

Dilecto filio Nicolao tituli S. Crucis in Hierusalem presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum te ad pacificandum Regnum Francia, commisso tibi plenæ Legationis officio, vt pacis Angelum destinemus: nos, volentes tibi illa concedere, per quæ personis illarum partium te valeas reddere gratiosum, circumspectioni tuæ, dissensandi, cum viginti quinque personis Ecclesiasticis (infra limites dicti Regni, & partium adiacentium consistentibus & defectum ætatis patientibus) de quibus circumspectioni tuæ videbitur, vt earum qualibet, postquam vigesimum secundum suæ ætatis annum peregerit, possit ad Sacerdotium promoueri. Inde sexto Nonas Maii, Renatum Ducem Andegauensem hortatus est, vt Nicolao ad faciendum pacem adesset: *Ex singulari affectione*, inquit, *quam habemus ad bonum statum & quietem Regni Franciæ, mittimus denuo pro illius pace procuranda & componenda, dilectum filium nostrum Nicolaum, tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, virum vtique, vt nosti, omni virtutum genere excellentem, qui eam materiam hactenus laudabiliter tractauit. Quoniam autem scimus Zelum, quem tu quoque habes ad dictam pacem, hortamur in Domino tuam excellentiam, vt ad hoc bonum pacis adhibeas consilii & operam tuam, assistendo eidem Legato consilio, auxilio, & fauore in quibuscumq; rebus poteris, vt hac sancta conclusio possit fieri.*

Inter hæc Nicolaus eruditis aliquot viris in comitatum assumptis (inter quos præcipue Æneas Syluius Picolomineus nominatur) in Franciam venit, ac rem tanti animi magnitudine aggressus. Literas ad ipsos Reges misit; placere sibi significans, vt quatuor inter se mensium inducias facerent, quo liberius actuarius vltro citroque à partibus commeari, ac disceptari de conditionibus ineundæ concordiæ posset: & vt iidem Oratores, cum plenis mandatis, ad certam quam significauit diem, Niuernum mitteret. Nam se eo ad partes eruidendas, & controuersias dirimendas, illa die esse venturum. His literis Carolus Rex ex Ambosia, quarto Idus Iunias, Gallico sermone in hunc modum maxime respondit: *Literas vestras accepimus: quodque præcipitis de inducias quatuor mensium faciendis, cognouimus; simulq; diem, quo conuenire Oratores ab vtraq; parte debeant, intelleximus: quæ omnia summopere approbamus. Vtraq; literas etiam fidei publicæ testes pro securitate partis aduersæ misimus; & vrbem Niuernensem ad conueniendum apiissimam iudicamus.*

His reb. ita constitutis, inde conuentus Niuerni est actus; in quo cum variis disceptationibus habitis, spes haud leuis oblata esset, fore vt inter partes facile conueniret, visum est omnibus expedire, vt alter conuentus Kalendis Iuliis ad Atrebatum haberetur, ac rei stabiliendæ causa, Legatos quoq; eo suos Patres Basileenses destinarent. Eius vero rei cura Carolus Rex sibi assumpta, ad Basileenses ita scripsit.

Proximis diebus nouissime celebrata est in materia componendæ pacis cum Duce Burgundiæ apud ciuitatem Niuernensem conuentio; & ad eandem nostra ex parte cum decenti ac sufficienti potestate Ducem Borbonii, & Comitem Richemundum Constabularium nostrum, & fideles consiliarios nostros Archiepiscopum Rhemensem, Cancellarium nostrum, & Christophorum de Haricuria consanguineum nostrum transmissimus, & cum res ipsa post longam disceptationem, optimam, ad ea quæ pacis sunt dispositionem habuisset, cupientes omnes etiam partes, eodem & vnanimi consensu & fauore pacis & vnitatis prosequentes agere, in alterius diei & conuentionis apud ciuitatem nostram Attrebatensem, ad primam diem mensis Iulii proxime instantis concordarunt: consentientes etiam, vt res tanta efficacem habeat amplorem & certiorem, vt pro parte Sanctissimi Patris nostri, Cardinalis S. Crucis & Arelatensis, à sacro vero Concilio Basileensi, Cardinalis de Cypro, & S. Petri ad vincula, ad ipsam assignationem & locum transmittantur. Quamobrem amicitiam vestram rogamus, vt ad diem illam præfatos Cardinales, de Cypro, & S. Petri, transmittere vestra ex parte velitis.

Inde

Inde Kale. Iuliis ipsi pacis arbitri Attrebatum conuenere: Nicolaus Cardinalis Sanctæ Crucis, & Cardinalis Cyprius, sex stipati Episcopis: pro Carolo Rege Dux Borbonii, Comes Richemundus Conestabilis, Archiepiscopus Rhemensis; pro Henrico Anglo, Cardinalis Vicestrensis, & Archidiaconus Eboracensis: pro Burgundione autem Cameracensium & Atrebatensium Antistites. Ibi cum omnes ordine considissent, Nicolaus loqui exorsus, primum commoda pacis, & belli detrimenta, & maxime quæ ex præsenti discordia miseræ Galliæ essent illata, cædes, incendia, vexationes, direptiones, vastitates, & reliqua huiusmodi calamitatum genera, longa atque apparata oratione commemorauit: deinde quanto Eugenius Pontifex huius compositionis arderet desiderio, ad quietem & tranquillitatem non ipsius solum Galliæ, sed totius etiam Christianæ reipublicæ docuit: atque ita omnes ad firmam veramque concordiam contrahendam, remotis, quæ adhuc moram intulerant, controuersiis, est cohortatus. Vbi vero perorauit, Legati Anglici dicere sententiam iussi, sese ad rem finiendam paratos esse asseruerunt, ac propterea Carolo, quicquid Rex suus in Francia vltra & citra Ligerim possideret, offerre, cum eo vt pro commodo vtriusque partis, aliquorum inter se oppidorum commutatio fieret, quam conditionem Francilibentibus animi accepere, ac contra Henrico, quicquid teneret Carolus in Ducatu Aquitaniæ, & præterea totum Ducatum Normandiæ spopondere. Verum hanc conditionem Anglisuperbe repudiarunt, atque illico è conuentu egressi, alia se die redituros dixerunt. Inde profectis illis, Nicolaus in extrius mentionem veteris inter Francum & Burgundum sarciendæ gratiæ studiose se intulit, atque vtrumque multis verbis ad superiores terminandas controuersias obsecrauit. Tum Nicolaus Raulinus Burgundio, Principis sui nomine diu meditatam orationem instituit; qua, ea quæ à Carolo Rege Dux Burgundus posceret, enarrauit. quæ omnia quamquam grauia admodum videbantur, tamen Oratores Franci, nomine sui Regis comprobauerunt, & tabulas subsignauerunt. Quibus rebus magna vtriusque partis voluptate peractis, Nicolaus egregie ab omnibus collaudatus, in Italiam se recepit, ac cranium Sanctæ Annæ matris B. Virgin. ab Hérico Rege dono acceptum, pridie Kalendas Decemb. Bononiam attulit, atque ingenti ab vniuersis honore acceptus, Monachis suis Carthusiensibus dono dedit: qui ei Oratorium S. Annæ, in via S. Sisiæ condiderunt, vbi etiam nunc asseruatur. Inde nonis Decembr. ad Pontificem Florentiam abiit, atque omnia à se acta renunciauit: ex quibus Eugenius magnum fructum lætitiæ toto cum Cardinalium collegio accepit. *Carolus Sigonius c. 15. vitæ B. Nicolai Albergati.*

XLIV. *Prolixior narratio huius tractationis.*

Prolixius ista omnia, & alia quædam, narrat *Mexerus lib. 16. Annal. Flandr.* Mense Iulio Nicolaus Albergatus Cardinalis titulo S. Crucis missus ab Eugenio Papa Romano, & Cardinalis Cypri missus à Synodo Basileensi, Attrebatum veniunt cum multis Episcopis & Theologis, paci conciliandæ. Ad eundem conuentum conueniunt Henricus Cardinalis Vintoniensis, Henricus Pontifex Eboracensis, Guilielmus Suthfolchiæ, Ioannes Hantyntoniæ, & Richardus Varuicensis Comites, Philippus Dux forti cohorte sagittariorum stipatus, pro corporis sui custodia, & cum eo Arnoldus Dux Gheldriæ, Comes Nassouiensis, Ioannes Episcopus Cameracensis, Comes Falcoburgensis, Ioannes Episcopus Leodiensis cum CC, equis albis, primoribusque viris totidem albo amictu, Antonius Comes Vallemontensium, Carolus Comes Niuernensis, Ioannes eius frater Comes Stampanus, Abbas Vezeliacensis, Daniel filius Principis Araufiacensis, Comes Salinarum, Ioannes Luceburgius Ligniaci Comes, Ludouicus Luceburgius Comes Fani Pauli, Theobaldus Luceburgensis filius Petri Dominus Fiennensis, Nicolaus Raulinus Philippi Orator cum aliis multis. Pridie Kalendar. Augusti aduenium Legati Caroli Regis, Carolus Dux Borbonicus, Antonius Richemoncanus Magister equitum, Ludouicus Comes Vindocinensis, Reginaldus Pontifex Rhemorum, Guillelmus Episcopus Parisiorum, Christophorus Haricurius, Adam à Cameraco Præses Gallicanæ Curiæ, Guillelmus Faietta, Guil. Hugo Archidiaconus Metensis, multique alii experientes viri. His Philippus Dux cum Gheldero, Niuernensi, aliisque obuiam processit. Inde aduenit Isabella Philippi vxor, quæ lectica sumptuosissima vehebatur: cui omnis nobilitas Legatique honoris causa obuiam prodibant. Ibat ipsa Salutatum Cerdinales, indeque in suas ædes concessit ad Ducem. Adfuit cum Cardinale Sanctæ Crucis Thomas Satzanus venerabilis Theologus, postea Pontifex Romanus Nicolaus Quintus dictus. Adfuerunt quoque Legati Sigismundi Augusti, Regumque Cypri, Lusitaniæ, Siciliæ, Hispaniæ, Nauarræ, Poloniæ, Daniæ, Ducum Britanniæ & Mediolanensis, cum Legatis Burgundiæ, Flandriæ, Brabantiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurcensis, omniumque terrarum Philippi. Hic Conuentus Atrebatensis omnis æui tota in Gallia erat celeberrimus. Numerati sunt in eo vltra decem millia equorum. Cœnobium Diui Vedasti Episcopi, locus colloquendi disceptandique delectus. Ibi Nicolaus Cardinalis Sanctæ Crucis antea Monachus Carthusiensis, comi ac benigna oratione Principes ad ea quæ pacis erant hortabatur. Galli inprimis petebant, ne se vltra scriberet Anglus Regem Francorum, sed certis sibi conditionibus Normanniam & Aquitaniam acciperet, ea contentus parte Galliæ. Econtrario Angli Henricum suum regnare in Galliis volebant; Carolum autem constituere beneficiarium, si partem aliquam regni voluisset retinere. Talibus disputationibus postquam nihil proficerent, principio mensis Septembris nulla Angli re confecta discedunt, Burgundio postquam de cæde parentis tam acerbas per longum tempus sumpsisset pœnas, consilium tandem in melius retulit, ac mitiorem se præbuit sanandis Reipublicæ calamitatibus, præsertim quando videret id Deo esse curæ. Reginaldus Pontifex Rhemorum, Carolus Barbonius, Antonius Richemontanus, Ludouicus Vindocinensis, Christophorus Haricurius, Adam Præses Curiæ Parisiacæ accedunt ad ædem Diui Vedasti, vbi in suo erat Oratorio. Hic ad pedes eius procumbunt, orantque nomine Caroli Regis, vt dignetur parentis sui cædem Regi remittere; quandoquidem id facinus per imperitiam adolescentiæ, rebusque improborum hominum quorum tum erat in potestate, designasset. Dolere Regem grauissime, quod ita accidisset: quod si factum non esset, omni se ope anniturum ne vnquam fieret. Dux vltra non tenens lacrymas, se remittere respondit, pactis conditionibus: vt ædificet Rex sacellum in sacra æde Monstrolienſi, vbi quotidie sacra in perpetuum fiant pro defunctis. Crucem idem statuat æternæ memoriæ super pontem, quo loco cædes facta. Cœnobium iuxta id oppidi Carthusiense idem extruat XIII. monachorum iustis adiectis reditibus. Diuioni, ad sepulchrum Ducis Ioannis atque Archembaldi Flussatis Domini Noxellæ cum Duce occisi, sacrum pro defunctis curet quotidie in perpetuum decantari. Soluat idē Rex pro bonis Ducis Ioānis ea cæde perditis, vt annulis cathenis, rebusque aliis, quinquaginta millia scutorum aureorum iusti ponderis, excepto pretiosissimo torque Duci detracto, pro quo Rex facta æstimatione iustam reddet pretium. Damna Rex præstet Inatque accepta ab omnibus Ducis nobilibus ea in abominabili cæde. Vniuersi qui cædi cum Rege interfuerunt, extra hanc pacem in perpetuum sunto. Rex toto suo imperio illos comprehendito, Ducique Philippo tradito. Quos comprehendere nequeat, exilio perpetuo damnet, illorūq; substātia fisco Ducis ad-

Quam celebre fuerit conuentus Atrebat.

Conditiones quas Dux Burgund. pro pace proponit.

iudicatur. Vt Comitatus Matiſconenſem, Fani Gingonis, Altiſſiodorenſem, Barumq; Sequanæ cum omnibus appendicibus, Dux, eiuſque poſteritas, tam fœminæ, quam mares, in perpetuum poſſideant. Vt iura omnia Regalia, & emolumenta Ciuitatum Lingonum, Heduorum, & Cathalaunenſium, Burgundiæ accedant Ducib. Vt Ioannes Burgundus Philippi filius Comes Stampenſis, Stampas, Gienaſque ſuper Ligerim, Ioanni Duci Burgundiæ per Ducem Biturigum vendita ſibi retineat. Vt eidem Ioanni & fratri eius Carolo Comiti Niuernenſi reddantur à Rege XXXII. M. & quadraginta ſcuta aurea, quæ fuerunt Bonæ Artebatenſis eorum matris, ſed ablata à Rege ex Eccleſia Rothomagenſi, vbi erant depoſita. Vt accipiat Dux à Rege, pro ſe & hæredibus ſuis recta linea maribus tantum, Péronam, Mondiderium, Roiam, cum omnibus appendicibus. Vt cedat Rex Duci & eius Sacerdotibus, Fanum Quintini, Corbeiam, Samarobrigam, Ambianorum, Abbæ villam, Comitatum Pontacenſem, Dullendium, Fanum Richarii, Creuecuriam, Aleuias, Moretaniamque, redimenda per Regem quadringentis millibus ſcutatorum aureorum. Vt à Tornacenſibus Dux conſuetum recipiat tributum, per certos annos cum illis pactum. Simul quoniam in Comitatum Bononienſem ius ſe habere Dux diceret, vt illum pro ſe ſuiſque hæredibus procreatis maſculis duntaxat poſſideat. Vt Dux tota vita liber ſit ab omni homagio quod vocant faciendo; ſed hæredes eius in verba Regis iurent. Vt Rex omnibus fœderibus cum Ducis inimicis factis renunciet; neue cum Anglis Duce excluſo pacem vllam faciat. Ducis clientibus ſi Regi mallitent, crucem Andreanam gerere vbique liceat. Vt Dux dum viuat, omni reſortitione ſit liber.

Pax inter Reg. Frãs. & Burgũ. Duc. firmata data filio Ducis filiæ Regis Franc. in vxorem.

Ante hæc omnia Dux ſolutus erat à Cardinalibus, ab omnibus iuramentis, pactis, promiſſis, & fœderibus Anglicæ genti factis. Pactum & hac pace matrimonium inter Carolum Philippi filium, & filiam Regis Caroli Catharinam, æquales tum ætate, promittente Rege præ manu pro dote filiæ ſexaginta millia Scutorum aureorum, ſimul die nuptiarum, alia ſexaginta millia. Hanc pacem ſuper Crucem, tenentibus illam Cardinalibus Philippus pro ſe; Borbonius Richamontuſque pro Rege iurabant: quæ pax 11. Kalendas Octobris totam per Galliam publice denunciata innumeros mortales miro gaudio affecit. Philippus porro miſſa in Angliam legatione Regi ſcripſit, ſe authoritate Eugenii Pontificis, & Baſileenſis Synodi, precibuſque Cardinalium, pacem cum Carolo Rege feciſſe, amore Dei ac Reipublicæ otans, vt & ipſe mutare conſilia, ac pacem Chriſtiano orbi velit reddere. Lacrymas miſiſſe dicitur iuuenis Rex, cum videret in Philippi literis non ſcribi conſueto ritu ſibi Domino. Dici non poſſit, quam ingrata ac moleſta fuerit Anglis hæc legatio: quæue probra, quas contumelias in Philippum fando iecerint. Nihil reſcribere dignati domum remiſerunt Legatos, hoc duntaxat verbis denunciantes, Philippum eſſe periurum, & perfidiſſimum proditorem. Verum poſtea eos pœnituit oblatas non accepiſſe pacis conditiones. *Mexerus libro 16.*

Angli indignantur.

Cauſæ quæ vtrumque ad concordiam impulerunt.

P. Æmilius cauſas memorat, quæ Gallos ad eam petendam, quæ Philippum ad illam ipſam concedendam impulerint, &c. Vniuerſa Francia belli diuturni cum Anglis & Philippo mala iam ſentiebat. Cultus enim agrorum intermiſſo, vaſtitas in agris, in vrbibus inopia: & ad extremam famem veniebatur, ac armorum cædiſque aſſuetudine efferabantur animi mortalium. Anglorum edicto, qui fundos, rem ve paulo maioris pretii ſub eorum imperio habebant, aut bonis abſentes exuebantur, ſi apud hoſtem permanebant, aut ab eo diſcedere cogebantur. Ea neceſſitate adacta permagna Nobilitatis pars, quam Anglici tædebat imperii, ſe ad Burgundionem contulere; quod cum is Anglorum ſocius amicuſque diceretur, in ſimulari non poterant infidelitatis. Hi apud Philippum Ducem in magno erant honore, prædicabantque Carolum Regem de Burgundionibus, & præclare ſentire, & amice loqui, ac ad omnem mentionem cæſi Ioannis Ducis ingemiſcere, nec eius cædis authorem, conſiliorumque participem fuiſſe. tunc eum rerum ſtatum fuiſſe, vt in ſuorum poteſtate potius eſſet, quam vt eorum potens foret. Multa illum diſſimulaſſe, ac inuitum, pertuliſſe. Ita Ducis ira deflagrante, ac odiis cruore vaſtitateque ex ſatiatis; ſimul duobus Romanis Legatis Cardinalibus viris ſanctis vltro citroque commeantibus, vt de pace conuenirent. *Æmilius in Carolo VII.*

Porro hæc, & permulta alia, certius & luculentius cognoſcentur, ex ipſo inſtrumento concordiæ, quod eſt huiuſmodi:

In nomine Domini, Amen.

XLV. *Inſtrumentum facti pacis inter Ducem Burgund. & Regem Franc. per Legatos poſt.*

Tenore præſentis publici inſtrumenti, cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quod anno à Natiuitate eiuſdem 1435. *Indictione decima tertia, die vero Sabbti 5. menſis Nouembris Pontificatus ſanctiſſimi in* CHRISTO *Patris, ac Domini noſtri, Domini Eugenii diuina prudentia Papæ quarti, anno quinto, Reuerendiſſimis in* CHRISTO *Patribus ac Dominis, Domino Iuliano titulo Sanctæ Sabinæ ſede Apoſtolica in Germaniam legato, Ludouico tituli Sanctæ Ceciliæ Arelatenſi Preſbyteris, Proſperi Sancti Georgii ad velum aureum Diacono de Columna, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vulgariter nuncupatis, Ioanne Archiepiſcopo Tarentin. Petro Epiſcopo Paduano, Ioanne Antiocheno, Ludouico Aquilenſi patriarchis, Amedeo Lugdunenſi, Henrico Bituricenſi Franciæ, Reuerendiſſimis patribus Dominis Bernardo Aquenſi Angliæ, Aluaro Conchenſi Alphonſo Burgenſi Caſtellæ & Legionis, Nicolao Wexonienſi Daciæ, &c. Petro Dignenſi Siciliæ, &c. venerabili viro Domino Nicolao Præpoſito Cracouienſi Poloniæ regum ſereniſſimorum. Dominis Ioanne Niuernenſi Burgundiæ, Matthæo Albiganenſi Epiſcopis Mediolani Ducum Illuſtriſſimorum, Ioanne Cathuriſtienſi, Alexandro Priſtiliacenſi, ordinis Sancti Benedicti Catilonenſis & Eduenſis diœceſis Monaſteriorum Abbatibus, Ioanne Pulchripatrio, Dionyſio Sambienenſi in ſacra pagina Doctoribus almæ vniuerſitatis, ſtudii Pariſienſis. In ſacro Baſileenſi Concilio, Nuncio & Ambaſiatoribus aliisque Reuerendiſſimis, & reuerendis Patribus, & Dominis, Dominis Archiepiſcopis Epiſcopis. Abbatibus, Doctoribus & magiſtris in magna multitudine & numero copioſo, ſacrum Baſileenſe Concilium repræſentantibus & celebrantibus, in generali congregatione de mane in maiori eccleſia Baſileenſi more ſolito congregatis. Præſatu Reuerendiſſimi Patribus Dominis Cardinali legato, Archiepiſcopo Tarentino & Epiſcopo Paduano, & pro nomine ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ præſidentibus in eadem in Dominorum, feſtum & noſtrorum Notariorum publicorum infraſcriptorum præſentia, lectis primitus deliberationibus ſacrarum deputationum, pro dicta generali Congregatione, hoc die de mane celebranda, ad audiendum Reuerendiſſimi Patris Domini Hugonis Præneſtini Cardinalis de Cypro Legati, cum poteſtate de latere ac reuerendorum Patrum & venerabilium virorum Dominorum Nicolai Wexonienſis, Matthei Albiganen. Epiſcoporum. Nicolai Præpoſiti Cracouienſis, & Guillelmi Hugonis Archidiaconi Metenſis, Sacri Concilii Ambaſiatorum, miſſorum ad conuentionem Atrebatenſem, pro pace Chriſtianiſſimi Regni Franciæ tractanda, & de eadem contentione reddituntur de geſtis per eos circa huiuſmodi pacem, relationem faciendam: Concluſoque per Reuerendiſſimum Cardinalem Legatum alterum Dominorum Præſidentium, nomine & authoritate Sacri Concilii, ſuper huiuſmodi congregatione generali celebranda; præfati Domini Legati & Ambaſiatores acceſſerunt ad dictam generalem congregationem, pro huiuſmodi ſua relatione faciendа, &*

da, & ſedentibus ipſis Dominis legato & Ambaſiatoribus in altera baſche in qua Reuerendiſſimi Patres Domini Cardinales, & Præſidentes ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ in generalibus congregationibus ſedere conſueuerunt, requiſitisque & exhortatis Dominis & Patribus de Sacro Concilio, per eundem Reuerendiſſimum Dominum Cardinalem de Cypro Legatum, vt ipſi haberent eundem Dominum Cardinalem, & alios Dominos Ambaſiatores, in huiuſmodi ſua relatione facienda patienter & benigne audire: deinde facta prius per Dominum Epiſcopum Wexonienſem ſolenni collatione ſub themate, gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis, &c. præfatus venerabilis & circumſpectus vir Dominus Archidiaconus Metenſis dixit eorum inſtructiones fuiſſe tripartitas. Priore inſtruebantur Epiſcopi partes contendentes exhortari, tam in genere quam in ſpecie ad pacem & Concordiam per omnia media poſſibilia. Secundo eis committebatur pacis & concordiæ præfatæ ſpecialis proſecutio facto & opere. Tertio eis dabatur facultas ſingula bene geſta interpretandi, roborandi, ac pœnis & cenſuris validandi. Dicebatque, & ex harum inſtructionum directione, quantum fieri poterit eis commiſſa fideliter peregerunt, ipſaque geſta per eos ſecundum ordinem inſtructionum ſuarum ſpecifice & articulatim recitauit: primam partem earum declarauit, qualiter poſt aduentum in Ciuitate Atrebatenſi coram Illuſtriſſimo Domino Burgundiæ propoſuit ſolemniter Dominus Nicolaus de Polonia, perſuadendo ſibi pacem & concordiam. Deinde ad idem coram Ambaſiatoribus Chriſtianiſſimi Domini Regis Franciæ, Dominus Albinganenſis. Poſtremo Dominus Wexonenſis coram Ambaſiatoribus Sereniſſimi Regis Angliæ, ipſos ad pacem, mediis & viis poſsibilibus inducendo. Recitat vlterius dictus Dominus Archidiaconus, quomodo tractatum ipſius pacis & concordiæ ſpecialiter fuerunt proſequuti. Iuxta ſecundam partem ſuarum inſtructionum aperiendo & declarando articulatim & ſucceſſiue omnes oblationes factas hinc inde inter Gallicos & Anglicos, quarum vltimæ finales & in quibus partes ipſæ immutabiliter perſiſtebant, fuerunt hæ: Pro parte Chriſtianiſſimi Regis Franciæ oblatum eſt Anglicis omne Dominium, quod tenent & occupant in ducatu Aquitaniæ. Necnon totum Ducatus Normanniæ modo & forma contentis in quadam littera ſigillis omnium dictorum Ambaſiatorum ſigillata, & Illuſtriſſimo Domino Burgundiæ tradita. Pro parte Anglicorum fuit oblatum Regi Chriſtianiſſimo Franciæ totum id quod tenet & poſsidet in Francia, tam citra Ligerim quam vltra. Hoc adiecto, quod terræ, Domi nia & oppida vnius obedientiæ, incluſæ ſeu incluſa in Dominio alterius obedientiæ, commutabuntur ad aliàs terras, & oppida, ſita ſeu inclanata inter Dominia alterius obedientiæ, ſecundum commodiorem vſum alterutrius partium. Item hoc mediante, offerebant matrimonium ſui Regis ſine alio onere dotis, etiam liberationem Domini Ducis Aurelianenſis mediante finantia competenti. Narrauit poſtmodum quod finaliter Legati & Oratores Sacri Concilii, & ſedis Apoſtolicæ dixerunt Dominis Ambaſiatoribus Angliæ, attento quod pater moderni Regis Franciæ Chriſtianiſſimi, Auus, proauus, & alii ſui prædeceſſores, à tanto tempore & pertantum tempus, cuius principii memoriæ non exiſtit, fuerunt in poſſeſſione quietæ & pacificæ coronæ Franciæ, & tales habiti, ac etiam per ſacra Concilia Generalia, ſummos Pontifices, Imperatores, & alios omnes Principes orbis ſic nominati verbo & literis, certe propterea eis videbatur quod ipſius Regis oblationes erant rationabiles pro pace & concordia, & nullo modo per Anglicos refutandæ, ſed omnino acceptandæ, & caſu quo eas non acceptarent, volebant adire præfatum Dominum Ducem Burgundiæ, ipſum exhortando, vt regno Franciæ quantum in eo erat daret pacem & tranquillitatem, pacem cum Rege faciendo, prout etiam in mandatis habebant. Deinde dixit idem Dominus Archidiaconus, quod quia ipſi Domini Ambaſiatores Angliæ receſſerant abſque communione, vel acceptatione oblationum Gallicarum, quæ (vt ſuprà) eiſdem Dominis Legatis rationabiles quam plurimum videbantur, adierunt realiter præfatum Dominum Ducem Burgundiæ ipſumque tam authoritate Sacri Concilii, quam Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ exhortati ſunt, & requiſierunt, omnibus melioribus mediis & viis, quibus potuerunt ad huiuſmodi pacem & concordiam cum Chriſtianiſſimo Domino Rege Franciæ, (de qua ipſe Dominus Dux & progenitores ſui traxerunt originem) ineundam & faciendam. Tandem datis & oblatis per Dominos Ambaſiatores Domini Francorum Regis certis oblationibus, quæ iuſta & rationabiles videbantur, dicto Domino Duci Burgundiæ pro ſuo intereſſe, ipſe Dominus Dux, volens parere exhortationibus, requiſitionibus, imo vero mandatis Sacri Concilii & ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, declaratoprius per præfatos Dominos Legatos & Ambaſiatores, authoritate qua ſupra, quod licite & ſine noxa ſeu iactura honoris ipſius Domini Ducis, præfatus illuſtriſſimus Dominus Dux, non obſtantibus prætenſis contentionibus per eundem Dominum Ducem, alias Diuæ memoriæ progenitorem moderni Regis Angliæ, & Regi Angliæ moderno, initis & factis, poterat & debebat pacem & concordiam cum Rege Franciæ facere & inire. Reſpondit, ſe velle parere & obedire. De qua quidem declaratione & aliis præmiſſis, præfati Domini Legati & Ambaſiatores, authoritate qua ſupra litteras opportunas, eorum ſigillis ſigillatas, præfato illuſtriſſimo Domino Duci illas poſtulanti dederunt & obtulerunt, quæ quidem relatione ſic (vt præfertur) factæ, præfati Domini Legatus & Ambaſiatores, per organum ipſius Domini Archidiacon petierunt, & requiſierunt à Sacro Concilio, quatenus dignaretur omnia acta & geſta per eos circa huiuſmodi tractatum pacis, habere rata & grata, ac illa approbare, defectuque ſi in huiuſmodi tractatu interueniſſent ſupplere. Hoc idem venerabilis viri Magiſtri, Aimarus, de Rouſſilione, Hugo Berardi, & Bartholomeus de Fraxino, promotores Sacri Concilii, & nomine promotorio eiuſdem petierunt, & requiſierunt, & quilibet illorum petiit & requiſiuit ſuper quo per Sacrum Concilium & Dominos Patres ipſius Sacri Concilii, nemine diſcrepante, reſponſum extitit per verbum, Placet. Quibus ſic actis Reuerendiſſimus Pater Dominus Cardinalis Legatus ac præſidens nomine & authoritate Sacri Concilii, de huiuſmodi concordia inter præfatos Dominos Regem Franciæ & Ducem Burgundiæ reformata, dedit laudes Sanctiſſimæ Trinitati, regratiando Sanctiſſimo Domino noſtro ſummo Pontifici, præfatis Dominis Legatis & Ambaſiatoribus, de laboribus per eos in huiuſmodi ſancto negotio aſſumptis. Exhortatuſque eſt Dominos de Sacro Concilio vt huiuſmodi pacis generalis velint operam dare vſque ad conſummationem eiuſdem. Adiiciens contra detrahentes Sacro Concilio, quod ſi Concilium duraſſet per vginti annos, & non fuiſſet aliud agitatum, niſi de illa benedicta pace Franciæ, adhuc non deberent Sacrum Concilium diffamare, imo illud laudare & benedicere. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, præfati Domini promotores, nomine promotorio, quo ſupra, petierunt, & quilibet eorum petit à nobis Notariis publicis, & dicti Sacri Concilii ſcribis infraſcriptis, ſibi & omnibus quorum intereſt fieri atque tradi vnum vel plura, publicum & publica, inſtrumentum, & inſtrumenta. Acta fuerunt hæc Baſileæ in dicta generali Congregatione, ſub anno, indictione, die, menſe & Pontificatu quibus ſupra, præſentibus ibidem venerabilibus & circumſpectis viris, Dominis & Magiſtris, Ioanne Pulchripatrio, Dionyſio Sambienays Rodulpho de Porta, in ſacra pagina Doctoribus, & Guidone de Vercellis magiſtro in artibus Pariſienſi, vna cum pluribus aliis teſtibus ad præmiſſa adſtantibus.

Articuli concordiæ inter Carolum Regem Galliarum & Philippum Ducem Burgundiæ.

XLVI.

1. *Primo Rex dicet, vel per ſuos ſufficienti poteſtate fultos, dicere faciet Duci Burgundiæ, quod mors quondam ſui Patris, cui Deus parcat, fuit iniqua, & malitioſe facta per illos qui perpetrarunt dictum ſcelus, & ex malo conſilio, & ſemper ſibi diſplicuit, & de*

præsenti displicet ex toto corde suo: & si sciuisset dictum casum & fuisset in tali ætate & discretione intellectus, in quo est de præsenti, ipse obuiasset toto suo posse. Sed ipse erat bene iuuenis, & habebat illo tempore paruam notitiam, & non fuit ita aduisatus; quod in hoc prouideret: & regabit dictum Dominum Burgundiæ, quod omnem rancorem & odium quod potest habere contra ipsum occasione præmissorum, tollat de corde suo, & quod inter eos sit bona pax & dilectio, & de hoc fiat expressa mentio in litteris quæ fient de concordia & tractatu ipsorum.

2. Item quod omnes illi qui perpetrant dictum scelus & consentientes fuerunt, rex ponet perditioni, & faciet diligensiam possibilem capiendi & apprehendendi ipsos, in quocunq; loco reperiri poterunt, ad puniendum eos in corpore & in bonis: & si apprehendi non poterunt, eosdem banniet, & banniri faciet, sine gratia aut reuocatione de regno, & Delphinatu, eorum omnia bona confiscando, & remanebunt extra omnem concordiam.

3. Item non patietur Rex aliquem eorum recipi aut sibi aliquem fauorem dari in suo dominio: immo faciet proclamari per omnia loca Regni & Delphinatus, quod nullus eos recepet, aut fauoriset, sub pœna confiscationis corpori & bonorum.

4. Item in continenti post concordiam, dictus Dux Burgundiæ, nominabit eos de quibus est vel erit informatus ipsos perpetrasse dictum scelus, vel consensum prabuisse, vt in continenti, diligenter procedatur contra eos. Sed quia dictus Dux Burgundiæ, nondum potuit habere veram notitiam de omnibus illis qui perpetrarunt dictum scelus, aut consentientes fuerint, omni tempore quo debite fuerit informatus de aliquibus aliis, eos poterit nominare & significare per suas litteras patentes, aut alias sufficienter Regi, qui in hoc casu tenebitur procedere contra eosdem, statim modo supra signato.

5. Item pro anima defuncti Ducis Burgundiæ & defuncti Arthambaut de Ioys domini, de Noualiasecum interfecti, & omnium aliorum interfectorum, occasione dictarum guerrarum istius Regni, fiet in ecclesia de Monte Ream, in qua fuit sepultum funus dicti defuncti ducis Burgundiæ, & ante plateam in qua sepultus fuit, fundabitur vna Capellania perpetua vnus basser missæ de requiem, singulis diebus, quæ reddituabitur ad summum sexaginta librarum Parisiensium, annuatim, & aprabitur calicibus, & ornamentis ad expensas Regis, & collatio spectabit ad Ducem Burgundiæ, & successores in perpetuum.

6. Item in dicta villa Montereau vel propinquiori loco, construetur per Regem & suis expensis vnum monasterium, duodecim Carthusiensium, cum vno Priore, vna cum claustro de illic & cæteris monachis, qui dotabuntur per Regem octingentarum librarum Parisiensium redditualium, iuxta ordinationem Cardinalium S. Crucis.

7. Item in loco vbi fuit perpetratum dictum scelus, ædificabitur vna Crux expensis Regis, talis facturæ, prout aduisabitur per dictum Cardinalem S. Crucis.

8. Item in ecclesia Carthusiensi prope biuionem, in qua requiescit corpus defuncti ducis Burgundiæ fundabitur expensis regis, vna missa alta de requiem, singulis diebus in perpetuum dicenda in magno altari, quod fundabitur de centum libris Parisiensibus, redditualibus, & munietur Calicibus, ornamentis & vt supra.

9. Item dictæ missæ inchoabuntur inconuenienti post concordiam habitam, & ædificia agenda in villa de Montereau, inchoabuntur statim infra menses tres, postquam eadem villa fuerit reducta ad obedientiam regis, & infra quinque annos erunt omnia expedita sine intermissione operis, & quod fundationes statim post concordiam factam: fiet & expedietur fundatio altæ missæ celebrandæ à Carthusiensibus, cum omnibus appendiciis; Et ibidem expensis regis celebrabitur missa bassa quæ debet fundari in ecclesia de Montereau, donec villa de Montereau reducta fuerit ad obedientiam Regis. Et quantum ad fundationem & ædificia quæ debent fieri in dicta villa de Montereau postquam reducta fuerit ad obedientiam, deponatur in manibus Ducis Burgundiæ; cetera summa pecuniæ ad complendum reddituus dictarum octingentarum propinquius de loco Montereau, quæ fieri poterit, non comprehendendo illas centum libras reddituales, quæ debent assignari pro fundatione dicta missa alta in Carthusia Biuionensi celebrandæ.

10. Item in recompensationem iocalium, & cæterorum mobilium quæ habebat defunctus Dux pro tempore sui obitus, quæ tunc capta & perdita fuerunt. Rex soluet duci Burgundiæ summam quinquaginta millium, veterum Scutorum, sexaginta quatuor pro marcha & viginti tria carato cum dimidio, aut aliam monetam consimilem in tali valore. Et vna cum hoc reseruabitur Duci Burgundiæ actio quam prætendit pro pulchro colari defuncti patris sui, contra omnes qui illud habent vel habuerunt.

11. Item pro parte Regis transportabitur dicto duci Burgundiæ pro se & suis heredibus in recta linea siue masculi siue fœminæ fuerint Ciuitas & comitatus Matisconensis, vna cum omnibus villis, villagiis, terris, censibus, redditibus & emolumentis quibuscunque spectantibus ad Regem & Coronam Franciæ, & per Bailliuatum Regalem Matisconensem, & sancti Gengulphi, & in metis suis vna cum omnibus pertinentiis Comitatus Matisconensis, & aliis Dominiis quæ tenet & tenere debet rex, per totum Bailliuatum Matisconensem & sancti Gengulphi, in omnibus feudorum, & valuassorum iuribus, confiscationibus, patronagiis ecclesiasticis, collationibus beneficiorum, & aliis iuribus, & emolumentis quibuscunque sine quacunque reseruatione pro parte Regis faciendæ, de illo quod concernere potest dominium, & iurisdictionem ordinariam comitatus, & locorum supradictorum. Est tamen reseruatum Regi feudum, & homagium bonorum & iurium prædictorum refertum, & supremum Dominium vna cum custodia, & supremitate ecclesiarum, & subditorum ipsarum, quæ sunt de fundatione regali sitarum in metis dictorum Bailliuatuum, & inclauatorum in eisdem. Saluo etiam iure regali, vbi locum habere potest, & etiam aliis iuribus regalibus, & ab antiquo spectantibus ad coronam Franciæ in prædictis Bailliuatibus, de quo somitatu gaudebit præfatus dux, & sui heredes in feudum & homagium à rege, sicut pares Franciæ sub sorte regis & curia Parlamenti, sicut cæteri pares Regni Franciæ.

12. Item pro parte Regis transportabuntur dicto Duci Burgundiæ, & illi de his heredibus legitimis, de suo corpore procreatis, cui dimittet custoditum suum dictum Comitatum Matisconensem, omnes vtilitates, & emolumenta supremi Dominii spectantis ad Regem in dictis Bailliuatibus, siue hoc sit occasione gardiæ & supremitatis ecclesiarum, quæ sunt de fundatione regali, & subiectorum iurium regalium, aut alias quouis modo. & etiam in confiscationibus pro quocunque casu, pœnis & emendis, & exercitio iustitiæ, commoditas & emolumentum monetæ, & aliis vtilitatibus quibuscunque: de quibus omnibus gaudebit dictus Dominus Dux & suus hæres ad vitam superuentis tantum, modo, & forma, quæ sequuntur, videlicet, quod ad nominationem dicti Domini Burgundiæ & sui heredis post eum: rex committet illum qui erat Baillius pro dicto Domino Burgundiæ, iudicem regalem & commissarium sui ex parte ad cognitandum de omnibus casibus regalibus, & aliis occurrentibus, in dictis patriis locis, & inclauaturis supradictis, & formis, quibus consueuerunt Bailliui regales Matisconenses, qui temporibus præteritis ibidem fuerunt, & simili modo committentur per regem ad nominationem dicti Ducis & sui heredes, omnes alii officiarii, necessarii, pro exercitio iurisdictionum, & iurium regalium, siue sint Castellani, præpositi, clientes receptores.

13. Item similiter transportabuntur dicto Domino Burgundiæ, & suo heredi post eum omnes vtilitates subsidiorum, granariorum, pro sale, gabella vinorum vendatoriorum, ad debitum pedagiorum, seu vectigale omnium mercantiarum, tallia, foagia, & quæcunque subuentiones impositæ & imponendæ in partibus Matisconensi, Cabilonensi, Eduensi, & Lingonensi, quantum ad dicta territoria se extendere possunt per ducatum Burgundiæ, Comitatum ad Chalones, & Comitatum ad patriam Matisconensem, & in villis ac terris, quibuscunque inclauatis in dictis, ducatu, comitatu, & aliis

& aliis locis & ad dictum ducem & suum heredem spectabit nominatio officiariorum, ad præmissenecessariorum, & instituendo ad regem, vt supra.

14. Item per Regem transportabuntur dicto Domino Burgundiæ perpetuum pro se & suis heredibus siue masculis siue fœminis, in directa linea procreatis, Ciuitas, & Comitatus Antisiodorensis vna cum omnibus & singulis pertinentiis in iustitia regali feudorum, subfeudis, patronagiis ecclesiarum, collationibus beneficiorum, siue aliis quouis modo ad tenendum illa à rege sub fide homagio & paritate Franciæ sub retorto Regis, & Curia parlamenti sine medio, sicut alii pares.

15. Item transportabuntur per Regem dicto Domino Burgundiæ, & illi de suis heredibus cui dimittet post obitum dictum comitatum, omnia & singula emolumenta, quæ euenient in dictis Ciuitate & comitatu, & in omnibus villis inclauatis in dicto comitatu, quæ tamen non sunt de eodem, si ne spectent ecclesiis, aut aliis ad causam iurium regalium, etiam quocunque modo & regalibus confiscationibus, pœnis & emendis, & exercitiis iustitiæ, aut aliis quomodoliber quibus Dominus dux & suus hæres, quo tempore, vita alterius superuentientis duntaxat durante, gaudebunt, & per modum supra declaratum, videlicet quoad nominationem, &c.

16. Item vlterius pro parte Regis erunt transportati dicto Domino Duci & suo hæredi, omnes profectus subuentionis granariorum, salis, gabellæ, vinorum vendicorum & cætera vt supra prose & suo hærede, &c.

17. Item per Regem transportabuntur præfato Domino Duci Burgundiæ, & suis heredibus in rectalinea siue masculis siue fœminis, castrum, villæ, & Castellaria de Barro super. Sequanam, cum omnibus appenditiis, vel regimine iustitiæ, feudo, patronatu, collatione beneficiorum, tenendo in fide homagio & paritate vt supra.

18. Item transportabuntur præfato Duci, & suo hæredi omnes profectus granariorum, salis gabellæ & cætera vt supra.

19. Item transportabitur à Rege ipso Duci pro se & suis heredibus comitibus Burgundiæ, perpetuæ & hæreditariæ gardæ, custodiæ, seu protectio Abbatiæ de Lexu, ac omnia iura profectus, emolumenta quæcunque attinentia gardiæ prædictæ, quam rex ad causam comitatus Campaniæ dicit sibi attinere, quam uis comites Burgundiæ in antea prætenderunt, & querii fuerunt in contrarium, pro eo quod illa Abbatia erat extra regnum.

20. Item per regem transportabuntur dicto Domino Duci, pro se & suis heredibus in recta linea masculis tantum, castra, villa, castellariæ, præposituræ forenses Peronæ, Mont, Didier & Roix, cum omnibus suis attinentiis, &c. patronatu, & collationebeneficiorum, tenendo in homagio & paritate retorto, vt supra.

21. Item transportabit Rex dicto Domino Duci & suo hæredi masculo, cui post suum decessum deputabit dictas villas, peronæ, Mont, Didier, & Roxe omnia emolumenta, ex illa villis, Castellariis, & Præposituris forensibus, & in villis, terris subiectis & refortis ipsis villis, castellariis & præposituris, causa iurium regalium, quomodocunque fuerit tam in confiscationibus, emendis, exercitiis iustitiæ, quam aliter ad gaudendum, per ipsum ducem, & suum hæredem duntaxat, per modum supra declaratum, solluet, quod ad nomitionem Ducis, vel sui hæredis, rex instituet, &c.

22. Item transportabuntur eidem Duci & suo hæredi omnes prouentus subuentionis granariorum salis, gabellæ, &c. vt supra.

23. Item à parte Regis dimittetur dicto Duci, & illis suis hæredibus cui dimittet comitatum Arthesii, compositiones, Auadarum dicti Comitatus, reforticia, & inclausamenta assendentes manu ad triginta quatuor Marcharum, vel circiter, sine hoc quod ipse vel sui hæredes sint adstricti inde habendi aliud donum vel oblationem, & nominabunt dictus Dux & suus hæres tales officiarios &c. quos rex terris instituet &c. & ipsis super hoc facient deliberare.

24. Item Rex transportabit Domino Burgundiæ, pro se, suis heredibus & habentibus causam seu interesse perpetuo omnes Ciuitates, villas, fortalitia, terras, & Dominia attinentia coronæ Franciæ de & super fluuio de Somme, de vne latere, & de alio, sicut Sanctus Quintinus, Corbiæ, Ambianis, Abbatis villæ, & alia pariter totius Comitatus, de Ponteu, citra & vltra dictum fluuium de Somme, Dourleus, Sanctus Richerus, Crepicordium, Meux-Mortaigne, cum suis attinentiis & appendentiis quibuscumque, & omnes alias terras, quæ possunt pertinere coronæ Franciæ circa flumen de Somme inclusive, versus Artesiã, Flandriam & Hannontam, tam de regno, quam de Imperio, comprehendendo etiam in respectu villarum, sitarum supra dictum flumen de Somme, de latere versus Franciam, bailliuatus & Scabinatus ipsarum villarum, possidendo, per ipsum Dominũ Burgũdiæ, dictos suos hæredes & habentes causam perpetuo talitis, terris, & Dominis in omnib. cõmodu redditui, ordinatorũ pro guerris, & eciã tallarũ, & aliorum emolumentorum quorumcunque, & non retinendo ex parte Regis præterquam homagium, reportum, & supremitatem: quatransportatio fiet per Regem, mediante reemptione summæ quadringentorum millium scutorum antiquorũ aureorum, sexaginta quatuor in marca de octo vnc. pro marca, & Doloy ad vigintiquatuor quarat. 1 arrit de remede, vel alterius monetæ aureæ currentis ad valorem, de qua reemptione per Dominum Burgundiæ tradentur bonæ litteræ & sufficientes, per quas ipse promittat pro se, & suis, & toties quoties placuerit Regi vel suis facere dictam reemptionem, Domino Burgundiæ, & sue tenebuntur recipiendo dictam summam auream reddere Regi vel suis omnes dictas Ciuitates, villas, forticlias, terras, & Dominia comprehensum isto articulo tantum, & sine tangendo, aliquas alias, de quibus supra facta est mentio, & alterius, content abitur dictus Dux Burgundiæ recapere solutionem dictorum quadringentorum millium scutorum, ad duas vices, scilicet qualibet vice mediecarem, prouiso quod non tenebitur dictas Ciuitates, villas, fortalitia, terras & Dominia, nec aliquas ipsarum, quousque tota solutio sit completa, & tempore quo faciet Dominus Burgundiæ fructus suos omnium dictarum Ciuitatum, villarum, &c. tam de Denmanyo, quam de Aydin, sine vlla deductione principalis summæ.

25. Et est sciendum quod in isto transportatu non comprehenderur Ciuitas Iornacensis, neque Bailliuatus Iornacensis & sanctæ Amandi, sed remanebunt in manibus regis, excepto Mortaigne, quæ remanebit Domino Burgundiæ. Nihilominus est reseruatum Domino Burgundiæ, pecuniæ sibi concordatæ ab illis, de Ciuitate Iornacensi pro certo tractatu quem habet cum ipsis, durante vsque ad certum tempus, quam pecuniam, Iornacenses integre Domino Burgundiæ, &c. Et sciendum de omnibus officiariis, qui erunt respectu Dominii, quod Dominus Burgundiæ constituet eos de respectu iurium regalium, Aydarum & tallarum, nominatio spectabit ad Dominum Ducem, & instituetur ad Regem.

26. Item quia Dominus Burgundiæ prætendit ius in comitatu Verdonensi supra mare, quem tenet & possidet, ille sibi remanebit pro se & suis heredibus masculis ex suo corpore tantum, & tenebitur rex parificare illos, qui ius prætendunt in ille comitatu, talmer quod nullam habeant querelam aduersus dictum Dominum Burgundiæ.

27. Item Castrum, villæ, & Comitatus Gyenyr supra Ligerim, quæ dicuntur transportata cum Comitatu Stampiæ & Dordani per Ducem Bituricensem, defuncto Ioanne Duce Burgundiæ, ponentur ex parte Regis in manibus Ducis Borbonii, statim post passatam concordiam, tenendæ per spatium vnius anni infra quod tempus Ioannes Burgundiæ, nunc Comes Stamparum, vel dux Burgundiæ, pro eo monstrabit Regi & suo Concilio, Litteras donifactis Ioanni defuncto Duci, per Dominum Ducem Bituricensem, quæ si visæ fuerint sufficientes & validæ, Dux Borbonii tenebitur tradere præfato comiti absque hoc, quod ex parte Regis possit allegari antiqua præscriptio aut lapsus temporis, quod si ipsi sunt alii qui prætendant ius, illius remanebit actio contra Comitem.

28. Item per Regem restituetur Comitibus Niuernensi, & Stamparum summa trigintæ duorum millium octingentorum francorum aureorum, quæ quondã rex Carolus primo defunctus fecit

capta-

deprehendi in ecclesia Rothomagensi, vbi fuerant deposita pro matrimonio Domina Bona Artheſii matris ipſorum Comitum, caſu quo probabunt quod iſta ſumma fuit in computo & profectu dicti regis Caroli, ad ſoluendum illam ſummam triginta duorum millium 800. ad tales terminos, qui erant adinuiſati poſt ſolutionem factam & completam quinquaginta millium Domino Burgundiæ, de quibus ſupra, & reſpectu debitorum, quæ Dominus Burgundiæ dicit ſibi deberi, per quondam regem Carolum, tam cauſa donorum & penſionum, quam aliter, aſcendentium ad magnas ſummas, ſummius quod habet, & debet habere pro recuperatione ipſorum debitorum, ſibi remanebit ſaluum.

29. *Item quod dictus Dominus Burgundia non tenebitur facere aliquod homagium vel ſeruitium regi, de terris, & Dominiis, quæ de præſenti tenet in regno, nec de illis quæ deberet habere per præſentem tractatum, nec de illis quæ ſibi euenire potuerint per ſucceſſionem, ſed remanebit exemptus in ſua perſona in omnibus caſibus ſubiectionis, reſorti, ſupremitatis, & aliorum durante vita ipſius. Sed poſt ipſius regis obitum Dominus Burgundiæ faciat filio ſuo, & ſucceſſori in corona homagia, fidelitatem & ſeruitia quæ requirentur. Et etiamſi dictus Dominus Burgundiæ decederet ante regem; hæredes ſui & cauſam habentes facient regi dicta homagia & cætera.*

30. *Item in reſpectu feudatariorum & ſubiectorum Ducis Burgundiæ quæ habet, & debet habere per præſentem tractatum, & quæ ſibi potuerint euenire, per ſucceſſionem, durante vita Regis & ſua, ipſi non erunt adſtricti ſe armare ad mandatum regis & ſuorum officiariorum, ſuppoſito quod teneant cum hoc à rege aliquas terras, vel Dominia. Sed eſt rex contentus, quod omni vice quà placebit Domino Burgundiæ mandare ſuos ſubditos ſeu feudatarios, & ſubiectos pro ſuis guerris, ſiue in regno, ſiue extra ipſi tenebuntur, & conſtringentur ibidem & illuc ire ſiue poſſe aut debere venire ad mandatum regis, ſi etiam rex mandaret. Et ſimiliter fiet reſpectu ſeruitiorum Ducis Burgundiæ, qui ſunt ſui familiares, & de ſua domo, ſuppoſito quod non ſint ſui ſubiecti.*

31. *Item ſi eueniat quod Anglici aut ſui confœderati faciant in poſterum guerram Domino Burgundiæ, aut ſuis pueris: ſiue per mare, ſiue per terram, occaſione præſentis tractatus, vel alias, rex tenebitur iuuare, ſicut in facto proprio.*

32. *Item quod Dominus Burgundiæ & ſui feudatarii, & ſubiecti, & alii, qui prius portauerunt in armis Crucem Sancti Andreæ, non adſtringentur portare aliud interſignium in quacunque armata, in regno, vel extra, & in præſentia Regis vel ſuorum, Conneſtabiliorum, aut Mareſcallorum, prout ſunt ſuis ſtipendiis, vel alias.*

33. *Item, & quod Rex faciet reſtitui, & ſine damno de ſuis perditis rationabilibus, & etiam de ſuis tancoribus illis qui fuerint capti in die mortis quondam Ducis Ioannis, & illis qui ibi perdiderunt ſua bona, & fuerunt poſiti ad magnam redemptionem.*

34. *Item & quod de cæteris abolitio generalis ſit facta de omnibus caſibus, euentis, & de omnibus cauſis, rebus, dictis, factis, & paſſatis occaſione diuiſionis iſtius regni. Excepto reſpectu illorum, qui perpetrauerunt dictum malum caſum, vel fuerint conſentientes de morte quondam Ducis Burgundiæ, qui erunt, & remanebunt extra omnem concordiam, tractatum, & quod de cæteris quilibet de vno & alio latere reuertatur, ſcilicet eccleſiaſtici ad ſuas eccleſias & beneficia, & ſaculares, ad ſuas terras, reddibus, & hereditagia, poſſeſſiones, & bona immobilia in ſtatu in quo erunt, reſeruato reſpectu terrarium, & dominiorum, exiſtentium in Comitatu Burgundiæ, quas Dux Burgundiæ, & quondam ſuus pater habuerunt & retinuerunt, vel alii dederunt tanquam confiſcatas ſibi cauſa dictarum guerrarum, quæ erunt & manebunt, non obſtante dicta abolitione & concordia illis qui ipſas tenent & poſſident. Sed alibi vbique quilibet redibit ad ſuas poſſeſſiones, & terras, & hereditagia; ſine hoc quod pro demolitione; deterioratione cuſtodiarum, locorum, aut reparatione qualicumque aliquod poſſit exigere vnus ab alio: & quilibet tenebitur conuictus omnium reddituum, euentorum, de tempore, quo non poſſidebat ſuas terras, & hereditagia, ſed in reſpectu mobilium captorum aut habitorum, de vno latere aut de alio, nunquam poterit fieri aliqua querella, aut actio, de vno aut de alio.*

35. *Item per ipſum tractatum extinguantur, & aboleantur omnes iniuriæ, rancores tam verborum & factorum, quam aliter euentorum per antea occaſione dictarum diuiſionum, partialitatum, &c. tam de vna parte quam de alia: abſque hoc quod aliqua poſſit exigere, vel facere quæſtionem, vel proſecutionem, vel proceſſus, vel aliter reprobari, vel ſcandalizari de tenendo aliquam partem. Et dicentes vel facientes contrarium, punientur tamquam tranſgreſſores pacis ſecundum exigentiam delicti.*

36. *Item in iſto tractatu comprehendentur expreſſe ex parte Ducis Burgundiæ, omnes partes eccleſiaſticæ, villæ, nobiles, & alii cuiuſcumque ſtatus ſunt, qui tenuerunt ſuam partem & quondam ſui patris, tam in Regno quam in Delphinatu, prouiſo quod acceptabunt præſentem tractatum, & inde volunt gaudere.*

37. *Item renunciabit Rex confœderationi quam fecit cum Imperatore contra Ducem Burgundiæ & omnibus aliis confœderationibus per ipſum factis, cum quibuſcumque perſonis, Principibus, aut Dominis in contrarium dicti Ducis. Prouiſo quod Dominus Dux faciet ſimiliter, & promittet Rex dicto duci ipſum ſuſtinere & aduuare, contra omnes qui vellent ipſum grauare, vel damnum impendere per guerram, & aliter. Et ſimiliter promittet Dux ſaluâ ſemper exemptione ſuæ perſonæ ad vitam.*

38. *Item tradet Rex ſuas litteras, quod ſi contingat in poſterum quod ex ſua parte infringatur iſte tractatus, ſui Vaſalli, feudales, ſubiecti, & ſeruitores præſentes & futuri, non tenebuntur ſibi plus obedire, nec ſeruire: ſed tenebuntur ex tunc ſeruire Domino Burgundiæ & ſuis ſucceſſoribus contra ipſum; & quod in dicto caſu omnes ſui feudales, ſubiecti, & ſeruitores, ſint abſoluti & quieti de omnibus iuramentis, fidelitatibus, promiſſionibus, obligationibus ſeruitiorum, in quibus ipſi poſſent teneri per antea verſus regem, abſque hoc quod in tempore futuro ipſis poſſit imputari ad onus aut opprobrium, aut quod ab ipſis poſſit inde aliquid exigi; Et quod ex nunc prout ex tunc; Rex præcipiat ipſis ita facere; & quitet; & exoneret ab omnibus obligationibus & iuramentis in caſu predicto, & quod ſimiliter fiat & conſentiatur de latere Ducis Burgundiæ, reſpectu ſuorum Vaſallorum, feudatariorum, ſubiectorum, & ſeruitorum.*

39. *Item quod ex parte Regis fient promiſſiones, obligationes, & ſubmiſſiones tangentes intentionem præſentis tractatus in manibus Cardinalis Sanctæ Crucis Legati Papæ, & de Cypro, Legati Concilii ampliores quæ potuerint aduiſari, & ſub pœnis excommunicationis, aggrauationis, reaggrauationu, interdicti, in terris ſuis & Dominiis, & aliter vlteriores, ad quas cenſuras eccleſiaſticas ſe potuerint extendere ſecundum poteſtatem quam habent dicti Domini à Papa, & Concilio; prouiſo quod ſimiliter faciat ex parte ſua Dux Burgundiæ.*

40. *Item & cum hoc faciet Rex cum ſuo ſigillo tradi dicto Duci Burgundiæ ſigilla principum, & Dominorum ſui ſanguinis, & obedientiæ, ſcilicet Ducum Andegauenſium, Caroli ſui fratris, Ducum Borbonii, Ducis Alenconii; Comitis Richemondiæ, Comitis Vindeciæ; Comitis de Iuno; Comitis Armignaci, Comitis Perdiaci; & aliorum, qui aduiſabuntur, in quorum ſigillis incorporabitur ſigillum regis, & promittent tenere ex ſuis parte contenta ſigillatorum. Et ſi infringerentur ex parte Regis, de iniſto caſu aduiſando, & confortando dictum Ducem Burgundiæ; & ſuos contra regem. Et ſimiliter fiet ex parte Ducis Burgundiæ.*

41. *Item & quod ſimiliter Rex faciet tradi ſigilla virorum Eccleſiaſticorum, & aliorum nobilium, & villarum de regno, de ſua obedientia, quos dictus Dux voluerit nominare, cum ſecuritatibus pœnarum corporalium; & pecuniariarum, & aliarum ſecuritatum, quas Dicti Cardinales, & alii Prelati huc miſi ex parte Papæ, & Concilii aduiſabunt petimere.* ex. tom. 4. Concil.

Hactenus acta concordiæ inter Carolum Regem Galliarum

liarum, & Philippum Ducem Burgundiæ, Pariſiis nam operam in conciliandis diſſidentibus nauabit, Nicolaum Cardinalem S. Crucis, vel ſi deeſſet impedimento, quod Aeneas Sylvius, hoc anno, in Scotiã, à Cardinali Legato, ſequeſdam Prælatum in gratiam Regis reducendi miſſus, experimento doctus narrat, (ſi tamẽ ipſe de ſe narrat) quod inter equitandum comes ei fuerit vnus ex iudicibus Angliæ, qui tunc Londonias ad iudicium properabat, qui omnia quæ apud Atrebatum geſta erant, quaſi ſignaro Aeneæ referens, multa in Cardinalem Sanctæ Crucis maledicta iactabat, quem lupum ouina pelle veſtitum appellabat. *Comment. Pii 2. lib. 1.* Scilicet, in illum ſolum culpã referebat, quod Philippus Burgundio ab amicitia Henrici Regis Angli diſcedens, Carolo reconciliatus rem Anglicam in Gallia labefactaſſet.

XLVII. *In Regno Bohem. omnia necdum quieta.*

In Regno Bohemiæ, necdum omnia omnino quieta, nimis impertinentibus quæſtionibus ab hæreticorum primoribus excitatis, circa ſuperiora inter eos & Baſileenſium Legatos compactata. Nondum illa plenum executionis effectum, & confirmationis omniſariæ robur fuerãt ſortita. Ergo Sacerdotes Huſſitarum, incentore Ioanne Rockyzana circa ea multum ſolliciti, multas dubitationes Legatis Baſileenſium mouebant, & ſceleratâ ſimulatione concordiæ, tam illos decipiebant, quam Proceribus Regni, vana eos ſpe lactantes, illudebant. Placuit, Brunnam Moraviæ conuentum indicere, & indidem vna cum Legatis Baſileenſium, præſente magna multitudine de compactatis diſceptare. Decretum, vt Imperatore Sigiſmundo propius Regnum accedente, de omnibus coram ab vniuerſis ordinibus ageretur. Huic rei alius Conuentus Iglauiæ, ad aduentum Sigiſmundi indictus, miſſique interea Budam honoratiſſimi, qui fundamenta pacis iacta eſſe dicerent, ſed opus eſſe præſente architecto, qui pacem conſummaret. Sigiſmundus porro; vt Oratores, & per eos animos Bohemorum ſibi amplius cõciliaret, ſexaginta millia aureum nummum Oratoribus, & præterea equos & bones plurimos largitus eſt, iuſſitq; renunciari, ſe brevi Iglauiæ, ad Comites Bohemiæ præſto venturum; illic vt apparerent, quorum intereſſet. Ad hunc conuentum, Proceres Bohemi, deſtinarunt ſuos Procuratores quoſdã ſacerdotes, qui hæc coram Legatis Baſileenſium præſtarent, quorum poteſtas eſt illis facta, in eo quod adiungo mandato plenario.

Conuentus Iglauiæ ad quem Proceres Bohemi ſuos deſtinant.

Exemplar mandati, pro obedientia, ſub ſigillo Regni.

XLVIII.

In Dei nomine. Amen. Nos Alzo de Roſemberg, alias de Vitziefstonu, Gubernator Regni Bohemiæ, Barones, Nobiles Milites, Clientes, Praga Ciuitas, ac cæteræ Ciuitates, ac Sacerdotes, Generalem congregationem Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ facientes, & repræſentantes, vigore præſentium facimus, & dirigimus Nuncios & Ambaſiatores noſtros ſpeciales, vos Reuerendum Magiſtrum Vuenceslaum de Drachold, Curiæ Archiepiſcopalis Officialem; Honorabiles & diſcretos viros Paulum de Slatiskouitz, artium liberalium Baccalaurum, Plebanum S. Ægidii, & Correctorem Cleri eiuſdem Curiæ Archiepiſcopalis Pragenſis; Vuenceslaum de Lutzenitz, Plebanum Eccleſiæ S. Nicolai antiquæ Ciuitatis Pragenſis, & Bohuslaum de Chotzna, Rectorem Eccleſiæ Lithomy ac Decanum eiuſdem, Sacerdotes in Chriſto Ieſu dilectos; ad præſentandum vos coram Reverendo in Chriſto Patre, Domino Philiberto Epiſcopo Conſtantienſi & Collegã eius. Legatis Sacri Generalis Concilii Baſileenſis; pro complemento & executione Compactatorum, per vos omnes, vel maiorem partem, ad præſtandum reuerentiam debitam, & obedientiam Canonicam, Sanctæ Matri Eccleſiæ, Sacro Generali Concilio, Romano Pontifici, & Prælatis noſtris canonice intrantibus, prout antiſtes extitit in Brunna; pro omnibus ſpiritualibus & ſecularibus perſonis Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ; Ratum & gratum habituri bona fide, quicquid per vos actum fuerit in præmiſſis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, has noſtras litteras ſigillo Regni Bohemiæ fecimus communiri. Datum Pragæ in Collegio Caroli, ipſo die Beati Matthæi & Euangeliſtæ. Anno Domini M.CCCC.XXXV. Cochlæus lib. 8. hiſt. Huſſitarum.

Diſputabant Baſileenſes, de Sigiſmundus Imp. Regni Bohemiæ capeſſendi aptior, aliquid cõtra ſacrum canonem, rectamq; Fidei Orthodoxæ regulam Bohemis cõcederet. Itaq; voluerunt illum præmunire, præmonereq;, dato reſponſo eius oratoribus hoc tenore.

Reſponſio facta Ambaſiatoribus Domini Imp. ſuper factis Bohemorum, in Generali congregatione, die Sabbati. 29 Octobr. 1435.

XLIX.

Hæc Sancta Synodus, matrem vniuerſorum Chriſti fidelium Sanctam videlicet vniuerſam Eccleſiam repræſentans, materna pietate ſollicitæ, optans multis animarum & corporum periculis obuiare, atq; regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ ad pacis tranquillitatem & Eccleſiaſticam vnitatem, ſine quib. nec ſalus eſt animarum, nec proſperitas verum. Imp. etiam ſerenitatis, quæ tam per illuſtrem Principem Guilhelmum Ducem Bauariæ, cuius anima Deo viuat, qui Protectoris eiuſdem Synodi officium ipſius vicegerebat quam per alios Oratores ſplendidos vicibus eandem Synodum deprecata eſt, quatenus propter effectus prædictos quantum ſalus fides, & Eccleſiæ honeſtate fieri poteſt, hæc Sancta Synodus condeſcenderet dignaretur; cum multa benignitate & pietate materna condeſcendit ad hoc, quod ipſi Bohemi & Morauis ſuſcipientibus Eccleſiaſticam vnitatem & pacẽ, realiter & cum effectu in omnibus aliis, quam in vſu communi vtriuſq; ſpeciei, Fidei & ritui vniuerſali Eccleſiæ conformib. illi, & illæ qui talem habent, cõmunicarent ſub vtraq; ſpecie eſſe, prout in capitulis ſuper pace & vnitate, inter hanc Sanctã Synodi Legatos, & generalem congregationem dictorum Regni & Marchionatus concordatis & formatis latius continetur, per quæ quidem capitula ſic concordata, & formata, ſperabatur, diuina aſſiſtente gratia perfici pax & Eccleſiaſtica vnitas peroptata. Si ipſa capitula fuiſſent ad debitam executionem deducta; prout hoc Sacrum Concilium per ſe promptum exhibuit, & ipſos Bohemos repetitis vicibus requiſiuit. Sed pro parte ipſorum Bohemorum vſq; ad præſens ſtetit, à tempore concordiæ & reformationis dictorum Capitulorum fere biennio, aduientib. hu, qui pro ipſis Bohemis negotia gerunt, difficultates plurimas, & petitionibus plurima, quæ nedum ſint vltra compactata, ſed eiſdem compactatis ſaue & ſyncere intellectui aduerſa. Et nunc nouiſſime in dicta Brunna habita, poſtquam ab Ambaſiatoribus huius Sacri Concilii nonnulla poſtulauerant minus congrua, etiam ab Imperiali ſerenitate petierunt, quod ſua ſerenitas perſonaliter cum eis in perceptione communionis ſub vtraq; ſpecie cõuerſaretur, ac Capella nos haberet, qui ſic populo miniſtrarent: & quod nullus eſſet in Conſilio eiuſdem, & negotiis dicti Regni qui ſit non communicaret: & quod Religioſi, Monachi & Monaſteria ſine conſenſu Archiepiſcopi, & Domini communi loci, non admittantur: & quod ipſi haberent ſibi eligere Archiepiſcopum, qui ſic electus, habeat confirmare; & nonnulla alia, quæ non ſolum verſantur in derogationem Eccleſiaſtici Ordinis & authoritatis, ſed etiam contra ipſa iura intelligentiam dictorum compactatorum; indultum libertationis, & communionis ſub vtraque ſpecie in cauſam conuertendo, & declinando à conformitate, quam in reliquis habere debent cum reliquo populo Chriſtiano. Et alia, & ſaltem locuti, qui pro eis loquebantur, non videbatur malum ſperandũ de ſtabili reductione ipſorum. Vnde licet exiſtimetur hanc procedere de communi voluntate Baronum, Nobilium, & Procerũ, ſed immiſti vel ſubmiſſi ab aliis contra pacem publicam, propter priuata commoda machinantibus; ne tamen tua modo tractatus inutiliter differatur; hæc Sancta Synodus cupiens non tegere vulnus ſed ſanare; ante omnia vult certificari ſanctũ Bohemi velint ſtare pure & ſimpliciter in compactatis, & ea ſine vlteriori dilatione ad executionem deducere, & à prædictis petitionibus, & aliis huiuſmodi penitus abſtinere; & certificari quod eſſe communis ſpecies prædicta, vel alia ſimilia quæ ad Eccleſiæ diſpoſitionem pertinent, ab aliqua ſeculari poteſtate poſſint immutari: & quod ad communionem ſub vtraq; ſpecie, nullus modo aliquo, directe, vel indirecte compellatur.

Si autem de his quæ ad Eccleſiæ ſpectantem pertinent, pro vtilitate dictorum Regni & Marchionatus aliqua voluerint poſtulare, quæ compactatis non obuient ſupradictis, ab hac Sancta

Synodo possint postulare; quæ tamquam pia mater, quantum pro salute & vtilitate ipsorum iudicauerit expedire, prouidebat. Et quantum ad difficultatem illam quæ orta est super vltima particula quarti articuli, vbi sic scriptum erat, in declaratione ab hac sacra Synodo facta; ipsaque bona Ecclesiæ, ab aliis quam ab his, quibus administratio canonice est commissa, vsurpaci sine sacrilegij reatu nō possunt: licet hanc veritatē, quam non nunc nouiter hæc Sancta synodus protulit, sed sancti Doctores, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, & alij plures sancti Doctores, & antiquorum Sanctorum Conciliorum, & sanctorum Patrum instituta repetitis vicibus protulerunt; credendum non sit, quod ipsi Bohemi respuere velint: quia tamen dicunt, cum Ambasiatoribus huius sacri Concilii, super mutatione verborum aliter conuenisse. Legatis huius sacri Concilii certum modum ponentibus, & ipsis Bohemis vel suis, aliàs asserentibus, hæc sancta synodus Ambasiatoribus suis contulit potestatem, quod habita certificatione de præmissa, propter hæc, aut ruptura tractatuum, aut dilationis occasio nulla erit.

ext. tom. 4. Concil.

L. Hæc dū Basileenses Oratoribus Sigismundi respondebant, insinuabant, quæ in proximis Iglauiensib. Comitijs Sigismundus Bohemis concedere posset, quæ autem negare deberet.

Non ignorabat Eugenius Pontifex, quam inique cū Basileensium Legatis agerent, Bohemorum nonnulli proterui entes. Ergo angebatur animo, excruciabaturque mirum in modum, quod præpostera indulgentia communionis sub vtraq; specie, Basileenses, audaciores Bohemos fecissent, ad alia inconcessa extorquenda. Angebat dolorem, quod iidem ipsi Basileēses, promulgatis quas superius memorauimus constitutionibus, cum expostulantem illum plane contemptissent, omni prope & spirituali, & temporali peculio exutum, in ordinem, quantum in ipsis fuerat, redegissent: nec aliud quam vinctum se habere desiderarent. Diximus de insidijs, quas ei Philippi Ducis Mediolanensis Orator struxerat, vt interciperet, captiuum primo Mediolanum, inde Basileam traheret. Fuit is Bartholomæus Nouariensis Episcopus, apud Eugeniam pro Duce Mediolanensi Orator, qui, vt Blondus narrat, paci quidem optimo animo studere videbatur; indigna tamen Episcopo, indigna Oratore ad pacem quærendam misso, vna cum Nicolao Piccinino, qui per id temporis apud Balnea Senensis agri moram trahebat, tractauerat scelera. Is enim Riccius, quem capiendi per dolum in castello Crescentij Romanos Ciues authorē habuisse ostendimus, facinoris alicuius perpetrandi rabie excitatus, huncadit Episcopum, & Pontificis, Cameratiique erga se maxima ingratitudine falso accusata, illi pollicitus est Pontificem, si vellet, vinctum tradere, quem amœna Florentini agri per ætatis incendia periturum, & ad ædem Sancti Antonij quæ extra muros est diuersaturum, facile sibi foret, paucorum qui occulte consentirent Florentinorum ciuium auxilio capere; dummodo afferret opem præsto Piccininus, captiuo in Lucenses securius abducendo. Riccio Pitiolum ad faciendam fidem misso, Florentinos allocutus ciues Episcopus, rem perficere adeo sollicitus & animo ardens fuit, vt omnibus quæ agebantur à Florentinis Magistratibus deprehensis, epistolisque interceptis quæ Piccinino mittebantur, in Iacobum Caponem Florentinum ciuem capire damnatum Magistratus animaduerterint, & Episcopi scriba qui de reipsa scripserat epistolas, quæstionibus subiectus, conuictusque in carcerem sit coniectus. Viderunt tamen Cardinalium proceres, præsertim Sanctæ Crucis, vt Episcopus, conuocatis quotquot tunc haberet Curia Prælatis Principumque Oratoribus, ad Pontificis præsentiam publico in loco perductus, causam diceret, qui ad Pontificis pedes prostratus, voce vultuque reatum fatentibus; tarda tandem profferens verba, deprecatus à misericordia facinus, id quo supra retuli modo excogitasse, perpetrasse, & conficere omni studio contendisse confessus est. Ad quæ Pontifex paucis respondens; *Vitam*, inquit, *tuam qua indignus es, Cardinalis Sanctæ Crucis, cui nihil denegare possumus, condonamus.* Cardinalis porro postera die ad memorandam pacis Gallorum cum Anglicis componendæ legationem profectus, eundem Episcopum perduxit ad Ducem: Riccius autem, re vt gesta erat, non solum Magistratibus, sed omnibus ad necem illum deducentibus sæpenumero narrata, vitam suspendio finiuit.

Turpiſi. facinus in Eug. à Nouariuenſi Epiſc. attentatum.

proditoris Epiſcop. vita à Pont. laudatur.

Fuit istud non leue momentum, ad frangendos Philippi Ducis contra Eugenium conatus; quando Cardinalis Sanctæ Crucis, Episcopum Nouariensem, benignitate Pontificis vita donatum Duci repræsentasset, & turpissimi facinoris attenti in Christi vicarium, pudore hominem suffusum, ad submissionem impulisset, armaque nefaria illi prope extorsisset. Enimuero, etiam in hunc annum, Fortebraccius, Spoletanum Ducatum, Nicolaus Picinninus Flaminiam, à Philippo submissi infestabant, adeoque graues Pontificiis fuerant, vt Fortebraccius Leonem Sfortiam ad Falcum prælio victum cœperit, & Picininus fere in extremum discrimen omnia adduxerit. Ab illa ergo captiui Episcopi, quem adducebat, occasione, sumpto animo Nicolaus Cardinalis, cum Philippo omnia in Pontificem admissa fidenter exprobrauisset, non difficile persuasit, qui arma contra sacratam potestatem sumpta sibi eripi toleraret. Quamquam & Nicolaus Atestinus, petentibus Venetis ac Florentinis diuturno bello fessis, de reconciliandа inter Pontificem atque Philippum gratia agere volnerit. Facilius autem pax conuenit, quod Franciscus Sfortia, & fratris casu permotus, & Venetis ac Florentinis, quod per eos staret, ne Pontifex quæ pepigerat vsque quaq; præstare posset, subiratus palam iactaret, velle se eam militiam relinquere, Qua ex re Eugenius ad pacem inclinans, Brandam Castellionеum, ac Ioannem titulo S. Petri in vinculis Cardinales Ferrariam legauit. Erat & istud, quod Philippum permouit. Franciscum Sfortiam, Herrusci, amplissimis conditionibus ad se alliciebant. Ergo ille, qui aliquando eum sibi generum asciuerat, veritus, consilium per pacis tractationem præuertit, ne postmodum regni cupiditate inflammatum, suæ saluti insidiantem experiretur. His adductus rationibus Philippus, & quod fortuna omnes suos conatus eluderet, coniuratis vtriusque Reipub. viribus, aduersus quas nullo suo commodo, sed magno malo bellauisset, ab Atestino contendit, vti primo quoque tempore odia finiret. Accessit ad permouendum Eugenium, vt is tanto citius ad probandas cōditiones pacis inclinauerit; quoc priusquam Philippus, de nauali Genuensiū contra Alfonsum Regē Aragonum victoria certior factus, dubitaret, ne si eam vt parta fuerat Philippus intellexisset, omnē pacis mentionē statim abrupisset. Itaq; Legatis & Atestino scripsit, pacis capita sibi placere. Quæ cū Atestinus accepisset, successu territus, nullā Philippo motā dedit, maxime q; sciret inter cæteras conditiones & illam adiectā, vti Philippus rebus Neapolitanis in posterum abstineret. In has leges, prout melius, æquiusq; visum fuit, de consilio Brandæ & Ioannis Cardinaliū, pacem Florentiæ IV. Idus Augusti promulgauit. *Philippus, Eugenium Pontificem Parentū, Domini, ac venerabile Patrum loco perpetuo colat. Forum Cornelii cum circumiectis castellis ademptis eidem restituat. Picininum, Triualtium, reliquos cōturiones ac tribunos, stemq; milites ex Flaminia reuocet. Nullis de causis, aut exquisitis coloribus iuræ Ecclesiæ violet. Nullum ius in Regno Neapolitano, proprio nomine, authoritate, & viribus, aut aliquibus etiam Genuensibus, qui sub eius ditione & potestate tenerentur subornatis quærat, vel oblatum accipiat, aut quæ ventibus, quæ futuris q; faueat. Veneti, & Florentini, ac eorum subditi, & partium studiosi, pacem cum Duce, & è conuerso habeant. Veneti, castellis agri Bononiensis, quæ Melatæ & Brandolinus obtinerent, decedant, ac præsidia deducant, Pontifex det operam, nē quam manum Veneti in Flaminia habeant: Columnensibus, Sabellis, & Conrado Trincio Vicariis*

Pax inter Eugen. & Philip. Dicem componitur & quib. conditionibus.

LI.

titulo possessa oppida restituat. Antonius Ordelaffis Forolutenſibus præsit; reddat & ipse quicquid ex Pontificis. Ioannis Cassarelli Episcopi, & Blondi Forolutensis fortunis arripuerat.

LII. *Aliquare mora paci iniecta.*

Huius pacis beneficio cum vti vellet Fortebraccius, &, nec repulsa exasperandus, nec propter magnitudinem flagitiorum ea dignus videretur; Atestinus autor fuit Pontifici, vt hominem interposita mora distineret, & negotium vsq; ad reditum Cardinalis Sanctæ Crucis, qui è Galliis expectabatur, differret. Cæterum Eugenius, quamquam ei procliue foret Fortebraccium distinere ac morari, homini tamen potestatem fecit vtendi conditionibus pacis, modo Falcum dimitteret, si post sancitam pacem locum occupasset. Ille porro interminatus, aliter se aliquando cum Pontifice pacturum, Fulgineum duxit, ac Romanæ Ecclesiæ fines variis incommodis affecit, donec ab Alexandro Sfortia, ad Mōtem Floridum pugnans interfectus occubuisset. Picininus, filio Fortebraccij Carolo prospiciens, ad conditiones semel placitas rediit, vt de omnibus iudicium Cardinalis esset. Atestinus, vt rem susciperet, arq; iuuaret rogatus respondit; se vero longe aliud Pontifici suasurum. Nam cum Fortebraccius immanibus sceleribus tamdiu in Sanctam sedem exultauisset, ne filio quidem eundem veniæ ac benignitatis aditum fore, qui alias patuisset; vt cæteri exemplo perterriti, deinceps ab eiusmodi flagitijs temperarent. At vero maxime cōmēdit Nicolaus, vti Veneti & Philippus pacem, quibus paulo ante conditionibus se interprete pepigissent, tutam esse iuberent. Et videbatur quidem credibile Philippum potius quam Venetos eirei moram allaturos; quod alteri ex pace compendium captarent, alter secundo prælio magnum sibi nomen atque vires parauisset. Longe tamen secus erat. Veneti enim, qui vsque adeo pro certo habebant Vicecomitem victoria insultatum ab concordia discessurum, & quæ amisisset repetiturum, nihil iam de pace sanciенda cogitabant; quin potius in Senatum ventitando inter se deliberabant, quibus conditionibus rerum transigerent. Imprimis vero consultabant: ecquid acturus esset Philippus post tam nobilem victoriam, post tam præclaram subigendi Regni Neapolitani, actentandæ Siciliæ occasionem oblatam. Seniores vero non dubitare affirmabant, nisi ipse sibi defuisset, quin totius Italiæ Imperium corriperet. At Nicolaus Atestinus, qui pro sua consuetudine quam maximam dabat operam, vt quisque suis opib. contentus ex alienа iniuria minime cresceret, Philippo suasit, vti Regibus captiuis suæ animi magnitudinis speciem daret, quique de ipsius fide paulo grauius aliquando sentire coacti essent, eos mendacii argueret, pacemque ratam atque firmam esse iuberet. Horatio, pro hominis ingenio haud quaquā fuit irrita. Nam cum fortunæ aduersæ succumbere, & in medio rerum gerendarum cursu interquiescere, non soleret, tantæ felicitatis gaudio diffusus consilia ipse sua atque cogitationes colligere non potuit, & tam Reges Genua ad se ductos magnificentissime coluit, dimisitque, adeoque occasionem rerum gerendarum, quam fortuna & tempus subministrauerant, è manib. amisit: & Lancelloto Crotto in Flaminiam misso, non pacem modo recens institutam comprobauit, sed ex eius etiam formula ex oppidis agri Bononiensis præsidia deduxit; quæque in eo tractu loca ditionis Pontificiæ auxilio suo regebat, in posterum tueri destitit. Nicolaus demum, cum Philippi factum laudibus extulisset, ac pro tempore satageret, quo Sancta sedes amissa recuperaret, cum Nicolao Piccinino egit, vti auctoritate ipsius permotus Carolus Fortebraccius Atestinum Eugenio restitueret, seque & clientes ipsius fidei crederet: necnon cum Baptista Canetulo, vt & ipse Bononiam Eugenio traderet. Et Canetulus quidem, qui præsidii causa cc. equites, pedites ccc. haberet, præter quam quod factioni suæ confideret, Atestino non valde repugnauit; tratus, vel ciuitate facta Pont ficī deditione nihilominus fore in sua potestate. Illud vero

Philip. pacem comprobat.

inprimis gratum accidit, quod Sigismundus Malatesta militib. præfectus, vna cum Præside eo accederet. Statuerat enim vtrumq; comprehensum permutare cum Gaspare fratre, qui à Pontifice in vinculis habebatur. Sed cum præsidium non dimitteret, & Fracicus Sfortia Eugenij iussi Bononiam venisset, sero intelligens sese viribus longe inferiorem esse, ex improuiso fugam arripuit, & Antonius Bentiuolus cum clientibus suis permittente Pontifice Bononiam rediit. Hoc exemplo adductus Vido Antonius Feltrius Metaurensium Vicarius, aliquot oppida inter Piceni & Patrimonij tumultus intercepta, & ipse reddidit, deinde quo sacro interdicto soluerentur ac pristinum munus ex auctoritate Pontificis obiret, cum Florentiæ conuenit. *Blondus decad. 3. lib. 6. Pigna de rebus Atestin. lib. 6.*

LIII. *De insigni Philip. Duc. cōtra Alphon. Arag. Regem victoria.*

Diximus, Philippum victoriam insignem, contra Alfonsum Aragonum Regem hoc anno obtinuisse. Id porro vnde, & quomodo acciderit, propter notitiam rerum Eugenij Pontificis & Apostolicæ Sedis, operæpretium est paulo luculentius narrare.

Hoc anno, ad III. Nonas Februarij Ioanna Neapolitanorum Regina, morbi diuturnitate victa, & quam plurimis molestiis oppressa, Neapoli decessit. Ab eius obitu non vnum, cupido Regni Neapolitani capessendi inuasit. Inprimis enim Pontifex Eugenius, iuris sui & Sedis Apostolicæ, quod habet in Regnum verum q; Siciliæ gnarus, Regina e morte audita, nuncio è vestigio Neapolim misso, consiliarios, Proceresq; Regni admonuit, vt ab eligendo Rege, aut Regno cuiquam deferendo abstinerent; quæres, neque intris, neq; arbitrij ipsorum sit. Regnum enim Neapolitanum perpetuæ ditionis Pontificiæ esse, quod Carolus Andegauensis, eiusque stupa à Pontificio solio fiduciarium obtinuerint. Ea stupe morte Ioannæ extincta, ius Regni cui libuerit fiduciarij tradendi, ad Romanum Pontificem delatum. Sese igitur propediem Legatum cum amplissimis mandatis Neapolim missurum, qui ea de re cum ipsis prolixe ageret. Hæc Eugenius Neapolitanis significauit, simulq; Ioannem Vitellescum Episcopum Recanatensem Patriarcham Alexandrinum creauit, & tū in ipso Regno recuperandis Campaniæ & maritimæ oppidis, quæ ad hostes defecerant, tum in vrbe Neapolitana rebus constituendis, Legatum Sedis Apostolicæ declarauit. Fefellit vero Pontificem opinio, qui Neapolitanos existimasset consideratiores, Regnum Siciliæ quod ad Romanā spectat Ecclesiam nulli subjiciendum Regi, nisi quem ipse ex vetusto iure & more constituisset, & Romanæ Ecclesiæ tributarium declarasset. Quo enim die Ioanna rebus humanis exempta est, delecti sunt sexdecim ex Regni Proceribus & Ciuitatis primoribus, quos appellauerunt Consiliarios, Raymundus Vrsinus Comes Nolanus, Balthasar Ratta Comes Casertæ, Georgius Alemanus Comes Pulcini, Perdicassus Barilius Comes Montedoro si, Ottinus Caracciolus Comes Nicastri magnus Regni Cancellarius, Inuicus Anna magnus Senescallus, & alii decem; à quibus testamentum, Ioannæ nomine, subornatis, qui se Notarios & testes subscriberēt, confictum est; in quo multiplicibus ad fidem comparandam completo legatis, Regni, & bonorum quotquot superessent hæredem fecerunt Renatum gloriosa oriundum Gallicæ Regum stirpe, cuius fratrem Ludouicum superioribus mensibus vita functum, Ioanna pridem adoptauerat. In Legatorum vero parte ex Reginæ thesauro, quem centum & quinquaginta aureorum millia constabat superasse, donauerant seipsos Neapolitani, millibus septuaginta Ciuitatis, vt verba testamenti dicebant, vsibus impendendis. Traxit vero in seditionem machinatio hæc testamentaria, Regni Proceres Populosque. Nam quos varia pro affectione spes dubios pendere, vltimamque Pontificis deliberationem expectare suasisset, patefactus ad Gallicos Reges inclinatior Neapolitanorum affectus, suas vtrumquemq; quibus pro illatis acceptiq; iniuris ducerētur animorum passiones,

detergere fecit. Hinc diuersa Principes populiq; studia secuti sunt. Multi ex Regni principibus tœdio diuturni Andegauensis Imp. simul compluribus priuatim læsi iniuriis, voluntate nudata, & cõfœderatione inita, Alfonsum Regem è Sicilia accersebant. In iis fuerunt Ioannes Antonius Marzanus Dux Sueſſanus, Christophorus Caietanus Fundanorum Comes, & Rogerius frater, alter Protonotarius, alter Quæstor Regni, Franciscus Pandonius Comes Lauretanus; inprimis vero Ioannes Antonius Vrſinus Princeps Tarentinus, qui opib. & dignitate longe eminens, acriore quoque odio Andegauensibus erat infensus, maiorib. iniuriis læsus qui à Ludouico omni fere ditione sua, præter nõnullas arces fuerat spoliatus. Hi ad Alfonsum in Siciliã miserunt, futurum polliciti, vt Regno celeriter aduenienti potiretur. Aprutini vero è cõtra fœdus sponsione mutua percusserunt, illũ pro Rege accipiendũ, quià Pontifice declaratus, & à Regni meliorib. in Regem fuisset assumptus. Qui etiam Ioannæ iussu, contra Principem Tarentinum pridem bellum gesserat asperrimum, Iacob. Caudolà Dux Barii identidẽ perseuerabat. Regno tantis motib. agitato, Pontifici renunciarunt quos miserat Oratores, Neapolitanorum Consiliarios vnicum exposcere Renatum Regẽ, neq; vllatenus adduci posse, vt Patriarchã Alexandrinum, virum q̃ sibi notum esse dicerent sceleratum, vellent admittere pro Legato: qui cum interim Monte falisco rum, quod Fortebraccii præsidio tenebatur, diu obsessum, vinctis oliuetisque fuccisis recepisset, Romam que concessisset, Francisco Vrsino Comiti Conuersani ductori impigro ac Dulcio & Euerso Anguillariæ Comitibus, quos pridem ad Ecclesiæ stipendia conscripserat, nouas addens copias, in Reguum ducere constituerat. Quo ergo tẽpore Andegauinæ factionis proceres Legatos ad Renatũ miserant, qui illum hortarentur, vt ad paratã Regni possessionem quam primum aduolaret, Rex quoq; Alfonsus oblatã inuadendi Regni occasionẽ neq; q̃ spernens, quam primum accitus fuit, ad Pontiã insulã adnauigauit, primaq; ex ea insula in Sinuessanos excursione facta, quã maximas potuit copias paranit; in quib. primi conuenere Franciscus Vrbinus & Dulcius, Patriarcha ũt quem deferneri ũt obnixius reclamante. Venere paulo post & Antonius Columnensis Salernitanus Princeps Martini Põtificis nepos, & Ludouicus Columna, Christophorus & Rogerius Caietani, Franciscus Pandonius eques Neapolitanus, Comites Campibassi, & Domini Leonessæ, & fœderib. cũ Rege Alfonso initis, Caietã expugnandam primo esse decreuerunt. Duces præfectiq; castrorũ Franciscus Vrsinus & Christophorus Caietanus equitum peditumq; millia quinq; in armis habuere. Rex Alfonsus classem non contemnendã adduxerat riamq; oẽs non magno labore Caietam capi posse sperabant, q̃ paruis præsidiis munita esset, & annonæ caeteris laboraret. Nec deerant in tanta nobiliũ prædę inhiantium turba, qui extrema omnia experturi viderentur, vt eã diriperent pretio sissimis Genuensium mercimoniis refertissimã. Namq; inclusi erant plurimi Genuenses, qui mercimonia Genuã importaturi substitissent, mare opperientes hostib. tempestatibusq; pacatũ, & plurimi inerant pugnatores, partim quos Philippus Mediolani Dux Renato ad eam diẽ fauens, seruandæ ciuitati præsidio, adduci passus fuerat à Francisco Spinula ciue Genuẽsi, qui ad declinandã inuidiam sponte patria cesserat, partim qui importauerant commeatus. Secuti fuerant venientem Alfonsum fratres, Nauarræ Rex Ioannes vnus & duo quos ex gẽtis more appellant Infantes. Sancti Iacobi Magister vnus, Henricus nomine, alterq; Petrus: plurimiq; ex Regnis Aragoniæ, Cathalonię, Nauarrę, Siciliæ, & Insularum quibus dominarentur. Principes nobilesq;, & quidem in patria potentissimi viri, bello tũ nauali operam nauaturi. Fuit autem classis tectarum vndeuiginti nauium eximię magnitudinis, vndecim triremũ, biremis vni⁹.

Alphon. Rex magnam classem ad Regnum Neapol. inuadendũ adducis & Caietam expugnare decernit.

Genuenses classem parant vt Caietanis suc currant.

Eo Genuenses suorum Caietæ inclusorum periculo solliciti, simul quod Regnum Neapolitanum in Cathelanorum potestatẽ deuenire ægerrimè paterentur, Duce etiã Philippo iubente, classem & ipsi paranũt naues duodecim tectas, liburnem vnam, triremes tres, & exploratoriam biremem vnicam. Classem ipsam Genua soluisse compertum habens Rex Alfonsus, classe etiam ipse perrexit repugnare, & præter eos qui nauib. aduersi erant, Principem etiam Tarentinum, & Minicutium Aquilanũ Capua excitos, aliosq; selectos ex terrestribus copiis præstantiores Italicos, Francisco Vrsino, Ludouico Columna, & Christophoro Caietano exceptis, secum duxit. Vario inprimis marte pugnatũ. Ante pugnæ initium tres Genuensium naues, iussu Blasii Assareti Præfecti à reliquo agmine seiunctæ, altum petere cœperant eo consilio, vt in ipso cõflictu, secundis à puppi flatibus hostilem classem à tergo adorirentur. Aragonij fugam interpretati, nullo ordine hostilẽ classem inuaserant inprimis, quasi ad prædam, victoriamque; illud metuentes, ne celeritate euaderent. Aragonius in hostium Prætoriã impetum fecit. Blasius circumducta repente naui, Regiam nauim magna vi telorum lapidumq; obruit pondere graui, & saburra vniuersa in alteram partem inclinatam. Idem à reliquis factũ nauibus. Ferreis inter se vncis iunctæ; velut in solo pugnabatur. Vincebãt Aragonij numero; sed sua multitudine impediti, & pleriq; nausea laborantes, oneri potius q̃ vsui erant. Genuẽses mariassueti, nautaeac milites scientia taliũ rerum superabant. Triremiũ nullus vsus, propter iũctarũ inter se nauium magnitudinẽ. Ad multum diei pugna processerat, cum tres Genuensium naues, quas fugientiũ specié præbuisse dictum est, flexo cursu in Regias impactæ pepererunt victoriã. In Regã nauim ingressi, hostes ad deditionẽ hortabantur. Fœda rerum facies, permixus cædentium cœtorumq; clamor. Nihil imperio, neq; consilio geri. Nauis Regia fatiscẽte carina, aq̃ accipere. Periculo nunciato, Aragonius, Philippo Duci deditionẽ fecit, quãuis abſẽti. In ea naui Tarẽtinus Princeps, & Dux Sueſſanus capti. Alijs duodecim nauib. quæ in hostiũ potestatẽ venerunt, ingens captiuorum numerus fuit: Rex Nauarræ Ioannes, quẽ in ipso conflictu Rodericus Reboledus lateri adhærẽs à cæde seruarat; & Hẽricus Aragonius. De Petro auctores variant. Quidã pugnæ interfuisse disputant, & cum tribus triremib. euasisse nocte tectum; alii ad Aenariam insulã appulisse, cum reliqua ex Sicilia classe, ainnt, sub ipsum pugnæ tẽpus. Capti præterea Raymũdus Boillus Prorex Neapolitanus, Sandoualius Castri Comes cum duob. filijs, & alij Proceres amplius centum, oẽs dominatu populorum insignes, ac prærea ingens nobilium virorum atq; equitum numerus. Hæc ac q̃ essit Regia gaza, ac reliqua inæstimabilis pretij præda, ingensque vis auri ex captiuorum redẽptione redacta. Ad hæc pretiũ nauium, ac bellicorũ & nauali um armamentorũ, & instrumentorum, q̃ victores ita diuarunt, vt multi eorum ex tenui fortuna ad magnas opes peruenerint. At qui in terrestri Caietana obsi lione relicti fuerant, Caietanus Vrsinus, & Columnensis Ludouicus, Regiã classem deletã audientes, dissipatum è vestigio exercitum, vt quem q; ad proprios lares ducebat via, quaquauersum abduxere. Enimuero Caietani à nauali victoria animis aucti, audaci ac prænalida eruptione castra Regia aggressi, illa interceperunt. Genuensium non plures centum quinquaginta in eo prælio fuerunt desiderati, cum ex Reglo exercitu sexcenti cæsi numerarentur. Eius victoriæ certo nuntio Genuam delato, nemo erat qui superfundentem se lætitiam temperaret. Tres continentes dies supplicationes habitæ sunt, gratiæq; Deo immortali actæ. decretumq; est, vt nonæ Augustæ Diuo Dominico festæ, quo die tanta victoria parta est, sacro solemni, atque anniuersario dono ad tẽplum illi Diuo sacrum delato celebrarentur. Cæterũ tanta lętitia breui Genuensib. non modo luxuriauit, ac vana euasit, sed in mœrorẽ quoq; & indignationẽ vertit: quitñ mœror ad extremum in ingens gaudium erupit.

Pugnæ naualis commissitur inter Genuens. & Reg. Alph.

Notabilis Genuensis victoria captis præter alia Alphonso Arag. & Ioann. Nauar. Regibus.

Præda ingens.

Dies victoriæ anniuersaria.

tupit. Philippus enim nuntio victoriæ accepto, extemplo suos nuncios, alterum Genuam Ludouicum Crotum, alterum ad Blasium Marcum Barbauarium misit. Qui Genuam missus est, perlit à Senatu, vt eandem classem ad occupandam Siciliam mitterent. Responsum est ei neque classem sine nouo stipendio, reliquisque bellicis apparatibus, ac terrestribus copiis mitti posse; & à maritimis periculis omnia tuta esse. Aragonẽsi enim classe deleta, nullam aliam toto mari mediterraneo Genuensi parem reliquam esse. Qui ad Blasium venit, verbis Philippi illi imperauit, vt Genuensi portu omisso, recta Saonam contenderet, indeque Reges ac captiuorum delectos primores Mediolanum ad Philippum adduceret. Dicto audiens fuit Blasius, imperio adactus; quanquam graue censeret patriam tanto spectaculo, ac gloria tantæ victoriæ orbare. Erat tota Italia expectatione euentus suspensa, ecquo pacto Philippus nobilissima victoria vsurus esset. Non nemo timebat, ne totius Italiæ imperium inuaderet ardenti Princeps ingenio, imperii auidus, continuis bellis exercitus. Multum ille cum animo delibersbat, quid facto opus esset. A captiuis Regibus iniquas conditiones extorqueret? libertatis pretium ex gerret? Præsenti id fructu lætum esset: verendum tamen, ne acceptam illi iniuriam vindicarent suis & amicorum armis; victique vt erant soliti, cum victoribus tamen grauius certamen instauarent. Magnifice exceptos coleret, & gratuita libertate sibi deuinciret? Gloriosum id consilium toto orbe terrarum foret. Sed ne captando inanem nominis famam, Imperii amplificandi occasionem amitteret, atque ancipitis aleæ spem subiret, considerandum raro ex sententia cedentem. *Magna hominis beneficia cum soluendo non sint, insigni malefitio compensare consueſſe.* Vicit laudis studium; & Principes splendide domi habitos, vt socios, vt amicos cum amplissimis muneribus dimittere cõstituit. Aragonium etiam cum assensu audiuit, disputantem coram, multisque exemplis confirmantem. Gallis immodi um ingenium esse, neque vllis imperij finibus resistere: Mediolanenses Duces euertendi consilia sæpe agitasse: neque animos mutatos. Si Italiæ litteribus assueſſent, parto Neapolitano Imperio, Ligures Galli æ finitimos amicosque haud diu in fide futuros; neque nouandarum rerum finem fore, nisi vniuersa Italia occupata. Ioanni Galeaclo patri, maioribusque suis, Gallicos Spiritus semper suspectos fuisse.

Ancepsi Philippi animus.

Hæc agebantur Mediolani in arce; cum Isabella à viro Renato pię mssimati, Genuam primum, deinde Caietam, Neapolim postremo, ad xv. Kalendas Nouembris appulsa, factionis opes vehementer confirmauit, copiis etiam ab Eugenio Pontifice aduita: clarissima fœmina, præstanti ingenio, eximia morum suauitate. Mediolani inter Ducem & Reges fœdus factum, eosdem sine exceptione amicos inimicosque futuros. Philippus regno Neapolitano obtinendo vires & copias pactus est Alfonso; immemor omnino eorum, quę fere nudius tertius, cum Pontifice, Florentinis, & Venetis pepigerat. Alfonsus Rex impugnandis Philippi hostibus omnem opem pollicitus est. Magnam id fœdus solicitudinem incussit tum Italis, tum externis nationibus, ac inprimis Eugenio. Rex Nauarræus in Hispaniam dimissus est, cum amplissima potestate rem Aragoniam gubernandi. Conquirenda erat pecunia, nouæ conscribendæ militares copiæ, numerosa classis instituenda. Tarentinus, & Sueſſanus amendati Neapolim, vt suorum animos confirmarent; Petrum iuberent cum classe è Sicilia rebus operam dari. Secuta Regis præceptum industria militum, festinatioque. Aenariam appulsa Siculorum classe, Caieta venit in potestatem, dedente Lanceloto ciue Neapolitano, eius vibis præfecto, ad octauum Kalendas Ianuarii. Proximis diebus Alfonsus libertati redditus, Portum Veneris abiit; quod oppidum, atq; Ilicis inter tantas procellas in fide eius manserant, in Genuensi litore, magis Aragonii præsidii metu, quam sincera oppidanorum voluntate. quo tempore campana Vilillensis prodigiose semel ac iterum hoc anno sonuit, scilicet, Triginta sex passuum millibus infra vrbem Cæsaraugustam oppidum Vililla ad iberi ripam situm est, ex Celsæ Romanorum in Ilergetibus coloniæ ruinis constitutum, ea campana & hac tempestate, & auorum memoria nobile, cuius nullo mouente, insolito insolentique pulsu nobilissimos in vtramque partem euẽtus significari; hominibus persuasum est: inepte, an vero; non disputo. Sed oculati tamen eius miraculi testes citantur, viri non leues. Eam companam pridie eius diei, qua capti sunt Reges, sua sponte pulsatam ferunt. iterum ad tertium Kalend. Nouembris; tertio proximi Ianuarii mensis nonis sonuisse; quo tempore compositio Mediolani fœdere Alfonsus in libertatem est restitutus.

Philippum & Reges captos inter fœdus factum ipsi que postea libere dimissi.

Prodigiosa V. illensis campana.

Vbertus Folieta, qui de rebus Genuensium luculenter scripsit, memorat, Alfonsum Regem, nonnisi summa suorum prece adductum, sese, id q; non ipsi classis Præfecto, quẽ ignobili loco natum esse sciebat, sed nobilissimæ gentis Nauarcho, Iacobo Iustiniano dedisse: Enimuero, ad iniqua re inclinata, cum & sagittarum imbre obrueretur, & fatiscente nauì pene mergeretur, & magnæ crassitudinis veruto, quod à ballista Genuẽsi magno impetu contortum ad pedes eius accideraat, magnaq; vi tabulato infixũ fuerat, vix non cõfossus esset, Proceres genib. subuixi ægreab illo impetrarunt, vt se tandẽ dederet, neq; sese ac suos nimia animi magnitudine ac constantia perditum iret. Ergo cõsilijs acquiescens, ac precibus, cum nomina atq; statũ fortunæ nauarchorum Genuensium sibi edi postulasset, omnibus, Blasio Præfecto decus dediti Regis summa ope petentibus, non acquieunt, sed Iacobo Iustiniano, cuius familia Chii rerum potiretur, iureq; signandi auri summi esset insignis, deditionem fecit.

Alphonsi Reg. magnanimitas.

Ea familia, multis meritis in republica Christiana illustris, ad hunc modum, eius nobilis Insulæ dominatũ accepit est. Insulæ Chij, atq; vtriusq; Phocææ in ora Asiæ Imperio, ductu Simonis Vignosij Genuensib. parto, classeq; victrice Genuam reuersa, Magistri nauium, quorum sumptibus expeditio facta fuerat, ac bellum alitum, fibi de impensis factis, ac de pecuniis Reip. mutuo datis satisfieri postulatunt. Cum exhaustum ærarium tanto ære alieno soluendo non esset, vectigalia partæ Insulæ illis ad certum tempus oppignorata sunt; quæ, nisi intra præstituram die à Repub. redimerentur, loco solutionis creditoribus cederent, simulque cum illis in sulæ, & vtriusq; Phocææ vtilis, quem vocant, dominatus; summo Imperio, quod merum & mistum iuris cõsulu appellant, ac iure gladii Reipublicæ saluo: quod creditorum corpus, Monas, Græco vocabulo nominatum est. Hæc Monas, vectigalibus non redemptis, vtili dominatu vti instituit, Magistratum ex sui corporis hominibus reipublicæ Chiensi, ac rebus gerendis pręficiens; quatuor viros ipsius Monadis suffragio creatos nominans, ex quibus summus Genuensis Magistratus Prætorem legit, qui iurisdictioni Chij præsit. Hæc Monas per varias occasiones, variisque temporibus omnis fere à familia Iustiniana occupata est: quæ cum capitum, & latium numero frequentissima esset, ac diuitiis florẽs, portiones cæterarum familiarũ, partim pretio, partim iure affiniratarum & successionum, aliisq; legitimis titulis sibi parauit. Huius familiæ nonnulla pars Genuæ subsitit; multo maxima, intestinorum malorum ac domesticarum discordiarum pertæsa, Chium, tamq; in quietiores sedes ac domicilium cõmigrauit, vrbem q; tam intra, quam extra pomarium magnificentissimis ædificiis frequentauit, & ornauit; cum centum amplius capita parrum familiarum esset. Cæterum, cum Baiazete Turcarum principe, à Tamerlano Tartarorum Imperatore acie victo ac capto, Cõstantinopolitani Cæsares periculo à Turca cerucibus imminenti liberati respirare cœpissent: ingens

LIV. *De nobilissima Iustinianorum apud Genuenses familia Chiiq; ac vtriusq; Phocææ imperio ab ea adepto.*

metus Iustinianis iniectus fuit, ne Cæsar vires paulatim assumens, insulam veteris iuris Constantinopolitanorum Cæsarum, quam Genuenses quinquaginta amplius ante annis illis abstraxerant, armis repeteret. quib. ipsi haud quaquam pares essent. Quamobrem in omne obsequij genus compositi, illius ira mitigata, insulam ab illo fiduciariam impetrarunt; quam ille genti ac nomini Iustinianeo concessit, cũ iure aurei nummi signandi. Hoc ius Iustiniana gens propetuo vsurpauit; quingentorum perparorum anniuersarium vectigal in Cæsaris vestiarium ex conuentis pendens. At Turcarum potentia in Asia in immensum crescente, atq; omnibus finitimis Regnis formidolosa facta; Iustiniani, vtraque Phocæa iam à Turca occupata. Insulæ quoque Chio timentes, fœdus cum Mehemete Calepini Turcarum Regis filio, Oratoribus ad eum missis inierunt. quo fœdere Iustiniani anniuersarium tributum quatuor florenorum millium pendere obstricti, in amicitiam & fidem à Turca acceptisunt, facultate illis, ac iure commerciorum facto, per omnia Asiæ Regna, quæcunque Ottomanorum Imperio parebant; tutoq; accessu, & recessu, omnibus negotationis causa Chium commeantibus, etiam Turcarum hostibus dato; defensioneque Iustinianorum Chii Dominorum (ita enim illos in diplomate appellat) aduersus quoscumque suscepta; cum solenni iureiurando promississet Turca, Iustinianos, à se, successoribusque suis inuiolatos fore, illorumque res intactas. Quo fœdere sancito, Insula opulentis commerciis celebrata fuit, atque incolis frequentata, quæ ad nonaginta millia capitum numerum ascenderent: eiusque vectigalia aucta ad sexaginta anniuersaria aureorum nummum millia, partim ex mastice, qui nullo alio orbis loco nascitur, partim ex portoriis, partim ex ipsorum incolarum tributo, Iustinianorumque opes, & dignitas in immensum creuit, qui tum egregio muro vrbem totam cinxerunt, validis circum propugnaculis firmato, peramplaque ac profunda fossa circumducta, in quam mare exceptum totam vrbem circumiuit. Iustinianorum insignibus portæ vrbis superpositis, ac in celebrioribus vrbis & muri locis affixis, decimo octauo postanno, idem ius fiduciæ, eademque fœdera & pacta cum Ioanne Palæologo Constantinopolitano Cæsare, eo qui Florentino Concilio interfuit, renouata sunt. Idem ius fiduciæ, eademq; pacta, post pugnam hanc quam modo descripsimus pugnatam, à Turca Constantinopolitano Imperio & vrbe potito confirmata sunt. Illa vero neutiquã vulgata est Iustinianæ gentis commendatio, quod cum nonnullæ aliæ Genuensium familiæ ad summam potentiam, summasque opes malis publicis magna ex parte peruenirent, ex discordijsque ciuitatis creuerint; vna Iustiniana gens, ad parem dignitatẽ, parque honoris fastigium, nulla, nisi salubri Reipublicæ parte, nullisque improbandis artibus conscenderit. Illa quoque Iustinianis semper fuit modestia, patriæque charitas, vt nuncquã summi Imperij titulo ac nomine, Genuam parẽtem vrbem fraudauerint; aut vsum Prætoris, qui iurisdictioni præesset, Genua Chium accersendi intermiserint; cum in colæ solenni illa ac stata anniuersaria acclamatione, vt mos erat genti Græcorum, Iustinianos Dominos agnoscerent atque salutarent. Cæterum istud omnem laudem superat, quod ea stirps Iustinianea, (si tamen est eadem cum illa, quæ apud Venetos Illustrissima habetur) Beatum Laurentium Patriarcham Venetum hac tempestate ediderit; qui cum triginta annis religiosam duxisset vitam, ad extremum ab Eugenio IV. Pontifice circa hunc annum M. CCCC. XXXV. pastorali sarcina oneratus, omnia primum tentauit, omnes preces adhibuit, omnes etiam quos potuit amicos interposuit, vt eam excuteret. vbi autem non potuit, ita eam accepit, ita etiam semper gessit, vt ad gubernandi sapientiam, ad zelum pro Dei honore, etiam ad fortitudinem, qua viris principibus sæpe restitit, denique ad curam pauperum, in quos pene prodigus videbatur, commune esset indicium, nihil addi potuisse. Sed nos ad institutam seriem historiæ redeuntes, necessario explicandum duximus, quid Genuenses à parta victoria, pertentarint; quidue illos à Philippo alienatos, Pontificiis partibus non multo post adiunxerit.

B. Laurẽt. Iustinian. Patriarch. Venet.

LV. *Quid Genuenses à parta victoria pertentarint & quideos postea à Philip. alienatos partibus Pont. adiunxerit.*

Res est. Philippus, omni studio sensuque ab Andegauensium partibus, ad Alfonsum nouum amicum repentine traductus, cum illis desertis, huic se arctissimo societatis & amicitiæ fœdere deuinxisset, imperauit Genuensibus, vt sex ingentes corbitas ad Alfonsum in sua deuehendum compararent, atque instruerent. Hæc cum omnia à Genuensibus, sed morantibus & quiritantibus facta essent; certior à suis factus, illos grauiter offensos, spectaculo inprimis Regum ciuitati sublato, de quibus Philippus tamquam à se victis triumphare voluerit; ne vultu quidem tantam iniuriam satis dissimulare, remque ad defectionem haud dubie spectare; vehementer perculsus, astu Genuensium cõsilia eludere parauit. Per speciem enim honoris habendi, Genuam scripsit; non se aliter de redemptione captiuorum acturum, quam coram Genuensibus ipsis, quorum opera & virtute capti sint. Legationem igitur ad se mitterent amplam & honorificã. Missi sunt Legati, quos ad se introductos Philippus benigne appellauit, atque, sese non minus de Genuensium commodis & amplitudine, quam de suamet laborare. Omnia se adhuc fecisse, ac porro facere gerre cturum, vt victoria non minus Genuensibus quam sibi læta sit; atque adeo illis, quam sibi etiam fructuosiori, expugnasse se tandẽ Alfonsi animum diu renitentem; atq; vt de Regno Sardiniæ illis cederet induxisse. Quo maior res erat, eo minus credibilis Genuæ visa. mirarique omnes tam subito Philippi voluntatem mutatam; vt qui ad Genuenses conterendos, eneruandos, omni dignitate spoliandos, omnibus iniquitatibus premendos, omne suum studium perpetuo contulerit; eos repente, tanto imperio, tantaque opum accessione augendos susceperit, profecto, in tanta benignitate aliquid fraudis latere, quæ fraus statim apparere cepit, aliis atque aliis armatorum agminibus, tamquam in præsidium Sardiniæ coactis, subinde Genuam missis. Exarsere Genuenses hoc nouo fallaciæ commento, ac vix ad pueros fallendos idoneis ambagibus. Cum hic esset animorum habitus; Genuenseque, minime dubij quin deficiendum esset, locum & tempus cõsilij exequendi circumspectarent; orta est res, quæ priora vulnera exulcerauit, atque ad superiores offensionum causas, nouam animorum irritationem addidit, Genuenseque ad cogitata consilia defectionis acceleranda adegit. Legati enim Caietanorum principes ciuitatis Genuam venerunt victoriam gratulatum, ac gratias actum, quod sese ex faucibus Alfonsi eripuissent, qui in Senatum introducti, Genuensis populi in se omnium temporum merita diligenter persecuti, cum non pauca de Francisci Spinulæ præsidis fide, constantia, fortitudine, ad hoc iustitia & continentia, totiusque cohortis virtute atq; indefessis laboribus, malorumque tolerantia addidissent, eaque singula, magnifica oratione, facta dictis æquando ad cœlum extulissent; ad extremum orationem ita concluserũt, vt dicerẽt, sese, dum fortuna Regni possessionem veto Regi adiudicat, intelligere, in nullius omnino populi aut principis, qui sub cœlo sunt, quam in populi Genuensis fide & ditione melius esse posse, proinde postularunt, vt Senatus quotannis Prætorem ac ciuitatis suæ Rectorem Caietam mittere ne grauaretur. Peramplum id nomini Genuensi dupliciter fore; qui ad bellicam virtutem, ac naualium rerum scientiam & gloriam, qua omnibus populis antecellant, ea continentiæ, iustitiæ, moderationis exempla addiderint, vt homines sese vltro illorum imperio subiiciant. deinde magno beneficio Renatum in perpetuum demerituros; si vrbem munitissimã, ac nobilissimum illum portum, quæ tamquam claustra, ac propugnaculum ab ea

parte regni Neapolitani sit, de manu Genuensium acceperit. Laudata est virtus & fides Caietanorum; qui cum tranquillam pacem agere possent alienorum malorum spectatores, sine vllo discrimine rerum suarum; fidei tamen aduersus legitimum Dominum seruandæ causa, in tam præcipitem casum sese suaque omnia dare non dubitarint, atque omnia extrema sint perpessi. Lætari igitur populum Genuensem, quod beneficium susũ apud tam gratos & fideles homines posuerit. Quod ad Prætorem mittendum attinebat; dilata res est, dum voluntas Philippi exploraretur, qui, re cognita, vsque adeo non tenuit iram, vt iure gentium violato, legatos Caietanos comprehendi atque ad se vinctos adduci imperauerit, quos ante se stantes, ac verbis primo male acceptos rogauit; quod tandem istud ipsorum fuisset consilium, vt in Prætore postulando populum Genuensem sibi tanto principi, tum autem eorundem Genuensium domino prætulissent. Liberum responsum vnus ex legatis dedit; sese rectores ab ipso Philippo, & à Genuensibus missos expertos; illorum superbiam, & auaritiam abominatos; horum æquitatem, & continẽtiam amplexos. Dux libero responso nonnihil se commotum demonstrans, multis rationibus docere homines cepit, bene illos rebus suis consulturos; si, partibus Andegauensibus relictis (id quod ipsemet fecisset) sese ad Alfonsum applicarint, qui regno haud dubie tandẽ potiturus esset. Si faxint igitur, properarent gratiam futuri Regis captare, ingentique promerito præteritarum offensarum memoriam delere. Sicque illos suis consiliis imbutos domum remisit. Tantis indignitatibus atque acerbitatibus alia super aliam coaceruatis, subacti Genuenses ad cupiditatem libertatis exarserunt. ac quanquam ad veteres difficultates nouus esset additus terror duorum millium armatorum, quos Philippus per simulationem præsidij in Sardiniam decreti Genuam miserat; libertatem tamen per æqua, per iniqua, per prona, per ardua repetendam esse statuerunt, atque tandem die Ioanni Euangelistæ sacro recuperarunt; hoc memorabili ad memoriam posteritatis euentu, quod tantum facinus, breui, facile, sine suorum sanguine, ac cum duorum tantummodo hominum cæde patratum sit. Exemplũ Genuæ Saona secuta, ipsa quoque Præfide Mediolanensi expulso, arces paulo post captas disturbauit. cæteræ quoque arces in finibus Genuensibus à Philippo excitatæ, non multo post, paruoque negotio deinceps captæ solo æquatæ sunt. Genuenses, iugo excusso, sex primarios ciues vrbis Rectores, ac libertatis tutores elegerunt; mox ad Eugenium Pontificem, à liberatione Regum anxium Oratores destinarunt, qui patrocinium Sedis Apostolicæ implorarent, ac si oporterer, fœdus expeterent.

LVI. Mariana hæc & alia quæ dã narrabat. Mota Genuensium arma sunt, palamque à Ducis Mediolanensis auctoritate discessum. Graue erat, partæ suo periculo & virtute de Regibus victoriæ fructum ad alios recidisse: gratiam factæ pacis, dimissorumque cum muneribus captiuorum, vni Philippo Mediolanẽsi cessisse; odium in se Aragoniæ, & Catalaunæ gentis excitatum, cum quibus graues ab antiquo inimicitiæ extitissent: patrocinium Mediolanensium Ducum, ad quod necessitate confugerant, Imperio, atque adeo dura seruitute mutatum esse, vrebat scilicet. Hac indignatione permoti, armorum societate cum Eugenio Pontifice, & Renato Andegauensi occulte constituta, arma corripiunt. Paccinus Alciatus, pro Philippo Duce, Genuæ cum potestate Præfectus, in populari tumultu perimitur, gladii intentati aliis, & vulnerati quidam, necatique. Obseruare sermones, vultum, habitumque notare; si vultus indignitate auersari præsentia, & Mediolanensibus fauere viderentur. Ergo quod in seditione populari fit, vnde plures erant, breui omnes fuerunt. Si qui contra sentiebant, palam tamen assentiebant, assentabanturque. Auctor seditionis Franciscus Spinula, defensa nuper Caieta nobilis, magnosque ex ea re spiritus gerens; ac quod caput erat, Fliscis & Fregosijs, qui Aragoniis fauebant. Genuæ auctoritatem, pleraq; eo tractu oppida secuta, & ad libertatis dulcedinem excitata defecerunt, pulso Mediolanensi præsidio. Hispani captini in custodia retenti; septuaginta aureorum millia ab Aragonio Rege numerata eorum redemptionis pretiũ. Cum Siculis mitius actum. Vetusta inter vtramq; gentem hospitij atque commercij iura exarabant. Sine pretio dimissi. Tres modo Ioannis Vintimillij filii diu Genuæ retenti; ex odio, an maioris pretij spe, incertum. Sed Aragonius tamen Philippi Ducis hortatu, Genuensium motus compescere aggressus ea classe quæ à Petro fratre Caieta missa erat, destitit conatu; cum id longum esset in tanta gentis consternatione, & festinanti ad Neapolitana sceptra omnis mora esset grauis, haud ignaro, in bellis ciuilibus diem & horam potius, nisi prouisum sit, magnas sæpe agendi opportunitates corrumpere: nihil esse festinatione salubrius.

LVII. *Arag. Pontifice contempto. Basileenses contra illum perurget.*

Surita, ea, quæ secretiora fuerant, reuelebat; nimirũ, Alfonsum, vnica cupiditate Regni Neapolitani obtinendi occupatum, secum deliberasse, omnia suæ spei facientia tentare; adeoque tum Eugenium, tum Philippum in fœdus ac societatẽ trahere; & ex hoc vno vnico suo desiderio, reliqua metiri, disponere, & aggredi; ita vt multo tempore visus fuerit, quasi in medio constitisse; & neque Basileensibus contra Eugenium, neque Eugenio aduersus Basileenses, neque Philippo contra confœderatos, neque confœderatis contra illum adhæsisse; sola expectatione euentus, quo Eugenius inclinasset. Enimuero, si à Pontifice, id quod missis Oratoribus, Episcopo Illerdensi, Friderico Vintimillio, & Iacobo Peregrino postulabat, impetrauisset, vt Rex Neapolitanorum, iure fiduciario, à Sede Apostolica esset & diceretur; manifesto ad illum, contra Basileenses declinauisset. Si vero votis suis aduersum videret, contraria consilia capesseret: quemadmodum ab eo tempore, quo minus sibi fauentem, imo in Renati partes propendentem agnouit, maxime à recenti beneficio & persuasione Philippi fecit, Pontificeque contempto, nihil non egit, vt Basileenses multo acrius contra illum perurgeret. Hinc maior calamitatis origo fuit Eugenio Pontifici, dum contra Alfonsum niteretur Regem, qui abrogato iam pridem per Ioannam iure, adeoque nullo titulo, ad regni Neapolitani possessionem, sola cupiditate occupandi mouebatur. *Surita. lib. 14. Annal. cap. 23. 24. 25. Mariana lib. 21. c. 7. 9. 10. 11. Foleta hist. Genuens. lib. 10. Facius lib. 4.*

LVIII. *Eug. diuersa eccles. loca recuperat.*

Inter hæc Patriarcha Vitelleschus, Vetrallam oppidũ per deditionem recuperauit, & Iacobum Vicanum gẽte Castellum vltimum vrbis Præfectum ex ea familiæ linea, quæ à temporibus Cœlestini III. maiorem natu, ad Præfecturam vrbis hactenus proferebat, iudicibus prouinciæ, vt de eo capitale sumerent supplicium permisit: atque omnibus Braccianorum reliquijs in Hetrusco Ecclesiæ patrimonio deletis, cum paruas pro suscipienda Regni legatione copias haberet, ad Eugenium rediit. Cumque Carolum Fortebraccium Florentiam aduenisse, & reddito Assisio, milites, Nicolai recens occisi reliquias, Pontifici commendasse inuenisset, eorum ipse optimos quosque selectos conscripsit. Quando autem per iniquitatem hyemis irruentis, necquicquam sufficeret tam longo itinere faciendæ expeditioni, Burgi sepulchrum, & nonnulla alia castella in Flaminia & alibi pro Ecclesia Romana recepit. Nicolaus etiam Piccininus, quum Bononiam, ad Ecclesiæ obedientiam deuenisse, omniaque in Flaminia quotidie pacatiora fieri audiuisset, acceptis à Pontifice, quos sibi debere Bononienses dicebat, duobus aureorum millibus, Bolognesium, & Diui Petri oppidum ipse etiam reddidit. Pontifex porro, Danielem Concordiensem Episcopum Bononiensibus Gubernatorem dedit: *Blondus decad. 3. lib. 7.*

Mentio est in superioribus, de Wilhelmo Duce Bauariæ. De hoc ista memorabat Nider.

LIX. *De Willelmo Bauariæ Duce habitu ab ipsomet prognostico.*

Annis illis quibus præsens Basileense duranit generale Concilium, eidem in Protectorem, loco Cæsareæ Maiestatis datus est Illustris Princeps Willhelmus Dux Bauariæ, pater pauperum, & tutor omnium Religiosorum, cuius quam laudabilis vira fuerit, testantur orphanorum & viduarum lacrymæ super eodem effusæ mortuo. Hic anno vltimæ præterito, postquã ad propria de Basilea rediit, prout diligenti inuestigatione à sibi notis facta audiui, quadam nocte somnium habuit, in quo ceruum staturæ elegantissimæ vidit, in cuius vno cornu campanellas habere, & in alio cereos plures affixos conspexit: renator autem quidam, multis cum canibus fugientem insequebatur ceruum, & euadendi eidem omnes vias præuenit; quo viso territum animal in cæmeterium Ecclesiæ Beatæ virginis, quæ in ciuitate Monacensi sita est, fugit, & in apertum sepulchrum descẽdens, per canes captus & occisus est. His visis euigilauit Princeps, & de eis factis admirari cœpit, quid res ista infausti vel ominis portenderet. Cumq; die sequenti suis ista præfaceret, ipse ferrur dixisse, aliis vatie somnium interpretantibus: *Ego*, inquit, *sum iste cervus, & in breui hanc vitam mortalem concludens, in dicta Ecclesiæ loco humari eligo.* Aegrotauit proinde statim moriturus, & quamquam quibusdã diebus paucis viueret, tamen sumptis Ecclesiasticis Sacramentis vel citer satis vita functas est cum illi meruerit Deum dedisse Deus significationem, vt fugeret à facie arcus sæuientis in morte inimici. *Nider lib. 2. c. 4.*

LX. *De Renato Lotharingiæ Duce & infœlici eius contra Burgund. Ducem pugna.*

Facta subinde est mentio, de Renato Lotharingiæ Duce. Captiuus is tenebatur à Philippo Burgundo, in eo prælio captus, quod Romanus contra Vademontensem comitem infeliciter gessit. Visus est ab ea pugna cœlitus deterreri, idem ipse Renatus. Fuere enim qui aspexerint illius vexilla modo ad dexteram, modo ad sinistram versa crispari, & cum vento luctari; ecõtra Burgundorum retro hastas, quasi nullum sentirent flatum directa ferri. Ab hoc signo portendi aiebant, funestam pugnaturo diem Renato. Contempsit is, vt à pugna abstineret admonitus, & in hostes numero pauciores, cum XVIII. M. equitum, peditum vero XX. M. exercitu iuit, sed non rediit. Captus, in vincula ductus, & nonnulli principes cum eo. Mira res, & apud posteros caritura fide. Quinque hominum millia, octo & triginta millia fuderunt, tantum in bello Dei potestas conspicitur. Signa militaria octo & centum intercepta: ex hostibus tria millia cæsa; viri nobiles mille & ducẽti capti: ex Burgundis DCC. perierc. Nihil tam in bello nocet, quam hostem contemnere; & inprimis iniustam belli causam, vel nullam habere. *Commentar. Pii 2. lib. 9.* Facta deinde est mentio oppidorum plurimorum, quæ ad fidem Pontificis redierant. De Fulgineo hæc narrabat, author *Commentariorum Pii 2. lib. 2.*

LXI. *De Fulgineæ Reguli vaticinio.*

Ferunt eius vrbis Regulum, sanctum virum propheticum habentem Spiritum olim consuluisse, an Regno sua posteritas aliquando priuanda esset; illumque respondisse priuandam, cum boues circum mœnia euolarent ciuitatis. Quod cum impossibile videretur, æternum sibi posteriscq; imperium vrbis tyrannus persuasit. Verum nepotibus vrbem tenentibus, Ioannes Vitellensis Alexandrius Patriarcha eo cum copijs profectus, cum obsidere vrbem cœpisset, explicatis vexillis, in quibus insigne fuit par boum, qui flante vento, & agitãte vexilla volare quodammodo videbantur, magnum ciuitati terrorem incussit. Erat enim cunctis optimatibus notum vaticinium, nec multo post tyranni dissipati sunt, ac ciuitas dedita est, quæ vsque in hanc diem Romani Pontificibus obtemperat.

LXII. *Obitus Ioann. Polen der Dominicani.*

Hoc anno Basileæ vita functus est, Ioannes Polender, Dominicanus; tanta opinione sanctitatis, vt Patres Basileenses dignum iudicauerint, quem Noremberg Basileam euocarẽt, qui esset exemplar totius perfectionis, omnibus ad eum cœtum ex toto orbe venientibus miraculo cunctis fuerat, quod loricam ferreã, & ericem quandam ferream nudo in corpore gestauerit, & quodam funetriginta nodis distincto loco flagelli ad mortificationẽ carnis vtus fuerit: perpetuo vel orationi, vel officiis diuinis, vel concionandi functioni, vel prælegendis lectionibus, vel consolandis afflictis, ægrotantibusq; addictus. *Pius, lib. 1. de viris Illustrib. ord. Prad.*

LXIII. *Palentin. Episc. à concubinario interfectus.*

Eodem anno in Hispaniis, Rodericum Velascum Palentinum Episcopum, miserabili casu, familiæ cocus peremit, Ioannes nomine. Emota forte mente nodosum stipitem cum gestaret, rogantibus ioco aulicis, respondere erat solitus, *mactando Episcopo* vocem barbaram (erat enim natione externus) non intelligentibus risum mouens; mox verissimas lacrymas excussit, heri securi capite eo stipite comminuto. Adeo tenui filo suspensa sunt salus opesq; hominum. *Mariana lib. 21 cap. 8.*

LXIV. *Duo exempla virginitatis seruatæ in duabus virginibus.*

Hoc tempore, duo exempla virginitatis seruatæ à duabus quibusdam virginibus, mori, quã nubere præeligentibus, narrabat Nider, valde iucunda.

I.

Anno proxime præterito, Decanus de Isni, Constantiẽsis diœcesis presbyter, verbo & exemplo fide dignus, narrauit, quod in oppido Marckdorff, vnde oriundus fuit, in præfata diœcesi consanguinem habuit iuuenculam Bramidanulam nomine, virginem pulcherrimam, & nuptui idoneam; quæ tamen diuina inspiratione contra morem confodalium, & omnium suorum amicorum, ignorantibus multis, proposium castitatis firmauerat animo. Venerunt igitur ad eam consanguinei, qui virginis & suam parentelam dilatare statuerant, eamque molestabant, vt nuptui alicuius viri per thorum legitime cõtrahendum assentiret. Hoc illa renuit, dicens se iam Christo loco viri desponsatam, nec velle nubere alteri. Cumque dietim instarent noticius, & præcipue patruus, vt nuberet, vocauit ipsa præfatum Decanum velut Dei Sacerdotem, & ad eum ait; *Quæso venerabilis Domine, & amice, in hac mea extrema necessitate persuadere velis patruo meo, vt me Christo in virginitate seruire permittat; quia ita illud animo firmiter seruare deliberaui. Enumero patruus qui est principalior, mihi præstat impedimentum atq; difficultatem.* Cum autem Decanus à patruo virginis istud attentaret, hic velut homo seculi respondit: Nequaquam hoc expedit; fœmina est; melius est vt nubat, quam in verecundiam nostri die proximo fornicaria pariat. Hoc responsum, cum virgo percepisset, nec amplius ab homine huius vitæ se tueri speraret, ad sponsum suum Iesum Christum orationibus intensissimis statim confugit, & eidem Domino suam pudicitiam, vt illæsa seruaretur commendauit: non dubitans, eum multos modos in sua potentia habere, quibus eam custodiret, siue per vitam, siue per mortem, ad quæ indifferens erat. Et ecce nutu Dei, licet prius fortis esset robore, statim infirmari virgo cœpit, & in lecto decumbere, diuinaq; inspiratione se sensit in breui ab hac luce migraturam. Cumque dictus Decanus gratia visitandi infirmam accederet, admirans de inopinata ęgritudine, illa læto ac hilari vultu dixit ei: *Domine, vos & cognatos interpellaui, vt me in virginitatis proposito Christo seruire sinerent. Id mihi denegastis: sed idem cui fidem seruaui, me exaudiuit, clementior existens, quam vos qui homines estis. Noueritis enim, quod die proxima lætè moriar, & Christo Iesu euocata.* Quo audito consanguinei, prorumpunt in lacrymas, & sequenti die virgo Christi Sancte in eo obdormiuit qui est sponsus virginum.

II.

Sunt vix duo anni elapsi, quod ad leucã vnam extra oppidum Columbarienſe, Basileensis diœcesis, in loco qui Vuple dicitur, in castro nobilis quidam cum legitima vxore sua ingenua residebat, secundum seculum quidem honeste conuersantes, sed in filia vnica quam

habue-

habuerant, potius humanam gloriam quam diuinum quæsisse honorem videntur. Abundabant enim diuitiis & amicorum copia; sed vnam prolem cantemmodo habuerunt virginem, Annam nomine, iam nubilem: quia ætas, venustas corporis, & generis nobilitas ibi concordabant. Fuit autem puella à iuuentute Deo deuota, & gratiosa apud homines, pauperibus misericordissima, quinde cim circiter annorũ in ætate, quæ numquã virum concupierat, sed virginitatis propositum semper dilexerat. Solebat enim pure confiteri: & quando Fratres nostri de Columbaria castrum intrauerunt, summæ deliciæ erant puellæ, audire de diuinis ex nostris loqui, & de verbis Euangelicis. Verum quia parentes totam sui generis parentelam in hac virgine vnica, si nuberet, sperabant succrescere, & protelari in longius in prole, victi successionis desiderio, virginem præfatam cuidem nobili in coniugem promiserant, contractum quantum poterant firmarunt; hoc excepto, quod nemo audebat virginis quærere propositum, quod plus violentia quadã, quam matura persuasione putabant emolliri posse. Præparabantur igitur in vestimentis, & in apparatu omnia futuris necessariis nuptiis, & ordinauerant, quod virgo die qua debuit præsentari marito, in domo culusdam nobilis viduæ poneretur, quæ imminentibus nuptiis, eius procuraret cõsensum. Sed is qui in cœlis est irrisit hęc fraudis commenta: cum puellam quam sibi elegerat, mundam habere voluit. Nam præcedentibus octo diebus ante diem nuptiarum condictarum, virgo ignara fraudis febre corripitur, & lecto cœpit decumbere, dietimq; intendente se morbo, vocatus est Confessor nostræ portæ in Columbaria Frater Petrus, vt confessionem virginis audiret. Sumptis aliis Ecclesiasticis Sacramentis à Pastore, virgo, videbatur ad mortem properare. Volens autem mater puellæ amorem virginitatis verius in filia comprobare, ait; Quæso te filia charissima, in veritate dicas iam proxima diuino examini eligisne potius mori quam viuere, & maritum habere aliquem legitimum? Cui virgo, cum gaudio respondit; *Potius moriar.* Quo dicto virgo, deuotissime vita functa est, & in crastino, ea scilicet die, qua homini terreno præsentari debuit. Christus eam in sponsam sibi dilectam assumpsit. Cum autem indumentis propriis exuta, funeralibus indui debuit, inuenta est virgo tenera in genibus callos velut camelus duros contraxisse, ex genuflexionibus creberrimis in oratione. Verum quia nihil est omniquaque, vel vixin hac vita perfectum, paulo post vitę exitum, apparuit nocte cuidem valde deuotæ Sanctimoniali, quæ Gertrudis vocabatur, in monasterio de sub tilia sito intra oppidum Columbarienſe; quæ vidit post se curentem quandam virginem mortuam, quam prius numquam nouerat. Ab ea cum quæreret, quæ esset: respondit; *Ego sum pridie defuncta Anna virgo de Wyller (in castrum patris vocabatur) & vnius Eucharistiæ oblatione egeo, quam peto pro me celebrari obtineas à Priore Fratrum Prædicatorum. Tunicam autem meliorem quam habui, matri dicas quæ me genuit, vt ob reuerentiam Virginis benedictæ pauperibus eroget.* Ita visio disparuit, & Sanctimonialis euigilauit. Cumq; numquam de virgine prius audisset, mentionem fieri, erubuit visionem alicui dicere. Sed dum altera nocte iterato vidit vt antea, tunc cõpuncta, confessori suo Fratri Ioanni Wolffœdi q̃ percepit narrauit, & ita animæ subuẽ it, prout virgo in visione petiuit. *Nider li. 4. c. 5.*

Felicior foret quædam fœmina quanquam viro principi iuncta, cuius hoc anno meminit Kranzius, si exemplo duarum illarum virginitatem connubio prætulisset. Narrabo, ad præmonitionem earum, quæ ad magnorum coniugia anhelant, quid hinc acciderit.

LXV. *Exemplum infelicis connubii.*

Per eadem tempora (*narrat Kranzius*) Gherardus Dux Slesuicensis, frater Adolphi, cum coniugem accepisset de domo Badensi honestam Dominam Annam, nuptiisque peractis in eius patria, secum duxit in Holsatiam prægnantem: & cum grauiori lapsi partum properaret, ad duos menses vel circa, legitimum paricudi tempus præueniens, peperit gemellos, puerum, & puellam. Infantes cum nihil imperfectum præferrent, cœperunt male loqui maligni, quod non ex Duce mulier concepisset; sed priusquam illi iungeretur, iam prægnans extitisset. Quæ res perlata ad Adolphum fratrem, à susurronibus male aucta fama eptimæ fœminæ, iussit ille fœminas adesse præsentes, prudentesque, quas ex omni terra & vicinis vrbibus fecit ille conuenire: quarum iudicio conspecti parnuli, Gerhardo patri ab omnibus adiudicantur. Physici quoque testati sunt, in illum diem ex hora conjunctionis in totum potuisse partum fieri septimo mense, aut etiam ante, accedente lapsu, qui parturientis tempora acceleravit. Ita omnium tum iudicio defensa est matronæ pudicitia. Sed tamen quicquid à peritis diceretur, præualuere linguæ maledicæ; & apud Adolphum Ducem Gherardi fratrem tanta inualuit indignatio, vt bona fœmina malis cedere cogeretur, in patriam suam tristis reuersa, Sequutus abeuntem maritus vt reuocet, in ipso itinere deficiens, mortuus est in oppido Emerick ad ripam Rheni. Parnuli autem mox separantur; & puella quidem seruata est in monasterio, in quo diu vixit longe extra patriam: puer autem interiit. De huius interitu ferunt inconsolabiliter postea luxisse Adolphum nec vmquam sui corporis hæredem meruisse, qui inuiderit fraterno; quamuis coniugem haberet, egregiam fœminam sororem Comitis Mansfeldij. *Krantzius lib. 11. Saxon. cap. 21.*

ANNO CHRISTI 1436.

Eugen. Pap. IV. an. 6. Sigism. Rom. Imp. an. 4.

I. *Alphonsi Reg. conatus ad Neapol. regnũ occupandum & eius studiũ Eug. quib. posset modis inconmodandi.*

Priusquam veniret in Italam Alfonsus Rex Aragonum hi ipsi procres, qui ad occupandã Regni Neapolitani possessionem illum è Sicilia euocabant, Ioannem Catamanicum, vrbis Capuæ Præfectum, magnis præmijs corruperant, vt arcem illis pro Alfonso traderet: quod scirent eam vrbem, quæ ab Andegauinæ factionis Principibus tenebatur, ingentis ad victoriam momenti esse. Ea per proditionem, ab Ioanne Antonino Martiano Duce Suessano intercepta, cum iam Alfonsus Rex à Philippo dimissus fuisset, & in portu Veneris adhuc consisteret; Petrus Alfonsi frater, cum quinque nauibus longis è Messana adnolans, Caietam, quæ iam in Isabellæ Renati vxoris potestatem venerat, aliquorum Caietanorum, siue deditione, siue proditione, nocte occupauit. Ad eam vrbem, cum ipse Alfonsus post aliquot dies appulisset, Tarentino, & cæteris partis suæ proceribus accersitis, de continuando bello, deque vniuerso Regno in potestatem redigendo, intentius meditari cœpit: contractisque quas potuit copijs, Nuceriam in Lucanis aggressus eam præter atcem cum aliquot castellis circumiectis cepit. inde castris motis, Matianisum, Scaphatum, castrum Maris, Areolam, Pennam, Theate, Sanct. Angelum, & Terracinam, sine debellauit, siue terrore belli ad obsequium coegit. Præter hæc Auersanos, Cerranos, Malfiranos, Comitem Nolanum, Aquilanos, & alios Proceres & nobiles, qui non alium quam Romanum Pontificem, & ab eo designandum Regem agnoscerent, per Tarentinum principem, & per Petrum Thomacellum Abbatem Casinensem, nec non per Antonium Aquilanum ac alios suæ factionis viros tentauit; Petrumque fratrem in Siciliam, parandæ classi, conducendoque militi remisit, vt ampliore potentia totum Regnum inuaderet.

Non poterat ignorare, Eugenium Pontificem ægre ferre, quod ipso inuito ad Regni possessionem conspiarit, ac inprimis Teracinam, ditionis Ecclesiasticæ ciuitatem occupauerit. Itaque de Teracina inprimis, se dolere simulauit, quasi se inscio Petrus frater illam recepisset; eaque propter Garziam Aznarium Episcopum Illerdensem ad Eugenium misit, qui diceret, Regem, non quidem iuris sui Teracinam fecisse,

sed

sed in protectionem tantum accepisse quod ex stimaret, ad se velut fidelem & amicum Ecclesiæ pertinere, ne subdit Apostolicæ Sedis iniuriæ exponi, intutiremanerent, in tanto belli turbine, quantum Andegauenses excitassent. Intellexit Eugenius, consilia & conatus Alfonsi, qui vno eodemque fere tempore, & arma expediebat, & proceres ac populos ad se trahebat, & à Sede Apostolica ius & titulum Regni quod inuadebat, postulabat. Itaq; illum benigne admonuit, & nisi cœptis desisteret censuram Apostolicam audenti ostentauit, ne Regnum, iuris & dominii Ecclesiæ Romanæ, per vim, aut per artes quæreret; & quæ iam hactenus occupauisset, cepisseque Legato cum potestate misso restitueret; ac si quod iuris quæsitum vel haberet, vel habere se putaret, coram Sede Apostolica ostenderet. Sibi constitutum esse, neq; illi, neque cuipiam iniuriam inferre velle; sed nec etiam iura Romanæ Ecclesiæ posse deserere; aut impune permittere, vt vel ille, vel quispiã alius ea violare, vsurpareque contendat. Pupugit ea res Alfonsum, vni soli Neapolitano Regno conquirendo intentum. Et quia nõ ignorabat Pontificias vires, à cõfœderatione cum Venetis, Florentinisq;, horum autem à Ducis Mediolanensium Philippi momento pendere; postquam Philippum amicum ac socium sibi fecisset; Antonium Panormitanum, ea tempestate inrisperitũ insiguem, ad Senenses, Florentinos, & Venetos Oratorem destinauit; qui illos populos ad societatem & amiciciam inuitaret. Et Senenses quidem, non difficile in sententiam pertraxit; alios minime dimouere potuit: quorum adiutoriis fretus Eugenius, copias non contemnendas ad Regni tutelam misit: ex qua occasione Alfonsus iam hostilia meditatus, inprimis Prælatos ac personas Ecclesiasticas suarum ditionũ, Romã, & à Curia Pontificia euocauit, deinde Fratrem Bernardum Serram, quem ab eleemosynis distribuẽdis habuerat, Romam, qui Vrsinos & Columnenses vel sollicitaret, vel adinuicem committeret, Romanumque clerum ac populũ ad defectionem concitaret, ire iussit; nihilq; non egit, vt in vtraq; re, & temporali scilicet, & spirituali Eugenio incommodaret; professus publico scripto vbique diuulgato, se omnia tentasse, vt Pontificis gratiam & benuolentiam promereretur, Patremque ac protectorem experiretur; nihil tamen profecisse; sed aduersarium omnibus suis consilijs hactenus agnouisse, neque parem gratiam meritis prioribus ab eo retulisse; quamquam omnia abunde & fecerit, & pertulerit, Sedi Apostolicæ ornandæ, & ab iniurijs vindicandæ. Itaq; hoc quod extremum superesset, Deum iudicem, in cuius oculis se se innocentem esse confideret, testari, Regibusque omnibus & Principibus Christianis significare, non per se stare, si ad alia remedia manum seriam admoueret, & tam via Conciliari, quã via facti conetur ostendere, Eugenium suo ipsius maximo incommodo, secum inimicitias suscepisse. Sibi sententiam sedere, & per Patres Basileenses, & per validas quas posset contrahere copias, & omnibus quibus præstaret modis, Eugenio non impune fore, quod in Regno Neapolitano hostem se declarasset.

Senen. Flor. & Venet. in societatem pertrahere laborat.

Protestatio contrà Eug.

Hæc cum diuulgasset Alfonsus, Episcopum Illerdensem quem apud Eugenium esse volebat Oratorẽ, reuocauit; illumque ipsum Bernardum Serram, Nuncium, Basileam misit, qui renunciaret, Alfonsum velle, non tantum Oratores destinare, verum etiam omnes Prælatos Regnorum suorum, vt se Basileam conferant, vtque decretum Constantiense innouent, & innouato illo, ad reformationem Ecclesiæ in capite, adeoque ad deiectionem Eugenii compellere. Sciuit istud Eugenius, & vt Alfonsum in officio contineret, se illi benignum & æquum fore iudicem, in causa Neapolitani Regni exhibuit, si modo is aliquem ad illud consequẽdum non iniustum titulum ostenderet. Nam quod attineret adoptionem, ab Ioanna Regina factam: illa ipsa Ioanna eandem ex grauissimis causis abolebat. Quod vero Martini Quinti diploma, quo is ferebatur eam adoptionem comprobasse, spectaret; cum illud Alfonsus proferre non posset; vana autem & futilis excusatio videretur, quasi illud ipsum fidei Cardinalis Sancti Angelani, vt ad mortem suam vsque seruaret occultum, à Martino Pontifice concreditum, mortuo eodem Cardinale interijsset; minime vigere; quod in archiuo & tabulario Romanæ Ecclesiæ nusquam extaret; nemo eius diplomatis testis esset; & si etiam superesset, quemadmodum certo certius non superabat, vitio non careret; vel ex ipsa Alfonsi confessione, qui occultum, vsq; ad mortem Martini, in manu aliena, seruatum fuisse affirmaret. Enimuero, si æquitati nitebatur priuilegium; non erat necesse occultari. Si occultatum seruabatur! lucem effugiens, nescio quid continebat: cum tamen veritas & æquitas ament lucem, Surdo narrabat omnia Eugenius. Alfonsus enim non nisi ius se habere iustissimum venditabat, & merita in Sedem Apostolicam prædicabat, & officia in Pontificem ostentabat; & ab his animosior factus, omnia iniqua Eugenio machinabatur: vel tũ maxime irritatus, quando intellexit Carolum Regem Galliarum Oratores ad Pontificem, Renato Andegauensi ius & titulum Regni Neapolitani postulatum, Florentiam misisse; Eugeniumq; certis conditionibus, inter quas nõ postrema numerabatur, vt Rex Galliarum vna cum Principib. subditis & confœderatis, ad dissolutionem Basileensis Concilii collaboraret, & Prælatos Regni sui Basilea reuocaret, Renato spem feciſſe; adeoque auxilia partiariis illius destinasse. Tunc enim missis ad omnes Reges & Principes Christianos Oratoribus, conatus est illos in Eugenium inflammare, eosque ab obsequio illius auertere. Tanta cupiditate flagrabat eius Regni.

Nuncium Basileam mittit.

Ferocientem conatus est Pontifex, siue lenire, siue refrenare: & datis litteris, rationem factorum suorum illi ostendit. Simulq; eorum quæ is in Sedem Apostolicam statim à morte Ioannæ Reginæ admisisset, illi in memoriam reuocauit: se, quod de facto, arma Regno intulerit; Caietam primo tentauerit, postea occupauerit; proceres ab obsequio Sedis Apostolicæ auerterit; Ciuitates & oppida, & in his Terracinam in potestatẽ rapuerit; Legatum Sedis Apostolicæ, ingressu regni prohibuerit, & exercitum aduersus illum miserit; Columnensium aliquot in Ecclesiam armauerit; Braccianos, & nonnullos alios, ad prædandam diripiendamque vrbem Romanam excitauerit: Petrum fratrem omnia hostilia in Romanæ Ecclesiæ subditos & fideles patrare siue iusserit, siue toleraverit; nihil quæ eorum omiserit; quæ hostis acerrimus potuisset tentare. Ad hæc Alfonsus reponens merita in Sedem Apostolicam in procuranda vnione Ecclesiæ, tum in subigendis Mauris Gerbensibus, iterum reperebat: reliqua autem excusabat: sibi licuisse armato, in Regnum Neapolitanum, quod sui iuris ex adoptione Ioannæ iactabat, venire; possessionem eius armis acquirere, rebellesque reprimere. Quod autem Pontifex monebat, vt non armis, sed disceptatione iuridica, de iure contenderet; ac interim Regno ipse excederet: & copias deduceret, Regnum q; liberum in manibus Sedis Apostolicæ, donec de iusto titulo doceret, relinqueret; in vanum afferebatur: cum is meliorem conditionem esse possidentis, seq; iustum possessorem vsque ad ranim venditaret; reliqua autem quæ obiiciebantur, frtiuolè diluerent. Inter hæc Basileam Patribus scripsit, vt alicui qui pro Sede Apostolica, seu vniuersali Ecclesia, Romam, & reliqua Patrimonii Romanæ Ecclesiæ reciperet, vellent committere: sibi in animo firmum esse, armis illa omnia recuperare, atque Commissario pro vniuersali Ecclesia ab illis designando recuperata addicere. Misit & ad extremum Ioannem Garsiam Theologum quo à Confessionibus vtebatur, qui Eugenio diceret; pacem secum inire nedum recusaret; in Regno capessendo ne sibi obsisteret, arma deponeret; vincere orationibus exemplo Moysis disceret; Legatum è Regno Neapolitano reuocaret: concordiam inter principes Christianos fereret; nemini

Eugen. ferocientem refrenare cupiens magis cum irritat.

Responsio Eug. quâ Alphon. prætensum eius refutat.

eorum

eorum magis quam alteri faueret; æquum se omnibus præberet: Concilio Basileensi adhæreret, & ad illud veniret, indidemq; Patribus innocentiam suam probaret. Quod si recusaret, Deum iudicem, Cardinales vero omnes & Ecclesiam vniuersalem testes inuocabat, nemini alteri præterquã sibi imputaret, si aliquid secus in posterum accideret. Ista omnia, & alia pleraq; nimia libertate & confidentia sui vsus, effudit Alfonsus; Patribusq; Basileensibus author fuit, vt de abdicando Eugenio consilia inierint. *Surita lib. 14 Annalium Aragoniæ, in Rege Alfonso V. cap. 32. 33. 34. 37. 38.*

II. *Basilens. institutu Eug. Alph. pontificatum Eug. abrogare & multa ad electionem futuri Pontific. sancire præsumunt.*

Non surdis auribus audierunt Basileenses, Eugenio statim ab initio infesti, quæ ab Alfonso obtrudebantur. Enimuero hoc anno, sessione XXIII. ad VIII. Kalend. Aprilis celebrata, quasi iam sedes Apostolica vacaret, multa ad electionem futuri Romani Pontificis sancire præsumpserunt: nimirum, vt decima post obitum aut vacationem sedis die, Cardinales præsentes Cõclaue ingrediantur: duos tñ famulos secum introducant; Cæremoniarum cura, duo clerici, quorum vnus sit Notarius accedant. Singuli Cardinales, singulas cellulas habeant. Camerarius reliquos excludat; omnia diligenter perquirat, ac præter medicinas, omnia ad victum pertinentia amoueat. Cibaria singulis diebus inferenda perlustret, nullas epistolas admittat. Ante actum electionis missa de Spiritu Sancto celebretur, in qua omnes communicent Cardinales. Illi ipsi super sacra Euangelia, Deo iurent, & Beato Petro promittant, illum se in Pontificem electurum, quem credant Ecclesiæ vtilem, & tantæ idoneum dignitati: neque illi se daturos vocem, quem sciant promissione, aut datione alicuius rei, vel prece, per se, vel per interpositam personam, pro se electionem procurare. Electo Pontifici, Cardinales, non prius obedientiam tribuant, quam iuret iuxta formam decreti Basileensis Concilij, omnium generalium Conciliorum obseruantiam à se ipso inchoare, schismata tollere, libertatem Ecclesiasticam iuuare, curiam suam reformare, Ecclesiæ ditiones fideliter gubernare, nulla in re quæstum, sed charitatem intendere. Statuerunt præterea, ne Pontifex consanguineum, vel affinem vsque ad tertium gradum, Ducem, Marchionem, feudatarium, vel emphyteutam vrbis, vel etiam prouinciarum præsidem constituat; nec constitutum Cardinales approbent, omniaque consilio Cardinalium gubernet. De numero, & qualitate Cardinalium eligendorum, hac etiam sessione statutum est, vt iã am XXIV. eligantur, in scientia, moribus, rerumque experientia excellentes, ætate maturi & graues, licentiam vel Doctoratum in iure vel Theologia habentes; neue electi, sint consanguinei Pontificis, vel aliorum Cardinalium, nullaque irregularitate impediti.

Trahebant præterea Imperatorem Constantinopolitanum Basileam; inque hanc rem tum Saluum conductum, tum indulgentias, tum subsidia pecuniaria edicebant; postquam illius & Patriarchæ Græcorum, in sess. XVIII. Kalend. Maij legissent. Hæc sunt acta.

SESSIO XXIII.

De electione summi Pontificis.

III. SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

** per, &c. industriã.* Quoniam salus populi pastor bonus, merito hanc sanctam synodum, quantum * pro humanæ legis fieri potest industria, niti decet, vt Romanus pontifex, qui gregis dominici primus & summus est pastor, talis fiat, talisque perseueret, qui cunctarum animarum saluti ac totius Christiani orbis vtilitati prouideat, & tanto officio digne satisfaciat: proinde constitutiones tam sacrorum Conciliorum, quam summorum Pontificum, super Romani electione Pontificis editas, innouans hæc sancta synodus, & eis quædam salubria adijciens, statuit, vt quotiescunque sedem Apostolicam vacare contigerit, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præsentes in loco, quo summi Pontificis electio celebranda est, decima die postquam sedes vacauerit, omnes in Capellam aliquam vel locum prope conclaue conueniant. Inde præcedente Cruce, bini cum deuotione cantando, *Veni creator Spiritus*, incedentes, locum conclauis ingrediantur: quo non nisi duos familiares necessarios quilibet introducat. Cæremoniarum autem gratia, duo clerici, quorum saltem vnus sit Notarius, etiam admitti possint. Camerarius vero, cum his quibus conclauis custodia commissa fuerit, caret, ne quis præter prædictos conclaue ingrediatur. Ipse autem post ingressum Cardinalium, clausis foribus, cum deputatis intret, & singulorum Cardinalium cellas diligenter perquirat. Exceptisque infirmorum aut debilium medicinalibus; si qua ibidem victualia vel confectiones reperiantur, amoueat. Exiens inde, claudensque conclauis ostium, custodiam solicite obseruet, ac singulis diebus cibaria quæ Cardinalibus deferuntur, accurate perquirat, nec introferri permittat, nisi quod pro moderata refectione necessarium videatur, decretis huius sacri Concilij *, quæ promulgantur in quarta & septima sessionibus, in suo robore, firmiter permansuris. Sequenti die Cardinales omnes coram his qui in conclaui fuerint, audita Missa de sancto Spiritu, factam fumant Eucharistiam. Et ante quam scrutinium inchoent, antepositis sanctis Euangeliis, iurent super hac forma: Ego N. talis Cardinalis iuro & promitto omnipotenti Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, ac beato Petro Apostolorum Principi, eum eligere in Pontificem, quem coram Ecclesiæ vniuersali in spiritualibus & temporalibus vtilem, & tantæ dignitati idoneum; nec illi vocem dare, quem verisimiliter sciuero, promissione aut datione alicuius rei temporalis, seu prece per se vel alium interposita, aut alias qualitercunque directe, vel indirecte, pro se electionem procurare, electoque in Pontificem non prius obedientiam facere, quam iuret iuxta formam decreti sacri Basileẽsis Concilij, ita me Deus adiuuet, cui in die tremendi iudicij redditurus sum de hoc & cunctis operibus meis rationem.

** promulgata in*

Post hæc quilibet eorum schedulam dabit, in qua vltra tres non nominet, inter quos si vltra vnum nominauerit aliquis, sit extra Cardinalium collegium. Neque vna die nisi vnum fiat scrutinium, & immediate post missam. Lectis schedulis, nisi duarum pactum in vnum vota concurrant, mox comburantur. Ante autem sex completa scrutinia, accessus ad quenquam fieri non possit. Recogitent eo tempore Cardinales, & attenta mente considerent, quantum sibi ipsis meritum vel demeritum, quantumque populo Christiano fructum vel præiudicium, bonum vel malum eligendo pontificem, facturi sint. In nulla profecto re magis Domini nostri Iesu Christi gratiam vel iram esse qui possint, quam cum de Vicario eius, suis præficiendo ouibus, agitur, quas ita dilexit, vt pro ipsis & mori, & crucis tormentum pati dignatus fuerit.

DE PROFESSIONE EIVSDEM SVMmi Pontificis.

IV. ** statuit hoc*

DECERNIT * sancta synodus, vt electus in papam, electioni de se factæ per infrascripti modi expressionem consentire teneatur. Quam expressionem si præsens in curia per Cardinales, vel extra per eorum aliquem, vel alium ab ipsis ad hoc habentem mandatum, in præsentia Notarij & decem salem personarum fieri conuenit, qui præsentata sibi electione, requisitus infra diem naturalem ab hora requisitionis, si non fecerit, electio sua pro infecta habea-

habeatur, & ad aliam in non inc Domini Cardinales procedere teneantur: Expressa autem (vt prædicitur) huiusmodi consensu, Cardinales eidem vt summo Pontifici mox obedientiam debitam exhibeant. Postquam vero per Cardinales obedientia præstita fuerit, nulli de eius Pontificatu ambigere fas sit.

FORMA CONSENSVS.

V. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti. Ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cuius Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & beato Apostolorum principi corde & ore confiteor & profiteor, quod quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicã, secundum traditionẽ Apostolorum, generalium Conciliorum & aliorum sanctorum patrum, maxime autem sanctorum octo Conciliorum vniuersalium, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertij Ephesini, primi & quarti Chalcedonensis, quinti & sexti item Constantinopolitani, septimi Nicæni, octaui quoque Constantinopolitani, necnon Lateranensis, Lugdunensis, Viennensis, Constantiensis, & Basileensis generalium etiam Conciliorum, & illam fidem vsque ad vnum apicem immutilatam seruare, & vsque ad animam & sanguinem defendere & prædicare, ritumque patiter sacramentorum ecclesiasticorum Ecclesiæ traditum, omnimode prosequi & obseruare. Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei Catholicæ, & extirpatione hæresum & errorum, & reformatione morum, ac pace in populo Christiano. Iuro etiam prosequi celebrationem Conciliorum generalium, & confirmationem electionum, iuxta decreta sacri Basileensis Concilij. Hanc autem professionem mea manu subscripsi, & tibi omnipotenti Deo, cui in die tremendi iudicij reddituras sum de hoc & omnibus operibus meis rationem, pura mente super Altare offero, quam in primo publico consistorio solenniter reperam.

VI. *Monita Pont. eligendo quo libet anniuersario coronationis suæ die prælegenda.*

Ne lapsu tẽporis hæc tam salubris institutio de memoria summi Pontificis elabatur, singulis annis die quo anniuersarium celebratur electionis vel coronationis suæ, intra Missarum solennia primus Cardinalis qui ibidem affuerit, publice & alta voce coram summo Pontifice legat sic: Sanctissime pater, attendat sanctitas tua, & diligenter consideret promissionem hanc, quam die electionis tuæ Deo fecisti. Postea eam legẽs, in fine dicat: Curet igitur sanctitas tua, pro honore Dei, & salute animæ tuæ, & vtilitate vniuersalis Ecclesiæ, prædicta omnia pro viribus obseruare bona fide sine dolo & fraude. Recogites etiam, cuius vicem geras in terris, illius videlicet, qui animam suam pro ouibus suis posuit, qui ter, anteq̃ oues suas beato Petro committeret, petijt, an ipsum diligeret: quique sicut iustus iudex, & quem nullum latet secretum, rationem exiget de te de omnibus vsq; ad minimum quadrantem. Memineris quid beatus Petrus, aliique sibi succedentes Pontifices fecerunt, qui nihil aliud cogitabant, nisi honorem Dei, propagationem fidei, publicum Ecclesiæ bonum, salutemque & vtilitatem filiorum suorum: & tandem imitantes magistrum & dominum, animas suas pro sibi commendatis ouibus opponere non dubitauerunt. Noli tibi, aut tuis thesaurizare in terris, vbi rinea & ærugo demolitur, vbi fures & latrones effodiunt, sed thesauriza tibi in cœlis. Non sis acceptor personarum, nec sanguinis, nec patriæ, aut nationis. Omnes filii Dei sunt, & tuæ curæ ac custodiæ pariter commissi. Dicas exemplo Christi: Qui fecerit voluntatem patris mei, qui est in cœlis, ille meus frater, mater & soror est. In distribuendis dignitatibus & beneficiis, non carnem, non munera, non quid aliud temporale, sed solum Deum & virtutes atque hominum merita tibi proponas. In corrigendis excessibus, ecclesiasticam exerce disciplinam, memor quam gratiam Phinees, quamve pœnam Heli, alter iniurias Dei vlciscendo, alter dissimulando meruerunt. Pauperes autem, ac miserabiles personas defende, iura & sustenta. Ad omnes autem paternam habe charitatem.

Ioan. 10. Ioan. vlt. *Matth. 5.* *Matth. 6.* *Matth. 12 Marc. 3.* *Psal. 105*

VII. *Quid fiat post expleta coronationis solennia singulis annis post electionis anniuersarium cum Cardinalibus octo continuis diebus pertractare debeat.*

Post expleta coronationis solennia, ac singulis annis post electionis anniuersarium, cum fratribus saltem octo saltem continuis diebus summus Pontifex vigili cura pertractet exequi, quod tam solenniter Deo pollicitus est. In primis igitur perscrutetur, in qua orbis parte Christiana religio vexetur à Turcis, Sarracenis, Tartaris, & aliis infidelibus: in qua regione viget hæresis, schisma, vel quælibet superstitionis species: in quibus prouinciis mores, & diuinorum obseruantia mandatorũ, rectaq; viuendi norma tam in statu ecclesiastico, quam seculari dilabuntur: vbi etiam libertas ecclesiastica conculcatur: inter quos reges principesque & populos vigeant odia, vel bella, vel bellorum metus, & vbique sicut pius pater cum fratribus suis remediis opportunis diligenter prouidere studeat. His vniuersalibus expeditis negotijs, ad ea quæ proximiora sunt, manum apponens, mox domum, familiam, & curiam Romanam, vbi & prout necessarium fuerit, exemplariter componere, veraciterque informare incipiat, vt ab eius oculata reformatione, quæ cæterarum est ecclesiarum caput, inferiores ecclesiæ morum haudiant puritatem: nec aliquibus calumniandi ac maledicentiæ præstetur occasio: & tam circa magnos quam paruos inquirens vigilantissime, & inquiri faciens, quicquid emendatione dignum repererit, corrigere nullatenus differat, aut dissimulet, sciens duplex esse peccatum, vnum quod ibi perpetratur, aliud longe grauius quod inde sequitur. Quicquid enim ibidem agitur, facile trahitur in exemplum. Vnde fit, vt languescente capite, reliquum postea corpus moribus inuadat. Pontificalis domus ac curia tanquam speculum mundum esse debet, in quo omnes prospicientes, ad eius exemplum se componant, & viuant. Proinde ab ea penitus dissipet & euellat, quicquid Simoniacæ labis, quicquid concubinariæ sordis, quicquid denique vel Deum offendere, vel homines scandalizare potest. Curet, ne Officiales perperam officia sua administrent, ne quenquam grauent, nec per concussionem aut illicite quicquam extorqueant, & vt hi qui officialibus præpositi sunt, ipsorum excessus inultos non patiantur. Neminem permittant vestibus & coloribus per sacros canones prohibitis vti, Clerum Romanum qui sibi principaliter & immediate subiectus est, principaliter in omni ecclesiastica honestate instruat, monens, non in vestimentorum pompis & nitore consistere beneplacitum Dei, sed in humilitate, decentia, mentis puritate, simplicitate cordis, in morum castimonia & reliquarum virtutum ornatu, quæ habentem Deo & hominibus commendant: sed reformet, & præsertim vt cultus diuinus in ecclesiis Vrbis cum ea qua decet veneratione, & disciplina obseruetur. Populum quoque Vrbis, quæ peculiaris eius est parochia, doceat, instruat, & in via salutis dirigat. Imperet Cardinalibus, vt titulos ac parochias suas, prout eorum incumbit officio, visitent & reformẽt. Prælatum aliquem magnæ scientiæ, probatæque & exemplaris vitæ in Vrbe vicarium constituat, qui vice sua cleri & populi Episcopalem curam gerat, de quo an oneri suo diligenter incumbat, sæpe perquirat. Post hæc cum eisdem fratribus de temporalitate Ecclesiæ Romanæ bene salubriterque regenda, accurate cogitans; prouideat, vt prouinciæ, ciuitates, oppida, castra, terræ ipsi Ecclesiæ subiectæ, iuste ac pacifice gubernentur, taliquidem moderamine, vt inter regimen ecclesiasticorum ac secularium Principum tãdiu distet, sicut inter patrem & dominum. Non quæstui, sed protectioni, ac tutelæ intendat, & paterna charitate cunctos fouens, non tam subditos, quam filios existimet.

Et quoniam spiritualem, temporalemque ipsorum curam habet, inuigiler omnes partialitates ac seditiones inde amouere, præsertim Guelforum & Gibellinorum, & quæcunque his similia pernicios a nomina, animas corporaque pariter perimentia, omnem det operam, pœnis spiritualibus & temporalibus, & quibuscumque potest modis, sublatis inde cunctis dissensionum fomentis, eos vnanimes ad defensionem Ecclesiæ conseruare. Ad regendum prouincias ac ciuitates, principales destinet Cardinales, vel prælatos integræ & incorruptæ famæ, quos non inhiare pecuniis, sed iustitiæ, ac paci subditorum intendere, verisimile sit: quorum legatio biennio, aut ad plus triennio elapso, expiret. Et quia dignum est, vt quilibet suæ villicationis rationem reddat, deputetur expleta legatione aliquis, vel aliqui insignes viri, qui suæ administrationis rationem, necnon querelas ac petitiones prouincialium audiant, & iustitiam exhibeant, & quod ipsi commode facere nequeunt, Papæ deferant, qui omnino gesta eorum scire studeat: & si quid illicite perpetrasse ipsos constiterit, nullatenus inultum dimittat, vt & successores sui, quæ non licent, suo exemplo facere formident. Et ne officiales manus forsitan ad illicita apponant, competens salarium, vnde viuere honeste possint, eis constituatur. Sæpe etiam summus Pontifex inquirat, quomodo tam legati gubernatores & commissarij, quam Romanæ Ecclesiæ vicarij ac feudatarij subditos regant, & an nouis gabellis & exactionibus grauent. Quicquid autem austeritatis seu iniusti oneris super ceruices subditorum fieri cognouerit, ne quaquam toleret. Pati enim impium est, vt hi quos Papa per se paterne regeret, per alios tyrannice tractentur. Statuta & constitutiones antiquas quibus prouinciæ ac terræ salubriter regi consueuerunt, inuiolata seruari faciat. Quod si qua postea irrationabiliter vel ad æmulationem seu partialiter edita sint, causa cognita, retractentur & reformentur. Infra annum ab electionis die Romanus Pontifex ad se oratores seu procuratores prouinciarum ac principalium ciuitatũ Ecclesiæ Romanæ accersat, & ostendens erga eos paternæ charitatis affectum, ab ipsis de statu & conditione patriarum, & quemadmodum prædecessoris sui tempore recti sint, num etiam aliquo iniusto grauentur onere, & quid pro salubri ipsorum regimine faciendum sit, perscrutetur: & tandem in omnibus vtilitati & indemnitati ipsorum, ac bono publico, prouisionis remedia tanquam filius adhibeat. Hoc idem saltem de biennio in biennium repetere non pigeat. Inter cætera quę feudatarii, capitanei, gubernatores, senator, castellani; aliique præcipui officiales vtribus & terrarum Ecclesiæ iurare solent, hoc etiam adiiciatur, vt in eorum institutione iurent, quod sede vacante, ad mandatum Cardinalium ciuitatates, terras, loca, arces & castra, ac gentes nomine Romanæ Ecclesiæ tenebunt, ac tradent libere & sine contradictione.

Luc. 16.

VIII. *Consanguinei quo modo Papæ sint habendi.*

Ne summus Pontifex carnalitatis trahi videatur affectu magis quam iudicio rationis, atque vt scandalis obuietur, quæ (experientia teste) sæpe secuta sunt, nullum de cætero consanguineum vel affinem vsque ad tertium gradum inclusiue, Ducem, Marchionem, Comitem, feudatarium, emphyteotam, vicarium, gubernatorem, officialem, castellanum alicuius prouinciæ, ciuitatis, oppidi, castri, fortalicii, aut loci Romanæ Ecclesiæ, nec super his iurisdictionem, seu potestatem aliquam habere, nec capitaneum, seu conductorem gentium * armorum faciat, aut esse permittat. Ipsi quoque Cardinales summo Pontifici secus agere volenti, ne quaquam assentiant: Quodque succedens Pontifex, aliter facta prorsus retractet ac reuocet. Iuxta Nicolai Papæ quarti constitutionem statuit sancta synodus, vt ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales omnium fructuum, reddituum, prouentuum, mulctarum, condemnationum ac censuum, de quibuscunque terris & locis Romanæ Ecclesiæ subiectis prouenientium, medietas pertineat, institutioque & destitutio omnium rectorum, gubernatorumque & custodum, quocunque nomine censeantur, qui præerunt dictis terris & locis, acetiam dictorum fructuum collectorum, de consilio & consensu ipsorum Cardinalium fieri debeat: ipsos igitur Cardinales admonet sancta synodus, vt terras & subditos Romanæ Ecclesiæ ab iniuriis & oppressionibus protegant, de pace ac salute & bono ipsorum regimine cogitantes, apud summum Pontificem, & vbi opus fuerit, ipsos omni fauore promouean. Et si de omnibus Romanæ Ecclesiæ terris magna cura summo Pontifici ac Cardinalibus esse debeat, ad vrbem tamen Romanam mentis intuitum sedulo conuertere, & ad ipsam tanquam peculiarem filiam & principalem eorum parochiam, in qua beatorum Petri & Pauli ac innumerabilium Christi martyrum & sanctorum sacra corpora requiescunt, vbi sedes est Romani Pontificis, vnde & ipse ac Romanum denominatur imperium, & ad quam omnes Christicolæ deuotionis causa confluere solent, singularem quandam charitatem & præcipuum affectum gerere teneantur, vt in pace, tranquillitate ac iustitia gubernetur in suisque Ecclesiis, mœnibus, viis & securitate stratarum detrimentum non patiatur. Quocirca statuit hæc sancta synodus, vt de quibuscunque ipsius vrbis redditibus & prouentibus, aliqua competens portio ad conseruationem ecclesiarum, mœnium, viarum, pontium, securitatisque itinerum ipsius vrbis & districtus, per aliquos viros probatæ famæ de consilio Cardinalium eligendos, re ipsa exponatur. Sicut seruum seruorum Dei summus Pontifex se profitetur, ita opere comprobet. Et cum ad ipsum tanquam communem patrem, vndique homines confugiant, adiri se ab omnibus facile permittat. Vnam ergo saltem in hebdomada diem pro publica statuat audientia, in qua omnes, præsertim pauperes & oppressos, patienter & benigne audiat, & quantum cum Deo potest, exaudiat, cunctisque sicut pater filiis, prout cuique opus fuerit, iuxta vires consilio & auxilio prouideat benigne. Et si corporali necessitate impeditus fuerit, alicui vel Cardinali vel alteri insigni viro omnia sibi relaturo, committat, omnibusque curiæ officialibus iubeat, præsertim vicecancellario, pœnitentiario, & camerario, vt ipsos pauperes cito gratisque expediant, memor Apostolicæ charitatis, qua Petrus & Paulus inuicem dexteras dederunt, vt pauperum memores essent. Diebus vero dominicis & festiuis ad Missam exeat publicam, post quam aliquanto temporis spatio indigentibus audientiam præbeat. Singulis hebdomadis, vel saltem in mense bis, consistoria publica teneat, in quibus negotia ecclesiarum cathedralium ac monasteriorum seu principum ac vniuersitatum, aliaque magni ponderis audiat. Lites autem & causas minores remittat ad vicecancellarium. Ipse autem quanto amplius potest, litigijs ac minoribus negotijs se eximat, vt maioribus intendat liberius. Quoniam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, pars corporis Romani pontificis esse censentur, Reipublicæ admodum expediens est, vt iuxta vetustum morem grauia & arduna negotia, de ipsorum consilio, directione, causa quoque matura cognita, deinceps fiant, præsertim cautarum fidei decisiones, sanctorum canonizationes, erectiones, seu suppressiones, diuisiones, vniones Ecclesiarum cathedralium & monasteriorũ, promotiones Cardinalium, confirmationes ac prouisiones de ecclesiis cathedralibus & monasteriis, priuationesq; & translationes Abbatum, Episcoporum, & superiorum leges, seu constitutiones, legationes de latere, seu vicariorum ac nunciorum authoritate legatorum de latere fungentium commissiones, nouæ religionis institutio, exemptiones nouæ ecclesiis, monasteriis seu capellis, aut ipsarum iam factarum reuocationes, saluo decreto sacri Constantiensis Concilii, de prælatis non transferendis inuitis.

*for. * armatarum.* *Gal. 2.* *Constantiensis Concilii sess. 39.*

De numero & qualitate Cardinalium.

IX. Cum ſummo Pontifici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, in dirigenda Chriſtiana Republica collaterales aſſiſtant, neceſſe eſt vt tales inſtituantur, qui ſicut nomine, ita reipſa cardines ſint, ſuper quos oſtia vniuerſalis verſentur & ſuſtententur Eccleſiæ. Statuit igitur ſancta ſynodus, vt deinceps eorum numerus adeo ſit moderatus, quod nec ſit grauis Eccleſiæ, (quæ nunc ob temporum malitiam pleriſque grauibus affligitur incommodis) nec ſuperfluæ numeroſitate vileſcat. Qui de omnib. Chriſtianitatis regionibus, quantum commode fieri poterit, aſſumantur, vt notitia rerum in Eccleſia emergentium facilius haberi, & ſuper his maturius deliberari poſſit, ſic tamen, quod numerum viginti quatuor inter hos qui nunc ſunt & aſſumendos, non excedant, ita quod de vna natione vltra tertiam partem reſpectu Cardinalium pro tempore exiſtentium, ac de vna ciuitate & diœceſi vltra vnum inde oriundum, & de ea natione quæ nunc vltra tertiam partem habet, vſq; ad ipſius tertiæ partis redactionem eſſe nequeant. Sint viri in ſcientia moribuſque ac rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, magiſtri, doctores, ſeu licentiati, cum rigore examinis in iure diuino vel humano. Sit ſaltem tertia, vel quarta pars de magiſtris aut Licentiatis in ſacra ſcriptura. Inter hos autem viginti quatuor, eſſe aliqui poterunt admodum pauci, filii, fratres aut nepotes Regum ſeu magnorum Principum, in quibus cum circumſpectione & maturitate morum competens literatura ſufficiat.

Non fiant Cardinales nepotes ex fratre vel ſorore Romani pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis, non illegitime nati, non corpore vitiati, nec alicuius criminis, aut infamiæ nota reſperſi. Prædicto autem numero viginti quatuor pro magna eccleſiæ neceſſitate vel vtilitate, duo alii in quibus vitæ ſanctitas vel eximiæ virtutes refulgeant, quamquam memoratos gradus non habeant, ac de Græcis (cum Romanæ Eccleſiæ vniti fuerint) inſignes aliqui viri adiici poterunt.

Non fiat Cardinalium electio ſolum per auriculatia vota, ſed illi ſolum aſſumi poſſint, in quos, facto vero ſcrutinio ac publicato, maiorem partem Cardinalium per ſubſcriptionem manus propriæ conſtiterit collegialiter conſenſiſſe. Deſuper etiam Apoſtolicæ literæ cum ſubſcriptione Cardinalium conficiantur, decreto huius ſacri Concilii in quarta ſeſſione ſolenniter publicato, quod incipit, *Item cum multiplicatio Cardinalium, &c.* in ſuo robore inuiolabiliter permanſuro, Cum recipient Cardinales ſuæ dignitatis inſignia, quorum ſignificatio eſt, vt pro bono vniuerſali Eccleſiæ ſanguinem proprium (ſi opus ſit) non vereantur effundere, iurabunt in publico conſiſtorio (ſi ſint in curia: ſi vero abſentes, in manibus alicuius Epiſcopi & publice, cui per literas apoſtolicas, in quibus forma iuramenti inſerta ſit; commiſſam fuerit) in hunc modum: *Ego N. nuper aſſumptus in ſancta Romana Eccleſia Cardinalem, ab hac hora in antea ero fidelis beato Petro, vniuerſalique & Romanæ Eccleſiæ ac ſummo Pontifici, eiuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, laborabo fideliter pro defenſione fidei catholicæ, extirpatione que hæreſium & errorum ac ſchiſmatum, reformatione morum, ac pace in populo Chriſtiano. In alienationibus rerum & bonorum Eccleſiæ Romanæ, aut aliarum eccleſiarum & beneficiorum quorumcunque, non conſentiam, niſi in caſibus à iure permiſſis, & pro alienatis ab Eccleſia Romana recuperandis, propoſſe operam dabo. Non conſulam quicquam ſummo Pontifici nec ſubtrahamne, niſi ſecundum Deum & conſcientiam meam. Quæ mihi per ſedem Apoſtolicam commiſſa fuerint, fideliter exequar. Cultum diuinum in eccleſia tituli mei, & eius bona conſeruabo, ſic me Deus adiuuet.*

X. Pro contemnendis Cardinalium titulis, quorum aliqui, tam in diuino cultu quam ædificiis nimium proh dolor in opprobrium ſedis Apoſtolicæ & ipſorum Cardinalium collapſi ſunt, ſtatuit hæc ſancta ſynodus, vt de redditibus ſeu prouentibus terrarum Romanæ Eccleſiæ, quorum medietas iuxta conſtitutionem Nicolai Papæ ad Cardinales (vt prædictum eſt) pertinent, decima pars eius, quod ſpectat ad quemlibet Cardinalium, proprio titulo ſingulis annis applicetur. Et nihilominus vel in vita vel in morte quilibet Cardinalis tantum proprio titulo relinquat, vnde communiter vna perſona ſuſtentari poſſit. Quod ſi non fecerit, tam pro hoc quam pro dicta decima parte, bona omnia ipſius Cardinalis obligata ſint, vſque ad debitam ſatisfactionem. Et ad executionem huius, oneramus primum Cardinalem illius ordinis, de quo ille defunctus erat. Viſitet per ſe quilibet Cardinalis præſens in curia, abſens vero per vicarium idoneum ſingulis annis titulum ſuum, clericoſque & populum eccleſiarum ſubiectarum, & cum diligentia inquirat, & ſalubriter prouideat, ſuper cultu diuino bonoſque ipſarum eccleſiarum, ac vita & moribus clericorum & parochianorum, de quibus, cum ſuæ ſunt oues, in diſtricto Dei iudicio rationem redditurus eſt. Et tam quo ad tempus viſitãdi, quam quo ad alia, ſeruet quæ inſtituta ſunt in decreto noſtro de Conciliis ſynodalibus. Etſi quemlibet Cardinalium tam ipſa dignitas quam propria perurgeat pollicitatio, pro memoratis ſanctis laborare operibus, nihilominus vt eo efficacius res fiant, quo ſingulis quaſi peculiariter diſtribuuntur, e piſcopi Cardinales indagare curent, quæ regiones hæreſibus, erroribus, ſuperſtitionibus nouis aut veteribus infectæ ſint: presbyteri, vbi mores & diuinorum mandatorum obſeruantia ac eccleſiaſtica diſciplina deficiant: diaconi, qui Reges & Principes ſeu populi bellis agitentur, vel agitari timeantur: & tanquam apes agmentoſæ tam apud ſummum Pontificem, quam inter ſeipſos diligenter ac accurate negotia hæc ſancta promoueant, operam dantes, vt vbi neceſſarium fuerit, ſalubri remedio prouideatur. Ipſe autem ſummus Pontifex, tanquam communis omnium pater & paſtor, non ſolum rogatus ac ſolicitatus, ſed proprio motu vbique inueſtiget, inueſtigarique faciat & quam poteſt, omnibus filiorum morbis ſalutarem conferat medicinam. Si quando Papam (quod abſit) negligentem aut remiſſum, ſeu agentem quæ ſtatum illius non decent, ipſi Cardinales inſpexerint, filiali reuerentia & charitate tanquam patrem obſecrent, vt officio paſtorali honorique ac debito ſuo ſatisfaciat. Et prime quidem aliquis vel aliqui de perſe, deinde ſi ſe non corrigat, omnes collegialiter accerſitis quibuſdam notabilibus prælatis, prædicentes quod ſi non abſtinuerit, proximo generali concilio deferent: nec pro ſalute inpſius ſummi Pontificis & bono publico, eius odium vel quicquam aliud timeant, dum tamen reuerenter & charitatiue id agant. Multo magis, ſi quem ex Cardinalibus aliquid perperam ſeu reprehenſione dignum facientem Papa cognouerit, paterna ſemper charitate, & iuxta doctrinam euangelicam corrigat, vt ſic alter in alterum, pater in filios, & filii in patrem charitatis opera exercentes, eccleſiam Dei exemplari ac ſalubri moderamine gubernent. Prælatos & quoſcunque alios, inſignes præſertim viros ad curiam Romanam proficiſcentes, Cardinales benigne & honorifice tam publice quam *priuate pertractent, & apud ſummum Pontificem eorum negotia gratis ac liberaliter recommiſſa faciant. Et cum ei qui communis eſt omnium pater, Cardinales aſſiſtant, perſonarum acceptatores fieri vel aduocatos, valde indecens eſt. Propterea interdicit hæc ſancta ſynodus, vt tanquam iudicis collaterales, partialitatem nullam accipiant, etiam ſi de terra partiali originem ducant. Nec ſint principum aut communitatum, ſeu aliorum contra quemquam, cum precio vel ſine, partiales protectores, aut defenſores: ſed exuti omnem paſſionem, in ſedandis concordia vel iuſtitia litibus, Papæ aſſiſtant. Principum autem & quorumcunque præſertim pauperum ac religioſorũ, gratis, & ſine vllo quæſtu promouere iuſta negotia, tam quam charitatis opus, perſuadet ſancta ſynodus, & commẽdat. Cum affabilitate & benignitate ſeruent Cardinales granitatem ac modeſtiam, quę huic cõgruunt dignitati: pietatem autem, quæ (ſecundum Apoſtolum) ad omnia vtilis eſt, ſeruent ad omnes. Affines ſuos, præſertim bene meri os ac pauperes, quanquã negligere non debeant, non tamen ita ipſos opum aut beneficiorum multitudine accumulent, vt alii inde ſcandalũ pariantur. Caueãt ne bona ab eccleſiis profecta, vltra quãnecceſſitatis ratio poſtulat, in carnem & ſanguinem effundant. Cum tales ſic ambulare in magnis Pontifex inſpexerit, arguat atque obuiet, vt decet, neq; enim culpæ erit expers, ſi iuxta officium ſuum corrigenda non corrigat. Familia, menſa, ſuppellex rerum & equorum tam Papæ quam Cardinalium, nec numeroſitate, nec faſtu, aut pompis, neque aliquo exceſſu reprehenſibilis ſit. Ita domum & quæ in domo ſunt, moderate componat, vt alii non ſcandalum, ſed fragilitatis capere exemplum poſſint.

Pro conſeruandis Cardinalitiam tituli.

Cardinalibus quibus quid maxime curandum.

priuatim

Sessione 4. huius Concilii.

Iuramentum Cardinalis recens electi.

XI. Tam ſummus Pontifex & Cardinales, quam cæteri Epiſcopi conſtitutionem beati Gregorii in generali ſynodo editam ſeruare ſtudeãt, cuius tenor hic eſt, quam hæc ſancta ſynodus innouat.

Conſtit. B. Greg. in gen. ſynodo edita ſer-uari præcipitur.

Cum paſtoris vita *exemplo debeat eſſe diſcipulis, plerunque clerici, qualis in ſecreto ſit vita ſui Pontificis neſciunt, quam tamen ſeculares pueri ſciunt: de qua re præſenti decreto ſtatuimus, vt quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi, in miniſterio, cubiculo pontificiali obſequantur, vt is qui in loco regiminis eſt, tales habeat teſtes, qui veram eius in ſecreto conuerſationem videant, & ex ſedula viſione exemplum profectus ſumant.

exemplũ Habetur infra, cuius imitium eſt Regnante, &c. in ſancta hac.

Paſchalis etiam Papæ verbo aduertant, dicentis: Epiſcopi lectioni & orationi vacent, & ſemper presbyteros & diaconos, aut alios boni teſtimonii clericos habeant, vt ſecundum Apoſtolum & ſanctorum Patrum inſtituta, poſſint irreprehenſibiles inueniri. Non expedit reipublicæ, vt Cardinalibus, quos rebus arduis vniuerſalis Eccleſiæ intentos fore oportet allæ cauſæ, quã electionum eccleſiarum cathedralium, aut monaſteriorum, vel principum, aut vniuerſitatũ, ſeu ſimiles, per Papam, aut *cancellariam delegentur. Minores igitur litigioſæ cauſæ in auditorio Rotæ, quod ad hoc inſtitutum eſt, committantur. Neque Papa, neque Cardinales familiares ſuos, quaſi munera accepturos, ad confirmatos vel prouiſos prælatos de cætero mittant, ne, quod per ſe facere non decet, per alios fieri patiantur. Quod aliquando factum eſt, vt pro annulo in aſſignatione tituli Cardinalibus tradito, poſt mortem eius aliqua pecuniæ ſumma, vel res alia de bonis ſuis arripiatur, de cætero non fiat, cum labores eorum pro Republica impenſi, exequias, ſi pauperes fuerent, potius de publico mereantur.

1. *Tim.* 4.

1. *Tim.* 3. *Decommiſſione cauſarum Cardin.*

cancellariam.

De electionibus.

XII. Licet dudum hæc ſancta ſynodus, abolita per eam generali omnium eccleſiarum & dignitatum electiuarum reſeruatione, prouide decreuerit, vt prædictis eccleſiis & dignitatibus per canonicas electiones, & confirmationes prouideri deberet, voleas etiam ſpeciales ſeu particulares ipſarum eccleſiarum & dignitatum electiuarum prohibere reſeruationes, per quas libera in eiſdem eligendi & confirmandi facultas impediri poſſet, quodque aduerſus hoc decretum Romanus pontifex nihil attentaret, niſi ex magna, rationabili & euidenti cauſa, in litteris Apoſtolicis nominatim exprimenda: quia tamen contra ipſius decreti mentem non pauca ſine huiuſmodi cauſa geſta ſunt, vnde grauia hactenus ſucceſſerunt, & grauiora indies timentur ſcandala, cupiens hæc ſacroſancta ſynodus his obuiare, nolanſque vt ipſius decreti mens, quæ fuit, omne obſtaculum à canonicis electionibus & confirmationibus tollere, ſuo fruſtretur effectu: ſtatuit, vt lectiones in dictis eccleſiis ſine impedimento, aut obſtaculo omnino fiant, quæ cauſa cognita, iuxta iuris communis & dicti noſtri decreti diſpoſitionem confirmentur, vel infirmentur. Veruntamen ſi forte aliquando contingat, electionem aliquam etiam alias canonicam fieri, quæ in perturbationem eccleſiæ, aut patriæ vel boni publici vergere timeatur, ſummus Pontifex, cum ad ipſum confirmatio delata fuerit, ſi talem vrgentiſſimam cauſam adeſſe manifeſte cognouerit, ea prius mature diſcuſſa, ac parte plene defenſa, accedente poſtea Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, aut maioris partis ſubſcriptione, huiuſmodi cauſam veram ſufficientemque fore atteſtantiam, reiecta tali electione, ad capitulum, vel conuentum remittat, vt vel infra tempus iuris vel aliud iuxta loci diſtantiam, ad aliam, ex qua euenire talia non formidentur, electionem procedant.

De reſeruationibus.

XIII. Et quia multiplices eccleſiarum, & beneficiorum hactenus factæ per ſummos Pontifices reſeruationes, non parum eccleſiis onoroſæ extiterũt, ipſas omnes tam generales quam ſpeciales, ſiue particulares, de quibuſcunque eccleſiis & beneficiis, quibus tam per electionem, quam collationem, aut aliam diſpoſitionem prouideri ſolet, ſine per extrauagantes. Ad regimen, & Execrabilis, ſiue per regulas cancellariæ, aut alias Apoſtolicas conſtitutiones introductas, hęc ſancta ſynodus aboler, ſtatuens vt de cætero nequaquam fiant, reſeruationibus in corpore iuris expreſſe clauſis, & his quas in terris Romanæ Eccleſiæ, ratione directi, ſeu vtilis dominii mediate vel immediate ſubiectis fieri contigerit, duntaxat exceptis,

De Clementia, literis.

XIV. Licet in Apoſtolicis vel aliis literis quibuſcunque aliquem dignitati, beneficio, aut iuri cuicunque renunciaſſe, aut priuatum eſſe, ſeu aliquid aliud egiſſe, per quod ius proprium auferatur, narratum ſit, huiuſmodi literæ in his non præiudicent, etiam ſi ſuper ipſis gratia vel intentio narrantis fundetur, niſi per teſtes, aut alia legitima conſtiterit documenta. Datum in ſeſſione publica huius ſacræ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, octauo Calendas Aprilis, Anno Dominimilleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto.

SESSIO XXIV.

De Actis quibuſdam cum Græcis, & de Indulgentiis, &c.

XV. SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Quia ambaſiatores noſtri ad Conſtantinopolim tranſmiſſi, vice & nomine eiuſdem ſanctæ ſynodi ſereniſſimo Imperatori Romanorum, & reuerendiſſimo domino Patriarchæ Conſtantinopolitano, propter nonnullas cauſas promiſerunt, capitula alias in hac ſancta ſynodo ſuper modo vniuerſalis & œcumenici & vtriuſque eccleſiæ Concilii celebrandi, hinc & inde concluſa & firmata dare, & cum effectu exhibere, ſub conſueta huius ſanctæ ſynodi bulla plumbea data præſenti, & ſub tenore de verbo ad verbum ſubſequenti, nolens hæc ſancta ſynodus obmittere aliquid eorum, quæ pro vnione eccleſiarum Chriſti fieri poſſunt, dictam ſuorum ambaſiatorum promiſſionem præſenti decreto acceptat, approbat, ratificat, & confirmat, & præfata capitula de verbo ad verbum, prout per præfatos ambaſiatores pro-

missum est, præsentibus inserit, sub tenore qui sequitur: Sacrosancta generalis synodus Basileēsis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Cum inter cætera toti populo Christiano necessaria opera, propter quæ hoc præsens sanctum Concilium extitit congregatum, vnio Occidentalis & Orientalis ecclesiarum Christi præcipuum & maximum sit, merito pro hac perficienda ab initio suæ congregationis omni conatu laborauit. Etenim quamprimum potuit, ad sereniſſimum Imperatorem Græcorum & reuerendiſſimum Patriarchum Constantinopolitanum cum literis suos transmisit ambasiatores, ad ipsos cum omni charitate & instantia exhortandum, quatenus & ipsi cum plena potestate mitterent aliquos, qui nobiscum tractarent de modo dictam sanctam vnionem consequendi: qui mox vt requisiti fuerunt, tres insignes viros de his, qui apud eos magnæ videntur authoritatis, quorum primus ipsum Imperatorem consanguinitate attinet, ad hanc sanctam synodum destinarunt, sufficienti ipsius Imperatoris mandato, cum bulla aurea & eius propria manu subscripta, ac Patriarchæ literis munitos, qui tam in generali congregatione, quam coram commissariis nostris feruentiſſimum ipsius Imperatoris & Patriarchæ, totiusque ecclesiæ Orientalis ad hanc vnionem desiderium exponentes, nos mirum in modum ad tam sancti operis prosecutionem pulsant, ac quotidie excitant, duo inter alia firmiter constanterque asserentes, vnionem ipsam nisi in synodo vniuersali, in qua tam Ecclesia Occidentalis quam Orientalis conueniat, fieri nullatenus posse, & in ea synodo (si fiat, vt infra conuentum est) ipsam vnionē securiorem sperari. His auditis, summa nobis lætitia & iocunditas nimirum accessit. Quamobrem omnem cogitatum nostrum iactantes in Deum, qui facit mirabilia magna solus, venerabiles sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præsidentes sedis Apostolicæ, Patriarcham Antiochenum, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, magistrosque & doctores in numero competenti deputauimus, vt vna cum ipsis Græcorum ambasiatoribus rem istam tractare, & quo ordine ad executionem deducenda esset, prospicere deberent: qui tam inter se, quam cum ipsis *ambasiatoribus sæpenumero conuenientes, habito inter se matu- *oratoribus.
ro & digesto consilio, ad infra scripta cum ipsis deuenerunt capitula, quæ postea secundum morem huius sacri Concilii per sacras deputationes mature deliberata, ac deinde per generalem congregationem concluſa firmataque solenniter extiterunt: quorum tenor vna cum mandato ipsius domini Imperatoris sub bulla aurea, sequitur, & est talis: Ambasiatores sereniſſimi domini Imperatoris, &c. vt decreto Concilii superius inserto latius continetur. Et quia tempus superius expressum; iuxta quod prædicta debeant adimpleri, effluxit, non propter defectum alicuius partium, sed quia ita contigit variis interuenientibus tractatibus: hæc sancta synodus tempus per præfatos sereniſſimum Imperatorem Græcorum & reuerendiſſimum Patriarcham Constantinopolitanum parte ex vna, & ambasiatores huius sacræ synodi parte ex altera statutum & firmatum, quod est à mense Maio immediate sequenti ad annum, ita quod per totum mensem Maii ad annum sequentem vtraque partium sit parata ad exequendum supradicta, quantum ad quamlibet partium attinet, acceptat & promittit se impleturam, quantum ad ipsam pertinet, infra dictum tempus quicquid in supradictis capitalis continetur. Datum Basileæ in seſſione publica huius sanctæ synodi, solenniter celebrata decimooctauo Calendas Maii, anno à natiuitate milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto. *Sessio. 19.*

Salvus conductus Græcorum, datus domino Imperatori Græcorum & Patriarchæ Constantinopolitano à sacro Concilio Basileensi.

XVI.

Sacrosancta generalis synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans. Quia authore Deo in regione nostra Occidentali & obedientia Ecclesiæ Romanæ, est vniuersalis & œcumenica synodus celebranda, in qua iuxta concordata in hac sancta synodo, & in Constantinopoli denuo ratificata, tam Occidentalis quam Orientalis Ecclesia conueniet, vt cunctis erga eandem Ecclesiam Orientalem, nostræ intentionis synceritas pateat, & omnis suspicio, quæ circa securitatem ac libertatem venientium oriri posset, de medio auferatur, teaore præsentis decreti hæc sancta synodus Basileensis, nomine & vice totius Ecclesiæ Occidentalis, & omnium de eadem Ecclesia cuiuscunque status, etiam si papali, imperiali, regali, pontificali vel quacunque alia inferiori spirituali vel seculari præfulgeant dignitate, potestate vel officio, decernit, dat & concedit sereniſſimo Imperatori Græcorum, reuerendiſſimis Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, cæterisque vsque ad numerum septingentarum personarum, etiam si Imperiali, regali, Archiepiscopali, Episcopali, & cuiuscunque alterius status, dignitatis aut conditionis fuerint, ad prædictum vniuersale & œcumenicum Concilium in regione Occidentali (vt præmittitur) celebrandum, venientibus aut venturis, plenum & liberum saluum conductum, omnesque prædictos & quemlibet ipsorum, tam in personis quam in honoribus & rebus quibuscunque, ipsorum nominibus, regnis, prouinciis, dominiis, territoriis, communitatibus, ciuitatibus, castris, oppidis, villis, & omnibus locis obedientiæ nostræ Ecclesiæ Occidentalis, per quæ siue eundo, siue stādo, siue etiā redeundo transituri sunt, aut eos transire contigerit: in suam tutam securamq; saluiguardiam recepit, &, recipit per præsentes, promittens & concedens omnibus & singulis ex ipsis hoc præsenti edicto synodali, tutam & liberam facultatem accedendi & veniendi in & ad ciuitatem seu locum, in qua vel in quo erit dictum sacrosanctum vniuersale Concilium celebrandum: ibique standi, morandi, residendi habitandi cum omnibus immunitatibus, libertatibus & securitatibus, quibus illi qui erunt de obedientia Ecclesiæ Romanæ, habitabunt: disputandi etiam & ratiocinandi, iura & authoritates allegandi, & omnia alia libere & sine cuiuscunque impedimento dicendi, faciendi, & tractandi, quæ pro vnione Ecclesiarum Christi eis expedire videbitur & opportunum. Inde etiam semel & pluries, & toties quoties eis & cuilibet eorum videbitur, & placebit, simul & separatim, & cum eorum bonis, rebus & pecuniis & sine, pro libitu recedendi & redeundi tute, libere & impune, omni impedimento reali & personali cessante, penitusque remoto, etiam si talis vnio (quod absit) non sequeretur, nec effectum haberet: quo casu & in omnem alium euentum, præfati sereniſſimus Imperator, domini Patriarchæ & alii supra nominati, nostris duntaxat expensis & galeis, absque aliqua dilatione temporis, omnique remoto impedimento, cum eisdem honoribus, beneuolentia & amicitia, quibus ad præfatum vniuersale celebrandum Concilium deducentur, etiam in & ad Constantinopolim reducentur, siue vnio sequatur in dicta celebranda synodo œcumenica, siue non. Non obstantibus in prædictis vel aliquo prædictorum quibuscunque differentiis, discordiis & dissensionibus ad præsens vigentibus, & quæ in futurum oriri & vigere possent inter dictas Ecclesias Occidentalem & Orientalem, seu inter ipsam Ecclesiam Romanam & ei subiectos & aggregatos, & præfatum sereniſſimum Imperatorem, & alios Ecclesiæ Constantino-

politanæ aggregatos, & non obstantibus aliquibus sententiis, decretis, condemnationibus, iuribus & decretalibus, quomodocunq; & qualitercunq; factis & prolatis seu fiendis: Et etiam non obstantibus aliquibus repræsaliis & debitis publicis vel priuatis: Et non obstantibus aliquibus criminibus, excessibus, culpis & delictis, si quæ per prædictos vel alterum eorum quomodocunq; & qualitercunq; commissa & perpetrata forent: Et generaliter non obstantibus quibuscunq; aliis, etiam si talia forent, de quibus necessarium esset, specialem in præsentibus facere mentionem. Et si contingat aliquem vel aliquos ex nostris, eis vel alicui ipsorum iniuriari (quod absit) vel aliquam molestiam inferre in persona, honore, rebus & aliis quibuscunque, taliter excedens, iudicabitur per nos aut nostros, vsq; ad condignam & rationabilem satisfactionē parti læsæ. Et e conuerso, si aliquis ipsorum alicui ex nostris aliquam (vt præmittitur) iniuriam inferat, iudicabitur per eos vsq; ad condignam & rationalem satisfactionem ei, qui iniuriam passus est, secundum morem & consuetudinem vtriusq; partis. De aliis autem criminibus, excessibus & culpis quibuscunque, quælibet partium cognoscet & iudicabit de suis.

Hortatur autem hæc sacrosancta Synodus vniuersos Christi fideles, & nihilominus authoritate vniuersalis Ecclesiæ in virtute Spiritus sancti & sanctæ obedientiæ mandat, & præcipit omnibus & singulis prælatis, regibus, ducibus, principibus, officialibus, communitatibus & aliis singularibus personis, *cuiusuis status, conditionis & dignitatis existant, nostræ Occidentali Ecclesiæ aggregatis, quatenus prædicta omnia & singula inuiolabiliter obseruent, & quantum in eis est, obseruari faciant: dictosque Sereniſſimum Imperatorem, Patriarchas, & alios omnes & singulos antedictos, ad dictum sacrum celebrandum Concilium accedentes, & inde recedentes, simul & diuisim fauorabiliter & reuerenter honorent & tractent, ac honorari ac tractari faciant. Si qua vero dubitatio circa dictum saluum conductum & contenta in eo oriri contigerit, stabitur declarationi præfatæ vniuersalis synodi celebrandæ. Vult autem hæc sancta synodus præsentem saluum conductum valere, & in suo robore permanere, quousque ad vltimum, dicti sereniſſimus Imperator, Patriarchæ, & alii supradicti, cum suis nobilibus & famulis, vsque ad numerum (vt præmittitur) septingentarum personarum, aliisque rebus & bonis, sint reuersi in & ad ciuitatem Constantinopolitanam. Si quis autem contra prædicta aut aliquod ipsorum aliquid facere quoquo modo tentauerit, indignationem omnipotentis Dei & dictæ sanctæ synodi se nouerit incursurum. Datum Basileæ in seſſione publica huius sanctæ synodi solenniter celebrata decimooctauo Calendas Maii, Anno à natiuitate Domini 1436.* *cuiuscunque.*

Aurea bulla domini Imperatoris Græcorum, lecta in seſſione publica & congregatione generali.

XVII.

Quoniam destinatæ fuerunt ab imperio * nostro & sanctiſſimo domino Oecumenico Patriarcha ambasiatæ ad sacrosanctam Ecclesiam Romanam, videlicet ad beatiſſimum Papam dominum Martinum Quintum, & ad modernum similiter sanctiſſimum Papam dominum Eugenium quartum, similiter, & ab ipsis transmisſæ fuerunt multoties ad nos pro vnione ecclesiarum Christi, & multis laboribus cum multa diligentia vtrinq; factis, tamen propter aliquas circumstantias temporaneas non peruenit ad finem tale bonum & sanctum opus vnionis. Post hæc autem destinauit ad nos de hac ipsa re ambasiatores suos sacra synodus in Basilea congregata, sacrosanctam Ecclesiam Romanam repræsentans, propter quod & nos nostros ad eam destinauimus, videlicet familiarem imperii *meo.

nostri Demetrium Palæologum Mæotidem, & honorandiſſimum in sacris monachis Abbatem sacri monasterii sancti Demetrii Isidorum, & familiarem imperii * nostri Ioannem Lascari Disipatum, qui illuc accedentes ostenderunt, in ipsam quædam necessario ab eo tractari in præparationem & constitutionem vniuersalis & œcumenici Concilii, in quo necesse est tractari & celebrari & perfici (Deo duce) prædictam sanctam vnionem, quæ quidem hæc ipsa synodus Basileensis acceptauit, & promisit illa adimplere. Vnde & ambasiatores suos, & nos destinauit, fratrem Ioannem de Ragusio, ordinis Prædicatorum professorem, & in sacra pagina magistrum, Henricum Menger decretorum doctorem, canonicum Constantiensem, & Simonem * Freton sacræ Theologiæ baccalaureum, Canonicum Aurelianensem, cum decreto ipsius generali, in quo de his continebatur particulariter in capitulis. Peracto itaque tali decreto apud nos, quædam ex his quæ continebantur in eo, non placuerunt nobis, vt in ipso iacebant, proœmium videlicet talis decreti, & capitulum in quo scribebatur de modo reuersionis nostræ à loco celebrandi Concilii ad Constantinopolim, si permittente Deo (quod absit) non fieret vnio ecclesiarum Christi in tali synodo, quia non exprimebatur in eo de hoc determinate & manifeste, prædicti autem ambasiatores videntes displicentiam & resistentiam nostram, nec aliter rem ipsam posse habere progressum, concesserunt, & promiserunt curare in prædictis, videlicet quod dicta sancta synodus dabit, & exhibebit nobis capitula in dicto decreto contenta, cum proœmio, modo & forma quibus in literis ipsorum promissoriis continetur. Et circa reuersionem nostram de synodo in Constantinopolim, in casu quo non sequeretur dicta vnio, (quod absit) facere & adimplere, prout habetur in forma salui conductus prædicti. His itaque sic progressis, & inter nos concordatis, petierunt & ipsi ambasiatores, vt promittamus & nos absque contradictione, ire & accedere ad locum, in quo celebrabitur (Deo concedente) vtrinque Catholica & œcumenica synodus. Qui quidem locus esse debet vnus ex nominatis in * decretis, quicunque ordinabitur per dictum sacrum Concilium Basileense, sicut in supradicto decreto ipsius sacri Concilii * continentur. Etiam quod exire debeamus hinc à Constantinopoli, in accedendo versus locum celebrandi œcumenici Concilii, à principio sequentis Iunii, indictionis decimæquintæ, sicut conuentum est inter nos & ipsos ambasiatores sacri Concilii. Et quia etiam ad maiorem cautelam & firmitatem horum omnium, petierunt fieri literam chrysobuli imperii * nostri, Imperium * nostrum grato animo rationabili petitioni eorum annuens, præsens chrysobulum largitur & concedit: per quod acceptat, determinat, & promittit, quod si dicta sacra synodus Basileensis remedium apposuerit in prædictis, videlicet si prædicta capitula in supradicto decreto contenta, cum proœmio in forma, sicut hic per ambasiatores ipsius synodi concordarum est, nobis direxerit, & compleuerit omnia in eisdem capitulis scripta opportune, similiter & fecerit saluum conductum cum capitulis de modo reuersionis nostræ ad Constantinopolim, vt prædicitur: reliqua etiam, vt ambasiatores ipsius nobis promiserunt, & nobiscum conuenerunt: exibit & * imperium nostrum cum Deo sine contradictione à Constantinopoli secundum prædictum tempus, cum præstantiſſimo domino œcumenico Patriarcha Constantinopolitano, & cæteris debentibus interesse, ad accedendum ad locum vbi celebrabitur Sanctum catholicum & œcumenicum Concilium, absque impedimento rationabili, vero & manifesto, etiam si bellum (quod absit) ab infidelibus foret, & instaret ciuitati nostræ Constantinopolitanæ. Et in robur & confirmationem & conseruationem inuiolabilem suprascriptorum, iurat Imperium * nostrum, per debitum * nobis iuramentum tanquam Christia- *mei.* *decreto.* *continentur.* *mei.* *meum.* *meum* *mihi.*

no & fideli Imperatori, & per orationem ſancti mei
*mei domini & Imperatoris patris imperii mei famoſiſſimi
& felicis memoriæ & pro animam meam factumq; eſt
ſuper iſtis præſens hyſobulum imperii* noſtri, In an-
no ſexmilleſimo nongenteſimo quadrageſimo quar-
to, in menſe Nouembri, indictione decimaquarta, à
natiuitate vero Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo
quadringenteſimo trigeſimoquinto, die vigeſimo ſex-
to menſis Nouembris.

Bulla plumbea domini Patriarchæ Conſtantinopolitani, miſſa ſacro Concilio Baſileenſi.

XVIII. Quoniam deſtinatæ fuerunt ab humilitate noſtra,
& potentiſſimo & ſancto meo Imperatore ambaſiatæ
ad ſacroſanctam Eccleſiam Romanam videlicet ad
beatiſſimum Papam dominum Martinum quintum,
& ad modernum ſimiliter ſanctiſſimum Papam do-
minum Eugenium quartum, ſimiliter & ab ipſis tranſ-
miſſæ fuerunt multoties ad nos pro vnione eccleſia-
rum Chriſti, & multis laboribus cum multa diligen-
tia vtrinque factis, tamen propter aliquas circunſtan-
tias temporaneas non peruenit ad finem tale bonum
& ſanctum opus vnionis. Poſt hæc autem deſtinauit
ad nos de hac ipſa re ambaſiatores ſuos ſacra ſynodus
in Baſilea congregata, ſacroſanctam Eccleſiam Roma-
nam repræſentans, propter quod & nos noſtros ad e-
am deſtinauimus, videlicet familiares potentiſſimi &
ſancti mei Imperatoris in Spiritu ſancto dilectos filios
noſtræ humilitatis, videlicet Demetrium Palæologum
Mæonidem, & honorandiſſimum in ſacris monachis
Abbatem ſacri monaſterii ſancti Demetrii Iſidorum,
& Ioannem Laſcari Diſſipatum, qui illuc accedentes,
eſtenderunt in ipſam quædam neceſſario ab ea tracta-
ri in præparationem & conſtitutionem vnionis ſalis &
*dante œcumenici Concilii, in quo neceſſe eſt tractari & cele-
brari & perfici (Deo* duce) prædictam ſanctam vnio-
nem.

Quæ quidem hæc ipſa ſynodus Baſileenſis acceptа-
uit, & illa promiſit adimplere. Vnde & ambaſiatores
ſuos ad nos deſtinauit, fratrem Ioannem de Raguſio,
ordinis Prædicatorum profeſſorem, in ſacra pagina
magiſtrum, Henricum Menger decretorum doctо-
rem canonicum Conſtantienſem, & Simonem Feron
ſacræ Theologiæ baccalaureum canonicum Aurelia-
nenſem, cum decreto ipſius generali, in quo de his
continebantur particulariter in capitulis. Perfecto ita-
que tali decreto apud nos, quædam ex his quæ conti-
nebantur in eo, non placuerunt nobis, vt in ipſo face-
bant, procœmium videlicet talis decreti, & capitulum
in quo ſcribebatur de modo reuerſionis noſtræ à loco
celebrandi Concilii ad Conſtantinopolim, ſi permit-
tente Deo (quod abſit) non fieret vnio eccleſiarum
Chriſti in tali ſynodo, quia non exprimebatur in eo de
hoc determinate & manifeſte. Prædicti autē ambaſia-
tores videntes diſplicentiam & reſiſtentiam noſtram,
necaliter tem ipſam poſſe habere progreſſum, conce-
ſerunt, & promiſerunt curare in prædictis, videlicet
quod dicta ſynodus dabit, & exhibebit nobis capitula
in dicto decreto contenta, cum procœmio, modo & for-
ma, quibus in literis ipſorum promiſſoriis continetur.
Et circa reuerſionem noſtram de ſynodo in Conſtan-
tinopolim, in caſu quo nō ſequeretur dicta vnio (quod
abſit) facere & adimplere, prout habentur in forma
ſalui conductus prædicti.

Hiſitaque ſic progreſſis, & inter nos concordatis,
perierunt & ipſi ambaſiatores, vt & promittamus &
nos abſque contradictione ire & accedere ad locum,
in quo celebrabitur (Deo concedente) vtrinque Ca-
tholica & œcumenica ſynodus. Qui quidem lo-
cus eſſe debet vnus ex nominatis in decreto, qui-
cunque nominabitur per dictum ſacrum Concilium
Baſileenſe, ſicut in ſupradicto decreto ipſius ſacri
Concilii continetur. Etiam quod exire debeamus
hinc à Conſtantinopoli, in accedendo verſus locum
celebrandi œcumenici Concilii, à principio ſequen-
tis Iunii, Indictionis decimæquintæ, ſicut conuen-
tum eſt inter nos & ipſos ambaſiatores ſacri Concilii.
Et quod etiam ad maiorem cautelam & firmitatem
horum omnium petierunt fieri ſigillum noſtræ humi-
litatis, humilitas noſtra grato animo rationabili peti-
tioni eorum annuens, præſens ſigillum largitur & con-
cedit, per quod in Spiritu ſancto diſponit, quod ſi dic-
ta ſacra ſynodus Baſileenſis remedium appoſuerit
in prædictis, videlicet, ſi capitula in prædicto decreto
contenta cum procœmio, in forma ſicut hic per am-
baſiatores ipſius ſynodi concordatum eſt, nobis dire-
xerit, & compleuerit omnia in eiſdem capitulis ſcri-
pta opportune, ſimiliter & fecerit ſaluum conductum
cum capitulo de modo reuerſionis noſtræ ad Conſtan-
tinopolim, vt prædicitur: reliqua etiam, vt ambaſiato-
res ipſius nobis promiſerunt & nobiſcum conuene-
runt: exibit humilitas noſtra cum potentiſſimo & ſan-
cto meo Imperatore cum Deo ſine contradictione à
Conſtantinopoli ſecundum prædictum tempus, &
cum cæteris debentibus intereſſe, ad accedendum ad
locum vbi celebrabitur ſanctum Catholicum & œcu-
menicum Concilium, abſque impedimento rationa-
bili, vero & manifeſto, etiam ſi bellum (quod abſit)
ab infidelibus foret, & inſtaret ciuitati noſtræ Conſtan-
tinopolitanæ. Et in robur & confirmationem ſupra-
dictorum, factum eſt præſens ſigillum noſtræ humili-
tatis in menſe Nouembri, indictionis decimæquartæ,
anno ab Adam ſcu mundi conſtitutionis * ſexmilleſi- *ſexies
mo nongenteſimo quadrageſimo quarto, à natiuitate
vero Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo-
quinto.

Bulla indulgentiarum remiſſionis omnium peccatorum ſemel in vita, & ſemel in morte, infauorem ſubſidii pro reductione Græcorum procurandi.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in XIX.
Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Ec-
cleſiam repræſentans, vniuerſis Chriſti fidelibus ſalu-
tem & omnipotentis Dei benedictionem. Vox illa io-
cunditatis & lætitiæ ad populum Iſraeliticum olim de
cœlo lapſa, eadem nunc per os huius ſanctæ ſynodi in
auribus populi Chriſtiani inſonans, clamat: Conſola- *Eſa.40.
mini, conſolamini populo meus, dicit dominus Deus
veſter. Loquimini ad cor Hieruſalem, & aduoca-
te eam, quoniam completa eſt malitia eius, & di-
miſſa eſt iniquitas illius. Merito lætari & conſolari de-
bet plebs Chriſtiana, cum his nouiſſimis diebus tan-
ta lætitiæ cauſa offertur, quantam vix vnquam ex-
perta es. Vno enim eodemque tempore plenariam o-
mnium peccatorum veniam conſequeris, & fratres tuo-
os, quorum innumerabilis eſt multitudo, quingentis
ferme annis à tuo conſortio ſegregatos, tibi proxime
reuniri ſperas. O quanta erit iſta iubilatio? O quam
ſuaue cordibus Chriſtianorum orietur gaudium, cum
primum homines Deo, & ipſi inter ſe fraterna charita-
te conciliabuntur? Quas igitur Chriſto noſtro pro
hæc duplicis lætitiæ, qua nulla maior deſiderari poteſt, *Pſalm.38
gratias agemus? Quis Domini miſericordias ad ple-
num enarrabit, qui populum Chriſtianum variis vndi-
que calamitatibus hoc tempore afflictum, tanta gaudii
nouitate conſolatur? Ecce populę Dei, adeſt tibi an-
nus iubilæus, annus remiſſionis omnium peccatorum,
annus generalis vnionis Eccleſiæ. Proinde loquimini
omnibus Chriſti fidelibus, qui in ſancta habitant
Hieruſalem peregrinante in terris, ad cor eos conſo-
lando, & aduocate eos ad hāc duplicem lætitiam, quo-
niam malitia tam diuturni ſchiſmatis, quod innume-
rabilia Eccleſiæ ſanctæ Dei mala intulit, auxiliante Do-
mino (vt confidimus) cito complebitur, & finem ac-

cipiet.

cipiet. Iniquitas quoque peccatorum, quæ huius
ſchiſmatis & iræ Dei cauſa fuit, diuina clementia re-
mittitur. Conſurge igitur, conſurge, induere fortі-
*Eſa. 51. & 52. tudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Hie-
ruſalem ciuitas ſancta. Quam fortis & gloriоſa eris
tunc mater Eccleſia, cum omnes qui Chriſtum colunt,
ab Occidente in Orientem eodem fidei & charitatis
vinculo vnitos conſpicies? Ingemuiſti hactenus ni-
mio dolore afflicta, cum à ſæuiſſimis Turcis & Sarra-
cenis, aliisque Chriſtiani nominis inimicis, innume-
ras patereris iniurias, iacturas, perſecutiones & oppro-
bria, & nemo te conſolari poterat. Cum paſſim vide-
res filios tuos omnis ſexus, ætatis & dignitatis in ſeru-
tutem trahi, & (quod ſeruitute deterius eſt) plurimos
ab vberibus tuis abſtractos, ad impium Mahumeti cul-
tum perduci. Harum autem calamitatum quid aliud,
quam hoc diuturnum ac peſtiferum ſchiſma, cauſa ex-
titit? Sed diuino munere appropinquat iam tempus, vt
omni penitus extincto diſſidio, vnitas ſancta fiat. Quæ
cum impleta fuerit, atque hi magni populi Occidenta-
les & Orientales fraternum fœdus ſimul inierint, ne-
*Pſal. 44. mo tunc fortitudini tuę reſiſtere poterit. Tunc abiec-
*Eſa. 60. tis lugubribus, conſurges regina Eccleſia in veſtitu
deaurato, circundata varietate: & quite olim perſe-
quentes conculcabant, procident coram te: & venient
ad te qui detrahebant tibi, & adorabunt veſtigia pe-
dum tuorum. O vos omnes qui Chriſtiano nomine
cenſemini, expergiſcimini iam talia audientes, plau-
dite manibus, & iubilate CHRISTO ſalutari noſtro.
*2. Cor. 6. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies
ſalutis: Ecce iam patet miſericordiarum & Deus to-
tius conſolationis, viſitat nos in abundantia gratiæ & feli-
citatis. Aſſurgite, & occurrite illi in humilitate ſpiritus,
in orationib. atq; eleemoſynarum largitate, vt qui pro
peccatis veſtris iuſte iratus, tam diu hoc ſchiſma durare
paſſus eſt, & multis perſecutionum flagellis ab his qui
intus, & ab his qui foris ſunt, vos cædi permiſit, nunc
purgatis & emendatis indulgens, ſanctam inter vos vn-
ionem inſpiret, vnitisq; non ſolum perdita reſtauret,
ſed & vobis veſtros ſubiiciat inimicos. Audiſtis pridē
ſolennes Ambaſiatores Sereniſſimi Imperatoris Græ-
corum, ac Patriarchę Conſtantinopolitani, ab hac ſan-
cta Synodo accerſitos Baſileam adueniſſe, & tandem
Deo propitio, concluſiſſe nobiſcum modum huius
ſanctæ vnionis perficiendę, aſſenſu ſanctiſſimi domini
Eugenii Papę accedente, vt videlicet ad locum Synodi
vniuerſalis tam noſtri, quam ſui Archiepiſcopi, & Epi-
ſcopi, ipſeq; Imperator & Patriarcha Conſtantinopo-
litanus, aliique Orientalis Eccleſiæ Patriarchæ acce-
dant. Vt autem tantum opus certius firmaretur, tres
noſtros Oratores poſtea Conſtantinopolim deſtinauі-
mus, vt ab ipſis Imperatore & Patriarcha ratificatio-
nem eorum, quæ hic ſui concluſerant Ambaſiatores,
obtinerent. Quæ omnia ipſi Imperator & Patriarcha
iuxta noſtri decreti capitula, ratificarunt & approba-
runt, ac litteras Latino Græcoque ſermone ſcriptas, &
eorum manibus ſubſcriptas, bullisque aurea & plum-
bea munitas, per vnum ex tribus noſtris Oratoribus
ad nos nuper reuerſum tranſmiſerūt. Et cum ad ipſam
Synodum propriis expenſis tam procul de partibus
Orientalibus Græci proficiſci nequeant, opus fuit vt
expenſas in veniendo ſtandoque & redeundo neceſ-
ſarias, & quaſdam alias pro tuitione ciuitatis Conſtan-
tinopolitanæ, ne Imperatore abſente, à Turcis forſi-
tan expugnari poſſet, polliceremur. Et quanquam hu-
iuſmodi impenſæ nonnullis graues viderentur, nos ta-
men animaduertentes, quantus Dei honor & profe-
ctus Eccleſiæ, quanta exaltatio fidei orthodoxæ, quā-
tum incrementum nominis Chriſtiani, quot millium
animarum ſalus, quantaque vtilitas, & innumerabilia
bona populo Chriſtiano hinc forent prouentura, non
ſolum ipſas impenſas, ſed & perſonas proprias fore ex-
ponendas, dignum eſſe iudicauimus, ſpem ponentes
in Domino, cuius negotium agitur, & in charitate ac
deuotione fidelium, qui dum talia intellexerint, ſubſi-
diis & auxiliis opportunis non deerunt. Si Chriſtus
Deus noſter ſanguinem ſuum toto pretioſiorem mun-
do, pro noſtra redemptione effudit: ſi eius veſtigia ſe-
cuti Apoſtoli, atque alii ſancti viri, pro ſalute proximo-
rum & incremento fidei corpora ſua libenter morti
obiecerunt: quid nos facere oportet, à quibus non
niſi caduca huius mundi ſubſtantia efflagitatur? Si re-
ges & principes pro recuperandis expugnandisque ci-
uitatibus & oppidis multo ampliorem ſummam ex-
ponere ſoliti ſunt, ſi denique pro augendis facultati-
bus & vanitatibus ſæculi, ſe & ſua multis periculis ho-
mines ſubiiciunt, & vt exemplo vtamur Saluatoris, *Matth.13.
quærens aliquis pretioſam margaritam, cum inuenerit
ipſam, vendit omnia bona ſua, & emit illam: nonne
Eccleſia Dei & vniuerſus populus Chriſtianus facere
hanc impenſam poterit, & debebit, ex qua nihil terre-
num, nihil caducum, ſed omnia quæ ſupra memora-
uimus bona, ſuccedent? Si vna duntaxat anima Chri-
ſto charior eſt, quam totum mundi aurum: nos vbi mil
lia millium ſaluanda ſunt, auari aut negligentes vide-
bimur? Conſueuit aliquando Eccleſia ad liberan-
dum de manibus infidelium terram ſanctam, ſeu pro
debellandis hæreticis indicere generale paſſagium,
conuocareque reges & principes, & alios bellato-
res, vt armis iſta peragerent, nec non & pro aliis iuſtis
cauſis ab omnibus Chriſtianis ſubſidium poſtulare,
ad quæ vt promptiores efficeret, donis ſpiritualibus
plenariæ remiſſionis peccatorum inuitauit. Profecto
ſi veterum reuoluantur hiſtoriæ, nulla vnquam af-
fuit cauſa iuſtior, quam iſta eſt, ne pro qua Chri-
ſticolæ omnes ſe, & ſua libentius exponere deberent.
Hic enim non ſolum ad recuperandam terram inten-
ditur, ſed etiam millia millium animarum, pro qui-
bus mediocre ſubſidium petitur, vnde impenſæ Græ-
cis promiſſæ, ſine quibus tam ſanctum opus perfici
nequit, inueniri poſſint. Quis igitur pro tanto vni-
uerſæ Eccleſiæ bono, proque tanto animæ ſuæ merito
portiunculam rerum ſuarum, quas dono Dei obtinet,
denegare audebit? O felicem & pretioſam eleemo-
ſynam, quæ regnum cœlorum promerebitur; & quæ
tantam fidei Catholicæ vtilitatem dabit! O bea-
tum illum hominem, quem dominus ad tam ſanctum
*Pſal.40. opus inſpirauerit! Hunc quidem (ſicut ſcriptum
eſt) in die mala liberabit dominus. Licet autem ex
debito Chriſtianæ profeſſionis quiſque ad hoc ſan-
ctum negotium pro viribus contribuere, ac ſubueni-
re obnoxius ſit, nihilominus, vt eo libentius omnes
faciant, quo ſe hic & in futuro ſæculo præmplius re-
munerandos fore intellexerint, decreuit hæc ſancta
Synodus vniuerſam Eccleſiam repræſentans, ſpon-
ſam Chriſti, affluenter aperire ſpirituales theſauros,
quos ipſe Saluator aſcendens in cœlum, ſibi reliquit.
Omnibus igitur Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, qui
ad hoc ſanctum opus tantum contribuerint, quantum
quiſq; vna integra hebdomada pro ſuæ perſonæ ac fa-
miliæ, ſi eam habuerit, refectione exponit, vel ſi de
propriis viueret, exponeret, religioſis quoq; pro quib.
ſuus conuentus aut ſuperior vel alius iuxta prædictam
rationem erogauerit, omnium peccatorum ſuorum,
de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, au-
thoritate omnipotentis Dei & de eius miſericordia
confiſa, illam plenariam remiſſionem impartitur ſe-
mel in vita, & ſemel in mortis articulo, quam Eccleſia
concedere ſolet omnibus euntibus Romam tempore
Iubilæi, vel cruce ſignatis ad recuperationē terræ ſan-
ctę tempore paſſagii generalis, & in retributione iuſto-
rum ſalutis æternæ pollicetur augmentum. Ita tamen,
quod per annum integrum (ſi vixerint) ſingulis ſex-
tis feriis, impedimento ceſſante, aut ſi dictis ſextis
feriis ex præcepto Eccleſiæ, regulari obſeruātia, iniun-
cta pœnitentia, voto vel alias ieiunare teneantur, vna
alia die ſingularum ſeptimanarum eiuſdē anni, qua ad
ieiunandum non ſint aſtricti, ieiunent, aut ad iudiciū

sui confessoris in alia pietatis opera commutent. Ac etiam eadem die qua ieiunabunt, vel (vt præmittitur) ieiunare deberent, si sint clerici, septem Psalmos vel Missam: si laici, septem Pater noster, & septies Aue Maria, dicere sint astricti, vel alia pietatis opera iudicio sui confessoris agant. Quod si conuentus tales sint, qui nihil in communi possideant, vel aliæ personæ victum vera mendicitate quærentes, seu alias contribuere non valentes, ne huius spiritualis muneris sint expertes, si vltra ieiunium (vt prædicitur) obseruandum singulis diebus vnius anni, prædictos Psalmos & Missas, si clerici: si laici, prædictas orationes, cessante legitimo impedimento, eo modo quo supra exprimitur, supplendo dixerint, vel alia pietatis opera sui confessoris iudicio (vt præmittitur) exercuerint, ac pro fœlici huius negotii consummatione Deum suppliciter exorauerint, eandem plenariam remissionem consequantur. Erogantibus autem ad idem opus, quantum vna die pro se suæque familiæ expensis expenderent, vel si de propriis viuerent, exponerent, septem annos & totidem quadragenas de iniunctis sibi pœnitentiis elargitur. Et vt hi omnes ad huiusmodi indulgentiæ gratiam aptiores existant, omnibus sacerdotibus sæcularibus & regularibus alias discretis, quos in confessores pro huiusmodi consequenda indulgentia elegerint, indulget, vt confessionibus eorum auditis, ipsas à quacunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententia, à iure vel constitutione, seu etiam non nominatim, sed generaliter ab homine lata, & à quibuscunque aliis propter quæ etiam Sedes Apostolica merito esset consulenda, imposita satisfactione & restitutione his quorum interest facienda, salutarem iniungant pœnitentiam, & debitæ absolutionis in foro pœnitentiali duntaxat in forma Ecclesiæ beneficium impendant. Quam satisfactionem ac restitutionem, si infra terminum à Confessione statutum facere neglexerint, huiusmodi indulgentia in nullo suffragetur. At cum clericis super irregularitate occulta, alias quam ex bigamiæ vel homicidii voluntaria causa contracta, disputent. Super votis vero peregrinationis, seu abstinentiæ, aut aliis similibus, quæ ipsi fideles emiserint, etiam si vltra marina, aut alia loca, seu limina Sanctorum Petri & Pauli, ac Iacobi Apostolorum visitare voluerint, seu alias non impletis, dispensandi eisdem confessoribus etiam facultatem concedit: ita tamen, quod ipsi cum quibus taliter dispensari contiget, expensas quas ad loca huiusmodi vel pro aliis votis impleudis, iuxta ipsorum Confessorum taxationem fecissent, ad hanc causam contribuant. Et vt nulla cuiquam peccati rubigo remaneat vult & indulget hæc sancta Synodus, vt quicunque ex vsurario vel non debito quæstu, seu qualitercunque illicite aut indebite aliquid percepisset, seu bona ablata aut quæuis incerta possideat, si non extent, vel ignorentur personæ, quibus facienda esset restitutio, aut res quascunque tenentes, cuiuscunque status aut religionis existant, in quorum detentione conscientiæ eorum grauantur, vel quæ de iure ad pias causas per ecclesiam deberent exponi, huiusmodi res & bona seu valorem, nec non & quala arma vel alia prohibita infidelibus seu hæreticis portauerint, lucrum quod inde perceperunt ad hoc opus iuxta suam & sui confessoris conscientiam & æstimationem tradere teneantur. Iubet insuper eadem sancta Synodus, vt habita huius decreti notitia, omnes diœcesani in cathedralibus, collegiatis, & parochialibus, in quibus eis visum fuerit, ac etiam generales ordinum mendicantium in conuentualibus ecclesiis eis subiectis, mox disponant, quatenus verbum Dei per prædicatores idoneos ad populum annuncietur, prædictas indulgentias publicando, & fideliter exhortando ad subsidium in tam piissima causa impendendum, quibus prædicatoribus, & prædicationem audientibus, ac etiam omnibus aliis, qui circa prædictam æstimationem subsidium aliquod vel auxilium in hac re dederint, centum dies de iniunctis pœnitentiis singulis vicibus in forma Ecclesiæ relaxat. Ne autem in colligendis ac conseruandis pecuniis fraus aliqua committatur, ordinat sancta Synodus, quod in qualibet cathedrali in ciuitatibus, in oppidis vero & aliis locis in principali Ecclesia vnus cippus, truncus vel capsa ponatur, vbi tanquam in gazophylacio Domini, quilibet pecunias erogandas ac incerta & ablata seu illicite quæsita, reponere possit & debeat. Cuius sint tres claues, quarum vnam teneat Episcopus, vel cui voluerit ipse cõmittere, pro quolibet trunco in omnibus locis ciuitatis & *diœcesibus, capitulum aliam in cathedrali, prælatus seu rector in principali, tertiam timoratus aliquis vir, quem ciuitas, oppidum seu locus deputare voluerit, qui diebus per eos statuendis, talem cippum, truncum vel capsam coram Notario vel duobus fide dignis, apperiant personis, & pecunias ad fidas manus deponant, eas sine fraude, diminutione vel contradictione illi vel illis assignaturi, quas hæc sancta Synodus ad hoc deputauerit. Quod si in campestribus locis vel alibi periculum seu detrimentum in conseruatione pecuniarum per modum superius expressum verisimiliter timeretur, diœcesani vel ad colligendum huiusmodi pecunias ab hoc Concilio deputandi, (prout magis expediens visum fuerit) vtiliter prouideant. Quicunque autem, etiam si Pontificali aut Regali præfulgeat dignitate, fraudem, furtum, siue rapinam circa prædictas pecunias seu impedimentum ex proposito & malitiose in hoc sanctissimo opere fecerit, vltra indignationem omnipotentis DEI & reatum supremi sacrilegii, sententiam excommunicationis incurrat, à qua, nisi prius plenaria facta restitutione & impedimento sublato, absolui non possit. Vult autem hæc sancta Synodus, quod elapso biennio à die præsentis decreti, prædictæ indulgentiæ ac facultates nemini concedi valeant, præterquam in mortis articulo, quo ad illos qui infra biennium (vt supra dictum est) contribuerint. Quodque personis illis quæ sub spe huius gratiæ & indulgentiæ aliquid commiserint in nullo huiusmodi gratia ac specialis concessio suffragetur. Et quia difficile foret, præsentes literas singulas exhibere, decernit hæc sancta Synodus, vt earum transumpto manu publica auctoritate Archiepiscopi in tota prouincia, & ordinarii in sua diœcesi proprio Sigillo munito tanquam literis Originalibus plena fides in omnibus adhibeatur.

*diœcesis.

Datum in Sessione publica huius sanctæ Synodi solenniter celebrata in maiori ecclesia Basileensi, decimo octauo Calendas Maii, Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.

Hactenus acta Basileensium.

Offendit iure merito Eugenium Pontificem, tantus ausus Basileensium, in erogandis indulgentiis, inque aliis, præsertim superioris anni sanctionibus. Ergo Cardinalibus Legatis præscripsit, qui cum illis expostularent, necnon audaciam Patrum refrenarent: ac præterea, vt nonnullorum quæ ipse ex plenitudine potestatis id temporis egerat, rationes exponerent. Quid porro illis responderint, quamque præfracte se erga summam potestatem habuerint; ex eorum scripto euidens est.

Responsio Basileensium, quod posset Concilium concedere indulgentias plenarias pro vnione Græcorum, quod oblatio Papæ, quoad acceptationem decretorum non est sufficiens. quodq; non est modo agendum de mutatione Concilii. XX.

Sacrosancta, &c. Ad futuram rei memoriam. Cuperet hac sanctæ Synodus, vobis dilectissimis Ecclesiæ

*filiis Nicolao tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, & Ioanni tituli Sancti Petri ad vincula presbyteris, Cardinalibus, Legatis Sedis Apostolicæ, tam iocundo animo responsum facere, quam lato vestrum præstolatur aduentum. Putat, aduenientibus vobis, non dolendi, aut conquerendi de Sanctissimo Domino Eugenio causam. sed gratias eidem agendi tribui debere. Sperabamus etenim tantæ dignitatis viros, ea secum deferre, quæ nos merito consolarentur, & alia vobis esse commissa, per quæ pius iustique sacri Concilii desiderii satisfacere posseris: præsertim cum tam crebro & instanter, Oratoribus ac litteris nostris, ipse Sanctissimus Dominus Eugenius requisitus extiterit, prout ipsi nostis; & eo potissime, cum non nisi sancta & rationabilia, à sua Sanctitate effligitarentur. Ad quæ quidem, non solum pro vniuersalis Ecclesiæ reuerentia, cuius decretis & monitionibus quisq; mortalium parere tenetur, sed & pro sua tam solenni pollicitatione in litteris adhæsionis facta, flecti vltro debuisset. Quod & si illorum sanctorum operum, propter quæ hoc Concilium congregatum est, sua Sanctitas, prout in proœmio vestræ Schedulæ nuper exhibitæ exprimitis, felicem consummationem desiderat; cur verbis facta compensans, decreta reformationis, pro quæ præcipue hac Synodalia congregatio facta est, non seruat; & vt seruet, toties requisitus, tandiu differt? Siverum est, quod intimum vestra Schedula continet, & in secundo articulo reperitur; cur ea, quæ nos, & Ecclesiam contur bant, de medio non tolluntur? Quamquam multa per ipsum facta sint, quæ nos merito contristant; videntes, ex Synodalium transgressione decretorum, multa in Ecclesia Dei orta esse & grauiora indies scandala oriri. Nihilominus prætcritorum libenter obliuisceremur, si iam post tot requisitiones & monitiones, talia inspiceremus, per quæ & præterita repararentur, & in futurum spes foret, hanc Summi Pontificis intentionem aliquando operi commendi. Humana intentio, nisi per opera, hominibus constare nec potest. Quomodo persuaderi, rebus sic stantibus, nobis potest, talem esse Summi Pontificis intentionem, cum quotidie opera ab ipso milita videamus? Nam post vestrum à sua Sanctitate recessum, nonnulla admodum grauia, contra decreta, & personas huius sacri Concilii, ac sententias etiam conciliariter latas, facta esse didicimus. Sed nec mediocriter miramur, quod cum non solum in decretis de electionibus & annatis, consistat reformatio Ecclesiæ; nec super his solum, sed super omnibus concernentibus capitibus & membrorum reformationem, suam Sanctitatem sæpenumero manuetissime exorauerimus, & requisuerimus; ipse super his duobus duntaxat responderit: nec super his quidem sufficienter. Nam circa decretum de electionibus, ambigue: circa vero decretum de confirmationibus, & prouisionibus dignitatum & beneficiorum, & administratione rerum spiritualium sine exactione faciendis; conditionaliter respondet: & tali quidem conditione, qua (sicut in vestræ facultatis literis continetur) tam difficilis est, vt pene impossibilis iudicetur. In decreto enim de electionibus offerit; suam Sanctitatem velle expectare electiones. Quid, si à proximo superiori Ordinario, confirmatio alicuius electionis, iuxta dispositionem iuris communis petatur; Nunquid Ordinarius suo iure libere vti permittet, sicut Sacri Canones statuunt? Quo vero ad decretum de annatis; decuisset magis suam Sanctitatem, decretum hoc libere obseruare, ac seruari facere, quam conditionem adiicere, iuxta Sanctorum Patrum institua, ac decretum Sacri Concilii Constantiensis, affiniens, omnem hominem, etiam Papalis dignitatis, decretis & mandatis Conciliorum Generalium parere debere, in his quæ pertinent ad Fidem, extirpationem schismatis, ac reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Et cum huiusmodi decretum de Annatis, conforme per omnia sit decretis Sanctorum Patrum, sancte faceret, si verbis vteretur Beati Leonis dicentis: Ideo permittente Domino Pastores sumus effecti, vt quod Patres nostri, siue in sacris Canonibus, siue in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus. Contra Sanctorum quippe salubertima agimus statuta, si quod ipsi diuino statuerunt consultu, intactum non conseruamus. Congruentius ergo fuisset, decretum ipsum tam salubre suscipere; & postea, ab Ecclesiæ prouisionem postulare; quam secundum indigentiam facere non recusamus; præsertim, si suam Sanctitatem ad obseruantiam reformationis videamus efficaciter dispositam, quæ quidem prouisio iam facta esset, nisi ex parte suæ Sanctitatis, ac suorum, quædam contigissent, quæ hanc prouisionem distulerunt. Illud autem quam difficile sit, quod per omnes nationes & Prouincias, prouisio hic decernenda, cum acceptetur iuxta facultatum vestrarum tenorem; vos ipsi iudicetis. Nam si vna minima prouincia, difficultatem in acceptando talem prouisionem fecerit; tunc decretum hoc seruare non volet. Quod quam absurdum sit, & prolixum, habere omnium Prouinciarum mundi consensum; vos ipsi optime recognoscitis. Cum ergo decretum hoc sanctum sit, & rationabile: seruari merito ab omnibus sine difficultate debet. Quod si quis postea prouisioni, per hoc sacrum Concilium decernendæ obtemperare recusauerit: poterit sua Sanctitas, aut horitate Apostolica, & vniuersalis Ecclesiæ, per iuris remedia tales compescere. Sed si forte contingeret, (quod non arbitramur,) huiusmodi prouisionem per Concilium non decerni; nonne tam sua Sanctitas, quam Prælati, per multos honestos modos, in iure communi descriptos, à suis subditis, in vrgente necessitate subsidia poterunt obtinere? Quomodo enim ante aduentionem annatarum, & aliorum abusuum per decretum sublatorum, Summi Pontifices, & Prælati se sustentarunt? Ea quam secundo articulo continentur, de intentione suæ Sanctitatis, in omnibus sanctis, iustis & rationabilibus petitionibus, & sibi possibilibus, complacendi & satisfaciendi sacro Concilio; magnæ laudi, & gratiarum actione dignæ sunt, si ex animo prodeunt. Quod tunc recognoscemus: si ea quæ pro honore Dei, & bono publico, sancta Synodus ordinat, & ab eo seruari postulat; sua Sanctitas, more prædecessorum suorum non infringat. Imitando Beatum Gelasium dicentem; Nullam magis quam primam Sedem, statuta vniuersalis Synodi exequi oportere. Meminisse suam Sanctitatem cupimus, eorum quæ in sua pollicitus est adhæsione; videlicet, quod ipsum sacrum Concilium Basileense, cum omni deuotione & fauore prosequi intenderet; & deinceps, nouitatibus, & grauaminibus, seu præiudiciis inferendis ipsi sacro Concilio, vel suppositis eius, & adhærentibus, realiter, & cum effectu desisteret. Sed proh dolor, quotidie contraria fieri audiuimus, & vsque nunc cum patientia toleranimus; si forte toties rogatus, & obsecratus desistat. Hæc certe non solum dum fiunt, molesta ferimus; sed cum necessitas nos referre compellit, dolore afficimur. Quis enim non doleat, quod summa ac saluberrima Conciliorum authoritas, hoc tempore ita depereat & contemnatur? Quo modo & nos illud amplius tolerare possumus aut debemus, vt quos hæc sancta Synodus iustis ex causis excommunicat, ipse absoluat? & quos nos absoluimus, sua authoritate excommunicentur? Non hos sonant sua adhæsionis litteræ. Non ita ægebat ille Beatissimus Papa Eugenius, cuius in explanandis Scripturis Spiritus sanctus irradiabat intellectum. Is de vniuersalibus Concilijs inquit: Cunctas vero, quas prefata veneranda Concilia personas resplendent, respuo quas venerantur, amplector: quia dum vniuersalia sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumpserit absoluere quos ligant, aut ligare quos absoluunt. Quisquis ergo aliud sapit; anathema sit. Nos non aliud optamus, nisi vt sic agat, quod vera charitas, inter hoc sacrum Concilium & suam Sanctitatem illibata seruetur. Quomodo autem sperare possumus, suam Sanctitatem, finito Concilio, eius decreta inuiolata seruare, & ab aliis pro suo officio seruari facere, nisi antecessum effectu reparet, qua contra decreta, ac personas huius Concilii gesta sunt? Nullatenus hæc sancta Synodus contentari, aut silentio præterire, nec de ipso huiusmodi spem in futurum concipere poterit. Tertius vestræ schedulæ articulus, duo continet.

Primum, de eligendo sine mora loco Concilii pro aduentu Græcorum, ad quem sua Sanctitas commode accedere posset; cum necessaria sit eius præsentia. Secundò de transferendo Concilio ad locum illum, & ibidem de pecuniis prouidere. Quoad primum; sacrum Concilium, negotium hoc ita mature disponet, quod in eligendo loco nihil committetur negligentiæ, nec in casum labi tempus permittet: tempore autem opportuno, talis electio fiet, quod à nemine redargui poterit; ad quem quidem omnes de Ecclesia Latina commode poterunt proficisci; præsentiam autem suæ Sanctitatis ibidē, nos tiam plurimum desideraremus. Et cum etiam ipse suam præsentiam necessariam fore cognoscat; speramus, quod illam, nulla ratione in tanta Fidei causa, quæ nullo potest esse maior, subtrahere debebit. Quamobrem tempore debito & suam Sanctitatem, & alios Prælatos Ecclesiæ, vt in loco Concilii

eligendo adsint, cum omni diligentia rogabimus, & conuocabimus. Nec credendum est, quod quisquam illuc proficisci recusaturus sit, quo viderint Græcos, tam procul, & de tam vltramarinis partibus accedere: & præsertim Patriarcham Constantinopolitanum senio & valetudine graui confectum; qui videndæ vnionis desiderio pollicitus est, etiam si super humeros hominum deferri debeat aut oporteat, ibidem conuenire. Vtinam ipse Summus Pontifex se taliter exhibuisset, & saltem nunc se exhiberet, quod circa locum eligendum, etiam suæ sanctitati merito gratum, certius responsum dare possemus. Circa vero translationem, reminisci vos volumus, quod solenni decreto obligati sumus, vsque ad certum tempus hic permanere. Vnde ante illud, sine nota ac periculo rupturæ tractatus Bohemorum, & interruptionis reformationis in qua laboramus, transferri non posset. Et cum in tempore translationis, Imperator, & Patriarcha in loco Concilii conuenturi sint: merito ante translationem pecunias reperiri necessitas compellit. Pro eo autem quod suæ Sanctitas, cum ibidem fuerimus, omnes pollicetur fauores possibiles, merito suam Sanctitatem commendamus. Et quidem nulla in re vtilius bona Ecclesiæ exponi possunt, quam in hac, vbi de salute agitur innumerabilium animarum, & de Fide Catholica augenda, & conseruanda. Optimus enim thesaurus est, qui operatur hoc, quod sanguis CHRISTI operatus est. Ad quartum articulum de Indulgentiis; alias nostri deputati plene vobiscum conferentes, probantesque hunc modum fore conuenientem atque idoneum, & in eiusmodi rebus vsitatum; Vos, nostro nomine, cum charitate & humilitate magna deprecati sunt, vti nomine Sedis Apostolicæ, iuxta litteras facultatum vestrarum, in his promulgandis Indulgentiis interesse & concurrere velletis; quatenus cunctis innotesceret, omnia Ecclesiæ negotia, & præsertim huius reductionis Græcorum, ex concordi atque vnanimi Ecclesiæ consensu procedere; & ne quis dissidii rugam inter nos, qui alios ad vnitatem reducere cupimus, esse suspicaretur. Vos autem tunc aliud non posse, quam quod in schedula ipsæ continentur, respondistis; dicentes, aliud in mandatis non habere; quod quidem durum & triste fuit nobis audire. Interrogati etiam à prædictis deputatis, an litteras Apostolicas aliquarum Indulgentiarum, per eum modum quem in schedula obtulistis, ipse Summus Pontifex vobis dedisset Concilio præsentandas; respondistis, nullas apud vos habere; sed opus esse, vt ad Papam denuo mitteremus. Nos animaduertentes, summam, & in promptu, vt ipsi fatemini, propecuniis reperiendis imminere necessitatem, & omnem dilationem admodum esse plenam discrimine; considerantesque, quod per decem menses instanter super hoc Papa exoratus, & requisitus fuerit; requisitis tamen vobis, vt vna nobiscum in tam sancto negotio (vt prædictum est) concurreretis, authoritate vniuersalis Ecclesiæ, quæ in Conciliis Vniuersalibus adesse non dubitatur, in nomine Domini qui dixit; Vbi duo vel tres conueniunt in nomine meo; ibi ego sum in medio eorum; & de quacunque re consenserint super terram, fiet illis à Patre meo qui est in cœlis: & quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo: ad ipsas Indulgentias promulgandas processimus. Ex parte igitur nostra, quicquid modestiæ & honestatis, interposito magno temporis interuallo, adhibitis etiam multis precibus fieri potuit, factum extitit. Et etiam nunc magnopere optaremus, litteras Apostolicas super huiusmodi Indulgentiis exhiberi; vt nihil discordiæ in Ecclesia Latina notari posset. Quas si ipse Summus Pontifex illud haberet propositum satisfaciendi & complacendi sacro Concilio, iam huc destinare deberet; cum tantum ab oblatione vestra temporis effluxerit, quod vel nunc, vel infra paucos dies commode transmitti possent. Et quoniam in ipso articulo dicitis, quod modus Indulgentiarum pro subsidio Græcorum reperiendo, non videtur pluribus conueniens, opportunum arbitramur aliqua his scriptis adiicere, vnde pateat, modum hunc minime calumniari debere. Inprimis quicunque illi sint, æquum agerent, si more Sanctorum Patrum, deliberationi Vniuersali Ecclesiæ iudicia sua submitterent. Hæc sancta Synodus, non repente, sed matura & digesta consultatione habita, hunc modum esse valde conuenientem iudicauit, de quo si qui hæsitet, ad ea quæ temporibus Patrum nostrorum fieri consueuerant, respiciat. Nonne cum passagium generale pro recuperatione terræ sanctæ indictum fuit, proque aliis magnis necessitatibus, Ecclesiæ, Indulgentiæ generales concessæ sunt? Nonne etiam proximis annis, bis, aut pluries, pro extirpanda hæresi Wicclefitarum, modis idoneis idipsum actum est? Si ergo pro illis hic indulgentiarum modus idoneus iudicatus est; cur & nunc pro reductione Græcorum, qua nihil forte potest dici maius, non censebitur conueniens? Quod etsi pro reparatione pontium, ac villarum exustarum, Summi Pontifices, & ipse modernus Summus Pontifex, etiam ad instantiam priuatarum personarum, plenarias concesserunt; cur & nunc, instante Ecclesia, sit tanta dilatio, nec solum ad reperiendum subsidium, sed pro salute innumerabilium animarum, quæ manus porrigentes adiutrices, vigore istarum indulgentiarum Deo reconciliabuntur? modus iste merito conuehiens, atque idoneus existimandus est. Obiectio autem illa de guerris Christianitatis, non videtur sufficiens; cum & aliis temporibus, vigentibus guerris, & forte maioribus, concessæ esse, & nunc concedi per suam Sanctitatem, manifestum est. Nec modus iste cuiquam Christiano necessitatem imponit; sed allicit, vt spe præmii spiritualis, de bonis à Deo collatis, modicum aliquid contribuat, tam moderate, quod nulli quidem difficile videri possit. imo & tempore guerrarum, quo pluribus criminibus homines irretiri solent, conuenientior hic modus videtur, vt omnes homines de contritione & pœnitentia cogitantes, facilius à guerris ipsis desistant: Neque his concedendis Indulgentiis illud obstat, quod ad tantum opus sufficere non credantur. Ita enim dici posset de aliis modis, si opponeretur. Sed excogitati sunt cum indulgentiis istis etiam & alii modi, quos tempore suo exequemur. Demum obtulistis; suam Sanctitatem, vt videatur morem gerere huic sacro Concilio, paratam esse authoritate Apostolica, & iuxta obseruantiam Sanctorum Patrum, ac ritum in Vniuersali Ecclesia hactenus obseruatum, plenarias Indulgentias publicare sacro approbante Concilio. Certe decuisset; cum se ita paratum dicat, vt sua Sanctitas quæ tamdiu super hoc fuerat requisita, tales litteras vobis tradidisset, huic sanctæ Synodo præsentandas. Quantam autem admirationem nobis præbeat, imo & multis suspicionem; vos forsitan audire potuistis.

Primo ipse requiritur per Oratores nostros; ipse respondet, & rescribit nobis, quod per Generalem Camaldulensem, & Dominum Antonium suos Oratores, super hoc intentionem suam sacro intimabit Concilio. Hi duo offerunt, suam Sanctitatem, cum erit certitudo aduentus Græcorum, velle in indulgentiis, vel in alio modo cum Concilio conuenire, & omnes fauores possibiles præstare. Mittitur etiam postea Dominus Leonardus, ad dilectum Ecclesiæ filium Cardinalem sanctæ Sabinæ, suum præsidentem, quod in negotiis concernentibus sacrum Concilium, intendit sequi suum consilium. Ipse Cardinalis hoc nobis intimato, remittit Dominum Leonardum, consulens satisfacere suam Sanctitatem debere sacro Concilio, in petitione Indulgentiarum, & aliis ad commune bonum spectantibus. Sperabatur, ipsum Dominum Leonardum infra mensem cum dimidio reuerti debere; sed adhuc non comparet: sed post sex menses destimauit vos, Legati. Veniunt interea noua & nuncii, tam ad ipsum Summum Pontificem, quam ad nos, de certitudine aduentus Græcorum, exoramus vos & exquirimus, vt desiderio Concilii circa indulgentias satisfaciatis. Respondetis, nos mittere debere iterum ad Papam, qui hoc faciet. Quid sibi velint tot dilationes ac circuitus, magis volumus admirari ac dolere, quam temere aliquid suspicari aut iudicare. Saltem, vt prædictum est, vel iam, vel infra paucos dies huiusmodi litteras venire, & opere intentionem suam complere opus est, vt verum esse cognoscamus, de quo plurimum gaudebimus, ipsum morem velle sacro Concilio gerere. Ad obseruantiam vero Sanctorum Patrum & ritum Ecclesiæ ipsi deputati alias responderunt, recte quidem. Nam in illis octo primis vniuersalibus Conciliis, & in reliquis, in quibus summus Pontifex, non per se, sed per Legatos interfuit: omnia quæuis, siue decisionem Fidei, siue condemnationes & anathematizationes hæreticorum, siue ligandi & soluendi potestatem, siue reformationem Ecclesiæ, siue alia quæcunque Ecclesiastica communia, aut priuata negotia concernentia, suo nomine, Synode facta, sancita, & promulgata sunt. Cur ergo alius modus in hac re modo obseruandus sit, nulla ratio dictat. Si sua Sanctitas hic personaliter adesset; non dissentiremur, quin ipse loqueretur pro omnibus, quemadmodum fieri solitum est, vt vnitas designetur Ec-

clesiæ.

clesiæ. Et vt ad recentiora veniamus, & ad hanc specialiter indulgentiarum causam; proximum generale Concilium Senense, quod in foribus Romanæ vrbis erat, in qua felicis recordationis Martinus residebat, sub his verbis has plenarias Indulgentias concessit.

Sacrosancta Generalis Synodus Senensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, &c. statuit, quod quicunque sapientes hæreticos, & in potestatem Ordinariorum, vel Inquisitorum hæreticæ prauitatis effectualiter ponentes, vel et eos quos capere vel retinere non possent, de eorum territoriis omnino expellentes, aut bannientes, seu etiam requisiti brachium sæculare contra tales præstantes, eam Indulgentiam consequantur, quæ dari consueuit proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ.

Hanc autem, quæ in subsidium terræ sanctæ dari consueuit plenariam fore, nemo est qui nesciat. Nec quidem ex tali decernendi modo, quem vniuersalia Concilia seruant absente Papa, quicquam authoritati Sedis Apostolicæ deperit. In omnibus enim synodalibus sanctionibus, semper prima & potissima refulget illius sanctæ Sedis authoritas, ac deinde Patriarcharum & Antistitum, totiusq; Ecclesiæ vniuersalis, quam generalia Concilia legitime congregata repræsentant. Et est præterea, omnibus consentientibus Apostolicis præsidentibus, hic synodaliter ordinatum, vt in hoc Concilio, cum Papa sit absens, omnia sub nomine & bulla huius sacri Concilii expediri debeant. Quod postremo dicitis de pecuniis ex Indulgentiis colligendis, vt fideliter conseruentur; & ad alium non exponantur vsum; & gratissimum nobis est, & idipsum huic sanctæ Synodo cordi esse, ex modo qui in literis Indulgentiarum, atq; instructionibus executoribus huius negotii dandis continetur, satis euidenter coniicere potestis. Nihilominus, si quem meliorem modum conceperitis, non renuimus; imo contenti sumus, vt vos vna cum aliis sacri Concilii deputatis, curam præcipuam habeatis; quatenus pecuniæ hinc colligendæ, ad hunc duntaxat vsum fideliter exponantur. Vt autem syncera huius sacri Concilii intentio, tam vobis, quam omnibus innotescat, offerimus, vt his qui alias fuerant deputati, vel aliis mox deputandi, conferant ac practicent vobiscum omnem honestam & rationabilem viam concordiæ.

Datum Basileæ in Congregatione nostra generali, 5. Idus Maii. Anno à natiuitate Domini 1436.

ext. tom. 4. Concil.

XXI. Præfracta Basilien. temeritas.

Hæc respondebant Basileenses, Cardinalibus, Præsidentibus Legatis. Nimium sibi duntaxat, contra Pontificiam authoritatem & prærogatiuam, temerarii & refractarii arrogabant, cum Episcoporum confirmationes, Ecclesiarum promissiones, annatarum vsum, vltimam cognitionem causarum, ius supremum clauiū potestatem transferendi Concilia, & Indulgentias cōferendi Romano Pontifici eripere, illumq, iudicio & sententię synodali subiicere, adeoq; omni & spirituali, & temporali iurisdictione exuere, inq; ordinem redigere voluissent. Enimuero, si Romanus Pontifex est, prout indubie est Fons Sacerdotii, & Princeps Pastorum; ad illum proprie itaq; pertinet, Pastores seu, quēadmodum illos Christus vocat, Fratres confirmare; & ne aliquis lupus ouina pelle tectus in ouile Christi irrepat, vultum electi, seu designati Episcopi cognoscere; adeoq; Ecclesiis idoneos Prælatos præficere. Si deinde ipse est Princeps Pater, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis indigentibus in tempore tritici mensuram. Itaq; & iure quod habet in omnem Ecclesiam, & charitate qua tenetur egenis subuenire: potest partem fructuum, Ecclesiis singularibus debitorum, siue annatarum, siue pensionum nomine reseruare, & in vsus indigentium aliorum distribuere; adeoq; prouidere, ne alius esuriat, alius ebrius sit. Si deinde illi soli datæ sunt claues Regni cœlorum, vt is solus claudat, & nemo aperiat, & nemo claudere præsumat; liget vel soluat, & nemo soluere aut ligare audeat, vel possit: Itaq; potest sententias Conciliorum, & vincula hominum quorumcunque dissoluere, temperare, relaxare, recidere: ipse nulli humano iudicio, aut vinculo subiectus. Si præterea ipse, vtpote supremus Pastor gregis agnorum & ouium, potest, & debet, ac nemo præter illum, Fratres congregare, seu Concilia conuocare; poterit etiam, quod nemo alius, si causæ suppetant, congregata, siue transferre, siue dissoluere. Quod Indulgentias attinet; non Ecclesia Corinthiorum, sed Paulus fuit ille, qui *in persona Christi donauit* Corinthio delinquenti: vt non præteream, quod claues Regni cœlorum ad Indulgentias è cœlesti thesauro distribuendas, Christus Petro commisit. Quas claues, vna cum aliis prærogatiuis, quandoquidem Basileenses Eugenio Pontifici eripere & sibi vsurpare conarentur; habuit grauissimas causas, de transferendo Concilio cogitandi. Ea propter Indulgentias, quas tam anxie flagitabant Basileenses, concedere differebat, vel abnuebat; ne videretur authorizare Congregationem illam, quæ tota esset in exauctorando Romano Pontifice. An vero Alfonsus Rex, Eugenio infestus, consilia & auxilia cum Basileensibus communicauerit, vt Eugenius Sede Pontificia eiiceretur; præter superiora, quæ ex Regni Aragonum Regio chronographo Surita narrauimus, non est difficile, ex literis Alfonsi ad Basileenses hoc anno datis coniicere. Ita habent.

XXII. Copia lite. Alph. Reg. ad Basilee.

Sacrosanctæ Generalis Synodo Basileensi, in Spiritu sancto legitime congregatæ, vniuersalem Ecclesiam repræsentanti, eiusdem sanctæ Ecclesiæ Dei humilis & deuotus filius, Alfonsus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæq; citra & vltra Pharum.

Sacrosancta Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata.

Longum nos desiderium tenuit, vt solennes ad vos Oratores mitteremus, quod profecto vt debitum fuisset, iamdiu esset executioni mandatum, nisi nos, quemadmodum toti orbi notum est, prepediti fuissemus. Hoc igitur tam sanctum propositum, è manibus, rerum maximarum quidam annulus nexu pene insolubili deuinctus, non voluntas, quæ teste Deo semper ad hoc nobis ardens fuit, exto: sit. Nunc autem quia nobis veridice relatum extitit, quanta cura, quanta solertia, quanta denique vigilantia, in præsentiarum incumbitis circa ea, quæ ad Ecclesiæ Dei reformationem, hæresum extirpationem, & pacem inter sæculi Principes componendam maxime faciunt: & quemadmodum etiam toto pectore operam datis, vt non solum Bohemorum vnio, quam Deo auxiliante acerrime disputationibus, & indefessis tam diu & laboribus procurastis concludatur, sed etiam vt Græcorum reductio diu à Christiano populo maxima cum auiditate experta feliciter fiat, non modo alacres, sed diuino insuper (vt putamus) quopiam nuncio inuitati fuimus, vt quamuis non simus ab huiusmodi rerum difficillimarum laqueis omnino expediti vellemus vlterius non morari, sed laudabile illud diu mente nostra agitatum propositum parere. Cupientes igitur tot & tantorum bonorum operum, quorum gloriosus est fructus participes fieri, quod vos qui in vinea Domini assidue laboratis, apud æternum illum luminum patrem, & rerum omnium conditorem consequuturi estis. Legationem nostram omni authoritate insignem, ad sanctissimum cœtum vestrum mittere decreuimus; vt si totius diei pondus & æstus non portauimus, saltem bonam magnamque eius partem sustineamus, qua potissimum diuina clementia suffragante, cum his qui in operando primi fuerunt, efficaciter in ipsa vinea laborare, voto, pro viribus, ad optatissimam illam ac fœlicem Græcorum adipiscendam reductionem iuuare. Quam quidem, tum ad diuini cultus amplificationem, ad ipsorum salutem & concordiam, tum ad vestri sempiternam memoriam, immarcescibilemq; coronam immortalitati perpetuo consecrandam perneceſſariam arbitramur. Iam autem delecti sunt viri illi, quibus hæc prouincia est committenda. Litteras & Nuncios præterea in omnes partes nostras nuper destinauimus, ac alias etiam multiter duximus destinandas, quibus omnes Reuerendos, & Venerabiles Prælatos, plurimosque sacrarum litterarum eximios interpretes, de iure Canonum, ac ciuilis sapientiæ insignes Doctores hortamur, & quantum in nobis est compellimus, vt pro tam pio negotio facilius consummando, breui ad vos proficiscantur. Nec longa certe mora temporis contrahetur, quin nostra ipsa legatio, quæ re prodiem habebit, vobiscum sit.

Simile

Simile quoq; erit, de his de quibus supra diximus. Si quid autem aliud fuerit, quod pro Dei Ecclesia, vestrisq; stabilitate & conseruatione, amplius facere poterimus, illud grat. simo animo perficiemus.

Datum in nostra ciuitate Gaietæ. die octauo Martii. Anno à Natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.

Rex Alfonsus. ext. tomo 4. Concil.

XXIII. *Alfonsi Reg. conatus pro Regno Neap.*

Eo consilio Legatos & Prælatos Basileam mittebat, vt multitudine suorum obrueret Eugenium, & aliquam iuris speciem seu fucum in Regno Neapolitano, quod ambiebat, consequendo, per illos facilius ostentaret, seu obtineret. Huic rei, etiam cum Rege Castellæ, & aliis, necnon cum Principibus Mauris; pacem, atque concordiam anxie quæsiuit. Inter alios Reges, & Alfonsum, sancita fuit pax, magna Regis Nauarræi contentione, multoque conatu, vires gentis in Italiam vertere cogitantis, posita rerum Hispaniensium cura. Inter eundem etiam ac Nauarræum, cum Castellæ Rege, Toleti, ad quartum Nonar. Septembris, stabilita est concordia; conditiones fœderis scribentibus, Alfonso Borgia Valentino Episcopo, Toletano Præsule, Calatrauæ Magistro, Roderico Beneuentano, Ioanne Luna, & aliis Proceribus. Armata ex hoc fœdere sociata sunt aduersus omnes gentes Principesq;, excepti modo Lusitanus Gallusque à Castellæ Rege sunt; ab Aragoniis autem, Philippus Mediolanensis Dux, & Gasto Fuxensis Comes. Faciebat Alphonsus, comparandis auxiliis; & distrahendis ab Eugenio Pontifice Regibus, Clero, & populo, omnium Occidentalium Regnorum. Non desistebat etiam animos Neapolitanorũ pertentare, consilioq; vires adiuuare. Enimuero Raymundo Vrsino Nolano Comiti, Eleonoram, Vrgelitani Comitis dudum extincti, Regio sanguine natam filiam despondit, Nolanumq; Comitatum, & alias quas in Regno Neapolitano amplissimas obtinebat possessiones illi & successorib. in perpetuum confirmauit. Balthasarem Rattam Casortæ Comitem, rerum publicarum Gubernatorem in parte seduxit: tum S. Seuerini Vallem, Salernum Vrbem, Amalphitanum littus armis præsidiisq; cepit; inde Philippum Mediolani Ducem, ad res nouandas excitauit. *Mariana lib. 21. c. 11, Monumenta famil. Vrsina in archiuo Ducis Brachiani.*

XXIV. *Vitellen. Patriarchæ Apostl. legati progressus aduersus Põt. & Eccl. rebelles.*

Quid porro Romæ, & alibi, per emissarios suos, Alfonsus, contra Eugenium tentauerit, IC. Blondus Eugenio à Secretis narrabat. Per id temporis, *ait*, Ioannes Vittelensis Patriarcha Alexandrinus, Eugenii in Patrimonio Sedis Apostolicæ Legatus, profectus Puppio, per Burgum, Tiferninm, & Perusiam in agro Spoletano confederat; imperatas Cassianis & Spoletanis pecunias percepturus, quum illi nunciatum fuit Reatinos tumultuasse, atque Prætorem vrbe eiecisse. Itaque ducto ad eam comprimendam seditionem exercitu, aspera, sed breuiori per montes via iuit, & ciuitatem minus quam renunciatum fuisset commotam conciliauit. Rebus Reatinis vixdum sedatis, de nouo tumultu Romæ suscitato nuncium accepit. Poncelletus enim, Vernemerius prioris seditionis contra Pontificem author, senem portæ maioris quatitur Prænestæ custodem facile deceperat; ad fultque illi præsto Antonius Pontadera Pisanus, qui quum portam equitatus præsidio teneret, peditatum immiserat, proximam vrbe loca rapinis & incendio fœdaturum. Sed Romani, nouitate rei, & periculo commoti maximo, arma capiunt, vrbem defensant, & conuicinorum auxilia implorant, quæ illis non defuerunt. Nam reuersus Euersus Anguillariæ Comes cum cohorte succurrens, Antonianis militibus vrbe eiectis portam recepit. Interea appropinquauerat Patriarcha cum exercitu paratissimo; qui vt copias minori cum impendio aleret, illos omnes mustrituit persequi Vrbi vicinos, quos esse intelligit Antonii Pisani pro Alfonso Rege Aragonum studiosos; & ab imbecilliori incipiens, contra oppidum Colæ Sabelli, Rocham priorem appellant, quod sex à Prænestæ distat milliaribus, castra posuit, quo bidui obsidione capto ac diruto, Viculum item eius castellum vrbi vicinum diripuit ac succendit. Fama interim crebrescente, Franciscum Picininum, qui dudum in agro Senensi fuerat, eo consilio in Patrimonium fore venturũ, vt Antonio Pisano coniunctus, Aragonum Regis studiosos iuuaret, Patriarchã cum paucis ad Patrimonii fines ea ratione se contulit, vt arcem Ciuitatis vereris, custode Baptista Mazatosta Viterbiense mutato, suæ manciparet custodiæ. Inde Romam reuersus, contra Antonium Pisanum, qui magnam Campaniæ & Maritimæ, pũinciarum partem dudum tenuerat, expeditionẽ parare cœpit; Instaurato in eum bello, oppidoq; Secia recepto, in Priuernates, quorum oppidum Alfonsus iam occupauerat, inq; Antonii cura & custodia, quod longe ab aliis quæ sibi parerent ciuitatibus abesset, nullo munitũ præsidio reliquerat, duxit. Hi subito perculsi periculo, cum opem ab Antonio postulassent, is vero spem maximam faceret, nec tamen mitteret; tandem Patriarchæ, quem primo contumaciter contẽpserunt, agros vastãri, vinetaq; & cõsita succidere imperanti, sese dedere, missis Oratoribus decreuerant; nisi is copias insperato adduxisset. Prælio conserto, fudit illius copias Patriarcha, illiq; intercepto gulam in cruce frangi iussit. Ita is duplici funiculo cruci appensus, indignũ quidem doctrina, & multis quæ illum ornabant virtutibus, cæterum crudelitate, ex qua in subiectos S. Sedis populos sæuierat, dignissimum habuit vitæ exitum. Vnicus tum circa vrbem Pontifici rebellis relictus erat Laurentius Columna, vetustæ Prænestæ Dominus; qui Ecclesiæ stipendia faciens, ab Antonio seductus, qua die ille ad internecionem fuit deletus; per agrum Romanum discurrerat prædabundus. Ea causa Patriarchain impulit, vt omisso quem ad vlteriora instituerat cursu Romã reuerteret; vbi paucos moratus dies, Castrum nouum, vnde Stephanus Laurentii germanus, & Nicolaus Fortebracciis in priore Principis Salernitani contra Eugenium bello magnos motus concitauerant, oppugnare aggressus, id è vestigio recepit. Mox Prænestæ obsedit, & ab oppidanis aquæ inopia coactis deditum solo æquauit; populo cum rebus Romam migrare iusso. Recepta euersaque Prænestæ, in Aquilanos eo duxit consilio, vt cum eam ciuitatem, ab Francisci Picinini, Minicutii Aquilani, & Riccii Claromontensis Alfonso Regi militantium oppressione liberaret, tum maxime hostem è pellendo alienis sumptibus aleret legionem. Hostibus itaque è vestigio repulsis, Amarricem profectus, eius agro ferro ignique vastato, Picinninum inde eiectum, per iuga montium cautesque præcipitem intra Montis Regalis mœnia confugere coegit. Quem cum diutius obsideri asperitas locorum prohiberet, eo relicto, & tũ agro Regalium prius vastato, contra Minicutium Ricciumq; mouit; quos in Theatino oppido clausos, cum tridui obsidione nequiuisset capere, Aquilam reuersus, tributa pro altaro præsidio imperata exegit: & Coilarium delatus, Marerriorum castellum vi diripuit & incendit: inde ex asperrimis Equicolorum quondam montibus in Marsorum loca partim Riccio, partim Comiti Alberto subiecta descendens, admotis Andriæ castris, cum oppidanos nihil hostile timentes reperisset incautos, omniumque bello necessariorum imparatos, oppidum vi expugnatum direptumque, ferro & incendio lacerauit. Omnibus exinde Albetensium castellis, partim vi, partim metu receptis, Attinati oppido potitus est: ex cuius saltu & Cassinensi octo passuum millibus distante, natura munitissimis, securus patet in veteres Campanos, & Neapolitanum Regnum transitus. His auditis Aquinates, Arpinatesque, Riccio rebellantes in potestatem venere. Cumque omnia in circuitu paterent, Germanum Cassinensis saltus oppidum se contulit, & dimissis per Abbatiæ castella militibus, multas intra quin-

decim

decim dies quibus illic moratus est, in regnum Caietanum incursiones fieri curauit. Nec dubium apparebat, quin erectis in accessus sui spem Regnicolis, Alfonsoq; Rege, cui multo minores essent copiæ, territo, facile illi fuerit victoria potiri; siue tamen, vt Renatum, cui Pontifex Regnum asserere promisisset, conquestum postea constat, id Regnum Patriarcha tunc recipere noluerit; siue commeatus, & pabuli inopia, vt ipse præse tulit, compulsus fuerit, sublatis, contra ac omnes rebantur signis, Romam rediit, Poncelletumq; proditionis reum, forcipibus ignitis lacerari, suspendi, & in partes secari permisit. Cepit præterea castellum Gandulphum, ad lacum Albanum positum, necnon Sabellum, & Borghetum in Latio de Sabellis diripuit & euertit: item Albam, ciuitatem Lanuuianam & Zagarolum diruit; incolis omnibus qui superstites fuere Romam migrare iussis; Conquerente autem populo Romano, quod diuitum quorundam auaritia, charitate annonæ laboraretur, tantum repente tritici suo iussu in forum delatum est, vt maxima copia omnes repleuerit, adeo omnes eius Imperia obseruabãt. *Blond. dec. 3. l. 7. Platina in Eug. IV. Infixura in notidiariis.*

XXV. *Res Neapolitanæ.*

Interim Michelettus Attendulas, pro Comite Pontano Renati filio, Duce Calabriæ, & pro Isabella Renati vxore exercituum Præfectus, & Iacobus Caudola Dux Barri, partitis copiis contra Alfonsi partiarios, Ducem Suessanum, Principem Tarentinum, & Sanct-Seuerinates duxerunt; & multas ciuitates, oppida, & castra de hostibus cœperunt: tantumque terroris aliquibus iniecerunt, vt Marchio Crotonensis, Comes Montorii, & vxor Ducis Suessani ad obsequium Renati accesserint, seque & omnia sua illi deserto Alfonso permiserint. Iacobus, contra Soranum & Laurentanum Regulos, qui pro Alfonso bellum gerebant, quique suæ ditionis oppida bello vexabant, profectus, hos non tãcum è finib. suis pepulit, verum etiã in discrimen summum rerum suarum adduxit. Multis in excursionibus in eorũ agros factis, magnaq; inde vi pecoris atq; hominum abducta, vniuersam illorum regionem tumultu ac terrore inuoluit. Eadem quoq; Micheletti expeditio in Brutios fuit. Nam & Ceusentinos, qui à finitimis Regalis infestabantur, graui bello liberauit. & Regulos illos, tota prouincia pacata, in Isabellæ potestatem redegit. Alfonsus porro, factis in aliquot dies, cum Marino Boffa, qui vallem Caudinam tenebat induciis, ad montem Sartium ac Cepallonum, quę castella nuper in eius venerant amicitiam, eo consilio profectus est, vt Troianum Ioannis illius Caratioli filium, qui magnus apud Reginam fuerat, & cuius in ea regione magnæ opes erant, ad suam amicitiam alliceret. quo sibi conciliato, intelligebat sibi tutum post ea & expeditum iter in Beneuentanum, atque inde in Appulum agrum fore. Compluribus autem diebus in ea re agenda frustra consumptis, relicto ad montem Tusculum Ioanne Antonio Vrsino, quod per anni tempus res geri non poterat, & aliquid militum quieti dandum videbatur, eo consilio vt Capuam repeteret inde mouit. Rediens vero, in Apennini transitu non parum detrimenti accepit. Brumæ tempus erat, cum subito frigoris insueta vis cœlum complexa est, tum coactis vento nubibus, ingens procella niuis effusa terram alte operuit; tantusque rigor milites inuasit, vt nec membris vti, necarma sustinere obtorpente manu possent, atque vt multi ob id in graues morbos inciderint. Augebat frigoris sæuitiam ventus niui immixtus; qui oculos, atque ora diuerberans, vix sub tentoriis militem consistere patiebatur. Mitigato cœlo, nimbusque Africo soluris, per Caudinam vallem, qua venerat, composito agmine iter faciens, Areolam, quod castellum in ipsa valle situm à Marino Boffa tenebatur, primo impetu arcem impugnare, debellauit. *MS. de rebus Sforciarum, Bibliothecæ Sforcianæ. Facius l. 5. de reb. Alfonsi.*

XXVI. Per hos dies nutabat Flaminia: nec aberat talpicio, Philippo Mediolanensium Duce auctore fieri. Proinde Eugenius Pontifex, à Nicolao Atestino præmonitus, vti Bononiam accederet, & armis Forumliuii suæ potestatis faceret, facile tam salubris consilii rationem accepit, & quartodecimo Calendarum Maii Florentia mouens, ad diem earundem vndecimam Bononiam applicuit: & cœptum Florentiæ, de pace, ex integro cum Philippo, Veneris, & Florentinis constituenda tractatum continuauit: necnon Franciscum Sfortiam, ad eiiciendum Forolitulo Antonium Ordelaffam destinauit, eamque ciuitatem non multo post deditione ciuium, qui Antonium eiecerant, recepit. Inde eundem Sfortiam vna cum legione in agrum Bononiensem eo consilio euocauit, vt & Philippo, & Venetis atq, Florentinis necessariam fore pacem ostenderet.

Pont. Eug. in magnis discrimen adductus.

Eodem tempore, tam læto vbique rerum statu, Comites Barbianenses, Lugo, ac reliquis Flaminiæ locis quibus se tegebant deturbauit, ductu Balthasaris Ossidani, cui tamen propter exiguum in re militari vsum Legatum adiunxerat Petrum Ioannem Paulutii Vrsinum. Is est Offidanus, qui eo tempore quo Eugenius ex vrbe profugit, Adriani molem, vno fidei atq; constantiæ, nullo præterea virtutis edito documento custodierat. Hic ex ea re benenolentiam Eugenii promeritus, cum cumulum ad illam adderegestiret, nequaquam belliant pacis artibus satis instructus, cœpit quædam contra Sfortiam pertexere, quo Picentes ad Pontificis imperium adduceret. Nactus duos sagittarios, vsque adeo peritos, vt destinata certo ictu ferirent, cogitauerat hominem de medio tollere. Detecta, sue deiectus, & à Sfortia interceptus, periculum non modo sibi, sed etiam Eugenio, consilii nefarii ignaro quidem & minime conscio creuit: vt nisi Hermolaus Donatus Venetus apud Pontificem Orator in castra accurrisset, otaserque, ne quid in eum grauius Sfortia statueret, de illo actum fuisset. Nisi etiam Nicolai Atestini apud Sfortiam auctoritas fuisset, qui quasi nutritio alumnus, singularem obseruantiam Atestino exhibuit, plurimumq; eius consilio vtebatur, sine dubio insigni calamitate res Pontificia pessumibat. Enimuero & Bononiensis populus, cui Offidanum Eugen. nuper imposuerat, concitatus, Pontificem palam conuitiis, pscindebat, q multis coopertum flagitiis ministrum extulisset. Fremebantq; oẽs, propter iuppliciũ ab Offidano in dignissime sumptum de Antonio Bentiuolo viro innocente, optimeq; de S. Sede merito: quẽ is ad primũ ad vrbẽ volente Pontifice egressum, insidio Pontifice iugulasset. Magnus inde timor fuit iniectus Eug. à Sforcia, cui primores aliquot ex Bononiensibus ciuib. vrbis Imperium deferebant. Periclitãtis Atestinus, vt ille compertis eorum vocibus cum exercitu in Picenũ redierit, quo facto Eugen. ẽmenti captiuitatis periculo, & perpetua, quo ad se Sforcia in Flaminia cõtinuisset, formidine est liberata. *Blond. dec. 3. l. 7. Pigna. l. 6.*

XXVII. *De Balthasare Offidano ac eius Iudicio & misero fine.*

S. Antonin. eius tẽporis scriptor, q Offidanus fecerit, quidue præterea Eug. innocẽs passus fuerit, hoc memorabat. Recepta a. ab Eug. ciuitate Bononiæ post Mediolanensem confœderationẽ, Eug. cum Curia se Bononiã transtulit. Sed ante accessum, quidã Balthasar de Offida miles factus, destinatus est ab eo Potestas illac; aspectu despicabilis, sed animo audaciss[imo]. Hic iustitiam ministrabat populo, secũdum æquitatẽ cordis sui magis quam secundum iura: & vir callidus, amicos sibi & familiares fecit, magnis & nocentiis scelerib. irretitos; ea intentione vt patuit, vt alios malefactores per eos notificetos extingueret; quib. punitis, & eos ipsos quorum flagitia & sibi, & omnib. pene nota erant, supplicio affecit, Et vt gratia exempli, de ludicris eius aliquid appareat, vnum risu dignũ in medium afferatur. Amiserat vnus dies aureos in sacculo contẽtos. Ipsos inueniens in via pauper quidam fidelis & bonus, ineculum, vt erat cum pecunia illi resignauit, amissione audita. At ille florenos numerans, reperit vnum

aureum

aureum deficere, de quantitate quam asserebat, amissum. Et cum pauper se sacculū non aperuisse, sed prout inuenerat se reddidisse responderet; diues illum trahit ad iudicium coram dicto Offidano. Petit sibi ab inuentore, quod amiserat, scil. CCC. aureos, à qua summa vnus deficiebat. Respondit pauper, quod inuenit; & prout inuenit confiteri. Profert Balthasar sententiam definitiuam dicens; Ex quo summa, aut pecunia tua aureorum amissa est trecentorum; & inuenta à paupere isto est ducentorum nonaginta nouem; constat, quia ista non est pecunia tua q̄ amisisti, & quia nō inuenus es tadhuc Dominus summæ huius CCXCIX. isti inuentori concedo & cōsigno, vt ex ea filias nubiles quas habet nuptui tradat dotando. De Antonio Bentiuola, istud porro narrat. Cum Dominus Antonius Bētiuola reuersus Bononiam magnam sequelam ciuium haberet, caudamq; non modicam secum traheret comitantium eum: orta est suspicio vehemens contra eū, ne forte Ciuitatem Ecclesiæ subraheret. Quamobrem sub prætextu alicuius honestæ causę Offidanus eum ad se vocari fecit. Ille nihil contra se tractari suspicatus se illico præsentauit, & mandato eius detentus fine causa plexus est, quod multis displicuit, & causa ignota fuit: cum tamen non multo ante, ipse Dñs Antonius Bononiam reuersus, operam* sit, vt Bononia deficeret à Duce Mediolanensi & ad Euge. perueniret. Nondum tamē Papa Eugen. illuc accesserat, quando decapitatus fuit. Postq̄ a. Eugen. Bononiam venisset, & Comes Francisc. Sforziæ filius circa illas partes maneret ad stipendium ligæ; vna dierum ille Balthasar de Offidano, præfatus est ad Comitem, sub prætextu alicuius rei opportunæ, reuersa. eum capturus, & forte perempturus. Not ficatæ sunt ei insidiæ, & proditio. Cæterum cum peruenisset ad eum Balthasar, Comes præueniens cepit eum, ductumq; captiuum diro carceri mācipauit, & crudelissimo affecit supplicio. Nam (vt dicitur) ipsum nudū in pelle animalis recenter excoriati inuoluens ligauit, vt in nullo se posset manibus iuuare; eiq; ad comedendum, & bibendum ministrati fecit. Sed vermes ex pelle orti, paulatim consumpserunt eum. Id temporis castrum Butrii magnum & opulentum, à gentibus armorum Ecclesiæ SS. Petri & Pauli & aliorum, in prædam totaliter expositum est. Propter illud Comes Francisc. valde indignatus est contra Eugen. ascribens sibi ab illo proditionem paratam: cuius tamen (vt creditur) non erat conscius; cum non esset vir sanguinum, neq; dolosus; sed clementissimus & magnanimus. Depræda tio a. Butrii, ipsi Eugenio imputata fuit; saltem indirecte, quia à gentib. Ecclesiæ à se conductis, factum hoc fuit; quas coercere potuit, & debuit. Deus autem iudex iustus & patiens, omnia iusto suo iudicio, & si nobis occulto permisit.

XXVII. *Eug. antequam Bononiam perget Eccl. S. Reparatæ nunc S. Mariæ de Flore nimirū dedicat solemnitate consecrat.*

Antequam pergeret Bononiam Engen. Ecclesiam Cathedralem Florentiæ, quæ olim S. Reparatæ, nunc nuncupata est S. Marię de Flore, cum miranda solennitate consecrauit. Nam pons ligneus incredibili celeritate, ac mirabili opere ædificatus est ab Ecclesia Prædicatorum S. Mariæ Nouellæ vbi Pontifex habitabat, ad Basilicam dedicandam. Ita vero pons non solum ad magnificentiam pertinuit; verum etiam ad necessitatem. Paruus enim, ipsa dedicationis die, (quæ fuit Dominicæ Annunciationis) concursus hominum fuit ex agro & finitimis oppidis, & ipsa vrbana multitudine, vt omnes aditus, omnesque viæ complerentur. Non enim Pontifex, cum Cardinalibus, & Prælatis, præ nimia turba apte transire valuisset. Incepit a. is pons à porta ipsa Ecclesiæ Prædicatorum, inde nouam planeq; secans vsque ad caput viæ, quæ ducit ad Ecclesiam S. Mariæ Maioris; per ipsamque viam continuato opere, vbique vsque ad templum Sancti Ioannis Baptistæ, proximamque subinde Basilicam peruenit. Erat vero latitudo pontis circiter brachiorum quattuor; pedes q; ligneitransuersa sustentabant ligna, super quibus tabulata erant. A lateribus vero, columnæ paribus distantes inter se spatiis insurgebant in altitudine brachiorum septem, quibus columnis alia exillora ligna in extrema altitudine iungebantur. Super his vela erāt, quibus pons tegebatur vniuersus, cum papilionibus vtrimque pendentibus. Pauimentum rursus, ab vtroq; latere vsque ad Zonam hominis, à vicis erat munitum. Per hunc pontem incedens Pontifex, magna & ipse pompa, magnoq; ornatu, cum omnium Cardinalium Prælatorum quę multitudine, ad Basilicam consecrandam peruenit, spectante populo de inferiori loco, & cum lætitia tantum apparatum intuente. In hoc officio vexilliferum iustitiæ, qui tunc erat, militem fecit: Indulgentiam q; septennem, cum quadragenis totidem perpetuo duraturam, Ecclesiam illam in die Annunciationis visitantibus dereliquit: & peracto officio per eundem pōtem ad Ecclesiam Prædicatorum, cum comitiua sua reuersus est. Factum est hoc An. D. 1436.

Ante vero ipsam consecrationem per aliquot annos, Eugen. ipse, cultum diuinum in officiis ampliauerat, instituendo Scholam Clericorum, qui quotidie interessent in superpelliciis Missæ decantandę, & horis diurnis, dempto Completorio: omnesque essent sub Magistro eis præficiendo, qui in Grammaticalibus, & cantu eos instrueret, non minus quā in moribus, certa prouisione pro mercede sui laboris statuta. Locus autē, in quo illi Clerici pro instructione conuenirent, prope ipsam Ecclesiam deputatus est. Et hi quidem legitime nati, ab anno 10. vsq; ad 15, assumendi, & describendi, & vsq; ad sacerdotium retinendi ab Antistite Ciuitatis, & Consulib. artis lanæ: quib. etiam singulis certa prouisio decreta fuit, nouem videlicet florenorum annuatim, In subsidium aliquod librorum & victus, à monte Florentino recipiendorum. Vacante enim Sede Archiepiscopali Florentina, per annum & vltra, ex redditibus Archiepiscopatus dicti temporis, ipse Eugen. tantam pecuniæ summam in monte posuit, vel credita emit, vt posset ex pagis dicti crediti, de quantitate prædicta singulis Clericis prouideri.

XXIX. *Varia quæ contigerūt circa dissensa Monasteriali virorum quam mulierum Florentiæ dū ibi Eugen. resideret.*

Præter hæc Eugenius, vt Zelator præcipuus religiosæ conuersationis, dum Florentiæ cum sua Curia resideret, multa Monasteria Monialium dissolute, & inhoneste conuersantium euacuauit, dignitatem Abbatissalem extinguendo, & Moniales eorum ad alia Monasteria transmittendo. In via sancti Galli, Monasterium sancti Syluestri, Seruitis de monte Sanario concessit. Monasterium sanctæ Mariæ de Niue, Canonicis Regularibus Abbatiæ Fessulanę attribuit. Monasterium sanctæ Luciæ Fratrib. Carmelitis; ac illis postmodum sponte dimittentibus, Sororibus de pœnitentia Beati Dominici. Monasterium Chiariti, Fratribus Eremitanis de obseruantia: licet postea dicti Fratres auctoritate Apostolica ad Ecclesiam sancti Barnabæ transierint. Monasterium sanctæ Vrsulæ non longe à dicta Ecclesia; Sororibus tertii Ordinis Beati Francisci: Monasterium de Ricorbolis, Eremitis: Monasterium Cistercien sium Monialium in via Pinti, Monachis Cistercien sibus Regulam obseruantibus dedit. Monasterium S. Donati extra ciuitatem dissolutissimum, electis quibusdam reformauit. Ab eodem pariter Eugen. Monasterium Septimi Cisterciense, valde dissolutum & dissipatum, reductum est ad vitam Regularem, per Monachos nigros Abbatiæ Florentinę: cum illud Cardinalis Firmanus haberet in commendam: item Monasterium sancti Salui, adductis eodem Monachis ex eadem Abbatia Florentina. Monasterium etiam Ordinis Minorum de Monticellis multum deformatum, ad normam optimam reduxit. Conuentum Auerniæ Fratrib. obseruantiæ S. Francisci donauit: Ecclesiā S. Pauli extra vrbē Romanā, via Ostiensi, Monachis S. Iustinæ. Tunc etiam inchoatum est à fundamentis Monasterium Monialium, quod dicitur Muratarū sub titulo Annūciatæ & Regula B. Benedicti, sub Abbatissa Agatha; quæ prius habitabant in Oratorio sito supra pontē Rubacōte valde arcto, nunc spatioso loco & pulcherrimo in stru-

instructuris, officinis, claustris & horto, quę nunc rerum ædificata sunt cum centenariarum magna obseruantiis, ieiuniis, silentiis, exercitiis tenuitate victū & vestitus, diuinis officiis nōcturnis concurrentes. Extra horas Canonicas, die noctuq; ex singulis choris in Ecclesia vicissim aliæ aliis succedentes Psalterium perlegunt. Sub cuius diœcesani Domino multi tunc, frequentantes confessionem & communionē cum ordine indeficienti. Nedum a. proprietas apud aliquam non reperitur, sed nec possessiones aut reditus in communi habent Monachis concessos: victum sibi parcum labore manuum & ex eleemosynis eis largitis, procurant, in summa charitate vnum cor & vnam animam in Domino habentes. quod Monasterium per Ioan. de Bencis constructum à principio vsq; in finem per eum cōsummatum est prope verbis portam quæ dicitur Crucis. Insuper cum Monasterium S. Marci Florentiæ inhabitarent Monachi Syluestrini, sub regula B. Benedicti militantes & fama eorum obscura esset, & ingrata populo dictæ Ecclesiæ: placuit Eugenio visitationem dicti Monasterii quibusdam prælatis imponere, & de eorū vita inquirere. Quibus peractis relatione facta Pontifici, de relaxatione & dissolutione conuersationis illorum; ad supplicationes principaliter Cosmæ & Laurentii de Medicis, ac etiam popularium dictæ Ecclesiæ, dictum Monasterium S. Marci dedit Fratribus Prædicatoribus sub obseruantia degentib. in conuentu S. Dominici Fesulanæ diœcesis, & conuentui S. Georgii Florentini vnitis, per viam permutationis seu translationis; ea ordinatione disposita, vt Fratres Prędicatores habitantes in S. Georgii ad sanctum Marcum habitaturi transirent: Monachi autem Syluestrini ad S. Georgium transferentur cum bonis etiam immobilibus; pomerio cum quibusdam domunculis iuxta Ecclesiam S. Marci exceptis. Huic sententiæ & deffinitioni Prædicatores parueruntq; Syluestrini autem locum S. Georgii accipientes, nihilominus ad Concilium Basileense appellarunt: quod nihil eis profuit. Sumpta igitur possessione Conuentus S. Marci. Cosmas Medicens vt vir magnificus cepit ædificare, & diruit priorib. officinis vt ineptis & inutilibus, non destitit, quoad siquam omnia confirmauit quæ nunc apparent: Ecclesiæ solum addens maiorem Capellam, primo & secundo claustro perfectis. Ex priore quoque agro, ad hortum contiguo, vitidarium spatiosum arboribus fructiferis consitum muris aliis circundatum constituit. Armarium præterea longum & latum fieri fecit ita notabile sicut in tota Italia; illudq; libris notabilib. in diuersis facultatibus, non solum Latinis (ex & Græcis, qui fuerūt Nicolai de Nicolis viri studiosi lingæ vtriusque peritissimi) impleuit, & exornauit. Ipsa a. Ecclesia consecrata fuit in die Epiphaniæ, per Cardinalē Capuanum, ipso Domino Eugenio, cum Cardinalibus, & aliis Curiæ Prælatis, ex conuentu S. Mariæ Nouellæ vbi residebat, ad ipsam Ecclesiam S. Marci accedentibus, & missarum solemnis, per dictum Cardinalem celebratis, omnibus qui interfuissent, vel qui in posterum in anniuersario dedicationis eandem Ecclesiam visitarent, septem annorum & totidem quadragenarum Indulgentiam perpetuam largitus, die illo & nocte sequente ibidem quieuit. Sed hoc fuit anno 1442. *Antoninus 3. p. tit. 2 2. c. 10. § 5. 6. 7.*

XXX. *De Cosmæ Medice & quomodo viam ad Imperium strauerit.*

Fuit Cosmas Medices, Ioannis, in republ. Florentina vir facile principis filius. Is patre mortuo, diuisam ciuitatem, atq; in partes diuersas distractā excepit, qui magni animi præditus ac fortunæ donis, se populo ducem aduersus Optimates studia præberet. Atq; ineūtē Cosmo, coacto etiam inimicorum cum alijs virtutes oēs quæ tunc vitæ Principi ornamento, ingenium, prudentia, facultas & copia dicendi, grauitas, constantia, elegantia morum; tum quæ videntur maxime populares, & multitudinis plausum & admirationem habent, liberalitas, magnificentia, vitæ splendor, celsus animus ac primati hominis fortuna maior: quæ omnia vt conspicerentur diuitiarum magnitudo, vt boni non inuisa solum, sed suspecta haberent, præter domesticas copias ambitio, quæ cum summa esset, in simulatione officii & beneficentię latebat, vt liberrati omnium officeret, & Reipublicæ tēpora, & multitudinis studia efficiebant. Is porro erat ciuilatis status, vt cupido imperii homini, & in spem rerum nouarum erecto, vbi ad ingenium vires & nervi accederent, quos diuitiæ maxime suppeditabant, vel minima videretur contentio in magna et bonorum consensione, futura. Magistratuum a. authoritas omnis & vis, vnius hominis cū infima multitudine coniunctione, aut fracta & debilitata, aut cōtempta plane abiecta q; erat. Itaque cum præter patris memoriam gratioli hominis, diuitiarum copiam atq; affluentiam, facultates ingenii maximas, in ea tempora incidisset; in eadem cum cęteris æqualitate viuendo, cupiditate dissimulando, multis privatim consulendo, ea postea domesticę potentię fundamenta cō stituit; vtilli quidem amplioris cuiusdam fortunæ accessione, maiorum memoriā plane obscurare; ac Republica de pristino statu cōsulta, peruenire et ad ciuitatis Imperium, huius gloriam famæq; celebritatem, quam uis summis in imperiis positi haud facile æquare, nulla vnquam amplitudine honorum superare, non inique maiestate potuerint. Et quidem magnus ille hominum consensus, qui de eius horum temporum scripserunt, nulla vnquā in ciuitate, quæ amissa iura libertatis vni homini permisisset, quem q̄ vi & armis, atq; hunc vnum, in ea quæ libera esset, & quidem quod difficillimū est, in ea causa quam omnes odissent, authoritate gratioq; prastitisse. Ac ne quis reprimere facile vnius cupiditatem posset, qui & detectam illā, & perspecta eius omnia consilia haberet: grauitas quædam hominis, & cōposita ad tēpus moderatio obstitebat, quæ efferen ē sese animum, vt pari atq; æquo iure vti cum cæteris videretur, quorum libertatem se esse formidabilē intelligebat, fiinib. certis officiis vtq; honestatis, nisi quis penitus mentem illius introspexisset, continebat. Itaq; (quod postea, magna pene familię clade, à Petro filio neglectū est) susceptas à liberis filias, priuatis ciuibus, ex amplis quidē illis familiis & honestis collocauit, ita visus minime eam potentiam appetere: quæ ex eorum affinitatibus quæsita, suis ciuib. infesta, ac magnæ sibi apud oēs odiosæ offensioni esset. Apparebat in eodē studiū pietatis & religionis: vna res maxime accōmodata ad imperitorū animos capiendos, qui specie modo eorū quæ fiunt non cautis moueōtur. Nam prę ei sacras ædes quæ aut Florentiæ permultę, aut extra vrbē magnificētissimę extructæ ac Regio more conspiciuntur; Hierosolymis quo Christiani homines excipererentur, qui eo Religionis causa accederent, Hospitalem domum suis sumptibus ædificandam, certo assignato agro, ex cuius vectigalibus, quæ ad illos alēdos necessaria essent suppeditarēcur, siue pietatis studio, siue gloriæ & nominis curauit. Atq; his omnib. quidem extruendis, quę admodum exiguis animaduersum est, quas diligentissime confecit, ad quingenta nummum aureorum millia expensa tulisse fertur. Quæsti sumptus, ereāsi Imaginam inuidiā apud nobiles & potentes ciues cōflabāt, qui malis rationibus, vt credebāt, partas diuitias, & ingnib. Reipublicæ calamitatib. execrarentur; tamen, & domi multitudinis benevolentiā, & foris nomen famam, populorū acclamationes, quę res illi magno vsui erat ad domesticas opes & potentiā stabiliendā, comparabant. Accedebat ad hoc prosilio in doctos homines quædā singulares, quorū magno consensu vni vindicat. studia literarū ā superiorum temporū barbarie, quæ iampridē liberales artes oēs inquinauerat. tribuebantur. Ea quæ domus armatis bominib. patebat, id q̄ esse egendum ei videbatur, cui mendi, & continendi in metu multi q̄ue essent; eadē viri orum honestissimum frequentia colebatur; qui cum ex aliis Italiæ ciuitat. bus, tum ex Græcia omni, ad iuuentutē Græcis litteris instituendā, euocati præmiis amplissimis, ac magna cum illius laude erant. Factum n. vnius liberalitate vi-

debatur vt Itali homines se ad politiorum litterarum studia referrent; quæ quidem per multas iam ætates, ob continentia bella quib. perpetuo Italia à barbaris nationib. vexata est, obsoleuissent. Fuit sane Cosmus Mediceus, vt multis aliis in rebus, ita in hac vna plane fortunatus, cui contigit, id quod maxime eum optare æquum erat, qui ex hominum sermone famam nomẽq; colligeret, iis vt temporibus floreret, quibus reuiuiscere litteræ, quarum omnis laus iam erat intermortua, & liberales disciplinæ cœperunt. In eo est inprimis laudandus, atque adeo quæcunque illi causa extiterit, cur hoc sibi agendum putaret, quod vnus in Italia, studia litterarum prouehere, litteratos homines fouere, augere præmiis, omnique genere honoris atque officii honestare instituerit; id quod vix magni Reges & potentes ausi essent. Ac fuit quidem prudentiæ, tantæ rei occasionem, vbi illam tempora ostenderent, nouisse; occasioni non deesse, magnanimitatis; susceptum ex ea institutum laudis retinere, constantiæ; felicitatis, suis relinquere ad æmulationem exemplum; cum ea esset contentio futura, vt & vinci à suis optandum, & vincere eidem præclarum esset. Iam ab exilio reuersus, cum aduersariis variis nominibus à Republica ablegatis, cæteri quorum optimi sensus & rectissimi essent eorum calamitate deterriti, tantam sæuitiam temporis tacite ac dissimulanter ferrent, neq; aliquid obstare videretur, quo minus vnus Cosmas Medices sibi omnia sumeret, ac Princeps ciuitatis, Reipublicæ imperium suo arbitratu administraret; clementiæ & lenitatis laudem quæsiuit, ac quo leuius populus vnius dominationem ferret, præter omnium retum fere impunitatem, seruienti magna erant in liberalitate dominantis præmia constituta; contra, quæ amissæ libertatis indicia essent, nulla extraordinarii honoris insignia, & quæ in offensionem cuiusquam incurrerent conspicie bantur; non milites præsidii causa, non lictores, non accensi, non apparitores; nullæ domum deductiones, nulla frequentia ciuium, quæ domum honestaret. Idem priuati modo qua videbatur incedens, nulla septus clientum turba; vt quod vrbis solitudo & vastitas præstabat, quæ post multorum ciuium in exilium dissessum summa erat, proficisci à charitate suorum & beneuolentia videretur. *Ioannes Michael Bruti. l. 1. hist. Florentinæ.*

Auxerat Cosmo apud populares & exteros æstimationem, quod is in Sedem Apostolicam propensior videri volens, & non ita pridem Ioannem XXIII. à Patribus Constantiensibus exauctoratum benigne susceperit, Martinoque indubitato Pontifici reconciliauerit: nec non ipsum Martinum Quintum, consilio & aliis subsidiis adiuuerit; & nunc primum Eugenium vrbe fugatum, atque fere ab omnibus principibus vel derelictum, vel odiis multorum exagitatum, in spem melioremerexerit; adeoque & societatem cum illo, Florentinorum quidem integram esse voluerit, Genuenses vero ad fœdus mutuum pertraxerit; & Imperatorem Græcorum Palæologum ad Basilienses respicientem, ad illum potius, authoritate & rationibus inclinare compulerit; & præterea, si quid vel in Flaminia, vel in Piceno, Vmbrisq; vel in vrbe & Regno Neapolitano, pro Sede Apostolica & Eugenio feliciter actum est, plurimum opera sua profuerit.

Sed nos ad superiora reuertamur, & *Ioannem Simonetam* qui *de rebus gestis Francisci Sfortiæ* scripsit, quid ab Offidana perfidia Eugenio acciderit, quidue etiam Francisco in Etruriam arma inferente, ad sempiternam, tum Diuæ Deiparentis gloriam, tum Sfortiæ commendationem factum fuerit, iaculentius narrentem adiungamus.

XXXI. *Mouenda in Sfortia erga Pont. fides.*

Capto Offidano, factio Bentiuola, quæ Eugenio propter obtruncatum immerito Antonium, & Thomam Zamboccarium, plurimum erat infensa; & non minus Cannetulo, quod illius dominationem ægre ferret; uniserunt clam ad Franciscum Sfortiam Nuncios hortatum, vt cum exercitu Bononiæ appropinquaret; futurum polliciti, se, aut sumptis armis eum in vrbem introducturos, Pontificemq; confestim capturos, & vniuersam eius cutiam prędę militib. concessuros; aut si forte ei vrbem ingredi non videretur, idem aduersus Pontificem suosq; omnes facturos, illosq; deinde in eius potestatem cum vniuersis eorum bonis tradituros. Ad hæc Franciscus; quod etsi iusta sibi videretur in Euge. Pontificem vlciscendæ iniuriæ causa, pro iis quæ in suam pniciem per hominem impurissimum parasse diceretur: tamen cum suo ingenio, man suetudine potius quam vltione vti didicisset, nec se vrbi castra admoturum dixit; nec etiam permissurum, vt Bononienses sua ope, aut consilio, ac ne ipso quidem nutu in Pontificem manus iniicerent, aut suis quicquam molestiæ inferrent; quod & nefas esset, & à religione Christiana longe alienum. Habere penes se Baldassarem ipsum malorum omnium auctorẽ atq; ministrum; eum meritas scelerum pœnas daturum. Quas ob res renunciarent iis qui eos miserant, vt à nouandis in Pontificem rebus abstinerent; & quẽ ad modum hactenus fecerant, illi fidem seruarent, illiusq; iussis obtemperarent. Inter hęc ẽt Eugen. ad Francisc. purgandi sui Nuncios misit, qui exponerent; quæ Baldassar tentasset, ea omnia non modo suo iniussu, verum etiam se inscio inuitoq;, ab eo, vt erat homo audax & temerarius, esse tentata. Non enim se eo esse animo, vt qui Christi vices gerat in terris, huiusmodi quicquam per nefandum scelus machinaretur; neq; etiam Romanum Pontificem ea esse immanitate naturę, vt quod in quouis hominum detestabile execrabileq; iudicaret, ipse per suos aggredi auderet. Quod res ita se habeat, facile Franciscũ posse ex Baldassare ipso quem captiuum haberet, vel cognoscere, vel extorquere; neq; supplicium illius vllum deprecaturum, quo minus veritas deprometur, & si quid forte in Pontificem culpæ iniiceret; id existimandum, vel sui purgandi causa, vel metu pœnæ dicturum. Itaq; eum solum monere, hortariq;, sed ẽt si fas esset rogare, ne quid acerbius, & præter officium suum, ob vnius temeritatem aduersus Romanam Ecclesiam cõmitteret. His auditis Francisc. respondit; se nequaquã suspicari eo esse Pontificem Max. in se animo, vt vnquam vel per hominem sceleratum Baldassarẽ, vel per alium quempiam Baldassaris ipsius hortatu atque opera tantum in se sceleris admittere cogitaret. Quæ satis sibi esse factum, quod ad se venissent, & innocentiam Pontificis exposuissent. Irent, sacrosanctęq; affirmarent, eadem se esse, perpetuoq; fore fide ac pietate in Pontificem, qua semper antea extitisset, nec cuius q̃ iniuria, aut cõtumelia, ab eo animi instituto vm q̃ discessurũ. Proinde non modo à se hostile quic q̃ non timeret, verum etiam iuberet, quicquid se facturum vellet, quando omnibus in rebus eius voluntati esset obtemperaturus.

Inter hæc Nicolaus Picinninus, Philippi Mediolanensium Ducis iussu, magnis copiis in Etruriam, transierat: quod Florentini, monentib. Venetis, Genuensib. qui eo tempore à Philippo desciuerant, & cum Isabella Renati vxore, cum q; vtraq; Republica fœdus percusserãt, annonæ inopia laborantib. frumentum suppeditassent. Placuit Francisc, Sfortiã, contra illum accersere.

Admouit is exercitum ad S. Mariam castellum, in agro Pisano iam à Picinino & Braccianis interceptum; municipiumq; ipsum ita acriter oppugnare aggressus est, vt paucis post diebus, muris plerisq; in locis frequentibus bombardarum ictibus quassatis ac dirutis, & municipes, & qui in præsidio relicti erant milites, impetrata salute Francisco cesserint. Quid a. in ea oppugnatione acciderit, non absurdũ est memoriæ litterarũ mandare. Cum turris quædam cæteris eminentior, q̃ p arce eius municipii hostes custodiebãt, assiduo tormentorum ictu quateretur, tandem inopinãtib. custodibus magno frągore extra municipium corruit. Inter corruendum a. eorũ vnus qui in præsidio locati fuerãt, Genitrici Mariæ sese q̃ deuotissime cõmendauit; & p

XXXII. *Miracula ab Innocentione B. Virgine patrata.*

miracu-

miraculosissimum est, ex cæteris omnibus eius præsidii tam præcipitis ruina obtutis atq; obtritis, solus ipse qui campanæ pulsatui in turris summitate præerat, figũq; dabat, vt reliqui sibi cauerent, quotiens sublatis pulteis bombardæ saxeas moles essent emissuræ: ipse inquam speculator incolumis intactusq; euasit, cum admirabili omnium admiratione ac stupore. Cœpit postea Franciscus, complura Lunensis & Lucensis agri oppida, & inter hæc Calanouam; in quo hoc admirabile, & pene inauditum singularis continentiæ edidit exemplum.

XXXIII. *Laude digna in Sforzia humanitas & clementia.*

Municipio vi capto, prædęq; militibus concesso, rapiebantur omnia vt fieri solet, nullo humano diuinoq; iure seruato, omniaq; militũ libidini patebant. Cum q; & mulieres, & virgines, non militiæ solum primoribus, sed ipsis quoq; infimæ conditionis famulis permitterentur, puella quædam facie liberali ac venusta, militũ manibus ad explendam libidinem trahebatur, & hæc inter lachrymas crebra voce clamabat: *Ego me Francisco Comiti dico.* Istud audientes milites, ne Ducis iram aduersum se concitarent, abstinuerunt omni in puellam contumelia atq; maleficio, eãq; perduxerunt ad Franciscum, tunc & iuuentutis ardore, & corporis temperamento, ad libidinem veneream q; illecebras procliuẽ, & militari licentia nihil se turpe ob id admissurum existimantẽ. Is puellam intuitus, eiusq; forma ac pulchritudine non mediocriter illectus, ne quid tamẽ admitteret, quod accusari posset, q æsiuit ex ea, num ita esset animata, vt sibi morem gereret, potius quam iis prostitueretur, à quib. esset deducta? Illa, Parata sum, inquit, omnibus in rebus tuæ obsequi voluntati: modo me ab horum manibus eripias. Quibus auditis, Franciscus iussit eam duci in Prætorium, atque diligenter seruari. Cumq; ad multam iam noctem concessisset in cubiculum, vbi puella cõtinebatur; eam primum rogauit rursus, an eodem esset animo quo antea in se fore annuisset: cumq; illa in priore sententia persistens, se omnibus in rebus ei libentissime patituram respondisset, iubet, vt exuta vestibus ad tunicam vsque se transferret in lectum; idemque ipse continuo facit. Cumque iam in virginem inclauisset, illa verecunda, & magna cum reuerentia facie confestim oculisque conuersis ad proximam Virginis Matris Mariæ imaginem, quæ de more in cubiculo seruabatur, ait: *O Domine mi, per intemeratam illam Virginem Mariam Saluatorũ nostri genitricem, te etiam atq; etiam oro, & obtestor, ne me violes, ne me inconuenienter attrectes, neq; virginitatem meam, quæ mihi anima ipsa charior est, polluas; sed intactam potius, & nulla turpitudinis labe inquinatam sponso meo quem habes captiuum atq; vinctum, per tuam clementiam, & per diuinam misericordiam restituas.* Hęc verba Franciscí animum tantopere permouerunt, vt omnem vim libidinis illico suppresserint, flammasq; restinxerint. Puellam tamen interrogauit, quare antea, non modo non petenti, verum ne cogitanti quidem ad suam se voluptatẽ tradidisset; fertur, non inepte quidẽ illa respondisse; se vulgo iampridẽ audisse, nihil apud eum esse iustitia ac pietate antiquius; quarum se virtutum spe fretam, ea pro tempore locutam, quæ sibi tandem suæq; honestati vsui forent. His verbis Franciscus maiore in virginem pietate commiseratione q; cõmotus, iussit eam bono esse animo, quæ nullã esset iniuriã passura: sed suum ẽt sponsum, qui apud gregarios milites quosdã captiuus erat in vinculis, cõfestim assecutum, Id quod etiam Francisc. effecit. Nam sua pecunia sponsum redemit, qui cum esset corã adductus, & tristi lacrymabiliq; vultu sponsam intueretur, quod putaret eam esse compressam; leniter illa verecundeque subridens; *Noli*, inquit, *sponse mi quicquam de mea pudicitia suspicari. Nam huius clementissimi Principis bonitate & gratia, eadem ipsa nunc sum, qualis eram ante captiuitatem.* Tum etiam Franciscus, sancte constantissimeq; iurauit, puellã, nullam à se, nec ab alio quopiam passam esse iniuriã. His sponsus auditis, sublatis ad cœlum manibus, atq; genu flexo, q̃ maxime potuit Francisco gratias agens;

Tu, inquit, *Domine, non fallis eam quæ de te est fama apud omnes pulcherrima. Nemo enim te vno inter homines est aut humanior, aut clementior. Referat tibi Deus Omnipotens, quæ ipsi non possumus, digna meritis tuis præmia.* Insserat interim Franciscus multam in medium suppellectilem comportari, quã ex ea municipii direptione fuerat per suos milites domesticos cõsecutus. Hãc cum puellæ adderet in dotem, eam illa nequaq̃ accepit, sed gratias agens inquit: Maxima sunt in nos tua beneficia Princeps clarissime. *Verum ego hanc suppellectilem si acciperẽ, iudicarent omnes vicini eam esse prostratæ castitatis mercedem. At ipsa eo sum animo, vt mori malim, quam huiusmodi infamia laborare.* Tum Franciscus liberali vtrosq; exceptos conuinio, eosdem laudatos dimisit. *Simonetta l. 4.*

XXXIV. *Coniuratio Bohemorum contra Sigism. Imp.*

Dum hęc in Italia gererentur, Sigism. Imp. de recuperanda Bohemia, deq; hæreticis sine cõtrectis, siue enectẽdis sollicit⁹, omnia conabatur. Aliqui Praganorum, vel q̃ sibi timerent, vel q̃ eis trãquillitas grauis videretur, in illum cui Sacramenta renouauerant, coniurauere, statuentes illum tollere de medio. Id vbi ipse resciuisset, constituit, ne magno tumultu coniurationis capita tenerentur. Capti sunt quattuor & viginti, per summam (vt poterat) quietem; ac publico iudicio condemnati gladium senserunt vltorem. Procerum ẽt in admittendo Sigismundo, inq; cõpactatis inter Catholicos & hæreticos seruandis cõfusio, non omnino erat vndequaque ex fide, quæ videbatur. Permaxima causa fuit, occupatio rerum Ecclesiasticarum, quas per tempora belli rapuerant. Tot subuersis collegiis, tot monasteriis solo tenus deiectis, tot Ecclesiis & xenodochiis diruis, multa & magna prædia, quib. in opulentissimo Regno ditata fuerant, iam in manibus laicæ potestatis detinebantur, & pleraq; iam à patribus quasi per hæreditariam successionem transmissa occupabantur. Detinuit hæc res in perfidia quamplurimos, qui malgno ad salutem consilio, malebant, ex sacrilegio ditati errare, quam pœnitentes egere. *Crantz. Vandal. lib. 12. c. 1.* Non deerant ergo, qui circa compactata dubitarent; semper discentes, & nam quam ad scientiam veritatis peruenientes. Aliqui etiam Imperatoris fidem eleuabant, quibus vt Sigismundus satisfaceret, diploma hoc tenore dedit.

XXXV. *Epist. Imp. Rom. quæ spondet & promittit se confirmaturum certa capitula Concilii.*

Sigismundus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Notum facimus tenore præsentium vniuersis quod ab alto nobis commissum tunc recte indubitanter exequimur, cum in his quæ ad Catholicam fidem pertinent, sanctæ matri Ecclesiæ, ipsiusq; ordinationi obtemperantes, pro earum obseruantia & executione partes nostræ solicitudinis adhibemus. Cum itaq; inter Legatos sacri Generalis Concilii, quod Basileæ in Spiritu S. legitime celebratur, nomine & auctoritate ipsius sacri Concilii, & generalem congregationem Regni nostri Bohemiæ; pro vnitate & pace, quædam capitula concordata fuerunt, & manuum sti pulatione firmata, debeantq; sigillorum munimine roborari, & ad executionem deduci, iuxta formam in nostri præsentia Brunæ concordatam, & nunc nouiter coram nobis à Patribus recognitam & confessatam. Nos rei tam vtili, ac salutari, officii nostri partes volentes authore Domino impertiri, Deoque & Fidei Catholicæ obsequium reddere, Omnipotenti Deo & Sanctæ Matri Ecclesiæ promittimus & volumus, quod postquam ipsa compactata fuerint (vt præmittitur) roborata, nos ea firmabimus & roborabimus, & seruari facietmus, pure, simpliciter & syncere, iuxta sanum & bonum intellectum eorum: nec permittemus eam aliquo violari, vel eis abuti, nec permittemus aliquem, ad communionem sub vtraq; specie coartari, vel compelli quoquo modo in præiudicium compactatorum. In cuius rei testimonium, sigillum nostræ præsentibus est appensum.

Datum in Alba Regali Vesprimensis diœcesis Anno Domini 1436. die 8. Ianuarii, Regnorum nostrorum anno, Hungariæ &c. 49. Romanorum 26. Bohemiæ 16. Imperii vero 3.

exr. tomo 4. Concil.

XXXVI. *Mouenda in Sforzia erga Pont. fides.*

XXXVI. *Basileen. destinant Legatos Iglauiam ad roborandā compactata.*

Iglauiam, diœcesis Olomucensis oppidum, conuenire debebant, Imperator, Legati Basileenſium Patrum, & designati ab ordinibus Bohemiæ nonnulli, ad roborandā compactata, & ad exequenda omnia superius expressa, & inferius enarranda. Huic rei Patres Basileenses, destinarunt duos Nuncios, præditos hac potestate, quam in literis ad scripris expressernnt.

Ita habent.

Sacra Generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam representans, Venerabili Philiberto Episcopo Constantiensi, & dilectis Ecclesiæ filiis, Iohanni de Polomar, &c. salutem, & omnipotentis Dei benedictionem.

Cum vos ad partes Bohemiæ & Moraviæ Legatos nostros duxerimus destinandos, cum plenaria potestate, prout in aliis nostris inde literis continetur; in quibus quod dicatur, quod omnem vobis in dictis partibus potestatem & iurisdictionem Ecclesiasticam concesserimus; ne generalitas hac ambiguitatem valeat generare, harum serie declaramus, prædictam potestatem vobis, seu tribus, aut duobus concessam, causas omnes & lites ciuiles, criminales, & spirituales, ad forum Ecclesiasticum pertinentes, per vos, aut alios audiendi, decernendi, seu de delictis inquirendi, seu delinquentes puniendi, vel cum eis (si vobis visum fuerit) dispensandi, quæcunq; beneficia conferenda, etiamsi forent ad sedem Apostolicam deuoluta; Et generaliter omnem iurisdictionem voluntariam & contentiosam, & potestatem Ecclesiasticam exercendi, in toto Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ, quam habent, & habere solent Legati Cardinales à latere Summi Pontificis destinati. Volentes, & decernentes, quod facultates in prædictis nostris literis vobis datæ, non censeantur per hanc in aliquo diminutæ, sed illas simul & istas volumus in pleno robore permanere. Datum Basileæ 3. Idus Martii, Anno Domini 1436.

Porro tenor illarum aliarum litterarum, de quibus Basileenses fecerunt mentionem, inserrus est litteris Imperatoris, quarum hoc est exemplar.

XXXVII. *Sigismun. Imp. & Alberti Duc. Austr. litt. in materia mandati Legatorū Cōc. Basil.*

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, & Albertus eadem gratia Dux Austriæ, & Marchio Moraviæ, &c.

Notum facimus præsentibus vniuersis, quod propter exortas quasdam emergentias in materia mandati, Reuerendo in Christo Patri Philiberto Episcopo Constantiensi & Collegis suis, Legatis facti Concilii Generalis dati, inter ipsos Legatos eiusdem facti generalis Concilii Basileensis, parte ex vna, & inclytum Regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ, parte ex altera; promissimus, & tenore præsentium promittimus, in verbo Cæsareo, sicut & ipsi Legati coram nobis promiserunt, quod infra hunc & festum sancti Michaelis proxime venturum, dicti sacri Concilii Basileensis Legati, mandati literas plenam & omnimodam facultatem continentes, à dicto sacro Concilio disponent, & in effectum ordinabunt, nec non ad manus Nobilis Alzonis de Ryzanberg, alias Vuizieslioum Gubernatoris Regni Bohemiæ infra subscripta reponent.

Tenor literarum Concilii.

XXXVIII. *Sacra Generalis Synodus, &c. Venerabili Philiberto, &c.*

Cum vos ad inclytum Regnum Bohemiæ, & Marchionatum Moraviæ, pro certis negotiis, & Deo propitio feliciter concludendis, pacis & veritatis tractatibus duximus destinandos, vobis omnibus, & maioris partis vestrum omnium, si forsan aliquis contingerit impediri, coram congregatione generali Regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ, vel Ambasiatoribus eorundem, communiter vel diuisim, aut cum deputandis ab eis, nec non cum quibuscunq; Baronibus, Communitatibus, vel deputandis ab eis, ac etiam cum Clero dictorum Regni, & Marchionatus, & ciuitatis, ac aliis etiam personis, si, & prout vobis videbitur expedire, omnia ad pacem & vnitatem accommoda (iuxta Fidei, & honestatis Ecclesiæ) explicandi, proponendi, colloquendi, concordandi, & concludendi; vt ea, quæ per quoslibet ex vobis tanc legationem fungentes, tam Generali Congregatione dictorum Regni, & Marchionatus concordata & conclusa fuerint, executioni demandentur, & pax, & veritas effectiue procedat; & ipsa concordata & conclusa firmandi, & roborandi, & ea executioni debite demandandi, & generaliter omnia & singula faciendi, quæ propace & vnitate dictorum Regni & Marchionatus, & habitantium in iis, cum reliquo populo Christiano, vel pro bono & tranquillo statu illarum partium vobis videbitur expedire: etiamsi maiora & grauiora essent superius expressa, quam ea quæ in præsenti mandato continentur, & quæ mandatum speciale & expressum exigerent; quæ omnia in præsenti haberi volumus pro expressis, plenam & liberam concedimus facultatem; ratumq; & gratum ac firmum habebimus, quicquid à vobis, vel à maiori parte (si reliquos contingerit impediri) actum fuerit, siue gestum, & faciemus authore Deo, ab omnibus inuiolabiliter obseruari. Datum Basileæ 3. Idus Martii, anno à natiuitate Domini 1436.

In cuius rei testimonium, & fidem, Nos Sigismundus Imperator, & Dux Austriæ præfati, sigilla nostra huic literæ appendi iussimus. Datum Iglauiæ 3. die mensis Iulii, Anno Domini 1436.

Ext. apud Cochleum l. 8. hist. Hussitarum.

XXXIX. *Instrumē. executionis compactatorū inter Cōc. & Bohemos cum insertione eorundem.*

Iam ad condictam diem Iglauiam venerat Sigismundus Imperator: vbi concilio cum Bohemis habito, ad diem 5. Iulii, ac illo Imperiali maiestate, Imperialibus Insulis (*quemadmodum scribunt Legati Basileenſium, Patribus*) decorato, coram Legatis Concilii, in publico foro Iglauiæ, numerosa populi multitudine assistente, Gubernator, Barones, Nobiles, Ciuitates, Ambasiatores Regni Bohemiæ, compactata primum iisdem Legatis obtulerunt, literis authenticis communita. deinde pro ipsorum executione, de tenenda, obseruanda, & defendenda comitate Ecclesiastica & pace, literas alias secundum formam Brunnæ conditam. Post hæc quattuor ad hoc deputati, cum pleno & authentico mandato, nomine omnium tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium, reuerentiam & obedientiam canonicam præstiterunt. Legati quoq; iuxta Concilii Basileensis iniunctionem, comitatem Ecclesiasticā per eos factam, & obedientiam ac reuerentiam exhibitas acceptarunt, & pacem pronunciarunt eis seruandam per vniuersum populum Christianum. Datum Iglauiæ 5. mensis Iulii, anno 1436.

ext. tom. 4. Concil.

XL. *Instrumē. executionis compactatorū inter Cōc. & Bohemos cum insertione eorundem.*

Exactius porro hæc ipsa habentur, in Instrumento executionis, quod istud est ipsissimum, conceptum à Legatis Basileensium.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, qui est amator pacis & veritatis, & quipro Vnitate Christiani populi preces porrexit ad Patrem. Nos Philibertus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Constantiensis Prouincia Rothomagensis; Iohannes de Polomar, Archidiaconus Barchinonensis, Apostolici Palatii causarum Auditor, Decretorum Doctor: Martinus Berneri, Decanus Turonensis; Tilmannus, Præpositus sancti Florini de Confluentia, Decretorum Doctor: Ægidius Carlerii, Decanus Cameracensis; & Thomas Haselbach, Sacræ Theologiæ Professor Viennensis; Sacri Generalis Concilii Basileensis ad Regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ Legati destinati; authoritate sacri Concilii recipimus & acceptamus, vnitatem & pacem, per dictos Regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ acceptas, factas, & firmatas, secundum quod vtriq; parti constat, per literas inde confectas, cum vniuerso populo Christiano. Tollimus eos sententias censuræ, & plenariam abolitionem facimus. Item authoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & dicti sacri generalis Concilii pronunciamus, veram, perpetuam, firmam, bonam, & Christianam pacem dictorum Regni & Marchionatus, cum reliquo vniuerso populo Christiano: mandantes authoritate predicta, vniuersis Christiani Orbis Principibus, & aliis Christi fidelibus vniuersis, cuiuscunq; status, gradus, & præeminentiæ, aut dignitatis existant, quatenus dictis Regno & Marchionatui bonam firmam, & Christianam pacem obseruent: neq; pro causis dissensionum, pro difficultatibus aliquibus circa materias Fidei, & quattuor articulorum dudum exortas & agitatas (cum eadem sint per dicta capitula explanata) aut pro eo quod communicarunt, communicent, & communicabunt sub vtraq; specie, iuxta formam dictorum capitulorum eis minime nocere, offendere, infamare, aut molestari permittatis: sed ipsos Bohemos & Morauos, tanquam fratres, bonos, & Catholicos Ecclesiæ Orthodoxæ filios, reuerentes & obedientes eidem, habeatis, & firma dilectione contractent. Hoc declarato expresse, quod si aliquis contra faceret, non intelligatur pax ipsa violata, sed debeat fieri de illo emenda condigna. Cumque (prout in dicto Capitulo continetur) circa materiam communionis sub vtraque specie, sit hoc modo concordatum: Quod dicti Bohemis & Morauis, suscipientibus Ecclesiasticam vnitatem & pacem realiter & cum effectu, & in omnibus aliis, quam in vsu communionis vtriusque speciei, Fidei, & ritui Vniuersalis Ecclesiæ conformibus, illi, & illa, qui talem vsum habent, communicabunt cum duplici specie, cum authoritate Domini nostri Iesu Christi, & Ecclesiæ vera sponsa eius. Et articulus ille in Sacro Concilio discutietur ad plenum, quoad materiam de præcepto, & videbitur, quid circa illum articulum pro veritate Catholicæ fit tenendum & agendum, pro vnitate & salute populi Christiani. Et omnibus mature & digeste pertractatis, nihilominus si in desiderio habendi dictam communionem sub duplici specie perseuerauerint, hoc eorum Ambasiatoribus indicentibus, Sacrum Concilium Sacerdotibus dictorum Regni & Marchionatus, communicandi sub vtraque specie popolum; eas videlicet personas, quæ in annis discretionis, reuerenter, & deuote pulsauerint, facultatem pro eorum vnitate & salute, in Domino largietur. hoc semper obseruato, quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicant, quod ipsi debent firmiter credere, quod non sub specie panis tantum, nec sub specie vini sanguis tantum: sed sub quælibet specie est integer, & totus Christus. Et iuxta dictorum Compactatorum formam, dicti Bohemis & Morauis, suscipientibus Ecclesiasticam vnitatem & pacem, realiter & cum effectu, & in omnibus aliis quam in actu communionis vtriusque speciei, Fidei & ritui vniuersalis Ecclesiæ conformibus, illi, & illæ, quæ talem vsum habent, valeat communicare sub duplici specie, cum authoritate Domini nostri Iesu Christi, & Ecclesiæ vera sponsa eius. Hoc expresse declarato, quod per verbum Fidei, supra & infra posito intelligant, & intelligi volunt veritatem primam, & omnes alias credendas veritates, secundum quod manifestantur in Scripturis Sacris, ex doctrina Ecclesiæ sanæ intellectæ. Item, cum dicitur de ritibus vniuersalis Ecclesiæ, intelligunt, & intelligi volunt, non de ritibus specialibus, de quibus in diuersis prouinciis diuersa seruantur: sed de ritibus, qui communiter & generaliter circa diuina seruantur. Et quod posquam nomine Regni & Marchionatus in vniuersitate hoc suscipiatur; si aliqui in diuine celebrandis non statim suscipiant ritus, qui generaliter obseruantur, propterea non fiat impedimentum pacis & vnitatis.

Idcirco Reuerendis in Christo Patribus, Archiepiscopo Pragensi, & Olomucensi, & Luthomislensi Episcopis, qui sunt, vel qui tempore erunt, Vniuersis & singulis Ecclesiarum Prælatis curam habentibus animorum, in virtute Sanctæ obedientiæ districte precipiendo mandamus, quatenus aliis personis, quas visum habent communicandi sub duplici specie, iuxta formam in dicto Capitulo contentam, Sacrum Eucharistiæ Sacramentum sub duplici specie, requisiti, prout ad vnumquemque pertinet, aut pertenebit in futurum, ministrent, & pro necessitate plebis, vt non negligatur, faciant ministrari, & his nullatenus resistere, aut contrauenire præsumant. Scholares quoque, qui communicauerint, & desinceps iuxta dictorum capitulorum formam communicare volent, & etiam cum promoti fuerint, & ad eos ex officio pertinebit aliis ministrare sub duplici specie, propterea à promotione ad Sacros Ordines non prohibeant; sed, si aliud Canonicum impedimentum non obstiterit, eos vite promoueant eorum Episcopi. Quod si quispiam contra hoc facere præsumpserit, per eius Superiorem debite puniatur, vt pœne documento agnoscat, quam grauc sit authoritatem Sacri Generalis Concilii habere contemptui. Vniuersis quoque & singulis cuiuscunque status, præeminentiæ, aut conditionis existant, præsentium tenore districte precipiendo mandamus, quatenus dictis Bohemis & Moraviæ, seruantibus Ecclesiasticam vnitatem, & vicinitus communione sub duplici specie, modo & forma prædictis, nemo audeat impraperare, aut eorum fama vel honori detrahere.

Item, quod Ambasiatores dicti Regni & Marchionatus, ad Sacrum Concilium, Deo propitio feliciter dirigendi, & omnes qui de eodem Regno vel Marchionatu, dictum Concilium adire voluerint, secure poterunt, ordinato & honesto modo proponere, quicquid difficultatis occurrat, circa Materias Fidei, Sacramentorum, vel rituum Ecclesiæ, vel etiam pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membris. & Spiritu Sancto dirigente fiet, secundum quod iuste & rationabiliter, ad Dei gloriam, & Ecclesiastici status debitam honestatem fuerit faciendum.

Item, recognoscimus in gestis apud Pragam, in schedula quæ incipit; Hæc sunt responsa facta per Reuerendum in Christo Patrem Dominum Philibertum &c. hanc responsionem scriptam. Primo dixerant; Quod non est intentionis Sacri Concilii, permittere communionem sub duplici specie permissione tolerantiæ, vel licet tacita permissa fuit libellus repudii. Quia cum Sacrum Concilium viscera materna pietatis exhibere dictis Bohemis & Moraue intendat, non est intentionis Concilii permittere tali permissione, quæ peccatum non excludat: sed talitur elargitur, quæ authoritate Domini nostri Iesu Christi, & Ecclesiæ vera sponsæ sic licita, & digne sumentibus vtilis & salutaris. Quapropter concordati sumus, cum Gubernatore, Baronibus, & aliis, quod per illas formas in hac & in alia litera conceptas & scriptas, dicta Compactata ad executionem deducantur: & in illis formis ambæ partes resedimus.

Item, in literis ab vtraque parte ad invicem apponantur in testimonium, ad partium petitionem sigilla Serenissimi Domini Imperatoris, & Illustrissimi Domini Ducis Austriæ Alberti.

Item Ambasiatoribus Regni Bohemiæ ad Sacrum Concilium destinandis, debemus Salarium-conductum, eo modo quo dedimus Dominis, Matthiæ, Procopio, & Martino.

Dabimus Bullam Sacri Concilii, in qua inserentur Compactata, & confirmabuntur. Item aliam Bullam, in qua inseretur litera pro executione Compactatorum, per nos facta; cum ratificatione; quando date nobis fuerint literæ Reg-ii, & facta fuerit obedientia; nos dabimus literam per quam promittemus, quod quā citò commode poterimus, procurabimus habere à Sacro Concilio, dictas duas Bullas, & hæc litera erit munita sigillis Regni, & Serenissimi Domini Imperatoris, & Illustrissimi Domini Ducis in testimonium. Simili modo petimus Salarium-Conductum si nos, vel aliqui ex nobis, velint transire ad Regnum. In quorum fidem & testimonium, Nos Philibertus Episcopus Constantiensis præfatus, Ioannes de Polomar Auditor & Tilmannus Præpositus Sancti Florini, vice, & nomine omnium aliorum Collegarum nostrorum in absentia eorum sigillorum, præsentes has literas dedimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Et ad maiorem euidentiam, robur, & firmitatem, sigilla, Serenissimi Domini Sigismundi Romanorum Imperatoris, & Illustrissimi Principis Domini Alberti Ducis Austriæ ac Marchionis Moraviæ, ad instantes preces nostras præsentibus sunt appensa. Datum Iglauiæ Olomucensis Diœcesis, die quinto mensis Iulii. Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto.

XLI. *Bohemi & Morani ab anathemate per legatos Conc. absoluti.*

His ad eum modum diuulgatis, sequenti die, sedente ibidem pro tribunali in foro ciuitatis Iglauiæ ipso Imperatore Sigismundo, & Alberto Duce Austriæ, cum magna Procerum & Oratorum corona assistente à Legatis Concilii, non absimili solemnitate absoluti sunt Bohemi & Morani, ab anathemate cæteriisque censuris & in Ecclesiam per Concilii Legatos introducti. Vbi cum diuina celebraretur, Ioannes Rockyzana perfidiæ suæ non immemor, ad altare accedens, diuina re peracta, vni quem iusserat ex laicis adesse, Sacramentum ex calice dedit. Et quamuis vnus Legatorum, Ioannes de Polomar; in aliena Ecclesia id sibi non licere assereret, eumque prohiberet; ipse tamen pertinax in proposito præstitit, ob quam sane rem, pene in istrum concordia cecidere runt. Compositatamen his est, ex eo conuentionis capite, quo sancitum erat, ne paucis pacta violantibus communis concordia rumperetur.

XLII. *Publicatur pax facta cum mandato eam obseruandi.*

Publicatum est deinde à Gubernatore Regni edictum vniuersale, quo renunciabat Bohemis & Morauis pacem esse factam, illisdemque edicebat, vt eandem obseruarent. Istud est exemplar.

Nos Alzo de Ryssenburg, alias de Vuizestiouu, Gubernator Regni Bohemiæ, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, Praga Ciuitas, & cæteræ Ciuitates, Generalem congregationem Inclyti Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ facientes, & repræsentantes, Vniuersis & singulis, subditis & Incolis præfatorum Regni & Marchionatus, cuiuscunque status & conditionis existant, qui sunt de parte nostra, affectu omnis boni, vario cum genere complacendi præparatis.

Cum propter aliquas difficultates, circa materias Fidei, & quatuor articulorum exortas, inter nos & conuicinos nostros tam extra, quam intra Regnum, & Marchionatum consistentes, bella diutius fuerint agitata; & iamper Dei gratiam, inter Legatos Sacri Generalis Concilii, & Generalem Congregationem dicti Regni sit facta concordia: & nos pacem, quam promisimus, pro dictis causis & articulis suscipere & inire volentes cum vniuerso populo Christiano, siue intra Regnum, siue extra sistente, per fidem & honorem nostrum, omni dolo & fraude cessantibus, suscepimus. Idcirco vobis omnibus & singulis per præsentes præcipiendo mandamus quatenus bonam, Christianam, firmam, & perpetuam pacem seruetis & teneatis: & ipsis supradictis, & vicinis, tam intra quam extra Regnum illam nullatenus violetis, seu violari permittatis, sed factam à vestris omnibus firmiter obseruari. In horum fidem & testimonium, has literas nostras Sigillo Regni Bohemiæ fecimus communiri. Datum in Iglauia, die duodecimo mensis Iulii. Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimosexto.

Data est autem huius mandati copia Dominis Legatis, præsente Imperatore, die 15. Augusti, Iglauiæ eodem anno, cui subscripserunt Legati Bohemorum: qui totius congregationis nomine, cum Legatis Basileensium transegerunt.

XLIII. *Nomina legatorum Bohemorum qui se transactioni subscripserunt.*

Barones.

Alzo de Ryssemberg: Gubernator.
Meynardus de Nouæ Domo.
Alzo de Sternberg.
Erhardus de Cunstat.
VVenceslaus de Crauuar, alias de Stirzynitz.
Hintze de Pagstein, alias de Ratay.
Girzik de Vissenburg.
Hans de Colobrat.

Vtriusque ciuitatis Pragensis Nuncii.

Ioannes Vualuuar.
Sigismund e de Cotentzitz.
Vuenceslaus Hrderika.
Paulus Dyetzichonis.
Benes Zulemanski.
Valentinus Baba Daniel.

Militares.

Diuuisl de Mylentraleo.
Vulhelmus de Possupitz.
Petrus de Stuieyssyn.
Ioannes de Russenetz.
Ioannes de Smyrtzitz.
Nicolaus de Lamberg.
Vuenceslaus de Petronitz.
Ioannes de Czrayn.
Gallus de Dizeuitz.
Matthias de Chlumptzan.

Sacerdotes.

Ioannes de Rosyzana.
Vuenceslaus de Drachouu.
Martinus de Chradsm.
Bohunko de Chotzna.
Vuenceslaus d. Letznitz.

Præter Hæc Imperator Sigismundus, cupidus Regni paterni, vt Bohemos deuinctiores sibi redderet, multa seorsim eis promisit & concessit, quæ à Legatis Basileensibus impetrare, aut obtinere minime potuissent. Hæc est formula illius cum Bohemis pactionum.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, &c.

XLIV. *Sigism. Imp. cupidus Regni multa seorsim Bohemis promittit & adhic insertas conclusiones cum Behem. & Morau. Ambasiatoribus consentit.*

Quia Dominus noster Iesus Christus, Dei hominumque Mediator, Salutis curam ex imiuncto Altissimi gerens humanæ laborem sustinens atrocem, pro qua & diraperi voluit, & morte turpissima occumbere non est dedignatus, puta vt vtraque in vnum repararet. cuius quidem exemplo, veluti Magistri & Ducis peroptimi, ex dignitate Imperiali nobis ab vniuersorum Domino disposita & commissa, bonum pacis, & vnitatis, atque concordiæ amplexantes, cum post quædam compactata, inter Legatos Sacri Concilii Basileensis, ipsumque Regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ, in Praga scripta & consignata recessum est, vt aliis bene dispositis & deductis, pro Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ expurgatione, per Sacrum Concilium Basileense, nostramque prudentiam Imperialem, vti melius fieri poterit prouideatur, adhuc tamen, quia difficultates variæ inter Legatos Sacri Concilii Basileensis parte ex vna, & Generosos ac Nobiles, Strennos, Famosos, Reuerendos & prudentes Nuncios nomine Regni Bohemiæ pridem ad nos in Brunam distinatos, parte ex altera, ortæ fuissent, & crebro pullulassent: animum, cor, simul & humeros cura diligente & sollicitudini anxia supposuimus, pondus dies & æstus ferentes, vt diuisa in vnum, aduersa in consona, asperæ in plana, & longe distantia in combinata, simul parterque in Sanctam & beatam reduceremus vnionem. Cum nos pacem & tranquillitatem ipsius Regni (quod semper amauimus, & voluimus) corintime affectantes; volentes futuras dissensiones & controuersias, quibus populus subditus posset quomodolibet concitari, conuenientibus remediis præuenire, nonnullaque remanentia, quibus in compactatis pro pace Regni non videbatur sufficienter prouisum, salubriter prouidere, cum præfatis Ambasiatoribus Regni & Marchionatus, ad laudem Dei, pacem ipsius Regni, & omnium circumiacentium Nationum, & totius populi Christiani, ac salutem innumerabilium animorum, in nomine Domini. Notum facimus vniuersis & singulis, quod ad infrascriptas conclusiones consensimus, & præsentibus consentimus.

1. Primo, Quod beneficia non conferantur per extraneos in Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ: Sed omnino ius collationis eorundem, ad Regem Bohemiæ, incolasque Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ perpetuo debet pertinere.

2. Personæ etiam spirituales & seculares, extra Regnum & Marchionatum, nec citabuntur, nec iudicabuntur, sed vnaquæque persona iurisdictionibus sibi præfecti Præpositi in præfatis Regno & Marchionatu subiecta erit & contenta, & de eadem gaudebit. Libertatibus tamen Archiepiscopatus Pragensis, in priuilegiis, in via appellationis, à sibi subiectis Episcopatibus, salua, & illibate conseruatis.

3. Communicantes sub vna specie, in sæpe tactis Regno, & Marchionatu, ne confusa sequatur commixtio, contra propriæ eorum voluntates & libertates non sustinebuntur; sed duntaxat in locis, in quibus communio duplicis speciei, temporis retroactis non seruabatur, sustinebuntur.

4. Et vt materia occasioque litium auferatur, loca omnia & singula Ecclesiarum, populique Parochiarum signabuntur; in quibus, & à quibus communio duplicis speciei in praxi seruabatur, vt in futurum perpetuo in eisdem obseruetur, quæ quidem consignata in litera speciali, in robur, & perpetuam memoriam sigillo nostræ Maiestatis munientur.

5. Sed & hoc volumus, vt per Dominos Bohemos Generosos, Nobiles, Strenuos, famosos, Pragam, & ciuitates alias vna cum Clero, Archiepiscopus Pragensis vna cum aliis Episcopis titularibus, qui alias dicuntur suffraganei, eligantur. Qui quidem electi, per nostram dispositionem debitam, sollicitudinem partier & curam confirmabuntur, & in Episcopos consecrabuntur, absque quauis pro confirmatione, Pallii exhibitione, aut etiam Notariæ persolutione, & totus Clerus Diœcesis Pragensis subiectus ipsi Archiepiscopo, per præfatos Dominos electo, tenebuntur obedire:

6. Scholares Diœcesis Pragensis, vtriusque, tam sub vna, quam sub vtraque communicantes specie, habilitate & idoneitate ipsorum præsuppositæ, ad Sacros Ordines promoueantur & ordinentur: nihilominus per hoc causæ, & præxi communionis eorundem derogando. Tamen, quia licentia per Sacrum Concilium Basileense, omnibus tam in Regno quam in Marchionatu Moraviæ constitutis debetur sub vtraque specie communicandi, Episcopi Olomucensis scilicet & Luthomischensis, populum laicalem, desiderantem sub vtraq; specie senebuntur communicare; promouebuntque Scholares, & ad Sacros Ordines consecrabunt, habilitate & idoneitate illorum præsuppositæ, qui vellent populum laicalem sub vtraque specie communicare. Et disponere tenebuntur Sacerdotes ad loca puarum diœcesium, in quib. præfata cõmunio annis elapsis seruabatur, qui sic populum, vt præmittitur, sub vtraq; specie communicabunt.

7. Et Plebani, si qui ad proprias redire, cum scitu & consensu sui diœcesani, voluerint Parochias, populum sub duplici specie communicabunt, qui populus sic communicauit, & in locis, in quibus præfata seruabatur communio. Quod si non fecerint, non sunt tolerandi, sed alii qui sub duplici specie communicarent populum laicalem, per diœcesanum, vel per alios ad quos pertinet, in loca illorum substituendi.

Ista nos tenere, præsentibus affirmamus, & pollicemur in verbo Cæsareo, præfatis Ambasiatoribus, ac Regno Bohemiæ, & Marchionatui Moraviæ, quod in omnibus & singulis suprascriptis capitulis, cum eis remanebimus, volumusque vt per nos, & per nostros successores in futurum pro perpetuo, singula eis teneantur, & plene conseruentur. Nos quoque apud Sacrum Concilium, ac Dominum nostrum summum Pontificem, & alibi, vbicunque expediens fuerit omnem operam curam adhibebimus, vepræfati articuli suum effectum realiter sortiantur, nec in Regno nostro, ac Marchionatu aliter fieri permittemus. Quinimo, si quis Regnum & Marchionatum in hu tu bare quomodolibet attentauerit, ipsis pro executione eorundem effectualiter assistemus, dolo & fraude cessantibus quibuscunque. Datum Iglauiæ, &c.

XLV. *Hæreticorum fallacia.*

Hæc extorserant hæretici, more suo duplices, & quidem in compactatis, obedientiam & reuerentiam omnem Romano Pontifici, & Ecclesiæ vniuersali exhibentes: in his autem posterioribus, fere eodem die expressis, omni iurisdictione, honore, & maiestate tam summum Pontificem, quam vniuersum clerum, per summum scelus spoliantes; deinde in compactatis cum Legatis Basileensium, libertatem communicandi sub vna specie omnibus & singulis vbicunque existentibus relinquentes; in concordatis autem cum Imperatore, eandem eripientes: scil. pacem in ore, gladium in manu gestantes: mirandum vt sit, quomodo Imperator Sigismundus, contra iusiurandum, quo se Eugenio Pontifici Romano, & vniuersali Ecclesiæ, nec non vniuerso Clero Defensorem & Aduocatum fore astrinxerat, adeo proborosam schedam, contra Sacros Canones, contra leges Imperiales, contra iura & priuilegia Sedis Apostolicæ, contra immunitatem Ecclesiasticam, contra denique omnem libertatem & prærogatiuas sacratioris Ordinis, subscripserit, atque signauerit. Sed recuperandi paterni Regni cæca cupido, vt hæc, & alia æque probata faceret, auspiciaque Regni fere omni sacrilegio contaminaret impulerunt. Etenim vbi Pragam aduenit, mox alias pactiones cum Bohemis fecit, quibus Ecclesiarum prædia occupatoribus titulo pignorum relicta sunt, donec certa pecunia redimerentur; Item Religiosis vtriusque sexus quibus adempta Monasteria essent, nec non Catholicis vnius speciei hominibus exulibus spes redditus interdicta: de disponendo Ecclesiarum Bohemicarum regimine, Domino Pontifici facultas ablata: Rochezanę duplicis speciei Hussitæ, Pragensis Ecclesiæ Præsulatus promissus; necessitate Monasteriorum restaurandorum; qui ea diruerunt, soluti.

Quam fuerit Sigism. excæcatus cupiditate paterni Regni recuperandi.

Disputatio eiusdem Bohemi contra compactata per eos pretensa.

Aliquis Bohemorum doctissimus, simulque Orthodoxiæ amantissimus, cum aliquando hæc compactata ab hæreticis producta essent, eo fine vt à Georgio Padiebracio pseudo-Rege confirmarentur, contra illa disputans scribebat. De confirmatione, ait, Compactatorum per Dominum Sigismundum Imperatorem facta, quam etiam oppressores veritatis fortissime pro se allegant, vix est qui aliquid assertiue dicere poterit. Tum quia non est verisimile, quod tantus Princeps, mundi Dominus, Imperator supremus, Romanorum Rex Cæsarque Christianissimus, Semper Augustus, tales, Fidei Christianæ contrarias, totius Christianitatis offensiuas, litteras, magna reprehensione dignas, dederit, de certa sua sciencia, & expresso consensu: cum ipse Dominus Imperator Sanctæ sedi Apostolicæ, & summo Pontifici Domino Eugenio tunc Papæ, non longe ante hoc fertur iurasse, & pro contrario faciendo iuramenta præstasse.

Et dato, quod huiusmodi litteras, ipsi Bohemi & Morani de facto haberent, sigillis & subscriptionibus authenticatas, roboratas, & munitas; magis credi oportet, propter earum suspectam continentiam, eas subreptitie impetratas, per falsos scriptores, aut alios, taliter qualiter extractas, quam de intentione Cæsareæ Maiestatis processisse.

Sed vlterius dato, quod Imperatoris consensu emanassent, (quod tamen impossibile reputatur) nihilominus nullius sunt roboris & momenti. Et plus gens ista Bohemica atque erronea, de exhibitione talium litterarum suspectarum, erubescere & tacere deberet, quam se tanta prophanatione maculare.

Tum quia huiusmodi litteræ contra Sancta, imo contra veritatem Fidei videntur laborare; in quibus Rex vel Imperator, nihil instituere, destituere, confirmare, aut infirmare potest; nec ad talia faciendum aliquam habet authoritatem. Tum quia Dominus Imperator hæc scripta ad Sacrum Concilium, & confirmationem compactatorum fecisse videtur, propter bonum pacis, & ob bonam spem retrahendi Bohemos à sua pertinentia, & mitigandam exorbitandam eorum feritatem. Tum propter hæreticorum importunitatem euadendam, quæ apud eos quasi continuata vigebat.

Nam & eadem importunitas apud Cæsaream suam Maiestatem tantum effecit, vt sua Celsitudo bona Episcoporum, Capitulorum, Monasteriorum, Prælatorum, Canonicorum, Presbyterorum, Conuentuum, & aliorum spiritualium, quomodocumque acquisita, seu occupata; ab eis quorum erant propria abalienauit, & Bohemis in vim stipendii pro suis seruitiis, contra leges & omnia iura dedit & donauit, donationesque tam hæreditarias, quam pro certis pecuniarum summis (licet nulliter factas) sigillis & litteris suis patentibus, Imperiali & Regia potestate roborauit; & talia bona ipsis iure tam possessorio, quam petitorio, & causa proprietatis violenter confirmauit. Non obstante, quod sicut ipse Dominus Imperator, ita & ipsi postulantes certi essent, quod Domino Imperatori nihil iuris in illis bonis alienandis conferendi, donandi, seu aliis appropriandi cõperebat. Tum, quia Dominus Imperator

cum

XLVI. *Quarumrerum mutatio Pragæ facta S. Sigismundo.*

tum. Legati Sacri Concilii compactata practicantibus, certas & bonas habuit intelligentias; quarum occasione in hæc & alia, attentis circumstantiis partes consentiebant.

Hæc & alia plura, ille Bohemus Catholicus: cui suffragetur Æneas Syluius, qui memorat, Imperatorem ea fœdera quæ cum hæreticis percussit, necessitate magis admisisse, quam voluntate. Voluisse illum paternam hæreditatem quoquo modo intrare, sensimque Regni possessione accepta, more maiorum subter veram Christi religionem Prouinciam reducere.

Sexto Calendas Septembris huius anni, Sigismundus Pragam venit: subsecuta ingens rerum mutatio. quem enim paulo ante pelus cane & angue oderant, quemque exadulterio natum, Antichristi filium, sacrilegum dixerant, aliisque intolerandis conuiciis & calumniis onerauerant, imo quem publicis votis perditum esse voluerant, hunc venientem, effusa obuiam tota orbe cum frequentissima Regni nobilitate, vt legitimum Regni hæredem, vt Regem ac Dominum suum fastis omnibus saluta bant, magnoque certatim studio in verba eius denuo iurabant; ac læti interfuerant, cum Barbaram vxorem eius, Præsul Constantiensis diademate Regio coronaret, cum idem omnes execrationes tolleret, cumque Rokyzana obedientiam Ecclesiæ Romanæ iterum præstaret, quasi Archiepiscopus futurus. Barones ergo ac Ciuitates cum in eius verba iurauerunt, Magistratus quos ipse instituit acceperunt, certantes inter se, quis alter altero Regi suo obsequentior videretur; vt est humanum ingenium vtramque in partem immodicum, siue persequi malit, siue obsequi.

Philibertus Episcopus Constantiensis, & collegæ sui Basilea missi, Ecclesiasticos introducere ritus, Sacerdotes instituere, aquam benedictam in ædibus sacris reponere, baptismatis fontes sacrare, ex Missarum solemnibus vulgaria verba cantilenasque detrahere, Sanctorum imagines reducere; altaria ornare, spurcitias omnes abolere. Paruere complurimi, quibus mens fuit sanior. Rockyzanæ complices resistere, obloqui, blasphemare, plebem omnibus modis auerte re. Ipse quoque incentor malorum Rockyzana, ex Parochia Sanctæ Mariæ ante Lætam Curiam, quam propria temeritate inuaserat, amoueri minime potuit: neque legatis necem per insidias machinati, neque Romanam Curiam inter prædicandum sermonibus suis laniare prætermisit. Sigismundus autem cum Ecclesias pollutas nollet intrare, templum Sancti Iacobi, quod Fratrum Minorum fuerat, & in quo machinæ bellicæ tum seruabantur, restitui sibi poposcit. Annuit Ciuitas, & aliquot Franciscani introducti sunt, qui verbum Dei prædicarent. Id olim ne Zischa subuerteret, armati carnifices defendere, sepulchris maiorum consulentes. Redierunt & alii Fratres Mendicantes, tum Cœlestini, Serui Sanctæ Mariæ, Sclaui, Theutones, Hierosolymitani, & nonnullorum Monasteriorum Abbates; Sacerdos quoque Sancti Georgii in arce Pragensi, quæ principis honore defungitur, & pastorali baculo vtitur, sacris præfecta virginibus, ab exilio remeauit. Hæc ex veteri more, quotannis in celebritate Sancti Viti nouellum Regi panem offerre tenetur. Restituti sunt & Cathedralis Ecclesiæ Canonici, ac Vicarii, & Mansionarii; altaribus ornamenta reddita, diuinum officium instauratum: Legati Basileam missi, qui declarationem super articulo communionis expeterent. Quumque nulli essent Ecclesiæ reditus, ex quibus Ministri templorum ali possent, iussit Imperator ex fisco Regio, per singula Canonicorum capita hebdomatim aureum nummum distribui, Minoribus Clericis dimidium dari. Ea res annue aureorum sex millia apud Ecclesiam Cathedralem absumpsit. In alia quoque templa, donaria collata. Noua iam vibis facies, nouus populus, vetus religionis cultus redisse apparebat; cum Rockyzana callidus punica religione, datam Ecclesiæ Romanæ fidem seruans, quando intellexit, se de perfidia suspectum habeti, eaque propter negotium eius de Archiepiscopatu confirmando, vt ad extremum fumi instar euanesceret, de die in diem prolatari, in paucissimis Sedi Apostolicæ obsequens, cætera sibi audacius & impudentius arrogans, quam disciplina habet Ecclesiastica inprimis in Monachos, quos sensim Pragam Sigismundus reducebat, vt sana doctrina ægros curarent, remque diuinam solito more facerent, petulanter inuectus inter concionandum, *hos organa damonis, imo damones ad obtundendam veritatem immissos; quos antequam audirent, prius sanguinem effunderent*; deblateranit. Cumque Sigismundus, *Imo nos*, dixisset, *Rockyzana sanguinem non inuiti ante aras libabimus*; eosdemque Monachos, sicut alios quoque Romanæ professionis Sacerdotes qui pauci numero superfuerant, profanatis passim templis profugi, non modo tuendos, sed etiam augendos suscepisset, nec vllo pacto templa eiusmodi, nisi denuo fuissent à Philiberto inaugurata, instauratoque & ornata ingredi voluisset: tunc demum Rokyzana, in Imperatorem pro concione inuectus; *Videtisne*, inquit, *vi Bohemi, quanam fide Rex nobiscum transegerit, quoue fauore nos prosequatur. Tanto nimirum, vt ne templo quidem communi nobiscum, quasi cum prophanis vti sustineat. Conuenta & pactiones in Concilio Basilecnsi pactas nobis exhibuit, & præterea Fidem suam obstrinxit, ne nos extra præscripta à calice detorqueat; verum ille non solum conuenta turbat, sed etiam calicem extorquere nobis parat, dum studet pellendis nostratibus sacerdotibus, & inducendis Monachis nostræ religioni hostibus capitalissimis. Caterum hoc illius studium, tum magno ipsius malo faeru.t, si virieftis quemadmodum hactenus fuistis.*

Rockyzana nouas turbas excitat.

Poterat atque debuerat Sigismundus, perfidum Rockyzanam contra pacta debacchantem, pro ratione demeritorum castigare, furoremque populi quem is accendebat, vel vnius solius pœna extinguere; satis habuit minas inanes protulisse, *quin potius Rokyzanas caueat, ne malum sibi ante tempus accersat.* Et quidem ita locutus est Sigismundus, Rokyzana autem clam se Praga subduxit, & Hradecium cotulit: vbi Thaboritas, sceleratissimos hæreticorum, in Imperatorem concitauit; adeo vt opus fuerit nouos pacis conciliatores destinare, & ad longe iniquiora cum eis pacta descendere, seruando Regno intentum. Hoc est instrumentum concordiæ, Thaboritis concessæ.

XLVII. *Noua concordia inter Sigis. Imp. & Thaboritas.*

Anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto die Dominica ante Festum Sanctæ Elizabeth facta est concordia per illustrem Principem, Dominum Vlricum Comitem Cilie, ac Genevosos Dominos, Dominum Vlricum de Rosenberg, Dominum Alzo de Sternberg, Dominum Hintze de Pirgstein Magistrum Curiæ, Dominum Gaspar Schlik Cancellarium, Dominum Hassek de Waldstein, Dominum Arnestum de Pualaßin, Dominum Przibik de Clenaw, & Ioannem de Cunuald Camerarium, inter Inuictissimum Principem & Dominum, Dominum Sigismundum Romanorum Imperatorem semper Augustum, & Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regem ex vna; & honorabilis Sacerdotes, Bedericum de Strazmitz, Nicolaum de Pelhrzymam dictum Episcopos, Wenceslaum Corandam, cum aliis eorum partis Sacerdotibus, ac prouidis, Magistro Ciuium, & tota Communitate montis Thabor, ac eis adherentibus, parte ex altera; Primum, quod Dominus Bedericus, cum aliis Sacerdotibus sibi adherentibus; & cum Hradecensi Thaborensium communitate, à lege Dei, & à ritibus quibus hactenus circa diuina vtebantur, per violentiam trahi non debeat. Arbitrorum tamen quatuor ex parte vtraque electorum, quicquid pronunciatum fuerit secundum illud cum in Egra compactatum, dicta omnia stare vtrique debent, modo & forma, ex vnanimi consensu, de condescensu in arbitros Magistrorum Pragensium ex vna, & Sacerdotum Thaborensium parte ex altera, in litteris vtriusque partis expressis. Hoc etiam signanter est expressum, & concordatum, vt dicti Thaborenses, habeant debitam, paifeam, & securam audientiam; & quicquid per præfatos arbitros pronunciatum fuerit, secundum Iudicem antedictum, vt eos propter hoc eius Seremtas, ipsiusque successores venari non permittant. Item, quicquid his temporibus, pro eadem causa, contra eius Maiestatem, à dictis Sacerdotibus, & à Communitate actum est, hoc totum transire debet, & eius maiestas numquam hoc eis in temporibus futuris, in malum refricare debet. In testimonium omnium prædictorum pactorum inter nos, concordatores superius nominati, nostra propria sigilla præsenti litteræ appendi fecimus, quæ data è Praga, anno & die præscriptis.

XLVIII. *Rokyzana & Thaboritarum inter se concordia in Eucharistia.*

Quid porro inter eosdem Thaboritas ex vna, & Ioannem Rockyzanam, seditionis totius auctorem, conuenerit, quidue eisdem nefarius in præiudicium Fidei Catholicæ concesserit, adeoque se & Sanctorum communione, & dignitate Archiepiscopali quam præfacte ambiebat indignum reddiderit, ex compactatis quæ adiungere visum euidens est. Ita habent.

In nomine Domini Amen. Ego Magister Ioannes de Rokyzana, electus Archiepiscopus Ecclesiæ Pragensis, meo ac aliorum Magistrorum ac Sacerdotum mihi adhærentium nomine, notum facio omnibus & singulis litteram hanc inspecturis, aut legi audituris, quod cum Domino Bederico de Strazmitz, suisque Sacerdotibus Thaborien sib. & sibi adhærentibus pro materiis spiritualibus, & ritibus, pro quibus fuit difficultas nostra cum illis annis bis bellicosis, circa diuina condescendimus, & vigore præsentium litterarum finaliter condescendimus, in concordatos & arbitros quatuor, per nos & Dominum Bodericum cum suis Sacerdotibus, ex vnanimi consensu electos, videlicet in Magistrum Petrum Anglicum, & Sacerdotem Martinum de Chrudim Episcopum electum, & in Magistrum VVenceslaum de Brachouu, ac in Magistrum Butek.um. In quos consensimus, & vigore præsentium litterarum consentimus, ac plenariam potestatem damus, quatenus ipsi, ad Deum, & salutem prospicientes populorum, pro rebus spiritualibus, & ritibus, circa diuina, pro quibus inter nos & illos annis bis discordia extiterat, secundum Iudicem inter nos & Prælatos Basilienses in Egra compactatum finaliter in quattuor temporibus, in Quadragesima per futura affaturis pronuncient, & declarent. Et ego Magister Ioannes antedictus, meo, & aliorum Sacerdotum mihi adhærentium nomine, promitto bona fide, absque omni dolo, pro meipso & alii Sacerdotibus mihi adhærentibus, huic, quod Secundum Iudicem supranominatum pronunciauerint, consentire, & assistere, atque hoc suscipere, corde, ore, & opere. In robur & testimonium horum omnium, ego supradictus Magister Ioannes, & mecum Magister Christannus de Prachatitz, & Magister Ioannes de Pradiram, sigilla nostræ propria dedimus litteræ huic sponte applicari. Datum in Praga, anno Domini M. CCCC. XXXVI. feria sexta post Martini.

Eisdem consenserunt, & litteras publicas ad instar superiorum dederunt, Bodericus supradictus, & Nicolaus de Pelhrzymano, dictus Episcopus, & Wenceslaus Coranda; cum hac expressa conditione; quicquid Petrus Anglicus, ex scriptis Magistri Ioannis Hus, & Magistri Ioannis Wiccleph (ita, damnatæ memoriæ homines nominabant) in Controuersiis habitis inter se ex vna, & Pragenses ex altera, in materiis Sacramentorum septem Ecclesiæ, suffragii & Inuocationis Sanctorum, rituum missæ, & Purgatorii ostendissent, illud omne acceptarent.

Et quidem Petrus Anglicus arbiter ab vtraque parte etiam pridem electus ante biennium pronunciauerat, hunc in modum.

XLIX. *Articulus Petro An-*

1. *Istud pronuncio pro primo articulo, Ecclesiæ septem Sacramenta, vndecunque à variis diuersimode nominentur, sunt*

tenenda & seruanda, secundum quod congruit vtriorum statibus & personis, omni prauitate simoniaca exclusa ab eisdem per auaritiam Sacerdotum infidelium introducta. Patet sic articulus ex quattuor Trialogi Capitulis 1. 2. 3. 4. Et consequentia, per Magistrum Ioannem Hus, super quarto sententiarum satis diffuse, nec non & per illud, quod scripsi in quodam folio, quando solebam sedere in officio spirituali.

glico electo arbitro amica pro nunciatio.

2. *Pro secundo articulo istud pronuncio: Sanctorum suffragia qui sunt in celestis patria sunt ab hic viantibus merito postulanda; secundum sententiam Scriptorum, quibus clare promiserunt prædicta partes sibi inuicem aduersantes, patet istud tertio Trialogi capite 31. & in sermone, Maria optimam partem elegit, & per Magistrum Ioannem Hus super distinct. 45. libr. 4. Sententiarum, & per id quod scripsi folio suprædicto.*

3. *Pro tertio articulo, hæc promulgo. Purgatio animarum à corporibus exutarum, tempore legis gratiæ est ponenda, secundum scripta sæpius antedicta, vt patet per Magistrum Ioannem VViccleph, libro de noua præuaricantia capite 8. In libro Decalogi, capite 33. De Ecclesia. 1. 2. 6. & 20. Capitulis. De blasphemia & dominio eiusli libro 1. capite 16. & multis aliis locis, & per illud quod scripsi folio antedicto. Pro hujusmodique animabus orandum esse, ac cætera opera pietatis exercenda pronuncio: dum tamen circa hoc omnis simonia, missarum venalitas quæcunque ac aliæ fictiones dolosæ excludantur.*

Petrus Anglicus arbiter electus VViccleph tarum primarius.

Dixeram, Imperatorem, ad longe iniquiora pacta cum Thaboritis descendisse. Enimuero, quos ad tanta compactata compellere omni iure potuerat, atque omnibus rationibus debuerat quosque propter læsam toties Maiestatem non tantum suam, sed longe magis diuinam vlcore gladio exterminare opus fuerat: his arbitrio suo viuere & ex arbitrio hæreticorum quales erat Petrus Anglicus, homo ad fallendum versipellis, pendere permisit. Dixeram pariter Rokyzanam, Thaboritis, in præiudicium Fidei Catholicæ plurima concessisse, quale est illud, quod arbitrium Fidei Catholicæ, homini hæretico, in horas mutanti, qui veritatem de Eucharistiæ Sacramento aliquando professam, turpiter silentio prodiderit, vel adeo negauerit, eiuraueritque, & præsertim ex libris hæresiarcharum VViccleph & Hussi, ex quibus pronum fuerat hæreses præsertim Petro Anglico, VViccleph istarum primario producere. Sane, quamquam Saluator mundi Iesus Deus verus & homo præsciret, Dæmones, se Iesum filium Dei vlui pronunciaturos: tamen quia etiam non ignorabat Dæmones, mendacii architectos esse, non finebat eos loqui, neq; quamquam verum eo in articulo testificarentur, voluit eorum testimonio niti, de sua Diuinitate; vel propterea, ne ab hoc vno vnico exemplo, illis mendacibus auctoritatem conciliare videretur, ad seductionem multorum, qui promiscue illis ipsis credendum esse existimarent. Non defuerant errantibus ab vtero Ecclesiæ, alii arbitri de rebus controuersis Fidei Ecclesiæ vniuersalis consensus, Romanorum Pontificum authoritas, Conciliorum definitiones, Patrum scita, Sanctorum pronunciata, Orbis vniuersi sensus, & inprimis perpetuitas inuariabilis dogmatum, perpetuis miraculis roborata. Sed placuit Sigismundo inniti arundini vento agitatæ, vt ea confractata, illius manum dexteram, ad defendenda, non diuerienda Fidei Orthodoxæ placita armaram, malignus sueiaret. Enimuero Thaboritæ, vt eorum proprius Chronographus, *Ioannes de Lukawetz* narrabat, post eas in arbitros compromissi litteras, à Rokyzana roboratas, Pragæ quidem, ad tempus designatum comparuerunt; sed aliud ex alio inutiliter, imo potius futiliter causantes tandem duos ex arbitris, & paulo post alios duos, re infecta, indefinitaque elabi sustinuerunt; vt collusores fuisse non nemo intelligeret, quibus nulla fides, nulla constantia, nullus amor pacis, sed mentiendi, nouandi, turbandi, Catholicis illudendi, prurigo vel libido.

Thaboritarum intentio Catholicis illudere.

I. *Supplicium Sigism. de pluribus rebellibus & seditiosis sumptum.*

Istud memorandum est, quod Sigismundus Imperator hoc anno effecit. Ioannes Rohacius, nobili loco natus, ingenio malo, mente pessima, non longe à mœnibus Cuthnis, intra syluas in edito colle castellum ædificauerat, montemque Sion quin æternum non commoueretur, nominauerat, affirmans; ex eo loco veritatem aliquando exituram, quæ gentem Bohemicam libertate donaret. Euntibus Iglauiam cæteris nobilibus Imperatorem suscepturis, ipse domi manens, vicinis infestus prædas agitabat, itinera insecura reddebat, Imperatorium ex Hungaria commeatum diripuerat, neminique Regiorum & Catholicorum parcebat, instigantibus nonnullis, quibus pax noxia bellum salutare videbatur. Missi in eum Sigismundus Henricum Prasionem, qui vaſanum corriperet. Intercepit illum Henricus, arcemque per vim perrupit; vbi latrones qui eo confugerant, necnon Sacerdotem Hussitarum vaſaniæ participem, qui Sacramenta hæreticis ministrabat, in vincula coniecit, Pragamque omnes ad suspendium misit. Furcarum, quibus damnati pœnas dederc, triplex differentia fuit. E sublimiori, Rohacius pependit; imam renuere latrones, citeriorem nonaginta, media Sacerdotem arripuit nomine Medium, atque ita Medius, in medio furcarum appensus, damnatam animam deuotamque Satanæ reddidit.

II. *Sigism. Rockyzanas affectas Praga expellit & consilium de tumultuariis tollendis adhibet.*

Alterum est. Seditiosos quosdam Sacerdotes, qui Rockyzanam, vt Archiepiscopum affectabantur Praga expulit, & Christannum hæresi presbyterum delegit, qui res Sacras, dum legitimus crearetur Archiepiscopus administraret. Adhibuit præterea mox concilium de amouenda sentina hominum ex tumultuosis domesticis se alentium, promisso illis largo stipendio, qui in Hungariam contra Turcam irent. Hanc tunc expeditionem Albertus, Sigismundi gener sibi sumpserat, primoque prælii impetu in fugam versus, ac statim resumpto animo rursum recollectus, magno vtriusque exercitus sanguine victor euaserat. Ibi cum plures Bohemi occisi essent, quam domum reuersi; atque aduersæ factionis homines, in eum, quasi vni parti plusquam alteri faueret, querimonias iactarent, respondit: *Si quis habens sponsam, cum altera contrahat sponsalia, per eandem quam prius obligationem, vtri illarum plus debebit? priori, an posteriori? Nonne, vt omnia iura habent, priori. Prius igitur ego Romanæ sponsæ, quam Bohemæ, fidem obligaui meam: & tamen in vtraque ita mihi à promissis consto, vt neutra de me queri iure possit. Dubravius libro vigesimo septimo. Cochleus libro sexto, septimo, octauo. Sylvius cap. quinquagesimo secundo.* Sic ita respoderit Sigismundus, fides esto penes Dubravium. Nobis placet audire quendam Angelorum, optantem, decernentemque; *Scio operatua; quia neque frigidus es, neque calidus. vtinam frigidus essis, aut calidus. Sed quia tepidus, nec frigidus, nec calidus incipiam te euomere ex ore meo.* Diuini honoris & animarum salutis zelo inflammati, Catholici Reges & Principes, ab ardore quo inflammati, felicissime de hostibus Fidei Orthodoxæ, sæpius sæpissime, ad immortalem nominis gloriam, cum ingenti animarum fructu triumpharunt. Qui hæreticis in horas mutantibus, aliquid vel minimum, vel concesserunt, vel permiserunt, vel eos pacis atque concordiæ vinculis illigare Catholicis voluerunt; sibi quidem non illustrissimam famam, Catholicæ vero Romanæ Ecclesiæ lutum, rei Orthodoxæ interitum, gaudium Sathanæ, per viam quam ea ratione Atheismo præstruxerant, peperierunt. Post hæc à Sigismundo cum hæreticis pacta, compactata, à Spiritu politico dictata, robur, neque diuturna, antillis vita, aut Bohemorum, quo tranquillius; euomiente ex ore suo Angelo [illegible] à sola cupiditate Regni [illegible] Sinuillis momentanea flammantem: si [illegible] ad diuina: quorum arbitrium, [illegible] in terris facti dois qui Angelus Domini [illegible], fari nec fabre scimus, quam ex ore refugarum requirere, & expectare debuerat. Eius enim, non quorumuis aliorum labia custodiunt scientiam; atq; de illius, non de aliorum quorumlibet ore, Deus iubet legem exquirere.

III. *Diploma Vladislai Reg. Polon. contra hæreticos in fauorem S. officii Inquisit.*

Ignorare non potuit Vladislaus Rex Poloniæ, ea quæ apud Bohemos; occasione hæresis agebantur. Quamobrem, à calamitate aliena doctus, metuens, ne vicino Regno hactenus turbulento, suum quoque religiosissimum, & eousque ab hæresi incontaminatum aliquando conflagraret, istud diploma contra hæreticos, in fauorem Sanctissimi Officii Inquisitionis, quod hoc tempore Frater Nicolaus de Lancicia Dominicanus, in dioecesibus Gnesnensi & Posnaniensi exercebat, ex sententia Comitii euulgauit.

Wladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, Lituaniæque Princeps supremus, & hæres Russiæ, &c. Vniuersis, & singulis Capitaneis, Burgrauiis, Castellanis, Procuratoribus; Generalibus, Vice procuratoribus, Aduocatis, Consulibus, Scabinis, & aliis Officialibus terrarum, Castrorum, Ciuitatum, oppidorum nostrorum in dioecesi Gnesnensi, & Posnaniensi constitutis, & constituendis, fidelibus nostris, gratiam Regiam, & omne bonum.

Fideles nobis dilecti.

Cum religiosus vir, noster que deuotus, Frater Nicolaus de Lancicia Sacræ Theologiæ Baccalaureus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Inquisitor hæreticæ pranitatis in prædictis dioecesibus per venerabilem in Christo Patrem Fratrē Nicolaū de Puteny Prouincialem Poloniæ Ordinis eiusdem, Sanctæ sedis Apostolicæ authoritate sit specialiter deputatus, pro Deique seruitio, etiam exaltatione Fidei Orthodoxæ debeat in locis, seu partibus nostræ iurisdictioni subiectis exercere officium Inquisitionis, vt hæresis crimen detestabile, à dictis partibus quibus præsidemus, si forte alicubi vigeat, valeat extirpare. Nos quoque velut Princeps Catholicus, qui de manu Altissimi multa bona accepimus, & variis honoribus ornati sumus, in prædictis, & aliis quæ diuinum concernunt obsequium, Condivori omnium complacere vt conuenit plurimum cupientes, intendimus, imo & volumus prædictum Inquisitorem; tamquam specialem Dei ministrum nostris prosequi gratiis, & fauoribus opportunis. Vobis igitur, & vnicuique vestrum iniungimus, & de consilio Prælatorum & Baronum nostrorum, die data præsentium, nobiscum hic congregatorum districte præcipiendo mandamus, sub obtentu gratiæ nostræ Regalis, quatenus prædictum Inquisitorem, ad exercendum suum libere Inquisitionis officium, in terris & locis, nostræ iurisdictioni subiectis, & signanter in dioecesibus præfatis favorabiliter admittatis. Et quotiescumque exequendo dicto officio seculare brachium ipsum contigerit inuocare, auxilium vestrum, sid. liter, & cum effectu sibi præbeatis, capiendo, & capi faciendo, quoscumque dictus Inquisitor de memorato facinore suspectos, aut diffamatos, seu etiam eodem irretitos nouerit, aut duxerit nominandos. Captos etiam detinendi intra iurisdictionem vestram, sub acri & diligenti custodia; vel etiam deducendi ad locum, ad quem idem Inquisitor mandauerit, donec negotium super huiusmodi delicto, per iudicium Ecclesiæ terminabitur. Condemnatos quoque, ac Curiæ relictos seculari, statim recipiatis, indilate animaduersione debita sumendos. Necnon omnia alia studeatis adimplere, quæ spectant ad officium, videlicet inxta leges Frederici Imperatoris per Ecclesiam approbatas, & per Canonica instituta, prout ipse Inquisitor decreuerit, & quoties vos duxerit requirendos. Non obstantibus priuilegiis, libertatibus, exemptionibus, seu litteris præmissa facultatis, quibuscumque personis, cuiuscumque conditionis, dignitatis, & gradus existant; tam Christianorum, quam Iudæorum, Schismaticorum, & aliorum contra Fidem Catholicam delinquentium, seu communicantibus eorum, aut vniuersitatibus terrarum, Ciuitatum, & locorum generaliter vel specialiter, sub quacumque verborum expressione, per nos, aut alios Serenissimos Principes Reges & Dominos terrarum Regni Poloniæ, aut iporum subditos, in contrarium alicuius præmissorum concessis vel in posterum concedendis. Nolentes ex huiusmodi priuilegiis exemptionibus, seu consuetudinibus, aut statutis municipalibus, Prouincialibus, & libertatibus, seu quibuslibet præmissionibus securitatis, mandatisque ac prohibitionibus profato

Inquisitori, in tanto potestatis officio & negotio, quodcumq; obstaculum, aut impedimentū interponentibus directe vel indirecte generari. Vt autem prefatus Inquisitor suum Inquisitionis officium, securius & liberius valeat exercere nostro suffultus præsidio & fauore, ipsum, eiusque societatem, & familiares, ac bona eorum sub nostra protectione Regali benigne recipientes, per præsentes mandamus vobis, vt supradicto Inquisitori, eiusq; societati, Notariis, & familiæ, nullam iniuriam, nullumq; grauamen, aut dampnum aliquod, in personis, seu bonis, à quocumque fieri permittatis imo pro nostra gratia speciali, eidem de securo transitu, nec non de saluo conductu, quando, & quoties, per prædictum Inquisitorem fueritis requisiti, vna cum expensis competentibus, dum prædictum Inquisitionis officium apud vos exercebit, charitatiue sibi prouideatis, iuxta modum laudabilem aliarum Prouinciarum nostrarum, circa talia obseruari consuetum. Et præsertim in hoc specialem Celsitudini nostræ complacentiam facietis si ad repellendam à partibus nostri Regni hæreticæ pranitatis infamiam, hactenus de nostris Regnicolis, mandatis Inquisitorum fideliter in præmissis assistentes, opem & operam præstiteritis efficaciter. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum, & actum Lancicia, feria tertia proxima ante S. Laurentii festum, anno millesimo, quadringentesimo trigesimo sexto. extract. ex ipso authographo, quod asseruatur in archivo C. Cracouiens. SS. Trinitatis.

LIII. *Dissensio inter Pōt. & Sigism. ratione Episcopatus Traiectensis.*

Per hæc tempora Sigismundus Romanorum Imperator, nonnihil dissensionis habuit cum Eugenio Pontifice. Res est. Electis in discordia ad Traiectensem Ecclesiam Suuedero, & Rodolpho: Eugenius, Suuedero de alia prouiderat Ecclesia, vtin Traiectensi Rudolphus esset quietus. Eam dispositionem non furentes aliqui Traiectenses Canonici Basileæ exuantes, Vualramum Theodorici Archiepiscopi Colonien sis fratrem, Episcopum designarunt; & permittentibus Patribus Basileensibus omnia sibi temere vsurpantib. confirmationem à Theodotico obtinuerunt. Voluit Archiepiscopo Basileensibus & extorris illis Canonicis, per temeritatem omnia audentibus gratificari Sigismundus, eaq; propter regalia contulit Vualramo; renitente Eugenio Pontifice, qui iam pridem Rodulphum de Diepholt confirmauerat. Non tulit hanc iniuriam Eugenius: sed in primis Imperatori graniter per scripsit, miratus, quid sibi in tantum reluctaretur, in causa tam iusta Rodolphi nobilis, & Deum timentis viri; qui per ostium legitimæ electionis sit ingressus; Vualramus autem per vim irruisus. Scripsit & Colonien si Archiepiscopo, admonens, vt tentatam pertinaciam deponeret, damnaretque, & ad sedem Apostolicam pertinens confirmandi Episcopos officium non sibi arriperet. Apud Imperatorem præualuit potius respectus Archiepiscopi, quam Pontificis authoritas; maxime vrgentib. Basileensibus, qui cōfirmationes Episcop. summo Pontifici ereptas esse cupiebāt. Theodoricus porro Archiepisc. Colonien sis, Henricus eius frater Monasterien sis Episcopus, non tantum gladio, verum etiam consilio Vualrami causam tutabantur; quibus cum coniuncti exules illi proterulentes Canonici, qui Vualramum dissignauerant, Basileæ præsentes multa mollebantur, vt pro authoritate Cōcilii super Papam stabilienda, procederet inde facta Vualrami confirmatio, & infirmaretur quam feciſſet summus Pontifex Eugenius. Quamquam autem tanta potentia niteretur Vualramus, numquam tamen potuit assequi Episcopatum Traiectensem; contradicentibus Canonicis ad quos de iure spectabat electio; iuraque sua defendente Eugenio ad quem perrinebat confirmatio. *Krantzius Saxoniæ libr. 11. cap. 24. & 27. & Vuandelielib. 12. c. 6.*

LIV. *Basileenses destituunt Episcopum*

Cæterum non tantum huic, sed etiam aliis Archiepiscopis, potestatem faciebant Basileenses, confirmādi Episcopos: ac præterea Legatos de Latere, cum eadē facultate qua solet Romanus Pontifex, mittere & causas grauissimas summo Pontifici reseruatas illis committere præsumebant.

Nonnihil controuersiæ fuerat, Clero Suecano, cū

Vexionen. ad componendas cōtroversias inter clerū Suecanum & Regem ac nobiles.

Regē, nobilitate & populo, de libertatibus & priuilegiis. Ad has componendas Basileenses destinarunt Nicolaum Episcopum Vexionensem; cum cui postea ad Archiepiscopalem sedem Vpsalensem nuncio plenam authoritatem contulerunt; qua Episcopos vacantibus Ecclesiis Cathedralibus in sua prouincia præficere, confirmareque, nedum consecrare posset. Istud est diploma confirmationis priuilegiorum.

Omnibus & singulis, tam præsentibus quam futuris, quorum interest, aut interesse poterit notum sit: Quod ex quo nos ex optimi Dei singulari prouidentia & gratia, pro commodo Regni Suecia, & omnibus incolis eius iam congregati fuimus, decreuimus, vt qui præsentes & futuri sunt, possint & debent vti & frui certis præscriptis legibus, priuilegiis, indultis, & antiquis consuetudinibus, sicut in concordatis literis inter serenissimum D. N. Ericum Dei gratia Suecia, Dania, & Norwegia Regem, Ducem Pomeraniæ ex parte vna, & nos ac Regni nostri incolas ex parte altera, prima die Septembris hoc anno in Calmarnia, ex singulari potestate & commissione sacri Concilij Basileensis, & Reuerendi in Christo Patris D. Nicolai Episcopi Vexionensis, confirmationis speciale indultum habentis, prout in litteris de super confectis dissertius est expressum. Ob id nos pro nobis, & pro successoribus nostris infrangibili fide nostra promittimus, & post hoc sine aliqua contradictione aut versutia constanter asserimus, tenere velle, quod omnes Cathedrales Ecclesiæ, & Parochiales, Monasteria, Capellæ, Hospitalia, & alia omnia spiritualia loca; item Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Capitula, & Clerici seculares, vel Regulares, tam fœminei quam masculini sexus in Regno Suecia, debeant eorum iustas leges, priuilegia, immunitates, exemptiones cum omnibus eorum viris, personis, colonis, seruis, ancillis, & eorum bonis mobilibus & immobilibus exempti, priuilegiati, vti, frui, & possidere, sicut eorum prædicta iura, leges, priuilegia, & libertates in omnibus suis articulis sonant & includunt, nullis exceptis: sicuti ipsis ea omnia à Sanctissimis Pontificibus, Christianis Regibus, & omnibus Dominis & Principibus vtriusque sexus, data, & concessa, ecindulta fuerunt vsque in præsentem diem; & post hac per Dei gratiam permittentur, & concedentur, aut concedi possent: Que priuilegia, litteræ, indultæ, libertates, nos cum omnibus suis clausulis & articulis, plenarie & strictius, sicuts hic expressa forent, amplectimur, & confirmamus; Quam quidem nostram confirmationem, & plenum consensum nos facimus, pro nobis, nostris successoribus & heredibus secundum nostrum posse volentes ea perpetuo, & irrefragabiliter obseruari debere, & in nullo modo contra facere, ad honorem & gloriam Omnipotentis Dei, & eius gloriosissimæ Matris Mariæ, specialis Regni nostri Patronæ, & Sanctæ fidei Christianæ manutentionem; & ad bonum, & quietum statum, tam Ecclesiæ, & eius personarum, vt liberius valeant Deo seruire, quam nostrum tranquillitatem. Et si euenirent, quod Deus auertat, quod aliquis, cuiuscumque status, conditionisque sit, prædictos Ecclesiæ Prælatos, Clericos, & eorum bona, & possessiones in eorum priuilegiis, legibus, libertatibus, suribus, & immunitatibus aliquo modo turbare, vel violare voluerit; tunc volumus nos contra similes turbatores nos opponere, iuxta nostram extremam potestatem; & ita, ac taliter nos exhibere ex parte huiusmodi Ecclesiæ, & personarum ac bonorum eius, sicut volumus, vt ipsi, nos, & nostra priuilegia, & libertates, & antiquam consuetudinem, & laudabiles vsus, (si nobis aliquid aduersi contigerit) debeant adiuuare; ad quod fatemur nos vere obligatos esse: ex quo Ecclesia, Prælati, Clericalis status, nobiscum fideliter vsque in præsens, secundum eorum extremum posse adiuuerant, quod Regnum, & nos seculares reduxit sumus ad nostras leges, priuilegia, æquitatem, libertatem, vsum, & voluntatum & nostrarum rerum plenariam possessionem. Et ad horum omnium præmissorum robur & testimonium, securitatem & firmitatem, nostra sigilla apposuimus ad litteras præsentes, quæ datæ sunt in oppido Sudercopensi, diœcesis Lincopensis, Anno Domini M. CCCC. XXXVI. die V. Octobris.

Diploma confirmationis priuilegiorū.

LV. *Admiranda quorundam Suecanorum Prælatorū Leuitas!*

A rerum euentu didicerant, Ecclesiasticos plurimum posse ad conseruandam Regni tranquillitatem; cum ipsi ab iniuria integri, inregtas opes & consilia cōsueuerunt cōferre, pro cōmuni salute. Nouissime istud fecerunt Suecani Prælati, cum Engilberto extincto,

Regni Suedici administrationem ad se traherent, Carolus Canuthus, & Ericus Puche eius æmulus, qui cum Engilberto res magnas & præclaras pro liberanda à tyrannide patria peregerat. Nam cõmisso inter eos prælio Olaus Archiep. Vpsalensis, & Thomas Episcopus Strengenensis, cum nonnullis proceribus, vtriq; parti persuasit, ad concordiam potius deueniendum esse, q̃ propriam patriam ciuili & pernicioso bello cruentare. Emicuit tunc Prælatorum admiranda quædam lenitas; hoc in facinore, quod narrabo. Ericus Puche salutaribus illustrium virorum consiliis acquiescens, arma posuerat, præstitus se ad patriæ salutem, & non ad perniciẽ natum esse. Erant nonnulli sub signis eius militantes, qui omnino dissuadebãt, ne se aduersario tum fideiliter committeret, sed omni ex parte suæ consuleret securitati, antequam inciperet in alterius potestatem deuenire. Horum consilia Ericus, cum esset magno atque imperterrito animo, non multum curans, affirmabat, inter nobiles & illustres viros, non secus atque ex iusto & æquo agi posse. Deinde ad Procerum conuentum in Aroſiam descendens, non solum libere, sed & insolenter quæcumq; in animo habebat, contra Carolum loquebatur. Carolus non omnino ab astutia alienus, clãmum & fœtores in eo loco in quo Comitia agebantur fieri procurauit, quibus excitatis, monuit reliquas negotiorum partes in propinqua arce explicandas. In quam cum peruentum esset, Ericus, liberius quam securius, quę prius dixerat denuo iterauit. Tum Carolus, accepta ex eius verbis occasione, ipsum captiuauit, captiuatumq; & ad Stockholmiam missum capite plecti procurauit. Ex hoc facto, præfati Pontifices, Olaus Vpsalensis, & Thomas Strengenensis, tantum doluerunt se illis comitiis interfuisse, vt numquam postea Sanctum Domini Corpus consecrare auderent; recte existimantes, tm Sacramentum ab illo confici non debere, à quo occasio mortis contra tam illustrem virum (quamuis præterea eorum intentionem) emanauit. Imo neqs amplius, vt Senatui Regni interessent, inducipotuerunt. *Ioannes Magnus lib. 5. Metropol. Vpsalen. & hist. Gothor. lib. 22.*

LVI. *Æneas Syluius abiugen. ad cõponendam inter Anglos & Scotos pacem missus.*

Inter eos B. filecesium in destinandis Legatis præfractos ausus, non intermisit & Pontifex Eugenius suum officium; sed ad componendam inter Anglos & Scotos pacem, Aeneam Syluium, eruditione ac prudentia insignem, qui & ipse Pontifex Maximus ob virtutes suas postea creatus est, nunciũm destinauit. Hic dum maxime negotium iniunctum apud Regem Scotiæ Iacobum ageret, interuenit rebus humanis inuida fortuna, quæ Regem ipsum è medio, execrando cum scelere sustulit. Valtherus Acholiæ Comes, Regis patruus, Robertum nepotem suum, & Robertum Grahamum, summa audacia homines, ad Regi necem inferendam incitauerat. Hi Perthum venientes, vbi Rex apud Prædicatores Sancti Dominici asseclas feras agebat, aulam Regis corrupto custode ingressi, ac adinteriora penetrantes, ad fores vsque thalami Regis peruenerunt, ibique Ioannem quendam aulicum Regium ac familiarem, coniurationisque socium expectare, vti conuenerant statuerunt, per quem apertis foribus irrumperent. Is cum non compareret, & illi fores cubiculi Regii audacissime pulsarent, eosque Vualterus Stratonus cum aperto ostio gladiis accinctos vidisset, proditores exclamans, ab ipsis gladio transuerberatur. Catharina Donglasia primæ nobilitatis adolescentula, cum aspexisset sicarios immaniate naturæ efferatos, gladium in Stratoni vterum abdidisse, ac habitu, oculis, ore, toto denique corporis habitu furorem spirare, magno animo fideque muliebri singulari, Regis angustiis prospectura, ostio pessulum è vestigio obdit, aditumque percussoribus intercludit. Cum autem hi frustra sudarent, vt represso pessulo, furoris furtiuis, seu rabiem potius Regis sanguine explerent, adfuit ille Ioannes in tanti sceleris societatem antea vocatus, & pessulum, Catharina in contrariam partem, viribus, ante clamo e nitente remouit. Illa angustiis pressa, cum nihil in promptu videret, quo aditum ijs, clauso ostio obstrueret, animo præsentissimo ac plusquam virili, brachium tenellum foramini iniecit, quantumque fuit in delicatulo nobilis fœminæ corpore neruorum, perditorum furori coercendo obiecit. Sed quid vis? Cum immanitas irruentium viribus Catharinam vinceret, missella, brachio quod foramini iniectum loco pessuli esse voluerat comminuto cessit; ita tamen vt quorum furorem viribus non poterat reprimere, clamore sublato conabatur retardare. Verum illi ira furoreque ardentes irruerunt, omnibusque qui aditum prohibebant interfectis, aut repressis, Regem trucidarunt, hoc anno 1436. die 21. Februarii. Nihil fuit præ Iacobo Rege, quod natura potuisset effingere, aut ad formam elegantiæ, aut ad maiestatem Regiam aptius. Iustitiam coluit Iacobus Rex arctius aliquando & seuerius quam decuit Regem, qui Pater patriæ & appellari, & esse debuit. Nam ita ad iustitiæ regulam omnia exigere videbatur, vt, tribus reorum millibus tribus annis supplicio propter scelera affectis, iustitiam antiquis iniuriis vindicandis prætexuisse à quibusdam diceretur. Quumquam hæc calumnia potius putarus esse nullo fundamento nixa; cum omnia ex sincero amore iustitiæ profecta viderentur. Cui rei argumento est, quod ea fuerit suauitate naturę natus, vt nullus apud Scotos legatur Princeps, qui pacem aut domi cum suis, aut foris cum exteris libentius iniuerit, vel sanctius coluerit. Prudentia sane tanta, vt propter multa magnaque negotia quæ gessit, exteri Reges vltro fœdera amicitiasque cum illo iunxerint, quarum virtutum aliquã laudem, & si naturæ beneficio consecutus fuerat; tamen maximam partem à disciplinis; quibus in Anglia captiuus diligentissime Regis mandato imbuebatur, hausisse plane existimatus est. Siquidem ita fuit ibi institutus Regis beneuolentia, ac præceptorum diligentia vt quam scientiam melius calluerit, non facile dicerent. Præter humaniorum artium exquisitam eruditionem, etiam Theologiæ ac iurisprudentiæ intimam cognitionem ita animo memoriaque comprehenderat, vt plurimos huius ætatis in hoc genere superarit, nulli pene cesserit. Sed quoniam scelerati homines tamquam noctuæ, tantæ virtutis splendorem non potuerunt sustinere; iustissimo Dei iudicio pœnam reipubl. horribili mortis genere merito dependerunt. Nam cum Regni Proceres, mortem Regis intellexissent, eiusque percussores diligenter perquisitos comprehendissent, diuersos diuersis suppliciis affecerunt. Comitem Acholiæ, quodnecis Regi inferendæ auctor inprimis erat, vehiculo ita alligatum vt erectus omnium oculis exponeretur, ad maiorem ignominiam nudum, nisi qua parte quodam naturæ instinctu verecundiæ consuli debet, per vibem circumuexerunt, ac non multo post capite in terram depresso coronam ex ferro candentem imposuerunt; idque eo consilio, vt illius stultitiam vindicarent, qui Sagæ prædicenti, fore vt corona publice insigniretur, credidit se Regem creatum iri, atque omnes suas cogitationes contulerat, vt sublato Rege, Reipublicæ clauum ipse tractaret. Non animaduerterat miser, Sathanam struere semper homini insidias, vt dum Sagarum verbis tamquam oraculis credunt, in extremam perniciem præcipites abripiantur. Id quod eo dico, vt qui hodie harum mulierum, quas Dæmon Spiritu suo inflammauit, aut verbis, aut consiliis nitantur, perspiciant, quid lateat in splendidis, quas sæpe fundunt vocibus insidiarum ac fraudis: quod non solum hoc exemplo, sed aliis multis ex recenti veterique memoria depromptis potest facile confirmari. Is ipse Valtherus, sequenti die equi caudæ alligatus, vna cum sociis rhedæ impositis, contumeliosissime per vibem tractus est. tertio die per tabulam longe lateque, quantum membrorum compago patiebatur, extento, venter & viuenti, & videnti dilectus est medius

Iacobi pra lara dotes.

Parricida condigno supplicio affecti.

Iacob. Rex Scotiæ à sicariis in aula sua interfectus.

dius, intestina accoreruta in rogum coniecta, caput amputatum, ac corpus in quattuor partes sectum: quarum singulæ, ad singulas Regni partes, vt tanti Principis exquisita pœna, aliorum immanitas facilius coercetur, missæ, præacuto oblongoque palo (vt mos apud Scotos obtinuit) publice præfixæ sunt. Comitis nepoti, qui non tam malitia, quam auunculi sui consilio illud scelus admisisse creditus est, corpus in quattuor partes, post gulam laqueo fractam, discerptum est. Roberto Grahamo, manus qua Regem crudeliter percusserat, tam arcte patibulo astricta fuit, vt sanguis inde exprimeretur; reliquæ corporis partes, quæ læsæ mortem præsentem non afferebant, forcipibus ignitis eo artificio à tortoribus carpebantur, vt quoties supplicium admouerent, toties grauissimo dolore inusto, carnis partem diuellerent; tandem corpore in quattuor partes dissecto, mors lenta spiritum præclusit misero. Alij, qui eadem se sceleris societate obstinxerant, iusto quisque supplicio tam barbarici furoris pœnas, Deo, patriæque persoluerunt. Aeneas ille Syluius Pontificis Eugenii nuncius, cum tantum scelus à facinorosis crudeliter admissum, & sceleris vindictam à proceribus iustissime sumptam vidisset, fertur dixisse: se dubitare, maiorine laude eos qui Regis mortem vindicarunt afficere, an acriori sententia eos, qui tam indigno se parricidio contaminarunt, configere deberet. *Lesleus lib. 7. Hector Boethius lib. 17. de rebus Scoorum*, addit, Aeneam Syluium, id, propter quod in Scotiam ab Eugenio missus fuerat, impetrauisse. Habebat enim in animo Pontifex, composita in orbe Christiano pace, bellum in Saracenos transferre. Visa fuere Iacobo regnante prodigia aliquot. Suem, Perthi, fœtus capitibus canum produxisse: bouem, vitulum equino capite peperisse. Cometa præterea autumno ante eius mortem apparuit. Ensis quoque vago ancipitiq; discursu per aera ferri conspectus, non minori metu homines quam admiratione affecit. Iacobus Rex sepultus est ad Carthusianos, quibus ipse in suburbio Perthensi monasterium inchoauerat, templo iam perfecto. Iacobus eius filius, sextum iam annum agens, in Ecclesia Monasterij S. Crucis Edinburgensis, Regio honore & diademate decoratus, Regnum suscepit, tribus Regni Ordinib. eius assumptionem probantibus, excipientibus que plausu lætissimo.

Prodigia aliquot regnante Iacobo visa.

LVII. *Eug. curauit Renatum Duc. Bar. custodiã Burgũdica eximi & ad Reg. Neap. vindicandum emiti.*

Curauit præterea Eugenius Pontifex, datis litteris, & missis nunciis, vt Rhenatus Dux Barensis, custodia Burgundica eximeretur, & ad Regnum Neapolitanum, siue iure, siue armis vindicandum emitteretur: quandoquidem is, (vt S. Antonius tit. 22 cap. 11. §. 2. testatur) Bullas Apostolicas prius obtinuerit in Concilio Pisano; & quod maius est, in Concilio Constantiensi concessionis sibi ab Ecclesia factæ diplomata, de dicto Regno. Venit is hoc anno, iam liber, ad Philippum Burgundiæ Ducem apud Insulam agentem. Cum eo pariter venit Carolus Dux Borbonien sis sororius Philippi, cum Cancellario Gallico, aliaque multa nobilitate magnifice à Philippo accepta. Hic Renatus omnem agrum ac ditionem Casletanam pro sua redemptione Philippo cessit: magnam deinde pecuniam intra certum tempus illi pendere promisit ac nonnullas arces pignoris loco dedit. Sicque filios suos, quos Philippus habebat obsides recepit.

LVIII. *Miscellanea.*

Quo tempore in Belgio istud prope miraculum accidit. Discordia, Sluisæ, inter ciues & mercatores exorta, cum propterea nonnulli ciuium capti, securique percussi essent, Egidius Iurdanus hoc modo euasit. Velatus oculos, dum flexis genibus expectaret ictum lictoris, repente è cœlo factum tonitruum, lictorem aliosque omnes attonitos reddidit: ad fugitque nemine vidente Iurdanus, atque è vestigio peregre profectus est Vuilsenacum ad sacri sanguinis Christi memoriam. Hoc miraculi loco habitum, quo anno mortua est Catharina Regina Angliæ filia Caroli sexti Gallorum Regis, vidua Henrici Quinti Regis Angliæ, quæ defuncto Rege Henrico, è furtiuo concubitu duos genuit filios, Edmundum Comitem Richemundiæ, & Gasparem Comitem Penbruchij, ex Ouino vestiario suo, iuuene quidem formoso sed plebeio, Therici Tiderij cauponis cereuisarij in oppido Vuallíæ Sulcypa filio notho, Huic Ouino Catharina postea nupsit, vt legitimos faceret liberos. Sed Ouinus consilio Procerũ securi percussus interiit. Edmundus Richemondius maior Catharinæ filius, ducta vxore ex domo Lancastriæ Margarita vnica filia Ioannis Comitis Sommerseti, Henricum VII. sustulit. qui quod auiam haberet Catharinam Gallicam, auxilio Gallorum factus Rex Angliæ, vtrambo stemmata coniungerentur, tollereturque discordia disceptantium de iure coronæ, consensu omnium duxit vxorem ex domo Eboracensi, Elisabetham maximam natu filiam & hæredem Regis Eduardi sexti; quæ postea genuit Henricum VIII. qui Eduardum filium reliquit breui tempore regnaturum: & illud monstrum naturæ nouam Isabellam, sanguine martyrum rubentem, non mirum vt sit, si à tali sanguine, talis Megæra prodierit. Quo etiam anno 1436. Lutetiam Parisiorum, Galli recuperarunt mense Aprili, quam cum Petrus Maugerius Cononicus Beatæ Mariæ Parisiensis, atque Iacobus Roselius, & Milo Dessaulx Aduocati, Dominica Palmarum, quando populus intentus esset sacræ Religioni, Anglis prodere conarentur, detecto dolo, comprehensi, Canonicus carceri mancipatus, duobus alijs ceruices cæsæ. *Mezerus lib. 16. Annal. Flandr.*

Eodem anno, Philippus Dux Burgundiæ Petro Luzelburgẽsi, diuinos honores procurabat, apud Basileenses. Eas quas adscripsi litteras, illis scripsit.

§ LIX. *Epistol. Duc. Burgund. missa concilio super facto S. Petri de Lutzelburgo.*

Reuerendissimis, reuerendisque in Christo patribus, cæterisque Christi fidelibus en sacro generali concil. Basileen. in Spiritu sancto legitime congregatis, amicis meis præclarissimis, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ, Comes Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Namurci vester amicus. Reuerendissimi reuerendique patres, cæteri quoque Christi fidelesin Spiritu sancto congregati amici præclarissimi. Iam horæ est, & nunc tempus idoneum venit, vt negotium diu desideratum super canonizatione & eleuatione dignæ per secula memoriæ Domini Petri de Lutzemburgo sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ quondam Cardinalis meique consanguinei, ad extremam manum, & operam fiduciæ vestræ intendendum, deducatur. Hoc etenim variis in Conciliis generalibus, ecclesiæ temporibus retroactis fuit inceptum: Sed quibus medijs vel modis ignoro, vel interruptum vel alias quomodolibet imperfectum semper remansit, & ita remansurum (quod absit) existimo, nisi diuina super hoc prouidentia, vestros in idipsum animos excitans, prouideat, quæ vobis (vt arbitror) tantum decus & laudis titulum specialiter reseruauit, quemadmodum ea sacro Constantien. Concilio fuit (vt audiui) olim reseruata canonizatio quorundam sanctorum apud Saymitas tunc temporis interemtorum, & aliorum similium memorabilium factorum in quibusdam aliis Conciliis generalibus, sic enim Deus huiusmodi Concilia celebrantibus, sua (prout vult) secreta reuelat, distribuit & reseruat. Quid vestro cœtui ô veri pugiles veræque bases ecclesiæ plus honoris & gloriæ accedere possit, quam ad canonizationem, & eleuationem prædictam procedere & eum quem suis ex meritis gloriosis, & tot miraculis velut inauditis, quibus quotidie coruscat, aliorum Christi Confessorum collegio constanter aggregare, ac cum his palam, & publice adorandum eleuare, ipsisque in Cathologo sanctorum inscribendis, ad perpetuam eius laudem & memoriam apponere? Quas obres V. P. R. amicitias præclarissimas obnixe deprecor & hortor quatenus oculum interioris intelligentiæ ad præmissorum considerationem erigentes, placeat ea pro Dei & sui confessoris (cuius res agitur) reuerentia & honore quo videri is oportere, modo prosequi, & tractare, vt quo studiosius eo in facto, quod maximopere cordi habeo, processeritis, eo peramplius Deo placituri, gratum sibi obsequium impendatis. Reuerend. simi reuerendique patres, & cæteri supradicti amici præclarissimi, Spiritus sanctus, sub quo Duce vestro multis ab annis in vi-

vnea Dominit laboratis, vestri laboris faciat finem votiuum & felicem. Ex villa mea Bruxellen. die penultima Ianuarij. ext. tom 4. Concil.

Superius mentionem fecimus, Eugenium Pontificem, Basilicam S. Pauli Monachis Benedictinis attribuisse; quod S. Antoninus affirmat. Iacobus Canacius Patauinus monachus congregationis S. Iustinæ, qui de rebus eius congregationis scripsit, eriam instauratorem monasterii Eugenium, necdum tamen Pontificem facit, his verbis.

LX. *Basilica S. Pauli cum Monaster. procurante Eug. de multa Patauio Monachorum Colonia pristino decori restituta.*

Romę inter insignes Basilicas ea numeratur, quam via Hostiensi Conſtãtinus magnus dicauit Paulo Apostolo. Hãc olim Monachi Benedictini Cluniacẽſes acceperant: sed sublata eorum vbique disciplina, mox diuturna Pontificum apud Anenionem absentia, templum male curatum possum fuerat; tectum corruerat, imbres lacunam fecerant, & ruderum acerui ex propinquis ruinis pro ripis stabant. Ipsum immensæ molis templum minimam sui partem sacrificiorum & orationum vsui præstabat; cætera in coquinas peregrinorum, & in stabula armentorum diuerterant. Aliquando cum ibi sacra res ageretur, peregrinus quidam vili centunalo ac prolixa barba templum subiit, & diu contemplatus ligneum simulachrum Pauli Apostoli exertum gladium sustinentis exclamauit; *O Paule, ô stulte barbare, cur ensem sustines, en quale tuum templum, qualis de eo cura. Tuper plagas, sicne pœnas de his qui te ac tua negligunt.* His dictis templo egreditur, nec vsquam reperiri est. Inter eos qui sacris intererant Angelotus Tuscus Romanus, Pontificis familiaris (postea etiam Cardinalis) adeo territus est peregrini verbis, vt extemplo equum conscenderit, atque de vniuersis Pontificem admonuerit. Ingentis spiritus, & maxime vera ea verba sibi dicta arbitratus Pontifex, ingemuit destitutum hactenus templum, atque id reparare quamprimum statuit. Proximo Consistorio postquam Cardinalibus peregrini Zelum, & minas adiectas enarrauit, templum etiam ac Cœnobium iacere non sine dedecore Apostolicæ sollicitudinis, & ipsorum Cardinalium existimationis, doluit. Inter cæteros aptissimum censere se, Gabrielem Condelmerium Cardinalem, & cupere id eum libenter subire; Gabriel vtrisque reparationem iubens suscepit. Non abs re fuerit scribere, quæ idem Cardinalis referre solebat, postque adeptus Pontificatum Eugenii IV. nomen assumpsit. Aiebat. Cum adolescens Romam venisset, & vrbis Eccl-sias frequentaret, maximam sibi mœstitiam excitasse B filicam S. Pauli; neque enim alia erat magis deserta, ac ruinis oppleta. Horrebat ex aspectu cœnobii, quod detractis laquearibus & fatiscentibus mœnis, indignas calamitates referebat. Claustrum speciem aliquam exhibebat religiosæ domus, cuius tamen cellæ etiam in vsum porcorum cesserant. Torquebatur animus pii adolescentis, & in speciem quandam solatii ad demulcendam mœrem imaginabatur quomodo monasterium disponendum foret, si aliquando Monachis redderetur. Superius ambulacrum in cellulas XL. partiebatur; inferius concipiebat officinas incolis necessarias, ne contingeret euagari: ac demum iuuenili cura vaticinabatur opus senile. Neque longa temporis intercapedo, & varia tot annis Gabrielis fortuna, animo exemerant, quæ adolescens conceperat. Primum arbitratus, templi & cœnobii salutem pendere ab incolarum dignitate, Ludouicum Abbatem Sanct. Iustinæ rogauit, vt eo quam primum Monachos mitteret. Venetus vterque, & ex eadem congregatione S. Georgii prodierant, maxima etiam necessitudine coniuncti. Abbati visum est, & Cardinali optime de se merito posse satisfacere, & Congregationi cum decus, tum auxilium Romæ adiicere. Monachos XVI præmisit, & ipse cum duobus sequutus, maxima omnium gratulatione, & ipsius Cardinalis lætitia exceptus est. Rex sub aduentum ipsius reflorere; & Cardinalis in reparationẽ ædificiorum proprium ęs profundere, aç pretiosam etiam supellectilem oppignorare. Quicquid adoleuerat cogitauerat, breui construxit; Ecclesiamque sancti Pauli deducta Patauio Monachorum colonia pristino decori restituit. *I. Canacius historicorum Cœnobij Sanct. Iustinæ lib. 5.*

Eodem anno, in cœnobio Castrensi Prouinciæ Aragoniæ, Ord. Prædicatorum, diem clausit extremum P. Michael Pages Dominicanus totius sanctitatis exẽplar, cuius miracula tot extitisse memorant, vt fere non potuerint numerari. *Franciscus Diagus lib. 2. hist. Prouinc. Aragon. c. 95.*

LXI. *Obitus Michaelis Pages Dominic.*

Hac etiam tempestate vixisse, & magna cum sanctitatis laude Ecclesiis præfuisse, aliquot Episcopos in Germania, Nider narrabat,

LXII. *Diuersi in Germania Episcopi magna cum sanctitatis laude ecclesiis suis præfuerunt.*

Viuit, *inquit*, Reuerendus Pater & Dominus, Dominus Fridericus de Vffias, de Franconia Orientali, genitus nobili ex genere, qui dudum factus Bambergensis Ecclesiæ Canonicus & sacerdos, ita mundi oblectamenta spreuit omnia, vt sua domus à minus deuotis clericis risu vocaretur recluforium. Vacante deinde ibidem sede Cathedrali, satis præter multorum intentionem primariam, à con-Canonicis electus est; quamquam in discordia. Factus Episcopus mores sanctos retinuit priores, quantum statum sunm decuit. Nam in habitu humilis, in affatu gratiosus, in conscientia mundus; manus, contra multorum in Germaniæ partibus Episcoporũ morem, excussit ab omni Simoniaco munere. Nullum voluit habere, vt alii Alemaniæ Episcopi, suffraganeum, ad sacerdotalem vsum pertinentem. Non consecrasset; nisi prius ad terram procidens Sacramentali confessionis antidoto se expurgasset. Pauperibus pius, mediocris diuitibus, & bonis religiosis misericordissimus extitit. Nescio, an ei aliquid in spiritualibus defuerit. In temporalium tamen regimine grauabatur anima innocentis nimium. Vnde accidit, vt laboraret viribus, quatenus Episcopatui cederet. In Curia illud petiit, & obtinuit: Sicque modo prouisus ab eadem Ecclesia, vitam ducit per omnia clericalem. *Bambergensis.*

Fuit etiam in Wormaciensi diœcesi Episcopus Eckardus nomine, sacris literis eruditus, mundum tantopere fugiens, vt in oppido Landenburgensi, in quo multis annis sederat, vt à fide dignis audiui ciuibus, paucos esse conciues, qui Episcopi personam, extra suum palatium, vel extra Ecclesiam infra anni spaciuna vidissent. Solebat hic etiam, vt in sua curia Simonia vitaretur, ordines conferre sacros, etiam minores in persona propria. *Wormatiensis.*

Vixit præterea in humanis nuper satis meo tempore, sanctæ memoriæ (vt dicere audeo) Reuerendus Dominus Sebastianus Tridentinæ Ecclesiæ Præsul, qui in minoribus constitutus, in vniuersitatis Viennensis studio, & alibi vbique, omnium bonorum virorum iudicio, vitam sanctam tenuit. Erat nobilis genere, in literarum studio diligens, & speciali gratia contemplationis diuinæ prædictus: cuius rei gratia, vt iuxta pedes Christi sedere valeret cum Maria, quotidie horam elegit aliquam ad vacandum otio contemplationis. Hic postremo, se inuitissimo electus est in Episcopum dictæ Ecclesiæ: cuius electionem refutauit constantissimè; sciens, quod eadem Ecclesia, & pene omnes Ecclesiæ in Theutonia, adeo pressæ sunt spinis & mole curarum temporalium, & negotiorum huius seculi, vt quidam eas tegentes, non sicut olim procuratores pauperum & animarum pastores, sed esse videantur Capitanei militum, & pauperum negligtores. Finaliter persuasus à Iurisperitis onus pastoralis curæ semi-inuitus accepit. Hi enim viro timoratæ conscientiæ dixerunt; prout hæc & sequentia ab Abbate Mulbrunensi Domino Ioanne didici, qui in seculo existens, collega extitit & Notarius dicti Domini. Dicebant namque; *Ecce Domine, Ecclesia hæc, quantum collapsa sit in spiritualibus & temporalibus ipse nostis: de vestra probitate nemo ambi-* *Tridentin.*

git; cunctis est gratus, consanguinei potentibus armatus, & electus satis concorditer. Quamobrem si electioni resignauerit Ecclesiæ, cui alunde ad bonum obligamini, dilapidationis eam periculo in rebus & moribus exponetis; & forte sis intercedentibus armatis precibus, in sortem cedet spurio, vel alicui apostatico clerico. Vnde nisi electioni vestræ acquieueritis, reatum mortalis criminis non poteritis euadere. Hoc vltimo velut diuino motus sigillo, & velut diuino quodã mucrone percussus, confirmationem electionis, & Ecclesiæ suscepit regimen. Adiolare autem cœpit viro, vt est solitum, cognatorum multitudo nobilium, sine quibus modo, vt dicitur, non possunt regi propter tyrannos Cathedrales Ecclesiæ. Cœpit hæc turba, quæ secundum Senecam, solum prædam sequitur, copiis se velle replere terrenis; & ex aduerso, si quibus obligabatur in pecuniis Ecclesia, debita postulare. Et quia in thesauro Ecclesiæ solum erant, *nemo, & nihil*: stimulabant consanguinei Episcopum, vt redditus aliquos Ecclesiæ, aut perpetuo venderet, aut impignoraret saltem. Tunc primum vir cõtemplationi assuetus, propriam inchoauit miseriam deplorare, & dicere consanguineis, Spiritu, vt puto, propheticо: *Vasa pretiosa, & clenodia, quæ ad meam personam attinent, vendite, & Ecclesiæ damna, quæ potestis resarcite, quibus exhaustis, me scitote, nec obolum Ecclesiæ, vt petistis velle alienare, spero autem in patrem misericordiarum Deum, quod me infra anni præsentis spatium, per vitæ huius terminum, ab hac miseria liberabit.* Dixit, & factum est diuino nutu, vt prædixit. Nam in omni quam habuit cura diœcesis, ad horam quotidie contemplationi studuit, & in anni spatio diem clausit extremum, cum vitæ sanctimonia celebri. *Nider, lib. 2. cap. 6.*

Treuirensis. Æqualis horum Otto Treuerensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Hic, vt à suo Cancellario Magistro Tydmaro, decretorum valde deuoto Doctore audiui, & ab aliis fide dignis percepi, diuino, vt creditur, nutu electus in prætiulem dictæ Ecclesiæ, tam plenam virtutibus duxit vitam, vt non de Theutonia Episcopus, sed plus videretur esse Monachus. Nam corpus ieiuniis & vestimentorum duritia atterebat, & animum infra rerum temporalium extremum strepitum, ad contemplationem vitam erigebat. Latera sua tam in rebus Ecclesiasticis quam secularibus, talibus munuit viris litteratis & religiosis, qui noscere possent, quid reddendum esset Deo, & quid Cæsari. In propria persona, cum exercitu non modico, fide bona plenus, & in expensis grauibus Bohemiam intrauit; & quantum sua interfuit, pestem hæreticam ibidem extirpare conatus est. Pro qua causa, nisi Apostolicæ sedis porhibuisset authoritas, bona quædam fortunæ suæ Ecclesiæ libens vendidisset. Et quia Zelus domus Domini vitum illum comedere non desiit, quando vidit suos Canonicos, & sacerdotes collapsos à gradu suæ institutionis, monasteriaque deformata vbilibet: idcirco operam dare cœpit sanctæ reformationi, quam in se dudum antea stricte assumpserat. quam quidem in pauciſſima loca introducere valuit; sed in nullũ Collegium secularium Clericorum. Maligno enim instigante spiritu, & vitiorum turma, tam in monasticis, quam in secularibus viris renitente, muri destructæ Hierusalem reædificari non poterant, & opus Dei demeritis hominum exigentibus interceptum est; non vt olim à mæchanicis, sed à malis Clericis & monachis. Qua in re, hi qui minus debuerant, videlicet literis sacris imbuti, & Deo dedicati, amplius quam seculares restiterunt reformationi. Quo viso, vir sanctus ingemuit, & cum Beato Ambrosio, de Cleri duritia tactus dolore cordis lamẽtari cœpit, & mori, ac cum Christo esse optare, voceq; prophetica, quadã die, diuina, vt creditur, reuelatione præditus publice prædicere, & sui incolatus absolutionem adesse in breui, & deinde rebellem Clerum ac populum vltione diuina graui mulctandum. *Vos*, aiebat, *me benignum præcedentem sequi noluistis; venient tempora in quibus neglectum supplere cupietis; & pra calamitate id non perficietis. Ego autem interim tollar de medio, & dormiam cum patribus meis.* Dixit, & per ordinem actum est, vt prædixit. Nam paulo post, licet ætas virilis non exigeret, tamen diuino beneficio, vt reor; & ne oculi sanctæ hominis viderent mala, tam inclementia ægrotare cœpit, & sumptis deuotissime Ecclesiasticis sacramentis, feliciter ad Deum migrauit. Post cuius occasum in electione noui Pontificis diuisio nõ modica suborta est. Nam pene omnes elegerunt vnum, qui vitæ Dei in reformatione plurimum, vt dicitur restiterat, quatenus aliorũ beneuolentiam captaret. Pauciſſimi alium præstulerunt armis munitum theatralibus, & mundana fretum amicitia; qui de facto, non de iure priori resistendo, permittente diuino iudicio, eum penitus ab iure electionis desistere coegit. Dedit proinde Dominus Apostolicus, & confirmauit in Treuerensem Præsulẽ, Spirensem prius Episcopum, virum secularieriam consanguinitate potentem; cui is, qui prius electum à cœpto desistere compulit, pari modo, & longe acrius restitit. Exinde hi sibi mutuo resistentes primum via iuris, deinde materialibus armis, demum vtroque sibi tam immaniter restiterũt vtrimque; vt ipsa diœcesis imo Metropolis, sex circiter annis & vltra, interdicta grauissima, excõmunicationes acerbissimas, prædas, incẽdia, cædes hominum, & bella patiatur continua. Desolantur propterea Ecclesiæ, & monasteria, adeo vt plurimi congatur exulare alibi; quidam ex rerum temporalium carentia; alii vero ex Sacramentorum, quam habere cogantur, abstinentia. *Nider lib. 2. c. 2.*

ANNO CHRISTI 1437.

Eugenii Papæ IV. anno 7.
Sigismundi Imp. Rom. anno 5.

ANnus iam tertius transierat, ex quo Ioannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus, Demetrio propinquo suo legationis principe, tres Oratores Basileam miserat; qui de cogendis in Concilium Græcis ac Latinis Patribus, certis conditionibus transigerent, & Constantinopolim, quo conuenire placeret, ederent: aut si Basileensibus magis liberet, vt Imperator ac Patriarcha cũ sacro ac profano cœtu è Græcia traiiceret; illud renerent, vt opportuna vtrique nationi prouincia, & locus deligeretur: in primis vero Basileenses viaticum præberent; nec non in præsidia classemque tuendo aduersus Turcam Orientali Imperio, quoad Imperator abesset, stipendia persoluerent. Aliquanto post altera iam missa legatione, vti certus tandem locus Concilio statueretur, placuerat Basileensibus; vt si Imperator Palæologus, Basileam, quo eum per internuntios enixe inuitabant, minus probaret; Auinionem conueniri: Græcis quidem propter nauigationem; Latinis vero propter situm; ipsis autem Basileensibus propter Caroli Regis Galliarum, qui his contra Eugenium fauebat, præsentiam, oppidum peropportunum. Porro si quo casu Auinio non placeret, decretum est aliquo in Sabaudiæ Subalpina regione concedere. Re tantum non affecta, cum nihil ferme negatum Græcis esset, animo Eugenius angebatur; quod intelligeret sibi omnimodam necessitatem Imponi, eo se conferre, quo Palæologus inclinasset. Ex tribus propositis locis, nullum sibi tutum videbat. Basileam, hostes conuenerant. Auinionem se conijcere; erat in fauces Gallicas, sub Rege sibi iniquiore, adeoque in summum discrimen sese præcipitare. Gebennam, Lausannã, aut aliquam Sabaudi principis ciuitatem petere! Illud vero Pontificarum sibi sponte detrahere, & ante tempus Amedeum sedi Apostolicæ intrudere fuerat. Ergo, qua ratione suam ac

Legatus ab Eug. ad Palæolog. Imperatorem stitutur vt quid animi haberet scisceretur & eũ à Basilee ensi auerteret.

Pontificatus maiestatem, in tantis angustiis fuereturꝰ dum in medium consuleret, ab omnibus prope Christianis Principibus destitutus, destitutusque, ad Nicolaum Aretinum, quo pridem arduis in negotiis fido interprete & aditore vsus fuerat respexit, eiusque sententiam inquisiuit. Decreuerunt communi consilio, vt ipse primo quoque tempore Ioannem Palæologum Ferrariam acciret; cui si locus Concilii placuisset, sine mora illud eo indiceret. Sibi curæ fore, ad Pontificiam legationem ea hortamenta additurum, vt sine dubio Palæologus nullum de loco tanquam tutissimo verbum sit facturus. Ad hæc placuit pecuniam in Græciam portari, vt si conditionem acciperet, serio sese agere intelligeret; secus atque Basileenses fecissent, qui argenti expectatione ipsum tamdiu frustrati fuissent. Quo autem instituram profectioꝛ ē maturaret, ne interim æmuli; aut maiore pecuniæ summa eum ad se pellicerent, aut rem aliter distraherent, quinque in Græciam longas naues; quæ Imperatorem, Patriarcham, & reliquos venturos ad Concilium, miserunt. Postremo Legatus est decretus Christophorus Garetonius Pontificis scriba totius rei arbiter, & Constantinopoli non ignotus, qui deinde Coronæorum, (id oppidum est Poloponnesi) Pontifex fuit, idemque munus ante obiuerat; vt quid animi haberet Palæologus scisciteretur, eumque à Patribus Basileensibus auerteret. Is Garetonius ad Imperatorem Græcum introductus, meditatam domi orationem in hanc sententiam habuisse dicitur.

II. *Oratio Garetonii Pōt. legati ad Imp. Constantinop.*

Si quando spes fuit, Imperator Auguste, Græcos atque Latinos homines in vnam de Religione sententiam consensuros; id nunc maxime sperandum, vel potius pro certo habendum videtur, cum tam cupidos, & idoneos istius fœderis auctores, Eugenium summum Pontificem, & te Cæsarem dies ipsa vtrisque suppeditauit. Nam quemadmodum perpauci maiorum tuorum vitæ instituto tibi conferantur; quibus nihil pensi fuit, quæ inre Ecclesia inter se discordent cognoscere, & pro viribus adiuuare, vt errore abducti in viam redirent, vel quod essent animo inquieto, aut nullis doctrinæ præceptis instructi, vel quia facile suorum sermonibus aures præberent, vel nimio tandem patriæ sedis desiderio; ita Eugenius non discessit à consiliis superiorum Pontificum, huic negotio, adeo cum numinis gloria, & Christianæ Reipublicæ salute coniuncto, toto conatu incumbentium, quippe cui dolor est videre, Ecclesiam Orientis, & ipsam Christi sanguine fundatam, à matrice omnium Ecclesiarum distinctam, tyrannidi dæmonis, eiusque emissariorum expositam, hinc crassissimis errorum tenebris magis ac magis demergi, hinc Turcarum infestissimis armis opprimi. Animaduerit autem ac latatur oblatam sibi beneficio diuino confessionis facultatem, Te, cuius virtute diuina res in Oriente consistit, non minus in Theologorum libris, quam sacra historia versato; vt neque à Tuorum assentatione, neque à nostrorum obliquis artibus quidquam sit pertimescendum. Ergo cum de profectione transmarina cogites atque deliberes, tuamque vnius manum exposcant antiqua vulnera, quibus ex intestinis discordiis, non sine Othomani commentis, fuique præcipue hostis ingenti decore, confecti sumus; haud equidem veretur, ne non ad præclarum opus te accingas, & tecum sententis, omnesque suas opes ad amplitudinem tuam collaturi Pontificis congressum, certorum hominum, toti iam annos nonnisi vni hæresi, vnius tantum Bohemæ nationis extinguendæ, non modo frustra, sed nec etiam sine Christianæ communionis offensione, animorumque periculo vacantium, & noto schismatis viam, cum maximo Christiani nominis probro aperientium, colloquis anteponas; quippe qui etiam non publicæ, aut Græcorem, sed priuatæ vtilitatis gratia istum aduentum speculantur: Sed vt tuo desiderio paribus votis respondeat, vtque de nonnullis rebus paterne præmoneat, ad Tuam maiestatem me destinauit: maxime cum non ignores, vitæ mortalium, solam Religionem, ac Principum dignitatem imperare; quæ si misceantur, magnam rerum omnium mutationem sequi necesse est. Semina veteris dissidii Græcos inter & Latinos, iussit tibi exponere Eugenius. Duobus, vti credibile est, è fontibus totius controuersiæ origo olim manauit. Leonem III. Augustum illum qui sanctis, eorumque imaginibus sacratis bellum nefarium intulerat, mali initium esse arbitror: quem quod Gregorius III. Romanus Pontifex, propter asebiam cœtu piorum eiecisset: ille ab Occidentali Ecclesia abrumpens, Græcorum quoque Ecclesiam ab vnitate ouilis subtraxit; vel tum maxime, cum is quem dixi Gregorius, Italiam ab eo auertisset. Distracto eum in modum, ex hac occasione, Romano Imperio, cum Stephanus II. Romanus item Pontifex, nihil sibi præsidii in Constantino Quinto tum imperante esse cernens, ad Carolum Francorum Regem mox in occidente Augustum confugisset; ac postea dignitate Imperij ad Germanos translata, horum quoque Proceribus, Gregorij Quinti decreto ius creandi Imperatoris tributum esset; eam Regni partitionem consequuta est animorum dissensio, & Religio simplex atque aperta, eodemque vbique cultu, diuexari postmodum, distrahique cœpit. Altera accessit causa, ob varios & multiplices priscorum Patrum ad sacra volumina Commentarios. Etsi enim illi diuino afflati Spiritu, nulla in re paulo maioris momenti inuicem discreparent; Græci tamen quibus suus Cæsar imperitabat, quosipsi sequerentur Scriptores Latinis multo minus celebres visi sunt. Nec semel exulcerati vtrinque animi leniebantur, quod Hieronymum, Augustinum, & Ambrosium viros grauissimos, & ad Christi tempora propius accedentes, vetustas & singularis eruditio magnopere commendarent; præsertim vbi Latini in Scholis exercitati, ex Aristotelicis libris de natura & moribus ad prauas opiniones confutandas arma sumerent, contra quam solerent Græci Platoni addicti. Hæc semina alendis simultatibus nunc penitus sublata esse constat. Etenim Eugenius, cum Te filium sedis Romanæ inprimis charum vindicemque, cuius Germanorum parem non dissimulat: tum causam suam ac tuorum vti per est complectitur, fouetque: & quo estis magis hospites, eo magis existimationem vestram illibatam se præstiturum pollicetur. Præterea, siquidem Sacrosancta hæc Synodus cogatur, Te in Concilio sedente, quod votis & spe haud dubia concepit, Græcos Theologos, ac cæteros eiusmodi Scriptores Sacrorum Patrum decretis receptos Latinis exæquat, iubetque communibus auspiciis veram Christianæ Reipublicæ quietem procurari. Nec omnia modo cessat difficultas si Pontifici te des, vt quæ sit fas impetrare iam pene effecta habeas; sed etiam amicitiam & fœdus offert, quo Religionis semel constitutæ sinceritatem conseruare, teque & Græcorum Imperium tueri queas. Nam præter Romanæ sedis opes, præsto erunt Venetæ regnis tuis finitimæ & opportunissimæ. Quod si discessuri sunt, prout non poterunt toto tua necessitatis tempore simul remanere Basileenses; quo te vertes? Vnde auxilium petes? Quin cum æmulatio Turcarum causa inter Pannonas, & huic Regiæ subiectas nationes vigeat, item & inter Principes ob communicatam cum Germanis augustam potestatem; periculum est, ne quando insigne aliquod malum exoriatur Sigismundo, qui cœtui præsidet, Pannoniæ Rege, eodemque Cæsare; idcirco facile contingat, vti Maiestas tua aliquæ ex parte minuatur, aut Orientalium Patrum in congressibus duriores sint partes: quia dubium non est Latinos numero longe superiores futuros: Eugenio minor frequentia æquis fere suffragiis rem conficiet. Imo quæ est Pontificis prudentia, & in Græcos amor, ausim spondere, si forte nostri multis partibus exuperant, aliter concordiæ rationem posse iniri. Hæc atque alia maiora grati sincerique ipsius animi testimonia expectes licet: quippe nihil habet antiquius Ecclesiarum coniunctione. Ideoque adeo operam dat, vt consensu vtriusque partis lis dirimatur ad eum modum, ne non spes sit quod semel placuerit, omnibus probatum iri. Quod si secus cadat, ille coniuentium inanem insigni cum suo detrimento habuerit: Basileenses vero, apud quos auctore Sigismundo respectus potissimum est habitus ad regnum Bohemicum, & pro se quisque priuati studio commodi Pontificiam auctoritatem imminutam concupiuit, tametsi Graci re infecta abeant, quicquid statuatur haud sane in magno ponant discrimine. nempe satis fuerit Orientis sacerdotes ad se pertraxisse; eoque pacto conciliabulum suum constabilisse atque illustrasse, eaue facultatem Eugenio ademisse. Inde licet colligere, quam ambitiosus, quam non rite ac more maiorum coactus sit ille cœtus. Ad id non leue vitium accedit, quod Pontifex &

purpurati Romani Patres à Basileensibus dissentiunt; professenturque se reiecta illius ac prædamnata coitionis acta omnia rescissuros. Quod aperte indicat, nullum decretum ratum esse posse, cum spectet ad vnum Pontificem, non minus Concilium indicere, quam approbare. Hæc cum ita se habeant, sentis opinor Auguste, istos nihil aliud moliri, quam vt te administro sibi prosint, publica maiestati & vtilitati obsint. Restat, quando optime prospicis, Pontificis quam illorum amicitiam rationibus tuis magis conducere, intelligas quoque Ferrariam Auenioni præferendam esse, quo animus videbatur inclinare. Locus enim hic, & idoneus queritur, & tutus. Quod attinet ad primum; non ignoras vitatis Africæ pyratis Græciæ oram legenti sinum Adriaticum occurrere; inde Padi ostia breuissimo interuallo peti. De cætero, quid dubites, hinc Senatui Veneto omni officiorum genere tibi coniunctissimo quasi latus tegente, illinc Pontificis fidem obstringentis suam Regno sepiente. Ad hæc Nicolaus Aretinus, qui regionem pacatissimam obtinet, & iampridem multo maximam est auctoritatem consequutus, salutem in se tuam recipit, vt Ferrariæ æque tutus sis atque Constantinopoli. Et quoniam Princeps factis & genere perpetuo quadam serie supra multas ætates repetita clarissimus dignus est, cui fidem habeas, hæc de re verbum non faciam, quod existimem cognationem etiam te agnoscere. Siquidem proauus tuus matrem habuit Violantidem Bonifacii filiam Guilelmo Montiferati Marchione III. oriundam. Hæc Isabellam procreauit Azoni eius nominis quarto in matrimonium datam; Azoni inquam, vnde Velfunes, & Henrici primum Bauariæ, deinde Saxoniæ Duces, & Cæsarum parentes profluxerunt. ex Isabella quinto gradu originem trahit Nicolaus: qui cum hac de re alias & nunc copiose perscripserit, frustra de ipsius in te obseruantia, & vestra omnium promissa incolumitate commemorem: tantum illud addam, accipiendum pro felici omine Ferrariam, quod spectat ad cæli inclinationem, æqualem ferme Constantinopoli tractum sortitam, vnamque Italicarum vrbium egregios litterarum Græcarum Magistros alere, vndique studiosorum multitudine confluente. Verum quod pluris est, vt appareat nos serio agere, viatici partem ego affero, maiorem pecuniæ vim propediem habiturus; & si iubeas, paulo post adsim cum nauibus, vt trajicias: quæ Basileenses, tot annos istiusmodi societatem aucupati nequiquam effecerunt. quin pecunia in causa fuit, ne quid interim deceneretur, siue illa vera, seu ne tibi commodarent, extitit ficta inopia. ad extremum, promissum nescio quid, quod propter diuturnam moram interpositam, metuendum est, ne nuda scriptura contineatur, re vera numquam præstetur. Hæc Auguste Pontificem socium tibi proponunt, sedem vero tractandu rebus Ferrariam. Hoc nimirum tempus est, cum vtrique vestrum, qua de re inter Ecclesiæ parem conueniat, minime ignaro, & firma coniunctionis auidissimo futurum tandem merito putemus, quod adhuc nec oculis, nec spe vsurpare licuit. Hoc tempore, hoc rerum statu, non est quod Graci timeant iudicij iniquitatem, Imperij, doctrinæque ergo. hanc tu occasionem Constantinopoli sese ostentantem, eximia vir prudentia, & Christianorum omnium ac popularium vere studiosus arripe, amplectere. Ad tam præclarum facinus inuitat vocatque, non publica modo & priuata causa, sed certissima etiam immortalis gloriæ spes ac Græcorum nomini proposita præmia.

III. *Palæolog. Imp. se cū Eug. futurū & vrbē Ferrariam pro loco Conc. sibi probari respondit.*

Garetonii oratione permotus Ioannes Palæologus, se vero potius cum Eugenio, quam cum Basileensibus futurum esse respondit, vrbemque Ferrariam sibi maxime probari, tum propter mutuam inter se atque Aretinum beneuolentiam, tum quod locus omnibus Græcis foret gratissimus. Non hæc latuerunt Basileenses, qui continuo omnia Ferrariæ agenda constituendaue, quasi in conuentu minus recte coacto irrita atque inania fore pronunciabant, atque Pontificem conarguebant, quod loco inter Venetias, vnde ipse originem duceret, & fines Pontificios delecto priuatæ tantum saluti consuluisse visus fuerit. Et quia Nicolaus Aretinus præsiderat, id quod postea contigit, contrariis vtriusque partis studiis facile accidere posse, vt nouo prodito Pontifice, Eugenius abdicaretur, atque ipse ab subrogato interdicto notaretur; maxime quod Basileenses ea de re aliisque multa ad eum scripserant, probantes, minus recte ac legitime cœtum illum ab Eugenio indici posse; haud dubia affirmatione fore, vt ille omnino dignitate exueretur: hæc Aretinus animaduersione digna in memoriam Eugenio reuocauit: quæquissimam per se causam foueri ab eo, & Pontificem iustis comitiis creatum, Christique Vicarium defendi docuit: ac præterea recepit se curante promptas paratasque ad ipsius tutelam fore super Pontificias Venetorum opes, idque quod pertineret ad Rhodiginam terrarchiam, magno ei emolumento futurum.

Significauerat Garetonius, idemque affirmabat Hector Pascalicus, qui cum aliquot longis nauibus è Græcia reuerterat, Ioannem Imperatorem, quod initio deliberasset, Ferrariam certo certius esse venturum, qua de re factus certior Eugenius, XIII. Kalend. Octobr. publico decreto, Ferrariam, Concilium indixit, causasque expressit grauissimas, in diplomate quod adscribo.

IV. *Copia bullæ translationis Concil. Basileen. ad Ciuitat. Ferrarien. per Eug. edita.*

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Doctoris gentium admoniti saluberrima suauissimaq; doctrina, hortantis vt solicitissimus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, ad ea maxime intendimus aciem mentis nostræ, & indefessa solicitudine, cura, & cogitatione, conatus omnes intendimus per quæ in corpore mystico, sancta scilicet ecclesia, perpetua charitas & pax inuiolata perduret: ac si qua membra dissentiant, ea corpori commodè reinseruantur suo, vt dum per Spiritus sancti gratiam, qui est patris & filii amor, atque connexio, membra omnia sub Christo capite, vnum in ecclesia corpus efficiamur, vnica etiam per vnitatem Spirituum in Christo societas simus, & pax quæ est perfectæ vnitatis vinculum, syncera charitate & concordia animorum coniunctione seruetur, omnesque discordiæ & scissuræ fomites, penitus extinguantur. Sane dudum in minoribus constituti, diuisionem Orientalis & Occidentalis ecclesiæ, quippe ex qua mala innumera & Christianæ religionis detrimenta prouenire videbamus, ferentes egerrime semper molestissime, agentesque pro viribus nostris, vt tolleretur, institimus multum in Constantiens. Concilio primum, tum etiam apud fel. record. Martinum Papam quintum prædecessorem nostrum: satisque laborauimus vt sublato pariete de medio, vtriusque ecclesia vnio proueniat. Vbi vero ad Apostolatus apicem assumpti, honestissimo huic, & pro desiderio nostro debitum ex iniuncto nobis desuper curæ pastorialis officio accessisse conspeximus, eam rem ardenti animo, & tota alacritate suscepimus, ac primum quidem adierunt per nostrum, studium, & diligentiam Oratores charissimi in Christo filii Ioannis Græcorum Imperatoris, & venerabilis fratris Ioseph Constantinopolitani Patriarchæ. Tum vero missu è vestigio Constantinopolim nuncios nostros, habitoq; tractatu diligenti, id tandem communi consensu omnium placuit, vt ex antiquo instituto pro celeriore, ac felicieri executione tanta rei Legatus de latere cum prælatis & Theologis ac Doctoribus tam dignæ materiæ tractandæ necessariis, Constantinopolim à nobis mitteretur. In cuius quoq; conclusionem Imperator Trapezuntius, & Armenius Patriarcha, & alii quamplures pari voto consenserunt. Nec dum ad nos huiusmodi deliberationis conclusiones peruenerant cum alium longe diuersum vnionis modum in Basileensi Concilio iam decreto firmatum, missus ab ipso Concilio orator, vt approbaretur requisiuit à nobis. Displicuit quidem iam tunc, quod sedi Apostolicæ minus deferre videretur & de re tam ardua & graui tot mensibus agitata, contra honestas & antiquæ consuetudinis normas, nihil antea nobis per ipsum Concilium fuisset nunciatum. Audito tamen prædictæ vnionis, simulque veriti ne si dissensio vlla intercederet, optatissima nobis rei ruptura sequeretur, licet deliberationem aliam longe diuersam, & multo expeditiorem, ex Constantinopoli in dies verisimiliter affuturam expectaremus, sicuti & est factum

postea. Conclusioni ipsius Concilii præbuimus assensum. Subsequuti Græcorum Oratores, cum instantissime postularent ea capitula à nobis confirmari, in quibus Imperator & Patriarcha prafati cum Oratore nostro convenerant; exhortati à nobis sunt, & attentius admoniti, ne conclusionum varietatem egre ferrent, neue diffiderent auspice Deo prospere & pro votis successura omnia: nobis gratam esse viam omnem per quam ea res, tam sancta, tam necessaria, optatum effectum esset habitura, neque opem & operam nostram vllo vnquam tempore defuturam, missi postmodum ab ipso Concilio, nuncii ad ipsos Imperatorem, & Patriarcham, vt decretum illud ratificarent, postularunt. Comperto autem ex Oratore nostro, nos decreto illi consensisse, & ipsi consensum dederint, alias, vt profitebantur, illud nulla ratione facturi. Litteris itaque peractis, eiusdem vnionis desiderio nos magis ac magis incensi, de venerabilium fratrum nostrorum sancta Romana Ecclesia Cardinalium consensu, ac assensu, dilectos filios nostros & Apostolica sedis Legatos, Basileam misimus, eis inter cetera facultatem dantes, ea omnia, & singula tractandi & agendi, quæ memoratæ vnioni, quomodolibet profutura viderentur. Instituerunt illi, vt locus eligeretur nobis & Græcis commodus, quò ad optatum vnionis finem mature posset perueniri, ac licet ob difficultates plurimas quas gignebant quorundam motus, & conpugnantia voluntatum, parum spei de conficiendo dicta vnionis negotio tribueretur nobis, expectauimus tamen, neque à spe & intentione nostra omnino decidimus; quousque nonnullos ex ipso Concilio ad eam nominationem loci processisse cognouimus, quam iustis & rationabilibus causis gratam habere, neque potuimus, neque vllo rationibus possumus. Ciuitatem enim nostram Auenionensem, in decreto non nominatam, non comprehensam, & à Græcis ipsis expresse & sæpenumero repudiatam; nobis etiam irrequisitis, quantum in se fuit elegerunt: non satis aduertentes quantum ea res importet in se mali, quantum vero & ipsi vnioni afferat detrimenti; contra Concilij decretum; Græcorum instantiam, contra denique pium nostrum desiderium tanta facilitate præsumpta. Est quippe locus iste parum nobis commodus, & prouincijs multis ac regnis, regibusque & Principibus non modo ingratus, verum etiam ex situ ipso suo non satis tutus. Quibus ex rebus illa loci nominatio nullo pacto fuit admittenda: cui nisi authore Domino obuiassemus vt ex certis authoritatibus, & grauibus de ipso Concilio viris certiores facti sumus, nihil actum esset de ecclesiastica pace, & optatissima illa vnione. Denique ex Græcorum Oratoribus quorum alter ad nos, alter ad Basileen. Concilium profectus est, mandatis paribus in scriptis vtrobique traditis, cunctis palam fuit ipsos Imperatorem & Patriarcham, nequaquam accessuros. Quæstus est graviter Orator ipse quod ad eum auocaretur locum qui esset remotissimus, & prater nauigationis longinquæ pericula, mare ipsum piratis quoque infestum esse, ac per id cæteris suspectum, in primis sibi & illis esse suspectissimum: Protestans nisi conditiones in decreto appositæ seruarentur, locusque vt præfertur eligeretur idoneus, ecclesiæ Latinorum imputandum fore, quod optata tantoque studio & labore quæsita vnio non sequeretur. His omnibus intenta meditatione, & diligenti deliberatione pensatis, prouidendum omnino visum est, ne Græci à proposito itinere desisterent. Ea ferme fuit omnium sententia, non modo vnionem ipsam, nisi aliter prouideretur, non sequuturam, verum in ipsa quoque occidentali ecclesia, nouitates noxias, & scandala plura emersura necessario. Nos itaque tanto constricti articulo, tam variis casibus, tam multis omni ex parte aperientibus se periculis, pro viribus occurrere cupientes, de prædictorum venerabilium fratrum nostrorum consilio & assensu, venerabili fratri Ioanni Archiepiscopo Tarentinensi, ad ipsum sacrum Basileense Concil. destinato, dilecto filio Ioanni tit. sancti Petri ad Vincula, & Iuliano tit. S. Sabinæ S. R. ecclesiæ Cardinalibus Apostolicis Legatis, ac ipsi Archiepiscopo per litteras nostras commissimus & mandauimus, vt per passionem Iesu Christi, ac ad euitandas omnes dissensionum materias, exhortarentur venerabiles fratres & dilectos filios in ipso Concilio existentes, vellent ob laudem & reuerentiam Dei ac Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, & per aspersionem sui sacratissimi sanguinis, pro pace, & felici tanterum rerum consummatione locum eligere pro huiusmodi transferendo Concilio, qui gratus esset Græcis & nobis aptus, atque accessu facilis, disceptationibus, ac dissensionibus omnibus sublatis de medio, ambulantes in rectitudine, & simplicitate cordis iuxta in Deo omnes cogitationes suas, ac de Deo confidentes, in suis conciliis charitatis legibus obsequerentur, quæ iuxta Apostol. non irritatur, non cogitat malum, non querit quæ sua sunt, non gaudet super iniquitate, sed è contra patiens, & benigna est: Debere eos qui ecclesiæ Dei negotiis tractandis insisterent, superiores esse mundo, non quæ sua sunt quærere, sed quæ Iesu Christi: nullam cuiusvis loci electionem debere esse impedimento, quo minus tam salutaris rei subsequatur effectus. Ista nos & his similia pro affectione nostra ipsis in Concilio existentibus tranquille proponenda mandauimus. Iniunximus præterea legatis ipsis ac præsidentibus nostris, vt nihil omitterent ex his quæ ad hunc finem conducere posse vllo ratione viderentur. Requirerent, hortarentur, orarent, omnes & singulos regum & Principum, Prælatorumque oratores, procuratores ibi præsentes, vicinosque ibidem Prælatos & principes, sibi vt socij accederent, secumque hortarentur omnes ad locum ipsum aptum concorditer eligendum. Tentarent denique omnia, per quæ ad optatum tanta rei effectum pacifice peruenirí posset. Nec tunc quidem tam pia, tam sancta, adeoque salutaria tam modeste postulantes, auditi sunt: quia possus spretis adhortationibus nostris, animosis Ciuitatis electionem ipso iure nullam, decretare tentarunt, Legatis & præsidentibus nostris, & alijs prælatis plurimis, & grauibus religiosisque personis renitentibus, atque in nouam loci alterius electionem procedendum esse decernentibus. Cum vero sedandi tumultus causa ad id tandem deuentum extitit, approbantibus cunctis, vt secunda darentur indicia, ea conditione, vt nisi intra præscriptum, & præstitutum diem Auenionenses promissas pecunias numeratas persoluissent, integrum iam esset ac liberum & debitum, concilio locum alium eligere. Cum vero intra conductum terminum pecunias illi nequaquam exsoluissent, legati ac præsidentes prædicti, aliique ex Prælatis plurimi, & omnes ferme Regum Principumque Oratores, procuratores, prælatorum, Theologique & Doctores, habendam rationem honoris & dignitatis occidentalis ecclesiæ, ea studiose feruando quæ Græcis fuerunt promissa; censentes, ecclesiasticaque pacis ac vnionis cupientissimi, & saniorem ipsius consilij partem facientes, ad quos etiam esset ius eligendi deuolutum, cum partem aliam nihilominus ante sæpe requisissent, vt ad alterius loci electionem intenderent, alioquin protestantes, se ista amplius, sine graui offensa Dei, & ipsius ecclesiæ insigni nota, dissimulare non posse. Postquam autem minime exauditi erant, ad electionem loci, Florentia scilicet aut Vtini, siue alterius cuiuslibet in decreto comprehensi, qui galeas & necessaria alia maturius præstet, canonice legitimeque processerunt, prout ex decreto inde confecto clarius constat. Eam electionem memorati Imperatoris & Patriarchæ Oratores, vt consequenda vnioni summe necessariam, gratissimi amplexi sunt: profectique inde ad nos, vt electionem huiusmodi admittere & confirmare vellemus, precibus humillimis petierunt, simul nos impensius orantes, atque requirentes, ne hanc rem sacratissimam, desertam esse pateremur, protestati publice in generali consistorio, quod per eos nequaquam staret, si sancta ista vnio non sequeretur. Nos autem omnia attentius considerantes, conspicientesque rem eo deuenisse, vt prædictos Oratores necessario exaudire cogeremur, nec superesse modum alium prosequendi operis tanti, & seruandi Latinæ ecclesiæ honoris, de prædictorum venerabilium fratrum nostrorum consilio & assensu ipsorum periti annuimus, nominationemque facere de Florentia aut Vtino, vel alio ex locis in decreto comprehensis, in alio generali consistorio admisimus, atque confirmauimus. At demum cum ipsis Oratoribus mandatum ad hoc habentibus, nonnulla prius tractatis, conclusis atque firmatis, quæ de memoratorum Imperatoris & Patriarchæ aduentu ad has partes spem nobis indubiam pollicerentur, multis cum laboribus ingentique sumptu operam dedi-

dedimus, vt Galeæ quatuor, & alia mitterentur pro aduentu ipsorum necessaria: sicque largiente Deo factum est. Hæc vbi duxere, qui Auenionē pratulerant, semper pro inordinatis quibus agitantur, affectibus turbati, quæ iuxta beata memoria prædecessoris nostri Leonis primi sententiam, dum priuata causa religionis exercentur obtentu, committitur impietate paucorum, quod vniuersalem eccl siam vulneret, multa ad pertur bandā prædictæ machinati sunt. Nam primum quidem in venerabilem fratrem nostrum Ioannem Archiepiscopum sepranominatum, qui decretum in ea forma miserat ad nos, quæ fuerat in publica sessione promulgatum, nonnulla confingentes irruerunt, omnique præmisso iuris ordine, ipsum postea quam primo secundo ac tertio, ea pro sua iustitia peterat, quæ iure nulli deberent denegari, primum in domo sua sub cautione iurisiurandi detinere conati sunt, deinde deputationem, & congregationem generalem, per Iudices datos suspectis mos, illi interdicere tentauerunt. At postremo contra grauamen virumque se tueri, iure satagentem, suamque iustitiam asserere, sub excommunicationis, priuationum, & inhabilitationum pœnis, in domo propria tumultuario multitudinis impetu detinere, & quodammodo carcerare molti sunt: Grauamen præterea grauamini adiicientes, dilectum filium Arnoldum Rothlinhasem, dicti Archiepiscopi procuratorem pro iustitia illius in congregatione generali, & maiori ecclesia loqui volentem, manibus iniectis percusserunt, ac per capillos ad carcerem trahere conati sunt, adeo violenter atque inhoneste, vt Cardinalis sanctæ Sabinæ legatus antedictus, de violentia illata & de sublata libertate Concilii necessario publice fierit protestatus, per hanc ita illatam violentiam iusto metu constrictus Archiepiscopus ipse, in defensionem sui, quosdam nobiles armatos domi habere compulsus est. Tandem iustissima quadam petitione in generali Congregatione porrecta, cui adiecta erat protestatio, quod nisi in sua iustitia audiretur, & à grauaminibus & oppressionibus, quæ in dies augebantur cessaretur, ipse ob iustum metum, recedere inde cogeretur, & non modo non fuisset admissa petitio ipsa, verum, contra exhibitorem ipsius, vt ad carceres traheretur, esset acclamatum, coactus est, & inuitum sibi Oratoris & præsidentis officium deserere, & aduentui sibi sequæ decentibus dilectis filijs nobilibus viris Wilhelmo Marchione de Rotholen, & Rodulpho de Romesthein & alijs plerisque illorum nobilibus à prædicto Concilio omnino discedere. Nos obmittimus alia plura grauamina, vt cursores nostros primum, tum dilectum filium priorem Furnensem ordinis Præmonstratensis ad nos speciliter missum, in itinere cum litteris intercepros, pecuniisque cum alijs bonis nudauerunt, vt ex nostris sit nemo, qui sine iusto metu, vel inire, vel inde redire possit. Quantum generali Concilio ista conueniant, cunctis ratione vtentibus liquet. In secunda Ephesina synodo perniciosissima illa quæsidam Apostolica sedis Legatos violatos legimus, quod acquiescere subscriptioni nefariæ noluerunt. Verum, hæc insonora non sunt, sed obmittimus, referre quidem piget, ob ecclesiæ matris iniuriam atque iacturam, sed dicendum tamen est, illi ipsi qui pertractandis ecclesiæ negotijs, pro pace & vnitate in ecclesia Catholica seruanda, pro reformatione vtili & honesta inducenda se conuenisse profitentur, quique sextum iam Annum in huiusmodi tractatibus semmo cum fructu exegerunt, cum vniuersis Christianis orbis esset prædicta sanctissima illius vnionis, quasi iam imminentis expectatione sospensus, ex qua dici non potest, quantum lætorij spiri humanis rebus & religioni Christiane accederet, eos ad euersionem potius tam pii operis confusionemque Christiani nominis, & vniuersalis ecclesiæ scissuram, & totius religionis excidium moliri manifeste deprehenduntur. Et quid mirum si in Oratores nostros sæuiant, qui in nos quoque adeo effrenate feruntur? pretensum quippe quoddam monitorium, siue (vt appellant ipsi) citatorium, conuiciis, contumelijs, atque iniurijs plenum aduersus nos, & in grauamen venerabilium fratrum nostrorum sacræ Roman. ecclesiæ Cardinalium, conflare ausi sunt; nouo plane exemplo, & quod vtinam fieret, cum Ioannes, & Iulianus Cardinales prædicti sedis Apostolicæ legati variis modis obsisterent, & validissimis, & grauissimis verissimisque rationibus improbitatem facti conarguerent, demonstrarentque aperti documentis, id charitati, bono publico, pací ecclesiæ, iustitiæ, sacrisque canonibus ita aduersari, vt ipse abhorrerent illic adesse, vbi de tali tractaretur monitorio, auditi non sunt; & cum instanter orarent, & expresse postularent, vt à re tam monstruosa desisterent, conscientiasque exonerando suas, excusarent coram Deo & hominibus innocentiam suam, quod monitorium illud pro viribus, & supra vires impugnarent, plurima quæ ex illo sequi potuerint scandala & mala memorantes, maximaque instantia vtentes, veluti ex protestationibus suis publice & solenniter factis apertissime constat: tantis tamen, tam pijs, tam iustis postulationibus furor ille non cessit. Cum vero memorati Ioannes & Iulianus Legati, octo primo, deinde tritum dierum inducias peterent, infra quos rationes in scriptis redigerent, quibus, cur nullo modo ad dictum prætensum monitorium seu citatorium esset procedendum, euidentissime demonstrarent, non solum non auditi sunt, verum contra ipsius ordinationes Concilii eadem die & generalis congregatio & sessio, repente ac præcipitanter est habita, quod nunquam antea vel in minimis priuatisque negocijs fuerat factum. Inita sane pretensa præcipitata sessione, & si prælatos sub pœna præstiti iuramenti cogere & pene volenter attrahere conaretur; legati tamen ipsi & plures ex Oratoribus regum & Principum, prælatique plurimi, iustitiæ potius & veritati deferentes, quam illorum cedentes comminationibus, nullæ ratione huic tam inhonestæ ac monstruosæ rei interesse passi sunt, sed magis ac magis insiterunt, vt à dicto monitorio abstinerent, nihil innouari debere identidem aperte protestantes. His profecto legatorum nostrorum rationibus, iustissimisque petitionibus ac protestationibus necessarijs assensissent, nisi pauci ex primoribus, quos sequitur inferiorum turba, partim ambitionis corrupti peste, partim potentium quorundam secularium, seu furori obsequentes, seu delinitis obsequijs, seu minis atque terroribus adacti, sub reformationis speciosa nomine sese duces atque authores harum nouitatum prabuissent. In qua nos imminentes iam Concilii œcumenici, siquid aduersus nos conciperent, omnino distulissent. Ea vero cum comperisset clarissimus in Christo filius noster Sigismundus Roman. Imperator obstupuit: præcipitemque sententiam schismatis metu, quod sublatum laboribus plurimis, istis inferre tentarent vehementer exhorruit; Ac protinus per venerabilem fratrem Petrum Augustanensem Episcopum oratorem suum ad præfatum Concilium destinatum, vt abstinerent ab huiusmodi nouitatibus & scandalis, omni instantia requisiuit: & si quid aduersum nos promulgassent, reuocarent. Quod quidem (vt ex certissimis nunciis accepimus) facere omnino neglexerunt; Et quid mirum, si illi minus obtemperent honesta postulanti contra SS. Canonum statuta, qui excusso de sub iugo diuini timoris collo, tam libere quam licenter eant in pastorem Pontificem suum? quorum conatibus nisi oportunis prouideatur, rem hanc sanctæ vnionis Orientalis, & Occidentalis ecclesiæ, ex qua diebus nostris propagari Christianitatis terminos speramus & sub cuius spe, & expectatione Christianorum multitudo ab infidelibus oppressa respirat, intercipi, & desitui, ecclesiaque reformationem, & pacem Christiani populi, quam iam annis sex mundus præstolatur, in deformationem potius interstimmque bellum conuerti. Quis adeo rationis ac iudicij ignarus est, quin videat, quin intelligat? Suborientur vt timendum est insuper alia incommodu & mala necessario scandalaque, & diuisiones non modo in re ecclesiastica, verum quoque in regnis, principatibus, Dominijsque temporalibus pullulabunt, ex infausto hoc germine, quæ sine maxima Dei offensa nos amplius dissimulare, nemo sanæmentis ignorat. Cum igitur ad huiusmodi pericula, scandala, & detrimenta ab vniuersali ecclesia & populo Christiano sicuti ex debito astringimur pastoralis officij, propulsanda, & ne longius serpant, arcenda: nihil aque expediens occurrat, quam si in vnum conueniamus omnes charitatis, pacis & concordia vinculo adstricti, & semotis priuatis affectionibus, ad memoratæ vnionis ecclesiæ vtriusque sanctorumque reliquorum operum prosequutionem, quorum gratia Concilium Basilen. ab initio fuerat institutum studia, & vota nostra conuertamus: omnibus itaque & singulis quæ supra digesta sunt, & alijs

insti-

iustis & rationabilibus causis adhuc animum nostrum promouentibus, atque eo inprimis, quia factum sine consideratione iustitiæ, & contra omnem canonum disciplinam, ratum habere nulla permittit ratio: Et quia dissensionis scandalum non auferret Basileensis Synodus, sed illi, qui in illa se Duces & principes nouarum rerum faciunt, potius augerent; hæ inquam omnibus accurata meditatione pensatis, quorum gratia, neque nobis, neque nostris tutum aut liberum sit in eo Concilio, quod subdirio est, & quasi tyrannide quadam amulorum nostrorum redactum, quidquam proponere aut retractare: habitaque super his omnibus & singulis cum venerabilibus fratribus nostris matura deliberatione, de ipsorum omnium communi consilio & assensu, plurimisque etiam adhibitis venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis electis Abbatibus aliisque prælatis in curia nostra existentibus, id idem considerantibus atque laudantibus, volentes tam perniciosis & imminentibus scandalorum, turbationum & confusionum periculis in Dei ecclesia, vt præmittitur obuiare, si & in quantum supradicti in ipso Basileens. concilio existentes, in obstinato proposito suo perseuerent, vigore vel occasione dicti prætensi monitorii, vel citatorii in aliquo procedendo, aut aliquam aliam nouitatem contra nos vel venerabiles fratres nostros S. Rom. ecclesiæ Cardinales, vel præsidentes & oratores nostros, qui in dicto Concilio fuerint, vel aliquam ex eis in posterum inferendo, vel etiam à die datæ præfati asserti monitorii forsitan factam continuando, quouis modo seruando, tenore præsentium authoritate Apostolica, & ex certa scientia ac ex plenitudine potestatis, ciuitatem Ferrarien sem, quam etiam pro futuro œcumenico Concilio ex nunc assumimus, ex nunc, prout ex tunc, pro loco transferendi dicti Concilii nominamus, assignamus, & etiam deputamus: Locum quidem gratum græcis, rebus gerendis vtilem, idoneum & accommodum, omnibus Regibus, Prælatis, & Principibus tutum & liberum, in decreto Græcorum comprehensum, & pro quo omnia Græcis promissa, expedita, & peracta sunt: ad eundemque locum præfatum Basileen. Concilium, ad omnes & singulos effectus inchoatos & inchoandos, & pro eisdem causis, pro quibus fuerat Basileæ congregatum, consilio, assensu, authoritate & potestate similibus; ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc transferimus, ac translatum fuisse & esse declaramus: Causa Bohemorum quoad articulum communionis sub vtraque specie, quem solum articulum volumus in dicta Ciuitate Basilien. infra 30. dies continuari posse, duntaxat excepta; quos etiam Bohemos si pro ea causa ad dictam Ciuitatem Ferrarien. & Concilium sic translatum eis magis venire placuerit, in eum casum benigne suscipiemus, tractabimusque cum omni humilitate & charitate possibili, & ab aliis tractari faciemus. Hanc autem translationem in quantum prædicti Basileæ existentes non resipuerint, vt præmittitur, locum habere intelligimus & declaramus ante ipsorum Græcorum aduentum. Ipsis autem Græcis venientibus, & in dictum locum Ferrariæ pro œcumenico Cõcilio celebrando, vt certi reddimur, consentientibus ex nunc pro ex tunc, & ex tunc pro ex nunc ipsum Basileen. Concilium ad præfatam Ciuitatem Ferrariensem, pure, libere, & simpliciter transferimus, & decernimus inchoandum. In quo etiam sic translato, talia authore Deo proponere, & agere intendimus, ex quibus nostram innocentiam orbis totus agnoscere poterit, & quæ sunt aduersus nos, quorundam maleuolentia, & malignitate conficta, falsa, & omni veritatis fundamento destituta intelligere, ac nostram bonam voluntatem ad ea pro quibus dictum Basileen. Concil. vt præmittitur, fuerat congregatum, euidentius poterit intueri: Decernentes ac etiam declarantes omnem aliam declarationem, electionem, vel translationem, quauis authoritate, & quocumque prætextu factam vel aliam in posterum faciendam, præter quam authoritate nostra, de qua constet per autenticas litteras nostras super hoc conficiendas nullius esse, prout est, roboris vel momenti. Mandantes insuper, & præcipientes venerabilibus fratribus, & dilectis filiis sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, & aliis qui de iure & antiqua consuetudine, & generalibus Conciliis interesse tenentur, quatenus ad præfatum Concilium vt præmittitur, translatum, se transferant, ad ea tractanda & peragenda, quæ ad Dei laudem gloriam, sanctorumque operum profectum, pro quibus ipsum Basilen. Concil. fuerat congregatum, necessaria, & vtilia videbuntur, signanter in materia Bohemorum, si quid fortasse in ea re staret agendum; & specialiter ad materiam vnionis Orientalis, & Occidentalis ecclesiæ, vt prædictum est quoniam, quanta possumus industria & diligentia ad felicem vsque exitum prosequi intendimus, quos omnes & singulos ad omnia & singula præmissa ex nunc citamus, requirimus & monemus, securitatemque, & saluum conductum omnibus & singulis, prout in aliis nostris litteris inde confectis latius continentur, damus & concedimus etiam per præsentes. Insuper authoritate, potestate, consilio & assensu prædictis, sub excommunicationis, priuationum dignitatum, beneficiorum, & officiorũ, ac inhabilitationis ad ea, pœnis quas contra facientes incurrere volumus ipso facto, aduersus quas pœnas restitui rehabilitariue præterquam à nobis non possint: Sed nec ab excommunicatione absolui, nisi in mortis articulo constituti: Districtius inhibemus, ne in præfata Basileæ Ciuitate, aut alibi quam Ferrariensi supra dicta deinceps, (vt supra præmittitur) Concilium aut aliquis conciliaris actus teneatur, seu aliquod officium ad ea subordinatum de cætero exerceatur; neque etiam aliquis in dicta Basileens. Ciuitate remanere præterquam ad artic. Bohemorum, vt dictum est, & ad alium locum quam Ferrariæ sub nomine aut prætextu Concilii accedere audeat. Decernentes etiam irritum & inane, aut nullius roboris vel momenti, si secus quauis authoritate, etiam sub nomine, authoritate Concilii, præterquam nostra, de qua per litteras, vt præmittitur, super hac conficiendas constet: à quibus communiter, vel diuisim cuiuscunque status, gradus, præeminentiæ & conditionis existant, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopalique dignitate præfulgeant, scienter vel ignoranter forsitan contigerit attentari, ordinationibus, statutis, constitutionibus, decretis, declarationibus, quauis authoritate, etiam sub nomine generalis concilii facta & aliis in contrarium facientibus, etiam si talia forent, de quibus esset habenda etiam de verbo ad verbum mentio specialis, quibus omnibus authoritate, potestatis plenitudine, consilio & assensu similibus, ex præmissis necessariis & vrgentibus causis prædictis, derogamus, ac derogatum esse, authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus. Cæterisque in contrarium quomodolibet facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ assumptionis, nominationis, assignationis, translationis, declarationis, voluntatis, constitutionis, mandati, præcepti, citationis, requisitionis, monitionis, datationis, inhibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Apostolorum, Petri & Pauli se nouerit incursurum. Datum Bononiæ. Anno incarnationis Dominicæ 1437. XIV. Calend. Octobr. Pontificatus nostri anno VII.

ADIVTOR ET PROTECTOR meus es tu Domine, ne derelinquas me Deus meus

S. Petrus. S. Paulus.

EVGENIVS PAPA IV.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi

Ego Iordanus Episcopus Sabinensis subscripsi.
Ego Branda Episcopus Portuensis subscrip.
Ego Antonius tit. S. Marcelli Presb. Card. supscrip.
Nicolaus tit. S. Crucis Presb. Card. subscrip.
Ego F. tit. S. Clementis Presb. Card. subscrip.
Ego A. tit. S. Marci. Presb. Card. subscrip.
Ego Prosper tit. S. Georgii ad vellus aureum diac. Card. subscrip.
Ego Dominicus S. Mariæ in via lata diac. Cardin. subscrip.

Vlta pro translatione Concilij Basileensis Ferrariam edicebat Pontifex Eugenius; virtute decreti, Basileæ, hoc anno ad VII. diem Maij, ex communi Patrum, Oratorum Regum & Principum, ac inprimis de consensu nunciorũ Imperatoris & Patriarchæ Constantinopolitanorum facti, quo eligebatur Florentia, vel Vtinum Concilio transferendo.

Istud decretum Pontifex, Bononiæ die XXIX. Maij confirmauit; die aũt 22. Iunij, tribus suis præsidentibus Basileæ Legatis, illud sibi placere perscripsit, nonnullaque ad Concilii translationem spectantia admonuit. At Basileenses in arcum prauum conuersi, ea quæ Eugenius in edicto publico deplorabat: tam in præsidentem, quam in reliquos eius nuncios, nec non postea in ipsum admiserunt: tum proprio furore exæcati, tum ab hostibus Eugenij inflammati. Primus ex his fuit Alfonsus Rex Aragonum, Regni Neapolitani cupiditate in præceps actus. Eius inprimis consiliorum rationem, satis diserte explicuit, Surita, Regni Aragoniæ Chronographus; ex quo ista producere visum.

V. *Alphonsi reg. in Eugen. ira & Consilia.*

Sciuit Alfonsus, Genuenses, cum Florentinis & Venetis, Eugenio fœderatis societatem iniisse: eosque plurimum sibi in consequendo Neapolitano Regno, obesse. Itaque pace cum Ioanne Rege Castellæ nuper facta, conatus est illum in eos armare; prætextu, quod id ad vnitatem & concordiam Ecclesiæ procurandam maxime conduceret, reuera autem vt illos Eugenio detraheret. Recusauit Ioannes arma in eos sumere, quod id in conditionibus fœderis minime pactum esset; quin potius contra fœdera foret: quibus Rex Galliarum vna cum sociis pro patte sua excipiebatur: Genuenses autem in patrocinio illius Regis censerentur. Si porro etiam Rex Galliarum, ac Prælati Regnorum suorum id aut permitterent, aut decernerent, vt in Genuenses moueret: se vero nulla posse eis, cum quib. perpetuam societatem conseruaret, ratione incommodare: potius curaturum modos excogitare, quibus Ecclesiæ pax & concordia conciliari posset. Frustratus hoc consilio Alfonsus, aliud tentauit. Cum iam Oratores, Nicolaum Archiepiscopum Panormitanum, Episc. Catanien sem, Ludouicum Romanum, Ioannem Polomarium, & F. Bernardum Serram Eleemosynarium suum, Basileam, qui Concilio contra Eugenium adhærerent destinasset, eosque etiam ire iussisset. Cardinalem Tarraconensem, Episcopos Valentinũ, Barchinonensem, & Vicensem; misit in Hispanias Berengarium Dolmesium, Regni Maioricarum Gubernatorem, qui Episcopos & Prælatos Regnorum suorum, vt se Basileam conferrent, compelleret; atque eos qui ire recusarent, omnibus temporalibus bonis & reditib. exueret. Idem ipsum Regi Nauarræo frater, & Reginæ vxori Administratoribus Regnorum Valentiæ, Cataloniæ & Aragoniæ iniunxit: videri tamen voluit, neutri parti fauere, neque viam schismati aperire. Si quæ enim id temporis Ecclesiæ vacassent; personas electas, & ad Eugenium, & Basileam simul pro confirmatione remittebat: & tum Eugenio, tum Basileensibus inclinabat. Enimuero ad Eugenium Oratorem misit Martinum Veram, qui ius fiduciarium Regni Neapolitani ab eo peteret, & pro annis quidem elapsis, CC. M. aureorum censum Pontifici repræsentaret: in posterum vero, quem voluisset Pontifex stabiliret, offerretq; ac præterea promitteret, quod Alfonsus, bona Ecclesiæ Romanæ, quæ hactenus occupauerat, sedi Apostolicæ restitueret; Terracina, præsidiarios deduceret, eamq; arbitrio Pontificis permitteret; CCC. equites, in sex menses annuos, pro recuperandis rebus Ecclesiæ, stipendijs suis aleret; Picenum, de Francisco Sforcia reciperet, Eugenioque redderet; Prælatos Regnorum suorum quos Roma, & è Curia euocauerat, si qui adhuc eo subsistitissent, indidem manere, Curiamq; sequi, nõ obstante quouis edicto tolleret; Reges, Castellæ, Nauarræ, & Lusitaniæ Eugenio fauentes foceret; & ne quid à Rege Galliarum occasione Renati ad Regnum aspirantis aduersi Pontifex pateretur, tractatum concordiæ quem inter se ac Renatum Eugenius tentauerat, Regi Lusitaniæ, & Duci Burgundiæ submitteret, eosq; arbitros totius causæ deligeret. Hæc & Basileenses sollicitabat, ne inquisitionem & processus iudiciarios contra Eugenium inchoatos intermitterẽt; ne locum Concilij mutarent; ne Florentiam, ne Auinionẽ, neue Vtinum sese transferrent; quod si Basileam relinquere cogerentur, Papiam, vel aliquam aliã Ducis Mediolanensis vrbem decernerent; ac præterea Ioanni Patriarchæ Alexandrino, Pontificis in Regno Neapolitano Legato præciperent; qui vrbes, castra, arces & oppida hactenus pro Eugenio & Romana sede occupata, sibi restitueret, arma deponeret; militẽ deduceret; à conatibus aliis abstineret, adeoque pacificam Regni possessionẽ sibi relinqueret: itum ad extremum illi ipsi, subditos ab iuramentis homagii & fidelitatis, quæ Eugenio Põtifici in manib. Vitellensis præstiterant absoluerent, neue eos de amplius ad eadem Patriarcha inuitaret, aut cõpelleret, sub pœnis & censuris Ecclesiasticis prohiberent. Præter hæc Alfonsus, Basileenses, ad deponendũ Eugenium vrgebat, vt hoc pacto, vel perterrito illi, ius regni, q̃ ipsi dem negauerat, extorqueret, vel si porro constans in negando perseueraret, Pontificia sede eiiceret, & alium qui votis suis faceret satis instrueret. Inter hæc ẽt, arma, & artes in Regno Neapolitano contra Pontificium Legatũ expedicbat, quibus Regnum sibi, inuito Eugenio, & Patriarcha vindicaret. Surita, sagacitatẽ & prudentiam appellabat, varia dissimilaq; tentamẽta Alfonsi, in Regno Neapolitano cõsequẽdo. Huius opes cũ indies crescere Isabella Renati vxor animaduerteret, eumq; è Regni finib. viribus suis arceri posse desperaret, ad Eugeniũ Pontificẽ Legatos opem postulatum misit: cuius periculo permotus ille Ioannem Vitellescum Patriarchã Aquilegiensem, cũ trib. millib. equitum, ac pari peditum numero, ad eam ire imperauit. Isq; Roma in Campanum profectus, Põtianum Ptolemæo Sublacẽsi ademit, Cipereto deinde frustra oppugnato, Lirim Ponte superauit; inde castris motis, ad Venafrum cõsedit. Locus expugnari nõ potuit, Aragoniis armis aliquanto antea initus. Ad Aliphas inde itũ, deditoq; ab Aliphanis oppido, Vulturnoq; traiecto, ad Acerras castra admouit; ex Acerris sexcentis septus equitib. Neapolim ingressus est. Excepit illũ venientẽ Isabella Renati vxor Regali apparatu, triduoque de summa belli cum eo locuta est. Sed quũ parum ambob. conueniret, (quod Patriarcha nomine Pontificis, Isabella nomine Reati summam rei administrari, acquisitaque in bello retinere quisque illo nomine cuperet.) Neapoli digressus in castra rediit; nec ita multo post composito agmine Capuam edequitauit, factaq; hostib. dimicandi copia, vbi Alfonsum, & qui cum eo erant prælio abstinere vidisset, motis repente castris, Auersam decreto petiit. Hic Iacob. Caudola se Vitellio cũ suis iunxit, esq; inox Sarculũ expugnatũ. Conati sunt interea hostes cõmeatum Vitellio intercludere, via q̃ ducit ex Sarculo Beneuẽtum castris proximo loco positis: vbi cum vtrimq; præliũ consertum esset, Ioannes Antonius Vrsinus, Princeps Tarentinus, duos fortiter pugnã cieret; in vinearum angustias coniectus, equo præcipitante, in manus Patriarchæ venit. Gabriel Vrsinus principis frater, eius casu territus, quia victor hostis post captũ Ducẽ castris imminebat, cum magna equitum parte, decumana castrorũ porta in pacatum refugit. Fuit Vitellius Patriarcha in Tarentinum principem multo mitior quam in hostes esse consueuisset, habuitque tam comiter penes se, vt Iacobus Caudola, qui cum principe grauissimas inimicitias exercebat, Vitellio iratus, seorsum castra fecerit; vocatusque à Pontificio duce ad colloquium adire noluerit. Magis vero Caudolam offendit, quod Vitellius eundem principem fere gratuito dimiserit. Alfonsique vires restituerit. Interfuerunt amici, vt illum accepta cautione abire sineret; sibique eum virum beneficio astringeret, quem si allicere in suam amicitiam posset, plurimum esset opibus suis accessurum. Non displicuit Patriarchæ

Arma contra Eug. in Reg. Neap. expedit.

eius rei mentio, seque cum dimissurum sine pretio est pollicitus, modo is ad sese cum quingentis equitib. reuerti vellet, Pontificis stipendia facturus. Eam vero conditionem quamquam ei permolestam & grauem (quando ita necessitas vrgebat) vt se in libertatem vindicaret accepit; ea lege, vt dum is Gabrielem fratrem pro se mitteret, sibi domi liceret permanere. Idque eius factum Alfonsus haud iniquo animo tulit, quamuis cõditionem, eius viri captiuitate, cuius amicitiam fructuosam esse senserat, potiorem ducens. Vitellius inter hæc ab Eugenio quidem Pontifice puniceo pileo donatus, à Caudola autem destitutus; nec Tarentini opibus, quas sibi conciliatas esse crediderat, adiutus, victoriæ cursu facile excidit. Enimuero non modo iam inde nihil prospere gessit, sed obnoxius etiam hosti, cũ Salerni ab Alfonso obsideretur, prope in potestatem illius venerat, nisi ad preces conuersus, pacandiq; Regni studium assimulans, Alfonsum, qui prior antea amicitiam & colloquium expetierat, flexisset, ad inducias duorum mensium sanciendas. Induciæ facte fuerant hac lege; ne arma ad inuicem alter alteri moueret; ne quippiam armis id temporis acquireret; ne diuersæ partis homines in fœdera compelleret; ne aliquid nouaret; quod si qua vrbs quatriduo antequam sibi induciæ denuntiatæ essent, alterutri parti sese dederet, accipienti fraudi ne esset. Factis per hunc modum induciis, Alfonsus prior qui contra faceret fuit. Nam ad Iulianum vicum castris positis, statuerat Puteolos petere, atque accersitis tremibus quas tum Caietæ habebat, id oppidum oppugnare, vt inde commeatuum Neapolim importandorum facultatem adimeret. Auersam quoque voluerat, eodem tempore obsidione ad deditionem compellere: ac præterea quosdam diuersarum partium in sua fœdera coegisse: quibus cognitis Patriarcha, iterum, Iacobo Caudolæ, per Archiepiscopum Beneuentanum, qui tum Renati partibus fauebat reconciliatus, copiis cum eo iunctis, parũ aberat, quin Alfonsum; ipso festo Natiuitatis Domini sacris adsistentem, oppresserit. Lux venientes vtriusq; copias detexit; aliquis etiam è regni Regulis, Iacobus Lagonissa duodecim nunciis per varias partes missis, Alfonsum periculi præmonuit; vt impedimentis relictis, incolumi exercitu, periculum effugerit. *Blondus decad. 3. lib. 7. Surita annal. lib. 14. cap. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. Facius de rebus Alfonsi libr. 5. Sabellicus ennead. 10. libri 3. Summontius libr. 4. Canstantius libr. 17. de rebus Neapolitan. Pigna lib. 6. Collenucius libr. 5. Tom. 4. Concil. edit. Binianæ.*

Inducia bimestres inter legatũ Apost. & Alph. Reg.

VI. *Philippus Mediolan. Dux alter Eug. hostis.*

Non vnus Eugenio hostis fuit Alfonsus. Traxit is secum Ducem Mediolani Philippum, iam pridem Pontificis odio flagrantem. Is cum intellexisset, Basileenses de loco Concilii deligendo deliberare, misit Isidorum Rosatensem, qui in laudem Papiensis vrbis in auditorio publico peroraret; & tum locum aptum esse concilio celebrãdo persuaderet, tum pecuniam ad rem Græcorum necessariam abunde offerret: adeoq; Eugenium in manus suas pertraheret. Cum autem Isidorus inepte atque insulte verba fecisset, iussusque esset quiescere, Aeneas Syluius, per id temporis tempori seruiens, & gratiam Philippi aucupans, conscripta per noctem oratione, sequenti die ad conuentum veniens, obtenta ex authoritate Iuliani Legati copia dicendi, orationẽ duabus horis continuis dixit, propeque persuadere visus est; vt Papia eligeretur, maxime cũ Alfonsus Rex, vna cum suorum Regnorum Prælatis eodem inclinaret. *Commentar. Pii 2. lib. 2.*

Inter hæc Nicolaum Picininum, in Florentinos Eugenii socios, cum exercitu misit: causatus, quod illi Genuensibus, qui defecerant, frumentum & auxilia misissent, & ex arce quæ est ad portum Veneris, quem locum ipse Alfonso habendum dederat; præsidium Alfonsi eiecissent. Intercepit Picininus Florentinis Sarzanam, castrum nonum, & alia quædam ignobilia loca ad mare exposita, Macraque fluuio contra fœdera superato Etruriam inuasit, ac Lucenses qui haud multo prius pacem cum Florentinis fecerant ad bellum reuocauit, affecissetque subita vi belli eo atrocius rem Tuscam, quo minus fuerat eiusmodi clades præuisa, nisi spe Genuæ recipiendæ confestim retro ferox hostis abscessisset. Omnia fiebant Eugenio perdendo: si ille à sociis desertus fuisset. Tentauit præterea animos Bononiensium Philippus, quos non ignorabat ad defectionem propensos: vel propter recentem arcem ab Eugenio vrbi impositam. *Sabellicus sup. Viz. ani lib. 6.*

VII. *Carolus Gall. Reg. Eug. infestus.*

Carolum quoque Galliarum Regem, non satis æquum habebat Eugenius; quod Auinionem, Concilio, à Basileensibus designatam, omnino refutaret; & ius fiduciarium Regni Neapolitani Renato concedere denegaret. Quod enim bellum Cardinalis Vitellescus in eo Regno gerebat, nomine Pontificio administrabat, & si quid armis in potestatem redegisset, pro sede Apostolica, non vero pro Renato recipiebat, atq; retinebat. Hinc Caroli in Eugenium & sedem Apostolicam ira immodica: quæ anno subsequente, in quædam indigna prorupit; vt paulo post narrabimus.

VIII. *Eug. Imp. Electoris, aut Austrio non omnino fidit.*

Sed nec omnino fidendum esse iudicabat, aut Principibus electoribus, aut Alberto Austrio recens electo, post mortem Sigismundi Imperatoris, Regi Romanorum. Ex Electoribus, Theodoricus Antistes Colonensis, quemadmodum superius diximus, Basileæ omnia miscebat, multumque inter eos Patres authoritate præstabat. Albertus Austriis, nondum Rex electus aperte Basileensibus fauebat. Electores Imperij reliqui nutabant, quo tempore ad ferenda suffragia conuenerant. Albertus Krantzius, quid tum factum fuerit, memorabat. Principes, *inquit*, Electores Francofordiam euocati, instituerunt de creando nouo Rege. Superuenerunt vtriusque partis, tam Pontificis, quam Basileensium Oratores, & pro se quisque fauorem sibi Principum conciliare quærebant; sub magnis & formidabilibus pœnis negotium electionis retardãtes, vt Ecclesiæ causa prior expediretur. Sed Principes, euocatis publicis tabellionibus, coram memoratis Oratoribus protestabantur, se neutri parti aut inhærere, aut contraire; sed in neutralitate consistentes, electioni operam dare; quæ differri non posset, propter graue Romani Regni præiudicium; per appellationem præuenientes, quicquid à dictis Oratoribus esset comminatum. Secundum quod, de omnibus censuris, in qualibet causa, vel à Papa, vel à Concilio promulgatis, aut promulgandis appellarunt, & prouocarunt ad futurũ Oecumenicum Concilium; Apostolos petentes; quæ res conquiescere fecit memoratos Oratores. Inter hæc Principes, facta de more solenni Spiritus sancti inuocatione, elegerunt in Regem Romanorum Albertum Austriæ Ducem, Sigismundi prædecessoris generum: qui iam antea coronas Regni Vngariæ & Bohemiæ in dotem promeruit; per eandem suam conthoralem. *Krantzius. Saxon. lib. 11. c. 29.*

IX. *Eum. Palæologo quædam renunciari curat vt in susceptis semel partibus perseueret.*

Antequã ista contigissent, Eugenius, profectionem suam Ferrariam, in ante diem IX. Kalend. Ianuarii edixerat, attamen Sigismundo Imperatore V. Idus eiusdẽ mensis defuncto, communicatis cum Nicolao Atestino consiliis; scribendum existimauit Garetonio, quæ in eam rem vellet Palæologo renunciata; vt in susceptis semel partibus perseueraret. Litteræ in hanc fere sententiam conscriptæ. Omnium prædicatione Albertum Austriacum augustæ dignitatis successorem Sigismundo destinari, non minus quam Bohemiæ ac Pannoniæ Regna iam obtinuisset: ac tametsi Austriaci, Lutzeburgenses olim inter se pepigissent, vti exuncte stirpis opes alteram superstitem sequerentur. & Sigismundus eam ante annum XV. Elizabetham filiam Alberto in matrimonium collocasset; isque socero virilis stirpis expẽrte duo firmissima Regna ad paternum dominatum adiecisset, eam tamen hominum opinionem, quod ad Austriacos attineret, magis magisque percrebuisse

buisse. Et familiæ non vulgus modo, sed ipsos etiam Septem-Viros Germanos iam tum deferre: quod primus eo Rodulphus intulisset: præsertim quod Imperatorem præualidum tempora postulabant. Itaque vigere eisdem causis, ac difficultates sublato Sigismundo, quæ eo superstite obstitissent: quin Ioanni Palæologo metuendum inprimis esse, ne si Patribus Basileensibus consentiat, multo ac multo duriores partes ferat. Sigismundum animo plane composito, priusquã è vita cederet in Bohemiam secessisse, otium ac quietem spectantem: Albertum, vt qualis nam futurus sit primo quasi rudimento declaret, seque non indignum Augusti successorem ostendat, qui aduersis iuxta ac prosperis rebus claruisset, accuratius omnia inspecturum; tantumque apud Basileenses sibi arrogaturum, vt Græci Imperatoris, si ad eos se conferat, maiestas admodum vilis sit futura. Redditæ sunt Garetonio ea de re litteræ tum cum in Italiam cum Palæologo iam nauigabat, atque illæ quidem supernacuæ videri potuerunt; satis tamen iis est factum, non, vt præscribebant, quippere non integra, sed vt visum est opportunius; permultumque ad cætera confirmanda valuerunt. *Pigna, libro 6.*

Ergo cum Eugenius hæc omnia curaret, & tum Regnum Neapolitanum ab Alfonso Rege; tum maiestatem, authoritatemque Pontificiam, à Basileensibus malesanis tueretur; tum nec socios Genuenses, Florentinos & veneros deserere, prædeq; exponi sustineret; tum Carolo Galliarum Regi, de Auinione nec quicquam concederet; tum denique Pontificatum suum, post hominum memoriam solenni Græcorum cum Romana Ecclesia coniunctione illustrare contenderet; multo acriores hostes nactus, atrocissima ista à Basileensibus iritatis toleranit.

Atrocissima à Basileen. vrritatis in Eug. patrata.

Inprimis ausi sunt, 1. Locum Concilio Generali, præter decretum factum, designare.

2. Imperatorem Græcorum, aliorsum quam inclinauerat, quamque cum Pontifice conuenerat trahere.

3. Præsidentem authoritate Pontificia Concilio, Ioannem Archiepiscopum Tarentinum violare.

4. Nuncios Sedis Apostolicæ, pari temeritate in carceres compingere.

5. Os in cœlum ponere, ac varia crimina Eugenio, per calumniam, perq; summam impudentiam imponere, supremoq; omnium Pastori diem apud se dicere: & ad eadem sua subsellia Cardinales S. R. E. obtorto collo rapere.

6. Bonis temporalibus, eiusdem Summum Pontificem exuere.

7. Potestatis illius plenitudinem eleuare, imminuere, limitare.

8. Acta eiusdem Summi Pontificis, non in dubium modo vocare, sed & criminari, inficere, abrogare.

9. Iudicium in eundem & innocentem, & solius Dei correctioni subiectum exercere.

10. Ad extremum, probris, conuitiis, contumeliis, omnibusq; iniuriis, maiestatem illius, vel ipsis spiritibus venerandã, prosciadere, lacerare, infamare, cõculcare.

Ista sunt ipsissima eorum acta, huius anni.

SESSIO XXV.

De loci futuri & œcumenici Concilii pro Græcis.

XI. SACROSANCTA generalis synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Nuper hæc sacrosancta synodus inter varias solicitudines, quibus inscrutabilis diuinæ altitudinis prouidentia, cum inuocatione sui spiritus paracleti, ad excolendum dominici gregis agrum adunari, operariq; diguata est, internæ mentis oculos more agricolæ pertigilis reuoluens, & attente prospiciens, quam defende diuturna Occidentalis & Orientalis Ecclesiarum in eiusdem fidei professione diuisio in Dei perstitit & durauit Ecclesia, de clementissima eius bonitate, apud quem nihil est impossibile; quique digne postulantibus affluenter dat & large, spem suspiciens & fiduciam, ad procurandam inter ipsas Ecclesias Catholicæ fidei vnitatẽ, suæ diligentiæ curas tanto accuratius, nõ parcendo laboribus vel impensæ, adhibere decreuit, quanto ex hoc ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, vberiorem animarum salutem, maiusque ipsius fidei incrementum prouenire cognouit. Cupiensq; propterea, suffragante Spiritus sancti gratia, tam saluberrimum vnionis negotium aggredi & amplecti, ad illud serenissimum Romanorum Imperatorem & venerabilem Patriarcham Constantinopolitanum, cæterosque prælatos & alium Græcorum populum per diuersos oratores & literas duxit inuitandos pariter & exhortandos. Qui quidem Imperator & Patriarcha & alii Græci, volense & eorum corda Altissimo inflammãte, exhortationes huiusmodi alacribus animis susciperites, ipsumque vnionis negotium aggredi synceris affectibus perhibentes, suos solennes oratores & nuncios sufficienti mandato bulla aurea & propria manus subscriptione Imperatoris, bullaq; plumbea Patriarchæ prædictorum munito suffultos, ferentissimum eorũdem ad hãc fidei vnitatem zelũ deuotissime explicantes, ad eãdem sacrosanctam synodum duxerunt destinandos; cum quibus ipsa sancta synodus diuersis tractatibus & deliberationibus præuiis, pro executione & consummatione felici tam salutaris operis, nonnulla decreta & capitula ad hoc summopere necessaria & vtilia, superius inserta, & dudum inserta sessione ipsius sanctæ synodi in maiori ecclesia Basileensi celebrata, publicata, animo concordi concluit. Volensq; deinde hæc sancta synodus, decreta & capitula huiusmodi vlis & modis omnibus necessariis & opportunis prosequi, ac iuxta illa ad electionẽ loci pro futuro œcumenico Concilio, in quo Imperator & Patriarcha prædicti, aliiq; Græci conuenire possent & deberent, celebrando, maturo procedere, habitisq; super his & aliis hanc piam rem concernentib. in diuersis ipsius sanctæ synodi deputationibus multiplicibus propositionibus & tractatibus, illisq; cum votorum suppositorum eorundem scrutinio diligenti recensitis, demum in generali congregatione ad hoc in maiori ecclesia prædicta (vt moris est) indicta, & iterum votis singulorum in eadem scrutatis, repertoque duplo maiorem partem & multo plus vota sua direxisse in Basileam, Auinionem vel Sabaudiam; inuocata Spiritus sancti gratia, post missarum solennia conclusum fuit & conuentum, quod apud Imperatorem, Patriarcham & alios Græcos prædictos, diligens & debita fieret instantia, cum allegationibus & expositionibus plurimorum rationibus, quæ ad id allegari & adduci possent, vt ex diuersis bonis respectibus ciuitatem Basileæ esse acceptarent pro dicto œcumenico Concilio ibidem celebrando: quam si eos omnino recusare contingeret, extunc ciuitas Auinionensis locus esset ipsius œcumenici Concilii ibidem celebrandi. Si tamen illud in eadẽ celebrari non posset, extunc in Sabaudia Concilium celebraretur antedictum. Vt igitur præmissa omnia & singula debitum & votiuum sortiãtur effectum, cum omni solennitate alias in hoc sacro Basileensi Concilio in rebus arduis expediendis adhiberi solita; patrib. in maiori ecclesia Basileensi post Missarum solennia considẽtibus, hæc sancta synodus decernit, vult, statuit, ordinat & declarat, futurum œcumenicum Concilium in Basileensi, aut illa recusata, in Auinion. ciuitatibus, altoquin in Sabaudia iuxta conclusionẽ supradictam, debitis & conuentis temporibus debere celebrari. Quodq; Imperator & Patriarcha & alii Græci prædicti, iuxta capitulata & decretata huiusmodi, nec non omnes & singuli alii, cuiuscunque gradus, status, dignitatis vel præeminentiæ existant, qui generalibus Conciliis de iure vel consuetudine interesse debent, etiamsi pontificali

dignitate præfulgeant, ad illud debeant & teneantur, maxime pro conſummatione tam ſalutaris operis, accedere & eriam conuenire. Et hanc præmiſſam nominationem & electionem vult, ſtatuit & decernit hæc ſancta ſynodus, vt ſit firma, inconcuſſa & intiolabilis, quacunq; alia modificatione, ordinatione, diſpoſitione, nominatione ſeu electione per ipſum ſacrum Concilium ſeu alium vel alios quacunq; authoritate etiam papali fungentes, in cõtrarium facta ſeu factis, minime valitura ſeu valituris, quam ſeu quas hæc ſancta ſynodus ex certa ſcientia exnunc irritat, caſſat, reuocat, & annullat, ſeu caſſa, nulla & irrita nunciat, & pro infectis illam ſeu illas habere vult, & præſentibus habet, quatenus in totum vel in partem præmiſſæ electioni obuiant vel repugnant. Supplet etiã hæc ſancta ſynodus ex certa ſcientia omnem defectum, ſi quis in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum forſitan interuenerit. Et inſuper cũ res tam ardua plurimum in Dei Eccleſia fructum allatura, ſine grauibus expenſarum ſarcinis conſummari, & Græci prædicti adduci, adductiq; ſuſtẽtari nõ valeãt, dignumq; & debitum exiſtat, vt pro conſummatione tam felicis operis Chriſti fideles vniuerſi, maxime eccleſiaſticæ perſonæ, de commiſſi ſibi patrimonii domini noſtri I. ſu Chriſti ſubſtantiis liberali diſpenſatione miniſtrent, hæc ſancta ſynodus vniuerſis & ſingulis eccleſiaſticis perſonis, exemptis & non exemptis, ſub quacunque verborum forma, etiam ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, cuiuſcunq; ſtatus, dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, etiam ſi cardinalatus vel pontificali præfulgeant dignitate, generalem omnium & ſingulorum ſuorum eccleſiaſticorum fructuum & prouentuum, quotidianis diſtributionibus duntaxat exceptis, decimam de ſuis eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus & officiis, cæteriſque eccleſiaſticis beneficiis in ſua generali congregatione iam impoſitam & concluſam, perſoluendam & exigendam, decernit, ſtatuit & declarat imponendam, eamque imponit per præſentes. Prærerea dicta ſancta ſynodus decernit, vult, ordinat, & declarat, quod venerabiles Ioannes Lubecenſis, Ludouicus Viſenſis, Delphinus Parmenſis, Ludouicus Lauſanenſis epiſcopi, ipſius ſacroſanctæ ſynodi oratores, ad conducendum Græcos ad locum œcumenici Concilii, eorumque maior pars tunc præſens, eorum Latinum locis ſupra electis & nominatis aptiorem & propinquorem, ad quem dicti Græci vltimo debeant applicare, eligendi & nominandi plenam habeant poteſtatem, illamq; eiſdem concedit per præſentes, iuxta formam aliarum literarum eis ſuperinde datarum. Poſtremo eadem ſancta ſynodus vult, ordinat & decernit quod pro præmiſſorum & ex eis dependentium debita & votiua executione, dictorumque ſyndicorum & Cõcilii ſecuritate pleniori, ad omnem eorum, aut ſuorum procuratorum vel nunciorum petitionem & inſtantiam, eis quæuis aliæ litteræ opportunæ, vtiles & neceſſariæ, ſub bulla eiuſdem ſanctæ ſynodi per ipſius cancellariam in forma debita & honeſta concedantur, cõficiantur, & etiam expediantur. Datum Baſileæ in ſeſſione publica huius ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, nonis Maii, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

Aliud Decretum lectum in eadem ſeſſione pro cautione Auinionenſi.

XII. SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam memoriam.

Cum nuper dilecti Eccleſiæ filii ſyndici & Concilium ciuitatis Auinionenſis, ſummam ſeptuaginta millium florenorum auri de camera, pro conductione ſereniſſim. *Græcorum Imperatoris & venerabilis Patriarchæ Conſtantinopolitani, aliorumq; Græcorum ad œcumenicum Concilium, dante domino, venturorum iuxta concordata & concluſa cum eorum ambaſiatoribus, neceſſariam huic ſacroſanctæ ſynodo & vniuerſali Eccleſiæ liberaliter mutuare obtulerint, iamq; eius partem exoluerint, ac reſtantem, expeditis nonnullis pro eorũ cautione ab ipſa ſancta ſynodo petitis, in pecunia numerata exoluere paratos ſe offerant, eadẽ ſancta ſynodus cupiens (prout decens eſt & debitum) dictorum ſyndicorum & Concilii, ne ex ſua liberalitate damnum patiãtur, indemnitati legaliter prouidere, oẽs & ſingulas pecuniarum quãtitates, quæ ex indulgentiis per ipſam ſanctam ſynodum vniuerſis Chriſti fidelibus de bonis ſibi à Deo collatis, pro proſecutione vnionis Occidentalis & Orientalis eccleſiarum, ad eandẽ Chriſtianæ fidei profeſſionem in dicto Concilio, domino largiente, procurandæ & perficiendæ largientibus, per eius litteras ad diuerſas mundi partes directas, & iam in pleriſq; locis ſolenniter publicatas, conceſſas, necnõ ex decima generali per eãdem ſanctam ſynodum cauſam ob præmiſſam impoſita & concluſa, hactenus prouenerunt, ac prouenient in futurum, ſyndicis & Concilio præfatis vſque ad ſummam ſupradictam exnunc obligando, hypothecando, & aſſignando, vult, ſtatuit, & decernit, quod iidem ſyndici & Concilium in omnib. & ſingulis, quib. maluerint, & quæ eligenda duxerint, & præſertim Franciæ, Aragoniæ, Delphinatus, Britanniæ, Sabaudiæ & Burgundiæ regnis, ducatib. tertis, prouinciis, ciuitatib. & diœceſib. autoritate eiuſdem ſanctæ ſynodi & vniuerſalis Eccleſiæ ad leuandum, exigendũ, & recipiendum de pecuniis ex indulgentiis & decima prædictis (vt præmittitur) prouenientibus vſq; ad ſummam prædictam, & quouſq; illa eiſdẽ integraliter fuerit perſoluta, quaſcunq; perſonas idoneas ad hoc eis vtiles & accommodas, in ſuos collectores nominare, eligere, deputare & ordinare, quodq; perſonæ ipſæ ſic per eos nominatæ, electæ & deputatæ, de pecuniis huiuſmodi vſq; ad ſummam prædictam nomine ſyndicorũ & Concilii prædictorum, petere, exigere & leuare poſſint & debeant, perinde ac ſi per ipſam ſanctam ſynodũ ad hoc deputatæ & nominatæ fuiſſent, necnõ illos ſoluentes quoſcunque debita aſſignata quitantia, à ſolutis ſint liberi penitus & immunes. Promittit inſuper & pollicetur hæc ſancta ſynodus, quod ipſa collectores ipſos ſic per dictos ſyndicos & Concilium deputatos, quibuſuis colore vel occaſione captatis, directe vel indirecte ſine expreſſa ſyndicorum & Concilii prædictorum voluntate atque conſenſu nullatenus reuocabit, nec pecunias huiuſmodi per alios in eligẽdis per dictos ſyndicos & Concilium regnis, ducatibus, terris, prouinciis, ciuitatibus & diœceſib. prædictis ſine conſenſu ſimili exigi, colligi, vel leuari faciet, aut eorum collectoribus huiuſmodi, quo minus illas vſque ad ſummam prædictam pro ſyndicis & Concilio prædictis libere colligere & leuare valeant, impedimentum aliquod præſtabit, ſeu præſtari patietur quoquo modo: quinimo Regum, principum & aliorum dominorum, in quorum regnis, territoriis, & dominiis eoſdem ſyndicos & Concilium electionem antedictam facere contingerit, ſuper libera exactione & collectione pecuniarum ex indulgentiis & decima huiuſmodi (vt præfertur) prouenientium, fauorem & conſenſum, coercitionem quoque (ſi opus fuerit) & brachil ſeculatis auxilium procurabit & ordinabit, aliaſque eoſdem ſyndicos & Concilium ſuper integra & reali reſtitutione & ſatisfactione dictæ ſummæ omnino reddet indemnes. Prærerea eadem ſancta ſynodus vult, ſtatuit & decernit, quod ſuper exactione pecuniarum huiuſmodi ſyndicis & Concilio prædictis, quæcunque literæ & proceſſus compulſoriales & pœnales, cum omnibus & ſingulis clauſulis neceſſariis & opportunis concedantur, conficiantur, & etiam per ipſius cancellariam expediantur, aliis literis in præmiſſis & circa præmiſſa iam conceſſis, in ſuo robore duraturis. Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica huius ſanctæ ſynodi, in eccleſia ma-

ſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, nonis Maii, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

SESSIO XXVI.

Et eſt monitorium & citatur contra dominum Eugenium Papam & Cardinales.

XIII. SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in ſpiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans; ad perpetuam rei memoriam. Cum Chriſti Eccleſia variis & acerrimis languoribus ſubiaceret, hominumque peccata & præuaricationes diuinæ legis magis ac magis indies pernicioſo creſcerent augmento, dignatus eſt omnipotens Deus fidelium inſpirare cordibus, vt in Baſileam ciuitatem, profecto vndique integerrimam, ſacroſancta generalis ſynodus conueniret, quæ præſertim in reformandis moribus tam in capite quam in membris, & excitandis cordibus in obſeruatione legis Dei, vigilantem impenderet operam, vt & diuinus honor refloreret in terris, & repreſſis enormitatibus peccatorum, ad procurandam animarum ſalutem efficacius conuerteretur hominum ſolicitudo. Iam vero pluribus annis in ea re per ipſam ſynodum exhibiti ſunt indefeſſi labores: commemorata frequentius extitit regnantium ſcelerum multitudo, quæ vniuerſam Chriſtianitatem in multas clades, multaque diſcrimina adducere conſpicitur. Eccleſia in Chriſti nomine congregata, cunctis palam curauit ingerere monita ſalutis, die ac nocte clamitans, vt redirent præuaricatores ad cor, & obſeruarent legem Domini Dei ſui. Denique ſalubria decreta & ſacros canones inſtituit, quibus peſtis auaritiæ, Simoniæ, ambitionis & aliorum vitiorum (quæ multorum corda nimium incendebant) arcerentur à grege domini, & iuxta præcepta Chriſti atque ſanctorum patrum inſtituta, dignitates eccleſiaſticæ atque beneficia dignis & idoneis paſtoribus ac miniſtris gratuita collatione, iuſtiſque & canonicis electionibus ac inſtitutionibus diſtribuerentur, quorum medio vniuerſus clerus & populus ſalubriter regeretur, ac perduceretur in ſalutem. Sed, quod heu dolentiſſime referimus! ille qui primus hæc exequi debuerat, quemque & Chriſti præcepta & canones ſacrorum Conciliorum præ cæteris ſeruare oportuerat: imo & cæteros ad horum obſeruantiam efficaciter inducere, nulla vnquam monitione, nulla exhortatione induci iam longo tempore potuit, vt aliquam morum emendationem Chriſto placentem, aut notiſſimorum abuſuum correctionem in Eccleſia ſancta Dei efficere ſatageret. Quin potius conſpicit vniuerſus orbis, ſub eius regimine maiora ſemper ſcandala grauioraque exoriri, (ſanctiſſimum dominum Eugenium Papam quartum loquimur) quem frequentibus monitis hæc ſancta ſynodus cum plurima charitate & benignitate, tum per ipſius ſynodi oratores, tum per literas, tum etiam per eiuſdem domini Eugenii nuncios inducere curauit, atque etiam per aliquorum regum & principum ambaſiatores hortata eſt, vt pro Chriſti reuerentia & animarum ſalute, ſalutari animarum gubernationi operam daret, electiones proborum paſtorum fieri aſſentiret, beneficia à Chriſto gratis accepta, gratis diſtribueret, cæteraque in ædificationem Eccleſiæ ageret, quæ iuxta canones ſanctorum patrum eadem ſynodus pro animarum ſalute & vniuerſalis Eccleſiæ ordinauerat, & quemadmodũ ſacroſanctum generale Cõſtantienſe Concilium irrefragabili Catholicæ veritatis declaratione diffiniuit in his rebus, quæ ad reformationem vniuerſalis Eccleſiæ in capite & in membris pertinent, obediret. Pariter quoque notum ſit, quod ſacra generalia Concilia iuriſdictione ſuper Papã vti poſſint, cũ clamoroſa inſinuatione vel alias ipſe, vt ſcandalizator Eccleſiæ, ſacro Concilio defertur. Monuit quoque hæc ſancta ſynodus ipſum dominum Eugenium, quatenus dignaretur ambulare vnanimiter cum conſenſu eiuſdem in domo Dei, & adhæſionem, quam literarum ſuarum teſtimonio ſolenniter huic eidem ſynodo exhibuit, factis & operibus adimpleret, vt pax & tranquillitas ſalutaris per vniuerſam vigeret Eccleſiam. Sed in aduerſum proh dolor electiones Pontificum & paſtorum ſedulo perturbare viſus eſt, translationes prælatorum, eis inuitis contra ſanctorum patrum & ſacrorum canonum atque ſacri Concilii Conſtantienſis ſtatutorum formam & tenorem facere, diuiſiones, ſcandala & ſchiſmata per ſingulas fere vacantes eccleſias ingerere, vt plurimum enim vnus eligitur, alteri vero per ipſum, ſuis reſeruationibus iam ſublatis, inuitentem prouideretur, ipſa electione reiecta: imo & aduerſus filios obedientiæ, qui decretis huius ſanctæ ſynodi obedire voluerunt, graues compertus eſt fulminare ſententias, ipſos pro libito voluntatis à beneficiis & dignitatibus mandando priuari, inhabilitari, & excommunicari. In collatione prætereа ſeu expeditione dignitatum & beneficiorum, & aliarum rerum diſpenſatione, etiam more inconſueto graues ſummas pecuniarum exigere, abuſus peſtiferos deteſtabili & horrenda ſpecie Simoniacæ labis reſperſos, aduerſus iura diuina & humana in animarum perniciem & eccleſiarum orbis non mediocre præiudicium, ac prouinciarum, regnorum & ſingularum patriarum depauperationem & exinanitionem, cum pluribus fouere incrementis, dignitatibus etiam ſeu vacantibus beneficiis prouidendo carnalitatis affectu, non iudicio rationis, nec eos eligendo qui in eccleſiis proficere poſſunt, ſed quorum vel precibus delinitus extitit, vel pro quibus quiſpiam maiorum rogaſſe compertus eſt, aut (quod deterius eſt) qui vt beneficiati fierent, muneribus impetrarunt, non aduertens nihil eſſe quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur prælati ad regimen animarum. Sententiis inſuper ſynodalibus ſpretis, quas olim ſummi Pontifices maxima cum veneratione proſequebantur, prætenſas appellationes ab eiſdem interpoſitas admittit, ſententias huiuſmodi expreſſe renocando. Ipſe inſuper illos, quos hæc ſancta ſynodus pro cauſis iuſtiſſimis alligauit, ſoluere de facto contus eſt, nulla ſatisfactione peracta. Cæterum cum deceat Romanum pontificem iuxta ſacrorum canonum & ſummorum Pontificum inſtituta per fratres ſuos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui ſibi in executione ſui officii coadiutores exiſtunt, ſua exercere conſilia, vtpiſorum ſalubribus & prudentibus conſultis ſtatus Eccleſiæ tam in ſpiritualibus, quam temporalibus rationabiliter dirigatur, ipſe dominus Eugenius etiam in rebus grauiſſimis minime eorundem conſilia requirere fertur, qui ſunt pars corporis ſui, ſed aliorum extraneorum conſultationem ſectatur, quod non ex rationis iudicio, ſed ex carnali affectu nonnunquam prouenire videtur. Diſpenſatione quoque ſibi credita abutitur, eam in diſſipationem conuertendo, & poteſtatem ſibi datam in ædificationem, verrendo in deſtructionem. Plura vero grauis nobis obmittentibus, nouiſſima occurrunt conſideratione miſeranda. Audiuimus quidem nuper, ciuitatem Prænestinam, cuius epiſcopali titulo vnus ex Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus conſueuit inſigniri, per tolerantiam eius & ſuorum domeſticorum ac ſtipendiis Romanæ Eccleſiæ militantium opera in ruinam mirabiliter decidiſſe. Oppida inſuper plurima, in eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ patrimonio cõſiſtentia, aliquando prædæ expoſita, vt oppidum Butrii Bononiæ proximum, aliquando ſolo æquata. Et qui augmentum efficere debuerat, operatus eſt diminutionem, cum tamen ex dignitate ſummi pontificatus non peccandi licentiam, ſed bene viuendi neceſſitatem aſſecutus eſſe noſcatur. In operibus prætereа fidem concernentibus, cum hoc tempore pro œcumenico Concilio cum Græcis ce-

Conſtantien. Conc. ſeſſ. 39.

Conſtantienſis Concilii ſeſ. 39.

lebrando Ecclesia indigeret, prout & de præsenti indiget, subuentionibus fidelium populorum, ipse substantiam eorum aliorsum diuertere satageus, & subsidia fidei Catholicæ multipliciter impediens, indulgentias plenarias per loca diuersa multiplicasse dicitur, absque causis vegentibus eas diffeminando, in grauem perturbationem sanctissimi operis pro ipsa fide orthodoxa per hanc synodum inchoati, aliaque plurima hucusque peregisse atque procurasse dicitur, quæ prosecutioni rerum ad bonum fidei Orthodoxæ & eius promotionem pertinentium, magnum impedimẽtum & multam retardationem attulerunt. Illud quoque multa reprehensione in tanto pastore dignum est, quod iuramentum in assumptione sui ad Apostolatus apicem, super certis ordinationibus præstitum, ac deinde post ipsius assumptionem sub bulla sua solenniter confirmatum, minime seruasse dicitur, sed quod dolenter referimus, (vt à plurimis asseritur, & fama publica laborat) ipsum notorie transgressus est. Denique eum ita agere conspiciat vniuersus orbis, (nam hæc quæ notoria esse dicuntur, Ecclesiam vniuersalem scandalizando, recensemus) vt occasione sui vniuersa Ecclesia grauissimis tui baratris ruinis subiaceat, quibus nisi diuina miseratio prouideat, ruina prioribus inaudita seculis Christiano populo prospiciatur imminere. Non autem solum in rerum spiritualium regimine hanc ipsam ruinam consideramus, sed & in gubernatione temporalium dominiorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ notorios defectus attendimus, quorum alienatores honorem perdere felicis recordationis Symmachus Papa decreuit. Quantas enim terras ipse dominus Eugenius alienauerit, quantaque eius incuria & insolenti regimine deperditæ & occupatæ sint, quantas strages subditorum Romanæ Ecclesiæ, quos etiam, vt Bononiensis ciuitas in suis suppositis attestari potest, peremptos audiuimus, sine pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentis, quam etiam miseranda vastatio suo tempore subsecuta fuerit, notoria facta testari videntur. Expectauit autem iam plurimis annis hæc sancta synodus cum multa patientia, vt hæc omnia ipse dominus Eugenius corrigeret, atque in melius emendaret, ac veluti vices gerentem CHRISTI & Petri successorem decet, eorum orbem exemplo bonarum actionum in viam salutis dirigere studeret. Dum vero videmus cuncta ingiter in pejus ruere, & omnia magis conturbari, plurimis angimur doloribus, ac vehemẽter gregi dominico compatimur, quem ad totalem fere desolationem per incrementa scandalorum diuisionũ ac vitiorum deformitatum decidere formidabamus, nisi debito regimini Ecclesiæ Dei cõueniens prouidentia apponatur, & consulatur publicæ saluti. Videns itaque hæc cuncta synodus, quæ per summariam informationem ex abundanti factam, ipsum dominum Eugenium in prædictis publice & notorie diffamatum comperit, necessitatem prouidendi debito regimini Ecclesiæ imminere, vt si Concilium congregatum non esset, summe necessarium foret pro his rebus ipsum congregari: attendens præterea in iudicio Deo oportere reddere rationem super tantorum dissimulatione malorum & scandalorum, quibus corrigendis pro salute totius Christianæ plebis ex officio suo totis viribus incumbere tenetur, & ex potestate quam super cunctos fideles cuiuscunque authoritatis, etiam si papalis existant, à Christo accepit, iuxta supradictam declarationem * in Concilio Constantiensi habitam, & in hoc præsenti dudum renouatam, cum etiam coram Deo & hominibus grauissime reprehendenda veniret, si in hac vigentissima Ecclesiæ necessitate suum officium (prout tenetur) etiam nemine postulante exequi negligeret: decernit, vt infra sexaginta dies à die præsentis sessionis & affixionis numerandos, quem terminum præfato domino Eugenio peremptorie præfigit, vt si qua interim coram hac sancta synodo super promissis & aliis proponendis, pro sui defensione, aut excusatione alleganda vel proponenda duxerit, per se vel alium ad hoc legitime deputatum, coram eadem synodo Basileæ compareat. Dicto autem elapso termino, siue dictus dominus Eugenius per se vel alium comparuerit, siue non, hæc sancta synodus ad vlteriora procedet, cognoscendo & terminando prout Ecclesiæ sanctæ Dei, Spiritu sancto dictante, conspexerit expedire. Vniuersis insuper sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna alias præstiti huic sacro Concilio per se vel alium nomine suo iuramenti, & quo ad eos qui iuramentum non præstiterunt, sub pœna priuationis fructuum suorum beneficiorum mandat & præcipit, vt infra eundem terminum in hac ciuitate Basileensi compareant, saluti sanctæ matris Ecclesiæ cum cæteris in synodo congregatis consulturi & opportune prouisuri, prout Spiritus sanctus dictauerit. Hoc ipsum quoque vniuersis principibus & populis Christianis innotescere volumus, vt videntes sanctæ matris Ecclesiæ, & vniuersæ Christianitatis angustias, in vnam sententiam pro honore Dei creatoris nostri, & animarum salute pariter conueniant, & quod toti orbi salutare fuerit, communi consensu amplexentur. Decernit tandem hæc sancta synodus, huius decreti publicationem in præsenti sessione factam, cuius affixionem in valuis maioris ecclesiæ Basileensis, vim habere monitionis & citationis, quoad omnes & singulos actus in hac re fieri necessarios, vsq; ad finalem terminationem, etiam ad sen. etiam diffinitiuã audiendum, & eius executionem faciendum inclusiue, & ita vniuersos arctare, ac si personaliter apprehensi, & eis intimatum fuisset. Datum Basileæ in nostra sessione publica solenniter in ecclesia maiori Basileensi celebrata, pridie Calend. Augusti, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo septimo.

In synodo 5. cuius initium Bene quidem fraternitate

* *Constantiensis Concilii. Constanter sess. 4. & 5.*

SESSIO XXVII.

In qua cassatur nominatio & creatio Cardinalium per dominum Eugenium Papam quartum facta.

SACROSANCTA generalis synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam memoriam. CXIV.

Tantam reuerentiam sacris canonibus generalium Conciliorum sancti Patres censuerunt adhibendam, vt violatores eorum voluntarios grauissime vindicarẽt, & vnum quemq; in sui ipsius destructione agere arbitrarẽtur, ea destruere conantem, quæ vniuersali consensu fuerunt instituta. Grauis quoq; exinde iactura toti ecclesiastico immineret ordini, si decreta synodalia Conciliorum generalium, quibus veluti regulæ ecclesiasticæ ac disciplinæ salutaris innititur, per cuiuspiam voluntatem, & maxime sedente adhuc ipsa vniuersali synodo abrumpi sinerentur. Dudum autem hæc sancta synodus super Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ assumendis, inter cætera duo salubria edidit decreta, quorum tenores ad lucidiorem vniuersorum informationem, de verbo ad verbum hic inserere, & innouare decreuimus. *Basileensis Concilii sessio. 4.*

Tenor primi decreti.

Item, Cum multiplicatio Cardinalium sit Ecclesiæ dispendiosa & onerosa, propterea & ex aliis rationabilibus & legitimis causis eandem sanctam synodum mouentibus, statuit, ordinat, atque certa scientia hoc irrefragabili decreto decernit ipsa sancta synodus, quod durante hoc sacro Concilio, Romanus Pontifex à loco istius sacri Concilii absens personaliter, non debeat neque possit aliquem vel aliquos, cuiuscunque dignitatis, conditionis, gradus seu status existant, XV. *Basileensis Concilii sessio. 4.*

existant, in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem vel Cardinales, quouismodo, aut quocunque quæsito colore vel causa assumere, pronunciare secrete aut publice, aut pronunciatos seu assumptos secrete, publicare. Et si secus attentatum fuerit, ex nunc in antea irritum sit & inane, nullinsque roboris vel momenti. Quod si forsan aliter de facto assumpti, aut pronunciati, se pro Cardinalibus gerere, aut nominare præsumpserint, quibuscunque dignitatibus priuati, & ad omnes & singulas futuras inhabiles. Et quicunque eos pro Cardinalibus gerentes & reputantes, ex nunc prout extunc sententia excommunicationis innodati sint ipso facto, à qua præterquam mortis articulo, nisi à præfata synodo absolutionis siue habilitationis beneficium obtinere non possint.

Tenor secundi decreti.

XVI. *Basileensis Concilii sessio. 23.* Cum summo Pontifici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in diuigenda Christiana republica collaterales assistant, necesse est vt tales instituantur, qui sicut nomine, ita reipsa cardines sint, super quos ostia vniuersalis versentur & sustententur Ecclesiæ. Statuit igitur sancta synodus, vt deinceps eorum numerus adeo sit moderatus, quod nec sit grauis Ecclesiæ, nec supe flua numerositate vilescat. Qui de omnibus Christianitatis regionibus, quantum fieri poterit commode, assumantur, vt notitia rerum in Ecclesia emergentium facilius haberi, & super his maturius deliberari possit: sic tamen, quod numerum viginti quatuor inter hos qui nunc sunt, & assumendos, non excedant: ita quod de vna natione vltra tertiam partem respectu Cardinalium pro tempore existentium, ac de vna ciuitate & diœcesi vltra vnum inde oriundum, & de ea natione quæ nunc vltra tertiam partem habet, vsq, ad ipsius terræ partis reductionem esse nequeant. Sint viri in scientia moribusque ac rerum experientia excellentes, non minores quinquaginta annis, magistri, doctores seu licentiati, cum rigore examinis in iure diuino vel humano. Sit saltem tertia vel quarta pars de magistris, aut licentiatis in sacra scriptura. Inter hos autem viginti quatuor esse aliqui poterunt admodum pauci, filii, fratres, aut nepotes Regum seu magnorum Principum, in quibus cum circumspectione & maturitate morum competens litteratura sufficiat. Non fiant Cardinales nepotes ex fratre vel sorore Romani Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis, non illegitime nati, non corpore vitiati, nec alicuius criminis, aut infamiæ nota respersi. Prædicto autem numero viginti quatuor, pro magna Ecclesiæ necessitate vel vtilitate duo alii, in quibus vitæ sanctitas vel eximiæ virtutes refulgeant, quanquam memoratos gradus non habeant, ac de Græcis cum Romanæ Ecclesiæ vniti fuerint, in signes aliqui viri adiici poterunt. Non fiat Cardinalium electio solum per auriculatia vota, sed illi soli assumi possint, in quos facto vero scrutinio ac publicato, maiorem partem Cardinalium per subscriptionem manus proprie constiterit collegialiter consensisse. Desuper etiam Apostolicæ literæ cum subscriptione Cardinalium conficiantur decreto huius sacri Concilii in quarta sessione solenniter publicato quod incipit: Item, cum multiplicatio Cardinalium, &c. in suo robore inuiolabiliter permansuro. *Basileensis Concilii sessio. 4.*

Aduersus autem præmissorum decretorum mentem & tenorem, nuper non sine graui dolore comperimus, venerabilem Ioannem Patriarcham Alexandrinum in sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem (licet de facto & nulliter) per dominum Eugenium Papam fuisse assumptum, cum nec summus Pontifex absens à loco huius sacri Concilii, ipsum in Cardinalem creare debuerat, contra primum decretum in sua adhæsione solenniter approbatum, neque proportionem singulis nationibus conuenientem, & qualitates in secundo decreto descriptas omittere, sicut in promotione dicti Patriarchæ factum esse competitur. Et cum frustra hæc sancta synodus iura conderet, nisi sue authoritate quam ex Christi dono immediate susceperit, eadem tueretur: vtque Gelasius Papa professetur, & nullum iam veraciter Christianum ignorare credit, vniuscuiuscunque synodi constitutum quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem, aciæ cæteris oportere, quam primam: necessitasque vrgeat illis transgressoribus iurium occurrere, ex quibus complures illaqueationes animarum & grauia in futurum schismata prouenire valerent, (nam & qui talem Cardinalem reputant, iuxta supradicti decreti tenorem, vinculo excommunicationis eo ipso innodantur) & in futuris electionibus Romanorum Pontificum varia schismata poterunt exoriri, si prætensi Gardinales, quorum irrita & inanis promotio decreta extiterit, huiusmodi electionibus se voluerint immiscere, ad obuiandum itaque tantis discriminibus, admonet & exhortatur hæc sancta synodus præfatum dominum Eugenium, sub obtestatione diuini iudicii, & per viscera misericordiæ Domini nostri IESV CHRISTI, & eidem ex parte Dei omnipotentis præcipit atque mandat, vt pro futurorum schismatum & scandalorum euitatione, prædictam & alias quascunque vocationes per eum factas ad Cardinalatus honorem, contra prædictorum decretorum formam & tenorem, sicut de facto processerunt, eas reuocet, casset publice & annullet, nulla sque fuisse & esse decernat, prout hæc sancta synodus hoc synodali decreto, sicut de facto processerunt, eas cassat, irritat & annullat, nullasque, cassas & irritas de. e nit atque declarat, vl e iusque à talibus vocationibus abstineat, alias prouidebit hæc sancta synodus, prout Spiritu sancto dictante, vtilitati Ecclesiæ viderit expedire. Declarat insuper hæc sancta synodus, vniuersos qui præfatum Ioannem Patriarcham, aut alios taliter de facto promotos, pro Cardinalibus gesserint, & reputauerint, pœnas in præfatis decreti annotatas eo ipso incurrere.

Datum in sessione nostra publica, in maiori ecclesia Basileensi solenniter celebrata 6. Calendas Octobris, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.

Epistola ad ipsos Dardanie, cuius interim est valde mirati sumus.

DECRETVM CASSATIONIS LITERARVM falso bullatarum, in eadem sessione lectum.

SACROSANCTA generalis synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Cum dudum ex ordinatione nostra concorditer concluso, literæ sub bulla huius sacri Concilii super nominatione locorum Basileæ, Autunonis & Sabaudiæ pro celebrando œcumenico Concilio in aduentu Græcorum fuerint expeditæ, & deinde ad notitiam nostram peruenerit, quasdam alias literas nominationem Florentiæ & Vtini continentes, clandestine & contra ordinationem huius sacri Concilii fuisse bullatas, cupiens hæc sancta synodus vnumquemque de his rebus veraciter informari, ne quempiam falsis pro veris recipiendo decipi contingat: decernit & declarat, omnes literas continentes nominationem quorumcunque aliorum locorum pro ante dicto Concilio celebrando, præter iam dicta loca, Basileæ, Autunonis & Sabaudiæ, quibus bulla sacri Concilii inueniretur appensa, fuisse falso bullatas, & contra huius sanctæ synodi ordinationem, nec literis talibus vllam fidem esse adhibendam, aut ipsis seu earum transumptis, quacunque authoritate, etiam si papali transumptæ fuerint, esse vtendum: huiusmodique literas sic falso bullatas cassat, irritat & damnat, ac cassas & irritas esse decernit, inhibens omnibus & singulis, quauis dignitate præfulgeant, etiam si legatione papali de latere, dispositione, mandato, vel quauis alia seu alio fungeren- XVII.

tur, ſub pœnis excommunicationis, quas ipſo facto incurrant, acinhabilitationis actiuæ & paſſiuæ ad quaſcunque pontificales, aut alias dignitates eccleſiaſticas vel ſeculares, & ad beneficia obtenta & obtinenda, ne præfatis literis aut eorum tranſſumptis vtantur, aut vtentibus auxilium, conſilium vel fauorem in his præſtare præſumant.

Datum in ſeſſione noſtra publica, in maioti eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, 6. Calc. Octobr. anno à natiuitate Domini 1437.

Aliud decretum in eadem ſeſſione lectum, quod ciuitas Auinionenſis non poſſit alienari, & recipitur in ſaluo-guardiam Concilii.

XVIII. Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam. Cum noſtra ſolicitudo ad hæc inter alia iugiter aſpiret, vt ſancta præſertim Romana Eccleſia feliciter in ſpiritualibus gubernetur, ſimul quoque cum virtutum ornatu, temporalium rerum obtineat vbertatem, ſine quibus ſpiritualium adminiſtratio diu ſubſiſtere, non valeret: priſci quoque patres hac conſideratione permoti, largam prædiorum dominiorum & poſſeſſionum amplitudinem ipſi Eccleſiæ acquirere curauerunt, quorum alienationem ſub grauibus pœnis cenſuerunt, prohibendam, adeo vt Symmachus Papa ſpiritu Dei repletus, in ſuo canone decreuerit, etiam Papæ non licere prædia Eccleſiæ alienare aliquo modo pro aliqua neceſſitate, nec in vſum fructum rura tradere, niſi tantummodo domus, quæ in quibuſdam vrbibus non modica impenſa ſuſtentantur, qua lege omnes cuſtodes & prælatos aſtringi voluit, vt donator, alienaror, venditor honorem perderent, & qui ſubſcriberet cũ eo, qui reciperet, niſi fi reſtitueret, anathema foret, liceret etiam voluit, quibuslibet eccleſiaſticis perſonis contradicere, & cum fructibus alienata repoſcere, quod non tantum in Apoſtolica eccleſia ſeruandum eſſe dixit, verum etiam vniuerſis eccleſiis per prouincias arbitratus eſt conuenire, nos eorum veſtigia imitando vigilanter curare conuenit, ne quicquam terrarum & poſſeſſionum (quæ iam Deo & ipſi Romanæ Eccleſiæ in ſuſtentationem ſummi Pontificis & miniſtrorum ſuorum dedicatæ ſunt) diſtrahi à quoquam vel alienari patiamur, illa præſertim loca inſignia, in quibus neceſſitatis tempore libere valeat Romanus pontifex cum ſua cuſtia commorari; vbi nullus ſecularis poteſtatis metus exterreat, nullus temporalis fauor abſorbeat; nullus terror immineat, nihil ſuam ſanctitatem & venerabiles ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales à vero & veri conſilii ſoliditate remoueat, cum non abſque prouiſione diuina ipſa loca Apoſtolicæ ſedi prouenire credantur. Ex his autem cauſis & aliis nos iuſte & merito mouentibus, prouiſione congrua occurrere duximus, ne inclyta ciuitas Auinionis, quæ ſe ſemper deuotiſſimam & fideliſſimam Eccleſiæ exhibuit, & nouiſſime in fidei Catholicæ obſequium, de ſuis facultatibus copioſiſſimam ſubuentionem pro vnione Græcorum cum Latinis proſequẽda, miniſtrauit, quoquo pacto ab ipſius Romanæ Eccleſiæ dominio alienetur, aut ad manus alienas transferatur, cum ex his & aliis Eccleſiæ vniuerſali per ipſam inclytam ciuitatem impenſis obſequiis, non impeti, non damnificari, non in alios vſus alienari, ſed beneficiis attolli merito debeat. Eccleſiaſticis enim vtilitatibus inſudantes, eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere. Decernitigitur hęc ſancta ſynodus, vt nullus cuiuſcunque dignitatis vel præeminentiæ fuerit, etiam ſi papalis, ciuitatem prædictam & etiam comitatum Venayſini cum terris & dominiis ſibi adiacentibus, audeat vel præſumat quoniſmodo ſeu iuris colore quæſito, vendere ſeu pignori obligare, aut in feudum vel cenſum dare, aut quouis modo alienare. Quod ſi ſecus per Romanum pontificẽ vel alium quemuis actum ſit de præſenti, vel in futurum agi contingat, hæc ſancta ſynodus totum id & quicquid inde ſequatur, exnunc prout extunc caſſat, irritat & annullat, & omni carere decernit robore firmitatis. Atque etiam ſtatuit, quod ipſe Romanus pontifex vel alius quiuis, ſi quicquam contra huiuſmodi decretum attentauerit, ſacro generali Concilio deferatur. Recipientes quoque, etiamſi cardinalatus, patriarchali, pontificali, imperiali, regali, ducali, vel alia quauis eccleſiaſtica vel ſeculari præfulgeant dignitate, vel etiam ſi communitas fuerit, decernit hæc ſancta ſynodus pœnis excommunicationis, priuationis cuiuſcunque dignitatis eccleſiaſticæ vel ſecularis, etiam omnium feudorum ſpecialiter quæ à Romana vel alia tenent eccleſia, ſubiacere, necnon perpetuæ inhabilitationis ad quaſcunque dignitates eccleſiaſticas vel ſeculares, & quæcunque beneficia & officia in poſterum obtinenda. Communitas vero eccleſiaſtico interdicto, vltra pœnas ſupra expreſſas ſibi conuenientes, eo ipſo ſubiaceat, quas pœnas ſingulariter ſinguli, qui aliquid prædictorum attentauerint, ipſo facto incurrant. Inſuper ciuitatem prædictam Auinionenſem; quæ magnam mercedem ab vniuerſali promeretur Eccleſia, cuique indigniſſimum eſſet pro eius optimis meritis, mala quæuis per aliquem irrogari, præſertim cum multa contra ipſius ciuitatis ſtatum in eneruationem, diſturbium & diſſolutionem huius ſanctæ ſynodi & ſuorum ſanctorum operum, attentari & machinari poſſent, quibus hæc ſancta ſynodus non valeret ex poſt facto ſaltem commode & ſine graui damno prouidere, cumque iam ipſi ciuitati & ciuibus grauia comminata ſint, velut ex informatione ſummaria comperimus, eadem ſancta ſynodus ciuitatem ipſam & ſuppoſita eiuſdem in ſuam & Eccleſiæ vniuerſalis quam repræſentat, ſpecialem protectionem & ſaluaguardiam ſuſcipit ac reponit, prohibens ſub pœnis prædictis omnibus & ſingulis, quacunque dignitate vel præeminentia eccleſiaſtica vel ſeculari, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchali, Pontificali, Imperiali, Regali, Ducali vel alia quallibet præfulgeant dignitate, vel etiam ſi communitas fuerit, ne ipſi, aut ipſorum aliquis directe vel indirecte ciuitatem prædictam diffidare, perturbare, inuadere, vel inquietare temporaliter vel ſpiritualiter, aut eius habitatores violenter capere, aut in perſonis vel bonis eorum damnificare atq; moleſtare præſumant. Quod ſi quis fecerit, pœnas ſuperius expreſſas ipſo facto incurrat. Romanus vero pontifex ſi aliquid prædictorum attentauerit, ſacro Concilio deferatur, & ipſa attentata nullitati ipſo facto ſubiaceant. Et quoniam id quoque pariter indignum eſſet, vt venerabilis Petrus epiſcopus Albanenſis, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, de Fuxo vulgariter nuncupatus, & Apoſtolicæ ſedis legatus, qui ad ipſius ciuitatis Auinionenſis & Comitatus Venayſini prædicti gubernationem deputatus eſt, quique pro expeditione ſubſidiorum ſanctæ matri Eccleſiæ præſtitorum, in eadem ciuitate Auinionenſi, ad proſequendam vnionem Græcorum fideliter & efficaciter laborauit, huic ſanctæ ſynodo ſe obſequentiſſimum exhibendo, per quempiam vexaretur, inquietaretur, aut moleſtaretur, cuius etiam perturbatio & moleſtatio in magnum diſpendium & in grauem calamitatem ipſius ciuitatis Auinionenſis veriſimiliter proueniret, idcirco ſub eadem protectione ex præmiſſis cauſis recipit hæc ſancta ſynodus eundem venerabilem Petrum epiſcopum Albanenſem, & ſuos familiares domeſticos & continuos commenſales, decretoque pariter prohibet eadem ſancta ſynodus ſub pœnis antedictis, ne quiſquam cuiuſcunque dignitatis (etiam ſi Cardinalatus, Patriarchalis, Pontificalis, Imperialis, Regalis, Ducalis, aut alterius, vel etiã cõmunitas) ipſum & ſuos prædictos inuadere, diffidare, moleſtare, aut de facto in ſuis beneficiis, bonis & rebus quibuſcunq; perturbare præſumat, vel ſpiritualiter, vel temporaliter quoquo modo contra eũdem & eoſdem procedere. Si vero Romanus Pontifex aliquid prædictorum attentauerit, ſacro Concilio deferatur, ſimilique nullitatis vitio in contrarium attentata eo ipſo ſubiaceant. Quodq; abſolutio & relaxatio à prædictarum excommunicationum (præterquam in mortis articulo) ac interdicti, & inhabilitationis, & cæterarum pœnarum ſententiis, ſacro generali Concilio reſeruata intelligatur. Datum in Seſſione noſtra publica, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata 6. Kalend. Octobris, Anno à natiuitate Domini 1437.

In 3. Synodo Romana, cuius initium eſt, Fauio, &c. Ne res idem fraternitas.

manus

manus Pontifex aliquid prædictorum attentauerit, ſacro Concilio deferatur, ſimilique nullitatis vitio in contrarium attentata eo ipſo ſubiaceant. Quodq; abſolutio & relaxatio à prædictarum excommunicationum (præterquam in mortis articulo) ac interdicti, & inhabilitationis, & cæterarum pœnarum ſententiis, ſacro generali Concilio reſeruata intelligatur. Datum in Seſſione noſtra publica, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata 6. Kalend. Octobris, Anno à natiuitate Domini 1437.

SESSIO XXVIII.

In qua cæſuratur contumacia Papæ, & declaratur contumax.

XIX. Sacrosancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Die Martis prima menſis Octobris, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, in eccleſia maiori Baſileenſi, in qua ſeſſiones præſentis ſacroſanctæ generalis Synodi Baſileenſis celebrari ſolent, vigeſimaoctaua ipſius ſanctæ Synodi ſeſſio hoc modo extitit celebrata, videlicet Miſſa ſolenni de Spiritu ſancto per reuerendum patrem dominum Georgium Epiſcopum Viſenſem nationis inclytæ Hiſpanicæ celebrata, & demum ſuffragiis, Antiphona Exaudi, &c. Litaniis, Euangelio ſecundum Matthæum, Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: *Matth. 18* *Quis putas maior eſt in regno cœlorum?* Et aduocans Ieſus paruulum, &c. ac hymno, VENI CREATOR SPIRITVS, cum verſiculo & Collecta, & oratione, DEVS QVI CORDA, decantatis, præſidente in eadem ſeſſione præfato reuerendo patre domino Epiſcopo Viſenſi ante maius Altare, vbi dicta Miſſa celebrata extitit, in pontificalibus cum mitra aurifabrata & pluuiali, in cathedra & ſede eminentiori, pluribusque aliis dominis prælatis cum mitris planis & pluuialib⁹, vt in talibus in eadem Synodo fieri ſolitum eſt, ſuperioribus & eminentioribus ſedibus ſuis locis tam à dextris, quam à ſiniſtris conſidentibus in multitudine copioſa: compluribusq; dominis eccleſiaſticis, diuini & humani iuris magiſtris, doctoribus & ſcientificis viris Principum ſpiritualium & temporalium, ac almarum vniuerſitatum ſtudiorum generalium nunciis, & Ambaſiatoribus, ac aliis de diuerſis mundi partibus ibidem aſtantibus in magno numero, & multitudine copioſa, eandem ſanctam Synodum vniuerſalem Eccleſiam repræſentantem celebrantibus, conſtituti in iure coram eadem Synodo pro tribunali ſedente, venerabiles viri domini Promotores & Procurator fiſcalis eiuſdem ſanctæ Synodi, per organum dicti promotoris fiſcalis ſua verba eidem Synodo in perſonam dicti domini Epiſcopi Viſenſis præſidentis dirigentes, audientiam publicam ibidẽ tunc ſibi dari & concedi ad hanc horam, humilime & inſtanter petierunt, ſupplicarunt & poſtularunt; cui ſupplicationi eadem S. Synodus per organum ipſius domini præſidentis annuit. Tunc eidem domini Promotores & Procurator fiſcalis decretũ originale monitorii ſiue citatorii ab eadem ſancta Synodo emanatum contra ſanctiſſimum dominum noſtrum Eugenium Papam Quartum, eius Synodi vera bulla plumbea impendenti bullatum, de quo in ſchedula infra ſcripta fit mentio, necnon inſtrumentum publicum executionis eiuſdem per affixionem in valuis prædictæ Eccleſiæ Baſileenſis die datæ ipſius decreti facti, vna cum ſchedula accuſationis contumaciæ ipſius domini noſtri Papæ, quam accuſarunt, atq; petierunt vt in eadem per ipſum procuratorem alta & intelligibili voce lecta continetur, cuius ſchedulæ tenor ſequitur in hæc verba:

Reuerendiſſimi reuerendique in Chriſto patres ac metuendi domini, ac cæteri vniuerſi domini noſtri præſtantiſſimi, hanc ſacroſanctam generalem Synodum Baſileenſem, vniuerſalem Eccleſiam repræſentantem, conſtituentes & celebrantes, cum iamdudum, videlicet pridie Kalend. Auguſti anni præſentis milleſimi quadringenteſimi trigeſimi ſeptimi, hæc ſancta Synodus conſiderans mala, deformitates, & ſcandala ac pericula, quæ in Eccleſia Dei hactenus viguerunt, prout adhuc vigent (quibus corrigendis pro ſalute totius Chriſtianæ plebis ex officio ſuo totis viribus ſuis incumbere tenetur, etiam ex poteſtate quam ſuper cunctos fideles cuiuſcunque authoritatis, etiam ſi Papalis exiſtant, à Chriſto accepit, contra ſanctiſſimm dominum noſtrum Eugenium Papam Quartum) quoddam citatorium per edictum, quatenus per ſe vel alium ad hoc legitime deputatum, coram eadem ſancta Synodo de & ſuper contentis in dicto citatorii decreto & aliis proponendis, infra ſexaginta dierum ſpatium pro ſui defenſione, aut excuſatione alleganda, vel proponenda compareret, terminum peremptorium e dem ſtatuendo (vt in eo latius continetur) decreuerit, quod quidem citatorium in præſenti ciuitate & in valuis huius maioris Eccleſiæ Baſileenſis, iuxta illius formam & tenorem, per edictum executum fuerit, & debitæ executioni demandatum: nos Bartholomæus de Fraxino, & Ioannes *Slitznerode promotores, & ego Ioannes *Spaſſerii procurator fiſcalis, ac officiarii huius ſacroſanctæ Synodi, bullam citatoril dictæ ſanctæ Synodi vera bulla plumbea bullatam, vna cum inſtrumento executionis eiuſdem citatorii (vt præmittitur) factæ realiter, facto & in ſcriptis offerimus, repræſentamus, & producimus, ac præfati ſanctiſſimi domini Eugenii per ſe aut alium cum ſufficienti mandato infra dictos ſexaginta dies in ipſo citatorio ſibi præfixos, per ſe aut alium non comparentis, neque comparere curantis (licet ſæpiſſime ipſa ſancta Synodus quamplures celebrauerit congregationes, in quibus aut ipſarum aliqua ipſe dominus Eugenius comparere infra dictum terminum potuiſſet) cõtumaciam accuſamus, ipſumque contumacem reputari, ac in contumacia & defectu poni & declarari per hanc Synodum, petimus cum inſtantia, atque poſtulamus. Necnon eundem dominum Eugenium alta voce ad valuas huius maioris Eccleſiæ Baſileenſis, per duos reuerendos in Chriſto patres dominos Epiſcopos, vna cum notariis huius ſacri Concilii, iuxta mores antiquos vocari, & relationem vocationis fieri inſtanter requirimus, ac aliis dominibus per nos promotores & procuratorem fiſcalem, antedictos, dictis, propoſitis & requiſitis, nomine quo ſupra, à vobis reuerendis patribus dominis protonotariis, ac etiam huius ſacri Concilii Notariis & ſcribis, petimus ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, publicum vel publica confici inſtrumenta. Ad quorum petitionem & mandatum ipſius ſanctæ Synodi, lecto prius prædicto executionis inſtrumento, & dicto monitorii ſeu citatorii decreto, cum in eodem loco dum edictum fuit emanatum, alias lectum fuiſſet, habito pro lecto, reuerendi in Chriſto patres & domini, domini Matthæus Albinganenſis, & Aymo Gratianopolitanus Epiſcopi, de mandato dictæ ſanctæ Synodi, per organum dicti domini præſidentis eis facto, prædictum dominum noſtrum Papam primo ſuper gradus ante dictum maius Altare alta & intelligibili voce per organum ipſius domini Epiſcopi Albinganenſis vocarunt, & proclamarunt clamoroſa inſinuatione, ſub his verbis:

Ex parte ſacroſanctæ Synodi publicè & ſolenniter requiritur ſanctiſſimus dominus Eugenius Papa Quartus, quatenus ſe vigore citationis contra eum nouiſſime per eandem ſanctam Synodum decretæ, duxerit ſe conſpectui huius ſanctæ Synodi præſentandum, ad ſe defendendum & excuſandum ſuper his, de quibus huic ſanctæ Synodo delatus eſt, compareat coram

hac ſancta Synodo, ad hunc actum pro tribunali ſedente, quæ eidem pollicetur gratam & debitam audientiam. Similiter ex parte eiuſdem ſanctæ Synodi omnibus intimatur, quatenus ſi quis ſit, qui mandatum habeat ſufficiens ad comparendum pro eodem domino Eugenio, compareat coram eadem ſedente, vt ſupra. Hæc autem ſancta Synodus pollicetur cuilibet, exigente iuſtitia, audientiam gratam, &c. Qui dominus noſter Papa ſic vocatus & proclamatus, nec aliquis pro eo comparuit, nec reſpondit. Vnde ipſi duo domini Epiſcopi ante valuas ſeu portas ipſius eccleſiæ acceſſerunt, & iterum cum pauſata intermedia inſtantia, trina vice alta & intelligibili voce, & clamoroſa inſinuatione præfatum dominum noſtrum Papam vocarunt & proclamarunt per organum cuius ſupra, cum eiſdem verbis ſupraſcriptis, prout etiam prouidi viri Arnoldus Amici, Ioannes Kempener, & Gotfridus Dorſten, ipſius ſanctæ Synodi curſores, vocibus eleuatis, reiteratis vicibus, vocarunt & proclamarunt. Qui dominus noſter Papa Eugenius nec aliquis pro eodem ibidem comparuit, neque reſpondit. Quibus ſic factis, ipſi duo domini Epiſcopi ante conſpectum ipſius ſanctæ Synodi & in medium reuerſi, ſe prædictum dominum noſtrum Papam (vt ſupra ſcriptum eſt) vocaſſe & proclamaſſe, & per dictos curſores vocatum & proclamatum fuiſſe, quodque ipſe nec aliquis pro eo comparuerat, neque reſponderat, eidem ſanctæ Synodo retulerunt. Præterea præfati promotores & procurator fiſcalis, per organum ipſius procuratoris, contumaciam prænominati domini noſtri Papæ iterato accuſarunt, ipſumque ſuper omnibus & ſingulis in dicto citatorii decreto contentis, contumacem reputari, & ad vlteriora procedi, & alias decerni & fieri, vt in quadam alia ſchedula per ipſum procuratorem etiam alta & intelligibili voce ibidem lecta, continetur, cuius tenor talis eſt: Nos promotores & procurator fiſcalis antedicti, quo ſupra nomine iſtam vocationem & relationem (vt præmittitur) factas, inter acta huius cauſæ, & ſacri Concilii petimus regiſtrari: dictamque citatorii bullam & inſtrumentum executionis (prout ſuperius producta ſunt) iterato repetimus, & reproducimus, & apud Acta ſacri Concilii, & cauſæ huiuſmodi inſeri & regiſtrari petimus. Et quia præfatus dominus Eugenius de & ſuper contentis in dicto citatorii decreto legitime citatus, ſufficienterque expectatus, nec per ſe nec per alium infra dictos ſexaginta dies curauit, atque curat comparere, ipſius contumaciam accuſamus. Ipſumque ſuper omnibus & ſingulis in *dicti citatorii decreto contentis, prout iuſtitia ſuadet, & iuris ordo poſtulat atque rationis, contumacem reputari, in cauſaque huiuſmodi in eius contumaciam, eius abſentia diuina repleta præſentia, vt ipſi ſanctæ Synodo videbitur expedire, & vniuerſali Eccleſiæ ſanctæ Dei neceſſarium fuerit, & vtile, ad vlteriora procedi, ac proceſſum per audientiam contradictarum aut alias (prout videbitur) decerni per ipſam ſanctam Synodum inſtantiſſime poſtulamus: requirentes dominos Protonotarios & notarios huius ſanctæ Synodi, vt omnia in cauſa huiuſmodi acta & producta ac ordinata, apud Acta ſacri Concilii & cauſę huiuſmodi regiſtretis: nec non quo ſupra nomine, à vobis dominis protonotariis & notariis petimus, ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, publicum vel publica confici inſtrumenta. Huiuſmodique ſchedula ſic lecta, & per eandem ſanctam Synodum audita, ipſa ſancta Synodus per organum prædicti domini Præſidentis præcepit & iniunxit præfato domino Epiſcopo Albinganenſi, vt ambonem (in quo decreta ipſius ſanctæ Synodi, per eandem ſanctam Synodum pronunciari & legi ſolent, dum eduntur) aſcenderet, declarationemque contumaciæ prænominati domini noſtri Papæ alta & intelligibili voce, nomine ipſius ſacroſanctæ Synodi legeret, & pronunciaret. Qui quidem dominus Epiſcopus Albinganenſis, mandatis ipſius Synodi obediens, dictum ambonem aſcendit; dictamque ipſius domini noſtri Papæ contumaciam & proceſſus ad vlteriora declarationem, in ſcriptis alta & intelligibili voce nomine ipſius ſacroſanctæ Synodi legit, & pronunciauit, vt in eadem ſchedula per eum lecta continetur. Cuius tenor ſequitur ſub his verbis: Hæc ſancta Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, & ad huiuſmodi actum legitime congregata, & pro tribunali ſedens, audita petitione promotorum & procuratoris fiſcalis eiuſdem ſanctæ Synodi, *vt ex eorum relatione & producta one inſtrumentorum viſa eiuſdem domini Eugenii Papę contumacia in non parendo citatorio eiuſdem ſacri Concilii, recepta etiam ſuper hoc ad maiorem cautelam per deputatos eiuſdem Synodi informatione tam de prædictis, quam de notitia eiuſdem citatorii in Romana curia, decernit, declarat, & reputat dictum dominum Eugenium legitime citatum, ſufficienterq; expectatum, fuiſſe & eſſe contumacem, & eius abſentia non obſtante, diuina *eadem repleta præſentia, contra eundem dominum Eugenium Papam ad vltetiora fore pröcedendum, prout ſacro Concilio videbitur, conſideratis neceſſitatibus & vtilitatibus vniuerſalis Eccleſiæ. Qua ſiquidem contumaciæ declaratione & proceſſus decreto ſic lecto, præfatus dominus Epiſcopus Albinganenſis petiit eidem ſacroſanctæ Synodo, an huiuſmodi declarationis & decreti pronunciatio, per eum de mandato ſanctæ Synodi (vt præfertur) facta & lecta, ipſi ſanctæ Synodo placeat. Quæ ſacroſancta Synodus alta voce reſpondit per verbum, Placet. De quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, præfati domini promotores, nomine promotorio eiuſdem, petierunt à dominis ſanctæ Sedis Apoſtolicæ protonotariis & nobis notariis & ſcribis ipſius Synodi, ad perpetuam rei memoriam fieri vnum vel plura, publicum vel publica, inſtrumentum vel inſtrumenta. *Celebrata ſiquidem ſoleniter extitit prædicta ſeſſio, & acta fuerunt hæc omnia ſupradicta, vbi & prout ſupra ſcripta ſunt. Et interfuerunt teſtes præſentes, venerabiles & circumſpecti viri domini & magiſtri, Ægidius Caminieta in Medicina Pariſienſis, & Ioannes de Segobia in Theologia magiſtri Salmantinenſis almiarum Vniuerſitatum ſtudiorum generalium, in dicta ſancta Synodo Ambaſiatores; Guilhelmus Kircher dictus de Conſtantia, & Ioannes de Comitibus archipresbyter Papienſis decretorum, & Stephanus de Nouaria legum doctores; & Robertus Auelon Licentiatus in decretis Canonicus Cameracenſis; cum pluribus aliis rogatis & requiſitis.

*dicto.

*for. bus

*eiuſdem replente præſentiã.

*loco illorum. Acta ſunt hæc Baſileæ in eccleſia maiori Baſileenſi, in ſeſſione publica eiuſdem Synodi ſolenniter celebrata Kal. Octobris, anno à natiuitate Domini 1437.

SESSIO XXIX.

De reuocatione pretenſæ bullæ Papæ ſuper translatione Concilii factæ.

XXI.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Compatiens hæc ſancta Synodus miſerabilibus Eccleſiæ minis, & languoribus capitis atque membrorum ex intimis condolens viſceribus, poſt editionem ſalubertimorum decretorum in obſeruationem legis Domini, & antiquorum canonum, poſt benignas & charitatiuas admoniciones, ſummo Pontifici per Oratores plurimos directas, poſt annorum plurium expectationem cum multa patientia deductam, cum & decreta contemni, & admonitionem parui pendi, & inde ſcandala, diuiſiones & ſchiſmata creſcere videret, vltiaque & peccata maioribus adoleſcere incrementis, compulſa eſt tandem Synodus ipſa, regimini eccleſiaſtico, puiſionem quærere ſalutarem, & ſummum pontificem

tificem ad hoc vehementius excitare, vt ea quæ ad ipſius & vniuerſæ Eccleſiæ ſalutem erant, efficaciter agere curaret, cuius exemplum ſubditi facile imitantur. Et quoniam (vt Sapiens loquitur) *melior eſt manifeſta correctio, quam amor abſconditus*: meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta blandientis oſcula, de factis aliquos debiti regiminis (qui Eccleſiæ dicti fuerunt) flebili querela commemorauit, vt in melius emendarentur, nec ipſius ſummi Pontificis, aut aliorum valerent diutius obeſſe ſaluti. Et vt omnis patientia exhiberetur, nulla poſita eſt pœnarum adiectio, ſed tantum terminus conueniens præfixus extitit, vt infra illum aut per ſe, aut per alium ipſe in hac ſancta Synodo compareret, atque ſic debito regimini Eccleſiæ (prout publica neceſſitas maxime impellebat) opportune prouideretur, velut forma citationis editæ apertius indicauit, quod & maxime hæc ſancta Synodus agere vrgebatur, dum poteſtatem habet immediate à Chriſto ſuper vniuerſos Chriſti fideles cuiuſcunque ſtatus etiam ſi Papalis exiſtant, in his præſertim, quæ ad reformationem pertinent. Dumque ob ipſam cauſam reformationis congregata eſt, quæ nullatenus perfici poteſt, niſi ſummus Pontifex ad eam reformationem cum effectu capeſſendam, ſuum inclinauerit animum, cum etiam experientia docuerit, ex editione decretorum *ex qua ſalus effici debuerat, in locis pluribus turbationem fuiſſe ſubſecutam, dum ea per ſummum Pontificem infringuntur, cuius authoritate ſe tuentur, qui huiuſmodi decretis aduerſari volunt. Difficile quoque cæteri cortiguntur, ſi regimen ipſius ac curiæ ſuæ non viderint emendarum, quod ab ipſis trahitur in exemplum. Verum ſummus ipſe Pontifex præfatam citationem pro tanta neceſſitate publicæ ſalutis emanatam, quæ etſi non placentia, tamen ſalubria continebat, aliquantulum moleſtius primo aſpectu ferens, quandam ordinationis ſuæ paginam in aduerſum promulgaſſe dicitur. In qua primum de proſecutione *reductionis Græcorum varia recitans, ad impugnationem electionis loci pro Oecumenico Concilio per hanc ſanctam Synodum factæ, ſe conuertit, ſi iam Auinionenſem ciuitatem commemorans, quæ rebus vtique gerendis commodiſſima eſſe dinoſcitur, omni que pace & ſecuritate gaudere, tacita veritate de Baſilea & Sabaudia in eadem electione coniunctis. Verum cum noſtram illam electionem & decreto *cum Græcis edito plene ſatisfacere conſtet, atque loca rebus agendis commodiſſima, omni quoque nationi opportuna manifeſte continere, non neceſſe eſt, vt de hac re longiorem ſermonem protrahamus: nec ſummus ipſe Pontifex laborem declinandi in alterum locorum illorum recuſare debet, ſi bonum rei huius tanto affectu deſiderat, ſicut in ſuis literis prædicauit. Refert præterea diuiſionem, in huius electionis ſe corum negotio, proh dolor, ſuſcitatam, quam & ſe confirmaſſe oſtendit, quam vtinam potius extinguere curaſſet. Nam & poſtquam galeæ & pecuniæ in Auenione pro locis per hanc ſanctam Synodum electis expeditæ fuerant, ipſe alias galeas in Conſtantinopolim mittere curauit, diuiſionem Latinæ Eccleſiæ coram Græcis ex duplici legationis miſſione demonſtraturus: quæ quãtum honori Eccleſiæ Latinæ, quantum vnioni Græcorum proſequendæ diſconueniant, nemo eſt qui non videat. Inſuper iuſtificare nititur, quod per venerabilem Ioannem Archiepiſcopum Tarentinum Oratorem ſuum, in miſſione certarum literarum ſuper huiuſmodi diuiſione electionis tranſmiſſarum factum eſt, quod ſubticere honeſtius fuiſſet, ne nos pro tuenda noſtra iuſtitia, rem illam magis aperire cogeremur. Nam & literas illas clandeſtine & falſo bullatas fuiſſe, iam notorium eſt. Et ſi ſummus Pontifex de confeſſione ipſius Archiepiſcopi & aliis circumſtantiis veram informationem acceperit, non impinget in huius ſacri Concilii libertatem, quod ipſe Archiepiſcopus in cauſam propter eam tem tractus ſit, aut in domo propria atteſtatus. Sed ad impugnandum eandem libertatem, cuiuſdam procuratoris ipſius Archiepiſcopi captionem nobis obiicit, quam iuſſu noſtro conſtat nullatenus fuiſſe peractam, imo procuratorem ipſum iuſſu cuiuſdam prælati, ſcandaloſæ turbationi obuiare volentis, quam procurator ipſe per appellationem emittendam ab hoc ſacro Concilio, veriſimiliter videbatur eſſe facturus, per publicum officialem captum hæc ſancta Synodus pro ſua manſuetudine ilico iuſſit expediri, qui & procuratet adhuc nobiſcum in plena libertate verſetur. Nec præterea verum eſt, per hoc ſacrum Concilium aut iuſſionem ipſius, aliquod ſpolium prioris Farnenſi (velut memoratæ literæ prætendunt) fuiſſe arrogatum, licet literæ aliquæ, plurima ſcandalaſa aduerſus hanc ſanctam Synodum, & ſuppoſita eiuſdem continentes, abſque tamen noſtro ſcitu, longe ab hac ciuitate eidem dicantur ereptæ. Nec tam leues colores ad impugnationem libertatis huius ſacri Concilii quærere potuit, cum & tam toti mundo conſtare poſſit, tantæ libertatis & ſecuritatis plenitudinem hic adeſſe, vt nullum locum vberiorem aut ſecuriorem, quam ipſam ciuitatem Baſileenſem ſub Imperiali protectione conſtitutam, & optima politia gubernatam, credamus inueniri. Cæterum aduerſus citationem emanatam plurima proferre conatur, quæ omnia ex ſuperioribus rationibus euidentiſſime confutantur. Et ſperandum eſt, vbi re ipſa plenius digeſta, ſummus Pontifex effectum citationis huiusmodi animaduerterit, in quærendo ipſius & aliorum ſalute verſari, vt languor acerrimus à corpore myſtico Eccleſiæ depellatur, non adeo aduerſus citationem ipſam ſuccenſebit. Quæ etſi aliquid amaritudinis, more ſalubris medicinæ, in primo guſtu ferre videatur, eam tamen in nouiſſimis iucundam & ſaluti feram eſſe (Deo aſpirante) perſentiet, nec eam bono publico aut charitati aduerſam, imo potius ſuæ ſaluti ac Eccleſiæ neceſſitati accommodam fuiſſe cognoſcet. Quod vero tale aliquid priora ignoraſſe ſæcula commemorat, ſi rerum geſtarum percurrat hiſtorias, non tantum ſummos Pontifices de corrigendis defectibus fuiſſe admonitos conſpiciet, ſed etiam depoſitos à Papatu, ac etiam nonnullis obedientiam ex multis cauſis fuiſſe ſubtractam. Sed ſi abuſuum incrementa nunc vigentia, ſi longam & fortem aduerſus ſanctam Synodum & reformationem Eccleſiæ reſiſtentiam perſeuerantem, quæ priora ſæcula ignorarunt, animaduertat, nihil admirabitur huius citationis nunc repertum fuiſſe antidotum. Omittimus verba, quæ aduerſum nos grauia proferuntur, recenſere, omnia manſuetis, & mitibus animis ſuſtinentes, dum ſalutem Eccleſiæ proſequamur. Sed denique ſummus Pontifex talibus qualibus ſupradictis coloribus ſuffultus, dum huic ſanctæ Synodo in his præſertim, quæ ad reformationem pertinent, obedire tenetur, & ad eandem euocatus, aut ſuper rebus propoſitis in eum, excuſationem afferre, aut cunctis in melius emendatis, regimini Eccleſiaſtico donare ſalutem, ipſe hanc ſanctam Synodum diſſoluere, ac in ciuitatem Ferrarienſem transferre conatur, cum plurium adiectione cenſuratum, ſi virtute præfati citatorii in aliquo proceſſum fuerit aut aduerſus eum, ſeu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, aut præſidentes Oratores ſuos, qui in hoc Concilio fuerunt, vel aliquem ipſorum, aliqua nouitas illata fuerit, vel etiam quicquam à die citatorii factum, continuatum vel ſeruatum extiterit. Eſt ne hæc obedientia, quam Conciliis generalibus per ſummos Pontifices, & alios quoſcunque ſacra Conſtantienſis Synodus, in his præſertim quæ ad reformationem pertinent, declarauit exhibendam? memor verborum Chriſti, qui poſtquam Simoni Petro dixerat, *ſi te non audierit, dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, continuo ſubiecit: *Amen dico vobis,* Matth. 18

*vnionis

*de

*quæ ſalutẽ afferre.

quæcunq;

Constantiensis Concilii sess.4. & 5.

quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: quam & Ecclesiæ authoritatem à Christo donatam, esse etiam supra Papam, si quis prius ambigeret, iam hoc ipsius magnæ Synodi Constantiensis authoritas aperte declarauit, cuius hæc verba sunt: Ipsa Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem prædicti schismatis, ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris. Item declarat, quod quicunque cuiuscunque status, etiam si Papalis existat, qui mandatis, statutis seu ordinationibus huius sanctæ Synodi, & cuiuslibet alterius legitime congregatæ, seu pertinentibus ad ea, factis & faciendis, contumaciter obedire contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia recurrendo: quorum virtute decretorum subsecuta fuit felicis recordationis Papæ Martini electio, cui ipse dominus Eugenius succedit, qui etiam ipsi Constantiensi Concilio, cum esset in minoribus præsens interfuit. Iam vero ipse non solum non obedit Synodo generali, sed & super illam in reformationis proprio negotio, se iudicem constituere molitur, eam propria voluntate dissoluere volens, atque in alium locum suæ origini propinquum, euocare, vbi (sicut verisimiliter creditur) ita dominari sperat, vt resisti suæ non possit voluntati. Sed nec eum decuit obliuisci, quod iam altera vice dissolutionem Synodi facere attentauerit, quam deinceps reuocare & inanem atque irritam fateri oportuit. Scire insuper debuit, iamdudum in hac sancta Synodo fuisse solenniter decretatum, assentientibus plurimis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quorum aliqui adhuc de præsenti cum eo sunt, vt hoc Concilium per Papam sine expresso consensu duarum partium ejusdem Concilii, votis singulorum per deputationes in generali congregatione scrutatis, postea solenni sessione subsecuta, dissolui non possit, aut de loco ad locum transmutari, pœnis omnibus atq; censuris ferendis in aduersum, extunc cassatis & irritatis.

Basileensis Concilii sess.11.

formidare præterea debuit, aliud Concilium in Ferratia erigere, cum alio decreto per antea edito declaratum sit, omne Concilium & isto durante alibi contigerit eligi, non fore Concilium, sed schismaticorum conuenticulum. Intelligitur autem durare hoc Concilium iuxta præmissi decreti seriem, donec ex consensu duarum eius partium fuerit dissolutum, quæ decreta ipsius domini Eugenii subsequenti adhæsione corroborata sunt, ac per suos Oratores præsidentes, saltem nominibus propriis iurata. Sed & antea in decreto Concilii Constantiensis quod incipit, Frequens, fuerat ordinatum, vt locus futuri Concilii cum consensu ipsius Concilii congregati eligi deberet, & si Concilio dissoluto locum illum mutari oporteret ex causis legitimis, tunc alius locus eiusdem nationis eligi deberet. Si vero causæ illæ totam nationem concernerent, locus vicinior assumeretur. Quod si locum futuri Concilii alio tempore celebrandi, sine consensu Concilii actu congregati assignare, & nisi ad loca ibidem declarata, mutare non potest, multo minus Concilium congregatum incontinenti sine ipsius consensu ad locum alium sua voluntate transferre. Denique non debuit obliuisci decreti super conuentione Græcorum per ipsum approbati, quo cauetur, Concilium in Basilea firmiter esse permansurum, donec Græci ad portum per hanc sanctam Synodum eis nominandum, peruenerint. Quo pacto igitur, quo ve consilio nunc huius Concilii dissolutionem aut translationem efficere frustra conatur? Sed quis ille vsus est plenitudinis suæ potestatis, dum si contra aliquem eorum fuerunt, vtpote Archiepiscopum Tarentinum, (de qua mentionem fecerat) quicquam agitur

Constantiensis Concilii sess.4. 5. & 39.

Basileensis Concilii sess.19.

Basileensis Concilii sess.16.

pro debito iustitiæ, ob eam causam vult etiam Concilium dissolui? Denique vnionem Bohemorum, quam tantis laboribus hæc sancta Synodus perquisiuit, dum pro vltimato eius complemento instamus, conturbare nititur huius prætensæ ordinationis series, quæ vltra triginta dies hanc sanctam Synodum huic negotia prohibet intendere. O admiranda consilia, quæ ad eneruationem authoritatis Ecclesiæ, & suiipsius destructionem summo pontifici suggeruntur, quę si conniuentibus oculis pertransiret hæc sancta Synodus, tota confundi timeretur Ecclesiæ authoritas: & qui in Papatu assumptus, posset vniuersam Christianitatem pro sua voluntate decolorare, nec vlla esset resistentia. Quinimo & accusatus de hæresi aut quouis crimine, confestim Synodum accusantem & corripientem dissoluere tentaret, ne subiret iudicium. Nũc quoque dolentissime ferendum est, tale exemplum à domino Eugenio donari posteris, vt iudicium subter fugiendo, ad detestabile refugium prætensæ dissolutionis Concilii se conuertat. Qui & non recte de authoritate Ecclesiæ sentire videtur, dum ipsius Ecclesiæ congregatæ, cui (vti declaratum est) obedire tenetur, ipse le iudicem constituit, & aduersus tot decreta, tot sanctiones Conciliorum, eam conatur dissoluere, qui tamen dudum in adhæsione sua, cum de reuocatione literarum incipientium, Deus nouit, mentio haberetur, ipse quicquid per eum aut suo nomine in præiudicium aut derogationem huius Basileensis Concilii, seu contra eius authoritatem factum, attentatum seu assertum erat, cassauit, irritauit & annullauit, nullaq, & irrita fuisse & esse declarauit, & se deinceps à nouitatibus & grauaminibus, seu præiudiciis inferendis huic sacro Concilio, aut suppositis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu desistere pollicitus est. Cum igitur talia in aduersum perpetrata, quæ vniuersis fidelibus detestanda, & abhorrenda sunt, nullatenus sub dissimulatione pertransire valeamus, volens hæc sancta Synodus (sicut tenetur) de opportunis remediis prouidere, declarat huiusmodi prætensam dissolutionem huius Concilii, ac translationem in ciuitatem Ferrariensem, per dominum Eugenium Papam Quartum factas, cum omnibus censuris, pœnis & aliis inde secutis, nullas esse, penitusque irritas & inanes, mandans obsecrans & præcipiens eidem, vt hæc (sicut de facto processerunt) reuocare habeat, & aduertat ipse pœnas, quæ dudum in decreto huius sanctæ Synodi, quod incipit, Quoniam frequens, eriam ante ipsius adhæsionem in vndecima sessione promulgato, contra Romanum Pontificem ad Concilium generale quoquo modo dissoluendum, mirandum, prorogendum operam dantem, prolatæ fuerunt: vbi expresse cauetur, quod si Romanus Pontifex talia agens, infra quatuor menses cum reali satisfactione non resipuerit, extunc à Papali administratione sit ipso facto suspensus, quæ quidem Papalis administratio ad sacrum generale Concilium ipso iure deuoluatur. Quod si pœnam ipsam per duos menses post prædictos quatuor menses sustinuerit animo indurato, contra ipsum vsque ad priuationem inclusiue per Concilium generale procedatur: quas quidem pœnas hæc sancta Synodus ipsum dominum Eugenium, nisi resipuerit, decernit & declarat incursurum, iuxta terminos in prædicto decreto vndecimæ sessionis præfixos, ad quarum pœnarum executionem, nisi resipuerit, (vt prælibatum est) merito procedemus.

Basileensis Concilii sess.11.

Insuper hæc sancta Synodus omnem nominationem, electionem, assumptionem loci Ferrariensis factam, tanquam decretis ipsius synodi repugnantem, sicut de facto processit, cassat & irritat, imo verius cassam & irritam esse declarat. Et casu quo in eadem ciuitate aut alibi aduersus præfatorum decretorum nostrorum tenorem summus ipse Pontifex Concilium erigere inceperit, vel incipiet in futurum, mandat &

præcipit

præcipit hæc sancta Synodus vniuersis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibuscunque in curia dicti domini Eugenii existentibus, qui Synodis generalibus de iure vel consuetudine interesse tenentur, vt ad hoc sacrum Concilium Basileense, cæteri vero ad loca suorum beneficiorum vel alibi extra curiam se transferant, sub pœnis excommunicationis, priuationis omnium beneficiorum, dignitatum & officiorum, & inhabilitationis perpetuæ, quas, si contra fecerint, ipso facto incurrant.

Inhibet præterea sub eisdem pœnis hæc sancta Synodus, ne quisquam, cuiuscuis status & dignitatis, etiam si Cardinalis, Patriarcha, Archiepiscopus, vel Episcopus fuerit, ab hac sancta Synodo vigore seu prætextu dissolutionis aut translationis per ipsum dominum Eugenium factæ recedere audeat, vel ab actibus Conciliaribus vllo pacto desistere, seu huiusmodi translationi, vel dissolutioni quomodolibet obedire. Decernit quoque hæc sancta Synodus, vt omnes & singuli ad hoc Concilium libere accedere possint, ac si præfatæ dissolutio & translatio nullatenus emanassent, nec quisquam venientes ad hoc sacrum Concilium quouis modo habeat impedire. Vniuersis quoque Christi fidelibus sub pœnis excommunicationis inhibet, quacunque dignitate ecclesiastica vel sæculari, etiam si Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Pontificali, Imperiali, Regali vel alia quacunq, præfulgeant, ne ad tale prætensum Concilium per ipsum dominum Eugenium (vt præmittitur) erectum vel erigendum, accedere vel mittere præsumant, neq; etiam Vniuersitates, Collegia, Capitula, Communitates ad tale prætensum Concilium mittant. Quod si fecerint, ipso facto ecclesiastico subiaceant interdicto.

Denique ne ipse dominus Eugenius iugiter grauioribus gratioribus addere præsumat, noua schismata & scandala suscitando, authoritatemque vniuersalis Ecclesiæ vehementius impugnando, inhibet eidem hæc sancta Synodus, ne deinceps aduersus ipsam quicquam innouet, eandem vel eius supposita & eidem adhærentes pertubando, vel molestando, seu iam attentata continuet, ac etiam vniuersos qui beneficia, dignitates, personatus & officia suppositorum huius sacri Concilii, seu eidem Concilio adhærentium impetrauerint, seu obtinuerint, seu impetrare tentauerint, vel obtinere, etiam si motu proprio concessa fuerint, & omnes qui huiusmodi impetrationi vel prouisioni beneficiorum, dignitatum, personatuum & officiorum quorumcunque, assensum, fauorem, vel *auxilium dederint, quacunque præfulgeant dignitate (vt præmittitur) ecclesiastica vel sæculari, etiam si vniuersitates, communitates, collegia vel capitula fuerint, aliquod seu aliqua suppositorum huius Concilii & eidem adhærentium, vigore seu prætextu prætensæ ordinationis per ipsum dominum Eugenium factæ, in suis beneficiis, ac aliis rebus molestauerint, vel perturbauerint, quacunq; authoritate ordinaria vel delegata. Decernit eadem sancta Synodus, pœnis excommunicationis, priuationis ab omnibus beneficiis, officiis & dignitatibus, ac inhabilitationis ad eadem, quantum ad singulares personas, & si vniuersitates, communitates, vel collegia aut capitula fuerint, interdicto ecclesiastico ipso facto subiacere, decretis huius sanctæ Synodi, quæ incipiunt, Ambitiosorum: &, Vt sacri: &, Cum Christi Ecclesia, & aliis quibuscunque ipsius decretis & ordinationibus in suo roboré duraturis. Insuper vniuersis prælatis, etiam Pontificali dignitate præfulgentibus, capitulis, vniuersitatibus, communitatibus & collegiis, ac aliis quibuscunque personis ecclesiasticis, sub pœnis prædictis quo ad singulares personas, & quo ad communitates, vniuersitates, collegia, capitula, sub pœnis cessationis à diuinis & interdicti, quas (si contrafecerint) incurrant ipso facto, prohibet hęc sancta Synodus, ne aliquem qui præfata beneficia, dignitates, personatus, & officia suppositorum huius sacri Concilii & eidem adhærentium (sicut præmittitur) obtinuerint, recipere seu admittere ad possessionem, vel inuestire quouis modo audeant: literis quoque *prouisionibus & mandatis Papalib. vel aliis quibuscunque, quacunque authoritate ordinaria vel delegata, sub quibuscunque censuris, vel pœnis emanatis, super huiusmodi priuationibus ac præfatorum beneficiorum, dignitatum, personatuum, & officiorum collationibus, hæc sancta Synodus decernit nullatenus fore obediendum, quodque aduersus pœnas superius præmissas nullus restitui, etiam ad diuinorum celebrationem rehabilitari, reintegrari, sed nec à sententia excommunicationis (excepto duntaxat in mortis articulo) absolui, vel etiam quo ad communitates & capitula ac vniuersitates & collegia interdicta relaxari, nisi per hanc sanctam Synodum, possint. Vt autem nullus huius nostræ ordinationis & decreti possit quouis modo prætendere ignorantiam, volumus, mandamus, hanc præsentem paginam valuis huius Ecclesiæ cathedralis Basileensis sub nostra bulla affigi atque publicari; & per affixionem ipsam eidem domino Eugenio, ac vniuersis & singulis intimari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, decreti, mandati, cassationis, irritationis, inhibitionis, inhabilitationis, priuationis, excommunicationis, interdicti, à diuinis cessationis, declarationis, affixionis & intimationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & vniuersalis Ecclesiæ se nouerit incursurum. Datum in Sessione nostra publica, in Ecclesia maiori Basileensi quarto Idus Octobris celebrata, Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo trigesimo septimo.

*confilii.

Basileensis Concilii sess.8. & sess.13. & sess.26.

*prouisionum.

SESSIO XXX.

Super modo communionis.

XXI.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Vt lucidius videatur pro declaratione Catholicæ veritatis, quid circa perceptionem Sacræ Eucharistiæ tenendum sit, & agendum pro vtilitate & salute populi Christiani, post diligentem perscrutationem diuinarum scripturarum, sacrorumque canonum & doctrinarum à sanctis patribus & doctoribus traditarum, in hac sancta Synodo longis temporibus habitam, consideratisque omnibus quæ pro declaratione huius rei consideranda fuerunt, decernit & declarat eadem sancta Synodus, quod fideles laici siue clerici communicantes, & non conficientes, non astringuntur ex præcepto Domini ad suscipiendum sub vtraque specie, panis scilicet, & vini, sacrum Eucharistiæ Sacramentum. Sed Ecclesia quæ regitur Spiritu veritatis secum manente in æternum, & cum qua CHRISTVS manet vsque ad consummationem sæculi, (sic ait diuina Scriptura) ordinare habet, quomodo ipsis non conficientibus ministretur, prout præ reuerentia ipsius Sacramenti, & salute fidelium viderit expedire; siue autem sub vna specie, siue sub duplici quis communicet, secundum ordinationem siue obseruantiam Ecclesiæ proficit digne communicantibus ad salutem. Nec vllatenus ambigendũ est, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer totus CHRISTVS. Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub vna specie, ab Ecclesia & sanctis Patribus

De sumptione corporis Christi sub vna tantum specie. Matth. 28

rationa-

rationabiliter introducta, & hactenus diutissime obseruata, & à doctoribus diuinæ legis sacrarum scripturarum atque Canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda est, nec alicui licitum est eam reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ ipsam immutare. Datum Basileæ in nostra solenni & publica sessione, 10. Kalend. Ianuarii, Anno à Natiuitate Domini 1437.

Hæc sunt acta huius anni Basileæ.

XXII. *Responsio Basilensium in reprobi sensum data rorum ad apologiam quæ euulgata fuerat pro maiestate & innocentia Eug. defendenda.*

Aliquis iusto Zelo, pro maiestate & innocentia Eugenii Pontificis inflammatus, euulgauerat apologiam; in qua euidentissimis argumentis, & insolubilibus rationibus demonstrat, & conuincit Basileenses iniquitatis & impietatis reos; qui ea quæ contra Eugenium edixerant, tentauerantque, ausi fuissent. Cæterum illi iam in reprobum sensum dati, sumpto calamo, in cuius secreto dormit Behemoth, eoque intincto felle draconum & veneno insanabili, hanc, quam ad illorum opprobrium sempiternum adscribere visum, responsionem, dignam Chami progenie publicarunt.

Ita habet.

Sacrosanctæ &c. Vniuersis Christi fidelibus salutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Ecclesiam suam Christus Deus noster tanta firmitate stabilire dignatus est, vt & si flatibus ac turbationibus mundi huius agitetur, nequaquam tamen deiciatur aut vincatur: imo nec portæ inferi prænalebunt aduersus eã. Matth. 16 *Fundata est quippe super firmam petram, petra autem erat Christus qui ait:* Matth. 7. *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi: potest quidem homo particularis deficere & errare atq; in æternum condemnari, & nemo scit vtrum odio dignus sit vel amore,* 1. Cor. 10. *sed hoc certissimum est Ecclesiam nunquam deseri à Christo, nec eius gratia aut dilectione priuari, neq; ipsum sanctum Spiritum deesse congregationi fidelium, quin aliquos semper amatores Dei constituat, cum veritas dixerit.* Matth. 18 *Ego rogabo patrem meum & alium paracletum dabit vobis vt maneat vobiscum in æternum: specialit autem quædam assistentia congregatos in nomine suo dignatur Christus Dominus, qui ait: vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, quod maxime Synodu vniuersalibus conuenire declarauit octaua Synodus Constantinopolitana dicens. Quis nesciat quod in medio sanctæ huius & vniuersalis Synodi fuerit incomprehensibilis & incircumscriptus Christus ac Dominus qui ait. Vbi duo sunt vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Hinc est quod nascentibus hæresibus, crescentibus deformitatibus, ad Concilium generalium solicitatem recursus habetur, vt inde & fidei determinatio, & omnis vitæ actionũ q; norma prodeat. Sed id quam maxime necessarium fore compertum est nouissimis nostris temporibus, cum amplius diminutæ sunt veritates à filiis hominum, cum rarius inuenti sunt, viri sanctitate præstantes, quorum vita exemplaris toti gregi dominico sese formam exhiberet imitandam: cumq; varia schismata, & deformitatum insolita magnitudo gregem Dominicum acrius inuaserunt, fauente quoq; diuina miseratione ad horum repressionem Synodus Constantiensis coadunata extitit, quamodum, & seriem agendorum deinceps Conciliorum præscripsit, & ne fieret schisma vlterius in corpore, ne qui proprio sensu ductus, aut propria innitens prudẽtiæ se ab illa segregaret, quæ essent vniuersali consensu constituta, esseq; sic in Ecclesia vnitas & pax optima omnibus idem sapientibus, declaranit eadem sancta Synodus Constantiensis quemlibet fidelium cuiuscunq; dignitatis, etiamsi Papalis existat, tenere obedire in his quæ in pertinentibus ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & membris, vniuersalis Synodus statuisset, sequens in hoc & Christi doctrinam: qui cum dixisset Petro, die Ecclesiæ, si Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, subiunxit: Amen dico vobis quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo. Exemplã quoq; beatissimorum Apostolorum imitantur, qui quod communi consilio statutum erat & ordinatum id obseruare & exequi omni promptitudine satagebãt, sicuti de Petro & Ioanne missis à Concilio primitiuæ Ecclesiæ diuina scriptura testatur. & si quis super hac obedientia vnanimiter à cunctis Concilio præstanda, quæstio versari videbatur, huius rei dubietatem Synodus ipsa Constantiensis amputauit. Quicunque hanc fidei regulam sequuntur pax super illos veritasq; ecclesiastica in ipsis conseruetur veraciter. Sicuti autem in ipso Constantiensi Concilio præfinitum erat, ac etiam Senense, hac sancta vniuersalis Synodus Basileensis, tempore statuto congregata extitit: quæ salutem publicam indefessa prosequens solsudine, Primum de pacificando Regno Bohemiæ tunc miserabilibus diuisionibus agitato, quarum incendia in regiones non modo finitimas, sed & longinquas euadere timebantur, vigilantem intendit operam. De pacificandis quoq; regnis ac prouinciis & moribus hominum reformandis maximo studio tractare cœpit. Sed heu fœlicibus illis initiis, quanta tum batio, quanta calamitas iniecta sit, quis sine lachrymis & gemitu referre possit? quam & perpetuo nos optaremus occultari silentio, nisi quædam Epistola sub nomine Domini Eugenii Papæ IV. nuper vniuersis directa fidelibus ista commemorans, nos compelleret infandum renouare dolorem, qui & processum huius sanctæ Synodi, ab eius primeuis oppugnans exordiis, nos veritatem rerum gestarum in memoriam hominum reducere vrget, & hanc sanctã Synodum in manifestatione veritatis, velut Apostolus loquitur, commendare ad omnem conscientiam hominum coram Deo, vt super omnia vincens veritas cunctis appareat, & coram omnibus viuentibus luceat syncera nostra intentio in gloriam eius in cuius nomine congregati sumus. Siquidem Synodum ipsam prosequendæ vnionis Bohemorum & aliis sanctu operibus multa cum diligentia incumbentem, & vehementi flagello prætensa dissolutionis diudum concutere cœpit dominus Eugenius, & sese ab ipsius Ecclesiæ corpore & vnitate diuidere, qua quidem diuisionis radix fuit & origo malorum, qua Ecclesiam Dei vexarunt, & nunc cum maioribus renouantur incrementis, pro cuius dissolutionis reparatione, quantos labores duobus annis & amplius pertulerimus orbis ipse cognoscit. Sed & Principes Catholici tantum malum diuisionis illius abhorrentes, instantissime laborarunt, vt ipse dominus Eugenius pure simpliciter & cum effectu adhæreret: quod & fecit, dissolutionem ipsam irritam & inanem confitendo, declarans & decernens hoc Basileense Concilium à tempore suæ inchoationis legitime continuatum fuisse & esse, prosecutionemque semper habuisse, continueri, ac prosecutionem habere debere, ac si nulla dissolutio facta fuisset, & inceps quoq; à nouitatibus, & grauaminibus, seu præiudiciis inferendis ipsi sacro Concilio vel suppositis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu desistere se affirmans. Sperabat iam hæc sancta Synodus de cætero cum pace cuncta pergere nec Ecclesiæ vnitatem per recessum ab ipsius Synodi obedientia perturbari. vnionem Bohemorum prosecuta extitit, regna & prouincias ad pacem excitauit, laborumq; suorum in his rebus Deus omnipotens dignatus est fructus reddere gloriosos, ita vt regnum Bohemiæ in Ecclesiæ obedientia persistẽs sub regimine charissimi Ecclesiæ filii Sigismundi Romanorum Imperatoris, felici tranquillitate lætetur. Principes plurimi præsertim per Germaniam, & Galliam, ad pacem & cõcordiam reducti sunt. Insuper eadem Synodus pro æterna hominum salute & vigentium deformitatum repressione, salubria decreta & peruziles ordinationes edidit, formas electionum canonicarum, iuxta SS. Patrum institutа restaurans, quib. prælati singularum Ecclesiarum assumi deberent, vt reprimeretur ambitio, nec se homines ad primatus capessendos ingererent, sed assumerentur, vt aiũ Apost. vocati à Domino tanquam Aaron. Pariter quoq; Romanis Pontificibus de cætero eligendis, modum aptissimum præscripsit, numerum & qualitatem creandorum Cardinalium ordinans, atq; salutares regulas adiiciens pro felici regimine ipsius Romani Pontificis & suæ curiæ ac etiam patrimonii terrarum, & Dominiorum Romanæ Ecclesiæ pertinentium, quorum alienationem altero decreto fieri prohibuit. Cæterum decreuit ne in collatione vel prouisione beneficiorum, prætextu vacantiarum vel alio quolibet quæquã exigeretur: pacifici beneficiorum possessoribus abstulit turbationum incentiua, circa diuini cultus celebrationem, vtamque & honestatem ministrorum, plurima salutifera disposuit: modum, tempus & ordinem celebrandorum Conciliorum Generalium, prouincialium & synodalium ordinauit. In Græcu præterea conuocandu ad celebrationem Oecumenici Concilii & prosecutionẽ vnionis eorum labores inumeros & impensas maximas consumpsit, sed interea dum hæc aguntur, ecce rursum multimoda per vniuersam Ecclesiam exorsitur turbatio, dum ipse Dominus Eugenius, proh dolor, factis & operibus ab hac sancta Synodo iterũ se disiunxit, vnus eligitur in vacante Ecclesia, ipse alterum reseruationibus inhærendo perficit, scandala, schismata, diuisiones per*

2. Cor. 4

Ecclesias oriuntur. Vnde mirandum est quo pacto missa eius capitula asserre audeat ipsum nunquam contra electiones Canonicas venisse, nisi cum iniquè celebrata fuissent, siue de persona ad beneficia minus apta, aut ex quæ posset verisimiliter scandalum exoriri cum nimis notorium sit ipsum Ecclesias, etiam priusquã prælati moriantur reseruare, & vigore reseruationum ipsarum non expectatis electionibus, ipsis Ecclesiis præficere Pastores, nec adhuc apperuit ipsum aliquam electionem expectatam, & debite examinatam, ex causa euidenti publicæ vtilitatis vel necessitatis sicut prætendere videtur reiecisse, confirmationes quoq; electionum per Metropolitanos, & alios ordinarios factas aut faciendas multipliciter perturbat, pecunia in beneficiorum, & dignitatum collatione, intercenire etiam more inconsueto audita est, ita vt plerumq; beneficia ipse & dignitates non expediantur nisi pecunia fuerit realiter exhibita. Sed nec excusare nititur à specie Simoniacæ labis, quoniam vacantias asserit recipi licere, imo etiam oportere in sustentationem Romani Pontificis, & sibi ab sentium ordinum. Vt autem non contentionis gratia sed veritatis & salutis, de hoc aliquid dicamus, si sana doctrina sapientum attentis perlegatur, vbi cum aliquo pactum initur vt pecuniam tradat, non aliter beneficium aut dignitatem habituras, ibi species contractus non gratuiti conspicitur intercenire. Nec ita lauari potest aqua excusationum ista pactio, vt à specie Simoniacæ labis reddatur aliena. Hinc enim euenit, vt plerimi qui & Deo grationes, & saluti animarum procurandæ vtiliores essent, qui pecuniæ carent aut ipsam non afferunt ad dignitates minime assumantur. Hinc plerumq; accidit, vt & cupidi & ambitiosi, qui seipsos gradu ambito indignos reddunt, promouentur facilius. Et vbi temporale commodum impellit animum, ad deserendum dignos, promouendum indignos, quis illud à specie labis Simoniacæ purum affirmabit? sed & ex hoc contingere potest vt Romani Pontifices facilius inclinentur, ad sibi attrahendum collationes dignitatum, & beneficiorum ecclesiæ pertur bandum, iura infirmorum impediendum, canones super his edictos sub vmbra plenitudinis potestatis infringendum: quod forte non ageretur, si non esset pecuniæ intercessus, sed vnicuiq; suum relinqueretur officium, & ipse desuper vigilarent, correcturi delinquẽtes, & maioribus intenturi. Sicq; tunc Ecclesia optime disponeretur, & adhuc nostris temporibus inolescit, vt cum vacat vna Ecclesia fiant translationes plurimæ per quas plurimæ Ecclesiæ vacare possint, ex quibus pecuniarum exactio magis ac magis abundet: qua quæstu Ecclesiæ & saluti animarum noceant facile est videre. Quis non intelligit hoc promouendi genus per intercentum pecuniæ, ex reduce auaritiæ adiunctum, plus fouendæ ambitioni, quam animarum saluti esse accommodum? Qui enim dignitates assumunt, illi pecunias conquirere laborant, quarum suffragio gradum assequantur honoris. Hinc suæ vendunt patrimonia, hinc se fœneratoribus obligant: quibus postea satisfacturi prædia, possessiones & castra Ecclesiæ pertinentia interdum alienare cogantur. Hinc regiones variæ depauperantur, & exactionibus premuntur. Hinc prælati per annos plurimos suspensi à diuina, sæpe numero hac tempestate visi sunt. Neq; hæc est primorum structuarii collectio, quia beneficiis liberè expeditis aliquando colligi solebat: imo & si nunquam fructus illos prælatus ipse sit collecturus, si etiam infra triduum moriturus sit, pecuniam ex patrimonio aut alitunde soluit, quæ nunquam deinceps restituitur. Non certe sic patres antiqui annatas exegerunt, vel potius pecunias sub nomine annatarum, licet fructus aliquos absque hoc quod pecunia in collatione interueniret, reseruandos pro necessitate temporis, tunc instante, duxerunt: non tamen vt perpetua talis esset reseruatio duratura. Numquid ex hoc reprehendenda est hæc sancta Synodus, quasi Sedem Apostolicam eximere velit, dum modum illum exactionum improbat, qui tantopere officit saluti animarum? Numquid illam Epistolam aduersus sanctam Synodum proferre decuit, quod ipsa mendaciter se asserit in repressionem auaritiæ Simoniacæ, ambitionum, & aliorum vitiorum, ordinationes, & salubria decreta condidisse? Certe nemo inficiabitur formam decretorum nostrorum super electionibus ritè celebrandis, super collationibus & confirmationibus libere expediendis, & aliis prius memoratis, ad expellendum illa genera peccatorum esse conuenientissimam. Nec ad contumeliam dicimus, sed ad plurimam salutem efficiendam, abusus illos habentes speciem Simoniacæ labis, per Romanum Pontificem sotueri, dum hæc tollere & perturbare eum potest obmittit, imo si labentibus talis labis specie respersi per ministros eius committuntur, eos fouere dicitur, cum eos non perturbet: & vehementer pertinescere debet ne dure propter illos corripiatur à Domino, qui Eli summum Sacerdotem durissime puniuit, dum filios suos efficaciter corripere negligebat. Sed nec in his quibus diuina Maiestas offenditur, & salus impeditur animarum continuare oportuit prætendendo excusationem non adhibita alterius prouisionis, cum timore perdendi temporale emolumentum, nimis inconsultum sit, regni cœlestis hæreditatem negligere, & animarum perpeti detrimentum. Sed & dictum erat per hanc sanctam Synodum, prouisionem esse fiendam ipsi Romano Pontifici iuxta eius indigentiam, si animum eius ad obseruationem decretorum videret benigne inclinatum. Nec autem ipse aut suam indigentiam aperuit, nec decreta exequi compertus est. Videns itaq; hac sancta Synodus ingiter animas hominum his abusibus allaqueari, decretaq; sua pro repressionibus talium edita contemni, videns, (vt prætermittitur) diuisiones in Ecclesia per Canonicorum electionum manifestam conturbationem, nimium adaugeri, videns & alia vigere schismata, dum illi qui per hanc sanctam Synodum alligabantur, per Romanum soluebantur Pontificem, ita vt iam in populo Christiano serperet illa diuisio, vt quemadmodum quondam diuidebantur Corinthii & vnus dicebat, Ego sum Cephæ, alter ego sum Apollo, sic & nunc vnus atebat: Ego sum Papæ: alter ego sum Concilii: dum Romanus Pontifex huius sanctæ vniuersalis Synodi, in his operibus non tenebat vnitatem, neque Beatissimi Papæ Damasi imitabatur exemplũ, qui & de his nullatenus cognoscere volebat, quæ sancta Synodus definuisset. Attendens præterea hoc sacrum Concilium prosecutionem reductionis Græcorum, quam tantis impensis & laboribus inchoauerat, multipliciter impediri, & denique vniuersa quasi facta Ecclesiæ perturbari ex hac diuisione, quam aduersus Synodum congregatã, & salubria eius opera, ipse dominus Eugenius confouebat, atque per minus debitum regimen Ecclesiæ cuncta in peius ruere, misertasit tandem Synodus ipsa Ecclesiæ Christi tanta ægritudine laborantis: & Zelo domus Dei accensa eundem dominum Eugenium citare decreuit, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales conuocare, vt ipsis exiliantibus, conueniens, & salutaris prouisio, Ecclesiæ donaretur, prius quam deteriora contingerent. Commemorauit cum dolore non fine informatione procedenti defectus aliquos, qui publice & notorie in præiudicium & scandalum gregis Dominici, super regimine ipsius Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus adesse ferebantur, vt omnibus melius emendatis salus & pax redderetur populo Dei. Dolet quidem plurimum S. Synodus quod talia cõmemorare oporteat, nec libellum famosum confecit, vt obiicitur, sed tantum recitauit ea non animo diffamandi sed corrigendi, prout ad eam pertinebat quatenus in publicum prodierat, dum pro debito officii à Christo susceptí negligere non potest, quorumlibet in hac vrgentissima necessitate, languoribus vniuersalis Ecclesiæ, medelam quærat donari salutarem, & pro ea infra vehementius, impleatque diuini Apostoli præceptum scribentis Timotheo: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, erit enim tempus cum sacram doctrinam non sustinebunt; Sed coacervabunt sibi magistros, &c. Rursumque ait idem Apostolus peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Quod in peccatis publicis agi potest, maxime per eum cui reformatio, & correctio pertinet aliorum. Sed & Beatus Gregorius in suo pastorali illos qui dum deficiunt se bene agere credunt, docet à pluribus oportere vicerpari. Verum citationem præfatam aliquanto asperius ferens Romanus Pontifex, aliique in aduersum per eorum (vt creditur) suasionem, qui magis loqui quærent sibi placentia, quam ipsius æternam salutem, & vniuersalis Ecclesiæ vtilenamen perquirere, plurima peragere conatus est, atq; inter cætera memoratam vniuersis Christi fidelibus direxisse dicitur Epistolam: in qua non correctio, non emendatio, proh dolor, affertur, sed quæ sibi obiiciuntur, mendaciter prolata esse scribit per hanc sanctam Synodum, quam vtique honestioribus verbis alloqui decebat. Verum ipsa pro sui charitate omnia cum mansuetudine ferre decreuit, improperia etiam suauiter sustinens, dum arguendo & obsecrando in omni patientia & doctrina posse homines perducere in salutem. Sed debuit arbitrari Rom. Pontif. populos non esse scriptis suis in factis propriis & personalibus credituros. Neque hunc modum conuenientem existimabunt, vt ipse vocatus ad synodale iudicium illud subterfugiat & ad dispersos hinc inde quærat seipsum pro-

1. Reg. 4.

Timoth. 4.

Timoth. 5.

prius instificare sermonibus. Quis enim est qui epistolam conscribere non possit & in ea quæ volet, asserere, quod si propriis sermonibus ipsum quis hoc pacto vasificare posset, pauci erunt qui se deficere fateantur. Quod si olim Beati Petri successori Pontifices Leo, Damasus, Sixtus, se in Synodo expurgare curauerunt, vt scandalum à fidelium mentibus vellerent: multo amplius ipse dominus Eugenius comparere debuisset, qui in eo casu venetur, vbi de defectibus notoriis & scandalis animibus Ecclesiam delatis est, in quibus Synodum vniuersalem in Papam iurisdictionem habere, merito cognoscere iuste potest. Hominibus quippe sperare, per se vel alios in Synodo comparere: & si non prohiberentur quæ de ipso dicta erant, clamare coram omnibus iustitiæ ciui. Statutum & vera approbaretur, debita conuersiones omnia contegerentur, & in melius emendaretur: sicque per debitam conuersionem, honorem plurimum, & benedictionem obtineret in populis: imo & exemplum pœnitentiæ cunctis præstaret per quam efficaciter reformatio Ecclesiæ, & fides daretur vniuersis: Nam & pœnitentibus ait Dominus per Prophetam: si fuerint peccata vestra vt coccinum, tanquam nix dealbabuntur. Iam enim adeo peccata nostra creuerunt, vt substantiam nostræ preferre non oporteat; sed post naufragium vitiorum super secundam tabulam pœnitentiæ peruenire in portum salutis. Cuius rei exemplum in Beatissimo Petro Apostolorum Principe proculdubio habemus, cui cum Paulus in faciem restitisset, & dixisset eum non recte ambulare ad veritatem Euangelii, & non solum dixisset, sed & in Epistola sua ad perpetuam rei memoriam scripsisset, non hoc moleste tulit Beatissimus Petrus: imo expresse Pauli Epistolas commendauit, in quibus hoc ipsum non ignorabat contineri: vt & hoc suis successoribus exemplum daret, non molestè ferre si eis per eorum Compostolos aliquid tale pro sua & vniuersalis Ecclesiæ salute diceretur. Sed vnum in sua epistola summus ipse Pontifex prosequi videtur, quod hoc sancta Synodus à principio cum à Papam deponi affectauit: quod si verum gestarum seriem in memoriam reduxerit, talia proferre desinet, cum vix adhuc esset in Papatu constitutus, dum ipsa Synodus inchoata existit, quomodo aduersus eum tunc conuenerat Synodus, quæ de gestis eius adhuc nullam habebat notitiam. Quia tunc contra eum inuentuerat cum ipse capit eam dissoluere? Deinde quam benigne, quam patienter etiam post dissolutionem resarcitam, hæ ipsæ Synodus præfatas contradictiones, impugnationes, & resistentias variis modis in assistentiam ipsius & operum eius tendentes hucusque perpetuo satis manifestum est. Sed neque in hac nouissima citatione, quicquam aliud quæsitum est, quam vt in necessitate maxima contentus, vnitio Ecclesiæ donaretur. Nihil nobis gratius, nihil desiderantius est, quam vt ipse Ecclesiam Dei salubriter regat, non quidem vt proprios voluntatis suæ cursus peragere velit spretis canonibus sacrorum Conciliorum, sed iuxta Beatissimi Petri doctrinam sic regat, non vt dominans in clero, sed vt forma factus Gregis. Romanus enim Pontifex est vniuersalis Ecclesiæ minister, non Dominus, atque etiam si bibimata & scandala submoueat, quæ contingunt, dum hæc nimium propriam studet implere voluntatem; Dicit nos eius sanctam intentionem peruerbasse, sed nos latentem intentionem, nisi ex operibus & fructibus cognoscere non possumus. Nos iudicamus ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor. Nonne prohiberi potest libera hominum voluntas, ne fructus bonorum operum ex se producat, vt defectuosum regimen abhorreat, vt pacem & vnitatem conseruet? Profecto longe melius studuerat animos hominum in approbationem iustitiæ suæ, si bona opera sua se fecisse ostendaret, quam præsumendo se habuisse bonam intentionem, quam homines, nec intueri, nec diiudicare possunt. Quis enim impedit, aut hodie impedire vt abusiua curia sua non absoluit, nec de præsenti auferat? sed miramur valde est quod dissolutionem priorum aliàs reuocatam, & annullatam, iterum approbare tanquam ratificata Epistola: & processum Concilii hinc contra hanc dissolutionem deductum reprobare: cum tamen dissolutionem ipsam iniustam esse & inanem, aperte per litteras suas confessus. Cui dissolutionis si patres parsissent, maneret adhuc regni Bohemiæ desolatio, nec Bohemorum ipsorum vsio fuit: esset: imo quam plurimæ patriarum & terrarum desolationes, errorumque hominum & malæ innumere vniuersaliter perpetrata fuissent. Si illam dissolutionem destruit; cur iterum eam sermonibus readificat, cum dicat diuinus Apostolus. Si ea quæ destruxi iterum readificio, prauericatorem me constituo? Illud autem valde stabile est quod dicit ecclesiæ Concilium sine iurisdictione & instituis super illius dissolutionis reuocatione ipsum mouendo, processisse, adiiciens iterum quod Patres in Concilio existentes contra diuinam voluntatem ipsum suppriuere quæsiuerunt, sine angustiare potestatem, & se supra eum constituere supremos. Numquid ille iam abnegare volet iurisdictionem Synodi vniuersalis in sacra Scriptura fundatam, & determinationem vniuersalis Ecclesiæ declaratam, cui declarationi si quis pertinaciter contradiceret incideret in hæresin? sed ne potestas angustiatur, dum ita dirigitur, vt non in destructionem, sed in ædificationem procedat? Caueat pro Dei reuerentia nedum minora excusare nititur, & aduersus celebres correctiones plus debito recalcitrare in gratio re corruat, qui & in epistola illius exordio dicere ausus est, Patres in Concilio congregatos iam fere septem annis ab ipso Christi Vicario, & à suprema Sede Apostolica Romana, Christianorum matre, & capite segregatos? Nonne in hoc damnabit vniuersos Cardinales, Patriarchas, Episcopos, Imperatorem, Reges, Principes, & cæteros, qui per se vel alios in hoc Concilio fuerint: & denique Ecclesiam per orbem dispersam, hoc Concilium approbantem, vt dicat vel eos à matre & capite Christianorum fuisse segregatos, vel fuisse segregatis? dicendo quidem Synodum à se fuisse segregatam, se patius à Synodo segregatam affirmare videtur, quæ tamen vniuersalem Ecclesiam repræsentat, cum enim membrum à corpore discingitur, non totum à parte se dicitur separare. Sæpius à toto segregari, debuit quidem Synodo vniuersali vt membrum ipsius in vnitate spiritus iugiter adhærere, & si relinqueret non tamen ipsa à suo vero capite Christo relinquitur. Non enim est generale Concilium Ecclesiæ sicut vna particularis conuentio consiliariorum alicuius principis, cui Papæ ipse sanguam Præsidens & Dominus præsideat: sed est vniuersalis Ecclesia Catholica conuentus, continens & includens virtualiter & authoritatiue singulos gradus Ecclesiæ, tam Papatum quam cæteros, sicut membra ipsius Ecclesiæ vniuersalis, quam propterea ipsum Concilium repræsentare dicitur, prout iam constituntur vniuersi. Quæ si attentius considerauerit ipse dominus Eugenius, seipsum ex segregatione potius reprehendet, desinetque in talem Synodum congregatam in nomine Christi, & vniuersalem Ecclesiam proferre iniuriam. Denique nos dicit vehementer studuisse, vt inconsutilem tunicam Christi scinderemus, inueniet ipse nos pro vnitate vniuersalis Ecclesiæ, & eius salute sedulo desudasse: Nec possumus à Romana Ecclesia separari, dum vniuersalis Ecclesia retinemus vnitatem, in quam ramipsa Romana Ecclesia, quam alia singulæ Ecclesiæ induuntur. Est auctoritas quæritur inquit Hieronymus, orbi maior est vrbe, sed ipse primus scissuræ & diuisionis author extitit, cum primus Synodum dissoluere, & se ab eo segregare incepit, atque in huiusmodi segregatione & diuisione, longo tempore perstitere voluit, & nunc dum post longam expectationem ac multam patientiam, eius emendatio, & regiminis Ecclesiæ Dei salutaris prouisio quæritur, ipse loquitur grandia aduersus sanctam Synodum & Ecclesiam Dei, ipse eandem Synodum dissoluere conatur, si de ipso iudicium fiat, aut aliquo suorum præsidentium Oratorum.

Numquid è conueniens est tale quærere diffugium, qui aliquando solebat per Oratores suos circa huius Concilii exordia, se ante omnes reformationem offerre, quodque de vita eius audaciter inquirentur? Numquid hoc iam tolerabile est, vt propter effugiendam correctionem ipsius & suorii Oratorum Concilium dissoluere laboret: atque propter factum personæ suæ quæ mortalis est, authoritatem Ecclesiæ immortalem confundere nitatur? sed ipsius adiutor est Christus qui eam non deseret. Iam vero ad cætera dicamus, quæ citationi nostræ respondere volens, aduersum nos retorquere nititur. Ipse alienationem terrarum excusare prætendens dicit, Nicolaum de Fortebraccijs, & Comitem Franciscum de Cotignolla contra eum fuisse incitatos, qui dicentes se esse Capitaneos Concilii terras Ecclesiæ inuaserunt, vnde strages secutæ sunt. Si autem veritas rerum aperiatur, nunquam illi ab hoc sacro Concilio inuadere terras Ecclesiæ iussi fuerant, neq; res talis illo tempore per Concilium deliberata extitit. Verum videntes diuisionem quam ipse dominus Eugenius aduersus Concilium

Galat. 2.

Isaiæ 1.

Galat. 2.

2. Pet. 3.

2. Pet. 3.

1. Reg. 16.

cilium tunc fouebat, hanc acceperunt audaciam. Vnde & qui diuisionis causa fuit, ipse etiam causa extitit malorum ac discriminum quæ exinde secuta sunt, quamobrem iam id diximus: Illa primæ dissolutio per quam ab vnitate huius sanctæ Synodi dominus ipse Eugenius voluntarie recessit, causa fuit & origo malorum. Sed postquam dissolutionem sustulit, nunquid propterea terras ipsius Ecclesiæ quæ recuperari poterant oportuit in alienas manus tradere, & titulum in eis alteri assignare, vt iam repeti non possint? & quo tunc vera alienatio patrata est? Quid præterea de alienatione aliarum ab ipso facta, vt Burgi sancti sepulchri & plurium, dicturus est, cum tamen ante adhæsionem ipsius iam per decretum huius Concilii specialiter terrarum omnium Ecclesiæ alienatio, sibi interdicta fuisset? Debuit quidem imitari Beatum Ambrosium, qui Imperatori quærenti hæreditatem Christi, respondit: Absit à me vt Christi hæreditatem tradam. Non tradidit Naboth suam, sed proprio cruore defendit, sic hæc iacula quæ in sanctam Synodum se excusando detorquere nititur, manifeste reuertuntur in ipsum. Cæterum aliam excusationem super impedimentum indulgentiarum asserens, dicit se nullas indulgentias de nouo contulisse, sed solum antiquas renouasse. Verum si loca nominatim quoties opus erit, designabimus quam plura, vbi pro causis exiguis, vt refectione materialium ædificiorum, plenariam concessit indulgentiam, tunc eo maxime cum Ecclesiæ subsidiis Christiani populi, pro exaltatione fidei Catholicæ & reductione Græcorum, indigebat, in partibus Burgundiæ, Sabaudiæ, Franciæ, variisque regionibus notissimum habetur, dum vero requisitus extitit, vt in concessione indulgentiarum plenariarum, pro facto Græcorum expresse concurreret, dixit se ne claues Ecclesiæ contemnerentur, aut eius vilesceret authoritas, maturius incedere voluisse. Non timuit hanc authoritatem vilescere, vel contemni claues, si pro quibusdam ædificiis materialibus, hac indulgentia donaretur.

Quod si vt ipse allegat incertus erat Græcorum aduentus, nunquid propterea non oportuit Ecclesiam præparare quæ in eius operis prosecutionem erant necessaria, vt promissa Græcis implerentur, & ea disponerentur, sine quibus ipsi Græci ad terras latinorum conduci non poterant? In quibus præparandis iam hæc sancta Synodus in Ciuitate Auinionensi septuaginta millia ducatorum in mutuum accepit, & antea duodecim millia à Patribus in Concilio existentibus, dum priores nuncios ante biennium missi in Græciam, tres videlicet solennes Oratores, quorum vnus ad nos rediit, alter vita functus, tertius vsque in hodiernum diem pro conductione rerum permansit, plures quoque alias impensas fecit, super quibus omnibus nondum octo millia potuit colligere. Ecce quomodo patres hic existentes, se in his rebus ditare quærunt, quorum plures vltra proprias pecunias quas in mutuum tradiderunt etiam mobilia & localia sua pignori obligarunt. Sed dicit. Cum res clericorum principaliter agerentur, superfluum fuisse laicos onerare, neque certe onerauimus, sed tam clericis quam laicis, qui sua liberalitate & pietate, in subsidium huius rei quicquam contribuere vellent, indulgentias concessimus. Numquid hoc est aliquem compellere, aliquem onerare, Nunquid hoc est nouum in Ecclesia Dei, quod pro factis fidei Catholicæ indulgentiæ concedantur? Adiecit insuper affectasse omnes gazas Ecclesiæ ad tam pium opus protinus exhibere sicut & opere se dicit adimpleuisse, galeas, pecunias, & omnia quæ pro Græcis ad Italiam transferendis necessaria erant, sua ex impensa transmittendo, sed certe intelligimus ipsum huius rei gratia, exactionem quandam valde odiosam, etiam super laicos Bononiæ constitutos imposuisse.

Fatetur autem hæc sancta Synodus non auro & argento se esse hoc pacto fulcitam, sed sperans in adutorio Domini, quæ eam hucusque confortauit, & direxit negotiis Ecclesiæ & fidei Catholicæ conducendi fidelem & synceram impendit operam: non veritæ expetere subsidium Catholicorum populorum, quorum incumbit procurandæ saluti, sed iam compellit ipse dominus Eugenius, nos huius rei aperire veritatem, quam libentius tacuissemus: Ipse diuersis artibus hoc Concilium dissoluere tentauit, aut in eum locum transferre, vti liberius libitum sua voluntatis impleret, & huius sanctæ Synodi reformationem subterfugeret, etiam priusquam de citatorio nouissime vltimo mentio haberetur; Tamen cum idipsum complere non posset iam per medium Græcorum potiri sperat optatis. Hinc varia impedimenta & grauissimæ comminationes Auenionensibus datæ sunt nepecuniam præstarent. Hinc variæ promissiones beneficiorum & dignitatum, hinc plurimæ impensæ in legationibus ad diuersas regiones transmittendis consumptæ, hinc labores innumeri assumpti, vt aut Concilium dissolueret, aut locum quem affectabat obtinere posset. Tandem cum iam pecuniæ & galeæ ex parte huius sacri Concilii in Auinione expeditæ fuissent, & antea octo millia florenorum pro Græcis congregandis, in Constantinopolim transmissa, res quoque inchoata iam cum pace & tranquilla deductione deduci poterant. Nam & Græcorum Oratores huc aduenientes, quicquid dicerent, semper in hoc persistebant, quod à decreto super conuentione ipsorum edito nullatenus recederent. Cui decreto in electione locorum per nos facta, & omnium aliarum rerum expeditione satisfactum erat.

1. Reg. 2.

Hiis ita feliciter dispositis, ipse dominus Eugenius volens mouere vbi non seminauerat, qui & præcedentibus temporibus magis opportunum fuerat arbitratus, vt legati mitterentur in Constantinopolim tractaturi cum Græcis & non fieret ipsorum conductio ad Concilium Oecumenicum in his partibus Occidentalibus celebrandum, videns ipse iam in loca citra montana eorum conductionem disponi, tunc pecunias inuenit, Galeas transmisit, quæ ipsos Græces in aliquem locum Italiæ quem vellent deducerent: non parcens honori Ecclesiæ Latinæ, in qua Græciam (proh dolor) videbant miserabilem diuisionem, quam ipse aduersus hanc sanctam Synodum in prosecutione negotiorum fidei huiusmodi per eum inchoata exercet. Vnde & maxima perturbatio rebus agendis offertur, & quæ prius placato cursu deducebantur, nunc variis exponuntur fluctibus. Nonne sanctius fuisset prosecutionem inceptam, in vnitate confouere, quam pecuniam, in fomentum diuisionis & rerum turbationem consumere? Assentiat ipse quæsumus aliquando saltem in hoc tanto fidei negotio, huius sanctæ Synodi tenere veritatem, quæ loca opportunissima in his partibus citramontanis elegit, vbi potentissimi Principes Christiani, & vniuersitates studentiū, præsertim in Sacra Theologia, pax quoque, & securitas magis abundant: vbi ad honorem Ecclesiæ Latinæ potest haberi conuentus celebrior, & ad bonum fidei ac ipsius vnionis efficacior. Nec ipse dominus Eugenius laborum veniendi ad hæc loca recusare debet, qui etiam in loca remotiora pro tanto bono proficisci deberet, ostendendo se fidelem Christi Vicarium, qui pro salute Gregis sui de Cœlo descendit, præsertim cum & ipse dominus Eugenius in hac Epistola profiteatur se velle pati mortem pro reductione Orientalis Ecclesiæ, pro quatamen (quod dolenter referimus) induci adhuc non potuit, vt extra Italiam egredi vellet, quod si voluisset, poterat toti Ecclesiæ dare pacem, imo & nostri Oratores ad eum missi obtinere non potuerunt vt pro Græcis conducendis ad loca per nos electa salutum conductum donaret, quem seculares Principes vniuersi liberalissime concedebant. Non autem ipse conari debet Græces ad locum non electum per hanc sanctam Synodum, euocare: quæ solum tria loca elegit, cum & Gracipepigerunt in locum per nos eligendum aduenire: nec pati debet hæc sancta Synodus vt aduersus pacta inita, & contra decretorum suorum tenorem Concilium hoc Oecumenicum in alio loco sine suo consensu cum Græcis ipsis celebretur, vbi certa sequeretur Ecclesiæ Latinæ confusio, & incertum esset vnionis Græcorum euentus, posset q; contingere & illam vnionem non perfici, & Latinam Ecclesiam in confusione ac deformatione manere, authoritate synodali ipsius Latinæ vniuersalis Ecclesiæ miserabiliter conculcata & prostrata, quæ nullatenus permittere possumus, sed Ecclesiæ retinebimus Deo faucente firmitatem & authoritatem, atque nihilominus vnionem Græcorum iuxta conuenta pro viribus prosequemur. Interserit autem præmissa Epistola veluti pro relatione criminis, quod in hac sancta Synodo dispensationes, commutationes votorum venduntur ac beneficia, sed nescimus vnde hæc acceperit, nisi forsitan impugnare vult quod in concessione indulgentiarum largientibus pia subsidia in opus Græcorum indultum est vt commutationes votorum & dispensationes aliquas obtinere possint. Nunquid & hoc illicitum est quod illi sua peccata eleemosynis redimant, quæ eleemosynæ in prosecutionem illius saluberrimæ vnionis Græcorum manifestè conuertuntur? quomodo autem alias dispensationes, quæ hic conceduntur vendi asserat, cum homines hic ad matrem suam Ecclesiam congregatam pro dispensationibus obtinendis, refugere

Dan. 4.

sæpe nostra sit, ne illæ magnæ exactiones pecuniarum subire cogantur, quæ in curia ipsius domini Eugenij iam constat exerceri? signet nobis vnum qui in hac Synodo beneficium aut dispensationem vel aliquod tale vendiderit, & videbit nos protinus iustitia debitum peragere. Dicit nos beneficiorum collationem sibi plerumq; adimendo, illa de facto conferre: sed si antiquarum Synodorum acta perlegerit, quæ Episcopos sæpenumero instituerunt. & destituerunt. Imo etiam Nicæna Synodus Eustachium Episcopum de Nicæa Beroën Antiochiam transtulit. Si etiam Matthiã Apostolum, & primos septem Diaconos per Concilia primitiuæ Ecclesiæ fuisse assumptos meminerit, non negabit in ipsis beneficiũ per Synodum vniuersalem ministros iustitiæ iustitui posse: quod tamen rarissime nos egimus, imo collationem beneficiorum per ipsum Dominum Eugenium sustinimus exerceri, licet multas inordinationes gratiarum expectativarum, & nominationum agere conspiceretur: quibus mediantibus in expugnationem ipsius sanctæ Synodi & vniuersalis Ecclesiæ varios sibi conabatur exquirere fautores, sed cupiebamus semper fouere vnitatem & pacem. Verba plurima per hanc Epistolam in nos grauia proferũtur, quib. creditur in cordibus nostris potissime ineſſe auaritiæ ardorem. Ecce dum sibi substantias nostras consummus, dum promotiones & beneficia non quærimus, & ad bonum vniuersalis Ecclesiæ nostra vertimus studia, auari vocamur. Protestatur huius Epistolæ principium, nostra (vt inquit) sacrilegia iuridice retundere, superstitiones & errores velle sopiri. Sed dum ipse dominus Eugenius iustitiam suam proferre debuit, refugit iudicium: dissoluit, quantum in se est Concilium, & insuper, quæ in Ecclesia Dei proferat, quo pacto excusationes in peccatis adducat, præmissa testantur, quæ certe dolenter proferimus. Nam ipsum & rectius facere, & loqui veracius atq; honestius optaremus, nec ita coram mundo propriæ animi efferre passionem. Sed cum omnia dixit quæcunque voluit, vbi sunt illa sacrilegia? vbi superstitiones? vbi errores quos nobis ineſſe dicebat, & quos sopire polluebatur? Meluæ quidem fuisset verba tam iniuriosa subticere, vbi nullam penitus in re ipsa apparentiam afferre potuit, nec Deo fauente afferet in æternum. Nec propter opprobriorum talium, aut quæ umbilet detractionum disseminationem, prosecutionem boni communis, & defensionem vniuersalis Ecclesiæ atq; Conciliorum generalium quibus robur fidei Catholicæ, duce Christo imitatur, eodem aduenante deferemus. Pauciratem nobis & imperitiam obiicis eadem Epistola, sed si veritatem amplecti velit nullam huius sanctæ Synodi conclusionem in omnibus his quæ decretata fuerunt, coram inueniet, in quam non longe maior pars prælatorum, maior pars Doctorum, maior denique pars omnium notabilium virorum consenserit, imo plus quam duæ partes Concilii in idipsum conuenerunt quod est copiose congregatum, & si omnium peritiam atque dona, ex largitate sancti Spiritus distributa, diuidens vnicuique prout vult, considerationis examinasset, parcius talia loqueretur. Tandem illa subticendo, quæ in emanata citatione dicebantur, vos Christi fideles exhortatur, vt schismata impiissima & horrenda (vt inquit) scandala desitetis, nostrosque conatus, quos impiissimos dicit reprimere studeatis: quæ tam omnia & si grauissimarum iniuriarum plena sunt, mansuete tolerare pollicti sumus, cum non nobis sit animus verbis contendere, sed consultur perquirere, quid conuenientius agendum sit pro Ecclesiastica salute. Sed dominus Eugenius schisma se abhorrere ostendit & sub timore schismatis, in hoc animos hominum perducere, vt aduersus hanc sanctam Synodum libere agere possit quæcunque volet, & diuisionem quam ab exordio. (vt præmissum est,) inchoauit, ita conducere, vt confundatur synodalis authoritas, & libitum suæ præualeat voluntatis, atque sub velamine comminari schismatis, ipse corrigi non valeat: quæ res etiam exemplum perniciosum afferet posteris in magnam Ecclesiæ desolationem. Nam quicquid summi Pontifices vellent in futurum pro libito agere, hoc possent, omni sublato timore, confidentes ob metum schismatis nunquam eorum correctionem per Concilia generalia tentari posse. Insuper dum schisma dissuadet, ipse actu schisma perniciosissimum deorum Conciliorum, quale nunquam auditum est egit, "euocando aliud Concilium in Ciuitatem Ferrariensem contra decreta Concilii Constantiensis, & ipsius, ac etiam illa quæ sunt Græcis promissa, quæ ipse expresse approbauit. Nos autem fauente Christi gratia nullum schisma facimus: imo veram Ecclesiæ prosequimur vnitatem, vt videlicet eam ipse Romanus Pontifex, quam cæteri omnes vnanimiter tenent vnitatem Ecclesiæ congregatæ, & non se separent ab his quæ vniuersali consensu sunt constituta, soliditatem Petri teneamus, quæ non in vnius solius persona voluntate consistit, quæ quotidie errare potest. Cum & aliqui Romani Pontifices in errorem lapsi sint: sed maxime residet in vniuersali Ecclesia conuentu, quem Christus caput verum ipsius non deseret vsq; ad consummationem seculi. Vtq; omnes idem sapiant cum Ecclesia congregata: & ne essent illa schismata, quæ proh dolor in oculis nostris iam vigere conspicimus, dum ipse dominus Eugenius, in diuisione inchoata nimium perseuerat, qui etiam rursum ad dissolutionem semel reuocatam reuertitur, assidueque bonum vniuersalis Ecclesiæ conturbat: & nihilominus adhuc expectamus, hoc maxime desiderantes, vt omnes prælati & Principes Christiani, ac cæteri fideles cuncti animis, & concordi sententia in hu discriminibus consulant publicæ saluti, ac regiminis salutari totius Ecclesiæ: nam res omnium agitur, hoc petimus & requirimus, vt ecclesiasticorum copiosus numerus ex omni regione huc affluat, sicut ad hanc Synodum, vniuersi status Ecclesiæ sunt legitime vocati, & pariter deliberent quid pro vnitate conseruanda, & omnibus rebus Ecclesiæ feliciter ordinandis expediat. Vniuersos quoque iam intelligere speramus, hoc nõ esse schisma quærere, sed potius velle schisma perpetuum deuitare: q tõtingeret si summus Pontifex nostri temporis à sacris Conciliis, quorũ institutæ sui prædecessores maxime exequi curabant, se nollent pro iubito voluntatis assidue disiungere & eisdem repugnare: cognoscent q iam cuncti apertius, quæ sincera necessitas pro soliditate fidei & Ecclesiæ retinere Cõciliorũ vnitatẽ, quæ dum magis oppugnatur, tãto magis in animis hominũ elucescit: hoc disponente omnipotente Deo, qui mala esse non sineret, nisi potens esset bene et ex eis elicere. Ideo dilecti Ecclesiæ filii, Principes Christiani, & vniuersi fideles, his rebus per Dei gratiam intellectis, cognoscent vbi veritas, & iustitia resideat, per quam ad pacem possimus peruenire salutarem. Vos ipsi iuuate & orate vt dominus Eugenius Romanus Pontifex, melioris freti consilio, & propria voluntate paululum inclinata, ad pacem vnitatem & salutare regimen Ecclesiarum & animarum, benignus se cõuertat, & illum in viscerib. charitatis hac S. Synodus patris animis amplexabitur, totis viribus, adiuuabit, vt ipse in omnib. boni semper abũdet, ad hãc quoq; Ciuitatẽ veniant vniuersi qui de iure vel consuetudine Cõcilii generalis interesse tenentur. Mittãt huc Principes seculi suos Oratores, vt super cunctis quæ pro bono Ecclesiæ agẽda sunt, cõmuniter cõsensu capiatur cõclusio salutaris, & in ea pace ac trãquillitate cuncta disponatur ad gloriã nominis Christi & salutẽ Ecclesiæ suæ, qui est Deus benedictus in secula seculorũ. Datum in nostra generali congregatione in Ecclesia maiori Basilien. solenniter celebrata 14. Calen. Nouembris, Anno à natiuitate Domini 1437. ext. tom. 4. Concil.

XXIII. *Basilien. suis prioribus actionibus auctoritatem, peritia artis & tolerantiæ plenum addunt.*

Hoc actum addebant Basileenses prioribus suis actionib⁹, ex eadẽ cella prima maleuolentiæ, & maledicentiæ, q̃ & extremæ petulantiæ insolentiæq; extractũ.

1. Vrgebant, Constantiensis Concilii canonem; vel male tortum, vel contra voces Euangelicas, siue intellectum, siue sanctitum.

2. Ingerebãt verba Christi ad Apostolos, de potestate ligãdi & soluẽdi illis cõmunicata; q̃ tamẽ alibi, vni Petro, tanq̃ supremo Apostolorũ, primi⁹. & cum summa plenitudine concessit, & ab eo in alios deriuari voluit.

3. Multa postea crimina Eugenio imponebant; quæ tamen falso eidem impositæ fuisse, plurimosq; ab eodem Pontifice, veniam iniuriatum, quas innocentissimo intulerant postulasse, Pius secundus testatur.

4. Conciliorum authoritate Romanum Pontificem teneri, ex Damaso falso allegabant; cum tamẽ Damasus pronunciauerit, nulla vnquã Concilia rata fuisse, quæ non essent sulta Apostolica authoritate, vt habet dilectis verbis, epist. 3. quæ extat tomo 1. Concil.

5. Citationẽ ꝓpudiosam sæpiũ refricabãt, & capita accusationum p calumniã efficta, ꝓducebant: cum tamen idem Pius 11. qui Basileensibus diutius adhæserat, sed postmodum innocentia Pontificis & rei veritate comperta, ad Eug. sese transtulerat, falso accusatum fuisse virum integerrimum & sanctissimum ostenderet.

6. Damasum, Leonem III. & Sixtum Romanos Pontifices, à Concilijs iudicatos, damnatosque fuisse, siue, ex ignoratione historiæ, siue animo seducendi alios commemorabant. cum tamen Patres Concilii Romani, vt alibi ostendimus, in causa Sixti, coram Valentino Imperatore pronunciauerint; Non licere illis aduersus Summum Pontificem dare sententiam. Idemque postea alij Patres in Concilio Romano, in causa Leonis III. coram Carolo Magno repetierint, dicentes, Sedem Apostolicam à nemine iudicari debere. Tantum igitur abest, vt hos Pontifices Concilia damnauerint, vt etiam iudicati illos à nemine deberi, pronunciauerint, prout hęc & alia, ex aliis exemplis abunde demonstrauimus tom. 1. de Romano Pontifice. capit. 15.

7. Romanum Pontificem, ministrum tantum Ecclesiæ faciebant, ea intentione, vt in ordinem illum cogerent: cum tamen is ipse sit Caput, Pastor Pastorum, Paterfamilias, Rector, Christi cum summa potestate in terris Vicarius.

8. Auctoritatem synodalem iactabant, à Pontifice diuisi. Sed quæ Ecclesia est sine Pastore? quæ Synodus, sine Papa? quod corpus viuum, sine capite?

9. Cardinales, qui Eugenium damnarent, munerabant. attamen, vno excepto qui hostis fuit, omnes Basilea ad Eugen. concesserunt: & Legati præsidentes, ausis eorum, qui monstra contra Eugenium vel fingebant, vel parturiebant, summa contentione contradixerunt.

10. Reges & Principes Christianos, pro se stare magnificabant. Sed si hos, quos exinaurato, sed venenato calice malignitatis suæ inebriauerant, & per mentiendi calumniandique artificia dementatos, partis suæ fecerant; vel si etiam hos, qui cupiditate immensa Regnorum occupandorum inflammati, nihil sibi non licere contra Eugenium, votis eorum contradicentem, vel saltem non consentientẽ existimauerãt: non valde ab eis veritati & innocentiæ metuendum. quandoquidem, & olim astiterant Reges terræ, & Principes conuenerant in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.

11. Imperatorem Constantinopolitanum & Græcos vniuersos, sibi magis benevolos iactabant, & nescio quæ scandala exoritura prædicabant. cum tamen is cum omnibus suis potius ad Eugenium, vtpote ad Caput & Pastorem, quam ad illos respexerit, & ingenti cum vtilitate, nec non totius Orbis summa congratulatione Ferrariam, & postea Florentiam accesserit, atque optatam vnionem Ecclesiarum confecerit, damnata illorum temeritate, qui Concilium, seu Ecclesiam Romano Pontifici anteponebant.

12. Bohemorum conuersionem sibi arrogabant. Bellam laudem, & dignam cœtu illo: qui turpissimo omnium schismate à supremo Pastore, Christi Vicario diuisus, schismata in Ecclesia sanciebat; vt alii quidem essent Calixtini, seu Vtriquistæ, alii Panatarii, seu Vnispeciistæ. An vero, consuetudine sub altera specie communicandi latissime propagata, approbata, & pro suprema lege hactenus habita, per Basileenses Patres apud Bohemos quadantenus immutata, & contrario sub vtraque specie communicandi vsu siue permisso, siue concesso, aut hæresim extinxerint, aut furorem represserint, aut libidinem nouandi in fide eradicauerint; & cui bono se totis neruis incumbere gloriabantur, illud effecerint; perperuæ turbæ quibus Bohemiæ Regnum obnoxium, ostendunt, Basileenses in vanum laborasse, in stabilienda Calixtinorum, vel Vtriquistarum, quam singularitatis aper depastus est, Ecclesia. Quid ab illis tentatum fuerit Basileæ, ex litteris publicis, quas Cochlæus suæ historiæ, quam de Hussitis scribit, inseruit, operæpretium est cognoscere. Et quidem pro eis Sigismundus Imperator, Basileensibus hunc in modum scribebat.

XXIV. *Lit. Sigismun. Imp.*

Sacrosanctæ & vniuersali Synodo Basileensi, in Spiritu sancto legitimè congregatæ, Vniuersalem Ecclesiam repræsentanti, Sigismundus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæq; Rex, salutem & reuerentiam, ac omnis prosperitatis incrementum.

Quia secundum formam Compactatorum, dudum in Ciuitate Pragensi, & Iglauia, inter Legatos sacri Basileensis Concilii ac Nuncios Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ habitorum & conclusorum, inclytum Regnum, & Marchionatus supradictus, Nuncios & Oratores suos ad præfatum sacrum Concilium, ex omni statu Regni & Marchionatus, videlicet, Ecclesiasticorum, Nobilium, Ciuitatum, & plebeiorum seu popularium personarum transmittere debent, & expedire pro consummatione & implemento præfatorum conditorum, prout in ipsis conditis & compactatis plenius continetur. Vnde Prælati, Sacerdotes, cæteriq; Ecclesiastici viri, ac Barones, Milites, & Nobiles, necnon Ciues Pragenses, Nuncii Ciuitatum, oppidorum, terrarum, Communitatum & Vniuersitatum Regni & Marchionatus prædictorum, nuper in Ciuitate Pragensi, ad euocationem nostram, ac coram nostra Maiestate, in Generali Congregatione totius Regni (prout moris, & hactenus est obseruatum) constituti solenniter elegerunt, deputauerunt, constituerũt, creauerunt, & ordinauerunt, suos, ac Regni & Marchionatus præfatorum, Mandatarios, Ambasiatores, Oratores, & Nuncios, videlicet, Nobiles & Generosos, Petrum de Sulz Kraticz & Przibikonem de Klenonu, prudentes q̃ ac prouidos Vuencestaum Scabinum Tragensem, & Matthiam de Chlum, ac honorabiles Magistros, Procopium de Pulzna, & Ioannem Przibram; ad prosequendum, propunendum, allegandum, discutiendum, pertractandum, concludendum, & consummandum omnia & singula quæ iuxta formam Compactatorum agenda & facienda sunt, communiter & diuisim, cuiuscũq; conditionis & qualitatis existant: Dantes, & concedentes ipsis Nuncijs, Ambasiatoribus, Mandatariis, & Oratoribus, in omnibus & singulis præmissis, quomodolibet præmissorum, prosecutionem ipsorum Compactatorum, & alias quascunq; res, eis, & Regno. & Marchionatui vtiles, & concernentes, quæ coincidere, emergere, condependere, & connecti potuerint, plenariam & omnimodam potestatem. Ideoq; nos de præmissis verum testimonium perhibẽtes, Vestræ Paternitatibus, Nuncios, Mandatarios, Oratores, Ambasiatores ipsos commendamus, Rogantes, quatenus eadem vestræ Paternitates eos benigne suscipiant, & pertractent, eiq; in agendis prædictis omnem humanitatem, & omne officium benignitatis impendant, quæ mittentibus exhiberent. Quicquid enim ipsi egerint, & concluserint, ratum erit, ac si ab omnibus de prædicto Regno & Marchionatu concluta fuissent. In cuius rei testimonium, sigillum nostræ Maiestatis Imperialis præsentibus est appensum. Datum Egræ Ratisponensis Diœcesis, anno Domini M. CCCC. XXXVII. die XXI. mensis Iulii, Regnorum nostrorum anno, Vngariæ 51. Romanorum 27. Bohemiæ 17. Imperii vero Quinto.

XXV. *Sigis. Imp. licet senex ad Comitia Ratisponen. proficiscitur ad res Imperii controuersas componendas.*

Ibat tunc Sigismundus Ratisponam, quando has superiores dedit. Venerant siquidem id temporis ad illum Pragã, nonnulli ex Germania Principes, qua gratulatum illi de rebus feliciter in Bohemia gestis, qua etiam rogatum, vt coplam sui Principib, Germaniæ faceret. multas enim res controuersas extare dicebant, quæ componi nisi præsente Imperatore non possent. Grandior natu Cæsar erat. Sed tamen neq; ætatẽ, neq; valetudines quæ senectam comitantur, excusationi sibi esse voluit, quo minus suo munere in obeundis, tum Regnorum, tum Imperii negotiis studiosissime fungeretur. Itaq; Ratisponæ, propinqua finib. Bohemiæ vrbe, ad illorum vota, Conuentu omnib. Ordinib. indicto, eo se contulit: ibiq; singulos Ordines, quæ quisq; ad se referrent, benigne audiuit, controuersiasq; iure æquissimo definiuit: nec non in posterum prouidit, vt sublatis inter Principes odiis priuatis in malam publicum erumpentibus, & ambitionib. perniciosis, ex quibus, dum alter cedere alteri, seq; intra pellem suã cõtinere non sustinet, sed vnusquisq; primus haberi vult, simultates & seditiones, atq; ex iis magni sæpius motus in Germania oriebantur; pax diuturna perduraret. Itinerum quoq; ibidem curam habuit, vt à grassatoribus essent securi, dispositis per ditionẽ vniuscuiusq; Principis deductoribus, qui viatores ad locum destinatum tuto deducerent. Laudauit postremo in eodẽ comitio,

ad Basil. quib. Ambasiatores Bohem. & Mor. ipsis cõmendat.

Romanorum veteres censores, quibus cura morum, ac disciplinæ Romanæ tradita fuit, tantaq; potestas addita, vt in senatū legere, senatu rursus amouere, equitibus parum dignis equos adimere, plebeios ærarios facere, aut infamia notare, Principem deniq; à vita ipsius describere liceret; tanquam sine moribus & legibus, ne Principibus quidem sua officia constare possent, quib. titubantibus facile Respublicas ruere. Se quidem prōptum esse ad reddendam vitæ imperiiq; sui rationem, cēsuramq; subeundam, si quid in illo secus ac oportuit gesserit, modo illi vicissim redderentur iurisdictionis nimis læsæ, licenterq; vsurpatæ, & bonorum ab Imperio abalienatorum, quę, se nescire dicebat, quali titulo illi possiderēt; sed valde se scire, nihil Imperio esse spoliatius, nihil egentius; adeo, vt qui sibi ex Germanis Principibus successurus esset, qui præter patrimonium nihil aliud habuerit, apud eum non imperium, sed seruitium potius sit futurum. Non tam grata omnibus, quam vera esse quæ dicebantur, inde apparuit, quod omnes quidem sermonem approbabant, sed potētiores qui aderant vehementer intercedebant, ne quid in iacturam absentium, intempestiua deliberatione præiudicaretur; obtinuerunt q3, vt comitium, in aliud tempus, ad quod Cæsarem venturum non expectabant, transferretur. In eo ergo Ratisponensi itinere superiores literas Basileensibus scripsit, pro Bohemis. Vniuersitas quoq; Pragensis, quæ ad veritatem Fidei, & vnitatem Ecclesiasticam præire debuerat, magistra erroris facta, nouos articulos Basileensibus proponendos misit, ac pro suis litteras dedit, hoc tenore.

XXVI. *Litt. Vniuersit. Pragen. pro Oratoribus quos ad Basileen. mittebat.*

In nomine Domini. Amen.

Nos Christianus de Prachatitz, Ecclesia Omnium Sanctorum in castro Pragensi Canonicus, Parochialis Ecclesiæ sancti Michaelis, maioris Ciuitatis Pragensis, & Almæ Vniuersitatis studii Pragensis Rector; Augustinus de Slatonia, Decanus facultatis Artium, Laurentius de Vuizezouua, Petrus de Zebekow, Petrus de Gretz Reginæ; & Ioan. de Zebeslau, Rector Parochialis Ecclesiæ sanctæ Mariæ Virginis ante latam Curiam eiusdem ciuitatis maioris Pragensis; meliori modo, via, iure, forma, & causa, quibus melius & efficacius fieri potest, & debet, fecimus, constituimus, & ordinauimus, ac præsentibus facimus & ordinamus, nostros veros, legitimos, & indubitatos Legatos, Ambasiatores, Oratores, Procuratores, fautores, negotiorum nostrorum gestores, ac Nuncios speciales, Venerabiles viros, Procopium de Pilzna, S. Henrici Nouæ, & Ioannem de Przibram S. Ægidii prædictæ maioris ciuitatum, Parochialium Ecclesiarum Rectores, præsentium exhibitores, ambos, & eorum quemlibet insolidum; ita tamen, quod conditio occupantis non sit melior; sed quod vnus eorum inceperit, alter eorum possit prosequi, mediare, & finire; dantes & concedentes eisdem Ambasiatoribus, Legatis, Procuratoribus, & Oratoribus, plenam, liberam, & omnimodam potestatem & facultatem, de, & super infrascriptis articulis, iuxta formam pacti & fœderis Reuerendorum Patrum & Dominorum sacrosanctæ Synodi Basileensis in Spiritu sancto legitime congregatæ, & Regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ tunc Legatorum & Ambasiatorum consensu vnanimi factam, disposita, ordinatam, necnon ratificatam, gratificatam, & approbatam, vtrorumq3 literis pariter & sigillis, ac manus stipulatione firmatam Pragæ & Iglauiæ, sigillorumq3 appensione roboratam, & publicæ dictæ S. Synodi audientiæ, voce & scriptis, propalādi, manifestandi, offerēdi, & declarandi; ac super eisdem, si opus fuerit, tractandi & conferendi, eosq3 defendēdi, probādi, & persuadendi, per Scripturas sacras, & per Beatorum Doctorum dicta, & sententias in eis dēfendatas, de ipsis quoq3 & quolibet eorum, placitationem, dispositionem, & ordinationē, Scripturæ sacræ ipsiusq3 sanctorum dictis & sententiis consona faciendi, acceptādi, & approbandi, ratificandi, emologandi; in hīs, & vniuersis aliis, circa ea quæ dicta sunt, & eorum accessoriis, condependentiis, & quibuscunq; aliis; promittentes bona fide, sic, vt præmittitur, facta, disposita, & ordinata per prædictos nostros Legatos & Procuratores acceptata, & approbata, & emologata, fideliter, inuiolabiliter, & inconcusse seruare, & tenere; ac si per nosmetipsos, sponte, benuole, deliberate, ac principaliter, acta, gesta, placitata, dispositæ, acceptata, ratificata, & emologata fuissent.

Tenor vero articulorum, de quibus fit superius mentio, sequitur in hæc verba.

XXVII. *Articuli quos Vniuersit. Pragen. Basileens. proponendos misit.*

Circa discussionem in sacro Basileensi Concilio articuli, de cōmunione sub vtraq; specie, Ambasiatores Regni Bohemiæ, primum exhibebunt & proponē. sacras Sanctorum & Doctorum authoritates, in quibus ponitur hoc vocabulum, præcipit, aut præceptum, mādatum, aut cōsimile: ad discutiendum ad plenū, iuxta compactata, vna cum nostris Ambasiatoribus, pro gloria Dei, salute populi, pace & vnitate Ecclesiæ, & Regni Bohemię, & Marchionatus Moravię, desiderium communicandi sub vtraq; specie ad plebes.

2. Item postulabunt Bullam libertationis communionis sub vtraq; specie, ad cunctum Cletum, vniuersaq; plebes dicti Regni & Marchionatus.

3. Item postulabunt secundum compactata, à sacro Cōcilio, literas plures, & mādata, expurgationē Regni & Marchionatus, ad oēs Principes & cōmunitates, vbi necessariū & vtile fuerit: & ad vniuersos cuiuscūq; status aut conditionis existāt; quatenus nullus audeat infamare ipsos Bohemos, aut Morauos, aut eorum honori detrahere, aut iniuriari quomodolibet, publice, vel occulte, pro eo q3 communicauerunt sub vtraq; specie, communicant, & cōmunicabunt, secundū cōpactata.

4. Item; dicti Ambasiatores, Scripturas atq; authoritates pro communione paruulorum proponent in sacro Concilio, cum postulatione, vt communio paruulorum sub vtraque specie, in Regno Bohemiæ & Marchionatu Moratiæ admittatur.

5. Item, poterunt Ambasiatores facere instantiam & solicitudinem in sacro Concilio, pro reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris. iuxta compactata.

6. Item, poterunt Ambasiatores vltra compactata & articulos p̄scriptos, pro aliis, Regno, & Vniuersitati nostris necessariis, & vbilibet, instare in sacro Concilio seruata semper reuerentia & debita honestate. In cuius rei testimonium, præsentes nostras litteras, seu præsens publicum instrumentū, per Ioan. dictum Zalis Notarium publicum infrascriptum, scribi, & publicari procurauimus, sigilliq; dictę vniuersitatis appositione iussimus cōmuniri. Datum & actum Pragæ in domo præfati Magistri Christiani, Rectoris Vniuersitatis prædictę, vbi præterea speciāliter fuimus congregati, sub anno à Natiuitate Dñi 1437. Indictione 15. die Sabbathi 6. mensis Iulii, hora quasi vesperarum, Pōtificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, D. Eugenii diuina prouidentia Papę IV. anno 7. ac Serenissimo & Inuictissimo Principe ac Domino, D. Sigismundo, diuina fouente clementia Romanorum Imperatore semper Augusto, ac Vngariæ, Bohemiæq; Rege Illustrissimo, Imperatore. Præsentibus ibidem honorabilibus viris, Dominis, Vuenceslao de Kostelitz, & Martino de Rockenzuinck presbyteris; & prudentibus, & discretis viris Petro Slanetz, & Venceslao Ostateck, Nouæ Ciuitatis Pragensis ciuibus, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

XXVIII. *Alia grauiora Oratorum Bohē. à Basileen. postulata vna cum responsis Basileen. ad illa.*

Præter hæc superius descripta, Oratores Bohemorum, ex concessione à Basileensibus audaciores facti, præsumpserunt alia insuper graviora postulare, qualia sunt infrascripta eorundem verbis concepta.

Primo, & ante oīa petimus & supplicam⁹, quaten⁹ p̄ tollēdis litib⁹, iurgiis, & dissensionib. in populo nostro, ex diuersitate cōmunionis indubitāter & infallibiliter sequētibus, & infinitis malis, quæ nec dicere sufficim⁹, sicut ea concepimus, prorsus auferendis & abolendis, dignemini clemēter pro vestra bonitate & liberalitate, Regno nostro Bohemię & Marchionatui Moravię, dare, concedere, & demandare, vniformem, & vnanimē oīb. & singulis, sub vtraq; specie sacræ Eucharistiæ cōmunionē, & hoc secundum ea, quæ in mandato Bullæ Legatorum, & in Compactatis nomine sacri Concilii sunt inserta in capitulo, *Pro firmitate*; vbi sic dicitur; *& omnia alia fient, quæ pro obseruatione dictæ pacis & vnitatis necessaria fuerint & opportuna.*

Ad hæc argute responsum est à Basileensibus, quod ex illo capitulo, neq; competit ius Sacro Concilio sanciendi, aut statuendi Bohemis, quod pro bono pacis & vnitatis teneantur dimittere vsum communionis sub vna specie, cū promiserint omnia facere, quæ p̄ obseruatione pacis & vnitatis fuerint opportuna, imo hoc esse opportunum dixerunt, ad obseruationem pacis, vt ipsi in hoc vsu communionis sub vna specie, sicuti & in cæteris, se conformarēt vsui omnium aliorum vicinorum, & totius Ecclesiæ Latinæ: neque è contra ipsis Bohemis competit ius ad petendum, vt Sacrum Concilium compellat omnes de Regno ad communionem sub vtraque specie, tamquam hoc esset opportunum obseruantiæ pacis. Maxime, quia hoc contrariatur ei de quo in ipsis compactatis specialiter agitur, scilicet de libertatione, cui contrariatur coactio. Nam & in libertatione cōcedenda, dicitur de illis personis, quæ in annis discretionis constitutæ, reuerenter & deuote postulauerint. Et si deuotioni & postulationi cuiuslibet est relinquendum, non est ad hoc aliquis compellendus, secundum ipsorum compactatorum seriem & tenorem.

2. Petierunt item Oratores, quatenus pro consolatione obedientiæ, & totius Ordinis Ecclesiasticæ disciplinæ, & pro finali compactatorum defensione, & obseruatione, & bono, ac optimo in spirituallibus regimine, prouidere vellent Basileenses: de bono & legitimo Pastore, Archiepiscopo, & aliis Episcopis.

Ad hoc benigne responsum est: iustam quidē & rationabilem esse eam petitionē nempe vt Ecclesiæ Pragensi, de legitimo, idoneo, & vtili Pastore prouideatur. Sed quoniam verbo expressetūr Magistrum Ioannē de Rokyzana; de hoc non esse rationabile dixerunt vt ad illam dignitatem promoueatur: cum ad impediendam perturbandam, & dissumpendam pacem & vnitatem post firmata compactata multipliciter fuerit machinatus: & non diu sit, quod à Cauitate Pragensi, serenissimo Domino Imperatore insalutato, clam & furtiue recessit; & iam prodire & apparere incipiant, quæ ante, & post talem recessum, in perturbationem pacis fuerit machinatus: cum **ad Pontificem** maxime pertineat, vnicatem & pacem amare, & ad eam seruandam alios prouocare, verbo pariter & exemplo. Ideo melius videtur hæc pro præsenti suspendere; vt habita meliori deliberatione & diligentia, cum Serenissimo Domino Imperatore possit eidem Ecclesiæ vtiliter prouideri.

3. Petierunt præterea libertatem communicandi paruulos Sacra Eucharistia. Ad ea petitio, simpliciter est denegata, eo quod communio paruulorum per compactata expresse sit exclusa.

4. Petitio quoque alia ipsorum mox tulit repulsam, qua petebant permitti suis, ad minus Epistolas, Euangelia & Symbolum vulgari lingua, in missis & Ecclesiis coram populo, ad excitandam deuotionem legi & decantari. Dictum est enim, eam petitionē esse ex directo contra compactata, & ipsorum Bohemorum promissionem, per quam tenebantur confirmare se ritibus Ecclesiæ. Cum ergo certum esset, quod ritus Ecclesiæ hæc non habeat, neque in ipsa Pragensi Ecclesia ante istas tubas hoc fiebat; iustum & rationabile foret, vt confirmarent se ritibus Ecclesiæ, atq; in hoc & in omnibus aliis compactata adimplerent.

5. Petierūt deniq; & suæ Vniuersitatis Pragen. & totius Ecclesiæ in capite & in membris reformationē. Ad hoc respōsum est, gratissimum esse illis, vt Vniuersitas studii Pragen. reformetur ac reparetur: ideoq; eā curā cōmittēdam esse legato præsidēti, vt de aliquo certo numero præbendarum, in aliquib. Ecclesiis ciuitatis Pragensis ordinet, quod ad eas assumi habeant, dictæ Vniuersitatis Doctores & Magistri. Circa reformationem autem Ecclesiæ, ab exordio **mox** præcipuam illis fuisse curam & studium, vt in effectum deduceretur. Sed inimico humani generis procurante, multa circa hoc impedimenta incidisse; nihilominus spe illos non defecturos in studio & labore; ac multa iampridem fuisse concepta, quæ ad executionē deducerēt.

Hæc Bohemorum Oratores, nunquam quiescere docti postulabant, vt se esse ostenderent ex illorum numero, quibus Prophera imprecabatur; *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.*

XXIX. *Bohem. Hussit. proteruia.*

Præter superiora postulata, quibus se nouandi studio laborare palam fecerunt; etiam in compactatis se vertiginosos manifestarunt, adeoque Decretum Basileense, de communione sub vtraque specie, mox atque diuulgatum est, contempserunt, seu interuerterūt. Decernebant Basileenses, nemini licere, consuetudinem communicandi laicos sub vna specie, reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ ipsam immutare. At Bohemi, quando communionem sub vtraq; specie, de præcepto Dominico esse affirmabant, totum oppositum decreto Basileensi asseuerabant: ipsoque facto eidem contradicebant, quando communionem sub vna specie reprobabant, & sine authoritate Ecclesiæ eā temere ac per inobedientiam immutare conabantur. Præterea permittebant Basileenses vtriusq; speciei cōmunionem: non omnib. passim, & promiscue, sed tantum suscipiētibus Ecclesiasticam vnitatē & pacem, realiter, & cum effectu, & in omnib. aliis Fidei & ritui vniuersalis Ecclesiæ conformib. & iis personis, quæ in annis discretionis constitutæ, reuerenter, & deuote postularent. At Bohemi, dum Hussitæ alii, alii Thaboritæ, alii Orebitæ, vel Sionitæ, vel Calixtini, aut Orphani appellari volebant, vnitatem Ecclesiæ quæ non amat illos qui dicūt, *ego Apollo, ego Pauli, ego Cephæ*, non seruabant; ac præterea in ritibus, ab vniuersali Ecclesia dissentiebant; nunquā pacem & concordiam, cum Catholicis sub vna specie communicantib. integram colebant, quinimo eos oēs extinctos esse cupiebant, ac præterea paruulis, idq; sub vtraq; specie, contra decretum Basileense, & contra cōpactata Sacramentū Euchatistiæ ingerebant: neq; laicis, vt firmiter crederent, quod totus Christus integer sit sub qualibet specie, dum eis vtramq; speciem vel obtruderent, vel ministrarent, quicquā dicebant; adeoq; & compactata, & decreta Basileensia nihili faciebāt, vni rei intenti, vt nouarent, vt Catholicos opprimerent, vt supremam in terris tam spiritualem, quam secularem potestatem à ceruicibus suis excuterent. *Cochlæus libr. 8. hist. Hussitarum. Dubrauius lib. 27. hist. Bohem.*

XXX. *Aliqui Sigism. Imp. rebellantes supplicio affecti.*

Contra Sigismundum Imperatorem, cui non ita pridem Sacramento fidelitatis se se obstrinxerāt, quid moliti fuerint: non prætermiserunt auctores narrare. Diximus, in caput illius aliquos, Pragæ, nuper conspirasse, de q; illorum XXIIII. supplicium sumptum esse. Præterhos, lacubicus quidam omniū pertinacissimus, aduersus eum certicem erexit; confisus munitione arcis, quā inexpugnabilē putabat; nec non multitudine conscleratorum, qui ad eū cōfluxerāt. Oportuit cōtra rebellē, copias ducere, peruicaces obsidere, furcas è regione arcis, vt ad offitiū reuerterētur erigere; & tandē in pertinaces exemplum seueritatis statuere; Iacubico atque ducentis sexaginta contumacib. furcis appensis. Ab hac & illa in facinorosos iustissima vindicta, quū ad rebellionem redire festinarent Bohemi, nec minimum periculi Sigismūdo ipsi & suis imminueret, nōnisi per speciē ad animi laxamentum exeuntis voluit Praga discedere. Barba enim & capillis depexis vnctisq; corpore cultius præter solitum vestibus pretiosioribus, necnon cano capite serto roseaceo ornatus, quasi ad recreādam animū, vrbe, in aliquod suburbanum digrederetur, lectica se efferri per mediam Pragam iussit, omnesque obuios capite inclini benigne salutauit, vt se suosque, è medio sanguinolentorum hominum etiperet. *Krantzius Vuandal. lib. 12. cap. 4. Naucleru generat. 48.*

XXXI. *Coniuratio impetratricis in caput Mariti eiusdē Mariti à Pragæ euasio & obitus.*

Barbara Imperatrix, non minima pars fuit coniurationis in caput mariti. Id quomodo tentauerit, quomodo Sigismundus Praga euaserit, diemque suum obierit narrabat Bonfinius istis verbis.

Ætate iam grauis Sigismundus, variis senectutis

incommodis cœperat laborare. Hinc etiam Barbaram Imperatricem, nõ mediocris Imperii sollicitudo incessit, quæ Henricum Palsonem, Alsonem Sterenbergiũ, Georgium Pogebrachium, & plerosque Regulos, quos magnam apud Bohemos authoritatẽ habere senserat, ad se accersiri iussit, renunciauitq; Imperatorem perpediem moriturum; qui si turbas breui exorituras vellent præuertere, in medium consulerent: sibi optimum cõsilium videri, si, cum vidua sit, Poloniæ Regi legitime coniungatur, eum coniugii cõditionem opulentissimi haud quaquam aspernaturum, quando duo pro dote Regna cõtingerent: ac duo Ciliæ Comites, alter frater, alter nepos, vna cum multis Vngarorum proceribus in auxilia contra Albertum Austriacum, quẽ Sigismundus hæredem scriberet Regnorum, pro se & nouo matrito conspirarent. Imperatricis consilium Bohemi approbarant, & pro illius arbitratu fœdus inierant. Nec latuere quidem istę Imperatricis artes Sigismundum: qui illius ingenium & pudicitiam quandoq; suspectã habuerat, quando hanc ab Ernesto Austriæ Principe adamatam esse intellexerat. cumq; interea medici omnem illi spem valetudinis ademissent, cõmonefacerentq; vt animi, Imperiiq; sui salutem curaret, è Bohemia, quam perfidia erga se semp laborasse nouerat, depexa coma, & vernante serto comptus, in bonæ valetudinis prætextum egressus, in Moraviam concessit, vt antequam è vita decederet, filium generumq; videret. At illa cũ Alberto audita grauissima patris ægritudine, ex Austria repente profecta, Znoimam venit, ibiq; Imperatorem offendit. Barbara Imperatrix, vna cum Vlrico Ciliæ Comite ac fratre suo virum sequuta, Imperatoris iussu custodiæ tradita fuit. Vlricus initæ factionis conscius, capta Imperatrice mox aufugit.

XXXII. *Verba Sigism. Imp. ad Proceres Hung. & Bohem. ante suum obitum qui bus petit Albertum Austr. sibi in Regem vtrusque Reg. in post eum obtinendum surrogari.*

Sigismundus, quum se indies grauius laborare intelligeret, & mortẽ instare propius, potiores Vngariæ Bohemiæque Proceres in cubiculum accersiri iussit, illisq; præsentibus dixit: *Quum nouissimum diẽmihi imminere sentiam, nil me magis angit, amici suauissimi, quam vestra salus, & veriusq; Regni sollicitudo. Idcirco quum Pragæ me iste languor incesserit, extemplo dissimulãdi morbi gratia, vt mihi comam barbamq; depexam, & caput sertis bene comptum redderetis, admonui: vt vos tutius è perfida hæreticorum gente educerem. Nõ enim eram nescius, si Pragæ mihi mori contigisset, vos frementi sacrilegorum rabie obtritos, hic nunquam tuto egressuros. At postquã pericula hæc euasimus, antequã mihi vita ex bellis, laboribus, discriminibusq; vexata, claudatur; agendum est, socii, quo pacto duo hæc Regna gubernentur, iustitiamq; pacem ac otia seruent. Nam superiora mala, vt futuris prospiciamus, eo magis horta ntur, quo maiora illa fuere. Imminẽtia vero quam grauia futura sint, Barbara vos conatus admonuit; ita quod, nisi in tempore prouideatur multo grauiora supersint. Multi namque morbi quam primum vbi aduenere, curantur. & ante eorum aduentum multo facilius ipsa prudẽtia declinari potuissent; qui postquã altius insedere, aut mortem inferunt, aut perquam difficulter curari queũt. Inprimis Rege ac moderatore optimo vobis opus est, quem delectum amare & obseruare, ei debitam præstare fidem, ac aqua imperia facere debetis. Quem aũt vobis Regem meliorem optare possim, præterquẽ eum, quem mihi generũ filiumq; delegi, haud facile dixerim. Albertus is est virtute, sapientia, & longa rerum experientia præpollens; nobilitate quoq; generis, ac morum excellentia vsq; adeo præstans, vt & si infensus nobis esset, res tamen nostras ipse in tanta bonorum principum orbitate cõmittere cogeremur. Non me magis, si vera loqui liceat, quam vos omnes probitate sua promeruit. Superest filia, supersunt quoq; aliquæ Sigismundi reliquiæ, quas in amoris mei monumentum, & colere, & diligere debetis. Ad hoc nos Alberti iustitia ac integritas impellit, & ingẽs in vos omnes amor & beneficentia, quem apud me patronum vnicum, imo patrem semper habuistis. Beatum, mihi credite, id futurum imperiũ, quod Alberti ductu auspiciisq; geretur. Princeps enim, cui religio, pietas, magnificentia, æquitas & prudentia singularis est insita, omnes de se optima quæq; sperare ac subere potest. In eo spẽ omnem collocauis, hunc mihi adoptaui, hunc vnum pacis & iustitiæ, ac otii fundamenta quæ ieci, in vtroq; Regno adaucturum esse sperau. Vos autẽ, socii, aliud sentire, aut optare non crediderim, quãdo hunc iuxta ac meipsum semper amastis, & vt quod nunc facio, facerem persuasistis. Si pro arbitratu meo vitam prorogare fas esset, renunciarem illi profecto sponte imperium tot laborib. & malis absumptus. Nunc postquam paralytici sauitia morbi, iam collabente corpore, propẽdiem obeundum est, per meam in vos pietatem, per vestram in me fidem quæsoitem per veriusq; Regni salutem, per incolumitatẽ vestram pro qua maxima quaq; pericula pertulit, vt Albertum, quem vobis nunc declaro Regem, & cui cõiugatã filiam, cui potestatem ac omnes fortunas meas iure legaui, hunc vos eundem cunctis suffragiis, & habere, & declarare velitis; idq;, antequam vita decedam, omni studio faciatis, ac Elisabetham, quæ debetis, fide colatis, & tueaminis; nec aliter quidem, atque nostra in vos officia postularunt.*

His dictis, cõuersus in lacrymas, haud plura loqui potuit. Annuere proceres ad vnum omnes, & in manibus eius idipsum re præstituros semper esse iurauerũt: mox ibi Albertum Regem declararunt, & iurementando interposito fidem illi suam deuinxerunt. Declarati postea in Bohemiã Legati, qui post Sigism. obitũ in Bolsemiã contenderent, & testamentum in concione recitarent.

Postero die Dominico, qui fuit ad 8. Decem. Sigismundus compositis humanæ vitæ rebus, ac omni sacri viatici; quod ad vitæ melioris iter pertinebat, instructus præparamento, Znoymæ, cũ summo omniũ desiderio excessit humanis, an. Dom. 1436. Vir fuit probitate ingenitã, animo grandi & excelso, profusæ liberalitatis & magnificẽtiæ, qui amicis omnia prodigebat, & ita sæpe omnes prouentus erogabat, vt nihil ei ãm his quæ vitę sunt vsui sibi superesse pateretur. Sæpe quũ in Regia nihil esset, quod suo prædio opipare pararetur, amicos inuitatus adiuit: sæpe ẽt ab his symbola corrogauit. Comitate, clemẽtia, & affabilitate tãta, vt cæteros ea tẽpestate Principes anteiret. Ad crudelitatẽ nũq; nisi grauissimis iniuriis irritatus est. Christianam Rempub. Ecclesiamq; Rom. plus omnium opinione delexit: quod vel ex his maxime constare potest. Nam cum graui diuturnoque schismate, D. Petri nauiculam fluctuare cognosceret; Constantien. Synodũ & postea Hispanias adiuit, multisq; exantlatis laboribus, vnitatem Ecclesiæ vniuersali, creato à Patrib. Martino V. vno & indubitato vero Põtifice, restituit. Orthodoxæ fidei amore successus, totiis Bohemia cõtra hæreticos bella gessit, eorumq; rabiem nonnihil repressit. D. Sigism. Regi martyri, cuius nõmini se peculiari religione fecerat obnoxiũ, ante arcẽ Budanam sacellum erexit, idq; amplissimo Sacerdotũ collegio donauit. Eugenio Pont. reconciliatus, multa pro illius dignitate aduersus hostes tum in Italia, tum Basileæ tentauit. Cum ingenti procerum populorumque frequentia elatũ eius funus, & Varadini, in Basilica S. Ladislai, quem viuens præcipua deuotione coluerat, ex testamento conditũ est. *Bonfin. rerum Vng. dec. ad. 3. l. 3.*

Adiungam hic ad eius Laudem præclaram illam quã pro libertate ecclesiastica edidit sanctionem.

XXXIII. *Albertus Hung. & Bohe. Rex à proceribus declaratur.*

XXXIV. *Obitus Sigism. Imp. & eius laudes.*

IMPERIALES SIGISMVNDI IMPERATORIS Augusti CONSTITVTIO.

Vn. Christi 14..

Depriuilegiis & immunitatibus Clericorum.

vulgo vocatio Sigismundina.

SIgismundus, diuina fauente clementia Rom. Imper. semper Augustus, Bohemiæ, Dalmaciæ, Croaciæ, Rex, &c. ad perpetuam rei memoriam, &c.

XXXV.

1. Sublimitatis Imperialis gloriam *inuexit supernæ Maiestatis Veritas, tũllos derelinquẽs virtuosos suppeditatos, & animaduertẽs expouit, vt Romani Imperii gubernaculum tenens, præter alia eximia virtutũ opera sua, cunctos, præsertim seruitio Dei mancipatos, ab vniuersis oppressionib. & offensis suis semper insistat accurata diligentia clementer subleuare. Et ob id, nos qui ad Rom. Imperium sumus diuina dispositione vocati, curis sollicitamur assiduis, vt præ cæteris tuitioni nostræ cõmissis, personarum Ecclesiasticarum status venerandus, in varietate virtutum Clerus sublimatus, in suis libertatib. & immunitatibus conseruetur & tueatur, & oppressionib. & temerariorum ausib. liberetur, nunc nouarum Constitutionum editione, nunc antiquarum innouatione & extensione cum augmento pœnarum, ad gloriam & laudem Dei solerter prouidere curemus.

innexit, non recte.

2. Sane claræ memoriæ Fridericus II. olim Rom. Im. prædecessor noster, ad S. R. E. laudem, & sacri Imperii Romani decorem, cupiens vt expurgatis quorundam errorib. & iniquis statutis penit⁹. destitutis de cetero Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete, & secuta libertate gauderẽt: ac pie & iuste attẽdens, quod quorundã peruersorum iniquitas adeo abundauerat, vt non dubitarent contra Ecclesiasticã disciplinam ac sacros canones sua confingere statuta, & aduersus Ecclesiasticas personas & Ecclesiasticam libertatem, edictali lege huiusmodi statuta iniqua irritauerat, & præceperat irrita nunciari: & omnia statuta & consuetudines, quæ Ciuitates & loca, Potestates vel consules, aut quæcunq; aliæ personæ, contra libertatem Ecclesiæ vel psonas Ecclesiasticas ac bona huiusmodi edere aut seruare temptarent, contra Canonicas & Imperiales sanctiones, de ipsorum Capitularib. infra duos mẽses post ipsius Legis publicationem penitus abolere facerent. Et si de cetero talia attemptarent, illa ipso iure decreuit esse nulla, & eos sua iurisdictione priuatos. Necnõ locum, vbi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri fisco Imperiali præceperat subiacere.

Vide c. 6. de statut. & consuetud. collat. 3. & supra tom. 1. fusius tom. 1. par. 1. pag. 75.

Statutarii perpetuam.

3. Potestates vero, consules, *Statutarii, & scriptores statutorum prædictorum: necnon Consiliarii locorũ ipsorum, qui secundum statuta & cõsuetudines memorata iudicarent, extunc essent ipso iure infames, quorũ sententias & actus illegitimos statuerat aliqualiter non teneri. Quod⁹; si per annum præfatarum constitutionũ inuenti fuerint contemptores, bona eorum per totum Imperium mandauit impune ab omnibus occupari: saluis nihilominus aliis pœnis contra tales in sacris Conciliis generalit. promulgatis.

4. Et insuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla Communitas, vel persona publica vel priuata; collectas seu exactiones, angarias vel parangarias, Ecclesiis vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis huiusmodi imponere, seu inuadere Ecclesiastica bona præsumeret. Quod si secus faceret, & requisitus ab Ecclesia vel Imperio huiusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus banno Imperiali subiaceret, quod sine satisfactione debita nullatenus remitteretur.

5. Statuit insuper, quod quæcunque Communitas vel priuata persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesiæ violatam perisseret, ipso iure similiter dicto banno Imperiali subiaceret, à quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento.

6. Et insuper ordinauerat, vt nullus Ecclesiasticã personam in criminali quæstione vel ciuiliad iudicem secularem trahere præsumeret contra easdem canonicas sanct'ones & Imperiales constitutiones. Quod si secus faceret, actor à suo iure caderet, iudicatum nõ teneret; & iudex foret extũc iudicãdi potestate priuatus. Quodque iudices temporales, qui Clericis & personis Ecclesiasticis iustitiam denegare præsumerent, tertio requisiti suam iurisdictionem amittant.

Quam habes supra infertam.

7. Et deinde ad diuæ memoriæ Karoli IIII. etiam Romanorum Imperatoris, prædecessoris & genitoris nostri, audientiam deducto, quod seculares quidam in potestatibus & officiis publicis constituti, videlicet Duces, Barones, & alii Domini temporales: nec non Consules ciuitatum, & oppidorum, villarum, & locorum Rectores, Dei timore postposito, statuta singularia & inlquas ordinationes; motu proprio & de facto contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum & locorum religiosorum libertates & priuilegia, condiderant, eisdemque publice & de facto præsumerent insistere contra legitimas canonicas & ciuiles sanctiones: vtputa, Quod nulla bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferantur: Neue Clerici in sacris constituti ad agendum testificandum ue in ciuilibus, & maxime piis causis, aliquatenus admittantur: Et quod excommunicati Laici & publice denunciati, in ciuili foro minime repellantur.

8. Præterea quod dicti Domini temporales Consules & Rectores per secularem potestatem res & bona Clericorum occupauerant, arrestauerant; oblationes fidelium diminuerant & restrinxerant: exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus ecclesiarum exigerant & extorserant: possessiones ecclesiarum & personarum earundem deuastauerant incendiis & rapinis; Et contractus inter Clericos & Laicos factos legitime, ad libros ciuitatum, villarum, & locorum recusauerant scribere atq; sigillare: ac donata & legata ad fabricas & ecclesiarũ structuras contra voluntatẽ Prælatorũ & aliorum, quorum intererat, præsumpserant vsurpare cõtra iusticiam: & in fraudem & odium Clericorũ, & de bonis & rebus Clericorum, quas non causa negotiationis, sed pro vsib. propriis, per terras ducebant seu duci faciebant, theolonium exigere & capere veriti non fuerant: & confugientes ad ecclesias & cœmiteria; inde extrahere contra sanctiones Imperiales præsumpserant:

9. Idem genitor, prædecessor noster, hæc omnia, & quæcunq; exinde secuta, cum per sacras ciuiles & canonicas sanctiones expresse reprobata essẽt, & in fraudem Ecclesiasticæ libertatis præsumpta, de Principum, Ducum, Baronum, fidelium q; suorum consilio, ex certa scientia & auctoritate Imperiali cassauit, irritauit, annullauit; cassaque & irrita & nullius esse momenti pronunciauit, præcipiendo sub indignatione Imperialis banni vniuersis & singulis Dominis temporalib. Consulib. Potestatibus, & in officiis publicis cõstitutis; quatenus mox, visis & intellectis præsentibus; cassatione, irritatione, & annullatione huiusmodi dicta eorũ statuta & ordinationes, sicut in præiudicium Ecclesiasticę libertatis edita erant; omnino reuocarẽt & de luce tollerent: quodq; secundum ea non iudicarent amplius, nec sententias dictarent, aut eisdem iudicio aut extra iudicium quomodolibet pro se & contra Ecclesiasticam libertatem potirentur.

10. Et insuper pronunciauit & declarauit auctoritate prædicta, quod quicunq; Laicis, cuiuscunq; status, vel conditionis foret, ausu sacrilego vel propria temeritatis audacia, Sacerdotẽ vel Clericũ, secularem vel religiosam, diffidaret, vel captiuaret, vel spoliaret, occideret vel mutilaret, aut in carcere detineret; aut huiusmodi maliciam perpetrantes scienter receptarent, vel fauorem in his præstarent, præter pœnas à sacris Imperialib. & canonicis sanctionib. eis inflictas, in super forent ipso facto infames & omni honore priuati, nec ad Placita Nobilium aliquatenus admittendi.

forte stylo parlo.

11. Voluerat etiam & hortabatur, requisierat Episcopos & prælatos; vt hanc suam legem & constitutionem in Synodis & ecclesiis publicare procurarent, ne in præmissis excedentes per simulatam ignorantiam suas valeant excusare malicias: adiiciens, quod nulli homini liceret huiusmodi suæ cassationis, irritationis, annullationis, pronunciationis, & declarationis paginam quouis ausu temerario infringere, aut eis quomodolibet contraire, sub pœna quinquaginta marcarum auri puri; quas ab eo, qui contrafaceret, totiens, quotiens cõtrafaceret irremissibiliter exigi voluit pro medietate sui Imperialis ærariiue fisci, pro reliqua vero parte iniurias passorum vsibus applicari, prout in ipsis prædecessoris & genitoris nostri desuper confectis litteris eius Imperiali signo & Bulla aurea * picereo suæ Maiestatis impressis, signatis; & munitis, quas præsentibus hic habere volumus sufficienter pro expressis, plenius continetur.

12. Et

12. Et quoniam per prædicta Ecclesiasticæ libertati nondum satis prouisum esse videtur: vt igitur per infra scripta sit vberius & latius ipsi libertati prouisum, & vt Ecclesiasticæ personæ plene sua libertate gaudere, & pia loca à noxiis præseruari, & optatis proficere valeant incrementis, Nos Sigismundus, qui statum Ecclesiasticum feruore fidei & claræ deuotionis affectu veneramur, libenter, vt tenemur, hac edictali lege & Imperiali auctoritate, constitutiones siue leges antedictas, tanquam iustas, sanctas & legitimas, tenore præsentium approbamus pariter & innouamus: ipsasque & infrascriptas nostras leges, & prohibitionem, & præsentes literas, & mandatum nostrum ad omnes & singulas Ecclesias, & Monasteria quæcunque, cuiuscunque nationis existant, & ad omnes & singulos Prælatos, Clericos, & Presbyteros, & Ecclesiasticas personas; pro maiori eorum tuitione & cautela, ad tollendum in his quorundam curiosorum, ambiguitatis dubium, de singularis munificentiæ dono, ex certa nostra scientia, tenore præsentium duximus extendendum, ac extendimus & præcipimus vbiq; locorum sub banno & pœnis ante & infrascriptis à quolibet inuiolabiliter obseruari:

13. Deinde statuimus hoc edicto in perpetuum valituro, vt nullus Iudex sæcularis in Ecclesiasticis causis, præsertim matrimonii, legitimationis, vsurarum, testamentorum infra annum non executorum, & ad Iudicium Ecclesiasticum legitime deuolutorum, ac decimarum, prædiorum, ac fructuum, reddituum, & prouentuum Ecclesiasticorum, ac locationum, & conductionum seu conductorum eorundem, possit seu valeat iudicare, aut quomodoliber de huiusmodi causis aut eorum articulis cognoscere, nisi quatenus ab Ecclesiasticis iudicibus fuerit requisitus. Quod si contrarium fecerit, Iudicatum non teneat: & Iudex extunc iudicandi potestate sit priuatus: & subiaceat nihilominus pœnis infrascriptis: actorq; à suo iure cadat ipso facto.

14. Insuper omnibus & singulis Principibus, Ducibus, Baronibus, Comitibus, Comitatibus, Consulibus, Rectoribus, ac in officiis temporalibus, dominiis & potestatibus constitutis, sub indignatione Imperialis banni & quadraginta marcarum auri mulcta, ad cuius solutionem & præstationem pro vna nostro siue Imperiali ærario aut fisco, & alia mediatibus personis iniuriam passis faciendam quemliber huius nostræ prohibitionis transgressorem ipso facto teneri volumus.

15. Demum præsenti & irreuocabili sancimus, declaramus, decernimus, & pronunciamus edicto, districtius prohibentes, ne quisquam ex eis Prælatos, Presbyteros, Clericos, & personas Ecclesiasticas, quo minus vina, grana, res & bona de suis redditibus Ecclesiasticis prouenientia, libere & sine solutione theolonii seu gabellæ vendere seu adduci facere possint: Et quo minus res, bona, vina, cerusias, carnes, grana, panes & pannos, & alia quæcunque eorũ vsui & recreationi conuenientia, siue intraneæ siue intranea, seu exteræ vel extera fuerint, pro eorum vsibus seu recreatione sibi, & per quæuis loca, ciuitates, terras, castra, & aquas vectigio vel nauigio absque quauis prohibitione libere & absque solutione cuiuscunque theolonii, daciæ vel gabellæ, adduci & portari facere valeant: Et etiam quo minus res & bona mobilia & immobilia, ex Prælatorum seu Ecclesiasticarum personarum obitu relicta ad manus illorum, ad quos de iure spectant, libere & sine quibuscunque impedimentis, inuasionibus, intromissionibus, exactionibus, & occupationibus, præsertim per Laicos quantumcunque attempratis perueniant siue valeant pacifice peruenire: Et quo minus coloni & subditi Ecclesiasticarum personarum sine violentis hospitalitatibus, etiam venationum occasione, ac vectigalibus seruitiis & exactionibus, quas ipsi exactores petitiones vocant, & à petitionibus huiusmodi absque damno libere & in pace dimittantur: Et etiam quo minus damna hospilitatum & vectigalium extortorum seruitiorum, & exactionum, & petitionum huiusmodi occasione colonis & subditis ipsis illata, plenarie resarciantur: Nec non etiam quo minus Prælati seu iudices Ecclesiastici eorum spirituali iurisdictioni subiectos pro suorum excessuum demeritis capi, & incarcerari, & captos duci, & per quæuis loca & ciuitates libere abduci, & alias debita correctione puniri facere valeant: quocunque aut qualitercunque, publice vel occulte, directe vel indirecte, per se vel per alios, impedire aut facere impediri præsumant vel permittant: nec talia committentes receprent, aut eis in præmissis vel circa ea impendant auxilium, consilium, vel fauorem.

16. Quin immo magis volumus & mandamus sub banno & pœna proxime supradicta, vt Principes, Duces, Comites, Barones, Comitatus, Consules, Rectores, ac in officiis, dominiis, & potestatibus prædictis constituti; quicunque ab impedimentis & vsucapionibus rerum & bonorum relictorum huiusmodi, & à prædictis violentis hospitalitatibus, vectigalibus, seruitiis, exactionibus, & petitionibus huiusmodi colonorum & subditorum Ecclesiasticarum personarum, & ab impedimentis & pertubationibus Ecclesiasticæ iurisdictionis omnino desistant: nec captos nec adductos rebelles repetere vel repeti facere præsumant: nec non requisiti totis viribus personas Ecclesiasticas in præmissis, ac iurisdictionem huiusmodi ecclesiasticam exercentes, adiuuent, & diligenter sine omni dilatione adhibeant & apponant auxilium brachii secularis, vt libertas Ecclesiastica manuteneatur, & vt subditi rebelles, criminosi & delinquentes, modis præfatis aut alias, prout eisdem iurisdictionem ecclesiasticam exercentibus coniunctim vel diuisim expedire videbitur, digna animaduersione constigantur.

17. Cæterum, vt didicimus, nonnullis peruersis eorum constibus leges & constitutiones antedictas, Prælatos, & Presbyteros, Clericos, & personas Ecclesiasticas diuersis iniuriis afficientes, pro eo quod tam per constitutiones & leges quam sanctiones huiusmodi inflictarum pœnarum executio absque animaduersione negligitur, infringere non verentur. Vt igitur tam genitoris, quam Friderici II. prædecessorum nostrorum præfatorum, ac nostri, constitutiones & leges præsentibus litteris mandatum nostrum debitæ executionis fiendæ suffragio sortiantur effectum, & insolentiæ compescantur transgressorum: Omnes & singulos nostros & sacri Romani Imperii Principes, Spirituales & Seculares, ac Comites, Barones, Milites, Militares, Proconsule sque & Consules, ac Cosulatus, Potestates, Rectores ciuitatum, oppidorũ, & locorum quorumcunque, pro executione huiusmodi quæstionum & legum Imperialium, & præsentium nostrarum litterarum facienda, executores eorundem coniunctim & diuisim tenore præsentium deputamus: & nihilominus ipsis sub Imperialis banni indignatione & sub antedicta, quod ad illos, qui feudum vel priuilegia aliqua non habent: quo ad illos vero, qui talia habent, sub perditionis suorum feudorum & priuilegiorum quorumcunque pœna, (quas eos, si requisiti infra vnius mensis spacium, requisitionem huiusmodi sequens, & ad infrascriptam executionem non processerint, & non fecerint quod mandamus, incurrere volumus ipso facto) districte præcipiendo per hæc Imperialia scripta mandantes quatenus ipsi & eorum singuli, quoscunq; & quæcunque, dum & quotiens præsentibus executores ipsos requiri contigerit, Prælatis & Presbyteris, Clericis & personis Ecclesiasticis, quibuscunq; coniunctim & diuisim, efficacis præsidii auxilio assistentes non permittant eisdem aut eorum alicui, à quoquam culuscunq; gradus, status vel cõditionis

ditionis fuerint, contra vel circa præmissa omnia aut aliquod ipsorum quomodolibet iniuriam irrogari, sed magis iniuriantes huiusmodi, nisi post requisitionem executorum eorundem infra certum terminum peremptorie competentem, eis per executores ipsos desuper præfigendum, contra præmissa commissa aut neglecta emendando resipiscunt, pœnas antedictas, prout quemlibet pro commisso aut neglecto contigit, incidisse declarent: sic per captionem & detentionem personalem, distractionem, inuasionem aut alienationem rerum & bonorum suorum mobilium & immobilium quorumcunque sine mora ad satisfactionem & obseruantiam plenariam, præmissorum omnium & singulorum executores ipsi suo seculari brachio cogant & compellant, faciantque pecunias occasione pœnarum præfatarum ærario siue fisco Imperiali debitas & debendas Imperiali auctoritate emoneat, & partem ipsarum ad fiscum Imperialem pertinentem, ad fiscum ipsum fideliter studeant destinare: reliquam vero partem earundem partibus læsis realiter assignare procurent.

18. Super quibus eisdem executoribus, & eorum cuilibet in solidum, Imperiali auctoritate nostra prædicta, plenam licentiam & potestatem liberam concedimus per præsentes; volentes & decernentes, vt eisdem executoribus, omnibus & singulis, præsentibus & futuris, vigore præsentium, quo ad præmissa, perpetua potestas & licentia remaneat attributa: constitutionibus & legibus Imperialibus ac priuilegiis & indultis quorumcunque, & aliis in contrarium forsan facientibus, non obstantibus quibuscunque.

19. Ne autem in præmissis excedentes per simulatam ignorantiam suas valeant malicias excusare, hortamur & requirimus vniuersos & singulos, Archiepiscopos, Episcopos & Prælatos, vt constitutiones & leges Imperiales antedictas, & præsentes nostras literas, singulis annis in Synodis & ecclesiis suis publicare procurent, si nostram indignationem voluerint euitare.

20. Nulli ergo hominum liceat hanc legem & constitutionum præfatarum, & præsentium literarum nostrarum ac inhibitionum præcepti & mandati nostrorum paginam quouis ausu contrario infringere, aut eis quomodolibet contraire, sub pœna quadraginta marcarum auri puri: quas ab eo, qui contrafecerit, totiens, quotiens contrafactum fuerit, præter supradictas & alias pœnas, à sacris canonibus & Imperialibus sanctionibus etiam eis inflictas, irremissibiliter volumus exigi, vt præfertur: necnon sub indignatione Dei Omnipotentis, & timore vltionis suæ æternæ.

Data, &c.....

Hæc pro immunitate Ecclesiastica sanciebat Sigismundus.

XXXVI. *Obitus Ludou. Com. Palat. & Bauar. Ducis.*

Eodem anno, die vltimo Decembris, obiit illustris & Christianissimus Princeps, Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Duxque Bauariæ, filius quondam Regis Romanorum, dictus cum barba, vel etiam Dux cæcus, post reditum è terra Sancta morbos, & in his cæcitatem incurrit; vir bonus, pius, & sanctus, qui fuerat protector atque defensor Concilii Constantiensis, & Ioannem Papam XXIII. post eius depositionem à Concilio sibi traditum, triennio in castro suo Manheim custodiuit. *Trithem. in Chronic. Spanheimens.*

XXXVII. *Ingens pietatis & singularis munificentiæ exemplum in Thoma*

Hoc ipso anno, Gennæ, Thomas Fulgosius, ingens specimen munificentiæ & continentiæ exhibuit: digium quod in exemplum statuatur.

Cum Genua, ab imperio Philippi Ducis Mediolanensis defecisset, atque in recuperanda ea, res illi aperta vi non succedisset, ad dolos & artes versus, ea ab impotenti cupiditate prouectus est, vt duos fratres inter se nefario parricidio committere non dubitauerit. Imperabat Genuensibus Thomas Fulgosius Dux electus. Ergo huius fratrem Baptistam Fulgosium, per occultos nuncios, spe perpetui patrocinii à se suscipiendi illi facta, ad principatum patriæ inuadẽdum, Thoma fratre deiecto, impellere adortus est. Eorum hominum erat Baptista, qui, quæcumque spes crescendi illi oblata esset, ad eam sese, omni fandi & nefandi discrimine omisso, à nimia cupiditate rapi fineret. Quare conditione haud secus actam inter accepta, cum voluntates Prætorianorum paulatim collegisset, occasione arrepta, cum Dux in æde Dini Dominici religionis plenus sacris interesset; perditorum hominum manu coacta, ædes publicas occupauit, atque eorum suffragio, qui non plus octoginta septem fuerunt, Dux Genuensium renunciatus fuit. Quare subito nuncio ad Thomam perlata, cum confusum primo animum mox collegisset, non se deseruit, sed magna bonorum multitudine, atque omnibus qui factum Baptistæ improbabant, ad illum confluentibus, cum satis virium comparasset, ædes publicas è vestigio recuperauit, ac fratrem cepit. Hic singularis mansuetudinis, atque egregiæ pietatis exemplum à Thoma editum est. Nam cum multi illi auctores essent, vt de scelerato fratre pro manifesto parricidii crimine iustum supplicium sumeret, æmuloque sublato principatum sibi stabiliret; eorum orationem Thomas animo ac vultu respiens; *Ne istuc*, inquit, *Deus Optimus Maximus, Virgoque Regina sinant, permittantque, vt ego alieno exemplo potius prauus fiam, quam alii meo recte facere discant, vtque plus apud me fraterna iniuria, quam pietas valeat. Egone, vt odio parricidii in parricidium ipse ruam? ac principatum mihi occisi fratris scelerato rum faciam? Viuat vero frater; quem si meum exemplum ad bonam mentem conuerterit, hunc magnum ex clementia mea fructum percipiam fratris lucrifacti. Sin impunitas ad talia debinc audenda prouocet: satius est me in priuatam vitam agere, quam principatum fraterno pollutum sanguine gerere. Foliet. lib. 10.* *Solerfio Genuen. Duce*

Eodem anno, Ludouicus Barbus Abbas Cœnobii Patauini Sanctæ Iustinæ, insigne exemplum humilitatis edidit. Postquam is illud Cœnobium in re temporali & spirituali felicissime instaurasset, multasque colonias Sanctissimorum Monachorum exinde alio deduxisset, Eugenius Pontifex, nihil minus cogitantem Tarusinum Episcopum renunciauerat. Noua ea dignitas diæ admodum vexauit hominem minime ambitiosum: qui etiam vt onus illud effugeret, supplici libello Pontificem adiit, vt alium Ecclesiæ Tarusinæ præficeret, sibi quietam inter Monachos viram permitteret. Nihil potuit obtinere. Nam altero Eugenii rescripto iussus obedientiam Apostolicis mandatis exhibere, atque Episcopatum inire mœrens inauguratus est. Cumque idem Eugenius, liberum illi ipsi faciebat, vt tertiam fere partem reditnum Cœnobii retineret, eaque se ad sedem Tarusinam ornaret; Ludouicus maximo charitatis & beneficentiæ in suam eui præfuerat congregationem studio, donato diplomato, nihil inde aut retinere, aut accipere sustinuit. XXXVIII. *De Ludou. Barbo Abbate S. Iustinæ Patauii & postmodum Tarusino Episcopo creato.*

Cæterum, qua Ludouicus contentione à se onus Episcopale depellebat, ne susciperet, non minore aliquis adolescentum ab eo flagitabat onus Monasticæ disciplinæ, ne se eo fraudaret. Rem narrabo dignam non lectione tantum, sed etiam admiratione. XXXIX. *De Salimbenii ex nobili Fulgentorum familia conuersione & gestis.*

Inter initia restitutæ in Cœnobio Sanctæ Iustinæ religionis, Ludouicus, Paulum Stratam Papiensem, Monastico habitu induerat. Erat huic conciuis & condiscipulus ex nobili familia Fulgentorum, cuius pater apud Philippum Mediolanensem Ducem egregium stipendium faciebat, iusseratque filium in Patauino Gymnasio literis

operam nauantem, famulitio, ædibus, & apparatu omniũ rerum inter cæteros familiæ splendorem tueri. Salimbenius, iuueni nomen fuerat. Is à principio molestè admodum ferens Pauli conuersionem, vt illum à Sancto Religionis proposito auerteret, colloquiũ postulauit. Ludouicus Barbus qui obfirmatam Pauli mentem nouerat, colloquendi copiam fecit. Salimbenius, quicquid adolescentem poterat ab incœptis remouere studiosè intulit; Paulus quicquid hominem ad religionem pelliceret, summis rationib. & exemplo propriæ quietis adduxit. Interim accessit hora Cõpletorii, quæ alterum inter psallentes traxit, alterum admonuit diuinæ rei interesse. Synaxis morosè adeo agebatur, vt nullum ex sacris verbis Salimbenium præteriret. Oblectabatur his animus, ac tenuis quidã calor pietatis paulatim serpebat; maxime tamen ex oratione quæ de more Monastico recitata est; nempe; *Deus qui illuminas noctem & lucem post tenebras facis, cõcede nobis, vt hanc noctem sine impedimento Sathanæ transeamus, atque matutinis horis ad altare tuum recurrentes tibi Deo gratias referamus.* Ea oratio insueta quadam iucunditate mentem Salimbenii perfudit, qua deinceps in meditationem illectus diuinarum rerum, qui Paulum auersurus venerat, iam remanendi, quin & extorquendi amictum Monasticum desiderio æstuabat. Cœpit deinde frequentior templum inuisere atque hominem cupere, cui tuto posset mentis arcana aperire. Affuit occasio. Barbus in subsidium Regularis disciplinæ, ex alio quodam Cœnobio accersierat Ioachimum Papiensem prouectæ ætatis & optimi exempli virum. Ad eũ Salimbenius viam sibi fecit ob communem patriam, & desiderium propriæ salutis, quam religiosius & conciuis omnino curare tenebatur. Preces & lacrymas adiecit, vt sibi apud Ludouicum faueret, quẽ sæpius postulatum semper aduersarium sancti consilii expertus fuerat. Plurib. Abbas detrebatur, ne Salimbenii inter Monachos cooptarer. Is patri vnicus erat, cuius multæ etiam opes, & plurima apud Mediolanensem Ducem authoritas. Eidem in spem maioris opulẽtiæ, matrimonio iunxerat pater puellã nobilem, & spõsalia præcesserant; quamuis ætas immatura copulã distulisset. Aetas eadem acerba adhuc, & instabilis æstimabatur, quia puer vix annum quintumdecimum attigerat. Deniq; res eo processit, vt aliquando Salimbenius solum Abbatem nactus, deterſis lacrymis, & assumpta virilii audacia diceret se diu religionem optasse, ex crebris repulsis, ac iteratis precibus obfirmatã satis mẽtem ostendisse. Quid iam amplius de tanta fide, quid de voluntate firmissima pericli tandum? Timere se, ne diuina vltio exigat ab eo pœnas negatæ sibi salutis; cui ex munere pastorali incumberet errantes oues inter mõtes ac deserta conquisitas, proprijs humeris ad gregem referre. Quale hoc scelus, accedentem & balantem oviculam à grege arcere, lupis obiicere? Debuisse illum, qui nauim in turo collocasset, dimissis tuto equore scaphis naufragos eripere; non inter sæculi procellas pene submersum & manus tendentem respuere. Meminisset susceptũ munus Apostolorũ, quib. hominũ piscationem maximo etiam vitæ discrimine Christus mãdauerit. Meminisset illos crucem, gladium, ignes, venena, atque his maiora supplicia sustinuisse, vt aliis salutem impertirentur. Respiceret eorum ad extremas vsq; orbis prouincias peregrinationes, ex charitate qua generis humani felicitatem cupiere. Se infelicissimum, cuius anima minoris æstimetur quam olim gentiũ cum tamen idem pretium pro vniuersis in Cruce solutũ sit. Quis parẽtis timor, domesticarum opum ratio, vel data puellæ fides, me ab Angelorum consortio, & à cœlestibus diuitiis arcet? Num parentis auctoritas, opes, conſugium Deo ac saluti præferenda sunt? Refragatur diuinis præceptis, quisquis audeat me edocere, vt patrem Deo, æternas pœnas cœlestibus gaudiis, æternas sæculi tranquillitati religionis præponam. Clamat Reg in Rex: *Qui amat patrem & matrem plus quam me, non est me dignus.* Clausum pene animabus regnum cœlorum docet exemplo cameli cui per foramen acus iter sit. His qui pro eo vxorem reliquerint, centuplum, ac vitam æternam pollicetur. Desineret ergo tãtæ saluti obicẽ ponere, patereturq; naufragum adolescentem in portum euadere, & ibi Deo totius tranquillitatis inseruire. Paratum se ridere parentis minas, spernere lacrymas, violentas manus sustinere, atq; necem si intentati contingat, forti animo tolerare. Abbas ex his diuinum afflatũ, vel magis in eo Deum loquentem arbitratus, ne diutius videretur resistere Spiritui sancto, Salimbenium Monachum dicat. Ex antiquo ritu placuit nomen assumere Mauri Sanctissimi viri, qui primus discipulorum Sancti Patriarchæ Benedicti ipsius institutũ in Gallias inuexit, Salimbenii conuersio eo magis claruit, quo antea inter Academicos pompis & familia splenduerat. Itaq; ex sodalibus vt eum abigerent, quidam crebrius ad cœnobiũ ventitare, quidam parentem ipsius de re tota admonere. Militaris homo, & nihil præter charitatẽ filii, & posteritatem familiæ prospiciens, ad nuncium initæ ab eo religionis cõcidit; mox in furorem actus minari cœpit, quæcumq; in Abbatis vel Monasterii perniciem forent. Circumuentum verbis filium, & blanditiis illectũ, non spiritu Dei, non religionis desiderio ductũ. Patere Abbatis vafritiem, qui præda nobilium adolescentum velit cœnobii miserias reparare; sed innixũ se fauore Mediolanensis Principis, actutum Venetijs apud æquissimum senatum repetsciturum ereptum filium. Neq; minora his effecit; nam impetratis ad Venetorum Ducẽ litteris, eo mœrore ac lacrymis in senatu causam egit, vt Patres decreuerint, Maurum è Monasterio deductum apud Episcopum aliquamdiu esse, quo procul à Monachorum blanditiis, proprio jure veteretur, atque edoceret, num diuino efflatu, an Ludouici monitu religionẽ petiuisset. Apud Episcopum, vbi præcipuæ nobilitatis viri legati ac militares confederant, Maurus religionis postulatus, respondit; eam sibi voluntatem fuisse; Deo propterea maximas gratias habere, atq; plurimum debere Ludouico, qui conatus iteratis repulsis frangere ipsius animum, vel tandem suscepisset deprecantem; Nihil præter hæc. Visum etiam Episcopo est illum triduo apud se retinere, vt pater prece, lacrymis, minis; cognati blanditiis, promissisq; Monasticum ex animo rigorem depellerent. Nihil tamen effectum. Extrema iudicii appetebant, & publice placuit rursus Mauri de consilio assumptæ religionis interrogare: Qui arbitratus iam satis suam mentẽ aperuisse, iuxta Prophetæ mõnitum, in spe & silentio fortitudinem suam posuit, & demissis in terram oculis, licet frequẽtius interrogaretur perpetuo siluit. Inde pater dementem illum suspicatus; ira in contemptum conuersa affirmauit, se nunquam exoratum ab eo filium aliquando receptarum. Is iudicii, ac triduani experimenti finis extitit, ingenti cũ laude adolescentis qui percalcatum iuit patrem, vt ad vexillum Crucis reuolaret; ingenti cum confusione Sathanæ, qui masculam in puero virtutem extinguere, eaque ratione reformationi Cœnobiorũ incommodare frustra conatus est. *Cauacius hist. Cœnobii S. Iustinæ Patauin. libr. 5.*

Monachi Cœnobii Iustinæ sectatur & Mauri vocatur.

Magnatius consultatio.

Tantos autẽ in religione profectus fecit Maurus, vt hoc anno quo Ludouicus Barbus ad Ecclesiam Tarusinam regendam translatus est, ille Patrum suffragijs cõgregationi S. Iustinæ Abbas suffectus fuerit. quo in officio, nihil ab instituto Ludouici deflectens, eiusdẽ exemplo diuinum cultum, & monasticam familiam disciplinamque probe auxit. Non fuerit porro abs re huius temporis Monachorum, qui à Ludouici manu prodierunt, mores producere. Forsan enim ab his stimulis, Monachi si qui deflexerunt, excitati, inualescent, atq; incitabuntur, vt labantes, vel collapsos mores vel emẽdent, vel ab inemendatione suffundãtur: Quod in primitiua Ecclesia legitur fuisse omnium cor vnum & anima vna: de istis quoque Patribus idem refertur. Diuina officia diu noctuque ab vniuersis celebrantur. Orationes, meditationes, ieiunia cum regularia, tum vltro-

Abbas S. Iustinæ renunciatur.

Monachorum qui à Ludo. Barbo in manu prodierunt mores.

nea

nea agebantur frequentius. Silentium statis horis inuiolatum: sermo, cum liceret, de diuinis rebus, quæ ineruditos docerent, & eruditos accenderent. Quicquid vltra sumptus domesticos erat, pauperibus dabatur. Peregrinis, ac infirmis inseruire, totius congregationis vsq; ad æmulationem studium fuit. Nulla præterea cum secularibus conuersatio; consanguineorum pia obliuio. Vestes ex panno liburnico crassiore, interulæ ex eodem instar cilicij. Lectuli ad hominis mensũrã; tegumenta nulla præter saccos palea infartos; culcitra villosa, quæ frigus arceret, non delicias ministraret. Linteorum nullus vsus; quia ex præcepto S.P. Benedicti omnes vestiti cubabant. Priuata exercitia, ad normam veterum Eremitarum in codicibus scribendis, vel in hortuli alicuius cultura. Doctiores Patres, vel in audiendis laicorum sacris confessionibus, vel in exponendis sanctis auctoribus laborabant. Apud Ciues eaerat de illis cœnobitis opinio, vt cum aliquis eorum per vrbem incederet (raro id contingebat) illum obuius quisque ac sanctum veneraretur. Quamquam etiam non omnino caruissent à seculo vel impedimentis, vel persecutionibus. Nihil enim familiarius Sathanæ, quam iuxta iter iustitiæ scandalum ponere, & currentibus viam mandatorum Dei aliquem maligaum opponere, qui remoretur. Alia de istis monachis omiserim; istud vnum quod in propaganda Venetiis Monastica disciplina illis acciderit, quia aliquid habet commune cum Eugenio, nondum Pontifice addidero.

XL. *De Monasterio S. Georgii Maioris Venet. & quomodo Congregationi S. Iustinæ perpetuo à Pont. coniunctũ fuerit.*

Venetiis templum est Sancto Georgio martyri dicatum in insula, quæ obiacet foro amplissimo Diui Marci. Huic Maioris cognomen inditum est, quo ab aliis eidem Martyri statutis Ecclesiis dignoscatur. Neque antonomasiæ repugnat, cum Monasterium id ab antiquis Ducibus impense ditatum, etiam aliquorum ex his sedes extiterit, qui abdicato Principatu Monachale institutum subiere. Istud exuto veteri splendore, & prolapsa Monachorum disciplina, ad Commendatarios deuenerat. Attamen ante annos aliquot quo Gabriel Condelmerius Cardinalis Commendatarius, à Ludouico Barbo, de quo prope diximus, Monachos impetrauerat, & apud Pontificem Martinum V. nitebatur, vt id congregationi Sanctæ Iustinæ perpetuo coniungeretur. Dum Põtificis rescriptum expectaretur, quidam apud Venetum principem traduxere Ludouicum, ac si oblitus charitatis qua patriæ ac Principi tenebatur, inhiaret iuri patronatus, & protectioni quam Duces habuerant ipsius Cœnobii, & id surreptitijs decretis ab suis ciuibus ad exteros traheret. Princeps facinus Ludouici perinde ac tale esset molestè ferens, mandauit Oratori apud Pontificem agenti, vt rescripto intercederet. Huius auctoritate res in multum tempus protrahebatur; nec quicquam de cœnobio actum esset, si Cardinalis Senensis Commendatarii studio, etiam repugnante Oratore, promulgationem rescripti non obtinuisset. Id Principis iram exacuit, qua etiam de Ludouici exilio regationem tulit, nisi impetratis renunciaret. Abbatis causam multi Senatores tuebantur, qui illum apprime innocentem, ac Reipublicæ nouerant studiosissimum. Itaque Abbatis exilio intercessum est. Excanduit magis Princeps; & quia Abbatem oportebat de his Collegium (secretior Senatus is esse) rogare; auide ipsius aduentum expectabat: Amicorum litteris admonebatur is, rotam rem in opportunũ magis tempus differre; vel si in animo haberet Venetias accedere, pacare accipere quæ in eum iratus Princeps diceret. Barbus patrios mores ac Principis genium alias expertus, iuxta ac solent mitifices ingentes tormentorum globos lentis excipere tomentis, eosque innocuos reddere, ita supplici humilitate paratus ingentem Principis iram sedare. Igitur coram eo humillimam orationem habuit, qua etiã cõsideates præcipuos Reipublicæ Magistratus edocuit, non ad euertenda Veneti Principis iura, sed ad reparandum vbique miserimum ordinem Sancti Benedicti institutam esse congregationem Sanctæ Iustinæ, cui si Abbatia sancti Georgii accedat, non tamen eximi à iure patronatus, & patrocinio Venetorum Principum: imo veram ipsius fore protectionem, si Dux collapsum respiciat, si nouos accolas decernat, si perpetuo alicuius congregationis nixu obfirmet. Id nunc agi. Perperam tamen aliquos suspicari eam dignitatem è sinu Venetorum ciuium ad exteros trahi; nam quæ vni nunc subest, deinceps pluribus parebit qui succedue imperent. Maximum beneuolentiæ pignus se habituram, si Veneti nominis plures adolescentes, ibi religionem profitesntur; è quorum numero, non solum Abbates Sancti Georgii sed alibi per Abbatias Congregationis Prælati creandi sint: itaque posse Venetis ciuibus non vnicum Sancti Georgii Cœnobium, sed quæcumque Congregationi Cœnobia adiiciantur, patere, Demum vrbis decus aliquod & commodum esse, si id in numerosam familiam veniat, quæ optimo exemplo ac precibus apud Deum ciues iuuet. Orationem clausit prolato è sinu Pontificis rescripto, quod etiam Principis arbitrio commisit. Ea humilitate emollitus Princeps, temporis spatium ad deliberandum statuit: quo elapso, integrum rescriptum restituit, atque specialibus donis vberiorem gratiam effecit. *Cauacius supra.*

XLI. *Monaster. Clarissarũ in Hesdin.*

Hocanno 1437. Eugenius Pontifex datis litteris Bononiæ V. Kalend. Iulij, ad Officialem Morinensem, Isabellæ Ducissæ, vxori Philippi Ducis Burgundiæ potestatem fecit, ædificandi Monasterium, in loco de Hesdin Morinensis diœcesis, in quo Clarissæ, ex reformatione Beatæ Coleræ, vitam Regularem ducerent. *Ferreolus in Chron. Belg.*

XLII. *Dæmon reformationi Monasteriorum per varia terriculamenta obsistere conatur.*

Hac tempestate, quibusdam Prælatis Religiosis circa reformationem Monasteriorum laborantibus, inimicus totius boni Sathan per varia terriculamenta obstitit. Nider, istud quod refero, narrabat.

A relatione fide digna didici Magistri Guidonis sacræ Theologiæ professoris, Prioris Zamberati, & eius superioris, & ex scripto Prioris in Affiaco Prouinciæ Franciæ ordinis Sanct. Dominici reformatoris, religione, literis, & fama approbatorum, quod postquã idem Conuentus in Affiaco, præterito anno reductus fuit ad reformationis decus, spiritus malignus Fratrum Officinas cœpit patenter inuadere, fenestras fregit, vtensilia subuertit, dolia vinaria dissoluit; chordas campanarias scidit, & easdem asportauit; cymbalum, quod duntaxat de die pulsari solet ad mensam, & collationem, tempore pulsauit nocturno, sicque inquietauit solum intra triduum Fratres, vt quosdam fere duceret ad amentiam. Nam de die in domibus Conuentus inferioribus, de nocte vero habitauit in dormitorio adeo terribiliter, vt nullus Fratrum auderet solus per conuentum incedere. Quid plura? Vna die inuasit nouitium in ætate constitutum vitæ suæ XXIV. circiter anno, cuius vestes lacerauit in duodecim foraminibus, vestigia in eis relinquens vnguium quasi cuiusdem feræ sylue stris. Alia die in vigilia videlicet Octauarum Epiphaniæ, dicto apparuit nouitio in forma catti nigerrimi, dicens; nisi habitum ordinis exueris, die tertia te interficiam; quo viso, & audito, iuuenis aucta voce adiurare cœpit Dæmonem in nomine Domini. Inuasit tunc dæmon de nouo nouitium; defendit se idem; in quo lucta accurrebant Fratres ex lucta amborum in cella reperientes mensam, pulpitum, lectum, & fere alia omnia subuersa. Vnde debilitatum Fratrem, detulerunt ad ignem; quo facto, statim de nouo de manibus Fratrum eripuit, in flammas ignium protecit, & per longum tractum tempo ris caput eius in medio ignis detinuit. Deinde nouitium Fratres magno cum labore eripientes, eum in Ecclesiam a l summum altare detulerunt; vbi iterato eum dæmon è manibus illorum abripuit, & per totum chorum violenter traxit, & adeo grauiter percussit, vt

demum relictus à dæmone, pene à cunctis Fratribus dicerent esse mortuus. Quamobrem omnes ad Dei genitricem, & ad sanctos plurimos preces quasi pro defuncto cœperunt fundere; & postremo ad sanctam Paulo nostrum Dominicum recurrere, ob cuius reuerentiam locus nouella reformatione decoratus erat, & vbi hæc ille patiebatur à dæmone. Ecce sanctus Pater Dominicus suorum memor operum, super altare subito in forma viri elegantissimi, in habitu ordinis apparuit. Frater vero qui credebatur mortuus, & in Fratrum quorundam iacuit manibus, vultu cœpit hilarescere, se de medio Fratrum erigere versus altare, vt ibi Deum adorarer, & sanctum Patrem Dominicum. Cœpitque currere dæmon inter hæc à loco, & deinde per diuersas officinas domus, tanto cum strepitu fugiendo furere, vt totius patriæ malleatores adesse putares. Quod autem dignius est admiratione, mox vt sacramento diuinissimo communicatus fuit Frater, qui putabatur esse defunctus, contra inuasionem dæmonis tantam ei diuina virtus valetudinem tribuit, vt membris omnibus plena & perfecta restitueretur sanitas. Minabatur præterea eisdem diebus dæmon iste pessimus voce clamorosa, se nullatenus à domo illa recessurum, quam dixit, se longo tempore titulo proprietatis possidisse. Sed scientes Deo deuoti Fratres, Dæmonem esse mendacem, & patrem mendacii, inceptæ reformationi pro viribus operam dederunt; licet in his & aliis vexationibus adeo grauati fuerint, vt noctes pene insomnes ducerent. Nam dæmon alterius nouitii cappam destruxit; & famulo in coquina Fratrum necessitatibus seruienti, librum saris pulchrum, in quo horæ canonicæ continebantur, violenter rapuit, & in bullientem ollam proiecit. Cæterum, cum Fratres in inchoato opere reformationis perseuerarent, & tum sanctam Dei genitricem, tum S. P. Dominicum & alios sanctos in adiutorium inuocarent; tandem Sathanas discessit. *Nider lib. 1. c. 10.*

Non impar huic, & istud quod adiungit idē Nider.

II. Vix iam decem sunt anni transacti, quod in ciuitate Nouēbergensi Monasteriū nostri ordinis sanctæ Catharinę dictum, cum extrema difficultate reformabatur, per vndecim illuc trāsmissas denotas reformatrices ab alio reformato loco. Fuerūt enim cēs sorores in dicto Monasterio ad reformationem inuoluntariæ, & pro se cōplices sibi in ciuitates non paucos habuerunt. Postquam igitur locus regulariter clausus est, & cernicosa gens sexus fragilis colla iugo submisit obedientiæ, venit in Monasterium quidam dæmon, qui primum sonitibus nocturnis assidue insolitis moniales quasdem infestabat. Quod cum ad me venit, suasi vt talia non crederent esse à dæmone, sed à murilegis & gliribus, vel ex debilitate capitis; quia de lituamenta suspicabar adfuisse mulierum. Altera nocte venit dæmon, & vnam de his quæ rebelles exiterant, vt pute Sacristanā ad matutinas pulsare volentem ita compressit, vt eadē die putaretur sepulturæ tradi debere, & tandem tam de die, quam de nocte sic inquietabat conuentum præfatus dæmon, vt per totam noctem oporteret per vices custodias vigilantium sororiæ ponere: quia nulla audebat sola incedere. Fuit autem totus stupidus effectus sexus mollis femineus, ita vt neq; ego scirem quid eum eis essem facturus. Tamen orationes priuatas singulis ininxi & publicas; patientiam hic prædicaui, & vt in Domino confiderent sæpe suasi. Inpræfato vero opere, licet dæmonis malitia aliquid acquireret (quędem enim dixerunt: Ecce quando latam viam & antiquam ambulauimus, hæc nobis nunquā acciderunt) sed tamen per Dei gratiam Diabolus plus perdidit in hoc ludo, quam acquisierit. quia quædam cernicosæ sœminę, quas ad plenum pietas reformatorum nō valebat trahere, istud phantasma adeo terruit, vt totius vitæ suæ peccata confiterentur Sacramentaliter, vestes veteres deponerēt, nouas secundū formam ordinis induerent, & in nouam vitam se transformarent. Hoc cū dæmon videret, tandem per Dei gratiam destitit, & abscessit. *Nider lib. 5. cap. 2.*

Quam difficulter autem istud Monasterium reformatum fuerit, & quantum communis ac priuata oratio valeat, idem ipse narrabat. Sunt vix decem anni transacti, quod Monasteriū sororum nostri Ordinis ad sanctam Catharinā in Nuremberga reformari debuit per Magistrum eiusdē Ordinis, qui pro tūc moram ibi traxit in nostro Cōuentu. Cui reformationi vna voce oēs sorores reclamabant, & exinde per consanguineos totam ciuitatem in diuisionem ponebant; quibusdā dicentibus quia bona est, aliis vero dicentibus, nequaquā, sed nouitas est pernicios a. Multis igitur mensib. in hac materia laboratum est, vt in pace sanctum perficeretur opus. Sed propter contrarias de hoc opiniones Consulum dictæ Ciuitatis, negotiū dietim protelabatur. Misit interea Magister Ordinis pro vndecim sanctis reformatricibus, quæ venerunt de reformato Monasterio; & potius furtim, quam aperte in sororum sanctæ Catharinæ Monasteriū introm ittebantur, propter timorē quorundam ciuium, sine quorum consensu nihil fieri poterat efficax. Consulatus tandem dictæ Ciuitatis cōclusit hanc sententiam, quod sorores S. Catharinæ reformari deberent ea reformatione, quæ in eis incœpta erat; si, & pro quanto ad hanc reformationem inuitæ non fierent voluntate. Istud nos audientes, qui onus belli contra iras dæmonum portauimus, fere desperabamus de perfectione sanctæ reformationis; quia notum fuit cunctis, quod nulla sororum voluntaria fuit. Vnde in tam desperato apud homines negotio, ad Deū per orationes publicas recurrendum esse decreui. Et quia quotidie per tunc in Aduētu Domini prædicauī illā die, qua Nuncij Consulatus voluntā ē sororum experiri publice debuerant, ego in Concione ita sub brevibus populo dixi. *Boni pueri: vobis constat, quomodo pro reformatione sororum S. Catharinæ pro nunc laboratur, de qua hactenus nullam in ambone mentionem feci. Nunc igitur peto, vt singulæ personæ hic præsentes orent Altissimum, quatenus in tali negotio fiat voluntas beneplaciti omnipotentis Dei.* Deinde facto prandio venerunt ad Monasterium nuncij Consulatus, vota inuitarum ad reformationem audire volentes, nobis præsentibus, qui ex parte Magistri ordinis missi eramus. Fuerant autē Nuncii Consulum quidam, displicentiam in ipsius reformationis modo habentes. Cumq; requisitæ sorores super earum consensu ad partem se contraxissent, vix finita morula, per quam Psalmus *Miserere mei Deus* dici posset, Spiritu Dei affluente omnes in reformationem consenserunt. Vnde venientes ad nostram & Nunciorum præsentiam, cum lacrymis & genuflexionibus se reformationi obtulerunt. *Nider lib. 3. cap. 3.*

XLIII. *Memorabilis cladis Lusitanis in Africa à Mauris illata.*

Fuit hic annus 1437. Lusitanis infaustus maxime, clade in Africa memorabili à Mauris illata. Ardebant quinque Lusitani Regis fratres cupiditate proferendi nominis, opes amplificandi. In Hispanijs non poterant, angustis regionis finibus, pace cum finitimis nuper sancita. Itaque in Africam maiori gloria transferre arma cogitabant, aduersus infensissimam Christiano nomini gentem. Pecuniæ in stipendium rēdigendæ difficultas retardabat. Ab Eugenio summo Pōtifice venia peccatorum impetrata, Oreni Comitis Legati Lusitani opera, omnibus qui cruce insigniti sacrā militiā susciperent. Ferdinandus Auisii Magister cæteris fratribus ardentior se multitudini Ducem obtulit. Disputatū in Concilio gentis, de expeditionis summa. Ioannes Dini Iacobi in Lusitania Magister, negabat, nisi vniuersis Regni copijs petendā Africā, armis, equis, virisq; potentē eā esse prouinciā. sæpe infeliciter lacessitā, futurā nunc exitio, nisi suis se viribus metiantur; audaciam præcipitem fræna dam videri. *Primum*, de scripto conceptam sententiam dicebat, *falsus vates sim, nisi impetum animorum tenetis, atque ad vationem reuocatis, africani campi nostro sanguine redundabunt. Hæne copiis confidit?* Feroces ante certamen maxime, in ipso discrimine ignauissimi erunt:

erunt: nullo armorum vsu, nullo animorum vigore. An Maurios contemnitis? Ne hic contemptus magno luetur malo. Gentem in pericula promptam, numero infinitam, pro aris & laribus, pro vxoribus & liberis fortiter dimicaturam irritabitis. Numinis patrocinium aderit? Sed maiori morum probitate conciliatum, quam quos video ad arma maxime incensos; Sed si mature, si prudenter capiantur arma. Temerarium votis, impuris precibus, frustra superos fatigabis. Ne hic furor vestris conceptus animis magno constet, vererime cogis, nonnullius rerum vsus, ardens patriæ & vestræ omnium salutis amor.

Hæc sententia cautissimo cuique probabatur; inprimis Petro & Alfonso Regis fratribus. Vnus Henricus Ferdinandi conatus subleuabat, generis nobilitatem paresque opes litterarum studiis illustrans. Quod sæpe accidit, maior & senior pars, à minore & deteriore victa est. Communi consensu bellum decretum. Comparata classe, sex millia militum in naues imposita; fama eum numerum duplo maiorē prædicabat, id quoque incommodè accidit. Pridie Augusti vela explicata; intra dies quindecim peruentum in Africam, Septę de ratione belli disceptatum. Omnibus copiis Tingis obsessa, vrbs olim Romanorum nobilissima, nunc modica, exaduersum Tartessi ad fretum posita. Multa circum glarea, eoque ager frugibus infœcundus: nisi qua parte excauatæ valles vicini fontis aquis, consitis hortis eximia amœnitate prouentuque sunt. Obsessi dies septem & triginta magno conatu impugnati, numquā remiserunt animos, cum spe propinqua auxilii ad defensionem incitati. Phutensis, & Martocius Reges, aliique Africani Principes auxilio accurrerunt. Sexcenta millia peditum, septuaginta equitum millia sub signis, fortassis ementiente verum fama, traxisse ferunt. His copiis qui possent Lusitani resistere? Pugnatum initio acriter, deinde multitudine circumfusa, intra munimenta Cruce signati obsessi. In repentino terrore mœsti, fixis in terram oculis, neque respondere, neque rogare: quantum tempus dabat, abditi per tentoria, & lucem ipsam vitantes. De fuga consultum. Sed quo, aut qua itent locis omnibus occupatis? Victi necessitate, legatos de pace miserunt. Barbari vllam fœderis conditionem fore negarunt, nisi Septa dedita, vniuersa Africa decedatur. Graue id erat, neque in ipsorum potestate situm. Polliciti sunt tamen, modo incolumnibus ita liceret. Dati obsides, Ferdinandus ipse Dux aliique viri primarii: reliqui illuuie corporum deformis acies Sepram primum, deinde in Lusitaniam fine anni abiecunt. De iancito fœdere in Concilio Principum Eboræ disputatum. Iniussu Regis conditiones pactas, irritas videri; communi eorum qui aderant consilio decretum. Religionem, si qua erat gens obligata eo fœdere sanciendo, satis exsolui obsidibus in hostium potestate relictis; vt suo capite luerent, quæ stulte & temerarie promiserant. An si eadem superbia Lusitaniæ deditionem polliceri barbari vniuersæ coegissent, conditioni esset standum? Mauricique Imperii iugum reponendum Hispaniæ? Quidalia, quæ multa polliceri, & indignissima potuissent? Num iis gens Lusitana teneretur? Ergo Ferdinandi captiuitas perpetua fuit. Sepulchrum eius in vrbe Phutensi loco sublimi monstratur, erectum videlicet de Lusitana gente trophæum. Penes quem facti culpa præcipua erat, is siue casu, siue cōsilio Dei pœnas temeritatis princeps exsoluit. *Mariana lib. 21. c. 12.* Nonnius aliquanto religiosius Ferdinandi meminit, quem affirmat fuisse virum mira probitate, & vitæ sanctimonia, qui in sexennali captiuitate, tantas est perpessus ærumnas, & tanto pietatis Christianæ exemplo, vt merito videatur inter martyres referendus. Obiit anno 1443. ætatis 41. Ossa eius allata sunt ex Africa in Monasterium Batallense, & iuxta patrem condita; iam mortuo fratre Rege, qui remisit captiuum non modo non recusauerat, sed etiā cōtra procerum vota procurauerat, & vt redimeretur, testamento cauerat. *Nonnius de vera Regum Portugal. Genealogia.*

ANNO CHRISTI 1438.

Eugenii Papæ IV. anno 8. Alberti Romanorum Regis anno 1.

FErrariensi Concilio, ab Eugenio Pontifice, ad Græcos in gremium Occidentalis Ecclesiæ excipiendos indicto, ac felicibus auspiciis inchoato, continuatoque, anno hic M. CCCC XXXVIII. insignis est. Et quoniam res memoratu digna est, operæ precium videtur narrationem paulo altius repetere; vti apertius constet, quæ causa eandem synodum coegerit. Ante omnia oportet semina dissidiorum exponere, quæ Orientis Ecclesias, Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam & Hierosolymitanam ab Romana alienauerunt; è quibus vt nobilissima Constantinopolitana, post supremum Patriarchæ decus, locumque Alexandrinæ præreptum secundum ab Romana; ita quoq; seditionum omnium fons atq; origo extitit.

Dissidiorū semina quæ Græcorum Eccl.

1. *A Romana alienauerunt. Arrius.*

Dissidium primus omnium inuexit Arius, anno à parta salute CCCXXXV. qui Patrem vt Deum Filio maiorem, non modo propter assumptam humanitatē, sed etiam propter diuinam personam asseruit. Arii consectarius Eusebius Episcopus Nicomediensis, in eandem blasphemiam incurrit, Iuliumq; Pontificem Romanum sollicitare non dubitauit, vt eam Niceni Concilii partem, quæ vnam atq; eandem Patris & filii substantiam posuerat, abrogaret; cum que nihil ab illo impetrare potuisset, erronum quorundam Orientalium cœtum contraxit, sectamque Arianorum fecit: quam Pontifex Romanus piorum communione submouit, damnato ante omnia totius impietatis auctore Ario, nec non omnibus reliquis nefariæ factionis ductoribus, seu antesignanis. Excepit damnatos Constantius Magni Constantini filius, & ab eis seductus, maiorem plagam Ecclesiæ intulit, cum in exilium pulso Paulo Constantinopolitano Antistite, Macedonium suffecit. Is enim infigni vir imprimis erat, cum etiam Spiritum sanctum inter res creatas referret, multo magis Græcos à Latinis distraxit.

Altera secessio facta est, anno à Christo nato cccexxx. cum Nestorius noua doctrina in vulgus edita, Spiritum sanctū à filio procedere negauit; idē auctor, vt Maria, nō Dei sed Christi mater vocaretur: asserēs ex muliere Deum nullo modo nasci potuisse. Quare duas per se distinctas personas Christo, aliter Dei, aliter Mariæ filio affluxit, quam amentiam Cælestinus Pontifex in Ephesina synodo damnauit.

2. *Nestorius.*

Quarto & decimo post anno aucta Græcorū & Latinorum discordia est, ab imperitia Eutichetis Constātinopolitani Abbatis, cui Dioscorus Pontifex Alexandrinus assensit. Eutiches studio profligandi Nestorij eo prouectus fuerat, vt ad tollendam duplicis personæ distinctionē, haud contentus sana doctrina, quæ vnicam hypostasin ex diuina humanaq; natura cōpactā Christo tribuit, extremum æque impium astruetet, nimirū vnicam naturam; humana, vt primum susceptā fuisset, in diuinam mutata. Huic cum aduersaretur Flauianus Episc. Constantinopolitanus, sacerdotes Orientis cogendum ea in re Patrum conuentum censuerunt, Pontifex Leo, cum Chalcedonem Concilium indixisset; pro suprema in rebus fidei authoritate, Eutichetis dogma damnauit; Dioscoro schisma faciente, neq; vllū superiorē agnoscente. Ausus est hic improbus Concilia bulum Ephesi cogere, omnesq;, etiam inuitos suæ hæresi subscribere; necnon Rom. Pontificem contumeliosis scriptis proscindere, ac primus omniū supremam illius auctoritatē allatrare; quinimo eum quem orbis vniuersus cōmunem omnium parentem, & Cōciliorum Præsidem agnouit perpetuo & agnoscit, fœtidū caput appellare. Opus habuit Pōtifex, latrocinium Ephesinū execrari, ac Theodosium Aug. admonere; daret operā ne Dioscorus Ecclesiā turbaret, vtq; ad illā hæresim cōfutandā Generale Concin Italia haberetur.

3. *Eutyches.*

4. *Acatius epiſc. Conſtantinop.*

Anno poſtea CCCC. LXXVII. Acatii Epiſcopi Conſtantinopolitani indignatione noua cõtentio exarſit. Alexandriæ à piis ſtabat Timotheus Faciolus Epiſcopus, ab impiis Petrus Mogus. Eum cum Acatius à Simplicio Põtifice Rom. & Zenone Auguſto ſede pellendum peruiciſſet; forte Ioannes, qui defuncto Timotheo ſucceſſerat, literas, vt motis erat, de religione popularium ad Pontificem perſcripſit, pariterq; eadẽ de re Orientales Patriarchas fecit certiores. Literæ ad Acatium datæ aliquo caſu interciderunt. Hic contempto id ſui factum ratus Ioanni exturbato Petrum Mogum ſubſtituendum, nec non aliis Eccleſiis veterib. ejectis nouos Epiſcopos ſufficiẽdos curauit. Simplicius quidem ſæpe ſæpius, ſed fruſtra, per literas, Acatium admonuit, ac poſtremo refractariũ diris deuouit: Leo autem Imperator profanis eum virib. defendit. Ita nouis ſubinde erroribus ſuccreſcentibus, cum & ſacri libri à Græcis deprauarentur, & diuinam naturam mortalium iniuriis obnoxiam fuiſſe Græci aſſeuerarent: eo magis à Romana ſede veriſſimorum dogmatum fida ſeruatrice deſcitum eſt.

5. *Ioannes epiſc. Conſtant.*

Anno deinceps DLX. Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani ſuperbia nouum intulit certamẽ. Is vrbem Regiam cæteris præſtare, ac vel iſti Rom. Pontifici præcribere iactans, cum omnium Patriarcha atq; Oecumenicus verbo non reipſa vellet dici, Concilium in eã rem coegit, idq; nomen ſibi vſurpauit. Pelagius hominem, & illos præterea qui id contra morem maiorum fieri ſuſtinuiſſent, litteris hortatus eſt, vt errorem abiicerent. Cæterũ cum poſt Iuſtiniani obitum, Mauritius Imp. à Patriarcha ſeductus de dignitate cum Pontifice Rom. certare in animũ induxiſſet, Gregorius qui Pelagio ſucceſſit, de Pontificia & Auguſta maieſtate decretum promulgauit; actum modeſtiæ & Chriſtianæ humilitatis gratia, tũ ad refellendã Ioannis vecordiam, titulum iam antea à Damaſo prædeceſſore vſurpatũ, vt ſe ſeruum ſeruorum Dei nuncuparet reuocauit, iiq; vſum ſuccedentium Pontificum traduxit. Patriarcha, parti factu ac tumore nomen ſemel arrogatum retinuit, atque à Græcis Oecumenicus appellari exambiuit.

6. *Sergius.*

Octuageſimo poſt anno Sergius & ipſe turbas conciuit, qui in Monothelitarũ errorem fœde prolapſus, vnam in Chriſto naturam atque actionem conſtituit, Heraclium q; Auguſtum de religione antea recte ſentientem in eum laqueum pertraxit, Orientalemq; Eccleſiam & aſſixit, & à matrice Eccleſiarum diuiſit.

7. *Conſtantinus Iconom.*

Paulo maiore temporis interuallo, Conſtantinus Reginæ vrbis Patriarcha, Iconomachos ſanctarũ Imaginum hoſtes, ſimulq; nouum inter Latinos & Græcos diſſidium in medium protulit.

8. *Leo Imper.*

DCCCXXX. anno à partu Virginis Leo Cæſar eandem prope extinctam de imaginibus abolendis hæreſim excitauit: qui poſt Michaelis cædem Imperio potitus, hac vna re ſibi maxime placebat, ſi à Romana ſede, qui Auguſtam dignitatem Occidenti communicauiſſet, quam maxime diſſentiret.

9. *Photius.*

Annis inde duo detriginta exactis, Photius, quo potentior ſacram iuris dictionem Ignatio Patriarchæ Cõſtantinopolitano ademptã exerceret, Nicolaum Pontificem Rom. per ſummam impotentiam falſis criminib. onerare, iudicio ſuo ſubiicere, nec nõ præfracta temeritate damnare, ac, præterea Græcos ab illo ſeiungere auſus eſt. Quamq; autẽ Baſilius, poſt cæſum Michaelem ad Imp. euectus Photium abdicaſſet, Ignatium q; reſtituiſſet, q; etiam Adriano ſecundo rectum fuit; Ioanne tũ VIII. Pontifice, Photius, qui Baſileam placaſſet, defuncto iam Ignatio, cum oraculum à ſe confictum ita eſſet interpretatus, vt magnam Auguſto felicitatem præmunciaret, ſolium Conſtantinopolitanum iterum inuaſit, & adulterinis, quaſi conſentientibus Rom. Pontificis litteris ſibi in præſentia proſpexit. Præter Photii ſcelera quæ recenſuimus, multæ ac nefariæ opiniones, Baſilio ſeducto tuente receptæ, Græcos à Latinis maxime diſtrahebant.

10. *Conſtantinum machin*

Anno deinde M L. Siculis, quos Conſtantinus Monomachus, ſacra paulo pretioſiore ſuppellectile Conſtantinopolim auecta, ſpoliauerat, ea de re expoſtulantib. quaſi cum humani generis parente Leone IX. Pontifice: cum is ſacrilegũ corripuerat: ille viciſſim aduerſus Pontificẽ exardeſcens, quaſi ipſius opera Inſulariũ primo conſternatio, deinde rebellio extitiſſet; veterem de Pontificia & Auguſta maieſtate contentionem renouauit. Is furor vſq; adeo Cæſarem exagitauit, vt acerſito ad ſe Michaeli Cõſtantinopolitano Patriarchę auctor eſſet, adorandum ſe tamq; humani generis parentẽ exhiberet. Ipſe præterea, in ea pompa Michaeli permiſſa, pedes incedẽs equi frænum manu prehẽdit, quodq; ante Pontifici Rom. ſolebat obſequium ei detulit, ratus per hunc modum ſummam illam auctoritatem quam Siculis impertiſſet, poſſe à ſe conuelli. Etſi autem Conſtantinum nimio Patriarchæ cultu & veneratione perterritum, ad quem ex toto ferme Oriente gentes certatim vti ad verum ſummum Pontificem confluebant, facti pœnituiſſet, nimirum eadem ita vrbe verſari hominem, qui ſacris interdictis, ac populariũ ſtudiis fretus ipſi quandoque grauis eſſe poſſet; ac propterea eumdem in ordinem coegiſſet: non deſtitit tamen, vt quiſque maledicentiſſimis ſcriptis Romanũ Pontificem laceraſſet, ita maximis eum præmiis remunerari; legeſque ſeruit; quibus Romanos ritus à Græcis diſcrepantes (Erant autem ij non minus nonaginta nouem) totidem eſſe impios errores iuberet. Ita, propter Siculorum defectionem, non cum Pontifice modo inimicitias exercuit, Monomachus, ſed & ab authoritate Romanæ ſedis ex profeſſo deſciuit. Cum aũt annos amplius centum & quinquaginta viguiſſet ea diſceſſio, tandem inita eſt ratio conciliandorum animorum. Vt enim, ſi nonniſi verbis de ſacrorum codicum interpretatione agatur, vſu compertum eſt, ſanatas praue ſentientium mentes; generalibus aut prouincialib. Conciliis, admonitionibus, decretis, minis, interdictis Pontificiis atque aliis huiuſmodi ſacris telis: ita pertinaciæ atque impotentiæ vni ſibi auſcultanti & rationi obaudienti, vi obniam ire, & ad purum numinis cultum ſanamq; religionem contumaces ſecularib. armis ſubigi par eſt. Quapropter cum Auguſti potius quã Patriarchæ ac ſacerdotes Græci, ambitione ſuperbiaq; inflati in populares, ſine reſpectu publicæ quietis atq; incolumitatis Imp. hæreſes amplexi fuiſſent; oportuit impiis Principib. de medio ſublatis, corruptam quoq; ac deformatam, & viribus pollẽtem religionem excidi. Accidit autem vt Balduinus eBelgio profectus, cum Francis Venetiſq; amplius ſacrum bellum capeſſeret; ac Conſtantinopolum appulſus, ab Iſacio & Alexio, quos in Imp. reſtituerat, inſidiis appeteretur, claſſe tãtum non incenſa, q; rem ille armis vltus Regiã vrbem ſuæ ditionis fecit; atq; Græcis Auguſtis & ritibus exterminatis, Latinos Reges, & germanã Rom. Eccleſiæ fidẽ ſubſtituit, gentemq; Romanæ ſedi ſubiecit. Latini cum annos quinq; & quinquaginta Cõſtantinopoli imperaſſent Michaël Palæologus ope Genuenſium imperium extortum genti ſuæ reſtituit, ac ille quidem, quo in inſtituta à Balduino cõcordia rectius perſeueraret, Gregoriũ X. deinde exorauit, vt Concilio Lugduni cogeret; & pulſo Ioſepho prauæ religionis aſſertori ſucceſſorẽ dedit Ioannem Veccum, multoſq; Epiſcopos & Abbates, qui eius Concilii decreta non recipiebant, partim ingulauit, partim mari merſit.

Græci pro Latinos Rom. ſedi ſubiiciuntur.

Michael Palæologus imperium Græcis reſtituit.

Non diuturna fuit ea concordia. Michaele vita functo filius Andronicus, vt qui præ ignauia domeſticas ſeditiones ſupra modum horreret, tam cupide ad beneuolentiã Græcorũ promerendam veteres errores arripuit, vt ſublata voce in tẽplo, idem ſe cum maioribus ſuis de religione ſenſurum teſtaretur; patrẽ, eiuſq; auctoritatem ſecutos execraretur; Veccum ſede ejecerit, inque carcerem compegerit; ac Ioſephum denuo ſubſtituerit. Quanquam autem ſuccedentes Gregorio Pontifices, nullam operam intermiſerint, vt Græcos ad vnita-

11. *Andronicus Michaël fil. Veteres errores arripit.*

vnitatem reuocarẽt, inq; iis Vrbanus Quintus feliciſſimis conatibus rem prope confecerat, Ioanne item Palæologo, huius qui Concilio Ferrarienſi & Florentino interfuit auo ad id neceſſitatis adducto; manſit tamen vniuerſæ gentis ab Eccleſia Romana diſſidium ad hæc vſque tempora.

II. *Symbolum fidei Nicænæ præcipua diſſidii cauſa.*

Diſſidii præcipua cauſa referebatur ad Symbolum Fidei Nicænæ, cui Græci iebant per nefas additum à Latinis fuiſſe, Spiritum ſanctum à filio quoque procedere. Latini contra defendebant, non acceſſionem eſſe, ſed interpretationem, neceſſario ex Sacris Scripturis, & ex SS. Patrum Commentationibus, propter hæreſim pneumatomachorum appoſitam. Itaque cum Græci exiſtimarent Latinos violaſſe fidem Nicænam, animis diſſociati ab Eccleſia Occidentali in ſectã abierant; pernicioſo maiorum exemplo, qui vel Filium patre minorem blaſphemabant, vel duplicem in eo perſonam, aut vnam tantummodo naturam, ſiue diuinam, ſiue humanã ponebant; vel ab eo almum Spiritum non fluere, neque exiſtere, eumque Spiritum creatum eſſe diſſerebant; neque aut Patrum auctoritati, aut Concilii Lugdunenſis, diſſerte pronunciantis, Spiritum ſanctum à Patre filioq; procedere, non tamquam à duobus, ſed ab vnico principio, atque vtira dicam vna ſpirarione. Præterea, cum aliæ cauſæ ſingulares pro re natæ, tum hæc vna in vniuerſum ſemper ſuppetiit, perpulitq; errorem de proceſſione Spiritus ſancti tueri, quo à Latinorum veſtigiis diſcederẽt, & ſummã Romanę ſedis auctoritatẽ declinarent, animi videlicet ingeniq; elatio, qua cæteris omnib. præſtare, imperare, doctrinamq; impartiri voluerunt; vel interdũ oblique potius, quam vt dictabat ratio, alienis præceptis aut doctrinæ auſcultare. Eiuſmodi infelicitatem permultũ adiuuit opportunitas loci ex qua licuit gentes ſupra circaque incolentes, ſi forte conſultum de aliqua religionis quæſtione in Italiam tranſmittere cogirarent, apud ſe retinere. Conſtantinopolitana enim vrbe impietatem pertinaciſſime defendente, Indos, Iberos, Armenios, & reliquos Orientales deceptos, in errorem & ſectam trahebant: in probanda autem peregrinis cauſa ſua, Latinos, potiſſimum nimiæ atque exactæ diligentiæ arguebant, quaſi rem minime animorum ſaluti neceſſariam tetigiſſent. Eoſdem præter hæc impios eſſe affirmabant, quaſi decreta veterum conciliorum deprauaſſent; item ſeditioſos & Schiſmaticos; quaſi expertibus Latinorum conuentuum Græcis Patribus, ipſi diſſidii ac ſeceſſionis cauſam præbuiſſent. Contra Latini defendebant, curioſos nõ eſſe, qui, quæ fraudem piorum mentibus poſſint obiicere, proſpiciant ac præmonſtrent, neu quis, quod multi facturi erãt, errore abducatur ſedulo præcaueant. Impiorum numero non eſſe habendos, qui ſacros codices non interpolent, ſed recondita & implicita promant & explicent. Neque ſeditioſos, quando ſine magno labore & periculo, nullo operæ pretio Græci euocari, vique in eundem loçum conduci potuiſſent; quorum pertinacia, ſi veteres opiniones mordicus tenuiſſent, nec expugnati domum rediiſſent, magnam nomini Chriſtiano offenſionem & detrimentum erat allatura: ita potuiſſe Latinos Græcis incõſultis de religione ſtatuere.

Loci opportunitas multum iuuit ad foueõdos errores.

III. *Romano-catholicæ fidei communio & fauor rebus Græcorum ſeruandis multum profuit at vbi deſuit res eorum peſſum ierunt.*

Maximo Reipublicæ Chriſtianæ detrimento ſem per ſtetit hæc diuiſio Eccleſiarum Græciæ & Latinæ. Quamdiu enim Flauius Conſtantinus, & qui ſucceſſerunt illi Imperatores Romani, acceperunt ab vrbe Roma ſummorum Pontificum circa religionem Chriſtianam dogmata, floruit vel magna, vel mediocri ex parte res Romano-Chriſtiana; & plurimi, atque innumeri populi, apud Indos, Aethiopes, Arabas, Perſas, Armenios, & alios tum aliarum orbis partium, tum inprimis Aſiæ, qui Romanos duces, & victrices aquilas, aut ignoraſſent, aut penitus contempſiſſent, ideo Romanorum ſubierunt imperium, vt quam maiores eorum longe antea ab Apoſtolis imbiberant, per manuſq; tradiderant Chriſti fidem; eandem ſub Petri Apoſtolorũ Principis ſucceſſoribus Romanis Pontificibus retinerent. Poſtquam vero Imperatoribus ipſis, Romanam Eccleſiam non modo deſerentibus, verum etiam perſequentibus, eo neceſſitatis peruentum eſt, vt Carolus magnus Francorum Rex, ad tutelam ſedis Apoſtolicæ, à Stephano & Adriano Romanis Pontificibus vocatus, crearetur Romanorum Imperator; qui Conſtantinopoli ſucceſſerunt Imperatores, labefactato prius per ignauiam Aſiæ & Africæ Imperio breui fuerunt ſpoliati: ſimul Europæas prouincias, Conſtantinopoli proximas, & Græciæ inſulas amiſſuri tunc, niſi Catholicæ fidei communio, quam centum ferme & quinquaginta annos poſt ſciſſum imperium cum Eccleſia Romana ſeruarunt, illis retinendis præſidio adfuiſſet. Saracenis namque & Turcis, qui Aſiam prius Romano ſubiectam imperio maiori ex parte ceperant, & Sanctam Hieruſalem idolis inquinatam tenebant, arma aliquando iungere, vt in Græciam, contra Chriſtianos traiicerent, cupientibus, diu obſtiterunt Armenii, gens tunc Catholicè Chriſtiana & præpotẽs, quæ vtramque illam ſitu dirimeret barbaram nationẽ. Scythis item qui nunc Tartari dicuntur, in Europam per Ripheos montes, Tanaim, & paludem Mæotidem transmittere volentibus reſtiterunt Hiberi, gens item Chriſtiana, quæ cum Chriſtianum nomen comminui nollet, tum etiam barbarum ſibi vicinum iniquo animo vires augere patiebatur. Poſtquam autem Græcorum culpa, his ipſis Græcis ſublatus eſt Romanæ rei fauor; tum demum malis ſuis edocti intellexerunt, quãtum detrimenti rebus eorum attulerit, à Romana Eccleſia ſeceſſio. Etenim cum Romano Pontifici ſubeſſe indignarentur, Orientalibuſque populis in Romanæ Eccleſiæ obedientia, Græcorum magis quam Romanorum commodo perſiſtentib. præeſſe affectarent: multis populis tum Aſiæ, tum Europæ, ad vrbem Romam, ſanctamque ſedem Apoſtolicam, prohibente magis Græco iam Romanæ Eccleſiæ hoſte, quam barbaro, accedere nequeuntibus; ſenſim factum eſt, vt Indi, Aethiopes, Perſæ, Armenii, Hiberi, aliiq; populi, & ſi nomen retinuiſſent Chriſtianum, partim multos acciperent ex Græcorum erroribus, in quos hi poſt ſciſſuram ſeſe præcipitarunt; partim indignantes Græcis, quos oderant, vſque quaque ſubiici, nouas & ipſi hæreſes ſecuti, in manus barbarorum inciderunt. Neque parum fuit Græcis, tot Regna, prouincias, vrbes, oppida, & populos, à Romano Imperio, & fide Chriſtiana, atque obſequio Romani Pontificis alienaſſe; niſi recuperaturos omnia Occidentis Principes, Cruce ſignatoſque populos, partim quoad potuerint prohibuiſſent, partim captas & diu tetentas vrbes & prouincias iterum amittere coegiſſent.

IV. *Quid Ioã. Palæolog. Imp. impetrat ad Conc. Oecumenic. pro vnione cum Rom. Eccl. conficiendæ poſtulandũ.*

Videt hoc Ioannes Palæologus; quanta mala tum Orbi Chriſtiano, tum ſibi ipſis Græci per ambitionem, ſeceſſionemque à Romanis Pontificibus, Romanaque Eccleſia inuexiſſent, eoque loci res adduxiſſent, vt ſolã ac pene deſolatã Conſtantinopolim Peloponneſumq; & ea quidem Turco tributaria ægre poſſideret; acniſi à Romano Pontifice & Occidentali Eccleſia adiuuaretur, vix eadẽ ſe poſſe retinere exiſtimaret, eaque propter ad Eugenium Pontificem reſpexit, & ad vnionem cum Romana Eccleſia inclinauit, & Concilium Oecumenicum pro diſſidiis tollendis vnitateque conciliandа congregari poſtulauit; quod ſciret, nullibi magis, maioreq; cum fructu curari, quam vel in Concilio generali, vel Romæ, vt Eccleſia ſit ſine ruga ſchiſmatis, & ſine macula erroris vel moris. Diſſidium ex Ariano dogmate, Sylueſter in Concilio Nicæno ſuſtulit. Aliud ex Macedoniano errore, Damaſus in Conſtantinopolitano. Tertium ex Neſtorianiſmo, Cæleſtinus cum Theodoſio Imperatore Epheſi. Quartum ex Eutichetis & Dioſcori væſanis, Leo cum Martiano, Imp. Chalcedone. Acacii furorem, mutuaque Græcorum atque Latinorum diſſidia, quæ annos quinque & quadraginta religionem miſere diſcerpſerant, Ormiſda Pontifex

finiuit. Ioannes enim sacerdotium Constantinopoliadeptus, dedit ad eum literas iureiurando sese obstringens, quos Romana sedes recepisset, se quoq; recepturum, ac reiecturum quos ipsa reiecisset, quod si falleret! caput suum execrabatur. Hoc facto, Græci ad obsequiũ Romanæ Ecclesiæ rediere. Simultas porro ab Ioanne de titulo Oecumenici Patriarchæ excitata, cũ vita ipsi' repente exanimati finem habuit; cuius successor Ciriacus, Oecumenici appellatione deposita, Patriarchæ titulo contentus Gregorio Pontifici se dedit. Subsequẽs deinde dissidium, q̃ fouentibus Heraclio, & Constantino III. eius filio duo de quinquaginta annos tenuit; sub Constantino IV. superioris filio Augusto qui sincerã religionem coluit, sublatum est ab Agathone Romano, in sexta Constantinopolitana synodo. Terasii quoq; opera, Constãtinus V. & Irene eius mater, ex auctoritate Adriani Pontificis coacto Nicææ patriũ conuentu, veterẽ Constantini errorem, qui veluti noxium semen grauissimam in religione diuisionem produxerat, sustulerunt. A Leone porro inflictum vulnus, Adrianus secũdus in octaua Oecumenica Synodo persanauit. Græcosque & Latinos ad inuicẽ copulauit: Reliquias Phociani schismatis, Stephanus Pontifex curauit. Resurgentia post modum capita, Innocentius III. in Cõcilio Lateranensi; Gregorius X. in Lugdunensi, Vrbanus V. Romæ, represserunt, sempiternaque diligentia euidens fecerunt, posse à Romano Pontifice hinc inde dissensionum vulneri medelam afferri; si modo dissidentes partes coniungi amant, non detrectent. Non detrectauit Ioannes Palæologus, sed cum Eugenio ad perficiendã diu desideratam vnionẽ conspirauit. Eugenius enim, excellentis, & magna appetentis animi Pontifex, eam q̃ olim Cardinalis optauerat, quamprimum Pontificatum adeptus est, concordiam Ecclesiarum, cũ sibi modis omnib. quærendam esse proposuisset eamq; ob rem ter quaterue Christophorũ Garetonium Cõstantinopolim Nuncium misisset; facile adduxit Palæologum iã antea trahi volentẽ, ad vnitatem amplectendã.

V. *Palæologus Basileensiũ cœtum & promissa spernes Ferrarien. verbem ab Eugen. Pont. propositam eligit.*

Diximus superius, Basileenses Patres, per Italici nominis inuidiã, infestissimis animis nihil acuratius quæsiuisse, ac pro virib. intentasse, q̃ Eugenium Pontificem per nefas omne infra ordinẽ redigere, ac Pontificatum vel multas in partes lacerum trans Alpes traducere; ad eamq; rem eo ãstu processisse, vt quũ pessima esset atq; pernitiosissima eorum mentis intentio, talia tũ per simulationem aggressi fuerint, ex quib. in suas partes populos & principes pellicerẽt Christianos; eaq; propter nuncios Constantinopolim frequentes miserint, qui Palæologum nullis onerat um pollicitationibus, in fœdus, atq; Basileã traherent: cum illi & triremes. & milites è Creta balistarios, & auri summam non tm̃ itineri faciendo, verum ẽt Imp. Orientali à Turcis tuendo, & multa alia præter vires & opes sponderent, decretisq; amplissimis confirmarent. Cæterum Palæologus has eorum pollicitationes supra eorum posse facta intelligens, ac præterea, illud tm̃ legitimum esse Concilium, q̃ Romanus Pontifex suprema in Ecclesiam authoritate conuocaret, dirigeretq; probe sciens; plane *beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, neq; in via peccatorum stetit*, Basileam spreuit, Ferrariam aũt q̃ Eugenius proposuerat elegit. Significauit ergo ditionis suæ Principib. sacerdotibus, & viris studio literarum deditis, eruditionisq; laude præstantibus, qui Constantinopolim adueniret. Horum præcipui erant, Trapezuntius, philosophus Amyruza, Nicææ Bessario, Russiæ Isidorus, Gemistus Pletho Philosophus, & alii delecti. Hi cum ad sacrum faciendum, cum Patriarcha Iosepho (qui postea Florẽtiæ diem suum obiit) conueniissent; Liturgia in maximo diuini Logi sapientiæ Templo peracta, nauigare inde in Italiã decreuerunt; Exarcho, seu inceptore Synodi designato, Marco Eugenio, Ephesi Metropolita, iã tum Basileenses, apud Auinionem Massiliamq; paratas triremes in Ionium mare miserant, quæ Imp. ad se adduc erent; aut si id fieri non posset, saltem hominem remorarentur, quominus Ferrariam proficisceretur. Earum præfectum largitionib, ita pellexit Eugenius, vt qui sanctissimis consiliis incõmodaturus vela fecerat, relictis Basileensib. deinceps Eugenii partes secutus, Classem Pontificiã & numero, & virib. auxerit. Hanc ergo ad eum modum auctam, & aduersus omnẽ hostilem impetum munitam, nec non Prælatis, nobilibusq; qui deducerẽt, & omni apparatu possibili ornatissimam conscendit Imp. In eo septingentorum hominum quos adducere debuit numero, fratrẽ habuit Demetrium Palæologum Porphyrogenitum Despotem, & præstantissimos Græciæ Prælatos, Ioseph. Patriarcham Constantinopolitanum, ac loca tenentes Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani Patriarcharum, Legatosq, Trapezuntini Imp. Hiberorum, & Valachorum, cum Metropolitis, Clericis, & Nobilibus q̃ plurimis. Post tertium mensem, q̃ Constantinopoli soluerant, Venetias deuectus est: quo ẽt se contulit à Basilea Cardinalis Sãcti Angeli, Iulianus Cæsarinus ciuis Romanus, vir famæ celebris, qui perditos Basileensis conciliabuli abhorrens mores, reductioni Græcorum q̃ diu concupiuerat, & ipse pro virib. quæsiuerat, cuperet interesse. Pontifex factus certior appropinquare Palæologum, X. Kal. Febr. Bononia Ferrariam processit. Palæologus cum suis, VI. Idus Febr. Venetias appulit, ibidemq; ad S. Nicolai templum Vrbano in littore situm, honorificentissime à Senatu exceptus, in ædes hospitales Nicolai Atestini paulo ante ipsius iussu apparatissimas deductus est. Idem Nicolaus quarto post die Venetias se contulit, tum vt Augustum salutaret, tum vt coram oẽsei fortunas opesq; suas offerret. Postera die Nicolaus Cardinalis S. Crucis, vnaq; Gradensium Patriarcha, & Cretensium Archiep, Eugenij Pontificis nomine, de secunda nauigatione ei sunt gratulati.

Quanto cũ comitatu Palæologus in Italiam nauigauerit.

Pontifex Venetiis Palæologo occurrit.

Inde IV. Nonas Martii deducente iussu Pontificis Iuliano Cardinale, comitantib. Antonio Heraclensi, & Gregorio expiandis Cæsaris criminib; præposito, q̃ Patriarchæ Alexandrini vice fungebantur: Marcus Ephesius, Antiochenum; Dositheus Monẽbasiensis; & Dionysius Sardicensis Hierosolymitanum referebant. Subsequebantur Cæsaris Trapezuntii, Iberorũ, ac Myforum Legati, ac ferme nobilissimus quisq; ex trãsmarinis regionib. numero ad DCC. dignitate insigni, vnaq; Augusti frater Demetrius Despotes. Nicolaus Atestinus ad vicum Francolinum occurrens, eum in vrbẽ deduxit, nec tũ Cæsar ad luculentissimas ædes eius habitationi destinatas, Paradisum appellant, nostra tempestate publicum Gymnasium, recta tetendit; sed in ipsam Nicolai Regiã ad Pontificẽ diuertit. Huicille assurgẽs paululum modo obuiam processit, parantemq; procumbere, vt pedib. oscula figeret prohibuit, & familiariter cõplexus ad læuam iussit cõsidere: Mox oẽs eum Cardinales salutarũt. Quarto die adfuit Iosephus Patriarcha Constãtinopolitanus, cum perbona parte sacri cœtus, qui natus annos circiter octuaginta, nec satis firma valetudine, non vt cæteri ad vicũ Francolinũ descendens reliquũ iter pedib. confecerat, sed ad Ficariolum circumuectus inde secundo flumine Ferrariam peruenerat. Egressum quaterni Senatores summa dignitate, ac Nicolaus Atestinus, & XXV. Patres Latini exceperunt, atq; in Põtificis conspectũ adduxerunt. Paulo post aduenit terrestri itinere, cum equitib. cc, vt Polonorũ historici narrant, Isidorus Ruthenorũ, Archiepisc. vii Græcanici ritus, qui ei interfuerint muneri post Imp. potentissimus, cui à Scythico littore, in Moscouia, Russia, Podolia, Voliniaq; vsque ad Boristenis & Danubij ostia gentes innumeræ subiectæ sunt. Rei diuinæ sacro Domino Resurgenti die apud eum à XV. Sacerdotib. factæ, Nicolaus Atestinus cũ familiaribus interfuit, Ruthenusq; Græco Ritu Sacrosanctum panem de manu Patriarchæ accepit. Atestinus deinde lautioribus epulis animum Græcorũ relaxauit, philosophis aliisq; doctis viris adhibitis, qui super mensam inter se disputarent. quæ ex re ingenii potius præstantia, quam

VI. *Palæolog. Ferrariam aduenit & quomodo ab Atestino receptus & quisordo in sessione seruatus fuerit.*

scientia,

scientia, mirificam voluptatem capiebat, atque ita ad non vulgarẽ beneficientiam erga viros eruditos comitatem ẽt addebat. Fuit id tẽporis apud Nicolaum Vgo Senensis, Medicorum eius ætatis facile princeps: qui, vt Sylvius memorat, cum in celebri Peripateticorum arq; Academicorum conuentu quæstiones in vtramq; partẽ proposuisset, eamq; ipse tutaretur quã Græci oppugnarent, differendi acumine superior factus magnũ Latino nomini decus cõparauit. Cæterum vt Concilii gratia concursum appareret, quamquam adhuc quidã Principum Legati, ac Patres Occidentales in expectatione essent, cœtu tamen coacto, quæ in rem essent agi cæpta. Principio tenuit contentio, quẽ quisq; locum sortiretur in maximo vrbis templo, in quo habendum erat Concilium. Cum principem in ipso meditullio locum Eugenius, & (sicut constat ex actis huius Concilij Græcè scriptis) Cæsar sibi deposceret; post longã altercationẽ, Sacrosancto Euangeliorum Codici altari impositio is locus est attributus. paulo infra Pontificem, vacua Germani (vt Græci loquebãtur) vt Latini, Romanorum Imperatoris posita sella; dextra, læuaq; Cardinales, Archiepiscopi atq; Episcopi Latini; contra Germani Augusti sellam, Imperatoris Palæologi sedile: secundum quem Patriarcha Constantinopolitanus, & reliqui Patres Græci ordine adsederunt. Quinto Idus Aprilis, qui dies in quartam Sacrosanctæ hebdomadis feriam incidit, cum antea in ipso templo Deum precati fuissent, decretum à scriba Cæsaris Græcè recitatum est, quo ille, vnaq; Patriarcha Concilium Ferrariæ haberi placere sibi testabantur. Alterum in eandem sententiam latine scriptum populo pariter pronunciauit is, qui Eugenio erat ab epistolis. Et siaũt Patres Concilii gratia Ferrariæ cõtractos. contentio inprimis de processione S. Spiritus exerceret, non deerant tamen alia controuersa, & ipsa, ne quid dubii supereret expẽdenda. In disquisitionẽ veniebat, nũ animi aliqua labe polluti, atq; à corpore seiuncti aliquo igne purgatorio expiarentur; expiati, aut per se puri sanctique, statim in cœlum euolarẽt. Num azymo, an fermentato pane res diuina facienda esset. Num Pontifex Romanus, totius Ecclesiæ caput foret. Hæc summa est actionum huius anni.

VII. *Summa actionum in Concil. Sessionis. I. acta.*

An detur purgatorium.

Anno millesimo quadringentesimo trigesimo octauo 4. Martii Ioannes Palæologus, Iosephus Patriarcha Ferrariã appulerunt, quos dum Ponirfex cũ Cardinalibus debito honore excepisset, consilio Græcorũ Pontifex oẽs Episc. & principes ad synodum inuitauit. De ordine & consessu post modicã disceptationculã conuenit inter eos, vt idẽ ordo qui in reliquis œcumenicis conciliis seruatus est, hic ẽt obseruaretur. Sedibus ergo eo ordine collocatis, & sacro codice Euangeliorum in medio consessus posito Ferrariæ in templo S. Georgii 9 Aprilis conuenerunt: ibique de celebranda synodo in primis Patriarchæ Constantinopolitani, & postea Romani Pontificis decretum, recitari mandarunt. Quib. absolutis omniumque consensu approbatis, verterunt occidentales ad lucrum temporis faciendum vtile videri, si medio tempore, quod citatis absentibus præfixum erat, priuatim de Spiritus sancti processione communicarent. Quod cum Græci propter Basileensium absentiam facere recusarent, hoc tandem vtrinq; placuit, vt interea tẽporis, de purgatorio priuata collatio habeatur. Deputatis vtrinq; collationib. & duob. notariis, qualibet hebdomade bis in templo sancti Francisci conuenerunt. Prima collatio habita est 4. Iunii. In hac Latini testimonio S. Pauli 1. ad Corinth. c. 3. asserebant dari locum quendã quo animæ fidelium cum reatu leuioris peccati, vel ẽtiam pœnæ descedentes, per ignem purgantur & saluantur. Cumq; Græci de igne æterno locũ Apostoli exponerent sic, ipse damnatus per ignem saluabitur, *siue in igne semper saltus erit & non consumetur*, replicarunt Latini id nulla ratione affirmari posse, quoniam Paulus vtitur verbo saluabitur, quod vt ex scriptura demonstrarunt, nunquam aliter quam in bonam partem accipi consueuit, cumque in sanctorum beatitudine conuenissent omnes, ingruente peste acceleratæ sunt sessiones conuenitque vt sequenti sessione ageretur, an vox ista (filioque) licite & pie Symbolo superaddita fuerit. Propter podagricum morbũ Pontificis, conuenerunt in palatio eiusdem Pontificis, sedibusq; ordine quo supra locatis, vtrinque sex designati sunt, qui quæstiones supra designatas propugnẽt & defendant. Cumq; primæ sessionis quæ habita fuit die Mercurii octauo mensis Octobris anni 1438. initium factum esset, à Græcis Bessarion primus orationem habuit, qua Sacrosanctam Trinitatem totamque synodum laudauit.

Secunda sessione quę habita est Ferrariæ 11. Octob. Andreas Colossensis Archiepiscopus, & Latinorum disputator constitutus habuit eiusdẽ plane argumenti orationem, qua absoluta cõuentum est, vt Græci disputationem exordirentur, dialecticè argumenta proponerent, de ea inprimis quæstione, an Symbolo quicquam addere liceat?

Acta 2. sessionis.

Tertia sessione celebrata 14. octobr. Marcus Ephesius captata & impetrata Patrum benevolentia ostendit Christum pacem ecclesiæ reliquisse velut hæreditatem, eamq; à Romana ecclesia esse contemptam. Orientales rogatu occidentalium ad pacem reconciliandam accessisse, pacem nonnisi schismate sublato componi posse, adeoq; necessarium videri vt decreta septẽ Conciliorum Oecumenicorum (cur octauæ synodi nulla mentio fiat, supra dixi) in hoc patrum cõsessu publice recitentur, quibus cum Andreas Coloss. iterum respondisset, dixissetq; Romanæ ecclesiæ nihil pace & concordia gratius extitisse, eamq; nullum vnquã subsidium ad hæreses profligandas Græcis denegasse, Cõcillis orientalibus omnib. Romanos Pontifices per se vel per legatos suos interfuisse, pacem & concordiam non tantum per literas; sed etiam per Legatos expetiuisse, Marcus Ephesius ea quæ dixerat Andreas vera quidem sed impertinentia esse concessit; Cum Pontifices causam schismatis, factam nimirum additionem ad Symbolum auferre noluerint, quam si sustulissent, statim pax & concordia subsequuta fuisset. Quæ cum Andreas iterum redarguisset, dixissetque antiquam illam esse Constantinopolitanorum accusationem, dicentium errasse Romanam ecclesiam, quod vocẽ, (filioque) propria auctoritate addidisset ad Symbolum, cui nihil præter ea quæ à patrib. antiquis olim constituta sunt, adiici deberet, deniq; cũ circa finem concludendo allegasset, nullam additionem ab ecclesia factam esse; eamque si quę facta foret, necessario fieri debuisse, finita est sessio tertia.

Acta sessionis 3.

Quarta sessio inchoata est 15. octob. qua cũ vtrinq; diu agitatum fuisset vtra pars prius suam assertionem confirmaret, placuit omniũ consensu, vt finita sessione quarta, priuatim conueniatur, & de re proposita disputetur. Post multas igitur disceptationes Græcorum, & Latinorum, priuatim institutas, vnanimi consensu decretũ est, vt nihil amplius agatur deinceps, nisi prius SS. Patrũ decreta, & diuinũ Symbolũ recitata fuerint.

Sessionis 4. descriptio.

Quinta sessione 16. octobr. celebrata, recitatum est Symbolum Nicænum; subiuncta & lectio Symboli Ephesini, quo prohibetur, nequis aliam fidem à Nicæno Concilio scribat aut profiteatur, idque ea intentione factum est ab illis, vt ostẽderent illicitã esse, & sacro Ephesino Concilio contrariam additionẽ, qua Latini ad Symbolum vocẽ (filioq;) addiderunt. In quem finem ẽt quædam testimonia Cyrilli, & quarti Chalcedonẽsis Concilii Symbolum recitari mandarunt, in cuius fine ista habentur: *Sancta generalis synodus definit atq; determinat vt aliã fidem conscribere aut componere*, aut docere liceat nemini: Qui vero quippiam tale cõmiserint, aut aliud cõmentitium Symbolum ex gentilib. vel Iudeis aut hæreticis ad nostram religionem venientib. tradere ausi fuerint, *si Clerici priuentur: Laici vero anathemate notentur.*

Sessionis 5. descriptio.

Ad eiusdem assertionis confirmationem ex quinto Concilio partē sermonis Ioannis Constantinopolitani Episcopi, & litteras Vigilii Papæ: ex sexto cōcilio decretum, quod cum quadam Epistola Agathonis: ex septima Oecumenica Synodo Nicæna definitionem fidei ibidem promulgatam adduxerūt, cumq; Latini quondam vetustissimum codicem, in quo, scriptum erat. *Sanctum Spiritum ex patre filioq; procedere*, magna cum admiratione in medium attulissent, lectaque eiusdem fidei definitione codicem authēticum esse ostendissent, Marcus Ephesius ex recitatis supradictorum Conciliorum, Pontificum, & Episcoporum, de fide sententiis concluſit, nullam additionem ad symbolum appositam recipiendam esse, concessa interim Latinis ad hæc respondendi facultate.

Sessionis 6 descriptio.

Sexta sessione. Cum octaui Oecumenici Concilij volumen Iulianus à Græcis prout priuatim promiserant sibi commodato dari petiuisset, eoque duntaxat fine impetrasset, vt exinde aliorum Conciliorum definitiones recitaret, nihil vero ex octaua Synodo, quā Græci schismatici reprobabant, adduceret, atque paulo post quam codice prędicto vsus fuisset eundem redderet. Andreas Colossensis Episcopus Marci Ephesii assertionem supra recensitam impugnaturus, quatuor assertiones ponit, quarum duas hac, reliquas sequenti sessione demonstrauit.

VIII. *Assertiones aliquot Episc. Colossi. ad impugnandam Marci Ephesii assertionem de voce filioq;*

Prior eiusdem Andreæ assertio hæc est: *accessio vocis, filioque, quam Græci additionem appellant, expositio est nominanda*, eamque hoc syllogismo dialectico breuiter confirmat more. *Nulla expositio vel dilucidatio alicuius artis vel scientiæ debet additio appellari; sed accessio vocis*, filioque, *est expositio vocis*, ex patre, *ergo accessio vocis*, filioque, *non debet appellari additio.* Maiorem probat hac ratione. *Omnis additio fit per extranea, quia expositiones ex intrinsecis rei principiis deducuntur & inferuntur, ergo nulla expositio est vel nominari potest additio.*

I.

Eandem maiorem confirmat absurdorum quorundam illatione, quod si nulla inter expositionem & additionem differentia constituatur, necesse sit fateri omnia posteriora concilia illegitima esse: quia ipsius Gregorii Theologi testimonio, ipsaquæ rei euidentia constet, plura contineri in Symbolis, & fidei definitionibus posteriorum conciliorum, quæ in Nicæno Concilio nequaquam scripta inueniuntur. Imo eiusdem Marci Ephesii confessione probat, quod non omnis expositio sit additio censenda, cum ipse libere profiteatur, Nicænum, & Constantinopolitanum vnum esse Symbolum; quia vnum eundemq; symboli sensum seruarunt, etiam si verbis discrepent. Minorem primi Syllogismi hoc argumento confirmat. Spiritus sanctus procedit ex patre, vt cōceditis, ergo etiam ex filio, quia auctoritate scripturæ & sanctorum Patrum testimonio, omnia bona essentialia patris, sunt bona filii iuxta illud. Ioan. 17. *Mea omnia tua, & tua mea sunt.*

Assertio 2. Colloss. Episcopi.

Secunda assertio, quam hac eadem sessione contra Græcos demonstrauit idem Andreas Colossensis Episcopus ista est. Additiones eiusmodi per quas exponitur fides, non sunt interdictæ. Probat eam, quia huiusmodi additiones, per Nicænum Apostolico; per Ephesinum & Chalcedonense Nicęno accessere. Cum itaque dictu absurdum videatur sanctissimos illos Patres omnes anathematis sententiam incurrisse, absurdissimum quoque fuerit nouissimi temporis ecclesiam, his liminibus circumscribere, vt ad fidem magis perspicue explicandam, & nouas hæreses impugnandas, ne vnum iota Symbolo fidei adiicere liceat. Addit auctoritate sancti Apostoli 2. ad Corinth. cap. 3. litteram occidere, spiritum viuificare, ideoque exemplo Gregorii Nazianzeni scriptoris Græci non tam litteræ quam sensui literali standum videri. Præterea non est illicitum, inquit, Græcis græcè: Latinis, latinè vnum idemq; Symbolum recitare: ergo neque illicitum est diuersis verbis idem exponere, modo nihil fidei contrarium addatur.

Tertio sicut non est illicitum ex principio Philosophico latentes in eo conclusiones alias atq; alias deducere: ita non potest videri alienum à fide si quis ex principio Theologico contentam obscurius in eo conclusionem euidenter eliciat.

3. *Assertio.*

Quarto, quod licuit Pastoribus ecclesiæ primitiuæ Apostolis nimirum, idem non est inconcessum nostris & posteriorum seculorum ordinariis pastoribus, quia Christus promisit, se omni tempore vsque ad mundi consummationem ecclesiæ affuturum, licuisse autem Apostolo ex generalibus fidei principiis alia dogmata inferre & exponere, probat eiusdem testimonio ad Ephes. c. 4. vbi cum dixisset vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium; intulit alibi ergo & vna ecclesia.

Quinto & vltimo ait si non liceret per expositionē aliquid ad dogmata fidei superaddere, nulla ratione hæreses impugnari & extirpari possent. Quare cum hac de causa Constantinopolitanum Nicæno, & posteriora concilia, prioribus fidei formulis aliquid per expositionem adiecerint, concludit contra Græcos, nulla ratione interdictas esse huiusmodi additiones syllabarum aut vocum, per quas fides nō destruitur, sed contra hæreses defenditur, & acrius impugnatur nullo; modo probari posse Latinam ecclesiam hac de causa anathematis sententiam incurrisse.

4.

Septima sessio celebrata est 25. Octobris. Hæc reliqua duo capita ista congruam fuisse illam vocis, *filioq;*, additionem eamque ab omnibus fidelibus recipiendā esse, libenter quidem initio statim prosecutus fuisset, sed impediuerunt Græci, qui priuatim non satis apte effutiuerant, nihil ista ad suæ refutationem assertionis pertinere. Quare post positis duorum istorum capitū probationibus, hac sessione Græcorum rationes supra sessione illatas, in primis refutauit, Nicæni Concilii recitationem nihil obstare dixit, vt pote quod in eo de processione Spiritus sancti ex filio nihil explicite contineatur, implicite vero non tantum Arrii, verum etiā Macedonii, & Nestorii hæresim impugnet. Ad auctoritatem Concilii Ephesini, sicut etiam Epistolam Cyrilli respondit, per ea nihil aliud prohiberi, quam vt diuersa fides noua non componatur, scribatur aut proferatur. Cum itaque vnius religionis sit credere Spiritum sanctum procedere ex filio quem ex patre procedere profitemur, per hoc nihil dogmatis noui ad fidem additur, sed tantum obscurior fidei articulus explicatur: similiter respondit ad verba definitionis fidei in Concilio Chalcedonensi promulgatæ, videlicet interdictam esse immutationem sensus non verborum quibus dogmata implicita magis exponūtur, eamq; suam responsionem hoc simili illustrauit: Sacrosanctū Euangelium perfectissimam doctrinam fidei nostræ continet, & tamen Græcis & Latinis patribus & doctoribus illud exponere licuit, Imo cum Arrius ex illo scripturæ, *Pater maior me est*, concluderet Dei filium creaturam esse; non tantum licitum, sed & necessarium erat, vt Patres Concilii declararent, qua ratione pater maior filio, quaue eidem æqualis esset. eadem est necessitas quoties noua exoritur hæresis.

IX. *Sessio. 7.*

Ad id quod dicebat Ephesius Symbolum perfectū esse, adeoq; nihil illi addi debuisse, respondit illud fuisse perfectum quoad veritatem & fidem, non aūt quoad notionem. Omnia dogmata fidei in Symbolo explicite vel implicite continentur, vt vero ea quæ implicite continentur, omnibus fidelibus innotescant, opus est dilucida expositione & explanatione. similiter responsum est ad verba quinti Concilii, & Epistolam Vigilii. Respondetur ad sexti Concilii definitionem, orta est quædam controuersia de varietate lectionis. Nam sexti Concilii acta, quæ proferebantur à Latinis, habebant *Deum de Deo & de cœlis* quæ apud acta Concilii Constantienſis Ephesini & Calcedonensis non reperiuntur; vnde Latini Græcos confutarunt, non esse alienum à ratione, vt post Ephesinum & Calcedonense Concilium

Respondit rationibus & argumentis ab Ephesio datis.

lium Constantinopolitano Symbolo aliqua vox quæ fidei non aduersatur, addita fuerit. Postquam ergo Andreas & Iulius Cardinalis ostendissent definitionem sexti Concilii, multo minus quam litteras Agathonis Papæ huic expositioni latinorum obstare, formulam fidei in Nicæno Concilio secundo recitatam pro se allegerunt, vt pote cum in ea apertis verbis contineatur Spiritum sanctum à *Patre filioque* procedere. Ad id vero cur in Chalcedonensi Concilio patres prohibuerint verbum, *Deiparam* ad Symbolum apponi, respondet id factum esse ideo quia nō erat necessaria additio huius vocis, quæ pluribus aliis Symboli verbis aperte cōtinebatur, vel saltem satis expræsse intelligebatur. His peractis, concluſit Andreas aliud à Græcis probatum esse, quam quod diuino Symbolo nouam fidem adderenon liceat.

Post hæc transit ad probationem quarti capitis supradicti, quod nimirum Romanæ ecclesiæ eandem particulam explicite ad Symbolū addere licuerit, ideo quod Spiritum sanctum, *ex patre filioq;* procedere, cum sācto Augustino, Gregorio, Hilario, Basilio, Gregorio, Nazianzeno, Athanasio omnes fere patres docerant: idemque plures historici scribant & aperte profiteantur.

Romanæ ecclesiæ licite addidit ad Symbolum vocem filioque.

Hac de causa cum Imperator dubitaret, num in synodo historiis standum esset? Andreas respondit Ecclesiasticis historiis iure meritoque fidem haberi. Quo dicto pergit probare quod cœperat, nimirum licitè & conuenienter à Romana ecclesia particulam *ex filioque* declarationis causa Symbolo additam fuisse, etiam si eadem sine Græcis, quod illi omissum accusabāt, huius rei causa Concilium congregasset. Nam sicut nullum Concilium Græcis auctoribus attestantibus ratum est & approbatum: siue Orientales & Occidentales simul, siue etiam alterutri tantum Episcopi plures aut pauciores interfuissent. Pontificis enim auctoritas absentiū potestatem supplet, vt constat testimonio Stephani Doctoris Græci, vbi eos qui ininssu Pontificis aut eius vicarii Concilium celebrare volebant, vehementer increpat. Inde cum intulisset Andreas Romanam ecclesiam minime argui posse, quod Græcis inconsultis Symbolum sic declararit, idque sancti Maximi auctoritate efferentis Romanam ecclesiam immerito ab Orientalib. accusari comprobaret Nicolaus Græcorum interpres asserebat, dictum illud apud sanctum Maximum supposititicium esse; Andreas vero illo posito non concesso respondit optimè demonstratum esse, quod nequaquam Græcis ignorantibus Romana ecclesia controuersam particulam *filioque* synodo apposuerit, vt pote cuius non tantum in sexta œcumenica, verum etiam in septima Nicæna synodo expressa mentio inueniatur.

Addit Iharasium Constantinopolitanum patriarcham act. 3. in Concilio Nicæno secundo professum fuisse Spiritum sanctū ex patre per filium, id est ex filio procedere. Quod si à Iharasio recte factum asseratur, cur non idem Romanæ ecclesiæ licuerit? repetit deinde quod supra dixerat, apud acta Concilj Nicæni secundi expresse legi quod Spiritus sanctus *ex Patre filioq;* procedat.

Post hæc certissimo ait argumento indicare & ostendere innocentiam Romanæ ecclesiæ, illud quod Photius eiusdem ecclesiæ acerrimus inimicus, nullam de additione ad Symbolum facta mentionem habens, Nicolao & Adriano nihil aliud obiecerit, quam quod præuaricatores essent anathemate condemnati, quodque tempore Iustiniani Imperatoris Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, eam epistolam Hormisdæ susceperisset, qua ille Spiritum sanctum à *Patre filioque* procedentem confitetur. Octauam Oecumenicam synodum, quā Ephesius aiebat subsequente Concilio Oecumenico aliquo legitime reprobatam, atque in eadē Ioannem Romanum Pontificem abdicatum, hancq; partem à Symbolo relegatam fuisse negat, eo fretus argumento, quod cum summis Pontificibus & Romanę ecclesiæ illi decreto nequaquam obtemperantib. hucusq; communicauerint. His dictis concluſit quod hactenus probauerat, explanationem illam Symboli à Romana ecclesia licite & necessario peractam esse. Iulianus ad confirmandum ea quæ Colossensis de potestate Romani Pontificis circa fidei declarationem produxerat, literas Agathonis Papæ legi mandauit, quibus expressis verbis indicatur, quod Romani Pontificis sit ambigua fidei dogmata explicare, acq; explicata tueri ac defendere.

Octaua sessione quæ habita est Calend. Nouemb. Bessarion Nicænus orator fœcundissimus, partes Græcorum defensurus, ea quæ præcedentibus sessionibus duabus copiose differuerat repetit, & postquam ad singula capita quatuor generatim negando & inficiando respondisset, redit ad primum; resumptoque toto syllogismo illo quem supra enarrauit, respondet maiorem concessa minore, negando: nimirum quod nulla expositio ab extraneis principiis desumi possit. Imo inquit hæc expositio de qua controuertitur ab extraneis desumpta est, cum illa enunciatio, omnia bona essentialia Patris, sunt filii, huic conclusioni, ergo Spiritus sanctus ex filio procedit, sit plane extrinseca, maxime ideo quod vox *filioque* non tantum extranea, verum etiam Patri re significata similis, voce autem dissimilis sit. Quisquis igitur ea ratione per appositionem vocis *filioque* Symbolum declarat, illa eidem Symbolo contra prohibitionem Ephesini Concilii additionem apponit. Ad reliquas probationes quarum quibus Colossensis confirmabat licitum & necessarium esse, vt Symbolo declarationes quædam apponantur, respondit declarationes fidei semper concessis fuisse atque etiam nunc concedi, imo vero etiam Patribus Nicæni & Constantinopolitani Concilij licuisse, vt fidem declaratam Symbolo adiicerent: Sed cum eorum exemplo posteriores abuterentur, variæque fidei formulæ conscriberentur, Sacrosancta Synodus Ephesina definiuit licere quidem controuersos fidei articulos explicare, & interpretari, factam vero explicationē nequaquam Symbolo superaddere licere. Hanc suam ille responsionem confirmat duplici ratione, quarum prior est: Ephesina synodus additionem prohibuit diuersam ab illa quæ inter dicta fuerat duab. anterioribus. Quare cum illæ mandauerint ne quid contra fidem à sex tra ditam & expositam adderetur, haud dubio tertia synodo Ephesina inter dictum erat, ne simpliciter vlla vocum mutatio vel additio ad Symbolum adiiceretur.

X. *Sessionis 8 descriptio qua Bessarion ad argumenta Andreæ Colossen. respondet.*

Posterior ratio est. Ephesina synodus vocem Deiparam quamtumuis pro fidei dogmate cōtra Nestorium explicando necessaria esset, plurimisque verbis Symboli implicite continerentur, superaddere recusauit. Præterea ea quæ de duabus naturis in Christi persona inconfuse existentibus, duarumque voluntatum operationibus, contra Nestorium, Euthichen, & Monothelitas Ephesino, Chalcedonensi, & sexto œcumenico Concilio fidei expositiones sunt, quæ in ipso Symbolo implicite continentur, & tamen nihil horum ad publicam fidei professionem Nicænam superadditum fuit.

Ad auctoritatem Gregorii aliorumque patrum respondet eos fidem declarasse, nequaquam vero suo additamento auxisse. Si qui tamen id ante prohibitionem Ephesinæ synodi fecerunt, nullam per hoc suæ assertioni præiudicium generari.

His dictis submittens se in controuersiæ decisionem ait quod si latini probauerint post Ephesinum Concilium aliquam dictionem vel syllabam Symbolo superadditam fuisse, parati sint ipsi in latinorū sententiam descendere. Ad Gregorium cognomēto Theologum syllabarum, dictionumque rationem non esse habendam asserentem respondit, illum loquutum esse de vocibus Synonomis, quales sunt persona & hypostasis, vestis & indumentum, hic vero controuersi de

uocibus *Patre & filio* diuersum plane significantibus.

Ad id quod allegabat Andreas vnumque idemque Symbolū licite Græco & Latino idiomate efferri & cãtari, adeoque non illicite Latinos profiteri Spiritum sanctum *ex patre filioque* procedentem, vtpote quæ voces diuersunt vnum, Spiritus sancti principium significantes; Respondit verum esse antecedens quia voces illæ sint signa eiusdem rei: Consequens autem suo iudicio falsum esse, quia pater & filius voces diuersæ sunt, resque plane diuersas significant. Addit etiam si rem vnam significarent, nequaquam propter prohibitionem synodo inferendas fuisse.

Ad id quod de Principiis eorumue consequentiis è principio deductis allegatum est, respondet inprimis gratum fore si probetur, controuersam conclusionem ex prædicto principio vere & recte inferri posse & quãquam id probatum foret, tamen eam doctrinam Symbolo non magis esse ascribendam contendit, quam demonstratiua conclusio est addenda eiusdem demonstratiui syllogismi Principiis. Addit sicut nequaquam ex sacra scriptura deductas fidei cõsequentias ipsi scripturæ inserere licet; ita Symbolo quod est vnum ex Theologicis principiis, nequaquam addere licere eam expositionem, quæ ex eiusdem verbis est illata. Ecclesiam quod supra dicebatur, vnam & eandem, parique potestate præditam semper fuisse fatetur, cum ea tamẽ limitatione, quod anteriorum Conciliorum decreta obseruare & non euertere debeat, nam si aliter ageret, seipsam destrueret. Addit quia de exponendis fidei articulis ab ecclesia nulla facta esset prohibitio non minus cuilibet fidelium, quam Agathoni Cyrillo aut Sophronio sacræ scripturæ interpretationem esse concessam. Ad extremum contra responsiones Andreæ Collossensis, ad argumenta Marci Ephesii sess. superiori factas replicauit; In primis Nicæne, synodi Symbolum fuisse recitatum, quia vnum idemq; censetur cum Constantinopolitano, cui ne deinceps aliquid apponeretur in Ephesino Concilio interdictum fuit: Secundo ait vocum & syllabarum rationem non esse adeo dum curandam, si post factam prohibitionem ad Symbolum non addantur.

XI. *Sessio 9.* Sessio nona celebrata est Ferrariæ 4. Nouembris, in qua Bessarion ad sex puncta ab Andrea superiore sessione allata respondit. Ad primum respondens dicebat falsum esse illud Cyrilli, quod fidem euitare, & fidem declarare diuersa significent. Ad secundum dixit, etiam si interdictum post decreta promulgatã fuisset, nihilominus ipsum tenere, cum patres tertiæ synodi de singulis Symboli partibus disseruerint.

Ad tertium & quartum a't Agathonem Pontificem dictiones eas tantum prohibuisse, quæ res à fide diuersas significant, eundemque virum sanctissimum ad fidem suam exponendam, Symbolo quædam addidisse, quædam detraxisse negat; sed potius quoduis additionis genus prohibens, decreta in nullo immutari, augeri vel minui, omniaque in verbis & intelligentia, eadem relinqui voluisse. Exponere tamen Symboli partes haud vetuisse, ne Doctoribus laborandi materia deesset, sed communem tradi doctrinam, vel traditæ syllabam aliquam mutari prohibuisse, ac propterea studiose verbo *mutatur* vtum esse.

Ad quintum respondit vocem *Deipara* ad Symbolũ declarandum necessariam fuisse, quia actis synodi inserta habetur. Cumque eadem etiamsi ad declarandam fidem necessaria foret auctoritate Concilii Symbolo addita non fuerit, argumentum suum verum esse, & bene contra additionem illicite factam procedere concludit.

Ad sextum respondet falsum esse quod Romana ecclesia S. Patrum vocibus mota aut necessitate coacta eam additionem iure suo fecerit: imo nulla necessitate cogente, facere id eam potuisse, vrgebat, cum decreta synodi nullo casu necessitatis id fieri posse concedant, etiam si sedis Romanæ prærogatiuæ nihil adimatur.

Quibus absolutis prædictus Bessarion quæsiuit, quomodo SS. Patrum interdictũ intelligerent, an ad Symbolum vel aliud referrent. Ad quod præsul Collossensis volens respondere, longam de processione Spiritus sancti orationem habuit. Quam ad propositum spectare negantes, neq; calamum neque aures eidem præbuerunt.

XII. *Sessio 10.* Sessio 10. celebrata est Ferrariæ die Sabbati 8. Nouembris. In hac repetitis his quæ supra gesta fuerant, Ioannes Prouincialis Latinorum disputator ostendit additionem illam particularum *ex filioque* nulla ratione prohibitam, sed potius licitam esse declarationem, tum quod Euangelium legis veteris sit declaratio, etiam si potestate à vetere contineatur; tum etiam quod ecclesia omni tempore controuersias circa fidem exortas hactenus definiuerit & obscura exposuerit.

Tria genera additionis sunt, quorum tertium licitum esse probat.

Vt ostendat eiusmodi additionem veritam non esse, additionis tria genera distinguit: quorum primum est cum additamentum rei additæ opponitur, vt si Deum patrem quis dixerit esse genitum. Alterum quod à re cui opponitur tantum, diuersum est: vt si Deum patrem quis dixerit Geometram. Tertium cum vtrumq; est congruum: vt *si filius* dicatur patri consubstantialis.

Primum genus additionis hæreticum, secundum ineptum, tertium plum, & religioni declarandæ vtilissimum esse ait; Cum igitur illa particula *ex patre* in Apostolorum Symbolo, potestate prius contenta, ad refundendos hæreticos à patribus Constantinopolitani primi Concilii addita, adhuc quodammodo ambigua videretur, particulam *ex filioque* posteriores seculi Patres Symbolo apposuerunt, vt rorum illum articulum clarissime explicarent.

Quod vero aiebat Bessarion; primitiuæ ecclesiæ patres scripturæ declarandæ, symbolique augendi habuisse potestatem, quæ posterioris seculi ecclesiæ propter abusum adempta fuit, Ioannes omnino negauit: quoniam interdicto Conciliorum Ephesini & Chalcedonensis illi duntaxat contineantur & ineludantur, qui addendo vel mutando ecclesiam euertere student: Addidit ecclesiæ legitime conuocatę nunquam addẽdi facultatem præreptam esse, vbi hæreseos periculum & necessitas ipsa eandem requirunt.

Concluditur igitur Romanam ecclesiam particulam *ex filioq;* non addidisse, vt Symbolum Constantinopolitanum fidemque ipsam euerteret: sed vt Nicænum & Constantinopolitanum idem esse, idemque significare declararet.

XIII. *Sessionis descriptio.* Sessio XI. habita Ferrariæ 11. Nouembris. In ea Iulianus Cardinalis, pro parte Romanæ ecclesiæ, in gratiam simplicium superiora clarius explicat, & repetit, primosque interdicti auctores Anastasium, & Potium Nestorianos hæreticos fuisse dicit, qui aliud Symbolum fidei proferentes & Iacobum quendam ad hæresim disseminandam emittentes plurimos deceperunt. E contra vero Charisium vt se orthodoxum probaret, in primis Symbolum suum, quod neque Nicænum, neque Constantinopolitanum esse constabat, cum Spiritum patri & filio consubstantialem posuisset, in publica synodo recitasse ostendit; actum demum synodoli decreto sanxisse, ne cui aliam fidem proferre aut docere liceret; simulque confictum illud Nestorianorum Symbolum nulla prorsus Charisii mentione facta condemnasse.

Vnde si mens Concilii fuisset quamcunque aliam à Nicæna fidei professionem interdicere; Charisii quoque Symbolum & expositio hic damnata fuisset. Synodus enim contraria scriptis vel verbis proferre vetuit; expositionem nequaquam interdixit, cum & alias Deum æternum infinitaque alia credere anathema foret, quæ sub Symbolo non continentur, omnesque fere Christiani anathemate notarentur, si synodus quoduis expositionis genus prohibuisset.

De hinc litteras Agathonis ad synodum missas, non

ab ipso solo; sed ab occidentali ecclesia, synodo 125. Occidentalium præsulum conuocata, scriptas fuisse confer.

Non omnẽ additionẽ ad Symbolum factã illicitam esse firmissimo argumento probatur.

Bessarioni respondens ait quod si nullo casu necessitatis liceret Symbolũ exponere, Patres Concilij Cõstantinopolitani primi, & sexti oecumenici grauiter deliquissent; quod illi ad Nicænum Concilium plurima addidissent, hi vero suas quas ediderant constitutiones tantum euelli prohibuissent. Contra vero vt probet additionẽ declarationis causa factam non esse illicitã duplici vsus est exemplo; altero Leonis Papæ, altero vero Flauiani Constantinopolitani Episcopi.

XIV. *Sessionis duodecimæ descriptio.* Qui cum in Concilio Chalcedonensi accusati fuissent quasi cõtra prohibitionem synodi Ephesinæ egissent eo ipso, quod noua fidei dogmata explicatius docerent, & contra hæreticos defenderent, auctoritate eiusdem synodi Chalcedonensis iuste meriteque absoluti fuerunt, vt pote qui suo additamento non tam Symbolum euertissent, quam distinctius contra hæreses propositissent. Quare si talem declarationem Symbolo alicui nouo addentes Leo, & Flauianus auctoritate Chalcedonensis Concilij non sunt condemnati, euidentissimo argumento concluditur, quod Ephesina synodus non omnem additionem quæ fit exponendo & declarando; sed eam duntaxat quæ fidei dogmata euertit, sua constitutione prohibuerit.

Sessione duodecima Veneris XV. Nouembris celebrata Marcus Ephesius tres ob causas Nestorianos in synodo damnatos & à Charisio accusatos asserit. Quarum prima est, quod suum Symbolum ad instar Nicæni docuerint. Secunda quod in eo dogmata falsa multa extiterint. Tertia quod Nestoriani Charisium grauissimo odio prosequentes, qui ab illorum hæresi defecisset, illi necessitatem imposuerint vt fidem suam exponeret, quæ Nicæno Concilio assentiri declararet. Quod factum Charisii non modo non fuit illicitum; sed etiam plurimorum Patrum exemplo comprobatum.

Ad hæc Iulianus respondens secundam causam cõcedit, primam & tertiam inficiatur; Acceptatque quod de Sophronii Agothonis Papæ expositionibus fidei, tempore sexti Concilii licite factis ingerit. Quæritus deinde Marcus vtrum Agato Sophronius, & Charisius, qui pro fide explananda scripserunt, interdicto subiacerent? Respondit quod in ipsum interdictum nihil commiserunt. Vnde Iulianus inferens dicebat, si Charisius hac in re nihil contra interdictum fecit, nequaquam Romano Pontifici vniuersalis ecclesiæ cuiam gerenti illicitum esse aliquid superaddere quod ad fidem explanandam pertinet, addit que si Nestorianum Symbolum Catholicum fuisset, instar illius quod Charisius & Agatho conscripserant suscipiendum fuisse.

Quærentique iterum Marco! An Nestoriani suum Symbolum ita tradere potuerint, vt baptizandi illud profiteri deberent? Iulianus respondit nemini hominum licere, sic proprium Symbolum proferre, vt omnis ecclesia ad id celebrandum teneatur, Conceditque Nestorianos potuisse verum Symbolum exponere, eo vti, idemque proferre ac scribere; quatenus verum fuisset: at communiter eodem in Conciliis vti nequaquam licuisse. Cumque Marcus Ephesius illud instituto facere dixisset, niairum ideo damnatos esse Nestorianos, quod suum Symbolum velut Nicænum obtrusissent, ideoque omnis deinceps augendi, immutandi, vel etiam explanandi licentia adempta esset, idque auctoritate Cyrilli probare conatus fuisset; Iulianus illi contradicens aiebat, Cyrillum pro sua sententia stare, siquidem per aliam fidem intelligat duntaxat fidem contrariam, expositiones fidei admittat, contrarias additiones expresse prohibeat. In cuius rei confirmationem in fine Cardinalis Iuliani recitata est expositio fidei à Cyrillo conscripta, quæ de Nestorianis illud aperte profiterur eos nõ alia de causa, quam quod fidem Nicæno Symbolo contrariam docuissent, condemnatos esse.

His peractis iisque quę de additione vel explanatione facienda vel omittenda superioribus sessionibus dicta fuerunt, breuiter repetitis, instituit Iulianus, vt his deinceps omissis ad principalem quæstionem de Spiritus sancti processione transeatur, an nimirum Spiritus sanctus à patre tantum sed à patre simul & filio procedat. Nam illa controuersia composita facile futurum promittebat vt de potestate addendi conueniretur.

XV. *Sessio 13.* Sessio decima tertia habita est 27. Nouembris in qua cum Oratores ducis Burgundiæ in synodalem consessum intromissi, Pontificem duntaxat debito more salutassent, offensus hac de causa Imperator Ferraria decessisset, si non proxima sessione ijdem Imperatorem debito honore & cultu prosecuti fuissent.

XVI. *Sessio 14.* Sessione 14. quarto die mensis Decembris celebata, Oratores ad synodum intromissi, Imperatorem salutarunt. Ephesius allegans Charitatis exemplum impertinenter adductum esse, petiit vt omissis prolixioribus sermonibus simpliciter res proponatur & ad quæstionem, per affirmationem aut negationem simpliciter respondeatur, Iulianus tam prolixa oratione contradixit, vt fere dies potius quam oratio dicentem deficeret.

XVII. *Sessione 15 de processione Spiritus sancti ex filio captũ est agi.* Sessione decima quinta quæ habita est decimo octauo Decembris orationem de nulla additione ad Symbolum facienda prolixiorem ab Ephesio recitatam magna omnium admiratione Iulianus resumpsit, & in viginti octo partes distributam refutauit. Cumque Ephesius Iuliani: Iulianus vicissim Ephesii orationem ad tædium vsque resumpsisset & refellisset, ne synodus sine fructu dissolueretur, egit Iulianus vt ostenderent Græci impium esse dogma Latinorum, de processione Spiritus sancti, quod si facerent, futurum aiebat, vt non tantum é Symbolo, *filioque*. verum etiam, vndequaque eximeretur. Cum Ephesius paucis vocem *filioque* à Symbolo relegandam institisset, Imperator interlocutus obtinuit vt controuersia de additione vocis, *filioque*, omissa, de processione Spiritus sancti agatur, idque teneatur quod duodecim præsidibus vtrinque hanc ad rem depuratis hac de causa priuato colloquio actaris visum fuerit.

XVIII. *Sessio. 16 Synodus ob pestẽ transfertur Florentiam.* Sessione decima sexta, decretum, de Sacrosancta synodo ob pestem ingrauescentem, Ferraria Florentiam transferenda recitatum est, & approbatum sub illa conditione, vt Pontifex Orientalibus de alimentis & vitæ necessariis interim prouideat, quod cum ille futurum in se recepisset Pontificem vna cum Cardinalibus & Latinis Prælatis præeuntem, Imperator cum Patriarcha aliisque orientalibus subsecutus est, magno honore ab iisdem exceptus fuit. *ext. tom. 4. Concil. Pigna lib. 6. Author hist. Turco-Græc. libr. 1. Blondus dec. 3. lib. 8. S. Antonin. tit. 22.*

Hæc est summa actionum huius anni. Quæ cum de rebus grauissimis institutæ fuerint, placet ipsas ex Romano exemplari producere: maxime cum in se contineant ea etiam quæ ad historicam narrationem spectant, non tantum illa quæ ad dogmaticam de rebus fidei disceptationem.

Ita habent.

XIX.

SANCTA GENERALIS FLORENTINA SYNODVS.

HISTORIA CONCILII Florentini.

IGnatij Constantinopolitani Patriarchæ sedem cum Photius per vim ac fraudem inuasisset, à Nicolao primo summo Pontifice non modo est iure optimo eiectus, verum etiam à cœtu fidelium & communione repulsus. Is vero tantam ignominiam non ferens, & ambitionis stimulis agitatus, in ipsum Nicolaum α impietatis suæ virus euomuit. Quin etiam litteris β contumeliarum plenis in Romanam Ecclesiam, eiusque ritus insolenter inuehi cœpit; Nam Missæ sacrificium in azymo conficiendum pernegare, Sabbati ieiunium, aliaque multa sanctorum Patrum institura reijcere, Romani Pontificis primatum oppugnare, sancti Spiritus à Patre & Filio processionem impie confutare, atque adeo Latinos omnes Ephesini Concilij anathemate ictos affirmare, quod eam particulam (filioque) addere Symbolo non dubitassent. Et quamuis Photius post Nicolai obitum semel atque iterum in exilium sit γ eiectus, vbi debitas tandem pœnas suæ temeritatis dedit; posteriores tamen Græci, qui multo post à Romana Ecclesia desciuerunt, eosdem errores Photij sunt secuti; in quibus cum sit ille de Spiritus sancti processione præcipuus, qua de re sæpe est inter Latinos & Græcos diu multumque disceptatum, non alienum hoc loco videri debet, huius erroris originem & auctorem breuiter indicare. Nestorius enim primum Spiritum sanctum à Filio non procedere affirmauit, idemque δ Theodoretus asseruit, qui cum aduersus sanctum Cyrillum scriberet, Nestorij susceperat patrocinium: Verum cum eo tempore de Christi Domini incarnatione ageretur, & obiter illud de Spiritu sancto dictum esset, nulla de ea re accurata discussio facta est, nec vllus tum fuit, qui eiusmodi sit sequutus errorem. Verumtamen ε Leone tertio summo Pontifice, & Carolo Magno Imperatore Ioannes quidam Monachus Hierosolymitanus eamdem iterum hæresim excitauit, quæ est in Concilio Aquisgran. hanc ob causam coacto, damnata; quin etiam in Symbolo ad maiorem Catholicæ fidei explicationem, verba illa (filioque) sunt addita. Hunc igitur, vt diximus, errorem amplexus est Photius, & qui post eum extitere schismatici Græci: Imperante enim in Græcia Constantino Monomacho, ζ Michael Patriarcha Constantinopolitanus, ac Leo Acridanus Episcopus errores, quos diximus, Photij confectati, veteris huius Græcorum schismatis renouandi auctores fuere. Et Leo nonus vir sanctissimus, qui per id temporis Catholicæ Ecclesiæ gubernaculo regebat, Legatis missis ac litteris eos ad fidem orthodoxam reuocare conatus est; idem quoque curauit η Vrbanus secundus in Concilio Bari habito, in quo cum Græcis est de Spiritus sancti processione disputatum; vbi etiam sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus omnem operam adhibuit, vt Græcos ad Catholicam fidem disputando perduceret; ij tamen in suis erroribus pertinaciter perstiterunt.

Ceterum cum Balduinus 9 Flandriæ Comes, Græcis Principibus pulsis, Constantinopolitanum Imperium esset adeptus, Græcos magna ex parte ad Romanæ Ecclesiæ consensionem, ι reduxit; sed cum Latinis Principibus, qui post Balduinum rerum potiti sunt, Constantinopolitanum Imperium Græci κ eripuissent, ad pristinam consuetudinem moremque relapsi à Romana iterum Ecclesia defecere. Postea Gregorij decimi summi Pontificis opera Michael Palæologus Constantinopolitanus Imperator in Lugdunensi Concilio per λ legatos tum ipse, tum Græcorum Episcopi Romano Pontifici obedientiam detulerunt; & Catholicam professi sunt fidem. Sed non ita multo post Græci iterum à fide Catholica recessere: quo tempore in magnas calamitates Constantinopolitani Principes inciderunt. Turcarum enim vi ac tyrannide in maiores quotidie angustias Orientalis Imperij fines redigebantur.

Tandem Eugenius μ Quartus summus Pontifex, qui magnopere Christianorum pacem & concordiam cupiebat, cum accepisset Ioannem Palæologum Græcorum Imperatorem; nec non Ioseph um Patriarcham Constantinopolitanum cum Romana Ecclesia iungi vehementer optare, eos ad rem perficiendam litteris & legatis cohortatus est, atque vt hanc ob causam generale conuocaretur Concilium, ad quod tum Græci, tum Latini Episcopi accederent. Et quamquam Basileensis Concilij Patres, vt Basileam Imperator proficisceretur, omnem operam dabant; maluit tamen ille Eugenij monitis parere, & relicto Basileensi Concilio; quod paulo ante Pontifex abrogauerat; Ferrariam, quo Synodum Oecumenicam Eugenius indixerat; & ipse Imperator, & Patriarcha, & Græcorum Episcopi conuenere quam plurimi; qui omnes honorificentissime excepti, ac liberalissime ab Eugenio tractati sunt; affuerunt itidem Alexand. Antiochi & Hierosolymitanæ Ecclesiæ Legati. Itaque anno Domini 1437. Ferrariæ Concilio inchoato, præcipua capita, quibus Græci à Romana Ecclesia dissidebant, in medium producta sunt; de processione scilicet Spiritus sancti; de additione; seu explicatione illa Symbolo facta, filioque; de azymo & fermentato; de Purgatorio, ac fruitione sanctorum; denique de primatu Romanæ Ecclesiæ: de quibus ita in Concilio disceptatum; vt sent ex Latinis; & Græcis in medio Concilio consisterent, & eorum vnus ex vna parte proponeret, alter vero ex altera responderet; aderat Interpres, qui cuncta, quæ siue Græce siue Latine dicerentur, vtrique parti explicaret; aderant & Notarij tum Latini, tum Græci, qui omnia; quæ dicebantur, Græci græce, Latini latine conscribebant. annum ipsum Ferrariæ huiusmodi disputationes perdurarunt; verum cum pestilentia Ciuitatem inuasisset; Pontificis auctoritate, atque omnium consensu Concilium Florentiam translatum est, vbi itidem per quatuor fere menses disputatum; ac tandem post diuersos tractatus, re diligentissime discussa tum ex actis antiquorum Conciliorum, tum ex dictis ac testimoniis Græcorum & Latinorum sanctorum Patrum, Græci in Latinorum sententiam venerunt; & maxima cum Pontificis, Imperatoris, atque omnium Patrum lætitia cum Romana Ecclesia coniuncti sunt. Verum Ioseph us Patriarcha Constantinopolitanus paulo ante Concilii finem obdormiuit in Domino, cum ante obitum in schedula scripsisset, se Romani Pontificis primatum, ac Romanæ Ecclesiæ fidem confiteri. Publica igitur sessione in maiore Florentiæ Ecclesia habita omnium tum Latinorum tum Græcorum consensu, nonis Iulij 1439. in decreto Græce & Latine edito definitum fuit, Spiritum sanctum ex Patre ac Filio æternaliter tam quam ex vno principio & vnica spiratione procedere; atque explicationem verborum illorum, Filioque, rationabiliter symbolo fuisse adiectam; & siue in azymo, siue in fermentato pane triticeo Corpus Christi cõfici posse; Purgatorij locum esse, in quo eorum animæ detinentur, qui pœnitentes in Dei caritate decesserunt, nec dum dignis pœnitentiæ fructibus pro suis peccatis satisfecerunt, easque fidelium suffragiis adiuuari; eorum autem animas, quæ vel nullam post baptismum contraxerunt maculam, vel contracta macula postea sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & aperte ab iis Deum conspici; postremo Romanum Pontificem verũ Christi Vicarium, ac beati Petri successorem totius Ecclesiæ caput esse. His actis Armeniorum Oratores Florentiam accesserunt, & ibidem Catholicæ Ecclesiæ fidem professis Eugenius Pontifex in eodem generali Concilio litteras tradidit, in quibus orthodoxæ fidei veritas breuiter explicatur.

Hic fuit satis fœlix Concilii exitus. Verum quæ postea consequuta sunt, euentum habuere plane diuersum, Nam, vt scribit Nicolaus Papa Quintus in litteris, quas ad Constantinum Imperatorem Ioannis Palæologi fratrem dedit, Ioannis ipsius, quo præsente celebratum est Concilium, nimium ergares ciuiles studium effecit, vt ad optatum finem vnitatis negocium non peruenerit. Huc accessere Marci Metropolitæ Ephesi contra sanctã synodum calumniæ, qui cum sese vnus ex Græcorum omnium Episcoporum numero segregasset, & pertinaciter in opinione, quam semel imbibérat, perstitisset, neque definitioni generalis Concilii subscribere voluit, neque à confingendis variis mendaciis, in Græciam reuersus abstinuit; sed scriptis variis Epistolis Græcorum animos antiqua schismatis consuetudine male affectos, facile solicitare potuit, quo minus vnitatem amplecterentur: ad quas tamen omnes calumnias extant egregiæ Catholicorum eius temporis Græcorum responsiones, quæ hic post Scholarii Orationes apponentur. Ita factum est, vt præter eos Patres Orientalis Ecclesiæ, qui Synodo interfuerunt, Græci nunquam hoc generale Concilium recepérint, quod octauum ab ipsis appellatur; & iuxta comminationem Nicolai Papæ ad Euangelicam alludentis parabolam de infructuosa ficulnea, triennio post litteras à Nicolao Papa datas, libertatem simul & Imperium amiserint.

α *Nicol. I. epist. 70.* β *Phot. in epi. encyclica ad Patriar. orientis, & alius opusc. manuscr.*

γ *Stylian. in epist. ad Stephan. 8. Pap. quæ extat post Concil. 8.*

δ *Theodo. contr. anat. 9. S. Cyril.*

ε *Ado in chronic. ad finem.*

ζ *Leo nonus epist. 1 & 6. Hamber. in libr. cõtra Græcos & Leo Ostien. lib. 2. Chron. Cass. c. 89.*

η *Edmerus lib. 2. vit. S. Anselm. apud Sur. 20. April. Williel. Malmesburiens. de gest. Pont. Ang. lib. 1. & Chron. ... in ... ill ... 72.*

ι *Vinc. Bel. lonat. lib. 30. ca. 25.* κ *Niceph. Greg. lib. 4. hist. Ioan. Vill. l. 6. c. 72. & alia* λ *Extant epist. Imp. & Episcoporum in Concil. Lugdun. sub Greg. 10.* μ *Quæ sequuntur excerpta sunt ex actis Concil. Flor. & scripta Græcorum qui præsentes Concil. subscripserunt, Platina & alii.*

Habentur hæ litteræ in fine Conc.

QVÆ SANCTAM GENERALEM FLORENTINAM SYNODUM antecedunt.

Quomodo Venetias sit ingressus Imperator.

XX.

TOtam quidem nauigationis seriem Constantinopoli in Italiam, quia res esset, si scriptis mandaretur, prolixa, omittam, ingressum vero nostrum Venetias, quoniam splendidus fuit, & honorabilis, & scriptu dignus, narrabo. Die septimo Februarij cunctæ simul triremes soluerunt Parentio. Cum vero Imperatoria velocior esset, ante alias appulit Venetias, peruenitque ad Sanctum Nicolaum, qui vulgo de Lio dicitur, die mensis octauo, ad horam diei secundam; relliquæ ad quartam appulsæ sunt. Tanta vero scapharum copia Venetiis obuiam se obtulit Imperatori, vt fere ex illarum constipatione mare non appareret. Porro autem Senatus misit qui nunciarent, ne Imperator è naui egrederetur vsque ad posterum diem mane: velle quippe Ducem cum vniuerso Senatu illucire, & debitum Imperatori honorem deferre; atque ita factum est. Paulo post aduenit Dux cum Senatoribus, & sedentem salutauit Imperatorem; similiter & Senatores: atque omnes aperto capite. Sedebat autem ad Imperatoris dexteram frater eius Despotes domnus Demetrius Imperiali sede paulo inferior; tunc etiam Dux sedit ad sinistram: cumque salutationis colloquia inter se habuissent, deque aliis rebus secreto egissent, Dux Imperatori dixit: Mane venientes, vt sacro tuo Imperio congruentem tribuamus honorem, & magnifice te excipiamus; atque ita Venetias ingredieris: tumque Dux cum Senatoribus suis abiit. mane vero die Dominico, Februarii nono, hora diei quinta, Dux cum magnificentia venit, comitantibus illum Optimatibus, & Consiliariis suis, ac plurimis aliis nobilibus viris, illo vectus nauigio, quod Bucintorum vocant, rubris cooperto tegumentis, & puppim habente leunculis ornatam deauratis; implexisque toreumatis. Porro totum picturatum varietate distinctum erat, aspectu speciosissimum. Aliæ præterea semitriremes ad duodecim aduenere, quas vocant Galiones, & ipsæ eodem ornatu & picturis intus atque foris conspicuæ, similesque omnino thalamego Ducis; in quibus erant viri nobiles quamplurimi, & affixa omni ex parte signa militaria, tubæque innumeræ, & omne genus musicorum instrumentorum. Erat tamen inter illas vna præcipua, & apparatu admirabili, quæ nimirum esset loco triremis Imperatoriæ: Nam pulcherrima certe erat, & ornatu versicolore, cuius in inferiori parte remigabant nautæ, amictu, qui bracteis aureis præfulgebat, induti; atque ad capita Sancti Marci signum habentes, à tergo autem Imperiale signum: qui vero aliis muneribus nauticis obeundis erant addicti, diuerso habitu visebantur. Porro nauigium hoc signis Imperatoriis vndique in gyrum præfixis, ad puppim vero plurimis auro fulgentibus emicabat: vbi quatuor etiam homines stabant vestibus induti auro depictis, & comas habentes in capite auro albicantes; inter quos medius quidam eleganti forma modo sedebat, modo stabat, indumentis auro intextis splendidisque relucens, & manu sceptrũ tenens quasi Nauarchus: cui viri nobiles assistebant. exteri vero esse videbantur, habitu diuerso, & mire vario, veluti ad ministrandum ei reuerenter parati. Stabat vero ante puppim erecta alta quædam trabs, supra quam posita erat veluti mensa quadrata passus vnius longitudine minor. In ea quidam à capite ad pedes amictus stabat solis instar effulgens, atque horrendum telum in manu habebat: ad eius dextram & sinistram duo pueri sedebant habitu angelico alati: hi vero non ficti, sed re ipsa homines, erant & mouebantur. Duo quoque erant in puppi aurati leones, inter quos media biceps Aquila splendebat auro, & summatim quamplurima alia inerant in ea miræ spectationis visa, quæ litteris certe mandari non queant. Erat porro velocitatis eximiæ, modo præcurrens triremem Imperatoriam, modo ad latus, vel circum illam adnauigans cum vocum acclamationibus, multarumque tubarum sonitu. Nauicularum autem Cymbarumque multitudo erat innumerabilis; vt enim stellas cœli, vel arborum frondes, vel maris arenam, vel guttas pluuiæ; ita nec illas tunc nauicula's potuisset quis numerare. Cum vero veniisset Dux, vt ne plura dicam, accessit ad Imperatoris triremem cum Senatoribus Concilii sui, ascenditque, & sedentem Imperatorem (ad cuius dexteram frater eius, vt dictum est, assidebat inferior) consalutauit. Ducem vero Imperator ad sinistram considere iussit in subsellio, quod scamno Despotis respondebat, & prehensa eius manu comiter sermocinabantur. Ita non multo post ingressi sunt cum magna pompa, tubisque & omni genere musicorum organorum in magnificam & admirabilem vrbem Venetias: est enim admirabilis profecto, & admirationem superans, copiosa, rerum varietate speciosa, instar auri nitida, affabre detornata, multiplici forma spectabilis, & innumeris digna laudibus elegantissima Venetorum Vrbs: quod si quis eam alteram promissionis terram nominet, non aberrauerit. De illa enim arbitror dictum esse à Propheta Psalmo tertio & vigesimo: Deus super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam. Quid enim ibi quæras, quod non inuenias? quam certe ob causam commendanda plurimum, & honoranda est. Erat autem quinta fere diei hora, cum Venetias ingredi cœpimus, & vsque ad occasum solis nauigio vecti sumus, peruenimusque in ædes Marchionis Ferrariæ. Porro vrbs vniuersa commo-

ta prodiit obuiam Imperatori, plausu, lætitiæque clamoribus illum excipiens. Magnus vero illo die stupor omnes oppressit, dum sancti Marci admirabile Templum consp iceremus, superbissima Ducis Palatia, aliorumque nobilium domos amplissimas, rubentes, multoque auro nitentes, pulchras & pulchritudine nimia conspicuas. qui non viderunt, nullam fortasse fidem habebunt; at nos qui vidimus, eius pulchritudinem describere non valemus, situm, dispositionem, Ciuium tam virorum quam fœminarum solertiam; ingentem populi frequentiam, stantium omnium & spectantium, lætitiamque ac voluptatem capientium ex aduentu Imperatoris. Obstupuit certe noster animus tanta rerum magnificentia, vt plane attoniti diceremus, cœlum hodie facta sunt terra & mare. Vt enim cœlestes Dei creaturas non potest quisquam intelligentia comprehendere, sed illis tantum obstupescitur & nos spectatione varia illius diei stupebamus. Cum vero ad pontem magnum venissemus, quem vocant Rialtum, aperto ipso triremis subter transiit. Erat vero ibi etiam magnus hominum concursus, & signa auro micantia, tubæque & applausus, & lætantium voces. in summa non sufficit mihi mens ad scribenda, enarrandaque diei illius spectacula, laudes, studium, honorem, modumque, quo tunc Imperator honorifice liberaliterque tractatus est. Peruenimus itaque in ædes, vt iam dixi, Marchionis Ferrariæ, vbi constitit triremis, sole iam occidente. & Dux vale dicto Imperatori, ipse & Senatores eius domum redierunt, die Dominico, Februarii nono, anno millesimo quadringentesimo trigesimo septimo.

Quomodo Venetiis Ferrariam profectus sit Imperator.

XXI. DIe vero Februarii octauo & vigesimo Venetiis exiuimus; Imperator scilicet, & Despotes, & Clerus vniuersus cum suo comitatu, & nauigabamus Ferrariam versus; Patriarcha Venetiis remanente ob nauigiorum penuriam. Itaque nos (vt ea quæ in medio sunt, velut non nimis necessaria præteream) Francolinum vicum appulimus, quo solent appellere omnes, qui Venetiis Ferrariam aduehuntur. processere igitur obuiam ad salutandum Imperatorem Viri nobiles ad quinquaginta, equites; cum quibus aderat & Legatus qui pridem triremi Pontificia & in Cretam, & Constantinopolim nauigauerat. ipsum enim miserat Pontifex ad explorandum Imperatoris consilium. Imperator vero mandauit, vt mane centum & quinquaginta mitterentur equi, quod terra vellet petere Ferrariam, vbi Papa commorabatur. noctem ergo illam eo in loco mansimus, mane vero iussit Imperator nauigia flumine Ferrariam ire; volebat enim ipse, vt dictum est, terra iter facere: atque illa quidem flumine, Imperator autem terra peruenit hora sexta diei Ferrariam equo vectus, magno scilicet honore & pompa. Comitabantur enim illum multi optimates & Metropolitæ & Episcopi Pontificis, & ipse Marchio vrbis Dominus, necnon & Imperatoris sacerdotes, eiusque spiritualis Pater magnus Protosyncellus Dominus Gregorius, aliique numero fere ducenti, cum tubis & omni musico organo. cuncta porro accurrit Ferraria ad spectandum sacri nostri Imperatoris ingressum cum verecundia, honore, & reuerentia. Erat insidebat quidem Imperator equo pulcherrimo nigro, qui purpureo auroque intertexto constratus erat tegumento. Optimates autem, & alii quidam stipabant eum vmbella obtegentes subcandidi, subnigrique coloris, qualis cœli est species. alter vero vacuus præibat equus, candidus, pulcherrimus, simili & ipse ornatus apparatu; cuius integumentum aureis Aquilis, aliisque ex auro sertis erat depictum. At vero Pontifex in suo sedebat Palatio cum vniuerso Clero, Cardinalibus videlicet, Metropolitis, Episcopis, sacerdotibus, & reliquo ecclesiastico ordine, Optimatibus, & Principibus multis Imperatorem expectans. Cum ergo aduenissent, qui primi equitabant, ex iis nonnulli, inter quos & ipse Despotes, ab equo desiliernnt, perq; maiorem portam ingressi sunt Palatii, in quo erat Papa; Imperatorem vero equo insidentem per aliam portam introduxerunt. vt vero cognouit Pontifex Imperatorem portæ esse vicinum, surgens deambulabat; quo factum est, vt Imperator stantem ipsum reperiret. volentem ergo genu flectere, non permisit Papa, sed sinu illu suo excepit; cumq; porrexisset manum, quam deosculatus est Imperator, assidere illum sibi ad sinistram voluit. Cardinales vero ad pedes eorum salutationem in Christo peregerunt. Erant igitur duo ipsi, Papa, & Imperator; Cumq; secreto ac pacifice collocuti essent, secesserunt; & Pontifex quidem suo mansit in Palatio; Imperator vero eodem comitante equitatu cum tubis in aliud satis bene apparatum deductus est Palatium; vbi requieuit ipse, & qui cum eo erant viri primarii; ac eius ministri ordine & ritu imperatorio, quarta die mensis Martii, feria tertia.

De ingressu Patriarchæ in Vrbem Ferrariam.

XXII. CVm vero Patriarcha noster Vico Francolino appropinquaret, ei cum adhuc procul inde esset, ecce obuiam nauis aduenit inaurata; quæ à sua scapha in flumine trahebatur, vt in eam Patriarcha conscenderet. erat autem duobus tribusue foris constructa, vt vetus illa Noe arca; sed illa quidem erat intus & foris bitumine circumlita; huius vero quantum quidem aqua tegebatur, pice oblitum; quod autem eminebat, variis coloribus erat ornatum: & pars quidem aquæ proxima picta erat; mox fenestellæ torno fabrefactæ minutis quibusdam quasi fultæ columnis, & marmore ornatæ porphyretico adiacebant. Supra illas erat speciosissima porticus, vnde quis proclinare se commode posset. In summo autem totius nauigii foro tormenta erant ex omni parte bellica; in medio vero culina, quo fumus apram euaporationem haberet. Scalæ porro inerant duæ, ad puppim vna, altera ad proram, per quas ascendere & descendere ministri possent. At vero intus Palatium quoddam erat, veluti pulcherrimum templum, variaque cubicula aureis circumtecta aulæis; quæ sedilibus etiam in orbem ductis gradu scansilibus ornata & peristromatis, sellisque instratis longis tapetiis, & splendidissima sane & admiratione digna erant ad aspectum. In inferiori vero parte Palatii, perinde atque in plano domus, multæ erant Cellæ, vinaria, piscaria, & aliæ ad recondenda diuersa cibaria. Iam quid de pulchra dicam contignatione fori, & mira quiete habitantium in eo? vocabatur autem Oroburchium. Hoc ergo naulgium cum veniisset, & acclamationibus Patriarcham nostrum cum salutasset rogatus ipse conscendit cum Præsulibus, & Clero vniuerso. Porro in flumine nauigantes tanquam in altero Palatio & Secreto versabamur; & videbamur nobis non iter naui facere, sed terra. Itaque fluuii nauigatione peruenimus & nos Ferrariam, cum iam antea Venetiis ad Pontificem legassemus domnum Antonium Præsulem Heracleensem, & domnum Dositheum Monembasiensem, In portum igitur Ferrariæ delati hora diei quarta, die vero Martii septima, quæ fuimus per nuncium à Beatissimo Papa, quo ritu Patriarcha ingredi deberet in Vrbem, & quomodo ipsum Papa reciperet. Dum ergo de hoc quæritur, noctem illam in aureo illo nauigio fumus commorati; mane autem hora diei prima, quatuor aduenere Cardinales, & Episcopi ad viginti quinq;, & Vrbis dominus Marchio, magnaque cum ipso nobilium hominum frequentia; adducti quoque equi, & muli, in quos ascendentes Ferrariam ingressi sumus. Porro autem Patriarcha equo vehebatur medius inter duos Cardinales magno cum honore;

nore; continuoque in Palatium Papæ ascendimus. & Patriarcha quidem stantis Papæ genam osculatus est, nos autem sedentis dexteram, & genam cum Officialibus, reliqui vero aut dexteram tantum deosculari sunt, aut profunda veneratione dumtaxat contenti fuere. peracta ergo salutatione egressi sumus è Palatio, conscensisque iterum equis Patriarcham obsequii causa deduximus ad paratam sibi domum, quo ibi relicto ad destinatum sibi quisque diuersorium profectus est. Atque hæ sunt honorariæ pompæ, quas Papa adhibuit; & ad hunc modum venimus Ferrariam. Die vero Dominico mane iussa Patriarchæ celebrata est missa per quindecim fere sacerdotes in eius Palatio, astantibus ordine Præsulibus, & Cruce signatis, atque Cantoribus; Vrbis quoq; Marchio adfuit, eiusque Nobiles curiales: astabant autem omnes reuerenter. Absoluto autem sacro omnes per manus Patriarchæ sumpsere panem benedictum.

Diebus aliquot lapsis Imperator à Pontifice flagitabat, vt Synodus œcumenica fieret non solum Episcoporum, sed Regum etiam, ac Ducum, & breui totius Italiæ, aut per se, aut per suos Vicarios. respondebat is, hoc esse impossibile propter discordias, & mutua inter illos bella. Ar eo magis instare Imperator, vt ex conuetu ita fieret. Cum ergo Pontifex aliud tunc agere non posset, spatium quatuor mensium quæsiuit, quo suas gentes congregaret; quod & datum est. Eo igitur sumpto, litteris que & legatis à Pontifice quoquo versum missis, & spatio temporis effluente, illisq; non aduenientibus, vt eos ad conueniendum promptiores redderemus, consilium tale cepimus. Placuit ergo omnibus Synodum œcumenicam indici Ferrariæ, non alibi; vt cognito hoc, Ferrariæ scilicet esse omnino Synodum celebrandam, omnes eo conuenirent quauis excusatione postposita. Itaque communi consensu indicta est Synodus die nono Aprilis, feria quarta maioris hebdomadæ, hoc prius condicto: vt si tempus abeat, & Synodus non conueniat, sed potius insaniat in nos, neque liberum sit nobis aliud agere, pari consensu disputemus de dogmatibus: & siquidem de iis inter nos conuenerit, Deo gratias; sin minus, etiam Deo gratias; vt ex vi decreti liceat nobis cum pace abscedere. Interea lis & controuersia orta est de sedibus Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ. postulabat enim Papa, vt ad vnum latus Ecclesiæ sui omnes Ecclesiastici considerent; ad alterum vero Imperator & Patriarcha cum suis omnibus: in medio porro atque ad caput Pontifex ipse. Contra Imperator, id potius Imperatoris esse, quam Papæ iebat, qua de re magna quæstio habita est, donec lecta sunt acta Synodorum. Tandem hoc inter eos conuenit, vt Papæ quidem & Pontificis ea pars templi daretur, quæ læua esset ingredienti; altera vero, dextera scilicet, Imperatori & suis: atque ita sedes in hunc modum collocatæ sunt; Pontificis quidem sedes ad partem illi assignatam, distans à sacro Altari passus fere quatuor: infra illam vno fere passu sedes Imperatoris Alamaniæ vacua tantum in speciem posita, prope hanc sedere Cardinales, & deinceps Metropolitæ, & Episcopi ad centum & quinquaginta. Sacerdotes autem & Diaconi aliique Protonotarii erant innumeri. Similiter è regione sedes Imperatori parata fuit, ornata purpureo, auroq; contexto peripetasmate: deinde Patriarchæ & Vicariorum, totiusque Orientalis Ecclesiæ sedes ordine dispositæ sunt. His ita ex pacto & conuentu iureiurando etiam ad maiorem cautionem firmatis, feria quarta, vt diximus maioris hebdomadæ, conuenimus in Templo Episcopii, quod sancto eximioq; martyri Georgio dicatum est. Et Papa quidem primus introiuit, sedit que sua in sede ad latus Aquilonare vt supra declaratum est iuxta conuentionem. Dehinc Imperator noster sedit ad latus Australe; sedit etiam Despotes Imperatoris frater domnus Demetrius à dextris quidem Imperatoris, illo autem inferius quatuor fere palmos. Sedit & Patriarcha in alta & ipsi sede; deinde Vicarii Patriarcharum, Alexandrini quidem Heracleotes domnus Antonius, & honorabilis à confessionibus domnus Gregorius: Antiocheni vero domnus Marcus Ephesius, & Russiæ domnus Isidorus: Hierosolymitani autem Monembasiensis domnus Dositheus, & Sardium domnus ille Dionysius. Post hos Metropolitarum ordo consedit suo quisq; in loco. Erant autem hi, Trapezuntius domnus Dorotheus, & agens vices Cæsareensis. Cyzicenus domnus Metrophanes, agens vices Ancyrani. Nicænus domnus Bessario agens vices Metropolitæ Sardium. Macarius Nicomediensis. domnus Methodius Metropolita Lacedæmonius, & agens vices Nicomediensis, domnus Dorotheus Metropol. Mitylenensis; & vices agens Sidensis. Amasiensis, Iosaph. Muldoblachiensis Damianus, & vices agens Sebasteensis. Esaias Stauropolitanus, Nathanael Rhodius. Callistus Distrensis. Gennadius Genensis. Dositheus Dramensis. Eustratius Melenici. Anchiali Sophronius. Erant etiam ex Iberia metropolita vnus, & Episcopus vnus. Dein sederunt cruce signati viri nobiles circum Patriarcham; infra vero Hegumeni cum montis sancti Monachis, ceteriqueClerici iuxta ordinem quisque suum.

Præsidente autem Beatissimo Papa ad latus Aquilonare, sicuti diximus, infra eum sedes erat Imperatoris Alemannorum, vt dictum est. Sederunt postea Cardinales, domnus Francis. Papæ nepos, Camerarius Cardinales sancti Clementis. domnus Angelottus Card. sancti Marci, domnus Iordanus Card. Vrsinus Episcopus Sabinensis, domnus Iulianus Card. S. Angeli. D. Nicolaus S. Crucis Cardinalis Firmanus. domnus Bertãda Cardinalis Placentiæ Episcopus Portuensis. Domnus Prosper Cardinalis Columna S. Georgii. Domnus Antonius Cardinalis Bononiæ Episcopus Ostiensis. Episcopi vero & Archiepiscopi fere ducenti, sed & Hegumeni, & Archimandritæ, & complures alii pastores ecclesiastici. Verum Patriarcha noster ægrotabat, atq; ideo non venit; Metropolita itidem Sardium. Quapropter adhortationem & consensum suum misit Patriarcha, qui & lectus est.

Cæterum in medio Templi, atque inter duos Cleros, ante sacrum altare solium pulcherrimum posuere, perquam ornatum, apparatumque aureo velamento: in quo sedit Iudex magnus & iustus Dominus noster Iesus Christus, hoc est sanctum Euangelium, appositis hinc inde sanctorum Apostolorum Petri & Pauli capitibus, cereisque ante illa accensis. Et erat plane die illo spectaculum visu horrendum, & admirationis plenum. Nam Ecclesia facta erat velut alterum Cœlum, vt illud canticum nobis in mentem venerit: Luminosum cœlum tota visa est Ecclesia, quæ lucidos reddit fideles; in qua stantes acclamamus, domum istam conserua Domine.

His ita se habentibus, omnibusq; sacra veste indutis, tam Orientales, quam Occidentales Episcopi sedere omnes; & consequuto silentio, Pontifex clara voce pronunciauit, Benedictus Dominus Deus Israel. cœperûntq; omnes diuinas laudes, hymnos, & preces cantare. deinde sederunt, & promulgationem Synodi pro ambone recitari iusserunt: sed ante illam præcepit Imperator vna cum Pontifice, vt de scripto legeretur Patriarchæ cohortatio. Et ita surgens Diaconus quidam Patriarchæ Referendarius orsus est dicere.

Exhortatio Patriarchæ.

XXIII. In nomine sanctæ vitæque principii Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Duæ Christianorum partes, Italorum scilicet & Græcorum hodie communi consensu conuenerunt ad indicendam sacrosanctam œcumenicam synodum. Et ex vna quidem parte sancti Patres Orientalis Ecclesiæ, videlicet Serenissimus Imperator Ioannes Palæologus, & Patriarcha Domnus Ioseph, & Archiepiscopi, & cruce signati, & primarii

Orientalis Eccleſiæ, Sacerdotes, Diaconi, eiuſque vniuerſus Clerus: ex altera vero ſimiliter Italorum parte tota ſancta Occidentalis Romana Eccleſia, ſcilicet Beatiſſimus Papa cum vniuerſo ſuo ſacerdotali ordine, cõſentimus, & contenti hoc ſumus, vt ſancta & œcumenica hæc Synodus celebretur in hac vrbe Ferrariæ, in templo ſancti magniq; martyris Georgii, quod ſitum eſt in hac ipſa media Vrbe; & indicimus, & ſpatium damus, quod ab hoc tempore, anno ſcili. milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo, die nono menſis Aprilis, indictionis primæ, ſumatur ad menſes quatuor; vt in omnibus locis, & Regnis Chriſtianorum notum ſit omnibus, atque omnes conueniant, reliquiq; etiam Baſileenſis Conſilii, quique Romæ ſunt, & omnis Chriſtianus, quicunque aduenire voluerit, veniat ad tempus conſtitutum. Quod ſi quis deſpexerit, aut aſpernatus fuerit hanc ſanctam Synodum, neque aduenerit vſque ad præfinitum tempus, vt excommunicationi ſubiaceat, niſi amplexus fuerit quęcunque ab hac legitima ſynodo fuerint decreta. Et ſi quiſpiam eminẽte ſi ſtatu, aut Doctor, aut eccleſiaſtico fungatur officio, dicimus mittendam eſſe ab eo ſuam confeſſionem, aut Vicarium, ſi nequeat ipſe venire; vtque approbet atque recipiat quæcunque ſancta Synodus decernet: quod ſi reiecerit, vt diximus, ſit excommunicationis cenſura perculſus. Idem de magnis Principibus, Regibus, & Ducibus, aliiſue locorum Dominis dicimus; ipſos etiam debere conuenire, mandato Papæ, & Imperatoris, & Synodi obedientes; vel certe & ipſos eadẽ ſimiliter ſcribere. Si vero iidem Reges, & Principes alibi voluerint Synodum celebrari, vt de eo quod potius ſit deliberent, atque id ſit in Synodi poteſtate; vſque ad tempus præſtitutum.

Lecto hoc iuſſerunt etiam Beatiſſimi Papæ decretum pro ambone recitari. Delegerunt igitur Latini ex ſuis Archiepiſcopum Gradenſem; delegerunt etiam noſtri de ſuis Dorotheum Mitylenenſem. His vtrã bonem conſcenderent, admonitis, præceptum eſt, vt Græce, & Latine recitarent Synodi œcumenicæ indictionem; quæ primum quidem Latine recitata eſt ab Archiepiſcopo partis Italorum, deinde à Metropolita partis noſtræ, ita ſe habens.

Decretum Papæ.

XXIV. EVgenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Magnæ profecto ſunt nobis agendæ omnipotenti Deo gratiæ, qui antiquarum ſuarum miſerationum non immemor Eccleſiam ſuam fœcundioribus ſemper progreſſibus reddit ampliorem. Hanc enim etſi tentationum; tribulationumque æſtu ac turbine agitari quandoque ſinit, nunquam tamen ſubmergi permittit: ſed fluctibus intumeſcentibus eam ſeruat incolumem; efficitque pro ineffabili ſua in genus humanum beneuolentia, vt inter multos variosque caſus & afflictiones ſemper illa magis vigeat, validiorque conſiſtat. Ecce enim Orientales, & Occidentales populi iam olim diſſidio à ſe inuicem ſeiuncti in vnam vnitatis & pacis gratiam conuenire feſtinant. nam ægre ferentes, vt par eſt, diuturna ſecerni diſcordia, poſt multa ſæcula; ipſo videlicet à quo omne datum optimum, largiente; ſanctæ coniunctionis deſiderio in hunc concurrere locum. Noſtræ igitur ſeruitutis, Eccleſiæque totius eſt & eſſe intelligimus, eniti totis viribus, vt tam proſpera exordia aſſiduo & nunquam intermiſſo ſtudio progreſſum habeant, exitũq; fælicem; vt ſcilicet Dei gratiæ cooperatores eſſe, & haberi mereamur. Sane dilectiſſimus filius noſter Ioannes Palæologus Romæorum Imperator, vna cum piiſſimo fratre noſtro Ioſepho Conſtantinopolitano, Patriarchalium ſedium Vicariis, magnoque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Eccleſiaſticorum hominum, ac aliorum nobilium comitatu ad diem octauum proximi menſis Februarii Venetias, id eſt, in portum vltimum venere; vbi ſe Imperator, vt ſæpe etiam antea fecit, iuſtis de cauſis Baſileam ire non poſſe ſe ad celebrandam œcumenicam Synodum aperte declarauit: quod etiam per litteras Baſileæ congregatis ſignificauit; adhortans omnes, atque illud ab omnibus flagitans, vt Ferrariam, quæ ad habendam huiuſmodi Synodum delecta eſt, quo perficiatur adeo pium opus, ſe conferant. Nos igitur, quibus ſemper ſacratiſſima hæc vnitas maxime cordi eſt, ſummo illam ſtudio perfici cupientes, decretum Baſileenſis Concilii, communi eius & Græcorum conſenſu factum: & loci delectum, in quo Synodus œcumenica fieret, in eadem Synodo ab iis, qui Baſileæ coacti ſunt, habitum, & per nos deinde Bononiæ confirmatum, inſtantibus etiam ipſis tum Imperatoris, tum Patriarchæ legatis: nec non alia, quæcunque ſpectant ad hoc ſanctum opus coniunctionis, prout noſtræ ſeruitutis exigit debitum, promouere atque ad finem perducere vehementer ſtudemus. Omni igitur meliori modo & forma decernimus, & declaramus, conſentientibus dictis Imperatore, & Patriarcha, qui præſentes hic ſunt; & omnibus qui ad hanc Synodum conuenere, ſacram œcumenicam Synodum eſſe in hac Vrbe Ferraria, libero tutoque loco celebrandam, atque ita debere dictam Synodum ab omnibus haberi & nominari. Vbi ſine vlla contentioſa decertatione, aut turbulentis animis ſui nimium ſtudioſis, aut peruicacia; immo potius cum omni charitate tractandum erit ſanctum hoc vnitatis negocium; quod Deo duce & propitio proſpere ſucceſſurum ſperamus cum reliquis ſanctis negociis, propter quæ hæc Synodus conuocata eſt. Datum Ferrariæ, die nono Aprilis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo.

Lectis his aliiſque ſcriptum, conſtitutum eſt, vt Ferrariæ Synodus fieret. Deinde ſurrexit quidam ex parte Italorum, & interrogauit eorum Cardinales, & Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & Clericos omnes, dicens: Recipitiſne hæc, quæ ſcripta, & lecta ſunt hodie coram vobis? at illi reſpondentes dixerunt; Recipimus, & approbamus. Tunc interrogarunt & Græci ſuos Præſules, ſimiliter & reliquos omnes iiſdem verbis; & illi reſponderunt: Recipimus & approbamus. & ſcripta fuit approbatio vtriuſque partis; & indictum Concilium, & ſeſſionum celebratio in vrbe Ferraria, vt ſupra dictum eſt.

Poſt hæc igitur dicta & facta, Epiſcopi paululum conſedere; mox ſurgentes cœperunt Deo gratias agere, & hymnos canere. Oratione peracta, hymnoque abſoluto dimiſſa eſt ſynodus. Hic vero quis memoret aut ſingula minuatim queat enarrare, quæ tunc acta ſunt? Patriarcharum ordines; honoris adhibiti Imperatoribus æqualitatem, lateris ſeptentrionalis maieſtatem, vt ſacerdotes & Epiſcopi conſiderant induti toto habitu pontificio, ſplendorem lateris Auſtralis, vbi Præſules orientales ſedebant; ſedes ordine poſitas, & ſcamna & ſcabella; Clericorum multitudinem, notariorum numerum, optimarum ordinem, in ſumma totum conſeſſum numeroſum? Attamen Synodus dimiſſa eſt, & abiit vnuſquiſque quo erat collibitum.

Elapſis igitur diebus Paſchalibus, & prætereunte in caſſum tempore, Latinorum Eccleſia ſemper efflagitabat, ne tempus fruſtra contereretur, ſed vt crebro fierent conuentus ad examinanda dogmata. Nos vero dicebamus, iuſtum non eſſe diſputare non præſentibus Epiſcopis, qui fuerant ad Concilium Baſileenſe profecti. Cum igitur intermedii temporis multum effluxiſſet, vix tandẽ annuimus, vt rerum ſtatui quoquomodo conſuleremus, partis vt vtriuſque opiniones de igne Purgatorio, deque aliis eccleſiaſticis quæſtionibus agitarentur. Itaque delecti ſunt ex vtraque parte, à Latinis quidem Cardinales duo, Metropolitæ duo, Epiſcopi duo, ſacerdotes Monachi duo, Abbates duo, & notarii duo; omnes duodecim. A nobis autem de primatiis

matiis quidem Metropolitis duo, de mediis duo, de poſtremis duo, Hegumeni duo, Cruce ſignati duo & notarii duo; omnes duodecim. atque hos conſtituimus, vt diſputarent. Ii vero bis per hebdomadam ad ſancti Franciſci templum conuenientes diſputabant.

Quæſtio de igne Purgatorio.

XXV. Itaque die menſis Iunii quarto conſedit priuata Synodus, & Latini quæſtionem de igne Purgatorio propoſuerunt, dicentes, purgatorium ignem eſſe: hoc eſt, in præſenti ſæculo purgari animas peccatorum per ignem, peccata habentium venalia, adiuuante etiam Eccleſia per ſacerdotum preces: illas porro animas per ſacrificia quoque & eleemoſynas liberari à pœnis. Sanctorum vero iuſtorumque animas eſſe in cœlo, illaſque ſine vllo medio Trinitati aſſiſtere, fruique bonis: peccatorum autem ac ſine pœnitentiæ defunctorum eſſe in Inferno, & cruciari, vt animam Iudæ, & tria eſſe loca, ac diſſerentias. Nam ſanctorum animas eſſe in Cœlo; peccatorum, & ſine pœnitentia decedentium, in inferno, velut animam Iudæ; medium vero locum eſſe habentium peccata venalia; hoc eſt, eorum, qui facta ſuorum peccatorum confeſſione, ſumptoque pretioſo Chriſti corpore morte inſtante, debent tamen ſatisfactionem. Et quæſita hæc Itali ſcripta protulere; quodque Apoſtolus dicat: Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. &: ipſe ſaluabitur, ſic tamen quaſi per ignem. Multas quoque ſanctorum legerunt ſententias. Et quod Itali ignem hũc Purgatorium eſſe in præſenti ſæculo arbitrantur, animaſque per illum purgari. Reſpondentibus autem Græcis dicit Epheſius:

Quæcunque dixiſtis, & ſanctorum teſtimonia quæ recitaſtis, Græcorum Eccleſia recipit, & legit: parumque inter nos hac in re differt. Ceterum reſponſionem noſtram ſcriptam dabimus, & date nobis, inquit, ſcripturam, vt ad ſingula capita reſpondeamus, & quomodo à Græcis intelligatur, & quænam ſit differentia.

Quibus Italis auditis gauiſi ſunt, Deoque gratias egerunt. & accepta ſcriptura cœtus dimiſſus eſt.

Die vero eiuſdem menſis quartodecimo rurſus conuenere in idem Templum, & clauſa ianua, ne turbam populus efficeret, ſederunt. Itaque Græci ad illa capita reſponderunt; ſermonem vero habebat Beſſario Metropolita Nicænus, de ſcripto ſoluens, & capita ſingula explanans ex ſententia noſtrorum interpretum, doctorumque Græcorum. Quod ignis quidem ille, de quo loquitur Apoſtolus, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus, quale ſit, probabit; hoc eſt, opera & vitam, quam quiſq; in mundo egit, ſiue mala, ſiue bona. Et cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem is accipiet, cuius vero opus arſerit, detrimentum patietur, hoc eſt, pia quidem opera manent, & nõ comburuntur, nec euaneſcunt: prava vero comburentur, id eſt euaneſcent: ipſe autem ſaluabitur quaſi per ignẽ: ſaluabitur autem per ignem, hoc eſt, non redigetur in nihilum, ſed permanebit in igne pœnas luendo æternas. Quodque ignem illum in futuro ſæculo intelligit Apoſtolus, non in præſenti; quemadmodum inquit Euangeliſta; & ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autẽ in vitam æternam. & illud: Vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur; de futuro tantum ſæculo intelligunt Græci.

Itali vero & in præſenti ſæculo ignem fatentur, purgationemque per ignem; & in futuro ignem fatentes, non tamen purgatorium, ſed æternum: atque hoc tempore animas per ignem emundari, & liberari pro cuiuſque peccatis; ita vt qui multa commiſit delicta, longo purgatus tempore liberetur; qui vero pauca, celerius abſoluatur, opem etiam afferente, vt iam dictum eſt, Eccleſiæ: & omnes per ignem expiari. Itaque hunc ignem Itali & in præſenti ad tempus accipiunt, & in futuro ſæculo æternum; & eum qui nunc agit, purgatorium nominant.

At vero Græci in futuro tantum oplnantur ignem: pœnamque animarum temporaneam, quod ſcilicet peccatis obnoxiorum animæ in locum abeant tenebricoſum, in locum mœroris, in quo ad tempus verſentur in mœrore & pœnis diuino lumine priuatæ. purgentur vero hoc eſt à loco illo obſcuro, & affl ctione liberentur & abſoluantur precibus & ſacrificiis ſacerdotũ, ac eleemoſynis, non autem igne. neque enim Græci fatentur actionem ignis, vt Itali; ſed operatur tantum oratio, deprecatio, & eleemoſyna. Eſt igitur hæc inter eos differentia.

Græci enim pœnam, mœrorem, & pœnæ locum aſſerunt, ſed non per ignem: Itali vero pœnam, purgationemque per ignem. Et Græci quidem eos, qui nunc ſuppliciis addicti ſunt negant perfecte ſuſcepiſſe pœnas, ſed corpora etiam expectare; quemadmodũ, & animæ ſanctorum ſunt quidẽ aſſecutæ beatitudinẽ, non perfecte tamen: fruentur autem ea perfecte cum fiet reſurrectio corporum, iuxta Apoſtolum dicentem: & hi omnes teſtimonio fidei probati nõ acceperunt repromiſſionem, hoc eſt per corpora non acceperunt. Cum vero corporibus animæ in reſurrectione coniungẽtur, tum perfecta fruentur beatitudine. Itali vero aſſerunt, animas quidem damnatorum non perfecte cruciari, cum non adſint corpora, tunc enim, aiunt, cum corporibus æternas pœnas ſuſtinebũt, animas autem ſanctorum perfectam in cœlis iam adeptas eſſe laureolã, nunc quidem vt animas, tunc autem ſuis, inquiunt, corporibus indutæ perpetuo lætabuntur. Ita quoq; Græcorum canit Eccleſia; nec non Italorum ſimiliter opinatur, & voce fatetur clariſſima. Sunt etiam inter Græcos, qui ita ſentiant; ſanctorum animas non eſſe perfectam conſecutas beatitudinem, ſed in loco verſari ſeparato, ubique lætari mente voluentes cogitationem de perfecta, quæ ipſos manet, laureola, abſolutaque beatitudine, & adeptione regni Dei.

Quibus Latini auditis petiere ſcriptum Græcorum, vt ſcripto & ipſi reſponderent, & datum eſt illis.

Die vero eiuſdẽ menſis quinta & vigeſima rurſus in eodem loco ſederunt, iteraq; eadem iterarunt, conſtituto breui temporis ſpatio, vt Itali ſcriptis probationibus oſtenderent, eſſe pœnam & ignẽ purgatorium, per quem animæ mundentur, opitulantibus Eccleſiæ orationibus & ſacrificiis; & ignem in præſenti ſæculo eſſe ad tempus, in futuro autem æternum.

Itaque die vigeſimo ſeptimo eiuſdem menſis conuenerunt, & lecta ſunt ab Italis multa ſanctorum teſtimonia, exempla & probationes, necnon & Apoſtoli dictum, Hic autem ſaluabitur quaſi per ignem: & quod vox illa, ſaluabitur, ſalutem, auxilium, liberationem à malis, & refrigerium, & ſimilia denotat, & bonum quid ſignificare intelligitur, atque ita accipitur, non autem malum, iuxta Prophetam dicentẽ: Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus. &, Saluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te. Et, Domine Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Petrus quoque dum mergeretur in aquis ad Chriſtum dixit; Domine ſalua me; & extendens manum Chriſtus apprehendit & ſaluauit eum, &, Salua nos, perimus. Et, Saluum fac populum tuum Domine. Ecce verbum hoc, ſalua, in bonam, non in malam ſumitur partem, & multa alia de voce hac, ſalua, litteris tradita protulerunt, atque ita Græcos allocuti ſunt, Vos Græci illud, ſalua, in malam partem accipitis dicentes, hic autem ſaluabitur quaſi per ignem.

Græci vero dixerunt; Ad hoc ſcriptam dabimus reſponſionem: addiderunt & multa alia, quod etiam Diabolus, & qui eum ſecuti ſunt, eiecti è gloria Dei pene carnem ſumpſerunt: & qui immateriales erant, aliqua ex parte materiales facti ſunt. nam properea et-

1. Cor. 3.

Matth. 25.

Marc. 9.

1. Cor. 3.

Pſal. 11.
Pſal. 85.
Pſal. 79.
Matt. 14.
Matt. 14.
Matt. 8.
Pſal. 27.

iam ad materialia corpora currunt, & requiescunt in corporibus, quod liquet ex eo: Si eicis nos Domine mitte nos in gregem porcorum. & ait illis, ite: & impetu abiit grex per præceps.

Matt. 8.

Idcirco etiam in corporibus humanis inhabitare expetunt, quod in iis requiescunt. Ecce sunt ex parte corporei, & reseruantur ad pœnas: futurumque est, vt materia quam sumpserunt, igni comburatur æterno. Angeli sunt omnino immateriales, vt qui non sunt lapsi, & nulla est in iis materia.

Ad hoc ergo etiam Græci scriptum se reddituros responsum dixerunt. Nolebant autem planum omnino facere quid sentirent; sed interrogationibus tantum, & responsionib. vtebantur obliquis; & ad sessiones conueniebant eo animo, vt Synodus protraheretur, donec Regum nuncii venirent.

Ad diem vero mensis Iulii sextum decimum, feria quarta, Imperatoris mandato conuenere omnes Antistites in Patriarchæ ædes, quo etiam ipse Imperator profectus est equo insidens. Sederuntque præsules in plano, Imperator in solio, Patriarcha vero suo more. Collatisque inter se consiliis & sententiis suis, studiose exquisierunt, An sancti perfectam sint cõsecuti beatitudinem, necne. Ex lectis hac de re multis sanctorum scriptis, voluit Imperator, vt suam vnusquisque sententiam scriberet. Erat porro aliquorum opinio, sanctos nondum esse consecutos beatitudinem, quemadmodum inquit Apostolus: Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.

Scabellis.

Heb. 11.

Alii vero dicebant, sanctorum animas perfectam esse adeptas beatitudinem, & perfecte laureolam assecutas in cœlis, nulloque intermedio Trinitati assistere. Nonnulli aliter sentiebant: animas videlicet esse in loco quietis, & videre tantum, ac modicum lætari. Accepit ergo Imperator scriptam cuiusque confessionem, ac sententiam. Et multa disquisitione habita eadem repetebant ex matutino tempore vsque ad horam diei sextam; nam multa fuit hac de re controuersia. ad extremum placuit Imperatori postridie fieri conuentum, deque eadem agi materia. Itaque conuenerunt iterum die Iulii decimoseptimo, multumque super iisdem habuere sermonem. Declaratum fuit demum, sanctos consecutos, & non consecutos esse beatitudinem; hoc est, animas quidem vt animas ad perfectam peruenisse beatitudinem; in resurrectione tamen perfectionem esse consecuturas cum propriis corporibus, quando fulgebunt vt sol, siue instar eius lucis, qua in monte Thabor Dominus noster Iesus Christus resplẽduit. Hæc dum aguntur, nos quidem Latinorum nationes expectabamus, & Basileensem Synodũ, quæ à Papa diuisa erat: sed abeunte definito temporis spacio, nemo ex illis comparebat. Aliam insuper plagam, & aliud accepimus malum: quale vero? pestis inuasit Ferrariam, bubonesque & improuisa mors illam afflixit; nos vero metu mortis terroreq; perculsi pene desipuimus, & tristabamur nimium ob iacturam temporis, & propter impendentem mortem fluctuabamus; quodque grauius est, quia Dominus ille Dionysius Sardium Præsul sedis Hierosolymitanæ Vicarius morbo afflictus, ardentique febri iactatus deceſſit, quem magno cum honore humauimus. Id nos haud modice terruit. attamen Dei beneficio solus ille pro nobis omnibus in æterna migrauit tabernacula: nos vero timore consternati ingemiscebamus.

His ita gestis præstitutum quatuor mensium dilapsum est tempus, & nec Basilea quisquam, nec aliquis alius Italus venit. Cumque à nobis aliud fieri non posset, res ipsa cogebat celebrari Synodum ad disputandum, absentibus etiam iis, qui Synodo interesse debebant. aiebat enim Pontifex: vbi ego sum cum Imperatore & Patriarcha, ibi est vniuersa Christianorum Synodus; cũ præsertim adsint Patriarchæ omnes, & Cardinales nostri. Nos autem vota & sententias plurium pertimescentes verebamur, ne pars maior præualeret iuxta legem suffragiorum. Verum ab ipsis hoc etiam dubium solutum est. Atque ita communi consensu aggressi sumus disputationem, examinando duo illa quæsita: An scilicet fas sit addi quicquam Symbolo; & An pium sit, quod est additum.

Patrum qui Ferrariam conuenerunt

SESSIO PRIMA.

XXVI.

MEnse Octobri, die octauo, Indictione secunda, cœpit Oecumenica Synodus disputare. Feria quarta hebdomadæ coacti sunt Patres non in Episcopalem Ecclesiam, vbi Synodus Oecumenica fuit indicta, sed in Palatium Papæ, in templum sc. Palatii, quod ipse valetudine impediretur: laborabat enim podagra, nec poterat sessiones in Episcopio celebrare; cum tamẽ templum illud satis esset amplum, apparatumque ad Conuentus ibi perpetuo faciendos, non sunt tamen in eo factæ, vt dictum est, sed in templo Palatii, posito eo sedium ordine, & Aquilonari latere assignato Latinis, quemadmodum erat constitutum.

Præsidente igitur Papa, sedeque Imperatoris Alemanorum posita, quod ipse non adesset, vacua, vt dictum est: sedere Cardinales infra ad Occidentem: post eos Archiepiscopi, Episcopi, & Hegumeni pro suo quisque statu. Supra Papam altare versus sedebant non in sedibus, aut scabellis, sed in Plano Notarii & Primicerii, & quidam in dignitatibus constituti. Ante vero Papam ad pedes eius, & pro sede Imperatoris sederunt equites, Marchiones, Comites, ac Duces, communium que Oratores, tum Aristocaticorum, tum Democraticorum. Nationis vero nostræ pars, Græci scilicet, australe latus, vt supra diximus, habuere. Præsidente ergo Imperatore sedit Patriarcha inferior Papa, quod è regione eius sedebat Imperator: quare necesse erat Patriarcham inferiorem sedere quatuor fere palmos. Cæterum eius sedes tametsi non erat æque edita ac pontificia, purpura tamen erat & ipsa ornata cum scabello purpureo, similis omnino pontificiæ. Deinde sederunt Vicarii Patriarcharum suis in sedibus; post eos Metropolitæ seruato inter se ordine; inde Hegumeni. In alio vero scamno è regione Patriarchæ sederunt Cruce signati, & cum iis viri quidam primarii. Supra Imperatorem ad secretarium sedit in scabello dominus Demetrius frater Imperatoris, deinde optimates non in scabellis, sed in plano; cum quibus erant Oratores Principum Orientalium. In medio porro templo altare versus sederũt ex Latinis qui disputaturi erant, numero sex, spectantes ad Occidentem. Ex parte vero Occidentali sederunt de Græcis alii sex, spectantes ad Orientem, atque ad disputantes. Super altare autem propositus erat sancti Euangelii liber apertus, medius inter capitum thecas sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, cereis vtrinque tribus appositis. Erant porro à nobis delecti dominus Marcus Metropolita Ephesi, dominus Isidorus Russiæ, dominus Bessario Nicææ, magnus vasorum custos Xantophulus cognomento Siderophas, dominus Michael Balsamon magnus Bibliothecarius, & dominus Georgius Genistus, pro Latinis vero erant Cardinales dno, Iulianus Cæsarinus S. Angeli; & Nicolaus Albergatus S. Crucis Cardinalis Firmanus: Archiepiscopus Rhodi Andreas, Ioannes Episcopus Forolivien̄sis, & duo sacerdotes Monachi Theologiæ Magistri, viri docti. Hi cum sedissent, seque aduersi conspicerent, honoris causa nobis concessum est, vt disputationem inchoaremus. Ergo Nicænus impositio sibi onere concionem habuit, qua Synodum laudibus ornauit; & eius Præsides, quantum opus fuit, honoribus cumulauit. Nam Encomiorum amplitudo, & orationis vbertas, & laudatoris facundia seriem hanc bene produxit. accepta igitur is facultate ab Imperatore & Patriarcha surrexit; cumq; se venerabundus incuruasset, sic orsus est dicere:

perato-

XXVII. Oratio Nicæni Oratoris in Cõc.

Magnarum rerum non modo exitus, cum pro voto successerint, sed ipsa etiam nihilo secius exordia, cum aduenerint, oblectant eos, qui suam in eas operam impendunt. Necesse est enim principium fortasse quidem & alia quauis in re multum valere, quando à cunctis communiter sapientibus totius dimidium appellatur; faciliusque est peruenire ad finem ordiendo, quam ordiri prorsus socordiæ indulgendo. Sed plurimum in diuino hoc opere, quod nobis propositum est, valere sperandum; successumque prosperum promittere existimandum; quod & diuina freti pollicitatione Deum in consessu nostro affore confidimus; quo quidem præsente nihil est desperandum; & ex præteritis magnam de futuris licet facere coniecturam. Nam quod Ecclesiæ membra tanto iam tempore à se inuicem disiuncta, vt ne conuenire quidem ullo modo vellent, sed vel ipsam fere vocem conueniendi moleste ferrent, ac in eo quod sibi noxium erat, libenter persisterent: nunc tanto vtrinque animi ardore, post habitis multis, quæ impedimento erant, illud vnum enitantur, quod tendit ad conciliandum pacem; qua ratione hoc non ascribat quispiam diuinæ virtuti; & proinde certissimum bonorum omnium indicium existimet? Dies ergo hæc est lætitiæ, estque cur exultemus spiritu exhilarati. habent illustres exitus illustria exordia: vberes fruges primitias vberes. Machinationes inimici, dolusque contra nos ab eo confictus, per quæ amici & fratres, immo vero eiusdem capitis membra & partes, & vnius ouile Pastoris inimicitias susceperunt, desuere incipiunt, dilabi, atque dissolui. Iam enim disiuncta copulari, interrupta rursus cohærere festinant; estque illis optatissimum, & votis omnibus expetendum, eodem angulo coniungi, ac contineri. Etenim vtraque pars eodem proposito, patique studio conuenit, nullum plane locum voluntati illi relinquentes, quæ vincere, aut vinci studet. id enim non discipulorum Christi, & moderatorum hominum, sed contentiosorum fuerit, ac sibi suisque cupiditatibus penitus indulgentium: verum vnius veritatis adinueniendæ affecti desiderio, cum qua & vinci cupiant, sine qua vel vincere nolint. Iam enim necesse est veritatem palam dilucidari, & præualere omnibus, deuictis iis, quæ frustra illi obstrepunt, & lesæ in omnium animos insinuare: mendacium vero procul abigi, nactum loca illa, in quibus versantur filii mendacii; & regnans in iis, qui pluris faciunt mendacii patrem, sub illo vitæ duce agentes omnia & dicentes. Ecquis præsente negotio dignum quidpiam eloqui valeat? Ecquid ex rebus ante gestis conferri possit cum præsentibus? præterita omnia præsentibus obruuntur, cedunt omnia, inferiora sunt omnia iis, quæ iam fiunt. Plaudamus omnes, lætentur omnes spiritu, canant omnes Saluatori hymnum, tum vt ob collata beneficia illi gratiæ agantur, tum vt nostris precib: congruens principio finis concedatur. Verum quisque etiam nostrum de suo conferat omnia, quæcunque pro viribus poterit, & conducunt ad finem, & sacram Christianorum consecrationem, rem adeo decoram & vtilem. tentanda omnia, experiunda omnia, parcendum nulli, non studio, non diligentiæ, non sudoribus, non laboribus; illudque memoria repetendum, oportere non solum preces fundere, sed nostrum etiam Deo ministerium offerre. Neque enim à Deo speranda sunt omnia nihil nobis elaborantibus: nam precibus nostris id esset contrarium, si Dei quidem imploremus auxilium, nihil vero præstetur à nobis dignum, cui se Deus præbeat adiutorem. Ita enim magis & ipse nobis opitulabitur, & nos ad finem facilius, expeditiusque perueniemus? Quod vtinam eueniat. Deus Saluator, & videamus illum diem, quo tibi victoriæ, lætitiæque hymnum canamus, vno eodemque spiritu nobis verba præeunte, vt vnus efficiatur concentus, & in vnam conuenientes harmoniam sub vno eodemque te capite viuamus, moueamur, spiremus, idem sentiamus, idem loquamur, idem simus. Christe Rex, vnum te nobis Regem volumus, & optamus; Cuius precioso redempti sumus sanguine, qui te pro nobis sub peccato venditis precium redemptionis tradidisti, qui nos à tyranno oppressos eripuisti, Vnum quoque partes ambas ouile tibi efficias, ne patiaris tuos inter se dissidere, ne proiicias mutuo inter se bello flagrantes; quinimmo ne partem alteram proficias, alteram vero tibi asciscas. pro vtrisque te ipsum profudisti; sanguis tuus precio sus, qui effusus est, partis vtriusque fait lauacrum: nunc ergo sit etiam fauor tuus nobis communis; communem vtrisque fer opem, traheque ad te ipsum vtrosque; vnum eundemque te finem constituens, nos vero proportione inter nos & charitate mutua coniungens, & nulla ratione permittens, vt sit inter nos dissidium ac disiunctio; ex quo fiat necessario, vt potiri fine non liceat ex duabus certe partibus alteri. Spiritus sancte, charismatum fons, spiritus sapientiæ, spiritus intellectus, spiritus timoris Dei, de quo & cum quo propositum est Ecclesiis hoc certamen, omnem à nobis superbam abigas cogitationem; Dei vero timorem omnium nostrum animis inseras, intellectum & nobis & sapientiam donans; atque vna cum nobis omnibus in certamen pro te susceptum descendens, veritatem omnib. patefacias, vt qui non modo sis & voceris Spiritus veritatis, sed etiam illud tibi vendicaris, vt omnem nobis veritatem annuncies, secundum veracem & nullo modo deficientem Veritatis vocem. Deus ipsa Trinitas, quæ ineffabilibus modis omnia produxisti, & continẽs omnia, & prouidentia regẽs, tuum opus est homo, post omnia quidem fortasse alia, sed vt sit ante omnia visibilia, productus; hoc etiam, vt ego quidem arbitror, eximio regioq; honore affectus, vt in vitam ingrederetur, cum parata iam bona ac præsto essent. Hunc sæpe tu quidem, immo vero semper, ne desint, quæ ad corpus spectant & præsentem vitam, tua prouidentia prospicis: sed non minori gubernatione cõsulis, vt habeat quæ ad statum animæ pertinent, quib. illa melior fiat: Cuius proprium bonum est veritas, & nequaquam hallucinati in iis, in quibus summa rerum consistit, quippe cum id sit omnium quæ habemus atque habituri sumus, optimum ac diuinissimum. Id nunc etiam nobis concede, & tribue vt illam inter nos habeamus, & comparentem amplectamur. Ignoscas vero interim, si qua ex parte inuiti aberramus ab ea, & præsertim vbi de te agitur, qui non modo ipse per inuestigationem effugis, ac perscrutationẽ, sed & ex his quæ creasti, pleraq; cum tamen tenui quadam atque vmbratili plane ratione diuinam tuam imaginem referãt. annue supplicantibus, teque nobis viæ ducem, quæ ducit ad solum verum Deum, sequentibus præbe. Et quemadmodum ipse cum hypostasibus, siue personis tria sis, vnam & eandem habes substantiam & naturam, personarum numero nihil obstante huic identitati; ita nos, etsi multi, diuersarum que nationum sumus, iam vero subseminante inimico, diuersæ etiam (proh dolor) opinionis & fidei, diuersitate hac sublata vnum vt simus atque idem omnes effice, idem credentes, idem de te opinantes; nihilq; obstet, quo minus vnum simus, idemque de te sentiamus, non diuersitas generis, non numerus & frequentia hominum. Sed hactenus preces. Vos autem quid dicitis, qui sacram hanc Synodum celebratis? qui rei agendæ præestis? qui multos suscepistis labores, & multa sæpenumero vota fecistis, vt diem hunc videretis, quasi iam prænuncium futurorum? qui simul & rerum initium, & finis præco esset clarissimus? quis æque ac decet, beatos vos prædicet? quis satis idoneis vos afficiat laudibus, qui laborum vestrorum fructus iam pullulare videtis? Beatissime Pater, reuera nunc es beatus, erisq; multo beatior, cum (Deo duce) ad finem peruene-

nimus, quem nobis Dux ipse concesserit. multa tibi erunt à Deo reposita præmia, si sanctam eius Ecclesiam ad vnitatem reduxeris: magnum opus præstiteris, si vsque ad finem perseueraueris: si scandala quidem è medio sustuleris, pacem vero induxeris & concordiam. multum adhibuisti zelum; multam solicitudinem, multum euigilasti, multas curas contulisti ad congregandos vndique Christi filios: vt fraterno, ac spirituali affectu communi deliberatione habita, victricem sequendo veritatem, in vnam eant sententiam. nemo id negat, notum est omnibus: testes huius rei sumus tibi ego & omnes. Sed oportet etiam spectare finem, consilioque tuo ad illum & agere & dirigere omnia: vt lætitia, quam in præsenti percipimus, paulatim crescendo, progressusque faciendo multiplicetur ad finem, atque ad vltimum perueniat cumulum. Si splendida initia, & talia sunt exordia, cõsidera, qualis erit finis huiusmodi principiis congruens. Quantis vero fausta precantium votis, ac laudibus, quam lætis celebrabitur vocibus, quantas adipiscetur laureas, qui tanta iam rerum fundamenta iecit, & præterea iacier? Habes hic, qui suam tibi det operam, teq; subsequatur quacunque opus in re fuerit, filium & Imperatorem, piissimum & serenissimum & Christi amantem, qui cum multis seipsum bonis ornauerit, præcipue tamen Dei & honestatis zelo, certandique pro pietate studio flagrat. qui ab ineunte ætate insitum habens sacrum hoc desiderium sanctæ vnitatis Ecclesiarum, nunquam intermisit studium inquirendæ opportunitatis ad conficiendum hoc negocium; quam etiam prudenter cognitam, & inuentam, vt visa est, arripuit; remque in eum statum perduxit, in quo nunc conspicitur. qui ad hoc vnum bonum spectans, totusque in hoc desiderium incumbens, pericula pro nihilo duxit, delicias contempsit, & ocium: tam vastum pelagus, & vndas instar montium intumescentes despexit; vitæ & opes proiecit ac ipsam patriam, vt Dei fieret cooperator, & pacem Ecclesiæ conficeret: cuius non modo alumnus, verum etiam propugnator esse & studet & pollicitus est. pari tibi studio præsto erit sacer ac venerabilis Patriarcha, qui senio quidem confectus, & effœto iam est corpore, sed pollet ad præclara quæque iuuenili animo, feruetque spiritu, & magno quidem ardet desiderio, multa vero edit vota, dignus vt fiat, qui huic operi suam operam nauet: atque ob id fortasse præsentibus oblectatur, & libenter commoratur in corpore, vt diuinum hoc opus ad bonum exitum perducat: citra quem valde graniter ferret illi animus inhabitationem corporis, vt iam consumpti. Omnes suam tibi præbebunt operam ad finem & opus hoc arduum: nemo quidquam magis exoptat fine hoc optatissimo: illum spectamus omnes: vehemens illius amor inflammat omnium animos: omnes propterea è longe dissitis regionibus conuenimus: propterea in aliena regione peregrinamur, homines partim è media ipsa Græcia, partim ex vltimis orbis ad Septentrionem atque ad Orientem maxime vergentibus plagis hanc ipsam in Italiam nauibus aduecti. Ne ergo tam multorum studio præualeat hostis: ne quaquam fiat hoc Saluator Deus: ne tantus noster conuentus, tam frequens, tam multo ante meditatus, tam multis annis consideratus, tam multis laboribus multoque studio habitus, eius opera sit frustra. Non est hoc sapientum diuinorumque hominum, eorum ve qui sermones suos norunt in iudicio disponere. Alios adoriatur hostis, aliis denictis insultet, nos autem nequam attingat. *Spiritalibus armis ipsi nos armemus hosti obuiam ituri.* Induamur loricam iustitiæ, & galeam spiritus, ac duce nobis Dei verbo irruamus in hostes; subsistamus autem quocunque illud nos duxerit, destruentes omnem altitudinem extollentem se aduersus gloriam Dei, omnem cogitationem superbam, & gloriolæ auidam; humilitatem vero, Deique timorem adhibentes ad obeunda certamina, illumque

Psal. 111.

2. *Cor.* 10.

præ oculis habentes, vtque ad illum perueniamus contendentes, nonnunquam vinci quoque bene potius volentes, quam vincere in omnibus male: Cum ratio boni non solum in eo insit, si quis victoriam obtineat, cum habeat à se veritatem; sed nihilominus in eo etiam idem boni modus seruetur, si quis bene succumbat; quod perinde censetur, ac vincere. Quamquam dixerit fortasse quispiam, maius etiam hoc esse priori illo bonum, quando vnicuique conducit magis, ipsum affici beneficio, quam afficere alium: & audire potius, quam aliis dicere: & liberari ab errore, quam liberare. Inuictissime Imperator, iam res est in cardine, venitque tempus, quod iam diu exoptasti. Da ergo Deo gloriam, & collauda eum; illius hoc opus est: ille tibi hanc iniecit cogitationem, tantum instillando amorem: illo quoque opitulante res ad hunc statum perducta est. Si igitur ob ante acta quidem magnas ei gratias habuerimus, pro futuris vero toto animo preces effuderimus, rem certe & nobis, & opere quod propositum est, dignam effecerimus; nobisque propitium magis ipsum reddiderimus, si nos votis nostris dignos præstemus, dum & de præteritis ingrati non erimus; nosque ipsos & negotium totum in eum reiecerimus, omni nostra spe & solicitudine collocata in eo: quippe cum ipse is sit, à quo nutriendi sumus cœlesti ac diuino alimento, sine quo non viuet homo. Et quemadmodum nunc vsque non destitisti tum precibus à Deo auxilium efflagitate, tum & ipse quæ par erat præstare: ita multo magis in posterum, quanto sumus fini viciniores, ostende te promptiorem: & partim inuocato Deum, partim & ipse nauato operam, non noctu, non interdiu quieti te tradens, donec ad bonum perueniat finem, & curis animum liberes. Quæ vi feruntur aliquo, & quæcunque motus principium extrinsecus habent, tardius mouentur ad finem; quæ vero natura & ex intrinseco feruntur principio, mouentur citius, cum fini propiora fiunt. Tu quoque cum ex ingenito principio, & veluti natura mouearis ad bona, quorum caput est præsens negocium, ne prius illud patiare; sed cupiens quam primum assequi proprium tibi finem: boni enim bonus finis per bona est proprius: te ipsum & nos omnes reddito alacriores tum adhortando, tum omnibus præcipiendo; Beatissimum quoque Patrem, si qua ex parte grauetur senio, succumbens ætati ac morbis, ad memoriam excita, & stimulos admouetum cohortationibus, tum re ipsa negotii actorem te præbens. reuerebitur sane is Imperatorem hortantem, remque accuratius tractando vna cum sacratissimo nostro Patriarcha, & Reuerendissimis Sanctæ Romanorum Ecclesiæ Optimatibus, ac cæteris omnibus finem Deo duce bonum imponent. quod vtinam nos omnes conspiciamus, & pleniore fruentes lætitia, spiritalique gaudio repleti ad Beatissimi Patris, tuique sacri Imperii laudes apertius excitemur, admirantes, atque vt par est, plausum dantes, nec non sanctissimo Patriarchæ, & sacro huic Conuentui vniuerso post hymnum Deo debitum communem vobis verborum coronam nectentes. detur mihi postremus hic labor, vt communi vos laude prosequar: honorer à vobis hac functione: nouissimum hoc mihi subeatur certamen, vt quibus vnus idemque Dominus est in omnibus Deus Verbum, vno eodemque sermone communiter à me ornemini, reddente ex iis, quæ vobis debentur, ea quæ pro viribus offeruntur in Christo Deo, quem decet omnis gloria in sæcula. His à Nicæno Præsule ita peroratis elapsum est tempus, inclinato iam in vesperum die. Vesperi tandem dimissa est Synodus, Sessione altera in Sabbatum reiecta.

SABBA-

SABBATO, DIE VNDECIMO OCTOBRIS, celebrata est

XXVIII. SESSIO II.

CVm ergo dies Sabbati venisset, ordine seruato, Andreas Rhodi Præsul, vnus ex iis, quos Latini delegerant, imitatus plane Nicænum, ipse quoq; ornauit encomiis Pontificem, & Imperatorem, & Patriarcham, ac Synodi, vt par erat, laudes & gloriam celebrauit. Et studio copiose dicendi ita Orationem habuit, vt iam adueusperasceret: atq; ita dimissa est Synodus, indicta rursus Sessione ad sequentem tertiam feriam. Interea quæsitum est, quisnam esset disputationem aggressurus, quisve modus adhibendus in ipso progressu, & vnde ordienda disputatio; & num interrogationibus & responsionib. esset vtendum, an vero longi ex vtraq; parte producendi sermones. Et placuit dialectico more fieri congressum. Itaq; nobis iterum datum est, vt disputationem aggrederemur.

DECIMO QVARTO DIE OCTOBRIS, FERIA tertia, congregata est

XXIX. SESSIO III.

STraturta igitur supra die conuenimes omnib. in dictum templum, vbi Conuentus fieri solebant. & cunctis rursus ordine confidentibus, Mettopolita Ephesi domnus Marcus ita dicere exorsus est:

Marci Ephesi propositiones in Conc. & Andreæ Rhod. vicissim ad illas responsiones. Marci Ephes.

Quoniam gratia & benignitate omniporentis Dei conuenimus pari studio & voluntate ad sanctum hoc opus conficiendæ pacis, & vnitatis Ecclesiarum, debet hæc dilectio in ipsis quoque disputationibus candide, sincereque seruati ab initio vsque ad finem per omnes quæstiones. Etsi contingat proferri verbum, quod durius asperiusque videatur, id quidem tribuendum erit sermonum ac dogmatum differentiæ; retinenda vero, vt dictum est, dilectio inter personas fixa & stabilis Notum ergo facimus reuerendæ vestræ; nos verba esse facturos de additamento in Symbolo, quod non sit conueniens factum, quodque nullo modo fuerit licitum id fieri. hæc enim extitit initio caussa schismatis. Si ergo per tempus licebit, disputabimus in præsenti de hac materia; sin minus, in alteram sessionem differemus sermones. Hoc autem in omnib. erian. sessionibus fieri oportere arbitramur, vt cognitum id antea sit, de quo sumus in sequenti sessione disputaturi.

Andreas Rhodi.

Tum frater Andreas Rhodi Archiepiscopus dictis exceptis, & in partes expositis dixit.

Et nos vt eandem præstetis & ipsi dilectionem, Christum vestris oculis proponentes; atque in disputationibus erga nos eam tueamini, rogamus. Et si verbum aliquod prolatum fuerit asperius, aserbatur materiæ disputationis, non personis disputantibus. Illud præterea vos rogamus, vt in vnoquoque quæsito ad nostras interrogationes responsa dentis clara & perfecta; & non æquinocis, non obscuris vtamini vocibus. Quod autem quæritis, cur Romana Ecclesia huiusmodi additamentum posuerit, & schismatis caussam dederit, volo meam ipse nunc afferre responsionem; quam tamen nolite pro perfecta habere: considerata enim re cum sacris hisce Patribus, alias accuratius respondebo.

Ephes.

Nos responsione adhuc non indigemus, neq; enim diximus quæ volebamus ad propositam materiam: multo vero minus tua, quam ex te ipso afferes: sed opportuno tempore, & cum aliis Patribus re meditata, synodice respondebis, vt dixisti.

Rhod.

Ego dixi, quam ipse nunc afferam defensionem, ne vt perfectam accipiatis. Verum quia tam Beatissimum Patrem, qui in hac Sede præsidet, & omnes qui huc ad uenerunt: quam serenissimum Imperatorem, & Patriarcham sanctissimum cæterosque hos Patres excipere oportet honorifice per ea, quæ suppetunt, & nequaquam ieiunos dimittere: dicemus nunc, quæcunq; tempus concedit: postmodum vero accurata consideratione adhibita fusius respondebimus.

Quoniam nos rationem additamenti reposcimus, cum si velut ad tribunal iudicis caussam ageremus, personam actoris ipsi gereremus: propterea quæsiuimus, si tempus permiserit, potestatem dicendi prius ea, de quibus vobiscum expostulamus, tumq; purgationem audiemus.

Ephes.

Quia satis ad primum dicta respondimus, age dic, quæcunq; vis: nosq; ad singula respondebimus.

Rhod.

Ephesius impetrata dicendi facultate ab Imperatore & Patriarcha, sic orsus est.

Dominus & Deus noster Iesus Christus cum ad suam iret passionem, in extremo ad suos discipulos sermone, quem & testamentum conuenienter appellamus, dixit eis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. hoc ergo pacis bonum velut legatum quoddam & hæreditatem eis reliquit: estque hoc ipsius munus, & proprium ipsius; pacem, enim, inquit, meam: pro quo aliud quidpiam ab eis depoposcit, quod voluntatis eorum potius est fructus, quam donum ipsius; estque illud dilectio. neque enim absolute illis hæreditatem legauit, sed sub electione. Siquidem iuxta leges antiquas erant testamenta quædam & hæreditates, quæ sub electione vocabantur: vt scilicet, si vitam hanc, vel actionem hanc elegerit hæres, adeat hæreditatem; sin minus, exhæredetur. Huiusmodi hæreditatem reliquit discipulis Saluator in suo testamento, tantum non illis dicens: Si mutuam inter vos benevolentiam seruaueritis, habebitis meam pacem: illam vero negligentes, hac etiam priuabimini. Propter hæc duo bona Dominus longos illos ac pulchros habuit sermones modo dicens: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. modo vero: Hæc locut' sum vobis, vt in me pacem habeatis. Horum profecto altero neglecto, ac posthabito, dilectione inquam, quam in sororem suam Orientalem Ecclesiam nauare debebat Romana Ecclesia: dogma sibi seorsum constituit edidit que, neque in diuina scriptura aperte dictum, neque à Synodis generalibus cognitum, neque nostrorum Patrum præcipuis probatum: quod etiam caussa fuit pacis soluendæ, & scandalorum origo, iuxta sermonem Domini. Quoniam igitur per hanc dogmatis promulgationem abeunte amicitia simul etiam abiit pax, & ex eo schisma subsecutum est: nunc vero Dei beneficio resarcire volens pacem Romana Ecclesia, cœpit per dilectionem hoc agere: & rursum nostra Ecclesia pari cum dilectione accurrit: spes est fore, vt cooperante Deo pax ad finem vsque consequatur, & scandala tollantur è medio; resque vt in morbis fit, ablatis caussis in integrum restituantur. Hæc enim in *Ephes.* *Ioan.* 15. *Ioan.* 16. *Rhod.*

percepimus, ea vero rediguntur ad quinq; capita. Et primo quidem saplentissime disseruisti, Pater Ephesie, de dicto Christi Domini, quod pacem discipulis suis reliquerit; quodque pro ea conferatur à nobis dilectio, & per eam pax conseruetur. Secundo; Quoniam Romana Ecclesiâ benevolentiam præstare neglexit, quæ pacis est exordium, ideo factum esse dicitis, vt id, quod à Christo accepimus, solueretur. Tertio; Romanam Ecclesiam asseritis resumpsisse dilectionem tunc depositam; atq; ob id studiose curasse, vt conuenerctis huc ad tractandas & examinandas cum eadem dilectione controuersias, quæ inter nos & vos existunt. Quarto, fieri non posse vt componatur pax, nisi tollatur caussa schismatis: sicut etiam in morbis non potest recuperari sanitas, nisi morbi caussa remoueatur. Quinto, quia debemus honorem Patribus deferre, vt appareat Synodum hanc priorum vestigia secutam esse, oportere ante alia recitari definitiones Conciliorum generalium; tumq; vos esse allaturos pro vobis rationes, quas ad rem propositam habetis. Quoniã igitur quæsita hæc & ad fidem maxime spectant, & multis indigent sermonibus, nos consideratione adhibita sequenti quidem sessione responsiones proferemus perfectiores, nunc vero etiam dicimus ex parte, quæ tempus permittit. Et primo quidem ad primum; Esse apud nos charitatem firmam & indissolubilẽ nec vos ignorare arbitramur. Siquidem ea ducens à Christo originem, quoniam prior ipse nos dilexit (de quo, miramur, cur nullam feceritis mentionem) hactenus in Ecclesia eius seruatur tam erga eundem ipsum charitatis auctorem, qui est maxime proprium eius obiectum, quam à nobis erga nos inuicem. Ad secundum vero, quandiu sc. amicitiam coluit Romana Ecclesia, tandiu pacem & vnitatẽ mansisse: miror oblitum te esse, Romanæ Ecclesiæ tantæ semper curæ fuisse ac esse Orientalem Ecclesiam, vt nunquam coorta fuerit in illis partibus tempestas cuiuscunq; hæreseos, ad quam sedandam Ecclesia hæc non tulerit auxilium omnibus modis, tum litteris, tum Legatis suis, & quacunq; alia re facultas tulit. Meminisse enim Silvestrum affuisse in Nicæna Synodo, & in reliquis si non per se, at certe per Legatos. Si vero & Imperatores opem tulere Romanæ Ecclesiæ Pontificibus suo cuique tempore, mirum non est. Illud etiam omnib. constat, ex quo tempore solutum est vinculum pacis, non destitisse Romanos Pontifices assidue mittendo ad Imperatores, & cæteros Orientales hortari, vt obediendo ad pacem redirent. Obsecro vero, quæ dicuntur, citra perturbationem accipite, quamuis dura videantur. Si pax à nobis seruata non est, quando vos pacem hanc quæsiistis? quando dilectionem, quam à nobis dimissam obiicitis? quando Legatos hac de re misistis? Quod vero in præsens dicitis, à Romana Ecclesia pacem esse reuocatam, verum esse in confesso est. testis est Beatissimus Papa, qui in hoc multam pecuniam erogauit, & sæpe Legatos misit. Vos autem si hanc ipsam dilectionem antea quæsiuissetis, procul dubio reperissetis, sicut & nunc testis est ante hæc tempora Gregorius Papa, qui & ipse ad Imperatorem, & Patriarcham, & Orientales hac de re misit legationem, & celebrauit Lugdunense Concilium, & factam tunc temporis vnitatem tractauit. Quare non est, cur Romanam Ecclesiam incusetis de charitate, quæ (pace vestra) manet, & manebit in ipsa. De definitionibus autem dicimus, ipsas Græce & Latine esse legendas iussu Beatissimi Patris, sed miror, cur definitiones in medium attuleritis; nam ad id quod proposuistis, non videntur necessaria, quæ in illis sunt scripta: quandoquidem est ante illas sacrum Euangelium, cui etiam magis credere debemus. Quoniam vero dixistis, post lectas definitiones vos esse deinceps allaturos, quæ dicenda haberis, libenter & nos audimus; speramus fore, vt & vos patienter audiatis quæ ipsi dicemus, sicut & nos quæ à vobis dicentur.

Ephes. Prior tuæ responsionis pars, Reuerende Pater, quod Romana Ecclesia multam curam in Orientalem contulerit temporibus periculorum & hæresum, sine controuersia est; sed rationes nostras non necessario soluit. liquet enim amicitiam certo ex tempore diremptam viguisse prius in Ecclesiis. Quod vero sæpe Romana Ecclesia post schisma Legatos miserit ad nostram, inuitando eam ad præstandam sibi obedientiam & pacem; id etiam fieri par erat, nec mirandum est. Verum manente caussa schismatis, additamento scil. in Symbolo, quod etiam origo dissidii fuit; consentaneum erat nec pacem ipsam subsequi: quemadmodum in morbis, nisi eorum caussa dignoscatur, atque tollatur, non potest subsequi sanitas. neque ergo dilectionem, quæ ante schisma erat; neque eam quæ post schisma, protendere vos oportet manente caussa schismatis, quam perspicuum est datam esse à vobis. Nos autem petimus, vt, sicut antea diximus, redeatur in tempus illud pacis, quo inter nos coniuncti omnes eramus: id vero non nisi sublata caussa schismatis fieri potest. Recitari vero definitiones, dicimus esse omnino necessarium, vt perspectum sit, hanc Synodum cõgruere cum illis antiquis; & sequi eas non solum ordine, sed etiam sensu. Arbitramur enim, nihil esse omissum ab illis Patribus in Symbolo fidei, neque omnino positum esse quidquam mancum, quod correctione aut additamento indigeat. & hæc est potissima schismatis caussa: præcipientib. illis, nullum aliud Symbolum esse vnquam recipiendum, nec esse quidquam addendum, vel detrahendum, quod illi omnia satis fuerint complexi.

Rhod. In quatuor capita rediguntur, quæ dixisti. Primum est; etsi vera sunt quæ dixi, non tamen esse necessaria, nec facere ad soluendas tuas rationes. dixisti enim, adhibitam quidem fuisse à summis Pontificibus curam ad pacem & benevolentiam conciliandam, non tamẽ esse sublatam caussam schismatis. Secundum, examinata, siue ablata caussa schismatis, fore omnino, vt pax subsequatur. Tertium, legendas esse Patrum definitiones, vt perspectum fiat, vos esse illorum sectatores. Et quartum, nihil illos fecisse mancum, & additamenti indigens.

Ephes. Non dixi, si dogma explanetur, fore vt Ecclesię coniungantur, sed si additamentum tollatur: quod etiam si verum sit, suscipere non possumus; quia licentiam à Patribus non habemus aut addendi quidpiam Symbolo fidei, aut adimendi. atq; de hac re totus erit noster sermo.

Rhod. Ad ea, quæ dicta sunt, addo; summos Pontifices, quando mittebant de pace & vnitate, proculdubio caussas quoque afferre consueuisse, cur facta sit additio, quæ schismatis caussa extitit, vt vos dicitis. Si igitur Orientalis Ecclesia, præsertim quatuor Patriarchæ, quibus parem esse cum summis Pontificibus potestatem affirmatis, conati sunt ostendere, vel etiam ostenderunt, Occidentalem Ecclesiam in hoc dogmate errare, & præter rationem additamentum hoc fecisse, nonne correctio quoque sequi omnino debebat? Verum id ostendere nunquam potuerunt. Ego ad respondendum vestris vtar rationibus. fierine potest, tot Imperatores, tot Patriarchas, ac Patres omni scientiarum genere præditos hoc latuisse, male scilicet esse factum additamentum? sed nunquam demonstrare hoc valuerunt: idcirco etiam illud expunctum non est. frustra ergo & vos hac de re Romanam accusatis Ecclesiam. Dixisti tu quidem, per Synodicas definitiones veritum esse nobis quidquam addere, etiamsi verum sit. nos autem sumus demonstraturi multis rationibus, posteriori Synodo eandem semper esse potestatem atque prioribus ad res omnes Ecclesiasticas moderandas. sed quæro ex vobis: si verum est, quod fuit additum, cur illud non adiicietis? quid obstat, quo minus apponatur verum?

Hoc

Ephes. Hoc ipsum, non esse fas; nam multa quoq; alia, cum bona & vera sint, nobis nõ licet addere Symbolo fidei; quoniam & Patres illi vel de necessariis nihil addiderunt. Verum propter angustiam temporis sufficiant in præsenti, quæ dicta sunt.

Rhod. Ad multorum aures paucis vtemur. Nos opportuno tempore duo hæc demonstrabimus. Primum, neq; additamentum esse, neq; fuisse additum. Alterum, & si additum est, tanquam verum & necessarium esse addidum.

XXX. *Resumuntur vtrimque proposita capita & diuersorum propositiones & responsiones.*

DIE QVINTO DECIMO OCTOBRIS feria quarta.

SESSIO IV.

OBrenta prius gratia à Beatissimo Patre, & concessa facultate à serenissimo Imperatore, & Patriarcha sanctissimo, proposita capita resumemus.

Rhod. Nos initium fecimus, & volumus dicere, quęcumq; habemus.

Ephes. Permissa licentia à Reuerendissimis Patribus respõdebo, miror cur verba hæc, pferas: heri obiecisti, quomodo sit facta additio. deinde quæsiisti, an permitteretur tibi dicere, quæcunq; ad rem nostram spectant: quod etiam tibi dedimus.

Ephes. Diximus, vt primo definitiones Synodorum legerentur, quod eo die non est factum, videtur ergo faciendum nunc: restq; necessarium, quandoquidem non fuere tum lectæ.

Rhod. Bene nostis Patres, quod vos proposuistis, & dixistis quod volebatis: & petiistis etiam, vt responderem ad ea. quia vero tempus tunc non permisit, dilata est responsio in posterum. miramur, ppterea, cur ita nunc dicatis. non decet enim nunc initium sumere ab iis quę dicitis, & recitare definitiones.

Nicænus. Quid deceat, aut non deceat in disputationibus, non ab audiente, sed à dicente iudicatur. necesse est enim, vt dicenti liceat proferre quæ vult: deinde vero qui illum audit, aut probabit, aut reprehendet, coarguetque sermones vt non veros, ac non necessario concludentes. Oportet ergo ex necessitate liceat nobis etiam ea proferre, quæ videntur conducere in rem propositam: quibus auditis postea vos quæ opus erit, dicatis. nescio ergo, quæ caussa sit, quare nos audire non patiamini; sed cum tantos, tamque longos sermones produxeritis, mirari diciris propter ea quæ nos dicimus. Nos autem Dei beneficio nullam videmur dare vobis caussam, cur ita admiremini, vt dicitis. Quare vos animo admirari non arbitramur, quamuis id ore affirmetis. Sicut ergo nos mirantes animo, lingua tamen hoc non exprimimus; ita contra exploratum nobis est, vos, etsi hoc lingua dicitis, nequaquam tamen animo mirari: neq; vllam vobis Deo propitio damus caussam. Porro autem de ratione disputandi, qua vtimini, volo dicere. non videtur mihi vtendum huiusmodi disputationibus prolixis; ita enim nunquam ad conclusionem aliquam perueniemus, neque inter nos quidquam conueniet. Oportet ergo dialectico more interrogationibus & responsionibus agere mutuis, atque ita concludere. Necesse est igitur, nobis quæstionem proponentibus, vt eius probationes audiatis, tumque respondeatis. nos enim nullam quæsiuimus responsionem, vt vos dicitis. Nam quomodo id agere potuimus, nondum argumentis nostris prolatis?

Iulianus Cardinal. Mihi placet quod dixit Reuerendissimus Nicænus, vt pauca concludantur rationes; idque vt fiat in vnoquoque quæsito, concedo; nempe vt, cum proposuerit qui disputat, afferat etiam probationes, sed oportet omnino stare conuentis, sine quibus nihil est agendum. dixit enim Reuerendissimus Ephesius, Romanã Ecclesiam fuisse caussam schismatis; & habendam esse quæstil cuiusq; notitiam, de quo sumus acturi. deinde dixit, vt si videretur Colossensem tum respondere, bene esset; sin minus, in sequenti sessione responderet. Propterea obsecro, vt Colossensem dicere sinatis, & postmodum respondeatis aut nunc, aut si vultis, in alia sessione, dicturi quæcunq; habetis.

Nicænus. Conuenit quidem inter nos, vt vestras audiremus defensiones, sed non quidquid omnino dixeritis. Oportet ergo nos nostra priores dicere, deinde vestras audire responsiones. hac enim lege vestras postulauimus defensiones, vbi nos scilicet nostra protulissemus. Siquidem propter angustiam temporis quæ tunc erat, Reuerend. simus Ephesius scisciatus est, an posset tunc dicere quæ vellet, atque ita quæ vos attulissetis, audire: quod si id fieri tum commode non posset, vt postea in alia sessione diceret quidem prior ipse, vestras autem postea responsiones audiret.

Rhod. Reuerendissimi Patres, ad ea quæ obiecistis, non satis respondi. nunc igitur vt dicam, atq; ad tria respondeam, togo.

Isidorus Ruthenus. Ego paucis vtar verbis, paucis enim veritas apertius declaratur. Vos alterum de duobus concessistis; & annuentib. vobis proponendi munus ipsi assumpsimus, & ppositimus non esse addendum. propterea permittite nobis, vt ostendamus hoc, tumque respondebitis. nam quidquid initio habebatis dicere, dixistis. est igitur nostrum probare, non esse addendum.

Rhod. Ego ad tria respondebo; & primo quidem aio, testem nobis esse Aristotelem, duos esse procedendi modos, quia, & ppter quid. quod autem vos caussam quoq; reddideritis, atq; adeo ipsum propter quid, ego demonstrabo, dixistis non esse addendum: deinde, additamentum extitisse caussam schismatis Ecclesiarum: postremo, licet Romana Ecclesia multas Legationes miserit, fieri tamen non posse vt sit pax, nisi amota caussa. Sed pace vestra dico, non esse hoc prohibitum; idq; tam ex veteri, quam ex nouo testamento demonstrabimus. Nos enim dicimus, non esse additamentum, sed explicationem & declarationem, & quamuis multæ suppetant demonstrationes, dico tamen me probaturum & per definitiones & per alia, licitum esse addere & explicare.

Nicænus. In vnaquaq; quæstione proposita licet probationes afferre, necne?

Rhod. Licet.

Nicænus. Nos nullam adhuc caussam attigimus. dicite ergo nobis: estne nobis integrum nostras exponere probationes, nostramque sententiam confirmare: an vultis, vt rem sine defensione relinquamus? quamquam dedisti, vt rationes nostras exponamus.

Rhod. Dico, Beatissimum Patrem, & omnes concessisse, vt si liberet, diceretis: ita tamen, vt prius ipsi nostram redderemus apologiam, sicut requisiuistis.

Nicænus. Ne supponite vt concessum, nos vestras responsiones simpliciter requisiuisse: id enim certa conditione requisiuimus, nimirum vbi nos attulimus ea, quæ videntur conferre ad rem propositam. Dicimus enim non esse addendum: & sanctorum auctoritate demonstrabimus, Patres non solum prohibere addi sententias, verum etiam dictiones. id vero alia ratione ostendere non possumus, quam per sanctorum Patrum decreta, quæ prius etiam legi opus est. tum q; vos respondere.

Rhod. Hæc & tunc dixistis & nunc: atq; ad hæc nos etiam volumus respondere, & ostendere non esse, quod asseritis, necessarium: quod ex eo tria sequantur absurda: omnes homines culpæ esse obnoxios, & fore penitus salutis exortes: præterea sanctos Patres esse anathematis subiectos: atq; ad hæc magnum oriri fidelib. incommodum, si non sit explicandi facultas.

Magister Ioannes. Reuerendissimi Patres, nos huc amice conuenimus ad tollendam Deo iuuante controuersiam, quam habemus. Oportet igitur cum pace & charitate agere; hanc enim & omnes sancti magnificiunt; & in Can-

ticis

ticis Canticorum de ea dicitur, quod sponsa veri sponsi CHRISTI sit Charitas. Itaque cum ea sermones instituendi sunt, & propterea seruandus etiam ordo: est enim ordo parium disparium que rerum sua cuique loca tribuens dispositio, iuxta magnum Doctorem Augustinum. Quoniam igitur vos priores dixistis, dicere iam nos oportet. Nam optime nostis, in vhquoque quæsito duos esse procedendi modos, vt ipse docet Aristoteles: vnum quidem, cum sermo per simplicem interrogationem habetur: alterum vero, cum propter quid, & caussa additur. Cum igitur secundo modo quispiam interrogando vtitur, proferat necesse est propositiones & causlas, postmodum audiat respondentem. Cum vero simplicis quæsiti modo, statim necesse est audiat, quæ à disputante afferuntur defensiones; quale etiam hoc est, in quo versamur. ex quo apparet necessario, nostrum iam esse dicere.

Lib.19. de Ciui. Dei cap.13.

Nicænum.

Optime & doctissime dixisti Pater. Et de charitate quidem, quod in omnibus disputationibus seruanda sit, idem nos etiam sæpe asseruimus; nec quidquam adiiciendum est, cum res sit clarissima. Ordo quoque, vt dixisti, seruandus est necessario. De postremo vero, nempe de duobus in vnaquaq; quæstione procedendi modis; hæc dico. Si nos simpliciter nostram exponeremus propositionem, quærentes quare addidistis, per modum scil. interrogationis; oporteret certe statim reddi à vobis rationem. nunc autem secundo vsi modo vos accusauimus. dicentes: Cur fecistis quod non licebat? quod vero non liceret, nondum ostendimus. Reddendæ sunt ergo prius à nobis caussæ, ob quas non liceat, tumq; vestræ responsiones audiendæ: est enim hoc necessarium, & ipsius rei ordini consentaneum.

Iulianus Cardin.

Serenissime Imperator, iubet Pater Beatissimus, vt à me verba quædam ad te & alios dicantur. Propter ea quæ sunt heri tractata, credidit Pater & ceteri fore, vt Rhodi Præsul hodie responderet. quod si non esset, permisissemus vobis sermones producere longiores. Quapropter Rhodi Archiepiscopus paratus est dicere, quam ob caussam sit factum additamentum. & quidem ille rogauit sæpe, quoniam vero non placet, bonum est inter nos esse pacem. & quemadmodum cum charitate sumus ingressi, ita etiam debemus egredi cum charitate. Quocirca summo Pontifici videtur, vt nihil hodie fiat; sed qui delecti sunt, disputent priuatim.

Imperator

Respondemus ad hoc, vt in præsenti surgamus, si & vobis placet. de altero vero nihil dicimus, nisi considerandum esse prius, vt bene & cum pace fiat: vtque rem, sicuti oportet, agitemus: & quomodo dicis, vt delecti priuatim, & non publice disputent.

Dimissa igitur sessione eodem die factus est conuentus in domicilio Patriarchæ, eo se conferente sacro Imperatore, Cardinalibus, & cunctis Præsulibus, atq; officialibus, & viris quibusdam Ecclesiasticis: obnitentibus nostris ac dicentibus, nullo modo velle vlterius progredi, ni definitiones legantur, & sacrum Symbolum. Itaq; sicut ipsi dicebamus, recitata sunt sequenti Sessione à Deo amabilissimo Referendario clara voce coram omnibus, conuertente in Latinum ea domno Nicolao Secundino Cretensi, nostro interprete, viro longe optimo ac præstantissimo, pariterq; in lingua Latina apprime exercitato, Græceque optime sciente, quę à tribus Ecclesiasticis Notariis scribebantur.

XXXI. *DIE DECIMO SEXTO OCTOBRIS, feria quinta.*

SESSIO V.

Ephes.

QVoniam à nobis quidem postulatum est, à vestra autem reuerentia concessum, immo vero per vos à Beatissimo Patre, vt sanctarum & Oecumenicarum Synodorum definitiones legantur; tum vt ordo ipse seruetur, & consuetudo, quam eadem Concilia tenuerunt; in vnaquaque enim superiorum Synodorum decreta recitabantur, præsertim vero Symbolum primæ & secundæ; quod etiam veluti fundamentum Ecclesiæ Catholicæ ac fidei iaciabatur: tum vt nobis nota sint & sensus eorum, & conuenientia, necnon reuerentia, qua communem confessionem ac fidem prosequebantur: vtq; præterea nobis preces eorum auxilio sint ad propositum opus: prolati sunt modo à nobis libri, vt legantur, si placet.

Reuerendissimi Patres, iussu Beatissimi Patris, & Reuerendissimorum Patrum horum dico, iustum esse, vt pacta nostra seruentur, quæ simul heri confecimus. Quare etsi Rhodi Archiepiscopo licebat per tempus respondere ad ea, quæ dixit Initio Metropolita Ephesi; ad quod ille agendum paratus erat: facite tamen, vt vultis; & si placet legi definitiones, legantur, vt probationum pars, quibus sententiam vestram fulcire vultis, non tamen ex communi siue nostro consensu.

Iulianus Cardinal.

His ita dictis à Iuliano Cardinali, Ephesius continuato sermone dixit:

Ephes.

Recitabuntur autem non integræ definitiones: id enim longum esset; sed partes earum, quæ spectant ad præsens negotium. Et quoniam primæ & secundæ non extant de diuinis dogmatibus aliæ definitiones; quam ipsæ fidei expositiones, vel Symbola siue potius Symbolum: pro vno quippe receptum & approbatum est à consequentibus Synodis: ordiamur ex actis libri tertiæ Synodi; In quo sane libro prælucet, ac primo loco positum est Symbolum Patrum Nicænorum, subsequitur autem definitio Patrum Ephesi congregatorum, statuentium Symbolum illud fixum & immutabile permanere. Rogamus autem charitatem vestram, vt cum omni longanimitate ac patientia audiatis voces, dum legentur, beatorum illorum Patrum, adeo multorum, tanta virtute præditorum; necnon rationes, quas pro nostræ caussæ defensione habemus, tum inter legendum afferendas, tum peracta recitatione, ad probandum quod initio proposuimus: Vnam nimirum esse debere apud omnes Christianos Catholicam fidem, cui non liceat addere, de qua non liceat demere.

His dictis lecta est definitio.

XXXII. *Conc.3. act.4.*

EXPOSITIO FIDEI TRECENTORVM DECEM & OCTO Deiferorum Patrum, qui Nicæam conuenerunt.

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei natum ex Patre, hoc est ex Patris substantia, Vnigenitum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cœlo, & quę in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus; passus est. & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos, & sedet in dextera Patris, & venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, Erat aliquando, quando non erat; & antequam nascereturnon erat, & quod factus est ex non existentibus, aut ex alia substantia, vel essentia; aut qui Filium Dei mutabilem, aut alterabilem esse affirmant, hos anathematizat sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia.

Post hæc subdidit Ephesius, Hoc autem lecto in tertia Oecumenica Synodo, recitatum est etiam Symbolum à Nestorianis confictum; & dictæ sunt à Patribus de eo sententiæ. Deinde positum est decretum communi omnium consensu, quo statuunt, Nicænum Symbo-

Symbolum inconcussum & incommutabile permanere: & nulli fas esse aut addere, aut adimere, aut omnino aliam fidem proferre. ita vero se habet.

His igitur lectis, statuit sancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, id est conscribere, aut componere præter definitam à Sanctis Patribus, qui Nicæę congregati sunt in Spiritu S. Eos vero, qui ausi fuerint aut componere fidem alteram, id est, proferre, vel offerre volentibus conuerti in agnitionem veritatis siue ex Gentilitate, siue ex Iudaismo, siue ex qualicunq; hęresi; hos, si quidem Episcopi sint, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clericatu, si vero Laici fuerunt, anathemati subiici.

Post huius definitionis lectionem subiunxit Ephesius; Hoc loco duo quærenda. Primum quidem; Cur hæc Synodus per has voces communiat hoc Symbolum, statuatq; nemini licere ipsum immutare; quod illi priores Synodi de se ipsis non statuerunt; nihil enim tale reperitur aut à sancta prima Synodo de suo Symbolo statutum, aut à secunda de Symbolo primæ & suo. Alterum vero, quomodo hi Patres tertiæ Synodi facta solum mentione Symboli primæ, deque illo decretum edentes, prætermiserint Symbolum secundæ. Et ad primum quidē respondemus, quod primo aspectu ex ipsa rei natura occurrit; ita scil. esse factum, vt factum oportuit. res enim visa esset odiosa, si illæ Synodi quæ Symbolum exposuerunt, in suam ipsarum commendationem de se ipsis decernerent, vt sua expositio immutabilis permaneret, nulliq; liceret illi addere, vel detrahere. vt vero Patres posteriores, à numero & virtute priorum aut nihil aut parum distantes, obsignarent, & stabilirent expositionem eorum, statuerentq; illam manere intactam; id sane & rationi consonum erat & conueniens, quodq; audientes libenter admitterent, & plane necessarium. Hoc ipsum factum cernimus in sanctis Euangeliis, & verbis Apostolicis, & vniuerso Testamento nouo. Nam illa de seipsis non dicunt, nulli addere, aut demere liceat vel dictionem, vel syllabam: at vero successores Apostolorum, & qui postea fuere Patres hunc eis honorem tribuerunt; nec quisquam ausus adiscere, aut adimere vel minimum, in Christianorum numero reponetur. Eundem honorem detulere Patres isti per dictas voces Symbolo exposito à Patribus Synodorum primæ & secundæ; quin & posteriores Patres in reliquis Conciliis per suas definitiones, vt infra ostendetur.

Alterum quoq; ad hoc damus responsum ex iis, quę fieri contigit. Nam post factam à prima Synodo fidei expositionem, transactis non paucis annis vsque ad secundam, medio illo tempore diuersis in locis à prouincialibus Conciliis factæ sunt supra triginta expositiones; in quibus sublata voce illa, consubstantialis, qua multi offendebantur, reliqua sunt valde similia primæ illæ expositioni. Quapropter & secunda Synodus multo maiore, quam illæ, auctoritate pollens, vtpote Oecumenici Concilii dignitate prędita, explanauit Symbolum prioris, latius explicans quæ spectant ad sancti Spiritus diuinitatem propter eius oppugnatores. De incarnatione quoque Dei Verbi dogma similiter explicauit propter hæresim Apollinarii, addens voci illi, incarnatus, illud, de Spiritu sancto & Maria Virgine: hoc enim non habetur in Symbolo primæ. Hæc igitur ab ea facta sunt, tum quia ad illa tempora facultas ea vigebat, nondum quippe interdictum erat; tum etiam vt à Synodo Oecumenica. Cumque ita explicasset, dictionesq; immutasset, nec ipsa tamē sanxit, quo minus liceret addere vel auferre, tum ob dictas caussas, tum etiam ne videretur statuere iis, quæ ipsamet fecit, contraria. Verum hæc licentia immutandi damnum attulit Ecclesiæ. Ea siquidem vsi Nestoriani Nicænum Symbolum depranarunt, inserentes in eo dogmata, quę non agnoscit Ecclesia, quod etiam veluti fidei institutionem tradebant iis, qui baptismo initiabantur. Hoc depranatum Symbolum cum lectum esset in hac tertia Synodo, caussa fuit, vt caueretur in posterum, ne transmutare liceret. Statutum quippe fuit à Patribus, nulli deinceps patere licentiam immutandi quouis modo Symbolum Nicænum, quod idem est ac dicere, Constantinopolitanum: virtute enim continetur in illo, amboq; pro vno sunt habita, vt postea planum fiet. Eam porro licentiam, quæ vsq; ad ea tempora patuerat, sibi ipsis præcludunt & reliquis omnibus. itaq; reipsa iussa sua confirmarunt: Nam vocem illam, Deiparæ, quam aduersus Nestorii nugas tunc ratam habuere, non sunt ausi addere Symbolo: cum alioquin esset ad exprimenda dogmata Oeconomiæ Saluatoris adeo perneccssaria. Venio ad secundum, respondeoq; cur hi sancti Patres non meminerint secundæ Synodi, sed de vno primæ Symbolo decretum ediderint. Quod igitur hæc duo ab illis vt vnum accepta fuerint, liquet tum ex reipsa, tum ex generalibus Conciliis, quæ postea sunt celebrata. Constat enim illos neq; Symbolum secundi ignorasse, neq; cognitum despexisse; qui enim despicerent, quod postmodum consensu omnium adeo comprobatum est, totoque terrarum orbe receptum? Verum hæc duo sumunt pro vno. sicut & reliquæ Synodi. de solo autem Symbolo primæ mentionem faciunt, tum pro eius dignitate; nam & maiorem Patrum habuit numerum, & prima fuit, reliquarum que omnium veluti fundamentum: tum quod eius Symbolum in vsu esset apud Christianos: quodque præterea plures per illud baptizarentur. mentione igitur illius facta, veluti vsu recepti, ac virtute alterum continentis; hoc prætermittunt. Tertio, qui sermones disponunt in iudicio, quemadmodum ex scripturis eas colligunt sententias, quæ faciunt ad propositum; ita etiam hi Patres immutationem nunc primum interdicentes, primum illud atque immutabile assumunt, cum quo videlicet simul & alterum intelligitur, vt quod potius explicatio illius sit, quam immutatio. In hoc libro actorum tertiæ Synodi variæ beati Cyrilli habentur Epistolę, qui princeps erat illius Synodi, locumque obtinebat & sensum sanctissimi Papæ Cœlestini. Ex his ea pars Epistolæ, quæ dicitur vnionis, ad Ioannem Antiochenum recitabitur, eadem quæ Synodus de Symbolo statuens, ne videlicet cuiquam liceat vel dictionem vel syllabam omnino in dicto sacro Symbolo immutare. ita vero se habet: Nullo modo patimur, vt ab aliquo fides illa, siue fidei Symbolum concutiatur, quod à sanctis quondam Patribus Nicænis editum est. Neq; enim aut nobis, aut vlli omnino alteri vel vnam vocalem ibi positam immutare, aut vnam etiam syllabam præterire permittimus: memores eius qui dixit, ne transferas terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. non enim loquebantur illi, sed ipse Spiritus Dei Patris: qui procedit quidem ex ipso, non est tamen alienus à Filio secundum essentiæ rationem. *Prou. 22.*

Qua lecta sententia Ephesius subiunxit:

Audistis Patres Reuerendissimi, sanctum hunc nec syllabæ, nec vocis immutationem pati, aut additionē. neq; nobis, inquit, ipsis, neq; aliis talem permittimus licentiam. Hæc Epistola lecta est cum aliis in Concilio quarto, à quo recepta & approbata est, nempe vt alterum quoddam fidei fundamentum post Symbolum. Post hæc transibimus ad quartam Synodum Oecumenicam, & illius et definitio recitabitur; in qua vtrum q; quidem fidei Symbolum exponitur, recipiuntur autem vt vnum: statuitq; Synodus, ne cuiquam prorsus liceat addere, aut demere de hoc Symbolo, aut omnino immutare, aut in alterum Symbolum transformare. Quibus ita dictis ab Ephesio; recitata est definitio sanctæ & Oecumenicæ quartæ Synodi ab initio vsque ad expositionem Symbolorum.

XXXIII.

DEFINITIO SANCTÆ ET OECVMENIcæ quartæ Synodi Chalcedonensis.

Cōc. Chal. Act. 5.

SAncta & magna & vniuersalis Synodus, quæ per gratiam Dei, & præceptum pissimorum & Christianissimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani Augustorum congregata est in Chalcedone Metropoli prouinciæ Bithyniorum, in Ecclesia sanctæ & victricis Martyris Euphemiæ, hæc definiuit, quæ subter scripta sunt.

Ioan. 14. Dominus noster & Saluator Iesus Christus notitiam fidei discipulis suis sumens dixit: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: vt nullus dissonet à proximo circa dogmata pietatis, sed vt pariter veritatis ostendant prædicationem. Quia vero non definit per zizania sua diabolus † contra semina pietatis insurgere, & semper aliquid nouum contra veritatem inuenire; propter hoc Dominus, vt consuetum, prouidens humano generi, pissimum hunc & fidelissimum ad æmulationem erexit Imperatorem; & vndique sacerdotii præsides ad se conuocauit: vt gratia Domini omnium nostrum Christi operante, omnem quidem mendacii pestilentiam à Christi ouibus remoueret, germinibus autem veritatis eas pinguescere faciat. Quod & perfecimus, communi iudicio dogmata expellentes erroris: & † inertabilem Patrum renouauimus fidem, Symbolum trecentorum decem & octo omnibus prædicantes: & eos, qui hanc veluti tesseram pietatis acceperunt, vt proprios Patres etiam adscribimus: eos nimirum, qui postea in magna Constantinopoli congregati sant, centum quinquaginta, & eandem fidem ipsi quoque confirmauerunt. Decernimus igitur, ordinem & omnes formulas custodientes, quæ de fide sunt constitutæ, & nos, sanctæ Synodi quondam in Epheso factæ, cuius Præsides fuerunt Beatissimæ memoriæ Cœlestinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum; præfulgere quidem rectæ & immaculatæ fidei expositionem sanctorum & beatissimorum trecentorum decem & octo Patrum, qui Nicææ temporibus piæ memoriæ Constantini Imperatoris cōgregati sunt: seruari autem & ea, quæ apud Constantinopolim à sanctissimis centum quinquaginta Patribus decreta sunt, ad expellendas quidem hæreses, quæ eo tempore germinauerant: & ad confirmationem eiusdem Catholicæ & Apostolicæ nostræ fidei.

Postea subdidit Ephesinus: Hęc Synodus cum vtráq; fidei expositionem recitasset, pro vno tamē fidei Symbolo eas habuit; quibus lectis intulit: Sufficere ad plenam veritatis cognitionem venerandum hoc Symbolum: addit q;, Symbolum hoc de Patre, & Filio, & Spiritu S. perfectam tradidisse doctrinam; constat autem perfecto nihil deesse.

Postea communi consensu recitata est extrema pars definitionis, in qua statuunt, dictum sanctum Symbolum inuariabile permanere.

XXXIV. *Habetur in Synodo Constantinop. sub Menna, Act. 1. Conc. 1. collat. 6.*

LECTA EST EX ACTIS SANCTÆ QVINta Synodi generalis, allocutio Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani ad populum acclamantem.

ATque idcirco ad tuendum gratia Domini & Saluatoris IESV Christi illæsum fidei fundamentum iuxta sanctorum Patrum traditionem incubuimus: spe ducti per eam dissidentes quoque coniungi Ecclesiæ; ordinem vbique sacrorum Canonum legitime seruantes: neque enim fas est quid quam dimouere, verbisque inanibus, aut friuolis disputationibus vacare fideles: sed animum adiicere ad sacrum Symbolum, in quo baptizati omnes sumus: quod Nicæna quidem Synodus cum sancto Spiritu edidit, & Constantinopoli sanctorum Patrum conuentus approbauit, & sacra Synodus Ephesina confirmauit, obsignauitque sanctum Chalcedonense Concilium. quam fidem nullo modo, nulla ratione labefactare quispiam poterit; quæ non recte credentibus omnem tollit occasionem. Hanc igitur fidem inconcussam tenentes nulla inter vos dissidia facite, sed omni nouitate & nugaci disceptatione abiecta, vno ore glorificemus sanctam & consubstantialem Trinitatem.

EXPOSITIO FIDEI CENTVM QVINQVAginta sanctorum Patrum Constantinopoli congregatorum.

XXXV. *Concil. V. collat. 6.*

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei Vnigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula: lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto & Maria Virgine, & homo factus est: Crucifixus et am pro nobis sub Pontio Pilato, & passus & sepultus est: & resurrexit tertia die secundum scripturas: & ascendit ad cœlos; sedetad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem, qui ex Patre procedit; qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Propheras. In vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. expecto resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi. Amen.

EX DECRETIS SANCTÆ ET OECVMEnicæ quartæ Synodi.

XXXVI.

SVfficeret quidem ad plenissimam pietatis agnitionem & confirmationem sapientissimum hoc & salutare diuinæ gratiæ Symbolum: de Patre enim & Filio & Spiritu sancto doctrinam perfectam edocet; & incarnationem fideliter suscipientibus manifestat. & quæ sequuntur vsque ad id, quod vltimo statuitur; quod quidem ita se habet. His itaque cum omni vndique subtilitate & diligentia à nobis ordinatis, statuit sancta & vniuersalis Synodus, aliam fidem nulli licere proferre, aut scribere, aut componere, aut sapere, aut docere, aut tradere aliud Symbolum volentibus conuerti ad scientiam veritatis ex gentibus, aut ex Iudæis, vel hæreticis quibuscunq;. & hos, quidem Episcopi, aut Clerici fuerint, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clero; si vero Monachi, vel Laici fuerint: anathema fieri.

Sequuntur quæ lecta sunt ex actis sanctæ & vniuersalis quintæ Synodi.

EX EPISTOLA SANCTISSIMI VIGILII Papæ ad Eutychium sanctissimum Patriarcham Constantinopolitanum.

XXXVII. *In Epistola Vigilii inserta est Epistola Eutychis ad eundem Vigilium: Ex qua desumpta sunt, quæ hic dicuntur. Eutychis verba collata quinta Synodi.*

IDeo festinantes vnitatem conseruare ad Apostolicam sedem vestræ Beatitudinis, manifestum facimus, quod nos semper & seruauimus fidem ab initio traditam à magno Deo & Saluatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis, & ab illis in omni mundo prædicatam, & à sanctis Patribus explanatam, & maxime ab his, qui in sanctis quatuor Synodis congregati sunt: quas per omnia & in omnibus amplectimur & suscipimus: id est, trecentos decem & octo sanctos Patres, qui Nicææ congregati sunt, & sanctum Symbolum siue mathema fidei expoſuerunt, & Arianam impietatē anathematizauerunt, & eos qui similia eis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & centum quinquaginta sanctos Patres Constantinopoli congregatos, qui idem sanctum Mathema explanauerunt, & de deitate sancti Spiritus dilucidauerunt, & hæresim Macedonianam sanctum Spiritum impugnantem, & impium Apollinarium condemnauerunt, cum his, qui similia illis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & sanctos ducentos Patres in Ephesina prima Synodo congregatos, qui per omnia secuti sunt idem sanctum Symbolum siue mathema, & condemnauerunt Nestorium impium & impia eius dogmata, & eos qui similia ei aliquando sapuerunt, vel sapiunt. Ad hæc autem suscipimus & lexcentos triginta sanctos Patres Chalcedone congregatos: qui etiam ipsi per omnia consenserunt prædictis tribus Synodis, & secuti sunt prædictum Symbolum siue mathema, à trecentis decem & octo sanctis Patribus expositum, & à centum quinquaginta sanctis Patribus explanatum: & anathematizauerunt eos, qui aliud præter prædictum Symbolum præsumunt docere, aut exponere, aut tradere sanctis Ecclesiis Dei.

XXXVIII.

DEFINITIO SANCTÆ ET OECVmenicæ sextæ Synodi.

Synod. 6. act. 18.

SAncta, magna, atque vniuersalis Synodus, quæ per gratiam Dei, & piam sanctionem Constantini pissimi & fidelissimi magni Imperatoris congregata est in hac à Deo conseruanda regia Constantinopoli noua Roma, in secretario diualis Palatii, quod cognominatur Trullus, decreuit quæ habentur in subditis.

Vnigenitus Dei Patris Filius & Verbum, qui per omnia similis nobis absque peccato factus est homo, Christus verus Deus noster, per euangelicas voces flagrantes prædicauit: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Et iterum: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hac proinde diuinitus edita pacis doctrina, Deo instituente, mansuetissimus noster Imperator institutus, propugnator quidem rectæ fidei, expugnator vero prauæ doctrinæ, hoc sanctum vniuersale nostrum congregans Concilium, totius Ecclesiæ adunauit compaginem. Vnde hoc sanctum nostrum vniuersale Concilium impietatis errorem, qui nunc vsque à quibusdam temporibus factus est, procul abiiciens, sanctorum autem ac probabilium Patrum inoffense recto tramite iter consecutum, sanctis & vniuersalibus quinque Synodis pie in omnibus consonuit: Trecentorum, inquimus, decem & octo sanctorum Patrum, qui in Nicæam conuenerunt aduersus Arium furiosum: & ei, quæ à centum quinquaginta à Deo inspiratis viris post hanc apud Constantinopolim aduersus Macedonium impugnatorē Spiritus, & Apollinarium impium: Similiter & ei, quæ in Epheso prius aduersus Nestorium Iudaicæ intelligētiæ, congregata est ducentorum venerabilium virorum: atq; ei, quæ in Chalcedone sexcentorum triginta à Deo inspiratorum Patrum aduersus Eutychem & Dioscorum Deo odibiles: Super has & vltimæ harum quintæ sanctæ Synodo, quæ hic congregata est aduersus Theodorum Mopsuestenum, Origenem, Didymum & Euagrium, & scripta Theodoriti aduersus duodecim capitula laudabilis Cyrilli; & Epistolam quæ dicitur Ibæ, scriptam ad Marim Persam: immunitatas quidem in omnibus pietatis renouans sanctiones, profanas vero impietatis expellens doctrinas: & illud, quod est à trecentis decem & octo Patribus editum, & dehinc à centum quinquaginta Deo instituente confirmatum est: quod etiam cæteræ sanctæ Synodi ad extinguendam omnem pestiferam hæresim alacriter susceperunt, & confirmauerunt Symbolum, & hoc nostrum sanctum & vniuersale à Deo inspiratum consignauit Concilium.

EX EPISTOLA SANCTISSIMI Agathonis Papæ Romani ad Imperatores Romanorum.

XXXIX.

QVæ regulariter à sanctis atque Apostolicis prædecessoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis & sine ambiguitate à Patrib. traditæ fidei conseruamus: vnum ac præcipuum bonum habere semper optantes atq; studentes, vt nihil de eis, quæ regulariter definita sunt, minuatur; nihil mutetur, vel augeatur: sed eadem & verbis & sensibus illibata custodiantur. *Synod. 6. act. 4.*

EIVSDEM SANCTISSIMI AGATHONIS PAPæ Romani, ex altera Synodica Epistola ad eosdem Imperatores.

XL.

HÆc est perfecta nostra scientia, vt terminos Catholicæ atque Apostolicæ fidei, quos vsq; hactenus Apostolica sedes nobiscum & tenet & tradit, tota mentis custodia conseruemus, credentes in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium: & in Filium eius vnigenitum, quiante omnia sæcula ex eo natus est; verum Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum non factum, consubstantialem Patri, id est, eiusdem cum Patre substantiæ; per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra: & in Spiritum sanctum Dominum & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum.

DEFINITIO SANCTÆ ET VNIVERsalis Septimæ Synodi, quæ secundo Niceam conuenit.

XLI.

SAncta, magna, ac vniuersalis Synodus, quæ per Dei gratiam, & sanctorum piorum & Christianorum Imperatorum Constantini & Irenes matris eius congregata est secundo in Nicensium clara Metropoli Bithynensium prouinciæ, in sancta Dei Ecclesia, quæ cognominatur Sophia, sectata traditionem Catholicæ Ecclesiæ definiuit inferius ordinata. Qui lucem agnitionis suæ nobis donauit, & à tenebris idolorum ac insania redemit, Christus scilicet Deus noster, desponsata sibi sancta sua Catholica Ecclesia, non habentem maculam seu rugam, hanc se conseruaturum promisit: sanctisq; discipulis suis asseuerabat dicens: Vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Porro hanc promissionem non solum illis donauit, sed & nobis, qui per eos credidimus in nomine ipsius. Ergo donum hoc quidam non cogitantes, à versuto inimico volatici quodammodo facti, à recta ratione ceciderunt; traditioni etiam Catholicæ Ecclesiæ resultantes intellectu veritatis frustrati sunt: & vt ait Prouerbialis sermo; in axe agricolationis suæ erranerunt, & collegerunt manibus suis sterilitatem: quia sacrorum monumentorum Deo decibili ornamento detrahere præsumpserunt, cum sacerdotes quidem dicerentur, non essent autem: de quibus Deus per Prophetam clamat: Pastores multi corruperunt vineam meam, contaminauerunt portionem meam. Sceleratos quippe secuti viros, sensibus suis pellectos, calumniati sunt sanctam Christi Dei nostri Ecclesiam, quæ ipsi est desponsata: & inter sanctum & profanum non distinxerunt, imaginem Domini & sanctorum eius similiter vt statuas diabolicorum idolorum nominantes. Propter quod Dominus Deus non ferens intueri ab huiusmodi peste corrumpi subditos suos, nos sacerdotii principes beneplacito suo vndique conuocauit, diuino zelo & nutu Constantini & Irenes fidelium Imperatorum nostrorum adductos, quatenus deifica Catholicæ Ecclesiæ traditio communi decreto recipiat firmitatem. *Synod. 7. act. 7.* *Matth. 28* *Ierem. 12.*

Ioan. 13. *Ioan. 14.*

Igitur cum omni diligentia perſcrutantes, & diſcutientes, & in tantionem veritatis ſectantes nihil adimimus, nihil addimus; ſed omnia quæ Catholicæ ſunt Eccleſiæ, immutilata ſeruamus: & frequentes ſancta ſex vniuerſalia Concilia, in primis quod in ſplendida Nicæna Metropoli conuenit; adhuc etiam & quod poſt hoc in diuinitus conſeruanda regia vrbe collectum eſt: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem.

Et poſt quædam alia, & poſt ſubſcriptiones, ſancta Synodus exclamauit: Omnes ita credimus; omnes idipſum ſapimus; omnes conſentientes ſubſcripſimus. hæc eſt fides Apoſtolorum; hæc fides Patrum; hæc fides orthodoxorum; hæc fides orbem terrarum firmauit. Credentes in vnum Deum in Trinitate laudandum honorabiles imagines oſculamur. Qui ſic ſe non habent, anathema ſint; qui ſic non ſentiunt, procul ab Eccleſia pellantur. Nos antiquam legislationem Eccleſiæ Catholicæ ſequimur. Nos leges Patrum cuſtodimus. Nos eos qui adduat quid, vel adimunt de Eccleſia, anathematizamus. Nos venerandas imagines recipimus. Nos eos qui ſic ſe habent, anathematiſmis ſubmittimus.

Et in Anathematiſmis.

Si quis omnem traditionem Eccleſiaſticam ſiue ſcriptam, ſiue non ſcriptam irritam facit, anathema.

Lecta igitur eſt in eundem modum definitio ſanctæ & Oecumenicæ ſeptimę Synodi, quæ ſecundo Nicæę congregata eſt: hoc eſt à principio vſq; ad expoſitionę Symbolorum: atq; ad finem, decretum cum iiſdem execrationibus & cenſuris, ne cui liceat addere, vel demere, vel omnino immutare.

Ea vero definitio cum à nobis recitaretur, prolatus eſt alter codex à Latinis, antiquus, manuſcriptus, in quo eadem huius Synodi definitio continebatur: inuentumque eſt, vbi de Spiritus ſancti diuinitate agitur, iis verbis, ex Patre procedentem, additum, & ex Filio, ſicut ipſi dicunt. Atque hac de re multum habuere ſermonem, librum nobis oſtendentes quaſi antiquum, ſeque de illo lactantes, & cum noſtro codice illum conferętes, & conuenientiam ex ſubſcriptionibus & aliis probantes: quam etiam in omnibus comperientes excepto hoc additamento, videbantur admirari. Nos igitur nihil ad hoc reſpondimus, quod non liceret per tempus. Tantum eos, quod ipſi poſtulârunt, hortati ſumus, vt recitarent huiuſmodi expoſitionem cum additamento, ſicuti in libro ſcriptum habebatur.

Deinde Epheſius ſermonem cum dictis & lectis antea connectens intulit:

Audiſtis Patres Reuerendiſſimi ſanctorum Patrum ſententias ab iis, ſiue cõmuni conſenſu in Cõciliis, ſiue priuatim à Synodorum primoribus de fide prolatas. Nam & quæ priuatim ipſi per ſe ſcripſerunt, aut alter ad alterum mittendo, aut dogmatice res diuinas tractando, ea quoque in Conciliis ipſis recitata, veluti communes ſententiæ recepta ſunt, atque approbata. Nos ergo Patrum noſtrorum reuerentia ducti, & decreta illorum ſeruantes, & execrationes formidantes, non poſſumus admittere factum in Symbolo additamentum. Reliquum eſt vt, ſi tempus permittat, veſtras pro additamento hoc reſponſiones audiamus. Cæterum nos hæc in præſentia diximus ex ſimilibus eiuſdemque generis ſontibus argumenta ducentes ſuxta generalium Conciliorum decreta, quæ neceſſe erat ſeruato eorum ordine recitari, vti factum eſt. Poſt reſponſiones autem veſtras ad confirmanda ea, quæ diximus, aliorum quoque ſanctorum Patrum ſententias præter has Synodos afferemus, quas illi aut mutuas Epiſtolas ſcribendo, aut publice docendo, aut priuatim dogmata explanando protulerunt. Rogamus autem vos, vt ſummatim ac per capita diſputantium more contra obiecta reſponſiones veſtras exponatis, vt noſtræ viciſſim ſolutiones compendioſæ, facilea, dilucidæque proueniant. Notis enim, nos neq; memoria valere; neq; diuidendi numerandiq; arte pollere; neq; illud affectare, vt videamur habere quid dicamus ad omne id, quod obiicitur: ſed illud ſimplex & generoſum in nobis eſſe, vt quidam ex antiquis ait, quidquid cum veritate dicitur, vt libenter ſuſcipiamus & amplectamur: quod vero non ita ſe habere videtur, continuo perſpicueq; refellamus.

Iulianus Cardinal.

His ita dictis ab Epheſio, Iulianus Cardinalis ſic eſt allocutus Imperatorem.

Sereniſſime Imperator, prolatum à nobis Symbolum in ſeptima Synodo, ſcriptum eſt in vetuſtiſſimo codice; & impoſſibile eſt ſuſpicari, aliquam in eo factam eſſe mutationem. habemus porro & antiquum hiſtoricum virum doctum, qui quidem inter multa alia narrat hoc etiam, Symbolum videlicet ita eſſe à ſeptima Synodo expoſitum & lectum; quod etiam ex eius teſtimonio probamus. Vos autem Patres Reuerendiſſimi, quoniam petiiſtis, vt noſtra reſponſio fiat ſummatim, ſitque breuis & diſtincta commatibus, hocidem & nobis placet. Verum vt vos etiam ad ſingula clare poſſitis reſpondere, neceſſe eſt, vt dicta & ſcripta hodie à veſtris notariis, legantur, & cum noſtris conferantur: atq; ita iis memoria repetitis, & perſpecta eorum conuenientia, ſequenti ſeſſione ad dicta omnia reſpondebimus.

Iulianus Cardinal.

Epheſ.

DIE VIGESIMO OCTOBRIS, Feria ſecunda, habita eſt

SESSIO VI. XLII.

Iulianus Cardinal.

REuerendiſſimi Domini, nudiustertius, quando in ædem ſancti Franciſci conuenimus, talem inter nos habuimus ſermonem; Nos ad eum finem conueniſſe, vt pacem cum pace perquireremus & reperiremus, ac proinde oportere partem vtramq; alteri, vbi opus fuerit, mutua officia præſtare: promiſimusq; ſi opus fuerit libris, quos habet Beatiſſimus Papa, libenter illos tradere; ſimiliter & vos promiſiſtis, ſi librum habueritis, illum daturos, qui per horam videatur à nobis. Rogaui autem Reuerendiſſimum Epheſium & Nicænum; vt librum nobis ad horam commodarent, qui acta Synodi Octauæ continet, & non dederunt. Si quidem igitur librum hucattuliſtis, bene eſt; ſin minus, mittite, qui illum afferant.

Epheſ.

Quod tunc reſpondi, nunc etiam dico; nihil eſſe impedimento, quo minus librum aliquem cum opus fuerit, oſtendamus: ſed difficile eſſe ita eum tradere, vt nos illo careamus. hunc itaque librum tradi vobis non eſt facile; ſed ſi præ manibus etiam illum haberemus; nulla neceſſitate cogimur ad connumerandum inter Oecumenicas Synodos aliam Synodum, quæ prorſus non eſt approbata, ſed potius reprobata. Nam Synodus hæc, de qua loquitur veſtra reuerentia, continet acta aduerſus Photium tempore Ioannis Papæ & Hadriani. Poſtea celebrata eſt altera Synodus, quæ Photium reſtituit, & priorem Synodum abrogauit. Hæc Synodus, quæ Octaua etiam eſt appellata, facta eſt ſub Ioanne Papa; cuius, Ioannis inquam Papæ, extant pro Photio Epiſtolæ. Porro hæc Synodus egit etiam de Symboli additamẽto, dignumque cenſuit; quod penitus expungeretur. Arbitramur autem, vos nec Synodum, nec Epiſtolas Ioannis Papæ ignorare. Cum igitur acta illius Synodi reſciſſa ſint, iuſtum non eſt illam quærere, ſed potius, quę poſt illam eſt celebrata. Itaq; ex eo tempore ad hunc vſq; diem in magna Conſtantinopoleos Eccleſia ita legitur: Omnibus quæ aduerſus ſanctos Patriarchas, Photium & Ignatium, ſcripta vel dicta ſunt, anathema. Quare nec decet omnino in medium afferri ea; quæ ſunt abrogata.

Volo vos hoc metu liberare, ne illud vereamini,

quod

Iulianus Cardinal.

quod ſit aliquid ex Octaua Synodo legendum. Rogamus tamen, vt liber quem petimus, afferatur. Volumus enim in ſexta & ſeptima Synodo videre quidpiam: & de octaua nihil dicimus.

Epheſ.

Quoniam dixiſtis opus habere, vt de ſexta & ſeptima Synodo videatis quidpiam, tradimus librum. De octaua vero nihil dicimus, quando & reuerentia veſtra hoc idem ait, & certe iuſtum non eſt prætermitti Oecumenices, & inquiri particularem. Cæterum noſtis, librum hunc à me datum eſſe domno Nicolao Conſtantinopoli, exiſtimoq; eius exemplar ſcriptum eſſe à vobis: nam & illi bene notus eſt liber, & exſcriptum puto eſſe ab illo.

Rhod. orationem ſuam proſequitur.

Ex hoc dicto volo meum ſermonem inſtituere ad Reuerendiſſimos Patres. Ex iis quæ vltimo dixiſtis, quatuor collegimus capita. Primo reciraſtis Symbola, ſiue vt rectius loquar, Symbolum. Secundo definitiones. Tertio Epiſtolas quaſdam, Vigilii ſcilicet, Agathonis Papæ, Cœleſtini, & Cyrilli; ex quibus collegiſtis, & quatuor capita feciſtis. Quarto dixiſtis, tantorum Patrum numero & dignitate præſtantium reuerentia ductos, & execrationes illorum audientes, quantum minati fuerint anathema, vt nę quis addat ad ea quæ illi expoſuerunt, timere vos addere, ſeu admittere additamentum, vt ipſi quidem vocatis, nos enim explanationem dicimus, quod in Symbolo Romana canit Eccleſia. Primum igitur in primo, hoc eſt ex recitatione Symbolorum conati eſtis probare, quod à nobis Latinis dicitur, eſſe additamentum. Ex ſecundo vero, hoc eſt ex definitionibus, oſtendiſtis non eſſe addendum. Ex tertio autem, magno ſtudio voluiſtis demonſtrare, nec recte ſe habere, neceſſe neceſſarium. Ex his vero tribus colligentes, quartum formaſtis, quod ſcilicet execrationum timore non adiicietis. Superęſt vt à primo ordiamur, quod non ſit additio, ſed explanatio & declaratio, quod dicimus. Secundo, quod non ſit interdicta explanatio. Ad tertium, Deo bene iuuante conabimur demonſtrare, eſſe vtile, & neceſſarium, & verum. Quarto, multis & neceſſariis rationibus demonſtrabimus, omnem Chriſtianum debere omnino veritatem amplecti. Et ad primum quidem, quoniam à reuerentia veſtra poſtulatum eſt, vt ſingula capita compendioſe atque proponantur, ſic dico. Nulla expoſitio, explanatio, ſeu declaratio alicuius ſcientiæ vel diſciplinæ dicenda eſt additio; ſed vox illa in Symbolo, Filioque, continetur in altera voce, ſcilicet ex Patre, cum ſit explanatio, & explicatio illius, non eſt ergo additio. Huiuſmodi conſequentia & ſyllogiſmus eſt optimus, nec poteſt negari. probanda iam eſt maior, & minor huius ſyllogiſmi. maior hoc modo demonſtratur. Quod alicui additur, extrinſecus additur: ita ſentiunt Philoſophi, & præſertim Ariſtoteles in libro de generatione & corruptione, vbi de nutritione ait: Neceſſe eſt, quod nutritur, ali addito extrinſecus aliquo. Si ergo omnis additio extrinſecus ſit; explanatio vero & explicatio non extrinſecus, ſed ex iis quæ in textu iacent; ſequitur quotieſcunque ſit expoſitio, vel explicatio alicuius ſcientiæ, quæ in præiacente contineatur, non eſſe additionem. Alioquin multa ſequerentur abſurda. Nam ſi demus, omnem explanationem ſeu declarationem eſſe additionem, hoc pacto concedimus, ad ſacram Scripturam multas acceſſiſſe adiectiones. Cum enim Patres, qui Nicæam conuenerunt, ſuum expoſuerint Symbolum vt expoſuere, Patres qui ſecundum generale celebrarunt Concilium, addidiſſe aliquid videntur: nihilominus tamen dixerunt, eadem eſſe, quæ priores dixere Patres. Huius rei teſtis eſt, qui Synodo illi interfuit, Gregorius Theologus ſcribens ad Cledonium ita. Nos fidei, quam ſancti Patres Niceam conuenientes expoſuere ad improbandam Arianam hæreſim, nihil vnquam aut prætulimus, aut præferre poſſumus: ſed illam tenemus ac tenebimus fidę, dilucidius explicantes, quod de Spiritu S. minus declaratum eſt, nondum enim mota erat hæc quæſtio: quandoquidem vnius deitatis oportet intelligere Patrem, & Filium, & Spiritum S. Deum agnoſcendo & Spiritum.

1. de gener. tom. 38.

Ex his ipſi dicimus, etſi multa expoſita ſunt in ſecunda Synodo non fuere tamen additamentum, ſed explicatio & expoſitio. Nam in Symbolo primæ non dicebatur, viſibilium omnium & inuiſibilium; nec etiam illud, Filium natum ante omnia ſæcula; nec illud, Deũ verum de Deo vero; nec Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem: & tamen ſecundæ Synodi Patres poſitis illis vocib. nihil ſe addidiſſe arbitrati ſunt: atq; vt nulla facta additione beatus Gregorius, nihil aliud ait ſe credere, quam quod dixerunt Patres Nicæni. Quinimmo, ſi rem exacte velitis perpendere, nulla fuit inſequens Synodus, quæ non detraxerit, aut adiecerit. Nam in ſecunda ſublatum eſt illud à priore poſitum, Ex ſubſtantia Patris. Rurſus Quarta loco eius, quod in primo Symbolo dicebatur: Natum ex Patre, hoc eſt ex ſubſtantia Patris: dixit; conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem; opinioni Euty. his contraria ſtatuentes. Liquet igitur non eſſe additamentum, ſi quis explicet aliquid, ſed declarationem. hocidem probare volumus ex teſtimonio & dicto veſtræ reuerentiæ. Nam Dominus Epheſius ad id reſpondens, quod ipſemet obiecerat, cum vellet ex alterius perſona quæriſſet; Cur Patres tertiæ Synodi non meminerint Symboli ſecundæ, ſed primæ tantum; optime doctiſſimeque occurrit, dicens, quod ſint ambo illa vt vnum, & nihil differant: cum tamen multæ ſint additæ, vt palam eſt, & ſyllabæ & dictiones, quæ non fuere additamenta, quoniam eandem ſenſum exprimebant. Ex his itaque omnibus perſpicuum fit, veram eſſe maiorem, ſcilicet, nullam declarationem ſiue explanationem eſſe vel dici additionem. Reſtat minor probanda, quæ plus etiam laboris deſiderat: videlicet: ſed vox illa, ex Filio, expoſitio & declaratio eſt: ita vt dum Spiritus ſanctus dicitur ex Patre procedere, ſimul etiam intelligatur, ex Filio: ad quod non alias afferam probationes, quam ſanctorum veſtrorum: demonſtrabo que in minore, procedere ex Filio ęque vt ex Patre, & oſtendam per ſanctos veſtros. Nam Beatus Cyrillus homilia in illud Ioannis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum mittet vobis*: Cum enim, inquit, eſſentialia Dei Patris bona participet Filius, habet etiam eodem modo Spiritum, quo Pater habere intelligitur, non ſupperadditum, non extrinſecus: ſtultum enim, vel potius inſanum eſt ita ſentire: ſed quemadmodum vnuſquiſque noſtrum proprium in ſe ipſo continet ſpiritum, & ex intimis viſceribus foras effundit: propterea enim corporaliter inſufflauit illum Saluator, vt oſtenderet, ita ex diuina ſubſtantia vt Deum decet, effundi quod ex ipſa eſt, ſicut ex ore humano prodit halitus corporaliter. Ex his concludit, Filium eo quod habeat omnia naturalia & eſſentialia Patris bona, habere etiam, vt producat Spiritum ſicut & Pater, manentibus proprietatibus perſonalibus. Ex quo ſequitur, Filium ita ſe habere ad Spiritum, vt Pater. Et ne quis exiſtimet, de ſpiritali quopiam dono, non de ipſo Spiritu id dici, Saluator noſter declarat iis verbis: *Accipite Spiritum ſanctum*: ſed poſitum erat ex tertio ſuppoſito, Spiritum cum addito ſignificare vnam ex diuinis perſonis; Sequitur ergo, Spiritum æque à Filio procedere, atque à Patre. Sed dixerit fortaſſe quiſpiam, proprietatem eſſe quid abſolutum & per ſe, atque ita illud non intelligi de perſona Spiritus. Verum nos ad probandum contrarium; & oſtendendum, ſermonem eſſe de perſona Spiritus, alium teſtem afferemus magnum Baſilium, qui vobis demonſtrabit, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum ita ſe habere, vt nullo modo Pater intelligatur, quin ſimul Filius & Spiritus intelligantur: neque Filius, quin ſimul Spiritus intelligatur. Qui Spiritum, inquit,

Ioan. 14.

Ioan. 20.

Ibidem.

Epiſtol. ad Gregor. fratrem de differentia ſubſt. & hypoſt.

intel-

intellexit, & ipsum per se intellexit, simulque illum, cuius est Spiritus, & Filium mente apprehendit: qui vero hunc apprehendit, Spiritum à Filio non seiunxit: sed seruata quidem serie propter ordinem, coniunctim vero propter naturalem trium simul vnitorum communionem, fidem in se ipso formauit. Et qui Spiritum tantummodo dixit, confessione sua simul comprehendit & illum, cuius est Spiritus, Et quoniam Christi est Spiritus, & ex Deo, vt inquit Apostolus: quod in catena contingit, vt qui vnum extremum trahit annulum, simul etiam attrahat alterum extremum; ita qui traxit Spiritum, Patrem quoq; & Filium simul per ipsum attraxit. Filium quoq; si quis accipiat, habebit ex vtraque parte, hinc quidem Patrem, inde vero proprium Spiritum secum afferentem: neq; enim licet excogitare sectionem vel diuisionem, aut Filium intelligi sine Patre, aut Spiritum disiungi à Filio.

Rom. 8.

Reuerendissimi Patres, ita se habent inter se diuinæ personæ, vt vna illarum cogitatione apprehensa cæteræ quoque intelligantur. Itaque fit, vt qui intelligit Spiritum produci à Patre, necessario intelligat, eundem produci quoque à Filio. Et ne difficile & incredibile videatur quod dicimus, eundem Basilium volo testem adducere in sermone de fide dicentem: Quæcunque habet Pater, habet & Filius, nisi quod Filius non est Pater. Omne est Filius, quæcunque Pater, eo vno excepto, quod non est Pater. Patrem dixi & Filium: tam mihi seruæ proprietates, manens igitur Filius in esse Filii, omnia est quæcunque Pater, secundum ipsius Domini vocem dicentis: Quæcunque habet Pater, mea sunt: quia profecto imaginis sunt ea omnia, quæ insunt prototypo. Reuerendissimi Domini dicuat, quæ ipse dico, mecumque conueniunt. Liquet igitur omni ex parte, spirationem esse communem Patri & Filio. Nos alia multa & clara & manifesta de hac materia possemus proferre, ac ostendere, Spiritus sancti productionem intelligi etiam ex Filio, cum dicitur procedere à Patre, sed hæc sint satis: tempus breue est: in aliam sessionem hæc differemus. Vtinam Deus hæc dicendi, deque his disputandi, caussam tollat. sed redeo, vnde sum digressus. Dicebam non esse additionem, quando quidem omnis explicatio seu declaratio non est additio. Nos in ipsa minore demonstrauimus, cum Pater dicitur spirare Spiritum, intelligi etiam Filium spirare eundem. Ex quo sequitur, quod est positum in Symbolo, non esse additamentum, sed interpretamentum. Veniamus ad secundum, quod erat, vt vos quidem dicitis, additamentum, nos vero haud ita, sed declarationem esse non interdictam. Si enim esset additamentum, quod negamus, certe non nisi extra fidem esset; talia vero addicio litteræ, seu dictionis neque in sacra Scriptura veteri aut noua, neq; in decretis Patrum, neq; in dictis Synodorum, vt Deo fauente demonstrabimus, interdicta videtur; non est ergo interdicta. Quod si quis dixerit, interdictum esse, & litteram & vocem addi ad scripturam, multa sequentur absurda. Primo quidem, Patres omnes, quicunque in re fidei quidquam adiecerunt, subesse anathemati, cum iis addiderint, quæ ante illos erant. Deinde sanctus Paulus in Epistola ad Galatas ait: Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Et tamen & Paulo, & verbis eius, & reliquæ scripturæ multa sunt addita. Et sancti Patres Nicæni multa dixere, quæ non habentur in Symbolo sanctorum Apostolorum; quemadmodum Patres secundæ Synodi ad ea quæ dixere priores; & qui Ephesum conuenerunt ad ea quæ dixerunt Patres secundæ, addiderunt. Itaq; additamentum ad ea fieri, non explanationem prohibetur. Si enim omnino litteram sequitur necessitas, multo etiam maius sequeretur absurdum, nos versari scilicet in peccato mortali. Idem nanq; Paulus in secunda ad Corinthios Epistola dicit, litteram occidere, spiritum viuificare: qui à Paulo idcirco reprehenduntur, quia Iudaicum sensum habebant: non est ergo respiciendum ad ea, quæ occidunt. Præterea hoc est contra vestros doctores. Nam beatus Gregorius Theologus, de verbis, inquit, nequaquam concertabimus, dum ad eundem sensum syllabæ ducant. Et doctor vester Gregorius Palamas, quem vos magni facitis, hoc idem ait; De vocibus dicens, parum curo: non enim in solis vocibus, sed in rebus consistit pietas iuxta Gregorium Theologum: dogmata & res mihi curæ sunt: & si quis in re conueniat, contra voces non pugno. Reuerendissimi Patres, cum doctor ille de verbis non sit solicitus, nec vos debetis esse soliciti. Si vero dicitis, Patres hoc voluisse, qui in Synodis fieri hoc vetuerunt, ad hoc opportune respondebo. In præsens tamen ita dico: Quod non sit de vocibus & syllabis exposttulandum, modico vtar exemplo. Certe hoc ipsum Symbolum nos quidem Latine dicimus, vos autem Græce, & aliter alii; & multa est vocum inter nos differentia; quia tamen conuenimus in sensu, nulla id lege non licet. Dicamus & aliam rationem ex philosophia desumptam, In vnaquaque scientia & arte videmus, danda esse principia & dignitates, in quibus virtute omnia continentur, quæ post illa sunt, atq; ipsæ conclusiones. Doctores tamen iis non contenti exponunt per syllogismos, per argumenta, per inductionem, & alia exempla; & nemo dicit, aliam hæc esse scientiam: testis est Aristoteles posteriorum Analyticorum libro secundo, quæ sunt post principia, dum ab iis originem ducant, virtute contineri in illis. Habemus etiam nos communia principia & dignitates theologicas, quæ sunt vtrisque communia, & creduntur ab vtrisque. Ex iis igitur licet ostendere, Spiritum sanctum procedere etiam ex Filio. Quare ex his omnibus manifestum est, hoc quod Romana dicit Ecclesia, non esse additamentum. Alia quoq; ratione ostendemus, addi voces & syllabas, nullo modo esse vetitum, si adsit necessitas. Nam vt dicit Paulus: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, vna Ecclesia: vna quoq; igitur potestas. Si ergo huic Ecclesiæ diuersis temporibus licuit necessitate cogente addere, potestas hæc à posteriorib. non est tollenda. Ipse enim Saluator ait: Ego vobiscum ero omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: quod non est ita intelligendum, vt nobiscum simpliciter sit, & regat nos: hoc enim modo est etiam cum lapidibus & plantis & animatis omnibus: sed eo quod vniat omnes nos gratia & fide vna: quod non licet reperire in membris altera fide inter se dissidentib. Constat itaq; nihil prohibere, si cogat necessitas, quo minus addantur dictiones & syllabæ: alioquin magnum profecto damnum impenderet Christianis. Exorientibus enim quouis tempore multis ac diuersis hæresibus, necesse est Ecclesiam illis obsistere prædicatione & argumentis: quod etiam probant Patres secundæ Synodi, quæ Constantinopoli coacta est; primi enim illi addiderunt, excusantque se dicentes: Si fieri posset, Ecclesiam stabilem esse, ac nullo damno affici, non opus esset additione; sed quoniam pericula emergunt in Ecclesia, opus fuit in illo Symbolo declarationem apponi: propterea Rom. quoque Ecclesia id fecit necessitatis tempore. Quod si interdictum est, ostendite quæso vbi. In decretis Patrum non est interdictum: sed solum dicitur, non licere proferre aliam fidem, aut conscribere, aut componere. Ecce quod à Patribus Ephesinæ Synodi dictum est, non licere aliam fidem conscribere, audistis. Ex quo sequitur, quidquid aliæ insequentes Synodi similiter statuerunt, aut sanctus aliquis de syllaba & voce dixit, referendum esse ad hos tertiæ Synodi Patres; iuxta quorum sensum intelligenda sunt & allorum dicta. Quemadmodum & qui postea secuti sunt, Patres protestati sunt, nullo modo se aliud agere, quam quod prius dictum erat à Patribus. sed qui interdixere primi, de illo interdicto locuti sunt, quo alterius fidei prohibetur additio; ergo necesse est alia quoque referri ad sensum illorum.

Ioan. 16.

Orationi in Epiph.

Ad Eph. 4.

Matth. 28

Cap. 3.

Quod

Quod enim dicunt aliqui de vocibus & syllabis, referri debet ad mentem primorum Patrum, vt diximus. Illæ quippe voces respondæ sunt, quæ ad alium inducunt sensum: sicut enim alii sensus reiiciendi sunt, ita reiiciendæ quoque aliæ voces inferêtes alium sensum. Ex quo sequitur, decreta illa prohibentia nequaquam ad nos spectare: & quod ipsi vocatis additamentum, nos declarationem dicimus: quæ cum eundem habeat sensum, non est altera fides. Sequitur ergo, nos anathemati non subiacere. multa alia possemus de hoc afferre ex quarta Synodo, sed iam tempus surgendi est. His ita à Rhodio Præsule dictis dimissa est Synodus: sequenti vero sessione absolait apologiam, quam in præsenti non potuit ad finem perducere.

DIE VIGESIMA QVINTA OCTOBRIS, Sabbato, celebrata est

SESSIO VII.

XLIII. *Rhod.* BEnigne annuente ac benedicente Sanctitate tua, Pater Beatissime, assentientibus quoque serenissimo Imperatore, & Reuerendissimo Patre Domino Patriarcha, susceptam defensionem nostram prosequemur. In vltimo sermone nostro duo quædam, vt notis, Patres optimi, sunt à nobis soluta. Primum quidem non esse additamentum, quod sancta Dei Romana credit Ecclesia: Alterum vero, non esse vetitum fieri additionem, restant duo, quæ sequuntur: nimirum hoc esse verum & necessarium, nec non ab omni Christiano suscipiendum esse & approbandum. Sed antequam ad hæc duo tractanda veniamus, dicam prius nonnulla. Et primo quidem: tertium illud, quod scilicet verum sit & necessarium; visum esse nobis, tam scilicet sanctissimo Patri, quam aliis omnibus, accommodatissimum: quoniam in omni disquisitione necesse est verum inuestigari: illo enim comperto facile omnia, quæ videntur esse contraria, dissoluentur. testatur hoc vester Aristoteles: omnia enim, inquit, cum vero concordant, à falso vero citissime veritas dissentit. Existimauimus itaque detecta veritate facile nos esse demonstraturos, licuisse Romanæ Ecclesiæ illud facere, quod vos additamentum vocatis. Compellimur vero hoc agere vestris potissimum dictis & cohortationibus. Nam & in priuatis & in publicis colloquiis adhortati nos semper estis ad inquirendam veritatem: quod liquet ex scripturis, quas nobis dedistis: præcipue vero ex eo, quod Reuerendus dominus Ephesius cum primum suum haberet sermonem, postulauit vt redderemus rationem, cur Romana Ecclesia Symbolo additamentum adiecerit. Oportuit ergo nos rem gratam his Patribus facere, & rei veritatem inquirere. Quod igitur declaratio illa sit apposita Symbolo omnibus patet. An vero opus fuerit id ita declarari, forte fuit dubitauerit quispiam. Verum necessarium & & verum illud esse, atque ita demonstratum, fuisse necessario ponendum, instante præsertim & compellente necessitate, ostendere hinc aggredimur. Nam ea quę nobis obiiciuntur, non videntur habere locum. dictum est enim, sicuti relatum nobis est, non esse à nobis obseruatum quod opus erat; & quod fieri condecet, esse subuersum; quodque ad obiecta minime respondimus. Nos vero Dei beneficio nihil horum fecimus. Et ad primum quidem, vos, quantum libuit, obiecistis; licet ergo & nobis dicere quæcunque voluerimus, & respondere pro re nostra, quod opinor non videri à ratione alienum. Ad illud vero, quod rerum concedentem ordinem à nobis euersum asseritis: hoc, pace vestra non est ita. ratio est, quia licet reo in iudicio & se defendenti in philosophorum palæstra miscere aliquando quæ in rem faciunt disputando: necesse enim habet qui respondet probare aliquid, & accepta veritate aliqua progredi vlterius; nec ideo iniuriam proponenti facit. Ad tertium vero, quod nihil omnino ad obiecta respondimus: Hoc ideo factum est, quia nondum tertiam partem tractauimus. Quærentibus enim vobis, an licitum esset addere, seu quomodocunque declarare, ita respondimus: neque enim postumus negare id factum à nobis, aut ignorantiam obtendere, aut dissimulare. Necesse est ergo, vt deuenientes in materiam speciatim, demonstremus dogma verum esse & necessarium. Optime igitur posita est particula; sed quoniam id vos, Patres Reuerendissimi, grauiter, vt videmini, tulistis, dicentes, minime velle ad dicta huiusmodi respondere; nos vt in hoc etiam rem vobis gratam faciamus, tertiam illam partem prætermittemus: loco vero illius dicemus aliqua, quæ valeant & ad ea confirmanda, quæ pro nostra sententia dicta sunt, & conducant ad ea, quæ sunt dicenda. Simul etiam constabit omnibus, nos ad obiecta proposita respondere: quod vt satis appareat, ordiemur ex iis, quæ protulistis ipsi & recitastis: ita enim palam fiet, num culpæ, quam nobis impingitis, obnoxii simus, necne. Et primo quidem Nicenum protulistis Symbolum; sed cur protuleritis, nescimus: illud enim nullo modo nobis adnectitur. Nos de Spiritu sancto disputauimus, an ex Filio procedat, sicut ex Patre; &, an liceret Romanæ Ecclesiæ hoc declarare, atqui contra hæc nihil in illo Symbolo dicitur, nec est omnino qui neget hoc igitur nihil ad rem facere videtur. Dicunt enim in illo Symbolo Patres, quod & nos credimus, suscipimus, & fatemur: hoc nobis æque ac vobis commune est. Quod vero Reuerendus Pater Ephesius, dum sua exponeret, sessione præcedenti, dubia quędam proponens dixit: Patres Synodi secundæ ac tertiæ voluisse, Symbolum illud primæ Synodi nulla posse affici deprauatione ac mutatione; sane verum est, quod attinet ad veritatem fidei: Christianæ: si vero de declaratione sermo sit, licet addere. Et quemadmodum in vnaquaque scientia omnia quæ eius scientiæ vel artis sunt, virtute in ejusdem principiis continentur; ita & Symbolum illud implicite continet doctrinam omnem, & fidem Christianorum, implicite inquam, non explicite. Nam quãdo dicitur, & in Filium, & cetera, ex Patre natum; hoc facit contra Arium: quando vero in Spiritum S. quod sit Deus, contra Macedonium & Eunomium. Rursus cum dicitur Filius incarnatus, & natus, contra Nestorium. Et si quis percurrendo inquirat, nullam reperiet hæresim natam vel nascituram, cuius in illo Symbolo virtute non insit euersio. Quoniam igitur sancta prima generalis Synodus diuinum hoc edidit Symbolum, veluti fidei fundamentum, oportebat necessario nulla posse ipsum affici mutatione; quemadmodum in scientiis diximus, etsi conclusiones mutantur, non tamen mutari principia. Quare sequitur, in hoc Symbolo nihil esse, quod reuerentia vestra possit addúcere ad incusandam Romanam Ecclesiam. Sed reciterur Nicænæ Synodi Symbolum, Recitatum est Symbolum Nicænum, necnon definitio tertiæ Synodi. Et Reuerendissimi Patres recitatum est etiam, quod à tertia Synodo cautum est, & vestra lingua & nostra. Omnes simul Latini & Græci Patrum illorum sensum perceperunt: possuntque testes esse perpetui, ac iudices. Cautum ibi est, ne quis aliam fidem componat, aut conscribat, aut proferat: Deinde vero; Si quis autem aliam fidem docuerit, & reliqua. Quid hotum attingit nos? nullum plane. Manifeste probauimus eãdem esse fidem, credere Spiritum sanctum procedere ex Filio, sicut etiam ex Patre. Dicebamus enim, cum altera die disputabamus, explicationem, expositionem, declarationem præexistentis veritatis, nullo modo vocari additionem, aut alteram fidem. Omnino igitur constat definitionem hanc, siue decretum Patrum nulla ex parte contra nos militare. Legatur Cyrilli Alexandrini Epistola ad Ioannem Antiochenum.

Ethic. c. 8.

S. CY-

S. CYRILLI EPISTOLA AD IOANNEM Antiochenum.

XLIV. *Conc. Eph. par.3.epist. 34.*

NVllo modo patimur, vt aliquo fides illa, siue fidei Symbolum concutiatur, quod à sanctis quondam Patribus Nicænis editum est. Neque enim aut nobis, aut vlli omnino alteri vel vnam vocalem ibi positam immutare, aut vnam etiam syllabam præterire permittimus, memores eius qui dixit: Ne transferas terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui: non enim ipsi loquuti sunt, sed ipse Spiritus Dei ac Patris: qui procedit quidem ex ipso, non est tamen secundum essentiæ rationem alienus à Filio.

Prou.22. d.28. Matth.10. cap.20.

Ad hanc huius Epistolæ particulam Deo fauente respondebimus apertissime & clarissime. Et primo quidem ita dicimus: Patres istos, siue ipsum Beatum Cyrillum sese referre semper ad illud dictum tertiæ Synodi: Cum præsertim ipse in ea interfuerit, & Epistola ibidem lecta fuerit, & à sancta illa Synodo approbata. Cum itaque Patres illi de alia fide loquantur, vt dictum est; hæc ergo etiam Epistola similiter ad aliam fidem refertur. Ita etiam & alia clare perspicueque intelliguntur, cum dicit: neque nobis ipsis permittimus cõcutere Nicænam fidem: præterea nec vocem immutare, aut syllabam præterire. At in nostro Symbolo nihil Dei beneficio mouetur, aut immutatur. Ex quo sane sequitur, Epistolam illam nihil contra nos militare. Illud præterea secundum: decreta illa, quibus prohibebatur, & præsertim hoc, esse condita post de definitiones: & sicuti Ecclesiæ semper licuit definitiones & decreta condere necessitatis causa, necnon declarationes edere, idque non est contra prohibentia decreta; ita etiam in Symbolo explicare aliquid non est contrarium statutis, aut decretis prohibentibus. Et quemadmodum dominus Ephesius respondens ad ea quæ sibi ipse obiecerat; Cur tertia Synodus facta mentione de Symbolo primæ, præterierit Symbolum Constantinopolitanæ; recte & præclare dixit, ideo factum, quia idem erat Symbolum, quamuis differat verbis & quibusdam dictionibus, non autem sensu: ita nos responsionem hanc pro nobis sumentes, & in defensionem nostram conuertẽtes pro nostro Symbolo dicimus; etsi voce aliqua variat, non tamen continere sensum diuersum, aut fidem aliam, aut alienam intelligentiam. non spectat ergo ad nos decretum illud prohibens. Recitetur definitio Synodi Chalcedonensis. recitata est illius Synodi definitio.

Iul.Card.

Reuerendissimi Patres, in Synodo Chalcedonensi recitatum est primo Nicænum, deinde Constantinopolitanum Symbolum, quod non opus est legi. Deinde dicitur, hoc sufficere ad perfectam fidei cognitionem, prohibet demum aliam proferri fidem, sicut & Ephesina Synodus.

Rhod.

Etsi nihil contra nos videtur inferri ex hac parte, tamen ad maiorem declarationem dicemus aliquid. Satis esse aiunt Patres isti Constantinopolitanum Symbolum ad notitiam incarnationis Filii Dei. Atque hoc facit pro nobis. nam & si hoc Symbolum satis est ad rationem fidei, non est tamen satis ad declarationem: idque liquido constat ex eo quod Patres Chalcedonenses addiderunt aliquid & ademerunt, sed non propterea immutarunt, vel aliam fidem effecerunt. Ex quo sequitur, cum absolutum est Symbolum & prohibetur additio, intelligendum esse quo ad sensum & diuersam intelligentiam; quo ad explanationem vero, nunquam hoc prohibuisse Ecclesiam. Et vellem sane in hoc mihi satisfaceretis. Quæro igitur; sacrum Euangelium, Patres optimi, perfectam ne continet fidei nostræ doctrinam, an non? Certe, quæ vestra est in illud reuerentia, nihil aliud respondebitis, quam perfectam in illo contineri fidẽ. & tamẽ tam Græci, quam Latini doctores multa explanarunt & exquisiuerunt, multa in Euangellum dixerunt, multa explicarunt. Idemque dicimus de Symbolo Apostolorum. Idcirco Patres Reuerendissimi, quod dominus Ephesius aiebat, conclusum esse à Patribus Euangelium & sacram Scripturam, vt nullo pacto liceat addere; atque ideo debere idem in Symbolo quoque fieri: nos id minimẽ negauimus: verum est, quod ipse dicit. Quod vero asserit, Euangelistas non interdixisse, ne quid addederetur, iis quæ ipsi litteris mandarunt, sed aliis id faciendum reliquisse, qua in re exemplum etiam Constantinopolitanæ Synodo dedit; certe hoc, pace sua, non videtur locum habere in sacra Scriptura. Nam Apostolus Paulus ad Galatas scribens ita cauit: Si quis euangelizauerit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit. Et Sanctus Ioannes in fine Apocalypsis ait: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ. Itaque perspicuum est, licuisse Doctoribus prohibere & concludere, ita vt nihil iis addatur, quæ ipsi scripsere: necessitate tamen instante sacræ Scripturæ declarata est. Nam quia Filium dicebat Arius creaturam, diuersæque substantiæ, sententiam illam sacræ Scripturæ vsurpans, vbi Saluator de se ipso ait: Pater meus maior me est: ex qua inferebat ille, Filium alterius esse substantiæ: propter hoc opus fuit, vt Doctores interpretarentur illud dictum, & explicarent, quonam modo Filius minor Patre dicatur. Hoc fieri debet quouis tempore; Nam Spiritus sanctus dicitur quidem Deus, & Dominus, & viuificans, conglorificatus, & simul adoratus cum Patre & Filio; sed non dicitur cœli & terræ factor: posset ergo hæresis noua emergere, quæ id negaret, quoniam in Symbolo non habetur, Spiritum sanctum esse cœli & terræ factorem. Quæso, nonne opus esset Ecclesiam congregare Patres, & docere Christianos, & prædicare, & declarare, Spiritum sanctum esse factorem cœli & terræ, sicut est Pater & filius? Neque igitur à tertia, neque à quarta Synodo, neque ab alia consequente interdictum est Ecclesiæ, ne possit explanare vrgente necessitate. Iussit definitionem quartæ Synodi recitari, & recitata est. Sufficeret quidem, &c. Ex his quæ dicta sunt, Patres Reuerendissimi, iam patet, quid sit hac in re dicendum. Apertissime enim Patres isti dicunt, vt nulli aliam fidem, & aliud Symbolum conscribere, vel proferre liceat; quod nemo nostrum Dei beneficio fecit. Et videte Patres; Sufficeret, inquit, non sufficit: ratio est; quia si non emergerent hæreses, procul dubio sufficeret Symbolum Nicænum: sed quoniam variæ sunt exortæ hæreses, manente eadem fide, & eodem Symbolo, necesse fuit alias atque alias fieri pro tempore explicationes. Quocirca ad illud, quod aiebat dominus Ephesius; Symbolum esse perfectum, & perfecto nihil posse addi; respondemus, perfectum sumi dupliciter, vel quo ad fidem, vel quo ad explanationem: & quidem quo ad fidem, esse perfectissimum, nec indigere additamento: quo ad explanationem vero, non fuisse satis propter hæreses, quæ erant emersuræ. Proinde considerate rerum necessitatem, Quoniam homines dii non sunt, vt norint futura, necesse est eandem Ecclesiam eiusdem esse auctoritatis; posseque aduersus contradicentes insurgere vsque ad consummationem sæculi, & contradicentes ipsos eiicere; nec eos solum qui priores extitere, sed etiam posteriores. Hinc patet; quod ad explicationem attinet, nullam esse latam legem, vt non sit fas per Ecclesiam fieri explanationes. Ea de causa decreta prohibentia traduntur post Symbolum, post fidem, post definitiones; quod incertum sit, quid sit euenturum, quod quidem spectet ad fidem & ad bonos mores: Propterea in dies aliæ explanationes ac definitiones adduntur. Itaque definitiones SS. Patrum & canones eadem ratione subiacent decretis prohibentibus. Et quemadmodum in dies singulos adiicitur alia & alia definitio, ita in Symbolo potest fieri in dies singulos

Cap.1.

Cap.22.

Ioan.14.

Conc. Chal. act.5.

alia &

alia & alia explicatio. Quod vero dictum est, non licere aliud tradi Symbolum, respondemus vt supra; per id quod pro vobis ipsi dixistis. Nam Reuerendus dominus Ephesius altera sessione dixit; Constantinopolitanum Symbolum non differre à Nicæno, quamuis habeat alias quasdam syllabas & dictiones, multaque dẽpta & multa addita, quæ inerant, & non inerant in Symbolo Nicæno.

Iul.Card.

Ego volo aliquid dicere. Priori sessione vos Patres non integrum exposuistis illud: Sufficeret quidem, &c. sed vnum quid prætermisistis, quod hanc soluit dubitationem. Dicit enim Chalcedonensis Synodus, nihil addentes, aut detrahentes, sed declarantes, Spiritum sanctum esse Dominum, &c. Quare ex dicto hoc quod omisistis, liquet, vt explanando non dicatur fieri additio, quod prohibet lex. Et sane dictum hoc fuisset satis ad elucidandam hanc quæstionem. & ne videatur hoc meum esse inuentum, ita quæstionem hanc soluit etiam Beatus Thomas libro quarto contra Gentiles.

Cap.25.

LECTA EST EX ACTIS SANCTÆ GENERALIS quintæ Synodi allocutio Ioannis Constantinopolitani.

XLVI. *Rhod.*

COnnectendo sermonem, per hæc verba confirmatur nostra ratio; nam ex illis probantur ea, quæ diximus. Ecce enim hi Patres in quinta Synodo prohibent, vt ne quid prorsus innouetur, aut subtilius, vt ita dicam, inquiratur: sed suscipiatur sanctum Nicænum Symbolum, in quo sumus baptizati; quod approbauit Constantinopolitana Synodus, quod Ephesina declarauit. Atqui in illo Nicæno Symbolo, quod ad explicationem & syllabas attinet, maxima per insequentes Synodos facta est immutatio; non est tamen immutata fides; quod etiam per Dei beneficium Romana non commisit, neque committet Ecclesia. Recita Epistolam Vigilii Papæ. Ecce summus hic Pontifex suam mentem exprimens, nostram cõfirmat rationem & fidem. Prohibet enim, vt nemo audeat doctrinam vllam, aut fidem, aut Symbolum retinere, seu tradere præter illud vnum, quod sancti Patres Nicæni exposuere, & Constantinopolitani auxere, & Ephesini explanauere: quod nos etiam retinemus, & credimus, & approbamus: sumus ergo cum hoc Patre Vigilio qui nihil dicit in nos, vel illam veritatem, quam sequendo nos credimus.

Iul.Card.

In hac Epistola, Patres, est dictum, quod maxime facit ad rem, & ad solutionem quæstionis: ait enim; Suscipimus sanctos Patres, qui Ephesi congregati sunt, & Nestorium condemnarunt, & alium quemcunque quouis tempore dogmata huiusmodi tenentem. Itaq; scopus illorum est, iudicare & condemnare Nestorium & eos, qui eadem ac ille senserint quouis tempore. non ergo traditi sunt anathemati, neque condemnati qui Symbolo congruentia dicunt, sed qui minima congruentia: prohibet enim tantum dissimilitudinem dogmatum.

Legatur sexta Synodus. In hac enim sexta Synodo primum resumunt Nicænum Symbolum, deinde Cõstantinopolitanum; postmodum decreta multa pronuntur: & post decreta lex quia interdicitur; ex quo sequitur anathema non in eos tantum cadere, qui ad Symbolum, sed in eos etiam, qui ad decreta quidquam addiderint.

Ephes. Iul.Card.

Nos decreta illa non recitauimus breuitatis causa. At nobis pro nobis faciunt: nemo enim dixerit, eos esse sub anathemate, qui decreta illa condiderunt, quæ antea non erant in Symbolo. Recitata est pars sextæ Synodi. Vnum volo dicere: Nos differentiã quandam habemus inter libros nostros & vestros: nam in Constantinopolitano Symbolo, quod postea Ephesi, & Chalcedone recitatum est, non habetur vox illa, de cœlis: nec illa, Deum de Deo, præterea in Constantinopolitano sunt nonnulla, quæ adiecta sunt eo in Symbolo, quod & vos canitis. opus igitur est videre hoc in codicibus authenticis. Estne verum quod dico? quæro ex vobis.

Ephes.

Eo modo, quo Symbolum canimus in nostris Ecclesiis, legimus quoque in libris nostris. Si vero talis apud vos est differentia, id nos nescimus: nonetis ipsi, vnde hoc sit.

Iul.Card.

In hoc codice non est illud *de cœlis*: posita vero supra annotatio habet; Vide, vt Græci dicant, *de cœlis*.

Ruthenus.

An non & vos dicitis, *de cœlis*?

Iul.Card.

Maxime.

Ruthenus.

In hoc ergo conuenimus, & ita in nostris libris habemus. Vnde vero sit orta hæc differentia, nescimus. hæc tria certe conueniunt, libri nostri, quod nos canimus, & quod vos canitis. Tria profecto validiora sunt vno. Sic etiam habent libri authentici: non est à nobis horum reddenda ratio.

Iul.Card.

Hoc ego dicebam ad illum finem, quando post decretum etiam Ephesinæ Synodi, quo prohibetur additio, additum illud est vt æquum & rationi consentaneum: non est ergo lege cautum, vt ne addatur quod æquum est & rationi consentaneum.

Rhod.

Et ex hoc prohibente decreto, Patres Reuerendissimi, non potest Vestra Reuerentia nobis quidquam crimini dare. Nam Patres isti sextæ Synodi, initio mentionem faciunt alterius fidei, & alterius Symboli. At nos, quemadmodum supra multipliciter ostendimus, neque aliam fidem dicimus, neque aliud componimus Symbolum. Non ergo possumus à vobis, Patres, accusari. Recita Epistolam Agathonis. Recitata est etiam Agathonis Papæ Epistola. Ex hac etiam Epistola confirmantur quæ à nobis dicta sunt hactenus. Nam summus hic Pontifex, de tradita, inquit, fide nulli fas sit transmutare, detrahere, vel adiicere; sed standum esse ait in ea fide Patrum: quod certe nos magnificentissime præstamus. Quod vero asseritur, nõ esse addendum vel syllabas, vel voces; non militat contra nos: nam illæ voces ad sensum referendæ sunt. Ita loquitur summus hic Pontifex, dicens pariter, non modo syllabas, sed & sententias. Nam iuxta Paulum, corde creditur ad iustitiam: fides enim non solum in sententiis, sed etiam in confessione: hæc autem confessio non potest fieri, nisi per voces. Et quoniam voces simulacra sunt denotantia passiones animæ, nullo modo potest intelligi, nisi per voces, quæ referantur ad mentem. Et quemadmodum imago refertur ad prototypum, ita debent & dictiones referri ad sensum. Quapropter dicimus, non esse licitum apponere voces, quæ significent sensus contrarios aut aliam fidem: diximus enim supra, non prohiberi explanationem, quæ seruet integritatem sensus. Prohibet ergo hic Pontifex dictiones, quæ fidem contrariam faciant.

Rom.10.

Iul. Card.

Hoc apette demonstratur in Symbolo Agathonis, quod ipse apponit; addit quippe ipse Nicæno Symbolo, & quædam adimit: dicit enim de filio Filium eius vnigenitum: non dicit & in vnum Dominũ Iesum Christum Filium eius vnigenitum: deinde dicit, ante omnia sæcula ex ipso natum: tollit illa, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine; genitum, non factum: interserit, tam quæ in cœlo, quam quæ in terra; quod neque in nostro, neque in vestro Symbolo habetur. Ita adiectio hæc syllabarum cum sit explanatio, non est additamentum, aut decretis contraria prohibentibus. Cum ergo Agatho nõ incusetur à Græcis, cum aliqua Costantinopolitano adiecerit Symbolo, & sustulerit aliqua; cur à vobis incusamur, quod illud, & ex Filio, addiderimus; cum id sit ipsa veritas, quamuis modicum hoc adiiciatur?

Rhod.

Ex his, vt videtur, Reuerendissimi patres; & ex iis, quæ modo addidit Reuerendissimus Dominus meus & Pater, ostendimus sinceritatem ac innocentiam nostram;

stram: nec est quod Vestra Reuerentia nos accuset. Veniamus ad septimam Synodum. Recitatum est Symbolum & definitio septimæ Synodi.

Iul. Card. In hoc Symbolo differentia est inter nos & vos: nam in codice nostro antiquissimo habemus, & *ex Filio*; vos autem non habetis, verum de hoc alias dicemus.

Rhod. Quod igitur particula illa sit in septimo Synodo, satis demonstrauimus; atque ita fieri debuisse additionem illam, si additio dicenda est; positam que esse in septima Synodo: verum proprio in loco hoc adducemus: nunc solum vnum restat explicandum. Dicebat enim supra Vestra Reuerentia, Symbolum ita esse præfixum, atque, vt ita dicam, obsignatum, vt nullo modo liceat addere, vel demere. Dedistis & exemplum vocis, Deipara. Nam quia Nestorii tempore emerserat quæstio, quod non extiterit Deimater; tractatum est hac de re in sacra Synodo, & definitum, esse Deiparam; at non appositum, vt asseritis, in Symbolo, sed in definitionibus Synodi. Et respondemus, non fuisse necessarium id apponi in Symbolo: nam ex iis, quæ supra dicuntur in Symbolo, sequebatur esse Deiparam. dicitur enim in Symbolo de filio, ex Patre natum, & consubstantialem Patri: est ergo Filius Deus æque ac Pater. & rursus, dicitur incarnatus, & homo factus: peperit ergo Deum & hominem. Ad hæc etsi definitiones & Symbolum in aliquibus differunt, hæc tamen in multis conueniunt: ratio est, quia multa sunt, & continentur in definitionibus; quæ spectant ad fidem: nec opus est hæc enumerare; volenti id perspicere præsto sunt multi libri, in quibus multæ Patrum definitiones continentur spectantes ad fidem. itaque in hoc definitiones, & symbola æquipollent; idque manifeste declarat experientia: nam Patres definiendo subiecerunt & Symbolo definitiones, & communiter de vtrisque interdixerunt: vt constaret, multis definitionibus eandem inesse vim, atque Symbolis. Ex quo sequitur, in multis sessionibus eidem anathemati subiecisse eum, qui vtrumlibet præteriret; & hoc satis erat: neque vero ex hoc manca esse videbatur fides Christianorum. Posuisse ergo vocem illam, Deipara, in definitionibus, perinde valet ac adiecisse Symbolo. Quod si voluissent & Symbolo adiicere, nulla lege prohibebantur, propter prædictas causas; idque maxime patet exemplo. Nam sequentes Synodi multas in Symbolo voces addiderunt, quæ fortasse non erant ita necessariæ, ac istud. Verum abunde sufficere illi videbant, quod in Nicæno Symbolo de Saluatore nostro habebatur.

Iul. Card. Neq; vero credimus, hoc vobis non conuenire nobiscũ; quasi Patres illi secundæ & tertiæ Synodi, quartæ, quintæ, sextæ, & septimæ, si voluissent addere ad Symbolum vocem illam, Deipara, minime potuissent. Alioquin si Chalcedonẽsis Synodus posuisset in Symbolo vocem illam, Deipara, subiectane esset & illa anathemati? respondeat dominus Ephesius, dicat vnum verbum, aut affirmet, aut neget.

Imperator. Non videtur necessarium ad hoc respondere: omnibus enim simul auditis, simul ad omnia respondebunt.

Iul. Card. Certo mihi constat istorum sensus; scio enim hos credere, futurum fuisse, vt & sancti illi subditi essent anathemati, si vocem illam, Deipara, in Symbolo posuissent. Cum tamen, si dignitatem spectemus eadem sit omnium Synodorum dignitas; si vero numerum, in Ephesina quidem Synodo ducenti Patres, in Chalcedonensi vero sexcenti ac triginta fuerint.

Rhod. Ex dictis, Patres optimi, satisfactum plane arbitramur vestris obiectionibus. Protulit enim Reuerentia vestra Symbola Patrum, definitiones, decreta, Epistolas: quæ omnia cõueniunt in hoc, vt nulli Christianorum hominum liceat aliam fidem proponere, conscribere, tradere, aut proferre, & cetera: quod sane non de nominibus aut dictionibus videtur dictum. Nos vero demonstrauimus, à R. E. non esse scriptam aliam fidem, neque per nomina, neque per verba, neque per dictiones. Constat etiam aperte, non esse prohibitum, quod hæc Romana Ecclesia canit in Symbolo, & prædicat. Veniamus ad postremum; in quo multis rationibus demonstrabimus, licuisse Romanæ Ecclesiæ partem illam explicare & promulgare. Et primo quidẽ dicimus, Romanam Ecclesiam motam esse & dictis sanctorũ Patrũ; præterea maxima vrgente necessitate: maxima quoq; concurrente dignitate congrua & auctoritate: hoc etiam vestri Patres susceperẽ; sequitur ergo, vt vos, vtpote bonorum parentum boni filii, conueniatis & consentiatis nobiscum. Quod vero in dictis sanctorum hoc habeatur nunc demonstrabo. B. Augustinus præclarissimus Doctor Latinorum, quem sancta quinta Synodus recepit; qui & præstantissimus appellatur, in multis suis libris liquido asserit, Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere. Constat hoc in libro, quem de sancta Trinitate cõscripsit: & in libro, quẽ edidit de fide ad Petrũ, affirmat hoc idẽ clarissimus Doctor Ambrosius. Gregorius Dialogus apertissime hoc dicit. Hilarius libro de Trinitate hoc asserit, quem vos etiam vocatis magnum. quos si vellemus proferre in medium, perspiceretis Romanam Ecclesiam nihil ab illis dissentire, nihil alienum dicere, neque cum dogmatibus sanctorum Patrum pugnare. Sed vt veritas elucescat apertius, non desunt multi ex vestris Doctoribus. Nam Basilius in canonicis Epistolis ponit naturalem ordinem in Patre & Filio & Spiritu sancto. Similiter Gregorius germanus ipsius, non minor dignitate, aut scientia; Filium, inquit, esse ex patre immediate; & hoc esse Filii proprium. Athanasius etiam dicit: Sicut se habet Filius ad Patrem natura & ordine. ita se habet Spiritus ad Filium. maximus ille vester Basilius exponens candelabrum illud Zachariæ: Quemadmodum, inquit, Pater habet Spiritum sanctum naturaliter & substantialiter, ita & Filius habet eundem sanctum Spiritum. Beatus Ioannes Chrysostomus in Ioannem asserit: Omnia quæ Pater est, esse Filium, præter hoc, quod ille quidem est genitor, hic vero genitus. Multi sunt Patres Orientales, quos proferre cum possimus, suo tempore reseruamus; nunc quia tota vestra difficultas in eo est, vt vox illa seu verbum, vt ita dicam, procedere, inueniatur, afferemus quosdam ex vestris Doctoribus; quamquam multos in tempus aliud differimus proponendos: qui aperte dicunt, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere. Et primum legatur ille; qui à vobis quotidie legitur in Ecclesiis, Simeon inquam Metaphrastes: habetis vitam Beati Dionysii: quid ergo ille dicat, audite; & postmodum feretis iudicium. Finem habent ea, quæ corporalis erant aduentus, incipiunt spiritualia; meusque ad cœlos euehitur Christus, & patriam redit in sedem: ac Spiritum qui ab ipso procedit, ad gentes quæ non credebant, instituendas mittit in discipulos. Ex hoc, Patres, sequitur: hoc quod ille ait, Spiritum qui ab ipso procedit, idem esse ac illud, quod Romana canit Ecclesia: idem enim valet genitiuus apud Græcos, quod ablatiuus apud Latinos. Præterea Anastasius sancti Montis Sina eo in sermone, qui est inscriptus, De rectis, quæ ipsi credimus, dogmatibus, ait: Accepto vero in exemplum eo, quod est corporis propitium, mutuam diuinorum connexionem explicauimus ex analogia membrorum, & adumbratione. Ita enim Spiritus oris eius, Dei scilicet, Spiritus sanctus dicitur, cum os sit Vnigenitus. & rursus: Spiritus ex ipso procedens, & missus non solum à Patre, sed etiam à Filio. Protulit etiam dictum Theodoreti; quodque Cyrillus contra illud respondit. Dicamus & alium ex vestris Doctoribus Epiphanium, Audite aliud eiusdem Epiphanii in illud: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Si igitur ex Patre procedit, de me etiam accipiet, inquit Dominus: Sicut enim nemo nouit Patrem, nisi Filius, nec Filium nisi Pater: ita dicere andeo, quod nec Spiritum sanctum, nisi Pater & Filius, à

Homil. 4. in Pater noster. Epi. ad Serapionem.

Zach. 4.

Homil. 38.

In Ancorato. Ioan 16.

quo

quo procedit, & à quo accipit. Hæ sunt igitur sanctorum voces. Alia sunt etiam testimonia, quæ in præsenti prætermisimus. Ex his edocta Romana Ecclesia non aliud dicendum credidit, quam quæ Patres illi in Synodis, & quæ posteriores illam docuere: quorum plures interfuere illis Synodis: vti de Anastasio, Maximo, & aliis ostensum est. Stante igitur hac veritate, & instante necessitate additum est (sicut Orientales Patres adacti hæreticorum insultibus ex necessitate multa in Symbolo explicarunt) propter quosdam Nestorianos apud Occidentalem Ecclesiam, disseminantes, Spiritum sanctum non esse ex ipso Filio, nec suum esse ab illo accipere. Quod autem hæc fuerit Nestorii, atque eadem quæ ille sentientis Theodoreti opinio, constat ex eius Symbolo: dicit enim ita in illo: Spiritus sanctus non est ex Filio, neque accepit esse ab ipso: & Theodoretus Spiritum sanctum asserit non accipere suum esse à Filio: Exponit vero illud Pauli, Spiritum filii, hoc est consubstantialem Filio. Quocirca Cyrillus ait, Spiritum sanctum esse per Filium, & esse Filii, & effundi ab ipso: quod non dixisset, nisi hac Nestorii & Theodoreti opinione compulsus ad euertendam prauam illorum sententiam. Hac ratione coacta fuit Romana Ecclesia, cum magnum videret impendere periculum: iam enim canebatur in Galliis, & Hispaniis. Quare placuit futuro illi Pontifici cum multorum Occidentalium Patrum consessu, qui nec dignitate tennes, nec modici erant numero, illud explicare quod dicimus, & sicut in Symbolo canimus. Nec vero existimauit Romana Ecclesia rem agere, quæ decederet. Nam ante primam Synodum multæ aliæ Synodi celebratæ sunt; Antiochiæ aduersus Paulum Samosatenum; Ancyræ contra eos, qui non suscipiebant accedentes ad fidem, quod prius Christum abnegassent propter tormenta; & Neocæsareæ tertia: quas omnes Synodos recepit Synodus Nicæna; licet quædam à Neocæsareẽsi sancita visa fuerint minime suscipienda, quæ scilicet de septem Diaconis statuta erant. Præterea quoque secundæ Synodi susceperunt Synodum à Cõstantino Sardicæ celebratam, quæ vocatur etiam Occidentalis: ad quam Patres quidam Orientales profecti sunt, numero septuaginta. Hi nolebant conuenire ad Synodum, nisi prius ejicerentur Paulus ille, & Athanasius. id vero vt non placuit Patribus illis Occidentalibus, recessẽrunt quidem Orientales, permanentes vero Occidentales decretum ediderunt, quo declarabãt, recipienda esse à Christianis, quæ gesta erant in Nicæna Synodo: quod quidem secunda Synodus approbauit nulla difficultate aut disquisitione adhibita. Nam quia Constantius Constantini Imperatoris frater, & magni Constantini filius cum Arianis sentiebat, & euertere volebat doctrinam sanctorum Patrum Nicææ congregatorum; atque hoc eius fratri Cõstantino per summum Pontificem nunciatum est; & ille bellum se fratri illaturum minatus est, nisi quod profitebatur, abnegaret; propterea conuocata est Synodus Sardicensis, quæ tertio canone secundæ Synodi Oecumenicæ Constantinopolitanæ, Occidẽtalis appellatur. Ea vero sanciit rectam & sanam esse à recentis decem & octo Patribus Nicænis editam fidem, atque ab omni Christiano suscipiendam. Quam sane sententiam postea secundæ Synodi Patres citra vllam dubitationem admiserunt. En vester Græcus liber Hermiæ de historia Ecclesiastica.

Con. Syn. Nicæ. 15.

Herm. Sozom. lib 3. Eccles. hist. cap. 9. 10.

Imperator Rhod. Cuius Doctoris est liber iste?

Hermiæ: assirmit enim is decretum ab illis factum, quod citra difficultatem à Patribus secundæ Synodi susceptum est.

Imperator Rhod. Et conducet historicos in rebus Synodicis recitari?

Serenissime Imperator, per historias ducimur ad veritatem rerum gestarum. quid enim sciremus de Euangelio deque sacra Scriptura, nisi essent omnia in historiæ formam redacta? sane citra hoc nesciremus, quid credimus.

Illas historias susciperе oportet circa fidem, quascunque Patres approbauerunt, alias minime;

Imperator Rhod.

Si hæc historia de re esset profana, siue de bellis Romanorum Græcorum, bene diceret serenitas tua Domine Imperator. Verum non est profana narratio, sed Ecclesiastica; & continet, quid Synodus quæque gesserit, definitionesque & canones à sanctis Patribus editos. Cur ergo non sit vir iste suscipiendus? Adhæc non solum in vestro codice, sed etiam in libris nostris continetur. sed hoc in præsentia omittamus, vt iubet tua serenitas, atque ad alia transeamus. Diximus itaque, Patres Reuerendissimi, Romanam Ecclesiam hoc feciſſe propter apertissimæ fidei veritatem, & cogentem maximam necessitatem. Si quis vero illam accuset, quod quod & alios connocauerit, nos strenue resp õ debimus; primo non constare vocatos non esse: secundo, quod Romana Ecclesia non renebatur eos aduocare. Videmus enim in diuersis antiquis Conciliis, numero illa inter se differre; siquidem in primo erant trecenti decem, & octo, in secundo centum & quinquaginta, ducenti in tertio, sexcenti ac triginta in quarto: nihilominus quæ pauciores decreuerant, plures susceperе. hoc item etiam patet in septima Synodo Nicæna secunda: Nam Constantinus Augustus excusat se, quod non multi Patres in illam Synodũ conueniissent, quodque multis detenti impedimentis eo proficisci non potuissent. Quæcunque tamen in illa Synodo gesta sunt, multa cum reuerẽtia susceptа & approbata sunt. Quoniam igitur tanto Patrum Occidẽtalium numero, præsente Papa, cuius est conuocare Synodos, vt vel per literas vestros ostenditur, facta est illa Symboli explicatio, non videbatur necessarium alios ad eam conuenire. Nam Doctor vester Stephanus, quem & nostrum Martyrem vocatis, Patres Constantinopoli congregatos incusauit: Cumque vellent hæretici Synodum celebrare, prodiit in medium ille dicens; Quomodo vos Synodum connocare audetis, & illegitimum vestrum habere conuentum non præsente Romanorum summo Pontifice, aut alio quopiam illius vicem agente: Quod ergo debeant & alii adesse vel abesse, non videtur necessarium. Nam in ipsa Ephesina Synodo cum Cyrillus auctoritate Cælestini Papæ conuentum fecisset, & profectus postea Ioannes Antiochenus Cyrillum argueret, quod non præsente illo & aliis quos secum duxerat, Synodum celebrasset; vellet que acta rescindere; responderunt ei, sufficere ipsi, si omnino illum Synodus admitteret; & propterea definieret velle rescindere Synodice prius acta: atque ita factum est, vt acta omnia rata & valida permanerent. Quare nec vos, Patres, debetis conqueri de Romana Ecclesia, quod nõ accesseritis ad illam Symboli explicationem. Præterea quid opus erat vos connocare, qui sciebatis optime quod Romana Ecclesia canebat & prædicabat, nihil tamen repugnabatis, sed cum illa cõiuncti eratis? Quapropter haud quaquam ob explanationem hanc recessistis, aut ab illa seiuncti estis. Immo sanctus Maximus Romanam excusat Ecclesiam, vt iniuria ab Orientalibus accusatam. Recita Epistolam eius ad Marinum. Eam Græce recitatam Præsul Rhodi Latine Pontifici interpretatus est. Tum surgens Nicolaus Græcorum interpres, volentibus, vt aiebat, Metropolitis, ita Rhodi Præsulem allocutus est:

Con. Ephe. par. 2. in litteris Catholicorũ.

Nicolaus Interpres.

Non bene interpretatus es, Pater, dictum, vbi affirmatum ais à sancto, Romanos vnum agnoscere principium Spiritus: non enim ita loquitur sanctus Maximus; sed quod Filium non faciunt causam sancti Spiritus; deinde infert; Vnam quippe norunt causam Filii & Spiritus, Patrem.

Rhod. Satis dictum de hoc. Alias rem considerabimus, & demonstrabimus sanctum tendere in eundem sensum. Sufficit enim nobis in præsentia, quod S. Maximus dicit, iniuria Occidentales accusari. Postea lectum est & aliud quoddam dictum, vt Rhodio placuit. Cum Nicolaus iterum surgens ait;

Scito

Nicolaus. Scitore Patris Reuerendissimi, non esse Maximi, quod post Epistolam delinceps recitatum est, licet auctoris nomen non sit expressum; sed alterius cuiuspiam, qui talia post schisma conscripsit.

Rhod. Huiusmodi res aliàs considerabimus dilucidius; nunc vero ad summum Pontificem dirigo sermonem. Si igitur tempore Maximi eo modo canebatur à Romana Ecclesia, qui fuit temporibus sextæ Synodi, quod sane Maximus demonstrat; necvos igitur hoc latet, nec potestis dicere, hoc factum esse vobis nihil scientibus. Est etiam alia ratio, quæ hoc suadet. Habemus septimam Synodum, quæ multis rationibus demonstrat nobis, quod Romana canit Ecclesia. In primis hæc septima Synodus fecisse videtur, quod aliæ non fecerant. Nam aliæ Nicænum & Constantinopolitanum Symbolum prius legebant; hæc vero id minime obseruasse videtur, supponens illa Symbola esse vnum, & nota, & ab omnibus suscipienda. Hoc ipsum alia ratione demonstratur. Nam Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha in Epistola ad Synodum Actione tertia, Spiritum, inquit, sanctum procedere ex Patre per Filium: quod si concedatur, facile demonstrat, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere: hoc porro suo loco demonstrabimus. Silicuit ergo Tarasio hocagere; cui Pontifici Romano cum tanto Patrum numero hoc ipsum agere non licuerit? Ad hæc habemus codicem vetustissimum, in quo septima Synodus fatetur, ac dicit. Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere, quod item demonstrabimus per alios Chronographorum libros; & pluribus insuper argumentis demonstrare poterimus. Præterea quoniam superiori sessione mentionem fecistis octauæ Synodi, dicemus aliqua ad ea, quæ nobis obiecistis. Et ad primum quidem dicimus; Photium, qui fuit hostis Romanæ Ecclesiæ, multaque scripsit, & acriter inuectus est aduersus Nicolaum, & Hadrianum; nunquam illos accusasse ob additamentum in Symbolo; quod in primis illi agendum erat. Nam cum vellet manus conserere cum summis Romanis Pontificibus, nullum maius habere potuisset argumentum, quam si redarguisset ipsum summum Pontificem subiectum anathemati, legisque transgressorem; sed cum id non egerit, liquido patet, Romanam Ecclesiam immeritò accusari à Græcis. Præterea ad finem illius Concilii laudant Romanam Ecclesiam, & summum Pontificem, & omnia quæ tenet, ac prædicat. Tulerunt quoque sententiam pro Ignatio contra Photium scientes illud in Symbolo cani, & noluerunt tamen. Præterea Hormida fuit ante quintam Synodum Papa, Iustino Imperatore: is scripsit Epistolam, quam suscepit Ioannes Constantinopolitanus, & omnes illius temporis Patres Orientales. Est autem in illa Epistola perspicue positum, Spiritum sanctum à Filio procedere. Cur ergo vos, Patres, dicitis, hoc fuisse causam dissidii; nolleque stante illo quod vocatis additamentum, nobiscum coniungi? Ad illud vero, quod dixistis vltimo; vt collecta posterior Synodus condemnauerit Synodum octauam; dico videri hoc omnino improbabile: neque enim probabilibus rationibus ostenditur propositum, quod illa Synodus damnauerit: non enim præerat Romanus Pontifex, aut alius loco eius; quod si esset, aliqua certe apud Latinos etiam illius Synodi esset memoria. mirum enim Romanam Ecclesiam in pluribus aliis accurata vtentem diligentia in conscribendis & memoriæ mandandis ante actis omnibus, tem hanc adeo necessariam, tamque magni momenti præteriisse. Ad hæc si, vt dicitis, in illa Synodo auctoritate Ioannis Papæ ablata est, & cautum, ne particula illa caneretur; qua de causa non hoc ipsum statuit eo tempore idem summus Pontifex in ipsa Romana Ecclesia? Cur vos cum subiectis anathemati coniuncti eratis? Quare non contradixistis, cum tot summi Pontifices præcessissent, sicuti in rebus aliis fecistis? Ex quo patet, Synodum illam, quam dicitis, non fuisse celebratam; & si celebrata est, nullam fecisse ea de re mentionem. Vnde Patres optimi sequitur, quod in Symbolo Romana dicit Ecclesia, neque additamentum esse, neque abrogatum: & iustam explicationis illius causam fuisse, fidei veritatem, reinecessitatem, Romani pontificis auctoritatem, tot tantorumque Patrum collectam societatem. Rem adeo manifestam, quam in dubium reuocastis, facendo potius comprobastis: exactis tot annis, quare nunc contradicitis? si alia sunt impedimento, dicite: hæc enim impedimento non sunt, quo minus nobiscum coiungamini. Immò potius siquis dicat, Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, veræ fidei se præbet inimicum, pugnatque cum auctoritate sanctorum Patrum: alterum enim ex duobus erit necessario, aut non esse in diuinis personis naturalem ordinem, aut Filium & Spiritum sanctum esse creaturas Patris: atque ita laberetur in errorem Arii, & subderetur Eutychis & Macedonij anathemati. Quod videntes Latinorum Patres multa cum reuerentia susceperunt; quod explanauit Romana Ecclesia, vnam tantummodo sententiam Græcam afferemus in præsens, qua demonstrabitur, Sedem hanc Petri solam esse, in qua potestas sit explicandi fidem; propter quod numquam portæ inferi, hoc est, hæreses, præualuere aduersus eam, immo ne attigerunt quidem. Est autem Epistola in sermone de fide. Habemus, Patres optimi, multis aliis hac de re sententias, sed longe ante omnes Cyrilli in Thesauris; Elucet enim præcipue Romani Pontificis auctoritas in scriptis Cyrilli. Sed hæc in præsenti sufficiant, si hoc vnum dicamus. Ab hac ipsa Ecclesia, cuius est explicare omnes fidei veritates, susceptam hanc esse veritatem, vtpote necessariam ad hominum salutem: nisi enim illa implicite vel explicite credatur, fieri non potest, vt salus hominum consistat. Propterea Romana Ecclesia poterat, & debebat facere, quod fecit. Si vultis ergo, Patres, vna nobiscum fateri, quod nos hodie protulimus, non opus erit aliis negotiis: sed libris clausis amplectamur hanc veritatem, simusque in Ecclesia Dei coniuncti.

Tul. Card. Quoniam vos Domini recitastis superiori sessione Epistolam Agathonis Papæ, illamque valde authenticam existimatis, duo volo addere verba ad quod dixit D. Rhodi Præsul. Primum dixit; Quotiescunque error aliquis emerserit; Papæ incumbere necessitatem docendi populos Catholicam veritatem. postea dicit; Totam Christi Catholicam Ecclesiam, & Patres omnes suscepisse auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & secutos esse per omnia eius doctrinam. Recitabo Epistolam.

Epistola Agathonis Papæ.

XLVII. *Conc.6. Act.4. Matt.25. Ioan.vlt. Luc.22.* SI silētio texero veritatem, quam erogare nummulariis iussus sum per illa verba: Pasce oues meas: &, tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: quandoquidem nobis incumbit necessitas docēdi Christianos, quæ pertinent ad veritatem. & paulo ante. Tota Christianorum Ecclesia Catholica, & omnes vniuersales Synodi fideliter amplectentes eius doctrinam, & omnes sancti Doctores & Ecclesiæ luminaria in omnibus eius doctrinam secuti sunt. Et reliqua.

Hinc patet, quoties de fide aliqua oritur dubitatio, Romanum Pontificem debere ac teneri illam declarare: Atque illo docente, omnes Synodos, & Ecclesiam vniuersam debere huiusmodi veritatem sequi. Et hoc dicit Epistola recitata & approbata in sexta Synodo. Sed de his hactenus. Cum vero, Patres, vobis placuerit, iterum conueniemus.

XLIII. *DIE PRIMO NOVEMBRIS, SABBATO, habita est*

SESSIO VIII.

Nicanus. AVditis sermonibus vestris, Patres Reuerendissimi, cum omni charitate & patientia multa, vt fratres decebat, accedimus & ipsi nunc ad reddendam vobis responsionem, eadem plane charitate & benevolentia nos audituris: hoc enim necesse est ab vtrisque in vtrosque seruari, mutuos cum charitate sermones audiendo; & fortasse non solum audiendo, sed eadem cum benevolentia, quæ dicuntur proferendo: dum pars vtraque ad vnum respicit finem, pacem scilicet, & sanctam Ecclesiarum vnitatem; atque ad illum dicit agitque omnia; quæcunque ad illum ducunt, amplectendo; quæ vero abducunt ab illo, reiiciendo: non tam vt sibi rem gratam faciant, quam Reipublicæ, propositæque Christianorum sanctæ vnitati. Nos quoque idem seruabimus erga reuerentiam vestram tam dicendo, quam audiendo: & nunquam eo progrediemur, vt contumeliosum quid dicamus, aut quod inferat scandalum. Certe hoc nunquam sponte agemus; quod etiam speramus à vobis nos habituros.

Diuisistis in quatuor capita priores nostros sermones, & eorum singulis quasdam causas assignastis, propter quas putastis ea dicta à nobis. Quare consequenter ad ea diluenda è contrario aggressi estis ostendere, quæ videbantur vobis. Et promiseratis quidem priori vestro sermone de his quatuor agere; Primo, non esse additamentum quod dicitur, Spiritum sanctum esse de Filio: sed explicationem ac declarationem. Secundo, licitum esse fieri has explicationes, & Symbolo addi. Tertio, pium & verum esse, ac doctorum Ecclesiæ sententiam, quod sit ex Filio Spiritus sanctus. Quarto, patefacta veritate, oportere quemlibet Christianū illam sequi, nec aliter agere. Deinde cum priori sessione de duobus egissetis, visi estis reliqua duo reiicere ad posteriorem: sed resumpta oratione sermonem omnem in secundo insumpsistis, quod videlicet liceat sacro Symbolo addere explicationes. Quod cum efficere possetis & amicitiæ & æquitatis lege; nemo enim vobis negaret facultatem dicendi quod velletis; placuit tamen ad id accedere cum quadam vestri iuris allegatione; ostendistis enim reliqua etiam capita esse necessaria, sed vt gratum nobis faceretis, supersedisse de iis agere. Nos vero pro vestra in nos voluntate vobis gratias agimus; quamquā nihilo secius vobis etiam ipsis gratificati estis producto in longum sermone, & disputatione quoad eius fieri poterat probabilibus referta rationibus, habita de proposita quæstione: quod autem ea forte esse non fuerint valde necessaria ad rem propositam, ostendemus paulo post paucis cum charitate. His ita à vobis dictis & gestis, nos à postremo ordientes capite; quod etsi prætermisisse visi estis, nihilo tamen minus pertractastis; in hunc modum dicimus; Veritatem quidem esse commune omnium bonum, ideoque amplectendum, vt à prudentibus nihil illi debeat præferri, sed omnibus illam modis oporteat quæri, & inuentam teneri, illique adhærescere, nemo non dixerit mente præditus, cum feratur ad veritatem vt obiectum. Quare nec nobis laborandum erit ad probanda & argumentis declaranda, quæ patēt omnibus. Cumque multos sermones non admittat veritas: simplex enim veritatis est sermo: de hoc satis fuerit hæc dixisse. De tertio autem & primo: quorum in primo conati estis ostendere, hoc ipsum de quo agitur, esse explicationem: de altero vero, quod etsi visi estis prætermisisse, si tamen ipsum etiam posteriori sessione attigistis, dixistis ipsi quidem quæcunque dixistis: at nobis non videtur tempus esse, vt ad ea dicamus in præsentia: hoc enim in sequentes sessiones reseruabimus Deo fauente, cum sententiam ipsam per se examinabimus: nam nobis multa quidem & alia de hoc dicenda suppetunt, sed in tempus proprium ea remittimus: nunc vero de re tantum proposita sermonem instituemus. Causa vero est, quod fieri non potest, vt de cunctis simul capitibus dicamus, & simul in omnibus conueniamus: sed oportet ab vno transire in aliud, atque ita de aliis etiam conuenienter differere: necesse autem est ordiri ab eo, quod primum natura est: tale autem est, quod & nos proposuimus. Nam si ex suppositione hoc verum sit, vt vos probare contrarium non possitis; aut ostendere, quod liceat addere: quid vobis erit vsui, quod probaueritis vocem illam, ex Filio, esse expl ca tionem: aut dogma ipsum esse pium & verum? Certe nihil: idque vos ipsi etiam fatebimini, si iusta dicere velitis: Dicemus enim nos, addendum non esse, etiam si verum sit; quandoquidem & multa alia cum vera essent, non sunt addita, eo quod non liceret. In hoc sane totus noster sermo versabitur. & primo quidem percurremus, quæ dicta sunt à Vestra Reuerentia, examinantes ex iis quæ ad rem faciunt; quæ vero non faciūt, in tempus aliud reiicientes. Vtemur autem ad hæc sermone quam fieri poterit breuissimo. Fortasse enim faciendi non sunt longi sermones, & in multa verba producendi, nisi in præsenti, & in ipso exordio: deinde in progressu necesse est, vt disputatio fiat mutuis interrogationibus & responsionibus, quoad in aliquam deueniamus conclusionem. Nos itaq; quantum fieri poterit, breuitati studebimus. Quod si ad longiores sermones paulo productioribus vti sermonibus coacti erimus, mirum non erit: id enim ex necessitate fit. Et nobis quidem sufficeret de secundo tantum capite agere, quod maxime propositum est: Verum abundantioris apologiæ causa pauca quædam prius de primo etiam dicemus: non quidem de toto primo capite, sed ea parte, quæ spectare videtur ad propositam quæstionem. Nam primum vestrum caput probantes, propositum scilicet dogma esse explicationem, vsi estis syllogismo; de cuius minori, eiusque probationibus agere non esse huius temporis, iam antea diximus; de probationibus vero maioris, vt quæ faciunt & ipsæ ad rem propositam, pauca dicemus. Hanc enim primo quidem syllogismo quodam probastis: deinde inductione, ex eo quod insequentes Synodi fecerunt, omnes videlicet explanando & declarando; tertio Reuerendissimi Ephesii dicto. Ad syllogismum igitur, qui dicit: Omne additamentum est extrinsecus: atqui explicatio non est extrinsecus: ex quo infertur, explicationem non esse additamentum; Ad hoc dicimus maiorē huius syllogismi fortasse à nobis concedi; quamquam si materiam, de qua agitur, spectemus, illam quoque possumus negare: sed minorem, quæ dicit, explicationem non esse extrinsecus, haudquaquam concedemus. Explicationem enim esse eorum, quæ sunt in textu, & ipsi fortasse dixerimus, sed non ex iis quæ sunt in textu. Nam omnis quidem explicatio, & præsertim ea quæ nobis proposita est, & de qua agimus, hoc est Theologica, refertur ad dictum aliquod sumptum extrinsecus, ad quod vtpote ad maiorem propositionem relata hæc habet rationem minoris propositionis, & continetur potius, quam continet. Exempli gratia, Dicimus communiter, Spiritum sanctum procedere ex Patre; hic textus est. Vos vt ostendatis, etiam ex Filio, dictum quoddam vniuersale assumitis extrinsecus, Omnia quæ Pater habet, esse etiam Filij. En quod est extrinsecus assumptum: atque ita infertis, etiam ex Filio procedere Spiritum sanctum: hæc est explanatio. originem autem & robur non potest habere minor, nisi ab extrinsecus assumpta, quæ quidem est maior. Est igitur dictum hoc assumptum extrinsecus. Non ergo videtur satisfacere nobis quod dicitis, explicationem non esse extrinsecus, sed ex iis qua sunt in textu. Videtur enim non omnis explicationis pars esse extrinsecus, immo vero lōge maior pars esse extrinsecus: quoniā & malus axioma

extrinsecus habet, & voces vt minimum extrinsecus: ita vt oppositum contingat, explicationem esse extrinsecus. Ex hoc ergo liquet, id quod dicitur; Spiritum sanctum à Filio procedere; quamuis esset, vt vos dicitis explicatio, non tamen effugere, quin sit additio. Nam alia quoque ratione proposita quæstio quandam habet similitudinem cum ijs quæ adduntur, cum & extrinsecus sit, & simile, vt vos quidem dicitis, ei, cui est additum. Additamentum enim extrinsecus quidem sit iuxta Aristotelem: nihilo tamen minus esse debet etiam ex similibus; nec potest omnino addi, nisi fiat simile: quod sane patet ex ea etiam, qua vos vsi estis, probatione, alimento inquam: alimentum enim cum sit extrinsecus, est tamen etiam ex similibus; factum enim simile additur, nec addi aliter potest, nisi fiat simile. Cum ergo additamentum hæc duo habeat, vt sit extrinsecus, & ex similibus; videntur secundum verumque conuenire ea quæ adduntur, & id de quo agimus, nempe quod dicitur Spiritus sanctus etiam ex Filio procedere: habet enim ho similе quiddam per vos, & quiddam dissimile. Simile quidem per vos, quatenus in eundem concidit sensum: dissimile vero, quatenus saltem voces inferunt quid extrinsecus: ad hæc etiam maiorem propositionem. Quare fieri non potest, vt non sit additio, quamuis sit explicatio. Si vero est additio, eamque fieri vetitum est, igitur hoc etiam fieri non est licitum, hactenus ad syllogismum. Ad reliquas etiam probationes maioris nunc ea, quæ opus esset, diceremus; sed quoniam eas dem adhibuistis ad probandum secundum caput, ibi nos etiam de iis verba faciemus. Ne igitur multiloquio vti cogamur eadem sæpe repetendo, ad propositum transeamus. Hoc enim secundum caput, quod scilicet fas sit addere explanationes, probastis quadruplici ter: & primo quidem inductione ex actis Synodorum omnium, quę fidē declararunt, & explanarunt: secundo ex eo, quod Symbolum variis linguis pronunciatur: tertio ex eo, quod in vnaquaque scientia virtute contineantur in principiis, quæ sunt post illa. Quarto ex eo, quod ecclesia cum dignitate vna, eademque sit, vnam eandemque debeat habere auctoritatem. Primum ergo dicimus ad primum: Nunquam licuisse, aut fore licitum, edere dogma diuersum & contrarium iis, quæ sunt in textu & veritatem continent: id enim ab initio prædicationis vetitum est: licuisse vero explicare ac declarare quæ implicite in fidei principiis continentur: idque tanummodo licuisse. Ceterum antiquis non modo explicare fas erat, sed vti etiam explicationibus, vel iubebat: hoc est ibi eas reponere, vbi illis visum esset, præterquam in ea diuina Scriptura: atque vel ipsi facte, quod explicabatur, Symbolo eas interserere; vel alibi, vbicunque ipsis collibuisset. Postea vero hæc facultas partim sublata est, partim remansit. Explicare enim ac declarare nunquam fuit, nunquam erit vetitum; sed explicationes ad sacrum Symbolum addere vetitum est: atque id hanc ob causam est necessario. nam vsque ad secundum generale Concilium facultas erat Patribus, vt diximus, vtendi explanationibus vt volebant; post illud vero, quoniam nonnulli facultate hac abusi sunt sutum in damnum, Symbolaque confingentes inseminarunt prava & peruersa dogmata, quæ hominibus perniciem afferrant: Patres tertiæ Synodi considerantes facultatē hanc nihil prodesse fidelibus, sed potius multum obesse, statuerunt & obsignantes decreuerunt eo quo sciebant modo, vt nihil tale deinceps fieret. Constat enim fideles nullo affici incommodo, si nihil addere liceat: vndenam? fatentes eadem & credentes, quæ etiam sancti Patres? quæ imperfectionis accusare quis fidelium ausit, nisi plane insaniat? ex facultate vero mutandi maximum sequetur incommodum, quod mutatio vocum futura sit aliquando causa mutationis sententiarum. Quod vero hi primi cauerint, ne quid addatur, & ex multis quidem aliis liquet, præsertim vero ex Epistola B. Cyrilli ad Acacium Melitenensem Episcopum; in qua hæc habet: Sancta quippe & Oecumenica Synodus, quæ Ephesi conuenit, necessario prouidit, non oportere aliam fidei expositionem in Ecclesias Dei inferri præter eam, quæ iam extabat; quam beatissimi Patres nostri sancto Spiritu locuti definiuerunt. Conc. Eph. par. 3. cap. 3.

Ex dicto hoc & alia quædam profecto notari possunt, sed præcipue tria: primum, Hanc Synodum inhibuisse hoc primam: id enim significat vox illa, prouidit. secundū, id sanxisse necessario. tertium, prohibuisse alteram fidei expositionem, non alterius fidei expositionem. Illud quoque necessario est annotandum, interdici hoc vniuerso Ecclesiæ corpori; hoc enim sibi vult illud: non inferre in Ecclesias Dei. Colligamus ex dictis quæ inferuntur, præsertim quod ex primo sequitur. Videtur Synodus hæc statuisse prima hoc interdictum: atqui contraria exponere dogmata iam olim erat interdictum; aliud ergo ipsa prohibet præter id, quod prius fuerat vetitum, vocum scilicet immutationem; quod ad ea vsque tempora licebat: idque vniuersali interdicit Ecclesiæ; non priuatis personis: neque enim curæ est Ecclesiæ, quo hic vel ille modo exprimat, declaretque suam fidem; sed illud curarunt, ne quo immutetur modo quod legitur commanter ab Ecclesiis, & in quo beatizamur. Hoc vero ipsi cum primi interdixerint, sibimet etiam primis interdixere: vocem enim illam (Deipara) id temporis adeo necessariam, quæq; in sacro Symbolo continetur apertissime, cum opus esset addere, non addiderunt: vt scilicet ipsi exemplo essent posteritatibus, dum legem à se latam comprobant facto: cum tamen magna necessitas premeret, turbaret enim omnia Nestorius abominandis suis dogmatibus; & vox ipsa in sacro Symbolo clarissime includatur. Dicere enim Filium Patri consubstantialem descendisse de cœlis, & incarnatum esse de Spiritu sancto & Maria Virgine, nihil aliud significat, quam Deum natum esse de Virgine. Est igitur explanatio vox, Deipara, sed tamen non est addita. dicetis, eo quod nimis aperte contineatur in Symbolo: sed erant & alia quædam, quæ quidem continentur in Symbolo, non tamen perspicue; nihilominus & illa non sunt addita. Nam Filii Dei secundum hypostasim vnio ad assumptam nostram naturam, de qua ipsimet tertiæ Synodi Patres egerunt; necnon duas fuisse in Christo Iesu Domino nostro post vnionem inconfusas naturas; quod propositum erat quartæ Synodo: Duas præterea ipsum habere voluntates, & duas operationes; de quibus beati sextæ Synodi Patres totam habuere disputationem; hæc inquam omnia non ita omnino clare videntur contineri in Symbolo; sunt tamen declarata & explicata, huic vero fidei ne fieret nullo modo addita: siue ergo addenda erant, quæ continebantur omnino implicitè, Patres obscura non addiderunt; sine clariora, tertiæ Synodi Patres id non egerunt: nulla ergo ratione licebat addere. Quare vndique videtur inferri, non esse addendum, tam quæ clare omnino continentur, quam quæ minus, & implicite potius insunt. Hoc seruarunt omnes sanctæ Synodi; quæ tertiā subsecutæ sunt, quarta, quinta, sexta, & septima. Si qua vero reperiuntur apud vos in libris septimæ differentia, eam suo loco fusius tractabimus, ostendemusque illam etiam superiores Synodos esse secutam; immo vero sese ab eo quod sibi tribuitur, vindicantem. Hi enim omnes explanationibus locum dedere, qui explanationibus congruit: is vero est, vt ea separatim alicubi reponantur, prototypa vero relinquantur intacta: exceptis iis, qui olim necessitate cogente alio quoque modo vsi sunt, cum etiam non deesset illis facultas: Patres, inquā, qui tertiam Synodum præcessere. Quod vero beatus Paulus ait: non esse euangelizandum præter id quod ille tradidit; alioquin cum, qui hoc fecerit, anathema ti esse subiectum: nec Patribus officit, nec nobis: loquitur enim ille de alia fide; aliam vero fidem non exposuere Patres. Atque hoc dictum sane valet & valebit in omnibus. Illud vero de quo nos agimus, est quidem tale, est vero & diuersum propter necessitatem, quæ tunc temporis vrgebat. Illud etiam, quod B. ait Gregorius, Ni ænorum Patrum fidem sese tenere, & nihil illi præcubisse vnquam, sed tantum enucleasse, ac declarasse quod minus erat expressum: hoc nos etiam recipimus, dicimusque illum non exposuisse aliam fidem, sed licuisse tamen illi: dico illi, hoc est vniuersæ Synodo, quæ cum illo erat; eo tempore scilicet, quo nondum erat interdictum. Quare antiquiora nihil vobis opitulantur, sed si quid postea factum est, ostendite: Si post tertiam Synodum aliter est lectum Symbolum ab vila sancta Synodo: si quid omnino additum, vox, aut syllaba, aut minimum quidpiam. Si hoc ostenderitis, vestram & nos sequemur sententiam: sed proferre id non poteritis; Clamant enim acta ipsorum, & sole clarius emicant, & facta cum dictis conueniunt. Cum enim sæpe necessitas cogeret, multæque declarationes essent confectæ, nulla sacro Symbolo est addita: viam enim repererant, per quam & necessitati prospicerent, & Patribus reuerentiam præstarent; per definitionem scilicet expositam, quæ erant ipsorum propria: sacrum vero Symbolum nulla varietate, aut mutatione affectum seruando. Quare nullum hinc infertur fidelibus incommodum, vt asserebat vestra Reuerentia: nam & fidem explanarunt, & prouenientem ex hoc vtilitatem fidelibus attulerunt, & Symbolum sine mutatione seruarunt: vt & nos ex eorum doctrina vtilitatem perceperimus, & illi pœnis per decreta Patrum constitutis non subiacuerint. Si autem rursus eximium Theologiæ doctorem profertis Gregorium, quod ille de syllabis & vocibus non curet: respondemus ad hoc etiam nihil ad rem nostram hoc facere. De vocibus enim is loquitur, quæ idem significant, atque de vno eodemque subiecto prædicantur: est enim illi sermō de hypostasibus, personis, & proprietatibus, quæ vnum & idem significant: vt si quis dicat quatuor, bis duo: & rectilinea, directalinea: hic vero non est par ratio; nam & voces diuersæ sunt, & res aliæ: alia est enim persona Patris, alia Filij: quare alium sensum inducit, quod ex Patre dicitur; & alium, quod ex Patre & Filio. multa de hoc habentes dicere disputationi reseruabimus, quæ mutuis interrogationibus & responsionibus fiet, Transeamus ad secundam rationem, qua arguebatis ex eo quod Symbolum variis linguis pronuncietur. Dicebatis enim, etsi diuersis linguis recitatur Symbolum à Christianis, conuenire tamen eos, quia sensum habent eundem: quare sententiarum tantum esse habendam rationem, quibus integris non est de vocibus curandum. Huic rationem nos virtute attigimus ad finem primi capitis, sed tamen nunc etiam clarius ad eam respondebimus. Nos enim dicimus, non solum esse voces diuersas quod à vobis dicitur, sed etiam res, necessario autem & significata; Nam vnaquæque oratio suum plane habet significatum: est porro hæc vna oratio, Spiritus ex Patre procedit: ex Patre autem & Filio, duæ sunt orationes, coniunctione vna: quocirca duas habet orationes negatiue oppositas: alteram quidem iuxta vtrosque falsam, alteram vero ex nostra tantum sententia veram: non est igitur simile, eandem rem diuersis significare vocibus, & res non easdem: qui enim hoc simile fuerit, ac si quis Græce & Latine diceret, faustus dies? Hoc enim modo inter nos antea conueniebat idem dicentes, nunc autem propter id quod dicitur, additamentum in quam, & à vobis dissentimus, & à nostris etiam dissentiremus si qui tale quidpiam committerent. sed si daremus etiam, vnum atque idem esse, hoc tamen non tollit interdictum, cum per illud quodcunque additamentum sit vetitum.

Tertio dixistis, Principia & primarias propositiones cuiuslibet scientiæ virtute continere quæ post illa sunt, & vos ex principiis & primis propositionibus promissis ostendere nobis, dogma esse verum, nempe ex fidei principiis. Ita & nos dicimus. Cum ergo id nobis ostenderitis, gratias vobis agemus; sed non propterea fortasse illud addemus etiā principiis. Hoc enim in plurimis quidem principiis est impossibile, peculiari vero ratione in hoc propter interdictum. In plurimis enim & forsan in omnib. distincta sunt principium, & quæ sunt post principium; Nam illud est vniuersale, hæc peculiaria; illud demonstrationum, hæc demonstrabilia; illud propositio hæc conclusiones: quonam igitur pacto vniuersalia facile fiant particularia, & demonstrabilia quæ sunt demonstratiua? Quare in principiis quidem contineri quæ sunt post ipsa necesse est, hæc tamen illis addi non est necesse. Si vero sit etiam peculiare interdictum, vt in re proposita, tunc plane hoc fieri est impossibile. Nam alia quoque vera non sunt addita principiis. Omnia quippe sacra dogmata ex fontib. sacrarum Scripturarum hauriimus, quæ sunt principia & fundamenta nostræ fidei: nihil tamen est ad illas adiectum, & nihil adijcietur siue à nobis, dum nostri compotes erimus, siue ab aliis Christianis. Vt necessario sequatur, sacro etiam Symbolo nihil esse addendum, quoniam in Ecclesia locum obtinet principij. Dictum à vobis est, sanctæ Dei Ecclesiæ, cum vna & eadem sit, vnam quoque & eandem esse debere potestatem & auctoritatem. Ad hoc ergo dicimus, esse quidem necessarium, vt illa eandem habeat potestatem; oportere tamen scita quoque superiorum Patrum ab ipsa seruari, atque vt diuinas haberi voces, quæ ab illis statuta sunt. Cum enim sacræ Synodi diuersis temporibus & occasionibus celebratæ sint propter causas & necessitates diuersas, quas temporum annorumque circulus profert; necessario res ita tractabant, sicuti præsentis necessitatis postulabat conditio: ad vnum sane eundemque finem spectantes, videlicet hominum salutem: res vero singulas administrantes, prout temporis ratio tunc permittebat. Quapropter de rebus dissimilibus dissimiles sententias proferebant. Oportet autem antiquorum decreta obseruari à posteris: vt quæ ab illis ob præsentes necessitates statuta sunt, posteri non transgrediantur. Ita enim melius etiam vnam & eandē auctoritatem semper habebit Ecclesia; ita quoque sui ipsius erit conseruatrix: alioquin ipsa se ipsam destrueret, & à se ipsa destrueretur. Prohibuere aliquid maiores? cauendum id est à posteris: rursus aliquid non prohibuere, vt exempli gratia, explanationes, verum extra prototypa; illo nos etiam vtemur modo. Quo pacto & Agatho, & Sophronius, & Cyrillus declarabant, explicabant, docebant: quæ enim facere non prohibebantur, poterant & ipsi & alij suis in scriptis declarare, docere, & explicare. Cur enim simus soliciti nos, quomodo quisque explanet, vel eloquatur, dum veros exprimat sensus? Licebit enim cuiuis communia dogmata seruanti suam exponere fidem, vt potuerit, & voluerit: dum scilicet generalem non præscribat institutionem, siue commune Symbolum, sed propriam exponat fidem: hoc enim modo licuit, & licebit vnicuique ex seipso exponere. Hoc pacto & beato Agathoni, cuius Episcopo vel minimo grauis incumbit necessitas docendi & instituendi populos. Atque hoc sane nihil obstat propositæ quæstioni. In his, ne plura dicam, priore vestro sermone absoluto, in secundo iterum eadem repetistis, fusius quidem & clarius, sed eadem quæ prius differendo. Idcirco & nos cum longo sermone de ijsdem vsi fuerimus, hoc etiam breui expediemus, tum quia hæc virtute continentur in illis, tum quia tempus angustum est. Hæc igitur in decem, vel plura etiam capita diuidentur: respondebimus ad omnia quam fieri poterit breuissime: nam si quid à vobis dictum est, quod non spectet ad propositum, in præsentia prætermittemus.

Epi. ad Cledon. 2.

Orat. in Epiph.

Ad Gath.

mus. Dixistis primo; mirari vos, cur Nicænum proposuerimus Symbolum: nos autem & tunc, atque etiam nunc dicemus, ideo propositum à nobis, vt ostenderemus, tertiam Synodum eo lecto, nomine primæ & secundæ Synodi, atque duo vt vnum accipientem, primam intulisse dictam obsignationem: ne scilicet quid quam illi addere liceret.

Iulianus Cardinal. Dicitis in tertia recitatum esse & primæ & secundæ Symbolum?

Ephes. Dicimus non esse recitatum, sed virtute contineri in Symbolo primæ, quemadmodum pluribus antea ostendimus.

Nicænus. Dixistis secundo, interdicta referri ad fidei sensum, non ad vocem aut syllabam. Ad hoc sane multa possemus dicere, & ex ipsis Synodorum dictis arguere. Nam in vnaquaque definitione expressis & disertis verbis sermo est de Symbolo: sed satis erunt nobis facta ipsa, quæ mentem ipsorum luculentius prædicant, qua voces illas protulerunt: necessitate enim vrgente, vt sæpe diximus, nihil omnino addiderunt. Tertio argumentum duxistis ex principils, & primis propositionibus. Ad hoc cum prius responderimus, nunc iterum dicimus: duabus de caussis non necessario deduci, quod vos dixistis; altera est, natura ipsa principiorum vniuersalitet; nullum enim principium cuiusuis scientiæ, vel disciplinæ potest simul esse conclusio eiusdem scientiæ, cuius principium est; altera vero, horum ipsorum, quæ nobis proposita sunt, principiorum theologicorum ratio; ad hæc enim principia nihil postea videtur adiectum à Doctoribus; cum plane ea quæ ipsi explicarunt, ex ipsis deriuarent principiis.

Rhod. Bene esset, vt scripra & dicta à nobis haberetis, & seruaretis ordinem, qui in iis est.

Nicænus. Ordinem quoad fieri potest à nobis seruatum putamus. Verum tamen sicut & vobis, ita quoq; differentibus licet immutare ordinem capitum, si illis in rem sit, eaque disponere vt lubet.

Rhod. Id quidem licet, non tamen vt distincte reponatur, exempli caussa, tertio, aut quarto loco, quod non est à nobis tali loco positum.

Nicænus. Non dixi tali loco, tertio vel quarto: sed simpliciter dico, tertio, vel quarto.

Rhod. Esto.

Nicænus. Quod prius dicebamus, sumentes dicimus; Multa è principiis manantia per sacros Doctores explanata non esse principiis addita, hoc est sacræ Scripturæ. Itaque seruatum videmus hoc non solum in aliis principiis, sed etiam in Theologicis. En vox vna, consubstantialis: & illud; Spiritum sanctum Dominum & viuificantem: & alia quæ dicta sunt, cum sint paruæ dictiones, & contineantur in sacris litteris, non sunt tamen apposita principiis. Aut igitur addenda etiam hæc sunt sacræ Scripturæ; aut certe neque Symbolo quidquam addendum; eundem enim honorem sortitum est Symbolum, quem & diuina Scriptura, Patribus ipsis ita censentibus. Dicitis præterea, ad dicta tertiæ Synodi referenda esse omnia reliquarum Synodorum, & ex illa interpretenda esse posteriora. Quod igitur ad dicta tertiæ Synodi referenda sint omnia, & pendeant ab illa regula necesse sit, fatemur & nos; non tamen vt dicta tertiæ Synodi sint aliorum explanationes: quomodo enim priora fuerint expositiones posteriorum? sed posteriora potius debent esse dictorum tertiæ explanationes. Quando igitur qui postea fuerunt, & præcipue S. Cyrillus, qui præfuit tertiæ Synodo, necnon S. Agatho clarius & posterius de his asseuerant, isti dictorum tertiæ Synodi interpretes fuerint; clarius autem Epistola Cyrilli & Agathonis esse nihil potest. Sciendum tamen & illud est, non solum verba esse referenda ad dicta tertiæ Synodi, sed & sensum ad sensum illorum: & qua mente tertia Synodus interdixit, eam esse tribuendam & aliis. & quoniam illius consilium fuit interdicere voces, vt declarat B. Cyrillus in Epistola dicens; necessario fuisse hoc à Synodo prohibitum; constat aliis quoque Synodis hoc fuisse propositum, vt reipsa demonstrarunt; scilicet nihil omnino addere Symbolo: ita enim futurum erat, vt confingentes Symbola prohiberentur hoc facere; & quod inde alioqui sequeretur, nullo damno fideles afficerentur. Dixistis etiam S. Cyrilli dictum: Nulla ratione se pati, vt fides concutiatur: diuersum esse ab eo, quod est voces addere. Ad hoc ergo cum paucis indigeat, pauca dicemus; reliquis, si placet, omissis propter angustiam temporis: immo vero hoc etiam in præsenti super sedendum. Et nunc quidem his dictis finem, si lubet, sermoni statuemus; alia vero sessione de hoc, deque aliis dicemus; tantum enim superest, vt alia sessione possimus & hæc dicere, & cominus pugnare, & congredi mutuis interrogationibus & responsionibus. Ego vero etiam cum vno ex Reuerendissimis Patribus, qui illic sedent, ita enim condiximus, in certamen descendam; qui nouit, percipit; igitur hoc sciat, peratusque sit in sequenti sessione Deo fauente. His ita dictis à Nicæno dimissa est Synodus; sequenti vero sessione Nicænus sermonem suum absoluit.

XLIX.

DIE QVARTO NOVEMBRIS, Feria tertia.

SESSIO IX.

Nicænus. AD ea quæ dixit Vestra Reuerentia, Patres optimi, maiori ex parte iam respondimus, vt vires nostræ, ferebant; relictis quibusdam ob angustias temporis quæ sane paucis expediri possunt: vt enim supra etiam diximus, hæc ipsa virtute attigimus. Sunt porro, quæ relicta sunt, quantum annotare potuimus, hæc: quod vox illa B. Cyrilli, fidem concutere, aliud diuersumque sit ab eo, quod est explanare; quod interdicta sint posita post definitiones; quod beatus Agatho voces illas prohibeat, quæ non feruntad eundem sensum: quod idem Sanctus vir dum suam fidem exponeret, quædam addiderit, quædam detraxerit: quod non fuerit necesse addi Symbolo vocem, Deipara; postremo: quod S. Romana Ecclesia hoc addiderit ducta sanctorum vocibus, magnaque incumbente necessitate, & præterea propria auctoritate & potestate. His quam breuissime fieri poterit, occurremus; ne, quod heri nobis accidit, frustra tempus conteramus. Nam longos instituere sermones non videtur mihi necessarium, immo conuentis nostris incongruens: Ita enim nihil concludemus disputando, & alter alterum non redarguendo. Primo, dicimus de illa dictione, concutere, non placet, quod reuerentia vestra dixit: tum quia ille ipse dicit, non admittere se mutationem syllabæ vel dictionis; tum qui re ipsa testatur, & dicta sua declarat, nihil omnino addens ad Symbolum. Ad illud vero, quod interdicta post definitiones sint posita, idem Cyrillus sic ait; nec definitionibus licere quidquam addere, si sint explanationes: explanationibus autem nihil est addendum. Deinde dicimus, id nobis nihil obstare; progredientes enim aperte loquuntur de Symbolo, in singulis de illo significanter verba facientes. sed hoc forsan diffusius examinabitur, vt & complura alia suo loco, quæ spectant ad propositum. Quod vero ait Beatissimus Agatho, seruandam esse eandem fidem verbis & sententiis: non ita intelligimus, vt vestra charitas; sed arbitramur eum prohibere omne additamentum; idque patet ex verbis quæ subdit; neque enim vult aut minui, aut mutari fidem. nam cum dixisset hæc, infert; Eadem seruari oportere & verbis & sententiis. Quoniam igitur cauendum esse ait ab additione, mutatione, & imminutione verborum & sententiarum,

Nicænus.

rum, illud potius videtur dicere, quod nos. Quod autem idem sanctus vir in sua fidei expositione addiderit quædam seu detraxerit, extra rem nostram est, propriam enim cuiusq; expositionem Ecclesia nec prohibuit, nec prohibebit: Et quomodo quisque aut quibus verbis suum exprimat sensum, prout voluerit aut potuerit, solicita non est: sed commune quidem fidei rudimentum insauciabile manere vult, nulla vel vnius vocis immutatione; hoc enim ille vtitur vocabulo, insauciabile. Cuiuis autem communia seruanti dogmata licet priuatim sua eloqui quocunque potuerit, ac voluerit modo. Porro vocem, Deipara, cum ipsi dixerimus non esse additam Symbolo, quamuis esset maxime necessaria, eo quod non liceret; Vestra Reuerentia dixit, addi non fuisse necessarium: sed nescio, cur hoc dixeritis. Si enim nulla ratione erat necessariũ, nusquam fuit ponenda illa vox: & si nusquam, superuacaneum fuit alicubi eam poni ab illis. Si vero fuit necessarium, vt reuera fuit, nec tamen addiderunt; sane dicta nostra confirmant. Postremo dixistis, Romanam Ecclesiam fecisse hoc vocibus sanctorum permotam: sed an mota sit sanctorum vocibus, necne, in sequentibus erit tractandum: de hoc enim erit sermo postmodum Deo fauente. Si vero necessitate aliqua, siue potestate mota est, de necessitate & potestate dicimus, etiamsi hæc sint, non tamen id fieri licuisse: nihil enim vobis fauet necessitas, cum in definitionibus non sit aperte expressum, cogente necessitate debere id fieri. Verum de necessitate opportune forsan interrogabimus cum charitate, quomodo & quando id factum sit. De potestate autem Occidentalis Ecclesiæ multa dicenda supperterent, nisi aliud nobis esset propositum. Et scimus quidem quæ sint iura & prærogatiuæ Romanæ Ecclesiæ; nihilominus scimus etiam, prærogatiuæ eius quos terminos habeant, nosse tamen volumus reuerentiam vestram, à nobis faculratem hanc negari vniuersæ Ecclesiæ & Synodo, vel etiam Oecumenicæ, non tantum Romanæ Ecclesiæ. Quoniam igitur quãtacunque facultate polleat Romana Ecclesia, minus tamen pollet Synodo Oecumenica & vniuersali Ecclesia, si nos id vniuersali negamus Ecclesiæ, multo magis negabimus Romanæ: negamus autem non ipsi à nobis, sed arbitramur hoc Patrum decretis negatum. Hæc dicta sint ad ea, quæ allata sunt à vestra reuerentia, idque disputationis causa; neque enim iis innitimur, neque hinc argumenta ducimus ad probandum problema propositũ, exceptis iis quæ ad illud conferunt, & per quæ problema probatur. Ad rem igitur, si vobis, videtur, propius accedamus: consideremusque quid Patres communiter sentiant, vt possimus aliquando in aliquam deuenire conclusionem. Nos enim dicimus, sanctorum Patrum decreta prohibere in vniuersum: & quando dicunt, non esse addendum, aut detrahendũ, aut quidquam aliud agendum, de syllaba illos & dictione verba facere. Cuius rei magno nobis argumento sunt facta ipsorum. Quærimus ergo ex vobis; Statuta hæc & interdicta spectant ad fidei Symbolum, an ad aliud quidpiam extraneum? interrogamus; respondete nobis ad hoc. Hæc cum Nicænus dixisset, illi, nimirum qui selecti erant, vna cum omnibus Cardinalibus & aliis quibusdam accessere ad Pontificem; ac per aliquantum temporis spatium habito simul consilio sederunt, cumque opus esset ad ea, quæ Nicænus proposuerat, apposite respondere, illi quidem nihil responderunt: Vix tandem vero Præsul Colossensis sermocinari aggressus nullum interrogationi congruum dedit responsum: neque enim suppetebant illi, vt arbitror, aptæ responsiones, & caussæ reddendæ: sed orsus dicere tantam verborum effudit redundantiam, vt conueniens præfixumque tempus effluxerit. Elapsus enim velut de industria, & penitus à proposito digressus incidit in alia, præsertim ad probandum & ostendendũ scilicet, sententiam hanc, quæ Spiritum sanctum asserit à Filio procedere, necessariam & veram esse; productis ad hoc dictis & quibusdam testimoniis, quæ ipse suo arbitratu exponebat, ad probanda nimirum quæ proposuerat. Nos autem cum cœpissemus scribere, vt cognouimus hæc omnino euagari extra propositũ, omissimus: quod præsertim & nostris ad ea respondere non esset in animo. Quamobrem nec in præsens Commentarium relata sunt, vt & alia quædam non omnino necessaria: ita ergo Synodus discessit: in alia vero sessione Ioannes Foroliuiensis Episcopus de scripto ita dicebat.

OCTAVO DIE NOVEMBRIS, DIE Sabbati.

SESSIO DECIMA.

L. *Ioannes Episcopus.*

BEatissimi Patris benedictione accepta, venimus ad ea responsuri, quæ vos Patres Reuerendissimi nobis exposuistis. Primum mentionem breui faciam triũ quorundam, quæ in proœmij speciem dixistis. Initio sermonis vestri dicentes vos audiuimus, non debere nos in eo exercere, ac decertare inter nos, vt altera pars alteram vincat, aut contra altera consequatur victoriam; sed in eo solum ponendam esse nostram operam, vt pura ac sincera veritas inuehiatur, eaque proferatur in medium; quod quidem nobis placet, idq; omni studio sequimur. Nam vt B. inquit Hieronymus in quadam epistola; Nunquam errat, qui sequitur veritatem: hanc præcipue veritatem, & nostræ fidei veritatẽ, quæ homines multum inter se distantes & regione & lingua & moribus facit, vt promptissime coniungantur: quẽadmodum & magnus Dionysius in libro de diuinis nominibus explanauit dicens: Scientia, diuina fides, est fundamentum quo fideles vniuntur, eosdem constabiliens in veritate, & congregans; eadem scientia colligit cognoscentes & cognitos. Si cupimus igitur peruenire ad hanc sanctam Dei vnitatem, hoc curemus, in hoc solicite incumbamus, vt vna illã reipsa studioseq; perquiramus. Oportet igitur primum cordium nostrorum sensus in studio veritatis consentiat. Secundo dictum à vobis est, in eo quod tracturi sumus, proposita scilicet materia, moderationem, & tolerantiam, atque humilitatem esse seruandam: vt in omnibus animorum temperantiam adhibeamus: id quod sane maximam animo meo lætitiam attulit, quod vna cum Propheta dicere possim: Dedisti lætitiam in corde meo. Nam vt B. Paulus secunda ad Timotheum Epistola inquit: Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, &c. Tertio dixistis quod me oblectat, & obseruare volo; æquum enim est, & rationi congruit: vt obiectiones & responsiones & rationes habeantur breues: nam sermo breuis mente percipitur, memoriæq; acrius mandatur: & placet hoc omnibus. Nec tamen decet sermones, quos habituri sumus, aut obscuros esse, aut non ita compositos, vt animo comprehendantur: ne absurdum illud contingat, Dum brevis esse volo, obscurus fio. Quæso autem à vobis, Patres, ne à duo me interet se pugnãtia simul contendatis, vt & breuitate vtar respondendo; atque omnibus quæ dicta sunt, plene satisfaciam. Respondebo itaque ad grauiora, & sequar ordinem vestri sermonis. Vos vestros omnes sermones exposuistis primo & quarto die Nouembris. Responsionis autem vestræ, cum videatur rationi consona, quædam suscipimus, quædam negamus. Cur ergo negemus, iustas & congruas causas afferentes, aliqua declarabimus: ad quædam vero haud prolixa vtemur oratione, sed de omnibus summatim quodammodo dicemus. Nec dubito, quin vos etiam Patres probaturi sitis hoc, vt iusta ratione faciendum; sequendo igitur ordinem sermonum vestrorum, in nomine Domini nostri Iesu Christi respondebo ad sex quædam generalia capita. Et quidem proœmium spectat ad vos, quod omnibus cum charitate auditis, & quæ sequuntur. Quod ad hoc attinet, nihil videtur no-

Ep. ad Celantiam 1. tom. n. 14.

cap. 7. hac verba paulo aliter loquuntur apud Dion.

Psalm. 4.

Cap. 2.

bis

biesse respondendum: rite enim & optime seruastis ordinem proœmiorum. Sequitur secundum, caput videlicet vestræ controuersiæ; Particulam hanc, ex Filio, esse additamentum extrinsecus, ac proinde merito prohibitam. Ita enim dicitis, vt continet scriptura; quamuis verum esset, addi tamen non licet; quandoquidem multæ & necessariæ explanationes factæ, non fuere additæ ad Symbolum, eo quod non liceat hoc fieri. Deinde post multos sermones interiectos, summatim quæ dixistis perstringo; ita enim conclusionem protulistis: Quare cum interdictum sit additamentum fieri, hoc autem additamentum esse demonstratum est, hoc etiam est prohibitum. Ad quæ omnino respondere volumus, ne nostra negligere videamur. Dico, vos in his sermonibus interpositis mentionem feciſſe dictorum Prę sulis Rhodij, volentes ad ea respondere quæ ad rem facerent, atque in tempus aliud alia reiecisse; & dixisse, hunc syllogismo vsum esse, quod verum est: vos autem minoris propositionis rationem habuisse, & respodisse ad illa, quibus iste adprobandum vsus est: syllogismum vero ita formasse: Omne additamentum est extrinsecus: explicatio non est extrinsecus: ergo explicatio non est additamentum. Totum hoc prætermittemus; nam Præsul hic Rhodius doctor est præstantissimus, & subtilis Theologus, ac de his optime disputauit. Ad caput vestræ accedentes controuersiæ, hoc est, particulam illam, ex Filio, additamentum esse & vetitum, nos plane contradicimus, negantes hoc esse vere & proprie additamentum; negantes insuper, hoc esse vetitum; & hæc plena facere volumus per dicta Sanctorum, & congruas declarationes. Quod enim non sit proprie & simpliciter additamẽtum, patet etiam ex eo, quod nouum Testamentum in veteri contineretur virtute; & ex contextu successionis in expositione articulorum fidei. De primo B. Augustinus in libro contra Faustum: Christus, inquit, non venit legem soluere, sed adimplere; non vt adderentur legi, quæ deerant; sed vt scripta fierent: quod eius verbis confirmatur; neque enim dixit ipse: Iota vnum, aut vnum apicem non transiturum de lege, donec addantur, quæ desunt; sed donec, inquit, omnia fiant. Præterea in libro de Catechumenis; in veteri Testamento, inquit, est occultatio noui; in nouo Testamento est manifestatio veteris. In quæstionibus item veteris & noui Testamenti ait; Cum dicitur in Euangelio, oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo: nihil aliud voluit, nisi quod legis habuit sensus: sensus enim legis ad salutem hominis pertinet. Et in illud Ezechielis, rota in rota; Gregorius ad literam dicit; in Testamenti veteris littera testamentum nouum latuit. Idem præterea Gregorius alibi dicit; Quod prædicat lex, hoc etiam Prophetæ: quod denunciant Prophetę, hoc exhibet Euangelium: quod exhibuit Euangelium, hoc prædicauerunt Apostoli per mundum. Expositio pariter dicti, non veni soluere legem; aperte indicat, Euangelium esse legis veteris compendiosam repetitionem. Constat igitur, repetitionem non esse simpliciter & proprie secundum sensum additionem. Si ergo iuxta Augustinum tanta mysteriorum noui Testamenti copia, quod implicite includeretur in lege veteri, non dicitur additio, si sensum spectes: mirum non est, si qua horum explicatio non dicitur simpliciter & proprie additio, videlicet secundum sensum, sed potius complicatæ rei enolutio. Hoc ipsum liquet etiam ex contextu successionis in expositione articulorum fidei. Nam vt idem ait Augustinus: Tempora variata sunt, non fides. Eadẽ enim prędecentium Patrum, ac posteriorum fides. Nam & qui præibant, & qui sequebantur, clamabant: benedictus qui venit in nomine Domini. Sed in articulis tamen quædam extitit successio, impliciti explicatio; & indeterminati determinatio. Ita circa fidem nostræ redemptionis maior postea facta est impliciti explicatio, quam aliorum tempore, qui ante Abraham fuere: dictum est enim ipsi Abrahæ in Genesi, capite vigesimo secundo: In semine tuo benedicentur omnes gentes. maior deinde est explicatio, quam ponit Isaias in septimo: Ecce Virgo concipiet, & pariet, &c. ad hæc maior postea per Angelum Virgini de modo quærenti data est explicatio: Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te. Hoc ipsum in articulo de sancto Spiritu factum est: Siquidem illum Ecclesia profitebatur olim Apostolorum tempore hoc pacto; Credo in Spiritum sanctum. Quod vero postmodum in Synodo protulit Ecclesia; qui ex Patre procedit; non fuit articuli noui additio, sed clarior eiusdem dilucidatio. Ita quoque cum explicatum postea est, & ex Filio, non conditus additaque nouus articulus, sed facta eiusdem articuli magis determinata explanatio. Huiusmodi vero additamentum esse vetitum omnino negamus. Nam vt optime distinxit Dominus Bonauentura præstantissimus Theologus; triplex in scripturis reperitur additio: vna, cum id quod adiicitur, contrarium est: altera, cum diuersum est, quod additur: tertia, cum appositum consonat. Illa, per quam appositum est contrarium ei, cui fit appositio, additio erroris & hæreticorum est; vt si quis diceret Patrem genitum, Filium ingenitum, Spiritum sanctum à nullo procedentem. Altera additio, qua id quod adiicitur, non est quidem contrarium, sed tamen diuersum, temerariorum est: nam temeritatis ac procacitatis est, in fidei & sacræ Scripturæ veritatibus diuersum quid proloqui; vt siquis Patrem dicat geometram, Filium astronomum, Spiritum sanctum arithmeticum: nam etsi quis ita dicens non multum à veritate discrepat, cum vnaquæque diuina persona omnia possit, & omnia sciat; quia tamen hic dicẽdi modus valde alienus est à modo loquendi Sanctorum, & Scripturæ, idcirco temeritati adscribuntur diuersæ huiusmodi nouitates. Illud autem additamentum, quo id quod adiungitur, nec contrarium, nec diuersum est, sed cum eo consentiens, ad quod adiungitur: vt si dicam in diuinis Patrem omnipotentem, æternum; Filium consubstantialẽ, coæternum; Spiritum sanctum procedentem, spiratum; additamentum hoc pium & Catholicum est, spectat enim ad doctrinam fidei; quãdoquidem explicat quod implicitum est. Illæ igitur prædictæ duæ additiones, per quas scilicet contrarium vel diuersum est quod additur, omnino prohibentur commonitione pœnæ grauissimæ. Ita Apocalypsis vltimo: Siquis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: at vero illa, per quam id quod additur, conueniens & congruens est, nõ prohibetur in scripturis, immo laudatur potius, & promissum est ei præmium à Saluatore nostro. Quocirca magister sententiarum in proœmio dicit: & quod cunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Nunc ad nostrum propositum venio, dicoque in hac verbali additione, neque contrarium, neque diuersum quid esse adiunctum; atque ideo illam non esse vetitam, immo vero vocem illam, ex Filio, additam esse vt conuenientem & consonam. Nam Apostolos, cum dicerent, Credo in Spiritum sanctum, in sanctam Ecclesiam Catholicam, nullam constat feciſſe mentionem explicite de processione ex Patre siue ex Filio. Postea vero sancti Patres hæreticorum erroribus peruersisque dogmatibus occurrentes processionem eius ex Patre declararunt; vt fidei scilicet Apostolorum & suæ confessioni consonum hoc illi Symbolo addentes. Ita deinceps alii posteriores Patres eius processionem ex Filio, vt fidei & Patrum confessioni consonam, in Symbolo Catholice commodissime que explanarunt. Hic orationem meam non dilatabo ad declarandum, vt explicatio hæc, ex Filio, consona sit & congruens fidei, confessioni, & Symbolo Patrum; ne me dicatis à proposito egredi; sed quando volueritis, paratus sum: & iam infra subnotaui, vt si vobis libuerit, antequam hinc abeamus, hac de re disseram; materiam non profunde tractaturus. ita palam fiet volenti inspicere veritatem, non esse additamentum, quod expositionis siue explanationis causa positum est, ex Filio, sed explicationem, eamque nullo modo prohibitam. Et hæc in præsens dixisse satis sit, ad secundam vestri problematis particulam, vestræ scilicet controuersiæ caput. Sequitur tertium, radix & fundamentum illius controuersiæ. Dicitis enim omnino dissentientes, nullo modo fuisse licitum nec syllabam, nec verbum, nec dictionem addere. Incipit autem hæc pars, vbi vos quatuor breui enumeratis; quam in præsenti enumerationem prætermittam: ven'o autem ad ipsum fundamentum, ad quod quatuor hæc attulistis. primo Patrum motiuum, secundo rationem, tertio dictum quoddam scilicet B. Cyrilli; quarto argumentum ex coniectura ducebatis. Et primo de Patrum motiuo; vt interdictum hoc celebrius redderetur, dixistis, illud ideo factum, vt fidelibus licentiam præciderent, ex qua nulla vtilitas, immo vero pernicies oriebatur. Verum de facultate hac quiddam dicitis, quod, pace vestra dixerim, non videtur verum: affirmatis enim, licuisse in principio tantum religionis & fidei explanare, exponere, illustrare quæ implicite cõtinentur in sacra Scriptura; idque solis illis antiquis Patribus facere, atque ad arbitrium suum licuisse disponere; quibus etiam licitum esset explicationes illas in Symbolo & vbiuis apponere, præterquam in textu sacræ Scripturæ. Deinde facultatem hanc partim adeptam, partim fuisse relictam, declarandi scilicet, explanandi, exponendi quæ implicite habẽtur in sacra Scriptura; hoc enim nunquam fuit, nunquam erit vetitum. Hic mihi nõ videtur sane dictum hoc probabile, nempe Patribus licuisse conficere explicationes, & arbitrio suo ponere in communi fidei Symbolo, nisi conuenientibus & coactis in Oecumenicas Synodos. Ait quippe S. Thomas, Numquam esse factam in Symbolo explicationem, nisi per Synodum Oecumenicam; & loquitur de quouis Symbolo, quod esset commune Ecclesiæ. Hoc posito persequar illa quatuor, quæ dixistis pro fundamento vestri problematis. Quorum primum est; licuisse Patribus vti hac facultate vsque ad secundam Oecumenicam Synodum; post illam, quoniam facultate hac vsi sunt aliqui suam in perniciem, assidue Symbola transformantes, contraria vero & impia dogmata inseminantes; Patres tertiæ Synodi hoc cognito; licentiam hanc scilicet damno potius quam commodo esse fidelibus, quoniam vnicuique licitum erat addere; illam fidelibus abstulisse. Ad hoc respondemus, sine dubio non videri verum, licuisse cuiuis addere communi Symbolo fidei; nisi eam intelligamus licentiam, quam sibi quidam arrogarunt, præsertim hæretici: in quam vetus illud appositę quadrat; Omnes licentia deteriores facti sumus. Sequitur ergo, huiusmodi licentiam esse à Patribus sublatam: illosque ita obsignasse, & cauisse, ne cui liceat addere quidquam Symbolo. Secundo ex eo rationem ducitis, quod fieri posset. Nam si non licet addere, nihil incommodi fideles inde capiunt, dum Patrum fidẽ sequuntur; quam imperfectam esse nemo dixerit, nisi qui forte insaniat: sed fi detur occasio, fieri potest, dum vnusquisque adiicit, vt ex eo fideles detrimentum capiant, & propter vocum immutationem incidat in errorem Ecclesia. Nos vero pace vestra dicimus, argumentum hoc claudicare, vt suo loco apte demonstrabimus. Tertio sequitur dictum sancti Cyrilli; & quattum ex coniectura: sed quia facile omnia soluuntur euerso fundamento, ad istud ipsum accedamus. Quare palam dicimus, cum potius spectanda sit mens dicta quam cortex, & antiqua legislatoris mens quam verborum & litteræ superstitio, illud quoque interdictum est enim lex Ecclesiastica, intelligendum esse iuxta mentem eorum, qui eam legem tulerunt, & sanxerunt. Hi vero Patres illud proprie & principaliter prohibent, confessionem scilicet fidei contrariæ, & abhorrentis à fide Patrum. Et propterea inquit Bonauentura, sententiam primi interdicti Patrum non se extendere, nisi ad contradicentes, & deprauantes; qui sensum conantur adulterare, & vitiare, fidemque Patrum profanare atque fœdare, & vocis aut dicti aut syllabæ additamento transmutare. Quod vero tale additamentum non est, nulla prohibetur, aut prohiberi potest ætate vsque ad finem sæculorum, vt non semper liceat Ecclesiæ id facere auctoritate legitima congregatæ, sub Antistite Ecclesiæ omnem in se habente protestatem, & ius in vniuersam Ecclesiam, propter legitimas causas ad propulsandos errores & hæreses, & explicandam Symboli partem aliquam expositione congruente fidei, quam Symbolo etiam addat. Quis vero ambigat Ecclesiam imminente necessitate, vt ne Christianus populus labatur in hæresim circa mysterium sacri Altaris, sicut est positum de sacramentis; Confiteor vnum baptisma; ita posse etiam ad salutem animarum illud addere; necnon vbi voluerit, in Symbolo apponere vocem illam Deipara, quemadmodum adiecit, incarnatum de Spiritu sancto & Maria Virgine? Ceterum fatemur, hoc nulli priuatæ licere personæ, aut priuatæ Ecclesiæ, quo referendum esse dicimus interdictum, ad priuatas scilicet personas, atque ad illos qui id agere peruersa mẽte fuerint ausi: sed Patrum illorum qui interdixere mens, vt Bonauentura inquit, non ea fuit, vt viam præcluderent aliis Ecclesiæ Patribus vtendi hac facultate, quando illi à Deo magis illuminarentur. Immo vero addit ipse Bonauentura, Patres illos, si hac mente locuti sunt; non bene motos videri: ac proinde virandam esse ait merito eorum intelligentiam, qui de Patribus illis ita dicunt & sentiunt. Quod vero Patres illi, cum interdicerent, hac mente, quam diximus, sana essent, demonstrare volumus ex actis sanctorum Conciliorum; præsertim tertij, & Patrum Epistolis, qui per id tempus fuere. Cum Ephesi conuenissent Episcopi, Nestoriusque citatus non accessisset, dixerunt illi iuxta canonicam consuetudinem; Recitetur expositio Nicænorum Patrum, vt cum ea sermones de fide conferamus; & suscipiantur quidem quæ cum illis conueniunt; quæ vero discrepant, reliciantur. Ex quo liquet; Synodum illud velle, vt fides consona Patribus non prohibeatur, sed quæ ab illis dissentit. Vnde patet, quid sibi velint verba illa; Nulli liceat proferre alteram fidem præter eam, quæ Nicææ constituta est; hoc est fidem discrepantem & contrariam. Postea recitatum est Symbolum Nicænum: Credimus in vnum Deum, &c. Deinde lecta est Epistola Cyrilli ad Nestorium, in qua ille Nicæni Symboli verba declarat & exponit, ostendens Christum Deum & hominem in vna hypostasi, non in duabus natum esse de Maria Virgine, quam demonstrat esse Deiparam sacræ Scripturæ testimoniis: obtestaturque Nestorium, vt quæ in Epistola continebãtur, teneret, ac crederet. Lecta Epistola Cyrilli quæ incipit: Obrectant quidem, vt audio: Cyrillus quia ad Nestorium scripserat; & rectam fidem defenderat, ita dixit: Certum mihi plane est, nulla me ex parte defeciſſe à ratione rectæ fidei, aut à Symbolo Nicæno: rogo autem, vt dicaris, vtrum recte & vere & congruenter illi Synodo talia scripserim, nec ne. Responderunt Patres; congruenter illum dixisse, nullamque nouitatem aut innouationem intulisse: & quæ paucis dicta essent à Nicenis Patribus, Cyrilli Epistolam fuse exposuisse, ac declarasse; multumque ad intelligenda quæ dixit Nicæna Synodus, explanatione sua lumen attulisse; & omnino fatentur eandem Epistolam cum Nicæno Symbolo conuenire. Post hæc recitata est Epistola Nestorij ad Cyrillum, in qua fatetur ille, sanctam Mariam non esse Deiparam; citatque ad hoc Scripturam. & Cyrillus Synodum interrogauit, an recitata Epistola fidei Patrum Nicænorum congrueret. Responderunt Patres, non congruere, sed aliena esse à recta fide, & pugnare cum fide exposita; &

Luc. 1.

Lib. 1. in prolog. dub. 2.

Luc. 10.

Lib. 17. 18

Matth. 5.

Lib. de Catechizandis rudibus. q. 69.

Matth. 5.

Cap. 1. Lib. 1. in Ezech. ho. 6 Ibid. infra.

Enarrat. in Psal. 50

Matth. 21.

Lib. 1. d. 18 dub. 2.

2. 2. qu. 1. art. 10.

vbi supra.

Conc. Eph. Act. 1.

Conc. Eph. par. 1.

Ibidem.

à fide Cyrilli Nicænorumque Patrum dissentire; & ne sibi quidem ipsi constare. Et quia Nicænæ fidei ac Synodo erat contraria, atque ab iis discrepans, exclamauit Synodus; Recta fides anathematizat Nestorium impia dogmata prædicantem, & communicationem impiam.

Ex his constat, Patres Reuerendissimi, quis fuerit Synodo scopus, Patribusque qui interdictum posuere, ne cui liceat proferre alteram fidem præter Nicænam; fidem enim intelligunt contrariam, pugnãtem, diuersam, peregrinam, alienam à recta fide. Quare vox illa significat discrepantiam & contrarietatem, non alterã expositionem veritati fidei consentientem. hoc & Cyrillus ipse testatur, qui apertius dilucidiusque exposuit dilatauitque Nicænam fidem. Hoc etiam habetur euidentius in Epistola, quam tertia hæc Synodus scripsit ad Imperatores, recensendo quid ipsa gesserit. Nam inter alia; Litteras, inquit, Cyrilli comperimus dogmati & sensui Patrum consentaneas, & nullo modo à fide tradita per Apostolos, Nicænosque Patres alienas: dogmata vero Nestorii pugnantia deprehendimus cum dogmatibus & fide Catholica.

Conc. Eph. Act. 1.

Conc. Eph. par. 1.

Lecta est deinde Cœlestini ad Nestorium Epistola, quæ incipit; *Aliquantis diebus vita nostræ*: vbi post aliqua sic habetur: Quis vnquam non dignus est anathemate iudicatus, vel adiiciens, vel detrahens fidei? Plene etenim ac manifeste tradita ab Apostolis nobis nec augmentum, nec imminutionem requirunt. Legimus in libris nostris non addi debere, non detrahi: magna quidem & addentem & detrahentem pœna constringit.

Hic annotato & illud, etiam ante Ephesinam Synodum fuisse vetitum, ac pœna mulctatum, addere seu detrahere vel ipsi Apostolorum Symbolo, vt infra clarius exponit Cælestinus: hoc tamen interdicto nõ obstante addita sunt & detracta quædam è Symbolo, vt illud, descendit ad inferos; nec est qui de hoc nos reprehendat. Accusat Nestorium Cælestinus, quod verba de Symbolo sustulerit, vocem scilicet illam, Deipara; quæ in Symbolo Apostolico non explicite, sed implicite continetur. Ratio huius est, quod Nicæna & Constantinopolitana Synodus & reliquæ nihil addiderunt aut detraxerunt fidei, quod esset sano sensui & veritati contrarium, vt fecit Nestorius: Ex his pater, interdictum esse illi, qui contra verum sensum & rectam fidem addit vel adimit. Vnde omnis tollitur difficultas, quam vos Orientalis Ecclesiæ Patres contra Latinos proponitis: non enim addiderunt illi vocem illam, ex Filio, vt quid Symbolo Constantinopolitano, aut veritati, aut rectæ fidei contrarium. Et quod à vobis, Patres, dictum est; Nicænum & Constantinopolitanũ Symbolum idem esse; & lecto vno intelligi alterum; & licet verbis differant, sensu tamen & veritate conuenire; hoc idem & nos dicimus; Lecto scilicet illo & hoc intelligi; & licere vocem hanc addi; quia non discrepat à recta & vera fide. Et quando dicitis; cautũ est, ne quid addatur: Respondemus, & hoc & illa esse vnum & idẽ, licet vocibus differant. Sequitur ergo non esse proprie additamentum, sed vnum atque idem, siue eiusdem significati expositionem.

Habentur præterea in Epistola Cælestini hæc verba; Inter multa, quæ à te impie prædicata vniuersalis recusat Ecclesia, Symbolo ab Apostolis tradito, plangimus hæc verba fuisse sublata, quæ nobis totius spem vitæ salutisque promittunt: ea vero sunt; Beatam Mariam esse Dei Genitricem; quæ in Symbolo Apostolorum virtute continentur. Et constat ex hoc, nihil esse de Symbolo Apostolorum subtrahendum, subtractum tamen est illud, descendit ad inferos. Verum qui detraxerunt, id non negabant, neque cum veritate pugnabant, quemadmodum Nestorius dum negaret, Virginem esse Deiparam.

Subdit postremo Cælestinus, vt nisi Nestorius intra decimum diem damnaret perfidam nouitatem, quæ separabat quod Scriptura coniungit, & prædicaret quę Catholica tenet Ecclesia, sciret se ab Ecclesia Catholica ejectũ. Alia quoq; possem afferre; sed ad illa quæ relicta sunt, nostra festinat oratio, ad id ergo, vnde digressi sumus, reuertamur, & certe quod attinet ad nostri sermonis progressum, nos à proposita materia non essemus digressi. Quare dicimus rationem, cui vestra contradictio innititur, secundum quid claudicare, idq; probamus hoc argumento.

Reliqua huius sessionis definiuntur.

DIE NOVEMBRIS VNDECIMA, FERIA TERTIA.

SESSIO VNDECIMA.

II. *Iulianus Cardinalis.*

QVoniam multa ex vtraq; parte dicta sunt scite admodum ac subtiliter, quæ fortasse à Theologis potius, & sacræ Scripturæ peritis, quam à laicis & aliis non ita eruditis intelliguntur; ego rude quid habeo dicere super hac materia, quod si intelligatur non solum ab huiusce modi rerum peritis, sed etiam à laicis, dubitationem huius quæstionis, ni fallor, facile diluet. Verum quia inter nos conuenit, vt sermonibus absolutis ad concisam disputationem deueniamus, si placet nostrum quoque audire sermonem, aggrediar; ũ minus, penes vos est.

Imperator Iul. Card.

Age, dicat Cardinalis, dicat.

Conc. Eph. par. 2. Act. 6.

Itaque radicem dubitationis tangam. Quæstio est de interdicto à Synodo Ephesina posito; iis v. delicet verbis; Nemini liceat proferre; aut conscribere, aut cõponere, & reliqua. Nos dicimus, hæc verba sic intelligi, vt nemini liceat fidei Nicænæ contraria dicere. Vos dicitis, intelligi non solum de alreta & contraria fide, sed etiam de quacunque explanatione, siue expositione, siue additione: atque per interdictum illud prohiberi in Symbolo quamuis expositionis aut explicationis appositionem. Aiunt autem legisperiti, non posse legem percipi, nisi lex tota perspiciatur. Quare ad intelligentiam huius negocij necesse est ea perspiciamus, quæ legem hanc antecedunt. Legitur in actis Synodi, recitatam esse, antequam Patres interdictum illud cõdidissent, à Charisio quodam expositionem fidei Anastasii & Photij discipulorum Nestorij; à quibus missus erat Iacobus quidam ad prædicandam Nestorij hæresim; qui etiam multos seduxerat, & aliud fidei Symbolum, immo vero, vt Charisius inquit, infidelitatis non fidei Symbolum tradiderat. Interalia vero idem asserit, se à Iacobo & aliis idem sentientibus fuisse accusatum, vt eius fidem non recipientibus. Propterea idem Charisius volens se ostendere orthodoxum, prius suæ fidei subdidit expositionem; deinde intulit, se dicturum etiam & prolaturum esse Nestorij & sequacium eius Symbolum. Primũ ergo suum recitauit pium Symbolum; quod tamen neque Nicænum, neq; Constantinopolitanum erat. Dico, lectam primo à Charisio suę fidei expositionem, deinde quod erat à Nestorianis cõfictum. Post hæc Charisius; me vero, inquit, vt hæreticum communione priuarunt; Ego autem credo in vnum Deum, &c. Necest in hoc Symbolo; Eos autem qui dicunt, erat aliquando, quando non erat: tollit enim hoc è Symbolo Nicæno, ponitque illud: & in Spiritum sanctum consubstantialem Patri & filio: quod neque in Nicæno, neque in Constantinopolitano habetur Symbolo. Recitauit idẽ postea Symbolum Nestorianorum, quod vocat perfidiæ Symbolum. Quibus lectis subdit sancta Synodus; Nemini liceat proferre, aut docere alteram fidem. Postmodum damnat eadẽ eos, qui confictum & expositum à Nestorianis Symbolum tenerent, nec vllam facit mentionem Charisij, quæ eius confessionem & fidem reprobet. Quod si fuisset eius consilium, cuiusuis & quamuis interdicere confessionem: & si noluisset aliud recitari Symbolum præter Nicænum, seruata verborum eius formula, proculdubio Charisij expositionem improbasset: sed quia

vera erat Charisij confessio, idcirco Synodus non improbauit Symbolum ab ipso prolatum, sed eo confirmato damnauit fidem Nestorianorum. Ex quo sequitur, per verba illa significari, fidem Nicænæ oppositam: & hoc mihi validum videtur ad demonstrandum, quid per illud interdictum significetur. Secundo, hæc Synodus non solum cauit, ne cui liceat proferre, cõscribere, & reliqua; sed etiam ne aliud sentire liceat præter fidẽ Nicææ expositam. Si vos interrogauero, num Deum æternum esse vestris animis credatis; profecto affirmabitis. Atqui dixerit quispiam, vos esse propter hoc anathemati subiectos, quoniam id non continetur in Symbolo, & vos aliter sentitis, ac habetur in Symbolo: atq; ita dici potest de innumeris veritatibus. Ad illud vero, quod asseritis; licere scilicet priuatis personis & auctoritate propria exponere & declarare, prout libuerit; Catholicæ vero Ecclesiæ id non licere; dico, contrariũ hoc esse verbis decreti. Ibi enim in principio legitur; Nemini liceat proferre, &c. in fine vero, si sit Episcopus, vel Clericus, Episcopum Episcopatu deponi, &c. Ex quibus constat, decretum in omnes generaliter & particulariter ferri, siue sint Episcopi, siue Clerici: cumque laicorum meminerit, patet de omnibus laicis esse illi sermonem: laici non solent cantare Symbolum in Ecclesiis, sed Clerici: propositum ergo erat, omnibus & laicis & Clericis interdicere, & in Ecclesia & extra Ecclesiam. Hinc patet, etiã priuatis personis esse interdictam alterius fidei conscriptionem. Quod si alteram fidem velitis generaliter intelligere, multi, immo fere omnes erunt sub anathemate. Præterea ad maiorem quæstionis dilucidationem dicimus, Expositionem, quam Agatho scripsit & misit ad Synodum, nõ vnius; sed multorum fuisse; erat enim totius Occidentalis Ecclesiæ: nam Agatho in ea loquitur cum omnibus sibi subditis in Occidentali Ecclesia; multique Episcopi ad centum vigintiquinque Epistolam illam subscripsere. Ad hæc Dominus Nicænus superiori sermone de eo loquens, quod dixerat Colossensis: nempe Rom. Ecclesiam instante & vrgẽte necessitate vsam esse illa explanatione, ex Filio: intulit, non esse positum in decreto, si adsit necessitas: nec illam excipi. Dico igitur, in Decreto planis verbis haberi; Nemini licere proferre, seu docere: nec vllam fieri mentionem priuatæ personæ, aut vniuersorum: quapropter de omnibus æque debet intelligi tale interdictũ. Addo in Ephesina Synodo nullam esse factum de Symbolo Cõstantinopolitano verbum. Aut ergo Patres illi obliti hoc sunt, voluerintq; illud in Ecclesia cani: atq; ita debemus posteri omnes non aliud, quam Nicænum cantare: tumq; Constantinopolitanum canentes male faceremus, vt quod cantari non debeat; aut recordati veluti contrarium, & indignum quod canatur, prætermiserunt: aut certe pro eodem sumpserunt; tumq; considerandum est, in multis Nicænum à Constantinopolitano differre, sed quia eundem sensum & fidem continet, intelligi vt vnum & non contrarium. Et vos dixistis, Constantinopolitanũ Symbolum in Nicæno contineri virtute; lecto que vno intelligi alterum. Vbi ergo fuerit Symbolum sensu cõuenies, pro vno debet haberi, non pro diuerso: per decretum non prohibetur hoc, sed altera tantum fides. Quare intelligendum est de fide contraria, & quæ discrepet à veritate. Aliud quoq; volo dicere ad maiorẽ veritatis declarationem. Quæ definita sunt in Synodis, palam est definita esse per Spiritum sanctum, & eundem sanctum Spirtum esse in omnibus. At in sexta Synodo, cum recitarum fuit decretum, Patres ita locuti sunt: nemini liceat, &c. aut aliud sentire ad euertenda illa, quæ sunt definita. Ita sexta Synodus, siue qui per illam indicabat Spiritus sanctus, explanant, quomodo nemini liceat alteram proferre fidem, hoc est fidem oppositam, ad veræ fidei euersionem; sed nõ prohibent quod fit ad ad declarandam, aut apertius enucleandam veritatem. Præterea cum de verbis quibusdam legis dubitatur, accurrendum est ad mentẽ legislatoris. Ea vero deprehenditur siue ab exordio, siue ex verbis ipsius legis, siue ex ijs; quæ subsequuntur. Igitur initio habetur, Patres vbi conuenerunt, voluisse Symbolum Nicænorum Patrum recitari, necnõ sermones, qui spectarent ad Symbolum: vt approbarentur, qui cum eo conuenirent; qui secus, reprobarentur. Quare legislatori, hoc est Ephesinæ Synodo non aliud fuit propositum, quã aliam prohibere fidem, siue aliam expositionem, quæ faceret ad veræ fidei euersionem: non fuit autem illorum consilium spectare verba, sed sacræ Scripturæ sensum, Hoc patet ex Epistola sancti Cyrilli, qui vt recitatum fuit Nicænum Symbolum, intulit statim; Nos confessionem Patrum sequentes, mentem ac propositum sequimur, & rectam fidem explanamus. Hoc etiã ex septima Synodo constat, vbi dicit: Summa cum diligentia scrutantes, & veritatem fidei sectantes: & infra ijdem Patres; Sequentes inquiunt, rectam & inerrantem fidẽ nihil detrahimus, nihil addimus præter fidem Nicænorum Petrum. Illi ipsi tamen alias de Imaginibus definitiones ediderunt. Ex quibus patet, mentem legislatoris esse, vt veritas in omnibus prædicetur, doceatur, dicatur, & non taceatur. Vltimo reseruaui quiddam, quod mihi videtur esse res ipsa, de qua nunc agitur: prius vero dicam aliud, quod facit rẽ planam. Synodus Chalcedonensis ait, fuisse quosdam, qui Leoni Papæ obloquebantur, dicentes, ediram ab eo peregrinam fidei expositionem; & aliet fuisse ab eo fidem explicatam, ac liceret iuxta Patres Nicænos, verba Synodi hæc sunt: Et ne quis Leonem insimulet, vt qui nouam fidei expositionem confecerit; nemini aurẽ licet aliam edere præter eam, quæ à Nicænis Patribus facta est. Loquitur in eos Synodus, qui insurgunt contra veritatẽ; defenditq; Leonem, & ait; nihil ab eo commissum contra interdictum, dum fidem exposuit & explicauit. Cum enim oriuntur errores, diuersa debent adhiberi medicamenta à sanctis Patribus. Et licet fides à Patribus exposita sufficiat; quia tamẽ multi sunt, qui volunt sensum verum euertere, idcirco conuenit eandem fidem explicare melius, ac declarare. Nam si omnes definita fide contenti essent, non opus esset aliud solicite exquirere præter Nicænum: at quia multi de recta linea feruntur in anfractus, per viam scilicet falsitatis & erroris, necesse nobis est veritatis viam explicare, planamq; facere, &c. multa quoq; alia ponit, quæ ad hoc faciunt. Nunc ad illud venio, quod vltimo dicere volebam. Nostis Eutychem in Constantinopolitana Synodo fuisse à Flauiano damnatum: postea celebratam esse Synodum Ephesi, quæ reprobata est, cui Dioscorus tyrannice præfuit, interfuit etiam Eutyches; qui cum suam vellet agere caussam, & ostendere se non erasse, recitauit suam fidem, hoc est, Nicænum Symbolum de verbo ad verbum: postea dixit, hæc est fides Patrum; & in hac volo viuere & mori: sed quia fides Nicæna confirmata est per Ephesinam Synodum; ea vero prohibuit aliam proferri fidẽ præter illam primam; decreuitq; vt nihil adderetur, nihil tolleretur; propterea dicebat, Ego rectam fidem teneo, Flauianus autem non tenet rectam fidem, cum asserat Christum ex duabus & in duabus naturis; & in Symbolo Nicæno non dicatur Christus habere duas naturas, vel esse ex duabus naturis. Eutyches pietatẽ hanc tollebat, ne voces quidem addi permittens. Quod audiens Eusebius quidam Dorylæi Episcopus exclamauit; mentitus est; nullus est canon, qui hoc præcipiat. Respondit Dioscorus: Quomodo nullus est canon apud nos duo sunt codices, & in omnibus legitur, non licere quidquam addi Nicæno Symbolo. Acta sunt hæc in Synodo Chalcedonensi, quæ nihil dixit aduersus Eusebium Dorylęi, sed suscepit illum, & amplexa est. Infra etiam Dioscorus sententiam fert contra Flauianum; quam pronunciando ait: Idcirco illum priuari Episcopatu, quoniam Ephesinæ Synodi decretum esset transgressus: in quo sancitur, Episcopum vel Clericum proferentem aliam fidem, aut addentem, siue detrahen-

Act. 7. in de finit.

In allocutione ad Imp.

Concil. Chal. Act. 1.

Act. 18.

trahentem, Episcopatu deponi, quoniam, &c. proinde Eusebium & Flavianum, vt huius legis transgressores abdicauit. Omnes autem illi Episcopi, quam quam sententiam Dioscori secuti sunt, reprobatam postea secuti sunt: & omnes interdicto illo innitebantur, quod tulerat Synodus. Quare ita loquuntur: Ostenderunt sese ab omni sacerdotali dignitate alienos Flavianus & Eusebius, qui aggressi sunt addere vel demere de sancta fide per Nicænam Synodum exposita, & per celebratam Ephesi comprobata. Quapropter iustum est addentes vel detrahentes alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à clero. Cum vero hæc legerentur in Synodo Chalcedonensi, dixerunt omnes; Anathema Dioscoro, quia male iudicauit: hoc hora damnetur Dioscorus. Atque ita Synodus omnia retrorsus Flauianum constituta rescidit; censuitq; nihil a Flauiano cõmissum contra Nicænam, aut Ephesinam Synodum: & verba illa, quibus dicitur Christus habere duas naturas, vel ex duabus esse naturis; licet expresse non habeantur in Nicæno Symbolo non esse tamen contraria veritati, sed de Nicæno Symbolo virtute deduci. Quare nec arguẽdus, nec increpandus est, qui addit, vel explicat; dum veritati fideique Catholicæ consona proferat. Et videtur mihi, Patres Reuerendissimi, nullum aptius exemplum posse vspiam reperiri ad propositum hoc ipso, quod de Flauiano prolatum est. Concludo igitur: Verba illa interdicti: Nemini liceat proferre, aut sentire, & reliqua: intelligenda esse de ijs, qui fidem contrariam tenent, aut à veta diuersam: seu Scripturam sacram aut Nicænum Symbolum immutant. Hæc pro meo rudi iudicio omnem possunt tollere dubitationem: Si non ita est, opto à vobis doceri. Quapropter cum Ecclesia Latina dicat, nihil se contra veritatem; aut sacram Scripturam, aut Nicænum Symbolum, aut aliarum Synodorum definitiones addidisse: operæpretium est quæstionem hanc prætermittere, an aliceat, nec ne: & accedere ad aliam, verumne sit, Spiritũ sanctum ex Filio procedere. Quod si ostendere poteritis, ex Filio non procedere: tunc ego aperte dixerim, esse additamentum: & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non licuisse addere, quod est veræ fidei oppositum: sed si falsum hoc esse, probare non poteritis: imm'o vero demonstratum fuerit vtile & verum: tunc concedendum erit, licuisse in Symbolo explicare: eritque pax vtrique parti. Hæc dicere potui, correctioni ea subijciens Beatissimi Patris & Domini nostri, nec non Serenissimi Imperatoris, aliorumque Reuerendissimorum Patrum.

Nicænus. Reuerendissime mi Domine, & omnes quidem ex vtraque parte sermones optime pulcherrimeque sunt habiti: præsertim vero quos præclare, & ad propositum accommodatissime tua reuerentia protulit: nam & rẽ ipsam retigisti, & nihil fere omisisti, quod esset necessarium dicere. Respondebimus tamen ad hæc cum charitate, vestras etiam fortasse defensiones pariter audituri. Arbitramur enim nos, pleraque horum pro nobis facere: sed in præsenti non videtur mihi tempus commodum ad respondendum duab. hisce de caussis. Primo, quia surgendi tempus iam est. Secundo, quia sicuti pulchra, ita etiam fuere multa. Volumus ergo ea scripta etiam videre, atque ita satisfacere. Nunc, si videtur, in nomine Domini surgamus: postea vero cum accepe-rimus quæ sunt excepta, dabimus congruens adhibita consideratione responsum.

LII. *DIE DECIMOQVINTO NOVEMBRIS, Sabbato.*

SESSIO XII.

Ephes. NOs, amici Patres, non eo conuenimus, vt verbis [illegible] inter nos decertemus; aut alter alterius [illegible] damus: hoc enim iactantiæ potius est, quam [illegible] veritatem: sed vt cõmuni studio disquiramus [illegible] quæ [illegible] uergunt, eaque cum omni dili-

gentia, pace, simplicitate, & beneuolentia examinantes, ita reliqua quæ sequuntur, concludamus; donec ambæ partes ad illum, quem pariter inquirimus, finẽ perueniamus, hoc est, inuentionem veritatis. Quapropter ea quæ prius dixit Reuerendissimus Cardinalis, & qui proximus ei sedet, Reuerendus Episcopus Foroliuiensis, Deo fauente, & tempore permittente iam examinabuntur: ad singula nobis non sermone longo & ornato & probabilitatis habente speciem respondentibus, sed ea dicentibus, quæ vera omnes fateantur, vel vobis ipsis assentientibus. Nunc si placet, ad ea quę posterior dixit Reuerendissimus D. Cardinalis, prius accedamus: eaq; summatim singula, qualia sint, expendamus: nam & ad propositum ipsum spectabant, & nihil alieni continebant, & quoad eius fieri posset recte atq; ordine disposita erant. Quare hanc etiam illis referemus gratiam, vt nihil eorum indiscussum prætereamus: ea dico quæ summatim dicta sunt prius, non quæ sunt postea particulatim enarrata: hæc enim rursus in immensitatẽ producta discussionem effugiunt. Rogo autem ipsum, vt quotiescunq; fuerit à me interrogatus, aut mea dicta recipiat, aut obsistat: neq; enim solum ad ipsum, sed cum ipso etiam volo quæ dixit perpendere: cum animaduerterim oblectari eum potius inuentione veritatis, quam suorum defensione dictorum: vt si contingat etiam illa reuinci, amaturus potius me sit vt sapiens, iuxta dictum Sapientis: Argue sapientem, & diliget te. liceat vero ipsi quoq; de me vicissim quærere quidquid voluerit; cũ opus erit: nam æquo animo feram sermones meos interrumpi & examinari, meq; dictorum meorum reddere Deo iuuante rationem. Si quid etiam à me dicetur, quod illi falsum videatur, coarguat: pro certo hoc habẽs, quidquid à me fuerit absque examine relictum, fore omnino indubitatũ, quod non egeat in posterum aliqua discussione: quod ipsum profecto ab ijs etiam seruabitur, qui post me sermonẽ sunt habituri. Itaq; primũ inter ea quæ protulit, argumentum tale fuit: In tertia Oecumenica Synodo Charisius quidam oblato aduersus Nestorianos libello, factaque suæ fidei expositione, aliter ac Nicæna fides exposita est se habente, non fuit à Synodo redargutus; constat igitur ex hoc, non alteram simpliciter fidem, sed contrariam esse veritam. ita se habet argumentum tuum: respondeo.

Iulianus Cardinal. Ego libenter audiui, quæ nunc tua dixit Reuerentia; quod ergo attiner ad exordia, nihil ipse dicam; ad illud vero, quod nunc Reuerentia tua quæsiuit, sequẽdo Beati Petri doctrinam, paratus ero ad satisfaciendum vnicuique, quantum ingenij mei tenuitas fert; sed vellem tua Reuerentia aliquem ex præsentib. hisce Doctoribus interrogaret; nam ab illis potiores haberet responsiones. At quando me elegisti, & ex me quæsiisti, pro viribus respondebo. Et quoniam veritatis inueniendæ gratia hue conuenimus, ego non erubescã, siue tu, siue alius errantem me corrigat; præferendus est enim honor Dei, qui est ipsa veritas, honori proprio. Respondebo tamen hac conditione, vt si quæsitis tuis ipse non satisfecero, liceat hisce Patribus & cuiuis respondere; & si non recte dictum à me quidquam fuerit, soli mihi ascribatur, non veritati ipsi, aut aliis Patribus. Accipio item quod vltro obtulit; ac pollicita est tua Reuerentia; vt quoties fueris à me requisitus, patiaris interrogari à nobis; atque vt par est, respondeas. Venio ad ipsam responsionem; & dico; non opus esse, vt ex me tua Reuerentia nunc quærat; cum sessione proxima omnia plane, clareque dixerim; immo etiam quæ dixi, scripta tradiderim satis bene explicata; sed si placet tuæ Reuerentiæ, obsequar tuæ voluntati, & respondebo ad interrogata. Tua quoque Reuerentia respondeat, an dictum sic satis; nam si vis, vt addam quid amplius, dicam.

Ephes. Nos alia responsione non egemus, sed tantum assensu, quod ita se habeat; nam illa examinabũtur; propterea non opus est prolixa oratione; nos enim ex scripturis quidem talem sensum percepimus, quærimusque vtrum bene percepeiimus, nec ne.

Iulianus Cardinal. Graues sunt Patres Reuerendissimo Cardinali: sed si opus est, alii Patres respondeant; sin minus, fiat vt lubet.

Ephes. Petimus, vti paucis ipsi quæsiimus. Ita paucis respõderi nobis: nam in disputationibus aliter fieri non potest, nisi concise fiant responsiones, atque ita progrediantur.

Iulianus Cardinal. Ego nihil aliud quæro, quam vt si vis, omnia quæ dicta sunt, assumas; si placet interrogationes missas facere ita differes, & refelles ea tantum inspiciens, quę scripta sunt. Si tamen lubet, dic omnino quod vis, & respondebo tibi. Summa porro dictorum meorum hæc est. Charisius obtulit Synodo fidẽ suam, quæ sane Catholica erat: postea confictum à Nestorianis Symbolum recitatum est. Synodus reprobauit confictũ Symbolum, non expositionẽ fidei à Charisio factam. Quod si Charisio non licuisset exponere, profecto Synodus abrogasset illam, ac reiecisset. Dixi etiam, expositionem & confessionem fidei Charisij similem plane esse Nicæno Symbolo, exceptis duabus aut tribus dictionibus, quæ etiam veræ sunt & piæ. si res aliter se habet, dicat tua Reuerentia.

Ephes. Conuenimus plane: nam & ego hunc esse dixi sensum tuorum dictorum, si vnum excipias; nempe Charisii fidem esse Catholicam: erat enim Catholica sensu tantum, non autem verbis; cum diuersis ab ea quæ Nicææ tradita est, constet vocabulis, sed neque ab illis vt Catholica probata est, verum vt congruens & sequens Catholicam fidem, illius tamen propria. Ita se res habet, an non?

Iul. Card. Placet mihi quod dixisti, & admitto: admitto autem hoc quod dicam: expositionem scilicet, siue confessionem fidei Charisij congruere quod attinet ad sensum cum fide Catholica, non autem iuxta voces & syllabas, cum multam habeat varietatem. Ego vero cũ dico fidem Catholicam, intelligo veram. Quod autem fateris, expositionem siue confessionem Charisij consentire cum fide Catholica, atq; illam sequi, mihi placet. Interim quæro, vtrum illa confessio recepta fuerit à Synodo, nec ne?

Ephesius. Recepta est vt propria, non vt communis.

Iul. Card. Recepit illam Synodus vt veram?

Ephesius. Satis interrogata percepimus: at eorum hoc argumẽtum veritatis studio candideq; respondentes dicimus; Charisium nõ accusasse simpliciter Nestorianos, quod alteram fidem edidissent, sed propter hæc tria; primo, quod loco fidei Nicænæ peruersam suam traderent fidem, veluti communem institutionem, ijs qui accedebant ad fidẽ ex hæreticis: ex quo manifeste grauis iniuria fiebat sanctæ illi Synodo, & fidei quam ipsa ediderat. Secũdo, quod inseruissent in ea prauæ & peruersæ & plenæ impietatis dogmata; quapropter illam perfidiam potius quam fidẽ vocat Charisius. Tertio, quod & ipsum Charisium, qui expositionem illam non admittebat, persequerẽtur vt hæreticum. Ita propter hæc Charisius suam fidem exponere coactus est, prout voluit, & quibus verbis voluit, vt sese ostenderet cum Nicænis Patribus conuenire, & non ab re pati infectationes hæreticorũ à recta fide aliena sentientium: hoc autem nunquam fuit interdictum, vt suam quis fidem exponat in Ecclesia, prout vult, ad illud tantum ostendendum, quid sentiat, non ad condendam confessionem & fidem Catholicam; quod multo magis tunc licebat, quando nondum erat promulgatum interdictum. Constat enim in posterioribus quoq; Synodis, multos Ecclesiæ Præsules variis rẽporibus suam exposuisse fidem, vt volebant, quibusque verbis volebant. Nam B. Agatho, sicut vestra Reuerẽtia dixit, suam suorumq; Episcopor um fidem expositam misit ad sextam Oecumenicam Synodum: & ante illum B. Hierosolymorum Patriarcha Sophronius in sua ordinatione, hoc est, promotione ad Episcopatum, scriptam suæ fidei expositionem misit ad Patriarcham Constantinopolitanum, quæ lecta est etiam in sexta Synodo Oecumenica. In vniuersum quilibet Archiepiscopus & Patriarcha litteras, quæ Synodicæ appellantur, inter se dabãt, nihil aliud continentes, quam rectę fidei, cuique sensus confessionem; quod in Orientalibus Ecclesijs hodieque sit vsq; ad hoc tẽpus: Nam tres alij Patriarchæ post Constantinopolitanum, cum in sedibus collocantur, ad illum suæ fidei confessionẽ scribunt. In summa, hoc à principio fieri solitum perdurat etiam nunc. Proinde mirum nõ est, si & Charisius ob illam expositionẽ non fuit à Synodo reprehensus: neque enim tradidit illam vt Catholicam fidem, quæ deberet à posteris seruari, & esse in vsu; sed tantum, vt dictum est, ad declarandũ quid ipse sentiret. Si vero vos aliud quidpiã de illa expositione dicere habetis, auide audiemus. Quærimus igitur: Expositionem hanc tradidistis vt priuatam confessionem, an vero vt communem institutionem, quæ deberet apud omnes Christianos locum Symboli obtinere? peculiaria namque, vt diximus, nunquam fuere prohibita. Dic, si quid habes ad hæc dicere.

Iulianus Cardinal. Primum tres reddidisti causas, propter quas asseris non fuisse ab illa Synodo reprobatam expositionem Charisij, sed Nestorianorum. Primum est, quod Nestoriani tradere ẽt illud confictum Symbolum loco Nicæni: alterum, quod in conficto multa falsa & peruersa continerẽtur dogmata. tertia, quod Charisium infectarentur, vtpote aliter sentientem, & abhorrentẽ ab eorum dogmatibus. Ad primum ergo dicam aliqua, sicut in meo codice lego, Nestoriani cõposuerant Symbolum, quod loco Nicæni tradebant: Et videntur, vt ex actis colligo, ideo alterum Symbolum illo posthabito tradidisse, quod Nicænum paruipenderent. in actis hæc ipsa verba leguntur: Cum Philadelphiam veniissent, quosdam seduxerunt; & posthabito Nicæno tradebant simplicioribus alterum peruersarum opinionum Symbolum. Quare non fuit ea caussa, quæ mouit Synodũ ad improbandum Nestorianorum Symbolum; sed illa, propter quam abrogauit confictum Symbolum, fuit hæc; quod peruersa & nefanda Nestorij dogmata continebat: ratio est; quod si vera cõtinuisset dogmata, Synodus illud non reprobasset, sed potius recepisset. Ad secundam rationẽ, fateor & ipse illud fuisse causæ, cur Synodus tale Symbolũ reproberit; nempe quod falsa & adulterina dogmata contineret. Ad tertiam respondeo, non videri caussam sufficientem aut eius momenti, vt mouerit Synodum ad faciendum quod fecit: satis est; quia non erat curandum Synodo, si Charisium Nestoriani infectarentur; sed curauit potius, ne contraria dogmata in Symbolo fidei continerentur. Itaque submota prima & tertia caussa, media fuit, quæ permouit Synodum ad reprobandum Symbolum Nestorianorum. Hinc ait tua Reuerẽtia, Synodum nunquam prohibuisse, ne quis suam expositionem priuatim ederet, dummodo à recta fide non deflectat. Deinde profers exemplum Agathonis & Sophronij, qui editis priuatis suæ fidei expositionibus non fuere à Synodo redarguti, seu reiecti. Sed hic lubet quærere & quæro; an Agatho ille & Sophronius, qui suam exposuere confessionem, interdictum fidei violauerint, nec ne?

Ephes. Minime; quia nihil communi Symbolo addiderũt, sed extra, & priuatim expositis suis confessionibus decreto Synodi non obstringuntur. dictum est enim, non fuisse cuiquam prohibitum, priuatim exponere suam fidem: sed eam pro Symbolo tradere, aut Symbolo quidpiam interserere, hoc prohibitum est.

Iul. Card. Placet mihi quod ait tua Reuerentia, neq; Agathonem, neque Sophronium, neque Charisium discessisse ab interdicto per suæ fidei expositionem. Ad illud autem quod quæsiuisti, respondeo; Charisium tradidisse expositionem & confessionem suæ fidei, vt veram & fidei Catholicæ consonam; non vt expositionem fidei, quasi legem ipse daret Ecclesiæ; traderetque Symbolum, quo vterentur omnes: neque enim ipsius erat do-

cere

cere populos, & communis fidei formam præscribere, sed suæ tantum fidei specimen dare. Itaque satis mihi est, nihil esse ab illo commissum contra interdictum. Quapropter aut Catholicæ Ecclesiæ, aut ei qui Catholicam docet Ecclesiam, instruendique populos habet potestatem, hæc etiam erit plane facultas, vt addat Symbolo, cum fuerit opus. Sufficit hoc, vniuersali Ecclesiæ non esse interdictum.

Ephes. Habemus hoc abs te, Charisium non fuisse redargutum, cum nil reprehensione dignum cõmisisset: non ergo sequitur, Patres Ephesinæ Synodi concessisse licentiam volentibus immutare Symbolum, quod illi nõ fuerit interdictum. Atq; ita primum tuum argumentum dilutum est. An vero talem facultatem habet Catholica Ecclesia, immutandi scilicet commune Symbolum, in aliis disputationibus Deo fauente, & tempore permittente examinabimus. sed illud quæro, an Charisio quidem non licuerit hoc facere; illis vero Nestorianis, si recte crederent, hoc licuisset. Dixisti enim prius de hoc; de clara igitur quod dixisti. Licebatne Nestorianis, si rectam fidem tenerent, Nicænum quidem Symbolum postponere, suũ vero tradere in baptismo? Nunc enim dicis, vniuersalem Ecclesiam posse hoc facere: num ergo talem & illi facultatem habebant, an non?

Iulianus Cardi. Duas proposuisti quæstiones, quarum prior prætermittenda non est. Primum dixisti; Decretum interdicti velle, cuius esse vetitam immutationem, aut subrogationem alterius Symboli. Hinc illud sequi videtur, quod & tua concessit Reuerentia; non prohibere Synodum, quin suam quisque confessionem exponat, prout voluerit.

Rhod. Dum nihil à recta confessione decedat; dumq; commune Symbolum non infestet.

Iulianus Cardinal. Sufficiat in præsens, Ephesinam Synodum nequaquam interdixisse, ne quluis suam fidem exponat, vti voluerit. Antequam vero progrediamur vlterius, volo quandam apologiam obiicere, siue contradictionem, quæ in libro & in ipsa littera reperitur. textus sic habet; Nemini liceat proferre, &c. quæ tu verba si ita intelligis, vt sit sensus, nemini liceat aliis verbis eandem fidẽ exponere: Hoc posito, animaduertat tua Reuerentia quo feramur: nam in ipso decreto interdicitur omnibus; & ad finem fit mẽtio, ne aut Clerico, aut laico liceat, &c. Quare si verba hæc aliam fidem interdicunt iuxta illum sensum, quem iis tradit tua Reuerentia, sequitur plane cõtradictio. Concedis enim, licere cuiuis suæ fidei confessionẽ exponere quibuscunq; voluerit verbis: deinde infers decretum, de Episcopis & Clericis differens, quod ad laicos etiam extenditur. Quocirca ex ijs quæ dicis, hæc inter se pugnant. Quod autem ad verum attinet sensum, ego satis declarauí in scriptis: nam verba decreti; Nemini liceat alteram fidem: intelligẽda sunt de fide, qua debeant vti posteri; illud vero, alteram, accipiendum est, quasi diceret, contrariã. Rursus in textu non legitur, Nemini liceat addere, aut proferre, siue publice, siue coniunctim, siue separatim; sed simpliciter, Nemini liceat, &c. Quod vero hæc verba non nisi de fide contraria intelligantur, liquido cõstat ex actis eiusdem Synodi. Cum enim Episcopi conuenissent, dictum est: Recitetur Symbolum; deinde proferantur sermones de recitato Symbolo; Et qui Symbolo consonant, reciplantur & approbẽtur: qui vero dissentiunt à veritate, reijciantur. Infert igitur Synodus decretum proculdubio prædictis respondens, vt reciplantur quæ conueniunt, contraria vero tollantur. Ex quibus patet, alteram fidem dici, non quæ vera est, sed quæ contraria & contradicens. Multis aliis verbis hoc idem probare possem; sed quia scripturam vobis tradidi, in qua latius hac de re disserui, demonstrauique necessario ex textu, fidẽ quæ contraria est vocari, alteram; ne peruertam ordinem, his omissis respondebo nunc ad illa duo, quæ quæsisti. sed prius quam responsionem aggrediar, illud prætermittendum non est; hæc sine dubio dicta & facta esse in Synodo nondum posito interdicti decreto. Ad hoc ergo dico, me paratum esse ex actis tertiæ & septimæ Synodi demonstrare, hoc interdictum fuisse positum etiam ante tertiam Synodum. Et si placet, iam de hoc disputabo: sed ne videar euitare responsionem ad tua quæsita, his quoq; satisfaciam. Quæsisti primum, an esset reprehendendus Charisius assumendo sibi licentiam, cum non haberet facultatem condendi alterum Symbolum. Etenim visus es meam destruxisse rationem, eo quod Nestoriani accusati propterea sint, quod alterum confecerint Symbolum: & dixisti aperte, si pium extitisset, futurum fuisse vt nunquam argueretur à Synodo. Hoc idem rursus respondeo; confictum à Nestorianis Symbolum, si pium esset, mansurum illud etiam fuisse, sicut Charisij, Agathonis, & Sophronij Symbolum: Illud enim reprobatur, quia peruersa & adulterina continet dogmata. Ad secundum, quod si verum esset, reprobatum non fuisset; asseris Nestorianos facultatem non habuisse.

Ephes. Symbolum illud dissimile erat Charisij, Agathonis, & Sophronij Symbolo: nam illud vt communis institutio tradebatur, qui ex hæresibus conuertebantur, loco Nicæni Symboli; hæc vero non item: neq; enim vt communis institutio tradita sunt Ecclesiæ, neq; per illa baptizari quospiam statutum est: quare non est eadem illius & istorum ratio, licet illud Symbolum esset orthodoxum: sed illud merito reprobarum & abrogatum fuisset, etiamsi esset orthodoxum; hæc autem minime, idque iure ac merito; non sunt enim tradita vt cõmunia, sed vt propriæ priuatæque expositiones. Tu vero ex tuis verbis videris illis tantum tribuere facultatẽ immutandi Symbolum, si fuissent orthodoxa: nam Charisius & reliqui Symbolum non attigerunt.

Iulianus Cardinal. E contrario, Charisius in expositione sua & Nicænum & Constantinopolitanum Symbolum attigit; ait enim: Et in Spiritum sanctum paraclitum, Spiritum veritatis, consubstantialẽ Patri & Filio: quæ verba neque in Nicæno, neque in Constantinopolitano Symbolo habentur. Quoniam vero exordiendo dixisti, pro certis habitum iri quæcunque à te dicta nulla nostra responsione fuerint reiecta, propterea noli congerere multitudinem argumentorum, sed profer singula; ad quę etiam respõsiones habebis. Dico igitur, Symbolum Nestorianorum nullam habiturum fuisse dissimilitudinẽ cum Symbolo Charisij, Sophronij, & Tarasij, si veritatem omnem in se contineret. Tua porro Reuerentia non debet alium sensum tribuere legi præter eum, qui extat in ipsa. Synodus, ac decretum idcirco abrogat & relicit Symbolum Nestorianorum, quia multa & peruersa continebat dogmata. Hoc igitur debet attẽdere tua Reuerentia. Nam tradi Symbolum à priuata persona Catholicæ Ecclesiæ, quo illa vtatur, prohibitum est. Verum per hoc prohibetur, alteram fidẽ seu confessionem, hoc est, contrariam proferri seu componi. An vero possit quispiam tradere Symbolũ Catholicæ Ecclesiæ, quo omnes vtantur, ex hoc decreto non est prohibitum, sed ex alio interdicto; interdictum quippe est alia ratione, quia non tenetur hoc facere, siue obtequi, aut obedire illis, qui nullam huiusmodi facultatẽ habent. Est præterea alia quoque ratio; nam in tradendis institutionibus, aliisque omnibus Ecclesiasticis constitutionibus inferiores Ecclesiæ debent sanctam & Catholicam sequi Ecclesiam.

Ephes. Rursum ad prius dicta te confers, quod sit facultas Catholicæ Ecclesiæ immutandi Symbola, si conferatur cum sibi subditis particularibus Ecclesiis; sed ad prius illud dictum nondum clarius respondisti, An ius haberent Nestoriani, si Catholici essent, tradendi aliud Symbolum. Respondeas clare, vt hoc concluso progrediamur vlterius.

Iul. Card. Ephes. Satis mihi videor ad propositum respondisse.

Quæro, habebantne facultatem Nestoriani tradendi aliud Symbolum baptizandis? nam alia nec erant, nec vocata sunt Symbola, nec tradita, nec approbata, vt per ea fieret baptismus.

Iul. Card. Respondeo, proprium & peculiare tradere vt commune, hoc falsum est; potuissent Nestotiani edere Symbolum, si pium exposuissent, quo vti possent; illudque proferre, atq; ita sentire. Quod si dixissent, illud esse & sensu & verbis perinde atque Nicænum, falsum dixissent; sed tamen proferre potuissent.

Ephes. Illi vt commune proferebant; quando quidem per ipsum baptizabant eos, qui ex hæresibus conuertebantur, Nicænum prætereuntes: licuisseme ipsis id agere, si fuisset orthodoxum?

Iul. Card. Satis ism perspicue respondi, & rursus dico, potuisse proferri, si pium esset: sed non fuisset licitum tradere peculiare & proprium vt commune.

Ephesius. Hoc plane dicebam; hac de causa non fuisse licitum tradi: neque enim debebat hoc tradi veluti communis institutio loco Symboli Nicæni. Quod si talis etiam erat illis facultas; quia vt iam dictum est, nondum erat editum à Synodo decretum; merito hanc etiam ob causam decretum à Synodo sancitum est, ne vlla pateret licentia Nestorianis aliis: quandoquidem huiusmodi licentia fuit causa inferendorum falsorum & peruersorum dogmatum; fortasse quia decretum non erat editum: nam si talem illi facultatem immutandi non habuissent, huiuscemodi dogmata non inseminassent. Synodus igitur, ne quid tale fieret in posterum prospiciens, huiusmodi decretum sanxit, omnino statuens, ne quis audeat alteram docere fidem præter Nicææ traditam. Compererat enim hanc extitisse causam, cur in Symbolo falsa & peruersa dogmata inserentur. Quocirca ex hac etiã auctoritate, quã illi Patres habebant, liquet eos hac mente fuisse, vt nemo prorsus auderet alteram fidei expositionem componere. Hoc porro veluti quoddam auctarium ex tuis verbis collegimus. si habes, quod ad hoc dicas, dic, si videtur.

Iul. Card. Cui potius fidem habere vult tua Reuerentia, decreto Ephesinæ Synodi, an tibi ipsi?

Ephes. Et decreto & Synodo: si quid vero dubitamus, decreto potius & expositoribus eius credemus, quam nobis ipsis: exponit autem decretum Beatus Cyrillus in Epistola ad Ioannem, & Epistola ad Acacium Melitenensem: videamus expositionem eius, illumque sequamur in omnibus: huius enim decreti nemo illo interpres germanior. nunc si quid amplius dicere lubet, dicas.

Iul. Card. Ego propterea quæsiui, cui sit credendum; quia Synodus hęc, quę decretum condidit, inferendo causam, esse hanc ait: Quod Symbolum Nestorianorum peruersa continebat dogmata.

Ephes. Res non sic se habet, vt hanc ob causam sit reprobatum.

Iul. Card. Decretum Synodi sic ait; expositionem Nestorii, hoc est, nefanda eius dogmata damnata fuisse à sancta Synodo. Constat hoc idem ex verbis Charisii præcedentibus: is enim Nestorianos accusans, posthabito, inquit, Nicæno Symbolo protulere illi Symbolum infidelitatis, non fidei. tertio, quod in Symbolo continebatur, lectum est etiam in Epistola Nestorii; qua recitata quæsiuit Cyrillus à Synodo, an viderentur vera, quæ scripta erant in Epistola: respondit Synodus, non esse vera; propterea que à Synodo improbata sunt. Quod vero ais, te potius credere Cyrillo, vt qui principem locum obtinebat in Synodo, & ipse fateor; sed Epistola Cyrilli mihi non obstat, immo potius fauet, ac demonstrat quod à me dicitur: & si vis, diligenter considera sensum Epistolæ, & reperies alteram fidem explanariã ab ipso, non aliud, quam contrariam: quod inde constat. nam Cyrillus in Epistola ad Ioannem Antiochenum, in qua respondet Epistolæ Nestorii, multa dicit, quæ in Nicæno Symbolo non habentur expresse: quia tamen ea non erant aliena, propterea Cyrillus ait, nihil addimus, nihil detrahimus; tametsi multa, ac diuersa ponit. Quare colligitur saltem ex illa Epistola non esse vocandam additionem aut detractionem saluo vero ac recto sensu. Adhæc Epistola ad Acacium non aduersatur nobis, immo potius est à nobis; ibi enim Cyrillus ad finem declarat, quomodo sit intelligendum illud, non esse addendum: ille igitur, qui exponit, ac dilucidat, rem facit magis apertam atque distinctam.

Ephes. Quæro, explanationem extrinsecus nonne prohibet?

Iul. Card. Qui voluerit hoc facere nil noui facit; neque innouator expositionis fidei deprehenditur, sed magis rerum manifestarum comprobator. Quid quæso aliud hac re fuerit clarius? & ne me coarguatis mendacii; superiori sessione, quando Nicænus disputabat, ego libri indicem perlegi, nec reperi: deinde inuestigaui, & inueni Cyrillum ita exponentem in quadam Epistola ad Nestorii discipulum: Vnde percepi dubitationem hanc solui. Nam Cyrillus ipse hoc dicit in Epistola, cuius initium; Res sane dulcis. Quod vero explanatio posita non sit additio, neque innouatio, liquet; nam vbi recitata esset Epistola in Synodo, Cyrillus à Synodo quæsiuit.

Conc. Eph. par.3. Epi. 35. *Conc. Epi. par.2. act. 1.*

Ephes. Quænam Epistola?

Iul. Card. Epistola ad Nestorium. Quando igitur Cyrillus quæsiuit à Synodo, an videretur Epistola congruere cum Synodo Nicæna; respondit vniuersa Synodus congruere, lucemque veritati attulisse, clariusque ab ipso ac dilucidius redditum pluribus verbis, quod implicite in Nicæno Symbolo continebatur. Quapropter conclusum est ab vniuersa Synodo, Cyrillum eadem quæ Nicæna Synodus, sentire, & propterea nullam inferre nouitatem. Quod si verba illa, alteram fidem, non hoc vnum significarent, contrariam videlicet fidei expositionem, profecto Cyrillus rem fecisset decreto contrariam. Et quia Cyrilli mentionem fecisti, volo eiusdem Cyrilli expositionem proferre, quam fecit in Symbolum. Ex quibus perspicietis, quis fuerit illius interdicti sensus, quidue Synodus prohibere voluerit. Epistola: Studium ac diligentiam. Sancta Synodus Ephesi diuino nutu congregata sententiam sanctam tulit aduersus Nestorium & alios nouarum vocum vsurpatores, qui post illum vel ante illum eadem quæ ille senserunt: eosque qui eadem dicere vel mandare litteris audent, damnauit similiter, paremq; in eos constituit pœnam. Itaq; ex hac Epistola luculenter patet, Nestorium & cum eo sentientes damnatos esse à Synodo. Vnde liquet per vocem illam, alteram fidem, significari fidem contrariam, & à recta discrepantem, qualis erat Nestorii, aut alterius fides. Ex quo perspicuum est, Symbolum à Nestorianis confictum ideo fuisse reprobarum, quod rectæ veræque fidei contraria dogmata contineret. Vide igitur, vt Cyrillus ipse decretum exponens dicat: Nestorium, eiusq; sequaces fuisse damnatos à Synodo. Vnde constat, reiectum ideo fuisse Nestorianorum Symbolum, quod Nestorii dogmati paria similiaq; dogmata contineret; hoc autem contrarium est eius, quod tua dixit Reuerentia. vt vir prudens doctusque consideras quę scripta sunt: nam ex his ipse comperi, per interdictum nihil prohiberi aliud, quam contrarium & discrepans à fide. Quocirca rogo tuam Reuerentiam, vt tantum nolis detinere confessum in audiendis nullius momẽti rationibus, quas possent vel pueri redarguere. Stergo vobis etiam probatur meum consilium, his omnib. omissis veniemus ad ipsam principalem materiam, in qua profecto suppetent nobis rationes magni ponderis. Ego tamẽ paratissimus tibi sum non modo per diem integrum, sed per mensem etiam cunctis tuis satisfacere quæstionibus: sed illud doleo, tempus frustra conteri à nobis.

Conc. Eph. pa.3. Ep.43

Ephes. Nos huiusmodi rationes neque exiguas, neque de exiguis esse arbitramur, & quæ possint, vt tua Reuerentia dixit, vel à pueris dilui; sed ad propositum necessarias, & alioquin vtiles, cum de sanctorũ Patrum

vocibus agendo illas proferamus, illo prius supposito; quamuis dogma à vobis additum verum sit, non debere tamen recitari aut exprimi in Symbolo. Satius ergo est hac in parte nos immorari, tractationem que de rebus diuinis nequaquam attingere; hoc enim & piam præ se fert reuerentiam, & rei sequitur naturam. Scire igitur volumus tuam Reuerentiam, nos ab hac disputatione non recessuros, donec ad finem perducatur, atque ad communem aliquam conclusionem deueniamus. Hoc enim nos & dicimus & sentimus, & nullo negocio demonstrare possumus; dogma hoc, vt etiam discussum postea verum comperiatur. exponendum plane esse definitione aliqua seorsim, vt factum est in vnaquaque Synodorum generalium; ex ipso vero Symbolo esse omnino expungendum; vt concordia Christianorum, quæ ob hanc ipsam causam dissoluta est, iterum coalescat.

Iul.Card. Quoniam tempus est rerum omnium, quæ haberi possunt ab homine, summe expetendum; & Serenissimus Imperator sæpe dixit, tempus non esse frustra absumendam, satis de quæsito hoc disputatum vtrinque est tum dictis tum scriptis. Puto autem, vos omnes vtpote doctissimos, sapientissimos, ac prudentissimos perspectam iam habere veritatem; & censere, nihil esse difficultatis in hoc quæsito. Ego vero non reprehendo, quod quæsitum hoc protuleritis in medium: feciſtis enim, quod solent viri eximii, qui aliquam dicturi causam à leuiori incipiunt: Ita & vestra Reuerentia disputationem aggressura difficilioris materiæ, orditi voluit à faciliori quæstio: sed quia tanto iam tempore examinatum est, & veritas satis enituit; (quam quidem ea vos nō latebat; sed feciſtis plane hoc, vt exploratū vobis fieret, quomodo nos Latini (ciremus nostra defendere) id circo ad maiorem illā, obsecro, difficultatem accedamus: nam sicut antea dixi, rursus dico; Si demonstrare poteritis, Spiritum sanctum non procedere à Filio, dicam, nullo modo licuisse Romanæ Ecclesiæ illud Symbolo addere: sed si hoc demonstrare non poteritis, immo vero demonstrabitur potius oppositum, tunc mihi persuadeo nullam vobis fore hac de re dubitationem. Verum mea causa nolim hæc prætermittere: nam si audientibus graue non sit, ego promptissimus sum ad respondendum quæsitis, quæ obiicietis: sed melius fortasse fuerit constitutis diebus, quib. debemus conuenire, de grauiori controuersia agere; atque inter alios conuenire nos etiam ad illam examinandam. Si tamen vultis aliud quid etiam obiicere, proponat tua Reuerentia, ego lubens respondebo. Addam vnum verbum. Ego libenter dissero cum tua Reuerentia quasi cum patre. Dixisti sæpe, interdictum hoc non fuisse ante tertiam Synodum; Ego existimo interdictum hoc esse editum ante tertiam Synodum; nec ab re est, vt hi Patres audiant. Nam etsi multa in meo libello exposui, de hoc tamen nihil dixi. Ratio, quæ validior esse videtur ad probandum, Symbolo nihil penitus esse addēdum, desumitur ex Epistola Cyrilli. Quod si ad verba eius animum diligenter adiicias, inuenies Cyrillum non de vocis additamento laborare, sed ne fides vlla ratione labefactetur. Sed fac Cyrillum dixisse, non licere quicquam Symbolo addere; hoc nobis non aduersatur. Cyrillus dicto quodam scripturæ innititur, dum ait; Recordari sumus dicentis; Ne transferas terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui: non enim erant ipsi qui loquebantur, sed ipse Spiritus Dei ac Patris.

Ep.ad Ioā. Antioch. Conc. Eph. p.3.Ep.34 c.22.

Hoc igitur dicto fundatur Cyrillus, dum vult esse vetitum & addere & detrahere. At sancti Patres, immo vero Spiritus sanctus, sunt enim verba sapientiæ Salomonis fuere ante tertiam Synodum; nec solum ante illam, sed etiam ante primam, & ante fidem Christi. dicit præterea B. Cælestinus: Quis vnquam non dignus est anathemate iudicatus, vel addiciens, vel detrahens Catholicæ fidei, quæ est Apostolica sit, nec augmentum nec imminutionem suscepit: magnam subibit pœnam, & qui detrahit, & qui addit: legimus in libris nostris, nihil addi debere vel detrahi.

Conc.Eph. p.1.Ep.18. ad Nestor.

Hæc epistola scripta est ante Synodum Ephesinam; qui tamen ante illam fuit, fatetur, non esse licitum addere vel demere de fide Catholica, habeo duos testes, præterea tertium producam, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum; profero autem septimam Synodum decentem: Quæ enim tradita sunt in Catholica Ecclesia, neque augmentum, neque detrimentum admittunt: maxima enim apponentem & adimentem vinciunt pœna: maledictus qui transfert terminos æternos: maledictus qui transfert terminos Patrum suorum: Sed non habuerunt propositum ad cognoscendam veritatem.

Deut.19. Matt.18. Act.6. Extremo mi 5.verbū. Deut.27.

Hæc septima Synodus fundatur auctoritate sacræ Scripturæ dicente: Maledictus qui transfert, &c. hoc autem in eos fertur, quibus non est voluntas & propositum agnoscendi veritatem. Vnde concluditur, illum esse transgressorem, qui fidem non sequitur à suis Patribus traditam: at qui fidem explicat, neque suorum Patrum fines egreditur, neque demit, neque adiicit, ratio est; Quoniam, vt Cyrillus ait, positum est hoc interdictum in eum, qui præter suorum Patrum decreta loquitur: quia vero Spiritus sanctus est veritatis Spiritus, quicunque veritatem dixerit, eius amicus, atque intra fines decretorum est: qui autem dicit mendacium & trāsgreditur, aut adiicit, aut demit; estque is decretorū Spiritus sancti transgressor, adiiciensque & adimens de fide Patrum. Iste igitur textus aperte declarat, illum esse qui addit vel subtrahit, cui non est propositum agnoscendi veritatem.

Cum autem interdictum hoc editum sit à Patribus ante tertiam Synodum, siue à Spiritu sancto per ipsos; si dixerimus, Nicænam Synodum perfregisse decreta suorum Patrum, vllane fides nobis habebitur ab aliis? Nam si ita nūc dictum intellexerimus, vt verborum nō sensus prohibeatur mutatio, tunc Patres censuræ anathematis subiiciemus: Siquidem, vt dixi, Nicæna Synodus detraxit aliqua è Symbolo Apostolorum: hoc idem de Constantinopolitana affirmo, quę post interdictum hoc multa Nicæno addidit. Atqui dum verum dicitur, pro eodem, non pro differente seu contrario dictum habetur. Ex his ergo colligitur, verum non esse quod asserunt, posterioribus Synodis vetitum esse, ne quid Symbolo adiiciant. Præterea in hoc volumine habetur Græce Nicænum & Constantinopolitanum Symbolum; allatus est autem codex ad nos Constantinopoli: Credimus in vnum Deum, &c. Nos habemus hic tres codices, duos actorum Chalcedone. sunt que ii peruetusti: est enim alter illorum scriptus ante annos quingentos; & ibi legitur Constantinopolitanum Symbolum; semper tamen sine illis vocibus, de cælis: &, secundum scripturas. extat etiam apud nos liber vetustissimus Longobardis litteris scriptus, in quo Symbolum Constantinopolitanum legitur cum illis vocibus, de cælis, &, secundum scripturas. liber vero quem mihi ostendistis, continentem acta quartæ Synodi, nouus est. nec amplius triginta habet annos: at isti quingentesimum annum superant. Domine Præsul Ephesie, si & nos duas quasdam voculas apponimus, quæ non erant in Symbolo, non debetis reprehendere nos. Has voces, Deum de Deo, non habetis, at nos habemus, non tamen propterea in nos inuehimini, sicut propter illas voces, ex Filio,

Ephes.

Ad ea quæ prius dicta sunt, cum longo sermone indigeant, non est in præsens respondendi tempus: quāquam ex tua petitione, proposuit illa tua Reuerentia, atque à nobis doceri voluisti. Verum hoc supra conditionem nostram est: etsi non deest nobis, quid respondeamus ad verum ea referendo sensum. Ad illud similiter, quod nuper dixisti de codice, nihil est quod nunc respondeamus tempore non permittente. Reiicientur autem in aliud tempus omnia suis quæque rationibus examinanda. Sed quia nunc etiam in tuo sermone dixisti,

dixisti, Catholicam Ecclesiam, illumque qui ei præest, immutare posse communem Symbolum: quod etiam sæpe alias est dictum: atque hæc dicendo Romanam sine dubio intelligis Ecclesiam, & summum Pōtificem: nos dictum hoc ita sæpe repetitum non patimur indiscussum præterire: sed volumus sequenti sessione hac de re sermonem facere, si tamen & vobis placuerit: multa enim & fortia pro re nostra dicere habemus. Veremur autem; ne huiusmodi sermones scandalum aliquod pariant: propterea dixi, si vobis etiam videbitur: etsi enim penes vos istud examen, & fiet vobis quoque annuentibus, quia nos parati sumus.

Iul.Card. Extis articulis, de quibus est inter Latinos & Græcos controuersia, vnus etiam hic est, de Romanæ Ecclesiæ auctoritate. Nunc quia versamur in alia quæstione, examinantes articulum fidei de sancto Spiritu, non videtur conuenire, vt articulus hic cum articulo de Catholica Ecclesia confundatur. Quapropter in scriptura etiam, quam vobis tradidi, addo; De potestate Romanæ Ecclesiæ nihil in præsentia dico; loco autem de ea quoque dicetur. Cum ergo ad huius articuli disquisitionem venerimus, tunc Reuerentia tua libere dicet, quæcunque voluerit: debetis enim certo habere, nihil vos apud sanctissimum Dominum nostrum Papam offendere; cum non ob aliud hic ipse sit, quam vt veritas enucleetur. Ceterum Romanæ Ecclesiæ, & summi Pontificis auctoritas Christi beneficio satis elucet in Euangeliis, nec non in sacris Conciliis generalibus. Quare si præsens quæstio, quod scilicet non liceat quidquam addere, versatur in dubio; cum vt paulo ante dixi, articuli huius disputatio seiuncta sit ab aliis, non videtur condecens, alterius articuli disquisitionem cum disputatione hac permiscere. Quamobrem obsecro iterum, vt ad disputationem de sancti Spiritus processione accedatis, nam ibi hæc & melius & penitius declarabuntur. Quod si conuenerimus in ea quæ est de sancto Spiritu controuersia, persuasum mihi est fore, vt etiam in aliis facile pleneque conueniamus.

DIE VIGESIMO SEPTIMO NOVEMBRIS, feria quinta

SESSIO XIII.

LIII. SCiendum, Oratores Ducis Burgundiæ venisse in hāc Synodum, videlicet Episcopos quatuor, Archidiaconum vnum, duosque nobiles Equites, & alios sacratos Monachos, atque Laicos, qui Beatissimum Papam præsidentem venerati sunt, præsente tum sacro Imperatore, tum omnibus Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ Patribus, præter vnum sanctissimum Dominum nostrum Patriarcham, qui ægra valetudine detinebatur. Cum ergo responsum illis esset per duos Episcopos nomine Beatissimi Papæ, & constituta hora esset elapsa, surrexerunt nullo de re proposita sermone habito. Isti ergo Vicarii atque Apocrisarii Ducis cum venissent, vt dictum est sedente Concilio, Papam tantummodo salutarunt, vt moris est ipsis, omnes deosculātes eius dexteram & genam sedentis; nostrum vero Imperatorem neque omnino consalutarunt, neque veneranter honorarunt; sed in Latinorum partem transeuntes sederunt, litteraſque ad Synodum datas reddiderunt, quæ Latine lectæ sunt nihil nobis percipientibus, cum Græce non fuerint lectæ. statim ergo consurreximus, atque ita missa est Synodus.

Verum hæc Imperatori ferenda non videbantur: illatam quippe sibi putauit iniuriam, quod nulla esset veneratione affectus: remque indigne admodum tulit. Cœpit ergo dicere; nisi iterum Synodus conueniat, & Vicarii Ducis accedant, mihique debitum honorem deferant, vt fieri solet Imperatoribus, non amplius conueniam, sed neque Synodus fiet. Missis ergo ad Imperatorem internunciis à Papa, sequestrem se Patriarcha præbuit, suasitque Imperatori, vt Synodum colligeret; facturis Vicariis, quod superiori sessione non fecerant. Erat enim tunc Patriarcha æger, rem tamen haud negligenter curauit; nam & Imperatorem exorauit, & Papæ quod rite agendum esset, persuasit; egitque cum Vicariis, vt salutarent Imperatorem. Quibus in hunc modum gestis octo dies elapsi sunt. Die vero quarto Decembris, feria quinta, Synodus rursum conuenit.

DIE QVARTO DECEMBRIS, feria quinta

SESSIO XV.

LIV. INhac sessione cum iam omnes conuenissent, atque ordine consedissent, venerunt Oratores ac Vicarii, & reuerentiam Imperatori præstitere, non ita tamen vt par erat: verum is forti animo id tulit, iussitque disputantes sermonem aggredi. Quibus in medio considentibus orsus est loqui Ephesius, asserens propter dicendi vberratem atque facundiam habitos esse longos sermones; propterea paucis esse agendum, & responsiones reddendas nuda propemodum affirmatione & negatione; additque Charisium nihil ipsis attulisse, quod catum & gratum esset. Hæc & similia cum Ephesius dixisset, cœpit Cardinalis Iulianus vni verbo mille opponere, vt nullum dicendi faceret finem; Factaque mentione de eo, quod dictum est, de dicendi inquam vberrate, & breuitate amplectenda, sermonem adeo prolixum instituit, vt Ephesio non permiserit vel vno respondere verbo, sed totum sessionis tempus ipse dicendo consumpserit vsque ad tempus vespertinum; atq; ita Synodus dimissa est. Vix tandem Ephesio loquente, & sermonem ad nos transferente, futuram rursus indixere sessionem octauo Decembris die.

DIE OCTAVO DECEMBRIS, FERIA secunda.

SESSIO XV.

LV. COnuenimus ergo die constituto absque Patriarcha nostro, quod ægrotaret: seruatoque ordine consueto rursus Imperator Ephesium, vt loqueretur, est cohortatus. Cœpit is cum dicendi libertate asserere, non esse licitum Symbolo vel vocem vel syllabam addere: adeo vero sermonem produxit, vt illi quempiam obsistere nemo speraret. At Iulianus redactis omnibus Ephesii dictis in capita viginti octo tacebat, donec perorauit Ephesius: deinde aperiens os suum respondensque ad singula iisdem verbis & numero seruato aiebat, nihil errasse, quod addidissent Symbolo: continuato sermone philosophando tum è diuinis Scripturis, tum etiam syllogismis. Quibus à Iuliano dictis, Ephesius irerum sermonem instituens cœpit demonstrare non esse fas vlla ratione Symbolo addere vel vocem vnam, vel vnam syllabā; diuidens quæ dicta erant à Cardinale in octo capita: videlicet; Charisii Symbolum non fuisse commune: Nestorii Symbolum hac non spectare: vim definitionum, & censuras in eis latas esse singulari numero nō plurali: Sancti Cyrilli Epistolas; testimonium Beati Agathonis: exposuit quoque quod illi explicationem declarationem vocant: & factum esse contra canones, vtpote etiam sine plena Synodo decretum. adeo vero longum confecit sermonem, vt nequaquam disputare, sed velle rei finem imponere videretur: habebat porro sermonem in hæc verba:

Ephes.

Hoc Symbolum à vobis repoſcimus amici Patres, pulchrumque illud Patrum nostrorum depositum, qui in regia vrbe nostra conuenerunt. Reddite igitur

hoc, quale à nobis accepistis. Si quis vobis depositũ cõcredidisset, nonne redderetis illud, quale accepistis? Reddite ergo Patri quoq; Symbolum, vt accepistis: nõ admittit additamẽtum, non suscipit imminutionẽ: occlusum sibi ipsis & obsignatum est, innouare illud audẽtes reiiciant, & aliud præter ipsum cõficiẽtes, reos in iudicium trahunt. modicum vobis esse videtur additamentum vocis, neq; magni faciendum? sublatum igitur parum aut nihil nocebit, immo plurimũ proderit; coniungetis Christianos omnes. At multum refert, inquies, & magnific. & nos ergo haud perperã facimus tãti illud æstimantes. prudenti quadam dispensatione additum est eadem patiter tollatur, vt recipiatis fratres dolore excruciatos, & charitatem tanti facientes.

Rogamus itaq; vos Patres ac fratres, dominiq; plurimum honorandi, sicut & antea rogauimus, per viscera Domini nostri Iesu Christi, qui dilexit nos, cũ essemus inutiles & peccatores, ac desperatæ salutis, & animã suã posuit pro nobis; vt ad bonam illã rediamus concordiam, qua & inter nos ipsos cum Patrib. nostris olim coniuncti eramus; quando idem cẽsebamus, & non erant schismata in nobis. agnoscamus nos inuicem fratres, affectu cõmuni reuereamur parentes; honoremus eorum decreta; veneramur illorũ mĩnas; seruemus traditiones; vt vnanimi consilio, vno ore, vno q; corde glorificemus vsquequaq; venerandum ac magnificum nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Verum Iulian. non tacuit, sed ire cũ respõdit pro viribus, sua defendens, his verbis postremo vsus: si de cẽ proposueris capita, decem tibi milla sum redditurus. Cessante cũ deficiente responsionis tempore Synodus discessit.

At vero nos Græci cœpimus tædio affici, non modo Præsules, verũ & Clerici oẽs, quinq; Senatorii ordinis erant, & summatim vniuersi dicentes: Quid facimus verba inania dicentes & audientes? nec illi prodebunt nobis, neq; nos illis: decet, quapropter nos reuerti in nostrã vrbẽ. Sed Imp. vtrũ se fortem putarit, expectando rerum exitus cũ animi æquitate. Et Græci q. dem finem disputãdi fieri studebãt; Latini vero enixe flagitabãt, vt conuentus celebraretur, & sententia ipia seu dogma discuteretur. Dicebãt n. nos de explanatione nolumus habere quæstionem, & quomodo vox illa, ex Filio, posita sit in Symbolo: nã semel apposita, fieri non potest vt expungatur, nisi à vobis deum ostretur blasphema. Examinetur ergo, & si quidem blasphema erit, abdicetur: si vero pia, quid est, propter q̃ nos criminari possitis? dicebat n. Ephesius; tollatur è Symbolo, & reponatur seorsim in definitione, sicut factum est eo in hymno, qui incipit: Vnigenitus filius. Cõtra vero Iulianus dicebat; examinetur, Pater, examinetur: & si quidem vox ista, ex Filio, comperta fuerit blasphema, neque in Symbolo sit, neque alibi reponatur: blasphemia enim nusquam dicenda sunt: Si vero pia, vbique recipienda, & in Symbolo summe necessaria est.

Dum hæc ita dicuntur, decidit Imperator doloribus oppressus rheumaticis, & Patriarcha ægrotus decumbit, vt nec audire posset, nec loqui: & populus ociando traducit tempus. Elapsis ergo diebus vndecim Patriarcha paululum reuixit; nosque ad eum omnes conuenimus: rogatus vero à nobis vix potuit lectica portatus adire Imperatorem: apud quem duos commoratus est dies cum eo deliberans: tamq; Præsules ad eos conuenimus; & coacta Synodo nostra in Palatio Imperatoris concionem huiusmodi habuit Imperator:

Nos relicta patria studio vnitatis Ecclesiarum venimus cum ingentib. periculis & laboribus, illam quærentes. Et vos quidẽ omnes hac in re collaboratis; sed est vobis etiam duplicata retributio; nã constituti quidem in Pontificia dignitate laborant, vtpote Episcopi ad Ecclesiarum suarum stabilimentum; qui vero sunt ordinis Senatorii, ad declarationem rectæ fidei, spemq; suorũ hæredum: Ego autem laboro plus vobis omnib. hac vna spe, vt forte gloriam à Deo nanciscar, quod vobis etiam commune est: nam neque filios & hæredes habeo, neq; plus ipse honoris volo; sed propter Romæorum gentem, quantum videtis, sustineo. Decet ergo vos studium adhibere ad vnitatem Ecclesiarũ multis illsq; bonis de causis, præsertim vero, vt cum honore potius reuertamur in patriam conciliatis animis, quam disiunctis ignominia.

Quibus in hunc modum ab Imperatore dictis, cœpimus dare sententias; & placuit dogma Latinorum examinari. Sed Imperator quærebat vlterius, vnde ordiendum esset & quid in rem nostram esset; & quo procedendum esset: modo disquirentibus, num Spiritus S. procedat ex Patre & ex Filio. Et censuere omnes, non esse hoc publice examinandum, sed priuatim per aliquos: neq; enim volumus nos concitare furorem Latinis; neq; volumus contentiones, & sermones inimos; sed ex nobis eligi duodecim, totidemque ex illis; & fieri quid quid illis Deus conceſſerit.

Hac sententia dicta, Imperator Præsules hoc pacto interrogauit: Papa misit ad nos, qui nunciarent; nec esse esse abire Florentiam: vtq; nos cum eo simul abeamus. Peto consilium, an expediat abire, nec ne? Respondentes illi dixerunt: Nos vellemus Ferraria non excedere: quandoquidem in ea statutum est, non alibi Synodum celebrari. Ceterum Imperii tui potestas declarabit, cur debeamus eo proficisci: quid enim hic minime dixerimus, quod ibi dicamus? Quid poterunt Latini efficere Florentiæ, quod hic non possint? stne spes expunctum iri ab illis additamentum è Symbolo? an vero persuadere nobis volunt, vt illud nostro Symbolo adiiciamus? hæc sunt vtriq; parti impossibilia: quare non decet alio nos conferre. Respondit Imp. Et quomodo petemus ab eis pecuniã & triremes, nisi eos sequamur, vbi hæc possunt suppeditari? Responderunt illi: Disputandum esse dogma Ferrariæ: vt, si quidem inter nos conuenerit, recedamus: sin minus, tum rursus consilium ineamus.

Placuit hoc Imperatori: & delegimus è nostris duodecim, qui de sententia Latinorum disputarent, an Spiritus ex Patre procedat & ex Filio.

His actis rediit Patriarcha in suum domicilium. Porro de pecunia, pro alimentis constituta nullum verbum fiebat: quãobrem graui opprimebamur penuria. Dicebam. Papa: Vos optime scitis, Ferrariæ nihil posse vobis à me dari: nã eorum quæ sperabamus, nihil ex sententia succedit; Itaq; Florentini mutui nobis dant quadraginta millia nummum aureorum, quo Synodum illuc transferamus: sequimini ergo me, vt Florentiam eamus, & promitto me daturum Constantinopoli subsidii nomine duodecim millia nummum aureorum, duasq; triremes; vobis autem quotcunq; debeo florenos, & mensam publicam, vt in posterum nunquam vobis desint constituta menstrua. Venite igitur Florentiam, & post tres aut quatuor menses licebit vobis discedere, siue sequatur, siue non sequatur vnio.

His auditis turbati sumus, vt par erat; præsertim quod Ferrariæ nulla spes esset aliquid habendi: neque occurrebat, quid esset agendum: non ire Florentiam? sed hic nobis victus non suppetebat; ire igitur? Quid si & ibi in eadem mala incideremus, sicut Ferrariæ? Itaque animi pendebamus. Conualuit autem Imperator, accersiuitque Patriarcham, vt cum Synodo accederet ad deliberãdum: verum Patriarcha grauius ægrotabat, quam heri & nudus tertius. Quare Imperator, quod fieri aliter ab eo non posset; cum etiam ab Italis impense solicitaretur ad respõdendum, num vellet ire Florentiam, ac ne; venit ad Patriarcham, cumque iacentem in lecto reperisset, conuocauit Præsules, & Synodum habuere extra cubiculum Patriarchæ, non procul ab ipso, sed ita vt audiret, ac nuntiarentur ei, quæ fiebant:

Itaque præsidente Imperatore & congregata Synodo, ipse etiam Hegumenis, concionem habuit Imperator ea repetens, quæ in suo Palatio dixerat cum Synodo prius coactus: ait enim.

Nostis

Imperator

Nostis optime, potuissime, si voluissem, sedere in meo Imperio, sicut antea: nec mihi defuisset per Dei auxilium, vnde possem vtcunque vitam traducere: sed gentis nostræ amor, & honor patriæ compulit me postponere mea commoda, & relinquere dominam matrẽ meam Despinam Parrhesiam, quam nostis. Itaq; adhibitis vobis omnibus per mare sum vectus non sine periculis hyberno tempore, idq; graui morbo laborans: sed nec hyems, nec infirma valetudo, nec aliud quidquam detinuit propensionem animi ad bonum: vt lucrifaciam quid? aut quid ipse consequar, nisi gentis nostræ refrigerium? & malui mori, vt nostra patria boni aliquid acquirat. Obiecimus certe periculis; sed nũquam tantum suscepi mœrorem ad hanc vsq; diem, quantũ hisce temporibus. Verum boni spes tolerantiam præstat. Ventum est ad finem negocii. Dicat vnusquisq; volo, quantum vi suæ cognitionis assequitur: Salus enim, inquit Sapiens, vbi multa consilia: & quod bonum iudicabitur, faciamus: nihil enim per vim agimus, sed cũ deliberatione & consillo. Ferte igitur sententias, vtraliterum de duobus fiat: aut hãc oblationem Papæ admittamus, & eamus Florentiam; aut certe ipsum dimittamus, & reuertamur in patriam: sed quo pacto abeundum sit, considerate; an sit nobis pecunia, & Constantinopolis aliquod subsidium habeat.

Pro.11.14

His & similibus ab Imperatore dictis, responderunt è Synodo Heracleensis, & Ephesius ita: Sacri tui Imperii labores liquido nouimus; nec ignoramus penuriam, qua laboramus: iustum ergo est vt cogitemus & de nobis ipsis, & de Metropoli quisque sua. & Præsules omnes dixerunt; placet. Itaque proposuimus Imperatori has conditiones, si vellet nos abire Florentiam: Vt solueretur pecunia nostræ vrbis præsidio ad octo mẽses: vt numeraretur nobis quæ debebatur pro alimẽtis quinque mensium: vt Florentiam vsque suppeditaretur nobis omnis commeatus: vt illuc tantum migraremus, & & non alio: vt ibi quatuor tantum mẽses, non amplius commoraremur: vt sit nobis integrum, ac penes nos sit quolibet nos vertendi potestas, vti libuerit. Item illud etiam quæsitum est, ne venalium precia iam tum inciperent fieri maiora. Reperimus ad hæc Imperatorem valde propensum; probauit enim ea, significauitq; Patriarchæ iacenti in interiori cubiculo, vt dictũ est, quærens num hanc Præsulum sententiam comprobaret. Ille comprobare se respondit: indicasse enim eos iuxta mentem ipsius; hoc addito, vt sponsorem Papa daret, si non alium, certe seipsum, reditum Venetias factum iri eius impensis.

Post hæc rogati sunt præsules sententiam ab Imperatore; decretumq; vt Florentiam iretur: erat autem feria sexta, vesperi, dies Ianuarii secunda. Sabbato vero ac die Dominico elapso, dum Imperator cum Pontifice de itinere cogitant, Ecce dies solemnis Epiphaniæ; quem & celebrauimus Ferratiæ ea in domo, in qua solita erant celebrari officia. Solemnitate transacta, litterisq; conuentionum confectis, venit rursus Imperator, ostenditq; Synodo litteras nulla subscriptione signatas, interrogans nũ omnibus placerent. Igitur lectæ sunt, & probatæ ab omnibus: & statutum à nobis, accepta pecunia Florentiam iter facere.

Quibus hunc in modum gestis, Imperator sic est allocutus: Lex est apud Latinos, Synodum Oecumenicã non ita simpliciter ac fortuito dimissi infecta re, ac sine definitione Synodica, præter quam tribus hisce de caussis; primo si pestis grassetur; secundo, si fame laboretur; tertio si fiat hostium incursio. Quapropter nos eriam iusta de caussa Synodum transfetemus: est autem caussa pestis. Nostis enim Ferrariam ab autumno ad hanc diem pestilentia vexari non desisse. Itaq; constituimus cum Papa, vt caussa translationis Synodi palam fiat, si vobis hoc idem videtur.

Omnes dixerunt, iustum esse translationem Synodi notam fieri. Placuit ergo conuenire generalem Syno-

dum: atque ita indicta est translatio in æde Episcopali.

ex tom. 4. concil. editionis Romanæ.

Ista sunt acta huius anni, Ferrariæ in Oecumenico Concilio gesta.

LVI. *Intoleranda quæ Basileenses contra Pontificiam authoritatem ausi fuere.*

TRanstulerat illud Eugenius Basilea Ferrariam, non quidem, vt Mariana affirmat, eludendis atque debilitandis Conciliorum viribus (quomodo enim eludendis aut debilitandis, si non omnino dissoluebat, sed ex causis grauissimis transferebat Concilium?) sed vniendis Latinæ & Græcanicæ Ecclesiis, inuandisque Christianorum Orientaliam reb. nimium afflictis, quibus rebus tractandis, neque Basileensis, aut aliqua alia à Basileensibus pròposita ciuites, neq; Basileenses conficiendis negotiis, aut expediẽdis subsidiis pares. Quod si nomine Concilium, quãlibet, absq; Pontifice Romano, maxime non Episcoporũ, sed inferiorum ex clero & populo, præsertim contra supremum in terris post Christum Antistitem, & contra amplissimam omnium sedium coitionem, paucorum ambitione coactam, & in præceps hæresum ac errorũ actam intelligit; adeoq; nomine Concilii, Basileense conciliabulum dignatur: non difficemur, Eugenium, non quidem eludendis, sed elidendis, nec debilitandis, sed frangendis, conterendisque viribus Conciliabulorum natum, Basileensem cœtum dissipare voluisse. Nimis enim intollerãda sunt, quæ Basileenses, plus sibi authoritatis quam par erat sumentes, in Pontificiam authoritatem, quam imminutam esse cupiebant, ausi sunt; Romanum Pontificẽ, inf. a ordinem redigere: Eugenio, diem apud sua subsellia dicere; nisi ad conuentum veniret, se in eum constituturos, quod in deserrores sacræ causæ solitum esset, illi mortalium supremo denunciare; præcipiti & temerario ausu, facta eius sanctissima suggillare; calumniis & imposturis, apud vniuersum orbem, eius innocentiam onerare; Principes toto orbe Christiano, Sedis Apostolicæ reuerentes, non modo ab eodem alienare, sed in eundem armare; demum abrogata illa Pontificia auctoritate, per ipsius contumeliam, vulnera, quæ superiori schismate rei Christianæ erant inflicta, vixdum cicatrice obducta, iterum refricare, rugamque Ecclesiæ vniuersali inducere. Ergo ad illum super quem fundauit Christus Ecclesiam spectabat, contra portas istas inferiores inferorum, ne prænalerent insurgere, & vectes istos ferreæ frontis confringere; verumque se angularem lapidem pretiosum & præelectum esse ostendere, qui non tantum vtrumque parietem coniungeret, & in quo vnio dissidentium fieret; sed etiam temere impingentes retunderet, atque omnium potentissima virtute contereret. An meruerint Basileenses statuæ, auratum hoc caput nominis & tituli Conciliorum sibi falso affingentes, ab hoc lapillo de monte, sine manibus humanis eruto, scilicet, ab hac potestate Apostolica, quæ neque ex hominibus, neque per homines, sed à Deo est, comminui, in que pulueremventi dissipari? Acta ipsorum declarant. In his.

Appellationum ad Sedem Apostolicam, iura diuina restringebant.

Beneficiorum conferendorum Pontificiam potestatem, imminuebant.

Multa, contra morem veterem, minoribus Prælatis arrogabant.

Eugenium Pontificem, ab administratione Pontificatus, tam in spiritualib. quam in temporalibus, contra omne ius & æquum, præiudicato animo suspendere non sunt veriti.

Eundẽ, quẽ non multo ante, tam ipsi, quam Imperator Sigismundus, & nonnulli Reges ac Principes Christiani, Sanctissimum, Innocẽtissimum, Integerrimum, dignum supremo fastigio prædicauerant, ad suum Iudicium trahere, multisque contumeliis atque calumniis prægrauare voluerunt.

Iudicia & acta illius, vera, iustificata in semetipsa, ab vniuerso Patrum Romanæ Ecclesiæ cœtu probata, laudataque in odium publicum adducere, nec non, ordinem hierarchicum interuertere, & caput pedibus sublicere conati sunt.

Cum Principes imperii, & per litteras, & per Oratores, pacem inter Pontificem & illos refractarios conciliare voluissent; & Oratorum, & Principum, nullam rationem habuerunt, præfractoque animo vtrisque illuserunt.

Cum alii, facta Eugenii defenderent, & iuris remedio contra temerarios, pro innocentia Pontificis vterentur conatus eorum irriserunt.

Cum fere vniuersus Orbis, Concilium Ferrariam indictum, Concilium legitima auctoritate congregatum esse asseueraret; illi Concilia bulum impudenter appellarunt, Pontificisque Apostolicam ad cogenda transferendaque Concilia auctoritatem, deprimere non erubuerunt.

Cum fere vniuersus Orbis, Eugenium sequeretur, in eos lege & censuras iniquas, nullas, profanas statuere, atque promulgare non dubitarunt. Hæc sunt acta.

SESSIO XXXI.

Basileensis concilibabuli.

De Causis.

LVII. SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

Ecclesiasticæ solicitudinis studium iugiter inuigilare conuenit, vt fraterna charitas in Clero ac populo Christiano vigeat, nec quisquam per vexationes & afflictiones indebitas proximũ suum opprimere permittatur: sicque iustitia ordine debito cuilibet ministretur, vt & viris dolosis auferatur nocendi licentia, & quies ac trãquillitas rectorum non facile perturbetur. Inoleuerunt autem hactenus intolerabilium vexationum abusus permulti, dum nimium frequenter à remotissimis etiã partib. ad Romanam curiam, & interdum pro paruis & minutis rebus ac negotiis quamplurimi citari & euocari consueuerunt, atque ita expensis & laboribus fatigari, vt nonnunquam commodius arbitrentur iuri sui cedere, aut vexationem suam graui damno redimere, quã in tam longinqua regione litium subire dispendia. Sic facile exititi calumniosis opprimere pauperes, sic beneficia ecclesiastica plerunq; minus iuste per litium anfractus obtenta sunt, dum iusti: possessoribus eorum, seu quibus illa de iure competebant, neque opes, neque facultates ad illos sumptus sufficere poterant quos lõginqua profectio ad Romanam Curiam, & litis agitatio in eadem deposcebant. Confunditur etiam exinde ordo ecclesiasticus, dum ordinariis iudicibus sua iurisdictio minime seruatur, pecuniæ & facultates regnorum ac prouinciarum hoc pacto non parum diminutæ sunt. Et quod vniuerso ecclesiastico ordini admodum nocere compertũ est, hi quos ad summa negotia Christianæ religionis sublimitas dignitatis euocabat, minus illis reddebantur intenti, dum ipsorum mẽtes nimium occupabat assidua causarum multitudo. Quæ attendẽs hæc sancta Synodus, & pro reformatione ecclesiæ Dei in capite, & in membris, iuxta potestatem sibi à domino concessam euigilans, vt omnia deinceps ordine congruo peragantur, ad salutem animarum, & pacem ac quietem cunctorum statuit & decernit, quod in partibus vltra quatuor diætas à Romana curia distantib. omnes quæcunq; causæ, exceptis maiorib. in iure expresse enumeratis, & electionum ecclesiarũ Cathedralium, & monasteriorum, quas immediata subiectio ad Sedem Apostolicã deuoluit, apud illos iudices in partib. qui de iure aut consuetudine præscripta, vel priuilegio cognitionẽ habent, terminentur & finiantur. Et ne sub vmbra appellationum, quæ nimium leuiter, & nõnunquam friuole hactenus interponi visæ sunt, atq; etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpe multiplicari, materia fouendis iniustis vexationib. relinquatur, statuit eadẽ sancta Synodus, quod si quis offensus corã suo iudice, habere non possit iustitiæ complementum, ad immediatum superiorẽ per appellationem recursum habeat: nec ad quemcunq; ẽt ad Papam, obmisso medio; neq; à grauamine in quacunq; instãtia ante diffinitiuam sententiã quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale grauamen extiterit, quod in diffinitiua sentẽtia reparari nequiret: quo casu, nõ alias, ad immediatum superiorem liceat appellare. Si vero quispiam à Sedi Apostolicæ immediate subiecto ad ipsam Sedem duxerit appellandum, causa perrescriptum vsq; ad finẽ litis inclusiue in partib. cõmittatur, nisi fore propter defectum iustitiæ, aut in stum metum, etiam in partib. cõuicinis, de quib. in commissione exprimẽdis, legitimo prius documento, alias quam per iuramentũ summarie constiterit, apud ipsam Sedem foret merito retinẽda. Et quicquid in contrarium huius salubertimi decreti attentum factum vel obtentum fuerit sit nullum ipso facto, Litigantes, qui contra fecerint, in expensas condemnentur: Romanæ vero Ecclesiæ Cardinales Vicecancellarium, Camerarium, magnũ pœnitentiarium, protonotarios, & alios Sedis Apostolicæ officiales, actu in Romana curia suis officiis insistẽtes, hoc decreto non intendimus comprehendi. Nec tamen in dissolutionem vel translationem præsentis Concilii, aut erectionem conuenticuli apud Ferrariam, vel alibi sub nomine Concilii generalis, quas dominus Eugen. Papa IV. efficere conatus est, vel conaretur in futurum, causas illas, & maxime incorporatorum aut incorporandorum in hoc sacro Cõcilio, quas hæc sancta Synodus remitteret, aut nõ reciperet, in curiam ipsius domini Eugenii, aut præfatum conuenticulum Ferrariense, vel aliud de facto trahi contingeret in fomentum dissolutionis, trãslationis & erectionis prædictarum, voluit eadem sancta Synodus, causas quascunq; pendentes & commissas, aut etiam quascunq; causas incorporatorũ atq; incorporandorum, atque alias per appellationem deuolutas aut deuoluendas, necnon illas quę obseruationem decretorũ ipsius S. Synodi concernunt, apud eandem S. Synodum, ipsa durante, seu donec aliter fuerit ordinatum, tractari, saluis etiam aduocationib. causarum pendentium in Romana curia, per quęcunq; nostra decreta facta aut facienda; decretis etiam aliis & ordinationibus eiusdem S. Synodi in suo robore remanentibus. Datum in sessione nostra publica in maiori ecclesia Basileensi solenniter celebrata, 9. Kalen. Febr. Anno à Natiuitate Domini 1438.

Aliud Decretum de collationibus beneficiorum, in eadem Sessione publicatum.

LVIII. SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Placuit diuinæ pietati hoc tempore animos hominum, qui variis abusib. irretiri cœperant, vehementius excitare, vt salus quæreretur cunctorum, & per Synodũ vniuersalem mores Ecclesiæ in melius reformarentur, cum salutari directione capitis & membrorum in viam iustitiæ & sanctitatis. Quod vt facilius atq; ordinatius fieret, & ne sub prætextu variarum opinionum Rom. Pont. aut alli quicunque non satis vniuersalibus Conciliis obedirent, prædisposuit eadem diuina pietas, in sacro Constantiensi Concilio Synodorum vniuersalium iurisdictionem ita declarari, vt nulli relinqueretur ambigendi occasio, cum decreto solemni diffinitum extitit, vniuersale Concilium habere auctoritatem immediate à Christo, cui quilibet cuiuscunque status & dignitatis, etiamsi Papalis fuerit, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem schismatis & reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris ac pertinentibus ad ea. Dum autem hæc cura reformandæ Ecclesiæ huic Sanctæ

vniuersali Synodo Basileensi incumbit, hoc vnum singulari solicitudine prosequendũ arbitratur, vt per singulas Ecclesias ministri instituãtur idonei, qui scientiis & virtutib. effulgeant, ad Christi gloriã & vniuersi populi Christiani ædificationem salutarem, cui rei graue impedimentũ hactenꝰ afferre visa est gratiarum exspectatiuarum multitudo, q̃ grauem ordini & statui ecclesiastico perturbationẽ, variasq; inordinationes ac plurima discrimina comperitur iniecisse. Ex his n. frequẽtius dati sunt Ecclesiis ministri nõ probati, nec cogniti vacaturorũq; beneficiorũ exspectatio, q̃ sicut antiqua iura testantur, occasionem desiderandæ mortis alienæ præstare solet, ꝙ plurimũ præiudicat animarum saluti, sed & insuper lites innumeras & cõtentiones inter seruos Dei excitãtur, tãcores & iurgia nutriuntur, pluralitatis beneficiorũ fouetur ambitio, facultates ac pecuniæ regnorũ & prouinciarũ mirum in modũ exhauriuntur, pauperes discurrendo ad Romanã curiã, innumerabiles vexationes subeunt, & inter viarum discrimina nonnunq̃ spoliantur, occidantur, ac variis afflĩguntur pestibꝰ: atq; ẽt suis patrimoniis ac parentum opibꝰ exhaustis, graui egestati subiacere coguntur. Plurimi absq; iusto titulo beneficia sibi vendicãt, & non quibus de iure debentur, illa obtinent; sed nonnunq̃ hi, quib. aut circumueniendi ꝓximum maior astutia, aut ad litigandum facultas suppetit vberior: sub involutionibus quoq; prærogatiuarum, antelationum, aliorumq; huiusmodi gratias concomitantium, fraudes plurimas & deceptiones contingit inueniri. Inuenib. ẽt, qui studio literarum & virtuosis operib. intendere deberent, datur materia euagandi, qui sæpius per litium anfractꝰ & varios discursus, ratione gratiarum ipsarũ turbantur & inquietantur. Ordinariis collatorib. suum ministeriũ subtrahitur, & confunditur Ordo Ecclesiasticus, dum vnicuiq; sua iurisdictio non seruatur. Romaniq; Põtifices, dum officia inferiorum nimium sibi vendicant, à maioribus, & magis fructuosis operib. vniuersale bonũ concernentib. retrahuntur, nec inferiorum directioni atq; correctioni inulgilãt. Sicuti publica vtilitas exposcit. Quæ oĩa grauem confusionem statui clericali & sacerdotali, in dispendium diuini cultus & præiudiciũ publicæ salutis afferunt, possentq; grauiorem in futurum afferre ruinã, reb. his in deteriora iugiter ꝓlabentibus, nisi ꝓideretur in aduersum. Volens itaq; hæc S. Synodus super his opportunum remedium adhibere, statuit & decernit, vt Rom. Pontifex, qui pro tempore fuerit, eas deinceps gratias expectatiuas, aut nominationes, nullo modo nullaue ex causa cõcedat, cum ipse præceteris, ne sit tantorũ occasio malorũ, abstinere debeat. Frustra n. inferiorib. inhiberetur, si ipse, qui aliis debet esse oĩum bonorum & virtutũ exemplar, nõ abstineret. Vt n. ille sanctissimus & doctissimus Leo Papa inqt, Totius familiæ domini status & ordo mutabitur, si ꝙ inquisitur in corpore, non inuenitur in capite. Integritas ẽt præsidentium, salus dignoscitur esse inferiorum. Cessentq; de cætero iam factæ, & tam ipse q̃ etiã fieudæ, si quæ fiant, nullæ sint ipso facto, exceptis illis gratiis & nominationib. super quib. processus iam sint expediti, quas ex certis rationabilibus caussis in octo mensibus, quibus hactenus cursum consueuerunt habere, tolerandas duximus, donec aliter fuerit ordinatũ. Reseruationes etiam particulares, quæcunq; fuerint, beneficiorum vacaturorum, tam per Rom. Pontifices, quam per Legatos Sedis Apostolicæ, de cætero nullæ sint ipso facto. Non tamen intendit prohibere hæc S. Synodus hoc ꝓsenti decreto, quo minus futuri Rom. Pontifices tempore Pontificatus sui modo honesto & conuenienti, de vno beneficio ad collationem, in qua fuerint decem beneficia, & de duob. vbi fuerint quinquaginta, &c vltra, disponant, ita tamen vt in eadem Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, duas præbendas suo tempore non conferant, vt qualificationes graduatorum inferius designatæ, in ipsis præbendis suum valeãt sortiri effectum. Neq; ẽt collationes per præuentionẽ fiendas, intendit impedire, decreto nostro de reseruationibus, quo ad cætera, & aliis decretis huius S. Synodi in suo robore duraturis. Vt vero cæteri ad quos beneficiorum, dignitatum, personatuum, officiorũ, & administrationum collatio, seu quæuis dispositio spectat, ad prouidendum literatis viris & scientia pernotatis specialius astringantur, voluit eadẽ S. Synodus certas qualitates virorum litteratorum & graduatorum designari, q.b. certo ordine debeat ꝓuideri, prout inferius annotatur, adiiciens q. si per prælatos & doctores alicui nationis in hoc concilio consistentes, pro bono suę nationis aliter circa huiusmodi qualificationes disponẽdum videatur in futurum, quicquid per illos fuerit ordinatum & in generali congregatione præsentis Concilii conclusum, ex nunc prout ex tunc ratũ & firmum habeatur, & vim decreti habeat, ac si in psenti decreto de verbo ad verbum expressum foret. Quod si quis cuiuscunq; status etiam si Cardinalatus, Patriarchalis, aut alterius cuiusliber dignitatis, contra prædictum ordinem & qualificationes (vt præmittitur) designatas vel designandas, de ipsis beneficiis, dignitatibus, personatibus, officiis & administrationibus quomodo disposuerit, eo ipso sit irritum & inane. Collatio, huiusmodi ac prouisio, seu quæuis dispositio ad superiorem proximum deuoluatur, qui similiter habeat prouidere: q. si non fecerit, ad alium superiorem ꝓximum deuoluatur, gradatim vsq; ad summum Põtificẽ accedẽdo. Nõ volumus tamẽ ordinarios collatores, & eos ad quos ꝓsentatio seu alia quęuis dispositio beneficiorum spectat, in 4. mensibus q.b. præfatæ gratiæ exspectatiuæ vel nominationes cursum nõ habẽt, donec ipsæ gratiæ & nominationes ad eorum collationem, prouisionem p̃sentationem seu dispositionẽ concessæ cessauerint ad qualificationes infrascriptas obseruandas astringi.

Sequuntur qualificationes, & ordo in conferendis beneficiis per ordinarios, de quibus supra tactum est. LIX.

Primo, cum per generalis Concilii statuta sancte ordinatum existat, q. quælibet Ecclesia metropolitana teneatur & debeat vnum habere Theologum, qui sua doctrina & prædicationibus fructum salutis afferat, ordinat hęc sancta Synodus, quod extendatur etiam huiusmodi ordinatio ad Ecclesias Cathedrales, taliter videlicet, quod quilibet collator ipsarum præbendarum teneatur, & debeat canonicatum & præbendam, quã primum facultas se obtulerit, & inueniti poterit, vni magistro, Licẽtiato vel in Theologia Baccalaureo formato conferre, qui per decennium, in vniuersitate priuilegiata studuerit, & onus residentiæ ac lecturæ & prædicationis subire voluerit, quique his aut semel ad minus per singulas hebdomadas cessante legitimo impedimento, legere habeat: & quoties ipsum in huiusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli in subtractione distributionum totius hebdomadæ puniri possit. Et si residentiam deseruerit, de alio prouideatur. Veruntamen vt liberius studio vacare possit, nihil perdat, cum absens fuerit à diuinis. Insuper quod in qualibet Ecclesia Cathedrali vel collegiata, vltra prædictam præbendam Theologo (vt præmittitur) assignandam, tertia pars præbendarum conferatur graduatis alias idoneis modo & forma infrascriptis, sic quod prima vacaturæ huiusmodi graduato, & deinde post alias duas sequens eo modo cõferatur, & sic deinceps, videlicet magistris aut licentiatis seu baccalaureis formatis in Theologia, qui per decennũ in aliqua vniuersitate priuilegiata doctorib. seu licẽtiatis in altero iurium vel medicina, qui per septem annos in sua facultate studuerint in vniuersitate, vt supra, magistris seu licentiatis in artibus, cum rigore examinis, qui per quinquẽnium in aliqua vniuersitate à logicalib. inclusiue & supra in artibus, vel in alia superiori facultate studuerint, necnõ in Theologia, qui per sex annos vel in vtroq; aut in altero iuriũ, baccalaureis, qui per trien-

Theologũ in Cathedralib. collegiis, cur ad minus vnum esse oporteat.

nium, si nobiles ex vtroq; parente, & ex antiquo genere, alias a. per q̃nquẽnium cõsimiliter in aliqua vniuersitate priuilegiata ad minus suum studiũ fecerint, qui de p̃dictis gradibus, tẽpore & nobilitate supradictis fidem facere teneãtur collatori p legitima documẽta. Exhortamur tñ ordinarios collatores, q̃ in cõferendis beneficiis huiusmodi, p̃sertim quo ad dignitates, respectum habeãt singulariter ad magistros, nec non licentiatos & baccalaureos formatos in Theologia. In dignitatib. vero nõ electiuis p̃sonatib⁹, administrationib. & officiis dictarũ Ecclesiarũ, idẽ ordo, modus & forma in omnib, obseruẽtur. Quod si q.s ex dictis qualificatis, tpe vacationis p̃bendę seu dignitatis huiusmodi, alias duas obtineat p̃bendas, seu dignitates & præbendas, vel aliud seu alia beneficiũ aut beneficia, q̃p vel q̃ residẽdo in altero ipsorum, & horis diuinis intereslendo, valeret seu valerẽt vsq; ad summã seu æstimationẽ 200. florenorũ cameræ, similiter q̃cunq; duas præbendas cathedrales obtinuerit, nullatenꝰ in ipsa 3. parte includi seu cõprehendi cẽseatur. In Ecclesiis a. parochialibus, quæ in ciuitatib. aut villis muratis existunt, instituantur p̃sonæ sic, vt supra, qualificatæ, aut ad minus qui per 3. ãnos in Theologia, vel in altero Iurũ, seu magistri in artibus, q̃ in aliqua vniuersitate priuilegiata studentes fuerint, & huiusmodi gradum adepti fuerint, si tales potuerint inueniri, qui voluerit huiusmodi beneficiis deseruire. Et vt facilius inueniri possint, statuit hæc S. Synodus quod quolibet anno, durante tpe quadragesimæ, oẽs & singuli hoc modo qualificati, de ipsa dioecesi, & alii qui voluerint habeant per se vel per procuratorem sua nomina exhibere illis, ad quos beneficiorum curatorum collatio seu p̃sentatio spectat, seu eorũ vicariis. Quod si non fecerint, collatio seu p̃sentatio vel dispositio aliter q̃ (vt præmittitur) facta, non ꝓpter hoc irrita cẽseatur. Si a. illi ad quos beneficiorũ quæuis dispositio spectat, cõtra supradictarum qualificationum designationẽ & ordinẽ aliq̃ beneficium contulerint, seu ad ipsum p̃sentauerint, vel quomodolibet disposuerint, sit ipso facto irritum & inane, velut superius præmissum est. Et nihilominꝰ p cõcilia, ꝓuincialia cum in his defecerint, aut ẽt personis non idoneis quoquo modo ꝓuiderint, iuxta tenorẽ cõstitutionis Cõcilii Generalis, quæ incipit, Graue de præbẽdis, corrigãtur & debite puniantur. Illi vero, ad quos beneficiorum regulariũ spectat collatio seu dispositio, prætermissis indignis, eadem religiosis idoneis conferant & assignent. Quod si aliter fecerint, per eorum superiores & capitula prouincialia corrigantur, & debite puniantur. Datum in Sessione publica in maiori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata, 9. Cal. Febr. anno à Natiuitate Domini 1438.

LX. *DECRETVM TERTIVM PROMVLGATVM in eadem Sessione, de suspensione domini Eugenii Papæ Quarti.*

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiã repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Audiuit omnis Ecclesia iam à plurimo tempore, quo pacto hæc S. Synodus inter cætera ob reformationem ipsius Ecclesiæ Dei in capite & in membris specialiter congregata, cum sua decreta salubria passim contemni prospiceret, abusumque deformitatem contitinuari, atq; ẽt plus solito inualescere in diuinæ maiestatis offensam, & vniuersi Sacerdotii atq; totius Christianæ religionis ruinam miserabilem, videretq; periculosissimum schisma per erectionem alterius prætensi Concilii isto durante, & alia plurima scãdala imminere populo Dei, & vniuerso orbi perturbationem nõ modicam ex resistentia, q̃ aduersus debitã reformationem Ecclesiæ & salubria huius S. Synodi opera, dominus Eugenius Papa IV. diuisionem assiduam fouendo, & libitum propriæ voluntatis decretis & ordinationibus synodalibus præferendo, præstare videbatur; impulsa est post longam plurium annorum expectationem, superegimine ecclesiastico salubrem prouisionem quærere, & ipsum dom. Eugenium induxere, vt ea quæ saluti ipsius & vniuersæ Ecclesiæ congruebant, in tantis tamq; vrgentibus necessitatib. agere curaret, cum hoc ipsum eidem S. Synodo maxime liceret, atq; incumberet ex ea auctoritate, quam à Christo immediate accepit, cui vniuersi fideles cuiuscunque status, ẽt si papalis existant, obedire tenentur in his, quæ pertinent ad fidẽ extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris, veluti determinatio Vniuersalis Ecclesiæ in sacris Scripturis fundata, & in celeberrimo Concilio Constantiensi promulgata, diffiniuit, adiiciens quod quicunq; contumaciter ipsi vniuersali Concilio obedire contempserit in prædictis & pertinentibus ad ea, condignæ pœnitentiæ subiiciatur & debite puniatur, ad alia iuris remedia, si opus fuerit recurrendo. Et tandem prædie Kalendas mensis Augusti, nouissime præteriti, decreuit hæc S. Synodus, terminum sexaginta dierum peremptorie præfigere, infra quem præfatus dom. Eugenius coram eadem Synodo per se vel per alium compareret, si qua super prædictis aliis in dicto monitorio expressis, cæterisq; in futurum proponendis, quæ tunc non sine rationabili causa tacebantur, pro sui excusatione vel defensione duceret ꝓponenda. Quo termino elapso, siue dictus dominus Eugenius compareret, siue non, hęc sancta Synodus ad vlteriora procedere decreuit, cognoscendo & terminando, prout Ecclesiæ sanctæ Dei, Spiritu sancto dictante, videretur expedire. Sed (quod cum dolore referimus) ipse dom. Eugenius infra assignatum terminum neq; per se, neq; per alium comparere voluit, aut minimam excusationem si quam haberet trãsmittere: imo correctionem effugere volens, dissolutionẽ, translationem Concilii, quam de iure non poterat, de facto, pendente termino, attentauit: cum tñ iam altera vice dissolutionẽ huius Cõcilii per eum attentatã, reuocasset declaratas eam irritã & inanẽ, dicensq; ipsum Cõcilium ꝓ reformatione Ecclesiæ in capite & in membris legitime inchoatũ, continuatum fuisse, & ꝓsecutionẽ habere debere pinde ac si nulla dissolutio facta fuisset. Quib. attentis, elapso dictæ citationis termino, suam contumaciam in publica sessione promotores & ꝓcurator fiscalis huius sacri Concilii accusarunt. Exigenteq; iustitia, hæc S. Synodus in eadẽ sessione cõtumaciam ipsam do. Eugenii sufficienter accusatam declarauit, ipsumq; contumacem reputauit, decernens, eius absentia non obstãte, ad vlteriora ꝓcedendum fore, prout ipsi sanctæ Synodo videretur, cõsideratis necessitatib. & vtilitatib. vniuersalis Ecclesiæ. Et quanq̃ attenta contumacię magnitudine, eadẽ sancta Synod⁹ absq; vlteriori exspectatiõe in ea re ꝓcedere potuisset, volens tñ nihilominus cum oĩ mansuetudine & benignitate ꝓcedere, ad instãtiã inclytæ memoriæ Sigismũdi Rom. Imperatoris, & venerabiliũ Archiepiscoporũ cæterorumq; Illustrium ꝓncipum electorũ sacri Imperii, per 60. dies adhuc cẽsuit differendum, vt per huius S. Synodi patientiã ꝓbaretur, si ipsius dom. Eugenii animus ad salutem sui ipsius & vniuersalis Ecclesiæ inclinari valeret. Confestim a. plenius innotuerunt ea, quæ aduersus S. Synodum & eius supposita, in prætensa dissolutione iam attentata, ipse dominus Eugenius perpetrauerat, transferendo hoc sacrum Concilium in ciuitatem Ferrariensem, si cõtra ipsum aut aliquẽ Oratorum suorum vlterius procederetur. Et præcipiendo sub pœnis & cẽsuris grauissimis, quas tñ inferre nõ poterat, suppositis huius sacri Cõcilii, vt ab eo discederẽt: qua in re decreta sacræ Synodi Constantiensis & istius manifeste violabat, trãsferendo Concilium pro libito voluntatis, præter cõsensum ipsius, ac etiam vsurpãdo sibi auctoritatem supra S. Synodum, de reformatione Ecclesiæ in capite agentem, nõ recte sentiens, (vt videbatur) de auctoritate sacrorum Consiliorum & determinationib. vniuersalis Ecclesiæ fidẽ concernentibus, tam in ipso Constantiensi Consilio, q̃ in isto promulgatis super obedientia, quam summi Pontificis Synodis vniuersalibus exhibere tenentur, ac etiam schisma introducens. & aliud Concilium isto durante erigens, quod non fore Concilium, sed conuenticulum scismaticorum, iam præcedentibus decretis fuerat declaratum, ad dissolutionem Concilii iam semel per ipsum reuocatam, iterum redeundo, & ex modo dissolutionis ac pœnarum in iectionis, supra Concilium iurisdictionem in facto reformationis assumendo, sed non Concilio, sed Concilium sibi obedire tenenti, factis suis protestando. Merebaturq; tantarum tamq; grauium offensarum in Ecclesiam Dei & scandalum ipsius iam pluries attentatum, ac præiudicium fidei multitudo, vt illico in ipsum D. Eugenium iusti iudicii sequeretur vltio pro ipsius & vniuersalis Ecclesiæ salute. Sed non immemor hæc sancta Synodus maternæ pietatis, adhuc exp̃cetare voluit, si forte ipse dominus Eugenius à tanta inobedientia resipiscens, conuerteretur ad cor, euidentissimisque iuribus & orationibus declarauit, hanc dissolutionem & translationem nullas penitus esse, nullíusque roboris & momenti cum omnibus inde secutis. Intermissa quoq; celeriori condignarum inflictione pœnarum, hæc sancta Synodus eas duntaxat pœnas aduersus præfatum dominum Eugen. eo tunc promulgare duxit, quæ aduersus Romanos Pontifices facta generalia Concilia dissoluere, & perturbare tentantes, ordinatę fuerant, vt videlicet, nisi infra 4. mẽses à die dissolutionis & translationis per eũ attentatarũ, resipisceret cũ satisfactione reali, ab omni administratione papali esset ipso facto suspẽsus. Quæ qdẽ papalis administratio ad generale Concilii denolueretur. Et si hãc pœnã per 2. mẽses sustineret animo indurato, post 4. prædictos mẽses contra ipsum vsq; ad priuationẽ inclusiue per Concilium generale ꝓcederetur, quas pœnas hæc S. Synodus ipsum D. Eug., si non resipisceret cum satisfactione reali (vt ꝓmittitur) declarauit, & non solum declarauit, sed ẽt expresse decreuit incursarum. Cum vero iam & prior terminus 60. dierum indultorum post contumaciam accusatam, & alius 4. mensium post diem prætensę dissolutionis & translationis huius Concilii per ipsum D. Eugen. attentatarũ, elapsi sint, & pendentibus dilationibus, nulla correctio aut emendatio consequiarum ꝓuenisse, imo potius continuatio abusuum & deformitatum in offensam diuinæ maiestatis & interitum animarum, rebellioq; & inobedientia D. Eug. aduersus S. Synodum vniuersalem & decreta ipsius, ꝓuidentia insuper assidua erectionis illius prætensi Concilii Ferrariensis per transmissionem litterarum ad diuersas regiones, & conuocationẽ plurimorum ad idẽ Concilium, q̃ fore conuenticulum schismaticorum iã declarati cõmemorauim⁹. Ex quib, & ex exortatis sanctorum Cõciliorum profundatio, & reformationis Ecclesiæ Dei extinctio, & indictio schismatis inaudita per erectionẽ alterius p̃tẽsi Cõcilii, isto durante Cõcilio, ac deniq; determinationẽ Ecclesiæ vniuersalis paruipẽdo in lesionẽ irreparabilẽ Catholicæ fidei sequeretur, nisi diuina pietas suæ Ecclesię in tãtis lãgoribus subueniret. Vrgeruntãdẽ hęc S. Synod⁹, ne tãta mala diffimiãdo, assensũ illius ꝓstare videatur, & ne facilitas veniæ, incẽtiũ tribuat delinquẽdi: seu male agẽdi cum leuiora remedia nõ ꝓficiant, vtiliore & salubriore adhibere medicinã, atq; post varias exspectationes tandẽ saluti vniuersalis Ecclesiæ, ꝓuidere & ad suspẽsionẽ ipsius D. Eug. ab administratione papali, q̃ pœnã sacra Constãtiensis Synodus Rom. Pontificib. in variis casib. cẽsuit inferẽdã, ꝓcedere, alias pœnas duriores adhuc pro sua mansuetudine differẽdo, vt saltẽ per cõpulsionẽ iustitiæ cũ tẽperamẽto misericordię, ipsius Rom. Pontificis animꝰ ad ea q̃ sunt salutis & pacis, in reformationẽ debitã Ecclesiæ vniuersalis & animæ suæ & totius populi Christiani salutiferã dispositionem, ipsiusq; Ecclesię futuris tẽporib. pacificationẽ gratissimã, & auctoritatis sacrorũ Cõciliorum cõfirmationẽ valeat inclinari. In virtute igitur omnipotẽtis Dei, in cuius nomine hæc S. Synod. congregata existit, & à quo immediate potestatem sup vniuersos fideles cuiuscunq; dignitatis, ẽt si papalis existãt (vt prẽmissũ est) accepit, eadẽ S. Synodus prædictũ D. Eug. Papã IV. manifestũ cõtumacem, & in aperta rebellione p̃sistẽtẽ, ac notorie incorrigibiliterq; Ecclesiã Dei scãdalizãtem, omnib. prẽmissis tã cõiunctim q̃ diuisim attẽtatis, ab omni administratiõe paparus in spiritualib. & tẽporalib. suspẽdit, ac suspẽsum esse declarat, ꝓcessura tandẽ ad vlteriora vsq; ad sententiã finalẽ inclusiue, si opus fuerit, ipso D. Eug. amplius nõ vocato, ꝓut vtilitati & necessitati Ecclesiæ, Spiritu S. dictante, conspexerit expedire. Oẽm a. ipsius paparus administrationẽ in his omnib., q̃ in spiritualib. & tẽporalib. ad solum Papã & sedẽ Apostolicã de iure pertinere nosceuntur, eadẽ S. Synodus ad se ipsã decernit ac declarat esse deuolutã, ne ꝓpter gubernationis defectũ Ecclesia interim varia discrimina pati possit, decernens, irritũ & inane, q̃cqd durãte hac suspensione, per ipsum D. Eug. ratione paparus factum fuerit vel attẽtatũ. Oẽs quoq; reges, principes, communitates & alios quoscunq;, cuiusuis status & dignitatis existãt, hę. S. Synodus monet & requirit, & eisdẽ in virtute S. obedientiæ, & sub diuini obtestatione iudicii mãdat, ecclesiasticis vero personis quacunq; dignitate ẽt, si Cardinalatus, Patriarchali aut Põtificali ꝓfulgeãt, sub pœnis quas ipso facto incurrãt excõmunicationis & suspẽsionis ab omnib. dignitatib. & beneficiis, & officiis, quocũq; nomine nuncupẽtur, ẽt si fotẽt metropolitanæ aut Cathedrales Ecclesiæ, siue in titulum, siue in cõmendã obtineant. Vicariis a., gubernatoribus, vasallis, feudatariis & subditis Rom. Ecclesię sub pœna priuationis ipso facto oĩum feudorũ, & aliorum quorũcunq; iurium & priuilegiorũ, q̃ ab ipsa Rom. Ecclesia obtinẽt, districte præcipit, vt durãte hac suspẽsione, prę extu cuiusuis iuramẽti, subiectionis aut ꝓmissæ fidelitatis, eidem D. Eug. nullatenus obediant. Ipsos quoq; ad huiusmodi iuramenta & promissiones, durãte ipsa suspensione, nullatenus astingi declarau.⁹ sed ad hoc sacrũ Concilii in oĩ⁹, recurrãt, pro q.b. ad Rom. Pontificẽ recurrere soliti sunt. Intendit n. hæc S. Synodus munde, iuste, ac sancte necessitatibus quorũcunq; ꝓuidere. Mãdat præterea in virtute S. obedientiæ, & sub pœna priuationis, quam ipso facto incurrãt, omnium suorum beneficiorum, dignitatum, officiorum, commendarum, pensionum & gratiarum quarũcunq; etiam exspectatiuarum, omnib. & singulis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalib. & Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, Officiariis curiæ, & clericis quibuscunq; in Romana curia existẽtibus, & cuiusuis status & conditionis existãt, quaten⁹ infra 40. dies proxime sequentes post dẽm præsentis sessionis, à Romana curia recedant. Et deinde Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiastici (prout de iure vel consuetudine ad generale Concilium ire tenentur) sub pœnis inris iter suum sine fraude continuando ad hoc sacrum Concilium arripiant: reliqui vero qui ad generale Concilium non tenentur venire, ad residendum & Deo seruiendum in propriis beneficiis, vel ad hoc sacrum generale Concilium sine morę dispendio & omni fraude cessante se transferant, & accedant, decreto nostro quod incipit, Compatiens, & aliis quibuscunque huius S. Synodi, in suo robore duraturis. Omnes autem causas tam Ecclesiasticas spirituales, quam etiam profanas ciuiles & criminales atq; mixtas inter quascunq; personas, cuiuscunque status aut conditionis existant in Romana curia pendentes ab ipsa Romana curia hæc S. Synodus in eo statu in quo sunt, ad se aduocat, & aduocatas esse vult, & declarat expresse, inhibens omnib. iudicibus, auditoribus & Commissariis quibuscunque prædictæ curię, etiãsi Cardinalatus, Patriarchali, Pontificali, aut alia quauis dignitate præfulgeant, ne in præfatis causis procedere aut quicquam agere quouis modo præsumant. Quod si post notitiã huius decreti nostri quicq̃ fecerint, pœnas excõmunicationis ipso facto incurrãt.

Constantien. Conc. sess. 4. & 5.

Basilens. Concilii sess. 26.

Hæc & illa genus alia huius Synodi cause legenda sunt, ob multas grauissimas rationes quibus auctoritas Papæ adstruit, quæ hic elimantur.

Basileensis Cõc. sess. 29

Suspẽditur Eugen. IV. à Papatu.

ab ipſius excommunicationis ſententia huic ſanctæ Synodo duntaxat ipſa durante, abſolutione reſeruata, aut cognitione iuſti impedimenti (ſi quod allegaretur) quare à Romana curia ad hanc ſanctam Synodum accedere debentes, non receſſerunt. Cuius quidem impedimenti allegatas cauſas intendit hæc ſancta Synodus diligenter cum benignitate ſcrutari. Quicquid a. contra hanc aduocationem & inhibitionem attentari cõtigerit, ipſo iure decernit irritum & inane. Et vt fraudibus quæ excogitari poſſent obuietur, quia cum datarum anticipationibus in præſentis *ſuſpenſionis ad huius decreti noſtri elusionem litteræ papales vel aliorum ipſius auctoritate ſublata, ante ipſam ſuſpenſionẽ produci poſſent, niſi ante huius decreti noſtri promulgationem fuerint intimatę & publicatæ, eis nulla fides adhibeatur, & pro nullis habeantur. Decernit tandem hæc ſancta Synodus huius decreti publicationem in præſenti ſeſſione factam, eiusque affixionem in valuis maioris Eccleſię Baſileenſis vim habere monitionis citationis & executionis, & ita vniuerſos arctare, ac ſi perſonaliter apprehenſi & eis intimatum fuiſſet. Datum in Seſſione publica, in Eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, 9. Kal. Febr. Anno à Natiuitate Domini 1439.

*ſeſſionis

SESSIO XXXII.

De caſſatione prætenſi electionis loci à minori parte facti.

LXI. SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiã repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Pridem in decreto 25. ſeſſionis huius ſanctæ Synodi ꝙ incipit, Compatiens, lucide extitit declaratũ, diſſolutionem huius ſanctæ Synodi, & translationem eius in ciuitatem Ferrarienſem per dom. Eugen. Papam IV. de facto attentatas, tam in eo caſu quo contra ipſum virtute citatorii in noſtra 26. ſeſſione promulgati, aut contra quempiam præſidentium in Concilio Oratorum ſuorum in aliquo procederetur, quam in eo caſu quo Græcos cõtingeret aduenire, nullas eſſe penitusq; irritas & inanes, huiusmodiq; diſſolutionem ac translationem repugnare veritati declaratæ per ſacram Synodum Conſtantienſem dicenti, ꝙ generale Cõcilium vniuerſalem Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediate habet, cui quilibet cuiuſcunq; ſtatus & dignitatis fuerit, etiam ſi papalis, obedire teneatur in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſię in capite & in membris: quodq; ſi in his & pertinentibus ad ea obedire contumaciter contempſerit, condignæ pœnitentiæ ſubiiciatur. Quæ veritas in verbis Chriſti fundata eſt, dicentis Simoni Petro: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Et poſt pauca ſubdit: *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Eademq; ſacrorum Conciliorum authoritas ſuper Romanum Pontificem & quemliber alterũ in Actibus Apoſtolorum, declarationib. vniuerſalium Cõciliorum, & doctrinis ſanctorum multipliciter inuenitur patefacta. Repugnabat quoq; talis diſſolutio & translatio veritati in hac ſancta Synodo dudum multipliciter declaratæ, quod Papa Concilium vniuerſale ſine conſenſu ipſius diſſoluere non poteſt, aut de loco ad locum transferre. Cui dom. Eugen. poſt longam reſiſtentiã, ꝙ eidem veritati in prima prætenſa diſſolutione huius Cõcilii, & trãſlatione in Bononiã olim factis, & per vniuerſum orbẽ publicatis, ſub colore reductionis Græcorum, ꝙ etiam veluti cauſam neceſſariã, ꝙ tunc allegabat, tãdem aſſenſit, reuocãs huiuſmodi diſſolutionem & trãslationem, & dicens, ea non obſtãte, Cõcilium à tempore ſuę inchoationis legitime cõtinuatum fuiſſe, & decernẽs ac declarãs irritã & inanem, ac ẽt reuocãs, quicquid per eum aut ſuo nomine factum, attẽtatum ſeu aſſertum erat cõtra ipſum Baſileenſe Concilium ſeu eius auctoritatem: & deinceps à grauaminib. eidem inferendis abſtinere pollicitus eſt, prout per 14. ſeſſionem huius S. Synodi, præſente ſedis Apoſtolicæ legato, & plurib. S.R.E. Card. aſſentientibus ẽt inclytæ memoriæ Sigiſmundo Rom. Imp., ſibi fuerat indictum. In qua ſeſſione forma præfatæ reuocationis & cõfeſſionis veritatis, per ipſum D. Eug. faciendæ decreta fuerat. In hac quoq; veritate cõ[illegible]uerſa Catholica Eccleſia, reputãs ipſam diſſolutionẽ per eum, ſine cõſenſu Cõcilii minime fieri potuiſſe. Nec vllatenus aduerſus veritatẽ repugnãdi, & ad erroꝛẽ ſemel dimiſſũ redeundi, cauſã aſſumere poterit ipſe D. Eugen. ex prædicto citatorio. In quo poſt plurimas admoniones ſibi factas: vt aliq; emendationem poneret efficacem in eccleſiaſtico regimine miſerabiliter defluente, & decreta ſalubria ꝑ hãc S. Synodũ edita ſuſciperet, aliisq; exempla bonorum opum præſtaret, ſeipſum & cæteros dirigendo in viã ſalutis, cum ipſe ex aduerſo in cõtemptum huius S. Synodi & totius Eccleſiæ deſolationem, plurimarumq; diuiſionum ſuſcitationẽ, ſaluberrimæ reformationi ipſius corporis Eccleſię lõgo tẽpore reſiſteret: Vniuerſalis Eccleſia cõgregata ipſum D. Eugen. ſicut mater filium delinquentem, in viã ſalutis dirigere ſatagens: & ſicut Paul. reprehendit Petrũ coꝝ omnib. *Gal. 2.* cum nõ ambularet ad veritatẽ Euãgelii: eundẽ D. Eug. arguens, atq; ex auctoritate à Chriſto eidem Eccleſiæ data corripiens, de fec[illegible] notorios, in quibus animã ſuã & vniuerſã rempublẽ minium grauabat, cõmemorauit vocãs ipſum & alios conuocãs, vt in regimine Eccleſiæ ſalutaris apponeretur ꝓuiſio. Quoad poſt lõga tolerãtiam tãdem id agere *impulſa fuit hęc S. Synodus, dum poſt cõremptum reformationis ſalutaris, ad ſuſcitationem grauiſſimi ſchiſmatis & læſionem veritatis, ipſius matris Eccleſiæ vulnerationẽ grauiſſim. ãidem D. Eug. realiter ꝓcedebat, cui per prædictum citatorium ſumme neceſſarium erat obuiare dum ſub colorib. exquiſitis eandem S. Synodum & eius opera diſſipare, atq; ꝙdam conuenticulum in loco ſuæ voluntati dedito, nulliter ac de facto erigere, in ſciſſuram Eccleſiæ diſpoſuerat, cuius rei perficiendę gratia iam tri remes & Oratores in Græciã trãſmittebat, ad impediendum aduentum Græcorum in locum per hãc S. Synodum nominatum, & perturbãdum effectũ noſtræ legationis in Cõſtantinopolim tranſmiſſæ, atq; rumpendum ea q̃ inter ipſã Synodum & Græcos cõcordata erant. In quib. etiã ipſe D. Eug. expreſſe conſenſerat, ſed nec vllum colorẽ diſſoluendi hoc ſacrum Baſileenſe Cõcilium, & ipſum in Ferrariã trãſferendi, in caſu aduen[illegible] Græcorum præfatus D. Eug. potuit aſſumere ex ſchedula per quãdam prætenſam ſeſſionem conuenticuli Ferrarienſis (vt dicitur) cõmemorata, q̃ ſchedulã illi cõuentionalem dixerunt ſuper termino Auinionenſib. præfixo in expeditione pecuniarum facienda, q̃ ſi non facerent, alium locum nominare ſeu eligere poſſemus, & teneremur, atq; aliunde vniuerſali Eccleſiæ ꝓuidere. Vel ex quadã alia ſchedula, q̃ temerarie decretum appellant, incipiente, Hæc ſacroſancta Synodus inter ſuæ congregationis exordia, ꝙ in 25. ſeſſione huius S. Synodi promulgatum allegarunt, cũ ex rationabilib. & neceſſariis cauſis in ipſa noſtra ſeſſione 25. nominationem trium locorũ Baſileæ, Auinionis & Sabaudiæ pro Oecumenico Concilio celebrando, ſolenni decreto noſtro incipiente, *Nuper hac ſacroſancta Synodus*, publicauerimus, volentes eam inconcuſſam, & inuiolatã permanere, omnemq; aliam nominationem ſeu electionem cuiuscunq; alterius loci decernentes irritã & inanem: vniuerſiq; facile conſpiciunt, D. Eug. ex his reb. nullum fundamentũ erectionis præfati conuenticuli aſſumere potuiſſe, qui veritatem geſtorũ conſiderãt. Quan[illegible]n, inter deputatos quoſdã noſtræ congregationis actum fuerit, vt niſi per Auinionenſes infra præfixum terminum fierent pecuniæ expeditio, ad aliã nominationẽ procedendũ foret, atq; in noſtra generali congregatione concluſum, dici poteſt, hãc Synodũ per viã contractus cum aliquo

compulſa

Conſtant. Conc. ſeſſio. 4. & 5.

Matth. 18

Ibidem.

Vide Epiſt. retractatoriã Pii II.

Baſileenſ. Cõc. ſeſſ. 2.

conue-

nenille: nullus enim tunc aderat, cum quo contractum huiuſmodi celebraret. Nec venit in dubiũ, quen[illegible] cum ſe ip'o non poſſe cõtrahere, cum inter ſpõdentem recipientẽq; ſponſionẽ, debeat eſſe diſtinctio perſonarum, Ipſius a. noſtrę cõcluſionis interpretatio, declaratio, moderatio, mutatio iuxta cauſa occurrentes, atque omnimoda diſpoſitio ad ipſũ Cõciliũ pertinebat, maxime cum nõ ageretur de facto priuato cuiuscũq; pſonę, ſed de reb. ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ cõcernẽtib[illegible], quatũ diſpoſitio ab vniuerſali Concilio ſub directione ſpiritus paracliti conſtituto, ꝑ cuiuscunq; aut quarumcunq; perſonarum arbitrium non tollitur. Superuenit proteſtatio Legatorum ſedis Apoſtolicæ aduerſus decretationem loci Auinionenſis, qui pariter cum Baſilea & Sabaudia in ipſa concluſione cõcorditer capta, iunctus erat. Quæ ꝓteſtatio non modicã occaſionẽ retrahendi animos Auinionenſium à prædicta expeditione pecuniarum præſtabat: fuerunt q; ex alia parte per D. Eugen. & ſuos, aduerſus hanc expeditionem, pendente termino aſſignato, grauia impedimenta in Auinione præſtita. Idq; accidit, vt Oratorib. noſtris in Auinionẽ venientibus, præcipui gubernatores ciuitatis tunc abſentes eſſent, ſine quibus res non poterant tractari. Quibus deinceps aduenientibus, ita actum eſt, vt Auinionenſes ipſi circa terminum præfixum capitaneum triremium noſtrarum de 30800. florenis auri de camera contentarent, & Oratores noſtros de reſiduo totius pecuniæ expeditæ, cautos ac ſecuros facerent, ꝓut ipſi Oratores noſtri hoc idem ſuis literis nobis intimauerunt. Requirebant a. ipſi Auinionẽſes, vt decretationẽ electionis ſeu nominationis loci ꝑ nos factę, expediremus. Quæ nos attentius cõſiderãtes & intentioni hui⁹ S. Synodi ſatis factum eſſe iudicantes, per talem expeditionem pecuniarum, attentis maxime impedimentis interea appoſitis, (quoniã legitima impedimenta in oĩ concluſione rerum agendarum intelliguntur excepta) cum & per hunc modũ longe melius ꝓuidebatur vniuerſali Eccleſiæ, q̃ dimittendo omnia q̃ parata erant ꝑ legatione mittenda in Græciã, & intrãdo magnas difficultates electionis alterius loci in turbationem rerum agendarum, maxime quoniã vrgebamur cõuentiones noſtras cum capitaneo claſſis triremium Eccleſię initas ſeruare, cui dilectus Eccleſiæ filius Iulian. tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis, Legatus ſedis Apoſtolicæ, vexillum Eccleſiæ & baculum peregrinationis in noſtra cõgregatione generali nomine noſtro tradiderat, cuiq; iam grãdis ſumma pecuniæ per Auinionenſes aſſignata erat) concluſimus ad ipſam decretationem locorum prius electorum, videlicet Baſileæ Auinionis & Sabaudiæ ꝓcedendum fore, & duæ partes huius ſacri Cõcilii & ampliusin eandẽ ſententiã conuenerunt, licet pauci de hoc nõ cõtenti, alium locum ꝓ celebratione Oecumenici Concilii nominare, & deputare ꝑſumpſerint, abſq; hoc ꝙ talis poteſtas eis cõpetere declarata fuiſſet. Quib. nec cõpetebat de ſtatu totius Cõcilii & vniuerſalis Eccleſiæ, factisq; fidei ſeu prinentib. ad ea, contra cõſenſum duarum partium Cõcilii, & morẽ ꝓmaxime in generalib. Cõciliis à principio naſcẽtis Eccleſiæ obſeruatum diſponere: qui tñ adhuc in nominando loco non concordes extiterunt, pauciſſimique fuerunt, qui tandem in hoc reſediſſe dicuntur, ꝙ nominationem facerent Vtini & Florentiæ, aut alterius loci, qui tutus eſſet, ac Papæ & Græcis accommodus, quique galeas & pecunias primo expediret. In aliqua quoq; noſtrarum 4. deputationum, in qua 80. perſonæ erant, vnus ſolus formam talis nominationis, veluti decretandam, ꝓpria voluntate produxiſſe, ſolus deliberaſſe, & concluſiſſe dicitur. In aliisq; deputationibus valde pauci, hoc idem egiſſe dicuntur aduerſus ordinationes huius S. Synodi. Et demum cum ſeſſionem noſtram ſuper decretatione locorum Baſileæ, Auinionis & Sabaudiæ celebraremus, legereturque noſtrum decretum in ambone maioris Eccleſiæ Baſileenſis iuxta morem conſuetum, vnus ex illis pauciſſimis in loco inferiori & inſolito, quandam ſchedulam legere præſumpſit, à paucis vel nullis intellectam, quæ nominationem locorũ Vtini & Florentiæ aut alterius loci (vt præmittitur) per pauciſſimos factã continere dicebatur, qui etiam in ea Synodum generalem contra conſenſum duarum partium Concilii & amplius ſe (vt dicitur) appellare ꝑſumebãt, licet nulliter & de facto. Sed non propterea dimiſimus decreti noſtri præfati publicationẽ ſuper nominatione Baſileæ, Auinionis & Sabaudiæ cõtinuare, ꝙ aliam nominationem locorum irritam declarauit. Nam & ſi ita permitteretur, vt longe minor pars in Cõciliis generalibus aduerſus partem multo maiorem, aliqua decretaret, ſibi auctoritatem totius Concilii aſſumeret, ingreſſus periculoſiſſimus ad multas diuiſiones excitandas in futurum, & deſtructionem ipſorum Cõciliorum præberetur. Neq; litteras ſuper illo prætenſo decreto, ſic per nos irrito declarato, bulla hui⁹ S. Synodi bullari tolerauimus, licet quidam falſo & clandeſtine aliquas bullauerint, ſicut eas falſo bullatas fuiſſe declarauimus, per ſolenne decretum in 27. ſeſſione huius S. Synodi promulgatum. Sed nec ipſius prætenſi decreti tenorem obſeruauit D. Eugen., imo effectum eiusdem (ſi quis fuiſſet) euacuauit, dum Florentiam, quæ in illo (vt dicitur) nominata erat, & pecunias atq; galeas diſponebat, per cum acceptatam reiecit, & deinde Bononiam, ſicut fertur, poſtremo Ferrariam pro libito ſuæ voluntatis elegit, ac etiam priusquam Græci ad portum aliquem citramarinum applicuiſſent, conciliabulum in ipſa Ciuitate Ferrarienſi erexit. Neque ad ipſum arbitrari ſpectabat, quis locus tutus erat pro Concilio celebrando, cum ipſe talem locum tutum iudicare poterat, quem ſancta Synodus minime tutum reputaſſet. Nec aſſerere poteſt, ſibi facultatem per præfatum prætenſum decretum attributam, vt nunc in vno loco, nuncin altero (prout vellet) Concilium fieri ordinaret, ac de eius ſecuritate iudicaret, quod nec illi pauci fecerunt, nec ſub nomine generalis Synodi aduerſus Synodum ipſam, & eius libertatem atq; auctoritatem tale aliquid faciendi, ipſamque voluntati Papæ ſubiiciendi, colorem aliquem habuerunt. Neque etiam in Concilio vnquam conuenerunt ad iudicandum, vel declarationem faciendum dum ſup ſecuritate loci Ferrarienſis, aut adimpletione primo facta ex parte loci illius in expeditione galearum & pecuniarum, de quib. in ipſo prætenſo decreto agi dicebatur. Deniq; nec per eos qui illud condidiſſe dicuntur, hoc obſeruatum eſt, vt firmiter in Baſilea ſteterint, donec Græci ad portum applicuiſſent. Quodque deinde infra menſem receſſerint ad locum ipſis Græcis per Oratores Concilii nominatum, neq; in hoc cõuentiones cum Græcis cõcordatas obſeruarunt, ſicq; tametſi prætenſum illud decretum aliquã apparentiã prius habuiſſet, quam tamen veraciter non habuit, fuit ex conſequentibus effectib. euacuatum: ipſumq; caſſum, nullum & irritum penitus eſſe & fuiſſe, nulliusq; roboris & momenti, decernit & declarat hæc ſancta Synodus, inhibens ne quis quacunq; dignitate, etiam ſi papali præfulgeat, dictum prætenſum decretum ſub nomine legitimi & ſynodalis decreti audeat nominare, nec illius executioni fautores quomodolibet impẽdere, ſub pœnis & cenſuris contra violatores & turbatores vnitatis ac pacis Eccleſiaſticæ à iure impoſitis, in quas decernit hæc S. Synodus eos incidere ipſo facto, notum faciens vniuerſis, ſuum verum decretum legitime concluſum, ex aſſenſu duarum partium & ampl⁹ iuxta decreta & ordinationes ipſius, & ex communi omnium ſuppoſitorum Concilii concordia, nemine diſcrepante, vera eius bulla plumbea bullatum, veraciter per eam fuiſſe obſeruatum, & in executionẽ deductum conuentionesq; initas cum Græcis ex parte ſua, quantum in ſe fuit, adimpletas extitiſſe. Quæ quidẽ S. Synodus Oratores ſuos venerabiles Epiſcopos Viſensẽ & Lauſanen. ac Nicol. de Mentone militẽ, cum galeis & pecuniis in Græciam miſit, qui coram Imper. Roma-

Cõcilium Ferrar. & Latinæ & Græca Eccleſia reuerenter agnoſcit.

norum

norum, & Patriarcha Constantinopolitano omnia ex integro adimplere obtulerunt, quæ ipsis promissa fuerant, sicuti sua relatio cum attestatione publicorum instrumentorum nobis facta indicauit, locumq; Oecumenici Concilii celebrandi nominauerunt, qui antea per ipsos Græcos in suis conuentionib. expresse acceptat' fuerat & concordatus. Portum etiam tali loco aptiorē assignauerunt, requirentes eosdem Imperatorem & Patriarcham, vt pariter sua promissa adimplerent. Qui se excusauerunt super non aduentu eorum, allegantes tempus adimplendarum promissionum elapsum fuisse, prout per litteras suas nobis rescripserunt, quanquam tamen huic responsioni fuerit plene satisfactum per Oratores nostros, quoniam ipsi conuenienti tempore, mense sc. Februarii, anno præterito ab hoc sacro Concilio recesserant pro veniendo illuc ante terminum assignatum, si non fuissent multiplicia impedimenta sibi deinceps obiecta, quæ notoria sunt: quoniam in conuentionibus cum Græcis per nos initis expresse cautum erat, omnia intelligi debere bona fide, sine fraude & dolo & absq; impedimento legitimo & manifesto. Sed vltra hæc etiam præfatus Imperator alteri Oratorum nostrorum Iohanni de Ragusio in sacra Theologia magistro, ordinis Prædicatorum apud eum existenti dixerat, se esse contentum, vt Oratores ipsi & galeæ ante mensem Octobris in Constantinopolim non venirent. Plurimas vero practicas in Græcia factas accepimus per eos, qui ex parte domini Eugenii transmissi fuerunt, vt aduentum ipsorum Græcorum ad alterum locorum per nos nominatorum, impedirent, atque ipsos in locum, quem vellet dominus Eugenius, attrahirent. Et in vna triremi, in qua principalis Oratorum suorum præsens erat, nuncius quidam, quem nostri Oratores præmiserant cum literis huius sacri Concilii & plurium principum Christianorum captus est, veluti per debitam informationem cognouimus, nec deinceps de vita eius quicquam nobis aut nostris Oratoribus compertum extitit. Domus quoque præfati Iohannis de Ragusio Oratoris nostri in Constantinopoli, inuasione balistariorum fuit impetita: aliquaque ibidem facta sunt, quæ non est necessarium recitare, per singula, vt sic ad fines suos pertingere possent, quos miserat dominus Eugenius, ita vt nostri Oratores sine Græcis ipsis, protestatione tamen solenni contra eosdem prius facta, redire oportuerit. Quæ omnia præualere non potuerunt aduersus veritatem. Sic hæc sancta Synodus cuncta cum Græcis concordata ex parte sua adimpleuit, nec per ipsam remansit, quominus Concilii Oecumenici celebratio cum Græcis in loco etiam per eos nominato habita fuerit, iuxta ea quæ cum ipsis conuenta erant, si illi promissa sua seruassent, aut per alios non fuissent impediti aut retracti. Intenditque & proponit eadem sancta Synodus, Deo adspirante, authoritatem & veritatem Catholicæ & vniuersalis Ecclesiæ, quam ipsa repræsentat, ac integritatem fidei orthodoxæ iugiter illæsas conseruare, pro honore ipsius omnipotentis Dei & salute animarum: nec bono ipsius vniuersalis Ecclesiæ conueniens existimat, per quascunque practicas aut exquisitos colores, etiam sub spe dubia prosequendi, modis aliunde excogitatis, alia negotia quorum euentus incerti sunt, authoritatem Conciliorum vniuersalium conculcari, veritates declaratas per Ecclesiam, & Fidem Orthodoxam concernentes, prosterni, viam aperiri Romanis Pontificibus ad dissoluenda Concilia generalia per varios modos sine ipsorum consensu, ex quo facile potestatem datam ad ædificationem, in destructionem verti contingeret, reformationemq; Ecclesiastici status, pro qua iam tot sunt adhibiti labores, frustrari, atq; ipsius Ecclesiæ stabilitatem, & decorem hoc modo deperire in perditionem animarum & totius populi Christiani lamentabile detrimentum. sic enim possemus & illa bona maxime ex nunc perdere, & illa alia non acquirere, atque sic totam Ecclesiam in confusione relinquere. Primum quidem nobis incumbit, Ecclesiæ fidem, veritatem & auctoritatem conseruare, & deinceps cunctos ad eius vnitatem redire volentes, syncera charitate amplecti, prout & nos semper parati sumus & erimus. Cum itaque ea nulla esse & penitus inualida quæ dominus Eugenius aduersus hanc sanctam Synodum, in ipsius prætensa dissolutione & translatione in Ferrariam, notorie constet, ipsamque conuenticulum Ferrariense non fore Concilium, sed schismaticorum conuenticulum, dudum præfato decreto vigesimæ nonæ sessionis huius S. Synodi declarauimus, meritoque pœnam suspensionis ab administratione papali in spiritualibus & temporalibus iam dudum contra Romanum Pontificem, Concilium vniuersale sine ipsius consensu dissoluere, aut transferre attentantem, ordinatam, in ipsum dominum Eugenium, tulerit & latam esse declarauerit hæc sancta Synodus, ac etiam quascunque sententias, pœnas & censuras excommunicationis, priuationis, inhabilitationis, interdicti, & alias contra huius sanctæ Synodi supposita, & eidem adhærentes, per ipsum dominum Eugenium latas & ferendas, cassas & nullas fuisse & esse declarauerimus; non necesse arbitramur, vt denuo ad ea cassandum & irritandum procedamus, quæcunque per ipsum dominum Eugenium aut præfatum Ferrariense conuenticulum facta sunt aduersus eandem Synodum, quæcunq; eius supposita, & quoscunq; ipsis adhærentes, etiam ante ipsius domini Eugenii suspensionem ab administratione Papali, & quæ durante ipsius suspensione, aut præfato conuenticulo, facta sunt, fiunt, aut fient in futurum, in quibuscunq; per ipsum videlicet dominum Eugenium ratione Papatus, aut ipsum conuenticulum sub generalis aut Oecumenici Concilii nomine, qui etiam victualia suppositis huius sanctæ Synodi auferri; & portantes ea, spoliari, eorumque spolia primo capientium occupanti cedere *mandauit, quæ quam grauia sint aduersus vniuersalem Ecclesiam, & quanta reprehensione digni sint, qui talia agunt, cuncti conspicere possunt.

Ferrariæ. Concil. & Lat. & Græci in ter Oecumenica numerant & venerantur.

*Mandauerunt.

Nos quoq; omnibus & singulis manifestantes veritatem, declaramus omnia prædicta per ipsum dominum Eugenium, aut ipsum conuenticulum facta & facienda, etiam contra dictos Ecclesiæ filios ciues Basileenses & eorum ciuitatem, nulla penitus, cassa & irrita fuisse & esse, nec aliquem ipsius domini Eugenii, præfatique conuenticuli præceptis, mandatis aut prohibitionibus etiam prætextu cuiuscunque iuramenti aut obligationis, in quibus libet prædictis teneri obedire, imo potius ad non obediendum illis, omnes & singulos catholicos ex præcepto nomini & Ecclesiæ sponsæ eius, quam ab eis omnib. audiri iubet, esse adstrictos. Requirimusq, & monemus vniuersos Christi fideles, vt Ecclesiæ Catholicæ (quæ à directore dirigitur sapientissimo & infallibili) per hanc sanctam Synodum repræsentatæ firmiter adhæreant vsque ad finem, nec vllis tentationibus per voluntatem cuiuscunq; suscitatis aut suscitandis, ab ipsius Ecclesiæ firmitate & veritate suos animos dimoueant confidētes in superno Saluatoris nostri auxilio, qui ad Ecclesiam suam dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*: manentesque perseueranter in ipsa Ecclesiæ domo, quæ vt ait Beatus Hieronymus, declarans sacræ scripturæ veritatem, dicitur ædificari supra firmam petram, quæ vnica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine ruga & macula, quæ domus etiam claues accepit & potestatem ligandi & soluendi. Hanc domum si quis corrigentem corripientemque contempserit, sit tibi (inquit) sicut Ethnicus & Publicanus) soliditatemque fidei semper teneant, memorantes etiam dictum illud Beati Cypriani: Alienus est, prophanus est, hostis est, habere non potest Deum patrem; qui vniuersalis Ecclesiæ non tenet vnitatem.

Matth. vlt.

Matth. 7. Cant. 6. Matth. 18

Insuper quoniam in suprædicto decreto vigesimæ nonæ nostræ sessionis, pœnas & censuras iustissimas promul-

promulgauit hęc sancta Synodus aduersus omnes, qui ad præfatum conuenticulum Ferrariense accederent, aut mitterent, præcepitque sub eisdem pœnis & censuris omnibus & singulis in curia, quam dominus Eugenius quondam tenebat, aut etiam actu de facto tenet existētib. Vt si conuenticulum Ferrariense per eum erigi contingeret; ab eius curia recederent, & deinceps declarata suspensione ipsius ab administratione populi, etiam sub pœnis & censuris in decreto nostræ vigesimæ nonæ sessionis contentis, mandauimus, vt infra quadraginta dierum spacium, ab eadem curia recederent: idro omnes & singulos in conuēticulo Ferrariensi aut prætensa ipsius domini Eugenii curia existentes, & in prædictis nostris decretis comprehensos; qui eorundem decretorum monitionibus non paruerunt, citat hæc sancta Synodus, vt trigesimo die à lata præsentis decreti computando, in nostra generali congregatione (si tunc eam celebrari contingat) alioquin in proxima subsequente, compareant coram eadem sancta Synodo. Visuri se declarari in pœnas prædictas incidisse, aut iustas causas (si quas habeant) allegaturi: quem terminū ipsis peremptorie & vna vice pro omnibus hæc sancta Synodus duxit assignandum & assignat; decernens vlterius contra eos procedendum fore & declarandum, prout iuris & rationis fuerit, quorum omnium nomina & cognomina haberi vult pro sufficienter expressis. Insuper cum in prima sessione huius sanctæ Synodi pœnæ excommunicationis, anathematizationis & interdicti decretæ fuerint aduersus omnes & singulos, qui quascunque personas ecclesiasticas vel seculares, ad hoc sacrum Concilium venientes, seu in eo stantes, aut ab eodem recedentes, temeritate ꝓpria per se vel alium, seu alios attestare, inuadere, capere, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, vel bonis suis spoliare, vel iniuriis affligere, seu ipsos sic delinquentes receptare, aut alias quomodolibet impedire, seu ea perpetrantium facta & cōmissa rata & grata habere, vel eis date consilium, auxilium vel fauorem, publice vel occulte, directe vel indirecte præsumpserint, vel præsument in futurum, quæ pœnæ solēni decreto Concilii Constantiensis aduersus prædictos fuerunt ordinatæ. Vltra easdem pœnas & censuras, quas omnes & singulos qui mandato præfati D. Eugen., vel præfati conuenticuli Ferrariensi, quicq̄ prædictorum fecerint, aut facient in futurum, expresse incurrisse, & incursuros esse decernimus ac declaramus. Et iam cōtra eosdem, tanq̄ contra fautores schismatis, ad grauiora procedendum fore decernit hæc S. Synodus, omnibus aliis decretis & ordinationib. eiusdem S. Synodi in suo robore duraturis. Decernit tādem hæc sancta Synodus omnes & singulos supradictos per publicationem præsentis decreti in valuis maioris Ecclesiæ Basileensis affigendi, perinde ac si citati ac arctatos intelligi, ac si dictę citationis, ordinationis & declarationis executio ad eorum proprias personas facta fuisset. Datum in Sessione nostra publica in maiori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata, 9. Cal. Aprilis. An. à Natiuitate Domini 1438.

Hactenus acta Basileensis Conciliabuli.

LXII. *Auctarium arrogantissimæ Basileensium proteruiæ.*

His adiungere voluerunt, totius malitiæ & arrogantissimæ proteruiæ auctarium.

I.

Oratoribus Electorum Imperii, ad concordiam suadentibus, nec quic quam concedere volunt profani Basileenses.

*Sacrosancta, &c. Ad futurum rei memoriam. Audiuit hac S. Synodus affectionem deuotissimam venerabiliū Archiepiscoporum Electorum sacri Imperii, ad pacem & quietem Ecclesiæ, quam vos egregii ipsorum Oratores in nostra congregatione generali disertæ oratione reserastis, vicissim quoq; audierunt discretes vestræ Zelum syncerum quem S. eadem Synodus ad ipsius Ecclesiæ salutem & pacem semper gessit. veluti per venerabilem Archiepiscopum Panormitanum ex ordinatione huius sacri Concilii fuit in eadem cōgregatione latius explicatum. Deinde pro affectu quē ad pacem sedulo in cordib. nostris gerimus ab eisdem discretionib. vestris inter deputatos huius sacri Concilii quæsitum est, vt media ad pacem ipsam opportuna velletis aperire. Nam hac S. Synodus omnia media intendebat gratis animis amplexari, per quæ authoritas Ecclesiæ seruaretur illæsa, & reformatio tanto expetita temporibus & pro quæ iam in Conciliis Constantiensi, Senensi, & isto Basileensi tot adhibiti sunt labores, aliquem tandem fructuosum sortiretur effectum ad Dei gloriam & animarum salutem. Vos vero pacis inueniendæ spem vos habere dixistis, si suspenderetur processus aduersus dominum Eugenium Papam IV. inchoatus, & interim opera daretur per Dominos vestros illustres, vt ipse dominus Eugenius dissolutionem pretensam Concilii per eum attentatam reuocaret, & ea quæ aduersus hoc sacrum Concilium egerat, de quibus, atq; etiam de iustitia ipsius Concilii Dominos vestros plene informatos esse commemorastis. Vtq; insuper ipse dominus Eugenius decreta synodalia susciperet, & de congregando Concilio pro Græcis se non intromitteret, sed fieret apud Græcos ipsos instantia, vt venirent ad aliquem tritum locorum Electorum per Concilium, quod si obtineri non posset videretur de aliquo tertio loco eligendo, qui & Concilio, & Papæ tutus & accommodatus, aduicientes quod ad Papam super his destinaremus Oratores. Et tandem si concordia aliter non posset inueniri, super ipsius tertii loci electione, Concilium & Papa in aliquos compromitterent. Quibus per vos ex optima intentione, & Zelo syncero (vt credimus) expressis, matura deliberatione prahabita duximus hoc modo respondendum, laudamus & commendamus plurimum deuotionem venerabilium Archipræsulum & cæterorum illustrium Dominorum nostrorum, atq; vestram, quam simul & iustitiam huius sacri Concilii attentius considerare, & pacis media inuenire conari conspicimus, laboribus quoq; ipsorum, & vestri gratia est habenda. Nos quoq; ea cupimus efficere, quæ ad pacem salutarem consequendam, & piorum vestrorum desideriorum consummationem efficaciora sint. Speramus a. fauente Christi Clementia pacem ipsam nobis & vobis pariter desideratam inueniri posse, si iterum pacis iustitiam non prorsus abiecerimus. Nam ita iustitia & pax osculatæ sunt, atq; tali vinculo fœderatæ, vt quisquis vna sine altera quærit, neutra valeat amplecti, si constantibus animis viam iustitiæ & veritatis ingrediamur, authoritatem Ecclesiæ & determinationes fidei iam in plurib. Concilijs promulgatas, atq; per vniuersalem Ecclesiam approbatas totis viribus defendamus, quæ concorditer acclamant Rom. Pontificem teneri obedire vniuersalib. Conciliis, in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris, ac pertinentibus ad eam: vt quod veritas ipsa declarata sanat, opere impleatur, pacem optimam, & nunc & in futurum vniuersa Ecclesia consequetur. Nec Romani Pontifices pro libito suæ voluntatis implendæ aduersus vniuersales Synodos tanta bella mouebant in continuam perturbationem Ecclesiæ, sed benigne amplexabūtur quæ vniuersali consensu sunt instituta pro edificatione ipsius Ecclesiæ, & animarum salute. Ipsi quoq; hoc pacto à Synodo vniuersalibus omni fauore & honore tractari merebuntur. Inducunt nos propterea existimare de futuro D. Eugenium Papam IV. facilius ad hanc pacem inclinari posse pro salute animæ sua & totius Ecclesiæ, si processus in hoc rus per hanc S. Synodum continuetur, quam si eodem processu suspenso, nudu precib. de hoc interpellētur. Memmistis vt credimus dū altera vice Concilium dissolueret neq; precibus inclitæ memoriæ Sigismundi Imp. Rom. nec Archipræsulum & cæterorum illustrium Principum Electorum sacri Imperii, aut quorumlibet aliorū, ad huius modi reuocandam dissolutionem induci potuisse, donec ad suspensionem ipsius ab administratione Papali hæc sancta Synodus procedere decreuit. Vbi vero nunc longe grauiora, longe duriora peregit, & semel reuocatam dissolutionem iterum attentauit: quid putandum est dilationē processus etenturum, nisi duriorē ipsius in cœpto proposito perseuerantiam. Iam semel post eius accusatam contumaciam, dilationem sexaginta dierum ad instantiam præfati Imperatoris ac illustrium Dominorum vestrorum dedimus. & post lapsum illorum adhuc aliis plurimis diebus expectauimus. Quid istæ dilationes profecerint, vos ipsi conspicitis, quoniam etiam Dominos vestros illustres litteras & Nuncios ad eundem dominum Eugenium mississe commemoratis.

Et quamquam plurimum sit eorum diligentia commendanda, nihil tamen ad salutem Ecclesiæ obtentum est. Interim ipse dominus Eugenius litteras & nuncios ad diuersas regiones misit, in huius Concilii expugnationem: interim plurimos ad eundem pratensum Ferrariense Concilium conuocare studuit, in scissuram Ecclesiæ: Interim laborauit vt Græcos ad locum quem vellet posset adducere, vt sub vmbra conuentionis eorum correctionem effugere, & obedientiam quam huic sanctæ Synodo exhibere tenetur, eludere valeret, cuius rei assequendæ gratia, iam aduersus honorem Ecclesiæ Latinæ plurima scandala per ipsum dominum Eugenium atq; suos etiam in oculis Græcorum commissa sunt, & nunc in foribus est schisma inauditum duorum Conciliorū, per erectionem ipsius pratensi Concilii Ferrariensis. Iam imminet sperate reformationis extinctio, authoritatis vniuersalis ecclesiasticæ prostratio, si non celeriter occurratur, neq; aliud remedium nobis superest, quam vt per continuationem processus, & iustam suspensionem ab administratione Papali ipse dominus Eugenius ad viam iustitiæ & semitam veritatis reducatur, per quam pax gratissima, non tantum in hoc tempore, sed & diebus futuris, donetur populo Dei. Nec ista suspensio est ipsius depositio, adhuc illa differatur, nec ad eam nisi in magna maturitate hæc sancta Synodus procedere intendit, & interim illustrium Dominorum nostrorum pia deuotio apud ipsum dominum Eugenium laborare poterit, vt pacem Ecclesiæ donet, longeq; facilius Deo adiuuante. Sua consequentur desideria, vehementiusq; Dominum ipsum ad pacis studia excitabunt imminente depositione sua, si non assenserit pijs eorum, quam si suspenderetur processus erunt enim per Deiparam hæc sancta Synodus, non letalis vulneratio, sed medicinalis salutaris, habebuntq; in vberiori dilatione, quod à nobis expositis tempus prosequendi salubria media pacis, ad quorum captus amplexum hanc sanctam Synodum semper paratam inuenietis. Offert autem hæc sancta Synodus vniuersalibus Archiepiscopis, & cæteris illustribus Dominis vestris plurimo honore dignissimis, quicquid ad pacem & prosperitatem sacri Imperii, & omnium Prælatorum atq; Principum inclitæ Germaniæ efficere poterit exhortans in Domino deuotiones eorum, vt salutis Ecclesiæ ac pacis semper intendant, benignosque fauores, semper & auxilia, huic sanctæ Synodo iugiter largiantur, & cum bona concordia atque diligentia debita talem futurum Imperatorem eligere curent, qui languoribus vniuersalis Ecclesiæ sua aduocatione subuenire possit & vniuersum populum Dei inter præsentium temporum calamitates consolari, ad ipsius omnipotentis Dei gloriam & honorem; qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Datum Basileæ in Congregatione nostra generali decimo sexto Calendas Februarii. Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo trigesimo octauo.

LXIII.

I I.

Basileenses
Electoribus Imperii, superiore argumento.

Sacrosancta, &c. Venerabilibus Archiepiscopis & dilectis Ecclesiæ filiis, Nobilibus viris, Ducibus illustribus sacri Romani Imperii Electoribus salutem, &c. Deus pius & misericors Reges & Principes in terra constituit, vt sanctuaria templi sui defenderet, & veluti quadrigæ quadam arcam Ecclesiæ sanctissimam deportarent. Sunt ergo agri Dominicæ custodes, pontes, arces, & diuinæ humanæq; legis vehicula atq; portus: quamobrem si cōmissam eis curam intelligerent, nihil magis se habere existimabunt, quam vt Ecclesiam sanctam, pro qua Christus ne periret in Cruce orauit, tueantur. Quod vbi fecerint, tunc recte reges seu Principes appellari poterunt, & Dei qui eos super homines constituit iudicia ministrabunt. Porro in eo nunc tempore sumus, vt ipsorum suffragia & auxilia eandem Ecclesiam implorare oporteat, vt suam pietatem ostendere necesse sit, cuius fœuoribus freti hæc communia, dum remedium nullum melius visum sit ad huiusmodi flagitia submouenda, quam vt S. Synodi generalis accersitio haberetur per cuius auctoritatem dissidia abusus, obstacula tollere possent. Talis enim sacer cœtus sæpe antiquum humani generis hostem deiecit, & deformitates Ecclesiæ sustulit. Testes sunt Ariani, Nestoriani, Sabelliani, aliique hæresiarchæ, qui cum philosophorum scholis expugnari non potuere, sacrorum Conciliorum sententiis euersi sunt. Denique quanta semper fuit ipsorum generalium Conciliorum authoritas, canonica scriptura, quam vniuersalis recipit & dogmatizat Ecclesia, demonstrat, dum quatuor Synodos vt sacra Euangelia recipi debent, veluti quæ columnæ & bases quadam sint in firmamentum Christiana religionis posite: per eas enim Catholica fides quadam claritate coruscat, & hæreticorum impietas conculcatur. Alias etiam Synodos sacris ritibus & legibus sacerdotum radiantes, vt candelabra & specula militantis Ecclesiæ, coli, ampletique suadet. Quamobrem dudum Catholici principes cernentes populum Christianum variis occursibus in dies magis ac magis deprimi & labefactari, præterita tempora quibus euenerunt similia recolentes, summopere ad celebrationem generalis Concilii intenderunt. Itaq; sacra Constantiensis Synodus inde profecta est, quæ consultissime sancitum fuit, vt de cætero generalia Concilia, certis statutis temporibus tenerentur, quasi ea præcipua semita videretur, per quam ad mores reformandos, & pacem recuperandam esset ascensus. Denique, & ad hanc etiam deuenimus authoritate domini Eugenii Papæ moderni, vt tandem extirpatis hæresibus, & flagitiis & deformitatibus submotis, ac animis pacis dulcedine recreatis, quæadoq; sacer ordo resloreat, & leges ac mores diu perditi reuiuiscant, Eæq; acta iam feliciter extruissent, nisi dicti domini Eugenii Papæ impedimenta notoria obstitissent. Nihil enim adeo vacauit, quam vt pretensa sua dissolutio huius Synodi effectui mandaretur, nunc nuncii, nunc litteræ figmenta varia referrent, cunctorum animos excitando, vt rei tam execrabili annueretur Sed veritas quæ dum plene defenditur raro vincitur, inuicta remansit: atque amotis errorum nubibus eam in dies prosperaturam minime dubitamus. Proinde ingenti admiratione detinemur, cum tam adeo animi vestri erepti, tantoque ardore obscurati videntur, cum obsecrare exhortariq; non desinatis vt in processu aduersus eundem dominum Eugen. incepto supersederemus: imo id stupendum magis extitit monitorium suspensionis pœnam continens relaxare, ac alterare deberemus. An non cogitatis quid idem dominus Eugenius patrauit, quid in dies indurato animo molitur? iactata scilicet fundamenta recuperandæ quandoque pacis & morum reformationis euertere, dum sacratissimum hoc Concilium tam legitime inchoatum, nititur annullare. An non videtis si sua sententia pareatur; vt non solum hanc Synodum euanescere oporteat, sed ne de cætero aliæ fiant, facile euenturum? Profecto in id sua pergere videtur intentio, vt quod pro totius orbis salute vestris & aliorum Principum Consiliis auxiliisque, effectum est, momento excidat aboleaturque. Arbitraminī ergo quantum quale quid ex humeris nostris pendeat, quid sit insuper quod rogatur, & à quibus id tam enixe rogatum sit. Nempe Christianus populus pacem esuriens disciplinamque perditam repetens, ex nobis iustitiam expectat, si quis talia damnabiliter impedire vellet. Nos autem vniuersali constituit Ecclesia, iudicatores malignantium impietatem, vindicaturosque eandem in dextera virtutis suæ, quod ergo nostrum non est non expetite charissimi filii. Id impium est, rogate quod decet & licet rogatis facere. Nostra siquidem cura ea præcipua esse debet ne vniuersalis Ecclesiæ authoritas contemnatur: atq; vt potestas quæ sibi à Deo tributa est, illibata permaneat, quam violare idem dominus Eugenius notorie visus est dum hanc Synodum peruerso, Zelo dissoluere tentauit, & quod est grauius obstinate perseuerare non desinit. Quomodo ergo rem hanc tam Ecclesiæ periculosam, dissimulare, postergareque possumus, nisi tanti excessus participes esse velimus? Denique si impunis & inexpugnatus excessus huiusmodi relinquatur, quis vnquam Romano Pontifici, quamquam improbissimo contradicet? Quis in Generali Concilii authoritate confidet? Cedat ergo vni homini omnis homo? cunctæ ne eius arbitrio committantur? obliuiscamur Christum sæpe (vt euangelica doctrina testatur) potestatem clauium Apostolis, in quibus repræsentabatur Ecclesia, tradidisse: & non in fide quæ omnes Catholicos complectitur, sed in solo Petro, Ecclesiam fundauisse fateamur. Etiam Constantiense Concilium illuxisse hominibus confiteamur, dum Synodum generalem immediate à Christo potestatem habuisse, etiam supra Papam, in his quæ pertinent ad extirpationem hæresum ac generalem reformationem in capite & in membris declara-

declarauit, non hæc sunt, quæ connuentibus oculis transire debeamus: sed securitate opus est dum leuia argumenta non prosunt, debuissemus quidem citius his rebus præscribere, & huiusmodi domini Eugenii iactula omnino refellere. Sed nunc dum vlterior expectatio onusta vndique est periculis, mutiendum non erit. Quod ergo pridem vestræ litteræ in generali sacra nostra congregatione recitata requirebant, vt ab vlteriori processu aduersus Papam abstinere, & monitorium decretum relaxare dignaremur: libenter impleremus, nisi in eo re paratum discrimen vniuersalis Ecclesiæ appareret. Toties enim dilationes reperitas fomenta malorum, & præcipuè contemptum Ecclesiæ peperisse, exploratissimum est. Ignorasse autem vos videmus dum eas litteras decreuistis, nouissime instantissimis precibus Clarissimi Ecclesiæ filii Sigismundi Romanorum Imperatoris Illustrissimi, & eiusdem Ecclesiæ aduocati, nos ad dies triginta eidem domino Eugenio terminum prorogasse, præfato enim Sigismundo, ob tam ingentia merita inexplicabilesque labores, quos hactenus pro vniuersali sustinuit Ecclesiæ, nunquæ in præsentiarum sustinet id negare minime potuimus. Sed cum nullam dilationem de cætero expetere, & decretis nostris libere acquiescere pollicitus soleniter extiterit, prout in prorogationis decreto insertum est, & diximus & constituimus solenni in sessione, nullum alium de cætero, ad cuiuscunque instantiam terminum præbituros. Minime autem dubitamus si hæc vobis innotuissent, quod preces huiusmodi porrectæ non fuissent. Neq; ambiguitis si quid sit quod fine Christiani populi discrimine, & animarum periculo fieri possit, non oblitis ingentium meritorum vestrorum, & nec ignari, quanta & qualia in vniuersis Ecclesiæ commoda in dies efficere valeatis, quam libenter vestram in complacentiam ageremus, faciemusq; Deo dante dum ad talia se facultas obtulerit. Sinite ergo charissimi filii nos in iustitia decreta huiusmodi excessus propellere, & vinam Domini subpalatio eu cipeo reformare. Imitamini obsecramus, Christianissimum ac potentissimum illum Romanorum Imperatorem Carolum Magnum, qui cum Romæ Synodo congregata, vt adhuc Simmachum Papam accusatores audiri deberent, cum de eo quam in partem iudicium suum penderet, Deo inspirante didit; synodalium esse arbitrii in tanto negocio sequendæ & statuere, nec aliquid ad se præter reuerentiam de eo negotio pertinere. Id quidem si faciet is, vt certissimi pro apud Deum immortalem gratiam, & apud homines plissimæ consequemini. Datum Basileæ, &c.

LXIV.

I I I.

Basileenses
Contra Oecumenicum Ferrariense Concilium.

Sacrosancta generalis Synodus Basileens. in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, vniuersis Christi fidelibus salutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Vt inter varias fluctuum procellas, quibus nauicula Petri (sacrosancta Christi Ecclesia) agitatur, cuncti fideles portum veritatis conspiciant, in quo animæ ipsorum salubriter quiescere possint, in acquisitione æternæ salutis, nec eimcent fluctus varios tribulationum, quæ aduersus veritatem ipsam, & Ecclesiæ stabilitatem excitantur, sed vsque in aduentum Domini stabiles atque firmi permaneant: apertissime coram omnibus vtentibus declarare duxit hec sancta Synodus, quid in fœuorem defendendæ veritatis ad statum Ecclesiæ conseruationem, & Diuinæ legis obseruationem, indefesse prosequitur.

Hæc enim veritas est quod Romani Pontifices Concilia vniuersalia actu congregata dissoluere sine ipsorum consensu Conciliorum non possunt, neque de loco ad locum mutare aut prorogare. Hæc iterum est veritas quod Concilium vniuersale potestatem à Christo immediate habet, cui Romanus Pontifex tenetur obedire, in his præsertim quæ fidem concernunt, extirpationem schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ, in capite, & membris, ac pertinentibus ad ea, hæc est etiam veritas quod Romanus Pontifex non potest ea immutare qua concernunt vniuersalem Ecclesiæ statum, quæ quidem veritates sibi mutuo cohærent. Si enim liceret Romano Pontifici congregatum Concilium dissoluere, prorogare, de loco ad locum transferre contra ipsius consensum, & dum in vno Concilio agerentur quæ sibi non placerent in facto fidei aut generalis reformationis, aut schismatis, & talium huiusmodi, transferre ad alium locum placitum sibi, & ibi homines congregare: & si ibi iterum non fieret quod vellet, transmutare in locum alterum, sicque totam Ecclesiam de loco in locum ducere, & reducere: quis non intelligit, ex hoc obedientiam ipsius ad vniuersale Concilium Ecclesiam militantem repræsentans, posse frustrari? Quomodo enim Concilium Papam, in facto fidei, generalis reformationis, & cæteris iudicare posset, si illico vt iudicare cœperit, valeat per Papam dissolui aut mutari? Quis intellectus hoc capit vt Concilio in Papam iurisdictionem exercere donatum sit à Domino, & tamen Concilium ipsum se in aliquo loco stabilire non possit, in quo iurisdictionem huiusmodi exerceat, sed ex voluntate Papæ totaliter dependeat ipsius mutatio? Qualiter in his quæ sunt fidei obediat Concilio, si Concilium vniuersale pro declarationibus fidei, extirpationibus hæresum congregatum, dum voluerit in quemcunque locum citramarinum aut vltramarinum mutare posit contra consensum ipsius? & iam dominus Eugenius Papa quartus, pridem in Constantinopoli conuentionem Latinorum cum Græcis habere volebat, quam ipsi Græci Synodum vniuersalem fore dicebant, quod in effectum deduci non potuit, dum hoc sacrum Basileense Concilium nequaquam consensit arbitrans ex ea gratia detrimenta posse Latinæ Ecclesiæ imminere. Quomodo denique Ecclesiam congregatam audire compelletur Romanus Pontifex, si ipsius congregationem, prout ei videbitur, valeat immutare? Cuius Ecclesiæ authoritas respectu cuiuslibet fidelis, cuiuscunque dignitatis, in ipsis verbis Iesu Christi Saluatoris nostri fundata est, dicentis Simoni Petro: si te non audierit dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in Cœlo, subdens post pauca, vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, & ego sum in medio eorum. Ex quibus diuinis verbis authoritatem esse attributam Ecclesiæ congregatæ, & vniuersali Concilio super quemcunque fidelem cuiuscunque dignitatis, ostenditur: ad cuius Ecclesiæ iudicium etiam Petrum & in eo quemlibet successorem Romanum Pontificem Christus recurrere iubet, atque illius acquiescere iudicio, quod & doctorum ac sacrosanctæ doctrinæ declarationes sacrorum Conciliorum plene affirmant, & dum his nouissimis temporibus ex doctrinis male intellectis, nonnulli argumenta & dubia aduersus ipsorum vniuersalium Conciliorum afferre conabantur, frequenter ea quæ de Romano Pontifice erga singulos dispersos scripta erant, ad vniuersalis Concilii congregationem applicantes, celeberrimum Constant. Concilium dubitationum talium hæsitationem à mentibus fidelium sustulit, & viam futuris præclusit erroribus. Sed neque à principio nascentis Ecclesiæ, vsque in hoc tempus auditum est quempiam Romanum Pontificum hoc attentare, vt Concilium Ecclesiæ quod vniuersale reputares, contra consensum ipsius de loco ad locum ducere, aut ipsum dissoluere præsumeret. Nunquid Beatus Petrus Apostolorum & discipulorum Domini congregationem, dum celebraretur, voluit aliquando ipsis inuitis dissoluere, aut in aliam mutare regionem? Nunquid aliquis aliorum idipsum agere visus est, vsquequo aduenit ipse dominus Eugenius, qui hanc sanctam Synodum Basileensem legitime congregatam in Spiritu S. paulo post eius prima exordia dissoluere, & in aliud tempus prorogare, atque in Ciuitatem Bononiensem transferre tentauit. Dicens se ob causam reductionis Græcorum id agere, sicuti ex tenore litterarum suarum, super huiusmodi dissolutione factarum apparuit? sed continuo fuit ei declarata supradicta veritas, quod Concilium congregatum dissoluere, prorogare aut transferre non poterat sine consensu ipsius, & in secunda sessione eiusdem sanctæ Synodi posita est eadem declaratio, vbi post recitationem duarum declarationum Constantiensis Concilii, hæc verba ponuntur: præmissis igitur & nonnullis aliis Concilii Constantiensis attentis, præsertim capitulo quod incipit, Frequens, prælibata Synodus Basileensis decernit & declarat, quod ipse pro hæresum extirpatione ac morum generali reformatione in capite & in membris, nec non pace inter Christianos procuranda, vt præmittitur, in Spiritu sancto legitime congregata, per nullum quauis authoritate, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, dissolui aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tem-

pus prorogari debuit, aut potuit, debet aut potest, debebit aut potuit in futurum, absque eiusdem Synodi deliberatione & consensu. Hæc habentur in præfata sessione, deinceps autem verbis illis utamur quæ in decreto duodecimæ sessionis sanctæ Synodi in qua etiam septem sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales præsentes erant, legitur usque sedu Apostolicæ præstolabat, posita sunt, D. Eugenius ad nos quatuor Oratores transmisit, non vt emendarent, sed vt errata defenderent: nosq; increparent, quod mox suæ prætensæ non paruissemus dissolutioni, quibus per responsiones huius sacri Concilii veritas tam iuris diuini & humani, quod sine consensu Concilii ipsum dissolvere nequiuerat: quam facti, quod causa prætensæ dissolutionis vera non fuerant, extitit luce clarius patefacta. Hæc illico tunc diximus, commemorantes illam esse veritatem iuris diuini & humani, quod sine consensu Concilii ipsum dissolvere nequiuerat, prout latius in quadam responsione nostra, incipiente, Cogitanti, &c. fuerat declaratum. Sed & quantum nobis cordi esset, hanc iuris & diuini & humani veritatem, prout tenebamur defendere, & errori contrario resistere, in altera nostra responsione, quæ incipit, Speravit, &c. data Oratoribus ipsius domini Eugenii in nostra congregatione generali, in qua & ipsi Cardinales numero septem, & legatus Apostolicus præsentes aderant, aperte ostendimus, hæc verba inter cætera proferentes: Cassetur ergo Concil. Constantien. & decreta SS. Patrum, quæ declarant in his quæ vniuersalem Ecclesiæ statum concernunt, Papam nihil posse immutare. Frustra enim membranas occupant, si vnico verbo Papa potest illa mutare: & quod deterius est, authoritate Ecclesiæ taliaposse videretur, si post huiusmodi contradictionem, inter Papam & Concilium ortam, Concilium, quasi victum liti cederet, & ipsem & alios Romanos Pontifices in possessionem dissolvendi Concilia poneret: & post pauca sequitur. Mori malumus quam tanto errori per ignauiam cedere. Deinde subiungitur ibidem: Hic articulus de quo disceptamus fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest. Si dominus Eugenius Ecclesiam sanctam non audierit, quam hoc sacrum Concilium repræsentat; ooorbit tandem haberi vt Ethnicum, & Publicanum. Si Ecclesiam amplius offendere non vult, recognoscere necesse habet hoc verum fuisse, & esse Concilium, ipsumq; dissolvere nequiuisse. Hæc sunt verba responsionis illius, quæ hic inferenda duximus, malentes antiqua repetere, quam noua proferre. Insuper declaratum est in octaua sessione: si Romanus Pontifex aliud Concilium erigeret, durante isto, non fore Concilium, sed schismaticorum conuenticulum. Deinde duodecima sessione generaliter aduersus Romanos Pontifices, Concilia generalia dissoluere, prorogare, aut de loco ad locum mutare volentes, sine consensu ipsorum Consiliorum, pœna suspensionis & depositionis decreta sunt. Demum autem cum iam vltra annum & dimidium ipse dominus Eugenius aduersus præfatam veritatem repugnasset, præcepit sibi & mandauit hæc sancta Synodus per præfatum decretum duodecimæ sessionis, vt dissolutionem per eum attentatam reuocaret, & hoc sacrum Basileense Concilium legitime inchoatum declararet, à tempore huiusmodi inchoationis continuatum fuisse & esse, prosecutionemque semper habuisse, continuarique, & prosecutionem habere debere, quod si non faceret, infra terminum sexaginta dierum, extunc adueniente termino, esset ab omni administratione Papali suspensus: tandem huic sacræ monitioni paruit, & in forma sibi per hoc sacrum Concilium in decima quarta sessione ipsius designata, reuocationem fecit per suas litteras more Romanæ curiæ bullatas, decernens, & declarans de consilio & assensu Cardinalium sibi tum assistentium, generale Basileense Concilium à tempore prædictæ inchoationis suæ, legitime fuisse continuatum, & esse, prosecutionemq; semper habuisse, continuari, & prosecutionem habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset: declarans etiam præfatam dissolutionem irritam & inanem, reuocans insuper, cassans & irritans duas litteras suas in palatio Apostolico promulgatas, & tertias incipientes, Deus nouit, & quicquid sub nomine in præiudicium, derogationem prædicti sacri Basileensis Concilii, seu contra eius auctoritatem factum attentatum, seu assertum erat, eadem nulla & irrita fuisse declarando, addens quod à nouitatibus & grauaminibus, seu præiudiciis inferendis ipsi sacro Concilio, vel suppositis eius, & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu desisteret. Quibus per dominum Eugenium sic solenniter decretis & declaratis, arbitrati sumus eundem iam illi veritati mente integra prout tenebatur, adhærere, quod Concilium vniuersale dissoluere non poterat sine consensu ipsius, dum illam dissolutionem, quam vltra duos annos sustinuerat & translationem in Bononiam, quam per totum orbem publicauerat, quam etiam propter causam reductionis Græcorum factam esse dicebat irritam & inanem esse decreuit dicens, illa non obstante sacrum Basileense Concilium à tempore inchoationis suæ legitime continuatum fuisse, quod quidem nullatenus legitime continuatum esse poterat, si potestatem dissoluendi, & transferendi sine consensu Concilii ex causa quam necessariam arbitrabatur, habuerat. Sic iam illam veritatem iuris diuini & humani, illum articulum qui fidem cõcernit vt præmissimus, etiam D. ipse Eugenius approbauit, totaq; Ecclesia & populus Christianus in hac veritate conquieuit, sed en dolor vehementissimus, rursus vniuersam conturbat Ecclesiam, dum n. sacrum hoc Basileen. Concilium, videns maximam esse desolationem, cuius reformationi, & salutari gubernationi, pro honore Dei & salute animarum iam multis quæsitis laboribus, & toti populo Christiano desiderata ipse D. Eugenius multis annis obstiterat, qui cæteris omnibus viam salutis debuerat ostendere: videns etiam grauissimam scissuram quam D. Eugenius in Ecclesia excitauerat, galeas & Oratores in Græciam transmittendo aduersus legationem huius sanctæ Synodi, ibidem destinatam cum multa impensa facultatum nostrarum, & earum quæ ex gratuitis subsidiis fidelium populorum collectæ sunt, atq; illa perturbando quæ cum Imperatore Romanorũ & Patriarcha Cõstantinopolitan. eadem hac S. Synodus concordauerat, quibus & ipsa ex integro satisfecit, vt sic posset ipse D. Eugen. ad locum quẽ vellet, modo indebito vniuersam perducere Ecclesiam; vbi posset dictare quæ sibi placerent, obedientiam huius S. Synodi & reformationẽ subterfugiendo, decretaq; Concilii Constantien. & istius ac veritates declaratas illudendo; qui & nunc Florentiã pro loco Concilii habere volens, nunc illa relicta Bononiam aut Ferrariã, vel locum alium pro libito suæ voluntatis, pro ipso Concilio assignare, iam ad id manifeste redibat, q. Concilia vniuersalia de loco ad locum ducere, & mutare vellet, prout sibi videretur. Videns sacrũ Concil. hæc & alia plurima per D. Eug., in offensam diuinæ maiestatis, & totius Ecclesiæ de facto attentari, voluit prout tenebatur, remedium apponere & regimini ipsius Ecclesiæ Dei prouisionem quærere salutarem. Tunc idem D. Eugenius iterum de facto vniuersale Concilium sine consensu eius dissoluere, & in Ciuitatem Ferrariensem transferre se dixit, casu quo contra ipsum aut aliquem Oratorum suorum præsidentium in Cõcilio, procederetur, asserens se hoc facere ex authoritate Apostolica, ex certa scientia & plenitudine potestatis, iterũ veritatẽ tantopere declaratam, vehementius oppugnare aggressus est, præfigens etiam terminum 30 dierum, vltra quos hanc S. Synodũ de facto Bohemorum quicquam agere prohibebat, & iurisdictionem supra Concilium assumens, in his quæ reformationem generalem Ecclesiæ, ac etiam fidẽ concernebantur, q. illi veritati declaratæ expresse repugnans, quæ ipsem asserit tenuit obedire vniuersali Concilio in istis & pertinentibus ad ea. Adiecitq; ipse D. Eug. pœnas & censuras si contra factum esset, totum decernens irritum & inane. Quis non videt hic veritatem conculcari, stabilitatem, & firmitatem Ecclesiæ prosterni, si non diuina clementia ex alto prouideat, atq; seruis suis in eius nomine congregatis virtutem resistendi præstaret, opponendiq; se murum pro domo Israel, & ostendendi exemplo, standum in præsio in die Domini? Quid vltra? Dominus Eugenius se æstimans exindefieri fortiorem, in hac expugnatione veritatis, conuenticulum apud Ferrariam sub nomine Concilii generalis erexit; schisma grauissimum realiter inducendo: quod quidem fore conuenticulum schismaticorum aperte fuerat declaratum. Ex his omnibus euidenter constare potest considerantibus veritatis illius claritatem apertissimam, quod Papa vniuersale Concilium contra consensum ipsius Concilii dissoluere non potest, aut de loco ad locum transmutare, quam omnes docti & indocti ex supradictis lucidissime conspicere possunt. Quid igitur necesse est, vt fundamenta ipsorum Ferrariæ conuenientium conemur eludere, quæ in prætensa prima suæ sessione posuerunt, allegantes decretum nostrum, decimæ nonæ sessionis per Papam approbatum cui manifestissime illius conciliabuli erectio contradixit? Nam in eo decreto cauetur, vt Concilium Basileæ firmum remaneat, donec Græci ad portum applicuerint, quiportus

similiter & locus futuri Concilii, non per Papam, neque per aliquem alium, sed per Concilium aut eius Oratores determinari debebant. Videant si hoc obseruauerunt, & qualis ratio fundamentalis suæ prætensæ sessionis fuerit, aduertant. Subiecerunt etiam de schedula quam apud nos conclusam dicunt, & conuentionalem appellant, quasi ex ea erectionis talis conciliabuli velint aliquam apparentiam assumere. Sed si omnes schedulas huius sacri Concilii ab ipsius exordio legant, & relegant, nunquam inuenient ex verbis aut scriptis, aut intentione ipsius Concilii processisse, vt domino Eugenio concederetur, quod sub quocunque colore posset, pro transmutatione Concilii nunc Florentiam, nunc Bononiam, nunc Ferrariam assignare, aut ipsum quando sibi videretur dissoluere. Quod si de schedula ipsa loqui volunt in qua concludebatur certum terminum citibus Auinionensib. assignari, infrà quem pecuniarum expeditionem pro legatione mittenda in Græciam faceret, & nobis intimarent: alioqui vniuersali Ecclesiæ per alterius loci electionem prouideretur. Non fuit illa conuentio Concilii cum aliquo, sed conclusio facta inter nos, vt Auenionenses ipsi eam expeditionem, non nimium protelarent, cuius conclusionis interpretatio & declaratio iuxta casus occurrentes, & omnimodæ dispositio ad ipsum Concilium pertinebat, nec potestatem circa hoc diffinendi, in aliquem, vel aliquos idem Concilium transtulit. Dum autem pendente termino superuenit protestatio, per præsidentes Apostolicos facta, aduersus decretationem loci Auinionensis, in schedula ipsa cum aliis locis Basileæ, & Auenionen. positam, qua non parua occasionem retrahendi animos Auinionen. ab expeditione pecuniarum præstabat, dum plurima impedimenta per dominum Eugenium, & suos in Auinione, huic expeditioni interim præstita sunt. Dum etiam ita accidit, vt nostri Oratores in Auinionem applicantes, non inuenerint præcipuos gubernatores Ciuitatis, quorum durante absentia res expediri non poterat: quibus illuc redeuntibus, tandem talis diligentia appositæ est, quod circa terminum assignatum, ciues ipsi fidelissimi nobis intimarunt, se contentasse Capitaneum Galearum nostrarum de triginta millibus florenorum, & cautos ac securos feciſſe Oratores nostros de toto residuo petitæ pecuniæ, prout & ipsi Oratores nostri tunc suis literis intimarunt. Requirebantque Auinionen. ipsi, vt ad declarationem electionis loci iam factæ procederet Concilium. visum est autem ipsi Concilio quod attentis omnibus prædictis præfati Auinionen. intentioni eiusdem Concilii satisfaciant, quodque præfata decretatio fieri debebat. Nam & per hunc modum melius prouidebatur vniuersali Ecclesiæ pro expeditione legationis in Græciam, quam iterum intrando nouas, & magnas difficultates electionis alterius loci, dimittendo omnia quæ iam parata erant cum magnis sumptibus, & frangendo conuentionem cum Capitaneo Galearum initam per totum Concilium, cui & legatus Apostolicus vexillum Ecclesiæ & baculum peregrinationis manu tradiderat propria, cui etiam tantæ summæ pecuniam fuerat assignata. Nunquid ex hoc fuit datæ potestas alicui vel aliquibus vt contra consensum duarum partium Concilii, & amplius possent se Synodum generalem repræsentantem vniuersalem Ecclesiam nominare, & tradere totum Concilium in manus Papæ vt ipsum in Florentia, & deinde in Bononia aut Ferraria poneret, vel in quocunque loco quem ipse tutum & sibi atque Græcis accommodum iudicaret, & pro quo galeas & pecunias faceret expediri? Nunquid enim auditum est in aliquo legitimo vniuersali Concilio, quod minor pars nominans se generale Concilium decretaret, quæ ad vniuersalis Ecclesiæ statum pertinebant, contra sententiam plurimorum. Et si hoc permitteretur via periculosissima diuisionum in Conciliis vniuersalibus futurarum, & totalis destructionis ipsorum aperta videretur. Vtque exempli gratia hoc dicamus non solum simplici conclusione, sed decreto solenni firmatum esse, in vndecima nostra sessione, vt summi Pontifices Concilia vniuersalia sine consensu ipsorum dissoluentes, si infra quatuor menses non respuerint, sint ipso facto suspensi. Et si suspensionem hanc per duos menses sustinuerint, ad eorum depositionem procedatur. Nunquam in eo casu si maiori parti ex bonis causis videatur, non statim ad talem depositionem procedendum. Minor pars sibi authoritatem procedendi ad eandem depositionem assumet? Denique quis sapiens existimabit hanc intentionem Concilii vnquam fuisse, vt paucis aliquibus potestatem dare vellet conferendi sibi libertatem electionis loci, & eam pro pecuniis & galeis habendis iudicio domini Eugenii, attentis circumstantiis negotiorum Ecclesiæ, subiicere, quam libertatem non sibi pro quacunque auri vel rei temporalis compensatione tradidisset Ecclesia? Et si Auinionenses defecissent considebat hæc sancta Synodus in Domino, quod aliunde suæ Ecclesiæ bene prouidisset, authoritatem vniuersalium Conciliorum conseruando, veritates declaratas manutenendo, & reformationem ipsius Ecclesiæ, atque illa sancta opera inchoata confouendo. Conspiciant igitur illi qui Ferrariæ conuenerunt veritatem rerum, & de illa melius se informent ne suarum prætensarum sessionum in diuisionem Ecclesiæ tam inania iaciant fundamenta, quæ nec vllum colorem talia faciendi sibi afferre potuerunt. Præterea adiecerunt quod schisma venturum pertimescebant, & impedimentum vnionis Græcorum. O mirandam allegationem schisma se timere dicentes realiter schisma grauissimum perpetrarunt, aliud Concilium contra istud erigere volentes, quasi altare contra altare ponentes, actu etiam perturbando quæcunque cum Græcis fuerant concordata. Sed quid trepidare debebant timore, vbi non erat timor, dum istud Concilium videns Ecclesiam vndique turbari per ea quæ dominus Eugenius tam in Græcorum negotio, quam in cæteris rebus (vt præmissimus) attentauerat, flebili querela plurimos suorum defectuum commemorans, vocabat ipsum dominum Eugenium, nec non etiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales conuocabat vt in hanc Ciuitatem Basilien. omnibus securum, cum omnibus Ecclesiæ filiis aduenirent, saluti Ecclesiæ in tanta necessitate consuluri & super omnibus agendis, tam in facto Græcorum quam in aliis vnanimiter prouisuri? quod si factum fuisset, sicut syncera intentione desiderabat hæc sancta Synodus, non iam tantis procellis agitaretur Christiana religio: omniaque sedari & pacificari potuissent. poteratque hoc modo vera vnitas, & tranquillitas Ecclesiæ dari, illi vero timentes ad schisma perpetrandum prorupterunt. Illique schisma faciunt qui ab vnitate Ecclesiæ congregata se segregant. Sed quid plura in respondendo illi quæ apud Ferrariam agunter, insistimus? licet enim ibi conuenientes tractent, loquantur aduersus hanc sanctam Synodum eiusque supposita, & eas quas appellant sessiones celebrare conentur, iam eo verbo omnia soluuntur, ac vnica veritate declarata, velut vno sole lucente, omnes factorum illorum, & dictorum riuuli exiccentur. Papa Concilium Basileense sine ipsius consensu dissoluere, aut de loco ad locum mutare non potest. Hæc veritas fundata est supra firmam petram, aduersus quam dominus Eugenius tantis temporibus decreuit, cui & iam semel cedere aperte compulsus est: hæc omnes sulminationes panarum quæ aduersus ipsum Basileense Concilium, suppositos eius & adhærentes eidem promulgantur, irritas facit: hæc illud conuenticulum in conspectu Dei & hominum prosternit, hoc cum cæteris aggrauantibus ipsum dominum Eugenium suspensum esse fecit ab omni administratione Papali, ad cuius suspensionis declarationẽ quam iuste post monitiones, dilationes congruas processerimus, ex aliis nostris decretis & epistolis euidentius constare potest: per quæ etiam omnibus satisfecimus, quæ aduersus hanc sanctam Synodum & professus ipsius dominus Eugenius inducere conabatur. Verum adhuc ipse postquam ab omni administratione Papali suspensus est, suppositis huius sanctæ Synodi grauibus pœnis, nec non etiam dilectos Ecclesiæ filios Ciues Basileenses afficere nititur. si ipsam sanctam Synodum diutius sustinuerint: victualiaque, & alia necessaria ad vsum hominum denegari iubet, quo ipsos viuentes necare ausus est, ac denique aliqua portantes ad hoc Concilium spoliari. & eorum spolia primo capientium occupare concedit. Et quid hæc omnia valent, etiam si multa adiicerentur grandiora, dum ab illo sunt qui ab omni administratione Papali suspensus est? Vt quid frustra tam vehementes ictus illo gladio vibrare conatur, qui iam à suis manibus prouide ereptus est? Post hæc tamen subiicit omnia relaxari, & pro infectis haberi velle quoad illos qui infra terminum per eum assignatum obedientes fuerint: omnia remitti vult. dummodo suæ voluntati hac sancta Synodus obediat. Fuissemus autem & nos parati fiæ complacere voluntati. si non repugnasset veritati. Sed non potest eadem sancta Synodus eum deserere, qui est via veritas, & vita, vt hominis morituri impleat voluntatem. Non potest consentire vt solidam veritatem Ecclesiæ in vacillationem adducat, vt stabilitas & firmitas veritatum, quas ipsa Ecclesia declarauit, victa

veddatur. *Quibus prostratis nec pax, nec ordo, nec decor in Christiana religione manerent. Et cum ante quadriennium aduersus primam dissolutionem, præsentibus etiam hic (vt præmissum est) pluribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & sedi Apostolicæ legato diceremus: Malumus mori quam tanto errori per ignauiam cedere: Hic articulus de quo disceptamus fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest, non possumus nunc dicere: fauemus errori, salutem nostram negligamus, non debemus esse homicidæ animarum nostrarum, & aliorum fidelium, vt dominum Eugenium & successores suos punamus in possessionem dissoluendi concilia generalia, contra consensum ipsorum, & ipsis nullatenus obediendi. Nec id tolerandum est, vt sub vmbra addueendi Græcos in Ferrariam & locum sue voluntati dedicum, aut per quascunq; practicas, authoritatem vniuersalium Conciliorum conculcet, veritatem ac stabilitatem Ecclesiæ prosternat, & sub colore prosequendi modu excogitatis ea quorum futuri euentus incerti sunt, & nunc certam confusionẽ, & grauissimam plagam vniuersæ inducat Ecclesiæ, fidem nostrã ladat. Reformatio; ipsius Ecclesiæ, quam tantis laboribus pro honore Dei creatoris nostri & animarum salute tamdiu quæsiuimus, forsitan supprimeretur. Cuius executioni si operam dare dominus Eugenius volusset, nec in hoc tempus differre, neq; locum alium pro benefaciendo, & deformitates abusuum cum effectu tollendo ex potere oportebat. Prosecuta est hæc sancta Synodus, & prosequitur, vt electiones Prælatorum per singulas Ecclesias canonice celebrentur, iuxta dispositionem sacrorum Canonum, per quos grex dominicus dirigatur in salutem, vt dignitates ecclesiastica & beneficia sine interuentu pecuniæ data vel promissæ conferantur, vt sacrosancta Romana Ecclesia Cardinales, virtutibus & scientiis præcellentes de singulis regionibus proportionabiliter assumãtur, qui toti orbi salubriter consulere possint: electionesq; summorum Pontificum ad vniuersæ Ecclesiæ salutem debite celebrentur. In causis & litibus mouendis vnicuiq; suæ seruetur iurisdictio, non confundatur ordo ecclesiasticus. Non vexentur homines iniuste, nec persona destruantur. Non exhauriantur vltra modum regnorum & Prouinciarum pecunia, sed omnia ordine debito in Ecclesia disponantur ad honorem Dei & salutem animarum. Decreta; saluberrima super his & aliis plurimis rebus, super reformatione Ecclesiæ Dei, in capite & in membris, hæc S. Synodus edidit, quæ non potest sic permittere frustrari. Quantis vero exhortationibus & admonitionibus ipsum D. Eugenium iam multis annis ad hoc excitauerimus, vt se & alios in viam salutis dirigeret, quicquid super hoc egerit, rerum euidentia monstrauit. Desinat igitur aut nos allicere blanditiis, aut excommunicationibus deterrere, vt veritatem deseramus. Si sæuiat quæuis persecutio, orabimus omnipotentem Deum, qui sanctis Patribus nostris virtutem inspirauit omnia tolerandi pro defensione Catholicæ veritatis, vt & nobis fortitudinem præbeat, ad ipsius veritatis & Ecclesiæ conseruationem vsque ad animam & sanguinem resistendi, in quem firmiter & sine vlla cordium hæsitatione omnem nostram proiicimus fiduciam. Desistat ipse dominus Eugenius pro reuerentia Dei & integritate fidei, quæ semper in latina permansit Ecclesia: desistat, sublatione perpetrati schismatis, ab intentatis conatibus, cui nec victualia, nec necessaria tolli nec quicquam quod suum sit eripi exquisiuimus, sed vt acquiesceret veritati & Ecclesiam debite gubernari assentiret, & ea efficeret quæ essent pro ipsius & aliorum salute. Et omnes ac singulos qui Ferrariæ conueniunt, cum omni charitate reddimus attentos, vt ab inceptis, quæ forsitan sinistre informati, aut non satis omnia aduertentes, attentaueruent, celeriter desistant, & ad veritates fidei defendendas pariter nobiscum in vnitate spiritus coniungantur, nec etiam complacere quærant voluntati cuiuscunq;, vt velint offendere Deum Creatorem cunctorum. Si qui vero in rebellione perstiterint, coges nos Christi charitas & Zelus iustitiæ vltra pœnarum declarationem aduersus omnes illuc conuenientes & mittentes, quam dudum solenni decreto fecimus, etiam grauiora alia in ipsos quæ digna fuerint, exequi. Omnes tandem vos Christi fideles quibus huius sanctæ Synodi synceram intentationem pro defensione veritatis, planis & simplicibus verbis aperire duximus, per viscera misericordiæ Iesu Christi requirimus, vt in conscientia pura, & fide non ficta, Ecclesiam matrem cunctorum, quæ nos regenerauit in spem viuam hæreditatis æternæ adunare, & veritatem ipsius omni fauore & auxilio defendere ac sustinere curetis, pro honore Dei & animarum salute, vt vobis adiuuantibus, ipse Petri Nauicula maturius in portum salutis tranquillum perducatur, vt non solum aduersus eam contraria tempestates præualere non possint, prout eo adiuuante Domino poterunt, sed nec diutius eam valeant conturbare, orantes sine intermissione patrem misericordiarum, vt gressus omnium dirigat in viam salutis, veritatis & pacis, qui est benedictus in sæcula sæculorum Amen. Datum Basileæ in nostra generali congregatione, idibus Martii, Anno à natiuitate Domini 1438.*

IV.

Basileenses Contra adhærentes legitimo Pontifici. LXV.

Sacrosancta, &c. Ad futuram rei memoriam. Quonam dudum in decreto nostro octauæ sessionis, quod dominus Eugenius Papa IV. in sua solenni adhæsione approbasse dignoscitur, inter cætera decreuimus, quod si aliqua persona ecclesiastica, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, aut alia quacunque cuiuscunq; status, gradus aut conditionis existat, Bononiam, vel ad aliquem alium locum sub nomine generalis Concilii isto durante præsumeret accedere, vel ibi manere, sententiam excommunicationis, & priuationis omnium dignitatum, beneficiorum & officiorum ac inhabilitationis ad ipsa incurreret ipso facto: & de dignitatibus, beneficiis, & officiis talium per eos ad quos de iure spectat, etiam si Cathedrales aut Metropolitanæ Ecclesiæ forent libere disponere. Et consequenter in alio decreto nostro vigesimæ nonæ sessionis, præcepit hæc sancta Synodus sub eiusdem pœnis & censuris, quas contrafacientes incurrerent ipso facto, vniuersis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis quibuscunque, in curia dicti Eugenii Papæ IV. existentibus, eo casu quo ipse dominus Eugen. in Ciuitate Ferrariensi, sicuti præparare videbatur, vel alibi Concilii isto durante erigere incepisset; vel inciperet in futurum, ab eiusdem curia recedere, & qui Synodi generalibus de iure vel consuetudine interesse tenebantur, ad hoc sacrum Concilium Basileense, cæteri vero ad loca beneficiorum, vel alibi extra curiam ipsam se transferrent, deinde vero, illo conuenticulo Ferrariæ erecto, & declarata suspensione prafati Eugenii ab administratione Papatus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis, quam ipso facto suo similiter incurrerent, omnium beneficiorum suorum, dignitatum, officiorum, commendarum, pensionum, & gratiarum quarumcunq; etiam expectatiuarum, decretum nostrum trigesimæ primæ sessionis mandauit, eadem S. Synodus omnibus & singulis ecclesiasticis personis, vt supra qualificatis, etiam Apostolicæ sedis & curiæ Romanæ officialib., quatenus infra quadraginta dies ex tunc immediate secuturos, post diem date eiusdem nostræ sessionis, ab illa curia, quam dictus Eugenius de facto tenebat, & tenet recederent, & ad hoc sacrum Concilium vel alia loca, prout in predicta trigesima prima sessione fuerunt admoniti, accederent. Deinceps quoque per aliud decretum nostrum trigesimæ secundæ sessionis, omnes & singulos in eodem conuenticulo Ferrarienſi, aut dicta pratensa Engenii curia existentes, ac etiam eodem conuenticulo mamoratis decretis nostris comprehensos, qui eorundem decretorum monitionibus non paruissent, citauit, vt trigesima die, ex tunc immediate sequente in congregatione nostra generali, si pro tunc eam celebrari contingeret, alioquin in proxima sequenti comparerent coram eadem sancta Synodo, visuri se in pœnas predictas incidisse declarari, aut iustas causas si quas haberent, allegaturi. Quo quidem termino adueniente, quamquam nonnulli per se, alii vero per procuratores coram nobis aut deputatis nostris comparuerint, licet tamen ipsis peremptorie, & vna vice pro omnibus duxisset ipsa S. Synodus assignandum, & assignasset, decernens, nihilominus contra non parentes ipsos procedendũ & declarandum, prout iuris & rationis esset, sola nihilominus pro obseruatione huiusmodi termini, cõtumacia non satisfacientiũ accusata ipsiusq; cõtumacib. reputatis, nonnullos præstites patres deputauimus ad audiendũ & examinandũ quascunq; causas, & excusationes pro parte predictorũ citatorũ, qui se repræsentabãt, si quas adduci & allegari contingeret: & in longanimi mansuetudine patienter expectauimus, vt vinceremus in bono malum, & illi veritatem agnoscerent, seque conuerterent in viam salutis.

Ne ve-

Ne vero huiusmodi vulneri grauissimo tanquam vetusto aut neglecto, callus obducatur, & eo insanabile quo insensibile fiat: ficque facilitate pestiferæ venie prædictorum non parentium, induratur cordi & peramplius firmetur periculosissimum huiusmodi schismatis in conculcationem fidei nostræ Catholicæ, authoritatis nostræ ecclesiæ vniuersalis manifestam læsionem, & eiusdem sortius ecclesiasticæ disciplinæ, nec non fomentum, abusum & perditionem animarum, declarat prafata sancta Synodus, omnes & singulas ecclesiasticas personas, de quibus supra fit mentio, cuiuscunq; status gradus aut conditionis existant, quæ Ferrariam sub nomine generalis Concilii accedere vel ibi manere præsumpserunt, aut illuc vel ad aliquẽ aliũ locũ, simili pretextu, isto durante præsumpserint in futurũ, & quæpoſt dictorũ decretorũ nostrorũ promulgationem infra terminos successiue sibi (vt præmittitur) assignatos, à dicta pretensa curia prafati Eugenii non recesserint, nec ad hoc sacrum Concilium, vel alia loca prout eis præcipiebat hæc sancta Synodus, se transtulerint, quosque citatos, & prædictorum decretorum nostrorum monitionibus non parentes, contumaces reputauimus, vt præfertur, & pro quibus causa iusta & rationabiles non extiterunt, legitime coram deputatis nostris allegata, in pœnas prædictas incidisse, & si forsam contrafecerint incidere, ita vt de dignitatibus, beneficiis, & officiis eorundem per eos ad quos de iure spectat, etiãsi metropolitanæ aut aliæ cathedrales Ecclesiæ fuerint, posit de cætero libere disponi: ipsosque & eorum quemlibet, vt tales, denunciat, ac haberi, teneri, & denunciari, nec non ab vniuersis Christi fidelibus euitari vult & mandat: quorum omnium nomina & cognomina habet & haberi vult pro sufficienter expressis; Decernit autem hac sancta Synodus affixionem præsentium in valuis ecclesiæ maioris Basileen. vim habere legitimæ denunciationis, & perinde ad euitationem & aliæ præmissa arctari, & arctatos intelligi vniuersos, ac si eadẽ præsentes ad personas singulorũ executa, & particulariter intimata fuissent. Pollicetur tamẽ sacra Synod. quæ solitæ mansuetudinis sanctæ matris ecclesiæ, quam representat, obliuisci nunquam potest. indemnitati status illorum ex prædictis, qui infra quadraginta dies à datis præsentium immediate computandos, prædictum conuenticulum abominauerint, & ad hoc sacrum Concilium se sine fraude contulerint, gratiose consolere, & benigne prouidere, decernens ex nunc, quod de dignitatibus, beneficiis & officiis talium interim non debeat per quempiam dispoui.

Datum in generali congregatione nostra in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, sexto idus Augusti, Anno à natiuitate Domini 1438.

V.

Basileenses Contra Oratorem Ducis Mediolanensis, pro Eugenio Summo Pontifice contra temeritatem illorum præfractam protestantem.

Sacrosancta, ad perpetuam rei memoriam &c. legisti per hos dies coram deputationibus huius sacri Concilii schedulam quandam Francisci de Barbauariis oratoris Illustris Principis Ducis Mediolani, quam ex audito ipso satis omnes intellexerunt, ex scientia aut deliberatione eiusdem Ducis aut sui magnifici Concilii minime processisse, cum de quadam citatione valuis maioris ecclesiæ Basileens. affixa pridie Calendas Septembris immediate sequentes, tantum tres dies effluxerunt, quibus de Basilea in Mediolanum, & rursus de Mediolano in Basileam profisci nequaquam possibile fuit. Nec præterea existimandum est ipsum ducem illustrem, qui semper singulari deuotione ac veneratione hanc sanctam Synodum ac eius auctoritatem colere curauit, omnia dici iussisse, quæ in prafata schedula continentur. Ad ipsa tamen fauente Domino respondere ac de actis in hac sancta Synodo reddere rationem parati sumus. Commemorasin primis nos conuenisse pro pace populi Christiani, pro tot tolendis hæresibus & reformatione eorum quæ in orbe geruntur. Verũ quidem hoc est, & quos labores iam his reb. per plures annos impenderimus, tu ipse nosti, & totus orbis conspicere potuit. quos nlegationes in Bohemiã, quot in Græciã transmiserimus: quanta legatio oratorũ nostrorũ ad pacificandos Principes per German. Gall. Italiam instituos transferit, quantos sumptus, quãtas vexationes & fatigationes earũ rerum gratia subierimus, non facile exprimi potest, sed & quot salubria decreta de his quæ in orbe male geruntur, ediderimus, quãtis instantiis laborauerimus, vt in executionẽ deducerentur & præcipue apud Eugenium Pap. quartum, qui primitus canones S. Conciliorum obseruare & exequi habebat, ac cæteros ad eorum obseruãtiam inducere, sanctitatisq; exemplum se cunctis ostendere, satis per orbem prædicatum extitit, etsi fructũ optatum non adhuc adepti fuimus, satis oẽs conspicimus, qui hominum præcipue huic rei impedimento sit. Subuciæ præterea Eugicisce velut dolendi desiendiq; casus grauiorem querelam, dum eis non attendi preces principum, potentium, super sederi à prosecutione aduersus Rom. Pon. & illos qui apud eũ constituti sunt inchoatis, quinimo ipsos magis & magis in dies vrgeri. Ex quib. depositionẽ ipsius Rom. Pont. & alterius electionem, mox secuturas esse dicis, at q; exinde schismata graue, & plurimæ discrimina populo Christiano immineret. Attende in primis quanta benignitate hæc S. Synodus precibus Principum Christianorũ in his negociis hucusq; condescenderit. Iam 14. mensis ab eo die voluisset, quo citatio aduersus ipsum Pontificem decretæ est, vt ecclesiæ Dei oppressæ maximis necessitatibus propter reformationis contemptum ac schismatis introductionem ex alterius prætensi concilii erectione per eundem Rom. Pont. iam tunc dispositæ prouideretur: contemplatione inclytæ memoriæ Sigismundi Imp. data fuit mense octobris sexaginæ diem dilatio: quib. elapsis rursum à prædicta citationem inchoato tempore multo superfluum est. Aduenit deinde tempus, quo suspensio ipsius Rom. Pont. ab omni administratione Papali vigesimæ quartæ Ianuarii facta est, propter prætensam dissolutionem, & translationem huius sacri Concilii Basileensis in Ferrariam, casu quo contra ipsum aut aliquem præsidentium oratorum suorum qui in hoc Concilio fuerant, procederetur aut fierer aliqua nouitas, per eũdem factã & declaratam 18. mensis Septembris, adeo aperte & enormiter contra decreta Concilii Constantiensis & ipsius attentatum, vt nullaposset tragiter fari excusari, atque etiam propter illam erectionem alterius prætensi Concilii contra omnem formam prædictorum decretorum de facto, 9. die mensis Ianuarii inchoatam, vrgebat decretorum sanctio, vt si hanc suspensionem sustineret ipse Dominus Eugenius animo indurato, ad depositionẽ eius procederetur. quid factum sit ab illo tempore, contemplatione Principum Catholicorum, quanta dilatio habita sit in rebus, lucidissime constat. Deponendus veniebat Dominus Eugenius post 24. Martii, iuxta decretorum sanctionem. Iam sex fere menses exinde lapsi sunt, & adhuc perdurat expectatio. Nõ potes inficiari, quin ex tunc deponi poterat, non opus erat vlteriori processu, non examinatione testium, ex eo solo capite quod suspensionem notorie sustinuerat per duos menses animo indurato: vt quid putas hanc sanctam Synodum tantis postea distulisse temporib. nisi vt Principum Catholicorum precib. benigne faueret, vt etiam cuncti conspicerent si pendentibus dilationibus D. Eugenius reuerteretur ad cor, si ad reformationem efficaciter capessendam & in realem executionem tam in curia eius quam alibi deducendam, propter honorem Dei & salutem animarum, si ad tollendum schisma introductum ex alterius prætensi Concilii erectione, si ad recognoscendam ecclesiæ congregatæ & sacrorũ vniuersaliũ Concil. authoritatẽ suum inclinaret animũ: quid autẽ pendentib. istis dilationib. egerit attente cõsidera, & merito dices quod principium tuæ schedulæ ferebat. O dolendum, ô grauissimum, ô deflendum casum, quis enim non ploret, quis non amarissimos proferat gemitus, dum tuetur authoritatẽ sacrorũ generalium Conciliorum quæ neruus est cõseruationis vnitatis fidei, sacrorum; canonũ, & ecclesiastice disciplinæ, nũc per cuiuspiam mortalis hominis voluntatem miserabiliter prosterni, & conculcari? sed quo pacto arguere poteris S. Synodum Francisce, si dum eam Rom. Pont. acerrime impugnat ipsa in sui defensionem suos processus iustificat in manifestationem veritatis? suggerunt auribus Principum & aliorũ oratores ipsius Ro. Pon. falsas calumnias in citatione aduersus eundẽ decreta conficta fuisse. Examinari iubet testes S. Synodus plurimos super veritate, & notorietate eorũ, quæ in ipsa citatione posita sunt in defensionẽ, & iustificationem sui. Nunquid hoc reprehendere vis, & potius diligis, vt eadem sancta Synodus se vbique iniuste infamari & de calumnia accusari permittat? Neque ex his conqueri debes ad depositionem festineri. cum etsi festinare voluisset eadẽ sancta Synodus, sine his dudum de positionem illam (vt præmissimus) efficie-

repperisse. quid vero etiam est si deputati huius sanctæ Synodi, aut maior pars ipsorum, aut duo ex ipsis, sicut eis commissum est dum in examinatione procedunt, quendam citationem effixerunt, ad recognoscendum sigilla & instrumenta, stylum in hoc iudiciale seruare volentis, quem minime seruare tenebantur? Nosse etenim debes Romanum Pontificem in citatione aduersus eum iam dudum decreta, fuisse citatum ad omnes & singulos actus, neque vlteriorem citationem esse necessariam. quid reprehendis si ex abundanti hanc nouissimam citationem fecere deputati? quid terminum breuem assignatum cauisario, quasi in quolibet termino citationem, in longinquam & diuturnæ expectationem decernere optus esset, postquam ad omnes & singulos actus extitit? sicque omnes illæ obiectiones facile euacuantur, quas aduersus hanc nouissimam citationem exaggerasti. Obicis etiam in die feriato esse factam: sed si recte aduertas, altera die facta est qui non feriatus erat. Sed affixio eius idcirco die Dominico facta est in valuis maioris ecclesiæ Basileensis, vt in plurimorum notitiam deueniret. Vnde patuit etiam non fuisse clandestinam, sicut in obiectione altera dicere videbaris, & ipse scripta tua edocent, satis ipsam in eorum notitiam deuenisse qui contradicere voluerunt. Nec præterea illi rumori respondere conuenit, quem apud multos dicis esse de deputatis, quod suspecti sunt Romano Pontifici, cum ad eam rem viri probatissimi electi sint, omni exceptione maiores, aduersus quos nulla iusta causa suspicionis allegata est. Nec in leui rumore fundamentum facere debuisti, pro tali contradictione in Synodo vniuersalem suscitanda, quomodo autē hanc materiam obicis non fuisse communicatam, cum plurib. quæ scire potuisti longe ante, pridie quam illa citatio fieret, fuisset per omnes deputationes Concilii concorditer conclusum; vt processus concernens Romanum Pontificem, vlterius continuaretur & perficeretur? Illa vero declaratio priuationis existentiū apud summū Pont. quam allegasti, ea solū ample ctebatur, & prosequebatur quantū ad priuationē dignitatū, & beneficiorū attinet, quæ dudum in aliis decretis huius S. Synodi, & præsertim in decreto octauæ sessionis incipiente, sicut vnica, iam ante quinq; annos promulgato ordinata fuerant. Cuius decreti verba sunt hæc: si quæ vero personæ ecclesiastica etiamsi Sanctæ Rom. eccles. Cardinalis, aut alia quacunq; cuiuscunq; gradus status, aut conditionis existat Bononiam vel aliquem alium locum sub nomine generalis Concilii isto durante præsumat accedere vel ibi manere, sententiam excommunicationis, & priuationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum ac inhabilitationis ad ipsa, incurrat ipso facto: & de dignitatibus beneficiis & officiis talium per eos, ad quos de iure spectat, libere disponatur. Hæc in decreto prædicto. quid plus operata est declaratio generalis quo ad dispositionem libere, de beneficiis & officiis faciendam, quam ibi decretum fuerat? Sed manifestudine semper hæc sancta Synodus diu multi huiusmodi beneficia impetrare conarentur, ordinauit, vt à collatione talium vsq; ad quadragesimæ dies supersederetur, quamquam iam lōgo tempore post varias admonitiones expectati sunt, Sed quæ tu ipse dicis attentius considera: subiungis in oratione tua, quod quidquid citra depositionem fecerimus, in debita veneratione & obseruatione semper habebitur. quomodo igitur ea quæ citra depositionem facta sunt & fiunt ita reprehendere conaris? Prædixisti insuper venturæ esse inconuenientia plurima si Romani Pontificis depositio fiat, quæ autem futura sint Deus ipse cognoscit: sed an fiet depositio vel non fiet de præsenti non agitur, processus continuatur, vt iustitia huius sanctæ Synodi ad hominum constantiam manifestetur. Dudum vt dicimus etiam absque vlteriori deductione processus, poterat fieri depositio. Videmus mala plurima per conculcationem auctoritatis ecclesiæ & sacrorum Conciliorum exoriri, errores insurgunt, & aduersus determinationes vniuersalis ecclesiæ in materiis fidei plures iā suæ dogmata impias asserere audent, censuræ ecclesiastica contemnuntur, decreta & Canones vilipenduntur, atque exinde vitia laxatis frenis per orbem debacchantes discordiæ, diuisiones schismata in immensum vigent, qualibet fere vacans ecclesia duos patronos habet. Vnus eligitur, alteri per reseruationem prouidetur. Omnis inobedientia, omnis transgressio, iam per orbem eleuatur: quod sancta Synodus ordinat, Romanus Pontifex inficit, quod ipsa ligat, ille absoluit. Conscientia Christianorum in magnum labyrinthum præcipitumque ducuntur. Et quæsi vbique excommunicationum, & censurarum vinculis iam animarum copiosa multitudo alligatur, eudicaliaque detrimenta vniuersa Christianitas sustinet. Et cum nulla sit abusuum correctio, vitia diminuuntur reprimuntur sed & omnipotentis iudicis ira, quam peccatorum multitudo cōcitauit, multis iam modis flagellare consueuit populum suum, vt cōuertatur ad pœnitentiam. Et si hoc Concilium tantis laborib. congregatum, & continuatum absque altarum rerum dispositione, per resistentiam Rom. Pont. aut quicquam aliud supruenientis dissoluatur, quantam putas vniuersæ ecclesiæ totique Christianitati desolationem & confusionem fore secuturam (quid autem in hac perplexitate rerum agendum sit, quo pacto ecclesia prouidendum nō facile existimare potest humana consideratio.) Sed sperandum est in misericordia omnipotentis Dei, quod hanc sanctā Synodum in suo nomine cōgregatam in eam partem diriget, quæ magis placita erit suæ maiestati, & quod Synodus ipsa dictauerit. cuius notoria est authoritas, id omne amplexabuntur qui ecclesiæ filii obedientes esse volent, quod si in ea re huic sanctæ Synodo obediendum non arbitraris, quam tamē vniuersalem ecclesiam repræsentare in ipsa schedula tua censes, sed vnum quemq; Principem aduersus Synodale iudicium, proprio iudicio putas inniti debere, & quis ex alia parte dicis omnem potestatem ademptam esse summo Pont. & hoc tantum sibi relictum, quod nudum & inane Pontif. nomen habet, ita vt verius imago Pontificis quam Pontifex dici possit, adiiciens quod omnis administratio adhanc S. Synodū deuoluta est, vbi iam obedientiam ecclesiæ positam putabis, si nec Synodo iudicanti, nec Rom. Pont. obediendum arbitraris? qua deinceps erit sacrorum Conciliorum authoritas si vnusquisq; illorum iudicijs in reformationem capitis & membrorum, obediat, quando vlit, quando nō velit, non obediat, aut prius quam aliquid iudicatum sit de non obediendo protestatur, nisi eo modo Synodus, & eo tempore iudicet, quo ipse conuenire arbitrabitur præsens iudicium suum, iudicis vniuersalis ecclesiæ in tanta tamque arduis rebus? Hæc quidem Francisce valde periculosa sunt in Christiana religione & ecclesia Dei, & quid in se importent alio tempore poterit latius aperiri. Nec credimus illustrem Dominum tuum qui ecclesiæ deuotissimus & obedientissimus semper esse speratur tali suo nomine fieri aut dici iubere. Potius te ô Francisce humiliter, sicut decet ecclesiæ filiū, consulta tua & cæcilia submissa, ut decet, & sine intermissione orare cum cæteris fidelibus vt Christus hanc S. Synodum, & ecclesiam suam dirigat in agendis, quam aduersus Synodale iudicium protestari, quod an futurum sit, aut quale futurum sit ignoras: atq; præfigere modos vniuersali Concilio ex tua sententia, qui si non obseruentur vti vti aut sanis, omnia iniusta, inualida, & nulla esse protestari, & impingis huic sacræ Synodo impetuosam Rom. Pont. depositionem: quæ an ad depositionem procedet, vel quando & qualiter, nondum ipse cognoscis. Ad pacem nos inuitas, quam vtinam post longanam adeo expectationem, vel tua deuotio, vel quilibet attendisset. At etiam in præsentiarum videmus impugnationem continuam huius sacri Concilii, & vniuersæ ecclesiæ turbationem gratissimam, schismatiq; continuationem ijs alteriusq; partis Concilij per declarationem: pacem vero minime conspicimus quam summopere desideramus, & procuius affectione sperata, hucusque dissulimus, & differimus eam proferre sententiam, quam, (vellet superius prædictum est) ferre poteramus. Sed negligentibus continuis in magnum grauamen vniuersæ Christianitatis resistere duci semper poterant, sicut per dispendiosas missiones processuum ad Principes hinc inde dispersos, & longinquas expectationes agendum, tua insinuat oratio: quæ intra se repugnantiam quandam gerere videtur, dum quærit processus huius sanctæ Synodi aduersus Principes mitti, & nihilominus ipsos compleri aut vlterius deduci non vult. Et quomodo fieret vt mitterentur si non prius complerentur, & perficerentur, vt in conuenienti forma ostendi possent. Vt itaque finem nostra responsio accipiat, neque pacem recusamus, neque de depositione fienda quicquam adhuc certum determinauimus, neque vllatenus protestationem tuam per te factam aut similes, ob superiores rationes admittere possumus, nec admittimus, quinimo si in hac forma protestationu perstitere velis, quod non speramus, oporteret nos pro defensione ecclesiæ Dei & cuiuslibet eius ad alia iuris remedia recurrere. In rebus autem agendis sit famulæ Christi gratia procedet hac sancta Synodus, vt nec illustris Princeps tuus nec quicquam fidelium possit cum ratione conqueri. Datum in Congregatione nostra generali decimo tertio Calendas Octobris Anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo octauo. ext. tom. 4. Concil. Biniane Editionis.

Hæc

LXVII. *Eug. Legatos ad Reges & Principes mittit qui eorum ordinationes Basileenses malignantes reuocent.*

Hæc proeuenientes Basileenses, in Eugenium Summum Pontificem teneræ lactabant. quod Constantiense decretū occipenderet; quod Concilium propria authoritate dissoluerit, aliosumque, ipsis inuitis transtulerit; quod Concilio rebellis Ecclesiam scandalizaret atque diuiderer, quòd Imperatorem Græcorum ad se pellexerit. quodq; viam multis scandalis & enormitatibus aperuerit, vnde multa inconuenientia secuta, & secutura deinceps existimarēt; recepto schismaticorum & hæreticorum more, qui cum ipsi discessione turpissima Ecclesiam diuiserint, multisque sceleribus totum oltium patefacerint, videri tamen volunt vnitatis Ecclesiasticæ curatores, & Ecclesiastici moris informatores. Operæ precium fuit Eugenio Pontifici, Legatos & nuncios vbique terrarum mittere, qui malignantium malitiam, omnibus Regibus, Principibus, Clero & populo Christiano notam facerent. Et quidem in Germaniam, vbi maius periculum fuerat, misit Nicolaum Albergatum titilo Sanctæ Crucis Cardinalem, ad Albertum Romanorum Regem, qui erat Nurembergæ; vt ipsum ad agendos Principum Germaniæ conuentus induceret, ad obuiandum schismati, quod postmodum Basileensium væsania confecit. Cum enim illos videret, sibi principatum atque authoritatem in Ecclesia supra se atque cæteros successores Romanos Pontifices vendicare, atque omnia ad detrahendos in suam sententiam populos permiscere: in suspicionem adductus, ne Germania ad partes contrarias omnino inclinaret, aut certe ne aliquo modo ab auctoritate sua hac arrepta occasione descisceret, non alienum esse duxit, graui hac missa legatione, Albertum ac reliquos Principes in fide atque officio continere. Dedit ea de re Nicolao Sācta Crucio literas hoc tenore;

Nic. Alber. Card. ad Albert. Rom. Reg. in Germaniam miss.

Dilecto filio Nicolao tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum te ad partes Germaniæ, pro nonnullis bonum Ecclesiæ, pacem & quietem populi Christiani concernentibus negotiis peragendis, commissa tibi plene legationis officio, vt pacis Angelum destinemus, & vtilitatem Ecclesiæ, & præsertim negotiorum magnam verisimiliter possis afferre, si partium illarum Prælati & Religiosi de tuo mandato insimul congregentur; circumspectioni tuæ, Prælatos, ac Religiosos Ordinum quorumcunque, exemptos & non exemptos, in partibus prædictis consistentes, quoties tibi expedire videbitur, ad locum congruum & spatium, ac tempus certum insimul euocare nostra conuocandi & congregandi, eisque ex parte nostra inimungendi, quæ ad exactionem negotiorum huiusmodi, nostrumque, & Romanæ Curiæ statum necessaria & vtilia fore perspexeris: alia quoque ordinandi & disponendi, quæ in premissis, & circa ea necessaria fuerint & opportuna, plenam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Ferrariæ anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. XXXVIII. tertio Idus Septembris.

LXVIII. *Ejusdem ad alios Principes Germaniæ*

Præter has, dedit etiam ad Principes Germaniæ, & præcipue ad Othonem & Stephanum Comites Palatinos Rheni; & Guidianum Ducem Brunsuicensem, & ad Fridericum à Domnegk Episcopum Vormaciensem, omnes eodem exemplo his verbis literas; *Pro nonnullis negotiis, honorem Dei, pacem Ecclesiæ, & bonum Reipublicæ Christianæ concernentibus, dilectum filium nostrum Nicolaum, tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem presbyterum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, ac venerabiles Fratres, Ioannem Tarentinum Archiepiscopum, Petrum Dignensem, ac Antonium Vrbinatem Episcopos, nec non dilectos filios, Franciscum de Capitibus Listæ, Iuris Vtriusque Doctorem & militem; Ioannem de Turre-cremata Sacri Palatii Magistrum; & Nicolaum de Cusa Decretorum Doctorem, Oratores nostros ad partes Germaniæ mittimus, quibus circa præmissa aliqua tibi nostra exponere & referenda tibi committimus. Quare præfatis Legato & Oratoribus, in præmissis nobilitati tuæ referēdis fidem plenam impertiri velis, illisque in omnibus opportune (cum ab eis requisitus fueris) assistere, sicut de deuotione tua in Domino confidimus, atque speramus.*

Cum his litteris Nicolaus Nurembergam profectus, multaque in conuentu Principum, quæ ad deterrendos homines à schismate Ecclesiæ pertinebant, locutus, effecit, vt tam Ecclesiastici Electores, quam reliqui Germaniæ Prælati, vna cum Oratoribus Principum postea Maguntiæ congregati, non omnino iniquo animo in Eugenium fuerint, neque publicationi decreti probrosissimi interesse voluerint: quinimo ne publicaretur, neue schisma sequeretur, plurimum egerint. Sed de his anno insequente. *Pogius in oratione funebri. Sigonius capite decimo sexto vitæ Beati Nicolai Albergati, Sylvius libro primo de gestis Basilensium.*

LXIX. *Carolus Rex. Franc. ad Basil. inclinans pragmaticam constitutionem perniciosam hæresim continentem publicat sed non impune.*

Non ita feliciter cessit, Legato, & Nunciis in Galliam missis. Carolus enim Rex, nec quicquam eis obsistentibus, habito in Biturigibus Francorum Patrum cœtu, ad Basileenses inclinare visus, pragmaticam Sanctionem (ea erant placita Basileæ in concilio habuli) recitari, atque ex ea ius dici iussit. qua exre Eugenio in conferendis sactis beneficiis, cautisque eorum cognoscendis, ac controuersiis diiudicandis, Pontificatus Maximus propein ordinem cogi videbatur. Hæc sunt scita ex quibus aliqua nedum sunt insicita, verum etiam iniqua, temeraria, hæretica, atque execranda, quæ Basileenses à Carolo admitti postularunt.

1. Romanus Pontifex, quoque decennio, Generalem Synodum, loco, quem volet, post hac congregato. Si negligens erit potestas esto Patribus, id designandi, Conuocati Concilii locum, nisi necessum erit, Pontifex ne mutato.

2. Basileensis Concilii authoritas, & ipsius decretorum constantia perpetua esto: quæ nemo vnquam, nec ipse Romanus Pontifex tollere, infirmare, aut transferre præsumito.

3. Romanus Pontifex, maiores Ecclesias, Metropoles scilicet, atque Episcopales, collegiatasque, aut eas quibus Abbates præficiuntur, & Ecclesiasticas dignitates, quæ per electionem sibi deligere Rectorem consueuerunt, nemini reseruato. Præter eas quæ iure scripto, Vel Romani principatus causa, sibi permittuntur. Huic decreto, nō contrauenito. Si intercedet causa, præter legem faciendi, ab Apostolicis rescriptis exprimito. Idque dum ad Pontificatum quispiam assumetur, se seruaturum iurato.

4. Ecclesia Pastore destituta, ii, penes quos est eligendi potestas, die & loco definito conueniunto: Peccatorum suorum confessionem agunto: & Eucharistiā sumunto. Mox confidentes, præmisso iureiurando, nō negligenter, non dolose, non timide, eum qui gerendæ dignitati idoneus sit, eligunto, Principib. fas non esto, pro quopiam commendando, molestis precibus, aut violenta cōminatione premere aut cogere Electores.

5. Electionis formam, & electi merita, confirmatores Prælati inquirunto. Scribæ, Notarii, moderatum salarium accipiunto.

6. Romanus Pontifex, quem sanctitatis normam præferre oportet, huic sanctioni nequaquam derogato. Si contemnet, & inde scandalum exurgat, ad subsequens vniuersale Concilium deferatur.

7. Electiones, tamesi pro canonum authoritate legitimæ esse videbuntur, si inde aut Ecclesia, aut patria, vel respublica turbari formidabitur, cum huiusmodi electio ad Romanum Pontificem forte referatur, & ea diligenter examinata, nulla dici merebitur; alteram electionem, iis quorum refert indicito. Electum vero confirmari, aut benedici, ab alio quam ab eo, qui sine medio electo superior est, fas non esto. Si in Pontificis curia præsens electus erit, à Pontifice benedictionem, si volet, recipito. Iuramentem postea suo præstato. Secus qui facient centum aureorum mulcta eum castigato.

8. Vniuersali Synodo, eiusque definitionibus & decretis,

decretis; omnis Catholicus, etiam Romanus Pontifex, catenus obedito, quatenus fides & schismatum explodenda seditio postulat.

9. Quæ Synodus, sancto Spiritu auctore vocata, consedit; eam, sicuti Constantianæ concionis Patres definiuere, à Christo Deo auctoritatem protinus obtinere credito.

10. Ecclesiis Dei eos Sacerdotes & Pastores præficito, qui doctrina sint & vita illustres, vt creditum sibi populum sollicite instituant, & Deo obedientem gratum que reddant.

11. Expectatiuis propterea gratiis, vnde plurima oriri mala constat, locum esse non sinito.

12. Beneficia, viuo eorum Rectore, nemini reseruato. Cum autem administratore vacabunt, eorum quibus conferre oportebit, mores & merita, graduati ne sint, an secus, cognoscito.

13. Decretum de Theologo, per quasque Metropoles præbendando, ad Episcopales quoque Ecclesias extendito; vt in illis præbenda Theologo conferatur, qui in aliqua generali Academia decennem literis operam nauauit. Beneficio donatus, verbum Dei prædicato: & per quasque hebdomadas, semel atque iterum, sacras litteras audire volentibus explanato. Negligenti, quotidiana Ecclesiæ stipendia subtrahito.

14. Porro, de iis qui gradu alicuius disciplinæ prouecti sunt, hunc ordinem obseruato. Primũ post hanc sanctionem vacuum professore beneficium Doctori, Licentiato, vel Bacalario conferto. Duo deinceps, quæ Rectore carebunt, bene merentibus Clericis concedito. Quod his duobus successum erit, illud graduatus obtineto.

15. Igitur Scholastici gradu insignes, sua nomina beneficiorum collatoribus, dum Quadragesima agitur, scripta quotannis tradunto.

16. Beneficiorum, præter hoc decretum, collatio facta, inanis esto.

17. E locis, quæ ab vrbe quatuor dierum itinere distant, in ius vocandi Romam, nisi in maioribus causis, fas non esto.

18. Qui damno aut iniuria grauabitur, eum qui proximus est superior, appellato, si tale est damnum, quod per eius sententiam restitui possit. Alioquin; si ad Romanam Ecclesiam iudex per exemptionem pertinebit, causam desiniendam, ad eum qui eiusdem regionis est, Iudicem (si metus abest) Pontifex committito.

19. A grauamine, aut interlocutione Iudicis, secundo non prouocato. Eum qui frustra atq; inaniter ante latam sententiam appellat, quindecim florenis, præter æreras litis impensas, mulctato.

20. Triennem alicuius beneficii & quietum possessorem, non turbato. Nisi hostilitate, metu, vel graui impedimento tardatus eris, ne per triennium impetere potueris possidentem.

21. Cardinales XXIIII. tantum, diuina & humana scientia eruditos, annorum XXX. boni nominis, & generis legitimi; qui Reipublicæ Christianæ consulere possint, Pontifex de suorum Fratrum consilio præficito.

22. De dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis quibuslibet, collatis aut conferendis, nihil prorsus, sed neque annatam, neque fructuum primitias, neque (vt vulgo dicitur) deportum Pontifex exigito. Notariis, & scribis mercedem; qui beneficium recipit, soluito. Huius decreti præuaricatori pœnam Simoniacis debitam infligito. Nihil præterea iuris, aut tituli in beneficiis; contra hanc prohibitionem impetratis, sibi acquisitum intelligito.

23. Clerici qui Ecclesiarum & diuini cultus obsequiis deputantur, rem omnem diuinam & Dei laudes sancte, distincte, & grauiter celebranto. Ad Iesu nomen caput reuerenter demittunto. Decanos, & reliquos per Ecclesias præfectos huius statuti præuaricatores castigato.

24. Consuetudinem, qua inductum est, eum qui in aliqua horarum choro abfuerit, omnium distributionum participem esse, tollito. Idque ad decanos & præpositos, qui suarum prætextu dignitatũ rei diuinæ non assunt, extendito.

25. Quos noueris, dum res diuina agitur, per Ecclesiam, aut iuxta illam deambulare, aut confabulari, totius diei, qui hoc fecerint, distributionibus priuato. Iterum vero in hoc ipso delinquentes, vnius mensis stipendiis mulctato.

26. Tabulam, vbi designantur ii, qui definitis hebdomatibus sua officia exequi debebunt, in choro appendito. Negligenti, totius diei stipem denegato. Fidei symbolum non truncato, sed ad verbum absolute decantato.

27. Cantilenas vulgi, in Ecclesia canere laicos prohibeto.

28. Rem diuinam, quam Missam appellamus sine ministro numquam celebrato. Dum eam facis, vocem exalta, quæ à circumstantibus exaudiri possit. Secus agentem corripito.

29. Canonici qui se creditoribus ita obnoxios constituunt, vt statuto die, debito se non absoluerint, interdicto rei diuinæ cohibentor, & à stipendiis Ecclesiæ, toto trimestri abstinento. Nec quicquam inde, quamdiu diuinis abstinebunt, præcipiunto.

30. Solemnibus diebus, dum maior Missa fieri debet, Capitulum non cogito, per integram alioquin hebdomadam, transgressores quotidiana stipe priuato.

31. Spectacula, ludos, comessationes, choreas, nundinationes, ludibria, & laruatas personas incedere, ab Ecclesia & sacris locis arceto. Contemptorem Clerum, trimestri prouentu abstinere iubeto. Reliquos censura Ecclesiastica cohibeto.

32. Clerico cuiusuis status, concubinam fouenti; à secunda huius sanctionis promulgatione non resipiscenti, beneficiorum suorum percipiendi menses tres interdicio, & hos fructus in Ecclesiarum vnde percipiuntur vtilitatem impendito. Hanc autem constitutionem, in Synodis & Capitulis promulgari quotannis imperato.

33. Non minus laicos admoneto, nullam præter legitimam vxorem, turpi copula contingere.

34. Excommunicatos; ante latam sententiam; & reuera denunciatam, non citato: nisi tam notoria excommunicatio erit, quæ non valeat ignorari.

35. Nulli omnino genti, cõmunitati, vel loco sacris interdicio, nisi per semet, aut per priuatos aut Officiales, id est, per suos Magistratus culpam admisit. Iniquũ siquidem est, ob vniuscuiusque priuati hominis delictum, ferire insontes.

36. Nullius litteris, quibus quempiam beneficio aut suo iure abdicasse narratur, nisi testibus, aut fideli documento, id factum esse constet, credito.

Hæc cum Carolus, indicto apud Bituriges, Nonis Iulii concilio, sub titulo pragmaticæ sanctionis, publicasset, Eugenius Pontifex, quemadmodum par est exanduit; & tum pragmaticam damnauit, tum Regem admonuit, ne quicquam aduersum Sedem Apostolicam, aut statuere aut conari auderet: quippe quæ haberet Deum protectorem ac vindicem, potentem vlcisci omnem iniuriam illatam. Exemplo Eugenii, qui deinceps fuere Romani Pontifices, Nicolaus Quintus, Calixtus Tertius, & Pius secundus, illam Regiam constitutionem, tamquam perniciosam hæresim continentem execrati sunt: tantumque Pius apud Ludouicum Regem Galliarum egit, vt illam omnino abrogauerit in his quæ Sedem Apostolicam & Romani Pontificis authoritatem respicerent. Non impune fuit Carolo Regi, eam pragmaticã sanctionem. Statim enim atque is contra Matrem Ecclesiarum Romanam leuauit calcaneum suum; Deus excitari permisit contra illum, eius filium Ludouicum, qui parum abfuit quin & Regno, & vita simul patrem exueret. *Aemilius in Carolo VII. Gueguinus hist. Francorum lib. 10 in Carolo 7.*

LXX. *Alberti Austr. Hungar. Bohem. Rex à Deo est eius eo quod rem sidei apost. parauerat contra Basilien. non defendit.*

Quod autem Albertus Austrius, Hũgariæ, Bohemiæque Rex, nouus Cæsar designatus, non tam acrem (*vt P. Aemilius narrat*) propugnatorem pacis Ecclesiæ se præstitisset, neque Basileensium damnatam coitionem dissipasset, sed potius protectorem illis deputasset, neque diuturnum ei imperium fuit. Ne Imperialem dignitatem acceptaret: Hungari inprimis obstiterant; qui ea condicione susceptum ab eo Hungatiæ Regnum dicebant, ne vel oblatum imperium assumeret. & nisi Bartholomæus Nouariensis Episcopus, à Philippo Mediolanensium Duce Orator missus, eas rationes quas Æneas Syluius pro Alberto scripserat, aliis Oratoribus Principum, & Proceribus Vngaris ostendisset; nũquam Albertus Imperium assecutus fuisset. His ille persuasit, vt Hungari consentirent, & Albertus diadema non recusaret. Iam cum Imperatorem electum, & Regem Vngariæ se dixisset Albertus, nouæ illum & à Bohemis, & à Turcis difficultates excepere. Bohemorũ Proceres, qui cum Barbara Sigismundi Imp. defuncti coniuge conspirauerant, non alio pacto in illum consentire volebant, quam si postulatis eorum morem gessisset. Cumque non plura hæreticis, aut promittere, aut permittere sustineret, Casimirum Regis Poloniæ fratrem non omnino frustra in illum excierant. Enimuero is non contemnendo exercitu scripto, cum in Bohemiam Regni capessendi causa duxisset, non mel Albertum afflixit, & ad conditiones petendas coegit; proculque dubio Bohemia illum eiecisset, si subsidia à Vladislao fratre Rege missa, in tempore adfuissent: & nisi Barbara Socrus, quæ nequiter, libidinose, sine vlla religione spe fututæ vitæ reliquum vitæ exigens turpiter cum illo transegisset. Et Pontifex quidem, & Basileenses præterea, per Oratores de pace inter Albertum, & Regem Polonorum componenda diligenter etiam egerant, quo commodius sublato inter eos principes bello, Græcis atque Vngaris subueniretur. Verisque enim grauis fuerat Rex Turcarum Amurathas: qui transalpinensem Valachiam, vectigalem sibi fecerat, ac per illud ipsum tempus Rasciam & Serbiam vectigales Regum Vngarorum ditiones affligebat: ac Singidunum, siue Synderouiam, vel Smiderouiam, quemadmodum Poloni appellant, vrbem in ripa Danubii non multum infra Begloradum, quam Nandor Albam appellant sitam, obsidebat & oppugnabat: nec succurrere locis Albertus poterat, Polonico bello distentus. Itaque Eugenius iuuandæ reipublicæ Christianæ cupientissimus, vt Alberto & Regnum Bohemiæ pacatum efficeret, & à Rege Poloniæ subsidia illi contra Turcas compararet, hisque præclaris meritis eum sibi maiorem in modum, bono pacis Ecclesiastico conciliaret, Oratores destinauerat ad Wladislaum Regem Poloniæ, quo anno in Polonia, non vsque adeo quieta res domi fuere. Etenim Spitco Melitinius Procerum potentissimus partim inuexerat in Sbigneum Cracouiensem Episcopum quod conatibus suis ad nouandas res intentis obstitisset odio partim etiam nouo, quod de hæresi Bohemica exagitaretur, inli maiores bona Ecclesiæ Cracouiensis Villamensia Melitino arci propinqua, armata manu inuaserat, atque diripuerat, atque castellum interceptum præsidio munuerat, citatusque à Rege, veluti publicæ pacis turbator, non satis quiescere videbatur. Ea de causa Proceres vtriusque Ordinis Corcini ad Comitium vocati, sanctissime decreuerunt, seque obstrinxerunt, pro perduelle, habituros, quisquis iudicia publica contemneret, armisque priuato consillo sumptis ius suum prosequeretur, &, *Quisquis vllam hæresim professeretur aut professentes defenderet. Cromerus libro vigesimo primo. Auctor Comment. Pii secundo. libro primo. Sylnius capite quinquagesimo quint.* istud ad calamitatem Alberto accidisse tradit, quod Vuradislauiam ad transigendum cum Rege Poloniæ cũ venisset, ex gradu forte prolapsus grauiter que læsus, pluribus diebus ægrotus decubuerit, exindeque claudus effectus, infecta pace, per Moraniam in Austriam redierit; ac interea Vlricus Ciliæ Comes, qui Bohemiæ præerat, de vendicando sibi Regno, inter Barones agere cœperit, adeoque Albertum Regno exuere tentauerit. Istud fuit pars vindictæ diuinæ in Regem, vt o anno ttibus diadematibus ornatum, quod Summum Pont. Eugenium hostibus pene relinquerit, neq; rem Sedis Apostolicæ, quẽmadmodũ par erat, cõtra Basileen. strenue defenderit,

LXXI. *Pars vindictæ diuinæ in Alphons. Arag. Reg. Eugenio infestum derivata.*

Partem quoque vindictæ deriuauit Deus in Alfonsum Regem Aragonum, Eugenio, propter Regnum Neapolit infestum. Is à Pontifice auersus, Basileensium conatus inuasa; ac præterea armis Regnum Neapolitanum inuito Eugenio occupare pergebat. Legati ipsius, Nicolaus Archiepiscopus Panormitanus, & Ludouicus Protonotarius Romanus, vna cum Prælatis Regnorum Alfonsi Basileæ congregatis, nihil non egerunt, vt præmissas propositiones struerent, roborarentque, ex quibus quasi per necessariam illationem Eugenio Catholicissimo hæresim impingerẽt; & quod extremum fuerat, Pontificatum ei abrogarent. Vnde conclusiones de præeminentia Concilii supra Papam; de necessitate obsequendi Concilio, à quocumque etiam Romano Pontifice, deq; aliis non minus erroneis quam temerariis contra Pontificiam autoritatem, primi omnium in medium proposuerunt; primi comprobare conati sunt; primi ad vniuersitates Maguntinen. Colonien sem, & reliquas ad discutiendum, confirmandumque emiserunt; primi de suspendendo ab administratione Pontificatus Eugenio sententiam protulerunt; & in summa, inter principes aduersarios Eugenii eminere voluerunt: ita iubente Alfonso, qui ea ratione vel frangere ad suam voluntatem, verenitentem in ordinem cogere cogitabat Eugenium. Regni Neapolitani desiderio æstuabat; in quo ab aduentu Cardinalis Vitellescii qui cum valida militari manu in fines Neapolitanos ingressis, multa pro Sede Apostolica receperat, complureque principum ab Alfonso ad Pontificem auerterat; magna immutatio tum rerum, tum animorum facta erat. Ioannes Antonius Vrsinus Tarentinus princeps, & Casertæ Comes Pontificiis partibus sese adiunxerant: adeoque ingens momentum rebus Ecclesiæ attulerant, vt, nisi Cardinalis Vitellescus, sine vano metu perterritus, siue alia de causa occulta permotus Regno præmature discessisset, procul dubio illud vniuersum in potestatem redegisset. Deserta prope legatione quam primum recessit, duo illi principes ad Alfonsum reuocati, animum Regi fecerant ad Neapolim inuadendam. Iam Renatus Andegauensis pretio tamdem libertate redempta, Neapolim, cum classe quam Massiliæ parauerat, & accessione Genuensium triremium adauxerat, ad decimũ quartũ Kalen. Iunii appulerat, suorumque animos partiarium ad spem meliorem erexerat. Iam partis aliquot in Marsis de hoste oppidis, in Pelignos duxerat, iis arcibus impugnandis, quæ in hostiũ potestate erant. Alfonsus, per illius absentiam rem se posse conficere existimans, Neapolim iuuentutis discessu Renatum secutæ præsidio nudatam, ac ne commeatu quidem in multos dies comparato, ad toleranduin obsidionem instructam, petere constituit. Erant in Aragoniis castris ad quindecim hominum millia. Quattuor triremes, septem onerarias, plura minora nauigia classis numerabat, subuectionibus à

mari prohibendis idonea. Hoc apparatu, vrbem nobilissimam in paucis, numero ciuium, ædificiorum maiestate, imperii amplitudine, mari terraque circumsedit, ad decimum Kalend. Octobrisi Aderant, Raymundus Vrsinus Comes Nolanus, (is cuius vxori Leonoræ Aragoniæ, & hæredibus Vrsinis, Ducatum Amalfitanum in perpetuum, dato hoc anno diplomate, quod in archiuo Pauli Iordani Vrsini Ducis Bracchiani vidimus, concessit Alfonsus) Matthæus Aquauiua, Ioannes Vintimillius, & Petrus Cardona. Castris munitis, scalæ, aliaque machinamenta comparata, copiæ locis idoneis distributæ. Dum impetum in vrbem iuris Pontificii facere pararent, Deus qui nihil inultum abire sinit, quique in humanis rebus ludere, & prosperis aduersa confundere nouit & consueuit, cuncta Alfonsi consilia tristi casu conturbauit, & vno momento euertit. Petrus Aragonius Regis Frater, ad decimas Kalendas Nouembris speculandi gratia paulum à castris mane progressus, è Diuæ Mariæ Carmelitanæ templo, tormento percussus occubuit. pila tertio ad terram illisa, quarto ictu eius caput comminuit. Obsidionis præterea toto tempore, continuis imbribus oppugnatio impedita, religionem populorum animis inijcit, vt illa soluta, hac dimissa, Capuam Alfonsus re infecta reuerterit: secum reputans, durum esse contra stimulum calcitrare: dirum, neque vnquam impunitum, in vnctum Domini consurgere. Ergo his casibus, & maxime Petri morte nonnihil percussus, consilium de impugnando Eugenio aliquantum temperauit: Oratoribusque & Prælatis quos Basileam ad illum euertendum miserat serio præcepit, vti quæ fecissent, non ad finem conficerent, & contra Eugenii incolumitatem non omnino totis viribus pugnarent. Commouit & istud Alfonsum vehementer, quod rerum Neapolitanarum omnes scriptores accidisse memorant. Die decimo septimo Octobris, hora tertiarum, Petrus Aragonius quatiebat tormentis muros Neapolitanos, ea parte quæ erat ad templum Sancti Angeli in arena. Prostat supra trabem transuersalem medio in templo imago Christi cruci affixi satis prægrandis. Ea, cum Petrus tormentum quoddam omnium maximum explodi iussisset, & pila testudinem è diametro capitis superne decidens perforasset, dubioq; procul cadens comminuere illud posset: ea inquam imago lignea, caput inclinauit, & ictui pilæ summo impetu ruentis subtraxit: capillis imposititiis, & diademate spineo reiectis. Visitur adhuc ea ipsa imago, capite inflexo, & à Neapolitanis, qui miraculum fuisse affirmant, summa veneratione colitur. Die postero, Petrus, quemadmodum diximus, ab illo fere prodigioso ictu interiit: documento iniecto fratri, ne maiestatem supremam lacesseret, ne violaret. *Mariana libro vigesimo primo, capite decimo tertio. Summontius libro 4. Thomæ Costus in additionibus ad Collenuccium. Sylvius lib. 1. de gestis Basileensium.*

Miraculosa Crucifixi imago, Neapoli.

LXXII. *Philippus Mediolan. Dux variis technis & dolis Eug. perdere cupiens Principatum suum ad alienam familiam iusto Dei iudicio transmittit.*

Non impune pariter fuit Philippo Duci Mediolanensi, Eugenio Pontifici iniurio. His ipsis artibus, quibus Pontificem sacra & profana iurisdictione exuere conabatur, interceptus, principatum Mediolanensem, à sua Vicecomitum stirpe, ad alienam familiam transmisit eoque se prope, & Vicecomites omnino spoliauit: vt verum faceret illud diuinum pronunciatum: *Regnum transfertur de gente in gentem, propter iniustitias, & varios dolos.* Resest. Eugenio, Ferrariæ Concilium summe necessarium Reipublicæ Christianæ habente, Basileenses, qui id molestissime ferebant, decreto promulgato Sacram ei iurisdictionem interdixerant; & mox palam professi fuerant dignitate exuto alterum Pontificem suffecturos. Igitur Philippus, qui per eandem causam Picentes iamdudum ad se traduxisset, tum quoque Flaminiam appetiuit: præsertim, quod Eugenius Neapolitanis bellis, magnisque & assiduis Cõcilio sustinendo sumptib. ad egestatem redactus esset, atque in summo propter Offidani scelera Bononiensium atquè aliorum populorum odio. ac quo minore negotio & infamia rem conficeret, (videtur enim iniuriæ indignitas crescere, si tum Pontifices lædantur, cum religioni ac bono publico seruiunt) per Nicolaum Picininum, quasi priuata simultate infensum, Pontificem dolo aggressus est. Significauit Picininus, quia Sancta Sedes à Francisco Sfortia indignis modis vexaretur. Sed quoad fieri posset illi non defuturum; modo cum Philippo in gratiam rediret. Picenum, à Sancta sede, Franciscus Sfortia titulo Marchionis possidebat, à Philippo olim submissus. Is ipse Florentinis fœderatis, aduersus Lucenses militans, stipendia pariter apud Venetos contra Philippum faciebat. Lucensibus opem ferre videbatur Picininus, æque à Philippo destinatus. Omnia fiebant clam ab hoste versuto, vt & socios Eugenii, & ipsum Eugenium pessumdaret. Vbi ergo Picenum iam in Sfortiæ potestate vidit, de Flaminia per Picininum subigenda, perpetuis dolis rem aggressus est. Finxit se nouum fœdus cum Sfortia quasi recens reconciliato percussisse, Picininumque quasi Sfortiæ æmulum irritasse. Istud fœdus iampridem cum Sfortia inierat, quando filiam ei in matrimonium collocauerat: Diu tamen negotium clam esse voluerat, atque tandem hoc anno ex mutuo consensu in publicum deduxerat; quando Florentinis Picininus grauis esse incepisset. Tunc primum Sfortia, prætextu, quasi emerita à Venetis sociis stipendia non sibi numerarentur, & quasi Cardinalis Vitellesc. eus Ferraria Romam reuertens, Piceno immineret, fœderum cum Venetis & Florentinis oblitus, Philippo se debere ostendit, qui vna cum Blanca filia, principatum Mediolanensem, ac titulos familiæ Vicecomitum, ad se deferret. Ea re Picininus quasi esset alienatus, & à stipendiis merendis liberatus, ad Pontificem nuncios misit, qui sibi in Etruriam perenti, summe necessarii itinetis per agrum Bononiensem copiam peterent, pollicerenturque suam legionem agrestium rebus omnino intactis pacifice transituram. Pontifice, quod alioquin denegare non potuisset permittente, misit iterum alios ad eundem nuncios, qui hortarentur, vt constantem de se fidem habere disponeret, quia cum ipse Perusio Ecclesiæ Romanæ subiecta ciuitate oriundus, numquam antea Ecclesiasticos læsisset, tum maxime ista tempestate oppressam à Sfortiæ tyrannide Ecclesiam cuperet liberare. Gratus fuit Pontifici sermo. Cum tamen Philippum lædere vereretur, aliquando respondit: curaret cum Philippo, vt pacem quæ tolerabili offerretur conditione acciperet; qua constituta, illum à Philippo dimissum, Romanæ Ecclesiæ stipendiis honoraret. Erant apud Picininum hac tempestate Camertium Oratores; qui quod Sfortia eorum ciuitatem Ecclesiæ fidelem aliquando læsisset, læsurusque videretur, subsidium, quod Pontifex non duceret præstandum, ab illo petebant. Hos Picininus ad Pontificem ter quaerere mittens, affirmare iussit esse, qui Philippum maximis beneficiis afficisset, ab eius stipendiis liberatum, noua posse stipendia sequi; sed eam sibi ipsi legem imposuisse, vt nihil prius intentet, quam clausos Lucenses, & obsidione liberet, & in pristinum restituat rerum statum. Gubernabat pro Pontifice & Ecclesia Bononiam Daniel Concordiensis Episcopus, qui cum multa alias Picinino cum castris Bononiensi agro propinquanti concessisset, maiore secum vsus audacia, nuncios ad eum misit renunciaturos, si Ecclesiæ Romanæ & Pontifici amicaretur, illæc transiturus documenta daret publica, quibus inuixi agrestes ruri adesse audeant, nec suo in vrbem oppidaque receptu eo loci res adducant, vt tamquam hostem illum oporteat expectari. Ad ea Picininus ex fraudibus compositis dulcia quæcumq; in buccam venerunt reddens verba, paren-

patentes nunciis dedit epistolas, sigillo munitas, quo in solennibus conscriptis conditionibus vtebatur. Summa epistolæ fuerat, se Ducis Mediolanensis vices gerentem, illius & proprio nomine, omnia quæcumque ditionis Romanæ Ecclesiæ, & Eugenii illius Pontificis censerentur, ciuitates, municipia, arces, oppida, castella, à sua & legionis cui præerat iniuria, salua, intacta, & illęsa redditurum. Et motis postridie castris, cum apud Bononiam statiua habuit, & secundum eius fossas iter fecit, mitissimi hospitis speciem præse tulit. Castris exinde apud Idicem fluuium via Aemilia firmatis, ad dexteram Apenninum versus iter flectere videbatur in Etruriam traiecturus. Sed cum quatuor dies ibi fuisset, Auteoli Florentinorum oppidi agrum raptim populatus, oppidum intercepit, vbi nuncium accepit, nouas Sfortiam cum Philippo fœdera iecisse; Florentinos à societate Venetorum defecisse, & cum Philippo conuenisse; eosdem Florentinos cum Lucensibus, arbitrio Philippi in gratiam rediisse; adeoque tam illos, quam istos liberatos bello esse. Diuulgatis conditionibus, iussus à Philippo Picininus, vt Romandiola excederet, & à lædendis Florentinis abstineret, agro excessit Florentino, & in Forliuiensem delatus, cum Aureolũ palam restituere nolens, sine præsidio dimisisset, statuis apud Camuratam, Rauennæ, Cæsenæ, & Forliuio conterminam positis, inq; castrorum speciem quæ diu duratura esset firmatis, suam continuauit simulationẽ. Se namque à Philippo, dudum, & nuper, Luca obsidione soluta, ab ea quã sibi sponte sua imposuisset subueniendi Lucensibus necessitate liberum prædicans, intolerandam dies noctesq; vbi exaudiretur iniuriam ciulabat, qua se afficisset Philippus, qui cũ Sfortia implaçabili sibi hoste, se inuito rediisset in gratiam: fore comminatus, vt Philippus, qui præstantissimos, potẽtissimosque Italiæ bellorum duces duos habere existimet; necse, qui consulto nõ redituros abierit, nec Sfortiam habeat, quem ipse bello agitarum, aut Italia pelleret, aut de retinenda Beneuento ciuitate sibi fidelissima coactum pugnare, bellis perpetuis distineret, & ad Eugenium Pontificem mittens orauit, vt se pecuniis iuuaret, quibus careret Philippi stipendio destitutus, cogitaretque aliquando, quo pacto consuleret rebus suis.

Credidit incautus Pontifex, quod insinuationibus suggestum erat, & quinque aureorum millibus mutuatis, suasit, vt aut Romanæ Ecclesiæ mediocri cum stipendio militaret, Ciuitatem aliquam sibi & filiis in maioris stipendii compensationem habiturus; aut si maiori pecunia indigeret, Venetorum stipendia sequeretur, quibus vt nouerat permissuris, optatam nihilominus operam præstaret Ecclesiæ, à qua munere aliquo, quod filiis foret perpetuum, donaretur. Ierunt sæpe numero redieruntque Nuncii, hinc inde missi, & eo in tempore, cum firmam de se spem faceret Pontifici Picininus, machinatio cum Philippo ab ipsis primordiis instituta, ad effectum quadruplicem procedebat. Nam Veneti Florentina societate, & Sfortiæ adiumento, quod maximum vel solus afferebat illius timor destituti, nullum interea quærebant, nec oblatum acceptabant equitatum: & Pontifex, de muniendis præsidio prouinciæ ciuitatibus oppidisque à plerisque admonitus, insidias Philippi quibus eum sæpenumero pernicioſe læserat memorantibus, neminem exaudiuit. Fuit tertio loco spacium Philippo iniuriæ omnibus ostentandæ, qua Pontifex illum afficere pergeret, qui ductorem belli virum, nisi Pontificis authoritas corruptelæ intercessisset, fidelissimum, in quo omnis rei suæ salus consisteret, malo à se animo alienarit. Quartus machinationis protractæ effectus à Spoletanæ ciuitatis calamitate pendebat. Franciscus namque Picinini filius, quem supra ostendimus à Patriarcha Vitellesco fugatum, sese intra Montis regalis mœnia recepisse, cum multos in montana illa regione menses fuisset moratus, Pyrrho Abbati Cassinensi, antea Spoletanæ vrbis pro Pontifice gubernatori, sed propter impotentem dominationem submoto, eaq; propter Pontificio hosti, opem in diripenda ea vrbe tulit. Simul auerat vero Nicolaus filium eo loci se insciopro ductum, binaq; à Pontifice requisitus epistolas, quas legissent, qui perferebant Nuncii ad illum dederat, imperiosius mandans, excederet Spoletino agro, nec quicquam sibi commune fineret, cum iis qui Romani Pontificis hostes essent. Erat ea tempestate in Romandiola Ostasius Polentanus, qui Rauennam vrbem vetustissimam, Tyberianum nobile oppidum quod dicunt Bagnacauallum, ac Russium, Fusignanumque castella pro Romana Ecclesia gubernabat. Hunc Picininus ad defectionem à Romano Pontifice ad Philippum cum frustra solicitasset, Bagnacauallo, Russio, Fussignano, ac tandem Rauenna potitus, ad Philippi partes traxit, hominem inprimis Venetæ Reipublicæ, & Eugenio Pontifici dedititissimum. Ea re per proditionem peracta, etiã paratã apud Spoletum fascinoris certior factus, epistolam Eugenio scripsit, nequaquam verbis quæ tamdiu illi dederat, & senis viri moribus respondentem; fecisse Pontificem inque, qui se virum inprimis integerrimum ad perfidiam perlicere conatus sit, adduxeritque in capitis periculum disseminatis passim rumoribus, & litteris ad Christiani nominis Reges Principesque de suo ad Venetos perfugio datis. proinde omnes intendere vellet ad illum vt hostem persequendum conatus, quandoquidem ipse pariter illius euertendis rebus per fas & nefas proposuit attendere. Epistola tamen quod constat scripta, sed nuncio qui illam perferret nondum data, Imolam delatus, cum perfidi, vt erat constitutum, præside Pontificio intercepto turmam introduxissent, vnam Forliuium misit conhortẽ, & Bononiam cum cæteris profectus, epistolam perferendã dedit. qua lecta Pontifex; qui illum Casamurata mouisse prius intellexisset, tunc primum à baiulo didicit Immolam rebellasse: eodemque momento venerũt diuerso itinere nũcii, hinc Bentiuolenses perfractis Donatianæ portæ seris Picininum Bononiam accepisse; inde apud Forumliuij ciues paganis Pontificirebellare cupientibus repugnare. Stupendum autem, & raro alias auditum fuit, tot vrbes, tot municipia, castella, oppida, altero quam rebellari erat cœptum die hostibus consensisse. Sed maiori posteris admirationi futurum nequaquam dubitauerim, ex viginti quæ Flaminiæ insunt prouinciæ arcibus, quarum primæ inter plurimas Italiæ sunt munitissimæ, nullam, octauo rebellionis oppidorum die, fidem Põtifici seruauisse; quum tamen nec bombardas, nec tormenta, neque vnius rragulæ ictum adhibuerit Picininus, & lectis ex industria viris, quorum fides rem Pontificis administrantibus cognita esse dicebatur, commissæ, nec nõ commeatu, & necessariis perferendæ in multos menses oppugnationi munitæ fuissent. Pontifici ab huiusmodi successibus anxio, Nicolaus Atestinus auctor fuit, quando Constantinopolitani Imperatoris copia foret, Concilio peragendo vacaret; quippe vnius diei interuallo, vel sola nominis maiestate, cuncta quæ amisisset recuperaturus. Sic alias sæpe ditionem sedis Apostolicæ à multis carptam, in integrum restituram fuisse. Ad hæc profana sacris posthabentem, magnam sibi laudem quæsiturum; longe aliter atque Basileenses æmuli cuperent, quibus maxime optatum foret illum bellis distineri, vti ex eius ignominia & calamitate ipsi nomen atque opes compararent.

Et quidem ista Nicolaus Eugenio pene oppresso, à Philippi emissario Picinino, qui parum habuit tota Flaminia Pontificem exegisse, etiam in Venetos arcano Philippi consilio abijt, & cum principe Mantuano, qui hactenus Veneris militauerat, & postea cum Philippo occulte fœdus percusserat viribus iunctis, rem Venetam in apertum fere discrimen adduxit; quandoquidem Padotranato, & Castelmaius, & quicquid Veneti in Cremonensi agro tenebant breui recepit:

deinde ad Caualcatonem cum Melita Veneti exercitus duce congressus, eum fudit fugauitque. Ad Brixiam deinde mouens, vix eam non intercepit, tantopereque angustam rem illorum fecit, vt prope excidissent ea vrbe, & vniuerso Brixiano agro, nisi Nicolaus Atestinus consilio, astuque, præuertisset. Enimuero gnarus Philippi animum numquam conquescere; ac si vicisset, victoria de hostibus parta non contentum amicos quoque agitaturum, quod sæpe aliàs temere fecisset; tum pro more suo cupidus Italicæ quietis, inprimis vero vt ex ijs, qui plurimum possent, nullius opes magnopere eminerent, Venetos submonuit, vti Sfortiam ad se reuocarent, per hæc tempora à Philippo, qui erat mutabili ingenio, ludificatum. In pactis cum eo Philippus transegerat, Blancam filiam se ei vxorem daturum, ex extremis Parmensium finibus, Firmum, viri impensa, vbi nuptiæ celebrarentur adducendam. Eam Sfortia, quamdiu oppugnabatur Brixia, per singulos pene dies alliciendo traducere sperauit. eius rei causa excitanit extruxitq; in Firmana arce aulas, ac digna tantis nuptiis cubicula exornauit; pompam destinauit, instituitque, & magno cum impendio à populis parari curauit; omnibus qui honesto in Picensibus nati essent loco viris mulieribusq; iunioribus, nouum iusis splendidiorem que amictum, vel publicis municipiorum sumptibus comparare. Quicquid vbique fuit aulæorum tapetiorumque Firmum, & per singula itineris sponsæ loca dispositum. Inuitati sunt publice priuatimque singulis in dominiis & populis Sfortiæ amici, turba ingens, nec minores Philippus ostentauit apparatus: quamquam contraria illi verbis, animo fouderet sententia, quippe cui cum Picinino esset constitutum, Brixia recepta, Sfortiã totis persequi viribus. Ergo eam vxoris traductionem variis ducebat artibus; & nunc aspera hyemis tempora, nunc minus integram puellæ valetudinem prætendebat. Id cum nimis diu faceret, suspicatum antea Sfortiam, qualis impendere posset machinatio, pensitare fecerat. cum forte rescit, Picininum forti cuipiam ex Bracianorum secta militi, pericula improbanti quæ capienda viribus Brixia subirent, quoniam omnia Sfortiæ quæsitum irent, quem Philippus data filia hæredem imperijque successorem instituisse videretur, respondisse; quin hanc ad finem aliquando perducite oppugnationem, quæ à Sfortianorum molestia nos tandem liberabit. namque potiti Brixia, & Marchione Mantuano illius oppugnandis munitionibus dimisso, omnes copias prius in Picenum ducemus, quam calamistratus ille sponsus quid apud nos fiat potuerit intelligere; & conficiendis quales meretur nuptiis, sponsa go, vos assecle, & ephebi saltatores critis. Penetrauit pectus Sfortiæ hæc Picinini comminatio, illumque alienauit aliquantum à Philippo; qui si oblata occasione prudenter vsus, Sfortiam quibus pridem pellexerat retinuisset artibus, data illi in coniugem filia, Italiam vniuersam sibi potuisset subigere. Sed Deo, qui ponit ventis pondus, aliter placuit disponere, & pergenerum socerum castigare.

Ergo quando extaret Philippi contumelia in Sfortiam, cui prope nulla spes successionis; ac præterea is, exiguo modo Florẽtinorum stipendio magnum equitatum alere, compluraque in Piceno præsidia, suspectis Eugenio Pontifice, & Alfonso Rege, tueri cogeretur; ciusmodi angustiis circumentum aggressus Nicolaus Atestinus, ad Venetorum stipendia inuitauit; quãdo quidem reficarent; Philippi verbis edictas, atque apud Firmanos apparatas nuptias, vocatos amicos, eandẽ ob causam populares lautius vestitos; quo plura atque illustriora egisset, eo testatius ludibrium esse, ad superbiam accedere deridiculum minime quidem illud obscurum, modo excusantis puellæ valetudinem, modo causantis anni tempus itineri incommodum, modo alias atque alias plane absurdas nectentis moras, postremo ludere Philippum & simul odisse existimantem cuius virtutem suspiciat, eo sublato longe auctius sibi imperium futurum, Picinino Bracianorum vindici exercitus præfecturam delatam; eius auspiciis omnia sibi procliuia spondere: post captam Brixiam, rerumque summam in citeriore Gallia Mantuano demandatam, militum robur in Picenum mittere. Id adeo vulgo percrebuisse, vt Picininus palam cauillatus fuerit, se nouam nuptam, milites pompæ atque apparatus testes ac ministros futuros, magno sibi comitatu sponsum Firmi conueniendum, vti coram ostenderet, cuiusmodi nuptias Philippus ei parasset. Subiecit, non iustæ modo vltionis potestatem fore, si se Venetorum stipendio addiceret, simulq; alii tum liberi populi, tum Reguli conspirarent, quo Picinino obuiam iretur, atque omnibus testatum foret fortissimum virum immerito iniuria affectum: sed quod caput esset, necessario futurum, vt pecunia in militem præsidiumque in regnum tuendum suppeteret, & à Philippo id vi exprimeret, quod fieri maxime consentaneũ vltro facere abnuisset. Addidit eo vehementius se instare, quod contumeliæ nonnihil ad se quoque redũdaret, qui perente Philippo de nuptiis egisset, ac multa Sfortiæ ipse recepisset, quæ deinde culpa ipsius ad irritum cecidissent, ac quasi risu excipierentur. His & aliis in medium propositis Sfortiam ad Venetos auertit Nicolaus. Veneti porro Pontificem, de incunda iterum societate per Atestinum compellauerunt, eademque de re cum Florentinis egerunt: tum mutuæ securitatis ergo, tum vt ipse Flaminiam ab Insubre exterqueret. Eugenius statim conditionem accepit, idemq; Florentinis persuasit, Laurentio & Cosmo Mediceis aduitoribus totius ciuitatis longe principibus, quorum opera Veneti quoque plurimum vsi, ad societatem sanciendam Iacobum Donatum eo legauerant. Idibus Februarij anni insequentis 1439. vtraque respublica, Pontifice atq; Atestino socijs pristinum fœdus in quinquennium renouauit, Sfortiamque cum quatuor equitum, duobus peditum millibus mercede conductũ copiarum Ducem renuncianit: qui postea Philippo & filiam & principatum, Deo id permittente extorqueret, scilicet, vt qui alienа, & præsertim Ecclesiastica rapuisset, sua quoq; amitteret Philippus, totius in Eugenium calamitatis architectus. *Blondus decad. 3. libr. 8. Pigna de rebus Atestin. libr. 7.* Addit Platina, Florentinos Sfortiæ pollicitos, ea quæ de Romana tenebat Ecclesia oppida (id enim maxime petebat) constanter defensuros; qui pariter ab Eugenio literas Apostolicas extorserint, quibus declarabat, Franciscum Sfortiam agri Piceni Marchionem & Dominum; sed cum hac adiectione, verbis, *accipiat*, adscripta, *quod Petrus & Paulus ei male vertant.*

LXXIII. Hoc anno, Laurentius Columna, & Iacobus Galesius, Romæ, nouas res molientes, à Cardinale Vitellescoreprẽsi sunt. Et quidem Columnium ad pacem petendã armis expeditis coegit: Galesium autem pedibus ad furcam appendit, caputque eius præcisum conto suffixit, quo ipso anno de duobus presbyteris, qui lapides pretiosos è capitibus Petri & Pauli Apostolorum in Basilica Lateranensi furtim abstulerant, supplicium Vitellescus sumpsit: manibus vtriusque dextris amputatis, & ante portam Basilicæ, clauis trabalibus ad murum confixis, ipsis vero prius raptatis, ignibus exustis. *Infixura in notis diarijs Rom.*

LXXIV. *Eug. Archiepiscopi Ferrariæ ad Concilium.* Eodem anno Eugenius Pontifex, literas ad *Synodum* Cleri Anglicani dedit, quibus admonebat, ne Basilæensibus adhærerent, sed sibi tamquam vero Pontifici obtemperantes, ad Concilium Ferrariæ congregatum, nuncios & Prælatos transmitterent. Igitur Archiepiscopus Canthuariensis *Synodo* Londinũ conuocata, cum Episcopis & Prælatis de Procuratoribus ac Legatis Ferrariam mittendis, eorumq; sumptibus egit. Inferiores Prælati, quia Episcopi tantum & Abbates generalibus Conciliis interesse consuetissent, non esse sibi eiusmodi sumptuũ onus imponendum dixerunt, neq; quicquam præstiterunt. Ab Episcopis & Abbatibus,

tibus, ex singulis libris quatuor denarij legatis profecturis tributi sunt. Ad eandem *Synodum* idem Eugenius scripsit, significans, Episcopatum Elienſem sinistrarq; vacaret, Ludouico Rothomagensi Archiepiscopo commendationis titulo sese contulisse. *Author antiquitatum Britannicæ Ecclesiæ, in Henrico Chichelejo.*

LXXV. Eodem anno Philippus Dux Burgundiæ legationẽ ad Eugenium misit, cuius erant principes Quintinus Moyardus Antistes Ecclesiæ Sancti Audomari in Sithiu, Guillelmus iunior frater Cardinalis Morinorum, & Simon Lallanus. Declarabat suam in Pontificẽ propensionem, quod quamquam Amadæo Sabaudo, quẽ iam futurum Eugenio abrogato successorem Basileenses destinabant, affinitatis quadam necessitudine iungeretur, alieno tamen à Basileensibus animo esset, & fugitans schismatis Eugenii partibus faueret: quo item anno nonnulli ex ijs qui sub Caroli Regis Galliarum signis militauerant, facto manipulo cũ prouincias infestarent, etiam Basileam, vbi tunc colluuies illa rebellium conciliabulum continuabat incurrerunt, perinde atque schismaticam illam coitionem inde deturbaturi. In Parisiorum finibus lupi deuorauerunt homines amplius LXXX. nec ab ipsa ciuitate rabies eorũ abstinuit, qua insuper in vrbe dira lue pestilentiæ quinquaginta hominum millia extincta referuntur: & lupi gustatis per belli rabiem hominum funeribus, mirum in modum sanguinem humanum sitiebant. *Mexerus libr. 16. annal.*

LXXVI. *Obitus Olai Treudani Vpsalens. Archiepisc. Veneno extincti, Iurium Eccles. & Reip. Suec. defensoris acerrimi.* Eodem anno ad VII. Kal. Iulij veneno extinctus est, Olaus Treudanus Vpsalensis Archiepiscous, si quis alius huius temporis, pro iuribus Ecclesiæ & Reipublicæ Suecanæ intrepidus. Talem futurum Ericus Rex prospiciens, importunissimas litteras contra ipsum ad Eugenium Pontificem dederat, commouẽs in hominem innocentissimum, non solũ Papam, sed etiam amplissimum Senatum Cardinalium, & totam Curiam Romanam; ac præterea *Sigismundum* Imperatorem tunc viuentem, nec non Reges & Principes, omnesq; trium Aquilonarium Regnorum Pontifices ad hoc induxerat, vt eam arcem, in qua ingentes virtutes residebant adoriretur, & à fauore summi Pontificis, per litteras, per informationes, per nuncios importune deiiceret. Insuper, inferioris Ordinis Prælatos, Collegia, Capitula, inducẽdo, præcipiendo, cogendo, vt quouis quæsito ingenio consulerent, rogarent, inculcarent, ne tam noxius homo (vt dicere cogebantur) Ecclesiæ Metropolitanæ præficeretur. Vix credibile est, tot potentes hostes, vaquam contra alicuius Pontificis assumptionem consurrexisse. Igitur tot importunis precibus & litteris expugnatus summus Pontifex, & totus Cardinalũ Senatus, deliberare cœperat, si quomodo illum ad aliam Ecclesiã posset transferre. Sed inuicta hominis innocentia, nullis potuit aduersis superari. Quamuis enim solus esset, & ab omnib. fere præterquam à Deo, & iustitia, atq; vnico Cardinale Nouariens. derelictus, tamen ea prudentia, solicitudine, gratia, constãtia, causam vacillantis Ecclesiæ, & defensionem suæ innocentiæ vbiq; egit, vt breui morarũ processu, quos causæ suæ aduersarios habuit, constantiæ & integritatis amatores inueniret. Et cum seueritas Regis, nec ad mandatũ Pontificis, nec ad preces instantissimas Cardinalium, ipsum admittere voluisset, nihil eo exilio, aut torturarum is & aduersis casibus fractus, Basileam se cõtulit, & indicẽ causam suam iustificauit, illosq; Patres morum & literarum claritate permouit, vt Erico pro eius innocẽtia scripserint. Sed citius motus fuisset Rex Tartarorum, aut aliorum barbarorum, quam Ericus, qui iara iuramento se se astrinxerat, se nunquam eum Pontificiũ honorem Suecis permissurum, sed suis Danis aut Norwegis, quos alienæ Ecclesiæ occupatores idoneos putaret, iamque à principio vacantis Ecclesiæ, quendam Arnoldum Clementis Bergensem Norwegum ad tale sacrilegiũ sacis aptum, Ecclesiæ Vpsalensi intruserat, qui postquam hoc in Ecclesia Vpsalensi egisset, quod olim minister crudelis Seleuci Heliodorus in templo Salomonis attentauerat, à Deo percussus fœdissima morte expirauit; ostento manifesto, plus obediendum esse Deo, iustitiam & pietatem, quam tyranno rapinas & sacrilegia imperanti. Arnoldo è numero viuorum sublato, substitutus fuit alter similis propositi homo Torlacus etiam Norwegus, qui mancipium Regiæ crudelitatis effectus, venerabile Capitulum Vpsalense (quod semper integram fidem suo Pontifici seruauit) multis damnis & intolerabilibus iniuriis affecit, ipsamque Ecclesiam, cuius pastorem se mentitus fuerat, ita protexit, vt satis videretur, agnos lupi custodiæ commendatos. Hic tandem, dum eum oues Vpsalenses velut alienum non audirent, eo tempore quo bella aduersus Regem parantur fugam arripuit: sed sæuissima maris tempestate diu retentus tamdiu effugere non potuit, donec Sacrosanctas reliquias pollicẽ sancti Erici Regis clam abstractum palam remisisset. Interim dum hæc fierent, & optimus Archiepiscopus videret nullum humanum superesse auxilium, ad vota conuersus, Deo causam suæ innocentiæ remisit, nec multo post Regi reconciliatus, atq; summa cum omnium lætitia ad Ecclesiã Vpsalensem reductus, vt summum studium cæteris, ita sibi ipsi grauissimam solicitudinem peperit. Nam omnia illa damna, quæ ob diuturnam vacationem Ecclesiæ inflicta sunt, oportuit eũ nocturna curare manu, curare diurna. In qua quidem cura fidelissima, & quotidiana solicitudine vtriusque reipublicæ, Ecclesiasticæ & secularis inuicto animo vsque ad mortem perseuerauit; quam ei quidam, natu & principatu quam virtute nobilior, veneno in lacte amygdalinum immisso propinauit. Dedit Olaus viuens magnũ æquanimitatis & patientiæ Christianæ exemplum, quando Regi Erico non malum pro malo, sed bonum reddidit. Erat is à proceribus Suecis Regno eiectus. Itaque Olaus pro salute & honore illius vehementer solicitus, apud Senatum, tum autoritate, tum industria, tum minis impetrauit, vt ipso in Archiepiscopatu viuente, Ericus tamquam verus Rex obseruaretur: imo si vellet iureiurando satisfacere, liberũ ad Regnum haberet ingressum. Præter hæc, constanti proposito, sumpto secum magno Episcopo Aboensi, & pluribus Prælatis, ac Procerib. Regni Suecani, ad Lundẽsem Metropolim in terram Schoningiæ descendit, reducturus secum Regem Ericum, si ad pacta seruanda se induci pateretur. Sed erat omnis ille labor inanis, expensæq; sumptuosissimæ, quos Archiepiscopus ex bonis Ecclesiæ Vpsalensis faciebat, omni vtilitate carnerunt. Nihil aliud summa & superabundantissima cura effecit Olaus, quam quod Ericus indignum putaret, Regiam maiestatem iuramentis obligari, qui (vt ei videbatur) omne quod liberet, sibi permitti deberet.

LXXVII. *Nic. Ragualdi Olaο succedit viraculo ad res magnas seruatus.* Accepit Olaus successorem, Nicolaum Ragualdi, Gothum, ex Episcopo Vexionensi ad sedem Vpsalensem translatum. Miraculo fuisse ad res magnas seruatũ tradunt Scriptores. Cum adolescens ab amicis emissus esset, vt transmisso mari, ad præclaria gymnasia in Germania, aut Gallia discendarum literarum causa se transferret, accidit ipsum in littore Pomeranico, quassata tempestatibus nauí, periculosum naufragium nocturno tempore incurrere, omnibusq; sociis fato absumptis, apprehensa tabula, inter undas vario fluxu, nunc in littus, nunc in mare iactari, nec posse auxilium vnda fauces obruente, clamando implorare, ac interea ruricolam quendam, qui procul à littore mansionem habuerat, vocem desuper lapsam in cubiculo suo audiisse, qua monebatur, repente à foueo surgere, & periclitanti in mari amico Dei auxilium sine mora afferre; huncque ei voci mox obtemperasse, se, quamuis media nocte in cimbam misisse, & inuenem fessissimum tempestatibus eripuisse, littoriaque restituisse. *Olaus Metropol. Vpsalens. lib. 5. & hist. lib. 22. cap. 5. & 16.*

LXXVIII. *Viri cele-* Fioruerunt hac tempestate in Polonia, F. Ioannes

bres in Polon. qui pro reductione schismaticorum septentrion. ad Eccl. vnitatē laborarunt.

Episcopus Cheloneñsis, & F. Michael Kiionēnsis Episcopus, ac plures alij Fratres Dominicani; qui diligenter curarunt, vt septentionales schismatici ad Ecclesiæ vnitatem reducerentur. Et quia in Isidoro Ruthenorum Metropolitano summam rei constitutam perspiciebant; quippe cuius extremo voto cæteri Ruthenī, & Græci ritus Episcopi, & ipse Palæologus Orientis Imperator (apud quem Isidorus propter doctrinam & morum probitatem in summa existimatione fuerat) Ecclesiam Romanam pro matre, & Pontificem Romanum pro vniuersali Pastore agnituri essent, cum eo totis vtribus egerunt; concionibus, disputationibus, colloquiis priuatis illicientes, se vt Ecclesiæ Romanæ submitteret, fasces supremas Christi in terris Vicario collatas in Romani Pontificis manibus exoscularetur, alios sui ritus in eandem sententiam traheret, Imperatori inprimis & Patriarchæ Constantinopoleos idipsum persuaderet, corpus Christi ne amplius diuideret, sed ad ouile Christianum ipse prædux alios adduceret, vnitatique Ecclesiarum præcurreret. Effecerunt felici labore, vt Isidorus, Palæologus, & Ioseph Patriarcha Ferrariam concesserint, & tandem Ecclesiarum vnitatem confecerint. *Monimenta Prouinc. Lyon. Ord. Prad.*

LXXIX. *Obit. Ioann. Nider Dominicani.*

Hoc anno Norembergæ diem clausit extremum Ioannes Nider Dominicanus, Sacræ Fdei Censor, & contra hæreticos Inquisitor: verum exemplar perfectissimæ religionis; plurium Monasteriorum sui Ordinis in Germania Reformator, & aliquando Basileensium ad conuertendos reducendosq; ad veram fidem Bohemos Legatus, Ieli animarum, & sanctitatis ingens. *Pius lib. 1, de viris Illustr. Ord. Prad.*

I.

LXXX. *Aliqua exempla quibus ostenditur quāti valeat ad conuersionem peccatorum oratio Deo deuoto ex corde profusa.*

Per id temporis, Deus ostendit grauissimis exemplis, quantum valeat ad conuersionem peccatorum, oratio, deuoto ex corde profusa. Vnum, aut alterum, idem Nider, quæ viderat, narrabat.

Viuebat, ait, nuper in Ecclesia Maguntina in summo Canonicorum Præpositus, Clericus solo nomine, & nobilis; sed in armis miles, in vestitu stipendiarius, moribus per omnia dissolutus: qui licet de altaris lautissimis viueret beneficiis, horas tamen Canonicas, velut toxicum fugiebat. Corpore autem adeo decorus extitit, vt Imperatrix quæ hodiè viuit, referatur dixisse, sepulchriorem virum non vidisse. In præfata igitur vita aliquamdiu viuens in multorum scandalum, nullius hominis hortamenta, nec correctiones curauit. Hunc igitur Dei manus inopinate lepra tetigit, quæ dietim, nolenti, hominum conuersationem abscidit, & in domum quandam sibi propriam Maguntiæ trusit; vbi manens multo tempore, impatientia plenus, & Dei timore vacuus, factus est tandem tam deformis corpore, vt secundum in leprosorio non haberet. Tandem digitum Dei adesse sentiens, corde contritus & ore, primo suæ vitæ facinora confitebatur cum tantis lacrymis, vt omnium mentes stuperent qui virum præagnouerant, patientia denique tanta vsque ad mortem dotatus est, vt quandocumque Confessor suus Frater Henricus de Confluentia, Sacræ Theologiæ Professor nostri Ordinis eum visitaret, (qui etiam mihi præsentia retulit) non ab eo peteret mortis accelerationem, vel dolorum quos multipliciter patiebatur imminutionem; sed, Orate Deū, inquit, pro me mi Pater, quatenus diuina misericordia mihi mea peccata indulgeat, & in hoc seculo me secet, & vrat, quamdiu sibi placeat. In hac patientia, tandem in pace requieuit. Quæsiui autem de circumstantibus viris, vnde tantum donum, tam infami Clerico prouenerit? Et responsum accepi, quod Matrem nobilem multum Deo deuotam habuit, quæ visa & audita filii dissolutissima vita, vota, preces, eleemosynas, velut pro mortuo fere funere Deo offerre consueuit, & pro eo tamquam pro filio perdito ab aliis ista fieri procurauit: quousque velut alter paralyticus in lecto iacens, carnalium voluptatum insensibilis, aliena fide & meritis sanatus fuit.

II.

Rem etiam gestam infra octo annorum spatia, me teste noueris.

Est in diœcesi Basileensi hodie fœmina Deo deuota, pauperibus larga, quia plena operibus misericordiæ, secundum seculum non infimi status, sed cuidem viro matrimonialiter iuncta modis iam dicendis. Hæc quia pulchra fuit in suæ iuuentutis tempore, & sub nullius regimine, à multorum virorum astutiis, velut ab vrsis formica deuorata est. Nam vltra quam credi potest, miserabiliter animam perdidit, diuersis & incompatibilibus contractibus, præpediente iuuenili insania. Diu hanc latuit, quot laqueis compedita laceret in potestate Diaboli, reti eiusdem inuoluta; tandem ex operibus, credo, misericordiæ quibus semper insistebat, illuminata est aliqualiter, circa annum ætatis suæ trigesimum sextum. Me autem prædicante in prædicta diœcesi, consilij gratia ad me venit, post multos quos præconsultos habuerat: qui, vt expertus sum, animam fœminæ fatuis consiliis non iuuabant, sed potius interemerant, vel neglexerant. Cumque fletu tanto inundaret, vt alteram Magdalenam credidisses, nisi quod ad pedes peccatoris non procidit, & ego, quid haberet tristitiæ, ab ea quærerem; tandem subiunxit: Pater; ego peccatrix parata pœnitere omnibus modis mihi possibilibus, & satisfacere, quatuor viros habui; & quem nunc habeo, non est meus. Cum his omnibus; per verba de præsenti contraxi, & ex his viuentes tres hodie supersunt. His auditis, satis obstupui: sciens, quod talibus perplexitatibus summam oporter dare operam, si enodare quis quempiam velit. Vnde inuestigata diligenter causa quam prius nescieram, didici, quod de omnibus viuentibus difficultas aderat: Nam de mortuo, si quod fuit ligamentum, illud cum vitæ termino erat solutum. Primum enim virum ex viuentibus; percepi, antea cum quadem contraxisse, licet clandestine, & ita in foro conscientiæ, ab eo liberam esse. Cum secundo etiam clandestine contraxerat, & consummatum fuit matrimonium carnali opere. Sed ipsa hoc periurio negante coram iudice Ecclesiastico, diuortiata est ab ipso viro secundo. Cum tertio verò postmodum contraxit in facie Ecclesiæ: cum quo iam domicilium habuit, & natos quosdam, & quid inter hos duos consulerem, vtanima adulteræ salua fieret, anxius valde fui. Erant enim ambo viri animosi, ad arma nutriti, rebus ditati, amicis vallati, ad incontinentiam promi, & iuxta communem existimationem, in conscientijs valde lati. Vnde vidi, quod quamuis iure fori, fœmina, vxor esset tertij, non tamen iure poli, sed tantum secundi, à quo periurio mediāte ipsa diuortiata extitit. Et quodcumque iuberem, videtur, manere cum tertio, vel redire ad secundum, aut ab vtroque se secernere; in foribus semper aderat ex vna parte, aut verisimile homicidium, aut fœminæ adulterium, aut alterius mortalis criminis periculum. Nam si iubere volui reditum ad secundum; sequebantur hæc inconuenientia verisimiliter, videtur, quod Zelotypia motus tertius, secundum via facti inuaderet atque occideret. Secundo, quod fœmina cum secundo manere nequiret, quia diuortij celebratio obstitit facta in iudicio Ecclesiæ. Quamobrem omni iure humano, eam tertius à secundo obtinere poterat, imo excommunicare. Tertio, vita fœminæ sic fuisset in periculo vtrimque, dum ille tamquam periuram, vel iste velut adulteram trucidare valeret. Sileo de nota infamiæ super facto iuramento, quod periurium esse, nemo nisi ipsa, & fortassis secundus sciebat; quod propter contractum clande-

stinum, probare contra eam non potuit; nec fœminæ verbis crederetur, si sese in hoc infamaret. Si denique ex aduerso fœminam sinebam manere cum tertio; sequebantur mala animæ in ipsa deteriora; quia quotiens à viro tertio cognoscebatur, totiens adulterium commisit, non suo marito in hoc obediendo, quamquam hoc ipse exigere posset, quem periurium putatæ vxoris latebat; non autem ipsa vice reciproca, quæ impedimentum non ignorabat. Et si suadere volebam, vt cum tertio velut soror eius casta maneret; quod quidem ipsa patratissimo subiisset animo; sed ipse velut incontinens, iure exigendi debitum nullatenus carere voluisset; prout ex multis coniecturis poteram videre. Porro, si mediam viam fœminæ consulere volui, videlicet recessum ab vtroque, tam habitatione, quam thoro, pericula multa intuebar obuiare. Quia, si posita esset in Monasterio; tunc nullæ prudentes eam ad professionem recipere debebant, viro viuente inuito; nec ipsa periculo fraudulentiæ se exponere debuit. Si vero extra Monasterium latentiam ei consulere volui, quod plus mihi cœpit placere, vt animam saltem saluare posset: terrebat me, quod & pulchra facie, & sexu fragilis, vix tuta castitate maneret: vel quod tertius Zelotypia motus, fugientem lethaliter inuaderet. Nescit enim iste fœmineus sexus, fuga se, sicut masculinus celare, vel tueri. Quid igitur assertiue consulerem ad præsens non habui: nisi quod pœnitenti respondi, eam consolando, vt Deum sine intermissione pro sua liberatione inuocaret, eleemosynas pauperibus (quia lucrosa valde fuit) pro se, & pro tertio viro erogaret, & quid sibi consulerem deliberatior factus, & similiter alij prudentes viri, parato animo omnino susciperet. Ad hæc verba aliquantisper consolata, abscessit. Interea libros consului; deinde Nurembergam veniens, plures diuini & humani Iuris Doctores simul collectos causa consilii adij; quibus paratum animum fœminæ, & laqueos quibus perplexa esset patefeci. Sed nullum decisiuum responsum habere potui, propter pericula, quæ hinc inde adesse videbant, quacumque via attentata. Postremo tamen sanctæ memoriæ Abbas sancti Ægydii Beati Benedicti ordinis Magister Henricus, qui in seculo Doctor Iuris existens, mundum paulo ante reliquerat, ob reformationis nouellæ opus factum in dicto Monasterio. Bono, inquit ad me, estote animo. Si fœmina tam boni est propositi, & adeo pia in pauperes, ac dotata donis quæ de ea dixistis, mihi credite, ipsam Deus illuminabit, vt videat quid faciendo in statu ponatur salutis. Redii interea ad fœminam, & vltimum modum fugæ supra tactum suasi. Ad quem cum se præpararet, de quo tamen mihi periculum non modicum corporis, & sibi maius, & forte aliis imminere potuerat; affuit diuina gratia, quæ difficillimæ quæstioni solutionem dedit facillimam. Sibi enim incidit, vt quotiescumque vir tertius debitum exigeret, ipsa se per huiusmodi obedientiam læthalem infirmitatem contrahere fingeret: & ne id mendacium esset, ad animæ infirmitatem hoc mente tenus apud se retorqueret: ex qua infirmitate animæ, scilicet per mortale crimen, certum est secundum nostram Fidem, vnumquemque nedum animæ, sed etiam corporis perpetuam mortem subire. Ita fecit vt cogitauit: & diuina arridente gratia, vir prius incontinens fœminæ compati cœpit, quam in aliis veracem sæpe esse didicerat; & vsque modo iam annis plurimis eam tantummodo vt sororem habet intactam; nec de adulterio viri quicquam aliunde male audini. Audiens ego hanc castimoniæ nouam & piam delusionem, atque raram practicam, lætus ita fieri permisi, ex qua nulla iam sequebatur inconuenientia, quinimo virum quem tamquam vrsum prius habuit, iam velut ouem Ioseph in castitatem deduxit. *Nider libr. 3. cap. 3* Decernebat Nider de hoc casu, de iure antiquo communi: cum de matrimonio clandestino, aliquid clarius Concilium Tridentinum statuerit.

III.

Tertium est istud, non prætermittendum.

Noui, inquit, aliquando militem, multum in armis strenuum, de Episcopatu Constantiensi. Hic misericors in pauperes, pius in Ecclesias, & Sacramentis Ecclesiasticis satis deuotus extitit. Accidit autem, vt quidam alius sibi iniuriam faceret, potentia forte æquali vallatus. Iratus est igitur læsus, & ita creuit in odium, factaque est trabs de festuca, quod miles intuens, sauciatam videlicet esse suam animam iuore vindictæ, prudentem adiit Confessorem, F. Conradum de Prussia nostri ordinis primum reformatorem in Theutonia, virum omni laude dignum. Hic postquam intellexit animam confitentis esse vulneratam ad mortem, ait: Domine, nisi dimiseritis proximo delicta, rancorem scilicet, salua vestra iustitia, quam coram legitimo iudice iuste prosequi poteritis, nec vobis dimittere possum vestra peccata. Suasit itaque Pater ex animo quæ potuit: sed nihil, vel modicum perfecit: nisi quod reus patienter se substinuit. Nam Confessor eum non absoluit: sed pro quinque Christi stigmatibus, & insignijs passionis eius, pro gratia impetranda, quæ cor durum emolliret, quinque orationes Dominicas quotidie dicere iniunxit. Recessit igitur miles satis tristis & impœnitens: licet iniuncta deuote perficeret. Et vix sex menses elapsi sunt, (vt mihi sponte fassus est) quando rediit compunctus; & contritus, confessusque, beneficium pœnitentiæ habere integre meruit à Patre præfato. *Nider lib. 4. cap. 3.*

LXXXI. *Columna ex templo Salomonis Romam perlata miraculis claret.*

Hoc anno, columnam vnam ex templo Salomonis olim aduectam, contactu Saluatoris Iesu Christi, & exinde miraculorum gratia præstantem, Romæ in Basilica Vaticana, clathris ferreis concluſit, Iordanus Cardinalis Vrsinus, Archiepiscopus Neapolitanus. Marmori porro circumducto, hæc ad perpetuam memoriam inscripsit.

Hæc est illa columna, in quam Dominus noster Iesus Christus appodiatus, dum populo prædicabat, & Deo Patri preces in templo effundebat, adhærenda stabat: quæ vna cum aliis vndecim circumstantibus de Salomonis Templo in triumphum huius Basilica locata fuit; dæmones expellit, & ab immundis Spiritibus vexatos liberos reddit, & multa miracula quotidie facit. per Reuerendissimum Patrem & Dominum Cardinalem de Vrsinis ornata. Anno Domini M. CCCC XXXVIII.

ANNO CHRISTI 1439.

Eugenij Papæ IV. anno 9.
Alberti Roman. Regis anno 2.

I. *Eugen. & Rom. Eccl. hostes Varia calamitates excipiunt.*

EVgenii Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ hostes, variæ etiam hoc anno calamitates exercuerunt, exceperuntque. Dicam inprimis de Philippo Vicecomite Mediolanensium Duce, qui capitali in Eugenium flagrans odio, nullum non hactenus mouerat lapidem, vt orbis totius Christiani vtriusque Ordinis principes, missis etiam in eam rem legationibus aduersus eum, varijs illi grauibusque obiectis criminibus concitaret; istudque etiam præterea effecerat, vt Basileenses iudicium sibi supra supremum Ecclesiæ Pastorem vsurpantes, iam non Concilii sed conciliabuli calculo, Eugenium Pontificatu priuandum, aliamque illi substituendum censerent. Hunc tam atrocem aduersarium, Deus variis cladibus castigauit. Franciscus Sfortia, renouato cum Veneris & Florentinis

Phil. Dux diuersis cladibus cõfligatur.

in quinquannium fœdere, cum suo equitatu in agrum Ferrariensem descendens, traiecto Pado, in Patauinis Venetorum copiis auctus, cum duodecim equitum millibus, peditum quinque millibus, in agro Veronensi ad Suaue, Picinino copiarum Mediolanensis Ducis præfecto obuiam factas, ipsum post aliquot horarum certamen profligauit, eoque cedente, omnia breui de Vicentinis & Veronensibus castella recepit. In de Athesi traiecto, in Tridentinum agrum mouens, ad Tenium oppidum pugna cum eodem Picinino renouata, magnum illi incommodum intulit, & à reliquo exercitu seclusum in fugam compulit: fuissetque tunc captus ab hostibus Picininus, nisi Carolus Gonzaga se hosti interponens, illum à tanto periculo liberasset; qui eum Ducem seruare studeret, ipse à Sfortianis captus, & Veronam in carcerem ductus est. Cum autem Veronam inopinato accessu, Picininus, recollectis viribus intercepisset, Sfortia traductis copiis, illum & principem Mantuanum, Verona recuperata, vrbe expulit. Picinino postea in Etruriam, aduersus Florentinos Philippi iussu accedente, Sfortia superata ad Benacum Philippi classe, non solum Brixiam & Bergomum obsidione liberauit, sed etiam ad Soncinum, eius copiis superatis, captisque mille & quingentis equitibus, Brixiana castella, & partem Cremonensis Mantuanique agri, ac totam Glaream Abduæ, breui in Venetorum potestatem redegit; ademptis etiam Mantuano principi Asola, Lonato, & Pisceria oppidis satis magnis & munitis. Apud Tignanum etiam vicum, idem Sfortia eidem Picinino obuiam factus, cum eo conflixit, pugnatumque aliquamdiu incerta victoria. Præter hæc Philippus, à Pontificis, & Florentinorum exercitu, apud Burgum victus, tot cladium auctarium accepit. *P. Marcellus, in Francisco Fuscaro.*

Alphonso Arag. Regi non omnia prospere succedunt in Regno Neap.

Alfonso quoque Aragonum Regi, in Regno Neapolitano, non omnia prospere succedebant. Cauianum enim inprimis nobile oppidum, deinde turrim Sanct. Vincentij, ac præterea arcem nouam quæ Neapoli Aragonio præsidio tenebatur, diuturna obsidione fatigatam, redactamque ad supremam annonæ difficultatem, amisit; cum nequaquam opem ferre omnibus copiis conatus potuisset. Præter hæc in maximum ab aduentu Iacobi Caudolę discrimen adductus fuit; item quando Renatus Andegauensis insidias illi comparauit: ac dubio procul aliquam insignem cladem tunc accepisset, nisi non tam Iacobi mors intercessisset, quam tractario pacis à Carolo Rege Galliarum inter eum & Renatum tentata, arma suspendisset. *Facius lib 6.*

Carolus Gall. Rex calamitatis non omnino expers.

Sed & Carolus Rex, non omnino expers calamitatis. Ludouicus erat ei filius Delphinus Viennensis, qui traditus à patre Marchiæ Comiti liberaliter imbuendus, postquam adoleuit, præceptoris eruditionem aspernatus Niortum se recepit, accersitoque Ioanne Borbonio, & Ioanne Alenconij Duce, abiecta tutela, libere se post hac viuere professus est: quippe, qui & ætate, & rerum cognitione idoneus sibi esse videretur, negotiorum Regni administrationem susciperet. Addebant Ludouico animos ipse Dux, atque Antonius Cabanus; Ioannes de Rupe, Pictauiæ Senescallus; Petrus de Ambasia, & alij complures nouarum rerum percupidi, qui aliquot iam ciuitates ad defectionem cœperant solicitare. Nam hi omnes, coniuratione Pictauis facta, Ludouicum à patris communione maxime auertebant. Horum conspiratio, *pragueria* dicta fuit. Oportuit Regem, exercitum scribere, & in filium ducere. Nisi Comes Deu interceſſisset, ac patrem filio conciliasset, Gallia, aut Regis, aut Delphini sanguine rubuisset. Illo interprete, filii adolescentiæ pater ignouit. De principe consiliorum audaciæque notho Borbonij filio supplicium sumpsit. Mox Delphinus peccatum virtute obliterauit. Taleboto enim Anglo Diepam obsidente, cum exercitu profectus oblectas oppidanis munitiones perrupit, commeatum intulit, obsidionem soluit. *P. Aemelius, & Guagninus in Carolo VII.*

II. *Eug. concord. inter Carol. 12. Alph. Reg. ac Renati Andegauiensem tentat.*

Forsan hæ clades excitauerint vtrumque Regem, ad pacem & concordiam tum inter se, tum inter Eugenium quærendam. A qua quum non abhorreret Eugenius Pontifex, misit ad Alfonsum Regem, Abbatem S. Pauli, qui significaret, Regem Carolum & Renatum Andegauensem Oratores Florentiam de concordia ineunda mittere: quam si ipse quoque desideraret, prout merito deberet, suos quoque nuncios destinaret, quibuscum de re vniuersa disceptari posset. Misit ergo Alfonsus Rex, Alfonsum Borgiam Episcopum Valentinum, Berengarium Fontcubertium, & Berengarium Mercaderium; Carolus autem Rex & Renatus Andegauensis, Præpositum Parisiensem, & Randulfum Gaucurtium Dominum Beamontij; qui de Regni Neapolitani possessione, contenderent. Renatus, scriptum quoddam sigillo Alfonsi signatum, quo is iure quæsito per adoptionem Ioannæ, sese priuum fore decerneret, si aliquando ingrati animi aliquod indicium, erga Ioannem demonstrasset, ostendebat; eoque argumento Alfonsum iure excidisse concludebat; quod armatus, non semel, Reginam afflixisset; Regnum ea viuente inuasisset, clientes ipsius & familiares vita & fortunis spoliasset, eaque propter ab eadem viuente Ioanna, iure adoptionis priuatus fuisset. Excusabat factum Alfonsus, se non hostem sed amicum, nõ contra Ioannam, sed aduersarios quosdam suos, accitu etiam quorũdam Regni Neapolitani procerum Neapolim venisse, nulla re illam offendere voluisse, contra hostes suos iustam vindictam exercuisse; adeoque non dum titulo adoptionis excidisse, habere se præterea Martini Quinti Pontificis diploma, quo is eundem titulum adoptionis sibi comprobauerat; spemque certissimam Regni consequendi iniecerat; siquæ aliquod momentum esset in procerum voluntate, se ab illis in possessionem Regni non tantum vocatum, sed introductum, non minorem eius partem obtinuisse, & tum collato, tum quæsito iure nõ posse decedere. Dum hæc tractarentur, Philippus Dux Mediolanensis, & ipse ad pacem cum Pontifice ineundam inclinauerat, vtq; eo magis Pontificem demereretur, Alfonso suadebat, vt Oratores, & Prælatos Regnorum suorum Basilea euocarent, ne illi tanto scelere quantum moliebantur nonnulli in Eugenium committere sese contaminarent; tractationemque pacis cum illo inficerent. Cæterum cautus Alfonsus, metuensque vnum ex duobus scilicet, ne vel Basileenses eo facto irritari, facilius cum Pontifice, Regno Neapolitano inhiante, conuenirent; vel Gallicana factio rerum in Basilea potens, per absentiam eius Oratorum & Prælatorum præualeret, adeoque aut cœtum dissolueret, aut Eugenio abrogato nouũ Pontificem Renato obnoxium subrogaret; *Philippum adpacem cum Pont. ineundam inclinantẽ distinet Alph.* Philippo iam iam volenti suos quoque Basilea reuocare dissuasit; communicatoq; cum eo consilio, Oratorum principes communes esse voluit, Dominicum Ramum Cardinalem Tarraconensem, & Archiepiscopum Mediolanensem: qui Eugenio, neq; conntrarent, neque fauerent apertè; sed à negotiorum cum illo & Renato tractationis euentu, consiliũ quoque arriperent: vt si Eugenius, magis in Andegauenses quam in se proponsior foret; Basileenses, ad euertendum illum conclarent. Ab his Alfonsinis artibus, ex sola cupiditate Regni Neapolitani profectis, illæ quoque Basileæ eius Oratorum & Prælatorum artes: quando ex vno ore calidum & frigidum efflabant, & quod dicitur volebant, nolebant; huic vni rei intenti, qua ratione Eugenio vel laqueum inlicerent, vel scandalum ponerent, ad pelliciendum, aut perdendum. Descripsit has artes, viris Principibus Ecclesiæ indignas, Aeneas Syluis, qui præsens & pars machinationum fuit; ex quo illas ipsas, sed emaculato stylo, paulo post producemus. Superiora descripsit *Surita*, Regni Aragonum historiographus. *Annal. lib. 14. c. 54. ss. 57. 59.*

III. *Eug. Legatos in Germaniam ac ad alia Regna mittit, vt in officio erga se & sed. A post. contineantur.*

Miserat inter hæc Eugenius Pontifex, tum in Germaniam ad Albertum Romanorum Regem, tum ad alia Regna, ad alios Reges & Principes Christianos, Legatos & Nuncios, vt conatus suos in reducendis ad Ecclesiam Romanam Græcis; ac secundum hoc, innocentiam & integritatem suam omnibus probaret; & postremo, vt illos in officio erga se & Apostolicam sedem contineret, schismatique quod Basileenses iam moliebantur viam præcluderet. In Germaniam iuerant, Nicolaus Sancta-Crucius, Cardinalis, Ioannes Tarentinus Archiepiscopus, Petrus Dignensis & Antonius Vtbinas Episcopi, Franciscus de Capitibus Listæ I. V. Doctor equestri dignitate præclustris, F. Ioannes de Turre Cremata Dominicanus Apostolici Palatij Magister, & Nicolaus Cusanus Decretorum Doctor. Hi Alberto Romanorum Regi, bellis contra Turcas occupato, nec non Principibus Electoribus Imperij & aliis persuaserunt, vt Conuentum vel Norembergæ, vel aliqua alia in vrbe indicerent, & vel ipsi venirent, vel Oratores destinarent, qui vna cum Oratoribus aliorum Regum & Principum eo congregati, aliquam rationem concordiæ inter Pontificem & Basileensium reliquos inuenirent. Enimuero, nonnisi viginti ex Prælatis, multoque plures inter eosdem nonnisi titulo tenus Episcopi, Basileæ remanserant; reliqui obcæcatam horum paucorum, & quidem abiectissimorum hominum Ecclesiam scindere quærentium rabiem detestati, discesserant; & ex octo Cardinalibus qui odio Eugenij sese conciliabulo inseruerant, nonnisi duo, vnus ambitione tumens Ludouicus Alamannus, ex Episcopo Maclouiensi Archiepiscopus Arelatensis, acerrimus Eugenio hostis; alter Dominicus Ram, Alfonsinis artibus instructus, neque multum Pontificij & veritati addictus, reliqui fuerant. Dominicus Caprarica, Romanus Cardinalis, primus author turbarum contra Eugenium, ab eodem Pontifice Basilea euocatus, Florentiam conuolauit; vbi ingenti honore exceptus, inter Cardinales publicatus fuit. Iulianus Cæsarinus Romanus Card. Legatus Basileæ quum videret Basileenses à vero deuiare, & ob simultates & odia, de abrogatione Eugenij tractari, omissis illis ad Eugenium rediit, à quo Legatus iterum missus ad Ioannem Græcorum Imperatorem, tantum apud eum auctoritate & eloquentia valuit, vt Ferrariam, vbi Cõcilium translatum fuerat, cum multis viris insignibus & Patriarcha Constantinopolitano secum adduxerit; & tum Ferrariæ, cum Florentiæ in disputationibus publicis palmam obtinuerit. Duos istos fere principes Senatus, alij quoque secuti, Florentiam redierunt, & Eugenio reconciliati, sanctissimos eius conatus iuuarunt. Veneti interceſſerunt, ad reconciliandum Eugenio, Cardinales aduersos; quos ille reuertentes, benigne recepit, & in dignitatibus conseruauit. Arelatensis, qui Basileæ remansit, Ducem se cæcorum, ipse in meridiano videre contemnens constituit, Præsidemque se Conciliabuli, nullas vires habentis dixit; cum illud esset, *quemadmodum Sanct. Antoninus appellat*, non Concilium, sed Synagoga Sathanæ authoritate temerariæ præsumptionis congregata; ex ostiis veritatis, & hominibus venalibus, & maiori ex parte ex his, quos Eugenius propter scelera Episcopatu & dignitatibus mouerat collecta; Spiritu vertiginis à nequitia dæmonis concitata.

Cardinales rebelles Basilea ad se reuertentes benigne recipit.

IV. *Historia eorum quæ Norembergæ, Moguntiæ Basileæ & alibi tũc contigerũt ex Aeneæ Syluij opere quod post modum ad seniorem mentẽ redijt.*

Quid ab his, quid ab Oratoribus Principum, quidue à nonnullis variantibus pro, vel contra Eugenium Pontificem, & contra sedem Apostolicam tentatum fuerit, antequam è cathedra pestilentiæ, decreta hæretica, erronea, temeraria præcipitassent; Syluium narrantem volui istic, pro notitia rerum Nurembergæ, Moguntiæ, Basileæ, & alibi gestarum, sed ab encomiis in conscelerat os, & à dicteriis vel contumeliis in innocentem Eugenium, & alios integerrimos viros emaculatum producere; quandoquidem & ipse postea iam sapiens, volebat ista esse, vel non scripta, vel expuncta.

Ista habet *lib. 1. de gestis Basileen.*

V. *Conuentus Nurimbergæ Principum Alemanniæ pro discordia sopienda inter Eug. & Basileen. qui postmodum Francofurtum & deinde Maguntiam trãslatus est.*

Frequens atque insigne Franciæ oppidum Norimberga est, & tam superis quam inferis Theutonibus commune. In eo Oratores Alberti Romanorum Regis, & aliorum Alemanniæ Principum conuenerunt, tum propter alias communis patriæ causas, tum maxime, vt eam quæ inter Eugenium Pontificem, & Patres Concillabuli Basileensis vigebat, discordiam sopirent. Illuc iussu Pontificis Nicolaus Cardinalis Sancta-Crucius, vir magna hominum opinione sanctissimus, cum plerisque Collegis peruenit. Adfuerunt, & Basileensium Nuncij. Cumque illic perfici res nequiuisset, Conuentus ipse, Francofordiam ad Calendas Martias tunc proximas translatus est; quod eo in loco Electores Imperij facilius conuenturi iudicabantur. Interim Oratores Cæsarei, Electorumque Basileam petierunt, & contracta cum Oratoribus aliorum Principum qui Basilęę degebant intelligentia, ac vocato præstantissimo viro Ioanne Cardinali S. Petri, qui per id temporis Constantiæ rerum exitum morabatur, maxime hortati sunt Basileenses vt pacem amplecterentur, quam ipsi differrent. Erat petitio Principum facilis; cæterum Basileensibus videbatur ardua; quod existimarent Eugenium, vel illos dissipare, vel libertatem illis auferre velle, si in alium se locum reciperent, Conciliabulumque ad sedem Concilio designatam transferrent. Id siquidem Principes petebant, vt Patres Basilea emigrarent, & aliorsum concederent. Astus & fraus occupauerat Basileenses. Ergo neque negarunt, quod Principes poscebant; neque annuerunt huic, quod Eugenius cupiebat; sed magnis cum cautionibus mutationem loci artificiose promiserunt, vt se tamen Eugenio nihil concedere ostenderent. Nequaquam accepta fuit ea iudificatio Oratoribus Principũ, qui omnino translationem Concilij perurgebant: eaque propter inter hos, & Basileensium deputatos, pluribus diebus disputatum est, plurimumq; de concordia ineunda tractatum. Inter has rerum difficultates, Patauiensis & Augustensis Episcopi Oratores Cæsarei, & cum his Collega Ioannes Eich ad ipsum Regem abierunt: prius tamen multum rogati, multumq; stimulati, Conradum Vuinspergensem ex mandato Regio Protectorem Conciliabulo Basileensi dederunt. Qua ex re vt alienatam ab Eugenio aduersarii, sic Basilenses optimam erga se mentem Cæsaris cognouerunt, quia nec Protectorem misisset, nisi legitimum Concilium reputasset; nec rursus Concilium esse in Basilea putauisset, si Eugenio fidem habuisset. Post illorum ergo recessum, reliqui Oratores Alberti Augusti, qui Basileæ remanserant, Episcopus Lubicensis ac Georgius, cum aliis Principum Nunciis nouam concordiæ formulam concluserunt, iuuante admodum, & inter sæpiusculas dissensiones arbitrante Cardinali S. Petri, coram quo omnia peragebant, quam quidem formulam & Eugenius tam quã erroneã respuit, & ipsi Basileenses, vt ipsis insufficientẽ reiecerunt. Nec diu post, responsio Conciliabuli concluſa est, ipsique Oratoribus in generali concione reddita; cũ iam propediem instaret conuentus Francofordiæ celebrandus; quitamen propter pestem ibi grassantẽ, ad vrbem metropolim Maguntiam, haud amplius vnius diei via distantem translatus fuit. Visum est igitur Oratoribus Principum eo pergere; si forsitan pacis illic medium aliquod inuenirent, quo Pontificem Basileensibus reconciliarent. Ex Oratoribus Cæsaris erant, Lubicensis Episcopus, & Georgius miles; ex Gallicis, Archiepiscopus Turonensis, & Trecensis Episcopus; ac Collegæ alij, præter Lugdunensem Archiepiscopum; ex Hispanis, Conchensis tantum Episcopus; ex Aragonensibus nemo. Postea tamen relatum est, Episcopum Albiganensem, & Franciscum Barbauariam, qui ex Mediolanensib. ibi

fuerunt, Aiſonſi quoque Regis Aragonum habuiſſe mandatum. Cardinalis autem Si Petri, paucis ante diebus, ſiue quod peſtem timuit, iam paulatim creſcē tem, ſiue quod deſperata pace in Baſilea tamanere non audebat, in Nidouu, quod eſt Heluetiorum oppidum ſeſe receperat. Vt tamen ire Oratores Maguntiam accepit, in ſpem pacis iterum erectus, Maguntiam venit. Fuit conuentus ipſe admodum celebris. Præſentes namque, Maguntinenſis, Colonienſis, Treuerenſis Archiepiſcopi, ſacrique Romani Imperij Electores, ac Coelectorum omnium nuncij adfuerunt. vltimi vero omnium Patauienſis & Auguſtenſis Epiſcopi, Abbas Scotorum Vienenſium, & Ioannes de Eich Doctor comparuere; qui cum Lubicenſi & Georgio Cæſareum locum tenebant. Præcipuus in illo conuentu fautor Conciliabuli habitus eſt Colonienſis Archiepiſcopus; propter Vualramum fratrem, cui Eugenius Traiectenſem Epiſcopatum ratum eſſe negabat, Pontifici infenſus. Hunc Maguntinus eſt imitatus. Rabanus Treuerenſis rigidiorem ſe præbuit. Baſileani quoque ſuas Oratores ad eundem conuentum miſerunt; Ludouicum Patriarcham Aquilegienſem, cum authoritate Legati de Latere; Epiſcopos, Vicenſem, & Argenſem; Theologos, Ioannem Segouium, & Thomã de Corſellis; Iuris peritos, Ioannem de Bachenſtein Auditorem Cameræ; & Hugonem Metenſem Archidiaconum, qui poſtea proceſſum aduerſus Eugenium habitum publicè retulit: iiſque adiuncti ſunt, Ioannes Prior Traiectenſis, & Nicolaus Aucupis Normannus. Data eſt his à Conciliabulo præter ſpem adueiſariorũ facultas omnimoda, vt quicquid hi agerent promitterentque pro bono vniuerſalis Eccleſiæ, & honore Baſileanorum, id ratum firmumque haberetur. Hi Maguntiæ, & recepti honorifice, & legatione ſua libere vti permiſſi ſunt. Nemo illic erat, qui Eugenij nuncium ſe vocitaret. Tarentinus Archiepiſcopus, in quẽ Baſileenſes iniquiſſimum tulerant præiudicium, cum collegis ſuis in remotis agebat, nec venire Maguntiam audebat; ſiue quia congredi cum Nunciis Conciliabuli indignum exiſtimaret, ſiue quia mandatum illuc eundi nondum ſuſceperat. Confluxerant tamen illuc plurimi fautores Eugenij, tam è Baſilea, quam ex Florentia, locisque aliis. Fuerunt namque Baſileæ quamplures alii viri, incorporati, iuratique in eo cœtu, quorum ſemper animus à rebus quæ in Conciliabulo gerebantur viſus eſt alienus; quique, licet laboraturos pro honore & ſtatu eius coitionis iureiurando ſe aſtrinxiſſet, hi nihilominus in omni negotio magis Eugenio quam Baſileenſibus fauebant, quorum poſtea numerum, Vuilhelmus Conſtantienſis Iuriſconſultus, per ſummam contumeliam, ſectam Griſeam appellauit. Ex his quam plures Maguntiam perrexerunt, ſi qua ratione Eugenium poſſent defendere, Hercules omniũ eorum, qui authoritatem & innocentiam Pontificis tuebantur, Nicolaus Cuſanus exiſtimatus eſt, homo, & priſcarum litterarum eruditiſſimus, & multarum rerum vſu perdoctus: qui omne ſuum ſtudium, omnemque conatũ in defenſione Eugenij collocauerat. Poſt varios multipliceſq; tractatus, cum potentia ſecularis aduerſus veritatem præualeret, viſum eſt Electoribus Imperij, aliiſq; Germanorum Principum Oratoribus, decreta Baſileenſia in ſua natura recipere, atque obſeruari mandare, excepto decreto ſuſpenſionis, quod vſque ad deliberationem ſuſpenſum eſſe volebant; ne illo ſuſcepto, deſperata pax cum Eugenio videretur. Inter hæc duo miſſi ex Oratoribus Eugenij Magũtiam perueuerunt, iunctiq; his qui Pontificiam maieſtatem integritatemque tuebantur, interuertere omnia fatagebant, illud quoq; ſperare auſi, vt ſuſcepta ſemel decreta Baſileana refutarentur. Quod vbi non ſuccеſſit, ad vltimum contra refractarios refugium declinantes, *inaudito Pontifice non eſſe talia peragenda*, proteſtati ſunt. Sed fruſtra omnes eorum conatus fuere, Archiepiſcopo Colonienſi omnia miſcente, trahenteque.

Celebritas conuentus Maguntin.

Colonien. Mogunt. Electores fauent Baſileen.

Eugenii oratores Moguntiam aduenũt.

Receptis ergo decretis, Baſileenſium Oratores, ex licentia conuentus Baſileam reuerterunt; ſoluſque ibi ſine mandato, Vicenſis Epiſcopus ad paucos dies rogatu Oratorum Principum remanſit. Receſſerũt quoque Maguntinus, Colonienſis, & Treuerenſis Archiepiſcopi, dimiſſis ibi Conſiliariis, qui cum aliis Principum Oratoribus de pace tranſigerent.

VI. *Diſputatio Baſileæ de Eugenio inter Baſileenſes.*

Dum hæc Maguntiæ fiunt, inter Theologos qui Baſileæ remanſerant, haud parua heſitatio ſuborta eſt: Dicine poſſet hæreticus Eugenius, qui tam rebelliter Baſileenſium mandata contemneret. Eam ob cauſam congregati ad inuicem, diutius inter ſe diſputarunt: aliis negatiuam, aliis affirmatiuam ſententiam defendentibus. Inter diſputandum autem, triplex emerſit opinio. Alij, hæreticum Eugenium affirmabant: alij, non ſolum hæreticum, verum etiam relapſum: tertij vero, nec relapſum eum, nec hæreticum fateri volebant. Ebrunenſis Epiſcopus, Regis caſtellæ Orator, & quidam Abbas Scotus, quod inter Theologos pugnaciores, dicacioreſque eſſent, pertinaci contentione peruicerunt, vt hæreticus atque relapſus Eugenius diceretur. Octo concluſiunculas, quas veritates appellitarant, & quibus totum negotium comprehenderant, in orbem, circa medium menſis Aprilis, diuulgare præſumpſerunt: quas tamen viſum eſt Baſileenſibus ſub incudem reuocare. Reuerſis ergo Maguntia Oratoribus, habitaq; certitudine de receptione decretorum, viſum eſt illis eas concluſiunculas Magiſtrorum diligentius maturiuſque diſcutere; vocatique ſunt iuſſu Deputationum, Magiſtri omnes ac Doctores humani & diuini iuris, in Capitulum maioris Eccleſiæ, cum Prælatis Eugenianam hæreſim, de qua illi Theologaſtri ipſum ſimulabant, & ex friuolis, falſiſque aſſumptionibus concludebant, publice diſcuſſuri.

Laborioſa chiep. Mediol. pro Eugen.

Hæc res Archiepiſcopo Mediolanenſi magnæ moleſtiæ fuit; timenti, ne diſputatio hæc priuationem Eugenii ſecum traheret, quam vel ipſo timore (vt ipſe dicebat) ſchiſmatis ſemper impediebat. Ea propter vocare alios, excitare torpentes, concurrere animatos, omnique ſtudio niti, vt res ipſa turbaretur, & quamuis ex Oratoribus Ducalibus vnicus ipſe Baſileæ ſupereſſet; egregie tamen vices aliorum implebat. Ex animo namque laboranti, nihil videtur eſſe difficile. Itaque nec plus quicquam tres ſimul egiſſent, quam ſolus ipſe peregit; qui abſentes quidem ſuarum partium, vt potuit, litteris; præſentes autem verbis in defenſionem Eugenii animauit. Ventum tamen eſt ad locum Capituli; frequens quoque congregatio habita eſt, venerant enim omnes, aut dicendi, aut audiendi ſtudio illecti. Sexque omnino diebus, & ante prandium, & ante cœnam protracta res diſputando eſt. Medius erat inter omnes, primoque loco, accerimus Eugenio hoſtis, Ludouicus Cardinalis & Archiepiſcopus Arelatenſis, qui ſibi iudicium fidei totiuſque diſputationis arbitrium, quin & authoritatem Præſidentis conciliabulo arrogauerat, vir temerarius & contumax. Nicolaus Amici, ex Pariſienſi ſchola Theologaſter, qui Procurator Fidei videri voluerat, quid quiſque ſentiret, interrogabat. Ioannes Dienliſiſe publicus ſcriba ſuffragia annotabat. Plurima hinc inde in medium dicta ſunt, ſuper concluſionibus, quas ebrii & à vino, & à ſuperbiæ typho, propoſuerant iſtis verbis.

Concluſiones contra Eugen. Baſilea conceptæ.

I.

Veritas eſt Catholicæ Fidei, Sacrum Generale Concilium, ſupra Papam & alium quemuis poteſtatem habere.

II.

Generale Concilium legitime congregatum, ſine ipſius conſenſu, nec diſſoluere, nec transferre, nec prorogare ad tempus, ex authoritate ſua poteſt Romanus Pontifex: idq; veritatis eiuſdem eſt.

Qui

III.

Qui pertinaciter his veritatibus ſe opponit, hæreticus eſt cenſendus.

IV.

His veritatibus Eugenius Papa IV. repugnauit, cum primo ex plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ Baſileenſe Concilium diſſoluere, ſiue transferre attentauit.

V.

Errores his veritatibus repugnantes, monitus tandem per ſacrum Concilium Eugenius reuocauit.

VI.

Diſſolutio, ſiue translatio per Eugenium ſecundo attentata, prædictis eſt obuia veritatibus, inexcuſabiliemque circa fidem continet errorem.

VII.

Eugenius iterato diſſoluere ſeu transferre Concilium tentans, in reuocatos errores prolabitur.

VIII.

Commonitus per Synodum Eugenius, vt diſſolutionem ſiue translationem ſecundo attentatam reuocaret, poſt declaratam contumaciam in rebellione perſiſtens, Ferrariæque Conciliabulum exigens, ſeipſum pertinacem declarat.

Huiuſmodi fuere concluſiones, ab his qui *dominationem ſpernebant, maieſtatem autem blaſphemabant, quique in via Cain abierant, & errore Balaam mercede effuſi, in contradictione Core perierant*, Stylo ferreo concepti vt ſe illos ipſiſſimos eſſe probarent, de quibus Iudas Apoſtolus Eccleſiam Catholicam in ſua Canonica præmonuit. *Hi ſunt murmuratores querulosi, ſecundum deſideria ſua ambulantes; & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas queſtus cauſa. Vos autem chariſſimi memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in nouiſſimo venient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in iniquitatibus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes.*

Panormit. contra Baſileen. diſputat non abſq; incõſtantia.

His concluſionibus mendaciſſimis, iterum atque iterum in Capitulo coram Patribus lectis, rogati ſunt omnes viritim ſententiam dicere. Fere omnes, quos Iudas Apoſtolus notauit, Ludouico Arelatenſe præeunte pedibus in omnes concluſiones ibant. Nicolaus tamen Panormitanus Archiepiſcopus, plurima in aduerſum diſputauit. Plurima etiam adiecit Burgenſis Epiſcopus; & cum illo, Alfonſi Aragonum Regis eleemoſynarius: vnanimi conſenſu opponentes poſterioribus concluſionibus, quibus Eugenius tangebatur. Panormitanus præcipue, ſummo ſtudio oſtendere conabatur, Eugenium non eſſe relapſum, magnaq; illi cum tribus viris, Argenſi Epiſcopo, Ioanne Segonio, ac Franciſco de Fuxe concertatio fuit. Articulos fidei trifariam diuidebat; *Stricte*, vt in Symbolo: Large, vt in declarationibus per Eccleſiam factis; Largiſſime autem, vt in his quæ ex prædictis reſultant; Eugeniumq; nullo iſtorum modorum violaſſe fidem, in prima diſſolutione quam fecit; quia nec in *Symbolo*, nec in determinationibus Eccleſiæ haberetur, Papam non poſſe diſſoluere Concilia; nec id ſibi videri, ex determinationibus antea factis reſultare; ſed potius ex decretis Conſtantienſis Concilij, hunc caſum tamquam omiſſum, diſpoſitioni Papæ ſeruari, cum in capitulo, Frequens, locus futuri Concilii per Papam, approbante Concilio eligatur, & de hoc nihil omnino ſit dictum. Quod ſi forſitan in prima diſſolutione peccaſſet Eugenius; excuſatum tamen haberi debere, qui de Concilio Cardinalium egiſſet Romanam Eccleſiam repræſentantium, cuius tantam authoritatem eſſe dixit, vt eius iudicium tori Orbi præponeretur; idque gloſſam ſingularem aſtruere: nec inueniri vmquam illos aduerſus Eugenium tamquam hæreticum proceſſiſſe: idque ſignum eſſe, quia non putauerint eum à fide deuium; neque apud ſe momentum habere, quod diceretur de adhæſione, erroribuſque reuocatis. Legiſſe ſe totum adhæſionis textum, Papamque non reuocaſſe diſſolutionem, vt Fidei contrariam, ſed vt ſcandala parturientem. Vltimam quoque diſſolutionem nihil habere huiuſmodi; quoniam ſimiliter ex conſilio Cardinalium diſſoluiſſet, maxime propter Græcorum vnionem faciendam. Sicque cum ex prima diſſolutione non fuiſſet in errorem fidei lapſus, perſuaderi ſibi non poſſe Eugenium nunc dicì relapſum: qui neque prima, neque ſecunda diſſolutione fidem violarit.

Segouienſis Panormitani diſſertationẽ refellit.

Fuit oratio Panormitani apud omnes temerarios magis laudata, quam probata. Id tamen habuit efficaciæ, vt poſtea verbum *relapſum* ex concluſionibus tolleretur, eiuſque loco poneretur *prolapſum*. Nec Panormitanus ipſe, in ſententia omnino perſiſtebat, aut omnino ab hæreſi Eugenium excuſare, prout potuerat, & debuerat, audebat; pluſq; in prima, quam in ſecunda diſſolutione vim faciebat; ſuaq; inconſtantia occaſionem Ioanni Segouienſi dedit, vt is aſſurgens, procaci dicacitate conatus fuerit priorem Panormitani diſſertationem refellere. Dixit ſiquidem, ſe fateri quod de articulis Fidei trifariam diuiſis Panormitanus attuliſſet, idq; ad cauſam ſuam facere. Quia ſi ea pro articulis fidei tenenda eſſent, quæ ex determinationibus Eccleſiæ reſultarent: manifeſtum fore, Concluſiones de quibus agebatur, ex determinationibus Eccleſiæ, hoc eſt Concilij Conſtantienſis redundare. Quia ſi ibi Concilio Generali Papa ſubijcitur! quis eſt qui Papam habere imperiũ in Concilium, quod eſt ſuum ſuperius dicat? Stareque Eugenium debuiſſe, quia Concilium, quod ſupra ſe eſt, eo inuito diſſoluere non poterat, quem articulum ſine dubio violauit. Et ſi omnino quis dicere velit in prima diſſolutione hunc articulum non eſſe læſum, quia nondum facta eſſet declaratio: ſciat ille qui ſic opinatur, Romanum Pontificem non ſolum explicita fidei, ſed implicita quoq; ſcire oportere: qui Vicarius Chriſti, & caput omnium exiſtens, docere atq; inſtruere cunctos habet. At ſi hoc omnino effugiat; ex illo capite conuincetur, quia diutius in diſſolutione ſua poſt declarationem Concilij perſtitit, nec determinationi Eccleſiæ acquieuit. Ideoq; ſi diſſoluendo forſitan non errauit in fide, vtiq; in permanendo errauit: idque ex dicto Clementis ſæpe per Panormitanum allegati concluditur dicentis: Quia qui rebelliter viuit, & bona agere negligit, potius Diaboli quam Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & magis infidelis quam fidelis eſſe monſtratur. Sicque non obediens Eccleſiæ Eugenius, infidelis dici haud abſurde poteſt. Nec verum id fore, quod Papa in fide non fuiſſet impetitus. Etenim in reſponſionibus, tam illa quæ incipit, *Cogitanti*, quam alla, *Sperant*, Oratoribus Papæ datis, apertè illa verba reperiri; hic articulus Fidem concernit, malumuſque mori quam per ignauiam cedere, quo dicto ſatis admonuiſſe Synodum patere, quia Papa contra fidem veniret. Ideoq; cum poſtea adhærendo reuocaſſet Eugenius diſſolutionem, errorem quoq; Fidei in ea contentum reuocaſſe videtur. Scandala quoq; de quibus mentio fieret, propter errorem fidei eſſe ſuborta; quod aliqui ſubeſſe Concilio Papam dicerent, aliqui negarent, ipſamque diuerſitatem doctrinæ ſcandala ſecum trahere. Expreſſe quoque in adhæſione Papæ reuocari aſſertiones nomine Papæ factas, contra Concilij authoritatem. Et licet in huiuſmodi reuocationibus non eſſet ſeruatus ſtilus, & ordo iudiciorum: ſufficere tamen in rebus talibus, quod actum eſſet, cum Concilium contra Papam ageret: quo in caſu ſola eſſet veritas obſeruanda: nec eſſe Concilium iuri poſitiuo ſubiectum, vt ſeruare terminos, & iudicialem ſequi ſtrepitũ debeat. Gloſſam autem illam ſingulare quæ Romanã Eccleſiam Orbi præponeret, ſe omnino contemnere, beneque ſingularem eſſe, quæ tam fatua diceret; indignumq; fore, vt illam quiſquam ſequere-

tur;

tui; miratque se de Panormitano, & aliis nostrorum temporum Doctoribus, qui dum se glossarum extollere putant authoritatem, ipsam deprimunt, cum singularitatem adiiciunt: singularis enim glossa est, quæ sola est. Sed quis non pluris faciat glossam, in omnibus locis idem sentientem, semperque constanter loquutam, quam vno tantũ in loco aliquid asserentem, quod sine dubio, possit per errorem videri assertum? Quantum vero ad veritatem, habere se Hieronymum Doctorem grauissimum glossæ illi contrarium, qui Orbem etiam quo ad authoritatem, vrbe ipsa, id est, Roma, maiorem esse non ambigit.

Nec ista finire Segouius sine interpellatione potuit. Sæpe namq; Panormitani dicta & argumenta disturbare conatus est. Plus tamen inter eos processum est, quam disputandi modus exigeret, neque enim à probris abstinuerunt. Veniam tamẽ Argensis postea petijt. Dixerat forte Argensis, Romanum Pontificem ministrum Ecclesiæ fore, idque ferre Panormitanus non potuit, sed Papam Ecclesiæ Dominum asseuerare non dubitauit. Huic Argensis opposuit; honoratiorem esse titulum Romani Pontificis illum, quo seruum seruorum se Dei appellat. Idq; ex eo sumptum esse dixit, quod Christus, discipulis ait, cum quærerent, quis eorum esset maior futurus: quia principes gentium dominantur eorum; vos autem non sic; & reliqua: vbi etiam dominium prohibuisse visus est, & Petrus, q. & ipse Vicarius Christi primus fuit; Pascite, inquit, qui in vobis est gregem Dei prouidentes, non coacte, sed spontanee: neq; vt dominantes in Clero. Ergo concludebat Argensis; Quod si filius Dei Christus, non ministrari, sed ministrare venit; quo pacto eius Vicarius dominabitur? aut dici Dominus poterit? cũ non sit discipulus super Magistrum, neq; seruus supra dominum suum; neq; vocemini Magistri (inquit Dominus) quia Magister vester vnus est Christus; & qui maior est vestrum, erit minister vester. Hac responsione inquietato paululum Panormitano recessum est.

Argensis contra Panormit. disceptatio.

Sequenti die generalis cõgregatio fuit, & post prandium omnes ad Capitulum redierunt. Ibi rogatus sententiam Archiepiscopus Lugdunensis Orator Regius, postquam hæreticum esse Eugenium plurib. rationibus sibi comprobasse visus esset, amare conquestus est, illorum ignauiam plurimũ detestans, qui talem hominem Romano Pontificio præfecissent, omnesq; sectariorũ animos commouit, vt secum calamitates vniuersalis Ecclesiæ, quæ potius à suo Gallorum Rege, & à Synagoga Basileana illatæ fuerant, deplorarent. At Burgensis Episcopus, Orator Hispanus, cõclusiones bifariam diuisit, aliasq; generales, alias personales appellauit. Cumq; circa tres primas multa disseruisset, seq; de ipsis non dubitare affirmasset; illam tamen adiectionem, q̃ fidei faceret mentionem, dubiam sibi fore dixit; plurimumq; illis immorari voluit, vt Concilium supra Papam esse ostenderet. Idq; postquam sibi visus est iure diuino humanoq; probasse, etiam ab authoritate Aristotelis physicum argumẽtum producere conatus, dicebat: In omni Regno bene instituto illud in primis desiderari, vt plus Regnum possit quam Rex. Si contra reperiretur, id non Regnum, sed tyrannidem dici debere. Sic etiam de Ecclesia sibi videri: quod eam plus suo Principe, id est, Papa, posse oporteret. Ad alias porro conclusiones digressus; eo quod contra illas opponeret, schismaticis non placuit. Cæterum tam is, quam Panormitanus cum priores illas conclusiones, non esse veritates Fidei assererent; Theologis deferebant, eorumque sententiam iurisperitorum scitis anteponebant. Eleemosynarius Regis Aragonum, nequaquam directe ad conclusiones disputabat, sed furtim quædam argumenta collecta, quibus nunc hic, nũc illic præstaret impedimentum, proferebat. Aduersus eos Abbas Scotus, & Thomas de Corsellis, pro conclusionibus latissime disseruerunt.

Aeneas Syluius, quinque posterioribus omissis, eriam scripto ea de re edito, pro tribus prioribus pugnauit. Et quidem Concilium esse supra Papam, his argumentis ex Guillelmo Occamo, & Marsilio Paduano depromptis suadere voluit. Regnum plus potest, quam Rex, ergo etiam Ecclesia, plus quam Papa. 2. Ecclesia est impeccabilis, Pontifices non item. 3. Ecclesia errare nõ potest, Põtifices possunt. 4. Pro Ecclesia, nõ pro Pontifice Christus orauit, ne deficeret eius fides. 5. Cum Ecclesia Christus est, non cum vno vnico Pontifice. 6. Spiritum veritatis Christus Ecclesiæ promisit, non Pontifici 7. Ecclesia, est sponsa Christi, Pontifex Vicarius minister. 8. Maior est orbis, vrbe. 9. Ecclesia est mater, Pontifex filius. 10. Nullus mortalium est super Papam; ergo Ecclesia, cui data potestas ligandi & soluendi, & de qua Christus iubet, Dic Ecclesiæ. 11. Papa minor est Angelis, Angeli minores Ecclesia, à qua discunt. 12. Contra statuta Conciliorum & Patrũ, nihil potest condere Pontifex. 13. Pontifices sua statuta plerumq; Concilijs submiserunt. 14. Concilia aliquando Pontifices reprehenderũt, quem admodum Apostoli Petrum, quod ad Corneliũ gentilem introiisset; & Peuls eundem, quod legaliter viueret. 15. Concilia hæreses damnarunt; in hæreticos sententias protulerunt: quod non feciſſent, si ad hæc solus Pontifex suffeciſſet. 16. Concilium Constantiense, Pontifices Concilio submisit. 17. Christus, Ecclesiæ potestatem concessit, Pontificem, si fal infatuatum fuerit eiiciendi & conculcandi, id est, deponendi: sic; fuerit caput mortuum, aliud ei substituendi, præsertim cum Christus ipse sit Ecclesiæ caput verum, immutabile, perpetuũ; Pontifex autem nihil plus quam veri capitis locum tenens, ac membrum corporis Ecclesiæ, in eius ædificationem non destructionem collocatum: abscindi & proiici natũ, si destructioni cooperetur, quemadmodũ Ioannes XXIII. Papa in Constantiensi Concilio depositus fuit: quod quidem Concilium Constantiense; istum de superioritate Concilij super Papam, articulum, esse de fide definiuit. Hæc Aeneas, scripto vulgato differebat, magis seductus, & tractus, seu coactus, quam sciens & sapiens: quod ipse de se postea his verbis testabatur. *Aderat*, ait, *Basileæ Legati Parisiensis Scholæ, cuius est fama percelebris; affuerunt & aliquando Colonienſis Vniuersitatis, & aliorum studiorum Germanicæ nationis Oratores, & vno cuncti ore Concilii Generalis authoritatem ad cælum efferebant. Depotestate Romani Pontificis pauci erant qui loqui præsumerent; omnes quasi publice loquebantur, prurientes auribus multitudini applaudebant. Accesit & ipsius Eugenij consensus, qui dissolutionem Concilij à se factam reuocauit, & progressum eius approbauit, cum reconciliata Synodus Eugenio videretur, & pax Ecclesiæ data. Praterita enim omnia per suas litteras Concilii Patres Eugenio seseremiſſuros, & pedes eius tamquam Beati Petri exosculaturos promiserant, si reuocata dissolutione, Concilio cursum permitteret, atque illi cohæreret. Nouæ intercesſere discordiæ, tum aliis de rebus, tum potiſſime super translatione Concilii Gracorum causa. In alium locum Eugenius, in Italia, non sine ratione Concilium petebat: popularitas Synodalis transire montes horrebat, & in Auinione, aut in Sabaudia locum desiderabat. Adiuerunt per id temporis duo viri ex Italia Basileense Concilium, Nicolaus Panormitanus Archiepiscopus, & Ludouicus Pontanus Apostolicæ sedis Notarius, Alfonsi Magni Regis Oratores, qui veluti duo Orbis syderæ, seu Pontificii iuris, & sociis ciuilis sapientiæ duo præcipua lumina & clarissima censebantur. His dictis scriptisque Concilii gesta probabant, Eugenii facta damnabant; nec erat qui aut vellet, aut auderet dicta eorum refellere. Quid ageremus? Audire potuimus, non discere. Rude nimis ingenium est, quod per singulos dies audita & inculcata non capit. Quales Magistri, tales discipuli euadere solent. Paucos inuenias Aristoteles, qui Platonica norint deferuere dogmata. Non est discipulus supra Magistrum, inquit*

Æneas Syluius sedu-ctus pro tribus prioribus Basileen. concilionibus acriter pugnat.

Errorem suum fatetur Syluius.

Dominus: nec nos Magistrum potuimus superare. Iulianus nobis, Nicolaus, & Ludouicus, & alii complures fuere Magistri: Schola, Basileensis conuentus, in quo raro aliquis Eugenii causam defendit. Aduersus Concilii dignitatem mutire aliquid, crimen hæresis fuit. Vna omnium vox Concilium Eugenio præferebat, De sede Apostolica præcellentia, aut silentium, aut contemptu. Concilium, Concilium, cuncta sonabant. Didicimus ergo quæ audiuimus, & post aliquod annos existimantes nos aliquid esse, diximus, vt est apud Satyricum, semper ego auditor tantum, numquam ne reponam? Puduit semper discipulum agere; subtraximus ferula manum; cœpimus loqui, & Magistri personam induimus. Scripsimus epistolas, & opuscula. hoc omnibus passim datur; docti & indocti scribunt; & quæ scripsit ipse, nemo contemnit, nisi editionis seruorem tempus extinxerit. Nobis placebant scripta nostra more Poetarum, qui poemata sua tamquam filios amant. Neque in Basilea quemquam inueniebamus, qui ea damnaret, probant enim similia similes, applaudebamus nobis ipsis, & in editionibus nostris gloriabamur. Et quamquam postea Eugenius Concilium in Italiam transtulerit, & cum Græcis Ferraria, ac demum Florentiæ conuenerit: quamquè Iulianus Sancti Angeli, & Ioannes Sancti Petri, Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defeciſſent; quamquam pauciſſimi in fide Basileensi remanſiſſent; nolumus tamen credere, existimantes cunctos qui abibant, meru recedere, ne bona temporalia perderent; & cum nihil haberemus, quod nobis auferri posset, perseuerandum putauimus, ne partem, quæ verior nobis apparebat relinquentes, detrimentum animæ faceremus.

Ex hoc fonte Aeneas Syluius hausit, quæcumque per calorem, siue encomia, elogiaque virorum qui Eugenio aduersabantur, siue argumenta iam non semel à Theologis doctissimis protrita, concultata que effudit: tanto magis non indignus indulgentia, quod inopia premente, aurem, linguam, & calamum, offulas proficientibus accomodauerit, idque ingenue confessus fuerit. Sed nos ad historiam reuertamur.

VII. *Examẽ deputationũ quarum illa cui nomen de cõmunibus omnem Basilen. suspendit.*

Statim atque res est à Theologis illis seductoribus comprobata, examen Deputationum successit: quarum tres sine magno negotio cum illis male doctis Theologis consenserunt. Quarta vero cui de Communibus nomen est, admissis tribus primis conclusionibus, de reliquis titubare videbatur, obexque ibi maximus erat Georgius Vicensis Episcopus, cui nouiter Maguntia redeunti, qui nec in disputatione capitulari fuerat, persuaderi non poterat, absque noua vocatione Eugenium declarari posse hæreticum, fauebatque sibi plurimũ Amadeus Lugdunensis Archiepiscopus; non quod ita sentiret; palam namque in disputatione capitulari, Eugenium hæreticum atque relapsum prædicauerat; sed quia timebat depositionem Papæ nimiũ festinati. erant que in illa Deputatione complures, qui non modo nunc, sed semper Eugenii partibus fauerant. Hæc Deputatio, ne secundum veterem eorum consuetudinem, à tribus Deputationibus concluderetur, omnem deliberationem suspendit. Plus autem suspendendo, quam denegando præstabat impediméti, remque sic ad longum trahebat. Ea de causa missi sunt aliarum Deputationum Nuncij; quorum hortatu Deputatio de communib. suspensionem super tribus conclusionibus reuocauit. Iamque aderat feria sexta, in qua solebat ex consuetudine solennis congregatio haberi, fierique conclusio negotiorum extrema. Interim tamen Mediolanensis & Panormitanus Archiepiscopi, quique cum eis vel Regis Aragonum, vel Ducis Mediolanensis Cooratores erant, magnopere ad impediendum se armabant, omnesque suæ partis hortabantur, vt præsenti, fortique animo resisterent; aliosque qui pestem effugerant, missis nunciis ac litteris reuocabant. Vocatus est, & Cardinalis Taraconensis, qui tunc Solodoci moram trahebat. Vocatus & Ludouicus Protonotarius Romanus, qui balnea petierat, non tantũ valetudinis causa, quantum ne contra mentem suam tueri Eugenium cogeretur. Vocati sunt præterea complures Episcopi Aragonum; qui omnes pridie quam fieret congregatio remearant; præter Cardinalem, qui post congregationem rediit. Vt igitur ad generalem ventum est concionem, è vestigio Principum Oratores affuerunt, & quasi facta conspiratione in vnam sententiam consonarunt, conclusionem pro viribus impediturі. Primus igitur Burgensis Episcopus, differri conclusionem, expectarique alios Principum Oratores, ex Maguntia propediem redituros suadebat. Post eum Panormitanus Archiepiscopus, primus inter Regis sui Oratores, huiusmodi fere orationem exorsus est.

Præceptum se, inquit, à Prophetis habere, sine intermissione clamandi, qui aiunt; Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Quod si vnquam in re quapiam fuit clamandum; hæc præcipue qua in manibus est, clamore indigeret, & vociferatione, cum ageretur de statu Vniuersalis Ecclesiæ, aut præseruando, aut penitus prosternendo. Se vero in ea re tantum clamasse, vt minime dubitaret, impletum à se illud Dauidicum fore, quo ait: Laboraui clamans, rauca factæ sunt fauces meæ. Vellet tamen & nunc, & quoties opus ingrueret, sine vlla requie clamitare, & maxime modo in negotio perdifficili, & omnium maximo, in quo petebat, sibi & aliis Principum Oratoribus aures præberi, addens, in omni re quæ postulatur, quatuor esse consideranda, quæ nunc quoq; illos rogabat, vt animaduerterent, quis peteret, quid peteretur, cur peteretur, & qui demum effectus ex petito denegato, vel concesſu prouenirent. Ad primum dicebat, Clarissimos Reges, & potentissimos Principes cum suis Prælatis esse petentes, Regem Castellæ, Regem Aragonum, Ducem Mediolani, eorundemq; Principum Episcopos: meritaq; tam Regum præstantium, quam Ducu Mediolani, erga Ecclesiam numerabat. Nec continere se potuit, cum de Prælatis mentio incidit, quin aliquantisper calefieret, diceretq; apud se fore maiorem Prælatorum partem. Namq; si Episcopi & Abbates tunc computarentur, neminі dubium esse, quin maior pars differri præsentem rem vellet. Cumq; totius potestatis Concilii in Episcopis resideret, haud ferendum esse, vt eius pretiu, quod maiori parti inferiorum placeret, id concluderetur. Apostolis namq; & eorum successoribus, qui Episcopi sunt, datas fuisse à Domino claues dicebat, triaq; Synodorum genera inueniri, Episcopalem, Prouincialem & Generalem, nullamque sine Episcopis fieri Synodum; indignumq; sibi videri morem hunc præsentis cœtus, vbi non qua quisq; dignitate polleret, sed quam multas secum haberet voces pensitaretur; Episcopos tamen iuxta famosam Clementis epistolem columnas Ecclesiæ esse, & claues cœli habere: inferiores vero cum eis non decisuam, sed consultiuam tantum vocem habere: futurumq; hac vice scandalum, si sine Episcopis res fidei terminum sumeret. In quo non solum Episcopi, sed etiam seculi Principes admiti deberent, & cum ipsi nomine Principum suorum cuperent ad examen præsentis rei admitti, velleq; maturius singula cognoscere, haud dignũ rem esse querebatur, se contemni. Post multa in hanc sententiam dicta, ad secundam suæ orationis partẽ transiuit, quid esset, quod peteretur exponens. Non aurum, aut argentum, non lapides pretiosos, non prouincias aut regna, non rem demq; factu difficilem; otiu n tantum illorum exposci, vt quiescerent in processu Papæ, inque conclusione rerum quæ agerentur; neq; id diu, sed vsque ad reditum Oratorum ex Maguntia, quos breui venturos certo sciret, rem paruam esse, & sine magno rogatu concedendam; tum quia nihil periculi secum ferret, tum quod ipsis Oratoribus Principum Maguntiæ existentibus iniuriosum esse non expectari: cum non propter suas commoditates, sed Reipublicæ tantum causa, & pro bono pacis abessent. Nec oblitum se fore, quod ipsis absentibus, nomine omnium supplicassent, ne quid in eorum absentia, in rebus Eugenium concernentibus, innouaretur. Tertiam deinde orationis partem subiiciens, quamobrem dilatio peteretur, absoluit, quia non propter priuatam alicuius vtilitatem, sed propter commune bonum: non adperturbandam, sed ad rem melius examinandam, vt omnia cum pace & tranquillitate transirent, vtque res tanto esset firmior & stabilior, quanto plurium foret consensu stabilior. Ad vltimum veniens, rogauit illos, vt vtramque partem secuturos effectus mente conciperent, siue concederent, siue negarent quod peteretur. Etenim, si, inquit, negabitis petitiunculam Principum: omnes indignabuntur, omnes hanc repulsam moleſtiſſime ferent. Dicent, in re parua à

Verba Panormitani prosuspensione deliberationũ.

vestro cœtu se fore spretos. Non obedient vobis; non recipient vestra mandata; frustra leges efficietis, nisi Principes exequantur: in vanumque omnes edictiones vestræ transibunt. Tolerandum autem hoc putarem, nisi etiam, maiora timerem. Quid enim, si illi Eugenio se coniungant, qui non solum vestra beneficia, sed vitem quoque eripere vobis cupit? Heu quæ strages, quæq; occisiones oculi mentis intuentur meæ! Vinam vana sit opinio mea. At si facilem petitionibus Principum assensum præstabitis; obligatos se vobis illiexistimabunt; præcepta vestra recipient. Quicquid ab eis petieritis, obtinebitis. Aduersarium vestrum relinquent; illum vituperabunt; illum abominabuntur. vos extollent, vos magnificient. vobis se totos dabunt; sequeturque optimus ille quem quæritis fructus reformationis, & tranquillitatis Ecclesiæ. Sicque omnibus ex capitibus rogabat, supersederi. Tandem vero, nisi exaudirentur Principum Oratores; habere se, inquit, scriptam protestationem, quam legi coram iuberet.

Lud. Rom. Proton: votum in eã rem.

Finitis Panormitani verbis, Ludouicus Romanus Protonotarius ea laudauit; & expectandos esse Principum Oratores dixit, quod & Prælati essent magni pretii, & potentissimorum Principum Oratores: nec abhorrere se, quod Panormitanus dixisset, de vocibus inferiorum, nec à veritate sibi alienum videri, solos Episcopos decisiuum vocem in Concliiis habere. Et licet aliqui suum Achillem in hac disputatione arbitrarentur, quod Actuum XV. scribitur, se tamen nihil exinde moueri, nec momentum in eo facere, quamuis dicatur: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*; vbi & Apostoli, & Seniores fuerunt, per quod videtur, alios cum Apostolis habuisse vocem decidentem. Dicebat enim non esse argumentum ex gestis Apostolorum sumendum, quorum exempla miranda essent magis quam imitanda, nec ibi patere, quod Apostoli vocassent Seniores ex debito, solumque narrari, eos interfuisse: ex quo nihil inferretur. Videri autem sibi inferiores, Basileæ, tantum ex gratia fore ad decidendum admissos, cum Episcopis; quia potuissent Episcopi authoritatem suam aliis cõmunicare; in his tamen quæ gratiæ forent, vno contradicente, nihil fieri posse. Adducebatque Concensem Episcopum in testem, qui nullam incorporationem inferioris populi æquo animo sustinuisset; ideoque nec alios, inferiores, nec seipsum qui nondum erat Prælatus, vocẽ habere decidentem in Concilio. Quare cum esset res magna, quæ tractaretur, & Prælati tunc contradicerent, rogabat Basileenses, vt Oratores Principum ex Maguntia expectando, facerẽt de necessitate virtutem. Fuit Ludouici oratio, eo molestior, quo plures erant contacti suis verbis; maximeque in eo sibi est adclamatum, quod dixerat Apostolos non esse imitandos. Id enim quasi blasphemiam omnes impugnarunt.

Diuersorũ aliorum in idem opiniones.

Cathanensis exinde, ac Bosianus Episcopi, qui & ipsi Regii Oratores erant, paucis habitis verbis, in sententiam Panormitani declinarunt. Vicem autem Ducis Mediolani solus tunc Arciepiscopus Mediolanensis gerebat. Albigaunensis enim Episcopus, & Franciscus Barbauaria nondum ex Maguntia repedauerant. Is ergo, vt erat Hieronymi Doctoris facundiæ imitator, adductis Magistri sui plerisque authoritatibus, superfederi magnopere suadebat; omnem præcipitationem inimicam consilio, omnemque festinantiam detestatus; maximeque vultu & gestibus rem præsentem abominari se ostendebat, tandemq; nisi axaudiretur; & suo, & prouincialium suorum nomine protestari in aduersum se dixit. Mox secuti sunt Dertusensis & Gerundensis Episcopi, ac Segobricensis electus Abbas montis Aragonum; & nonnulli alii eiusdem dignitatis homines, Panormitani sententiã comprobauerunt. Parmensis Episcopus, ad Mediolanẽsem accessit. Elemosynarius quoque, & Martinus Deuera, ambo Regis Aragonum Oratores, Collegæ sui Panormitani dicta confirmarunt. Alii præterea Aragonenses, & Cathalani fere omnes, Regis se sui votis annuere dicebant, vt conclusionem differrent.

Arelatẽs. Card. præcacitas in loquendo.

Vbi autem complures sunt auditi & Cathalanorum longus ordo finiuit, Ludouicus Cardinalis Arelatensis, vir omnium peruicacissimus, procacissimusque & ad perturbationem Ordinis Hierarchici natus, omniũ Oratorum qui loquuti fuerãt verba resumpsit. versusque primitus ad Castellanos, deinde ad Cathalanos, & Lombardos, plurima de ipsorum erga cœtum Basil eẽsem deuotione disseruit; ac postmodum rem ingressus; Negotium, inquit, istud, Reuerendissimi Patres, nouũ non est, nec hodie, aut pridie inchoatum. Iam plures hebdomadæ sunt, quibus Conclusiones huiusmodi inter Magistros disputatæ, & Maguntiam, aliasque in orbis partes destinatæ sunt, postea in Capitulo huius Ecclesiæ iterum, sex continuis diebus, viritim, & mature discussæ; ex hinc, non sine magno interuallo in sacris Deputationibus approbatæ. Et sicut veritas non quærit angulos, omnia palam & publicè gesta sunt. Nec potest aliquis ignorantiam prætendere; nec Prelati, aut Principes contempti sunt. Omnes qui aderant Basileæ, vocauimus; omnes, vt interessent, iumus hortati. Et quoniam de magno illo & potentissimo Rege Castellæ mentio facta est; quis est qui nesciat Regis ipsius Oratores interfuisse, Burgensem, & Ebrunensem Episcopos, viros tum prudentissimos, tum scientiæ atque eloquentiæ copia præstantissimos? Tu quoque Panormitane, qui Regis Aragonum Serenissimi vices geris, bis in Capitulo adfuisti, bis egregie atque acerrime disputasti, bis quod sentires in hac re aperuisti. Quid est, quod amplius expectari desideras? Ex territorio Ducis Mediolani, Archiepiscopus Mediolanensis adfuit; qui licet Orator non sit, qualis tamen, quantusque Prælatus habeatur, non ignoratis. Cumq; ita dixisset, commotus aliquantisper Archiepiscopus; haud melius, inquit, præsidentis locum tu tenes Arelatensis, quam ego Oratoris Ducalis: pluribusq; lacessere eum verbis pergebat. At Cardinalis tolerantia contumaci; hoc est, ait, quod mox volebam: Namque si Archiepiscopus est Orator, nulla omnino superest Duci suo querela, qui Oratorem suum in rerum discussione habuit. Taceo de reliquis Principibus: quoniã nec ipsi conquerentur. Rex tamen Christianissimus Francorum, Lugdunensem Archiepiscopum inter disputantes virum maximum & grauissimum habuit. Cæteri vero Principes, cur hac in re debeant expectari; non video, qui Concilium ad ea, quæ sunt fidei, congregatum scientes, nequaquam absurdum putant, dubia fidei in Cõcilio declarari; ad quæ si voluissent adesse, iam dudum aduenissent. Quamquam nec illud est omnino verum, quod Panormitanus dicit; seculares Principes admitti debere ad res fidei, si ad decidendum intelligit. Et licet Martianus Imperator dicat; Nos autem ad fidem confirmandam volumus interesse Synodo; quæ verba Panormitanus toties in medium adducit; subiungendũ tamen est, quod ille subiungit, vt verborum perfectus habeatur intellectus. Ait enim: Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam exercendam volumus Synodo interesse; vt eo vel maxime dicto metum adimeret iis, qui eius præsentiam Concilium violaturam arbitrabantur. Quod si nostri hodie Principes facerent, iam vtique res esset quam quærimus expedita. At moderni aliqui Principes, cum nequeant per se minari qui absunt, per Oratores inferunt metum. Sed viderit de his Deus, Res autem præsens, cur tanta discussione indigeat; vt aliqui volunt; non intelligo. Etenim si rite memini, sæpe hoc idem quod Conclusiones sonant, Panormitanus hoc in loco asseruit; sæpe etiam Ludouicus. Si quis eorum contradicere pergat, eueniet ei quod Didymo; quo nemo, vt Quintilianus ait, plura scripsit. qui cum historiæ cuidam tamquam vanæ repugnaret, oblatus est liber eius qui eam continebat. Sic & hi duo viri, quamuis doctissimi & acutissimi sint, suis tamen scriptis poterunt confutari. Sunt præterea epistolæ Synodales, & decreta huius concilij, huiusmodi referta Conclusionibus. Quid igitur est, quod

queat

queat difficultari? Quid est, quod impugnari possit? An nunc ponamus in dubium, quod toties est prædicatum, asseueratum, decretum? Verum ainunt, abesse Oratores Principum, qui Episcopi sunt, & quorum præsentia maiorem authoritatem redderet. Sed absunt, non solum qui Maguntiam perrexerunt, sed etiam alii pene infiniti, per orbem vbique dispersi; quos si expectare omnes oporteat, nihil vnquam poterit expediri. Vocati sunt omnes ad Concilium; venire potuerunt, si volebant. Qui adsunt: iis est commissa potestas, hique tractare negotia debent. At si dicitur; hos Reipublicæ causa abesse. Nos eos non misimus; imo potius inuito quam volente Concilio illuc iuerunt. Quod si etiam à Concilio missi fuissent; non tamen ita ligatæ essent manus nostræ, quin reformare possemus Ecclesiam; aliter vero nihil vnquam in Concilio posset fieri. Cum enim semper sint per Concilium missi aliqui, semper essent expectandi aliqui: ideoque aut nihil agere oporteret, aut nullos extra destinare Prælatos.

Quod autem Prælati, & præsertim Episcopi contemnantur: id est à vero remotissimum. Namque vt cernitis, ii primi sedent, primi loquuntur, primi ad omnia vocantur. & si scite, veraciterque loquantur; facile inferiorum omnium ad se trahunt sententiam. Nec forsan absonum fuerit dicere: nullam vnquam fuisse Synodum, quæ magis quam ista potestatem Episcoporum ampliauerit. Etenim quid hodie erant Episcopi, nisi vmbræ quædam? Quid plus eis remanebat, quam baculus & mitra? Numquid Pastores sine ouibus dici poterant, cum nihil in subditos statuere possent? Nempe cum esset in Ecclesia primitiua Episcoporum summa potestas: hodie ad id venerant, vt solo habitu & reditibus superarent presbyteros. At nos eos in statu reposuimus pristino; nos beneficiorum collationem ad eos reduximus; nos eis confirmationem electionum restituimus; nos causas subditorum eisdem reddidimus audiendas; nos eos qui iam non erant Episcopi, fecimus Episcopos. Quid est, quod Episcopi ab hac se Synodo contemni asserant? Quidue eis vnquam molestum, aut iniustum fecimus? At dicit Panormitanus; quia cum sint plurimi secum Episcopi, pauci vero contra; non est à multitudine inferiorum habenda conclusio. Meminerit tamen Panormitanus ipse, quoniam non est nouus hic procedendi modus. Ordinem procedendi, ipsum sibi Concilium ab initio dedit, nec vnquam postea immutauit: tibique Panormitane hoc alias placuit, cum multitudo te sequeretur: nunc, quia non sequitur, displicet. Sed non sunt decreta Conciliorum, vt voluntates hominum mutabilia. Scias præterea, quia illi ipsi Episcopi, qui verbo tecum sentiunt, mente non sentiunt: nec illud in angulis dicunt, quod public dicunt. Timent, quod eis domi dixisti, displicere se Regi, nisi tuam sequerentur sententiam. Timent vim Principis, spoliarique temporalibus formidant: neque (vt in Conciliis fas est) liberam habent vocem. Quanquam & ipsi; si veri essent Episcopi, si veri animarum Pastores fuissent: animam pro suis ouibus ponere non formidarent, nec largiti Ecclesiæ matri suæ suum sanguinem vererentur. Sed est hodie, proh dolor, rarus in terris Prælatus, qui temporalia spiritualibus non præponat; quorum amore detenti, Principibus magis quam Deo placere studeant, & Deum quidem in angulis, Principes vero in publico confitentur, de quibus in Euangelio Dominus; Omnis ergo, inquit, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est: & è conuerso, non confitebitur illum coram Patre suo Dominus, qui veritus est coram hominibus Dominum confiteri. Nec etiam id verum est, quod ait Panormitanus, plures Episcopos secum fore. Sunt enim plures hic Procuratores Episcoporum, quos ipse non dinumerat, quia secum non sapiunt. Neque in Concilio, vt ipse ait, dignitas Parrum, sed ratio spectanda est: nec aliquid est, quod in singulis rebus magis quam veritatem conueniat. Nec ego cuiusvis Episcopi mendacium, quamuis ditissimi, veritati præponam pauperis presbyteri. Nec dedignari Episcopus debet, si aliquando ignarus & rudis sequacem non habeat multitudinem; & si vox inopis Sacerdotis, docti tamen & acuti, suæ præponitur. Habitat namque sæpius in sordido palliolo, quam in pictis vestibus sapientia. Necvos, rogo, Episcopi, tantopere inferiores contemnite. Primus enim qui pro Christo obiit, quique viam aliis ad martyrium aperuit, non Episcopus, sed tantum Leuita fuit. Quod vero Ludouicus & Panormitanus astruunt de vocibus Episcoporum, id nescio vnde habeant, neque id vsquam scriptum inuenio. Ipsi, si cubi repererunt, me, vt commoneant, obsecro. Nos, vt veterum Conciliorum referamus exempla, in omnibus illis interfuisse minores cum Episcopis inueniemus. Et licet Ludouicus Apostolorum nobis exempla interdixerit: Ego illorum, potissime in Actibus insto. Quid enim est, quod magis nos sequi deceat, quam Ecclesiæ primitiuæ doctrinam atque consuetudinem? Dicitur ergo in Actibus Apostolorum XV. Visum est Spiritui sancto, & nobis. quod verbum *nobis* ad eos quippe refertur, qui fuerant antea nominati, Apostoli & Seniores, nobis ergo Apostolis, & Senioribus. Neque hoc verbum *visum est*, consultationem illic, sed decisionem significat. Vnde apparet, alios quam Episcopos habuisse vocem decidentem. Alibi quoque in eisdem Actibus, cum essent Apostoli magnum aliquid tractaturi, nequaquam ausi sunt per se definire, sed vocauerunt duodecim multitudinem. Dicit autem Ludouicus, non patere illic, quod Apostoli ex necessitate vocassent alios. At ego ad eum dico; Vnde tu scis, quia non ex necessitate vocarunt? Et cum vtcumque incertum sit: nihil prohibet imitari Apostolos. quia cum omnia ad nostram doctrinam scripta sint, apparet voluisse Apostolos nobis exemplum dare, vt in rebus arduis inferiores admitteremus: ideoque in Conciliis postea celebratis, reperimus interfuisse presbyteros. Sane in Concilio Nicæno quod est omnium famosissimum, Athanasius tunc tantummodo presbyter fuit, ipseque fere solus argumentationes disturbauit Arrianas. Fuerunt ibidem & alii presbyteri. Et cum scribitur de trecentis & duodeuiginti Episcopis; non tamen negatur de inferioribus: quos ideo puto omissos, quod essent pene innumerabiles, sitque (vt scitis) denominatio plerumque à magis dignis. In Synodo certe Chalcedonensi, quæ & ipsa ex quatuor prioribus censetur, fexcenti Sacerdotes fuisse dicuntur; quæ appellatio tam presbyteris, quam Episcopis communis est. In aliis autem Conciliis sæpe omisso numero Episcoporum, Sacerdotumque, sola fit mentio Parrum, qui idem significant, quod in Actibus Apostolorum, Seniores. Habemus etiam Ecclesiasticæ testimonium historiæ, Romæ, aduersus Nouatianos, qui se superbo nomine Catharos appellabant, Concilium fuisse congregatum sexaginta Episcoporum, totidem Sacerdotum, & aliorum Diaconorum. Cumque Paulus Antiochenus Episcopus, qui fuit Galieno imperante, Christum communis naturæ hominem prædicaret, Concilium aduersus eum Antiochiæ conuenit: ad quod venerunt Episcopi ex Cæsarea Cappadociæ, Ponto, Asia, ex Hierosolymis quam multi alii Episcopi, Presbyteri, atque Diaconi. Et dicitur propter hoc celebratum esse pluries Concilium: Vltimumque in eodem loco, Aureliano imperante, vbi Paulus damnatus est ab omnibus, quæ sub cœlo sunt Ecclesiis Christi: nec vllus magis elusit

atque confudit Paulum, hæreticum, quam Malchion presbyter Antiochenus, qui artem Oratoriam Antiochiæ docuerat. Sed quid ego hac in re diutius moror. Concilii Toletani quinti, hæc sunt verba: Post ingressum omnium Episcoporum, atque consessum, vocentur deinde presbyteri, quos causa probauerit introire. Nullus se inter eos ingerat Diaconorum. Post hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo popposcerit interesse, & corona facta de sedibus Episcoporum, presbyteri à tergo eorum residεant, quos tamen sessuros secum Metropolitanus elegerit, qui vtrique, & cum eo iudicare, vel definire aliquid possunt. Nec aliquis, Concilium illud Prouinciale tantum assecuerat fuisse. Ipsum enim Concilium de se loquens, ait; quoniam generale Concilium agimus. fuerunt que ibi Episcopi sexaginta, ex Hispaniis, Galliisque. Sed mouerunt forsitan Panormitanum & Ludouicum, Chalcedonensis Concilii verba, vbi Episcopi de Constantinopolitana quadam congregatione, quæ Flauianum, & quosdam alios deposuerat, dicunt: Nam milites magis eos deposuerunt quam nos: quia quicquid egimus, terrore compulsi fecimus. Ipsi primi subscripserunt Clerici. Quare clamant; Synodus Episcoporum est, non Clericorum. quæ verba, si sane intelligantur: inferiores nequaquam excludunt. Duo namque ibi quæruntur Episcopi: alterum, quod Constantinopoli non erat libertas; alterum, quod primi subscripserant Clerici; quorum vtrumque mali exempli fuit; & propter vtrumque negatur illud fuisse Concilium. At dicitur! Synodus Episcoporum, non Clericorum. Cæterum hoc non excludit omnes inferiores, sed eos tantum qui solius primæ tonsuræ sunt Clerici; quos etiam nos excludimus, seruantes quod Toletanum præcepit Concilium, duodecim virosad examen incorporandorum statuentes. Præterea, non dicitur ibi, quod illa sint verba Concilii, sed Episcoporum: quod illicaliqui, vt hic Panormitanus & Ludouicus loquebantur. Sed ne per deuia longius peregrinemur, habemus ad tutelam inferiorum, apertissima testimonia. Maximus ille quidem, omnium Theologorum Aristoteles; Augustinus Episcopus, super literam Matthæi Euangelistæ, dum ait, Christum dixisse Petro, Tibi dabo Claues Regni cœlorum; nimirum, ait, per illa verba, iudiciariam potestatem datam esse, non solum Petro, sed aliis etiam Apostolis, & toti Ecclesiæ in Episcopis & Presbyteris. Si ergo iudiciariam potestatem habent presbyteri in Ecclesia, quid eos prohibet in Conciliis vocem habere terminatiuam? Augustino etiã consonat elegantissimus Doctor Hieronymus; cuius super epistola Pauli ad Titum, hæc sunt verba. Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis; Ego sum Pauli, & ego Apollo; ego autem Cephæ, communi presbyterorum Concilio Ecclesiæ gubernabantur: id enim presbyter, qui & Episcopus: Vnde Episcopi cognoscere debent se magis consuetudine, quam dispensatione Dominicæ veritatis, presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere. Alibi etiam idem Hieronymus, in ea quæ est ad Damasum, de gradibus Ecclesiasticis epistola, in Episcopis Dominum, in presbyteris Apostolos repræsentari dicit. Atque vbi rationem Hieronymus nullam afferret, (videte quid homini tribuam) ipse authoritate me frangeret. Sed hoc etiam ex Paulo colligimus, ad Titum; qui tantam inter Episcopos & presbyteros conuenientiam facit, vt ipsos presbyteros appellet Episcopos. Ex quibus lucide constat, non esse presbyteros à conuentu Episcoporum, ac determinatione rerum arcendos. Et si (prout Hieronymo placet) Episcopi, sola consuetudine prælati sunt presbyteris: vtique fieri potest, vt consuetudinem contraria tollat consuetudo. At si presbyteri debent Ecclesiam Dei cum Episcopis in communi regere; notum est, quod ad eos quoque spectat decidere res Ecclesiæ dubias. Vnde etiam Pauli Apostoli clarissimum testimonium: Namque si, vt ipse ad Ephesios, inquit, Christus instituit Apostolos, Prophetas, Pastores, & Doctores ad opus ministerii, in ædificationem Ecclesiæ, vsque quo sibi occurramus; hac ratione, vt non sit fluctuatio in diuersitate doctrinæ: quis dubitat, aliis quoque cum Apostolis Ecclesiæ gubernationem esse concessam? Taceant (obsecro) hi nostri Satrapæ, nec plus sapere velint, quam oporteat sapere. Extat recens memoria Constantiensis Concilii: vbi & plurimi ex nobis fuerunt, & ego etiam, qui nondum Cardinalis, nec Episcopus, sed tantum Doctor eram, interfui; Vidique, sine difficultate inferiores cum Episcopis ad decisionem rerum admitti arduarum. Nec pudere nos debet, maximam illam & sanctissimam Synodum imitari, quæ & Pisanum Concilium, & illud amplissimum Lateranense sequuta fuit, in quibus iudicasse cum Episcopis presbyteros, non est ambiguum. Præterea, si Abbates, vt in omnibus Conciliis obseruatum videmus, vocem habent decisiuam, qui tamen non fuerunt à Christo instituti: cur non presbyteri, quorum ordinem Christus per discipulos instituit? Ex hinc; Si soli Episcopi vocem habeant, id demum fiet, quod nationi placebit Italicæ, quæ sola nationes alias in numero Episcoporum aut superat, aut æquat. Vtcunque autem est; opus Dei hac vice fuisse autumo, vt inferiores ad decidendum reciperentur. Reuelauit enim ea nunc Dominus paruulis, quæ sapientibus abscondit. Et horum inferiorum zelum, constantiam, rectitudinem, magnitudinem videtis. Vbi nunc Concilium; si soli Episcopi, solique Cardinales vocem habuissent? Vbi nunc Conciliorum authoritas? Vbi fides Catholica? Vbi decreta? Vbi reformatio? Nempe omnia libidini Eugenii, ac temeritati iamdiu commissa fuissent, victorque nefandissimi propositi sui ille fuisset: nisi, quos modo spernitis inferiores, sibi restitissent. Hi sunt, qui priuationem factam ab Eugenio contempserunt. Hi sunt, qui minas, qui spolia, qui persecutiones ipsius flocciferunt. Hi sunt, qui capti, qui incarcerati, qui fustibus cæsi, pro veritate Concilii pati non timuerunt. Hi sunt, qui licet dati prædæ per Eugenium forent, remanere tamen in sacro Concilio voluerunt. Hi sunt, qui famem, qui bellum, qui pestem sæuissimam non formidarunt. Quid tandem est, quod hi homines pro iustitia sacri Concilii non æquo animo tulerunt? Audire potuisses medias inter tribulationes inferiores istos, alta voce dicentes: Etsi omnes deuastatori Ecclesiæ obediunt Eugenio, & discedunt vnusquisque à veritate Fidei, & sanctorum Patrum institutionibus, & consentiunt mandatis Eugenii: nos quidem & fratres nostri constantes erimus; & pro veritate Fidei, & sanctorum Patrum traditionibus mori non dubitabimus. quod & vere fecerunt. Nec enim aut minis territi, aut spoliis mutati sunt: Nec eos metus, nec spes vlla à sancto proposito diuertit. Quod vtrum Cardinales fecerint (vt meo de ordine loquar) vos cernite. Episcopi autem; quos solos Panormitanus habere vult vocem, videte quam pauci nobiscum sunt: & illi ipsi qui præsentes adsunt, haudquaquam virtute valent irrumpere iniquitatem, sed extimescunt terrenam faciem potentis, & ponunt scandalum in agilitate sua. Audiuistis hodie vota Prælatorum; audiuistis, quod omnes

omnes voluntati Regis dixerunt se acquiescere; nullus Dei. At vero inferiores, ipsi sunt qui iustitiam, qui veritatem, qui denique ipsum Deum præ oculis habuerunt; habendaque his gratia est, quod tales se Dei Ecclesiæ præstiterunt. Sed quid ego inferiorum defendo causam? Ipsos quoque Episcopos volunt nonnulli à nostro consortio excludere, qui sine possessione Ecclesiæ sunt, quos vocant titulares; nescientes miseri, quia dum istos repellunt, ipsum quoq; Petrum & alios Apostolos damnant, quos diu sine magna plebe fuisse constat. Nec vmquam aut tota Roma Petro, aut tota Hierosolyma Iacobo paruit: quo tempore non plebes, sed plebeculæ in Christum credebant. Etenim per immortalem DEVM, quid est quod ab his Episcopis requiramus? Non habent populum! At hoc sine culpa ipsorum est. Non habent reditus! sed non pecunia facit Episcopum. Et Beati sunt (vt inquit Dominus) pauperes spiritu. Nec dubites primitiua Ecclesia vidit Episcopos, nec suis expulsos sedibus Dionysium Mediolanensem, Eusebium Vercellensem, aut Hilarium Pictauiensem vetera Concilia respuissent, quamuis & pauperes, & exules, & sine plebe manerent. At si verum fateri volumus; aptiores pauperes quam diuites abundantes iudicio sunt faciendo: quod horum diuitiæ, timorem, illorum paupertas libertatem afferant. Nec illi pauperes tyrannidem timent, vt nostri diuites, qui vmbris, delitiis, otio, ac desidiæ dediti, negare potius Christum volunt, quam assuetis carere voluptatibus, quosque non populus, sed obulus facit Episcopos; quique amantes diuitias, omnes pauperes existimant infelices. Sed nihil interuenire melius potest sapienti, vt Cicero ait, quam fortuna exigua.

Vnde & veritas in Euangelio dicit; quia facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare regnum cœlorum.

Sed vt ad Panormitani verba maturius explicanda descendam; emittere statui duo illa, quæ in prima orationis fronte proposuit: Qui petant, &, Cur petant. Fatemur namque, maximos esse, potentes, & de Ecclesia, vt ipse asseruit, optime meritos: nec dubitamus syncera eos intentione ad petendum moueri. Vtrum autem parum sit quod petitur; &, an effectus, quos ipse dixit, resultare debeant, inquirendum est. Supersessio, inquit, petitur; dilatio ad paucos dies poscitur; res leuis, res modica, res concessu admissioneque facilis. Attendat hic tamen Panormitanus, qui aliquantisper dilationem in re Fidei postulat. Iam declaratæ sunt veritates, iam discussæ, iam ordinatæ. paululum si supersedeatur, longissima fiet mora. Sæpe enim momenti transitus, anni est transitus. Multa nobis exempla hic suppetunt. Hannibal apud Cannas victoria potitus, si è vestigio vrbem petisset, omnium iudicio Romam cœpisset. quia tamen in crastinum distulit, restituto Romanis vigore exclusus est, & audire meruit; Vincere scis Hannibal, vti victoria nescis. Galli quoque Senones vrbe capta Capitolium obsidentes, dum tenacius aurum exposcunt, moramque in paciscendo trahunt, à Camillo inuasi, turpiter expelluntur. Sed quid ego vetera euoluo, cum nostra nobis exempla sufficiant? Scitis vos ipsi, quoties hæ vobis dilationes nocuerint; quotiesque paucorum mora dierum, longissimum traxit spatium. qui iam octauum annum in dilationibus agitis, semper dilationes ex dilationibus vidistis emergere. Illud tamen considerare cupio Panormitanum, quia conclusione hac die turbata, vix scio an vnquam haberi queat. Multa possunt oriri impedimenta, multa nasci obstacula. Nec ipse Panormitanus dicit, hac mora obtenta, velle se cum collegis huiusmodi conclusionibus adhærere, mandatumque ad id habere se negat. Et quod est magis ponderandum, Oratores ex Maguntia reuersuros, talia posse afferre dicit, propter quæ conclusiones huiusmodi omittantur. quasi aliquid esse possit veritate præstantius, & propter quod à veritate discedamus. Quæ res manifestissime ostendit, quia moram non ad examinandas melius, sed ad impugnandas validius conclusiones exposcunt.

Nec circa effectus quos ipse commemorat, re negata, siue concessa emersuros, cum Panormitano conuenio. Nec video, cur Principes hanc dilationem tantopere quærant. Nullæ super hac petitione sunt litteræ Principum. Nemo est, qui ab his nouiter veniat; nec ipsorum interest, nisi vtres fidei terminetur. Illa autem pernitiosa conclusio est, quam Panormitanus retulit, & ab illis religiosissimis Principibus minime expectanda, dum ait: Si ipsis complaceamus, eos nobiscum futuros. Si minus; ad Eugenium defecturos, nobisque omnino rebellaturos. Mirum verbum; mira conclusio, & prorsus indigna, quæ à tanto viro dici debuerit. Constantiensis Concilii decreta sunt; Omnes homines, cuiuscunque status aut conditionis existant, statutis & ordinationibus Generalium alligari Conciliorum. At id, Panormitani verba non sonant. Non enim Concilio Principes, sed Principibus vult obedire Concilium. Heu tempora, heu mores, heu Reuerendissimi Patres, quo iam miseriarum fumus redacti! Quo pacto vmquam obtinebimus, Papam, Christi Vicarium, & alium in terris Christum, Christianorum subesse Concilio, si Concilium ipsum mundanis debet obedire Principibus? At ne obsecro talia de Principibus illis sperate; nec creditе illos matrem suam subpeditaturos Ecclesiam. Non putate eos tantopere à veritate alienari, vt iustitiam supprimi velint. Conclusiones de quibus agitur verissimæ sunt, probatissimæ sunt, sanctissimæ sunt. Si eas respuant Principes; non nobis sed sacræ Scripturæ, & ipsi Christo se opponent. quod nec vos credere, nec Panormitanum dicere decebat. Durissima enim, (vt pace tua dicam, Panormitane) verba fudisti; nec aliud visus es credere, quam Patribus istis timorem incutere. Nisi enim Principibus pareamus, pericula & discrimina admodum magna commemoras. Vos autem Reuerendissimi Patres, eos nequaquam timebitis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Nec veritatem relinqueris, etiam si oporteat vestrum sanguinem Ecclesiæ elargiri. Nec enim remissiores, aut tepidiores pro matre nostra Ecclesia, & Fide Catholica esse nos decet, quam martyres illos Dei sanctissimos, qui Ecclesiam in suo sanguine fundarunt. Etenim cur nobis pro Christo mori sit graue, qui tam diram, tamque acerbam nobis sustulit mortem? qui cum esset immortalis, & impassibilis Deus, mortalem induit hominem, vtque nos redimeret, crucis subire tormentum non dubitauit. Ponite ante oculos vestros ipsum Apostolorum Principem Petrum, ponite Paulum, Andream, Iacobum, Bartholomæum; & ne de solis loquamur Episcopis, quid Stephanus, quid Laurentius, quid Sebastianus, quid Fabianus? Alii cruci affixi, alii truncati capite, alii lapidibus obruti, alii exusti carbonibus, alii aliis tormentis & durissimis cruciatibus excarnificati, pro Christo obierunt. Hos obsecro imitemur: nec, si volumus Episcopi esse, & in honore succedere, martyrium formidemus. Heu nostrum effœminatum animum, heu pusillanimem populum! Illi olim mortem contemnendo, gentilem mundum & idolorum cultorem, Christianum effecerunt: nos ignauia nostra, & nimia vitæ cupiditate, Christianam religionem ex orbe toto ad angulum redegimus; & timeo, ne hoc quod remanet modicum pusillanimitate amittamus, si Principibus (vt Panormitano placet) defensionem & regimen Ecclesiæ committamus. Sed vos estote viri fortes, ac robusti, in hoc tribulatio-

num tempore, nec mortem pro Eccleſia repudiate, quam pro Roma Curtius, pro Thebis Menœtheus, pro Athenis Codrus, libenti & cupido animo tulit. Excitare enim nos non ſolum martyres poſſunt, ſed ipſi etiam gentiles, vt mortis timorem abiciamus. Quid Theramenes ille Athenienſis, quam læto animo, quamque ridenti vultu venenum bibit? Quid Socrates? nunquid aut gemens, aut plorans ſorbillauit aconitum? Sperabantne illi, quod nobis quidem eſt exploratiſſimum, non quidem moriendo mori, ſed vitam præſentem cum meliore commutare? Erubeſcere profecto ipſi debemus tot exemplis commoniti, tot literis imbuti, tam prætioſo Chriſti ſanguine redempti, tantopere mortem fugere. Neque duos, aut tres tantum homines, ſed legiones (ſcribit Cato) ſæpe alacres in eum locum profectas, vnde redituras ſe minime arbitrarentur, patique animo Lacedæmonios in Thermopylis occidiſſe, narrat Simonides:

Dic hoſpes, Spartanos te hic vidiſſe iacentes
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Nec credite Lacedæmonios, non ex propoſito ad mortem iuiſſe, quibus Dux Leonida; pergite, air, animo forti Lacedæmonii: hodie fortaſſe apud inferos cœnabimus. At ego, optimi Patres, non ad inferos, vt ille, ſed ad ipſos cœlites, & infinita paradiſi gaudia vos inuito. Si mortem pro veritate ſuſtinere poteſtis, vosque iis Principum minis, ſi minæ ſunt vllæ, obiicere; vos ad illam æternam gloriam accerſo, vbi nihil vmquam deeſt, nihil à ſuo ſtatu tollitur, aut declinat: vbi omnia bona atque perpetua exuberant; vbi nemo eget, nemo inuidet, nemo furatur, nemo rapit, nemo proſcribit, nemo iugulat, nemo moritur; vbi omnes felices, omnes vnanimes, omnes immortales, omnes ſunt ſemper æquales; vbi quod vnius eſt, omnium eſt, & quod omnium, ſingulorum, quæ ſi præſenti animo conſiderabimus, nimirum Panormitano reſpondebimus omnes, quod Theodorus Cyrenenſis reſpondiſſe traditur Lyſimacho Regi Crucem minitanti, qui; Iſtis quæſo, inquit, iſta horribilia minitare, purpuratis tuis: Theodori quidem nihil intereſt, humine an ſublime putreſcat. Sic & nos Principibus, ſi qui minentur, nec enim ſuos timebimus cruciatus. Quid ad nos vita longior? Nemo parum, ſed diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus eſt munere. Et ſi claræ mortes pro patria oppetitæ, non ſolum glorioſæ Rethoribus, ſed etiam beatæ videri ſolent: quid de his dicemus, quæ pro patria omnium patriarum Eccleſia ſuſtinentur? Nimium eſt, quod æmuli noſtri, Reuerendiſſimi Patres, ſibi de vobis ſuadent. Vos enim timidos, ignauos, deſides, ac vecordes arbitrantur; vobiſque ideo Principes obiectant, quod vos famem, ſitim, exilium, mortemque pro Eccleſia non iudicant ſubituros. Sed non erit vobis, (vt exiſtimo) dutum pro vita æterna facere, quod pro diuitiis tranſitoris faciunt nautæ, qui ſe ventis & mari committunt, incredibileſque procellas perferunt. Pernoctant venatores in niue, in montibus, in ſyluis & vri ſe frigoribus patiuntur, nec aliud eſt eis præmium, quam vilis fera. Quid vobis, obſecro, faciendum, quibus laborum & dolorum merces eſt paradiſus? Pudet me profecto noſtræ ignauiæ cum lego fœminas, & ipſas quidem iuniculas cœlum martyrio rapere; nos autem ſolo mortis nomine exterreri. Vndecim millia virginum, qui noſtram alluit vrbem, ad martyrium Rhenus euexit. In India, vt inquit Cicero, cum eſt vir aliquis mortuus, mulieres quæ eius fuerunt, in certamen iudicium que veniunt, quam plurimum ille dilexerit, (plures enim ſingulis eſſe nuptas,) quæ eſt victrix, læta, proſequentibus ſuis, vna cum viro in rogum imponitur: altera quæ victa eſt mœſta diſcedit, vt quæ mori quam viuere præoptaſſet. Quem animum nos hodie pro Chriſto aſſumentes, Panormitano haud ſecus reſpondebimus, quam Philippo Lacedæmonii; qui cum per literas minitaretur, omnia ſe prohibiturum quæquæ ipſi molirentur, quæſierunt; num eſſet etiam mori prohibiturus. Namque vt eſtis viri præſtantes, ſic virtute veſtra vtemini, quæ ſemper libera eſt, & ſemper inuicta. Cognoſcitis enim, quia data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſciſcitabitur; cui, vt rationem reddatis bonam, curabitis, iudicantes recte, & cuſtodientes legem iuſtitiæ, & in omnibus non ſecundum hominum, ſed ſecundum Dei voluntatem ambulabitis. Cumque Oratores Eugeniani vbique nouam doctrinam prædicent, Romanum Pontificem ſupra vniuerſalem Eccleſiam extollentes, ne ignorantium animæ capiantur, concluſiones tres primas publicare non omittetis, Paulum Apoſtolum imitati, qui Petro ad veritatem Euangelii non ambulanti, neque ad horam ceſſit: cæteras vero, qui ipſum ſolum reſpiciunt Eugenium, ne Panormitanus, neve alii Principum Oratores plus debito clament, in præſentiarum differetis.

VIII. *Quanta vrbe conueniones & probra in concuenu.*

Hic cum Arelatenſis feciſſet loquendi finem, qui eius ſectam faciebant ſchiſmati, hominem dilaudabant. at Cathalani, quoniam negari ſibi dilationem viderant, ne concordata duodecim virorum legerentur, ſtrepitu, atque vociferatione obſtabant: magno conatu ſtudentes, vt proteſtatio quam Panormitanus confecerat lecturam concordatorum præcederet. Nec res ſine tumultu fuit, cum nec mandata Arelatenſis, qui ſe Præſidentem cœtui ſtatuerat, reciperentur, nec ordo in rebus agendis ſolitus cuſtodiretur. Erat namque vbique clamor, vbique ſtrepitus, vbique iurgia effundebantur. nunc Panormitano, nunc Arelatenſi ſermo erat, nulli tamen ſine feſtinantia loqui licuit. Epiſcopi cum Epiſcopis, inferiores cum inferioribus verbales habebant rixas, omniaque contentionibus & probris inſonabant. Hæc cum vidiſſet Ludouicus Patriarcha Aquilegienſis, generis nobilitate (Dux erat) fidens ac tumens verſus ad Panormitanum & Ludouicum Romanum Protonotarium, *Nec credite*, air, *rem ſic abire. Germanorum neſcitis mores. Nempe, ſi ſic procedituri: nequaquam eris integris hanc Pronunciam exire capitibus.* Hoc verbo, veluti cœleſti fulmine tacti, Panormitanus, Ludouicus ac Mediolanenſis Archiepiſcopus, vno impetu aſſurgentes, *Libertas*, inquiunt, *nobis eripitur? En quid eſt quod frangenda nobis capita Patriarcha minatur?* Verſique ad Iohannem Comitem de Tierſtein, qui tunc locum Protectoris tenebat, ſciſcitati ab eo ſunt. An prötegere Concilium vellet, omneſque in libertate tutari? Aderant etiam ciues ex Senatu vrbano, prouiſuri, ne quid ſcandali oriretur. Seruauerunt enim ſemper hunc morem ciues, vt in omni negotio adeſſent, quod pariturum diſſenſiones arbitrarentur: illud præcipue cauentes, ne qui tumultus fierent, neve aliæ quam verbales rixæ. Hi, quod eo tempore, quando Præſidentes Eugenii fuerant, cuſtodierant, vt fides & pax publica ſeruaretur, etiam hoc momento poſt eorum diſceſſum tenere voluerunt, atque cum Ioanne Comite præſentes in congregatione, ſignum ſeruandæ libertatis dederunt: Comes autem, tametſi erat rerum nouitate permotus, nec enim arbitrari poterat, tam multas fore inter Eccleſiaſticos contentiones, per interpretem tamen reſpondit; Bono vt animo eſſent omnes; quoniam Imperialem Salaum conductum ad vnguem ſeruari faceret. Nec Patriarcham, necalium quenquam,

Protector Conc. ſeis ritatem & libertatem promittit.

aut

aut violare libertatem; aut auferre ſecuritatem promiſſam à Cæſare, auſurum: rogare tamen ſe, ait, Patriarcham, vt verba reuocaret ſua, vtque nihil tale deinceps admitteret. Patriarcha porro, nihil omnino turbatus, nihilque irritatus, Ioannide Bachenſtein Auditori Cameræ, intentionem ſuam explicandam commiſit. qui illam fuiſſe aſſeruit, non vt alicui comminaretur, aut conciliarem perturbaret libertatem, ſed vt Patres ad conſtantiam commoneret, vt reformationis toti mundo promiſſæ recordarentur; neue vnum hodie, aliud cras dicerent, quoniam ſi ſic agerent, periculum eſſet, ne laici reformationem ſperantes, deluſi, in Clerum ſurgerent. Ideoque monere, vt periculum Patres præcauerent, nec ſic concilium re infecta deſererent; petereque ipſum veniam, ſi dicendo, vel in Concilium, vel in Panormitanum, vel in alium quempiam deliquiſſet. Nequaquam tamen hæc Patriarchalis humilitas & excuſatio clamores extinxit; Sed quoties legendorum Concordatorum fiebat mentio, toties maior ſtrepitus ac vociferatio ad impedimentum extollebatur. Eam ob cauſam Amadeus Lugdunenſis Archiepiſcopus, Galliarumque Primas, ſermonem intercipiens: Habeo, inquit, Reuerendiſſimi Patres, non paruam loquendi occaſionem. Septem namque, aut eo plus annis apud vos fui, numquam rem ſicuti nunc miraculo ſimilem vidi. Nunc ſtupenda cerno miraculorum ſigna. Parumne eſt claudos ambulare, mutos loqui, & pauperes euangelizare? Vnde, obſecro, tam repentina mutatio? Vnde tam cito, qui domi iacebant, ſurrexerunt? Quis auditum ſurdis, mutis ſermonem præbuit? Quis euangelizare pauperes docuit? Video hic nouam turbam pluribuſque inuiſam menſibus. Nouos aſpicio prælatos, qui vſque in hanc diem tacuerunt, nunc loquaces ſunt facti: nunquid hoc eſt miraculo ſimile? Vtinam tamen ad veritatem defendendam, non ad iuſtitiam impugnandum veniſſent. Illud autem maius omni miraculo videtur; quoniam viros omnium doctiſſimos, Concluſiones noſtras, impugnare video, quæ certæ & veriſſimæ ſunt; & ab illis qui eas nunc reprobant, alias approbatæ. Nec nos fugit, Ludouicum Protonotarium has veritates Louanii atq; Coloniæ prædicaſſe, eaſque illinc Vniuerſalis ſtudii authoritate firmatas reportaſſe. Quare ſi ipſe mutatus eſt, veritas tamen non eſt mutata. Ideoque vos rogo, obteſtorque ne aures his præbeatis, qui quamuis doctiſſimi ſunt, eam tamen quæ omnes virtutes decorat, conſtantiam non habent Hoc finiente, ilico Ludouicus aſſurgens; Verum eſt, ait, illas me apportaſſe veritates: vos tamen eas Fidei veritates nuncupatis; quæ adiectio mihi ſubdubia eſt. Cmque hoc dixiſſet, quærebat Arelatenſis, vt Concordatum duodecim virorum legeretur, plureſq; ſibi in auribus ſibilabant, ne à ſententia flecteretur.

Amadeus Lugdun. Archiep.

Quantus clamor exortus vbi concordatum legi cœptum.

Panormitanus vero, vt cœptum eſt legi concordatum, aſſurgentibus ſecum collegis & aliis Aragonenſibus, altiſſime clamans; quo niſi plane & morate loquens, exaudiebatur nemo: Vos, ait, Patres noſtras contemnitis preces, Reges, ac Principes contemnitis: Prælatos contemnitis. At cauete, ne dum omnes deſpicitis, ab omnibus diſpiciamini. Vultis concludere: ſed veſtrum non eſt concludere. Nos Prælatorum maior pars ſumus; nos Concilium facimus; ad nos concludere ſpectat. Ego quoque nomine prælatorum ſuperſedendum concludo. Quo facto tantus exortus eſt clamor, quantus ſolet in præliis tubarum clangor & equorum fremitus auditi, cum ſignis collatis duo inuicem concurrunt exercitus. Alii, quod Panormitanus effeciſſet probabant, alii execrabantur, feceruntque diuerſa ſtudia, diuerſas conuentiones. Tumque Nicolaus Amici, ex Pariſienſi ſchola ſectarius: appello à tua iſta concluſione, inquit, Panormitane, ad præſens, ſedenſque pro Tribunali Concilium, nec aliquid cenſendun eſſe, quod feciſti affirmo; probareque, ſi expediat præſto ſum. Videbatur iam pars obſtantium meliore eſſe loco. Ipſi enim iam concluſerant. Pro parte vero alia, nec concluſum erat, nec concludi poſſe inter tam multos clamores ſperabatur. Inter tot tamen ſtrepitus, turbulentaſque vociferationes non defuit Ioanni Segonio ex gymnaſio Salamantino pariter ſectario audientia, qui ſic per ſummam impotentiam exorſus, ait.

Segouienſis per ſummam impotentiam verba facit.

Cogit me, viri Patres, Zelus domus Dei, vt loquar. vellemque hodie aut cœcus fuiſſe, ne iſta quæ fiunt, cernerem; aut ſurdus, ne quæ dicuntur, audirem. Quis enim vel tam ſaxeus, vel tam ferreus eſſe poteſt, vt à lacrymis temperet, cum ſic authoritas Eccleſiæ laceratur; cum ſic vobis, & ſacro huic Concilio libertas eripitur, cumque nullus iam videatur locus veritati relictus? O bone Ieſu, cur ſic tuam dereliquiſti ſponſam? Aſpice iam tandem populum tuum, iuua nos qui iuſta petimus, qui venimus huc neceſſitati Eccleſiæ conſulere. Nihil nobis expoſcimus: ſtudium noſtrum eſt, vt veritas eluceſcat. Veritates in ſacris Deputationibus approbatas, nunc concludere ſperabamus. Adſunt Principum Oratores, differri concluſionem expoſcunt. Nos autem memores eorum, quæ ad Valentinianum Imperatorem ſcribit Ambroſius, in hunc modum: Accerte, ſi vel diuinarum ſeriem ſcripturarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat in cauſa Fidei, inquam Fidei, ſolere Epiſcopos de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare: ex vrgentiſſimis cauſis petitionem non admittimus. Eos tamen (vt libuit) longiſſime ſermocinantes, benigne, & patienter audiuimus. Nunc, ſi noſtrum velit aliquis loqui, interrumpitur, impeditur, perturbatur. Quæ iſta honeſtas? quæ modeſtia? quæ grauitas? Licerne ſic in Concilio facere? Vbi nunc Toletani decretum Concilii? Vbi noſtra decreta, nedum tumultus, ſed confabulationes minimas prohibentia? Dicunt quia contemnimus eos! & ipſi ſunt, qui non ſolum contemnunt Concilium, ſed colaphizant. Minimum verbum contra eos locutus eſt Patriarcha, idque non mala intentione! & ſtatim de libertate fracta queruntur: Se autem, cum vim Concilio faciunt, eam loqui præſidentem prohibent, cum legi ordinationes prohibent, non iudicant libertati contraire; aiunt ſe eſſe Concilium! & tamen Concilio ſupplicant. Hæc ego nequaquam intelligo. Si ſunt Concilium! cur ſupplicant ſibi? Aut ſi non ſunt Concilium! cur ipſum Concilium loquinon patiuntur? Cur reſponſum eius, à quo petitur, non expectant? Nimia hæc eſt violentia. At certe nimia eſt patientia noſtra, qui tales exceſſus ſuſtinemus in facie Eccleſiæ. Nos vtique, non ipſi, nos ſumus quibus ablata eſt libertas. Sed aiunt, quia non debent inferiores aliquid iudicare: & quia non licet nobis cum minori Epiſcoporum parte aliquid agere; quamuis Concilii maior pars ſimus. Quod ſi verum eſſet, plurima ex veſtris decretis ruerent; Illud præſertim, quod de Prouinclalibus & Epiſcopalibus Synodis promulgaſtis. Quod cum non placeret Prælatis, Cardinalis Sancti Angeli tunc Præſidens, vix quinque aſſociatis Epiſcopis, cum maiori parte inferiorum concluſit; licet Epiſcopi admodum multi obſtarent. quod tamen decretum & vos reputatis validum, & vna cum aliis Eugenius in adhæſione recepit. Sic & in omnibus fere decretis contigit, quæ pompam, aut ambitionem Epiſcoporum refrenant. Habetis præterea in aduentu Alexandri Abbatis Vergiliacenſis, qui primus huc omnium venit incipere Concili-

um, quamuis nullus adhuc comparuisset Episcopus; idque fatetur in adhæsione Eugenius. Id ergo quod isti aiunt, nihil aliud est quam funditus hoc Concilium euertere. Sed est satis huic parti ab Arelatensi responsum. Illud tamen cupio ab Episcopis impetrarum, vt si fateri nos velint, eos Apostolis succedere, & Claues Regni cœlorum habere, fateantur etiam ipsi; quod per Apostolum dicitur, Christum superna repetentem, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, & alios Pastores atque Doctores instituisse, ad opus ministerii, in ædificationem Ecclesiæ. Namque sicut Episcopi Apostolis succedunt, ita & nos Theologi succedimus Doctoribus, & Presbyteri Pastoribus, atque alii aliis: voluitque Salustor noster per istos in communi Ecclesiam gubernari. Vnde apparet vanum esse, quod isti prædicant, de inferiorum exclusione. Illud vero me magis angit, illudque mihi molestissimum est, quod singularis ingenii, & admirandæ doctrinæ Panormiranus, sine vlla Deputationum discussione concluserit, sine duodecim virorum examine, sine scrutinio, sine vllo ritu concluserit. Quod nisi oculi mei essent Iudices, numquam alteri referenti de tanto viro existimassem. Nec adhuc scio, an mihi satis credam. Ita est mihi visa res horribilis. Nec enim video, qua authoritate sua sibi subsistat conclusio; nisi forsitan sui Regis, quem ait sic velle. Vos autem Patres cauete, ne talem introducatis consuetudinem; quia periculosior esset, quam perniciosum illud decretum, quod vos soletis parum appellare. Illud enim Legati Apostolici, & alii complices, in Deputationibus proposuerunt, votorumque certum numerum habuerunt; scientes, qui secum, & qui contra se forent. Hoc autem in confusione fit. quod si transeat impunitum, maiora admodum scandala suscitabit quam illud; fietque, vt in omni negotio, pauculi disceptantes Prælati vnum habeant, qui pro eis cõcludat. Scitis præterea, quia solius præsidentis est concludere, solum que vno in casu ad alios successit conclusio deuoluitur: quãdo, qui ipsum, iuxta voluntatẽ quatuor aut trium Deputationum, & concordata virorum duodecim nolunt concludere. Quod an modo contingat, vos cernitis, quam etiam ipse qui concluserit, optime nouit Panormitanus; qui licet differendam veritatem, maltis (vt sibi videtur) rationibus astruat; ego vos rogo Patres amplissimi, vt Apostolum imitemini, qui (sicut Arelatensis retulit) neque ad vnam Petro cessit veritatem Euangelii deserenti. Succurrendum est subito in facto Fidei: nec vlla res maius detrimen ex negligentia, quam Fides patitur. Hæreses namque, nisi ipso ortu extirpentur, haud facile tandem adultæ tollantur. Quare obsecro succurrite festinanter, ferte cito auxilium, date vela, impellite remos. Quid hic aut Prælatos expectemus, aut Principes? Quærenda non est alia potestas, vbi præsens est diuina maiestas. Prædicant vbique terrarum hæreses Eugeniani, nec illis aliquis dicit, vt supersedeant: vobis autem qui veritatem publicare intenditis mille susurrant, vt fileatis. Magnum est hoc vestræ bonitatis indicium. Benedictum olim sanctissimum Monachorum patrem, aiunt, Monasterium quoddam sanctorum Patrum visitantem, infinitas dæmonum vidisse catervas, qui cum Sanctis Patribus conflictantes, bona quæ illi patrabant opera perumbare conabantur. Mox nundinas in perfrequentibus mercibus, multisque contractibus frequentes adeuntem, vnicum duntaxat dæmonem, eumque tristem & otiosum in specula quadam constitutum aspexisse; miratumque Benedictum, quod locum sanctum, & orationi debitum dæmonibus plenum, locum autem prophanum, & pernitiis, aliisque delictis occupatum, ab vno tantum dæmone custoditum inuenisset, adiurasse dæmonem, vt sibi causam proderet, illumque respondisse: Locum sanctum expugnatione dæmonum fugere; qui autem sua sponte peccarent, his non esse opus diabolica fraude. Quod mihi videtur Eugenianis contingere. Vos autem in conflictu estis: tantum rogo, vt ad victoriam festinetis, nec curetis has principum minas, hasq: hominũ aduersantiũ cõtumelias. quia beati eritis, inquit Dominus, cũ maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me. gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Et quid nobis, oro, tantopere obiiciuntur Principes? An non potens est Dominus Deus noster eripere nos de camino ignis ardentis, & de manu Principum liberare? Ne obsecro, Fratres, minorem in Christo habete fiduciam, quam Sidrach, Misach, & Abdenago, qui senem Nabuchodonosorem Regem minime timuerunt. sciantque ipsi Principes, quia dominator excelsus est super Regnum hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud. Est desuper Deus cuncta prospiciens, Est, est, inquam in medio nostrum: quid trepidatis? Estote viriles, & præbete vos murum pro Ecclesia Dei. Ne sinite, obsecro, Fidem sub vestris manibus deperire. Adest Deus Omnipotens, adest qui vos protegat. Nolite timere eos qui corpus tantummodo possunt occidere. Facite iudicium & iustitiam, & confidite, quia non tradet vos Dominus in manus calumniantium. Iterum dico vobis, estote viriles, Ecclesiam quæ matrem vestram defendite. Tibi autem præsideus dico, quia oportet te magis Deo quam principibus complacere. Quare si hinc sine conclusione abeas, rationem te huius rei in districto Dei iudicio redditurum. Nec plura locutus, resedit.

Interea complures Panormitanum exhortabantur, vt à sua conclusione discederet: instabatque magnopere Burgensis Episcopus, vt si posset inter discordes concordiam sereret. Sed neque sectariis sine conclusione discedere, neq; Panormitano sententiam mutari cordi erat: nec minus cessuros sibi illos Panormitanus opinabatur, quam si Congregationis locum teneret, illi vero suum. Inter hanc contentionem paululum nactus audientiæ Lugdunensis sectariorum primas, conclusionem Panormitani nullius esse momenti, nec reuocatione indigere, quod foret omnino nulla, dixit: vtilem tamen sibi videri dilationem, si forsitan, vti Burgensis dixerat, agi de concordia partium posset; fuitque oratio ipsius haud grata collegis Panormitani; qui vt audierunt suam vilipendi conclusionem, ilico assurgentes, asseuerabant illam valere, seq; Concilium facere; fiebatq; maior strepitus, nec poterat aliqua lectio audiri; maximusq; illa die omnium sectariorum timor fuit, ne plus impedientes possent, quam ipsi; resq; magno in periculo videbatur, ne perseuerãtes hi qui conclusionem differri postulabant vsq; ad noctẽ verba protelarent, quod vnum conari videbantur, vt ea saltem die vincerẽt. Erant turbata omnia, nec (vt solebant) suis subsellus Prælati insidebant, sed vt quemq; trahebat affectio. Illi Panormitanum adibant, isti Arelatensem, & quasi Principem quisq; suum, aut exercitus Imperatorem adhortabantur. Iam in vesperum dies ferebatur, cum assurgentes è locis suis, Lausanẽsis & Grossetanus Episcopi, Arelatensem inflammarunt, petentes, ac territantes, ne sine conclusione assurgeret. Subdiderunt faces duo Minoritani fratres, Franciscus de Fuxe, & Andreas Hispanus, qui auribus Arelatensis imminebant, intantumq; illum premebant vt nec animum resumere paterentur. Laurentius quoque Rocella infestus Arelatensi; Quid dormis nunc præsidens? ait. Vbi animus tuus? *Vbi versutia tua*? Quid times? Quid somnias? Ille autem vt agnouit

IX. *Contentio & schisma inter eos*

rem in

rem in periculo esse, *nec rectam conclusioni patere viam, vtendum æstu censuit*; vtque tumultum aliquantisper componeret; Habeo, *inquit*, sanctissimi Patres nouas ex Francia litteras, quæ mihi auditu stupenda enarrant. Incredibiles illic nouitates sunt. eas, si aures præstatis mihi benignas, mox vobis exponam. Quare, & silentium subitum impetrauit, & miro artificio attentos animos audientium reddidit. Vt autem liberum sibi dicendi campum patere vidit, sine fabula, sine vlla historia fuit; litterarum sibi missarum seriem reserauit. exinde ad causam pedetentim rediens, Eugenianos nuncios implesse Galliam dixit, qui nouam doctrinam prædicantes, authoritatem Romani Pontificis supra Generalia Concilia magnificarent; quibus (nisi cito occurreretur) fore vt pluribus fidem facerent. Idcirco oportuisse Basileenses de remedio cogitare, necessarioque iam veritates de quibus agetur examinatas, vt per eas Eugenianorum temeritas retunderetur, quæ licet essent numero bis quatuor, non tamen fuisset intentio Patrum omnes concludere, sed tantum priores tres, prosecutus, *inquit*, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti concludere. atque his dictis lætus alacerque consurgens, ab omnibus suæ factionis hominibus summe probatus, & laudatus recessit. & alii quidem eum, alii vestimentorum fimbrias deosculabantur, secutique ipsum complurimi, versutiam illius magnopere commendabant, qui licet origine esset Gallus, Italos tamen hoc die summa astutia superasset. Qui Panormitano adhæserant, domum vnusquisq; suam reuersus est: Panormitano de Rege Alfonso conquerente, quasi eum aduersus veritatem pugnare compelleret: & quasi is suam famam, suamq; animam iret perditum.

Eadem die reuersus est Cardinalis Tarraconen. Cumq; is generali congregationi interesse non potuisset, subito ad eum Carthelani, Lombardiq; perrexerunt, diuersa cum eo consilia trutinantes. Aliis namq; deserendum esse conciliabulum videbatur, aliis persistendum, omniq; nisu resistendum, ne quid aduersus Eugenium fieret vlterius: eaq; sententia inter eos manlit. Die autem Sabbathi, quæ fuit Aprilis quinta & vigesima, Lugdunensis Archiepiscopus, & Burgensis Episcopus, accersitis in capitulo maioris Ecclesiæ Prælatis, multa de pace exorsi sunt, fiendasq; illo die Deputationes Burgensis Episcopus suadebat, quibus Lugdunensis facultatem componendi committeret. His responsum est duriter: quandoquidem affirmarent sectarii, nullam esse ante concordiam posse, quam Panormitanus, & sui sequaces errati sui veniam peterent. Sequenti Dominica idem Burgensis, cum aliis ex Lombardis & Carthelanis Germanicam adiit nationem, exinde senatum vrbanum, & vtrobique de prohibendo schismate fecit sermonem. Natio retulit se ad ea, quæ Deputationes deliberarent. Senatus Vrbani ciues, rem illam ad se minime pertinere dixerunt, sed ad Concilium. Nec ignorare, quid in rem esset Fidei Christianæ, si quid instaret periculi, id esse Concilio, non Consulatui suo monstrandum. credere se, maiores Concilii, vbi essent præmoniti, nihil mali admissuros. ad senatum vero Vrbanum nihil aliud pertinere, quam Patres tutari, & fidem ciuitatis publicam custodire. Eo responso Burgensem dimiserunt. Interea sectarii, formam Decreti de superioribus conclusionibus conscripserant; eamque in Deputationibus approbauerant. Sola Deputatio Communium, magis limandum decretum censuit, iamque Oratores Principum ex Maguntino conuentu redierant, & habitis inter se consiliis impedire decretum omnes statuerant. Nona Maii die, quæ erat Sabbathi, ad generalem concionem deuentum est. hæc admodum frequens fuit, vtraq; parte ad conflictum se exhibente. Ipsi autem Principum Oratores vocati, per Lubecensem Episcopum & per Conradum de Vuinsperg Protectorem, in choro Ecclesiæ detinebantur, ibiq; de pace, si qua potuisset haberi, agitabatur, plusque ibi morati sunt, quam alicuius ferret opinio. Studiose factum est, vt sectariis rei gerendæ præberetur occasio, per absentiam Oratorum, qui bona fide secum de pace agitari, existimabant. Erat tantummodo illo die forma decreti concludenda. Vt ergo Arelatensis vidit concionem esse plenissimam, viros duodecim concordasse, maximamque omnium cum silentio expectationem fore, non expectandum esse amplius aliquem censuit, legiq; è vestigio concordata publice iussit; inter quæ illud etiam erat, vt posset ipse Arelatensis, quando sibi videretur, sessionem indicere. His perlectis, rogatus à Promotoribus, ex more concluſit; Oratoribus Principum adhuc choro persistentibus.

Arelatensi concordata legi iubet deceptis Principũ Oratorib. & aliis.

Hi vt rem in fraude gestam intellexerunt, turbati admodum, colloquia dimiserunt, Lubecensi omnia imputantes, qui eos ex industria tenuisset in choro; verbaq; protelasset. Ingressi ergo concionem, totum templum querimoniis impleuerunt. Cum autem Lubecensis sese opinione exonerare vellet, primum omnium, & suo, & Protectoris nomine de conclusione conquestus est, eamq; vt Arelatensis cum suis reuocaret, minus libenter quam efficaciter postulauit. Id si concederetur, tractaturum se pacem & Protectorem, inter Sectarios & Oratores Principum pollicitus. Turonensis autem Archiepiscopus dicebat, videri sibi, vsque ad sessionem, liberam esse dicendi omnibus facultatem, aduersus eam quæ promulgari deberet legem: quandoquidem non nisi in sessione canones consecrarentur, tunc; reciperent animam, cum infulati Episcopi, post lecturam decreti in sessione placere sibi responderent. Secus vero, inanem esse interrogationem, quæ Promotoribus in sessione fieret. Ea de causa, cum conclusiones nondum essent in sessione approbatæ, impune se circa eas pauca locuturum. Rem esse grandem, arduamque, nec tam breui spatio comprehensibilem. Se solum nunc eam habuisse de his notitiam. Quia tamen Archiepiscopus esset, oportere eum rem bene nosse; vt domum rediens, & informare Regem, & instruere subditos quiret. velleque se atque collegas ante congressum fiendum, & audire alios, & audiri ab aliis. nec videri sibi ante relationem gestorum, quæ Oratores Principum Maguntiæ egissent, sessionem hanc fiendam: quæ forsitan talia forent, vt illorum possent intentionem mutare. Conchensis Episcopus Orator Regis Castellæ, qui & ipse nuper Maguntia reuenerat, vir plura intelligens quam scirет explicare, grauiter questus est, contemni Prælatos, nec fuisse rem magnam, *ait*, si expectati fuissent, qui Maguntiam, non voluptatis, sed necessitatis causa, & cum grauibus periculis & sumptibus petiissent. postq; quasi subridens; Ah demens, *inquit*, ego, qui expectati Prælatos ex Maguntia volo; cum neq; etiam ex choro huius Ecclesiæ sint expectati. Facite ergo, vt liber. Si quid hic scandali, si quid mali euenerit; neque nos Oratores Castellæ inculpandi sumus; neq; Sereniſſimo Regi nostro quisquam iure imputauerit. Mediolanensis quoque Archiepiscopus, quod eius rei periculosissimum exitum iudicabat, in authorem Arelatensem acerbissime conuitiatus est. Ipsum esse, qui Copistarum, pædagogorumq; gregem nutriret, remq; cum eis Fidei concluderet: Catilinam sese præberet, ad quem omnes desperati & perditi confugerent: illorumq; ipsum esse Principem; & cum illis Ecclesiam non regere sed euertere & perdere: nec in re omnium maxima, magnis Prælatis, & magnorum Principum Oratoribus temere non auscultare. Albigauensis quoq; vir

nobilissimus & ex Cæsarum sanguine descendens; quamuis numquam animum à concilabulo alienasset, ne tamen ab aliis Principum Oratoribus videretur discrepare, haud absimilem habuit de contemptu Prælatorum querimoniam. Exhinc ad Panormitanum oratio defluxit; qui vt vim dicendi maiorem habuit, sic etiam concitatiorem animum ostendit.

Panormit. oratione sua concitum animum ostendit.

In exordio orationis suæ, non, vt Oratores præcipiunt, benevolentiam, sed quasi odium ab auditoribus captare visus est. Dicebat enim, Saluatorem nostrum signa in Euangelio quatuor ostendisse, quibus bonos cognosceremus à reprobis. Quoniam qui est ex Deo, *inquit*, verba Dei audit. propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Rursus quoque: Qui male agit, odit lucem. Alibi etiam; A fructibus eorum cognoscetis eos. Et; Non potest bona arbor malos fructus facere; quæ omnia in sectarios retorquebat. Qui verba Dei, id est, verba pacis quæ ipsi Oratores proferrent, non audirent; quique lucem fugissent, Oratoribus absentibus; & clanculum concludentes, in sua Deputatione diem festum non celebrassent, sed feriata die conclusissent, & quod in præcedenti conclusione, non ratione, sed deceptione vicissent. De fructibus, dicebat, vt ipsi meditarentur, quoniam si fructus eorum non essent boni; ipsi etiam non essent boni. Se autem videre in foribus Concilium aliud, vbi timeret, ne huiusmodi conclusiones reuocarentur, tanquam malæ fructus arboris. Ideoque non esse sic repente in rebus maximis procedendum; velleq, se adhuc plenius ante se sessionem audiri, tam suo, qui Archiepiscopus esset, quam sui Regis nomine, qui non tantum vnius, sed plurium Regnorum Rex haberetur, Se quoque antehac, & verbis, & scriptis, ac etiam factis authoritatem Concilii magnificasse; vereri autem nunc, ne per tales modos authoritas ipsa conculcaretur. Ignoscig; sibi tandem petit, si aliquem offenderet, quoniam sic eum eloqui dolor mœrorq; cogeret.

Ludouicus Protonot.

Voluerunt Abbas Vergiliacensis ad ea responsum dare, quæ Panormitanus de sua Disputatione tetigerat. Arelatensi autem, prius dicere omnes placuit, qui ex aduerso erant. Inter hos Ludouicus Protonotarius dixit: Debere illos aduertere, ne inuitis Prælatis materiam fidei agitarent, ne scandalum sequeretur. quod rem inualidam aliqui dicerent. Namque, licet Christus duodecim Apostolos, & septuaginta discipulos elegisset; in editione tamen Symboli, soli Apostoli interfuissent. quasi exemplum darent, rem Fidei ad solos Apostolos, & sic ad solos Episcopos pertinere. Necesse in materia Fidei cum festinantia procedendum, quæ limpidissima esse debet: cum exigat Petrus probationem Fidei pretiosiorem esse auro, quod per ignem probatur. Quod si spretis Episcopis, qui columnæ Ecclesiæ, & claues cœli habere dicuntur, huic rei daretur terminus; non posset bene probata Fides videri, nec bene examinata. Ad extremum dixit; inferiores cum Episcopis deffinire posse: minorem autem Episcoporum partem, cum maiori inferiorum parte aliquid posse determinare, negauit. Exinde transiens ad Fidei materiam, dixit: conclusiones illas, de quibus erat quæstio, articulos Fidei fore, si veritates essent Fidei; cumque articulos Fidei vnusquisque teneretur credere, has quoque omnes teneri credere ait; ideoque velle se instrui, & maturius edoceri in re, quam esset pro Fide crediturus; nec decere id sibi ab eis denegari, qui promptissimi esse deberent, iuxta normam Apostoli, cuiq; poscenti, de ea quæ in eo est Fide reddere rationem.

Arelaten. iterũ verba sua irrisoria & ca

Postquam vero dicẽdi finem omnes fecerunt, Arelatensis seipsum colligens, oratiõe multifariam cauillationibus plenam habuit, nunc iis, nunc illis ludicre & friuole respondens: Imperialiumq; primo Nuncium verba laudauit & desideria, qui pacem & concordiam tractare se obtulissent. Reuocari autem quod esset conclusum, neque necessitatem vrgere, ait, nec honestatem pati. Oratorum vero Franciæ petitionem iustissimam esse respondit, quod informari de re Fidei poscerent, eorumque precibus illis annuiturum, missurumque ex Magistris aliquos, qui eos edocerent; rem vero iam esse conclusam, nec amplius posse reuocari in dubium. Sessionem, non ad roborandum, sed ad honestandum tantummodo actum fieri. Quod autem Conchensis Episcopus tantopere quereretur; id sibi non esse admirationi. Non enim Conchensis sciret rerum processum, qui absens fuisset. quem melius instructum, minime dictarum talia arbitraretur; quoniam vir iustus nihil postularet iniustum. Protestationem autem ipsius nihil mali habere, quod nec Regi suo, nec sibi imputari vellet, si quid ex conclusionibus factis proueniret scandali. Non tamen id esse formidandum, vt ex bonis operibus mala suboriantur. Mediolanensi autem Archiepiscopo, quod eum nimis turbatum videbat, nimiumque commotum; nihil respondit, ne forte ex grauibus verbis grauiora suscitarentur. Panormitanum, ad vltimum reseruabat. Ludouico vero Protonotario, instructionem petenti; per verba ad Turonensem dicta voluit satisfactum. Id tamen in actum non prætermisit, quod de Apostolis & Symbolo dixerat Ludouicus. Etenim quamuis soli Apostoli in Editione Symboli nominentur, id tamen non constare, ait, an soli in edendo fuerint; fierique id sæpe, vt soli principes adnotentur rerum authores gestarum, quamuis alios coadiutores habuerint. Idque in præliis patere, quæ licet omnium militum gerantur manibus, pauci tamen ascribi solent; vt hac nostra ætate Imperatori omnium præstantissimo Nicolao Picinino, quem continuus tot victoriarum cursus illustrat, cuncta quæ suus exercitus vel feliciter agit, vel prudenter, ascribant: tametsi alii sæpe, & consilii inuentores, & proposita executores. Scireque Ludouicum debere, articulos Fidei non solum esse qui Symbolo continentur, sed omnes quoque generalium Conciliorum factas circa fidem declarationes. Nec ignorare ipsum, aliquos esse ipsius Symboli, quo nunc in Ecclesia vtimur articulos, non ab Apostolis, sed postmodum in generalibus Concilis additos: portionemque illam de processione Spiritus sancti à Filio mentionem habentem, Lugdunense Concilium adiecisse; in quo iudicasse cum Episcopis inferiores non esse ambiguum; cumque rem ipsam in proxima congregatione dilucidasset, haud amplius circa eam fore immorandum. Sicque ad Panormitanum descendens, verba eius repetiit: Qui ex Deo est, verba Dei audit; idque bene sumptum ex Euangelio, in conciliabulum autem non bene flexum dixit. Se namque firmiter credere, quod vetares existimarunt Spiritum sanctum esse in medio Conciliorum. ideoque verba Concilii, verba esse Spiritus sancti; quæ si aliqui resperuerent, ex Deo vtique se fore negarent. Nec suus sectarios lucem odisse, quod palam & in publico omnia facerent, & quorum congregationes essent omnibus apertæ, nec vt aliqua aduersariorum conuenticula istos admitterent, illos excluderent. Rem quæ nunc in manibus esset, duobus iam mensibus inceptam agitari, primo in schola Theologorum late diffuseque disputatas esse conclusiones: postea Moguntiam, & in alias Orbis partes transmissas: exinde vocatos in capitulo maioris Ecclesiæ Patres, viginti circiter & centum numero fuisse: illic inter alios, etiam ipsum qui nunc conquereretur Panormitanum, suoque more acute disserteq; disputasse; nec vlli dicendi locum defuisse. Rursus in Deputationibus, dixisse omnes liberrime quæ voluissent. In ea vero deputatione vbi Panormitanus esset, triduo rem fcisse discussam. Postea, duodecim viros concordasse; mox congregatione

stillatoria habet.

Stillabat in contra Eugenium sub signis Philippi Ducis Mediolanen.

Generalem conclusisse. Nullam rem vnquam, aut maturius, aut diligentius fuisse expeditam; nec aliquid aut dolo, aut clam factum. Quod autem die festo Deputatio sedisset; id nihil mali habere, nec nouum esse; cum & sæpe Dominicis diebus, & in aliis festiuitatibus sessum esset, vbi res indigeret celeritate. Et maxime, quia res Fidei non habet ferias. Se vero in superiori congregatione, neque dolose, aut fraudulenter, vt Panormitanus dixisset, sed publice, requirentibus Promotoribus, & via, vt aiunt, Regia egisse, nec esse vlli iustum de se querimoniam, qui assumptus ad Præsidentiam iurasset, se semper conclusurum, vbi, aut quatuor, aut tres Deputationes concurrerent. cumq; in pluribus causis Papam tangentibus conclusisset, non videre se nunc, cur in re fidei non concluderet. quia & Cardinalis esset, & ideo rubeum galerum gestaret, quoniam etiam sanguinem ad tutelam fidei deberet effundere: nec se nunc aliquid aduersus Papam fecisse, qui dimissis quinq; conclusionibus Eugen. tangentibus, solas tres generales conclusisset, quod nisi fecisset; habituros Patres in eum iustissimam querimoniam, qui eius fidem sequuti, eum Presidentem elegissent, à quo nunc in re fidei, & in re maxime necessaria desererẽtur. Versusq; ad multitudinem, Bono animo esse suos rogauit, quia nunquam eos dimitteret, etiam si eum mori oporteret. dedisse suam fidem, illãq; velle obseruare; nec eum ex suo proposito, aut minas, aut preces cuiuspiam posse deiicere. paratum se ad omnia fore, quæ illi ipsi præciperent, nec vnquam mandatis se Deputationum aliquo pacto defuturum. Quod autem Panormitanus Concilii authoritatem magnificasset, gratias sibi habendas ait. Scire tñ eum debere, authoritatem sacri Concilii tantam esse, vt & nullius laudibus crescere, & nullius vituperatione minui possit. atq; his peroratis, formam decreti legi iussit.

X. *Sequitur alia disceptationes.*

Panormitanus vero, & qui eum sequebantur, cæteriq; Principum Oratores, protestationem quandam prius legi contendebant: diuque, hinc atq; inde vociferatum est. Obtinuit tamen demum Arelatensis, lectaq; forma decreti vsque ad verbum *decernimus*, assurgens Panormitanus, nihil passus est vlterius audiri; indecorumq; atq; iniquum esse clamabat Episcopus Cathanensis, solum Arelatẽsem cum paucis, & titularib. Episcopis rem concludere. Clamabant præterea omnes, qui Panormitano fauebant. Cardinalis quoque Tarraconensis, qui vsq; ad eam horam siluerat, grauiter suos castigabat, qui veluti dormientes & somnolẽti protestationem non legerent, familiaribusque ilico vni ex suis, vt protestationem perlegeret, mandauit. At sicut antea lecturam concordatorum illi perturbabãt, sic nunc Sectarii aduersariorum protestationi locum non dimittebant. Quod vbi Albigaunensis perpendit, scripturam sibi lecturæ afferri præcepit; iamq; vox sonare cœperat, cum subito Arelatensis admonitu Patriarchæ assurrexit, cum multitudine suorum recessurus. quæres apprime Cardinali Tarraconensi, Panormitanoq; placebat, sperantibus se cum suis in Ecclesia remansuros. iamq, suos vt remanerent, & conclusionem Arelatensis reuocarent, atque aliam facerent, adhortabantur. Erat in concione, suoque loco Georgius Protonotarius de Bardaxina, paulo inferius sedens, quam suus aunculus Cardinalis Taraconensis. Hic, vt vidit Arelatensem surgere, ipse quoquẽ leuitate iuuenili recedendum sibi statuerat, vocãtiq; se aunculo, & vti maneret præcipienti, præcipiti arrogantia inflatus, abreptusq;; Absit à me, *inquit*, pater, vt in vestro conuẽticulo maneam, vtq; aliquid agam, quod iureiurando à me præstito sit aduersum. quo facto, & contumaciam animi sui patefecit, & sectarios eorum quæ facturi fuerant remanentes admonuit: tantumq; audacissima voce sua potuit, vt plerique abscedentem iam multitudinem, partim nutibus, partim vocib. reuocauerint, ipsiq; vt sederent Arelatẽsi & Patriarchæ inclamauerint, ne vacuã aduersariis, & quietã dimitterent Ecclesiam. numq; in maiori discrimine fuerunt sectarii. Si n. Panormit. cum suis in Ecclesia remansisset, multi ad eum defecissent; & is contrariã conclusionẽ fecisset, eamq; vtpote validam, quia vltimã magnificasset. Ergo multitudo à Georgii voce reuocata, subito resedit, & fores obseruatæ fuerunt. interea Matth. Albigaunẽsis Episcopus, protestationem, nullialterĩ q̃ sibi legebat. nec n. præstrepitu poterat audiri. Quo finiente, tam Lombardi, q̃ Cathelani, protestationi adhæserunt. Cardinalis quoq; Tarraconensis, adhærere se istis ipsis dicens, admirationẽ sui reddidit, & subridentib. aliquibus; Quid irridetis me, ait, insani? Oratores mei Regis à vobis dissentiunt; quid mirum est, si ipsis consentiam? Atq; cum hisce sermonibus, & ipse, & omnes fere Aragonẽses, Longobardiq;, & Castellani discesserunt: cæteri oẽs restiterunt. Et licet hora esset admodum tarda, (iam n. duæ post meridiem effluxerant horæ) videns Arelatensis quietum esse conuentum, priuatarum personarum legi negotia iussit: quib. finitis, publica quoque iterari præcepit, iterumq; & conclusiones, & formã decreti legi voluit. Remanserunt in congregatione Oratores Imperii, cum Oratoribus Franciæ, inuicemq; de rebus gestis confabulabantur; nec, quid legeretur magnopere aduertebant. Audiuit tamen verbum de conclusionibus Turonensis, versusq; ad Lubecensem; en inquit, res iterum fidei agitur; abeamus hinc obsecro, ne scandalum simus aliis, neue à cæteris Oratorib. dissentire dicamur. Cui Lubecensis: Mane, inquit, Pater, mane sic. Nunquid non verissimæ huiusmodi conclusiones sunt? quid tu hic timeas pro veritate fuisse? Nec ista à multis audita sunt: submissa namq; inter se voce sermones serebant. Æneas tamen Syluius, qui ad pedes illorum sedens, quæ ipsi dicerent verba cupide obseruabat, audiuit. Arelatensis autem lectis omnibus quæ necessaria reputauit, petentibus Promotorib. concluſit, & facto fine concionem dimisit.

Aliæ delibe ratio inter Longobar dos & Aragonen.

Post hæc deliberatum est inter Longobardos & Aragonenses, aliquantisper à Deputationibus abstinere: quod nec diu, nec omnes seruarunt. Pluribus tamen diebus tranquilliores habitæ sunt Deputationes, nec vsq; ad quintam & decimam Maii diem quicquam relatu dignum est actum; quæsitaq; interim cõcordia inter discordes, nunquam potuit reperiri. Vtq. illuxit Veneris dies, quæ fuit Idibus Maii, vocatus in concionem Nicolaus Amici, Promotor Fidei, quæ superioribus diebus acta essent, succincte repetiit, vtq; indicere sessionem Arelatensis posset, explicauit, & in crastinum sessionem indici postulans, Cardinalẽ Arelatensem, Episcopos, & reliquos inferiores, ne vel officio, vel iuramento suo deforent interpellauit. propter hæc verba, iterum certatum est. Arelatensis namque, vt requisitus fuerat sessionem indixit, vtq; omnes cum ornamentis adessent, horratus est. Lubecensis autem, suo, & Protectoris nomine protestatus est, se sessioni faciendæ minime assentiri, si qua in parte intelligẽtiæ per Oratores Principum Maguntię habitę derogaret. Eiusdem protestationi accessit Georg. miles Coambasiator eius. Protector Cęsareus, vt se nominari per Lubecẽsem agnouit, miratus aliquantisper quid esset, ac per interpretem certior factus, nequaquam se, *ait*, Lubecensis protestationi accedere, nec se aliquid actorum Maguntinorum nosse; se missum ab Imperatore ad congregationẽ Basileensem; habere se sua mandata, quorum recte meminisset, illisq; obediturum se esse. Post hunc Conchensis Episcopus, protestationis contra sectarios solitæ tenorem repetiit. Inde Panormitanus, mirari se supra modum ait, quod Procurator Fidei Prælatos ad sessionem requireret, quod à suo officio esset alienum; nec debere illum Presidentis vicem vsurpare. iterumque de contemptu Prælatorum conquestus, addidit; *rem præsentẽ, statum Apostolicæ sedis tãgere, eamq; ob causam debere, priusq; sessio fieret, sedem ipsam audiri. Nec curandũ esse, q̃ id Constantiense Concilium videretur decreuisse, q̃ modo ageretur: cum Constãtia, non fuisset auditus Ioan.*

Tumultus à Sectariis fictus.

Papæ XXIIII. nec alius pro ipsa sede locutus, quo verbo, decretum Constantiense in dubium reuocare, & parui facere videbatur.

Hinc à Sectariis tumultus prægrandis, & clamor factus est, vna voce dicentibus; Sanctam esse Constantiensem Synodum, eiusq; fore intemerandam authoritatem. Panormitanus tamen adhuc instans, magno animo, rem ipsam sine Oratoribus Principum perfici nequaquam posse asseruit, oportereq; in re Fidei Episcopos & Principes audire, rutsusque Oratores ipsos consentire non posse, quod in Maguntino conuentu nihil se recepturos promisissent, ex his quæ durante pacis tractatu per eos incepto, vel Basileenses contra Papam, vel Papa contra Basileenses fecisset: nec se dubitare, quin tres primæ conclusiones hæreticum Eugenium declararent, quoniam notorium foret primis duabus Eugenium constantissime contraire. ea propter cum nondum esset sessio celebrata, & liceret ante sessionem cuiq; volenti dicere, rogare se iterum atq; iterum dixit, ne sessio adhuc fieret. Huic Arelatensis nihil dubii fore, respondit, quia ex officio suo Promotor fidei ad rem fidei Prælatos accerseret; & maxime, quia sic Deputatio Fidei, & ipsa tota congregatio sibi mandasset. Ad materiam Prælatorum ait, quia Episcoporum absque vllo dubio maxima esset authoritas: In Conciliis tamen introductum esse, non Episcoporum, sed Concilii nomine fieri conclusionem. Vniuersalem Ecclesiam certas sibi leges in hoc Concilio dixisse, quæ vsque ad hoc temporis inuiolatæ manerent. nec grauem Episcopis inferiorum præceptam esse debere, cum & sub sordido palliolo sapientia, & sub pretiosis vestibus sæpe dementia delitesceret. Debere quoque Episcopos illius Domitii meminisse, qui, vt Hieronymus refert, cur te habeam, *inquit*, vt Principem, si me non habes vt Senatorem? Oportet namque vt Episcopi presbyteros habeant, vt presbyteros; si sibi ab eis, vt Episcopis, honorem cupiunt exhiberi. Nec expectari Principes, ad huiusmodi rei decisionem debere: quia non hic Principum, sed Christi nomine congregata esset Ecclesia, quæ potestatem à Deo non à principibus recepisset; ad quam tutandam non minus inferiores quam ipsos Episcopos cerneret animatos; cum illos non solum bona temporalia, sed vitam quoque ad defensionem Ecclesiæ daturos cognosceret: Episcopos vero aliquos, ne quid temporalitatis amitterent, libertatem Ecclesiæ Principibus vendituros, eosque Iudices & Dominos supra Concilium erecturos. De gestis vero Maguntiæ, nihilum se curare; quia, vt aiunt, sine hospite computassent. Illud autem quomodo stare posset se minime intelligere, quod neque Concilio; neque Papæ obediturus se statuisset, quoniam, aut illi parendum esse, aut isti: tertium nullum esse tribunal, cui foret obediendum, in his quæ vel fidem, vel animarum salutem respicerent. Nec passurum tandem Ecclesiam, vt res suæ aut fidei iudicio Principum terminentur. Nec enim Spiritum sanctum Principibus, sed ipsos Principes illi subesse; seque pro hac conclusione, nec fortunarum amissionem, nec martyrii pœnam formidaturum. Quod autem Panormitanus tam acerrimum Eugenii defensorem se exhiberet, id sibi stupori esse; quoniam nemo illius errata magis, quam Panormitanus alias publicasset, cuius maxime opera & susu, & decretum monitorium aduersus Eugenium fuisset, & suspensio admissa. Vnde ista mutatio nunc esset se penitus ignorare; cum nec vitam Eugenius mutasset, nec stare in tanto schismate Ecclesia posset. Rogare tamen Panormitanum, vt bene aduerteret; an ex conscientia loqueretur. Conclusiones enim quæ modo decretari debeant, fore ad nodum generales, nullamque Summi Pontificis mentionem habere, in eisque veritatem Fidei contineri. Si contra eas sentiret Eugenius, Papam corrigi æquius esse, quam veritatem omitti, Sicque facto fine admoniti omnes sunt, die crastina ad sessionem venire. Protector autem omnes rogauit, ne qui familiares afferre arma in sessionem permitterentur, quia paratus esset saluum conductum Imperatoris seruare, & cum senatu Ciuitatis quoscunque rixantes, ab iniuriis prohibere.

Sessio à seditiosis incipitur.

Vt autem Sabbati dies illuxit, quæ fuit Maii decimus sextus, omnes Sectarii ad horam venerunt, quibus sessio, & seditio cordi erat. Ludouicus Lausannensis Episcopus Missam incepit. Oratores etiam Principum adhuc tentaturi aliquid, in chorum Ecclesiæ venerant, mittentesque Lubecensem ac Cochenses Episcopos, virumque non contemnendæ peritiæ decanum Turonensem, interfuturos se sessioni offerebant, si quatuor adhuc mensibus depositio Eugenii differretur. Hi cum gratum responsum ab Arelatensi, & quibusdam aliis primoribus habuissent, reuersi ad suos muratum esse propositum inuenerunt. Iam enim solam primam conclusionem decretari volebant: sicque iterum Arelatensem interpellarunt. His responsum est, vim maximam in duabus reliquis esse conclusionibus, easque precipue se velle decernere. Si nollent Oratores adesse, scirent concordiam à se fore interruptam, qui noluissent, quod obtulerant, obseruare. Hoc responso, & Oratores discesserunt, & sessio celebrari incepit: nullus tamen Aragonensium Prælatorum interfuit, nullusque omnino ex tota Hispania. Ex Italia, soli Grossetanus Episcopus, & Abbas de Dona, qui in pertinacia vinci noluerunt. Rectores autem, & cæteri inferiores magno in numero Aragonenses fuerunt; & omnes fere, qui aderant ex Italia, Hispaniaque, maximaque tunc Aragonensium & Cathalanorum proteruia in inferioribus emicuit, qui primi ad sanciendas erroneas leges, scindendamque Ecclesiam fuerunt, Exduabus aliis nationibus mitrati fuerunt solum viginti, partim Episcopi titulares, partum Abbates. Alii vero domi latebant, præuaricationem tam execrandã detestantes. Cogitarat Arelatensis, quærat futurum, & vt sacrilegii sui testes haberet ipsos cœlites, rem nouam artificio diabolico commentus, plurimas Sanctorum reliquias tota Basilea perquiri iussit, ac per sacerdotum manus in sessione portatas, absentium Episcoporum locum tenere. Excussit hæc pompa, simplicioribus quidem, & lectatiis lachrymas; viris autem veræ fidei ardore flammantibus, iustam in sacrilegum iram; qui non erubesceret, Sanctorum illorum, qui dum viuissent, Romanum Pontificem vt Patrem Patrum, supremumque omnium mortalium venerati sunt, colenda pignora, ad tam immane spectaculum, quale erat de maiestate Pontificia conculcata triumphare voluisse, in medium collocare. Adfuit propudiosæ sessioni Baro ille Imperialis protector. Erat concio frequentissima, non quidem Episcoporum, qui non multi erant, sed Procuratorum, Archidiaconorum, Præpositorum, Priorum, Presbyterorum, ac iuris vtriusque doctorum, Theologos nullos; inter quadringentos viros qui subsellia impleuerant, numerat Syluius: vt euidens sit, profanam potius turbam ad abominandam sessionem conflauisse. Decretum, Massiliensis Episcopus legit. Eo perlecto, *Te Deum laudamus* decantauerunt.

Execrandã Arelatẽ, facinus.

Fuit Syluius.

Hactenus *Syluius*, *de gestis Basileensium*, vsque ad 17. Kal. Iunias.

Nota. Nota. & Nota.

Post has, magis in reprobum sensum dati, alia æque, & grauiora perpetrarunt. Nam ad septimum Cal. Iulias, sententiam Depositionis, variis calumniis, impostoris, & contumelijs infartam, in Eugenium tulerũ; vniuersiq; Christi fidelibus, ne de cæterο illum pro Pontifice aut agnoscerent, aut haberent, literis promulgatis edixerunt.

XI. *Alia eiusdem Conciliabuli acta.*

Sexto Idus Iulii, iterum calumniis & impostoris cum prægrauare præsumpserunt: vtque schismatico furori speciem oblinirent, more hypocritarum solemni, Sanctorum cultui se esse addictos prædicare desiderantes, materiam de conceptione Beatissimæ Virginis, contra communem id temporis Doctorum Theologorum sententiam determinare, festumque de eadem instituere voluerunt: schismatici, schismati conciliando inter duas nobilissimas sanctissimasque Religiones, quarum Patriarchæ, sibi, & suis posteris dixerant, *Stemus simul, & nemo præualebit.*

Nono Calend. Nouembris, quasi Ecclesia Pontifice iam viduata esset, electionis & professionis formulas, modos, & diem præscripserunt.

Tertio Calend. eiusdem mensis, librum pro authoritate Pontificis Romani, & pro innocentia sua, ab Eugenio Catholicæ Ecclesiæ Episcopo, veritatis graphio scriptum, condemnare ausi sunt. *Summa sessionum Basileæ.*

Conciliabulum Amedeum Sabaudiæ Ducem in Antipõtif. eligit contra Eug.

Ad extremum, cum Albertus Austriacus, *vt Blondus scripsit*, Cæsar declaratus, arcendis à Pannoniæ finibus Turcis intentus vltimum diem obiisset, congregata eadem factio, illius liberata metu, in facinus quod tam perdite, tamq; afflictis diu concupiuerat prorupit, Amedeo Sabaudiæ Duce in Antipontificem electo, cuius electionis modum, *ait idem Blondus*, paucis absoluemus, quibus facillime intelligetur, certasse simul obcœcatam paucorum, & quidem abiectissimorum hominum Ecclesiam scindere quærentium rabiem, cum inaudita alias Principis viri affectatæ in rem Ecclesiasticam tyrannidis leuitate. Is etenim, quem ante proximum decennium multis narrasse nouimus, prædictum sibi à phitonibus, futurum, vt Pontificatu Romano decoraretur, Ducatus, Dominique, quod possideret ingentis curam natis specie reliquit, & anachoritæ vita solo habitu instituta, & si remoto ab vrbibus vico cum paucis nobilibus simili opertis pallio degit, omnia vt erat solitus Ducis atq; Domini prouinciarum munera exercebat. Concilio autem Basileensi, interea quamdiu Romani Pontificis Eugenii consensu celebratum fuit paucos præstitit fauores: sed posteaquam Pontificem, & Orbis Christiani Principes illud tamquam pernitiosum execrari vidit, omnes eo augendo manuque tenendo adhibuit vires: adeo vt quibus temporibus proximo superiore exacto biennio, suspensionis ab administratione primum, deinde priuationis machinationes in Pontificem sunt intentatæ, impulsi à Duce Sabaudiæ Clerici, aliorum qui apud Basileam ei interfuerunt impietati, numerum æquauerint. Quibus in rebus adeo contraria sensit Philippus Mediolanensium Dux, vt licet illi gener esset, & multæ sibi olim cum Eugenio Pontifice intercessissent odiorum atque inimicitiarum causæ, magnam suorum partem ab eo conciliabulo reuocarit; paucos vero qui manserunt; nedum actionibus illis interesse noluerit, sed contra simul cum aliis Principum Oratoribus protestari curauerit. Quare cum ad idoli erectionem est ventum, ex quinque Orbis nationibus quæ Concilia constituere consueuerunt, selecti sunt, quibus suffragium ferre concessum est tres & triginta, quorum duodeuiginti ex Ducis Sabaudiæ dominio fuere: cum tamen cæteros homines sordidos, & maiori ex parte ob admissa apud suos flagitia sedibus propriis pulsos illius largitione corruptos fuisse constiterit. *Blondus decad. 3. lib. 10.*

XII. *De electione Amedei Antipont. depositio à Basileen. Eug. ex S. Antoni.*

Æqualis narrat Sanctus Antoninus de Sabaudo. Non multo ante, *ait*, Dux Sabaudiæ potens in dominio, & non minus in diuitiis magnis cõgregatis, spiritu, vt creditur, & rei exitus demonstrauit, ambitionis ductus, curam regiminis temporalis filio relinquens, habitum eremiticum simulata religione assumpsit, locum quendam Ripaliam ad habitandum cum aliis eligens. Qui igitur in Basilea congregati erant, inter quos aliqui priuati Episcopatu & dignitatibus suis ab Eugen. propter sua scelera, suam temeritatem prosequentes, depositio Eugẽ. de Papatu, erexerunt sibi in idolum prædictum Ducem Sabaudiæ Amedeum, quem apostaticum factum Felicem nuncuparunt, qui in thronizatus non in sede Petri sed Luciferi, qui sedẽ suam posuit ad Aquilonem, aliquos anti Cardinales instituit, & inter eos Magistrum Ioannem Raguseum sacræ Theologiæ Professorem Ordinis Prædicatorum, qui multum laborauerat in sermonibus & disputationib. in fouendo conciliabulo: sed cito morte subtractus est. Alter fuit Abbas Siculus tunc Panormitanus Archiepiscopus, qui stipendiatus vna cum Domino Ludouico Romano magno Salario à Rege Aragonum ad Eugen. parum affectum, ex eo quod iustitia dictante ei prohibuerat terras Regni Neapolitani inuadere, cum ibi nullum ius obtineret; multum operabantur in fauorem conciliabuli & infelicis creati. Sed quales oro veritatis amatores? qui prius pugnas verborum pro Eugenio fecerant multas, à veritate auersi, & venales effecti, iam contra ipsum pro infelici Felice præliabãtur. Et Abbas quidem in mercedem suæ iniquitatis pileum recepit; quem tamen inde postea recedens dimisit Panormum reuersus; Ludouicus autem in breui vita functus est. Et per hunc modum Basilea peperit Basiliscum. Hunc tñ, ne veneno suo schismatis inficeret alios, Eugen⁹, Florentiæ degens, maturo consilio super hoc habito cum Cardinalib. suis & aliis Prælatis Ecclesiæ, & cõsensu, in publico cõsistorio, orationib. solennib. præmissis, ne videretur iuore vindictæ non zelo iustitiæ, procedere, sententiam excommunicationis fulminauit cõtra illũ Amedeum apostaticum, & omnes eius sequaces. Et siquidem immẽsa cupiditas eum non deuicisset, sed thesaurum suum per tempora cõgregatum exponere voluisset, satis dilatasset obedientiã suã, quæ tãtũ fines territorii sui nõ excessit, & quasi violẽter à suis extorta est. Deus a. eliciens ex malis bona, maiorem permisit in eo auaritiam & ambitionẽ superare, cum pro sui antipontificatus exaltatione pecunias suas noluit diminuere, sed ex ipso studuit eas augere, beneficiorum vacãtium fructus sibi reseruãs, & alia exercens, ex quibus diuitias accumularet. *S. Antonius. 3. p. sit. 22. c. 10 §. 4.*

XIII. *A quibus & quo ordine intrusus fuerit Amedeus & quas vindicias experti fuerint tunc schismatici ex Syluio.*

Æneas Syluius, qui actionib. conciliabuli interfuit, à quibus, & quo ordine intrusus fuerit in cathedrã pestilentiæ Amedeus, quidue id temporis vindiciarum in schismaticos contigerit, vsque ad minutias describsit, quæ propter notitiam multarum rerum, expunctis tamen vel immutatis nonnullis, quæ ipse postea voluit esse obliterata, ne authorizare acta Basileensium videamur, quæ toto orbe Christiano damnata. Narrat ergo, lib. 2. de gest. Basileen.

Depositio Eug. vocatisq; ipso die priorib. Basileensiũ in Capitulari loco maioris Ecclesiæ, an expediret illico nouum creari Pontificẽ, an in tempus differri, consultatum est. Quib. festinanda electio videbatur, dicebãt, plenum esse periculis, dictæ congregationi huiusmodi sine capite gubernari. Morbum esse in tota vrbe pestiferum, qui non solum pueritiam & iuuentutem, sed ẽt viros fortes ætate, & aridos senes quibus innoxia pestis esse solet; depopularetur; eamq; luem primo ex aduenis ad pauperes vrbis, & inde ad diuites, deniq; etiam ad ipsos Conciliabuli patres aduolasse prædicabant, timoremq; augebant. Decretum nequaq; obstare, quo tantum esset 60. dieb. post depositionem supersederi. Id nãq; intelligi, si extra locum conciliabuli agendum esset. nec expectandum esse, vt Principes Eugen. obsequentes obsisterẽt; quib. vnico nuncio scribẽda foret, & Eug. depositio, & alterius intrusio. Alii quib. supersedendum esse videbatur, nec illos capite Christo carere asseuerabant; nec Rectorem desiderari, cum præsidens & alii officiales gubernarent. Pestis autem in tali re rationem non esse habendam; quoniam nec timenda esset mors viris fortibus, nec illis pro tali actione satagentibus inijci metus tormenti possit. Principibus vero in re tam ardua, inuitis potius

Pestis Basileæ grassatur horrẽdæ nec tamen locũ deserere volunt.

quam neglectis vtendum esse; nec verendum fore, quin eo casu fortes fortuna sit adiutura. Re igitur inter omnes trutinata, licet tot homines quot sententiæ forent, & suus cuique mos esset, constare tamen inter omnes videbatur, vtillus esse statim eligere, differre honestius. Eam ob causam Ioannes Segouius, bimestrem dilationem suadens, electionem quidem festinam humani, eam vero dilationem diuini consilii se putare affirmabat, dicebatque, honestatem potius periculosam sequendam, quam vtilitatem securam. Vix peruicit Segouius, vt duobus mensibus expectandum esse decreuerint. Interim missi ad Principes nuntii, depositionem Romani Pontificis in conciliabulo factam, vbiq; gentium publicarunt. Corruptus tamen interea cœli tractus, & lætifer annus nequaquam purgabatur, sed crescente in dies tabida lue, linquebant plurimi rapidas animas, aut ægra trahebant corpora. Quare orta est subita trepidatio Basileensis Synagogæ pseudopatribus, nec quid agerent, satis consultum habebant: neq; enim tutum se transferre putabant, neq; manere. Miseri, & obcœcati, plagam diuinam illos dissipare, consiliaq; eorum interuertere conantem agnoscere recusabant, vt dati in reprobum sensum, maiora & acerbiora sibi apud inferos supplicia accerserent. Itaq; ex Arelatensis decreto permanendum duxerunt; qui recusassent, eos tenuerunt, quia tamen non omnes teneri poterant, caute prouisum est, ne per cuiusquam recessum dissolui Conciliabulum videretur, lecti sunt ad huiusmodi curam nonnulli, quos de stabilimento appellauere, quorum postea in longum tempus potestas duravit. His impositum, vt recedere Basilea volentes, artibus, vel manibus detinerent. Cumque iam steriles exerceret Syrius agros, omnesq; arerent herbæ, latius tamen vndique grassata est pestis, & feruescens dietim morbus, incredibile est quantas animas orco dimiserit. Horribile erat visu, horatim funera per vicos exportari, semperq; aut Dominicum corpus, aut vnctionis extremæ Sacramentum in viatum compitis esse; & vbique planctum, vbiq; gemitum exaudiri. Nulla expers luctus in tota Basilea domus patebat; nullibi aut risus cerni, aut iocus poterat; illic matronæ viros, illic viri vxores deflebant. Ibat per vrbem vterque sexus, & illi natos, illi parentes, alii fratres, alii amicos desiderabant. vt tamen pauidior quisque fuit, sic alter alterum sermone vitabat. Et alii quidem domi manebant, alii vero per vrbem euntes natium & orbis spiracula, captatis aduersus pestem odoribus, claudebant. Cadebat sine numero vrbana plebecula; vtq; in primo autumni frigore syluarum folia concidunt, sic iuuentutis corpora spiritu exhausta decidebant, tantaq; vis morbi fuit, vt aliquem nunc validum in platea cernes, post horam decimã humatum fore audires. iamq; tot erant morientium funera, vt loca deforent sepulturæ. Quapropter exaratis omnibus cœmeteriis, foueas in parochiis pexamplas fecerant, vbi pluribus congestis cadaueribus terram superinduxerunt. Quamobrem ita exterriti erant Synagogani, vt nullus iam in eorum facie sanguis rubesceret. permaxime tamen inopina & subita mors Ludouici Protonotarii cunctos exterruit, quẽ virum robustum, ætate florentem, trigesimum excedere annum, & antipapam quem optabat videre, mors acerbissima non permisit. Cecidit & Ludouicus Patriarcha Aquilegiensis, nec quem optauerat diem electionis antipontificis potuit cernere. Eius obitus, fuit omnibus Synagogauis amarissimus: iamq; duas conciliabuli columnas prostratas esse dicebant, quoniam alter ex iure detorto, facto alter temeritatem & hæresim Basileanam defendisset. Per idem temporis, alii etiam hostes Eugenii occubuere: in terra Suitzerorum, eleemosynarius Regis Aragonũ; Argentinę, Ebronẽsis Episcopus; Spiræ, Abbas Vergiliacensis; inter Budam ac Viennam Austriæ Ioannes Lubecensis Episcopus: in Bohemia, Philibertus Constantiensis Episcopus, Basileensium Legatus; Basileæ, Abbas de Dona. Cumanæ diœcesis. Ex camera Arelatensis, percussus Henricus capellanus, triduo expirauit. Ex officio Scriptorum Bullarum octo defuncti sunt, & inter hos Arnoldus Kempenich rescribendarius; ex Scriptoribus pœnitentiariæ, totidem vel plures ceciderunt. Ex Doctoribus magnus defecit numerus. Qui ægritudinem incidebant, admodum pauci liberabantur. Omnis ordo Synagoganorum confossus fuit. Æneas Syluius Senensis triduo morti vicinus iacuit; seruatus tamen diuino beneficio fuit, vt malitiam & proteruiam Basileanorum aliquando erubesceret, denunciaret, & conturbaret. Ex eius amicis Iulianus Romanus, & Ioannes Pinanus Rothomagensis, in rebus conciliabuli promouendis inter primos colloeati, obierunt. Singulis diebus, plusquam centum funera apparebant: Basileani tamen, gigantea contumacia obdurabant: ab exemplo Ludouici Arelatensis, qui quamuis pestis ferueret, excedere noluit; quantumcunq; ab aliis ad discedendum vrgeretur. Maluit non sine vitæ periculo, tot animas in præcipitium damnationis secum trahere, quam se & illos vtriq; discrimini sanus eripere. Istud hominem detinuit, quod verebatur, ne se recedente, pauci aut nulli remanerent, aut consilia sua inuerteret. Itaq; quod in re pecuaria accidere solet, vbi arietem gregis ductorem, reliquum pecus, etiam ad lanienam certissimam sequitur; sic Synagogani pestem erubuerunt fugere, cum præsidentem secum permanere viderunt. Quæ res opinionem illorum confirmauit, qui Basileanos obduratæ mentis & frontis esse affirmarunt, per mille pericula, in barathrum perditionis, per proditionem veritatis ruentes.

Æneas Syluius diuino beneficio seruatus.

Transactis autem post depositionem Eugenii diebus decreti, visum est illis ad antipontificis intrusionem attendendum: habitisq; inter primates de modo procedendi sermonibus, tandem in Deputationibus, & in plenaria congregatione conclusum est, 32. ex corpore Conciliabuli assumi debere, omnes in aliaconatus Ordine constitutos, qui facto iureiurando per conciliabulum ordinato, vna cum Cardinale Arelatensi conclaue Chore, Dathan & Abirã intrantes, pseudopontificem eligerent. Deputationi tamen, cui de Communibus nomen est, soli 24. ad celebrandam electionem, recipiendi cum Cardinali videbatur, eosq; in Sacerdotio constitutos requirebat. Obtinuit vero, vt semper fiebat, quod tribus placuit. Quapropter super ea re decretum factum est. Præparata domo conclauis, ad nominationem illorum XXXII. suffragatorum, circa ipsum Octobris principium ventum est, fuitq; res primo ingressu apprime difficilis; & aliis quidẽ vno, aliis alio modo nominare illos placebat. Guilhelmus Archidiaconus Metensis, tres compromissarios, qui & antipontificem, & reliquos XXIX. illius Electores, designarent, nominauit, illisq; tem tuto posse committi, non sine tamen ingenti præcedente contentione, ppositi, sc. Thomam Abbatem de Dunduno, Ordinis Cistercienſis, Diœcesis Candidæ casæ, vulgo de Græcia nuncupatum; Ioannem de Segouia, Archidiaconum de villa Vissopa in Ecclesia Metensi, ac Thomam de Corcellis, Canonicum Ambianensem in sacra Theologia Magistros. Ea compromissariorum cum tali potestate pronunciatio, soli Deputationi Fidei placuit; reliquis fraudem suspicantib. probari non potuit: quamquam Franciscus de Fuxe Minorita Theologus, & Æneas Syluius, missi à Deputatione Fidei, illis persuadere conarentur. Quoniam tamen nulla per alios expeditior aut securior via demonstrabatur, stetit Deputatio Fidei in eadem sententia, interiectisq; nonnullis diebus, iterum Franciscum atq; Æneam prædictos ad alias Deputationes destinauit; eo addito, vt si placeret Deputationibus aliis, virum alium sibi tres illi compromissarii coassumerẽt; ne maximum omnium Germanica natio, nullum se inter tres viros habuisse posset conqueri.

XIV. *Conclusio Conciliabuli de eligendis 32. qui conclauiẽ pro Antip. eligendo ingrederentur.*

Protonot. & Aglegpeste extincti vna cũ aliis Eug. Hostibus.

Delecti tres viri Compromissarii pro eligendis 29. aliis ad creationem antip.

Post multas coarentiores, in hanc sententiam conuenerunt. Nominati & electi sunt tres viri supradicti, pro tribus ex Electoribus pseudoPapæ; hisq; plenaria facultas commissa est, assumẽdi si vellent secum vnum, duos, aut tres alios, prout eis videretur: qui sic assumpti eandem secum potestatem haberent, facultate, mandato & vice conciliabuli nominandi reliquos XXIX. Electores pseudoPapæ, & Officiales pro conclaui necessarios. Maior pars eorum quem nominasset, ille esset electus. Electores assumerentur ex corpore conciliabuli, habito respectu ad nationes. Receptum est à prædictis tribus iuramentum, quo adstricti sunt viros idoneos nominare; nominatos, vsque ad publicationem iussu conciliabuli faciendam, nemini reuelare, sed ipsam electionem, sic per eos celebrandam, sub eorum sigillis, in loco securo, & sub fida custodia, vsque ad ipsam publicationis diem tenere. Ead tertio Idus Octobris in generali congregatione paracta, & concluſa, videbatur Cardinalis Arelatensis, siue conscientiæ stimulis agitatus, siue aliquo humano affectu, præter omnium opinionem differre. Vnde, alii quidem eum mordebant, alii contra ipsius intentionem properari electionem studebant. Inter hæc redeuntibus Basileam quos pestis fugauerat, volentes tres viri commissionem per Conciliabulum factam exequi, coassumpto sibi Christiano de Gregegino, Præposito Eccleſiæ Sancti Petri in Bruna Olomucensis diœceſis, quinto Calendas Nouembris, in domo Fratrum Minorum conuenientes, nominationem sibi commissam peregerunt, eamque iuxta mandatum conciliabuli obsignatam custodiuerunt. Postridie; quid egissent, conciliabulo renunciauerunt. Studio partium facta sunt omnia: cum aliqui circumcursantes, laudabant amicos, inimicos carpebant. Et vt rem ex ambitu peractam fuisse nemo nesciret, quanto res secretior erat, tanto maior cupido sectarios vrebat: ex quibus alii iam festiuas præinduerant vestes, alii seruitores nouos conduxerunt, alii etiam domum amicis commendauerant, qui se futuros in numero Electorum arbitrabantur: quorum non nemo, cum se supra virtutem æstimaret suam, ridendum se exhibuit. Cardinalis autem Arelatensis in hac re, vtpote ingentis periculi, anxius, tardius venit quam tempus exegit, expectationemque sui non sine admiratione omnibus præbuit: qui tamen, vt ad subsellia resedit, mora sua primitus excusata; Hodie, inquit, magna res agitur; in nominatione quæ statim aperietur, salus omnium nostrum pendet. Si tres viri, quibus rem commisistis, bene egerint, fateor quippe tardiuscule me veniſſe. si autem male! nimis cito assum. Hæc verbis & voce trementibus, & ore pallido, atque ex abundantia cordis pronunciauit: qui sic locutus, aspectu tristis, animo turbatus, & oculis minax cunctis terrori erat, tantumque mentis mœrorem ostendit, vt plurimi collachrymati sint, qui in eius fronte statum suum condiscerent. verebatur plurimum ne tres viri spretis maioribus Prælatis, plures ex inferioribus accepissent: quæ res eo erat suspectior, quoniam numquam scire aliquid de mente triumuirorum potuerat: qui vt corrugatam tunc Cardinalis frontem inspexerunt, quasi post coruscantem aerem se ad sustinendam procellam parauerunt. Timor præterea omnibus fuit, ne illo die iterum scinderetur Ecclesia, periculosiorque illo tumultus formidabatur, quem loci alias electio peperit. Iam enim vt quisq; mente conceperat, aut laudationi, aut vituperationi trium virorum se accingebant. His cognitis; visum est tribus viris, ante aperturam tabularum, parumper sermocinari, & animos audientium prius placare quam læderentur, nominationisq; suæ tunc causas aperire, cum possent audiri; præuertentes, ne post vulnus inflictum, nullus esset auditor. Itaq; post aliqualem præfationem, maximam se habuisse rationem vniuersi cœtus ostendere voluerunt; eaq; propter in electis magnam curã adhibuisse, ne vel Episcopum sine plebe, vel Abbatem sine Monasterio assumerent, in omnibus autem per se nominatis, aut bonitatem singularem, aut nobilitatem cum bonitate, aut scientiam cum bonitate & nobilitate, per præoccupationem dixerunt. & in Episcopis quidem cum Cardinali qui Episcopus esset duodenarium numerum esse impletum, Abbates septem, Theologos quinque, Doctores nouem; omnes autem in præsbyteratus ordine constitutos. Alios quoq; Officiales à se nominatos; Vicecameratium quidem vnum; custodes Cõclauis octo; ceremoniarum Clericos duos; Promotores duos; Procuratorem fiscalem vnum; Soldanũ vnum: circa quam nominationem se habuisse oculum, & ad Deputationes, vt fuerat iniunctũ. His dictis, aliquantisper multitudinem placauerunt.

Card. Arelat. ante nominationẽ mœror & turbatio.

Catalogus nominatorum à Cõpromissariis.

Facto silentio, apertæ sunt nominationis tabulæ, quas Ioannes Segouius legit; vtq; appareret, cœtum istum pertinuisse ad illum, vbi nullus ordo, sed sempiterna confusio, & ex confusione sempiternus horror inhabitat, fuit in nominatione prætermissus ordo nationum. Vidit eam miscellaneam turbam, qui interfuit. Æneas Syluius, & ordinem reuocare volens, hoc ordine catalogum nominatorum perscripsit.

Primus extra ordinem, Ludouicus Cardinalis Arelatensis, Ordinis sui macula, schismaticorum & apostatarum ante signanus; sine quo nulli Prælati in Conciliabulo persenerassent, nullusque Principis vmbra eos protexisset: cuius temeritate, omnia quæ Basileæ acciderunt, gesta sunt: vir, & odii in Eugenium incredibilis; & peruicaciæ, procaciæq; insuperabilis.

Ex Italica natione. Episcopi.

Guillelmus Vercellensis Episcopus, Eusebii prædecessoris sui viri sanctissimi defertor.

Georgius Augustensis Episcopus, clarissimæ Salutiarum familiæ probrum.

Ioannes Eporegiensis Episcopus, Iuuenis præfractæ audaciæ.

Ludouicus Taurinensis Episcopus, dignus, cuius candelabrum de loco suo moueretur.

Abbates.

Alexanius S. Benigni Fructuariensis, Carrectanæ nobilissimæ domus, næuus.

Iacobus de Secusia.

Doctores.

F. Ioannes de monte Comito, præceptor domus S. Antonii de Rouersio, Ord. S. Antonii.

F. Bartholomæus de Proauis, præceptor domus Clauacro eiusdem Ordinis.

Ex Gallica natione.

Ioannes Tarantasiensis Archiepiscopus.
Franciscus Sebensis. } Episcopi.
Bernardus Aquensis. }
Ludouicus Massilienſis. }
Raymundus Abbas Conchensis. }
Nicolaus Tibour. Normannus. }
Ioannes de valle. Brito. } Doctores.
Thomas Corcellis triumuir. }
Guill. Hugonis Archidiac. Metensis. }

Ex Germanica natione.

Fridericus Basileensis Episcopus.
Conradus de Luzella. } Abates.
Thomas de Scotia triumuir. }
Derslaus Archidiaconus Cracouiensis Polonus.
Ioannes Vuxler Decanus Basileensis. }
Henricus de Iudæis. } Doctores.
Iacobus de Salzburga Canonicus Ratisponensis. }
Christianus triumuir. }

Ex Hispanica natione. Episcopi.

Dertusensis. qui conciliabulo, dum sententia depositionis legeretur, arrogantissime præsedit: fidus Achates Arelatensis.

Georgius Vicensis: qui Oratoribus Principum pro Eugenio conantibus, contumaciſſime ſe oppoſuit.
Ludouicus Viſenſis.

Abbates.

Petrus S. Cucuphatis. & Antonius Arulatis.

Doctores.

Bernardus Baſcho Canonicus Ilerden. Raymundus Albioli Canonicus Tiraſonen. & Ioannes de Segouia triumuir.

Ex Anglia, nemo adfuit.

Officiales conclauis.

Ludouicus Epiſcop. Luſanenſis. vice Cancellarius.
Porcenallus Epiſcopus Bellicenſis,
Nicolaus Groſſetanus.
Ioan. S. Mich. de Clauſa Taurin. dioeceſis.
Franciſcus Abundantiæ,
Franciſcus de Fuxe Minorita.
Guillelmus de Conſtantia Canonic. Spir.
Ioan. de Turricella, Decan. Segobricenſis.
Theodoricus Nagel Canonic. Rigenſis.
} Cuſtodes.

Clerici gratia ceremoniarum.

Æneas de Piccolominibus, Senē. Canonic. Triden.
Michael Brunon. Canonicus Beluacenſis.

Promotores.

Hugo Gherardi, & Ioannes Slitzentrode.
Procurator Fiſcalis, Robertus Magnani.
Soldanus, Petrus de Atro.

XV. *Seſſio pro Antipont. eligendo.*

Hos omnes Concilium triumuirale deſignauit; Arelatenſis ꝓbauit; tuncq; primum exhilarat' eſt, qui vſq; ad publicationem eorum trepidus, ſtupidusq; permanſerat. Conclauis cubicula, poſt multas contentiones, ſortitione diſtributa ſunt, ita vt Doctores permiſceretur Epiſcopis. Tertio Cal. Nou. quæ fuit dies Veneris, habita eſt generalis congregatio, deinde ſeſſio: Miſſam celebrauit Arelatenſis; ſermonem, poſt Euangelium decantatum, Marcus quidem Theologus ad ſuffragatores habuit, & in eo multa indigna procaci lingua in Eugenium iactauit. Erat templum vbique populo plenum; ſtabant inter columnas ſuperiores nobiles vrbis matronæ, reſpectumque in concionem habentes, confuſionem rerum non ſine ſcandalo conſiderabant, iſtud videlicet ad turpitudinem defuerat, vt fœminas, iactatione contumeliarum in abſentem Pontificem, ſcandalizarent. Aderat Ioannes de Tierſtein Comes, qui loco Imperialis protectoris cathedram adimplebat. Aderat Conſulatus Vrbanus, & alii complures nobiles, rem inſolentem conſpecturi. Extra Eccleſiam quoque ciues in armis erant, ſi quis motus conſurgeret prohibituri. Innumerabiles ad ſpectaculum rei confluxerat populus, vt neq; in templo, neq; in plateis poſſet recipi, magnaq; vndiq; intra & extra Eccleſiam haberetur preſſura. Intra Miſſarum ſolennia, ſuffragatores, non diiudicantes corpus Domini myſticum, corpus Domini verum, ad iudicium ſibi manducauerunt, communicante eos Arelatenſi. Miſſa indigne peracta, infulati, vna cum aliis conſederunt: Ludouicus Epiſcopus Lauſanenſis ambonem conſcendit, triaq; per ordinem legit; 1. reſponſionem friuolam, ad Bullam Eugenii contra ſchiſmaticos editam. 2. limitationem quandam, circa decretum de electionibus ſanctum. 3. nominationem triumuiralem, quam conciliabulum approbauit. His lectis, interrogati Synagogani, vtrum placeret; reſponderunt, Placet. Poſt hæc Lauſanenſis requiſiuit iuriſiurandi formulam à ſuffragatoribus præſtandam publicę legi, Electoresq; iuxta conciliabuli ordinationem iurare. Præſtito ab illis iuramento, quo qui viuificum Chriſti corpus quod præſumpſerunt, vouebant, ſeque aſtringebant, nihil ſe quæſituros ꝙ Chriſtiani populi ſalutem, & vniuerſalis Eccleſiæ bonum: illudq; omni ſtudio curaturos, ne authoritas conciliabuli vilipenderetur, ne fides quam mentiti fuerant Catholicam expugnaretur, neue Synagogani in conciliabulo perſiſtentes poſſent opprimi; etiam Officiales conclauis iureiurandum ſuo officio accommodum dixerunt. Vſq; ad tertiam pomeridianam hoc negotio protracto, ac Te Deum laudamus decantato, egreſſi ſunt pueri admodum multi in ſtolis albis, longum Proceſſionis ordinem facientes; hos ſecuta eſt pars vrbani Cleri, deinde incorporatorum multitudo cum Doctoribus, & vniuerſitatum Oratoribus; exinde Sacerdotes vrbani, excolēdas Sanctorum reliquias in vlnis geſtantes proficiſcebantur: mox Ludouicus Lauſanenſis crucem argenteam ante ſe habens, ſequentibus quatuor clericis incedebat: poſt eum Cardinalis Arelatenſis, mitra & auratis veſtibus refulgens, populo ſeducto benedicēs; exinde infulati Epiſcopi & Abbates, ad proceſſionem ornati, innumerabili populo ſubſequente, vſque ad oſtium conclauis ꝓdierunt: vt vero ad concluue ventum eſt, receptis Electoribus, Officialibus, & nonnullis familiaribus, cæteri excluſi ſunt. Sed quoniam de conclaui ſermo incidit, non eſt abs re illud deſcribere. Domus erat in medio vrbis, apud plateam cathedralis Eccleſiæ, loco edito & patenti, quam nobiles quondam in vſum ſtruxerant chorearum. Hæc itaque domus, quæ fuerat laſciuiæ campus, & in qua vitia triumpharant, deputata eſt pro conclaui: operante illo, qui ad eam reuertens mundatam, ornatamque, aſſumpſit ſecum ſeptem nequiores ſe, ad habitandum ibi inter filios ſuperbiæ atq; mendacii; vt ſc. nouiſſima eiuſdem domus ſcelera, deteriora eſſent prioribus. Camerarum forma plerumq; quadrata fuit, perbreuis tamen, & anguſti vix lecti, vnius q; menſæ capax: luce autem omnes fere carebant, exceptis admodum paucis, quæ ſpiracula quædam in angulis conclauis habuerunt. in mediis vero cellulis perpetua manſit obſcuritas, nec ſine candela aut legere, aut eſſe potuit quis q̄: noxque vna iis fuit dierum ſeptem: vt appareret illos qui ſe ea obſcuritate damnauerant, filios fuiſſe tenebrarum, dignos qui in illum ſupremum coniicerentur carcerem, vbi tenebræ palpabiles, & horror ac ſtridor dentium. Nam & huius præludia, in eisdem cubiculis præſenſerunt: quæ in ſolo poſita frigidiſſimo, loca piſcibus magnis quam humanis apta corporibus præbuerunt. Quocirca oēs qui ea inhabitauerunt, reumaticum morbum ex nimio humore contraxerunt; vnde tang̃ alter alterum irrideret, tuſſientes inuicē reſpondebant. Nec illi frigori vllum erat remedium: veſtes n. & villoſæ pelles magis grauabant q̄ calefacerent: ignē vero habere loci anguſtia, nec periculū, nec fumus permittebat: quo indicio ſignificare volebant, ſe ad illas Apocalypticas locuſtas ꝓtinere, q.b. *data eſt poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ: quarum ſimilitudines ſimiles equis paratis in prælium, & ſuper capita earum tamquam coronæ ſimiles auro, & facies earum tamquā facies hominum. & habebant capillos ſicut capillos mulierum, & dentes earum ſicut dentes leonū erant; & habebāt loricas ſicut loricas ferreas, & vox alarum earū ſicut vox currū equorum multorū currentium in bellum; & habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earū: & poteſtas earū nocere hominib. menſib. 5. & habebant ſuper ſe Regē Angelū abyſſi, cui nomen Hebraice Abbadon, Grace a. Apollyon, Latine habens nomē Exterminās. Stellæ decidua in terrā, habebat clauem putei abyſſi fumātis, ex qua locuſtæ cum fumo eruperunt.* Similes his locuſtis, Baſileenſes, in teterrimo illo, frigidiſſimo, fumanteq; carcere cōcluſi.

Conclauis deſcriptio.

Non eſt difficile vnicuiq; lectori, ex factis, facie eorum & habitū, illis locuſtis cōparare; ego reliqua conclauis explicabo. Murus cōclauis, & craſſus vndiq;, & altus fuit; oēsq; feneſtræ clauſæ fuerunt, paruis admodum foraminib. ad cōmune lumen dimiſſis. Exterius vero ét cancelli circa conclaue fuerunt; nec appropinquare muro aliquis poterat, niſi armati cuſtodes, qui die noctuq; intra ipſos cancellos excubabant. In media parte ipſius conclauis in modum feneſtrę oſtiolum fuit, & hoc quidem duabus exterius clauibus, vna interius claudebatur. & illarum quidem alteram vice-Camerarius, alteram Protector cuſtodiuit: iſtam vero Cardinalis Arelatenſis habuit; nec vlli vnq̄ tradidit; niſi

ceremo-

ceremoniarum clerico Æneæ, cum aut admittendi cibaria, aut emittendi cœnarū reliquias fuerat tēpus: bis namq; ante prandium, & toties poſt prandium reſerabatur oſtiolum: bis etiam reſpiciebantur fercula, bis remittebantur fragmenta; quibus in rebus his modus obſeruabatur. Erant in cōclaui familiares, qui dominis ſuis Electorib. ſeruiebant, Doctorib. ſinguli, prælatis bini: extra vero vt quisq; potuit, ſic habuit ſeruitores. Et illi quidem qui extra remanſerant, cibaria comparabant, quæ horis indictis in lignea capſa depicta, q̄ cornutam appellant, vſq; ad conclauis oſtium deferebant, & ne ſuſpicio veneni eſſet, deguſtare tam pocula, quā fercula cogebātur. Exinde per cuſtodes conclauis examen fiebat, ne vel littera, vel aliud quiduis præter eorū ſcitum intromitteretur. Quamobrem omnia in manu vice Camerarii præſentabantur: & ille extendens ad oſtiolum manus præſentabat Æneæ ceremoniarum clerico, cui ſoli cum ſocio licebat adhęrere feneſtrę. Itaq;, nec qui extra erant, mandare aliquid intra conclaue poterant, niſi per vice Camerarium; nec qui intra dictare aliquid foris, niſi per clericum. Et oportebat omnia alta voce & Latina dicere, vt qui Protectoris erat interpres, intelligeret quæ mādarētur. Cum vero emittendi reliquias cœnarum hora aduenerat, vocabantur per clericum ceremoniarum familiares cum cornutis; qui venientes ad cācellos interiores, ipſi clerico omnia aſſignabant, & ipſe extra feneſtram vice Camerario contradebat. mittebātur etiam extra paropſides, & alia menſarum ornamenta, quę lauacro indigebant. & ea etiam perquirebantur, ne quid ab intra emitteretur litterarum; fueruntq; aliquæ deprehenſæ, q̄ ſtultitiā magis familiarium, q̄ rem ꝓderent. Nonnulli etiam in ipſis vaſorum fundis ſculpētes litteras cōmouere amicos tentauerunt. Sed inuētis oīb⁹, nec graue aliquid, nec ꝙ ab Electoribus ꝓueniret compertum eſt. Illud ét cuſtodes conclauis libenter obſeruabāt, ne ad electorum eſcam diuerſæ ſpecies cibariorum deferrentur. & oportebat quidem, aut carnib. tātum, aut piſcib. veſci; aut ſi neq; hoc, neq; illud placebat, ouis, & caſeo. Rurſus, qui carnib. veſcebatur, vna ſpecie contēari debebat; nec qui bouem habuit, veſci etiam oue potuit. Id quoq; in piſcib. fuit, nec n. cui murena eſt intromiſſa, offerri quoq; anguilla potuit. Si quis a. in legē commiſit, partē alterā in oſtiolo perdidit; idq; cum prima die familiares incaute cōmiſiſſēt, & dominis ſuis quaſi nuptias celebrātibus dubiam afferrent cœnā, oēs in oſtio ſpoliati ſunt: nec plus vna ſpecie intromiſſum eſt. Huiusmodi legum, de parſimonia & de cuſtodia, non ſolū obſeruator, ſed cuſtos ét fuit Ioan. Segouius: vt aliqua pars repræſentaretur putei abyſſi, cuius clauē ſeruabat, ſtella quæ in terram ceciderat. Scrutinii porro modus iſte & ſeries fuit. In loco, vbi & Cardinalis, & Vicensis Epiſcopi cella fuit, atq; aliæ nouem, hinc atq; hinc ſedilia poſuerunt. In ſummo loco erat ara, & ante ipſam puluinar Cardinali ſtratum, ad huius dexteram ſedebat Archiep. Tarantaſienſis, & ad ſiniſtrā Dertuſenſis Antiſtes, ac ſucceſſiue hinc & inde gradatim reliqui Electores aſſidebant. Ante Cardinalē ſcabellum, & ſupra illud ex argento peluis ſtabat. Hucaudita Miſſa, & decantato Spiritus S. hymno, ſinguli Electores venerunt, & eorum quilibet ſchedulā ſuam iecit in peluim, easq; ſingillatim poſtmodum recepit & legit Cardinalis, atq; vt ipſe legerat, quatuor alii ex Electoribus electionem ipſius ſcribebant. In primo ſcrutinio, compertum eſt, plurimos eſſe in antipapam, ſc. XVII. ex diuerſis nationibus nominatos: ex quibus Amedeus, Dux Sabandię, XVI. ſuffragiis deſignabatur. Hora poſt meridiē tertia, habita eſt in conciliabulo Electorum de nominatis diligens inquiſitio, vbi vt quisq; opinatus eſt, aut excaluit nominatos, aut depreſſit. Quarto Nonas Nouēb. iteratis ſcrutiniis, habuit Amedeus, inprimis XIX. deinde XXI. ac iterum XXII. ſuffragia. Et quia is ꝓximor aliis antiPōtificio videbatur, hanc ſunt in cōmuni ſermones multi, de vita & morib. illi⁹. Et alij; nō eſſe homini laico cito imponendas manus dicebant; ꝙ videretur oīb⁹ monſtro ſimile, Principem ſeculi ad tantam dignitatem accerſiri; quę res nimium Eccleſiaſticis derogaret viris, quaſi nullū haberent tanto muneri idoneū. alii hominē qui fuerit coniugatus, cuiq; ꝓles eſſet, ineptum ſacerdotio exiſtimabant. alii, non doctorē, neq; literis præſtantē eum eſſe, adeoq; indignū ea cathedra iudicabāt. è cōtra alii, peritum & doctū. qui & ſcientiā q̄ſuiſſet, & diuinum officiū recitare noſſet, virtutibus ornatum, regendi gnarum, pacis amicum, ſummaq; dignitate digniſſimū prædicabāt: ac illud de vxore, nihili pendebāt; aſſerētes, inprimis, nō ſolū eum q̄ habuerit, ſed illum ét qui habeat vxorē poſſe ad ſummū Pontificatū aſſumi, ꝙ, & fuerint in matrimonio Pōtifices; & nec Petrus Apoſtolorū princeps vxore caruit: & Doctores nō fruſtra diſputant, an vxoratus electus in Papā vxori ſoluere debitum teneatur: & fortaſſe non eſſet peius ſacerdotes vxorari, quoniā multi ſaluarentur in ſacerdotio cōiugato, q̄ in cœlibe presbyteratu dānantur. Ita illud ſordidum pecus, animalia ventris, ad ꝓſtibula nati arbitrabantur; vt, cum hæreticis vtrāq; ſpeciem permiſſent, ſacerdotib. quoq; vxores adiungerent, contra receptum Eccleſiæ morem & canonē. De filiis ét Amedei dicebāt, nō modo nihil obſtare, ſed ētiuuare, vt patrē contra aduerſarios tuerētur, maxime hoc tempore, quo magnis anguſtiis oēs premerentur, & periculis agitarentur, cum nullus Principū (ita fatebātur) concilio obediret; alii nec mādata ſuſciperent, nec Cōcilij Baſileæ eſſe faterentur; alii verbo Baſileæ eſſe Concilij, facto apud Florentiā fore oſtenderēt, & ꝓmotiones ad Eccleſias ab Eug. expeterent, ꝓinde nanicula eorū procellis agitata, & ad ſcopulos illiſa, eligēdū eſſe nō nudū hominē q̄ Principibus magis deriſui q̄ venerationi habeatur, ſed virib. & opib. potentē, q̄ non ſolum conſiliis, ſed ét potentia ſeculari naulum regat, ventos & fluctus frangat, & contra oīa aduerſa obluctetur, ꝙ niſi fiat, periculum eſt de omnibus: cuius non obſcura ſint initia, ꝙ poſtq̄ potentes prælati, ac famoſi Cardinales Baſilea diſceſſerint, Principes quoq; fere oēs conciliabulum deſpexerint. Amedeum eſſe, q̄ poſſit Eug. opprimere, patrimonium Eccleſiæ recuperare, Principes aut in officio cōtinere, aut ad officiū reuocare, Vicariā poteſtatē tremendā & valentē exercere oſtendere que, conciliabuli authoritatē non tñ conſeruare, ſed ét amplificare, & reliqua munera potēter adimplere. Hæc in Amedei cōmendationē ab eius ſtudioſis dicebāt. Sic ea. his perſuaſionib. adducti, ſiue ſquallore cōclauis, aut terrorib. Arelatēſis fracti ſuffragatores, Nouis Nouemb. hora circiter 10. ante meridiem. 26. ſuffragiis, Amedeū, anti Papā creatum renunciarunt, ac Felicē V. appellauerunt. Ea ſubrogatione Principes Chriſtiani parum aut fere nihil ſunt cōmoti, ne Philip. quidē Mediolanenſis Amedei gener, Eug. ac Venetorum hoſtis, neq; Aragonius eidem Pontifici Eugen. infenſus, regni Neapolitani poſſeſſionē, quæ Rom. Eccleſiæ debebatur, ſummo ſtudio defendenti, pſeudo Pontificem venerari in animū induxere, & memoria ſuperioris ſchiſmatis, vnde ingētes calamitates extiterā; & non ignoratione prę cipitātis temeritatis, ex qua multa indigna, Baſileenſes, contra ſupremum Eccleſiæ caput admiſere. Æneas Syluius, lib. 2. de geſt. Baſileen.

Modus & ſeries Scrutinii.

Variæ de Amedeo ſentent.

Amedeus antip. renunciatur & Felix V. appellatur

Hęc ſunt ipſa ipſiſſima Baſil. acta hoc anno ꝓpetrata.

SESSIO XXXIII. XVI.

De veritate fidei Catholicæ per tres Veritates.

Tim. 3. Epheſ. 4.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Sicut vna eſt Chriſti Eccleſia, quæ (vt ait Apoſt.) *eſt colūna & firmamentū veritatis*, ſic omnia Eccleſiæ membra veritatē ſemp obſeruare neceſſe eſt in ꝓfeſſione Catholicæ veritatis, atq; fideliter & firmiter credere, q.q.l ꝓ ipſam Eccleſiā de veritate fidei fuerit declaratum, vt nō ſicut paruuli fluctuantes circūferantur omni vēto do-

ctrinæ, aut per repugnantium dogmatum varietatem in diuisiones & schismata ꝓlabãtur. Dudum a. in sacra generali Constantiensi Synodo conueniens Catholica Ecclesia, veritatem de generalium Conciliorum authoritate solenniter declarauit. Deinde in hac sacra generali Basileensi Synodo, eandem necessariã declarationem sub eodem qui sequitur tenore, innouauit. Primo, ꝙ generalis Synodus in Spiritu S. legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet, cuiuscunq; stat⁹ vel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidẽ, ad extirpationem schismatis. & ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Item declarat ꝙ quicunq; cuiuscunq; dignitatis, etiam si papalis existat, qui mandatis, statutis siue ordinationib. aut præceptis huius S Synodi & cuiuscunq; alterius Concilii generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel tiendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrẽdo. Cumq; (sicut ꝓfertur) quilibet cuiuscunq; dignitatis etiam si papalis existat, Concilio generali in *prædictis. præmissis obedire teneatur, declaratum etiam fuit frequẽter ac deducide, quod ipsum generale Concilium pro præmissis eaq; concernentibus, aut aliquo præmissorum actu congregatum, sine ipsius consensu per nullũ quauis auctoritate, etiam si papali dignitate ꝓfulgeat, dissolui, transferri, aut ad aliud tempus prorogari potest. Et licet has esse veritates fidei Catholicę, satis constet ex pluribus declarationib. præcedentibus, tam in præfato Constãciensi Concilio, quam in hoc Basileensi factis, ad maiorem tamen solliditatem & firmitatem omnium Catholicorum in vnanimi ꝓfessione veritatũ ipsarum, hæc S. Synodus definit, declarat, ꝓut sequitur.

Quemadmodũ has veritates damnarit Eugen. 4. Vide infra sess. 38.

Veritas de potestate Concilii generalis vniuersalem Ecclesiam repræsentantis, supra Papam, & quemlibet alterum, declarata per Constantiense & hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei Catholicæ.

Veritas hæc, ꝙ Papa Concilium generale vniuersalem Ecclesiam repræsentans, actu legitime congregatum super declaratis, in præfata veritate aut aliquo eorum, sine eius consensu nullatenus authoritative potest dissoluere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei Catholicæ Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, est censendus hæreticus. Datum in sessione nostra publica, *in* maiori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata, 17. Cal. Iulii, Anno à Natiuitate Domini 1439.

XVII.

SESSIO XXXIV.

De depositione Eugenii Papæ IV.

Nota, ꝙ est conciliabulum ac illegitimũ & ob id omnia sancita nullius esse valoris Psal. 101. Psal. 10.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

Prospexit Dominus de excelso sancto suo, de Cœlo in terram adspexit, vt audiret gemitus plorantis Ecclesiæ super perditionibus animarum preciosi Iesu Christi sanguine redemptarum, & malis innumeris, q̃ in religionem Christianam irruerunt. Et quoniam *iustus est ipse Dominus, & iustitias dilexit*, in vnum hominem, per quem scandalum venit vniuerso orbi, & quo grauiter peccante, atq; correctionem spernente, ira super omnem populum venire videtur, iudicium facere disposuit, per ministerium Ecclesiæ suę congregatæ in nomine ipsius Christi Saluatoris omnium, qui ait: *Vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*, & qui de peccatore nolente Ecclesiam audire, dixit; Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Eiusdem quoq; diuina prouidentia prænidens resistentias & oppugnationes, quas aduersus reformationem Ecclesiæ Dei & auctoritatem sacrorum generalium Conciliorum ipsam Ecclesiam repræsentantium, ac bonum publicum totius religionis Christianæ, suscitaturus erat in tempore suo Eugenius Papa quartus, quantaque scandala, diuisiones & schismata facturus in orbe, sacram Synodum Constantiensem excitauit per Spiritum sanctum, vt declarationem Veritatis fidei Catholicæ toti orbi explicaret dicentem, quod Concilium generale vniuersalem Ecclesiam repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunque dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ in capite & in membris. Item quod si quis cuiuscunq; status vel dignitatis, etiam si papalis existat, qui mãdatis, statutis, siue ordinationibus, aut præceptis ipsius Concilii generalis in prædictis & pertinentibus ad ea contumaciter obedire contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Quæ siquidem declaratione viam parauit misserator Dominus, per quam Ecclesia Dei in præfatum Eugenium multiplices excessus, q̃ adeo notorii sunt, quod nulla tergiuersatione celari possunt, perpetrantem & contumaciter Ecclesiam audire, ac præceptis, statutis & ordinationibus synodalibus obedire contemnentem, iustum iudicium ferre haberet, iuxta cuius veritatis declaratæ dispositionem, hæc sancta Synodus Basileens. in Spiritu S. legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, necessarium esse iudicans, vt cui pia non prodest correctio, debita non parcat abscissio; postquam in multa longanimitate, patientia & mansuetudine post plures admonitiones expectauit eundem Eugenium, vt salutarem emendationem & excessuum prædictorum correctionem efficeret, tandem cum amplius differri non posset, quo minus Catholicę fidei & saluti vniuersæ Christianæ religioni, sub auxilio spiritus paracleti prouideatur, ne ex vlteriori protelatione iustitiæ sanguis pereuntium animarum de nostris manibus requiratur, sed cum diligentia salubre regimẽ gregi dominico prębeatur, vt postq̃ veritas de terra miliratis Ecclesiæ orta est, & iustitia de cœlo prospexit, Deus ipse donet benignitatem, & terra nostra ꝓferat fructum salutarem, oriaturq; simul nostris diebus iustitia & abundantia pacis: eadem S. Synodus pro tribunali sedens, per hanc suam sententiam diffinitiuã, quam fert in his scriptis, pronunciat, decernit & declarat, Gabrielem prius nominatum Eugenium Papam IV. fuisse & esse notorium & manifestum contumacẽ, mandatis seu præcepris Ecclesiæ vniuersalis inobedientem, & in aperta rebellione persistentem, violatorem assiduum atque contemptorem sacrorum canonum synodalium, pacis & vnitatis Ecclesiæ Dei perturbatorem notorium, vniuersalis Ecclesiæ scandalizatorem notorium, Simoniacum, periurum, incorrigibilem schismaticum, à fide deuium, pertinacem, hæreticum, dilapidatorem iurium & bonorum Ecclesiæ, inutilem ac damnosum ad administrationem Rom. Pontificii, oĩ titulo, gradu, honore & dignitate se reddidisse indignum. Quem ꝓpterea eadem sancta Synodus à papatu & Romano pontificio ipso iure priuatum esse declarat & pronunciat, ac ipsum ab eisdem amouet, deponit, priuat & ablicit, decernẽdo nihilominus contra eundem ad executionem etiam allarum iuris pœnarum ad quas hæc eadem S. Synodus, ac eadem sua sententia ipsum condemnat, vlterius fore procedendum. Ac eidem inhibet, ne deinceps pro Papa vel Rom. Pontifice se quouis modo nominet seu gerat. Omnesq; Christicolas ab ipsius obedientia, fidelitate ac iuramentis & obligationibus, eidem quomodolibet præstitis, absoluit & absolutos esse declarat, ac omnibus & singulis Christi fidelibus inhibet, sub pœnis fautoriæ schismatis & hæresis ac priuationis omniũ beneficiorũ, dignitatum, & honorum ecclesiasticorum & mundanorum, & aliis

Psal. 84.

Psal. 71.

Pius II. Pon. Max. Eugẽ. hunc vocat virũ bonum & sanctum, & eum de multis falso accusatum dicit. Vide eius bullam retractatoriam.

& aliis pœnis iuris, etiãm si Imperialis, regalis, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, aut Episcopalis dignitatis, aut etiam si communitates, vniuersitates, & collegia existant, qui si contra hanc inhibitionem fecerint, sint authoritate huius decreti ac sententiæ ipso facto priuati, & alias iuris incurrant pœnas, si eidem Gabrielli notorio schismatico, periuro, hæretico, scandalizatori incorrigibili, pertinaci priuato, deposito, amoto, & taliter declarato, tanquam summo Pontifici obediant, pareant, vel intendant, aut eum quouis modo sustineant vel receprent, aut si sibi auxilium, consilium vel fauorem præstent. Necnon pronunciat, decernit, & declarat eadem sancta Synodus, omnes & singulos processus, inhibitiones, sententias, censuras, constitutiones, ordinationes, & alia quęcunque per eum, aut alios quoscunq; factos & facta, quæ possent præmissis obuiare, irritos & inanes, ac irrita & inania, nullinsq; fuisse, aut fore roboris vel momenti. Datum in sessione nostra publica, *in* maiori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata, 7. Cal. Iulii, Anno à Natiuitate Domini 1439.

XVIII.

SESSIO XXXV.

De stabilitate Concilii Basileensis.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

Diligentibus Deum nihil in hoc sæculo tam graue videri debet, quod ab operibus charitatis, in eius gloriam & animarũ salutem explendis, animos eorum retrahat, cum & Beatus Paulus Apostolus dixerit, neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Idcirco hæc sancta Synodus in nomine ipsius Christi Saluatoris congregata, non obstantibus quibuscunque impedimentis, opera sancta reformationis Ecclesiæ sanctæ Dei & salutis vniuersorum, quantum concesserit diuina pietas, & constanter & perseueranter prosequi desiderans, atque iam semoto per iustitiæ rectitudinem præcipuo obstaculo, quod per inutilem & damnosam administrationem Romani Pontificis maxime oberat vnitati, paci & debitæ gubernationi ipsius Ecclesiæ, pacem cunctorum quantum fieri potest, perquirere cupiens, cum in decreto vndecimæ sessionis eiusdem sanctæ Synodi statutum fuerit, quod hoc præsens Basileense Concilium non possit dissolui, nisi consentientibus duabus partibus eiusdem Concilii, scrutatis votis singulorum, primo in singulis deputationibus, & deinde in congregatione generali, ac demum in sessione publica decretatione subsequuta, & deinceps super modo ponendi materiam dissolutionis Concilii, in deliberatione per deputatos duodecim fuerit certa conclusio recepta, pridie Idus Decembris, anno à Natiuitate Domini 1438. statuit, decernit, & declarat, quod per recessum cuiuscunque, aut quorumcunque, cuiuscunq; status, aut dignitatis, ab hac ciuitate Basileensi, etiam si Cardinalatus, patriarchalis, aut pontificalis existant, non sit, neq; censeatur Concilium dissolutum, nisi iuxta formam & modum prædictorum decreti & conclusionis processum fuerit. Et quoniam hac sodalitate stabilis permanentiæ Concilii debite obseruata, res arduæ quæ in manibus sunt, poterant maturius & ordinatius tractari, & præcipue circa electionem futuri summi Pontificis, quæ maiorem attentionem requirit, non intendit hæc sancta Synodus ante terminum sexaginta dierum in decreto septimæ sessionis eiusdẽ super ipsa electione in hoc Concilio fienda præfixum, computãdorũ à die depositionis Gabrielis, olim dicti Eugenii Papæ quarti, quæ fuit septimo Calendas Iulii, ad huiusmodi electionem procedere. Effluxo autem huiusmodi termino, decernit, ad eandem electionem in sacro Concilio fore procedendum modis & formis per ipsum Concilium declarandis. Vt autem sub virtuoso & idoneo pastore, quem à Domino dari speramus, fiat omnium Christianorum vnio & abundantia pacis, volens hæc sancta Synodus cum reali affectu cunctos, quantum in se est, inuitare ad pacem, omnes & singulos sequentes curiam prætensam præfati Gabrielis olim dicti Eugenii Papæ, ac in eadem existentes, cuiuscunque status, gradus, aut conditionis, etiam si Cardinalatus, Patriarchalis Episcopalis fuerint, qui ipsius Gabrielis olim Eugenii obedientiam & adhærentiam in totum dimiserint, huic sacro Concilio realiter & cum effectu, infra terminum huiusmodi sexaginta dierum, à tempore prædictæ depositionis computandorum, adhæserint, arq; de his coram eodem Concilio per se vel per alios legitime docuerint, infra terminum prædictum, intendit benigne amplecti & recipere ac eorum statui & indemnitati conuenienter prouidere. Datum Basileæ in sessione nostra publica, in maiori Ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, sexto Idus Iunii, Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo trigesimo nono, Apostolica sede vacante.

XIX.

SESSIO XXXVI.

De Conceptione gloriosissimæ Virginis MARIÆ.

Rom. 8.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Elucidantibus diuinæ gratiæ mysteria, mercedem gloriosam repromisit æterna Dei patris sapientia, dum ait: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, quod etiam de gloriosa Virgine, quæ ipsam patris sapientiam Dei filium æternum in vtero pertulit, ac mundo peperit, in sacrosancta legit Ecclesia. Nam quicquid de dignitate & sublimitate Virginis matris educitur *in lucem, hoc non dubium est*, ad laudem & honorem filii sui pertinere. Et qui honorificant gratiam & sanctitatem matris, honorificant & elucidant gloriosum nomen filii eius, *qui ipsam sanctificauit & repleuit gratia*. Vnde si in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ à Domino Deo est, præclara merita parturit, in ea re specialiter fructus vberrimos afferre speranda est q̃ sanctificationem & dedicationem templi illius concernit, in quo ante secula, ante quam res fieret, & ab æterno sibi manfionem ordinauit prima & æterna veritas. Id quoque maxime congruit, vt pax habeatur in quæstionibus concernentibus sanctitatem illius, per quam pax diffusa est in terris. Hactenus vero difficilis quæstio in diuersis partibus & coram hac sancta Synodo super conceptione ipsius gloriosæ Virginis Mariæ matris & exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentib. ipsam Virginem & eius animam peraliquod tempus, aut instans temporis subiacuisse actuali originali culpę, aliis autem e contrario dicentibus à principio creationis suæ Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam beatissimam personam liberans & præseruans, sublimiori sanctificationis genere redemit, cum fundaret eam Altissimus ipse, & ipsam fabricaret filius Dei patris, vt esset mater eius in terris. Nos vero diligenter inspectis auctoritatib. & rationibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationib. ex parte vtriusq; doctrinæ coram hac sancta Synodo allegatę sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam, præuenientę & operante diuini numinis gratia singulari, nunquã actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamq; & immaculatam, tanq̃ piam & consonam

cultui ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam, diffinimus & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare & docere. Renouantes præterea institutionem de celebranda sancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias sexto Idus Decembris antiqua & laudabili consuetudine celebratur, statuimus & ordinamus, eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesiis, monasteriis, & conuentib. Christianæ Religionis, sub nomine Conceptionis festiuis laudibus colendam esse, cunctisque fidelibus vere pœnitentibus & confessis, ea die Missarum solenniis cantum, primis autem vel secundis Vesperis totidem, sermoni vero verbi diuini de ea festiuitate interessentibus centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura, de iniunctis sibi pœnitentiis hæc sancta Synodus elargitur.

Non celebratur festum Conceptionis B. Mariæ ob hãc renouationẽ cum effet cõciliabulum, sed quia antea celebrabatur conseruatur consuetudo illa.

Datum Basileæ in sessione nostra publica, in maiori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata, decimo quinto Kalendas Octobris, anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo trigesimo nono.

XX. SESSIO XXXVII.

Et est reuocatio protestationum, conuentionum, iuramentorum obtentorum electioni Papæ fiendæ.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

Quoniam in opere necessario, quod fauente superna gratia aggressuri sumus, in eligendo summum Pontificem, & prouidendo saluti Ecclesiæ in gloriam omnipotentis Dei, non solum quærere oportet, quæ ad ipsius operis consummationem promouent, verumetiam impedimenta tollere, quæ fœlici progressui rerum agendarum aduersari, aut officere possunt, vel quomodolibet contraire: vt purius, syncerius & liberius ipsa electio summi Pontificis fiat, omnes & singulas protestationes, quæ possunt puritati, synceritati & libertati & efficaciæ eiusdem electionis & eligendi per sacrum Concilium summo Pontifici obedientiæ plenariæ obuiare, necnon conuentiones, pactiones, promissiones, obligationes, iuramenta, condicta, intelligentias, & intendimenta, vbicunque, qualitercunque & per quoscunque, cuiuscunque status, gradus, conditionis & præeminentiæ, etiamsi Imperiali, regali, cardinalatus, archiepiscopali, ducali, aut alia quacunq; ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, in aduersum huius electionis factas & facta, fiendas & fienda, ex abundanti dãnat, reprobat, & annullat, prout etiam de ipsis nulla nulliusque roboris vel momenti existunt, mandans sub obtestatione diuini iudicii, & sub excommunicationis pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, & præcipiens, nequis talia facere, vel iam factis vti, aut eadẽ obseruare quouis modo presumat. Omnesq; & singulos ab huiusmodi promissionibus & obligationibus quibuscunque, etiam iuramento vallatis, eadem sancta Synodus ad cautelam & ex abundanti absoluit & relaxat, & prout hæc de facto processerunt, & absolutos & relaxatos esse declarat.

Datum Basileæ in sessione nostra publica, in maiori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata, nono Kalend. *Nouemb.
*Decemb. anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo trigesimo nono.

ALIVD DECRETVM EIVSDEM SESSIONIS de modo eligendi summum Pontificem. XXI.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

Consolabitur dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, ait Esaias Propheta, *& ponet desertum eius quasi deliciας, solitudinem eius quasi hortum Domini gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis*, quod iam aspirante singulari gratia spiritus paracleti, in Ecclesia conspicere speramus, & videre pastorem bonum constituendum à Domino super familiam suam, qui sapienti & fideli regimine releuet ipsam Ecclesiam à languoribus suis, quos ex inutili & damnosa administratione hactenus perpessa est. Et licet diuersis temporib. diuersi modi super electione Romanorum Pontificũ obseruati sint, prout necessitas & vtilitas Ecclesiæ exposcebat, nunc tamen cura rei huius sub directione omnipotentis Dei incumbit huic sanctæ Synodo congregatæ pro reformatione Ecclesiæ & salute omnium fidelium in nomine Christi Saluatoris, qui ait: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*. Et iam post editionem salubrium decretorum & sacrorum canonum, atque iustam depositionem illius, qui ipsos canones & decreta spernebat ac paruipendebat, sanctæ reformationi & restaurationi legis diuinæ ac publicæ saluti vehementer obsistens, superest, virum talem quærere à Domino, & cum beneplacito suæ benignitatis eligere, per quem desiderata cunctis gentibus ipsa reformatio atque salutaris gubernatio Ecclesiæ Dei in salutarem reducantur effectum. Nam & singulariter futuro pastori incumbet bene regendi necessitas, dum recens exemplum sui prædecessoris ob eius damnosum regimen electi ante oculos positum habebit. Dudum quoque in quarta sessione huius sanctæ Synodi, celebrata duodecimo Kalendas Iulii, anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo, statutum fuit, de electione Romani Pontificis, si sedem Apostolicam hoc sedente Concilio, vacare contingeret, in hunc modum: Hæc sancta Synodus decernit, statuit, atque diffinit, quod in euentum vacationis sedis Apostolicæ, hoc sacro generali Concilio durante, electio summi Pontificis in loco istius sacri Concilii fiat, & interdicit, ne alibi celebretur. In contrarium attentata quauis authoritate, etiam si papali, non obstantibus quibuscunque constitutionibus editis vel edendis, aut aliis in contrarium facientibus, ac si de ipsis de verbo ad verbum, esset facienda mentio specialis, aut iuramento firmata existant, quibus ex certa scientia derogat, & decernit nulla & irrita esse & nullius roboris vel momenti ipso iure. Contrarium vero attentantes sint tam actiue quam passiue, quo ad electionem Romani Pontificis, & ad quascunque alias dignitates inhabiles, & omnibus habitis dignitatibus perpetuo priuati, & infamiæ notam & etiam excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Quod si forsitan aliqua de facto prætensa electio præsumeretur, tam electus prætensus, quam illi adhærentes & eum pro tali gerentes, supradictas pœnas incurrant, Absolutionem vero omnium & singulorum, qui præmissas sententias aut aliquam earum incurrerint quoquo modo, dicta sancta Synodus tantum modo præterquam in mortis articulo sibi reseruat, decernens præsens decretum ligare, afficere, vim & effectum habere & sortiri, post 40. dies continuo proxime secuturos à die publicationis eiusdem.

Esaiæ 1.

Matth. 18.

Bas. Conc. sess. 4. cum est initium Attendens &c. ad.

Deinceps autem in nostro decreto septimæ sessionis ordinatum fuit, quod in euentum prædictum vacationis sedis Apostolicæ, hoc sedente generali Concilio, ante sexaginta dies à tempore ipsius vacationis

continue computandos, ad electionem Romani Pontificis minime procederetur, quem terminum sexaginta dierum, postquam vacauit ipsa sedes per depositionem Gabrielis, olim Eugenii Papæ Quarti, hæc sancta Synodus duxit expectandum. Decreuitque, effluxo illo termino, electionem Romani Pontificis in hoc sacro Concilio esse fiendam, modis & formis per ipsum Cõcilium declarandis, prout in decreto nostro trigesimæquintæ sessionis plenius continetur. Cum autem iam per eiusdem termini lapsum, adhuc perplures dies ad electionem præfatam procedere distulerimus, Ecclesiaque acerrimos dolores patiatur, dum protelatur sedis Apostolicæ diuturna vacatio, & differtur noui pastoris electio, ipse quoque qui iustissime depositus est, variis artibus Ecclesiam conturbare conatur, & Apostolicæ sedis primatum nefanda præsumptione tenere & occupare, in graue scandalum Ecclesiæ & magnum periculum fidei & religionis Christianæ, (qui pertinaciam suam indies magis ac magis hominibus manifestando, mense Septembris proxime præterito horrendam inuectiuam aduersus veritates fidei in hanc sanctam Synodum, eiusque fautores & defensores promulgauit, non correctionem seu emendationem proferens, sed omnem incorrigibilitatem & pertinaciam ostendens, atque propriis factis toti mundo manifestans) necesse est Ecclesiæ Catholicæ de prudenti & fideli pastore prouidere, qui eam à persecutionibus tam reprobi hominis defendat, fidemque conseruet, ac iustitiam & veritatem tueatur, animasque preciosо Christi sanguine redemptas, quas præfatus Gabriel seducere nititur, dirigat in viam salutis. Nam sicut res ipsa indicat, plura & maiora scandala indies euenirent, nisi per auxilium gratiæ Dei de remedio prouideretur opportuno. Ad quod quærendum, & de idoneo pastore prouidendum necessitas fidei maxime nos impellit. Volens itaque tandem hæc sancta Synodus post maturam & longam expectationem exoluere debitum domino Deo suo, & saluti atque necessitati ipsius Ecclesiæ (vt tenetur) prouidere, ad laudem & gloriam beatissimæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, statuit, decernit & declarat, electionem Romani Pontificis fiendam & celebrandam esse pro hac vice per hoc sacrum Concilium Basileense seu eius authoritate, modis & formis infrascriptis.

Iste Cardinalis Arelaten. fuit Eugenio infensissimus: hinc iste sot acerbitates, vt videtur.

Et primo, quod vna cum dilectissimo Ecclesiæ filio Ludouico tituli sanctæ Cæciliæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero Cardinali, Arelatensi vulgariter nũcupato, præsente & præsidente sacro Concilio, & aliis ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, si qui ante consummatam electionem futuri summi Pontificis aduenerint, & adhærentes huic sacro Concilio, eidem electioni interesse voluerint, alii tam de prælatis, quam cæteris honorabilibus Ecclesiasticis viris, in sacerdotio aut saltem diaconatus ordine constituti, vsque ad numerum triginta & duorum, per eandem Synodum ad prædictam electionem faciendam, in nostra generali congregatione ac in sessione publica nominandi & deputandi, potestatem habeant prout secundum Deum & conscientias suas eisdem videbitur, hac vice libere eligendi summum Pontificem authoritate huius sanctæ Synodi, ita vt ille absque vlla exceptione ab vniuersali Ecclesia summus Pontifex habeatur, qui ab omnibus prædictis sic debentibus pro hac vice eligere, aut saltem à duabus partibus ipsorum fuerit electus, & consensum (vt infra dicitur) præstiterit. Nec valeat electio, nisi duæ partes prædictorum in ipsum electum consenserint, & conuenerint. Qui omnes pro hac vice eligere debentes, tanto attentius synceris mentibus & expurgatis conscientiis idoneum & perutilem pastorem eligere curent, quanto Ecclesiam in maioribus necessitatibus positam conspiciunt, ad solum Deum oculos dirigentes, qui in districtissimo examine de tanto & tam arduo negocio (ex quo pendet salus vniuersalis Ecclesiæ) reddituri sunt rationem. Ordinat insuper, statuit & decernit hæc sancta Synodus, quod supradicti eligere debẽtes, die sequente post nominationem eorum in congregatione generali, cõueniant omnes in maiori Ecclesia Basileensi, in qua Missa & sermones solennes celebrentur & fiant (prout est de more fieri) in die quando intratur conclaue, tenebiturque eodem die publica sessio, & ibi omnes suscipiant Eucharistiæ sacramentum, aciuramentũ præstent, quod in vigesima tertia sessione huius sanctæ Synodi extitit ordinatum. Quibus peractis, siue redeundo in domos suas, intrent conclaue ad hoc ordinatum in domo huius ciuitatis Basileensis, in qua sacra deputatio pro communibus teneri cõsueuit, ad electionem huiusmodi celebrandam, & consequenter præsentandum ac intimandum, cæteraque faciendum, obseruandum & prosequendum, quæ in præsenti decreto expressa sunt, & quæ in cæteris hic non expressis, & alia decreta huius sanctæ Synodi, necnon aliæ constitutiones & ordinationes, videlicet tã in corpore iuris clausæ, quam extrauagantes (quæ hactenus obseruari consueuerunt) de Cardinalibus & aliis electoribus Romani Pontificis statuunt & decernunt, quæ omnia, saluis expressis in prædicto decreto, volumus in suo robore permanere, & ẽr in prædictis ad eligendum pro hac vice deputaris & deputandis, locum habere, quemadmodum de Cardinalibus in prædictis decretis constitutionibus & ordinationibus statutum & ordinatum reperitur, sed nullum eisdem expressis quouis modo præiudicium generare.

Electus autem in Papam, præsentata sibi electione, si præsens in hac ciuitate fuerit, per aliquos ex ipsis electoribus, etiamsi Cardinales non fuerint, vel extra ciuitatem per aliquos ex ipsis, vel alios ad hoc habentes mandatum ab eis, in præsentia notarii & saltem decem personarum requisitus, teneatur infra diem naturalem ab hora requisitionis, consentire ac iurare modo & forma inferius descriptis alioquin eius electio pro infecta habeatur. Volumus autem, quod si contingeret ipsum electum huiusmodi electionem non acceptare, seu ei non consentire modo & forma & in tempore ordinatis, quod præfati ad eligendum ordinati, ad alterius electionem procedant, priusquam exeant conclaue, si præfatus electus in hac ciuitate fuerit. Si vero fuerit extra ciuitatem, eo casu infra triduum post notitiam habitam in Concilio, & per ipsum Concilium in congregatione generali declaratum, de recusatione per electum facta, iterum intrent conclaue pro electione alterius facienda omnibus modis & formis, sicut superius dictum est. Et si quis ipsorum electorum à tempore primi ingressus conclauis, in antea recederet à Concilio, vel decederet, aut impedimentum haberet per quod non posset electioni interesse, vel etiam conclaue intrare nollet, alias loco eius subrogetur de eadem natione per ipsos ad eligendum deputatos, aut per maiorem partem ipsorum, qui habebit communicare & iurare, prout præfati deputati, aut maior pars ipsorum ordinauerit. Duretque potestas; omnium & singulorum prædictorum absque alia noua deputatione electorum, donec electio per eos facienda, realiter per consensum electi fortita fuerit effectum. Hanc autem formam & modum electionis approbat, statuit, ordinat, & decernit hæc sancta Synodus pro hac vice. Et ad omnem scrupulum tollendum, omnes & singulos in eadem Synodo præsentes & venturos, & qui ei adhærebunt, quantum ad huiusmodi electionis opus & totalem effectum, ab omnibus sententiis excõmunicationis (si quas forsitan incurrerint) & quibuscunque censuris à iure vel ab homine generaliter vel specialiter, etiam à Conciliis generalibus vel summis Pontificibus promulgatis, absoluit, ipsosque, ad omnes actus in eadem Synodo agendos, actiue & passiue, quatenus opus est, habilitat, & habiles esse declarat, vo

lens etiam, vt ſpecialiter in omnibus ad eligendum deputatis aut deputandis (vt præmittitur) locum habeat conſtitutio Clementis Quinti, quæ ordinat, vt nullus ex Cardinalibus cuiuslibet excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti prætextu, à dicta electione repelli valeat, cæteris eiuſdem Concilii decretis in his quæ ſuperius expreſſa non ſunt, ſemper ſaluis, ſupplens ex certa ſcientia & explenitudine poteſtatis omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſitan interuenerint in præmiſſis, ac etiam ſuſpendens omnia iura poſitiua in Conciliis generalibus & à ſummis Pontificibus edita & ſtatuta, & ordinationes, conſuetudines & priuilegia quibuſcunque conceſſa, & pœnas contra quoſcunque ordinatas, & eis derogans, in quantum effectũ præſentis decreti impedire poſſent, quoquo modo in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Prætereà cum neceſſitas rerum & circumſtantiæ temporis id expoſcant, vt hæc ſacra Synodus & ipſe ſummus Pontifex per Dei gratiam in proximo aſſumendus, quam maxime vnum ſint eadem charitate & vnanimi conſenſu, quampluribus ad hæc vrgentibus rationibus ordinat & decernit, vt electus in ſummum Pontificem, priuſquam aliquid graue in his quæ pertinent ad adminiſtrationem Papatus, exerceat, inſignia coronationis ſuæ aſſumere debeat in loco huius ſacri Concilii, ad quem, ſi abſens fuerit, infra terminum ſibi aſſignandum per deputatos ad eligendum, vel maiorem partem eorundem, venire teneatur.

XXII. *Sequitur forma conſenſus, profeſſionis & iuramenti præſtandi per ipſum electum in ſummum Pontificem.*

In nomine Domini Amen. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, ego N. & electus in Papam omnipotenti Deo, cuius Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & beato Petro Apoſtolorum principi corde & ore profiteor, quandiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, generalium Conciliorũ & aliorum ſanctorum Patrum, maxime autem ſanctorum octo Conciliorum vniuerſalium, videlicet primi Nicæni, ſecundi Conſtantinopolitani, tertii Epheſini, quarti Chalcedonenſis, quinti & ſexti item Conſtantinopolitani, ſeptimi item Nicæni, octaui quoque Conſtantinopolitani, necnon Lateranenſis, Lugdunenſis, Viennenſis, Conſtantienſis & Baſileenſis generalium etiam Conciliorum, & illam fidem vſque ad vnum apicem immutilatam ſeruare, & vſque ad animam & ſanguinem confirmare, defenſare & prædicare, ritumque pariter Sacramentorum Eccleſiaſticorum Eccleſiæ traditum, omnimodè proſequi & obſeruare. Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei Catholicæ & extirpatione hæreſum & errorum, reformatione morum, executione & obſeruatione decretorum Conſtantienſis & Baſileenſis Conciliorum, ac pace in populo Chriſtiano. Iuro etiam proſequi celebrationem Conciliorum generalium ac confirmationem electionum, iuxta decreta ſacri Baſileenſis Concilii. Hanc autem profeſſionem mea manu ſubſcripſi, & tibi omnipotenti Deo cui in die tremendi iudicii reddituras ſum de hoc & aliis meis operibus rationem, pura mente ſuper altare offero, quam in primo publico conſiſtorio ſolenniter repetam: Datum vt ſupra.

XXIII. *Decretum inhibitionis, ne bona electi & eligentium rapiantur.*

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, ad perpetuam rei memoriam. Cum ea quæ laudabiliter pro reprimendo conatu malignantium ordinata ſunt, nulla tenus negligi deceat, ſed potius diligenti ſeruari ſtudio, ſacrum canonem dudum in Concilio Conſtantienſi editum aduerſus illos, qui bona electorum, ſeu etiam eorum qui ſamabantur de nouo electi in ſummos Pontifices, rapere vellent, innouat hæc ſancta ſynodus ſub huiuſmodi tenore: Omnis ætas ab adoleſcentia ſua prona eſt ad malũ, ad id præſertim, ad quod cupiditatis & auaritiæ *ſtimul's incitatur. Fiunt autem & factæ ſunt leges, vt earum metu humana refrenetur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & refrenetur nocendi facultas. Cum itaque nonnunquam euenisſe comperimus, quod electo Romano Pontifice, nonnulli ſub prætextu prætenſæ cuiuſdam abuſiuæ licentiæ, res & bona ſic electi, quaſi culmine dignitatis adepto, falſò prætendentes occupanti concedi, nedum illius ſic electi, imo aliquando nonnullorum quos electos eſſe menda citer confingunt, domos, res & bona Cardinalium, aut electorum Romani Pontificis, & aliorum in loco conclauis exiſtentium, etiam violenter inuadunt, recipiunt, occupant, & tranſportant, lucri facta exiſtimantes, ex quibus (ſi permitterentur) plura pericula, ſcandala, rapinæ, furta & nonnunquam homicidia ſequerentur. Nos igitur tam ſceleratæ temeritatis & audaciæ viam præcludere, & huiuſmodi periculis & ſcandalis obuiare volentes, præfatum damnantes ſceleratum abuſum, talia fieri hoc edicto prohibemus, ſtatuentes quod quicunque, cuiuſcunque ſtatus, aut conditionis exiſtant, contra hoc præſumpſerint attentare, aut ad hoc auxilium, conſilium vel fauorem præbere, pœnas quas in violentos raptores & occupatores huiuſmodi, iura atque Apoſtolicæ & Imperiales conſtitutiones ſtatuunt, & eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, à qua niſi per hanc ſanctam Synodum, aut futurum Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, & facta ſatisfactione, abſolui nequeant, & in omni officio, beneficio, priuilegiis ac dignitate Eccleſiaſtica & mundana, feudiſque & rebus aliis, ſi quæ aut quas in Romana vel aliis Eccleſiis obtinebunt, ſint priuati, & inteſtabiles actiue & paſſiue exiſtant: ciuitas vero quæ in præmiſſis culpabilis fuerit, Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto, huic adiicientes ſanctioni, vt Domini temporales, rectoreſque & officiales ciuitatis vel loci, vbi electionem Romani Pontificis contigerit celebrari, illa immanente, præmiſſa fieri ſub grauibus pœnis publice & realiter prohibeant, & prohibitionem diligenter faciant obſeruari; cæteris conſtitutionibus circa talia editis, in ſuo robore duraturis. Et quia nunc imminet electio Romani Pontificis, per hanc ſanctam Synodum ſeu eius authoritate celebranda, vbi obſeruatione & executione præfatæ conſtitutionis opus eſt, nos omnia & ſingula prædicta agendi & exequendi, illis perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, quæ poſtmodum in noſtra cancellaria nominabuntur, plenam & liberam committimus & concedimus facultatem & poteſtatem, decernentes literas ſuper hoc fieri cum cenſuris & aliis remediis iuris, etiam cum inuocatione brachii ſecularis & clauſulis opportunis. Datum vt ſupra.

*Conſtantien. Concil. ſeſſ. 41. *ſtimulo*

XXIV. *Ne tempore electionis fiat audientia.*

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, ad futuram rei memoriam. Ne vtiarum rerum occupatio actum ſalubrem electionis futuri Pontificis impediat, aut perturbet, decreuit hæc ſancta Synodus, vt ad tam neceſſarium & tam ſalubre electionis negotium attentius procedatur, audientiam & omne cauſarum & litium exercitium, in hoc ſacro Concilio præter audientiam cameræ, à die quo deputati ad eligendum ſummum Pontificem intrabunt conclaue, & deinceps vſque ad publicationem electionis ipſius ſummi Pontificis incluſiue, ſuſpendenda eſſe, eademque hoc præſenti decreto ſuſpendit & prohibet, irritum decernens & inane, quicquid in contrarium fuerit attentatum. Datum vt ſupra.

SESSIO XXXVIII.

Contra inuectiuam.

XXV. SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

3. *Eſd.* 4. In Eſdra ſcriptum eſt, *Veritas magna & fortior præ omnibus.* Omnis terra veritatem inuocat. Cælum etiam ipſam benedicit, Veritas manet, & inualeſcit in æternum, & viuit & obtinet in ſecula ſeculorum. Non eſt apud eam accipere perſonas neque differentias, ſed quæ iuſta ſunt, facit omnibus iniuſtis. Cuius quidem veritatis fortitudinem dum impugnare conatur Gabriel, quondam dictus Eugenius Papa quartus, iuſto iudicio à papatu depoſitus, ſeipſum magis deiicit & proſternit. Qui nuper apud Florentiam (prout per ſummariam informationem accepimus) libellum quendam, qui incipit, Moſes ſeruus Dei, promulgauit, in quo prætenſam translationem præfatam huius ſacri Concilii in Ferrariam, quam erroneam in fide pluribus decretis & epiſtolis noſtris luciditſime declarauimus, necnon erectionem ſchiſmaticam conuenticuli Ferrarienſis ſub nomine generalis Concilii. hoc ſacro durãte Concilio, in vim præfatæ translationis attentatam, maiori ſemper cum pertinacia defendere & approbare conatur, adiiciens quod à recta linea per anfractus erroris exorbitauimus, quod que Concilium Conſtantienſe in malignum ſenſum, & à ſana doctrina penitus alienũ pertraximus, in hoc quod declarauimus per ſeſſionem noſtram, decimoſeptimo Kalendas Iunii proxime præteriti celebratam, tres veritates, quarum tenor ſequitur.

Baſileen. Conc. ſeſſ. 33 qua incipit, ſicut vna eſt *Conſtantienſ. Conc. ſeſſ. 4. & 5. Baſileen. ſeſſ. 2.*

Veritas de poteſtate Concilii generalis, vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſuper Papam & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe & hoc Baſileenſe generalia Concilia, eſt veritas fidei Catholicæ.

Veritas hæc, quod Papa Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, actu legitime congregatum, ſuper declaratis in præfata veritate aut aliquo eorum, ſine eius conſenſu nullatenus authoritatiue poteſt diſſoluere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas fidei catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, eſt confendus hæreticus.

Conatur quoque ipſe Gabriel poſt prædicta per eum ſic aſſerta, ſub obſcuritatibus verborum mundum in noluere, diſens ſe damnare & reprobare veritates prædictas ad ſenſum Baſileenſem, quem inquit, facto demoſtrauit neque illum ſenſum explicans, nec in quo ſenſu eas approbare velit manifeſtans: quæ fortaſſis ideo ſubticet, quoniam manifeſte videt, verba dictarum veritatum ita clara eſſe & aperta, ſicut ſunt, quod de nulla obſcuritate notari merito poſſunt, nec ad multiplices pertrahunt ſenſus: & per conſequens, quod ille primus ſenſus, iuxta quem ſe dicit reprobare dictas veritates, nullatenus allegare poteſt. Hoc autem notum facimus vniuerſis Catholicis, quod nullum ſenſum in his habet hæc ſancta ſynodus, nec habere vult, niſi quem ſacra ſynodus Conſtantienſis habuit in declarationibus ſuis, ſenſum verum & Catholicum, quemque ſemper habuimus in declarationibus per nos factis, in ſecunda, vndecima, duodecima, vigeſimanona & aliis ſeſſionibus noſtris ac epiſtolis ſynodalibus, pariter cum Cardinalibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Patriarchis, Archiepiſcopis Epiſcopis, Oratoribus Principum, Abbatibus, Doctoribus, qui in noſtro cœtu affuerunt, fideliter, & vnanimiter credentibus, quod Concilium habet poteſtatem immediate à CHRISTO, cui Papa obedire tenetur, prout veritas præfata in Concilio Conſtantienſi declarata, diffinitum, quodque hæc veritas eſt iuris diuini, quod Papa ipſe Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, legitime congregatum, eo modo quo frequẽter declaratum eſt, ſine eius conſenſu diſſoluere, aut de loco ad locum transferre non poteſt: neque aduerſus has veritates prætendere potuit Gabriel ipſe, qui prætenſam diſſolutionem huius ſacri Concilii ſine eius conſenſu prima vice per eundem Gabrielem attentatam, hoc ſacro Concilio eidem ex parte Dei omnipotentis præcipiente atque mandante, iudiciliter reuocare compulſus eſt, ac in ſua adhæſione eam declarauit nullam, irritam & inanem, ipſaque non obſtante, Concilium legitime continuatum fuiſſe, & proſecutionem habuiſſe, & habere debere, reuocando etiam expreſſe literas incipientes, Deus nouit, quæ ſuo nomine factæ dicebantur, & aduerſus ſacri Concilii & aliorum Conciliorum authoritatem, varios errores continebant: item duas literas ſuas incipientes, Inſcrutabilis, & in arcano, alias etiam quaſcunque, ac quicquid per ipſum, aut ſuo nomine in præiudicium aut derogationem huius ſacri Concilii Baſileenſis ſeu contra eius authoritatem, factum & attentatum ſeu aſſertum erat. Eccleſia Catholica tunc in pace conquieuit, tenens firmiter eſſe verum & Catholicum, quod Papa abſque conſenſu Concilii ipſum diſſoluere, aut transferre non poteſt, cognouerunt que cuncti fideles, quod acquieſcere oportet iudicio generalis Concilii ſummum Pontificem, cum poſt tam diuturnam reſiſtentiam duorum annorum, quibus ipſam diſſolutionem idem Gabriel iuſtificare conabatur, acquieuit iudicio ſacri generalis Concilii, præſentans iudicialiter coram eodem formam ſuæ confeſſionis, quem admodum ſacrum Concilium ordinauit, renocando expreſſe (vt dictum eſt) quæcunque aſſerta per eum, aut nomine ſuo in contrarium. Poſſunt que omnes Catholici nunc videre, quanta plaga inferretur Eccleſiæ Dei, ſi reuocaretur in dubium illa declaratio facta in Concilio Conſtantienſi, vigore cuius & ineffabili ac inexpugnabili authoritate, depoſitio Ioannis vigeſimitertii, & priuatio Benedicti à iure papatus (ſi quod habebant) ſic in ſuis obedientiis nuncupatorum, ac etiam electio Martini, cui ſucceſſit olim Eugenius, factæ ſunt, & à quibus conſequenter omnes creationes Cardinalium, & promotiones prælatorum & aliorum ordinum & graduum Eccleſiaſticorum factæ ſunt, quantumque declarationis eiuſdem & authoritatis datæ à CHRISTO Conciliis generalibus vigor deperiret, ſi ſummi Pontifices poſſent concilia dum congregata eſſent, transferre de regione in regionẽ ſine conſenſu ipſorum, & eisdẽ Conciliis præcipere; vt diſſoluere turaut diſcederent, etiã ſi nollent, quoties liberet ipſis Pontificibus. Verum in hac reprobatione dictarum veritatum, quam idem Gabriel facit in præfato libello, intelligere poſſunt omnes fideles, quomodo iam id verificatur, quod à ſeptem annis in ſua duodecima ſeſſione ipſius de ipſo Gabriele prædixit hæc ſancta ſynodus, cum ait: Et quantum ex eius verbis factiſque colligi poteſt, nil aliud prætendere videtur, niſi vt Eccleſium peſſundet, inſuper ſibi & ſucceſſoribus faciat, non ſolum abrogandi ritum ſacrorum Conciliorum, & ea pro libito diſſoluendi, ſed & ipſorum ſacratiſſima decreta ſpiritu Dei promulgata, à quibus ſtatus pendet vniuerſalis Eccleſiæ, irritandi & abolendi, & præſertim declarationem illam, quod in his quæ ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris pertinent, quilibet etiam papalis dignitatis, decretis generalis Concilii ſubiicitur. Hæc in præfata duodecima ſeſſione habentur, quæ nunc idem Gabriel apertè manifeſtat. Vnde omnes intelligere poſſunt, quam iuſte hæc ſancta ſynodus hucuſque eidem reſtitit. Conſpiciunt animum obduratum, quo authoritati generalium Conciliorum factis & verbis reſiſtebat, contemnendo etiam & violando voluntarie ſacros canones pro ſalute animarum editos. De quibus ait

Sed plerique Cardinales ad Eugenii ueni ſperi ta redierũt polo Arela-

ſenſi Baſileæ manente.

Conſtantien. Concilii ſeſ. 12.

25.q.1. *Violatores.*

Damasus Papa: Violatores canonum voluntarie, à sanctis patribus grauiter iudicantur, & Spiritu sancto, instincta cuius ac dono ditati fuere, damnantur: quoniã blasphemare in Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem canones non necessitate compulsi, sed libenter (vt præmissum est) aliquid aut proterue agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste vnum genus est blasphematiuum Spiritum sanctum. Reprobat insuper præfatus Gabriel, & damnat suam dispositionem, ad quam hæc sancta Synodus iuxta dispositionem præfatæ veritatis in Concilio Constantiensi declaratæ, post longam expectationem & maturam examinationem iudicialiter processit, propter hæresim, schisma, Simoniacam notoriam prauitatem, periurium, & contemptum ac violationem assiduam synodalium decretorum concernentium reformationem Ecclesiæ generalẽ in capite & in membris, quibus incorrigibiliter scandalizabat Ecclesiam Dei, à quibus quidem nequaquã se in præfato libello expurgat, sed conuicia & maledicta in hoc sacrum Concilii & supposita eius referre conatur, & sententiam in iudicem ferre, à quo legitime condemnatus extitit. Et postquam per Ecclesiam hæreticus indicatus est, veros Catholicos doctrinam ipsius Ecclesiæ inuariabiliter tenentes, hæreticos appellare præsumit, sicut mos est cõdemnatorum de hæresi, vt suis iudicibus maledicere, & hæresim obiicere soleant, cum veritate fuerint manifestissima superati, ad quæ omnia plenioremrespõsionem fecimus in responsione Synodali, data in nostra generali congregatione Nonis huius mensis Octobris. Renouat etiam pœnas, quas aduersus supposita huius sanctæ Synodi, eo quod suæ prætensæ & erroneæ translationi non parcebant, iamdudum anno præteriti o in conuenticulo Ferrariensi promulgauit. Cum itaque ex dicto libello omnibus constare possit, quomodo præfatus Gabriel in crimine hæresis ac schismate, de quibus condemnatus est, se pertinacius obduratum reddebat, & magis ac magis se hæreticum comprobet, vniuersis & singulis Christi fidelibus hæc sancta Synodus præcipit atque mandat, vt iuxta verbum Mosis serui Dei dicentis. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, à tabernaculo & consortio ac omni adhærentia ipsius Gabrielis, tanquam à Chore, Dathan & Abiron authoribus schismatis recedãt cum effectu, illumque omnino deuitent, iuxta præceptum Apostoli in epistola ad Titum, qua dicit: Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Nam etiam iuxta doctrinam Ioannis in secunda Canonica sua, Non habenti doctrinam Ecclesiæ nec est dicendum, Aue. Omnesque huic diuinæ sententiæ non acquiescentes, merito pertimescere habent, quoniam in districto examine diuini iudicii reddituri sunt rationem si participationem, adhærentiam & fauorem dicto Gabrieli, per Generale Concilium condemnato tanquam hæretico, præstent. Et quoniam (vt ait beatus Gregorius) illa capitula recipi non debent, quorum damnantur authores, ne ex doctrina præfati libelli, quẽ in confirmationem suæ hæresis & schismatis, dictus Gabriel post suam commendationem effecisse dicitur, quempiam fidelium in hac re seduci contingat, hæc sancta Synodus districtius inhibet, præcipit atque mandat omnibus & singulis Christi fidelibus, cuiuscunque dignitatis, etiam si Cardinalatus, Patriarchalis, Pontificialis, aut alterius cuiuscunque Ecclesiasticæ vel secularis, etiam si vniuersitates, communitates vel collegia fuerint, ne priuatim libellum publicare, prædicare, approbare, seu defendere præsumant, seu eidem quouis modo assentire, credere, aut fauere, vel eo vti, seu vtentibus eo consilium, auxilium, vel fauorem præstare, neque etiam prætensis censuris, seu sententiis innouationis, declarationis, damnationis, reprobationis, nunciationis, confirmationis & dispositionis in eodem libello quomodolibet contentis, quas nullas ac nullius penitus roboris vel momenti esse decernimus & declaramus, obedire, attendere, seu eas obseruare, aut vigore earundem, seu aliorum quorumque mandatorum vel confessionum aut indultorum quascumque dignitates, etiam si Cardinalatus, Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales fuerint, vel beneficia, aut alla quæcunque bona suppositorum huius sanctæ Synodi & eidem adhærentium, quouis modo impetrare, occupare ac detinere, etiam si motu proprio eis concessa dicantur, vel ipsos sic impetrantes, occupantes, vel detinentes, ad possessionem eorundem recipere vel admittere, seu eos in eisdem sustinere quouis modo præsumant, sub pœnis fautoriæ schismatis & hæresis, necnon aliis pœnis excommunicationis, priuationis, ab omnibus dignitatibus, etiam si (vt præmittitur) Cardinalatus, Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales aut Pontificales fuerint, beneficiis & officiis, & inhabilitationibus ad eadem, & interdicti, dudum in octaua tertia decima, & vigesima nona, ac aliis sessionibus huius sanctæ Synodi, in talia *facientibus, promulgatis, quas hæc sancta Synodus innouat. & quas omnes & singuli prædicti ipso facto incurrant, nec ab alio quam ab hac sancta Synodo, præterquam in mortis articulo valeant de prædictis absolui. Et si qui huic sacro Concilio incorporati, aut ei adhærentes, vigore mandatorum præfati Gabrielis, olim Eugenii post eius suspensionem ab administratione papali emanatorum, suis dignitatibus aut beneficiis quibuscunq; spoliati essent, aut spoliarentur in futurum, possint nihilominus sine * aliæ causæ cognitione aut requisitione alterius auctoritatis, possessiones huiusmodi dignitatũ & beneficiorum per se vel per alios reintrare & recuperare, aliis pœnis contentis in decretis nostris semper in suo robore duraturis. Datum in sessione nostra publica in maiori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata, tertio Kalendas Nouembris, Anno à Natiuitate Domini 1439. Apostolica sede vacante.

*facientes.

Aliud decretum de Electionibus. XXVI.

Num. 6. Psal. 105. Tit. 3.

SAGROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Magna nobis est solicitudo, vt electiones pastorum, quibus incumbit regere gregem dominicum, rite celebrentur, & quantum possibile est, cuncta renouentur quæ ipsarum puritati obuiare possunt. Quia vero sæpius contingit hactenus, monasteriorum & Ecclesiarum prælatis decedentibus, & eorum corporibus tumulatis, propter expectationem absentium vocandorum ex locis longinquis, Ecclesias ipsas & monasteria vacantia interim dispendia plurima suscepisse, & propter diuturni interim expectati temporis spatium, varia rogamina & precum subornationes factas fuisse, vnde Ecclesiis sæpius magnæ iacturæ prouenisse noscuntur: statuit & ordinat hæc sancta Synodus, quod de cætero ad electiones de personis Ecclesiarum & monasteriorum regimine faciendas, vbi absentes hactenus vocari consueuerunt, non teneantur illi de Capitulo vel conuentu, in quo electio facienda fuerit, aliquos vocare absentes in locis vltra duas diætas ab ipsa Ecclesia vel monasterio distantibus existentes, canonibus disponentibus non obstantibus quibuscunque. Etidem in electionibus ad quascunque dignitates faciendas intelligatur. Per hoc tamen priuilegiis, statutis & consuetudinibus illarum Ecclesiarum & monasteriorum, in quibus ad ipsas electiones faciendas prælati religiosi aut de aliis Ecclesiis, aut monasteriis vocandi sunt, nõ intendimus in aliquo derogare. Prædicta quoque in casu electionum duntaxat volumus intelligi, aliis casibus, in quibus absentes vocandi sunt, in dispositione iuris communis remanentibus. Insuper, quoniam in modo & forma eligendi ecclesiis & monasteriis prælatos, maxime cum in eorum electionibus per viam scrutinii proceditur, multa requiruntur à iure obseruanda, quorum omissio huiusmodi electiones nullas reddit vel saltem annullandas, vnde dispendia & quamplurima discrimina eisdem ecclesiis & monasteriis hactenus sæpenumero euenerunt, & continuo in posterum euenire possent, ad obuiandum eisdem discrimnibus & dispendiis statuit hæc sancta synodus, quod superiores ad quos earundem electionum spectat confirmatio, electiones quaslibet, huiusmodi, dũmodo illas alias à maiori parte capitulorum seu cõuentuum, ecclesiarum & monasteriorum huiusmodi, prius tamen vocatis vocandis, & communione suscepta, & iuramentis præstitis, primitus iuxta formam decreti nostri desuper editi de personis idoneis celebratas cognouerint, super reliquis formam concernentibus iuxta traditionem canonum, absque tamen malitia & fraude omissis ad confirmationes huiusmodi electionum procedere, & cum taliter electis, cum ipsarum qualitas & ecclesiarum vtilitas persuaserit, vt idem in Ecclesiis & monasteriis eisdem præesse ipsaque in spiritualibus & temporalibu, regere & gubernare ac dispensare possint & valeant. In postulationibus tamen quorumcunq; nullatenus iuramenta & cõmunio, sicut nec in electionibus admittantur, constitutionibus eisdem in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque.

Datum Basileæ in sessione publica ipsius sanctæ synodi, in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, tertio Kalendas Nouembris. Anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono, Apostolica sede vacante.

Aliud decretum confirmationis nominatorum ad eligendum Papam, & deputatorum in conclaui.

XXVII. SAGROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Nuper in decreto nostræ 37. sessionis super electione Romani Pontificis promulgato, inter cæteta statuimus, quod vna cum dilecto Ecclesiæ filio Ludouico tituli S. Cæciliæ Cardinali Arelatensi vulgariter nuncupato, & aliis Cardinalibus ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, si qui ante consummatam electionem aduenirent, & ipsi electioni interesse vellent, alii triginta duo tam de prælatis, quam de cæteris honorabilibus ecclesiasticis viris assumerentur, qui pro hac vice authoritate huius sanctæ synodi ipsum Romanum Pontificem eligere haberent, ita vt ille ab vniuersali Ecclesia summus Pontifex haberetur, qui à duabus partibus omnium prædictorum fuerit electus, prout hæc omnia in prædicto decreto latius continentur. inter quos triginta duos nominauimus & eleginus dilectos ecclesiæ filios Thomã Abbatem de Dondraina ordinis Cistertiensis, diœcesis Candidæ casæ, Ioannem de Segobia archidiaconum de Villauisoza in ecclesia *Ouetensi, Thomam de Courcellis canonicũ Ambianẽsem, in sacra Theologia Magistros, committentes eisdem plenariam facultatem eligendi, si vellent, ac assumendi secum vnũ duos aut tres alios (prout eis videtur) qui assumpti & electi similẽ & eandẽ secum potestatẽ haberent & facultatem, mandato, vice, & authoritate huius sacri Basileensis Cõcilii, nominandi & eligendi restantes electores ipsius futuri Rom. Pontif. & etiam alios officiarios pro conclaui necessarios, ita quod nullus per eos eligendus aut nominandus, censeretur esse electus & nominatus, nisi à maiori parte prædictorum eligentium nominatus esset & electus. Quib. iniunximus vt reciperent & nominarent ipsos restantes electores ex toto corpore Cõcilii, habendo respectum ad nationes & deputationes in hoc sacro Concilio existentes, quantum fieri posset. Recepimusque ab ipsis tribus prænominatis iuramentũ, quod eligerent viros timoratos & idoneos, quodq; nõ reuelarent electos per ipsos vsque ad publicationẽ eorũdẽ in generali cõgregatione aut sessione, sed ipsam electionem sic per eos factam, clausam sub eorum sigillis reponerent in aliquo loco tuto subfida custodia, vsque ad illam diem publicationis. Volentes autẽ res prædicti deputati nostri commissionem sibi per nos factã exequi, coassumpto sibi dilecto Ecclesiæ filio Christiano de Gretz regine in Theologia magistro, præposito Ecclesiæ sancti Petri in Bruna Olomucensis diœcesis, die quinto Calendas Nouembris in domo fratrum Minorum Basileensium conuenientes, elegerunt & nominarunt tam de prælatis, quam de cæteris vsque ad complemẽrum numeri trigintaduorum, ipsis in eodem numero ex nostra ordinatione comprehẽsis, quos in certa schedula descripserunt, & eandem clausam sub sigillis eorum, in loco tuto sub fida custodia reposuerunt, vsque ad diem publicationis fiendæ. Subsequenter vero die quarto Calendas eiusdem mensis Nouembris in nostra generali congregatione in hoc specialiter indicta, præfatam schedulam aperientes, nominationem & electionem sic per eos factam publicauerunt, in qua personæ infrascriptę nominatæ & deputatæ sunt ab eisdem pro electoribus futuri Romani Pontificis. Ioannes Archiepiscopus Tarentasiensis, Ortho Derthusiensis, Georgius Vicensis, Franciscus Gebennensis, Ludouicus Vicensis, Bernardus Aquensis, Guilhelmus Vercellensis, Georgius Augustensis, Ioannes Eporediensis, Fredericus Basileensis, Ludouicus Taurianensis ecclesiarum Episcopi, * Alexannus sancti Benigni Fructuariensis, ordinis sancti Benedicti Eporediensis diœcesis, Iacob. de * Segusio ordinis S. Benedicti Taurinensis diœcesis, Conradus de Lucella Cistertiensis ordinis Basileensis diœcesis, Raymundus Conchensis ordinis S. Benedicti Ruthenensis diœcesis, Petrus sancti Cucufatis eiusdẽ ordinis Barchinonensis diœcesis, Thomas de Dondraina ordinis Cistertiensis Candidæ casæ diœcesis, Antonius Arularum ordinis S. Benedicti Elnensis diœcesis monasteriorum Abbates, Ioannes de Segobia Archidiaconus de Villauisoza in Ecclesia Ouetensi, Christianus de Gretz regine præpositus S. Petri in Bruna Olomucensis diœcesis, Nicolaus Thibout pœnitentiarius Constantiensis Rothomagensis prouinciæ, Thomas de Courcellis canonicus Ambianensis, Ioannes de Valle rector parochialis ecclesiæ de Pleneot Leonensis diœcesis in Theologia magistri, Guilhelmus Hugonis archidiacons Metensis legũ doctor, frater Ioannes de monte Canuto præceptor domus S. Antonii de Rennerso Taurinensis diœcesis, Derzelaus archidiaconus Cracouiensis, Bernardus de Bosco canonicus Ilerdensis, frater Bartholomæus de Prouanis præceptor domus sancti Antonii de Clauasio Eporediensis diœcesis, Ioannes Wiler Decanus ecclesiæ Basileensis, Raymundus Albioli canonicus Turiassonensis decretorum, Henricus de Iudæis legum doctores, Iacobus de Saltzburga Licentiatus in iure canonico, cannoicus Ratisponensis, omnes suprascripti sunt in sacerdotio constituti.

*Ouetensi. *Alexamus. *Pegutia.

Nomina vero personarum, quas in aliis officiis necessariis pro conclaui deputauerunt, sunt hæc: Ludouicus Episcopus Lausanensis, pro locum tenente Camerarii durante ipso conclaui.

Pro custodibus conclauis, Perceuallus Bellicensis, Nicolaus Grossetanus Episcopi, Ioannis S. Michaelis de Cluſa, ordinis S. Benedicti Taurinensis diœcesis, Franciscus Abundantiæ ordinis S. Augustini Gebennensis diœcesis monasteriorum Abbates, Franciscus de Fusce ordinis Minorum magister in Theologia, Wilhelmus de Constantia legum doctor canonicus Spirensis, Ioannes de Turicella decanus Segobricensis, Thodoricus Nagel canonicus Rigensis.

Pro clericis cæremoniarum gratia, Æneas de Senis Tridentinensis, Michael Brumensis Beluacensis Eccle-

siarum canonici Notarii Apostolici. Pro promotoribus, Hugo Berardi; Ioannes Sletzenrode. Pro procuratore fiscali, Robertus Maynani. Pro Soldano, Petrus de Attrio. Deinceps autem loco Bernardi Episcopi Aquensis, qui allegatis per eum pluribus causis, ab ingressu conclauis & officio electionis ad id deputatus erat, se excusault, habitis deliberationibus in sacris deputationibus, loco eius in nostra generali congregatione nominauimus & deputauimus Ludouicum Episcopum Massilienſem. Hanc itaque nominationem, electionem & deputationem tam debentium eligere ſummum Pontificem, quam officiariorum neceſſariorum pro conclaui, præſenti decreto eadem ſancta Synodus approbat & confirmat, eamque validam eſſe, atque in omnibus vim, robur, & effectum habere decernit & declarat, ſupplens ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis, omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in præmiſſis.

Datum in ſeſſione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata 3. Kal. Decemb. Anno à Natiuitate Domini 1439.

SESSIO XXXIX.

Confirmatio electionis Papæ electi.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Deus patrum noſtrorum & dominus miſericordiæ, qui fecit omnia verbo ſuo, etſi de omnibus à ſe creatis prouidentiam gerat, cuncta certo gubernat ordine, ſpeciali tamen cura dictam ſuam Eccleſiam ſemper dirigit, pro qua vnigenitum ſuum dedit, conſolans eam iugiter per Spiritum paracletum, qui ipſam in afflictionibus adiuuat, in perſecutionibus confortat, in tribulationibus lætificat, ne ceam quibuslibet tentationib. ſeculi huius vinci, aut ſuperari permittit. In cuius glorioſo nomine congregata hæc ſancta ſynodus, authoritate duorum præcedentium Conciliorum & duorum Romanorum Pontificum, dum reſtaurationem legis *diuinæ, & ſacrorum canonum, reformationemque morum ſolicito perquiſiuit ſtudio, ſimul etiam extirpationem hæreſum, pacificationemque Chriſtianorum principum multis proſeqūs laboribus, varias aduerſitates pertulit, & propter veritatem & iuſtitiā plurimas perſecutiones perpeſſa eſt. Adiuuante tamen virtute Dei, ſedulo perſeuerauit in proſecutione ſanctæ reformationis Eccleſiæ pro honore Dei & ſalute omniū animarum. Cum autem hoc opus felices progreſſus habere non poſſet, propter aduerſitates & reſiſtentias plurimas, quas Gabriel, olim dictus Eugenius Papa IV. in cōtrarium opponebat, decreta ſalubria, & ſacros canones contemnens & parui pendens, authoritatemque ſacrorum Conciliorum verbis & factis conculcans determinationes fidei Catholicæ per Eccleſiam factas pertinaciter impugnando, & auſibus variis atque criminibus Eccleſiam Dei notorie & incorrigibiliter ſcādalizando, prout in proceſſibus ſuper hoc deductis, latius continetur: vbi tandem apud eum nulla proficiebat admonitio, oportuit ad alia iuris remedia recurrere; & à ſummo Pontificio, quod nimium damnoſe & inutiliter adminiſtrabat, eundem deponere. Poſt quam depoſitionem cum quatuor menſes & amplius eſſent effluxi, conſiderantes quam grauib. ſit *circundata diſpendiis, quot & quantis ſit plena periculis Eccleſiæ Romanæ prolixa vacatio, ſicut exacti conſideratio tēporis edocet, ad electionēm noui Pontificis procedere duximus repetitis prius in noſtra publica ſeſſio. 37. illis, quæ dudum de electione ſummi Pontificis in hoc Concilio fienda, in cuentum vacationis ſedis Apoſtolicæ ipſo Concilio durante, in quarta & ſeptima ſeſſionibus eiuſdem ſanctæ ſynodi ſtatuta & ordinata fuerant. Et facta ſolenni declaratione, quod pro hac vice electio Romani Pontificis fienda & celebranda erat per hoc ſacrum Baſileenſe Concilium, ſeu eius authoritate, atque etiam ordinatione per decretum præfatæ 37. ſeſſionis, quod vna cum dilectiſſimo Eccleſiæ filio Ludouico titulis. Ceciliæ Romanæ Eccleſiæ presbytero Cardinali, Arelatenſi vulgariter nuncupato, præſente & præſidente in hoc ſacro Concilio, & aliis ipſius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalib. ſi qui ante conſummatam electionem futuri Romani Pontificis aduenirent, & huic ſacro Concilio adhærentes, eidem electioni intereſſe vellent, alii tam de prælatis, quam de cæteris honorabilibus eccleſiaſticis viris in ſacerdotio, aut ſaltem in diaconatus ordine conſtituti vſque ad numerum triginta duorum, per eandem ſanctam ſynodum ad prædictam electionem faciendam, in generali ſua congregatione ac in ſeſſione publica nominandi & deputādi, poteſtatem haberent, prout ſecundum Deum & ſuas conſcientias eiſdem videretur, hac vice libere eligendi ſummum Pontificem authoritate huius ſanctæ ſynodi: ita vt ille abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia ſummus Pontifex haberetur, qui ab omnibus prædictis ſic debentib. pro hac vice eligere, aut ſaltem à duabus partibus ipſorum eſſet electus, & conſenſum ſuum iuxta formam in eodem decreto ordinatam præſtaret, ſecūdum cuius decreti diſpoſitionem triginta duo Archiepiſcopali, epiſcopali, Abbatiali dignitatibus, & graduum ac ſcientiarum titulis inſigniti, nominati & deputati in noſtra generali congregatione, ac demum in ſeſſione publica, quorum nomina, dignitates, gradus & ordines hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, die tertio Kalendas huius menſis Nouembris, celebrata Miſſa ſolenni per præfatum Cardinalem Arelatenſem, ac per ſingulos ipſorum ſuſcepto diuinæ Euchariſtiæ ſacramento, de manu eiuſdem Cardinalis, in præſentia totius Cleri & populi & iuramentis ſolennibus præſtitis, ipſi pariter cum eōdem Cardinali conclaue intrauerunt, in ea domo ciuitatis Baſileenſis, in qua deputatio pro communibus teneri conſueuit. Vbi cum magna deuotione ſeptem diebus inſiſtentes, quinq; ſcrutinia ſucceſſiue de mane diuerſis diebus celebrata Miſſa, & inuocata Spiritus ſancti gratia peregerunt. Et tandem facto quinto ſcrutinio ea hora, qua proceſſio huius ſacri Concilii domum præfatam circuibat, cantando hymnum, *Veni creator*, &c. compertum eſt, religioſum & nobilem virum Amedeum ducem Sabaudiæ in ſolitudine Ripaliæ Gebennenſis diœceſis, iam à pluribus annis in virtute continentiæ honeſte conuerſantem, & virtutum Domino in ſpiritu humilitatis ac ſimplici & humili habitu deſeruientem, in ſummum Pontificem vniuerſalis & Romanæ Eccleſiæ eſſe electum, iuxta præfati decreti noſtri 37. ſeſſionis diſpoſitionem. Quæ quidem electio poſtmodum, aperta fenēſtra conclauis, fuit per prædictum dominum Cardinalem Arelatenſem publice nunciata, decantatoque, *Te Deum laudamus*, per omnes ſupradictos ad eligendum deputatos concorditer ſuper electione ipſa Deum glorificantes, & orationibus conueniētibus ſubiunctis, ipſi à cōclaui exierunt in pluuialibus & mitris, aliiſque habitibus condecentibus, prout ſtatui vniuſcuiuſq; competebat, concomitantibuſque prælatis & aliis ſuppoſitis huius ſacri Concilii, ac proceſſionibus omnium collegiorum & conuentuum huius ciuitatis Baſileenſis, cum reliquiis & decentibus ornamentis, populique multitudine copioſa, Eccleſiam maiorem Baſileenſem adierunt, vbi ipſi prælati, & alii de ſacro Concilio vnanimiter Deo gratias retulerunt. Iteratoque ſæpedictus dominus Cardinalis Arelatenſis in ambone, præſentibus omnibus electoribus deputatis, & in hæc conſentientibus, atque idipſum approbantibus, retulit, quomodo ipſa electio rite & canonice fuerat celebrata, Notariis Apoſtolicis qui in conclaui fuerant, etiam idem atteſtantibus. Quę omnia conſiderans hæc ſancta ſynodus, & ſpē magnam gerēs in Domino, quod præfatus Amedeus

Æneas iſte poſtea fit Pius II. & damnat acta contra Eugenium.

*domini.

*Confuſa.

Hic ſolus Cardinalis Arelatenſis Baſileenſi aduitor fuit contra Eugenium.

Hic Amedeus poſtea ſponte ſe abdicauit pōtificatu, rogatus ab Imperatore Friderico III.

dens pro ſapientia, experientia, iuſtitia, clementia & cæteris virtutib. ſuis plurimos fructus ſalutis efficiet in populo Dei, fidem conſeruando, mores reformando, pacemq; componendo inter Principes Chriſtianos atque populos, velut ſanctitatis amator & pacis cultor, qui cum omnibus pacem, & cum nullo differentiam aut diſcordiam habere amatur, domui ſuæ bene & laudabiliter præpoſitus, grandiumq; populorum prudentiſſimus gubernator, & in rebus eccleſiaſticis & ſpiritualibus non mediocriter exercitatus, habita ſuper hoc in quatuor deputationib. omnium ſuppoſitorum huius ſacri Concilij concordi & vnanimi deliberatione, & demum in generali congregatione concluſione ſubſecuta, ipſam electionem laudat, recipit & approbat, ex abundanti & ex certa ſcientia hoc præſenti decreto ratificat & confirmat, declarans eundem Amedeum abſq; vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia teneri, haberi & reputari debere, electum in verum & legitimum ſummum & Romanum Pontificem. Et hoc ipſum per preſentis decreti publicationem ad notitiam volumus deduci cunctorum.

Datum in ſeſſione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata xv. Kalend. Decembris, Anno à Natiuitate Domini 1439.

Hæc ſunt, quæ Baſileenſes in Tabulas actionum Conciliabuli produxerunt.

XXIX. *Tria alia edicta pro ſeruia plena à Baſileenſibus euulgata.*

Præter hæc, duo vel tria alia edicta ſimili atramento euulgauerunt: alterum de non mutatione conciliabuli; alterum contra Oecumenicum Concilium Florentinum. Placuit iſthic ea adſcribere, ad ſuffundendam eorumdem proteruiam, qui contra Patrem Patrum dimicare præſumpſerant.

I.

Baſileenſes, Oratoribus Principum, poſtulantibus translationem Concilii.

SAcroſancta generalis &c. Ad futuram rei memoriam. Audiat veſtra charitas venerabiles & circumſpecti viri Oratores ſereniſſimorum regum Romanorum & Francorum atque etiam & Principum, qui per hos dies huic ſanctæ Synodo Baſileenſi præſentes affuſtis, ea quæ ſuper rebus per vos propoſitis, Zelus Domius Domini nos in auxilio ipſius Diuinæ pietatis confidentes reſpondere viget atque compellit. Commendamus quidem inprimis & ipſorum Principum veſtrorum piam deuotionem, & veſtram ad bonum vniuerſalis eccleſiæ, in quod pariter vniuerſa noſtra vota & deſideria ſedulo aſpirant. Quid enim aliud hæc ſancta Synodus tantis tamque aſſiduis laboribus, iam per octo fere annos continuatis efficere cupit, niſi vt eccleſia Chriſti, & ſalubri diſpoſitione regatur, & optima pace & tranquillitate reſloreat? Sed vt nos & vos auxiliāte pacis & ſalutis authore Chriſto Ieſu, tandem id conſequi valeamus, quod omnes communi conſenſu optamus: non ſuperuacuum erit de neceſſitatibus & periculis in quibus ipſa verſatur eccleſia quicquam dicere: quæ & ſi aliis noſtris decretis, & epiſtolis magnam partem commemorata ſint, tamē his iam ad memoriam cunctorum recenter deductis & plenius intellectis, ſalutaria remedia facilius inueniri poterunt, & efficacius præſtari. Non latet diſcretiones veſtras quanto conatu iam tribus conciliis generalibus, Conſtantienſi, Senenſi, & hoc præſenti Baſileēſi, elaboratum ſit pro pacifico, & ordinato regimine eccleſiæ ſub lege Domini, & Canonicis regulis diſponendo, vt non per varios abuſus aſſidue increſcentes, ipſe ſtatꝰ eccleſiaſticus decolorati & in deteriora ruere ſineretur, in offenſam diuinæ maieſtatis, & periclitationem, confuſionem atque turbationem maximam vniuerſæ Chriſtianæ religionis. Neque inficiari poſſumus, id eſſe beneplacitum Diuinæ voluntatis, vt hæc reſtauratio decoris Domus Dei & reformatio ſalutaris ageretur, pro qua efficienda iam hæc tria generalia Concilia, in Spiritu ſancto legitime congregata fuerunt, prout ipſi ſummi Pontifices, & vniuerſi eccleſiæ miniſtri atque etiam reges & Principes Chriſtiani profeſſi ſunt & omnis plebs Catholica cognouit. Et vt dolorum præſentium originem aperto ſermone dicamus, pro hac vna cauſa reformationis eccleſiæ in capite & in membris, quam cum aliis operibus extirpationem hæreſum, & pacificationem Chriſtianorum Principum concernentibus, hæc ſancta Synodus multa ſolicitudine & vehementi inſtantia proſequi cupit, tot & tanta perturbationum genera, quæ conſpicitis, aduerſus eam excitata ſunt. Cum enim decreta ſalubria ſuper celebrandis electionibus prælatorum, tollendiſque exactionibus, quæ ſub prætextu annatarum, in collatione dignitatum & beneficiorum, eccleſiarum prouiſione interuenire ſolebant, atque inſuper de Prælatis non transferendis inuitis, de terris eccleſiæ Romanæ non alienandis, & alia quædam edidiſſet, ſperans Dominum Eugenium Papam quartum, non ſolum & amplecti & maxime exequi, verum etiam cæteros verbo & exemplo ad obſeruantiam ſacrorum Canonum inducere, præſertim viſa adhęſione qua huic ſacro Concilio expreſſe affirmabat ipſum Concilium debere continuari, & progreſſum habere ad reformationē eccleſiæ in capite & in membris, ac pertinentia ad eā, idemque Concilium pure ſimpliciter & cum effectu ac omni deuotione proſequebatur, vt dicebat, & intendebat proſequi, ſicut in litteris ſuis parentibus more Romanæ curiæ bullatis, & per Cardinales ſanctæ Romanæ eccleſiæ tunc apud eum conſiſtentes ſubſcriptis, atque in noſtra Synodali ſeſſione ſolenniter præſcriptis, atque in noſtra Synodali ſeſſione ſolenniter præſentatis & publicatis, latius continetur. Vidit autem deinceps hæc ſancta Synodus, quod quaſi paſſim electionibus obſiſtebat, reſeruationibus contrariis vtendo: exactioneſque pecuniarum in collationibus beneficiorum & dignitatum magis in dies creſcebant in illaqueationem animarum, depauperationem regnorum, & prouinciarum, violationem voluntariam ſacrorum canonum, & parui penſionem auctoritatis Concilij generalis, à quo canones ipſi editi erant, vnde futurorum generalium Conciliorum paruipenſio, & grauis contemptus imminere videbantur. Nec ſic tamen ceſſauit ſancta Synodus à perſecutione inchoati ſanctiſſimi operis reformationis eccleſiæ, vt voluntati Domini Dei ſui pro viribus obſequeretur. Promulgati ſunt canones de numero & qualitate Cardinalium, de reſtringendis ſuperuacuis reſeruationibus beneficiorum, de ſubblatione multitudinis gratiarum expectatiuarum, & cauſis in partibus vbi oriuntur ordinare tractandis. Nec nō & alia plura ſalutem, & tranquillitatem totius eccleſiæ concernentia, multoque ampliora & in breuiori tempore pro publica ſalute edita fuiſſent, ſi non grauiſſima impedimenta obſtiriſſent, quæ huic ſanctæ Synodo quaſi aſſidue procurata fuerunt. Quantum vero & canones ipſos, & authoritatem condentis reueritus fuerit ipſe Dominus Eugenius, facta proh dolor, nimis in aduerſus multiplicata teſtantur. Admonitus eſt pluribus vicibus cum omni charitate, vt animum ſuum ad eorum obſeruationem inflecteret, quæ pro ſalute gregis Dominici inſtituta erant, nec poteſtatem ſibi in ædificationē eccleſiæ datam, verteret in deſtructionem. Et ne in quibuſdam ſuper minus ſufficienti prouiſione temporalium aliquam prætenderet excuſationem, obtulit ei ſancta Synodus ſi indigeret conuenientem prouiſionem exhibere, dum animum ſuum ad obſeruationem decretorum Synodalium videret benigne inclinatum. Ipſe autem quod dolenter referimus, nimium dure in aduerſum obſtitit, ſoluebatque inſuper quos ligabat, & ligabat ipſe quos hæc ſoluebat. Quibus ex rebus plurima ſcandala, diuiſiones & ſchiſmata, tum in eccleſiis particularibus, tum in

Videat lector bullā retractatoriam Pii 2. quæ Eugenius grauiſſime defendisur

generali facto vniuersalis ecclesiæ exorta sunt. Visusque est in hoc vnum vehementer adspirare, vt hoc Concilium sic reformationi intentum abrumpere, & aliud in ea parte Italiæ quæ sibi magis placeret eligere posset, vbi omnia magis ad suum libitum tractaret, quod nec beneplacito Diuinæ voluntatis consentaneum, nec saluti Dominici gregis, nec conseruandæ authoritati sacrorum Conciliorum accommodum, attentis præfati Domini Eugenii actibus, hæc sancta Synodus existimauit. Cum vero suum in ea re explere desiderium aliter non posset ipse Dominus Eugenius cogitauit sub vmbra Græcorum hoc tandem assequi. Qui quidem antea voluerat vt cum eisdem Græcis in Constantinopoli conuentio fieret. Iamque Orator suus cum Imperatore Romanorum ita fiendum esse conuenerat, si hoc sanctæ Synodo placuisset. Verum ipsa ex hoc graue periculum fidei Catholicæ iudicauit posse imminere, si in eo loco tam remoto ab ecclesia latina, in faucibus Turcarum constituto, res illæ concludi, & tractari haberent. Sed dum eadem sancta Synodus in eo proposito perseueraret, vt Græcorum ipsorum in regiones istas occidentales procuraretur aduentus, locumque nominauit, in quo iuxta conuentiones cum ipsis habitas, de ipsorum ageretur vnione; Nam & singulariter pro vnione Græcorum, & Orientalium proficiscenda, eadem sancta Synodus inter cætera fuit à principio congregata, ac in super pro expensis necessariis subsidia exquisiuit, tum ab vniuersis populis fidelibus per indulgentiarum largitionem, tum singulariter à Ciuibus Auenionensibus permutationem pecuniæ. Nouit Deus quanta impedimenta ex parte ipsius Domini Eugenij, & suorum in his præstita sunt, vt tandem deficientibus pecuniis & subsidiis sacro Concilio in eam partem Italiæ, quam idem Dominus Eugenius desiderabat, transire cogeretur: sicque per medium auri & argenti, in quo præualere sperebat, facta Concilii, & ecclesiæ in suam redigeret voluntatem. Sed cum diuina miseratio nec in his necessitatibus Concilium desereret, subsidiaque tum ex mutua Auenionensium, tum ex deuotione populorum supperterent, quorum ope sancta Synodus suam legationem in Constantinopolim, pro conductione Græcorum transmittebat, nec sic, proh dolor, cessauit idem Dominus Eugenius aliud Concilium, prout ei libitum erat, velle erigere, & Græcos perduci facere in locum qui sibi placebat, nullatenus electum per hanc sanctam Synodum, sicut ex conuentionibus inter ipsam, & eosdem Græcos habitis, & per ipsum Dominum Eugenium expresse approbatis, eligi & nominari debebat. Quodque singulariter aduertendum est, non solum consentiont habendæ in loco per Concilium nominato obsistebat, imo & eum locum, qui per suos præsidentes inter omnia loca, licet nulliter & de facto, sicut in aliis nostris decretis & epistolis lucide ostendimus, nominatus erat, quippe pecunias galeas pro tunc parare conabatur, reiecit & recusauit. Vidit autem hæc sancta Synodus ex ea reschismę grauissimum iam parturiri, per alterius prætensi Concilii contra hoc verum Concilium, & altaris contra altare dispositam erectionem, ad quam perficiendam, ipse Dominus Eugenius iam de facto alias Galeas aliosque Oratores in Græciam transmittebat, in contrarium illorum qui ex parte Concilii missi erant, vnde periculosissima Gregi Dominico vestatio parabatur, & perplexitas animarum, irreparabilisque factura auctoritatis sacrorum Conciliorum, & canonum Synodalium imminebat, dum sic aut ecclesiam scindere, aut ipsius ecclesiæ facta in suæ libitum voluntatis redigere Dominus ipse Eugenius conari videbatur, non potuit dissimulare Synodus quam multum patienter facta eiusdem Domini Eugenii, aduersus eius decreta, & bonum regimen ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus longo tempore sustinuerat, quominus ad eius euocationem, & citationem procederet, recepta etiam prius informatione summaria super his, quæ de abusibus speciem Simoniacæ labis habentibus, alienationeque & destructione plurium terrarum Romanæ ecclesiæ, periurio, ac aliis in nostro citatorio Synodali plenius designatis fama publica ferebat, priusquam vulnera illata ecclesiæ cunctorum matri, validioribus incrementis aggrauarentur, super ipsius ecclesiæ regimine opportuna quæreretur prouisio. Quid autem egerit vocatus ad Synodum, pro Deo attendite; non solum non venit imo nec minimum seruulum mittere dignatus est: neque non mittere contentus fuit, verum insuper Synodum ipsam authoritate Apostolica ex plenitudine potestatis ac ex certa scientia in Ferrariam se transferre dixit, casu quo virtute citatorii Synodalis in aliquo procederetur, aut fieret aliqua nouitas contra eum, & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, aut contra aliquem præsidentium oratorum suorum, qui in concilio fuerant, excepta causa Bohemorum, per triginta dies duntaxat Basileæ tractanda, cum alter suorum præsidentium pro tunc Archiepiscopus Tarentinus, quem in literis prædictis translationis nominauit, ad iudicium Synodale vocatus esset, occasione certarum litterarum, super quodam prætenso decreto confectarum de qua in eadem translatione mentio habita est, quas tamen litteras falso & clandestine bullatas fuisse constitit, prout in decreto vigesimæ septimæ sessionis huius sanctæ Synodi extitit declaratum. Cognoscebat ipse Dominus Eugenius, esse verum & legitimum Concilium in Basilea, & expresse tam ipse quam sui præsidentes, in eodem loco ipsum persistere debere condixerant, & firmauerant, saltem vsque ad aduentum Imperatoris, & Patriarchę Græcorum in vltimum portum Citramarinum. Et si interim aliqua necessitas mutandi locum superuenisset, mutari debebat Concilium in locum propinquiorem eiusdem nationis iuxta decretum Concilij Constantiensis, quod incipit, Frequens, sicut in conuentibus firmatis cum Græcis expresse cautum erat. Sciebatque multipliciter fuisse declaratum per hanc sanctam Synodum etiam ex tempore primæ dissolutionis per eum attentatæ, quod Concilium per neminem cuiuscumque dignitatis etiam si Papalis, dissolui, aut de loco ad locum mutari sine eius consensu poterat: quam esse veritatem iuris diuini, & articulum qui fidem concernit, frequentibus Synodis ipsa ostenderat. Vnde nullatenus tolerare potuit eadem Synodus hanc translationem prætensam, quam ipse Dominus Eugenius non obstantibus quibuscumque decretis Concilii constantiensis, & istius Basileensis, & conuentionibus habitis cum Græcis, per ipsumque approbatis, & declarationibus factis in materia fidei, attentasse comperiebatur, quibus omnibus derogatum esse velle videtur, ex eo solo capite, si procederetur contra aliquem suorum præsidentium oratorum. Minusque potest tantus error in summo Pontifice quam in quocumque iuuantium tolerari, quanto magis ipsum in fide orthodoxa eruditum esse, & recte sapere conuenit, ne (quod absit) totum corpus grauis morbus inuadat, si languor non fuerit curatus in capite. Videreque possunt clarissime omnes intellectus hominum, authoritatem sacrorum generalium Conciliorum, aut nullam, aut minimam deinceps haberi respectu summorum Pontificum. Si permitterentur vt Concilium authoritate Apostolica transferrent, casu quo procederetur contra ipsos, aut aliquem suorum. Dicit veritas fidei in sacro Constantiensi Concilio declarata, quod Concilium generale vniuersalem Ecclesiam repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui etiam summus Pontifex obedire tenetur in his quæ pertinet ad generalem reformationẽ ecclesiæ in capite & in membris

Et cur non liceat Pontifici ex iusta causa alio transferre Synodum?

Ecce

Cardinales per ipsa & legatus ipse ventã ab Eugenio petierunt.

Ecce citatur ipse Dominus Eugenius super non obseruantia decretorum Synodalium concernentium ipsam generalem reformationem capitis & membrorum aliisque ad eandem pertinentibus. Ipse autem præcipit Concilio ne vlterius in his procedat. Alioquin ipsum ex tunc transfert in Ferrariam, pœnas & censuras, licet tamen nulliter & de facto, in omnes qui post actus Conciliares Basileæ exercuerint, fulminat. Addit etiam vt factum Bohemorum pro quo tot millia hominum interierant, eo casu vltra triginta dies non tractaretur in Basilea, vbi Oratores regni Bohemiæ eo tunc constituti erant, cum quibus sancta Synodus super declaratione articuli de communione sub vtraque specie, grauibus & maturis disputationibus ac discriminibus laborabat. Potest ne ô Venerabiles Oratores hanc taliter attentatam dissolutionem, & translationem hæc sancta Synodus tolerare, aut sub dissimulatione transire, vbi per eam, dum prima eius dissolutio, longe minus grauis, quam hæc secunda, fuerat perpetrata, responsum extitit oratoribus ipsius summi Pontificis in responsione Synodali, in qua septem Cardinales aderant, & legatus Apostolicus præsidebat: hic articulus fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest. Malumus mori quam tanto errori per ignauiam cedere. Hæc verba ibidem dicta fuerant quæ nunc multo magis dicenda veniunt, vbi post declarationes super hoc factas per ecclesiam, post promissiones ipsius Domini Eugenii quod abstineret in futurum à grauaminibus inferendis Concilio, & suppositis eius; Hæc prætensa nouissima translatio sub talibus conditionibus, quæ nulla ratione colorari possunt, & tali tempore facta est, quod si oportuit vt primam dissolutionem sine consensu ipsius Cõcilii attentatam, declararet ipse Dominus nullam, irritam, & inanem, quanto magis de hac iterum attentata, prætensa translatione, hoc agere necesse est? Sed vlteriora prosequamur, vim huius translationis nouissimæ. Idem Dominus Eugenius aliam congregationem sub nomine generalis Concilii apud Ferrariam erexit, etiam ante aduentum Imperatoris, & Patriarchæ Græcorum, declaratione præmissa, quod conditio posita in præfata translatione iam erat adimpleta, eo quod sua contumacia fuerat per Synodum declarata, dum ad Synodum ipsam (vt præfertur) nec vnum seruulum mittere dignatus est: Ecce fundamentum erectionis alterius prætensi Concilii, & altaris contra altare, imo contra vniuersalem ecclesiam: non solum aduersus decreta Constantiensis, & huius Basileensis Conciliorum, verum etiam expresse contra ea quæ per suos præsidentes, in prætensa decretatione sua nominationis locorum ordinata fuerant, & quæ in conuentionibus Græcorum approbatis (vt præfertur) per eundem Dominum Eugenium habebantur. Considerate in vero iudicio, qualiter hoc factum à schismate excusari possit, præsertim vbi iam dudum in octaua sessione huius sanctæ Synodi, præsidente sedis Apostolicæ legato, etiam ante ipsius Domini Eugenii adhæsionem, fuerat solenniter declaratum, quod sicut vnica est Christi ecclesia, sic non potest esse nisi vnicum generale Concilium ipsam repræsentans. Et quod si contigerit aliam congregationem sub nomine generalis Concilii, durante isto, erigi per quemcumque cuiuscunque dignitatis, etiamsi Papalis, non fore Concilium ecclesiæ Catholicæ sed schismaticorum conuenticulum. Hæc verba ibidem habentur. Conspicite pro Dei reuerentia, si post horum præparationem causam legitimam, imo vrgentissimam habuit hæc sancta Synodus decernendi, & declarandi ipsum Dominum Eugenium Papam fuisse suspensum ab omni administratione Papali; lapsis quatuor mensibus à die prætensæ dissolutionis seu translationis, per eum (vt præfertur) attentatæ, præmissa monitione per solennę decretum, vt infra illud tempus quatuor mensium ipsam translationem reuocare haberet, sub pœna ipsius suspensionis ab administratione Papali ipso facto incurrendæ, iuxta formam quæ dudum in decreto vndecimæ sessionis huius sanctæ Synodi ordinata fuerat. Potest ne aliquis huic suspensioni contradicere, quæ facta est à legitimo generali Concilio vniuersalem ecclesiam repræsentante, & ex tam vrgentissimis causis, post tantum contemptum decretorum Synodalium, continuationemque abusuum, & deformitatum: post tam grauem læsionem authoritatis generalium Conciliorum, quam fidem tenemus ex determinatione vniuersalis ecclesiæ nobis tradita, quam quilibet Christianorum tenetur vsque ad animam, & sanguinem defendere post schisma perpetratum, propter quod merito sibi obedientia subtrahenda erat, dum (vt verbis dicamus B.Cypriani) se separabat à Collegio sacerdotum, & vinculo ecclesiæ, quo casu de Nouatiano dicit idem Cyprianus, quod Episcopi potestatem non poterit habere, nec honorem, qui Episcopatus nec habere voluit vnitatem nec pacem: post manifestam contumaciam, & apertam rebellionem, dum sic Dominus Albertus notorie & incorrigibiliter ecclesiam Dei scandalizabat? Quæ etiam suspensio decreta & declarata fuit ante aduentum Imperatoris, & Patriarchæ Græcorum ad vltimum portum citramarinum. Nam supradictus terminus quatuor mensium effluxerat, quo tempore Concilium ipsum adhuc durare in Basilea, nullus quouis quæsito colore, ambigere poterat. Quid autem post ipsorum Græcorum aduentum in ereatione cuiusuis congregationis sub nomine generalis Concilii efficere potuerit, siue apud Ferrariam, siue ad quemlibet locum alterum, cum iam ab administratione Papali legitime suspensus esset, vos præclari oratores lucide conspicere potestis, etiam absque aliis necessariis rationibus, quas latius in aliis decretis, & Epistolis, nostris deduximus. Et vt adhuc parumper de hac suspensionis euidentia paulatim loquamur, determinationes præcedentes vniuersalis ecclesiæ in hoc aduertere. Olim Constantiense Concilium in eo maxime decreto quod incipit, frequens, pluribus in casibus decreuit summos Pontifices suspensioni ab administratione Papali subiacere debere propter bonum vniuersalis ecclesiæ, & in ea sessione quam super authoritate Conciliorum generalium celebrauit, expresse statuit & declarauit, quod si quis etiam summus Pontifex, mandatis, statutis siue ordinationibus, aut præceptis cuiuslibet Concilii generalis, vniuersalem ecclesiam repræsentantis obedire contumaciter contempserit, in his quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem schismatis, generalem reformationem ecclesiæ in capite & in membris, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, ad alia iuris remedia, si opus fuerit, recurrendo. Deinde in vndecima sessione huius sanctæ Synodi statutum fuit, quod si summus Pontifex in futurum attentaret Concilia generalia acta congregata dissoluere, aut de loco ad locum mutare sine consensu ipsorum, nisi resipisceret infra quatuor mensis suspensionem ab administratione Papali incurreret ipso facto, & si hanc sustineret per duos menses animo induratus ad depositionem ipsius procederetur, subsequenter in duodecima sessione fuit monitus ipse præsens summus Pontifex, vt dissolutionem Concilii per eum tunc attentatam reuocaret infra sexaginta dies. Alioquin ex tunc prout ex nunc esset suspensus ab omni administratione Papali. Postquam hæc omnia præcesserant, ipse Dominus Eugenius adhęsit huic sacro Concilio dicens ipsum legitime ab initio sui fuisse continuatum, non obstante præmissa dis-

Eugenius certe non sine graui cõtumeliæ potest Nouariano cõparari.

solutione, quam expresse declarauit nullam, irritam, & inanem. Exinde oratores sui ad præsidendum in Concilio deputati iurarunt expresse suis nominibus decreta Concilij Constantiensis super authoritate generalium Conciliorum edita, atque per decreta Concilij Basileensis manutere, & defendere. Quis post tanta tamque solida vniuersalis ecclesiæ testimonia ambigere, aut in dubium reuocare potest, si præfata suspensio per hanc sanctam Synodum decerni aut declarari potuerit ac debuerit? quod non solum clarissime conspicitur, verum etiam illud irrefragabile est, quod postquam suspensionem ipsam Dominus Eugenius sustinuerat per duos menses animo indurato, ad eius depositionem procedere incumbebat Synodali iudicio. Sed quantam in ea re mansuetudinem obseruauerit sancta Synodus, quam benignæ supplicationibus vestrorum serenissimorum Principum condescenderit, vos venerabiles Oratores pro Deo attendite. Iam eandem suspensionem summus Pontifex per annum integrum sustinuit animo indurato, & ecce depositionem eius distulimus vsque adhoc tempus, processusque aduersus eum inchoatos tardiori gressu deduci & continuari fecimus, si forte ad preces vestrorum Principum, aut aliunde quomodolibet excitatus, reuerteretur ad cor, & ad ea quæ sunt salutis, vnionis, pacis, & boni regiminis ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus efficaciter conuerteretur, si tandem ecclesiam moneremus, & corripientem audiret, ne ipsum oporteret haberi iuxta verbum Christi, sicut ethnicum, & publicanum. Quantas vero interim persecutiones aduersus hanc sanctam Synodum pro salute ipsius exercuit considerate: quantum in se erat, licet tamen nulliter & de facto, omnia suppositia ipsius sanctæ Synodi excommunicare, priuare, inhabilitare conatus est, nisi suæ præsentiæ dissolutioni parerent. Interdictum in Ciuitate Basileensi seruandum statuit, nisi Cives Basileenses, Concilium ipsius à Ciuitate sua eiicerent. Victualia ad nos deferri prohibuit, & portantes eadem spoliari concessit, atque ipsorum spolia, cedere occupantibus. Insuper quoque per litteras suas more Romanæ curiæ bullatas mandauit, vt in ipsa suppositia Concilii fieret persecutio, tanquam in hostes Fidei christianæ, appellans hanc sanctam Synodum, perfidam iniquorum Synagogam. Postque venerabilis Episcopus Visensis, & dilecti ecclesiæ filii, Ludouicus de vrbe sedis Apostolicæ protonotarius, Dionisius de Sabenays sacræ Theologiæ professor, & Stephanus Ploncrii decretorum Doctor oratores nostri, realiter capti fuerunt, sumpta occasione per captiuantes, vt accipimus, ex mandatis Domini Eugenii. Sed Dominus in his omnibus nobis adiutor fuit, pro cuius ecclesia, persecutiones pati non refugimus scientes quoniam ipse Dominus ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Et quamuis plurima temporalia detrimenta, damna, dispendia, & pericula nobis afferat in loco, tam longi temporis expectatio; cum innumeris sumptibus & laboribus, tamen non possumus hanc in Deum nostrum offensam committere, vt ecclesiam eius tuere, incepram restaurationem sanctissimæ legis suæ in cordibus hominum, & necessariam reformationem Christianæ religionis, deseri, atque abiici, nec non veritatem & iustitiam in diebus nostris miserabiliter concidcati patiamur; sed misericordiam Saluatoris nostri ingiter exoabimus vt ipsam ecclesiam suam aduersus persecutiones suscitatas assidue tueatur, nobisque in eo proposito perseuerare donet, vt nullus aduersitatis impetus, nulla persecutionum magnitudo nostros animos dimoueat, quominus sancta opera, propter quæ hæc vniuersalis ecclesiæ Synodus congregata est, in reslem effectum deduci procuremus, & auctoritatem vniuersalium Conciliorum, per quam fidei integritas & ecclesiasticæ disciplinæ vigor, omnisque regula Christianæ vitæ conseruari habet, sustineamus illibatam, non quærentes in ea re quæ nostra sunt, sed quæ Iesu Christi, & salutis animarum. Alia quoque plura specialia de gestis, tam per summum Pontificem, quam etiam per suos, qui ad diuersas regiones missi fuerunt, nequaquam per singula commemorare de præsenti volumus. Sed illam grauissimam offensam Dei nostri, & ecclesiæ suæ, atque etiam humanæ naturæ, nequaquam tacendam putamus, in personam Heraldi illustris Principis Pedemontium perpetratam: quem ad Græciam præmiserant legati nostri, qui super vna Galea oratorum summi Pontificis capiuatus, & torturæ expositus nusquam comparet, & in mare proiectum, & demersum fuisse accepimus. Verum dignum exoramus clementiam, quatenus cor ipsius summi Pontificis ita conuertere dignetur in viam veritatis, salutis, & pacis, vt non ampliora de his loqui aut scribere necesse sit, sed omnibus emendatis, ecclesia cunctorum mater, de ipsius probis actibus in Domino gaudeat. Iam vero clarissimi Oratores ad ea venimus, quæ super mutatione loci pro celebratione Concilii, nomine vestrorum Principum postulastis. Opportunum quidem fore proposuerunt discretiones vestræ, vt locus alius huic sacro Concilio tutus & accommodus eligeretur, in quo cum Græcis haberetur conuentio, seruata ex integra auctoritate generalium Conciliorum, & huius præsentis Basileensis Concilii, quod vniuersalem ecclesiam repræsentare deuotis, & fidelibus animis profitemini. Nos quoque pacis, & vnitatis amantissimi & ipsorum Principum vestrorum votis, quantum cum Deo possumus condescendere cupientes; aures benignas cunctis in ea re per vos proponendis accommodauimus. Petierunt autem deputati huius sanctæ Synodi, inter quos Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & Doctores insignes erant vt media aperire velletis, quibus res istæ perfici possent. Vos ad hoc respondistis vt illi potius ea aperirent, qui de authoritate Conciliorum generalium, & rebus rem concernentibus amplius informati erant, atque in his vltra iam per septennium occupati. Ipsi vero suasioni vestræ morem gerentes, huic negotio operam dederunt. Et cum plurima in ea re pericula cernerent subuersionis eiusdem authoritatis Conciliorum generalium, atque deperditionis inchoatorum operum, reformationem ecclesiæ in capite & in membris concernentium, certa capitula conceperunt, per quæ his periculis obuiare pro sua fidelitate conabantur. Et si vero eadem capitula dum à nobis audita fuerint, non à iustitia, & sanctitate deuiare arbitremini, tamen, quoniam difficile fore existimatis summum Pontificem ad hæc inducere, alia capitula concepistis, quibus completis hanc fieri posse loci mutationem: vos autem maiorem partem vestrum auisasse dicebatis, super ipsis quoque per vos auisatis deinceps nostri deputati nonnulla quæ addenda videbantur, & quædam etiam subtrahenda, exinde annotauerunt: circa quæ deinceps mutuam collationem habuistis.

Hæc autem sancta Synodus omnia maturo examine ponderans, quæ tam per deputatos suos quam per deuotiones vestras de liberata fuerunt, iam in præsentiarum grandia pericula vestris deuotionibus exponere duxit, ex hac mutatione sibi ac toti ecclesiæ euidenter imminentia, quibus non satis cautum esse per capitula quæ à vobis concepta sunt, vestræ discretiones facile possunt aduertere. Primum quidem de nullitate dissolutionis ac translationis præ-

tensæ

tensæ huius sacri Concilij in Feriariam per summum Pontificem recognoscenda, nullam fecistis mentionem: quam nullatenus per ecclesiam tolerare posse, superiores rationes ostenderunt; neque sola cessatio congregationis Ferrariensis, de qua fecistis mentionem, graue vulnus in hoc illatum ecclesiæ quoquo modo sanaret. Secundo tria loca per Synodum nominanda proposuistis, ita vt alterius ipsorum optio per Dominum Papam, & Græcos fieri haberet, cum tamen venerabiles, & discreti oratores serenissimi Regis Romanorum, & venerabilium ac illustrium Principum electorum sacri Romani Imperii, tam in propositionibus per vos factis, quam in petitionibus scripto tenus præsentatis, à Principio duntaxat locum alterum, pro Oecumenico Concilio celebrando quæsieritis, & posset Concilio periculum imminere, dum illum locum, quo minus accommodus & securus vobis esset, Papa cum Græcis fortasse assumeret. Tertio non expressistis quod Dominus Eugenius in talem locum consentiret, tanquam authoritate huius sacri Concilii vniuersalem ecclesiam repræsententis nominatum: neque aliquod verbum in vestris auisamentis percepimus, per quod ipse hoc Basileense Concil. legitime continuatum recognoscere haberet: quod tamen necesse est, si summus ipse Pontifex, cum hac sancta Synodo, atque etiam cum religiosis Principibus vestris vnum sentiret, & pacem & vnitatem consouere velit, ac futuris quæstionibus, & controuersiis obuiare, quæ in altero loco exoriri possent. Quarto de obseruatione Synodalium decretorum, & reformationis executione, pro qua hæc sancta Synodus grauissimos labores tanto tempore sustinuit, & quæ in tantum diuinæ legi beneplacita, salutique Dominici gregis necessaria iudicata est, nullam mentionem exprimere vidimini, neque etiam super obseruatione gestorum in materia iustitiæ, gratiæ, seu indulti in hac sancta Synodo, per ipsa auisamenta vestra, habetur prouiso aut securitas, ex quare quam plurimæ turbationes in diuersis regionibus prouenirent, nisi opportune prouideretur. Quinto de modo transferendi Concilium ad locum alterum, & qualiter procedetur in illo loco, salrem ab initio nihil auisamenta vestra dixerunt, nisi tantum quod modus ille obseruabitur, quem Concilium ibi existens determinabit. Cum vero ibi deuentum esset, dicerent forsan aliqui, solos Pontifices vocem definitiuam habere, & à votis illorum concludere vellent. Alii Abbates Doctores & Priores, & capitulorum procuratores, aliterque debite qualificatos insignes viros non excludi debere, & à maiori parte omnium conclusiones habendas arbitrarentur. Rursum quidam per deputationes, alii per nationes procedere conarentur, facileque esset Concilium inter has dissensiones dissolui, maximeque attento conatu, quem præsens summus Pontifex ad ipsam dissolutionem hactenus exercere visus est, sicque tandem posset contingere, vt paruipensis decretis Synodalibus, & quodammodo sepulta authoritate generalium Conciliorum, summi Pontifices pro libito voluntatis agere possent, quicquid eis videtur dum aduersus hoc Concilium, cui incorporati fuerunt, omnes reges Christiani, & quod tanta authoritate fundatum extitit, in ipsius tali dissolutione & elusione, post tanta certamina, præualeret modernis Domini Eugenii voluntas: quod quam esset pernicioſum & damnosum toti ecclesiæ atque Christiano populo vos ipsi considerate. Quare necesse est si Concilium transferri debet, vt cum magna cautela his periculis obuietur, & de modo incipiendi progressum ipsius Concilii in loco altero firma & stabilis conclusio ante translationem habeatur. Cum vero ibi solidatum, & stabilitum fuerit Concilium, si alios modos tenere voluerit, hoc in sua libertate manebit. Sexto suspensionem Pontificis ab administratione Papali, non sublatam intelligi profertis, cum Canones Constantiensis Concilii professus erit, & in locum nominatum consenserit: quod nullatenus fieri posse, manentibus causis propter quas suspensio ipsa decreta est, Vestræ discretiones clarissime conspicere possunt: quæ etiam vbi expurgatæ essent, & spes bona in spiritualibus & temporalibus in administratione posset concipi, talem sublationem cum magna consideratione per solenne decretum effici conueniret, neque de admissione præsidentium ex parte ipsius summi Pontificis, de qua in vestris auisamentis agebatur, mentio est habenda, priusquam ipsa suspensio auferatur. Quod vero de censuris hinc & inde tollendis addunt est, scitis & quæ aduersus hanc legitimum generale Concil. in his facta sunt, nulla prorsus esse, irrita, & inania, sicut etiam dictum in decreto duodecimæ sessionis huius sanctæ Synodi extitit declaratum: & cum vnica sit ecclesia, vnicum est etiam generale Concilium ipsam repræsentans, cui quilibet cuiuscumque status & dignitatis, etiamsi Papalis, obedire tenetur. Nec in ecclesia contrariæ sunt potestates, à quibus contrariæ censuræ veraciter procedere possint, sicut & vos optime intelligere non dubitamus. Septimo locum mutari quæritis, esto quod nec Græci, nec Papa venirent ad illum alterum locum, aut in eum consentirent. Quæ autem necessitas, vel quæ vtilitas id agere suadet, non aperuistis. Nec videtur quo pacto Dominus Eugenius ibidem audiri haberet, sicut tangere videmini, dum neque in illum locum consentire, nec ad ipsum mittere vellet. Ipsum vero nequaquam conueniens esse Synodum in loco securo ac quieto, ac pacifico consistentem periculosæ translationi exponere sine fructu, aut spe alicuius vtilitatis, vel vrgente necessitate. Octauo quoniam non dixistis quid agendum erit, si Dominus Eugenius ea quæ petuntur facere voluerit, potiremus ne semper in talibus dilationibus, in his fluctuationibus, ecclesiam fluctuari permittere, & non sibi de aliquo prouidere remedio? Videtis quantæ dilationes concessæ sunt, quæ nullum fructum attulerunt: imo pendentibus illis ipse Dominus Eugenius quam plurima in præiudicium ecclesiæ innouauit, pendente quidem dilatione sexagesima dierum post citationem eius, Concilium dissoluere, & transferre attentauit, subsequenter dilatione quatuor mensium, post dissolutionem ipsam Ferrariensem exeuit. Deinde sub tertia dilatione duorum mensium, post suspensionem ipsius ab administratione Papali non prædæ, & spoliationi aliisque persecutionibus antedictis expositi, & Græcos ad se pro sui munimento attraxit? Longioribus deinde dilationibus ad rogamina Principum per nos obsequiaris, ipse interim nuncios per orbem transmisit, qui suaderent corda mortalium in viam eius. Rursum dum his diebus super tractatibus pacis vobiscum occuparemur, ipse neque nobis, neque vobis consultis prætensam translationem in Ciuitatem Florentinam fecit: & cum vos venerabiles oratores locum alterum in Germania expetieretis vbi omnes conuenire possent, ipse ad longiores regiones, non parum accessu difficultionibus se transtulit. Videtis quot inter has dissolutiones scandala crescent. Vilescit Synodalis authoritas, totus fere ager Dominicus ob defectum pastoris prouide regentis in præcipitium malorum dilabitur, & in his nullam medelam profertis, nullam securitatem remediorum datis, si summus Pontifex huic sanctæ Sy-

nodo

nodo & veſtris deſideriis condeſcendere recuſauit. Tandem deſignaſtis quod dum ſic ad alterum locum deuentum fuerit, Ciuibus Auinionenſibus eccleſiæ creditoribus ſatisfiet. Nullatenus autem poſſumus aut debemus vſque in id tempus ſub euentu incerto ſatisfactionem eis debitam differre & prolongare, cum & pecuniæ iam collectæ pro eccleſia in diuerſis locis habeantur, quæ nullatenus vobis denegari iuſte poſſunt, tenearnurque pro viribus agere, vt quantocius ſine mora quod debet ſancta Synodus reſtituat. Hæc itaque clariſſimi Oratores ponderare velint veſtræ prudentiæ, & pro reuerentia Chriſti Saluatoris noſtri efficacem operam impendere, vt res vniuerſalis eccleſiæ ad honorem Dei, ſalutem animarum & veram pacem cunctorum feliciter diſponi poſſint. Vos omnes vno animo cum hac ſancta Synodo, ſaluti eccleſiæ Dei conſulere curetis, & eam in ſuis neceſſitatibus efficaciter adiuuare. Nos vero ſi in præmiſſis quæ neceſſaria ſunt conuenienter prouiſum fuerit, pro bono pacis, & contemplatione ſereniſſimorum Principum veſtrorum, atque ſingulariter pro vnione Græcorum proſequenda, quam ſemper multo deſiderio expetiuimus, ad tranſlationem huius ſanctæ & vniuerſalis Synodi in alterum locum ſecurum, & rebus vniuerſalis eccleſiæ gerendis accommodum, condeſcendere parati erimus. Interim tamen non omiſſuri ea quæ ad progreſſum huius ſacri Concilii, & operum per ipſum inchoatorum tam in reformatione eccleſiæ in capite, & in membris, quam in cæteris rebus pertinere videbuntur pro honore Dei & ſalute vniuerſalis eccleſiæ. Et nihilominus totis viribus ſemper operam dabimus, vt pax optima, & beata tranquillitas per omnem eccleſiam vigeat ad laudem & gloriam Spiritus paracliti, qui cum patre & filio vnus eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali 10. Calendas Martii anno à Natiuitate Domini 1439.

XXXI.

II.

Oratoribus Principum poſtulantibus tranſlationem Concilii, & ſuſpenſionem proceſſus inſtituti contra Eugenium. Baſileenſes.

SAcroſancta &c. Ad futuram rei memoriam. Rem grauiſſimam, quam ab hac ſancta Synodo quæritis venerabiles ac circumſpecti Oratores, attentis conſiderantes animis, Deum noſtrum qui ſub potenti dextra eccleſiam ſuam plantauit in terris, ſupplices orauimus & oramus, vt ea nobis loqui ac reſpondere donet, quæ ſint ad ſuæ maieſtatis honorem, & ſalurem omnium credentium, qui Apoſtolis ſuis & diſcipulis, vt in tempore neceſſitatis loquendi fiduciam haberent; dixit. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Mutationem huius ſacri Concilii in locum alterum ſuperioti tempore per vos expetitam, iterum poſtulaſtis; ſpem quoque pacis eccleſiæ ex ea re concipere videmini, quam profecto pacem, ſi per hoc medium poſſemus adipiſci; iam dudum ipſam mutationem auidis animis quæſiuiſſemus, quoniam ſummo deſiderio cupimus cum beatis pacificis filiationem Dei promerentibus operari ad pacem, non quidem illam pacem appellantes, qua Conciliorum authoritate contempta, quispiam ſummus Pontifex poſſet de tota Eccleſia & animabus redemptis ſanguine Chriſti agere quicquid ſibi libitum foret, abiectaque ſalutifera reformatione, ſpretis ſacris Canonibus & decretis vitia & abuſus peſtiferi pacifice regnare permittentur: aut quod omnibus grauius eſt, fide læſa & vulnerata, quiſquis fidem ipſam impugnans pacifice opprimeret eccleſiam, & illi tacere cogerentur, qui fidem ipſam ſuſtinerent. Non quidem hoc eſſet pacem agere, ſed turbationem grauiſſimam, non hoc eſſet mederi languoribus præſentibus eccleſiæ, ſed eam in miſerabile diſcrimen adducere, quod quidem non eſſe noſtræ intentionis credimus. Sed Zelus domus Dei cogit nos in extremis eccleſiæ periculis non tacere veritatem, ne tandem dicere oporteat in Dei iudicio: Væmihi quia tacui. Sciunt diſcretiones veſtræ vitam eccleſiæ in fide & probis moribus præcipue conſiſtere; quibus capiti ſuo & fonti vitæ, Chriſto coniungitur, ac cum eo pacem habet, charitatem & gaudium quæ ſunt functus ſpiritus: vt & vos ipſi ex Apoſtolo allegaſtis. Quam vere pacem quærunt beati pacifici qui recipiunt adoptionem Dei filiorum. Hæc eſt enim pax Chriſti, de qua ipſe ait: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Cum autem his nouiſſimis temporibus deformitates, ſchiſmata, & errores plus ſolito cœpiſſent inſurgere, congregata in ſpiritu ſancto ſacra Conſtantienſis Synodus, nobis fidem explicauit, de poteſtate immediata ab ipſo fidei authore Chriſto, Conciliis generalibus repræſentantibus Catholicam militantem eccleſiam, quibus & ſummus Pontifex, & quilibet alius obedire tenetur, vt Chriſtiani intelligerent, quod ipſis erroribus, ſchiſmatibus & deformitatibus obuiare oporteret, per Conciliorum generalium auctoritatem, ſicut Chriſtus ipſe Deus noſter ordinauit, vt ſic frequens Conciliorum celebratio, quæ præcipua agri Dominici cultura eſt, vepres & tribulos prædictorum malorum euellat, prout in eadem Conſtantienſi Synodo declaratum extitit, & pax optima cum ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vigeant in terris. Vnde vero languores, vnde morbi, vnde turbationes pacis & vexationes eccleſiæ, iam nunc potiſſime inualeſcunt, niſi ex eo quod obedientia quam Chriſtus ipſe imperauit, quam eccleſia declarauit, quam fides edocet, non data eſt Concilio generali, (quod dolenter referimus) à Domino Eugenio Papa moderno? imo grauiſſime contempta, & duriſſime factis, verbis, & ſcriptis vſque in hodiernum diem impugnata, ſicut magna ex parte in alia noſtra reſponſione Synodali præterito menſe Februario ad veſtras priores petitiones, ſuper mutatione huius ſacri Concilii porrectas explicauimus, vnde Principum & Prælatorum atque etiam populorum per orbem diſperſorum, grauiſſima perturbatio. Nam quemadmodum ſæpe audiſtis, primitus hoc ſacrum Concil. congregatum authoritate duorum præcedentium Conciliorum, & duorum ſummorum Pontificum, pro extirpatione hæreſum, & reformatione eccleſiæ in capite & in membris, quaſi ab exordio attentauit Dominus Eugenius; licet nulliter & de facto diſſoluere ſine ipſius Concilij conſenſu. Deinceps, cum plurima decreta ſalubria edita fuiſſent pro reformatione eccleſiæ in capite & in membris, & per legationes plures, ac per plures Oratores admonitus eſſet, vt animum ſuum ad eorum obſeruationem redderet benigne inclinatum: ita, proh dolor, illa paruipendit, ita contempſit, vt quaſi in nullo debitam obedientiam ipſi Concilio adhibere compertus ſit: ex quo grauiſſimo contemptu non parua ſuſpicio aduerſus eum exortaeſt, quod de declaratione Catholicæ fidei facta in Concilio Conſtantienſi, non recte ſentiret, quodque non crederet ſe teneri obedire Concilio prout ipſa fidei veritas aſſerit. Quid amplius? cum ſuper hoc graui contemptu citaretur, mentem

ſuam plenius aduerſus ipſam veritatem declarauit, diſſoluendo authoritate hoc ſacrum Concilium de facto ſine conſenſu ipſius, caſu quo virtute decreti citatorii procederetur aut fieret aliqua nouitas contra ipſum, aut contra aliquem ſuorum Oratorum præſidentium, qui in Concilio fuerant, prohibendo etiam authoritatiue, ne in eo caſu factum Bohemorum, quod acta tractabat hæc ſancta Synodus, vltra triginta dies ageretur; vbi non ſolum iam obedientiam denegauit, ſed ſe iudicem ſuper Concilium conſtituit, non ei obediens, ſed imperans in his, in quibus eundem teneri obedire Concilio ex Chriſti ordinatione aſſerit ipſa traditio fidei. Si vero iam hoc ſacrum Concilium diſſoluatur, quod fidem eccleſiæ defendit: dimittaturque ille ſupra eccleſiam pro libito ſuæ voluntatis impe rare, qui tanto tempore, tam grauiter ipſam factis, operibus & verbis impugnat, imo authoritate & poteſtate conatur opprimere: nunquid non ipſius eccleſiæ imminet deſolatio? Nunquid non timendum eſt, vel potius præſumendum quod Concilio diſſoluto, volet ſingulos per orbem diſperſos cogere vt idem ſentiant quod ipſe? Nunquid non ſi abſque debita correctione ſic dimittatur, cunctis ſiue eccleſiaſticis, ſiue ſecularibus, ſiue prælatis, ſiue Principibus, aut aliis quibuſcumque imminebit perſecutio, qui fidem in ſacro Conſtantienſi Concilio explicatam, voluerint profiteri? Quid vero de illis faciet qui decreta Synodalia ſeruare volent? Quod cum in præſentia videamus adhuc ſedente Concilio, quomodo tales in pluribus eccleſiis faciat tractari. An vero hæcerit appellanda pax & tranquillitas eccleſiæ, vos præclari Oratores pro Deo conſiderate. Quot erunt deinceps, qui pro Conciliorum authoritate, pro declarationibus per eccleſiam factis, in explicatione fidei certabunt, ſi eos deprimi, & hoc Concilium in eorum defenſionem de facto viderint ſuccumbere? Quis hæreticus non audentius (quod cum amariſſimo gemitu dicimus) cornua ſua eriget aduerſus ſponſam Chriſti, ſi ipſa Concilia generalia, quibus ſupremum iudicium in materia fidei decretum eſt, viderit conculcari? Sed quis ô præclari oratores iam in alio Concilio, quod futurum dicitis, ad reſiſtendum ſummo Pontifici pro defenſione rectæ fidei veniret, dum ipſe Pontifex hoc ſacrum Concilium ſuppreſſiſſe, & in nihilum redigiſſe conſpiceretur? Quale præterea exemplum relinqueretur ſummis Pontificibus, ſi perperam agere volent, ſchiſmata faciendi, Concilium generale impugnandi, diſſoluendi, vt quoties de ipſorum correctione in fide aut in moribus agetur, perturbent, ſcindant, & diuidant Concilium, atque in aliud Concilium deueniri poſtulent? & ſi in illo non fieret quod voluerint, item aliud quærant: ſicque fiet tranſmigratio de Concilio in Concilium, & iudicia vniuerſalis eccleſiæ ſic ſemper in incerto vagabuntur, dum præſens ſummus Pontifex, poſtquam decretis, præceptis, ordinationibuſque Synodalibus tanta obduratione obſiſtit, poſtquam ipſum bis authoritatiue ſine eius conſenſu diſſoluere attentauit, & ſciſſuram in eccleſia grauem iam perpetrauit, tandem nulla ſuſcepta pœnitentia, nulla pœnitus emendatione facta, obtineret, vt Concilium mutari cogeretur: imo veriſimiliter in totum diſpergeretur per hanc viam mutationum & dilationum, quas afferri conſpicimus, perſeuerante moderno Pontifice in aſſidua eiuſdem Concilij, & toties declaratæ veritatis impugnatione. Hoc equidem non eſſe ſchiſmati obuiare, ſed ſchiſmata fouere & nutrire, dum Pontifici volenti ſchiſma facere, vt formidare videmini, ſi Concilium ad eius correctionem procederet, talis fauor præberetur, vt eius contemplatione ipſum Concilium tali modo mutaretur, vnde poſteris ad ſchiſmata facienda maior pararetur audacia, vt Conciliorum eneruaretur authoritas, per quorum ſupremum iudicium in terris ſchiſmata extirpari conuenit: imo ſecundum hoc, qui eccleſiam lacerare, & ſcindere vellet, ipſa tota ſibi opprimenda relinqueretur. Et ne partem gregis ad ſe traheret, totus in ſuis manibus dimitteretur. Vnde forſan volendo auferre ab iiſdem fidem, quam in Catholica eccleſia de authoritate Concilliorum didicerunt, & contemnendo leges pro ſalute omnium datas, ipſe in damnationem omnes ducere moliretur. Non hic agitur præclari oratores, de tali ſchiſmate, in quo duæ perſonæ contendunt de Papatu, & in dubium vertitur, cui eorum ius competat; vbi vterque contendentium in iudicium Concilii generalis venire habet ſententiam auditurus: ſed agitur de Pontifice qui ſe voluntarie à Concilio volente ipſum corrigere, ſeparauit, quod reputabat legitimum vniuerſalis eccleſiæ Concilium, & eccleſiæ pacem turbauit, ſchiſma fecit, ſcandala ſuſcitauit, diſſoluendo Concilium authoritatiue; vt præmiſſum eſt, caſu quo procederetur contra ipſum, aut aliquem oratorum ſuorum præſidentium. Et altare contra altare erexit, vt ſic correctionem iudicis effugeret. Quomodo autem res illæ locum ſibi vendicare poterit ſine eneruatione authoritatis Conciliorum? vt poſt prædicta oporteat Pontificem manere in poſſeſſione diſſoluendi taliter Concilium. Et quia ſancta Synodus, dum vero iam requiritur, vt poſt iſta Concilium, quia officium Iudicis egit pro exercitio iuſtitiæ ſibi diuinitus commiſſo, cogatur loco iudicii cedere & inauthorati, vt ſibi præfigantur tempora, loca, modi procedendi & alia, quæ nunc requiruntur à nobis, quaſi non ſit liberras in Concilio generali, ad faciendum, quod pro republica expedientius iudicabitur ſub directione ipſius Spiritus ſancti, de cuius auxilio confidendum eſt, quod ſiue oporteat Concilium manere in hoc loco, ſiue mutari, ſiue conueniat procedere, ſiue quicquam aliud agere, & de modo, forma, & tempore omnia peragendi, ſuggeret ipſi Concilio quod pro ſalute vniuerſalis eccleſiæ faerit neceſſarium. Sed dicitis quod Concilium in alio loco præter ſui contenſum indiſſolubile permaneat. Verum ſi Papa hoc priuilegium habeat diſſoluendi Concilium ſine eius conſenſu, quomodo ipſum vultis ab ipſo tollere? Si autem non habeat, in hoc notorie errauit, quomodo id fieri quæritur, per quod in hac errandi poſſeſſione permaneat, & de mutatione Concilii, tali modo per ipſum Dominum Eugenium facta, poſſeſſio haberetur, quæ traharur ad conſequentiam? & ſi in talibus conſentiret hæc ſancta Synodus, iam authoritate eccleſiæ talia fieri poſſe viderentur, quod nullatenus quæri, aut effici debet. dicitis præterea ipſum Concilium mutari habere in alterum trium locorum, in quem Papa aut Græci venire conſenſerint. Et eſto quod nec iſte, nec illi conſentiant, nihilominus mutetur. In primo caſu non eſt facile nobis exiſtimare attentis præteritis operibus, quod Papa veniat in illum locum perſonaliter; in quo ſperet ſe correctionem accepturum. In ſecundo caſu cum Græci aduenient & fiet nouum Concilium, ex Latinis & Græcis, dantur inducæ correctionis & emendationis Domini Eugenij, donec per ipſos Græcos fuerit iudicatus: imo ſecundum hoc agitur, vt Græci ipſi de actis Synodalibus huius ſacri Concilii Catholicam eccleſiam repræſentantis, & de operibus Papæ iudicare debeant, priuſquam Papa ipſe corrigatur: quodque omnes quæſtiones iuris & facti agitatæ in Concilio erga Dominum Eugenium, quarum etiam aliquæ ius diuinum, & fidem concernunt, haberent in iudicium ipſorum Græcorum deuenire, relicto huius ſanctæ Synodi Catholico

iudicio, & quod ea quæ per ecclesiam in concernentibus fidem determinata sunt in dubium reuocantur, quasi notaretur ipsa ecclesia in his quæ fidei sunt errare potuisse. Dicitur, quod ibidem Dominus Eugenius legatos suos mittat quod iurisdictionis est, ac si ipse ab administratione Papali non esset suspensus, cum tamen ipsam suspensionem ex causis tam necessariis, & tam vrgentissimis, quas in alia responsione Synodali exposuimus, constat esse factam. In tertio casu si hoc sacrum Concilium mutetur, quod factum est authoritate duorum Conciliorum præcedentium, & duorum summorum Pontificum, cui fere omnes maiores ecclesiæ prælati, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, omnesque Reges orbis Catholici incorporati sunt: esto quod nec Papa nec Græci consentiant, id sequetur quod vbi Concilium existens in hoc loco fortiter impugnat Dominus Eugenius, ipsum translatum in alium locum sine eius consensu fortius impugnare se posse videatur, & habere maiores colores impugnandi: interim septem mensium vel eos circa dilationem obtineat, quibus nihil pro eius correctione agatur, quibus nullatenus fidei & saluti ecclesiæ prouideatur, sed potius supposita huius Concilij per attrediationem aut alia incommoda dispergantur, & tandem nulli vel paucissimi ad illum alium locum accedendi habeant voluntatem, dum viderint huius Concilii Basileensis tam miserabilem exitum, quod tantis laboribus congregatum, tot annis aduersus impugnationes Domini Eugenij conseruatum fuit. Quid aliud ad hoc respondere possumus, venerabiles oratores, nisi amarissimos edere gemitus, super flebili ruina ecclesiæ, si res ita procedant, & plorare die ac nocte super illa generalium Conciliorum authoritate, tamdiu per vos defensata, quam in interitum perduci conspicimus, nisi Deus noster prouideat? de qua authoritate parum prodest verbo dicere, quod conseruari habeat, si tale factum agatur vnde ipsa miserabiliter prosternatur. Quis vero dabit capitibus nostris fontem lachrimarum, vt in mœroribus & doloribus digne lugeamus lesionem fidei, contemptum Synodorum, & sacrorum canonum? quibus conculcatis omnia scelera, omnia vitia omnium abusum & deformitatum incrementa liberius regnabunt: pariter quoque amare flebunt diebus futuris Principes & nationes orbis, dum quispiam Romanus Pontifex eos opprimere volet. Nam frustra deinceps ad Concilia generalia recurrent, quorum erit sic prostrata authoritas. Si enim Concilium generale aliquid vellet de ipso Romano Pontifice iudicare, illud dissoluet ac transferet, aliudque Concilium fieri quæret, vbi possit suum libitum consequi, sicque nulla stabilitas, nulla firmitas in iudiciis ipsorum Conciliorum haberi poterit. Inualescet præterea ille pernicioſissimus error in populum, vt vnus homo ad summum Pontificatum assumptus, possit de tota ecclesia, & Christianitate agere ad suæ libitum voluntatis, sicque per generale Concilium vniuersalis ecclesia non valeat corrigi aut reformari. Sed & videmus non solum statum ecclesiasticum & salutem animarum ex ea re detrimentum pati, imo omnem statum, omnem politiam, omne regimen in spiritualibus & temporalibus perturbari. Nam ecce postquam generale Concilium ecclesiam Catholicam repræsentans immediate habens potestatem à Christo, cui summus Pontifex & quilibet alius obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, exirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris, cœpit suum exercere iudicium in Dominum Eugenium pro correptione ipsius, contumaciter obedire contempsit: iam via introducitur, vt qui Concilio in his tenentur obedire, non ipsum Concilium reputent vt iudicem, sed vt partem cum Domino Eugenio contendentem & velint ipsum Iudicem directe aut indirecte actare vel compellere, loca eo tempore eidem præfigere, vt sua iudicia nequaquam proferat, imo ad instantiam eius, qui reus est, iudicium suum mutare cogatur. Quod si hoc fit de summo iudice potestatem habente immediate à Christo, nunquid non ex hoc datur exemplum subditis quorumcunque iudicantium, vt ipsos iudices temporales ac spirituales per mutuas intelligentias compellerent, vt illi à iudicando desistant? sicque peribit iustitia in terris, & eueniet quod ait gloriosus Hieronymus, dum vni parcunt vniuersæ ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ est, inquit, ista misericordia, vni parcere, & vniuersos in discrimen adducere? Cumque pax (vt ait B. Augustinus) sit tranquillitas ordinis, iam abrupto ordine iudiciorum, omnis pax & hominum ad Deum, & hominum inter se, turbabitur, dum via conueniens ad pacem non quæritur, dum iustitia abiicitur, & veritas prosternitur: quas cum pace ipsa diuina Doctrina nobis ostendit oportere copulari, ait enim scriptura quæ mentiri non potest: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi; iustitia, & pax osculatæ sunt, Et Dominus per Prophetam inquit: Pacem & veritatem diligite. Rex quoque Ezechias dicebat: sit pax & veritas in diebus meis. Quid igitur potius in tanta rerum difficultate agendum est huic sanctæ Synodo? an quod recedat, mala & omnia supradicta permittat prævalere, an quod ex officio sibi commisso à Christo, sub confidentia ipsius diuini auxilii, per defensionem veritatis, & exercitium iustitiæ, in repellendis tantis malis debitum suum agere curet coram Deo & hominibus, adimplens illud quod per sapientem dictum est. Certa pro iustitia vsque ad mortem? Clarissime videre potestis venerabiles oratores, quod ecclesiam matrem omnium Christianorum in tanta desolatione deserere non possimus, sed nobis & toti populo Christiano grauissima imminet damnatio, si saluti ipsius ecclesiæ, & vitæ suæ quæ ex fide est prouidere negligamus. Expectauimus iam plurimis annis, si præfatus Dominus Eugenius viam veritatis recognosceret, & contemplatione Christianorum Principum, dilationes plurimas benignissime obseruauit hæc sancta Synodus, ambasiatoresque suos ad diuersas regiones transmisit, veritatem & iustitiam huius sacri Concilii, ac necessitatem vrgentissimam prouidendi publicæ saluti ecclesiæ aperientes, ad duas quoque conuentiones in Nuremberga succesſime habitas profecti sunt, & nouissime in Ciuitate Moguntinensi non defuerunt; sufficienti potestate suffulti, vbi oratores summi Pontificis per triginta dies expectati, nullatenus comparere voluerunt, nisi post recessum oratorum huius sanctæ Synodi, qui cum bona licentia oratorum Principum ibidem existentium, per plures antea dies abscesserant. In omnibus autem his nunquam ex parte summi Pontificis aliquid emendationis vel correctionis oblatum audiuimus, vt per hæc paci ecclesiæ consuleretur, quam ita turbauit; & ne (quod absit) totum corpus inuaderet morbus, & languor non esset curatus in capite, atque etiam vt diuina maiestas, per ipsum grauissime offensa, placati posset: imo, duntaxat petita est huius Concilii mutatio, & talis mutatio, quæ ipsum Concilium, reformationem ecclesiæ quærens, enerueret, & Dominum Eugenium resistentem in sua contumacia roboraret. Neque audiuimus quod vos aut alii Oratores Principum in his rebus à Papa impetraueritis, vt contemplatione ecclesiæ, & populi Chri-

stiani, quicquam emendationis aut melioratiouis efficiat. Iam vero iustissimam huis sacri Concilij prosecutionem totus orbis conspicere potuit, nec non patientiam ac mansuetudinem nostram, atque longissimam expectationem in hoc loco, in quo non nos mundana solatia, aut humana affectio, detinent: imo relictis propriis regionibus, domibus, & beneficiis, in quibus quiescere poteramus, varias hic persecutiones, iniurias, damna, opprobria, passi sumus, & assidue patimur, libenter omnia sufferentes pro votiua consecutione reformationis ecclesiæ Dei, pro qua iam tribus generalibus Conciliis diuturno tempore laboratum est, pro defensione fidei orthodoxæ, quam in oculis nostris videmus multipliciter impugnari. Et in tantum præfatis Catholicis Principibus expectando quæsiuimus complacere, vt post victualium penurias & alias clades quas pertulimus, etiam grauiora pericula imminent, atque per varia rerum discrimina huius Concilii disperſio, & post tot annorum susceptos labores extrema ecclesiæ desolatio in foribus esse videantur, si non celeriter occurratur. Vnde iam aperte conspicere possunt Principes Christiani, nos maxima necessitate compulsos, vt secluſa ampliori dilatione, pro honore Dei Creatoris cunctorum regis regum, Domini dominantium, & pro saluatione animarum omnium communi saluti ipsius ecclesiæ prouidere curemus. Et ne in tantarerum necessitate, de graui negligentia coram omniporentis Dei iudicio arguamur, omnem nostram fiduciam proficientes in Saluatorem nostrum Iesum Christum, in cuius nomine congregati sumus, fauente ipsius gratia ita intendimus agere, vt coram omnibus principibus atque populis, clarissima iustitia, & veritas huius sanctæ Synodi reluceat, cum iustitia autem veniat iuncta ecclesiam, soror eius pax, & sibi inuicem gratissimo copulabuntur oculo, nec quicquam aliud petimus nisi vt in his turbationibus rerum det nobis id agere quod bene placitum fuerit suæ Diuinæ maiestati, & speramus per manum eius omnes Christianos, in viam veritatis, & prosecutionem publicæ salutis vnionem & pacem bonam amplecti, quod & nos maxime desideramus, ac laboribus cunctis prosequi volumus, vt omnes vnanimiter in amore fraternitatis Deo seruiant, & sint vnum in veritate, nec aliquem de veritate huius sanctæ Synodi informatum, credimus velle tantum huic fauere errori, vt vnus mortalis homo qui ordinatus est, vt sit fidelis minister in domo Dei, possit (vt præmissum est) ad libitum voluntatis suæ de tota ecclesia agere, & neque generalia Concilia repræsentantia ecclesiam vniuersalem, neque canones Synodales, neque postremo ipsas declarationes fidei per ecclesiam Catholicam factas attendens, possit tantum gregem Domini cum tanto pretio redemptum, in præcipitium damnationis inducere: nec vni personæ mortali, quis in tantum humano fauore affectus putari debet, vt propter illius temporale detrimentum, quod sicut vmbra pertransit, velit vniuersam ecclesiam deperi, neque formidare nimium oportet, si iustum ecclesiæ iudicium in correptione Domini Eugenii proferetur in futurum pro necessitate totius ecclesiæ: & ipse quod absit rebellando, in aduersum velit schisma facere, alios attrahendo vt ab vnitate ecclesiæ se separent, quod princeps aliquis Catholicus, aut notabilium prælatorum quispiam velit suo fauere schismati, præsertim in læsionem Catholicæ fidei, & authoritatis ecclesiæ. Nunquid notorium non est, quanti Principes orbis, tam per se quam per suos Concilio Constantiensi interfuerunt, vbi explicata fuit declaratio fidei de authoritate Conciliorum generalium super Papam, & quemlibet alterum, & in omnibus obseruata, nemine acclamante, nemine approbante? Sed vbi Dominus Eugenius iam bina vice voluit sua authoritate hoc Basileense Concilium sine eius consensu dissoluere, scitis quomodo Principes orbis fere omnes, aut primæ aut secundæ dissolutionis tempore, suos oratores in hoc sacro Concilio tenuerunt, firmiter credentes Papam non posse dissoluere ipsum sacrum Concilium, quod pro extirpatione hæresum, & reformatione ecclesiæ in capite & in membris legitime congregatum erat, sine consensu eius: cum ipse Concilio non haberet in his imperare, sed teneretur obedire. Quid de prælatis ecclesiæ dicemus? Nunquid non in sacro Constantiensi Concilio Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & cæteri de omni regione fuerunt? Nec illi defuit felic. record. Papa Martinus, qui etiam circa finem ipsius Concilii per potentes literas mandauit, eodem approbante Concilio, vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & Inquisitoribus, vt singulos de hæresi Wickleffitarum suspectos dil genter interrogarent, vtrum crederent illud quod sacrum Constantiense Concilium, vniuersalem ecclesiam repræsentans, approbauit, & approbat in fauorem fidei, & ad salutem animarum, quod hoc ab vniuersis Christi fidelibus esset approbandum, & tenendum; cum non ignoraret Papa ipse Martinus declarationem de authoritate Conciliorum, data immediate à Christo, antea per ipsum Concilium factam fuisse: qui etiam in eisdem literis posuit: quod error est dicere non esse de necessitate salutis, credere Romanam ecclesiam esse supremam inter ecclesias, si per Romanam ecclesiam intelligatur vniuersalis ecclesia, aut Concilium generale, aut etiam pro quanto negaret primatum summi Pontificis respectu ecclesiarum particularium. In hoc præterea Basileensi Concilio tempore attentatæ primæ dissolutionis, fuerunt septem de præstantioribus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, videlicet Iulianus tituli sancti Angeli sedis Apostolicæ legatus, A. Bononiensis B. Portuens. vulgariter dictus Placentinus Cardinales Episcopi: Ioannes sancti Laurentii in Lucina, dictus Rothomagen. Ioannes sancti Petri ad Vincula. A. sancti Eustachii, & Dominicus sanctæ Mariæ in via lata, dictus Firmanus, etiam Cardinales, doctrinam ipsam Catholicam & Apostolicam de authoritate Conciliorum in Constantia declaratam, virtuose defendentes, atque ostendentes propter illam non potuisse neque in futurum posse dissolutionem huius sacri Concilii sine ipsius consensu fieri, plurimaque solennia super hoc decreta cum cæteris Patribus condiderunt, & toti mundo publicauerunt, qui de hac re in responsione quadam Synodali cum toto Concilio magna authoritate Oratoribus Domini Eugenii dissolutionem ipsam manutenere volentis, responderunt: Malumus mori, quam tanto errori per ignauiam cedere. Hic articulus de quo disceptamus fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest. Si Dominus Eugenius ecclesiam audire non vult, oportebit eum tandem haberi sicut ethnicum & publicanum. Hæc sunt verba Concilii, in quo tunc illi præsentes fuerunt. Auditis & vos sæpius quomodo alii plures Cardinales se subscripserunt, dum Dominus Eugenius ad mandatum Concilii, illam prætensam dissolutionem irritam, & inanem declarauit: & ea non obstante dixit Concilium legitime fuisse continuatum. Sed nunquid non præterea omnes viderunt, quam multi prælati, Doctores, diuini & humani iuris, ac cæteri ecclesiastici viri ex diuersis nationibus, regnis, & prouinciis successiue, tam tem-

pore primæ dissolutionis quam secundæ in hac sancta Synodo comparuerunt; dum ipse Dominus Eugenius eam dissolutam putabat; credentes hoc factum eiusdem Domini Eugenii, aduersus ipsius Concilii authoritatem nullatenus potuisse prævalere? Quando igitur putandum est vel suspicandum, vt Catholicus orbis fidem quam accepit, vellet propter quamcumque personam deserere, aut cuiuis personæ in aduersum repugnanti, & schisma facere volenti, fauorem præstare? & quod ab hoc sacro Concilio, quod fidem ipsorum prælatorum, fidem Principum atque omnium nationum orbis defendit, se separent vt illi adhæreant, qui ipsam in pugna euellit. Credendum est quippe potius quod omnes prouidere volent, ne in futurum quisquam Pontificum possit rebellando Conciliis generalibus immediate à Christo potestatem super eos habentibus, schisma facere, & pro sua voluntate aut libidine dominandi vniuersum orbem hoc modo conturbare. Intelligentque tandem omnes vnanimiter illum pro Pontifice haberi non debere, quem Concilium vniuersalis ecclesiæ pro non Pontifice habendum iudicauerit: vt sic non necesse sit iam deinceps Principes orbis hoc modo cum vtilis largitionibus & magnis expensis in ea re vexari, simulque pax in ecclesia vigere possit, & authoritas Conciliorum illibata seruari, quæ (vt ait B. Augustinus) in ipsa ecclesia salubertima est. Nam oportet vniuersos Christianos idipsum sentire, & sapere, si vna fides & pax vera conseruanda est, quod summi Pontifices per Concil. Generale, Catholicam ecclesiam repræsentans, corrigi possunt, sicut veritas Catholica definit; quodque ecclesia Dei Spiritu sancto congregata, non habet existimari, sicut vna profana communitas, cui Papa ipse velut Princeps secularis dominetur. Sic itaque cum Dei gratia per constantem fidei nostræ confessionem & ipsius probationem in opere, pax optima, & salutaris gubernatio ecclesiæ, reflorebit in terris. Summi Pontifices cognoscentes se posse corrigi, (vt præfertur,) per Concilium vniuersalis ecclesiæ, curabant vigilantius salutem gregis Dominici quærere, & in ministerio sibi credito, opera Christo placentia agere, ipsamque sedem Apostolicam salutari gubernatione & decore virtutum reflorere faciant in oculis omnium populorum, atque omnium bonorum vbertate abundare, sicut prius illa solebat cum bono & salutari regimine gubernari: cuius quidem sedis auctoritatem & honorem hæc sancta Synodus semper conseruare curabit, ipsamque dignis honoribus, per debitum sanctitatis cultum, magis intendet amplificare, & exaltare in futurum, breuiorque erit deinceps Conciliorum generalium duratio, dum illis debita præstabitur obedientia: & temporalibus statutis omnes diligenter confluent, expediturі celerius, quæ pro salute Christianæ religionis agenda videbuntur. Concilia prouincialia, & Synodalia frequentabuntur, sacri canones pacifice obseruabuntur; sic erit pax & tranquillitas ecclesiarum, sanctitas morum, vtilitas regnorum & prouinciarum, sic efficaciter desiderium Principum vestrorum complebitur præclari Oratores, qui pacem, & salutem ecclesiæ desiderant. Per ea vero quæ in Moguntia concepistis, licet bona intentione vos feciste sperandum sit, non esse quererentur Principes ipsi bonum veræ pacis quod optant, vt ex superioribus satis liquere potest. Nos autem fauente Domino per viam salutarem, & rectum ordinem à Christo datum, pacem ipsam prosequemur: & quantum sine Dei offensa poterimus, curabimus semper religiosissimis vestris Principibus complacere, qui etiam (vt credendum est) diuinæ ordinationi obsequi volent, neque aliud agent, nisi quod cum Deo poterunt, quod iuri Diuino consonum erit; & cum fideliter credant quod de iure Diuino tenentur obedire Concilio in his in quibus habet potestatem immediate à Christo, non subtrahent ab eodem Concilio debitum obedientiæ suæ propter exercitium iustitiæ. Dum autem ipsi vnanimiter in ipsa obedientia quam habent sanctæ Synodo, & ipsi Christo, qui ei potestatem dedit perseuerauerint, amplectendo concorditer iustitiam, & veritatem, ipsi animas suas saluabunt, ipsi authoritatem Conciliorum sibi, & toti orbi necessariam seruabunt illibatam, salutemque, & pacem bonam in Christiana religione vigere facient: si autem obedientiam debitam subtraherent Concilio, per aliquam neutralitatem, aut alias quouis modo plura mala contingerent in aduersum, quæ vos præclari oratores ipsis orthodoxis Principibus diligenter ac fideliter demonstrare habetis, quantum vos diligitis eorum salutem, & totius ecclesiæ. Et non dubitamus quod cum erunt debite informati, debitum sum erga Deum, & ecclesiam semper facient. Et intellectis rationibus ac motiuis huius sanctæ Synodi, deuotiones eorum apertissime conspicient, intentionem ipsius dirigi, sicut beatis pacificis conuenit; ad quærendas vias veræ pacis, tranquillitatis & salutis ecclesiæ, ac totius orbis, nunc & in futurum. Quod autem ad factum Græcorum attinet; scitis quanto desiderio vnionem eorum semper optauerimus, & optemus, quantosque labores & sumptus in eius rei prosecutionem impenderimus, & qualia nobis impedimenta obiecta sint, dudum quoque loca conuenientia, videlicet Basileam, Auenionem & Sabaudiam pro ipsa tractanda vnione, nominauimus: & adhuc vt omnes conspiciant nostram perseuerantem intentionem, ad huius vnionis prosecutionem, si imperator Romæorum, & Patriarcha Constantinopolitanus, qui pro tempore fuerint, & cæteri ecclesiam Orientalem repræsentantes, cessante omni dolo & fraude, in aliquem locum securum, quem hæc sancta Synodus eliget venire voluerint, hæc sancta Synodus illum eligere & in ipsum se transferre non recusabit: talemque locum eliget postquam intentionem Græcorum ipsorum plene cognouerit, de quo ipsi vestri principes, & totus orbis merito debebunt contentari. Interim vero curabit eadem sancta Synodus quærere diligenter quæ ecclesiæ Dei prosunt, & ita res ipsius nostræ Catholicæ ecclesiæ disponere, vt salutifera gubernatione regantur, per quam Deus propitietur populo suo, & placata ira eius, quam peccata regnantia concitarunt, vnionem ipsorum Græcorum & bonam pacem omnium Christianorum reflorere videamus in terris. Ad laudem & gloriam Spiritus Paracliti, qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

Datum Basileæ in Congregatione nostra generali idibus Iunij. Anno à Natiuitate Domini 1439.

III.

Contra edictum Eugenii Pontificis, Basileenses. XXXII.

SAcrosancta &c. Ad futuram rei memoriam. B. Hieronymus cum lumen veritatis salubri doctrina diffunderet, cogebatur frequenter aduersantium maledictis respondere: & dum studeret depraua corrigere, errores auferre, reprobatur à malignis, qui aduersum se (vt inquit) ore rabido desæuiebant, sicut ipse in pluribus prologis suis in Diuinæ scripturæ libros ostendit. Sed hæc sancta Synodus, defendendo veritatem Catholicæ fidei, de authoritate sanctæ matris ecclesiæ & ge-

& Generalium Conciliorum, aduersus impugnationes Gabrielis olim dicti Eugenius Papæ quarti, & prosequendo constanter reformationem ecclesiæ, in espite & in membris pro honore Dei & animarum salute, varias iniurias, persecutiones, maledicta, opprobria sustinet ab ipso impugnatore veritatis. Qui postquam longo tempore ipsorum Conciliorum authoritatem operibus, verbis, & scriptis prosecuutus est, tãdem in profundum malorum deductus, quod dolentissime dicimus, adhoc deuenit, vt in quadam horrenda inuectiua, per eum post depositionem eius Florentiæ promulgata, defensores præfatæ authoritatis, & veritatis in celeberrimo Constantiensi Concilio declaratæ, ac etiam aliarum veritatum, ex ea necessario dependentium vocauerit hæreticos, cum ignorare non posset, vniuersam ecclesiam Catholicam, omnes Prælatos orbis, omnes Reges, & Principes orthodoxos, qui tam in præfato Concilio Constantiẽsi quam in hoc Basileensi per se aut suos affuerunt, in eadem via veritatis, quam ille reprobat, resedisse. Sed permissum credimus à Domino quod hoc faceret Gabriel ipse, vt se coram omnibus manifestaret hæreticum, qui vniuersam conatur ecclesiam hæreticare: & intelligerent cuncti, quam necessarium fuerit talem hominem à Papatu deponere, priusquam hæc sancta Synodus dissolueretur, ne mundum inficeret erroribus, & post eiusdem Synodi dissolutionem vbique Catholicos persequeretur, qui authoritatem Conciliorum defenderent. Cuius rei futuræ, magna dudum præsumptio habita est, postquam in factis suis præfatus Gabriel ita passim contemnere videbatur decreta Synodalia. Postquam insuper iam ante tres annos in hoc Concilio auditum erat, quod aliud Concilium fieret, vbi hæreticarentur decreta Concilii Constantiensis, & huius Basileensis, ob quam causam maxime restitit hæc sancta Synodus, ne Gabriel in alio loco pro sua voluntate Concilium erigeret, sicut ipse tam sub vmbra Græcorum quam aliis modis laborauit erigere. Et tamen cum hoc legitime facere non posset, nec obtinere consensum ecclesiæ, diuina prouidentia repugnantis malo iam præmeditato, ipse in schismate & diuisione aliam congregationem sub nomine Generalis Concilii, primo Ferrariæ, deinde Florentiæ erexit; in qua tunc per præfatam inuectiuam, suos errores suumque obduratum animum in persecutionem ecclesiæ patefecit. Quomodo autem veritates ipsas fidei impugnet audiamus; & deinde ad cætera omnia respondeamus, vt omnes Christi fideles in hoc turbulento tempore lumen aspiciant veritatis, per quod in portum salutis perducantur. Eneruate quidem conatur veritatem in Constantiensi Concilio declaratam, dicens illam declarationem ab vna tantum obedientia Ioannis XXIII. fuisse factam. Sed nunquid negare vult pro eo tempore verum fuisse Concilium, & declarationes in eo factas validas esse? Quid autem contradicere vult de obedientiis aliis? reclamauit ne aliqua contra huius veritatis declarationem? Nunquid non omnes vnanimiter, & depositionem Ioannis laudauerunt, & in priuatione Benedicti ab omni iure, si quod habebat in Papatu consenserunt, quæ vigore authoritatis Synodalis declaratæ per præfatam veritatem, facta sunt? Nunquid non omnes ad electionem fel. record. Martini Papæ V. processerunt eadem Synodali auctoritate? qui quidem Martinus deinceps approbante Concilio definiuit errorem esse, si quis diceret non esse de necessitate salutis credere Romanam ecclesiam esse supremam inter ecclesias, si per Romanam ecclesiam intelligatur vniuersalis ecclesia aut Concilium generale. Item ordinauit eodem approbante Concilio vt quilibet de hæresi Wickleffistarum suspectus, interrogaretur, an credat teneat & asserat quod quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense Catholicam ecclesiam repræsentet. Item, vtrum credat quod quidquid ipsum Concilium Constantiense definiuit, & approbauit, in fauorem fidei, & salutem animarum, quod hoc sit ab omnibus fidelibus tenendum & approbandum, cum tamen non ignoraret, prædictam declarationem in eodem Concilio factam esse. Deinde vero hoc in Basileensi Concilio eadem declaratio innouata fuit in publica sessione, vbi de nulla obedientiarum differentia sermo erat. Ibi etiam quamplures Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, cæterique prælati & Doctores insignes, in multitudine copiosa præsentes erant, & Legatus Apostolicus præsidentiam exercebat. Vt quid ergo nunc allegatur, quod hæc declaratio ab vna tantum obedientia in Concilio Constantiensi facta fuit? Sed audiamus quomodo in probatione veritatum declararatarum, conatur Gabriel mundum inuoluere, dicit eas se reprobare ad sensum Basileensis quem inquit facto demonstrat, & non aperit quis ille sensus sit, nec etiam in quo sensu approbare velit ipsas, & super hoc, pro voluntate sua, postquam per hæresim probatam, & lucide manifestam, iudicialiter, post maturam examinationem depositus est, nos appellat hæreticos qui doctrinam ecclesiæ patefecimus & veritates clarissimas sine ruga, sine duplicitate, sine quacunque inuolutione verborum, decreto Synodali aperuimus ad ædificationem populi Christiani; Nam & verba veritatum ipsarum plana & aperta sunt, nec oportet nunc has inuolutiones quærere ad deceptionem simplicium, vt dicat se reprobare veritatem ad aliquem sensum, quem nequaquam explicat. Sic enim dudum oratoribus suis super hac materia responsum fuit in ea responsione quæ incipit, *cogitanti*, quod decreta Constantiensis Synodi authentica sunt, & ita clara & intelligibilia vt nulla egeant declaratione. Non quærit profecto veritas fidei tales Angulos, non tales inuolutiones affectat: Sed quem sensum habuit; quem facto monstrauit in his veritatibus Constantiense Concilium, cum Ioannem propter *Simoniam & alia* crimina ab administratione Papali suspendit, atque deposuit, & Benedictum (vt præmissum est) à iure si quod sibi competebat priuauit: Quem sensum habuit Concil. Constantien. cum in capitulo *frequens* statuit, vt dum plures essent contendentes de Papatu, quilibet ad Concil. venire teneretur, sub pœna cadendi à iure Papatus, si quod haberet: quodque vterque contendentium esset suspensus ab administratione Papali, donec causa eorum esset definita per Concilium. Reuocare autem nunc in dubium ipsa decreta Concilii Constantiensis, quid aliud esset quam in dubitationem vertere depositionem prædictorum, electionem, prædicti Papæ Martini, & consequenter ipsius olim Eugenij, Electionesque Cardinalium, promotiones Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & aliorum, cæteraque facta Ecclesiæ in horrendam confusionem deducere? Quem sensum præterea in his habuerunt Patres in hac sancta Synodo constituti, Legatus Apostolicus, & alii S. R. E. Cardinales, dum pariter cum vniuerso Concilio in XI. sessione huius sanctæ Synodi statuerunt decreto perpetuo, quod si summus Pontifex in futurum dissolueret Concilium Generale sine eius consensu, nisi resipisceret infra quatuor menses, pœnam suspensionis ab administratione Papali ipso facto incurreret; & deinde ad depositionem eius procederetur, si illam per duos menses sustineret animo indurato. Quem sensum etiam habuerunt, dum dixerunt in XII. Sessione hanc esse veritatem iuris diuini & humani, quod Papa Concilium sine consensu eius dissoluere nequiuerat; & ipsum admonuerunt, vt dissolutionem per eum attentatam reuocaret infra 60. dies alioquin suspensionem authoritate Synodali decernebant

esse

esse faciendam: qui & in responsione Synodali, quæ incipit, *Speranti*, dixerunt, de prædicta dissolutione, quam dictus Gabriel tunc Eugenius sustinere volebat; malumus mori, quam tanto errori perignauiam cedere. Hic articulus fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest. Si Dominus Eugenius Ecclesiam audire non vult, quam hoc sacrum Concilium repræsentat, oportebit eum tandem haberi sicut Ethnicum & publicanum. Hæc ibidem dicta sunt. Non profecto alium sensum nunc habere voluit, nec vult, in his veritatibus sancta Synodus, nisi quem ipsa tunc habuit, cum illi adessent. An dicet illos qui in Concilio Constantiensi erant, fuisse hæreticos, cum quibus ipse Gabriel se vniuit, & coniunxit? An dicet Legatum suũ, Cardinales, & alios qui in hoc Basileensi Concilio prædicta egerunt, fuisse hæreticos? Sed quid de ipso dicitur, qui eis adhæsit, & post monitionem Synodalem confessus est, dissolutionem illam quam fecerat, & multo tempore defensauerat, nullam fuisse: imo ea non obstante, Concilium legitime fuisse cõtinuatum; reuocans etiam litteras, incipientes, Deus nouit, & alias quascumque, & quicquid per ipsum, aut suo nomine, in præiudicium, aut derogationem huius sacri Concilii Basileensis, seu contra eius authoritatem factum & attentatum, seu assertum erat? recognouitque errorem suum, quem in dissoluendo Concilium sine consensu eius habuerat; fueruntque super hoc lectæ litteræ eius solenniter in sessione publica, præsentibus, inclytæ memoriæ Sigismundo Imperatore, & præfatis Cardinalibus, Oratoribus Regis Franciæ, & aliorum quamplurium Principum, Prælatis, & egregiis viris in multitudine copiosa. At dicit, quod tota Ecclesia cum eo in errore fuit, dum pariter omnes huic suæ reuocationi assenserunt. Quomodo audet nũc vocare existẽtes in hac sancta Synodo, hæreticos, qui in eadem veritate, in eadem doctrina Ecclesiæ, de authoritate Cõciliorum generalium fideliter & constanter perseuerant? Ipse qui in errorem semel reuocatum, atque dimissum, multo grauius per prætensam translationem in Ferrariam reincidit, ac deinceps aduersus doctrinam Ecclesiæ, & veritates Fidei declaratas, quibus tunc resistere non potuit, magis se per indutam pertinaciam & hæresim obfirmauit. Qualiter autem hæc doctrina Ecclesiæ de authoritate Concliorum fundata sit, & in sacris Scripturis, & in doctrinis sanctorum, sæpenumero fuit dilucide declaratum, & in responsione Synodali quæ incipit, *Cogitanti*, & in aliis multis Scripturis, orationibus, & sermonibus, quibus neque ipse Gabriel neque sui, tam in hoc Concilio, quam in conspectu Regum & Principum resistere potuerunt. Intellexerunt que Christiani, quanta esset Ecclesiæ ruina, si spretis Conciliis generalibus, abiectis sacris canonib. & debitis regulis, vnus homo peccator posset de omnibus rebus ipsius Ecclesiæ, pro libito voluntatis suæ agere; & dum esset congregatum Concilium pro reformatione eius & aliorum, posset illud in quemcumque locum vellet, ac in regionem quamcumq; transferre, sine eius consensu. Manifeste quoque constat, quantum illud falsum sit, quod cõfingit ipse Gabriel, nos per declarationem veritatum prædictarum voluisse, principes deuotos sedis Apostolicæ, iudicare hæreticos. Notum est enim, quomodo principes orbis has veritates sẽper tenuerint, & defẽsauerint, qui Oratores suos in hoc Cõcilio tenuerunt; & ipsum verum & legitimum Concilium reputauerunt, illis temporibus, quibus idem Gabriel ipsum dissolutum esse affirmabat. Sed & quomodo in hac sancta Synodo perseuerantes, schismaticos appellare audet, qui in vnitate, in qua à principio fuerant, sine variatione permanserunt, dum ipse manifeste se ab eadem vnitate separauit, & schisma pernitiosissimum perpetrauit, erigens aliam congregationem sub nomine Generalis Concilij, primo apud Ferrariam, deinde apud Florentiam, aduersus hanc sanctam Synodum; & altare sacrilegum cõtra altare legitimum, vnde vniuersum orbem in turbationem adduxit, & maledictionem in Chore, Dathan, & Abira latam diuinitus, atq; pœnas contra schismaticos à iure inditas prometuit, iuxta declarationem iam à septem annis factam in octaua sessione huius sanctæ Synodi, qua dicitur; Quicumque hoc sacro durante Concilio, aliam congregationem sub nomine Generalis Concilii erigere, aut facere præsumpserit, nõ Catholicæ Ecclesię Concilium, sed schismaticorum conuenticulum facere conuincitur? Idcirco hæc sancta Synodus, omnes Christi fideles, cuiuscumque status aut dignitatis, etiamsi Papalis, Imperialis, aut Regalis existant, sub obtestatione diuini iudicii, quod in Chore, Dathan, & Abiron authoribus schismatis scriptura sacra cõmemorat, admonet, & hortatur, & in virtute sanctæ obedientiæ, & pœnis cõtra schismaticos in iure indictis, districte præcipit atq; mandat, ne hoc sacro durante Concilio, aliam cõgregationem sub nomine Generalis Concilij, quod reuocata non esset Concilium facere aut congregare, nec ad ipsum tamquam ad Generale Concilium, etiam prætextu cuiusuis promissionis aut iuramẽti accedere, aut interesse quoquo modo, neque pro Concilio Generali habere, reputare, aut etiam nominare præsumat. Hęc in præfata sessione habentur. Ex quibus clarissime patet, quomodo maledictio illa schismaticorum super ipsum Gabrielem reuertitur, quam in nos per præfatam inuectiuam adducere conabatur: ita vt proprie de tabernaculo suo oẽs admoneat recedere illa Moysis serui Dei locutio, quæ dicit; Recedite à tabernaculis hominum impiorum. Et dum schismati hæresim adiunxit; in qua post plures correptiones & admonitiones obdurato magis semper animo perdurat, recte admonetur vnusquisque Christianus ipsum euitare, per illam Pauli Apostoli saluberrimam doctrinam, qua dicit ad Titum: Hæreticum hominem, post primam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Certissime enim se proprio iudicio condemnauit per illam inuectiuam, dum obdurationem animi sui in schismate & hæresi aduersus doctrinam Ecclesiæ, & veritates fidei declaratas ostendit, vt iam omnes Christiani intelligant, talem veritatis, iustitiæ, fidei, & Ecclesiæ persecutorem nullatenus posse tolerari: sed in eo proprie verificari sententiam Cypriani in epistola ad Antonium, qua dicit de Nouatiano cõtendente super Episcopatu vrbis Romæ; Episcopatum tenere non posset, etiamsi prius Episcopus factus, nisi à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ vnitate discederet. Et infra: Qui ergo, nec vnitatem Spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à sacerdotum Collegio separat; Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatus nec vnitatem voluit habere, nec pacem. Quæ sententia ita clare verificatur in Gabriele, vt clarius dici non possit, dum manifeste, & per erectionem conuenticulorum contra Generale Concilium, & per impugnationem authoritatis Conciliorum in factis, verbis, & Scriptis, quam coepiscopi sui, & vniuersum Collegium sacerdotum, tam in Concilio Constantiensi, quam in isto Basileensi tenuerunt, & dispersa per orbem profitetur Ecclesia, se à Coepiscoporum corpore, ab vnitate Ecclesiæ separauit, & totũ orbem in turbatione & diuisione posuit. Sic itaq; dum depositionem suam eneruare quærit, magis eam approbat, & confirmat: dumque alios hæreticos & schismaticos voluntariè appellat, quam iuste pro schismate & hæresi depositus fuerit, ipse demonstrat. De Simonia autem, periurio, dilapidatione, violatione assidua & contemptu canonum, ac decretorum Synodalium, scandalizatione Ecclesiæ, & notoria incorrigibilitate, pro quibus pariter depositus est, nullam in prædicta inuectiua expurgationem adduxit, sed penitus obticuit. Verũ sicut rei & incorrigibiles facere solent in iudicem suum, conuicia & contumelias in hanc

sanctam

Sanctam Synodum exaggerat, & relationem criminum agere conatur, dum suspsius iustificationem proferre non potest. Dicit hanc Synodum versam esse in tyrannidem in qua semper omnib. summa libertas patuit, & hodie patet. Dicit plura supposita huius sanctæ Synodi antequam ad eius dissolutionem procederet fuisse diuersis sceleribus irretita; de quibus nullam vmquã probationem iudicialem coram hac sancta Synodo protulit. Sed omnes qui se à corpore Ecclesiæ separant, ita se solent dicere iustos, & cæteros peccatores, atque in ipsa Ecclesia multa atque innumera mala fieri, & non aduertunt, quot in eadem bona siunt, & quot sunt in ea meliores ipsis. Hi, vt inquit Augustinus, sunt falsi iustificatores, & veri præcisores. & alio loco ipse ait; Hæc consilia separationis inania, sunt pernicioſa, sacrilega, impia, & superba; & longe grauiores sunt trabes schismatis, quas in oculis tales gerunt, quam peccata manentium in Ecclesiastica vnitate; quæ ipsi schismati comparata, sicut festucæ, in oculis fratrum reputantur. Peccata siquidem si in aliis erant, illa eis, & forsan aliis paucis nocebãt: peccatum autem Gabrielis, & eius incorrigibilitas mundo nocuit vniuerso. Vnde nullam causam habuit se separandi Gabriel ab hoc sacro Concilio, neque à tot Episcopis, Oratoribus Principum Doctoribus, & cæteris bonis viris, qui pro maiori parte Concilii duplo vnanimes erant in his, quæ per ipsum sacrum Concilium decernebantur. Nec debuit aliam Congregationem erigere in contributionem vniuersi orbis, aduersus Synodalem sententiam. Dicit monopolia, coniurationes, conspirationes protunc factas fuisse. Quomodo aũ vocare potest conspirationes, & cõiurationes, illa quæ palam à duabus partib. Concilii & amplius facta sunt in Deputationibus, congregationibus generalibus, & sessionibus publicis. Illa autem quæ per factionem paucorum acta sunt, erigendo Cõciliabulo contra istud legitimum Concilium, qui inter se conclusiones suas conspirabant, qui illam diuisionem conflauerunt, ex quibus nunc totus orbis tanta patitur discrimina, reputant esse iusta, appellãt malum bonum, & bonum malum. Sed & ea non commemorat, quæ per aliquos ex suis facta sunt, pro perueniendo ad erectionem illius conuenticuli contra hoc Concilium, in falsificatione litterarũ sub nomine huius Sanctæ Synodi; in captione & cruciatibus Ioannis Heraldi principis Pedemontium, quem nostri Oratores ad Græciam præmiserant, & in persecutione venerabilis Ioannis de Regusio, nunc Episcopi Argentinensis, ad Constantinopolim. Imputat autem superbiam manẽtibus in Synodo, pro eo quod maxima necessitate cõpulsi, pro honore Dei & animarum salute, veritatem, iustitiã, fidẽ & Ecclesiam sustinent; quos ipse per superbiam eius semper ascendentem ita dire oppugnat; & filios appellat degeneres, qui Sanctam Matrem Ecclesiã fideliter defenderunt, quam ille perditioni, suo inutili & damnoso regimine exponere moliebatur. Dicit se pati persecutionem à vocatis Christianis; qui veros Christianos prædæ & grauissimis persecutionibus exposuit; dum fidelissime hoc Concilium, & ipsius, atque aliorũ Conciliorum authoritatẽ defenderunt, quæ ipse destruere volebat. Commemorat insuper idolũ abominationis nos velle erigere in templo Dei; cum potius omnis intentio huius Sanctæ Synodi fuerit, ad illa idola eiicienda ex templo Dei, de quibus Apostolus loquitur dicens, quod auaritia est idolorum seruitus; & quæ abominatus est Dominus, cum facto flagello de funiculis, eiecit vendentes & ementes de templo. Nam ad hoc tendant huius Sanctæ Synodi decreta, & labor summus, vt simonia repellatur de templo Domini, si, antque omnia in collationibus dignitarum & beneficiorum, ac etiam cæteris rebus, prout lex diuina, & Sanctorum Patrum decreta instituerunt, ad salutem animarum, non ad exhaustum pecuniarum. Nam vt inquit Apostolus, radix omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis; sicut in Gabriele nunc impletum esse conspicitur. Et dicit nos reformationem abhorruisse, qui omnib. laboribus semper enitimur, omniaque pericula sustinemus, & vitam nostram, & bona exponimus, vt ipsa reformatio realem & efficacem sortiatur executionem: quæ hucusque impedimentum maximum ex eo habuit, quod ille qui primus in Ecclesia canones exequi habebat, & se omnibus præbere exemplum virtutis & sanctitatis, agebat in contrarium. Iam non quæritur idolum, sed pastor bonus, qui virtute, prudentia, & bonitate se exhibeat formam gregis, pascatque subditos verbo ac exemplo, vtens potestate à Christo concessa, in ædificationem Ecclesiæ, non in destructionem; & eiiciatur idolum ipsum cum abominationibus suis, quod contra iustitiam & voluntatem Domini sedere conatur. Sed conqueritur deinde Gabriel, citatorium contra eum factum esse, quod in perturbationem facti Græcorum cedebat, vt dicit. Verum si bene attendat; non illud fuit ad perturbandum factũ Græcorum, sed ad consulendum & prouidendum saluti Ecclesiæ nostræ Catholicæ, quam impio schismate vulnerabat Gabriel ipse, qui post excecandam illam diuisionem in hoc sacro Concilio pro suos excitatam illicite & nefarie, sicut in pluribus decretis & epistolis ostendimus, omnino determinauerat conuenticulum erigere sub nomine alterius Concilii Generalis, contra hanc sanctam synodum, in loco pro libito suæ voluntatis assumendo, & iam galeas, contra galeas eiusdem Sanctæ Synodi, propter hanc causam mittebat in Constantinopolim. Considerabantur scandala, quæ ex hoc schismate Concilii prætensi contra verum Concilium imminebant, & quædam, proh dolor, in oculis omnium conspiciuntur, fuit ille citatus, per quem tantum scandalum oriebatur Ecclesiæ, qui & reformationis, ac legis Domini, & decretorum huius sanctæ Synodi contemptor erat; imo iam persequebatur illos, qui decreta ipsa seruare volebant, atque eandem Synodum, & gesta eius, per erectionem illius prætensi Concilii confundere conabatur, vt priusquam grande illud scandalum eueniret, priusquam erectio illius conuenticuli contra Concilium, illa horrenda diuisio quæ iam parturiebatur, actualiter formata esset, prouideretur Ecclesiæ, & eius scissuræ periculosissimæ obuiaretur. Quod si tunc factum esset, iam nunc nõ sentiret Ecclesia dolores acerrimos, qui es per collisionem fratrum in vtero suo ipsa patientur. Nunquid non omnis amator vnitatis, omnis verus filius Ecclesiæ debebat totis viribus, insistere, ne hoc vulnus matri suæ inferretur, sed in tẽpore prouideretur quod maxime expetebat præfatum citatorium? Et nihilominus Sancta Synodus, omnem suam possibilitatem pro Græcorum conductione impendebat, mittens Oratores suos & galeas in Cõstantinopolim, vt Græcos adducerent; obrulitque ipsis Græcis, per suos Oratores complere omnia, quæ eis promissa fuerant, si aduenire voluissent; nec in aliquo defecit ipsa sancta Synodus, sperans tempore ipsos Græcos venire debere ad locum nominatum per eandem Synodum, sicut cum eis conuentum erat. Nec dubium esse debet cuiquam Christiano, quod si innare voluisset Gabriel tunc dictus Eugenius, vt venissent, sicut ipse restitit, & impedivit, quod fuissent adducti. Sed maluit Ecclesiam scindere, quam in hoc consentire, vt sub vmbra illa reformationem euitare posset, & facta ipsius Ecclesiæ in suam tyrannidem redigere. Dum vero citatus est, sicut exunc Ecclesiam, quantum in ipso fuit; imo & contra determinationem Catholicæ Fidei, Concilium hoc Basileense, licet nullatenus, transtulit, & tunc in Ferrariam, casu quo procederetur contra ipsum, & aliquem oratorum suorum præsidentium, qui in Concilio fuerant; quorum vnus de crimine falsi erat accusatus, de quo fuit postmodum iusto iudicio condemnatus. & iam dicit se hoc fecisse propter Græcos, quod propter se, & præsidentem suum fecit. Nam & contentus erat, non obstantibus omnibus, vt Concilium Basi-

lcæ permaneret vsque ad aduentum Græcorum, dummodo ab vlterioribus processibus, contra ipsum, & præfatum præsidentem suum supersederetur. Addit autem de venerabilibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, contra quos tamen nihil Concilium agebat, nisi quod eos euocabat ad prouidendum Ecclesiæ in tanto periculo. Sed quid attinet ad factum Græcorum, quod oporteret dissolui hoc Concilium, si procederetur contra vnum de præsidentibus ipsius Gabrielis olim Eugenii, vt propter hoc sibi liceret transferre Concilium Ferrariam, impediendo ex hoc solo capite factum Bohemorum, quod tunc actu in Basilea tractabatur cum Oratoribus Regni Bohemiæ, & mandando ne illud vltra 30. dies ageretur, in casu prædicto, excommunicando que, priuando, inhabilitando omnes qui postea in Basilea actis conciliaribus exercerent, tam in facto fidei, quam reformationis generalis, in quibus ipse iuxta veritatem fidei Catholicæ tenebatur obedire concilio? Quis tam subtilis, quis tam acutus, qui hoc factum ab errore, à schismate excusare posset, dum propter euitandum iustam punitionem vnius falsarii, etiam omnibus aliis cessantibus, ipse olim Eugenius omnia hæc scandala perpetrabat? Dicit autem suspensionem eius ab administratione Papali, fuisse factam cum initarer aduentus Græcorum. Notorium vero est, quomodo post illam adeo scandalosam dissolutionem, & translationem in Ferrariam, monitus fuit, vt eam reuocarer sub pœna suspensionis post quatuor menses, nisi resipisceret, incurrendæ: quod dum facere noluit, per propriam contumaciam huiusmodi suspensionem incurrit. Neque aduentus Græcorum, qui diu post ipsam suspensionem in portum Venetiarum aduenerunt, in hoc aliquid causauit. Adiungit, quod ad depositionem eius processum est, cum immineret eorundem Græcorum reductio. Sed scit totus orbis, quod licet ad depositionem eius procedere licite potuisset Sancta Synodus iuxta decreta ipsius, postquam præfatus Gabriel suspensionem ipsam sustineret post duos menses animo indurato; tamen maxima vtens patientia & mansuetudine, adhuc postea per quindecim menses hanc depositionem distulit, donec grauissimis periculis imminentibus, hoc sacrum Concilium in periculo totalis dispersionis positum erat: post depositionem autem ipsius, per aliquot dies publicauit, quod Græci vnionem acceperant. Sed nunquid idcirco in suis criminibus præualere debet aduersus Catholicam Ecclesiam, & eam ad iudicia eius insta sedentem cõfundere, authoritatẽ Conciliorum Generalium prosternere, quia dixit se reduxisse Græcos, & omnia mala facta sua sub hoc pallio cooperire laborat? Videant, per Deum Christiani, quomodo in ea re processerit. Iamdudum anno Domini 1434. dum venissent ad hanc Sanctam Synodum eius expensis Oratores ipsorum Græcorum, cum quibus tractabatur, vt anno sequenti Imperator Romæorum, Patriarcha Constantinopolitanus, cum cæteris ex Oriente venirent ad aliquem locum per hanc sanctam Synodum nominandum, præfatus Gabriel misit Christophorum Garathonum ad Constantinopolim, vt ibidem fieret conuentio Latinorum & Græcorum, & non venirent citra mare. Vnde multa retardatio in facto vnionis Græcorum, quam hæc Sancta Synodus prosequebatur, subsecuta fuit. Tandem ipse olim Eugenius consensum præbuit, vt eadem Sancta Synodus prosequeretur conuenta cum præfatis Oratorib. Græcorum, per eum modum quo cum eisdem ipsa concluserat. Et nihilominus dum post consensum prædictum ex equendum misissemus in Græciam, qui pecunias pro congregandis Orientalibus dederunt; ipse Gabriel iterum misit præfatum Garathonum, qui in contrarium ipsorum Oratorum nostrorum laborabat. Cum vero res concluſa fuit, vt Græci ipsi citra mare venirent, ad locum nominandum per hanc Sanctam Synodum, Deus nouit quantis artibus ipse impediuit, & impediri fecit, tam in Auinione quam alibi, ne hæc Sancta Synodus haberet pecunias pro conductione Græcorum, quantis modis laborauit, vt ipsos ad se traheret, vt sub vmbra Græcorum sua compleret desideria; qui etiam suum Saluum conductum pro eisdem Græcis conducendis huic Sanctæ Synodo requirenti dare recusauit: dum Sigismundus Imperator Romanorum, & Albertus tunc Dux Austriæ, & nunc Rex Romanorum, Rex Francorum, atque alii Reges, per quorum dominia venturi erant Græci præfati, necnon alii Duces & Principes, atque etiam Venetorum Ianuensium, Florentinorum ac Senensium communitates, suos saluosconductus liberaliter concesserunt. Ea res quidem perpetuis est deploranda seculis. Poterat fieri Græcorum vnio cum bona pace, cum vnione Ecclesiæ nostræ in vero vniuersali Concilio; vbi Prælati Orbis, vbi omnes Principes Catholici, aut Oratores eorum conuenissent; vbi multo celerius, multo stabilius atque firmius fuisset, fauente Domino, ipsa vnio expleta. Maluit ipse Gabriel Ecclesiam nostram Catholicam scindere; factum ipsorum Græcorum perturbare, & eos ad cõuenticulum Ferrariense, ac deinde Florentinense perducere; vbi Reges Catholici videntes schisma eius, & illicitam erectionem altaris sacrilegi contra verum altare, videlicet hoc sacrum vniuersalis Ecclesiæ Concilium, abhorruerunt illuc suos mittere Oratores. Si vero Græci ipsi aliquam professionem veritatis fecerint, in qua persistant; aut si quid boni in hoc facto repertum fuerit; rerum veritate comperta, gratias agamus diuinæ pietati, quæ non sineret mala esse, nisi potens esset ex illis elicere bona. Sed non propter hoc mala ipsius Gabrielis sub hoc pallio cooperiri possunt. Quid enim sibi prodesset cæteros ad fidem conuertere, si ipse in schismate & hæresi permanere vellet? si cæteros vellet vnire, & se ab Ecclesia Catholica separare: qui etiamsi montes transferret, & charitatem non haberet erga ipsam Catholicam Ecclesiam, sicut nec habere potest, quamdiu schisma & hæresim obdurato animo retinet, nihil sibi prodest. Et licet laboret vt sub hoc colore Græcorum, fideles Christiani suum Conciliabulum Florentinum, in schismate erectum approbent, eumdemque Gabrielem, depositum, priuatum, condemnatum & reprobatum, pro vero & Summo Pontifice veneretur; tamen Deus illis dedit intellectum, ad discernendum bonum à malo, cognoscendum iustitiam & veritatem: & frustra tale rete iacitur ante oculos pennatorum. Alii enim Pontifices in veris Conciliis Generalibus vt Innocentius Tertius, in Concilio Lateranen. in quo duo Patriarchæ Orientales personaliter affuerunt; & Eugenius Decimus, in Concilio Lugdunensi Græcos reduxerunt, longe citra quingentosannos: imo etiam ipse Gregorius ibidem baptizari fecit Oratores Tartarorum. Et nihilominus si Ecclesiam Scandalizare voluissent illi Pontifices, atque mala perpetrare quæ fecit olim ipse Eugenius; nequaquam hoc eis tali colore permisisset Ecclesia. Deinde præfatus Gabriel comparat se Beato Leoni; contra quem Dioscorus sententiam tulisse refertur in secunda Ephesina Synodo, cui hanc Sanctam Synodum Basileensem assimilat. Longe certe est differentia inter Leonem Sanctum, & Gabrielem tot vitiis & criminibus irretitum; atque etiam inter hanc sanctam legitimam Synodum, in plena libertate semper constitutam, & illam reprobam Ephesinam, in qua viti armati gladios tenentes in manibus, compellebant homines ad diffiniendum quod placebat Dioscoro. Tandem ipse Gabriel depositionem damnat & reprobat, quod certe omnibus malis & peruersis, iuste condemnatis accidere solet, vt semper sententiam in eos latam, iniustam esse reputent. Sed in causa propria non mirum si non recte iudicat, qui in verbis iniuriosis atque inflatis per totam suam inue-

ctiuam

ctiuam resperſis, plane ostendit se loqui ex passione animi exacerbati; non ex iudicio rationis, dum audet dicere, dæmonia totius orbis in latrocinium Basileense conflexisse videri; & alia horribilia verba, quæ nemo prudens, nemo iustus, nemo diceret honestus. Sed dixerunt etiam Iudæi Christo, quod dæmonium habebat, & multoties Ecclesia Catholica à diuersis hæreticis, vt Donatistis, Arianis, & aliis permultis graues iniurias audire solita est; qui dum lepra hæresis infecti erant, alios omnes qui aliter ab eis sentiebant, hæreticos reputabant, & ab Ecclesia præcisos & schismaticos; sicut nunc Gabriel ab virtute Ecclesiæ præcisus, de his iudicat, qui in virtute permanserunt, qui doctrinæ Catholicæ & Apostolicæ adhæserunt, & constantissimis animis semper adhærent, tam in Concilio Constantiensi declaratæ, quam dudum in hac Basileensi, etiam pro eo tempore, sicut prædictum est quo ipse Gabriel hoc sacrum Concilium, legitimum Generale Concilium esse recognouit, & quo Legatus suus eidem præsedit. Prospiciebatur enim quanta desolatio Ecclesiæ sequeretur, si deinceps conculcatis generalibus Conciliis, spretis canonibus, abiectis determinationibus Catholicæ fidei, vnus mortalis homo posset negotia Ecclesiæ pro libito voluntatis agere. Quod vero longum patiebatur habuit Sancta Synodus in tolerando Gabrielem & facta eius, ipse hoc impingere conatur, tamquam pro habendo Papatum, facta fit tam longa prorogatio; cum è contrario manifestum sit, quod si hoc quæsiuisset Sancta Synodus, iam dudum ad depositionem eius processisset, attentis scandalis, schismatibus, & malis fere innumeris, quæ per eius damnosum & inutile regimen accidebant. Sed expectauit benigne hæc sancta Synodus eius emendationem in multa patientia, & ipse per resistentias quas præstitit per varia impedimenta, quæ præbuit tam tempore primæ prætensæ dissolutionis, quam secundæ, quam alio medio tempore, fuit causa diuturnæ prorogationis. Manifeste autem iam omnes conspiciunt obduratam Gabrielis pertinaciam per supradictam inuectiuam, & quomodo confundere conatur Ecclesiam Catholicam, veritatemque & iustitiam, vt iam omnes clarissime intelligere possint, quomodo sine vlteriori quacumque protelatione ipsum euitare, eiusque venenatum consortium fugere, & quoslibet Christi fideles ab eodem efficaciter recedere necesse sit, atque in doctrina Ecclesiæ Catholicæ permanere. Dolere quidem omnes debent, quod Gabriel ipse qui benigne ab assentiendo Ecclesiæ, & ambulando vnanimiter cum consensu in domo Dei, poterat fructus vbertimos in Ecclesia efficere, & omnibus bonis spiritualibus & temporalibus abundare; nunc superba separatione in tanta mala se præcipitauerit, & Ecclesiam ipsam tantis perturbationibus afflixerit, vt conculcata Conciliorum authoritate, ipsam suæ voluntati subiiceret. Iam vero ad talia verba ipsius Gabrielis, in quibus finis non inueniretur, nequaquam vlterius attendere necesse est. Sed orandus est Deus Omnipotens, vt animam illius humiliare dignetur, & non ipsam in damnationem perpetuam corruere permittat, dandaque est opera, sicut necessitas exposcit, vt Ecclesiæ prouideatur de bono & salutifero regimine, ad conseruationem fidei, & salutem Christianorum, in gloriam Dei omnipotentis, qui est benedictus in secula seculorum Amen. Datum Basileæ in congregatione nostra generali, Nonis Octobris, Anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono.

XXXIII. *Asseritur Eug. Pont. innocentia & integritas.*

Hæc Basileenses ex abundantia animositatis scribebant, falso innixi fundamento, quasi ipsi pauciſſimi, & non nisi sex Cleri, Concilium facerent; quasi Ecclesiam vniuersalem repræsentarent; quasi Concilium Oecumenicum possit esse sine Pontifice; quasi illud sine Pontif. esset superius Pontifice, adeoque quod ipsum posset iudicare, damnare, deponere Romanum Pontificem; quodque Pontifex, ne hiscere quidem possit, aduersus conspirationem illorum, qui diuinitus collata ipsi & Sedi Apostolicæ iura & priuilegia conantur connellere, ipsumque deprimere: cum Basileenses, nihil minus, quam Ecclesiam vniuersalem repræsentauerint; cumque totum oppositum de fide Catholica sit; scilicet Pontificem esse omnibus Conciliis Generalibus superiorem; à nemine hominum, si verus & indubitatus est Pontifex, eum iudicari posse: omnes qui ab eo secessionem fecerint, schismaticos esse; Decretum Constantiense sano modo intellectum, non omnino sibi subiicere Pontifices, nisi dubios voluisse: Eidem decreto, Ioannem Vigesimũ tertiũ, & multos eius Cardinales, Prælatos, & Doctores vt narrat Rodericus Episcopus Calagurritanus, reclamasse: Patres Conciliorum Oecumenicorum, à iudicandis Pontificibus Romanis semper & perpetuo abstinuisse: eaque propter Eugenium Pontificem, nec hæreticum fuisse, nec schisma fecisse; nec ab Ecclesia, sed à colluuie latrocinantium secessisse; cuius rationes, cum & Cardinales, & Prælati, & Oratores Principum, & ipsi deinde Reges ac Principes, ac populi prius seducti, postea cognouissent, innocentiam que & integritatem, Zelum & charitatem, prudentiam & æquitatem, ac reliquas magno Pontifice dignissimas virtutes illius perspexissent, cœtum præcaricatorum execrati, illi supplices fuerunt, atque constantissime adhæserunt: præsertim cum non absque singulari numinis fauore, Græcos ab errore & schismate reuocarit. Sane Aeneas Sylnius, qui, *vt auctor Commentariorum Pii secundi lib. 1. narrat,* Basileæ, & Secretoris, & Abbreuiatoris officium esse cutus, in duodecim viratu sæpe fuerat; in deputatione sua, cui Fidei nomen fuit, sæpe præsederat; claues plumbi, quo Synodalis literæ signabantur, frequenter in custodia habebat; inter scriptores ad Referendarium sæpissime eligebatur; ac quoties è nationibus aliqui, ad res singulas es delecti iunt, raro is vnus non fuerat; quique suadebat, impellebat, vigebat, dictabat, scribebat, corrigebat, pronunciabat, adeoque maxima pars conciliabuli, in omnibus actionibus fuerat: si aliquando, eorum quæ in Eugenium admiserat pœnitentia ductus, ingenuo cum rubore fatebatur, se Basileæ cum aliis erranisse, & in hunc fundamentalem de præeminentia Romani Pontificis supra Concilia, lapidem grauiter impegisse: quandoquidem Romanus Pontifex, iure diuino est supra quodcumque, etiam Oecumenicum Concilium, quod præsertim indicere, congregare, differre, transferre, dissoluere, eius statuta aut temperare, aut abrogare, aut probare; nullis Conciliorum legibus positis obnoxius: nullis Concilii, nedum hominis, sed solius Dei iudicio subiectus. Hæc est fides Catholica, hæc veritas Orthodoxa; quam aliquando impugnasse, Aeneam pudebat ac tædebat: quemadmodum is ipse his ipsissimis verbis, ad perpetuam rei memoriam testatur:

De Æneæ Sylnio qui Conciliabulo alio quando interfuit & eius magnæ pars in omnibus actionibus extitit.

Pius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Rectori & Vniuersitati Scholæ Colonien sis, salutem & Apostolicam benedictionem.

In minoribus agentes, nondum Sacris Ordinibus initiati, cum Basileæ inter eos versaremur, qui se Generale Concilium facere, & vniuersalem Ecclesiam repræsentare audebant. Dialogorum quendam libellum ad vos scripsimus, in quo de auctoritate Concilii Generalis, ac de gestis Basileensium, & Eugenii Papæ contradictione ea probauimus, vel damnauimus, quæ probanda, vel damnanda censuimus. Quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnauimus: nihil mentiti sumus, nihil de gratiam, nihil ad odium retulimus. Existimauimus bene agere, & recta incedere via; nec mentis nostræ aliud erat obiectum, quam publica vtilitas, & amor veri. Sed quis non erat mortalis? Sapientem inquunt Philosophi nunquam errare? verum est. At quis Sapiens, nisi bonus? Quis bonus, nisi fidei Deus? Omnes delinquimus in multis, multis factis fumus. non est qui faciat bonum,

XXXIV. *Lit. ipsius ad vniuersitatem Coloniensem, postquam ad Pontificatum assumptus fuit quibus Eugenium impugnando & Conciliabulo adhærendo se errasse & deceptum esse fatetur.*

nam, non est vsque ad vnum inquit propheta Regius. Declinauimus & nos ab vtero matris, errauimus in iniuo, & non in via ambulauimus, in tenebris, & procul à vera luce recessimus; nec nobis tantum errauimus; alios quoque in precipitium traximus, & cæcis dicacum præbentes cæci cum illis in foueam cecidimus. Forsitan, & aliquos ex vobis scripta nostra deceperunt, & in deuia deduxerunt; quorum sanguinem si de manibus nostris requisierit Dominus, non habemus quid respondere possimus; nisi nos, vt homines peccauisse, qui arbitrantes iter rectum ostendere, obliquum monstrauimus. In misericordiam tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera eius eluceat. Sed haudquaquam satis fuerit diuinam misericordiam imploraße, & dicere; Pater Domine, parce peccatis nostris; nisi pro viribus, vulnera quæ infliximus veritati, curare annitamur; & sicut est in fabulis, Sagitta quæ vulneranit, affrat opem: sine vt canit Ecclesia; Medelam inde ferat, hostis vnde læserat. Mortem quidam prius sibi consumerint, quam videri velint aliquando male sensisse: & nonnulli, ne vel ad horam videantur errasse, semper errant, & dum vel minimam tolerare honoris iacturam nequeunt, totum abiiciunt, & perpetuæ notantur infamiæ, & in pessimas prolabuntur hæreses; qui ne apparere inconstantes, pertinaces efficiantur. Superbissimi hoc agunt, qui videri Dii, non homines volunt; quales Constantia combusti sunt nostra ætate, in magno consensu, Hieronymus & Ioannes hæresiarchæ. Nos homines sumus, & vt homines errauimus; neque id nos insciæ, multa quæ scripsimus, diximus, egimus, damnari posse; verum non vt Arrius, Eutyches, Macedonius, aut Nestorius, & alia blasphemorum turba, ex animo damnatam viam elegimus. Seducti peccauimus, vt Paulus, & ignoranter persecuti sumus Ecclesiam Dei, & Romanam, primamque Sedem, propter quod prostrati ante oculos diuinæ pietatis supplices oramus; Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, &c. Pudet erroris, pœnitet, male feciße: & male dictorum scriptorumque vehementer pœnitet. Plus scripto, quam facto nocuimus. Sed quid agamus? Scriptum, & semel emissum volat irrevocabile verbum. Non sunt in potestate nostra scripta, quæ in multas inciderint manus, & vulgo leguntur. Vtinam latuissent, quæ sunt edita. Nam si futuro in seculo manserint, & aut in malignas mentes inciderint, incautas forsaße scandalum patientur. Qui hæc scripsit, inquient, in Beati eandem Petri cathedra sedit, & Christi Vicariatum gessit. Ita scripsit Æneas, qui postea Summum Pontificatum adeptus, Pius secundus appellatus est, nec inuenietur mutasse propositum. Qui enim elegerunt, & in Summo Apostolatus vertice collocarunt, ab iis scripta eius approbata videntur. Verendum est, ne talia nostris aliquando successoribus obiciantur: & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pii, atque ab ea sede authoritatem vendicent, contra quam ignoranter latrauerunt. Cogimur igitur, dilecti filii, Beatum Augustinum imitari, qui cum aliqua in suis voluminibus erronea inseruisset, retractationes edidit. Humilis, & probatissimi viri ingenii, suas ineptias verecunde confiteri, ac corrigere, quam impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus, confitebimur ingenue ignorantias nostras, ne per ea quæ scripsimus inuenes, error irrepat, qui posit in futurum Apostolicam Sanctam Sedem oppugnare. Nam si quem de cuius vnquam Romani primique throni eminentiam & gloriam defendere, ac extollere; nos illi sumus quos sine vllis meritis, pius & misericors Deus, sola dispensatione sua ad Beati Petri solium, & dilectissimi filii sui Domini nostri Iesu Christi Vicariatum euocauit. Quibus ex rebus dilectiones vestras hortamur, & in Domino commonemus; ne prioribus illis scriptis aut inhæretis, aut fidem vllam præstetis, quæ supremum Apostolicæ sedis authoritatem quouis pacto eliduni, aut aliquid affirmant, quod Sacrosancta Romana non amplectitur Ecclesia. Suadete omnibus, vt id solum præ cæteris veneretur, in quo Saluator Dominus suos Vicarios collocauit, & quod Beati Apostoli Petrus & Paulus suo sanguine dicauerunt. Nec puteris diuinam prouidentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum quæ creauit, inordinatam reliquiße militantem Ecclesiam; quæ cum sit sponsa Christi, profecto à Deo est, & ordinem habet, dicente Apostolo; quæ sunt à Deo, ordinata esse. Requiris autem ordo, vt inferiora à superioribus gubernentur, & ad vnum tendem perueniantur, tamquam principem & moderatorem cunctorum, quæ infra se sunt. Sicut grues vnam sequuntur, & in apibus vnus est Rex: ita & in Ecclesia militante, quæ instar triumphantis extat, vnus est omnium moderator & arbiter, Iesu Christi Vicarius; à quo tamquam capite, omnis in subiecta membra potestas & authoritas derivatur, quæ à Christo Domino Deo nostro medio in ipsum influit. Nec profecto in alium, tamquam sui exercitus ducem, supremam auctoritatem Christus principaliter deriuasset, quam in suum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commissam nouimus Dominici gregis curam; Nec duos, pluresue Petros Euangelista commemorat, nec duos aut plures instituit Dominus, qui suum locum tamquam capita tenerent æqualia; sed vnum constituit, vt verticem, ac ducem; & Pastorum vniuersi gregis, Simonem Petrum, dicens: Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum. & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo. & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlo. &, Pasce oues meas. Quæ nulli alteri seorsum dicta leguntur, nisi Petro vt in Petro vnitas, & Summa contineretur auctoritas, Nec alius à petra dictus est Petrus, nisi Simon; vt intelligeremus vnicum esse, verè & solidè petræ, id est Christi, vt Paulus exponit, locum tenentem Simonem Petrum, qui solus pro Domino in periculo constituto exemit gladium. Petrus igitur, & successores eius Romani Pontifices, Primatum in Ecclesia tenuerunt; & nos hodie, quamuis indigne, sola Domini voluntate digni tenemus; & quicumque Romana secundum canonicas sanctiones præficitur Ecclesiæ, quamprimum electus est in sacro collegio, supremam à Deo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam, cuius diuino iudicio peccata puniendæ relinquuntur. Si quid aduersus hãc doctrinam inueneritis, aut in dialogis, aut in epistolis nostris, quæ plures à nobis sunt editæ, aut in aliis opusculis nostris (multa enim scripsimus adhuc iuuenes) respuite, atque contemnite. Sequimini quæ nunc dicimus, & seni magis quam iuueni credite; nec primatum hominem pluris facite, quam Pontificem. Æneam reiicite, Pium recipite: illud gentile nomen parentes indidere nascenti; hoc Christianum, in Apostolatu suscepimus. Dicent forsasse aliqui; cum Pontifica tu hanc nobis opinionem aduenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam. Haud ita est: longe aliter actum. Audite filii conuersationem nostram: breuis narratio erit, quæ vobis, quantum ad rem attinet, veritatem aperiet, & obiectioni facies satis.

Anno salutis primo & trigesimo, supra millæCCCC. cum Dominico Capranica, quem Martinus Quintus in secreto Consistorio Cardinalem creauerat, Eugenius IIII. præuerat. Basileam petiimus, ibique Concilium inchoatum inuenimus; veram ab Eugenio reuocatum: quamuis congregati noluerant obedire; assentes, tam incœptum concilium sine consensu Patrum qui conuenissent, haudquaquam potuisse dissolui. Iulianus aderat Sancti Angli Cardinalis, natione Romanus, moribus & doctrina conspicuus. Is cum cæteris præstaret, audita Eugenii reuocatione, præsidentiam dimisit, tamquam Summo Pontifici vellet obedire. Sed cum augeceret indies Eugenio vel inuito Concilium, & multi ex diuersis regionibus Episcopi, & Regum Legati aduentarent; Cardinales quoque ex Romana Curia profugi indies nonnulli concurrerent, præsidentiam resumpsit, & auctoritatem Concilii nirum in modum extollens, eminentiam primæ Sedis supprimere cœpit. Venientes Eugenii Legatos, & potestatem Romanorum præsulum magnificantes, apparenter confutauit: & cum esset facundissimus, facile persuasit auditoribus, quæ cupiebat. Cardinales ex vrbe profecti, Eugenio infensi, vitam eius moresque carpebant; accedebant in horas nouæ Curiales, qui (vt est omnis multitudo maledica, & inimica Principi) Eugenii nomen modis omnibus lacerabant. Nos qui ex patria inuenes, non ex vrbe illuc migraueramus, & prouæ tum primum auris ex Senensi gymnasio euoluueramus, rudes & inexperti vera esse arbitrabamur quæcunque dicebantur. Nec putabamus mentiri alios, qui nesciremus ipsi mentiri, atque vt est innatum homini, vetera horrenda crimina odio habebamus, nec Eugenium diligere poteramus, quem tot tantique testes indignum Pontificio dicerent. Aderant Legati Parisiensis Schole, cuius est fama percelebris. Affuerunt & aliquando vestri, & aliorum Studiorũ Germanica nationis Oratores; & vno cuncti ore, Concilii Generalis auctoritatem ad cœlũ efferebant. Deposteſtate Romani Pontificis pauci

erant,

erant, qui loqui præsumerent. Omnes quæ publice loquebantur, prurientes, auribus multitudini applaudebant. Accessit & pisus Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii à se factam reuocauit, & progressum eius approbauit, cum reconciliata Synodus Eugenio videretur, & pax Ecclesiæ data. Præterea enim omnia, per suas litteras Concilii Patres Eugenio sese remissuros, & pedes eius tamquam Beati Petri exosculaturos promiserant, si reuocata dissolutione, Concilio cursum permitteret, atque illi cohæret. Nouæ interesse discordiæ, tum aliis de rebus, tum potissime super translatione Concilii, Græcorum causa. In alium locum, Eugenius, in Italia, non sine ratione Concilium petebat; popularitas Synodalis transire montes horrebat, & in Auinione, aut in Sabaudia locum desiderabat. Adiuerunt per id temporis duo viri ex Italia Basileense Concilium, Nicolaus Panormitanus Archiepiscopus, & Ludouicus Pontanus Apostolicæ Sedis Notarius, Alfonsi Magni Regis Oratores, qui velut duo orbis syderа, seu Pontificii iuris, & totius ciuilis sapientiæ duo præcipua lumina & clarissima, censebantur. Hi dictis scriptisque Concilii gesta probabant, Eugenii facta damnabant: nec erat qui aut vellet, aut auderet dicta eorum refellere. Quid agremus? Audire potuimus, non discere? Rude nimis ingenium est, quod per singulos dies audita & inculcata, non capit. Quales Magistri sunt, tales discipuli euadere solent. Paucos inuenias Aristoteles, qui Platonica norint destruere dogmata. Non est discipulus supra Magistrum, inquit Dominus; nec nos Magistrum potuimus superare. Iulianus nobis, & Nicolaus, & Ludouicus, & alii complures fuere Magistri. Schola, Basilensis conuentus, in quo raro aliquis Eugenii causam defendit. Aduersus Concilii dignitatem mutare aliquid, crimen hæresis fuit. Vna omnium vox Concilium Eugenio præferebat. De Apostolicæ Sedis præcellentia, aut silentium, aut contemptus. Concilium, Concilium, cuncta sonabant. Dicimus ergo quæ audiuimus, & post aliquot annos, existimantes nos aliquid esse, diximus, vt est apud Satyricum, Semper ego auditor tantum, numquam ne reponam? Puduit semper discipulum agere; subtraximus ferulæ manum; cæpimus loqui, & Magistri personam induimus. Scripsimus epistolas, & opuscula. Hoc omnibus passim datur; docti, & indocti scribunt; & quæ scripsit ipse, nemo contemnit, nisi ed. tionis feruorem tempus extinxerit. Nobis placebant scripta nostra, more Poetarum, quæ poemata sua tanquam filios amant. Nec in Basilea quemquam inuenichamus, qui ea damnaret; probant enim similia similes. Applaudebamus nobis ipsis, & in editionibus nostru gloriabamur. Et quamquam postea Eugenius Concilium in Italiam transtulerit, & cum Græcis Ferrariæ, ac demum Florentiæ conuenerit; quamquam Iulianus Sancti Angeli, & Ioannes Sancti Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defecissent: quamquam paucissimi in fide Basileensi remansissent; noluimus tamen credere; existimantes, cunctos quærabiant metu recedere, ne bona temporalia perderent: & cum nihil haberemus quod nobis auferri posset, perseuerandum putauimus; ne partem, quæ verior nobis apparebat, relinquentes, detrimentũ animæ faceremus. Manssimus igitur Basileæ, quoad Eugenio, vt credidimus, iusto iudicio deposito, Amedeus Sabaudiensis suffectus est, & Felix quintus appellatus: quem non vt idolum, quod erat, sed tamquam verum Christi Vicarium venerati fuimus, nihil ad hæc finisri putantes interceßisse. At cum Fridericus Romanorum Rex Aquisgrani coronatus domum repetens, Basileæ transitum fecisset, rogatusque, Felicem illic præsentem accedere nullo pacto persuaderi potuisset, vt honorem ei, tamquam Romano Pontifici exhiberet, aut publice cum eo verba misceret; tum primum considerauimus, possibile esse, quod partem erroneam sequeremur; quando Rex, Imperator Romanorum futurus, in tanto negotio dubius esset, & ad Eugenium inclinaret magis. Multum & sæpe inter nos ipsos cogitauimus, quis esset modus innotescendi verum. Numquam enim volentes erauimus. Rogati, in familiam Friderici transire, non renuimus. Erat tunc ille cum tota fere Germania neutralis. Concilium Basileæ dicebant esse Germani! & idolum eius respuebant. Eugenium Christi Vicarium appellabant! & Concilium ab eo celebratum recusabant: & nec Eugenio, nec Basileensibus plene obediebant. Placuit ad neutrales transire, vt verum apud eos liberius audiremus; & si recedendum esset ab vno extremorum, per atque medium transiremus ad alterum, & eorum iudicium specularemur, qui non essent affecti causæ. Manssimus in aula Friderici pluribus annis; illic varias audiuimus opiniones. Neutralitatem idcirco Teutones induerant, vt concordia facilius inueniretur: non ex consilio Solonis, qui tumultuantis ciuitatis extorrem fecit, qui sine parte remansit. Multa inter neutrales didicimus, quæ nos antea latebant, Eugenium falso de multis accusatum inuenimus; Cardinales, qui Basileam venerant, ob priuatas inimicitias, bono & sancto viro notam inurere voluisse: qui tamen cuncti postea ad eum redierunt, & veniam errati petierunt. Forte per id temporis, Iulianus, Sancti Angeli Cardinalis, cuius supra memsimus, ex Vngaria quæ sibi decreta contra Turcas fuerat prouincia Flaminianum venit (quæ hodie Vienna dicitur) præcipuum Austriæ columen. Sæpe cum eo se monẽ pro veteri consuetudine miscuimus; sæpe de rebus Basileensibus disputauimus. Tuebamur aliquam sententiam; ille nouam defendebat. Exsollebamus Generalis Concilii auctoritatem; ille Apostolicæ sedis potestatem magnopere collaudabat. Dicebamus Concilium Basileense iure perseuerasse, quamuis Eugenius præsidentes reuocasse, & hoc factum eius accusabamus: Ille dissolutum, seu translatum rite Concilium affirmabat, & Basileensium opera multis modis detestabatur, Basileaque, non Synodum Ecclesiæ, sed Sathanæ & ministrorum eius Synagogam remansisse dicebat. Diuma fuit inter nos concertatio, verum modestia & charitate plena. At extremum, cum suis scriptis, dictisque, Cardinalem & vincentium, premeremusque vehementer, subridens ille; Tu, inquit, Æneæ, tabulis obsignaris mecum ago; & quoniam aliquando sensimus vt ducis, idcirco & hodie idem putas debere sentire, & addictus priori sententiæ censes. Verum propterea nos sumus liberi, quia mutare sententiam vsque ad mortem possimus. Cur enim non liceat omni tempore, relicto falso verum complecti? Verum fateor me dixisse, & scripsisse, quæ refers. Verum, à vero remotum erraße. At tu qui ais, me Doctore Basileensibus credere addictus es, errantem olim sectando, cur modo non sequeris rectam mouentem? Præsumpsi de meipso, dum essem in Basilea, nimis; quamuis deceptus, decepi; & credens prodesse, nocui in medio Ecclesiæ, dicens quæ non debui. Cæcus erraui, & in tenebris ambulaui. Reliquæ tandem Ecclesiam malignantium, & cum impiis sedere recusaui. Reclusit Dominus oculos meos, & confudit mirabilia de lege sua. Cognouimus errorem; & quantum à vero procul abessent Basileenses, plane intellexi. Adii Romanam Curiam, & Eugenio, cui fuissem rebellis, submisi cervicem; à quo misericordiam consecutus, ad vnionem Græcorum nauani operam, & illo Romanæ Ecclesiæ reconciliato, aduersus impios Turcas legationem accepi. Castigans, & gaudens me Dominus, & mortificauit me, sed humiliatum exaltauit: quia cognito in errore meo perseueraui, sed mox in viam redii, & ex magistro factus discipulus, ex magno parvus, expurgato veteri fermento nouum hominem indui, & vere matris lacte nutritus ad fontem veri perueni, quem Sancti Doctores ostendunt Græci & Latini, quorum vna vox est, salvare non posse, qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tenet vnitatem; omnesque virtutes mancas esse ei, qui Summo Pontifici obedire recusat; quamuis in cœlo vel sinere iacens, dies & nocte ieiunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere: quia melior est obedientia, quam victimæ; & omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta esto; & Romanum Præsulem, in Ecclesiæ vertice constitutum esse constat, à quo nullam ex ouibus Christi exemptam nouimus. Ego ad ouile redii, qui diu erraueram extra caulas, & Pastoris Eugenii vocem audiui. Tuli sapiens, idem facies. Hæserunt pectori nostro verba viri, quæ sæpe ad nos repetit non sine charitate ardente, & amore singulari. Interea ex diuersis regionibus homines doctissimi Cæsarem adierunt, quibus cum placidos de eisdem rebus nescuimus sermones, semper ad verum intenti, cuius est natura hominũ auida. Multum profuit nobis Ioannes Caramagialis Apostolici Palatii Auditor, natione Hispanus, qui Iuliano defuncto in titulo Cardinalatus ac Legatione successit; quo cum sæpe de Concilio Basileensi amice disputauimus. Nemo doctius ad Imperatorem venit, quem de his rebus in colloquium non adduceremus. Cumque Cæsar ad vnionem Ecclesiæ procurandam, in Nurimberga fica nationis Conuentum instituisset, de creusseque Summum Pontificem adhortari, vt Constantia nouum

Concilium indiceret; Legatumque mitteret; ac Basileenses pariter inducere, vt eo se transferrent, vt ibi pax Ecclesiæ redderetur, primi Basilenses recusauere. Quod audiens Thomas Asſalbachius ex Germania insignis Theologus; Nunc, inquit, sciо Basileenses Spiritum Sanctum non habere doctorem, quando tam æquam Imperatoris legem effugiunt. Idem multi alii dixere viri doctissimi, & opinione sanctitatis illustres. Quibus consideratis, caligo tandem ab oculis nostris cecidit, quæ velut aranearum tela, verum cernere impediebat. Recognouimus errorem nostrum, venimus Romam, Basilensium dogma reiecimus, Eugenio Pontifici maximo caput submisimus, & reconciliati Ecclesiæ Romanæ doctrinam eius imbibimus, & illud Hieronymi diximus; Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam, fundatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum Dominicum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Eramusque pene adhuc laici, quando ad Eugenii obedientiam rediimus. Ex Basileæ, Clericali tantum charactere insigniti recessimus, nec vnquam sacros induimus Ordines, nisi post veritatem cognitam, Basileensium cæcitate relicta. In Austria, minores Ordines, ac subdiaconatum, & diaconatum recepimus. In vrbe, ad presbyteratum peruenimus. Hæc est conuersatio nostra, per hos gradus, è tenebris ad lucem migrauimus. ad quam rem non parum luminis nobis attulit Thomas Saracenus, Theologicæ sapientiæ celebratus, ac acutissimus interpres, qui postea in summo collocatus Apostolatu, Nicolai Quinti nomen accepit. His auctoribus, vnam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam esse didicimus, matrem omnium fidelium, extra quam non inuenitur salus; sponsam Christi immaculatam, in qua omnes qui militant, finem sibi proponunt visam æternam. Idcirco enim in Ecclesia militante laborant homines, & cum dæmonibus tamquam cum hostibus pugnant, vt pacem tandem assequantur. & cum Iesu Magistro ac legifero suo, in cœlesti Hierusalem triumphare, ac regnare possint. Hic finis Christiano propositus; huc omnes Ecclesiæ militantis conatus, omnes leges, omnes regulæ tendunt. Et quoniam Ecclesia, quidam exercitus est Deo militans; terribilis vt castrorum acies ordinata dicitur: vni procul dubio Imperatori subest: ad cuius nutum cuncta referuntur. Cumque pius, ac maximus & Optimus Deus in suo sanguine fundauerit Ecclesiam, eamque voluerit ad finem vsque seculi perdurare, quis non duxerit inesse id regimen institutum esse, quod optimum censetur. At vero inter genera gubernationum, communis philosophorum sententia est præstare Monarchiam. & Romani, quorum toto mictuit orbe dignitas, quamuis electis Regibus duos annuos Consules elegerunt, & modo Tribunos addidere, modo alios Magistratus inuenere; in aduersis tamen casibus, bellisque grauioribus, ad vnum aliquem recurrerunt, virtute & authoritate præstantem, quem Dictatorem appellauerunt: cuius dicto non liceret aduersari. Et quamquam Dictaturam ab initio temporaneam instituerunt, in Iulio tamen & successoribus eius perpetua effecta est. Nec vnquam Romana res admirabilior, aut celsior fuit, quam sub Augusto Cæsare, quando Iani clausis portis totus fere orbis sub vnius hominis gubernatione quieuit, quo tempore natus mundi Saluator, Monarchicum regimen cæteris præstitisse videtur gubernationibus. Item probat totius fere orbis consuetudo, cuius maximam partem gubernant Reges, siue Christianos immaniter, siue barbaros. Et quamuis ciuitates aliquot reperiantur, quæ cum maxime seruiant, liberos sese vocitant, sine Rege viuentes; non possunt tamen effugere, quin vnum præferant aliis, eique tamquam capiti pro tempore obediant. Quid plura? Cœlestis aula nos admonet. Quid illa pulchrius? quid ordinatius? quid maius, aut durabilius? quid melius, aut beatius? Quæ in ea & Angelorum diuersi sint ordines, & Sanctorum Spiritum innumerabiles chori, vnus est tamen omniam Rex æternus Deus, qui condidit vniuersa, & nihil negligit eorum quæ condidit. cuius vnigenitus filius Christus Iesus, cum pro nostra salute venisset in hunc mundum, seruili accepta forma, Ecclesiam, de qua loquitur, in crucepatiens suo sanguine acquisiuit, & usque in diem Ascensionis corporaliter præsedit, & tamquam Dux verus & Imperator, cuncta in finem suum direxit. At cum ascendisset in cœlum, eum indubitanter sui gregis pastorem reliquit, cui dixerat, Pasce oues meas; & ei tibi dabo claues Regni cœlorum. Neque enim dixit, & non fecit, qui solus est verax. Grex Christi Ecclesia est. Pastor primus ipse Christus fuit: & pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis. Secundus Pastor Petrus extitit, ab ipso Domino institutus, atque omni potestate donatus, quæ ad bene regendum commissas oues necessaria ducitur. Aliequin Christus, qui sapientia Patris est, & omnino sapienter egit, Ecclesiæ suæ haud sufficienter prouidisset, quod est nefarium asserere. Et quamuis plures, per orbem Ecclesia instituta fuerint, & plures Episcopi, id est, plures greges, & ouilia plura, & pastores plures: omnes tamen sub vno Pastore, & in vno grege, atque ouili continebantur; sicut & hodie continentur: quia vnus est Christi thalamus, vna sponsa, vnum ouile, & vnus Pastor, & omnium Episcoporum vnus Episcopus Romanus Præsul, Beati Petri successor, & Iesu Christi Vicarius. Petrus enim in Antiochia primum sedit, deindi Romam venit. vnde, cum persecutionem fugiens vellet abire, à Domino prohibitus est, & hic glorioso martyrio vitam finiuit; successore Clemente substituto. Atque ita in hanc vsque diem seruatum est, vt qui Romæ sederit Antistes, rite institutus, per electionis tramitem, tamquam Aaron vocatus à Domino; hunc omnes Christianæ plebes, omnes populi, omnes Reges, omnes clerici, omnes Episcopi, tanquam Iesu Christi Vicarium, & Beati Petri successorem, Vniuersalis Ecclesiæ caput, ac Rectorem, & Ducem venerati sunt. Inter quos plurimi, pro Christi nomine asperrimos perpessi cruciatus, & morte mulctati, coronam martyrii susceperunt. plurimi Confessores egregii, vitæ, moribus, & doctrina fulgentes, quamuis sine sanguinis effusione, non tamen sine periculis & labore, ac voluntate parata, pro conseruanda sacri Euangelii auctoritate moriendi, ad cœlestem gloriam peruenere; vt Gregorii, Damasi, Leones, Innocentii, Bonifacii; Benedicti, & alia nomina; inter quæ tertius claruit Eugenius ex Monasterio Sancti Anastasii, ad Summum Sacerdotium euocatus, ad quem Diuus Bernardus Monachorum pater, non minus doctrina fulgore, quam vitæ sanctimonia illustris, inter multa, huiusmodi verba conscripsit; Indagemus, inquit, adhuc diligentius, quid sis, quam geras videlicet personam pro tempore in Ecclesia Dei. Tu es sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, ac hæres Apostolorum, in primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnione Christus. Tu es cui claues tradita, cui oues creditæ sunt. Sunt & alii quidem cœli ianitores, & gregum Pastores: Sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ illis nomen hæreditasti. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos: tibi vniuersi credita vni sumus, nec modo ouium, sed & Pastorum, vnus omnium Pastor. Hæc Bernardus ad Eugenium Tertium scribit, cui supremam & omnimodam in Ecclesia potestatem concedit. Quod ille de tertio testatur Eugenio, hoc nos de quarto, & omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis est auctoritas. Liquet igitur vnum in Ecclesia caput esse, & vnum principem: quia pax populi ex vno Rectore dependet, & pluralitas principum discordiam parit. Christus Ecclesiæ suæ in vltimo testamento suo pacem reliquit, & pacem multis verbis commendauit. Dedit ergo & regimen pacis amicum, id est, Monarchicum, sub Beato Petro, & successoribus eius; administrari cuncta præcipiens, claubus illi commissis, & cura gregis demandata. Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & potestate sentimus; cui & congregare Concilia Generalia, & dissoluere datum est: qui etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur: & sicut filationis causa venerari debet Ecclesiæ tamquam matrem; ita & prælationis causa præfertur ei, vt pastor gregi, princeps populo, rector familiæ. Cum his, & generalis Concilii authoritate & potestate collectimur, quemadmodum anno nostro Constantiæ, dñi ibi fuit Synodus vniuersalis, declaratū, definitumq; est, Venerantur enim Constantiense Concilium & cuncta quæ præcesserunt, à Romanis Pontificib. nostris prædecessorib. approbata: inter quæ nullū inuenimus vnquam fuisse ritū, quod stante Romano indubitato Præsule, absq; ipsius auctoritate conuenerit, quia non est corpus Ecclesia sine capite, & omnis ex capite defluxus in membra potestas. Hæc nostra sententia est, filii, hæc credimus, & profitemur. hac iam senes, & in apice Apostolatus constituti, pro veritate asserimus. Si qua, vel vobis, vel aliis conscripsimus aliquando, quæ huic

doctrinæ repugnent; illa, tanquam erronea, & inuenilis animi parum pensata indicia, reuocamus, atq; omnia resipuimus. Datum Romæ apud S. Petrum. 6. Cal. Maias. 1463. ext. in operib. Pii 2.

Hunc in modum Æneas Sylnius, & Iulia. Cardinalis, & plures alii doctissimi atq; sanctissimi viri, Basileensium acta damnabant. Non etiam potuit temeritatē Basileensium ferre, Eug. Pontifex, quin virga Pastorali reprimeret. Itaq; cum non sine graui opprobrio nominis Christiani, & iactura Fidei Catholicæ, illi à maligno correpti spiritu, vertiginosi capitis sui deliria vbiq; terrarum despumarent; ac porro extento aduersus Christi Vicarium collo, nimis præfractè in supremam in terris Apostolicam Sedem arietarent; habuit necesse istud, quod friuole impugnarunt, neq; vnquam expugnarunt edictum, contra furentes euulgare. Ita habet.

XXXV. Edictum Eug. Pont. contra furentes hæreticos & schismaticos Basileæ.

Eugenius Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Moyses vir Dei, populi sibi commissi salutem Zelans; timensq;, ne ob seditiosum schisma, Chore, Dathan, & Abyron, ira Dei in populum, si illos sequeretur, insurgeret; iussu Domini dixit ad plebem vniuersam. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad vos pertinent, ne involuamini in peccatis eorum. Senserat enim, ipso Domino inspirante, seditiosos & schismaticos illos vltionem grauissimam accepturos, sicut postmodum rei probauit euentus; dum nec ipsa terra potuit eos sustinere, sed iusto Dei iudicio illos absorbuit, vt descenderent in infernum viuentes. Sic & nos, quibus, licet immeritis, Dominus noster Iesus Christus populum suum cōmittere dignatus est, audientes id execrabile scelus, quod quidam perditi homines Basileæ cōmorantes, ad scindendam S. Ecclesiæ vnitatem, proximis diebus machinati fuerant; meuentes, ne quos incautos seducant fraudibus, & veneno infician, & ipsum Domini nostri Iesu Christi populum nobis creditum, clamare pari voce compellimur; Recedite à tabernaculis hominum impiorum. maxime cum amplior sit plebs Christiana, quā illa tunc Iudæorum: Ecclesia sanctior, quam Synagoga: & Christi Vicarius, ipso Moyse authoritate & dignitate superior. Quam Basileensium impietatem dudum præuidere cœpimus, quandoquidem illud tunc Basileense Concilium intuebamur, tam in tyrannidem prolabi, dum multa etiam inferioris gradus, ad illud veniendum, fūdum, pro libitu factionis auctorū cogerentur: dum nonnullorum vota & iudicia diuersis artib. extorqueretur; alii mendaciis & fraudib. seducerentur: dum cōspirationibus, coniurationib., monopoliis & conuenticulis pene omnia cederent, & pro ambitione Papatus diuturnæ protractio eius Concilii quærebatur: vbi deniq; innumera nouitates, inordinationes, deformitates, & quasi infinita patrabantur mala. ad quæ etiam laici ac clerici infra sacros ordines constituti, ignorātes, inexperti, discoli, profugi, apostatæ, de criminibus condemnati, de carceribus fugientes, nobis & suis superiorib. rebelles, & reliqua istiusmodi hominum monstra concurrerunt: qui ab ipsis scelerum magistris, in omnem corruptionem facile trahebantur. Aduertimus etiam ad illud sanctissimum opus vnionē Orientalis Ecclesiæ, quod per quorundam factiosorum Basileensium fraudes, omnino periclitari videbamus. & idcirco tantis malis, quantum in nobis erat prouidere cupientes, ex prædictis & aliis rationabilibus causis & necessariis, de quibus in decreto translationis plene continetur, præfatum tunc Basileense Concilium, de venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, plurimūq; venerabilibus Fratribus, & dilectis filiis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & Magistris, & Doctoribus collaudantibus, ad ciuitatem Ferrariensem transtulimus; vbi etiam cum Occidentali & Orientali Ecclesia Concilium Oecumenicum, Domino disponente, fundantimus. Deinde morbo pestis superueniente & continuante, ad hanc ciuitatem Florentinensem, eius gratia annuente, eodem approbante Concilio transtulimus: in quo ipsepiissimus & clementissimus Deus ostendit mirabilia sua, vt sc. schismæ illud perniciosissimum, quod in Dei Ecclesia per quingentos fere annos, cum maximo ipsius Christianitatis detrimento, duraverat, & ad illud exitiabile pandus plurimos S. Romani Pontifices prædecessores nostri, multiq; Reges & Principes, aliiq; Christiani, magnis cū laboribus, & impensis diuinitus fundatū; post multas cadē in veroq; loco disputationes publicas & priuatas, diuersos tractatus & labores multiplices, sublatum fuerit, & sanctissima Latinorum, Orientalium q; vnio feliciter consummata; prout in decreto super inde cōfecto & solēniter promulgato plenius cōtinetur. Ex quare ipsi æterno Deo inexhaustas gratias referentes, omniq; fideli populo congratulantes, obtulimus illi hostiā iubilationis & laudis. Vidimus n. non gentem vnā, velut Hebræorum populum, ad terrā promissionis euocari, sed multarum gentium populos, nationes & linguas, ad vnum diuinæ veritatis eloquium, meritisq; cōcurrere, per q & ēt iam magna spes redditur, vt ipse sol iustitiæ in Oriente oriens, ad aliarum multarū gentium, ēt infidelium tenebras, radios suæ lucis extendat, fiatq; salus Domini vsq; ad extremum terræ cuius q; dem rei iam opimas arras, Deo disponente, tenemus; dum ipse omnipotens Deus per operam nostrā Armenorum Oratores, ex lōgissimis septentrionis partibus, ad nos, & Apostolicam Sedem, ac sacrum Concilium, his dieb. cum pleno mandato peruenire concessit. Qui nos non aliter q; B. Petrum Apostolorū Principem intuentes, & venerātes, ipsam q; S. Sedem, velut matrem omnium fidelium & magistrā recognoscentes, in præfatum Concilium, pro spirituali cibo, & sana doctrina veritate, se venisse professi sunt; ob q rem ipsi Deo nostro iterum gratias multas retulimus. Sed quas in hoc diuino opere molestias, quas impugnationes, quas deniq; persecutiones, nō quidem à Turcis & Saracenis, sed à vocatis Christianis, hucusq; passi fuerimus, horret animus cōmemorare. Refert B. Hieron. q ab Adriani temporib. vsq; ad Imperium Cōstantini, in loco resurrectionis Dominicæ, simulachrum Iouis, & in Crucis rupe statua Veneris ex marmore, à gentib. posita colebatur: existimantib. persecutionis autoribus, tollere nobis fidem resurrectionis & Crucis. si sancta loca per idola pollu issent. Non dissimile à Basileensib. illis hominib. perditissimis, nobis & Ecclesiæ Dei, his dieb. fieri contigit: misi quod illud à paganis, & verum Deum ignorantib. factum est; hoc ab his qui cognouerunt, & oderūt. Et ideo super hac eorum, iuxta apphetam, ascendit semper in eo periculosius, quo sub reformationis specie, quā in se semper horruerunt, venena diffundunt. Primum quidem, post quam hi, qui omnes scandalipertatores Basilēæ fuerunt, Græcis in promissione defecerant; cum per ipsorum Græcorum, & Ecclesiæ Orientalis Oratores plene intelligerent, charissimum in Christo filium nostrum Ioan. Palæologum Romanorum Imperatorem illustrem. & bonæ memoriæ Ioseph Constantinop. Patriarcham, reliquosq; tam Prælatos, quā alios Orientalis Ecclesiæ, ad locum illum pro Oecumenico celebrādo Concilio, per nos, & nostros Legatos & Præsidentes, aliosq; ex præfatorib. ibidem existentibus, ad quos ius eligendi locum, iuxta cōuentionem cōmuniter cōsensis formatā, post graues supradictorum eius dissensiones deuolutum erat, legitimæ electioni accedere velle, cum q, etiam nos hāc ipsam loci electionem, ad instantiam & supplicationem maximē dictorum Oratorum, in Generali Consistorio Bononiæ confirmasse: ac galeas, ac alia necessaria pro executione ipsius decreti cōuentionalis, & huius sanctissimæ vnionē, opere, vt sua Constantinopolim destinare percepissent, quoddam detestabile Monitorium seu citatorium, quo sanctum hoc opus interrumperent, cōtra nos & præfatos Cardinales decernere ausi sunt, illudq; ad prafatos, Imperatorem, & Patriarchā, Constantinopolim mittere. vt ipsos, & oēs alios ēnō à veniendo diuerterent. Sciebāt n. illos ad locum alium quam electum, vt præmittitur, nullo pacto venturos. Deinde, cum prædictos Imperatorem & Patriarcham, ac reliquos, pro ipso sanctissimæ vnionis opere, & nos iam venire percepissent, alium impietatis laqueum, huic tam diuinæ rei inīcere sunt conati, dum quandam sacrilegā suspensionis ab administratione Papatus assertam sententiam, contra nos protulerunt. Postremo memorati scandalorum duces, numero quidem paucissimi, quorum pleriq; cōditionis infimæ & nominis, veræ pacis odiosissimi, iniquitatem super iniquitatem apponentes, vt non intrarent in iustitiam Domini, dum Spiritus S. gratiam, pro ipsorum Græcorum vnione iam in nobis operari conspicerent, à recta linea, per anfractus errorum exorbitantes, præteritam quādam die 3. Cal. Iunii, proxime præteriti sessionem fecerunt; in qua quibusdam decretis, licet per vnam tantum ex trib. obedientiis post recessum Ioan. XXIII. sic in eadem obedientia nuncupati Constantiæ, schismate tunc vigente editis, inhærere se dicentes, tres propositiones, quas fidei veritates vocant, quasi nos, & omnes Principes, & Prælatos, & alios fideles, & deuotos Apostolicæ Sedis hæreticos fecerint, protulerunt.

Et infra. Nihil omittentes, quantum in eis fuit, vt hoc incomparabile vnionis bonum, in totum euerterent. O miseros, & degeneres filios. O pranum, & adulteram generationem.

Quid hac impietate, & iniquitate crudelius? Quid detestabilius, horribilius, atque insanius excogitari poterat? Diximus olim, nihil melius, nihil gloriosius, ac fructuosius hac beatissima vnione, ab exordio nascentis Ecclesiæ in populo Christiano visum; nihil auditum fuisse: neq; expedire, in re illa de loco contendendum fore, sed pro ea consequenda, nedum huius mundi substantiam, sed & corpus atq; animam exponi debere; pro hoc toto orbe clamantes, & ad id commouentes populum Christianum, veluti in suis decretis & epistolis plene continetur. Nunc vero tam furiose, tam impie, quantum in eis est, id idem perse quuntur: vt ad illud Basileense latrocinium, totius orbis dæmonia confluxisse videantur. Et infra.

Nos igitur solenne & salubre declarationis decretum, contra sacrilegos illos, authoritate Apostolica, in sacro Ferrariensi Concilio generali, decimoquinto Kalendas Martii, per nos editum, hoc sacro Florentino Concilio approbante, innouamus. Per quod quidem inter alia, omnes & singulos, Basileæ, sub pratensi Concilii nomine, quod verius conuenticulum esse diximus, contra translationem & declarationem nostram conuenientes, & illa scandalosa & nefaria præsumentes, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Abbatiali, & alia quauis dignitate Ecclesiastica vel seculari præfulgentes, excommunicationis, priuationis dignitatum, beneficiorum, ac officiorum, ac inhabilitatis ad futura, pœnas, in dicta litteris nostris translationis contentas, ipso sacro Ferrariensi approbante Concilio, incidisse declaramus. Decernentes etiam nunc ac declarantes, quæcunq; per dictos homines Basileæ existentes, facta aut attentata, de quibus in præfato nostro Ferrariensi decreto sit mentio, similiter, omnia & singula per prædictos exposit facta, gesta, & attentata specialiter in duabus pratensis sessionibus, seu verius conspirationibus vltimo nominatis, ac quicquid ex eis, vel ab ea forsitan secutum sit, & in futurum sequi posset, tamquam ab impijs hominibus, & nullam potestatem habentibus, sed à Deo abiectis & reprobatis, fuisse, & esse nulla, irrita, & de facto præsumpta, ac nullius penitus effectus, roboris, vel momenti: ipsasq; propositiones superius descriptas, iuxta pratum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant, veluti sano sensui sacræ Scripturæ, ac sanctorum Patrum, & ipsius Constantiensis Concilii contrarum; nec non præfatam assertam declarationis, seu priuationis sententiam, cum omnibus inde secutis, & quæ in futurum sequi possent, tamquam impias, & scandalosas, nec non in manifestam Ecclesiæ Dei scissuram, & omnis Ecclesiastici Ordinis, ac Christiani principatus confusionem tendentes, dicto approbante sacro Concilio, damnauimus, ac reprobauimus, & damnatas, ac reprobatas pronunciamus. Decernentes etiam & declarantes, omnes & singulos, esse, ac fuisse schismaticos & hæreticos, & vltra pœnas in præfato Ferrariensi Concilio determinatas, tamquam tales, cum omnibus eorum fautoribus, & defensoribus, cuiuscunq; status, gradus, & conditionis, Ecclesiastici vel secularis extiterint, vt cum prædicto Chore, Dathan, & Abyron meritam accipiant portionem, pœnis condignis omnino puniendos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, declarationis, damnationis, & reprobationis, denunciationis, constitutionis, & dispositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c.

Datum Florentiæ in sessione publica Synodali solenniter, in Ecclesia Beatæ Mariæ Nouellæ celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo trigesimo nono. Pridie Nonas Septembris. Pontificatus nostri anno nono. ext. apud Corbleum lib. 9 hist. Hussit.

XXXVI. *Viri docti calamum contra insanientes Basileenses strinxerit.*

Hæc Pontifex Eugenius, contra hæreticos & schismaticos Basileenses innouabat, dictabatque; quibus, cum iidem Basileenses frinolam cauillationem apposuissent; habuerunt nonnulli acerrimam disputationem, contra eosdem sacrilegos instituere, & in publicum dissertationem ea de re dare, cuius initium est; *Dissimulare non possumus, quid pertinet ad omnes, qui diligunt nomen Christi, &c.* In ea scriptione, inuictissimis argumentis demonstrant, conclusiones illas Basileensium esse hæreticas; conatusque eorundem Basileensium, contra Eugenium, esse impios, sacrilegos, temerarios, & tori Ecclesiæ execrandos. Cæterum, cum etiam Græci, de potestate & auctoritate Romani Pontificis, confirmandi essent; ne Eugenius Pontifex, aliquid in ea causa temere feciſſe videretur nonnulla pars dissertationum in Concilio Florentino fuit, de eadem quæstione: post quas tandem definitum est, Pontificem Romanum, esse supra vniuersalem Ecclesiam.

Duo præcipue, hoc anno, Patres Constantienses, vt vidimus egerũt. Alterum pro schismate extinguendo; alterum pro hæresi Wiccleffitarum & Hussitarum extirpando. Et quidem prioribus curis, Petrus Luna, modis omnibus quibus potuit sese opposuit. Namque Paniscolam fuga delatus, suis sectatoribus Concilio indidem indicto, testatus est, se nihil eorum quæ vnioni Ecclesiæ conficiendę opportuna videbantur prętermisisse; Concilium, huic rei Perpiniani conuocasse: eo loci, modos extinguendi schismatis se proposuisse; Romanorum Pontificum sequaces illo nequaquam comparuisse, quin potius & Pisis vnum, & Bononiæ alterũ Pontificẽ subrogasse; se iterum Perpiniani cum Regib. Romanorum & Aragonum, nec non cum Oratoribus aliorum Regum & Principum Christianorum eadem de re abunde contulisse, atq; modos concordiæ Ecclesiasticæ stabiliendæ obtulisse: nec tamen quicquam hactenus conando profecisse. eaq; propter se verum ac legitimum Pontificem esse, & velle quoad viueret, iura suæ dignitatis, pro toto posse tueri. Non sibi amplius tutum fuisse Perpiniani morari: neque magis se curum Constantiam properare, aut alio è Paniscolensi munitione. Proinde omnes esse monitos cupere, vt ne se indubitatum Petri Apostoli successorem deserent, sed sibi in omnibus obtemperarent. Qui recusarent; ab Ecclesiæ communione eiectos dignitatibusq; omnibus, etiam Regia, Cardinalitia, Patriarchali, Archiepiscopali, & quacunque alia exutos se esse senent. Hæc in communi Petrus Luna scripsit & dixit: sed præterhæc, Ferdinandum Regem Aragonum, Regno priuum esse renunciauit, & anathemate percussit, quod se deseruisset, & subditos suos ab eius fide & obedientia subtraxisset; alios q; Reges, Principes, & Ecclesiasticos ab eodem alienasset.

Excusatoria Petr. Lunæ figmenta post Comment. Perpinianen.

Enimuero Ferdinandus Rex, post tertiam, ex concilio Vincentii Ferrarii, monitionem, die sacro Epiphaniæ Domini, hoc anno 1416. publicatis edictis toto Regno Aragonum, interdixit, ne quispiam suorum subditorum, Petrum Lunam, amplius Benedictum diceret, saluaret, haberet, coleret, aut ei obsequeretur, aut ab eo vel gratiam postularet, vel pœnas metueret, vel beneficia obtineret; aut ei quicquam fructuum vel prouentuum Ecclesiasticorum edderet: aut eum quispiam Ecclesiasticorum sequeretur; aut in eius Curia morari præsumeret; sed omnes & singuli, quacunq; dignitate Ecclesiastica fulgentes, vel officio fungentes, Cardinales, Episcopi, Prælati, ad suas Ecclesias propias discederent, inq; eis residerent: sub pœna amissionis reddituum, fructuum, officiorum, & dignitatum quarumcunq; *.

Ferd. Rex Arag. mãdat magnis sub interminationibus ne quis in suo Regno partes Petri Lunæ sequatur.

Minus angustum campum, de Ecclesia bene merendi, in quo summa illius ista cupiditas latius excurrere potuerat, immatura mors Ferdinando dedit. Quarto enim Regni anno nondum completo, integerrima ætate florens, in medio rerum maximarum cecidit cursu, secundo Aprilis die huius anni 1416. dignus longiori vita, eximiis animi & corporis dotibus, natura magis ad misericordiam, quam ad seueritatem propensus: qui crebris sermonib. libenter vsurpabat; *Ad tuenda, tenendaq; Regna, Regibus aptius esse diligi, quam timeri.*

**Ferd. Rex Arag. de Eccl. bene merentis moritur.*

Dedit eius benignitatis, sub vitæ finem exemplum, vel ad admirationem memorandum. A congressu Perpinianensi, Barcinonem peruenerat, extenuato corporis habitu præ diuturno morbo; cuius ortum ignota causa attulit, incrementum naufragio, accessionem cura laborque rerum cum Sigismundo & Petro Luna componendarum, mœrorq; ex discessu tam obstinato eiusdem Petri Lunæ amici, & necessitate sua, qui primus eum quodammodo ferire gladio Regio

Admirandum eius ante obitũ benignitatis exemplum.

coactus

coactus est. Addita sunt ad extremum exitra atq; indignatione, quam tamen frenauit, ægritudini alimenta, & morti calcaria. & alioqui ægroti hominis, vt corpus ita animum granius afficit omnis offensa. Res est.

Paucis dieb. quam Barcellonam venit, cum se nihil sane ex morbo conualescere animaduerteret, dixit inter domesticos, se in animo habere Castellam petere; primum vt in cœlo ac solo natali maturius ad bonam valetudinem rediret; deinde vt negotia Regis pueri recognosceret, atq; ordinaret; tum vt Granatense bellum necessitate intermissum restaurarat, cum ꝓpter superiores causas, tum vero vt eo parto, atq; in manus Ioan. Regis tradito, vicissim ab eo grandi pecunia adiuuaretur, ad luendũ Regni sui patrimonium. Sed multo magis esse è sua tum dignitate, tum vtilitate, si citra alteri⁹ opem, & mutuo acceptam pecuniam, sola authoritate à suis populis ꝙ suũ esset recuperaret. Itaq; aptius tẽpus esse ad rem tentandã, priusq; in Castellã iret, ne res ipsa diuturnitate obduresceret, neue pecuniã hãc nisi ea indigeret, cogendã curaret. quæ cum cogi cõmode nisi se pśente nõ posset, necessarium erat eodẽ iterũ se redire, si obstinatos ad restituendũ gratis patrimonium Regi⁹ populos suos intellexisset. Nam ꝙ se absente per alium isti ad hoc ipsum adducerẽtur, non erat sperandũ. Voluit igitur à minimis tentare Barcinonenſium animos. Siqdem vt minimũ est, si pretium æstimes, Regẽ vectigal pẽdere ciuib. suis; ita maximum, si rei indignitatẽ, ꝑcipue in emundis obsoniis, cuius vectigalis immunes sunt Clerici, atq; olim etiã nobiles, q̃ res adhuc in controuersia est, apud Aragonios. Et cõtigit forte prima pugna cũ Ianio, à quo Regius dispẽsator obsoniũ mercat⁹, in soluẽdo pretio cum portionẽ illã vectigalis non numeraret, primum lis, mox clamor, postremo atrox tumultus exoriretur. Res hinc ad Regẽ, illinc ad Senatũ Magistrat⁹q; defertur. Omnia vtrobiq;, ita, sollicitudines querimonias, minis implẽtur. Rex iussit accersi principem Magistratuum Senatorũq;, quos cõsiliarios vocant, numero 5. quorum princeps est, q̃ æptus cæteris eum Magistratũ gessit, vocaturq; consilii caput, is erat Ioan. Ceuillerius; qui veluti ad mortem vocatus, cum detrectare non posset, inito concilio inter primores ciuitatis iussus est bene sperare. Si periret ipse, se parẽ taturos ei sanguine omnium qui apud Regem essent. Neminem, si moriendum sit, honestius vnquam aut mortuum, aut vindicatum esse, præstaret patriæ generosam indolem animi; redderet cæteros suo exemplo ad capessendam virtutem alacriores. Nullum veterum Romanorum præclarius fuisse facinus; hoc quoque æternæ memoriæ literisq; mandatum.

Rex à vectigali ciuibus suis pendendo non immunis in Catalonia.

Ioan. Ceuillerius consilii Barcinonensis caput.

XXXVII. *Summa actionum huius anni in Conc. Florent.*

Sessio 17. habita est Florentiæ, anno Dom. 1439 die 26. Febr. in qua post diuturnum dialogismum Iuliani Cardinalis & Imperatoris conclusum est, vt Græci inter se priuatim cõferrent, de modo ineundæ cõcordiæ & vnionis, eumq; ꝓxima sessione in medium afferrẽt. cumq; Imperator vellet primatos deligi disputaturos, qui de ꝓcessione Spiritus sancti cum Latinis disputarent, idq; Pontifici displiceret, indicta est Sessio 18.

Sessio 18. die 2. Mart. habita est. In hac Ioan. Latinorũ Orator prælocutus dixit; in principio sacrã Scripturam in eo sensu accipiendam esse, quo S. Patres eam semper acceperunt. Quod cum dixisset, ipsumq; nomẽ processionis æquiuocum esset, pluraq in scriptura significaret; petiuit, qua acceptione Græci illam vocẽ in diuinis accipiendam esse sentirent? Respondit Ephesius, illam vocari in diuinis processionem solo Spiritui S. appropriatã quia Spiritus S. accepit esse à Patre. Quo responso habito, Ioan. sic contra Ephesiũ est argumẽtatus. Ex quo Spiritus S. accipit esse, ab eodẽ secundũ tuã responsionẽ ꝓdit. Ex Filio Spir⁹ S. accipit esse, ergo ex Filio Spiritus S. ꝓcedit. Minorẽ ab Ephesio negatã, ꝓbauit inprimis authoritate S. Epiph. qui in sermone Ancorato ꝓfitetur, Spiritũ S. ex vtroq; esse; & cõsequẽter ab vtroq; ꝓcedere. Paulo post, id confirmauit testimonio Basilii, qui addit, eundem ex vtroq; tam q̃ ex vno principio ꝓcedere, Cumq; Ephesius hæc non tam solueret, q̃ contra argumentando declinaret, obiiceretq; illud Basilii, *Ex ipso, nimirũ Patre, est Spiritus, & nõ aliunde*; respõdit Ioan. Basilista contra Eunom ꝓfitentem Spiritum S. creatũ esse, ꝓtulisse, sensumq; verborũ hunc esse, non aliunde, id est, non est alter⁹ substãtiæ, vel naturę. His dictis vrsit responsionẽ ad authoritatẽ Epiph. & Basilii q̃ etiq; Ephesio, an diuina substãtia, & ꝑsona idem sint? &, an Patris ꝑsona, vel potius eius substantia genere? Respõdit ad 1. quæstionem, & substantiã, non re, sed ratione distingui. Ad 2. dixit, Personã esse principium q̃ generat, quia actiones, iuxta Philosophorum sententiam suppositorum esse dicuntur; naturam vero, siue substantiam, esse principium, quo pater generat Filium. Cumq; his dictis iterum vrsisset responsionem, ad authoritatem Epiphanii, & Ephesius respondisset, verbum *est* apud Epiphan. non inueniri; ille contra cuidẽ dem õ itrauit, necessario subintelligi debere. Idq; Ephesius paulo post confessus, exegit meliorem testimonii illius, ꝙ ex Basilio produxerat, interpretationẽ. Vrgebat n. particulam hanc, *non aliunde*, exponendam esse de persona Filii. Nam si de natura & substantia explicari deberet, etiam præcedens dictio, *ex patre*, non de persona, sed de natura Patris explicanda esset. Quo posito, addit non recte inferri ex Epiphanio, Spiritus S. procedit ab vtroque, id est, vtriusque natura, aut etiam ex vtriusq; persona; sed potius ideo dicitur ex vtroque ꝓcedere, quia vtriq; est consubstantialis. His dictis, & à Ioanne repetitis, finita est sessio 18.

Sessio 19. celebrata est 5. Martii, in qua Ioan. expositionem Basilii ab Ephesio allatam, inconuenientem esse probauit eo argumento, quod idem Basilius aduersus Eunomium scribens dicat, Spiritum S. ex Filio esse habere; adeoq; secundũ ea q̃ supra dicta sunt, ex Filio procedere. Et consequenter (ꝙ credi non potest) duo contraria scripsisse, si particula, *non aliunde*, de persona Filii accipienda foret. Cumq; hac de causa Basilium recitari mandasset, Ephesius tria dixit. Primo, Basilium contra hæreticos demonstrare sanctum Spiritum Patri, Filioq; consubstantialem esse. Secundo, non fuisse illi necessarium, an Pater vel Filius sit causa Spiritus sancti. Tertio, eundem ostendisse, Spiritum sanctum ex Patre, & non ex alia substantia esse. Ad hæc respondens Ioannes, primam partem concedit, reliqua probari petit. Cumque ille ex concessis à parte aduersa, suam sententiam probare frustra conaretur, quæsiuit tandem, an bona sit ista illatio; Spiritus sanctus est ex substantia Patris & Filii: ergo ex vtriusq; persona procedit? Respondit Ioannes, quod supra dixerat, actiones esse suppositorum. Cum ergo Pater non aliter quam generando communicet substantiam suam filio, spirando autem communicet eandem substantiam Spiritui sancto, Patrem & Filium vnum esse principium spirationis: quia inter Patrem & Filium, quatenus spirant Spiritum sanctum nulla est relatiua oppositio. Ad exemplum sancti Iacobi Iosephum generantis, respondit, illud longe diuersum esse; quia natura per generationem humanam communicata, non est eadem numero in genegante & genito: in diuinis vero eadem numero natura communicatur à Patre per generationem Filio, à Patre & Filio per spirationem Spiritui sancto. Cumq; hinc Ephesius quæsisset, an, & qua ratione Pater & Filius causa Spiritus S. dici possent, & Ioan. alia testimonia Patrum pro sua sententia confirmanda adferre voluisset, petiuit, qua ratione dixerit, Spiritum sanctum à cõmuni natura Patris & Filii procedere, cum fateatur in humanis falsum esse, Filium à natura abstracte sumpta produci? Ista occasione Ioan. respondens dixit, nomen substantiæ dupliciter accipi, Vno modo pro natura; altero modo pro hypostasi, subsistentia, & personalitate. Hac distinctione præmissa, subtilissime & doctissime ostendit, qua ratione Spiritus sanctus ex substantia Patris & Filii dicatur procedere.

Sessio

Sessio 20. habita est 7. Martii. in qua iussu Ephesii, locus Basilii, vbi agit de ordine inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum lectus est. quem ipse ab aliquo Latinorum sententiam tuente corruptum dicebat, id que collatione librorum ostendere paratus erat. Ioannes, contra, corruptelam negauit, idq; ex collatione anteriorum & sequentium verborum, aliorumq; codicum demonstrari optabat; Græcisq; peculiare esse probabat, quod ad hæreses suas confirmandas Codices corrupisset. Contra Marcus Ephesius dicebat id à Latinis corruptum esse; quod Ioannes paulo post negauit; cum tempore illo, quo scriptus erat iste Codex, nulla inter Græcos & Latinos controuersia fuerit. Verius igitur esse, inquit, quod cum Græci schismatici errorem suum defendere non possent, nisi Basilium multis in locis corrupissent, huius corruptelæ auctores extitisse. Secundo dicebat Marcus, Zozimum Pontificem ad Carthaginense Concilium scripsisse, & per quoddam Nicænæ Synodi decretum demonstrasse, Romanum Pontificem Oecumenicum appellandum esse; factaq; inquisitione, nihil tale apud acta Concilii Nicæni extitisse; prout ex litteris Athanasii ad Iulium, Liberium, aliosue Pontifices scriptis constare ait: adeoq; mirum non esse, quod Orientales, Canones quosdam Nicæni Concilii à Pontificibus allegatos ignorauerint.

Post hæc transierunt ad explicationem huius apud Basilium loci, *Filio spiritus adaptatur.* quem à Marco de ordine tantum male expositum esse, Ioannes doctissime demonstrauit: circa finem ostendit, quod negauerat Ephesius, Basilium credidisse, Spiritum S. ordine ac dignitate tertium esse.

Sessione 21. Ephesius prolixiore oratione, quam inter ipsos conuenerat, primo Ioannem sessione præcedente de Basilii doctrina differentem reprehēdit, quod ad testimonium quoddam per explicationem Basilii allatum, verbum *est* addidisset. Deinde testimonium illud Athanasii: *talem ordinem & naturam Spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem*, male, vt Ioan. ostendit, explicauit. Tertio de temporali personarum processione, siue missione agens, concessit Spiritum S. etiā à Filio temporaliter missum. Inde cum Ioan. conclusisset, Spiritum S. etiam æternaliter à Filio procedere, tria deinceps demonstrauit. Primum, authoritate Basilii, Spiritum S. à Filio esse accipere. Secundo, magno vitio vertit ipsi Basilio, si supra allatum testimonium legatur, & exponatur, sicut habebat Codex Græcorum. Tertio, eundem Basilium de Spiritu S. non aliter sensisse, quam in Codice Latinorum scriptum erat.

Sessione 22. Florentiæ celebrata, Sabbato, 14. Mart. Ephesius explicationem authoritatis ex S. Basilio petitæ refutauit. Ioan. enim Prouincialis verba hæc Basilii, *Non enim à Spiritu accipimus aliquæ, quemadmodum à Filio Spiritus*, sic explicauerat, spiritus diuinitatem à Filio, & consequenter esse accipit, quale nos non accipimus: Negauit eam explicationem Ephesius ea de causa, q̄ Grammaticis præceptis repugnet. Hac de inceps controuersia omissa Ephesius intulit, si spiritus procedit ex Patre & Filio, ergo Pater & Filius sunt duo diuersa principia, & causæ Spiritus S.; quod dictu absurdum est. Respondit Ioannes consequentiam negando, cum Spiritus S. referatur ad Patrem, non quatenus Pater est, neq; ad Filium, quatenus est Filius: sed ad vtrunq;, quatenus sunt spiratores. Quare cum vnica potentia spirandi spirent, & producant Spiritum S. necessum est fateri; Patrem & Filium spirationis vnicum principium constituere. Post hæc confirmauit id, quod præcedente sessione attigerat, Græcum Codicem corruptum esse; quia non conueniret credere Basilium, circa Spiritus S. processionem dubitasse, ac verbo *forsan*, in hoc dicto, *forsan pietatis ratio tradit*, vsum fuisse. Comq; illud duplici argumento confirmasset, ad distinctius enarrandum, quid Basilius de natura Spiritus S. senserit, & quare contra Eunomium hæreticum scribens, de eo dixerit, *Sanctorum simulat conseruare doctrinam*, magnam partem libri tertii exponit.

Sessione 23. die 17. Martii, Ephesius replicauit, Basilium nequaquam de Spiritus S. processione, illud quod Latini profitentur sensisse; cum si ita credidisset, contra sacrę Scripturæ testimonium, sanctorumq; Patrum doctrinam, & Conciliorum generalium constitutionē & definitionem scripsisset, quod nullam omnino fidē meretur. Nam scriptura Ioan. 15. apertē profitetur Spiritum S. à Patre procedere. Greg. cognomento Theologus exponens illud Pauli; Nos non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, inquit; Vnus Spiritus S. ex Deo essentiam habens, ac per Filium manifestatur hominibus Ex quib. infert, Spiritum S. à Patre duntaxat, & non à Filio procedere. Confirmat eam expositionem auctoritate Dionysii & Athanasii, qui solum Patrem fontem supersubstantialis Deitatis appellant. ergo, inquit, Filius non potest esse Fons Deitatis. Deniq; idem ex Nicæni Concilii epistola pro Leontio Cæsareensi Episcopo scripta confirmauit. Cumq; interloquendo dixisset Ioannes, Marcum; prolixitate sua conditiones supra positas excedere; idq; Marcus plane negasset; permissum est Ephesio suam quam cœperat prosequi probationem. Allatis igitur pro sua sententia, Nicæni, Constantinopolitani 1. & Ephesini Concilii authoritatibus; iisq; auctoritate Basilii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, & Theodoreti apparenter confirmatis, concluſit Spiritum S. ex Patre duntaxat procedere. Iussus respondere ad argumenta Ioannis, suam, quam de non corruptis Græcorum codicib. supra aliquoties attulerat sententiam, ad nauseam vsq; repetiuit. Cumq; alia argumenta sibi memoria excidisse allegaret, à Ioanne, quæ præcedente sessione prolixius disseruerat, breuiter repetita fuerunt.

His absolutis, Imperator, impensis, & periculis, quibus se suumq; imperium pacis gratia ad Synodum accedens exposuerat, commemoratis, Patres Concilii serio admonuit, vt postpositis disputationibus, de modo ineundæ pacis & concordiæ vtrinq; cogitetur. Græci ea conditione Imperatori obtemperare parati erant, si Epistolam Maximi ad Marinum Presbyterum scriptam Latini susciperent. Summus Pontifex eadem de causa, interpellamus respondit, non prius de pace & concordia transigendum, quam Græci post habitam prolixiorem orationem, vt promiserant, Latinorum responsionem audiuissent. Qua de causa Imperator sequentem sessionem 24. die 21. Martii celebrari imperauit.

Sessione 24. Ioan. ad probationes Ephesii, quem præsentem exoptabat responsurus, prætermisso primo argumento illius ex c. 15. Ioan. desumpto, & ad quod præcedente sessione responderat, eundem locum in Græcos detorquens, ostendit Spiritum S. ex Filio procedere, tum q̄ Spiritus S. à Filio mitteretur; tum etiam q̄ omnes fere Patres apertis verbis testarentur; Spiritum S. à Patre per Filium; vel ex vtroq; procedere: ipsamq; particulam *Per* idem significare, quod *Ex* præpositio denotat.

Sessione 25. & vltima, die 24. Martii, Ioannes alio testimonio Basilii, Epiphanii, Athanasii, Dydimi & Cyrilli, doctrinam Latinorū de processione Spiritus S. iterū confirmauit. Quæ cum dixisset Græciq; instituta hac de re priuata collatione, ea omnia veritati consona esse cognouissent, Græcis omnib; priuatim in tēplo S. Fráciſci cōuenientib⁹, vniço Ephesio excepto, visū est; cum Romanis ineundā esse pacē, vnionem, & concordiam: ideo inprimis; quod tot S. Patres doctrinam de processione Spiritus S. ex Filio procedentis, pfiterētur. Cumq; Ephesius obiiceret, oēs fortasse Codices hac in re corruptos esse; dixissetq; cōtra eū Bessarion Nicen⁹, ista ratione futurū, vt sublatis, q̄ vtille putabat, mēdis, sola papyrus relinqueretur; vnanimi cōsensu missus ad Pōtificē internuncius, pacē & concordiā cōtrahi, modū; ineundę vnionis à Rō. Pontifice pscribi petiuerūt.

Qui

XXXVIII. *Acta quæ conciliationem Græcorum & Latinorum præcesserūt antequam omnino stabiliretur.*

Qui dum iis optionē dedisset, vt vel testimoniis Patrum pro Latinorum sentētia allatis acquiesceret, vel ipsi his refutatis alia adferrēt, vel de suis dogmatis pietate maiore contendēres, illud q̄ in habitis sessionibus demonstratū iam fuerat, p̄parent; vel id, q̄ singuli p̄uio iuramento dixissent, ratum ac definitum habeāt. Additis hisce conditionibus, Græci fere omnes sæ causæ diffidentes, concluserunt, Latinorum sententiæ accedendum esse. Renunciatum est ergo Pontifici per Imperatorem, displicere omnib. suis disputationes & contentiones, optari à singulis, vt de modo coniunctionis agatur, eumq; in finem vtrinq; certæ personæ de signarentur; alioqui se iam iam ad abeundum paratos esse.

Respondit Pontifex, mittendos esse Cardinales, qui in priuato conuētu corā Imp. responsum referant. Interea dum hæc vtrimq; fierent, iamq; conuentus congregatus esset, Bessarion habuit orationem de pace ineunda, quæ actis inserta est. Ea absoluta, Iulianus, pro summo Pontifice respondit; culpa Græcorum, leges & pacta conuentionum non seruantium, pauculas habitas fuisse disputationes: sentire igitur Pontificē, vt quia res commode aliter quam per disputationem finiri non posset, neq; suis testimoniis responsum esset, disputationes & sessiones renouētur. Cumq; Imp. disputationes cessare; Iulian. easdē renouari iterum repetiuisset; placuit tandē, q̄ suggesserat Imperator, vt vtrimq; 10. collatores instituerētur, qui si octies congressi non conuenirēt, singuli dissoluto Cōcilio abirēt. Primo conuētu Latini exposuerunt, qd de processione Spiritus S. ex Filio sentirēt & credereē, illudq; argumētis suprapositis breuiter confirmarunt. Secundo, Greci authoritate Tharasii confirmantes ex Patre per Filium procedere, dixerunt *Per* & *Ex* diuersum significare. Latini istud nequaq̄ admiserunt, vtpote q̄ ista ratione sequeretur absurdum hoc, duas esse in diuinis operationes. Tertiū congressum Græci, cum nihil habe. ē. q̄ responderent, subterfugerunt: coacti tandē à Latinis conuenē. ea lege, vt Latini scripto declararēt, qd de Spiritus S. processione, eiusue processionis principio sentirēt, Quod cum illi duab. formulis hac de re conscriptis præstitissent, petierunt idem à Græcis fieri. Obtēperarunt petitioni eorum Græci, scripserunt formulam, qua profitebantur, *Spiritum à Filio scaturire, hauriri, prodire, emitti, ac profundi.* Acceptam Fidei formulam Latini declarari petierunt; quia de tēporali missione verba prædicta accipi poterant; quam q̄ alii Patres de æterna Spiritus sancti processione eadem accepissent. Græci recusarunt. Imperator, Latinis satisfactum putans Pontificē adiit, & Latinorum socordiam accusauit, Pontifex respondit, iustum esse, vt suam q̄ scripserant Fidei formulā explicarent, cum particula *Per* 4. significata haberat, & *scaturire*, & *hauriri* de tēporali missione, & æterna processione Spiritus accipi possint. Cumq; hac de re diu inter Pontificē & Imperatorē actum esset, dixissetq; Imperator suos grauate à sententia anteceſſorum suorum discedere posse, neq; se conuentum suum tyrannice cogere velle, iussit Pontifex totum Græcorum conuentum ad se venire. quo præsente, orationē recitauit longiorem paulo, quā res Ferrariæ & Florētiæ gestas, sumptus huic rei à se impensos, affectumq; pro pace ineunda semper exhibitum pluribus commemorauit; ac tandem perorans rogauit, vt omni pertinacia sepositā, ad pacem, vnionem, & concordiam promptiores efficerentur, suamq; quam ediderant Fidei professionem, ad euitandas ambiguitates, & collēdas obscuritates declararent. Quæ cum Græci Patriarchæ Ioseph⁹ retulissent, ille Imperatori nunciauit, se pacē & concordiā desiderare, & cum Rom. Ecclesia coniung: velle, etiāsi Imperator contradiceret: idq; rogare, vt ei patam sibi, totiq; Græcorum conuentui concordiam ipse promoueat. Hoc nuncio Imperator plurimum perterritus & consternatus, oratione ad Episcopos habita persuasit concordiam ineundam esse; cum quia concordia vtilis, discordia vero incommoda simul & inhonesta forret. Quæ cum Imperator dixisset, Græcorum Episcopi omnes vna cum Patriarcha, præter vnum Marcum Ephesium, alii scripto, alii voce publica professi sunt, Latinorum sententiam veram esse, sanctorum Patrum doctrinam esse ideoq; Christianum non esse, dignūq; anathemate videri, qui contrarium sentiret, vel crederet. Cumq; hæc Pontifici nunciata essent, egisseq; vt de processione Spiritus sancti cum Latinis gratia Dei conuenientes, quid de purgatorio, animabus Beatorum, Primatu Pontificis, de azymo & fermentato pane, deq; diuina transsubstantiatione sentirent, scripto, aut voce profiterentur, eaq; occasione Episcopi dixissent, se Purgatorium admittere; animas Sanctorum spectam in cœlis aureolam iam consecutas esse: Pontificis Romani potestatem vniuersalem super omnes Ecclesias agnoscere: de panis vero transsubstantiatione suorum sententiæ in hæsisset; eaq; occasione Iosephus paulo ante obitum scripsisset, se omnia credere, quæ Romana Ecclesia credit, ac docet, Romanumq; Pontificem Christi Vicarium agnoscere, Purgatorium non inficiari; institit Romanus Pontifex, & impetrauit, vt præuia auscultatione, Scripturarum, & sanctorum Patrum inquisitione, etiam in reliquis controuersiis Latinorum sententiæ accederent. Nimirum, quod crederent & profiterentur Romanā Ecclesiam de processione Spiritus sancti non tantum pie sentire, verum etiam licite & conuenientissime particulam illam *Filioq;* ad Symbolum addidisse: Romanum Pontificem in Ecclesia Primatum tenere, verumq; Petri successorem esse: Purgatorium existere; partumq; referre, siue in azymo, siue in fermentato pane Sacramentum Eucharistiæ confectaretur. His ita peractis; à duodecim viris vtrimq; deputatis, quæ extant vnionis litteræ, Græce simul & Latine conscriptæ, omniumq; eorum qui Concilio fuere. fuerant subscriptionib. approbatæ fuerunt. Peracto solenniter per summum Pontificem sacro, eædem litteræ per Iulianum Cardinalem primo Latinè, deinde vero per Bessarionem Græce in Ecclesia magno omnium gaudio lectæ & promulgatæ fuerunt. Postquam ergo Greci genu dexteramq; Pontificis exosculati fuissent, quæsiuit Pontifex, cur matrimonia separarent, aliisq; ritibus quam Romana Ecclesia in consecratione vterentur; item, cur non etiam Patriarcham Romæ eligerent; ipsiq; respondissent, se priora illa non sine causa docere ac facere, Patriarcham alibi quam Constantinopoli non posse eligere, quia id sit præter consuetudinem & priuilegia Constantinopolitanæ Ecclesiæ, dimissi sunt.

XXXIX. *Narratio actionum Cōc. Flor. & eorum quæ Eug. interim acciderunt ex S. Anto.*

S. Antonin., qui omnibus præsens interfuit, hæc de actionib. Florētini Concilii, & de iis quę interim Eugenio acciderunt, narrat. Quia pestis Ferrariam cœpit inuadere, translatum est Concilium assentientib. cunctis Florētiam. Et cum Eug. eo tēdere festinasset, insidiæ ei in via paratæ sunt, ad capiendum eum. Sed detectis eis declinauit à via recta, alteram insuetam assumēs, & periculum euadēs. Florētiam ingressus, summo cum honore, & gaudio suscipitur, locatus in Ecclesia Prædicatorum. Paulo post secutus est eum Patriarcha & Imperator Constantinopolitani, cum Doctorib. suis & Proceribus, cum magna solennitate in vrbem ingressi, & honorabiliter collocati, in diuersis mansionib. Patriarcha vero Cōstantinopolitan⁹, plenus dierum, paulo post in fide Rom. Ecclesiæ migrauit è seculo, sepultus in Ecclesia S. Mariæ Nouellæ, cum hoc Epitaphio.

Epitaphium Iosephi Patriarch. Constant. Florentiæ defuncti.

Ecclesiæ Antistes fueram qui magnus Eoæ
Hic tacco magnus religione Ioseph.
Hoc vnum optabam mœro inflammatus amore,
Vnus vt Europæ cultus, vt vna fides.
Italiam petii, fœdus percussimus vnum,
Iunctaq; Romana est me duce Græca fides
Nec mora detulit, nunc me Florentia seruat.
Qua tunc Concilium floruit Vrbe sacrum felix
Qui tanto donarer munere viuens
Qui morerer voti compos & ipse mei.

Conue-

Conuenientibus igitur Latinis & Græcis die statuta, in loco determinato residentiæ Papæ, in Conuētu Prædicatorum, in publico consistorio, loca vniuiq; decētia omnes sortiti sunt. Et Pōtifex summus in loco eminentiori ornato resedit, facie versa ad Orientem, iuxta quem reuerēdissimi D. Cardinales à dextris & sinistris distincti paulo inferius. Imperatori vero Græcorum sedes parata est decora, è contra Pontificem in aliquali distantia, vultu conuerso ad Occidentem. Doctores Latini disputantes in latere per transuersum, sedes acceperunt versi ad meridiem. Græci vero magistri considebant versi ad Aquilonem; cæteri circumdātes plurimi aliqui steterunt, aliqui in Domini terra substratis tapetis se locauerunt. Et ex Latinis quidem assumpti sunt quatuor, duo Episcopi, vnus Colossensis Ordinis Prædicatorum F. Barthol. Lapathius de Vbertinis Florentinus, in Theol. Doctor egregius, & vtriusq; idiomatis peritissimus, alter Ordinis Minorum doctissim⁹, & duo alii, Abbas Generalis Camaldulensis vtriusq; linguæ peritus, Dominus Ambrosius, & Magister Ioan. de Montenigro profundus Theologus Ordinis Prædicatorum, Prouincialis Lombardiæ. Etin capite eorum residebat D. Iulianus Cardinalis sancti Angeli, qui nuper venerat ex Basilea dimisso Conciliabulo. Ex Græcis Episcopus Nicænus, & Episcopus Ephesinus, & quidam alii. Arguens autem in ea disputatione fuit Magister Ioannes de Montenigro prefatus solus, & respōsalis Ephesinus solus. Vt autem omnes intelligerent eum, arguens idiomate Latino vtebatur, & respōsalis Græco. medius autem constitutus est vtriusq; linguæ peritissimus quidam, qui promptissime, & fidelissime, & eloquenter, verba Latina arguentis referret in Græco respōsali, & verba eius Græca interpretaretur in Latino.

Post aliquas prophetica & subtiles rationes, & respōsiones inductas, placuit Patrib. procedere per locum ab authoritate, qui est potissimus in Theologica facultate. Inductæ sunt authoritates multorum Doctorum Græce scribētium, vt Athanasii, Cyrilli, Didymi, Chrysostomi, & maxime Basilii, qui habetur apud eos in magna veneratione sanctitatis & doctrinæ, qui in libro contra Eunomium de Spiritu S. expresse asserit, Spiritum S. procedere non solum à Patre, sed etiam à Filio. Et cum respōsalis iam non haberet quid diceret, subterfugium quæsiuit, negans hoc Basilium in eo libro scripsisse, sed mendose interpretatum; cum in codicibus suis Græce scriptis secum delatis hoc minime reperiretur.

Adducti sunt plures codices Basilii contra Eunomium, Græce exarati, quorum aliqui erant apud Græcos, alii penes Latinos Græci sermonis peritos. Et cum in nostris, & aliquibus Græcorum de Constantinopoli adductis liquide haberetur, Spiritum S. à Patre & Filio procedere; deprehensa est malitia Græcorum; quod sc. corruperant scripta Basilii, Filium subtrahendo in ipsa processione. Et cum Imperator Græcorum diceret, in partib. suis plurimos haberi tales libros Basilii, Græce sic continentes, & illis paucis tunc in medium adductis non standum, respondit D. Cardinalis disputationi præpositus. D. Imperator, cum decreueritis ad certamen venire, oportuit magnificentiam vestram arma vobiscum adducere, non in certamine ipsa expectare. Sicq; Græci confutati fuere, & denicti. Huic disputationi præsens interfui. Sed & aliis dieb. conuenientes in disputatione, demum conuicti, errorem suum confessi sunt, & ad emendationem parati, & ad vnionem ac incorporationē cum Rom. Ecclesia dispositi, Apostolicæ sedi se subiecerunt. Et eo anno, sc. 1439. in die Dominica mensis Iulii, celebrata est solennis Missa in Ecclesia maiori Florentiq; & præsentib. Eug. Papa cum Cardinalibus, & aliis multis Episcopis & Abbatibus, ac etiam Imperatore Græcorum, cum aliis Græcis & Dominis Prioribus Florentinorum cum vexillifero, & maximo populo ibi congregato, cum ingenti gaudio, facta est dicta reconciliatio Constantinopolitanæ cum Romana Ecclesia, & confessio Fidei secundum Symbolum, quod cantatur in Ecclesiis Latinis, per Græcos, & super his declaratio fidei tenendæ ab omnibus fidelibus Latinis & Græcis. In aliis ritibus suis, qui non important hæresim, (licet rationabiliores sint ritus Ecclesiæ Occidentalis, seu Romanæ) fuerunt permissi manere, sicut, quod celebrent in fermentato; quod baptizent in alia forma quam Latini, videlicet, Baptizetur seruus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Item quod ordinati in sacris maneant in matrimonio contracto ante susceptionem ipsorum sacrorum Ordinum. Item, quod nutriant barbam, item quia dent Sacramentum Eucharistiæ sub vtraq; specie omnibus, etiam paruulis & multa alia.

Blondus, qui etiam actionibus Florentini Concilii interfuit, etiam hoc addit.

Ab intrusione Amedei anti Papæ, tranquillis Ecclesiæ rebus iniecti scrupuli mœstitiam, quæ bonos & reipub. affectos Christianæ peruasit, eadem die apud nos solati sunt Armenii; quibus sese Romani Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ imperio arbitrioq; permittentibus, Fidei Christianæ legem in stituta; dedimus, solenni in sessione, apud Reparatæ Virginis Basilicam celebrata, sub ipsa eadem testudine, quæ Græcos etiam primum Latinæ Ecclesiæ vnitos vidit; cui spectaculo perpetuis laudum præconiis extollendo, populi Florentini aduenarum, & Curialium, viginti vt credirum est millia interfuere. Legis vero ipsius formam, Narses Armenius Oratorum Comes, in idiomate Armeno publice legit, quæ postea Basil. Ordinis Minorum interpres, ab vtrisque adhiberi solitus, Latino sermone vulgauit.

Sed hæc & multa alia, præstat ex ipsis actis Florentini Concilii abunde cognoscere, Ita habent ex editione Romana.

SESSIO XVI.

Postrema earum, quæ Ferrariæ celebratæ sunt.

COngregata ergo Synodo, præsidentibusq; Papa & Imperatore, ægrotante ideoq; absente Patriarcha, conuentus est habitus eo ordine, quo Synodus fuit indicta. Itaq; Neapolitanus Archiepisc. sacris indutus vestibus, ac diuino peracto mysterio, cœpit Litanias & preces canere. Oratione igitur à Præsule absoluta venit & Papa gerens Pontificalem habitum, & cum ipso Cardinales, & Archiepiscopi, & Episcopi, & Hegumeni, omnes cum sacris vestibus, & consede unt.

His ita cōstitutis ac gestis, Beatissimus Papa Gradensem Archiepiscopum, & Imperator Mitylenensem Archiepiscopū, qui principio Synodi Oecumenicæ indictionē recitauerant, iussere vt suggestum ascenderēt, & recitarent ille quidem Latine, hic vero Græce, vt Synodus transferretur Florentiam, clara voce dicentes:

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Conuenerat Ferrariæ Synodus Oecumenica eo cōsilio, vt illam inibi absolueremus: sed quia eam vrbem pestis mortifera obsidet, idq; hyberno tempore; ne vere etiam grassetur, secundum leges & canones nostros Synodum hanc Ferraria transferimus Florentiam, vrbem liberam, & pacificam, salubritate aeris & sanitate fruentem.

Cūq; hæc Præsules recitassent, & Notarii excepissent, dimissa est Synod⁹ Ferraria, vt Florentiam transferretur.

Die vero 11. Ianuarii datus est Græcis à Papa commeatus: neq; hic solum numerata est illis pecunia; sed Constantinopolim etiam missa sunt vndeuiginti florenorum millia ad munimentum & subsidium: atq; ita cœperunt Florentiam iter suscipere.

Die autem 16. Ianuarii egressus est Papa è Palatio cum multa magnificentia & pompa: parauerant enim equos albos 12. phaleris & operimentis superbis ornatos; & vni quidem arculam imposuerant intus habentem sacrosancta munera, viris hinc inde pedestrib. cum cereis luculenter ornatis euntib. ad quin quagintain alterum vero ascendit Papa mittam gerens & pluuiale preciosum, multis & ipse cereis comitatus. Vrbis Dominus Marchio frænum equi eius manu tenens ibat pedester, donec extra vrbem egressus est; similiter & eius filius: reliqui vero incedebant equi ipsum sequentes. Cardinales autem Episcopi omnes hinc inde illum equestres subsequebantur: deinde exercitus tum præeuntium, tum consequentium, ingens multitudo.

Hoc ordine Papa egressus est muros Ferrariæ, seq; in Monasterium S. Antonii contulit, vt vespertinum hymnum ibi cantaret; celebratabatur enim memoria Sancti illius. erat porro Monasterium Monialium pulcherrimum, & satis amplum, habens Palatia & triclinia ad multorum Principum hospitium, hoc vero idcirco factum, vt quia vicinum admodum erat flumen Monasterio, Papa egressus statim nauigia conscenderet, iteretq; Mutinam, quæ sita est inter Ferrariam & Florentiam. Cum ergo mansisset Papa in triclinio Monasterii, mane surgens 17. die mensis cœpit nauigare Florentiam versus, sequente illum Marchione: pransus vero est Mutinæ. Deinde exercitu suo stipatus iter fecit per continentem, peruenitq; Florentiam. Nos vero Ferrariæ paulum commorati, Florentiam & ipsi petiimus, Metropolitis partim ante Patriarcham, partim cum eo profectis. Cumq; ad vrbem fuimus, extra mœnia diuersati sumus in quodam Monasterio, & in diuersoriis.

XLI. *De ingressu Patriarchæ & Imperatoris in vrbem Florentiam.*

DIe 13. Februarii prodiere obuiam Patriarchæ nōstro Cardinales duo, Archiepiscopi vero & Episcopi ad triginta, cum magna populi frequentia: & facti obuiam deduxerunt eum Florentiam. Ibat vero Patriarcha medius inter Cardinales magno cum honore: & omnes officii causa comitati sunt eum vsque ad paratas illi ædes: quo ibi relicto diuertimus & nos ad locum quisque sibi paratum. Diebus vero tribus elapsis venit Imperator; & quis recensere poterit, quo apparatu fuerit acceptus? adeo namq; fuit magnificus, adeo spectabilis, adeoq; percelebris, vt inuido cuiuis stuporem iniecerit, effeceritq; tantæ pompæ laudatorem. Venerunt enim illi obuiam magistratus vsq; ad portas Vrbis pedestres; venerunt Cardinales omnes: omnisq; nobilium virorum ac mulierum cœtus: ibant alii obuiam, excipiebant alii; hi stabant, illi, quid nam reiesset interrogabant: hi per vias Vrbis, illi in foro, in muris alii, alii ad fenestras & prominentia spectacula. Vrbs vniuersa commota est ob magnitudinem pompæ, concētum musicorum instrumentorum, & clangorem tubarum. Ita noster Imperator Florentiam ingressus est die Dominico: postero autem die rogatus est vt in domum se conferret amplam, & spectaret inde ludos, quos edituri erant in hippodromo, qui prope domum erat ea de causa paratus.

Post hæc transacta quoq; feria tertia, prima quarta quadragesimæ sanctæ feria iussu Imperatoris conuenimus in eius domum; ac de sessionibus, quomodo rursus essent agendæ, consilium habuimus. Misimus itaq;, qui Latinis dicerent, nos præsto esse: & quando vellent sessiones nostras celebrari. Interrogarunt illi, quo illas modo fieri vellemus: conuentus scil. habendos priuatim, an publice? primarum, respondemus, ad euitandam confusionem. Parato igitur loco, vt dictum est, in Palatio Papæ, post primam hebdomadam quadragesimæ incidit Patriacha in morbum, & intumuere pedes eius, ita vt moueri non posset. Sed præsentibus Patriacham interesse petentibus, præsertim sessioni pri-

mæ, ille se non posse aiebat: atq; ita tempus abibat. Tandem hebdomadæ secundę ieiuniorum feria quinta, die vigesimo sexto Februarii conuenimus in locum, qui intra palatium Papæ paratus erat: atq; vbi nostro ordine consedissemus, cœpit Iulianus Cardinalis hunc habere sermonem.

SESSIO XVII XLII.

DIE VIGESIMO SEXTO FEBRVARII feria quinta celebrata est.

Florentiæ prima.

Iulianus Cardinal. Varia colloquia cū Imp. miscet in negotio Concilii.

SEreniſſime domine Imperator, vosq; Reuerendiſſimi maximeq; venerandi Patres, quoniam iuſſu Beatiſſimi Patris ac ſummi Pontificis ab initio ſimul cum delectis ad diſputandum hic adfui, propterea Sanctiſſimus Pater nunc etiam mihi præcipit, vt verba quædam in medium proferam. Dicam ergo breuiter, vtarq; nudis ac ſimplicibus verbis; tum quia Beatiſſimi Patris noſtri voluntas hæc eſt; tum quia diuinum hoc opus, quod nobis propoſitum eſt, factis potius indiget quam verbis. Et quoniam multa dicta ſunt ex vtraq; parte, vt maior pars temporis effluxerit; & ventum iam eſt ad rem ipſam: & præterea quoniam heſterna die ſereniſſimus dominus imperator miſit, qui Sanctiſſimo Domino noſtro dicerent, vt priuatim & ſecreto conueniremus, & non longis aut ppetuis vteremur ſermonibus; nunc breui aggrediar in nomine Domini Ieſu Chriſti. Dum eſſemus Ferrariæ, & deliberaremus de tranſferenda hac ſancta Synodo Florentiam, ſerenitas ſua, & ſanctiſſimi Patriarchæ paternitas vehementer optabant, vt negotium hoc conciliandæ vnitatis perficeretur, & abſolueretur. Dictum hoc ſupra modum placuit Beatiſſimo Patri: cuius opus & ardentiſſimum deſiderium eſt, vt hoc vnionis negotium quam citiſſime fiat. Dixit enim eius ſanctitas per alterius partis deputatos, nullum eſſe alium aptiorem modum ad perficiendam vnionem, quam ſi frequenter conuentus diſputationesq; habeantur, & fere per dies ſingulos. Tandem vtriusq; partis conſenſu decretum eſt, vt omnino ſingulis hebdomadis ter conueniremus, & diſputationes ad trium horarum ſpatium protraherentur: non obſtante aliquo, quod abſit, aut in perſona Beatiſſimi Patris, aut ſereniſſimi Domini Imperatoris, aut facti Patriarchæ. Interea viſum eſt Sereniſſimo Domino Imperatori operæpretium eſſe, antequam Synodicas aggrederemur diſputationes, deligi aliquos ex vtraq; parte, qui priuatim cum charitate modum aliquem perquirerent, qui fieret ad vnionem. Memini vero me ad hæc dixiſſe; potius conducere & vtilius eſſe, ſi præcedant ſynodicæ communesq; diſceptationes; vt per has interim primum quidem reperiamus veritatem; deinde comperta veritate tranſeamus ad medium, quo commungamur. Serenitas tamen ſua permanſit in ſuo ſenſu, hoc etiam vſa exemplo: Dicebat enim, ſi quando inter duos amicos oriatur controuerſia, vt accedere ad iudicem compellantur, antequam eant, malle eos quorundam amicorum iudicio controuerſiam dirimi: quod ſi hac via reperiri non poſſit, quod illos ad concordiam reuocet, tum demum ad Tribunal ſe ſiſtere. Ita, ſerenitas ſua aiebat, prius eſſe agendum priuatim ac ſecreto de conducentibus ad vnionem; & ſi quidem hac via concludatur aliquid, bene erit; ſin minus, tum progrediemur etiam ad publicas diſputationes. Hæc porro cum Beatiſſimus Pater accepiſſet, vellet q; inducere Imperatori, animum & ipſe, vt primum modus vnionis conquireretur. Ita poſtremo inter Sereniſſimum Imperatorem & ſuos dictum eſt; vt vbi peruenirent Florentiam, vnionis negotium priuatim ac ſecreto prius tractaretur, & inueniretur modus aliquis, per quem conueniremus; & ſi quidē hac ratione

finis rei fieret, & sequeretur conclusio, & partium coniunctio, bene; sin minus, citra vllam dilationem ter per hebdomadam haberentur conuentus, vt supra iam dixi. Conuenit iam in nomine Domini nostri Iesu Christi serenitas sua & sanctissimus Patriarcha cum suis ad præstandum, quæ Ferrariæ inter nos conuenerunt. Quoniam ergo serenissimus Imperator primus hoc proposuit, vt priuatim tractaremus; visus enim est ipsi modus iste omnium optimus; propterea Beatissimus Pater compertum habet, esse ab Imperatore inuentum modum aliquem, qui ferat ad vnitatem. Idcirco petit, vt illum velitis aperire, vt de eo quoq; consilium capiamus. Hæc sunt, quæ iussu Beatissimi Patris ita simpliciter & nude, sicut promiseram, exposui vestræ charitati.

Imperator Ego dicere aliquid habebam ante reuerẽdum Cardinalem, sed quia prior ipse locutus est, propterea illud non dixi. nunc volo dicere quod eram dicturus; deinde respondebo etiam ad ea, quæ dixit Reuerendus Cardinalis. Dico igitur, nos esse exorsos, & disputasse de additamẽto multis validisq; rationibus; similiter & vos. Confidimusq; diuino freti auxilio, quæcunq; à nobis dicta sunt, neruosa extitisse & necessario concludentia. nec deerant nobis multo plura & validiora quæ diceremus; sed quia Reuerendus Cardinalis eiusq; socii rogarunt nos, vt prætermitteremus quæ dicenda habebamus; necnon sanctissimus Pater de hoc seorsum locutus mecum est; idcirco visum nobis est opportunum prætermittere tunc illam partem. propterea quoq; nihil dicimus hac de re in præsenti; quamquam studio breuitatis etiam hoc idem omisimus. sicut tamen est in voluntate nostra, vt cum voluerimus, & quomodocunq; voluerimus, de hoc dicamus. Cæterum hoc præfari visum mihi est bono consilio factum, ne post hac ademptam nobis putet aliquis facultatem ad hoc redeundi, quod semel pretermiserimus. nec opus est vt ad hoc respondeatis: nam sicut diximus, hoc tum prætermisimꝰ, vt quandocunq; voluerimus, resumere illud possimus. Alterum vero negotium ita se habet, vt ipse narrauit: & superuacaneum mihi videtur de eo verba facere: fatemur enim ita se habere, vt ipse ait. Quod vero petit, an habeamus dicere aliquid; nos, vt etiam alias diximus, nihil habemus meditatum. ipsi potius, vt si quid habetis dicere, dicatis rogamus; & gratum id nobis erit. arbitramur enim fieri posse, vt ipsi habeant aliquid nobis de hoc dicere! & si habent, dicant. Hoc in præsentia de hac re dico.

Posthæc Cardinales & Archiepiscopi accesserunt ad Pontificem: & consultatione modice habita, dixit iterum Cardinalis:

Iul. Card. Serenissime domine Imperator, & Reuerendissimi ac Venerabiles Patres, sanctissimus Dominus noster summus Pontifex mihi rursus præcepit, vt breuiter aliquid dicam de ipsius, & Patrum qui adsunt sententia, ad respondendum iis, quæ nunc dixit tua serenitas. Sanctitas eius, & oẽs qui cum eo sunt, audiuere quæcunq; apte decenter q; admodum, vt sui moris est, tua dixit Serenitas. Orsa igitur est tua Serenitas ab eo primum, quod aliquæ sint habitæ disputationes de illo articulo, num liceret addere quidpiã symbolo! & confidat tua serenitas, recta & rationi consentanea fuisse quæ dicta sunt à tuis de illa controuersia: & sint alia plura prætermissa, quæ de hac materia erant dicenda: quodq; ipse inter disputandum sæpe dixerim, petierimq; vt omissis illis disputationibus progrederemur ad disputationes de processione sancti Spiritus: & ipse Beatissimus Pater rogauerit, vt illa quidem præteriretur quæstio, transiretur autem ad alterius controuersiæ disquisitionem: & tua serenitas gratum facere tunc volens Beatissimo Patri & nobis, omittendas esse censuerit disputationes illas seu disquisitiones; ita tamen, vt quando libuerit tuæ serenitati, rursus illa controuersia & proponatur, & agiteturiadeo vt, si quando tuis videbitur ad primas illas redire disputationes, id nobis nec absurdum, nec alienum à ratione videatur, postremo addidisti, nulla opus esse ad hæc responsione, sed his dictis transeundum esse ad alia. Verum sanctissimo Patri & Reuerendis hisce Patribus omnino videtur, esse aliquid à nobis de hoc dicendum. Ad primum itaq;, quod tui tibi videantur attulisse rationes multas & validas & optime concludentes, & habere alias plures; videtur sanctissimo Patri & Reuerendissimis Patribus ita dicendum: Nescire quidem nos, an alia lateant in cordibus vestris; scire tamen illud plane, propositionem illam adeo perspicue, adeo luculenter fuisse explicatam, vt nullus dubitandi relictus sit locus. Exploratum vero habemus, Serenitatem tuam omnesq; venerandos Patres, auditis nostris inuictis responsionibus, vtpote prudẽtes ac sapientissimos apud se controuersiam illam habere pro liquido explicata dilucideq; declarata. & multos quidem à tuis fuisse habitos sermones de illa materia, multasq; rationes allatas, optime scimus: nam constat, sæpe illis datam fuisse facultatem dicendi, atq; in disputationibus licuisse proferre si quid haberẽt; necnon post reditas ab iis responsiones præteriisse multos dies, quando fas erat illis dicere quæ viderẽtur. Quod si forte aliquod supereſt argumentum prolatu dignum, dixissent illud etiam, sicut & reliqua putamus. Quinimmo ad complura nostra argumenta nihil responsum est, quæ adhuc enodationẽ desiderãt: cum nos eorum responsis luculenter, probe, atq; ad amussim satisfecerimus, illis contra nihil præclari obiicientibus. Quod vero Beatissimus Pater petierit, vt ad hasce disputationes transiremus; iam antea dixi, nulla alia de causa fuisse id à nobis quæsitum, quam quod certum haberemus, per illas fuisse rem à nobis clarissime demonstratam, & nollemus propterea tempus conterere: disputationes enim de rebus sunt ambiguis. Idcirco ne tempus frustra consumeretur, ego etiam vos illud rogaui de communi omnium sententia. Sed neq; protulimus quicquam ex nobis vt nostrum inuẽtum; verum quid quid diximus, ex Epistolis, ex Synodis, & aliis sanctis Patribus depromsimus; neq; tamen aut rogatu Patris Beatissimi, aut meo, quæstionis illius discussio prætermissa est: immo vero postea multæ sunt ea de re habitæ disputationes, in quibus dicta satis sunt, quæ videbantur. Cæterum nos minime expedire, nullamq; afferre vtilitatem arbitramur; relicta tantopere examinata materia sine determinatione, transire ad alia: sed si rationes aliquæ ipsis suppetunt ad controuersiam illam spectantes, & dignæ quæ proferantur, parati sunt Beatissimus Pater, & hi Reuerendi Patres audire vos differentes: nos autem diuinæ opis spe nixi, vti priores diluimus, ita posteriores quoq; diluemus. Dixit postremo tua Serenitas, rem esse à me narratam, vti se habuit: & nullum medium esse à tua Serenitate excogitatum, aut meditatum: se vero potius arbitrari, esse aliquid à nobis inuentum, quod si est, afferamus in medium. Ad hoc satis iam ego respondi; Nam cum tua Serenitas tunc diceret, modum hunc fore vtilem; ego respondi, vtilius fore disputationes Synodicas aggredi. Verum tua Serenitas instituit asserens, ita magis expedire. Quoniam igitur visus est Serenitati tuæ, tuisq; omnibus inuentus quidam vnionis modus, rogamus & obsecramus, vt ille ponatur in medio. Quod si tunc Serenitas tua dixisset, præstare Synodicas orditi disceptationes, nos autem prætulissemus modum secretum, merito nostrum esset exponere illud medium: Sed quia vos hoc quæsistis, iure à vobis debet tale medium & inueniri, & in præsentia proponi.

Imperator Quæ dixi de priori additamẽti materia, non eo animo dixi, vt mihi responderetur: iam n. conuenit inter nos, vt transeamus ad aliam: dico tamen, mihi non probari vt retrocedamus, & agamus de illa, sed miror, si quæstionẽ illam existimant à nobis missam ob eam causam: norunt n. transactionis progressum, vt nihil aut

aut ab illis aut à nobis fuerit conclusum. Quapropter non opus esse arbitramur ad indecisam illam redire materiã. Oporteret n. aut à nostra, aut ab eorum parte declarari, satis examinatam esse materiam, nec esse amplius de ea disputandum; at quia iam statuimus agitandam esse rem ipsam, de ea volumus agere. Verum nos id nec omisimus, nec omittemus, sed stabit si quando opus erit. Quare de hoc satis. Quod vero ad alteram attinet materiam; nos haud nobis solis adiudicauimus inuestigationem illius modi, vt nobis incumbat hæc necessitas, sed vtrique: neq; n. ad hoc vlla nos necessitate premimur. Propterea dicant, si quid habent dicere; sin minus, vobiscum ipsi cogitate, & nos pariter cogitabimus, atq; ita conueniemus. Quod si hac via nullus reperietur vnionis modus, tunc nihil impediet, quominus Synodicæ communesq; sessiones cum disputationibus habeantur.

Iulianus Cardinal. Serenissime domine Imperator, ad tollendum stuporem quendam & admirationem, quam Serenitati tuæ videntur dicta mea mouisse, nonnulla paucis dicam. Ego non memini me dicere, materiam hanc fuisse terminatam communi tuorum nostrorumq; sententia: sed dixi, non videri mihi vtile aut conueniens ad eandem reuerti, cum de ea multa dicta fuerint ex locis & demonstrationibus euidentissimis. dixi quoq; nos, cum Ferrariæ Synodus celebraretur, multa dixisse, ad quæ tui nihil responderint. præterea dixi, vt si quid habent dicere, proferant; quoniam fauente Deo prompti fuimus, & sumus ad dicẽdum & audiendum omnia. Itaq; hoc idem in præsenti dicimus, proferimusq;: Si quis est qui velit dicere, dicat: nos n. Deo iuuante paratí sumus ad respondendum & diluendum omnia. Et sine dubio, si redire tandem volunt ad illius controuersiæ discussionem, multo præstat nunc omnia dicere: nam nec vtile, nec iustum erit, aliam quidem aggredi materiam; dum vero illa disputatur, redire ad aliam. Ad secundam partem, quem addixi, ita etiam dico iussu Beatissimi Patris, & Reuerendissimodum Patrum. Serenitas tua cum prudentissima doctissimaq; sit, poterit cogitationem suscipere, & inuenire quod iustum est & rationi consonum. Quoniam igitur Serenitas tua de priuato secretoq; modo cogitauit, & illum quæsiuit, iure optimo à te est excogitandus; quod etiam ab omnibus decantatur: modus iste, qui sit ad vnitatem accommodatus. Et quia Serenitas tua dixit, commodum fore, vt & vos & nos de hac re cogitemus, si nihil habes meditatum, placet Beatissimo Patri, nobisq; omnibus, vt hoc in diem Sabbati differatur; & accedatis tunc tum illo medio modo, quem ipsi dixistis: quandoquidem pars vestra inuestigandum illum proposuit. vnum quid præterea dicam, & finem faciam. Nos medium proposuimus ad vnionem conferens, vt scil. sessiones fierent generales: Serenitas vero tua subiecit aliud medium, priuatum scil. ac secretum, quod prius esset adhibendum. Cum vos ergo sitis inuentores, necesse est à vobis etiam hoc suggeratur.

Iulianus Cardinal. Ego sane ad hoc respondere nolo: Si n. dico, & respondeo, infinitum hoc erit. propterea breuiter dico, necesse esse nos ad propositam venire quæstionẽ; sicuti constituimus, vt ad aliam materiam transiremus. Cæterum priorẽ non deserimus: sed integrum nobis erit, cum voluerimus, illam resumere. Quod ad aliud caput attinet; quoniam videtur consentaneum, vt communiter de illo cogitemus, nobis etiam placet.

Iulianus Cardinal. Vos quidem cogitabitis de medio modo, nos vero respondebimus ad ea, quæ dicturi estis. His igitur ita dictis dimissa est sessio, & discessimus.

Cum vero dictum nobis esset, vt consultaremus de medio quopiam ad vnitatem conferente, res visa est nobis haud parui negotii, sed & inuentu perdifficilis. Itaq; conuenimus ad Patriarcham, eo quod ægrotabat; & interrogauit nos Imperator, quid essemus ad hoc responsuri; quodue aptum esset medium ad conciliandam piam concordiam. Responderunt Præsules: Nos medium vllum nec habemus, nec proponimus: sed quia die Sabbati debemus respondere Latinis, petat Imperium tuum, vt pars vtraq; priuatim conueniamus; & Deus de vnionis modo prouidebit. Respondit Imperator; Et vultis omnes vos priuatam hanc fieri sessionem? respondimus ei, significa de hoc Papæ, an illi placeat: & si permiserit priuatam fieri sessionem, tunc deligemus è nostris aliquot p̃cipuos, quotquot visum fuerit, vt ii conueniant. At vero Imperator postulabat vlterius, vt eligerentur personæ, quæ de responsionibus deliberarent, quibusq; cura esset omnium responsionum: placuit ergo deligi è nobis Vicarios Patriarcharum, hoc est, Metropolitam Heracleensem dominum Antonium, totius Thraciæ ac Macedoniæ Præsulem, & Apostolicæ sedis sanctissimi Patriarchæ Alexandrini Vicarium: Venerabilem Hieromonachum Confessarium & protosyncellum domnum Gregorium, eiusdem Apostolicæ sedis Patriarchæ Alexandrini Vicarium: Metropolitam Chiouiensem ac totius Russiæ, Vicarium Apostolicæ sedis sanctissimi Patriarchæ Antiocheni, domnum Isidorum: Metropolitam Ephesi domnum Marcum Eugenicum, Vicarium Apostolicæ sedis eiusdem sanctissimi Patriarchæ Antiocheni, necnon Vicarium Apostolicæ sedis sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitani: Metropolitam Monembasiensem, & Vicarium Apostolicæ sedis eiusdem sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitani, domnum Dositeum. Duos alios præterea delegimus Præsules, nempe Nicænum Metropolitam domnum Bessarionem, & Metropolitam Myrilenensem, domnum Dorotheum, simul omnes septem: vt conuenirent, ac de nostra sententia transigerent quidquid illis Deus præstitisset. Cum hæc nunciata essent Papæ, visum illi est non expedire, angustam hãc petere viam: sed significauit nobis: Quoniam, inquit, disputare vultis, nec vllum à vobis medium reperitur, vti promiseratis, deligite personas, quod ipsum & nos faciemus; abeat vero dies Sabbati, & feria secunda generalis habeatur disputatio, vt nostra sententia examinetur.

Itaq; feria secunda, mensis Martii die secunda, conuenit iterum sessio Oecumenica Florentiæ. Cumq; præsedisset Papa, absentibus ob valetudinem Imperatore nostro, & Patriarcha: exceptis enim illis omnes conuenimus, & cæteri ordine consedissent: aggressus est disputationem Hieromonachus quidam nomine Ioannes, Philosophus Latinorum, & dialecticæ peritissimus. Hic vbi surrexisset, & sese venerationis causa inclinasset, interrogauit Græcos disputatione concisa, qua ratione calumnientur Spiritus sancti processionem ex Filio. Instituit vero sermonem suum in hunc modum.

SESSIO XVIII.

XLIII. *Disputationes in Cõcil. de processione Spirit. S. Ioannes. In iis quæ ad fidem spectant disputãdũ cum reuerentia. Initio l. 2. de Trinit.*

DIE SECVNDO MENSIS MARTII, feria secunda.

ACcepta à Sanctitate Beatissimi Patris benedictione, iussu & mandato eius aggressurus disputationem, quæ mihi vobiscum erit, de iis quæ ad fidem spectant, hoc est, de processione Spiritus sancti; in quibus iuxta beati Patris Augustini sententiam primo capite de Trinitate, disputandum est cum reuerentia; quæso vt attendatis, vestrasq; aures mihi præbeatis. In primis si quid dixero, quod non satis adeo totum, nec ita perite prolatum, cupio à Sanctitate Patris Beatissimi corrigi, qui locum & sedem & fidem sancti Petri tenet; opto etiam emendari à Reuerendissimis Patribus, qui præsentes adsunt. deinde ab ipsis etiam Theologis. non oportet autem fieri verborum altercationem, sed veritatem semper requirere, & eorum quæ dicuntur, intelligentiam habere. Spera-

Ioan.16. mus vero latum nobis in tui auxilium ab eo, qui mentes illuminat, ducitq; omnes ad agnitionem veritatis, sicut Filius Dei promisit: ita plane Dei bonitate confisi speramus. Ille n. qui argumentum de Spiritus S. processione in hac Synodo Oecumenica disputationi subiici voluit, dabit per eundem S. Spiritum, vt cum omni mansuetudine & humanitate, clara & manifesta fiat eius veritas; vt omnes veritatem addiscant citra etiam contentionem, atq; vno ore & corde vno iuxta Apostolum omnes idem dicamus: & sicut vnus est Christus & vna fides; ita in vna fide, & in eodem Christi corpore simus. Hæc ita præfatus ad rem ipsam venio. In primis tria nota esse oportet; primo Serenissimum D. Imperatorem Feriarias expedixisse; videri sibi, vt facilius expeditius q; res absoluatur, non esse vtendum longis & prolixis sermonibus, sed de argumento in argumentum, siue de testimonio in testimonium, siue de capite in caput, vt vos ipsi etiam idem affirmastis, transeundum. Cum ergo sanctissimus Dominus noster velit indulgere Serenissimo Imperatori vobis q; Patribus; & annuadvertat, cuiuslibet materiæ tractationē ita commodius expediri, annuit, ac probat hunc modum, quē & in præsenti sessione, & posthac in aliis teneamus. tertio vero scitu dum illud est; Quoniam Beatissimus Pater Augustin. lib. de Ciuit. Dei; Quis, inquit, disceptandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus?

1. Cor. 1. Ephes. 4.

Cap. 1. 1. 2. de ciu. Dei.

Propterea videtur illud inter nos constare debere, sacræ Scripturæ testimonia, sanctorumq; Patrum, quos secundo loco Ecclesia sancta recipit, sententias in his disputationibus afferendas, habenda esse veluti quosdam terminos nostræ disceptationis, quos transgredi non liceat aut argumentanti aut respondenti. hoc enim à sanctis edocemur Patribus, præsertim vero ab Agathone Papa in Epistola sæpe prolata, quam ad Constantinum Imperatorem & sextam Synodum scripsit; in qua de suis Legatis sic ait: Quibus, Legatis scil., & testimonia aliquorum sanctorum Patrum; quos hæc Apostolica sancta Ecclesia suscipit; cum eorum libris tradidimus, vt facultatem suggerendi à Serenissimis tunc temporis Christianorum Imperatoribus consecuti, ex his dumtaxat satisfacere studeant. Hoc idem asserunt Patres Synodi Chalcedonensis in allocutione ad Marcianum Imperatorem; cuius initium est: Et hoc plane vestrum decebat Imperium: vbi de Leonis ad Flavianum Epistola sic loquuntur: Neq; enim putari oportet de Ecclesiæ Romanæ Præsulibus, vt Epistola illa impietatis offendiculi arguatur; sed si non est diuinis Scripturis congruens, redargunt: si non Patrum concordet sententiis. & infra: Vt nulla relinquatur illis occasio, qui Apostolicum virum lacerant, ad ostendendam Epistolæ eius conuenientiam cum sanctorum Patrum testimoniis; atq; vt magis testata sit pietas, ex multis pauca subdidimus. His ita propositis ad id, quod caput est, accedamus.

Conc. Chal. par. 3. Act. 4.

XLIV. *Quid significetur per nomen Processio.*

Quoniam in vnaquaq; disputatione quæsitum quoddam supponitur, videl. quid nominis eius rei, de qua est disputatio: nos vero sermonem inter nos habituri sumus de processione Spiritus S., primum à vobis quæramus, quid per hoc nomē significetur siue in rebus humanis, siue in diuinis. ratio, cur id quæram[9], hæc est. quoniam iuxta sententiam B. Dionysii in lib. de diuinis nominibus, à creaturis Deum ipsum nominam[10]: & in sacra Scriptura vox ista, processio, non solum Spiritui, sed etiam Filio tribuitur. nam Ioan. 16. cap. Exiui, inquit, à Patre: & Spiritus S. dicitur ex Patre procedere. Hoc porro propterea dictum est, quod pro certo habemus, eam potissimum vocem in reliquis disputationibus versaturam a vobis in ore.

Cap. 1.

Ephes. Reuerendissimi Domini & Patres, ad ea quæ primo loco dicta sunt à vobis per hunc Reuerendissimum Patrem, enim ad rem nostram non faciant, & communi vtrimq; partis conclusio recepta sint, non opus est in præsens vti longiori responsione; ad illud vero quod propositum est respondemus: Processionis nomen alio atq; alio modo rebus conuenire diuinis atq; humanis: & in diuinis quidem vtriq; diuinarum personarum productioni congruere: verum peculiariter secundum exactam Theologiæ rationem productioni sancti Spiritus potissimum tribui tum à sacra Scriptura, tum à Sanctis omnibus: atq; hoc nomine distingui productionem, qua Spiritus suum esse accipit, à productione Filii: nam hæc vocatur generatio, illa vero proprie processio. multa porro sunt huiusmodi nomina, quæ de quibusdam communiter & proprie prædicantur. Proinde mirum non est, si & hoc nomen apud ipsam quoq; sacram scripturam de Filio dicitur: quamquam vox ista, exiui à Patre, non idem est ac processi, sed aliud quid præter processionem. Verumtamen modus processionis S. Spiritus ineffabilis & innominabilis proprie dicitur à Theologis; quoniam Filii generatio propter nostrum generationis modum notior quodammodo esse videtur: propterea de processione B. Ioan. Damascenus ait; Alius hic est existendi modus ineffabilis & innominabilis: alius videl. à Filii generatione. quæ volebam, ad interrogata respondi.

De orthod. fide cap. 8.

Ioannes.

Percepimus responsionem ad interrogatum, quod attinet ad significatum processionis sancti Spiritus in diuinis: ex quatria breuiter colliguntur; primum, Vocem hanc processionis commune esse productioni Filii ac Spiritus à Patre; secundum, magis esse propriam Spiritus quam Filii; ratio est, quod productio Verbi sit nobis notior productione Spiritus; quam ēt ob causam ipsum processionis nomen tribuitur S. Spiritui; tertium est, processionē ibi dici subsistētialem & essentialem. Nunc ergo de tertio interrogo; quoniam in diuinis personis nihil aliud reperitur; quam † existētia, & proprietas, & relatio, quid sibi vult hic dicendi modus; processionē esse existētiam in diuina persona? estne recipere ab alio existentiam siue proprietatem? nam processio videtur esse ab vno ad alterum progressio; quod si processio substantialis est, videtur existentiam accipere à Patre; quandoquidem accipere existentiam idem est ac dicere ex Patre. quæro igitur, an ita intelligas.

† *per vnam Eu intelligit essentiā & existentiam.*

Ephes. Talem intelligo productionem, per quam Spiritus S. ab ipso accipit esse, & quidquid est, & propria ratione dicitur.

Ioannes. Placet, habemus conclusionem hanc; Spiritum S. accipere esse à Patre perinde est atq; ab ipso procedere. Dico igitur hoc modo; A quo Spiritus S. accipit esse in diuinis, ab eo etiam procedit; dicitur autem Spiritus accipere esse à Filio, ergo Spiritus procedit à Filio iuxta propriam processionis significantiam, quam vos concessistis. Quod vero Spiritus accipiat esse à Filio, potest multis testimoniis demonstrari.

Ephes. Vnde vero habetis, Spiritum S. accipere esse à Filio? nos hoc non concedimus.

Ioannes. Probat Spiritū S. accipere esse à Filio ex S. Epiphanio. Placet quod dictum est; nam sine mora interrogationi occurremus. Quod igitur Spiritus S. à Filio esse accipiat, probatur ex dicto S. Epiphanii, qui in illo volumine, quod inscribitur Ancoratus, ex antiquo Græco codice ab Ambrosio in Latinum conuerso, dum de persona Patris loquitur, sic ait; Filium illum dico, qui ex ipso est; Spiritum vero sanctum, qui solus ex ambobus est. ex hoc igitur dicto; si Spiritus ex ambobus est, ergo esse etiam accipit ex ambobus. Ad hæc in eodem libro verba hæc habet; Et quemadmodum nemo vidit Patrem nisi Filius, neq; Filium nisi Pater; ita dicere audeo, neq; Spiritum S. nouit quisquam, nisi Pater & Filius, à quo accipit & procedit; nec Filium & Patrem nisi Spiritus sanctus, qui vere clarificat, qui docet omnia, qui est à Patre & Filio. In hoc sane dicto S. Epiphanius pro eodem accipit esse à Patre & Filio, & accipere à Patre & Filio. Hinc igitur primo loco habemus ex S. Epiphanio, Spiritum S. accipere suum esse à Patre & Filio.

Polli-

Ephes. Pollicitus te probaturum, quod à Filio Spiritus accipiat suum esse, nequaquam id præstare potuisti; nec locum putasti, in quo planis verbis à doctore quopiā illud dicatur, aut à quo necessario inferatur. Neq; n. ex eo quod Spiritus sit ex Patre & Filio, continuo etiam habet esse ab illis: esse enim ab aliquo multipliciter dicitur; nec est necesse, omne quod ab aliquo esse dicitur, ab eodem quoq; habeat esse, & necessario illud sui causam habeat. locus vero sancti Epiphanii, quem attulisti, non modo rationi tuæ non fauet, sed perspicue aduersatur: non enim ita dixit Beatus Epiphanius, Spiritus sanctus accipit esse à Filio, sed simpliciter, accipit. Hoc autem ab Euangelio sumpsit, vbi

Ioan. 16. Dominus ait; De meo accipiet, & annunciabit vobis. Liquet ergo S. Epiphanium non ita sentire, vt vos sentitis & dicitis. Si enim ita sentiret, ad hunc modum diceret: Nemo nouit Patrem & Filium, nisi Spiritus sanctus, à quibus procedit, & à quibus accipit; & procedere atq; accipere sumeret pro eodem: nunc autem pronomine & coniunctione distinguens, dum dicit; à quo procedit, & à quo accipit; declarat aliud se intelligere per verbum, procedit; & aliud per, accipit: quod procedere significet ipsam existentiam sancti Spiritus, quæ est à Patre; accipere autem denotet consensionem & conuenientiam sancti Spiritus cum Patre & Filio; iuxta quam Spiritus sanctus accipiens occasionem ab ipso Filio, discipulis annuntiat quæ ab ipso discere illos oportet, ex hoc ergo dicto nihil est à te illatum, quo necessario concludatur id quod volebas: ex neutro quippe horum dictorum videtur Spiritus sanctus esse suum accipere à Filio. Hæc ita se habere, testes mihi sunt Chrysostomus, & Beatus Cyrillus. Nam ille, quid sit Spiritum à Filio accipere, exponens

Homil. in Ioan. 78. ait. Accipiet à me; hoc est à mea scientia; siue consona & congruentia meis sermonibus dicet. Cyrillus autem in Thesauris, Non enim in quit, Filius dum dixit, De meo accipiet, & annunciabit vobis; suam à natura Patris differentiam significauit; sed quod futurum esset, vt Spiritus sanctus eius vteretur verbis: quippe qui eiusdem sit substantiæ, eiusdemq; omnino naturæ, & æque ac ille operetur atq; loquatur. Si igitur accipere à Filio Spiritum sanctum & annunciare Apostolis: ita à Sanctis intellectum & declaratum est, vt sit referendum ad sermones: ex hac certe voce non possumus deducere, quod sanctus Spiritus accipiat à Filio suum esse.

Cap. 14.

Ioannes. Percepimus quæ sunt à te dicta, Pater Reuerendissime, quibus sensum meum à mente Epiphanii remouere voluisti. Verum ego instare volo, & ostendere, sancti Epiphanii verba hoc sibi velle: quod scilicet Spiritus sanctus accipiat esse à Filio. esse enim aliquid ab alio nullo alio modo potest intelligi, quam vt accipiat esse, quatenus ab illo est. Ita nos dicimus, & B. Dionysius lib. de diuinis nominibus c. 1. Creaturas esse à Deo. nunc ergo quæro ex te, cum dicimus creaturas esse à Deo, intelligimusne creaturas accipere suum esse à Deo?

Ephes. Ita plane intelligimus. Cæterum non quidquid ex aliquo est, habet etiam esse ab illo.

Ioannes. Ephes. Concedis creaturas habere suum esse à Deo.

Ioannes. Creaturæ differēter accipiunt suum esse à Deo. Concedo: ideo dicuntur creaturæ, quod earum causa est Deus.

Quoniam creaturæ differenter accipiunt suum esse à Deo, propterea differenter etiam dicuntur esse à substantia Dei: at in dicto suo Epiphanius, Spiritus, inquit, est à Filio; est autem infert esse: aut enim infert esse, aut aliud; neq; enim esse à Filio aliud est, quam distinctum quid esse, non est ergo dicendum, Spiritum non habere esse à Filio. Quare necessario colligitur, Spiritum habere idem esse à Filio, quod habet etiam à Patre: hoc enim significatur, cum dicit, est.

Ephes. Ioannes. Compleatur hoc, tumq; concedimus.

Ita se habet dictum.

Liber hic iam olim corruptus est; possumus tamen remedium adhibere: legatur ergo, vt audiamus: dicimus enim, intelligi ex ambobus, sed non habeti ipsum quoq; verbum, est. *Ephes.*

Sic ait; neq; Spiritum quis nouit, nisi Pater & Filius, à quo accipit, & à quo procedit: ita vt processio referatur ad Patrem, accipere vero ad Filium. Deinde cum in subsequentibus demonstrare vellet, quid sit accipere, quidue procedere, hæc infert: Neq; Patrem & Filium, nisi Spiritus sanctus, qui vere clarificat, qui docet omnia, qui est à Patre & Filio. Et vide; quod prius dixerat repetens, hæc dicit; qui à Filio est. Quoniam vero in diuinis idem est esse ac est; significatur autem esse per est: ex Filio ergo est & habere esse, quemadmodum & à Patre: alioquin dicendum esset, Spiritum sanctum habere esse à Patre & Filio, sicut & creaturæ. quod vero sensus hic sit, ex eodem Ancorato patet, in quo hæc habet: Spiritus sanctus semper non genitus, non factus, non adiunctus frater, non auus, sed à substantia Patris & Filii. Non ergo possumus intelligere, illum non habere esse à Filio. *Ioannes.*

Asserit tua reuerentia, Spiritum sanctum quia dicitur ex Patre & Filio, habere etiam esse ex illis, necessario ergo intelligis, cum dicitur ex Patre, esse ex illius subsistentia; & cum dicitur ex Filio, esse ex illius subsistentia: & cum dicitur ex ambobus, esse ex eorum subsistentia: respondeo. *Ephes.*

Ad hæc respondeo. Cum dicimus Spiritum sanctū à Patre, intelligimus illum à Patre, quatenus Pater diuina persona est: & cum dicimus ex Filio, intelligimus ex eius subsistentia. Cum vero ex ambobus, ita dicimus, vt Spiritus sanctus ab vno principio sit; quandoquidem Spiritus sancti processionem Pater filio communicat. *Ioannes.*

Si illud ex Patre, intelligitur ex eius subsistentia; atq; illud ex Filio, ex eius subsistentia; cum & ex ambobus audis, quid aliud intelligis, quam ex vtraq; subsistentia? positum tamen sit in præsentia, cum audimus, ex Patre, vt ex eius subsistentia intelligamus; idq; necessario, quod ex Patre: examinetur quod de Patre in confesso est, etiam de ambobus. Cum audimus ex Filio, necessario intelligendum est, ex eius subsistentia? an potest hoc aliter etiam à nobis intelligi? *Ephes.*

XLVI. *Ioannes. Quomodo fias vt ab vno Spir. S. producatur. Ephes. Ioannes.*

Nos concedimus, quotiescunq; dicitur esse à Patre, dici ex eius subsistentia; & quotiescunq; à Filio, intelligi ex eius subsistentia. Porro quia Patris & Filii eadem est substantia, est a. Patris producere, est etiam Filii; ita fit, vt ab vno Spiritus sanctus producatur.

Examinemus hoc, cum ex ambobus dicitur, an sit ex eorum quoq; subsistentia.

In præsenti non debemus examinare: an ab vtroq;, an à Patre, an à Filio: sed an quod ab aliquo esse dicitur, habeat essentiam ab illo. *Ephes.*

Concessisti nobis & hoc; Spiritum S. cum dicitur esse ex Patre, ex eius esse subsistētia. Videamus ergo q̄d sequatur ex hoc, quod tu ipse dedisti. Basilius M. in sermonibus, quibus Eunomium confutauit, loquens de productione S. Spiritus ex Patre, his vtitur verbis: Generat Deus non vt homo, vere tamen generat: & quod ab ipso genitum est, emittit Spiritum per os, non qualis est hominum; nam neq; os Dei corporeum intelligimus: ex ipso a. Spiritus, & non aliunde. Si ergo Spiritum ex ipso audientes intelligimus ex eius subsistētia; perspicue iam Basilius M. pronunciauit, ex sola Patris hypostasi, & non ex alia quadam hypostasi esse Spiritum S. *Ser. 5. c. 13*

Ex hoc ipso loco, in quo M. Basilium ais aperte declarasse, Spiritum ex solo esse Patre & non aliunde, cōtrarium eius habetur, quod protulisti: nam tertio contra Eunomium libro asserit; Spiritum accipere à Filio suum esse; estq; hoc in codice vetustissimo: ait enim, Generat Pater nō vt homo, & emittit Spiritum per os. In Deo non est os, sed hæc per similitudinem assumun- *Io inmss.*

tur; & nos concedimus. Nam in sacra Scriptura Verbum appellatur os Dei: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius, &c. hoc enim loquendi modo placuit vti Scripturæ, ad quam nos respicimus, nõh quod ea corporea sint. Quare hæc ipsa etiam Basilii magni verba ad rem nostram faciunt, examinemus ergo primum quæ dicta sunt, tum q; reliqua etiam recitabuntur.

Psal.32.

Deinde frater Andreas recitauit Basilii & Epiphanii locum.

Ephes.

Ad hoc respondebimus postea; nunc autem omissis aliis illud vnum quod proposuimus vsq; ad finem expendamus. Quærimus igitur à reuerentia tua: magnus Basilius ait, Patrem generare ex se, & emittere Spiritum per os suum, non qualis est hominum; ex ipso vere, & non aliunde. quid significare vult? Patrem ne ex sua subsistentia generare, an ex sua substantia? & emittere Spiritum ex sua substantia, an ex sua subsistentia? & quid sibi vult in hoc dicto illud, ex ipso? responde.

Ioannes.

Reuerentia tua non respondit ad propositum Epiphanii locum, ex Filio; videlicet, dum Spiritus à Filio dicitur, sequi, illum habere suum esse à Filio. Itaq; responde, tum q; respondebimus & nos ad ea, quæ vos proponitis. Præterea M. Basilius clarius hoc idem testatur dicens, Spiritus ex Filio habet & accipit. Quomodo intelligatis quod allatum est, dicite: tum q; vlterius procedemus.

Ser.3.con. Eunomiũ.

Ephes.

Si hoc ex S. Epiphanio demonstrasses, Spiritum S. habere esse à Filio, solutum iam esset à nobis quod dixisti: nam demonstrandum tu quidem illud sumpsisti, nondum tamen demonstrasti: neq; enim expressis verbis, Spiritum, inquit, sanctum habere suum esse à Filio, sed ab vtroq; esse, hoc est, de Patre & Filio intelligi. Quæsiuimus, an illud, ex Patre, necessario intelligendum sit ex eius subsistentia: & dixisti, te ita necessario intelligere; Idcirco protulisti dictum Epiphanii: transeuntes vero ad S. Basilium quæsiuimus, num ita intelligas illud etiam, ex ipso, responde igitur, quomodo intelligas, vt similia ex similibus plana fiant: si vero habes aliud dictum, quod affirmet oppositum, postmodum expendetur. Item ergo quærimus, an vocem illam, ex Patre, ita intelligas, vt ex subsistentia eius.

Ioannes. Ephes.

De hoc sæpe dixi, & iterum dico, ita à nobis intelligi. Ex concessis à tua reuerentia Basilius M. ex ipso dicens Patre & non aliunde, statuit ex ipsa Patris subsistentia & non aliunde, hoc est ex alia quadam hypostasi; hoc autem idem est atq; ex solo Patre esse Spiritum S.

Ioannes.

Quando hæc dicebat M. Basilius, sermo illi erat, aduersus Eunomium: ille enim asserebat, Spiritum sanctum esse creaturam: propterea dixit, ex ipso, & non aliunde; illud significans, quod sit ex natura eius: Quare volens ostendere esse ex Patre, dixit, non aliunde. At nos ad prius dicta sermonem conuertamus. Quoniam Epiphan. dicit, Spiritum esse ex Filio; quærimus, accipere ne idem sit ac esse ex Patre, nec ne. Et quia fieri non potest, vt diuersum quid sit, quod accipit Spiritus S., esse suum accipit ex communicatione naturæ paternæ; idq; per duos textus demonstrauit; quorum primus est ille: Semper est non genitus, non factus, non frater, sed ex substantia Patris & Filii. Esse igitur à Patre idem est atq; ipsam accipere substantiam: accipit autem esse ex Filio. alter vero textus est M. Basilii, nempe, accipit esse ex Filio.

Ephes.

Supposuisti rursus vt confessum, quod Spiritus sanctus acciplat esse ex Filio; quod nec à M. Epiphanio, neq; à nobis fuit concessum, nec à te potuit manifeste demonstrari: sed potius ex M. Basilii verbis oppositum ostendimus. Redeamus ad M. Basilium; Visus enim es contraria dicere prius dictis. Quod magnus Basilius pugnans cum Eunomio Spiritum sanctum asserente creaturam, ex Patre ipso dixerit, hoc est, de substantia & natura eius, & non veluti creaturam aliquam aliunde, siue ex alia substantia. Ita dicis, an vt prius dixisti?

Nicænus.

Per vocem illam, ex ipso, significari prius dixisti Paternam subsistentiam, deinde substantiam.

Ioannes.

Esse & essentia Patris idem est; idcirco quando ex Patre dicimus, quod etiam ex eius substantia sit, affirmamus. Nam hæc prepositio, ab, productionem significat ab aliquo principio consubstantiali. Spiritus S. non est ex se, sed ex aliquo, Cum dicimus illum esse à Filio, ab alio plane dicimus. Si igitur esse non est ex se sed ex alio, videamus vnde sit: hoc a. declarat Basilius, cuius verbis non habere fidem non licet; Accipit esse ex ipso. Et Epiphanius; De substãtia Patris & Filii. Itaq; esse habet à Patre & Filio. Si ergo de illis habet, ergo etiam accipit. In his sententiis fundari sunt Patres dicto illo Euangelii, De meo accipiet. hæc postmodum accurate examinabuntur.

Ioan.16.

Ephes.

Rursus, vt M. Basilii dictum plane euacuetur; idem ne esse in diuinis putas substantiam & hypostasim, siue personam? cum q; audierimus ex Patre, & hypostasi, idem esse intelligemus essentiam & hypostasim; an vero differunt inter se essentia & hypostasis secundum Doctores?

Ioannes.

Vos quæritis, an idem sit in diuinis personis substantia & persona siue hypostasis. Nos vero dicimus, substãtiam & personam siue hypostasim esse idem re, differre autem nostro modo intelligendi; ita vt persona constet ex substantia & proprietatibus. Nunc igitur quoniam intelligentia & ratione distinguuntur, substantia quidem communicatur personis, proprietates vero nullo modo communicantur: idq; prouenit ex vi relationis. Hoc etiam vos habetis, præsertim in loco illo Orationis in Epiphaniam sancti Gregorii Theologi; Proprium enim vniuscuiusq; incommunicabile est: nam aliter non esset proprietas, si transmearet, ac transferretur in aliud. Vt igitur personæ distinguantur, incommunicabiles sint personales proprietates necesse est. Propterea Doctores aiunt, nihil esse nisi relationem originis; atq; in hac relatione duo considerari, à quo aliquid, & ad quod aliquid: & ideo duo hæc considerantur, Pater & Filius, quia Pater principium, Filius à principio: sed inter se non communicant, at vero in reliquis inter se communicant. Ita sentit Epiphanius de originis habitudine constituente personas: & hunc nihil aliud congruit, quam à quo aliquid, & ad quod aliquid. Quoniam igitur in diuinis præter hypostaticas & personales proprietates cætera omnia communia sunt, sequitur, cum aliquid ex aliquo esse dicimus, vt intelligamus ex illo etiam accipere suum esse. Ecce declarauí; & obsecro ad dictum quoq; Basilii M. respondeatis.

Nicænus. Ioannes. Ioannes. Ephes. Ioannes. XLVII. Quomodo substantia & persona seu hypostasis idem sint & quo modo inter se differant in proposito casu Ser. in S. lumina Epiphani.

Quomodo inter se differant essentia & hypostasis in diuinis, non est huius temporis disputare: fortasse n. hac in parte nulla est inter nos discrepantia: quod vero simpliciter differant substantia & hypostasis, perspicuum est: eo scil. modo, quo proprium à communi differt: quemadmodum & magnus asserit Basilius scribens ad Gregor. fratrem; sicut essentia hominis communi ratione sumpti, & plona ac hypostasis differunt. hoc, vt arbitror, vobis etiam ita videtur. Veniamus itaq; rursus ad primum dictũ, quid significare vellet M. Basilius dicens; Generat Deus ex se ipso vere, & emittit Spiritum per os suum; ex suane substantia, an ex sua hypostasi?

XLIII. Ioannes. Respondet quæstioni, Quid S. Basil. significare velit quãdo dicit Generat Deus ex se ipso, vere, an ex sua substãtia, an ex sua hypostasi?

Ego affirmaui, quod dicimus, Filium à Patre generari, idem esse ac dicere, Filium generari à substãtia Patris; ita vt quod producit siue generat, persona sit; principium vero per quod generat, sit ipsa quæ aliis communicatur. Pater est principium generans: Pater importat suppositum; diuina vero substantia, quę realiter id est quod Pater, non est quod generat, quia non significatur per modum suppositi; actiones vero sunt suppositorum, & principium de propriis vnum est, vt

omnis

omnis Philosophia docet; Essentia vero principium, per quod generat. Idcirco in humanis est qui generat, hic homo, hoc est persona, suppositum subsistens: substantia vero causa est, quando quidem actiones suppositorum esse dicuntur. in homine est humanitas; hæc dicitur principium, per quod homo generat, & homo per hoc non communicat cum filio, quando quidem filius non generat: sed natura communis est in Filio eiusdem speciei & eiusdem quidditatis: hoc igitur quod communicatur natura est, agens vero est hypostasis. Nunc ergo in diuinis dicimus secundum intelligentiæ nostræ modum: personam Patris significari vt suppositum, vt persona sit generans: naturam vero diuinam esse principium, per quod Pater generat Filium. Ita Pater generat Filium, & non communicat personalitate sed natura, cum substantia siue natura communicetur Filio: & quoniam natura eadem numero est, propterea dicimus non posse esse quid commune eo modo, qui in natura reperitur humana: sed habet rationem communis, quatenus est communicabilis. Hæc est causa, ob quam Filius dicitur generari à Patre vt à principio: est autem à diuina substantia siue à Patre, stante reali identitate cum vnaquaque persona. Est vero secundum doctores tam Græcos, quam Latinos sola relatio, quæ multiplicat personas in diuinis productionibus, quæ vocatur originis: ad quam duo tantum spectant, à quo alius, & qui ab alio: nunc ergo Spiritum esse dicit ab alio. Quoniam igitur relationes multiplicantes personas hæ sunt, quo quidem modo Pater est à quo alius, & Filius qui ab alio: & nulla est alia ratio distinctionis in diuinis, nisi propter hoc, quod aliqua persona sit ab alia: sequitur necessario secundum tam Græcos quam Latinos doctores, vt talis persona dicatur accipere, & esse, eo quod sit ab alio: & hic est Epiphanii magni & Basilii sensus, cum ait, Spiritum accipere suum esse ex Filio, quod in diuinis idem est atque procedere. Stat ergo iam prima ratio, qua dicebamus esse ab alio: immo demonstratum est. Quoniam vero ex dicto magni Basilii à vobis prolato in antecedentibus videbamini argumento vestro magnum robur afferre; propterea commodum visum est, illud coram omnibus legi, vt integer Basilii magni locus intelligatur: nunc vero sensum eiusdem capiris Latine explicabimus. In hoc capite magnus Basilius conatur ostendere, Spiritum sanctum ex Patre esse, & non aliunde, hoc est ex alia substantia, ait ergo post pauca ad eundem Eunomium: Sed tu perinde ac infideles ad blasphemandum propensus, quia processio Spiritus ex Deo non est appellata generatio, idcirco nec otis Dei Spiritum esse credis, sed opus manuum Dei, & humana spermens exempla diuina euertis dogmata, quæ per illa cognoscuntur, cum oporteat diuina verba cum timore audire, & omne quod dicitur cum pietate suscipere, & non contra pietatem insulsissimis vti argumentis. Generat Deus non vt homo, vere tamen generat: & quod ex ipso genitum est annunciat verbum non humanum, vere tamen ex ipso verbum emittit: & emittit Spiritum per os, non more humano, quandoquidem nec Dei os humanum est; ex ipso enim Spiritus, & non aliunde. Nunc ergo videris magnum Basilium, ideo quod inferebant illi, Spiritũ dicentes creaturam, contrario vti argumento, & ostendere illum ex substantia Dei esse, & non aliunde. Rursus; Operatur, inquit, Deus non humanis manibus; operatur autem non ex seipso res creatas producens, sed actione sua facit, vt illæ subsistant; quemadmodum homo qui manibus operatur, non ex se ipso producit opus. Et Noli diuinorum eloquiorum terminos dimouere: Filius Filius est, Spiritus Spiritus, non creatura: neq; de Filio quæras cur non dicatur Spiritus; neque de Spiritu, cur non sit Filius: neque Filium aut Spiritum creaturam esse blasphemes. Filius est Dei fructus, de sancto sanctus, de æterno æternus, subministrator sancti Spiritus ad constitutionem formationemque creaturæ. Hactenus perspectum habemus, vocem illam, non aliunde, sic intelligi, nimirum non ex alia substantia: deinde, Spiritum esse fructum, de sancto sanctum, de æterno æternum. Nunc ergo patet ex hoc, si sancti Spiritus est subministrator, dator videlicet & largitor, sequi, vt Spiritus sanctus ex ipso etiam sit. Et sanctus Athanasius tertio contra Arianos libro, de Filio dicit; Ipse Spiritum dat, & quæcunque habet Spiritus, ea habet à Verbo: ex quo probarur clarius, Spiritum sanctam habere suum esse à Filio. Si enim quæcunque habet Spiritus, habet à Fillo, habet ergo etiã esse ab illo; idque cõcludit Athanasius, ipsum scilicet esse datorem & largitorem Spiritus. Itaque habemus ex hoc capite, Spiritum sanctum esse ex Filio: sequitur ergo, vt Spiritus Sanctus procedat etiam ex Filio. Ego certe tantos doctores nec aduersos contueri ausim.

†quærto.

Recitauit frater Andreas locum Epiphanii in illud dictum: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: & cetera. Statimque Ephesius dixit.

Ioan.16.

Audi Archiepiscope. Videtis Patres, verbum est, nõ esse appositum, quod Paret iste assumebat ad inferendum esse; dicebat enim, quoniam ex Patre & Filio est, cum tamen non sit positum, est; sed simpliciter dictum sit, ex Patre & Filio. Possumus ergo intelligere iuxta Patrum Theologiam, Spiritum vt quidẽ ex Patre, procedere, hoc est suam subsistentiam habere: à Filio autem dari, & à credentibus in ipsam accipi: atq; ita nihil nobis obstat hoc dictum, neque concludit quod est à vobis propositum.

Ephes.

Non esse appositum, est, cum dicitur à Patre & Filio, factum est ex vsu multorum doctorum, qui nominibus positis omittunt verbum, quod necessario intelligendum est; quemadmodum doctores de distinctione ac discretione loquentes vtuntur his terminis, à quo aliquid, & ad quod aliquid. Deinde paulo supra, Filium, inquit, voco, qui ex ipso est; Spiritum vero, qui ab vtrisq; ue: subintelligitur, est. In secũdo etiam dicto, Spiritus autem, inquit, ex Patre & Filio. nunc ergo in his duabus præpositionibus continetur verbum, est, vt demõstrabo; quoniam præpositiones important proprietatem, quæ est esse à principio: & sicut processio non infert respectum termini à quo, ita & hic. nam habitudo hæc respicit terminum à quo, necessario quoque terminum ex quo, modus autem processionis sancti Spiritus est, vt ipsum suppositum accipiat esse per processionem.

Ioannes. Vbi dicitur Spiritum vero qui ex vtrisq; subintelligendum est.

Vt etiam demus & concedamus, in proposita de diuinis sententia intelligi verbum, est, licet expressum nõ sit, quamquam potest etiam aliter intelligi, eo quod diximus modo, non tamen necessario dũ audimus ex Patre, vel ex Filio, paternam hypostasim intelligimus, sed possimus intelligere non distinctionem, secundum quam Filius habet esse à Patre, vel Spiritus S. à Patre & Filio, sed potius coniunctionem, secundum quam Filius est Patri connaturalis, & Spiritus Patri & Filio, id enim reperimus apud doctores, ex Patre scilicet ac Filio, & eorum subsistantiae esse Spiritum sanctum, quoniam Patri & Filio connaturalis & consubstantialis est: & constat hoc ex sancto Cyrillo veluti conclusionem deducere, quod Spiritus sanctus sit de essentia Patris & Filii. Sed vt ad propositum redeamus, & imperfectum illud non relinquamus, de verbis magni Basilii dicimus, quia nõdum plane perspicueque respondistis. Si quidẽ ex Patre dixit, vt pote ex eius hypostasi; atque ita intelligitur illud, nõ aliunde; ad aliam refertur hypostasim: & proculdubio dicit non esse ex alia quam ex hypostasi solius Patris. Si vero essentiam intelligit, quæ tribus personis communis est; ex ipso, & non aliunde; hoc est ex eadem natura, inquit, & non alia: nam que procedere ex Patre, in scriptura testatum est. Et sanctus Epiphanius dum ex ambobus ait, ex Patre & Filio, non necessario significare vult ex eorum subsistentiis, sed ex eorũ substantia. In diuinis ergo quod dicitur ex eorum substan-

Ephes.

tia, non necessario dicetur etiam ex eorum subsistentia: sed potest dici & esse ex eorum substantia tanquam consubstantiale, vt dictum est.

Ioannes. Ex hoc duo habeo; primum, etsi subintelligitur verbum, est, in sententiis allatis; non tamen sequi, vt si habeat esse, sit etiam ex hypostasi: & videtur hoc priorib. tuis dictis contrarium. Quoniam vehementer inniteris dicto magni Basilii, dicimus; Basilium non ita exposuisse: nam pugnantia fuisset locutus. Si enim ex Patre, dicit, & non aliunde: & alibi dicit, ex Filio, profecto secum ipse pugnaret. Debemus ergo textum inspicere, & inde consequens intelligemus.

His ita dictis dimissa est Synodus, sessione in quintam reseruata feriam: quæ cum venisset, & nos rursus conuenissemus, præsente quoque Imperatore nostro, Patriarcha vero absente propter ægram valetudinem, Latinus iterum est orsus, & multa cum fiducia sic est locutus.

SESSIO XIX.

QVINTO DIE MENSIS MARTII, FERIA quinta.

XLIX. *Ioannes. Ad obiectionem ex Basilio.* RElinquimus, Patres Reuerendissimi, superiore sessione dictum Basilii à vobis prolatum: ex quo sensum Basilii esse dicebatis, vt Spiritum sanctum dicat esse ex ore Patris, & non aliunde, hoc est à nulla alia persona, vt vos exponitis. Ego vero respondi illud, non aliunde, sic intelligi; vt sit non ex alia, quam diuina substantia. ratio est, quia Basilius in libro contra Eunomium asserit, Spiritum sanctum habere esse ex Filio: non ergo poterat, nisi secum ipse pugnans dicere, Spiritum à nulla alia esse persona. Propterea petii, vt in ipso codice textus Basilii perspiceretur, atque omnibus de mente Basilii patefieret veritas; quandoquidem huiusmodi doctores fundamenta sunt nostræ fidei. Vidimus porro nos Basilii magni dictum cum duobus interpretibus; & conati sumus illud in nostram linguam conuertere nihil addendo vel detrahendo. Habemus ergo Basilium fidelissimum & antiquissimum testem, habemus & interpretationem. Idcirco, vt hi Reuerendi Patres audiant; prius Latine recitabo: deinde legetur etiam dictum, vt est in ipso codice. Si vero vultis, recitentur prius Græca Basilii magni verba. Quod licet Spiritus non vocetur Filius. &. Quomodo exempla humana, &c. Quod vero Basilius magnus velit, Spiritum sanctum habere suum esse ex Filio, in sequenti capite declarat ipse his verbis. Quoniam est valde magni momenti caput, multumq; facit ad rem (certo vero scio te dictum hoc Basilii magni vidisse, cum tu illud protuleris) idcirco audiantur verba: agunt enim de eadem re, in capite, cui titulus est. Quod nisi quis dicat Spiritum sanctum ex Deo, nec Verbum, &c.

Ephes. Quoddicis ex alio capite est: ne ergo dicta connecte, sed profer illa vt se habent: nam hoc idem fecisti in verbis sancti Epiphanii; & proinde sensus confunditur. Quapropter examinetur quæ tu dixisti. Quod à tua expositione dicti à nobis prolati, & reliquo tuo sermone colligitur, est: Basiliũ magnũ, cum dicit, Ex ipso Patre Spiritus est & non aliunde: non tribuere hoc speciatim subsistentiæ Patris, vt illud aliunde: perindefit atque ex alia quadam, hypostasi; sed loqui simpliciter, ex Patre, hoc est, ex natura Patris: vt vox, non aliunde, significet non extrinsecus, neque ex alia quadã substantia, siue natura, vt vna videlicet è creaturis, quod aiebat Eunomius. Nos expositionem hanc audientes, cũ Spiritus sanctus dicitur ex patre vel ex Filio, nequaquam intelligere cogimur processionem ex hypostasi Patris, vel ex hypostasi Filii, vel ex amborum hypostasibus: sed ex Patre & Filio audientes possumus ita accipere, vt sit ex eorum substantia, id est, consubstantialis ipsis, & non ex alia quadam substantia, vt vna de numero creaturarum; Hoc enim Theologi etiam sæpe syllogismis & demonstrationibus probant. si vero esset necessarium, dũ ex Patre & Filio audimus, intelligere ex eorum hypostasi; profecto sancti id ratiocinationibus non demonstrarent.

Ioannes. Ex tuis verbis duo quædam collegi: primum, quoniam in dicto magni Basilii non dicitur Spiritus sanctus esse ex Patre & Filio, propterea te quoq; non cogi illud asserere: alterum, Basilii magni mentem fuisse hanc, vt Spiritus sanctus non sit alienæ naturæ, sed eius quam habet Pater: & Spiritum sanctum non intelligi à Patre, sed ex substantia Patris & Filii. Itaque per te substantia est, quæ producit Spiritum sanctum.

Ephes. Volo breui quidpiam dicere, vt mox ipse loquaris. magni Basilii consilium, quoniam cum hæreticis decertabat asserentibus, Spiritum sanctũ esse alienum à substantia Patris & Filii, non erat ostendere, vndenam Spiritus sanctus habeat esse. hoc enim fatentur etiam hæretici, nempe illius causam esse Deum; quandoquidem omnia à Deo sunt: nec etiam quænam hypostasis sit causa Spiritus sancti; compertũ enim & hoc est ex Euangelio, Spiritum scilicet procedere à Patre: sed propositum ei erat ostendere, Spiritum sanctum, cum ex Deo sit, non esse vt vnam creaturarum, verum ex eius substantia procedere, sicut & Filium. Idcirco cum dicit; Ex ipso Spiritus; significat, ex substantia eius & non extrinsecus.

Ioannes. Dicis, scopum fuisse Basilio demonstrare, Spiritum sanctum eius plane esse substantiæ, cuius Pater, & Filius, & non alterius, vt asserebant hæretici. Secundo, non fuisse opus Basilio probare, quæ nam sit causa Spiritus, Pater ne an Filius. Tertio, institutum Basilii fuisse illud, vt Spiritus sanctus sit substantiæ Patris, & non alterius. Ad primum ergo dicimus, nos in eo satis conuenire, vt scilicet Basilius voluerit demonstrare, Spiritum sanctum esse paternæ substantiæ, & non aliunde: Consentimus de hoc; quare nihil dico. Contra vero secundum; quod scilicet illi non fuerit propositum demonstrare, vtrum Pater & Filius sit causa Spiritus, repugnonam ex hoc dicto contrarium eius sequitur, quod superiore sessione dixisti. Tunc enim vocem, non aliunde, significare dixisti, non ex alia hypostasi: nunc vero negas, personam hanc ex illa persona esse; sed clarius hoc præterea demonstratur; Nam idem eodem capite, Spiritus, inquit, ex Dei est ore. Nunc igitur quæro ex te, quid intelligas per illud, ex ore Dei; ex Patre ne, an vero ex ore, videlicet Filio? quodcunque responderis, necesse est sermonem esse de causa Spiritus. Ad tertium vero dico, fate i nos etiam; Spiritum sanctum esse ex Patris substantia; quandoquidem eadem numero est Patris & Filii substantia: neq; enim aut creatus aut imaginarius est, vt cum ex Patre sit; non sit etiam ex Filio, quatenus accipit à Patre quod Patris est, videlicet essentiam. Dicat tua Reuerentia, & respondeat ad secundum & tertium; de primo enim consentimus.

Ephesi. Ego recepta tua expositione non sum locutus pugnantia, sed dixi tibi contraria, qui coram hisce auditoribus vsque adeo tecum pugnas. Nam heri interrogatus à me, an ex ipso Patre audiens, intelligeres necessario ex ipsa Patris hypostasi, affirmasti. Ad hoc ego protuli Basilii magni dictum; & quoniam ille dicit, Spiritum ex ipso Patre esse & non aliunde, coegi te ex concessis fateri de sola Patris hypostasi & non aliunde, hoc est, ex alia quapiam hypostasia. Quæ igitur dixisti heri, congruentia erant iis quę concesseras. Postea vero mutata sententia, aliam dicti expositionem amplexus, quod vox illa, ex ipso Patre, non necessario intelligenda sit per inde atque ex eius hypostasi; sed possit intelligi, ex ipso Patre, hoc est, ex eius natura propter consubstantialitatem, & non aliunde; fecisti vt hanc tuam expositionem susciperemus. Sequentes igitur tuum sensum diximus, & ex iis quæ ipse dixisti, colligimus quæ necessario consequuntur, non ipsi nobis contraria pugnantiaque loquentes. Ex hac ergo tua expositio

ne colligitur, Dum audimus Spiritum ex Patre & Filio, & exambobus, non necessario est intelligendum ex eorum quoque subsistentiis, sed simpliciter ex eorum substantia, vt consubstantialem ipsis: quemadmodum & nos dici possumus alter ex alterius esse substantia propter essentiæ identitatem, non tamen alter ex alterius hypostasi. Ita apud sacram Scripturam Isaac ad Iacob de Esau, Frater inquit, tuus est; & de tua natura est. Constat autem fratrem non esse ex Fratris hypostasi, sed ex natura eius vt connaturalem & consubstantialem.

Videtur esse locus Gen. 29. 14.

Ioannes. Quæ proxima sessione dixi, declarans quo pacto Spiritus & à substantia sit & ab hypostasi, percepit satis aperteq; vniuersus hic Reuerendissimorum Patrum cœtus; planeq; omnes cognouerunt, Basilium non ita esse intelligendum, vt Spiritus non sit ex alia persona. Idcirco ne frustra tempus absumatur in superuacaneis, de principali tantum puncto abs te quæro: fortasse enim dabit nobis Spiritus sanctus vt conueniamus, & primo quidem quæ dixisti, delumens ea ex nostris verbis, placent satis; verum enim est, quod fuit à te dictum; Basilium in hoc capite dixisse, non aliunde, hoc est, non ex alia substantia: nam si hic fuit scopus magno Basilio, vt asseruisti, nulla certe ex parte dictis meis adnectitur. Quapropter accedo ad tertium, quandoquidem de secundo conser simus.

Ephes. Hodie respondendo ad secundum illud, de dicto illius capitis mentionem fecisti: & explanando vocem, aliunde, hoc est, non ex aliena substantia, sed paterna.

Ioannes. Esto, fateor hoc & admitto.

Ephes. Dixisti, cum Spiritus S. dicitur ex Patris substantia, cogi nos intelligere, ex substantia quoq; Filii eundem esse Spiritum sanctum, quoniam vna eademque numero est substantia Patris & Filii. Asseris ergo essentiam Patris & Filii esse causam Spiritus sancti.

Ioannes. Non ita dico; repetamus quæ dixi.

Ephes. Cum audimus Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filii, debemus intelligere causam, ita vt ex substantia Patris & Filii habeat esse Spiritus sanctus?

Ioannes. Non ita dicimus.

Ephes. Cum audimus, ex substantia Patris & Filii, necessario causam intelligere debemus?

L. *Ioannes. Quomodo intelligendum sit quando dicitur Spiritum S. esse ex substantia Patris & Filii.* Cum audimus, Spiritum S. esse ex substantia Patris & Filii, tunc necessario intelligere cogimur, vt è causa (sumo autem pro eodem nomen causæ, quo doctores nostri non vtuntur, sed eius loco voce principii) quoniam hoc loco ait, Spiritum esse ex ore Patris: est porro illi propositum agere de causa Spiritus; propterea quæsiui, debeamus ne intelligere ex ore, hoc est, ex Patre, an vero ex Filio? quidquid enim dixerimus, causam intelligere debemus. In Euangelio quippe satis declaratum est. Spiritũ S. ex Patre procedere, videlicet ex eius quoq; substantia. Procedens autem ex Patre accipit etiam esse, vt iam declaratum est. Et quemadmodum accipit à Patre, substantiam eius scilicet, quod idem est atque esse à Patre; accipit pariter & à Filio; quandoquidem Patris & Filii substantia vna est. Exemplum vero Isaac & Esau non facit ad rem.

Ephes. Omitto in præsens Basilii magni & Euangelii verba: Tu vero mihi plane perspicueq; ad quæstium respondeas. Cum audimus Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filii, intelligere debemus illum esse ex eorum quoque substantia?

Ioannes. Hoc est, quod proxima sessione dixi, actiones esse suppositorum, sicut in humanis clamat vniuersa Philosophia. Quæro autem ex te, verumne sit actiones esse suppositorum?

Ephes. Non dico, an actiones sint suppositorum: respondeigitur, deinde ego ad hoc etiam respondebo.

Erat ergo Isaac in hoc mundo subiectum vnum, vnum suppositum: & sessione superiore diximus, in diuinis non esse substantiam quę generat, aut spirat; sed hypostases esse, quæ generant & spirant. Sequitur ergo, vt eius causa sit paterna hypostasis, non substantia: & quoniam hypostasis Patris quæ generat Filium, communicat Filio, propter hanc causam Doctores aiunt, Filium esse ex Patris substantia, & Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filii, vt seruetur personarum distinctio; alioquin personæ vnum sunt; non est enim relatiua oppositio. Habetis quæ ratione Spiritus habeat esse ex substantia Patris & Filii.

Ioannes. Indiuinis non est substantia quæ generat aut spirat sed sunt hypostases quæ generant ac spirant.

Ego non possum connectere tua dicta, videntur enim mihi inter se pugnare; modo dicis, ex substantia Patris & Filii, quæ vna eadem que numero est; modo vero mutata sententia dicis secundum Doctores, essentiam ipsam per se non esse causam subsistentiarum.

Ephes.

Quod Reuerendus Pater dicit, bene scientissimeque dicit. Tu quoque Pater Reuerendissime bene respondes, sed quod ambiguitatem affert, animaduerto est, vt mihi videtur. In communi doctorum cum Græcorum, quam Latinorum Theologia differt, diuinam substantiam dicere, & substantiam Patris & Filii nonne tamen re differre hoc puteris; sed apprehensione tantum & intelligentia. Quoniam igitur audimus doctores ita loquentes, diuinam substantiam concipimus animo, commune quid Patri & Filio & Spiritui sancto; Cum vero dicimus Patris substantiam, intelligimus personam Patris.

Rhod.

Interdum quidem, non tamen necessario, & semper.

Ephes.

Non possunt nostri respondere duobus, idque pugnantibus inter se.

Imperat.

Ad exempli declarationem dixi iam satis: dicam rursus pauci. In humanis suppositam esse substantiam, quæ communicat essentiam & naturam suam, vt in Isaac. Nunc ergo natura, humanitas quæ est in Isaac, non est quæ generat: sed natura Isaac est principium, per quod procreat Iacob; est que res quæ communicatur; quandoquidem natura Isaac est, quæ Iacob communis efficitur. Sic dicimus Iacob esse de natura Isaac. Quomodo igitur intelligenda est hæc propositio, ex natura Isaac non potest ita intelligi, vt sit ex Isaac, veluti supposito agente, quoniam actiones sunt suppositorũ hypostasium: ex natura vero Isaac vt à principio tribuitur Iacob. Si fieri posset, essentiam Iacob & Isaac non distingui, sed vnam esse, aptum esset exemplum: at quia diuina generatio inexplicabilis est, propterea Patrem dicimus esse subsistentem hypostasim, & hoc esse subiectum generans: quoniam generare est notionalis actio, & à supposito tantum esse dignoscitur. Est ergo substantia Patris principium, per quod generat Pater; & res quæ datur & communicatur Filio per generationem, & quam Filius accipit sibi communicatam; sicut in humanis natura & humanitas Isaac: nam Iacob accipit à supposito generante. Verum differentia est propter excellentiam. Natura hæc vna eademque numero est in Patre & Filio & Spiritu Sancto, atque ita nullo alio distinguuntur, quam eo quod Pater sit Pater, & Filius Filius: dicimus autem sapientiam in Deo & bonitatem & potentiam communicari, quoniam sunt eadem. Quia vero essentia est nomen abstractum, & non est suppositum, idcirco fieri non potest, vt illi conueniat generationis actio. Namque cum vna numero sit, si generaret, oporteret in diuinis esse differentiam: si quidem se ipsam non generaret, impossibile enim est; sed opus esset aliquid generari ab ipsa. Ita ergo concludunt omnes, substantiam in diuinis non generare. Dixi autem sæpius; & rursus dico; Cum Audimus Spiritum ex substan-

tia Patris, intelligere vt ex suppositо: similiter etiam cum ex Filio, vt ex suppositо. Nunc igitur vt veritatem assequamur, ad ipsum dictum accedamus, quandoquidem nil aliud agimus, quam veritatem inuestigamus.

Ephes. Ex iis quæ dixisti, collegi vt arbitror, essentiam Patris, & Filii, quæ vna & eadem numero est, esse principium Spiritus sancti; (hoc enim potius nomen arridere tibi videtur;) quandoquidem Pater & Filius producunt Spiritum secundum communem substantiam & naturam: quoniam igitur dum audis ex substantia Patris & Filii, intelligis vt ex causa; an non necessario sequitur vt intelligamus, substantiam Patris & Filii esse principium & causſam?

Ioannes. Ego principii nomen distinxi.

Ephes. Essentiam Patris & Filii aliquo prorsus modo vocas principium & causſam?

Ioannes. Vtique.

Ephes. Restat ergo, vt sancti Spiritus essentia causata sit, vtpote ex principio communi Patri & Filio emanans.

Ioannes. Ex communi principio, quod à Patre simul & Filio communicatur.

Ephes. Dico, communem Patri & Filio substantiam esse causam Spiritus sancti.

Ioannes. Est principium Spiritus, vt per quod:

Ephes. Quid ergo aliud superesset, nisi Spiritus sancti essentiam esse causatam?

Ioannes. Non sequitur.

Ephes. Quomodo non sequitur?

Ioannes. Causa, cur non sequatur, hæc est: Quoniam in humanis id quod productum est, non producitur nisi à suppositо agente: nec dicitur, subiectum hoc à mea natura productum est: non valet hæc consequentia. humanitas nostro modo considerandi est nomen abstractum, & significatione sua non denotat suppositum: at vero nomen hoc, Isaac, aut cuiusuis hominis significat ipsum suppositum, quod producit illud per humanitatem: hoc igitur suppositum producit ab humanitate.

Ephes. Ita quoque dicimus in diuinis?

Ioannes. Ita.

Ephes. Nunc ergo non sequitur, vt Spiritus sanctus sit ex substantia, & spiretur aut generetur ex substantia Patris; spiratus aut procedens ex substantia Filii?

Ioannes. Ego dixi vobis sessione proxime celebrata, illud in quod vltimo sancti Patres generalium Conciliorum omnia resoluebant, semper fuisse sanctorum Patrum testimonia, ita vt in vnaquaque definitione fidei decretum edituri proferrent Patrum testimonia, & omnes acquiescerent. hoc idem me facturum existimabam: & proinde antequam locos & testimonia ex dictis sanctorum proferrem, vos contra citastis locum Basilii iam allatum. Quare de explanatione dicti per me prolati satis iam dictum: nam omnes intelligunt.

Ephes. Nondum illa concluſimus.

Ioannes. Cum ego gratiæ causa voluerim fieri hanc disquisitionem, æquum est te etiam hoc mihi largiri, vt videamus testimonia: tumque quod inde colligitur, inueniamus.

Ephes. Locus paulo post expendetur. Interim nescimus, ex tuis verbis quid colligatur. Dixisti, in humanis suppositum ex hoc suppositо procreari, velut hominem ex hoc homine produci secundum communem naturam: & hominem non dici ex humanitate, sed ex hoc homine, secundum communem humanitatis naturam. Ita ergo in diuinis etiam dicendum est de persona diuina, sicut in humanis: non est igitur dicendum, personam aliquam ex communi essentia produci, cum essentia communis non sit vnum suppositum, & per se subsistens, ex quo aliud producatur. Cum ergo audimus ex Patre & Filio, non debemus intelligere causam: neque enim essentiæ proprium est generare aut producere; neque in humanis ita dici solet.

Volo necessaria demonstratione probare, cum aliquid ex aliquo dicimus, intelligi ex persona: idque demonstro per dictum magni Basilii, quod fuit proxima sessione prolatum. Is enim in tertio contra Eunomium libro sic ait; Cur enim necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, tertium quoque esse natura? dignitate enim esse à Filio secundum, cum habeat esse ab ipso, & cætera. Asserit igitur hoc loco Basilius, Spiritum habere suum esse ex ipso, & ab eo dependere tanquam ex causſa. Nunc ergo, quod antea asserebamus, accipere est habere esse, vt etiam doctores omnes iuxta Basilium sentiunt: Spiritus sanctus habet esse & accipit ex Filio, & ab eo dependet vt ex causſa: ergo necessario sequitur, vt si Spiritus sanctus accipit ex Filio, procedat etiam ex ipso. Quantæ vero fuerit auctoritatis Basilius in materia Spiritus sancti, testantur omnes, qui Chalcedonæ cõuenerunt, Patres in allocutione ad Marcianum, ita de eo dicentes: Sic magnus ille Basilius, gratiæ minister, exactam tradidit de sancto Spiritu doctrinam, & à consacerdotibus suis assensum per subscriptiones depoposcit. Si ergo Patres omnes in materia Spiritus sancti tantum Basilio tribuere; isque hoc loco tam aperte loquitur; debemus necessario sicuti & omnes illi Patres, & vniuersa Ecclesia, nos quoque omnes amplecti quæ magnus conscripsit Basilius. En liber vetustissimus, & si vultis legi, legatur.

Basilii magni dictum suo loco considerabimus, si prius, quid sibi tua dicta velint, concludamus.

Respondeo ad hæc; ex his enim destruuntur omnia.

Communem Patris & Filii substantiam, quæ vna eademque numero est, dicis esse causſam & principium Spiritus sancti, secundum quam procedit ex eo. Ex his ergo videtur causſata esse sancti Spiritus substantia; & proinde in sancta Trinitate duæ inferuntur substantiæ inter se oppositæ secundum causſam & causſatum: hoc autem procul est & omnino alienum à theologia Christianorum, atque à nullo vnquam doctore traditum: Substantia enim, inquiunt, nec generat, nec producit. sed neque per communem substantiam generat aut producit Pater, siue Filius, vt vos dicitis; sed per suam ipsius substantiam, siue suam hypostaticam proprietatem. Hæc quidem ex tuis verbis ita deducta sunt: & corrigenda profecto sunt aut alias, aut in præsenti. Nunc vero ad examinandum accedamus, si placet.

Legatur ergo liber. Volo tibi declarare hoc, quia non percepisti bene quæ dixi. Substantia quandoque sumitur pro eo quod exprimit ipsam rationem rei; ita dicimus definitionem significare quod quid erat esse rei; estque hoc entitas, essentia, siue natura: quæ significatu suo nunquam connotat subiectum, sed speciem illam, siue essentiam, siue naturam significat. altero modo accipitur substantia pro subiecto, de quo videre potestis apud Aristotelem 5. Metaphysicorum, quotupliciter dicatur substantia. nostri quoque distinguunt similiter. Itaque iuxta secundum modum substantia sumitur pro subiecto, quod substat superioribus speciebus ac generibus in lineæ substantiæ seu predicamentali, vt eam disponit Porphyrius: veluti Socrates, Plato: subiecta hæc sunt. Substantia hæc quæ ita subiectum est, vocatur aliquando hypostasis; quandoq; subsistentia, nonnunquam etiam appellatur res naturæ: cetera in natura humana præter hæc vocatur persona; quandoquidem persona est intellectualis naturæ incommunicabilis subsistentia; ita vt in specie intellectiua subiectum & substantia dicatur subsistentia & persona. Hoc declarato in hunc modum, Doctores tam Græci quam Latini aduersus Arium ac Macedonium insurgere volentes, quorum primus Filium dixit creaturam, non autem ex substantia Patris: alter vero Spiritum non esse ex substantia Patris & Filii, substantiam pro subsistentia sumpserunt. Si nos igitur accipiamus substantiam

Ioannes. *Quanta authoritatis fuerit Basil. in materia Spiritus Sancti. Con. Chal. par. 3.* *Ephes.* *Ioannes.* *Ephes.* *Ioannes.* LII. *Significata substantiæ.* *Cap. 8.*

tiam pro subsistentia; quoniam Pater est intellectualis naturæ substantia, ita etiam dici potest subsistentia hæc rei subiectæ substantia. Si ergo sumatur hoc modo, quoniam generare conuenit personæ Patris, perinde esset ac dicere, substantia hæc conuenit huic substantiæ: ita fit, vt substantia idem sit quod Pater & paternitas, & nulla ratione communicetur. Quocirca cum proprietates sint incommunicabiles, Doctores nostri Latini non vtuntur hoc termino, substantia, ad significandam personam Patris, sed naturam Patris, quemadmodum in definitione hominis accipitur substantia. Quare dum iuxta nostros dicimus, Spiritum esse ex Patris substantia, substantiam accipimus pro entitate, quæ est in Patre. Dico sic, substantiam sumi vt subiectum, sicut personam in diuinis: tumque idem esse quod hypostasim. Cum dicimus Spiritum ex substantia Patris, nunquam accipiunt doctores substantiam pro suppositо; quoniam persona non communicatur, nec suppositi subsistentia. dico substantiam alio modo sumi, eo scilicet, quo dicimus definitionem significare rei substantiam; ea vero est id quod vocatur entitas, natura, essentia. Cum vero nostri dicunt, Spiritum esse ex substantia Patris, vel Filii, non accipiunt substantiam pro subsistentia Patris, sed pro essentia & natura eius; & illa essentia est in Spiritu, & est in ipsa sicut Pater. Nomen quoque Patris dicit substantiam & relationem, secundum quam subsistentia hæc, siue hoc suppositum distinguitur ab alio. Hæc igitur communis essentia quæ est in Patre, causa est, quæ per generationẽ communicatur, habetque rationem principii. Pater generat & producit Filium; sed hæc substantia non communicatur Filio; in hoc versatur error. Namque cum dicimus, substantiam Patris communicari Filio, non intelligimus hoc verum, qua Pater generat Filium; sequeretur enim tunc, vt ipse quoque Filius generaret. Propterea dicimus, non communicari esse, sequeretur enim Filium quoque generare. Essentia hæc absolute sumpta, vis generandi, est principium per quod; estque res quæ communicatur, daturque Filio à Patre, sed non secundum rationem illam absolutam. Nunc ergo in generatione à Patre respecta Filii communicantur omnia; & quia hæc non communicatur vt principium, ideo non pugnat cũ filiatione. Habet ergo Pater communem cum Filio per generationem ipsam essentiam, quæ est principium per quod illi communicat esse principium Spiritus sancti; esse enim principiũ sancti Spiritus in Patre non opponitur relationi seu proprietati Filii. Hæc substantia secundum commune & absolutum esse est principium per quod; atq; ita iuxta consideranem hanc vocatur potentia productiua, & communicata ipsi Filio; nec sequitur ex hoc, vt sit substantia causans, & causata. Sic omnes doctores tradunt, & explanant in illis disputationibus, an Filius sit ex substantia Patris, vel Spiritus sanctus ex substantia Patris & Filii. Hunc modum si teneas, omnite cura liberabis. nunc ergo responde ad dictum; ego autem sessione altera fusius dicam.

Rul. Card. Domine Ephesie, satis declarauit dominus Prouincialis quod dixit tua Reuerentia.

Ephes. Nos cum audimus primam Synodum dicentem in suo Symbolo de Filii diuinitate, natum ex Patre, id est ex substantia Patris; nihil aliud intelligimus, quam ex eius hypostasi, hoc est ex substantia cum suis proprietatibus. placet ne tibi hoc, hypostasim vocari substantiam; an vero aliquid aliud præter hæc dicis?

Ioannes. Audisti, duobus modis intelligi à nobis nomen substantiæ, vno quidem, cum naturam tribus personis cõmunem significare volumus: altero vero, quando substantiam accipimus vna cum proprietatibus, quæ sunt in ea, hoc est hypostasim. Quod ergo dicitur in Symbolo sanctæ Synodi; natum ex Patre, id est ex substantia Patris; necessario debemus intelligere ex hypostasi Patris; quod etiam est aliud substantiæ genus præter hæc duo. Doctores autem dico, non vsurpare nomen

Ioannes. Nicænus. Neque ipſi dicimus.

Quærimus, quomodo intelligitis vos, quando dicimus ſubſtantiam? ſubſtantiam Patris & Filii & Spiritus ſancti?

Ioannes. Nonne dixi vobis, ſubſtantiam in diuinis accipi à noſtris pro eſſentia, pro entitate, pro ſubſiſtẽtia? vt tres ſubſtantiæ non ſint? etſi fatemur tres hypoſtaſes, tres perſonas realiter inter ſe diſtinctas, in hoc tamen vnũ ſunt, vnus Deus, vnus Creator, perſona conſtat ex diuina ſubſtantia & proprietate: & propterea nihil aliud eſt, quam ſubſtantia & proprietas: & hæc vnum re ſunt, ſubſtantia & proprietas: & ſecundum proprietatem quidẽ diſtinguuntur realiter inter ſe perſonæ, ſunt enim ad aliquid; at vero ſecundum ſubſtantiam ſunt vnum; & vnus Deus.

Iul. Card. Quarta iam hora elapſa eſt; quare de his in præſentia ſatis: Sabbato vero rurſum conueniemus.

SESSIO XX.

SABBATO, DIE MENSIS MARTII ſeptimo.

LIV. *Epheſ.* VOlebamus quidem prius dicta accuratius examinare, & vſque ad finem perquirere, quid ex quoque ſequeretur: ſed quoniam locum quendam magni Baſilii ſecundo iam & tertio protuliſtis, qui faucre videtur veſtro dogmati, age illum in præſenti examinemus, ſi & vobis placet, dictorum diſquiſitione in poſterum dilata. Recitetur ergo locus iſte, ſi lubet, vt videamus vtriq; quid ſibi velit. Baſilii magni ex libris, quibus confutauit Eunomium: Cur enim neceſſe eſt, ſi dignitate & ordine tertius eſt Spiritus, tertium quoque ipſum eſſe natura? dignitate namque ſecundum eſſe à Filio, cum habeat eſſe ab ipſo, atque ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa dependeat cauſſa, ſermo pietatis tradit.

Liber iſte reperitur etiam apud nos ita deprauatum habens atque corruptum hunc locum, vt vos protuliſtis. Sunt enim Conſtantinopoli quatuor aut quinque codices, in quibus dictum hoc ita legitur: quiverò integri ſunt, & habent verba incorrupta ac ſenſum, ad mille: quibus propter antiquitatem & copiam fides habenda eſt, cum plane congruentem menti doctoris ſenſum contineant. Videtur ergo, quod manifeſte paſſum eſt ſacrum Symbolum, paſſus idem eſſe hic liber occulta manu à defenſoribus dogmatis: & additamentum acceciſſe valde contrarium, & nulla ratione conueniens cũ ſenſu magni Baſilii. Et primum inſpicite noſtrum vetuſtiſſimum librum, qui nullum tale habet additamentum: deinde ſenſum & connexionem verborum examinemus ad ſcopum dictorum eius.

Ioannes. Audiuimus duo quædam ex tua Reuerentia: primum, libenter te fuiſſe continuaturum ſermonem de materia illa, quam proxima ſeſſione attigimus: alterũ, petitioni noſtræ benigne aſſentientem velle te ad Baſilii dictum deuenire, relìquis in aliud tempus reſeruatis. Hoc ego ſane vehementer probo, ordiri nos ſcilicet à teſtimoniis ſanctorum Patrum: quandoquidem teſtimonia ſunt fines, intra quos ſtare nos quoq; debemus: poſt teſtimonia prompta parati ſumus ero ad reſpondẽdum veſtris obiectionibus. Dixiſti deinde, noſtrum hunc codicem pati calumniam quandam propter additamentũ; ſicut alibi etiam factum eſt, in Symbolo ſcilicet, cui appoſita eſt additio. Ad hoc de Symbolo dicimus; adeo luculenter, adeo perſpicue diſputatum eſſe alias à Reuerendiſſimo Patre & Domino meo, vt nihil dici poſſit dilucidius illis demonſtrationibus, quæad hoc argumentum ſunt allatæ: quod ſi qua apud vos erit, aut relicta eſt dubitatio, abſolutam propoſita materia parati erimus ad reſpondendum. Ad Baſilii vero dictum reſpondentes in præſentia dicimus, librum hunc nuper fuiſſe à domino Nicolao Decuſa Conſtantinopoli huc delatum; eſſe

Aſſeritur veritas librorum quo rumdam Baſilii.

membranis, non bambacinis foliis; adeoque annoſæ antiquitatis, vt videatur pluſquam ſexcentos habere annos, hoc eſt multos ante annos, quam ſchiſma hoc oriretur, & ſecũdum diſſidium. Porro autem liber tam bene eſt interpunctus, tam emendatus atque optime diſpoſitus, vt nullam corruptelæ ſuſpicionem iniiciat. Dico igitur nullam huic libro depraũationem poſſe aſcribi; primo, quia nunquam à Latinis eſt viſus, niſi in præſenti: perſpiciatur ergo, diligentique indagatione quæratur, an vlla in eo raſura, ſiue depraũatio, vel manus adiectio deprehendatur. Secundo, quoniam additamenti huius, de quo vos loquimini, genus non videtur poſſe tribui Latinis: ratio eſt, quia vſque ad hoc tempus (pace veſtra dixerim) conſtat ex veſtris antiquiſſimis Conciliis, vitium hoc depraũandi libros, & expungendi è libris, quæ ſane ſicbant ab hoſtibus fidei, deprehenſum eſſe in illis partibus. Leguntur enim in illa Epiſtola, quam B. Cyrillus ſcripſit ad Ioannem Antiochenum; quæ incipit; Lætentur cœli: ad finem eiuſdem Epiſtolæ, quam & vniuerſa Chalcedonenſis ſuſcepit Synodus, hæc verba. Nam ſi quis ex iis qui recta ſolent peruertere, voces meas immutat ad placitum, non miretur hoc tua Sanctitas, cùm ſciat omnes etiam hæreticos ex diuinitus inſpirata ſcriptura colligere ſui erroris occaſiones; ea quæ per Spiritũ ſanctum recte dicta ſunt, prauis ſuis intelligentiis corrumpendo: & reliqua, vbi etiam apponit exemplum de Athanaſio, oſtendens Epiſtolam Athanaſii ad Epictetum fuiſſe corruptam. Hæc de re idem Beatus Cyrillus in Epiſtola ad Acacium; quæ inſcribitur, mutua ſalutatio ad finem ita diſſerit. Si vero proferantur ab aliquo tanquam à me ſcripta quædam, quod pœnitentia ductus retractauerim quæ acta ſunt Epheſi, derideatur & hoc; ſumus enim Dei beneficio ſana mente, & nequaquam à recta ratione diſcedimus. Ex quibus verbis manifeſte habetis, Cyrillum ſemper in eadem ſententia fuiſſe, quam habuit in tertia Synodo. In hac ipſa Epiſtola de Epiſcopo quodam Emiſeno fit mentio, qui obtulit Cyrillo Epiſtolam Athanaſii ad Epictetum corruptam; & quæſiuit de Cyrillo ipſo, an iuxta illam Epiſtolam idem crederet quod Athanaſius: beatus vero Cyrillus ita reſpondit; ſi Epiſtolam Athanaſii ad Epictetum ſinceram habes & non vitiatam, idem plane atque Athanaſius ſentio. Contulit eam cum exemplari, quod Cyrillus aſſeruabat, comperitque omnino diſſimilem Epiſtolæ Athanaſii; & nuſquam in Oriente toto reperta eſt Epiſtola Athanaſii integra, & incorrupta præter vnam, quæ penes Cyrillum erat; ex qua Emiſenus ſuam emendauit, tranſmiſitque emendatam ad Ioannem Antiochenum. Nunc ergo non videtur à ratione alienum, aut minus veriſimile, primos illos ſtãte diſiunctione ac diſſidio, vt ſane contigiſſe credendum eſt, aſſumentes pro cauſa diſſenſionis hoc proceſſionis caput; quod alioquin ab initio noſtræ fidei vſque ad illud tempus in confeſſo erat; ſtudioſe incubuiſſe ad immutandum hunc locum Baſilii. Quare probabiliter creditur, librum hunc à Spiritu ſancto fuiſſe conſeruatum in ipſa vrbe Conſtantinopoli, ne incideret in manus auctorum diſſidii. Sequitur ergo ex dictis, nulla ratione dici poſſe, hunc librum fuiſſe quoquomodo corruptum ſeu depraũatum. Ad hæc, quomã & vos & nos conuenimus ad inquirendam communiter, & intelligendam veritatem, debemus pro mutua benẽuolentia & animo ingenuo libros in communem vſum proponere: & quoniam res magni momenti eſt, ſi quis apud vos habet Baſilii codicem vetuſtiſſimum, proferat; tumq; locum planius cõſideremus; deinde perſpiciantur conſequentia. Concluditur ergo, Baſilium hoc voluiſſe, vt probatur ex ſequentibus; quæ in præſentia non dicimus, ne conqueramini.

Conc. Eph. par. 3.

Conc. Eph. p. 3. Ep. 35.

Extare quoque apud nos hunc librum vitiatum hoc additamento, quod vos protuliſtis, nos ipſi antea dicimus: proinde mirum non eſt, ſi ex iis codicibus qui extant, vnus huc fuit allatus. Liquet autem potius ex his rei ve-

Epheſi.

rei veritas, quoniam nos iſtud additamentum obiecimus: nam ſi ipſi addidiſſemus, facile libros è medio tollere potuiſſemus, cum ſint perpauci: ſed ſimplicitate vtentes, ac veritati confiſi extare permiſimus libros, in quibus contraria legitur ſententia, ex ijs vnum hunc eſſe putandum eſt, qui delatus eſt inde, ab aliquibus exſcriptus, qui veſtrum dogma in illis partibus ſecuti videntur: quod ſane mirandum non eſt; nam & hic paret multos dogma noſtrũ amplecti: ita enim ſentiunt, ſicuti Patres eorum. Quod vero ſæpe corrupti fuerint libri in illis partib. à quibuſdam hæreticis, & noua dogmata in Dei Eccleſiam inſerentibus, fatemur hoc etiam, & loca quæ citaſti admittimus. Noſti tamen apud vos olim tempore Papæ Zoſimi productos fuiſſe Nicænos Patres Carthaginenſi Synodo. Scripſerat enim Zoſimus Papa ad Concilium Carthaginenſe, Nicænam Synodum per ſuos canones ſtatuiſſe, vt vniuerſo orbi liceret appellare ad Papam Romanum: miſerat & canonem, quo id decernebatur, quaſi Nicænæ Synodi. Verum canonem illum non agnouit Carthaginenſe Concilium, nec facile recepit, ſed nihil ſe tale dixit habere in canonibus Nicænæ Synodi: propterea velle petere authentica, hoc eſt, prima exemplaria Nicænæ Synodi ab Epiſcopis Orientalibus, ſcilicet à Cyrillo Alexandrino, & à B. Proclo Conſtantinopolitano. Cum hæc authentica per Epiſtolam ab iis quæſita, & miſſa eſſent ab Orientalibus Carthaginenſi Concilio, non eſt inuentus ille canon, quem Papa protulit. Quo circa ſcripſerunt ei, ne ſibi ius illud appellationum poſtularet, quod non datur à Synodo Oecumenica. Vides à Papa illo prolatum canonem, quem Synodus illa non ediderat: idque ſcribente ad Synodum de re tam gratuì minime ergo mirum eſt, apud nos etiam non defuiſſe paucos, qui libros adulterauerint, dum vellent ſuam opinionem, ſeu dogmatis noũitatem confirmare. In ſententia tamen magni Baſilii librorum noſtrorum vetuſtas & copia dat nobis victoriam: & hoc ipſum, quod paucos & corruptos libros extare, & nequaquam exterminare voluerimus, cum tamẽ propter eorum pauciatem id fieri poſſet, arguit nos veritati confidentes & reliquis Patris noſtri Baſilii vocibus, permiſiſſe eã ſententiam ita legi in libris, vt ſcripta eſt à primis auctoribus, non eſt ergo noſtrum proprium libros corrumpere.

Carth. 6.

Lectus deinde eſt in noſtro codice tertius contra Eunomium magni Baſilij ſermo, poſtmodum Epheſius ſubdidit: In hac parte primum criminatus Eunomium magnus Baſilius vt temerarium, nouitatumque inuentorem, & tribuentem ſanctis quæ ab ipſis dicta non ſunt: poſtea concedit ex ſuppoſitione, Spiritum ſanctum, etſi tertius eſt ordine ac dignitate, non tamen neceſſe eſſe natura quoque tertium videri: hoc enim ſubinde infert. Itaque impugnat hoc modo. Confutat Eunomium aſſerentem ſe tenere doctrinam Patrũ, cum eam contemneret: Qui vero, inquit, ſint illi ſancti, & vbi doctrinam hanc tradiderint, non dicit. Fuitne vnquam homo tam audax, diuinorum dogmatum nouitatem inducens? In his Baſilius magnus aperte negat, & nulla ratione concedit eſſe doctrinam ſanctorum aſſerere, tertium eſſe ordine & dignitate Spiritum ſanctum: deinde concedendo hoc ex ſuppoſitione, ſubiungit ita rurſum per quaſi conceſſa inſurgens; Cur enim neceſſe eſt, etiam ſi tertius ſit ordine & dignitate Spiritus ſanctus, vt natura quoque ſit tertius? nam eſſe à Filio dignitate ſecundum, tradit fortaſſe pietatis ſermo. Sic enim habet noſter codex tantæ vetuſtatis, vt vos videtis; & hoc ſane cum prius dictis congruit. Etenim qui tertium eſſe ordine & dignitate Spiritum ſanctum omnino negauerat, & hanc non eſſe Patrum doctrinam exiſtimauerat, ſed ex ſuppoſitione illud conceſſerat, quomodo poterat cauſſam reddere ac dicere, propterea Spiritum ſanctum eſſe à Filio ſecundum, quod & eſſe ab ipſo accipiat, & eſſe ab ipſo habeat? quod antea nolebat aſcribere aliis auctoribus, quoniam ipſe futurus erat magiſter? Itaque additamentum hoc neque cum antecedentibus, neque cum ſcopo Baſilij magni cohæret: hoc vero magis cohæret, quod legitur in noſtro codice; quod cum appoſita dictione, fortaſſe, dat hoc per quandam non abſolutam conceſſionem. & infra ſubdit; vt ſane etiam id concedamus: nec non poſt exempla Angelorum habemus hæc verba in noſtro codice, ſed neſcio an ſint etiam in veſtro: nam & hic cum dubitatione & non abſoluta conceſſione loqui videtur; quod etſi tertius eſt dignitate & ordine, &c. ita quippe ſcriptum eſt in libro. Quomodo igitur Baſilius magnus protulit hæc, qui non abſolute conceſſit, tertium eſſe à Patre Spiritum ſanctum, & ſecundum à Filio? dum enim ex ſua locutus eſt ſententia, id prorſus reiecit, & alienum cenſuit à doctrina ſanctorum Patrum. Quod vero Baſilius magnus non ita ſenſerit, nequit crediderit Spiritum ſanctum ex Filio procedere, & ex ipſo accipere ſuum eſſe, teſtis erit nobis non alius, ſed ipſe ſibi ſcribens in Epiſtola ad Gregorium fratrem, quomodo differat ſubſtantia & hypoſtaſis, hoc pacto, (ex dicto autem quod recitabitur, manifeſte patebit magni Baſilij mens, quidve ſentiret ipſe de ſancti Spiritus proceſſione:) ſic enim ait in Epiſtola citata: Quandoquidem Spiritus ſanctus, à quo emanat in creaturam omnis bonorum largitio, pendet quidem ex Filio, quocum ſine vlla diſiunctione ſimul apprehenditur; à paterna vero cauſa ſuum habet eſſe dependens, vnde & procedit; hypoſtaticæ ſuæ proprietatis notionem hanc habens, vt poſt Filium & cum ipſo noſcatur, & à Patre ſubſiſtat. Filius autem, qui per ſe ac ſecum notificat Spiritum ex Patre procedentem, & vnus Vnigenitus ab ingenito Patre effulſit, nullam habet ſecundũ propriata notionem cum Patre & Spiritu ſancto communionem, ſed notis iam dictis dignoſcitur. In hoc dicto Baſilius magnus aperte exiſtimat, ex Patre ſolo eſſe Spiritum ſanctum: ſic enim ait; Spiritus ſanctus pendet quidem ex Filio, hoc eſt, poſt Filium eſt colloca tus: & huius cauſſam reddens non dixit, ex ipſo procedit, aut eſſe habet ab ipſo; quemadmodum locus, ſicuti vos legitis, habet: ſed quoniam cum ipſo ſine vlla diſiunctione apprehenditur, ex Patre ſcilicet procedens: dein partitionis figura vtens ſubiungit: à paterna vero cauſa ſuum habere eſſe dependens, vnde & procedit. Vides ne vt Patri & cauſſalitati eius tribuat hic Spiritus ſancti dependentiam? Certe in hoc dicto non dixiſſet ſecum pugnantia: namque particio non ſinit Filio etiam hoc tribui. Datum enim eſt illi notionis indicium, quod ſine diſiunctione cum ipſo apprehendatur. Rurſus ait poſtea: Filius autem, qui per ſe ac ſecum notificat Spiritum ex Patre procedentem: non dixit, ipſe producés, ſed notificans procedentem ex Patre, hoc eſt, ſecum manifeſtans. Deinde, vnum, inquit, Vnigenitum ex Ingenito lumine Filium effulgentem nullam habere ſecundum propriam notionem cum Patre & Spiritu cõmunionem: nulla ergo ratione communis eſt illi productio à Patre, quæ ſpeciatim Patri aſcribitur: ſed hiſce tantum, inquit, notis, & non aliis dignoſcitur, quod ſolus effulſit Vnigenitus ex Patre ingenito: quod ſecum ac per ſe cognitum reddit Spiritum ſanctum. Si ergo per hæc tantum & non alia dignoſcitur, ſequitur, vt illi non ſit communis productio Spiritus ſancti, quę Patri ſoli peculiariter attributa eſt.

LV. *Ioannes.* Multa dicta ſunt à te, Pater Reuerendiſſime, quæ paucioribus fortaſſe comprehendi poterant: nam ſi ad rei veritatem peruenire volumus, quoniam veritas ipſa contenta eſt paucis, nihil aliud eſſe deberent ſermones noſtri, quam ſanctorum ſententiæ & teſtimonia. Itaq; reſpondebo breuiter ad duo, quæ de prolata dixiſti ſententia. Primum dixiſti, librum hunc qui productus eſt, potuiſſe corrumpi illis temporibus ab aliquo, cui noſtrum dogma placeret, hoc ergo ita re fellitur: Nam eo tempore, quo exſcriptus eſt liber iſte, vt manifeſta perſpicitur ex inſigni eius vetuſtate, nulla erat inter

Græcos & Latinos differentia. Deindenon dixi ego, Patres hesce huius temporis, aut qui paulo ante fuerunt, corrupisse hos libros, sed de auctoribus dissidij huius loquimur. Nam quia videbant omnes tam Græcos, quam Latinos ita sentire; vti per multa testimonia ex vestris libris excerpta demonstrabimus; nullam potiorem habuere viam ad suum hoc dogma stabiliendum, quam vt libros corrumperent, qui per id tempus habebantur de hac materia. Ad secundum vero sic dico; Protulisti Zosimum Papam, vt quosdam Nicænæ Synodi canones miserit Carthaginensi Concilio: & vis inferre, Zosimum misisse corruptos canones, adiecto de appellationibus canone, qui non extat inter canonos Nicænæ Synodi. sed nullum nobis fide dignum & classicum produxisti testem de Zosimo, quod ita corruperit canones: cum ego tibi duo grauissima protulerim testimonia ex duabus sancti Cyrilli Epistolis; quarum altera recepta fuit ab vniuersa Chalcedonensi Synodo. Quare decorum sane foret, siqua huiusmodi proferre vis, non de tuo dicere, verum testimonia doctorum afferre. Debes enim valde bene meminisse, Reuerendissimum Dominum sanctæ Sabinæ, qui præsens adest, protulisse vobis Epistolam antiquissimam & maxime authenticam Iulij Papæ, Liberij Papæ; vtque Beatus Athanasius in persecutione illa, quam passus est à Synodo Antiochena, quæ illum damnauerat, scribens ad Felicem Papam, & Marcum, & Iulium, & Liberium: nam tempore Athanasij fuere hi quatuor Pontifices: rogauerit eosdem Pontifices, vt quoniam in Romana curia Nicænæ Synodi acta sincera asseruabantur, ad ipsum ea mitterent; quod per vniuersum Orientem ab Arianis insequentibus corrupta essent. Tunc Pontifices illi responderunt Athanasio: habere se quidem in patriarchio Romano acta integra Græce & Latine, sigillis obsignata & subscriptionibus Patrum Nicænorum; & magna veneratione seruari à se acta & canones: sed nolle mittere ipsa prototypa: cum satis esset certa mit i capita, quæ tunc illi essent necessaria; propterea quod Athanasius ad sedem Romanam prouocauerat ex Antiochena Synodo; hæretici autem obiiciebant, ex Synodi Antiochenæ sententia non potuisse illum appellare sedem Romanam. Vt igitur posset demonstrare per Nicænos canones, facultate optima potuisse prouocare, misit Liberius Athanasio Nicænæ Synodi canones, qui Ferrariæ numerati sunt; inter quos est canon, Romanæ Ecclesiæ esse, vt ad eam fiant appellationes: ex quo Athanasius suam causam defendit. Atque ob id Iulius Papa respondens ad eos, qui Synodum Antiochæ celebrauerant, minus acriter in eos inuehitur vt procaces: quod nisi fuerint conuenire absque consensu sedis Apostolicæ: ostendens illis ex Nicæna Synodo, nullam fore vnquam ratam legitimamque Synodum, nisi comprobata sit auctoritate Romanę Ecclesiæ. Qua ergo ratione dicis, corruptum esse à Zosimo canonem, missumque cum non extaret inter Nicænæ Synodi canones? Dico igitur, notum fuisse Carthaginensibus, per totum Orientem corruptos haberi canones: & si missi sunt, ab Oriente certe missi sunt; quod multis sanctorum Patrum, & longe euidentissimis testimoniis patet: possumusque proferre libros, qui sunt apud nos. Hoc principio innixus, ex verbis quæ protulisti, explanando Basilij dicta, mirum non est, si ex ijs quæ dixisti, multa esse videntur absurda; quandoquidem expositionem tuam sententia depranata fundasti. & quoniam Philosophia asserit, paruum errorem in disputationibus nocere multum; tu quoque ex depranatis principijs absurda multa collegisti. Ad intelligendam ergo veritatem operæ precium est in duo nostrum coarctare sermonem. Primum dixisti, pendere quidem ex Filio, tamen Filium non esse causam Spiritus sancti, sed Patrem. Secundo visus es dixisse. Spiritum sanctum non videri ordinem illum naturalem habere ad Filium, quem Filius habeat ad Patrem. Dicam propterea quædam ecclesiana. Quæro ex te, quidnam differre putes inter pendere, & habere causam sui esse. rursus, quam statuas differentiam inter hæc; aliquid esse alicuius causam, & ex alio pendere. Nam apud nos effectus pendet: & quod dependet, videtur secundum causam pendere: idcirco in diuinis non ponitur effectus; siquidem hac voce non vtimur nos Latini: neque vnquam à doctoribus nostris illam inuenimus vsurpatam; sed dicemus Filium principium de principio, sicuti & Deum de Deo, inquantum Pater est principium. Secundum loquendi modum Basilii magni, non solum in libro citato, sed aliis etiam in locis, vt ostensum est, ipse demonstrat, Spiritum sanctum ita se habere ad Filium, atque ita pendere ex eo, sicut se habet Filius ad Patrem, & dependet ab eo. Declara sensum, quid sit dependere ab alio; quidve illud, à quo illius esse dependet:

Defenditur Zosimus Pap.

Ephes.

Ad ea, quæ primo dicta sunt à te: quod scilicet nullum de Zosimo testimonium protulerimus, hoc volo dicere: nos hoc testimonium non attulisse, non quod proferre aut non habeamus, aut non valeamus; possumus enim nullo id facere negocio, vel ex ipsis vestris codicibus, quia nos huc paucos attulimus; sed liber est Constantinopoli. tem indicauimus: nam vobis etiam nota sunt, quæ diximus.

Ioannes.

Quisnam est liber iste?

Ephes.

Liber Canonum Synodorum.

Ioannes.

Apud Latinos nunquam inuenierut facta à Zosimo Papa hæc deprauatio. sed omittamus hoc; indiget enim disquisitione.

Ephes.

Placet omitti: non est enim præsentis temporis hæc quæstio.

Ioannes.

Respondeigitur ad alia, si vis.

Ephes.

Nos ad hæc dicimus; Basilium magnum se ipsum exponere; & quid sibi velit hæc vox, dependere; ait enim; Dependet à Filio, hoc est coordinatus est illi, & cum eo sine vlla disiunctione percipitur. Quæ connumerantur, non possunt simul vna eademque voce connumerari; sed necesse est in enumeratione, vt alterum alteri præponatur. Ita ergo & Spiritus sanctus coordinatus est Filio, id est, cum ipso numeratus; hoc enim impossibile est aliter se habere; non vt ab illo caussatus, cum id ipse non inferat: sed dependet, inquit, ab eo, eodem scilicet quo ille, est ordine positus; vt etiam cum eo vna apprehensione percipitur; hoc dicit magnus Basilius. Tu vero vnde habes, vt dependens ab alio necessario caussetur ab eo? Nam ad hoc dictum nullo nos alio interprete indigemus præter illū ipsum, qui causam dependentię subdidit; quod videlicet cum eo indisiuncte, simul intelligatur.

LVI. *De verbo Dependere*

Ioannes.

Dependere igitur iuxta mentem Basilij & expositionem tuam nihil est aliud, quam Spiritum ordinari ad Filium: quis ergo est ordo Spiritus ad Filium? quæro, an hic ordo sit originis, vel origo,

Ephes.

Non dico ordinatum esse ad filium, sed collocatum esse post Filium: & in connumeratione seruato ordine, necesse est post Patrem numerari Filium, postea Spiritum sanctum.

Ioannes.

Itaque ordo iste non est, nisi ordo secundum enumerationem vocis: ergo à parte rei, sublata voce nostra qua numeratus, ordo nullus consideratur?

Ephes.

Necesse quidē est, vt inter diuinas personas aliqua ratione sit ordo: aliter enim numerari non possent, nisi ordo quidam seruaretur, isque ex natura rei, quem hic Basilius magnus explicat; quod scilicet solus Vnigenitus ex ingenito effulgens lumine, post illum sit numerandus, nimirum post Patrem vt Vnigenitus: & hac ratione Spiritus sanctus numerādus est tertius; ne si præponatur Filio, & referatur immediate ad Patrem, videatur esse & ipse Filius. Quia ergo iuxta Filium numeratur post Patrem, tertius connumeratur Spiritus sanctus. Hic est in diuinis personis ordo; & nullum alium accipimus à Theologis.

Ioannes.

Dicis, hunc esse iuxta mentem sancti Basilii naturæ ordi-

ordinem, sancti inquam Spiritus ad Filium. Oportet igitur hunc naturæ ordinem intelligere inter Filium & Patrem: estne porro alius ordo præter ordinem naturæ? nam ordo ille Spiritus sancti ad Filium, quo is dependere dicitur, non infert per se causssam. Quoniam igitur inter Patrem & Filium dicitur esse ordo naturæ, & vox nec addit quidquam, nec de re ipsa demit, sequitur, vt ordo huius nominis inter Patrem & Filium nihil aliud significet, quam dependentiam. Et sicut dicentes, inter Patrem & Filium esse ordinem naturæ, intelligimus Filium dependere à Patre, & Patrem esse Filij causssam: ita si non exprimam, dum loquor de ordine, Filium; sed tantum naturæ ordinem dicens, affirmem esse ordinem & naturam; sequitur vt Spiritus sanctus dependeat à Filio, & Filius sit causssa Spiritus sancti iuxta mentem eiusdem Basilij. probo iam hæc per duos testes. Primum, Basilius post verba allatæ sententiæ in hoc nostro libro, constans plane in suo sensu sic dicere incipit, affert que causssam illius capitis: Cur Spiritus sanctus in Trinitate tertius existens ordine & dignitate, & secundus à Filio, tamen vnam & eandem habeat, quam ille substantiam: ita ergo demonstrat reddendo causssam. Nam quemadmodum Filius ordine quidem secundus à Patre est, quoniam ex ipso; & nos per ipsum accedimus adducimurq; ad Patrem: natura vero non est secundus, quoniam Deitas in vtroque vna; ita & Spiritus licet ordine & dignitate post Filium sit, non ideo consentaneum est alienæ ipsum esse naturæ. Nunc igitur in hoc capite volens demonstrate quod primo dixit, demonstrat per hoc: quod is ordo sit Spiritus ad Filium, qui est Filii ad Patrem: est autem Pater principium & causssa Filii in eadem natura: idque inuictis explicat exemplis contra Eunomium, & hic est verus sensus totius capitis. Ait enim omnes Angelos esse vnius naturæ, cum sint naturæ intellectualis: idem tamen ponit ordinem & dignitatem, proferens multos textus & sententias Scripturæ: per quæ probat quosdam esse Principatus, quosdam Dominationes, quosdam Potestates, superiores & inferiores. Deinde concludit, omnes habere inter se ordinem; non sequi tamen, vt aliquis Angelus sit alterius naturæ: quandoquidem ita ordinati permanent in ipsa intellectuali natura.

Li.3. cont. Eunom.

Ephes.

Est quidem naturalis ordo inter Patrem & Filium, quatenus ex Patre Filius habet esse, & refertur ad ipsum immediate: qui solus ordo cogit tertium numerari Spiritum sanctum. Et propterea Basilius magnus dum loquitur de Patre & Filio, non vtitur voce hac, dependere: nec dicit, Filium pendere ex Patre: sed esse ab eo secundum, quatenus habet esse ab ipso. Spiritum vero sanctum ex Filio inquit pendere: hoc est coaptatum & coordinatum illi esse, vt cum ipso sine vlla disiunctione percipiatur. Et hanc affert causssam, cur tertius numeretur Spiritus sanctus, quod Filius necessario preintelligitur Spiritui sancto, quoniam refertur immediate ad Patrem. Quod si eundem ordinem agnosceret inter Filium & Spiritum sanctum, quem esse scit inter Patrem & Filium; atque ita secundum à Filio Spiritum diceret, sicut Filium à Patre; sane non infecturetur Eunomium, nec doctrinæ sanctorum nouatorem vocaret, quod Spiritum sanctum diceret tertium ordine & dignitate. Constat enim, nullo modo ipsi probari, quod Spiritus sanctus sit à Filio dignitate secundus, sed ex suppositione dari.

LVII. *Ioannes. De ordine inter filiū & Spiritū sanctum.*

Hic est æquinocatio; & opus est accedere ad definitionem, quod inter Spiritum & Filium sit ordo naturæ & dependentia illa sit ordo naturæ. hic adhibenda est nobis accurata consideratio, quid per naturæ ordinem intelligas: nos enim ex nostro codice demonstrauimus, Filium eundem ordinem habere ad Patrem, quem habet Spiritus ad Filium. Volo explicare, vt Serenissimus quoque Imperator audiat. Omnes Doctores & Theologi conantur semper definitiones tradere in earum propria significatione: & quemadmodum priores Philosophi vsi sunt illis in propria earum significatione, ita & Doctores & Theologi vtuntur definitionibus, sicut illis certum est esse traditas in propria cuiusq; significatione: alioquin omnis periret scientia, si semper definitionum æquiuocationem laboraremus. Nunc ergo Aristoteles vester, quem coactus produco, 5. Metaphysicorum, in capite cui titulus; Quotupliciter natura dicatur; vt Serenitas tua intelligat; incipiens de natura loqui; Vno, inquit, modo sumitur natura pro generatione rerum quæ oriuntur; ita vt hoc primo modo generatio vocetur natura: altero vero modo sumitur pro illo principio, à quo sunt quę coniuncta: qui modus si sumatur, infert ordinem originis; quatenus quæ oriuntur, sunt ab illa substantia. & ex hac significatione desumpta ab illo capite, Græci & Latini Doctores, Basilius, Athanasius, vt demonstrabimus, & B. Augustinus, & omnes aiunt, ordinem originis vnius personæ ab altera esse ordinem naturæ. Qua ratione Basilius & omnes non sunt versati in æquiuocis: ita vt productionis ordo nihil aliud sit, quam vnam personam esse ex alia, & naturam ab eo à quo est accipere, iuxta modum secundum vt omnes mundi Doctores tenent. Si igitur est ordo naturæ sancti Spiritus ad Filium; sequitur necessario, vt Spiritus habeat suum esse à Filio, & naturam accipiat. & hoc est quod magnus ait Basilius conferens in sententia illa prolata circa hoc vertitur propositæ materiæ cardo.

Cap. 4.

Ephes.

Antequam de ratione ordinis agamus, examinemus præsentem magni Basilij locum. Cedo igitur nobis: ais ne esse Basilii magni sententiam, ordine & dignitate tertium esse Spiritum sanctum?

Ioannes.

Ita plane: eo modo est tertius ordine & dignitate, quo Filius est secundus à Patre.

Ephes.

Hoc idem asserebat Eunomius, ordine & dignitate tertium esse Spiritum sanctum.

Ioannes.

Ita se aiebat Eunomius accepisse à sacris Scripturis: & ex hoc volebat ostendere, Spiritum natura quoque tertium esse. nec vero reprehenditur Eunomius à Basilio, quod tertium afferret ordine & dignitate Spiritum sanctum: in hoc enim Basilius & Eunomius conueniebant: sed contra illum argumento vtitur, quod non sequatur, vt quia tertius est ordine & dignitate, sit etiam tertius natura.

Ephes.

Verum ergo dicebat Eunomius asserendo, tertium esse ordine & dignitate Spiritum sanctum?

Ioannes.

Maxime.

Ephes.

Et re ipsa consentiebat cum magno Basilio? Videamus ergo, quæ fuerit eius sententia: videamus an is ita dicat, vt tu asseris, vtq; in tuo legitur libro. simulat, inquit, Eunomius sanctorum se tenere doctrinam: non est ita scriptum in tuo libro?

Ioannes.

Ita scriptum est; simulat se tenere sanctorum doctrinam. Dicit enim Basilius; Eunomium ex Scriptura asserere tertium ordine & dignitate, promde natura quoque tertium.

Ephes.

Non ita dicit; sed, tenere, inquit, se simulat doctrinam Patrum, asserentium tertium esse dignitate & ordine.

Ioannes.

Simulatio illa refertur ad assumptum siue illationem, quam faciebat Eunomius. Sancti enim asserentes Spiritum sanctum tertium esse ordine & dignitate, non ita inferebant, esse quoque natura. Propterea Basilius ad verba tantum Eunomii respondet, quibus conclusionem inferebat, de qua ipse loquitur dum ait; natura vero tertia vti nec ab illis didicimus, neq; ex dictis possibile est deduci vt consequens; & contra simulationē illationis huius sermonem habet. Quod si Spiritus sanctus non esset tertius ordine & dignitate, contra hoc etiam dixisset ea ratione, qua impugnauit ordinem tertiæ naturæ. Hoc porro verum esse, ab exemplis quæ sequuntur, euidentissime colligitur.

Ephes.

Si sanctorum & ipsius magni Basilii sententia esset, ordine & dignitate tertium esse Spiritum sanctum, nō vtique de Eunomio diceret, simulate ab eo teneri

doctrinam sanctorum; sed attestaretur, seruari quidem ab illo doctrinam sanctorum, verum aliud quidpiam inferri ex ipsa præter dictum eorum; quod illi affirmauerint tertium esse ordine & dignitate; iste vero inferat, natura quoque tertium esse. Nunc vero Basilius magnus non dat Eunomio testimonium vt vera dicenti, sed sanctorum inquit doctrinam simulate ab eo seruari; certe tamen non seruari. Idcirco subiungit, oppugnans dictum & opinionem: Eos vero qui sibi tradiderunt hunc ordinem, tacet: deinde addit; Qui vero sint illi sancti, & quibus in sermonibus docuerint hoc, tacet. Vides, vt ipse neget hanc esse sanctorum & suam sententiam. & post hæc dicit; fuitne vnquam homo tam audax & rerum nouarum molitor? nouatorem ipsum appellat & audacem, vtpote præter sanctorum doctrinam proferentem, quod sancti neutiquam dixerunt: nemo enim affirmaret, tertium esse dignitate & ordine. Et hoc ait impugnans Eunomium. Alioquin proba tu, esse sanctorum sententiam, quod sit tertius ordine & dignitate *Spiritus sanctus*: nos enim ostendimus, Basilium in hoc non conuenire cum Eunomio, immo vero & opinionem eius & vocem refellere: an non ita in vestro quoque libro legitur?

Ioannes. De dicto quidem ipso considerabimus. Quoniam vero asseris, non esse magni Basilii sententiam de sancto Spiritu, quod tertius dignitate sit; profero tibi grauissimum testem, magnum videlicet Athanasium; cuius fidem & sententias eadem tenere te, Pater Reuerende, profitetur Cyrillus. Is in illo Dialogo, quem in Nicæna Synodo cũ Ario habuit, disputans sic ait; quod idem etiam in Epistola habemus. *Si igitur non est ex* substantia Patris & Filij, cur de eo Filius mentionem facit in traditione sanctificationis, vbi ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, *Matth. 28* & Filij, & Spiritus sancti? Ex quo Athanasius concludit, quoniam in Sacramento tres enumerantur personæ, *Spiritum* esse ex substantia Patris & Filij; & necessario essentiam habere à Patre & Filio. & in prima Epistola ad Serapionem fundans suam sententiam auctoritate Scripturæ sic ait: Spiritus à Filio accipit iuxta Domini vocem: *Ioan. 16.* De meo accipiet, & annunciabit vobis. & de Filio quidem dicitur: In nomine Patris veni: de Paracleto autem, Spiritus sanctus, quem mittit Pater in nomine meo. Si ergo talem ordinem & naturam habet Spiritus ad Filium, qualem habet Filius ad Patrem; *Ioan. 5.* qui Spiritum dicit creaturam, quo pacto non idem etiam de Filio necessario sentiat? Nunc ergo ex hoc inuicto testimonio concluditur, Spiritum sanctum talem habere ordinem ad Filium, qualem habet Filius ad Patrem. Vnde colligitur, ex primo quidem dicto, Spiritum sanctum esse tertiam personam; ex secundo vero, Spiritum habere illum ordinem ad Filium, quem Filius ad Patrem: & ex hoc liquido apparet, quod Spiritus sanctus accipiat esse à Filio. Declarate ergo, quonã modo Spiritus S. accipiat esse à Filio. Nec oportet aperte loquenti magno Athanasio reluctari. In sequẽti vero sessione manifeste hocidem ex ipso Basilio demonstrabimus. His ita dictis dimissa est Synodus, & dilata in feriam tertiam. Itaque feria tertia, seruato consueto ordine, disputatio haberi cœpit.

LVII. *Continuatur disput. de Spiritu sancto.* *Ephes.*

DIE DECIMO MENSIS MARTII, feria tertia.

SESSIO XXI.

PRoposuetamus sessione proxima, Patres Reuerendissimi, magni Patris Basilii dictum examinandum, & discrepantiam quæ in libris est perspiciendam; atque ita ex vestra charitate quæsiuimus, an Basilij magni sententiam esse arbitremini, quod Spiritus sanctus ordine & dignitate sit tertius. Quod quidem cum affirmasseris; rursus quæsiuimus, an sanctorum quoq; sententia & doctrina hæc sit, sicut aiebat Eunomius: quod etiam cum prompte admodum dedisse tis, protulimus vobis magnum Basilium perspicue contraria dicentem, vt in vestro etiam libro habetur: *Simulat* enim, inquit, sanctorum doctrinam; sed illam certe non conseruat; tacetque eos, qui sibi ipsam tradiderunt. Deinde vtens vehementi obiurgatione subdit: Qui vero sint illi Sancti, & quibus in sermonibus docuerint hoc, dicere non potest. Fuit ne homo tam audax, nouandorum dogmatum auctorem se præbens? Si ergo Filius ordine ac dignitate secundus à Patre est, quod ab ipso; *Spiritum* vero sanctum dici à Filio secundum ordine & dignitate nullo modo patitur; ergo *Spiritus* sanctus non est à Filio tanquam à causa. Ita dictorum vestrorum inter se repugnantiam videntes, & ex eo colligentes adulterium esse quod fait additum (neque enim plane, cur sit secundus Spiritus sanctus, redderet causam, qui omnino illud non recipit) hoc quidem præteristis; dictum vero esse à sanctis, tertium esse ordine & dignitate *Spiritum* sanctum, probandum sumpsistis: & protulistis duo sancti Athanasii dicta alterum asserens simpliciter, tertium esse ordine *Spiritum* sanctum: alterum affirmans, *Spiritum* sanctum habere talem naturam & ordinem ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem: atque ex his, quod sit dignitate tertius, demonstratum à vobis arbitrati estis. Verum ad primum illud dicimus; fateri nos etiam, in sancta Trinitate tertium esse ordine *Spiritum* sanctum, vt Saluator noster in traditione baptismatis dixit: quod vero dignitate etiam tertius sit, mirari satis, quomodo vt dictum assumitis, quod non est dictum. Id vero etiam in aliis facitis: nam cum audieritis, *Spiritum* à Patre & Filio, verbum, est, adiicitis, & habere esse. Cum vero, *Spiritum* à Filio accipere, dicitis accipere suum esse: hoc porro est, controuersa sumere pro certis atq; confessis; quod est deterrimum demonstrandi genus. & hæc quidem ad primum. Ad secundum vero dicimus, considerandum esse, quis sit in ijs verbis magno Athanasio scopus, & ad quos verba faciat. Oportet enim, vt magnus Cyrillus ait in actis tertiæ Synodi, sacros euoluentem libros, distinguere & personas, & tempus, causamq; propter quam vnumquodque dictum est, expendere: ita enim quis dicto cuique conuenientem affignare poterit causam fauente gratia *Spiritus*, &c. Videtur ergo celeberrimus Athanasius ea scribere depugnans cum sancti *Spiritus* oppugnatoribus; qui cum Filium Patri exæquarent, eiusdemque gloriæ ac substantiæ faterentur, Spiritum sanctum minorem asseuerabant; & proinde non connumerandum, sed subnumerandum illis, vtpote alienæ & crearæ naturæ existentem, aiebant. In hos ergo strenuus Pater sermonem suum instituens, & Spiritum Patri & Filio connaturalem, parique ac illi dignitate præstantem volens ostendere, quod eiusdem sit ordinis, eiusdemque voluntatis & operationis: per hæc enim semper Doctores identitatem naturæ demonstrabant; in prima ad Serapionem Episcopum Epistola scribit hæc: Filius quidem à Patre mittitur: Sic enim, *inquit*, Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret: à Filio vero Spiritus mittitur; *Si* enim, *inquit*, ego abiero, mittam Paracletum. & Filius quidem clarificat Patrem dicẽs: Ego te clarificaui: *Spiritus* autẽ clarificat Filium; Ille enim, *inquit*, me clarificabit. Et Filius quidem dicit; Quæ audiui à Patre, hæc loquor in mundo: Spiritus vero à Filio accipit; nam de meo, inquit, accipiet, & annuntiabit vobis. Et Filius quidem venit in nomine Patris: de Spiritu vero sancto Filius dicit; Quem mittit Pater in nomine meo. Cum ergo talem naturam & ordinem habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius ad Patrem, qui Spiritum dicit creaturam, quomodo non etiam de Filio idem necessario sentiet? In his non videtur velle doctor explicare distinctionem, neque vnde vtraque persona sui esse causam habeat: sed earum potius vnitatem & connaturalitatem, ex identitate voluntatis & operum

Ioan. 3. *Ioan. 16.* *Ioan. 17.* *Ioan. 16.* *Ioan. 8.* *Ioan. 16.* *Ioan. 5.* *Ioan. 15.*

proportione apparentem. Itaque non dixit, Filium habere suum esse à Patre, *Spiritum* vero produci à Filio; neq; Filium à Patre generari, Spiritũ vero produci à Filio; sic enim dixisset, si iuxta vestrã sententiam locutus esset: nunc his penitus omissis, beneplacitum Patris memorat in operibus Filij, & rursus beneplacitum Filij in operibus Spiritus sancti: & Filius quidem, inquit, à Patre mittitur, Spiritus vero à Filio mittitur. Beneplacitum Patris missionem puta, dicit Gregorius Theologus; ergo & Filii beneplacitum puta esse Spiritus missionem. Et Filius quidem clarificat Patrem, Spiritus vero clarificat Filium: in his operum proportio, & identitas voluntatis ostenditur. Nam quia Filius innotuit mundo, Patre iam antea cognito, deinde innotuit Spiritus sanctus; ne Deo viderentur contrarii Filius & *Spiritus* sanctus, ideo Patrem clarificat Filius, Filium vero *Spiritus* sanctus, & quæ ille tacuit, discipulis reuelat: & Filius quidem, quæ *inquit*, audiui à Patre, hæc loquor in mundo: *Spiritus* vero accipit à Filio; De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Nota patet hic, Spiritum sanctum hoc loco sermonem accipere, & discipulis annuntiare: sicuti Filius quæ à Patre audiuit, hæc in mundo loquitur: non ergo accipit esse, vt tu asserebas. Et Filius quidem venit in nomine Patris: de Spiritu vero sancto dicit Filius; Quem mittet Pater in nomine meo: Per quæ omnia, vt dixi, voluntatis identitas, & operum proportio declaratur; ex quibus etiam identitas essentiæ colligitur necessario. Talem igitur, inquit, ordinem & naturam habet Spiritus sanctus ad Filium, qualem Filius ad Patrem; hoc est, ita connaturalis & coniunctus Filio *Spiritus* sanctus, sicuti Filius Patri. Qui ergo *Spiritum* sanctum dicit creaturam, quomodo non etiam de Filio idem necessario sentiet? Si enim *Spiritus* sanctus coniunctus est Filio, sicuti Filius Patri, est que eiusdem naturæ, vt ex identitate voluntatis & proportione operum probatur, quomodo *Spiritus* sanctus dici possit creatura? Hic est sensus Patris; & ad hunc finem dixit quæ dixit, non ad insinuandam distinctionem, sed vnitatem & identitatem essentiæ. Ita vobis hoc dictum non successit pro voto, nec fauet vestræ sententiæ. Quod vero hæc non fuerit magni Patris Athanasii sententia de processione Spiritus; nec existimauerit ipse Filium esse causam *Spiritus* sancti, neque propterea illum ordinem posuerit; constat ex aliis eius dictis, vbi tradit diuinarum personarũ distinctionem, solum Patrem fontem Deitatis appellans, sicuti & solum ingenitũ: hoc vero idem est ac dicere, ipsum solum genitorem & solum esse productorem. Non ergo arbitrabatur, Filium quoque esse causam *Spiritus* sancti, qui Patrem vocat solum Deitatis fontem. verba eius in oratione, quæ de æterna Filii & *Spiritus* existentia inscribitur, ita se habent: Diiungimur autem & à iudaizantibus, & à deprauantibus Christianismum; qui Deum de Deo negantes, vnum Deum asserunt æque ac Iudæi; non quia solus Pater ingenitus, solusque fons Deitatis, Deum affirmantes ipsum; sed veluti carentem Filio, & Verbum viuens non fructificantem. Si ergo Deitatis fons est solus Pater, quemadmodum & solus ingenitus, hoc est solus Filii genitor, solusque Spiritus sancti productor; profecto non erat magni Athanasii sententia, Filium esse causam Spiritus, & Spiritum ex Filio habere suum esse. Hæc in præsentia diximus ad ea quæ protulisti.

Orat. in Natal. Domin.

LVIII. *Ioannes.* Modus iste inuestigandi veritatem, Pater Reuerendissime, quam omnes assequi cupiunt, sermonibus & allegationibus adeo prolixis, interturbat eam potius, quam dilucidat: sed neque à principio propositum hoc fuit nobis disquisitionem aggredientibus, verum de argumento ad argumentum progredi breui responsione & solutione adhibita, ficque ad viteriora procedere. Nam omnes hi qui adsunt Patres defessi iam vnius dicentis audientia per horam, dum ad duo dicta postremo allata respondet, parum intellexere, opinor, quid tandem ad illa duo dicta responsum fuerit; nisi quod in me coniicis, solere me proferre dicta mihus fideliter; vt cum *Spiritus* dicitur à Patre & *Filio*; addam ego verbum, est, quod non habetur. Deinde quia secundum magni Athanasii sententiam, qua asserebat & asserit (sunt enim hæc ipsius verba) eundem ordinem & naturam habere *Spiritum* sanctum ad Filium, quem Filius habet ad Patrem; nunquam exposuisti vt iacet; bene nunquam respondebit, qui bene non exposuerit. Posthæc ingressus es in materiam temporalis personarum missionis; ex qua temporali missione concludetur in presenti necessario, *Spiritum* sanctum si procedit à Filio tempore, ab eo quoque procedere æternaliter. Quocirca non erat hoc præsenti materiæ inferendum, quod nunc extra rem nostram est: respondebimus tamen in præsenti; sed prius illud scire velim, an ita dixeris. Dixisti, Filium audire à Patre sermones accipientem, & audientem à Patre. Quoniam ergo audicio est respectu verbi; id quod in Euangelio clarum est: ita & *Spiritus* sanctus à Filio audit, & secundum illam auditionem accipit pariter sermones à Filio: nam hoc & alias concessisti: negasti tamen sequi ex eo, vt Spiritus accipiat esse à Filio. est ne verum, quod nunc de auditione exposui?

Ita dixi; & ita Doctor asserit hoc loco. *Ephes. Ioannes.*

Ex hoc, Deo dante, & ex hac responsione demonstrabitur per dicta eximiorum sanctorum Doctorumque nostrorum & vestrorum, *Spiritum* sanctum accipere suum esse æternum à Filio. Nunc vero respondeo ad ea quæ dixisti. Primũ dixisti, sessione proxima quando quæsiuisti, an magnus Basilius sentiret, *Spiritum* S. esse dignitate & ordine tertium; respondisse me, ita esse: & hanc Basilii magni extitisse sententiam. Ad hoc iterum dico, hanc esse mentem Basilij, & sententiam veriissimam; videlicet, *Spiritum* sanctum esse dignitate & ordine tertium: quandoquidem Doctores vestri manifeste & luculenter hoc asserunt. Deinde quæsiuisti, an hæc sanctorum Patrum esset sententia; & egorespondi, esse. Hic voluisti afferre contraria, sicut etiam modo fecisti. Repetiisti præterea quæ dixeras de Eunomio, quod is iuxta Basilii verba parumpendens multorum sententiam qui *Spiritum* sanctũ glorificabant, simularet se doctrinam sequi sanctorum, tacerat autem eos, qui illud assererent. Deinde citasti sequentia dicti verba, vbi Basilius ait, eum non potuisse proferre qui dicerent *Spiritum* sanctum esse tertium ordine: posteaconcludit; fuitne vnquam homo tam audax, qui diuinorum dogmatum nouitatem inducerer? ex hoc aggressus es inferre opposita; quoniam Basilius dixit, non posse ab illo produci sanctos, qui hoc asseuerauerint. Vnde sequebatur per te, non fuisse hanc sanctorum Doctorum sentẽtiam, cuius ego dixi contrarium. Hæc ego repetere volui, & Basilii verba proferre, vt facilius qui præsentes adsunt, solutionem intelligant. Nos Basilii magni librum habemus, quem & fide dignum & veracissimum arbitramur: est & alius qui nunc proferetur, vetustissimus: in quo sententia legitur æque vt in nostro, sicuti dictum & relatum nobis est ab iis, qui librum illum legerunt.

Et prolatus est liber Præsulis Mitylenensis. *Ephes.*

Eadem manu exscriptus est liber prolatus, qua & alius. *Ioannes.*

Ad primum ergo tria quædam facere volo: primo demonstrare nunc volo per aliud Basilii testimonium, quo ipse asserit, *Spiritum* accipere à Filio: secundo demonstrare volo, Basilio, si ita diceret, vt legitur in tuo libro, maximum per hoc imprimi dedecus; nec posse pro honore & gloria tam eximii Doctoris, adeoque conspicuiln Ecclesia Dei, quem Chalcedonensis Synodus elogio tã illustri ornauerit, veri Christiani mentem capere quod à te dictum est. Tertio demonstrabo ex præcedentibus & consequentibus eam esse Basilii mentem, quæ in nostro codice exprimitur; nec digre- *Synodus Chalcedonen. S. Basilium elogio illustri ornauit.*

diar ab horum capitum materia. Nec dubito, quin Spiritus sanctus daturus sit nobis, vt laborem non nisi congruentem subeamus: agimus enim de ipso: magnumq; in nos ac vos causa nostra beneficium sit collaturus; quando ipse Spiritus sanctus, quo repletus fuit Basilius, in tam graui materia, qualis hæc est, non fecit, vt ille varijs in locis pugnantia scriberet: Quandoquidem in fidei materia nunquam Doctores secum pugnarunt. Nudius tertius, hoc est, die Dominico, fui apud Reuerendissimum Dominum sanctæ Sabinæ; erat quoque Frater Ambrosius, qui præsens est, & magno interpretandi dono præcellit. Itaque allatus est Græcus codex longe vetustissimus in membranis ab erudito quodam Græcarum litterarum interprete Leonardo Aretino, huius ciuitatis Cancellario. Cum ergo librum præ manibus haberet, & quandam Epistolam quæreremus, occurrit homilia quædã B. Basilij de Spiritu sancto. Confestim ergo dixi huic Reuerendo Patri, vt totam mihi homiliam perlegeret; sperabam enim fore, vt procul dubio Spiritus sanctus mirum aliquid efficeret. Nam si à Basilio, qui fuit Spiritu plenus, dicendum erat aliquid firmum ac solidum de Spiritu sancto fide, in hac certe homilia dicendum erat. audiui integram, atque ad finem magnas ego gratias Spiritui sancto. His enim ipsis verbis ficait: Vnum quidem Patrem, vnum vero Filium, vnum quoque Spiritum sanctum iuxta diuinam traditionem fateri oportet: deinde subdit: Neque duos Patres dicendum, neque duos Filios; quandoquidem Spiritus nec est, nec nominatur Filius; neque enim à Spiritu accipimus aliquid, quomodo à Filio Spiritus; sed eo ad nos veniente & sanctificante suscipimus diuinitatis communionem, & filiationis communicatam possessionem, æternæque hæreditatis arrhabonem, bonorumque primitias æternorum: Hæc sunt quæ accipimus à Spiritu, & quæ in nobis creata sunt, & causata à Spiritu sancto. Nunc ergo sanctus Basilius sit, non eo modo Spiritum accipere à Filio, quo nos à Spiritu accipimus: sequitur enim necessario, diuinum esse, quod Spiritus accipit; nam quidquid est, aut diuinum, aut creatum est: hoc porro nos à Spiritu vero sancto accipimus; Spiritus vero sanctus non eo modo, neque creata hæc accipit; sequitur ergo vt accipiat quod diuinum est. Ita facta comparatione hæc idem excludit & euertitur malignantium opinione, quod accipere esse fiat creaturarum ergo. Hæc igitur est magni Basilij sententia, vnum quidem Patrem, vnum vero Filium, vnum quoque Spiritum esse iuxta diuinam traditionem. Sed accedamus ad secundam partem. Ego dixi; Si legatur ita textus, vt legit Reuerendissimus Pater Ephesius, magnam in hac parte inuti Basilio maculam. Hoc ergo probare volumus manifeste per nostrum & vestrum codicem: proinde iam sermonem instituam ad ostendendum quid differat inter meum & tuum sensum, vt nostri omnes plenius intelligant. Itaque proponam & vnum & alterum. Textus ergo noster ita se habet: Cur enim necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus sanctus, tertium quoque ipsum esse natura? In vestro autem textu hoc ita legitur: Cur enim necesse est, si dignitate & ordine secundus est Spiritus sanctus, natura quoque esse ipsum secundum? Nunc ergo, Patres, considerate, vtrum ex textu nostro, tertius est Spiritus: in vestro autem, secundus legatur.

à Spiritu sancto non accipimus aliquo quo modo ipse à Filio.

Magni Basilij sententia.

Ephes.

In nostro quoque sic legitur; Cur enim necesse est, vt si dignitate tertius, natura quoque sit ipse tertius?

LIX. *Ioannes.*

Sequitur deinde textus noster: Dignitate enim secundum esse à Filio, cum ab ipso esse suum habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ab illa causa dependeat, sermo pietatis tradit; natura vero tertia. vel neque à sanctis edocemur, neque ex dictis vt consequens colligere possumus. textus autem vester sic habet: Dignitate enim secundum à Filio tradit fortasse pietatis sermo; in quo dubitare videtur magnus Pater Basilius, dum ait, fortasse: deinde ijs prætermissis quæ dicta sunt, venit ad hoc; natura vero tertia vti neque à sanctis edocemur, neque ex dictis vt consequens colligere possumus. Hic prius ad eiusdem Patris Basilij demonstrationem veniamus, quoniam ipse demonstrationem opponit: ait enim; Sicut enim Filius secundus à Patre ordine, quoniam ab illo; & dignitate, quoniam principium eius & causa, nempe vt Pater; & per eum accessus & adductio ad Deum Patrem; natura vero nequaquam secundus, quoniam in vtroque vna est Deitas: in his connenimus. Causa ergo hæc est, quod sicut Filius se habet ad Patrem, ita eodem ordine Spiritus ad Filium. Quare licet Spiritus sanctus ordine & dignitate post Filium sit, non tamen congruenter iudicabitur alienæ naturæ. In his aperte dicitur, quod Basilius inferit; quemadmodum Filius se habet ad Patrem ordine & dignitate, ita videlicet & Spiritum se habere ad Filium. De iis ergo quæ de Filio dicta sunt, non dissentimus; dissentimus autem de eo, quod patet. in vestro codice legitur: etsi post Filium collocatus est, vt hoc etiam concedamus; non tamen sequitur alienæ quoque esse naturæ: at vero in nostro legitur, collocatum esse post illum: & vestra hæc deprauatio excludit axioma, Spiritum scilicet dignitate & ordine esse post Filium: nostrer autem liber sic haberet; si post illum collocatus est, vt quidem Filius ordine à Patre secundus, quoniam ab illo, & dignitate, quoniam ille principium & causa: quodque per ipsum aditus accessusque ad Deum Patrem: natura vero nequaquam secundus, quandoquidem in vtroque vna est Deitas. Itaque ad primum, vbi ait, tradit fortasse pietatis sermo, ad hunc modum dico; Particulam hanc, fortasse tradit pietatis sermo, magnam Basilio noram inurere; semper enim id per quod demonstratur aliquid, esse debet notius eo quod demonstratur; nam per ignota nemo declarare quidpiam potest, sed per notiora debemus ostendere minus nota: hunc ordinem docent omnes Viri docti: quod si etiam hoc illi nunquam dixissent, naturalis id ratio docet. Nunc ergo in hoc capite vult ipse consequentiam refellere, qua vtebatur Eunomius, hoc modo; Etsi tertius est dignitate, vt habebat à sacris Scripturis, non sequitur tamen, vt natura quoque sit tertius: & per totum hoc caput ipse inferre vult ex Scripturis per exemplum Angelorum, esse quosdam primos & secundos & tertios ordine & dignitate, sed ex eo non sequi, natura quoque tertios esse: & hoc sibi pro magno sumit fundamento. Si ergo ita diceret, tradit fortasse pietatis sermo, mirum mihi videretur, ipsum de eo dubitare, quod asseuerare deberet ad confutandum Eunomij: id autem de tanto doctore dicere absurdum est. Deinde cum ipsi dignum sit datum à Synodo Chalcedonensi testimonium, dicentibus Synodi Patribus; Iste doctrinam magis exactam tradidit, si dubitabat Basilius dicendo, tradit fortasse pietatis sermo, quomodo dubitando de sancto Spiritu magis exactam tradere potuit doctrinam? Ex his duobus capitibus, præsertim ex primo nullo modo potest sine nota legi illa particula; & propterea vt sensum depranans, delenda & eradenda esset ex omnibus libris. Tertio in hac homilia de Spiritu sancto, ipse manifeste propalamque asserit, Spiritum sanctum à Filio accipere; citra omnem hæsitationem ac ambiguitatem. Imo ex multis dictis ipse demonstrat, Spiritum accipere à Filio non aliquid creatum, vt nos accipimus, sed diuinum esse, vt dictum est; cum nihil aliud possit accipere Spiritus à Filio in ipsa Trinitate personarum: nam omne quod accepit, & accipit, & accipiet, id æternaliter habet: & quod Filius à Patre audit, idem est quod scientia: scientia vero in diuinis idem est quod esse: & audire à Patre iuxta expositionem Latinorum atque Græcorum, quos in sequentibus producam, nihil aliud est, quam accipere essentiam & scientiam à Patre. Atque ita Spiritus audiens accipit à Filio, & auditio scientia

par. 3. allocut. ad Marcian. Imper.

est, &

est, & esse, & diuina essentia; quæ omnia Spiritus à Filio accipit. Quomodo igitur concipi animo queat, Basilium in homilia de sancto Spiritu, quam habuit die festo eius, absque vlla hæsitatione dixisse, Spiritum accipere: alio vero loco à Spiritu sancto, quo plenus erat, motum scripsisse dictum adeo absurdum, tradit fortasse pietatis sermo? Nam veritatis sermonem in sacris Scripturis primum viri sancti collocarunt, ex quibus perspicue Basilius contra Eunomium sumpsit argumentum. Nunc ad tertiam & vltimam particulam venio. Postrema hæc particula, qua dicitur, & si Spiritus dignitate & ordine, & cæter. contradictoria est ei, quod supra fuit positum. Ibi enim de dignitate dicitur, tradit fortasse pietatis sermo: hic vero absolute ponitur, etsi dignitate & ordine posterior est. Ex quibus Basilij verbis, qui facile in errorem inducuntur, colligi asserunt, Spiritum alienæ esse naturæ. Ita ergo ex illo capite ac dicto, quo asserit, Spiritum à Filio accipere, non aliud profecto quàm suum esse, & originem diuinamque naturam; & ex alio capite aperte & manifeste liquet, additamentum hoc magnam Basilio noram inurere: necnon si accipere esse idem est atque procedere, per hæc vero testimonia Spiritus suum esse accipit à Filio, dubium non esse, quin ex eo procedat. Venio nunc ad perspicuum illud Basilij testimonium de ordine, per quod hunc fuisse demonstrabo sensum: ita enim incipit. Vix tandem blasphemijs in Vnigenitum exsatiatus: & deinceps de illo, & toto eius consilio loquitur. & attende, quomodo in Eunomium aperte inuehatur dicens, in hoc eum libro non concludere quod vult per bonam consequentiam. Deinde ponit Eunomij verba; sic enim scribit: Quoniam satis iam de Filio diximus, reliquum est vt de Paracleto quoque dicamus, non sequentes multorum minus examinatas sententias, sed in omnibus sanctorum doctrinam seruantes; à quibus cum tertium ordine & dignitate ipsum acceperimus; natura quoque tertium esse credimus. hæc sunt Eunomij verba. Ad finem vero dum aggreditur dicere; Cur enim necesse est. Dixerat enim ille contemnens multorum quam habeat opinionem: & hæ sunt, iniuria examinatas multorum sententias, quod Spiritum Deum esse fateantur, non adhibitis multis rationibus. Superbus vero iste atque arrogans Eunomius videtur eas nolle sequi; sed simulat, inquit Basilius, Sanctorum seruare doctrinam non afferens Doctores, qui hoc dixerunt; nec libros proferens, in quibus Sanctorum sententiæ legebantur asserentium, tertium esse ordine & dignitate; ex quibus ille crederet vt consequens, esse quoque tertium natura. Itaque Basilius hoc vult; contigisse, vt huiusmodi sanctorum Patrum sententias ille non reperisset asserentes tertiũ esse ordine & dignitate; ex quibus posset colligere, esse quoque tertium natura. Idcirco increpat illum propter consequentiam, & ponit idem infra multa scripturæ dicta, in quibus inspicitur dignitas & ordo, prius & posterius. Propterea Basilius concludens, post allata Scripturæ dicta, & exempla Angelorum, stellarum, mansionum vitæ æternæ, fatetur pariter Spiritum sanctum, etsi dignitate & ordine post Filium est, non tamen esse natura: Accepimus enim à Patre tertium ipsum numeratum, dicente Domino in traditione sanctificationis; Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; in tertiam vero quandam naturam proiectum non dicimus, neque vnquam audiuimus. Deinde argumento manifesto demonstrat: Cum enim duæ res dicantur, Deitas & creatura, dominatus & seruitus, sanctificatio & sanctificatum, & infra: Quæ ergo in parte Spiritum collocabimus? in sanctificatis? absit: ipse enim sanctificatio. Ita pium ergo creaturis connumerare diuinæ Trinitatis numero alicuius: Vnde liquet, eum non posse inter creaturas numerari; cum omne quod est, aut diuinitas, aut creatura sit. Ponit ergo ipsum in Deitate, in qua tertium esse ait dignitate & ordine. Intelligit principium & causam in productione. Ita ipse hoc loco demonstrat, non in creatam proiici naturam; quod proprie non nisi de habentibus principium & causam dicitur. Si ergo tertius est, sequitur necessario, Filium esse causam & principium Spiritus sancti; id vero fieri non potest, nisi propter communicationem diuinæ naturæ; cum, vt alias dixi, ordo hic sit, vt in diuinis personis vna sit ab alia, vnde sumat essentiam & suum esse & ordinem. Nunc igitur accipere idem est, ac procedere, vt iam suppositum est, & nos vere & luculenter demonstrauimus: ergo si accipit à Filio Spiritus, verum etiam erit, eundem ab ipso procedere. Sunt porro & alia germana Basilij testimonia, per quæ demonstrabo Spiritum esse & procedere à Filio: & vos luce clarius perspicietis, fieri non posse, vt qui alias pro veritate assumpto Spiritu locutus est, alias contra ipsam sit locutus.

LX. *Ad sententias B. Athanasij.*

Itaque accedamus ad aliam partem. Venisti ad magni Athanasij locum, sed nudum ac sine suis patribus recitasti: nam si bene illum exposuisses, melius etiam intellexisses. Asserit Athanasius in illo dialogo, confutans voces & apologiam Arij: textus in promptu est: Si non est Spiritus sanctus ex substantia Patris & Filij, cur Filius Dei connumerat illum in Symbolo sanctificationis, Euntes docete omnes gentes? Vult igitur hoc dicere, vt planissime omnes intelligant; si Spiritus sanctus non esset ex substantia Patris & Filij, nullo modo esset in Sacramento sanctificationis annumeratus. Nostis enim vos Domini Græci, quod à Græcis Symbolum, hoc à Latinis tessera vocatur; testatur hoc Beatissimus Papa Clemens, qui fuit post Petrum, ad Beatum Iacobum scribens: nam, Apostoli, inquit, conuenientes Symbolum fecere: addit & hanc expositionem; tessera quidem vocatur, quoniam signum ex compacto quodam est factum: nota vero, quia per illud designatur, quod creditur: & quoniam signo baptismatis discernitur Christianus à non Christiano, vocat illud Athanasius Symbolum sanctificationis. Nunc ergo dicit; si non esset Spiritus ex substantia Patris & Filij, non poneretur in Symbolo. Dixi vobis alias manifestum esse, ita Spiritum habere esse ex substantia Filij, sicut Filius ex substantia Patris accipit esse. Dicit ergo, si non haberet esse à Filio, non connumeraretur. Quando vero tu mihi respondebas, dixisti, mei motis esse hinc inde coacernate testimonia, vt feci sessione superiore prolatis quibusdam B. Epiphanij sententijs, quibus non est appositum verbum, Est. Volo me nunc ad illas referre. Si ergo in iis quæ protuli, subintelligitur, est; ego non apposui, sed Ambrosius, qui asserit, illud necessario intelligi. Prima sententia talis est; Filium vocat, quoniam iste ab illo: Spiritus vero sanctus, qui solus ex ambobus. Nunc cursus quæro, an verbum, est, in his duabus propositionibus necessario intelligatur; nam vt ex multis Ambrosij interpretationibus comperi, Doctorum Græcorum videtur hic mos, vt in propositionibus, in quibus verbum necessario intelligitur, non soleant illud exprimere: quod etiam in magni Basilij sententij videre licet; vt puta in hac: Tertius dignitate & ordine Spiritus sanctus; nec ponitur, est; tamen necessario intelligitur. Alterum testimonium erat hoc: Neque Filium quis nouit, nisi Spiritus sanctus, qui vere clarificat, perfecteque omnia docet; qui ex Patre & Filio: non ponitur, est, sed tamen intelligitur. Nunc igitur quod attinet ad hoc, noli posthac, obsecro, verbis vti quæ ad mores pertineant, aut quandoque exprimant mores, huiusmodi enim verba nihil solidi afferunt; & in posterum connenientes. Cum igitur verba subintelligantur necessario, ne me de hoc arguas. Ad secundum vero Athanasij sententiam iam paucis dicam; vt scitis sequi, vt Spiritus sanctus dicitate & ordine sit à Filio secundus, si verba Athanasij bene annotaueris, & ad amussim perpenderis: Quod

Spiritus S. & si ordine & dignitate post filium est, non est tamen natura. Matth. 28

Ephes. Ioannes.

talem naturam & ordinem habeat *Spiritus* ad Filium qualem Filius ad Patrem. *Si* quis ergo *Spiritum* creaturam dicat, cogetur etiam de Filio idem affirmare propter vniformitatem ordinis. Ordo autem naturæ est, vt sit ex germinante germen, & infert vnam personam ex alia. Et hoc modo communiter explicant tam Philosophi quam Theologi naturæ ordinem, sicut alias declarauí: nec oportet in re Theologica vim afferre terminis præter illorum significata, prout Doctores vsurpant. *Si* igitur ordo naturæ est ordo productionis, qua alterum ab altero naturam accipit, quæ est principium, per quod, vt etiam asserit Damascenus, sequitur generationem esse naturæ ordinem, non vt generantis, sed qua generans generat: principium vero per quod, est principium, quod communicatur.

Ephes. Ne immutes verba: non est idem dicere ordinem & naturam, & dicere ordinem naturæ.

Dico, si est ordo secundum naturam, esse quoque ordinem naturæ: quoniam esse ordinem secundum naturam est esse ordinem naturæ; hoc est, in persona, à qua est alia, si habet ralationem principij & si ita communicat illi hanc naturam. & ita sequitur, Spiritum sanctum & ordine & natura esse à Filio secundum, & ab illo accipere suum esse, & consequenter ab ipso procedere. De missione autem temporali, quoniam diuersa materies est, alias respondebo.

Imperat. Vos scivis, vt conuenerit inter nos, disputationes habere concisas: nunc autem à vobis tam multa dicta sunt, vt nostri ad ea respondere nõ possint vsque ad vesperum. His ab Imperatore dictis dimissa est Synodus; decretumq; est vt Sabbato conueniret. Ergo die Sabbati, vbi Synodus ordine consedisset, cœpit Ephesius loqui.

LXI. *DIE QVARTO DECIMO MARTII, Sabbato.*

SESSIO XXII.

Ephes. SI vellimus omnibus quæ à vobis dicta sunt, oratione perpetua nostras opponere responsiones, adeo prolixus erit sermo, vt ne totum quidem huius sessionis tempus sufficiat: sed quoniã longi sermones vix sæpe sunt nobis infructuosi, age particulatim repetentes singula, vt ea memoriæ offerent, quam breuissime poterimus, examinemus, interrogando, rationem exigendo, ipsique reddendo quando opus fuerit. Primam igitur prolatarum à te sancti Athanasij sententiarum dixisti, Reuerende Pater, à nobis non intellectam, quod illam non exposuerimus, vt iacet.

Ioannes. Vt procedat disputatio iuxta ordinem dictorum quæ sunt citata, incipiendum tibi est à dicto sancti Basilij: nam Athanasij dictum postea fuit allatum.

Ephes. At superiore sessione recitatum & explanatum est magni Athanasij dictum. Oportet igitur hoc prius examinari, & declarari nobis quæ ipse dixisti; tumq; iterum ad locum Basilii veniemus.

Ioannes. Vt ordine progrediamur; nisi enim sit ordo inter nos, erit confusio; repeto quod primum dixisti sessione superiore. Primum ex me quæsiuisti an, in hac sententia fuisse magnum Basilium existimarem, atque ita senserint qui ante illum fuere sancti; nempe tertium esse ordine & dignitate *Spiritum* sanctum: quæ postremo ipse attulisti respondendo iuxta ordinem: deinde consequenter ad verba Athanasij transiuisti. Ego vero cum respondere ordine vellem, respondi ad interrogata; & primum attuli dictum quod assertionem meam cõfirmabat: deinde subiunxi, si dictum Basilij legatur cum additione, vt tu protulisti, fore vt Basilius de eo ambigeret, quod esse deberet validius: proinde locum non habere, quod fuit à vobis prolatum: tertio demonstraui ex antecedentib. & consequentibus iuxta ordinem, quo ipse es vsus. Quarto veni etiam ad magni Athanasij dicta. Operæpretium ergo est ordinem seruare; alioquin sequetur perturbatio ordinis, eritque inter nos confusio. Et quia Serenissimus Dominus Imperator hoc petiit, placuitque Beatissimo Domino nostro, & nobis omnibus, vt de capite ad caput, deque argumento ad argumentum transeuntes disputationis ordinem seruaremus, commodum fuerit tuam quoq; reuerentiam respondere ad primum.

Ephes. Ego sane volebam hodierno etiam die sermonem instituere eo quo sum vsus ordine; & primo quidem probare magni Athanasij dictum à te allatum ad meũ potius quam ad expositum à te sensum spectare. Sed quia tuum nos quoque ordinem sequi mauis, in hoc etiam morẽ tibi geremus, & examinabimus prius quæ dixisti in magni Basilij sententiam. Dicimus igitur; tribus rationibus probare te voluisse vestrum codicem non esse corruptum, quem nos adulteratum & corruptum esse conuicimus. Et primum quidem eorum quæ dixisti, fuit eiusmodi; Basilium magnum in quodam alio sermone, quem de Spiritu sancto scripsit, videri esse in hac sententia, vt Spiritus sanctus habeat esse à Filio. Dixisti secundo in commendationem libri; particulam illam hæsitationis addi tam, fortasse, vt in nostro libro legitur, indignam videri magni illius lingua & sensu; & notam quandam inurere admirabili illi Doctori, sermonem de diuinis dogmatibus non certum & planum, sed dubium & ambiguum. Tertio dixisti; exantecedentibus & consequentibus vestrum codicem incorruptum videri; esseque hanc magni Basilij sententiam, tertium esse ordine & dignitate Spiritum sanctum.

Ad primum igitur recitato prius loco dicemus, quid sentiamus.

Recitatus est magni Basilij locus ita se habens.

Vnum ergo esse Patrem, vnum Filium, vnum quoque Spiritum sanctum iuxta diuinam traditionem fatendum est; & nec duos Patres, nec duos Filios; siquidem Spiritus sanctus nec est, nec nominatur Filius.

Quo recitato Ephesius dixit: In his non modo non dicitur Spiritus accipere suum esse à Filio; sed neq; accipere ipsum a Filio, necessario debet intelligi: possumus enim ex dictis intelligere, nos à Spiritu non accipere aliqua, sicut accipimus à Filio Spiritum: qui sensus congruit cum meo, & cum supradictis, & mente Doctoris, vt nos demonstrabimus. Nam sancti Spiritus oppugnatores obiiciebant Orthodoxis, hac diuisione vtentes; *Si* à Patre genitus est *Spiritus*, ecce duo Filij, Filius videlicet & Spiritus sanctus; si vero à Filio, ecce duo Patres, nimirum Pater & Filius. his igitur occurrens magnus Basilius; Vnum, inquit, Patrem fateri oportet, & vnum Filium, & vnum Spiritum sanctum iuxta diuinam traditionem. Etsi enim Spiritus sanctus ex Patre procedit, non tamen vt Filius, neque ex ipso genitus est. Idcirco nec duos Patres, nec duos Filios dicimus: nam Spiritus, inquit, nec est, nec nominatur Filius. & liquet nos à Filio *Spiritum* accipere, scilicet Spiritum adoptionis: naturalis enim Filii proprium est, adoptare nos per Spiritum. Quod significare volens Beatus Apostolus Paulus ad Galatas ita scribit: Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater. Si ergo accipientes à Filio Spiritum adoptionis Patri adoptamur per Filium, à *Spiritu* vero non alia quædam accipimus præter ipsum *Spiritum*, sicut à Filio *Spiritum*, qui alius ab ipso Filio est: profecto Spiritus non est, sicut etiam à Scriptura non nominatur *Filius*. Hoc sensu dixit magnus Basilius, quod hic legitur; Spiritum nec esse, nec nominari Filium; quoniam à Spiritu non accipimus aliqua, alia videlicet à *Spiritu*, & quæ per se subsistant, sicut accipimus à Filio Spiritum sanctum, qui alius ab ipso est secundum propriam hypostasim; sed ipsummet Spiritum accedentem ad nos & sanctificantem suscipimus, ac sua in nobis charismata operantem, vt inquit Apostolus; Hæc autem

Cap. 4.

omnia

1. Cor. 12. omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Tu vero vnde nam habes, & qua ratione vt dictum hic accipis, Spiritum accipere à Filio suum esse? hoc enim ex contextu orationis haud quaquam apparet.

LXII. *Ioannes.* Longum habuisti sermonem, Pater Reuerendissime, in expositionem dicti, rem tamen ipsam nequaquam attigisti, nisi ad finem, vbi dixisti, vnde hanc expositionem habuerim. Dictum igitur; Vnum, *inquit*, esse Patrem fatendum est, & vnum Filium, & vnum Spiritum sanctum; & non duos Patres, nec duos Filios: Spiritum autem nec esse, nec appellari Filium. In illa homilia magnus Basilius non absolute loquitur, sed determinate: propterea subdit: Neque enim accipimus à Spiritu aliqua, quomodo à Filio Spiritus: facit ergo ibi comparationem; ea vero talis est; Nos à Spiritu non accipimus aliqua, quemadmodum Spiritus à Filio.

Ephes. Ioannes. Non ita nobis videtur.

Et exempli gratia; neq; enim inferioris ordinis quisquam accipit à Serenissimo Dominо Imperatore, quomodo optimatum aliquis accipit à summo Pontifice. & impossibile est iuxta eum comparationis modum, illud, optimatum aliquis, esse accusatiui casus: necessario ergo debet esse rectus, illud, Spiritus in dicto, quomodo à Filio Spiritus.

Ephes. Hoc ita se haberet, si additum esset, quomodo accipit à Filio Spiritus; nunc autem non ita legitur; Nos à Spiritu non accipimus aliqua, quomodo accipit à Filio Spiritus: propterea non quadrat illa comparatio eius, quod Spiritus accipit à Filio, & eius quod nos accipimus: & omnino non cohæret, ita nos accipere, sicut accipit Spiritus sanctus: sed neque magni Basilij menti id congruit. Vult enim is demonstrare, Spiritum sanctum nec esse, nec nominari Filium. Applica igitur verborum eius sensum ad hunc scopum; nos quippe illum perfecte applicauimus per ea quæ diximus. Diximus autem, idcirco Spiritum sanctum nec esse nec appellari Filium, quoniam accipimus eum à Filio, aliumscilicet ab ipso: ab ipso vero Spiritu non accipimus aliqua alia præter ipsum Spiritum, sicuti Spiritus est alius à Filio. & vide vt priora posterioribus respondeant: Sed ipsum Spiritum accedentem ad nos & sanctificantem suscipimus & operantem in nobis sua charismata, communicationem Deitatis, adoptionem, & reliqua. hoc sane conuenit cum scopo & mente Doctoris.

Ioannes. Asseris, non accipere nos aliqua, quæ sint ab ipso Spiritu alia.

Ephes. Ioannes. Alia dico, sicut alius est à Filio Spiritus.

Contra hoc volo dicere; nam & impossibile est, & vniuersæ Scripturæ contrarium.

Ephes. Ioannes. Quomodo impossibile, cũ Doctor ipse hoc asserat?

Quæro ex te, an dona Spiritus sancti diuersa sint ab ijs, quæ dat nobis Spiritus sanctus?

Ephes. Non sunt alia, sicut Filius & Spiritus, per se subsistẽtia; quemadmodum subsistit Spiritus sanctus per propriam subsistentiam.

Ioannes. Non quæro, an dona Spiritus sancti sint hoc modo alia.

Ephes. Nicænus. Alia sunt, sed non per se subsistentia.

Etsi dona à Spiritu accipimus, tamen illa non subsistunt.

Ioannes. Ephes. Alia ab ipso Spiritu dicebas prius eo modo, quo Spiritus est alius à Filio.

Hoc idem probare possumus ex alio quoque Basilij loco.

LXIII *Ioannes.* Quæro abs te, Pater Reuerendissime, Spiritus iste qui datur à Filio, creator an est, an creatura? duo quippe sunt in vniuerso, creator & creaturæ; estq; Spiritus sanctus creator, eius autem operationes creaturæ: num creatura est Spiritus iste sanctus, quem effudit Deus abunde in nos per Iesum Christum? Ephesius autem tacebat; & Ioannes rursus:

Ad Tit. 3.

Secundo quæro abs te, an dona sancti Spiritus dentur cum ipso Spiritu, & cum persona & hypostasi eiusdem Spiritus, nec ne. Tertio, an eadem sint dona quæ accipiuntur à sancto Spiritu. Ephesius autem non habens quid responderet, diu tacebat. Et Imperator veritus, ne in aliud dogma sermo delaberetur, nolentes; nos disputatio in quæstionem de creato & increato deueheret; iussit hanc disputationem omitti. Verum Latini instabant responsionem quærentes. Quare Imperator sermonem reprimens dixit:

Imperat. Hæc non spectant ad propositum: propositum autem voco principale quæsitum: nec summa negotij consistit in hoc capite. Consistit inter nos agere de vna materia, non de alia, ex qua nobis contentiones excitentur.

Ioannes. Quia iam proposita est, optime factum erit, si enucleetur.

Ephes. Locus iste ambignus est, cum à nobis aliter, aliter; à vobis intelligatur: ex ambiguis autem nihil concluditur necessario: non ergo potestis inferre hinc necessario quod vultis. Cum igitur possit iuxta vestrum sensum intelligi, quod alia non accipiamus à Spiritu, quẽ admodum Spiritus accipit à Filio: porro autem hoc non cohæreat cum toto textu, sed sit illi contrarium; & nequaquam inferat, Filium esse causam Spiritus sancti; omisso dicto hoc ad aliud transeamus.

Ioannes. Beatus Cyrillus in Epistola quæ incipit, Cum Saluator noster diserte pronuntiet: tradit nobis doctrinam, non esse tantum respiciendam sententiam, sed exquirendum quoque sensum. Nunc ergo iuxta hoc dictum; si quærere & proferre velimus testimonia, sensum vero testimoniorum nequaquam inuestigare, tũc profecto contra Cyrilli regulam directe agemus. Itaque sequendo regulam sic dico; Locum hunc apud nos nullam habere ambiguitatem, sed esse Sole clariorem. Ceterum voleuti peruersam illi expositionem tribuere, proculdubio ambiguitatem parit. Vos tradidistis sensum omnino distortum; dum dicitis, quemadmodum nos à Filio Spiritum accipimus; neque enim à Spiritu accipimus aliqua: hæc est distorta expositio, & contradictionem inuoluit: & primo quidem eo plane modo, quo à Spiritu accipimus aliqua, accipimus etiam à Filio Spiritum: nam accipientes à Filio Spiritum, dona quoque Spiritus accipimus: & accipientes dona, Spiritum cum donis accipimus: id quod asserit Apostolus, dum ait; Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Siue igitur Spiritum à Filio accipimus, dona cum Spiritu accipimus: siue dona accipimus, cum Spiritu dona accipimus. Nunc ergo Basilius ait; Non enim aliqua à Spiritu accipimus, quemadmodum à Filio Spiritum: vbi diuersitas esse non potest: debet ergo ibi vox illa, Spiritus, esse recti, non alterius casus. Stat ergo vera & plana Patrum expositio: Non enim à Spiritu accipimus aliqua, sicut à Filio Spiritus: quoniam dona hæc diuersa sunt, vt vos ipsi conceditis: quod vero Spiritus à Filio accipit, diuinum quid est, & idem ac Spiritus, nam increatum est: hæc vero dona sunt in nobis, & sunt nobiscum creaturæ. Sic ergo necesse est intelligi expositionem huius loci.

Ephes. Nos dicimus, vestram quoque expositionem posse consistere, nec non quæ prius dixisti de donis Spiritus sanctis; fatemur enim non sine ipso Spiritu à nobis accipi dona ipsius, sed vnum quodque eorum accipi cum ipso sancto Spiritu; quoniam totus adest singulis donis. Dicimus igitur, his ita se habentibus nostram quoque expositionem locum habere; quoniam à Spiritu non accipimus aliqua per se subsistentia, sicut à Filio Spiritum. Atque ad hanc facit illud; sed ipsum, inquit, accipimus. Congruit ergo hoc priori dicto; quod à Spiritu non accipiamus aliqua, sicut à Filio Spiritum. Itaque dicimus, posse etiam stare hanc expositionem; & quæ dicta sunt, de quibus non dissen-

Imperat. Ioannes. Ephes. Ioannes. Conc. Eph. par. 1. cap. 26. Rom. 5. Ephes.

timus.

timus. Quod vero *Spiritus sanctus* accipiat suum esse à Filio, vt ipse addidisti; nos autem à Spiritu accipiamus creaturas; hoc neque ex dictorũ serie sequi videtur; neque omnino colligitur necessario; atque de hoc est inter nos controuersia. Ostende igitur ipse, vnde sumas, Spiritum quidem accipere suum esse à Filio, nos vero accipere à Spiritu creaturas.

Imperator Respondit, vt tibi morem gereret; sed amplius ad hoc non respondebit. Nos enim huc non venimus ad tractandas plures materias.

LXIV. *Ioannes.* Hæc est summa rei, quæ nulla ratione potest refelli; vocé, Spiritus, ibi necessario esse in recto. Cum enim dicimus, *Spiritum* à Filio accipimus, nihil aliud dicimus, quam nos Spiritum accipere cum suis donis; idque per Apostolum ostenditur dicentem, Charitas Dei posita est in cordibus nostris, à Deo videlicet; Filius enim dat nobis Spiritum. Itaque Spiritum à Filio accipere nihil est aliud, quam Spiritum cum suis donis accipere. Dona vero quæ accipimus, atque hoc loco enumerantur, nil aliud sunt, quam diuinitatis communicatio, quam filiationis participatio, & arrhabo æternæ hæreditatis: hæc nos accipimus, vt inquit Basilius. Quæ igitur à *Spiritu* accipimus, eadem sunt atque illa quæ à Filio per Spiritum accipimus: nunc autem locus contrarium dicit; Non enim aliqua à *Spiritu* accipimus, sicut à Filio Spiritum: nam si hoc sit accusatiui casus, essent plane eadem. Itaque ponenda est distinctio inter ea quæ accipit à Filio Spiritus, & ea quæ nos à Spiritu accipimus. Hoc enim est principium notissimum, quo Basilius vtitur, afferens loco citato, duo esse omnino, deitatem & creaturam. Quid quid enim, inquit, est in mundo, aut creaturæ sunt, aut Creator. Dona vero Spiritus, quæ à Spiritu accipimus, dona sunt creata, & diuersa à Creatore Spiritu. Si ergo non accipimus à Spiritu aliqua, sicut à Filio Spiritus; necessario sequatur oportet, diuinitatem esse, quam Spiritus à Filio accipit. Sic igitur iuxta tuam expositionem nulla ratione potest consistere Basilii magni sensus.

Rom. 5.

At vero Ephesius tacebat, atque ad hæc non respondebat, Confestim ergo Imperator dixit:

Imperator. De re proposita necesse est dubitare: hoc autem forsan opportuno tempore agitabitur.

Ioannes. Ego te sapientissimum eruditissimumque puto: & persuasum habeo, te optime intelligere, à nobis verum dici, nec posse aliter intelligi: sed si serenitati tuæ placet, vt conticeamus, conticebimus.

Iul. Card. An vlla sit ambiguitas, perceperunt hoc auditores.

Imperator Hoc idem dicimus & nos.

Iul. Card. Dominus Prouincialis sensum huius sententiæ bene declarauit, & omnes bene intelligunt, locum hunc non admittere alium sensum: sed quoniam vos summatim respondere non vultis, nobis etiam hoc satis erit.

Imperator Hoc etiam suo loco examinabitur.

Ioannes. De hac sententia satis iam dictum; propterea sicuti Beatissimo Patri, & sacro Imperatori placet, nos quoque contenti hoc sumus, vt transeamus ad alia.

Ephes. Quoniam locus iste ambiguus est, cum varie à nobis intelligatur, transeamus ad alterum orationis tuæ caput.

Ioannes. Nos dicimus, locum declaratum, & plusquam declaratum.

Ephes. Non licet numerare Spiritum ordine & numero tertium; non est enim in diuinis personis prima, secunda, & tertia; neque vnum, duo, & tria: sed vnum, & vnum, & vnum, & vna essentia. & quia generare & producere non sunt naturales proprietates, sed personales; si producitur à Patre & Filio Spiritus sanctus, ex duabus est personis; quæ iam erunt duo principia, & duæ causæ.

Ioannes. Nequaquam, Pater, nequaquam; non enim dicimus duo principia & duas causas, sed vnum potius principium & vnam causam. Nam Pater vt Pater ad Filium refertur, Filij enim Pater: similiter Filius vt Filius refertur ad Patrem, Patris namque Filius: & Filio non existente impossibile est esse Patrem; cum hæc relatiua sint & ad aliquid. Spiritus autem sanctus per se neque ad patrem neque ad Filium refertur, quatenus Pater & Filius. Itane tibi videtur.

Filio nõ existente impossibile est esse Patrẽ

Ephes. Ita.

Ioannes. Spiritum enim vt spiritum ad spirantem referri oportet: spirantes autem sunt Pater & Filius; Patris namque & Filij *Spiritus* est: & contra hoc nihil dici potest. *Spirant* ergo isti *Spiritum* sanctum vna spiratiua seu productiua potentia, quę productiua potentia cum vna eademque numero sit, originaliter quidem Patris esse intelligitur; à quo illam & Filius habet. Et hoc sensu dicimus, Patrem & Filium vnum esse principium & vnam causam *Spiritus* sancti.

Ephes. Et fieri potest vt ex duabus personis vna confletur causa: non est hoc hypostases in vnam contrahere? hoc est Sabellii dogma.

Ioannes. Audi patienter Reuerendissime Pater, & percipe quæ dicuntur. *Simpliciter* in diuinis vnam causam dicimus & vnum principium, Patrem, Filii quidem per generationem, *Spiritus* vero per processionem: & quoniam Pater generando Filium intemporaliter produxit & *Spiritum*, Filius à Patre accipit & esse & producere *Spiritum* non ex se ipso, sed ex illo, à quo & ipse suum esse habet. hac ratione Pater est causa *Spiritus* originaliter & simpliciter: non sunt ergo duæ causæ, quandoquidem omnia quæ habet Filius, referuntur ad Patrem.

Ephes. De hoc satis: nunc ad secundum accedamus, quod dixisti ad probandum, Basilii magni dictum, vt legitur in vestro codice, rectè & integrè se habere, hoc autem erat, quod indignum sit Basilii magni mente, sententias suas cum dubitatione proferre, & dicere, tradit forsitan pietatis sermo; & rursus; vt etiam id concedamus. Nos ad hoc respondemus, non esse hanc magni Basilii sententiam, aut doctrinam sanctorum, vt affirmabat Eunomius; videlicet *Spiritum* sanctum esse tertium ordine & dignitate. Hoc certe magnus Basilius nullo modo videtur admittere, sed statim negat, refellitque dicens, simulari ab eo doctrinam sanctorum: & addit; Qui vero illi sancti sint, & quibus in sermonibus hanc doctrinam tradiderint, non potest dicere: fuit ne homo tam audax inter diuinorum dogmatum nouatores? & procul dubio non habebat Eunomius sanctos, qui hoc dicerent: quos enim poterat habere? ille magnum Athanasium pro sancto non habebat: sed nec alius quisquam ante illum tale quid affirmasse videtur. Quod igitur hæc fuerit sententia & doctrina sanctorum, nec dici ab Eunomio poterat, nec fuit à Basilio concessum. Quia vero poterat Eunomius respondere, id legi in sacra Scriptura, dicente Saluatore nostro in traditione salutaris baptismi: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & *Spiritus* sancti; & ex his videri tertium esse ordine & dignitate *Spiritum* sanctum: concedens hoc Basilius ex suppositione; Dignitate enim, inquit, secundum esse à Filio tradit fortasse pietatis sermo: pietatis sermonem vocans eum, qui traditus est nobis in sactis Euangeliis, si quis illum iuxta dictum sensum excipiat. Dicit ergo ita; fortasse: dubitans an sic tradiderit sermo pietatis, hoc est sacra Scriptura, & ex ea manans traditio. Quod vero tertius sit *Spiritus* sanctus, fortasse quispiam, inquit, ex enumeratione dignitatem intulerit: vt quia tertius numeratur *Spiritus* sanctus, dignitate quoque sit tertius. Sed si etiam id concedamus, non videtur necessarium, vt natura quoque sit tertius. Ita cum hæsitatione locutus est; quod ex verbis Scripturæ non constat necessario, *Spiritum* sanctum esse tertium dignitate: Fortasse enim quispiã, inquit, ex hac enumeratione dixerit, tertium quoque dignitate. hoc idem infra repetens post exempla

Ephes. Ioannes.

Matth. 28

Auge-

Angelorum, vt in nostro incorrupto codice legitur; dicit, etsi ordine & dignitate posterior est, vt asserunt, tertium quippe ipsum à Patre accepimus numeratum: & reliqua. His Euangelij verbis vsum esse Eunomium credendum est: sanctorum enim testimonia, vt magnus ait Basilius, non habebat: & hinc ille suum sensum probasse videtur: quod magnus Basilius ex suppositione concedens, & propterea vocem illam, fortasse, addens, ad verborum illorum respiciebat sententiam: fortasse enim, inquit, ex his verbis probare conatur. Concludit tamen, ac demonstrat, Spiritum sanctum natura quoque non esse tertium: & necessario propter hanc hæsitantiam ponit illud, fortasse: & illud, vt omnino: & cæterea. Ita nulla macula inuritur magno Basilio, quod voces illas hæsitationis addiderit, vbi ex hypothesi locutus est. Nos enim ita opinamur, & per hoc librorum nostrorum integritatem defendimus qui multi & necessariæ fidei sunt.

LXV. *Ioannes.* Vt libri nostri fideliores quam vestri appareant, & plane patefiat, ita se habere veritatem, vt est in nostris codicibus, & nulla ratione, vt est in vestro: volui sumere exemplar vt iacet, de verbo ad verbum, idque quantum opus erat ex tertio sermone vsque ad illationem, vt posita est in vestro codice, interpretante Ambrosio. perspexi igitur, in quibus conueniamus, & in quibus differamus. Prima ergo differentia hæc est, quod vbi in nostro libro legitur, Dignitate secundum à Filio, cum ab ipso esse habet, & ab ipso accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa caussa dependeat, sermo pietatis tradit: & sequitur: natura vero tertia vti, &c. Vester toto hoc sublato sic habet: Dignitate secundum esse à Filio tradit forsan pietatis sermo: deinde transilit ad illud: natura autem tertia vti, &c. ita vt appareat detruncatio. Deinde cum velit demonstrare Basilius ita esse in Filio respectu Patris, & similitudinem aptare Spiritui sancto, in fine similitudo vsquequaque congruit, vt habetur in nostro libro: Quod ea ratione, qua Filius dignitate & ordine secundus à Patre est, natura vero non est secundus: eadem & Spiritus sanctus dignitate & ordine post Filium collocatus est: idque sine vlla hæsitatione legitur in nostro codice; respondetque similitudini Filii ad Patrem. Vester autem liber ponit in fine particulam quandam, quæ simulat hæsitationem subesse: Vt hoc etiam concedamus: ex quo fit, vt argumentum conficiat suppositio quod incertum est. Tertia differentia est in fine, vbi positis exemplis Angelorum & stellarum Basilius ex antecedente absoluto & vero infert consequens absolutum & verum sine vlla hæsitatione, vtens his verbis nulla dubitatione prolatis: Spiritus sanctus dignitate & ordine post Filium est; idque per sermonem pietatis demonstrat, vnde hunc ordinem desumpsit, reddendo causam, & dicit; Accepimus enim tertium à Patre & Filio numeratum: ipso Domino in traditione salutaris baptismi dicente; Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et hic est pietatis sermo, quo se etiam fundauit Basilius, quod *Spiritus* sanctus ordine & dignitate sit tertius, vt legitur in nostris libris: & hoc aptissime congruit; quandoquidem antecedentia de Angelis absoluta erant & absque limitatione aliqua. Etenim hoc modo argumentatur: Sicut Angeli cum sint in illis secundi & tertij, non sunt tamen extra naturam Angelicam; ita & diuinæ personæ: Sicut ergo in illis, ita & in diuinis: sed minor absoluta est, nimirum secundos & tertios dignitate & ordine Angelos absolute & sine vlla limitatione non esse extra naturam Angelicam; ergo & in diuinis personis indubitanter hoc idem erit. Cum antecedens sit absolutum, consequens etiam absolutum esse debet, & sine vlla conditione. Nunc in vestro codice sic legitur hæc illatio: Ita ergo & Spiritus ordine & dignitate poste-

Matth. 28

rior est, vt aiunt. Cum vero redditur caussa, vester codex sic habet. Accepimus enim, inquit, ordine & dignitate tertium à Patre & Filio numeratum. Ita vt non sit alia inter nos & vos differentia in hac parte, quam quod vos cum quadam hæsitatione ponitis illud, vt aiunt. Confido me summam textus bene collegisse, vt est in nostro & vestro codice; quod si qua in parte defeci, dicas ipse; nam inter nos nullam aliam differentiam animaduerti. De hac sententia patienter, æquanimiterque disputandum est, vt veritas eluceat: hoc est enim caput rationis contra Eunomium, & ex fundamentis huius rationis instituere vult totam suam disputationem contra Eunomium. Quod si fundamenta incerta sunt, Basilius magnus nihil sane demonstrasset. Primum igitur sic dico, & vno verbo abs te quæro: In hac materia & loco libri producti credisne Basilium protulisse hanc sententiam, & pro certo habuisse, Sanctos qui ante illum fuere, dixisse hoc? nam tu illud superiore sessione ex me quæsisti; de hoc ergo vicissim abs te quæro breuiter:

Ephes. Dico, Basilium magnum neque hanc sententiam habuisse, neque existimasse in ea Sanctos fuisse; neque assentiri Eunomio dicenti, illam se à Sanctis accepisse: & hoc patet ex ipsis Basilij verbis.

Ioannes. Nunc igitur ad demonstrandum Basilij sensum, vtque sacrum hoc auditorium percipiat quæ dicuntur vsque ad illa verba. Cur enim necesse est: quoniam in antecedentibus duo vel tria tetigisti, præteristi autem plura: idcirco commode factum erit, si præcedentia verba, quæ sane pauca sunt, rursus considerauda proposuerimus .... Postea subdit dicti illius sensum in tertio sic exordiendo: & post duos versus ponit verba Eunomij dicens: Vix tandem iactis in Vnigenitum blasphemiis saturatus transit ad Spiritum, totam suam explens voluntatem; quasi dicat, istum Eunomium loqui plane ad suum arbitrium, cum nihil à Sanctis acceperit. Deinde ponit verba Eunomii, sic enim scribit: Quoniam de Vnigenito satis iam dictum, reliquum est vt de Paracleto quoque dicamus, non sequendo multorum sententias, sed in omnibus Sanctorum doctrinam seruando: à quibus edocti tertium esse illum ordine & dignitate, tertium quoque ipsum natura credimus. Hæc sunt Eunomij verba; in quibus tria tantum dicit: primum est, nolle se multorum sequi sententias: secundum, velle se doctrinam seruare Sanctorum: Tertium, quia didicimus à Sanctis, Spiritum sanctum esse tertium ordine & dignitate, proinde tertium quoque natura esse credidimus. hæc igitur respondet Basilius ita dicens: Quod igitur non putat sequendam esse simplicem ac sinceram multorum sententiam, veritatem ipse distorquens ad id, quod sibi videtur, artificiosis quibusdam & cauillatoriis rationibus. Nunc igitur ad illud Eunomij, quod nolit sequi multorum sententiam, summatim respondens Basilius: non putat, inquit, sequendam esse simplicem, &c. & istæ sunt sententiæ illæ minus consideratæ. Deinde dicit, multorum sententiam despiciens, qua glorificant Spiritum sanctum: ergo ipse bene norat, quinam essent illi, qui Spiritum sanctum glorificabant. Despiciens igitur multorum sententiam, qua Spiritum sanctum glorificant, seruare se simulat Sanctorum doctrinam: sed qui eam sibi tradiderint, tacet: quod itidem alibi fecit, cum de Vnigenito ageret. Nunc respondet ad tertium, vbi dicit, à Sanctis se didicisse, tertium esse ordine & dignitate; à se autem ipso credidisse, natura quoque tertium esse. Qui vero sint illi Sancti, & quibus in locis hoc docuerint, non potest dicere. Fuit ne vnquam adeo, & reliqua: postea sequitur; Cur enim necesse est, si dignitate & ordine, &c. Nunc ergo quæro ex te, an, quando Basilius inquit, Despiciens multorũ sententiam, qua glorificant *Spiritum* sanctum; nota esset Basilio sententia, qua multi glorificabant. Et certe notam illam fuisse Basilio;

Ioannes.

dicen-

dicendum omnino est. Pero à te, in præcedentibus, vbi ait, sequendam esse simplicem ac sinceram multorum sententiam, & veritatem non esse distorquendam artificiosis & cauillatorijs sermonibus; an sciret Basilius, quinam essent illi sermones cauillatorii? sciebat profecto. Tu vero si fuisse Basilio cognitos opinaris sermones illos cauillatorios, & sententiam illam, qua Spiritum sanctum glorificabant, satis aperte perspicies, exploratum quoque fuisse Basilio, qui nam essent illi Sancti, quos proferre non poterat Eunomius.

Ephes. Sententiam multorum, qua Spiritum sanctum glorificabant, vocat sententiam multitudinis Christianorum: nam quia numeratur cum Patre & Filio in traditione salutaris baptismi, necessario sicut eiusdem est gloriæ, ita eandem, quam Pater & Filius, substantiam habet.

Ioannes. Bene igitur Athanasius & cæteri sentiebant.

Ephes. Cum multis & illi sentiebant.

Ioannes. Artificiosi, vero & sophistici sermones Eunomij qui nam erant?

Ephes. Primum, quia multorum sententiam paruipendebat: deinde quia simulans se doctrinam tenere sanctorum, quos proferre non potest: nulli enim erant, qui hoc dicerent; supponit tertium esse ordine & dignitate Spiritum sanctum: atque ita artificiose & sophistice concludit, quoniam tertius est dignitate & ordine; natura quoque tertium esse. Quod euertere volens magnus Basilius, supponit dando, sed non concedendo in sequentibus: quod si demus etiam, tertium esse ordine & dignitate Spiritum sanctum, quod ille vult; non tamen potest concludere, natura quoque tertium esse. Isti erant artificiosi & cauillatorij sermones illius: simulat enim se accepisse, quæ non accepit; & ex his concludit quæ necessario non sequuntur.

LXVI. *Ioannes. De Eunomis hæret. opinione.* Eunomius ita infert: accepisse quidem se à Sanctis, tertium esse ordine & dignitate Spiritum sanctum: & hoc absolute dicebat: à se vero ipso credere sine vlla limitatione siue hæsitatione, natura quoq; tertium esse Spiritum sanctum. Oportebat ergo illum aliquod habere sophisticum argumentum ad demonstrandū hoc, quod ponebat vt indubitatum: hæc est illius conclusio; ita credit, quod ita à Sanctis accepit. Ad inferēdam vero sophisticam & artificiosam conclusionem necesse est ita argumentari, vt in argumento aliud sit, ex quo deduci possit conclusio. Nunc ergo Basilius, simulat, inquit, se doctrinam tenere Sanctorum; de artificioso vero & cauillatorio argumento nihil dicit. Satis ergo est nobis, quod Eunomius iste ex antecedente quodā absoluto inferebat suum consequens, quod credebat: & cum vos argumentum illud inueneritis, tunc intelligetis conclusionem quoq; ita se habere. Nunc ergo Sancti, qui sententiam tenebant, qua Spiritum sanctū glorificabant, hi sunt quos sequebatur Basilius: & ex sententia, qua glorificabant Spiritum sanctum, non potuit Eunomius formare antecedens; & ex antecedente inferre conclusionem: & hi Sancti palam erant: & quia sententia eorum fauere illi non poterat, nunquam illos nominauit, vt inquit Basilius, aut in præcedentibus, aut in hoc tertio libro: neque enim inueniri poterant, qui ita affirmarent, tertium esse dignitate, vt inde posset deduci quod inferebat. Nam Sancti qui asserunt, tertium esse ordine & dignitate, communes erant & noti; quos Eunomius ipse dissimulanter vocabat minus consideratas multorum sententias. Quare magnus Basilius infert, nunquam posse reperiri ab illo. & ex hac radice, Domine Ephesie: sententiam tuam sumpsisti. Nam quia Basilius inquit, non posse illum dicere, quinam sint illi sancti, & vbi talem doctrinam tradiderint; ex hoc tu putas, quia id ab Eunomio dici non posse affirmat Basilius, propterea ipsum quoque Basilium non habuisse certam huius rei scientiam. Cæterum Eunomius Sanctos proferre non poterat; Sancti enim nostri, qui ante illum fuere, dicebant hoc, intelligentes processionem ad intra: Eunomius autem, quippe vt Ariana opinione imbutus iuxta Arianos intelligendo ad extra, hæc nequaquam recipiebat. Nunc ad illud venio, quod præcedente sessione dixi, ad quod etiam tu respondisti. hoc posito tantum volui transcurrere textum, vt qui præsentes sunt auditores, rem intelligerent. Nunc ergo Basillus hoc posito apprehendit arma, & contra Eunomium incipit argumentari. Et primo conclusionem suam absolute ponit: qua posita citra vllam limitationem, demonstrat iuxta nostrum librum per duo: primo per hoc: sicuti se habet Filius ad Patrem, ita Spiritus ad Filium: deinde per exempla exposita; postea concludit ponendo absolutam conclusionem, sicut antea quoque posuerat. Est enim hic vetus & ordinatus procedendi modus: siquidem procedit ex veris & absolutis ad absolutas & notas cōclusiones. Nam regula est infallibilis, ex vero nunquā sequi falsum. Et si antecedentia ponantur vera & absoluta, conclusio etiam semper vera sequetur, siue in antecedentibus ratione quis nitatur, siue auctoritate: Etenim sacræ Scripturæ & Sanctorum dicta principiorum obtinent locum. Ex vestro codice duo sequuntur absurda: Primum, ex veris & absolutis sequeretur falsa conclusio: quod est impossibile. Necesse enim est, consequens hoc non esse necessarium, si dubium sit illud antecedens. & vide qua in confusione verseris, dum sensum hunc sequeris. Ex his duobus capitibus liquet, vestri libri textum stare non posse, quod proposueramus probandum.

Ephes. Non est necesse, vt si quid absolutum & simplex est, quod etiam ex eo probatur, absolute & simpliciter intelligatur: potest enim aliquid esse per se & simpliciter verum: quod autem per illud ostenditur non simpliciter esse verum, sed ex suppositione: si quid videlicet accipiatur vt datum. Idcirco & magnus Basilius in exemplo quidem Angelorum simpliciter & absolute vero probat, non sequi necessario vt ij diuersam habeant naturam, quod sit ordo inter illos secundi & tertij, multorumque ordinum gradus. In conclusione verò, atque in eo propter quod exempla adhibuit, non ostēdit rem simpliciter & absolute veram, sed prius ex suppositione dedit, quod licet hic etiam demus, Spiritum sanctum tertium esse ordine & dignitate, vt ipsi asserunt, atque ex dicto Euangelico sumunt (hoc enim illi forsitan existimant à se fac e re) non tamen sequitur necessario, vt Spiritus sanctus natura quoque sit tertius. non est ergo necessarium quod aiebat, vt si quid simpliciter & absolute sit verum, tale sit etiam omnino, quod ex eo probatur.

Ioannes. Pono hanc consequentiam; vt omnes intelligant; homo currit, ergo mouetur: consequentia hæc non dicit plane hominem currere, nec dicit hominem moueri; sed cum conditione, si homo currit, ergo mouetur: sola enim est illatio.

Ephes. Non est simile hoc: si currit homo, ergo & mouetur. His dictis dimissa est sessio, atque in feriam tertiam reseruata. Ergo feria tertia conuentu facto Ephesius orsus est.

DIE DECIMO SEPTIMO MARTII, feria tertia.

SESSIO XXIII. LXVII.

FIdes nostra non ex hominibus, neque per homines ortum habuit, sed per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum; qui suos ipse discipulos allocutus est. Idcirco sententiis ambigüis prætermissis (quanquam illæ etiam trutina veritatis examinatæ pro nobis esse, non contra nos visæ sunt) illuc iam recurramus, vnde horum quoque regula sumenda est. Neque enim censendus est magnus Basilius aut contraria dixisse, aut omnino minus consona Christo Domino, eiusque discipulis & Successoribus illorum: aut ipse sibi non constare, quemadmodum nos per alia dicta demonstrauimus,

mus, sumusque adhuc Deo nobis sermonem dante in apertione oris demonstraturi. Age igitur honoremus discipulum à magistro, & seruum à Domino: ostendamusque illum in suis sententijs necà se ipso, nec ab aliis discrepare, sed secutum eos fuisse per omnia. In primis ipse Deus verbum, primusque Theologus, & magister Theologorum cum extremo sermone discipulis traderet arcana Theologiæ: *Cum venit*, inquit, *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In his, cum diuinæ personæ tres sint, tribus verbis Saluator est vsus, quæ singulis personis congruenter respondent: & de Spiritu quidem ait, Cum venerit: de se vero vna cum Patre, quem ego mittam vobis à Patre: rursus autem de solo Patre; qui à Patre procedit. & vide accuratam Theologiæ rationem: nam per illa verba, *Cum venerit*, libertatē ac dominiū Spiritus ostendit: per illa vero, *quem ego mittam vobis*, suum & Patris beneplacitum ad mittendum & manifestandum Spiritum: per illa vero, *qui à Patre procedit*, causam Spiritus, & vnde is habeat esse. Et duorum quidem priorum testis est nobis Gregorius Theologus sermone in Pentecosten de Spiritu sancto dicens: Veniens quidem, vtpote liber: missus vero, vt Deo non contrarius, Nam quia præcognito iam olim Patre, & postmodum cognito Filio, postremo manifestatus est mundo Spiritus sanctus, ne Deo contrarius videretur, & alterius cuiusdam naturæ seu voluntatis, idcirco mitti à Patre & Filio dicitur: voce hac significans, vt diximus, beneplacitum eorum. Rursus in sermone de Spiritu sancto Theologus idem ait: Mittitur quidem œconomice, venit autem sua voluntate, quid rei hoc est, quod ait? œconomiam vocat manifestationem Spiritus in mundo ad hominum vtilitatem. Sicut ergo missionis nomen Patri & Filio tributum est, aduentus autem Spiritui soli: solus enim aduenit Spiritus sanctus, nec est necesse intelligere, aliquam mitti tertiam personarum simul venire cum illo: ita cum de processione agitur, à solo Patre procedere intelligitur Spiritus sanctus, & nequaquam à Filio. Cur enim Dominus facta sui mentione adeo propinqua, & missionem Spiritus sibi ex Patre ascribens, non dixit etiam, de processione loquens, qui à nobis procedit, siue qui à me & Patre procedit? ita enim dixisset, si suam etiam esse nosset processionem. Quod vero ex Patre procedere sit proprium Spiritus sancti; & propterea nulla ratione sit necessarium simul intelligi, ex Filio; testis itidem est nobis Gregorius Theologus proprietates diuinarum personarum tradens, dum ait: Quocirca stantes intra fines nostros ingenitum inducimus, & genitum, & procedens à Patre, vt ipse DEVS Verbum alicubi dicit. Si igitur proprium est Spiritus sancti ex Patre procedere, & non simpliciter procedere: proprium autem conuertatur vsquequaq; necesse est cum eo, cuius est proprium; sitq; illi æquale; & neque latius pateat, neque minus late: necessarium est intelligere & dicere, si quid est Spiritus sanctus, illud ex Patre procedere: & si quid ex Patre procedit, hoc esse Spiritum sanctum. Si quid ergo ex quodam alio quoq; procedit, non est hoc Spiritus sanctus: ita enim intelligere necesse est, exigente hoc sequela, quæ oritur ex ipsa conuersionis ratione. Non est ergo necesse, immo nec possibile omnino, cū audimus Spiritum sanctum ex Patre procedere, vt eundem intelligamus ex Filio quoq; procedere. Et hęc quidem Saluator & magister doctorque nostræ Theologiæ. Videamus etiam quid eius discipulus & arcanorum auditor, cœlestis ille homo, Paulus vas electionis, de eo dicat. Is ergo scribens ad Corinthios de Spiritu sancto, & vnde sit eius subsistentia, volens declarare hæc scribit: Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, & ne quis dicat, posse etiam intelligi de Filio: explicat hanc Theologiam beatus Ioannes Theologus, dum magno Gregorio Thaumatu go reuelat Theologiæ mysteriū, opera semper Virginis Dei Genitricis Mariæ, his verbis: vt B. Gregorius Nyssenus testatur in eius vita: Vnus Spiritus sanctus ex Deo suum esse habens, ac per Filium manifestatus hominibus; & reliqua. In his liquet impossibile nobis esse per illud, ex Deo suum esse habens, intelligere simul, ex Filio: non n. postea subiunxisset, & manifestatus per Filium, hominibus scil. sed partitiuo vsus loquendi modo, ostenditur illud quidem soli cōuenire Patri, vt ex ipso habeat esse Spiritus sanctus: hoc autē Filio, vt per ipsum sit manifestatus. Ergo hic etiam non est necesse, cum audimus Spiritum sanctū ex Deo, simul vt ex Filio etiam intelligamus: immo ne possibile quidem est, vt ostendimus: cum aliud sit manifestatum esse per Filium; & aliud, habere suum esse de Deo: & hoc tributum huic sit, illud vero illi. Hæc quidem è diuinis Scripturis. Post diuinum autem Apostolum Paulum discipulus eius, arcanorumq; auditor, & mysteriorum particeps Dionysius prodeat nobis eorundē testis. Is enim in tractatu de vnita & discreta Theologia tradens nobis diuinarum personarum discretionē, perfectamq; rationem discretionis exponens, vt idem ipse ait, hac de re verba hæc habet: Est etiam discretio in supersubstantialibus Theologiis, non tantum ea quam dixi, quod secundum hanc vnitionem quoq; immixte & inconfuse collocata est vnaquæq; hypostasium diuinarum: sed quod etiam supersubstantialis productionis in diuinis non est conuersio ad inuicem, solus autem fons supersubstantialis Deitatis Pater. Si ergo solus Pater est fons supersubstantialis Deitatis, & per hoc distinguitur à Filio & Spiritu (nam de perfecta distinctione agere proposuimus) nec Filio, nec Spiritui commune erit cum Patre esse fontem; ita enim esset in diuinis personis confusio, & distinctio tolleretur: neque vero vnita, ille ipse inquit, distrahere fas est, neq; distincta confundere. Quare nulla ratione transibit ad Filium ratio fontis. Si vero non est fons Deitatis Filius, plane Spiritus sancti etiam non erit causa: supersubstantialis enim Deitas de fonte scaturiens est sanctus Spiritus. Atque ita pater cum solus sit fons Deitatis, & per hoc distinguatur à Filio & Spiritu, solus etiam erit productor, sicuti & solus Pater. Ita vestrum hoc dogma ex huius Doctoris vocibus nō colligitur, immo disertis apertisque verbis negatur. In eundem modum & magnus Athanasius in sermone, qui de æterna Filij & Spiritus existentia inscribitur, sic ait: Secernimur & à iudaizantibus, & à deprauantibus Christianismum, qui negantes Deum de Deo, Deum vnum æque ac Iudæi affirmant; non Deum ipsum solum asserentes, quod solus ingenitus sit, & solus fons Deitatis Pater; sed vt sine Filio infœcundum, & sine viuente Verbo insanctuosum. In his & iste Doctor solum ingenitum, & solum Deitatis fontem asserit Patrem: & sicut ingenitum neutri diuinarum personarum potest commune fieri; ita etiam esse Deitatis fontem nullo modo potest effici commune Filio: neque quaquam igitur fons Deitatis Filius, proinde nec sancti Spiritus causa. Vide Sanctos, vt in omnibus interse, & cum veritate consentiant. Sed vniuersalium quoq; Conciliorum sententias vobis proferemus eadem nobis testificantes. Sancta igitur & Oecumenica prima Synodus per Leontium Cæsareæ Episcopum ad Philosophum addubitantem hæc ait; Suscipe vnam Deitatem Patris; qui Filium ineffabiliter generauit; & Filij ex eo geniti; & Spiritus sancti procedentis ex ipso Patre, qui & Filij proprius est vt ait diuinus Apostolus; Siquis Spiritū Christi non habet, hic non est eius. Considerandus hic est Sanctorum Patrum horum sensus; quod de sancto Spiritu differentes, vnde procedat, & causam habeat; cum diuinitatē Spiritus dixissent procedentis ex ipso; statim addiderunt, Patre: ne quis putaret, processionem referri ad Filium, quoniam de eo proxime fecerant mentionem.

De diuinis nominibus cap. 2.

Orat. 1. de Filio.

Gelas. Cizic. lib. 2.

Rom. 8.

1. Cor. 2.

Ioannes.

Videris præterire ordinem; conuenit enim inter nos, vt de capite in caput, deque argumento ad argumentum progrederemur.

Ephes. Ordinem non prætereo, sed vt per hæc omnia de

monstrem, prolatum à nobis sancti Basilij librum incorruptum esse & integrum; ac Basilium magnum non loqui pugnantia, vt ipse dixisti.

LXVIII. *Ioannes.* Superiore sessione communi consensu Beatissimi Patris, & Serenissimi Domini Imperatoris statutum & conclusum est, vt de capite in caput, ac de argumento ad argumentum transiremus: atq; idcirco primo incepimus ex dicto magni Basilij, quod sumpsimus ex eius homilia ab ipso habita die festo Pentecostes, etsi vero super hoc multa sunt à nobis dicta ad inuestigandum eius sensum, nunquam tamen à proposito illo dicto fumus digressi. Concluso autem dicto Basilij venimus ad primum dictum positum in tertio Confutationum Eunomij: qui quidem in sententia Basilij, quod ad me attinet, orationem meam dilatauit, in exponenda tamẽ eadem sententia, nunquam diuertens ab explicatione dictæ sententiæ. Volenti enim mihi à sensu huius sententiæ rationem deducere, profecto necesse erat, vt dicti illius sensus ab hocaudicorio perciperetur; & nunquam protuli alium sensum, sed verba tantum huius dicti. & quoniam verba colliguntur ex antecedentib. & consequentibus, idcirco opus fuit exponere ac declarare præcedentia: dilucidato autem textu formaui duas rationes, illud necessarie demonstrans, textum stare non posse cum adiectione illius vocis dubitationem significantis; ita vt breuior mihi sermo esse non potuerit in declarando & explicando tanto textu, quãdo id rei natura postulabat. Nunc ergo si optimum ordinem seruare volebas, dicendum tibi erat ad ea quæ vltimo dicta sunt pro expositione dicti magni Basilij, quo deueneramus; & sermo rursus de illo instituendus. Alterum igitur sequitur ex duobus, aut meas rationes ita concludẽtes vidisti, vt nullam possis afferre responsionem; quod quidem si tu quoq; fateris, nobis vehementer placet: aut subterfugere volens responsionem ad has rationes, aliam materiam ingressus es. Quod si subterfugere & declinare volebas argumẽta hoc concludentia, debebas tũc ad verba Athanasij venire, quæ tum secundo loco prolata sunt; quæ etiam tam necessarie concludunt, quam locus magni Basilij. Nunc neque ad primas rationes respondes, neque ordinem seruas prolatarum Athanasij sententiarum, & transis ad alias dubitationes & quæstiones de processione Spiritus sancti: quasi primæ quoque auctoritates non innitantur textu Euangelico. An non innititur magni Basilij dictum verbis illis: *Rocum. 16.* *De meo accipiet, & annunciabit vobis*? An pietatis & veritatis sermo non est in traditione sacri baptismatis? Certe Christus ipse, qui in fine XV. capitis Euangelij secundum Ioannem dixit, *Qui à Patre procedit*: XVI. medio capite declarat, quomodo sit intelligendum illud, *à Patre procedit*, iis verbis: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Cum igitur sententia hæc diuinæ Scripturæ & Iesu Christi posita sit prius in medio per sanctos Doctores, & prolata virtute argumentorum; valde absurdum est & inconueniens coram tali auditorio, grauem sententiam indiscussam relinquere, nulla habita ad conuincentes rationes responsione: atque ad alias transire auctoritates, quas tu modo protulisti. Quare si dico: sermonem, quantum libuerit, protrahe: neque enim ego possum tibi legem imponere, sed Serenissimus Imperator: ipse tamen modestiam, & ordinem disputationum seruabo: & nullam ad quæcunque dixeris, responsionem dabo, donec ipse eo ordine responderis, quo sumus disputationem exorsi. Nunc ergo tecum ipse cogita, si non vis præsentibus hisce tempus frustra conterere. Itaque hoc ego etiam à te cõtendo, vt respondeas ad argumenta obiecta: inde enim clarissime sensum Basilii percipiemus: nisi quid aliud Sanctissimus Dominus noster mihi præcipat. Dixi alias, & iterum dico; In tertia Synodo ita fuisse statutum, vt asserit sanctissimus Cyrillus: & hoc debet esse regula tibi & mihi. Quod professionem Patrum sequentes in omnibus, quam fecere Spiritu sancto in ipsis loquente: *Conc. Eph. par. 1. c. 26*

& sensum in iis repositum inuestigantes, veritatem dicimus. Ita enim debent afferri testimonia & sententiæ, vt cum accurata animaduersione inuestigemus & scrutemur Sanctorum testimonia. *Ephes.*

Nos disputationis modum, qui conuenit inter nos, nequaquam deseruimus: sed nosti, venerande Pater, omnes habitas sessiones fuisse consumptas super duobus aut tribus dictis à vobis propositis. Ne ergo semper hoc fiat, responsione nostra nunquam non prouocante vestros sermones, visum nobis est proferre simul rationes, quibus innitimur, non ex apocryphis quibusdam libris, & qui multis ignoti sunt: aut ex ambiguis & deprauatis: sed ab ipsis diuinis Scripturis. & Sanctorũ sententiis, quæ ab omnibus recipiuntur. Si enim semper in eodem dicto nostra versetur oratio, nobis quidẽ vestra argumenta conferentibus, vobis autem ea defendentibus, hoc profecto infinitum erit. idcirco postquã plane & aperte data est à nobis responsio ad illud de additamento vocis dubitationem significantis, quæ in nostris libris habetur: visum nobis est dictum illud missum facere, ne infinitum esset; & rationes nostras in medium afferre: deinde magni Basilii voces hisce omnibus consonas: vt per hæc omnia palam fiat, vestrum librum esse corruptum: postea vos singula excipientes poteritis more dialectico examinate Deo iuuante, ac tempore permittente.

Si expectauisseris, donec finem audiretis, ad illud ipse deuenturus erat. Fuit enim semper vobis scopus perpetuo dicere; nobis vero nullum tempus super est: nunc ergo suos & iste sermones habuit. LXIX. *Imperatori.*

Prosequamur ea quæ dicebamus; quod Sãcta & Oecumenica prima Synodus respondet Philosopho dubitanti per Leontium Episcopum hæc; Suscipe vnam Deitatẽ Patris, qui Filium ineffabiliter generauit: & Filii ex eo geniti: & Spiritus sancti procedẽtis ex ipso Patre; qui & Filii proprius est, vt inquit Apostolus: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ita locus iste se habet. Considerãdum porro est, beatos istos Patres veritos, ne quis de Spiritu sancto audiens, procedentis ex ipso, dici ab eis putaret, à Filio, quoniam proxime Filii mentionem fecerant; addidisse statim, à Patre; quod perinde est ac dicere, non ex Filio, sed ex Patre: continuoq; subdere, qui & Filii proprius est. Etsi, inquiunt, non procedit ex Filio, non tamen est alienus à Filio, sed est proprius substantiæ eius, & consubstantialis illi; & in hunc sensum dicit Apostolus, Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius, hocidem & beatus ait Cyrillus; Etsi procedit Spiritus sanctus ex Deo & Patre, non tamen est alienus à Filio. Hæc ille ait respondẽs Theodoreto; vt dicemus postea exactius, si per tempus licebit; incusanti ipsum, quod assereret Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere. Consona his Patribus, sanctæ in quam Synodi, scribit magnus Basilius, qui non multo post illos fuit: nam capite decimo octauo ad Amphilochium sicait; Spiritus Christi dicitur vt eius proprius secundum naturam, hoc est; vt consubstantialis. Quod si eum sciret accipere suum esse à Filio, vt habet corruptus liber, non ita locutus esset, vt eius proprius secundum naturam, sed ita, vt ex eo procedens, & accipiens esse ab ipso, & annuntians; hoc enim consequens erat: nequaquam tamen ita subiunxit; namq; idem in sermone, cui titulus, Contra Sabellium, Arium, & Eunomium, verba huiusmodi habet: Ego Spiritum noui cum Patre, sed non Patrem; & accepit illum cum Filio, non Filium nominatis & intelligo quidem cognationẽ eius cum Patre, quoniam à Patre procedit; cognationem vero cum Filio, quoniam audio, Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Videtis in his, vt secum & cum Patribus illis consentiat: non eandem, inquit, cognationem Spiritus intelligo cum Patre & Filio; sed cum Patre quidẽ, quoniam ex ipso procedit: cum Filio vero, quoniam Apostoli dictum, *Si quis*, inquit, *Spiritum Christi non habet, hic non est eius*; nimirum simpliciter, quoniam *Ephes.* *Gelas. Cyziz. lib. 2.* *Rom. 8.*

secun-

secundum naturam est ipsi cognatus, sicut in priori dicto liquet, non quod ab ipso procedat. Quid his clarius? quid dilucidius fueritad declarandam magni huius Patris sententiam? Hæcne illum scribere par erat, scientem etiam ex Filio procedere Spiritum sanctum? Iudicate vos Patres, pro regula veritate vtentes. Hæc quidem ex prima Synodo: quibus cum omnino conuenire Basilium magnum demonstratum est. Eadem porro prima Synodus in suo primo Symbolo Spiritum sanctum Patri & Filio annumeravit, iuxta daram à Domino in baptismate traditionem, postquam de Patris & Filij diuinitate disseruisset, subiungens: Et in Spiritũ sanctum. Deinde secunda pæst hanc Synodus cum vellet explicare hanc vocẽ, & clarius ostendere, quomodo *Spiritus* sanctus Patri & Filio annumeratus sit, ad confutãdos oppugnatores sancti *Spiritus*, in suo Symbolo ficait: Credimus & in Spiritum sanctum Dominum, viuificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur. Hic sanctorum scopus considerandus est: quoniam id quod modo recitatum est, explicatio est illius Theologiæ: modumque quo Spiritus sanctus vnum est cum Patre & Filio, Synodus illa declarare aperte voluit. & videte, vt illa etiam diuersa ratione assignet Spiritus sancti cũ Patre & Filio cognationem: nam & ipsa tantum non ita loquitur: Spiritum sanctum annumeratum quidem esse Patri & Filio ab illis Patribus, vt ex Patre procedentem: adorari vero simul cum Patre & Filio, & conglorificari: hoc est eiusdem esse dignitatis & eiusdem essentiæ, Si vero ipsum ex ambobus procedentem sciebat, quare mentionem vtriusq; faciens non prius quidem dixit, qui ex Patre & Filio procedit, deinde intulit, qui cum ijs adoratur, & conglorificatur? hoc enim erat consentaneum, si hanc tenebat illa sententiam: & hoc habet communis loquendi vsus, cum ad aliqua duo referimus quidpiam: præsertim cum illud ex iis produci dicimus, prius ambarum causſarum mentione facta, tum etiam commune subiicimus: vt exempli causſa, simul cum ipsis adoratum & conglorificatum. Cum igitur in primo Patres prætermiserint mentionem Filij, quando rei causſam assignare volebant; in posteriori autem illam subdiderint, quando identitatem dignitatis & essentiæ volebant exprimere: profecto non erat eorum sententia, ex Filio procedere Spiritum sanctum; non enim hoc prætermisissent; idque explicationem ipsi conficientes. Quod autem ista explicatio absolutissima sit, & nequaquam semiperfecta, vt vos dixeritis, & causſarum neutram reticuerit, ex eo liquet, quod nulla Synodus posteriore explicationis huius aliam explicationem dederit; nec addiderit, quod etiam ex Filio procedat: immo vero omnes per decreta sua prohibuerint, & interdixerint, quasi prophetice præuidentes, quod apud vos futurum erat. Huius Synodi ante signanus, ac propugnator, Symbolique, vt aiunt, scriptor fuit Gregorius magnus, cui a Theologia cognomen tributum est. Consona igitur hic ipse etiam & sibi & reliquis Patribus scribens in oratione, cui titulus, Ad eos qui ex Ægypto ad nauigarunt, hæc habet; Omnia quæ Pater habet, sunt etiam Filii, præter causſam. Considerandum hic est, vt iste etiam Patrem distinguat à Filio causſalitate, sicuti magnus Dionysius, fonte. Si ergo Filius à Patre distinguitur causſalitate, & nullo modo est causſa, profecto neque Pater erit, neque productor, & proinde neque Spiritus causſa; hoc enim Doctor aperte pronunciauit. Consentanea his omnibus tertia quoque Synodus dixit & fecit. Primo enim audito Nestorij Symbolo, per Charisium quendam presbyterum prolato; in quo continebatur, Spiritum sanctum nec esse Filium, nec habere suum esse per Filium; ita Theologiam hanc recepit & approbauit, veluti Patrum propriam & sacris Scripturis conuenientem, vt nihil ipsam reprehenderit, non parum, non multum, non vel minimum; neque coarguerit Nestorium, quod de diuinis personis ita locutus fuerit, sed huiusmodi Symbolum comprobans in sua definitione dixerit; Siqui in eo deprehensi fuerint, vt sentiant, aut doceant quæ habentur in expositione oblata per Charisium de Incarnatione Vnigeniti Filij Dei: detestanda scilicet, ac peruersa Nestorii dogmata; subiaceant sententiæ sanctæ huius & Oecumenicæ Synodi. Videtis Patres, quænam dicant detestanda ac peruersa Nestorii dogmata, de Incarnatione scil. Vnigeniti Filii Dei. Liquet ergo hinc, recta & pia esse quæ de Deo agunt, & nullam reprehensionis causſam ipsi præbere, vti reipsa non fuit accusatus. Hoc autem non parum valet ad demonstrandum, communem hanc fuisse Ecclesiæ sententiam, nimirum Spiritum sanctum à Filio non procedere. Constat enim Patres recipientes ac definientes hoc, vt propriam agnouisse sententiam. Atque ita dogma istud determinatum est à tertia Oecumenica Synodo. Et quia B. Cyrillus refragatus Nestorio in processione *Spiritus* sancti quandam opinionis dedit ansam, quasi hunc ipse existimaret ex Filio etiam habere suum esse, Theodoretus illum arguit, ex persona Orientalium ita dicẽs: Filii proprium Spiritum sanctum, si vt connaturalem, & procedentem ex Patre nouit, assentiemus, vocemque vt piam recipiemus; si vero vt ex Filio, aut per Filium esse suum habentem, reiiciemus tanquam blasphemam, & impiam: Credimus enim Domino dicenti, *Spiritum veritatis*, qui à Patre procedit: & Apostolo; Vos autem non Spiritum mundi accepistis, sed Spiritum qui ex Deo & Patre est. Hanc reprehensionem Cyrillus diluens, primum quidẽ se ait pectus calumnijs, dum Euoptio cuidam Episcopo scribit, & falso accusari à Theodoreto inimicitias cum ipso gerente, atque adeo propter Nestorii amicitiam. Itaque ad Euoptium scribens sic ait: Accepi librum ad me missum, studii quo me tua pietas prosequitur, certum indicem, quem composuisse dicitur aduersus anathematismos Theodoretus Cyri; sic enim vocari aiunt oppidulum. Lectis vero, quæ in eo continentur, egi ac decantaui gratias Deo: Illud etiam identidem dixi; Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa: inuenio quippe me calumniis vbique appeti. Atque ita in vnoquoque capite calumnias se patiatur; ea scilicet ex parte, qua ipsum habere blasphemam & impiam sententiam dixit Theodoretus. non erat ergo is in ea sententia, quam Theodoretus illi tribuebat; sed in ea potius iuxta quam Theodoretus aiebat se vna cum eo fateri, & admittere vt piam vocem; nimirum Spiritum sanctum esse Filii proprium, vt ei quidem connaturalem, ex Patre vero procedentem. Hoc idem ait in apologia sua, qua respondet accusationi; Etsi enim, inquit, Spiritus sanctus ex Patre procedit, non est tamen alienus à Filio, habet enim omnia cum Patre. Vides vt ea in parte ille consentiat, quam se Theodoretus arcebat cum eo suscipere, atque vt piam vocem admittere? Facta deinde cum Orientalibus pace, scribit ad Ioannem Antiochiæ Episcopum Beatus Cyrillus de eadem materia, tum de sancti Spiritus processione, tum de Symbolo non immutando, hæc dicens: Nullo modo conuellipatimur definitam à Patribus fidem, hoc est fidei *Symbolum*: neque nobis ipsis, aut aliis permittimus vel vnam immutare vocem ex iis, quæ inibi posita sunt, aut etiam syllabam vnam præterire, memoria tenentes dicentem; Ne transgrediaris terminos æternos, quos posuerunt Patres tui: non enim estant ipsi qui loquebantur, sed Spiritus Dei & Patris, qui procedit quidem ex ipso, non est autem alienus à Filio secundum essentiæ rationem. Hic etiam videtis, cuinam parti diuisionis Theodoreti astipulentur Cyrillus? ait enim partitio vtens loquendi modo: Procedit quidem ex Deo & Patre, non est autem alienus à Filio, proprius scilicet secundum essentiæ rationem, id est, vt cõsubstantialis. Hocaũt asserebat etiam ille verbis plane dissertis; Quod si vt consubstantialem, & procedentem ex Patre dixit, vocem tanquam piam *Ioan. 15.* *1. Cor. 2.* *Conc. Eph. par. 3.* *Conc. Eph. par. 3.* *Prou. 22.* *Conc. Eph. par. 2. act. 6.* *Psal. 119.*

admit-

admittimus. Hanc Epistolam cum B. Theodoretus vna cum Orientalibus accepisset, & reperisset hanc Theologiam sibi & Scripturis consentientem, hæc habet in Epistola ad Ioannem Antiochenum: Litteræ nuper nuncupatæ à Cyrillo videlicet, Euangelica nobilitate decorantur: prædicatur enim in ipsis Dominus noster Iesus Christus, perfectus Deus & perfectus homo: nec non Spiritus sanctus non ex Filio, aut per Filiū habens esse, sed ex Patre procedens, appellatus vero Filij proprius. hanc rectitudinem in litteris conspicati, laudauimus medicum balbutientium linguarum, sonitusque absoni immuratorem in suauem harmoniam. Vide, quæ ratione, & de quibus Theodoretus vna cum Orientalibus consenserit, quod non ex Filio, aut per Filiū habeat esse, sed ex Patre procedat, vocetur autem Filij proprius, vt consubstantialis. Quod autem his conditionibus pacem coactiliauerint, & propterea lis illa fuerit exorta, testis est B. Cyrillus, rursus ad Episcopū Antiochiæ Ioannem ita scribens: Vbi vestra hæc sacra scripta legimus, nosque eadem sentire comperimus, quod vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, Deum omnium Saluatorem glorificauimus, mutuis gratulationibus gaudentes, quod fidem Scripturis à Deo inspiratis & sanctorum Patrum traditioni consonam habeant nostræ ac vestræ Ecclesiæ.

Et in expositione super Lucam his concinenda tradit B. Cyrillus; Quēadmodum digitus pendet à manu, cum non sit alienus ab illa, & in ea naturaliter sit, ita & Spiritus sanctus ratione consubstantialitatis coniunctus & vnitus est Filio, licet ex Deo & Patre procedat: hoc porro idem est ac dicere, licet ex eo non procedat: coniunctus enim inquit, illi est per consubstantialitatem: quamuis esse non habeat ab illo, sed ex Deo Patre. Per hæc omnia ostendimus, nos sacris Scripturis consona sentire, diuinisq; nostris Patribus ac Doctoribus; nullumque diuinorum dogmatum ab initio nobis traditorum immutasse vel depranasse, nihil addentes, nihil adimentes, nihil omnino innouantes. Rogamus autem rursus charitatem & reuerentiam vestram, vt nobiscum & cum sanctis Patribus conueniatis; & nihil vltra, quam dictum ab illis est, dicatis in Ecclesia, vel suscipiatis; sed ijs tantum contenti sitis: vt eadem dicētes ac sentientes vnanimiter vno ore, & vno corde glorificemus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: quem decet omnis gloria, honor, & adoratio in sæcula sæculorum, Amen.

LXX. *Iul. Card.* Æquum est, vt quando dixisti quidquid tibi opus erat, respondeas etiam ad ea, quæ postremo dixit Ioannes Prouincialis.

Ephes. Nos quia satis demonstrauimus, additionem illam vocis, qua significatur dubitatio, magna ratione positam esse; vt præsentibus omnibus perspectum esse arbitramur, nempe hoc satis esse demonstratum: & nullam ex eius vocis additione notam inuri Basilio magno, vt nos explicauimus allata diligenti expositione verborum: non admittimus quæ dixit tua Reuerentia ad vestri libri commendationem; cum & multa sint, & præterea dicta videantur extra propositum; quodque si ita fiat à nobis, & responsionibus responsiones seddantur, infinitum plane futurum sit. Propterea omissis illis, cū nihil etiam ad ea simus meditati, hoc dicere solum habemus, librum nostrum integrum esse & exacte emendatum, probari testimonio copiæ & antiquitatis librorum; nec non ex ipsa connexione, vt habetur in nostris, quemadmodum demonstratum est: plura vero in illam sententiam dicere nec habemus, nec volumus.

Ioannes. Quoniam domine Ephesie dixisti ad finem, te non tenere memoria sermones meos, reuocabo te ex parte ad memoriam dictorum, vt satisfacere possis voluntati Serenissimi Domini Imperatoris, qui te ad omnia responsurum dixit: ijs vero quæcunque dixisti, & videris aliquam afferre defensionem præmeditatus, de capite ad caput volo tibi quam optime satisfacere. & si promittis coram Serenissimo domino Imperatore veritati acquiescere, si ipse omnibus quæ dicta sunt à te, satisfecero, maiori cum alacritate progrediar ad diluenda quæ dixisti. In principio tui sermonis dixisti; Cum in libris reperimus discrepantiam aliquam, seu varietatem, debere nos omittere illos libros, qui habēt in se ambiguitatem, & transire ad fundamenta sacræ Scripturæ. At modus iste prauus ac peruersus fuerit; vt quotiescunque in libris repertæ fuerint discrepantiæ, illi omittantur. Hoc non fit à viris doctis; verum sequendo scopum librorum, ex antecedentibus & consequentibus argumenta conficiunt, vt reperiant verum & falsum. Ita nos etiam in re proposita facere oportet. Hanc rationem ego tibi proposui, quod si limitatio illa vocis dubitationem significantis apposita est, vbi concluditur ab exemplis Angelorum; sequerentur duo absurda. Primum, vt ex antecedente vero & necessario, necessitate desumpta ex ijs, quæ habentur in sacra Scriptura, sequeretur consequens ambiguum: quod est omnino ineptum. Ita enim Basilius hoc loco argumentabatur: Si ita est in Angelis, vt secundus & tertius ordine vel dignitate sit etiam natura tertius; esset quoque idem in diuinis personis; nam de Spiritu sancto sermo illi est: Sed in Angelis ita est absolute & sine vlla suppositione, vt ipse in textu aperte demonstrat; ergo consequens debet esse sine vlla ambiguitate. Dedit tibi illud consequentiæ exemplum, si homo currit, ergo mouetur. Do tibi etiam in præsentia quoddam exemplum propositæ materiæ congruens B. Augustini; ait enim Augustinus eodem argumento vtens, quo & B. filius, libro de Trinitate xv. Si enim quidquid habet Filius, à Patre habet, à Patre vtiq; habet, vt ex ipso etiā procedat Spiritus sanctus: hæc est vna propositio hypothetica; quæ nec antecedens, nec consequēs esse ponit, nisi adiciatur minor, quā ipse ex sacra Scriptura intelligit. & quādo fit argumentum hypotheticum, maior est cōditionalis, minor autem ponit priorem partem antecedentis hypotheticæ propositionis; & propterea consequēs sequitur necessario. Dicit ergo sic Augustinus: Si quod habet Filius, ex Patre habet; profectō à Patre habet, vt ex ipso etiam procedat Spiritus S. sed quidquid habet Pater, habet etiam Filius: quæ minor est ea vera ex Euangelij textu constat, ꝙ omnia Filius habeat, quæ Pater habet; sequitur ergo necessario per argumentationem hanc, Filium necessario habere à Patre, vt ab ipso procedat Spiritus sanctus: & sit hæc argumentatio necessaria citra vllam conditionem. Ita quoq; Basilius ait, si quis percipiat argumentum; Si ita se habent Angeli, vt qui secundus est vel tertius dignitate & ordine, non sit etiam tertius natura; in diuinis quoque personis res ita se habebit: nunc ergo minorem ponit absolute, nēpe Angelos ita se habere; sequitur ergo consequens sine vlla conditione; alioquin dicendum foret, Basilium esse insulsissimum, quod inferre voluerit ex antecedentibus, quod ex Scriptura ponit vere ac necessario: ita ergo dicendum est etiam de Spiritu sancto.

Ioann. 16.

Ephes.

Libros qui prolati sunt à nobis, esse ambiguos, non ita dixi, vt confessum; neq; talis est sententia & opinio mea; sed datum hoc est ex quadam concessione, quod voluntas esset nobis transeundi ad aliud, & non perpetuo insistendi: mihi enim exploratissimum est, vestros libros esse plane corruptos, & menti Basilij non congruere; cum sciā libros esse apud Constantinopolim supra mille, qui ita se habent, vt nos diximus: & si vis, spondeo mihi, si tot libri reperiantur, nos consensuros in omnibus. Porro ad ea quæ dixisti, respondeo, mirum non esse, si per ea quæ confessa sunt probauerit magnus Basillus, quod ex suppositione dedit: & nos enim quæ semel data sunt ex suppositione, vt confessa ponimus: nam dum priorem agitaremus quæstionē, hoc fecimus in vrbe Ferraria; si quidem dato ex suppositione, veram esse vestram de Spiritus sancti processione sententiam, hoc fundamento rationes omnes afferebamus, quod tametsi vera & certa sit, non tamen erat

appo

apponenda Symbolo. Et magnus Basilius vbi semel suppositit, & non absolute concessit verum esse, quod sit tertius ordine & dignitate Spiritus sanctus, id quod antea nequaquam admiserat, sed plurib. oppugnarat, vt ostendimus; subiunxit contra hoc ex suppositione datum probationes: Quod licet verum esse detur, Spiritum sanctum esse tertium ordine & dignitate: (quæ quidem loquendi figura vocatur apud Rhetores exceptionis confutatio) non est tamen necesse ipsum tertiū quoque esse natura: etenim Angeli differentes inter se ordine & dignitate, non ob id etiam sunt alterius naturæ: nam & stella stellæ præstat in gloria iuxta diuinum

1. Cor. 15. Apostolum, attamen stellarum natura non est diuersa:

Ioann. 14. & multæ sunt apud Patrem mansiones, sed non sunt diuersæ natura mansiones: Ita & Spiritus sanctus, quamuis detur tertium ipsum esse ordine & dignitate; quod iam ex suppositione concessimus; non est necesse vt natura quoq; sit tertius. Quid ergo est, quod contra hoc attulisti, quod per indubitata probet ambiguum? non confirmat ambiguum, sed ex suppositione datum: si facta hic est suppositio, necesse est consequēs ita se habere, vt se habet in prædictis. Miror autem, si tuam hoc præterit reuerentiam; quæ semel ex suppositione dantur, nos vt confessa proponere; immo vero & necessario demonstrare: qua propter mirandum non est, si per ea quæ indubitata sunt, illa demonstramus.

Ioannes. Multa quidem dixisti Præsul Ephesie, sed nihil eorum quæ ad nostram disputationem spectant. Nobis enim erat proposita sessione proxima quæstio necessaria & admirabilis; qua nondum terminata Reuerentia tua protulit in medium alia argumenta, & alia capita. Dico igitur, si vis propositas nobis quæstiones discutere, prodeant in medium, vt etiam perducantur ad finē: hanc enim nobis & Serenissimus Imperator posuit legem, vt vno terminato aggrediamur aliud. Si vero nihil tibi suppetit dicendum in illis, fatearis hoc, & gratias tibi agemus. Hoc si non vis, responde igitur ad propositū, atq; ita perspicietur veritas. Ad ea porro, de quib. prolixam hanc habuisti orationem coram magno hoc auditorio, in promptu est quod respondeam: possum enim fauente sancto Spiritu dilucere omnia, & demonstrare tibi, eorum quæ dixisti maiorem partem stare à nobis: sed tamen respondeo ad propositum.

Ephes. Nihil plane memini eorum quæ dicta sunt; multa enim dicta erant antea, & visa mihi sunt esse satis.

LXXI. *Ioannes.* Et si ea non meministi, ego in memoriam redigam. Disputatio nostra desierat in verbis magni Basilij, vbi statuit numerum & ordinem in diuinis: deliquet ab exemplis quæ afferunt in sequentibus libri tertij contra Eunomium, dicens; Sicuti sunt ordines Archangelorū & Angelorum vna in natura; & sicuti sunt ordines stellarum, stella quippe differt à stella, in vna natura; & sicuti multæ sunt mansiones ordine dispositæ in regno Dei; ita sunt etiam in diuinis personis.

Ephes. Ex rebus & exemplis creatis ostendis quæ fidei sunt, & res diuinas?

Ioannes. exempla creata sunt explicatio increatorum. Etiam; exempla enim creata sunt explicatio increatorum; nam ab humanis & aliis reb. exemplaſumimus rerum incomprehensibilium & imperceptibilium.

Ephes. Atqui non est hic Basilio scopus; Cur enim inquit, necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus sanctus, vt ipse natura quoque sit tertius, licet etiam id cōcedamus? vt exempli causa; Nos cum Ferrariæ disputaremus, quod nō licet addere, dicebamus; quamuis tectum & pium comperiatur quod est additum, in Symbolo non recipiemus: dicebamus autem hoc ex suppositione. Ita & magnus Basilius, licet concedamus etiā, inquit, Idcirco non hoc vult magnus Basilius, vt certū sit, à Filio Spiritum sanctum habere suam esse, aut esse tertium ordine: nam & Eunomius hoc arripiens aiebat, Spiritum esse natura tertium.

Ioannes. Et quomodo eximius iste Pater peccaturus erat in artem? non est in philosophia, Omne quod currit, mouetur; mouetur ergo, quia currit. Itaq; magnus Basilius numerum ponens in Angelis, & stellis, & mansionibus, ponit etiam ordinem & numerum in diuinis personis. Quoniam autem longam es Theologiam exorsus, ad docendos nimirum auditores; minus tamen intelligēs, quid ipsi de consubstantiali Trinitate sentiamus; ego docebo, planamque tibi responsionem hanc dabo.

Quid de consubstantiali trinitate sentiendum.

Nos qui sequimur Apostolicam Sedem, vnam nouimus causam Filij ac Spiritus Patrem; nam ab initio prædicationis Apostolorum fides nostra fulget Sole splendidius. Sermo enim Domini ad Principem Apostolorum Petrum, *Porta inferi non præualebunt aduersus eā*, *Matth. 16* non præterit, nec præteribit: nam q; vnicum fulcimentum ac fundamentum omnibus Christianorum Ecclesiis est Romana Ecclesia; quippe quæ germanam habet pietatem, claudit que & obstruit omne hæreticum os loquens in excelso iniquitatem. Idcirco non credit duo principia vel duas causas, sed vnum principium & vnam causam; eos vero qui asserunt duo principia, vel duas causas, anathematizamus.

LXXII. His à Latino dictis dimissa est Synodus, Græcis quod ad fidei confessionem attinet, satis habentibus. Nam egressi fumus è conuentu, & magnam percepimus lætitiam, quod vnam Latini causam Filij ac Spiritus norunt Patrem & non dicunt duas causas.

Post hæc Imperator adiit Patriarcham de his verbis consultaturus feria quarta, mane. Consilio ab ijs inito, feria quinta quintæ hebdomadis Quadragesimæ habitus est conuentus nostrorum Metropolitarum in cella Patriarchæ, præsente quoque Imperatore. Itaque concionatus est Imperator, hoc sermone vsus ad Metropolitas:

Imperat. Nos, sacri Patres, quomodocunque in Italiam venimus: nec soli mihi fuit voluntas veniendi; nec primus ego negotiū hoc suscepi: sed memoria teneris. Patrem meum Imperatorem eo tempore, quo erat in isthmo, misisse Eudæmona Ioannem illum in Italiam, & huiusmodi opus fuisse aggressum. Nostis enim optime, Imperatorem patrem meum quanta prudentia, & rerum polleret experientia; vtpote qui non modo præstantissimus Philosophus sed fuit etiam Ecclesiasticorum dogmatum enarrator subtilissimus: nam & erat etiam ipsi Patriarcha ille, domnus Euthymius, vir vera virtute præditus, ac summus Theologus. Quicūtanti ac tales essent, non solum de hoc negotio capite sedo cogitarunt, verum etiam aggressi sunt; & cupiebant illud conficere: sed obstitit tempus, peruenit ergo negotium ad nos, non vt maiorum tempore, sed multo pręstantius: nam & triremes misere, & sumptus; & opus hoc multo cum studio quæsiuere. Hæc nos scientes, ego scil. & sacer Patriarcha, vos omnes conuocauimus, atque huc vestro consensu peruenimus. Nunc tempus abit; & nihil, quod sit in rem nostram, fecimus. Subeat vobis memoria domus nostræ, quanto sit in periculo in medio impiorum. Quod si quid acciderit, hei mihi, quam graue malum: arbitror persecutionem fore longe maiorem, quam Diocletiani & Maximiani temporibus. Debemus ergo disputationes & contentiones missas facere, & repetire medium aliquod, illudque amplectiri; medium autem in vobis est. Vnum tantummodo vobis dico; Fratrem Ioannem, qui disputat, palam in Concilio dixisse, fateri Latinos vnam causam Filij ac Spiritus Patrem; & anathematizare ponentes in consubstantiali Trinitate duo principia, vel duas causas: à quo petij scripsam mihi dari hanc confessionem, quam & miserunt ad me: legite vos, & consilium capite de vnione concilianda.

His ab Imperatore dictis cœpit Synodus perquirere; & post multos sermones inuenimus Epistolam sanctī Maximi, ita dicentis.

Epistola sancti Maximi. LXXIII.

SAnctissimi Papæ, qui nunc est, Synodalium, non tot capita, quot scripsistis, regiæ vrbis incolæ nota

runt, sed duo tantum; quorum alterum ad diuina spectat; quod dixerit, inquiunt, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere; alterum vero ad Incarnationem; quod dixerit, Dominum vt hominem esse absque peccato originali Et in primum quidem consonas Romanorum Patrum attulere sententias, nec non Cyrilli Alexandrini ex sacris eius Commentariis in Ioannem: Per quas demonstrarunt, sese nequaquam asserere, Filium esse causam Spiritus; vnam quippe norunt causam Filij ac Spiritus Patrem, illius quidem secundum generationem, huius autem secundum processionem: sed significare, quod per ipsum etiam procedat: eaque ratione ostendere eiusdem essentiæ nulla cum varietate communionem.

Cum lecta esset hæc Epistola, omissis Latinorum scriptis, & relictis omnibus, ad S. Maximi Epistolam adiecimus animum: & omnes simul diximus: Si Latini recipiunt hanc Epistolam, cum ipsis coniungemur, nihil aliud requirentes. Ergo Imperatoris iussu Synodus sententias dixit, Patriarcha idem sentiente: & Synodus hortata est Imperatorem, vt mitteret ad Pontificem & suos, qui dicerent, an sancti Maximi Epistolam & confessionem reciperent: atque vbi illud rescisset, nobis significaret. Et nos quidem tale consilium cœpimus. Latini vero significarunt nobis hæc: Vos sessione proxima dixistis quantum voluistis; nos autem diximus, respondere velle sessione altera: fiat ergo conuentus, vt respondeamus; nihil enim aliud fieri potest, nisi respondeamus. His auditis Imperator iussit rursus conuentum haberi.

Sabbato igitur die Martij xxi. conuenimus rursum ad locum consuetum, domno Marco Ephesio, & domno Antonio Heracleensi absentibus: præceperat enim Imperator, ne conuenirent; namque modum vnionis reperire volebat ad abeundum, non sermones contentiosos. Itaque conuenimus omnes ad consuetum locum. Et orsus est deinde pro Prouincialis Frater Ioannes concionem suam hoc pacto:

LXXIII.

SESSIO XXIV.

DIE VIGESIMA PRIMA MENSIS Martij, Sabbato.

Ioannes. VEllem hic esset Ephesius, & coram nobis cum adesset in hac Sessione, vt dictorum suorum solutiones audiret; sed videtur victus desperasse; propterea non conuenit ad Synodum. Quare ad vos & vniuersum hoc auditorium verba faciam.

Imperat. Nos in præsenti nihil dicere volumus; propterea & Ephesius non conuenit nobiscum: neque venimus ad disputandum nos, sed vt voluntati vestræ satisfaceremus, & propter pactum quod inter nos, vt ne Sessiones negligantur: venimus igitur; & si quid habetis, dicite: nos responsionem nullam sumus daturi. Itaque Ioannes dixit.

Ioannes. Duabus propositis à nobis quæstionibus, neutram absoluimus: nam dictum, siue potius dicta magni Basilij clarissime indicant, Spiritum sanctum habere suum esse à Filio sicut à Patre: & nos vnam causam Filij & Spiritus fatentes, Patrem, vt principaliter à Patre Filius producat Spiritum sanctum, ad nullum finem producere potuimus hanc materiam. Hoc igitur & ipse relicto, ad ea quæ protulit Ephesius, dicam. Itaque iam respondebo; atque ipsi de ipso Saluatore nostro Iesu Christo sumemus exordium. Ait enim ipse in Euangelio; *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritū veritatis, qui à Patre procedit*, &c. Nam vox illa, *mittam*, quid aliud significat, quam quod ab aliquo mittitur? qui mittit igitur, proprium aliquid mittit; & ex ipso est quod mittitur: vt exempli gratia, quando Præfectus agit cum Imperatore; non enim agit ex se ipso, sed Imperatoris mandato: ita & Filius non à seipso producit Spiritum sanctum, sed à consubstantiali Patre, in generatione sua illud accipiens, virtutemque paternam & naturalem in se habens: producit & ipse Spiritum sanctum non principaliter, vti Pater; is enim est radix & fons Deitatis. Pater enim indistinctus ab essētia, immo vero cum ipse sit ipsi essentia, non intelligitur distinctam habere essentiam ab hypostasi: non enim re, sed sola ratione distinguitur paterna hypostasis à sua essentia. Est ergo Pater subsistentialis hypostasis, & generat substantialiter Filium, & generatur Filius, subsistentialis & ipse hypostasis: & sunt quidem duæ hypostases, sed vnus Deus, & vna amborum natura, cum qua Spiritus sanctus indistincte intelligitur, & neque Pater est, neq; Filius, neque relatiuum: Spiritum enim vt *Spiritum* ad spirantem referri oportet. Quia vero Spiritus est Patris Spiritus; & scriptura testatur, illum esse Filij quoque Spiritum; spirātes ergo sunt Pater & Filius. Filius quoque respiciens ad Patrem, secundum diuinitatem ait, *Ego & Pater vnum sumus*: &, *ego in Patre, & Pater in me*; &, *Qui vidit me, vidit & Patrem meum*. Ergo secundum vnam virtutē spiratiuam duarum personarum, & vnam producendi vim non sunt duo spiratores, & duæ causæ; sed vna cum sit & eadem numero, originaliter quidem Patris esse intelligitur, à quo Filius hanc habet: & hac virtute dicitur Pater & Filius vnum principium, non confusione personarū. Est n. Pater, Pater & ingenitus: & Filius, Filius genitus, secundum causam & causatum: pari ratione debemus & Spiritui sancto aliquem assignare ordinem ad Patrem & Filium, ne confusio ponatur necessario in diuinis. Cum vero Pater generando communicet hanc essentiam Filio, quatenus est Filio communicabilis: Filius vero hanc à Patre accipiat, vt sibi communicabilem; communicet vero eandem sancto Spiritui, vt communicabilem illi ab ipso Filio: quoniam vna est essentia, secundum quam hic generat, ille procedit; idcirco vnum principium & causa est Spiritus sancti Pater & Filius, & procedit ex ambobus. Præterea quia dicitur etiam à Patribus Spiritus sanctus produci per Filium naturaliter; procedit ergo Spiritus sanctus ex Patre & Filio; nam hoc loco, per, idem valet atque, ex. Attulit autem testimonia sancti Leonis Papę, Gregorij Dialogi, sancti Ambrosij, sancti Hieronymi, sancti Augustini, & multorum aliorum Occidentalis, legendo libros, & declarando. His ita peractis tempus elapsum est, & dies in vesperam inclinatus: atque ita dimissa est sessio, rursus in feriam tertiam reseruata. Ergo feria tertia, quarta & vigesima die eiusdem mensis, conuenit rursus quinta & vigesima sessio, Florentiæ celebratarum postrema: & rursus Ioannes Prouincialis sic est orsus dicere.

Pater vterque fons Deitatis.

Ioan. 10.

Ioan. 14.

SESSIO XXV.

Florentiæ celebratarum postrema.

Die vigesima quarta Martij, feria tertia.

LXXIV. *Continuantur dissensiones & schisma.*

Ioannes. VEllem Ephesius quoq; adesset, audiretque responsiones ad ea quæ dixit: sed quia nescio cur ipse non venerit, age sermonem ad vos instituamus, & Sanctorum Orientalium dicta in medium proferamus. Ait enim magnus Basilius; Nam sicut Filius ordine quidem secundus à Patre est; prior enim est positus in connumeratione Pater, dicente Domino, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* & præterea dignitate; ex Patre enim Filius, non ex Filio Pater; natura vero æqualis; *Ego* enim *& Pater vnum sumus*: ita & Spiritus S. ordine quidem est secundus a Filio, vt in connumeratione declaratum est; item que dignitate, Spiritus enim Filij dicitur, vt qui per Filium datur: *Misit enim*, inquit, *Deus Spiritum Filii sui in corda nostra*: nō autem Filius Spiritus: natura vero æqualis Patri & Filio Spiritus sanctus; quorum enim eadem operatio, eadem est quoque natura. Magnus autē Epiphanius ita inquit; Si Christus ex Deo creditur, vt Deus de Deo, ita & Spiritus S. ex ambobus.

Lib. 2. cōt. Eunomiū.

Matt. vlt.

Ioan. 10.

Galat. 4.

Epiphan. in Ancor.

Quem-

Epist. ad Nestorij. Quemadmodum nemo nouit Patrem, nisi Filius; ita dicere audeo, nec Filium nisi Spiritus, qui ex ambobus procedit. Magnus quoque Cyrillus: Ita, *inquit*, profluit à Filio *Spiritus*, sicut plane à Patre. Doctissimus etiam Didymus, & magnus Athanasius; Si ex Patre, *inquiunt*, procedit, & de meo accipiet, & annuntiabit vobis: ex Patre igitur & Filio Spiritus sanctus. Attulit præterea & alias sententias ex Epistolis magni Cyrilli; ex Epistola, cuius initiū; *Lætentur cæli*: & ex alia, quæ incipit; *Domino & Saluatore nostro Iesu Christo*: & ex Nicæna Synodo: & multas alias probationes euidenter ostendentes, Spiritum sanctum procedere ex Patre & Filio.

Domino & Saluatore nostro.

Cum igitur multa dixisset, & iam aduesperasceret, respondit Isidorus Rhutenus hoc pacto:

Rhuten. Qui solus currit, & solus cerrat in stadio, victoriam adeptus videtur: & qui solus disputat nemine respondente, videtur inuicte disserere. Quocirca & tua Reuerentia multa quidem Theologice disputauit, & luculenter peroranit; sed nobis etiam supperunt præclaræ responsiones: verum quia per tempus non licet, ad uesperascit enim, alia sessione respondebimus. At vero Imperator excepto sermone dixit:

Imperator Date nobis libros, & Sanctorum dicta quæ citastis, vt de responsione cogitemus. Cardinalis autem Iulianus respondit:

Iul. Card. Quæcunque diximus, à notariis excepta sunt; illa igitur vos habentes, cōsiderate: quod si non vultis hoc, vno quopiam die conuenite in templum S. Francisci, ibi enim prope habitat Serenissimus Imperator; atque illuc congregati libros, verba scilicet conferemus; hicque repertetis, quid iuxta veritatem respondeatis.

Cum hoc inter vtramque partem conuenisset, discessit Synodus. Itaque feria quinta mane congregati in dictum S. Francisci templum, viderunt vtriusque partis libros; & ex eo cognouerunt, esse aliquam conciliandę pacis rationem fauente & adiuuante Deo. Misit ergo Patriarcha noster, qui Papæ dicerent, vt per totam sanctam hebdomadam sessiones suspenderet, ad habendas consultationes; vt deinde Dominica in Albis responderemus. Placuit Papę, vt ita fieret. Die vero Martij tricesimo, feria secunda maioris hebdomadæ, factus est conuentus, nostrorum Metropolitarum iussu Patriarchæ in eius cella. Cōueniamus igitur: Præsules. Crucesignati, Hegumeni, & summatim nos omnes Orientales. Significauit ergo Patriarcha, quæ dicta & indicata fuerant à Papa; vt amplius non haberetur generalis Synodus; & nos deliberaremus de agēdo ex duobus altero; aut reperiremus modum vnionis vsque ad Pascha, aut certe viam redeundi in patriam nostram. Respondit Isidorus Rhutenus, & concionatus est ita:

Rhuten. Satius est nos vniri animis & corporibus, quam re infecta abire: nam abire quidem facile est, quomodo vero abeundum sit, aut quo, & quando, non video.

Nicænus. Cum hæc ille dixisset, & summas rerum attingendo in hanc sententiam perorasset, Præsul quoq; Nicænus Bessario prudentissime ac luculentissime concionatus est, ijsdem sermonibus & ijsdem sententiis vsus. Respondit Dositheus Monembasiensis.

Monemb. obstinatio. Et quid vultis? vt redeamus in patriam sumptibus Papæ, dogma nostrum prodamus? mori malo, quam vnquam Latinizare. Respondit Rhutenus.

Rhuten. Neque ipsi volumus Latinizare; sed dicimus, Spiritus S. processionem Filio quoque tribui non solum à Patribus Occidentalibus, sed etiam Orientalibus. Quapropter æquum est, vt sanctos nostros sequentes cum Romana Ecclesia conueniamus.

His auditis Heracleæ Præsul domnus Antonius respondit.

Heracl. Et qui nam sunt plures, Patres Synodorum, & omnes nostri Sancti, an Occidentales? plures ergo sequi oportet, dicentes Spiritum sanctum ex Patre procedere, non ex Filio.

Ephes. Hunc sermonem excipiens Præsul Ephesi domnus Marcus prolixam habuit orationem, eadem & ipse dicens, addendo, Latinos non solum esse schismaticos, sed & hæreticos: hoc autem nostra, *inquit*, Ecclesia reticuit, quod genus ipsorum esset numerosum, & potētius nostro: nos vero nullam aliam ob causam ab ipsis seiuncti sumus, nisi quod hæretici sunt. Quocirca non decet omnino cum illis coniungi, nisi tollant è Symbolo additionem, & proferant Symbolum vt nos.

Respondens Bessario Nicænus ad eos dixit:

Ergo qui asserunt, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere, hæretici sunt? *Nicænus.*

Et Ephesius. *Ephes.*

Maxime. Et Nicænus. *Nicænus.*

Deus mihi propitius sis: & sancti qui dicunt hoc, hæretici sunt? muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus Sanctos: at vos corde auscultate. Occidētales & Orientales Sancti non discrepant, sed idem Spiritus sanctus locutus est in omnibus Sanctis: & si placet, cōferantur scripta eorum inter se; & ita comperietur, sanctos nequaquam dissentire. *Psal. 30.*

Et quis nouit, an libri ab ipsis corrupti sint? *Bessario pro Latinis*

Et quis audeat hoc affirmare? totos sermones, & expositiones Euangelij, integras in eadem Theologicas enarrationes? Certe si ea velimus inducere, nihil aliud remanebit in libris, quam albæ membranæ.

His aliisque similibus habitis sermonibus surreximus, cum nihil egissemus, nisi dissensiones & schismata. Nā Synodus nostra adeo parua erat, vt in duas partes diuisa fuerit, & hi quidem sequebantur eos qui vnioni obsistebant, illi vero eos qui fauebant. Ex nobilibus etiam viris aliqui vnionem detrectabant, & dissuadebant eos. Elapsa vero secunda feria maioris hebdomadæ, feria tertia Imperator vesitrursus ad Patriarcham, illūd enitens, vt res componeret; et si enim pluebat, rem ille non distulit; sed imbre madidus conabatur disputationi & negotio finē imponere: nam impellebat Præsules ad amplectendam vnionem; illi vero ad hoc segniores erant, aliis, vt dictum est, eos sequentibus, qui obsistebant negotio vnionis; aliis vero eos qui fauebant: itaque diuisi erant in partes, & neutiquam conueniebant: habebant enim, vt significatum est, aliquos ex viris nobilibus, qui nolebant vnionem; sequebantur. *Ephes. Nicænus.*

Feria quarta igitur maioris hebdomadæ, mane omnes conuenimus in cellam Patriarchæ nostri; & interrogauit nos Patriarcha dicens, habetis aliquid dicere? Respondit Heracleensis hoc modo: Venimus ad Missam præsanctificatorum, & nihil aliud habemus. Tum Mitylenensis ait; Quomodo nihil dicendū habemus? non disputamus? non est nobis certamen? Habemus Dominē mi permulta dicere; Ea vero sunt, vt alterū ex duobus faciamus; aut sequamur Sanctos, & vniamur cum Latinis: aut transfigamus eos, & abscedamus. Attamen si quid magnus asserit Maximus, recipitis? Respondent, se illum recipere. Et ille; magnus, inquit, Maximus Spiritum sanctum ait ex Patre substantialiter, per Filium ineffabiliter genitum, procedere.

Confirmat hoc Nicænus, & permulta dicta probat, complures Sanctorum esse vsos voce, per Filium, præcipue magnum Tarasium. *Nicænus.*

His auditis Patriarcha iussit has sententias exscribi, atque postridie generalem fieri conuēctum, vt hæc audiuentur, & communi sententia vnum caput approbaretur, & Imperatori renuntiaretur. Omnes dixerunt, placere atque ita discessimus. Feria quinta in Cœna Domini cum omnes conuenissent, significauit nobis Patriarcha; Imperatorem vbi resciuisset quę locuti sumus heri inter nos, monere, vt res differatur in Sabbatum Sanctum; vt nobiscum & ipse conueniat, & fiat quod videbitur agendum, omnes contenti fuimus, vt posset Imperator adesse.

Cum ergo venisset Sabbatum Sanctum, & Patriarcha grauiter ægrotaret, omissa est consultationis congregatio, & conuenientes extremæ vnctionis officium Patriarchæ celebrauimus, vix sedere valenti: atque ita

LXXV.

diebus Paschalibus transactis vsque ad sextam feriam infra Octauam Paschæ, illo tandem die conuenimus præsente quoque Imperatore: decretumque est, vt hæc ad Papam deferrentur.

Græci. Nos amplius non disputabimus, cum disputatio nihil aliud pariat, quam turbam: nam dicentibus nobis, non deest vobis copia responsionum, audientibus autem quæ vos dicitis, cum ea innumera sint, quis ferre queat nullum dicendi & audiendi finem? Idcirco si qua est alia vnionis via, de ea consultate, & renuntiate nobis; sin minus, nos diximus quæ potuimus: nos quod tenemus, ex paterna traditione, & septem Synodis acceptum habemus; idq; nobis satis est. Delectos igitur Russiæ Præsulem, & Niceæ, duosq; Crucesignatos, & magnum Bibliothecarium, & magnum Ecclesiarcham misimus. ij vero profecti protulere ad Pontificem quæ locuti eramus, & reuersi sunt. Sabbato autem ante vesperas rursus conuenimus vna cum Imperatore; & reddidere Papæ responsum dicentes ita:

Papa. Nos, Domini sancti, profecti sumus ad Beatissimum Papam, & ei vestris verbis diximus, quæ nobis mandastis. Respondet autem, & dicit hæc:

LXXVI. *Quatuor à Pontific. Græcis pro posita.* Ego, vt videris & ipsi, & studium posui, & insumpsi, & laboraui pro hoc negotio vnionis Ecclesiarum; nec vero istam curam dimitto. Vos autē ab initio rem negligenter tractastis, & frustra tempus absumitis; quodque peius est, nec etiam, vt conueniat inter nos, ad disputandum conuenitis. Itaq; denuntio Serenissimo Imperatori, fratriq; meo Patriarchæ, ac vniuersæ Orientali Ecclesiæ, & dico hæc. Quatuor sunt quæ vobis proponuntur. Primum, si satisfactum vobis est per clarissimā & euidentem demonstrationem, qua demonstrauimus ex Scripturis, *Spiritum sanctum* procedere ex Patre & Filio, bene: sin minus, dicite, de quo ambigitis, & qua ex parte illud non recipitis, vt remedium adhibeamus; & euidenter perspicueque probemus, processionem hanc vere etiam esse ex Filio. Secundum; si habetis ex sacris Scripturis auctoritates contrarium asserentes iis quæ dicuntur à nobis, vt eas proferatis. Tertium, si habetis validā Scripturæ loca, quibus probetur, melius esse magisque pium quod vos teneris, quam nostrum dogma. Quartū, si hæc non vultis, conueniamus simul, fiatque Synodus: conficiat sacrum Sacerdos, iusiurandum demus Latini pariter & Græci; proferatur libere veritas per iuramentum, & quod pluribus videbitur, hoc amplectamur & nos & vos: iusiurandum enim apud Christianos non fallitur.

Græci. Hæc nos cum audissemus ab iis qui missi erant, alter alterius nos contuentes, & omnia comperientes talia, contra quæ dici nihil posset, diximus: Quod respōdeamus ad hæc, non habemus. Nam quod ad primum attinet, non desunt Sancti, qui *Spiritum sanctum* etiam ex Filio procedere asserant: quam dubitationem afferre nos possumus? Quod ad secundum, & quinam Sancti sunt, qui sanctis hoc asserentibus aduersentur? nos dicere non possumus, *Sanctos* inter se cōtraria sentire. Quod ad tertium, quomodo probare poterimus, dogma nostrum esse melius & magis pium, quam dogma Latinorum? nam & nostrum pium est, vtpote à Patrib. traditum, sed non minus pium est & illorum dogma, cum illud etiam qui asserunt, sint sancti Patres. Quod ad quartum, vt iuremus in pretiosum corpus & sanguinem Christi: Et quæ alia Synodus hoc fecit, vt idem & nos faciamus? neque ad hoc est vlla responsio, & respondens iterum Mitylenensis ait:

Mitylen. accedit ad Latinorū sententiā. Quid altercamini cū veritate, multaq; dubitatione æstuatis? cognoscite, & videte, nostrum dogma pium esse, sed & illud, quod Latini apposuerunt Symbolo declarationis & explicationis causa, sumptum esse à Sanctis, & esse pariter pium nam & sacrum Symbolum ex diuinis scripturis compositum est, & Latini ex diuinis Scripturis addiderunt vocem illam, ex Filio. Quapropter nostrum quidem pium est, sed & illorum nulla ex parte est impium: Est enim nobis vna fides, vna religio, vnus Deus in tribus personis. Ne ergo tempus conterite amplius, sed accedamus, ad veram Ecclesiæ Dei vnitatem, & ne vltetius progrediamur. Sit hoc pro responsione ad Beatissimum Papam nostrum.

Imperator Hæc cum ille dixisset, nemo contradixit, nemo repugnauit. Imperator autem; non est, inquit, hoc de quo quæritur; sed respondere volumus Papæ, ex illis quatuor, quæ proposita sunt, quodnam eligamus. Tūc magnus Protosyncellus & Confessarius domnus Gregorius, qui & Vicarium agebat Alexandrinæ Sedis, respondit:

Protosyncell. Et qui respondere possumus ad hæc? dicere enim, scripta hæc esse falsa, illa vero adulterina: & hæc quidē nos ignorare, illa vero non recipere, est quodammodo nulla ratione vtentium. Quid ergo superest? commentitia respondere? at hoc nobis indignum est.

Verum Imperator rogatu omnium iussit, vt iterum ad Papam irent ij, quos antea diximus; hæcq; ad ipsum perferrent.

Imperat. Nos, quæcunque renuntianda mandasti, vnum esse comperimus, & quatuor capita ad vnū spectare, nempe disputationem. Res enim, de qua dubitatur, iudicio indiget; & probationes ad iudicium pertinent; & scripturarum testimonia in iudicio proferuntur, sed & iusiurandum dicitur, quod per illud vera dijudicantur. Quoniam igitur illa quatuor in vnum redigūtur, quod est disputare, & iudicio agere; nos iam respondemus, nequaquam velle iudicare & iudicari; nam ex hoc iudicio nil commodi consequemur; quandoquidem nos sacrum habemus Symbolum à Sanctis & Oecumenicis septum Synodis; & neq; addimus, neque demimus; sed contenti sumus eo, quod statutum est à Patrib. nostris, qui fuere ante nos. Vos autem ostendistis, doctrinam esse Sanctorum, quod addidistis: nec vlla ratione expungi posse dicitis. Cum ergo neque ipsi recepturi vnquam simus quod est additum, neque vos illud è Symbolo eiecturi; quid opus est contentionibus, & disputationibus, & probationibus, & iuramentis, & testimoniis? Sed Beatitudo tua secum cogitet; & si quis est alius vnionis modus, vniemur: sin minus, abibimus cum pace in patriam.

Cum hæc ab Imperatore dicta, & ab Internuntiis audita essent, dixerunt illi; se postridie renuntiaturos ea Papæ; Dominica scilicet in Albis: & dimissa est Synodus.

Itaque profecti ad Papam nuntiarunt hæc illi.

At vero is nihil respondit; sed Cardinalis inquit; mittam ad Orientalem Synodum, vt enarrent omnia præsente quoque Imperatore. Tres ergo dies elapsi sunt, antequam venirent Cardinales; quarto enim die venerunt. hoc interim spatio, secunda videlicet ac tertia feria, cum celebrata esset nostra Synodus, protulit in medium Nicænus Præsul domnus Bessario de vnione Orationem, in decem capita distinctam; quæ sic se habet.

LXXVII. *SAPIENTISSIMI ARCHIEPISCOPI NICÆni ad Synodum Orientalem Oratio Dogmatica, siue de Vnione, in decem capita distincta, ipsomet interprete.*

SAcram Ecclesiarum Dei pacem atque concordiam nemo est, viri præstantissimi, qui non maximi æstimet, & loco summæ felicitatis esse ducat. Ob eam quippe Saluatoris nostri oratio ad Patrem porrigitur, qui cum pro discipulis, & iis, qui nomine eius vocati sunt, precaretur: *Fac*, inquit, *Pater, vt vnum sint, quemadmodum & nos vnum sumus.* Per hanc diuinus amor, quod signū discipulorum Christi est, in nos influit: tollunturque à nobis inimicitiæ ac dissensiones mutuæ, quæ ab hominibus, præsertim Christianis, alienissimæ esse debent: tolluntur & derisiones & opprobria, quibus à Christi Crucis hostibus continue afficimur, qui nos irrident, contemnunt, ac pro nihilo habent, vt Christianos

quidem

quidem nominatos, & eundem habentes Dominum, verumtamen ita inter nos diuisos & dogmatibus fidei dissidentes, vt alij alios pro inimicis atque hostibus habeamus. His igitur rationibus aliisque permoti, pacem quidem amamus omnes atq; optamus, & concordiam atque vnitatem Christianorum maximi omnes facimus. Quo autem modo à Deo præclarum bonum consequi possimus, & quæ ratio habenda sit ad sanctissimum opus perficiendum, hic diuersis opinionibus sumus, variisque inter nos sententiis discrepamus. Quapropter de hoc à nobis in præsentia considerandum, & quantum ingenioli nostri vires sufficient, differendum existimauimus.

Decausis schismatis, & quod tametsi ante generale Concilium aliqua nobis de nostra à Latina diuisione excusatio erat, nunc tamen iam celebrato Concilio Oecumenico, non possimus absque scelere diuidi ab eis, nisi eos à veritate deuiare probabimus.

LXXVIII. CAP. I.

FVit aliquando tempus, quo immaculata Dei sponsa Ecclesia sancta, summa concordia, tranquillissima pace & intemerata veritate fruebatur; cum scilicet simplicitatem acpuritatē Euangelicæ doctrinæ maximi omnes faciebamus, solis sacris eloquiis cōtenti, his inhærentes, his acquiescentes, in vnū ab his collecti ouile, sub vno pastore oēs agentes, eandem vnius audientes vocem: & aut nihil præter ea quæ nobis tradita erant, cogitantes, nulla vrgēte necessitate: aut necessitate coacti, & hæresib. vndiq; scatentibus, vnum in locum vniuersa Ecclesia cōgregata, ambiguitates rescindentes, & declarationes necessarias facientes. Postquā autem hæresi quadam, vt Latinos sæpenumero dicentes audiuimus, in Occidentali regione vigente, Romanorum Præsul Pontifex Maximus sua vnius auctoritate fretus, aduocata Synodo generali, particulam illam communi Symbolo fidei, non cum cōmuni consensu ascripsit, in multas partes (heu rem miseram atq; acerbam) Christi sacratissimum corpus diuisum est: membraq; eius, hoc est, Christiani homines, aduersus se inuicē arma acceperunt, minime intelligentes, se sibi ipsis hostes esse, & contra se ipsos armari, dum se à fratribus diuidunt; aut intelligentes quidem, cum multi sint inter nos doctrina ac sapientia præstātes, quos latere minime potest, quantæ iacturæ causa hæc dissensio extiterit, sed (nescio quomodo) diuisi inuicem atq; alienati, & præsertim nos à Latinis. Oportere maiores nostri dixerunt, qui ea tempestate fuere, qua orti hæc dissensio cœpit, in reb. fidei, dum nulla necessitas vrgeat, his acquiescere, quæ nobis sacris litteris tradita sunt, in quib. omnis fidei veritas aut plane explicata est, aut latens erui haud difficulter potest. Quoties vero necessitas ingruat, & si aliqua oriatur hæresis, quod imbecillitate humani ingenij sæpenumero inter mortales euenit, debere Ecclesiam Dei vnum in locum congregatā de rebus dubiis iudicare; ac secundum præcepta diuinæ leg's & sanctorum Patrum, quos iam vt sacrarum litterarum Doctores approbauit, communi omnium consensu sententiam ferre, & per hunc modum fidem Christianam augere, obuiam eundo hæresibus, procul ab Ecclesia Dei eas fugando. Vbiq; tamen asseuerant ijdem maiores nostri, communiter hæc agi debere; & quæ communia sunt, communi cōsensu oportere terminari. Per hunc modum Synodus prima generalis cōsubstantialitatem Patris & Filij prædicauit, Ario de inæqualitate ipsorum nescio quas nugas & deliramenta proferente. Per hunc modum secunda *Spiritus* diuinitatem confessa est, Macedonio illum creaturis annumerante. Per hunc modū subinde vnaquæq; Synodus, quæ posita in ancipiti fuerunt, pronuntiauit, instante duntaxat necessitate. Neq; enim licere (inquiunt) pace ac tranquillitate fidei vigente, nouas mouere quæstiones: neq; ortis hæresibus aut tacere, aut solum vel cum paucis de his, quæ credi communiter ab omnibus debent, tractare, sed communi quidem cōsensu hoc fieri oportere, fieri vero duntaxat necessitate vrgente. Et quemadmodum generli Concilio congregato, opus esse aiūt, summo studio ac cogitatione omnia discutere; &, quod ratio tandem obtinuerit, accipere oēs atq; amplectisita, si ante commune iudicium de aliqua re quispiam dubitauerit, mota quæstione, & ab aliquibus determinata, iure id facere, meritoque, ab his diuidi, qui absq; communi consensu ausi sunt de rebus communib. iudicium ferre: quandoquidem ipse communibus reb. & communiter traditis assentiatur; illi vero aliquid dicant, quod antequam communiter discutiatur, non parum in se habeat dubitationis. Quas ob res nostrum pleriq; asserunt, haud se iniuria à Latinorum consortio abhorrere; quod nō sit ferendum, vniri nos eis, antequam iudicio vniuersalis Ecclesiæ, quod recēs pereos introductum fuit, subiiciatur, atq; his quidem duplici acculadone succensendum existimant: primo, quod ignaris & nequaquam assentientib. nobis, quidquam in communem Ecclesiam introduxerint: tum, quod pati nollent generalem Synodum & aduersus illis similem conuocari. Hæc nos quoq; illis pro numero coram obiecimus, palamque in eos inuecti sumus. Quibus quid illi responderint, quas excusationes in medium adduxerint, quib. rationibus obiecta purgauerint, latissime omnes intelleximus. Itaque non est in præsentia repetendi locus, præsertim cum nostra omnis quæstio minime in hoc versetur, vtrum per se soli, an nobiscum vna particulam illam addiderint; & licuerint addere, necne: sed verum verum falsumve sit, quod additum est, hoc in primis considerandum à nobis esse vniuersi iudicauimus. Verum demus in præsentia, non recte illos fecisse, quod sine totius Ecclesiæ cōgregatione de rebus grauibus ad fidem Christi nā pertinentibus tractarint, quod q; quidem in hac sententia permansere, ne aliquod dogma in generali Synodo propositum discuteretur, forta ssis haud iniuria succensere illis videbamur, & nostræ aduersus illos accusationes iure optimo defendi poterant. Nunc sūr cum huiusmodi culpa vacent, spōnteq; in generalem Synodū conuenerint, ac omnia se facturos affirmarint quæ ratio persuaserit, & ipsi se omni accusatione prorsus immunes reddiderint; & nos oporteat non mediocre studium cogitationem quæ adhibere, vt quæ agenda à nobis sint, caute prudenterque agamus; ne quod ante hūc diem obiicere Latinis consueuimus, in nos recidat; deniq; ea accusatione iudicemur, cuius illos olim reos agebamus. Nam si (vt diceris ipsi consueuimus) nondum aduocata Synodo generali accusandi erant Latini, quod suo duntaxat iudicio de re adeo graui crediderint; quid ni nos quoque, cū id, quod quærebamus, factum sit omne que in vnum conuenerimus, magnū ingredi certamen, ingensq; subire periculum necesse est, vt absque culpa hinc abire possimus? Siquidem illi quoque iam rationem reddiderunt eorum, quæ dicunt & sentiunt: passim etiam singulis quibusque petentibus rationes de his, quæ Ecclesia credit, afferentes: & nos ad aliqua quidem ex his, quæ dixerunt, quoad fieri potuit, obuiam iuimus: ad plura vero opportuniora que, & illorum opinionem maxime confirmantia, nihil omnino loquuti sumus, neque forta ssis dignum aliquod, quod loqui possimus, habuim⁹. Hicigitur recto iudicio & exactissima cogitatione opus est. Neque enim satis erit dicere, nolle vnionem: neque hunc generalis Concilij finem esse existimandum est; sed diligenter considerandum, quæ dicta à Latinis sint, quæ nos proposuerimus: scrutandum que, quibus in rebus illi veritati consentanea dicant, quibus in rebus aberrent: quid nobis dicendum sit, quid illis audiendum: postremo, quomodo vniri possimus fratribus, quorum disiunctio merito deploranda est & illis & nobis, ne voluntatem absque ratione sequentes, aut cum iactura nostra ab illis diuidamur, aut non

fine

sine nostro detrimento illis vniamur. Neque enim his, qui simpliciter & sine vlla ratione discedendum esse aiunt à Latinis, tanquam longe à veritate aberrantibus, assentiendum arbitror: neque his etiam obtemperandum, qui nulla suadente ratione, incumbendum dicũt esse vnioni. Enimuero assiduo studio, diligentiq; inuestigatione veritatis, & exactissimo iudicio Doctores sacros tanquam duces sequi oportet; & per hanc viam, vtpote quæ sola tuta sit, atque omni periculo libera, finem iam diu optatum attingere. Hæc mea est de huiusmodi rebus sententia: hoc ego, viri clarissimi, sentio. Quomodo autem, quibusve mediis finem nobis propositum assequi possimus, subinde dicam, Deo fretus; quamquam ingens profecto certamen & non mediocre onus subire me intelligo. Verum ea est eõditio præsentis rei, vt hominem efflagiter, qui libenter pro veritate periculum subeat: nihilq; magnum aut dici aut fieri potest; nisi quis, quæ sibi vera videantur, forti animo dicat; paratusque sit calumnias & pericula pati pro defensione veritatis. Hinc autem exordium sumam, Dei optimi maximi auxilio fretus.

Probatio, quod necesse est sanctos Doctores, tum Occidentales, tum Orientales, inuicem esse concordes.

LXXIX.

CAP. II.

DOminus noster Iesus Christus, cum discipulos suos ad prædicandum inter gentes Euangelium mitteret, multa, quæ eis euentura erant, prædicens; & inter cætera, quod ante reges & præsides sua causa ducerentur: Nolite, inquit, cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, manifeste his verbis significans, quæcunque ab illis dicerentur, sua esse verba & Spiritus sancti in illis loquentis: quẽadmodum & alibi superuenturum affirmauit, doctumq; eos omnem veritatem, vt etiam verba ipsorum, Spiritu veritatis in eis loquẽte, veritas & vita essent. Atqui verba hæc, nemo est qui ambigat non modo ad primos illos referri Saluatoris discipulos, quibus datum est, vt præsentem eum intuerentur, sed etiam ad pastores Ecclesiarũ & Doctores cæteros, qui post Apostolos Euangeliũ prædicauere. Hoc enim & ipse Saluator probat cum inquit: Quæ vobis dico, omnibus dico: & res ipsæ manifestissime ostẽdunt: Siquidem priores cuncti Doctores ijsdem claruerunt operationibus & signis, quod diuini verbi prædicatione diuinum verbum nõ minus per eos, quam per Apostolos sequentibus signis confirmatum fuit: vt palam omnibus sit, ipsos quoq; sanctos Patres & Doctores Christianæ fidei, per Spiritũ sanctum loquutos fuisse; verbaq; ipsorum, Saluatoris nostri verba extitisse, cũ aduersus tyrannos & præsides & veritatis hostes certauere, scripsere, & palam veritatem prædicauere. Quo fit, vt necesse sit, eos sibi inuicem consentanea dicere: & ratio cogit fateri, nihil ab illis dictum esse, quod inuicem repugnet ne minimis quidẽ in rebus: aliter enim non veritatis magis, quam mendacij spiritus in illis loquutus fuisset. Mendacii namq; proprium est, nec hoc nec illud asserere: quemadmodum sapientis signũ est, sibi assidue constare, nulliq; in rebus à cæteris sapientibus discrepare. Quanto igitur homines sapientes, sapientiæ & veritatis Spiritus antecellit; tanto magis necesse est, eum sibi ipsi consentaneum esse. Etsi quis forte sit, qui sanctos Patres & Doctores nostros contraria inuicem dixisse existimet, eum profecto cum infidelibus in Crucis hostibus connumerari fas est; qui hinc arguere fidem nostram consueuerunt, contrarietates quasdam & contradictiones sacrarum litterarum inter se fingentes: quas tamen nemo præter ipsos, tales existimat, contra quos vniuersi Doctores certant; eosque calumniatores esse veritatis arguunt, consentaneam sibi esse vbique sacram Scripturam asseuerantes. Præterea cum nos per hunc modum gentiles, & eos qui extra nostram Ecclesiam sunt, arguamus, ignorantiamque eorum comprehendamus, philosophos scil. & fidei eorum præcones, in quamplurimis sibi inuicem contradicentes, ostendentes; quomodo etiam contra nos ipsos hoc idem acceptabimus, & nostros Doctores eiusdem criminis reos esse arbitrabimur, nisi & nostram ipsi sponte nostra euertere velimus fidẽ? Sed absit hoc à Christi Ecclesia alumnisq; eius. Videmus enim nunc vniuersalia cuncta Concilia, Patresque in eis congregatos, de dogmatibus propositis non humanæ sapientiæ persuasionibus, non artificio verborum, non rationibus naturalibus, non deniq; syllogismis vsos fuisse, sed auctoritate duntaxat; nudaq; ipsa verba superiorũ Doctorum, qui eos tempore præuenerunt, tanquam rectam regulam, gloriã veritatis sequutos fuisse: & per ea quæcunque de fide quæstiones terminasse, sanctorum Patrum vestigia sequendo. Quare nescio quid de nostra fide sapere liceret, si quis concedat posse hoc inconueniens Patribus imputari. Si enim fidei nostræ principes non eadem omnes, sed alii quidem inuicem, alii vero etiã sibi ipsis (ô rem absurdam) contradicant, fides autem nostra in illorum rationibus fundetur; inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est fides nostra. At magnæ stultitiæ est, cogitare etiam talia de illis Spiritu plenis hominibus: Necesse est enim & propter prædicta & alia plura, consentanea & sibi ipsis & inuicem, nihilq; omnino contrarium non dicere, non sapere. Dicit etiam de eis beatus Ioannes Syrus, ad Iordanem scribens: Sed eis, quas producunt auctoritates consideremus; cum paternæ sint, & eis nullo modo contradicendum sit. At vero concordes, neque contrarios inuicem, & multo minus sibi ipsis oppugnantes, decet probare sanctos Patres & Doctores nostros: quorum de fide sententiam vnicam & indifferentem esse fecit vna Spiritus sancti virtus & illuminatio. Hinc apparet, quod hæreticis calumniantibus sanctos Patres, tanquã non eadem dicentes, aliquoque eorum ad suam prauam opinionem probandam trahentibus; B. Ioannes, neq; eos qui videntur hæreticos iuuare, negat: nec tamen eos intelligit, prout illis, sed acceptat quidem eos, conatur autem & sibi ipsis & inuicem conuenientes probare: Hoc enim Doctoris, hoc est Christiani officium. Septima itẽ generalis Synodus, per os sancti Tarasii in prima eius Actione, in nullo sanctos Patres, inquit, inuenimus discordes; sed cum omnes eiusdem sententiæ sint, idem quoq; prædicant & docent. Et eadem rursus in eadem Actione: Vbique etenim Patres concordes inuicem sunt, contrarietas vero nulla in eis est. Verum cõtraria eos dicere putant, qui œconomias & intentionem eorum ignorant. Vide, quod etiam Septimi Concilii Patres eadem hæc de re sentiunt, & concordes sibi ipsis & inuicem esse sanctos Doctores dicentes, eandem etiam rationem assignant, quam B. Ioannes. Idem enim Spiritus, aiunt, in omnibus locutus est: quem sibi ipsi non consentaneum esse, neq; cogitare fas est. Et longum quidem esset enumerare, quemadmodum omnes Doctores in tota sancta Scriptura hoc sibi proponunt, apparẽtes in ea cõtrarietates concordare; concludere vero manifeste per prædicta, fidei nostræ principes & Doctores; quorum doctrinis & illuminati & edocti sumus, necesse est eadem & consentanea non solum sibi ipsis, sed non minus inuicem dicere; tanquam in idem concurreret hoc non esse, & totam fidẽ euerti: & qui non concederet hoc, nihil ab infidelibus differret. His igitur ita præsuppositis, habemus quidem sanctos Doctores eos, qui ex Oriẽte nobis veritatis fidei lumen illuxerunt, Athanasium, Basiliũ, Gregorios ambos, Chrysostomum, Cyrillum, Maximum, Tarasium, cæteramq; cohortem eorum. Habemus item eos, qui ab Occidente extinxerunt errorum flãmas sana sua clarissimaq; doctrina, Hilariũ, Ambrosium, Augustinũ, Hieronymum, Damasum, Gregoriũ, Leonem: qui rugitu suo hæreticos omnes deterruerũt,

Matth. 10

Ioan. 16.

Marc. 13.

Marc. 16.

& cæte-

& cæterorum sanctorum Chorum; omnes communes Doctores, & Patres, & fidei principes, qui multa quidem in hac vita pro veritate passi fuerunt, pro eaque mortui sunt; Veruntamen viuunt, non solum apud Deum in libro vitæ descripti, verũ etiam apud nos per ea, quæ reliquerunt nobis opera & doctrinas suas, quæ pro regulis fidei haberi debent à nobis, æque fere atq; sancta Scriptura veneratæ & creditæ. Faciemus igitur officium nostrum, & quod à filijs gratis debetur, Patribus omnibus quidem autes æquas præbentes, omnib. vero proprium animum subijcientes, & semina eorum acceptantes. Ad eundẽ enim finem nos ducent omnes, & eandem nobis fidem prædicabunt, atque confirmabunt, cum ipsi primo idem inter se dicant, tanquam vno & eodem Spiritu loquuti. Quod hoc modo considerandum est.

Quod quamuis nulla omnino sit in Doctorum dicta contradictio, si tamen aliquid tale saltem apparenter esset, nos oporteret conari ea concordare, tanquam summe necessarium fidei nostræ: & hoc adstruitur per exempla.

LXXX.

CAP. III.

EX Patre, dicunt Orientales sancti Doctores, sanctum procedere Spiritum, & ex Patre per Filium: Ex Patre & Filio Occidentales eundem procedere aiunt; Idem etiam nonnulli Orientaliũ asseuerant. Quid igitur dicemus? Contrarium hoc esse illi? Absit. Neque enim contraria, neque contradictoria inuicem sunt, ex Patre procedere, & ex Patre & Filio. Atqui etiam si cõtradictorie sermo proferretur, ita vt alios ex Patre non ex Filio, alios ex Patre & Filio dixisse: nec tunc uderem dicere Sanctos inuicem contradicere, sed potius mei ipsum accusarem, tanquam non percipientem illorum intellectum; secundum quod à Tarasio dictum est in Septima Synodo; quod scil. eis contrariatur, qui ignorant œconomias & intentionem eorum, quam illis cõtradictionem aut contrarietatem imputatem. Multa habeo huius rei in ipsa canonica scriptura exempla. Pater meus, inquit, maior me est: Et rursus: Ego & Pater vnum sumus. Hæc quæ maior posset videri contradictio? Attamen contradicunt veritati, qui hoc contradictionem putant. Stephanus, cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, Luca in Actibus teste: At Paulus vna cum Dauid, eum ad texteram maiestatis in excelsis sedere ait; Sedere autem, & non sedere (stare enim, non sedere est) manifesta contradictio est. Eundem item Stephanum beatus introducit Lucas, Dei & Patris vidisse gloriam & eius Vnigenitum Filium: At sanctus Ioannes Euangelista, Deum nemo vidit vnquam, ab ipsa veritate edoctus, asseuerat: Videre autẽ, & non videre Deũ, nescio, si cui non esse contradictoria videantur. Vnus Euangelistarum sexta hora Dominum crucifixum fuisse ait; alter clamat: Erat autẽ hora tertia, & crucifixerunt eum; Sexta vero, patet quod non est tertia: Tertia vero, & non tertie, manifesta contradictio est. Deum Patrem caussam esse Filij & Spiritus sancti, palam prædicant & docent omnes Orientales Patres & Doctores; at beatus Cyrillus in eis, quæ ad Hermiam scribit, vna cum Occidentalibus Patribus non admittit quidẽ hoc nomen causse in diuinis personis: Eundem autem dicete caussam, & non caussam, & præsertim ad idem, nullus est qui non concedat cõtradictorie dictum fuisse. Et quis facile recenlere posset, quot sunt, quæ cum contradictoria videantur, pie tamen à Doctoribus intellecta sint, & ad vnum & eundem sensum ab eis referuntur? Quod & nos imitari, etsi de proposita quæstione acrius essent contraria contradictoriaq; dixisse sanctos Doctores, nobis ipsis potius ignorantiæ culpam imputare debemus, quam illos credere discordare: & eos conari reconciliare inter se, & quoad possimus per omnia concordes ostendere. Nunc vero dicunt quidem nihil contrarium, consentanea autem sibi ipsis & inuicem aiunt. Et hoc experientia percipiemus, si modo debito ejs & eorum doctrina vtamur. Modus autem qualis sit, audite: & attendite, quam verus quamque iustus sit.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Actor. 16.

Hebr. 1.

Psal. 109.

Actor. 6.

Ioan. 1.

Ioan. 4.

Ioan. 19.

Marc. 15.

Quod ad intelligentiam illorum Doctorum, qui obscurius loquuti sunt, vtendum est illis Patribus, qui apertius & clarius loquuntur.

LXXXI.

CAP. IV.

OMnis fides & probatio habet quidem aliud, quod demõstrare proponit; habet vero aliud, per quod probat, quod sibi proponit: Neque potest idem esse quod probat, & quod probatur. Ipsum quidẽ seipsum, aut ipsum aliquid per seipsum probare, impossibile est: sed cum ex aliquibus concessis & omnibus notis ad aliquod quæsitum procedere oporteat, per ea quæ manifesta sunt, ad incognita & quæsita eundum est: & per notoria probandum, quæ nobis ignotiora sunt. Hoc vero ita est verum, & ab omnibus concessum, vt non indigeat pluribus verbis. Et in proposito igitur, cum proponantur nobis auctoritates Doctorum Orientalium, proponantur vero etiam Occidentalium, sitque necessarium, si Christianissimum velimus nobis fernare, consentanea omnia omnibus esse probare: ti æque clara & aperta nobis eorum dicta sint; neque aliquod dubium inest in eis, non est opus discussione amplius, inuento quod quæritur. Quod si quid in eis dubij insit, & aliqua non ita aperte dicta indigent declaratione maiori, regula prædicta vtendum est: aliter enim impossibile est attingere finem quæsitum: & contrapositis vtrisque, à clarioribus ad ea, quę non ita clara sunt, comparatis, per clariora etiam intellectum eorum inuestigare, quæ obscurius dicta sunt: & hoc modo vna harmonia ex ambabus partibus composita, in concordem & consonantem glorificationem Dei accedere. Et meo quidem iudicio, rum Orientales tum Occidentales Patres clare manifestq; loquuti sunt, & veritatem fidei nobis tradiderunt. Et facile quis posset alterius partis auctoritatibus vsus, pereas duntaxat propositam quæstionem concludere. Et hoc paulo post (si Deus concedet) probabimus. Concedatur tamen, non ita clare, nec ita expresse Orientales loquutos fuisse de Spiritus sancti ex Filio processione, quemadmodum Occidentales: quid igitur faciendum est? Nempe nil aliud, nisi cum Occidentales Patres apertissime hanc prædicauerint fidem, Orientales quoque putandum hoc idem dicere: nec oppugnare illos, qui idem de fide senserunt. Qui enim in illis, idem & in his loquutus est Spiritus: & quæ per illos subobscure, eadem per hos aperte docuit, ob eam quam ille scivit caussam, & propter necessarium tunc fortassis dispensationem. At nobis probandum est, etiam absque comparatione ad Occidentales Patres, ipsos per se ipsos Orientales Doctores idem cum Occidentalibus de processione Spiritus sancti concludentes, & idem quod illi sentientes.

Proponit hanc conclusionem, ex dictis Orientalium Doctorum duntaxat probare dupliciter: videlicet per præpositionem PER, *& per* EX. *& primo de vi ipsius præpositionis* PER, *disputat, probans eam caussam mediantem significare.*

LXXXII.

CAP. V.

PRæpositionem igitur PER, in omnibus, in quibus accipitur, caussam significare, nunquamq; dici, nisi aliquam mediantem subostendat caussam, nemo est qui ignoret. Semper enim & in omnibus, quibus hoc ab hoc per hoc esse aut fieri dicitur, illud PER, tanquã communicans aut cooperans primo agenti accipitur. Quemadmodũ si fabrum per ferrã fabricari dicamus, ferram quoq; cooperari fabro ad secandum intelligimus: & modo ei conuenienti, hoc est, instrumenta-

liter

liter ipſam etiam ſecare, nec ſuperuacaneam eam accipi. Per locum etiam, aut per tempus aliquid fuiſſe vel tranſiuiſſe dicere, nil aliud dicere eſt, niſi locum etiam & tempus, aliquam cauſſam illorum, quæ tranſiuerint, vel facta fuerint, eſſe. Et locus enim motus cauſſa eſt; ſiquidem omnis motus in magnitudine & diſtantia eſt: tempus quoque maxime confert motui: Omnis enim motus in tempore: abſque vero motu nil omnino corporalium & ſenſibilium fieret. Sine quo autem non fieret aliquid, hoc ſui cauſſam habet. In ſyllogiſmis quoque dicere, per medium extrema coniungi, patet, quod per medium tanquam per cauſſam, ſecundum motum aut diſcurſum intellectus accidit. Cuius ratio eſt, vt vniuerſaliter de hac præpoſitione tractemus. In omnibus locutionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc propoſitio PER, deſignat in cauſſali, aliquam cauſſam ſeu principium illius actus: ſed cũ actio ſit media inter faciens & factum, quandoq; illud cauſſale, cui adiungitur hæc præpoſitio PER, eſt cauſſa actionis, ſecundum quod exit ab agente: & tunc eſt cauſſa agenti quod agat, ſiue ſit cauſſa finalis, ſiue formalis, ſiue effectiua, ſiue motiua. In materiali namque cauſſa nõ eſt in vſu accipi: ſed pro ea, Ex: Non enim per ligna & lapides, ſed ex his & his domum eſſe compoſitam dicimus. Cum igitur propter lucri cupiditatem dicimus artificem operari, finalem ſignificamus cauſſam: formalem vero, cum dicimus, quod operatur per artẽ ſuam: motiuam vero, ſi dicatur, quod operatur per inſtrumentum alterius. Quandoque vero dictio cauſſalis, cui adiungitur hæc præpoſitio PER, eſt cauſſa actionis, ſecundum quod terminatur ad factum, vt cum dicimus, artifex operatur per martellum. Nõ enim ſignificatur, quod martellus ſit cauſſa artifici quod agat, ſed quod ſit cauſa artificiato, vt ab artifice procedat, & quod hoc ipſum habeat ab artifice. Quæ cum ita ſe habeant: conſiderandũ, quid velit, *Sanctos* dicere, ex Patre per Filiũ procedere Spiritum ſanctum. Nempe hic etiam dicimus cauſſam quandam ſignificare præpoſitionem per; at primarum quidem trium nullam. Nec enim Filius Patri cauſſa eſt, vt ex eo Spiritus ſanctus procedat, q̃ vniuerſaliter primæ tres cauſſæ poſſunt: ſed è conuerſo eſt. Nec enim Filius cauſſa formalis, aut finalis, aut effectiua eſt *Spiritus ſancti*, cum effectiua quidẽ cauſſa ad creaturã referatur, nec conueniat Spiritui: ipſa vero tota beata Trinitas & bonitas eius, creaturarum finalis cauſſa ſit, non aũt vna perſona alterius: formalis autẽ, ipſa diuina eſſentia, ſecundũ quam Filius & *Spiritus S.* procedunt: quæ tribus eadem eſt. Reliquum igitur eſt, vt reliquo & quarto modo in re propoſita accipiamus, & illum quoad fieri poteſt. Hicenim, inquantum terminatur in effectum, cum ſit actionis cauſſæ, conuenit huic quæſtioni, cum dicimus ex Patre per Filium procedere Spiritum: inquantum vero tanquam inſtrumẽtum intelligatur, valde diſſimile habet ſignificatum. Non enim vt per inſtrumentum, vel per locum, vel per tempus, aut aliquã cauſſam imperfectam dicimus Spiritum ſanctum per Filium procedere: longe enim hæc ab illa eius ſumma perfectione, & ſumma ad Patrem æqualitate & vnitate abſunt. Nec enim alia potentia numero producit *Spiritum*, quam Pater, & Filius, vt tãquam ſecunda vel inſtrumentalis cauſſa accipiatur: ſed cum eadem & vna in Patre & Filio productiua potentia ſit, æqualiter ex vtroque procedere dicitur. Nam & ferra, ſi homo eſſet, quemadmodum *ipſe faber* & idem homo: ſicuti Pater & Filius, idem Deus eſt: ſecaret vtique etiam illa, prout ipſe faber: & quod diceretur per ferram, nullam imperfectionem de ferra notaret. Nec mirum, ſi in diuinis vtamur imbecillib. & imperfectis verbis & nominibus, cum aliter non poſſumus. Diuinas enim res per nomina & intentiones quidem conſuetas nobis manifeſtare conamur. Aliter enim impoſſibile eſt nobis ſenſu viuentibus de illis loqui. Quod vero prolationi verborum accidit, etiam ſignificatis rebus velle imputare, cauendũ ne ſit nefas: multæ enim hoc modo certæque fidei veritates euaneſcerent. Etenim vniuerſum quoq, ex Patre per Filium, creatum eſſe dicimus. Nullus tamen eſt ita audax, vt inſtrumentalem & non eandem cũ Patre cauſſam diceret Filium, quippe qui eadem vnaq; potentia & actione cum Patre mundum creauerit. Simili igitur modo etiã de Spiritus per Filium productione, inſtrumentalem quidem cauſſam etiam ſolũ cogitare, blaſphemia eſt: cauſſam autem, & hanc non imperfectam, hoc vero neceſſariũ eſt, Imperfectionem etenim huius præpoſitionis PER, longe repellendam: quantũ autem perfectionis & pietatis habet, hoc vero acceptandum. Ait enim in octauo ad Amphilochium beatus Baſilius: Patrem creare per Filium, nec imperfectam Patris creationem, nec imbecillem Filii actionem ſignificat, ſed vnitatem voluntatis eorum manifeſtat: quare hæc vox, PER FILIVM, nõ minuit effectuum cauſſam, ſed ad principalioré cauſſam nos refert. Palam itaq; patet, præpoſitionem PER, cauſſam ſignificare. Non enim imbecillem, ait, oſtendit Filij actionem, ſed cauſſam cum ordine. Ad principalem enim, inquit, cauſſam nos refert. Semper etenim cum aliquid ex aliquo per aliquem eſſe dicitur, ordo quidam ad illum ex quo, illius per quem, ſignificatur: Ex quo quidem, tanquam principali cauſſa: per quem vero, tanquã inſtrumentali accepta vel concauſſa, quæ præſupponit ſibi illum, qui dicitur ex quo: hunc autem ordinem neceſſe, etiam inter Patrem & Filium eſſe. Ex Patre etenim omnia, quæ Patris ſunt, accipit Filius & habet: poſtque Patrem & ſimul cum eo, ſubito & immediate intelligitur Filius. Cum enim Filium dicimus, ſubito in Patrem, cuius Filius eſt, mente reducimur; & cum Patrem dicimus, Filium ſtatim intelligimus. Hæc autem maxime præpoſitio PER, poteſt ad principalem cauſſam (teſte beato Baſilio) nos reducere. Per Filium enim dicentes Spiritum ſanctum procedere, Patrem, ex quo Filius hoc habet, concipimus: & quod ad alium refert, quæ ſua ſunt. Item Chryſoſtomus etiam illud Euangelij exponens, Omnia per ipſum facta ſunt: *Si enim hic, ait, per eum, dictum eſt, nulla alia de cauſſa dictum eſt, niſi ne aliquis ſuſpicetur Filium ingenitum eſſe.* Quare ſecundum hunc etiam Doctorem, præpoſitio PER, ad natiuitatem ex Patre nos remittit; & vt intelligamus illinc ei potentiam datam, cum vniuerſi creandi, tum Spiritus ſancti producendi: & plus aliis poteſt ſcilicet præpoſitio PER, ordinem Filij ad Patrẽ ſignificare, quæ maxime neceſſaria eſt in Trinitate. Quemadmodum enim ſumma in eis potentiæ æqualitas eſt, immo potius ſumma identitas, ita nil minus etiam ſummus eſt ordo, quem *ipſa* PER, maxime poteſt (vt probatum eſt) ſignificare. Et de his quidem ſatis. Ioann. 1.

Auctoritates ſanctorum Doctorum, qui hac propoſitione PER, *vtuntur: & probatio quod cauſſam ſignificet.*

CAP. VI. LXXXIII.

DIcendum autem, quinam Patres Orientales, & quibus in locis, de proceſſione Spiritus ſancti vſi ſunt ipſa PER, in Filio. Primum itaq; diuinus Athanaſius in ſermone, qui inſcribitur: Redargutio ſimultatis Meletij & Euſebij, [Erat autem impoſſibile, inquit, Spiritum inter Trinitatem cum gloria numerari, ſi non eſſet emanatus ex Deo per Filium, ſed per modum creaturæ ex Deo factus, vt antumant.] Animaduertendum igitur, quod de perſona Spiritus eſt hic ratio, qui vnus in Trinitate eſt; ſed non, vt aliqui dicerent, de quadam non ſubſiſtente gratia; quodq; ipſum Spiritũ, qui Trinitatem cõplet, eſſe ait ex Deo per Filium. Eſſe etenim, exiſtere ſignificat clare, & ipſum ſubſiſtere, & maxime eſſe emanatiue. Et affirmare, ex Deo per Filium eũ eſſe emanatiue, nil aliud eſt dicere, niſi ex Deo per Filium ſubſiſtere eum & exiſtere. Dicens vero, ex Deo per Filium, non ex Patre per Filium; vanam arguit aliquorum rationem, qui dicunt, ideo eum dixiſſe per Filium,

lium, quia Patrem nominauit, quod relatiuum eſt nomen, & ideo requirit Filium. Haberet enim hoc aliquam rationem, etſi non ſufficientem, ſi Ex PATRE PER FILIVM dixiſſet: nunc vero non hoc dicit, ſed ex DEO PER FILIVM. Deinde Baſilius cum quæreret, quare Spiritus non dicatur Filii Filius: Non ideo, inquit, quia non eſt ex Deo per Filium; ſed vt Trinitas non in multitudinem infinitam incidat, filios ex Filiis, vt in hominibus fit, credita propagare. Primo itaque ex ipſa mer quæſtione, cum quæreat; cur Spiritus ſanctus non dicatur Filius Filii; manifeſte apparet, non fuiſſe beatum Baſilium huius opinionis, nihil videlicet Filium conferre ad eſſe Spiritus. Non enim talem quæſtionem mouiſſet: quemadmodum nullus quæreret, quare Spiritus non ſit Pater Patris, vel genitor Filii. Deinde ex ipſa ſolutione quæſtionis apparet, quod putabat Filium cauſſam Spiritus; & hoc per præpoſitionem PER, ſignificare. Cum enim licereret ei dicere, quod ideo non eſt Filius Filii, quia nec ex eo, nec per eum eſt, nec eum habet ſui ipſius cauſſam, [quænam eſſet ſolutio conuenientior?] hoc quidem non dixit, ſed aliam reddit rationem: Eſt enim, inquit, ex Deo per Filium, & hoc negandum non eſt. Quod ſi hoc cogat, & Filium eum Filii & eſſe & dici; diceretur, inquit, etiam hoc, niſi hoc inconueniens ſequeretur, quod Trinitas multitudo infinita putaretur. Quod ſi hoc abſurdum non timeretur, diceretur etiam Filius Filii. At ſi *Filius Filii* diceretur, nullus dubitaret, quod Filium etiam haberet ſui cauſam. Igitur etiam cũ dicatur per Filium eſſe, Filium habet cauſam; ipſe etiam eſſe ait, quod verbum potiſſimum exiſtentiam & ſubſiſtentiam ſignificat, & eſſe ex Deo per Filium, prout facer Athanaſius dixit. Nec igitur de gratiis non ſubſiſtentibus eſt ei propoſitum dicere, nec propter relationem per Filium dictum eſt; nec præpoſitio PER, idem poteſt, quod præpoſitio CVM. Quæ enim ratio eſt, ideo aliquos ſuſpicari, Filium eum Filii poſſe dici & eſſe, quia ex Deo cum Filio eſt? Cum igitur nullum de his tribus refugiis, ad quæ ſe omnes ſolent referre, his ſanctorum Doctorum teſtimoniis relinquatur, neque conuenit, palam patet, cauſſam hic ſignificare hanc præpoſitionem PER. Idem ex alia eiuſdem auctoritate probatur, dicentis: Ideo quod ex Deo quidem Spiritus ſit, palam prædicauit Apoſtolus, dicens: Spiritum, qui ex Deo eſt, accepimus: Et quod per Filium manifeſtatus ſit, aperte oſtenditur, cum illum Filii Spiritum, quemadmodum etiam Dei nominauerit; Ideo enim dicitur Filii Spiritus, inquit, quia per eum manifeſtatus eſt. Cuncti etiam Patres Occidentales communi ſententia, ideo dicunt Filii Spiritum & eſſe & dici, quia ex eo procedit. Idem igitur Occidentales Doctores ſignificant, cum dicunt ex Filio Spiritum procedere, quod Sanctus Baſilius, cum dicit, per Filium eum manifeſtari. At dicere ex Filio eum procedere, nil aliud ſignificat, niſi quod Filius etiam ſit cauſſa Spiritus. Igitur & per Filium dicere eum manifeſtari, palam ſignificat Filium cauſſam eſſe Spiritus ſancti. Quod ſi hoc, quod dicimus per Filium eum manifeſtari, dicat aliquis ſignificare, ad ſenſibilem hunc mundum eius manifeſtationem & temporalem miſſionem, non recte dicet. Si enim ideo Spiritus eſt Filii Spiritus, nec æternaliter, nec natura, ſed accidentaliter & temporaliter illum habet, ex quo ſcilicet mundo illum manifeſtauit, quod impium eſt etiam cogitare; Effectus enim vt præſupponat cauſam, neceſſe eſt. Quod autem per Filium Spiritus manifeſtetur, hoc eſt cauſſa, vt Spiritus ſit Spiritus Filii. Si igitur effectus, videlicet quod Spiritus ſit Spiritus Filii, æternaliter etiam eſt, multo magis & cauſſa, videlicet quod per eum manifeſtatus fuerit, æterna & naturalis ſit neceſſe eſt: Æternaliter autem per eum manifeſtari, quid aliud, niſi quod æternaliter ab eo procedit, ſignificat? Illud etiam quod additur, Quemadmodum & DEI, noſtram expoſitionem corroborat. [Ita enim, ait, dicitur Spiritus Filii, quemadmodum & Dei.] At Dei dicitur Spiritus, tãquam ex eo procedens: Igitur etiam Filii dicitur Spiritus, tanquam ex eo procedens, ſiue per eum manifeſtatus: Idem enim ambo ſignificare probatum eſt. Hic autem potiſſimũ apparet, nullo modo præpoſitionem PER, debere accipi pro CVM. Quod enim ſit Filii Spiritus, ſignum eſt, inquit, quod per eum manifeſtatus ſit. Si igitur, PER EVM MANIFESTARI, idem atque CVM EO MANIFESTARI, ſignificaret; cum nil minus cum Filio Spiritus, quam cum Spiritu Filius manifeſtatus ſit, oporteret vt etiam Filius *Spiritus* diceretur, in ſignum quod cum Spiritu Filius manifeſtatus ſit. At hoc non dicitur, Igitur nec cum Spiritu Filius manifeſtatus eſt. Sed hoc mendaciũ & impium eſt dicere: manifeſtatus eſt etenim cum Spiritu, non tamen per Spiritum: Quo fit, vt aliud ſit, per eum manifeſtari & aliud, quod cum eo manifeſterur. Sed dicet aliquis: Ideo Filius non dicitur Spiritus, ne Pater eius videatur eſſe Spiritus ſanctus: Filius enim, cum nomen ſit relatiuum, refertur ad Patrem. Quare, ſi non timeretur hoc inconueniens, Filius etiam Spiritus diceretur, eo quod cum Spiritu, & ſimul cum Spiritu progrediatur ex Patre. At, ô vir optime, Spiritus quoq; relatiuum nomen eſt, & ad Spirantem refertur: & cuius dicitur *Spiritus*, ab illo etiam ſpiratur. Quod enim perſonalia nomina Trinitatis relatiua ſint, nullus ignorat. Perſonale vero nomẽ *Spiritus* eſſe, quod ſanctus Spiritus dicatur, nemo inficiatur, quemadmodum Patris Pater, & Filii Filius; & neceſſario relatiuum, quemadmodum & illa: ſiquidem eſſentia non ſunt, nec aliud ſit in diuinis præter eſſentiam & relationes. Quemadmodum igitur Filius, cum ſit nomen relatiuum, & referatur ad Patrem, veremur Filium *Spiritus* dicere, ne *Spiritus* Pater eius putaretur; ita & Spiritus cum ſit nomen relatiuum & neceſſario ad ſpirantem referatur, ab eo etiam ſpiratur, cuius dicitur Spiritus eſſe.

Præpoſitio Per non debet accipi pro Cũ.

Perſonalia nomina Trinitatis ſunt relatiua.

Spiritus ab eo ſpiratur cuius dicitur Spiritus eſſe. LXXXIV.

1. Cor. 2.

Occidentalium Doctorum ſententia.

Vt vero nulla cuiquam excuſatio relinquatur, & clarius appareat præpoſitio PER, ſignificans cauſſam, ſanctus Maximus in medium adeat, qui exponens quid velit illud Zachariæ propheræ, Aurea lampas & quod ſupra eam, ſic dicit (*Spiritus* enim ſanctus, quemadmodum natura ſecundum eſſentiam Dei & Patris eſt, ita & Filii ſecundum eſſentiam eſt, tanquam ex Patre eſſentialiter per Filium ineffabiliter natus procedens) Filii enim eſt, inquit, eſſentialiter *Spiritus*, non aduentitius & deforis, nec temporaliter illum accipientis, ſed ab æterno eſſentialiter illum habentis, quemadmodum & Pater: Cuius ratio eſt, quod ex Patre per eum eſſentialiter procedit. Et attende, quod vnius & eiuſdem rei rationem reddentes, tam beatus Baſilius, quam ſanctus Maximus, videlicet cur *Spiritus* dicitur Spiritus Filii, eandem vterque reddit. Quia enim ex Patre per eum procedit, ideo *Spiritum* eius eſſe & dici aſſeuerant. Et quod ſanctus Maximus PER EVMPROCEDERE, inquit, illud beatus Baſilius PER EVM MANIFESTARI dixit, ſignificans, idem poſſe manifeſtari atque procedere. Quod ſi per eum procedere, per eũ eſſe & exiſtentiam habere ſignificat; igitur & per eum manifeſtari, per eum eſſe & exiſtentiam habere ſignificat: Et præpoſitio per, cauſſam hic neceſſario ſignificat, nec vllo modo aliter capi poteſt. At Nyſſenus etiam, Gregorius item pleriſque in locis ait, non ſolum cum Trinitatem cauſſa & cauſſato diſtinguit aſſeuerat, ſed etiam in primo ſuorum contra Eunomium librorum, de diſtinctione diuinarum perſonarum tractans: *Spiritus*, inquit, Patri coniunctus, ſecundum quod vterque increatus, & rurſus ab eo diſtinguitur, eo quod non eſt Pater, prout ille eſt: Filio vero, & ſecundum quod vterque increatus eſt, & ſecundum quod vterque ex primo principio ſuam ſubſiſtentiam habet, coniunctus, diſtinguitur ab eo ſua proprietate, quæ eſt, quod nec Vnigenitus ex Patre productus eſt, & quod per ipſum Filium ſit manifeſtatus. *Clarius explicatur præpoſitio Per ſignificans cauſſam.* LXXXIV.

festatus : Et cum creatura per Filium sit producta, ne quis putet aliquid commune esse Spiritui & creaturæ, propterea quod dicitur per Filiũ manifestatus, immutabilitate & immobilitate à creatura distinguitur. Hic cum manifeste de diuina vnione & distinctione sanctus Doctor loqueretur, proponit sibi Spiritum sanctum: quem ad Patrem compatans & Filium, inuenit quæ cõmunia eis & vnientia, quæ vero propria & distinguentia sunt. Patri itaq; inquit, coniunctus, secundum quod vterque increatus est ac si diceret, per absoluta & essentialia, quæ per nomen increati significantur: rursus ab eo distinguitur, eo quod non est Pater vt ille est. Cum Filio vero commune habens, quod vterque increatus, & omnia eis absoluta communia sint, cum vna eademque vtriusque essentia sit, item quod vterque Deum & Patrem sui principium habet; tamen ab eo his duobus distinguitur: Primo, quod non per generationem vt Filius, sed per processionem videlicet ex Patre sit; ac si diceret, per diuersum subsistentiæ modum: Secundo, quod per ipsum Filium manifestatus sit. Si igitur, PER EVM, idem significaret ac, CVM EO, prout aliqui somniant; mirum esset profecto, si ideo Spiritus distinguatur à Filio, quia cum eo manifestatur: vnitur enim hoc modo, non distinguitur; & coniungitur, non diuiditur. Nec etiam de diuisione charismatum hic loquitur sanctus Doctor, quinimmo de diuinarum personarum distinctione. Nec quisquã habet dicere, Spiritus per Filium in mundo, manifestationem per hæc verba significari. Primo namque cum de distinctione personarum hic sermo haberetur, quonam modo temporalem hanc manifestationem æternę, ei causam poneret? æternaliter enim Filius & Spiritus sanctus personalib. distinguuntur proprietatibus. Neq; dici potest, quod antequam manifestaretur mundo Spiritus, non erant ab inuicem personaliter distincti; hoc enim absurdissimum etiam cogitare est. Deinde cum opera in creaturam communia Trinitati sint, non magis per Filium, quam per seipsum Spiritus sanctus manifestatus est: quin immo ipsum etiam Filium Spiritus glorificauit & manifestauit, & non minus Patrem eundem etiam Filius. Quare cum hac ratione à seipso etiam Spiritus distinguetur, cum seipsum manifestauerit item & à Patre; Filius quoque & à seipso, & à Patre, ob eandem rationem. Sed nec de his vnquam hoc dictum est, neque de re nobis proposita idem dicere conuenit. Quod autem palam arguit, has rationes vana refugia esse, illud est, quod Spiritum sanctum volens à creatura diuinus iste Doctor distinguere, cum iam attribuisset Spiritui, per Filium manifestari creaturæ, & per Filium creatam fuisse; timens ne quis propter hoc, quod Spiritus & creatura per Filium esse dicantur, eiusdem etiam essentiæ Spiritum cum creatura putare; immutabili & immutabili hæc ab inuicem distinguit, quod Spiritus quidem per Filium manifestetur, creatura vero per Filium subsistat; hoc commune & idem vtrisq; putans, distinctionis vero alium reperiens modum, videlicet quod ille quidem immutabilis, illa vero mutabilis sit. Ac si, cum dicitur, Spiritum per Filium manifestari, non significaretur, quod Filius subsistentiæ Spiritus esset causa, quemadmodum cum dicitur, mundum per Filium esse factum, (hoc enim manifeste Filium significat causam esse) facilis esset Spiritus à creatura distinctio; Licuisset enim dicere, quod etsi vterque sit per Filium, creatura tamen est ex eo tanquam causatum, Spiritus vero non tanquam causatum. Nunc autem hoc non dixit: Quod enim sciebat non esse verum, dicere non erat ausum; sed aliam distinctionis modum inuenit, qui ei verus visus est, & qui solus inueniri potest. Igitur præpositio PER, idem potest, cum dicitur, quod Spiritus per Filium manifestatus; quod cum dicimus, creaturam per Filium esse factam. Sed creaturæ causam dicimus & credimus Filium, & hoc significat præpositio PER: igitur etiam de Spiritu ipsa PER, significat Filium causam esse. Præterea patet, quod quia hæretici per Filium

Quæ Patri & Filio & Spiritui S. communia & vnientia quæ vero propria & distinguentia sunt.

fuisse factum Spiritum sanctum blasphemabant, eo quod Euangelista dicit, *Omnia per ipsum facta sunt*; male & impie Spiritum etiam sanctum inter omnia connumerantes: ideo sancti Doctores eos oppugnantes, & contra eorum impietatem his vsi verbis de Spiritu sancto, per Filium eum procedere, & per Filium esse & manifestari dixerunt. Sed hæretici per Filium factum fuisse Spiritum sanctum dicentes, duo hæc concludebant: Primo, quod Spiritum creaturam putabant: Secundo, quod Filius causa eius esset, & hoc ipsum PER, significare. Igitur si vtrumque falsum esset, vtrumque Doctores oppugnassent, quemadmodum & illum à creaturis eximunt: quare nec vnquam reperies eos vlos de Spiritu hoc vocabulo, FACTVS EST, tanquam creaturæ appropriato; ita nec præpositione PER, vsi fuissent vnquam, si, cum hæretici eam putarent causam significare, ipsis non solum falsum, verum impium hoc visum esset. Ita per omnia veritas ipsa sibiipsi concordat, & manifeste causam significat PER, cum de aliquibus accipiatur. Hoc idem ex eiusdem Doctoris ad Ablabium oratione probatur. Etenim cum Illic etiam de diuinarum personarum distinctione tractaret, postquam vniuersaliter causa & causato ab inuicem eas distinxit, deinde Filium à Spiritu etiam præpositione PER, distinguit. (Ille quidem est, inquiens, immediate à primo, Filius videlicet à Patre: hic vero (de Spiritu dicens) per eum, qui immediate à Patre est, hoc est, per Filium, & eo distinguitur, inquit, Spiritus à Filio, quia per ipsum est.) Quasi diceret, quod cum ambo à primo sint, non sufficienter distinguerentur, nisi alter per alterum esset. Vt manifeste PER, distinctionem hic significaret, & distinctionem quæ ab æterno est, quæq; secundum causam & causatum est; cum antea dixerit causa & causato tãtum ab inuicem diuinas personas distingui. Quod enim infert, aliam differentiam de Filio & Spiritu sancto intelligi, non recte quis putaret aliam secundum speciem, contradiceret namque sibi ipsi, si cum antea, causa & causato tantum dixerit personas diuinas distingui, deinde alium modum distinctionis specie differentem tradidisset. Aliam igitur differentiam secundum numerum accipientes, & recte cum sancto Doctore sentiemus, & præpositionem PER, cum causa intelligemus, ita vt nulli ratio relinquatur, vel pro CVM, eam accipere, (Cum enim non distinguit) vel mundo per Filium manifestationem Spiritus, eam significare putare: Hæc enim non est ab æterno.

xoemm.1.

opinio hæreticorum.

Quod si verbum hoc MANIFESTARI aliquos scãdalizat, verbum PROCEDERE tantum Spiritus subsistentiæ putantes debere attribui, MANIFESTARI vero ad temporalem processionem, & charismatum dationem, & ad manifestationem trahentes: eorundem etiam erit, Filium mundo dari, vel temporaliter mitti dicere, cum eum audiant à Patre manifestari, quod ab omnibus communiter Doctoribus dicitur. Beatus etenim Cyrillus ad Valerianum Episcopũ: [Cum enim quemadmodum Pater, *ait*, ita & qui ex eo manifestatur, Vnigenitus Filius natura sanctus sit.] Et rursus idem: [Proprius est Filii Spiritus sanctus, *inquit*, non solum inquantum Verbum est ex Patre manifestatum, sed etiam inquantum intelligitur homo secundum nos factus.] Quod si in his, MANIFESTARI, esse & æternam subsistentiam, & generationem Filii significat, quare non idẽ & de Spiritu S. significaret? Quod autem & nolentes cogerer concedere idem significare, illud est, quod etiam de Spiritu & eius æterna processione hoc idem dicitur, dicente beato Basilio de Spiritu sancto: [Nil aduentitiũ in se habet, sed æternaliter omnia habet tanquam spiritus Dei, & ex eo manifestatus:] ita omnis occasio tollitur malignari cupientibus. Illud etenim, quod prædictus Greg. Nyssenus in reuelatione Neocæsareensis Gregorii, qui miraculis coruscauit, de Spiritu dicit, quod per Filium manifestatus sit, adderis, videlicet hominibus, nil contra nos facit: siquidẽ hoc,

LXXX V. Deverbo manifestari.

Hom. de Spiritu sanct.

quod

quod per Filium manifestatus sit, significat quidem vtrunque etiam, quod per Filium sit hominibus notificatus temporaliter, & quod per Filium æternaliter producatur, sint vero vtraque vera, in propriis locis accepta. Omitto namque dicere in præsenti, quod per Filium temporaliter hominibus manifestari, præsupponit necessario per Filium æternaliter procedere: nec per eum temporaliter manifestaretur, nisi per eum æternaliter procederet. Aliter etiam Gregorius, Nazianzenus videlicet, qui à Theologia per excellentiam Theologus cognominatus est, quærens, cur & Spiritus non nominetur Filius, & an ei aliquid deficiat, vt Filius sit: non ei quicquam deficere ait; diuinitatis namque deficit nil; Manifestationis autem vel relationis ad inuicem diuersitas, diuersa quoque eis attribuit nomina. His verbis MANIFESTATIONIS verbum æternam processionem significare probans, prout etiam ex verbis Nysseni Gregorii apparuit, & eandem Filii & Spiritus sancti ab inuicem distinctionem tradens, quam & Nyssenus Gregorius. quemadmodum enim ille, eo quod nec vt Vnigenitus ex Patre productus est, & quod per ipsum Filium sit manifestatus, Spiritum à Filio distinguitrita & Nazianzenus tum manifestationis, tum relationis ad inuicem diuersitate distinctionem eorum ponit. Quod ille dixit, non vt Vnigenitum esse productum, hic manifestationis diuersitatem; hoc est, diuersum subsistentiæ modum: Quod vero Nyssenus per Filium, ait, manifestari, Nazianzenus diuersitatem relationis ad inuicem nominauit. Relationem vero ad inuicem Filii & Spiritus sancti, nescio an aliam quisquam reperiat præter eam, quæ secundum causam & causatum sit, secundum quã Filius quidem ad Spiritum vt causa se habeat; Spiritus vero è conuerso ad Filium, vt causatum ad causam, & ideo diuersimode. Aut ostendat mihi quispiam aliam inter Filium & Spiritum sanctum relationem, secundum quam alter ad alterum refertur: Sed profecto nũquam reperiet. Etenim si quis nobis illam opponet, quod Spiritus dicatur Spiritus Filii; primo quidem ista relatio & secundum ipsum Nyssenum Gregorium, & alios omnes Doctores non conuertitur. Nec enim Filius dicitur etiam Spiritus, nec huic ad Filiũ Spiritus relationi aliqua alia ad Spiritum correspondet relatio, nec eadem, neque diuersa secundum actionem & passionem. Deinde quod dicatur Filii Spiritus, nihil aliud significat, nisi quod per Filium manifestatus sit secundum magnum Basilium, siue quod per Filium procedat secundum Maximum, siue quod ex Filio procedat secundum Occidentales Doctores. Hæc enim quatuor [vt pobatum est] æquivalent, videlicet Filii Spiritum dici, per Filium manifestari, per Filium procedi, & ex Filio procedi. Hæc autem relationem ad inuicem causæ & causati significant; Quam Nazianzenus Gregorius audacter asseuerat & diuinarum personarum Filii & Spiritus distinctiuam esse, & causam vt diuersa nomina habeant, & vnus Filius, alter Spiritus dicatur. Hæc autem & ipsa ratio attestatur: Diuina enim & sancta Trinitas non magis vnum, quam tria est; illud essentia, hoc personis siue proprietatibus: vniuntur etenim vna cum distinctione, & distinguuntur vna cum vnitate, vt beatus Dionysius ait. Et quia in quibuscunque pluribus, in quibus est aliquid commune, est etiam aliquid distinctiuum, in hac etiam diuinarum personarum Trinitate, quæ sibiin vnitate essentiæ conueniunt, quærendum est illud, quod eas distinguit. & cum id non sit essentia [in hoc enim summe conueniunt] in diuinis autem præter essentiam, & relationes, atque diuersum processuum modum, quem Latini originem nominant, nil aliud intelligere sit: relinquitur, vt vel origo, vel relatio, vel vtrumque diuinas personas distinguat. Cum vero relatio & origo etsi secundum modum intelligendi differunt [siquidem origo significatur per modum actus, vt generatio; relatio vero per modum formæ, vt paternitas] re

Æquinolent. Filii Spiritum dici per Filium manifestari per Filium procedi & ex Filio procedi.

Cap. 2. de diuina nomi.

LXXX VI.

Rom. 5.

tamen non differunt; ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ, prius tamen & principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur diuinæ personæ: consequenter autem per diuersum modum processuum, siue per originem. Non enim generare & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter personam; sed paternitas & filiatio, siue Patrem & Filium esse, quod relationis est. Sed quia relatio & origo idem sunt re, & relatio consequitur originem, ideo vtroque quidem modo distinguuntur diuinæ personæ, sed principalius relatione siue proprietatibus. Quare non immerito Theologi & Doctores nostri Filium à Spiritu distinguentes, dupliciter eos distinguũt, ab imperfectiori modo ad perfectiorem procedentes, distinctionem quæ per diuersum processuum modum sit, diuersum manifestationis modum nominantes: illam vero, quæ fit per relationes: Nyssenus quidem Gregorius per Filium manifestari, Nazianzenus vero diuersitatem relationum ad inuicem appellans. Patet ergo, quod hęc relationum diuersitas, relationis distinctio est, & relatine Filius ad Spiritum, & ad Filium Spiritus refertur. Et cum Filius, prout Filius, non referatur ad Spiritum (non enim dicitur Filius Spiritus) restat vt referatur ad Spiritum tanquam spirans, cum Spiritus etiam referatur ad Filium tanquam Spiritus. Spiritus enim spiranti, & passiua spiratio actiuæ spirationi correspondet. Spiritus vero & Spiritus Filii multis in locis sacræ Scripturæ dicitur, & spiratio eius. [Hic enim Spiritus] sacer Athanasius ait [spiratio est Filii.] Cum igitur ad Filium Spiritus & tanquam spiratio, & tanquam Spiritus referatur, Filius quoque tanquam spirans referetur ad Spiritum. At cum longum sit omnes allegare Doctores, qui per Filium ex Patre Spiritum spirari dixerunt, sufficiat vnum & vltimum in medium adducere, & quidnam de hoc ille sentiat, considerare. Ioannes igitur Damascenus de Patre loquens [Ipse quidem est, ait, intellectus Verbi abyssus, Verbi genitor, & per Verbum manifestatiui Spiritus spirator.] Et rursus [Spiritus vero sanctus, manifestatiua occultæ diuinitatis potentia Patris, ex Patre per Filium procedens est.] Certe supernaculeum est velle quæ aperte dicta sunt; declarare. Procedens enim est, inquit, quod palam ipsum esse & subsistentiam Spiritus significat, magis quam aliquod aliud nomen, præsertim secũdum nostros, qui hoc nomen solum subsistentiæ Spiritus appropriant. Cum igitur per Filium eum procedere dicat, per Filium eum subsistentiam habere significat: & per hoc excludit Theoduriti errorem, negantis per Filium subsistere Spiritum sanctum, ita vt nullum nobis inde relinquatur subsidium; si Theodorito hæc coram generali Ephesino Concilio dicente, sacrum Concilium tacuerit; qui putamus pro nobis hoc facere, quasi Concilium tacendo verbis Theoduriti consenserit. Nam cum Theodoritus vtrumque negasset nec ex Filio, nec per Filium subsistere Spiritum sanctum asserens, ex dictis tamen horum sanctorum, etsi non ambo, alterum saltem, videlicet quod per Filium subsistat, palam probatum est; cum omnes Doctores, & non minus qui post Theoduritum fuerunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, clara voce prædicent; tum Ioannes Damascenus & Maximus, viri vt doctissimi, ita etiam sanctissimi; tota item generalis septima Synodus per sanctum Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, credere dicentem in Spiritum sanctum qui ex Patre per Filium procedit, Deus quoque ipse esse cognoscitur. Alii vero ex Deo per Filium esse videlicet Spiritum ex Deo per verbum, & ex Patre per Filium procedere; quæ omnia idem atque spirari significant, & esse, & subsistentiam habere. Ex quibus patet, quod Theodoritus erraret, quoad alteram partem ad minus, eam videlicet, qua negat Spiritum subsistere per Filium: Patres tamen Concilii tacuerunt, eo etiam hanc partem negante; ita vt eorum silentium non debeat

Theodoriti error.

nobis testimonio esse, quod nec ex Filio, nec per Filium Spiritus habeat subsistentiam. Quod enim per Filium subsistat, testantur qui eum per Filium procedere dixerunt: Siquidem procedere, etiam secundum nostros ipsum subsistere significat: cum tamen longo post Theodoritum tempore fuerint, & audiuerint quidem eum dicentem, sciuerint autem sacram Synodum ad hæc tacuisse, attamen non iudicarunt eum esse sequendum. Theodorito enim & quod ex Filio, & quod per Filium subsistat Spiritus, negante, beatus Ioannes Damascenus, quod ex Filio, ipse quoque negat: qua vero ratione, paulo post explicabimus: Quod autem per Filium procedat, id est, subsistat, hoc vt verum ponit.

Procedere, ipsum subsistere significat.

LXXX. VII. Quod si quis illud nobis opponat, Solus Pater est causa, Ioanne Damasceno auctore; item quod Maximus in Epistola ad Maximum de Romanis ait, quod scilicet non ponant Filium causam Spiritus esse; quæ ad hæc Latini dicunt, ego non dicam, quod scilicet nec illud Damasceni omnib. in eius libris inueniatur, quodque Epistola Maximi non est eius, cum nec vbique, nec in antiquioribus codicibus, nec inter opera eius inueniatur, quodque nonnulli nostrorum etiam eam non esse suam putant; hæc inquam non dicam, sed concedam hæc illorum esse Doctorum & verba & sententias. Dixisse tamen eos hæc ego dicam, ne quis principalem causam Spiritus putet Filium, quasi non à Patre cœpetit, vt per eum Spiritus sanctus procedat. Communis enim linguæ Græcorum vsus, cum per præpositionem, Ex, principalem significet causam, & Damascenũ coegi, non ex Filio, sed per Filium dicere procedere Spiritum sanctum: & Maximum, quod à Romanis dicitur ex Filio procedere, idem significare sentire, ac si diceret, per Filium procedere. Quamquam enim, ait, ex Filio Spiritum sanctum prodire Romani asserãt, præpositio autem Ex, principalem significet causam; non tamen ideo dicunt, vt talem causam significent Filium esse. Damascenus etiam, Ex Filio quidem Spiritus, inquit, minime est, per Filium autem conceditur: Solus namque Pater est causa talis, videlicet qualem ipsa Ex, significat. Quare talem quidem causam negant Filium esse: præpositionem autem PER, attribuunt Filio, per quam simul eum cum Patre causam siue principium Spiritus sancti esse significatur. Quia enim, inquit Maximus, per eum prodit Spiritus sanctus, (id est, vt alibi dicit idem Doctor, quia per eum procedit) ideo à Romanis ex Filio prodire dicitur. & Damascenus, Ex Patre per Filium procedit, quæ omnia aperte Filium etiam significant causam siue principium esse, & tale principium, qualis est Pater, cum nil imperfectum apud Filium sit, quanquam non principalem, nec propriam: ob hoc enim cauentes, negant Filium causam esse. Et quia omnia, quæcunque Filius habet, à Patre habet, & ad eum omnia referuntur; quemadmodum & sanctus Basilius in octauo ad Amphilochium capitulo ait; Ideo inquit Dominus ad Patrem: Mea omnia tua sunt, quia ad eum principium creaturarum referatur. Et Nazianzenus in sermone ad Ægyptios: Deus, inquit, tribus in maximis consistit: causa, creatore, & perficiente: Patre videlicet, Filio, & Spiritu sancto.] Hæc autem dicebat, non quia omnino negabat, Filium & Spiritum sanctum esse principium siue causam creaturarum, (hoc enim impium est dicere) sed quia Patrem solum simpliciter & principaliter causam esse sciebat, & ab eo Filium & Spiritum sanctum habere, quidquid habent. Quæ ergo responsio sufficisset contra quoscunque, qui ex his verbis Doctoris non Filium, nec Spiritum, sed Patrem ponentis causam creaturarum, maligne arguere volentes, totaliter negarent Filium & Spiritum sanctum causam esse creaturarum: ipsa eadem illis sufficiet, qui Filium non esse causam Spiritus ponunt. Eadem enim ratione & Damascenus, cum diceret Spiritum non esse ex Filio, addidit: Solus enim Pater causa est. Et Maximus dicens de Romanis, quod ex Filio assererent Spiritum prodire; nõ tamen eum causam ponunt, ait, cum scirent quidem, qualem causam significet Ex; talem autem Filium esse, minime concederent; quippe qui omnia quæ habet, à Patre accipit, qui solus prima & principalis causa est, qualem ipsa EX significat cum ipse quidem à seipso omnia habeat, Filius vero à Patre. Et ideo non prima nec principalis causa est, est tamen causa, siue principium Spiritus vnum & idem cum Patre; nec quisquam hoc omnino negare poterit, per eum, audiens Doctores dicentes, Spiritum sanctum procedere. Si enim per Filium procedere, prodire, & esse, ipsi quoque aduersarii, non valentes apertæ veritati contradicere; concedant idem significare, ac si dicerentur per Filium habere subsistentiam: hoc autem dicentes Doctores, nec manifestationem Spiritus ad hunc sensum idem mundum significant, nec de gratiis & donis Spiritus, sed de ipsa hypostasi Spiritus & eius æterna manatione & existentia loquuntur: nec ista præpositio PER, idem quod præpositio CVM, (vt probauimus) significat, ad quæ refugere solent aduersarii: quid aliud relinquitur, nisi vt, per, significet causam siue principium? Cum enim per Filium dicant Doctores Spiritum sanctum esse, & existentiam habere; cumque ipsa PER, non possit pro CVM intelligi, sicut vim exprimit vtrique, & causam significat; cum iam probatum sit, causam semper significare in quibus accipitur. Quod autem ipse PER, nullum trium prædictorum, hic significet, ex Epistola Maximi ad Marinum prædicta, & ex ipso Damasceno palam probatur, qui pro EX, mutant in PER, & de ipsa persona Spiritus & eius æterna existentia loquuntur. Quantum igitur conueniunt EX & CVM, tantum PER & Cum conuenire possunt, quod & per Theodoritum maxime probatur, Cum enim ille diceret, Spiritum non habere existentiam per Filium, cum Filione intelligebat? Ergo palam mentiebatur, nec decet nos niti Concilii sicuio. Et enim Spiritus cum Filio simul est, ex parte simul emanent. An æquiuocam hanc dictionem PER, ille putans, vt aliquando idem quod CVM, aliquando se ipsum PER significaret, per Filium negat Spiritum esse? At oportuisset vel ipsum, vel Concilium hanc æquiuocationem distinguere, & docere de quo significato diceret, prout omnes solent Doctores: sed nec idem PER, cum filio, ille putabat posse intelligi, cum diceretur, per filium: & per Filium negans Spiritum habere existentiam, causam significare, hanc præpositionem putabat. Palam itaq; his omnibus patet, seipsam in productis auctoritatibus PER, significare, & quod suum est per se causam que manifeste significare, & hanc Theodoritum negare, hanc cæteros sanctos Doctores audacter profiteri. Sed ne rursus ad illa confecta refugiat recipias, ideo dicens per filium prodire Spiritum, dictum fuisse, vt coniunctio, connexio, & identitas substantiæ eorum significetur. Primo namq; hic pro dicto pro procedere capitur. Ipse enim idem Maximus, qui in Epistola ad Marinũ, Prodire ait in expositione ad Zachariam, PROCEDERE inquit. Idem Damascenus, idem septima Synodus ait: procedere vero, subsistentiam habere significat: & per Filium procedere, per Filium subsistentiam habere proculdubio significat. hoc autem esse non poterit, nisi & Filius subsistentiæ Spiritus principium sit. Deinde, non quia nos dicimus Spiritum prodire per Filium, ideo aut est, aut manifestatur subsistantiæ identitas, (non enim per nos, neque per nostrum dicendi modum, diuina essentia diuinis vnitur aut identificatur personis) sed quia est essentiæ identitas, ideo prodire dicitur, & prodit per Filium Spiritus. Hoc autem Latini etiam dicunt. Quia enim eadem est essentia Patri & Filio, aiunt; & omnia Patris Filius etiam habet, præterquam quod non sit Pater: ideo etiam hoc eum habere asseuerant, quod ex eo, vel per eum Spiritus procedat. Hoc idem quoque beatus Cyrillus in quinto ad Herminm probat, dicens: [Cuiusnam proprium esse Spiritum dicimus

Ioan. 17.

De præpositione Ex.

Per Filium Spiritus prodit.

dicimus? Vtrum solius Dei & Patris; an etiam Filii, an & d. iunctim vtriusque & simul amborum, aquam vnum ex Patre per Filium propter identitatem essentiæ?] Ad quæ respondit Hermias: [Ita mihi videtur.] Ac doctor ad eum: [Recte quidem. Propter identitatem essentiæ (inquit) Patris & Filii, & amborum Spiritus est, & ex Patre procedit per Filium.] Quod quid aliud vult, nisi quod propter identitatem essentiæ Filii & Patris, & per Filium Spiritus procedit, & eius Spiritus est, quemadmodum & Patris? Hoc autem Latini etiam concedunt. Præterea identitas essentiæ Patris cum Filio & Spiritu, ac Filii cum Patre & Spiritu, tum præcipue probatur, cum ad inuicem vt principium, & id quod à principio, se habeant. In quantum enim tales, & maxime inuicem communicarent, & maxime ad inuicem distinguerentur. Qui modus cum intelligi simul possit, merito in diuinis omnibus aliis distinguendi vel vniendi modis proponitur. Quemadmodum enim in illis rebus diuinis & vna cum vnitate distinctio, & cum distinctione summa vnitas est; ita necesse est, nos etiam talem vnionis modum illic intelligere, qui non minus etiam distinctionem contineat, & talem distinctionem, quæ vnionem in se habeat: talis vero sola principii, & eius quod à principio, relatio est. Quare si quos audiamus doctores dicentes, propter consubstantialitatem dictum fuisse, per Filium Spiritum procedere; propter principii, & eius quod à principio, relationem eos dixisse putemus, per Filium dici procedere Spiritum S. & ob nullam aliam rationem, cum istam consubstantialitatem potissimum principii, & eius quod à principio, relatio probet. Cuius vna cum aliis magnus quoque Basilius testis est, in epistola ad Canonicam hæc dicens: [Cum enim Pater lumen sine principio est, Filius quoque lumen, sed natum, lumen tamen vterque; merito consubstantialem eum dicent, vt naturę identitatem significent. Non enim, quæ germana sunt, consubstantialia dicuntur, vt quidam putant, sed cum causa, & quod à causa subsistentiam habet, eiusdem naturæ sint, tunc consubstantialia dicuntur.] Rursus idem in sermone contra Sabellium & Arianos, de Patre dicens & Filio: [Non enim eos, inquit, germanos dicimus, sed Patrem profitemur & Filium: identitas autem essentiæ in eis est, quia Filius ex Patre.] Si igitur propter consubstantialitatem dictus est per Filium Spiritus; causa vero & causatum, cum eiusdem naturæ sint, consubstantialia sunt, vt ait Basilius; manifeste patet, propter relationem causæ & causati, siue principii & eius quod à principio est, per Filium procedere Spiritum, dictum fuisse.

Auctoritates Doctorum, in quibus Spiritus sanctus ex Filio, & ex ambobus dicitur esse, prodire, & profluere: quodque non gratia Spiritus non subsistens, sed ipsa persona Spiritus dicitur prodire, profluere, emanare, &c. à Filio.

CAP. VII.

LXXXVIII. SEd iam PER, ipsa sola manifestissime probatum est, Orientales Doctores, Filium principium Spiritus esse palam profiteri. Probandum autem, nonnullos eorum præpositione quoque Ex, non minus vsos fuisse de Filio in subsistentia Spiritus. Illos itaque, quorum testimonia calumniam patiuntur, tanquam non eorum, vel non ita per eos edita, sanctum videlicet Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum, omittendos duxi, nec illorum auctoritatibus vtendum, qui plerisque in locis ipsam PER, probant æquiualere ipsi Ex in Theologia: hi vero quasi omnes aut maior pars sanctorum Doctorum est. Cyrillum autem duntaxat & Epiphanium producendum duxi, qui cæteris apertius & magis vbiq; operum suorum præpositione. Ex, vsi sunt: quorum quanta qualisque auctoritas in Ecclesia Dei sit, certaminaque eorum contra infideles & hæreses; nemo est quem lateat. Producam vero non omnia eorum testimonia, (nec enim facile est) sed aliqua pauca, fugiens verborum prolixitatem. Beatus itaque Cyrillus in expositione prophetæ Ioelis, supra illam auctoritatem, Effundam à Spiritu meo, sic ait. [Inquantum etenim Deus ex Deo secundum naturam Filius est, cum natus sit ex Deo & Patre, proprius eius & in eo & ex eo Spiritus est, quemadmodum & de ipso Deo & Patre intelligitur:] & ex eo est, inquit, & ita ex eo, quemadmodum de ipso Deo & Patre intelligitur; omne dubium quærentibus causam tollens. Idem rursus in sermone ad Theodosium Imperatorem: [Baptizantem, inquit, IESVM in igne & Spiritu sancto, non alienum baptizandis effadisse Spiritum seruiliter & instrumentaliter, sed tanquam Deum secundum naturam cum auctoritate summa, qui ex eo & proprius eius est.] Et iterum in Thesauris: [Legem igitur cum ferat Christus, ita condit eam, tanquam in eo & ex eo sit Spiritus eius.] Et rursus: [Nullam igitur naturæ differentiam Filii & Spiritus sancti Paulus nouit, sed tanquam ex eo & in eo naturaliter sit, Dominico nomine eum vocat.] Et animaduerte, quod ideo dicit Paulum appellasse Spiritum Dominum, quod Filii nomen est, quia ex Filio est: Causlarum enim nomina caussatis solemus imponere. Item in expositione noni anathematismi: [Homo factus, inquit, Vnigenitus Dei Filius, non minus permansit Deus, omnia habens quæcunque & Pater, præterquam quod non sit Pater, & proprium habens, qui ex eo & in eo in finitus est Spiritus sanctus.] Quod si quis rursus opponat, quæ à Theodoreto in hunc anathematismum dicta sunt, primo quidem sciat, quæcunque Theodoretus contra Cyrillum scripsit, omnia reprobata & anathemati tradita ab omnibus sequentibus sanctis Conciliis fuisse, ita vt non deceat ex maledictis & iam reprobatis arguere. Deinde satis iam de hoc per nos dictum est quando etsi non in vtroque, in altero tamen eum mentitum fuisse probauimus, cum ipse quidem, quod per Filium Spiritus habeat subsistentiam, negaret; nos autem testimoniis Doctorum probauerimus verum esse; ita vt non debeamus silentio sacri Concilii niti, & inde arguere, quod Theodoretus scripsisset Spiritum S. nec ex Filio, nec per Filium subsistentiam habere, & Concilium his auditis tacuerit, nec eum redarguerit, ideo tacuit, quia eum vera dixisse sciebat. Ecce enim probatum quidem est, Spiritum sanctum per Filium subsistẽciam habere; Synodus vero non solum de altero, videlicet quod non ex Filio habeat subsistentiam, tacuit, sed etiam de altera parte, hoc est, quod nec per Filium procedat, quod tamen palam falsum est. Quemadmodum enim hoc silentio præteriit, cum tamen falsum sit, ita etiam reliquum, videlicet quod nec ex Filio subsistentiam habeat, cum ipsum quoque falsum sit. Hæc igitur in superioribus dixerimus, & nunc illius noni anathematismi, contra quem Theodoritus scribens illa dixit, ipsius Cyrilli expositionem induximus, se ipsum & suam mentem exponentis, & contra maledicta Theodoriti replicandis. Non decet igitur, omisso illo alium quærere verborum Cyrilli expositorem, & præsertim acerrimum eius hostem. Quare autem Cyrillus Spiritum dixerat proprium Filii, in nono anathematismo, quod Theodoritus carpsit, ipse exponens, Quia dicit, [ex eo est,] & conueniens in hoc Occidentalibus Patribus. Et illi enim Spiritum dicunt Filii, & proprium Filii tanquam ex eo procedentem. Præterea ex responsione Cyrilli ad Theodoritum idem probare possimus, si quis sine contentione audiat. [Procedit quidem, inquit, Spiritus sanctus ex Deo Patre secundum verba Saluatoris, non tamen est alienus à Filio: omnia namque cum Patre habet.] Et hoc ipse met docuit, dicens de Spiritu sancto: [Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt: ideo dixi vobis, Ex meo accipiet, & annuntiabit vobis. Nam etsi à Patre, inquit, procedere Spiritum S.

Cyrill. & Epiph. cæterũ apertius & fre-

quentius Præpositione Ex vsi.

Ioel. 2.

2. Cor. 3.

Saluator dixit, non minus tamen est etiam Filii: Est autem Filii, quemadmodum & Patris.] Superius namque dixit: [Erat namque & est Spiritus eius, sicut & Patris: & non magis Patris, minus Filii, sed similiter amborum.] Hoc vero nil aliud est, nisi quemadmodum est Spiritus Patris, tanquam ex eo procedens, ita scilicet etiam Filii est, tanquam ex eo & per eum procedens. Et hoc significat cum in testimonium huius rei accipiat, quod Filius omnia habeat quæ & Pater, & addat, quod hoc de Spiritu dixerat Dominus. Postremo idem probat per illam auctoritatem, quod ex eo, id est, Filio accipiat Spiritus. Hoc enim & sanctus Epiphanius (vt paulo post ostendetur) pro eo quod ex eo procedat, accipit. Ipse quoque beatus Cyrillus in expositione super Ioannem, ipsam auctoritatem exponens, sic inquit [Accipere enim Spiritum dicimus ex Patre & Filio ea, quæ illorum sunt, non tanquam aliquando quidem non habentem insitam in eis sapientiam & potentiam; cum intelligatur habere eandem essentiam, semper etenim sapiens & potens est Spiritus; immo vero ipsa sapientia & potentia est, non participatione, sed naturaliter. Si igitur id quod Spiritus ex Filio accipit, sapientia & potentia est, hæc vero non aliquando quidem habet, aliquando vero non; semper namque talis est natura, non participatione; semperque a Filio accipit, quæ cum non habeat participatione, natura eius sunt: quod hinc colligitur, quis ignorat? Et merito hæc beatus dicit Cyrillus, qui in plerisque aliis locis manifeste ex Filio, sicuti ex Patre, procedere dicit Spiritum sanctum. In epistola namque ad Nestorium: [Etsi est, inquit, Spiritus in propria hypostasi prout Spiritus est, non Filius, non est tamen ab eo alienus, profluit autem ex eo sicuti ex Deo & Patre.]

LXXX-IX. *Profluere apud Cyrillum pro procedere.*

Ne quis autem hoc verbum PROFLVERE, de secunda & temporali processione putet hic fuisse dictum; primo quidem sciat, quod no est hic sermo de distributione donorum & charismatum Spiritus, sed de ipsa eius hypostasi. Deinde hoc PROFLVERE, semper reperies apud hunc Doctorē pro PROCEDERE accipi. Etenim tum in expositione Symboli, [profluit quidem, inquit, hoc est, procedit:] tum in sexto ad Hermiam, & Spiritum quidem veritatis enim nominat, profluere autem ex ipso asserit Patre; tum etiam plerisque aliis in locis idem dicit. Illud quoque quod dicit, [sicuti ex Deo & Patre,] non superfluit; Nil enim ille superuacaneum, sed omnia cum magno pondere dicit; & ita vult, Spiritum esse Filii, prout est Patris: & ita profluere prodire, & emanare à Filio, prout à Patre, & nullo modo aliter. Ideo in sermone ad Theodosium Imperatorem de hoc loquens, & volens probare ita esse Filii Spiritū, prout est Patris; & ita ex Filio nobis emanare eum, prout ex Patre: [Nō ex mensura, inquit, secundum Ioannem, dat Spiritum Filius, sed ipse eum ex seipso emittit, quemadmodum & ipse Pater. Quare beatus Paulus omni in hoc differentia postposita, nunc quidem Deo & Patri illam attribuit, nunc rursus Filio.] Infert deinde Pauli verba, quibus æque Filii esse Spiritus, sicuti & Patris, probatur. Nulla enim differentia est, Filii Spiritum, vel Patris dici; omnem enim in hoc differentiam Paulus postponit. At Patris dicitur Spiritus, tanquam ex eo procedens: ergo eodem modo Filii quoque dicitur Spiritus. Prætera in superioribus satis diffeuimus, quomodo dicitur Spiritus Filii secundum Doctores; secundum enim Basilium, tanquam per Filium manifestatus: secundum Maximum, tanquam per Filium procedens: secundum Patres Occidentales tanquam ex Filio procedens. Nec igitur Cyrillus alia ratione dixisset, Spiritum Filii esse & Filii proprium, quam alii idem cum eo sapientes Doctores dixerunt, tanquam ex Filio scilicet, siue per Filium, procedentem. Nihil enim interest, EX FILIO vel PER FILIVM dicere. Etenim ipse quoque nunc ponit EX, nunc eam mutat in PER, tanquam ambæ vere dici possint. Vnde in eis, quæ ad Palladium in forma dialogi scribit: [Mutabilis vero minime, inquit, est Spiritus, nam si mutabilitati subiaceret, ipsi diuinæ naturæ iste defectus ascriberetur. Siquidem Dei & Patris, necnon & Filii est, qui essentialiter ex vtroque, scilicet ex Patre per Filium, profluit Spiritus.] Item in quinto ad Hermiam, reddens causam, cur Spiritus Filii dicatur Spiritus. [Cuiusnam, inquit, proprium dicimus esse Spiritum sanctum? Vtrum solius Dei & Patris? an etiam Filii? an & disiunctim vtriusque, & simul amborum, tanquam vnum ex Patre per Filium propter identitatem essentiæ? Proprium itaque Filii ipse quoque Spiritum dicit, quia per Filium est. Per Filium autem est propter identitatem essentiæ, Patris videlicet & Filii. At propter eandem ipsam omnia etiam Patris sunt Filii, præter quam quod non sit Pater. Ita sibi ipsi per omnia consona dicit sanctus hic Doctor. Vnum etenim & eundem Spiritum ex Patre per Filium esse, vna & eadem spiratione siue processione; & ideo illum eorum proprium ait esse, quia ex Patre per Filium est, hoc autem propter identitatem essentiæ. Vt autem clarius omnis eorum arguatur calumnia, qui contra sanam Doctoris sententiam autumant, eum ex Filio dixisse dona Spiritus mitti, non ipsam eius hypostasim siue personam; ipse rursus ad sit, hanc falsam eorum arguens opinionem, & seipsum exponens, quidnam sit quod ait, per Filium siue ex Filio profluere, prodire, emanare, scaturire: & simpliciter quod in sanctificationem in hunc mundum ab eo mittitur. Ait enim in septimo ad Hermiam: [inhabitantem enim sibi & insitum quis haberet eum, qui natura & vere Deus est, (de Filio dicens) cum Spiritum accipiat, qui non alienus & essentia disiunctus ab eo est, sed qui ex eo, & in eo, & eius proprius est, & æque atque ille Dominus est?] Et post pauca: [Misit autem nobis è cœlo Paracletum, per quem & in quo nobiscum est, & in nobis inhabitat: non alienum in nobis afflans, sed qui essentiæ suæ & Patris sui proprius est Spiritus.] Quod autem hoc de substantia Spiritus, non charismatibus non subsistentibus, ait, omnibus patet, Idem rursus in eodem: [Qui vero nobis diuinam insculpsit imaginem, & similitudinem cuiusdam sigilli, supremam nobis pulchritudinem imponit, nonne Spiritus est? Ita (inquit Hermias) non tamen vt Deus, verum vt diuinæ gratiæ minister.] Et Cyrillus: [Non igitur ipse Spiritus nobis, sed eius per eum gratia nobis imprimitur.] Hermias: [Ita videtur.] Cyrillus: [Ergo necessarium esset, imaginem gratiæ, nō Dei, vocatum fuisse hominem.] Post hæc consequenter per omnia probans, quod hypostasis siue persona Spiritus, ipse scilicet vnus in Trinitate, Deus erat, qui diuinam nobis in prima hominis plasmatione impressit imaginem, non gratia nō subsistens: secundā item plasmatis reparationem, per salutarem discipulis insufflationem factam, per eundem Spiritum sanctum factam fuisse ponit. Dicebat etenim: [Quo, antequam esset, modo factus fuerit homo, per sanctum videlicet Spiritum hypostaticum Deū, eodem rursus, deperdita sanctificatione, eum reparari, Si enim, inquit, gratia Spiritus ab eius substantia disiuncta esset, cur beatus quidem Moses, homine ad esse producto, non dixerat, Sufflauit Creator omnium gratiam per Spiritum vitæ? Christus vero nobis; Accipite gratiam per ministerium Spiritus? Sed illic quidem dictum est, Spiritus vitæ (vita etenim vere diuinitatis natura est) hic vero per Saluatorem Spiritus sanctus, ipsum proculdubio Spiritum credentium animabus emittentem.] Hæc aperta sunt rei propositæ testimonia. Apertius tamen in sequentibus dirimit illam opinionem, qua quidam putant, non subsistentem nobis gratiam mitti, & per eam nos sanctificari. Ait enim: Templa vero Dei, necnon dii & vocamur & sumus. Qua de causa, quæras ab aduersariis; si gratia participamus nuda & non subsistente? At non ita se veritas habet: Templa namque existentis & subsistentis Spiritus sumus. Sed ex eis quidem; quæ ad Hermiam

Ioan. 3.
Rom. 8.
2. Cor. 3.
Galat. 4.
Philip. 1.
Genes. 2.
Ioan. 20.
1. Cor. 3. & 6.
Psal. 81.

miam scribit, cum multa sint, (quæ qui volet, illinc sibi eligat) hæc sola sufficiant, cum apertè probent illud, quod nobis propositum erat. Ex plurimis autem, quæ in expositione super Ioannem idem Doctor elegantissime dixit, illud nos adducemus solum, quod super illam auctoritatem dicit; Qui non ex sanguinibus, &c. Ait enim: [Si Deus ex Deo secundum naturam est Spiritus; quo & per fidem in Christo participamus, dii nos etiam efficimur, tanquam iam in nobis ipsis habentes Deum, secundum illud: *Inhabitabo & inambulabo in eis.* Quo nam q; modo templa Dei essemus, nisi Spiritus natura Deus esset?] Sed beatissimus quidem Cyllus hæc & his similia dicit: audiendum autem etiam alios, quid de eadem re dicant.

Ioan. 1.
2. Cor. 6.

XC. *Assertio Basil. M.*

Magnus itaq; Basilius consona prædicto Doctori dicens, tum Spiritum hominì à principio sufflatum, tum à Saluatore discipulis datum, ipsam hypostasim Spiritus fuisse asserit contra Eunomium in capitulo cui titulus, *Quod Spiritus diuina natura est:* [Spiritus namq;, inquiens, viuenti verbo ad creandum adiunctus, viuens potētia, diuina natura, ineffabilis ex ore ineffabili manifestata, ineffabiliter per sufflationem ad hominem missa, & secundum corporalem à Christo monstratam figuram rursus ab eo per sufflationem reddita: conuenire namq; decet creationi nouam reparationē: Conuenientia m a. figurauit sufflans, qui non est alius præter illum, qui à principio sufflauit, sed idem per quem Deus sufflauit, tum quidem cum anima, nunc vero in animam.] Ita hic quoq; Doctor ipsum eundē Spiritum ait emisisse discipulis Iesum, qui ipsi & Patri tanquam Creator connumeratus & coniunctus est: Hoc autem patet, quod ipsa hypostasis Spiritus est; Igitur ipsa hypostasis Spiritus & primam plasmationem hominis per illam diuinam sufflationem creauit, & discipulis postea data est, & per eos credētibus. Et hæc est, quæ à Patre per Filium, & ex Filio profluit & emanat, quemadmodum etiam Nicæna prima Synodus in quodam loco de Spiritu dicit, [Quod procedit quidem à Patre, proprius autem Filii est, & ex eo emanat.] Ipsum enim eundem, qui ex Patre procedit, ex Filio emanare aiunt ii Patres. Et quid dico, Patres? ipse Saluator dicta istorum omnium approbans, illum eundem pollicetur se discipulis missurum, qui à Patre procedit; & non esse alium qui à Patre procedit, quem ipse mittet. [Cum venerit, inquit, Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.] Hoc enim ipsi quoq; Grammatici hoc modo constituerent: Cum venerit Spiritus, qui à Patre procedit, quem ego mittam vobis: vt manifestum sit, ipsum, id est, Filium missurum, quod & à Patre procedit. Si igitur persona Spiritus à Patre procedit, eadē etiam à Filio mittitur. Quod si gratiam Filius non subsistētem mittit, à Patre etiam non persona, sed gratia procedit. Sed hoc cum stultum, tum impium est dicere. Cum enim de vno & eodem subiecto, videlicet Spiritu, duo quædam prædicantur, procedere scil. & mitti, eodem modo accipiendum subiectum de vtroq; prædicato. Si igitur hypostasim Spiritus procedere intelligimus, eandem etiam mitti intelligere debemus: aliter enim dicere abiq; ratione, nullam probationem adducendo, & procedere quidem, hypostasi Spiritus attribuere; mitti vero, gratiæ non subsistenti. hoc ridiculum, irrationabile, & voluntarium est, & quod nullus concedet. Mittitur igitur ex Filio ipsa Spiritus hypostasis, quæ & à Patre procedit, quemadmodum ab ipsis Euangelii verbis, & à Doctoribus probatum est. Quare si mitti, si emanare, si prodire, si profluere, si scaturire, si oriri Spiritum à Filio audiamus, diuinam eius Spiritus hypostasim intelligere necesse est: diuinam autem Spiritus hypostasim ex Filio profluere, vel emanare, & reliqua, quonam alio modo possibile est, nisi Filius caussa siue principium ipsius subsistentiæ Spiritus sit? Sed ea, quæ Cyrillus de processione ipsius personæ Spiritus S. ex Patre & Filio dicit, hæc & his similia sunt.

Ioan. 15.

Cæterum audiamus sanctum Epiphanium, in eius Ancorato sermone ita dicentem; [Spiritus sanctus ex Patre & Filio, tertius nominatione.] & rursus; [Vterque habitat in iusto homine; CHRISTVS & Spiritus eius. Quod si CHRISTVS ex Patre creditur Deus ex Deo, Spiritus quoque ex ipso, vel ex vtroque, quemadmodum ait CHRISTVS, qui ex Patre procedit, & hic ex meo accipiet.] Et patet, quod hic Doctor non de distributione charismatum, de diuinis autem personis & subsistentia eorum loquitur. In testimonium vero & probationem, quod Spiritus ex Filio quoque procedit, illam auctoritatem adducit. *Ex meo accipiet*; docens, vt cum audiamus in Euangeliis Dominum dicentem de Spiritu, quod ex eo accipiet, ita intelligamus, ac si diceret, ex eo procedere Spiritum sanctum. Item in eisdem; [Sed dicet quispiam. Ergo duos Filios esse dicimus? Et quomodo est Vnigenitus? At quisnam es tu, qui contradicis Deo? Si enim Filium nominat, qui ex Patre est, Spiritum vero sanctum, qui ex vtroque, &c.] Et iterum; [Spiritus sanctus, Spiritus veritatis est, tertium lumen a Patre & Filio.] Et rursus; [Quemadmodum enim nemo nouit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater; ita dicere audeo, nec Spiritum nisi Pater & Filius, à quo procedit, & à quo accipit (sed aduerte, quod in superioribus, accipere pro procedere posuit) neq; Filium & Patrem, nisi Spiritus sanctus, qui vere glorificat, qui omnia docet, qui ex Patre & Filio.] Quid his apertiꝰ, quid clarius dici potest? Nonne palam isti Doctores Filium quoque causam siue principium Spiritus ponunt? Nonne docent ex eo quoq; ipsum procedere? Quid igitur? Claudemusne aures nostras his auctoritatibus, & testimoniis sanctorum tam multis, tam apertis, tam diuinis, tam consonis inuicem & veritati, & obstinato corde contra hæc contendemus? At hoc non sapientum, non bonorum hominum proprium est, & eorum qui dispensatores verbi & mysteriorum Christi & esse & videri velint.

XCI. *Assertio S. Epiphan.*
Ioan. 16.
Matth. 11.

Quod etiam Occidentales Doctores idem aperte dicunt; quod Orientales, prout ex eorum auctoritatibus nobis per Latinos datis, clare apparet intuentibus.

CAP. VIII.

EGO quidem paucis, quoad potui, multis omissis, quod pollicitus sum, perfeciſſe puto. Probaui namq; sufficienter, nullo Doctorum Occidentalium vsus, ipsos scil. Patres nostros & Doctores Orientales Filium quoque causam siue principium esse Spiritus sensisse, & per omnia inuicē conuenientes & concordes, & partim ex Patre per Filium, partim ex Patre & Filio procedere Spiritum sanctum, & sapere & docere. Vestrum autem est, vt eis Doctoribus, & quidem rectis, Latinis & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vniamini, cum eadem, quæ & Patres & Doctores nostri crediderint. Neq; putetis aut ipsos, aut Patres eorum & nostros, Occidentales vidē, Sanctos, contraria Orientalibus Patribus dixisse. Minime, minime ita est. Et apposuissem vobis auctoritates & testimonia etiam illorum ad persuadendum vobis, & eorum cum Orientalibus concordiam probandam, nisi vos omnes scirem & sciuisse, & audiuisse eas, cum Latini produxerint. Ad hæc cum oratio nostra prolixior fuerit, non sunt alia addenda. Præterea licebit cuique, cum voluerit, eas & videre & legere, cum sint apud nos à Latinis datæ. Hoc autem solum ad vestram reducendum memoriam putaui, quod omnes Patres Occidentales, Hilarius, Hieronymus, Damasus, Augustinus, Ambros., magnus Leo, Gregorius, & cæteri multi, quam clare, quam aperte vna mente, vna voce vbiq; operum suorum, non vno aut duob. membris & articulis, sed pluribus verbis prolixis sermonibus & probationibus ex Patre & Filio procedere Spiritum sanctum affirmant,

XCII.

& ita ex Filio, ſicut ex Patre, & principium Spiritus Filium eſſe ſicut ipſe Pater, & vnum & idem eius principium eſſe Patrem & Filium ſimul, non duo principia. Quæ omnia mente voluentes, & Orientalium Doctorum dictis comparantes, qui ex Patre per Filium, & ex Patre & Filio procedere dicunt Spiritum S., item ex Filio & ex vtroq; eſſe, neceſſario eos concordes inuicem reperiemus, & eadem de eodem ſentientes in omnibus. Et ſuperiores enim rationes, quas de concordia & quidem neceſſaria Doctorum adduximus, cogunt nos credere eos conſentientes inuicem, & eadem de hac diuina proceſſione Spiritus ſancti ſentientes, quemadmodum etiam de aliis dogmatibus fidei. Et nunc ipſi Orientales per ſeipſos eadem cum Occidentalib. dicere ſatis probati ſunt, vt nemo negare poſſit amplius eorum ſummam concordiam. Arqui etſi nullo modo Patres Orientales attribuerent Filio eſſe principium Spiritus, cum tamen nullibi aliquis neget expreſſe proceſſionem Spiritus ex Filio, nemo eſſet, qui auderet eos dicere Occidentalibus Patribus dixiſſe contraria. Nunc vero cum non ſolum non negent, ſed apertiſſime etiam dicant, per Filium & ex Filio procedere Spiritum, audebimusne dicere, non eos conuenire & concordare cum Occidentalibus? At nemo nos commendabit, immo vero nemo eſt, quin nos audaciæ, temeritatis, ſtultitiæ accuſet. Scire autem hoc etiam debetis, quod aut nullo modo acceptanda ſunt, quæ reperiuntur opera ſanctorum Doctorum Occidentalium; aut ſi hæc acceptabimus, vt faciendum eſt, oportet etiam, quæ de hoc articulo dicunt, & acceptare & credere. Tam enim multis in locis operum eorum, immo vero in omnibus ſparſa ſunt; tantaq; & talis eſt continuatio & ſequentia præcedentium ad ea quæ ſequuntur, vt non poſſit aliquis de his aliquid ſuſpicari. Si quis enim hanc concluſionem, & rationes eam probantes ex operib. eorum adimat, nil amplius reſtat, nec ſenſum aliquem reddunt, quæ remanent rita connexa, ita conglutinata & coniuncta cætera omnia cum hoc dogmate ſunt.

Epilogatio & repetitio prædictorum, & ſolutio friuolæ reſponſionis, quæ quidam ad auctoritates Occidentalium reſpondent, & exhortatio ad vnionem.

CAP. IX.

XCIII. SED de dogmate quidem, quæ breuiter dicenda erant, dicta ſunt, nec quicquam vlterius addendum eſt. Rogo autẽ, poſco, peto, & ſupplex oro vos omnes, Patres optimi, ſacer conuentus, animarum paſtores, duces cæcorum, eruditores inſipientium, vt his omnibus conſideratis, & bene penſatis, illam feratis ſententiam, quæ tantæ rei conuenit, quæq; perpetuam vobis famam gloriam & ſalutem pariat. Repetatis enim memoria primo, quod non erit nobis de cætero excuſatio eadem, quæ prius, cur à talibus fratrib. diuidamur, & hoſtes velimus eſſe Latinis tam multis, tam ſapientibus, tam doctis, omni virtute præditis, non ſolum illa quæ animum ornat, ſed etiam ea quæ ad corpus & temporales res attinet: quodq; quemadmodum ante generale Concilium congregatum facillor noſtra excuſatio erat, ita poſt hoc grauis noſtra excuſatio erit, ſi non habuerimus dicere cauſam tali diuiſione dignam. Deinde non fugiant vos, quæ de neceſſaria Doctorum concordia dicta ſunt, nec aliter nos dicere poſſe, dum Chriſtiani eſſe, & principia fidei ſaluare velimus: quodq; Patres Occidentales apertiſſime, ex Patre & Filio Spiritum ſanctum procedere aſſeuerãt, & Filium eſſe eius principium, prout Pater: Orientales quoq; hoc idem dicere, partim ex Patre per Filium, partim ex Patre & Filio & ex vtroq; procedere, & ex Filio eſſe ipſum dicentes, cum q; hæc dicant, Occidentalib. conuenire, & eadem non ſolum ſententia, verum etiam verbis dicere, tanquam vno & eodem Spiritu eos illuminante locuti. Demum, quam ſolam nobis ad ea quæ Latini dicunt, relictam reſponſionem video, cum ipſi quoq; nullam eſſe iudicaueritis, immo vero rem puerilem & omnino ridiculam, conſulamus nobis ipſis, quę vtilia ſunt, & vniti Latinis conemur, ſi ea quæ placita ſunt Deo facere velimus. Aut enim non acceptandi ſunt ſancti Doctores, nec dictis eorum acquieſcendum: aut acceptandi quidem, & acquieſcendum dictis eorum, non tamen omnibus; cum ipſi quoq; tanquam homines in quibuſdam errare potuerint: aut quod reliquum & tertium eſt, nec in aliquem inciderunt errorem, & cunctis eorum verbis acquieſcendum; hæc tamen, quæ Latini produxerunt, tanquam illorum Sanctorum teſtimonia, non ex eorum mente procedunt, nec eorum ſententiæ ſunt, ſed Latinorum horum fictiones, additiones, & appoſitiones, manu mente q; aliena libris Sanctorum inſcripta. At primorum duorum neutrum certe ſcio, nec vos approbatis, niſi quis omnia fidei noſtræ fundamenta, Eccleſiæ myſteria, omnem veritatem euertere velit: reliquum vero & tertium manifeſta ſtultitia, apertiſſima ignauia eſt, ſi tot eorum libros, tot eorum opera Doctorum, tot eorum labores, tot volumina, præſertim antiquiſſima manu nonnulla eorum conſcripta, & per totum orbem terrarum ſparſa & multiplicata, per ipſum item ſequentium ad præcedentia connexum & conuenientiam, ipſam veritatem luce clatius oſtendentia, temerario auſu corrupta, mutata, & ſuperaddita eſſe dicemus; maxime cum videamus ipſos quoq; noſtros etiam antiquiores, & qui in ipſis principiis huius acerrimi diſſidii fuerunt, facientes quidem mentionem auctoritatum Doctorum Occidentalium, nil tamen contra eas habentes, quod dicerent ratione dignum. Quo fit, vt nullo modo quis eas putare debeat corruptas fuiſſe, ſi quidem in ipſo etiam contentionis principio eodem modo inſcriptum libris erat potiſſimum, cum nec extent apud nos alia eorum Doctorum antiqua volumina lingua Latina ſcripta, ad quæ, facta comparatione, poſſemus deprehendere eorum corruptionem. Quæ omnia cum animaduertamus & mente repetamus, non eligamus quæ peiora ſunt, nec contra nos ipſos ſententiam feramus; nolimus nec nos ipſos, nec nationem noſtram prodere, primo quidem auertẽtes à veritate, & oculos, ne videant lumen, claudentes; deinde ipſimet propria ſponte contra nos ipſos omne genus malorum accumulantes, & multipliciter totam noſtram nationem offendentes. Quis enim ignorat, quæ etiam temporalia mala ex hac diuiſione nos ſecutura ſunt? quæ infortunia? quodq; communem hoſtem & inimicum nobis Turcarum principem robuſtiorem contra nos ipſos efficiemus? in periculoq; ſunt, vt omnino fere pereant, quicunq; ritum noſtrum ſequuntur Chriſtiani, nomenq; Chriſti illic totaliter deleatur. Et enumeraſſem, & deploraſſem omnes particularius, quæ futuræ ſunt nationi noſtræ calamitates, quæ cunctis noſtris hominibus, qui in inſulis, qui vbiq; terrarum, qui Orientem, qui Septentrionem, qui Occidentem inhabitant, nobiſcumq; in ritu conueniunt, non dico ſolum quæ ad corpoſalia resq; temporales attinent (non n. tanti eſſent æſtimandæ) verum etiam quæ ad animam & integritatem fidei pertinent; cum oẽs ſimpliciter, aut maior eorũ pars, partim ſpẽre, partim vi, periclitentur aberrare à fide, relinquere Deum, & erroribus infidelium conſentire. Narraſſem hæc, inquam, omnia, niſi vos alloquerer, qui omnia melius me noſtis. Quis enim neſcit, quod ſolum nobis relictum refugium erat Latinorum amicitia & vnio cum eis futura, hac re ſperantibus & nos ipſos tueri poſſe, & hoſtes deuincere; quodue hoc ſolum hoſtem deterrebat, & eius contra nos furorem refrenabat? quare ſi nunc priuabimur, quo fugiemus? quinam noſtræ calamitatis finis erit? quis malorum exitus? Et ſi errare quidem Latinos, & à veritate auertere deprehendiſſemus, nec ipſe profecto vobis conſuluiſſem, eis ita ſe habentibus

tibus vniri, temporalium amiſſione deterritos; & maioris præſentia quam futura, corporum quam animarũ liberationem facere hortatus fuiſſem; imo vero & ipſe omnia quæcunq; acerba potius ſuſtinuiſſem, & vobis, vt paſſi fuiſſetis, conſuluiſſem, quam cum eis vniri non recte ſapientibus. Nunc vero timendum eſt, & quidem vehementer, ne corporis quoq; exitium vna cum animi interitu etiam eligamus; ſi quidem quæ vera, quæ pia ſunt, & nil erroneum Latinis ſapientibus, quemadmodum Patres eorum & noſtri, Occidentales videlicet Doctores, ac Orientalibus communibus Patribus eadem & conſentanea dicentibus, nos proprio noſtro malo abſq; vlla ratione ab eis diuidi vellemus. Quod enim ipſi Occidentales Patres ſequuntur, vos quoq; dicetis. Quod autem illi eadem cum Orientalibus ſaplant, hac in oratione breuiter & ſufficienter probatum eſtita vt omnibus manifeſtum ſit, Latinos omnes tum Occidentales, tum Orientales Patres ſequi, qui communes vtriſq; Doctores & Patres ſunt. Qua igitur ratione à talibus viris diſſidebimus? Quam excuſationem afferre poterimus, cur eis conuenire nolimus? Quæ nobis relinquetur apud Deum reſponſio, quare à fratribus diuiſi fuerimus, quos vt vniret, & ad vnum ouile redigeret, ipſe deſcendit de cœlis, incarnatus, & crucifixus eſt? Quæ noſtra defenſio erit apud poſteros noſtros? immo vero apud præſentes homines noſtros? Neſcio enim, an aliqua noſtra poſteritas erit de tam magna, tam graui calamitate, tot periculis, quæ eis ingerimus. Non patiamur hæc, Patres optimi; Non habeamus hanc ſententiam; non ita male nobis conſulamus & noſtris; Nolimus lupi pro paſtoribus illis fieri, qui ad nos reſpiciunt; Non eos prodamus hoſtibus, in animarum & corporum ſimul interitum. Ego enim (& ſint mihi hæc verba in perpetuum teſtimonium toti nationi, cunctiſq; Chriſtianis) nunquam huius ſententiæ ero, nec vnquam prodam corpora, animas, fidem, ciuitates, patrum ſepulchra, libertatem, & omnia ſimul, quæ omnia inuenio ſecutura ſchiſma, & noſtram à Latinis abſq; aliqua ratione diuiſionem. Quenam digna cauſa eſt, ob quam tot & tam horrenda eligamus pericula? Oro autem & rogo, vt etiam vos vel omnes, vel maior pars veſtrum, eadem quæ ego, de his rebus ſentiat, & bene communi vtilitati conſulat. Quod ſi noluerit is, ego quidem ſummum Deum, & vos omnes præſentes, & cunctos poſteros noſtros teſtor, quod ſine paſſione & fraude, quæ vera, quæ iuſta, quæ vtilia, quæ conducentia, nobis & noſtræ ſaluti mihi viſa ſunt, à principio vſque ad hunc diem non dicam non ceſſaui dicere, non omiſi conſulere, nec timore deterritus, (ne quis me Latinis affectum putet) tacui, nec proprium ſecuritatem communi vtilitati præpoſui; ſed me & mea omnia Deo commendans, & eius diuinæ voluntati ſubiiciens, qui totam mihi vitam ab incunte ætate melius, quam optaſſem, texerit atq; texit, commune bonum mihi, vt finem, propoſui & ad hoc ſolum reſpiciens & feci & dixi, quæcunq; vel feci vel dixi, ſimul & fidei veritatem quoad potui, & corporalem ſalutem vt noſtri adipiſcantur, conatus. Vos vero, cum libera ſit vobis voluntas, quodcunq; agendum videatur, id agatis. Vincant autem nutu diuino etiam apud vos, quæ meliora & ſaniora ſunt. Quod ſi (quod abſit) peior ſententia ſuperabit, hoc tamẽ omne genus humanum, omnis ætas, omnis ordo atq; conditio ſciat (proteſtandum enim rurſus eſt) quod innocẽs ego ſum ab hoc malo, hoc acerbo ſchiſmate; nec huius vnquam ſententiæ fui, nec ſum, præter omnem rationem à Latinis diuidi. Nec enim mihi perſuadeo, non recte & vere de fide eos ſapere, & eadem quæ ſanctos Doctores tum Orientales, tum Occidentales, non credere eos. Nec ignoro, quæ hinc nos & noſtram Remp. ſequentur periçula, quæ calamitates, quæ excidia. Sed præuidi, prædixi, & ne fiant, quoad potui, prouidi. Quod ſi proficere non potui, non mei dicentis, ſed audientium culpa eſt.

BESSARIONIS EIVSDEM DECLARATIO *aliquorum, quæ in dicta Oratione dogmata continentur, quæ Græcis notiſſima, Latinis ignota ſunt.*

XCIV. *Doctores Orient. vtuntur & in diuinis nomine Cauſæ & cauſari largo modo.*

NOtandum primo, quod ſancti Doctores Orientales etiam in diuinis vtuntur nomine CAVSÆ & CAVSATI, largo modo; non quidem, vt limitationem & dependentiam importat, ſed prout productionem & emanationem à principio, eius quod eſt à principio, ſignificat; & ideo me etiam ad Græcos loquentem his nominibus vſum fuiſſe. Cæterum quia ad quaſdam oppoſitiones Græcorum reſpondeo breuiter, tamen non declaratis primo eorum oppoſitionibus, ſed ad tacitam quæſtionem reſpondens, eo quia ad Græcos loquebar, quibus illa nota erant: Sciendum, quod cum Doctores dicant Spiritum ſanctum ex Patre per Filium procedere vel profluere, & cætera ſimilia; & ex hoc appareat filium quoq; Spiritus principium eſſe, quod contra eos facit; his quatuor euaſionibus hanc veritatem euadere conantur. Primo namque, cum ratiſſime dicant Doctores, Spiritum ſanctum ex Patre per Filium procedere, læpiſſime vero mitti, profluere, prodire, emanare, ſcaturire, oriri, & huiuſmodi, fecerunt ſibi hanc voluntariam diſtinctionem, quod videl. verbum PROCEDERE, duntaxat ſignificaret hypoſtaticam & perſonalem Spiritus ſancti emanationem: cætera vero vocabula, chariſmatum & donorum eiuſdem in nos diſtributionem, & temporalẽ in mundum eius miſſionem, quam ẽt per Filium fieri concedunt. Secundo dicunt, quod ideo dicitur ex Patre per Filiũ, non quia Filius eſt principium Spiritus ſancti, ſed quia Pater & Filius ſunt nomina relatiua; alterum vero relatiuorum non poteſt dici, quin intelligatur alterum; ideo dicendo EX PATRE, neceſſe eſt etiam Filium nominare, propter vim ipſius relationis. Tertio, conſubſtantialitatem Patris & Filii cauſam eſſe aiunt, vt ex Patre per Filium Spiritus eſſe dicatur: Cum enim eiuſdem ſubſtantiæ ſint Pater & Filius, neceſſario, cum dicitur ex Patre, oportet quod dicatur etiam ex Filio. Quarto, quia nonnunquam, rariſſime tamen & apud poetas, quibus ob anguſtiam metri licet metaphoricè & abuſiue vocabulis vti, præpoſitionem PER, al quando reperierunt idem ſignificare, quod præpoſitio CVM: dicunt, Spiritum ſanctum deo dici ex Patre per Filium procedere, quia ex Patre cum Filio ſimul procedit. & his modis omnes illas auctoritates exponunt, ſiue peruertunt. Hæc nos ex ipſamet auctoritatum ſententia, & rationibus veriſſimis confutauimus, probantes hæc non poſſe conſiſtere, nec opinionibus & verbis ſanctorum Doctorum conuenire, prout ex ipſis verbis clarius videtur. Præterea ſciendum eſt, quod in tertio Oecumenico Concilio ſanctus Cyrillus contra Neſtorium & eius hæreſim inter alia multa, quæ ſapientiſſime ſcripſit, duodecim etiam capitula edidit contra hæreticos Neſtorii articulos, quæ anathematiſmos appellauit, eo quod in eis errores illius anathematizat; quorum in nono contra Neſtorii errorem, qui blaſphemabat Filium Dei purum hominem eſſe, Spiritus ſancti gratia per participationem ſanctificatum; idem ſanctus Cyrillus Spiritum ſanctum, Spiritum Filii & proprium Filii eſſe dicit. Poſt hæc quidam Theodoritus Cyri Epiſcopus, vir quidem litteratiſſimus, humanæ tamen fragilitati ſubiectus, ſuperueniens in Synodum ſero cum Patriarcha Antiocheno Ioanne, cum reprehenſſent iam Neſtorium condemnatum, & pro demeritis ſuis ſede Patriarchali Conſtantinopolitana priuatum, indignati, quod eis non expectatis concluſum fuerit, defenſione Neſtorii ſuſceperunt. Theodoritus igitur, tanq; vir doctiſſimus, cõtra duodecim anathematiſmos Cyrilli alia duodecim capitula

Cyril. contra Neſtor. dicus Spiritum S. eſſe filii & proprii filii.

Aliud fatile argumentum Græcorum

4. modis Græci euadere conãtur veritatem proceſſionis Spiritus S.

capitula edidit, quorum in nono vbi S. Cyrillus Spiritum sanctum Filii, & proprium Filii dicit esse, hic verbis ait: Quod si Cyrillus Spiritum sanctum proprium Filii dicit, tanquam consubstantialem ei, hoc vero acceptamus: quod si tanquam ex Filio, vel per Filium esse & existentiam habentem, hoc vt blasphemiam eiicimus. Ad hæc totum Oecumenicum Concilium tertium tacuit, nec increpauit Theodoritum tanquam male dicentem. Cyrillus tamen ad ea respondit, omniaq; sua capitula aliis duodecim nouis capitulis ita denuo exponit, vt sententia eius etsi non nimis apertis verbis, clare tamen pro nobis esse appareat. Hoc maxime Græcos oblectat, in hoc potissimum confidunt, hoc pro maximo & insolubili argumẽto putant, quod Theodorito negante Spiritum ex Filio, vel per Filium habere esse & subsistentiam, Concilium totum tacuerit, nec eum mendacii & erroris redarguerit; Cyrillus quoq; non ita aperte, vt putant, responderit; cum tamẽ sciant Theodorit. propter ea condẽnatum, & ab Ecclesia multis annis eiectum fuisse. Ad hæc igitur tanquam notissima Græcis, non ea latius explicando, vt Oratione videtur, respodetur. Sed nemo de Theodorito viro doctissimo doleat; suum enim recognouit errorem, & in quarto Chalcedonensi generali Concilio (superuixit namq; ad illud vsq; tempus) palam eum confessus, à sancta Synodo, tanquam honorabile membrum Ecclesiæ, susceptus & restitutus fuit.

Theodorit. male de Spirit. S. processione sentiens ab Ecclesia cõdemnatus fuit, postea recognouit errorem.

XCV. Post Orationem hanc obtulit nobis Scholarius domnus Georgius tres Orationes pro vnione deliberatiuas, cohortans animansq; nos ad amplectendam vnionem; quas hic non apponimus propter prolixitatem; sed scribuntur in calce libri. Itaq; quarta feria post octauam Paschæ, vt dictum est, conuenimus in Patriarchæ domum, cum ægrotaret ipse, vna cum Imperatore. Venerunt igitur & Cardinales, Camerarius Cardinalis S. Clementis, Iulianus sanctæ Sabinæ, & Firmanus; nec non Archiepiscopi, & Episcopi ad decem, cum Hieromonachis & Philosophis quibusdam. Ergo Sanctæ Sabinæ Cardinalis ita orsus est dicere:

Iul. Card. Altercatio inter S. Sabinæ & Imp. pro disputationibus & sessionibus habendis.

Serenissime domine Imperator, sunt hic eloquẽtiores me & doctiores ad referenda Sanctissimi Patris nostri mandata idonei: sed quoniam ego in aliis congregationibus tractationi rerum interfui, rursus hortatu sacratissimorum horum meorum dominorum dico pro viribus; quæcunq; vero fuerint à me prætermissa, sunt hi domini mei, qui ea supppleant: Dico igitur; Nos habemus conuentiones & tabulas Ferrariæ confectas; quæ oẽs illud continẽt, vt per hebdomadam ad minus bis disputemus: nam disputatio enucleat dogmata, & magnam affert vtilitatem. Quam ob causam vos non statis conuentis? nescitis, nulla alia de causa factos esse ab vtraq; parte sumptus & impensas, & susceptos tot tantosq; labores, nisi vt repetiatur veritas? Quomodo futurum est, vt veritatem reperiamus, de ipsa non disceptando? abiit tempus mensium quatuordecim, & nihil plane peregimus. Sessiones quoq; non nisi vigintiquinq; celebrauimus, & vix quidem; cum mense quolibet saltem quatuor facere debeamus: Nos vero propter vestram negligẽtiam tanto tempore nihil agimus; ideoq; plurimum tristamur. Sed rogamus vos, vt sessiones, & disputationes adhuc habeatis, quoniam ad vnionem conferunt: nam sine illis nihil omnino boni speratur. His à Cardinali dictis, respondit Imperator:

Imperator

Nos, quod facere debebamus, fecimus: non n. conuenit inter nos, vt in perpetuum disputemus; sed habitis disputationibus contenti simus. satis ergo dictum, & auditum est à nobis: quid adhuc restat? aut medium aliquod reperiatur ad vnionem, aut nos amplius non disputamus.

Addidit etiam exemplum tale; Cum, inquit, aliquis ægrotat, diæta curari soler, dum morbus viget; at non vbi is à morbo euaserit: non n. semper diæta prodest: proinde etiam disputatio profuit; nunc a. non est disputationis tempus, sed alterius cuiusdam viæ ad conciliandum vnionem. Ad hæc respondit Cardinalis:

Iul. Card.

Quod facere debebatis, non fecistis; debebatis n. perpetuo disputare, donec aperiretur veritas, & finem haberet disceptatio: Nunc vero nos multa Sanctorum attulimus testimonia, explanauimus dogmata; probauimus, eum qui non credit vocẽ, ex Filio, non esse eius: Vos a. nihil respondetis; neq; negatis, neq; affirmatis; sed dicitis, nolle disputare; & satis esse, quæ dixistis; quid a. dixeritis, non apparet. Aut ostẽdite nos non recte sentire, aut in nostram venite sententiam; aut si quid dicere habetis, in disputationem descendite, donec probetis quod è re vestra sit. Nam & exemplum, quod Serenitas tua posuit, ad rem facit; siquidẽ medici summe ægrotantẽ abstinere à cibis iubent; & nos propter schismatis morbum disputatione vtimur, quæ vtilis est, quousq; vniamur: quia post vnionem non disputabimus: & quoniam prodesse ipsam affirmasti, etiam num disputandum est, donec veritas reperiatur; aliam enim vnionis viam reperiri non licet. Ad hæc Imperator:

Imperator

Diximus vobis, non amplius nos esse disputaturos: vobis enim non deest excogitata verborum copia. Soletis etiam more dialectico non acquiescere, sed respondere semper, & posteriores dicere, vt sæpe fecistis: nam post multum sermonem posteriores vos sermocinabamini, quasi respondentes, vt aures astantium complereris: atq; ita statim consurgentes discedebatis: itaq; idem semper à nobis fiet. Quare longa disputatio prætermittatur, & reperiatur alia quædam methodus, vt fiat vnio fauente Deo. Respondit Iulianus:

Iul. Card.

Nos verba non excogitamus, sed regula est & mos disputantium ad nihil tacere, & responsionibus non carere: nam qui non respondet, despondere animum videtur; quienim responsionibus ad se defendendum indiget, seu probationes non habet ad ostendendum quod sibi propositum est, vero assentiri videtur; vt vos fecistis: nam Præsul Ephesius cum non haberet quid responderet, secessit; neq; amplius respondere vult: nunc a. ita dicitis: sed nobis hoc satis non est; & vos conuentis non statis: at non decet ita fieri, verum disputationes adhuc habendæ sunt, donec veritas emergat.

His aliisq; multis vltro citroq; dictis, adduci non potuit Imperator, vt vellet fieri sessiones ad disputandum, sed voluit ex vtraq; parte deligi decem, qui sessiones octo celebrarent: & si quidem reperirent aliquod medium concilians dogmata, ducensq; ad vnionem, Deo gratias: sin minus, vt domum reuerterentur. Sermonibus hisce habitis Cardinales abiere: lapsiq; sunt dies vsq; ad feriam sextam. Feria sexta Imperator Pontificem adiit, vt coram cum ipso loqueretur: ergo habito colloquio conuenit inter illos, vt decem illi seorsum congregarentur. Et factum est ex parte Græcorum præter consuetudinem. Nam Synodus eorum, tametsi parua, duas in partes diuisa est, quod nunquam antea contigerat, factum tamen est. Et Latini quidem elegere è Cardinalibus duos, è Metropolitis duos, ex Abbatibus duos, ex Philosophis duos, & ex Presbyteris duos. Græci vero omnes fuere Metropolitæ, conuenientes decem, quos Imperator voluit: & primam celebrauere sessionem. Petierunt ergo Græci, vt Epistola S. Maximi reciperetur, quæ dicit (non quod Filium Spiritus causſam faciant) & Latini responderunt: Neq; ipsi dicimus, Filium esse primordialem Spiritus causſam: vnam quippe asserimus Filii ac Spiritus causſam, Patrem, illius quidem secundum generationem, huius vero secundum processionem: sed vt communionem identitatemq; essentiæ nos quoq; significemus, & Spiritum sanctum procedere per Filium asserimus, & inseparabilem esse ab hypostatibus subsistentiam aperte fatemur. Nam Filius substantialiter est Patris Filius, & Spiritus S. substantialiter est Patris & Filii: & quia substantialiter est Patris & Filii, & substantia non est separata ab hypostasi, sequitur vt Spiritus sanctus sit etiam ex hypostasi Filii. Quas vero sanctus Maximus dicit sanctorum Romanorum Patrum sententias, eæ non sunt, nisi Augustini, Hieronymi, Ambrosii, & reliquorum; quorum libri manifeste asserunt, Spiritum sanctum procedere ex Patre & Filio. Cum hæc illi dixissent, conuenus hic secretus dimissus est. Postridie rursus conuenere, & sancti Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani confessionem attulere dicentem, Spiritum sanctum procedere ex Patre per Filium: contendentes, vt consentirent, dicerentque vt Tarasius. At Latini bene exposuerunt illud, per, sicuti volebant, dicentes; Vox ista, *per*, estne diuersa ab, ex, an non? Respondent Græci: diuersa est. dicunt Latini: Si ergo alia est actio præpositionis, ex: & alia est actio præpositionis, per; erunt iuxta responsionem duæ actiones, altera Patris, altera Filii: at hoc inconueniens est. Verum præpositionem per, nulla ratione admittimus, timentes dogma illud per canalem, siue per instrumentum: sed dicimus Spiritum S. procedere ex Patre & Filio, vt ab vnico principio vnica actione.

S. Tarasii Patr. Constant. confessio.

Latini.

Hisaliisq; similibus habitis sermonibus dimissus est & hic secretus conuentus: & Græci nolebant amplius conuenire, non habentes, quid vltra proponerent. sed Latinis excitantibus Græci ter iterum conuenerunt, effeceruntq;, vt Latini propter vocem illam *per Filium*, explanationem huiusmodi darent:

XCVII. *Explanatio Latinorum PP. de voce* PER FILIVM.

Quoniam Græci suspicantur, nos duo principia, duasque causſas ponere in sancta & consubstantiali Trinitate: anathema dicimus asserentibus duo principia, vel duas causſas. Nos autem fatemur vnum principium, Patris & Filii actionem & productiuam potentiam: & non dicimus, Spiritum sanctum procedere etiam ex Filio, vt ex alio principio & causſa: siue quia Filius Spiritum sanctum primordialiter producat: vnam quippe nouimus causſam, & radicem, & fontem Deitatis, Patrem. neque vero vnam dicimus personam Patris & Filii, quia vnicam asserimus actionem: hoc enim absurdum est; sed duas hypostases dicimus, & vnam actionem, & vnam virtutem productiuam, & vnum quod producitur ex substantia & hypostasi Patris & Filii. Idcirco etiam in sacro Symbolo explicatum & declaratum est, ne paulatim ii qui affirmant Filium non esse causſam Spiritus, laberentur in dogma, tempus constituentes inter Patrem & Filium. Etenim qui negant, Spiritum S. etiam ex Filio procedere, profecto manifeste declarant, quod ex solo Patre: si vero ex solo Patre, fuit ergo quando non erat Filius: si vero dicant, quod ex sola paterna hypostasi, separant re ipsa substantiam ab hypostasi: atq; ita per ipsos substantia in partes secabitur, quod absurdum est. Quapropter, vt diximus, etiam in sacro Symbolo appositum est.

Graci.

Cum hæc à Latinis scripta, & missa essent ad Græcos, die mensis Aprilis 29. feria quarta tertiæ post Pascha hebdomadæ, congregati sunt Græci in domum Imperatoris: erat enim in morbo Imperator: & consultarunt, quomodo responderent scripturæ. Quidam ergo dicebãt, Latinos semper idem dicere: Alii vero, eos ne tantillum quidem in nostrum deflecti sententiam: Alii, eos enidenter statuere Filium Spiritus S. causſam: Alii, duas causſas, duoq; principia ponere ab iis: Alii qui nimium sapere videbantur: scripturam, aiebant, diligenter considerare. Duobus ergo lapsis diebus, aliam rursus scripturam misere ad Græcos Latini hæc continentem:

XCVIII. *Alia Latinorum PP. ad Græcos scriptura. Latini.*

Quoniam Græci calumniantur nos, affirmantes duo principia, duasque causſas poni à nobis in sancta & consubstantiali Trinitate, dicimus in scripto ita: Credimus in vnum Deum Patrem: & in vnum Filium Vnigenitum ex Patre natum: & in vnum Spiritum sanctum habentem quidem ex Patre suam subsistentiam sicut & Filius, sed etiam ex Filio procedentem: Vnam quippe dicimus Filii, & Spiritus causſam, nempe Patrem: illius quidem per generationem, huius vero per processionem. Sed ne identitatem vnitatemque essentiæ diuidamus, atque vt essentiam ab hypostasibus non re differentem, sed ratione tantum & actu intelligendi asseueremus: & nulla suspicio sit, Spiritum sanctum esse ex solo Patre; triumq; substantia, quæ vnica est, in tres partes dissecta culpiam videatur: vocem illã, Ex Filio, pronunciamus in Symbolo: & propterea dicimus, Spiritum S. procedere ex Patre & Filio, vt ab vnico principio:

His ita scriptis, atq; ad Græcos missis, Præsules conuentum egere, biduum vna cum Patriarcha deliberantes; & vix ipsi quoque scriptam responsionem dederc: non enim ferebant audire, Filium esse causſam Spiritus: scripsere tamen & ipsi hoc pacto:

Græcorum responsio.

Quoniam Latini fatentur vnum principium Filii ac Spiritus Patrem; & quærunt à nobis quid & ipsi sentiamus; Nos quoq; dicimus fateri, fontem & radicem Filii ac Spiritus esse Patrem: Floreatq; ac diuina germina Patris esse Filium & Spiritum iuxta S. Cyrillum, & primam Synodum, & Basilium M. Dicimusque Filium emittere, & ex se scaturientem effundere Spiritum; atque à Filio emanare, profluere, & effundi Spiritum sanctum.

Græci.

Hæc ipsi etiam scripta misere ad Latinos; illud sibi reseruantes, vt semper quas ipsi vellent, explanationes eorum darent.

Cum hoc Latini vidissent, neq; quam scriptura hac fuere contenti; sed vbi eam accepere, petebant expositionem à Græcis, dicentes; vocem, scaturire, scriptam esse in actis primæ Synodi: & profluere, pariter re periti in scriptis Sanctorum: similiter & effundi; sed quomodo hæc intelligatis, vos fateri volumus; audimus enim hæc secundæ cuiusdam & temporalis esse processionis; non enim dicimus, sanctos Patres vnam tantum asserere processionem in productione Spiritus sancti; hanc autem effusionem ex Filio, non secundam, sed aliam temporalem dicimus, quæ respicit nos, quam habet Filius & Spiritus S. Perimus ergo, vt dicatis de hac intemporali productione, qua Filium credimus causſam Spiritus S. Quomodo n. profluat à Filio hypostasi sua subsistens sanctissimus Spiritus, nisi habeat esse ab ipso? Quomodo vero effundatur ab illo, quemadmodum ab ipso Deo & Patre iuxta magnum Cyrillum, si sui causſam non habeat Filium? Idcirco sensus, inquiunt, idem est atque vester; sed verba scriptu ę innuunt, ne rursus secundam ponatis processionem in simplici, & omnis experte compositionis Deitate:

Latini petunt à Græcis explanationem suæ scripti.

Graci.

Vt hæc nobis fuere à Latinis nuntiata, ob murmurare cœpimus, & rei finem imponere dicentes: Quod fecimus, nullum sane fuit & eximium, idque præter voluntatem trium ex nostris Vicariorum Patriarchalium; Nam Heracleensis, & Ephesius, Monembasiensis, & Anchialensis missam confessionis scripturam ne quaquam suis sententiis approbauerant; nec non ex Clericis, magnus Bibliothecarius, primusq; rerum Ecclesiasticarum defensor. Itaq; aliud, diximus, à nobis fieri non posse; nos Sanctorum dicta scripsimus, & misimus, quid vltra habemus? Atq; ita cœpimus solicite de reditu cogitare, congregatique retulimus omnia ad Patriarchã nostrum dicentes; Cur tanto tempore otiosi fecimus? fit aliquanto negocii conclusio; addidimusq; nisi quam primum res finem habeat, nos immorari amplius non posse; proinde cogitandum, quomodo fiat abeundum. Hæc ad Imperatorem perlata, visa sunt non esse hominum longanimitate ventum; sed vestra, inquit, socordia multa rei tulit incommoda:

Graci.

Respondernnt ei, Veremur, Serenissime domine

Imperator, ne totam hic æstatem consumamus, & autumnum, & abeuntes hyeme periclitemur. Imperator autem

Imperator Et quis, inquit, hoc habet in animo? ego enim propero vel hodie, si fieri possit, rei finem imponere: sed æger sum: & qui morbo laborat, quid potest facere? expectare ergo vsq; ad feriam quartam: erat enim Dominica quinta post Pascha: & feria quarta ibo ad Papam, etiq; quod Deus præstiterit.

XCVI. *Alia huius Conc. acta inter Papam Imp. & alios.* Post hæc consuluit Imperator? & feria quarta, hoc est vigilia Ascensionis; die Maii 13. accessit ad Papam, sed nihil effecit: nam Papa auditis Imperatoris verbis, respondit, se consultaturum, & feria sexta illi responsurum. Itaq; feria sexta, die scil. Maii quintadecima, profectus est iterum Imperator in palatium Papæ, vt illi dictum fuerat: & Cardinalis Iulianus ex persona Papæ loquens, his verbis ad Imperatorem est vsus:

Papa. Nos, Serenissime fili, & semel & sæpius contendimus, vt fierent disputationes ad conquirendam & inueniendam veritatem, nec voluistis, misimus scriptam fidei confessionem, nec ea contenti fuistis. Scripsistis vos, & misistis nobis dogmata & dicta Sanctorum ac Doctorum Ecclesiæ, petimus, vt eorum explanationem detis, & non vultis explanare: nos quidquam amplius dicere non habemus. Respondit Imperator, dixitq; illi:

Imperator Ego non sum dominus Synodi, neq; tyrannice nos volo vniri; sed nostra Synodus sua sponte permota est, misitq; hanc confessionem, quam dicitis esse explanandam: ea vero sufficit, nec indiget expositione: nam scaturire, effundi, profluere, caussalitatem Filio tribuunt: licet hoc nostri aperte non dicant ob vulgi ignorantiam. Quid porro aliud velitis, ignoro. Caussam Spiritus fatemini Filium, nihil contradicimus: sed per hæc verba vobiscum vnimur: & quoniam vnimur, non contradicimus. Iulianus autem respondens ait:

Iul. Card. Sed profluere, scaturire, & effundi, tribuunt vestri secundæ processioni, nimirum reporali: nos a. expositionem volumus iuxta mentem Sanctorum, qui vocibus illis vsi sunt, assignantes Filio vna cum Patre caussalitatem subsistentiæ. Quod enim M. ait Cyrillus: Ita etiam effunditur à Filio, quemadmodum plane & ex Patre: non est aliud, quam etiam ex Filio procedere, sicut ex Patre: & idem est, scaturire & profluere sicut à Patre, ita etiam à Filio.

His aliisq; huiusmodi sermonibus habitis venit Imperator; & admoniti fuimus Præsules, vt in Patriarchę domum conueniremus, eget enim is erat; quo Imperator veniens significaret nobis, quid egisset cum Papa.

Itaq; die mensis Maii 17. Dominica scil. infra octauam Ascensionis, Præsules ad Patriarcham conuenimus, Imperatorem quoq; eo venturum sperantes: sed Imperator non venit: significauit n. nobis, se à prandio Cardinales expectare.

Patriarcha. Congregatis ergo nobis cum Patriarcha in cellam eius, multisq; collatis sermonibus, & rarditatem non ferentibus, post oēs Patriarcha suo more multa cum prudentia & intētione animi respondit nobis; Sacrum nostrum Imperatorem præterita feria quarta fuisse ad Papam, multaq; & magna verba illi dixisse; præsertim vero, Cur non admittant, quæ proposuimus. Papam vero rogasse, vt feria sexta accederet, quod non esset ad respondendum præmeditatus. profectum ergo Imperatorem feria quarta, multa rursus luculenter sapienterq; dixisse. sed Latini, inquit, explanationem quæ-runt prolatæ nobis scripturæ, quomodo intelligamus; profluere, scaturire, effundi.

Cum hæc dixisset Patriarcha, ęrebamus nos, quomodo viuemus, dum hæc versantur in controuersia? Respondit Patriarcha: Imperatorem cito venturum ad nos, vt rebus consulat. Post hos sermones discessimus.

Die vero Maii 21. feria quinta, misit Imperator petens à Pontifice, vt rei finem faceret. *Imperator*

Misit ergo ad ipsum Papa tres Cardinales, Camerarium, Iulianum, & Firmanum, dicens petens; vt explanarentur dogmata, quæ scripta miserant, & maxime præpositio per; diuidens eam in quatuor, quod significet vel instrumentum, vt per serram; aut per materiam, vt domus; aut per canalem, vt aqua, aut naturaliter & substantialiter, vt Filius Spiritum sanctum. *Papa.*

Respondit Imperator; Nos nihil aliud scribimus aut dicimus, præterquam hoc; si suscepistis quod dedimus, vniemur; sin minus, abibimus. multis ergo collatis sermonibus, nihil effectum est. Rursus postridie venerunt Cardinales, iterumq; eadem de iisdem loquti nihil effecerunt. Sed cum venisset Dominica gloriosæ Pentecostes, nuntiatum est Imperatori, vt iret ad Papam; & profectus est post vespertinum officium, genuumq; flexionem; cumq; ambo consedissent, dixit el Papa: *Imperator*

Cum Imperii tui studium assidue conspicerem ad diuinum opus vnionis, ego & qui mecum sunt magnopere lætabamur, sumptusque pro nihilo putabamus; nunc vero negligenter videntes tractari negocium, magno dolore afficimur, ac de tanta mutatione miramur. & siquidem iustam aliquam afferre posse tis caussam, esset aliquod rei remedium; at citra vllam probabilem caussam tempus conterere, & vnionem Ecclesiarum desperare, magnum videtur, ac diuersum ab eo quod sperabamus; nam pecuniam nostram effundentes, quid agendum prætermisimus? quid impossibile dicimus, & non respondistis? Dicimus, aut suscipite missam à nobis fidei confessionem; aut eam explanate, quam ipsi ad nos misistis, atq; ita vniemur; quid impedimento est? Cum hæc aliaque similia dixisset Papa Imperatori, respondit Imperator: *Papa.*

Quæcunq; Sanctitas tua dixit, æqua sunt, & rationi consona; & vale recta: debemus planam facere scripturam nostram; sed non omnes Orientales Ecclesiæ sunt in eadem sententia, vt hoc præstemus; nam maior eorum pars dubitat de eo, quod à vobis quæritur, aut ignorans quæ dicuntur, aut non valens euestigio patriam deponere opinionem. Ita enim maiores nostri existimabant, duas poni à Latinis subsistentiæ Spiritus sancti caussas, Quocirca non admittunt omnes facile hanc vnionem propter vocem illam, ex Filio. Itaq; quod ab iis habere possumus, hoc facimus. Ego enim non sum dominus Synodi; nec volo tyrannice meam Synodum cogere ad aliquid dicendum. Quapropter ad ea, quæ Sanctitas tua dixit, nullum ferre possum auxilium. Ad hęc Imperatoris verba respondit Papa: *Imperator*

Permitte igitur, vt tua Synodus respondeat nobis; nihil est, quod vos impediat; est enim bonum, ac suscipiendum & mihi & tibi Imperator: *Papa.*

Cum hæc dicta & perlata essent ad nos, surgentes perreximus ad Papam. Præsidente igitur Pontifice cum suis Cardinalibus; erant autem numero nouem; videlicet, Bononiensis, Placentinus, Venetus qui & Camerarius, Cardinalis Sanctæ Crucis, Sancti Marci, Sanctæ Sabinæ, Florentinus, Columna, & Firmanus. Considentibus q; multis ex parte Archiepiscoporum, & nobis, absentib. tamen Imperatore & Patriarcha, concionatus est Papa per interpretem, & dixit nobis: *Papa.*

Ego fratres, Orientalis Ecclesię optimates, non propter aliquod corporale commodum, aut vllam huius vitæ vtilitatem aggressus sum diuinum hoc opus vnionis Ecclesiarum; sed sancti Spiritus zelo incensus maximum hunc suscepi labore. nostis n. optime, quantum ab initio vsq; ad finem propter hoc desudauerim. Sperabam a. fore, vt vos etiam in hoc vehementer incumberetis; nam cum vidissē vos promptos & alacres adisse pericu-

pericula, & labores tam arduos excessisse studio vniendæ Ecclesiæ Dei, spes magna affecit me. Nunc vero desidiam vestram inspiciens animo, quæ nemo id fiat. Dolore quippe vestram vicem, memoria repetens, vt patriæ, vt necessariorum aspectu careatis, vt ecclesiæ commodis afficiantur Ecclesię. Quid enim boni fit vobis desidiosę agentibus? aut quem fructum capiemus, si Dei Ecclesiam non vniamus? Ego quidem ex quo huc veni stis, multum posui studium, vt fieri inciperent disputationes: & postquam indicta fuit Oecumenica Synodus, impellere non destiti ad dogmatum disquisitionem: Vos autem nescio, cur semper cunctabundi sitis. Annum fere consumpsimus Ferrarię, vixq; disputationes quindecim habitæ sunt. Ego vero patenter omnia tolerabam, intuens ad sanctum finem vnionis. Quin etiam quæcunq; à me petiistis, liberaliter præstiti, spe vnionis adductus. Communi deinde sententia Florentiam venimus; & nunquam intermisi vos excitare ad disputandum, partim increpando; partim conuentiones nostras, quas Ferrariæ fecimus, in memoriam redigendo, dicens, conuenisse inter nos, vt omni excusatione postposita ter per hebdomadā disputaretur. Quod si aut Serenissimum Imperatorem, aut Papam, aut sanctissimum Patriarcham, aut disputantium aliquem ægrotare contingeret; disputatio tamen non intermitteretur: etsi quid etiam fortuito accideret, aut solemnis dies, vt postero die conuentus & disputatio fieret; & nulla ratione otiaremur, tempus ne frustra conteremus. At vos nescio an ad sessiones octo vel nouem Florentiæ conueneritis, & amplius noluistis; sed dixistis, secreto esse conueniendum, & inueniendum vnionis modum: nos vero ad hoc etiam deuenimus: verum in eo quoq; frustra tempus consumptum est. Dixistis, vt fidem nostram vobis scriptam traderemus; quod quidem à dignitate Rom. Ecclesiæ semper alienum fuit; optime enim scitis, quantum honorem haberent semper Orientales Romanæ Ecclesiæ, quantamq; illi obedientiam exhiberent: at nos ad hoc etiam deuenimus; scripsimus enim, & misimus: sed in hoc etiam tempus frustra positum est. Misistis vos scripturam fidei perplexam: & petimus, vt illam exponatis, & non vultis, & quid dicam? Video plane mihi ante oculos versari dissionem: & mitor, quid vobis profuturra sit diuisio. Quod si fiat, quomodo accipient hoc Principes Occidentales? quantum nos ipsi mœrorem suscipiemus? immo vero quomodo vos in vestram patriam reuertemini? Sed si vnio fiat, & Reges Occidentales, & nos omnes magnam capiemus voluptatem; & magno vobis auxilio erimus: & auxilium nostrum magnopere subleuabit Christianos in Oriente habitantes, eosq; qui impiorum seruitute premuntur. Rogo itaq; vos fratres per Domini nostri Iesu Christi præceptum, diuisio hæc in Ecclesia Dei ne fiat: & conferte studia, expergiscimini, demus vna gloriā Deo. Coniunctio nostra multam affert animæ vtilitatem: coniunctio nostra multo corpus honore afficit: coniunctionem nostram corpórei & incorporei hostes timebunt: coniunctionem nostram S. Angeli gaudebunt: & magna erit lætitia in cœlo & in terra.

Cum Papa Sanctissimus hæc & similia dixisset, Orientales per Rhurenum ita respondērunt: *Graci.*

Omnia quæ dixit tua Beatitudo, sancta & iusta sunt: sed magnæ res magnas quoq; habent cunctationes. Nos enim etsi satis diu moramur, vt sanctitas tua asserit, nunquam tamen conquiescimus ab inquirenda vnitate Ecclesiarum, modo disputando, modo priuatim colloquendo, modo inter nostram Synodum, modo cum Imperatore nostro: & nunquam quiescimus. non est ergo mirum, si cunctamur: nam quadriennium est, ex quo diuinum hoc negocium cœptum est tractari, magnoq; studio geritur. sed huiusmodi res, vt antea diximus, mora indigent, & consideratione non modica.

His aliisq; similibus dictis egressi sunt è palatio: erat autem feria quarta Pentecostes. Itaq; profecti ad Patriarcham nostrum exposuerunt omnia. ille vero iussit, vt ad Imperatorem irent Rhutenus, Nicęnus, Lacędemonius, & Mitylenensis. Ii vero profecti non solum ei nuntiarunt, quæ Pontifex dixerat, sed multos etiam ei stimulos admouerunt ad conficiendam vnionem, his interalia verbis ad eum vsi: si tuum Imperium vniri noluerit, nos vnimur.

His auditis Imperator extimuit, quod hi se ab aliis segregassent. cœpit ergo in rem vnionis vehementer incumbere: iussitq; vt postridie Synodus ipsorum congregaretur.

Itaq; feria quinta Pentecostes conuenerunt in Patriarchę domum vna cum Imperatore, habuitq; Imperator hæc verba: *Imperator*

Nos, domini Præsules, nulla alia de causa peregrinamur, arq; in hanc regionem venimus, nisi propter vnionem Ecclesiarum: neq; aliam ob caussam hic commoramur, nisi honoris Ecclesiæ nostræ gratia, & ecce nobis mensis iam hic agitur in Italia quintus decimus, nec vllum asseq̄uri sumus honorem; sed & domibus nostris caremus, & moram adhuc faciemus. Quapropter diuinum hoc opus nostra pernicio sa est; nihil n. prodest. nostra vero vnio res quidem est bona, si tamen sit cum nostra pietate coniuncta. Sunt enim hic extrema duo mala, duplexq; periculosum exitium, si recte non vniamur, & si iure non disiungamur. perpendat ergo vestra sanctitas, quid fieri præstet, nobisq; conducat, necne pernicio sam hanc disiunctionem. Subeat quoq; animos vestros nostræ domus auxilium, Christianorum refugium, spes fidei, salus communis, Constantinopolis inquam; & de hoc date bonum consilium; ferte sententias neq; animas, neq; corpora lædentes. Nostra, siue Ecclesiarum vnio bona quidem est, sed pie, & citra crimnis conscientiam. Difficilium autem periculosum quidem est, sed periculum animæ leue id reddit. Cęterum cauendum vobis est, ne illud lateat, posse citra crimen fieri hanc vnionem; & nos boni compotes nequaquam fiamus mali diuisio Ecclesiarum & est & dicitur res horrenda: & qui piam hanc vnionem impedit, magis quam Iudas ipse proditor, condemnabitur.

Cum hæc, pluraq; alia pro concione dixisset Imperator, respondērunt præsules, & dixerunt ei: *Graci.*

Si cui grata non est Ecclesiarum vnio, anathema sit, dum fiat cum pietate.

Itaq; hortatu omnium respondens Rhutenus dixit: C. *Alia gesta super recensione Sanctorum Occiden. Rhuten.*

Nostis fratres, caussam huius moræ fuisse dissensionem ac discordiam nostram. nunc ergo leganter libri Occidentalium & Orientalium sanctorum; Concordiam inter eos constituamus, concordes enim sunt; quoniam sancti consona scribunt: si quidem Spiritus S. sibi non dissonat. Sancti vtriq; sunt, & vnus Spiritus S. in iis locutus est: & credendum est vnum omnes dicere, & non dissentire. nonne vobis etiam ita videtur? Respondērunt ei: Nos etiam ita sentimus. Tunc Nicænus dixit ad eos: *Graci.* *Nicanus.*

Ersi hoc sentitis, sanctos inter se non discrepare, qua ratione ipsis non creditis, quod etiam ex Filio procedat Spiritus S.? & incipiens à libro S. Epiphanii, cui nomē, Ancoratus, & ex S. Cyrilli expositione in Ioannem: & ex Thesauris eiusdem S. Cyrilli, legit multas sententias integras: quarum alię Spiritum S. asserebant ex Patre & Filio procedere: aliæ vero, ex ambobus: aliæ, Spiritum habere suum esse à Filio: aliæ dicebant, effundi: & aliæ, emitti.

His lectis Mytylenensis protulit sanctos Occidentales, qui euidēter asserunt, Patrem & Filium esse vnum principium Spiritus S.: & esse hunc ex Patre quidem originaliter, sed à coęsubstantiali etiam ipsi Filio: & Spiritum S. procedere ex Patre & Filio. & legerant eos omnes, & persuasum habuerunt, atq; vna voce clamarunt: *Mitylen.*

Græci. Nunquam vidimus sanctos Occidentales, nunquam eos legimus: nunc autem nouimus, & legimus, eosq; recipimus.

Ad hæc Imperator:

Imperator. Si eos suscipitis, omnes ferte sententias, & tulerunt omnes sententiam cum Patriarcha, quod sanctos Occidentales reciperent, & scripta eorum pro veris germanisque haberent, & nequaquam adulteratis: vno quippe Spiritu repleti fuere; vt necesse sit eorum quoque scripta vera esse, atq; ad vnum respicere.

Pronunciatis his sententiis dimissa est Synodus: & vnusquisq; domum se contulit.

Feria vero sexta conuenientes iterum dicta Sanctorum legerunt, præsertim Orientalium, Basilii Magni in multis eius sermonibus: sancti Athanasii: sancti Cyrilli ex Thesauris, & libris ad Hermiam: Epiphanii: sancti Athanasii Sinaitæ, Gregorii Nysseni, & doctrina præstantis Damasceni.

His lectis satis percepta sunt ab omnibus dogmata veritatis, & dimisso conuentu abiimus: rursusq; à prandio congregati sumus, & lectis de integro sanctorum sententiis discessimus.

Sabbato vero mane cum ad Patriarchę domum cōuenissemus vna cum Imperatore nostro, venit & dominus Georgius Scholarius, qui & huiusmodi verbis ad Imperatorem est vsus:

CI. *Geor. Scholar. ad Imper. verba.* Optime & potentissime Imperator; quam ego quidem habuerim, & nunc habeam sententiam de proposita vnionis materia, indicat sermo à me vicunq; compositus, & huic nostræ sacræ Synodo oblatus: quo sacros hosce adhortabar Patres ad vnionem, & auxilium rebus Constantinopolitanis ferendum. testantur eiam duo libelli, quos antea compositos nunc præsenti Synodo trado. quorum alter consilium dat, vt fiat, & quomodo fieri debeat vnio; & exponit, quicquid aliud ad hanc materiam spectat: alter vero quæstionem ipsam tractat: estque illi scopus ostendere, Doctores Ecclesiæ inter se concordes esse, non rationibus ac demonstrationibus humanis, sed sacræ Scripturæ, & Doctorum eorundem sententiis. Quos duos libellos exilis ego quidem ac tenuis & eruditione, & scientia, & prudentia, & rebus omnibus plane; sed propter debitum & onus mihi incumbens, tum concessi mihi desiper in dicendo beneficii: quod & parum, & maximum esse facit illud quidem si cum beneficiis in alios collatis, hoc vero si cum meo merito conferatur: tum vero chari alis debitæ proximo; multa meditatione & longa lucubratione cōposui. eruntq; hi libelli & sensus mei euidens ac perpetua demonstratio, & satis aperta declaratio contentionis concordiæque Doctorum, qua satisfactum erit omni Christianæ, minusq; amanti contentionum animæ: me ipso quoq; parato, gratia diuina fauente, ad reddendam volenti cuilibet rationem de omnibus, quæ scripta inibi sunt. Sed quoniam inter alios nobilissimos viros sacrum tuum Imperium me quoq; hortatur ad proferendum quid sentiam: Vis enim in concludenda sancta vnione nos omnes habere consentientes dictoq; audientes, non quidem ferendo sententiam; hoc enim potius congruit iis, qui sortiti sunt sedes & gradus ecclesiasticos; faciam imperata. Et mei quidem commendatione nulla vtar: vbi enim de fide agitur & confessione veritatis, superuacuum est propriam commendare personam: nam nec posteros homines res vlla mundi permouit ad credendum aliquid & confitendum præter conscientiam: cum sciamus, per solam fidei veritatem posse omnes saluari, diuinamq; experiri misericordiam. Hoc igitur omisso dico primum, me Deo gratias agere, quod nostrum omnium mentes direxit ad sibi placitum vnionis scopum, & spes Christianorum omnium non permiserit esse vanas. Dico deinde, me ipsum subiicere sententiæ huius nostræ sacræ Synodi, immo vero huiusce œcumenicæ: & summa cum reuerentia & voluptate eam venerari & honorare, quam fert de vnione atq; vnionis modo: censeo enim talem sententiam non esse ab omnibus, sed à Deo latam. idq; facio, non quia sum laicus, & necesse mihi est sacro tuo parere Imperio, nec non sanctissimo atq; œcumenico Patriarchæ & nostræ Synodo, quodque plus est, generali: neq; etiam quod similem ego quoq; sententiam de rebus propositis iampridem habuerim: sed etiamsi antea priuatim maxime contrariam secutus essem sententiam, & quacunq; in Ecclesia Dei fulgerem dignitate, seu inter alios doctrina eminerem, idem similiter facerem. Nam ita non facere, maximæ arrogantiæ, inanisq; gloriæ esset argumentum. quid enim deterius fuerit, quam vnum hominem, quauis licet dignitate præfulgeat, obluctari velle Synodo œcumenicæ, quæ vniuersam Dei repræsentat Ecclesiam? Tertio præterea & postremo; volens confessione fidei linguam meam sanctificare, cœlestemq; Saluatoris nostri Christi confessionem expectate, quam se confitentibus coram hominibus, ipse qui veritas est, loco mercedis pollicetur: deuota mente credo & confiteor, sanctis Occidentalibus & Orientalibus; quos necesse est inter se consentire; dicentibus, Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere: nec non Spiritum ex Patre per Filium procedere: præterea emitti, esse ex Filio, esse ex Patre per Filium, effundi ex Filio quemadmodum ex Patre, substantialiter effundi ex ambobus, scatutire ex Filio, & huiusmodi alia: vnam ex his omnibus colligi veritatem, & Spiritum sanctum accipere suum esse à Patre & Filio, tanquam ab vno principio, & vno productore: & Patrem ac Filium esse vnum principium Spiritus sancti: neq; hinc sequi, Patrem & Filium esse duo principia, aut Patrem & Filium in vnam contrahi personam: quamuis suspicentur aliqui, absurda hæc sequi ex hac sententia, quod nequeant huiusmodi res perfectè intelligentia comprehendere. Quapropter sententiæ huic, siue propositioni assentior: Quod Spiritus S. procedat ex Patre & Filio, siue ex Patre per Filium, tanquam ab vno principio, & vna causa: & hanc verissimam esse aio: atq; ita sanctos Occidentales dico cum Orientalibus congruere necessario: alter enim impossibile est eos concordare; anathemati subiiciens eos, qui duo ponunt principia, vel eos qui personalem Patris & Filii distinctionem illibatam non seruant.

His dictis Scholarius desiit. Nos vero libros Orientalium Doctorum in manus sumentes, multa dicta sanctorum legimus. Quare perducta res quoq; ad finem est. Rogatæ sunt enim sententiæ: detectus cuiusq; sensus: veritas libere pronunciata: concionatus est autem Patriarcha primum.

Sententia Patriarchæ. CII.

QVoniam Sanctorum Patrum Occidentalium & Orientalium dicta audiimus: quorum aliqua asserunt Spiritum S. procedere ex Patre & Filio: aliqua vero ex Patre per Filium: licet vox ista, ex Filio, idem sit, quod, per Filium: & per Filium idem sit quod, ex Filio: nos tamen omissa voce ex Filio dicimus, Spiritum S. procedere ex Patre per Filium æternaliter & substantialiter, tanquam ab vno principio & causa: propositione, per, hic significante causam in sancti Spiritus processione.

Ita suam terminauit sententiam, Sanctosq; Occidentales suscepit asserentes, Spiritum S. esse ex Patre & Filio: illud admonens, dummodo hoc nostro Symbolo ne adiiciamus: sed retentis cunctis nostris ritibus vniemur cum illis.

Sententia Imperatoris. CIII.

EGgo præsentem hanc sanctam & generalem Synodum nulla ex parte inferiorem existimo omnibus

ante hac celebratis. nam etsi illæ Patrum numero, qui conuenerunt, huic superiores fuerint, necnon virtute multum antecelluerint, Cyrillo, ac Gregorio Theologo illustres reddituæ, aliæque aliis doctoribus; vllo tamen secius & hanc sanctam esse arbitror & venerandam; neque minore hanc quam illas obseruantia prosequor. Nam & quod in ista agitatur, maximum & diuinum est; & qui illud tractarunt, sunt viri sacri ac venerabiles, incipiendo primum ab ipso Patriarcha sanctissimo. Quoniam igitur Synodus quidem hæc est huiusmodi; ego vero Dei, qui me vnxit, beneficio, sum Imperator; & sequi debeo sententiam Synodi, maiorisque illius partis; necnon defendere quod fuerit sancitum à pluribus, iuxta morem in antiquis Conciliis seruatum; propterea dico, & sacri Imperii robore ac potestate pronuntio, me huius sacræ Synodi, pluriumque eius Patrum constantissime sequi sententiam, velleq; eam modis omnibus defendere in perpetuum, tum ob prædictas causas, tum quia ego censeo, S. Ecclesiam in sacris dogmatibus nullo modo posse errare, communi ac synodica consideratione ventem. Vnus quippe, vel duo, vel tres, aut plures ex hominib. qui nunc degunt, priuatam adhibentes consideriationem, fieri potest vt errent; at vniuersam Dei Ecclesiam, de qua Dominus dixit ad Petrum; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; communiter errare omnino est impossibile, alioquin & sermo Saluatoris euanuit, & fides nostræ debili fundamento est nixa: Sed quoniam vtrumq; absurdum est, idcirco & Ecclesiam Dei necesse est nullo posse capi errore; & nos eam, eiusq; sententiam omnino sequi; & ante omnes me, qui Dei beneficio imperialem habitum gero; & tenere ac defendere ipsam, hoc posito, vt neq; sacro nostro Symbolo quicquam addere Latini nos cogant, neq; ex ritibus nostræ Ecclesię aliquid immutetur,

Matth. 16

CIV. *Sententia, aliquorum PP. Ruthen.* Post hæc Imperatoris verba, Isidorus Ruthenus Præsul Antiocheni Patriarchæ locum tenens dixit:

Et dicta sanctorum Occidentalium suscipienda sunt, & Spiritus habet esse ex Filio, & Pater & Filius vnum sunt principium Spiritus S. Ita assentior, ita profiteor, atq; ita prædico coram Deo & vobis.

Nicanus. Et respondens Nicææ Præsul Bessarion in eandem sententiam dixit; Cæterum ex sententiæ suæ expositione occasione accepta concionem habuit, & euidenter probauit, esse impossibile Christiano salutem consequi, ni fateatur, Spiritum sanctum esse ex Patre & Filio.

Verum sententiæ cum ordine ferrentur, non congruebant; sed Heracleensis Antonius, & Ephesius Marcus, & Monembasiensis Dositheus, & Anchialensis Sophronius reluctati sunt omnino sententiæ huius vnionis. Dicebant enim, se nullo modo adduci, vt credant Filium esse causam Spiritus sancti, neq; Spiritum S. procedere ex Patre & Filio tanquam ab vno principio. Tunc Mitylenensis Dorotheus sententiam rogatus respondit:

Mitylen. Ego à puero Latinos oppugnans, omne cum illis certamen tum scriptis, tum verbis instituebā; & refragabar eis, quod assererent duas in S. Trinitate causas; & hoc fixum in animo tenens, nunquam disputare desinebam. Verum illi contradicentes hoc defendebant, nempe Filium quoque esse causam Spiritus sancti. Nunc autem celebrata Synodo, & dogmate examinato, aliter se habere sententiam hanc reperi, ac putabā. Dicunt enim Latini, Patrem vt Patrem esse Filii Patrem, & Filium vt Filium esse Patris Filium, cum sint hæc relatiua & ad aliquid; Spiritum vero sanctum per se neque ad Patrem referri, neque ad Filium, quatenus Pater & Filius, cum non sit ad aliquid; Spiritus enim vt Spiritus ad spirantem debet referri; spirantes autem esse Patrem & Filium nulla infirmauerit ratio; est enim Patris Spiritus, est etiam Filii Spiritus; &, *Ego in Patre, & Pater in me est*: &, *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Spirat ergo Pater & Filius Spiritum sanctum per vnam spiratiuam, seu productiuam potentiam. Examinatis itaque diligenter sanctis, comperi omnes consona dicere; quamquam Occidentales apertius quam Orientales loquuntur. Orientales enim, effundi, emitti, egredi, manare, scaturire, profluere, & id genus alia; sunt etiam qui dicunt, per Filium procedere; Occidentales autem expresse planeque asserunt, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere, atque vt ab vnico principio produci. Quos & ego sequens meam pronuncio sententiam, quod Spiritus sanctus procedat ex Patre & Filio tanquam ab vno principio, & non à duabus causis; neq; enim Pater est vna causa, & Filius altera Spiritus sancti causa; vnam quippe nouit causam Filii & Spiritus Patrem; vnumq; principium Patrem & Filium, cum audio Spiritum S. ex Patre & Filio. ita sentio, atq; ita profiteor coram Deo & hominibus.

Ioan. 14.

Cum ergo præsules rogarentur suas sententias, ne longius producam sermonem, alii quidem ad nostram manifeste accedebant sententiam, alii autem varie pronunciabant. Attamen in vnam iuimus sententiam præsules numero decem, qui sunt hi; Ruthenus, Nicænus, Lacædemonius, Mitylenensis, Rhodius, Nicomediensis, Distrensis, Gazensis, Dramensis, Melenicensis; necnon magnus Protosyncellus à confessionibus domnus Gregorius, locum tenens Alexandrini Patriarchæ; & ex hegumenis domnus Pachomius Hieromonachus; accesserunt postea Cyzicenus, Trapezuntius, Heracleensis locum tenens sanctissimi Patriarchæ Alexandrini, & Monembasiensis locum & ipse tenens Sanctissimi Hierosolymorum Patriarchæ.

Græci dissident inter se.

At vero Imperator cum vidisset Ecclesiasticam vnionem ire, conuertit se ad negotia; adhibitoque ad ea gerenda Rhoteno præsule, misit eum ad Papam, mandauitque vt ex eo quæreret, quid auxilii ferre vellet Christianis Patri Beatissimus. Ille vero profectus haud contentus fuit his, quæ sibi ex pacto & conuentu fuere promissa; sed feria secunda post Dominicam Trinitatis tres prædictos Cardinales secum ad Imperatorem duxit; & hi, inquit, habeantur loco Patris Beatissimi; & quidquid ab eis fiet, ratum erit. Quærenti igitur Imperatori, quid ferre vellent auxilii; responderunt; Primo, Beatissimus Pater in præsenti sumptus tibi dabit, qui sine satis, ac triremes ad tectam totius tui populi, & Orientalis Ecclesiæ Constantinopolim. Secundo, trecentos milites custodiæ Vrbis, qui Beatissimi Patris sumptibus perpetuo alantur. Tertio, suis sumptibus triremes duæ tutamento eius præsto erunt. Quarto, Hierosolymitana peregrinatio fiet Constantinopoli; magnæque triremes, quæ nauigantes ad viuifici Sepulchri adorationem vehunt, Constantinopolim venient. Quinto, Cum opus erunt Imperatori longæ naues ad subsidium, sumptibus Papæ dabuntur vigintiarmatæ per menses sex; Si autem vltra tempus, per annum eas habebit. Sexto, si opus fuerit ex exteris & copiæ, Papa reste Christo [illegible] vt Christianæ gentes subsidio illi veniant.

Auxilia à Papa imp. promissa.

[illegible] dicta, iussit Imperator, vt omnia [illegible] celebrarentur; atq; omnium completo [illegible] mensæ publicæ tres, Venetiarum, Genuæ [illegible] Florentiæ.

His ita gestis, fuerunt feria tertia, quæ mensis Iunii 2. erat. Die [illegible] 3. Iunii, feria 4. conuenimus cuncti præsules [illegible] Imperatore in Patriarchæ domum, eo quod ipse ægrotaret. Aderant autem & omnes eruditione præstantes ac philosophi nostri, necnon cruce signati, & [illegible]enti, & summatim vniuersi. Ergo coacta totius Orientalis Ecclesiæ Synodo sic est locutus Imperator:

Imperator

Ego ex anteactis conuentibus omnium vestrum depre-

deprehendi sententiam, quando & nostram protuli post sacrum Patriarcham, iamq; video à plurib. & potioribus haberi Latinos pro inculpatis; & ab omnibus pariter sumi propositionem, per, loco, ex. Quoniam ergo plures conuenistis; & omnes dicta sanctorum Occidentalium susc ipitis asserentium, Spiritum S. etiam ex Filio procedere; maior etiam pars scripsit nudius tertius, & sententiam suam dedit; Dico, rogandos esse & alios, & plurium sententiam prævalere.

Roganturalii vt suã sententiã dicant. Graci.

Quibus ita pronunciatis, omnes vna voce responderunt; dicendam esse primum à Patriarcha sententiam, deinde à nobis. Statimq; Patriarcha sententiam huiusmodi tulit:

Patriarch.

Ego traditum à Patribus dogma nostrum nec mutabo, nec deponam aliquando, sed in eo permanebo vsque ad extremum spiritum. Quoniam vero Latini non ex se ipsis, sed ex sacris Scripturis exponunt; processionem sancti Spiritus esse etiam per Filium, assentior & illis, & ferendo sententiam dico; istam præpositionem, per, dare Filio caussalitatem Spiritus sancti; & amplector vnionem & communionem eorum.

Graci.

Cum Patriarcha sententiam hanc tulisset, omnes in eam iuimus, & sententias diximus; Quod Spiritus S. procedat ex Patre & Filio, vt ab vno principio, & vna substantia; & procedat per Filium vt connaturalem & consubstantialem; procedat ex Patre & ex Filio, vt per vnicam spirationem & productionem. ita omnes S. Doctores asserunt.

CV. *Graci in eandem cũ Latinis sententiam esse, quoad Spiritus S. processionẽ*

Sententiis hisce scriptis, Ephesius Marcus noluit assentiri huic sententiæ; atque ita dimissa est Synodus.

Quinta ergo feria conuenientes, sententias nostras obtulimus, & scriptus est tomus, & exscripta tria exemplaria; quorum vnum Papæ misimus, alterum accepit Imperator, tertium Patriarcha. scriptum vero erat; Consentimus vobis, & quod additum sacro Symbolo recitatis. è sanctis desumptum est, & approbamus illud, & vobiscum vnimur; dicimusq; Spiritum S. ex Patre & Filio procedere, tanquam ab vno principio & caussa. quibus ita scriptis dimissa est Synodus.

Itaq; feria sexta misimus Beatissimo Patri tomum; & lectus est facta congregatione Cardinalium, & placuit; statutumque est deligi sabbato mane decem ex vtraque parte ad conscribendum perfectum tomum & definitionem vnionis sanctissimarum Ecclesiarum.

Sabbato ergo decẽ delecti ex nostris profecti sunt, & inuenerunt Cardinales congregatos, & ex selectis eorum decem. & postquam sederunt, lectis iterum est tomus præsentib. nobis; & petierunt Latini, vt præpositio, *per*, vbi dicebatur in tomo; Credimus Spiritum S. essentialiter à Patre & Filio esse æternaliter, & ex Patre per Filium procedere æternaliter & essentialiter; hæc inquam præpositio, *per*, tolleretur hinc; & transferretur quocunque vellemus. & multa contentione facta præteriit Sabbatum. Dominica vero mane rursus conuenimus, rursusque eosdem de isdem habebamus sermones. tandem consensimus, fecimusq; tomum clariorem, hac tamen conditione, vt ostenderetur Imperatori, & Patriarchæ nostro; dicentes non licere nobis extremam imponere manum absq; consensu totius nostræ Synodi; sed abeuntes ostendemus illis quicquid actum est, atque ita vos certiores faciemus

His gestis Dominica abiit, sero enim nos finem fecimus, consultatione in domo Imperatoris habita à Præsulibus, Sacerdotibus, Hegumenis, & Clericis omnib⁹; & scripsimus tomum hunc pie & perspicue, vt debebamus, exemplis tribus confectis, quorum vnum accepit Imperator, alterum Patriarcha, tertium nos delecti ad terminandum hoc pium opus vnionis.

Feria vero secunda, quæ dies erat 8. Iunii, profecti sumus ad Papam, petimusq; vt coram ipso fieret, quicquid opportunum videretur. Iussit ergo Papa, vt se presente quæstionis negocium ad finem perduceretur. Lectus est igitur Deo fauente tomus, & comprobatus ab eis; & surgentes deosculati sunt nos; & magna fuit inter nos lætitia. Deinde Papa cum sedisset, prandii tempus, inquit, prope adest, & abite; hora vero 20. huc venite, vt scriptus Latine tomus legatur palam coram nobis & vobis, sicq; perfecte res absoluatur; quod & factum est.

Vigesima igitur hora cum profecti essemus, lectus est latine & græce, & approbatus, vtq; sententia rata receptus. Iterum igitur complexus & osculationes omnium factæ, & Papa ad Imperatorem misit Valaresum præsulem Cretensem, & Christophorum Coronensem, & magistrum Thomam, qui de vnione confecta ei nuntiarunt; & magno omnes exultauimus gaudio. Feria vero tertia mane delecti sunt metropolitæ, & accesserunt ad Papam, Rhutenus, Nicænus, Trapezuntius; & Mitylenensis; & dixit ad eos Papa:

CVI. *Papa. Vult aliquos alios fidei articulos discuti. Gracorum ad eos responsio.*

Nos Dei beneficio sumus coniuncti, & conuenimus in præcipuo dogmate, de quo ambigebatur; & nihil est quod amplius de eo dicamus. Age nunc de purgatorio quoq; igne, & principatu primæ sedis, & de fermentato & azymo, deq; diuino sacrificio dubitationem agitemus, vt vsqueqaq; vitium omne tollatur. Deinde vnio confestim fiet, etenim tempus vrget. Et quæsiuimus nos, vnde ordiremur; propositũq; est primum de sacrificio fermentati & azymi. & declaratum est, vt sit ex tritico, & minister sit ordinatus, locusq; consecratus, & vtrumq; sit indifferens. De igne vero purgatorio determinatum sic est; Sanctorum animas perfectam in cœlis adeptas esse coronam, quatenus animæ sunt; Peccatorum vero animas perfectè luere pœnas; medias autem esse in loco tormentorum; sed sine igne sit, siue caligo ac turbo, siue quid aliud, non contendimus. De primatu vero Papæ sic est constitutum; vt quæcunque habebat ab initio & ante schisma priuilegia, rursus hæc ipsa habeat. De diuino item sacrificio quæsitum est à Latino; Quomodo prolatis Christi verbis; *Accipite & comedite, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*: & illis; *Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: & sacris donis per hæc verba sanctificatis, vos hanc postea orationem additis dicentes; Et fac panem quidem hunc preciosum corpus Christi tui, quod a. in Calice isto est, preciosum sanguinem Christi tui, S. tuo Spiritu transmutans. Porro hoc ita dissolutum est; Fateri nos diximus, per hæc verba transsubstantiari sacrũ panem, & fieri corpus Christi; sed postea, quemadmodum & ipsi dicitis, Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum; ita nos quoq; oramus dicentes, vt Spiritus S. descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc preciosum corpus Christi tui, & quod in calice isto est, preciosum sanguinẽ Christi tui, transmuteq; ipsa Spiritu S. suo, vt fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, & non fiant in iudicium aut condemnationem nostram. Hoc etiam ita dissoluto, quæsitum est de diuina essentia & operatione; & respondimus; hoc nostrum non est, sed totius Synodi Orientalis; ibimus igitur, & omnia renunciabimus Imperatori. Itaq; feria quarta mane rursus vocati Papam adiuimus, inuenimusq; ipsum solum cum vno Cardinali & cum disputantibus. habens ergo præmanib. scripturam circumplicatam dixit nobis:

CVII. *Papa. Alia dubitatio à Papa proposita. Graci.*

Nos Deo iuuante consentimus de omnibus, & vna sumus conspiratione vniti, restat adhuc modica dubitatio; vtq; antea diximus, eam vobis scriptam damus. Accipite igitur hanc, atq; vbi conuenerimus, fiat vnio. Nobis vero requirentibus, vt ea legeretur, lecta est. Continebat autem postulata quatuor. primum, vt sedes

sedes Apostolica, seu Vicarius Domini nostri Iesu Christi, summus Pontifex habeat sua priuilegia, sc. Beatissimus Papa: & liceant ei suo iure, quippe vt summo Pontifici, adiicere quod sacro Symbolo addidit. Secundum, Quod res sint ordines defunctorum: vnus Sanctorum, alter Peccatorum, tertius mediorũ, Christianorum videl. qui peccarunt, pœnitentiam egerunt, & confessionem emiserunt, nec opera satisfactionis peregerunt; pro quib. etiam orationes & eleemosynæ offeruntur. Et primus quidem, nempe Sanctorum, Dei essentiam siue vllo medio intueatur: & qui pariter post S. baptisma non sunt in peccata lapsi, similes eorum fiant. Qui vero peccarunt, & pœnitentiam non egerunt, pœnis æternis addicantur. Qui vero peccarunt, & confessionem emiserunt, positiq; sunt in numero pœnitẽtium, in ignem abeant purgatorium: purgatiq; reponãtur in eorum cœtu, qui sine vllo medio Dei essentiam contuentur. Tertium, Quod azymum & fermentatum indifferentia sint; dummodo sit ex tritico, & à sacerdote, atq; in loco sacro. Quartum, vt de diuina essentia & operatione quæratur in Synodo.

Cum hæc legissemus, diximus: Nullam nos habemus facultatem ab Imperatore nostro respondendi quid piam, sed priuatim vt amici respondemus. Itaque dicimus, primum postulatum esse iniquissimum; nam quomodo nobis affirmare liceat, facultatem esse Romanæ Ecclesiæ addendi, seu demendi absque suis fratribus Patriarchis? Quapropter etsi pium est, quod fuit additum; qui tamen hoc patrare ausus fuerit citra cognitionem Synodicam, culpâ nequaquam vacabit. Quod si luber, fatemini vos inique fecisse, atq; in posterum hoc ipsum non patraturos, & sic veniam impetrabitis. Quod vero de igne purgatorio dicitis, hoc etiam suscipimus: Quodque animæ videant essentiam Dei, vere admittimus. Illud etiam de azymo & fermẽtato recipimus indifferenter. Cætetum ad illud de diuina essentia & operatione nihil plane respondemus. Cogebant enim, vt scripturam acciperemus; sed nos, cum nullum Imperatoris mandatum haberemus, illam non accepimus. Itaq; profecti sumus ad Imperatorem absq; scriptura, & omnia illi viua voce enarrauimus, atq; itidem Patriarchæ; & abiit vnusquisque, erat enim hora prandii.

Obitus Patr. Constant.

Vesperi ergo repente nuntium accepimus, Patriarcham è vita migrasse: & commotione facta omnes accurrimus visuri, quę caussa mortis fuisset; & inuenimus eum vita functum. Cognouimus igitur ex eius famulis, à cœna illum, vt sui moris erat, secessisse in suam ędiculam; acceptisq; charta & calamo scripsisse: atque ibi tremore & agitatione nimia correptum occubuisse. Hoc nos haud mediocriter turbauit. Inuentam ergo scripturam, quam ipse paulo ante exaranerat, legimus isthæc continentem.

CVIII. EXTREMA SENTENTIA Patriarchæ.

Ioseph miseratione diuina Archiepiscopus Constantinopolis nouæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha.

QVoniam ad finem vitæ meæ perueni, soluturus iam commune debitum, Dei gratia scribo & subscribo sententiam meam aperte vniuersitati meorum filiorum. Omnia igitur, quæ sentit, & quæ dogmatizat catholica & Apostolica Ecclesia Domini nostri Iesu Christi senioris Romæ, ipse quoq; sentio, & iis me acquiescentem do ac dico. Profiteor quoq; Beatissimum Patrem patrum, & maximum Pontificem, & Vicarium Domini nostri Iesu Christi, antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidem; necnon purgatorium animarum. In horum quippe fidem subscriptum est die mensis Iunii nono, millesimo quadringentesimo octogesimo nono, indictione secunda.

Itaque feria quinta mane conuenientes omnes consultauimus vna cum Imperatore, quomodo illum iustæ traderemus sepulturæ cum exequiarum pompa, quæ dignitati eius conueniret. missis ergo nunciis Imperator rogauit Papam, vt templum humando corpori daret, permitteretque nostro ritu sacrum celebrari officium; & pompam quidem nullam, sed funus tantum quamprimum fieri, & locum sepulturæ dari: nihil enim aliud, inquit, à vobis petimus, nisi locum ad reddendum puluerem pulueri. His actis abiit fere hora diei nona: & hora nona elatus est defunctus Patriarchæ: & deportauimus illum pontificali habitu induti in templum sancti Mariæ Nouellæ, intra quod illi iusta peregimus: datisque vt mos est, extremis osculis, intus eum in tẽplo sepeliuimus ad latus sacrarii, quod ad meridiem spectat. Exequias autem honestarunt admodum Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, necnon magistratus & optimates Florentini. Obiit ergo Patriarcha Florentiæ die lunii nono, indictione secunda; & humatus est satis ampla funeris pompa in templo monasterii fratrum ordinis sancti Dominici, vbi etiam Papa habitabat.

Nos vero Papæ per nuntium significauimus, vt aliquando finis esset, non enim possumus vltra morari, præsertim quod nunc Patriarcham non habemus. *Graci.*

Vocauit ergo postridie ad se Papa Rhutenum, Nicænum, & Mitylenensem: quibus, cum profecti essent, dixit, multum sibi mœrorem attulisse Patriarchæ mortem, maxime ob sanctum vnionis opus, quod erga illud bene esset affectus. nunc ergo, inquit, valde doleo, quod pium hoc opus perficere non properatis, vt oportet. Nos enim dicimus, quando iam articulum illum fidei, qui maxime vrgebat, explanauimus, ea etiam quæ sequuntur esse explananda, quo fiat vnio sine vllo scãdalo, & firma, & stabilis. ea vero sunt hæc, de fermentato & azymo, de purgatorio, de primatu Papæ, de additione, de materiæ sacramentalis consecratione. Responderunt Præsules: *Papa.*

Nos respondendi facultatem non habemus ab Orientali Synodo, sed priuatim ex nobis ipsis ad hæc dicimus; fermentatum nobis esse à Patribus traditum, & azymum pariter vobis; & sint indifferentia. De purgatorio dicimus, neq; propter illud nos fuisse seiunctos, nec esse necessarium: Fiat ergo vnio, & postmodum de hoc agemus. De primatu vero Papæ, vt facta vnione habeat quicquid illi iure debetur. De additione, nunc illam nunquam admittemus, sed eam vobis in vestris Ecclesiis habere permittimus, non autem in Orientalibus; dicimusq; Symbolum à vobis explicatum necessitate cogente: & vocem illam, ex Filio, non esse aliam fidem, nec aliquod additamentum, sed piam, & nostri Symboli explanationẽ; & esse verum q; Symbolum pium, & eiusdem sententiæ, vt in Ecclesia Romana recitetur sicuti vos dicitis, & in Orientali vt nos ipsi dicimus; atq; ita faciendam vnionem. De mysteriis autem, fatemur ea confectari per Domini voces, licet nos postea inuocando dicamus, Fiat corpus & sanguis Christi. *Graci.*

CIX. Cum hæc respondissemus, & illi nobis rursus dixissent similia, quantum in nobis fuit, dissoluimus omnia. ita vbi satisfactum esset à nobis, discessimus, & profecti omnia Imperatori denunciauimus. Hæc audita Imperatori non probabantur, sed ipse sabbato mane congregauit omnes Præsules, & totam Ecclesiam, in summa vniuersam Orientalem Synodum: & enarrauit eorum quæ tractaueramus, præcipua capita. & placuit Synodo, vt de his tribus ageretur, de azymo & fermentato, de primatu Papæ, & de additamento: de purgatorio vero, & consecratione munerum nihil omnino diceretur, quod nescirent, vt opinor, veram rei decisionem. Hoc suscepto consilio, admoniti sunt Cardinales ab Imperatore, vt venirent: & illi se venturos promiserunt vigesima hora sabbati. Cumq; venissent, restiterunt Imperatori, dicentes: Impossibile est vni- *Alia super dogmatib. de primatu Rom. Eccl. & de sacro pane gesta.*

est vnitEcclesiam, nisi hæc duæ controuersiæ addantur, de purgatorio, & confectione sacrificii. Sed Imperator flecti noluit. at Latini instabant, vt in definitione fieret solum mentio de purgatorio, de consecratione vero sacri panis vna voce diceretur. Hisce habitis sermonibus elapsum est biduum, nec aliud erat in controuersia, nisi materia de purgatorio, & consecratione munerum. Feria vero secunda venerunt à Pontifice nuntii ad Imperatorem, dicentes; Qua de causa non satagitis, vt opus hoc ad finem perducatur? nonne rem agitatam æquum est determinari? Tandem conuenit, vt Imperator ac Despotes viderent Papam feria tertia; profecti sumus etiam Metropolitæ quidam. Cum ergo consedissemus vna cum Cardinalibus & Episcopis, Papa concionatus est in hæc verba:

Papa. Quid fieri vobis oportuit ad benedictum hoc opus, & non feci? quid sibi vult tanta mora? quid incassum hic consedetis? vniti sumus in eo, propter quod dissidebamus; & impedimento nobis est, quod nihil nocet? nonne examinatum sæpe est Ferrariæ de igna purgatorii? nonne decet illud in definitione poni, vtpote Ecclesiæ nostræ dogma? quam ob causam non annuitis? Verum quia Serenissimus Dominus Imperator audire se velle dixit de primatu Romanæ Ecclesiæ, deq; azymis; duos præsentes magistros delegimus, fratrem Ioannem prouincialem, & fratrem Ambrosium: quorum alter de vno, alter de reliquo differet. Itaque cœpit Frater Ioannes dicere de primatu Papæ; dixitque per horam amplius, auctoritatibus canonum, legum, epistolarum sua dicta confirmans. Vbi vero is tacuit, orsus est alter de azymis agere, citans & ipse legem, & Euangelistas, quantum satis erat ad roborandasua dicta. Postquam illi dicendi finem fecere, rursus Papa ita sermocinatus est:

Papa. Nobis non erat in animo hæc dicere, sed iussimus ea dici, vt Serenissimi Imperatoris voluntati satisfaceremus. nunc igitur absoluta sunt omnia, nec indigent disquisitione. vnum tantum est necessarium, vt fiat definitio, & vnio Ecclesiarum Dei. Respondit Imperator:

Imperator Nos nihil dicimus, nisi tempus instare; & necesse est, vt reditus nobis paretur.

Papa. De hoc iam curaui, & curabo. misi enim ad tempus Capitaneum Venetias ad comparandas triremes; & si quid aliud opus erit ad reditum, prompte illud præstabo. Cæterum vos etiam accipite chartulam hanc, & ea visa respondete nobis. Imperator autem adhibitis præsulibus consultauit: & visum est ei, omnino eam non sumere præsulibus vt sumeret compellentibus. Itaque vbi consederunt, Imperator dixit:

Imperator Nos quidquid habuimus, diximus Cardinalibus; & nihil amplius dicimus. sed tempus aduentat, & diutius morari non possumus. His auditis Papa surrexit, & abiit, vt visus est, dolore susceptо. Attamen vt longanimis Cardinalis Iuliano munus iniunxit, isque mollirit Imperatorem, dicens: Mitte aliquem ex proceribus, nos quoque litteras mittemus, vt parentur triremes: sed rogamus vt expectes ipse & Despotes tecum, quoad finem rei Deus imponat, atque ita tecum redeat multo cum splendore: sumptus quoque Venetias vsq; suppeditabimus, & auxilium vsq; Constantinopolim, nec solicitum sit imperium tuum. His dictis Imperatoris domum profecti sumus, & omnes eo conuenimus, & examinauimus postulata Latinorum, reperimusque ea quinque æqua omnia & recta. Primum de processione sancti Spiritus: secundum de azymo & fermentato: tertium de Primatu Papæ: quartum de additione: quintum de purgatorio: & compulimus valde Imperatorem, dicentes; Nos omnia recipimus, & statuatur rei finis: quæ enim nobis est controuersia de purgatorio? nos de hoc dubitabamus, quia dicebant, Sanctos sine aliquo medio videre Deum, & Peccatorum animas qui pœnitentiam egerunt, purgari per orationes; hoc igitur nos morabatur: sed hoc etiam pie nos excipientes Imperatorem compellebamus, vt opus ad finem perduceret; ille vero nolebat.

Itaque feria quarta mane, die mensis Iunii decimoseptimo, iuimus ad sepulchrum Patriarchæ; nonique diei commemorationem ei peregimus, à prandio autem Imperator per Nicænum & Mitylenensem vocauit in cellam suam omnes Vicarios trium sanctissimorum Patriarcharum. Venerunt igitur metropolita Heracleensis domnus Antonius, locum tenens sanctissimi Patriarchæ Alexandrini domini Philothei; & maxime honorabilis Pater spiritalis domnus Gregorius, locum & ipse tenens eiusdem Apostolicæ Sedis sanctissimi Patriarchæ Alexandrini: Metropolita Ephesi domnus Marcus, locum tenens & ipse Apostolicæ Sedis sanctissimi Patriarchæ Antiocheni; & præterea locum tenens sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitani domini Ioachimi: metropolita Monembasiensis domnus Dositheus locum tenens eiusdem Apostolicæ Sedis sanctissimi Patriarchæ Hierosolymorum. Erat porro eiusdem Apostolicæ Sedis sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitani locum tenens metropolita quoque Sardium Dionysius, qui Ferrariæ obiit. Cum ergo Vicarii huc venissent, conuenerunt cum Nicæno & Mitylenensi octo etiam alii Metropolitæ, qui ex præsulibus adiunxerant: hi vero sunt, Lacedæmonius, Rhodius, Nicomediensis, Distensis, Gannensis, Dramensis, Melenicensis; qui omnes volebant vnionem. Porro conuentum hunc celebrauit Imperator, vt præsules cum Ephesio colloquerentur, quod esset Patriarcharum Antiocheni & Hierosolymitani Vicarius. Cum ergo sese omnes in cellam Imperatoris contulissent, & consedissent, cœpere præsules cum Ephesio colloqui, volentes scil. Ephesium ad se se pertrahere. Dixere autem omnes Præsules quamplurima, Imperatore audiente, & nihil dicente. Postquam vero præsules omnes dixerunt, tunc & Ephesius cœpit sua dicere: dixit autem & ipse quamplurima ex Euangelistis, ex Sanctis, ex Synodis, Epistolis, & Canonibus & Exemplis, ostendens & dicens, Spiritum sanctum ex Patre procedere, & sacrum Symbolum non indigere additamento aut explicatione. sic enim, se non credere, Filium esse causam Spiritus sancti, aut Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere tanquam ab vno principio, & multa alia, vsque ad vesperum. Cumque multa cum eo collocuti essent omnes præsules, nihil profecerunt, sed cornicula mansit cornicula: nos autem operam perdebamus.

Feria vero quinta euocauit ad se Papa Orientalem Ecclesiam. iis autem profectis duos iussit magistros de priuilegiis eius rursum differre: quod sit summus Pontifex, & Petri successor, Christiq; Vicarius; & iudicet ac regat catholicam Ecclesiam tanquam Doctor & pastor. De sacro deinde pane differuerunt, quod verba illum Domini consecrent, transmutentq; in corpus Christi, non autem orationes sacerdotum. Ac de his multo ab illis sermone habito digressi sumus à Papa. conuenimus à prandio ad Imperatorem, omniaq; illi recensuimus; non enim venerat nobiscum ad Papam.

His Imperator auditis iussit afferri libros; & cœpimus perquirere priuilegia Ecclesiarum. Lapsa igitur circa hæc feria quoq; sexta, sabbato rursum conuenimus in domum Imperatoris: & inita consultatione de omnibus nihil conclusimus; sed die dominico mane scripsimus, & admisimus priuilegia Papæ, præterquam duo; Ne conuocet Synodum œcumenicam sine Imperatore, & Patriarchis, si conueniant; quod si aduocentur, & non veniant, ne propterea impedimento sint, quo minus Synodus fiat. Alterum est, vt si quis putet, se ab aliquo Patriarcharum pati iniuriam, & veniat qui interposuit appellationem; ne Patriarchæ ipsi sese sistant iudicandos; sed Papa mittat in Prouinciam quamq; quamque inquisitores, & ibi per eos præsentibus negociis in partibus iniuriam passi ius suum obtineant.

Cum hæc die dominico mane egissemus, rogauimus Imperatorem; isque ad vesperum adiit Pontificem dicturus quidquid egissemus, & quæcunque illi priuilegia dedissemus. Papa vero dixit, se cum sua Synodo consilium initurum, cum tamen ea libenter audisset; & feria secunda, die scilicet Iunii vigesima secunda responsurum.

Papæ resolutio. Itaq; feria secunda misit ad Imperatorem tres Cardinales, & respondit: se velle omnia Ecclesiæ suæ priuilegia; velleque ad se fieri appellationes: nec non regere & pascere vniuersam Christi Ecclesiam, vti ouium pastorem: auctoritatem præterea sibi esse & facultatem celebrandi Synodum œcumenicam, cum opus fuerit: & omnes Patriarchas parere eius voluntati.

CX. *Vnio desperata post multas altercationes suum sortitur effectum.* At vero Imperator his auditis desperauit; nec aliud respondit, nisi, curate de nostra hinc profectione, si vobis est in animo, & abierunt Cardinales. Venit quoque dies festus natiuitatis venerandi Præcursoris. & quia Fiorentini eum magna celebritate agunt, seruatum est silentium vsque ad quintum & vigesimum Iunii diem. Quo nos die contristabamur, quod spes nulla esset vnionis; magnoque mœrore & ægritudine affligebamur.

Verum qui rebus omnibus prouidentia sua consulit Deus, non dereliquit nos; sed excitauit Rhutenum, Nicænum, & Mitylenensem, & quosdam alios ad operam suam interponendam. & hi quidem Papæ, illi vero Imperatori animos addidere. ne multa, modum adinuenerunt; & Papa quidem acciuit Imperatorem; Imperator autem obsecutus est Papæ; coniunctique consultarunt; collatisque consiliis nos congregarunt. & feria sexta delegimus ex nostris quatuor, & Latini quatuor alios; coactisque omnibus in palatium Papæ, delecti quidem disputabant in quodam loco; nos vero cum Imperatore in triclinio sedebamus ad plures horas. Interim Papa bellariis ex saccharo, vinoque nos refecit; nihil tamen factum, quod esset exre: nisi quod Imperatoris domum profecti post consultationem pari consensu ita scripsimus: De primatu Papæ, fatemur ipsum summum Pontificem, & procuratorem, locum gerentem, ac Vicarium Christi, pastorem & doctorem omnium Christianorum, regentem & gubernantem Dei Ecclesiam, saluis priuilegiis & iuribus Patriarcharum Orientis. & Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam; deinde Alexandrinum; post hunc esse Antiochenum; postremo Hierosolymitanum.

Hæc cum scripsissemus, statuimus nihil amplius scribere, aut facere; sed si hoc à Papa non reciperetur, nil esse vltra faciendum. Itaq; misso hoc feria sexta vesperi, cognouimus libenter fuisse receptum, & acquieuimus.

Sabbato vero mane tota Orientalis Ecclesia iuit in templum Nouellæ, vbi sepultus est Patriarcha, & commemorationis eius officium celebrarunt. Quo absoluto Rhutenus & Mitylenensis accessere ad Pontificem, dixeruntque ei:

Græci. En serenissimus Imperator condescendit ad omnia, quæcunque tua Beatitudo postulauit; & nos omnes fecimus, quicquid voluisti: nullaque alia de causa reluctari noluimus, nisi vt res quam citissime absoluatur. & si quid erat nobis dicendum, prætermisimus, quia triremes Venetæ cito sunt soluturæ. Cum ergo multi dies festi præterierint, non est facta vnio; nunc vero celebritas coryphæorum Apostolorum dat nobis munificam illius conficiendæ occasionem, idque non sine diuino nomine: tu enim es eorum successor, debebantque veri coronam hanc eo die largiri, quo incorruptam illi coronam assecuti sunt. festina igitur, vt eorum die festo missarum solemnia simul celebremus.

Papa. His auditis Papa hilare ad eos respondit: & gratias inquit, ago studio vestro, & ego, vt videris, conuentum hunc Optimatum facio ad negotium cito expediendum. (erat vero quantus nunquam antea, magnus cõuentus) & confido, inquit, vt vos etiam dicitis, vnionem die festo Apostolorum Christi esse conficiendam. Itaque hodie postquam consultabimus, vtamque sententiam amplectemur, tunc vos certiores faciam de operis absolutione. Cum hæc metropolitæ audissent, abierunt; omniaque Imperatori renuntiarunt. Expectabamus igitur Sabbato plenam responsionem, reiq; totius finem.

Venerunt ergo, cum aduesperasceret, nomine Papæ, Cretensis, Rhodius, & Coronensis præsules; dixerunt que Imperatori, consultationem esse habitam, & vnionem admissam; vtque postridie fieret tomus Definitionis latine & græce, & omnes subscriberent; quisi confectus esset feria secunda, die festo sanctorum Apostolorum celebraretur missa, & fieret vnio. Venerunt igitur mane constituti ex Latinis, assumptisque nostris contulerunt se in templum sancti Francisci: & cum sedissent, conscripsere decretum vnionis: quod deinde allatum Imperatori legerunt; statimque ipso in exordio nota illud confixit. dicebat enim in principio; Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam memoriam. at vero Imperator non ita, sed volebat aut omnino eius nomen reticeri; aut scribi quidem, sed non Papæ solius, verum hoc addito: Consensu Serenissimi Imperatoris, & Patriarchæ Constantinopolitani, cæterorumque Patriarcharum.

Agebat præterea de priuilegiis Papæ, vt habeat illa iuxta determinationem S. Scripturæ & dicta Sanctorũ. hoc etiã non placuit Imperatori: An si quis, inquit, Sanctorum in Epistola honorat Papam, excipiet hoc pro priuilegio? Propter hæc significauit Papæ, aut hoc corrigeret, aut de reditu eius cogitaret:

Papa. Quod audiens Papa turbatus est, & respondit eis; Qua Imperator affectus molestia hoc dixerit, valde miror. Verumtamen missis ad Imperatorem Cardinalibus primum quidem cortexerunt, vt videlicet scriberent, Consensu Serenissimi Imperatoris & Patriarcharum; alterum vero noluerunt, sed aiebant; Vnde nouimus possumus habere primarum, quam ex scriptis Sanctorum? At vero Imperator cogebat ibi aliquid apponi; dicebat enim, vt adderetur, iuxta tenorem Canonum, & non secundum dicta Sanctorum: nec vlla ratione consenserunt, sed abiere Cardinales.

Itaque feria tertia mane conuenimus omnes, & requirentes alter ab altero, vtique altercabamur. & hi quidem dicebant, Latinos esse causam moræ; illi vero, Imperatorem: cumque hæc dicerentur, affligebamur. Ad vesperum autem Imperator coegit Præsules, dixitque eis:

Imperator. Cardinales venerunt ad me, dixeruntque de proposita quæstione plane multa: ego vero illis respõdi quoad eius fieri potuit. Videntes igitur mihi non potuisse persuaderi, rogarunt, vt vos conuocarem; loqui enim volunt coram vobis. Idcirco sanctitatem vestrã, vt huc veniret, admonui: quo venientes & illi inueniant vos, dicantque quicquid voluerint. Dum hæc dicerentur, en Cardinales, & cum ipsis Archiepiscopi, multique viri docti. cum ergo sedissent, Iulianus eorum consilio sic orsus est dicere:

Iul. Card. Serenissime Imperator, vosque summe venerandi Patres, ex duabus quæ sunt inter nos, controuersiis, de prænotatione nominis Papæ, deque Sanctorum dictis: alteram vicumque sedauit ipse Beatissimus Pater, appositumque est in prænotatione nomen Serenissimi Imperatoris & Patriarcharum, cum neque necessarium esset, neque his temporibus congruens. De dictis vero, quo pacto illa velimus in definitione allegari, nihil ambigimus, cum dicta Sanctorum sint, & per ea Symbolum quoque fidei compositum sit, & sacrificium, & quicquid Canonibus continetur; ac sine dictis Sancto-

rum nihil sit factum, Quapropter sperabamus vos nullam controuersiam facturos. Nunc igitur audito mane de his multo sermone Serenissimi Imperatoris, operæ pretium nobis est visum, vos quoque qui Ecclesiastici doctores estis, hoc habere cognitum; an æquum sit, Dei opus impediri propter dicta Sanctorum. Rogamus itaque vos, ne diutius in luctatione versetur Ecclesiarum vnio, tempusque frustra conteratur: sed admissa allegatione de dictis Sanctorum, fiat vnio. Hæc & similia cum dixisset, tacuit. Respondit Imperator, spatium velle sibi dari ad consultandum. Statimque egressis Cardinalibus nos consilium iniimus, scripsimusque habenda esse à Papa sua priuilegia iuxta Canones, & dicta Sanctorum, sacramque Scripturam; & acta Synodorum. Hæc illis ex tempore exarata tradidimus: responderuntq; nobis; Soli nos nihil dicere possumus, sed accepta hac scriptura referemus omnia ad Dominum nostrum; atque ita crastino die respondebimus.

Postridie igitur, quarta videlicet feria profecti sunt Cardinales ad Imperatorem, dixeruntque ei; Pater sanctus duas accepit scripturas, iussitq; nos de duabus alteram eligere. Legatur ergo tomus, examinetur que, vt res ad finem perducatur.

Lectus est tomus, & placuit, iussit ergo Imperator, postera die ex vtraq; parte conuenire sex, vt Definitio & tomus vnionis Græce & Latine scriberetur in diptychis; à parte quidem dextera Latine, vt Latini subscriberent, & appenderent bullam Papæ: ab altera vero parte græce, vt Græci subscriberent, & apponeretur aurea Bulla Imperatoris.

His ita ordinatis, feria quinta mane contulerunt se in templum sancti Francisci, & conscripserunt Definitionem, & ad Imperatorem detulerunt. Postquam vero confecta sunt omnia, quid facit malignus? Scriptum erat in definitione; saluis iuribus & priuilegiis quatuor Patriarcharum: repertum ergo est fuisse additum, omnibus. Quod audientes Latini, quasi magnum quid esset, vertigine correpti sunt; statimque postularunt, vt non omnibus priuilegiis, sed tantum priuilegiis diceretur: atque id fuit causæ, cur feria quinta & sexta tomus non fieret. Quarta vero die Iulii, Sabbato conuenere omnes constituti in dictum templum; & composuere Definitionem addentes, cum omnibus priuilegiis & iuribus eorum, videlicet Patriarcharum: & die dominico illam subscripsimus.

Feria vero secunda, sexta die Iulii, facta est vnio Ecclesiarum, & lecta est Definitio post celebrationem missæ. Venit enim Beatissimus Papa in magnam Ecclesiam, cui nomen, sancta Maria liberata; & nos ei assistebamus sacro induti habitu: missamque celebrauit. Et sacro peracto post litanias decantatas recitata est Definitio latine & græce, latine quidem à Cardinali sanctæ Sabinæ Iuliano; græce vero à Bessarione Archiepiscopo Nicæno, in hæc verba.

DEFINITIO SANCTÆ OECVMENICÆ SYNODI FLORENTINÆ.

EVGENIVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, consentiente ad infrascripta chariſſimo in Christo filio nostro Ioanne Palæologo Romæorum Imp. illustri, & loca tenentib. venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Ecclesiam repræsentantib. Lætentur cœli & exultet terra: sublatus est in medio paries, qui Occidentalem Orientalemq; diuidebat Eccles. & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit vtraq; vnum, vinculo fortissimo charitatis & pacis vtrumque iungente pariete, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente; postquam longam mœroris nebulã, & dissidii diuturni atram ingratamq; caliginẽ, serenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat & mater Ecclesia, quæ filios suos hactenus inuicem dissidentes, iam videt in vnitatẽ pacemq; redisse: & quæ antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorũ modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbique per orbem; & qui Christiano censentur nomine, matri catholicæ Ecclesiæ colliætentur. Ecce enim Occidentales Orientales que Patres post longissimum dissensionis atque discordiæ tempus, se maris ac terræ periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum œcumenicũ Concilium desiderio sacratissimæ vnionis, & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia, læti alacres q; conuenerunt, & intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem, tandem Spiritus sancti clementia ipsam optatissimam sanctissimamque vnionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis autem diuinæ miserationis diuitias non obstupescat? cuius vel ferreum pectus tanta supernæ pietatis magnitudo non molliat? Suntista prorsus diuina opera, non humanæ fragilitatis inuenta; atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, & diuinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Christe fons misericordiarum, qui tantum boni sponsæ tuæ catholicæ Ecclesiæ contulisti, atque in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstrasti, vt enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem diuinum que munus nobis Deus largitus est; oculisque vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere nequiuerunt. Conuenientes enim Latini ac Græci in hac sacrosancta œcumenica Synodo, magno studio inuicem vsi sunt, vt inter alia etiam articulus ille de diuina Spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex diuinis Scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, & ad eandem intelligentiam adspicientibus omnibus sub diuersis vocabulis, Græci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, vt excludant Filium; sed quia eis videbatur (vt aiunt) Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere tanquam ex duobus principiis & duab. spirationibus, ideo abstinuerunt à dicendo, quod Spiritus sanctus à Patre procedat & Filio. Latini vero affirmarunt, nõ se hac mente dicere, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, vt excludant Patrem, quin sit fons ac principium totius Deitatis, Filii scilicet ac Spiritus sancti; aut quod id, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat; siue quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes: sed vnum tantum asserant esse principium, vnicam que spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus vnus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam & Deo amabilem eodem sensu eademque mente vnionem vnanimiter concordarant & consenserunt. In nomine igitur sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio Diffinimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus S. ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio & vnica spiratione procedit; Declarantes quod id quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit; vt per hoc significetur, Filium

quoque

quoque esse secundum Græcos quidem causſam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipsi vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus est. Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminenre necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam. Item, in azymo siue fermẽtato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem. Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorũ animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ institutа: Illorumque animas qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractum peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus [prout superius dictum est] sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinũ & vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio profectius: Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen dispatibus puniendas. Item diffinimus sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Renouantes insuper ordinem traditum in Canonibus cæterorum venerabilium Patriarcharum; vt Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus; saluis videlicet priuilegiis omnib. & iuribus eorum. Datum Florentiæ in Sessione publica Synodali solemniter in Ecclesia maiori celebrata, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo nono, pridie Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno nono.

✠ ADIVTOR ET PROTECTOR MEVS ESTV

SANCTVS PETRVS	SANCTVS PAVLVS
EVGE PP	NIVS IIII.

DOMINE, NE DERELINQVAS ME, DEVS MEVS.

CXII. *Subscriptiones PP. Concilio in materia vnionis.*

✠ Ego N. tit. sanctæ Crucis Presbyter Card. supradictis definitionibus tanquam veris & catholicis me subscripsi.

✠ Ego F. tituli S. Clementis Presb. Card. supradictis definitionibus me subscripsi.

✠ Ego A. tit. S. Marci Presbyter Card. subscripsi.

✠ Ego Iul. tit. S. Sabinæ Presbyter Card. me subscr.

✠ Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus ita definitionis me subscripsi.

✠ Ego Ant. Epiſc. Ostien. Card. Bononien. supradictas definitiones veras & Catholicas esse affirmo, & illis me subscripsi.

✠ Ego Beranda Episc. Portuen. Card. Placentinus supradictas definitiones veras & Catholicas esse affirmo, & subscripsi.

✠ Ego Prosper tit. sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Card. de Columna subscripsi.

✠ Dominicus S. Mariæ in via lata sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diac. Cardinalis subscripsi.

Ioannes Palæologus, fidelis in Christo Rex & Imperator Romæorum subscripsi.

Antonius humilis metropolita Heracl. & primarius Ædesseuorum, totius Thraciæ & Macedon. Primas, & Philothei sanctissimi sedis Apostolicæ Alexandrinæ Patriarchæ locum tenens subscripsi.

Gregorius hieromonachus, Protosyncellus, à confessionib. locum tenens eiusdem Apostolicæ sedis sanctissimi Patriarchæ Alexandrini D. Domini mei Philothei subscripsi.

Isidor. metropolita Kiouien. totiusq; Russiæ, & locũ tenens Apostolicæ sedis sanctissimi Patriarchæ Antiocheni domini Dorothei satis habens subscripsi.

Humilis metropolita Monembas. & locum tenens Apostolicæ sedis sanctissimi Patriarchæ Hierosol. Do. Ioachimi Dositheus contentus subscripsi.

Humilis metropolita Cyzici, & locum supplens Ancyrani, Metrophanes contentus subscripsi.

Humilis metropolita Trapezuntius. & locum supplens Cæsareensis, Dorotheus contentus subscripsi.

Bessarion misericordia divina Archiepiscopus Nicænus, & locum supplens metropolitæ Sardium contentus subscripsi.

Humilis metropolita Nicomedien. Macarius contentus subscripsi.

Humilis metropolita Tornobi, & locum supplens Nicomed. Ignatius contentus subscripsi.

Humilis metropolita Mitylenen. & locum supplens Siden. Dorotheus contentus subscripsi.

Humilis metropolita Muldoblachien. & locũ supplens Sebastien. Damianus contentus subscripsi.

Humilis metrop. Amasiæ Ioasaph cõtentus subscr.

Humilis metropolita Rhodi, & Cycladum Nathanael contentus subscripsi.

Ego † Basil. Patriarcha Hierosol. me subscripsi.

Ego Marcus Patriarcha Gradens. me subscripsi.

Ego Ioannes Episcopus Morinen. illust. domini Ducis Burgundiæ & Brabantiæ orator, me subscripsi.

Ego Ioannes Episcopus Niuernen. eiusdem domini ducis orator, me subscripsi.

Ego Bartholomæus Spalaten. me subscripsi.

Ego Fantinus Archiepiscopus Creten. me subscripsi.

Ego Iulianus Archiepiscopus Pisan. me subscripsi.

Ego Andreas Archiepiscopus Colos. me subscripsi.

Ego Nicolaus Archiepiscopus Capua. me subscripsi.

Ego Ludouicus Archiepiscopus Florentinus, me subscripsi.

Ego Latinus de Vrsinis, Archiepiscopus † Troianus, me subscripsi. † f. Tarentinus.

Ego Benedictus Archiepiscopus Compsinus, me subscripsi.

Ego Iacobus Episcopus Adrien. me subscripsi.

Ego Petrus Episcopus Paduanus, me subscripsi.

Ego Daniel Episcopus Concordien. me subscripsi.

Ego Antonius Portugal. Episcopus, me subscripsi.

Ego Bartholomæus Episcopus Valuen. me subscripsi.

Ego Thomas Episcopus Farensis, me subscripsi.

Ego Christophorus Episcopus Ariminensis, me subscripsi.

Ego Amicus Episcopus Aquilensis, me subscripsi.

Ego Petrus Episcopus Dignensis, me subscripsi.

Ego Ioannes Episcopus Ferrarien. me subscripsi.

Ego Valentinus Episcopus Ortanus, me subscripsi.

Ego Ioannes Episcopus Arbensis, me subscripsi.

Ego Bernotius Episcopus Esculanus, me subscripsi.

Ego Carolus Senensis Episcopus, me subscripsi.

Ego Andreas Episcopus Megarensis, me subscripsi.

Ego

Ego Carolus Episcopus olim Mutinensis, me subscripsi.
Ego Nicolaus Episcopus Tyburtinus, me subscripsi.
†f. Archiepiscopus. Ego Antonius Episcopus Grassen. me subscripsi.
Ego Angelus † Episcopus Baren. me subscripsi.
Ego Petrus Episcopus Ansaren. me subscripsi.
Ego Matthæus Episcopus Zapatensis, me subscripsi.
Ego Angelus de Graffis Episcopus Arianen. me subscripsi,
Ego Petrus Episcopus Messan. me subscripsi.
Ego Petrus Episcopus Caualicen. me subscripsi.
Ego Antonius Episcopus Cæsenatensis, me subscripsi.
Ego Donatus Episcopus Pistorien. me subscripsi,
Ego Scipio Episcopus Mutinen. me subscripsi.
Ego Christophorus Episcopus Cortonen. me subscripsi.
Ego Andreas Episcopus Conseranensis, me subscripsi.
Ego Alexius Episcopus Clusinus, me subscripsi.
Ego Garsias Episcopus Tuden. me subscripsi.
Ego Gregorius Episcopus Granatensis, me subscripsi.
Ego Aimericus Episcopus Montis regalis, me subscripsi.
Ego Baptista electus & confirmatus Teatinus, me subscripsi.
Ego Nicolaus Tricaricensis, me subscripsi.
†f. Agathē Ego Ioannes electus, & confirmatus Aganensis †, me subscripsi.
Ego Gulielmus electus & confirmatus Leonensis, me subscripsi.
Ego Andreas Episcopus Roffensis, me subscripsi.
†f. Crotonien. Ego Matthæus Episcopus † Cortonensis, me subscripsi.
Ego Iulianus electus & confirmatus Citaridensis, me subscripsi.
†f. Acestan. Ego Ioannes Episcopus Canapensis, me subscripsi.
Ego Thadæus Episcopus † Acestiaten. me subscripsi.
Ego Petrus Archidiaconus Trecensis, ambasiator Illustrissimi Ducis Burgundiæ & Brabantiæ, me subscripsi.
†f. Archiepiscopus. Ego Zanonus Episcopus Baiocensis, me subscripsi.
Ego Laurentius † Episcopus Acherontinus, me subscripsi.
Ego Ludouicus Episcopus Treuisinus, me subscripsi.
Ego Ioannes de Mella electus & confirmatus Legionensis, me subscripsi.
Ego Guilelmus electus & confirmatus Andegauensis, me subscripsi.
Ego Ambrosius generalis ordinis Camaldulensium, me subscripsi.
Ego frater Guilhelmus generalis Minorum, me subscripsi.
Ego Girardus frater generalis Augustinensium, me subscripsi.
Ego Placidus generalis Vallis Vmbrosæ, me subscripsi.
Ego Comerius abbas Florentinus, me subscripsi.
Ego Ioannes de Vrsinis abbas Farfensis, me subscripsi.
Ego Antonius abbas sancti Caprasii, me subscripsi.
Ego Franciscus abbas sancti Leonardi, me subscripsi.
Ego Fredericus abbas de Botto, me subscripsi.
Ego Georgius abbas Deserensis, me subscripsi.
Ego Antonius abbas de Alphyllo, me subscripsi.
Ego Bartholomæus abbas Campasilonis, me subscripsi.
Ego Sepulchrus abbas vrbis, me subscripsi.
† Sesin. Ego Angelus abbas de † Scyto, me subscripsi.
Ego Paschasius abbas sancti Sepulchri, me subscripsi.
Ego Benedictus abbas de Coner, me subscripsi.
Ego Iacobus abbas sancti Salmi, me subscripsi.
Ego Aloysius abbas sancti Pauli, me subscripsi.
Ego Ioannes abbas de Tyro, me subscripsi.
Ego Daniel abbas de Tarralino, me subscripsi.
Ego Benedictus abbas sancti Pancratii, me subscripsi.
† Panuin. Ego Franciscus abbas sanctæ Mariæ de † Pariano, me subscripsi.
† Gimacii Ego Ioannes † Gratianus abbas de Rupolis, me subscripsi
Ego Angelus abbas S. Mariæ de Pistorio, me subscripsi.
Ego Nicolaus abbas sancti Modesti † Recen. me subscripsi.
† Saluator. de Venet. Ego Iacobus sancti † Saluacis de Frame abbas, me subscripsi.
Ego Bertacius abbas Montis plani Pistorien. me subscripsi.
Ego Petrus abbas S. Felicis de Florentia, me subscripsi.
Egn Nicolaus abbas S. Mariæ de Diciano, me subscripsi.
Ego Bartholomæus abbas de Vibona, me subscripsi.
† del Cuores. Ego Laurentius abbas † de Culoros, me subscripsi.
Ego Fredericus abbas S. Pantaleonis, me subscripsi.
Ego Lucas abbas Stuant. in Alpibus, me subscripsi.
Ego Lucas abbas Facundus, me subscripsi.
Ego Iacobus abbas monasterii S. Petri de Massa me subscripsi.
Ego Franciscus abbas sanctorum martyrum Corduben. me subscripsi.
Ego Gulielmus abbas S. Saluatoris Burdegalen. me subscripsi.
Ego Georgius abbas S. Petri de Eugubio, me subscripsi.
Ego Antonius abbas sanctorum Saluatoris, & Vigilii de Srum, me subscripsi.
Ego Gabriel abbas sancti Iacobi de Pontada, me subscripsi.
Ego Bernardus abbas S. Mariæ de Marona, me subscripsi.
Ego Hieronymus abbas Sanctæ Gundæ, me subscripsi.
Ego Dionysius abbas S. Mariæ de Sandisagien. me subscripsi.
Ego Maphæus abbas sancti Firmidæ de Verona, me subscripsi.
Ego Timotheus abbas sancti Andreæ de Mantua, me subscripsi.
[Nemo autem mirari debet, cur plures patrum subscriptiones non sint. nã vltima sessione celebrata, multi priusquam huiusmodi subscriptio fieret, discesserunt: cum præsertim mos in Concilijs minime fuerit, vt in prioratus ordine constituti, vel fratres magistri, vel iurisperiti, in decretis ipsorum Conciliorum subscriberent.]
Humilis Metropolita Distren. Callistus contentus subscripsi.
Humilis Metropolita Gannen. Gennadius contentus subscripsi.
Humilis Metropolita Melenicen. Matthæus contentus subscripsi.
Humilis Metropolita Dramen. Dositheus contentus subscripsi.
Humilis Metropolita Anchiali Sophronius contentus subscripsi.
Bessarion Nicænus mandato in scriptis dato à Manuele Diacono magno Sacellario, cognomento Chrysocuche;

qui se etiam probabili ratione subnotauit; eius nomine, illum hoc loco declarans idem sentire, & eadem mente esse, qua & nos, & hæc omnia suscipere; subscripsi.
Magnus Sceuophylax, diaconus Theodorus Xanthopulus subscripsi.
Magnus Chartophylax & Archidiaconus Michael Balsamon subscripsi.
Magnus Ecclesiarcha, & iutium defensor diaconus Siluester Syropulus subscripsi.
Primarius iudex diaconus Georgius Capadox subscripsi.
Archipresbyter Constantinus, & Vicarius Muldoblachien. subscripsi.
Ecclesiarcha venerabilis, S. & regii monasterii magnæ Lauræ in monte S. & Vicar. eiusdem Monasterii Moses Hieromonachus subscripsi.
Athanasius quondam hegumenus Monasterii Periblepti subscripsi.
Hegumenus sacri Monasterii Pantocratoris, Gerontius hieromonachus subscripsi.
Germanus olim hegumenus S. Blasii subscripsi.
Pachomius hieromonachus & Abbas S. Pauli contentus subscripsi.
Hæc dicta & recitata sunt late quidem, vt diximus, à Iuliano sanctæ Sabinæ Cardinali; græce vero à Bessarione Nicæno Archiepiscopo. & oscula ti sumus genu & dexteram Papæ. consultauimus quoque inter nos mutuis amplexibus, sacris vestibus indui. & subscripsimus etiam ipsi nostris manibus, vt recitatum erat. Canebant autem nostri cantores; Lætentur cœli, & exulter terra. gloria, & repetitum est; sicut erat: gratiarum actio: & rursus idem: Hodie gratia Spiritus sancti. Absoluta igitur Missa & gratiarum actione, vnusquisque recepit se domum.
Post hæc Latini quæsiuere à nobis hæc:
Cur in apparatu Missæ particulas disponimus, & coniungimus diuino ac dominico pani,
Et cur inclinamus capita, cum de minori altari in maius nondum consecrata deferuntur sacra munera.
Et quam ob causam infundimus in sacrum calicem feruentem quam.
Ioan. 19. Et cur dicimus, quando nondum est corpus Christi; Vnus autem militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.
Matth. 2. Et quare dicimus; Et ecce Stella venit, & stetit supra, vbi erat puer.
Et quare Episcopi non inũgunt sacro chrismate, sed sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum.
Et quare mortuos ante sepulturam inungunt oleo.
Et cur sacerdotes & Episcopi sacrum facturi non prius confessionem emittunt.
Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22, Et quare, inquit, non contenti estis Domini verbis; Accipite, & comedite. sed postea dicitis; & fac panem quidem hunc preciosum corpus Christi tui: &, transmutans ex Spiritu sancto tuo, Amen, Amen, Amen.
Matt. 19. Marc. 10. Et quare coniugia dirimitis, dicente Domino; Quos Deus coniunxit, homo non separet.
Et qua de caussa non eligitis hic Patriarcham sed vultis abire sine capite.
Hæc à Latinis obiecta, Mitylenensis canonice omnia legitime q; dissoluit, præterquam duo; de quibus Papa significauit Imperatori. Cur sc. matrimonia dirimãtur; & Patriarcha non eligatur: Latinis contradicentibus, legem nihil valere aduersus Domini vocem; Quos Deus coniunxit, homo non separet: & non esse conueniens hinc abire absque capite.
Petiuit ergo per nuncios Papa ab Imperatore, vt ex Metropolis peritos aliquot ad se mitteret; Ille vero misit imperitos. Proposuitq; Papa duas hasce obiectiones, de separatione Coniugiorum, & promotione Patriarchæ. Illi vero, nullam se dixerunt habere facultatem respondendi; nec respondere; sed ea relaturos Imperatori, qui responderet:
Dum hæc fiunt, lapsi sunt dies. die vero 14. Iulii; feria tertia, Papa Orientales omnes Præsules ad se conuocauit; & cum aliquot ex iis profectus esset, talem habuit secreto cum illis sermonem:
Papa. Nos, fratres, Dei beneficio sumus fide cõiuncti. Quoniam ergo arcanis Dei iudiciis ego sum inter vos membra caput, debeo q; qualitercunq; admonere, & consiliis instruere ad ea quæ videntur pietatem & Ecclesiam nostram constabilire; propono vobis aliqua vt frattibus, vt membris, vt Ecclesiarum doctoribus.
Et primo dico, omnes conqueri de separatione matrimoniorum; idque correctione indiget.
Secundo, de Epheso; nam necesse est rationem reddat, cur se à Synodo nostra seiungat: neq; enim est nobis omnibus sapientior: quia scimus ipsum in disputationibus hæsisse, nec valuisse respondere ad ea, quæ frater Ioannes ab illo quærebat.
Tertio: quoniam sanctissimus Patriarcha Constantinopolitanus in æterna receptus est tabernacula, opus est Ecclesiæ Patriarcha, qui hic sufficiatur, vbi adsum & ego: non vt corporeum quid lucrifaciam: argentum & aurum non quæro, immo vero suppeditabo, & sufficium confirmabo, eumq; qui à me ordinatur remouebo, & Ecclesiæ illi auxilium præstabo: efficiamq; vt vnus Patriarcha sit, qui fruatur priuilegiis, & præsit Prouinciæ. In summa propter multa commoda dico, eligendum esse hic Patriarcham. quid enim impedimento est? quid vero deest? Hic Imperator præsto est, hic Synodus œcumenica, & Papa qui illi præest: adsunt, qui inter præsules potiores sunt, ex quibus Patriarcha deligendus est. quid erit vobis impedimento? Dignum ergo & æquum est Patriarcham sufficere, nec abscedere hinc à nobis caput non habentes.
Cum Hæc Papa dixisset, addidissetque, se nisi fieret hic Patriarcha, non posse in posterum dimouere eum qui Patriarcha esset:
Præsules ita respondernnt:
Graci. Æquissima & sapientissima sunt, quæ Beatitudo tua dixit: sed nos ad hæc dare perfectam responsionem non possumus; sunt enim & alii Præsules, & Imperator noster: perfecte igitur respondebimus cum illorum consensu. priuatim vero ex nobis respondemus ac dicimus, non esse hæc præsentis temporis, licet iusta & necessaria sint. nam matrimonia dirimimus non sine iustis caussis. Ephesius quoque dicit caussam. Patriarcha hic non fiet: moris enim nostri est eum Constantinopoli ab vniuersa nostra prouincia eligi, & in maiori nostro templo consecrari: nec Imperator noster aliud faciet, cui nota est Ecclesiæ nostræ consuetudo.
Papa. Ego vtilitati vestræ consulens volo fieri hic Patriarcham, nec cõsanguineum, nec amicum meum, sed quẽ vos elegeritis; ego vero illũ viatico instruam & confirmabo. Quod si non vultis, ego quod facere debebam, facio; vos autem postea pœnitebit. atsi vobis non essem locutus, peccatum non haberetis; tunc vero nulla vobis erit excusatio.
Cum hæc alia dixisset Papa, nosque ad ea vtcunque respõdissemus, abiimus; profectiq; omnia renunciauimus Imperatori: quæ ille audiens, nullum de his fieri verbum ad nos est passus.
His ita gestis præteriere dies aliquot vsq; ad diem dominicum. Feria vero 2. die Iulii 20. subscripsere tomos præsules, qui proficisci cogitaueruntrhi porro erant Heracleensis, Cizicenus, Trapezuntius, Monembasiensis Nicomediensis, Dramensis; ex Clericis etiam profecti sunt cum illis ad quinquaginta, nos expectaturi. Nos autem feria tertia, vno & vigesimo die Iulii, congregati in Vestiarium Imperatoris tomos subscripsimus: erant enim quinque latine & græce scripti, quibus Latini & Græci subscripsere ex vtraque parte: vt vnum Latini sumerent, & Græci alterum, cereros mitterent ad Patriarchas. Ita finem habuit totum negocium sanctæ vnionis.

DE AR-

DE ARMENIIS.

CXIII. POst aliquot dies venerunt ex Armenia Apocrisarii Patriarchæ Armeniorum virtute præstantes viri, quærentes & ipsi vnionem, fideique rectitudinem; qui etiam beatissimum Papam venerati, viserunt Imperatorem; consiliumque suum & animum de conficienda cum Ecclesia catholica vnione exposuerunt, petentes vt ferret auxilium, & prudentia sua iuuaret. Imperator autem respondit, multum sibi placere eorum studium: & gratum fore, si accesserint ad orthodoxam fidem, & Catholicam Ecclesiam; & precari Deum pro dirigēda eorum vnione; quæ si fieret, se quoque promisit ad negocium quodlibet, & quicquid illis opus fuerit, adiutorem. His dictis recesserunt Armenii; nos vero Florentia exeuntes Venetias petiuimus, & inde rursus domum rediimus.

DECRETVM

EVGENII PAPÆ IV.

EVGENIVS *Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

CXIV. *Psal. 80.* EXultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob, omnes qui vbique nomine censemini Christiano. Ecce enim iterum recordatus Dominus misericordiæ suæ, alium dissidii lapidem nongentis & amplius inueteratum annis, de Ecclesia sua auferre dignatus est: & qui facit concordiam in sublimibus, & per quem in terra pax est hominibus bonæ voluntatis, optatissimam Armenorum vnionem sua ineffabili miseratione concessit *benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Intuens namque piissimus Dominus Ecclesiam suam, modo ab his qui foris sunt, modo ab his qui intra, non paruis agitari turbinibus, vt inter ipsas respirare angustias, & ad resistendum fortior assurgere valeat, multis eam quotidie modis consolari & roborare dignatur. Nam & pridem magnam illam Græcorum vnionem, multas longe lateque contumentium nationes & linguas, hodie vero hanc ipsam Armenici populi, qui per Septentrionem & Orientem in magna copia diffusus est, in eodem fidei & charitatis vinculo cum Sede Apostolica stabiliuit. Hæc profecto tam magna & mira sunt diuinæ pietatis beneficia, vt non solum pro vtroque, sed ne quidem pro altero satis dignas suæ maiestati referre gratias possit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur, vno eodemque tam breui tempore, duo sic præclara, & tot sæculis desiderata opera, in hoc sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata? vere à Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris. *Psal. 117.* Quomodo enim hominum prudentia vel industria, nisi gratia Dei & cœpisset & perfecisset, has tantas & tales res explere potuisset? Laudemus iugiter & toto corde benedicamus Dominum, qui fecit mirabilia magna solus ipsique psallamus spiritu, psallamus & mente, ore que & opere, quantum finit humana fragilitas; pro tantisque muneribus gratias agamus orantes & obsecrantes, vt quemadmodum ipsi Græci atque Armeni vnum cum Ecclesia Romana effecti sunt, ita fiant & ceteræ nationes; præsertim Christi charactere insignitæ; & totus denique populus Christianus, omnibus odiis belliisque exinctis, mutua inuicem pace & fraterna charitate quiescat & gaudeat. Ipsos autem Armenos magnis laudum præconiis dignos esse, merito censemus. Vt primum enim à nobis ad Synodum accersiti sunt, tanquam Ecclesiasticæ auidi vnitatis, spectabiles, deuotos, & doctos oratores suos cum sufficienti mandato, de suscipiendo videlicet quidquid Spiritus sanctus hanc sanctam Synodum illustrauerit, ex remotissimis regionibus permultos labores, marisque pericula ad nos & hoc sacrum Concilium destinarunt. Nos vero tota mente, vt nostrum pastorale decebat officium, cupientes tam sanctum perficere opus, sæpe cum ipsis oratoribus de hac sancta vnione contulimus: & ne vel parua huic sanctæ rei dilatio fieret, deputauimus de omni statu huius sacri Concilii viros, iuris diuini & humani doctissimos; qui cum omni cura, studioque & diligentia, rem istam cum istis pertractarunt oratoribus, ab eis accurate inquirentes eorum fidem tam circa diuinæ vnitatem essentiæ, & diuinarum personarum Trinitatem, quam Domini nostri Iesu Christi humanitatem, & septem Ecclesiæ Sacramenta, & alia ad fidem Orthodoxam & ritus vniuersalis Ecclesiæ pertinentia: Multis itaq; adhibitis disputationibus, collocutionibus, & tractatibus; postque non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sancti Ecclesiæ Patribus & doctoribus deducta sunt, & earum, de quibus agebatur, rerum discussionem; tandem expedire iudicauimus, ne vlla in futurum de fidei veritate apud Ipsos Armenos hæsitatio esse valeat; atque idem per omnia sapiant cum sede Apostolica, vnioque ipsa stabilis & perpetua sine vllo scrupulo perseueret, vt sub quodam breui compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana professur Ecclesia, per hoc Decretum, sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus, traderemus:

In primis ergo damus eis S. Symbolum, à centum quinquaginta Episcopis in œcumenico Constantinopolitano Concilio editum, cum illa additione, Filioq; ipsi Symbolo declarādæ veritatis gratia, & vrgente necessitate, licite & rationabiliter appositæ: cuius talis est tenor: Credo in vnum Deum, &c. Hoc autem sanctum Symbolum, sicut apud Latinos mos est, ita decernimus per omnes Armenorum Ecclesias intra Missarum solemnia singulis saltem Dominicis diebus & maioribus festiuitatibus, decantari vel legi.

Secundo tradimus eis diffinitionem quarti vniuersalis Concilii Chalcedonensis, in quinto postea & sexto vniuersalibus Conciliis renouatam de duabus naturis in vna Christi persona; cuius tenor talis est: Sufficeret quidem sapiens hoc & salutare diuinæ gratiæ Symbolum ad plenam cognitionem ac confirmationem pietatis. De patre enim & Filio & Spiritu sancto perfectionem docet, & Domini humanitatem fideliter accipientibus repræsentat. Sed quoniam hi qui conātur reprobare prædicationem veritatis per proprias hæreses, nouas voces genuerunt; & hi quidem præsumentes corrumpere mysteriū dispensationis Domini, quæ propter nos facta est; aliiuero introducentes confusionem permixtionemq; & stulte confingentes vnam esse naturam carnis & Deitatis, & portentose dicentes passibilem Vnigeniti diuinam naturam: ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra veritatem præsens nunc sancta & magna atque vniuersalis Synodus, prædicationem hanc docens ab initio immobilem, decreuit ante omnia fidem trecentorum decem & octo sanctorum Patrum manere irrecusabilem: & posteriore tempore propter illos quidem, qui pugnant aduersus Spiritum sanctum, corroborat doctrinam de substantia Spiritus traditam à Patribus centum quinquaginta apud Constantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt; non quasi inferentes, quod aliquid minus esset in præcedentibus, sed eorum intellectum de Spiritu sancto Scripturarum testimoniis declarantes, aduersus eos qui dominationem eius respuere tentauerunt.

Propter illos autem, qui moliuntur corrūpere dispēsationis mysterium, & impudenter delirant, dicentes purum hominem esse illum, quiex sancta Maria virgine natus est, suscepit Epistolas synodicas beati Cyrilli

CXV. *Præcipua Pont. Græcis & Armenis danda pro vnione conficienda. Symbolum Constantinop. Definitio 4. Vniuersalis Conc. Chalcedonensis.*

rilli quondam præsulis Ecclesiæ Alexandrinæ ad Nestorium & ad Orientales, congruas existentes ad conuincendas Nestorij vesanias, & ad interpretationem eorum, qui salutaris Symboli mentem pio zelo nosse desiderant. Quibus etiam consequentissime epistolam coaptauit magnæ & Senioris vrbis Romę præsulis beatissimi ac sanctissimi Leonis Papæ, quæ scripta est ad sanctæ memoriæ Archiepiscopum Flauianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, vtpote congruentem illius magni Petri confessioni, & existentem nobis quandam columnam communem aduersus prauа dogmata, & ad confirmationem rectorum dogmatum. His namque qui in duos filios dispensationis diuinæ mysterium discerpere nituntur, obsistit: & illos qui passibilem Deitatem Vnigeniti ausi sunt dicere, à sacro cœtu expellit: & his qui in duabus naturis Christi temperamentum aut confusionem exquirunt, resistit: & eos qui dicunt, serui formam quam ex nobis assumpsit, cœlestem esse, aut alterius alicuius substantiæ, vt dementes abigit: & qui duas quidem ante vnitionē naturas Domini fabulantur, vnam vero post vnitionē confingunt, anathematizat. Sequentes igitur sanctos Patres, vnum eundemque confiteri filium Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectū in humanitate; Deum vere & hominem vere; eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem; per omnia nobis similem absque peccato: ante secula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in nouissimis autem diebus eundem propter nos & propter salutem nostram, ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem; vnum eundemque Christum verum filium Dominum vnigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter agnoscēdum; nusquam sublata differentia naturarum propter vnitionem, magisque salua proprietate vtriusq; naturæ, & in vnam personam atque subsistentiam concurrente; non in duas personas partitum siue diuisum, sed vnum & eundem filium vnigenitum, Deum verum Dominum Iesum Christum, sicut ante prophetæ de eo, & ipse nos Iesus Christus erudiuit, & sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum.

Definitio de duabus voluntatibus & duabus operationibus.

Tertio, diffinitionem de duabus voluntatibus, duabusque Christi operationibus in prædicto sexto Concilio promulgatam, cuius tenor talis est: Sufficeret quidem, & reliqua, quæ in ipsa diffinitione Concilij Chalcedon. superius enarrata sequuntur vsque ad finem; post quem sequitur in hunc modum: Et duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiuise, inconuertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus, & duas naturales volūtates non contrarias, iuxta quod impij asseruerunt hæretici, sed sequentem humanam eius voluntatem, & non resistentem vel reluctantem, sed potius & subiectam diuinæ eius atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moueri, subijci vero voluntati Diuinæ, iuxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim eius caro, Dei verbi dicitur & est; ita & naturalis carnis eius voluntas, propria Dei verbi dicitur & est, sicut ipse air: Quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris; suam propriam dicēs voluntatem, quæ erat carnis eius: nam & caro propria eius facta est. Quemadmodum enim sanctissima atq; immaculata animata eius caro deificata est, non est perempta, sed in proprio † sui statu & ratione permansit; ita & humana eius voluntas deificata est, non est perempta; saluata est autem magis, secundum Deiloquum Gregorium dicentem: Nam velle illius, qui in Saluatore intelligitur, non est contrarium Do; deificatum est totum. duas enim naturales operationes indiuisè, inconuertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino Iesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est, diuinam operationem & humanam operationem, secundum diuinum prædicatorem Leonem apertissime asserentem: Agit enim vtraque forma cum alterius cōmunione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis. Nec enim in quo quam vnam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ: vt neque quod creatum est, in diuinam educamus essentiam; neq; quod eximium est diuinæ naturæ, ad competentem creaturis locum deiiciamus. Vnius enim & eiusdem tam miracula, quamque passiones cognoscimus, secundum aliud & aliud earum ex quibus est naturarum, & in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Vndique igitur inconfusum atq; indiuisum conseruantes vnum sanctæ Trinitatis, breui voce cuncta proferimus: & post incarnationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum esse credentes, asserimus duas eius esse naturas, in vna eius radiantes subsistentia: in qua tam miracula quamque passiones, per omnem sui dispensatiuam conuersationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstrauit, ob naturalem differentiam in eadem vna subsistentia cognoscendam: dum vtraq; natura cum alterius communione indiuise & inconfuse propria veller atq; operaretur: iuxta quam rationem, & duas naturales voluntates & operationes confitemur, ad salutem humanam conuenienter in eo concurrentes.

Ioan. 6. d.

† *Suo.*

Syndus Chalcedonensis.

Quarto, quoniam hactenus ipsi Armeni præter has tres, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, Synodos, nullas alias vniuersales postea celebratas, nec ipsum beatissimum huius sanctæ sedis antistitem Leonem, cuius authoritate ipsa Chalcedonensis Synodus extitit congregata, susceperunt, asserentes eisdem fuisse suggestum, tam Synodum ipsam Calcedonen. quam memoratum Leonem, secundum damnatam Nestorij hæresim diffinitionem fecisse: nistruximus eos & declaranimus, huiusmodi falsum fuisse suggestionem, ipsamque synodum Chalcedonensem & beatissimū Leonem sancte & recte veritatem de duabus in vna persona Christi naturis superius descriptam definiuisse, contra impia Nestorii & Eutychis dogmata: iniuximusque, vt ipsum beatissimum Leonem, qui veræ fidei columna fuit, & omni sanctitate & doctrina refertus, tanquam sanctum & in Catalogo Sanctorum merito descriptum, decreto reputent & venerentur: atque non solum dictas tres Synodos, sed & omnes alias vniuersales auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, sicut & cæteri fideles, reuerenter suscipiant.

CXVI. *Sacramentorum veritas sub breuissima formula data.*

Quinto, Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam præsentium quam futurorum faciliori doctrina, sub hac breuissima redigimus formula. Nouæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem vnius cuiusque hominis in seipso perfectionem, duo vltima, ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur diuina eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremam vnctionem: per ordinem vero Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter: per matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & per-

sona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta, tria sunt, baptismus, confirmatio & ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum, à cæteris distinctiuum imprimunt in anima indelebile. Vnde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Bapti/ma. Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptismа, quod vitæ spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in vniuersos, nisi ex aqua & spiritu renascimur, non possumus (vt inquit veritas) in regnum cœlorum introire. Materia huius sacramenti, est aqua vera & naturalis: nec refert, frigida sit an calida. Forma autem est, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Non tamen negamus, quin & per illa verba †, Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: Vel, Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma; quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramentum. Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia. Huius sacramenti effectus, est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum & Dei visionem perueniunt.

† *Baptizatur.*

Secundum sacramentum est Confirmatio; cuius materia est, chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, qui odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est; *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ordinarius minister est Episcopus. Et cum cæteras vnctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum enim audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio. Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & vrgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. Effectus autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; vt videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem eius, qui Iudæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur.

Confirmatio.

Actor. 8.

1. Cor. 1. d.

Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui antè consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia sanctorum Patrum ac doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde, quia hoc conuenit Dominicę passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa, quintus à beato Petro: In sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum: quia vtrumque, id est, sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse legitur. Tum etiam, quod conuenit ad significandum huius sacramenti effectum, qui est vnio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: Aquæ multæ populi multi. Et Iulius Papa, secundus post beatum Siluestrum, ait: Calix Dominicus iuxta canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum & aqua miscetur, Christo populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit, copulatur & iungitur. Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia à beatissimis Apostolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic seruauerint, & modo seruent, inconueniens admodum videtur, vt alia quæuis regio ab hac vniuersali & rationabili discrepet obseruantia. Decernimus igitur, vt etiam ipsi Armeni se cum vniuerso orbe Christiano conforment: eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ [prout dictum est] admiscant vino. Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur: ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quo ad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando & delectando, sacramentum hoc quo ad vitam operatur spiritualem: in quo [vt inquit Vrbanus Papa] gratam Saluatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutem & gratiarum proficimus incrementum.

Aqua vino necessario miscenda.

Apoc. 17. c

Quartum sacramentum est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, vt doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio: ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, ieiunium, & eleemosynam. Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo* &c. Minister huius sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absoluendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus huius sacramenti, est absolutio à peccatis.

Pœnitētia.

Quintum sacramentum est extrema vnctio, cuius

Eucharist.

Extremæ vnctio. materia est oleum oliuæ per Episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet: qui in his locis vngendus est, in oculis propter visum, in aurib. propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius sacramenti est hæc: Per istam vnctionem & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum &c. Et similiter in aliis membris. Minister huius sacramenti est sacerdos: Effectus vero est mentis sanatio: &, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Iacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Iacob. 5. c.

Ordo. Sextum sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Euangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superpositæ traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: *Accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* & sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister huius sacramenti, est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, vt quis sit idoneus minister.

Matrimonium. Ephes. 5. d. Septimum est sacramentum Matrimonij, quod est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Causa efficiens matrimonij, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam vnus coniugum alteri seruare debet. Tertium indiuisibilitas matrimonij, propter hoc quod significat indiuisibilem coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Quamuis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonij vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Sexto, compendiosam illam fidei regulam, per beatissimum Athanasium editam, ipsis præbemus oratoribus, cuius tenor talis est: Quicunque vult saluus esse, &c.

Septimo decretum vnionis cum Græcis consummatæ pridè in hoc sacro œcumenico Florentino Concilio promulgatum, cuius tenor talis est: Eugenius &c. Lætentur cæli, &c.

Octauo, cum inter alia sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festiuitates Annuntiationis B. Mariæ virginis, Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ, & consequenter Natiuitatis & Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi, ac præsentationis eiusdem in templo, seu Purificationis B. Virginis Mariæ celebrari debeant, satisq; dilucide veritas patefacta fuerit, tam sanctorum Patrum testimoniis, quam consuetudine Ecclesiæ Romanæ, & omnium aliarum vniuersaliter apud Latinos & Græcos: Ne igitur in tantis celebritatibus dispar sit Christianorum ritus, vnde perturbandæ charitatis occasio possit oriri, decernimus tanquam veritati & rationi consentaneum, & iuxta totius reliqui orbis obseruantiam, vt ipsi etiam Armeni festum Annuntiationis beatæ Mariæ die vicesimaquinta Martij, Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ vicesimaquarta Iunij, Natiuitatis vero secundum carnem Saluatoris nostri vicesimaquinta Decembris, Circumcisionis eiusdem primo Ianuarij, Epiphaniæ sexto eiusdem annuntii, Præsentationis Domini in templo seu Purificationis Dei genitricis secunda Februarij, debeant solenniter celebrare. His omnibus explicatis, prodicti Armenorum Oratores nomine suo & sui Patriarchæ & omnium Armenorum, hoc salubernimum synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemque doctrinam in ipsa descriptam, necnon quidquid tenet & docet sancta sedes Apostolica & Romana Ecclesia, cum omni deuotione & obedientia acceptant, suscipiunt, & amplectuntur. Illos quoque doctores & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi ueuerenter suscipiunt: quascunque vero personas, & quidquid ipsa Romana Ecclesia damnat & reprobat, ipsi pro reprobatis & damnatis habent, profitentes, tanquam veri obedientiæ filij, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus & iussionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiæ, in publica Sessione synodali solennitet in Ecclesia maiori celebrata, Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno nono.

Hæc pro Armeniorum vnione, Eugenius Pontifex decernebat.

CXVII. *Græci non circumuenti sed sponte in sinum Eccl. Rom. irruerunt.*

Quod autem Græcos, in eodem Concilio, Romanæ Ecclesiæ vnitos attinet, cum etiamnum non desint, qui facta Eugenij in dubium vocare, ipsumq;, & Latinos, non ex fide, neque ad sinceritatem Euangelij cum Orientalibus egisse calumnientur, placuit isthic tres orationes Georgij Scholarij viri eloquentissimi & doctissimi, quas in Concilio Florentino, pro vnione Ecclesiarum coram Patrib. & Imperatore ingenti cum plausu omnium recitauit, adscribere, vt omnibus euidens sit, ipsos Græcos Catholicæ communicationis amantes, sponte in Romanæ Ecclesiæ sinum irruisse, manusque veritati dedisse; à persuasione Scholarij. Is Imperatorem Palæologum comitatus ad Florentinam Synodum profectus est: vt aliquis in historia Concilij Florentini, Romanæ editionis narrat. In ea Synodo, Græcos ad vnitatem cohortans, multa præclare dixit & scripsit. Cum vero sacrum vnitatis negotium iam expediri debeat, rogatus ab Imperatore sententiam, quid sentiret; libere protulit; atque ex omni nobilium numero, qui sententias dixere, huius vnius verba in Commentarios sacræ Synodi relata sunt. Is postea Constantinopoli, rogatu Gregorij tunc Protosyncelli, deinde vero Patriarchæ, complura Marci Ephesij argumenta, contra Spiritus sancti à Filio quoq; processionem, valide confutauit. Eius Scholam pro honorifica mentionem faciunt, qui ad Marci Ephesij epistolas, edidere oppositas responsiones. Fuit eiusdem nominis alter Georgius Scholarius, cuius exstat liber aduersus Latinos, & Sacrosanctam Florentinam Synodum. Videtur autē fuisse familiaris siue etiam discipulus Marci Ephesii. Constat enim, Marcum, dum è vita decederet, Georgio eidem Scholario suæ hæresis patrocinium contra sanctam Synodum reliquisse; illum vero, librum de sancti Spiritus processione, in multa capita diuisum consarcinauisse, eorumque se ad voluntatē & sensum Marci conformasse. Porro aūt inter hos duos Georgios plurimum differre manifestissimum est. Alter enim, dum Florentina Synodus celebraretur, & dixit, & scripsit non pauca, tum rogatus, tum non rogatus. Scholarius vero Marci familiaris scribens post Synodum, in sui operis proœmio fatetur, se tum demum abiicere silentiū, quando maturior, inquit, & fructuosior futura esset eius sententia contra sanctam vnionē. Ad calcem quoq; sui libri, hæc verba habet; Me ipsum præ omnibus accuso & lugeo præterea nos omnes, quotquot rebus illis sponte aut vi, in totum, vel ex parte interfuimus: qui cum loqui possemus, tacebamus tamē, & metu sermonem reprimebamus. Itaq; vnus & idem non potest esse, is qui tacuit, & metu sermonem repressit, quique multa dixit, & libertime locutus est.

Duo Scholarii mutuum inter se differentes.

Ad hæc, si vnus hic est Georgius, qui cecinerit palinodiam, cur in eo libro quem composuit, prius à se dicta non retracta? nec vllum facit verbum de prioribus erratis, neque soluit fortissimas illas rationes, per quas ad vnionem adhortatus est Græcos, laudando Latinos, & clamando, nihil in Fide ab iis peccari! Nam quæ antea scripta leguntur, & quæ postea liber ille continet, summe opposita sunt, & valde inter se pugnant. Ad hæc Scholarius Marco addictus, de seipso ait: Multos ad illum diem ignorasse, an contrarium ipse sentiret; errantes, inquit, tum quod ipse silentium opportune seruasset, tum quod praue interpretarentur prudentem eius dissimulationem, & nonnihil etiam calumniarentur. Quamobrem, inquit, opus fuit librum hunc conscribere, ad corrigendos illos, quorum salus desperata non esset, & multos dubitatione liberandos, & propulsandas calumnias, si suam ipse sententiam notam omnibus facerem. Hæc in Catholicum Scholarium nullo modo quadrare possunt, cuius sententia fuit omnibus ab initio notissima. Cum enim esset rogatus ab Imperatore, in præconio sui sermons; Inuictissime, inquit, Imperator, in qua ego fuerim, & nunc sim sententia, de proposita vnionis materia, declarat oratio quã vtcumque composui, tradidiq; huic sacræ Synodo, restantur etiam duo libri, quos à me antea scriptos nunc Synodo huic offero. Multa alia si quis perquirat, inueniet, quibus duo isti Georgij inter se differunt propter quæ alter quidẽ iure vocendus est, sacræ Oecumenicæ Synodi, rectæq; Fidei defensor ac propugnator, vt qui germanos Orientalis Ecclesiæ Patres ad finem vsque secutus est; alter vero studio, quo Marcum prosequebatur, abductus, elicendus merito hæresis assertor, quã à Nestorio primum inductam, & sancti Patres, & Oecumenica Concilia sæpe numero damnarunt.

Concil. Flor. sess. 25.

CXVIII. *Tres Georgii Scholarii ad Concil. Flor. orationes pro vnione Ecclesiarum.*

PRIORIS CATHOLICI ET SAPIENTISSIMI VIRI GEORGII SCHOLARII,

DE PACE, DEQ. FERENDO PATRIÆ auxilio, adhortatio ad Synodum Orientalem Florentiæ.

SACROSANCTÆ Synodo nostratis sanctæ Ecclesiæ, Patribus optimis ac summe honorandis, Georgius Scholarius debitam reuerentiam.

Communne quidem omnium sapientum præceptum, Non esse, inquit, à quoquam dandum consilium, antequam vocetur: Ego vero etiam inuocatus hoc agere aggredior, mitte q; hanc ad vos sermonem; quod sciam adhortationem esse potius quam consilium; solicitusque sim tum de toto rerum statu, tum de me ipso priuatim, & parentibus, & cognatis: & nota mihi sit vestra humanitas, & persuasum habeam fore, vt etiam si minus placitura sint, quæ à me dicentur, mihi tamen non irascamini, immo gratiam quoque habeatis. Nam cum vos æquitatis studiosos in ceteris esse sciam, nunc multo magis spero hunc animum retenturos. Meminisse vero etiam debitis meam erga vos benevolentiam, ob quam nec singillatim quempiam, nec omnes vniuersa vnquam offendi; sed multa grauia silentio pertuli, quæ Deus nouit, & quæ non facile quisquam pertulerit: neque enim decebat quemquam esse molestum, aut rerum perturbatorem. Ad hanc ergo vos benevolentiam respicientes, & necessitati, in qua res sunt, præsentem audaciam tribuentes, ita de sermone meo iudicare velitis Domini mei, Patres, ac Duces ad omnia simul bona nunc & omni tempore futuri.

Nec tacendum iam vltra arbitror, Domini ac Patres venerandi, cum impendentia mala plusculum etiam audere iam suadeant; nec præsentem rerum statum multis indigere sermonibus, summo in periculo constitutum; quique vix possit in tuto collocari, licet multa qui dem agantur, dicantur vero pauca. Porro dictionis apte disponendæ studium, & sermonis elegantiam, & oratoriam artem præsentia mala, dolorque quo propter illa opprimor, eripuere mihi maiorem partem: eo vero quod supereſt, quomodo vti liceat hoc tempore, non video: quod præsertim necesse est, simplex sit & percepru omnibus facilis sermo, quem ad vos omnes habeo. Sit vero mihi quidem orationis dux Deus; quem benevolentiæ erga vos meæ, & patriam, & genus vniuersum citare testem non erubuerim; vobis autem viæ ad eligendum vtilia, & illa agere aggrediendum.

Quod igitur nonnulli sint inter vos, qui putabant se Latinorum scientiam eluctaturos, atque illis persuasuros manere in illis antiquitatis terminis, & ipse scio. ij vero mihi certe magnam admirationem mouent, quod viri alioquin docti tantum in hac parte errauerint; idque cum sciant & se & alios non esse beneinstructos facultate ad persuadendum; non modo si quis instet, dubitetque de rebus grauissimis; sed si vel binarium esse inter pares numeros primum; aut hominem ex anima & corpore constare, ac similia negare voluerit: Latinos vero ad captum omnem humanum in Dialectica, omnique scientia, cunctarumque præcellentissima Theologia exercitatissimos. Verum etsi plures non ignorabant Latinorum scientiam, multaque illis non defore rationes ad ostendendum, se recte sentire; arbitrati tamen & illi omnes & isti, vnionem cum Latinis rem esse plurimi æstimandam & præterea facillimam, & suum & aliorum animum induxere cum voluptate aduenire. Sed fac, idem omnes sensisse, & ea spe venisse, vt Latinos ignorantiæ prauæque opinionis arguerent; persuaderent vero à sententia discedere aut sua sponte, aut inuitos; atque ita vnionem eorum amplecterentur. Hæc si quidem ex sententia succederent, fortasse melius esset; Deusque cum quo per agnitionem veritatis & mutuam charitatem coniungeremur, neutri partium maiorem impendere fauorem; sed tam eos qui veritatem edocuissent, quam qui illam æquo animo addidicissent, pari corona donaret, & æque sibi coniungeret. Ita visi quoque essemus obtinere locum magistrorum, fumoque famæ oblectaremur; quem vos Ipiritalia quærentes, Deoque vacare pollicitos ambire non conuenit.

CXIX. *Argumenta quæ pro Latinis affert. Matt. 18.*

Sed videtis omnes, vt Latini pro sua sententia egregie decertauerint; vt nemo illos possit, si velit æquus esse iudex, reprehendere. Et communis quidem magister ac dominus noster, *Oportere*, inquit, *in ore duorum vel trium stare omne verbum*, & lex ciuilis ita præscribit: illi vero ex communibus Ecclesiæ Doctoribus ex præstantissimos dignitate, & doctrina, susceptisque pro pietate laboribus; nam alios præterea; sententiæ suæ testes protulere: quorum quisque tantundem fide valere, quantum vniuersi homines, censendus est: eosque non obiter & perfunctorie, sed ita distincte plane neque locutos, ac si controuersiæ nostræ sedissent iudices; & apertis verbis exprimentes quod quæritur, adiectis etiam causis, vti Doctores decebat; & citatis sacræ Scripturæ locis, ex quibus sententiam hanc necessario sumpserunt & collectis per illa variis rationibus. Quos sane Doctores, cum tot tantique sint, & adeo perspicue sententiam hanc doceant, nec si velimus, impudenter aduersos conteri possimus. Alios præterea ex communibus Doctoribus produxere, Orientales inquam, pari doctrina & dignitate præditos; non vt illi quidem adeo clare, idem tan ẽ & ipsos quod & illi asserentes, si quis velit dicta eorum cum veritate pariter & scientia perpendere. Nec sophisticum aliquid aut affectatum, sed plana omnia, & sacræ Scripturæ, Doctoribusque consona ad demonstrandam sententiam suam protulere. Nec obiectum à nobis

est quic-

est quicquam, ad quod illis erudite & animose cum veritate non responderint. Ex sanctis porro aliquem, qui aperte aliis aduersetur, nullum habemus: quod si etiam esset, oporteret hunc quoque via & ratione aliqua multis adiungere, æquius sane & commodius, quam ad vnum vi pertrahere tantam multitudinem Doctorum. Ea vero incommoda, in quæ illos labi arbitramur, se nec sentire, nec sequi necessario ex sua sententia plane testantur; sed idem ac nos aiunt se credere, & in eundem ferri sensum, licet additis vocibus melius explicent: nec vllum Sanctorum calumniari, aut auctoritatem eius eleuare coguntur; immo Doctores inter sese conciliant; & hoc potissimo argumento satis demonstrare se putant recte sentire & credere, quod Doctorem cum Doctore nullum pugnantem, aut contraria dicentem faciunt; sed apud illos omnia per hanc sententiam tranquilla sunt & conuenientia. Adhæc ita nobiscum agunt, ac si magistri illorum aut iudices sederemus; rogantque vt se suscipiamus, nec velimus modica de caussa dissungi ab hominibus adeo nostris consimilia, adeo communibus Doctoribus congruentia sentientibus. Neque vero exigunt à nobis professionem veritatis; sed hoc quidem nobis relinquunt, si perfecte credere velimus, neque salutis spem arbitremur nobis ignominiam inurere: *Oportet enim*, inquit, *ad salutem labia quoque fidem confiteri*. Illi vero satis esse ducunt ad pacem, si finem insimulandi faciamus post tam multas demonstrationes, quibus se nec falsa dicere, nec male sentire probarunt: vt sit nobis integrum alia via & pacem facere, & populari hoc apparente que splendore ac rumore frui, nec pertimescere defectionem gentium nobis coniunctarum; quandoquidem fidei confessio non aliter ab illis & nobis fiet, ac prius fiebat. Et Latini quidem hæc ostendunt, hæc dicunt, tanto conficiendæ nobiscum vnionis desiderio flagrant: adeo nihil volunt fieri à nobis, quod sibi gloriam, nobis ignominiam aut detrimentum afferre possit. Nobis vero ad hæc omnia fortasse quidem verba non deerunt, sed non multi roboris aut decoris, & quæ virtute & sapientia nostra sint digna, aut hominum volentium præse ferre speciem ad dignitatem Patrum, qui in antiquis fuere Conciliis, & omnia cum veritate & charitate mutua examinarunt.

Rom. 10.

Doctores idem sentiunt.

CX. *Quanti pẽderis hoc negotium à quo salus dependet.*

Nec vero propositum nobis est de re non magni ponderis certamen, sed agitur de veritate fidei, per quam nos saluari speramus; & quam contentiose oppugnare non solum turpe est, sed & maxime periculosum. Neque enim aut Doctores negare licet, quibus etiam deprecatoribus ad Deum pro peccatis nostris vti solemus; & quibus vniuersa Ecclesia pro certaminibus ob veritatem susceptis, & laboribus in docendo, quam maximam retulit gratiam; vt omittam alias sanctitatis partes, propter quas illos secundum Deum honoramus: neque dicemus, Doctores inter se pugnare; hoc enim est omnia confundere, ac totam abnegare fidem. Porro autem voluisse Latinos deprauare fidem, & Doctorum omnium adulterare Theologiam, quis adeo stolidus, vt credat? quisve id asserendo contra Latinos, risu non excipiatur? nulla enim criminatio potest falsitatis redargui pluribus, fortioribus, ac verioribus argumentis. At obiicimus nos apparentem Doctorum dissensionem: Verum illi eam nullo negotio dissoluent, immo etiam iam dissoluerunt. Sed neque decorum amplius est hæc à Latinis quærere: possumus enim & nos ipsi conciliare inter se Doctores. Ego cum sim vestrum omnium minimus, vbi id mandaueritis, paratus sum hoc præstare & priuatim & publice, atque omnibus ostendere apertissime, Doctores Ecclesiæ in vniuersum de proposita materia idem sentire. hocautem non multis ostendam sermonibus, sed satis erit duarum spatium horarum ad persuadendum vobis omnibus nequaquam dubitare amplius de consensione Doctorum; vt nec vos vltra habeatis, nec Latinis negotium exhibeatis, harum inquisitione rerum commissa Synodo communi. Sed neque si tempus etiam frustra conteratur liceret, veluti sedentibus in otio, nullaque oppressis necessitate ad cogitandum de reditu, oporteret de rebus diuinis inanes fundere sermones, & instantias disputationis ergo afferre, victoriamque solum spectare, ac multa dicere, in quibus etiam par est aliquid erroris miscere; idque non multum volentibus contendere cum Latinis theologicæ ac philosophicæ facultatis notitia; infelici rerum nostrarum statu ita ferente, propter quem qui primas tenent inter nos, ita theologicam ac philosophiam attingunt, vt non omnino ineruditi videantur; non vigente iam scholarum vsu publicarum, & extincto disciplinarum ac rei litterariæ ambitioso studio, cunctis necessitati tantum, & angustiis rei familiaris vacantibus. Certum vero mihi est, ipsi quoque Spiritui non placere admodum tantam loquacitatem, sed sui nos tentatores existimaturum, si cum tot ex diuina Scriptura, tot etiam ex Doctorum consensu nobis suppetant ad propositum auxilia, sedeamus tamen ipsi posthabitis illis omnibus, nectentes sermoni sermonem; quod vel patemus nos inuentutos quidpiam per nostros sermones eo præstantius, quod Scripturæ suppeditant; vel aliquid à Spiritu quætamus apertius iis, quæ adeo clare sunt ab eo definita, his enim sermonibus & hac via vos vrentes, scio, in dissensionem potius & concertationem, aginini, magisque etiam agemini, quam in consensionem. Cum igitur hæc ita se habeant, Deo gratum, & Ecclesiæ Doctoribus iucundum erit, nobisque decorum, & præterea facile; multis omissis sermonibus vnionem amplecti, cumque illa domum reuerti. nec erit prorsus aliquid nobis impedimento, quonimus agamus ea, quorum ducti desiderio sumus huc profecti: cum Latinorum quidem sententia fulciatur tot testibus, & vsquequaque digna sit, quæ credatur; nobis vero liceat cum eis coniungi nulla in Symbolo facta innouatione. Et quidem bene nostis omnes, peculiarem caussam, cur optauerimus, multisque viis efficiendam enixe curauerimus, potissimumque prope finem perduxerimus, vt media prætereamomnia, Ecclesiæ Christi voltatem, extitisse mala, quæ formidamus ab impiis, resque nostras ad extremam redactas miseriam; quamuis multas alias ob caussas & æquiores, dignam, quæ ab omnibus expetatur.

Calamitas Græciæ.

CXI. *A facili & honesto.*

Oportet ergo propositum consilium sequentes; cum & fieri, & honeste fieri possit; ad exitum illud perducere: alioquin omnium hominum leuissimi videremur, si propter illud multa perpessi, multorumque bonorum spe ducti, & omnes pro certo habentes fore, vt confirmato schismate maior cumulus malorum accedat; velut hæc omnia obliti, vacuis, vt aiunt, manibus, re infecta rediremus: idque cum res sit adeo decora & facilis; nihilque sit quod, ne illa peragatur, nobis merito obstet. Nec vero audiendi sunt, qui nihil boni nobis ex hac vnione futurum aiunt: quod satis putant à se probari, propterea quod Latinorum nationes mutuis inter se conterantur bellis, & propriis vacent calamitatibus: & Papæ res nondum statum & firmitatem acceperint; sed infirmæ sint, & multorum adhuc insidiis pareant. Nam vt omnes alias vtilitates taceam, quas afferent nobis tum Papa ipse, tum reliquæ Latinorum nationes vel in tali rerum statu, (nostra enim cum non magna sit, vt & ipsi scitis, non multum illis exhibebit molestiam; norunt quippe hoc vno in præsenti nos indigere, veres nostræ in tuto sint, & ne hostes pertimescamus; id quod non grandi pecunia & paucis nauibus præstare possunt) ego vel ipsam vnionis famam satis fore aio nobis ad depellendum hostium timorem. Quandoquidem verendum non erit amplius, ne illi nos adoriantur, si sciant auxilia sociorum nobis

Ab vtili & necessario ad propulsandos Turcorum conatus.

affuta-

nitentra: qui si sæpe nobis opem tulerunt nondum sibi reconciliatis, nunc multo magis & alacrius hoc præstare volent, & veluti quoddam soluere debitum, societatem in bello. Neque enim aut Latinorum aut Barbarorum quisquam ignorat, primariam vnitatis causſam esse spem auxilij, quodque nulla alia salutis via nobis supersit: è contrario vero, si nobis auersatio & odium in Latinos augeatur, vacuis hinc & re infecta abeuntibus; quod statim inde notum erit omnibus, quia noster redirus nullo apparatu aut splendore, & viribus exiguis fiet, & nobis arbitror nullam amplius salutis spem superesse; & hostibus, etiam si nolint, commodum fore nos adoriri. Comprehendite vero animis vestris quod præcipuum est, quanta sit præsentis magnitudo periculi, in quo versamur. Auditis enim Barbarum maximis copiis terra marique comparatis bellum contra nostram Vrbem instruere; fortasse etiam antequam certus ad nos nuntius allatus sit, illam obsidet, aut quamprimum obsidebit. Eam porro scitis omnes, si non adsit aduentitium subsidium, ne primum quidem impetum hostis laturam; sed periculum illi esse, ne citra prælium veluti lucrum fortuito oblatum ab hostibus occupetur, ad solum eorum aspectum conterrita. Quod si etiam obsidionem paulisper ferat, fieri tamen non poterit, vt omnino periculum sine damno possit euitare; sed necesse est prorsum succumbat. Meministis enim, cum ab his eisdem barbaris terra olim obsideremur, & muri pars quæ mare spectat, & duplo maior est reliqua, nullam haberet custodem; nemo enim inde vigebat; quanto in timore, quantis fuerimus in angustiis. Ac nunc omnis quidem mœnium pars tuenda est necessario; militaris vero copia, reliqua vniuersæ Vrbis multitudo, neque ad dimidiam eorum partem accedit, qui tunc erant, proque tertia mutorum parte propugnabant, nec tamen ad tantum numerum, tantumque hostium apparatum satis esse videbantur: pestis enim, qua per tot annos premimur, omnes grauiter depasta est: dimidiam vero partem esse dico, nobis quoque ibi præsentibus, & annumeratis. Nunc vero abest Imperator; qui vnus cum sit, plurimum valet ad omnia; abestis etiam vos, & adeo multi, & virtute adeo præstantes, vt loco maximarum copiarum auxiliarium esse possitis, si detepente accedatis. Sagittarij vero conducti præter viginti quinque, omnes tu fugerunt: causſas autem tacere oportet: fortasse vero & illi pariter atque alij pro se ipsis idem hactenus sepere consilij. Quæ igitur spes, tanta hominum penuria tam formidolosum bellum in propulsandum? Quapropter etiam si profectionis nostræ causſa non esset conciliandæ vnitas, neque hanc nos potissimum optaremus ad pericula timoresque depellendos, sed aliquid aliud & aliam ob causſam agentes consideremus; oporteret tamen post acerbum illum nuntium, proiectis omnibus quæ sunt præ manibus, omnique, propter quod venimus, postposito negotio, perquirere quidem, an possimus Latinos suscipere, & bene cum illis coniungi, hoc est iuxta mentem sacræ Scripturæ, & Doctorum Ecclesiæ: hoc autem inuento, statim cum eis renouare amicitiam; moxque naues parare, partim quidem ab illis acceptas, partim vero à nobis coemptas, vel ipsis, si fieri posset, corporibus diuendiris; & neque cibum timere, neque somnum capere, sed diu noctuque opus non intermittere ad ferendum Vrbi nostræ festine auxilium. Nam idonea classe profecti & ferunare illam, & hostes fracto eorum conatu repellere; & si opus esset, cum eis congredi, & eiusmodi omnia facere possemus, multo igitur magis necesse est hæc fieri, quando nihil aliud quæsieris accessimus, quam vnitatem; nec enim alterius rei gratia itineri nos commisisse omnes fatebimur. Quare vnitas cum & summe facilis & non indecora sit, Deoque & cunctis hominibus placitura, conficiendaiam est; nec interponenda mora, nec differenda res; sed & vnio peragenda, & ferendum quam citissime auxilium.

CXII. *Obsculi ponit impendentes à Barbarie miserias & calamitates.*

Reperenda quippe est vnicuique nostrum memoria & vxorum & filiorum nostrorum, & summatim consanguineorum & ciuium, misere obsessorum, animi pendentium ac lugentium: ponendæ ante oculos cædes & vincula, & verbera, & contumeliæ, & fames, & sitis, & luctuosissima circumsectio, & seruitus inconsolabilis, & infantium abstractio, & senum iugulatio, & mutua diuulsio, res omnium miserrima, & templorum profanatio, blasphemiaque in excelso contra Deum efferenda; cum hi quidem sponte, illi autem vi IESVM abijcient Deum verum, solumque magistrum ac legislatorem, & transibunt ad Maomethi nugas ac cæremonias; & impietas quidem incrementa faciet, fides vero persecutionibus premetur: vtque eiusmodi omnia statuant in conspectu animi, & illud in primis, quod nos inuocent, exprobrentque nobis desidiam, à quibus se nunquam ita contemptum iri sperabant; quos vt dominos, vt patres & magistros habebant & honorabant, & à quibus credebant omnia posthabitum iri saluti & insolumitati eorum; pro quibus susceptam hanc peregrinationem & ipsi putabant, & vos aperte dicebatis. Itaque illi suorum tantum imaginatione malorum lugebunt, nosque eiulando inuocabunt; sperantesque nos hodie, cras venturos, recreabunt animos suos. Vtinam vero antequam illis hæc eueniant, moriamur nos omnes: miserabilius enim, aut omnino turpius, Deoque & hominibus detestabilius nihil erit nobis, si hæc illos pati contingat. Ceterum nos & pro aliis Christianis curam suscipere; & quæ illi sibi timent, nos & pro illis, & reliquis Christianis, & nobis ipsis cogitare oportet. Necesse enim plane est hæc eadem eueniant vbiuis habitantibus Christianis, necnon subiectis dominio Barbarorum, & Christi cultus vbique terrarum aboleatur. Ego vero eluuionem illam intra paucos annos obruturam puto omnes Christianos, & impietatem omnia depopulaturam, & Barbaros in suam omnia potestatem redacturos. Oportet autem, si nihil aliud, at certe Latinis quoque hisce nos incusantibus, pudore affici, qui nos vel etiam post acerbos nuntios, timoremque nobis iniectum, cum adhuc considentes videant, temptasque frustra conterentes, & veluti ludentes vbi ludendum non est, deque malis propinquantibus nihil curantes, saxeos, & mente captos, rerumque nostrarum proditores vocant; & omnino affectum nihil esse in nobis humani sensus, quod nos de nostris nihil solicitos videant, nec vllum inesse nobis studium humanum. Quales vero putatis, se nobis isti præbunt, cum nos hosce quidem Sanctos nullo loco habeamus, illos vero reiiciamus; & has quidem sententias dicamus adulteratas, illas vero ita simpliciter non admittamus; semperque sophisticata excogitemus, & inter nos dissentiamus; & ad diiudicanda dogmata existimemus satis esse ignorantiam, & si dicamus, negatum hoc esse à multis, siue à viro tali, scientiam vero & intelligentiam & eruditionem excludamus, Latinis hæc tolerantibus? neque enim status illorum periclitabitur, si dum hæc à nobis geruntur, malus aliquis nuntius afferatur: Quod cum dominator Deus auerte, & ostende te nobis non iustum potius iudicem, quam benignum Patrem ac Dominum, nullus sermo poterit exprimere, quanta tunc notabimur ignominia; immo vero ne præsentem quidem declarare poterit: tunc vero nobis plus quid etiam concedentibus non præbebunt aures, sed propter hoc perpetuo in nos odio flagrabunt, nostrorumque turpiter proditores, & Christi hostes appellabunt. Si quis vero dicat, nobis quidem hic ita esse considendum, sperandum vero hostes à Deo vlciscendos, qui nostram Vrbem nobis conseruabit; ille & se ipsum de-

Ignominia timenda & odium.

cipit, *Laborat*

...ium pro ...irili vt Deus etiã nobis auxi...lio sit.

cipit, & omnino de Deo falsa affirmat: Nulli enim solet is opitulari segniter agenti, sed si pro virili quidem parte laboret, ipsius vero etiam indigeat auxilio, sine quo nihil perficere possumus. Ego enim nec si omnes quidem vires nostras conferamus, dixerim hoc sufficere ad vlciscendos hostes; sed si & pecuniam omnem, & naues hinc omnes sumentes abeamus, nihil hoc nobis profuturum, nisi etiam adsit desuper auxilium; quod bene sperantibus & credentibus aduenier necessario: in ocio vero & socordia nobis, vnde omnia illic pendent, contabescentibus, nullum quoque à Deo parest sperate subsidium. Palam igitur est, præter alia omnia, ob quæ nos oportet aliquid perficere, præsensque negotium ad qualemcunque finem perducere, satis esse impendentem nunc hostium terrorem; habet enim is euidentem & incuitabilem necessitatem. Quare de damnis & vtilitatibus, quæ subsequentur, si conficiatur negotium, aut non conficiatur; &, si vniamur, aut non vniamur cum Latinis, agendum nobis non esset, cum sit satis ad persuadendum necessitas. Ergo quidem leuiter attigi quæcunque ad præsentem necessitatem cogitare oportet; Vobis autem satis hæc erunt ad excitandum animum, vt ea diligenter expendatis; cum profecto palam omnia nostris fere oculis se offerant, ea tantum ratione non aperte apparentia, quod tenebris propriæ cuiusdam affectionis præpeditus quispiam potest vel manifestissima non perspicere: & præterea quia nec mente nec sermone potest quis comprehendere, quot bona, quotque mala hinc inde sequantur; & necesse est vt eueniant altera. Consilium ergo do, rogoque vos omnes, vt indigentiæ & honestati, necnon necessitati, ad hæc & proposito nostro operam nauantes conueniatis, & posthabitis sermonibus opus ipsum aggrediamini; illum in omnibus finem vobis statuentes, vt & patriam & gentem, & sacra, & sepulcra semper quidem, nunc vero potissimum tueamur, & Latinos quidem aio suscipiendos esse, & amplectendam eorum communionem, cum nihil errent in fide; si nec fidei nostræ duces, & ipse Spiritus, quo illi sunt afflati, errarunt: quodque se affirment idem atque nos sentire; & Doctores ad hæc inter sese conciliant, quos ex nostra opposita sententia contingit potius loqui pugnantia; quod & vos optime scitis, & ego paratus sum omnibus palam facere, cum iusseritis: præsertim vero quod anathemati subdant, quæ illis ex hac sententia nos tribuebamus: nec id solum agant, sed etiam ostendant, ea ex sua sententia, quippe vt multum distantia, nequaquam sequi. Hos igitur dico esse suscipiendos; Symbolum vero recitandum, vt consueuimus; hoc enim tum ad Decreta satis esse videtur, quæ nos pertimescere dicimus; tum conducere ad efficiendum, vt pax ista placeat cunctis nationibus, quæ nostræ subsunt Ecclesiæ. Naues autem parentur eo, quo fieri poterit numero. Interim quæ sunt opus, disponantur, tum quæ faciunt ad ferendum in posterum auxilium, tum quæ ad pacem confirmandam: & quædam alia: quæ partim per nos ipsos agamus, nimirum quæ nostræ nunc facultatis erunt; partim agenda tribus quatuorve committamus, quos in præsenti Synodo relinqui necesse est, cæterorum optimos ac doctissimos. Deinde eundum & nobis erit Venetias; ibique rebus compositis & necessariis & vtilibus, recta ad nostram vrbem nauigandum, simul & redeuntibus, & ad ferendam opem iisdem euntibus. Agenda porro sunt hæc omnia cum festinatione, quæ adhibenda vbique est. Possumus enim quę hic agenda sunt, absoluere, quamuis omnium simus tardissimi, dierum quindecim spatio: ijs vero annumeratis, ad quadragesimum diem naues & ipsi conscendere, quorcunque illæ fuerint: quibus etiam plures in ipsa nauigatione poterimus assumere, omnibus sese ad nos adiungentibus, tum beneuoleutia, tum suorum Principum mandato, præ-

Modũ pro discessu præscribit.

Festinatio vbique adhibenda.

sentis causſa necessitatis. Dixi autem, totum numerum dierum præfiniens, quod sit opus, possintque omnia simul fieri, & vnio confici, & auxilium peti, & mitti qui naues paret, & deligi qui ad Barbarum legetur, classis comparari, nosque hinc profecti iter facere; vt connumeratis hisce diebus, in nostræ Vrbis portum septuagesimo, vel paulo amplius, die peruenire possimus. Quod si satis esse existimatis, si tantum idoneum mittatur subsidium, atque ita vnio perficiatur; summa celeritate vtendum est, aliter enim non erit satis datum auxilij: & illud quidem mittemus, nos vero postea per otium rebus omnib. melius compositis, statuiam nostro in tuto collocato, pauciori numero nauium per Hellespontum ineunte autumno nauigabimus. Sed si nulla ratione vultis pacem cum Latinis iungere [quam à mente vestra sententiam Deus auertat] scitis, vt reliqua mala silentio præteream, omnes exceptis paucis, non eodem quo prius auerso animo futuros erga fidem Latinorum: sed pie illos credere, & recte sentire existimaturos. Ita vero fiet, vt animis quidem hominum insideat vnio: bonis vero omnibus, quibus frui per vnionem sperabamus, & quorum gratis potissimum eius desiderio summus affecti, careamus. At si hanc omnino sententiam sequi volueritis, decretum hac de re statim sanciatis & confirmetis oportet, ac de reditu cogitetis, acceptis à Papa, quæ vel humanitate sua ductus, vel promissa faciens dare voluerit: de vestro quoque insumentes, & præterea publicis priuatisque rebus oppigneratis plura mutuo accipientes. Omnino autem oportet aut nos ipsos proficisci, aut auxilium, quod quidem sufficiat, mittere: hoc enim arbitror & in præsens & in posterum profuturum, & vsile deinceps fore ad quamcunque fortunam. Nec dicendum est, aut nos euntes, aut eos qui mittentur, elapso necessitatis tempore affuturos; fortasse enim non in totum erit elapsum: quod si etiam hoc certo sciemus, at nos certe aliquid negligere eorum, quæ interim fieri à nobis possunt, nec æquum nec consentaneum est. Itaque ex his duobus alterum nobis dico esse agendum: aut admissa vnione Latinorum reuerti, seu mittere facta vnione: aut desperata omnino pace cum illis, haud vacuos considere; sed ferendum nostris esse auxilium totis viribus; licet nos sciamus mille adituros periculum. nam ex quouis alio, quod capiamus, consilio, crimen proditionis nostrorum: aut minimum, vt ne eius criminis rei nostris, cunctisque videamur hominibus, nequaquam euitabimus. Quod si etiam parui pendamus hanc ignominiam, Deusque præter omnem spem benignitate sua manum obtendat; & patria nostra siue nobis accedentibus, siue non accedentibus ab hostium damnis libera euadat: persuasum tamen habeo, nulla in re nobis procrastinationem profuturam: nam propter illam omnia in peiorem statum delabentur, quod hactenus ex priori negligentia contigit. Dixi, paratus ad ferenda omnia pro veritate & honesto, eoque quod vobis omnibus vtile futurum sit, & mihi ac meis: & præterea existimans, satis mihi esse ad quamuis fortunam, quod quæ mihi videbantur, non subticuerim. Vos autem eligite, quæ in rem sunt, omnes quidem Deo & consilij & sermonis & operis duce proposito. Si quis vero est, qui velit deteriora præualere, plures & doctiores & prudentia maxime præstantes agant melliora: hæc enim est Synodi lex, & cuiusuis Reipublicæ, & conuentus omnis, atque vt vno verbo dicam, hominum.

necessitas.

CXIII.

EIVSDEM AD SYNODVM Oecumenicam Florentinam de pace.

QVOD FACIENDA SIT VNIO DOGMATICA, & non pax, quæ præsenti rerum statui sit profutura, vt quidam volunt, & quanam ea sit.

NOn video, cur opus sit vos adhortari ad pacem; cum per vos ipsos iam pridem sitis ad eam propensi, & re ipsa ostenderitis, quanto eius studio teneamini: quod præsertim multi de ea sermonem habuerint, declarantes, quibus eam bonis sciant affluere, & se amplectentibus quantas afferat vtilitates. Quod si exurgens quispiam ea proponat, per quæ illam possimus assequi, & cuiusmodi præstet ipsam fieri, & id genus alia; is mihi iure videbitur & tempori congruentia dicere, & vobis satis placitura. Ho igitur, si vobis libitum erit, ego præstabo. Non ignoro autem, cum materies ista sit multiplex, & quamplures habeat difficultates, necesse esse de ea & multos sermones instituti, & proferri sententias ab aliis in medium prodeuntibus nostra hac forsasse meliores. Sed quoniam omnes quidem audio de Pace loquentes, vtque videre est, in eo ponentes operam, vt persuadeant persuasis: omnes enim pacem bonum quid esse scientes conuenerunt, & nemo vt doceatur, an pax bona sit res & honorabilis: neminem vero video vlterius progredi; & omnes opportuna tempora labi patimini, quibus par est memorabile quidpiam perfici; volo abductum inde sermonem in aliud argumentum conuertere: & pacem tentare volentibus, veluti quoddam principij & adhortationem ordiri. Porro autem rogate vos, quemadmodũ moris est, vt orationem & audiatis, & benevole excipiatis, si quando alias & nunc arbitror superuacuum: non enim pro bono proprio quisquam nostrum conuenit, vt consilia & sermones conferamus; opusque sit mentes auditorum præparare; sermonique, vt attente audiatur & credatur, consulere: sed linguas omnium mouet communium bonorum desiderium, quod antea illorum animos pariter excitauit: neque hinc præter pacem optatam omnibus, lucrum aliud quispiam sibi domum reportabit. Dicant igitur omnes necesse est, & vos attente audiatis, & amplectamini quæ apposite dicuntur, vt diuinitus venientia: eorumque donatori pro illis etiam gratias agatis, qua enim potius alia in re par est mentes hominum à Deo afflari, quam vbi de eo quæritur, studiumque nanatur? Quæ vero secus se habuerint, nec fuerint prauo quodam animo prolata, cum mentis, non voluntatis peccata sint, non erunt à vobis reprehendenda. Nec præterea si, qui sermocinantur, prauam apud vos opinionem habeant, deberis eorum dicta, si forte sint meliora, contemnere; quod in humanis quoque negociis cauendum est ijs, qui quod vtile est, vndecunq; venantur: quandoquidem humilis fortunæ hominibus multo magis conuenit in re proposita gloriam sperare ex bono consilio; nam ab his etiam aliquãdo proficisci potest aliquod virtutis opus; ita Dei prouidentia disponente, ne quis minus considerate tribuat humanæ arti & sagaci consilio, maximi & post hominum memoriam omnium difficillimi negotij exitum. Propterea igitur & illam orationis partem declinaui, & vos attente audite volo quæ iam dicentur.

CXIV. *Scopus Synodi congregatæ.*

Quod igitur sacram hanc Synodum ex vniuerso fere terrarum orbe congregauit, persuasitque omnibus, vt alacriter huc conuenirent postpositis aliis omnibus; Christianorum omnium concordia, & cognitio est veritatis: quibus nihil potest esse iucundius hominibus, qui norunt & amare, & concupere, & incumbere ad honesta, nam & veritas lux plane est naturæ ratione vtentis, qua sine necesse est ea volutetur in tenebris, nullamque ex dignitate donoque sibi tradito percipiat vtilitatem; quamque assidue illa prehendens, dum quærit ignota, & seipsa fit splendidior, atque ad Deum primam veritatem, quantum fas est, proxime accedit. Pace autem concordiaque in rebus honestis rerum natura nil habet maius; quæprimo quidem oritur in anima & conceptibus eius; vtitur autem exterioribus veluti signis quibusdam, per quæ omnibus sit manifesta. Et credibile quidem est esse quosdam, qui aliis ducti cogitationibus, & bona quædam corporalia mente volentes, quæ spes est fore, vt nascantur ex concordia, alacriores visi sint ad præsens negotium: Mihi autem si cui etiam alij, videtur quidem, multorum magnorumque bonorum causſam fore illam Christianis, si de iis rebus eandem amplectantur sententiam, quas antea in controuersiam vocabant: ceterum eorum desiderio nullam sapientem arbitror moueri debere, nec statuenda esse bona, quæ vltimo loco numerantur, & quæ facillime quis contemnat, finem maximi ac diuinissimi operis: sed loco omnium satis esse quidem veritatis cognitionem, pro pace autem communi proiicienda esse facultatum partem vel maximam. Cum igitur horum duorum, pro quibus tam multos labores suscepimus, alterum egregie præstiterimus, nimirum veritatis cognitionem; necesse omnino est alterum quoque consequatur. Veritate enim agnita rerum quæ versabantur in controuersia, nihil erit amplius quod nostros animos disiungat, totumque terrarum orbem similiter distrahat: neque enim de teriæ confiniis, aut pecunia, aut insulis & vrbibus recuperandis otiosi litigabimus; neque prorsus hanc ob causſam profecti sumus: neque fieri potest, vt propter hæc omnibus contra omnes lis oriatur. Sed si pacem conficiamus citra firmam de dogmatibus consensionem, vnamque à cunctis receptam sententiam de iis, quæ modo tractantur; præterquam quod pacem diu conseruare non poterimus, debili fundamento innixam, videbimur etiam veritati ipsi aliquid aliud præponere, quæ vna dignus finis exiterit multorum sumptuum atque laborum: videbitur quoque profectionis nostræ vera causſa non fuisse inquisitio dogmatum, sed vt vnusquisque boni aliquid lucretur, & vitæ quod superest, traducat iucundius. hæc autem vos plane deuitaturos existimo, vt cuiuis potius congruentia, quam hominibus, qui Spiritu ducuntur, veritatemque omnibus præferunt. De illo igitur & primo loco & magis est cogitandum, quod si ad debitum perducatur finem, continuo reliqua etiam prospera sunt expectanda. Si enim modis omnibus veritatem quærere, & visam arripere ac retinere velimus, eluceſcet quidem concordiæ bonum, discutientur autem schismatis nubes: neque vltra aut inquis aggressionibus, aut vanis concertationibus seiungemur à fratribus. Ita porro sublato odio, placatisque animis, alteri cum alteris bona nostra communicabimus, affinitatemque & cognatorum loco habebimus; nec erit vllum omnino bonum, quod non sit è vestigio secuturum. Ego vero etiam dixerim, etsi bonorum omnium iacturam essemus facturi, & vagaturi per orbem inopes & inglorij propter maximam de veritate solicitudinem, & seriam eius tractationem, nihil tamen de studio quo illam inquirimus, esse omnino remittendum; nec aliud existimandum bonum nostrum, siue fælicitatem humanam, præter hanc ipsam. Cum igitur & reliqua propter eam accessura sint, ita rerum natura exigente, Deoque nos propter opus pulcherrimum ac diuinissimum remunerare volente, cur hanc etiam ob causſam non sit de hac re maxime cogitandum, totisque viribus ad assequendam eam labo-

Veritas lux naturæ ratione vtentis.

Pace & concordia in rebus bonis statu naturæ nihil habet maius.

Veritate arrepta & retenta concordia bonum consequetur.

laborandum? Quod vero si pax alia quauis ratione fiat, nobis ea tuto frui non licebit; sed ex vtrauis parte, re quapiam minus iucunda contingente, belli ac pugnæ occasio fiet discrepantia dogmatum, & rursus probris & scriptionibus conflictationi mutuæ locus erit, & inanis videbitur tota hæc rerum innouatio; ego quidem ostendere, quamuis nullo negotio possim, nolo; res autem ipsæ testantur, si quis legendo didicit, quoties in hunc modum pace inter nos confecta, non modo lucri nihil à nobis factum, sed malo etiam incaute incrementum adiectum, taceo vero tempora, & res gestas, & à quibus gestæ, quæ sunt nota plurimis memoria repetens, illudque cauens, ne videar traducere aliquos. Si igitur notum non esset ex multis superiorum temporum factis, quem soleat modus iste pacis exitum habere, sed nunc primum illius periculum faceremus, ignosceret nobis fortasse quispiam, in rerum obscuritate aberrantibus ab eo, quod fieri decet: Cum vero tot exempla sint, quibus persuaderi nobis potest, vt illum reiiciamus, iure optimo puto reprehendemur ab omnibus, si nobis contingat hunc modum deligentibus errare, & in eadem mala delabi, in quæ illi quos antea dixi; quod euenire omnino necesse est. Vnum igitur hoc est, & primum, & maximum. Quapropter ad inueniendam veritatem ponendum est omne studium; quod per illam effecturi simus ea, quorum gratia conuenimus, & pace perpetua, Deo propitio conficienda, fruituri: vtque verius dicam, quod hoc sit studij nostri caput; & quo quidem peracto, cetera omnia bene se habebunt; neglecto vero, nec illa sunt à sapientibus magnificienda, nec erunt talia, vt & honestissima & vtilissima sint. Alterum vero est, quod omnibus hominibus iucundum est, & res omnium suauissima vitam sibi in pace esse: huic enim illud coniunctum est, quod nemo nemini vim cogatur afferre, sed liceat fortunis vti cum voluptate, tranquilleque vitam traducere; quo potissimum dignoscitur quæ sit vita humana. Omnino enim arma & pugnæ, & acierum instructiones, & collocata in vrbibus præsidia, & omnes bellorum apparatus pacis causſa sunt, fiantque vt vita possit cum pace transigi. Possunt autem tuto pacem habere, qui vel nulla prorsus de re certant, vel quibusdam conditionibus dirimunt controuersias, & quod instum est pari voluntate amplectuntur, existimantes se nec pati iniuriam, nec inferre.

CXV. *Pax non iuxta vbi dogmatii discrepantia.*

Pax nondum extincti querimoniis nõ pax dicenda sed potius inducia.

Qui vero deponunt inimicitias nondum extinctis querimoniis, hos bellum non mittere sed intermittere dixerit quispiam, & inducias facere, non pacem aut belli finem. Etsi enim videntur conciliati animi, non subest tamen animi voluntas, quoad alter ab altero sciat se iniuriam passum: nisi quis præ magna socordia, non quod rapiant de suis conqueri insidiatoribus, sed ob ea quæ relinquant, velit habere gratiam. Ita igitur hic quoque res se habet: Si disputationum vi, Deique auxilio diuturni belli causſas adimemus, & querelas mutuas è medio prorsus tollemus, & in eandem omnes conueniemus sententiam, licet hanc veram nuncupare pacem, & animorum indissolubile vinculum, fraternam conspirationem, & spiritalem vnionem, omnisque scandali radicitus præcisionem, & quiduis aliud huiusmodi: ac tali cum pace reuertentes & nos ipsi vere gaudebimus, & illis qui nos excipient, lætitiam vt capiant suadebimus. Si vero aliud quid fiat, pacis vmbram, & conciliationis simulacrum, & dogmatum dissensionem, & scandalorum exordium, & rem haud primo loco expetitam, & necessitatis conuentionem appellabunt omnes. Et simplicioribus quidem peregisse aliquid fortasse videbimur; suadebimusque illis, vt pacis nomine contenti sint, & nihil aliud requirant: at sapientum probris iure obnoxij erimus, obiicientium nobis egregium pacis nomen, speque in nihilum redactas: & apparentem tantummodo conciliationem; dum non etiam communis omnium felicitatis proditores vocent, quod prope accedentem, & veluti porrectis manibus aduocantem prehendere noluerimus, sed nosmet alio facilius conuertimus. Verum hisce etiam probris omissis, neque nobis ipsis persuadere poterimus, occasiones oblatas fuisse à nobis bene arreptas; & inter ea quæ nostrarum virium erant, potioribus nos adhæsisse; remque Dei cum Deo egisse. Præterea quæstiones, quæ postea emergunt; quarum nos auctores fuisse videbimur, relictis seminibus scandalorum, & non exuisse radicitus malo, cum hoc in nostra voluntate situm esset. Et certe multis aliis expeditioribus facilioribusque modis decantatam hanc vnionem facere licebat; illis tamen omnibus posthabitis, celebrandæ generalis Synodi, remque illi totam permittendi consilium inimus; quod hac ratione tantum futurum esset, vt firma & stabilia manerent decreta, audente nemine iis aduersari, quæ huiusmodi Synodus pronunciasset: & clausulam hanc in omnibus scripturis, quibus continentur pacta & conuentiones perficiendæ vnionis, videre licet assidue repetitam; & Legatos vtrinque missos meminisse certe & loquendo & scribendo passim vsos esse hac voce, vt auditores tuncafficerent. Quod igitur ad hanc sacram Synodum ex omnibus, aut certe plurimis orbis terrarum partibus conuenerint aliqui, sermonum eius actorumque futuri participes, eandemque laturi sententiam de summa rerum, hoc illam procul dubio facit œcumenicam; necesse vero est, vt in reliquis etiam œcumenicarum ei Synodorum forma perfecte seruetur: quorum vnum est, vt ea quæ quotidie quæruntur, & causſas schismatis accurata cõsideratione meditetur; & post multa certamina sermonesque habitos vtrinque, comperiat tum verum, tum etiam oppositum; & illud quidem promulget, eliminet vero mendacium; vt qui parent, iam sint orthodoxi; qui vero adhuc refragantur, censuris subiiciantur hæreticorum; possitque orbis terrarum vniuersus simplicem deinceps de rebus antea controuersis tenere sententiam, & aliter dicentes reiicere. Hoc igitur ante omnia quæuis agendum; tum reliquo Ecclesiarum apto ordini consulendum, & hominum vita canonibus & legibus ad hoc spectantibus instituenda; & si qui sunt, qui velint priuatam sibi litem dirimi, neque hi contemnendi. Si igitur hæc etiam, exemplum sibi statuent tot Synodorum, ex iisdem vnde & illæ, orsa fuerit, voluerit que in ea pari, ne dicam maiori studio incumbere; deinde etiam de reliquis, quibus prouidentia vestra opus est, æque ac illæ cogitauerit; nemo erit, qui hanc ipsam interalias œcumenicam esse negauerit, & eiusdem qua sunt aliæ dignitatis; nec erit quo aliquis confugiens, velit patuipendere quæ ab ea fuerint decreta, existimans perinde esse hanc atq; antea celebratas aspernari, timensque tum execrationes hominum, tum pœnas desuper irrogandas. Alioqui multi erunt, qui illi infidientur: & nunc quidem fortasse nemo contradicet, ne videatur etiam impedimento esse bono concordiæ; & quod præterea sciat, rem esse arduam tanto numero præualere, si conetur illos eo verbis pertrahere, quo animus non propendet; tempore vero procedente non pauci decreta vestra volent conuellere, veneranda hac vos appellatione denudantes; denudabunt autem, quia generalium Conciliorum formam multitudine tantum seruatam à vobis dicent, in rebus vero maxime necessarijs viam vos iniisse plane illis contrariam, vt qui conuentum egeritis ob aliud quidnis potius, quam dogmatum veritatis ergo. Atque ita soli nos fortasse pace fruemur, posteris vero nostris bellum illico relinquemus vel priori deterius; sicque nullum nobis afferet fructum omne huius appellationis studium. Quod ne fiat, generalium Con-

CXVI. *Quid œcumenicæ Synodo incumbat.*

Dæmonib. pace Ecclesiarum nihil inuicē dius.

ciliorum dignitas per exactam illorum imitationem huic etiam est adaptanda; & ne vllum ei periculum immineat ex dissimilitudine; prospiciendum. Nam etsi piæ mentis hominum animos prætextus isti non turbabunt, nec erit quispiam, qui honestum insequens Concilio inferat bellum; bene tamen nostis, aduersus maxima & summæ vtilitatis opera non modo perditissimos homines, sed aduersarios quoque nostros ab initio dæmones struere insidias, similium sui hominum ad hoc opera & auxilio vtentes. Porro autem dæmonibus Ecclesiarum pace nihil iniucūdius, ex qua totus bonorum circulus pendet, & quam Saluator ascendens reliquit hominibus: tantundem enim erat hanc largiri, atque omnia simul tradere bona, quæ præsens nobis tribuere poterat. Sicut ergo inimici pacis omnes ad eam euertendam adhibebunt machinas, & omnes captabunt occasiones; ita nos quoque, quod futurum est prospicientes, omnem decet illis viam male faciendi præcludere, pacisque bonum vsquequaque tutum reddere; vt necessario improbi vel acquiescentes non cieant turbas, vel adorientes nil efficere valeant; experimentoque sciant. Cœlum se voluisse ferire capite. Illud præterea considerandum, futuros homines prauos non modo sententiis nostris molestos, & easdem rursus controuersias & pugnas copiosius reuocaturos, si quam nacti fuerint criminandi nos occasionem; sed multa quoque alia bella excitaturos, veramque fidem multa confusione oppleturos.

CXVII. *Ecclesia in duas diuisa orient. & occidēt.*

Et nunc quidem in Orientalem & Occidentalem Ecclesiam diuisa est Christianorum multitudo; tunc autem ne numerari quidem Sectæ poterunt, singularum diuisione partium in alias per seditiones intestinas, & variis varias contentionum disseminantibus caussas. Nam si dum hæc Synodus adhuc expectretur, quæ maximis orbis terrarum partibus coniuncta, deinde nouitatibus, quæ singulis in locis exortæ sunt, diligenter examinatis, veram certamque sententiam erat de omnibus latura; diuisi quidem erant prius vniti; deuictos vero pars vtcunque superior execrata est, infidelibusque deteriores habuit, & ad hanc diem eo nomine vocat vsque à primis illis, qui fuerunt pugnæ auctores; nouumque in antiquo schisinate factum est schisma, pauciorum quidem, sed longe superans & materia quæsitorum, & mutuo inter se odio; libentissime enim vel carnes ipsas degustassent; quid expectandum, quando nulla spes erit œcumenicæ Synodi? cuius tantum calculos erant formidaturi, quod incertum esset, secundum quos illa esset decretura. Talem vero Synodum quis vnquam mentis compos speraueris; si hanc tanto ante meditatam tempore, tanta vero vtrinque cum difficultate coactam, irritam videat, quod sibi nomen hoc tueri minus potuerit? Cum igitur tempus noui semper aliquid adinueniat, & homines siue ob ignorantiam, siue ob certandi studium mendacio adhæreant, & differentias dogmatum quandoque faciant causas pugnarum; nullusque sit, aut expectetur, ad quem confugiant qui pro veritate stant, cuiusque sententiam conueniat omnes reuereri; necesse est omnes inter se manus conserant: dumque sibi quisque sit veritatis magister, aliter sentientes condemnet; quodque deterrimum omnium est, hæreticos infidelesque appellet, non vti nunc fit, ob discrepantiam schismaticos & id genus alia, metu Synodicæ definitionis. Hoc porro statu rerum quid peius? nemo enim simpliciorum sciet, quid sentiendum, quibusve assentiendum: nec erit à periculo vacuum quodcunq; quisque delegerit, mendacio multifariam diuiso: ex quo fiet, vt res ad salutem maxime necessaria, fides, paulatim ex hominibus abeat. Et nunc quidem audientes, extare alicubi hæreses principio exortas, mirum putamus, si homines tanto inter se opinionum diuersitate, tam multis, tam variis, tam contrariis sententiis discordes possint simul habitare: tunc autem malum hoc totum terrarum orbem occupabit; nec si quis à gentilitate velit ad veram conuerti fidem, scire poterit plane, quibus vtendum sit desiderii sui ducibus ac magistris; quinimmo tantam inspiciens discrepantiam, ne voluerit quidem. Quæ nos ac cætera omnia prospicientes, existimanteſque illud esse tempus, quo veluti conserta nocturna pugna permixti omnes, alter in alterum eorruunt, simulq; pereunt; pereuntium quidem commiseratione motos, malo vero quod Ecclesiam depascitur, debitam obiicientes prouidentiam, oportet vnicam omnium causſam resecare. ad hanc enim non opus erit alio seorsum tractatu, aut aliis laboribus, aut temporis mora: nec si res in præsenti bene componantur, opus erit de his iterum sedentes cogitare; sed quod oportet adhibere ad præsentia, hoc vobis erit pharmacum etiam ad futura.

CXVIII. *Pro firmis habentur quæ ab œcumenica Synodo decreta fuerint.*

Nam si effeceritis, vt re vera Synodus œcumenica habeatur; ex quo etiam fiet, vt firma sint, quæ à vobis fuerint decreta; nemo quicquam de rebus iam definitis in dubium vocans fieri vmquam schismatis auctor voluerit, & Ecclesiam sciens hoc animaduersuram, & pœnas ab œcumenica Synodo constitutas reformidans; quod par est tunc potius, vt pote toto terrarum orbe idem sentiente, quam nunc expectare. Et hanc quidem Synodum non minus à Spiritu, quam de Spiritu dicimus congregatam, quæ illi videntur definituram: id vero quanam alia ratione re ipsa ostendatur, præterquam si cætera quidem parui penderimus, veritatem autem de eius processione modis omnibus examinauerimus, & si re hoc nulla ratione hinc recedere possit erimus? aut quomodo illi rem magis gratam facere possimus, à quo solo, qui amor est & dicitur, sperare conuenit bonum concordiæ, quam si sanas ac pias de ipso sententias inuestigauerimus, puramque ac sinceram in eum fidem reperire & conseruare voluerimus? Cum enim ille sit Spiritus veritatis, vule quidem nos cuiuslibet veritatis esse studiosos, nobisque ad eam viæ ducem se præber, vt qui sine ipso per illam ire citra periculum non possimus: sed eis potissimum oblectatur, qui volunt inquirere, quid de ipso personisque ipsi consubstantialibus sit sentiendum; quod ij maximam primamque veritatem assequi cupiant: nec eos patitur in huiusmodi cogitationibus mendacij nexibus implicari. Quod si qua sit dubitatio, congregate eos vndique, qui toto animo veram inquirant sententiam, eamque sine contentione amplectantur; efficiesque vt veritatem quæsitam inueniant, dummodo non sint superbi eius inuestigatores, suæque virtuti rem retam committant. Quorsum enim vos congregauit Spiritus, nisi vt verum aliquod beneficium in totum conferat orbem, vnde vos collecti estis? certe enim non vt diutiis ingeat, & potentatus vobis acquirat, cum possit de quibusdam fortasse nonnihil conqueri ob possessorum etiam dispensationem facultatum: neque vt præclaros illos restituat titulos, & verbosas inscriptiones à schismate ita sublatas; quæ tumoris potius superbiæque ostentationem habent hominum Spiritui obsistentium. Sed hæc quidem ad vera bona sunt veluti aduentitiæ partes, quæ nobis à Spiritu venient, & præmia quædam susceptorum pro veritate laborum, ad præbendum angusto pauoq; animo nostro solatium; quæ non paucis arbitror sapientibus erunt contemptui, ne si dentur quidem recipienda; quod illi sola veritatis notitia sint contenti; præmiumque rebus omnibus æquiualens id putent hominibus, qui pro illa decertarunt: quod si aliud quoddam expectandum est præmium, hoc esse illi credunt fœlicitatem futuram, & clariorem tunc veritatis notitiam: nam & puræ germanæque hominum vitæ scimus omnes magno illa esse impedimento; quapropter & illius studiosis, si hæc possideant, videmus ea curæ non esse. Hæc igitur cum tali natura sint nec decet à nobis dditta opera quæri, nec à Spiritu libenter donati, vt nos etiam hoc modo congregauerit ad bona hæc

potis-

Sine veritate impossibile est consequi salutem.

Veritate ignorata pax inter homines manere nō potest.

potissimum deferenda. Verum ad ea congregat, & ea susciperе volentibus munifice donat, quorum gratia coactis præest hominibus, & interesse illorum cœtui non dedignatur; quæcumque videlicet ad gloriam Dei conferunt, veramque suscipientium vtilitatem, Itaque nos etiam, qui hic sumus congregauit, vt veritatem quidem edoceat, sine qua impossibile est consequi salutem; pacem vero inter nos conciliet, quæ nec veritate ignorata manere inter homines potest, nec illa agnita necessario non redire; & scandalis Ecclesiam liberet, quibus pro more inseminatis zizaniorum sator inopem illam ac sterilem reddidit; efficiatque illam rursus copiose fœcundam, suosque congregantem natos, & ministrantem illis alimenta ad lætitatem. Non est ergo consentaneum, putare quidem nos à Spiritu coactos; posthabitis vero illis, ob quę tantum nos ille congregasse censendus est, tanquam otio fruentes quomodocunque aliud agere; id enim fuerit tentantium Spiritum, sibique ipsis contraria facientium. Præcereo vero, concordiæ bonum, per quod Spiritui coniungimur, non posse consistere, si propriam quisque sententiam teneat, & non eligatur vna ab omnibus, vera scilicet, quam velint etiam tueri. Quinimmo nobis quidem totum pro pace gerenda est studium; quam si vera sit & perfecta, Deoque placita, & nobis ac nostris laboribus non indigna, nemo ignorat, vna cum sit, triplicem futuram, tribusque nos reconciliaturam, nam præter exteriorem conciliationem, qua fiet, vt deincepsalteralteri pessima quæque imprecari desinamus, manumque & linguam in nos inuicem non armemus; oportet pacem nobis esse cum Deo, vera de illo opinantibus: quandoquidem à veritate aberrare, cum Deo quoque est inimicitias gerere: necesse est etiam, bonum pacis sibi quisque conseruet, vt sermones qui proferuntur, consentientes exhibeat cum interiore animi sensu, & ne vestigium quidem dubitationis de rebus propositis sibi ipsi relinquat: Pax enim cum aliis, firmanda prius est in nobis ipsis; alioquin pacem habere fingemus; & prætextu amicitiæ latenter fiet, vt auersos animos intus occultemus. Neque enim controuersia inter nos erat de rebus, quæ si raptoribus concedantur, aut si iuste recipiantur, par est inter nos nullum fore amplius bellum; & nihil esse, quod veret, pacem haberi pro perfecta; sed pugna bellumq; nobis erat de opinionibus, quæ ipsum nostræ fidei caput attingunt; quarum alteram qui sequuntur, non possunt alteram omnino parui pendere, cum stent ab vtraque multa, partim quidem ex Scripturis sumpta, partim vero humano studio reperta, quæ faciunt, vt difficile omnibus videatur de his ferre iudicium. Et opiniones illæ inter nos antea versabantur in controuersia; & illud nos simul turbabat, timentes ne à veritate aberraremus, & maximam æstimantes calamitatem, si cui cum fratre pugnanti contingeret & cum Deo belligerare, & abesse longe à veritate, pro quibus bellum erat susceptum. Hæc porro de illis dico qui sapiunt; nam homines peruicaces & contentiosos, eosque qui pro vero illud solum habent, cui semel adhæserint, & aures claudunt contrariis rationibus, missos facio: quos, non quod vera esse sciant, quæ senserint, aut eiusmodi, vt refelli non possint, ea credere dicat quispiam; sed quia semel concepta sibi illa probantur. Hæc igitur cum ita se habeant, si futurum esset, vt extincto mutuo inter nos bello, continuo pax nobis esset, Deique fauor bene de illo sentientibus adesset, siue quod prosperiore quadam fortuna verior nobis placuisset sententia, siue aliam ob causſam, nihil timentibus, nullumque periculum aut damnum formidantibus, quod non fuerimus veritatem assecuti; satis nobis esset loco omnium gerere pacem; qua vtcunque confecta, nihil opus esset ad alia studiosè incumbere. Verum quia deposita contentione apparente, bella nobis alia supereruntdeteriora,

Pax prius in nobis fir manda si illam cum aliis habere velimus.

CXIX. *Pax vna cum fit erit triplex futura.*

à veritate aberrare est cū Deo inimicitias gerere.

pacisque bonum deerit æque ac prius, quiddam potius aliud, quam pacis negotium tractare videbimur, aut prorsus nescire, quomodo voti compotes fieri debeamus, si nostris tantum rebus hinc inde bene compositis, totum opus à nobis absolutum existimabimus. Si vero contra, ordiendo à dogmatibus, pacemque cum Deo studiose perquirendo, statim cetera omnia cedent, & multa erit vndique tranquillitas, & quam nemo possit effari voluptas, omnibus inter se consentientibus, exterioribus, interioribus, erga nos inuicem, erga Deum; hancque adeo stabilem & firmam, adeoque illustrem vnitatem nihil obscurare, nihil omnino poterit labefactare; plane manifestum est esse inde ordiendum. Imo veronon pacis exordium illud vocandum, sed veram perfectamque pacem, & quicquid dixerit quispiam ex iis quæ requiruntur, amplectentem. Qui enim erunt adeo procaces, & propriæ salutis hostes, vt post huiusmodi pacem alio quopiam prætextu confiicto à fratrum communione diuellantur? Ego enim plane ne relictam quidem video maligne agere volentibus vllam occasionem. Quem vero vos adeo dementem existimatis, vt post vestram sententiam de rebus propositis laram, imo vero quam Deus feret in vobis, adhuc ipse fluctuans angatur? Cum igitur tria sint, quæ ad absolutissimam requiruntur pacem, si ea Deo iuuante fiat cum inuentione veritatis, & per eam ipsi Deo perfecte adhæreamus, reliqua etiam duo sequentur. Illud igitur inde cauendum est iis, qui veram cupiunt pacem: hanc vero cupiant necesse est, tantoque bono omnia ducant inferiora, qui virtute rationisque præstantia omnibus antecellunt, & pericula laboresque susceperunt, quæ quis adeo præcellens pro rebus tantum maximis subire voluerit.

Qui verā pacem cupere debent.

CXX. *Ab exemplo priorū te nporum Patrum & Doctorum.*

Et imitari sane oportet priorum temporum Patres ac Doctores, qui plurimum pro salute fratrum desudarunt, cum possent quisque sua quærere, & labores deuitare: qui sublatis è medio rebus, quæ tunc temporis animos hominum turbabant, cum verum à mendacio Spiritus gladio secreuisset, pacem posteris liquere sinceram; quam longa non turbauit ætas, nec prauorum hominum contentiones; non sunt vero passi alia via, cum possent, pacem vtcumque componi; sciebant enim id nec sibi conuenire, nec Spiritui, quo ad illa mouebantur; & pœna se potius multandos iudicabant, si quæ possunt cum labore perficere, neglexissent, quam aliquo afficiendos præmio, si res leuiter & perfunctorie gessissent. Ceterum vobis licet nulla talis præcessisset Synodus, ad cuius exemplum res apte fieri deberent, ex vobis ipsis congreger adinuenire quod deceret, vt exemplar & norma esse tis aliis, quæ postea fortasse fient; cum in vobis haud minor insit, quam cuiuis illarum scientia; virtute autem non multo minores vnaquaque sitis; multitudine vero simul cunctas longe etiam superetis. Nunc autem cum tot & tam præclara suppetant nobis exempla, nec si velimus quidem, possumus ociranter agere; dum conuenire nobis censeamus illud cauere, ne in Dei & hominum reprehensiones incurramus. Neque enim plane dignum iudicabimus, alios quidem omnes in iis quæ agunt, imitandos sibi eos proponere, qui ad agenda illa præstiterint ceteris: & laudabimus, si quam fieri optime potuerit, eos æmulentur; nos vero tantis rebus neglectis culpa vacabimus: habet enim imitatio in omni re honesta easdem vires; nec est quod eos à iusta incusatione possit liberare, qui non adhibent illam in rebus grauissimis, in quibus etiam maius est periculum peccandi. Nec dici potest à beato illo Patrum cœtu aliud, quam veritatem, esse agitatum; aut de rebus quibusque in controuersiam vocatis vel dubitationis vestigium posteris relictum: Ex monimentis enim & rerum commentariis liquet, quantum illi studium in vetitatem contulerint. Et quidem exortas tum hæreses ita ho

Imitatio in omni re honesta eas dem vires habet.

mines

mines aueſtati ſunt, vt plurimi quamuis nec ſciant, nec habeant de quo conquerantur, Patres tamen, qui contra illos decertarunt, honore afficiant vt veritatis propugnatores; qui vero bene norunt, vt infidelibus etiam peiores habeant hæreticorum illorum antefignanos: ita apud omnes homines virorum illorum iudicia rata ſunt. Illos igitur, vt dixi, æmulandum: & non ſolum aliis honoribus, ſed imitādo etiam quoad eius fieri poſſit, & conſilia eorum ac præeuntia exempla in huiuſcemodi tempus aptiſſima exiſtimando, qua obſeruantia ſint colendi, declarandum: & inquirendum cum Spiritu, quid ſit de Spiritu ſentiendum: & tollendus ab hominum animis æſtus & perturbatio; & liberanda Eccleſia lite inutili, & multis aliis augis; quibus longa concertatio, quodque neutri partium vlla de fratribus cura fuerit, locum dedit. Poſt hæc autem opportunum erit etiam de reliquis cogitare: & nemo nos inſimulauerit, quod deferendi mutui honoris, & afferendarum hinc inde vtilitatum, ac iamdiu decantatæ illius fælicitatis curam ſuſcipiamus. Ego enim ſpes etiam illas contra infideles, quibus duci ſe aiunt nonnulli, quaſque noſtrorum laborum caput eſſe contendunt; ſi quidem, tuto viuere poſſimus, & ſeruitutis mala non timeamus; ſiue etiam vt de illorum in nos perulantia pœnas ſumamus, ad quam progreſſi ſunt ex nimia procacitate; ſi propter hæc ſpes alimus contra illos, rem eas arbitror inanem, & non magnificandas, ſi tamen vtcunq; poruerint ſuccedere; neq; tales, vt perfici ſine Dei ope poſſint; quod idem eſt ac dicere, nō propoſito illis ſcopo aliquo, qui Deo ſit gratus. Si vero de ſalute animarum ſoliciti humanarum, & enitentes vt tollantur è medio ſordes mēdacii, & propter alia huiuſmodi, ſpes haſce ſequimini, laudo quidem, quod huc illæ tendāt; ſed poſteriorem locum eas vendicare ſibi arbitror; nec eſſe rationi conſonum, propoſitis illis negotium gerere, priuſquam in vna veritatis ſententia eorum qui nomen Chriſto dederunt, vnionem conficiatis. Siue enim mendacium odio habēdum ſit, & quam longiſſime ab Eccleſia proliciendum; locum hoc maxime habet in re noſtra; cum ſane conſtet oppoſitas nos tueri ſententias, & vtranis pars trahat ſecum maximam hominum partem: Siue neceſſarium ſit conſulere fratrum ſaluti; cum hoc ſit charitatis erga illos index, quem vel ſacri profuſione animæ impendere illis debemus; qui mendacium hoc rite agnoſcent & auerſabuntur, non minorem nobis gratiam habebunt, quam iis qui ab infidelitate liberaſſent, ob ſalutem, quam impoſſibile eſt conſequi mendacio obſecutos, quantumcunque illud ſit, & quaeunq; pugnet cum veritate fidei. Quocirca pacem eo, quo propono, modo facere, & fratrum ſalutis curam eſt ſuſcipere, & mendacium expellere, & gloriam Eccleſiæ dilatare additamento hominum cōſequentium ſalutem. Si quis igitur illo ſibi perſuaſo curam ad alia cōuertat, videbitur quidem inaniter fratrum & mendacii prætextu moueri, cum reuera ſpe corporeæ fælicitatis ad hæc moueatur. Nam cum æqua ſit vtrinque vtilitas, & poſſit vtraque ſuo ordine præſtare, cur altero plane poſtpoſito ad ſolum alterum incumbet & facilimū veritus aggredietur id, quod multam habet difficultatem? Quis enim ignorat, ad bella quidem contra infideles opus eſſe & armis & pecunia, copiiſque terreſtribus ac nauallibus, & ducibus, & occaſionibus, & tempore, quod ſit rei magnitudini ſatis: vt autem de rebus propoſitis verum definiatur, & vnam omnes de illis ſententiam amplectamini, ſatis ſuperque eſſe velle tantum, Deumque deſuper, qui voluntatem ad ſcopum dirigat, & laudabile deſiderium ad finem perducat? Itaque ſi & cogitationes aduerſus infideles ſecundo loco habendæ ſunt, & ſequi illas oportet poſt labores dogmatibus impertitos, quo loco nobis erunt honores, prouentuumq; amplificationes, & opum communio, ac cetera omnia, quæ potius effectus pacis, quam pax ipſa dicenda ſunt: & à quibus neque fratrum ſalutem, neque veræ fidei exaltationē,

Inquiſitio veritatis ſcopus Deo gratus ad pacem conſequendā.

aut mendacii euerſionem oriri dicendum eſt? neque enim ex iis poſſunt hæc inferri, neque Chriſtianis omnibus per ea ſperanda eſt vtilitas, ſed paucis qui illis egent, quibuſque congruit ea quærere. Ad hæc omnia illud addo; Nam totum quidem noſtrum apparatum œcumenica Synodo dignum conſpicio, diiudicandiſque dogmatis abunde ſufficientem, & nihil nobis deeſſe, per quod præſtari facile id poſſit; pacem vero, quā aliqui optant, multo inferiorem, quam vt ſit tanti opus apparatus. Poterat enim hæc & per legatos fieri, nulla nobis incommoda ſentientibus; nec tantis opus erat impenſis, quæ graues quidem eſſent ſuppeditantibus; non habentibus vero quid de ſuo inſumerent, & alieno ære indigentibus, ſi verum fateri oportet, ignominiam cum ſuſpitione inurerent: nec tantis laboribus ac periculis eorum, qui vndique coacti ſunt: vt ne dicam potius vtriuſque partis difficultates, quas pacis deſiderium, Deum adiutorē nactum, ſuperauit omnes; quaſque ægre quidem, contempſit tamen. Quapropter neſcio quid reſponſuri ſitis ad eos, qui de vobis conquerentur, ſi talem tantumque apparatum fruſtraque extitiſſe oſtendatis, & pacem nomine tenus famaq; prorſus inani conficiatis: reſtat enim velle tantum, cum, vt videre licet, reliqua omnia præſto ſint, ſupra omne votum. Miror autem, ſi nullum vos merico incuſaturum arbitramini, rebus in hunc modum in Italia compoſitis. Sicut enim dementiæ ſignum eſt, res maximas aggredi ſine conueniente apparatu; ita ſi cum ſit ad res maximas apparatus ſatis, eo quis vtatur ad exiliora opera, ſtudiumque extendat vſque ad illa; ego quidem nolim dicere, certe tamen hac voluntate vtentes id facit multis criminibus obnoxios. Neque enim ducem exercitus ſapere quis putat, dum ipſe ſapiat, ſi copiis ac robore & armis ceteriſque omnibus ſatis inſtructus expeditionem in hoſtes ſuſcipiat; atque vbi poſt multum temporis & diuturnam indaginem, poſt multas itinerum difficultates tandem aliquando illos habuerit obuios & paucos & metu perterritos, pugnamque conſerere non ferentes, tunc ſatis eſſe ad victoriam exiſtimet, eos in fugam vertere, cum poſſit omnino delere, & partim trucidare, partim in ſeruitutem redigere: nec vos ſapientum probra euitare poteritis, ſi ad Eccleſiarum vnitatem tanta præparatione adhibita, vbi iam collegiſtis hic omnia, per quæ illam perfici oportet, nunc fœdera quædam & pacis vmbram faciatis in ſpeciem, proiecta inſtar inanis ponderis, materiæque inutilis, ſcientia & virtute & multitudine virorū hic congregatorum. Quod ſi opinionem de re præclare geſta, & nominis apud poſteros celebritatem nihili facitis; nec deterrent vos querelæ, quibus neceſſario ſubiiciemini, propterea quod non probabuntur omnibus; quæ hic fient; conſentaneum eſſet vos alia quoq; parui facere, quorum deſiderio veram neglexeritis pacem: Sed ſi ingens horum vos tenet deſiderium, multo magis eſſet optanda illinc peruenienſ gloria; & gerendæ quidem res, ex quibus immortalia vos maneant præmia, & in ore cunctorum hominum laus veſtra iure verſetur; illa vero penitus declinanda, propter quæ ob omnibus reprehendamini. Nam ſi nihil aliud, certe noſtra ipſa verba debemus erubeſcere, idoneumque contra nos teſtimonium ea cenſere; ſi qui nos voluerint redarguere.

Tacite obiectionem reſpondet ſuper difficultate negotii.

CXXII. *Promiſſa & ſpes quibus allicit hominum animum ad hanc aggreſſionem.*

Meminiſtis enim plane vtrique, vt dictis ſcriptiſque aliis ad ſalutem fratrum adhortabamini, ſuadentes illius ergo omnia facere, & nihil aliud curare: Intetrogantibus vero, quid eſſent illis allatura vtilitatis tot pericula & labores, ad quæ illos incitabatis; Eccleſiæ gloriam reſpondebatis, reductionemq; ad veritatis agnitionem eorum, qui ab illa contentioſe abhorrent. Quibus permoti prudentiores, alij quidem contulere pecuniam, alij vero ab vltimis terræ finibus ea cum voluptate, quæ vix exprimi poſſit, huc aduenere, tam præclaræ ſpei poſtponentes reliqua omnia. Neque enim, vt Romæorum Imperatori facultas ſit

Ab exemplo Ducis exercitus.

in po-

in poſterum felicem traducendi vitam, nulloſque hoſtium impetus formidandi, atque vt Conſtantinopolitanis omnibus fiant reditus ampliores, dici poterit, Iberos, ac Ruthenos, & relinquas nationes vocatas auſultaſſe; Quorum nonnulli optarent etiam Romæos cernere vel in humiliore fortuna; tantum abeſt vt, quo illis boni aliquid accedat, labores velint & pericula ſuſcipere.

Ita quoque Gallos arbitror & Celtas, tranſalpinarumque gentium plures parum curare de ſtatu rerum Italicarum, nec multum eſſe de eo ſollicitos, vt Papa Romam vel aliam ciuitatem feliciter incolat; propter quod etiam pecuniam erogent, & labores paruipendant, atque ita multa cum alacritate ſinguli accurrant, ac ſi ad partem vocarentur Imperii. Verum, vt ratio ſuadet, nec veritate quicquam iucundius cordatis hominibus, nec magis neceſſarium ſalute fratrum iis, qui Deum eiuſque iudicia pertimeſcunt; nec vlla res eſt, pro qua libentius vel ipſam quis profuderit animam, quam vt Eccleſiam videat coniunctam, & perfecta tranquillitate fruentem.

Decepti omnes ſi hoc non ſequitur & ſic promiſſa illa fient cauſa criminationum.

His ergo promiſſis, eorumque propoſita ſpe animis hominum allectis, perſuaſiſtis, vt rem maxime arduam cum voluptate aggrederentur: Repetent igitur iure optimo hæc promiſſa; & nihil tale inuenientes, deceptos ſeſe putabunt, vtque iniuriam paſſi exclamabunt. Quod ſi etiam arte aliqua profectis huc perſuadebitis, vt nihil contradicant; non video tamen, qui facere poſſitis, vt Principes, à quibus miſſi ſunt & promiſſa velint ſponte ignorare, vobiſque pro rebus geſtis habere gratiam, ſocioſque in hiſce rebus agendis ſuos Legatos commendare, & redeuntes honore afficere. Itaque tam pulcher, tam egregius apparatus non eſt paruifaciendus; nec committendum, vt promiſſa illa fiant anſæ criminationum; imo vero contra, ita illa ſeruandum, vt obiici queant iis, qui forte ſunt contradicturi. Si enim pro vera pace & fratrum ſalute & nos vocauimus, & illi auſcultarunt, non eſt æquum ægre ferre, quod res ex ſententia ſuccedant: neque ſi ſaluos vtrique fratres volebant veram ſententiam edocendo, ſuam ipſos ſalutem reſpuere, dum videri volunt; nullam à fratribus percipere vtilitatem: & de quo alios veritati euidenter oſtenſæ obnitentes arguerent, id ipſum eoſdem patientes tolerare. Quin imo, vt verum ingenue fatear, ſi modo nos ſtatim ab initio videamur curam ſuſcepiſſe veritatis, Deoque adiuuante illam comperiamus, conuulſis omnibus quæ mendacio fauent cogitationibus; neminem arbitror eo ſtupiditatis venturum, vt Dei, veſtriſque ſententiis, & demonſtrationis luci contradicendo, id aggrediatur, quod aſſequi non poſſit: aut vobis verba opus futura ad perſuadendum ei, baculo vtentibus Synodorum œcumenicarum, quem & illæ in huiuſmodi contumaces vſurparunt. Dicant fortaſſe aliqui, videre ſe vnitatem hanc fieri non poſſe; & ſatius eſſe pacem vtcumque gerere, quam dum perfectam non poſſumus reconciliationem inuenire, & eam quæ fieri poteſt negligere, & re penitus infecta vacuos abire. Ego vero primum quidem nihil aut impoſſibile aut arduum puto dicendum, antequam experimento id ſciatur, quantumque decet operæ in ea ponatur: certum enim hoc fuerit puſilli animi ſignum, & voluntatis quæ res magnas, quibus eſt coniuncta difficultas, agere nolit. Vos autem audio quidem multa quotidie dicere magni ponderis, ſcientiamque & virtutem plane redolentia, nondum vero cognoui ad hunc diem, qui viam huiuſmodi pacis conficiendæ attigerint, aut minimum quid oſtenderint, vnde hanc non liceat tanquam omnino impoſſibilem deſperare.

Conſilium enim pacis conciliandæ in ſpeciem, & voluntas contegendi omnia hoc nomine, abducit profecto vos ab eorum cogitatione. Prætereo, quod ſi vere impoſſibile hoc ſit, periculum eſt, ne omnia in nos quadrent adagia, quibus impoſſibilia notantur: videbimur enim omnes optaſſe impoſſibilia, ſi non fuere certe prætextus & ſimulatio, quæ de admirabili pace decantabantur. Deinde licet hoc omnino eſſet impoſſibile, & diſcedendum nobis hinc eſſet nulla re huiuſmodi peracta, non video quæ oriatur, ſi fiant, è reliquis vtilitas, dum illa vnionis nomine non honoramus. Nam ſi vel ſolius amicitiæ cauſſa, vel communionis, aut erogationis pecuniæ, vel ad petendum contra hoſtes auxilium, ſeu ob cuiuſcumque rem, quæ prius infirma eſſet, conſtabiliendam, aut quouis alio nomine cepit nos illius deſiderium; certe rationi conſonum eſſet ſaltem his velle frui, poſtquam à ſummæ rerum adeptione decidiſſemus: & dolere quidem, quod ad pacem non peruenerimus, leuare tamen aliqua ratione dolorem inde acceptum per aliarum rerum vtilitates; quas ſi Eccleſiarum vnionem ac pacem appellemus: perinde ac ſi quis dum frigus eſt, nive & imbribus peti, quod ſibi ab aliquo pecunia detur, hoc eſſe dicat calefieri: neſcio quis erit, qui pro huiuſmodi pace mactare victimam velit; & exhilarandi animi gratia pacis nomen aſſumat, ac è rebus ſperatis aliquid conſecuturum ſe putet, non videns in priſtina res controuerſia verſari, ac mœoremeniicere. Quare ſi nihil plane aliud fuit conſideratum, coniunctum ſolum id habet ignominiam deſiderii rerum nulla ratione perficiendarum: at ſi redeamus vnionem afferentes, in qua nihil plus inſit, quam priori continebatur differentia, & ob nudum eius nomen commmunibus efferamur gaudiis; ſecundæ ac peioris fraudis hoc erit crimen, quod & primi nos à nobis ipſis decipiamur, & alios velimus eludere. Verum ego, quod vnum ſatis fore arbitror ad eos refellendos, qui illa obiiciunt, omiſſis omnibus aliis, finem dicendi facturus, hoc volo dicere.

CXXIII. *Gloria ex confectione veræ pacis reportanda.*

Impoſſibile, impoſſibile eſt, venerandi Patres, pacem illam eſſe impoſſibilem; ſi quod ſæpe factum eſt, nemo dicit impoſſibile: talis vero vnio ſepties iam peracta eſt; & nulla vos illarum Synodorum, perquas ea toties confecta eſt, vlla eſtis ex parte inferiores, eſſe vero illam perquam difficilem non negauerim; verum & maximam & optatiſſimam, & vincentem omnia quæ quis deprecetur, multiſque vos coronis redimituram, & pro qua longæ peregrinationes, & labores, & pericula, & pecunia, & huiuſmodi omnia pro nihilo ſunt habitanam & aliis Conciliis ea viſa eſt pariter ardua, nec tamen propterea deſtiterunt ab exoptanda illa, & per Dei opem perficienda. Si quis vero impoſſibilia vocat, quæ magnam habent difficultatem, audiendus non eſt. Quod vero vnam certam & veram de propoſita materia definire ſententiam, & tanta ambiguitate ac inteſtino ſchiſmate liberare Dei Eccleſiam, non modo non impoſſibile, ſed ſi quando alias, nunc etiam facile ſit, perſe patet iis, qui nullo affectu præoccupati diiudicant. Si enim ex illis quæ recepta ſunt, non poſſemus afferre multa ad præſentem diſquiſitionem, ſed oportet rerum adhuc ignotarum nos fieri inuenitores, veluti per coniecturas veritatem, quæ vires naturæ ſuperat, inquirentes; aut ſi nonniſi noſtro incommodo diuini poſſet hæc controuerſia, nec ita quidem eſſet omnino arduum eligere, quod maxime cum fide congruit, & nulla ratione cum ea pugnat; illique vt veriori adhærere. eſſent vero fortaſſe, qui dubitarent, & humanarum cogitationum non ſatis turo indicio diffiderent; aut conſentire cum alteris nollent, ſais quique contenti opinionibus. At cum plena ſit ſacra Scriptura ſententiis ad hoc ſpectantibus; & Sanctorum libri iiſdem ſcateant; plurimoſque de hac materia tam aperte quis diſſerere videat, ac ſi data opera nobis iudices controuerſiarum ſederent; nec facile ſit

enumerare, quam multa Græci ac Latini pro sua vtrique sententia ex illis collecta proferant; quis difficile dicat, Scripturæ quidem dicta interpretari, vt æquum est, vtque decet, immo vero optimis eorum interpretibus acquiescere, Sanctos vero inter se conciliare; & pauciores quidem ad plures, & eos qui nihil dixerunt ad eos qui rem expressérunt, & posteriores ad antiquiores, & obscurius rem inuoluentes ad clare locutos adiungere; quod leges etiam in similibus quæstionibus fieri iubent; quodque vel ipsi, arbitror, Sancti inter se facerent, si fieri posset, vt vnum in locum conuenientes, alter alterius examinarent sententiam; atque ita nos quoque in vnam conuenire sententiam, ac definere bellum nostrum transferre in pacis Doctores? Quamdiu enim ipsi contrarias habebimus sententias, dicta illorum pro se quisq; afferentes, fieri non potest, quin faciamus & illos, quantum in nobis est, pugnæ huius participes.

Hæc nullam habent difficultatem, nisi tantum penes illos, qui contendendi voluntatem habent; & suas quidem retinent anticipatas opiniones, nihil vero penitus admittunt ex iis, per quæ licet veritatem assequi; quos æquum est despici à veritatis studiosis. Nam licet hæc essent prorsus difficilia, & nunquam ante nos ab aliis enixe quæsita & ad exitum perducta; certe tamen alienum est à ratione desperare auxilium Spiritus, à cuius potentia vel ea, quæ re vera nobis impossibilia sunt, longe superantur: sed credere oportet illum laborum ac periculorum, quæ passi estis, commiseratione permotum, & vehemens in vobis desiderium veritatis approbantem, sui quoque fauoris, quæ sint satis, momenta daturum. Quanquam è contrario, si ad manum & facillima non essent, ab eo speranda est facultas rem præclare agendi, sine quo effici nihil potest. Illius ergo sit opus, et simul & quod maxime conducit, elegatis; atque idem minimo negotio peragatis.

EIVSDEM GEORGII SCHOLARII

CXXIV. ## ORATIO SECVNDA, In Qva Hvivsmodi pacis impedimenta tolluntur.

PRIMVM quidem, Venerandi Patres, ago gratias Deo, tum propter vestrum in res honestas studium; quod facit, vt boni aliquid dicentibus aures præbere nequaquam grauemini, considerantes non à quo dicatur, sed quid valeant ea quæ dicuntur; tum propter suam erga me bonitatem; à qua profectum est, vt vori compos fuerim; tantisque Patribus planè non displicuerim. Neque enim fas est existimare aliud præter Dei impulsum fuisse causæ, cur & vos de rebus honestis consenseritis; cunctisque prorsus cogitationibus vtilitatem ac pacem, de qua consultatum profecti huc sumus, præposueritis; & vnus quidam, dum de tantis rebus consilium dat, omnibus visus fuerit æqua dicere. Deinde cum nuper, non modo quem ego censeam vtiliorem pacis modum, sed etiam qua ratione ad illum perueniri possit, me vobis consilio promiserim ostensurum; iamque dictum præstiterim, nunc reliquam debiti partem soluturus accedo. Et scio quidem me difficillimum aggredi materiam; & non modicum imminere periculum de hac materia tractaturo, si contingat aut neutri partium, aut alteri tantum placere, quæ sum dicturus; Verumtamen audere quidem de ea quidpiam dicere, visum est arbitror omnibus non tam imprudentiæ & procacitatis, quam spei bonæ argumentum; quam ab antecedentibus acceptam consentaneum est etiam in præsentibus conseruare, & ea proposita rursus ad dicendum aggredi: ad temperandam vero offensionem, si aut neutri partium placitura sint quæ dicam, aut alteri tantum contingat esse grauia; primum quidem satis fore arbitror, si veritatis bonique apparentis ergo illam patiamini; deinde illud etiam, quod ad eam quæ vobis tandem placebit, accedam sententiam; nihilque erit impedimento, quominus vestram sententiam sequar, quod aliter antea de his senserim. Quare puto vos quod æquum est facientes, aut nihil omnino ægre laturos, si quid minus placiturum vobis dicere videbor, ad mentem potius meam respicientes; aut postea offensionem deposituros, veniamque daturos nolenti contradicere, & decreta sequi non abnuenti, & communi sententiæ meam hanc non præferenti. Has ego rationes difficultati materiæ opponens, & ante omnia vestram præ oculis beneuolentiam habens; quam me fretum oportet aliquod etiam subire periculum, quamque mihi tuentem difficillima conuenit aggredi; secunda promissa conabor persoluere, sine quibus nulla erit ex prioribus vtilitas, si hæc ego non dicam, aut suadeam. Multa sunt igitur, quæ præclaram hanc pacem facilem nobis ac nullius negotii, dummodo velimus, ostendent: rursus non paucis eam scatere oppositionibus viderint, qui rem non sincere considerant. Primum ergo de impedimentis agendum censeo, vt à vestris animis ea quam longissime remoueantur: gratum enim hoc vobis etiam erit, si cogitationes illæ, quæ rebus honestis moliuntur insidias, strenue abigantur; faciliusque ad ea transibitis, per quæ fiet pax, si quæ illam asperiorem faciunt, quasi offendicula de via submouebantur. Patimini vero quæso me paulo altius rem ordiri. Vnionem itaque conficere apparentem, & solum præsenti rerum statui profuturam; rebus quæ versantur in controuersia; ita vt nunc se habent manentibus nec vtile nec decorum esse ostendimus; sed rem nostra quidem virtute indignam, ab eius vero nominis, quo nuncupamur, significatu longe distantem: & Spiritui quidem, à quo nos congregatos asserimus, minime placentem; multis vero nos hominum reprehensionibus subiicientem: & præterea bonæ spei, qua sumus ab initio ducti, haud respondentem; nec vniuerso apparatui congruentem, qui satis esset ad quodlibet aliud, si vllum esset, præsenti negotio maius: & postremo rem, quæ foret Christianis origo prælii ac pugnæ deterioris: Inuentionem autem & inquisitionem veritatis, eiusque à mendacio secretionem, esse solam veram & perfectam vnitatem, omni sane vitio liberam, & bonis omnibus affluentem; quodque caput est, Deo gratam; quod in omnibus quæ fiunt à nobis, debet esse inprimis propositum. Erit porro hæc aut Latinis additamentum abiicientibus, & cum illo fidei professionem emittere desinentibus, aut Græcis etiam illud vt necessarium adiicientibus. Immo vero, vt melius dicam, confessio quidem sequi debet, fides autem cordis præcedere, in quo primum stabilienda est veritatis agnitio, omniumque per illam coniunctio. Aut ergo Latinos oportebit omnino affirmationem ignorare, quam tuebantur, & credere Spiritum esse à Patre solo; aut Græcos sentire, illum esse etiam ex Filio: etenim alius non restat modus iis, qui veram volunt pacisci pacem. Nunc enim fides horum in contradictione est posita, quæ nullam admittit medium; sed necesse est alteram eius partem vtrique abiiciant, & sulam alteram vtrique retineant: deinde fidem è corde ad os referentes, per hoc illam fateantur ad salutem; atque ita in vnam omnes Catholicam conueniant Ecclesiam, quæ significare vult veræ confessionis & sententiæ vnitatem. Hanc ego veram esse vnionem statuo; quam

Inquisitio & inuentio veritatis sola & perfecta vnitas.

pridem

pridem ipse quidem proposui, sed eam vobis suasisse non dixerim, cum à vobis ipsis iam olim persuasi esse tis, immo vero à Spiritu didicisse tis, hoc esse pulcrum & iustum.

CXXV. 1. *Impedimentum vnionis timor dedecoris ex sent. mutatione.*

Verum hanc multi ægre audiunt, quod ex sententiæ mutatione dedecus imprimatur. & Latinos quidem dicere audio, rem esse grauem, si postquam per tot annos sententiam hanc tenuissent, & credidissent ipsi, atque in fidei Symbolo expressissent, nec non alios studiose docuissent, & scriptis eam veluti ex maxime necessariis vnum probassent, ac rationibus demonstrassent; nunc puerorum more veritatem docti ab aliis sua ipsi damnarent; & sibi quidem primis hanc notam inurerent, posteros vero etiam eiusdem participes facerent: ignorantiæ quoq; & cæcitatis crimen non in se modo, sed in cunctos etiam suos maiores conficerent, inter quos multi habuere sanctitatis opinionem: tantaque Ecclesiæ Romanæ musta macula putarent se præclarum facinus fecisse: grauissimum vero illud esse, quod ita nescirent, an essent fundendæ preces pro suis maioribus, vt recte de fide sentientibus, & iusta illis persoluenda, an vero deberent illos vt hæreticos, mendaciumque per totam vitam amplexos desperata eorum salute contemnere, & cognationis iura illis negare. Si enim, inquiunt, crederemus solum, ex Filio etiam procedere Spiritum Sanctum, non accessisset autem & vocis confessio, tolerabile esset relicta vna sententia sequi aliam. Potest enim vtraque pars aliam quoque non rectam post schisma secuta sententiam, nunc ab ea discedere, dum mutuas sibi operas tradunt, nulla mutationem ignominia consequente, quod neutra pars statuerit illam tueri veluti quid fixum & necessarium ad salutem: cuius indicium est, quod inter alia quæ huiusmodi sunt, non fuerit positum in fidei confessione. Cum autem relatum à nobis sit in numerum immobilium fidei dogmatum, & sine vlla hæsitatione per tam longa tempora prædicetur, ne ne illud quidem certo scire possemodum valeamus, quinam addiderint, aut qua permoti causa id fecerint, sed alii alia narrent; quis hoc dimouerit patiatur, ni prius velit extremam ferre ignominiam, & risui omnibus esse? nulla enim fuerit ignominia maior, quam si nobis ipsi simus testes erroris, & diuturnæ professionis mendacii; idque cum doctrina & exacta dissérendi facultate aliis magistri veritatis esse possimus. & hæc quidem audio à Latinis dici. Græcos vero arbitror & ipsos sapientiæ laudem sibi tribuentes, valde illud cauere, ne videantur altercationem affectasse; & existimare turpe esse, videri se tanto tempore nugatos, & veriss imam opinionem infectatos, fractumque communionem auctatos; ex quo multa illos mala perpeti conigerit, nimirum vt soli contra ingruentem infidelitatis eluuionem absque sociis bella gerere cogerentur. Vtrosque autem patiter existimo declinare ignominiam, si deinceps; quam purant cum eo coniunctam, quod est veritatem addiscere, & dedisce re mendacium. Conuenerunt enim vtrique, vt videre licet, ea spe, vt alios doceant potius, atque ad suam traducant sententiam.

CXXVI. *Docet Græcu non esse timendam mutationis ignominiam.*

Ego vero dixerim, Græcos non debere esse solicitos de hac apparente ignominia, quod non sit ab illis recepta opinio, dum primum inducetur, licet vera esset, sed oppugnata; turpius enim est credere falsum; & minus erratur contendendo, quam falsam confessionem proferendo. Et Græci quidem possunt ad Symbolum rursus confugere, communemque pro se obiicere confessionem; quam si nihil aliud supperet, velle se dixerint obseruare & colere vel concertando. Latini vero sunt in crimine innouationis; & quod soli tractauerint communia sibi confidentes, grauior illis error efficitur. & multis aliis modis puto minus esse timendam Græcis mutationis ignominiam, vt ne ignominiam quidem hanc vocare penitus liceat. Quæ est enim ignominia, veritati perfecte adhærere; & persistendo in iis, quæ communi omnium decreto definita sunt, generali Concilio permittere de iis iudicium, quæ priuatim aliquibus placuerat? nec sibi ipsis tantum, nec aliis velle fidem habere in rebus huiusce modi suo non accedente consensu? Quid vero mali est, dixerit quispiam, timere timenda? timebant enim & ipsi vocem nondum omnibus probatam probare; & antequam esset recepta, prædicare: timor autem iste non est à ratione alienus: Oportet enim ad ea quæ de Deo sentimus, accedere tuta cum cautione; cum temeritatem multa sequantur pericula, maximum vero illud, salutis omnino amittendæ. Si enim id ita non esset, sed plane sententiam reprobassent, non opus esset, vt vobiscum ageret: quemadmodum cum hominibus alia quadam incurabili opinionis prauitate laborantibus ne disputationem quidem habere patentur de ea. Nec vero turpe est vtriusque, si ignorant, addiscere; nisi velimus scientiam prorsus reuere, quæ non nisi abiecta appositæ ignorantia potest haberi; & cuiusuis scientiæ peritos damnare, quod ignorantiam perpetuo non coluerint metu dedecoris quod sequitur, dum addiscere videntur. E contrario namque turpe potius est, dum nos scire omnia putamus, nulliique ob perceptam vtilitatem habere gratiam volumus, ex hac vita cum ignorantia decedere. Præterea cum pro veritate fiat à nobis suscepta certamina, iucundum sane est cum ea victoriam consequi; sed nullo modo turpe est videri, ea comperta se dedere. Qui enim prompto animo cedunt armis veritatis, eique vel apparenti tantum colla submittunt, non dicendi sunt à quoquam hominum vinci, quibus etiam turpe est videri inferiores, sed à veritate ipsa, à qua se vinci optant omnes homines: vinci autem ab illis mendacium iure optimo dicat quispiam, si veritatis ope illud impetant, cui fuerant antea famulati. Nec etiam illud turpe est, sententiam prudenter mutare, & omnino de malo in bonum transire: turpitudo enim in eo sita est, dixit quidam, non si à malo recedatur, sed si in malo perseuerentur. Græcos igitur propter hæc dico debere opinari, nullam in fide ignominiam cadere, si credant Latinis dum vera illi dicant, idque modis omnibus palam faciant; nec velle propter eam respuere veram sententiam, quam fatentes & credentes, eique se per ambo hæc coniungentes necesse est concordiæ veritatisque mercedem à Deo indubitanter expectent. Latinos vero (quanquam video rationes eorum enervatas per nonnulla à me iam dicta; nec immerito planè ignominiam ab eis duci, cum propter hæc ipsi plusquam aliquando turbentur) illud etiam æquum est considerare; nullam se maioribus suis iacturam illaturos, si veritatem ipsi amplectantur; immo potius vtilitatem allaturos, dum fortasse puram & illibatam opinionem tenentes ipsi orabunt pro hominibus fallitate deceptis, & humani aliquid passis; mercedis loco à Deo petentes ob veritatem pro veritate susceptam, misericordiam eis tribui, quam etiam probra illorum paulatim obtegere potuerant; quæ augerent potius, si acceptum ab illis sequerentur errorem, & malum sibi ipsis fouerent. Quod si non auiditate gloriæ, voluntateque primas tenendi inter fratres, præsumendique omnibus quæ vera & iusta sunt, sed ne cessitate quadam quæ à natione non abhorreret, & cogitationibus victi, quas despicere non poterant, induxerit hanc opinionem, par est, nobis etiam facientibus illos esse misericordiam consecutos, expertosque Deum propitium; qui se vel grauissimis criminibus iudicem præbet humanum, si nō è limine voluntate proficiscantur, id quod potius vitis illis contigisse nihil ipse per nadeo. Neque enim vitiosos sanctimoniæ vitæ præstantes quique Deum dilexerunt super omnia, vitus ipse effecit affectis præmiis, quibus sibi caros donat, atque in cœtum beatorum

Turpitudo est si in malo perseuerent non si à malo recedatur.

Hæc & simil adixit auctor antefactam vnionem.

ritatis, fieri vero nullo modo poterit, vt ea declaretur, & victoriam à mendacio reportet, si pars altera quamcunque dixeris, suam non det operam ad inquirendam veritatem: tum quia persuadentibus illud præstabunt persuasi, vt sua in sententia absque hæsitatione perseuerent; nam istis contradicentibus illi quoq; dubitarent, sicut & antea: Quod igitur ex aperta mutatione sententiæ neutri partium vlla inuratur ignominia; necsi qua inuratur, curandum de illa sic; sed oporteat perspicuam veritatem omnes patiter fateri in Symbolo fidei, nec pauentes addere quod placet omnibus, nec recusantes ob verecundiam expungere quod alicubi offenditi; atque ita prædicata omnibus vera & certa pace cum lætitia reuerti; satis per ea quæ dicta sunt, puto esse perspectum: quod que indignum sit eos audire, qui contrarios spargunt rumores, & vos huiusmodi cogitationibus turbari.

CXXVII. *Transit ad alia Impedimenta & docet non esse timendam quorundam defectionem.*

Transeundum iam est ad certa quoque impedimenta. Dicent itaque quam plures plane ex vtraque parte, debere non modo nobis hic congregatis pacis modum placere, sed reliquis etiam gentibus, quæcunque vtriusque Ecclesiæ ritibus subiacent: nec tantum esse considerandum, quando nos conueniamus, sed etiam qua ratione illi decreta nostra suscipiant; alioquin loco pacis pugnam inconsiderate ciebimus; dumque cum longe dissitis male coniungimur, à coniunctissimis disiungemur: quod passuris maiorem afferet mœrorem, animique perturbationem, quam prius malum. Sciamus autem omnes præter paucos mutationem ægre ferre, summamque impietatem arbitrari, si quam videantur innouationem admittere. Quidam vero ex ipsis ad hoc tantum optant Synodum œcumenicam, & quæ per illam fiunt, vt euadant aliis magistri veritatis; nec fieri posse aiunt, fide sua quicquam præstantius ne ipsi quidem Deo videri. Cum igitur illi hoc animo sint, quomodo patientur à nobis quidquam omnino addi vel detrahi? An vero æquum erit, nostros in gerendis inimicitiis socios, rerumque arduarum ac difficilium participes deserere, nec velle illos in meliore fortuna consortes habere? nec ita pacem componere, quemadmodum ipsi libenter amuerint? Ad hæc ergo quid ipse respondeam, quidue potius consilii vobis dem propter huiusmodi rationes, volentem dicere attente audietis. Qui sint longe dissiti, quive secus, Patres æquissimi, non terræ spatiis iudicandum est, sed morum institutorumque similitudine, aut contra; necnon linguæ, si fieri possit, & quod omnium est maximum, beneuolentia & societate, mutuaque opera præbenda, cum opus est. Hanc igitur vos adhibendo regulam, contrarium omnino ac illi volunt de rebus propositis capietis consilium. Quis enim ignorat, notissimis Latinorum nationibus cum Græcis, vt primum de his sermo fiat, eorum plane omnium quæ dixi, perfectissimam intercedere affinitatem? & tamen eorum aliquæ plurimis terræ spatiis à nobis distant. Quis nescit etiam, multos ex iis qui interim nobiscum in fide sentiunt, esse quidem nobis vicinos, moribus aucem & institutis differre quantum vix dici queat? & calamitates, quibus affligimur quotidie, non curare? Scimus etiam nonnullos ex iis insidiari nobis, ac inuidere: qui vero se nobis amicos præbere volunt, perinde valent atque ii qui nolunt, similibus & ipsi atque etiam grauioribus oppressi miseriis, vt nesibi quidem ipsis opem ferre queant. Præterea quod exceptis Gallis & Hispanis, reliquæ Latinorum nationes minus distant loco à nobis, quam aliqui eorum (nomine enim eos appellare nolo) quibus vehementer sumus addicti: Quin etiam vt vicinos eosdem habemus, colonias quibusdam insulisque illis subditis maxime coniunctis; & cum nonnullis ita nostra omnia communicauimus, vt veluti consanguineos cluesque adhibeamus. Ad hæc lata nobis opportune auxilia, vicemque à nobis redditam; necnon vt moribus vtrique alterorum potius quam propriis oblectemur; & communia sint nobis eruditio, disciplinæ, & exacta dogmatum scientia, cæteraque vincula quibus copulamur, percensere singula difficillimum arbitror. Itaque si & nostram cum Latinis pacem sequi omnes voluerint, felicitatis hic erit cumulus, & veritatis contra mendacium illustris victoria, & late diffusa pax, atque omnia complectens. Sed si periculum est, ne alteri adhærentes parti amittamus alteram, hominum erit prudenter agentium, maxime vicinos præferre aliis; eos videlicet, quibus præpositis & veritatem fatebimur, & pacem stabilem conficiemus. Scitis enim plures eorum hoc etiam tempore nullius parere imperio, & nullam habere nobiscum communionem, neque Ecclesiam nostram audire; sed nullam hic nobis dispendium oritur: neque igitur omnino à nobis diuulsi poterunt inuehere vllam incommodum. Sed si possent etiam dare aliquod damnum; perfecta certe cum Latinis coniunctio adeo numerosis satis superque poterit molestiam demere inde prouenientem; vt iam ne ipsam quidem prius coniunctorum amissionem sentiamus. Nec vero aliqua à nobis fiet illis iniuria, Deo iudice, hominibusque qui sapiunt: contra enim potius ab illis Ecclesiæ Dei, sibique ipsis fiet iniuria; Siquidem deinceps non tantum nobis contraria sentient, quos & antea Catholicæ Ecclesiæ partem agnoscebant; sed pugna illis erit cum tota prorsus Ecclesia, eruntque ab vniuersa separati. Nam vbi Constantinopolitana Ecclesia vna cum tribus aliis coniuncta erit cum Romana, nulla Catholicæ Ecclesiæ pars extra manet; à qua seipsos seiungendo, & decreta eius non recipiendo, non video quid à quoquam alio possint hoc malo deterius pati. Neque debere nos dixerit quispiam ita illis obsecundare, vt & veritatem contemnamus, & pacis bonum respuamus, nobisque ipsis damna creemus; quod vel dominis concedere valde est absurdum.

CXXVIII.

Porro autem notum non est, aut nunc primum vsu veniet, esse qui Synodum œcumenicam eiusque decreta non admittant; vt si non potuerimus ad nostram omnes perducere sententiam, possit quispiam consilia nostra damnare: multæ enim gentes, & Ciuitates integræ priorum Conciliorum decreta oppugnabant, humani aliquid passa illa optimatæ; & quod sibi visum esset, illud tanquam verum pronuntiasse; donec vi sua veritas in omnium animos sese insinuans effecit, vt omnes acquiescerent, & hominum illorum vocibus tanquam diuinis auscultarent. Et perspectum sane hoc habebant iudices illi veritatis; non tamen aut veriti hoc sunt; aut priorum animos fluctuare sunt passi, quod paterent, impudentiæ seu perfidiæ quorundam esse inseruiendum; aut neglexerunt à mendacio veritatem oppugnatam, Ecclesiamque Dei grauissimis laborantem malis; aut sustinuerunt horum omnium auctores videri: sed omnes suas curas in his defigentes parui pendebant quidem alia sine cunctatione; deinde illos etiam, preces ad Deum effundendo, aliisque medelis curabant, atque ad honesti & iusti agnitionem conuertebant. Nec vos igitur curare decet, ne hic aut ille malus fiat, cum possit esse vir bonus; sed vbi quod fieri oporteat peregeritis, sapientibus eligendum & amplectendum illud relinquetis; quos fore eos, qui fideles sunt & inter nostros probatissimi, consentaneum est; iis vero qui forte contradicturi sunt, tempus insequens tribuetis ad cognitionem, nec eorum conuersionem omnino desperatam habebitis: sunt enim apud nos, sunt multi, qui persuadebunt contentiones deponere, veta illis & iusta dicentes: Quod scilicet ii non modo cum Constantinopolitana pugnent Ecclesia, sed velint etiam, vt videre est, vniuersam Ecclesiam parui pendere; quod & veritatem sperare est, & reuerentiam quæ Deo debetur proficere, qua spes nostræ salutis innititur. Omnis enim nunc (dicent) Christianorum Ecclesia de rebus aurea controuersis

asciuisse, ni prius illis condonasset pœnas ob errorem luendas, quæ falsitate captos in perpetuum à beatorum sorte secernunt. Quod vero Deus multorum, & dum viuerent, & vbi vita functi essent, testatam voluerit sanctitatem, ostendit & Latinorum Ecclesia, cultum illis & honorem adhibendo, & Græci ipsi non contradixerint; nec errore id fieri quisquam dixerit, quasi vos frustra illis sanctitatis gloriam tribuatis, nihil in ipsis agnoscendo ex iis, quæ requiruntur ad sanctitatem. Quare spes est omnino certa, nihil illis nocituram ad salutem, factum in Symbolo additamentum; cum pennori tantum fuerint necessitate quadam, & rationibus periculo illud vacare probantibus; nec vestris orationibus fore illis opus; ac multo magis si ad illorum errorem vester non accedat, & veritate agnita faciatis, vt illi solum ex mendacio damnum contraxerint: erit enim ab illis pro se tantum, non pro vestris etiam animabus reddenda ratio; quam par est ab illis non exigi, si in pauciores prauæ opinionis labem diffuderint. Quod si non perfectam pœnæ liberationem, at certe refrigerium quoddam & consolationem emendatio posterorum illis attulerit, sollicitis plane de vobis, & orantibus, vt saltem vos pœnas sibi irrogatas effugiatis. Neque igitur illis, vt dixi, nec multo magis posteris vestram emendationem ducemus ignominiæ materiam. Quam enim accipiant propter nos ignominiam, qui vna vobiscum illos à mendacii turpitudine liberabimus? quibus, si grati esse velint, immortales libenter habebunt gratias ob acceptum beneficium? neque enim se quidem liberatos à mendacio gaudebunt, auctores vero beneficii odio habebunt, & iniquorum prauorumque hominum pœnam subibunt. Nec erit, qui illis exprobret vestram in meliora mutationem, veritatisque agnitionem, nisi qui & illos insectetur quasi errori addictos, improbus quispiam aut mente captus, dum quæ sunt coronis digna reprehendit, & mentis esse compotes putat eos, qui superbia elati proprium salutem cum veritate proiiciunt. multo vero magis arbitror illos fore vestrorum hæredes encomiorum, & iactaturos se de vestris laboribus, quos suscipitis pro veritate. Omnino autem de ignominia in posteros à vobis transfundenda nec curandum arbitror, dum primi vos ipsi digni non sitis, qui merito erubescatis: nam & discere tu pe non est, & veritas ornatiores potius reddere solet atque illustres eos, à quibus ipsa possidetur. Quod si etiam futurum esset, vt probra & dedecus vtriusque temporis hominibus imprimeremus, eo quod ipsi veritatem agnosceremus; cum nec illis credendi mendacii auctores fuerimus, & his possimus sane opinionis esse magistri; non oportet nos aliorum honori consulentes nostrum contemnere, & aspernari gloriam ex veritate prouenientem. Et si contra nos ipsos omne reprehensionis telum scitemus conijciendum, eundem cominus esse ad excipiendo omnia, nihil optabilius existimantibus, quam pati contumelias cum veritate, & si opus sit, emori; ac præ oculis quidem habentibus amplitudinem & gloriam cœlestem, quam nobis ob labores pro veritate debitam oblocutiones hominum cumularent; illam autem cogitationem voluentibus, quo pacto per vitæ ac fidei emendationem consequamur salutem & gloriam, admisso in nos ipsos omni contumeliæ genere. Omnino autem non video, qui nam eum à quibus probra vobis obiicientur, & quorum querimonias valde reuereamini. Nam posteri perhorrescant etiam necesse est vestras sententias, docti vestræ dignitatis obseruantia, quam præ vobis ferentis tum per alia, tum si serium curam ad veritatem conciliandam: temeritatis enim esse putabunt tantam Synodum conuocare; immo vero amplectentur vestra decreta, honorantes ea, & plurimi facientes; vbique propter ea gratias agent, & honoribus quos tribuere solent beatis, qui splendore consimilium certaminum emicuere; ornabunt. Quod si qui fuerint, quæ quidem aperte probent, vos autem reprehendere velint, quod victi ab aliis dedecus hoc susceperitis; at vobis certe satis erit ex rebus gestis nanciscigloriam; quod que tum vestræ, tum aliorum sponte vos sequentium saluti per veritatis agnitionem consulueritis. Sed nec eorum, qui nunc vitam degunt, vos quisquam culpauerit: non Græci, quibus videbimini maximam laudem mereri; & penes quos immortali viuetis memoria, quod & sumptibus, & corporibus, & scientia, animi denique moderatione ac diuinis quibusdam cogitationibus pacem soli fere ex omnib. conficeritis: neque vos metipsos ipsi, nec alius ex iis qui vestras partes sequuntur. Omnes enim sententiam vestram tanquam diuinitus latam arripient; tum quia congregatio, est vniuersalis Ecclesiæ, quam errare impossibile est; tum quia illa pacis erit causa, quam omnes optant, quod per eam expectent liberatum se iri ab omnibus terrarum malis, quorum origo extitit vtriusque schisma. Ceterum si fiat, vt non ab omnibus laudemini, nec omnibus arrideat vestra sententia; sed sit aliquis, cui potius concertando placeretis, & euertendo omnia, ne ignorasse videamini præterito tempore quod credi oportebat; non deberis propterea paucorum laudes, easque vitiosas commutare cum fastidio plurimorum, & optimorum, & optimerei causa concepto: cum licet cuncti simul praue sentiant, & molestæ hoc ferant, vos tamen nihil curare, sed tantum de honesto & vero solicitos esse oporteat; illud scientes, omnem querelam & oppositionem fauolam fore, si modo rata sint, quæ fient à vobis. Nam si verum est à me dicendum, omni ne quem offendam suspitione remota; Vos tantum opus est, vt inanem gloriam despiciatis, & omnia bene se habebunt: & si illud pro certo animis vestris propositeritis, fore vt nunquam vos vestri pudeat, aut ob sententiæ mutationem tubemini, nihil est quod de aliis timeatis. At vos nec iustum nec consentaneum est aliquid aliud veritati præferre, & propter turpe repugnandi studium & humanū affectum, nolle amplecti concordiam, quæ sola corporibus & animis potest afferre salutem; cum tantum non illam manu teneatis, & reliquum sit solum illam prehendere: non est enim hoc Patribus, doctoribus, scientia præditis, omni virtutum genere exultis, non Dei procuratoribus, Apostolorum successoribus, non demum hominibus pro veritate congregatis, & præterea tam numeroso cœtu dignum. Neque dici poterit, prodi ab vtrauis parte spes illas bonas, quas secuti conuenistis. Vbi enim pro vestra vtrique sententia pugnauerit, & spei periculum feceritis, & pugnæ exitus erit manifestus; tunc ad illud, quod vestro consilio reliquū est, accedetis ac de pace, quomodo facienda sit deliberabitis; vtque mendacium prorsus à veritate deuincatur, curabitis. Haud enim hac mente omnino vtrique venistis, vt vincatis alteros; hoc enim est velle mendacio quoque dare victoriam, cum de rebus controuersis non habeatur determinata veritas; dum autem veritas adhuc ignota est, necesse est suspitioni quoque mendacii apud vtrosque locum esse. Sed venistis primū quidem pro vestra vtrique sententia propugnaturi, & in hoc primum certamen descensuri, deinde inter verū & falsum arbitri futuri, & veritati palmam daturi, & illam omnes amplexuri, ex qua & conciliatio, & rerum speratarum capita satis superq; vobis emicabunt. Nemo igitur vos in crimen vocauerit, quod ea, quorū gratia cōueneritis, effeceritis, & hanc certe victoriam, quæ satis erit, adepti fueritis. Præter hæc omnia non est ratio, plus debere persuasos persuadentib. quā persuadentes persuasis; vt illud quis vereatur dedecus, in quod incurritur, si quis videatur accepisse beneficium, aut quidquis didicisse. Nam vtraque pars in alteram æque beneficium conferret & honorem; tum quia voluptas ad victoriam partam erit communis: quandoquidem finis, ad quem tendunt omnium studia, communesque labores ac disputationes, erit declaratio ac victoria veritatis.

Vniuersalis Eccl. errare non potest.

De rebus controuersis non habetur determinata veritas.

consentit; & præter vos œcumenicæ huius Synodi decreta omnes honorant, existimantes impossibile illam errasse: quod si hoc etiam fieri posset, satius esse illi ducunt vna cum omnibus periculum suscipere, satis, quod à mendacio abhorreant, declarantes per obedientiam, & cum omnibus consensionem; quam se omnium solos, quasi tutiori hærentes sententiæ, dum sibi confidunt, & doctiores omnibus sese putant, si contingat errare, spe etiam, quæ opinione illa fundabatur, excidere, & omni se defensione nudare. Neque enim cœlestibus se dicent oraculis, quæ omnibus præferenda essent, admonitos de generali Synodo, vt decepta fuerit, & non sit illi credendum. Quod si vobis ita temere libet sentire contra quam omnes sentiunt, & œcumenicam Synodum aspernari, nulla ratione habita aut veritatis, aut laudum, aut fatuæ securitatis, aut laborum pro pace susceptorum, quorum vos etiam aliqua ex parte fuistis participes; nullum plane est adhibendum consilium; precibus tantum opus est vobis, quas vtique vniuersalis Ecclesia fundere non dubitabit, vestram quidem salutem auide optans, videns autem tali vos in periculo constitutos, vt illam non assequamini, & propterea dolens; ac præterea quod nulla sit spes adduci vos posse sermonibus aut consiliis. Si vero in antiqua omnino vultis perseuerare confessione, in tuto vos esse existimantes, sed non valentes ipsi per vos perspicere, an additamentum à Synodo factum sit verum atq; ad salutem necessarium; nec aliis multum in hoc confiditis; sed fieri posse putantes, vt omnes hallucinati fuerint, illud recipere non audetis; scitote vos illa timere, quæ timenda non sunt. Vt enim ea tantum, quæ possunt vos hoc timore liberare, dicamus, omissis in præsentia multis & non minoris momenti demonstrationibus: partem quidem Ecclesiæ Dei aliquam fortasse mendacio famulari, nec omnino absonum, nec tale est, vt crebro non contigerit. Dum enim homines ea sunt natura, qua formati sunt; & agunt quidem voluntate, opinantur autem electione; fieri non potest, quin multi etiam agendo pariter & opinando peccent, falsa credentes opinionibus, actionibus reprehendenda patrantes; ipsa certe rerum natura inferente, & Deo permittente, qui damnum ex hoc prouenire ns cœlesti medicina scit posse curari: vtitur enim Ecclesiæ parte nullo laborante morbo ad emendationem laboratis, & multa quidem huiusmodi passam quis inueniet Ecclesiam; per quæ illa non modo nihil damni fecit, præciso fere antequam oriretur mendacio, sedarisque nascentibus ex eo turbis, sed illustriore viam omnino apparuis, adepta per illata rursus sibi bella consecutam postea tranquillitatem. Vniuersam vero simul errare Ecclesiam, & veritatis lumine defici, impossibile est. Vt enim alia taceam, quis credat, omnes æque Christianos aut velle amplecti mendacium, aut ignorare veritatem; cum tam multi sint, qui ad illam se duces offerant; & tantam curam in eam contulerint? Vos enim tantum reliqui estis, qui nobis pro ea qua fumus in vos benevolentia, pars videmini magna; sed ordine ac numero dici non potest; quantula sitis vniuersi pars. Quæ vero in posterum esset spes agnoscendæ veritatis, si relictus esset nemo, qui se ducem aliis ad eam præberet? neq; enim vni vos hoc efficere poteritis; nec licet ipsi sapiatis, aliis vt sapiant persuadebitis: perinde ac si quis cum vnguis sit; vellet totum corpus regere, & mouere, & medicinam illi adhibere, & consiliis satis ostendere, quæ bonam afferant valetudinem.

Homines à gnauo voluntatis, opinantur autem electione.

CXXIX. *Ecclesia à Deo in tuto ædificata.*

Illud porro etiam considerare vos oportet, Ecclesiam ita esse à Domino in tuto ædificatam, vt portæ inferorum quæ sint aduersus eam prælaturæ; hæreses inquam contra veritatem insurgentes, & sectatores suos in barathrum inferorum deturbantes: hoc enim illi velut eximium largitus est donum, sine quo magna res non esset dispensationis mysterium; si futurum erat, vt illo etiam peracto, morbo laboraret insanabili, & oppressa mendacio vel iaceret penitus neglecta, vel pharmacis indigeret potentioribus. Et à falsitate quidem agitari illam permittit, vt vero succumbat fallaciæ, errorque illi dominetur, negat se permissurum. Esse vero Dei Ecclesiam quinque sedes Patriarcharum, & eos qui illis subiacent, tum Synodorum Canones, tum longa eius consuetudo, & ipsa rerum natura declarat. Nam sicubi quidam Principes nulla ratione ducti, sed tyrannice cunctarum simul harum sedium pastorali nolunt subesse regimini, iunctaque illos à se ipsis pasci, & sibi loco legis esse; certe non approbante hoc Ecclesia, aut volente communicare id esse licitum, sed condonante illud audaciæ, ne quid peius admittatur, obtinuit: quo setiam nunc contradicere volentes dixerit quispiam, non ratione aliqua siue opportuno timore duci, sed antiqua impudenter agendi consuetudine suum quoque nunc non deseruisse morem. Cum hæc ita procul dubio se habeant; & Christi quidem Ecclesia sententiam hanc vtramlibet dicas; sequatur, & secutura semper sit; ille vero promiserit fore, vt ipsa nunquam superetur à mendacio; fieri non potest, quin inania loqui videamini, si vel promissis, immo vero collatis beneficiis veritatis vim opinione vestra denegetis, expugnatam à mendacio veritatem existimantes. aut ratis illis manentibus hoc iam euenisse putetis. Necesse est enim aut falsus extiterit veritatis sermo, Ecclesia per mendacium seducta; aut si fieri non potest, vt is euanescat, illa quoque libera omnino sit ab omni malorum suspicione. Si ergo illud blasphemia, seu potius aperta est insania; restat hoc approbandum, pijsque auribus atque animis suscipiendum. Quanquam omissis etiam diuinis oraculis, & prouenience ex illis certitudine, nulla ratione dubitandum esset, quin Dei Ecclesia sit in perpetuum sine vllo errore seruanda, & deceptionis labe tota nunquam inficienda: neque enim esse aut constare omnino potest aliquid sine veritate; neque consentaneum est frustra natos esse homines; cum nemo veritate orbatus salutem consequi possit, atque hinc commigrare, vt vitam in cœlis degat, quam naturæ humanæ scimus esse finem. Si veto ipsi à catholica vos Ecclesia segregantes, vni & verum sentire, & salutem tuto sperare existimatis: id quod satis esse dixeritis, vt simul & veritas salua sit, & suo fine natura non fraudetur; nobis certe cogitationes istæ non probantur. Nam præterquam quod vos nullo fere numero estis, & veritati non placet in vobis tantum conseruari, aut naturæ sinum in vobis assequi finem; nec vos felicitate ista vsque ad finem perfruemini, soli contra mendacium sumentes bellum; & sæpe terga daturi, quod & sociorum auxilio careatis, & inualidis armis pugnetis. Si enim vniuersa Christianorum Ecclesia tanto vndique collecto robore, mendacium, vt ipsi dixeritis, superare non valuit; quomodo vos resistere posse credatuini, quiad eam vniuersam plurimis partibus estis pauciores? Et illa quidem hoc vno errore seducta de futuris melius fortasse consilium capiet; vos autem veluti in tenebris versabimini, ne illud quidem scientes, quid sit agendum in rebus, quæ sors obtulerit; nunquam enim fuistis huiusmodi rerum disceptatores & iudices; sed bono consilio illos sequebamini, qui norunt & possunt hæc iudicare; euenient autem quamplura; quod tempus futurum sit veritatis inimico adoriendi vos omni præsidio destitutos: Atque ita præsens hic, vt opinamini, tutus status fiet periculorum occasio. Neque enim de vobis curæ erit iis, qui modo contempti sunt; neque vobis satis erit vitium ad omnia. Quod si vix tandem tunc resipueritis, & ad Catholicam Ecclesiam confugeritis, & polliciti eritis omnia vos venerantuos & recepturos quæcunque illa præceperit, refractarios olim & contumaces sensus valde execrati; illa quidem certe vos suscipiet, sed vo-

Vitæ in cœlis natura humanæ finis.

bis

bis pœnitentia non sine pudore erit; quam fugientes satius est ab initio nolle contendere. Nolite ergo fratrum auertari communionem, & mœrore quidem illos afficere, charitatis autem Spiritum contristare: & falsa quidem in Catholicam Ecclesiam, quæ aberrare non potest à veritate, vestro certe damno probra iacere; vobis autem vitam in posterum multis replere perplexitatibus. His vsi ad eos verbis persuadebunt sat scio, vt nihil contradicant: & licet per se ipsos hæc non perspiciant, audientes quæ hic erunt definita, libenter admittent: quamuis enim non multum scientia polleant, tamen persuasum mihi satis est fore, vt ea pro sinceris & iustis habeant. Græcos igitur propter hæc dixerim non debere moueri, siqui forte sint contradicturi; aut illorum caussa se ipsos priuare confessione veritatis, & pace cum Latinis; cum & se ipsos iuuare, & illos, si quid dixerint, possint de sententia dimouere.

CXXX. At vero Latinorum Ecclesiæ suspiciones eiusmodi ne simulare quidem licet. Primo enim nullum est Latinorum genus, quod mandatis eius non pareat; quin potius nullum est, quod se in ea colenda & obseruanda patiatur vinci ab aliis. Adeo multus honor ei defertur ab omnibus, tantumq; abest vt incidat illi suspicio, ne qua sibi aduersus ea, quæ præcipere voluerit, repugnantia seu contentio aliunde suboriatur. Nam præter absolutam spiritalis dominii potestatem, per quam benigna mansuetudine temperat seueritatem, nec sinit contra sua iussa subditorum aliquem sese extollere, aut petulans quidpiam contra dominam & matrem cogitare; Latini etiam omnes sponte sua cogente nemine, suo ad eam obseruandam nutu feruntur, doctrina & prudentia plus quam alii, præstantes; & assiduis præconum concionib. edocti, quanta illi debeatur veneratio. Itaq; reuerentia, qua illam prosequuntur, & fide ducti multis quoq; bonis donarunt eius Præsules, quæ cum piam eorum, qui illa dedere, mentem declarent, sæpe probrorum & scandalorum origo iis fiunt, qui datis bene vti nesciunt. Proinde nonum etiam aliquod edente decretum, omnes illud sine vlla curiositate recipient: & nunc haud minorem præstabunt reuerentiam, cum sibi, si quando alias obedientiam existimant profuturam, & si repugnent, aspertores soliro se pœnas daturos. Quod si vellent etiam contendere, nulla esset illis occasio: non enim noua aliqua induceretur opinio, sed addita tolleretur, quod idem esset atq; ad antiquam & omni suspicione liberam redire confessionem. Inconueniens ergo esset, notitiam quidem inucheati obedire; ab ea vero fidem antiquam retinente & comprobante recedere: & sola quidem ea res huiusmodi agente nihil habere suspectum, cum fractibus autem comperiente quod tenendum est, animo fluctuare: & eam quidem oppugnatam ab aliis colere; nunc vero, qui prius hostes erant, socios habentem aspernari. Nam si quando abiecta reuerentia audedum quid erat illis petulantius, consentaneum erat id contingere, cum sine fractibus posuit additamentum, tanta in re sibi confidens tat cum omnes tunc obtemperauerint quauis cogitatione post posita reuerentiæ, quam aduersus illam adhibebant, par esteos nunc etiam nolle contradicere. Quod si qui omni æquitate & ratione, nec non iracundia vestra contempta vestris sententiis noluerint acquiescere, sed persistere in prioribus maluerint, quæ de contradicturis iam dixi ad Græcos, eadem & vobis fore satis puto ad huiusmodi homines: & quemadmodum Græcorum Ecclesiam, ita decet & vestram non desistere bona comparare sapientibus metu contentionis insipientium, quam certe spes est non futuram, quod si fuerit, aut rite tollatur, aut iuste puniatur necesse est. Præterea quod vos veritis facilius persuadebitis, si contradicant, cum & non indocti sint, & eadem lingua vtantur, & possint efficacissimis traduci rationibus, quam Græci hominibus hisce peregrinæ linguæ ac rudib. ad percipiendam rationum & sensuum profunditatem acq; magnitudinem plane ineptissimis; non minus certe, quam sit ad volandum structura corporum. Ad hæc Græci quidem vnam aut duas ex hisce nationibus non sine lachrymis, & magno infelicitatis opinione dimiserunt, quod paucæ remaneant, quibus cum vna pace fruantur: Vos autem, si qua vestrarum gentium diuellatur omnino à vobis, & morbo opprimi videatur insanabili, ægre quidem feretis amissionem & errorem illorum, à quo neminem capi vobis est in optatis, sed nullam vos pati censebitis amicorum & affinium orbitatem, cum futuri sint vobis multi, & quouis numero frequentiores, qui promptos ad obediendum exhibeant animos, sicut alii refractarios, quibusq; sociis vtamini pacis conciliatæ cum Græcis. Neq; n. dici potest fore, vt omnes seu plures in suum caput arma capiant, & ferè tã fodiant gladio. Ita hanc quoq; suspicionem, quę non contemnẽda videbatur, nullius esse momenti, nec posse naturam eius accurate considerantes abducere à recte proposito, & oratio iam ostendit, & vos melius perspicietis, animum attẽte ad illam adiicientes. Desinant ergo qui nobis quasi terriculum, defectionem quorundam obiiciunt, & prauorum insuper insolentiam audaciamq; fouẽt: frustra hæc pios & rerum honestarum studiosos optasse affirmantes; nosq; nescio quo non inertiores ac leniores redituros; ne alia probra dicam, quibus iure obnoxii eritis. Prius n. oportebat cogitationes istas explicare, vel terriculamenta potius ad incutiendum timorem obiicere, vt suis vtriq; vellent manere in finibus, nec modum pacis aggrederentur, tanquam propter hæc ipsa inutilem, ac talem vt fieri nulla ratione possit: non modis omnibus tunc ad pacem adhortari, quid non dicendo, quid non agendo, quod mouere posset ad pacem? & quo non illam faciliorem asserendo? vel ipso vno congressu futuram asseuerando: nunc vero difficultates commemorare, & timores iniicere: in his enim etsi licebat initio, at nunc certe non licet curas desigi ab iis, qui in ipsa deuenerunt agendi tempora. Cum vero ne tunc quidem habitura locum essent huiusmodi impedimenta penes homines, qui bonis vti norunt consiliis, quis det esse huius temporis agere de hisce rebus? Qua porro ratione fiat, vt qui nunc talia dicunt, necessario sese præpudore non contegant; & qui in eam adducentur sententiam (quod Deus auertat) postea prærubore non se cooperiant? neq; n. est culpæ eiusdem aut consilii auctoribus, aut illi assentientibus, dum de tantis rebus adhuc deliberarent, metu rationis expertę perculsos non perspicere, quid honeste & vtiliter esset agendum; & studium, vbi rem sunt aggressi, restinguere: illud n. habet opinionẽ socordiæ, hoc vero dementiæ quoq; crimen non effugit: & illi quidem nullum est adiunctum periculum, per hoc autem necesse est summa quoq; rei nostræ periclitetur. Cum ergo demonstratum sit per ea quæ diximus, vtrumq; hoc impedimentum, quæ pondus aliquod habere videntur, nihil obstare; reliqua ne consideratione quidem vlla sunt digna, quæ friuola esse deprehenderè poterit è longinquo quicunq; voluerit.

CXXXI. In primis enim quis ignorat, decantata illa Decreta, quod nihil in Symbolo aut addere, aut demere liceat, iuxta sensum eorum qui illa obiiciunt, esse plane calumnias, ad obtegendam contentionis ignominiam adinuentas? Nam siquid est, quod persuadeat Græcis, vt respuant sententiam Latinorum, prohibeatq; illam Symbolo addere, alia res est; & nemo Decretum illud Synodi sane intelligentes culpauerit; Latum quippe est à principio in eos, qui detractionibus atq; additamentis quibusdam fidem depranuant, & adulterinam inuehunt Theologiam: cuius reuerentia nec sibi tale quidpiam audendum, nec si qui ausint, admittendos esse ad communionem, omnes affirmauerint. Quod si potius è contrario persua-

deatur illis, sententiam illam esse verissimam, & cum fundamentis fidei valde congruentem, & sanctis probatam. inane est ad illa refugium: nihil enim dicunt peruerse intelligendo decretum Patrum, cum hocilli ediderint, vt mendacio viam præcluderent, non vt veras sententias eliminarent, minas enim in eos iactant, qui aliam fidem conscribunt; & iis tollunt facultatem, qui adliciendo quid contrarium, & subdole auferendo quodlibet ex confessis euertere voluerint. Quare si Decretum intelligatur ita vt oportet, neque Latini culpandi sunt, si adiecerunt quod verum est, neq; Græcos errare dicendum, si consenserint: alioquin restat, vt aliud dicentes calumniari certe struant. Deinde si Latinis solis, aut Græcis absq; Latinis non licet addere quidlibet; at œcumenicæ Synodo honorem hunc nemo poterit negare: nam & alias Synodos adiectionibus quibusdam scimus veram declarasse fidem, & Decretum, quo reprobatur additamentum, ita hoc excludit, si ab vno quopiam fiat propriam diuulgante sententiam, non si tota Synodus voluerit addere, nulla enim in eo fit Synodi mentio, sed *Nemini*, inquit, *liceat*. Præterea quæ prohibet credi, ea quoq; non permittit addi Symbolo fidei, ea vero sunt, quæ veritati aduersantur, & non consonant iis, quæ post multos labores recepta sunt. Quæ porro licet credere, fateri quoq; permissum est. Symboli enim confessionem illud fecit necessariam, quod non oporteat latere aliquos in fide corruptos, quam nemo lædere iure censendus est; dum illam præstat iis consentientem, quæ sine periculo creduntur. Alioquin fidei Symbolum falso appellabimus nomine, & frustra illud recitabimus proculcata iam illa, quæex eo prouenit, hæsitationis liberatione. Neq; enim erit amplius Symbolum, sirotam non detegat infixam animæ de fidei articulis sententiam: nec impossibile est aliquos falsa sentientes latere, qui nobiscum quidem confessione stent, fide vero seiungantur, si hoc omnino concedatur. Plenam vero fidei rationem quomodo integram exhibebimus, quam in confessione sui consistere accepimus, nobis prædicationem eius per ipsam prætereat linguam refugientibus? aut quæ nobis erit salutis spes per ea quæ necessario creduntur; si cum audiamus, fateri illam oportere propter salutem, ipsi ignominiam habere putemus; si ote etiam fateamur veritatem? Sicut enim nullo modo credenda sunt, quæ deficiunt à regula veritatis; ita ad recte credita necesse est exterior quoq; accedat confessio. Aut igitur demonstranda est Latinorum sententia à veritate prorsus aliena, aut si hoc non potestis, vt vera illa honoranda & suscipienda est, & fides in Symbolo declaranda. Latini enim nobiscum sententiam recipientibus, & ratam esse iudicantibus, fortasse de confessione non magnopere pugnabunt, satis enim est illis ostendere, se recte sensisse, & efficere ne vltetius contendamus, veritatemq; vt mendacium persequamur: at nobis sola fides cordis non erit satis; non adiuncta etiam exteriori confessione. Decreta vero, quæ aliqui reformidant, pro nobis potius egregioq; additamento stare putanda sunt, atq; eo modo intelligenda, quo prose & allis vellent intelligi; qui ea condidere. Neq; enim se ipsos, aut alios pari dignitate præditos facultate huiusmodi priuare volebant, vt plane definire non possint, quæ spectant ad fidem: alioquin decreta hæc nullius esse momenti inconsiderate ostendissent, & quæ possint non obseruari: nam & illa additamentum quoddam sunt, & sententia de fide tunc primum lata, & à nulla superiorum approbata Synodorum; omnes enim, vt patet addebant. Sed neque Latini, si nec œcumenicam existimant; nec omnino talem, cuius mandata non liceat transgredi; Synodum illam, quæ posuit additamentum, permanescent Decreta, improbantes additamentum, & volentes illud expungere. Quæ enim non valde certa sunt ratione definita, possunt ab illis immutari, qui maiorem habent facultatem. Si veram illam arbitrantur œcumenicam, & decreta eius rata esse debere in perpetuum, æque vt aliarum generalium statuta Synodorum; non dubium est; quin & ipsi Decreta sint omnino prolaturi, & quæ Græcis est difficultas ad inserendum, eam sibi esse demere volentibus sint dicturi. Ego vero vtrum ea Synodus œcuminica sit habenda, nec ne Latinis ipsis considerandum reliquo: sed consilium eis dederim, primum quidem, vt potius à se Decreta obseruati existiment, si priorum illorum sequantur Concilliorum sententiam, quam si illis omnibus posthabitis vni omnium postremo adhæreant: Deinde vt nullam de illa Synodo cum Græcis habeant controuersiam; sed missam faciant hanc materiam. Ego enim scio, Græcos nullo modo passuros eam Synodum œcumenicis annumerari, sed contra hoc potius quam quidvis aliud repugnaturos: sciunt enim, si velint hæc admittere, fore vt necessario damnum vsquequaq; faciant, dererioriq; habeantur conditionis. Propter hæc nihil de illa Synodo agendum; quamlemcunq; eam velint vtriq; videri: Sed Latinis etiam, sicubi malum afferre videtur, dubitandum non erit eiicere causam schismatis; additamentum: nec si æquum esse arbitrantur, Græcos omnes parere huic Synodo additamentum apponenti, ipsi se iniuriam pati arbitrentur obedientes auferenti: æque enim vtrumq; & licitum est, quibus licet, & prohibitum pariter. Neq; igitur timore Decretorum illorum, quæ potius ad quiduis allud quam ad rem nostram faciunt, proficienda est sola vera & solida pax; neq; ob anticipatam hanc illam opinionem consentaneum est mutationem ægre ferre. Audio quippe has esse quorundam cogitationes, indignum esse opinantium, receptam tanto tempore mutare sententiam. Non sunt enim hæc indicanda more spectaculorum, nec decursu temporis credenda; quod facit vt deteriora etiam videantur apte excogitata; nec erubescit ferre opem mendacio contrà veritatem, quod fecit, vt præclaræ sæpe res oppugnentur à rebus vituperatione dignis, sæpe etiam deteriora recepta iam & credita bello actioni à potioribus peterentur. Nihil ergo absonum, nunc etiam tanto tempore latuisse errorem, aut imagine veritatis assumpta à mendacio, & sub ea prædicato, aut eodem sui imaginem veritati adaptante; atq; ita vt exturbet illam contendente. In vniuersum res, quas pręmanibus habemus, cum sint longe maximæ, & antequam ventum esset ad tantum schisma, viæ fere omnibus, qui conscii multarum erant difficultatum, incredibiles, par esse multo etiam plura, quam dictum est, oblatura se nunc vobis esse impedimenta; & sæpe vos ad egregium hoc opus perficiendum maxime vicinos, per ea tumultuosa detentum iri. Nam si verum dici oportet, nulla fuit res aut erit pluribus & maioribus implicata difficultatibus, quam vsquequaq; honestissima & vtilissima hæc pax. Ego vero tale vobis dederim consilium, irascatur autem nemo. Satius planè esset, omnino rem non aggredi, sed tanquam studio visendorum locorum profectos conuenisse huc, colliatisq; sermonibus, habitaq; mutua vestri notitia regredi, quam alacriter exortos despondere animum, & siue paruæ, siue magnæ difficultati succumbere. Nam si minoris estis numeri, aut minus quam res exigit parati, aut Synodus prouincialis, & non totam Dei repræsentans Ecclesiam, aut alterius rei gratia non inutilis collecti, sed obiter etiam postea pacis negotium tractaturi, q̃ res maximas exorsi desperaretis, id vobis etiam magni animi virorum pareret nomen: at quia & multitudine, & virtute, & scientia, omnia; apparatu, si qua vnquam alia superiorum generalium Synodorum, instructi estis; quæ pares difficultates simili robore tulerunt; inest autem & vehemens pacis desiderium, nullam aliam ob rem profecti estis ad decertandum, turpe est. Venerabiles Patres, turpe, personæ quam geritis, atq; appellationis ordini non respondere, & abscedere

scedere minorem consecutos gloriam, quam alii qui proposita sibi similia certamina ad felicem exitum perduxerunt. Nemo enim vos audiet, si excusationis caussa protuleritis impedimenta & difficultates, cum sciat quam pleno veneritis apparatu, quauis quidem alia re validiori, per solam autem ignauiam proiecto. Ad hæc fieri non potest, quin aliis quoq; probris vexemini, quæ secum affert pax impedita: hoc enim superbiæ crimen infert, illud timiditatis reprehensionem, allud contentionis vitium, atq; ita aliud alii coniunctum est dedecus, quibus ne merito fiatis obnoxii, curandum vobis est & singulis & vniuersis, æque enim omnia plurimum distant à vestra virtute & spe. quæ tita in vobis est. Omnium porro, quæ dicta sunt, caput hoc est: Reliqui certe omnes homines manifestis hisce ac perspicuis, quæ ex pace proficiscuntur, bonis fruentur, quorum erit pulcherrimum, veritatis cognitio, & suarum salus animarum: Vos autem primi vtilitatem ex hisce bonis percipientes, eoq; titulo insigniti, quod per vos auctores illa in omnes fluxerint, mercedem etiam vtilitatis perceptæ ab aliis accipietis. Præter hæc adest quoq; Deus vestrorum animi motuum spectator & iudex, quem nemo latere potest aut segniter agens, aut mollitie fluens, aut carnales & caducas cogitationes operibus eius immiscens. Hunc igitur omnes præ oculis semper habentes; & eam quæ sequetur, si rem præclare gesseritis, vtilitatem & gloriam, omne quidem quod aduersatur, friuolum & inane ostendetis: exoptatam vero pacem quam citissime ac vtilissimam vestro decreto sancietis.

EIVSDEM GEORGII SCHOLARII

CXXXII

ORATIO TERTIA, IN QVA EXPONVNTVR EA, per quæ pax huiusmodi confici possit.

HÆc sunt, quæ maxima & difficillima pacis huius impedimenta visum iri existimaui; quæ vos tamen considerantes nihili puto facietis; sed ambabus, vt aiunt, manibus strenueq; pacem amplectemini, nihil prætermittentes, quod per vos fieri possit: multis aliis impedimentis per hæc tria vel quatuor simul è medio sublatis. Satis vero mihi videor eorum describenti naturam dixisse, expositis iis, quæ contra res tanti momenti dicere potui relictis plurimis, vt ea dicant, qui singula volunt perpendere. Ad ipsum vero iam sermonum meorum caput accedam, declaraturus vobis Dei fauente auxilio, per quæ pax hæc confici possit, ad memoriam vos, vt ita dicam, reuocans, atq; ea tantum attingens. Soluendum enim hoc restat promissum, quod etiam plus habet ponderis. Cum porro mihi sit agendum cum viris doctis, & spiritu plenis, resque suas cum prudentia moderantibus, non erunt opus, arbitror, in singulis longi sermones, & ipse si pluribus, quam res postulet, verbis vsus fuero, merito etiam molestus esse existimabor.

Ego enim, venerandi Patres, mecum cogitans reperio, disiunctionem nostram iam olim exortam ad hæc vsq; nostra tempora & damni non exigui, & non minoris vtilitatis caussam esse: & illo quidem affectos esse maiores nostros, vtilitate vero nos primos, si modo velimus, perfruituros. Quod enim tanto iam tempore bella inter nos secuta, conciliatione gesserimus, & pars vtraq; doctrinæ opinionem habeat, omniq; dignitate præfulgeat, & velit propterea pluribus rationibus victoriam sibi arrogare, numerari non possunt quæcunq; per singula tempora vtriq; conscripserimus, alteri alteros malis grauissimis onerare non dubitantes, & ostendere inter omnes homines morbo pessimo oppressos. Hæc porro omnia calumniæ quædam sunt, quas pugnæ necessitas peperit, & verborum excessus, vt assolet in omni contentione, quibus profecto simpliciores persuasi, inimicitias vsq; ad exteriora hæc & apparentia protraxerunt, ritus quosdam & cæremonias; quæ illis antea fine vlla disquisitione valde placebant, proscindentes, odioq; habentes. Verum hocidem & rei, quæ agitur, conducit maxime, & ad conficiendam pacem magno est adiumento: rotam enim Scripturam perscrutari, studioq; ad considerationem adhibito, quæ suæ possent fauere sententiæ, siue ratiocinationibus, siue locis in rem vtriq; suam è Scriptura depromptis adinuenerunt, vt nihil omnino superfit posteris ad excogitandum, per quæ vos poteritis minori cum labore acres fieri iudices veritatis: nec opus erit libros euoluere, atq; inde sumere quæ ad rem faciunt, aut per vos doctum aliquod & cum scriptis congruens argumentum comminisci ad examinandam vtramq; opinionem, sed satis erit adhibere quæ sunt ab aliis inuenta, & singula ponderare ad veram iustamq; ferendam sententiam. Puto autem & Deum ipsum, quod videret iudicium de re proposita fore difficile, tum iis qui primi dubitare cœperunt, tum & multo magis iis qui subsecuti sunt, quorum aliquos turbabant voces oppositæ, aliquos vero rationes, quibus illæ probantur, & quas illi semper plures & fortiores inueniebant, pacem vsq; ad vos prorogasse, quorum præcipue illa opus exiterit. Neq; enim vestras de pace cogitationes tollet certandi studium, neq; apparens discrepantia vos turbabit, vt earum quæ vtrinq; sunt suspicione difficultatum & periculorum, temerarium esse de his aliquid pronunciare existimetis. Quare ex hoc temporis beneficio fit vobis, vt perfectum iudicantium obtineatis statum, cum labores alii studiose susceperint, & vestram solam, vt ita dicam, expectent sententiam, quam ferre vobis non erit valde laboriosum. Oportet igitur vos quidem continere à probris & contumeliis, & argumentis ad absurda deducētibus, & cæteris omnibus, quæ diuturna tulit discordia, primo autem eorum inuentores arguere, immo vero benigne illis veniam dare, & solo temporis vti beneficio, & propter hoc vnum illis hominibus agere gratias, quicunq; apud vtrosq; laborem hunc subierunt, nec plus illis tribuere auctoritatis, quam congruit litigantibus: neq; enim veritatis arbitri & iudices fuere illi hominum generi, vt estis vos, propter quod sit illis tribuendus honor maximus; & rata habenda quæ dicunt: sed suam quisq; partem tutatus est, & pro viribus illam defendit, quam bene vero dixerint, iudicandum reliquerunt sententiam de rebus hisce laturis. Et pro iis quidem, quæ bene sunt ab illis dicta, & quæ vobis commodiorem viam facient ad reperiendam veritatem, & habendæ illis gratiæ, & dicta illa confidenter vsurpanda: quæ vero prolata sunt contentionis studio, & præstabat silentio præteriri, ea penitus reiicienda. Quinimmo illorum hominum scripta superuacuum prorsus arbitror legi à vobis, quippe quæ ad præsens negotium nullam possunt afferre vtilitatem: neq; enim pacis modum vobis ostendunt, aut quomodo maxime vtrisq; conducat, sed vel omnino partem hanc omiserunt, vel difficillima postulant, de illo tantum vsquequaq; solliciti, quomodo victoriam ab altera parte reportent: at vobis propositum est pacem quærere & cognitionem veritatis. Quoniam igitur rei naturam, de qua quæritur, tum ex oppositis aliorum lucubrationibus cognitam habere potestis, tum per vos ipsi iam perspexistis, non modo vestra scientes, sed & aliorum vtriq; altercationes quidem istas omnino missas facere, ad ea vero statim oportet incumbere, per quæ sola licet consequi pacem.

Facilitas negotii.

Abstinendum à probris & contumeliis.

CXXXVIII

Exponit ea per quæ sola pacem consequi licet.

Consideranti porro mihi videntur hæc esse; Primo quidem recurrere ad fundamenta fidei, veræq; Theologiæ principia, atq; ad hæc vtramq; opinionem examinare, & dispicere vtra cum illis maxime congruat:

deinde

deinde inquirere; quomodo acceptа fuerint ab Ecclesiæ Doctoribus pronunciata Scripturæ, quæ videntur spectare ad hanc materiam: ad hæc quid singuli de quæsito hoc philosophati fuerint. Et quidem ex eo quod primum dixi, arbitror multam emergere difficultatem. Nam † circa principia fidei par est esse multas discrepantias, ex quibus contrariæ conclusiones inferuntur. Ea porro nec destruere decet, ita enim fiet, vt aliud agendo multiplicemus malum, simusq; multis de caussis disiuncti, de quibus aliqua erit grauior quam præsens differentia, neq; par est aut alteram partem alteri concedere, hoc enim idem esset atq; se victos fateri; aut vtramq; alteri, hac enim ratione nunquam conueniemus, deducentes quæ videntur opposita ex oppositis principiis, & alterius partis sententiam vtriq; in nos ipsos transferentes. Operæpretium ergo est eligere principia maxime vtrisq; probata, & inde argumenta ducere: quod si fieri poterit de aliis etiam omnibus consentire, id postea considerandum relinquere, nisi quis superfluum putet, ab illis qui potuere in vnam de conclusione conuenire sententiam, examinari principia, ex quibus prior pugna conserebatur. Reliqua vero duo nullam dico habere difficultatem, nam & Doctorum expositiones facile posse perspici opinor à rerum huiusmodi peritis, quæcunq; Scripturæ locis tributæ ab illis sunt: Si qui vero sunt inter vos, qui & hos aliter intelligant, sapientioribus & pluribus victoria danda est: hoc enim æquum & conseraneum est: & Sanctorum de re proposita sententias conciliare, & ad vnam omnes redigere, licet in aliquo dissentire videantur, conueniens arbitror & facile esse. Neq; enim audiendus erit, si quis velit reprobare quempiam ex iis, quos vniuersa honorat Ecclesia; aut eius testimonia non admittat, quod putet eius theologiam à suis corruptam; nisi quid sit perspicue depraua tum, idq; vtriq; affirmetis, & probent vtriusq; partis libri tali corruptela liberi, germanamq; lectionē in se conseruantes. Omnino igitur tribus hisce ducemini ad cognoscendam veritatem; videlicet Scripturæ auctoritatibus, earum explanationibus, & propriis doctorum sententiis, quas illi suis in sermonibus sparsim protulere, cum opus esset mentionem facere de Spiritus processione. Vt vero hæc optime facillimeq; præstetis, tollendæ sunt anticipatæ animo opiniones, & contentiosæ reluctationes, atq; infirma effugia, quæ facile redargui possunt; & vbiq; plana ingenuitate vtendum: neq; enim nunc magis alteri alteris iudices controuersiæ sedemus, quam diuinæ Scripturæ eiusq; interpretum ac Doctorum, quorum est necessario adinuenienda consensio, conciliatores & patroni. Quare si propositum negotium non recte tractauerimus, multorum ac diuersorum rei criminum erimus. Cum igitur contentio nos possit vlterius in mala grauissima deuehere, abiicienda omnino illa est, & assumenda sunt nobis subsidio tum mutua inter nos beneuolentia, tum voluntas enitendi, vt omnia cum veritate proferantur. Et primo quidem non decet velle omnia dictis verbis è Scriptura desumere; nam & multos hæreticos scimus prætextu hoc vsos: sed si quid verbis ita prolatis sit consequens, adæque erit honorandum: similiter quod veris & confessis visum fuerit repugnans & contrarium, nullo modo erit admittendum. Deinde eorum quæ obscurius dicta sunt, sumendæ sunt è Scriptura ipsa veluti magistra explicationes per ea, quæ vspiam clarius illa differit. Ad hæc si qua videtur esse discrepantia, tollenda est adhibita expositione, si tempora, vsus ac necessitas, sensuumq; diuersitas, & huiusmodi alia perpendantur. Neq; enim est omnino credendum, in doctrina Spiritus inesse quidquam dissensionis; aut minus solidæ veritatis. Sed quomodo nos plane loca huiusmodi distinguere debeamus, non solum exemplo communium nobis Doctorum, & imitatione eorum, quæ ab illis adhibita sunt, dum pari necessitate premerentur; sed certis quoq; de hoc eorum admonitionibus, cum vellent nos hac etiam in parte non esse auxilio destitutos, dignoscere ac percipere valemus. Vt enim Cyrillum, & Chrysostomum, & Augustinum, & reliquos præteream Theologos; nam longum esset exempla omnium enumerare; quibus illud curæ fuit, si quidquam aliud, Scripturas inter se consonas demonstrare, B. Patris Nysseni dicta vestram in memoriam redigam; ita enim puto fore, vt & Scripturis eam merito habeatur reuerentia, quæ ab omnibus debetur; & sanctos Patres ostendam fuisse pios & doctos Scripturarum auditores. Propositum ergo illi est Beatum Stephanum laudibus celebrare; atq; inter alia recensēt illud, quod se vidisse Stephanus ait: qua tum occasione scite admodum in hæreticos inuehitur, quod illi visionem Stephani ansam sibi facerent futilis argumenti atq; mendacii, exponam vero ipsa prope modum illius verba. Nam quia visionem illam rabiosi Spiritus oppugnatores existimabant esse in rem suam, ita dicentes; Si Patri & Filio annumerandus omnino est Spiritus, cur à Stephano non est visus vna cum Filio? ex ipsissmet verbis, quibus enarratur visio, refellit eos; consequentia cum antecedentibus connectens, ostēditq; ibi annumerari Spiritum sanctum, sed eos tanquam prauitate occæcatos illum præterire. Si enim per simile, inquit, videntur similia; & non nisi in lumine potest lumen videri; perspicuum sane est & ipsum Stephanum gloria Spiritus ante illustratum conspexisse gloriam Patris & Filii; *Stephanus* enim, inquit, *cum esset plenus Spiritu sancto, vidit gloriam Dei, etusque Vnigenitum.* Nam quod Scriptura tacuit, enumerans, quæ fuere visa, iam antea posuerat, dum asseruit, à gratia Spiritus profectam esse eleuationem ac visionem illam martyris; & rem adeo præclaram extitisse non humanę opus solertiæ, sed diuinæ virtutis. Est igitur verum vndecunq; colligendum apum exemplo sedularum; idcirco enim & scrutari iubemur Scripturas, quod veritas in illis non ita facile se det obuiam, sed studio ac labore possit inueniri. At Spiritus oppugnatores non integrum considerantes locum, malitiosē præermittebant reliqua, per quæ poterant assequi quod quærebant. Verum Beatus Pater Nyssenus non modo partes visionis huius inter se apte coniungit, sed cum aliis etiam Scripturæ locis conuenire illas ostendit; tum Euangelico, *Deum nemo vidit vnquam*, tum & illo Apostolico, *Deum nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Nam si Patris, inquit, & Filii gloria capi potuit viribus naturæ humanæ, falsum prorsus erit horum vtrumq;: Verum & ista falsa non esse, & historiam non mentiri necesse est. Illud ergo, per quod vnum fit, vt videatur Deus, & ipsum plane Deus erit. Similiter Arianis ex eadem visione, quod Filius dicatur astare Patris gloriq; peruersè inferentibus; Vnigenitum esse minorem, respondet pari scientia dicendiq; lepore, proferturque Apostolum cum Dauide hoc decidentem, quod nimirum ad Patris dexteram sedere, honoris æqualitatem significet. Deinde ait, Aut ergo circumducant magnifica testimonia, quæ summum dignitatis fastigium designant, aut hoc etiam pie excipiant, ab vno enim magistro profecta sunt singula hæc dicta, nempe à Spiritus gratia. Quod si vnus, inquit, est magister, Spiritus veritatis, quo aguntur homines diuino numine afflati, quis vllam inter dogmata suspicetur discrepantiam? Itaq; sedendi standiq; diuersitas iuxta vulgarem sensum corporibus tesseranda est: cum vero natura incorporea nihil prorsus admittat eorum, ex quibus desumitur horum nominum differentia, reliquum est, per vtramque vocem esse pie intelligendum, fixum atq; immutabilem in bono statum. Nam & qui Deum stare, & qui sedere illum ait, nulla inter se ob diuersitatem vocum sensus differentia pugnant; ille Dei firmam in bono stabilitatem, iste immutabilem collocationem dogmatizantes. Ecquis commodius intelligēdorum Scripturæ locorum, aut tollendarum, quæ in eis videntur esse, discrepantiarum explicet rationem?

† *id est, circa principia fidei variè intellecta.*

Explicat quomodo duci possint ad cognoscendā veritatem.

Non dicit omnia dictis verbis è Scriptura desumere velle. Obscuriorum explicationes è scriptura sumendæ. Discrepantia tollendæ expositione. Ab exemplo SS. & Patrum.

Act. 7.

Ioan. 1. 1. Tim. 6.

Deum stare & sedere nulla vi cum sensus differentia pugnant.

Immo

Immo vero quæ nam aptior fuerit demonstratio, qua probetur, improborum, & peruersitatis hæreticorum esse Scripturas distrahere, atq; inter se pugnantes vellē; Deo vero gratum, & plurimi faciendum, eas in concordiam reducere? Cum igitur vel vnus hic nobis sufficeret, planissimis verbis hac de re pronuncians, & dignitate inter Doctores Ecclesiæ nulli iure posthabēdus; quis quæso, spretis etiam cum isto cæteris omnib. idem atq; iste sentientibus, dum vult Scripturæ dicta alio quodam modo excipere, videri possit rem facere cordato homine dignam? Nec vero solum Sanctorum quisq; ita se gessit erga Scripturam, tum ipse per se adinueniens quod opus esset, tum exempla maiorum sequenda ducens, sed vniuersi etiam sententiam hanc sequebantur, si quando illos occasio suscipiendi pro veritate certamina vnum in locum congregaret. Sic Patres, qui primum conuenere Nicææam, cum periculum esset, ne Dei Patris atq; Vnigeniti exploderetur æqualitas, pro ea ipsa propugnarunt. Censebant enim, audiendos non esse simpliciter eos, qui ad probandum mendacium, Scripturę sententiis vim afferebant; sed cum opinionem opinioni videret contrariam, pugnam vero hanc ad Scripturam quoq; peruenire, quæ oppositis fauere videbatur opinionibus, putarunt quidem impossibile solam veritatis magistram sibi non constare; nequaquam vero aliquib. eius partibus alias præferre voluerunt, sed congruentem cum vniuersa Scriptura sententiam compererunt, nempe Filium esse Patris æqualem, verumq; Deum. Sublata n. æqualitate diuinarum personarum, viderentur quidem fortasse quæ humilius de Christi humanitate dicuntur confistere, at vero pro iis quæ dant diuinitati testimonium, frustra esset sublata: Immota vero illa manente, vtraq; salua esse poterant. Hanc igitur illi, quę bellum excitabat, præposuerunt, nec prius destiterunt, quam hanc victoriam tribuerunt, & Scripturæ, quod per sententiā illam fit, conuenientiam consensumq; reddiderunt. Horum studium, ac certamina pro pietate suscepta consecuti alii, primi quoq; fuere modi huius adhibendi æmulatores. De rebus enim tunc in controuersiam deductis illi etiam exacta peræq; diligentia, cauentes ne qua ex parte Scriptura labefactaretur, tulere sententiam, & deinceps vnaquæq; Synodus eadem mēte quæstionum alias aliter agitatarum tractationē suscepit, vt ex omnibus vna vere aurea catena connexa sit, omni pariter pulchritudine ornata, eademq; in declarando Scripturæ sensu optime conserta & coaptata. Quamuis enim singuli non possent per se ipsos adinuenire, quod rectum & æquum esset, supperebant tamen posterioribus priorum exempla: quod si etiam his caruissent, certe Spiritus auxilio poterant ipsi per se totum hoc egregie præstare. Itaq; non modo Sanctorum quisq; separatim, sed congregati etiam omnes omnia, seruata concordia Scripturarum, egerunt: neq; tantum singulatim, sed complures quoq; simul eandem de eisdem habuere sententiam. Neq; docendo suos putarunt habendam esse præ oculis vsquequaque conuenientiam Scripturarum, pugnando vero cum aduersariis alium esse modum adhibendum, sed contra, priora illis fuere opus propter posteriora. Atque vt nemo apparentia tantum attendens, latentem vero non effodiens thesaurum sibi fieret causſa erroris, putaretq; duce ad præcipitia lumine vti, illas etiam viarum asperitates, hoc est loca, quæ videntur asserere pugnantia, complanabant, eundemq; in omnibus sensum consistere demonstrabant. Ita veluti communi consilio tum publice tum priuatim, quouis loco, & quando res ita ferebat, hoc ante omnia curarunt, vt sui studii caput, idem quippe certamen pro hoc ipso, pro veritate, proq; sua ipsorum salute propositum sibi sciebant: & cum ipso quidem, recte se alia peracturos, hoc autem vno posthabito, reliqua etiam se amissuros plane censebant. His igitur ita se habentibus, quæ aliter se habere nemo vnquam dixerit, vel nimiū contentiosus, necesse est vos etiam eodem erga materiam propositam animo sitis, & postponatis omnia concordiæ Scripturarum. Siue enim oportet inspicere, quid Sanctus quisq; egerit; vos, qui tanto estis numero; iustius hoc idem & velle debetis & perficere: siue quis etiam eos consideret vniuersos, operæpretium est vos eadem post illos necessitate adactos, illorum velle sequi vestigia; opposita vero incedentes via, reprehensionem non effugietis. Quamquam illis quidem, etsi non omnibus, at certe primis, solæ Scripturæ erant ob oculos, quas difficile quidem, potuere tamen in vnam reuocare conuenientiam: at vobis non parua adiumenti accessio est, immo vero ipsa totum fere valet, quod Doctorum expositiones in Scripturas, & certamina eorum habetis proposita, quæ illi tum ad veritatis hostes redarguendos, tum ad suos confirmandos, dictis scilicet eorum audientes, suscepere. Quorum, cum adeo multi, sibiq; inuicem testes sint, consensionem facile pariter ac iustum est sumere veluti ducem certissimum ad veritatem indaganda-

Patres Nicæn.

CXXXIV. *De conuenientia sententiarū Scripturæ.*

Ac de Doctorum quidem consensu posita, prius autem agendum est de conuenientia sententiarū Scripturæ, etenim res ita se habet: Spiritum sanctum ex Patre procedere, testatur manifeste Scriptura, & communiter omnes fatemur, nec magis Græcis, quam Latinis id fauet, nec soluitur per hoc dubitatio. Hoc enim posito neq; necessarium, neq; impossibile est, etiam ex Filio procedere Spiritum, cum hæc affirmatio nec ponat nec tollat alteram affirmationem, sed possibile sit ex vi huius propositionis procedere, aut non procedere ex Filio: vt qui dicit, hominem esse animal, nec rationis participem illum necessario asserit, neq; id negat. Quamquam, si modum processionis diuinarum personarum spectemus, ordinemq; illis assignatum à Sanctis Patribus, multo magis affirmatio ponit affirmationem: nam ea quæ Pater habet, sint etiam Filio communia necesse est, nisi aliquid obstet; & quod ex aliquo per aliquid essentialiter prodit, causſam habet illud etiam, per quod prodit, vt si quis calorem è Sole dicat oriri, illum è radio quoq; oriri neq; ait, neq; negat, quod attinet ad ipsam propositionem, quanquam affirmat magis, si quis modum productionis consideret, & ordinem quem habet ad vtrumq; res intermedia; tunc enim plane non negabit, ex ipso et iam radio vt proxima causſa oriri, quod per illum emanat naturaliter: interim id solum considerantes, quod pronunciatum est, neutrum exprimimus necessario. Ita ne ergo philosophandum est de proposita quoquæ materia? minime. Procedere quippe illum à Filio, rursusq; non procedere, omnino est impossibile. restat igitur, vt alterum illorum sit verum. At neutrum licet è Scriptura planis verbis desumere; Colligendum ergo est ex quibusdam aliis, quæ Scriptura dicat aperte. Ea igitur consideranda: Et si quidem omnia Scripturæ loca Latinorum affirmationi fauent, amplectenda illa est: si vero negationi Græcorum, reciicienda affirmatio. Veluti si mitti à Patre & Filio; si quia dicitur Spiritus vtriusq;, non solius videlicet Patris, sed modo quidem veritatis, modo vero Christi & Filii; si quòd omnia quæ Pater habet, sint etiam Filii; si accipere à Filio, & annunciare; si dari discipulis Spiritum insufflatione corporea; si quod Filius mittat illum à Patre, sicut Pater mittit eundem in nomine Filii; si quia missus à Filio glorificet illum, quemadmodum Filius à Patre missus glorificat eū, à quo missus est: si hæc omnia sunt affirmationi consona, habenda est illa pro vera & certa. Rursus si qua sunt perspicua Scripturæ dicta, quæ faueant propositioni asserenti, Spiritum non procedere ex Filio, negationi adhærendum. Si vero omnia vno quopiam excepto; non decet illud attripere; forte aliunde pendens; quodue possit explanari per multa alia; atq; per hoc vtramuis confirmare sententiam, contempris aliis, quæ possunt opponi tam

firmare

firmare opinionem, quod vero videtur contrarium, & placet, facitq; nobiscum minime inferunt: hæc igitur calumniari non oportet; sed ita interpretantes omnia, vt cohæreant conueniantq; inter se; diiudicantesq; pauciora & obscuriora per ea quæ plura sunt & clariora, tum demum de sententiis tutissime pronunciare; & eam quidem amplecti, quæ facit, vt Scriptura nulla ex parte secum pugnet; quæ vero aliter se habet, reiicere; atq; ad hoc potissimum adhibere rationes ad absurda deducentes; illud vnum omnino absurdum cauentes, ne Scripturæ loca collidamus, & opinionem sequamur, quæ bellum inter Scripturæ sententias excitet. Nam alioquin huiusmodi deductiones ad impossibile in ea de qua agimus materia, inualidas arbitror, atq; vt vno verbo dicam, insidiosas (nec vero difficile est, ad incommoda quæq; nos inuicem deducere, sed facilius est omnia declinare) Quanquam licet nullum ex his sequeretur periculum, merito non decet illas admittere. De quibus enim è Scriptura non licet accipere pronunciata, sed oportet nos coniecturis vti ad ferendam sententiam, ad ea nullum crimen est afferre etiam deductiones ad impossibile, & quamuis aliam argumentationem; quæ nos deducat ad assequendum id; quod esse verius videtur. Nunc vero cum tot pronunciata nobis supperant; quorum aliqua satis esse nobis possunt, cum recta tendant ad id, quod quæritur; ex aliquibus autem licet inferre veritatem; inane quiddam est & superuacuum huiusmodi argumentationum vsus; nec est aliud, quam vana gloriolæ cupiditas. Scio vero etiam vos, Græci, ne demonstrationibus quidem in huiuscemodi rebus confidere, sed habere illas suspectas & periculi plenas; multo ergo magis ipsi à syllogismis deducentibus ad impossibile refugietis, altiusq; illos adhibentibus cauebitis. Et hæc quidem sic se habent. Non erunt porro Scripturæ quidem pronunciata concilianda inter se, vt maxime oportet; eorum vero interpretes, aut vbi ea dilucidant, aut etiam vbi de illis disputant, in oppositas sententias distrahendi; sed par in illos quoque nauanda beneuolentia, nullique deneganda illa obseruantiâ, quæ omnibus debetur.

CXXXV *Quæ absurda sequuntur si aliqui Interpretes recipiantur & reiiciantur putando illos inter se pugnare.*

Nam si hos quidem recipiendos, atq; in honore habendos, alios vero censebimus reiiciendos, putantes inter se illos pugnare; primum quidem nihil frui nobis licebit reuerentia, qua Scripturas honoramus, interturbata rursus pace Scripturarum, quam nobis illi peperere, per apparentem pugnam Doctorum; & perenne nobis mercede illi debita, quam par est esse veritatis manifestationem, ob calumniam Sanctis illatam. Deinde malum nobis duplo maius fiet: aut enim quosdam ex illis sanctitatis gloria priuabimus, vt possint illis mendacia tribui, & iure debeant contemni; aut rursus discrepantiæ crimen ab eis ad Scripturas vel inuiti transferemus, & Spiritui sancto ascribemus, à quo Scripturæ manarunt: & illos quidem arbitrabimur examinasse omnia recte atq; prudenter, Scripturam vero illis dedisse causas pugnæ. Ad hæc sapientiores nos, sanctioresq; illis ostendemus, si veritatem Scripturarum nos quidem assequi possumus, & cum aliis Doctoribus concordare; ipsi vero neutrum sunt assecuti, & opinati sunt quæ non oportebat, & bellum cum fratribus perpetuum susceperunt. An vero nec quisquam nobis hæc tribuenda putauerit, nec nos ea de nobis cogitare debemus; sed ostendemus reuera ineptos nos esse illorum auditores, & quiduis potius attendere, quam dicta præceptorum; cum illi nobis egregia documenta dederint, quales nos conueniat præstare ad ea; quæ à Spiritu dicta sunt, & idoneis exemplis doctrinam firmarint; nos vero contrario prorsus modo vti velimus. Nec vero etiam æquum omnino est, ipsos quidem, dum se præberent aliorum interpretes, tanquam eximium quiddam illis concordiam tribuisse; nos autem rursus scripta eorum interpretantes, tantam quodammodo illis inuidere fortunam, & negare ipsis bona illa, quibus ipsi alios cumularunt. Quod si nullam aliam ob caussam nobis succensebunt, at certe molestissime ferent, falso à nobis accusari scientiam ac virtutem suam; idque cum ab illis affecti simus beneficiis maximis, ob quæ illis omnia gratiam referre debemus. Neque enim esse aut sancti aut docti videbuntur, qui senserint & scripserint quæ sunt à veritate aliena; immo etiam digni videbuntur, qui pœnas luant graues propter eos, qui decepti sunt. Præterea nec Doctores illi, quibus honorem deferimus, habebunt potius gratias, quam merito de nobis conquerentur, tum quia fratrum iniuria communis etiam est ipsis; & inhonoratis illis censebunt nullum sibi quoque fieri honorem, licet multum honorari videantur: tum si versati esse in errore ipsi videbuntur, quod quasi Doctores celebrauerint homines, qui errori subseruierunt: Ignorat enim nemo, quam miris laudibus alter alterius mentionem faciendo, se se inuicem ornauerint tum publice, tum priuatim. Has igitur ob caussas, & plures alias consimiles, (neq; enim percensendo singula obstrependum arbitror vestris auribus) oportere aiò omnes Ecclesiæ Doctores honorari à vobis, & nullum eorum haberi tanquam in errorem lapsum, nec vllum inter illos pugnæ vestigium suspicione attingi; sed iure illud opinantibus, exoptatam vobis concordiam fuisse illis cordi magis, & melius conciliatam, primo quidem illud pro certo esse ponendum, eadem illos sibiq; congruentia sensisse; deinde quod placet illis omnibus, vt vestram itidem sententiam confidenter amplectendum. Quod quamuis arduum penitus esset, ipsorum arbitror Doctorum studio & opera fieret, vt vobis id facile futurum esset. Verum & facillimum est, & nullo labore, sed alacri tantum voluntate indiget. Nam si viderentur Sancti digladiari inter se, aut certe sermonibus oppositis de rebus propositis vterentur; ne sic quidem esset difficile eos inter se conciliare, verborumq; pugnam tollere per conuenientiam sensus; non enim deessent nobis ad hoc viæ quædam & præclara inuenta, quæ subministrat vberrima philosophica, si vellemus apparentes oppositiones diluere cum adminiculo veritatis: sed tamen refugeret hoc quispiam, sciens multi hoc esse opus negotii ac laboris. Nunc autem non ita se habere Sanctorum scripta omnes videmus; sed multa in illis tranquillitas est; & emittunt nobis & eminus concordiæ radios. Quod si quid etiam in illis discrepantiæ mixtum est, superficiè tenus illud est atq; in speciem. Aut enim diuersa de iisdem plures loquuntur; quod eruditos homines turbare minime potest, turbauerit autem primo aspectu simpliciores: aut dicendo & tacendo inter se differunt; quod illis contingere est consentaneum. Nam & nos ipsi per dies singulos diuersa de iisdem sentientes ac enuntiantes, nihilominus coniuncti sumus, nec propterea inter nos decertamus; & iure quidem optimo: Cum n. in vnaquaq; re multa considerentur, & aliis aliter illam concipiat animo, variis quoq; sermonibus exprimantur ea necesse est, aut iisdem sane, sed varie acceptis; dum rerum naturæ congruere velimus ipsos sermones, hoc est esse veros; quandoquidem ipsum esse rei sequitur orationis veritas, vt norunt omnes. Quod si dicendo de iisdem diuersa, pugnaremus, contraria quoque ipsi veritati assereremus, quæ rerum naturas ex multis diuersoq; modo inexistentibus constare vult. Neq; igitur in his dissentimus neque rem exprimere; aut silentio præterire, talia sunt, vt manus propterea conseramus; immo vero contra, pacem conciliare videntur, quando silentium ciuiles quoq; leges sumunt pro assensu; cum asserentiæ vero consentiat nemo, si sapiat. Si quis igitur est alius modus à Doctoribus Ecclesiæ nobis traditus, quo dirimendæ sint controuersiæ; quæ per illos oriuntur, & quo possimus con-

Omnes Eccles. Doctores honorandi.

ciliare

ciliare illos inter se, vbi dissentire videntur; posthabitis hisce quos nouimus, & quibus vti inter nos solemus, age illum adhibeamus. Sed si talem reperire modum non licet; neq; enim poterant, cum semo illis esset ad homines nostram & ipsis naturam habentibus; & per consueros hosce conciliationum modos, quibus ipsi vsi sunt ad componenda Scripturæ loca, nobis id consilii dare videntur, vt nullos quæramus meliores, per quos oporteat, cum opus fuerit, probare ipsorum quoq; Doctorum conuenientiam; profecto nec pacem illorum debemus missam facere, ex qua pendet nostra concordia; nec difficile est, per quæ nos signa nostram significaremus concordiam, per hæc eadem illorum conuenientiam & consensionem declarare.

CXXXVI. Neq; vllum omnino hac in re periculum subesse censendum est; mihi enim videtur potius contrarium, nihil posse tutius contingere hominibus, qui se existimant reddituros rationem vitæ pariter ac opinionis. Quamuis enim ita futurum esset, vt à veritate aberraremus; idonea tamen nobis esset apud Deum excusatio, quod pacem habere voluerimus post longa dissidia, depositisq; controuersiis in vnam omnes ire sententiam: cum vero nobis ipsi non confideremus, ad Scripturas accurrerimus & Doctores: Apparente vero in iis etiam discrepantia quadam, considerauerimus nullum esse posse vestigium pugnæ & erroris in illis, qui sunt Spiritus afflatu edocti; volentesq; omnibus æque conseruare opinionem sanctitatis, conciliatores potius quam iudices ipsorum sederimus; & illi quidem à nobis quoad eius fieri potuit in vnam redacti concordiam, postea vero & nos vniti fuerimus, delectaq, à nobis hæc pacis via vti tutior, aliis multa & manifesta habentibus coniuncta pericula. Hæc plane arbitror clementissimum iudicem æqui boniq; facturum, veniamq; abunde daturum hominibus, qui rerum quidem maximarum affecti fuerint desiderio, proq, illis aliquod etiam periculum subire voluerint; ex periculis autem cognouerint adierintque leuissimum. Quibus enim, vbi omnia recte atq; ordine disposuissent, non succesisset exoptatæ veritatis assecutio, haud prauæ illorum voluntati debet ascribi exitus infœlix, sed arduæ veritatis indagationi. Quod igitur intelligendum sit, Theologos qui non conueniunt cum pluribus, nequaquam illis aduersari, sed velle quiddam aliud necessarium significare, eadem vero sentire quæ illi de rebus per eos explicatis, colligi potest ex multis aliis similibus. Quis enim ignorat, Sanctos omnes passim causse & caussati voces vsurpare, & præ omnibus Nyssenum? Attamen Cyrillus vtendum iis esse negat. An ne ergo dissentiendo ab aliis id asserit, eodemq; sibi scopo proposito contrariam habuit sententiam; vt oporteat aut ab aliis præter ipsum, aut ab ipso vno stare veritatem? Et qua ratione fieri possit, aut alios adeo multos non perspexisse quod opus est, aut hunc in tantum esse lapsum errorem, idque posteriorem multis qui vsi sunt illis vocibus? Immo vero & illi simul omnes, & iste nihilominus propter sanctitatis opinionem effugiunt suspicionem mendacii. Non ergo contraria dicunt, & verum vtriq; dicunt: par enim est respicientes ad diuersas vocum istarum significationes, illos quidem vsurpasse, hunc autem refugisse. Nam alii quidem certe respexerunt ad processiones, hic vero ad artem Aristotelicam. Vt si quis commutata caussa, cur hi vsurpauerint, ille tacuerit, ex iis quæreret, futurum esset, vt cauerent qui vsurparunt, non dubitaret vsurpare qui cauit. Quid præterea magis pium, aut passim in Theologia vsitatum, quam diuinarum ordo personarum? Quidam tamen Sanctorum in hanc etiam inuehuntur vocem: Verum neutri mentiuntur; licet enim in diuinis aliquem ordinem necessario ponere, & alium rursus inde repellere, vt naturæ creatæ conuenientem. Solius Patris imaginem esse solum Filium, Augustinus asse-

Allegat ex exemplo quibus Doctores inter se dissentire videntur & tamen non dissentiunt. Lib. 2. ad Hermian.

ir & Occidentalium Patrum caterua; nomenq; imaginis dicunt esse proprium hypostasis Filii: Doctores autem Orientales Spiritum quoq; Filii, necnon Patris imaginem sine vlla hæsitatione vocant omnes. Sed hi quidem ita loquuntur respicientes ad essentiæ identitatem, & vtuntur nomine imaginis loco perfectæ similitudinis; Illi vero formalem habebant sine dubio præ oculis similitudinem, quam ratio Filii continet; productioni enim Verbi proprie tributa est similitudo formalis ad id, à quo procedit. Basilius quoq; genimen vocari Dei Filium non permittit, cum alii vtantur intrepide hoc vocabulo: Dicemus ergo propter hoc dissentire hunc ab illis, an potius & ipsum coniungemus cum cæteris omnibus? Dicemus enim, illos quidem geniminis significatione adductos, quæ recte Filio aptatur, vsos esse hac voce; hunc vero considerata vocis vsurpatione; nam in deteriorem partem accepit eam Scriptura, vocans Iudæos viperarum genimina, & imperfectis illam assignauit; deuitasse ipsam, alisq; consilium dare, vt eam fugiant. Immo quod grauius est, secum quoq; pugnare Doctores videbit quispiam: vt si quis illorum scripta percurrat leuiter, & quæ apparent sola perpendat, dicat illos potius ludere: Adeo variis in locis sæpe vsi sunt contrariis sermonibus, moti sensuum diuersitate. Et quid mirum, quando sacris eloquiis hoc idem contigit? Siquidem illa Patrem modo asserunt aperte maiorem Filio, modo vero æqualitatem eorum manifeste significant, idq; Doctores non solum intelligunt de duplici natura Christi, sed quidam etiam vtrumq; de diuina eius natura concedunt; & maiorem quidem aiunt, caussa; non maiorem tursus, natura: & contraria de eadem re affirmant, verum ad aliud & aliud horum vtrumque. Et quis enumeret; quæ in Scriptura verbis pugnare videntur? cum alio alia spectent, & omnia vera sint? & hæc quidem Saluatoris diuinitati aptissime congruant, illa vero humilius humanitus; intelligantur? Num igitur omnia inter se, opposita constituemus; & vel credemus contrariis, vel seligemus ea quæ placent, fidem illis habebimus, reliqua vero vt minime grata reiiciemus? Sed vereor ne potius damnemur, quod hæc contempserimus, quam referatur nobis gratia, quod aduersus illa reuerentiam adhibuerimus; immo vero pœnas luamus, quod vtrumque male fecerimus: non enim conuenit harum rerum nos esse iudices, non magis certe quam magistros. Itaque habentes omnia pariter pro veris, & caussam singulis assignantes: quamuis citra hoc etiam oporteret simpliciter ac sine vllo examine fidem illis tribuere; cum tamen nullum sit de quo, si quæratur, afferri non possit caussa; & nos ipsos mutuis conflictionibus, & altos liberare oporteret dissensione, quæ nulla ratione admittenda est.

Lib. 2. contra Eunomium.

Multa in Scriptura verbis pugnare videntur & tamen omnia vera sunt.

Quod vero difficile non sit concordes ostendere eos, qui de hac materia locuti sunt, atq; illos qui tacuerunt, ne ratione quidem arbitror opus esse, vt probetur. Vt enim omittam de dicendi ac tacendi vi philosophari, quæq; sit verius q; natura explicare; primum quidem nemo contenderit, vt qui tacuerunt, ideo sint vsi silentio, quod hoc dogma damnarent. Si enim eos, qui de re aliqua simpliciter pronunciant, non continuo probare existimamus quæ dicunt, nisi sint ex numero probatissimorum hominum, & quorum sermones necesse est cum dogmatibus conuenire; quis facile concesserit, ea quæ tacentur, improbari? Siue enim ea tacuerunt, de quibus nemo locutus est; sequitur vt multa quoq; alia vera damnemus: sicq; de his opinantes, Doctorum sermonibus veritatem omnem circumscribemus, nihilq; dicemus superesse vel ipsi Deo, quod tenendo hominibus addere possit ad fidei veritatem: Sine tacuerunt quæ ab aliis fuere tractata; si quidem cum nesciret quid aliis videretur; honorem igitur illis tribuebant, non virtutis ergo, atque vt præmium sanæ opinionis, sed beneuolentiæ caussa, atque

CXXXVII. *Ostendit eos qui de processione S. Spiritus locuti sunt & qui tacuerunt nō discordare.*

omnino ad suum arbitrium; & leges, vt videre est, huiusmodi rerum pei fringebant, non examinantes ante præmia quid quisq; gesserit, & ante coronas quantum certauerit. Si vero cum scirent, vt profecto sciebant; non oportebat ab iis publice laudari eos qui disseruerant, & honorificam eorum mentionem fieri, & amplissimum dari testimonium, quod primas illi tulerint virtutis & doctrinæ, minasq; non auscultantibus proponi, quæ iactari solent in eos, qui sacras paginas non venerantur. Neq; n. aut dogma exiguum est, dignumque quod contemnatur; aut putandi sunt illi, quod fratres colerent obseruarentq;, voluisse parui pẽdere sententiam, quæ sibi tantopere displiceret, & corrumpendorum posterorum omniũ auctores ipsi videri. Quod si per solum silentium speraruntse victoriam reportaturos ab iis, qui verba fecerunt, & persuasuros omnibus, vt ab illorum sententia abhorrerent; nec eruditione præstantium, nec Doctorum id foret: expectassent enim impossibilia, quæ etiam non euenerunt: nam maxima & potissima orbis terrarum pars eos sequitur, qui de hoc dogmate sunt locuti. Esse autem Doctorum dixerim, non quæ recta sunt effari, & praua tantum supprimere; sed hæc etiam in medium proferre, atq; omnes hortari, vt ea fugiant; & eo magis tunc, cum hæc ipsa laudantur ab aliis, & plurimi sunt viris & ipsis doctis, atq; ad persuadendum idoneis. Aut si omnino per silentium id se effecturos existimabant, at certe à præconiis abstinere debebant, & à summo honoris temperare cumulo, dum eos ornarent laudibus, qui, de hoc dogmate disputarunt; scientes sermonem honoratium silentio nihil attestante plus valiturum. Oportebat enim nihil omnino dicere; & eo contentos esse, si eorum qui dogmatis mentionem fecerunt dicta sacræ Scripturæ verbis erant contraria; aut si per illa fiebat, vt aliquid ex confessis euerti manifeste contingeret: Nunc autem cum nihil tale sit, suffragari nulla res potest eorum silentio, quod sane assensus potius opinionem præ se ferat, quam fugæ & negationis. Sed esto; nihil illi dixerint, improbantes quidem sententiam, sed fratrum honori consulentes, litesq; & pugnas excitare nolentes rem obuoluerint silentio, atq; in profundo cordis dissensionem occultarint. Verum ex hoc, cum formidinis & prauitatis suspicione non careat, futurum erat, vt non magis cæteri omnes cum iis coniungerentur, quam aperte disiungerentur. Nam ante omnia de veritate solicitos esse illos oportebat; nec fuisset quidquam iucundius certaminibus, quæ illis ipsis atq; omnibus vilitatem attribuissent: Cæterum ipsi ea penitus refugientes, ostendissent se plane nec proprijs confidere viribus, nec velle pro communi omnium salute labores perferre. Atqui horum omnium nihil prorsus beatis illis viris ascribere pium & iustum est: contra vero æquissime debitum Patribus ac Doctoribus honorem illis tribuerimus, vt qui prouidentia, scientia, veritatisq; studio pernenerint, quo pervenire homines possunt; & iure illis gratiam habuerimus æque propter omnia, tum quæ dixerunt, tum quæ reticere voluerunt, quod causa nostra vtrumq; fecerint, & quidem sapienter admodum. Non tacuere igitur, quia necessario damnarent; nec infert silentium necessitatis rationem iis, qui silentium afferunt ad damnandos eos, qui non tacuerunt. Si quis vero dicat, neq; contrarium esse pugnaciter inferendum, nempe ab illis per silentium opinionem roborari; eoq; indicio significari, receptam hanc esse ab illis: responderi quidem optime potest; & si tacendo innuebant, non omnino illam sibi probari; potius tamen significasse assensum, quam odium & contemptum: Ego vero arbitror, silentium hoc fuisse hominum nec omnino reprobantium opinionem, nec rursus velut omnino tutam illam recipientium. Quæso autem à vobis Græci, vt quæ dicturus sum, ita à me dici existimetis, non quasi velim certam *ipse* pronunciare sententiam, & rata esse quæ profero; neq; enim ego nunc magis de proposita materia quid sentiam profero, quam de alia quauis re quam illi tacuerint: Et videtis ipsi, quanta per totum sermonem diligentia illud cauerim, ne quoad eius fieri posset vestras offenderem aures: quamquam iis, qui veritatem inquirunt, curare id minime conuenit, siue dicant ipsi, siue audiant. Ego igitur, quod dixi, Sanctos arbitror nihil esse loquutos de eo, quod alii dicunt aperte, propterea quod illi nec multum fauerent, si ita dicendum est, nec illud omnino reiicerent: hoc enim à virtute eorum & scientia procul abest; illud autem nulla ratione niteretur; quasi omnes communicatis consiliis id facere, & dogma confessum à multis adeo frigida ratione fulcire voluerint. Sed puto illos aut de re quæ sibi erat ambigua tacuisse, tutius hoc ducentes; aut idem sensisse quidem quod alii, qui rem aperte dixerunt; sed abstinuisse à sententiæ diuulgatione quiddam aliud prospicientes: Quorum vtrumq; cautelam & prouidentiam eos adhibuisse, quæ Sanctos decet, certum indicium est. Si enim præterire silentio id voluerunt, quod omnino dicere non audebant, nec tamen pro execrando habebant dogmate; suspicionesq; euitandas putarunt, quæ subortæ essent, siue illi dogma probassent, siue improbassent; admirabili sane cautione sunt vsi, ob quam omnes dicta eorum sequi sine vlla hæsitatione debeant. Si vero infausti aliquid prospexere consecuturum ex promulgatione huius sententiæ, & proinde retinendam illam apud se iudicarunt: laudanda profecto est hæc prouidentia. Cum enim sermonibus eorum finis esset propositus, vtilitas hominum sibi subditorum, nempe vt Patribus ac Doctoribus; proferenda non erant ab illis, quæ obesse poterant; idq; etiam exemplo veri communisq; omnium magistri, qui multa scitu digna non aperuit, sciens ea nondum suos ferre posse Apostolos. Quid enim prodest sublimior veritas iis, qui adhuc in humilioribus nutant? Quod autem vtrumq; horum solida ratione nitatur, multoq; magis sit rationi consentaneum, quam asserere, Doctores inter se pugnare; vt nulla queat inter hæc esse comparatio: quod q;, vtrumlibet verum dicatur, nullo negotio possint illi inter se conciliari; per se ipsum arbitror esse omnibus manifestum. Nam si bona res & multis digna præconiis viderut omnibus cautio in huiuscemodi negotiis, cur optimis hominibus illa non tribuatur? Sin vero aliter, & omnes omnia dicunt non pati doctrina cœlestiq; gratia; sed est inter eos vti sanctitatis, laboris q; pro pietate susceptorum, ita quoq; scientiæ facundiæq; ac diuinæ gratiæ, per quam hæc omnia dantur & confirmantur, ordo quidam & gradus; quid incommodi fuerit, si quæ alius quidam multa vsus fiducia dixit, hęc alium veritũ tacuisse dicamus? Ego enim sane, vt paululum hac in re immorer, Sanctorum hominũ res ita se habere puto. Non omnibus hominibus dat omnia Deus; sed hunc quidẽ hoc ornat munere, alium vero alio decorat, & huic quidem largitus est vnum, illi autem plura etiam addit; & sicuti dona ipsa inter se differunt, ita vnum quodque plus minusue perfectionis ac pietatis habere dignoscitur. Causa vero, cur illa differant, aut plura sint, est quidem gratia donantis secundum prædefinitionem & præcognitionem quandam ineffabilem; est vero etiam accipientium cuiusque ad hæc dispositio; vt neque bonorum quidquam, iuxta Pauli sententiam, tanquam à nobis prouenisse putantes mentiamur; & nostrarum actionum his quidem pœnæ, illis vero præmia reddantur. Quo porro modo bonorum largitor eos tractet, qui in accepta dona ingrati sunt, alterius fuerit negotii considerare. Illis autem qui dono bene vtuntur, idque vnum à se ipsis conferre volunt, non modo benefactor, sed & custos sit rei datæ; atque ad scopum vniuscuiusq; ducem se præbet, difficultatesq; tollit, efficitque vt progressus in eo faciant, & secunda donat gratia, cum id etiam libitum fuerit; & fœlicitatem postremo adiicit præmium non tam eorum quæ ipsi

CXXXVIII. Non omnibus dat vnum Deus.

Causæ cur dona Dei inter se differant.

gesse-

gerint, quam quibus ipse, vt per eos gererentur, auctor fuit: Vt sit velle quidem à nobis, inde autem perficere; & currere quidem nostrum, assequi vero quod optamus, solius diuinæ clementiæ: immo vero abstinere quidem ab honesto, sit nostri tantum consilii; prope vero bonum accedere, & illi quodammodo adhærescere, à diuina prouenire gratia. Et quoniam non est par in omnibus boni voluntas & studium, neq; omnibus vno modo natura opitulatur; quin & momenta temporum non æque omnibus sese offerunt; hinc fit, vt adeptio quoq; finis aliter aliis respondeat. Veritatis enim & boni natura nullis terminis circumscribitur; quorum illa quidẽ nobis contemplantibus, hoc autem agentibus propositum est. Hinc mansionum oriuntur differẽtiæ, & varia ac multiplex vitæ fœlicitatis possessio. Ita ergo etiam Ecclesiæ Doctores sciendi dicendiq; munere ornati, virtutem illi coniunxerunt; atq; ita primum sese ostenderunt eo dono non indignos; tum veritatis notitia fruebantur, quæ vna scientiæ, sudorumq; ad acquirendam eam insumendorum dignus finis exiterit: Deus porro erat, qui hæc suppeditabat, atq; ad illam attrahebat: sed non omnes eodem apparatu ad scientiam accesserunt, neq; pari scientia veritatem examinarunt. Idcirco docti quidem omnes erant, sed doctrinæ modo inter se differebant: & veritatem quidem omnes attigerunt, sed iste non tantum veritatis apprehendit, quantum ille. In quibuscunq; autem loqui se ruto quisq; putauit, apte congruenterq; locutus est; alius autem alio plus quiddam est ausus: & audere quidem loqui, scientiæ erat, qua quisq; pollebat; non aberrasse autem à veritate, Dei munus, voluntatem eorum qua quærebat, acceptam habentis, studiumq; ac laborem commiserantis; & cautelam quidem adhibentis non obiurgantis, recte autem confidentia vtentibus fecunditatem largientis. Et nos igitur oportet in his quidem laudare cautionem, in illis vero loquendi libertatem admirari: & vera quidem existimare, quæ ab omnibus æque sunt pronunciata; si qua vero prolata sunt à quibusdam vltra progredientibus, tum abundantiori doctrina fretis, tum auxilio Spiritus, nequaquam paruipendere; neque eos qui protulere, temerarios ducere; aut eos qui tacuerunt, minores existimare quod honorentur alteri, sanctitatisue opinione priuatos putare, si quid nos pro vero habeamus vltra quam ipsi proferre sunt ausi. Si enim sanctitatis opinio, & corona quam adepti propterea sunt, non fuit omnibus æqualis; cum tamen omnes Deo cari fuerint, & germani ipsius cultores; & nullam sibi putant fieri iniuriam, quod gradibus quibusdam differant; neq; inuident inferiores sublimioribus: minus certe propter sanctitatem pro æqua certabunt veritatis cognitione; aut moleste ferent, si quis cognitæ veritatis differentiam inter illos constituat. Iam vero si visionem Dei esse beatitudinem futuram omnes affirmant, qui prima & purissima fine dubio veritas est; huius autem visionis multæ differentiæ gradusq; esse creduntur, quemadmodum & beatitudinis; qua ratione fiat, vt illis hic etiam veritatis lumen diuersis modis non illuxerit, quod luminis illius præmunium ac symbolum erat? Nobis vero, si aliter dicamus, quomodo illi non succenseant, tanquam de illis falsa affirmantibus? qui dum reuerentes aliquorum videri volumus, rerum diuinarum veritati reuminum statuimus; quam ne in futuro quidem sæculo capere poterunt eius spectatores: nec non alienum Sanctorum studia, collataq; in eos gratiam, & quam illi per hæc assecuti sunt veritatem inhonoramus. Nam si suspecta volumus habere omnia, quæ non fuerint communiter, & quasi vno ore pronunciata ab omnibus, alia id erit res: quanquam hasce quidem difficultates fortasse bene diluemus, & molestiis liberi erimus; sed aliquos plane damnabimus, & à Doctorum cœtu excludemus, quibus tamen omnia Patrum Concilia locum vel Coryphæorum assignarunt. Quæ enim illi addidere ad aliorum dicta, hæc fere sunt, quæ dixi. Adeo ingenii acumine ac Spiritus gratia progressi sunt ad penitus intima. Esse igitur videbuntur nugæ illa omnia; Atnugas vere effutient, qui hæc dicere audent. Quod si nobis admirationi sunt illa omnia, cur hæc sola improbemus? Aut enim sententia hæc de similibus omnibus, aut de nullo rata esse debet. Quod igitur silentium pacifice esse hominum nequaquam repugnantium, sed cautela vtentium, nec multum sibi hac in parte confidentium, constare arbitror ex iis quæ dicta sunt. Id ita esse, testantur etiam scripta Sanctorum; in quibus alii aliis confidentius loqui videntur, vt quisq; scientia aut collata gratia pollebat: nec magis Latini à Græcis, quam Græci inter se hac ratione differunt. Sed neq; impossibile, aut statui eorum videtur minus congruens, si quis asserat, illos quidem absq; vlla hęsitatione eadem sensisse quæ alii; veritos autem esse, ne aperta rei confessio periculosa foret et simplicioribus. Qui enim, ne quisquam per ea quæ dicebantur, vllum contraheret damnum, palam contradicentes ea dicentibus restitere; nec non ea credi proferri; prohibuere, quę alias erant vel ipso respirandi vsu magis familiaria; cum tamen ipsis potissimum constaret vera illa esse; cur confessi non sint, hanc ipsam ob causam libentius tacuisse? mitius enim plane erat tacuisse, quam videri contradixisse. Fortasse vero iis, qui Spiritum ex Filio procedere audebant, nec dictum valde capiebat, nec alia etiam alia in mentem absurda veniebant, & hæc ipsa, in quæ Latinos deducunt, qui contra illos ediderunt longa volumina; & quæ necessario dicunt ex dogmate sequi: vt puta, opinari duo principia, & inferiorem esse Spiritum aliis diuinis personis, & reliqua huiusmodi. Nam si Latini ad hæc respondentes, & quæ se ita sentire, neq; absurda illa necessario sequi ostendentes, nondum hoc persuadere Græcis potuere; sed putant illi quiduis potius, quam Latinorum sententiam his incommodis carere: Adeo longe aliter de additamento sentiunt, quam velint qui illud asserunt: quid facturos homines existimamus, Sanctis omnibus ex Filio Spiritum affirmantibus, & simpliciter, vt moris est illis, dogma hoc proferentibus, & nihil addentibus ex iis, quæ nunc à Latinis adinuenta sunt causſa defendendi dogmatis, & euadendi hæc incommoda? Ego enim arbitror futurum fuisse, vt hæc quidem illi sequi absurda opinarentur; contradicente vero nemine, nec cauenda illa esse admonente, & sentẽtiam amplecterentur, tanquam nulla sui ex parte ipsa inferentem, & incommodis hisce tanquam veris facile assentirentur.

Mansionũ differentiæ & varia vitæ fœlicitatis possessio.

Corona in sanctis nõ omnibus æqualis & tamen omnes Deo chari.

Quæ sane omnia par est Doctores præuidisse, ideoque abstinuisse à proferenda sententia; quoniam timuerint lædere poterat, si fuisse. Cum enim de securitate discipulorum valde sollicitos eos videmus, cohorrentes, vt sola sequantur Scripturæ verba, & nihil aliud curiose inquirant; quam etiam ob causſam multa Scripturæ loca explicant contra quam omnes, & ipsimet etiam sentirent; nec videri erubescunt huiusmodi sententiarum plani interpretes, & profunda non penetrantes, eo tantum consilio, quo valeant persuadere aliis, vt contineant se intra terminos, & temeritatis pericula euitent: quod mirum, si has cogitationes sequuti, hæc ipsa quoq; tacuerint, vt multo ista, quę ab illis poterant citra periculum enunciari? Oportebat enim non solum verbis commonere qui fieri deceat, sed re ipsa quoq; palam facere & seipsi vt exemplum adhibendæ cautionis præbere; Scilicet quippe hoc verorum esse Doctorum. Quoniam vero sapientiores quoq; celare veritatem non debebant: alioquin, dum consultum volebant imbecillioribus, iniqui in magis idoneos exitissent, imperfectos relinquendo, nec volendo illis etiam impendere doctrinæ sermonem: alio quodam modo & illis veram propo-

CXXXIX.

nebant sententiam, qui sapientibus satis esset: quemadmodum & ipsi veritatem è Scripturis non nudis verbis expositam requirebant; sed ad comperiendam illam satis esse sibi putarunt, quæ perinde valent atq; ipsa aperte pronunciata, quæq; congruunt cum certis indubitatis animi conceptibus de rebus diuinis. Hanc & certi Doctores sequuti sunt viam, dum exponerent dogmata. Nec illud perpendat quispiam, quod hanc sententiam protulerint, quam alii tacuerint; sed quod & illi multa penes se retinuerint, quæ potuerint effari; quæ tanto maius fortasse periculum attulissent, & eo pluribus hominibus perniciosum, quanto profundiori opus est intelligentia ad percipienda quæ illi dicunt; & multo etiam acutiori opus esset ad ea, quæ tacuerunt. Sed & illi præclara quadam alia ratione eos sui sensus fecere participes, qui huiusmodi res assequi possunt; id quod perspicere licet, si quis eorum libros legat attentius. Quod autem par est singulis contigisse Doctoribus in iis quos instituebant; hoc multo antea fuisse à Spiritu veritatis prouisum in vniuersa sua Ecclesia non est dissentaneum, admirabili quadam & superante omnem dicendi facultatem prouidentia. Consuluit enim vtriq; hominum ordini, congruentesq; illis formam Doctores, imperfectioribus quidem præfecit cautela vsos, eminentiori autem intellecta præditis dedit confidentius loquutos. Et necessariam quidem per omnes æque docet veritatem, qua fides imbuit saluandos: si quis vero maiori polleat ingenii acumine, nec pericula formidat, hunc ad sublimiora intelligenda euehit, & satisfacit eius desiderio per eos, quos ad hæc peculiariter præparauit administros. Quare si Sanctorum alios quidem laudabimus, alios autem reprehendemus, quod tacuerint expressérintue aliquid; & hos quidem probabimus, alios vero, quòd non sint nobis vsui, reiciemus; liceat hæc eadem audere contra ipsum Spiritum: non solum quia is fuerit auctor, cur hi tacuerint, illi expresserint: quo fit, vt necessario & ipse participet honores & contumelias: sed etiam quod vsus singulorum opera, hæc quidem ipse tacuerit, illa vero per Doctores expresserit, quibus sermonem veritatis infundebat. At si vnus ille est, & Spiritus creditur veritatis, & beneficiis afficit homines adæque per omnia, necres Doctorum aliter se habere putandæ sunt. Sed ne multa dicendo sim vobis molestus, ad ea reuertor, de quibus agere cœperam.

Quomodo Spiritus veritatis in Ecclesia cõfulcerit vtriq; hominum ordini sapientioribus & imperfectioribus.

CXL. Si enim Ecclesiæ Doctores apertissime pugnarent inter se, atq; duas in partes diuisi, hi quidem negarent Spiritum ex Filio procedere, hi vero affirmarent vt nunc faciunt; oporret, contrariorum assertionem & pugnam existimare verbo tenus esse inter eos, & pro certo habere, magna sensus conuenientia inter se congruere; tumq; rationes inuestigare, cur verbis vsi fuerint contrariis, & quorsum ita sint locuti: & adinuenta quidem caussa; necenim effugere illa posset; contentiones missas facere, aut simul vtrumq; dicendo, & rationibus vtriusq; partis acquiescendo, aut vnum ex omnibus deligendo, quo nos maxime coniungeremur; multis enim modis potuissent hæc effici: aberrando autem, dolere quidem, quod meutem Doctorum assequi non possemus; vtrosq; vero vtrumq; simpliciter amplectendo, atq; vt moris est nostra recitando; ita demum & Doctores & nos omnes in vnam reduci concordiam. Nec solum Doctores, sed nos ipsos etiam, si verbis contradictoria proferemus, & in fidei Symbolo pars vna affirmationem, altera negationem recitaremus: quod factum; omnium grauissimum & maxima hæc differentia tum visa esset: haud tamen foret difficile vel sic differentes vnum in sensum conuenire, postulante huc ipsa materia, rebusq; id facillime ferentibus. Ego quidem existimo; nec sit qui mihi irascatur, cum paratus sim mutare propria sententia eam amplecti, quæ vestro communi consensu pronunciata fuerit; & hæc consilii gratia dicam, & periculum sententiæ meæ faciam, velimq; potissimum, vt & nos pace fruamur, & honor cunctis Doctoribus seruetur incolumis: Ego, inquam, existimo, Propositiones istas, quæ videntur contradicentes, posse in bonum accipi sensum vtramq;, & neutram eius sensus in bonum: vt defensores vtriusque, si coniuncta fugiant incommoda, possint & veritatem saluam tueri, & ipsi inter se consentire: & horum demonstrationes afferre paratus sum, cum ipsi volueritis; nec enim præsentibus conuenire arbitror sermonibus illam disputationem; & vos ipsi non ignoratis, quæ dicturus essem; cum multo melius quam ego, huiusmodi rerum habeatis notitiam. Esset igitur ita etiam nobis facile contentiones euitare, sensuum, vt ita dicam, conuenientia dirimentibus pugnam verborum: nunc autem affirmationem quidem vir sanctus ac doctus, adeoq; multi veluti præconis voce prædicant: tanta illam certitudine veram putabant: negationem vero dixit nemo; sed illam quidem omnes silentio prætereunt, dicunt autem quæ videntur & negationi & affirmationi fauere. Cur porro tacuerint, potest afferri pro caussa illorum ingenium, quod cautione indigebat; aut mos in dicendo seruatus, quem malorum inter ipsos imitatio perpetua serie ad posteros transmissa induxerat: ex quo factum est, vt non hoc solum, sed multa etiam ex confessis tacuerint, antiquiores quidem, quod ea non haberentur explicite in Scriptura; posteriores vero, quod illorum cautelæ vellent esse imitatores. licet igitur opinari, has etiam fuisse silentii caussas; forte etiam periculi cuiuspiam formidine, ad quod lapsuros putabant simpliciores, si veritas palam fuisset significata; à docenda rei veritate abstinuerunt. Quod autem silentium indicio sit, eos contraria sentire aliis rem exprimentibus, & haberi sententiam ab iis pro falsa, iam ostensum est nulla ratione dici posse: & si quis hæc tacendo, negationem ponere videtur, Scripturæ potius, & alteri Doctorum parti, quorum lucubrationes legit, dare videtur testimonium, quam perspicue negare: quamquam aperte etiam negatione posita, potest affirmantibus nullo negotio conciliari; vt multi quoq; alii, si negationi fauissent. Cum igitur hæc ita se habeant, frustra querimonias iterabimus, quæ consuta sunt dissuentes confundentesq;, contra quam adagio dicitur, & conciliationem adeo facilem negligemus, perinde ac si mutuis bellis, idq; de rebus huiusmodi, honoris caussa oblectemur: & Doctores à communi concordia disiungemus, quos ante sua etiam ipsorum dicta res ipsæ per se coniungunt. sed quemadmodum fieri non potest, vt vera pax efficiatur, nisi prius per iudicium controuersiæ tollantur, & vnum quod definitur, omnib. placeat; ita nec veritatem assequi possumus, ni Sanctorum consensus ad eam nos ducat. Omne porro nostrum studium in his duobus versatur. Quid vero per Deum, obsecro, caussæ afferetis, cur non æque Doctores omnes admittatis, cum id à vobis quærent in communi iudicio? Neq; enim puto contemptos tantam iniuriam silentio præterituros; immo vero non minus quam illi, pro illis grauiter hoc ipsum laturos eos etiam, qui videntur honorari. Auctoritatem obtendetis eorum, qui tacuerunt? At certe alii sanctitate quidem non sunt inferiores, quidam vero etiam eruditione sunt longe superiores. Producetis multitudinem? at illi hac etiam in parte vincunt. Si honores à Conciliis delatos, ostendent illi plane maiorem pro se honorum cumulum. Dicetis, durum videri vobis sententiam recipere, quæ non sit omnibus probata; verum id etiam non est rationi consentaneum: nam cum apertis verbis nemo contradicat, satis est duobus illam testibus fulciri; cum tamen illi tanta adsit copia patronorum: Alioquin præstereamus etiam miraculum de Lazaro, colloquiumq; cum Samaritana habitum; quod qui hæc narrat, non omnes habeat astantes

Sanctorũ consensus adueritatẽ assequẽdã necessarius.

Euangelistas. Deinde obicient nobis alii homines, & iure quidem optimo; Cur lites apud tribunalia alium quendam præscripsistis modum? in illis enim silentium ad dandum testimonium nunquam sermoni præstitistis; quinimmo silentio, si coniunctum cum sermone sit, vsum sermonis tribuistis; tribusq; adhibitis idoneis testibus de rebus quæ sunt in controuersia, nec vobis ipsis amplius, nec illis à quibus producti sunt, negotium exhibuistis, quærentes vobis omnes homines proferri testes. Fortasse aliorum Doctorum obicietis axiomata, è quibus contrarium quiddam colligitur eorum affirmationi, qui de hoc dogmate loquuti sunt. Sed respondebunt, hoc etiam nec iustum, nec legibus esse consonum, vt manifestis posthabitis ambigua sequenda sint: contra enim, ex manifestissimis hæc etiam sint iudicanda. Nam quæ vocatis contraria nostrorum fratrum axiomata, non vno modo ab omnibus intellecta sunt; à quibusdam enim sic accepta sunt, quasi negationem concludentia; quidam vero illa, vt affirmationi prorsus fauentia intellexerunt; neq; id falsum, sed multis quoq; aliis Doctorum auctoritatibus vsi sunt vestræ negationis defensores. Quare quod ad hæc pronuncíata attinet, non magis aliorum silentio standum est, quam nostris dictis. Neq; vero confugietis ad ignorantiam, qui hæc omnia, tobe scitis, & multos alios habetis suis obtestationibus ea vobis proponentes; nihil enim est, quod impedimento esse possit, nisi vna voluntas. Quod si aliorum quoq; Sanctorum proferantur querelæ, quas missas facere minime volumus; quod fratres quidem iuste conqueruntur, nos vero propalam haud æqua lance vramur; seq; dicant honoris præ extu simul cum illis affectos esse iniuria, simulq; exploros: si prodeuntes in medium hæc illi obiciant: neq; enim ibi quoq; contrarias opinor sequentur partes, & sententias de nobis pronunciabunt oppositas: quid nobis quæso refugii supererit? Et quod maius est, reposcent à nobis Domino pacem, & veritatis cognitionem; quarum illa quidem seruanda erat à nobis veluti hæreditas quædam; hæc vero ex hac vita asportanda, quod per vnam illam sit nobis salus; quid plane respondentes non videamur insuper & petulantes esse, ac digni, de quibus grauiores pœnæ sumantur? Nam neq; Scripturarum obscuritatem affer emus, cuius adeo multos constituit nobis interpretes: neq; Doctores aduocabimus patronos, iam olim certe damnati ab illis. Quod si etiam affuerint, hi quidem muti sis tacentes, illi vero aperte contraria testimonio suo dicentes, non permittent iudici, vt diu de facienda sententia cogitet. Sed neq; audebimus dicere, melius à nobis, quam ab illis omnibus intelligi Scripturas: neq; illud enixe affirmabimus, pacem optasse quidem, sed assequi non potuisse; qua enim fronte hoc dicamus, qui Doctores etiam inter se coniungere voluerimus, quorum concordia debebat è medio tollere nostra scandala? Satius plane erit tacere, cum nulla nobis sucura sit excusatio: satisq; erit iudici confessionis loco nostrum silentium. Ita nobis, si Doctores Ecclesiæ distrahamus in contrarias sententias, aut dissidentibus, aut non bona pace conuenientibus, facit, vt nulla ex parte possimus accusationem euitare; si vero illos in concordiam reducamus, vt iam antea dictum est, ad omnem hoc satis est fortunam. Nam licet ita etiam non simus compotes veritatis, multa tamen erunt, ob quæ inuenti amemur: & reuerentia, quam aduersus Doctores adhibebimus, cum multorum secum afferat examen bonorum, illud etiam præstabit, vt nullam futuram iudici debeamus reddere rationem. Verum fieri non potest, vt pace inter Doctores confirmata nos à veritate aberremus; sicut æque illos hallucinatos esse impossibile est, cum ducem habuerint Spiritum. Est igitur hac via vtendum, quæ vera atq; expedita est, necnon vsquequaq; tutissima. Si vero sit alius modus eo, quem dixi, præstantior, quo possint Doctores conciliari; id mihi erit summopere exoptandum: neq; enim ego affirmauerim, hunc vnum esse omnium optimum; sed aio, necessarium quidem esse coniungere & probare illos in omnibus esse concordes; & iactendum esse hoc veluti fundamentum nostræ vnionis; nam sine hoc nec bene, sed nec omnino quidem illa stabilietur: qui vero hæc ratione fiant, adinuenire vestrum est. Ea sic quæ spectare huc videntur ex iis quæ dixi, non ita dicta sunt à me, quasi modum ipse docerem; sed vt populus effigiem adumbrationemq; proponerem conciliationis Doctorum. Si vero etiam hæc eadem ex animo ipse sentirem, existimarem; hunc esse modum vtiliorem; quid mirum? & mihi & aliis quibus unq; licet de proposita materia quidvis sentire, donec à vobis eligantur potiora, & quæ in dubitanter credenda sint. Non solum vero Sanctis, sed ipsis etiam Scripturæ dictis, vt supra dixi, reddenda est hæc concordia; & eo magis, cum & illa nobis opus fuerint ad præsens negotium. Ego enim dixerim, minimum nos indigere Scripturæ axiomatis, cum sit nobis satis Doctorum sententia, qui bene illam expenderunt, & dicta sua inde sumpserunt: vt si quis ex eis quæsiisset, vt doctorum suorum probationes exponerent, statim illi sane ad Scripturam confugissent; quod etiam exigente nemine videntur multi frequenter præstare. Si quando vero etiam vti Scriptura oportebit, faciendum hoc erit non tam spectando conclusionem, quam Doctorum conuenientiam; honorando interim Scripturam per expositionem suæ concordiæ: nam si honor iste illi non tribuatur, nihil aut venecandus, aut citantibus proderit: & omnino ea tantum, per quæ pax erit, adhibendo (ita enim nequaquam per contentiones, ex his controuersiis, vt assolet inter homines, ad alias deuoluemur) opinio de pugna locorum propellenda est quam longissime; primumq; illud pro certo ponendum, dicta inter se concordare: & agendum hoc cum scientia & accurata diligentia; ne loco concordiæ dictorum Scripturarum; Doctorum, inconsiderate tum illa distrahamus à veritate vniuersim, tum nos ipsos etiam pariter diuellamus. Hæc, Venerandi Patres, instar omnium satis fore vobis puto ad pacem propositam: nam etsi præter hæc, multa quoq; alia quæ in rem faciant, venire possunt in mentem; at certe ista videntur esse velut origo quædam & caput illorum. Et hinc quidem vobis exordientibus par est & alia, si vsus fuerit, additum iri, & agitatam quæstionem ad finem perduci: sine istis autem euenire nihil boni poterit. Idcirco si tantum hæc vestram in memoriam redegero, vt & promissa soluam, & ingens honesti desiderium præstaciam, satis superq; mihi iam dixisse videor. Addo tamen vnum hoc, obsecroq;, vt si DEVS nostrespexerit propitius, concesserit atque veram Scripturæ Doctorumq; consensionis notitiam; quæ nostra continuo totiusq; Ecclesiæ vnio fuerit; velitis eam, quæcunq; illa fuerit, in fidei Symbolo palam exprimere; vt possitis & verbis exterioribus congruere, & esse qualibet ex parte coniuncti. Sin minus, oprandam certe erit, vt sensu conueniatis: hoc enim etsi non exactam fidei confessionem, continebit tamen mutuam inter Doctores conuenientiam; rectumque in nobis fidei sensum. Quod si etiam aliud quidpiam Symbolo addatis, quod à Sanctis omnibus communiter prolatum affirmationi quidem faueat, negationem vero non inducat; illud autem hi quidem Sancti videantur vsurpasse pro iis quæ tacuere; illi vero, quod perinde valeat atq; ea quæ expressere; modus sane hic erit vnionis tertio loco numerandus. Quare neque à Doctorum consensu neq; à nostris de eo sermonibus erit & ille alienus. Ita q; finis idem nobis quauis ratione constet, Scripturæ scil. ac Doctorum consensio.

Honoranda Scriptura per expositionem suæ concordiæ.

CXLI. Sed quia iam tacendum mihi censeo; vereor enim,

ne sermonum meorum prolixitas tædio vos afficiat; volo consilii quod à me datum est, enumerare capita. & reuocare vos ad eorum memoriam. Dedi consiliũ, vt apparetem illam præsenti rerum statui profuturam vnitatem, quam aliqui habẽt in animo, ne cogitatione quidem vestris mentibus concipiatis; sed vnionem veram & sententiarum coniunctionem peragatis; quam in eo dixi consistere, si de rebus controuersis idem oẽs sentseritis, & hoc in fidei quoq; Symbolo expresseritis, siue addendo, siue aliquid demendo, vtrumuis diuina gratia dictauerit. Ad hæc ostendi, difficultates, quibus turbati nonnulli pacem hanc erant desperaturi, esse penitus infirmas, & quiduis aliud posse magis, quam esse vobis iure impedimẽto. Deinde per quæ pax confici debeat, non insistens, sed plurima percurrens, breuiter appositi, quę vt vno verbo dicam, nihil aliud sunt, quam sacrarum Scripturarum & Ecclesiæ Doctorum conuenientia. Ad hæc omnia sum vos adhortatus si nõ cum debita reuerentia, at certe tanta, quanta potest in huiusmodi sermonibus adhiberi. Hæc quidem ego; in quibus, si bene dicta sunt, fortunæ potius agnosco beneficium, quam scientiæ aut eloquẽtiæ neruos: si vero male, illud video, multam illa veniam mereri, quod boni honestiq; causa liberter hunc laborem subierim. Reliquum est, vt vos iam segniter non agatis, sed vel hæc ipsa, si quid ego dicere videor, præsteris; vel certe meliora quæratis, Deo vobis ad vtrumq; duce proposito.

Orationum Scholarii finis.

Hæc Scholarius Orthodoxus, in Concilio Florentino perorabat. Ab his orationibus Imperator Palæologus, Ioseph Patriarcha, & reliqui vtriusq; Ordinis proceres Græcorum, psuasi, non minus quam disputationibus Patrum Latinorum conuicti, manus veritati dederunt, & tum Spiritum S. à Patre Filioq; procedere, tum Pontificẽ Romanum super vniuersam Ecclesiam Primatũ habere, tum alia Ecclesiæ Catholicæ dogmata professi, in vnionẽm Ecclesiarum consenserunt; vt tandem esset vnum ouile, & vnus Pastor.

CXLII. *Eug. PP. magnanimitas & Zelus pro vnione Græcorũ. & impẽsæ ab eo factæ*

Ingenti hæc vnio, Pontifici Eugenio, apud omnes nomen professos Christianum gloriæ fuit; quod nullus adeo stupente obtusoue ingenio facile inueniretur, qui religionis adunctæ nulla tangeretur iucunditate. Eos vero qui rerum Eugenii Pontificis conscii, & Græcorum inopiam, & Pontificatus huius temporis opum tenuitatem, & maximas Ecclesiæ Romanæ tantis agitatæ fluctuationibus calamitates nouerant, admiratio ingens incessit; potuisse Eugenium, tot procellis quibus Petri nauicula vna cum ipso iactabatur obsistere, & ex eis feliciter eluctari; ac, quod non minus est, maximæ impensarum voragini satisfacere; & quod supremum est, Græcos, scientia & religionis austeritate tumentes, condoce facere, & suauissimis modis ad vnitatẽ adducere. Quod n. expẽsas attinet, oportuit triremes, & Constantinopolitano imperio à Turcis tuendo, & Græcis in Italiam vehendis, ex Italiaq; reuehendis, numerata pecunia conducere; præsidiariis Constantinopolitanæ Vrbis, & aliarum ciuitatum & arcium stipendia, tantisper dum ex Italia rediisset persoluere; sumptus in septingentos Græcorum nobilissimorum, qui cum Imperatore venerant; in itinere, Venetiis, Ferrariæ, Florẽtiæ, & in reditu, vsq; Constantinopolim, pascendis, vestiendis, medicandis, quin & deliniendis illis omnibus, plane inæstimabiles facere; munerib. præterea, tam Imperatorẽ, q̃ charos Imperatori Proceres, in contracta necessitudine confirmare; ac præterea, omnia in belli vsus contra Turcam indicti abunde præstare; ex quibus verè paternum Pontificis in se affectum, omnes Orientales agnoscerent. Istud vero, non minorem existimationem apud vniuersos Eugenio conciliauit, quod ex 17. numero Cardinalibus, quos exeunte hoc anno creauit, duos Orientalium renunciauit, Bessarionem Nicænum, & Isidorum Ruthenum. Necessitatem augendi Apostolici Senatus impositi, iniectum rebus Ecclesiæ à Basileense factione incẽdium, quod tum inprimis longe magis cœpit inualescere, Amedeus namq, Sabaudiæ Dux, ad diẽ Calendarum Ianuarii 15. concupitum, eaq; quam ostẽdimus fraude, quæsitum susceperat Pontificatus adulterini munus, & Felicem V. se voluerat nominari. Itaque Eugenius, periculis quæ vlterius negligentem manerent adductus, necesse habuit vires Ecclesiæ augere. Quamobrem 17. creauit Cardinales, tanta cum Orbis partium distributionis æqualitate, vt delectus virorum alioquin laudatissimi superauerit laudem habita ratio pronunciarum. Duos ergo habuit Græcia, quorum in Asia Bessarion Nicænus Archiepiscopus fuit vnus, alter in Europa Ruthenorum Metropolita Isidorus. In aliis nationibus, hi delecti sunt.

Auget numerũ Cardinalium personis in signibus ex diuersis nationib. & qua necessitate.

In Hispania, quam dicunt Portugalliam, Antonius, vrbis Portugalliæ Episcopus.

In maiore Hispania, F. Ioan. ex oppido Turre cremata, Dominicanæ familiæ insignis Theologus. Quatuor habuit omnis Gallia, quorum vnus Francorum Regis familiarissimus, Raymundus Rhemensis Archiepiscopus; alter Ducis Burgundiæ, Ioan. Episcopus Morinensis: Renato Regi Siciliæ, ex Andegauensi stirpe oriundo, datus est tertius nomine Guillelmus, ad Ecclesiam Andegauensem tunc electus. Quartum Galliæ prouinciæ, simul & Angliæ Regi, Normandiæ regionem obtinenti, dedit Pontifex Ludouicum Rothomagensem Archiepiscopum; ornatumq; est etiam altero Cardinali Regnum Angliæ, Ioan. Archiepiscopo Eboracensi. Vnus ex Polonia, Sbigneus Olesnicius, Episcopus Cracouiensis; vnus ex Germania, Petrus Episcopus Augustensis. Vnicum habuit Pannonia, Dionysium Episcopum Agriensem. Reliqui fuere ex Italia, æquali item regionum habita ratione. Regno enim Siciliæ dati sunt duo, Ioan. Archiepiscopus Tarentinus, & Nicolaus Archiepiscopus Capuanus. Mediolanum vno decoratum est, Gaspare Episcopo Comensi; cum Genua pariter vnum ex Flisca gente Georgium ciuitatis Archiepiscopum, & Florentia Albertum habuerit, ex gẽte Albertaz; tunc designatum ad Camertinorum Ecclesiam Episcopum, qui solus fuit Diaconus, cum cæteri fuerint titulo presbyteri decorati. *Bloud. decad. 4. l. 1.*

CXLIII. *Eug. Epist. ad Cant. Archiep. de præmiñ. Card.*

Offenderat statim à creatione Henricus Archiepiscopus Cantuarien sis, Ioannem tit. S. Balbinæ Cardinalem. Itaq; Eugen. volens eam sacrato ordini irrogatam iniuriam vindicare, suamq; dignitatem Apostolico senatui conseruare, hanc de præeminentia Cardinalium scripsit ad illum Epistolam. Ita habet.

Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei, venerabili fratri Magistro Henrico Archiepiscopo Cantuariensi, &c.

Non mediocri dolore afficimur, cum inter Patres nostros Episcopos, seu alios Ecclesiasticos, dissidii aliquid exortum percipimus, cum propter malum quod inde in populis exemplum prouenit, tum quia contemptus & detractionis præbetur occasio.

1. Proinde non parum audiisse displicuit, dissensionem illam quam cum dilecto filio nostro Ioan. tit. S. Balbina presbytero Cardinali super tua fraternitas habuit, cum noua & insolita res ipsa sit, quã nunc attentatur. Inprimis admiramur satis, cum per 14. annos & amplius, cum dilecto filio nostro Henrico tit. S. Eusebii presbytero Cardinali in sedendo, & in ferendo votis, sine altercatione vixerit, & nullam secum super hoc prorsus habueris disceptationem, quid causæ sit, quod nunc primum in contentionem venias, cum ipso Ioanne Cardinali, eadem prædicta dignitate. Nec quidem generis Regii ergo ipsum Henricum ratio prætendi potest; quamquã, & antequam Cardinalatus ipsum foret dignitatem adeptus, duntaxat existens Vintoniensis Episcopus, & voce, & loco tibi cedebat, postea autem quam in Cardinalem per fel. record. Martinum prædecessorem nostrum assumptus est, iure tibi & aliis anteposit us fuit, & nunc anteponitur. Quod si sola Cardinalatus dignitas hanc in alio prælationem operata est, cur inisto itidem non iisdem: cum tamen ipse Archiepiscopus, ille Episcopalem obtinebat dignitatem; & illius Ecclesia tua sit suffraganea, istius vero nullo iure subiecta.

2. Illud autem de te nobis placuit, ac laudamus, quod in tua protestationis serie sub his verbis addidisti. quod sc. per præmissa, aut aliquid per te factum, aut dictum, & habitum, s. u. sic tandem dicendum vel habendum, non intendis Sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam, seu iuramẽtum tuum eidem præstitum, aut venerabilem cœtum eiusdem Ecclesiæ Cardinalium, aliquemve eorum in aliquo offendere; aut alicui honori, priuilegio, prærogatiuæ seu dignitati, præeminentiæ, aut alicui alteri iuri eorum in aliquo derogare, seu iuramẽto in aliquo contraire, sed quod eandẽ Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cum honoribus suis omnib. priuilegiis, prærogatiuis, dignitatibus, præeminentiis, gratiis & aliis iuribus suis quibuscumque, cum omni reuerẽtia manutenebis, ac defendes, & ab aliis manuteneri & defendi procurabis, per hoc plane innuere videris, si hoc sit Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ius, vt reliquos antecedant Ecclesiæ gradus, quod nolis in lite mota persistere, imo Apostol. Sedis stare iudicio, cuius inter alia priuilegia quæ manutenere & defendere protestaris, hoc etiam est, vt de quibuscumque ambiguis quæstionibus, quæ in Dei Ecclesia accidunt valeat iudicare, & suæ authoritate finem imponere: quamquam longe fuisset decentius, ante motam controuersiam, Sed. Apostolicam consulere.

3. Quantum autem hæc Cardinalatus dignitas sit sublimis, & aliis excellentior, & tua hactenus in Ecclesia reputata, si eius officium, ac Sanctorum Patrum statuta, & consuetudinem tam apud hanc sedem, quam Generalia Concilia semper obseruatam scitueris diligenter scrutari facile tibi innotescet.

4. Quippe, etsi huius dignitatis nomen, quod modo in vsu est, ab initio primitiuæ Ecclesiæ non ita expressum fuit; officium tamẽ ipsum à B. Petro, eiusq; successoribus institutum euidenter inuenies. Imo vt inquit Innocentius III. ex veteri testamento iussu Dei traxit originem. Asserit enim, id quod Deu. 17. dicitur, vt pro difficultate & ambiguitate iudicii accedatur ad Sacerdotes Leuit. generis, & iudicem qui fuerit illo tempore, & obediatur ipsorum iudicio, qui præsunt loco, quem Dominus elegerit, de summo Pontifice intelligendum, & Fratribus eius, id est S.R.E. Cardinalibus, qui ei iure Leuitico in executione Sacerdotalis officii coadiutores existunt, ita quæ ad exordio Ecclesiæ, sicut & hodie, Summis Pontificibus in regenda gubernandaque vniuersali Ecclesia assistebat. Et vt ex Cœlio Stephani Pap. collegitur dicentis: oportebat vt hæc Sacrosancta Domina Romana Ecclesia, iuxta quod à B. Petro & eius successoribus institutum est, rite ordinaretur, & in Apostolatus culmine vnus de Cardinalibus, presbyteris, aut Diaconis conseruaretur, datur manifeste intelligi, hos fratres nostros qui inter Cardinales locantur, tempore B. Petri extitisse.

5. In confinio autem Nicæni Concilii B. Syluester, qui cepit Ecclesiam regere an. Incarnationis Dominicæ 330. vel circiter, in Synodo generali congregatis præsidẽ, has coadiutores suos nuncupauit Cardin. & magno admodũ priuilegio insignit, quale nullus Patriarcharum, Archiep. & Episcoporum in Canonibus habere reperitur, vt videlicet sine plurima cẽsui multitudine damnari non debeant, Nec sine mysterio triplex ordo in fratrum nostrorum Collegio à Sanctis nostris prædecessoribus institutus est. Nam cum Summus Pontifex vices Dei gerat in terris, decuit quem ad modũ Moysi præceptum fuit, vt omnia ad exemplum faceret, sicut et ostensum erat in monte, quod ad instar illius cælestis Hierarchiæ in hac nostra Ecclesia tres constituerentur Ordines assistentiũ Papæ, qui purgantium, illuminantium & perficientium fungerentur officio, veluti sunt Diaconi, Presbyteri, & Episcopi Cardinales, Decuit etiam cum summus Pontifex Christi repræsentet personam, vt quem admodum Christo conversanti in terris assistebant Apostoli, ita etiam Cardinalium cœtus Apostolicum repræsentans coram Papa assisteret; reliqui vero Episcopi, vbique diffusi, Apostolos repræsentant ad prædicandum per orbem missos.

6. Ipsos præterea Card. pro honoris, ac dignitatis eminẽtia, pariem sui corporis Summi Pont. appellant. Ex quo sine vlla dubitatione ostenditur, post caput Ecclesiæ, quod est Papa, cõtigua sui corporis membra, qui sunt fratres eius Cardinales præ cæteris Eccl. membris ac partib. honorari debere, adeo quidẽ, vt sacris Canonib. sanctiũ sit, eos qui in Cardinalẽ manus iniecerint violentas, aut fugarint, aut insequuti fuerint, seu adhoc dederint Concilii, vel fauorẽ, criminis læsæ Maiestatis reos, maximis & multiplicib. pœnis esse plectẽdos, si ipsi Apostolici throni violauerint maiestatem, quod in ipsos qui Patriarchas, Archiepiscopos, vel Episcopos offenderint, statutum minime reperitur, vt euidenter hinc liqueat tanto ampliorem censeri dignitatem, quanto plures, seueriores que illam offendentibus infligũtur pœnæ.

§. 7. Sunt etiam & in signum præeminentiæ ipsis Fratrib. nostris præ aliis Ecclesiæ Prælatis, & similiter cum Legati de nostro latere destinantur, præ aliis Legatis multa ac magna per Canones attributa priuilegia, quæ tibi nota esse non dubitamus. Hinc etiam constat cur à latere Apostolico mitti eis solis, & non aliis appropriatur Legatis.

§. 8. Sed & ille notissimus Constantinus Imperator, animaduertens ad quam magnam, ac publicam vniuersalis Ecclesiæ officium ipsi Fratres nostri vocati essent, sic inquit. Volumus etiam deinde sui Ordinis Reuerendissimos Clericos S.R.E. seruientes, singulos habere illud sanctum culmen potentiæ, & excellẽtiæ, cuius sanctissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est patricios Consules fieri, quos certe patricios, Consules secundum leges, vt in summa dignitate constitutos Imperator Patres sibi elegit, & loco Patrum à se honorari affirmat.

§. 9. Quod vero hæc dignitas tanto honore præfulgeat, nec tuæ fraternitati, nec cuipiam alteri molestum esse debet, quoniam vt Sancti attestantur Patres omnes Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, Cathedrales, aliæque dignitates Romana fundauit Ecclesia, sicut q̃ licuit vni Ecclesiæ amplam, alis ampliorem, & alii ampliss imam, prout expedire iudicauit, tradidit potestatem. Omnes enim tanquam vnius arboris rami ab vna eademq; radice, & vt diuersi aquarum riuuli ab eodem fonte prod. erant, licet vnus alio copiosior, atque vberior. Itaq; si iustis ex causis, & Spiritus S. instinctu, quo hanc sedem regi credendum est Rom. Eccl. Venerabilium Cardinalium cœtum ad cœlestis hierarchiæ similitudinem conditum, & tanquam sui corporis partem hu priuilegiis & honoribus illustrare decreuit, nec tua Ecclesiastica uti per Apost. Sedem præfectius es, nec quisquam alius Ecclesiæ gradus ab eodem similiter Apostolico throno Originaliter institutus, quæ omnia & ipsorum fratrum nostrorum consilio acta sunt, vllam succensendi aut conquerendi causam habet, ne illud adducamus Euangelicum verbum; Amice non facio tibi iniuriam, nunquid mihi non licet de meo facere quod volo? Et sicut tu vis, vt priuilegia Eccl. tuæ ab hac sede concessa, alias ei erant inferiores Ecclesiæ, ita eadem ratione par est, vt ab eadem sede huic cœtui instituto, tu similiter deferas, & reuerentiam præstes.

§. 10. Multum etiam mouere te debet diuturna per Christianum populum vbiq; seruata consuetudo, quæ etiam si cætera deessent, ex quo tam vetusta est, vt eius initii memoria non extet in contrarium, pro constitutoriure habenda foret præsertim quando sciente, & approbante Summo Pontifice, non quidem vno, sed tot quot vnquam habuit Ecclesia, id actum esse dignoscitur. In omnib. enim nationibus & Regnis, & vt in Anglia memoravimus hactenus, huiusmodi præeminentiæ Cardinalibus delatus est honor, qui quidem non tam ipsis, quam nobis, cum nostra sint membra, attribuisse censendus est. Nec minus hæ Ecclesia Rom consuetudo, quæ caput, norma, & Magistra est reliquarum Ecclesiarum, idipsum tibi persuadeat, quæ semper nullo vnquam contradicente in cunctis actibus, quibuscumque Prælatis præhonorata sunt.

§. 11. Idem in antiquis generalib. Conciliis, præsertim in duobus Lugdunensib. in vno præsidente Innocent. IV. in altero Gregorio X. quorum adhuc extant acta, vsitatum fuit. Sic & in hu Synodo nostris nostra ætate celebratis, de quibus etiam apud Reguũ Anglia non pauci supersunt testes, obseruatum esse palam est, absentibus etiam Summis Pontificibus, idem & nunc nobis præsidentibus in hoc sacro Oecumenico seruatur Florentino Concilio.

§. 12. His quoque illud accedat, quod in sententiis, & decretis, tam huius Sanctæ sedis, quam generalium Cõciliorum, tum de dignitatibus nominatim fit mentio, illa clausula adiici solet, non obstantibus, si Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, seu alia quacunq; præfulgeat dignitate, per quod ex ordine nominandi, quæ sit maior, luculenter appareat.

§. 13. Nec censetur quispiam quod ordo Episcopalis, presbyteris maior sit, quoniam in eusmodi prælationibus, officium ac dignitas, siue iurisdictio præponderat Ordini. Quemadmodum iure cautum est, vt Archidiaconus non presbyter, quæ iurisdictionis obtentu, Archipresbytero præferatur, simili modo Diaconus, vel subdiaconus, aliusue Clericus noster, aut alicuius Metropolitani Vicarius, seu locumtenens in Synodo, & alibi, alios quoscunque Ordine maiores etiam Episcopos antecedit, propter illius iurisdictionem, quam exercet, & personam quam repræsentat. Sic & electus

ad Eccl. ſiam Cathedralem, & Confirmatus, quamquam nondũ conſecratus, ratione iuriſdictionis cũctis in ſua diœceſi præeminet. Quis ergo iam dubitare eum qui talia itura, & Canones condidit, & talẽ dia tribuit poteſtatem, poſſe eandem cum vult, & maiorem ſuis membris tribuere? Si quis forte obiecerit priorũ dignitatis potius eſſe rationem habendam, quam Cardinalatus & nouo collati, cum in Regis tractatib. ac parlamentis, quilibet vt ſua Eccl. ſia prælatus, non vt Cardinalis interſit. Huic obiectioni eadem reſpondet ratio, nam cum perſonæ ſint Eccleſiaſticæ, ſicut ſtatuta, ac priuilegia ſuarum Eccleſiarũ in his actib. ſeruant, multo magis Rom. Eccleſia cui vinculo obedientiæ ſtrictiſ ſunt, priuilegia & ſtatuta ſeruare cenentur. Quibus nec ipſa perſona Eccl. ſiaſtica, ne alijs quidem, tanquam inferiores derogare quomodolibet poſſunt. Cũ igitur viri Eccl. ſiaſtici ad actus publicos, vel priuatos vocãtur, cum ſuis quibuſcatib. ac prærogatiuis ab Eccl. ſia inſtitutis admitti debent. Nam & contra honeſtatem publicã & vniuerſalis Eccleſiæ politiam, & in opprobriũ Eccleſiaſticæ diſciplinæ vergeret. Si in quouis actu diaconus vresbyterum, vel presbyter Epiſcopum, aut Epiſcopus Patriarchã præcederet. Præterea in Canonib. ſcriptum eſt, vnum quemq; in Collegio, vel Capitulo iuxta ſuæ receptionis tempus honorandum eſſe & quod ſi poſtea aliquis admittatur presbyter ex tempore antecedentibus poneretur, qui presbyteri non ſunt. Quod ſi non ordine maiori ſit, hoc etiam multo eo plus in dignitate, ſeu iuriſdictione, quæ in his actib. maior eſt Ordine, ſeruandum eſt, vt ſupra de Archidiacono & Archipresb. dictum eſt. Quod ſi in poſt receptis locũ habet, eadem ratione in iis qui prius, ſi quæ de nouo eis obiiciat dignitas. Hoc enim rationi conſentaneum eſt, vt dignius minus dignum ad ſe trahat, & res à potentiori, & nobiliore denominetur. Quod in ipſis Cardinalibus euidenter ſeruatur, qui licet certa rum Eccl. ſiarum, dam ad Cardinalatum aſſumuntur, Epiſcopi ſint, nihilominus eos nõ Epiſcopos ſed presbyteros S.R.E. Cardinales, Sedes Apoſtolica appellat. Quinimmo ſi eũ ſuas priores Eccleſias in tit. dimittat, non amplius ſub nomine Eccleſiarum, ſed tit. Cardinalatus ſcribit, quaſi ad maiorem dignitatem, & iuriſdictionem aſſumpſerit, alioquin non aſcendiſſe ſed deſcendiſſe non honorari, ed dehonorari viderentur.

§. 14. Quis etiam non videat Cardinalatus dignitatem Archiepiſcopal. eſſe maiorem dignitat.? quia cum illa priuatæ vnius patriæ præſit vtilitati, iſta publicæ, imo populi Chriſtiani. Illa vnam dumtaxat regit Eccleſiam, ſtatum ſede Apoſtolica vniuerſas; & cum à nemine niſi ſola Papa iudicentur Cardinales, ipſi & Patriarchas, & Archiepiſcopos, & reliquos Eccleſiæ gradus, cum Summo Pontifice iudicant. Quorum officia nomen ipſum conſonat optime: nam a ſiſtit ſuper cardinem voluitur oſtium domus ita ſuper hos ſedes Apoſtolica, totius Eccleſiæ oſtium, quieſcit, & ſiſtentatur.

§. 15. Nullum denique pro tua intentione proponis Eccl. Rom. priuilegium, quin enim alius hac lege poſtuo, & vniuerſalis Eccleſiæ obſeruantiæ, atque Apoſtolicæ conſeruationi præſertim quæ Apoſtolici throni, membrorum que eius præeminentiam conuenit, contrarium priuilegium dandi vllam omnino habet facultatem neque etiam conſuetudine vlla tuam cauſam tueris. Quemquam ſi quæ prætendere tur præter Apoſtolicæ ſedis conſenſum, & approbationem in ſtitui ex proſus cenſenda eſſet, vt proxime de priuilegio dictum eſt, aduerſi rationabile, quia per eam dignitas confunderetur ſuperiorum Magiſtratuum, turbationem que pareret in quolibet Reip. ſtatu. Nam iuxta Canones miniſtros nõ poſſet alia ratione ſubſiſtere niſi eam hui ſynodi magnus differentia ordo ſeruaret Eccleſiaſticus, quia confunderetur Ordo ſi cuique ſua dignitas non ſeruaretur, quamuis vt prædictum eſt ex frequentibus actibus 40. annorum ſpatio vſi atis, contraria potius in regno Angliæ conſuetudo ſit manifeſta.

§. 16. Horramus itaque te Venerabilis Frater, & volumus, vt prædictis rationibus, ac noſtrorum prædeceſſorum ordinationi, atque Eccleſiæ vniuerſali obſeruantiæ penitus acquieſcas ſicut prouta prudentia, & deuotione, quam ad Romanam Eccleſiam, & nos ſemper habuiſti, te facturum ſperamus. Inreliquis vero, ſiue tuam Eccleſiam, ſiue perſonam concernentibus, quæ necrationi, aut honeſtati derogent pra magna, quia te omni tempore complexi ſumus, ac complectimur charitate, nos ſemper propitios experieris.

Dat. Florentiæ An. Dom. 1439. Pontificatus noſtri Anno Octauo.

CXLIV. *Iſta pro dignitate Senatus Apoſtolici, Eugen. ſcripſit quæ adiũgo, ſunt pro innocentia ſua, & pro iurib. Apoſtolicæ ſedis. vtraq; violauerant Basil. & ab horum præſcripto, ſeu exemplo, Carolus Rex Gall. qui ſuperiore anno Pragmaticam, ſane ſacrilegã, hæreticam, etronea, & temerariam cõſtitutionem vulgauerat. Ad hunc admonendum, Eugenius Pont. miſit Nuncium, Petrum Brixinenſem Epiſc. qui vultum potentiſſimi Regis nequaquam expauit, ſed habita coram eo, diſerta, & rationib. imuictiſſimis fundata oratione, pro iuribus Eccl. Romanæ, & integritate Pontificia acerrime egit. Inter alia dixit; Atque in eare, vt miſſa faciamus reliqua, & omnia noſtra ad te conuertatur oratio; non poteſt Eugenius Pontif. non magnopere dolere atq; admirari tantum inceſſiſſe deformationis deſiderium, vt (quod bona tua venia dix. rim) legesplenas turpitudinũ, ac deformationis, à Baſileenſib. editas pro reformatione admiſeris. Legem enim quandam Maieſtas tua fertur promulgaſſe, quam vulgo pragmaticam ſanctionem vocant, in qua Baſileenſium decreta quædam diceris recepiſſe, & in Regno tuo obſeruari mãdaſſe. Quod profecto à veteri Principum more videtur fauiſſe quam maxime alienum. Eſto enim quod Baſileenſium leges ſanctæ & honeſtæ fuſſent; illæ tamen, tanquam ſtatuta Synodalia haberi nullatenus debuiſſent, niſi eas Apoſtolica confirmationis robur ſolidaſſet. Quid enim tibi, & cæteris circa eas credendum, quid tenendum eſſet, debuiſti à ſede Apoſtolica poſtulare: idq; exemplo Sanctorum Patrũ, ac clariſſimorum Regum, quorũ tibi actiones proponimus, ne rem nouam dicere videamur. & ſubinde, propoſitis exemplis Iuſtiniani & Caroli Magni Impp. aut. ſi ratibuſque aliquot Sanctorum Patrum, & ſacræ ſcripturæ, quas breuitatis cauſa hic omittendas eſſe cẽſui, proſequitur dicens; Cum itaq; harum Conſtitutionum à te receptarũ quædam omnino confirmatæ non ſint, quædam vero perpetuam à ſede Apoſtolica damnationem meruerint, quo pacto pro legibus abſq; haberi potuerint, non ſatis animaduertimus, cum tuum non ſit, hoc eſt Chriſtiani Principis, id recipere, id obſeruare, quod Romana Eccleſia damnauit auctoritas*

Id autem ſummacum ratione factum eſſe, quis inficiabitur? Ea enim Baſileen. decreta, ius diuinum grauiſſime leduut; & priuilegia Sedis Apoſtolicæ, non ab homine aliquo, ſed ab ipſo Deo collata impiiſſime violant; quod hæreticum eſſe S. nes Patres admonuerunt. Et poſtquam ad hoc quoque probandum, Leonis & Nicola I. Pontificũ adduxit auctoritates, ſubiũxit: Vtinã ſurdi Baſileen. ad hæc aperuiſſent aures, & vt bene ageret, intelligere voleſſent. Sed in his enim ſordes, nec ſe, nec alios præcipitauiſſent. Tu vero Chriſtianiſſime Princeps, qui & pacem Eccleſiæ, & decorẽ eius affectoriſſime cupis, quæcunq; dicimus gratiſſime audies, & in arcano pectoris tui colliges atque cuſtodies. O ſi poſſem ſingula huius tuæ legis capitula memorari, oſtenderem profecto, nec q; Baſileenſibus, horum malorum auctoribus facere, nec; vbi eas conſtitutiones recipere licuiſſe, quæ Romanæ Eccleſiæ, dignitati, honori, principatui, ac priuilegiis derogant; quorum tanta fuit apud maiores tuos reuerentia, tanta vis, tanta auctoritas, vt ea omnia, omni potentia & armis, quin & ipſo quoq; ſanguine tueri ac defendere minime debituerint. Sed quoniam non parat, neque locus negotiis eſt, idq; temporis huius ratione quæquam patitur (longius enim dixi quam initio propoſueram) erit benignitati & clementiæ tuæ, eloc tempore nos de his diſcrepantes audire, Conſidimus enim, Maieſtati tuæ, Baſileenſium dolos, errores q; graviſſimos, Pontificũ vero maximi iuſtitiã, aquitatem, honeſtatem ac veritatem ita oſtendere, vt glorioſæ tuæ animi magnitudini, & feruori fidei ardentiſſimo, aduerſus eorũ iniquiſſimas leges poſt hac inſurgas, illaſq; damnes, reprobes, reiicias. quandoquidem ex ipſis peruerſiſſimis decretis (vepote dignitatem & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ corrumpere conantibus) non reformatio, quam ſe facturos pollicitiſunt, ſed abominanda deformitas introducta eſt.

Dixerat hæc & alia Petrus Epiſcop. ſed apud Regem cuiſs aures, Pariſienſi ſcholæ nõnulli male dati Doctores, ſeu potius ſeductores, obturauerant, falſo & erroneo dogmate & execrandis impoſturis.

Felicius ei ceſſit legatio, apud Henricam Anglorum Regem. Pars hæreſis Baſileenſium, ad Anglos quoque penetrauerat; dum Annatarum ex fructibus Eccleſiaſticis, vetuſto more receptam in Eccleſia exactionem

Eng. PP. contra Pragmat. ſanct. Carol. Gall. Reg. Legatum in Francia miſſus.

CXLV. *Legatio Petri Brixinenſis Epiſc. contra Pragmaticam ſanctionem Caroli Gall. Regis.*

Simo-

Simoniæ titulo appellare non dubitabant; neſcientes quid dicerent, aut de quo affirmarent. Ea de re, & in vniuerſum de aliis Baſileenſium ſcitis inſtituta coram Henrico oratione, Petrus de Monte Iuriſcõſultus egregius, Epiſcopus Briſſinenſis, hunc in modum diſſeruit: arteſque, quibus Baſileenſes ad ſancienda decreta niterentur, aperuit.

Sed hec ait, miſſa faciamus, ne à gemino ouo (vt aiunt) exordium ſumpſiſſe videamur. Ad ea vero, quæ proximè diebus in ipſa Synodo geſta ſunt, veniamus; quæ ſane talia ſunt, vt maximam mereantur reprehenſionem, nec vlla ratione, ſine grauis diuinæ maieſtatis offenſa valent tollerari. Hi enim qui Pontificem Maximum, virum vtique Sanctum, quietum & pacificum, capitali odio perſequuntur, poſteaquam temporali eum patrimonio ſpoliatum intellexerunt, ſpirituali quoque ſubſidio priuare cogitauerunt; vt ſic omni prorſus auxilio deſtitutus, dignitatem Summi Apoſtolatus tueri nequaquam poſſet. Plebem itaq; illam Synodalem, quæ ſemper nouis rebus ſolet gaudere, malis quibuſda artib. quas pudor vetat referre, facile induxerunt, vt vacantium beneficiorum fructus, quos vſitatiore vocabulo Annatas dicunt, Summo Pontifici lege interdicerentur. Fauoribus itaque & clamoribus inſantentis vulgi, ea lex lata eſt, qua & Pontifici ratibus fructuum receptio, & his quibus beneficia conferuntur, ſolutio, veluti Simoniaca prohibetur. Huic autem legi ferendæ, etſi multi venerabiles Patres, magnæque auth oritatis viri contradixerint, manifeſtam in ea, Sedis Apoſtolicæ, & Vicarii Chriſti depreſſionem contineri dicentes; prænaluit tamen indiſcreta multitudinis, non tam auctoritate, quam voluntate; quæ ad tantam temeritatem eo erat audacior, quo potentium quorũdam ſtimulis agitabatur. Quid hac lege pernitioſius? Quid deteſtabilius? Quid ab omni humanitate, atque honeſtate remotius? Quenam, bone Ieſu, eſt hec Synodalis reformatio? Summum Pontificem, omni ſpirituali ac temporali auxilio priuare, eumque veluti medicum quendam hominem conſtituere, qui nec ſitis, nec Eccleſiæ neceſſitatibus poſſit vllatenus prouidere? Et quamquam huius legis iniquitas, ſi tamen lex dicenda eſt, ſatis per ſeipſam appareat; conabor tamen, id pauciis oſtendere; quib. breuiter explicatu peroruero. Debet lex, vt à maiorib. traditum eſt, eſſe honeſta, iuſta poſſibilis, ſecũdum naturam, & patriæ conſuetudinem; loco denique ac tempori conuenientes, vtilis demum, ac neceſſaria. Quid horum quæſo in hac lege poteſt inueniri? Diſcurramus per ſingula. Magnã inprimis continet turpitudinem. Nonne turpe, & indecens eſt, ſedis Apoſt. priuilegia, & dignitates euertere? & quem Dominus Principem Eccleſiæ cõſtituit, aduerſus hunc moliri inſidias? hunc eximanire, debilitare; huic Eccleſiaſticos reddere ſubditos, qui ad ſupportanda onera regiminis ſunt deputati, impie, atque inhumane ſubtrahere? Iniuſtiã vero huius legis, quis non videt? Nonne iniuſtum eſt, & iniquũ, vt qui plantat vineam, fructus eius commoditate priuetur? & qui pascit gregem de lacte dulcedine non vescatur? Etenim ſecundum Apoſtolũ, Qui ſeminat ſpiritualia, metere debet carnalia; & qui ſeruit altari, debet viuere de altari. Quod ſi de inferioribus membris Eccleſia hoc dixiſſe Apoſtolum creditur, qui in partem ſollicitudinis ſunt vocati; quanto magis de Pontif. maximo, cui omnũ fidelium vniuerſalis eſt cura cõmiſſa? Quantum vero ab Eccleſiæ conſuetudine diſcrepet; facile poteſt diſcerni. Ea ſiquidẽ à tot præclaris Pontificibus, ac Sanctis Patrib. obſeruata ſine magna & rationabili cauſa violari non debuit: præſertim cum huius conſuetudinis ratio illa euidens fuerit, vt is qui regendæ multitudinis curam ſuſcipit, talibus muniatur ædiumentis, quibus onus regiminis valeat ſupportare. Sed & Spiritualia ſine temporalibus diu eſſe non poſſunt; alterumque alterius indiget auxilio. Loco vero, ac tempori, nullatenus conuenit. Nam hoc tempore quo legem iſtam ediderũt, omni dominio temporali erat Summus Pont. tyrannorum potentia ſpoliatus: à propria ſede, vi, & rebellione ſubditorum expulſus: eius pretioſa ſuppellex, vulgi præda expoſita; omnia eius ornamenta direpta; adeo vt non Summi Pontificis ornatu, ſed abiecti Monachi veſtitu vrbem reliquerit; ac demum inſignem Italiæ vrbem Florentiam, ſolus, profugiſque ſuerit. Quæ quidem ſi legis huius latores, pie, ac reuerenter conſideraſſent; non ſolum eum hoc temporali ſubſidio non priuaſſent; ſed ſi numquam antea id exigere licuiſſet, pro neceſſitate rerum ac temporis, eam exactionem conſtituere debuiſſent. Quem vinquam Pontificem legimus in tantis neceſſitatibus conſtitutum, tot vallatum periculis; tot hoſtilibus inſidiis circumſeptum, qui ſubditorum auxilia non poſtu-

Eng. PP. contra Pragmat. ſanct. Carol. Gall. Reg. Legatum in Francia miſſus.

Rex mandat annatas ſolui & denarium S. Petri Rom. Eccl. præſtari.

CXLIV. *Rabanus Arch. Treuir. & Spir. reſ. Epiſc. reſignatis monaſte-*

ſchitt

schi in dissensione fuerat electus, de consensu totius capituli resignauit, & pro nanciscenda quiete ad Ecclesiam suam Spirensem, quam interea commendatam tenuerat recessus est. Sed mox Episcopatum etiam Spirē sem, in fauorem Reinardi de Helmstatt maioris Ecclesiæ Præpositi, cui Eugenius Papa de eodem Episcopatu prouisionem cōsentiente capitulo Spirensi fecerat, resignauit; neque diu post superuixit, 14. die Nouem. Spiræ defunctus, vir certe magnificus, & totus pro Ecclesia Dei laboriosus. Iacobus autem Sirck, post resignationē Rabani cōfirmatus ab Eugenio Papa V. in castro Mayemberg in Archiepiscopum cōsecratus fuit, & præfuit annis 17. vir præstans, animo bonus & magnificus, qui prudentia & magnanimitate sua multos æmulos & aduersarios Treueren. Ecclesiæ vicit & superauit; & Canonicos quosdā maioris Ecclesiæ sibi rebelles, auxilio Summi Pont. ad subiectionem & obedientiam firmiter coarctauit. Eodē etiā an. 6. Kal. Nouemb. obiit Albertus Rex Rom. princeps liberalitate & fortitudine clarissimus. *Trithemius in Chron. Spanheimen.*

Inducia inter Eug. & Alfons. Reg.

Eodem anno, Eug. Pontifex, quod Romanæ Ecclesiæ rebus quiettem vbiq; dare cuperet, inducias cum Alfonso Aragonum Rege ea ratione à Cardinali Florentino in annum constituit passus est, vt pax per eas celeriori haberetur. *Blondus decad. 4. lib. 1.*

CXLVII *Turbæ in Polonia quomodo sedatæ.*

Ho ipso tempore, vacante Episcopatu Posnanensi in Regno Poloniæ, cum bona pars collegii Posnanien. elegisset Nicolaum Lasocii Decanū Posnan. altera vero Andream Boinium; Eug. Pontifex, necquicquam, impetrante Vuladislao Rege Poloniæ, qui Lasocium cōmendarat, Andreā prætulit infensus Lasocio, quod Legatus Regio nomine, in Basil. conciliabulo, cum ibi de abrogando ipsi Pontificatu ageretur, interfuisset. Ingētes id cōporis in maiore Polonia motus erant. Abrahamo Sbanscio concitante. Fanebat hic Bohemorū sectæ, Bohemosq; sacerdotes hæreticos domi suæ alebat, per quos virus in populum dispergeret: Orthodoxis vero Sacerdotib. & Episcopo Posnanensi Stanislao Ciolcota infestus fuerat, vt is Cracouiam cōmigrare cogeretur. eo vero defuncto, & Andrea Boinio successore ei dato magis etiā insaniebat Abrahamus. Et perculit quidem eum anathemate Andreas Episc. Sed cum ea via nihil proficeret, vi coercere Nouatores adortus est. Coactos enim nongentos amplius equites de propinquis & clientib. suis, ad Sbanscinū arcem duxit, dediq; sibi quinque Bohemos Sacerdotes coegit, quos instauratos Posnaniæ iudicio publice cremauit, nec multo post Abrahamus ipse, mœrore, ira, & pudore confectus periit. Sic incendium illud pestilens haud leuiter iam gliscens in maiore Polonia, virtute Episcopi restinctum est. Quo etiam anno, in minore Polonia quædam turbæ, siue nouādarum in religione rerum studio, siue Ecclesiastici ordinis odio & inuidia, siue vtroque excitatæ, paucorum supplicio sedatæ sunt. Corcinum ex composito, indicta erant Comitia post Pascha. Et iam Rex, peragrata maiore Polonia, & parte Russiæ eo venerat. Cōueniebant & proceres, cum Spitco Melstinius, facta clā non contemnenda manu equitum assec larum, agrestibusque suis armatis, apud Piasc um maiorem pagum suæ ditionis, haud longe à Corcino, in oppidum imprōuisus irrupit; & impetu facto in diuersoria Vuladislai Vuladislaulensis Episcopi, & Nicolai Lasocii Decani Cracouiensis Summo mane quiescentibus ad huc omnibus ea diripuit; idemque de Monasterio fecit, cum ibi Ioannem Conespolium Cancellarium, & Ioannem Olesnicium Marsalcum, qui ibi diuerterant, non inuenisset. Hincia Rogouins, ac Dobeslaus Scecocinius vna cū iis qui circa Regem erant inermes fere in armatum fere in pertū, commissoq; prælio, cum Spitconē ipsum inter fecissent; facile cæteros in fugam egerunt. In Spitconem a huc palpitantem iudicium institutū, damnatusq; perduellionis, triduo nudus & inhumatus in publico iacuit. Rapstinū arx eius in ditionē Regiam redacta: Melst. num vxori eius deprecanti cō cessum ne potestis in dissensione fuerat electus, de consensu totius capituli resignauit, & pro nanciscenda quiete ad Ecclesiam suam Spirensem, quam interea commendatam tenuerat recessus est. Sed mox Episcopatum etiam Spirē sem, in fauorem Reinardi de Helmstatt maioris Ecclesiæ Præpositi, cui Eugenius Papa de eodem Episcopatu prouisionem cōsentiente capitulo Spirensi fecerat, resignauit; neque diu post superuixit, 14. die Nouem. Spiræ defunctus, vir certe magnificus, & totus pro Ecclesia Dei laboriosus. Iacobus autem Sirck, post resignationē Rabani cōfirmatus ab Eugenio Papa V. in castro Mayemberg in Archiepiscopum cōsecratus fuit, & præfuit annis 17. vir præstans, animo bonus & magnificus, qui prudentia & magnanimitate sua multos æmulos & aduersarios Treueren. Ecclesiæ vicit & superauit; & Canonicos quosdā maioris Ecclesiæ sibi rebelles, auxilio Summi Pont. ad subiectionem & obedientiam firmiter coarctauit. Eodē etiā an. 6. Kal. Nouemb. obiit Albertus Rex Rom. princeps liberalitate & fortitudine clarissimus. *Trithemius in Chron. Spanheimen.*

Eodem anno, Eug. Pontifex, quod Romanæ Ecclesiæ rebus quiettem vbiq; dare cuperet, inducias cum Alfonso Aragonum Rege ea ratione à Cardinali Florentino in annum constituit passus est, vt pax per eas celeriori haberetur. *Blondus decad. 4. lib. 1

est enim imago, illius est hoc genus scribendi. Si quis plutimum valet ad orationum idæas diiudicandas, scit quod dico: præsertim cum & Beccus heri & nudius tertius extiterit: libri vero, cum vetustiores longe quam isti sint, verba esse inania, vanumque refugium, rationem istam arguunt.

Amplius etiam & aliunde hoc idem certum facere posset aliquis. Fuit vir aliquis, cum plerisq; aliis magnæ sapientiæ apud Latinos, Hugo appellatus, antiquissimus author, & qui multo tempore nos antecessit; ex quo enim fuit, prope trecenti anni elapsi sunt. Is cum de processione Spiritus sancti scribit, hoc Magni Basilii dicto ad probandum vtitur. Quod sane ego non solum Latine inspexi, vobisque refero, verum etiam Constantinopoli cum in manus meas incidisset Græce scriptum legi. legi vero non quidem librum ipsius Hugonis, sed Niceræ cuiusdam contra Hugonem librum antilogicum (hoc est concertatorium ac de controuersiis scriptum) vt ego arbitror Episcopi Thessalonicensis, qui fuit ante ducentos quinquaginta annos. In quo videtur iste Hugo, hac sententia vsus fuisse. Atqui iste Thessalonicensis Latinorum adhærebat dogmati, conclusionem enim veram esse opinabatur; contendebat vero id quod est in prouerbio, *de vmbra alini*: Non oportere, inquiens, nec ipsa quidem vera symbolo addere. Res scilicet magnæ religionis, scrupuli ac sapientiæ; non secus ac si aliquis diceret, non oportere veritatem libere profiteri. Atque hæc fuse recensui & dilatauj; volens ostendere, factam quidem esse in libris corruptionem: factam tamen non à Latinis & illorum fautoribus; sed contra potius ab iis qui contra Latinos contendunt, ipsamque corruptionem non secundam additionem, sed diminutionẽ factam esse. Ita vt nemo in posterum, Beccum, vel similes iuste accuset, libris ipsis longe ante Beccum veritatem ipsam clamantibus. Et hæc quidem à tempore desumpta sunt signa tam mira & manifesta. & quæ conuinci nullo modo queant.

II. Verum enimuero, & ex ipsa quidem elocutione, & pulchritudine scriptionis dictum est, hæc verba nullius alterius oportere credere, quam Beati Basilii esse voces. Nihilominus tamen & ab eadem ipsa intelligentia, & antecedentium ac subsequentium contextu, si quis diligenter scopum perpenderit, hoc idem apparebit.

Cum Eunomius, ex eo quod Spiritus Sanctus, à Sanctis tertius ordine ac dignitate diceretur, tertium quoque eum esse natura colligeret; Diuus Basilius conclusionem moleste ferens, non negat media, nimirum Spiritum Sanctum tertium esse ordine ac dignitate. Licet enim velut ægre ferens clamet aduersus Eunomium; *Qui vero sint Sancti, & in quibus sermonibus hanc doctrinam fecerint, dicere nequit.* non tamen id vrgens hæcait, neque negans tertium esse ordine, ac dici à Sanctis Spiritum; quemadmodum nostrates male existimant; sic enim ipse sibi ac veritati aduersaretur: sed ab Eunomij dementia vehementer abhorrens, & indigne ferens conclusionem, nimirum, tertium esse Spiritum etiam natura: & silentium illius accusans quod tacuerit, minimeque indicauerit Sanctos, qui istud affirmant, in hanc vocem erupit: *Qui vero sint Sancti, & in quibus sermonibus hanc doctrinam tradiderint, dicere nequit.* Perspicuum enim est, quod si sanctorum authoritate expostulasset, absurdam fortasse inferre conclusionem minime potuisset. Scimus enim, quod ex vno quopiam verbo seu vocabulo, sæpe totus scopus scriptoris, & mens apparet; vt non liceat alicui de suo aliquid addendo malitiose agere, & conclusionem eorum dictis minime consentaneam inferre. Hinc fit, vt si etiam Eunomius Sanctos illud affirmantes, & eorum authoritates addidisset, nonnus sane potuisset concludere, quod conclusit. Sanctus enim Sanctis tertium esse Spiritum maxime omnium; atq; natura tertium esse constanter negant. Propterea igitur quod tam eius deplorans infert; *Nunquid factus est homo tam audax, vt de diuinis dogmatibus nouitates introducat?* Manifestum autem est, hic eum nouitatem appellare, tertium esse Spiritum natura, non ordine, ac dignitate. Namque alioquin seipsum nouarum rerum authorem appellasset sibique ipsi magis repugnasset. Ipse enim est, qui maxime omnium tertium esse Spiritum ordine ac dignitate credendum tradidit, quoque nos auream hanc & indissolubilem catenam ordinis docuit. Etenim in his ipsis verbis aduersus Eunomium cõtinuo infert: *Dignitate enim secundũ esse à Filio, ab ipso habentem esse, & ab ipso accipientem, & annunciantem nobis, atq; omnino ab illa causa dependentẽ, tradit pietatis sermo.*

Huius enim sententiæ, & si non totum, partem tamen aliquam nostri recipiunt: reliqua interdentes, atque ita dicentes: dignitate enim secũdum esse à Filio, tradit fortasse pietatis sermo: addentes quoque illud *fortasse*, vt ambiguum sermonem reddant. Quod quidem alienum esse à mente magni Basilii prorsus ostendemus.

Hæc igitur, non per figuram Rhetorum, quam vocant ἀνθυπαφορὰν (hoc est, concessionem, seu quod in scholis aiunt, dato & non concesso) Magnus ille Basilius infert quemadmodum * quibusdam imperitissime visum est; verum thesim certam minimeque dubiam ponens quod sequitur considerat, tertium quidem ordine valde concedens, tertium vero natura velut impium reiiciens. Audi igitur quæ dicat ipse, rationem adstruens. *Quemadmodum enim Filius ordine quidem à Patre secundus est*, deinde infert rationem, cur ita: *Quia inquit ab illo est. & dignitate: quia*, inquit, *principium & causa esse illius est Pater, natura vero non amplius secundus est. Ita & Spiritus Sanctus, etiam si subiat, & subsequatur Filium ordine ac dignitate, non tamen merito eum alienæ esse naturæ sequetur.* Hic vero quidem addiderunt, (*vt & omnino concedamus*) dicentes, *etiamsi subsequatur Filium ordine ac dignitate, vt & omnino concedamus.* Filius vero scopo nihil magis atque hoc contrarium esse potest, qui in epistola ad * Canonicas manifeste dicit: *Spiritus vero S. Patri ac Filio connumeratur, quod & super creaturam sit, ordine autem tertium positus est, quẽadmodum in Euangelio edocti sumus à Domino dicente: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Qui nũc anteponit Filio, vel antiquiorẽ esse dicit Patre; iste opponit se quidẽ Dei constitutioni, alienus vero est à sana Fide; cum formulam religionis colendæ quã acceperit nõ seruet; sed nouitatem vocum, ad captandam hominũ gratiam sibi excogitet.* & post pauca. *Quapropter quæ circa ordinem nouitas est, ipsius exilientia contemptum habet, & totius Fidei est negatio.*

An igitur hæc verba dubitantis sint de ordine, atque ambigentis, & cũ illis vocib. *fortasse, & vt omnino concedamus*, suas rationes enũciantis: tuipse iudicabis, & quotquot alii sunt æqui, & probi viri, qui vel modicum vim rationum, ac dogmatũ veritatẽ intelligant. Deinde nõ erubescunt tantam notam cõtrarietatis, adderem vero & amentiæ Sancto inurere. si spiritũ esse quidem tertiũ modo affirmet, & ita tertiũ, vt immutare ordinem non sit fas; *etenim impie eũ agere*, ait, *qui id agat*; modo vero dicat: *dignitate enim secundum esse à Filio, fortasse tradit pietatis sermo.* Equidẽ testor Deũ, me pro iis qui talia dicũt, erubescere; q; si ipsi absurditatẽ iuã non sentiunt, mirũ est.

Cæterum quod omnẽ eorum obstruit impudentiã, illud est, quod in iis quæ tradit Doctor aduersus Eunomiũ post multa alia cõcludẽs infert; *Sic nimirũ & Spiritus S. dignitate quidem & ordine subit Filiũ, accipimus enim ipsum tertium à Patre & Filio numeratũ, eodem ipso Domino in traditione salutaris Baptismatis ordinẽ tradente, in quib. dixit: Euntes baptizate.* & reliqua. Perpende igitur, quæso, quoniam quibus verbis in epistola ad Canon. ad ordinẽ demonstrandũ vsus est, nimirũ salutari traditione baptismatis, isdẽ et hic de eodẽ ordine vtitur. Att n. in epist. ad Canonicas tanta confidentia, tantaq; fide sermonẽ profert, vt non liceat dicere aliter eũ dixisse, quam impie agere eum, qui id agat, quomodo igitur hic, vbi eadem ratio num vi, & neque maiori, neque minori vtitur, cum hæsitatione atq; ambiguitate sermonẽ proferre debuisse?

*Hoc loco minime obscure innuit & insimulat Marcum Ephesium quippe illius fuit hac prava interpretatio, vt ex Concil. Florent. 20. liquido constat.

*nauarenses forte monitales vt ita dixerim, Regulares in intelligendæ sint, quæ nimirum secundum quãdam normam instituti ab Ecclesia approbati viram degebant, Cano enim Græcis regulam significat. Eodẽ modo in Ecclesia Romana quidam religiosi vocantur Canonici Regulares, vel ad differentiam aliorum Canonicorum vel estrepetitio nominis in variis linguis, quemadmodum scriptura dicit; Abba Pater. Extat etiam oratio Ioannis Chrysostomi, ad Canonicas.

Verum hæc sunt hominum peruersis moribus prædictorum quique omnia mala proprio capiti machinantur, non autem mentis illius diuini viri. Sic neminem oportet ambigere magni illius Patris esse legitimam hanc sententiam, nimirum Spiritum sanctum ordine ac dignitate secundum esse à Filio, ab ipsoque habere esse, & à tua causa dependere.

Porro autem hac sententia vera & legitima existente, quæso te per ipsam veritatem, quid aliud amplius quæreret aliquis? Nonne satis apertus est magnus Basilius ad docendum nos veritatem? Nonne solus instar omnium est aliorum? Nonne rantam adeptus est gratiam & sapientiam vt vel solus toti Ecclesiæ Doctor dignissimus esse possit: Equidem mallem potius, si mihi hoc dicere fas est, errare cum eo, quam cum omnibus aliis verax esse.

III. Hinc igitur ex hisce nudis verbis veritate quæstionis testificata, quod nimirũ Spiritus sanctus ex Filio procedat; non absre tamen fuerit, quando quidẽ hoc in loco sumus, etiam ex subsequentibus ipsius verbis ratiocinando eandem veritatem tibi ostendere. Ait igitur, Filium ordine ac dignitate secundũ esse à Patre; id quod etiam nostris videtur. Verum perpende, quo Filius sit ordine ac dignitate secundus à Patre: idẽ enim infert: *Quoniam enim*, inquit, *ab illo; & quoniam principium, & causa eius est Pater.* Quare, quod in diuinis personis est secundum ab altero, propterea est secundum, quod ab illo sit. Id autem etiam in rebus naturalibus manifestũ est. Omne enim quod natura ab aliquo secundum est, ab illo quoque est. Sed idem author facetur Spiritum sanctum etiam ordine ac dignitate secundum esse à Filio. Quod autem non dubitando id proferat, quemadmodum quidam somniantur, sed & valde esseueranter, in epistola ad Canonicos clarissime ostenditur. Sic igitur ratiocinare: Omne quod in diuinis personis ab alio secundum existit, ab eo quoque est. At vero Spiritus sanctus à Filio secundus existit. Igitur à Filio est. Quod si placet paulo altius, atq; vniuerse rationem repetere, aliter dicendum est. Omne quod ab aliquo natura secundum est, ab illo quoque est. Sed Spiritus sanctus natura secundus est à Filio ordine ac dignitate. Quare Spiritus à Filio est. Quod autem Spiritus natura secundus sit ordine à Filio, patet: nihil enim est in Trinitate præter naturam, neque secundum accidens, neque aduentitium.

Minime vero te offendat, vox illa *natura*, cum Spiritum sanctum natura secundũ esse à Filio audis. Non enim secundũ ipsum esse dicimus, secundum naturam, ne alienæ naturæ esse ostendamus, quẽadmodum Eunomius: sed natura dicimus, destituentes id quod est præter naturam. Id quod etiam magnus testatur Athanasius, docens eundem habere ordinem ac naturam Spiritum ad Filium, quem ordinem ac naturam habet Filius ad Patrem. Duo enim ista ex hoc ostenduntur, quod nimirum & tertius sit ordine à Patre Spiritus, & secundus à Filio: quodque natura, hoc est, naturalis iste sit ordo.

Amplius autem & aliter rationem efferamus. Si quid ab aliquo secundum natura est, ab illo quoque existit. Atqui Spiritus natura secundus est à Filio: igitur à Filio quoque existit.

Verum hæc ex dictis magni Basilij nobis ostensa sint: de quibus & si multa verba feci, adhuc tamen multo plura his dicere poteram, quæ breuitatis causa omisi. Et hæc quidem dixi, & longius protraxi quam erat animus, propterea quod non parum auxilij ad inuestigandum verum hinc nobis proueniat; quin potius in his verbis summa rei consistit. Siquidem solus magnus Basilius tactis apertis est ad docendum nos veritatem.

Iam vero, ad ea quæ ante pollicitus sum, me conferam, tibique progressum nostræ Synodi præcise narrabo: tacrandem quibusdam paucis de hac conclusione demonstrationibus expositis, finem faciam.

Quæ igitur Ferrariam profecti vna cum fortissimo nostro Imperatore, ac sacro Patriarcha, totaque nostra Synodo, vt tu nosti quoque, antequã in Italiam fame et Synodus, priuatim disputabamus, ea tanquam minus necessaria prætermittam, quando nobis quoque illa minus erant vtilis; sed de industria tempus conterentes, quos ad esse opus erat in Synodo, vt conueniens expectabamus.

Instante itaq; tempore, visum est nobis in duas partes quæstionem diuidere; nimirum, & quod non oporteat, ipsam quidẽ veritatem Symbolo addere; & quod secundum est, hanc minime veram esse conclusionem, videlicet Spiritum sanctum ex Filio procedere. Hoc igitur viso, quærebatur, de quo prius differendum esset, illudque de nihilo prorsus addendo vicit; me aliquo nolente, sed manifeste contradicente. Siquidem aiebam, vel validius esse pro nobis istud problema posteriori, vel infirmius. Si infirmius, non opus esse ab infirmiori incipiẽtes vinci, & victoria statim à principio certaminis amissa, turbatos ac timore perculsos, in secundum descendere, timendum enim esse, ne fuga in primo quæsito, etiam in secundo fugæ causa nobis sit. Si vero validius est, posterius seruare. Cum enim in primo vicerimus, in secundo quoque postea abunde satis eos auertemus, atque fugabimus. Quod si victi fuerimus in illo primo dogmate, tunc saltem secundum vincemus: docebimusque non oportere illud in Symbolum addere.

Præterea, cum quod per pauciora, eo quod per plura fit, semper etiam in natura melius sit; illud ergo anteponendum, deque eo prius disputandum aiebam, post quod reliquum non habet locum; ostensa ita quæ litate dogmatis, non esse addendum, non habebit deinceps locum. Quapropter si à dog ate incipiemus, vno certamine perfecte hostes eũt pulsi, atque fugati, ostẽso vero nihil esse addendum, ad hoc ipsum dogma superest examinandum, an verum sit. Cum vero hæc dicerem, nostris suadere non poteram; sed omni modo ac ratione, de hoc prius esse disserendum contendebant. Hæc vero ego dicebam, teste mihi Deo, & conscientia, nostræ gentis semper honorem spectans, eiusque glõriam omnibus modis curans. Vel enim præclare volebam vos à Latinis seiungi, simulque cum existimatione victoriæ: vel præclare cum illis coniungi, & absque eo quod videremur victi fuisse, & in probationibus defecisse. Horum autem vtrumq; ex ijs quæ ego dicebam sequebatur, ex ijs vero quæ egimus; totũ oppositum. Vnde etiam non paucos, maxime vero eordatos viros huius consilii pœnituit. Quid tu igitur inquies? Sane quidem confitim non filui, sed cum eos vidissem id & non aliud volentes, (quod illis accidebat, quia nimirum existimabant nos in hoc plus posse, quam in ipso dogmate) volens ipsos à proposito auertere, dixi rationes in contrarium, audientes sapientissimo nostro Imperatore, ostendens infirmitatem problematis, quodque ridiculum sit existimare, non oportere veritatem ad Symbolum addere. Rationes vero tam erant solidæ, vt nemo ex illis qui præsentes aderant potuerit eas soluere. Atramen quod volnerũt statuerunt, & ego illos sequebar. Cum, quæ vtilia fore mihi viderentur, ea dicere, Deo ac genetri nostro debere me existimarem; postea vero maiorem partem sequi, & vna cum illis consociarum certare. atque ita in certamen huius rei descendimus, & cum Latinis cœpimus disceptare, ostendentes ipsis, non oportere quidquam, ne ipsam quidem omnino veritatem Symbolo addere.

Tota vero nostra demonstratio, ex definitionibus sacrorum Conciliorum desumebatur: in quibus sane circa finem sunt, non oportere præter illa aliam Fidem conscribere, aut tapere, aut docere, & id genus.

IV. Quando tane aliquid etiam ridiculum tota nostra gens perpessa fuisset, propter istam bonum virum Ephesium, nisi ipse prius fecisset. & impeomisi m. Etenim vna cum eiusmodi authoritatibus, ex definitio-

nibus depromptis, etiam dictum quoddam Apostoli volebat adducere, dicentis ad Galatas: *Si quis vobis euangelizauerit aliud, præter id quod accepistis, anathema sit.* Alterum quoque Sancti Dionysii vniuersæ affirmantis, non audendum esse, non modo dicere, sed ne cogitare quidem, præter ea quæ diuine nobis è sacris eloquiis manifestata sunt. Igitur ista quoque tamquam rem demonstrantia, quod ne ipsam quidem veritatem addere liceat, in medium afferre volebat. Id vero, quantam omnibus irridendi nostri facultatem dedisset, præterquam quod etiam ipsa prima die disputationis victi fuissemus, ita sane intelliges.

Nos in tertia Synodo quæ Ephesi celebrata est, nitebamur, dicentes ipsam primam hanc inhibitionem fecisse de addendo interdicentem. Quæres profecto, & si non ita se habeat, præbet tamen aliquam vmbram auxilij contendere volentibus, propter verborum æquiuocationem & ambiguitatem.

Porro ratio existimandi, eam primum tertiam Synodum hanc fecisse inhibitionem, prima & potissima quidem est; quod acta secundæ aut primæ Synodi penitus non extent. Posterior vero causa est, quod secunda Synodus Oecumenica Symbolum Nicænæ Synodi in multis immutauit, multa quidem adimens, multo plura vero etiam addens. Quare non poteramus nos dicere ante secundam Synodum factam fuisse inhibitionem. Certe enim ipsos sanctos Patres secundæ Synodi, anathemati subiceremus.

His igitur declaratis, vide quid absurditatis ex ijs testimonijs, quæ Ephesius volebat adducere sequeretur. quoniam enim Diuinus Apostolus, ac sanctus Dionysius, multo ante secundam Synodum, imo vero & primam floruerunt, hæc eorum dicta, vel falsa docenda esse prohibent, & contraria Fidei, vel omnino & vera. Sed si & vera, sub anathemate erunt Patres secundæ Synodi, qui tot additamentis & diminutionibus primæ Symbolum immutarunt: sub anathemate vero & Patres primæ Synodi, qui idem Symbolum, quod ante primam Synodum fuit, in multis immutarunt. Quod si id vel cogitare omnino nefas est, igitur falsa, Fideique contraria, tum Diuinus Apostolus, tum sacer Dionysius docere prohibent. Si igitur falsa, nos autem horum dicta æqualia esse definitionibus, atque idē valere arbitramur: igitur definitiones quoque, falsa, non autem vera addenda esse prohibent. Atq; ita ipsa prima die victi fuissemus.

Ego vero hæc cum animaduertissem, hasque rationes illi aperuissem, vix persuasi aliis quoque socijs & adiutoribus ad ipsi persuadendum mecum acceptis, vt ea vellet omittere, quæ etiam persuasus non adduxit.

Ex his igitur intellegere licet illius viri acumē, quodque iudicium verisimile est eum habere in rebus difficilioribus & sublimioribus theorematibus, de dogmate inquā, si hoc eiusmodi cum sit ipsum effugerat. Hęc autem dixerim, non illi quidem detrahere volens: longissime enim à talibus rebus absum: vnde etiam nunquam aduersus illum aut dixi, aut dicam amplius; his exceptis quæ hic dicta sunt; sed auditores docere volens, ab illius sermonibus cauendum esse.

Procedentes itaque ad hanc quæstionem, cum adhuc in ipso limine quæstionis essemus, videbamus nos superiores esse, & reuera superiores eramus. Nondum enim aliquod nobis alicuius momenti dignum, & ad ipsam rem faciens Latini obiecerant; cum extra rem illi dicerent, nosq; illorum obiectis abunde resisteremus; quando & audeo dicere firmiores rationes à Græcis dictas, ipse eram qui & inueneram & dixeram, donec tandem orationem suscepit, in omnibus præstantissimus & admirabilis vir, Latinorumque gentis ornamentum, & naturæ decus Iulianus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis dignissimus; qui cum multa, eaque præclara, & ad rem dixisset, ita firmis & exquisitis rationibus quæsitum perfectum & absolutum reddidit, ostendens Synodice, ac necessitate cogente, semper licere diuino Symbolo verum addere: vt cum nos multis diebus meditaremur, nihil ei ad hæc opponere potuerimus. Quæ cum multa sint, ea tantum hic tibi exponere conabor, quæcumque mihi in memoriam venerint; vt etiam veritatem ad hunc locum pertinentem ex parte agnoscas. Prius tamen audi nostrarum oppositionum & controuersiarum caput, quod maxime firmum esse videtur.

In calce definitionum cuiusque Synodi, sumpto à tertia initio, hæc ad verbum lata & condita sunt. *Hū lectū statuit sancta Synodus, nemini licere aliam Fidem proferre, aut componere, aut sapere, aut aliter docere, eos vero qui audent, Clericos quidem deponendos esse, Laicos autem anathemate feriendos.*

Huius sane sensus, & horum ferme verborum sunt omnia interdicta, nos in istis tamq̄ firmissimis, & quæ refelli nequeant nitebamur, dicentes non oportere, ne ipsam quidem veritatem Symbolo addere; quando quidem prædictis verbis id vetatur, minimeque licet. Ad quæ cum valde multæ rationes à Latinis allatæ sint, inter illas etiam erant istæ.

Concilium, seu Concilia, non solum aliam Fidem proferre, verum etiam componere vetant. Iam vero, si intelligant aliam Fidem componere, pro eo quod est esse aliis vocabulis Symbolum enunciatum; contingit omnes anathemati subiectos esse, qui alijs quidem vocabulis, eodem vero sensu idem Symbolum ediderunt, quod fere omnes sancti fecerunt. Sed hoc falsum atque blasphemum est: Non igitur interdictum est aliis verbis veritati consentientibus eandem Fidem exponere: sed contrariam Fidem conscribere, prohibitum est.

Secundo. Quarta Synodus, etiam sapere ac docere aliter, eidem subiicit anathemati. Iam vero, si sapere aut docere, vocabulis quidem aliis, veritati tamen consentientibus id prohibet; sub anathemate erunt, qui suam Fidem, quibus sortiti sunt, vnusquisque vocabulis docuerunt. At enim hoc absurdum est. Non igitur voces, sed oppositi sensus prohibiti sunt: præsertim cum & sapere, ad sensus non ad verba referatur.

Tertio. Sexta Synodus hæc eadem habet, quæ & quarta, etiam hoc amplius; inhibet eos, qui aliquam vocum nouitatem, hoc est, vocabuli inuentionem inducunt, ad euersionem eorum quæ ab illis lata & condita sunt; non autem eas, quæ non ad euersionem, sed eandem seruant intelligentiam, inducuntur.

Præterea. Tertia Synodus decernit, non oportere, aliam præter Nicænam Fidem proferre. alioquin, sub anathemate esse qui id agant. Symboli vero secundæ Synodi, quo nos modo vtimur, nullam mentionem fecit. Si igitur Symboli secundæ Synodi tanquam quod diuersum sit, alterum que existat à Symbolo primæ, ob eam causam à tertia Synodo nulla facta est mentio; inexpiabile scelus nos modo committimus, Symbolo primæ non vtendo: quod vt maneret immutabile Patres sanxerunt; secundæ vero tantum Symbolum, tum in Ecclesia, tum priuatim omnes recitando. Et secundum hanc rationem, sub anathemate sumus. Si vero tanquam idem sit, silentio præteritum est, idem videtur esse non verbis: his enim multum admodum differt, additiones plurimas habens & ademptiones; sed est idem sensu & intelligentia. Quare vtrumque Symbolum, tum primæ, tum secundæ, velut vnum Patres tertię Synodi arbitrati sunt. Quapropter etiam omne Symbolum, eandem intelligentiam quam & Symbolum primæ seruans, idem erit atque illa, & nihil facit ad argumentum & rationem illorum qui dicunt; non audendum aliud Symbolum tradere, aliud enim subaudiendum, quod sit contrariæ intelligentiæ, non autem quod vocabulis differat: quandoquidem, vt dictum est, Symbolum secundæ Synodi, cum multum differat vocabulis à Symbolo primæ, non tamen aliud esse existimatum est. Quare concluditur: Quę eandem seruant intelli

Quæ hic narrat Bessarion de Marco Ephesio, vera esse tum inde probari possunt, quod ille ipse Ephesius peracta Synodo ad decipiēdos Græcos inosuntos, eadem loca Beati Pauli citare, atq; illis inculcare veritus nō sit, vt pateat legentibus editionem suæ fidei.

intelligentiam, etiam si verbis differant, eadem esse, quemadmodum & Symbolum secundæ Synodi idem est ꝙ Symbolum primæ. Rursus. Vnaquæq; Synodus, post recitatam suam definitionem, non sū Symbolum ait; *Hu lectū, statuit sancta Synodus, nemini licere aliam fidem proferre.* Quare illud, *Hu lectu*, ad totam definitionē refertur. Igitur & quod deinceps sequitur, *Aliam fidem non licere proferre*, ad totā definitionem spectat, hoc est, non licere proferre aliā fidem, præter eam q̄ in definitione vniuersali, non solū in Symbolo continetur. Sed quod attinet ad verba, quarta Synodus alia scripsit à tertia, & quinta à quarta, & sic deinceps. Quapropter de vniuersali Fide est sermo, deq; iisdem sententijs, nō de ipsis vocabulis. Præterea, Septima Synodus neq; omnino vllam facit mentionē Symboli, neque primæ, neq; secundæ: sed simpliciter definitione sua edita & explicata, in fine dicit: *Hu non licet addere, & ex his non licet admere. Si quis vero addiderit, & ab ea fide ademerit, anathema sit.* Quare constat eam de fide dicere, & de ea q̄ in dogmatib, est contrarietate. Non.n. certe Ecclesiam à definitionibus conscribendis arcuit. Insuper. Quæ corde ad iustitiam credimus, hæc ēt ore confiteri ad salutem debemus. Sin minus, imperfecta nobis erit, & ex dimidio fides. Oportet.n. coram hominib. Fidē confiteri, si nos quoque volumus cōrā Patre cœlesti præconium consequi Saluatoris, secundum eloquium eius. Atqui vera sapere necesse est: igitur necesse est etiā ea cōfiteri. Quare, quæ necessario sunt credenda, ea non solum impune, sed etiam necessario sunt confitenda. Ad hæc. In actis quartæ Synodi, in prima actione expositum est, primum quidem ab Eutychete Symbolum Nicænum. Deinde infert idem hæreticus Eutyches, super hanc fidem, scil. Nicænam, definitionem edidisse Ephesinam Synodum huiusce modi: Eum, qui præter hanc addiderit, vel excogitauerit, vel docuerit, pœnis tūc latis subiacere. Eusebius vero Episc. Dorylensis, qui accusator erat hæretici Eutychetis, hæc audiens exclamauit: Non est talis definitio: non est talis cānō id prohibens: mentitus est. Sexcenti vero Patres & octoginta, qui Calcedone fuerunt, hoc audientes tacuerunt; & Eutychem, vtpote qui non pateretur etiā alia sapere, præter ea q̄ in Symbolo essent Nicæno, alia scil. numero, non tanquā opposita condemnarunt. Quare ostenderant illas tū voces vetari, quæ sunt contrariæ, & aduersæ, non autē consentientes. Exce.n. illud, ex duabus, & in duab. naturis incōmixtis, Christum, post id quod semel assumpserat, mansisse, aliud cum sit à Symbolo Nicæno, aliud vero dico vocabulis, non intelligentia; tū cogebant Eutychem illud sapere. Vnde apparet, Patres, non simpliciter aliud prohibuisse, sed opposita. Illud porro considera diligenter: hæc.n. eadem verba tertiæ Synodi quæ nos producimus, nimirum, nemini licere aliam Fidem proferre, hæc ipsa prose Eutyches producebat. Dorylensis vero Episcopus, ac tota Synodus: Non est talis, dixerunt, canon id vetans; sed eum, quippe qui prave canonem interpretaretur, condemnarunt. Explicabat.n. ipsum canonem Eutyches, quemadmodū & nostrates: nimirum existimans omne illud simpliciter prohiberi, quod vel ipsa verborū varietate aliud esset. Quod tamen Concilio minime placuit; ob eamque cautam eum damnarunt: cum aliā Fidem arbitrarentur eam, quæ esset contraria, non autem eam quæ verbis quidem differat, intelligentia vero sit consentiens. Deinde, ego etiam memini in explicatione Nomocanonis, quæ fit à Zonara, aliquid tale me vidisse. In eo enim Nomocanone hæc inhibitio tertiæ Synodi: nimirum: *Hu lectū statuit sancta Synodus:* & reliqua: inter alios canones tertiæ Synodi, continetur, septimusque enumeratur. Ante vero istum est alius sextus canon eiusdem tertiæ Synodi, qui excommunicatos facit eos, qui audent aliquid labefactare ex statutis atque decretis à Synodo. In hoc autem septimo, scilicet; *Hu lectū, statuit Sancta Synodus, nemini licere aliam Fidem proferre;* anathemate feriuntur, qui canonem transgrediuntur. Mouet ergo quæstionem Zonaras, cur Synodus in sexto canone excommunicatos facit laicos, in septimo eos anathemate percutit. Soluens autem dubitationem, sic habet ad verbum; *Magna est differentia, quod aliquis contra aliquam rem dicat, & quod de ea dubitet. Et propterea, qui dubitat de iis, quæ iam rectè sunt sancita, excōmunicatione puniendus erit; quod nimirum exigit sextus canon: qui vero contra hæc dicit, tamquā contraria sapiens, anathemate feretur; quod scilic. postulat septimus canon:* videlicet, definitio ista inhibitionis. Quare & iste interpres, aliam hic Fidem manifeste, ac sine vlla dubitatione vocat, id quod est contrarium esse, & contraria sapere. Postremo. Trullana Synodus in primo suo canone ait. *Definimus Fidem nobis traditam ab inspectoribus & famulis verbi à Deo electis Apostolis, itemq; à trecentis decem & octo sanctis & Beatis Patribus, qui Nicææ conuenere, absq; vlla nouitate, inuiolatam inuiolatamq; seruandam esse.* Ac deinceps oēs Synodos enumerat, atque definit, vt Fidem ab omnib. Synodis traditam, integrā custodiamus. Tandem postremo infert. *Si quis vero omnium, prædicta pietatis dogmata non tenet & amplectitur, neq; ita sentit & prædicat, sed contra tre conatur: anathema sit, iuxta expositam iam definitionem à prædictis sanctis & Beatis Patribus; & è Christianorum Catalogo tamquam alienus expellatur & excidat. Nos.n. neq; addere aliquid, neq; sane ademere, secundum ea quæ ante definita sunt, profitemur intendimus, vel quacumq; ratione præsummus.* Iste canon perspicue interpretatur definitionem tertiæ Synodi & aliarum, statuens cui liceat aliā Fidem proferre. Dicit enim: *Sit anathema, si quis aduersus patria dogmata ire conatur, iuxta expositam iā definitionem,* hanc scil. inhibitionis. Quare ista definitio, contraria sapere verat. & illud *Nos vero neq; addimus, neq; adimimus aliquid;* nimirum, ad Fidem à tantis non addere, ab eaque non ademere, non à Symbolo. Symbolum enim hic non recitauit Synodus. Sed cum de dogmatibus Synodorū dixisset, infert: *Neq; addere, neq; admere aliquid intendimus.* & subiungit; *Secundū ea quæ ante definita sunt,* videl. à Patribus. Quapropter, & qui eos antecesserunt Patres, cū dicunt; Non oportere addere, vel ademere; non additam ēē & diminutiones verborum, sed contrariorum in Fide sensuum interdicunt. Ex hoc igitur solo, manifeste ac luculenter soluitur ijs quæsitum, qui volunt contendere. Sane vellem scribere posse, vel mihi, vt essent oēs rationes promptæ, quas in contrariā partem nobis Latini attulere. Vidisses.n. & maximam copiam argumentorum, & magnam vim atque veritatem habētium. Verum, quandoquidem ea prædicta sic enodate decidunt quæstionem, vt veritatem quidem inspiciant, ac sine contentione, & anticipatione, ea q̄ dicuntur audienti hæc vel sola satis sint: vero qui aduersarium & concertationes verborum parat, is est, ne ex centa quidem talia sufficiant: vnum is addens Latinorum argumentum, de his rebus finem faciam. Est autē etiā hoc grauissimum & fortissimum, quodque nostrorum euertit in hac quæstione fallaciam, perpende vero quæso diligenter. Nos contendimus hanc inhibitionem, à tertia Synodo ante oēs alias excogitatam, vt & antea dixi, dixi vero tunc & causam. quod nimirum videremus secundam Synodum Symbolo primæ multa detraxisse, item multo plura addidisse. Quare non audebamus dicere, ante secundā Synodum hanc factam fuisse inhibitionem. Si.n. hoc diceremus, alterutrum è duobus sequi necesse esset; vel Patres secundæ Synodi contra leges fecisse, & esse sub anathemate: vel si hoc nefas est dicere; non igitur verborum additamentum, sed contrarias intelligentias impedisse. Obiicebamus, post secundam Synodum hoc obstaculum factum fuisse, quod ante ipsam non erat. Quare, si quis è contrario ostenderet, ante secundam Synodum factum fuisse interdictum, quod tertia Synodus dixit, & iisdem ipsis ferme verbis: alterum ex prædictis duobus colligitur. Et quoniam eos sub anathemate esse male que fecisse nō audemus dicere; superest secundum, nimirum istud impedimentum, non hunc habere sensum, quem nostri arbitrantur, sed contrariam Fidem vetare. Hocigi-

tur nobis probarunt Latini. Ostensum est enim ab ipsis hanc inhibitionem primo Nicænam Synodum primâ fecisse ijsdē verbis, quib. & tertia, & quæ deinceps subsecutæ fuerunt. Id vero ita ostenderunt, quemadmodū quoq; tu clarissime vir, qui istorum virorum familiaritate vteris, optime nosti. Ita sunt in suis gestis studiosi ac diligentes, vt non solum in reb. diuinis, verum ē mundanis & politicis, nihil eos antiquitatis fugiat. Quare, & in vrbibus, in suis publicis tabularijs, facta omnia egregia litteris consignata, ibiq; reseruata reperies, quæ à temporibus, de quib. nulla extat memoria, gesserint. Hoc itaq; maxime omniū, & in Catholica Ecclesia diligenter obseruatur, asseruantur in hanc vsq; diē omnia gesta, omnesq; fere epistolæ antiquorū summorū Pōtificum. Protulerunt itaq; nobis in antiquissimo libro, in membrana scripto, epistolā Liberij Papæ scriptam ad Athanasium Alexandrinum, cuius initium est: *Ab antiqua origine, atq; ab initio, tantā accepimus à Beato Petro Principe Apostolorum* &c. Deinde vltra pergens, dicit se accepisse epistolā S. Athanasij, & eam legisse. Postremo subiungit: *Fidem vero Nicænæ Synodi in eadē epistola rectam cum inuenissemus, magnas vobis gratias retulimus; pro quæ non solū vobis compati, simul & persecutionem pati paratis sumus; verum necessitate flagitante & morti pro Christi nomine non recusaremus, quantumuis licet debiles simus. Prædicta.n. Sacrosancta Nicæna Synodus, quemadmodum legimus, definiuit, nemini licere aliam Fidē proferre, vel conscribere, aut componere, aut sapere, aut docere aliter. Neq; aliquid in Fide intelligere, vel proferre, quod definitionib. horum Patrum contrarium esse ponsit. Qui vero audet aliam Fidem componere, aut proferre, aut docere, seu tradere aliud Symbolum, iis qui ex quacumq; hæresi, vel Iudaismo, vel Gentilismo, ad veram veritatis redire cupiunt; si Episcopus quidem sit ipse talis, vel Clericus, Episcop. sane ab Episcopatu, Clericus vero a clero alienetur. Sin autem monachus sit, aut laicus, anathemate feriatur.* Hæc nunc quidem, Actis primæ Synodi amissis, sunt nobis incognita: tunc vero cum extarent, agnoscebant ea, cū Liborius Papa, tum S. Athanasius. Hæc igitur, his ipsis verbis, similia sunt verbis tertiæ Synodi, & allarum. Quid igitur dicemus de secūda Synodo, deq; Gregorio Theologo, qui huic secundæ Synodo cum præsideret, Symbolo primæ in multis immutato ipse fertur Symbolū quo nos modo vtimur conscripsisse? Si istud interdictū hanc habet intelligētiam, q̄ profitentur nostri: Seu loco sanctorum Patrum atq; Doctorum, Patres secundæ Synodi, & magnus in Theologia Gregorius, hominum pestiferorum ac fraudulentorum locum obtinuerunt. Sed absit vt vel cogitemus istud conuicium. Non igitur neq; prima, neque tertia, neque vlla alia Synodus, tamquam contraria his loquatur, hanc intelligentiam: sed contrariam fidem manifeste prohiber.

V. Verum id ita quidē, luceque clarius ostensum est, ac dilucide demonstratum, nihil obstare, quo minus vera tum fidei, tum Symbolo addantur, imo vero explicentur. Nullum.n. veritatis est dogma, q̄ in Symbolo, ac simplici traditione Apostolorum nō contineatur. Explicanda vero sunt, & cū Symbolo connectenda, non semper scil. neque à quocumq;, sed magna vrgente necessitate, atq; ita Ecclesia indicante. His aliisque quāplurimis eiusdē generis, ô vir Dei, dictis de hoc quæsito à Latinis nos quidem ad ea nihil q̄ respondere mus habentes, (quid.n. aliquis ad tantā veritatem, tam impudenter diceret?) conticebamus. Illi vero hoc probato, quod nimirum vera sapere, eaque Symbolo addere minime prohibemus: C. cōsequens illud & alterū, quod ad Symbolū addidissent, polliciti sunt, velle se ostendere verum esse, nimirum Spiritum S. ex Patre Filioque procedere: nosque ad certamē prouocabant. Nostri autē, cum in hoc victi & fugati fuissent, timebat secum subire certamen, & accidit, q̄ ego illis à principio dicebam, cum eos verarem ab hac quæstione principium sumere. Igitur animi sollicitudine vel maxime vrgebātur ac tremebant, & omnino nolebant amplius manere, sed clamabant oēs oportere à Latinis seiungi, & in patriam reuerti: rationem vero quęrentibus, reddere non poterant. Quid ergo Latinis dicemus? Qua iusta & honesta causa, & ratione, in medio certaminis, imo vero neque adhuc in principio constituti (quæstio.n. de non addēdo, nihil ad rem) qua ratione inquā, cum nondum cœperimus, redibimus? Dicere non poterant: sed temere ac nulla ratione clamabant; redeamus in patriam. Aiebant vero & inter se, quēadmodum ad nostras peruenit aures, Latinos posse ostēdere multorum sanctorum Doctorum permultas sententias, quib. ad verbum dicitur Spiritus S. ex Patre filioq; procedere. Quid igitur ad hęc quispiā respōdebit? Separemur, seiungamur, abeamus. Audis Doctorum & Patrum sententiā? Quoniā, inquiunt, multorum Doctorum dicta possunt nobis ostendere, ad quæ nihil possumus respondere, diuidamus nos à Latinis. Vix tamen, aliquando cum perspexissent hanc sui consilij temeritatem, & fortissimi nostri Imperatoris inductu & ratione persuasum illis esset, ab illo absurdo incœpto conatuq; destiterunt. Interim vero res ipsæ professionē Beatissimi Papæ Ferraria Florentiam vrserunt, eodemque Synodi transpositionem. Abiit ergo ille, simul nos quoq; abimus. Omnibusque reb. Florentiæ paratis, dies disputationi dicitur, qua incipere opus erat; & constituta dies affuit. Rursus igitur nos cœpimus accusare. Quemadmodum, n.in quæstione de nō addendo, nos personam accusatoris gerebamus, Latini vero sic ad obiecta respondebant, vt amplius dicere quidq̄ minime potuerimus; ita eriā in hoc dogmate, nos quidem vtpote qui accusabamus, in dubium reuocauimus; illi vero in dicendo secundas partes obtinentes, respondebant. In omnib. enim, ad nostrum arbitriū libidinemque, causam disponebamus. Itaque in quæstionē adduximus nos, incipiēntes ab Apostolis, & omnib. sacris Conciliis; & eorum dictis, & præterea omnium sanctorū Occidentalium vsi sumus, quib. ostenditur Spiritus S. non quidem à Filio nō procedere: nullum.n. eiusmodi dictum habemus, vt optime tu quoq; nosti, excepta sententia Damasceni, quæ habet, Spiritum Filii dicimus, ex Filio autem non dicimus. Alius vero omnib. dictis, hoc tm ostenditur, Spiritum S. ex Patre procedere, non autem ex Filio nō procedere. His itaque prolatis putabamus nos ostensuros; falsum esse, Spiritum S. ex Filio procedere. Latini vero ad hęc omnia sanctorum dicta, vnum, & illud cōmune dederunt responsum. Omnia esse vera, sibique hoc idē videri. Si quidem credunt & ipsi Spiritum S. ex Patre procedere; id tamen non esse contrarium suo dogmati. Hoc.n. quod est ex Patre procedere neq;, contradictorium, neque cōtrarium est alteri, q̄ est, ex Filio procedere. Si.n. horum alterum esset, tunc vno affirmato, alterum tolli necesse esset. Nunc vero nihil obstat, quo minus & illud, q̄ est ex Patre procedere, verum sit; & illud quod est ex Filio, verum. Veluti, si dicamus, Spiritum S. mitti à Patre; alius vero quispiam dicat, Spiritum mitti ex Patre & Filio: & alterum alteri minime repugnat. Si igitur sancti diceret Spiritum ex Patre solo procedere, vel, ex Filio nō procedere, non esset mirum dicere, ipsos opinari falsum. Verum cum horum neutrū nemo vnq̄ adhuc dixerit; Illud quod est ex Patre procedere, non tollit alterum, quod est ex Filio procedere. Hæc ad nostra dicta responderunt. Ad sententiam vero Damasceni, quando & nos illā non produximus, neq; illi quidq̄ responderunt. Ego vero tibi postea, & in huius solutione faciā satis. Deinde vero illi, ab alio principio, facta nimirum Scriptura nixi & freti, indeq; copia minorum propositionum abundantes, exorti sunt dicere deinceps per multos dies multa & varia argumenta, ostendentia Spiritum S. ex Patre Filioq; procedere. Postremo etiā authoritates Patrum attulerunt, quibus manifeste ac luculenter huius dogmatis veritas corroboratur. Protulerunt autē, non solū Occidentalium, verum ēt Doctorum Orientalium. Quarum aliquas, quæcumq; mihi magis necessariæ vitæ sunt, vna cum hisce tibi mis: vt & ipsos Occidentales audias Pa-

tres, quid illi de hoc dogmate sapiant, & doceant. Ad quas nos responsum nullum habebamus, q̄ dare mus: nisi q̄ adulterinæ essent, & à Latinis corruptæ. Produxerunt nostrum Epiphaniū in multis Theologice differentē, & explicantē, ex Patre Filioq; Spiritum S. adulterina eius loca esse dicebamus. Legarunt prędictā sententiā magni Basilij, in libris aduersus Eunomium! adscripticia, & non germana esse nobis videbatur. Adduxerunt dicta sanctorū Occidentaliumi tota nostra apologia, illud & nil aliud erat, adulterina esse. Per multos igitur dies seorsum considerantes, & nosipsos cōsulentes quid ad hæc responderemus, præter hoc nullū inueniebamus respōsum. Hoc vero rursus tanq̄ valde absurdū proferre, nō bonum nobis esse videbatur. Primū quidem, propterea q̄ ex consequentib. & antecedentib. huius opinionis, mentē sanctorum esse constabat. Deinde ēt cum plurimi ac vetustissimi libri istud haberēt, nō poteramus illos veluti depranatos reiicere, atq; refutare, præsertim, cū nos nullum haberemus librum, non Græce, non Latinè scriptum, quē secus habere, q̄ Latini produxissent, ostenderemus: qui fieri posset, vt iure optimo eorum libros tamq̄ vitiatos exciperemus? Certe.n. qui vult aliquem vt vitiatū atq; corruptum excludere sine debitis rationibus, & firmis causis hoc præstare minime potest. Nos alios sanctos contrariū affirmantes ostendere non poteramus; eosdem ipsos Occidentales aliter dicentes alibi, minime ostendebamus. Ductis à natura rationibus eos deceptos probare, nihil minus poteramus. Nulla igitur ex parte istā causam nobis relictā videbamus; propterea & conticuimus. Attamen non deerant, quid de alio abundarent responso; nimirū errasse Occidentales sanctos, & in hoc mentitos esse. Hoc aūt Catholicā Fidem nobis euertere, manifestum est, Si.n. Fides nostra penderet à sanctis; Hi vero falluntur in Fidei veritate: Fides euersa est. Propterea igitur iure optimo cum Latinis subsequuta est & cōfirmata concordia: & oēs absq; vlla vi, Deo teste, consenserunt. Quotquot aūt consentire noluerūt (hi vero duo, & non amplius erāt) non coacti, sed Domini sui ipsius propriæq; sententiæ remanserūt. Iurene ac merito, tu ipse iudicabis, postquam videris ac legeris authoritates sanctorum, quas tibi nūc mitto. Quis.n. inter Christianos constitutus, non istos sequeretur; ac staret cum cœtū horum Doctorum, itemq; Occidentalium? Consona.n. inuicem dicere, necesse est eos arbitrati; quemadmodum in oratione à me scripta multis ostēdo. Dicta igitur sanctorum illa ipsa per sese, ad soluendā omnem ambiguitatem, & vnicuiq; persuadendum, satis sunt. Quoniā mihi quoq; non syllogismi, neq; probabilitates & demonstrationes, sed ipsa nuda dicta sanctorum persuaserunt. Simul.n. ac vidi & audiui ea, statim contēdere penitus desii: cum tm prius non parum vrgerem, atq; instarem. Existimaui.n. sanctos, cum Spiritu S., loquuti fuerint, non posse à vero declinare; & ægre tuli, quod eorum dicta prius non audiuissem. Nemo.n. nostrum Latinos vnq̄ tantam vim ex dictis sanctorū habituros esse arbitrabatur. Quāprimum tm tunc saltem vidi & audiui, ab omni contentione controuersiaque discessi, gratesq; Deo egi, quod inde tantam vtilitatem percepissem. Igitur tibi quoque candido auditori, animumq; cupidum veritatis habenti, atque omni Christiano tui simili, hæc vel sola sufficient.

VI. Quoniam vero & aliquot probationes à ratione petitas quæris, tua causa mediocriter, quantum fieri poterit, & hoc præstabimus, rationib. sanctorum, ditissimæque Scripturæ nixi & freti. Quod quidem & in oratione, q̄ de concordia inscribitur, pstitimus. Præstabimus tm nihilominus & hic, quasdam rationes attingentes. Anteq̄ tamē de his singillatim dicamus, vt facilior nobis deinceps fiat oratio, quædam prius sumere necesse est. 1. Quoniam vnicuique entium ad cōmunem speciem, est propria quædā alia species, qua constituitur & est, & secundum q̄ aliquid dicitur hocens; veluti huius hominis puta Petri, ad cōmunem speciem, q̄ quidē est communis humanitas, est & alia peculiaris species, iuxto q̄ hic homo est forte Petrus, vel Paulus, quæ quidē species minime cōmunicatur cum altero. Hæc aūt est, vel ipsius scil. anima, vel corpus, vel aliq̄d quod est ipsi principium, vt sit indiuiduū. Quærendum est & in ipso Deo & Patre, quænā ipsi propria sit species, quæ ipsius personam cōstituat. Etenim cōmunis species, essentialis est ipsi Patri, Filioque, ac Spiritui S. vna eademq; numero existens: nimirum Deitas, secundum quā simul cum ipsis vnus est Deus. Attamen habet & aliena propriam speciē, quæ non communicatur cum aliis p̄sonis, iuxta quā hoc aliquid est & persona in sanctissima Trinitate. Hoc vā igitur q̄d sit, quære dum est. Igitur quod vocant ingenitum esse, non est. Hoc.n. est negatio; nihil aūt eorum, quæ in rerum natura existunt, esse hoc aliquid habet secundum negationē. Sed est ipsi proprietas quædā, quæ illius personam constituram sequitur. Atneq; causam dici: Si.n. hoc esset hypostatica ei? species potius author diceretur & causa, quam Pater, verū ab omnib. communiter Doctorib. Patrem magis eum appellari videmus. Præterea causam esse, cum vniuersale sit, ac de Patre, & ēt productore prædicetur, cogitatio tm erit, & nulla res. quod autē est eiusmodi, est non ens: non ens vero non potest constituere, quod supra omnem substantiā est. Superest igitur, vel Paternitatē solam, vel solam productionē, vel ēt ambas esse species, quæ constituant personam Patris. Ar.n. ambæ vi sint eiusdem constitutiuæ, nullo modo fieri potest, ob hanc rationem. Si.n. ambæ constituunt personam Patris; vel & seorsum vnaquæq; potest eam constituere, vel non, sed ambæ simul. Si ergo & vtraque seorsum; duas ergo habebit species Pater: & consequens illud erit, vt non vna, sed duplici persona sit præditus; quippe qui duas personales species habeat. Veluti, si quis homo duas haberet animas, quod absurdum est. Si vero non tamquā vtraq; seorsum, sed ambæ constituant simul; neque qui Patrem tm dicit, neq; qui productorem, paternam personā significauit. Sed huius rei totum oppositum in vsu videmus. Siquidem oēs Doctores, toraq; Scriptura, nomine Patris, diuinā ipsius deitatem hypostasim: nostri quoq; dum productorem efferunt, Patrem tm significare opinantur. Non igitur, neq; sic ambæ sunt simul constitutiuæ, tamquam altera sola istud efficere nequeat: sed ambæ simul constituant. Neq; tanquam vtraq; seorsum, & per seipsam facere satis sit, sed ex necessitate altera, & quidē sola personam constituit, altera vero & reliqua personam constitutam sequitur. Superest, igitur, vel paternitatē, hypostaticam & propriā Patris esse speciem; productionem aūt iam ipsum constitutum sequi; vel contra: productionē personam Patris constituere; paternitatem & generare, iam cū constitutū sequi. Sed si producere constituit, generare vero sequitur: Sequetur aliquid absurdum, ac præter communem Patrū doctrinam: hoc autē est eiusmodi. Prima & immediata vniuscuiusq; personæ operatio, à constitutiua ipsius specie prouenit; cūctæ vero aliæ operationes, per ipsam ultimū primam operationem. Quemadmodum ab anima, quæ est species constitutiua Petri, prima & immediata ipsius operatio prouenit, quæ quidem est viuere; reliquæ vero per ipsam, velut inspicere, docere, texere, struere, & reliqua. Per ipsum.n. viuere, quæ est prima & immediata eius operatio, hæ oēs & reliquæ efficiuntur. Si itaq; producere, est species constitutiua personæ Patris, spiratio seu processio erit prima eius & immediata operatio: per ipsum vero spirare & producere generabitur Filius, ac non amplius Spiritus per Filium: vt asserunt Theologi, sed Filius per Spiritū procedet. Quæ omnia, cum veritati, tum traditionibus Patrum, & communi vsui eorum obstant. Verum quoniam hæc absurda sunt: reliquum est, vt paternitas quidē personam Patris constituat, & hæc eius sit minime cōmunicanda species; productio autē, personam ipsius iā constitutam sequatur, non quidē vt accidens, seu aduentitium; nullum.n. accidens in Trinitate, sed omnia

sunt secundum naturam & substantiam: vtq; generare prima & immediata sit personæ Patris operatio, producere vero per generare efficiatur. Hæc igitur eorum q̃ dicẽda sunt, prius sumatur veluti toti orationi necessaria. Ad hæc vero tam q̃ communia, dicantur prius etiam hæc. Eorum q̃ in Deo dicuntur, partim quidẽ sunt communia omnibus personis, veluti bonus, sapiens, & omnia absoluta. Similiter autem & q̃ secundum eminentiam ad entia sunt negationes, vt inuisibile, incõprehensibile, & similia. Præterea, quotquot habitudinem ad creationem denotant, vt esse opificem, & iudicem, cæteraq; eiusmodi. Talia igitur cõmunia sunt omnib. personis. Quædam vera sunt propria. Proprium vero, quædã sunt propria duarum psonarum, habitudine quadam ad reliq̃ personam: veluti Filij ac Spiritus S. proprium est esse causata; vel Patris & Filij proprium est mittere Spiritum, vel eorum dici Spiritum. Quædã vero propria sunt vnius psonæ. Rursus, eorum q̃ propria sunt vnius personæ, quædã ita sunt propria p̃sonalia, vt & hypostatica sint, sicut paternitas, Filiatio, & processio. Quædã vero, quamuis insint vni soli, verũ non constituunt, sed tm̃ declarant personam, vt in Patre esse ingenitum. Neq; igitur q̃ communia sunt tribus personis, proprietates sunt hypostaticæ; neq; ea, q̃ duarum ad tertiam propria sunt. At neque q̃ vnius propria sunt, ita tũ propria, vt quæ notã & manifestam faciant, & sequantur personam: sed eæ tm̃ sunt personales proprietates, Paternitas nimirũ, Filiatio, ac processio: quippe quia hæ solæ personas constituunt. Quæ vero duarũ personarum ad tertiã propria sunt, notiones, vel proprietates duarum personarum existunt. Et hæc quidem ita se habent. His vero dictis, probatur, Spiritum S. ex Patre per Filium procedere, in hunc modum. Per primam & immediatam operationẽ vniuscuiusque, cæteræ oẽs operationes efficiuntur. Prima aũt & immediata operatio Patris est generare; Igitur per generare operatio spirãdi efficitur. Atq; ita ex Patre per Filium procedit Spiritus sanctus. Illud autem per Filium q̃ habeat vim, quidque hoc in loco præpositio *Per* significet, quod nimirum causam interuenientem, & mediam, in oratione de concordia satis ostenditur.

Præterea Spiritus S. vel à solo Patre procedit, vel nõ à solo Patre. Contradictionis. n. nihil est medium. Atqui non à solo Patre procedit. Si autem non à solo: Igitur & à Filio. Quod vero non à solo Patre procedat, sic ostẽditur. Primum quidem, nusq̃ neque in diuina scriptura, neque apud Doctores, inuenitur dictum. Quod autẽ à nemine istorum dictum est, nemini audendũ est dicere. Deinde, producere cum sit operatio Patris, essentialis, nõ prima, neque immediata, efficitur per primã quæ ostensa est generare & generatio: ita vt necesse sit et Filium huius operationis participem esse, ac per ipsum Spiritum S. procedere, præsertim, cum & Filius omnia sibi cõmunia cum Patre habeat, exceptis constitutiuis proprietatibus; cõmunem quoque habebit potentiã producendi, quæ quidem naturalis est Patri, non tã illius personę constitutiua, vt dictum est. Itaque Spiritus, ex Patre & Filio, vel ex Patre per Filium procedit. Siquidem inter p̃positionem Ex & Per, in Theologia nihil interest. Si quis vero dicat cõmunem debere esse cum illis & *Spiritui S.* vim producendi; quippe quæ sit essentialis. Omnium. n. essentialium & ipse Spiritus particeps est: discat iste talis, hoc nullo modo fieri posse; q̃ eius proprietati repugnet. Non. n. potest idem sui ipsius causa esse. *Singulæ.* n. diuinæ personæ, omnia essentialia sibi mutuo communicant, manentes in eo, q̃ sunt, & seruantes suas proprietates. Manens. n. (inquit Magnus Basilius) Filius in eo, q̃ sit Filius, habet omnia Patris. Igitur & Spiritus manens in eo q̃ sit Spiritus, habet omnia Patris & Filij. Esse igitur sui ipsius causam, propriæ rationi repugnat, vt dictum est: ob eamq; causam actiuam, processionem minime habere potest. Si quis vero dixerit, Atqui si Spiritus operationis producendi erit expers; saltem erit particeps generandi, quẽadmodũ Filius participat vim producendi. Nõ cum fugiat istud quoq; nullo modo fieri posse. Primo, q̃ operatio generãdi sit ostensa esse operatio cõstitutiuæ Speciei personæ Patris, q̃ est incommunicabilis alteri psonæ ob eamq; causam fieri non potest, vt altera persona illã participet. Deinde, q̃ contradictionem in se contineat. *Si.* n. ipse Spiritus generat Filium, procedit aũt ab ipso, erit respectu eiusdẽ & causa, & causatum. Hoc aũt est cõtradictio. At. n. fortasse dicit q̃spiã. Istud absurdũ sequi ex eo, q̃ præsupponamus Filium producere Spiritum. At si hoc non supponatur, sed tm̃ Spiritum cum Patre generare Filium non amplius hoc absurdi sequetur. Cur. n. Spiritus cum Patre non generat potius Filium, sed Filius cũ Patre producit *Spiritum*? Si quis ergo ista dixerit, primum sciat se quærere, quæ nemo alius vmq̃ vel cogitare ausus est. Deinde vis generandi intelligitur, ante q̃ intelligatur vis producendi, tamq̃ prima & immediata operatio Patris, vt ostensum est. Ob eam ipsã causam, non põt huius particeps esse Spiritus. Producendi vero vis, cũ post generationẽ Filij intelligatur, & p generationẽ illius efficiatur, vt ostensum est; fieri potest, imo vero & necessariũ est, vt cum ipso cõmunicetur. Si quis vero rursus ob has causas dixerit; ergo minor est Spiritus Patre ac Filio. Si quidẽ Pater generat Filium, & producit Spiritũ; Filius aut ẽ & ipse cum Patre producit Spiritum. At Spiritus neq; Filium generat, neq; seipsum, neque alterum Spiritum producit. Vana est ista ratio, & contra ipsum magis concludit, qui hoc dixerit. Si. n. nullius personæ causam esse imperfectionis, & imminutionis in Trinitate, hoc signũ esse oportet existimare: igitur q̃ minus eo q̃ plus personarum producit, imperfectius erit. Sed cum Filius, vnius tm̃ personæ Spiritus, cum Patre causa sit; minor erit Patre, q̃ & ipsius F. lij Spiritus causa existit. At. n. hoc vel cogitare absurdũ est; Igitur illud quoq; eiusdem absurditatis est. Esse. n. causam, vel causatum in Trinitate, q̃ ad psonales proprietates refertur, neq; maiorem vel esse vel dici, neque minorem alterum alterо facit.

Præterea. Si vtraq; vis generandi & producendi, cõstituit personã Patris (eorum & separatim; vniuscuiusque aũt operationis species est principium; duæ species erunt duarũ operationum, vnaquęq; autẽ constitutiua species, personã constituit. Atq; ita Pater duplici persona erit præditus. Hoc aũt absurdum est. Nõ igitur producendi facultas constituit personã Patris. Si vero non constituit; communis ergo erit & Filio. & sic Spiritus, ex Patre filioque procedit. Præterea. Inter omnes Doctores conuenit, Spiritum S. produci & emanare ex Filio. Si ergo emanat ab illo; omnino emanat naturaliter. Nihil. n, in Deo est p̃ter naturam, neque aduentitium. Creaturarum. n. est proprium, non natura ex Deo emanare. Si igitur secundum naturã ex Filio Spiritus emanat; q̃ autem secundum naturã emanatio & productio est in diuinis, dupliciter contingit esse: vel secundũ generationẽ, vel processionem. At secundum generationẽ ab ipso non emanat; esset. n. profecto Spiritus *S.* Filij filius. Igitur emanat secundum processionẽ; vt emanatio Spiritus ex Filio sit tamq̃ vere procedentis ab ipso. Si q̃s vero dicat hanc processionem, operationẽ ad nos & gratiã significare, vanum est eius hoc refugiũ. Et si. n. gratiam quandam participamus, & nõ substantiam Spiritus (substantia. n. est imparticipabilis) non tm̃ gratia subsistentiã non habens procedit ex Filio, sed ipsa diuina Spiritus hypostasis. Et manifestum est ex aliis verbis, q̃ apertius & significãtius Doctores dicunt, scaturiendi in q̃, & instar fontis emanãdi, & lucendi. Quæ cui, modo non occæcato, non argumento esse possunt, existentiã Spiritus non communicationem, neq; collationẽ allq̃ donorum significare? Talis igitur ex Filio hỹ postatica Spiritus productio, vel seruilis est, vel naturalis. Verũ quandoquidem nõ est seruilis, necessario est naturalis. Naturalis vero productio personę Spiritus ex Filio, q̃d aliud sit p̃ter eius processionẽ, ne fingere quidem facile est. Præterea Spiritũ S. ex substantia Patris & Filij

cum quidam Græculus obiecisset cuidã Latino, cur Latini addiderint ad Symbolum ex Filio procedere: cum non sit Scriptum in Euãgelio; merito audierit, cur etiam Græci fateãtur ex solo Patre quorũ ipsõ conuenit.

Istud sane in solum etiam Patrem magis quadrare videtur, quis inuita recentiores Græcos solus & genitat & producit, neq; tamen inde maior aliis personis censetur.

Græce scripsisti.

VII. *Hæc prima probatio cum sit negatiua, nil sane valeret nisi esset ad hominem. Optime itaq; militat ad uersus Græcos, qui ex Euangelio & Scriptura sancta nitebãtur probare Spiritũ nõ procedere ex Filio. quæ ubi nõ habetur, nisi ex Patre procedere. Dicit ergo Bessario, ibi non haberi ex solo Patre. Ergo & ex Filio. Et ita semel accidit, vt*

& naturã habet Filius ad Patrem, talẽ ordinẽ & naturã habet Spiritus ad Filiũ. Sic igitur ratiocinare. Talẽ ordinem & naturã habet Spiritus ad Filiũ, qualem Filius ad Patrem. Sed Filius habet ordinem naturalẽ ad Patrem, & qui est causæ ad causatũ: igitur & Filius est causa hypostaseos Spiritus. Præterea. Quoniã in humanis & reb. naturalibus, omnis causa tẽpore ante cedit causatum, & causatum sua causa posterius est. p̃terea hoc nõnulli audientes, nimiũ causatum in Trinitate, & p̃sertim Ariani & Eunomiani, ab humanis exẽplis coæternitatẽ tollere Trinitatis, & Filiũ posteriorem Patre, quippe causatum ab ipso ostendere conabãtur. His se opponens Gregorius Nyssenus, & coæternitatẽ triũm personarũ ostendere proponẽs, in primo libro eorum quib. refutat Eunomiũ, proportionẽ quandam facit Filii ad Patrẽ, & Spiritus S. ad Filiũ: Patrem quidem asserens, sola causæ ratione præintelligi Filio, nõ tã secundum tẽporis appellationẽ; & ideo rationẽ coæternitatis minime periclitari. Rursus aũt & ipsum Filium, sola mẽte & cogitatione præintelligi personа Spiritus S. secundũ rationẽ causę. Vt manifeste appareat, hũc Doctorem ita hac esse sentẽtia, vt existimet Filiũ esse causã Spiritus. Quæadmodum. n. F. lius cũ Patre cõiungitur; sic & Spiritus coniungitur, inquit, cum Filio. & rursus: vt præintelligitur Pater Filio, non tẽporis aliquo interuallo, neque re, sed sensu mentis, scil. ratione causæ: Ita & Filius præintelligitur Spiritui similiter animi sensu, iuxta modum & rationẽ causæ.

Præterea. Tametsi in humanis & secundũ nos, nõ omne exẽplar alicuius, est et causa eius. Opificum. n. exemplaria, non et effectiuę causæ eorum existunt, quorũ sunt exẽplaria, nimirum ipsarum imaginum, in q̃ naturaliter exẽplar existit, in his ipsis et humanis, est causa imaginis, cuius est exẽplar. Multo igitur magis in diuinis, vbi tũ cętera omnia, tum ipsum exẽplar naturaliter accipitur, (nihil. n. ibi præter naturã) hæc propositio erit vera; scil. q̃ in diuinis personis, exẽplar est aliquius, est et causa eius, cuius est exẽplar. At Greg. Thaumaturgus Filiũ asserit esse Spiritus exẽplar: Quare putabat Filium quoq; causã Spiritus existere. Hoc vero & à simili ostendetur. Etenim magnus Basilius exẽplar Filii Patrẽ appellat, in quarto libro aduersus Eunomiũ. Greg. aũt Thaumaturgus, vt dictũ est, Filiũ exemplar esse docet Spiritus, in oratione cuius est initiũ: Inimicissimi, & alieni sunt à Cõfessione Apostolica, qui Filium ex non entib. asserunt. Verum Basilius, Patrem tam q̃ causam Filii, dicit esse exemplar Filii: Igitur & Gregorius Filiũ velut causã Spiritus, exemplar esse Spiritus obnixe cõtendit. Præterea. Tum à magno Basilio, tũ à plerisq; sanctorum Filius quidẽ dicitur imago Patris, Spiritus aũt imago Filii: Filius operatio Patris, Spiritus operatio Filii: Filius verbũ Patris, Spiritꝰ verbũ Filii: Filius suaue olentia *Patris*, Spiritus suaue olẽtis Filii. Sed illa omnia dicitur Filius Patris, eo q̃ à Patre existat: Igitur & Spiritus S. eadẽ dicitur Filii esse, tam q̃ à Filio existens. Præterea. Si non esset Spiritus à Filio, p̃sonaliter ab eo nõ distingueretur. Verũ hoc dicere absurdũ est: Sic. n. Trinitas dualitate terminaretur, est ergo Spiritus à Filio, si p̃sonaliter distinguendus sit. Quod aũt si nõ esset ab ipso, p̃sonaliter ab eo nõ distingueretur, inde manifestũ est. Vnaquæq; causa alicuius rei dupliciter dicitur, principii eius & causa. Vno quidẽ modo tanq̃ ex quo vel à quo, & omnino principiũ vnde res suũ habet esse. Altero vero modo, tanq̃ quo, velut est species, q̃ est in mẽte opificis, cui simile effectũ quem cumq; producit. Quare omne efficiens simile sibi producit, secundũ speciẽ qua producit, vt verbi gratia. huiusce imaginis causa est, cũ ipse pictor, tam q̃ vnde sit principiũ; tum species imaginis in anima pictoris formata, tam q̃ principiũ quo, cui simile imaginẽ pictor efficit. Ita igitur in diuinis personis, tam q̃ ex quo, est Pater causa, hoc est diuina eius hypostasis: tamquam vero quo, est eius diuina essentia. Hæc enim est species, qua, quæ ab ipso producuntur, similia fiunt. Itaque, & Filius; & Spiritus propte-

XI.

X;

rea consubstantiales sunt ipsi, quod omne producens simile speciei producat, qua producit. Deus autem, & Pater, producit Filium & Spiritum sanct. sua diuina essentia; & ideo consubstantiales sibi producit. Si igitur solus Pater producit Spiritū, iuxta opinionē eorum q̄ ita sentiunt, tunc nulla erit distinctio Filij & Spiritus, nullo existente discrimine: neq; in producente, est. enim idem ipse Pater: neq; in specie qua producit; q̄ item est eadem diuina essentia: neq; in ipsis productis, siquidē sunt eiusdem speciei, vnius & cōmunis Deitatis. Neq; ibi aliqua materia intelligitur, ex qua distinctio fiat, atque ita secundum hanc rationem, omnino tolleretur ipsorum distinctio. Supereſt itaq;, vel Spiritū esse causam Filij, vel Filium Spiritus, si distingui vnus ab altero debeat. Sed primum non est; igitur posterius. Præterea: Mitti, in Deo, à causa esse significat. Testis est D. Chrysostomus, homilia 39. in Ioannem aduersus Arianos, ne scientes, quomodo eiusdē substantiæ sit mittens, & q̄ mittitur. *Rursus*, inquit, *ad res humanas sermonē conuertit & humiliter abiicit, ac non intelligit ea omnia, nullā ob aliā rem dictā esse, quā vt causam agnoscamus, neq; in Sabellii morbū incidamus.* Sed Spiritus mittitur à Filio. Igitur ēt est ab ipso.

XII. Præterea. Vis ista mittendi, q̄ ineſt Patri & Filio, secūdum q̄ ambo mittunt Spiritum S. quemadmodum & nostrates fatentur, vel eadem est in Patre & Filio, vel alia atq; alia. Sed si alia atq; alia; erit scil. & maior, & minor: & per cōsequens, missiones ēt erunt diuersæ. Igitur neq; vna vis & potentia, neq; vna ipsorum erit operatio. Et illud est consequens, vt diuersarū sint essentiarū. quorum. n. potentiæ sunt inæquales, etiā essentiæ sunt inæquales; quandoquidē ab essentia fluit potentia. Verum hæc & absurda sunt, & impia, atq; execranda. Non ergo alia est potentia: Igitur eadē. At vero in Patre potentia mittendi Spiritum S. simul est cū potentia ipsum spirandi. Semper. n. Pater spirat Spiritum S. & spirans eum mittit. Igitur & Filius, vna cum potentia spirandi, eum producens mittit. Ergo & Filius est Spiritus S. productor. Quam vero hic fatentur nonnulli missionem, vel processionem secundā, & quæ sit in tempore, tū ea nulla est, tum istinc p̄dicta soluitur ratione. Præterquā enim q̄ nusquā in Scriptura inuenitur hæc duplex processio, vt iā sit tñ quędam secunda processio, q̄ cum Patre communem sibi habeat Filius, tunc omnino iuxta Patrem, atq; similiter eam habebit. Nihil. n. eorum est dissimile q̄ insunt cōmunia Patri ac Filio. Pater autem mittendi potentiam vna cum producendi habet, vt dictum est. Igitur & Filius, cum producendi potentia eā habebit. Præterea. Quod alicuius est natura, est etiā ex ipso secundum hoc, q̄ dicitur eius esse. Spiritus aūt sanctus est Filij, & omnino naturaliter, non. n. præter naturā, neque vt seruus. Et igitur Spiritus sanctus, quatenus Spiritus S. hoc est, quatenus est diuina persona in Trinitate, ex Filio. Præterea. Spiritus S. est relatiuum; & manifestū est, q̄ dicatur Spiritus Patris, Spiritus Filij. Si. n. esset absolutum, non alicuius diceretur. Neque enim proprium est absolutorum, secundū sign. ficatū, q̄ subest nomini, alterius dici, nisi profecto secundum quandam aliā relationem: sicut homo cum sit absolutum, non dicitur alicuius homo, sed alicuius seruus. Verum Spiritus, secundum significatum q̄ subest ipsi nomini, dicitur Spiritus Filij, sicut & Patris, est igitur relatiuum, & p̄ consequens refertur ad spirantem. Est ergo Spiritus Patris & Filij, tamq̄ ipsum Spirantium & producentium. Præterea. Spiritus S. ipsius vnius personæ Trinitatis proprium est, dici Spiritum sanctum. Eiusdem aūt est esse peculiare, dici esse productum, seu id q̄ producitur. Idem ergo est, dici esse productum & esse Spiritum. Igitur cuius est Spiritus, huius ēt est id q̄ producitur. Sed est & dicitur Spiritus Filii, sicut & Patris. ergo & Filii est id q̄ producitur, sicut & Patris. Si quis vero dicat, Ideo Spiritū dici Filii, q̄ ab ipso mittatur! Fallitur, Contrarium. n. potius est. Semper. n. priora sunt causæ posteriorum. Prius aūt est esse Spiritum, Filii Spiritū; mitti vero est posterius. Siue. n. hanc missionem q̄ fit in tempore accipias: posterior est sine dubio; eo quod est esse Spiritum Filij, est sempiternum. Siue æternā missionē intelligas: & hoc modo ēt esse Spiritum Filii Spiritum, mente & cogitatione antecedit. Quia esse Spiritū Filii Spiritum, intelligitur tamq̄ habere, mittere vero tamq̄ dare. Habere autē præintelligitur, eo q̄ est dare. Quare potius nobiscū facit ista ratio. Quia. n. naturaliter est eius Spiritus, naturaliter ēt eum mittit. Naturalis vero in diuinis productio, cū vel secundum generationē, vel processionem existat; quoniā hæc non est secundum generationē, erit ergo secūdum processionem. Atq; ita missio Spiritus à Filio, est eius ab ipso processio. Præterea. Spiritus S. accipit à Filio. *Ille enim*, inquit, *de meo accipiet.* Quod autem accipit, est eius essentia. Neque. n. aliud est eius essentia, aliud vero q̄ accipit, certe. n. esset compositus. Atqui in summa simplicitatis eminentia est Deus. Igitur essentiā tā, & esse accipit à Filio. Illud. n. *De meo accipiet*, non vt nōnulli falso existimant, de meo Patre intelligendum est. Primum quidem, q̄ hæc non sit Græcorum prolatio. Si. n. opus sit, *de meo* intelligi Patre; illud *meus* erit pronomen virile. Nemo aūt in lingua Græca exercitatus, atq; versatus, pronomen virile, seu fœmineum sine additamento, verum semp cum appendicula protulerit; meus, inquiens, frater, vel amicus; & mea domus, vel ciuitas. At *meus* simpliciter dicere, non magis Patrem q̄ hostem significat. Deinde vero, ēt ex scopo & structura sermonis & compositione ipsius Saluatoris, vna ostēditur ista responsio. *Omnia. n.* ait q̄, *quæ habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quod de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Vt talis sit ratiocinatio. Spiritus accipit ex his quę sint Patris. *Omnia Patris mea sunt*: Igitur Spiritus S. accipit ex meis, seu ex meo. Sed ipse, & sua, vna res sunt propter summā simplicitatē, ergo accipit ab ipso suam essentiā. Porro ita ēt exposuit magnus Athanasius. *Non enim*, inquit, *Verbū à Spiritu accipit, sed Spiritus à verbo. Quid igitur accipit à Filio? nempe sapientiā, & cognitionē. De meo. n.* inquit, *accipiet, & annunciabit vobis. Illud. n. annunciare, est docere & illuminare Apostolos; hoc aūt est sapientia.* Sapientiā igitur accipit à Filio Spiritus. Quid? Igitur à Patre productus, indoctus erat, opus erat postea à Filio sapientiā accipere? vel aliud est eius sapientia, & aliud eius essentia? Verum hæc absurdum est dicere. Idem. n. est eius sapientia, & suum esse, & à quo habuit esse, ab eo accipit & sapientiā; & in ipso produci, & accipere suum esse, ēt subsistere & sapientiā accipit. Igitur sapientiā & à Filio accipiens, hoc ipso, ēt suum esse & essentiā ab eo accepit. Est ergo sane Filius ipsi causa, vt existat. Præterea. Si Spiritus accipit à Filio, Filius ei dat. Sed dare in diuinis p̄onis, significat ipsum producere, & nō aliud. Siquidem Chrysostomus explanans illud, *Iudicū omne dedit Filio*, sic habet ad verbum. *Et vt discas, quod illud*, dēdit, *sit pro*, genuit, *audi ex alio loco id significari. Quemadmodum. n. Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Quid? Igitur eum prius genuit, & tunc dedit vitā? Igitur erat sine vita genitus? Verum hoc, ne dæmones quidem dicerent. Præterquam. n. quod impium sit, est etiam stultum. Sicut igitur illud, dedit ipsi vitā, est, genuit eius vitam: sic & illud, dedit ei iudicii, est, iudicem eū genuit.* Ergo iuxta hæc, & Filius dans Spiritui sapientiā, producit eum, sapientiā, esse ei & essentiā impartiens, q̄ accipit Spiritus procedēs ab ipso. Igitur causa est & Filius, Spiritus processionis. Præterea. Filius de seipso ait: *Quæ audiui à Patre meo, annunciaui vobis.* De Spiritu aūt S. *Non loquetur à semetipso sed quæcūq; audiet, loquitur.* Quod ergo in Filio significat à Patre audire, hoc ēt in Spiritu significabit audire. Sed in Filio, audire, à causa esse significat & generari, audire. n. est sapientiam & cognitionem accipere. Porro Filius non prius genitus est, deinde cognitionem vel sapientiam adeptus: sed sapientia genitus est, in ipso generari cum cognitionem & sapientiam accipiens, tum cætera omnia, q̄ idem sunt atq; eius essentia. Hanc igitur audiens à Patre, ab ipso accipit: & eum audire, est generari. Ego & audire Spiritus, à causa esse & produci significat.

cat. Quare à quo audit, ab eo & procedit. Sed audit nō à solo Patre, verum etiam à Filio: igitur & à Filio procedit. Quod aūt audiat à Filio, manifestum est ex verbis Saluatoris, vbi ait; *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Huius. n. quod est annunciare, causa nimirum est quod audiat. At vero eiusdē q̄ est annūciare, causa est quod ex Filio accipiat. Quocirca ex Filio accipere & audire, eiusdem & vnius, quod nimirum est annunciare sunt causæ. Idem ergo est in diuinis audire, & accipere à Filio. Igitur audit. Sed & magnus Basilius in Asceticis, in sermone cuius est initium; *Dei optimi gratia*, de Spiritu S. ait, *qui docet & suggerit omnia, quæcunq; audierit à Filio.* Audiens autem à Filio, etiam procedit ab ipso, propterea quod audire ipsius, nō aliud sit q̄ procedere, vt dictum est. Præterea. Patrem esse vel generare, non continet rationem procedendi, certe. n. Spiritus, esset Filius. Sed Filius habet omnia simpliciter, q̄ sunt Patris, excepto generare, vel Patrem esse. Dicit. n. sanctus Cyrillus in secundo Dialogorum ad Ermiam: *Coæternum credimus Filiū Patri, & quodcunq; aliud æquale habentem, cui a generare tantum. hoc enim soli Deo Patri conuenit.* Idem in oratione de Trinitate. *In Filio vnigenito*, inquit, *per omnia similis, & æquali patri, absq; paternitate.* Igitur Filius habet producere: quandoquidem istud præter paternitatis rationē est. Omnia vero Patris, tūm præter paternitatem, hoc est præter generare, & ipse habet, vt Diuo Cyrillo videtur. Præterea. Gregorius Nyssenus hom. in Pater noster, cuius est initium: *Quando magnus Moyses, iuxta montem, populum Israeliticum initia & sacra docebat.* tradens sanctissimæ Trinitatis discrimen, Patrem à Filio & Spiritu discernit, eo quod ipse sit causa, illi vero sint causati. Filium aūt ruisus & Spiritum, in quos illud conuenit vt sint ambo causati, alterum ab altero secernit, quod vnus sit à Patre, & non amplius: Spiritus vero sit ex Patre & Filio. sic. n. habent vetustiora exemplaria. Quare secundum sententiam ēt istius Doctoris, Spiritus est ex Filio. Quod si nonnulli dixerint, iuxta recentiora exēplaria, Spiritum dici Filij, non aūt ex Filio; ēt tum nihil istud ipsis proderit. eadem. n. conclusio, ex hoc quoque, velint nolint, deducetur. Manifestum. n. est, quod cum in Filium & Spiritum, illud esse causatos conueniat inuenisse; quærit, quemadmodum inuicem discernantur: atq; affirmat; etiam si in ambos id cōueniat, vt sint causati; verumtamen, Filium quidem ex Patre nominari, & in eo tūm proprietatem eius perstare: Spiritum autem & ex Patre dici enunciari, & Filij esse testificari. Igitur Spiritus, etiā Christi Spiritus est: Filius aūt, neq; est Spiritus S. neq; dicitur. Neq;, inquit, reciprocatur hæc relationis consequentia. & hoc existimat Doctor sufficere ad distinctionem, quod Spiritus Filij dicatur; Filius autem, Spiritus S. minime dicatur. Si igitur, hoc quod est Spiritum S. dici Spiritum Filij, fecerint eum à Filio; iuxta vero nostrates, nihil aliud secernit eū à Filio, nisi varius modus productionis. scil. procedere: igitur esse Spiritum Filij, idem est quod procedere. Atq; ita cuius dicitur esse Spiritus, ab eo & procedit. Dicitur aūt esse Filij Spiritus, sicut & Patris: igitur & à Filio, sicut & à Patre procedit. Et simul notandum est, interpretationem quorundam exerti, dicentium, Spiritum propter consubstantialitatē dictum esse Spiritum Filij. Ecce. n. Doctor tamq̄ quod illos discernat, illud assumit. Quæ vero propter consubstantialitatem assumuntur, potius coniungunt, non discernunt. Si ita q; non propter consubstantialitatem dicitur Spiritus Filii, manent indissolubiles omnes Latinorum demonstrationes, quib. ex eo quod Spiritus dicatur Spiritus Filij, argumentando, etiā exipso eum procedere conuincunt. Quidam. n. ista prana interpretatione, putabant ea q̄ à Latinis afferuntur euertere posse, propter consubstantialitatem existimantes dici Spiritum Filij. Iam vero huic intelligentiæ manifeste reclamat Gregorius Nyssenus; cum illud, tamquā quod discernat, assumserit. Verum, ad ostendendam veritatem huius conclusionis, & ad concludendum, Spiritum sanctum ex Patre filioq; procedere, cum permulta sint, quib. aliquis vti, & ex quibus argumentari posset, hæc tamen in præsentia sufficiant.

XIII. Quoniam vero nonnulla absurda veritatis cultoribus, à non adhibentib. animum inferuntur, q̄ ipsi quidem obijciunt argumentis hoc quæsitum probantibus, in ipsis argumentis quantū fieri potuit, præcise dilui. Ex his autem, quæ ipsi conclusioni inferunt, ea q̄ maxime vrgent, & maiorē vim habere videntur eligens, breuiter atq; abunde, quantum rei natura patitur, dissoluā; vt quā absolutissima reddatur tibi nostra oratio. Quāquam absurda ista nō nobis inferuntur, neq; nos horū rationem reddere debemus: verum longe antea sancti accusandi sunt, qui huius dogmatis nobis authores & duces extiterunt. Non dico solū Occidentales, qui hoc clarissime fatentur; verum ēt Orientales; & ab ipsis petendę sunt dissolutiones. Quod sane quidē, & fecerunt illi præuenientes. Licet haud grati animi sit, eorum dictis nō acquiescere: cum semel credendum sit, eos diuino Spiritu locutos esse. Attamen nos quoq;, quoad fieri possit, præsertim ab ipsis sanctis Patribus, aliisq; beatis viris, qui in his rebus laborarunt, illuminati, ad hæc mediocriter accingemur. Opinantur itaq;, si quis ex amboh. dicat Spiritum procedere, Patrē & Filium vel ita secum cōmisceri, vt vnam personam ex duab. efficiant: vel si non hoc, duo tamen principia, & duas causas sequi; quod & ipsum non minus priore absurdum est. Nos vero ad illud admixtionis p̄sonarum ita respōdemus. Quod, si p̄sonalem, seu hypostaticā proprietatem personæ Patris poneremus esse operationē producendi, tunc sequeretur hoc absurdum; & esset renera Filius vna p̄sona cum Patre, si constitutiuæ proprietatis particeps esset. Quoniā vero quod constituit proprietatem personæ Patris, paternitas & generare dictum est esse; producere aūt, esse proprietatē seu notionem, q̄ personam constitutam sequatur; q̄ necessitas est, vt qui hanc proprietatē participat, q̄ minime constitutiua est ipsius personæ, vna sit persona cum ipso? Quemadmodum. n. illud participat Filius, quod Spiritus sit eius spiritus, sicut & Patris; & quod mittatur ab ipso, eque vt à Patre; & tñ non participat eius personā; propterea, quod spiritum dici Spiritum Patris, vel ab ipso mitti, nō est quod constituit personā Patris. Hoc modo, neq; in producēdo particeps & socius factus, cum eo ita miscetur, vt vnā personam efficiant: quoniā producere, non est constitutiuum personæ Patris. Quapropter, quādiu non ostenderit aliquis, producere, constitutiuum esse Patris, neq; permixtionem personarum poterit probare. Sed producere, constitutiuum esse personæ Patris probare nō potest: sic. n. duplici persona præditum, duasq; habentē hypostases Patrē ostenderet, vt in principio dictum est: quod est absurdum. Denique producere, esse constitutum Patris, & à solo Patre procedere Spiritum S. vnum & idē est. Quare qui hoc dicit, quod quærit, assequitur: hoc vero non ostenso, neque p̄mixtio sequitur iuxta eos qui sic opinantur. Dictum est autem & in principio huius quæstionis: Eorum q̄ in Deo dicuntur, quæ nā sint cōmunia quæue propria. Proprioū vero, quænam duarum personarum propria: quæ vnius tūm. Et eorum quæ vni conueniunt, quæ ita propria, vt ēt sint hypostatica & cōstitutiua; quæ vero sint ita propria, vt notionalia, non tamē hypostatica: hoc est, quæ notā & manifestam faciant personā; non tamen & cōstituant; cuiusmodi & producere tunc dictum est esse. Quare tum ex ibi prius assumptis, huius absurdi dissolutio est manifesta, neque possumus merito accusare Latinos, quasi permixtionem personarum faciant. De duplici vero principio, & quod duæ causæ in Deitate concludantur, quod & magis quam vmbras sequi Latinos nostrates arbitrantur, quidnam aliquis dicet? Quid vero aliud, quam vt ipsa simpliciter auctoritate sanctorum, id negantium proposita, sane quidem contenti simus? *Pater enim & Filius*, inquit, Augustinus, *non duo principia Spiritus S. sed vnum principium ipsius & ambo sunt, sicut & creaturæ, non tria principia, Pater, Filius & Spi-*

rtus Sanctus; sed vnum est ipsius principium, Deus Trinitas. Quamnam clarioné ea quærat aliquis solutionem, quã Spiritus S. per istum Patrem atq; Doctorem enunciat? Non enim nos fugiat, hoc idem absurdum, scil. duorũ principiorũ, multitudinisq; Deorum ét in mundi productione sequi, si quis non animaduertat, q̃ quidem à Christiana religione est alienum, congruens vero Gentilibus. In quo enim nos summopere Gentiles reprehendimus, hoc illud est, quod multos mundi opifices, & multos Deos introducerent. Si igitur tres hypostases creationis causas esse dicimus, hoc absurdum nos sequetur; eruntq; multa principia & Deitates.

Verum audi, quemadmodum Doctores id sapienter dissoluant. Etsi.n. Patrem, & Filium, & Spirium, æque causas creationis esse dicimus; attamen, quoniã principium creaturarũ ad Patrẽ refertur; indeq; tum Filius, tum Spiritus S. & ipsum esse, & creandi potentiã habent; Patre.n. non existente, neq; Filius esset, neq; Spiritus sanctus; neq; creando potentiã haberent. præterea, quia vna eademq; numero potentia, ab vna eadẽque cõmuni Deitate prouenientes erant; ob id merito, vnus Deus, & vnus mundi effector dicitur. Hoc igitur, & in Spiritus ex Patre Filioq; processione, satis aptum est ad dubitantes & quærentes respõsum.

Quod.n. propterea vere ac proprie sit vna causa, vnumue principiũ processionis Spiritus S. quia vna eademq; potentia Pater simul ac Filius Spiritum producunt; & quia ex Patre hanc producendi potentiã habet Filius, ad hoc probãdum maxime quidẽ vt dictum est, & hæc satis esse.nt; ostenditur tñ hoc idem & ratione, Etenim duo cũ sint, vt dictum est, ad quæ omne q̃ producitur refertur, species scil. secundum q̃ producitur, & suppositum seu persona ex qua producitur. Si Pater quidẽ & Filius, quemadmodum duo sunt p̃sonis, ita quoq; specie secundum q̃ producunt Spiritum duo essent, & omnino in duas partes secarentur, ac diuideretur; tunc sane non esset mirum, imo vero & necessariũ dicere duo principia Spiritus S. Nunc vero, quanq̃ potissimum, duos esse hypostasib. inter oẽs constat; quia tamen specie qua producunt vnum sunt numero, & omnino indiuisibiles; est.n. diuina essentia, secundum q̃ ambo Spiritum S. producunt, vna eademque numero cõmunis ambobus existens: ideo non est necessarium, atq; adeo nullo modo fieri potest, vt duo dicãtur principia. Est.n. vna, essentialis, & cõmunis ipsis productiua vis & potentia, quæ quidẽ & si essentialis haud dubie conceditur esse; non põt tamen cõmunis illis cum Spiritu sancto: q̃, vt sæpe dictũ est, proprietati eius repugnet. Omnia enim sunt Filio ac Spiritui S. cõmunia; vt & hoc non raro dictum est, seruatis suis proprietatibus. Omnia.n. est Filius quæcumq; & Pater, secundum Magnum Basilium, cæterosque Doctores; permanẽs in eo q̃ sit Filius, hoc est suam proprietatẽ retinens. Tametsi enim quã maxime æqualis & similis est Patri, ipse tamẽ generate seipsum minime potest; q̃ ipsius proprietati repugnet. Igitur & Spiritus S. omnia sibi habet cum Patre Filioq; cõmunia, manens in eo quod sit Spiritus; hoc est seruans suam proprietatẽ. Vnde non põt seipsũ producere; licet omnium particeps fiat; quod ipsum personæi, sius repugnet. Quare, nulla ex parte iusta & rationalis est eorum argumentatio, qui duplex principium Latinis obijciunt.

Verum aiũt. Vel perfecta est productio Patris! & sic vana erit ex Filio, vel si necessaria est productio Filij! Imperfecta est Patris. Hoc aũt absurdum est, imperfectã dicere operationem Patris, & ad perfectionẽ indigere Filio. Nos vero ad hæc dicimus; q̃ qui aiunt ista, videtur in omnib. Patrem ac Filiũ eorum q; operationes secare & diuidere, in humanis exẽplis omnino innixi. Et quoniam vident duorum hominum operationes duas esse numero, & alteram ab altera seiunctã, licet ad vnum effectum tendant, opinantur ét in Deo idem cũ Diuinis personis congruere. Indeq; tales dubitationes in medium afferunt. Verum istud cogitare absurdũ est. Pater enim & Filius, cum tm̃ personis distinguantur, in omnibus aliis vnum atq; idem sunt. Et propterea ét secundum istã potentiam productiuam, nõ minus, non seor sum vterq;, nec vnus quidẽ prius, alter vero posterius; neque vnus alia productione, alter alia producit Spiritũ, quemadmodũ aliquis eorum qui in omnib. craſſi & corporei existunt, putaret; verum simul, & ante tẽpora, vna eademque potentia, cum ambo perfecte & plusq̃ pfecte producant, istis vanis rationibus minime relinquunt locũ. Sin minus! Interrogentur vicissim qui hæc aiunt, perfectane sit ex Patre mundi creatio, an imperfecta? Si.n. perfecta! cur & Filius, atq; ét Spiritus sunt causæ? Si imperfecta! & propterea Filius & Spiritus veluti socij adiunguntur, animaduertant ipsi quid dicãt. Verũ ego certo scio perfectã quidem entiũ esse ex Patre productionẽ: vnam vero numero Filij & Spiritus, in eadẽ productione esse operationẽ; & non aliã quidem illius, horũ vero aliam, tunc.n. haberent locũ ista puerilia quæsita. Sic igitur & in re proposita, quæ est ex Patre processio Spiritus S. perfecta quidem est, & plusq̃ perfecta; eadẽ vero numero vna que est, & ea quę est ex Filio eiusdem processio, non alia atque alia, neque aliter atque aliter; neq; alias quæ ex Patre, & alias quæ ex Filio, sed simul, & eadem est; & similiter vna eademq; potentia producunt ambo. Et nemo hic rationẽ conuiciis infectetur, cũ nos audit, qui à creatura argumentamur. ergo, inquiens, creatmã Spiritum S. Latini existimãr. Sunt enim, qui & in istud impudẽtiæ venerint, & hoc Latinis opponere sint ausi. Hæc.n. vel ludentiũ sunt, vel ignorantium, Sanctos Patres arq; Doctores, qui sane ex humanis sæpe, quidin diuinis esse soleat, ratiocinantur, & ex ijs, quæ vel exiguum diuinæ similitudinis vestigium habent, illa astruunt atque confirmant. Sane tres personas, mente, verbo & Spiritu, ad huc ét oculo, fonte, ac flamine, & tursus sole, radio atque lumine satis commode consequi & exprimere putant. Arqui vnumquodque horum exemplorum, licet tria sint cogitatione in animo atque nomine, vnius tamẽ sunt hypostaseos & suppositi. Verum tamẽ non arbitrati sunt Patres hisce exẽplis veritatẽ sibi propositã labefactari: Sed quantũ eorum scopo congruens erat sumentes, reliquũ & nõ cohærens reijciebant. Et nemo id ipsis, q̃ istis exemplis vsi fuerint vitio vertat; neque verteret, non profecto, si sana mente sit. XIV.

Quo ergo pacto merito aliquis accusabit Latinos, q̃ ad vnã & eandẽ numero ex Patre Filioq; Spiritus processionem ostendendã, vna, & eadem, quæ à Trinitate prouenit, eiũ creatione vtũtur? Aut qua ratione quisquam propterea dicere audeat eos, Spiritum S. in loco creaturarũ collocare? Præsertim cum nemo Latinorũ qui nunc sunt, neque qui post disiunctionẽ & illud execrandũ & detestabile schisma fuere, hoc primus dixerit; sed ab ipsis istud dictũ sit antiquis Sanctorũ. Siquidẽ Augustinus est, qui altitudine sapientiæ facile oẽs superauit; quo neque sanctitate, neq; in Deum charitate maior vllus fuit, id affirmat. Nimirum Patrẽ & Filium, vnũ esse principium Spiritus S. quemadmodum ét Pater, Filius, & Spiritus S. entium productionis sunt vnum principiũ. Accusent vero & Diuum Athanasiũ affirmãtẽ, *naturã Dei esse causam Filii & Spiritus S. atq; ét totius creaturæ*, in disputatione, q̃ edidit, dissimilis & Orthodoxi. Verum, q̃ sane ex rationib. nonnulli afferre solent, contra nostram verissimã conclusionem, tan q̃ absurda sequentia, & si multo plura sint, ad hæc tũ ferme omnia renocantur. His vero satis superq; dilutis, illa quoque valde infirmis fundamentis nituntur, ac potius mittentes feriunt, quam aduersus quos iaciuntur. Quare prædicta, & ad illa omnia sufficient.

Reliquum est considerare, q̃ argumentantur ex quibusdam sanctorum dictis; quam vero ea, Latinis & veritati dogmatis aduersentur. Ex quibus contradictionem concludere eos arbitrantur.

Horum vnum est illud D. Damasceni, in suis Theologicis asserentis: *Spiritum dicimus Filii, ex Filio autem non*

dicimus. Alterum est illud Beati Dionysii dicentis: *Solus fons super substantialis Deitatis est Pater.* Si quid enim aliud ex dictis sanctorum sit, eiusdem tamen sensus est, & ad eandem spectat intelligentiam: quippe ista sunt multo forriora, & quæ ex aduerso Latinis opponi videntur.

Ad illud igitur Damasceni audi, quam plana, expedita, & iusta, quæq; omnibus persuadere sufficiant, Latini, Latinorumq; propugnatores, atque huius sententiæ defensores respondere possunt.

Nullum vnum est nomen, inquiunt, quod ad explicãdas res diuinas, & quæ de Deo dicuntur sit aptum: verum multis ac variis, alio quidem nomine hoc, alio aliud explicari. neq; tamen perfecte ea significare possumus. Etenim nomina ista & verba à nobis inuenta, qui natura duce res disponimus, & rebus naturalibus quibus congruunt ea imponimus, res insignes & eximias perfecte indicare, & planas facere nequeũt. Vnde non oportet æquos rerum æstimatores, imperfectionẽ nominum ad res diuinas accommodare; neq; enim iustum esset, atque adeo neq; pium. Verum, quoniam aliis nominib. diuina explanare nequimus; est enim arduum ac difficile penitus, cum simus mortales, debemus quidem vti humanis hisce nominibus; vti vero, quatenus consentaneum est. Illud sane, quod ad ipsam rem facit, ex singulis istis sumẽtes; quod autem imperfectum est minimeque cohærens, reijcentes, & defectum vnius vocabuli per aliud supplentes.

Igitur in re præsenti, ex Patre Filioque Spiritus processione, duo quædã quærimus; quorum alterum quidem est, Patrem ac Filium pariter æqualiter, que Spiritum sanctum producere; non hunc quidem perfectius, illum imperfectius; hoc enim esset contrarium veritati fidei: Alterum illud est, Filium, relationem in producendo, & ordinem habere ad Patrem. hæc enim vtraq; æque Filio ac Patri vnum sunt. Etenim & summa in eis est æqualitas potentiæ, imo vero identitas, & summus ordo. Omnia enim quæ habet Filius, & hoc ipsum producere Spiritum, à Patre habet. Si igitur fieri posset, vt vnum aliquod nomen inueniretur, quod esset aptum cum ad summam eorum potentiæ identitatem, tum ad summum quo se mutuo respiciunt ordinem simul declarandum, eo sane ante omnia alia vteremur. Nunc vero, non solum istud nullo modo fieri potest, & necesse est, vno quidem nomine horum alterum alio alterum indicare: verum & in vtroq; horum nominum, ad exprimẽdam alteram tantum significationem, præterea quidam non paruus defectus inest: Quare nos recte pieq; facientes, quod cõsentaneum est ex istis assumimus, reiicimus dissentaneum. Huiusmodi vero sunt hæ præpositiones, Ex, in quam, & Per. Harum enim illa præpositio Ex, æqualitatem quidem, & valde significat, in quibus rebus assumitur; ordinem autem alterius ad alterum, minime. Si quid enim ex duobus fieri dicatur, veluti si aliquod pondus à duobus trahatur; similiter quidem & æqualiter, quoad vim præpositionis spectat, ex vtroque trahi significatur; neutrius vero ad alterum ordo per id intelligitur. Præpositio autem, Per, totum oppositum: ordinem quidem, & valde significat; æqualitatem minime. Si quid enim ex isto per istũ esse aut fieri dicatur, habere quidem ordinem eum, de quo dicitur præpositio, Per, ad eum de quo prædicatur præpositio, Ex; & hunc ab illo accipere posse, aperte indicatur: æqualitas vero ipsorum, quam inter se habent, minime. Minoris enim potentiæ ac potestatis ostenditur esse is, de quo prædicatur præpositio, Per. Propterea Doctores & Patres, cum Orientales, tum Occidentales, respicientes ad Patris & Filij æqualitatem, seu potius identitatem potentiæ ex Patre & Filio proficisci Spiritum sanctum, & ex Patre & Filio esse, & procedere affirmantes; identitatem illorum potentiæ volentes ostendere; & quod vna eademq; productione ex ambobus procedit Spiritus sanctus. Cæterum, cum propositum esset illis, ordinem magis ipsorum quo se inuicẽ spectant ostendere; ex Patre per Filium ipsum Spiritũ sanctum procedere, & ex Patre per Filium, & ex Deo per Filium esse, veluti rem certam decernunt. Quæ omnia processionem ad eius esse, & existentiam hypostaticam clarissime indicant.

Sunt vero nõnulli Sanctorum, qui vel ad solum ordinem, vt maior pars Orientalium; vel ad solam æqualitatem, vt plerig; Occidẽtalium respexere. Vnde nonnulli Occidentales æqualitatem, & identitatem pluris æstimantes, præpositione Per maxime vti sũt; præpositionem, Ex, raro assumentes: Non quidem contrarias sententias inter se dicentes, verum alias atque alias, aliis & aliis vocabulis significantes. Quocirca, & in creatione mundi, quam q; ét ex Filio manifeste omnia producta sunt, quemadmodum & ex Patre; valde tamen raro reperies apud sanctos, præsertim Orientales, qui ex Filio productum esse mundum asserant, sed semper per Filium; sequuti illud, *Omnia per ipsum facta sunt.* Sic ad ordinem magis Orientales spectarunt; & propterea præpositione, Per, vtuntur quæ ordinem solum indicare potest. Præsertim cum & præpositio, Ex, lingua Græca causã προκαταρκτικὴν, hoc est, originalẽ, & à nullo alio vim causandi accipientem, atq; vt asserunt Theologi, principium originis sine origine, significet. Qualẽ causam esse F. liũ, vel mundi, vel Spiritus S. non potest dici, propterea fugiũt in ipso Patres præpositionem, Ex, nominare: ne aliquis protocatarcticam causam in eo suspicaretur. Et quid ego præpositionem dico? quandoquidẽ & nomine causæ in Filio & Spiritu, quoad fieri possit, vti recusant, arqui manifeste Filio & Spiritu causis, vel potius vna causa cum Patre, creationis existentibus. Et admodum raro inuenies ipsos, qui hoc nomine vsi sint; propterea q̃ vereantur, ne originalis causa quibusdã esse videatur: quod sane ipsi nollent. Vnam enim originalem causam Deitatis & creaturæ, Patrem agnoscunt.

Si igitur Latini quidem cum Occidentalib. sanctis, non paucis ét Orientalibus, ex Patre Filioq; Spiritum S. affirmantes, non originalem causam dicunt esse Filium, sed identitatẽ ipsorum potentiæ declarant & exprimunt; Damascenus vero originalem causam negãs, quæ illa præpositione, Ex, significari solet, ad ordinem magis respexit; & propterea præpositione, Per, vtitur; ex Patre per Filium procedere Spiritum S. concedens, quo modo loquendi ordo Filij ad Patrem declaratur; æqualitatem, seu identitatem ipsorũ potentiæ, nec ipse quidem improbans: quoniã modo inuicem magis consona dicerent: ipse.n. ille est, qui de Patre dixit: *Ipse igitur est mens, verbi abyssus, verbigenitor, & per verbum productor manifestationis Spiritus.* Et rursus; *Spiritus vero S. manifestationis secretæ Deitatis vis Patris, ex Patre per Filiũ procedit.* Quod aũt illa præpositione Per, ab isto Doctore, cæterisque Patribus, & Filius cum Patre causa esse personæ Spiritus ostendatur; satis in ea, quam de concordia conscripsi oratione probatur. maximeq; verbo ἀκαταπαύστως & ἀεὶ adhibito, & adiecto: q̃ etiam secundũ nostrates, nihil aliud quam existentiã Spiritus significat. Hæc igitur ad illud, quod nobis ex scriptis Damasceni obiciunt. *Procedẽdi.*

Ad illud vero Sancti Dionysij, vt magis & clarius appareat, non hunc habere sensum quem nostri arbitrantur; audiendi sunt prius Doctores, qui concedunt Filiũ esse fontem Spiritus sancti; non donorum quorundam non subsistentium (hoc enim frequenter in omne dictum, nonnulli vsurpare, atque vti soliti sunt) sed ipsius hypostaseos Spiritus.

Primũ igitur Athanasius in oratione aduersus Arianos, illud Psalmi, *Quoniam apud te est fons vitæ*, explanans; *Sciebat enim*, inquit, *Pater, habere apud se Filium, fontem Spiritus sancti.* Sane quidem hypostasim hic significat, non donũ aliquod, subsistentiã non habens. Etenim habemus à Basilio magno tradita nobis regulã, cum illa appendicula, *Sanctum*, nihil aliud, q̃ hypostasim Spiritus intelligere debemus. Hoc in loco itaque, Filius, fons Spiritus sancti, cum accessione *sancti* dictus, nimirum hypostaseos ipsius, fons dictus est.

Deinde vero, idem ipse quoque magnus Basilius, qui hanc nobis tradidit regulam, Filium appellat fontem Spiritus sancti, sic dicens: *Fons vitæ est Filius, ait enim Dauid ad Patrem: Quoniam apud te est Fons vitæ, & rursus alius propheta dicit de Iudæis: De reliquerunt me Fontem aquæ vitæ, aquæ vero viuæ, nominatur Spiritus sanctus.* Et nota, quod Spiritum sanctum dicat, significans hypostasim & personam: hypostasis autem Spiritus sancti, est Deus. Filius igitur, cum sit fons Spiritus sancti, est fons clarissimæ Deitatis. Quare dictum D. Dionysii affirmantis, solum Patrem esse fontem supersubstantialis Deitatis, quoniam prædictis sanctis non aduersatur, (non enim fas est cogitare, Doctores inter se contrarios esse) alium quempiam habet sensum, præter eum qui multis apparet, & non remouens à Filio, fontem esse Spiritus, hæc ait: verum & ipse vna cum istis Doctoribus, diceret Filium fontem Spiritus, hoc est, eius hypostaseos.

His igitur prius illustratis, deinceps dicimus, non esse propositum huic Doctori tradere, hic omni ex parte perfectam & plenam diuinarũ personarum Trinitatis distinctionem. Indeque perspicuum est, quod nullam distinctionem Filij ac Spiritus inter se, in hac oratione tradiderit. Non igitur omnium personarum distinctionem inter se tradit; sed Patrem tantum ab his, qui ab ipso habent esse, distinguit. Patrem igitur ad Filii rationem contemplans, hac ex parte tantum, & horũ cum tradidisset inter se discrimen, solum Patrem fontem appellat: vtpote, qui sit fons Filij, Filius vero minime sit fons Patris. Quod autem de Patre tantum ac Filio dicat, etiam ex consequentibus manifestum est. *Persona enim*, inquit, *supersubstantialis diuinæ generationis, non reciprocantur.* Nomen enim illud θεογονίας, hoc est, diuini ortus, à gignendo, & generatione desumptum est. Quæ sane relatio tantum Patri conuenit & Filio, cum alter generet, alter gignatur. Hoc vero, & vltra progrediens Doctor, magis planum & manifestum facit. *Non existente* inquiens, *Patre Filio, neque Filio Patre.* Quare cum gignere ac paternitatem tãtum Patri attribuisset, cum solum ait esse *fontem Deitatis*, quasi diceret, solus ipse est Pater, & solus generat: cum neq; ipse obtinuerit locum vt gignatur, neque Filius vicissim acceperit locum vt generet, & propterea, personę supersubstantialis diuinæ generationis minime reciprocantur.

Verum enimuero, & si quis diceret solum Patrem esse fontem supersubstantialis Deitatis, quippe qui solus ipse causa sit, & Filij, & Spiritus sancti, à vero non aberraret. Solus enim ille est causa, & amborum: & solus est fons non ex fonte; cum Filius sit fons quidem, vt sancti asserunt, sed fons ex fonte. Huius porro sensus & intelligentiæ, etiam Beatum Augustinum, socium nobis adducere possumus. In quarto enim libro de Trinitate, ait. *Quod autem dicit Dominus, quem ego mittam vobis à Patre: ostendit Spiritum sanctum, & Patrũ esse, & Filii. Cum enim etiam dixisset. Quem mittet Pater in nomine meo, addidit: Non tamen dixit, quem mittet Pater à me, quemadmodum dixit, Quem ego mittam vobis à Patre; ostendens scilicet, totius Diuinitatis, vel si melius dicendum est, Deitatis, Patrem esse principium.* Quem alium, quam istum cui magis credamus, mentis Dionysii quęremus interpretem? Quis isto melius intellexit sensum illius? Cum & ijsdem Theologiæ insignibus ornatus esset, & Deum in se loquentem gestaret? Ecce enim, quod ille solum fontem supersubstantialis Deitatis dixerat, iste principium totius Deitatis dixit: tanquam Pater scilicet sui ipsius neminem causam habeat; ipse vero, & Filij, & Spiritus sancti causa existat: Filius autem & ipse sit causatus, & solius Spiritus sit causa.

Neque vero rursus hic nomen totius Deitatis offendat, partem cum toto conferentem, tamquam Filio partis causa existente. Diuinitas enim non diuiditur; sed hoc incommodum & vitium, ex defectu & imbecillitate nominum prouenit, quam, non bene facies, si ad res ipsas transtuleris.

At enim, cum multa sint & alia, quibus aliquis explanans sententiam Dionysii vti posset, dicta tamen sufficiant, cum & clara sint, & contra quæ nemo dicere queat. Ostenso enim secundum cæteros Doctores, quibus sanctum Dionysium non esse contrarium, par est dicere, quod & Filius sit fons Deitatis. Siquidem Spiritus Deus est; Spiritus sancti vero fons est Filius; superest, vt illud dictum, solus Pater est fons supersubstantialis Deitatis, vno ex prædictis modis, & non aliter accipi debeat.

Ego itaque tibi morem gerens, vir optime, quod petiisti iam perfeci; cum & res gestas in Synodo, ex parte attigerim, ac rationes, vtriusque quæsiti breuiter reddiderim, absurdaque illata dissoluerim, atque vndecumque veritatem conclusionis ostenderim. Pluris vero æstimaui etiam in phrasi & elocutione, modum planum & remissum, magis quam elatum; vt quoad fieri posset, omnibus qui legerit, oratio sit clara & facilis. Quantumuis licet sit elocutio plana; sententiarum tamen, ac subiectæ materiæ magnitudo, non paruam obscuritatem efficit. Vnde etiam te rogo, & quemuis alium; qui in hæc si ripta incideret, vt cum animaduersione, ac sine præiudicio anticipatæ opinionis, & sæpe eadem legatis sine defatigatione verum inuestigantes. Forte enim non indignos vestro labore fructus feretis, vtilitatem percipientes ex ijs rebus, ex quibus emolumentum consequi vobis necesse est. Ante omnia vero, auctoritates sanctorum, atque Doctorum Occidentalium; quas tibi vna cum istis mitto, accurate ac diligenter legentes, ex his huius quæstionis clarissimam veritatem colligite; & eos, si qui sunt, qui contentionis cupidiores, quam veritatis, obiecta quędam vel meæ orationi, vel conclusioni Latinorum inferant, irridete, dictisque sanctorum facile eos confutate. Clarum enim est, quod quæuis ratio, quæ his aduersatur, reprobanda sit; quippe, quæ veritati repugnet; siquidem veritatem Patres loquuti sunt. Tu vero præter auctoritates Occidentalium, quasdam etiam Orientalium tibi expositas, à nobis accipe: vt & ipsos eadem dicentes cum Patribus Occidentalibus, ac non solum intelligentia verum etiam verbis consentientes agnoscas.

Hæc Bessarion Cardinalis Nicænus, Alexio Philãtropino, de rebus in Concilio Florentino gestis perscripserat; quæ hic subiicere, propter leuitatem Græcorum arguendam visum: exceptis sanctorum Patrum tam Græcorum quam Latinorum sententiis, quæ huc ex collectione eiusdem Bessarionis spectant, & dogma de Spiritus sancti ex Filio processione luculẽter probant. Cum enim permulti doctissimi viri, etiam hac nostra ætate, ac superioribus sæculis, de controuersijs, sine controuersia egregie scripserint, & ex monumentis diuinorum Doctorum, atq; sacrorum Conciliorum, multa de hoc quæsito collegerint; sane quidem eas licebit in eorum libros congestas otiose quærere, & veritatem sempiternam cognoscere, quod *Spiritus sanctus, ex Patre & Filio procedit.*

XV. *Quis fuerit Bessarion.*

Fuit Bessarion, *vt Laonicus testatur*, tanto instructus à natura intellectu, vt præstantissimos Græcorum non dico æquaret, verum superaret. Græcarum enim Latinarumque litterarum tanta ei peritia inerat, vt eruditionis palmam inter omnes facile caperet; maxime ab iudicio, quo in re qualibet plurimum pollebat. Addit idem Laonicus, de ingenio Græcorum; instabili, scilicet, vario, & peruerso; quod domum reuersi, non amplius his quæ conuenerant in Italia stare voluerunt; verum apprehendentes sententiam diuersam, noluerunt amplius in religionis negotio adhærere Romanis. Hinc motus Eugenius Pontifex Romanus, viros quosdam doctos Byzantium ad Græcos misit, vt cum his in colloquium venirent, qui quidem Synodum & concordiam in Italia factam non admittebant. Nam Marcus Ephesi Episcopus, & Scholarius Etherodoxus, ne ab initio quidem Latinorum dogmati consensum præstare voluerunt. Vbi ad colloquium & ad disputationem ventum est, Romani nihil efficere potuerunt; ve-

rum

tum re infecta domum reuersi sunt. *Chalcocondil. lib. 6. de rebus Turcicis.*

Collaborauerunt Latinis præter Bassarionem, alii doctissimi Græcorum; & editis libellis, impostura Marci Ephesii de Concilio Florentino detexerunt, nec non cauillationes confutarunt. Inter hos Iosephus Methonensis Episcopus, & Gregorius Hieromonachus, magnus Protosyncellus, & à confessionibus, qui postmodum creatus est Patriarcha, pro Concilio Florentino, contra Marcum, Commentarios ediderunt. quos propter Græcos visum fuit isthic adiungere: vt in ore etium istorum virorum permaneat omne verbum, omne verum.

XVI.

IOSEPHI DEO AMABILISSIMI METHONENSIS EPISCOPI.

RESPONSIO AD LIBELLVM DOMINI Marci Eugenici Metropolitæ Ephesi; in quo Marcus quid de Sacrosancto Synodo Florentina sentiret, exponit.

Proœmium auctoris Apologiæ.

VENERABILIS hic vir Christi nomine insignitos in schismaticorum volens detrudere partes, & proinde à piorum societate segregare, atque à sacra Synodo penitus abalienare, veluti tomum quendam sententiam suam exposuit; quem ad omnes vbiq; Christianos mittens admonet, præcipit, ne œcumenicam Synodum suscipiant, sed potius adhæreant ipsius dictis quippe cum vnus & ipse sit ex eorum numero, qui in sacra illa Synodo disputarint: Quodque cæteri quidem amplis pellecti promissis atque honoribus assensi fuerint, ipse vero nullo modo sit assensum eorum sequutus: Et illi quidem numeribus manu acceptis vniti sint, hic vero manus nec muneribus, nec auro inquinauerit.

Quoniam igitur ad nos etiam nuper hæc ipsius adhortatio peruenit, dignum re vera est examinare, num vera dicat, atque hæc dicens cum Sanctis consentiat. Et si quidem veritati consona docet, nos quoque ab ipso stabimus, incusantes Latinos, & per omne tempus cum illo concordabimus: sin autem illum longe à veritate distare, & aliena prorsus à Sanctorum theologia pronuntiare perspectum fiet; reiicere quidem ipsum tanquam impostorem & pseudomagistrum, eius vero sermones execrari, vtpote animas nostras lædentes, conueniens ac salutare fuerit. Hoc porro demonstrato, auersari nos oportebit & ipsum, & omnes qui cum eo contraria nobis affirmant, cum Sancta vero & Catholica Dei Ecclesia coniungi. Cæterum miretur nemo, si tanti viri docti & eximii sermones infringere aggredimur. Id sane potius mirandum, cum ipsum à nobis tantum virum conuictum videritis imbecillitatis & falsitatis verborum, quæ profert. Nam si expertes scientiæ fuimus, ac certe orthodoxi Dei beneficio. Ille enim qui dixit; *Cum ducti fueritis ad sapientes & præsides, nolite timere; ego enim dabo vobis virtutem, cui non poterunt contradicere omnes aduersarii vestri*: ipse nos etiam potest illuminare, per quem & pscatores, cũ essent illiterati, theologi & oratores euaserunt; vires suq; dare, quæ sufficiant ad hunc fugandum. Ne ergo respicite ad excellentiam viri, nostramq; tenuitatem, sed vter nostrum veritati consonet, & cum theologis Ecclesiæ consentiat maxime: Veritatem quippe dicenti necessario fides habenda est. Sed ne videamur exordientes polliceri eximia, age ipsius dicta in medium afferamus, & ea per verba singula diligenter expendamus, vt cunctis liquido appareat veritas.

Luc. 21.

Marcus Ephes.

Ego propter mandatum & necessitatẽ Ecclesiæ Christi sti suscepto pontificali munere, quod statum & vires meas tantopere superat, sequutus sum œcumenicum Patriarcham; & diuinitus datum Imperatorem ad Synodum in Italia celebratam.

Resp. Omnes qui nomen Christo dedimus, propter necessitatem & mandatum Ecclesiæ Christi non modo suscipere debemus, interim cum reuerentia munus Pontificale; quod, vt dixisti, & statum & vires nostras reuera superat, cum sit honoris maximi dignitas, sed & mortem oppetere, & quamuis aliam rem necessariam profundere, opes, corpus, & ipsam animam pro Christi Ecclesia; & sequi concessos à Deo nobis duces, Patriarchas & Imperatores, non solum in Italiam, quæ adhuc subest Christianorũ dominatui, sed in extremas etiam orbis terrarum partes, quas incolunt infideles, ne Crucis prædicatio euacuetur, & veræ fidei confessio contumacium hæreticorum impetu labefactetur: hac etiam in re imitantes veteres illos percelebres ac beatos viros, qui suum alacriter effuderunt sanguinem propter Christi Dei nostri Ecclesiam. Quare si tu quoque sequutus es, fecisti quod debebas; atque vtinam opus etiam perfecisses, vti debebas. Sed videamus quæ sequuntur.

Mat.

Nulla morbi, quo laborabam, ratione habita; nec etiam rei de qua agebatur, cum sit momenti longe maximi, difficultatibus deterritus; sed iperans Deo fauente, & confidens opera communium horum patronorum fore, vt omnia nobis ex sententia succederent, & magnum aliquod opus perficeremus & laboribus nostris & spe non indignum.

Resp. Debebas vt vir doctus ac prudens corporalis tui morbi rationem habere, qui maximus erat, & multis te doloribus ungebat, testantur hoc cines tui, tuarumque defensores opinionum: Vbicunque enim te morbus comitialis exagitasset, volutabaris, spumas in ore agens, & moleste agitatus. Cõsiderare etiam debebas rei propositæ magnitudinem, ad quam magno opos esset studio & pietate, nec non scientia, intelligẽtia, & vera notitia: & omnino mens tibi dirigenda erat tota ad ipsum bonum & sanctum Spiritum, pro quo etiam tunc Ecclesia laborabat; & ab illo vno conciliatio & pax petenda; non ad terrenas spes & gloriæ studia & similia conuerrenda. Etenim Saluator ipse præcepit; Quærite primum Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis; Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Tu vero terrenas cogitationes intento animo voluens, speranſq; futurum, vt Latini vid docti & virtute præstantes tua opera sententiam mutarent, tuisque rationibus cederent; atq; à Symbolo vocem illam, Filioque, vt falsam expungerent; & Occidentis Principes cum suis terrestribus copiis te sequentes bellum cum impijs Turcis susciperent (hæc enim spes erat curarum laborumque tuorum, non vt veritatem dogmatis indagares, & Ecclesias coniungeres tanto iam tempore diuisas) venisti in Italiam. Si enim tibi tuisq; scopus hic extitisset, subsequata quoque essent consequentia: at vero cum tu ipse tuiq; peruersa mente fueritis, profecto omnia peruerse subsequuta sunt, & hæc quidem ad illa; videamus & deinceps posita.

Matth. 6.

Ephes.

At vero illuc profecti statim experti sumus Latinos aliter nobiscum agere, quam sperabamus; confestim quidem nobis desperatio finis obuenit: & prope quis stantem sic est afferier orsus; haud sane homines isti mores suos & dogmata vlla ex parte patienturimmutari, qui tantum nobis supercilium ostenderunt.

Resp. Expertus es re ipsa, quod vt insipiens non putabas; existimabas enim tu Latinos esse ineruditos, atque ita futurum, vt eis persuaderes audire te velut indoctos: at vbi contra quam sperabas, compertisti, aufugere inde voluisti, pertimescens disputationis certamen: Clamabat enim palam Ioannes ille; Adducite Ephesium ad nos; quemadmodum paulo post ostendemus: tu vero detrectasti confessum, vi argumentorum deterri-

tus,

tus, & tunc quidem respondere non valuisti; nunc vero, quando solus es, hæc dicis, studens interim decipere simpliciores. Sed neque opus erat ipsos à te vel à tuis edoctos dogma mutare vel institutum: Vbi enim germana docetur sapientia, & perfectos illa effecit sui studiosos, non est fas, institutum aut dogma fidei commutare. Esse autem in Italia doctos perfectosque viros, nulla ex parte inferiores beatis illis, quos tulit antiquitas, nemo negauerit, dum non sit prauitate oppletus. Quod cum in Italia sit, quanto magis in Romana Ecclesia, in qua nec infidelitas, nec turpe dogma vnquam mansit? Excellentiam porro sublimemque animum præ se tulerunt tanquam eruditi viri ac generosi, honore inuicem præuenientes iuxta diuinum Apostolum; sed non propterea videri ipsos oportebat institutorum & verorum infectos dogmatum, vt à vobis discere optarent; qui non solum estis indoctissimi, sed multo etiam inferiores ea, quæ apud vos esse videntur sapientia. Sed his omissis ad incusationes transeamus, in quibus grauiora quædam nobis dicenda non deerunt.

Rom.12.

Ephes. Interea expectare iussi sumus, & longas tolerauimus præfiniti temporis moras, vt plena Synodus congregaretur.

Resp. Tolerandum tibi erat, & expectandi præstituti dies; nam iusta fuberat causa, quod cunctos Occidentis principatus adesse oportebat Synodo vel per ipsos Principes, vel per Vicarios eorum; œcumenica enim celebrabatur, & multos rei testes esse par erat. Tu quoque expectando bene fecisti: vtinam vsque ad finem ad salutem animæ tuæ hoc præstitisses; Optimum quippe principium ad exercendum finem perduxisti: sed videamus quæ infers.

Ephes. Aduenit constitutum tempus; multi etiam lapsi sunt dies, & vix vnum in locum conuenimus Græci atque Latini.

Resp. Posteaquam omnes, qui expectabantur, venerunt ad Synodum, præfiniti temporis terminus erat tollendus: quod si dies etiam aliquot effluxere, id ipsum quoque fieri opus erat. Neque enim statim conuenire decebat Synodum, antequam loca & sedes pararentur, & honor personis tribueretur ante inceptionem, ne fieret in conuentu tumultus, quod tu fecisti. Cum enim sedis Hierosolymitanæ gereres vices quæ quinta est, locum occupasti Alexandrinæ quæ tertia est: cumque Alexandrinus suo vellet sedere in loco, iratus es, & nolebas disputare. Qui ergo ordinem seruare cupiunt, hæc prius habent parata, ne sub ipsum tempus, vt diximus, oriatur confusio. Conuenistis autem Græci & Latini ad tempus: Cum igitur venissent omnes, quos interesse oportebat, vt dixi; & sedes disposuissent, & disputaturos delegissent, aggressi sunt opus. Sed neque antea, vt asseris, in otio Synodus erat; verum quotidie disquirebatis de igni purgatorio, de azymo, & aliis: quando & tu ipse recte te habere omnia professus es præter additamentum; quod dicebas palam expungendum à Symbolo; atque in peculiari reponendum decreto: concedebas ergo & ipse.

Ephes. XVII. *Resp.* De additamento, quod factum est in Symbolo, primum disputauit.

De eo, quod vobis quidem in Symbolo additamentum videtur, at vero sapientioribus explicatio & declaratio, prius disputare cœpistis: hoc enim vt fortius proposuistis quæsitum. Siquidem optime nouimus, quæstionem de re proposita in duo à vobis esse diuisam; quorum primum erat, non esse addendum: alterum vero, nec etiam esse verum quod est additum; Vtrumque iudicio prudentum inualidum ac nullius plane roboris, vti demonstrabitur: illud quidem, quia videbitur nullas hodie vires habere Dei Ecclesia, cum robore ac neruis illis careat, quos olim à principio habebat: hoc vero, quoniam ipsi etiam Sancti Patres & Doctores videbuntur hæretici, qui de rebus diuinis dissentes ita asserunt. Tuæ porro fuerit hoc etiam mentis ac petulantiæ, egregie Ephesiorum Antistes.

Ephes. Itaque demandato mihi munere inchoandi tractationem, primo quidem exordiens conatus sum dissensionis causam ipsis ascribere, & culpare vt parum iustos amicitiæ cultores fastuque plenos; illis sese defendentibus, & culpam in nos coniicientibus, & se nullo esse in crimine ostendentibus, vt moris est ipsis.

Resp. Aggressus es profecto tractationem, sed turbulente, & cum mendaciis citra omnem veritatem. Quod enim aiebas, additamentum extitisse causam dissidii & schismatis, hoc studiosorum nemo affirmauerit; nisi forte aliqui fabulis anilibus fidem habentes tecum hoc asserant, illi quidem ignorantia, tu vero prauitate ductus. Sed neque pugnabant Latini cum Græcis, neque se superbe gerebant: absit: verum & amabant illos, & cupiebant potius esse cum illis coniuncti. Siquidem initio schismatis il semel in Græcos inuecti, idque pro sui defensione dogmatis, non conuicis sed rationibus, conquieuerunt: Græci vero ex eo tempore ad hanc diem non destiterunt aduersus Latinos omnem mouere lapidem, & dicenda tacendaque in illos euomere: Et nec Dei timor, neq; diuturna contentio, nec Synodus œcumenica, nec veritas ipsa persuadere illis potuit. Pro sua porro defensione respondebant tibi per Archiepiscopum Rhodi, fal'a esse ostendentes quæ dicebas; Quod nequaquam Ecclesia Romana, nec additamentum origo fuerit diuisionis & pugnæ: Neque enim solum ante schisma Ecclesiarum appositum erat Symbolo, sed ante ipsas Synodos œcumenicas, septimam dico & sextam, vt testatur confessor Maximus in Epistola ad Marinum presbyterum Cyprium: Necante illas tantum, vt dictum est, sed mox à secunda Synodo tempore Papæ Damasi, vt asserit Georgius Aristinus historicus. Quare hinc redarguens commentitia dicere; Neque enim additamentum causam dedit seiunctionis Ecclesiarum. Nam si post septimam Synodum exortum est schisma, & multo etiam est illa posterius, additum vero fuerat Symbolo post secundam Synodum, & Ecclesiæ concordabant vsque ad Septimam, & altera alteram huius rei caussa non accusabat, qui fiat vt ex additamento sit ortum dissidium? Immo potius ex hoc ostenditur, Orientalibus explanationem hanc fuisse acceptam, quandoquidem addita etiam Symbolo voce illa, Filioque, non diffidebant.

Ephes. XVIII. Deinde per consequentes Sessiones prolatis sacrorum Conciliorum actis recitaui Definitiones ipsorum, in quibus sancti illi Patres interdicunt Symboli mutationem vsque ad dictionem & syllabam, & horrendas execrationes sanciunt in eos, qui ausi vnquam fuerint quicquam immutare: ita vt Episcopi quidem & Clerici sacerdotio in posterum careant, siutque à gratia sibi data alieni; laici vero subiecti sint anathemati, quod est separatio à Deo.

Resp. Quod tu quidem aliqua ibi protuleris ex decretis generalium Conciliorum, acta testantur, scripta enim sunt in illis quæ recitasti: nihil vero esse ait te dictum, quod vrgeret, & nihil illa contra Latinos faceret, qui scire voluerit, acta legat, & verum à me dici comperiet. Interdictum quippe esse à sanctis Patribus, ne vlla fiat in Symbolo immutatio, & Latini & nos fatemur, & omnia quæ congeris ad turbandos simpliciores, execrationes horrendas, anathema, priuationem sacerdotii, laicorum à Deo separationem, Latini tibi concedunt, sed in eo contradicunt quod taces, quia naribus tuis sinapi est. Possunt enim Latini & nos Synodi defensores ita tibi occurrere: Bene dicis venerande Præsul Ephesie, & nos hæc eadem fatemur, sed nullam tamen nos immutationem in sacratissimo Symbolo moliti sumus neque immutatum illud colimus & veneramur: Nam eos qui immutarunt vel immutare audebunt, nos etiam anathemati tradimus.

Auctoris Apologia sententia.

Etenim sanctam in ipso Triaitatem dogmatizamus, Deumque incarnatum facemur Dei filium, & crucifixum, & sepultum, & resurrexisse eundem venturumq; iterum in fine seculorum ad iudicandum orbem vniuersum: Credimus etiam aperta fide Spiritum sanctum Patri & Filio consubstantialem eiusdemque maiestatis, qui loquutus est per prophetas: Vnam præterea Ecclesiam, & Baptisma vnum pie palamque dicimus, & mortuorum resurrectionem omnibus clara voce prædicamus. Quam ergo nos immutationem in eo fecimus? quæ fraus in illo? nulla profecto. Non ergo debebas vir doctus huiusmodi futilia proferre verba, pro quibus te vel infantes turpiter derideremt. An vero, quod Latini Symbolo addiderint vocem illam, Filioque, explanationis caussa, vocas immutationem? At nos Paulo post, vbi tu quoque de re ipsa disputas, perbene declarabimus, sit ne pia vox, nec ne. Et si quidem piam esse non demonstrabimus, hæc tu recte loquutus eris; & oportet in Latinos maledicta cadere, vt Symboli immutatores: sin hanc piam ostenderimus; tunc Latinos quidem ab execrationibus & anathemate liberos necessario demonstrabimus, in te vero tuumque caput maledictiones omnes & anathema recidisse cordatis vitis probabimus, nunc vero vlteriora perspiciamus.

Ephes. XIX. Ad hæc Syllogismis indissolubilibus ostendi, vim rationum mearum necessario inferte, quod demonstrabam, nec fieri posse, vt Definitiones accipi aliter queant, ac ego illas exponebam & intelligebam.

Resp. Extant in actis syllogismi tui, & vis eorum, quos tibi omnes vno verbo vir doctissimus idemque sanctissimus Iulianus Sanctæ Sabinæ Cardinalis tanquam aranea tela dissoluit, & meridiana luce clarius demonstrauit, in sacro Symbolo dictionem illam, Filioque, non esse additamentum, sed explanationem & declarationem; & licere semper Ecclesiæ veritatem dilucidare, & addere vbicumque voluerit, dummodo quod ad ditur sit verum. Cum enim verum quid additur, non factam appositionē, sed expositionem textus & declarationem fatentur omnes: Cum vero addiicitur oppositum, tunc factum re vera dici & prædicari potest additamentum.

Ephes. Vt comperimus autem Latinos personam in disputationibus deposita veritatis studio non agere, neque vt ipsa appareret eniti, sed vt viderentur habere quid dicerent, & suorum aures præoccuparent; illud etiam obnixe curare, vt omnino ipsi Sessionum finem facerent, atque vt posteriore loco dicentes viderentur omnia diluere, quæ à nobis obiiciebantur.

Resp. Videbas tu quidem Latinos argumentationes tuas apertissime dissoluere; & cum non posses contradicere, aliis disputationem tradidisti; Tumque Præsul Nicænus certamen suscepit, vt cum fratre Andrea Rhodi Archiepiscopo disceptaret, quando & validiora pro Græcis argumenta super additamento ipse proposuit, ad veritatem enim illis tendebat animus, non vt asseris, ad ostentationem, Neque enim disputabant vt Latini & aduersa pars, sed vt Christiani veritatem perscrutabantur, & eam studio nunquam intermisso perquirebant. Id certe liquido constat ex verbis Beatissimi Papæ, quibus ad nostros vtebatur dicens: Miror quod negligenter agatis, conuentus differatis: ego non desino vos excitare ad veritatis indagationem, at vos segniores estis. Annus agitur secundus, postquam cœpta est agi Synodus, nec dum quinque & viginti sunt habitæ Sessiones. Conuenite ergo ad disputandum; ita enim, & nullo alio modo reperietur veritas: Veaite, & cunctationem abiicite; Dolebat quippe vir ille beatus de negligentia nostrorum, quod non conuenirent ad Sessiones. Dicebant porro & se defendebant, non vt viderentur habere quid dicerent, & suorum aures præoccuparent, vt tu calumniando omnes affirmas: procul enim à sensu & scientia illorum hoc est: sed neque posteriores differebant, vt finem Sessionibus imponerent, atque ita viderentur ipsi omnia diluere, quæ à vobis obiiciebantur; verum defensionis causa respondebant, quoniam priores vos proponebatis vt accusatores, reliquum ergo erat, vt illi rationem necessario redderent.

Ephes. XX. Tum vero omissa disputatione ad preces conuersi sumus, quid non dicentes, quod vel lapideos animos posset allicere? vt rediretur ad præclaram illam concordiam, qua olim tum ipsi congruebamus inter nos, tum idem quod Patres sentiebamus; Cum omnes idem dicebamus, & non erat schisma in nobis.

Resp. Desiisse te disputare & nos probe scimus; nimirum quia resistere Cardinali Sanctæ Sabinæ non poteras; quando omnes, quæ à te afferebantur rationes, quod nihil sit addendum, sacro videlicet Symbolo, ac similia dissoluit ipse veluti telam aranææ, addendam esse demonstrans quouis tempore veritatem. Tu vero cum tua non posses defendere, altera progressus es via dicens; Redeamus ad antiquum illud fidei rudimentum ac Symbolum, quod accepimus: Reuereamur Patres nostros: seruemus depositum. Ad quæ Iulianus egregie respondit; Et nos, inquit, vt par est, Patres nostros reueremur, & ipsorum Decreta recte intelligimus & reuerenter seruamus: neque enim nos aliud Symbolum, seu fidei rudimentum tenemus & credimus præter illud, quod Sancta Synodus secunda promulgauit. Quod vero tu additamentum vocas, nos declarationem, & explanationem, non additamentum dicimus: additamentum quippe dicendum est peregrinum dogma; veritas autem non additamentum, sed explicatio, vt sæpe dictum est. Quod vero hortaris vt dicamus, quemadmodum initio dicebamus, quando non erat schisma inter nos; id sane è vestigio falsitatis arguitur. Siquidem schisma centum post septimam Synodum annis ortum est auctoribus Michaele Imperatore, & Photio Patriarcha; Symbolum vero post secundam Synodum Romana canebat Ecclesia, sicut hodie canit, teste Georgio Aristino, vt diximus. Nam & Maximus, qui fuit ante sextam Synodum, testatur hoc in epistola ad Marinum presbyterum Cyprium; Romanam scilicet Ecclesiam ita sentire, sic scribens: Synodicarum Sanctissimi Papæ Martini, qui nūc præsidet, litterarum non quot ipsi scripsistis, capita Cōstantinopolitani notarunt, sed duo tantum; quorum vnum ad diuina spectat, quod dixerit, inquiunt, Spiritum sanctum à Filio quoque procedere; & quæ sequuntur, ne singula proferam. Quare non fuit origo schismatis, quòd tu vocas additamentum; sed Romana Ecclesia Symbolum recitabat, vt hodie recitat; & nos, scilicet Græci, recitabamus, vt nunc facimus, & schisma non erat in nobis. Possunt ergo etiam Latini isdem ad te vti vocibus: Redeamus ad illa tempora, quibus iuncti eramus; & nos Symbolum eo modo proferebamus, quo nunc proferimus; & vos similiter eo modo dicebatis, quo nunc dicitis; & vnanimes eramus; & neque vos de nobis conquerebamini, neque nos pariter de vobis. Miror autem, quomodo Synodi œcumenicæ non reprehenderint, si nos blasphemare sciebant, vt vos nunc dicitis & accusatis, Tertia inquam, Quarta, Quinta, Sexta, & Septima: neque enim criminari cœpistis nisi post Photium. Itaque conueniamus, dicamusque quod ante schisma dicabamus; fierque vt in idem vtrique dicamus; & tolletur schisma, pax autem subsequetur & concordia; atque ita erimus Deo fauente coniuncti.

Ephes. XXI. Hæc dicentes videbamur surdis auribus canere, aut lapidem coquere, aut semina laxis mādare, aut in aqua scribere, aut quicquid aliud adagiis significamus ad exprimenda possibilia.

Resp. Possunt etiam Latini respondere tibi per adagia: æthiops non dealbatur; littori loquimur, neque enim tu auscultas: fabula sine capite, imperfecta enim dicis; & alia quæcunque in contumaces vsurpantur & arrogantes; Inobsequentes enim nunquam obsequentur.

Ita plane & tu: Visum tibi est manere in schismate & seiunctione, seductione, & prauitate; & manssisti, permanebisque etiam post mortem in ipso. At vero qui suam expetunt salutem, non ita, neque aures aut oculos claudunt, sed audiunt & vident, & intelligere volunt quod melius & vtilius est ad suam ipsorum salutem. Tu vero noluisti, sed superba de te ipso opinione deceptus, putasti vniuersa te Synodo prudentiorem esse & doctiorem, quod extremæ stultitiæ argumentum est, vnum scilicet hominem antecellere vniuersis: esto, si vnum cum vno conferas, id enim credibile est; at vniuersa Ecclesia congregata vnum hominem esse præstantiorem omnino est impossibile: alioquin & Arius, & Eunomius, & reliqui generalium Conciliorum hostes hoc ipsum dicent: verum id fieri non potest. Quare te etiam oportebat agnita veritate multos audire, dissensionemque & pertinaciam & vanam illam, quam habebas animo anteceptam opinionem ac peruersionem deponere, & multorum, immo vero Ecclesiæ sententiam sequi.

Ephes. Illi enim argumentis conuicti, & in angustias redacti, nullam vero prorsus emendationem admittentes, quod vt apparet, morbo laborent insanabili, hortabantur nos, vt ad inquisitionem dogmatis transiremus, quod esset de additamento satis iam dictum: his verbis existimantes obtegi, quod in Symbolo sunt ausi, si opinio sana esse probaretur.

Resp. Qui fuerunt per argumenta coangustati, declarant acta Synodi. Dicebatis enim, & primus omnium tu; Dissipamur, diuidamur, abscedamus: Latini viri docti & præstantes virtute sunt, & dialecticæ peritissimi, Quod si in disputatione de additamento visi sunt adeo acres ingenio, vt nullus apologiæ locus sit nobis relictus, qui erunt cum ipsam opinionem examinabimus, pro qua & Doctores Ecclesiæ proferre habent Spiritus sancti productionem Filio quoque tribuentes? Satius igitur est abire, quam vinci & cum ignominia reuerti. Hæc dicebatis ipsi profecto conuicti, & in angustias per argumenta redacti. A te porro emendari Romanam Ecclesiam nil opus erat: Nam illa cunctarum est gubernatrix Ecclesiarum, & ægrotantib. Ecclesiis peritissime medetur, cum potestatem à Christo acceperit regendi alias & gubernandi, confirmandi, & corrigendi, non vt ipsa confirmetur ab aliis; Et tu, inquit Saluator ad Petrum, aliquando conuersus confirma fratres tuos; non dixit, confirmare à fratribus tuis, sed confirma. Oportebat igitur te etiam ab illa confirmari, quemadmodū sapientiores & doctiores te cōfirmati sunt. Vt transiretis autem ad inquisitionem dogmatis non hortabantur Latini; Verum quia menses iam erant quatuordecim, cum illud agitabatur, nihil esse Symbolo adiciendum; & ad quæsitorum alterum, nam duo tantum erant, iam satis illi vobis responderant; propterea opus erat, vt ad alterum etiam pertractandum transiretur, quod dogmatis veritate patefacta probarent se à vobis iniuria calumniis peti, quasi sacri Symboli depranatores. Ostenderunt ergo nobis liquidissime, potestatem esse sanctæ illi Sedi examinandi & corrigendi quæ spectant ad fidem. Quare non, vt dicis, ad obtegendum facinus, quod ausi sunt in Symbolo, cupiebant deuenire ad dogmatis disquisitionem: sed vt vobis demonstrarent, piam esse vocem illam, Filioque, in Symbolo positam, esseq; Doctorum & Ecclesiæ sententiam, & frustra se à vobis accusari & oppugnari: Propterea ad perscrutationem dogmatis peruenire studebant.

Ephes. XXII. Verum nostri id non ferebant, & nullo modo patiebantur de dogmate quæstionem haberi, ni prius corrigeretur additamentum.

Resp. Non ferebant sane nostri alterius problematis quæstionem agitari, certamen pauentes, illudque reformidantes, ne in secūdo etiam idem illis eueniret. Etenim vos diuisam duas partes quæstione, quarum altera erat, nihil esse Symbolo addendum, nec dictionem quidem, nec syllabam; altera vero, nec pium nec verum esse quod est additum Symbolo, rationes vestras protulistis. Cum vero Latini ad primum strenuos se præstitissent, veritatemq; demonstrassent, ac ostendissent definitiones & decreta prohibētia nihil sibi obstare, alioquin futurum, vt Patres etiam omnino secundæ Synodi subiecti essent anathemati, quod aliud Symbolum ediderint ab illo diuersum, quod antea prima tradiderat, nostri in hoc delicti secundum pertimescebāt certamen. Si enim, aiebant, in eo quod fortius videbatur, tā validas & neruosas dedere Latini defensiones, quid dicemus, vbi sanctos Patres proferent cōsona huic dogmati loquutos? Propterea nullo modo volebant, vt ad disquisitionem veniretur, & fugam inde parabant: Attamen suum te defensorem constituerunt, Tu vero, nempe vt deuitares discussionem dogmatis, at certe clā assentiendo Latinorum dogmati, dixisti; Vt verum etiam examinando reperiatur dogma, nos certe vocem hanc in Symbolo admittere non possumus, quoniam Patres nostros vereamur. Pugnabas ergo & tu contra veritatem, vt ille qui de vmbra asini altercabatur; & emēdationem faciendam hoc modo dicebas. Tollatur è Symbolo vox illa addita, & reponatur seorsum in peculiari Decreto. Quando hæc te dicente ridiculum quid passa est nostra ratio. Si enim vox, Filioque, blasphema est, cur petis, vt in Decreto peculiari reponatur, quemadmodum doctissimus Cardinalis Iulianus tibi obiecit? Cum enim dixisses; non possumus hanc vocem in fidei Symbolo recipere, quod sit blasphema, sed eam in alio separatim reponamus Decreto; vt factū est ab antiquis de voce illa, semper Virgo, in hymno, cuius initium, Vnigenitus Filius: Cardinalis respondit; Quæratur prius venerande Pater, num vera sit, an falsa & blasphema vox: & siquidem blasphema demonstrabitur, neq; in Symbolo habeatur, neque alibi reponatur, blasphema enim nusquam dicenda sunt: si vero pia, cur minus in Symbolo, quam alibi? immo potius in Symbolo veritatem fateri oportet. His tu atque tui auditis disputationem de dogmate exhorruistis, & fugam ornastis, abire illinc exoptantes.

Ephes. XXIII. Arq; ii quidem vt instare cœperunt, perstitissent etiam in hac voluntate vsque ad finem, & recessissent illinc bono sane consilio, ni dissuasum esset eis à quibusdam, rationem illam afferentibus; quod indecorum esset abscedere nulla habita de dogmate quæstione. Ita suum præbuere assensum, tum vt à disputatione de additamento transiretur ad quæstionem dogmatis, tum vt ab vrbe Ferraria Florentiam iretur.

Resp. Volebant sane imprudentes quidam in ea voluntate persistere, qua cœperant instare, & disiungi, atque inde abscedere, quorum tu caput eras; Verum qui suæ salutis erant auidi, agnoscentes quantum sit hæreseos periculum in iis, qui se ab Ecclesia secernunt, noluerunt timore perculsi huius nequitiæ morbo affici; sed magna voluntate permiserunt & quæri de dogmate, & veritatem enucleari, vt eam amplecterentur. Quare persuasis etiam aliis vt æquitati acquiescerent, admiserunt tecū di problematis disquisitionem: admiserunt etiam vt Florentiam è Ferraria iretur; quoniam Eugenius beatæ memoriæ Sanctissimus Pontifex Romanus Ferrariæ non habebat, nec aliunde facultas ei suppetebat, vnde vobis alimenta subministraret. Idcirco mutuo petiit à Florentinis quadraginta nummum aureorum millia oppigneratamitra sua. Illi accepto pignore pecuniam numerarunt; tantundem vero se dono etiam daturos promiserunt, si in eorum vrbem transferret Synodum; vt scilicet illorum Respublica honore hoc augeretur, si inibi Definitio fieret. Id fuit ergo causæ, cur Ferraria Florentiam se conferrent.

Ephes. Quo vbi peruenimus, disputationem de dogmate sumus aggressi; Latinis dicta prærentibus ex libris partim apocryphis & ignotis, partim depranatis & corruptis; quibus sententiam suam iuniti asseuerabāt. Itaque rursum ego cum illis congressus, & sententiam absurdam esse aperte demonstraui & libros depraua

Resp. ros perspicue probaui: nihil tamen profecl, nec persuadere quicquam potui; tantum mihi frustra tempus conterebatur.

Resp. Primus de dogmate Ioannes ille in re theologica summi vir ingenii, atque in instituto sancti Dominici præfecti dignitate ornatus disputationem instituit; Accepta, inquiens, benedictione Patris Beatissimi, quæstionem de Spiritus sancti processione vobiscum habebo: quando non ex apocryphis ignotisq; libris protulit textus, aut corruptis & depranatis, vt ipse ais; nisi apocrypha intelligas Basilii magni & Athanasii opera, necnon Epiphanii & Sancti Cyrilli; quorum dicta Ioannes proferebat Latinorum nomine, per quæ demonstrare conabatur dogmatis veritatem. Noluerunt enim sacri illi viri Occidentalium auctoritate Doctorum, sed Orientalium probare hoc dogma; ne, quod etiam euenit, possetis contradicere. Tu vero cum ferre non posses veritatem, corruptos & depranatos vocabas Doctorum libros: quando etiam magno tuo dedecore vniuersa te Synodus fugillauit ita dicentem; & præsertim vlterioris Franciæ Præsules, vt audierunt, Orientalium Doctorum libros vocari à te corruptos, magna voce exclamarunt; hæreticus est iste, maledictus, æterna feriatur excommunicatione, Doctores enim reiicit; & si suis Orientis Doctoribus fidem non tribuit, quid de nostris Occidentalibus dixerit? Hinc commotione excitata consurgentes nihil aliud egistis. Proxima vero sessione cum illi ex magni Cyrilli verbis argumenta duxissent, tu omnino Sanctum Cyrillum negasti ita dicere. Cum vero Ioannes Epiphanium eadem, quæ Cyrillus, dicentem protulisset, tu hæc ipsa etiam adulterata vocasti. Inde coactus profundæ ille ac sublimis theologiæ vir Basilium magnum attulit in libro contra Eunomium consimilia prioribus differentem; tu vero illa quoque depranata dixisti. Ita libros omnes, qui producti sunt, corruptos vocando, stultissimus ab omnibus habitus es. Quando missistis etiam Nicomediensis præsulis ministrum, vt afferret codicem Sancti Basilii; in quo dictum illud habetur; Cur enim necesse est; & cætera. Ille vero suæ malitiæ sua permotus, siue etiam à vobis admonitus voluit occultare veritatem; atque accepto codice venit ad fenestram cogitans dictum illud abradere; signatoque folio, in quo sententia habebatur, cultellum quærebat, quo illam eraderet. at vero Spiritus veritatis non permisit id fieri, ne veritas extingueretur; excitat ergo flantem auram, per quam factum est, vt folio, in quo dictū inerat, mutato aliud se offerret: ille festinans aliud expunxit pro alio. Deinde celeri gressu reuersus ad Synodum audacter ibat ad conuincendos Latinos. Vt vero Pater eius librum aperuit, & integram sententiam vidit, torue in ministrum intuens, rem commonstrabat; at ille tremebundus clamauit; ita mihi Domine tua profuit benedictio, deraſi illam; quomodo autem rursus integra sit, ignoro, ita cum inuenta esset intacta sententia, confusi recessistis: & iam non te pudet dicere, Latinorū dogma abs te demonstratum esse absurdum? Etubescēdum tibi erat hæc proloqui: Neque enim scribebat ad rudes, vel in regiones terræ desertas, vbi non essent, qui rerum conscii in tuas litteras inciderent. Siquidem acta testantur veritatem, nihil aliud à te clamitatum, quam, prolatus liber apocryphus est: Proferebant Cyrilli dictum, vocabas corruptum: citabant Basilii sententiam; dicebas, depranata est: & in hoc sita erat responsionis tuæ præstantia. Deinde illis dicentib. vt verum à te proferretur, quærebas spatium eundi Cōstantinopolim ad inueniendum. Hęccrant egregia tua verba, & robur tui sermonis, quæ profecto recensere pudeat: Quare de hoc satis.

Ephes. Alius enim alia dictis dicta excipientibus, & sermone sermonem pariente, vt in hisce assolet, non sine batur veritas suas vires ostendere, multum illis atramentum præ se offundentibus, & prolixis sermonibus eam offuscantibus.

Quandoquidem Athanasii magni verba corrupta dicebas, afferenda tibi erant necessario aliorum Sanctorum dicta; & allata sunt ex Epiphanio & Cyrillo; Tu vero illa etiam apocrypha, ignota & vitiata vocabas. Quapropter sermo sermonem pariens, vt semper in huiuscemodi rebus assolet, in infinitum protrahebatur. Et tu quidem vnum semper & præclarum assidue repetebas, hoc est corruptum, illud depranatum; ignotum hoc, apocryphum illud. ex Latinis vero qui tecum disputabant, stomachabātur; & mirabundi, Reuerende Pater Ephesine, aiebant, quoscunque nos Sanctorum vestrorum libros græcos ostenderimus, tu vocas corruptos: Si ergo græci codices corrupti & adulterini sunt, Latinos vero nos proferre nolumus, vt omnis absit suspicio, vnde veritatem demonstrabimus, vt fidem tibi faciamus? Ostende tu reuerende Pater veritatem. te autem nihil aliud respondente, quam loca corrupta & adulterina esse; necesse erat Latinos per sequentia verba Doctoris sensum cohærentem ostendere, & longos texere sermones ad demonstrandum & explanandum Autoris dictum. Nullum porro attramentum euomuere Latini in suis responsionibus, cum veritatem indagarent; immo vero tu, qui semper & loquendo & scribendo contumeliasiacis & labra veneno perfusa habes; ex quo etiam condemnatus es vt superstitionibus imbutus.

Resp. *Ephes.* XXVI. Donec iterum spe & viribus destitutus, tum quia consueto affligebar morbo, tum quia inania fandi verba videbam, sermonem ad eos habui quam potui longissimum; quo plurimis irrefragabilibus testimoniis aperui nostri dogmatis veritatem; quod scilicet ex solo Patre, non etiam ex Filio procedat Spiritus sanctus.

Resp. Verum est quod ais, fuisse te spe destitutum: quia contra validos fratris Ioannis Syllogismos dicere non valebas; quando te per syllogismos vicissim interrogabat de illo magni Basilii dicto; Neque enim accipimus à Spiritu aliqua, sicut à Filio Spiritus. In qua te sententia ostendit sacræ Theologiæ ignarum; cum te etiam velut auditorem erudiebat, quomodo intelligenda sit Spiritus sancti processio: Acta enim instar speculi sunt, & verum testantur. Neque vero tu illius verba videbas inania, sed solida & neruosa. Quo porro vexari morbo soleres supra quidem diximus, sed & paulo post dicemus; vt qui fuerit, omnibus pateat. Ceterum aduersus vim & robur argumentorum Ioannis cum stare non posses, fugam parasti disputationis congressa pertentatus: & longum quidem habuisti sermonem, sed qui nullum disputationis fructum haberet. Siquidem à Cabasila, & Palama, & similibus eorum schismaticis omnia mutuatus, nuda proponebas Euangelii dicta, putās te per ea probaturum, quod ex solo Patre, non etiam ex Filio procedat Spiritus sanctus; Quod tu quidem certe probandum assumpsisti, at non probasti; neque tibi textus illi quicquam profuerunt. Dicere enim; *Quia à Patre procedit*, non modo non facit ad tuum finem, sed etiam aperte aduersatur: neque enim dicit, qui ex solo Patre; vel qui ex Patre, non autem ex Filio procedit. Illud etiam; *Cum venerit Paracletus, quem mittet Pater*; nullas tibi dat vires: non enim sic ait, quem mittet solus Pater, aut, quem Filius non mittet. Præterea illud Pauli; *Nos non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*; nihil tuo propositi suffragatur: neque enim dicit, Spiritum solius Patris, & non Filii; sed Spiritum qui ex Deo est, Deus autem Pater & Filius. Quibus ergo ex locis probasti in Synodo Spiritum ex solo Patre, vt hic te iactas? num ex his quæ modo allata sunt? at in iis non habetur ex solo, sed simpliciter ex Patre procedentem; quæ tibi omnia Latini concedunt: Siquidem hic vnus est longi illius tui sermonis sensus. At veritatis defensores tibi negabunt, dicta illa refragari affirmantibus Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere. Nam si dicerent, qui ex Patre

Ioan.15. *Ioan.14.* *1.Cor.2.*

non ex Filio; siue ex solo Patre non etiam ex Filio; vel ita, Pater solus producit Spiritum sanctum, non vero etiam Filius; aut similia; esset vmbratilis hæc tibi rixæ & contentionis occasio. Verum, vt etiam ex solo Patre dicerent, ad probandum quod vis, tibi satis non esset: Quod certe respicere licet ex aliis Euangelii dictis. Saluator inquit; *De die illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, neque Filius, nisi Pater meus solus.* & rursus; *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* In his perspicue negauit Filius se scire, sed vnum scire ait Patrem: & doctrinam, inquit, suam non esse suam, sed Patris: Attamen nos recte & laudabiliter credimus omnino oppositum, dicimusque notam ipsi esse diem illam & horam æque ac Patri; & doctrinam ipsius esse asseueramus. Si ergo nos eorum, quæ ille manifeste negauit, *contraria credimus, & recta fide tenemus; cur hic, vbi nullam negationem apposuit, non credamus ex ipso etiam esse Spiritum sanctum, quando hoc ipsum per alia sacri Euangelii verba Saluator nobis declarat? Alicubi enim dicit; *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis: Hic est Paracletus ille, quem Pater producit: si ergo quem Pater producit, hunc Filius mittit; quid differt inter mittere & procedere? Et rursus; *Cum venerit ille, docebit vos omnem veritatem*; Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: Omnia enim quæcunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet. & alibi; Insufflauit, & dixit discipulis; *accipite Spiritum sanctum*: Quæ omnia ostendunt, etiam ex Filio procedere Spiritum sanctum. Vnde igitur, & per quos textus probasti tu Spiritum ex solo Patre? num ex Doctoribus Ecclesiæ? sed qui fiat, vt iidem & ex Patre solo, & ex Patre & Filio dicant? Si enim ita dicerent, pugnantia sane loquerentur, alias alia docentes. Oportet enim, vt vel ex solo Patre affirment, vel ex Patre & ex Filio: verum ex solo Patre, nemo dixit Sanctorum; vnus id affirmauit Nestorius hæreticus; productionis vero etiam ex Filio, Doctores omnes clarissimi præcones sunt. Principio enim magnum Ecclesiæ columen, magnus reuera & sacer Athanasius in suæ fidei confessione; *Spiritus*, inquit, *sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Idem in sermone de Incarnatione Domini hæc habet: *Nulli vero subsistit, ipsum non habentem accipisse.*; *Ipse enim desuper mittebat illum vt Deus, vt homo autem infra eundem suscipiebat: ex ipso itaque descendebat in ipsum, ex deitate eius in eius humanitatem*

Basilius quoque Sanctissimus libro contra Eunomium; *Quæ enim*, inquit, *necessitas cogit, eo quod dignitate & ordine tertium est Spiritus Sanctus, eundem esse quoque tertium natura? dignitate enim illum esse à Filio secundum, cum ab ipso sit, & ab ipso accipiat & annuntiet nobis, & omnino ab illa causa pendeat, sermo pietati tradit.*

Huius autem frater diuinus Gregorius Nyssenus in multis sane sermonibus hocidem docet, precipue vero tertia in Orationem dominicam homilia declarat dicens: *Vnigenitum Filium diuinæ Scripturæ ex Patre natum vocat; & proprietas eius in sacris litteris vltra non progreditur: Spiritus vero sanctus & ex Patre esse dicitur, & insuper ex Filio esse perhibetur*; *Si quis enim Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, inquit diuinus Apostolus.

Beatus quoque Cyrillus Alexandrinæ lumen Ecclesiæ in Epistola ad Nestorium, cuius initium est; Cum Saluator noster aperte pronunciet: *Qui diligit patrem, aut matrem super me, non est me dignus*: hæc habet; *Et si Spiritus propriam habet subsistentiam, per quam esse per se intelligitur vt Spiritus & non Filius, haud tamen est à Filio alienus; Vocatus enim est Spiritus veritatis, veritas autem est Christus; & effunditur ab ipso, quemadmodum & ex ipso Deo Patre.* Illa porrò vox, effunditur, posita est à Doctore loco huius vocis, procedit; vt ipsemet ait in expositione Symboli his verbis; *& effunditur, hoc est, procedit.*

Idem in commentariis in Ioel prophetam, explanans verba illa: *Effundam de Spiritu meo*; hæc habet: *Nam Filii vt Deus & ex Deo naturaliter est, ex Deo namque Patre natus est; proprius ipsius, & in ipso, & ex ipso est Spiritus, eodem plane modo, quo Dei Patris esse intelligitur.*

Idem in commentariis quibus confutat Palladium, sic ait: *Nulli vero mutabilitati obnoxius est Spiritus: quod si mutabilitatis malo laborat, ipsi diuinæ naturæ labes hæc aspergetur; cum sit Dei Patris, atque ipsius Filii, qui essentialiter ex vtroque, scilicet ex Patre per Filium effunditur Spiritus.*

Idem in expositione Anathematismi noni ait: *Proprium habens Filius Spiritum Sanctum, qui ex ipso est, & ipsi essentialiter insitus est, diuina operabatur miracula.*

Beatus quoq; Chrysostomus homilia in incarnationem Domini ait: *Venit ad nos Christus, dedit nobis Spiritum, qui ex ipso est, & assumpsit corpus nostrum.* Quid porro sibi vult illud, qui ex ipso est; nisi Spiritum, quia ipso procedit, esse nobis datum?

Simeon præterea nouus Theologus, qui & Metaphrastes, quinto nonas Octobris, vbi sancti Dionysii Areopagitæ vitam scribit, sic ait: *Finem habent corpora alis aduentus officia, & sumunt initium spiritualia; meusque in cœlum euehitur Christus, & patriam repetit sedem, mittitque Spiritum qui ab ipso procedit, in discipulos, vt duces incredulis gentibus fierent*: Ita magno Patri Chrysostomo consona loquitur, dum ait, *Spiritum qui ab ipso procedit.*

Beatus itidem Epiphanius Cypri Archiepiscopus, *Ambo*, inquit, *in homine iusto inhabitant, Christus & Spiritus eius: quod si Christus ex Patre creditur Deus de Deo, Spiritus quoque erit à Christo, vel ab vtroque; quemadmodum affirmat Christus, dum ait. Qui à Patre procedit, atque ita ex me accipiet.* Et in Ancorato: *Quemadmodum nemo nouit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, ita dicere audeo, neque Spiritum nisi Pater & Filius, à quo procedit, & à quo accipit, & nec Filium & Patrem nisi Spiritus sanctus, qui docet omnia & vere clarificat, qui est à Patre & Filio.* & paulo infra; *Spiritus autem ex Patre & Filio spiratur.*

Similiter Beatus Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad Præsules Orientis; quæ ita incipit, *Multis & magnis prouidentiæ modis*, hæc habet: *Et in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit, qui & ipse Deus agnoscitur.*

Et Sanctus Hilarius oratione post Pentecosten sic ait: *Credimus in sanctam Trinitatem, hoc est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem, vnius substantiæ, vnius essentiæ, vnius potestatis, conditorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: Patrem ex se non ab alio, Filium ex Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum in lumine vero, non tamen duo lumina, sed vnum lumen, Spiritum sanctum à Patre & Filio æqualiter procedentem.*

Ad hæc Anastasius Sancti Montis Sina in sermone, cui titulus; De rectis quæ nos credimus dogmatibus veritatis; cuius tale principium est; *Eorum quæ de illibata fide nostra ita scriptum reliquit, Ex eo porrò quod proprium corpori est petito exemplo, declaramus, quomodo in diuinis alterum sit in altero ex proportione & adumbratione membrorum. Hac enim ratione & Spiritus oris eius, Dei scilicet, Spiritus sanctus dicitur, cum sit vt Vnigenitus.* & rursus, *Spiritus, qui ab eo procedit & mittitur, non à Patre solum, sed etiam à Filio.* & post pauca, *Itaque Dominus, vt eum se ostenderet, à quo Spiritus sanctus existit, insufflans in Discipulos ait, Accipite Spiritum sanctum.*

Sacer quoque Damascenus tertiodecimo capite rerum diuinarum hæc habet. *Manifestatiua virtus occulta Patris diuinitatis ex Patre est per Filium procedens, vt ipsa nouit.* & paulo ante: *Ipse igitur est mens, Verbi abyssus, Verbi genitor, perque Verbum Spiritus manifestatiui principator.* Illud autem, ex Filio nõ dicimus Spiritum, quod octauo capite Doctor idem habet, *neque addubitet*, iam soluimus in primo Definitionis capite, dum pro quinq; capitibus apologiam scriberemus.

Rursum Beatus Cyrillus secundo ad Hermiam libro sic ait, *sanctum vero Spiritum vocabat, qui ex Patre per Filium effunditur naturaliter.* Quod vero præpositio, *per*, idem valeat

Matt. 24. Luc. 13. Ioan. 7.

Athanas.

Basilius.

Rom. 8.

Cyrillus. Con. Eph. pa. 1. c. 26.

Matt. 10.

Con. Eph. par. 3. c. 43.

Ioel. 2.

Con. Eph. par. 3. c. 3.

Chrysost.

Simeon Metaphr.

Epiphan.

Ioan. 16.

Tarasius Pat. Const.

Hilarius

Anastas.

Ioan. 20.

Damasc.

Cyrillus.

valeat quod, ex, & eandem habeat acilla vim, paulo post id etiam tibi ostendemus. Nunc ergo quid ad hæc potes dicere? nonne qui allati sunt, Sancti & Ecclesiæ Doctores sunt? Si omnes isti per diuersas voces & dictiones suis in Scriptis fatentur, ac docent Spiritum S. ex Patre & Filio; ex quo tu sacræ Scripturæ loco habes, Spiritum sanctum ex solo Patre procedere? Profer nobis, quis inter Doctores dicat, ex solo; quis Sanctorum, quæ Synodus dixit hoc? Quomodo temere vanitati dedidisti, & studes etiam seducere alios, non veritus Dominũ, qui iudicaturus est viuos & mortuos? Quomodo illum negas Patri esse consubstantialem? & communem illi denegas cum Patre maiestatem, & virtutem, & initio carentem æternitatem? quodq; omnia quæ sunt Patris, habeat præter vnum hoc, esse Patrem? Ipse etenim dicit, *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt*; & rursus, *Tu Pater in me, & ego in te, &, Omnia mea tua sunt, & tua mea*: & in oratione, *Da illis*, inquit, loquens de discipulis, *vt vnum sint, sicut nos vnum sumus.* Si ergo Filius vnum est cum Patre, quomodo Spiritus ex solo Patre procedit, qui ex Patre & Filio indiuise prodit? Hæc te oportebat inspicere, & non scripta Cabasilæ, & Palamæ, Phurnii, Camateri, Moschamparis, & aliorum, ne singulos percenseam; quos tu audiens euasisti schismaticus & veritati inimicus; Cumq; in Synodo adhibuisses non Sanctorum, sed illorum dicta, ignominiam reportasti, quando tibi Ecclesiæ Doctores illi protulerunt: Quare cum oculos attollere non posses, in fugam te ignominiose dedisti; & iam te dicere non pudet, Spiritum S. ex solo Patre ibi esse abs te demonstratum? Proposuisti tu quidem illud probandum, cum te vlteriotis Franciæ antistites & pedum strepitu & vocibus exsibilarunt, clara voce hæreticum & maledictum appellantes; at nullo modo probasti; nuda tantum dicta protulisti, *Qui à Patre procedit*, & similia; ad quæ iam respondimus, nec est cur amplius dicamus.

Ioan. 16. Ioan. 17.

Ephes.

Ab Euangelicis quidem dictis exorsus, per Apostolos vero & successores eorum progressus vsq; ad tertiã Synodum œcumenicam: dicta singula diligenter expẽdens, & syllogismos ad vnum quodq; adhibens, atq; id quod mihi propositum erat concludens; nouum scii, Latinorum dogma esse vbiq; damnatum.

XXVII. *Resp.*

Exorsus quidem es, vt iam dixi, à vocibus Euangelicis ad tuæ probationem opinionis; sed præscriptum disputationis ordinẽ non seruasti. Constituerat is enim, vt à capite ad caput, & ab argumento ad argumentum progrederemini, vt dilucide & clare fierent interrogationes ac responsiones. Cum vero iam disceptaretis, & dictum dicto obiceretis, & syllogismus subsequeretur, compendiose & egregie à fratre Ioanne formatus; tum sane tu coarctatus, quid responderes non habebas; atq; vt elabereris, longum sermonem instituisti nullo veritatis fructu, aut disputationis more. Quando Ioannes qui tecum disputabat, Domine Ephesie, dixit, videris præterire ordinem; aliter enim inter nos conuenit, atq; tu facis: nondum finem habuit Basilii magni dictum, & tu alia in medium argumenta protulisti, & alia extra rem capita ad docendos, vt videris, auditores. Sermonem ergo protrahe quantum libuerit, nam ego tibi legem ponere non possum, sed Imperator sereniſſimus: Seruabo tamen ipse modestiam & disputationis modum; neq; vllum ad quæcunq; dicis responsum dabo, donec satisfactas eo quo prolata sunt ordine dicta, & obseruata lege, qua disputationem sumus aggressi, vt explanato vno transeamus ad aliud. Quibus tu auditis stupore oppressus es, & coactus deuenisti ad concisam interrogandi & respondẽdi rationem: Proinde paucis dictis exclamasti, Secula seculorum; hoc est, nolo vltra disputare; iam feci finem. Quãobrem Beatissimus Papa dixit; Æquum est, vt quando tu quæ in rem tuam erant dixisti, respondeas etiam ad ea, quæ postremo dixit Ioannes Prouincialis. Tu vero respondere quidem noluisti, sed pauca distorta & praua nihilq; ad rem facientia dixisti; & Sessio dimissa est; neq; amplius ad Concilium venire voluisti. Esse porro nouum & damnatum Latinorum dogma nec probasti, nec probaris vnquam vel tu, vel quiuis alius te doctior & sublimior; nam dogma hoc nõ est nouum, cum vsq; à secunda Synodo sit & cantetur in Romana Ecclesia: neq; dogma Latinorum est, aut Græcorum; fides enim non est partium; sed Christianorum: Siquidem omnes tam Græci quam Latini Doctores ita sentiunt; nisi velis vsq; adeo stolidus videri, vt Latinos voces sanctos etiam & Doctores Orientales.

Ephes.

Cum ita perorassem, eorum congressibus valedixi; statutum habens aut deuitandum esse consensum eorum, aut certe mihi tacendum. Verum illi nostros volẽtes nolẽtes aduocabant, eo quod respondere vellent ad ea quę dicta erant. Quod cum fecissent, me non presente causa mori bi, duas insumpsere deinceps Sessiones ipsi soli dicentes, nemine defensionem suscipiente.

XXVIII. *Resp.*

Æqua ratio postulabat, vt posteaquam tu pro Græcis dixeras, & adeo prolixos sermones habueras; audires etiam responsiones; neq; enim iustum est solum disputantem dicere, & responsa non audire. Et tu quidem cum, Secula seculorum pronunciasses, præpudore, quod te Frater Ioan. in angustias redegisset, recessisti, nec amplius in Synodum ire voluisti: Latini vero silere haudquaquam sustinebant, & tuis sermonibus nullam opponere defensionẽ. Quapropter canonice vos conuocabant, vt conueniretis, & responsa ad sermones habitos audiretis: te vero renuente & non eunte, Imperator, & Patriarcha, & reliqui Orientalis Ecclesiæ optimates conueniendum esse iudicarunt, atq; ita conuenerunt. Accersitus tu quoq; fuisti per nuntiũ à Synodo, sed recusasti, simulans te graui morbo detineri: Cum ergo ciues tui familiarem tibi morbum intellexissent, ta cuerunt. Latini vero soli dicebant, nemine defensionem suscipiente; quia nullam opus erat fieri à nostris apologiam; nam sermo Latinorum responsio erat ad ea quæ obiecerat is.

Ephes.

In priore quidem proferentes dicta suorum Doctorum, quibus ostendebant, Spiritum S. à Filio procedere, quemadmodum & ex Patre.

XXIX. *Resp.*

In hac Sessione Synodus misso nuntio te ad disputationem vocabat; quoniam is, qui tecum disputabat, frater Ioan. dicebat; Adducite huc Ephesium, vt responsiones audiat ad ea quæ dixit. Tu vero rationes tuas redargui cum ferre non posses, venire noluisti; sed morbum simulasti. Quocirca magister Ioannes omissa tuorum confutatione sermonum protulit Doctorum suorum sententias, dogmatis veritatem ostendens, & refellens quæ tu dixeras, scil. Spiritum à Filio non esse. Et tu quidem dicebas, at non probabas; Ille vero docebat, & strenue probabat cum Occidentis Doctoribus. An vero negare poteris, sanctos esse Occidentis Doctores? Si neges, hæreticus omnium turpissimus apparebis: nam Quinta Synodus œcumenica in sua definitione ait; *Sequimur sanctos & beatos Patres atq; Doctores, Gregorium Dialogum, Augustinum, Basilium, Hieronymum, Ambrosium, & reliquos; eorumq; voces approbamus & recipimus*: non potes ergo contradicere. Hos itaq;, quos inter œcumenicas Quinta Synodus promulgauit sanctos atq; Doctores, proferens Ioannes perspicue demonstrauit, Spiritum sanctum esse etiam à Filio, referrando quæ tu dixeras, non quæ docẽt Doctores Orientales; nam & illi eadem, quæ Occidentales, dicunt. Vt vero scire volentibus num vera dicas, palam fiat veritas; Occidentalium quoq; Doctorum sententias hic apponemus, non omnes, aut omnium, sed paucas è multis; vt per eas te ostendamus vsquequaque futilem & arrogantem. In primis enim senioris Romæ Pontifex, M. inquam Gregorius Dialogus, quem Orientalis quoq; Ecclesia Doctorem & Sanctum agnoscit, in expositione sacri Euangelii sic ait: Vnde & ipsa Veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit; *Si non ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Cum enim constet, quia Para

Collatio 8.

Greg. M.

Ioan. 16.

cletus Spiritus ex Patre procedat semper & à Filio, cur se Filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui à Filio nunquam recedit?

Hom. 26. Ioan, 20. Et infra in illud: *Cum esset sero die illa: Cum venerit Paracletus*, inquit, *quem ego mittam vobis à Patre:* Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est: sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit & Filio.

Ioan, 15.

Ambros. Cap. 10. Sanctus quoque Ambrosius libro primo de Spiritu sancto ad Gratianum Imperatorem hæc habet: *Sed neq; cum de Patre exit, de loco recedit, & quasi corpus à corpore separatur: neque cum in Patre est, quasi in corpore tanquam corpus includitur. Spiritus quoque sanctus cum procedit ex Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio. Quemadmodum enim separari potest à Patre, qui Spiritus oris eius est? quod vtique & æternitatis indicium, & diuinitatis exprimit vnitatem.*

Augustin. Sanctissimus vero Augustinus ad Orosium scribens in sermone, cuius initium est, *Dominus noster Iesus Christus manifestauit se ita venturum*: multis in locis hæc de re verba faciens hæc etiam habet: *Cur igitur non credamus, Spiritum sanctum ex Filio quoque procedere, cum sit & Filii Spiritus? Si enim ab ipso non procederet, post resurrectionem suam manifestando se Discipulis non insufflasset in eos dicens, Accipite Spiritum S.*

Ioan. 20. Et paulo post. *Spiritus vero sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio ad sanctificandam creaturam, sed simul de vtroque procedit: quamuis Pater hoc Filio dederit, vt sicut ab ipso, pariter & ab illo procedat. neque enim possumus dicere, Spiritum sanctum non esse vitam, quandoquidem vita est Pater & Filius: & propterea sicuti Pater vitam habens in se ipso, dedit & Filio vt vitam habeat in se ipso, ita dedit, vt etiam ab illo vita procedat, sicut procedit & ab ipso.*

Eiusdem ex lib. de Fide ad Petrum, cap. 11. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum qui Patris & Filii vnus est Spiritus, de Patre & Filio procedere. Dicit enim Filius, Cum venerit Paracletus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit: vbi suum esse Spiritum docuit, quia ipse est veritas. De Filio quoque procedere Spiritum sanctum prophetica atque Apostolica doctrina nobis commendat. Esaias enim dicit de Filio, Percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium: De quo & Apostolus ait: Quem interficiet dominus Iesus Spiritu oris sui.*

Ioan, 15. Esa, 11. 2. Thess. 2.

Et quid opus est recensere omnia, quæcunq; Occidentalis Ecclesiæ Doctores aiunt? hæc enim satis esse arbitramur ad comprobandam veritatem, & persuadendum animo, qui non sit peruicacia & anteceptâ opinione demersus, qualis erat tuus venerabilis Ephesie: nunquam enim voluisti verum animo comprehendere, & sequi Sanctos hosce Doctores; sed maluisti cum Palama, & Cabasila & reliquis esse, qui diuexati contortionibus intestinorum periere. Quod vero illos ostendisse ais per suos Doctores, Spiritum sanctum ex Filio procedere, sicut ex Patre; vehementer sane admiror, cur pro tuis etiam illos non habeas, qui Doctores vniuersis Christianis propositi sunt à Conciliis; qui & sibi & Doctoribus Orientalibus, præsertim in fidei dogmatibus, congruentia loquuntur.

Ephes. In altera vero sessione, quæ à me dicta fuerant, peruertentes potius quam euertentes; & Doctorum nostrorum oppositas, vt illis quidem videbatur, sententias exponentes.

XXX. *Resp.* In hac secunda post tuam fugam sessione iterum frater Ioannes de rebus diuinis disputauit, iterumque magna voce clamauit; Adducite huc Ephesium; volo enim refellere quæ dixit: Et rursus te Synodus per nuntium ad se vocauit. Qui vero missi erant, quærentes te, insanientem reperierunt, & vocibus inconditis stridentē. Cumq; te ad Synodum inuitarent, respondisti; Non possum venire: Hac n. nocte venerunt Cardinales sublato domicilii tecto, & membra mea virgis ignitis cecciderunt: Occiderunt me Cardinales, & nunc ad Synodū inuitant? non possum. An non videtis & ipsi plagas? & ostendebas membra tua dicēs; Videtis, vt sim plane totus præ verberibus liuidus? Illi autem intelligentes quo morbo laborares, rediere sacro nunciantes Concilio, te aduenire non posse, quòd non recte valeres. Quocirca frater Ioannes rursus; Vellem adesse, Ephesius adesset, & nobiscum Sessioni huic interesset: Verum deuictus despondisse animum videtur; Itaque ad vos responsionis verba faciam, & afferens in medium dicta Orientalium Doctorum, quæ à nobis etiam supra exposita sunt, necnon alia plurima; nos n. protulimus pauca; egregie Sole ipso clarius demonstrauit, Spiritum sanctum à Filio quoq; procedere; & quæ prius à te dicta fuerant, strenue demolitus est, acq; humi prostrauit vt falsa & peruersa, penitusq; à Theologia & mente sanctorum abhorrentia. Exposuit vero Doctorum nostrorum sententias, iis quæ à te dicebātur, contrarias, veritati autem omnino consonas; non eo sensu, quo tu peruerse intelligendo exponebas; sed quo illas ii scripserunt, & recta mente pronunciarunt; te relinquens vbi consternauit, deridendo lapsū iacentem, vnde te erigere penitus non valuisti.

Ephes. Quoniam vero, vbi tacuissem ego, ex nostris nemo ausus est amplius sese illis opponere; tum quia Optimates ita fieri oportere censebant, tum quia omnes certamen detrectabant, timentes ne se litibus ac turbis implicarent; illi autem acturnitatem nostram veluti lucrum inopinato sibi oblatum rati; nostros veluti in fugam versos prouocabant ad pugnam: nobis autem renuentibus, applaudebant illi quasi victores, & veritatem à se stantem habentes.

XXXI. *Resp.* Applaudebant non vt victores, sed vt culpa vacantes, quam in illos per calumniam coniiciebas. tu enim & qui tecum sentiunt, Latinos hæreticos habebatis, quod dicant, etiam ex Filio procedere Spiritum; & incusabatis eos, Symboliq; temeratores ac deprauatores appellabatis. Illi vero prolatis Doctoribus & Orientalibus & Occidentalibus, qui eorum dogmati seu potius veritati suffragantur, applaudebant, quod nequaquam sint temerarii Symboli corruptores, vel hæretici, sed veritatis assertores, cum per Doctores Ecclesiæ veritas iam eluxisset. Nostros porro euocabant, si quid vellent dicere contra sententias Doctorum; at illi non sunt ausi aduersus lucidissima proloqui; neq; omnino se opponere voluerunt, non, vt ais, quod refugerent, aut timerent, sed quia stultum esse opinarentur contra veritatem disputare tam aperte demonstratam ex Orientis & Occidentis Doctoribus. Cæterum tu callide siluisti; neq; enim silere volebas, sed contradicere non valebas: quis enim in stadio disputans sua sponte conticescit? Silentio quippe victoria statim ostenditur: Oportet ergo disputantem perpetuo dicere quoad vincat, aut vincatur. Tibi vero, cum vltra dicere non posses, minime spontaneum silentium fuit, morbum simulanti, atq; ita congressum deuitanti, vt scil. honoris tui causa non succumberes coram Synodo; namque ignominiam præ oculis habens ad Synodum accedere noluisti.

Ephes. Quod ipsi sane nunquam non erant facturi; cum eo sint prorsus ingenio, vt parati sint contra omnē quod asseritur, dicere, & victoriæ famam sibi tribuere.

XXXII. *Resp.* Parati semper sunt illi, à quibus est veritas, contra mendacium dicere: Nos quoq; prompti paratiq; nunc sumus ad repugnandum pacis initæ inimicis. Ergo Latini etiam ab illo tempore, & nunc, & in perpetuum sunt, eruntq; parati non contra id, quod bene asseritur dicere; sed quod perperam & falsò dicitur, constanter refellere; idq; velut execrandum profligare; non quasi victoriæ nomen sibi tribuentes, verum id quod debēt præstantes, hoc est mendacium à veritate depellentes, ne illam obscuret. Te igitur Spiritum ex solo Patre affirmante, idq; ex nullo Doctore sumente, sed tuo ex ventre ita sentiente, tacere illi non poterant; sed tamdiu loquuti sunt, quoad veritas clarissime emituit, quod etiam

etiam ex Filio: sicq; mendacium à veritate depulerunt.

Ephes. XXXIII. Hinc primum cœptæ sunt audiri voces illæ œconomię & condescensionis, & quidam ex nostris aggressus est dicere, Bonum est pacem amplecti, Sanctosq; inter se consentientes demonstrare, ne videantur Occidentales contraria loqui Orientalibus.

Resp. Hinc cœpta est veritas sacrorum illorum Patrum animis inseri, dissensionem abiicientibus, vanam q; illam anticipationem; & cœpta est ab iis ipsa inspici veritas, diuinum oculum, quem nihil latet, præ oculis statuentibus; ne incaute fierent veræ vnitatis exortes, & rursus Christi populum ab Ecclesia scinderēt, quem suo sanguine Christus ipse redemit, pastoribusq; tanquam oues tradidit, & eos præesse illis veluti pastores constituit. Qui porro dixit; Bonum esse pacem amplecti, & quæ sequuntur, Isidorus fuit Russiæ Præsul; cuius sententiam vir doctus Scholarius confirmauit; qui tres etiam Orationes de vnitate Ecclesiastica edidit, quibus Sanctos Orientales consentire cum Occidentalibus præclare admodum demonstrauit. Christianissima vero atque sanctissima vox illa fuit, Pacem esse amplectendam; quod & Saluator præcepit in Euangelio, vbi *pacem*, inquit, *meam do vobis*. Neq; enim iustum aut pium est auersari fratres vna fide nobiscum coniunctos & Christianos, pro quibus Christus suum profudit sanguinem; & in eos odio flagrare, & persequi, atq; vt alienigenas habere.

Ioan. 14.

Ephes. XXXIV. Tum vero etiam de præpositione, per, cœpit quidem philosophari, quod apud nostros Doctores reperiatur idem valere, quod, ex, præpositio; & causam Spiritus Filio tribuat.

Resp. Nicænus hic Præsul erat, qui multis validisq; rationibus de præpositionibus per, & ex, philosophatus est & orationem satis longam edidit, quæ dogmatica, siue de vnione inscripta est; in qua de propositione per, & Spiritus S. per ipsione à Filio, clarissime pulcherrimeq; disserit, & scientia Theologica disputauit. Si vero tu negas idē valere, *per*, quod, *ex*, nos te hinc multis exemplis conuincemus. Cedo, negare quis poterit præpositione per, significari causam, idemq; eam valere quod *ex*, vbi Euangelista ait, *Omnia per ipsum facta sunt*, per filiū scilicet, possumus ne dicere, *per*, nō significare causam, & non æquipollere particulæ *ex*; filiumq; non esse omnium auctorem? Porro, *ex* petinde valere atque *per*, volunt Basilius & Chrysostomus, explanantes illud quod habetur in Genesi, dictum ab Adamo, *Possedi hominē per Deum*; vt profecto idem sit ac si diceret, *ex Deo*. Quapropter Basil. in libro quem per capita scripsit ad Amphilochium, sicait, sæpe ēt, *ex*, & *per*, ita altera alterius significationē subit, vt altera sumatur pro altera, quemadmodum in illo dicto, *Possedi hominē per Deum*; q petinde est, ac si diceret *ex Deo*. Chrysost. a. homil. 53. in Matth. *Nouit n. Scriptura*, inquit, *loco huius vocis, ex aliquo, vti hac voce, per aliquem*: vt cum dicit, *possedi hominem per Deum*, significans non causam secundariam, sed potius primariam. & rursus. *Nunquid non per Deum, est interpretatio eorū?* B. quoq; Cyrillus in Epist. ad Nestorium, cuius initium est, *audio quosdam existimationi meæ detrahere*; hæc habet, *necesse est fateri, quod natum sit secundum carnem etiam per mulierem*. Et paulo post, *natus est perinde atq; nos ex muliere*. B. quoq; Damasc. in suis ad Virginem hymnis, modo ait. *Deum ex te incarnatum nouimus*: idem q; alibi, *Ex te immaculata prodiit ineffabiliter incarnatus*: modo cantat, *Per te, virgo, Deus cum hominib. versatus est, & per te virgo Saluator aduenit.* Esse porro id verum, propositiones scil. *ex*, &, *per*, idem valere, & eandem vim obtinere ex eo patet: Nam Theodoretus Cyri Episc. multa reprehendit, in 12. magni Cyrilli capitibus, quæ antea sanctus ille contra Nestor. exposuerat. Et cum in 9. anathematismo Cyril. dicat, suum habēs filium Spiticum S. qui ex ipso est, & ipsi substantialiter ipsius est, diuina edebat miracula: Theodoret. ita obiicit; si vt de connaturali Cyril. loquitur, & procedente à Patre, libenter concedi-

Basilius. *Chrysost.* *Cyrill.* *Damasc.*

mus, & dictum recipiemus vt pium: si vero ita loquitur quod Spiritus ex Filio seu per Filium existat, proiiciemus vt blasphemum & impium. Ecce tibi manifeste reformidauit Theodoret. dicere &, *per*, &, *ex*, in processione Spiritus à Filio. Cum n. ille negaret omnino spiritū esse à filio, sicuti negatis & vos; neq; ex filio, neq; per filiū admisit. Vos a. fatemini quidē, per filium; ex filio vero ne audiri, quidē accipere patimini. Sed heus tu iuxta Theodoretum idem significat, Quod vero per filiū fateamini, Damasc. cap. 8. & 13. perspicue clamat ex patre filium: & vos magna voce cantatis; Spiritum bonitatis largitorē, ex patre per te ô Christe procedentē, & in hymnorū officio q die Pētecostes canitur, habet is: *Tu a. Deitatis fluuius, spiritus ex patre per filium prodiens*: Verū & si canitis, non percipitis tñ, idem valere *per*, atq; *ex*; at vero Theodoretus melius id norat q̄ vos, & propterea vtramq; præpositionem negauit. Quando igitur iuxta ea quæ dicta sunt, hæ duæ præpositiones conueniunt, recte magnus ille Bessario Nicænus præsul de hoc philosophatur, & cautissim Spiritus per hanc præpositionē, per, Filio tribuit: & frustra obtrectas tam ei, qui pacem amplectendam asserit, quam ei qui de per, & ex, quod idem valeant, disputauit.

Damasc. *Ephes.* XXXV. Ita paulatim latinismus erupit, cœperūtq; deinceps de modo conciliandæ pacis agere, & dicta quædā, per quæ pax fieret cutiose perquirere, ancipitem habentia sensum, & quæ possent in vtramq; trahi sententiam instar cothurni. Id enim consilio suo multum conducere visum est; quod ita & nostri per ea facilius pertraherentur; & sperareturfore, vt eadem ab aduersariis nullo adhibito examine admitterentur.

Resp. Ita paulatim Christianismus clarescebat; prius enim malo schismatis obscurabatur; & deinceps de restituendo antiquo pacis vinculo agebant Christi hierarchiæ, diuino zelo flagrantes; ne rursum totum Ecclesiæ corpus diuisum maneret, & immaculata sponsa Christi Ecclesia suorum dissidia filiorum acerbe deflere; sed lætaretur, vt par est, videns filios mutua charitate connectos. Propterea quoq; dicta Sanctorum consona sibi inuicem ostendere studebant, non curiose, vt ais, sed pie & sincere illa explicantes. Cum igitur ea vidissent, & perspexissent eundem in illis sensum, quem docent Doctores Occidentales, prompto alacriq; animo Ecclesiæ Christi vnitatē amplexi sunt, non per medium quiddam: apage rem adeo absurdam; nullo modo illi cogitarunt de Sanctorum dictis medium habentibus sensum, & quæ possent in vtramq; sententiam distrahi: nunquam venit illis hoc in mētem, vt per ambigua dicta fieret vnitas; quæ etiam Latini nullo adhibito examine reciperent; atq; ita ficta quædam sequeretur conciliatio: procul erat hoc a sensu eorum. Quid n. fuerit medium inter verum & falsum? quæ vero communicatio luci ad tenebras? Aut n. verum est, quod ex solo Patre, & falsum quod ex Filio: aut verum, quod ex Filio, & falsum quod ex Patre solo: cum hæc sine vllo medio contraria sint; impossibile enim simul vtraque consistere. Quale ergo medium reperiri possit in iis dicti[illegible]e quod tu vocas cothurnum? Tu plane cothurnus [illegible], & cothurni sensum habebas, cum nec frigidus nec c[illegible]idus esses; propter quod iuxta Ioann. in Apocalypsi *Deus odio te habuit & euomuit*: ambidextrum enim calceamentum, quod est cothurnus vtriq; pedi inutile est: Tu quo[illegible] cum fis voci huic quam vsurpasti, & rei quam exprimere voluisti, non absimilis, visus es iudicio prudentum vtriq; pedi inutilis. At vero sacti illi ac diuini viri dicta sedulo [illegible]scrutati, in quibus dilucide asseritur, Spiritum esse ex Filio, ex solo vero Patre omnino reiicitur; Sanctos & voces eorum vt germanas admiserunt: ac deinceps iure de conciliandā pace pie ac religiose agebant.

Ephes. Itaq; libellum conscribunt, dicta huiusmodi continentem, illorum tamen sententiam plane exponentē; & mittunt ad eos, quasi per illum coniungendi. Verum illi nullo modo volebant libellum admittere, ni

prius examinaretur; sed eos vel vt se defenderent, prouocabant, & soluerent quæ dubia erant in libello; vel suum, quem ipsi iam miserant, ab iis suscipi iubebant: erat porro in illo perfecta Latinorum atq; Græcorum de dogmate consensio & confessio, quod etiam ex Filio procedat Spiritus S.

XXXVI. *Resp.* Libellum nostri dederunt, Sanctorum dicta iuxta Maximi vocem inter se conciliantes, quem summo Pontifici miserunt; cum à Romana Ecclesia quæsissent antea in scripto, quomodo esset conficienda Definitio, quaue ratione dogma esset in ea ponendum: Illa cum de modo scripsisset, misit ad Græcos: acceptum illi scriptum legerunt, & cognouerunt tibi aperte dictum, Spiritum sanctum esse etiam ex Filio. Deinde scripsere & ipsi hoc pacto: Quamuis idem sit ex Filio quod per Filium, & per Filium idem quod ex Filio, quemadmodum vos explicastis; nos tamen fatemur, Spiritum sanctum esse à Patre per Filium æternaliter. Romana ergo Ecclesia libellum hunc noluit admittere citra discussionem; sed aiebat, Nos simulatam vnionem fieri nolumus; neq; volumus Græcos nobiscum coniungi per fraudem & hæresim; sed scire libelli huius expositionem, quo plane modo, & quo sensu intelligant illud, per. Neq; enim concedemus vnquam, per illam particulam, per, significari caussam instrumentariam, siue ministerialem. Siquidem scimus per hanc vocem, per, tria significari, instrumentum, ministerium, & caussam naturalem. Si ergo ad significandam naturalẽ caussam assumunt, per; cur etiam ex non vtuntur, quæ idem valet ac per? Si vero ad significandum instrumentum, siue ministeriũ, nos communionem istorum non suscipimus. Propterea, vir Reuerende, quærebant libelli expositionem; nolebant enim citra discussionem conficere quamliber vnionem; & iure quidem optimo. Nam si tanta nunc adhibita inquisitione, studio, ac vigilantia nostri factam vnitatem impudenter impugnant; quid dicerent, si nulla esset adhibita inquisitio? hanc igitur ob caussam quærebant sibi explanari libellum. Quod si, Romana dicebat Ecclesia, nolunt explanari libellum, nostrum recipiant, in quo germanus Doctorum sensus habetur, quod etiam ex Filio procedat Spiritus sanctus: Quod verum esse iam demonstrauimus Orientalium & Occidentalium auctoritate Doctorum; nec opus est de hoc eosdem iterare sermones.

Ephes. Multum post hæc conteritur tempus, nostriq; dilationem ægre ferebant, & inopiam deplorabant, deque fame conquerebantur: nam hoc etiam illis excogitatum est, nulli quidquam sumptuum condictorum suppeditare, vt propterea coacti paulatim illis succumberent.

XXXVII. *Resp.* Hic te ostendam auditoribus mendacem & penitus desipientem, qui talia dicas. Heus tu, nec Deum es veritus nec homines, vt tam illustre mendacium proferres? quis constituta nummum aureorum erogatione fraudarus est? quis nostrum contristatus aut conquestus est? qui vero id fieri poterat præsente Imperatore & Patriarcha & Ecclesiarum Præsulibus & Optimatibus & reliquis? nullam res hæc habet probabilitatem. Si enim ita, vt tu nunc dicis, factum esset; Imperator & Patriarcha non tacuissent, sed libere palam q; dixissent; Vultis per vim Synodum ad finem perdu[illegible]: contra ius fasq; hoc est. Deinde quis esurinit? quam afflixit inopia? quis de fame conquestus est? non enim ad alimenta solum impendebatur eis pecunia, sed multo etiam copiosior, vt supperet ad conficienda indumenta, & zonas, & vasa argentea; atq; inde illi in patriam locupletati redirent. Quomodo ergo dicis tu illos deplorasse & conquestos esse, nec habuisse, vnde sibi alimenta coemerent? Cui vero illi vim attulerunt vt subscriberet, & vniretur? Per illos quisq; sui iuris fuit. Porro mora & procrastinatio non est Latinis ascribenda; Nam in Actis palam videre licet vestram ignominiam, quod Summus Pontifex assidue vos excitaret, vt conueniretis ad disputandum, & crebro disceptaretis, quo veritas emergeret: Dicebat enim, fieri non posse vt verum reperiatur, nisi disputando. At vos probra timentes (quæ quidem prætereo, nationis honori consultum volens, quod sim & ipse gentis & ritus eiusdem) nolebatis disputare; & nunc Synodo & paci Ecclesiæ inuidentes huiusmodi verba eructatis.

XXXVIII. *Ephes.* Quid plura? non destiterunt salutis & religionis suæ proditores omnem mouere lapidem, donec Synodo congregata effecerunt, vt Latinismus palam erumperet, præsidentibus Imperatore & Patriarcha, & Despota illis assidente. Cum enim protulisset in medium dicta, quæ Latinis fauere videntur, tum ex illorum ipsorum Doctoribus, tum de magno Cyrillo; pugna mecum prius conserta, eodemq; tempore subinde insultationibus mihi per sophismata procaciter factis; ita Synodum interrogabant, quidnam sentirent de dictis illis; & si Filium Spiritus caussam faterentur.

Resp. Synodus hæc facta est priuatim & secreto conuenientibus tantum nostris Orientalibus; presidentibus, vt ais, Imperatore & Patriarcha; & summatim coactis omnibus Orientis Præsulibus. Hanc porro conuocauit celebertimus ille Imperator in Patriarchæ domicilium, quod is ægrotaret; non vt erumperet Latinismum, hoc est, vt tu quidem putas, impietatem; sed vt vocaret pietatem in lucem; neq; enim Latini impii sunt, sed pii. in qua Imperator ad vos omnes habuit concionem, exprobrans scil. socordiam, quod diuinum opus conficiendæ pacis negligeretis, tempusq; oscitanter in peregrinatione consumeretis; his verbis vsus.

Domini præsules, quid tandiu moramur in Italia, & non properamus videre finem huius negocii? Videte, & animum attentius adhicite, ne nos latenter hoc bonum effugiat. Mihi, cum Dei beneficio qui me vnxit, Imperator sim, non est tanta Deo reddenda ratio, quãta vobis. Imperator sane debet pro decreto Synodi propugnare; at vos estis pastores Ecclesiæ. In vos Christianorum omnium coniecti sunt oculi, vtpote animarum suarum ductores. Vos Deo pro animabus eorum rationem estis daturi. Euigilate ergo, exquirite quod iustum est de Deo placitum. Duæ nobis propositæ sunt viæ, duoq; periculosa præcipiria, Coniunctionis & diffidii. Si coniunctio bona est & orthodoxa, periculum est, ne decepti nos illam reiiciamus: immineret etiam periculum in diffidio, si iure non disiungamur. Quapropter expendendum vobis est quid præstet, quidue conducat. Dicite sententias, quæ vestras animas non lædant: nam Ecclesiarum vnitas sancta est, dum fiat cum pietate; disiunctio rursus & est & dicitur horrenda res: vt si pie non coniungamur, simus animas nostras læsuri; si vero iniuria disiungamur, rursus in idem recidamus. Considerate igitur, quid agendum. Nostis, schisma Ecclesiarum quantum attulerit malum: ex eo enim tempore, quo ortum est, Latini à Græcis, & Græci pariter à Latinis habentur vt canes. Itaq; existimo, si quis ad aucupandam hominum gratiam obstiterit piæ vnitati Ecclesiæ, deteriore loco hunc fore, quam sitipse Iudas. At vos venerabiles Patres, quod iustum est perpendite, Dei timorem habentes præ oculis. nolite ob temporaneam alterutrius patris gloriam damno afficere animas vestras, & reliquorum Christianorum sanguinem, qui in vos vt Pastores & duces suos intuentur. His auditis præsules omnes vna dixerunt, Quisquis impedimento fuerit, quominus pia Christianorum vnitas fiat, esto anathemati subiectus. Atq; ita suam vnusquisq; dixit sententiam, prout cuiq; visum est, Sacro primum exordiente Patriarcha. Vnus autem ex iis, qui Synodo aderant, sanctimonia præditus & virtute: Æquum est, inquit, Sanctorum nostrorum dicta inter sese conciliare, nam ea concordant;

daut; quandoquidem in ipsis idem loquutus est Spiritus, nec est discrepantia; nosq; cum Ecclesia Romana coniungi. Quando & tu respondisti; Latinos non solum esse schismaticos, sed etiam hæreticos; proinde coniunctionem cum illis nullo modo esse admittendam, nisi è Symbolo additamentum eliciant, & Symbolum eodem quo nos modo fateantur. Quod vbi Nicænus Præsul audiuit, his verbis tibi occurrit, Ergo qui Spiritum sanctum etiam ex Filio asserunt, hæretici sunt? tu vero confestim respondisti, etiam: & ille; Deus propitius mihi sis: Sancti etiam qui hoc dicunt, hæretici sunt? muta fiant labia, quæ loquuntur aduersus Sanctos. tumque sententias protulit Orientalium Doctorum, & legit vniuersæ Synodo, nunquam à te visas vel cognitas; sola quippe tibi nota erant, quę scripsit Cabasilas & Palamas. Patres autẽ inspectis Orientalium Doctorum sententiis, lectisq; etiam Occidentalium dictis, vt hæc illis consentanea esse comperuerunt, omnes perspectæ iam veritati se dediderunt; Iniquum quippe est ostensa luce oculos claudere. Itaque tulerunt sententias Sanctorum dicta secuti; & confessi sunt Filium iuxta Græcos quidem esse caussam; iuxta Latinos autem principium productionis S. Spiritus eq; vt Patrem.

Ephes. XXXIX. Illi vero de dictis nihil se dubitare responderunt, quin germana Doctorum sint, cum de hoc fidem iis faceret Epistola Sancti Maximi: causssam vero Spiritus Filio tribuere, maior certe pars nullo modo volebant, quod ita statueret & ipse sapiens Maximus.

Resp. De dictis non dubitabant amplius, quod illa inter se consentire iam certum esset, vtpote germana Doctorum, quodque perspectum haberent, iam olim in Ecclesia Romana vigere hanc sententiam. Nam Sanctus Maximus, qui fuit ante sextam Synodum œcumenicam, testatur Ecclesiam Romanam per id tempus ita cantare; & consona dicentes profert Romanos Patres, & præterea Cyrillum Alexandrinum. Quod vero vt validissimum obicis, est quod ait Maximus; Patres illos demonstrasse; non esse à se affirmatum, Filium esse causssam; sed illud denotatum, quod per ipsum procedat: hoc enim tu ais & istos nunc reformidantes, dicta quidem approbasse & ipsos exemplo Maximi: causssam vero Filio tribuere nullo modo voluisse maiorem partem. Nos vero ad hæc etiam respondebimus paucis. Sancti Maximi dictum ita intelligitur: Non putat ipse Filium esse causssam Spiritus principalem & primordialem, aut principium sine principio, siue causssam absque caussa; hoc enim soli inest Patri, haudquaquam Filio; siquidem quod habet Filius, acceptum habet à Patre, à quo etiam est. Quare vt Filius quoque dicatur caussa & principium Spiritus sancti, hoc à Patre accepit: Possumus quippe nos etiam exemplo magni Gregorii Theologi dicere, Caussa de caussa, lumen de lumine, Deus de Deo; sicut ille dicit, Principium de principio. Etsi ergo Filius vocatur caussa, non tamen à se originaliter; verum ex Patre quidem principaliter, per Filium vero & ex Filio, vtpote per Filium. & hoc est, quod ait Maximus; Ostensum esse ab illis, se non asserere Filium causssam Spiritus principalem; sed significare voluisse, quod per ipsum procedat. Ita igitur & isti hoc sensu tribuentes Filio causssam non primordialem, recte & pie fecerunt. Nam neque nos dicimus Filium principalem seu primordialem Spiritus causssam, sed ex Patre vtpote primo principio à nullo principio, & principali; ex Filio autem & per Filium; vt per ipsum ex Patre. Ita credimus, & intrepide prædicamus.

Ephes. Verum qui ad impietatem audaces erant; quique illos à principio sequuti sunt, amplius pollicitationibus & muneribus pellecti, nuda fronte Filium Spiritus causssam pronunciarunt; quod ne in ipsis quidem Latinotum dictis ita disertis verbis reperitur expressum.

Resp. Non audaces ad impietatem, sed religiosi ad retinendam pietatem erant illi, quos tu calumniaris: noluerunt enim deinceps in schismate & peruersitate persistere secernendo se à fratribus & ab Ecclesia; nec adeo stolidi erant, vt veritatem, quæ Christus est, coram hominibus negarent: & propterea nuda fronte palam pronunciarunt, à tenebris pessimæ illius, quam præsumptam animo habebant, opinionis se recolligentes, & ad veritatis lucem renocari; re miserabiliter humi iacere relicto, vt socios haberes omnes, qui iam vsque ab initio fuere schismatici. Nec vero, vt ais, pellecti sunt illi promissis ac muneribus; sed timore permoti illius oculi, quem latere nihil potest, confessi sunt, quod æquum esse cognouerunt. Quod vero ais, non reperiri in Latinorum dictis apertè expressum, Filium esse causssam Spiritus, iam ostensum à nobis est, vbi Occidentalium Doctorum sententias exposuimus. Nescio porro, an penes te differat; esse causssam Spiritus, & ab eo procedere. Ego certe cum audio loquutiones illas, habet esse à Filio, & ab eo procedit; causssam ipsius intelligo. Si vero aliud est, ab illo existere, & aliud causssam esse, proba tu hoc, & nos tacebimus: at nunquam id poteris ostendere, conatis tantum frustra volare multum laborans.

Ephes. XLI. Quorum sententiam ipse quoq; Patriarcha sequutus est, quod esset iam pridem & ipse miser corruptus, simul vero discessionem inde sitiret; quamuis eum ad mortem debitum fatale compellerer.

Resp. Sacer Patriarcha primus dixit sententiam, Sanctos Orientales congruere cum Occidentalibus; hanc deinde sequuti sunt reliqui præstantissimi viri; qui si esset in vita, tu nec diceres nec ageres talia; sed nec audares ipsum vocare iampridem corruptum, si vel ipsam nudam eius vmbram conspiceres. Is enim non metu, vel studio gloriæ, nec discessum inde sitiens sacram optabat Ecclesiæ vnitatem; sed quia re ipsa peracta m vidit, quod multi ante illum Patriarchæ videre cupierunt, & non viderunt. Vidit enim pacem Ecclesiæ, membra dominici corporis coniuncta; exultauit spiritu, & cum deuotione subscripsit, confessus Spiritum S. etiam ex Filio, purgationem animarum, Romanum Pontificem omnium Sacerdotum caput: atq; ita positis genibus orauit, sublatisq; in cœlum manibus Deo gratias egit; sicq; sanctam suam animam reddidit. Tu vero, qui impudenter illum & qui cum illo fuere, calumniatis, non ita, sed vna cum anistercore animam efflasti: testatur hoc vniuersa Constantinopolis. Ita Dei nouit iustitia expendere vnumquemque ex fide quam habet, sicut olim Arium, qui nomen à furore traxit; nam ille viscera deorsum, tu stercus per os egessisti.

Ephes. XLII. Ego vero cum scriptam haberem sententiam, fideiq; pariter meæ confessionẽ: namq; ita prius constitutum erat, vt suam vnusquisq; sententiam scriptam traderet: vt vidi illos magna iam propensione animi ferri ad conciliandam pacem; & eos qui mecum antea stabant, modo cum illis corruisse; nullam vero prorsus fieri scriptorum mentionem; meam & ipse scripturam tenui; ne si illos irritassem, certum in periculum me committerem.

Resp. Constitutum sane prius erat, vt suam vnusquisque confessionem traderet scriptam, antequam vila essent dicta Sanctorum: verum iis cognitis ad ea se conformauerunt; nec opus erat amplius confessiones dare scriptas, cum Sancti per sua dicta plana omnia facerẽt. propterea nemo scriptam dedit ibi sententiam, sed pauci quidam pronunciarunt exordiente Imperatore, & primis quatuor aut quinque; reliqui cum rudes essent litterarum, de Sanctorum dictis tantum tulere sententiam. Tu porro scriptam habens tuam confessionem, hæresum & garrulitatis plenam, illam non obtulisti,

timens;

timens ne honoris loco risum moueres: & vidisti eos, qui tecum antea iacebant in profundo inferorum, viriliter sese erigere, & resipiscentes schisma deponere, pieque peruenire ad vinculum pacis, & studiose properare ad sacram Ecclesiæ vnitatem: nec fetre poteras, illos quidem fieri vocarique Patres & magistros Ecclesiæ, te vero esse alienum, & hostem eorum.

Ephes. Cæterum verbis libere exposui quid sentirem; dicta videlicet Occidentalium & Orientalium Patrum cohærere aliter non posse; quam iuxta expositionem epistolæ Venerabilis Maximi; nimirum dicendo. Filium non esse causſam Spiritus: annotans præterea illud de additamento, quod propter allatas causſas nec rite factum, nec iusta sit ratione appositum. Post hæc illi res suas egerunt, atq; ad coscribendam Definitionem, & reliqua ad vnitatem spectantia se contulerunt.

XLIII. *Resp.* Verbis tu quidem hæreses & blasphemias euomuisti coram Imperatore & Patriarcha, & vniuerso Orientali conuentu, cum Latinos vocasti schismaticos & hæreticos: quando his auditis omnes te deriserunt? Quæ enim Synodus Latinos vocauit vnquam hæreticos? quomodo non es ausus id asserere coram Latinis? nempe quia demonstrare non poteras. Vt vero & Spiritum ex solo Patre impudenter exclamasti, Patres audientes contorquebantur, & se inuicem intuentes continuerunt autes suas; allatisq; libris & dictis Sanctorum veritatem ostendebant: quæ cum vidisses, caligo tuis oculis offusa est. Cum vero etiam pronunciasti, nolle te admittere communionem Latinorum, ni prius è Symbolo expunxissent, quod addiderunt; quoniam hæretici sunt qui affirmant, etiam ex Filio Spiritum esse; audisti, Muta fiant labia, quæ in Sanctos maledicta coniiciunt, Sancti enim Ecclesiæ hoc asserunt: tu vero confusus tacuisti. At Patres reliqui dicta Orientalium & Occidentalium Patrum sequuti iuxta sensum Venerabilis Maximi, primum quidem Sanctis sese adiunxerunt, deinde omnes in eandem iuere sententiam: Postremo ad scriptionem Definitionis, vt par erat, se conuerterunt; & reliqua quæ pacis erant, egerunt, vt diuinum hoc & sanctum opus concordiæ & vnitatis Christianorum finem haberet.

Ephes. Ego vero ex eo tempore segregatus ab illis, & mihi ipsi vacans, vt sanctis meis Patribus ac Doctoribus perpetuo adhærearn; per hanc meam scripturam omnibus notam facio sententiam meam; vt liceat volenti cuilibet expendere, num recta defendens an peruersa dogmata, factam vnionem amplexus non fuerim.

XLIV. *Resp.* Et tu quidem segregatus à Patribus sacræ Synodi, ab omni etiam Christi es segregatus: segregatus vero à grege Christi, extra salutarem versaris arcam: Illum porro qui extra nauem est, agitari oportet prauæ hæreseos fluctibus. Omnis enim qui à Synodo secernitur œcumenica, hostem ei se præbet: hostibus autem Synodorum œcumenicarum illud vnum inditur nomen, vt appellentur hæretici. Nos vero in curabili hoc morbo laboremus, ac per ipsum hostes Ecclesiæ Christi & hæretici euadamus; sacrosanctæ huic Synodo nosmetipsos subiicimus, & amplectimur vnitatem. Et tu quidem cum fatuis cogitationibus vacares, & inanem aucuparetis gloriolam, auramque popularem, quibus assidue effuseque oblectabaris, in sacrosanctam Synodum blasphema effundebas verba: Nos autem cum Sactorum dictis vacauerimus, eam honoramus, proque ipsa quotidie propugnamus. Vt vero impudens tuum os, quod iniquitatem & blasphemiam in excelso loquutum est, tempore amaræ tuæ ex hac vita migrationis oppletum sit sordibus, norunt qui verum fateri didicerunt. Et tu quidem, vt ais, sanctis tuis patribus ac doctoribus te adiunxisti, Photio Schismaticorum Principi, immo vero auctori & opifici Schismatis & dissidii; Cabasilæ, Palamæ, Camatero, Phurnio, Pſello, Moschampari, Bulgariæ, Nicolao Methonensi, Panareto, & cæteris, qui post schisma & multam contentionem in Romanam inuectisunt Ecclesiam, & Spiritum ex solo Patre ignorantiæ & impudentiæ nugis affirmarunt; eadem plane sentientes, quæ desipiens Nestorius, nam & ille soli Patri productionem Spiritus tribuebat. Ita vero seiunctus es primo quidem ab omnibus Sanctis ac diuinis Patribus, qui in generalibus emicuere Conciliis; deinde ab omnibus qui sacra scriptorum monumenta relinquentes perspicue docuerunt, Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere; ac per Filium, & ex Filio; & ab vtroque, & reliqua, dum de rebus diuinis agerent, manifeste tradiderunt: ii vero sunt, Hilarius, Athanasius, Augustinus, Basilius, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius Dialogus, Gregorius Theologus, magnus Chrysostomus, Epiphanius, Cyrillus, Leo magnus, Maximus, Anastasius, Tarasius, Damascenus, & alii. Nos autem ab iis, quibus tu adhæsisti, omnino seiungimur, nec vllam esse volumus inter nos & illos communionem: cum iis vero reuerenter coniungimur, à quibus ipse temet disiunxisti. Et tu quidem in secundo Christi aduentu inter illos numereris, qui Spiritum ex solo Patre dixerunt; nobis vero contingat eius tunc esse ordinis, in quo sunt qui diuina tractantes Spiritum ex Patre fatentur & Filio. Et tu quidem hic Synodo & Romanæ Ecclesiæ cum sis inimicis, ibi pariter habeberis eius inimicus: nos vero cum hic amici & obsequentes catholicæ Christi Ecclesiæ & generali Concilio simus, precamur, vt ibi etiam tales reperiamur. Hanc porro tuam sententiam, quam notam omnibus facis, nos DEO fauente iam confutauimus; partim quæ in ea sunt absurda, redarguentes; partim ea quæ dicis, falsa probantes Doctorum Ecclesiæ testimoniis: vt cuiuis liceat perpendere, vera ne an falsa dicas; vtque fiat omnibus cognitum, te Doctorum tuorum, quos diximus, peruersa dogmata sequentem noluisse recipere orthodoxam, irreprehensibilem, veram, intuitibidam, & sanctam vnitatem; quam nos veneramur, & cum reuerentia laudamus, vt quæ vera dogmata sanxit; & quæ promulgauit, vt recta & pia, non vt ipse effutis, peruersa, suscipimus & approbamus: confitemurque Sanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum esse principatum, regnum vnum, potentiam vnam, deitatem vnam; vnam voluntatem & operationem: Patrem à nullo, ingenitum; initio carentem; omnipotentem: Filium ex Patre solo genitum, Patri coæternum & coomnipotentem: Spiritum sanctum pariter cointemporaneum, consempiternum, consubstantialem, & coomnipotentem, Patris & Filii Spiritum; æqualiter ab vtroque procedentem æternaliter tanquam ab vno principio & ab vno productore. Ita credimus, ita prædicamus, ita confitemur, atque ita nobis est in votis vsq; ad extremum vitæ spiritum sentire ex hac vita decedentibus; & in tremendo Saluatoris aduentu, cum venerit ad iudicandum Orbem, cum hac ei confessione in nubibus occurrere veniunti. Quoniam ipsum decet gloria in sæcula sæculorum, Amen. *1.Thess.4.*

GREGO-

GREGORII HIEROMONACHI, MAGNI PROTOSYNCELLI

XLV. ## ET A CONFESSIONIBVS, qui postmodum creatus est Patriarcha, & Romæ sepultus coruscauit miraculis,

Responsio ex variis Sanctorum sententiis ad Epistolam Marci Ephesii.

Ephes. OMNIBVS vbiq; terrarum degentib. Christianis, & insulas habitantibus: Marcus Ephesiorum Metropolita Salutem in Domino.

Gregorius. Exordium, quo venerabilis Ephesius vtitur, omnes vbiq; terrarum homines, & insularum incolas excitat ad eius sermones audiendos. Nos contra, hæc dicimus cunctis terrarum Orbis habitatoribus; suas vt aures prius dent eius dictis, nostra deinde audiant. Namque hac de causſa verba eius præponimus, & nostras responsiones subiicimus, vt veritas omnibus patefiat. Sicut enim Sol, qui sensu percipitur, exoriens, mundumque sua luce complens, & se ipsum ponit ob oculos, & inferiora facit vt conspici possint: quoniam exorto Sole non opus est, qui nobis lucem indicet, ipso radio Solis præsentiam ostendente; nec est, qui dicat alteri, intuere Solem: ita verus quoq; diuinorum dogmatum sermo è Sanctorum Patrum lingua Solis instar effulgens, veritatem aperit hominibus, qui mente non cæcutiant; certamque fidem facit de diuinorum sinceritate dogmatum, deque integritate & puritate fidei; & inuitat omnes, vt ad veritatis castra transfugiant. Vt enim tenebras, cum nihil sint, luminis præsentia fugat; nam quod nihil est, rei quæ natura sua constat, non valet obsistere: ita diuini Spiritus illustratio per sacra Deiferorum Patrum eloquia & veritatem ipsam declarat; & ea vsurpantes, mentemque Doctorum sequentes scribentesq; illuminat; & audientibus salutarem desuper illuminationem largitur. Itaq; ad communem hanc omnium vtilitatem, & veritatis adinuentionem (quæ non solum in diuinis dogmatibus, sed etiam quauis alia in re quæri debet) iuxta dictum Domini; *Quærite & inuenietis*; illam & nos perquiram⁹ ex Doctorum sententiis; fusisq; ad Christum Deum nostrum qui ipsa veritas est, precib. petamus, vt missa nobis luce suæ gratiæ, mentis nostræ oculum illustret, ne quæsita veritas nos effugiat: Ipse enim est qui dixit; *Sine me nihil potestis facere*; &, *Omnis qui petit, accipit*: Cum sit enim ipsa veritas, vera requirit, vt testatur & sanctus Dauid; *Veritatem requirit Dominus*; &, *Veritatem meditabitur guttur meum.*

Matth.7. *Ioan.15.* *Matth.7.* *Psalm.30.* *Prou.8.*

Quoniam ergo venerabilis hic vir scribit ad omnes vbique terrarum, insularumque incolas Christianos, vt quemadmodum prioribus suis significauerat litteris, fidei veritatem accipiant, & auersentur eos, qui pactam cum Latinis vnionem tuentur; Age nos quoque examinemus hæc ipsa quæ scribit: Et si quidem egregius vir à veritate non abhorret, nos etiam cum ipso stabimus eam deprædicantes, ipsumque laudibus extollentes, vtpote veritatis amicum: Sin autem longe aberrat à veritate; prolatis Sanctorum dictis, palam legentibus faciemus, quid ad eius scripta respondeamus; vt intelligant, vtra pars verum dicat, & secum veritatis candorem habeat; quæ contra vitiosis vtatur syllogismis, & obscuritate mendacii tenebrosis. Sed quoniam ipse profert, quæ sunt vtriusque partis, & nos sentire melius, & veritatem à nobis esse arbitramur; est plane necessarium Sanctorum Patrum sequi testimonia quasi facem prælucentem, vt veluti duobus propositis coloribus, rubro & nigro, si vnusquisq; dicat se rubrum & regium & pretiosum habere, non præsente lumine, per quod discerni possit, quid quisq; habeat, perspiciatur luce, quis falsum, quis verum asserat. Porro lumen hoc non aliunde, quam à Deo plenis sanctis Patribus haberi potest, vt diximus; qui à sancto Spiritu illustrati per veritatis dogmata, Solis instar illuminant eos, qui tota mente exquirunt, & sensum illorum scrutantur. Nam illi desiderio incensi exquisierunt, & exquirentes inuenerunt, vt ait Sapientia; Qui quærunt me, inuenient me: & nos ad hoc idem faciendum hortantur, ne litteram sequentes nudam, vt Iudæi, ad veritatem ipsam non perueniamus. Hoc sane reliqui Patres, tum Basilius magnus primo contra Eunomium libro docet: Si quis enim, inquit, nulla diligentia adhibita rem ita intelligendam esse contendat, vt sese primo offert aspectu, is ad iudaicas & seniles fabulas delabatur, inops omnino à sensibus Deo dignis consenescet. Itaque quod promisimus, venerabilis Ephesii dicta prius singula exponentes, tum nostras etiam responsiones apponemus fultas Deiferorum sanctorumque Patrum testimoniis, vt fiat per ea manifesta veritas. Nam sermo fide dignorum auctoritate firmatus euidentem habet sui demonstrationem. *Sap.6.*

Ephes. XLVI. Qui dira nos captiuitate captiuarunt, atque in Latinorum rituum dogmatumque Babylonem abstrahere voluerunt, id quidem perducere ad exitum nequaquam potuerunt, natura absonum esse perspicientes, & præterea impossibile, sed in media quadam itineris parte subsistentes tum ipsi, tum sectatores eorum, neque iam sunt amplius quod erant, neque illud euasere, ad quod tendebant: nam relicta quidem est ab iis Hierosolyma, quæ vere est pacis visio; & Sion mons, hoc est firma & inconcussa fides: verum fieri & dici vnquam Babylonii nec volunt, nec possunt; hanc sane ob causſam vocandi merito Græcolatini; vsitato autem nomine vulgo appellati Latinizantes.

Resp. Cum Epistolæ suæ vir eximius titulum prænotauerit, Ad omnes vbique locorum & insularum, & salutem illis impertiuerit; statim exordiur ab historia captiuitatis, quæ facta est quondam ab Hierusalem in Babylonem, sermone volens suauitate quadam perfundere, & auditores attentos reddere ad audienda quæ dicentur: Nam Allegorici sermonis proprium est, vt ad voluntatem dicentis & rem exprimentis dicta accommodet; idcirco attulit hanc historiam, vt schemate allegorico pro sua voluntate vteretur. Licet ergo nobis etiam nihil à veritate discedentibus dicere; Nos Hierosolymam potius tenere, & eam incolere, quam interpretantur pacem; quam Dominus etiam præcepit seruandam, cum diceret; Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hanc igitur tenentes Domini vocem, qua id iubetur, veluti Sion montem, eos qui scindunt Christi Ecclesiam, Babylonios vocamus: nos vero nec fuimus vnquam Babylonii, vt qui confusionem & schisma vitemus; nec voluntas vnquam erit, vt fiamus; cum vere illius discipuli simus, qui mandatum dedit, vt pacem sequamur. Subsannando porro nos vocat Græcolatinos, adinuento, vt putauit, nouo quodam & congruente nomine: at nos illud nequaquam pro subsannatione habemus, sed verum esse fatemur. Cum enim Constantinus magnus Roma profectus nobilissimos ab Vrbe Romanos optimates incolas duxerit eam in vrbem, quæ nuper tum condita eius nomine est insignita, quæque noua Roma nuncupata est; eorum posteri, græce loquentes, sed oriundi ab illis, iure sunt vocandi Græcolatini; Hellenas enim Græcos vocant Latini; Atque ita quod nobis præstantissimus vir obiicit, vt probrum, nos verum opinamur, atque fatemur, præterea nunc illud, quod Imperatores nostri Romani sunt, & originem inde trahunt. Verum Græcolatini vox dicta est loci causſa; Nos enim Christi beneficio veritatem quauis ratione quæ i

Ioan.14.

à nobis ostendentes, quicunq; illam habent, omnes ad communionem admittimus, siue Græci, siue Latini sint, siue barbari, siue Scytæ. Nam illud vnum & scimus & dicimus; Eos qui sententiæ generalis Concilii non acquieſcunt, nec eam ſequuntur, aliud quoq; nomen ſortiri: vt Ariani, quod non Synodi ſententiam, ſed Arium ſequuti ſint, Ariani dicti; & qui Eunomium, Eunomiani; & qui Neſtorium, Neſtoriani, eos vero qui œcumenicam amplectuntur ſententiam, nequaquam mutare nomen; œcumenicam porro fuiſſe Florentinam Synodum, nemo negauerit. Cæterum vbi ad vlteriora progreſſi eximus hac de re ſuo loco demonſtrationem afferemus. Ita igitur exorſus, atq; in hunc modum compoſito ſermonis principio, rurſus hoc pacto orditur.

Epheſ. XLVII. Iſti ergo homines, iuxta fabuloſos hippocentauros ſemiferi, cum Latinis quidem fatentur. Spiritum ſanctum ex Filio procedere; & habere Filium ſubſiſtentiæ ſuæ cauſſam; hæc enim ſunt Definitionis ipſorum verba: nobiſcum autem dicunt illum ex Patre procedere.

Reſp. A profana rurſus orditur hiſtoria rei quæ nunquam fuit, ſed conficta eſt inanibus futilium ingeniorum commentis. Oportebat vero ipſum à rebus quæ ſunt, exemplum petere, quod poſſet etiam congruenter adaptare. Omnis enim ſerius ſcriptor ſimilitudines adhibet & exempla non fictitia, præſertim in rebus Eccleſiaſticis. At Reuerendus iſte poſito quod nullum eſt, ac ſi eſſet, allatoque ſimili quaſi rei natura conſtantis, vocat nos ſemifera animalia, ita profecto incenſus, vt congruentius dicamus; liquet enim exemplum eſſe penitus abſonum; quandoquidem exemplum ſumit è re prorſus commentitia, quomodo ergo quadrauerit in naturam exiſtentem & reapſe conſiſtentem? Sed ne videamur ad id quod nihil eſt reſpõdere, omiſſo illo quod nobis eſt propoſitum (nolumus enim redarguere hominem ira inflammatum, ſed veritatem perquirere, & eam patefacere) age dicta eius ordine ſingula expendamus. Aiſt igitur (cum Latinis quidem fatentur ex Filio, &c. nobiſcum autem dicunt, ex Patre procedere,) Hæc dicens neſcire ſe ſimulat, Latinos quoque nobiscum fateri, Spiritum ſanctum ex Patre procedere; ex Filio vero etiam nos quidem fatemur cum Latinis, verum hoc ipſum à Sanctis edocti aſſerimus. Idita eſſe, Doctores ipſos ac Theologos teſtes proferamus, non omnes, aut omnia, quæ de hac materia ſcripſerunt; ſed quosdam, & paucaillorum dicta, vt aliquatenus probemus, nos hoc aſſerere deſumptum à Sanctis.

Cyrillus Conc. Eph. part.1.c.3. Itaque Sanctus Cyrillus in ſermone ad Theodoſium Imperatorem, qui ita incipit: Supremum humanæ gloriæ culmen: ſic ait; Baptizaturum inquit IESVM inſigne & Spiritu ſancto; non quod Spiritum baptizatis deberet infundere alienum quaſi ſeruus & miniſter, ſed cum ſuprema poteſtate vt natura Deus illum, qui ex ipſo eſt, & eius proprius eſt. In Epiſtola quoq; ad Neſtorium, cuius initium eſt; cum Saluator noſter diſerte pronunciet. Quamuis, inquit, Spiritus ſuam habeat peculiarem ſubſiſtentiam, qua intelligitur per ſeſe exiſtens Spiritus non Filius; eſt tamen haud alienus à Filio; dictus quippe eſt Spiritus Veritatis, Veritas autem eſt CHRISTVS; & effunditur ab illo non ſecus atque ab ipſo Deo Patre. Quod vero ſanctus Pater per vocem, effunditur, intelligat proceſſionem, ipſemet declarat in expoſitione Symboli; Ait enim, Et effunditur, hoc eſt, procedit, tanquam ex fonte à Deo Patre. Hic illud, effunditur ab illo non ſecus atque ab ipſo Patre, quomodo intelligendum? Si enim dixiſſet ſolum, effunditur, alius quoque ſenſus locum haberet: ſed cum addat, non ſecus atque ab ipſo Patre, omnem detorquere ſenſum volentibus præcidit occaſionem. Et magnus Baſilius in opuſculis contra Eunomium, in capite, cuius inſcriptio eſt, Quod vt ſe habet Filius ad Patrem, ita Spiritus ſe habeat ad Filium: Idcirco, ait, Filius quidem eſt Dei Verbum, verbum autem Filii Spiritus, Portans enim, inquit, omnia verbo virtutis ſuæ: & quia verbum Filii, propterea gladium inquit Spiritus, quod eſt verbum Dei: viuum porro & efficax eſt Dei Verbum & ſermo. Sanctus autem Ambroſius (ad quem ſcribens diuinus Baſilius; Age, inquit, vir Dei, quomodo Chriſti Euangelium non ab hominibus acceſpiſti, aut didiciſti; ſed ipſe te Dominus tranſtulit de iudicibus terræ ad Apoſtolicam dignitatem) libro primo de Spiritu ſancto ad Gratianum Imperat. cap. 10. Sed neque, inquit, cum de Patre exit, de loco recedit, & quaſi corpus à corpore ſeparatur; neque cum in Patre eſt, quaſi in corpore tanquam corpus includitur. Spiritus quoque ſanctus cum procedit ex Patre & Filio, non ſeparatur à Patre; non ſeparatur à Filio. Quemadmodum enim ſeparari poteſt à Patre, qui Spiritus oris eius eſt? quod vtiq; & æternitatis indicium, & diuinitatis exprimit vnitatem. Sanctus Agatho in ſua Epiſtola, quam miſit ſubſcriptionibus centum & viginti Epiſcoporum munitam ad ſanctam Synodum ſextam de beato Auguſtino hæc habet: Beatus Auguſtinus præſtantiſſimus Doctor. & rurſus; Veritatis prudentiſſimus prædicator B. Auguſtinus.

Hebr. 1. *Conc. 6. Act. 6.* *Auguſtin.*

Hic igitur Beatus Auguſtinus ad Oroſium ſcribens: Spiritus, inquit, ſanctus non procedit ex Patre ad Filium, & à Filio ad ſacrificandam creaturam; ſed ab vtroque ſimul procedit. Rurſus idem libro tertio contra Maximinum: Quæris à me; ſi de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus ſanctus, cur vnus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo, ſiue capias, ſiue non capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus; ſed ille genitus eſt, iſte procedens: ideo ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus; iſte autem Spiritus vtriusque, quoniam ab vtroq; procedit. Sed ideo cum de illo Filius loqueretur, ait, De Patre procedit, quoniam Pater proceſſionis eius eſt auctor, qui talem Filium genuit, & giguendo ei dedit, vt etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus. Nam niſi procederet & de ipſo, non diceret Diſcipulis; *Accipite Spiritum ſanctum*; eumq; inſufflando daret, vt à ſe quoq; procedere ſignificans, aperte oſtenderet flando; quod ſpirando dabat occulte. Quia ergo ſi naſceretur, non tantum de Patre, nec tantum de Filio, ſed de ambobus vtique naſceretur, ſine dubio Filius diceretur amborum. Ac per hoc, quia Filius amborum nullo modo eſt, non oportuit naſci eum de ambobus. Amborum eſt ergo Spiritus ſanctus procedendo de ambobus, & infra in eodem capite; Satis ſit ergo nobis, quia non eſt à ſe ipſo Filius, ſed ab illo, de quo natus eſt: non eſt à ſe ipſo Spiritus ſanctus, ſed ab illo de quo procedit; & quia de vtroque procedit, ſicut iam oſtendimus, vnde & Spiritus Patris dictus eſt, &c.

Auguſtin. *Ioan. 15.* *Ioan. 20.*

Anaſtaſi. act. 10. Sanctus autem Anaſtaſius, de quo ſancta Synodus ſexta; Suſcipimus, inquit, ſanctum Anaſtaſium: & Theodorus Melitenæ Epiſcopus reſpondit; Sanctum vocat vniuerſus Oriens hunc beatæ memoriæ Anaſtaſium; Antiochenum olim Epiſcopum; & qui hunc non recipit, illum Deus anathematizet: & reſpondérunt omnes vna voce, Amen. Hic ergo ſanctus in Sermone, qui inſcriptus eſt, De rectis quæ nos credimus dogmatibus veritatis; cuius tale eſt initium; Eorum quæ de recta fide noſtra ſic ait. Ex eo porro, quod proprium corporis eſt, perito exemplo, declarauimus, quomodo in diuinis alterum ſit in altero ex proportione & ſimilitudine membrorum. Hac enim ratione & ſpiritus oris eius, Dei videlicet, Spiritus ſanctus dicitur, cum os ſit Vnigenitus. Et rurſus; Spiritus, quia ab eo procedit & mittitur, non à Patre ſolum, ſed etiam à Filio, & quibuſdam interpoſitis: Itaque, inquit, Dominus oſtendens eum ſe eſſe, à quo exiſtit Spiritus, inſufflans in diſcipulos aiebat; *Accipite Spiritum ſanctum.* Eſſe porro ſermonem illum huius Auctoris, teſtabitur

Ioan. 20.

Conſtan-

Conſtantinopolitanorum Synodus contra Acindynum celebrata; profert enim inde teſtimonia: teſtis erit etiam Nilus Cabaſilas.

Epiphan. Ad hæc Epiphanius; de quo ſanctus Theodoretus Studita ad finem ſecundi ſui libri contra Iconomachos ait: Epiphanium ſcimus & ſanctum & miraculorum virtute maximum. Rurſus idem in ſua ad Naucratum Epiſtola, quæ ſic incipit; Altera tibi iterum cautela fili dilecte: Ea vero, inquit, quæ à me quæſiſti de hæreſum & baptiſmatum differẽtia ſingulatim, plura ſunt quam modus Epiſtolæ ferre poſſit, & rurſus; Superfluum eſt ea percenſere, quæ à deifero Epiphanio inuenta ſunt & deſcripta diligentius, quam ab alio quouis Patre. Sacrum ergo de hæreſibus librum eius euolue, & quæ ſcire cupis, pernoſces omnia. Sancta quoque ſexta Synodus tomo quarto, actione decima, de ſancto ita loquitur: Lecta ſunt & multorum aliorum teſtimonia, nec non auctoritates ſancti Epiphanii ex Panariis, ſermone ſexageſimonono. Rurſus eadem Synodus hæc habet; & perſuadeat hoc nobis eximius Pater noſter Epiphanius tractatu contra Arianos. Sancta inſuper generalis ſeptima Synodus Actione ſexta: Libri, inquit, ſancti Patris noſtri Epiphanii, Ancoratus, & reliqui notiſſimi ſunt per totum orbem, & ſonus eorum longe lateque vagatur, & fere per omnes Eccleſias diſſeminati ſunt, Itaque hic ſanctus in dictis libris, tractatu aduerſus Seminarianos in Panariis; Fatentur, inquit, Deitatem vnam & principatum & dominium; perſonas pariter in proprietatibus hypoſtaticis pie agnoſcunt; Patrem in maieſtate paterna ſubſiſtentem intelligentes; Filium quoq; non partem aliquam Patris, ſed plane perfectum ex perfecto natum & ſubſiſtentem aſſerentes; & Spiritum ſanctum quem ſacra Scriptura Paracletum nominat, ex Patre per Filium ſubſiſtere exiſtimantes, & in Ancorato, Spiritus ſanctus ſpiritus veritatis eſt, lumen tertium, ex Patre & Filio, & poſt pauca. Sicut enim *nemo nouit Patrem niſi Filius, nec Filium niſi Pater*; ita pariter dicere audeo, nec Spiritum, niſi Pater & Filius, à quo procedit, & à quo accipit: nec Filium & Patrem niſi Spiritus ſanctus qui vere glorificat, qui docet omnia, quieſt à Patre & Filio, & rurſus; Semper igitur erat pater, ſemper erat Filius, & Spiritus ex Patre & Filio ſpiratus. Itaq; perſpicuum eſt & plane manifeſtum, & à nobis & à Latinis vocem illam, etiam ex Filio, deſumptam eſſe à Doctoribus & Theologis; ex quibus ſanctæ Synodi œcumenicæ, dum quæſtio Theologica tractaretur, adhibebant teſtimonia, vt explicatum eſt.

Tomo 5. *Matth. 11.*

Epheſ. XLVIII. Et cum illis quidem licite ac rationabiliter fuiſſe appoſitum Symbolo additamentum aiunt: nobiſcum vero illud exprimere neutiquam volunt: quamquam quod licite ac rationabiliter factum eſt, quis recuſet exprimere?

Reſp. Definitionis verba illa, licite ac rationabiliter, ponit; antecedentia vero tacet: & quænam hæc, Verborum ſcil, illorum, Filioque, explicationem veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam. Quid igitur, neceſſe eſt omnem explicationem & declarationem textui ſemper adiici, nec legi poteſt ſine illa textus ſacræ ſcripturæ: Aut quia recitamus Symbolum ſine adiectione explicationis, dicemus explanationem & declarationem textui appoſitam nec licite nec rationabiliter factam? Et quis hoc dicat mentis ſuæ compos? Scimus decem Euangelii Ioannis capita fuiſſe à magno Baſilio commentariis illuſtrata; & idem integrum ſacrum Euangelium à Ioanne Chryſoſtomo declaratum, nec non à præſtantiſſimo Doctore Cyrillo, & aliis: non ſemper tamen illud in Eccleſia legitur cum enarratione. Quare ſi diceremus additum eſſe quod deerat, & ſupplemento perfectum quod non erat integrum, deinde caneremus Symbolum abſque addito ſupplemento, eſſet cur merito ab illo reprehenderemur: At quando factam audit explicationem declarationemque, ea vero non ſemper cum textu legitur, nullo ſane merito nos accuſat. Hoc vnum eſt neceſſarium, vt Sanctorum teſtimonis probatum ſit omne quod explanatione declaratur. Nam quicquid ſtatuerit Synodus, per ea quæ infert addendo, non aliam definitionem condit, ſed ipſam primam definitionem explicat, & explicatione dilatat. Quod autem hoc verum ſit, audi Sanctum Maximum ita teſtimonium tribuentem. Is enim in compendioſa ſua pro Synodo Chalcedonenſi Apologia; cuius initium eſt: Quoniam nimis generoſo animo, vel vt aptius dicam, ignauo, Si enim, inquit, licet verum pro veritate proloqui, omnes poſt Nicænam Synodum à Deo ſelecti Patres, omneque orthodoxorum ſanctorumque hominum Concilium, nullo modo aliam induxere fidei definitionem ſuis ipſi verbis vtendo, vt vos dicitis plurimum delirantes, & penitus inſanientes; ſed ipſam vt primam & vnicam, quæ à ſanctis trecentis decem & octo Patribus ſancita eſt, firmam & ratam eſſe voluerunt, dilucidantes eam, & veluti apertius enucleantes, propter eos qui illam illiusque dogmata prauis interpretationibus ad ſuam ipſorum detorquent impietatem.

Epheſ. XLIX. Et cum illis quidem azymum Chriſti corpus eſſe dicunt, nobiſcum vero illud ad communionem ſumere non auſint.

Reſp. Obiurgare quidem, & detrahere nobis propter azyma nouit, ignorat autem per azymum à Domino fuiſſe olim peractum myſticum ſacrificium; nec putat indifferens, ſiue per azymum, ſiue per fermẽtatum conficere; ſed omnia fruſtra eſſe arbitratur, ſacerdotium, altare; Dominicam vocem, hoc facite in meam commemoratiõẽ; & diuina verba, Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt ſanguis meus, & reliquos ritus qui obſeruantur, ſi non adſit eius dem maſſæ, ſeu eius dem materiæ modicum acidumque fermentum. Quod vero Dominus ac Deus noſter legale Paſcha prius celebrarit, deinde myſteria Diſcipulis tradiderit, audi ſanctum Patrem Chryſoſtomum homilia octuageſima prima ſic dicentem. Sed quam ob cauſſam Paſcha celebrabat? Oſtendens per omnia vſque ad vltimum diem, ſe non eſſe legi contrarium. Attende, quid dicat; ne legi eſſet contrarius, Paſcha celebrabat. Num ergo perfregit legem, aſſeruans fermentatum panem? Quod vero etiam per ſeptem dies illo tempore fermentum non extaret, teſtis erit idem ſacer Chryſoſtomus in priorem ad Corinthios Epiſtolam: Dicamus, inquit, prius, cur de cunctis finibus pellatur fermentum; quid ergo ſibi vult hoc ænigma? Omni nequitia liberum oportet eſſe fidelem. Sicut enim ibi peribaris, apud quem reperitum eſſet vetus fermentum; ita è nobis ille, apud quem erit nequitia. Neque enim ſub legis vmbra, pœnæ graues conſtitutæ, nobis autem haud multo graniores. Si enim domos ita repurgant, vt murium quoque cauernas rimentur, multo magis decet nos perſcrutari ſecreta animi. Cum igitur cauernas murium rimarẽtur; & ſanctus Pater affirmet, Chriſtum ad vltimum vſq; diem non fuiſſe legi contrarium, & ideo paſcha celebraſſe; certe contrarius fuiſſet, ſi paſcha celebraſſet, & fermẽtatum ſeruaſſet. Eſſe porro id lege veritum, audi verba eius præcipientis: *Septem diebus azyma comedetis; die primo non erit fermentum in domibus veſtris. Quicunque comederit fermentum, peribit anima illa de Iſrael*, & paulo poſt; *Primo menſe, quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma vſque ad diem vigeſimam primam eiusdem menſis ad veſperam: Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus veſtris: qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Iſrael.*

Exod. 12.

Quod vero Chriſtus ſeruato legis præſcripto Paſcha celebrarit, Iudæi vero nequaquam illud ſeruarint; ſed diem tranſgreſſi fuerint, audi oris aurei Patrem homilia octuageſima quarta in Ioannem, dum verba illa exponit, *Adducunt Ieſum à Caipha in prætorium*: Cur enim, inquit, illuc eum duxerunt, vbi omnes congregati

Ioan. 18.

erant vt res iret communi omnium Pontificum consensu; erat enim ille tunc Pontifex, & omnes illum præstolabantur. Ita pernoctabant, vigilabantq; huius rei caussa; non enim, inquit, comederunt pascha tunc, sed propterea vigilabant: Nam post illa verba, Erat autem mane; Ioannes intulit; & ipsi non introierunt prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha.

Quid ergo ad hæc dicemus? illud sane, quod altera die comederunt, & à lege discesserunt cædis huius faciendæ desiderio. Neq; enim Christus tempus pascha non obseruauit, sed illi, qui nihil non audebant, & leges innumeras perrumpebant.

Cum hæc ita se habeant, qua ratione erunt à nobis reprehendendi, qui azymo sacrificant? De nobis autem ipsis dicimus; ita nos accepisse, & nostram consuetudinem ratam habere: nam & Apostoli domi panem frangentes sacrificium fecitabant; neque vsquam apparet, quæsitum esse ab illis panem azymum ad sacrificandum: Rursus cum dies essent azymorum, & fermentatus panis non esset Hierosolymis, nusquam similiter apparet, quæsito fermentato illos consecrasse; quod scirent materiam esse eandem nempe farinam triticeam. Neque enim eo quod modicum non adsit fermentum, insalida iam erunt omnia quæ ad sacrificium spectant, præsertim Domini verba, quæ panem & vinum cum aqua transmutant in corpus eius & sanguinem? Quod autem verba hæc materiam illam transmutent in ea quæ diximus, audi ex diuino Chrysostomo in Oratione, quæ inscribitur; In Iudæ proditionem, & mysticam Saluatoris cœnam, & contra Iudæos. Orationis autem initium, hoc est; Volebam sane, dilectissimi, ritus patriarchæ argumentum; &c. Adest nunc etiam Christus, ipse mensam hanc ornans: qui enim tunc mensam illam ornauit, idem nunc & hanc iam condecorat. Neque enim homo est, qui facit vt proposita fiant corpus & sanguis Christi, sed qui pro nobis crucifixus est, ipse Christus, figuram tantum gerens sta. sacerdos, & preces offert, dum verba illa enunciat; verum gratia & efficacia Dei est, quæ operatur omnia. *Hoc est*, inquit, *corpus meum*; verba hæc propositam transmutant materiam. Et quemadmodum vox illa; *Gen. 1.* *Crescite & multiplicamini & replete terram*; prolata quidem est semel, sed perpetuis temporibus fit opus, naturam nostram ad procreationem corroborans: ita & hæc vox semel missa ab illa diuina lingua, *Hoc est corpus meum*, in singulis altaribus per Ecclesias virtute sua efficit, vt ad hanc diem, & vsque ad futurum eius aduentum sacrificium integrum peragatur. Si ergo verba hæc transmutant materiam propositam in corpus & sanguinem Christi, efficiuntque vt sint tremenda mysteria; mirum profecto fuerit, si perfecta illa esse non possint quod non adsit modicum fermentum; idque cum in tali materia Christus ipse confecerit, vt probauimus.

Ephes. L. An non satis hæc sunt ad declarandum animum eorum, quod non indagandæ veritatis studio, quam in manibus habentes prodidere, in vnum cum Latinis conuenere locum; sed voluntate expiscandi animum, & fictam non veram vnionem conciliandi?

Resp. Quod nos veritatem indagantes potius, per eam coniuncti fuerimus cum Latinis, constat plane omnibus, qui contentiones non amant: Nam veritatis inquisitio per Sanctorum Theologiam habita est, non vt ipse ait, quod & ipsam quam habebamus, veritatem prodiderimus. Alioquin hoc idem de quauis œcumenica Synodo dici posset; relicta videlicet prima fide, aliam esse ab ijs editam: Verum hoc nusquam scriptum est, quod explanando nouam fidem condererent. Huius rei testis est & sanctus Maximus in illo tractatu, cuius antea mentionem fecimus. Qua enim, inquit, ratione, & quo pacto sanctam Chalcedonensem Synodum, cum illa Patrum vocibus aperte vsa sit, criminamini? & quasi nouam fidei Definitionem condiderit, passim conuiciis illam tum scriptis, tum dictis proscinditis? Nolite, inquit Dominus, iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Cur in vna eademque materia de Patribus Synodi Chalcedonensis conquerimini, & antiquiores hoc ipso crimine liberatis? Nam si licet accusare Patres Chalcedonensis Concilii, vt aliam fidei Definitionem promulgantes, eo quod voces adhibuerint, quæ non habentur in Definitione Patrum Nicænorum; sequitur omnino, vt hoc idem ob eandem caussam dici possit, & contra Cyrillum, & contra Centum quinquaginta Patres: sed si de illis hoc dici non licet, non video cur liceat de hac Synodo. Quod igitur paternas sanctiones voces, per eas vnionem perfecerimus, iam demonstratum est: Idcirco nec iure nos insimulat, quod veritatem, quæ à nobis erat, prodiderimus. Sed neque auro inhiantes vnionem confecimus; nam & ipse æque ac nos constituta salaria sumebat, & nummum aureorum expers non erat: quin etiam de pecunia, quæ huc missa erat ad commeatum nauigationis, nec non Venetiis, & mestrua quæ dabantur inibi, similiter & ipse accipiebat. Nescio porro, an quia Sancti Eugenii depinxerit imaginem, vt eam Papæ offerret; & sermonem ad eum scripserit, in quo præter alia dicebat; Pater Abraham eleua manus tuas, & benedic filius tuis, qui ubi ab Oriente veniunt; & nihil ex eo mercedis habuerit, nec aurum expiscatus fuerit; huiusmodi verba eiulet.

Ioan. 7.

Ephes. LI. Sed quemadmodum cum illis coniuncti fuerint, considerandum. Nam omne quod cum alio coniungitur, per aliquod certe medium voluit. Quod igitur ad sententiam de Spiritu sancto attinet, visi sunt illis coniungi, sancientes illum à Filio etiam suam subsistentiam habere; at cætera omnia differunt, nec est inter eos quidquam vnum aut medium, aut commune.

Resp. Nos medio ad vnionem vsi sumus Theologia Sanctorum, non relicto eo, quod antea tenebamus, vt iam satis bene perspicueque demonstratum est. Nam iuxta supra citatas sententias Patrum Deo plenorum, Omnem quod explanatur & latius explicatur non enerrit, non immutat, non obscurat, non tollit denique quod prius est, sed confirmat potius & declarat; dilucidiusque constituit. Esse porro veram de Spiritu sancto sententiam, quod à Filio quoque procedat, iam probatum est euidenter, eo quod scilicet hæc vox à Sanctis Patribus desumpta sit. Medium vero nullum venit nobis in mentem præter veritatem; quo etiam Gregorius Theologus illam nomine vocat; Medium, inquit, cum dico, veritatem dico. Et rursus alibi; Nos vero inquit media regiaque via incedentes in qua etiam summitas virtutum consistit. Hoc vnum perpetuo nobis quoque medium probatur, quod proprie tale est, scimus enim medium esse rem natura constantem, extrema vero malum, quod nihil est. Itaque Spiritum sanctum neque ex solo Patre, neque ex solo Filio procedere dicimus, sed mediam tenentes Sanctorum viam fatemur & ex Patre, & ex Filio siue per Filium.

Orat. de Theol. 1. Orat. Apologet.

Ephes. LII. Sed duo diuersa Symbola nunc quoq; recitantur, sicut & antea; duo quoq; sunt differentia sacrificiorum genera, alterum quod pane fermentato conficitur, alterum quod azymo.

Resp. Duo certe symbola non sunt, nec diuersa: Nam fidei symbolum, quod nos & Latini canimus, vnum est; neq; enim ob declarationem, quam illi apposuerunt, aliud propterea Symbolum est. Quod si etiam duo essent, ne tunc

quidem vocarentur duo; Siquidem aliud Patrum Nicænorum, aliud Apostolorum symbolum est; hæc tamen quia sensu non differunt, nequaquam diuersa vocantur. Duo quoq; sacrificiorum genera nec sunt, nec dicuntur, quoniam scopus vnus est, vt scil. Sacerdos fiat minister huius sacrificii: & hoc est omni Sacerdoti sacris operaturo fundamentum, Dominica vox quam protulit Dominus, *Hoc facite in meam commemorationem*, per triticeum panem & vinum cum aqua; vt per hæc, & ritus omnes, & sacratissima Domini verba, & altare, perficiatur mysterium, fiatq; corpus & sanguis Christi Saluatoris, ipsomet transmutante omnipotentis vi Deitatis. Nam & ipse venerabilis Ephesius fatebitur, diuinum sacrificium celebrari solitum etiam ante tempora Sanctorum Basilii & Chrysostomi, non tamen eo ritu, quem ipsi expoluerunt: qui nam; cum posteriores illi fuerint? Et postquam illi modum celebrandi missam exposuere, nemo probare poterit, Occidentalem Ecclesiam eo modo fuisse vsam: nec tamen duo sacrificandi genera dicta vnquam sunt, eo quod vna sit vocum diuinarum virtus, & intentio, & materia, & sacerdotis ministerio fungentis facultas, & cœlestis gratia quæ operatur. Nam, vt supra dictum est, intentio est conficiendi quod dixit Dominus, hoc facite in meam commemorationem; materia, farina, siue panis triticeus, & vinum cum aqua, super quæ Dominus dixit, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus; fitq; materia hæc semper corpus ipsius virtute eius, qui hæc transmutat. Vnum est igitur hoc sacrificium, dum fiat iuxta normam & præscriptum nobis à Domino traditum, vt explicatum est. De azymo vero & fermentato iam allata demonstratio est: nam Sanctus Pater Chrysostomus homilia quinquagesima in Matthæum; Credite, inquit, illa nunc etiam cœna fit, in qua & ipse accumbebat, nihil enim hæc differt ab illa, cum non homo hic, ipse vero illic sit operatus. Verum satis probatum est, quid sit de hoc mysterio sentiendum. In nostri porro officii lectionibus, de beato Gregorio mense Martio & hoc habemus: Gregorius è medio vitæ sublatus, & in medium Angelorum cœtum euocatus: &, Sanctus Gregorius in omni scientiarum genere & in Scripturis versatus multos à se compositos libros reliquit; & paucis interiectis; Non humanis, inquit, ratiocinationibus, & studiosa tantum eruditione conscriptos, sed per Spiritum sanctum quemadmodum eo vita functo Petrus Archidiaconus eius narrauit: Visam enim à se albam columbam, dum ille scriberet, ad os eius aduolantem, & veluti suggerentem & dictantem quæ scribebantur, & non multo post; Aiunt autem ex huius institutione factum, vt quadragesimali tempore apud Romanos Missæ sacrificium integrum peragatur, quod apud illos hodieque seruatur, sed non propterea disiuncti fuimus, neque illius æui homines duo missarum genera dixerunt; & neque illos ipsi vnquam culpauimus, neque illi nos coegerunt ad huiusmodi consuetudinem; quoniam hæc veritati fidei nihil officiunt.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Ephes. LIII. Bina quoq; Baptismata; vnum quod trina immersione confertur, alterum quod aquæ infusione à summo vertice: & vnum quidem, quod christma etiam adhibet; alterum vero quod adhibere illud nihil prorsus necesse habet.

Resp. Bina certe Baptismata nemo vnquam dixit; vnum quippe est sacrum baptisma, quod fit in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti, & qui ita baptizatur, perfectus est Christianus. Significantur autem per Patrem & Filium & Spiritum sanctum tres diuinæ hypostases; per commune vero nomen vnitas & identitas essentiæ, necnon æqualitas & inseparabilitas & indistinctio potentiæ trium personarum. Et quisquis ita baptizatur, ei baptismus non iteratur: quod si addito aliquo vel ablato baptizetur, tunc nec dicitur, nec est baptismus. Baptismus enim ex Deo proprie est; quemadmodum diuinus Pater Chrysostomus quinquagesima in Matthæum homilia docet: Nam Minister, inquit, est Sacerdos: sicut enim cum baptizat, non te ille baptizat; sed Deus est, qui tuum caput inuisibili potentia tenet; & nec Angelus, nec Archangelus, neque quisquam alius potest accedere & tangere, ita & nunc. Quando enim Deus regenerat, ipsius est donum solius. Cum igitur, vt Sanctus Pater docet, ipse Deus sit qui baptizat, tenetque baptizandi hominis caput; quomodo iste asserit, duos esse baptismos? Vnde vero sumit, perfectos non esse Christianos, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, baptizati sunt?

Loquitur de necessitate quadam consuetudinis, non autem absoluta. Vide Greg. l. 1. ep. 41.

Esse porro necessariam trinam immersionem, patet; nam à Sanctis hoc traditum est, nempe ad significandam triduanam Domini sepulturam: Ita sane traditum est; & Ritualia Latinorum ita obseruandum docent. Quod igitur necessarium est & nulla ratione omittendum, abrenunciatio est Satanæ, & pompa rum & cultus & operum eius; necnon promissio, quæ Christo fit, & fidei professio, oleiq; cum oratione vnctio: quæ à Latinis etiam inuiolabiliter obseruantur. Sed & nos haud quaquam immergimus infantes vsq; ad summum verticem; nec enim possumus illis præcipere, vt respirationem & expriationem per nares cohibeant; ne etiam per aures sacra permeet aqua; sed neq; os infantis obturare possumus. Verum eos in sacrum immittimus fontem, vt ne quid valde necessarium ex traditione prætermittamus; quasi veteri imaginem referente lauacro, & regenerationem per hoc indicante. Et ne caput, in quo est sedes omnium sensuum & vehiculum animæ, sacri baptismatis fiat expers, caua manu aquam è sacro fonte haurientes, illud perfundimus, diuinum inuocantes nomen, & proprietatē singularum hypostasium. Nam & sancto Apollonio, cum obiectum esset à Tyranno vt probrum, quod baptismo non ablutus, proinde non esset Christianus, fusis ab eo precibus, satisfecit Deus, deprecationem eius benigne audiens; demissa enim nube caput eius rore perfudit. Si igitur baptismus non perficitur perfusione capitis, nō ita, sed alio modo res gesta esset. Quid multa? Vnum & ipse vir egregius nouit baptisma nostrum & Latinorum, non duo. Cum enim alumnus Ecclesiæ sit, nunquam vidit Latinos iterum baptizari à nobis: verum hæc ille profert ratior; quæ autem exauerso animo proficiscuntur, non sunt curiosius examinanda. Cæterum Latini etiam baptizatos inungunt chrismate; & æque ac nos credunt vnctionem Chrismatis esse vnum de septem Ecclesiæ Sacramentis. Adhibent vero illud, cum prouectiori ætate sunt homines: quando, iuxta eximium Theologię Doctorem Gregorium, & mysticum quid audire & respondere per ætatem licet.

Orat. in baptism.

Ephes. LIV. Instituta quoque ac mores omnes diuersa omnino sunt, ieiunia, & ritus Ecclesiastici, & similia. Quæ ergo hic vnio, vbi nullum patens ac manifestum apparet signum? & quomodo vniti sunt, qui sua retinere volunt? hac enim lege suum ad vnionem præbuere assensum, quamuis à Patrum traditionibus defecuerint.

Resp. Nescit ergo, vt plane videtur, eximius hic vir, varios in hac etiam magna vrbe Constantinopolitana seruari mores, ieiuniorum que ac rituum Ecclesiasticorum esse diuersitates. Namq; ante Christi natalem sunt qui ordiuntur ieiunium ex die 15. Nouembris; alii ex die 6. Decembris; alii ex 20. Ad honorem quoq; Ascensionis Christi quidā ieiunare incipiunt ex Calendis Maij; & alia ab aliis ieiunia obseruantur. Nam & ipso sanctæ ac magnæ Quadragesimæ tempore diebus Sabbati ac Dominicæ multi vescuntur piscibus, aliis quoque alii diebus, sunt etiam qui iis omnino se abstinent, quid ergo? dicemus ne illos fide etiam inter se dissidere? In ritibus quoq; Ecclesiasticis consuetudo est varia; Nam Constantinopolitana maior Ecclesia in cele-

brandis officiis alio more vtitur, alio vero maiora Monasteria, alio minora ad quietē accommodata, deniq; alia Sacerdotum secularium Ecclesiæ: Quin & Tabennesiotæ in vno eodemque cœnobio varios ieiunandi psallendique modos habebant, aliis per biduum ieiunantibus, aliis per hebdomadam; & his quidem ad vesperam, illis vero de media nocte sacros hymnos canentibus: quod fiebat etiam in monasterio Acœmetorum. Sanctus Simeon Stylita quadraginta dierum ieiuniū nihil omnino degustans compleuit; idem beatus quoq; Daniel præstitit; hæc tamen nemo ad hanc diem in crimen vocauit. Iubet Canon, omnibus sextis feriis esse ieiunandum: nos quibusdam non ieiunamus; Latini vero, nunquam eius diei soluunt ieiunium, nisi natalis Domini dies contingat. Rursus præcipiente Canone, non esse ieiunandum Sabbato, Socrates, qui fuit ante Synodum tertiam; In Occiduis, inquit, partibus ieiunant diebus Sabbati: nec tamen qui illis fuere temporibus crimini hoc dederunt; quod scirent, varios ieiuniorum & rituum mores non inferre differentiam fidei. Mirum porro fuerit, cur iste vir & linguæ diuersitatem, & varium indumentorum genus vitio non verterit; aut quod illi flectant genua cum adorant & orant, seruantes morem antiquitatis; nos minime: Verum vox illa, quam subdit (& similia) hoc sibi velle videtur; quod sane quis summopere demiretur.

Acœmeti in perpetua vigiliis Deo vacantes.

Canon. Apost. 69. iuxta Græcos Canon. Apost. 66. lib. 5. c. 21.

Ephes. LVI.

At quam illi præclaram obtendunt rationem? Nunquam, inquiunt, Græcorum Ecclesia dixit, Spiritum ex solo Patre procedere; sed simpliciter, ex Patre procedere; hoc autem Filium non excludit à productione: Ita vt hac ratione fuerimus & antea, & nunc quoque simus vniti, prō hominum dementiam, prō exæcationem. Si Græcorum Ecclesia ex Patre procedere semper dixit, à Christo ipso, & Sanctis Apostolis, Patribusque synodorum edocta; ex Filio vero nunquam dixit; hoc enim à nullo traditum accepit; quid aliud, quæso, asserebat, quam ex solo Patre procedere? Si enim non ex Filio, certum est ex Patre solo.

Resp.

Ecclesiam Græcorum non affirmasse, nec affirmare Spiritum ex solo Patre, constat ex eo, quod vox, ex solo, rollit omnino vocem, per Filium. Illa ergo paternas sequuta traditiones, audiensque Sanctos dicentes, Spiritum sanctum procedere per Filium & ex Filio, & rectam fidem amplectens, qua ratione sentire potuit, Spiritum sanctum ex solo Patre procedere? Modus enim dicendi; ex Patre, non significat, ex solo; Nam qui Patrem dicit, simul quoq; Filium intelligit. Ait quippe magnus Basilius refellens ea quæ obiiciuntur Filio ex nouo & antiquo testamento; Capite quod inscribitur, An Filius sit natura Deus: Patrem vero dici non existente Filio est impossibile. Et qui patrem dixit, non absolute, se alicuius patrem dixit. Idem rursus in libro ad Amphilochium; Nulla ergo, inquit, facta de se mentione Dominus, in confesso enim erat, solum ait scire Patrem; cognitionem Patris suam quoque esse affirmans; id enim non expressam intelligitur. Et sanctus Athanasius in sermone, cui præfixus est titulus: Quod Nicæna Synodus cognita Eusebii calliditate, &c. Initium vero tale; Recte fecisti; Et Patris, inquit, nomen pronunciantes, ex hoc nomine Verbum quoque quod in Patre est agnoscimus. Non ergo verum asserunt, qui dicunt, Patris nomine excludi Filium, cum potius per illud ipse etiam significetur. Quod vero dicendo, per Filium, tollatur illud, ex solo; audi Sanctos Patres clara id voce docentes. Magnus quippe Athanasius in tractatu, quem inscripsit, Refutationem simulationis Meletii & Eusebii; Incipit autem hoc modo; Homo ad similitudinem Dei factus est: Atqui impossibile, inquit, esset in Trinitatis gloria Spiritum conglotificari, nisi esset ex Deo per Filium modo processionis, non factus vi creationis, vt ipsi aiunt. Præterea idem Athanasius in Dialogo, quem scribit inducens orthodoxum & Macedonianum; Si ergo, inquit, ostendatur, eandem habere naturam deitatemque, quam Pater & Filius, Spiritum qui ex ipso Patre per Filium effusus est; demonstratū quoq; erit, ipsum esse adorandū & latriæ cultu prosequendum. Et magnus Basilius in Capite, quod inscriptum est; Quod nisi quis dicat ex Deo esse Spiritum, nec verbum dicet ex Deo esse: Quomodo ergo, inquit, separentur inseparabilia, Verbum Dei; & Spiritus ex Deo per Filium? Ioannes quoq; Damascenus capite decimotertio; Spiritus vero inquit, sanctus occultæ Patris Deitatis manifestatiua vis, procedens est ex Patre per Filium, vt ipse nouit. At quid opus est singulos enumerare Sanctos, qui id apertissime pronunciant, cum ipsa sancta œcumenica Synodus septima hoc dicat? Nam illa per Tarasium Patriarcham sic ait: Credo etiam in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit, qui & ipse est & agnoscitur Deus. Si qui vero quod Sancti dicunt, per Filium, idem esse volunt, ac simul cum Filio procedere Spiritum, non bene hoc intelligunt. Nam sanctus Athanasius in Epistola ad Serapionem, quæ incipit; Litteræ tuæ pietatis; In Christo, inquit, erat Spiritus, sicut Filius in Patre. Rursus ibidem; Sancta & beata Trinitas indiuisa & vnita in se est; & si quis dicat Patrem, in eo est eius Verbum, & qui est in Filio Spiritus. In alia quoque Epistola ad eundem, quæ incipit; Fortasse miraberis; Non enim est, inquit, extra Verbum Spiritus; sed cum in Verbo sit, per ipsum in Deo est. Ex quibus ostenditur, eos qui dicunt, Spiritum procedere per Filium, hoc est cum Filio, dissentire ab his qui prolati sunt, & cæteris qui similia dicunt; quos, ne nimium sit, omisimus. Certe enim modus iste ad vnionem potius quam ad distinctionem spectat. Idcirco Doctores Ecclesiæ non ita loquuntur, neque ita hoc intelligunt, sed dictam distinctionem tradiderunt, immo vero præpositionum, per & ex, concordiam statuunt; &, per, significare causam omnino existimant. Ita diuinus Chrysostomus homilia quinquagesimanona in Matth. Nouit enim Scriptura, inquit, loco huius vocis, ex aliquo, vti hac voce per aliquem, vt cum dicit, *possedi hominem per Deum*, non secundariam, sed primariam intelligens causam. Et rursus; Nunquid non per Deum est interpretatio eorum? &, *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius.* Vides, vocem per Filium, apette denotare causam, vt contradicere nemo possit? Verum vt probetur efficacius, per & ex, ita alteram in alterius significationem migrare, vt causam significent, alios quoque Sanctos audiamus, Itaque Basilius magnus in capitulari Tractatu, quem de Spiritu sancto inscripsit, Cap. 5. cuius initium; Hæc sunt, quæ ab illis dicuntur, nos autem quod proposuimus, ostendemus: Iam vero ait, Per & Ex, altera in alterius sæpe locum succedit, cum alteta alterius subit significatum; Vt *possedi hominem per Deum*, quod perinde est, ac si diceret ex Deo, & alibi, *Quecunque præceperat Moyses Israel per mandatum Domini.* & rursus. *Nunquid non per Deum est interpretatio eorum?* Per Deum enim dixit, cum dicere vellet ex Deo. Sanctus etiam Cyrillus in Epistola ad Nestorium, quæ incipit; Intelligo quosdam falsō detrahere meæ existimationi: Quoniam, inquit, assumpta carne filius quoque hominis extitit, necessario fatendum est, secundum carnem natum esse per mulierem, & paulo post; Dei Patris Verbum de sancta Virgine est, & infra, natus est æque ac nos de muliere, & non multo post, Dei Patris Verbum in forma sui Genitoris existens habitauit in homine nato per mulierem.

De fide orthod.

Act. 5. in litteris Tarasii.

Gen. 4.

Gen. 40.

1. Cor. 1.

Gen. 4.

Gen. 40.

Conc. Eph. par. 1. c. 8. Similia habentur in prosphonetico. Cyrill. ad Theodos. Ephes. par. 1. c. 63.

Cum igitur, *Per*, & *Ex*, ita se habeant, vt alterius altera vice fungatur, & Patres Occidentales asserant, etiam ex Filio; Orientales autem per Filium & ex Filio, non est æquum illis posthabitis sumere, per, quasi idem significantem atque cum: Procedentem enim cum Filio, nemo dixit Sanctorum; quandoquidem

modus

modus iste, vt antea dictum est, vnionis potius est quā distinctionis. Idcirco distinctionem hanc scientes, qui bene norunt philosophari de Spiritu, nunquam dixerunt, Spiritum procedere cum Filio: Nam si hoc scissent, certe magnus Athanasius, fons illefacultatis Theologicæ, non dixisset quarto contra Arianos libro: Non coaptat Spiritus Verbum Patri, sed Spiritus potius à Verbo hoc accipit. & in epistola ad Serapionem; In Christo erat Spiritus, sicut Filius in Patre, &, Talem naturæ ordinem habet Spiritus ad Filium, qualem Filius ad Patrem. & Basilius magnus, Theologiæ profundum capite ad Amphilochium decimoseptimo; Itaque sicut, inquit, Filius se habet ad Patrem, ita & Spiritus ad Filium, iuxta seriem in Baptismi formula traditam; & si Filio Spiritus coordinatus est, Filius vero Patri, Spiritum quoque Patri coordinatum esse perspicuum est: Rursus hæc habet Athanasius in sermone contra omnes hæreses; Cuius initium; Propositum nobis est ex Euangelio: Similiter & magnus Paulus: *Misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater.* Et Pater ipse per magnum Prophetam ait, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem; & prophetabunt.* & ipse Dominus cum ad ferendam humano generi salutem venisset, voce vsus, quæ maiestatem Domini decebat, *Ego*, inquit, *in Patre, & Pater in me est*, &, *Ego sum veritas*, &, *Si abiero ad Patrem meum, non relinquam vos orphanos, sed mittam vobis Paracletum Spiritum veritatis.* Ecce in Veritate Spiritus, & Veritas in Patre: Ecce Trinitas individua. Qui ergo dicunt, præpositionem per, sumi loco præpositionis cum, non ne manifeste aduersantur theologiæ Sanctorum?

ad Gal. 4.

Ioel. 2.

Ioan. 14.

Ioan. 16.

Ephes. LVI.

Hoc ipsum generationis exemplo scies; ex Patre, inquit, natum ante omnia secula: Numquid addit quispiam ex solo? nihilo tamen secius hoc intelligimus, & si quando opus fuerit exprimimus: Nam Filium à nullo alio generari didicimus.

Resp.

Fatetur & ipse vir præstantissimus, Filium ex Patre solo, licet in symbolo non sit expressum: ita enim se rit intelligere, & cum opus fuerit proferre. Ita plane & nos, licet in symbolo non sit expressum, & ex Filio, tamen intelligimus & exprimimus, quando est opus, &, per Filium, similiter; Cur ita? Quia sicut Sancti Filium ex solo Patre asserunt, licet in Symbolo non dicatur, & nos ita prædicamus; ad eundem modum illis affirmantibus, Spiritum Sanctum non ex solo Patre procedere, sed ex Patre & Filio, & ex Patre per Filium, quamuis in Symbolo non recitetur, hoc idem intelligimus & dicimus. Quod vero Sanctorum Patrum Theologia non doceat, ex solo Patre Spiritum sanctum procedere; Filium contra, ex solo Patre generari; audi. Basilius magnus in confutationibus, capite, cui titulus, Quod Filius non sit creatura; Vnigenitus, inquit, est Filius, quia solus de solo generatur. Sanctus Ioannes Damascenus Rerum theologicarum capite decimotertio; Pater, inquit, solius est Filii. & capite de Trinitate, quod incipit; Credimus igitur; Vnigenitus vero, inquit, quia solus de solo Patre singulariter genitus est. Gregorius Theologus Oratione in Heronem; Filium, ait, vere Filium, Solus enim de solo singulariter & solummodo, neque enim est etiam Pater; totusque Filius, & totius, & ab initio. Idem præterea Oratione secunda de Filio; Vnigenitus autem, inquit, non modo quia solus de solo & solummodo, sed etiam quia singulariter non more corporeo. Hoc etiam Maximus in Dialogo cum Anomæo dicit; Quandoquidem solus ex solo, Et Gregorius Nyssenus dum narrat, quæ reuelata fuerant sancto Gregorio Thaumaturgo; Vnus, inquis, Deus & Pater Verbi viuentis, Sapientiæ & virtutis subsistentis, figuræ ab omni æternitate existētis, perfecti perfectus, Filii genitor Vnigeniti; & vnus Dominus ab vno vnus. Et multos alios Sanctos reperias hoc asserentes. Quod si illi Spiritū quoq; ex solo Patre procedentem credidissent, vtiq; non tacuissent; & nos licet in Symbolo non expressum, prædicaremus, quemadmodum ex solo Patre Filium agnoscimus dicimusque edocti ab illis. Verum neque in Symbolo, neq; in scriptis Sanctorum Patrum id scriptum est: Immo cum de Sanctis hæretici quærerent, nunquam illi è solo dixerunt. Nam Basilius magnus in opusculis contra Eunomium, Capite quod inscriptum est; Cur non filius Filii Spiritus Sanctus? Non, inquit, quod non sit ex Deo per Filium; sed ne Trinitas multitudo infinita censeatur, iniecta suspicione, ibi quoq; filiorum esse filios vt in hominibus. Obiicis, si Dei quidem imago est Filius, Filii autem Spiritus; & Filius quidem Dei Verbum, Filii vero Spiritus, cur Filii filius nō est dictus Spiritus sanctus? hoc enim vsus es fortissimo ad impietatem argumento Siquidem aut filium, aut creaturam statim intelligi Spiritum. Cum hoc idem quærerent hæretici à Gregorio Nazianzeno, vt scribit ipsemet in Oratione de Spiritu sancto, ex solo tamē Patre nec ipse respondit. Quod si hanc habuisset sententiam, nempe Spiritum ex solo Patre procedere, dixisset hoc, & multa se verborum molestia liberasset. Et rerum diuinarum peritissimus Athanasius Epistola ad Serapionem, quæ incipit; Legi & nunc à tua pietate scriptam epistolam; infert quæ ab hæreticis obiiciebantur hoc modo: Deinde, vt scribis, addunt; si ex Filio accipiet Spiritus, & ab ipso datur; sic enim scriptum est; protinus inferunt, Ergo anus Pater, & Spiritus eius nepos. Certe si sancti Patres ex solo Patre Spiritum esse credidissent, dixissent vtique, sicuti & Filium ex Patre solo affirmarunt, at nusquam dixerunt hoc, cum tamen illos vehementer vrgerent hæretici. Vnde ergo vir egregius sumpserit vocem, ex solo, nescimus, oportebat enim auctores afferre, qui ita philosophati sint, & non silentio præterire; Cum ante schisma nullus sanctorum hoc dixerit. Idcirco satis esse arbitramur, si tantum dicamus, hoc quidem esse dictum à Sanctis; illud autem, minime: & nos dicere & credere quod illi dicunt, licet in Symbolo non sit expressum; quod vero illi non dicunt, nos itidem nec sentire nec prædicare.

Ephes. LVII. De orth. fid. cap. 8.

Cap. 13. Resp.

Quocirca Ioannes Damascenus ex persona totius Ecclesiæ, & omnium Christianorum, ex Filio, inquit, non dicimus Spiritum. Si ergo etiam ex Filio non dicimus Spiritum, profecto ex Patre solo dicimus. Propterea paulo ante dixerat; Filium non dicimus causam; & sequenti capite, Pater, inquit, solus est causa.

Si Sanctus Pater Damascenus vbicunque vocesillas adhibet, non dicimus, intelligeret, non esse; possemus hic etiam recte hunc sensum admittere: sed si alio quoque loco vtitur hoc modo loquendi, non dicimus; non quasi res non sit, sed quia propter hæreticos non profertur; cur hic illud, non dicimus, quasi res non sit, intelligamus? Id ita esse, ipsum audi his verbis explanantem; Nam capite septuagesimo septimo, cuius titulus est; Quod sancta Virgo sit Dei mater; Christiparam, inquit, non dicimus sanctam Virginem. Et in alio suo tractatu, qui inscribitur; Sermo exactissimus contra Deo inuisam hæresim Nestorianorum: incipit autem sic; Ad Nestorii sequaces; hæc habet ad finem sermonis: Idcirco sanctam Virginem Deiparam prædicamus, vt quæ Deum ex se ipsa incarnatum vere & proprie peperit, Christiparam vero illam scimus quidem, nam Christum genuit; verum quia perditissimus Nestorius ea voce abusus est ad negandam Deiparæ vocem, non Christiparam, sed à potiori Deiparam nuncupamus. Vides, agnosci quidē ab eo nomen Christiparæ, sed non vsurpari, non quia Virgo Christipara non sit, sed quod ita non vocetur: non enim latebat eum, quod ait Gregorius Nazianzenus in Oratione de Spiritu Sancto. Rerum quasdam non esse, sed dici; alias esse, sed non dici; rursus aliquas nec esse nec dici; aliquas vero vtrumque, & esse & dici. Sicut enim hic apertissime declarauit, non dici Christiparam propter Nestorium & sectatores eius, non quod

ea non sit; ita propter Eunomium asserentem ex solo Filio esse Spiritum, ex Filio, inquit, Spiritum non dicimus. Si enim sentiret, illum à Filio non esse, ita loquutus esset de hoc, sicut ait de Filio; Filium vero nec Spiritus esse dicimus, neque de Spiritu, quemadmodum & Gregorius Nyssenus ait; Filius autem cum ex Deo sit, nec est nec dicitur filius Spiritus; nec relatiua hæc consequentia conuertitur. Notandum quoque illud; Quando enim Damascenus inquit, ex Filio non dicimus; non sistit illic sermonem, sed continuo infert, per Filium: nam Rerum diuinarum capite 13. Spiritus, inquit, Sanctus Spiritus est ex Patre procedens, nulla enim motio sine Spiritu, Filii quoque est Spiritus, non vt ex ipso, sed vt per ipsum ex Patre procedens, perspectum quippe erat sancto Patri, quippe vt perito græcanici idiomatis, ex, præpositionem, vbicunque apponitur, nihil significare anterius; sed indicare illud, vnde prima origo, ibique sistere mentem auditoris: per, vero, vbi ponitur, denotare omnin o principium aliud originale & primarium. Hac de causa negat esse dicendum, ex Filio, per Filium vero sane quam comprobat. ex Filio, inquit, non dicimus, Non dicit, & ex Filio non dicimus, addita copulatiua coniunctione, &, sed, ex Filio non dicimus: nam coniunctio, &, sicuti &, per, quiddã etiam aliud quærit, coniunctionemque aliam, &, præintelligi indicat. Et vide, vt exemplo antiquorum Doctorum & ipse dicat, per Filium: Ait enim, Spiritus Sanctus manifestatiua vis occultæ Patris diuinitatis, procedens est ex Patre per Filium, vt nouit ipse. Rursus; Ipse igitur, nempe Pater, est mens, Verbi abyssus, Verbi genitor, perque Verbum Spiritus manifestatiui productor. Itaque qui dicunt, præpositionem, per, sumi loco præpositionis, cum, intelligant & fateantur hoc loco etiam, Mentem, Verbi abyssum, Verbi genitorem vna cum Verbo producere Spiritum: Verum vt puto, non fatebuntur; Atque hinc falsæ expositionis inuentum redarguitur. Non enim frustra Sanctus, vbi negasset præpositionem, ex, intulit, per, sed ob prædictam caussam, ad refellendum scilicet Eunomium & sequaces, qui Spiritum ex solo Filio affirmabant: Nouit enim ipse Spiritum Sanctum procedentem ex Patre per Filium; atque ita de eo differit, vt patet ex locis iam citatis, & ex hymnis, quos ipse Domino canit, Propitium, inquit, largire nobis Spiritum, à quo bonitas emanat, ex Patre per te procedentem. Ita plane nos quoque fatemur, vt Spiritus ex Filio nequaquam principaliter, sed etiam ex ipso dicatur: fatendum quippe est, paternam hypostasim esse principium & caussam Filii & Spiritus, Filium vero primordiale principium haudquaquam fatebimur; nec dicemus, Spiritum Sanctum esse ex Filio, sed etiam ex Filio post Patrem, apposita, &, coniunctione copulatiua. Nam qui Spiritum ex Filio dicit, suspicionem dat, Filium à se intelligi primarium principium. Idcirco Sanctus Ioannes, Spiritum inquit, ex Filio non dicimus. Qui vero dicit, Spiritum ex Patre per Filium, siue ex Patre & ex Filio, aperte fatetur solum Patrem esse primordiale principium productionis sancti Spiritus. Nam omnia quæ habet Filius, accepta refert Patri, essentialiter animium & naturaliter, vt proprie Filius proprie dicti Patris: immo vero cum Patre habet omnia, vt ipse Dominus ait, & Cyrillus exponit. Is enim in Responsione ad Theodorerum pro nono Capite; quæ incipit; Iam dixi, contra Nestorii nugas, hoc est blasphemias: Procedit quidem, inquit, Spiritus Sanctus ex Deo Patre iuxta vocem Saluatoris, sed non est alienus à Filio, nam omnia cum Patre habet; & hoc ipse docuit, de Spiritu sancto dicens; *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Atque ita intelligimus sanctum Ioannem conuenire cum cæteris Sanctis dicentibus, & ex Filio, per Filium, & ab vtroque. Quod si intelligamus, non eo sensu dictum esse à Sancto, ex Filio vero non dicimus, vt primarium negaret principium, sed simpliciter & absolute: neque sibi constantem, neque cum reliquis Sanctis consentientem Patrem hunc statuemus. Illud enim, Per Verbum Spiritus manifestatiui productor, &, Oportet Verbo non deesse Spiritum, vt septimo Rerum diuinarum capite ait; nullo modo permittunt, vt Spiritus non sit etiam ex Filio, vel per Filium. Hoc idem sanctus Cyrillus ostendit, explanans illud, Cum venerit Paracletus: Ait enim; Nam quemadmodum proprius Filii est Spiritus naturaliter, cum in ipso sit, & per ipsum procedat, ita & Patris: Quibus autem communis est Spiritus, illorum certe substantia non potest esse distincta. Cæterum enuntiatum illud, Solus Pater est caussa, in vetustissimis libris non habetur: nos vero hoc etiam admittimus, atque vt recte dictum approbamus. Nam omnia, quæ habet Filius, ad primam caussam, hoc est ad Patrem referuntur; quemadmodum testatur & magnus Basilius in Epistola ad Amphilochium, Quod non sit ignota Domino vltima dies; per hæc verba; Ita &; Nemo diem nouissimum nouit, nisi solus Pater, dictum putamus, quia Filius tribuit Patri primam rerum præsentium futurarumque cognitionem, & primam caussam hominibus per omnia patefacit. Gregorius quoque Theologus exponens locum Euangelicum, sic ait: Vt singula quidem alia, sic etiam rerum potissimarum notitia referatur ad caussam, & Genitori honos habeatur. Videtur porro mihi, si quis ita legat, vt quidam è nostris studiosus, haudquaquam contemnendus sensus: Filio scilicet non aliter esse notum illum diem & horam, ac illa sint nota Patri. Nam quid colligitur? Quoniam Pater nouit, idcirco & Filius; cum certum sit, hoc à nullo alio sciri & capi posse, quam à natura diuina. Creatrix rerum quoque caussalitatem, cum sit illarum Filius etiam conditor & opifex, Basilius magnus ad Patrem refert. Nam octauo capite libri ad Amphilochium hæc habet: Ait enim ad Deum & Patrem Dominus, *Omnia mea tua sunt*, quod illi accepta referatur caussalitas Creaturarum, & tua mea; quod inde illi proueniat vis & facultas creandi: quorum autem virtus æqualis est, erit plane etiam operatio æqualis; *Christus enim Dei virtus & sapientia*; Atque ita *omnia per ipsum facta sunt*. Idem præterea Basilius in opusculis, quib. confutat Eunomium, egregie admodum ostendit, arguens quod illesoli Vnigenito tribueret caussam, Patrique illam denegaret, & creaturam Filii diceret Spiritum. Itaque sanctus non soli Filio, sed Patri quoque tribuendam caussalitatem astruens; Illud vero, inquit; quis plane ignorat; nullam Filii operationem esse à Patre seiunctam; necesse omnino quidquam, quod Filius habeat, alienum à patre? Omnia enim, inquit, mea tua sunt, & tua mea. Quomodo igitur soli Vnigenito ascribit caussalitatem Spiritus, atque ad deprimendam eius naturam creaturis illum annumerat? Si igitur hæc dicit ad constituenda duo principia sibi inuicem opposita, cum Manichæo & Marcione pessum ibit: Sed si res omnes ab vna caussa pendere vult, quod factum à Filio dicitur, ad primam caussam refertur. Vt licet omnia producta credamus per Deum Verbum, Deo tamen vniuersorum integrum illud reseruemus, vt ipse sit rerum omnium caussa. Atque ita intelligimus credimusque à sancto quoque Maximo caussalitatem reduci ad Patrem.

Quid præterea? Latinos, inquit, nunquam habuimus vt hæreticos, sed tantum schismaticos. Sumpserant autem hoc ab iis ipsis Latinis; nam illi nos vocât schismaticos, nihil habentes, cur nos de nostra accusent sententia; sed quoniam à debita illis, vt putant, desciuimus obedientia. An vero sit æquum, à nobis etiam idem illis præstari, & accusandi non sint de sententia ipsi sua, considerandum.

Ita est; Illi nos viciſſim vocabant schismaticos. Quid enim culparent in nobis orthodoxi orthodoxis? Si enim vere in fide illi errarent, non schismaticos, sed hæreticos nos vocassent: Nam omnes hæretici orthodoxos non schismaticos, sed hæreticos vocare consueuerunt. Nos quoque illos nec hæreticos habemus, nec vocitamus; nam si hæreticos haberemus certe nostra Ecclesia eorum Pontificem Beatissimi, & Sanctissimi, summique Pontificis titulis non insigniret: prauc enim in fide sentientes post tantum temporis decursum orthodoxi his nominibus non insignirunt.

*Causam certe schismatis illi dederunt, additamento palam appositio, quod antea clam mussitabant. Ipsi vero nos ab iis priores seiunximus; immo vero illos segregamus ac præcidimus à communi Ecclesiæ corpore.

† Certum est, illos dedisse caussam schismatis per additamentũ in* Symbolo, nõ quod illud antea mussitarent; Nam & ipsemet testi, erit infra, vocem, ex Filio, Sanctis Occidentalibus fuisse in vsu: sensum enim fortasse negabit, & aliter vocem intelliget, quemadmodum plane intelligit; at vocem ipsam, & ex Filio negare, non poterit; Cum & Sanctum Maximum testem proferat ad probandum quod sibi propositum est, patrem que epistolæ eius citet, quamuis illud, per Filium, suppresserit. Quomodo ergo mussitabant, quod à Sanctis traditum habebant? Verum quia solui volebant efficere quæ communia sunt, ceteræ Ecclesiæ non sunt hoc passæ. Idcirco solos reliquimus, quod negotia vellent communia gerere; & solos certe illos in perpetuum reliquissemus, ni voluissent pro vetere instituto per generalem Synodum communia examinari & regulari, quod & factum modo est.

† Qua de caussa obsecro? num vt recte sentientes, aut ob additamentum rite appositum? & quis hoc dicat, nisi sit prorsus mente permotus? ergo vt absurda & impia sentientes, & temerarios additamenti auctores. Vt hæreticos igitur sumus auersati; & hanc ob caussam sumus ab illis dissociati. Quid enim aliud causse fuerit? Aiunt vero plæ leges; Hæreticus est, & hæreticorum legibus subiacet, qui vel minimum à recta fide declinat.

* Non alia de caussa, quam prædicta, qua permoti argumentabantur, qui contra illos scripta edebant, absurda quæ videbantur ex additamento sequi, obiicientes; & fatentes quidem illud, ex Filio, vocem esse Sanctorum Patrum, sensum vero negantes; atque ex ea vel duo principia, vel personarum confusionem inferentes. Quamquam si ita esset, non Latini, sed sancti Patres essent in crimine, qui primi vocem hanc emisere: Cæterum illi, quæ sequi al quibus videntur ex hac voce absurda, subiiciunt anathemati; idcirco nullo modo sumus mente permoti, quo nos ipse conuicio lacerat. Nec vero Latinos auersati sumus, vt absurda & impia prædicantes: nam si absurda & impia prædicarent, Ecclesia nostra & Imperatores nostri non misissent assiduas legationes ad flagitandam Synodum. Hæreticos enim ab Ecclesiæ corpore semel abscissos Catholici nullo loco habent: At vero è nostris, qui sapientia & virtute plurimum excelluerunt, Macarius Nicomediensis, & Euthymius qui ad sedem postea Constantinopolitanam euectus est, & Ioasaph Ephesius, & Macarius Abbas Monasterii titulo Pantocratoris, illuc profecti benedictionem Papæ accipiebant; quin immo & qui hæc ipsa scribit, fecit quod & alii. Non ego sane, fatis fumus eos vt hæreticos. Verum quia legem profert, Latini quoque legem citabunt; Neminem videlicet damnari absentem, lex enim ita præcipit: Quod si reus citatus non se sistat, pœna tantum tenetur, quod iudicium declinauerit, donec in ius adducatur; Idcirco & è Diptychis expunctum fuit nomen Papæ. Esse porro hæreticum, qui de recta fide deflexerit, non opus est legibus probare, nam persuasum habent hoc omnes Christiani, & prædicatur ab omnibus tam ante legem, quam post legem. Verum hoc ipse, cum ibi præsens esset & disputaret, non demonstrauit, immo disputationis tempore disputationem detrectauit: Nam si hoc demonstrasset, nullus omnino Christianus vnionem cum Latinis admisisset, præsertim Ecclesiæ præsules, & Clerici qui subscripserunt: Nemo enim sine minor, siue maior Christi beneficio voluisset suscipere vnionem Latinorum, si demonstrasset ipse non recte illos sentire. Sed quemadmodum in hac epistola vocem, eo solo, pronuntiat, ita quoque ibi cum hoc idem; ex solo, inferret, Latini Patrum testimonia protulere, ipse vero disputare amplius noluit, nec omnino ad Synodum accedere voluit, cum tamen is qui cum eo disputabat, præsente Imperatore & Optimatib. & Præsulibus, & vniuerso populo clamaret, Accedat volo Dominus Reuerendus Ephesius, vt responsiones audiat ad ea quæ dixit, reddatq; rationem de iis. At ipse noluit accedere multis sane omnium cohortationibus solicitatus. Quomodo ergo nunc ea dicit, quę nec ab aliis dicta sunt, nec ab ipso demonstrari potuerunt: Ibi lucta erat, ibi disputationes & responsiones, & noluit accedere, nunc dicit, quæcunque vult. Itaque non opus est longa responsione.

Si igitur Latini à recta fide nihil deflectunt, nequicquam illos plane præcidimus: sed si certe deflectunt, id que circa diuinitatem Spiritus, in quem blasphemare periculum est omnium exitiosissimum; hæretici ergo sunt, atque vt hæreticos à fidelium cœtu abscidimus.

An illi deflectant, nec ne, iam demonstratum est. Blasphemare autem circa diuinitatem Spiritus, quo sensu fuerit Iudæis à Domino dictum, cur nesciat, ignoro. Nos enim periculum esse dicimus exitiosissimum, in quamcunque quis blasphemet diuinam personam: nam eas & æternitate & potẽtia & diuinitate fatemur æquales: vt quicunque in diuinam aliquam hypostasim blasphemauerit, hoc ei neque in hoc sæculo, neque in futuro remittatur. Ita sentit magnus Athanasius exponens illud Euangelicum, Omnia mihi tradita sunt. Qui enim, inquit, in vnam diuinarum hypostasim blasphemauerit, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. & Gregorius Theologus, Quidquid, inquit, ex tribus de gradu deiecteris, rotum profecto detrudi tibi ipse non recte illos sentire. Sed quemadmodum in hac epistola vocem, eo solo, pronuntiat, ita quoque ibi cum hoc idem; ex solo, inferret, Latini Patrum testimonia protulere, ipse vero disputare amplius noluit, nec omnino ad Synodum accedere voluit, cum tamen is qui cum eo disputabat, præsente Imperatore & Optimatib. & Præsulibus, & vniuerso populo clamaret, Accedat volo Dominus Reuerendus Ephesius, vt responsiones audiat ad ea quæ dixit, reddatq; rationem de iis. At ipse noluit accedere multis sane omnium cohortationibus solicitatus. Quomodo ergo nunc ea dicit, quę nec ab aliis dicta sunt, nec ab ipso demonstrari potuerunt: Ibi lucta erat, ibi disputationes & responsiones, & noluit accedere, nunc dicit, quæcunque vult. Itaque non opus est longa responsione.

Si igitur Latini à recta fide nihil deflectunt, nequicquam illos plane præcidimus: sed si certe deflectunt, id que circa diuinitatem Spiritus, in quem blasphemare periculum est omnium exitiosissimum; hæretici ergo sunt, atque vt hæreticos à fidelium cœtu abscidimus.

An illi deflectant, nec ne, iam demonstratum est. Blasphemare autem circa diuinitatem Spiritus, quo sensu fuerit Iudæis à Domino dictum, cur nesciat, ignoro. Nos enim periculum esse dicimus exitiosissimum, in quamcunque quis blasphemet diuinam personam: nam eas & æternitate & potẽtia & diuinitate fatemur æquales: vt quicunque in diuinam aliquam

confusio, quod vos sequi enixe asseueratis : nam & vnitatem perbene intelligimus, & distinctionem egregie declaratis ; vt neque duo sint principia Spiritus sancti Pater & Filius, neque in productione eiusdem vna sint persona Pater & Filius ; ita enim duo quoque essent mittentes, cum & Pater mittat & Filius : at res non ita se habet ; Siquidem vox illa, ex solo, apud nullum Sanctum est, à nullo dicta reperitur : quinam ? Cum ipsi his vtantur vocibus, ex Patre & Filio, & per Filium, & ex vtroque substantialiter ? inter has enim voces & illam, ex solo, contradictionis est oppositio. Nam sicut istæ propositiones ; dum Sol super terram est, dies est, & nox non est ; & rursus, dum ille subter terram est, nox est, dies non est ; ita etiam hæc duo, nunquam conuenient, ex solo, & ex Filio & per Filium & ex ambobus substantialiter : & hæc quidem pronuntiata sunt à Doctoribus & Ecclesiæ Theologis, quos sanctæ generales Synodi pro sanctis habendos promulgarunt, quorumque scripta complectuntur : vox autem, ex solo, post schisma & contentiones audita est. Quod si res theologicas ex consequentiis iudicare voluerimus, in multa sane absurda delabemur ; Ita enim, quia Deum de Deo dicimus, duo ergo sint Dii, & non vnus quem credimus : & quia natum dicimus, tempus intelligamus ; & quia, Descendit de cœlis, loco circumscribamus. & quid opus est plura congerere, quæ inferri videntur per consequentias ? nam qui prauè sentit, ea quę dicta sunt, per sequelas omnia concludet, At nos cum simus homines ficti ex argilla & luto ; non possumus de Deo congruentibus vti sermonibus : Quapropter humano more res diuinas explicamus ; nec oportet ea consequentiis, sed ex confessione nos redarguere : Vere enim cum Deo de rebus Dei iudicamus.

Ephes. LXII. Cur vero eos, qui ab illis ad nos transeunt, chrismate inungimus ? an non liquet, vt hæreticos ? Ait enim septimus œcumenicæ Synodi secundæ Canon : Eos qui ab hæreticis accedunt ad rectam fidem, & partem consequentium salutem, recipimus ordine & consuetudine, quam subiiciemus. Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & Nouationos, qui se Catharos & Aristeros vocant, & Quartodecimanos, & Apollinaristas, recipimus libellos dantes, & anathematizantes omnem hæresim, quæ non sentit, vt Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia ; nec non consignatos siue vnctos primum Sacro chrismate in fronte, oculis, naribus, ore, & auribus : & consignantes eos dicimus : signaculum doni Spiritus sancti. Vides quibus annumeremus eos, qui à Latinis ad nos perfugiunt ? Si ergo hi omnes hæretici sunt, *illi* quoque inter hæreticos numerandi. Quid porro de his Theodorus Balsamon doctissimus Patriarcha Antiochenus, respondens ad quæsita Marci Sanctissimi Patriarchæ Alexandrini scriptum reliquit ?

Interrogatio Marci.

Captiui Latini, & alii ad nostras Catholicas Ecclesias accedentes ; petunt diuinæ sanctificationis communionem. An sit concedendum hoc, scire cupimus.

Responsio Theodori.

Luc. 11. *Qui non est mecum, contra me est ; & qui non colligit mecum dispergit.* Quoniam igitur ante multos annos Ecclesiæ Occidentalis, Romanæ inquam celebris illa portio diuulsa est, à consortio reliquorum Sanctissimorum quatuor Patriarcharum, per mores & dogmata à Catholica Ecclesia & Orthodoxis aliena : Nam propterea & in diuinis Sactificiis Papa non inseritur communi nominum Patriarchalium commemorationi ; idcirco non debet homo Latinus Sacerdotali manu perdiuina & immaculata mysteria sanctificari, ni prius Latinorum dogmata moresque velit eiurare ; & canonice cathechismo initietur, & in numerum Orthodoxorum referatur. Audis ? Diuulsi sunt non modo per mores, sed etiam dogmata quæ non agnoscit Ecclesia : quæ vero non agnoscunt Orthodoxi, hæretica certe sunt. Audis etiam, initiandum esse canonice, atque in numerum Orthodoxorum referendum ? Qui si in initiandus est, chrismate etiam profecto vngendus. Vnde ergo nobis repente orthodoxi apparuerunt, qui per tot tempora, & per tot Patres & Doctores hæretici iudicati sunt ?

Resp. Cum protulisset Canonem præcipientem, quinam sint consignandi, vbi nulla mentio de Latinis ; & subiecisset responsionem vnius Balsamonis ad Alexandrinum ; intulit, qui per tot Patres hæretici iudicati sunt. Liquet ergo à Balsamone tantum, non à multis Patribus tales esse iudicatos, idque post schisma & concertationem. Certe si Alexandrinus post tot exacta tempora, iam enim trecenti anni abierant, ignorabat, quomodo recipiendi essent Latini, per spicuum est, illos non fuisse hæreticos à multis Patribus iudicatos. Nota enim fuissent proculdubio Alexandrinæ & reliquis Ecclesiis, iudicio & sententia, qua damnati essent Latini. Verum Latini etiam nostros † consignabant, & Chrismaticos appellabant.

Sed hæc non fuisse ex æquo & bono facta constat ex eo, quod in nostra vnione nihil habuerunt, quod nobis obiicerent. Sed cum essemus Orthodoxi, habiti sumus ab Orthodoxis Orthodoxi.

Quis * illos tam facile Orthodoxos fecit ? Aurum, si quod verum est, fateri velis, & lucra tua : imo vero aurum non illos fecit Orthodoxos, sed te reddens illis assimilem, in hæreticorum partem detrusit.

Facile † illos Orthodoxos fecit voluntas, qua dogma * in Ecclesiam ab eis inductum passi sunt examinari per Synodum Oecumenicam, quod anteà non patiebantur : & præterea Sanctorum Patrum allatæ sententiæ, quæ Spiritum Sanctum etiam ex Filio asserunt, & prolatum ex epistola Sancti Maximi testimonium, quo probatur sententias illas esse germanas ; & Patrum dicta, quos & ipsi pro Sanctis habemus, & Ecclesiæ Doctoribus. Quin & publicus anathematismus duorum principiorum, & confusionis personarum, de quibus accusabantur ; vt plane fatebitur & ipse, qui ibidem aderat, & audiebat. Auri vero rursus mentionem facit, vel aurum amans, vel carens auro, quod ipse expetit.

Sed si medium, inquit, aliquod inter dogmata excogitemus, per illud & cum iis coniungemur, & res nostras optime componemus ; cum nihil fateri cogamur præter ea, quæ nobis consueta sunt, & à Patribus tradita. Hoc illud est, quod ab initio multos decepit, persuasitque sequi homines, qui eos ad prærupta impietatis abduxerunt. Nam esse quid medium inter vtramque sententiam tati, aut contingit in quibusdam contrariis, vltro in perniciem incurrerunt. Verum dictio quidem reperiri poterit media inter duas opiniones, æquiuoce vtramque significans ; sed contrariis sententiis interiectam esse mediam sententiam de re eadem, est impossibile. Alioquin erit etiam quid medium inter verum & falsum, affirmationemque & negationem ; atqui non est. Etenim de omni re, aut affirmatio, aut negatio. Si ergo Latinorum dogma verum est, quod ex Filio procedat ; nostrum,

† *Episc. Latini Græci aliquando sub cōditione consignabant, vel quia ministri huius Sacramenti excommunicati fuerant, & pro laicis habiti, quales tyranni Bulgariæ Sacerdotii Photii, vel quia prohibiti, quia apud Græcos Sacramentum hoc passim conferunt, non sunt ordinarii Confirmationis ministri.*

* *Ephes.* LXIII.

† *Resp.*

* *Auctoris sententia, nam dogma hoc, vt dictum est, in alio Concilio iam antea discussum erat.*

Ephes. LXIV.

quod

quod ex Patre solo, erit falsum : propter quod & dissidium secutum est. Si contra, nostrum verum est ; dogma illorum erit falsum. Inter hæc igitur, quidnam erit medium ? Profecto nihil : nisi dictio aliqua ad vtramque sententiam accommodata, instar cothurni. Hæc ergo pacem conciliare poterit ? & quid agemus, quando inuicem nostros sensus & opiniones examinabimus ? Fieri ne poterit, vt contraria sentientes vtrique Orthodoxi vocemur ? Ego certe non crediderim ; tuum erit hoc scire, qui omnia misces, & rebus omnibus facile nomina adaptas.

Resp. Nos à principio, & à primis Patribus accepimus, atque à Gregorio Theologo, medium in fide tenere. Nam veritas consistit in medio : quæ vero extrema sunt, excessus vocantur & defectus, vt necessario sint etiam nihil. Itaque cum Gregorio Nazianzeno recte dicimus : Medium vero cum dico, veritatem dico, ad quam vnam respicere siue vitio possimus, nec prauè contrahentes, nec absurdius diuidentes, & rursus ; Nos media, Regisque via incedentes, in qua etiam situm est, virtutum fastigium. Hoc ergo & nos medium fatemur : Vocem autem inter duas sententias mediam, quam ipse inducit, vnde habeat, & à quo sumptam profetat, nescimus. Quare, quod & nobis ignotum est, & dictum ab aliis, nunquam audiuimus, ad hoc quomodo respondeamus ? Inducit enim ipse quæ non sunt dicta à Sanctis ; & ex suo sensu statuit affirmationem & negationem ; cum sancti, numquam, *ex solo*, dixerint, sed *per Filium*, &, *ex vtroque* ; vt iam antea ostensum est. Quapropter Ecclesia, numquam sensit, quæ non accepit à Sanctis ; sed ea recipimus & obseruamus, quæ dicta à Sanctis habemus, & nunquam ab illis recedimus ; aliud medium non agnoscentes, præter illud quod Sancti nobis tradiderunt ; licet ipse suo arbitratu nouum confingat medium.

Ephes. LXV. *Orat. in Athanas.* Visne ex Gregorio Nazianzeno scire, quæ ipse de mediis scribat ? Imago, inquit, quoquoversum in omnes prætereuntes intuens, communis vtriusque pedis cothurnus, ventilatio ad omnem ventum, arrepta facultate per scriptam calliditatem, & versutiam aduersus veritatem. Nam similitudinis nomen iuxta scripturas prætextus pietatis erat, quo hamus impietatis obtegebatur. & hæc quidem de medio tunc excogitato.

Orat. de Theol. 1. De Synodo vero, quæ talis mediifuit inuentrix, rursus hæcait : Siue Chalanæ turrim, quæ linguas rite diuisit ; (vtinam diuisisset & istas, in malo quippe fuit consensio) siue concilium Caiphæ, in quo Christus condemnatur ; siue alio non absimili nomine vocemus eam Synodum, quæ omnia euertit & miscuit, dogma pium & antiquum demolita, quod Trinitari suffragabatur : vallo enim sepsit, & machinis fidem Consubstantialitatis labefactauit : impietati vero fores aperuit, mediorum scriptione, & vsurpatione vocabulorum. Etenim ingeniosi fuere ad malefaciendum ; quid vero sit recte facere, ignorarunt.

Hæc nobis de medio sufficiant, satis enim ostendimus, nullum plane medium dari ; nec non impium esse, & à sensu Ecclesiæ alienum huiusmodi media quærere.

Resp. Dum hæc dicit egregius vir, nescire se simulat, aliud significari per Homœusion, & aliud per Homousion. Nam quod Homœusion est, non habet eandem essentiam, si quis vocem more Grammaticorum explicet, aut etiam secundum veram Sanctorum Patrum expositionem. Quia vox Homousion, significat essentiæ nulla cum varietate identitatem ; Homœusion vero rem assimilatione non dissimilem : quale est illud ; *Simile est Regnum cœlorum grano sinapis* ; & illud : *Cum Christus apparuerit, similes ei erimus.* *Matt.* 13. *Ioan.* 3.

Hæc enim non indicant similitudinem essentialem. At vero in Dei Filio Saluatore nostro non ita ; sed consubstantialem illum nouimus, Christum ipsum audientes dicentem ; *Ego & Pater vnum sumus* : vbi per illud, *vnum*, identitatem essentiæ cum inuariabilitate declarauit ; per illud autem, *sumus*, duas expressit Hypostases. Cæterum Ariani, quia non credebant veri Dei & Patris Filium, eandem, quam & Pater, habere substantiam remota prorsus omni variatione, esseque illi æqualem, si generationem excipias, mutarunt Homousion in Homœusion : idque medium nominabant, & simplicioribus imponebant. *Ioan.* 10.

Hoc in nos & Latinos quomodo quadrabit, qui Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum Deum pariter fatemur ; & quicquid est Pater, hoc esse Filium, & quicquid est Pater & Filius, hoc esse Spiritum Sanctum, siue virtutem, siue principatum dicas, siue potestatem, & Deitatem, proprietatibus immotis manentibus ?

Quid ergo futurum est, mediis hisce Græco Latinis, qui medium amplectentes, ex Latinorum institutis & dogmatibus quædam, aperte approbant ; aliqua vero probant quidem, sed ipsi nequaquam amplectenda ducunt ; alia vero ne probant quidem. Deuitandi sunt non secus atque colubri ; non secus atque illi, cum sint etiam deteriores, qui Christum cauponantur, habentque illum quæstui. Hi enim sunt, vt inquit Apostolus, *qui existimant quæstum esse pietatem*, de quibus ipse subiungit ; *huiusmodi homines deuita* : Non enim vt addiscant, sed vt sibi aliquid adsciscant, ad illos transfugiunt. Quæ vero societas luci ad tenebras ? aut quæ conuentio Christi ad Belial ? & quæ pars fideli, cum infideli ? *Ephes.* LXVI. 1. *Tim.* 6.

Ad hæc nulla responsione est opus ; contumeliase nim in nos iacit ira penitus ac inflammatus. Bene ergo dicat, nec ne ; responsiones quas dedimus, & quas daturi sumus, ostendunt ; & patebit hoc cordatis hominibus. *Resp.*

Siquidem nos cum Damasceno, & cunctis Patribus, ex Filio vero Spiritum non dicimus ; isti autem cum Latinis, ex Filio Spiritum dicunt. *Ephes.* LXVII.

Nos quoque cum Sancto Damasceno, Spiritum non dicimus ex Filio, sed etiam ex filio. Nam coniunctio copulatiua, optime indicat Spiritum & ex Patre, & ex Filio. Dicere autem absolute Spiritum ex Filio, denotat Filium esse causam originariam ; quæ erat Eunomii, & sequacium eius sententia. Nos vero cum Damasceno, & vniuersis Patribus dicimus, *& ex Filio*, &, *Per Filium*. Illud enim asserebat Eunomius ; nimirum ex Filio ; qui, gradus etiam Deitatum inducebat. Vox autem, *& ex Filio*, accepta est à Patribus. Certe nos Ioannem ipsum Damascenum protulimus verba sua exponentem, suique ipsius interpretem ; & satis hoc in antecedentibus declarauimus. *Resp.*

Et nos quidem cum Sancto Dionysio, solum supersubstantialis Deitatis fontem dicimus Patrem : isti vero cum Latinis, Filium quoque fontem Spiritus Sanctiaffirmant ; excludentes nimirum à Deitate Spiritum. *Ephes.* LXVIII. *cap. 2. de diuin. nom.*

Et nos pariter cum Sancto Dionysio & Sanctis omnibus, solum fontem & principium Deitatis nouimus Patrem, & nullum alium illi præintelligi : verum ex *Resp.*

fon-

fonte hoc, nempe Patre, Filium scimus fontem Spiritus Sancti. Ait enim rerum diuinarum peritissimus Athanasius magnus in oratione de Dei verbi in carne apparitione; quæ incipit; Qui diuinas Scripturas malitiose volunt intelligere; Nouit enim apud Deum patrem, Filium esse fontem Sancti Spiritus. Et Basilius Magnus; Fons, inquit, vitæ est Filius. Dicit enim Dauid ad Patrem; *Quoniam apud te est fons vitæ.* & rursus alius Propheta de Iudæis: *Me dereliquerūt fontē aquæ viuæ.* & aqua vero viua nominatur Sanctus Spiritus, de quo Dominus in Euangelio: *Qui biberit ex hac aquæ, quam ego dabo ei; flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; hoc autem dicebat, de Spiritu, quem acceptur erant credentes in eum.* Per quæ manifeste docet, Filium esse fontem aquæ viuæ, videlicet Spiritus. Aurei quoque oris Pater, sermone in Sacramentum Baptismi, cuius initium: Rursus nobis Beatus Dauid; Spiritualis cithara: Propterea, inquit, Saluator ostendit se fontem vitæ, & viuentem aquam esse Spiritum Sanctum. Similiter & Sanctus Ambrosius, libro primo, ad Gratianum Imperatorem capite decimo octauo. Itaque, inquit, sicut verbum vitæ vita est; ita & vitæ Spiritus, vita est. Accipe nunc, quia sicut Pater fons vitæ est, ita etiam Filium plerique fontem vitæ memorarunt significatum, eo quod apud te, inquit, Deus Omnipotens, Filius tuus fons vitæ sit, hoc est fons Spiritus Sancti; quia Spiritus vita est, sicut Dominus ait: Verba quæ ego loquutus sum vobis, Spiritus & vita sunt: quia vbi Spiritus, & vita; & vbi vita, etiam Spiritus Sanctus. Plerique tamen hoc loco Patrem volunt tantummodo fontem significatum, quamquam videatur quod Scriptura memorauerit; Apud te, inquit, fons vitæ, hoc est, apud Patrem Filius; quoniam verbum apud Deum, quod erat in principio, & erat apud Deum. Sed siue Patrem quis hoc loco, siue Filium intelligat Fontem, fontem vtique intelligimus non aquæ istius quæ creata est, sed diuinæ illius gratiæ, hoc est Spiritus Sancti; Ipse enim est aqua viua. Et Gregorius Theologus oratione in Spiritum, quæ incipit; Et hæc quidem de Filio dicta sint: Oculum, inquit, & fontem, & fluuium mente apprehendi. Nam hoc idem & aliis in mentem venit. Si ergo quia dicimus, Filium esse Spiritus Sancti fontem de fonte, hoc est ipso Patre, secundum hosce diuinos Sanctosque Patres, ideo Spiritum, vt contenditipse, Deitate excludimus; certe ipse quoque Filium à Deitate excludet, eo quod solus Pater sit Filii & Spiritus Sancti fons. Sed quemadmodum ipse hoc vt absurdum negauerit, ita multo aptius veriusque idem de nobis intelligat. Credimus enim in Trinitatem eiusdem essentiæ, potentiæ & Deitatis; quamquam iniuria, sicut in aliis, hac etiam in re nobis obtrectat.

Et nos quidem cum Gregorio Nazianzeno Filium à Patre causalitate distinguimus; isti vero cum Latinis causalitate illos coniungunt.

Coniungimus Patrem & Filium natura & Deitate, vt Patrem, & Filium, non causalitate. Alioquin ex verbis suis ipse quoque coniunget Filium & Spiritum Sanctum, cum sit & dicatur vterque causatus. Vnum est: obloqui vult; & causas rimatur quascumque vult, imo vero quascumque fingit. Quare ad minus necessaria multis demonstrationibus non indigemus.

Et nos quidem venerabili Maximo, & illorum temporum Romanis, & cum Patribus Occidentalibus, Filium non statuimus causam Spiritus Sancti. Isti vero Filium secundum Græcos causam, secundum Latinos principium Spiritus in definitione, seu potius deformatione sua pronunciant. Honoranda quippe est à nobis hoc nomine, cum & formidinis pleni subscripti oni eius assensum præbuerint.

Debebat sane vir præstantissimus integram epistolæ partem exponere, quæ huc spectat; & non illud per Filium, præterire silentio: illas vero tantum voces afferre; Ostenderunt à se Filium non statui causam Spiritus Sancti. Ergo nos locum integrum exponemus, vt res clarius intelligatur, & obiectioni dilucidius respondeatur. Ait igitur: In Synodicis Sanctissimi Papæ: qui nunc præsti, litteris, non tot capita, vt scripsistis, Regiæ vibis incolæ notarunt, sed duo tantum; quorum alterum ad diuina spectat, quod Spiritum Sanctum aiunt etiam ex Filio procedere dixerit; alterum vero ad incarnationem. Et paucis admodum interiectis: Et in primum quidem consonas Romanorum Patrum attulere sententias, nec non Cyrilli Alexandrini, ex sacris eius in Ioannem Commentariis; per quas euidenter ostenderunt, sese non statuere Filium Spiritus Sancti causam, vnam quippe norunt causam Filii & Spiritus Patrem; sed voluisse significare Spiritum produci per Filium; & hac ratione probare essentiæ, nulla cum varietate cōmunionem. Non ergo debebat egregius hic vir vsurpare vocem, ex solo; En quippe Sanctus Maximus aperte palamque testatur, Sanctos Patres Occidentales, vna cum Sancto Cyrillo, asserere Spiritum S. etiam ex Filio procedere. Quod sic etiā ex F. lio constat, non ex Patre solo, quod sane dictum ab ipso est, Porro autem voces illæ: sese Fillum non statuere causam; intelligendę sunt de causa qualem ponebat Eunomius, quemadmodū declaranimus. Causam enim proprie primordialem SS. Patres nuncupare solent, vt Gregorius quoq; Nazianzenus docet in oratione ad eos, qui ex Ægypto adnauigarūt, his verbis: Deus in hisce tribus maximis subsistit, Causa, Creatore, & Perfectore, Patre inquam, & Filio, & Spiritu Sancto. An ne igitur Filius non erit auctor creationis mundi? Quo modo ergo in Fidei confessione dicimus, Per quem omnia facta sunt? Verum Nazianzenus & Basilius causæ nomen soli Patri tribuunt. Nec vero frustra diuinus Maximus infert verba illa, per ipsum produci, cum impossibile sit per Filium procedere, quin sit & ipse Filius causa processionis Spiritus. Hoc idem egregie admodum confirmat etiam Gregorius Nyssenus prima sua oratione inter eas, quib. confutat Eunomium per hæc verba: Nam si spatium temporis ante personam vnigeniti statueret, qui Patrem Filio præintelligit sola causæ prioritate, iure profecto nobis Filii æternitas periclitaretur. & paulo post; Quemadmodum enim coniunctus est Patri Filius, nec est illo posterior, quod ab ipso sit: ita & Spiritus S. vnigenitum sequitur, Sola mentis consideratione antecedente Filio hypostasim Spiritus ratione causalitatis. & Basillus in libro ad Amphilochium, c. 16. cui titulus; *Quod inseparabilis sit Spiritus Sanctus à Patre & Filio quoniam rerum conceptu.* Comprehende, inquit, animo Patrem, rerum quæ fiunt primordialem causam, creatricem Filium, perfectricem Spiritum sanctum. Hi omnes causalitatem referunt ad Patrem, cum Filius etiam horum omnium causa sit. Aut certe negent, in his dictis Filio tribui causam, & corrigant errorem errore. Sed clariora sunt dicta illa Sanctorum, quibus ex Filio etiam dicitur esse Spiritus sanctus, quæ S. Maximus agnoscit, asserentia Filium esse causam, non aliam à Patre; nam quicquid habet Filius naturaliter, à Patre habet. Ita Sanctus Cyrillus in illud Ioannis; *Et ego rogabo Patrem,* Bona, inquit, naturalia Dei Patris, cum essentialiter communia sibi filius habeat, habet etiam Spiritū ea ratione, qua Pater illum habere intelligitur, non ascititium, aut extrinsecus aduenientem; stulti enim, aut potius insani fuerit ita sentire: sed quemadmodum vnusquisque nostrum suum in seipso continet Spiritum, & ex intimis visceribus foras emittit: nam propterea etiam corporaliter insufflauit Christus, vt ostenderet, ita ex diuina essentia diuino modo effundi, quod ex ipsa est, quemadmodum ex ore humano Spiritus corporeus exhalatur. Cum igitur Spiritus sit Dei Patris & Filii, cur non eadem illis sit potestas, siue coniunctim siue separatim intelligantur? Pater enim est Pater, non Filius, & Filius non Pater, sed Filius: attamen Pater in Filio, & Filius in Patre. Idem Sanctus Cyrillus exponens

xiij; Omnia quæ habet Pater, sunt Filii præter causam, inquit, omnia vero quæ Filius habet, sunt Spiritus, præter filiationem, causam dicens ratione generationis, vtipsemet explicat oratione 1. de Theol. Filius enim, inquit, siquidem vera causam accipias Patrem, non est sine Principio. vnde cum sa. Itaque argumentum Ephesi aquiuocationem labor at.

*Ephes. LXX. †Resp. *Greg. Nazian. †Greg. Nyssen.*

Basilius.

Cyrillus Ioan. 14.

Ephes. LXIX.

Resp. Idem iste autor Gregorius Prosyncellus, in responsione ad confessionem Marci Ephesii, eidem Marco hæc eadem obiicienti sic respondet; Nazianzenus vero vbi di

nens illud Ioelis prophetę: *Effundam de spiritu meo:* Nam quia, inquit, Filius Deus est, & ex Deo naturaliter; natus est enim de Deo Patre; proprius ipsius, & ex ipso, & ex ipso est spiritus, non secus ac de ipso Patre intelligitur. & B. Leo Papa primo in Pentecosten sermone, qui incipit; Hodiernam solennitatem dilectissimi; hæc habet; Cum Spiritus sanctus Patris Filiiq; sit spiritus, non sicut quæcumque creatura, quæ & Patris & Filii est; sed sicut cum vtroque viuens, & potens, & sempiternus, & ex eo quod est Pater filiusque subsistens.

Ioel. 2.

Hilarius.

Et Sanctus Hilarius in sermone, qui legitur post Pētecosten, die festo S. Trinitatis, ita loquitur; Credimus in Sanctam Trinitatem, hoc est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem, vnius essentiæ, vnius naturæ, vnius potestatis, opificem creaturarum omnium; ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; Patrem à seipso non ab alio; Filium ex Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non duo lumina sed vnum lumen; Spiritum sanctum à Patre & Filio æqualiter procedentem. Et B. Augustinus V. de Trinitate sic ait; Si ergo, & quod datur, in principium habet eum, à quo datur; quia non aliunde accepit illud, quod ab ipso procedit; fatendum est, Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturā relatiue vnus creator, & vnus Dominus; sic relatiue ad Spiritum sanctum, vnum principium. ad creaturam vero Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnum principium, sicut vnus creator, & vnus Dominus.

S. Max.

Perspicue ostensum est, dicta Sanctorum, quibus Sanctus Maximus dat testimonium, etiam Filio tribuere causalitatem subsistentiæ Spiritus. Quod vero definitionem quæ horos Græcè dicitur, honorandam esse ait per duplex, rr scribendo orron, hoc est extremā caudam, (ita enim, inquit, illam honorari æquum est &c.) Primum quidem mitor pietatem hominis; quodque ignoret, Dei nomen quanto in honore sit habendum. Nam si vasa à Dathan, & Abiron conflata ad ministerium & cultum Dei, Moses ille diuino aspectu dignatus noluit esse communia, quod semel fuerint Dei ministerio, & cultui dicata; ita enim Deus ipse famulo suo mandauerat; quomodo vir iste in Definitionem, quæ continet & sæpe reperit formidabile Dei nomen, Patris & Filij & Spiritus sancti, nihil veritus talia eructat? Verum nos respondendo, vbique modestiam sectantes, nihil ad hoc dicimus, vt ad alia quoque ab ipso perbilem plane & iracundiam prolata, quæ redarguere nō est in animo: Solam quippe veritatem enudare volentes, cetera parūpendimus, quæ non eo tendunt, sed ostentationem præferunt.

Num. 16.

Ephes. LXXI.

Et nos quidem cum Iustino philosopho & martyre dicimus; Quemadmodum ex Patre Filius, ita etiam ex Patre Spiritus; isti vero cum Latinis Filium quidem immediate, Spiritum vero ex Patre mediate asserunt. Et nos quidem cum Damasceno & cunctis Patribus differentiam generationis & processionis ignorare fatemur; isti vero cum Thoma & Latinis, mediatione & immediatione differre aiunt productiones.

Resp. In expositione fidei.

Nos quoque Filium & Spiritum ex Patre dicimus, diuerso tamen subsistendi modo, vt ipsemet Sanctus exprimit, licet iste hoc transilierit. etsi enim Pater est causa vtriusque, tamen illius per generationem, huius vero est per processionem: & illius quidem vt genitor, huius vero vt productor: & illius quidem proxime & immediate, scilicet Filij; huius vero per illum qui proxime ex Patre est, hoc est, mediate, & per Filium, sancti videlicet Spiritus. Et hæc ipsi non à Latinis didicimus, vt iste ait, sed vtrumque ab Ecclesiæ Doctoribus. Nam Gregorius Nazianzenus; Diuersus, inquit, productionis modus diuersam quoque appellationem fecit. & Gregorius Nyssenus in Tractatu ad Abiabium; Ille enim est, inquit, proxime à primo; hic vero per illum qui proxime est, à primo: vt certa maneat & Filio ratio Vnigeniti, & Spiritus ex Patre sine dubio sit: nam quia Filius medius est, & sibi rationem Vnigeniti integram seruat, & Spiritui naturalem cum Patre coniunctionem non adimit. Cyrillus quoque in Thesauris: Generat, inquit, Filium Pater nullo existente intermedio. Idem rursus in illud, *Omnia per ipsum facta sunt;* Intelligimus, inquit, Patrem simul cum Filio existere propter innatiuitatem essentiæ, summamque inter illos absque vllo medio habitudinem. Magnus præterea Athanasius Sermone contra Arianos, cuius initium tale est: Ariani, vt videre est, cum semel steterint; Non inquit, Spiritus coniungit Patri Verbum, sed potius à Verbo Spiritus hoc accipit. Et sanctus Basilius sermone secundo contra Eunomium; vt enim, ait, stulta esset interrogatio, si quis, an sit aliquid ingenito principioque carente Patre anterius, quæreret; ita hic etiam si quis de eo quærat, qui cœternus Patri est. inter quem & genitorem nihil interuenit medium. Hos igitur sequuti Doctores vtrumque affirmamus; Et si reprehendere nos vult, reprehendat adhuc. Certe digniores & ipse & alij testes habebunt, quos ipsi proferimus, quam dicta sua & ipse & alij. Propterea voces illas, mediate & immediate, apte admodum vereque vsurpamus, sequentes doctrinam Sanctorum, quamuis ipsi non probentur.

Ioan. 1.

Ser. 4.

Ephes. LXXII.

Et nos quidem increatæ & diuinæ naturæ increatā esse dicimus & voluntatem & operationem, vt Patres docent: Isti vero cum Latinis & Thoma voluntatem quidem idem esse dicunt atque essentiam; sed diuinam operationem creatam asserunt, siue illa nuncupetur deitas, siue diuinum & immateriale lumen, siue Spiritus sanctus, siue quiddam aliud eiusmodi. Atque ita deitatem creatam, & creatum lumen diuinum, & creatum Spiritum sanctum colunt improbæ creaturæ.

Insignis Ephesis calumnia.

Respon.

Nos & Latini ex Sanctorum Patrum & Gregorij Nazianzeni doctrina (quem fidei Stabilimentum vocant; & iure quidem optimo, propter eminentem scientiam dogmatumque altitudinem) profitemur cum ipso, quæ profert in Oratione, quam dicendens Constantinopoli habuit his verbis: Creatura igitur Dei vocetur, nam hoc etiam nobis magna res est; Deus autem minime: Aut certe tunc admittam rem creatam esse Deum, cum & ipse fuero proprie Deus. Res enim ita se habet, Si Deus est, creatura non est; nostri enim ordinis est creatura, qui Dij non sumus: si vero creatura, Deus non est, habuit enim initium temporis, quod autem habuit initium temporis, ad quo tempore non erat: Quod vero tale est, vt non esse sit illo antiquius, hoc non est proprie dictum ens; Quod autem non est proprie dictum ens, quomodo fuerit Deus? Nulla igitur ex tribus personis creatura est: neque, quod pejus est facta propter me; ne non solum creatura, sed nobis etiam in honoratior sit. Quomodo igitur nos, quod nullum habuit initium temporis, in sancta Trinitate creatum opinemur? Et sanctus Basilius in opusculis contra Eunomium, Capite cui titulus, De Spiritu sancto; Communia, inquit, Creaturæ non sunt communicabilia sancto Spiritui; & quæ sunt Spiritus sancti propria, non sunt Creaturæ communicabilis; ex quibus colligitur, Spiritum non esse creaturam. Quod ea, quæ sunt Patri & Filio, communia, sunt ipsi quoque Spiritui communia. Quod notis, per quas Pater & Filius Deus in Scriptura designatur, isdem quoq; describitur Spiritus sanctus: Vnde concludetur, eandem esse Patri & Spiritui deitatem. Quod ea quæ soli Patri insunt vt Deo non vt Patri, quæque Filio vt Deo, soli quoque insunt, Spiritui, non autem Creaturæ; qualia sunt nomina & res Creaturæ incommunicabiles, vni Trinitati communes: ex quibus Trinitatis consubstantialitas probatur.

Ser. 5.

Orat. de Spiritu S.

Cum nos ita sentiamus, cur iste talia loquitur? Quis vero opinatur, vt ipse ait, Spiritum, per quem deificamur, esse creaturam? An tanta nos censet ignorantia religionis laborare, vt creaturę latriam offeramus? Qui

latriam creaturæ offert, non videat Luciferum orientem, vt verbis vtar Gregorij Nazianzeni: Etenim in sancta beataque Trinitate, quæ sine vlla varietate vna indiuisa est essentia & operatio, nihil plane creatum intelligimus; alienum quippe id est ab Ecclesia Christi.

Ephes. Et nos quidem nec Sanctos dicimus paratum sibi regnum obtinuisse & arcana illa bona, nec peccatores iam esse in gehennam contrusos; sed vtrosq; esse in expectatione sortis, quę illos manet; idq; pertinere ad futurum tempus post resurrectionē & iudicium. Isti vero cum Latinis hos quidem statim post mortem pro meritis volunt aut præmio, aut pœna iam esse affectos: medijs vero, hoc est, illis qui non sine pœnitentia decesserunt, ignem ipsi purgatorium confingentes diuersum à flammis gehennæ assignant; vt per illum vt aiunt; purgatis animabus post mortem, ij quoq; cum iustis cœlesti regno fruantur; Hæc n. continet Definitio ipsorum.

LXXIII.

Respon. Hic non modo secū venerabilis hic vir principio pugnat, sed etiam cum omnib. quæ in Ecclesia canuntur, & vniuersis plane Sanctis. Quapropter eius verba prius afferenda sunt; posteà à Sanctis citanda pauca. In colæ celeberrimæ insulæ Cretæ rogauerant hunc ipsum venerabilem Ephesi præsulem, vt sermonem scriberet, quem annua S. Heliæ celebritate in officio legerent. Annuit ille, petitioniq; eorum satisfaciens non absque mercede, tum à Sancto ipso exigenda, tum ex. cta per vinū in vase, quod vulgo Barile vocant; scripsit sermonem, cuius principiū tale est; Opus profecto esse nobis sermō grandiore verborum turgidus atque in cœlestia peruolans, dum cupimus per eum vna cum Sancto Dei aspectu dignato sublimia petere. In hoc ipso igitur verba hæc habet: Ego vero licere quidem ipsi, sicut & animabus Sanctorum, quocunq; voluerit, per tempus sese conferre, sibique dicata templa inuisere, atque ad eos accedere, qui eius opem implorant, necessarium arbitror & verum esse; non tamen propterea dixerim abesse illum à cœlis, & micantibus illic splendoribus, aut cum Angelis, & ipsum non assistere Domino; ita enim fieret, vt ceteris Sanctis minus haberet, qui fere omnib. anteit; si quia carnem gestat, orbatus esset eorum consortio, & clara Dei visione non fruereturr, cuius præcipue fruitione non carnit per totū vitæ curriculum. testimonio mihi est illud etiam, quod in eum his verbis canit Ecclesia: Propheta Christi præco tu nunquam à sede maiestatis abiungeris, & singulis ægrotantibus temperades, in excelsis fundens pro omnibus precibus orbi terrarum beneficia tribuis, & laudibus vbique celebratis. Est vir eximius palam aperteq; asseuerat, Sanctos frui clara Dei visione; & S. Helias vel cum ipso corpore huiusmodi visione non defici. Doceat ergo nos, an paratū regnum & arcana illa bona diuersum quid sint à clara Dei visione; ita enim fruitio illa erit visione Dei quid maius. At nemo Sanctorum ad hanc diem dixit, esse quidpiam, quod vna visione Dei plus conferat ad fruitionem; Sicut etiam nemo dixit, quod ipse asserit, in huius scilicet vitæ curriculo eiusmodi visionem concedi. Quod vero Sancti Deum clare nunc videant, congruenter vereq; affirmat: habet enim huius rei testes & alios, nempe Sanctos, inter quos Patrem Doctoremq; Ioannem Chrysostomum; qui in illo sermone, cuius inscriptio est, Quod peccatores deplorandi sint; Quodq; dormientibus magnam afferant vtilitatem sacrificia pro illis oblata: Initium vero Sermonis tale; *Mors fratres, res est indifferens*: Gaudeamus, inquit, propter iustos non solum superstites, sed etiam vita functos. Ibi dum adhuc hanc lucem aspiciunt, miserandi omnibus sunt, quoniam offendunt; hi vero vbi eriam illuc migrauerint, beati sunt, quoniam euolarūt ad Christum. Peccatores vbicunque fuerint, procul à Rege sunt, & propterea defendi; iusti autem siue hic, siue ibi vitam agant, cum Rege sunt, atque ibi propius coniunctiusque, non per speculum, non per fidem, sed coram ipsum intuentes. & Gregorius Nazianzenus ad finem Sermonis in Sanctum Cyprianum; Et radiantem, inquit, fulgorem sanctæ Trinitatis, cui nunc astas. Idem fusius de hac ipsa re in funebri Oratione in Sororem. At quid opus est afferre multa testimonia? Nam in Tractatu, quē de hac materia edidimus, copiosius explicatiusque disseruimus, apologiam pro quarto Definitionis capite scribentes; quam qui legerit, inuenier aliorum quoq; testimoniorum congeriem. Itaque si S. Trinitati assistunt Sancti, & coram præsentes Dei faciem intuentur, nec tamen perfecta fruuntur beatitudine, sed aliā in re consistit beatitas, ostendat ipse, & nos silebimus: Verum nihil poterit ostendere visione Dei sublimius. Vnum est, in quo Sanctos multi dissentire existimant, quod ij modo perfectam dicant à Sanctis acquiri beatitudinem, modo vero non perfectam. Nam cum sermo est illis de animabus Sanctorum, perfectam aiunt haberi beatitudinem; cum vero de toto homine, nondum perfectam; Qui enim frui possit vtraque hominis coniuncta pars ante communem resurrectionem? Idcirco Sancti quod attinet ad animas, perfecte beati sunt; quod vero ad corpora, quibus indui erant, cum non essent nudæ animæ, non sunt perfecte beati. Est enim in corpore anima vt forma; & materia quidem, scilicet corpus, nondum surrexit, nec præmijs affectum est; anima vero perfectum beatitudinis statum assequitur. Et quoniam homo ex vtroque constat, & pars vtraque labores sustinuit, ideo nondū perfectam esse dicimus beatitudinem. Cum vero totum à nobiliori intelligimus, completam dicimus à Sanctis possideri beatitudinē. Huius rei testis erit Beatus Gregorius Papa in libro Dialogorū. Alioquin qua ratione concipiamus animo. Sanctos intercedere pro animabus nostris, si illi perfecta beatitudinis coronā non sunt redimiti? Si ergo plenam beatitudinem nondum adepti sunt, nec intercedunt; nec intercedent in futuro enim seculo nulla erit intercessio. Ceterum eos etiam, qui in hac vita non satisfecerunt; ignis cruciatum ante communem resurrectionem pati, probabimus ex narratione Patrum. Legitur in Ecclesia sermo hac inscriptione, Ioannis Monachi & presbyteri Damasceni; in quo cum multa alia consimilia narrentur, habetur hoc etiam; fuisse Patrem quendam sanctitate conspicuum, qui discipulum haberet vitam negligentius traducentem, hunc igitur vbi eadem negligentia è vita cessisset, clementissimus animarumque amator Deus ad preces & lachrymas senis, vt alterum Euangelicum Epulonem, ostendit vsq; ad ceruicem flammis immersum: vt propterea vir sanctus post multum sudorem & lachrymas ad Deum cum precib. fusas, liberum omnino illum, & è flammarum pœnis ereptum per visum conspexerit: namque ob negligentiam pœnis fuerat addictus, idcirco veniam huiusmodi peccatum impetrauit. Si falsum est hoc, purgatorium quoque, quod Latini asserunt, est falsum: Si verum (nam & ipsi Euangelicæ historiæ fidem habemus per ea quæ legimus in actis Sanctorum Patrum) vera profecto erunt, quæ nos cum Latinis dicimus, licet ipsi non probentur. Propheta quoq; Malachias; *Quasi ignis*, inquit, *conflans, & quasi herba fullonum purgabit Deus & emundabit quosdam.* Aqui ignis ille æternus neminem purgabit, nullius maculas absterget. Quod si peccatoribus ad finem vitæ per solam confessionem pœna omnis remittitur, supersluaque certe erunt, quæcunque seu manente in vita, seu defuncto pœnitente obseruanda statuit Ecclesia pro viuis atque defunctis. Illud præterea certum est, peccatores sine pœnitentia decedentes ad æterna migrare supplicia: nam sanctus Maximus Cubicularius scribens sic ait; *Quis mei similium, dilectissime, peccatorum sordibus pollutus non paueat sanctorum Angelorum præsentiam, à quibus, ex hac vita iussu Dei discessurus, vi & iracunde è corpore vel inuitus extrudituur? Quis sibi conscius scelerum non reformidet ferocissimum & inhumanum impiorum damonum occursum, cum eorum vnusquisque per aeris spatium miseram animam post egressum ad se tenacissime pertrahat, & illa manifestis conuicta criminibus spem omnem ac-*

Visio Dei perfecta beatitudo.

Sancti quo ad animas perfecte beati, quo vero ad corpora non

Lib. 4. ca. 2.

Cap. 3.

nem acquirenda beatitudinis miserabiliter abiiciat? Ita post habitum in aere spiritualia nequitiæ quæstionem, rationisque suppurationem, sequitur præcipitatio ad inferos & incolatum: vbi densissimæ tenebræ & altissimum silentium; vbi damnatorum animæ pro alimento habent acerbissimos gemitus, & amarissimas lachrymas, & mœrorem in perditissimo statu; omni tempore nihil aliud præstolantes, quam aquo iudicio ferendam de meritis suis sententiam. Hanc illi perpetuam tristitiam ac dolorem facit resurrectionis spes, terribilis Christi aduentus dies, horror plenissimus ad tribunal accessus, totius vitæ reddenda ratio; per quam qui ad Christi dexteram stabunt, promissa ineffabilium bonorum præmia consequentur; qui vero ad sinistram, ignem habebunt æternum, & tenebras exteriores, & vermem perpetuo rodentem, & stridorem dentium, & tugiter manantem lachrymam, & semper duraturam ignominiam. Et Beatus Gregorius Papa libro Dialogorum citato ait.

Libr. 4. cap. 28.

Petrus. *Inquisitioni meæ sufficienter iam video satisfactum: Sed hoc est adhuc, quod quæstione animum pulsat; quia cum superius dictum sit, esse iam Sanctorum animas in cælo, restat procul dubio, vt iniquorum quoq; animæ esse non nisi in inferno credantur: & quid hac de re veritas habeat, ignoro. Nam humana æstimatio non habet, Peccatorum animas ante iudicium posse cruciari.*

Gregorius. *Si enim sanctorum animas in cælo sacri eloquii satisfactionem credidisti, oportet, vt per omnia esse credas & iniquorum animas in inferno. Quia ex retributione æterna iustitiæ, ex qua iusti iam gloriantur, necesse est per omnia, vt & iniusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui ignis reprobos exuret.*

En perspicue ostensum est, eos qui sine pœnitentia diem suum obeunt, migrare ad pœnas luendas, expectantes interim suorum assumptionem corporum, vt pars vtraque supplicia ferat; quando re vera perfecta est & dicitur futura sine fine pœnarum exactio. Quare non opus est probare hoc pluribus, cum sint satis quæ attulimus: quibus si fidem habere noluerit, nec etiam habebit alijs, quantumuis multa congeramus.

Ephes. LXXIV. Et nos quidem iudaicum azymum auersamur, obtemperantes Apostolorum Canonibus; Isti vero in sua Definitione, quod Latini sacrificant, Christi corpus esse affirmant.

Resp. Nescit profecto bonus iste vir quantum differat inter Iudaicum pascha & azyma, & mysticum sacrificium. Nam Apostolicus canon prohibet celebrari pascha cum Iudæis, hoc est, agnum & azyma comedi; ad quod etiam Nicæna Synodus magnum adhibuit studium; & re feliciter transacta, scripsit Alexandrinæ Ecclesiæ his verbis: Nuntium vobis nuntiamus iucundum de consensione in celebrando sanctissimo die festo Paschæ: nam vestris precibus effectum est, vt fratres quoque omnes Orientales, qui antea cum Iudæis pascha celebrabant nunc cum Romanis, vobisq. & omnibus qui ab initio hunc morem tenuimus, solemniratem paschæ deinceps agant. Perfecta enim resurrectione facta, quidam imperfectæ illam celebrātes non erubescunt. Sed nescio, quomodo vir iste simulans se ignorare quæ dicuntur à Sanctis; & præsertim vt Christus, vbi iuxta legis mandatum pascha peregisset, mysticum illud sacrificium fecerit, tradiderit que ipse tremendum rei sacræ mysterium, & diuina illa verba; *Hoc est corpus meum*; &, *Hic est sanguis meus*: omnia quæ fiūt ex institutione & decreto Ecclesię Christi deflexerit ad Iudaici paschatis celebrationem, & subiecit Canonem. Versatur ergo plane vir bonus in ignoratione rerum; satius enim est ita dicere; aut certe non ignorans, sed sciens prudensq. ita loquitur ad circumueniendos simpliciores. Nos autem dicimus, in lege fuisse rerum genera quatuor, iudicialia; mystica seu figuralia, idem namque per vtrumque significatur; moralia, & vmbras. & iudicialia quidem à Domino mitiora reddita: Nam mulierem in adulterio deprehensam, cum lex iuberet lapidibus obrui, Dominus per illa verba dimisit: *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* & rursus, *Dentem pro dente; & si quis te percusserit;* Et quid attinet referre singula, cum sint omnibus notissima? Moralia per Euangelicam aucta prædicationem; quo fundamento innixi Apostoli & Doctores multa de virtute disseruerunt, & innecti sunt in vitia, illa expellentes, morumq; integritatem explicantes, atque in animis hominum inserentes. figuralia vero seu mystica abrogata, circumcisionem, Sabbatum, immolationes animalium, pascha & agnum: Quapropter Hierosolymis tantum obseruari illa voluerat, vt facilis esset eorum abrogatio, templo & Vrbe funditus euersis: Cum enim alibi non esset fas illa seruare, certe finem habitura erant. Vmbras demum in lucem veritatis fuisse mutatas. Iste autem incruentum tremendumque sacrificium, quod virtute Spiritus & ipsius Christi Patrisq; perficitur: indiuisa enim sunt opera S. Trinitatis, licet vox illa efficax sit Saluatoris; *Hoc est corpus meum*; &, *Hic est sanguis meus*; qua panis & vinum cum aqua transmutantur in corpus & sanguinem Christi, vt inquit Chrysostomus; ad Iudaici paschatis obseruationem refert, & Canonem peruerse interpretatur. At nos mysticas omnes Iudæorum cæremonias pro impuris & profanis habemus; vt Chrysostomus etiam in sermonibus contra Iudæos habit's apertius probat; inter quas & pascha numeratur: Cum extra templum Hierosolymitanum contra diuinum præceptum fiant. De hac materia mystici sacrificii iam antea diximus, nec opus est repetere eadem: quamquam ab ipso coacti hoc loco disputauimus, haud sane libentes ipse enim caussam dedit.

Ioan. 8. Matt. 5.

Ephes. LXXV. Et nos quidem contra legis iussa, & decreta Patrum dicimus appositum esse Symbolo additamentum; isti vero licite & rationabiliter factum illud asserunt: Adeo norunt veritati & sibi ipsis congruentia dicere.

Respon. Nos omnem explicationem & declarationem non contrariam sententiæ Sanctorum, sed per ipsos potius firmatam, à Synodo quouis in loco appositam recipimus. In hac sententia est etiam sanctus Maximus, vt constat ex eius Dialogo cum Eunomiano. Interrogat enim ibi Macedonius Maximum; &, Subscribis ne, inquit, expositioni Luciani? Maximus, Quid enim est caussæ, cur improbata expositione Sanctorum Patrum trecentorum decem & octo Nicææ in Bithynia congregatorum, inquitas aliam? Macedonius; Tu vero qua de caussa improbas Luciani expositionem? Orthodoxus; Improbo quod addidistis contrarium fidei Patrum. Macedonius; Quasi vos non addideritis ad fidem Nicænam. Orthodoxus; Addidimus, sed non contraria. Macedon. Omnino addidistis. Orthodoxus. Quæ tunc in disquisitionem non venerant, Patres postea pie exposuerunt. Idcirco nos etiam huius & aliorum Patrum testimonio fulti asserentium, Expositionem sacræ Scripturæ congruentem non esse veritati, sufragati sumus veritati. An negare ipse poterit, Vniuersam sacram Scripturam admittere explanationem: Quare id quod additum est Symbolo vrgente necessitate, visum est iure optimo appositum. Hoc idem probatur ex Florilegio Collectaneorum è libro cuiusuis generis Eulogii Patriarchæ Alexandrini; Sic enim ait: Rursus hæreticorum amentia de quartæ Synodi Definitione conqueritur, asseuerans primam Synodum Ephesinam hoc penitus fieri prohibuisse. Quod si, vt illi nugantur, Synodus vetuit quidquis aliud omnino proferri, certe in se ipsam prior illa tulit sententiam. Ipsa enim definit, quæ nulla prior definierat Synodus: siquidem ipsius auctoritate recepta est vox illa, hypostatica vnio, de qua Synodi antiquiores nil sanxerant. Quin & Constantinopolitanum centum quinquaginta Sanctorum Patrum Concilium pro suis nugis reiiciunt; à quo profligata hæresis oppugnantium Spiritum, & additis Nicæno

Symbolo verbis de sancti Spiritus diuinitate, fides congruenter explicata est. Si enim priores Synodi addendo reprehensionem fugiunt, non debent posteriores in similibus dissimiliter vituperationem subire. Ita desipiorum mens confundit omnia peruertitq; Nam Ephesina Synodus fidem diuersam, cuius dogmata fidei Nicenæ aduersentur, omnino prohibuit: Dum tamen illibata illa seruetur, addi poterunt, quæ occasio tulerit, sicut ipsamet addidit: hoc & magistra rerum natura docet, & Ecclesiæ vsus iuxta perpetuam traditionem confirmat. Propterea vir admirabilis Cyrillus, Oecumenica Synodo nondum celebrata, congregatis prouinciæ suæ Episcopis Alexandriæ, fidei scripsit expositionem, quam Nestorio misit. & infra, in eodem libro verba hæc magni Ephrænij reperies: Rursus hæretici quartam Synodum calumniantur dicentes; Decretum fuisse ante illam, ne cui liceret proferre, aut scribere, aut componere, aut tenere aliam fidem præter eam quæ erat exposita: Quanquam Synodus non hoc decreuerat, licet impudenter ipsi mentiantur; sed fidem à trecentis decem & octo Patribus expositam summo in honore habens præceperat, ne cui fas esset aliam proferre fidem: &, quæ sequuntur. Id certe ex ipsis Synodi vocibus maxime constat; patebit enim ipsa per se veritas nulla probatione indigens, si solum eæ legantur. Nec ita quidem decreuit, aliud vero fecit; sed illud vbique seruauit, quod ab ea decretum fuit: nam ad veram accedentes religionem non allo Symbolo quam à trecentis decem & octo Patrib. edito instituit. Risum vero potius in se mouent, quam petunt calumniis Synodum, dū aiunt, multos illi obtrectare. Nam de prima sancta & œcumenica Synodo quot Synodi detraxerunt, cum & ipsæ cœtus essent Episcoporum? Quid dicam de Synodo CL. Patrum, de qua Ægyptij quidam, ne si facta quidem fuerit, scire voluerunt? Sed missa faciamus deliramenta: Nam Sanctis Patribus it exponentibus, & nugas hæc esse impudentes verbaq; futilia affirmantibus, quid nos ad proferentes ea dicamus? Refellamus ne illos, an vero dicta probemus? Vtrumque negauerit, quicunque suæ mentis est compos.

Ephes. LXXVI.

Et nos quidem Papam vt vnum de Patriarchis habemus, idque si recte de fide sentiat; Isti vero illum Christi vicarium, Patrem & Doctorem omnium Christianorum magna grauitate pronuntiant.

Respon 1.

Necipli duos aut tres esse dicimus Papam, sed vnum Patriarcharum: est tamen etiam inter eiusdem ordinis plures vnus primarius. Ait enim sanctus Pater Chrysostomus homilia decimaseptima in Acta Apostolorum: Vide, vt etiam inter illos septem vnus fueris præpositus, & primas tenens: nam etsi communis erat ordinatio, maiorem tamen ille assequutus est gratiam. Ceterum omnem Episcopum dicimus Christi esse successorem, & in cathedra Iesu Dei mei sedentem: Ipse enim dicit, Qui recipit vos, me recipit; &, *Qui vos audit, me audit.* Et hæc quidem communia sunt, æqualiter enim est in omnibus sacerdotium, quod attinet ad conferendum baptismum, & faciendum sacrificium, & peccata confitentibus dandam absolutionem, & sacrum Chrisma conficiendum, & Monachum tondendum, & oleum benedicendum vngendumque ad maculas peccatorum delendas, & sacerdotem per gradus promouendum: Eandem enim vim & easdem vires habet vnusquisque ad functiones rerum Ecclesiasticarum obeundas: & hoc pro cerro habemus, quippe vt acceptum à Patribus. Sed etiam quod de Papa dicimus, non ex nobis dicimus. Nam Theodorus Studita scribens ad Michaelem Imperatorem nomine omnium Hegumenorum, in Epistola, quæ sic incipit, Nos omnes in vnum congregati iussu vestri à Deo coronati imperij, humillimi Episcopi & Hegumeni: Si quid vero, inquit, dubitat, aut minus solutum credit sacra tuæ mentis excellentia à religioso præsule, iubeat magna sua & à Deo confirmata potentia, vt quæ ad vniuersorum vtilitatem zelo rerum diuinarum flagrat, à seniore Roma mitti sibi huius rei declarationem, vt per antiquam traditionem ab initio seruatum est. Hæc est, imitator Christi Imperator, supremus apex Dei Ecclesiarum, cui primus præsedit Petrus; ad quem Dominus; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Idem Theodorus in alia epistola ad Naucratium; Cuius initium est; Non complebuntur aures meæ vocibus auditionum: Deum, inquit, hominesque in præsenti contestor; Seiunxerunt se à corpore Christi, à coryphæa sede, in qua Christus posuit fidei claues; aduersus quam non præualuerunt per omne seculum, nec præualebunt vsque ad finem seculi inferi portæ, ota videlicet hæreticorum, sicut, promisit ille qui non mentitur. Et in tertia sancta Synodo Arcadius Episcopus dixit; Præcipiat vestra Beatitudo litteras Sancti & omni cum veneratione nominandi Papæ Cælestini, sedis Apostolicæ Episcopi, vobis allatas recitari, ex quibus vestra Beatitudo perspicere poterit, quali omnes Ecclesias cura ille complectitur. Proiectus quoque iisdem est vsus verbis. Et paucis interpositis; Cyrillus, inquit, Alexandrinus dixit: Suscepta Sanctissimi, & per omnia sacratissimi Cælestini Episcopi sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ epistola cum honore condecente recitetur. Similiter in sancto Concilio quarto, in sacris Valentiniani ad Theodosium litteris. hæc scripta legantur; Vt Beatissimus Romanæ Vrbis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum & facultatem habeat de fide & Sacerdotibus iudicandi. Cum igitur facultas illi sit exercendi iudicium de fide & Sacerdotibus, iure Christianorum omnium Doctor in Definitione inscribitur.

Matth. 10 Luc. 10.

Matt. 16.

Concil. Chalced. par. 1. epist. 25.

Fiant patre feliciores, cetera similes: Nam & ille aduersa vtitur fortuna Antipapam habens, satis molestiarum illi exhibentem; & istis Patrem & Doctorem suum imitari non patitur animus.

Ephes. LXXVII.

Vtinam nobis tot essent Concionatores in Ecclesia diebus festis ac Dominicis populum docentes, quot summa felicitate visuntur in Latina Ecclesia, quot que Monachi extremam amplexi paupertatem. Ignorat vero ipse de Antipapa, voluisse quidem illum dignitatem arripere, sed à prudentioribus, & Reipublicam recte administrantibus, honoremque suum tutantibus fuisse reiectum. Ex quo factum est, vt Antipapa non sit; ne etiam in Ecclesia Dei schisma esset, quod est malorum omnium grauissimum. Bisilensis quoque Synodus dissoluta est, omniaque in pace sunt, & summa tranquillitate. Quare non oportebat, talem virum imprecationes in Ecclesiam iacere, sed precari potius, vt ei fauste prospereque eueniant omnia.

Resp.

Ephes.

Fugite ergo fratres, illos & communionem eorum; *sunt enim, pseudapostoli, subdoli operarii, transfigurantes se in Apostolos Christi*; & non mirum; *ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis* Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ; *quorum finis erit secundum opera ipsorum.* Rursus idem Apostolus de iisdem alio in loco, *Huiusmodi* inquit. *Domino nostro* IESV CHRISTO *non seruiunt, sed suo ventri; & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium: sed firmum fundamentum fidei stat, habens signaculum hoc,* & alibi rursus; *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, licet Angelus de cœlo, anathema sit.* Videtis prophetice dictum illud, licet Angelus de cœlo, ne quis eminentiam Papæ obtendat. Et dilectus discipulus; *Si quis,* inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite accipere eum in domum, nec, Aue, et dixerit: qui enim dicit illi, Aue, communicat, operibus eius maligni.*

2. Cor. 11. Rom. 16. 2. Tim. 2. Gal. 1. 10. Epist. 2.

Cum

Cum hæc vobis sint à SS. Apostolis præscripta, state in traditionibus quas accepistis, siue scriptas, siue non scriptas; ne improborum errore traducti à propria excidatis firmitate. Deus autem qui omnia potest & illis, vt suum agnoscant errorem, præster; & nos veluti purum selectumque frumentum ab illis tanquam priuis secernens, in horreo suo reponendos colligat in Christo Iesu Domino nostro, quem decet omnis gloria, honor, & adoratio.

Respond.

Ad hæc sane, quæ hic profert, nulla esset danda responsio; nam suo more facit in nos contumelias: tamen dicemus pauca. Vox, consubstantialis, &, Deipara, & quæcunque Sancti explanarunt, non sunt ab Apostolis explicite tradita: Nos tamen omnia, quæ Patres nostri de rebus diuinis loquuti latius explicarunt, tanquam Apostolicas recipimus traditiones. Itaque si Sancti illi pœnis per Apostolum constitutis tenētur, & nos tenemur. Quæ porro in nos profert ex epistolis Apostolorum, non faciunt ad rem. Traditiones enim Apostolicas tam scriptas quam non scriptas orationibus illorum fulti cōstanter tenemus, credentes in Trinitatem consubstantialem, Deumque incarnatum, ex semper virgine Dei genitrice natum. Sed hæc dicta sint non contentiosæ ostentationis ergo; neque enim rixari & contendere volumus, sed veritatem seruisti duce nobis diuinitus tradita scientia & doctrina Sanctorum, à quibus sacra dogmata explicata sunt; non alia via persuadere volentes hominibus, quam ea, quæ nobis per lumina Ecclesiæ patet. Testis cogitationum dominus, qui rationem ab omni mendacium proferente reposcet. Nos enim inimici pacis esse nec habuimus, nec habebimus vnquam in animo: nam si pacem amittamus, hostes illorum erimus, quibus à Christo dictum est, *Pax vobis*, sed hanc tenere volumus & optamus. Potens autem est Deus pacem donare & confirmare per vniuersam Ecclesiam suam; vt omnes vnanimiter idem sentientes & profitentes, Christo Deo, cui sic placitum est, gloriam tribuamus: quoniam ipsum decet gloria in secula, Amen.

Luc. 24. Ioan. 20.

LXXIX. Quid Marco concitatore Constantinopoli actum postquam Imp. ex Italia rediisset.

Hæc Gregorius Hieromonachus, pro dogmate in Concilio Florentino definito, disserebat contra Marcum Ephesium; cum etiam Eugenius Pontifex non intermiserit, viros doctissimos Constantinopolim destinare, qui impostori, Ephesio, os loquēs iniqua obstruerent; ne aliter quam res accidisset, de vnione, & de dogmatibus blateraret, neue simpliciores ab vnitate Ecclesiæ amplius diuelleret. Quid, Marco cocitatore, actum fuerit Constantinopoli, postquam Ioannes Palæologus ex Italia rediisset, auctor *hist. Politicæ Turcograeciæ lib. 1.* narrabat. Qui, *ait*, vero in vrbe degebant Clerici, Hieromonachi, Sacerdotes, Abbates, Confessionibus audiendis præpositi (Pneumatici dicti) ac cæteri; ij nolebant Liturgias & sacra cum illis, qui venerant celebrare; aut in precibus mentionem ipsorum facere, sed ab eis recedebant, quasi qui pietatem abiecissent. Multi Sacerdotio etiam renunciarunt. Denique vnitatem diuisio, concordiam discordia secuta est. Ad hunc modum iactato temere Ecclesiæ statu & perturbato; cum Patriarcha, Iosepho Florentiæ mortuo, nullus esset; nemo etiam propter dissensionem & confusionem, quæ non modica erat, se ad eum honorē producī pateretur, in hac perturbatione manserunt. Nicææ enim Bessario, & Isidorus Russiæ Antistes in Italia, substiterant; vbi in Cardinalium ordinem Bessario cooptatus, amplissimoq; honore affectus, concordiam & otium amplexus retinuit.

Greg. Mamma & eius Vaticinium.

Erat Constantinopoli Pneumaticus quidam, vitæ Sanctimonia præstans, nomine Gregorius Mamma, magni Ducis compater. Hunc arreptum, Patriarcham fecerunt inuitum, ac renitentem renunciauerunt. Sed is dissidium longius indies serpere videns, expugnationemque vtbis prædicens, se munere abdicauit; cum quidem illi ipsi suo compatri prædixisset; filios eius in conspectu ipsius, ab Agarenis trucidatū iri; quod sancti viri vaticinium, ipso posterius euentu comprobatum fuit.

Verosimile est, Gregorium, ab Orthodoxæ Fidei cōmunione non desciuisse, vel maxime hoc argumento, quod Pneumaticorum dissensum ferre non potens, ea se dignitate abdicauerit, & prophetico Spiritu, qui nonnisi Orthodoxis solet dari, claruerit. Sane poterat in ea Fidei cum Latinis vniformi confessione plurimū confirmari, à Legato Pontificis Eugenij. Enimuero cum Marcus Ephesinus acerrimus disputator in perfidia sua permanens cum aliis quibusdam, ad veritatem fidei reuerti noluisset, sicque in Græciam redisset, misit Eugenius Cardinalem Venetum Constantinopolim Legatum, eique comitem adiunxit, F. Bartholomæum Florentinum sacræ Theologiæ professorem egregium, & Græci idiomatis non ignarum, Episcopum Colossensem, ex ordine Dominicano. Hi cum dissensionem illam in Clero Constantinopolitano, à Marco litigatore improbo excitatam comperissent, Imperatorem Palæologum, vt in disceptationem publicam Marcus euocaretur, interpellarunt; parati refellere impostoris mendacia, quæ de Patribus & dogmatibus Florentinis spargebat. Placuit Imperatori & proceribus illius, vt fieret publica concertatio, inter eundem Marcum Ephesium, & Bartholomæum, iam fama ibi celebrem. Quo facto, Ephesius, iterum ab eo superatus, & confusus, tantaq; ex eo absorptus tristitia, vt cum sua perfidia intra paucos dies expirauerit. *S. Antoninus 3. p. tit. 22. cap. 11.*

Marcus Impostor à F. Barthol. Florentino in publica disputatione superatus præ tristitia moritur.

LXXX.

Varie alibi, pro eadem Synodo Oecumenica Florētina certatum. Isidorus Metropolites Ruthenorum, apud Vuladislaum Poloniæ Regem, sedis Apostolicæ studiosissimum, multa egit, multaque obtinuit, vt eiusdem decreta Synodi, Rutheni, qui Regni Poloniæ finibus continentur, susciperent, Latinorumque Ecclesiæ iungerentur. Etenim postquam ille, publica edicta, de rebus & dogmatibus Florentinis ad vniuersos Ruthenos dedisset, omnesque suffraganeos suos Episcopos, ad suscipiendam vnionem hortatus fuisset, Vuladislaus Rex Poloniæ, multa priuilegia, & libertates eisdem Polono-Ruthenis, & præsertim Ecclesiasticis largitus est data diplomate, Budæ, anno M. CCCC. XLIII. Dedit testimonium Isidorus huic sacro Concilio Florentino, tum in vniuersalibus ad omnes, siue Latini, siue Græci ritus Christi fideles, tum in singularibus ad sui Græco-Rutheni ritus Episcopos litteris; illud Concilium Oecumenicum, legitimumque fuisse; æquale aliis Oecumenicis Conciliis esse; nullam vim, nullam fraudem, nullam fraudem in eo intercessisse, omnia ex præscripto sacrorum canonum, ad morem receptum in Conciliis. in eodem acta esse; definitiones de rebus Fidei, ex testimoniis Sanctorum Patrum, Cōciliorum anteriorum, quæ credibilia facta fuerunt nimis, erutas, exceptasque esse; eaque propter, non minus quam priora antiqua Oecumenica Concilia, suscipiendum fore; & ea propter, quoscumque Græci ritus, Ecclesiæ Romanæ, Matri & Magistræ omnium Ecclesiarum, coniungi, credere, inque omnibus ad fidem Catholicam spectantibus, in eodem Concilio Florentino definitis, adhærere, omni iure debere. Hæsit in Polono-Ruthenis, tradita ab Isidoro Metropolita de Florentino Concilio sententia, multis succedentibus annis. Nam & Gregorius, qui ex Hegumeno Constantinopolitano, ad annum Domini 1442. & Misael, qui ex Episcopo Smolenscensi, anno 1474. & Simon Ioannis, qui triennio post. & Ionas Helsna, qui anno 1482 & Macharius qui ex Archimandrita Vnnensi, anno 1490. & Iosephus Soltanus, qui ex Episcopo Smolenscens. qui anno 1497. vsque ad annum 1516. Archiepiscopalem dignitatem in vniuersam Russiam obtinuere, vna cum omnibus suffraganeis Episcopis, Clero, ac populo vniuerso Polono Rutheno, in vnione Ecclesiæ Romanæ perseuerarunt; maxime cum & Dionysius, & successor eius Nifon, Patriarchæ Constanti-

Isidorus Archiep. Ruthen. Laborat vt Ruthens decreta Concil. Flor. suscipiant & eccl. Latina iungantur.

Polono Rutheni suscipiunt & diu retinent.

Isidorus à Magno Duce in Moscouia male exceptus vix morte euasit.

nopolitani, in eadem vnione cum Ecclesia Romana perpetui, eosdem litteris suis confirmauerint; quarum exempla aduhuc extant, vel autographa alicubi, vel passim vulgata, inq; Commentaria historicorum Moscouitarum & Ruthenorum relata, Basilius Basilides Magnus Dux Moscouiæ, Isidorum Metropolitam, in Moscouia, pro vnione Moscouitarum cum Ecclesia Romana, proque veritate dogmatum Concilij Florentini laborantem, male accepit. Nam & in carcerem vinctum coniecit, & Episcoporum Moscouiæ conciliabulo congregato, iudicium contra illum instituit; ex quorum sententia, procul dubio arsisset, nisi illum diuina benignitas seruauisset, eripuisseque. *Leo Cressa, Archimandrita Viluensis, in libello, Defensionis vnionis Ecclesiarum, iussu Iosephi Velaminis Ruticæ, Archiepiscopi & Metropolitæ Kiouien. Halicien. & totius Russiæ, ex monumentis sacris & prophanis edito, Vilnæ, apud Leonem Mamonicziu anno 1618.*

LXXXI. *Propositiones quibus vniuersa fides de processione Spiritus S. à Patre & filio sine Polono Ruthenis explicata.*

His fere propositionibus, vniuersam, de processione Spiritus sancti à Patre & Filio, Polono-Ruthenis explicabant Fidem, hi, quibus deffuitio, & vnio Concilij Florentini placebat.

1. *In Diuinis nihil aliud reperitur, præter absolutum & relatiuum, id est, præter Diuinam Essentiam & Relationem. Basil. epist. 43. ad Gregorium Nissenū, & epist. ad Terentium, Greg. Nissen. lib. de differentia essentiæ & Hypostaseos.*

2. *Persona in esse personæ non constituuntur per aliquid absolutum, hoc enim commune est omnibus personis, sed per relatiuum. Idem ibid. & Damasc. libr. 1. Fidei Orthodoxæ cap. 11.*

3. *In Diuinis quatuor tantum sunt relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio & Processio,* (3. Athanas. dialogo 1. de S. Trinitate) *qua cum ab inuicem non nisi ratione originis distinguantur (Greg. Nissen. libr. ad Ablabium in fine, & Damasc. libr. 1. Fidei c. 11.) Spiratio non distinguetur realiter à paternitate & Filiatione, sed solo actione, siquidem ab iis, non oritur. Vnde tres tantum sunt relationes reales ab inuicem realiter destinctæ, scilicet Paternitas, Filiatio & Processio. Damasc. libr. 1. cap. 8.*

4. *Solæ relationes realiter ab inuicem distinctæ sunt constitutiuæ personarum. Pater enim cum completæ constituatur per Paternitatem in esse Patris (Basil. libr. contra Eunom. versus finem) completæ etiam constituitur in esse personæ. Non enim potest dici quis perfecte Pater, nisi habeat Filium, nec Filium quis habere potest, nisi aliqualiter generet, generare autem non potest, nisi sit completa & perfecta persona, actiones enim sunt suppositorum.*

5. *Spiratio actiua tam Patri quam Filio aduenit, iam constituto in esse personæ, & vt dicunt Theologi per modum adiacentis (Athanas. dial. 1. de Trinitate) atque ideo nullam constituit personam. Hinc ordinem naturalem facile quis colligere potest inter relationes & personas. Prima enim est inter omnes persona Patris, quia est principium reliquarum, ita vt ipse à nulla ex iis oriatur: Secunda est persona Filij, quia procedit à Patre prius generante (non duratione: sic enim simul sunt in æternitate, sed nostro concipiendi modo) quam Spiratio aduenit personæ Patris iam per Paternitatem constitutæ. Tertia demq; est persona Spiritus S. siquidem post generationem procedit.*

6. *Pater omnia communicauit Filio excepta paternitate qua illi opponitur. (Cyrillus in Ioan: Damasc. de duabus voluntatibus Christi, & libr. 1. fidei cap. 9.) Ipse enim Filius de se dicit Ioan. 16. quæcunq; habet Pater mea sunt, Et 17. omnia tua mea, & mea tua. Id est, omnia quæ sunt in Patre habet Filius, præter paternitatem, & omnia quæ sunt in Filio habet Pater præter Filiationem. Si enim Pater haberet Filiationem, & Filius paternitatem, sic tolleretur diuersitas personarum. Pater esset Filius & Filius Pater. Cum igitur Spiratio actiua non sit Paternitas, necessario eam Filius habebit à Patre (S. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 26.) & consequenter spirabit Spiritum S. Vnde S. Basil. lib. 5. contra Eunomium, & S. Athanasius Epistola ad Serapionem dicunt, quod sicut se habet filius ad Patrem, ita Spiritus sanctus ad filium. Filius vero ita se habet ad Patrem vt sit secundus ab illo ordine & dignitate, ordine quidem quia habet esse ab illo, dignitate autem quia Pater est causa illius vt idem D. Basilius lib. 3. contra Eunomium testatur igitur similiter se habebit Spiritus sanctus ad filium.*

7. *Pater & Filius cum habent vnam eandemq; virtutem spirandi, vnicum est principium immediatum Spiritus S. licet Filius videatur esse medium, siquidem à Patre accipiens potentiam productiuam Spiritus S. (Aug. tract. 99. in Ioan.) spiret illam, & Pater per filium spirare dicatur, sicut Pater, Filius, & Spiritus S. est vnicum immediatum principium creaturæ, ob vnicam potentiam creatiuam (Aug. lib. 5. de Trinit. c. 14.) quamuis Pater per Filium in Spiritu sancto creet omnia.*

8. *Idem est dicere Spiritum sanctum procedere ab essentia Patris & Filij, & Spiritum S. procedere à Patre & Filio (S. Epiph. in Ancor.) tum quia essentia non distinguitur à persona, tum etiam, quia non procedit ab essentia secundum eam rationem, secundum quam est absolutum, sed vt includit relationem, & vt est in tali persona. Nam essentia vt est quid absolutum sine relatione, est principium vt quo, non vt quod, alias enim essentia Patris à Filio realiter distingueretur, siquidem Pater à quo generatur Filius realiter distinguitur à Filio, Et licet eadem sit essentia in Spiritu S. qua in Patre ac filio, tamen Spiritus sanctus non est principium vllius ex tribus personis. Non Patris & Filij, quia illi (secundum nostram intelligendi rationem) ante Spiritum sanctum supponuntur esse constituti. Non suipsius, nihil enim suipsius est principium aut causa.*

9. *Quando dicimus quod Spiritus sanctus procedit à Filio propter consubstantialitatem, illa consubstantialitas, non simpliciter eandem essentiam dicit, sed cū originali relatione, & ordine naturali. Consubstantialis enim Patri Filius, quia ex eo est, & consubstantialis est Patri & Filio Spiritus S. quia ex Patre per Filium natus aliter procedit. Nam si propter solam simplicem consubstantialitatem Spiritus S. diceretur Filij, ex Filio, vel ex substantia eius. Eodem modo posset dici Spiritus S. Filius, ex Spiritu S. & ex eius substantia cum non magis consubstantialis sit Filius Spiritui sancto ac Spiritus S. Filio.*

9. *Inter præpositionem ex, & per, nihil interest (Epiphanius in Ancorato) sed solum prima illarum aquiuocatum, seu identitatem potentiæ ac procatarcticam causam significat. Altera ordinem ad Patrem qui est fons totius Deitatis S. Basil. de Spiritu sancto ad Amphiloph. c. 4. & 5. Et S. Athan. Dialog. 3. de Trinitate & lib. de communi essen. Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Absurda quæ inferentur ex doctrina negantium Spiritum S. procedere à Filio.

1. *Tollitur distinctio inter Filium & Spiritum sanct. Nam si non procedit Spiritus sanct. à Filio, non distinguitur re ipsa ab illo, quandoquidem in Deo omnia sunt vnum, & idem, nisi intercedat oppositionis relatio. Atq; ita ex Trinitate dualitas quædam in Diuinis astruitur.*

2. *Filius non erit consubstantialis Patri, si quidem non potest spirare Spiritum sanctum aque ac Pater.*

3. *Essentia à persona distinguetur realiter. Nam Spiritus S. distingueretur re ipsa à Filio, non tanquam à persona spirante sed tanquam à Deo in diuinitate & essentia Diuina subsistente.*

Leo Creusa supra.

Porro, cum auspiciis Eugenij, Pontificis, vnio Ecclesiarum in Oriente, & Septentrione, ab Orthodoxis Episcopis, aliisque viris doctissimis procuraretur; Basileensium inauspicata temeritate Ecclesia scindebatur. Quem enim antipapam, superiore anno, intrudere voluerant, hoc anno ad capessendum execrationis diadema excitarunt, nec non ad nonum Calendas Augusti, posita sede ad Aquilonem, in cathedra pestilentiæ collocarunt, Felicem infelicem pseudo-Pontificem. Triginta ante diebus, hoc est octauo Calendas Iulij, Basileam aduenerat, & ex præscripto conciliabuli, nonnulla eorum scita inscita, inreiurando se seruaturum spoponderat. Die inaugurali aduenienti, sustinuit in loco publico pompatice coronari. Locus est Basileæ ante Cathedralem Ecclesiam late patens, spectaculis & ludis popularibus dedicatus. In eo sublimis tumulus constructus fuit, & super illum altare, excelso in angulo: prospectus exinde in omnem plateam, vt clerus, nobilitas, ceremoniarum Magistri populum despicerent, & vicissim cernerentur.

LXXXII. *De electione & coronatione Felicis V. pseudo-P.*

Duo

Duo fere hominum millia, eum tumulum conscenderant; forensis populi tanta multitudo concurrit, vt nulla capi platea potuerit; ac si iocari licet, *Syluius scribebat*, quicquid vini erat, sit bibitum. Capita hominum ad quinquaginta millia credita sunt. Ciuitas mille robustos iuuenes in armis habuit, ne quid tumultus, vel rixarum fieret prohibituros: aciem non minus timendam, quam temulentam; quorum alij tumulum, alij palatium obseruauere. Tecta omnia domorum, fenestrasque & arbores viri fœminæque obsederant. Platea sic plena populo fuit, vt nec grano sinapis locum dedisset. In eum tumulum, Amedeus infelix conscendit, fatua canicie miserandus. Ante eum Synagogani infulati, & clerus vrbanus cum reliquijs introierant. Locatus ille erat in præeminenti sede; circa quam cæteris considentibus, & facto vbique silentio, cæremoniæ inaugurationis inchoatæ sunt. Sacris operanti, duo filij, Ludouicus & Philippus adstitere, ministeriaque quamplurima manu laica perfecere, vt multitum vel hac parte non infelicem dicerent Felicem, cui dum fuerit, & filios carnales generasse, & diuina mysteria procurare. Moris est, vt inter ipsa solennia adprecationes Pontifici fiant, quas primus Diaconorum Cardinalium inchoat, scriniarijque & iudices prosequuntur. Basileæ, loco iudicum, etiam Aduocati responderunt: turba incondita, moris Ecclesiastici & cantus ignara; & quæ risum potius & cacchinnos, quam deuotionem in populo excitarit. Cantante enim Ludouico Cardinali S. Susannæ, qui presbyter Diaconi munus implebat; cum aduocati & scrinarij respondissent, adeo dissonum ac discrepantem sonum ediderunt, vt omnes ad effusissimum cachinnum prouocarint, nec maior de vlla re octo post diebus subsequentibus, quam de illorum cantu sermo sit habitus. Syluius, qui pars istorum fuit, de se narrat: Quod etsi aliqui sibi dedecori existimauerint; ego quoniam inter illos fui, nihil mihi ignominiæ putaui, inscitiam cantus: quam rem nemo vnquam non leuis perfectæ aggressus est. Ideoque & sequenti die, cum apud Prædicatores idem officium exigeretur, canticare meum carmen non erubui. Ita placuit, in loco ludicris dedicato, ludicre rebus diuinis illudere. Sacris peractis, Ludouicus Cardinalis Arelatensis tiaram triplicem XXX. M. aureorum æstimatam, vertici Felicis antipapæ imposuit. Itum postea est processionaliter ad templum Prædicatorum; vbi etiam postridie sacris operatum. Epulum præterea solenne exhibitum, plusquā mille viris; vbi nec lex Orchia, nec Faunia, nec Licinia, aut aliqua sumptuaria locum habuit, quibus vel precium edulium, vel obsoniorum copia præscribitur. Cœnitatum est, vt libuit, laute, sumptuoseque, horis circiter quattuor.

Hæc de coronatione Felicis, Syluius, Ioanni Segouio scribebat. Basileenses, hæc infrascripta, de eadem inauguratione, in acta retulerunt.

LXXXIII.

SESSIO XL.

DE CONSENSV FELICIS QVINTI ELECTI IN PAPAM TUNC DUCIS SABAUDIÆ.

SACRO SANCTA generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Cum (sicut ait B. Hilarius) proprium Ecclesiæ esse soleat, vt tunc vincat, cum læditur, tunc intelligat, cum arguitur: tunc secura sit, cum superata videtur: arca enim per quam Ecclesia designatur, eleuata est in sublime: confidit hæc Sancta Synodus, quod ille qui post nubilum dat serenum, inclytam sponsam suam succedentibus turbationum fluctibus agitatam, oculo clementiori ex alto respiciet, non ferens eam in sui nominis iniuriam diutius concuiari: Ipsa etenim Synodus posuit in Domino spem suam, & factus est protector eius, nec misericordiam abstulit, qui variis aduersitatum generibus congrua apposuit remedia, prementibus quidem grauibus calamitatibus & irruentibus persecutionibus, aduersus Ecclesiam ipsam & authoritatem eius, excitauit eandem Sanctam Synodum Spiritus paracletus, vt ad electionem noui pastoris & Romani procederet Pontificis, qui se opponeret murum pro domo Israel. Quæ quidem electio tandem cum solennitate congrua in eadem Synodo rite & canonice celebrata extitit, de persona sanctissimi Felicis V. tunc Amedei Ducis Sabaudiæ, ac Decani militum in solitudine Ripaliæ Gebennensis diœcesis, in humilitatis spiritu domino famulantium, prout decreto 39. sessionis dictæ Synodi super hoc confecto plenius continetur. Cuius tenor talis est:

Sacrosancta, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Deus patrum nostrorum, &c. Post cuius quidem decreti publicationē præfata Synodus dilectissimum Ecclesiæ filium Ludouicum tituli S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem Arelatensem vulgariter nuncupatum, & de latere & alios legatos & oratores suos videlicet plerosque Episcopos, Abbates, magistros & doctores iuris diuini & humani, nobilem virum Ioannem, comitem in Teyrstein, protectoris dictæ Synodi Imperialij authoritate deputati vicegerentem, & certos milites ad eundem electum transmittendos duxit, vt ipsi electionem præfatam præsentarent, & consensum eius exposcerent & requirerent, iuxta formam in decreto 39. sessionis præfatæ Synodi statutam & ordinatam. Quibus quidem legatis & oratoribus in præfati electi præsentia constitutis, ipsumque præsentato sibi die, videlicet Iouis, decimo septimo mensis Decembris, Anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimonono, decreto electionis prędictæ ex parte eiusdem Synodi supplici precum instantia repetitis vicibus requirentibus, quatenus pro consolatione ecclesiæ Dei, in maximis his temporibus aduersitatib. & tribulationibus constitutæ, electioni huiusmodi acquiescere, & consensum præstare, aliaque ad quæ iuxta decretum 37. sessionis huiusmodi tenebatur, facere & adimplere dignaretur, idem electus tunc in magna (vt cernabatur) spiritus anxietate constitutus, mœrore compressus, cum hinc desiderium quietis, cui sub suaui contemplatione, deposita temporalium negotiorum cura, vacare delegerat in solitudine prædicta, retraheret, & humanæ conditionis infirmitas oneris & laboris magnitudinem refugeret, hinc que vniuersalis Ecclesiæ authoritas & Reipublicę necessitas impelleret: licet diucius trepidauerit, ignorans, quid consultius ageret in præmissis, post multiplices seorsum cum grauibus personis habitas consultationes, metuens etiam (vt dicebat) ne ipsius sic ad vniuersalis Ecclesiæ & Reipublicæ ministerium necessitate cogente vocati, contradictionis reluctatio diuinam contra se indignationem prouocaret, & grauioris forsan dispendii in Ecclesia Dei occasionem induceret, non honoris aut temporalium rerum cupidine ductus, sed obsequendi necessitate impulsus, & affectu publicæ salutis procurandæ, in humilitatis spiritu tanti oneris sarcinæ humeros supposuit, & se Apostolicæ solicitudinis iugo submisit, electionique de eo actæ genib. flexis, exortisq; lachrymis, etiā infra statutū ad hoc in decreto 37. sessionis huiusmodi terminum, ad laudem Dei omnipotentis deuotē consensit, & humiliter acquieuit, ac per dictum Cardinalē, quo vocari vellet nomine, interrogatus, (prout moris est in Romanum pro tempore Pontificem electo) Felix nomen

Gen. 57.

Felix V.

duxit sibi eligendum, chlamyde & caputio, quibus tunc vtebatur, depositis, etiam genibus flexis, professionem, iuxta præfatæ 37. sessionis continentiam atque formam emisit, & propria manu subscripsit, die & anno superius expressis, cuius quidem professionis tenor talis est:

LXXXIV. *Tenor Iuramẽti per Felicem Antip. emissi.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti, ego Felix electus in Papam, omnipotenti Deo, cuius Ecclesiam suo præsidio regendã suscipio, & B. Petro Apostolorum Principi, corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicam secundum traditionem Apostolorum, & generalium Cõciliorum, & aliorum sanctorum patrum, maxime autem sanctorum octo Conciliorum vniuersallum, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertij Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti & sexti item Constantinopolitani, septimi item Nicæni, octaui quoque Constantinopolitani, necnon Lateranensis, Lugdunensis, Viennensis, Constantiensis & Basilesis generalium etiam Conciliorum, & illam fidem vsq; ad vnum apicem inuiolatam seruare, & vsque ad animam & sanguinem confirmare, defensare & prædicare, ritumque pariter sacramentorum ecclesiasticorum Ecclesiæ traditum, omnimode prosequi & obseruare. Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei Catholicę, & extirpatione hæresum & errorum, reformatione morum, executione & obseruatione decretorum Constantiensis & Basileensis Conciliorum, ac pace in populo Christiano. Iuro etiam prosequi celebrationem Conciliorum Generalium & confirmationem electionum, iuxta decreta sacri Basileensis Concilij. Hanc autem professionem mea manu subscripsi, & tibi omnipotenti Deo, cui in die tremendi iudicij redditurus sum de hoc & alijs meis operibus rationem, pura mente super altare offero, quam in primo publico consistorio solenniter repetam.

Quibus peractis, Cardinalis alijque legati & oratores prædicti iuxta commissionem & potestatem eis traditam, ipsum electum, depositis sibi indumentis consuetis, per traditionem vestis albi coloris & annuli de Papatu inuestierunt, & alba pluuiali cæterisque ornamentis Papalibus congruentibus induerunt, & in cathedra posuerunt. Ipse Cardinalis aliique Episcopi, Prælati, Principes, Comites, Barones, & nobiles reuerentiam & obedientiam Romanis Pontificibus exhiberi solitas sibi exhibentes, in processione solenni cruce præcedente, more Papali (vt decuit) ad ecclesiam monasterii sancti Mauricij ordinis S. Augustini in dicta solitudine constitutam, processerunt. Et dum ipse electus fuit ante altare prostratus diu orauit, & hymni, *Te Deum laudamus*, decantatione finita, *& Pater noster*, & aliis suffragiis & Collecta consuetis per dictum Cardinalem dictis, eundem electum in thronizauerunt, ipsũ super altare maius dictæ ecclesiæ eleuantes. Demum ipse electus adstantibus ibidem solennem benedictionem dedit, & indulgentias concessit, in his omnibus decentibus & congruis solennitatibus obseruatis. Quę quidem præmissa omnia sex notarijs publicis, & decẽ ad hoc specialiter requisitis testibus, pleriſque prælatis, principibus, comitibus, baronibus, nobilibus, magistris, doctoribus & aliis insignibus & notabilibus viris ibidem præsentibus, & ista attestantibus, gesta fuere, prout in instrumentis publicis, quorum tenores ipsa Synodus præsenti decreto habet, & haberi vult pro sufficienti expressis, plenius continetur.

LXXXV.

Declaratio quod domino Felici sit obediendum.

Præfata igitur sacra Synodus, quæ electionem Felicis, tunc Amedei, huiusmodi eius solenni decreto cunctis Christi fidelibus publicari curauit, consensum per eundem electum dictæ electioni præstitum, ac summi Apostolatus acceptationem hoc præsenti decreto publicat, & ad notitiam deducit, & deduci vult singulorum, ipsaque electionem, acceptationem, consensus præstationem, professionem, inuestituram, & inthronizationem gratas & ratas habens, authoritate vniuersalis Ecclesiæ ex certa scientia approbat, roborat, & cõfirmat, decernens & declarans eidem electo tanquam vnico, vero & indubitato Ecclesiæ Romanæ pastori, ab omnibus Christi fidelibus de necessitate saluis obediendum fore & debere obediri, ac eisdem Christi fidelibus, quacunque etiam si Imperiali, Cardinalatus, Patriarchali, Regali, Põtificali, Abbatiali, seu alia quauis ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, aut Principatus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, seu cuiusuis alterius dominii titulo potiantur, necnon ciuitatum communitatibus, oppidorum, villarum & locorum ac studiorum quorumcunque vniuersitatibus, & ecclesiarum tam Metropolitanarum aliarũ cathedralium, quam collegiatarum capitulis & monasteriorum conuentibus, necnõ ordinum mendicantium generalibus ministris & prouincialibus, ac quibuscunque aliis cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, sub obtestatione diuini iudicij, nec non excommunicationis, suspensionis & interdicti, ac priuationis omnium dignitatum, bonorum & officiorum ecclesiasticorum & temporalium, iuriumque, feudorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunq; pœnis, quas & alias iuris pœnas, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Generales ministri & prouinciales magistri ac doctores, Capitula, conuentus, cæterique supra nominati & alij ecclesiastici quicunque mandatis huiusmodi inobedientes, seu in aliquo cõtrauenientes, ipso facto incurrant. Ad ipsas vero pœnas contra Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, milites & alios dominos temporales & seculares personas quascunque, quæ similiter inobedientes & rebelles fuerunt, ipsa sancta Synodus vniuersalis Ecclesiæ, seu ipse Felix sua Apostolica authoritate procedere curabit, iustitia mediante, authoritate Dei omnipotentis & eiusdem vniuersalis Ecclesiæ districte præcipit atq; mandat, quatenus eidem electo, vero & indubitato dictæ Romanæ Ecclesiæ pastori reuerenter (vt tenentur) obediant & intendant. Et insuper omnia & singula indulta, literas, processus, sententias, censuras & mandata prætensa per Gabrielem, olim Eugenium Papam Quartum, qui tanquam schismaticus, hæreticus & aliis diuersis criminibus, quibus Ecclesiam Dei incorrigibiliter scandalizabat, irretitus, ab omni gradu, honore & dignitate Papali per præfatam Synodum iusto iudicio depositus & amotus extitit, seu eius authoritate quomodolibet concessa, promulgata de facto, quæ præmissis obuiare possint, prout sunt, cassa, irrita & inania, nullinsque roboris vel momenti fore decernens pariter & declarans, vniuersis Christi fidelibus supradictis sub prænominatis & aliis in decreto depositionis & admonitionis dicti Gabrielis, quod incipit Prospexit Dominus de excelso sancto suo, contentis, vtpote fautoriæ schismatis & hæresis, & aliis etiam iuris pœnis, quas contrafacientes & rebelles ipso facto incurrant, inhibet ne præfato Gabrieli sic depositio & amoto, eiusque mandatis, nunciis & censuris prætensis quomodolibet obediant, pareant, seu ea exequantur, aut exequi faciant, seu procurent eidem Gabrieli seu nunciis, mandatis, literis, & prætensis processibus, sententiis & censuris suis huiusmodi vtentibus, vel ea exequentibus assistentiam, auxilium, consilium vel fauorem præstare præsumant, decretis aliis eiusdem Synodi in suo robore nihilominus duraturis.

Basil. Ch. sess. 34.

Datum Basileæ in sessione nostra publica, in maiori ecclesia Basileensi solenniter celebrata quarto Kalend. Martii, Anno à Natiuitate Domini 1440.

Hæc de electoribus; atque electione Felicis, supraelati auctores, Eugenio & Friderico obnoxii. Certiora referre se existimant alii, de tam graui negotio.

LXXXVI.

Electo-

Electores Basileenses. *Alij sec. Cicconius*, appellare non dubitat, viros graues, prudentes, eximiæq; probitatis, & sacræ Theologiæ Doctores. *Patres Comitij Basileensis* qui illos designarant, voluerant illos esse dignitatibus Ecclesiasticis illustres; in Sacerdotio, aut saltem in Diaconatus Ordine constitutos; necnon graduum, ac scientiarum titulis insignitos; de quibus vniuersi præsumerent, illos maximis virtutum ornamentis cumulatos, nonnisi honorem Dei, vnitatem Ecclesiæ, pacem & commoda Christianæ reipubl. in ea electione spectaturos. Illi ipsi *Patres Basileenses*, credebant te legitime congregatos, vniuersalẽ Ecclesiam sufficienter repræsentare; adeoq; supra omnes Christi fideles etiam Pontificia dignitate præstantes, cum potestate præeminere; adeoque posse contra Pontificem delinquentem subsellia erigere; & ex consequio, delinquentem grada mouere, alium que sufficere; & proinde potuisse Eugenio, grauissimarum rerum insimulato, Pontificatum abrogare; ac quod vltimum est, necessitate publica totius Christianitatis vrgente, legitimam potestatem alium Pontificem subrogandi, iure optimo aliis concessisse; eamque electionem Canonicam, pro parte Electorum, legitima auctoritate designatorum, atque fungentium fuisse. Addunt hi ipsi Basileenses in bulla, Electores, non primum Conclaue introisse, quam diuinum Eucharistiæ Sacramentum ex manu Præsidis Cardinalis in præsentia totius Cleri & populi suscepissent, & iureiurando solenne præstitissent: postquam autem ingressi & clausi fuissent, septem diebus magna cum deuotione ibidem egisse, nec nisi celebrata Missa, & inuocata Spiritus sancti gratia, ad ferenda suffragia accessisse; neque primum (vt Massonius & Martani lib. 5. hist. Gall. affirmant) de Amadeo Sabaudo, sed de Ioanne Ludouici Aureliæ Ducis ex Valentina Philippi Vicecomitis minore natu filio, Comite Engolismæ & Petracoriorum eligendo cogitasse. Obsessa à Carolo fratre Rege Anglo, à nono ætatis vsq; ad quadragesimũ secundum annum, pro C. M. aureorum in bellum Burgundicum acceptis datus, totum id tempus pietatis exercitijs, ac legendis sactis authoribus impendens, ad supremum perfectionis eruditionisque apicem euaserat, dignusque proper heroicas virtutes Basileensibus visus fuerat, vt de eo in Pontificem subrogando deliberationem susciperent; orbi Christiano ad veterem disciplinam reuocando, quiete publica concilianda, & florenti felicitate superiorum temporum restituenda. Vrgebat Philippus Insubrum Dux, cupientissimus videndi nepotem, Angelica conuersatione admirãdum, sedem Principis Apostolorum implere, rebus familiæ, Francig. Ecclesiæque constabilierdis. De Amadeo tantum abest vt vel hic, vel ille primo cogitarint; quod is pro communi eorum aduersario Eugenio Pontifice steterit, eosque vehementer adeo irritasset vt in controuersia illi cum Lausanen. Episcopo quapiam de causa intercedente, ne quidem Saraceno negande, (vt ipse in literis conqueritur) ipsi concedere, aut pro ipso decernere voluerint. Quippe legerant exemplar datæ ab *Eugenio Papa* ad eum epistolæ, simulque ipsa experti cognouerant, id quod Eugenius dilaudabat, Amadei erga Pontificem bonam voluntatem & operam diligentem, quam is in Concilio, pro illius honore, & sedis Apostolicæ demonstrauerat. Quamobrem, toties, quoties legebãt, illa Eugeniana; *Hortamur tuam deuotionem, vt quemadmodum hactenus fecisti, sis intentus & feruens ad defensionem & conseruationem nostri honoris ac dignitatis, & auctoritatis Apost. sedis*, & illa. *Iampridem à multis fidei dignis audiuimus, & quotidie à venerabili fratre Ioanne Episcopo Ambranensi Referendario nostro audimus, & veraciter informamur, quantum tua nobilitas sit intenta, & omne studium suum apponat ad honorem & statum nostrum, & Romanæ Ecclesiæ conseruandum; accessit etiam fidæ relatio super hoc dilecti filij Ioannis de Gribouat Cubicularij nostri, qui suos credentiales litteras ad nos tulit, & commissa sibi per te nobis fideliter & prudenter exposuit; ex quibus optima voluntas tua nobis innotuit, quæ etiam cognita dudum erat, & propterea regratiamur tibi, & fidem ac deuotionem tuam plurimum in Domino commendamus, hortantes te, vt similibus iustis operibus perseuerans, quibus multos alios superasti, te ipsum superare conetis. Nos etiam recognoscentes merita tua, semper, quantum cum Deo poterimus, studebimus tuæ Excellentiæ complacere:* Quoties, inquam, ista & alia legebant, ab Amadeo, pro Eugenio suscepta, factaque, toties (credibile est) ab eo auersi *ad Eugeniensem* respicientes nihil minus quam de illo subrogando cogitabant: donec Ioannes libertati iam restitutus, spontalitium spirituale corporali posthabuisset, necessitateque Basileensibus imposuisset, alium potentia, clientelis, opibus, religione, virtutibus, parem vel superiorem inquirendi, quem Eugenio ex aduerso opponerent, vt illi ipsi Martani in hist. retulerunt. Ergo *affirmant* nonnulli, spiritu diuiniore afflatos, studia in Amadeum conuersse illumque sex & viginti, ex triginta duobus suffragiis ad supremum Ecclesiæ fastigium euehere voluisse, vt Aeneas Syluius in Cõmentar. asserebat. Defuncta hic vxore, relictaque regni cura Ludouico filio, cum paucis suorum secessetat in agrum Gebennensem, studio rerum diuinarum, propeque lacum Lemanum cœnobio constructo, abstinentiæ & clari nominis fama orbem impleuerat, vt *Raphael Volaterranus testatur lib. 3. Geograph.* Christi amore succensus, vitam solitariam elegerat, eremiticaq; habitu assumpto, cum decem aliis nobilibus viris in solitudine Ripaliæ Gebennen. vitam Angelicam agens, Deo seruiebat, vt *Onuphrius Panuinicus memorat in Felice IV. alias V.* Cœlibem & eremiticam viram, religiose vixerat, *vt Friconius ait in Felice.* Fuit ab ineunte ætate, & lacteis annis, magis religiose quam seculariter viuens, summo gradu dignissimus, vt Aeneas Syluius Basileensibus multis ostendebat. Fuit vir omnium virtutum claritate adornatus, videlicet, bonitate, pietate, religione, iustitia, magnanimitate, liberalitate, diuina humanaque prudentia, ab ineunte ætate erga pauperes & egenos commiseratione profusissimus, circa omnia diuina assiduus, qui eremiticam vitam ad Ripalliæ locum, tamquam paradisum deliciarum sibi delegit: *vt Philippus Bergomen.* scripsit. Cumque eo in statu vitam celebrem in tertis ageret, à Basileens. Concilio vt præfertur (*refert idem Bergomen.*) Pontifex electus fuit & rogatus, licet inuitus, existimans se Deo rem gratam factorum Pontificũ munus obiisse, integer vita, & religione sanctus, in subditos clemẽs, in vitia asper, in bello magnanimus, in deuictos benignissimus, ac denum in omnes iustissimus. Quod autem inuitus, Pontificiam dignitatem Felix assumpserit, adeoque neque ambiuerit, neque emerit, nec suffragia per illicitos contractus mercatus fuerit, prehensaritue, *ad ferunt* Scriptores Basileensium Patrum testimonium his verbis conceptum: *Post cujus quidem decreti publicationem, præfata Synodus dilectissimum Ecclesiæ filium Ludouicum tituli S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem Arelaten. vulgariter nuncupatum, & de Latere, & alios Legatos & Oratores suos, videlicet plurosq; Episcopos, Abbates, Magistros & Doctores Iuris diuini & humani, nobilem virum Ioannem Comitem in Teyrstein, protectoris dictæ Synodi Imperialis authoritate deputati vicegerentem, & certos milites ad eundem electum transmittendos duxit, vt ipsi electionem præfatam præsentarent, & consensum eius exponerent, & inquirerẽt, iuxta formam in decreto 37. Sessionis præfatæ Synodi statutam & ordinatam. Quibus quidem Legatis & Oratoribus in præfati electi præsentia constitutis, ipsumq; præsentato sibi die, videlicet Iouis, decimo septimo mensis Decembris, Anno à Natiuitate Domini 1439. decreto dictorum prædictæ exparte eiusdem Synodi supplicis precum instantia repetita vicibus requirentibus, quatenus pro consolatione Ecclesiæ Dei, in maximis his temporibus aduersitatibus & tribulationibus constitutæ, electioni huiusmodi acquiescere, & consensum præstare, aliaq; ad quæ iuxta decretum 37. Sessionis huiusmodi tenebatur facere & adimplere dignaretur; idem electus, tunc in magna (vt cernebatur) anxietate Spiritus constitutus, mœrore compressus, cum hinc defiderium quietis, cuius sub suauis contemplatione, depositæ temporalium*

lium negotiorum cura, vacare delegerat in solitudine prædicta, retraheret, & humanæ conditionis infirmitas oneris & laboris magnitudinem refugeret; hinc que vniuersalis Ecclesiæ authoritas, & Reipublicæ necessitas impelleret, & licet diutius trepidauerit, ignorans, quid consultius ageret in præmissis post multiplices seorsum cum grauibus personis habitas consultationes, metuens etiam (vt dicebat) ne ipsius fu. ad vniuersalis Ecclesiæ & Reipublicæ ministerium necessitate cogente vocati, contradictionis reluctatio diuinam contra se indignationem prouocaret, & grauioris forsan dispendii in Ecclesia Dei occasionem induceret, non honoris aut temporalium rerum cupidine ductus, sed obsequendi necessitate impulsus, & affectu pubblicæ salutis procurandæ, in humilitatis Spiritu tanti oneris Sarcinæ humeros supposuit, & se Apostolicæ solicitudinis iugo submisit, electionig de eo factæ genibus flexis, exortisque lacrymis, ad laudem Dei omnipotentis deuote consensit, & humilitate acquieuit. Ab hoc publico Basileensium Patrum testimonio inferunt *illi Scriptores*, Amedeum, Pontificiam dignitatem, neque ambiuisse, neq; cum Simone, prece aut obsequio comparare voluisse. quib. si ex *Nauclero* addatur, cuiusdem Prælati, qui Basileensi Comitio interfuerat, testimoniū, quod Felix, à Friderico Imperatore, filiam illius in matrimonium concupiscente, magnam pecuniam nomine dotis interpellatus, quanquam Imperator vniuersam Germaniam obsequio illius addiceret, atq; Patres Basileenses conditionem suscipiendam, doteq; numerata vexationem redimendam consulerent, ipse constantissime renuerit; tantum abest, vt Simoniaca labe, aut pactione Pontificatū coëmerit. Ab illis porro, quibus, quib. designatus; non temere, nec importune Pontificias insulas susceperit: quippe qui ab aliis persuasus, existimaret Eugenij candelabrum loco moueri dignum; Basileense Comitium, legitimum esse Concilium; Cōcilio Oecumenico ius esse & fas super Papam; Basileenses, iure merito illum sede deiecisse; illosq; ipsos grauissimis de causis, de alio subrogando decreuisse. Accesserunt persuationes priuatæ Aeneæ Syluij, oratorum huius temporis disertissimi; Nicolai Panormitani, & Ludouici Romani, Iurisperitorum toto orbe præstantissimorum; quibus coniunctæ preces, & obtestationes Cardinalis Arelaten. & Oratorum Basileensis Comitij, qui machinis omnib. admotis, quamquam summa cum difficultate, post millies repetitas obsecrationes & adiurationes, tandem expugnarunt hominem, non Theologum, sed Eremicolam, ex puritate & candore suo omnes dimetientem: vnionis, pacis, & reformationis Ecclesiasticæ cupidum; bona fide, bonoque Zelo præstantem, ferventemque: qui neq; sedi Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ quicquam derogare cogitarit, neque id officij vsurpari à se crediderit. Addunt iidem *Scriptores*, Principes orbis Vniuersitates, Parisiensem, Coloniensem & Louaniensem, Felici assumpto scrupulum de Pontificatu eximisse; nec non magnam vniuersæ Christianitatis partem, ex Gallis, Hispanis, Neapolitanis, Longobardis, Scittensibus, Allobrogibus, illi fidem cultumq; addixisse; paucosque in Germaniæ tribus Comitiis, vt Matius obseruabat, inuentos fuisse, qui non consentirent Concilio Basileensi contra Eugenium, pro Felice. Ex his & aliis documentis iidem Scriptores concludunt, Felicem in suscipiendo, obeundoq; Pontificatu ex sortem culpæ fuisse: eoq; respectu Nicolaum V. Pontificem, Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dominicæ 1448. Calend. Febr. hæc infra scripta decreuisse: *Omnia, & singula cum inde secutis, in Registris ipsius Eugenii prædecessoris & nostris, & aliis locis quibuscunq; aboleri & deleri mandantes, omnino tollimus, cassamus, irrita mus, & annullamus, ac pro infectis haberi volumus.* quod clarissimus Princeps, qui beatè vitam finiuit, vt Ciacconus ait, ac etiam post mortem (*vt Philippus Bergomen. meminit*) miraculis claruit, alieno non tantum suasu, sed vero etiam impulsu, nihil minus quam summos apices cogitans, viuente legitimo Pontifice Eugenio eius sedem conscenderit: magis promptus descendere, quam aliquando ascendere. Meruit ab ea promptitudine apud Nicolaum V. Pontificem, titulum *bonæmemoriæ* à morte; quandoquidem, vt Pontifex Ludouico eius filio scribebat, *talem sedi vnionem & pacificationem Ecclesiæ in oculis omnium Christi fidelium exhibuit, vt quicquid*, inquit, *nobis factu possibile viderimus, sua recordationi ac honori, & vtilitati dilecti filii Nobilis viri Ludouici Ducis Sabaudiæ eius nati, ac ipsorum illustri domui libenter tribuamus. Datum Romæ apud S. Petrum anno Inc. Dom. 1451. pridie Kal. Martii. Pontific. nostri anno 4.*

Voluit Amedeus ex-Pontifex Cardinalis, & Legatus rebus ipsis confirmare, non ex vano summos Pontifices, Principibus familiæ suæ apud Sabaudos Saxonicæ, titulos *Columnarum authoritatis Pontificiæ*, & *Protectorum Sanctæ sedis* adscripsisse, quibus solenne perpetuo fuit; contra inferiores portas, petram inconcussam Pontificatus Catholici concutere adnitentes, consurgere, conari, dimicare; ac vbi iuuare, vel perrumpere aliquē potentiorem non poterant, vel à dolore, mœroreq; emori; & vel extremi Spiritus exhalatione, (quod de Comite Thoma Fridericum Imp. Ecclesiæ hostem vlciscī impotente narrat singulare Paradinus) desiderio inflammatum Tutelæ Rom. Ecclesiæ testari.

Paradinus. Boterus. Stella. Mutius. Ciaconus. Panuinius. Chron. Nurembergen. & Basileen. Papyrius Massonius. Basileen. in bullis, Nicolaus V. & Eugenius IV. in litteris, & archivis Sabaudici monumenta.

SESSIO XLI. LXXXVII.

IN QVA CONDEMNANTVR QVIDAM LIBELLI scandalosi, &c. per Gabrielem olim Eugenium Papam Quartum editi.

SACRO SANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Licet (vt sacrorum canonum aperte testatur authoritas) condemnatis de hæresi & ab Ecclesia Deo * seiūctis, nulla super Catholicos iudicandi sit attributa vel permissa potestas, ac fidelibus Christicolis quæuis illorum communio sub grauissimis iuris diuini pariter & humani pœnis sit penitus interdicta: quia tamen inualescente hominum malitia ac humani generis inimico, omnium hæresum satore procurante, plerunque nonnulli taliter damnati, sic suos obdurant animos, in sua pertinacia gloriantes, & vniuersalem Ecclesiam ac sibi deuotos sub prætenso colore iudicialis sententiæ libellis scandalis & contemptibus plenis, in vniuerso afficere & perturbare non verentur: non solum debitum, sed & necessarium reputamus, vt contra damnabiles huiusmodi ausus debita ordinemus antidota, dignaq; animaduersione contra talium fautores actius exurgamus. Nuper siquidem dum Gabriel, olim Eugenius Papa IV. nuncupatus, multiplicia & enormia crimina vniuersalem ecclesiam Dei scandalizantia, quæ adeo notoria erant, quod nulla tergiuersatione celari poterant, perpetrauerat, & ecclesiam audire, ac præceptis, statutis & ordinationibus synodalibus obedire contemneret, hæc sancta Synodus necessariū esse iudicans, vt cui pia non proderat correctio, debita non parceret abscisio, postquam in multa longanimitate, patientia & mansuetudine post plures admonitiones expectauerat eundem, vt salutarem emendationē & criminum prædictorum correctionem efficeret, tandem cum amplius differre non posset, quo minus fidei Catholicæ & saluti vniuersæ Christianæ religionis sub auxilio spiritus paracleti prouideretur, eadem sancta Synodus in sessione publica Basileæ vij. Kal. Iulij, Anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono solenniter celebrata; per suam sententiam inter alia dictum Gabrielem fuisse & esse notorium & manifestum schismaticum & hæreticum, ac diuersis aliis criminibus vniuersalem Ecclesiam scanda-

* præcisis.

lizan-

Sententia Eugenij 4. contra Felicem & eius studiosos, &c.

lizantibus, irretitum, eumque propterea à Papatu & Romano pontificio ipso iure priuatum esse declarauit pronunciuit, ac ipsum ab eisdem amouit & deposuit, inhibendo singulis fidelibus sub grauibus pœnis tunc expressis, ne eidem Gabrieli sic priuato & deposito, tāquam summo Pontifici obedirent, parerent, vel intenderent, aut eum quouis modo sustinerent, aut receptarent, aut auxilium, consilium, vel fauorem præstarent, prout in sententia & decreto nostris desuper confectis, plenius continetur. Cum autem (sicut accepimus) nuper quædam famosa scripta, scandalosa, iniuriosa, schismatica, à fide deuia, & hæretica, quam ipse sententiam diffinitiuam appellat, quæ incipit: *Quoniam sanctorum patrum sententia*, &c. per quam dictus Gabriel inter alia sanctissimò domino nostro Felici V. in Romanum Pontificem electo, vero, vnico & indubitato Christi vicario, & eius Felicis V. electoribus, per hoc sacrum Concilium cum debita maturitate & prouidentia circumspecta ad hoc tunc ordinaris, ac aliis qui conclaue pro electione Romani Pontificis in hac sancta Synodo ingressi fuerunt, & in ea interuenerunt, eisque credentibus & adhærentibus comitia plurima & turbationes in suis personis, dignitatibus, beneficiis & rebus temere & calumnioſe inferre moliris est, decernendo & declarando eos fuisse & esse dignitatibus & beneficiis ac officiis suis priuatos, & inhabiles ad eadem, licet de facto nomine ipsius Gabrielis emanauerit, & publicata fuerit in vniuersalis Ecclesiæ & dicti Felicis V. ludibrium, dedecus & contemptum: nos attendentes quod illorum scripta recipi non debent, quorum damnantur authores, & ne ex dicta scriptura prætensa, per quam idem Gabriel se pertinacius obduratum, & magis & magis hæreticum, & omni crudelitate repletum comprobat, quēpiam fidelium in hac re seducī ac turbari contingat, hæc sacrosancta Synodus volens (vt tenetur) super hoc salubriter prouidere, prætensam scripturam, ac quicquid ex ea secutum est, declarat fuisse & esse omnino irrita & inania, nullumque debuisse ac debere sortiri effectum, seu nocumentum vel * damnum afferre cuiquam, vel quomodolibet attulisse, ipsaque quatenus processerunt de facto, & quæ in posterum sequi possent, in irritum reuocat, cassat & annullat. Inhibet quoque, mandat, atque vniuersis & singulis Christi fidelibus, cuiuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel conditionis fuerint, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, Cardinalatus, Patriarchali, Pontificali seu alia quauis ecclesiastica vel mundana dignitate præfulgeant, ac ciuitatibus, vniuersitatibus, communitatibus, villis, oppidis, castris & collegiis quibuscunque sub fautoriæ schismatis & hæresis ac excommunicationis, quo ad singulares, interdicti vero quoad ciuitates, vniuersitates, cōmunitates, villas, oppida, castra & collegia prædicta, nec non priuationis omnium & singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum, priuilegiorum & bonorum ecclesiasticorum & mundanorum, ac inhabilitationis ad eadem, aliisque in dicto & cæteris nostris decretis contentis pœnis, quas contra facientes & rebelles ipso facto incurrere volumus, ne scripturam & in ea contenta huiusmodi acceptare, publicare, prædicare, approbare seu defendere, aut eisdē quouis modo consentire, vel fauere, nec eis obedire, seu ea attendere, vel obseruare, seu aliarum quarumcunq; prætensarum (priuationum ac processuum inde secutorum, etiam quascunque censuras continentium, per ipsum Gabrielem damnatum f. ctorum, aut forsan in posterū faciendorū) prærextu, dignitates, beneficia, personas, res & bona Felicis V. electorum & aliorum in eadem prætensa scriptura quoquo modo comprehensorum, quouis modo impetrare, occupare, inuadere, perturbare, vel detinere, aut ipsos impetrantes, inuadentes, perturbantes, capientes, vel detinentes ad possessionē eorundem, seu alias accipere, admittere, seu eos in illis sustinere, aliasq; ipsis ac dictæ scripturæ ac in eis cōten-

* notam.

tis, aliisque præmissis assentientibus & illis vtentibus, seu ea publicantibus & defendentibus, auxilium, consilium vel fauorem præstare quoquo modo audeant, vel præsumāt, nec præmissa (quantum in eis est) executioni demandari permittant.

Datum Basileæ in sessione nostra publica, in maioli ecclesia Basilensi solenniter celebrata x. Kalendas Augusti, Anno à natiuitate Domini 1440.

SESSIO XLII. LXXXVIII.

DE PROVISIONE FELICIS PAPÆ Quinti.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili diuinæ altitudinis prouidentia ad * extollendum & conseruandū Dominici gregis agmen, in inuocatione Spiritus sancti adunatos, inter multiplices nobis incūbentes solicitudines, illa propensius nos curaꝫgit & viget, vt quæ pro Christianæ religionis incremento & Reip. vtilitate per nos summo studio edita sunt & decreta, votiue dirigi & firmiter valeant adimpleri, & vt Romanus Pontifex decretorū huius synodi executor & conseruator præcipuus, illa tanto amplius, tantoq; liberius exequi possit & manutenere, ac alias felici regimini ecclesiæ Dei ardentius intendere, quo congruæ prouisionis auxilio iuxta sui status exigētiam ab vniuersali Ecclesia suffultus, incumbentia sibi & suis onera expensarum grauissima, commodius & facilius conspexerit posse supportare. Cum igitur sanctissimus dominus Felix Papa V. ad summi Apostolatus apicē assumptus, non mundanarū rerum cupiditate ductus, cum patrimonium B. Petri & terras Romanæ ecclesiæ proh dolor per alias tyrannides cerneret occupatas, allectus, sed diuino voluntati resistere non volens, & ecclesiæ Dei in tā graui fluctuatione constituræ, pie compatiens, iugū tanti oneris pro Dei reuerentia, fidei conseruatione, & vniuersalis Ecclesiæ consolatione suis humeris suscipiens, propriis derelictis, decreta huiusmodi cum omni humilitate susceperit, eaq; & fidem Catholicam obseruare, & manutenere pure & simpliciter iuxta mentem & tenorem eorundem professus fuerit, & ad prosecutionem totius boni reipubl. & religionis Christianæ, necnon ad defensionem authoritatis generalium Conciliorum & decretorum prædictorum affectabiliter, syncerisanhelans, grauiaq; & importabilia expensarū onera in diuersis & magnis ecclesiæ Dei ingruentib. negotiis, præsertim pro executione illorū sanctorum operum, propter quæ eadem sancta synodus congregata est, cum de patrimonio B. Petri aut aliunde nullam adhuc subuentionem habuerit, hactenus subierit & pertulerit, ac grauiora necessario dictim subire & perferre habeat, per quæ (vt confidimus & speramus) idem Felix Papa patrimonium huiusmodi & terras ecclesiæ recuperare, pacemq; ecclesiæ dare poterit, Domino concedente: attendens itaq; sancta synodus, quod spiritualia sine temporalibus diu subsistere nequeunt, præmissis & aliis diuersis rationabilibus & euidentib. causis permoti, volens etiam quod in decreto suæ sessionis 12. 3. Idus Iulii anno à natiuitate Domini 1433. celebratæ, quod incipit, Sicut in construendo domo, ordinatum est, laudabiliter adimplere, hoc irrefragabili decreto vsq; ad quinquennium à die datæ præsentium computandū, quinquum: & deinde ad aliud quinquennium extunc proximè subsecuturum, deciui fi. lenarium veri valoris annui secundum communem estimationem quorumcunq; fructuum, redditū & prouentuum primi anni omnium & singulorum canonicatuum & præbendarū, dignitatum, personatuum, administrationum, præstimoniorum, præstimonialium portionum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorū, cum cura & sine cura, secularium & regularium, cuiuscunq; cōditionis, ordinis aut religionis fuerint, & quo-

* excolendum.

* Spiritualia sine temporalibus subsistere diu nequeunt.

cunque

cuiuq; nomine censeantur, etiamsi dignitates ipsæ Patriarchales, Archiepiscopales, episcopales, Abbatiales, Prioratus, Conuentuales, ac in Metropolitanis seu aliis Cathedralibus maiores post Pontificales, aut in Collegiatis ecclesiis principales & electiuæ fuerint, à dicta die in antea, siue per obitum aut liberam seu ex causa permutationis resignationem, vel alias quouis modo & qualitercunque, præterquam per priuationem causa reformationis, aut resignationem simplicem in foro conscientiæ, seu per optionem præbendarum in ecclesiis, vbi illarum options fieri consueuerunt, vbiunq; in Romana curia vel extra, vacantium oneribus necessariis illis pro tempore incumbentibus deductis, & quotidianis distributionibus, necnon & xenodochiis pauperum, hospitalibus in quibus hospitalitas actu tenetur, leprosariis quoque, & aliis in titulum beneficij concedi non solitis, duntaxat exceptis, à quibusvis capitulis, collegiis, conuentibus & personis ecclesiasticis & secularibus, exemptis & non exemptis, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis seu conditionis existant, illa pro tempore possidentibus, aut fructus, redditus & prouentus huiusmodi ex statutis vel consuetudinibus, commendis, seu alias quouis modo percipientibus, pro vna infra sex, & alia mediatatib. infra alios sex menses eiusdem primi anni, sanctissimo domino Felici Papæ V. suisque collectoribus & subcollectoribus per eum deputandis, realiter & cum effectu persoluendum, & per eos exigendum, leuandum, colligendum & recipiendum, eidem domino Felici Papæ pro sua ac Cardinalium & officialium prædictorum prouisione authoritate vniuersalis Ecclesiæ tenore præsentium reseruat, constituit, deputat & assignat, statuens & decernens capitula, conuentus, collegia & personas ipsas ad solutionem quinti & decimi denarij huiusmodi dicto domino Felici Papæ, eiusque collectoribus & subcollectoribus modo præmisso faciendam, fore efficaciter obligatos. Quodque si infra vnum mensem à die quo collectores vel subcollectores huiusmodi in ecclesia Cathedrali se quintum vel decimum denarium huiusmodi ab illius debitoribus recipere paratos obtulerint & publicauerint, quemlibet terminorum prædictorum sequentium in solutione huiusmodi, defecerint, negligentes seu remissi fuerint: singulares personæ, excommunicationis: Capitula vero, Conuentus & collegia, huiusmodi suspensionis à diuinis sententias eo ipso incurrant, à qua quidem excommunicationis sententia ab alio, quam à nobis aut dicto domino Felice Papa, seu cui ille id duxerit committendum, præterquam in mortis articulo constituti (nisi prius de tunc debito (vt præmittitur) denario eidem domino Felici Papæ V. eiusve collectoribus & subcollectoribus satisfecerint, aut de super cum eis concordauerint) absolutionis beneficium nequeant obtinere: & si Capitula, Conuentus, Collegia & personæ prædictæ excommunicationis & suspensionis sententias huiusmodi per tres menses, dictum mensem immediate sequentes, animo (quod absit) sustinuerint indurato, extunc eorum ecclesiæ, monasteria & loca ecclesiastico sint supposita interdicto, tamdiu & quousque à sententijs (vt præfertur) absolui, & interdictum huiusmodi meruerint relaxari, non obstantibus quibuscunque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac statutis, vsibus & consuetudinibus Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, locorum & ordinum quorumcunque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate vallatis, literis quoque, gratiis, priuilegiis, libertatibus, exemptionibus, indultis & concessionibus, capitulis, conuentibus & collegiis prædictis, eorumque ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, locis & personis, in genere vel specie, sub quactunque verborum forma, vniuersalis Ecclesiæ Apostolicæ vel alia quauis authoritate Lectis & concessis, etiam si de eis & eorum tenore mentio in præsentibus specialis & expressa mentio fienda foret, & quæ, quo ad hæc, eis nullatenus suffragati volumus, cæterisque contrarijs quibuscunque, aut si capitulis, conuentibus, collegiis & personis prædictis communiter vel diuisim, quomodolibet indultum existat, aut interim indulgeri contingat, quod ad solutionem seu præstationem denarij huiusmodi, aut cuiuscunque alterius oneris aut subsidij non teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu ipsi vel eorum loca interdici non possint, per litteras non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi eorumque ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, beneficiis, locis, personis & ordinibus propriis mentionem. Vult tamen & assentit hæc sancta Synodus, quod si aliqua natio, regnum vel prouincia modum prouisionis huiusmodi sibi non conuenire senserit, aut allegauerit onerosum, præfatus dominus Felix Papa, auditis illius rationibus, & considerandis debite ponderatis, cum eadem natione aut eius personis (prout rationabiliter expedire videbitur) conuenire & cum eis concordare possit: & quicquid cum eo in hoc sit conuentum, aut concordatum fuerit, id ipsa sancta Synodus gratum & ratum perinde haberi decernit, & declarat, ac si de hoc in præsenti decreto plena & expressa mentio haberetur. Quodque denarius prædictus, vacatione prædicta quotiescunque infra primum annum huiusmodi in quacunque natione occurrente, & eo durante, vltra semel nullatenus exigatur, nec quisquam ad illud soluendum amplius teneatur. Insuper vult & decernit hæc sancta Synodus, quod si qua capitula, collegia & conuentus, ac ecclesiasticæ seculares personæ cuiuscunque dignitatis, status, ordinis seu conditionis existan., fructus, redditus & prouentus primi anni huiusmodi, aut aliquam illorum quotam siue partem ex statutis, consuetudinibus seu priuilegiis aut alias quouis modo leuare & percipere consueuerunt, per hoc præfato domino Felici Papæ in exactione huiusmodi denarii nullatenus præiudicetur, districtius inhibendo capitulis, collegiis, conuentibus & personis ipsis sub sententiis & pœnis supradictis, ne illos vel illam in præiudicium dicti denarij pro eo anno quoquo modo petere vel exigere audeant seu præsumant. Per hoc tamen hæc sancta Synodus capitulis, collegiis, conuentibus & personis prædictis, quo minus annis dictum primum vacationis annum sequentibus illos & illam pro ea parte, quæ ob impositionem denarij huiusmodi eis defecerit, petere & exigere valeant, non vult nec intendit præiudicium generari. Præterea cum nonnulli nationis Germanicæ, apud nos constituti, nationem ipsam præ cæteris plus fore grauatam, coram nobis allegauerint, si in ea denarius huiusmodi absque alia moderatione exigi deberet & leuari: hæc sancta Synodus his & aliis rationalibus causis mota, beneficia quæcunque & qualiacunq; infra dictam nationē consistentia, valorem quinq; marcarum argenti secundum communem æstimationem eorum necessariis oneribus deductis non excedētia, hoc decreto nullatenus includi, nec de illorum fructibus, reditib. & prouentib. denarium huiusmodi solui, leuariq; seu exigi debere, decernit & declarat, volens & statuēs, quod si de vero valore in præmissis quandoq; hæsitari contigerit aut contendi, collectores & subcollectores huiusmodi vnam, & is cui solutio denarii huiusmodi pro tempore incumbit, alias personas pro discussione dubii & contentionis huiusmodi eligere: & si illas discordare contingeret, loci ordinarius aut eiusdem in spiritualibus vicarius, seu officialis generalis: si vero occasione Metropolitanę vel cathedralis ecclesiæ dubium aut contentio exorta fuerit, casu discordiæ huiusmodi capitulum cum altera personarum sic electarum, dubium huiusmodi habeant terminare. Quarum quidem personarum ac in casu discordiæ huiusmodi ordinarii seu eius vicarii &

capitu-

capituli prædictorum, sententiæ & determinationi partes hinc inde stare, & parere sine omni contradictione debeant & teneantur. Cæterum hæc sancta Synodus collectoribus & subcollectoribus denarii præfacti pro tempore deputatis, sub obtestatione diuini iudicij & excommunicationis pœna quam contra facientes incurrere vult ipso facto, districtius inhibet, ne quicquam vltra denarium huiusmodi à personis pro tempore soluentib. & debentibus, prætextu schedulæ, quitantiæ seu liberationis per ipsum de eo quod sibi solutum fuerit, factæ, petere vel exigere audeāt seu præsumant: sed quod de competenti salario eis per cameram dicti domini Felicis Papæ assignando, contenti remanere debeant, decernit, vult & ordinat: quodque collectores & subcollectores ipsi sic in exigendo denarium huiusmodi modum obseruent, quod personæ de indebito grauamine non immerito querulari cogantur, ac propterea calices, libri, iocalia & alia ornamenta ecclesiastica nullatenus impignorentur, distrahantur, vel alienentur. Vult tamen & decernit eadem sancta Synodus, ne personas sententijs prædictis pro tempore illaqueatas, vltra modum in absolutione obtinenda, ad curiam veniendo, grauari contingat, quod præfatus dominus Felix Papa V. collectoribus & subcollectoribus ipsis vel aliis (prout opus & expediens videbitur) personas sic ligatas, à censuris huiusmodi absoluendi, & interdicta relaxandi & tollendi, plenam & liberam concedat facultatem; Teneanturque ipsi collectores & subcollectores; solutione dicti denarii facta, capitula, conuentus & collegia, ac personas prædictas à sententiis & censuris prædictis gratis & sine aliqua difficultate absoluere, interdictumque forsan positum similiter tollere & relaxare. Pro cuius quidem absolutionis, sublationis & relaxationis literis etiam sigillatis, si prædicti eas habere voluerint, etiam si per notarium fuerint subscriptæ, ad soluendum vltra sextam partem vnius floreni de camera, nullatenus constringi valeant vel compelli. Eos autem qui contrafecerint, excommunicationis sententiam incurrere voluit ipso facto. Quodque post decennium à dicta die computandum, assignatio prouisionis huiusmodi cessat penitus & expiret, capitulaque, conuentus, collegia & personæ prædictæ ad solutionem denarii huiusmodi ratione dignitatum & aliorum beneficiorum prædictorum, extunc in antea vacaturorum, de cætero nullatenus teneantur. Decernit quoque omnes & singulos processus, pœnas, sententias & censuras, quos & quas contra capitula, conuentus, collegia & personas huiusmodi ob non solutionem ratione beneficiorum post decennium vacaturorum huiusmodi, per quemcunque, etiam si Papali dignitate præfulgeat, quauis authoritate fieri, ferri & promulgari contigerit, irritos & irritas, ac irritum & inane, quicquid in contrarium scienter vel ignoranter fuerit attentatum.

Datum Basileæ in sessione nostra publica, in maiori ecclesia Basileensi solenniter celebrata pridie 9. Augusti, Anno à Natiuitate Domini 1440.

LXXXIX. *Iniqua Basileensium sancito de obedientia Concilii Generali. à Pontificib. exhibenda.*

Hæc in acta huius anni retulerunt Basileenses. Præter ea, ad sextum Idus Nouembris eiusdem anni in conuenticulo generali, ediderunt sanctionem de obedientia Concilij Generalibus, à quocumque, etiam Summo Pontifice exhibenda, & de vitandis iis, qui forent inobedientes decretis Conciliorum Generalium: non sine nausea, atque cum maximo scandalo regentes, reponentesque argumenta ab hæresiarchis Marsilio Paduano, & Guilhelmo Ochamo petita: cum tamen omnia Concilia Generalia, Romani Pontificis authoritatem super se & super vniuersalem Ecclesiam perpetuo agnouerint, & ab eo tam quam superiore suo confirmationem petierint: neque tam scabiose, de Pontifice Romano, vt Basileenses, qui Vicarium Christi contemptim vocant vnum hominem, aut locuti fuerint, aut scripserint: quippe quem Principem Pastorum, Maximum Patremfamilias, & Confirmatorem Fratrum, agaouissent, atque summa demissione virgam virtutis illius adorassent. Habuit Eugenius Pontifex eam virturem virgæ pastoralis, contra inimicos Pontificiæ authoritatis, Felicem antipapam, & Basileenses schismaticos exerere, anathemate illum & istos percutere; dignitatibus, & officiis, & beneficiis omnes eos priuare, ingressu Ecclesiarum arcere & sepulturæ honore indignos pronunciare; & in summa, cum Chore, Dathan, Abiron, Nadab, Abiu, & reliquis schismaticis illos depurare; promulgatis Florentiæ edictis, & vbique terrarum ad promulgandum destinatis. *Sanctus Antoninus tertia part. titul. vigesimo secundo, capite decimo §. quarto.*

XC. *Eug. legatii ad Principes Germaniæ mittit vt in obsequio Sed. Apost. eos contineat.*

Eius rei gratia, in Germaniam, vbi præcipue malum serpebat, Antonium Vrbinatem Episcopum destinauit, qui inprimis Principes Electores, ad eligendum Romanorum Regem congregatos, necnon vniuersum Clerum ac populum Germaniæ, in obsequio Sedis Apostolicæ contineret; & quæ Basileensium Oratores ibidem conabantur, conuelleret, schismaque erumpens in ipso initio præuerteret. Quid porro vtriusque Electores respondederint, placet ex eorum protestatione edita cognoscere.

Protestatio Principum Electorum Romani Imperii, tempore schismatis, de Neutralitate, vacante Romano Imperio per mortem Alberti Cæsaris.

XCI. *Responsum Principum Electorū.*

Nos &c. Sacri Romani Imperii Principes electores, attendentes ad ea, quæ pridie per Reuerendum Patrem, Dominum Antonium Episcopum Vrbinensem, pro parte Sanctissimi Domini nostri Eugenii Papæ Quarti primum, ac ad ea quæ deinde per Reuerendissimos Dominos, Patriarcham Aquilegiensem, Archiepiscopum Panormitanum, & Episcopum Varmiensem, nomine Sacri Basileensis Concilii proposita fuerunt, quæ vtique in aduersos, sibique contrarios effectu tendere noscuntur; cum ex his, quæ pro parte Sanctissimi Domini nostri Papæ proposita fuerunt, clare liqueat, eundem Dominum nostrum, prætatum Sacrum Concilium Basileense minime pro legitimo sacroque Concilio tenere, nec vllam sibi authoritatem deferre; rursus ex aduerso liquide constet, ipsum Sacrum Basileense Concilium nullum administrationis Papatus exercitium eidem Domino nostro Papæ attribuere. Pensantes insuper, quod in Diœcesibus & territoriis nostris, quamplurima edicta, processus, & mandata pœnalia, tum à prætato Domino nostro, tum à Sacro Concilio manantia quotidie publicantur, quæ similiter ex præmissis causis vicissim repugnare videntur; Quibus dissidiis syncero corde condolentes, non immerito verentur, nisi firmissimæ fraternaque constantia nostra soldaretur integritas, ipsius dissidii scintilla flammas discordiæ vsque ad apicem columnasque Sacri Imperii protendat, sic virtusque gladii potestate concisa atque confracta, alter alteri minime subuenire posset; electio quoque Romani Principis, per nos de præsenti celebranda, sub prætextu cuiuscunque censuræ annullari queat. Ideoque huiusmodi periculis, quærentes, quantum valemus occurrere, ac vnionem & Zelum fraterni amoris, inter nos tenacius conseruare, ante omnia protestamur, quod per ea quæ nunc dicimus, ac per alium quemcumque actum quem facturi sumus, ab obedientia, & reuerentia Sanctæ sedis Apostolicæ, Sanctæque Matris Ecclesiæ nullo vnquam tempore discedere volumus, nec in aliquo vacillare: quinimo, prout debito Christianæ Religionis, cuius professores sumus, & Sacramenti vinculo tenemur, ipsam Sedem Apostolicam, Sanctamque vniuersalem Ecclesiam Matrem nostram, syncera mente veneramur, & illi integraliter obedire volumus. Quia vero inter prædictum Sanctissimum Dominum Nostrum, ac Sacrum Basileense Concilium (quod dolenter sustinemus) expresse vigent discordiæ, ad

uersa quoque quotidie processus & mandata procedunt ab eisdem, quamentes nostras adeo perplexas reddiderunt, vt pro debito fragilitatis humanæ, de illorum viribus habeamus merito dubitare. Sed quia pro electione Romani Principis in præsentiarum congregati sumus, cui dum adhæremus, iuxta traditam à Dino Carolo Quarto Romano Imperatore nobis normam, nulla debeamus externa cogitatibus perturbari, sed eidem electioni quietu mentibus intendere: Ideoque edicimus, & protestamur, ac bona fide promittimus, quod in præmissa discordia, inter Sanctissimum Dominum Nostrum, & sacrum Basileense Concilium, nullam partem aduersus alteram de præsenti quomodolibet fouere proponimus, quinimo, si quæ Mandata, processus, vel edicta, tam abipso Sanctissimo Domino nostro, quam à Sacro Basilensi Concilio ad nos aut subditos nostros emanare contigerit, quæscumque pœnas continentes; nos propter dubium probabile, & ad præsens indiscussibile, animos nostros suspensos retinebimus, ne vlli parti aduersus alteram fauere videamur. Et in sola ordinaria iurisdictione, citra præiudicium tam Papæ, quam Concilii supremam potestatem, Ecclesiasticæ politiæ gubernacula, per diœceses & territoria nostra sustentabimus, donec Romanum Principem iuxta commissum nobis ministerium elegerimus, hoque vna secum de viis & mediis aptioribus pertractemus, quibus supradicta discordia inter præfatum Sanctissimum Dominum Nostrum Papam, & Sacrum Concilium Basilense tollatur de medio, & pacis, & tranquillitatis, & vnionis aura respiret. Quod si intra menses proxime futuros nequeat procurari, (quod Deus auertat) nos hoc iterum & extunc coniuncti, cum ipso Principe nostro, ac Pontificibus & Prælatis, ac diuini & humani iuris peritis, Deo propitio consulemus, & quod ratio dictauerit, cui parti fauendum & obtemperandum sit, id ipsum omnes vnanimi consensu, & syncero corde, cum omnibus Pontificibus & Prælatis, & reliquis Principibus, Comitibus, Baronibus, Satrapis, & Optimatibus Sacri Romani Imperii constantius amplectemur. Hanc quoque nostram professionem, protestationem, & certificationem inuicem bona fide, loco præstiti iuramenti, promittimus obseruare, ac illi tenaciter inhærere, ac eam ad omnium eiusdem Imperii Pontificum, Prælatorum & Procerum notitiam perduxere. Ni si (quod Deus auerta) in Ecclesia Dei schisma inualescat, ipsum Romanum Imperium eius occasione scindatur, vel in se diuidatur. Super quibus omnibus & singulis, à vobis Dominis Notariis publicis petimus instrumentum confici, seu instrumenta, vnum vel plura, quotquot fuerint necessaria & opportuna, cum aliis protestationibus & clausulis apponi solitis, necessariis, & consuetis. Actum Francofordiæ Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo, die vigesimo primo mensis Martii. exr. apud Cochlæum lib. 9. hist. Hussitar.

XCII. *Basilensium arrogantia.*

Hæc Principes Electores, vanum timorem timentes, de neutralitate, quoad vsque Romanorum Regem elegissent, sanciebant: quibus illud Propheticum merito poterat ob ici; Si Dominus Deus est, in Vicario suo Romano Pontifice Eugenio Quarto sequimini eum: S. Baal, in Basileensi Conciliabulo, ex veteratoribus collecto, Ecclesiam Dei scindere, verumque ac indubitatum Petri Successorem deprimere conatur, totis conatibus impugnare præmaricatorum cœtum. Sane nemo sapiens probauerit, Basileensis Synodi arrogantiam, qua sibi tot annis contra sedis Apostolicæ (cuius auctoritate congregata erat) potestatem supremam à Christo supremo Capite, Principe Apostolorum Petro eiusque Successoribus collatam omnem iurisdictionem arrogauit, etiam in ipsum Papam, qui legitime electus, de nulla hæresi suspectus, aut diffamatus fuerat. In omnibus enim actis, decretis, & tractatibus, supra commemoratis quos vel cum Bohemis, vel cum Græcis, vel aliis habuerunt Basileenses, ne semel quidem mentionem fecerunt Eugenii Papæ, quasi nulla prorsus illi inesset authoritas, sed omnis potestas à Sede Apostolica mox in ipsos translata fuisset. Sane nulla ex prioribus Oecumenica Synodus, atque ista Basileensis, tanto contemptui habuit Sedem Apostolicam & Pontificem legitime electum, assumptum, & ab omnibus populis Christianis pro legitimo Petri successore agnitum, vt eo inconsulto, & contemptim præterito, concederet hæreticis compactata, daret indulgentias populis, plenum in omnibus negotiis Ecclesiasticis authoritatem vsurparet, vel Legatis concederet. Quintas aut decimas omnibus Ecclesiasticis imponeret; articulos Fidei conderet; in Pontificem solius Christi iudicio reseruatum, iudicium instituerent & præiudicato animo, in innocentissimum, integerrimum, à Sigismundo Imperatore, & ab illis ipsis nuper laudatum, in non conuictum, non defensum, non reum sententiam ferret: ac quod extremum audaciæ execrandæ est, Antipontifice illi subrogato, Ecclesiam Dei scinderet, nomenque Christianum opprobrio gentibus, animas vero Christi sanguine redemptas lupis rapacibus exponeret; merito vt Principes illi qui neutrales videri voluerunt, à facinore schismatis excusari, apud amatores Ecclesiasticæ vnitatis, & Romani Pontificis cultores, non potuerint.

XCIII. *Euidentia Austr. Duc. in Rom. Regem electus.*

Non multum temporis, ab illa protestatione Principum interfuit, ad electionem Romanorum Regis. Eodem enim mense, tertio Kalendas Aprilis Fridericus, Ernesti Austriæ Ducis filius, Austriæ, Styriæ, Carinthiæ Dux, & Comes Tirolis, princeps Catholicus & pius, ætate florida, quam sapientia grauitas, & vitæ integritas comitabatur, iuuenis adhuc, maximi animi, electus est in Regem Romanorum. Omnes boni Principis virtutes videntur in hunc à Deo collatæ fuisse. Erat enim statim à primis annis sobrius omnino, quod rarum consuevit esse in istius loci hominum genere; cupidusque erat multa cognoscendi, propterea peragrauit adolescens summo iudicio præditus longissimas terras, vt instituta, moresque hominum videret. Iuit etiam pietatis ergo, priusquam imperaret, Hierosolymam, magnaque cum gloria redit. Humanitate etiam & benignitate erga suos & omnes mortales fuit insigni, qua sibi viam ad imperium aperuit. Electus Aquisgranum descendit, ibique præsentibus quamplurimis Principibus, diadema Regni Germaniæ suscepit. Hic Felix Antipapa, filiam forma & moribus præstantem in matrimonium obtulit, simulque dotis nomine auri minimum ducenta millia, si Eugenio relicto, se Petri successorem appellaret. Horum Cæsar; minimeque sacramento suo Ecclesiæ Sacramenta fœdare voluit, atque ad suos conuersus, *Vendere*, inquit, *alii Pontificalia solent, huc libenter emat, si peperiat venditorem.* Cæterum, quod multi Principum Electorum, non satis Eugenio æqui, multa contra Pontificem iactarent, necnon Concilii Generalis auctoritatem magnifacerent; non ita facile Fridericus Eugenio adhæsit, sed in neutralitate aliquanto tempore permansit; donec postea Basileenses inuitauerit ad Concilium verum & indubitatum celebrandum, vbi neque Felix antipapa præsideret, neque Eugenius iurisdictionem exerceret. Ad extremum neutralitate relicta, contemptoque Felice, ad Romanum Pontificem transiuit; quod suo loco infectius narrabimus. *Sylvius de Felice Mutius libro vigesimo octauo Chronicorum Germanicorum. Naucclerus generat. 28. Cuspinianus in Friderico Tertio Imperatore.*

Filiam Antipapæ in matrimonio ducere recusat.

Neutralitatem relictam Eugenio adhæret.

Alfonsus Aragonum Rex, ex Regni Neapolitani, cui conquirendo insistebat, statu, omnia sua consilia meliebatur: vt à quo ius beneficiarium eius Regni obtinuisset, eius Pontificium agnoscerer. Ego neque Eugenium omnino respuebat, neque Felicem antipapam damnabat, sed ab vtrius pollicitationibus quæ distinebat. Et quidem Reginæ vxori, & Ioanni Isarefio scri-

XCIV. *Alphonsi Arag. & arrogans Regnicolarum politica.*

fio scripsit, ne qua Basileensium rescripta, aut decreta, in Regno Aragonum admitterent; quinimo, si qui adhuc Prælatorum aut Doctorum Basileæ remansissent, qui ad Regna Aragoniæ, Valentiæ, Taraconæ, Cathaloniæ, Siciliæ, & Sardiniæ pertinerent, vt eos Basilea reuocarent: ad Felicem autem antipapam, qui eum ad suam partem per litteras trahebat, Archiepiscopum Panormitanum ire iussit, vt non alia ratione obedientiam illi nomine Regio exhiberet, quam si is adoptionem à Ioanna Regina olim de se factam, probaret, titulumque successionis in Regnum Neapolitanum, non tantum confirmaret, verum etiam de nouo concederet; sic non tantum ipsi, sed etiam successoribus suis, ius ad Regnum, perpetuum esse iuberet: tum demum sciret, se in obsequio illius cum omnibus suis Regnis futurum; quem non modo pro vero Pontifice agnoscere, verum etiã totis viribus Romanam vrbem, & omnia sedis Apostolicæ tẽporalia bona pro ipso cõquirere, ipsumq; siue maritimo, siue terrestri itinere ad Pontificiũ solium occupandũ ire destinaret, omnib. copiis deducere, defendere, inq; D. Petri cathedra collocare veller. Maritimum iter, illi præferebat: vtque apud Nicæam Ducatus Sabaudiæ vrbem, submittendam classem conscenderet, ac in Regnum Neapolitanum primo excensionem faceret, & vel apud Terracinam, vel alicubi tantisper, donec vniuersi Regni possessionem acquisiuisset, pedem figeret, suadebat Felici Ponormitanus: facilius posse illum, terrestribus postmodum ex Regno Neapolitano copiis auctum, Romam petere, & quæ forent Patrimonii Apostolici, iuris sui facere. Postulabat præterea Felicem, centum millia nummum aureorum, quæ in militum, qui vel conducendo illi, vel Regno conquirendo mererentur, stipendia numerarer.

Alph. in bellum exardet.

Inter hæc autem, eodem fere momento, & cum Eugenio, & cum Basileensibus per internuncios tractabat, vt illos in suam sententiam pertraheret: cum non potuisset permouere Eugenium, tanto vehementius in bellum exarsit contra Renatum Regni competitorem, quanto certiorem spem ei iniecerat Antipapa Regni Neapolitani. Ergo instaurato exercitu, Aceram inprimis, deinde Auersam hoc anno, de Renato cœpit; Antonium Caudolam, in quo totam spem Renatus habuerat, in partes suas seduxit; resque Renati in quiore loco fecit. Puteolos inde, & Turrim quam Octaui vocant, copiis admotis, Neapolim maiorem in modum affl xit. *Surita libro 15. annal. capit. 1. Facius lib. 7.*

Philippum præterea Ducem Mediolani, varia hominem fide, qui Venetis ac Florentinis Eugenii fociis bellum moueret, facile excitauit; atque is Picininum, eximium ea tempestate copiarum Ducem, primum in Venetos, deinde, cum ibi res parum feliciter cessisset, in Florentinos misit: vbi etiam apud Angleriam oppidum infausto pede signa contulit. Victus enim ibidem, à Francisco Sfortia, Romanæ Ecclesiæ vexillifero nihil postea dignum laude aliquid gessit, Ferunt eum post cladem apud Angleriam acceptam, sæpe solitum dicere, intulisse sibi terrorem, omnemque victoriæ spem ademisse vexilla Ecclesiæ Romanæ, in quibus Beati Petri, cuius tunc festiuitas aderat, claues inspexisset. Vlciscitur enim Deus suas iniurias, nec perlonga est malorum hominum felicitas. *Commentar. Pii 2. lib. 2. Mss. de rebus Francisci Sfortiæ, ex Bibliotheca Sfortiana.*

Ioannes Card. Vitellesc. rem Eccl. prodit.

Actum proculdubio paulo ante id temporis fuisset de Philippi in Etruria copiis, nisi Ioannes Cardinalis Vitellescus, omnium mortalium ingratissimus, qui tum exercitui Ecclesiastico Legatus præerat, cum Philippo coniuratione facta rem Ecclesiæ prodidisset. Eo conniuente, Picininus, Perusia, quæ illi patria erat, Archiepiscopum Neapolitanum Pontificis Legatum exturbauerat, Magistratus arbitratu suo creauerat, populatusque Tifernatium agros ad Burgenses, deinde Angleriam duxerat. Ipse præterea, in his belli turbinibus, non vt amicus, vt præseferebat, sed hostis in Etruriam, cum IV. millibus equitum, duobus petitum properabat: proculdubio aliquid mali Eugenio facturus, nisi Pontifex ipse anteuertisset. *Platina in Eugenio IV.*

XCV. *Quis & qualis Ioannes præfatus.*

Is est Ioannes, patria, prout supra ostendimus, Cornetanus, de gente Vitellensi eius oppidi primaria, quem Eugenius Pontifex ex Notario Apostolico factum Recanatensem Episcopum bellis præfecerat, quæ contra Iacobum Vicanum gente Castellum, vrbis præfectum, & Antonium Columnam Principem Salernitanum gesserat. Is est qui in Picenum gubernator missus, eam prouinciam superbe & auare administratam, Francisco Sfortiæ potius tradidisse dici poterat, quam illius violentia amisisse. Is est qui Patriarcha Alexandrinus ad Regni Neapolitani recuperationem instaurationemque profectus, & prouinciam afflixerat, & ad extremum, postquam capto Raymundo Visino Principe Tarentino (cuius gentis ea erat in Regno Neapolitano amplitudo, vt septem Metropolitanas, triginta & amplius Episcopales sedes in suo dominio numeraret) Cardinalis declaratus, relicto apud Vigilias Apuliæ oppidum exercitu, cum paucis fugiens, Venetiasque nauigans, Regni eius possessionem, quam Eugenius iure optime quæsiuit, sedi Apostolicæ amiserat.

Quanta apud Eug. gratia & auctoritate polleret.

Is est quem Eugenius Pontifex tam perdite adamauerat, vt licet, quibus ornabatur diligentiæ, & rerum præsto ac prudenter, cum in animum induxisset, bene gerendarum virtutibus, ingentia præualeret vitia, neminem vnquam qui ea aperiret exaudire voluerit; quippe qui, quod deferentibus respondebat, inuidia potius, & malenolorum artibus illa impingi, quam certo dici iudicio opinaretur. Oderat eum Curia prope omnis, cum amplitudinis æmulatione, tum quia ambire Pontificatum, & per fas nefasque illum existimauerint quæsiturum.

Exaltatus itaque Cardinalis, supra communem Romanæ Ecclesiæ huius temporis potentatum, qui validiores Patrimonii arces, Suriani, Castrinoui, Ciuitatis vetustæ & Hostiæ teneret, & florentissimas equitum quatuo. Millium, pedi tum duorum Millium copias haberet, magnam verbis, sed re ipsa tenuissimam Pontifici obedientiam exhibebat: & tanta debacchabatur elatione vt sibi persuaderet, Pontifice Eugenio superstite moderari posse, acad autum totam disponere Italiam, cuius se Dominum postea in Pontificem suffectum, existimauerit futurum.

Istius tantæ phrænesis hanc fuisse hominis inductionem constat. Primum ersi Venetos ardentissime oderat, quos noluisset contendisse aliquando cum Pontifice, ne illum apud se haberet, sedum extolleret, sua indignissimum amicitia; Florentinisque qui crescentem eum apud Pontificem fouerant, ideo inimicaretur, quod iniuriam viginti Millium aureorum, & pulsi patria Trinci Fulginatis minus patienter tulissent; eas tamen Respublicas vehementiori prosequebatur odio, quod Sfortiam militiæ auctor assent, auxissentque, cum quo ob Picinini iniuriam capitales inimicitias exerceret. Hinc que, licet sciret Pontificem, post Bononiæ & Romandiolæ acceptam à Picinino iniuriam, illum discere inimicissimum, sibi consentire, & contra Respublic. Sfortiam que coniurasse est insimulatus. Quod autem certum fuit, clandestina cum Picinino, Pon-

tifi-

ufice ignaro, per internuncios habuit colloquia, id quidem ostenderunt intercepræ à Magistratu Florentino, apud Polcianum oppidum missæ alternatim litteræ, quibusdam scribendi latebris tanta arte obtectæ, vt earum innocua sensuum nullus potuerit eruditus odore. Et istud certum. Amissa Verona Piccininus, in Etruriam duxerat, vt Sfortia Picenti, Florentinorumque vastitari agrorum timens, cœptam, & quam indies maiorem pararet in Brixianos expeditionem intermittens, eis Padum reuerteretur. Hæc res, cum Pontificem rebus Ecclesiæ, ac Florentinos sibi ab extorribus patriæ timentes, tenuisset aliquantum perplexos, tandem prodiit in lucem quod leuibus pridem adducti coniecturis fuerant suspicati, eam Ducis Mediolani & Piccinini spem atque audaciam, Cornetanum Cardinalem alere atque incendere; maioraque quam par erat moliri. Factum, vt vnde se posse amplius crescere existimaret, inde in præceps corruerit, fatalemque sibi mortem accelerarit. Ad hunc modum cæsus, interiit.

Quomodo cæsus obierit.

Cum apud Vrbem Romam legionem in hybernis continuisset, superbum quod sibi in Cornelo à fundamentis ædificauerat Palatium inuisurus, per Kalendas Aprilis (*vt narrat Blondus*) seu Iulii, (*vt habent Manuscript. de rebus Sfortiæ*) Præfectum Adriani molis Romanæ Arcis, admonuit, se, cui sit in animo ad Etruriæ partes ea ratione exercitum ducere, vt rebus Ecclesiæ subueniat, quas Piccininum audiuerit impetiisse, per eam pontis Adriani viam mane profecturum: proinde obuius exiret, sibi quæ in rem suam forent necessaria aperiturus. Præfectus arcis, cui Patauino Ciui Antonio Rido erat nomen, quod cum amicissimo Aquilegiensi Patriarcha pridem constituisset, aduenienti solus inermisque in pontis radicibus obuiauit, & post accuratissime datam acceptamque salutem, multa illum, in equo stantem, de futuris munimentis arcis, deque commeatuum apparatu allocutus, pari lente gradientis caballi passu comitabatur, & ceu caueret ne dicentem exaudirent qui præcedebant sequebanturque comites, propius accedens equi habenas molliter attrectabat. Sermone ad extremam pontis pilam producto, cum in læuam Cardinalis flectere pararet, porta exiturus ænea, quæ in Vaticani suburbis ducit, illico demissa decidit, & portam clausit, quam ea de causa in superioribus latenter præfectus suspenderat catharacta; quo in momento catena medium complexa pontem, quam fulcino in id solum euuato, ne à præstereuntibus cerneretur, puluere cooperuerant, sese cubitis quatuor elenauit, pendentibus sub fornice ponderibus, quæ arcis custodes ruere attracto funiculo permiserunt, quo in infima ferebantur impetu, eodem illum sublimem extensamque agentibus. Tunc que; capitus es, inquiens Præfectus, habenam tenacius traxit. Infremuit illico Cardinalis, & stricto quem ad latus gestabat acinace, caballoque stimulis concitato, sese illius manibus propipere contendebat; cum subito emicarunt qui armati delituerant in insidiis, & ferreo vnco comis impositio; primus cervicem, alter elenatum in ictum cum acinace brachium, reliqui latera torum que carpentes diuersum, prout diuersi incompositique irruerant, agitabant: trahentem tamen præfectum equus est secutus, & Cardinalis cervicem secundum autem, dextrumque genu fuctus, intra prominalium septa, vbi Imperatoris Adriani tumulos lutens subtralibus marmore excisis habentes cernuntur parietes, perductus est. Tumulum vero, qui à præcedente cohorte, quid ageretur intelligente concitari cœperat, Præfectus, rem Pontificis iussu factam ostensis decretis ex arce arcessans sedauit; & paulo post alligatum vulnera strato iacentem ornatissimo Cardinalem, vt solaretur, bono esse animo iussit, futurum dicens, vt liberatus, non certe armata, sed quietiorem posthac apud Pontificem duceret vitam. Cui ille, verbis, vt cernentibus apparuit, imo pectore eductis, rauca pressaque voce respondit; consuesse, quorum magnitudo à violentia non abhorreat, cùm capti fuerint, non dimitti. Quod erat, prædixit; & paulo post scilicet 20. die partim ingenti animi dolore, partim ex acceptis vulneribus, vel secretiori alia quacumque de causa, in aureo toro compositus è duplici huius thortalitatis carcere euolauit. Cadauer, ad Minerue conditum est.

Andræassus Castellus, eius collega, qui præter summam generis nobilitatem, nec Vitellesco, nec cuiuis præcipuo militum duci huius temporis, rei militaris peritia, cæterisque animi dotibus, quæ in in maximo equite desiderari possunt, minime impar erat; quique vna cum Vitellesco Romanæ ditioni propagandæ interitus, Iacobum Castellum Vicanum Vrbis Præfectum, pluribus circa Forum Cassi oppidis imperantem, ac vna cum eo Conradum Trincium, Fulginatensem tyrannum, in arce Suriana securi subiecerat; de Malatestanis, Pisaurum ac Senogallam recuperauerat; Antonium Pisanum, Ecclesiastici exercitus desertorem, vt honestius splendidiusque penderet, ad oleæ altiorem ramum suspendio damnauerat, tyrannos qui Romanam ditionem vexabant; ad vnum omnes sustulerat; amplissimos totius Latii campos, Pontificis imperio ac potestati subiecerat; Plura Æmiliæ loca, à Guido Antonio Manfredo Domino Fauentiæ, Nicolao Piccinino, & Brandolino occupata, pro sede Apostolica receperat; Isabellam Renati vxorem, nec non ipsum Renatum, contra Alfonsum Arragonum Regem, missus ab Eugenio Pontifice, non semel profligatis hostibus, admouerat; electisque ex nonnullis prouinciis, Aragonensium Regis partiariis, ac Raymundo Vrsino Principe Tarentino in prælio interepto, victoria um Vitellesci omnium particeps fuerat: is inquam laborum Vitellesci socius, volebat captum illum, è manibus Præfecti eripere. Nam equo incitato, incuruoque quo militari more cinctus fuit gladio, in Antonium Ridum irruerat; proculque dubio obruisset, nisi falcato hastili vnco retractus, in que fugam compulsus fuisset. Tanti fuit equi incitati agilitas, cui Andreassus insidebat, vt catenam quatuor cubitos elatam, quæ pontem Medium secans claudebat, supergressus, Romam profiliit; ac paulo post in ipsa fuga comprehensus, ob honestæ defensionis titulum, à Compatre arcis Præfecto, militari veste pretiosis gemmis intertexta donatus fuerit.

Andreassus Castellus Vitellesci socius eius laudes.

Agilitas Andreassi.

Sublato hunc in modum Vitellesco, Eugenius Pontifex in eius locum destinauit, Ludouicum Patauinum Patriarcham Aquilegiensem, Legatum, qui summa rei Romæ, & curatis in vrbe necessariis, copiis quas Vitellescus duceret, præesset. Tulit, post profligatum Piccininum, Ludouicus, nauatæ operæ præmium, dignitatem scilicet Cardinalitiam; qua Eugenius Pontifex virum & ornare, & ad maiora conanda excitare voluit. Et sane is ducto in Flaminiam exercitu, nonnulla non ignobilia oppida, de hostibus Romanæ Ecclesiæ cepit; quo etiam tempore Pontifex, Antonium Caudolam, & suæ sectæ doctores, cum neque Renato militare, neque Alfonsum sequi vellent, ad stipendia Ecclesiæ accepit eo consilio, vt ipsorum armis fretus optatam, & diuturno quæsitam pacem; salamitosi Regni Neapolitani populis daret. Id munus, quum celebris famæ Cardinali Tarentino Apostolicæ Sedis Legato iniunxisset, ne ciuitas Neapolitana interim deficeret, & in præclara ciuitate multi quibus nulla, e-

Ludouicus Patau. Patr. Aquilegiæ in locum Vitell. suffectus.

Eug. de Ciuit. Neap. sollicitudo ac libertas.

migran-

migrandi adesset facultas, fame interea cruciati perirent, magnam frumenti vim ex Etrusco Ecclesiæ patrimonio, apud Cornetum, tribus impositam Genuensium nauibus immisi, cuius partem egenis donari, partem ditioribus modico venundari precio curauit.

Omnes exercitus ob ingentes pluuias in hybernæ concedere coguntur.

Secutus est autumnus, qui adeo ingentes ac pene perpetuas habuit pluuias, vt exercitus omnes, contra ac multis insuenerant annis, ad prima bramæ tempora in hyberna concesserint. Primus tamen omnium Ecclesiasticus ex Romandiola, re omnino infecta, in Etruriam, & inde ad vrbis Romæ partes reductus est. Secundus Rex Alfonsus, suum per circumstantia Neapolim oppida dimisit, Picinini copiæ & Mantuani, partim apud Parmenses, partim Mantuæ, prout fuerant, permansere. Sphortia postquam Valegio multis ante diebus recepto, ignobiliora quæ tertio aut quarto distant à Mantua milliario ceperat, copias omnes in capta de Cremonensibus, Laudensibus, Mantuanisque, & recepta de Brixianis oppida distribuit, sola cohorte prætoriana Veronæ apud se, & in Veronensibus retenta. *Blondus dec. 3. libro XI. Manuscript. de rebus Francisci Sfortiæ. Stephanus Infessura in diario Romano. Iulius Hortinus in Vitellesco & Andreasso Castello.*

XCVI. *De eodem Vitellesco historia ex Iouio.*

Paulus Iouius, Ioanni Vitellio, Cornetano Patriarchæ & Cardinali istud quod adiungo elogium scripsit dignum quod legatur, ad multam rerum, præsertim Ecclesiæ Romanæ notitiam.

Magnum, & memorabile insolentis fortunæ exemplum, inusitato sacratis viris exitu, præbuit Ioannes Vitellius, Corneti, in ora Tuscorum nobili genere natus. Is ab adolescentia mediocribus institutus litteris, sed eis ab excellenti memoria, expeditaque facundia in omnem causam seriis sermonis adeo promptis, vt magnæ doctrinæ specimen præberet; vir factus, cum hac ingenii indole contulit se ad finitimum Tuscanellensium tyrannum, cui ob hæsitantiam linguæ, Tartaliæ cognomentum fuit. Hicea tempestate inter clatos Duces, validas equitum copias ductabat, vtebaturque Vitellio in præscribendis epistolis, obeundisque apud diuersos principes & duces legationibus. Quibus in rebus suam adeo efficacis industriæ exactique iudicii operam probauit, vt secretioribus negotiis tamquam consilio optimus adhiberetur. In eo quippe vis ingenii mirifica eminebat, & natura erat aduersus laborem & somnum indomitus, periculorum despector, imperii & militaris laudis auidus. Itaque atma sæpe induere, & bellicis discriminibus audacte miscerì, sæpeque inter milites, fretus quibusdam iuris ciuilis flosculis controuersias minuere, magnoque vsui in asperis rebus Tartaliæ esse. Sed postquam Martini Summi Pontificis iussu, iudicioque Sfortiæ, Tartalia commutati studii accusatus, tamquam ad Braccium aduersarum partium Ducem transiturus, Auersano in foro detruncata ceruice conceptæ perfidiæ pœnas dedit; Vitellius Romam se contulit, breuique vir solers, & aulæ moribus idoneus Martino innotuit, à quo Protonotarius est factus.

Creato autem Eugenio, Vitellii studium, vti erat vehemens, expeditum, & comprobante fortuna rerum euentibus felix, in Senatu adeo mitis laudibus extollebatur, vt in vno Reipublicæ salus & dignitas niti videretur. Itaque quum fortem fidelemque operam difficillimis Ecclesiæ temporibus nauaret, tanto Pontificis studio singulos Honorum gradus adeptus est, vt Legati quoque potestate copiis Pontificiis præfectus sit. Ab hac enim secunda rerum gestarum fama, eum Pontifex maturaca liberalitate, è Protonotario Recanetensem Episcopum, nec multo post Patriarcham Alexandrinum, & mox Florentinum Archiepiscopum, demumque ad nuntium exoptatæ victoriæ Cardinalem creauit. Tanta itaque Vitellius Pontificis gratia insignis & potens, inimicos & inuidos, gloriæ suæ obtrectantes facile contemnebant.

Erant enim magna quæ ad insigne Ecclesiæ cõmodum gesserat, quum tyrannos Pontificii Imperii ditionem impudentissime lacerantes, ad vnum prope omnes deleuisset. Nec si quid paulo acerbius & violentius gerendo bello patrasset, quod sacrato viro indignum foret, villas earum rerum querelas, tamquam ab inuidis maligne delatas, ad aures Pontifex admittebat; quum responderet, hunc esse morem factiosorum improborumque hominum, vt seueritatis atque iustitiæ nomen odio haberent, publicasque iniurias extrema pœna minime vindicandas arbitrarentur.

Principem quidem Salernitanum Martini Pontificis fratris filium, cæteroqui Columniæ familiæ proceres, qui armati antea in vrbem occupata Capena porta irruperant persecutus armis, omnibus auitis paternisque oppidis cuncta populatus exuerat: Iacobumque item Vicanum, Vrbis Præfectum, multis circa Vetrallam oppidis imperantem, redactum in potestatem, & cum eo Trincium Fulginatium tyrannum in arce Suriana securi percussserat. Antoniumque deinde Pisanum, ab Etruriæ oppido Pontaderam appellatum, virum militia clarum, & multis litterarum ornamentis insignem, quod Priuernum in Volscis occupauisset, tumultuario prælio fusum captumque, indigno miserabilique supplicio ad oleam suspenderat. Qua necis atrocitate, vel ob id maguam inuidiam subiit, quod Antonio id mortis genus tamquam honestissimo viro, & diu cum laude militiæ versato indignum, deprehensisque tantum latronibus meritum supplicii deprecanti non modo nõ indulserit, verum crudeli vsus ironia in carnificem versus dixerit; *Lege ergo age, & aqua postulante, viro forti præclaroque gemmum innecte laqueum, altiaremque ramum delige, vt honestius ac splendidius pendeat*: atque ita miserabiliter duplici capistro, vir alioqui tam fœdo supplicio indignus, in arbore strangulatus pependit. Eandem etiam Etrusco bello supplicii sortem tulerat Armalerius Asculanus, egregii nominis Centurio, quum ad hostes ex leui coniectura transiturus putaretur. Romæ autem acerbe conquisitis & raptis ad supplicium, qui excitato tumultu Pontificem in fugam per Tyberim coniecissent, Lateranensisque templi sacraria direptis quibusdam donariis impie violassent, carnificinam in campo Floræ exercuerat, horrentibus trementibusque Romanis eius vultu aspectum, properataque & nimis sæua iudicia, quæ vel summæ dignitatis deprecatores omni misericordia atq; humanitate semper vacua reperissent.

Verum non multo post Vitellius opinione gratiaque Pontificis decidit, quum aduersus Alfonsum Regem missus, pro Renato Andegauense ad Neapolim eo euentu bellum gessisset, vt post profligatum captumque Vrsinum, principem Tarentinum, & mox dimissum, parta victoria vti noluisse, parum fideli aut importuna cunctatione crederetur; sicuti antea Picenum agrum occupanti Francisco Sfortiæ, nec tum viribus, aut incolarum studiis præualido, repente petita mari fuga; simulacoq; salutis suæ periculo, concessisset.

Onerauit demum immani nefarioque ausu, cum suam, tum Pontificis famam, quum inita coniuratione Alfonsum Regem sub fide induciarum opprimere cogitasset. Ab eo siquidem Rege ad Salernum obsessus, vt instantis periculi casum effuge-

ret, vir æque fallax & vafer, cum Rege inducias in tres menses pepigerat, quo spatio turpissime fidem abrumpens, coniunctis cum Iacobo Caudola censibus & copiis, ad Regem tum forte hyemantem ad Iulianum vicum Auerlani agri improuisus aduolauit. Nec Regem alia res seruauit, quã religiose excultum eo die numen. solenni enim tum forte die Christi natalis, paulo post auroram triplici sacro intentus, ante aram prociderat, quum Vitellianos improuisi inexpectatiq; hostes adesse nunciati sunt. Tanta autem irrumpentium fuit celeritas, vt fere capto Regi breue spatium ad elabendum nõ plane peractis sacris relinquerent; & impius hostis, omneꝫ sacrorum apparatum, & expositam ad celebre epulum Regi tabaci suppellectilem aulde deriperet. Id sacinus ingratum Pontifici, odiosumque sacrato Ordini, & cunctis execrabile, vehementer Vitellii existimationem labefecit, quum in eius industria, quamquam singulari atque mirifica, fluxa fides, & atrox violentia damnarentur. Eius autem improbitatem audacis animi notam Patriarcha falso dicterio diluebat, quum diceret, se, vti Rex experisset, quod pollicitus fuerat, præstare voluisse bona fide. Paulo enim ante Alfonsus, per præconem Patriarchæ cum iactantia nunciarat, se Martem iudice illum indecenter arma tractantem, eo redacturum, vt tamquam infimi ordinis sacrificulus, Missarum sacra vno denario sibi peragerer. Ad quod insolens dictum, Vitellius sua vsus ironia respondebat, non abnuere conditionem, vt magni Regis Capellanus efficeretur; verum se non prius quam in hoanne anno ipso Christi natali die munus hoc susceputũ, vt auspicato, & grauido quidem el sacra solennia celebraret. Sic vt postea Rex periculo ereptus, in magna suorum frequentia acutissimi sacerdotis ironiam agnoscens, se eo scommate prope elusum fateretur.

Sed iam non multo post malo genio animum eius vastum & insatiabilem impelleute, maximum imperium & summum deinde Pontificatum affectare cœpit, aut viuo Eugenio, si ille sub censura concilij abuli exauthoratus concideret, aut certe mortuo, quando iam difficilem morbum animi languore cõcepisset, ab aduersis Basileensium decretis. In eam spem adipiscendi Pontificatus venerat, quod validissimis copiis subnixus, singulas Pontificiæ ditionis arces, perfidos sibi atque obnoxios clientes in potestate haberet. Nec defutura sibi Partum studia atque suffragia, vel primo comitiorum die arbitraretur, quoniam sibi opulento pecuniosoque ad opportunas largitiones expedita foret facultas. Oderat Florentinos tamquam ingratos, quod eorum Rempublicam ciuili seditione perturbatam, se sua authoritate compositis rebus conseruasse prædicabat. Illi tamen in ipsius contumeliam, Raymundum Albitium primarium ciuem ab se vehementer commendatum exilio multauissent. Venetis autem indignabatur, quod per Legatos apud Eugenium omnem suam gratiam & dignitatem conuelliere contendissent. Noua itaque consilia cum Nicolao Picinino suscepit. Is tum clarissimus bello Dux Philippi Mediolanensis exercitibus præerat, defendebatque acerrime eius ditionem aduersus Venetos Florentinis fœdere sociatos. Summa consilii erat, vt Picininus in Etruriam accerseretur, ipse è Latio promotis copiis cum eo se coniungeret. Id consilium interceptus ad montem Policianum litteris, plane detectum est. Scribebat enim Vitellius ad Picininum nobis arbitrariis, quæ fieri volebat, quæ tametsi ab interprete explicari non poterant, magnam tamen commutatæ fidei suspicionem afferebant.

Erat apud Eugenium omnium consiliorum arbiter Ludouicus Patriarcha Aquileiensis, ex medico Cardinalis factus, vir astuto pectore ingenio, Vitellii potentiæ vehementer infensus. Is cum graui scandalo in Vitellii mores atque consilia criminose inuectus dissuasisset, Eugenium numquam integra Pontificii imperii potestate Vitellio vino potiturum, illius opprimendi consilium obtulit atque perfecit. Præerat arci molis Hadriani Antonius Rido, vir militaris, & ad omne patrandum facinus paratus, quod commendatione Ludouici ad eam præfecturam peruenisset. Hunc quæ Pontifex peragi imperet, atque ipse cupiat, secreto edocet, & quæ in negotio opus forent sedulo constituit. Igitur ad Calendas Apriles moturus castra Vitellius Antonio significat, vt sibi pontem Hadriani transeunti adesse velit, vt de custodia munitioneq; arcis, & profectione sua quædam cum eo cõmunicet. Eam occasionem excipit Antonius tendẽdis insidiis idoneam. Præmittitur prima luce à Vitellio Comes Auersus Anguillarius, cum 4. millib. equitum, duobusque millib. peditum; ipse postremus cum familiaribus agmẽ claudit. Tum vero Antonius porta arcis egressus, præternectum totius pontis longitudinem, inermis & cõposito vultu salutat; accedẽsq; proprius simulatione secretioris colloquii procedentem comitatur, pedes equitem, habenas mollitur tractans, tam diu de annonæ supplemento, de instaurando telorum & tormentorum apparatu verba producit, quoad cõtra arcis portã peruentum est. At Vitellius se mature curaturum pollicetur, vt nihil earum rerum indigeret, se Ecclesiæ causa in Etruriam ducturum, tantisperq; Cornetum exitinere diuersarum, vt ædificatam abse magno sumptu domum inspiciat. Eodem vero puncto temporis Antonius equi frenum arripit, signum dat, catarracta demittitur, quæ extremum pontis caput excludit; erumpunt satellites, perturbatumque malo inopinato Vitellium circumsistunt. Ille nihil se deserit; calcaribus equum, sed frustra incitat, atque incuruum gladium, quo militari more vinctus erat, ferociter educit. Sed oblectantem satelles falcato hastilis vnco, quod Ronchamvocant, per ceruicem corripit; alter dexterum brachium quo districto gladio in Antonii caput ictum minabatur, grauiter vulnerat: atque ita cruentus intra portam arcis pertrahitur. Hunc supremæ calamitatis malo perturbatum, & se ingrate proditum, profundo suspirio conquerentem, ornatissimo in trono collocant, obligantq; ei vulnera, & Antonius vt bona speret cohortatur, in posterum Eugenius, non militari, sed senatoria eius opera vti veller. Ad id Vitellius anxie æstuans; *se non esse adeo rerum imperitum* respondit, *vt temere crederet, summa dignitatis viros, vel iniquo iure captos, dimittis solere.* A summa autem arce per præconem Vitellianis pronunciatur, vt timere, tum vlturiq; desinerent, quando ipsi Pontifici, graui de causa, Cardinalis esset interceptus, atque ita Comes Auersus, sub signis iter extendens, opulenta Vitellii impedimenta, in arcem Roncilioni suę ditionis, tamquam suam prædã abduxit. Antonius Rido, tanti patrati facinoris præmium, vel in morte tulit, marmoreã aequestrem statuam, quę in sacello templi D. Mariæ nouæ ad arcum Titi conspicitur. *Iouius elog. li. 2.*

XCVII. *Philippus Dux Mediol. gemina clade fractus ad pacem cum Sfortia inclinat.*

Inter hæc autem, Philippus Dux Mediolanensis, gemina clade fractus, iterũ ad pacẽ inclinauit. De prima nonnihil diximus, apud Angleriã, vbi Ludouicus Patriarcha Aquilegien. Paulus Vrsinus, Franciscus Sfortia, ac cæteri Pontificii exercitus Duces. Picininum ad oppugnandum Firmum adhortantes, vt nisi Franciscus filius die noctuque illi assistẽdo, consolando que, vt in vita perseueraret, tenuisset, Picininus sibi vim intulisset. Alteram cladem accepit Philippus in Lombardia, quando Sfortia Caranagio recepto, Asulam, Canetum, & Mercariã Gonzagæ Philippi socio ademit, & paulo post Lunatẽses imperiũ accipere coegit. & Piscariã ad Mincii caput, in Benaci ora situm castellũ oppugnauit. Hic sedenti Sforziæ, Nicolaus Arestin⁹ adfuit, de pace acturus promittẽs futurũ, vt præter cæteras Philippus filiã toties abnegatã illi daret, cui, si ira cordi esset, vel in castra etiam mitteret. Hic etiam Sforzia vacillauit. Namque, se à pace non abhorrere demonstrauit; si modo id cum Venetorum gratia fieri liceret. Id cum Arestinus accepisset, Mediolanum profectus, dedit Sforziæ tempus, Piscariam, Vigesium, Valesium, & alia quædam ignobilia oppida capiendi,

eaque

eaque causa Philippum ad seriam pacis conclusionem, quam in Blancæ matrimonio ponebat adducẽdi. Nec multo post, omnium opinione celerius; Blanca, secundo Pado Mantuam ab Arestino delata est. Hæc res fuit Venetis ab initio suspecta, tacite secum reputantibus, quid sibi vellet festinata illa Sforziæ & Philippi soceri reconciliatio. Gliscere itaque sua sponte suspicio hæc; quum liberiore quadã Sforziæ voce porro discussa est. Perentibus enim Philippi amicis, vt Marmariolam, Mantuani agri villam iret, de pace & nuptiis coram coniuge acturus, non se iturum dixit, Sforzia, Venetorum ineptiores quadã illos, si sapiant, permissuros. Peruicit; vt puella, Ferrariam ad communem amicum flumine deuecta sit. *Sabellicus ennead. 10. libro 4.*

Actum ibi, de pace, & nuptiis, ac vix non conclusum. Franciscus Sforzia decimo quinto Kalend. Ian. Venetias profectus, in Senatu enixam Philippi voluntatem per Arestinum sibi cognitam exposuit. deinde Patres interpellauit, pro ipsorum humanitate, consensa potius quam consilio se iuuarent; ac Brixianos quidem & Bergomates à se conseruatos. Gonzagam Verona pulsum, tot castella, tam lato fines de hoste vi receptos; vno, atque eodem tempore pacem honestissimam habituros; sibi spem oblatam à fortuna amplissimam, non inuisuros esse demonstrauit. Non potuit Venetos, Sforzia, à gerendi belli proposito id temporis auertere. *Pigna l. 7.*

XCVIII. *Alb. Baua. Princeps Regnum Bohemiæ sibi inique oblatum sapienter ac magnanimiter respuit.*

Perhos dies, quibus Felix antipapa Pontificatum, Alfonsus Regnum Neapolitanum, Philip. Italiæ principatum, Vitellius nouam dominationem, in Italia & Ecclesia ambiebant, nonnulli Principes, Regna Florentissima Hungariæ & Bohemiæ à morte Alberti Cęsaris Rege destituta, infigni pietatis, prudentię & religionis exemplo detrectabant. Ad 27. diem Octobris, anni superioris, Albertus, magnus planę futurus Imperator, si vita longior contigisset, ex læuore intestinorum quem dysenteriam vocant, ab immodico esu peponum contracto, viuendi & imperandi finem fecerat. Elisabetha vxore grauida relicta. Ea vix iustis marito peractis, quanquam marem, ac perinde Regnorum hæredem enixa esset, vt non opus iam fuisset Bohemis ac Hungaris alium Regem quærere, cum iam dominatum illum haberent; illi tamen quod dicerent, temporibus non conuenire, nec Regnis vtile esse expectare, dum infans Rex adolesceret, quãdo supra caput quotidie pericula, qua in religionis discordia ab hæreticis in Bohemia, qua in proferendi imperii cupiditare à Turcis in Hungaria, imminerent, Regem ætate virum requirendum esse censebant. Erquidem Boheml, Albertum Bauariæ principem, quià pueris apud Vuẽceslaum Regem in aula educatus fuit, ad Regnum suscipiendum inuitabant. Cæterum is religione motus, præter omnium opinionem, Regnum sibi delatum deprecatus est, *moriquese malle* respondit, *quam eo modo, quo Bohemi vellent, regnare.* Volebant autem, vt communionem vtriusq; specici, non solum approbaret, sed omnib. etiam opibus & potentia sua aduersus quoscumq; aduersarios protegeret. Item vt Ioannem Rokyzanam, veritatis præuaricatorem, patrocinio suo tutum præstaret. Deinde, vt bona emptis & sacerdotibus ablata, ne repeteret. Iam vero Rokyzana, qui apud Græciam exulauerat. Pragam reuersus, suiq; more insaniens, Romanam Ecclesiam, Cardinales, Patriarchas, cæterosq; per orbem Episcopos blasphemabat; apud solos Bohemos, incorruptæ veritatis Sacramenta inueniri dicebat; spectatissimum Christi sanguinem paruulis ac dementibus præbebat; Sacerdotes suæ temeritati aduersantes domo pellebat; populauit; communionem sub vtraq; specie recusantibus Ecclesiasticam sepulturam interdicebat, & damnata tempora, in quibus suum placitum, suumq; quisq; ingenium recipere, reuocabat. Addidit & hanc aliam cansam: *indecorum sibi fore, quum Regis Alberti soboles extaret, tum alterius iniuria Regnum quærere. Paternam hæreditatem, nulli esse auferendam. Qui pupillos suo iure dispulerit. Deo atque hominibus inuisos; quas aliquando patratæ scelerę dare. Cognouisse se non vano rumore fœdus antiquum inter Bohemos & Australes extare: deficiente masculasobole, si incipem ne foeminas assumerẽt. Fidem seruare pulchrum; ne cui iniuste noceatur, cauendum. Scelestem execrabilemq; vocem illorum, qui regnandi causa ius violandum astruunt.* Ad hunc modum, magna virtute atq; animi moderatione, Albertus, reiectis Bohemorum Legatis, maiorem se spreto Regno monstrauit, &, si verum fateri licet, clarissimum egit Regem.

XCIX. *Constantia Friderici Reg. Rõ. in repell. ndo eodem Regno sibi quoque oblato.*

Pari constantia Fridericus Rex Romanorum, Bohemos, idem Regnum deferentes repulit. Inter potentissimos proceres, Ptarsco, Fridericum allocutus est sorsum, *Regem, vt seipsum faceret* hortabatur, *Facile id futurum, si tutelam Ladislai pupilli reiiceret. Nam quum cæteri dissent, Bohemos sponte ingenio Regnum ei deferre, cui ex fœdere tãquã seniori Austriæ principi debebatur.* Negauit Fridericus, orphani, cuius tutelam gereret, hæreditatẽ se quoquo pacto inuasurum. *Alii, inquit, viderint quid illis aduersus sanguinem suũ liceat; sensibil in filium patruelis facere posse, quo ius necessitudinis, officiumque suum exigat; nisi vt illi paternæ regnapro viribus conseruet ac restituat, nedum vt aliquid sibimet.* Cæteris ẽt Legatis respondit, *Nec tutelã Regni se recipere, sed curam illã Bohemis delegare, qui vt Regni commoda, incommoda, meliora habeant, ita vereri; se melius consulere posse relatui olim à Domino suo, bene, aut secus administratæ tutelæ gratiam, aut odia.* Notum, ẽt tutorio nomine Fridericus, Bohemiam administrare q̃ fine professione magna pecuniarũ retinere nõ poterat. Nam Bohemi, nisi ex Regib. quotidiana munera acciperent, ab officio recedebant; Neq; regnũ esse existimabãt, cuius fiscus abundaret. Iam possessiones Regiæ in priuatas manus peruenerãt; argẽti fodinæ vnde opes Regiæ solebant in immensum crescere, maiore ex parte perierant; distracti erant cẽsus, vectigalia prorsus extincta; ac nisi populares in sumptus Regios pecuniam, q̃ vocant Bernã conferrẽt, aut rapto viuere, aut precario regentẽ mendicare opotuisset. Suasit ergo illis Fridericus, vt ipsi, donec pupillus adolesceret, quinciam regerent. Hinc nata est, Catholicæ rei in regno Bohemiæ maior oppressio. Domum reuersis proceribus, Gubernatores eligere placuit, inter quos Ptarsco & Mainard⁹ priores habiti. Sterit aliquamdiu cõcordia discors. Nam licet Mainardo, Ptarsconi q; factionum capitib. parum conueniret; & alter conuenta cum Basileensib. habita seruanda esse diceret, Catholicarum tutor partium; alter sperneret. Rokyzanæ amicus; ab armis tamen abstinuere, mediumq; quoddam temperamentum inuentum est, quo partium cuiq; suo voto viuere liceret. Verum Ptarsconi vi morbi repente extincto, cum Mainardo potestas iucta esset, iniquę tum Pragenses, tum potiores Regni ciuitates obtemperarent; non ferentes id sectarii ad Georg. Poggiebrac. ũ se contulerunt, eumq; sibi ducem elegerunt, iam tum rei militaris peritia, rebusq; strenue gestis insignẽ. Hũc ergo orare per exeunt: *ne iacere partes suas sinat. Mainardum in dies crescere; Pragam regni Metropolim in potestate habere. Sacerdotes, qui Romanum ritum introducant magnificare; qui Huss. & Hieronymi scita sequerentur, persequi. Decuriãdum temeritati hominis; qui peregrinos mores patriis anteponeret. Pragam ei auferendam: id non esse difficile; ciuibus non placere Mainardi regimen; Rokyzanam multos habere amicos, qui excitato tumultu arma capessant: audendum esse fortibus virisfortunam ipsam aperire viam.* Hæc, & alia, hæretici dixere, atq; persuasere. Georgius itaque, qui suapte natura magna cupiebat, collaudatis illis, nonnullos in vrbem fere iussit, qui per tentatis ciuium animis, quæcunque inuenissent, ad se referrent. Postquam multi ante adhibuissent, coniuratione facta, inuadendæ vrbis diem statuerunt: & incendio in parte vrbis admodũ remota studiose excitato, cõcurrẽtib. aliis ad ignẽ restinguendũ, pditores Poggebraciũ Pragã introduxerunt. Qui resistere volebãt, occubuerũt. Mainar. nullius culpæ re⁹,

in tumultu captus, & Podiebradium in indignam captiuitatem ductus, inque carcere veneno extinctus. Praga potitus hæreticorum antesignanus, muneraRegia vsurpauit, & tum Senatum Pragæ constituit, tum Meynardi in locum alium subrogauit, tum ipse Pragam in sua potestate habere voluit. Hinc multum potentia crescere, multa sibi vendicare, imo cuncta simul in se trahere, nemine iam extante, qui voluntati eius palam obsistere auderet; maxime posteaquam Legati ad Fridericum missi, vt Ladislaum in Bohemiam adducerent, tamquam nullibi locorum melius quam in Regno suo nutriendum, non impetrarunt quod petebant, Friderico, tenellam pueri ætatem excusante. *Dubrauius histor. Bohem. libro 28. Syluius hist. Bohem. capite 57-58.*

C. *Vladislaus Rex Polon. Regn. Hungar. contra Turcas defendendii suscipit.*

Friderico & Alberto, non omnino impar Vuladislaus, Rex Poloniæ, qui nonnisi reipublicæ Christianæ causa, idque nonnisi summis precibus omnium Procerum, Vngariæ Regnum à Turcis defendendum suscepit; non etiam dissentiente, quin & coniugium suum offerente Elisabetha Regina, Alberti relicta. Erant, qui difficultatem duorum amplissimorum Regnorum administrandorum, & Turcici belli magnitudinē exaggerarent: alii contra rem splendoris & gloriæ plenam nequaquam repudiandam esse censebant, neq; prodendam barbaris cum florentissimo Regno salutem & amplitudinem reipublicæ Christianæ, quæ illo quasi firmissimo quodam propugnaculo niteretur: & præstabilius autē, consultiusq: esse, Polonos Vngarorum armis atque periculo contra Turcarum vim sese tueri, quam illis proditis, & illo quasi intermedio pariete sublato, per seipsos omnem maximi ac difficillimi belli molem sustinere. Pronior in eam partem erat Vuladislai animus, vt Regno suo paterno contentus esse vellet; cum propter illas, quas exposuimus causas, tum quod adolescens prouectæ mulieris coniugium fastidiebat. Sed tamen vel inuitus cessit, diuersum suadentium sententiæ, ac precibus Vngarorum. *Cromerus libro 2.*

Ladislaus Alberti posthumus.

Natus est ex Alberto posthumus filius Ladislaus, tempore ineuntis Quadragesimæ, 21. Febr. & die Pentecostes infantulus, cum nondum quartum mensem impleuisset, diademate Regio Rex Hungariæ coronatus; nec multo post, scil. 17. Iulii, & Vuladislaus Rex Poloniæ, corona aurea ex sepulchro sancti Stephani Regis detracta, seu vt alii narrant, reliquiis eiusdem sancti Stephani, (quod Elisabetha Regibus inaugurandis designatum diadema secum tulisset) in Regē Hungariæ ornatus. Et quod Æneas Syluius annotat; Dionysius Archiepiscopus Strigonienſis, vtriq; Regi diadema imposuit, Ladislao volens, Vuladislao per necessitatem, quando Amurathes Turcarum Imperator, ingentem in Hungariam exercitum misisset, Belgradumque obsedisset. Vidit ergo Hungariam Rege viro opus habere; adeoq; in animum induxit, Vuladislao Iagellonidi sceptrum Regium deferre. Amisit tunc Amurates in fossis ad X. M. hominum, & post 7. mensem obsidionis, virtute exercitus Vuladislaniani profligatus, retrocessit. *Chron. Hung.*

Turcæ obsidionem Belgradi soluere cogitur.

CI. *Saladini classu à Rhodianis in fugam compulsa.*

Coniurauerat id temporis Amurathes cum Saladino Ægyptio, in extremum Christianorum perniciem. Quapropter, & hic quoque classe decem & octo triremium bene instructa, Rhodum insulam fortissimum Christianitatis propugnaculum inuadere pergebat. Huic Ioannes Lastichius Rhodianæ militiæ supremus Præfectus, quatuor onerarias, octo triremes, & aliquot minora nauigia oppositurus; & quanquam viribus inferior, inuadere non dubitauit, prœliumque contulit; in quo superior factus, ad septingentos hostes Saracenos cæcidit, plures vulnerauit, classem validam in fugam compulit. Vnde Saladinus mœrore & pudore à recepta clade confusus, maiorem classem parare in annum sequentem aggressus, Lastichio occasionem dedit, qui Eugenium Pontificem, Reges Romanorum, & Galliarum, aliosque principes Europeos, auxiliorum admoneret. *Bosius hist. Rhodianæ l. 6.*

CII. *Motus contra Regem Castellæ propter Alaurum Iunæ summa gratia apud dictū Regem potentem.*

Rex Castellæ, vna cum Regibus Aragonū, Nauarræ, & Lusitanię, poterat ferre maiora q̄ aliqs alius subsidia Rhodianis. Aragonii fratres, potius elegerunt coniuratos contra Castellanum iuuare, quam aliquod opęræpretium pro re communi aduersus Christiani nominis hostes præstare. Erat, quēadmodum superius narrauimus, summa in gratia apud Regem Castellæ, Aluarus Luna, vsq; ad inuidiam opibus, & authoritate potens. Eius imperium proceres quod ferre non possent, etiam in Regem conspirarant; Manricus Antelatus, Fridericus maris Præfectus, Petrus Stunica Ledesmiæ Comes; Ioannes Arellanus Camerorum, Petrus Mendoza Almazani reguli, Ludouicus Cerda Medinæ Celinæ Comes; adiecit paulo post Vxamensis Episcopus, multis in ea perturbatione occupatis arcibus magnum factioni momētum, Benauentanus, Touarius, & Quignonii fratres. Hi data fide acceptaq; euertendi Aluari, inprimis supplices litteras Regi miserunt. Earum summa erat; se quidem paratos esse imperata facere, vt subditos deceret, iis maioribus natos, ea nobilitate; modo non alterius quam Regis, & Henrici filii Principis arbitratu. Rempublicam ad cuiusquam priuati voluntatem inuerti, Regem quę ipsum in alieno mancipio esse, neque leges prouinciæ pati, neq; tantam ipsos ignominiam tolerare debuisse. An æquum videretur, aduersus vnum hominem, neq; imperia magistratuum, neque nobilitatem, neq; leges valere? Id si esset mutatum, arma prohibendis iniuriis necessario sumpta, continuo posituros. Ad has litteras cum nullum abs Rege responsum datum esset, & propterea grauior turbatio gliscere, Aragonii fratres, Rex Nauarręus & Henricus infans, Castellæ turbas, suam occasionem facere constituentes, atq; in studium inclinati pristinæ ditionis recuperandæ, quingentis equitibus stipati in Castellæ fines ingressi; vno tempore à Rege & coniuratis ad societatem inuitabantur. Et quidem Nauarræus ad Regem profectus, Henricus autem ad coniuratos, sed Nauarræi fratris consilio, vt quicumq; contentionis exitus esset, apud vtrosq; præsidium ipsorum rebus esset paratum. & procerum magna pars possessione eorum oppidorum contaminata, quæ Aragoniis detracta erant, moram paci variis artibus afferebant, quam nisi iis oppidis restitutis, coalescere non posse exploratum erat. Sollicita prouincia, & ad expectationem belli ciuilis suspensa, affuere viri sancti, quibus aut morum probitas, aut eruditionis opinio auctoritatem maxime dabant. Principes adeunt, docentq;, quanto cum periculo pax publica importunis dissidiis turbaretur. Si maxime viribus fiderent, incerta pro certis stulte mutari. Bellum sumere facile esse, exitum fore procul dubio exitialem, alteri minimum parti. Proinde sibi & reipublicæ consulerent: neq; florentes Castellæ res importuna contentione perditum irent. Societatis, amicitiæque coniungendæ fore copiam, gladiis nondum fraterno sanguine infectis, Conuenit multo labore, vt ad Castrum Nunnium fœdus inirent, his fere conditionibus. *Articuli concordiæ.* *Aluarus Curia abesto semestri spatio. Sublata etiam litteras ad Regem scribendi facultate. Aragoniis fratribus oppida & honores, quæ ablata erant reddantur; aut pecuniæ tantum annuæ, quantum arbitri iudicabunt. Copiis militaribus missio esto. Vrbibus coniurati occupatis præsidia detrahunto. Neu fraudi cuiquam esto Aragoniis partes superiori tempore, nunc coniuratos Proceres fuisse secutos.*

Ciuilia hæc in Castella arma cœpisse finem videbantur, quasi Aluari calamitate vniuersa prouincia expiata; cum repente & præter opinionem noui tumultus excitati sunt. Nullis finibus ambitio consistit; in omne fas nefasq; auida rapitur, ferox, importuna. Regis imbecilla mens erat, neq; curis imperii sacri idonea, nisi alieno præsidio, consilioque adiuta. Ea re cognita Proceres, primum gratiæ & auctoritatis locum apud

Acriores motus.

Regem variis artibus captare: ante omnes Fridericus maris Præfectus, cuius erat ingenium varium, flexibile, multiplex, & quem Aluarus pro se maxime vicarium substitui rebus gerendis sua apud Regem commendatione curarat. Aragonii fratres sua se opinione deludi ægre ferre; induſtriæq; fructum pellendo Aluaro, ad quem minime oporteret recidisse, dolere scil. Rara fides inter socios asse clasq; aulæ. Hinc acriores motus. Castellæ Rex, per speciem venationis se è manibus eorum vix subducens, raptim Salamanticam abire coactus est, amplam munitamq; in Vectonibus ciuitatem. Abeuntis vestigia Aragonii fratres, Comites Benauentani, Ledesmiæ, Hari, Castanedæ, Valentiæ, præterea Enecus Mendoza, prosecuti Madrigale sunt, adiunctis sex cētis equitibus, vim facere Principi si obsisteretur parati. Miseram conditionem pudendamque. Misse postea de pace legationes, iteratæ litteræ ad Regem, supplices quidem, præceptis tamē ex intima philosophia petitis pro republicā gubernāda graues: quod caput erat in Aluarum crimen esse: Rempublicam imporenem habere solitum. Bona publica & priuata domum auectere, iudicia inuertere, neq; humani quidquam, neq; diuini sanctum ducere. Hæc partim vera, partim ex odio affricta esse Rex non ignorabat: verum quasi magicis cantionibus emota mente, aures surdas præbebat, salutaria monēribus. Nihil responsi datum. Inter hæc neq; vrbes à coniuratis occupatæ reddebantur, neq; ab aliis vsurpandis capiendisq; abstinebatur. Capta Legio, Segobia, Zamora seu Sentica, Salmantica, Vallisoletum, Abula, Burgi, Placentia, Caracæ, præterea Toletum ab Henrico Aragonio recens occupata est Petro Ayala dedente. Apud Vallisoletum tandem conuentu habito, vix conuenit. Annitente Rege, cuius voluntati repugnare periculosum, obsequi miserum erat, vincente metu honestatem, Aluarus fide publica reuocatus. Ampliſſimis verbis litteræ in eam sententiam datæ ordinum consensu. officio quisque Aluari gratiam præoccupare satagebat. Vrbes ad Regis potestatem redierunt, Toletum inprimis. De iudicis restituendis actum; cum tuta non esset innocentia. in ſæta temporum licentia, vis & latrocinia vigebant, flexa auctoritate magistratuum. Frustra is conatus suscepi⁹; quin nouæ enatæ difficultates, Henrici Principis Castellæ alienatione. Maligni alicuius decreti vi factum arbitrabantur prudentiores, vt per hæc tempora præcipuam in rebus omnibus auctoritatem aulici obtinerent, argumento horum Principum patris & filii, qui ea fuerunt mentis & prudētiæ imbecillitate, vt semper alieno imperio obnoxii viuerent. Ioan. Paciecus Alfonso Gironio Belmontis regulo natus, Henrico Principi à primis annis assuetus, morum similitudine, aut ingenii dexteritate, pcipua apud eum gratia & auctoritate pollebat. Is Aluaro euertendo, à quo Principis dat⁹ erat in familiam, summum potentiæ locum, vt fecit, quærere videbatur. ea superiorib. Aluari meritis gratia fuit. Inter Regem & filium enatæ suspiciones sunt. se Henricus Princeps die quodam à Regia subduxit, nisi Regis consiliariis quibusdam loco motis rediturum se vllo tempore negans, vix ad multam noctem agente Nauarreo socero ad patrem reuocatus est. Non diu loco mansit. Dolebat, Aluari consiliis omnia administrari. Ergo Segobiam, relicto patre discessit, ad Aragonios propensus. Paciecus amicorum intimus ægro animo faces subdebat. Toletum rursus occupata, Petro Ayala intra mœnia Henricum Aragonium accipiente, contra quam expresse mandatum erat. Addita noua iniuria captis fecialibus, qui ab Rege missi erant de offensa expostulatum. Ergo Rex vt par erat commotus, eo magnis itineribus festinauit modico comitatu, maiestate tectus. Alter prohibitus, ad Diui Lazari substitit, ipsa militari via, qua Madritum itur. Ad Henrico Aragonio, ducenti equites feras portantes introducti. Regis in periculo aliquanta spes, timori anteior; quippe exiguo numero adueſtis armatos. Expedita arma; subitarii operis munimenta contructa. grauis eo die calamitas extitisset. Henricus, ne maiestate violanda nouam inuidiam conflaret, sese in vrbē retulit. Rex Abulam secessit. eodem Aluarus cum abiisset, de instanti bello consilia communicaturus, coniuratorum Principum voluntates amplius exacerbatæ sunt; quorum pars maxima Arevalo se tenebat: ipsa etiam Regina Castellæ accipiendis aduersus virum cæiminationibus anres præbens, in filium & fratres charitate propensior. Episcopi Burgensis, Abulensisq; in id oppidum legati, si qua via se daret, relaxiendæ concordiæ. Parum ea legatione profectum est. A Diego Valera, qui in obsequio Henrici Principis erat, ad Regem literæ datæ hac sententia: *Quantas calamitates respublica ex fatali Principum discordia pertulerit, commemorare non attinet. Gentis ignominiam vulneranistra stylo retractare grave, superuacaneumque. Præterita accusare facile; remedium adhibere necessarium. De malorum auctoribus disputare quid iuuat? Cuiuscunq; ea culpa sit, à Deo certe humano generi rector datus, diuinam benignitatem exprimere maxime debes, condonandis subditorum peccatis. Tunc clementia præstat laus, cum præcausa iustissima. Patrem te patriæ vocamus: charitatis paternæ te ea appellatio admoneat, ad ignoscendum prompta, ad placiscendum tarda. Sed impune, qui tantum iniuriarum præterm ittatur? An ō malo cogantur, quorum animum beneficio vincere non potuerint? Verum. Sed in facto tamen, cum sit certum est animus, nulla offendenda voluntas, quamuis præpostero iniuriarum nomine inuidiæ affligatur. Nullare magis animi magnitudo, quæ magnorum Principum ista est similium virtus propriæ est, perspicua est, quam iniuriæ hominum condonandæ. Variis & anceps est bellorum casus vitare æquum est certamen, quem dubiæ victoriæ proferre. quæ vt maxime esset explorata virtutis parte vacante, tuo maxime detrimento constaret; an quem subditorum calamitas referatur necesse est. Deum precor, vt suis muneribus perpetuitatem addat; gentis felicitatem tueatur & propaget; nostris votis aures suas, tuas salutaria monenti, facilesq; præbeat.* Lectæ coram Rege, deinde in Senatu litteræ, variē, vt cuiusq; animus erat, acceptæ sunt. Tādem Henricus Princeps patris accitu Abulam iuit: vbi de concordia ineunda actum. Interea coniurati Principes, subsidio fratrum Aragoniorum freti, contra Regē mouentes, vario Marte rebellarunt. Medinam vsque, vbi Rex erat, promota castra; leuia pro oppidio prælia facta, haud memorando in alterutram partem euentu. diuturna obsidio non fuit, quibusdā incolis aditū aperientibus; nocturno furto oppidum à cōiuratis captū, sine sanguine tamen: tametsi Castellæ Rex ad periculū excitatus, plateas armatis equitibus occuparat. Multitudo domi se continebat; periculi metu, an ciuilis belli execratione ad arma segnis. Aluarus Luna, Toletanus præsul eius frater, Magister Alcantaræ. Regis monitu, cum diceret hostes in eorum capita potissimum seuituros, per auersam portam fuga eu asecunt mostra esse, inuoluros; capitibus inter hostium cuneos igunoti. Armatum Regem coniurati quasi supplices adierūt ad genua prouoluti manum deosculandā petierūt; quasi obsequio prompti, certantesq; minime grato in Regā vsq; deduxerunt. Tunc victi victoresq; in mutuos amplexus ruentes, ciuilia arma mœsta lętitia detestabātur, vnde spes & præmia nulla, certa funera & luctus vtraq; parte vincente. Accurrere Reginæ, atque Henricus Princeps; multoque sermone & arcano cum Rege habito, aulæ ministeria mutarunt, Aluari odio. Guterius Archiepiscopus Hispalensis, Ferdinandus Toletus Albæ Comes, Barrientus Segobiensis Episcopus, oppido discedere compulsi. Fidei ea ga Regem constantia, grauissimum crimen erat. tametsi amicitia illis cum Aluaro inita opponebatur, moribus pacandis impedimento futura. Actum de fœdere; neq; licebat repugnare, cum Rex captiui instar teneretur. Arbitri delecti sunt, cum summa decernēdi potestate. Castellæ Reginæ, Henricus filius Friderici maris præfect⁹, Albæ Comes ea causa in Curiam reuocatus. Ab his sententia in Aluarum pronunciata. Vt toto sexennio intra designata ditionis oppida se contineret, mandatum:

Ioan. Paciecus in magna apud Henricum Principem gratia.

Litteræ à Diego Valera ad Regem datæ.

Medina vbi Rex erat à coniuratis capta.

Coniuratis ad genua Regis capti supplices prouoluuntur.

Agitur de fœdere.

neue ad Regem scriberet, nisi exemplo litterarum cum Regina & Henrico Principe communicato. Ne noua fœdera faceret; aut milites suis stipendijs aleret. In eam rem Ioannem filium, & nouem arces, intra diem trigesimum obsidum loco traderet, quibus à iudicibus esset mandatum. His rebus nominatis, Aluarus supra quam dici potest commotus, neq; tenere lacrymas, neque à contumelijs temperare: quod alij ambitionem interpretabantur; alij bonum ingenium contumelia irritatum excusabant. Ingratitudine tamen casuque nouas resurgendi excogitare rationes. Verum parum fidei erga proiectum erat, & omnes aditus erãt præoccupati. Se coniurati nouis affinitatib. confirmarunt, quo deterrsis inter eos suspicionibus, in vnam euertendi Aluari curam, vti fecerunt, coniunctioribus animis incumberent. Datũ exemplum in Aluaro, ne Reges, plus nimio vni homini sese dedant; ac ne hi, quos aura benignitatis Regiæ in altum prouexit, tranquillitati & fœlicitati palatinæ fidant: si illi ciuille bellum præuertere, & hi discrimen famæ, rerum & vitæ effugere amant. Turbatio hæc Regni Castellæ, duobus fere annis producta, impedimento fuit, quominus Rex subsidium ferret rebus Rhodianis, à Saladino tentatis.

CIII. *Miseria Eleonoræ Reginæ Portugall.*

Sed & ex Lusitania nihil poterat subsidiorum afferri. Mortuo nuper Eduardo Rege, cum res Lusitaniæ in Alfonsum filium eius sexennem translatæ, regnique procuratio defuncti Regis testamento Eleonoræ Reginæ viduæ demandata esset; inde dissidia, graues que contentiones extiterunt, Fœmineum externum imperium Lusitani quasi rem indignam detrectabant, negabantque ea parte defuncti Regis testamentum fore ratum, id vnum ex iis quæ iusserat abrogandum videri. Alioqui, aut priuato compendio ducti, aut beneficijs obstricti, Reginæ auctoritatem sequebantur. parum abfuit, quin veniretur ad manus, & pars cum parte armis decerneret. Pauciores à pluribus victi, rebusq; Petrus Conimbricæ Dux præfectus est, multum dolente Regina, de iniuriaque per litteras cum fratribus & Castellæ Rege expostulãte. Misera; cum Petrus imperandi dulcedinem degustasset, ac gentis animi in proposito externi imperij repudiandi persistarent, in Castellam abiit, atq; orbata viro, diuulsa à filijs, impetio spoliata, ad finem vitæ ibidem permansit. *Mariana lib.21. c.14. 15.16.*

CIV. *Miraculũ Diuæ Virg. Hallen.*

Hoc anno, ad intercessionem Sanctissimæ Deiparentis virginis, quæ apud Hallas Brabantiæ colitur, duo insignia miracula patrata sunt, quæ *I. Lipsius* narrat, *c.24. 25. in lib. de Diua Hallen.*

I.

Molitor erat, Ioannes Massardus, iuxta Abbatiam Lobiensem in Hannonia, cui vxor Catharina, eaq; fœtu grauida, & mensibus vtero legitimis fere iam exactis. Molitor iste idem lignarius faber erat; itaque per eam causam forte egressus, molam & domum vxori commendat. Vxor sedulo officium factura, rotam molarem censet tardiuscule volui, atque aquæ inopem esse. Venit igitur repagulum ligneum leuatura, & flumẽ vberius admissura. Sed dum conatur, tabula siue ponticulus cui insistit, frangitur; atque in aquam ea, & sub ipsam rotam lapsa hæret. Nam rota liberam volutionem non habere, & ipsa identidem à rota premi; atque ita tum aquis mergi, tum pondere simul cum fœtu suo allidi semihoram sic amplius iacet. Sed initio lapsus Diuam Virginem Hallis in mente habet, atq; inuocat: quæ palam à duplici periculo, & mersionis, & oppressionis seruat. Nam maritus tandem superuenit, & miratur molam sistere, nec circumagi; vxorem etiam requirit: cum ecce eam sub mole afflictam videt, & consternatus, *Opem, opem* clamat. Accurrunt vicini, inter eos Prætor & religiosi etiam aliquot Lobienses: mulierem ægre è sabtrahunt, certe non arbitrario mortuam, vt censebant. At illa viuam & sanam se exhibet, *Sanctam Mariam* in ore ingeminans, eiusq; præsidio tutam se coram omnibus testata. Post dies etiam aliquot puerum peperit; qui dies duodecim superuixit. quod omnes iure mirabantur, tanto illo rotæ pondere, ne fœtum quidem non dicam elisum, sed læsum.

II.

CV. *Aliud eius dem D. Virgin. miraculum.*

Teneramundę in Flandria ad Scaldim fluuium Sartor opificio fuit, cui nomen Bartholomæus Broecus. cum panni aliquid suisset, surgit, & vestem nouam parat scindere. Acum igitur cum filo in os accipit, vt liberas manus haberet: & dum operi totus intẽdit, acus insertæ oblitus, eam cum filamento dimittit & deglutit. Post factum sentit, & stat attonitus: ad vxorem deinde abiens, *Perii, ô mea*, inquit, accasum narrat. Illa vna lamentari, & ad vicinos, deinde cognatos & medicos ire, opem ab omnibus aut consilium poscere. Multa dicuntur, & fiunt. frustra omnis conatus est, & dies ipsos quatuor acum in corpore circumfert. Venit denique Mechliniam, vbi fratrem habebat rei medicæ deditum. consulit & istum, & alios, purgant, & medicantur: sed acum hanc inter electamenta nusquam vident. Forte dies Sabbati erat, & conuiuiolum aliquod Medicus instituerat, fratri recreando. Producunt id hilariter, & more gentis in vesperam. Ecce autem æs campanum sonat, & Medicus ad templum ire se insit, ad Diuæ Virginis eo die solennes laudes. Alii tamen resident: ipse Bartholomæus, cui vultus quam animus hilarior, surgit, & ad ignem solus adstat meditabund⁹. Incidit cogitatio, quẽ admodum frater de Sacra Virgine, ipsius inclytæ Hallensis; & statim animum eo mittit, & corpore voust secuturum, si eius ope sit saluus. Vix dixerat; sensit in dentibus aliquid volui & implicari; digitos immisit, acum vna cum filo eduxit. Lætus fratrem reuersum lætificauit, miraculum ostendit potius quam narrauit, & fidem à re fecit.

CVI. *S. Franciscæ Romanæ vita & scriptum mirandarum ex diplomate canonizationis eiusdem.*

Eodem anno, die 9. Martii, S. Francisca Romana, migrauit ad cœlum. Eam propter ingentem sanctitatis & miraculorum gloriam, Paulus V. Pontifex Maximus, in album Ecclesiæ Catholicæ, retulit. Præstat eius vitæ seriem, & rerum mirandarum cumulum, ex canonizationis diplomate cognoscere.

S.MI D. N. D. PAVLI Diuina prouidentia Papæ V.

Literæ Decretales Canonizationis S. FRANCISCÆ Romanæ Oblatæ Ordinis S. BENEDICTI Congreg.nis Montis Oliueti Monasterii Turris Speculorum Vrbis.

PAVLVS EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei.

AD perpetuam rei memoriam. Cælestis aquæ flumen, quod ab inexhausto vitæ fonte procedens, perpetuo fluit impetu, qui lætificat Ciuitatem Dei, cum abundantius effunditur, & hortos plantationum supernæ Sapientiæ, hoc est, fidelium mentes, septem charismatum donis, felici inundatione fœcundat; tũc sane, qui magnus est semper, magnus nimis apparet, & mirabilis in altis Dominus: in Sanctis suis videlicet, qui terrena abnegantes desideria, ac solem iustitiæ induti, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, vitę puritate sine reprehensione nitidi, virtutum luminibus, igne charitatis accensis, quasi stellis orbati, excelsi spiritu, in carne ambulantes, & secundum carnem non militantes, cœli pretiosi Domino, & DEI sedes efficiuntur. Quæ sane dexteræ Excelsi opera multo illustriora resplendent, multoque cernitur admirabilior magnificentia Domini, cum erga vascula infirmiora, & sexum consilii imbecillioris, apponens cor suum, misericordiarum suarum diuitias superabundanter

elargitur. De quo cœlesti dono merito omnis Ecclesia, sed Romana præcipue in Domino gloriatur; Quæ cum ineffabili Dei beneficio cunctis prælata Ecclesiis, Principatum acceperit Ecclesiarum, & beatorum Principum Apostolorum doctrina fuerit vna cum sanguine irrigata, hoc etiam agnouit felicitatem suam, quod, vt fortissimorum Martyrum purpuratis populis, vt venerabilium Sacerdotum beatis cœtibus, castissimarumque Virginum splendidis choris, ita etiam sanctarum Mulierum cœlestibus numeris, quasi multiplici rutilantium honore gemmarum corona decora, Orbi vniuerso præfulget. In hac igitur Ecclesia, matre Ecclesiarum, & magistra sanctitatis, renouans Dominus castitatis, & multarum excellentium virtutum vetusta Romanarum mulierum fidelium exempla, ducentis ferme ab hinc annis, in ornamentum totius domus suæ, Ecclesiæ vniuersæ, suscitauit mulierem, vera fortitudine fortem, FRANCISCAM nomine. Hæc enim per gratiam Spiritus sancti, naturæ vsum, & sexus infirmitatem transgrediens, accincta robore, & in spiritu ambulans, desideria carnis non perfecit, sed odit animam suam in hoc mundo, vt in vitam æternam custodiret eam, & per altissimam humilitatem elegit abiecta esse in domo Domini, ac propter verba labiorum eius custodire vias duras, cadens per aduas Christianæ perfectionis semitas in odorem vnguentorum sponsi: quamobrem introduxit illam Rex in cellaria sua, vbi exultat, & lætatur in eo, vbi non occidet vltra Sol eius, & Luna eius non minuetur. Huius virtutes, fidei puritas, vitæ morumque sanctitas, aliaque huiusmodi cœlestia dona, miraculorum insignibus comprobata testimoniis, adeo excellentia fuerunt, vt Ecclesiæ catholicæ auctoritatis illustratione diutius destitui plane non deberent, sed proponenda aliquando essent imitanda fidelibus, vt glorificaretur pater illam Dominus Pater misericordiarum. Quam etiam ob rem nonnulla de eiusdem virtutibus, & miraculis hic duximus ex legitimis actis referenda. Origo. Dilecti DEI filia FRANCISCA ex Paulo Buxio, & Iacobella de Broffedelchis Romanis, nobil.bus genere, sed longe nobilioribus prole coniugibus nata, & è Laurentij mariti familia de Pontianis vocãta, data est Ecclesiæ suæ à Domino circa annum M CCC. LXXXIV. Infantia. Quæ, vt erat forte gratiæ Spiritus sancti, fortita animam bonam, vel in infantia sua signa futuræ sanctitatis dabat. Auersabatur gaudia huius sæculi, eiusque ætatis ludos, & illecebras abhorrens, solitudine magnopere capiebatur. Crescens confortabatur spiritu, & quam amabat, solitudine fruebatur, in dies magis orationi vacando. Vndecimum annum nata, vt iugum Domini citò portare inciperet, CHRISTO virginitatem consecrare, & monasterium ingredi proposuit; sanctoq; proposito huiusmodi conuenienter viuendo quasi solitariam vitam agebat, & iam in cœlis conuersari incipiebat. Verum quia voluntas DEI erat, vt coniugalis status perfectionis grande documentum daret, parentes, quibus subdita erat, nubere viro duiti, & nobili eam voluerunt: illa vero haud defuit nupta cogitare quæ Dei sunt, sed in sancto, & immaculato coniugio virum habuit, tanquam non haberet; & quemadmodum Sara obediebat Abrahæ, sic illa viro semper obediens fuit. Desiderij ingredien di Monasterium. Curis familiaribus à spiritualibus minime distrahebatur: sed rebus domesticis dispositis, non egrediebatur foras cum Dina, vt videret filias alienigenas, sed ipsas horas in secreto cubiculi sui deuote orando, & meditando quotidie transigebat. Abstinebat spectaculis, nuptiarum celebritatibus, non ingrediebatur domum conuiuij, neq; etiam cognatorum, eiusque oblectamenta, & deliciæ erant Ecclesias, & Hospitalia frequentare, verbi Dei prædicationibus, & diuinis Officijs cum deuotione intendere. Qualis du rante coniugio. At qua ratione in dies magis Christo placeret indagans, quod sibi viro alligatæ non licebat, id, vt Sorores suæ in Christo Romanæ mulieres præstarent, curauit. Itaque complures à sæculari ad arctioris vitæ institutum reuocans, domum religiosam Oblatarum in Regula Beati Benedicti Congregationis Montis Oliueti in Vrbe instituit. Et cum dedisset Domino innupta, dedisset nupta fructus suos, multiplicans Deus cum illa misericordiam suam, fructificare etiam eam voluit in sancta viduitate. Itaque, defuncto marito, paucis annis ante suam dormitionem, variis seruitutis obsequijs non destiti Christo famulari. Proinde sanctum clausturalis vitæ propositum sollicite adimplere volens, absque mora oblatas, quas ipsa Christo pepererat, nudis pedibus adit, ac vinculo de collo pendente, prona in terram, multisque cum lachrymis, quasi peccatrix indigna, non tanquam eatum parens suppliciter illas orat, vt se ipsarum numero adscribant. Adscripta, verbo, & exemplo, magnopere; vt par erat, in Sororibus profecit, donec consummato curriculo, ad coronam iustitiæ accipiendam de manu DEI, ætatis suæ anno quinquagesimo sexto, virtutum donis onusta; & signis, ac prodigijs clara à Domino euocata est. Cuius ex multis, ac præclaris virtutibus humiliras in primis, per quam ad solidam, veramque celitudinem peruenitur, maxime enituit. Non illi, etiam dum in coniugio vixit, quanquam nobili, & opulento viro collocatæ, serica, non auro contexta, sed vilis, & lanea vestis. In claustrali vita, esset licet omnium Oblatarum mater; item domi, quasi domina, ministrari nunquam, sed, memor Domini verbi, ministrare omnibus amabat, ac tanquam ancilla tractari, & ancilla videri delectabatur. alioque honoris titulo, quam peccatricis, immunditiæ vasculi, fœmineque vilissimæ, & abiectæ se minime insignijt. Nec verbis tantum, sed re etiam propter Christum, vt abiecta esset, sedulo curabat: ita vt sæpe è suburbana vinea sua reuertens, lignorum fasces in capite pauperibus portaret, interdum asellum, lignis, & sarmentis, in vsum similiter pauperum onustum, per Vrbem ageret; ostendens videlicet omnia esse facilia charitati, qua etiam beatam mulierem abunde fecisse à Spiritu sancto donatam, præter huiusmodi perfection is opera, cuius est vinculum charitas, illa præterea declarant. Super egenos, & pauperes benigne, & multifariam respiciebat, largas eleemosynas, hospitalium præsertim infirmis erogabat. Visitabat eos frequenter, neque solum afferebat corporis cibaria, sed monita etiam salutis, & ad Ecclesiæ sacramenta susciendalllos inducebat. Piumq; affectos consolandi officium, ad amorem Dei, & mundi contemptum cohortando; assidue præstitit. Orabat frequenter pro peccatoribus feruenti spiritu, maximeq; in id incumbebat eius sollicitudo, vt Romanas matronas à pompis sæculi, & ornatus vanitate abduceret. Ec quoniam, vt Beatus inquit Gregorius, pœna interrogat si quietus veraciteramat, sicut non extollebatur prosperis, sic tribulationib. agitata, non solum æquo animo, patienterque ferebat, sed nouit etiam, Sanctorum æmulando virtutem, Domino gratias agere. Nam exilio matrii, bonorumque magna iactura, & domus vniuersæ mœrore, aliquando grauiter tentata, eius quẽ relæ benedictiones illæ frequenter fuere, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Potuit similiter in eo, qui illam confortabat, non solum aduersa mundi huius, sed Principis quoq; tenebrarum visibilibus insultibus fortiter resistere. Sæpe enim inter orandum à Diabolo verberibus affecta, ad terram allisa, cæsaque in facie, induta loricam iustitiæ, & sumpto scuto fidei, Tentatorem sic imperterrita elusit, vt illi formidabilis euaderet; sed & Angeli præsidio, quem familiarem, protectorem, & comitem singulari Dei beneficio habebat, ab huiusmodi inimici tentationibus defensam in actis configuratum apparet; vnde factum putatur, vt post Beatæ FRANCISCÆ dormitionem, statim eiusdem imagines, cum

Monasterium à se ædificatũ defuncto marito inuras

Humilitas

Charitas.

Patientia.

Fortitudo.

Quare cũ Angelo pingatur.

Castigatio corporis.

Angelo pingerentur, & vsu retentum fuerit. Nec minori virtute in Christo IESV cum hoste domestico pugnauit. Sed exemplo electorum Dei, admirabilem in modum castigauit corpus suum, & in seruitutem redegit. Cibum illi semel in die herbæ, & legumina, aqua potum præbuerunt. Siue vigilaret, siue dormiret, asperum lancum indusium non exuebat, duroque cilicio, ac ferreo cingulo super nudum membra mortificabat; accedebant flagella ferreis aculeis aspera, quibus opusculum, quanquam aliunde attritum, seuerissime atterebat. Sed quoniam tanti illi erat obedientia, vt iussa ageret etiam quod nolebat, confessarii mandato ab huiusmodi corporis cruciatibus modice temperauit. His autem modis, eum, qui foris est, hominem affligens, ex quo ille qui intus est, firmior redditur, magno mentis ardore, diuina omnia, præsertim Domini passionem contemplabatur; tantumque lacrymarum profundebat, vt doloris sensu acerbissimo confici putarentur. Sæpe, cum oraret, maxime sumpto Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, spiritu in Deum eleuata, ac cœlestium contemplatione rapta, immobilis persistebat. Huiusmodi virtutes, ardentis fidei munere stabilitas, miraculorum clarissimis luminibus manifestare volens mirabilis Dominus, multa grandia signa, multaq; mirabilia operari per Sanctam suam, & viuentem, & dormientem dignatus est. Nam vt ex multis pauca referantur; primum super ægros manus imposuit, & bene habuerunt. Siquidem comitiali morbo grauissimo quinq; annorum ægrotus adolescens, Menicus nomine, Tartagliæ cuiusdam filius, cum illum ad Sanctam mulierem Rentius auunculus duxisset, vt orationibus eius iuuaretur, & illa manu super ægroti caput imposita, bene speraret iussisset, quando diuina bonitate confideret, amplius morbum non passurum, confestim sanatus est. Eiusdem manus contractu, puerum, Lælli de Cinque Romani filium, hernia cum ruptura laborantem, & mox chirurgo tradendum, extrema remedia adhibituro, statim similiter ancilla Christi sanauit: ac Sanctæ auxilium implorando obuiam illi facta fœmina quædam, Angelella nomine, quæ ex articulari morbo brachii vsum, absq; spe sanitatis perdiderat, illico conualuit. Dedit quoque admirabiliter per illam Dominus escam esurientibus, & opera, quæ ipse fecit, innouauit. Cum in Monasterio ageret, iam Oblata contigit aliquando, vt sororibus, tunc numero quindecim, sub refectionis horam, panis paucula solum fragmenta, quæ vix tribus reficiendis sufficiebant, esse cognosceret; quamobrem, cæteris valde sollicitis, sola ipsa immota Dominum prouisurum, inquit, positisque fragmentis super mensam benedixit, & comederunt omnes agentes gratias DEO, ac saturatæ sunt, tantumque panis superfuit, vt canistrum impleretur. Ad hæc cum ex iisdem sororibus complures extra Vrbem, ligna parandi causa, mense Ianuario essent, ac præ labore sitirent, & ad aquam hauriendam vllam ex iis procul ire FRANCISCA honestum non duceret, in Domino sperare illas iubet, Dominumq; prouisurum pariter affirmat; tum vero statim ad vicinam arborem conuersæ, vitem, & in ea tantum vuæ adspiciunt, vt suum vnaquæq; bortum, iussu FRANCISCÆ gratias DEO agentis, decerpere, ac sitim restinguere potuerit. Elementa quoq; non semel Beatæ FRANCISCÆ sanctitatis testimonium dederunt: Primum enim, cum in vigilia Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli à visitanda Apostoli Pauli Basilica, nonnullis ex sororibus comitata reuerteretur, in proximam vineam suam cum flexisset, ibique ad aquæ riuum sedisset, mentemque leuasset ad DEVM, in ecstasim rapta, super labentem aquam, minime aduertens, genua flexit, nec modico tempore aqua circumsepta perstitit; postquam vero ad se rediit, siccis vestibus ex aqua egressa est, non secus ac si illam non attigissent. Simili deinde miraculo eodem anno, & loco Beatæ Virginis MARIÆ horas recitans, ancilla DEI honorificata est; maximo enim imbre in aperto oppressa, orare nihilominus perseuerauit, & comitibus omnibus madidis, sola madefacta non est. Potens etiam fuit, cœlestis gratiæ dono, secreta cordium cognoscere: Etenim Laurentium Tuccii filium adolescentem à proposito occidendi gladio linguæ Franciscum Sclauinum educatorem suum reuocauit, Christiana charitate illum corripiendo, & à concepto peccato dehortando, quod nulli reuelauerat. Simili spiritu mortem inopinatam incolumis infantis, quasi præuidens, vitam illi æternam procurauit: Nam, hora secunda noctis, quæ diem natalem eiusdem infantis sequuta est, domo præter morem egressa, stimulo charitatis, & gratia Spiritus sancti, quæ tarda nescit molimina, impellentibus, intempestiua sollicitudine, vt cæteris videbatur, cum nulla acceleràdi baptismi appareret causa, vt statim baptizaretur curauit; post baptisma vero subitus infantem morbus, quem mors consequuta est, occulto Dei iudicio inuasit. Et his quidem figois, inter cætera clarificauit Dominus famulam suam, in seruitute corruptionis vitæ huius degentem; Postquam vero ab hac seruitute in libertatem gloriæ liberata est, ipso die dormitionis eius, quæ Vrbem vniuersam commouit, & duobus sequentibus, quibus diebus eius corpus in humatum fuit in Ecclesia Sanctæ MARIÆ Nouæ nuncupatæ, simili miraculo, quo Sanctorum suorum corpora non semel honorauit; FRANCISCÆ etiam corpus honorare dignatus est Dominus: Tantis enim odoribus fragrauit, vt omnia odoratis floribus referta visa fuisse acta testentur. Multa exinde ancillæ DEI sanctimoniæ præclara miracula fidem fecerunt: Complures enim grauissimis, & extremis morbis, opem, quam in medicinæ auxilijs inuenire non potuerunt, in eius, vel libri horarum Beatæ Mariæ Virginis, vel vestium contactu, per eius merita, & intercessiones præsentaneam inueneruat. Constat in, inter cætera Viterbiensem fœminam Augustinam Angeli lippitudine, quæ visum illi ademerat, panno oculis admoto, quo sacrum FRANCISCÆ corpus contectum fuerat, subito sanatam, & Hieronymum quemdam Aromatarium, qui peste laborabat, in articulo mortis eiusdem Sanctæ veste superiniecta, ac voto eidem facto subito similiter conualuisse; aliam vero fœminam febri cum pleuritide, ad perniciem procedente, affectam, cui medicus neque ad sequentem diem vitam promittebat, FRANCISCÆ velo lateri impositio, dolore statim liberatam, & postridie è lecto sanam consurrexisse. Multi etiam sanctæ mulieris auxilio, & intercessione deuote solum inuocatis, è morbis similiter variis, & grauibus diuina gratia euaserunt. In his mulier quædam, nomine Magdalena de Clarellis, peste & ipsa laborans, quæ quanquam chirurgi scalpello læsa, brachii dolore ita cruciaretur, vt non putaretur à morte procul abesse, eadem hora conualuit, qua mater ad FRANCISCÆ sepulchrum, pro filiæ sanitate orauit. Insigni quoq; miraculo crurum sanitati, Beatæ FRANCISCÆ intercessione, à Domino donatus fuit puer annorum quatuor, Pauli Totti filius, qui cum grauibus vlceribus incessu prohiberetur, mater quod puerum minime sanescere medicinæ remediis cerneret; illo in vinis suscepto, cum ad Sanctæ imaginem in Ecclesiam Beatæ MARIÆ Transtyberim, pro eius sanitate deuote oratum venisset, nondum finita oratione, ecce vinis deponi puer rogat, depositus ambulare incipit, ac domum pedibus redit, solutisque ligamminibus, & amoris emplastris, non solum sanis cruribus, sed etiam, vt diuina magis per Sanctæ suæ merita elucetet potentia, sine cicatricibus inuenitur. Huius itaq; tam excellentis sanctitatis lucernam, quoniam sub modio esse nolebat Dominus, sed aliquando super candelabrum, Apostolicæ auctoritatis decreto, constituendam præordinauerat, factum est, vel paucis mensibus post felicem Sanctæ obitum, vt hæc, mem. Andreas Episcopus Auximanus fe. rec.

Stirps cordium cognoscit.

Corpora defuncta fragrans.

Post mortem diuersis aliis miraculis claret.

Fertur in orationes.

Signa & miracula in curatione infirmorum

Multiplicatio panis.

Productio vuarum in Ianuar.

A flumine & à puteo non madefit.

EGenii

Tractatus super ipsa Canonisatione.

Eugenij Papæ Quarti Prædecessoris nostri, tunc in Vrbe in spiritualibus Vicarius, examen testium super eius vita, & miraculis committeret Episcopo Bonennensi, ac Priori Monasterii Sanctæ Crucis in Hierusalem Ordinis Canthusiensis, qui multorum testimonijs susceptis, summariam inquisitionem egerunt. Deinde vero biennio, ac nonnullis mensibus elapsis, & causa bo. mem. Cardinali de Albertis delegata, instantibus Procuratore, & Syndico Monasterii S. Mariæ Nouæ, anno Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, processu causæ huiusmodi coram bon. mem. Dominico Cardinale Firmano nuncupato, subdelegato Cardinalis de Albertis, rite instituto, triginta & octo testes super octoginta articulis recepti sunt. De sancto Eug. Prædecessore prædicto, anno Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, meritis B. FRANCISCÆ exigentibus fel. rec. Nicolaus Papa quintus pariter Prædecessor noster, qui Eugenio in Apostolatu successerat, ad Canonizationis eius negotium aggressus, inquisitionem peragi per Spoletanum, & Mindonien sem Episcopos mandauit; coram quibus à Procuratore, & Syndico prædictis testes ad numerum centum, & triginta duorum sunt producti, & super nouis articulis rite, & recte accepti, ac processus accurate, & legitime formatus. Ac licet rem transigi, & Beatam FRANCISCAM Sanctam declarari, nec tunc temporis, neque postea toto anno successerit; tamen Dominus Sanctæ suæ summum honorem, in terris debitum, ad hanc vsq; diem occulta dispensatione differri volens, non permisit interea aliis honorib. destitui; num quam enim deuotio fidelium erga ancillam suam refrixit in Vrbe, quinimo dies transitus eius, auctoritate Apostolica, & Populi Romani pia sollicitudine in honore, & in Curia Capitolina festus habitus fuit, donec fel. rec. Clemens Papa octauus Prædecessor noster, pro sua Pastorali prouidentia, spiritu Dei motus, piis eiusdem Populi Romani precibus benigne aures præbens, Canonizationis Beatæ FRANCISCÆ opus, ad decorem, & vtilitatem domus Dei iam diu cœptum consummandum censuit. Itaque bon. mem. Seraphino sancti Saluatoris in Lauro, necnon dilectis filiis nostris Hieronymo sancti Blasii de Annulo Pamphilio, & Io. Garziæ SS. Quatuor Coronatorum Tit. Sanctæ Rom. Ecclesiæ Presbyteris Cardinalibus Millino nuncupatis, tunc Sacri Palatii causarum Auditoribus commisit, vt viderent, an secundum Sacrorum Canonum Decreta, & Ecclesiæ Romanæ receptum morem Canonizatio huiusmodi celebrari posset. Illis vero, & in eorum locum, iisdem ad Cardinalatus honorem, eorum exigentibus meritis, promotis, postea subrogati dilecti etiam filii Franciscus Pennia, Horatius Lancellottus, & Ioan. Baptista Pamphilius, eiusdem Sacri Palatii causarum pariter Auditores, processus, & acta omnia ab exordio causæ, vt res postulabat, recensentes, probationes diligenter perpenderunt, nouoque processu ritè confecto, sanctitatis & miraculorum, B. FRANCISCÆ ab eius obitu ad annum vsque Millesimum sexcentesimum quartum, quo anno hæc agebantur, continuam constantemq; famam probati voluerunt. Verum, viam vniuersæ carnis ingresso Clemente Prædecessore, & humilitate nostra ad summum Apostolatus gradum nullo suffragio meritorũ à Domino euocata, nec cessante Populo Romano sancta sedulitate instare, vt causa Canonizationis huiusmodi absolueretur. Nos ex officii debito Pastoralis, quæ ad Dei laudem, & fidelium ædificationem sunt, quantũ in Domino possumus, promouere cupientes, ac non ambigentes id genus esse triumphalem Canonizationis honorem, per quem sapientiam Sanctorum narrant populi, & laudem eorum nunciant Ecclesiæ, patriæque nostræ Inclytæ Vrbis Romæ charitate cogente, ne filiæ suæ merita veneratione, quasi noua corona destitueretur, Prædecessorum nostrorum vestigiis insistentes, rei tantæ in nomine Domini perficiendæ consilium cœpimus. Quapropter, cognita eorundem ex Auditorum relatione: illorum pro Canonizatione sententia, illam, & vniuersam causam à Venerabilibus Fratribus nostris Sacri Rom. Ecclesiæ Cardinalibus sacris Ritibus, & Cæremoniis præfectis, accuratissime recognosci, & examinari mandauimus; qui re diu multumque discussa, ac disputata, Beatæ FRANCISCÆ vitæ excellentem cum fide sanctitatem, & præclara miracula ex omnibus processibus, primo excepto, satisq; legitime ad rem, de qua agebatur, probata & ad Canonizationem procedi recte posse censuerunt, Itaque eorum sententia vna cum omnibus, quæ in causa erãt, in Consistorio nostro Secreto à Venerab. fratre nostro Dominico Episcopo Ostien. Sanctæ Rom. Ecclesiæ Card. Pinello nuncupato, Sacri Collegii Decano, & eorundem Cardinalium antiquiore, summatim, & appositè relatis, cum reliqui Cardinales, qui adfuerunt idem censuissent; in publico sequenti Consistorio audita dilectorum filiorum Cameræ Vrbis nostræ Conseruatorũ pro Canonizatione huiusmodi, per dilectum filium Hieronymum de Rubeis P. R. Aduocatum habita, diserta oratione, ac de re tanta Nos, vt oportebat, cum iisdem Cardinalibus, & Episcopis deliberaturos, responso dato; eosdem Cardinales, & Episcopos ad implorandum cleemosynis, ieiuniis, & orationibus diuinum auxilium, in Domino hortati sumus. Deinde eorundem Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Vrbe præsentium, Consistorio semipublico indicto, in quo etiam nostri, & Apostolicæ Sedis Notarii, & Sacri Palatii Apostolici Causarum Auditores vocati adfuerunt. Idem Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi omnes B. FRANCISCAM ex iis, quæ à Nobis proposita, & ex processu relata fuerant, iure canonizandam esse censuerunt. Quorum sententiis auditis, Nos gratias Deo agentes, quod ancillam suam per ministerium nostrũ honorificari velle dignaretur, Canonizationis diei declarationem nobis reseruauimus, omnesq; ad deuotè interim nobiscum orandum, & eleemosynis, ieiuniis, ac sacrificijs cœlestem Spiritus sancti fauorem in eam rem infirmitati nostræ procurandam, iterum adhortati sumus. Ac tandem, rite peractis omnibus, quæ Sanctorum Patrum auctoritas, Sacrorum Canonum statuta, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudo in re huiusmodi peragenda præscribunt, hodie in Sacra B. PETRI Principis Apostolorum Basilica, ad quam vna cum iisdem fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisq; Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, ac familiaribus nostris, Clero sæculari, ac regulari, hymnum AVE maris stella, Beatæ Mariæ Virgini, cantorum cœtu resonante, solemni ritu processimus, maxima populi frequentia: Post prædictorum Conseruatorum, pro Canonizationis decreto, per eumdem Aduocatum consuetas petitiones repetitas, post factas litanias, hymnosq; decantatos, precibusque in spiritu humilitatis præmissis, ac Spiritus S. gratia rite implorata.

Canonizatio per Paulum V. Põt. facta.

Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, ad Fidei Catholicæ exaltationem, & Religionis Christianæ augmentum, auctoritate eiusdem Sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus S. Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Vrbe præsentium consilio, & vnanimi consensu, Beatã FRANCISCAM Romanam, ex oblatis Monasterij Turris speculorum Vrbis, ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Oliueti, cuius corpus Romæ in Ecclesia S. Mariæ nouæ nuncupatæ in pace quiescit, de cuius Sanctitate vitæ, fidei sinceritate, & miraculis plene constabat, & constat, Sanctam esse definimus, ac Sanctarum mulierum catalogo adscribendam decreuimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, illamque omnes fideles venerari mandauimus,

& mandamus: Statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia in eius honorem Ecclesiæ, & Altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari & consecrari possint, & singulis annis die 9. Mart. festum ipsius, & Officium Sanctarum, nec Virginum, nec Martyrum ad Breuiarii Romani præscriptum deuote celebretur. Præterea, eadem auctoritate, omnib. vere pœnitentib., & confessis, ac sacra Communione refectis, qui annis singulis eodē die festo ad Sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, deuote accesserint, necnon Ecclesias, & Altaria in ipsius honorem constructa deuote pariter visitauerint eadē Indulgentias & peccatorum remissiones concessimus, & elargiti sumus, prout concedimus & elargimur, quæ cæteris diei Ordinis Ecclesiis in diebus Festis eiusdem Congregationis Montis Oliueti Sanctorum iam concessa sunt. Denique exactis omnibus, quæ Canonizationis huiusmodi postulabat, ac Deo Patri immensę maiestatis, venerandoq; eius vnico Filio, sanctoq; Paracleto Spiritui laudibus sacro hymno cantatis, Ecclesiæ communi precę orauimus Dominum, vt quoniam B. FRANCISCÆ festiuitate gaudebamus, eius exemplo piæ deuotionis eruditemur affectu, ac sacrosanctis sacrificiis ad Altare Principis Apostolorum Pontificali ritu, cum eiusdē Sanctę commemoratione oblatis plenariam omnib. Christi fidelib. ibi præsentibus ad Dei laudem, & gloriam Sanctæ eius, peccatorum Indulgētiam, & remissionem concessimus. Confiteamur igitur Domino Dominorum, per quem amici eius honorificantur nimis, & à quo gloria, & honor omni operanti bonū. Et quoniam Sanctæ huius præsidium iam cernimus nobis diuinitus comparatum, æquum est nos sempiternam clementiam orare, vt cuius in terris voluit his nostris calamitosis temporib. gloriam manifestari illam, etiam in tribulationibus nostris nobis adesse, & obsecrationes pro Ecclesię S. exaltatione, hęresum extirpatione, Principum Christianorum vnione, patrocinio suo promouere sentiamus, per Christum Dominum nostrum. Cæterum, quia nimis difficile foret præsentes nostras Literas ad singula loca, vbi opus esset, deferri, volumus, vt earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadē vbiq; fides habeatur, quæ ipsis præsentibus, si exhibitæ, vel ostensæ essent, haberetur. Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. D C. VIII. 4. Kal. Iunii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

✠ Ego Paulus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Dominicus Episcopus Ostien. Cardinal. Pinellus.
† Ego Fr. Hieronymus Episcopus Portuen. Card. Asculan.
† Ego Anton. Maria Episc. Prænestin. Card. Gall.
† Ego Antonius Episc. Albanen. Card. Saulius.
† Ego Marianus Episc. Tusculan. Card. de Camerino.
† Ego Euang. tt. SS. Lauren. in Lucina Presb. Card. Cusentin.
† Ego Fr. Gregorius tt. S. Mariæ Transtyb. Presb. Card. de Mont'Elpero.
† Ego Franc. Maria tt. S. Mariæ in Aracœli Presb. Card. à Monte.
† Ego Octauius tt. S. Alexii Presb. Card. Parauicinus.
† Ego Octauius tt. S. Praxedis Presb. Card. Aquauiua.
† Ego Octauius tt. S. Sabinæ Presb. Card. Bandinus.
† Ego Laurentius tt. S. Lauren. in Pane, & Perna Presbyter Card. Blanchettus.
† Ego Bartholom. tt. S. Mariæ in Porticu Presbyt. Card. Cæsius.
† Ego Franc. tt. S. Mariæ de Populo Presbyt. Card. Mantica.
† Ego Pompeius tt. S. Balbinæ Presbyt. Card. Arigonius.
† Ego Bonifacius tt. sancti Hieronymi Illyricorum Presb. Card. Beuilaqua.
† Ego Dominicus tt. S. Honufrii Presb. Card. Thuscus.
† Ego Robertus tt. S. Mariæ in Via Presbyt. Card. Bellarmin.
† Ego Dominic. SS. Duodecim Apost. Presb. Card. Gymnas.
† Ego Antonius tt. S. Crucis in Hierusl. Presb. Card. Zapara.
† Ego Innoc. tt. SS. Nerei, & Acchilei Presb. Card. Bubalus.
† Ego Ioan. tt. S. Marci Presb. Card. de Vicentia.
† Ego Iacob. tt. S. Stephani in Monte Celio Presb. Card. Saunesius.
† Ego Hieronymus tt. S. Blasii ad Annulo Presb. Card. Pamphilus.
† Ego Ferdinandus tt. S. Eusebii Presb. Card.
† Ego Scipio tt. S. Chrysogoni Presb. Card. Burghesius.
† Ego Ludouic. tt. S. Pancratii Presb. Card. Montis regalis.
† Ego Mapheus tt. S. Petri in Monte Aureo Presb. Card. Barberinus.
† Ego Io. Garsias tt. SS. 4. Presb. Card. Millinus.

Ego

† Ego Marcellus tt. SS. Quirici, & Iulitæ Presbyter Card. Lantes.
† Ego Franciscus Sfortia Diac. Card. S. Mariæ in via lata.
† Ego Alexander S. Laurentii in Damaso Diacon. Card. Montaltus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Andreas sancti Angeli in foro Piscium Diac. Card. Perettus.
† Ego Io. Bapt. S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Detus.

S. Cobellutius.

S. de Vrsinis.

Registrata apud Scipionem Secretarium.

ANNO CHRISTI 1441.

Eugenii Papæ IV. anno 11.
Friderici Regis Rom. anno 2.

I. ETIAM in hunc annum, fere in vniuersa Italia feruens bellum, habebat solicitum animi Pontificē Eugenium. Philippus Vicecomes Mediolanensium Dux quiescendi nescius, Nicolaum Picininum copiarum ducem, aduersus Franciscum Sfortiam Venetorum & Florentinorum exercitus ductorem tanto acrius incitauit, quanto contemptui se ab illo magis haberi existimauit, cum is Blancam puellam, matrimonio contrahendo Ferrariam vsq; Mediolano missam, domum remisisset. Prætextus erat, ne Venetos quibus militabat suspicione distringeret, si affinitatem cum Philippo, fidei datæ anteponeret. Sunt, qui ex composito omnia facta fuisse, interpretarentur; quandoquidem, & Nicolaus Atestinus non alia de causa Mediolanum reuerterat, quam vt animum Sfortiæ pronum in Philippum renunciaret; & paulo post, cum vterque exercitus ad Martinengum consedisset, Sfortiæ quidem ad id oppidum oppugnandum, Picinini vero ad propugnandum; sicque omnis belli impetus adeo incubuisset, vt singulorum opinio esset, in eius solius oppidi aut expugnatione, aut defensione, consistere totius belli fortunam; in tanto partium apparatu nihil est gestum memoria dignum. Stationarii exercitus nihil se incessentes bellum trahere, tantopere, vt iam ipsorum ducum fides suspecta esset multis tamquam occultum inter se fœdus iniuissent, vt bellum de industria traherent, ac quando omne robur Italiæ militiæ secum haberent, prouincias inter se partirentur. Sed vetus simultas, notumq; factionum odium fidem opinionis huius leuabat. Fiebant tamen omnia trepidius, quum Philippus siue fœderis inter duces icti suspicione imbutus, siue immensa bellorum dispendia pertæsus, siue quod plures crediderē, insolentissimis Picinini, & aliorum qui ipsius stipendium merebant postulatis offensus repente ab armis ad pacem conuersus, ad Sfortiā occulte misit, qui filiam, omnesque sui principatus fortunas eius fidei traderet. Vnus, & alter Legatus, qui cum mandatis à Philippo venerāt, nocte vna remotis arbitris cum Sfortia locuti, rem ita compēsuere, vt postridie Sfortia tabernaculo egressus hilari vultu Maripetro Legato, & iis qui officii causa aderant pacem nunciarit. Inde in vtrisq; castris edictū est, vt bello abstineretur, ipsiq; duces inter se cōgressi, dextras iunxerunt, mutuaq; vsi sunt gratulatione. Sfortia primum Oratorem ad Foscarum principem & Senatum Venetum, qui pacem nunciaret misit; deinde ipse missionē postulaturus Venetias iuit. Fuit pax quæ afferebatur Venetis eo gratior, quo minus expectata. Actę sunt illi gratiæ ingentes, quod bello & diuturno, & laborioso finem imposuisset. iret, & quod ipsi Duci, Venetoq; nomini bene verteret, quibus vellet condicionib. pacem sanciret. futurum, vt Veneti firmum, ratumq; haberēt, quicquid ipse pacis arbiter à Philippo designatus super ea re statuisset. Pacis conditiones fuere, vt vtrinque post priorem pacem capta restituerentur. Brixia & Bergomum cum suis finibus Venetæ essent ditionis; Cremona Blancæ coniugi dotis nomine addiceretur, cætera quæ citra Abduam essent Philippo restituerentur: Veneti Lunatum & Piscariam retinerent, cætera Mantuanorum finium Gonzaga princeps reciperet. ita tamen vt ex Leniacensi portu præsidium abduceret. Veneti Turbulas, & cætera circa Benacum loca quæ capta essent bello haberent. Bononia intra biennium Pontifici restitueretur à Picinino. Aftorgius Fauentin. post locorum restitutionem quæ ex Florentinis occupasset, custodia liberaretur. Genuenses liberi essent, nec quicquā rei his esset cum Philippo. Probarunt cæteri Sfortiæ huiusmodi arbitrium: Ludouicus Patriarcha Aquilegiensis Pontificius Legatus, quia parum rebus Ecclesię consultum crederet, neq; ipse probauit, neq; cuiquam probandum censuit. Nam & Eugenius ipse Pontifex ægre admodum tulit, Bononiā, omniaq; Flaminiæ loca, cum ex fœdere belli socius fuisset, non statim fuisse sibi restituta. idq; Francisci Sfortiæ culpa factum causabatur, qui cæteris omnibus se postergato, de restituendis amissis causset, in eoq; suam auctoritatem nimium neglectam querebatur, eiusq; rei culpam in eundem Franciscum reiiciebat, magna, prout par erat, indignatione aduersus eum concitatus. Itaq; cum his conditionibus confecta pax summum Italiæ gaudium attulisset, Ecclesiæ non item; non quod non congratularetur de concordia Principum & fine bellorum; sed quia erga Pontificem, neque æquitas; neque pietas seruata fuisset: qui sicut in fœdere cum Florentinis & Venetis socius, ita & in componendis rerum turbinibus arbiter primarius, atque in omnibus pater patriæ, non debuerat ad eum modum tractari. *Sanctus Antoninus 3. part. tit. 22. capite vndecimo. §. decimo sexto. Sabellicus ennead. 10. lib. 5. Simoneta lib. Pignal. 7. Corius parte 5.*

Pax inter Philipp. Ducem & Sfortiam inita, à Pont. Legato non probatur imo ob tam Pont. Sfortiæ indignatur.

Nono Kalend. Nouembris, Sfortia, præmium eius transactionis à Philippo tulit, Blancam vxorem Cremonæ desponsam, non tamen ad omnem animi gustum. Secundum enim pacem promulgatam, Philippus parum firma valetudine; & tot annorum curis fessus, cum genero non admodum fideret, ne forte imperandi cupiditate præceps soceri factum non operiretur, procurationem, atque adeo rerum omnium potestatem Nicolao Atestino permittere constituit, haud dubitans Sfortiam æquo animo primas partes illi concessurum, tum propter nobilitatem ac virtutem, tum quod eum parentem ac dominum palam appellaret. Proculitaque ab imperandi molestiis, Principis tantum nomine contentus, Atestino liberam Mediolanensis dominii administrationem detulit; ac tribunos & centuriones vt Nicolao potius quam sibi, si quid secus imperasset, dicto audientes forent Sacramento adegit, & Nicolai Atestini paruo compendio, & suo maxime incommodo. Atestinus, Præfecturæ nec vnum mensem excessit, nocte quæ diem 6. Kalen. Ianuarii est subsecuta, non sine suspicione veneni, ex morbo repentino ac longe grauissimo, viuendi fine fa-

Sfortia Blancam Philippi filiam, vxorem accipit.

&c. Inter Philippum porro & Sfortiam nonnulla postea intercesserunt, quæ illum quidem vitæ, istum autem Piceno eiecerunt: quod suo loco inferius narrabimus. *Pighæ lib. 7.*

II. *Cōsilia & Conatus Alphōsi & Philippi contra Eugenium & Sfortiam.*

Quo tempore Franciscus Sfortia, Venetorum & sociorum nomine contra Philippum certabat, varia Philippus contra Eugenium Pontificem confœderatorum Principem consilia agitauerat. Quia enim nouerat Alfonsum Aragonum Regem, non satis æquum esse Eugenio, titulum & ius Regni Neapolitani illi perneganti; illud etiam inprimis curauit, vt in Eugenium Regem concitaret, sociosque illi & auxiliarios quoquomodo detraheret. Ergo legationibus vtrimque missis, illud primum effecit, vt Alfonsus aduersus Antonium Caudolam Pontificis stipendiarium exercitu immisso, plurima ei oppida interceperit, & ad Eugenii militiam deserendam compulerit. Cum autem Alfonsus, nihil sibi ad consequendam de regno victoriam nisi vnum Sfortiam Ecclesiæ Romanæ vexilliferum obstare animadverteret, de occupanda illius in eodem regno ditione consilium accepit, & ad Beneuentum præcipue animum vertit. Istud, cum prodenre Petro præfecto recepisset, Calatiam, Paduli, Apicium, Vticlatam ad dedition em compulit, Vticlatum expugnauit, ac in prædam vertit: Troiam frustra oppugnauit; Rupem Guillelmam, Antonii Spinelli castellum, vicinioribus quibusdam castellis & vicis in potestatem redactis, armis tentauit: atque omnia quæ Sfortia in Brutiis tenebat, incursionibus vexauit: nec quicquam resistere potente, Ioanne ex Comitibus Taliacotii Vrsino, Cardinali Archiepiscopo Tarentino, quem Eugenius Pontifex Legatum rebus Neapolitanis tuendis, cum decem millibus militum, sub signis Ioannis Antonii Vrsini Comitis Taliacotii miserat. Inter Alfonsum & Philippum sane conuenerat, vt Rex agrum Romanum infestaret; & si posset, ipsam quoque Romam interciperet; Picinum, si apud Martinengum victoria potitus fuisset, in Picenum contra eundem Sfortiam duceret; ipse Philippus aliis copiis Veneros & Florentinos ad extremam deserendi Eugenii necessitatem adduceret: neuter vero pacis tractationem aliquam, vel cum eo, vel cum fœderatis sanciret, nisi Alfonso quidem de Regno Neapolitano, Philippo autem de amissarum vrbium recuperatione caueretur. Quo autem magis obnoxium sibi Philippum redderet Alphonsus, Blancam eius filiam totius Sfortiæ desponsam, Henrico fratri, Aragoniæ infanti vxorem postulabat: vtque in quacunque concordiæ mentione, ne Eugenio, patria Veneto, fideret, serio monebat: aperte iam multis modis ostendens, parum se eius amicitiam curare, aut potestatem vereri, illam nullo suo fructu, istam vano metu. Istud etiam longe magis Alphonsus demonstrauit, quando Philippus ad pacem inclinauit. Enimuero Ioanni Zaburgadio Oratori, qui Philippo ad eandem cum Eugenio, Venetis, Florentinis, & Genuensibus concordiam inuitanti respondere iniunxit; parum sibi fiduciæ esse in Eugenio, quē de possessione Regni, toties missis legationibus totq; & tantis oblatis quantas obtulisset conditionibus; in vanum interpellasset: reliquorum societatem, aut arma nihil morati, cui superi in regno consequendo, iam à decem fere annis, proprietatem tribuissent, æmuli vero Renati vires labefactassent. Erant, qui nimiam sui fiduciā in Alphonso non probarent: maxime, cum & Eugenius Pontifex palam conatibus eius obsisteret, & Felix antipapa quanquam ingentibus pollicitationibus vteretur, necquicquam de eius Regni iure aut possessione decerneret. *Surita annal. Aragon. libro 15. capite 2. 3. 4. 5. 6. Simoneta libro sexto. Facius libro septimo.*

III. *Eug. Genuēsibus mittit res Renatenses.*

Genuenses, qui fœdus ad societatem cum Eugenio aduersus Alfonsum communem hostem, ac multis de causis vtrique inuisum iunxerant, cum non possent classem auxiliarem hoc anno emittere; Eugenius contra illos iratus, sese ab illis ludificatum vociferans, asperis verbis in illorum (vt ipse appellabat) perfidiam inuectus est: neq; exasperatus animus vllis vnquam excusationibus, aut necessitatis, aut temporum reipublicæ mitigari potuit. Interea Renati res magis ac magis in dies labebantur: omnesque illo deserto sese ad Alfonsum applicabant, cum illius liberalitate inuitati, tum desperatione rerum Andegauensium debilitati; cum Renati inopiæ par certamen cum Alfonsi opibus haud diu fore cernerent. Neapolique terrestri ac maritima obsidione acriter circumsessa, frugum atque omnium necessariarū rerum penuria vehementer laborabatur. nec duratum esset, nisi naues Genuenses furtiuo subsidio submissæ, ter aut quater in anno annonam in vrbem inuexissent, quibus discedentibus mare iterum claudebatur, vrbsque in antiqua mala redigebatur, vt hæc anniuersaria impensa vrbem Genuam assidue exhauriret; essentq; Genuenses res Neapolitanæ veluti profunda quædam vorago, quam nihil vnquam expleret, quæ tamen vix tolerabilia impendia Genuenses patienter ferebant; idque non tam ob certamen, quod aduersus Alfonsum animis imbiberant, ac veteris & inexpiabilis in Cathalanam gentem odii stimulos; quā quod vires hominum naualibus opibus, atque vsu, & peritia pollentium supra modum crescere, atq; in Italia conualescere nolebant. ad hoc Alfonsi animum tot tamquam actibus omnium temporum causis irritatum, num quam sibi placabilem fore sperabant. *Foliet. hist. Genuen. l. 10.*

Eug. Renato fauens foedus cum Rege Gallo init.

Petrus Bizarus memorat, Eugenium Pontificem, vt Renati statum in Campania, ac pleris q; Italiæ partibus mutantem & inclinantem præsenti fulcimento confirmaret, enixe dedisse operam, vt noui fœderis iure, Galliæ Reges Romanę Sedi denuo obligaret; quo sane inter alia, de mutuo consensu sancitum atq; pactum erat, vt Pontifex equestri exercitu, Genuenses vero, in maritimis expeditionibus nauali classe arma aduersus Alfonsum & Aragonii nominis socios expedirent. Et ne pecuniæ penuria bellicos apparatus aliqua ex parte remoraretur, imperatum fuit passim nouum vectigal, sc. mercimoniorum centesima. Id quamprimum Alfonsus intellexit, Pontificem nouis ictis fœderibus contra se conspirasse, atq; eo esse deuentum, vt Genuæ instructa noua classe, arma vndique aduersum se conquirerentur, summa cum diligentia rebus suis ita prospexit, vt ad omnem euentum paratus, belli aleam subire non vereretur. Nam quamuis Aragonii nominis potentia multum in Italia, propter diuersas procerum factiones ac studia esset ferē attrita & labefactata; tamen cum ipse late patentem ditionem, magnosque ac potentes socios & confœderatos haberet, nulla ratione se aduersariis suis inferiorem existimabat, ita vt non addubitaret, præmissis aliquot triremibus, & minoribus nauibus, totius Ligusticæ oræ tractum grauissime infestare. Quo sane factum est, vt Ligures haud parum perterriti, ac sibi mirum in modum metuentes, annonæ caritatem, venaliumque rerum pretia ita augerent, vt postmodum omnium rerum necessariarum inopia passim in vrbe laboraretur. Non deerant etiam in ipsa Italia, qui clam & aperte Alfonsi partibus, adeoque Aragonio nomini fauerent; & inter cæteros quidem Galeotus Carretinus, Finarii Marchio, Ligustici status & nominis exules, aliosque à Republica quacunque de causa proscriptos, ostenso asylo; ad se recipere, classem Regiam in portum admittere, & commeatibus iuuare, aliaque subsidia ostendere, quæ vel ab amico, vel à subdito necessitatis tempore expectari & exhiberi solent. Hisce conatibus cum nonnisi maximis sumptibus, variisque modis iri obuiam posset, omnis pecunia ex fœdere coacta & parata, partim in extruenda classe, partim in reprimendis terra mariq; enascentibus motibus absumpta, occasio fuit Eugenio contra Genuenses irascendi. *Bizar. histor. Genuen. libro 12.*

Alphonsus Ligusticas oras grauissime infestat.

Annonæ caritas in vrbe Genuen.

IV. *Eug. contra Felicem antip. anathema profert & Nuncios ad diuersa Regna mittit*

Hoc anno, Pontifici Eugenio aliud grauius bellum bellandum fuit. Felix antipapa Basileæ residens, ex sententia Basiliensis conciliabuli, non intermittebat diras contumelijs plenas in illum, & in vniuersos tam S. Rom. Ecclesiæ Cardinales, quam Prælatos, Reges, Principes, Clerum, ac populos Eugenio tamquam vero Pontifici obsequentes iactare, nec non reliquas in hæreticos & schismaticos in sacris canonibus sancitas pœnas, quasi in obnoxios eiusmodi criminum promulgare: tum demum beneficiis & dignitatibus Eugenianos priuare, inq; locum eorum suos affectas subrogare; & ad extremū omnes Christi fideles ab obsequio Eugenii auertere, cum ingenti scandalo pusillorum, quibus ægre fuerat Ecclesiam sine ruga à Christo relictam pernicioso schismate diuidi, viresq; Christianorum, quas contra hostes communes vertere debuerāt, labefactari. Non potuit istam infelicis pseudopontificis temeritatem ferre Eugenius, quin retunderet. Itaq; pro more Ecclesiæ recepto, anarhema in contumacē, & in sectarios sequaces, siue Basileæ adhuc hærentes, siue alibi locorum dispersos, mandatis antipapę obedientes, pronunciauit, atq; pœnas schismaticis & hereticis debitas, illis decernere cōtinuauit. Et quia Felix emissarios suos in orbem Christianum dispersarat, qui ab vno ouili Ecclesiæ Romanæ populum seducerent, & sectam facerent; Eugenius quoq; Pontifex, verus custos eius mandræ Dominicæ, pro officio Pastorali, Nuncios in vniuersa Regna misit, qui falsimoniam aduersariorum detegerent, & in vnitate pro qua Christus orauit & laborauit, cunctos populos continerent. Cæterum quod non defuturos præuideret Græculos, qui tam Græcos, quam Ruthenos Græci ritus in Moscouia & Russia, ab ea vnione, quam summo labore in Concilio Florentino confecerat auertere conarentur, Isidorum natione Bulgarum, Archiepiscopum Kioniensem Græci ritus, Cardinalem recens creatum, Sedis Apostolicæ Legatum, virtum maturum & prudentē, cum literis vnionis, tam Apostolicis, quam Imperatoris Constantinopolitani, in Russiam & Moscouiam destinauit. Sandeciam Regni Poloniæ ciuitatē ad Carpathi radices sitam, per Vngariam ex Italia veniente, Sbigneus Cracouiensis Episcopus, summo honore atque Angelum Dei accepit, & ad celebranda more Græco diuina, tamq; Rom. Ecclesiæ reunitum admisit. Inde cū Isidorus ad suos suffraganeos Græci ritus Episcopos in Russiam, & Moscouiam iuisset, & vnionem illam eis prædicaret, à Principe Moscouiæ captus, in carcere reclusus, & omnibus thesauris, quos ingentes conquisierat, spoliatus fuit. Diuina tamen fauente gratia è captiuitate liber, ad officium suadendæ vnionis redijt; sed parum profecit: Græcis & Ruthenis omnia irridentibus atq; spernentibus. *Micchonius l. 4. c. 52.*

Isid. Card. Bulg. in Moscouiā & Russiā ab Eugen. missus à malo Duce euitur, & male tractatur sed in Dei gratia liber euadit.

V. *Iacobini cum suo Patriarcha ad vnionem cum Eccl. Rom. reuniunt.*

Quo anno, cum aliquem dolorem ex abortu quorundam Græcorum & Ruthenorum doleret, Deus aliunde voluit noua prole illum cumulare. Iacobinorū n. in Oriente Patriarcha, vnionis Ecclesiasticæ cupientissimus, missa honorifica legatione, Sedi Apostolicæ inclinauit, & ad vnum Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ ouile supplex admitti postulauit. Aperuit illi Eugenius benignitatis Apostolicæ sinum, & salutaribus doctrinis eruditum, recto credentium populis annumerauit. Auctus ex nouæ prolis accessione immenso gaudio, voluit illud vniuersæ Ecclesiæ cōmunicare; deq; Iacobinorum reductione, has quas adiungo litteras euulgare. Ita habent.

Littera Eug. de Iacobinorum reductione

Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cantate Domino quoniam magnifice fecit; annunciate hæc in vniuersa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quoniam magnus in medio tui Sanctus Israel. Cantare profecto, & exultare in Domino decet Ecclesiam Dei, pro hac grandi magnificentia, & gloria nominis sui, quam hodierna die clementissimus Deus operari dignatus est. Tot siquidem corde laudare, & bene-

dicere Saluatorem nostrum nos conuenit, qui Sanctam Ecclesiam suam nouis quotidie accumulat incrementis. Quamquam a. in populum Christianum sua beneficia omni tempore multa & magna sint, quæ luce clarius erga nos suam immensam charitatem ostendunt; si tamen accurate inspicimus, qua, & quanta his diebus nouissimis diuina clementia fecere dignata est, iudicare certe poterimus, hoc nostro tempore, plura, ac maiora, quam à multis retroactis temporibus suæ charitatis munera extitisse.

Ecce enim nondum exacto triennio, in hac Sancta Oecumenica Synodo, saluberrimam trium magnarum nationum vnionē, Dominus noster Iesus Christus, pro sua ineffabili pietate, ad cōmune perenneq; totius Christianitatis gaudium, tam copiose effecit; vnde factum est, vt totus fere Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non pauca Septentrionis portio, post longa dissidia cum S. Rom. Ecclesia, in eodem Fidei & charitatis vinculo iam conuenerint. Primo etenim Græci, & ii qui subsunt quatuor Patriarchalibus Sedibus, multas gentes, nationesq; & ideomata continentibus; deinde Armeni, multorum populorum gens; hodie vero Iacobini, magni etiam per Ægyptum populi, S. Sedi Apostolicæ vniti sunt.

1. Et cum nihil Saluatori nostro Domino nostro Iesu Christo gratius sit, quam mutua inter homines charitas; nihilq; nomini suo sanctissimo, atq; Ecclesiæ vtilius esse possit, quam vt Christiani, omni inter se sublato dissidio, in eadem simul Fidei puritate conueniant; merito nos omnes, & cantare præ gaudio, & inbilare in Domino debemus, quos vt tantam Christianæ Fidei magnificentiam diebus nostris videremus, diuina miseratio dignos effecit. Summa igitur cum alacritate, annunciamus magnalia hæc in vniuersa Christianorum terra, vt sicut nos à gloria Dei, & exaltatione Ecclesiæ gaudio inenarrabili repleti sumus, ita & alios tantæ latitiæ participes faciamus, vt omnes vno ore magnificemus, & glorificemus Deum, & suæ Maiestati prout dignum est, magnas quotidianasq; gratias agamus, pro tot, tantisq; mirabilibus beneficiis, hac ætate, Ecclesiæ suæ Sanctæ collatis.

2. Et quoniam qui operis Dei diligenter exercet, non modo meritum ac retributionem in cœlis expectat, sed & apud homines amplam gloriam laudemq; meretur, Venerabilem Fratrem nostrum Ioannem Iacobinorum Patriarcham, huius sanctæ vnionis cupidissimum, à nobis, & tota Ecclesia merito laudandum & extollendum, ac communi omnium Christianorum fauore, cum tota suagente dignum iudicamus. Is enim à nobis, per nostrum Oratorem, ac litteras excitatus, vt ad nos, & hanc Sanctam Synodum legationem mitteret, & se, ac suam gentem, in eadem cum Ecclesia Romana Fide vniret, Dilectum filium Andream, natione Ægyptium, Abbatem Monasterii S. Antonii apud Ægyptum, in quo & habitasse, & mortuum esse S. Antonius perhibetur, religione & moribus non mediocriter instructum, ad nos & ipsam Synodum destinauit; cui deuotionis zelo accensus impositum, atq; commisit, vt Fidei doctrinam, quam Sancta Romana Ecclesia tenet, & prædicat, nomine ipsius Patriarchæ, & suorum Iacobinorum reuerenter susciperet, deferendam postea ad ipsum Patriarcham & Iacobinos, vt & ipsi eandem agnoscerent, ratamq; haberent, & in suis regionibus prædicarent.

3. Nos igitur, quibus voce Domini commissum est, pascere oues Christi, ipsum Andream Abbatem per nonnullos huius tam Sacri Concilii insignes viros, super articulis Fidei, & Sacramentis Ecclesiæ, & quibuscunque ad salutem spectantibus diligenter examinari fecimus, & tandem quantum visum est fore necessarium, expositæ eidem Abbati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Fide Catholica, & per ipsum humiliter acceptata, hanc quæ sequuntur, veram necessariamq; doctrinam, hodie in hac solenni sessione, sacro approbante Oecumenico Concilio Florentino, in nomine Domini tradimus.

VI. *Forma veræ & necessariæ doctrinæ legato Patr. Iacobinorum tradita.*

4. *Inprimis igitur Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini & Saluatoris nostri voce fundata firmiter credit, profitetur, & prædicat, Vnum verum Deum, Omnipotentem, incommutabilem, & æternum, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum essentia, trinum in personis, Patrem ingenitum; Filium ex Patre genitum; Spiritum Sanctum ex Patre Filioq; procedentem. Patrem non esse Filium aut Spiritum sanctum. Filium non esse Patrem, aut Spiritum sanctum; Spiritum non esse Patrem, aut Filium: sed Pater, tantum Pater est: & Filius, tantum Filius est: & Spiritus sanctus, tantum Spiritus sanctus est. Solus Pater de substantia sua genuit Filium: Solus Filius, de solo Patre est*

genitæ; Solus Spiritus sanctus, simul de Patre procedit & Filio. Et tres personæ sunt vnus Deus, & non tres. Denique trium vna est substantia, vna est essentia, vna natura, vna diuinitas, vna immensitas, vna æternitas; omniaq; sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Propter hanc vnitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu sancto; Filius totus est in Patre, totus in Spiritu sancto; Spiritus sanctus totus est in Patre, totus in Filio. Nullus aliunde aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Æternum quippe & sine initio est, quod Filius de Patre extitit. Et æternum, ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de Patre Filioq; procedit. Pater quicquid est aut habet, non habet ex alio, sed ex se. & est principium sine principio. Filius quicquid est, aut habet, habet à Patre, & est principium de principio. Spiritus S. quicquid est, aut habet, habet à Patre, simul & Filio. Sed Pater & Filius non duo principia Spiritus sancti, sed vnum principium, sicut Pater & Filius, & Spiritus S. non tria principia creaturæ, sed vnum principium.

5. Quoscunq; ergo aduersæ & contrariæ sentientes damnat, reprobat, & anathematizat, & à Christi corpore, quod est Ecclesia, alienos esse renunciat. Hinc damnat Sabellium personas confundentem, & ipsorum distinctionem realem penitus auferentem. Damnat Arrianos, Eunomianos, Macedonianos, solum Patrem Deum verum esse dicentes, Filium autem, & Spiritum S. in creaturarum Ordine collocantes, damnat & quoscunq; alios, gradus seu inæqualitatem in Trinitate facientes.

6. Firmissime credit, profitetur, & prædicat; vnum verum Deum, Patrem & Filium, & Spiritum S. esse omnium visibilium & inuisibilium creatorem, qui quia bonus est voluit bonitate sua vniuersa tam spiritualia, quam Corporalia condidit creaturas, bonas quidè quia à summo bono facta sunt, sed mutabiles, quia de nihilo facta sunt, nullamq; mali asserit esse naturam, quia omnis natura in quantum natura est, bona est. Vnum atq; eundè Deum veteris & noui testamenti, hoc est legis & Prophetarum, atq; Euangelii professetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto flante, vtriusq; testamenti sanctis locuti sunt, quorum libros suscipit, & veneratur, qui titulis sequentib. continentur. Quinq; Moysis, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, Duob. Paralipomenon; Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Hester, Iob. Psalm. Dauid, Parabolæ, Ecclesiaste, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiastico, Isaia, Ieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele, Duodecim Prophetis minoribus, id est Osea, Ioele, Amos, Abdia, Iona, Michea, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggeo, Zacharia, Malachia, Duob. Machabæorum. Quatuor Euangelis, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Quatuordecim Epistolis Pauli ad Romanos, Duab. ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, Duab. ad Thessalonic. ad Colossenses, Duab. ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebr. Petri duab. tribus Ioannis, Vna Iacobi, Vna Iudæ. Actibus apostol. & Apoc. Ioan.

7. Propterea Manicheorum anathematizat insaniam, qui duo prima principia posuerũt, vnum visibilium, aliud inuisibilium, & alium noui testamenti Deum, alium veteris esse Deum dixerũt.

8. Firmiter credit, profitetur, & prædicat vnam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei filium, ex Patre genitum, Patri consubstantialem, & coæternum in plenitudine temporis, quam diuina consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis veram hominis integram, & naturam ex immaculato vtero Mariæ Virginis assumpsisse, & sibi in vnitatem personæ copulasse, tanta vnitate, vt quicquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum, & quicquid est hominis, non sit à Deitate diuisum, sit q; vnus & idem, indiuisus, vtraq; natura in suis proprietatibus permanente Deus & homo. Dei filius, & hominis filius, æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Immortalis & æternus, ex natura diuinitatis, passibilis & temporalis ex conditione assumptæ humanitatis.

9. Firmiter credit, profitetur & prædicat, Dei filium in assumpta humanitate ex virgine veré natum, vere passum, vere mortuum, & sepultum, vere ex mortuis resurrexisse, in Cœlum ascendisse, sedereq; ad dexteram Patris, & venturum in fine seculorum ad vtuos mortuosq; iudicandos.

10. Anathematizat autem, execratur, & damnat, omnem hæresim contraria sapientem. Et primo damnat Ebionem, Cherinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Fotrium, omnesq; similiter blasphemantes, qui percipere non volentes vnionem personalem humanitatis ad verbum, Iesum Christum Dominum nostrum, Deum verum esse negauerunt, ipsum purum hominem cõfitentes, qui diuina gratiæ participatione maiori, quam sanctorũ vitæ merito susceptus, diuinus homo diceretur. Anathematizat etiam Manichæum cum sectatoribus suis, qui Dei filium, non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus subtulerunt. Nec nõ Valentin. asserentem, Dei filium, nihil de virgine matre cœpisse, sed corpus cœleste sumpsisse, atq; ita transisse per vterum virginis, sicut per aquæductum defluens aqua transcurrit. Arrium etiam, qui asserens corpus ex virgine assumptum anima caruisse, voluit loco animæ fuisse deitatem. Apollinarem quoq; qui solam posuit animam sensitiuam, sed deitatem verbi, vicem rationalis animæ tenuisse voluit. Anathematizat etiam Theodorũ Mopsuestenũ, atq; Nestorium, asserentes, humanitatem Dei filio vnitam esse per gratiam, & ob id duas esse in Christo personas, sicut duas fatentur esse naturas, cum intelligere non valerent, vnionẽ humanitatis ad verbum hypostatiũ extitisse, & propterea negarent verbi subsistentiam accepisse; nam secundum hanc blasphemiam, nõ verbum caro factum est, sed verbum per gratiã habitauit in carne, hoc est, nõ Dei filius homo factus est sed magis Dei filius habitauit in homine. Anathematizat ẽt, execratur, & damnat Eutychen Archimãdritam, qui cum intelligere nõ vellet vnionem Nestorii blasphemiã, veritatẽ incarnationis excludat, & propterea oportere, quod ita Dei verbo vnita esset humanitas, vt Deitas & humanitas vna esset, eadẽq; persona, ac etiam capere non posset, stante pluralitate naturarũ, vnitatem personæ, sicut deitatis & humanitatis, in Christo vnam posuit esse personam, ita vnam asseruit esse naturam, volens ante vnionem dualitatem fuisse naturarum, sed in vnam naturam in assumptione transisse, maxima blasphemia, & impietate concedens, aut humanitatem in Deitatem, aut Deitatem in humanitatem esse conuersam. Anathematizat etiam, execratur, & damnat, Macharium Antiochenũ, omnesq; similia sapientes, qui licet post vnionem dualitatem, & personæ vnitate sentires, tamen circa Christi operationes enormiter obberrauit, dicens in Christo vtriusq; naturæ vnam fuisse operationem, vnamq; voluntatem. Hos omnes cũ hæresib. suis anathematizat sacrosancta R. Ecclesia, affirmans in Christo duas esse voluntates, duasq; operationes.

11. Firmiter credit, profitetur & docet, neminẽ vnquã ex viro fœminaq; conceptũ à diaboli dominatione fuisse liberatũ, nisi per meritum mediatoris Dei, & hominum Iesu Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis hostis peccata nostra delẽdo, sol⁹ sua morte post. aufert, & regni cœlestis introitũ; quem primus homo peccato proprio cum cõsuccessione perdiderat, reseruit, quem eliquãdo venturũ omnia veteris testamenti sacra sacrificia, Sacramenta, ceremonia præsignarũt.

12. Firmiter credit, profitetur, & docet, legalia veteris testamenti, seu Mosayca legis, quæ diuiduntur in cærimonias, sacra sacrificia, Sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet diuino cultui illa ætate congruerent, Domino nostro Iesu Christo adueniente cessasse, & noui testamenti Sacramenta cœpisse. Quemcunq; etiam post passionem in legalibus spem ponentem, & illa ad salutem necessaria se subdentem, quasi Christi fides sine illis saluare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat, à Christi passione vsq; ad promulgatum Euangelium, illa potuisse seruari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum Euangelium sine interitu salutis æternæ, asserit non posse seruari.

13. Omnes ergo post illud tempus, circumcisionis, & Sabbati, reliquorũq; legalium obseruatores, alienos à Christi fide denũciat, & salutis æternæ minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus respiscant. Omnibus igitur qui Christiano nomine gloriantur, præcipit omnino, quocunq; tempore, vel ante, vel post baptismum, à circumcisione cessandum, quoniam siue quis in ea spem ponat, siue non, sine interitu salutis æternæ obseruari omnino non potest. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subueniri, nisi per Sacramentum baptismi, per quod eripiuntur à diaboli dominatu, & in Dei filios adoptantur, admonet, non esse per quadraginta, aut octuaginta dies, seu aliud tempus, iuxta quorundam obseruantiam, sacrum baptisma differendum, sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri. Ita tamen quod mortis imminentis periculo mox sine vlla dilatione baptizentur, etiam per laicum, vel mulierem, in forma Ecclesiæ, si desit Sacerdos, quemadmodũ in decreto Armenorũ plenius cõtinetur.

14. Fir-

14. Firmiter ceteroquin profitetur & prædicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilq; reiiciẽdum quod cum gratiarum actione percipitur, quia iuxta verbum Domini non quod intrat in os coinquinat hominem; illamque Mosaycæ legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam, ad ceremonialia asseris pertinere, quæ surgente Euangelio transierunt, & efficacia esse desierunt. Illam etiam Apostolorũ prohibitionem, ab immolatu simulachrorũ, & sanguine, & suffocato, dicit, illi tempori congruisse, quo ex Iudæis atque Gentilibus, qui antea diuersis ceremoniis moribusq; viuebant, vna surgebat Ecclesia, vt cum Iudæis etiam Gentiles, aliquid communiter obseruarent, & in vnum Dei cultum, fidemq; conueniendi præberetur occasio, & dissensionis materia tolleretur, cum Iudæi propter antiquam consuetudinem sanguis & suffocatum abominabilia viderentur, & esu immolaticii poterant arburari, gentiles ad idololatriam redituros. Vbi autem eousque propagata est Christiana religio, vt nullus in ea Iudæus carnalis appareat, sed omnes ad Ecclesiam transeuntes, in eosdem ritus ceremoniasque conueniant, credentes omnia mũda mundis, illius Apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessauit effectus. Nullam tamen ubi naturam condemnandam esse denunciat, quam foueras admittis humana, nec inter animalia discerni, dum per quemcunque siue virum, siue mulierem, & quocunque genere mortis intereant, quamuis pro salute corporum, pro virtutis exercitio, pro regulari & Ecclesiastica disciplina, posint & debeant multa non negata dimitti, quia iuxta Apostolum omnia licent, sed non omnia expediunt.

15 Firmiter credit, profitetur, & prædicat, nullos intra Catholicam Ecclesiam non existentes, non solum Paganos sed nec Iudeos, aut hæreticos atque schismaticos æterna vita fieri posse participes, sed in ignem æternum ituros, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, nisi ante vitæ finem eidem fuerit aggregati. Tantumque valere Ecclesiastici corporis vnitatem, vt solum in ea manentibus ad salutem Ecclesiasticæ Sacramenta proficiant, & ieiunia, eleemosynæ, ac cætera pietatis officia, & exercitia militiæ Christianæ præmia æterna parturiant. Nemineque quantascunque eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse saluari, nisi in Catholica Ecclesiæ gremio, & vnitate permanserint.

16. Amplectitur autem, approbat, & suscipit, Sanctam Nicænam Synodum trecentorum decem & octo Patrum, temporibus beatissimi Syluestri prædecessoris nostri, & magni Constantini piissimi Principis congregatam, in qua impia hæresis Ariana cum suo auctore damnata est, & definitum est. Filium Dei, Patri esse consubstantialem, & coæternum.

17. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit Sanctam Constantinopolitanam Synodum centum quinquaginta Patrum, beatissimi Damasi prædecessoris nostri, & Theodosii senioris tempore conuocatam, qua ipsum Macedonii anathematizauit errorem, qui Spiritum Sanctum non Deum, sed Creaturam asserebat, quod damnant, damnat, quod approbant, approbat, & per omnia vult ibidem definita, illæsa & inuiolata sustinere.

18. Amplectitur etiam, approbat, suscipit sanctam primam Ephesinam Synodũ ducentorum Patrum, quæ tertia est in ordine Vniuersalium Synodorum, sub beatissimo Cælestino prædecessore nostro, & Theodosio minore conuocatam, in qua impius Nestorius est damnata blasphemia, definitumque est, Dominum nostri Iesu Christi veri Dei, & veri Hominis vnam esse personam, & Beatam Mariam semper virginem, non solum Christotocon, sed etiam Theotocon, hoc est, non tantum hominis, sed etiam Dei genitricem, ab omnibus prædicandam.

19. Damnat autem, anathematizat & respuit impiam secundam Ephesinam Synodum sub Beatissimo Leone prædecessore nostro, & præfato Principe congregatam, in qua Dioscorus Mexandrinus Antistes, Eutychis hæresiarchæ defensor, & Sancti Flauiani Constantinopolitani Pontificis impius persecutor, execrandam illam Synodum ad approbationem Eutychiana impietatis, arte & minis attraxit.

20. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit, Sanctam Chalcedonensem Synodum quartam in ordine vniuersalium Synodorum, sexcentorum & triginta Patrum, temporibus præfati Beatissimi Leonis prædecessoris nostri, & Marciani Principis celebratam, in qua hæresis Eutychiana cum suo authore Eutyche, & Dioscoro defensore damnata est, & definitum est, Dominum nostrum Iesum Christũ esse verum Deũ, & verum Hominẽ, & in vna eademque persona, diuinã humanamque naturas, integras, inuiolatas, incorruptas, inconfusas, distinctasq; manisse, humanitate agente quæ hominis sunt, & Deitate, quæ Dei, quos damnat, damnatos habet, quos approbat, approbatos.

21. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam quintam Synodum, secundam Constantinopolitanam, tempore beatissimi Vigilii prædecessoris nostri, & Iustiniani Principis celebratam, in qua sacri Chalcedonensis Concilii diffinitio de duab. naturis, & vna persona Christi, renouata est, multiq; Origenis errores, suorumque sequacium, præsertim de damnorum aliorumque damnatorum pœnitentia, & liberatione, reprobati atque damnati sunt.

22. Amplectitur etiam, approbat, & suscipit Sanctam tertiam Constantinopolitanam Synodum, centũ & quinquaginta Patrũ, quæ sexta est in ordine Vniuersalium Synodorum temporib. Beatissimi Agathonis prædecessoris nostri, & Constantini IV. huius nominis Principis congregatam, in qua Macharii Antiocheni, & sectatorum hæresis condemnata est, & definitum est, in Domino nostro Iesu Christo, duas esse perfectas, integrasque naturas, & duas operationes, duas etiam voluntates, inde esse vna eademque persona, cui vtrisque natura competerent actiones; Deitate agente, quæ Dei sunt; & Humanitate quæ hominis sunt.

23. Amplectitur etiam, veneratur, & suscipit, omnes alias vniuersales Synodos, auctoritate Romani Pontificis, legitime congregatas, ac celebratas, & confirmatas; & præsertim hanc Sanctam Florentinam, in qua inter alia Græcorum & Armenorum Sanctissima vnio consummata est, & multæ circa veramque vnionem saluberrimæ definitiones editæ sunt; prout in decretis desuper promulgatis continetur; quorum tenor in hunc modum sequitur.

Omittitur insertio Bullarum, vnionis tam Græcorum quam Armenorum, quia sunt supra productæ ad verbum.

24. *Verum quia in suprascripto decreto Armenorum, non est explicata forma verborum, quibus in consecratione corporis & sanguinis Domini, Sacrosancta Romana Ecclesia, Apostolorum doctrina, & auctoritate firmata, semper vti consueuerat, illam præsentibus duximus inserendam. In consecratione Corporis Domini, has vtitur forma verborum:*

Hoc est enim corpus meum.

Sanguinis vero;

Hic est enim Calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

25. *Panis vero triticeus, in quo Sacramentum conficitur, an eo die, an antea decoctus sit, nihil omnino refert. Dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post prafata verba consecrationis Corporis à Sacerdote, cum intentione conficiendi prolata, mox in verbum Corpus Christi transubstantietur.*

26. *Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias; tamquam condemnatas respuere, nepeccatum, vbi non est, esse putetur; cum secundum Apostolum mortuo viro, mulier sit ab eius lege soluta, & nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec distinguat, mortuo primo, secundo, vel tertio, declaramus, non solum secundas, sed tertias, & quartas, atque vlteriores si aliquod impedimentum Canonicum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si vlterius à coniugio abstinentes, in castitate permanserint; quia sicut virginitatem viduitati, sta nuptiis castam viduitatem, laude ac merito præferendam esse censemus.*

27. *His omnibus explicatis, prædictus Andreas Abbas, nomine dicti Patriarchæ, ac proprio, & omnium Iacobitarum, hoc saluberrimum Synodale decretum, cum omnibus suis Capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionib. præceptis & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quicquid tenet, & docet Sancta sedes Apostolica, & Romana Ecclesia cum omni deuotione & reuerentia suscipit, & acceptat. Illos quoque Doctores & Sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipse reuerenter suscipit; Quascumque vero personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, & damnat, ipse pro re-*

VII. *Legatus Patr. Iacobinorum formam doctrinæ sibi traditam cum omnibus in ea contentis nomine domini Patr. acceptat & suscipit.*

probatis & damnatis habet: profitens tamquam verus obedientiæ filius, nomine quo supra, Sedi Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus fideliter, & semper obtemperare.

28. *Lecto solenniter in præsenti Synodo hoc decreto, Latino sermone, mox in Arabico, præfatus Andreas Abbas ipsum Iacobinorum decretum publice ibidem perlegit, atque infrascripta verba in scriptis Arabice subiunxit, quæ incontinenti Latine recitata sunt.*

Beatissime Pater, Domine Eugeni, Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ Summe Pontifex, vereq; Christi Vicarie, ac Beati Petri Successor, & Sanctissima Vniuersalis Florentina Synodus, totum hoc Sanctum Decretum, cum insertis & Sãctis decretis vnionis Græcorum & Armenorum, quod nunc in vestra præsentia publice lectum est; Ego Andreas humilis Abbas S. Antonii, Orator Reuerendi Patris Domini Ioannis Patriarchę Iacobinorum, habens ipsius decreti per plures dies plenam notitiam & instructionẽ, cognosco, confiteorque, omnia in ipso decreto contenta, diuinæ, ac Catholicæ veritati consona existere. Nomine igitur præfati Domini Patriarchæ, omniumq; Iacobinorum, ac meo, quemadmodum vestra Sãctitas attestatur, præfatum salubertimum Synodale decretum, cum dictis insertis decretis, omnibusque suis Capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam; necnon quicquid tenet, & docet Sãcta sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione & reuerentia suscipio, & accepto. Illos quoque Doctores, & Sanctos Patres quos Ecclesia Romana approbat, reuerenter suscipio: Quascumq; vero personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, & damnat, pro reprobatis, & dãnatis habeo, pollicens nomine quo supra, ipsum Patriarchã, Iacobinosq; & meipsum, tamquam veræ obedientiæ filios, vestris, ac sedis Apostolicæ decretis & iussionibus, fideliter, & semper obtemperaturos.

Datum Florentiæ, in publica Sessione Synodali, solenniter in Ecclesia Domus Sanctæ Mariæ Nouellæ, apud quam nunc residemus celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ. M. CCCC. XLI. pridie Nonas Februarii. Pontificatus nostri anno 6. Tom. 1 Bullarii.

VIII. *Eugeniana contra errorem de diuisione.*

Eodem tempore cum Pontifex Eugenius, nonnihil irrepsisse de die communionis erroris intellexisset, istum in modum quem adiungo rescripsit.

Eugenius Papa IV. Dilecto filio Iacobo de Primaticis, de Bonouia, Ordinis Minorum de obseruantia Regulari.

Fide digna relatione percepimus, in Ciuitate Licii non paruam per hæc tempora excitatam fuisse commotionem, de die debita perceptionis Sanctissimi corporis Domini nostri Iesu Christi, & per aliquos religiosos esse affirmatum, quod non communicantes actualiter in die Resurrectionis Dominicæ, mortaliter peccarent, etiamsi in die Ioui Sancto, & aliis quibuscumque diebus infra annum pluries & frequentatis vicibus communicassent: quod pias auribus audire est molestum.

1. *Recolimus alias per quoddam nostrum Breue scripsisse venerabili Fratri nostro Episcopo Licien si, quod intelligebamus satisfactum esse sipaulo ante, vel paulo post diem Resurrectionis Domini quis communicet: miratis sumus, quod postmodum noua controuersia reuixerit: sed inimicus homo superseminauit zizania.*

2. *Nos igitur cupientes, purgatum triticum in horreum Domini congregare, & inutilibus contentionibus finem dare attendentes iuxta doctrinam Beati Augustini, quod solent circumstantia scripturarum illuminare substantiam veritatis, & non solum adiacentia, sed etiam præcedentia & subsequentia verba sunt cõsiderande prudenter, cum dicat Canon Ecclesiæ; Omnis vtriusque sexus fidelis, saltem semel in anno confiteatur, & infra suscipiens adminus in Pascha reuerenter Eucharistiæ Sacramentum, & sequitur, nisi de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus, ab eius perceptione duxerit abstinendum: dicimus expresse, non intentionis Legislatoris fuisse animas illaqueare fidelium, sub culpa mortali, ad communicandum præcise in die Resurrectionis Dominicæ, sed terminum statuisse à Pascha ad Pascham, cum dicit semel in anno, & infra; adminus in Pascha &c. Mensem igitur magis quam verborum sonus est attendenda discrete. Intelligimus itaque optimo iure satisfactum esse Canoni, si in hebdomada Sancta, vel infra Octauam Paschæ Resurrectionis Dominicæ, secundum meliorem dispositionem conscientiæ, & aptiorem mentis deuotionem, fideles præparatione debita Sanctum Eucharistiæ pignus accipiant; & cum Domino Pascha celebrent ad salutem. huic sententiæ omnes volumus acquiescere.*

3. *Quare dilectioni tuæ committimus, vt prædicta, vbi oportere intelligas, populis nota facias. tom. 1. Bullarii.*

IX. *Basileenses festinant Visit. B. M. olim ab Vr. VI. & Bonif. IX. Pont. in stitutam decernunt.*

Eodem anno simiæ Basileenses, vt sucum suæ impietati obducerent, pietatis speciem induere voluerunt, & quasi in Diuam Deiparentem, quæ Mater pulchræ dilectionis audit, flagrãtissima charitate arderent, festinitatem Visitationis eiusdem, iam olim ab Vrbano VI. & Bonifacio IX. Pontifibus institutam, decernere voluerunt. Causas addiderunt, quia præter quod in dies maiores orbi Christiano imminebant calamitates, quæ eo magis omnes ad inuocandum, propitiandumque diuinum numen accendere deberent, æquum quoque videretur, singularem Deiparæ lætitiam annua memoria celebrare, quam ea potissimum hausit, cum ad cognatam Elisabetham, Spiritus Sancti admonitu, inuisit grauida grauidam ingenti vtrimque miraculo, quod & virgo concepisset, & sterilis; Illa Dei filium, hæc filiorum hominum omnium præstantissimum: quo etiam tempore Ioannes Christum Saluatorem primus omnium in matris vtero aduorauit, insolitoq; motu, quam inde hausit lætitiam manifestauit. Dies huic celebritati declaratus, Iulii secundus. Hæc sunt ea de re acta Basileensia, quæ adscribo.

SESSIO XLIII.

De visitatione B. Mariæ Virginis.

SACROSANCTA generalis synodus Basileensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Inter assiduas militantis Ecclesiæ turbationes & procellas, quibus ipsa dietim affligitur, illa singularis iucunditas & egregia exultatio communitati fidelium relicta est, vt Dominum creatorem nostrum intimis præcordiis diligentes, eundem in sanctis suis deuote glorificent. Per hoc enim & ipse Dominus, qui gratiam illis præstitit, digne collaudatur, & ipsorum sanctorum promptiora erga nos reddimus patrocinia. Quod quidem singulariter est agendum, cum calamitates ingruunt, quæ absque demeritis hominum non contingunt, vt per ipsorum sanctorum preces & merita, misericordia Domini super peccatis hominum imploretur, & humanum genus ab imminentibus malis & innumeris periculis præseruetur. Inter alios autem omnes qui cœlestem regem pro nobis interpellent, præcipue ad glorioſissimam illam & omni laude dignissimam Dei genitricem Mariam est recurrendum, quæ quanto altior exstitit, tanto humilius ad nos respicit, omnes ad se trahere cupiens, pro quibus in vtero gestauit Saluatorem. Hæc apud Deum, quem ipsa peperit, sedula pro nobis aduocata, nos iuuat, nos tuetur, nos protegit, nos exaltat: hac omnibus qui ad eã recurrunt, promptissimum exhibet patrocinium. Huic igitur sanctissimæ Virgini, etsi plures sfestiuitates veneranda sanctorum Patrum antiquitas consecrauit; irruentibus tamen dietim maloribus mundi calamitatibus & angustiis, quæ ad expetenda eiusdem Virginis auxilia vehementius vrgent, iucunditatem illam sibi cœlitus datam, non immerito conuenit celebrari, dum Virgo eadem beatissima cæleſtí edocta nuncio, & Spiritu sancto duce ascendens cum festinatione in montana, humilẽ Zachariæ domum intrauit. Iesus enim qui in vtero illius erit, festinabat adhuc in ventre matris Ioannem positum sanctificare. Et ipsa Virgo glorioſissima cognatam

tam Elizabet visitãs, non minus illam suaui quam fructuoso salutault alloquio. Maximam namq; lætitiam fidelium mentib. debet ingerere excellens illud mysterium, quo matres illæ glorioſæ, totius salutis nostræ feres primordia, tam familiariter inter se exultarunt, cum Virgo excellentissima de stirpe Dauid Maria, & veneranda inter filias Aaron Elizabeth inuicem colloquũtur: quarum altera creatorem omnium & Saluatorem nostrum, altera præcursorem Ioannem gestat in vtero: & sanctæ illæ miraculo matres effectæ, diuina inter se beneficia commemorãt. Felix quidem illa conuentio, & magnis diuinæ gratiæ splendoribus illustrata, qua tales & tantæ in vnum matres pariter effuerunt, quarum altera Virgo ex Spiritu Sancto, altera sterilis & in senectute conceperat, & vtriusq; partum cœlestis Angelus præ nunciauit: Quia Ioannes adhuc maternis reclusus claustris, venientem ad se Dominum in Matris vtero venerat. Qua repleta Spiritu sancto Elizabet, conceptui filii Dei & saluatoris hominum gratulatur; qua & ipsa Prophetans, beatissimam dixit Mariam quæ credidit, & rem data sibi a mysteria pandit: Qua deniq; repleta, ineffabili gaudio mater Domini Maria, omnia in corde suo conferens, quæ vel prius ab Angelo, vel tunc ab Elizabeth perceperat, in canticum & laudẽ domini prorumpit. Nunc admirabilem Dei potentiam, qui respexit humilitatem Ancillæ suæ, collaudat; nunc magnitudinem operum eius glorificat, nunc refert misericordiam, quæ progenie in progenies super se timentes diffunditur, nunc iustitiam, qua superbi deiiciũtur, & humiles exaltantur, magnificat: nunc promissionem Abrahæ & semini eius factam, & iam tunc complenda commemorat, ac quod se Beatam omnes generationes vsque ad consummationem seculi dicerent, diuina inspiratione prophetauit. Eandemque prophetiam sic manifeste videmus ingiter adimpleri, vt supervenientes generationes ipsam Virginem Beatam & Beatissimam magis ac magis merito dicere conentur. Quis igitur tantam lætitiam satis poterit explicare? Quis tanta mysteria condignis laudibus prosequatur? Quis hæc gaudia sufficienter exponat, dum Ioannes nondum natus exultat, Elizabeth aduentu Virginis collætatur, Maria in mysteriis gaudet, clausus in vtero Saluator, à suo recognoscitur præcursore, lætantur Angeli, Cœlum & terra iucundantur, & tota Trinitas nouis laudibus glorificatur? Hæc igitur gaudiorum magnitudo, specialibus est extollenda præconiis. Hæc singularibus solemnitatibus celebranda, in qua & dominum qui gestatur in vtero, & Virginem quæ portat, & sterilem quæ concepit, & præcursorem qui visitatur, condecentibus prosequi debemus honoribus. In cuius commemoratione, qui tribulati sunt, Mariam implorant, quæ gaudiorum huiusmodi memor (vt sperandum est) non solum supplicantes exaudiet, sed sicuti ex sua clementia consuevit, etiam supplicare volentium preces præueniet. Quæ considerans hæc sancta Synodus, cum in hoc tempore tota, proh dolor, Christianitas in laboribus & angustiis constituta cernatur, cumque fere vbique diuisiones & bella per humani generis hostem introducta vigeant, & ipsa etiam Ecclesia militans non mediocribus agitetur procellis, dignum esse iudicauit, solennitatem hanc quæ congrue visitatio Beatissimæ Virginis appellatur, in singulis Christianorum ecclesiis celebrari, vt honorata in hac celebritate per pias & deuotas fidelium mentes mater gratiæ & omnis consolationis sacerrima Virgo Maria, Benedictum Filium suum iam multis hominum peccatis offensum, sua intercessione concilians, pacem & vnitatem fidelibus largiatur. Ideoque statuit & decernit eadem sancta synodus, ad honorem ipsius Virginis Dei genitricis, vt post expleta resurrectionis dominicæ, pentecostes, gloriosæ Trinitatis, sacri corporis CHRISTI, beatorum Ioannis Baptistæ, ac Apostolorum Petri & Pauli solennia, in quibus Ecclesia post solennitatem Annuntiationis Dominicæ, quam præfata visitatio temporis ordine consestim sequebatur, est occupata, per singulas Christianorum ecclesias quolibet anno sexto nonas Iulii festum huiusmodi visitationis gloriosæ Virginis celebretur. Hoc igitur solenne festum amplectantur Christi fideles, & omnes qui Beatam Virginem singulari deuotione prosequuntur, secum in hac solennitate suæ exultationis congaudeant. Quam vt eo libentius in diuinis honorent officiis, quo magis spiritualibus fuerint excitati muneribus, ipsa sancta Synodus omnibus Christi fidelibus, qui matutinis, processioni, sermoni, Missarum solemniis, vel primis aut secundis vesperis huius Gloriosæ Virginis festiuitatis interfuerint, pro vnoquoque officiorum prædictorum centum dies de iniunctis pœnitentiis misericorditer elargitur.

Datum in sessione nostra publica in ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata, Calendis Iulii, Anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo primo.

Et quidem ista Basileenses, sub specie pietatis.

X. *Fundatio Confraternitatis misericordiæ apud Florentinos & Collegii studiosorum Patauii Spinellum dicti.*

Alii, veræ pietati ex animo addicti, in Schola virtutum, Romana Ecclesia, perseuerantes, non minora, maiore animo præstiterunt; Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus; & Belfortis Spinellus, Cassanensis Episcopus; ille Sodalitio Misericordiæ, apud Florentinos instituto; iste Collegio studiosorum, Patauina in vrbe condito, ditatoque, illo inquirendis, colligendis, iuuandisq; egenis, qui mendicare erubescerent: isto, quamquam aliis quoque, cæterum tamen nobilissimæ, vetustissimæ. & per multa in tempul. Christianam merita illustrissimæ familiæ Spinellæ studiosis, bono publico alendis, promouendisque. Sanctus Antoninus, vt erat acris morum & virtutum censor, nota integritate præfectos esse voluit illi sodalitio; non minore iudicio Spinellus, acerrimo studiorum desiderio Curatores dedit, reliquitque suo Collegio; Ille, suo tempore Franciscum Benedicti Strozæ, Michaelem Petri Benini, Bernardum Marci Saluiati, Pandolfum Ioannis Oricellarii, Morellum Pauli Morelli, & Antonium Maphæi Barberini, abnepotem illius Francisci Barberini, quem Bocatius de genealogia Deorum libro decimo quinto, capite sexto. hominem honestate morum, spectabili vita laudabilem, integerrimæ fidei, reuerentia dignum; inter venerabiles Florentiæ ciues optimum, inter egregios quoscunque viros numerandum, poeticæ adeo scientem, vt eius splendidi ingenii, quamquam Rithmis vulgari idiomate editis opuscula, nobilitatem apud nobilissimos Italiæ eruditos impresserint, & quod caput est Sacrorum Canonum Archimystem, elogiis & encomiis ornat, & super illustrissima sui seculi syndera tollit; Spinellus, Legationibus ad Concilium Constantiense, ad Martinum quintum Pontif. Max. & ad complures orbis Christiani Principes, grauissimis in negotiis reipubl. Christianæ à Ioanna Regina Neapolitana, ingenti cum honore absolutis æternitate dignus, suo Collegio, quod Nicolai Spinelli patris voluit appellari, Antonium, Galeazium ex Luca fratre nepotem, illum quem Alfonsus Aragonum Rex dignum sua oppugnatione censuit; & ex eo in seram posteritatem descendẽtes primogenitos Spinellorum, masculæ virtutis hæredes, eo vel præcipue studio, vt omnes ex ea stirpe, vel ab eius beneficio docti, fulgeant sicut stellæ in perpetuas æternitates, non minus quam ab Antonini Florentini pietate, propagata Barberinorum,

Stroziorum, Saluiatorum & reliquorum in misericordiæ officium succedentium soboles, audiat illud diuinitus promissum: *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ, & ædificabuntur in te deserta seculorum; fundamenta generationis & generationis suscitabis; & vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietem.* Isai. 58. Abscondita hæc mystica tandem recondat Deus, vel in eum qui velut barba Aaron, in sanctiore Sanctuario, ex quo charismata meliora vtriusque scaturiginis, affluentissimo fluuio deriuantur in oram vestimenti Dominici. O fiat officium eius Sodalitatis est stipem conquirere, egenos mendicare erubescentes inuestigare, collata vel quoquomodo bona quæsita in eos erogare; clam istud facere, omnia conquisita distribuere, nulla prædia emere, nullos certos reditus comparare, dictam pietatem & humilitatem exercere; si qua stabilia vt vocant relicta fuerint, illico in vsus pauperum eorrogare, vt perpetuo discant, & dicant. *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi.*

Institutum sodalitatis misericordiæ, refertur ad hunc annum: quo etiam Belfortis Spinellus Venetiis diem clausit extremum, in Ecclesia Misericordiæ conditus, & hoc epitaphio onustus, *Reueren. in Christo Patris & Domini Do. Belfortis de Spinellis de Neapoli vrbis Cæsianæ Episcopi dignissimi, Decretorumque Doctoris Clarissimi, quondam Domini Nicolai Militis & Doctoris, qui die decimo tertio Septembris 1441. animam Deo tradidit, quæ quiescat in pace.* ex Bulla canoniz. Sancti Antonini data à Clemente Quarto, & monumentis vtriusque famil.

XI. *Fundationes pias & alia egregia facta Chicheleyi Archiep. Cantuar.*

Non minora pietatis monimenta reliquit in patria sua, atq; in Ecclesia, Henricus Chicheleyus Archiepiscopus Canthuariensis, vir prudens, magnanimus, Eugenio quoad viueret addictus, de Ecclesia perinde ac de Republica optime meritus. Hic in oppido de Helgham Ferreys, in quo natus est, Collegium magnificũ extruxit, in eoq; Clericos seculares, & prębẽdarios, beneficiis & dignitatib. Ecclesiasticis locupletatos collocauit; ac in eodem oppido pauperibus hospitalem domum cõdidit, eiq; multa prædia in vsum & eleemosynas pauperum comparauit, quod à fratrib. deinde suis Roberto & Wilhelmo Chicheley ciuib. Londinensibus, quos in testamento hæredes instituit, permultis aliis adiectis & acquisitis prædiis auctum & dilatatũ est. Neq; his extructis Archiepiscopus acquieuit, quia Oxonii ad litterarum studia colenda collegium celeberrimum Omnium animarum, necnon Collegiũ S. Bernardi, quod postea à Thoma Vuit Maiore Londinensi & Milite possessionibus auctum, & Collegium sancti Ioannis appellatum est, erexit. Cantuariæ præterea Bibliothecam repatauit, ac cuiuscunq; generis libris instruxit: maximam Cãpanilis partem fabricauit, ac Conuentui plurima ornamenta ac iocalia donauit. Viuus, proprium tumulũ in quo sepeliretur mortuus, de consensu Conuentus in Ecclesia Canthuariensi condidit. Procuratores Curiæ suæ de Arcubus iudice sedente, eo indui habitu, quo in Academiis artium Baccalaurei vtuntur, primus fuit. In iurisdictione exercenda seueritatem cum æquitate coniunxit, ac ne summis quidẽ viris cum deliquissent pepercit. Nam cum D. Strange, & Ioan. Trussel Miles hostiliter inuicem affecti, ad S. Dunstani Orientalis templum Londini in festo Parasceue obuii essent, & pugna cum suis famulis & clientibus commissa, in Ecclesiam irruentes, in ea conflictatione Thomam Petuuarden eiusdem Parochiæ ciuem Londinensem interemissent, cęde iam facta, & sanguine Christiano in Ecclesia fuso, omnes qui eam pugnã pugnauerant, & in Ecclesiam irruerant, excommunicauit. Postea de primis illius conflictationis authoribus inquisiuit; & cum comperisset Dominum Strange, & eius vxorem causam primam dedisse tanto tumultui, eos nominatim ad Crucem Paulinam proximo die Dominico excommunicatos denunciari præcepit. Hi deinde ad eum flexis genibus supplices venerunt, & absolui multis precibus petierunt. Eis Archiepiscopus hanc pœnitentiam iniunxit. Vt proximo die Dominico, ille capite nudo, illaque pedibus nudis ab Ecclesia Paulina ad S. Dunstani templum, cum omnibus suis famulis atque asseclis, qui pugnæ interfuerunt, camisiis tantum indutis, per plateas publice incederẽt. Hos Reginaldus Kentuuood Londinensis Archidiaconus, ad consecrandam illam sanguinis effusione pollutam Ecclesiam sequeretur. In consecratione peragenda, Domina Strange quæ maritum suum ad eam pugnam muliebri vindicta instigauit, omnia vasa ad eam consecrationem necessaria aqua impleret. Tum Ecclesia iam consecrata, ea quæ huius violationis templi maxime rea fuit, primo ornamentum aliquod decem libris æstimatum altari offeret; deinde maritus eius D. Strange, pixidem argenteam quinque librarum templo dedicato donaret. His gestis, ad Ecclesiam Paulinam absolutionem petituri, eo quo prius incesserant modo, ad Archiepiscopum redirent. *Auctor antiquitatum Ecclesiæ Britannicæ. in Chicheleyo.*

Eodem anno, quo Eugenius vsum Sacrosanctæ Eucharistiæ sanciebat, Hussitæ Bohemi eundem interuertebãt, editis in præiudicium Catholicorum nouis articulis, quos sub prætextu Compactatorum diuulgabant; cum tamen ex diametro essent Compactatis contrarii. Eorum renouata hæc habet.

XII. *Hussitæ Bohem. nouos artic. sub sexti compactatorum diuulgant.*

Articuli editi per Magistros & Clerum Pragensem ac Dominos Consules Communitatum Pragensium, feria 4. ante festum Sancti Viti anno Domini 1441.

1. *Vt Compactata cum Ecclesia Sancta, ab omnibus efficaciter teneantur.*

2. *Vt omnes Prædicatores affirment, Communionem vtriusq; speciei, esse veram, vtilem, & salubrem.*

3. *Vt nullus audeat prædicare, quod tantum sumitur sub vna specie, quantum sub vtraque, cum hoc sit contra communicantes sub vtraque specie.*

4. *Vt nullus audeat porrigere sub vna specie, publice, vel occulte.*

5. *Vt omnes Plebani manu propria communicent populum, sub vtraque specie.*

6. *Vt sic communicantes nullus audeat quouis modo diffamare, puta hæreticos aut schismaticos dicere; sed ab omnibus teneantur pro fidelibus Christiani.*

7. *Vt omnes Sacerdotes Pragenses & Monachi, sint sub obedientia Magistri Przibram, & Magistri Procopii. Si autem quispiam nollet, non debent foueri.*

Hæc illi cæcitate percussi statuebant, suis articulis in suis articulis & compactatis contrarii. Primus enim articulus, 3. 4. & 5. maxime repugnat. Nam in Compactatis expresse admittitur communicatio laicalis sub vna specie: & adiungitur, vt sacerdos qui laicos sub vtraque specie communicat, semper dicat eis, sub specie panis non tantum corpus Christi, sed totum Christũ integre contineri. Similiter & sub specie vini, non tantum sanguinem Christi, sed totum omnino Christum contineri. Sed nec 6. nec 7. eorũ articulus potest subsistere: ille quidem, quia vere sunt hæretici & schismatici illi; qui ideo sub vtraq; specie dant vel sumunt Sacramentum; quia credunt, non tantum esse sub vna specie, quantum sub vtraque: vltimus vero, quia cõtra leges & canones; Clerum Metropolitanæ Ecclesiæ & Religiosos, duobus Plebanis subiicit, nulla lege. Sed sic tamẽ hæreticis placuit, fidem abnegare, compactata inuertere, ritum & vsum Orthodoxæ Ecclesiæ abrogare, Ordinem hierarchium confundere. *Cochlæus lib. 9. hist. Hussitarum.*

Eodem anno, vt narrat Trithemius, Lud. Dux Bauariæ, cognomento Gibbosus, contra Patrem suum Lud. in Ingelstatt, auxilio Alberti Marchionis Brandeburg, insur-

XIII. *Scelus filii in Patrem.*

insurgens, oppidum Nuenburg ad ripas Danubii obsidione vallauit, quo tandem, ciuib. se dedentib. capto, patrem cepit, & præfato Marchioni in prædam dimisit, quem illi Henrico Duci de Lãzhuta; æmulo eius acerrimo permagno auri pondere vendidit. Sed diuina potestas, tam nefandum in patrem scelus filii non diu tolerauit impunitum, sed eum in breui, minime timentem, sine liberis de medio tollens suo iudicio præsentauit. *Trithem. in Chron. Sponheimen.*

XIV. Multa est in cibis pauperum concha, cui nomen Belgis Musschel. Earum collectioni apud Sinsam, vbi impositum est aliquid vectigalis, non comparuere. postquam sublatum est tributum, tursus ad fluxere. quo Deus docuit, ne principes gratuito data cœlitus, sua faciant. *Mexerus Annal. lib. 16.*

ANNO CHRISTI 1442.

Eugenii Papæ IV. anno 12.

Friderici Regis Rom. anno 3.

I. *Status Regni Neapolitani.*

PAcata Gallia cisalpina, Pontifex Eugenius isto quoque anno arma Alfonsi Regis Aragonum in Regno Neapolitano sensit. Renati vires, mora consenuerant; vxor & filii Massiliam erant amandati: quæ res magnã desperatæ victoriæ significationẽ cõmebat. Sic multitudo interpretabatur. prona semper in deterius credulitate. Magna famæ mõmenta in bello sunt. Magnę ex eo tempore animorũ inclinationes factæ, præsertim Raymundo Caudola ad Alfonsum respiciente. Capro omni Cãpano agro præter Puteolos, Alfonsus de Neapoli tunsus obsidenda consilium in primis cepit, præsertim cũ Renatus exiguum equitatum haberet; & in eo decẽ millium equitum exercitu, cum quo Ioan. Vrsinus Car. Tarentinus Eugenii Pont. Legatus in fines Neapolit. incurrerat, vtpote collectitio, morib. votũ ate, studiisq; discrepante, parum præsidii Pontificis rebus foret. Ipso ergo rerum apparatu, Capreas opp. dum in insula eiusdem nominis situm, oppidanorum quibusdam tradentibus cepit: quo capto, reliqua insula missis eo tribus remib. quas tum habebat, absq; certamine portus est. Ad eam insulam, quum forte rostrata, qua pecunia ex Gallia Renato afferebatur paulo post appulisse, facti nescia comprehensa atq; direpta est. protinusq; Neapolim cum exercitu profectus, ad castra vetera conditis enim locus vsus est castris maxime idoneus; tum propter pabuli, & aquarum copiam, tum quod in collem molliter assurgens, facile muniri poterat.

Ferdinandus Alphonsi fil. ex Hisp. aduenit.

In eis castris, Ferdinando filio, admodum puero, recens cum nauibus ex Hispania ad se profecto, magna iam tum atque præclara indole, cum parte copiarum relicto, ipse Puteolos cum reliquo exercitu profectus est. Prius enim id oppidum sibi expugnandum videbatur, ne quid omnino circa vrbem Neapolim relinqueretur, quod obsessorum spem aliquo modo aleret, castrisque prope oppidum positis rostratas accersit, quæ mari commeatus importari non sinerent; tormentisque eodem conlectis infestare oppidanos cœpit. Hi vero naturali situ freti, quamdiu iis copia fuit rei frumentariæ obsidionem tulere: nec vllis terroribus iniectis ad deditionem compelli potuerunt. Postquam vero res frumentaria deesse cœpit, subsidiique desperatio animos subiit, missi, qui cum Alfonso de deditione atq; lege agerẽt, iis quæ postulabant impetratis, confestim illi portas aperuerunt. Inde ad oppidum Turrim moris castris, oppidanos perculsos, quod omnia ad Alfonsum deferri videbant, ad deditionem sine certamine coegit. Toto agro Neapoli circumecto, in potestatem redacto, Neapolim haud cunctanter duxit, transmissaque montana arce, in monte opposito arci Regiæ, vbi inerat modica planicies, ad mille passus castra posuit, ipsumque eodem occupauit, qui maritimæ arci immineb at.

His duobus castellis, altero in quo Ferdinandus confederat, altero sub vibem excitatis, valido que præsidio firmatis, Neapolitanam vibem obsidere arctius cœpit. Renatus præter vibanas copias, quæ exiguæ erant, ad Octingentos sagittarios habebat, quos Genuenses, ab Eugenio Pontifice, pellendis tota Italia Aragoniis, in societatem adiciendi, duce Arunte Cibonio vire forti ad eum nauibus miserant. Is est Aruns Cibonius, cuius forti fidelique opera, bello perfecto, Alfonsus Rex victor, multis maximisque in rebus postea vsus est. Nam cum per belli tempora Andegauensium partium dux Renato egregiam peteram nauasset, præesse Neapolitanis iussus, ita illos Proiex, abstinenter & summa cum integritate iuri dicundo sibi deuinxit, vt parta Neapoli Alfonsus, illum Neapolitanorum precibus adductus, & in gratiam receperit & Prorogem eundem iis præesse iusserit. His nauibus aducta & non exigua frumenti vis famis metam in aliquot dies sustulit. Nam Genuenses Renatum Regno Neapolitano pelli, imperiumque ad Alfonsum deferri ægre ferebant, & ob id illum enixe, quod poterant adiuuabant.

Aruns Cibonius vir fortis.

Ædificarat Renatus aduersus arcem maritimam castellum, in eius collis fastigio, in quo Alfonsus castra fecerat; idque adhuc in eius potestate erat. quod cum Alfonsus in primis tollendum censeret, eo confestim copias admouet. Custodes imbelli loci munimento diffisi, tum annonæ inopia adacti, quarto die deditionem fecerunt. Iam enim Neapoli parua admodum copia frumenti reliqua erat. Postridie vero eius diei, quo id castellum in deditionem venit, forte duæ ingentes Genuensium onerariæ frumento & cætero commeatu onustæ Neapolim appulerunt, quarum aduentu in aliquod tempus recreati Neapolitani aliquãto fortius obsidionem pertulerunt. Id vero castellum Alfonsus latiori muro, ac fossa continue circumdatum valido præsidio firmauit. Leuia deinde quotidie certamina, vtpote ex propinquo, ex vtriusque castris, vario euentu conferebantur. Procedente vero indies obsidione, fames omnium malorum obsessis grauissimum (iam enim prope consumptum erat quicquid frumenti naues conuexerant) vrgere Neapolitanos cœpit, ingentique pretio tritici modius comparabatur. Neque enim vlla pars in eo Regno relicta erat, vnde quicquam ad illos frumenti, aut vllum genus commeatum deportari posset, clausso omni, terra, marique aditu. Hæc tantum quæ ex Gallia petebantur, & difficulter cum ingentibus Genuensium onerariis, & immenso præterea pretio comparabantur. Quæ necessitate coacta vibana multitudo, sæpe vibe excedeba; pluresque discessissent, ni hos pro hostibus haberi, & capi Alfonsus iussisset; quod videlicet ab illo consulto factum. Nam quo plures abire contingebat, hoc diutius reliqui obsidionem tolerare poterant.

Fames Neapoli.

Fuere autem, qui in publico concilio (tantum licentiæ faciebat fames) Renato suaderent, vt Legatos ad Alfonsum mitteret, qui de tolerabili aliqua pace agerent. In hoc rerum statu decreuit Alfonsus Vicum oppidum petere, quod in Mineruæ promontorio situm à Renato tenebatur: eoque cum rostratis profectus, oppidanos intra paucos dies, subsidii spe abiecta, ad deditionem compulit. Deinde Massam progressus, id oppidum dedentibus se oppidanis cepit. Post hæc Surrentum adiit; quod cum ad deditionem nullis terroribus, aut minis compelli posset, late populato agro, Puteolos rediit. Haud multo post nunciatũ est Alfonso, oppidum quod Sãctum Germanũ vocant, à Ricio occupatum. Erat hic Ricius obscuris ortus parentibus, homo leuissimus, & modo harum, modo illarũ partium. Nã ex milite gregario ductor factus, ma-

gna

gna latronum manu comparata, aliquot Rom. Pontificatus oppida armis oppresserat. Is quo facilius Alfonsum falleret, se ei amicum per id temporis simulabat. subornatus autem à Romanæ arcis præfecto, quo cum affinitatem contraxerat, per dolum Id oppidum cepit. Erant in eo oppido cõplures, qui eius regionis principatum ad Eugenium Pont. deferrè cupiebant. Oppido tũ præerat Arnoldus, qui arcis Regiæ præfectus fuerat. Hic in manũ Ricii, vna cũ oppido venit, quod simul atq; Alfonsus accepit, omnẽ eius recuperandi spem in vna celeritate positam arbitratus, nihil sibi ad festinationẽ reliquum fecit, citatoq; equo, paucis qui tũ forte cum eo erant sequentibus (nam tum forte venatum exierat) ne nocte quidem intermisso itinere Theanum aduolauit: cæteris q; proposito edicto, se absq; mora sequi iussis, postridie mane plus LX. milliarib. confectis ad oppidum peruenit. ea vero celeritas Ricium inprimis cõsternauit. Neq; n. Regem tam cito affuturũ crediderat. Existimabat illũ, priusquã moueret, cogendis copiis tẽpus consumpturũ, sibiq; interea expugnandæ arcis facultatem fore. Castris ante oppidũ positis Alfonsus, antequã vim experiretur, donec copiæ reliquæ conuenirent, ad Ricium misit, qui hortaretur, vt ab incepto desisteret, oppidoq; cederet: quod si faceret, errori veniã inueniret. Qui cũ in proposito persisteret, vt primũ copiis se satis instructum putauit (namq; ad illum interim pedites, atq; equites, è diuersis locis confluebãt) statuit Alfonsus totis viribus oppidum oppugnare, ne illud tã opportune situm, & Neapolitani Regni firmissimum claustrum in inimicorum potestate esset. Cumq; naturam regionis diligentius intueretur, animaduertit montem quem Ricius insederat facile circumiri, ac desuper hostem opportune peti posse. Itaq; Mendociã Hispanum, impigrum virum, cum peditib. ducentis trans montem, clam hostibus, continuo ire præcepit, & si qui occurrerent, è Ricii peditatu se esse simulare. Id oppidum, ad montis Cassinatis radices situm est, idq; amnis exiguus interluit. Arx ab oppido aliquantum distat eminentiori loco sita: supra arcem, ad mille ferme passus templum est, vetustate, religione, præcipue Sancti Benedicti corpore percelebre, castelli cuiusdã instar duplici muro circumdatum. Per huius templi exteriorem murum (nam & is quoq; à Ricianis custodiebatur) Mẽdocias cum sociis nãsitum faciens (nam alios expectabat) custodes fefellit. Ricius cognito Regis de oppugnatione cõsilio, ex oppido prodiit, vbi se haud satis tuti existimabat, dispositis per muros partim ex suis, partim ex oppidanis, qui resisterent: eosq; tumulos, qui Regis castris imminebant, insedit; quos tamen prius occupatos præsidiis firmauerat. Alfonsus interea copias instruxerat; nihilq; aliud oppugnationem differebat, quã eorum qui circum missi erant aduentus. Iam q; ab omni parte Ricius sibi satis prospexisse videbatur, cum illi extemplo supra caput, velut procella quædam, Mẽdocias apparuit. Namque ii qui pro templo stabant, opinati hunc esse reliquum Ricii peditatum, atque eum cum suis ad Ricium descendere; Ricius quoque Mendociam suspicatus parũpere substitit: & mox fraude cognita aduenienti sese obiecit. Quod vt Alfonsus animaduertit, omnes suos, quos in armis paratos atq; instructos habebat, partim in hostem, pugnare, partim oppidum adoriri imperauit. At Ricius ancipiti malo circumuentus sese cõfestim in fugã coniecit, viaq; per medios hostes ferro facta, amissis plurib. destitutoq; oppido, primo in tẽplũ, mox per deuios saltus in oppida quæ propinqua erant euasit. Quo fugato Alfonsus cõfestim oppidũ absq; certamine recepit. Neapolis interea arctissime obsidebatur; nec re frumentaria modo, verum etiã aqua, recisa extra vrbem aquæductu oppidani laborabant. Quocirca ingens tristitia oppidanorum animos ceperat. Angebantur, res adeo mutatas esse, vt qui prius Eugenii Pontificis, & Caudolæ auxiliis instructi, sibi pares Alfonsi viribus videbantur, nũc omnib. destituti subsidiis, eum ante portas binis castris positis pene victorẽ viderent quem nuuali prælio superatum & captũ, nũquam amplius id Regnum petere ausurum putarent. Esse in illius ditione Siciliam, cõmeatum ac cætera bello necessaria suppeditantem, esse Sardiniam, Baleares insulas, Barchinonensium atque Aragonensium Regna ampliſſima, vnde illi pecunia, ac milites in bellum subministrari possent. Angebantur quoque vehementius, frumenti ac pecuniæ inopia, non ærario modo, verum etiam priuatorum ciuium facultatib. diuturno bello exhaustis. Duplex modo spes supererat, sed altera quidem minus firma. Nam Genuenses, & si se libentissimo animo adiuuari ab illis sciebãt, tamẽ grauari, tantis actã crebris sumptibus existimabant. Altera erat in Franciſco Sforția, & Antonio Caudola. Sed alterius cũctationem videbant, alteri non satis credebant. Omnia tamẽ tentãda, priusquã vltima experirentur, vociferabãtur. quorum vocib. permotus, vt par erat, Renatus, ad Genuenses, & ad Antonium Caudolam, qui cum eo post receptum filium in gratiam redierat, simul & ad Franc. Sforțiam in Picenũ crebro nuntios dimittebat, quid oceret, quas in angustias res suæ redactæ essent, binis circa vrbem castris hostium positis, & vt cum copiis celeriter aduolarent, si se saluum vellent, hortarentur. Cæterũ hæ spes vanæ, atq; irritæ euasere. Nam & in Genuenses, cum iam de creta classis esset, pecuniaq; in stipendium imperata, de præfectura inter Ioan. Fragosum, Thomæ fratrem, qui per id temporis Genuensis vrbis principatum obtinebat, & Ioannẽ Antonii Fliscum nobilitatis principem orta contentio, ne classis perficeretur, impedimento fuit: & à Franc. atq; Antonio, aut nulla, aut sero auxilia venere. Quum hic esset rerum status, nec speraret Alfonsus Neapolim aliter quam fame aut proditione capi posse, aperuit ei casus inopinatã quandam ad victoriam viam. Namq; Anellus faber quidam cæmentarius, quem fames Neapoli exire compulerat, ad eum profectus, docuit vrbem haud magno militum periculo, si rei præmium esset, capi posse; atq; in id operam suam atq; studium est pollicitus. Hunc Alfonsus collaudatum & maioribus, quam eius fortuna caperet, promissis oneratum, de ratione rei gerendæ inquisiuit. Erat aquæ ductus subterraneus, per quem ad vrbis cõmoditatẽ, ex vicino fonte aqua in puteos deducebatur. ducenti viri fortes delecti sunt; omnesq; Anello parere iussi. Ascẽsus erat difficilis, angustus aditus, plerisq; deterritis, aut pondere corporum impeditis quadraginta secuti sunt prægredientem vna cum fratre Anellũ. Dolabris conuulsi sunt lapides vbi transitum morabãtur. Timidos insolentia itineris duces confirmarunt verbis exemploq;, leuãtes nonnunquã manu. Magno nisu, ad priuatæ eiusdẽ domus puteum tandem peruentũ. Muliercula, cuius ea domus erat, vt is militib. continuo exclamauit, proditura insidias nisi celeriter oppressa vox esset. Sol exortus erat, nihilq; Regi significarum, metu an negligentia. Omnes cæteros esse creditum; copiæ tamen quæ paratæ erant, ad muros succedere iussæ. Remissa pugna est, cum nihil in vrbe nouari cernerent. Quadraginta milites, siue ad clamorem pugnantium exciti, siue re necessaria compulsi (nam insidiæ erant detectæ) vicinam muri turrim deserta custodib. occuparunt; cui Sophiæ nomẽ est. Accurrit Alfonsus præsidio futurus; accurrit & Renatus ad periculum; eratque turrim receptura deturbatis Aragonis; cum subito ac improuiso inuecti alii pleno gradu, formidinem incusserunt; vnde Andegauenses terror, Aragonis qui turrim ceperant animus creuit. Multis deinde partib. oppugnatio erat; aliquot portis refractis, hostis in vrbem irrupit. Renatus, cui potissimum parti, aut loco succurreret incertus, cum nullum prudentis Ducis, aut strenui militis officium præterm isisset (nam sua manu plures ex hostium numero truciderat) in arcem sese recepit. Direptæ nonnullæ ædes; à cædibus temperatum; mox ingresso Alfonso, prædæ quoque finis factus est. Postridie eius diei, duæ ingentes Genuensium onerariæ, quibus commeatus deferebantur, ignaræ vrbis

captæ supra portum apparuere: propiusque profectæ, vt viderunt solitos lætitiæ clamores à ciuibus non edi, illico suspicati res immutatas esse, suo arcem concessêrunt, frumentoq; expresso, Sarentum abiecerunt: quæ si pridie ante captam vrbem aduentassent, nauales que socios in terram exposuissent, dubium facere victoriam potuerant. Per hunc modum Alfonsus Neapoli potitus est, Sabbatho, Quarto Kal. Iulij, ipso Petri Apostoli periculo, salutis anno M. CCCC. XLII. ab initio belli, vno & vigesimo.

Ingressus vrbem Alfonsus, præconibus paulo post per vrbem dimissis, vt populationibus modus statueretur edixit; ac plerisque ciuibus, quiad se supplices confugerant, bona iam à militibus occupata, cum ædibus libere restitui iussit: nec post id temporis hostile quicquam in tota vrbe perpetrari permisit, quippe, voluit præstantis Regis nomen acquirere, qui victis ignosceret; & sapientis, qui integræ quam euersæ ciuitati dominari mallet, quo quidem facto, vel inimicorum animos sibi maxime placauit. Vnus supererat expugnandarum arcium labor. Hæ autem tres erant, Capuana, Montana, & Regia, in quam se Renatus amissa vrbe receperat; hæque omnes, tum situ, tum valido præsidio munitæ erant: cæterum reb. frumentariæ inopia laborabant, præsertim Montana, & Capuana. Itaque eas obsidere statuit, & inprimis Capuanam, vtpote infirmiorem, & Regiæ iunctam. vixque quartus ab obsidione interesserat dies, cum Ioannes Coxa, vnus ex iis qui in Regiam cum Renato confugerant, à Renato petiit, vt sibi liceret cum Ioanne Caraffa de arcis ipsius deditione agere. Is enim Capuanæ arcis præfectus, in ea vxorem ac liberos habebat; nec ignorabat arcem ipsam ob commeatus inopiam defendi nõ posse. Cui Renatus cum iam arci subuenire non posset, vt saluti suorum consuleret, permisit; atque vt paucorum quorundum dierum inducias pereret, iussit. quas cum primo Alfonsus abnueret, ne Renatus ea occasione noui quippiam in vrbe moliretur; mox mutato consilio, missis Lupo Vrreo, ac Raimundo Bullio ad Mariæ Coronatæ templum, quo Coxa conuenerat, inducias concedit. Post hæc Ioannes, vxore ac liberis, cum omni præsidio, atq; omnibus rebus eductis, haud cunctanter arcem dedit. Recepta arce Capuana, totaque vrbe in potestatem redacta, Alfonsus, vt omnes arma ponerent, edixit. Haud multo post, Renatus, quũ pecuniam non haberet, vnde arcem tueretur; & amissam vrbem recuperare se posse diffideret, summaque iam rerum omnium desperatio animo obuersaretur, abeundi consilium cepit. potissimum cum haud sciret, an postea nauium potestatem, quibus se mari tuto cõmitteret, esset habiturus. Quũ igitur ita statuisset, Antonium Caluum, à quo grandi pecunia adiutus erat, arci præfecit; Montanæ arcis custodia Mazario Gallo commissa. deinde nauem ingressus est, vrbem quam amiserat cum gemitu sæpe respiciens, ac Fortunæ iniquitatem incusans, Octino Caraciolo, Georgio Alamanno, ac Ioanne Coxa tam mœsti discessus comitibus. Inde soluens, secunda tempestate vsus, ad portum Pisanum, & ex eo terrestri itinere Florentiam ad Eugenium Pontificem, quo amico vtebatur, profectus, cum multa recuperandis amissis, & retinendis quæ adhuc eius nomine tenebantur arcibus, frustra tentasset: in Gallias rediit. Montana enim sese, propter inopiam dediderat; Regiæ autem dedendæ potestatem Ioanni Coxæ permiserat. Post discessum Renati, Alfonso, reliqua prochuia fuere. Marsi, Peligni, Apuli, vel deuicti, vel per deditionem recepti: frustra resistente Francisco Sforția; cui Renatum iuuisse, exitio fuit. Constans fama erat intuisse eum fœdus cum Renato, aduersus Alfonsum. Fœderis huius non vna videtur fuisse causa, nam & pater Sforția, partes Ioannæ Reginæ, cuius Renatus fuit hæres, summa ope adiuuerat. Augebat hæreditarium hoc studium recens iniuria ab Alfonso accepta, qui quædam loca haud obscuri nominis in Samnio & Apulia, amicis occupauerat, quæ Sforția Dux fortissimus, filijs possidenda per manus tradiderat. Inflammauit præterea Sfortiam, varius Philippi Ducis Mediolanensis (quo consultore Alfonsus omnia agebat) erga se animus: cum is data ei Blanca filia in matrimonium, Cremona contentum esse iubeus, inprimis Nicolao Arestino, Mediolani & omnium suarum rerum curam delegasset; ac præterea mortuo Nicolao Arestino, ad alios, ciuilis & bellicæ rei administrationem, se præterito, deriuasset. Etenim Vgutioni Contrario, quem Arestinus secum adduxerat, in consilium allecto, magna apud Philippum auctoritate, quæ ad pacẽ attinebant, omnia sunt demandata; ita vt vnus, tum Magistratibus legendis, vectigalibusque procurandis, tum iuri dicundo, & pœnis remittendis, Legati obiret officia. Nicolao deinde Picinino præsidia communire, æs militare colligere, ac imperium in omnes copiarum præfectos, tota denique res bellica, atq; vniuersus armorum apparatus commissus est. In diplomatis hac de re pridie Non. Aprilis, Philippus Vicecomitem tum appellat, ac Marchionis Comitisque titulo nobilitat. Quapropter Sforția, qui defuncto Arestino, illud sibi munus desponderat, cum socerum in Vgutionem atq; Picininum propensiorem esse accepisset, caufatus fines suos ab Alfonso attrectari, animo plane ab eo alienato, è Gallia Togata discessit, & Venetias vna cum vxore profectus, de rationibus belli gerendi, cum non omnino amicis soceri deliberauit.

Alphonsi artes.

Inter hæc Alfonsus rebus suis sollicitus, & consilio, & viribus potens, quo pacto vtroque vinceret, secum expendit, ac vno eodemque tempore, tum artibus, tum armis omnia tentauit. Inprimis Sforțiam, quem, misso Emero Guenara, ad officium & ad stipendia sua trahebat; & aliunde submissis copiis infestare non cessabat. Præter Sforțiam, Eugenium quoque Pontificem iisdem modis distinebat: & tum ad pacem se pronum esse ostendebat, tum agrum Campanum, eo consilio, ne Ecclesiasticæ copiæ intra fines Regni longius promouerent, victoriæque cursum impedirent, vexare iubebat. Et quidem Sforția, cõsiliorum Picinini æmuli, qui militiam apud Alfonsum ambiebat, non iguarus, haud difficile in eius partes transiisset; nisi, & maiora quam forte par erat, à Rege postulasset; & Philippus Picinino æquior, istum apud Alfonsum antetulisset: &, quod etiam non postremum fuerat, Sforția ipse suspicionem de se sinisteriorem Regi, ob inopinato quodam facto iniecisset. Postulabat Sforția, titulum Conestabilis Regni Neapolitani: item Præfecturam Prouinciæ Brutiorum: tertio curam ducendorum IV. M. equitum, ac M. peditum: vltimo Mariam Alfonsi nothamb, filio suo vxorem. Guenara ad hæc, se nihil eorum, Regio nomine posse promittere, respondit; & neque aliud ab eo, quam si iuramentum fidelitatis Regi dicere, exercitumque eius augere, ac stipendia apud eum mereri, honestis quas ipse Rex offerret conditionibus vellet, se requirere dixit. Retulit hæc omnia Alfonsus ad Philippum; qui, ne Sforțiam in armis haberet, quin potius velut in hostem communem, qui cum Venetis consilia rei gerendæ captasset, & ad eos inuito se semel ac iterum cũ vxore iuisset, duceret, Regi persuasit: ac interim monitu eiusdem Alfonsi, Eugenium Pontificem de concordia tentauit: cum tamen Alfonsini submissarii, Ludouicus Comes Celani, & Honoratus Caietanus Comes Fundanus, omnem agrum Campanum infestarent, ac Romæ intercipiendæ inuigilarent; ita vt oporterit Præfectos copiarum Pontificiarum, contra eos dimicare. non interim sit prærerra, Alfonsus Sforțiam cum Eugenio committere. I. Simoneta, qui de rebus Francisci Sfortiæ scripsit, qua de causa, quoue modo, & artificio, bellum sit motum Sfortiæ ab Eugenio, memorabat, sc. Alfonsus vbi res Galliæ togatæ pacatas esse intellexit, timere ad modum cœpit, ne id bellum Francisco Sfortia duce in se transferretur. Ob eam rem ad Philippum rursus ro-

Sforțiæ postulata.

II. *Quæ causa & quo artificio bellũ Fran. Sfortiæ motum.*

gatum misit, vt rebus suis, quas ad optatam totius propè Regni victoriam summis laboribus, summisq; periculis tot annis perduxisset, consilio atque ope adesset: quod erat et haud difficile factu, cum illud in præsentia solum ab eo peteret, vt Sfortiam ita distineri, & cantū illi alicunde negotij dari curaret, vt omnino rei alienæ perturbandæ facultas adimeretur. Idcirco Philippus, etsi ad tuendas amicissimi Regis partes per se satis propensior erat; tamen illius rogatu, quem vnice diligeret, & Renatum contra grauiatque implacabili odio insequeretur; tum etiam quod Sfortiam multis conditionibus propositis, à Venetorum, Florentinorumq; amicitia auertere nequierat, magis ac magis permotus, vt nihil quod esset è re Regia prætermiserit. Eugenium enim Pontificē, tunc in Flaminia & Aemilia quiescentem, sed Sfortiæ vehementer infensum, ad eius pessundū bellum per Legatos non modo adhortatus est, sed etiā incitauit, cum diceret; nunc esse tempus, vt in veterem eius Ecclesiæq; Romanæ hostem vires intenderet, iniurias vlcisceretur, amissa recuperaret: & ad eas res conficiendas Nicolaum Picininum ei se permissurum; quē n. si receptis Ecclesiæ rebus, num quam inde esset reuocaturus. Promittebat præterea. Alfonsum Regem, non prius cum Pontifice pacem facturum, quam, id quicquid Sfortia de Romanæ Ecclesiæ iuribus occupasset, suis copiis, suoq; eriam sumptu ab illius manibus eriperet, Romanæque sedi restitueret; si is modo in animum induceret, Renatum deserere, & titulum insuper Regni Alfonso seu adscribere, seu confirmare. Omnia fiebāt, Eugenio, vel viribus propriis frangendo, vel alienis impugnato, ad concordiam cum Alfonso flectendo.

Iam, vt diximus, Eugenius Sfortiæ infensus fuerat; propter arbitrium, ex quo Bononiam, nonnisi post biennium Pontifici reddendam esse censuerat. Iam idem Pontifex, & spe iuuandi Renati omnino exciderat, & à molesto infinitorum impendiorum negotio abhorrebat. Iam & Basileensium turbarum fatur, schisma quod à Felice antipapa promouebatur, multam anxietatem illi intecerat. Iam, & Ioannes Vrsinus Archiepiscopus Tarentinus, à reliquis Vrsinis, quibus vel metuebat, vel prospiciebat incitatus; & Ludouicus Scarampus Patriarcha Aquileēsis, Alfonso apprime addictus, Cardinales Legati, nihil non agebant, vt pax & concordia inter Pontificem & Alfonsum, bono publico totius non modo Italiæ, sed & Ecclesiæ conciliaretur. Iam etiam Socij Genuenses, Florentini, & Veneti, diuturni bēlli cum potentissimis hostibus Alfonso & Philippo pertæsi, ad quietem magis respicere videbantur. Iam ad extremum, & Romanos Pontificis, & Pontificem Romæ desiderium tenebat; & neque illi tranquillitatem, glisscente inter Eugenium & Alfonsum bello habere, neque Pontifex Vrbem, incursionibus quotidianis & latrociniis vexatam adire poterat: nisi prius hostes illos tam infestos, tamque potentes, in potestatem redegisset. Armis non poterat: ærario, & viribus exhaustis; plurimisque vrbibus, quin dixerim prouinciis, per tyrannos, Romanæ Ecclesiæ detractis. Ergo cum Philippo, qui propter Cremonam Veneris potius quam sibi à genero Sfortia crediram huic offensus fuerat, fœdus clandestine percussit; fuitque illi Philippus deinde autor, vt Picinini opera vsus, quo nullus dux aptior tunc esset ad Sfortiæ vires infringendas, agrum Picenum Romanæ Ecclesiæ armis vindicaret.

Eug. cum Philippo fœdus init.

Picininus à Sfortia ad angustias redactus pacem petere cogitur quæ postea violata tota pene Vmbria, in Ro. Eccl. deuenit potestatem.

Hæc porro Alfonsus sibi non defuit, sed in Sfortiæ inuidiam, Picinino in Aragoniæ gentis adoptionem recepto, ex confesso se admotorem præbuit. Picininus autem, vt erat in festo in Sforcianos animo, pecunia in stipendium ab Eugenio & Alfonso accepta, per Perusinorum fines Vmbriæ insinuatus, Tudertum subito accessit Sfortiæ ademu. Inde per Assisiates in Picenum transgressus, vniuersam prouinciam tumultu complet. Sfortia in Picenum aduolans, Picininum in arcta quædam loca redactum, ad petendam pacem compulit; & fœdus vt ille pecunia decederet, & à rebus Sfortiæ abstineret. Eratq; per hæc pacatum omne Picenū nomen cum tota Vmbria, quum ex causa specie satis honesta renatum est bellum. Dirpuit in Picentum finibus Trasoniatum oppidum Sfortia, quod eius loci oppidanos minus obsequētes haberet. Hanc renouandi belli causam Picininus cupide complexus, cum res Ecclesiæ Romanæ à Sfortia violatæ essent. Tolentinum occupauit; inde Gualdum Nuceriæ, Alexandro Sfortiæ fratre inde ejecto, mox Assisio, eadem arte qua Alfonsus Neapoli, potitus est. Est Assisii aquæ ductus vetustissimus, ab Vibanis mœnibus paulo longius initium capiens. Hanc caplendæ vrbis viam, per hominem quendam Beati Francisci religionem habitu simulatem, casus Picinino aperuit. Siquidem ab eo per noctis silentium leuis armaturæ millites in aquæ ductū immissi, in campum quendam ab ædificiis aliquanto remotiorem, vbi sollitudo erat, euaserunt: qui vbi se mille circiter numero auctos viderent, continuo ad proximos vrbis muros concurrerunt, eorumque partem ceperunt, ac posticam quandam portam ad erumpendum iam ab Alexandro Sfortia factam reserarunt. Ea admissi reliqui, tumultu excitato, vrbem diripuerūt. Alexander deperata vrbis salute in arcem se recepit: vnde postea noctu Guidone Assisino duce egressus, per hostes, perque confragosos & nimbus obsitos saltus, cum paucis, pedestri itinere ad Franciscum re infeliciter gesta rediit. Ea ciuitate capta, arcibusque non multo post tempore deditis, quicquid agri Franciscus in Vmbris obtinebat, præter oppidum Vicum, in Romanæ Ecclesiæ deuenit potestatem. Conquerebatur Sfortia, quod Picinus pacis fœdera secum inita violasset. Cæterum is, à Sfortia initium factum esse ostendebat: ac prætarea excusabat, quod & Legatorum summi Pontificis, & Ludouici Patriarchæ Aquilegiensis iussu, ea omnia fecisset; præsertim cū dicerent, pacē, quæcumq; antea facta esset, quæ ex æquitate, & è re Romanæ Ecclesiæ non foret, eam non esse iure seruandam. *Ioannes Symoneta lib. 6. Sabellicus ennead. 10. lib. 5. Folieta lib. 10. Sarita annal. Aragon. lib. 15. c. 12. 13. 14. Facius de rebus Alfonsi lib. 2. Mariana lib. 21. c. 17. Collenutius lib. 6. MS. de rebus Sfortiarum. Constantius hist. Neapolitan. lib. 10. Summontius lib. vlt.*

IV. *Eug. Rom. reuerti statuit.*

Inter hæc Eugenius, crebris legationibus Romanorum solicitatus, reuerti Romam instituit, eoq; in loco, vt potè liberiore, de recuperāda Ecclesiæ ditione cogitare. Verum vt omnia pacata inueniret, Ludouicū Patauinum S. Laurentii presbyterum Cardinalem ante se præmisit. Hic de Gino Albanensio viro in re militari præstanti, sumpsit supplicium, quod per eum stetisset, vt tempore inducarum, inter Pontificem & Alfonsum iam fere concluſa concordia, pene turbaretur. Affecit & capitali pœna Paulum Molazam, virum præstantis animi, inuictique roboris, ne quid rerum nouaret, sibi suspectum. Canonicos etiam Regulares, pulsis secularibus in Ecclesiam Lateranensem remisit. Pulsi n. erant à presbyteris secularibus, dum contenditur, vtri Corpus Christi ferrent in celebritate eiusdem, dum Litanię fiunt ac supplicationes. *Platina Eug. IV. Infixura in diariis Rom.* Dum hæc in Italia fierent, Basileenses, sibi, & suis metuentes, hanc, in tutelam sui & suorum sanctionem ediderunt.

SESSIO XLIV.

V.

DE TVITIONE SVPPOSITORVM HVius sacri Concilii.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Catholicæ Ecclesiæ sanctis operibus continue intenti, si cunctis fidelib. in ministranda iustitia nō decerat esse fauorabiles & benignos, illos non immerito, qui profidei orthodoxę atq; generalium Conciliorum authoritatis defensione fideles labores impenderunt &

impen-

impendunt, iustitiæ fauorib. attollere debemus & munire præsidiis, quibus per nos mature facta decreta insequendo, à *peruersis ambitiosorum illatis subleuari, & inferendis molestationibus præseruari valeant; & sic eorundem decretorum transgressorū, illorum præsertim, qui nobis incorporati & huius sanctæ Synodi decreta manutenere, & defendere iurauerunt, contemptum puniri facere, sicq; erga singulos iustitiam ordine debito exercere, vt alter in alterius iniuriam non facile prosiliat: & formidata in reprobis vltione impiorum, nocendi temeritas compescatur, & inter eos tuta sit innocentiū tranquillitas. Postquam dudum omnipotens dominus nimium afflictam Ecclesiam suam sponsam pietatis oculo respicere, & fidelium cordib. inspirare dignatus fuerat, vt Synodus vniuersalis duorum etiam generalium Conciliorū authoritate, & duorum summorum Pontificum successiue approbatione pro errorum hæresumque extirpatione, ac generali Ecclesiæ in capite & in membris reformatione, atq; regum & principum, aliorumq; catholicorum adinuicem diffidentium pacificatione, in hanc ciuitatē Basileensem conueniret: nos tunc occurrentia, quæ nonnulli aduersus opera prædicta inferre conabantur, ac ēt futura, quæ verisimiliter inferre possent, impedimenta circumspicientes, & vtilla pro quib. conueneramus, communē Christianorum salutem concernentia, ad fines optatos perduci, ac eis per quæ directe & indirecte impediri, ipsiq; incorporati ab eis retrahi possent, obuiare cupientes, per nonnulla salubria decreta statuendo diffiniuimus: Primo, quod nullus eidem Synodo per se vel procuratorem incorporatus aut incorporandus etiam procuratori ipse, tempore arrepti itineris animo veniēdi ad ipsam Synodum sine fraude continuati, pro quacunq; causa tunc mota vel in antea mouenda, aut alia quauis occasione, ad Romanā curiam seu coram quocunq; iudice ordinario vel delegato, extra locum dictę Synodi ea durante inuitus trahi seu euocari, aut contra eum inuitum procedi posset, decernentes extunc irritū & inane, nulliusq; roboris existere vel momenti, quicquid in contrariū per quemcunq; etiam Romani Pontificis authoritate attentari contigerit in futurum. Deinde vero, vt si quis Ecclesiam cathedralem, dignitatē, beneficium, officium, pensionem, vel commendam alicuius ex incorporatis vel incorporandis, seu adhærētibus eidem Synodo, à Romano Pontifice vel quouis alio impetrate, aut etiam motu proprio concessum acceptare attentarer, non solum iure, quod in tali Ecclesia, dignitate, beneficio, seu officio habere præēderet, sed etiam omnibus beneficiis esset ipso iure priuatus, & ad obtinendum beneficia in futurū inhabilis. Et successiue, videlicet tertio Idus Septembris, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio decreuimus, quod quicunq; etiam per Romanū Pontificē, vel eius authoritate, in præiudicium, læsionem vel derogationem, seu iniuriam dictæ Synodi, vel incorporatorum seu incorporandorum eidem per se vel procuratorem aut familiarium suorum, seu in eorū seruitiis vbicunq; existentiū, facta seu dispositia erant, fierentq; & disponerentur forsitan in futurum, titulū vel possessionem quomodocunque tangentia, siue in Cardinalatus & Patriarchatus dignitatibus, aut in prælaturis cathedralium etiam metropolitanarum ecclesiarum, monasteriis, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, præstimoniis, commendis, vnionibus, pensionibus, officiis & rebus ecclesiasticis vel temporalibus, & circa ipsa aut alias quomodocunq; & qualitercunque, etiam si motu proprio, directe vel indirecte, essent ipso iure irrita & inania & pro infectis penitus haberentur, partes læsas extunc in pristinum statum reponendo, & per quēlibet iudicem competentem reponi mandando: adijcientes, quod si prætextu talis concessionis ad aliquam occupationem deueniretur, nisi occupans infra decem dies elapsis sexaginta diebus à dicto die tertio idus Septembris, si per partem læsam foret requisitus, & à tali occupatione & turbatione realiter & pure desisteret, ac parti læsæ de perceptis post concessionem huiusmodi satisfaceret; vltra pœnas prædictas excommunicationis sententiam incurrat eo ipso, talium ēt concessionum executores eisdem pœnis subiacere decernentes, prout in ipsis decretis, quorum tenores & effectus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Verū quia, sicut clamorosa dictorum suppositorum querela didicimus: pleriq; ambitiosi, quorum effrenata cupiditas modum habere nescit, ad dignitates, beneficia & honores modis improbis adspirantes, ac per exquisitas vexationes dictorum incorporatorum, illos ab huiusmodi sanctis operibus retrahere satagentes, nonnullorum ex eisdem incorporatis & suppositis Ecclesias parochiales, metropolitanas, episcopales atq; monasteria, aliasque dignitates, commendas, pensiones, canonicatus & præbendas, officia & beneficia ecclesiastica, necnon iurisdictiones eisdem incorporatis & suppositis ratione ecclesiarum, dignitatum & beneficiorum huiusmodi competentes, ac alias res & bona contra definitiones & prædicta, ac alia decreta nostra, quorū tenores & effectus similiter haberi volumus pro expressis, in authoritatis Ecclesiæ & Conciliorum prædictorum vilipendium, dictorumque suppositorum graue præiudicium, non sine manifesta diuinæ maiestatis offensa impetrare, extorquere, inuadere, accepta re, aut occupare, seu in illis propria temeritate se intrudere, dictaque suppositia illorum possessionibus & rebus spoliare & priuare, ac processus etiam pœnales cōtra eos facere, & fieri procurare, pensiones etiam nonnullas ex dictis incorporatis super ecclesiis cathedralibus, aliisque dignitatibus & beneficiis ecclesiasticis assignatas, aliosque fructus beneficiorum quæ ipsi incorporati obtinebunt & obtinent, retinere, subtrahere, vsurpare, & de illis satisfacere recusare & denegare, aliisque diuersis iniuriis in personis, bonis ac reb. prædictis illos affligere, atque concessiones, impetrationes & acceptationes huiusmodi in suarum perditionē animarum exequi non erubuerunt, prout adhuc non erubescunt: nos, quorum interest, in præmissis opportunæ prouisionis remedia adhibere, volentes statui vniuersalis Ecclesiæ & suppositorum prædictorum indemnitati & quieti salubriter prouidere, decretis & diffinitionibus prædictis inhærentes, illaque innouantes, ac eis adijcientes, hoc perpetuo synodali decreto authoritate vniuersalis Ecclesiæ decernimus & declaramus, impetrationes, electiones, collationes, & *dispositiones quaslibet de dictis ecclesiis cathedralibus, monasteriis, dignitatibus, commendis, *pensionibus, officiis & beneficiis, iurisdictionibus cęterisq; rebus & bonis prædictis, necnon processus prætensos omnes & singulos, quascunque etiam suspensionum, excommunicationum, interdicti, priuationum, inhabilitationū, inhibitionum, aliasve sententias, censuras, & pœnas, seu processus alios cuiuscunq; qualitatis existant, in se continentes, aduersus ipsa suppositia ac in eorum præiudicium, læsionem vel derogationem aut odium, ac contra prædicta & alia decreta nostra quomodocunque & qualitercunq; promulgatos & factos, ac omnia inde secuta, tanquam de facto attentata (prout sunt) irrita, nulla & inania, nulliusq; roboris vel momenti fuisse & existere, ac pro infectis haberi debere: nullum quoque ex eisdem suppositis, vel quemcunque alium illis innodatum fuisse, aut in antea innodari posse: impetrantes vero seu detentores & occuparores prætextu collationum, dispositionum, etiam motu proprio factarum, aut detentionum vel occupationum de huiusmodi ecclesiis, dignitatibus, beneficiis, officiis, iurisdictionibus, & bonis, in illis etiam in quibus seu ad quæ ipsa suppositia ex nostris vel Apostolicis aliis canonicis collationibus & prouisionibus, aut alias quomodolibet ius habuerunt. prout habent, quę obstantibus obedientiæ diuersitatibus, vel aliis legitimis impedimentis, contra suos aduersarios causas inchoare, seu prose-

prætensis.

** Dispensationes.*
** prouisionibus.*

qui commode non potuerunt, etiam si Ecclesiæ, dignitates, beneficia & officia, vel res & bona huiusmodi trium annorum, vel alterius cuiusuis longioris temporis spatio occupata fuerunt, aut coloratus prætẽdatur titulus prætextu etiam decreti nostri de pacificis possessoribus, quod incipit: Quicunque non violentus, q̃ contra ipsa suppositia in cathedralibus præmissis locum habere non volumus, nullum titulum vel ius quodcunque acquisiuisse, seu acquirere: ipsos ẽt incorporatos nullum ius titulum vel possessionẽ perdidisse, aut aliquod in iure eis cõpetenti præiudiciũ generari potuisse, quo minus ipsi, quotiescunq; opportunitas ad id se obtulerit, possessionem ecclesiarum cathedralium, dignitatũ, beneficiorum, vel allorum prædictorum, quib. spoliati extiterunt, per se vel alium seu alios absque alia causæ cognitione, seu alterius authoritatis requisitione continuare, eorum quoq; super quib. sententiã vel sententias, quæ partib. per se vel procuratorem præsentibus, & vsq; ad finem se defendentibus, in rem transierint iudicatam, apud nos contra suos aduersarios obtinuerint, illorum & præsentis decreti vigore possessionem adipisci & intrare, & super illis de quib. possessionem nondum habuerunt, actionem intentare, & ius suum prosequi valeant. Spoliatos insuper, aliorum & presentis decretorum nostrorum authoritate in illum statum pristinum, in quo ante spolium, occupationem seu nouitatem huiusmodi erant, perinde ac si factæ non fuissent, repositos & restitutos esse. Imperationes autem & concessiones ẽt motu proprio de ecclesiis cathedralibus, monasteriis dignitatibus, cõmendis, pensionib. seu cuiusuis qualitatis beneficiis, aut aliis reb. vel bonis (vt præfertur) factas, virib. vacuas: necnon illos qui eas acceptare præsumpserunt, cuiuscunq; status, etiãsi cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, aliaue ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, iure ep in eis habere prætendebant, & aliis beneficiis omnibus priuatos, ac ad alia in posterum obtinenda inhabiles fore. Illos vero ex eis, qui prætextu talium concessionum & impertrationum ad aliquam occupationem processerunt, vt ab huiusmodi occupationib. & perturbationibus desisterent, iuxta tenoiẽ decreti nostri q̃ incipit, Vt sacris requisiti, talibus requisitionibus non paruerint, vltra prædictas, excõmunicationis: necnon earundem impertrationum & concessionum receptores & executores, quo ad singulares personas, easdẽ sententias & pœnas: quo vero ad nos incorporatos, qui (vt præfertur) huic sanctæ Synodo iurauerunt, & in præmissis auxilium, consilium vel fauorem præbuerunt, petiurij reatum incurrisse, & de beneficiis quibus ratione præmissorum (vt profertur) priuati existunt, p eos ad quos spectat, huius decreti autoritate libere di sponi posse, similiter decernimus, & etiã declaramus. Et vt metus pœnæ, meta sit præsumptionis, omnib. & singulis cuiuscunq; dignitatis (vt prædictum est) existant, qui aliquam Ecclesiam cathedralem, etiam metropolitanam, aliamve prælaturam, dignitatem, commendam, pensionem, officium aut beneficium ecclesiasticum, seu etiam vt supra designata iurisdictionem, res & bona prædicta quæcunque, cuiuscunq; qualitatis existant, eorundem incorporatorum & suppositorum, omnibus & singulis cuiuscunque dignitatis (vt prædictum est) existant, qui occupant & retinent, seu etiã occupabunt & detinebunt forsitan in futurum, vltra prædictas & alias tam per nostra, quam aliorum generalium Conciliorum decreta, sanctionesq; canonicas, inflictas (quas occasione præmissorum incurrisse noscuntur) pœnas, sub Excommunicationis, necnon perpetuæ infamiæ pœnis, quas quemlibet contrafacientem incurrere volumus ipso facto, præcipimus atq; mandamus, vt infra duorum mensium à data præsentis decreti, vel etiam interim infra duodecim dierum spatium, à tempore quo illius notitiam habuerint, computando, ab omnibus & singulis occupationibus & perturbationibus per eos sic factis, penitus desistant, ac ecclesias, dignitates, commendas, pensiones, officia & beneficia atque res & bona prædicta, quibus dicti incorporati spoliati fuerint, aut super quibus sententiã vel sententias, quæ partibus per se vel per procuratorem præsentibus, & vsq; ad finem se defendentibus, in rem transierunt iudicatam, obtinuerint, illorũ possessionem liberam & vacuam dimittãt: necnon de perceptis, & qui durante occupatione huiusmodi percipi potuissent, fructibus, expensis & interesse præterea passis, partib. læsis ac etiam pensionibus (vt præfertur) assignatis, necnõ beneficiorum eorundem incorporato, ũ fructibus, ac alijs rebus & bonis prædictis integre & realiter satisfaciãt, aut cũ eis amicabiliter concordent. Quod si facere contẽpserint, ac pœnas prædictas damnabiliter incurrere, illisq; per alium mensem duobus mensibus lapsis, aut duodecim diebus prædictis in sordescere nõ formidauerint, extũc vltimo mẽse huiusmodi lapso (cum crescente contemptu, crescere debeat & pœna, & Ecclesia non habeat, quid vlterius faciat) singularis persona, decem si vero vniuersitas aut capitulum, aut aliud collegium seu cõmunitas fuerit, triginta marcarum auri pro vna cameræ Apostolicæ, ac pro alia parti læsæ, & pro tertia æqualibus partibus mediato vel immediato domino ciuitatis vel loci, in qua seu quo Ecclesia, dignitas, beneficium, commenda, officium vel res huiusmodi exiterit, si vices suas impendere voluerit, alioquin cuicunq; alteri, operam efficacem ad id præstanti pro labore applicandarum, pœnas incurrat eo ipso. Interim vero non minus Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, cæterique ordinarij seu collatores, etiã si capitula, vniuersitates vel collegia fuerint, allæque personæ ad quas ecclesiarum cathedralium electio, necnon dignitatum, beneficiorum, officiorum & aliorum prædictorum collatio, præsentatio, prouisio, seu quæuis alia dispositio communiter vel diuisim pertinet, infra simille duorum mensium vel duodecim dierum & vnius alterius mensis à fine duorum mensũ vel duodecim prædictorum dierum cõputandum spatium, postquam pro parte illorum quorum interest, fuerint requisiti, sub omnibus & singulis superius designatis & pecuniarijs pœnis, quas contrafacientes & rebelles etiam ipso facto incurrere volumus, omnibus etiam maioris excommunicationis vel defectus tituli, aliisque exceptionibus, oppositionibus, appellationibus, & subterfugijs cessantibus & reiectis, & absq; quarumcunq; causarum cognitione, quam eis & aliis quibuscunq; iudicibus ecclesiasticis & secularibus sub eisdem pœnis & casibus præmissis penitus interdicimus, electiones, collationes, præsentationes & quasuis alias dispositiones modis præmissis præsumptas, præsentis decerti authoritate, sicuti de facto processerũt, de facto retractent, & annullent, impedimenta præstita submoueant, occupatores ab occupatis expellant, & de perceptis fructibus, & qui percipi potuissent, necnon expensis & interesse prædictis, etiam per incarcerationem personarum occupantium, si opus fuerit, satisfieri ac partes læsas in eum statum, in quo ante occupationem seu factam nouitatẽ huiusmodi fuerant, reponere & reintegrare procurent, vasalli insuper & quicunque debitores & subditi ecclesiarum cathedralium, dignitatum, beneficiorum, commendarum, & aliorum prædictorum nullatenus occupatoribus prædictis, sed eisdem incorporatis & suppositis spoliatis, vt prius obediant & pariant in omnibus, ipsique debitores de fructibus, redditibus, pronentibus, iuribus & obuentionibus ecclesiarum, dignitatum, beneficiorum ac aliorum huiusmodi sub excommunicationis pœna, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, respondeant, & integre satisfaciant, vel cum eis amicabiliter concordent. Quod si facere neglexerint, & intrusis de fructibus & iuribus huiusmodi respondere præsumpserint, tales à debito nullo modo liberatos fore, sed incorporatis (vt præfertur) spoliatis realiter teneri decernimus. Præterea si Archiepiscopi cæteriq; præno-

Basilensis Concilij sess. 21.

Basileensis Concilii sess. 13.

minati

minati præmissa non adimpleuerint, eisque non paruerint cum effectu, extunc lapsis duobus mensib. vel duodecim diebus, & adhuc alio mense prædictis, ecclesiæ, ciuitates, & alia loca, in quibus talia, Ecclesiæ, dignitates, beneficia, aliaque prædicta fuerint (vt præmittitur) occupata, tandiu ecclesiastico subiaceant interdicto, quousq; rebelles prædicti per ecclesiasticam vel secularem fuerint potentiam à ciuitate vel loco expulsi, aut mandatis nostris huiusmodi fuerit satisfactũ, quibus expulsis, vel vt præfertur satisfacto, diuina possint officia resumi & continuari. Quæ omnia & singula etiam in pendentibus per appellationem, vel alias locum habere volumus & decernimus. Porro in casũ nõ paritionis liceat interim dictis incorporatis & suppositis post lapsum duorum mensium aut duodecim dierum prædictorum, brachij secularis, necnon rectorum & officiariorum ciuitatis vel loci huiusmodi auxilium inuocare, quos etiam in subsidium iustitiæ, præsentis decreti tenore inuocamus, requirimus & monemus, vt ipsi post simile duodecim dierum spatium, à tempore requisitionis super hoc eis factæ computandorum, auxilium, consilium, porẽtiam & fauores possibiles, sub excommunicationis & priuationis priuilegiorum, quæab ecclesiis obtinent, pœnis, quas eos, nisi fecerint quæ mandamus, incurrere volumus ipso facto, præstare non postponant, quorum potentia & auxilio præfatis spoliatis ecclesiarum, dignitatum, beneficiorum & officiorum, rerum & bonorum prædictorum possessionem, tam eiusdem decreti quam propria authoritate, ac etiam per potentiam intrandi & continuandi, ac intrusos suos expellendi, plenariam concedimus potestatem & facultatem. Omnes autem Christi fideles quacun q̃, etiam si cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel alia ecclesiastica seu mundana præfulgeant dignitate, qui præsens decretum temere violare, aut illis executionem denegare, seu directe vel indirecte impedire, ac partibus aduersis adhærere vel fauere, seu eorum aliquem receptare, defendere, aut tueri præsumpserint: quo ad singulares personas, excommunicationis, necnon trium quo autem ad capitula, vniuersitates & collegia, ecclesiastici interdicti & decem marcarum auri (vt supra dictum est) applicandarum, pœnas incurrere decernimus eo ipso. Cæterum, quia præterita nos commonent, futuris cautius obuiare periculis, præsentis decreti tenore sub interminatione diuini iudicij, & sub excommunicationis, priuationis, inhabilitationis, pecuniariis & aliis superius expressatis pœnis, quas ipso facto quemlibet contra facientem incurrere volumus, districtius inhibemus, ne aliquis cuiuscunq; conditionis & excellentię fuerit, ecclesiasticæ vel mundanæ, etiam si cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel alia quacunq; præfulgeat dignitate, qualuis Ecclesias, patriarchales, metropolitanas, vel alias cathedrales, monasteria, prælaturas, dignitates, officia, commendas, pensiones, iurisdictiones, vel alia cuiuscunq; qualitatis beneficia, siue res & bona quibuscunque nominibus censeantur, ad ipsos pro tempore incorporatos & incorporandos huic sacro Basileensi, aut alteri vniuersali legitime congregando Concilio, vel ipsorum familiares pertinentia, eodem Concilio durante, & in eo * præsentialiter existentes, in præiudicium, læsionẽ, derogationem seu odium Concilii, seu incorporatorũ vel incorporandorum huiusmodi, à quocunq; etiam Romano Pontifice impetrare, vel motu proprio collata acceptare, aut in illis se intrudere, seu in eorundem incorporatorum odium siue præiudicium suos consanguineos, procuratores aut fautores in personis vel bonis affligere seu molestare, vel eosdem incorporatos pro tempore inuitos alibi quam in eodem Concilio super re quacunque trahere, aut ad respondendum seu iudicium subeundum compellere præsumat: quoscunque processus, etiam quascunque pœnas in se continentes, & quicquid in contrarium forsitan attentari contigerit, irritum & inane, nullius roboris vel momenti existere, exnunc prout extunc nunciantes & decernentes. Non intendimus tamen, aliquos ex incorporandis in futurum, qui ante eorum incorporationem super aliquibus criminibus apud suos superiores delati forent & legitime præuenti, hoc decreto tueri, quin possit contra eos super criminibus etiam vsq; ad diffinitiuam sententiam inclusiue procedi: absolutionem vero omnium & singulorum, qui præfatas sententias, censuras & pœnas, vel earum aliquam incurrerint quoquo modo, Synodo pro tempore sedenti, & illa dissoluta, Romano Pontifici tantummodo, præterquam in mortis articulo reseruamus. Postremo, vt nullus ipsius decreti ignorantiam prætendere valeat, decernimus illud per publicationem in præsenti sessione factam, vim habere, & ita vniuersos & singulos lapsis duobus mensibus aut duodecim diebus prædictis, adstringere & arctare, ac si eis personaliter apprehensis intimatum foret. Quocirca vobis venerabilibus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, cantoribus, archidiaconis, cæterisq; in dignitatibus quibuscunq; constitutis, ac cathedralium ecclesiarum canonicis, districte præcipiendo mandamus, quatenus vos aut vnus vestrum per vos vel alium seu alios, præmissa omnia & singula, vbi, & quando expedire videritis, solenniter publicantes, si & postquam super præmissis vel aliquo eorum pro parte alicuius ex incorporatis suppositis prædictis vel alterius promotorum negotiorum nostrorum, aut nostri vel Romani pontificis procuratoris fiscalis, quibus super his omnimodam atque plenariam concedimus potestatem, requisiti fueritis, vel fueris requisitus, & vobis quod aliquis vel aliqui ex perturbatoribus prædictis aliquam vel aliquas ex sententiis & pœnis superius expressatis incurrerit, fuerit facta fides, ad earundem pœnarum declarationem contra eos procedentes, illos tandiu in ecclesiis vestris ac aliis locis, dominicis aliisq; festiuis diebus eadem pœnas incurrisse publicetis, & publicari faciatis, ac vt tales euitetis, & ab aliis euitari faciatis, ac alias ad plenariam pœnarum prædictarum executionẽ procedere curetis, donec super his satisfactione præuia debite meruerint absolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus legitimis super his per vos habendis, seruatis processibus, eos quoties opus fuerit, aggrauare curetis, contradictores authoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Nos enim vobis & vestrum singulis, omnes & singulos, qui sententias & pœnas huiusmodi, vel earum aliquam incurrerint quoquo modo, in loco nostrę sacræ congregationis, ea durante, ipsa vero dissoluta, in loco Romanæ curiæ & extra etiam ad partes: illos vero ex eis, ad quos tutus non patebit accessus, seu in locis in quibus libera mandatorum nostrorum executio fieri non poterit, super quo partis læsæ vel promotorum aut procuratoris prædictorum iuramento stari volumus, in audientia literarum contradictarum, & in valuis maioris ecclesiæ ciuitatis vel loci, in qua vel quo hanc aliam generalem Synodum pro tempore sedere, vel ea dissoluta aut non sedente Romanum Pontificem, cum sua curia residere contigerit, si in ea vel apud nos: si vero extra super his procedi contigerit, in loco ecclesiæ, dignitatis vel rei, super qua vel quo agetur, aut alio viciniori, in quo partis læsæ commoditas se obtulerit, in valuis maioris ecclesiæ ciuitatis vel loci huiusmodi, ad instar edictorum publicorum monendi, requirendi & citandi, plenam & liberam authoritatem vniuersalis Ecclesiæ concedimus tenore præsentium facultatem, volentes & eadem authoritate decernentes, monitones, requisitiones & citationes sic factas, vim habere, ac eosdem sic monitos, requisitos & citatos arctare perinde, ac si eis personaliter apprehensis factæ forent. Non obstantibus nostris atque Apostolicis constitutio-

** personaliter.*

stitutionibus & ordinationibus, quibus quo ad præmissa derogamus, & derogatum esse volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Basileæ in sessione nostra publica, in maiori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata, quinto idus Augusti, Anno à natiuitate Domini 1442.

VI. *Fridericus Rom. Rex cum Electorib dissipandum Basileense Concilia-bulum decernit, & qua arte hoc fecit.*

Videbat Fridericus Rex Romanorum, vna cum Principibus Electoribus, quorsum conspiratio Basileensium tenderet. Ea propter Ordini hierarchico, & bono totius Christianæ reip. prospiciens, de communi eorundem electorum Sententia, dissipandum esse Basileense cœtum decreuit. Non vi, sed arte agendum fuerat. Ergo, translatione Concilij proposita, videbatur res posse confici. Decreti itaque Oratores, Sylueſter Episcopus Chiemēsis, Erhardus de Zelginle Baro, Thomas de Haselbach *S. T.* Magister eiusdem Ecclesiæ Canonici, Ioannes de Lisura Decretorum Doctor, Præpositus Ecclesiæ B. Mariæ ad gradus Moguntinen. Ioannes de Francofordia Officialis Confluentiæ, Hēricus de Herpel Præpositus S. Seuerini Colonien. & Ioannes de Lamberg S.T. Magist. Hi Basileam venientes, petitionem huius tenoris obtulerunt; *Dignentur vestra Reuerendissima Paternitates, ad exhortationem & deuotam postulationem Serenissimi Domini nostri Rominorum Regis Friderici &c. nec non suorum principum Electorum sua vota conferre, quatenus modis congruis, ad Generalis Concilii ab omnibus indubitati congregationem, infra vnius anni spatium perueniatur, loco suæ maiestati, & suis principibus Electoribus grato, & rebus gerendis accommodo.* Audierunt petitionem Regis & Principum, Basileenses; & postquam de necessitate & auctoritate Conciliorum multa insulse, plurima impertinenter & temerarie disseruissent, nec non suum Basileense conciliabulum, verum, legitimum & indubitatum fuisse ac esse Concilium iactassent; tandem, quod Eugenio Pontifici denegarunt, Imperatori concesserunt, & aliorsum se velle transferre responderunt, sc. ad locum nationi Germanicæ rebus gerendis accōmodum, & Regiæ celsitudini gratum. Obsecrabant præterea, vt Regibus ac principibus Christianis eam rem insinuaret, qui prælatos & Oratores mitterent, qui saluos conductus darent; ipse autem inprimis litteras securitatis & Salui conductus, omnibus accedentibus & recedentibus vulgaret. Idem ciuitas ad quam transferendus esset cœtus faceret. Ipse pacem inter principes conciliaret; Concilio præsens interesset, vel protectorem præficeret; authoritatem Concilio apud omnes conciliaret; ad obtemperandum statutis conciliaribus, se inprimis disponeret, & alios induceret; eam congregationem futuram, pro vero ac indubitato Concilio agnosceret, & haberet; nec non locum pro celebratione ab illis ipsis nominandum acceptaret & deputaret. Datum Basileæ in generali congregatione. Secundo Nonas Octobris, Anno à Natiuitate Domini 1442.

VII. *Decretum Basileensiū quo ad instantiam Regis & Principum Germ. decimi quinti pro Felice Antip. denarii impositio abrogatur.*

Postularunt præterea Oratores Regis & Principum Germaniæ, vt impositionem quinti & decimi denarii pro Felice antipapa & suis Officialibus, non ita pridem in sessione conciliabuli XLII. factam abrogarent. Et istud quoque non negarunt Basileenses, sed edito isto decreto responderunt.

Sacrosancta Generalis Synodus Basilensis &c. Ad futuram rei memoriam.

Cum iam dudum hæc Sancta Synodus, pro nonnullis sanctæ Ecclesiæ vniuersalis, ac Sanctissimi in Christo Patris & Domini Felicis negotiis, fecit impositionem de beneficiis Ecclesiasticis, certo modo exigendam & persoluendam, prout in ipso impositionis decreto plenius continetur. Nos attendentes, huiusmodi impositionem Germanicæ nationi, iuxta qualitatem & conditionem Ecclesiarum, & beneficiorum sub ipsæ consistentium, admodum fore onerosam, qualem impositionem quinti denarii, septimi, vel decimi, vel alterius cuiuscunq; taxæ, qualitatis, vel conditionis qualitercunq; factam, quoad ipsam nationem Germanicam, præsentium tenore tollimus, cassamus, reuocamus, & annullamus, perinde ac si nullatenus promulgata esset; ac insuper eidem nationi, quod nullam in ea impositionem faciemus, seu fieri per-

mittemus, authoritate vniuersalis Ecclesiæ promittimus, ac polli-cemur. quinimo, si qua impositio, per quemcunque, quauis authoritate in dicta natione facta foret, seu in posterum fieret, præter Romani Regis, & Sacri Romani Imperii Principum Electorum, Oratorum suorum, seu maioris partis ex eis, expressum consensum; illam quoad prædictam nationem Germanicam, irritam decernimus & inanem, nullius q; roboris vel momenti, & pro non facta potius haberi. Insuper, quando hac Synodus cum dicta natione, de futuro Generali Concilio celebrando concordauerit; in quo causa schismatis in Ecclesia Dei (proh dolor) exorti præcipue tractabitur & expedietur. Vtigitur omnis sine suspicione procedant, promittit hac Sancta Synodus se curaturam, quatenus, quam cito dicti Romanorum Rex, seu Principes Electores, pro hoc Sacro Concilio se declararuerint, Sanctissimus in Christo Pater & Dominus Felix Papa, in illo non præsideat, neque etiam in futuro Concilio; quinimo Concilium ipsum in omnibus procedat, quemadmodum ante electionem præfati Sanctissimi Domini Papæ Felicis processit, donec in ipso futuro sic translato Concilio desuper fuerit declaratum. apud Cochlæum lib. 9. hist. Hussitarum.

VIII.

Hæc Basileenses, proni ad roganda & abroganda decreta; ad prouisiones pro Pontifice ponendas & tollendas; & quod grauius est, ad Pontifices instituendos, & destituendos. Nam quod Felicem, neque præsenti, neque transferendo Concilisbulo præsidere decernerent; perinde est, ac si illum sede, in quam intruserant, deiicerent, nec nisi voce tantum Papam agnoscerent. Sic est omnis cœtus, quem non Christus congregauit; ad omnem, etiam vanum terrorem instabilis. Sic est omnis plantatio, quam non Pater cælestis plantauit; ad instar arundinis omni vento agitatæ. Sic est omnis ædificatio, quæ non super lapidem angularem, nec super Petrum petram, sed super arenam constructa, vel minimo turbini cedens. Quamquam autē Nicolaus Panormitanus, à Felice antipapa creatus pseudo-Cardinalis, Basileensis conciliabuli per Germaniam de Latere Aquilonari Legatus, vniuersos ingenij sui neruos, in omnibus hoc anno celebratis Comitiis, apud Fridericū Regem Romanorum, & Principes Electores Imperii, intenderit, vt illos ad obsequiū Felicis adduceret, nihil tamen impetrare potuit: cum ad neutralitatem potius propenderent; & si coniecturis veritatem assequimur, magis ad Eugenium inclinarent.

Fridericus enim Rex, cum hoc anno, ad xv. Kalend. Iulij, apud Aquisgranum, à Theodorico Archiepiscopo Colonensi, in Regem Romanorum, solenni Ecclesiæ ritu vnctus & coronatus fuisset, Francofurtum, initio Augusti reuersus, frequenti Principum, Ciuitatumque Imperii conuentu habito; nihil quæ Panormitanus postulauerat, Felici, aut Basileensib. cōcessit; quinimo translationis Concilij mentione iniecta, cœtum illum præuaricatorum dissipare voluit. Confectis vero postmodum in Germania, & Burgundia, quibusdam Imperii negotiis, cum hoc ipso anno, ad III. Idus Nouembris Basileam peruenisset, parum ei cum Basileensibus, & nouo anti-Pontifice Felice conuenit: vnde ibi paucis diebus absumptis, Coloniam propere se recepit. *Hartmannus in annal. Heremi. Trithemius in Chron. Spanheimen.* Aeneas Syluius, vna cum Nicolao Panormitano, & aliis, qui à Felice antipapa ad Fridericum Aquisgrani coronatum missi fuerant, potuit omnia quæ Felicem inter, & Fridericum, ac alios, intercesserant vel aspexisse, vel agnouisse. Itaque siue is ipse res suas, siue alius in Commentarios retulit, hæc de Felice, seu Amedæo narrauit.

IX. *Iul. Card. S. Angeli qui antea Concil. Basil. præfuerat nunc Eugen. ab hæresis pidatini quam de*

Basileenses, aduersus Eugenium stomachati, ad eius priuationem procedere statuerunt. quod cum perficere nequirent, Episcoporum deficiente numero, Amedeus cunctos suæ ditionis Episcopos (duodecim Pontificiales Ecclesiæ, in eius ditione fuere) atque Abbates, & insignes presbyteros ad Concilium misit; quib. adnitentibus depositio Eugenij tandem extorta est. Eugenij depositionem, Reges ac Principes non acceperunt. Maior pars orbis Eugenio adhæsit. Germani neu-

Friderici Rex ad Eugen. inclinat.

tralitatem induerunt; Sola Sabaudia & Suizzari, & paucæ quædam diœceses, priuationem Eugenij, & Amedei assumptionem admiserunt. Mansit plurib. mensibus in Basilia Felix; conciliabulo præfuit; causas definiuit; Episcopos creauit; Cardinales assumpsit; Fredericum Imperatorem illac transeuntem clam audiuit: neque enim ille, quasi Pontificem in publico voluit honorare. Hæc apud Eugenium audita, magnum inculsere terrorem Basileenses antea sine duce, sine capite, facile contempserat; at Felice Pontificium arroganter, magno principe, vniuersis Christianis Regibus aut consanguinitate, aut affinitate coniuncto, qui annos quadraginta subditos suos in pace, summa iustitia, ac prudentia gubernasset, cuius opes inæstimabiles crederentur, non Eugenii modo, sed omnium Cardinalium, Curialium que mentes ingens metus peruasit. Iulianus autem Cardinalis Sancti Angeli ciuis Romanus, qui diu in Basileensi Concilio præfuisset, in Consistorio, cum trepidare omnes animadueriteret; *Tria*, inquit, *sunt, Beatissime Pater, nisi fallor, quæ tibi Felicem aduersarium metuendum reddunt; coniunctio, qua illi cum Regibus est; Sapientia, qua præditus existimatur; & ingens pecuniarum vis, quam illis per tot annos pacifice regnanti succreuisse putant. Hæc times? ii sunt hostes, quos verera? Cum his tibi bellum futurum est? Fratres mei, qui ante me locuti sunt, multa de his rebus dixere, eaque supra modum exiluerunt, atque insuperabilem aduersarium his eminentem dotibus existimauerunt. At si me audias, metum tibi omnem adimam; facile ista contemnes. Hinc tibi dabitur victoria, vnde times exitium. Neq; consanguinitas eius neq; affinitas nocitura est tibi. Iri debunt Reges, non adorabunt hominem, qui è seculari principatu ad Ecclesiasticum euoluerit. Virum sanguinum, qui sæpe in bellis fuerit obuersatus; indignum Sacerdotio iudicabunt. Vxorem dicent, in seculo duxit, & filios procreauit: & nunc in altari Sacratissimam Christi hostiam audet offerre? Inuidebunt, & maledicent homini; nemo amabit. Inter seculi principes, rara charitas est; nec tanta propinquitas vsquam reperitur, quæ tollat inuidiam. Laborantibus consanguinei, nunquam Amedeus auxilio fuit. Burgundos in bello reliquit, & Francos. Qualem se præbuit amicis, tales eos inuenier. Gaudebunt venisse tempus, quo vices reddant. Deseretur, ne dubita. Nemo illi non emptus adhærebit. Amedeum sapientem putauimus, qui multis annis feliciter regnasset. Non sua, credo, prudentia, sed aliena miseria felix fuit. Decertantes inter se hinc Itali, hinc Galli, quietam Sabaudiam reddiderunt. Nos, quod erat temporis, attribuimus homini. Fecit sapientia sua periculum Amedeus, neque se parvo inuoluit negotio: In re omnium maxima peccauit. Ruent sua consilia. Felicem vocant! Sed sæpe rebus aduersa sunt nomina. Depecunia, minus dubito. Numquam enim tanta est, quantam prædicant; neque exponunt, qui cumulant. Nihil est quod tam nobis prosit, quam pecuniosum aduersarium existimari. Cuncti ab eo aurum petent; non impetrantes, inimici abibunt. Hæc mihi de Amedeo sententia est. Qui aliter sentiunt, meo quidem iudicio, nihil sentiunt.*

X. *Iul. Card. opinio non vana.*

Nec vana Iuliani opinio fuit. Carolus Franciæ Rex, cum aureorum XXX.M. petiuisset, neque impetrasset, Eugenium ei præposuit. Idem fecit Philippus Dux Mediolani, qui C.M. aureis, & Bononiam vendere, & Nicolaum Piccininum cum nouem millibus equitum in eius exercitu frustra tentasset adscribere. Solebat Amedeus, cum aurum ab eo peteretur, dicere; pulcherrimam sibi sobolem esse; nolle se filios inopes relinquere. Cum mansisset per æstatem, & quæ secuta est hyemem, Basileæ; nec Pontificatum eius Christiani Reges amplecterentur, sequenti tandem vere, anni 1443. in Sabaudiam rediit, & paulo post Conciliabulum ex Basilea, vnde Patres edicto Imperatoris deiiciebantur, ad se euocauit. *Author Commentar. Pii 2. lib. 7.*

Colonien. Arch. Basil. Conc. fauens dimab Eug. deuotus &

Cæterum quod Friderici coronationē attinet, præsens Aquisgrani Ludouicus Arelatensis, Basileensium Orator, nomine Conciliabuli arrogabat sibi eius cerimoniæ actionem. Verum Leodiensium Episcopus pro Eugenio Pontifice consurgens, totis viribus restitit, & Ludouicum è ciuitate fugauit. Coactus est itaque tan-

tisper extra muros vrbis morari, quoad Colonensis Archiepiscopus aduenisset. Hic tumultum ea occasione exortum sedauit; & Ludouicum, ad probandam eā electionem & coronationem admisit, eaque propter, quod Basileensi Conciliabulo deferret & adhæreret, ab Eugenio Pontifice diris deuotus, ac dignitate exutus est; vna cum complice Iacobo Treuerensium Antistite, *Cusininanus in Friderico.*

dignitate priuatus vna cum Treuirēsi.

XI. *Iulianus ad Hungaros Legatus & Eug. mittitur & res ab eo ibi gestæ.*

Quod autem Iulianus Cardinalis, egregiam in tuenda Eugenij auctoritate iuxta & integritate operam posuisset, voluit illum Pontifex Legatum ad Reges Europæos mittere, & antipontificio opponere. Aestatis huius initio, ambo in Hungariam pene trauere, & ab Eugenio quidem ille quē diximus Italianus; à Felice vero, & conciliabulo Basileensi, Alexander Zemoniti Masouiorum Ducis, & Alexandræ Regis Wladislai amitæ filius, Patriarcha Aquilegiensis, Episcopus Tridentinus, & Cardinalis presbyter tituli S. Laurentij, in Damaso, non ita multo ante ab ipso Felice creatus. Atque hic quidem vt Felicis, ille vero vt Eugenii authoritatē, Rex, vna cum suis omnibus sequeretur, postulauit. Iustior Eugenij causa Hungaris visa est; quippe quæ Græcos etiam, Armenos, & Iacobinos adstipulatores haberet, qui Concilio Ferrariam ab eo cō uocato, & propter pestem Florentiam translato, vna cum Imperatore & Patriarchis interfuere. Adfuit & Isidorus, Kioviensis, ac totius Russiæ Metropolites, cum ducentorum equitum comitatu. Polonis, quoniam Academia Cracouiensis authoritatem Basileensium defendebat, & non modo Sbigneum Cracouiensem Episcopum, sed etiam Vincentium Archiepiscopum Gnesnensem Cardinalis presbyteri honore Felix ornarat, rutius visum, neutrum, donec dissidium illud maneret, pro Pōtifice Maximo agnoscere. Egit deinde Iulianus Cardinalis Eugenij Legatus, cum Wladislao Rege & Hungaris de pace facienda cum Regina Elisabetha Alberti Regis Romanorum relicta: quæ relicto in Austria, ac Friderici Cæsaris tutelæ commendato Ladislao pueruło, cum sacro diademate Strigonium redierat, quo Hungaros partes suas secutos in fide contineret.

Egit, & de suscipiendo bello contra Turcas. Et pax quidem cum Regina secretis conditionibus composita est, cum ad eam Rex Iuliani rogatu Laurinum venisset, moresque & virtutem suam, ac dignitatem oris ei probasset. Verum ea pax, Regina paucis diebus, ingenti Vuladislai dolore mortua, rursus infecta est: defendentibus nihilo segnius partes Ladislai post humi, seu verius rem suam ingentibus, & nullo amici, ac inimici discrimine omnia infestantib. iis, qui in superiore Hungaria cum Regina senserant. Neq; vero impediendo bello Turcico plus difficultates sensit Iulianus, cū non tam vtilitas inferre bellum barbaris, quam necessitas illatum ab iis depellere, & amissa recuperare suaderet. Etenim Amurathes non ignarus Hungaricorum dissidiorum, ciuilisque belli, infestabat reliquum Rasciæ, atque Transyluaniam, Bielogradum obsederat, & summa vi oppugnarat. Et quamuis Vuladislaus Rex per Debrogostium Ostrorogum, & Lucam Gorcanum Polonos, Oratores suos postulasset ab eo, vt ab obsidione discederet, & pacem, fœdusq; dudum vtero expetitum secum sanciret. Ille tamen ferox, amandatis Smilderouiam Oratoribus, continuauit obsidionem in septimum mensem; nec nisi maximis suorum strage adactus, ab ea recessit. Ac ne tunc quidem demisit Spiritus; quia dimittens Oratores Regios, iis demum legib. pacem se daturum esse respondit, si sibi reliquum Rasciæ, & Bielogradum traderetur. Pollicebatur Cardinalis Legatus Regi & Hungaris ad id bellum ingentia Pontificis Maximi, & quorundam principum Christianorum auxilia.

Ad hæc autem Hungarorum spes per se ipse iam inde ab initio in Vuladislaum erectæ, rebus ad eam diem aduersus eundem hostem auspicijs eius prospere gestis, augebantur. Nam præter id quod Amurathes à te-

ptimestri illa Bielogradi oppugnatione re infecta turpiter discedere coactus erat, Ioannes Huniades Regis huius auspiciis eosdem barbaros tribus insignibus præliis, vno apud idem Bielogradum, altero in Transyluania, tertio apud Vascapũ in finibus eiusdem Transyluaniæ per illud ipsum tempus vicerat, & magnis cladibus affecerat, Mezitem Bassum ducem exercitus bellicosissimum cum filio interfecerat, Sciabadinum alterum Bissam trepide fugere coegerat. Commouebat etiam, & Regem, & Hungaros Stephani, siue Georgii Despotæ Rasciæ, & Albaniæ misericordia, qui paucis his annis vtraque ditione à Turcis exutus, & filiis duobus captis, exectis, & excæcatis orbatus, Regis beneficentia in Hungaria sese sustentabat: & cum publice cũctis supplicabat, tum priuatim singulos proceres prehensabat, vt in suum restitueretur dominatum. Ad extremum superba Turcarum tyranni Amurathis legatio, in illud forte consultationis tempus conlecta, omnium animos vehementer accendit. Afferebat autem ea pacem vel inducias Hungaris, si tributum tyranno, quem Cæsarem & illi vocant, quotannis penderent; aut Bielogradũ, quod Nandor Albam, & Albam Græcam vocant, (olim Taurunum fuisse existimatur) traderent. In quam spem barbaros Matthias Taloncius Dalmatiæ & Croatiæ Banus, illorum vires & felicitatem, ac perturbatum Hungariæ statum secum reputãs, & grauiora metuens adduxisse existimatus est.

Georg. Despota Rasciæ à Turcis pulsus.

Eug. Princ. Christ. ad ferendam Hũg. opem hortatur.

Istud vero Eugenium magis afflixit, quod Christiani in Christianos barbarum excitarent, nomenque & populum Christianum perfidi hostibus proderent. Ab hac occasione vehementius commotus, habuit principibus Christianis periculum, in quo Christianitatis propugnaculum Hungaria versaretur, tanto acrius explicare, eosque ad ferendam quam maximam possent opem hortari. *Cromerus lib. 21. Philippus Calimachus * in Vuladislaũ.*

* vixit id temporis.

Eam partem Iulianeæ legationis, quæ Eugenii Pontificatum, & Felicis antipontificium respiciebat, paulo fusius, addita oratione Iuliani ad Regem & Proceres Hungaros memorabat, quod is in mediũ proposuerit; Vrbem Romam non solum diuinitus electum locum; sed Petri & Pauli, aliorumque innumerabilium Religionis fundatorum sanguine cõsecratum, in quo crearetur, præsideretque maximus Pontificum, Sacrosanctum Cardinalium Collegium, legitimam iugemque successionem; tum de more habitam, & abillis quorum res esset electionem; præterea totius Italiæ consensum, & Græcorum voluntatem iudiciumque pro Eugenio allegaret. *Nihil aliud ex parte alterâ esse dicens, præter tumultum perditorum quorũdam, quos fortunis suis profligatis, abiectaque Dei & hominum verecundia, spes nouarum rerum sine authoritate, sine ordine, sine causa, velut ad nundinandum sæua congregasset.* Addit idem Calimachus, Iulianum Cardinalem non minimam phalangem Volonum Cruce signatorum secum in Hungariam adduxisse, ac indidem allos ex Polonia & Hungaria excitos iisdem adiunxisse, qui ductu eiusdem Legati multa egregia facinora quotidie edebant, & iam cum victoria sub ipsum Thraciæ aditum peruenerant. *Calimachus lib. 1.*

Nota qui Amedeum intruserint & cõceptionis materiam dederint.

XII. *De Ioanne Turrecremata Car. & Albon. Tonstato.*

Hocanno in Hispanlis, Auriensis Ecclesia commẽdata est, ab Eugenio Pontifice, Ioanni Turrecrematæ, ex Dominicano Ordine Sancti Sixti Cardinali, multæ eruditionis viro, vti editi libri magno numero testantur; defensa de scripto Romanæ Ecclesiæ maiestate, in tanta temporum colluuione labeq; , immortalem laudem consecuto. Turrecrematæ æqualis, vt in minori ætate, fuit Alfonsus Tonstatus, Madrigale in Vaccæis patria, scriptorum mole, cognitione antiquitatis, multiplici eruditione ad miraculum clarus. Sermonis elegantia defuit, nõnulla inturia, ne cum quouis antiquorum conferatur. Annis consequentibus, Abulensis Episcopus creatus est. Iunior, Senis in Ethruria, vbi Eugenius Pontifex erat, theses magno numero ex intima Theologia depromptas, disputandas publice more Peripatetico proposuit, In ils, locis aliquot offendisse, Eugenius Pontifex edito diplomate notauit. Impugnauit dicato opere Turrecremata Cardinalis, defendit rursus Tonstatus, libro, cui Defensorio nomen fecit, in Pontificum etiam auctoritatem inuectus, iniuriosque, præ studio tuendi placita. Atque hæc fere accusabantur capita. 1. Christum Deum occisum ineunte ætatis anno trigesimo tertio; neq; ad octauum Kalend. Aprilis, vt vulgo veterum sententia est, sed tertio nonas eius mensis in crucem actum. 2. Nulli quidem peccato veniam denegari, quantauis turpitudine ipsius, quacunq; ve deliquentis conditione statuque; à pœna tamen & culpa Deum non absoluere; multo minus sacerdotes iure clauium, quod ille dictum subtili interpretatione explicabat; Catholicos nouæ vocis insolentia conturbabat.

Eodem anno in Hispaniis, Durangi, Fratricellorum sectæ impuræ fœdæq; semina excitata, extincta fuere. De infectis ea persuasione, quæstiones tormentis habitæ; pleriq; viui combusti. Alfonsus Mella è Francisçano Ordine Dux sectæ, iudicij metu Granatam fugit, puellas magno numero secum ducens. Hæ turpem vitam exegerunt inter barbaros; ipse, qua causa incertum, sed calamis tamen à Mauris per ludum peritus confixusq; periit. vitæ exitus consentaneus. Huic Ioannes Mella frater fuit, Zamoræ tunc Episcopus, deinde Cardinalis. *Mariana lib. 21. cap. 17.*

XIII. *Secta Fratricellorum in Hispan. ab vno Franciscano.*

Eodem anno Deus duo insignia miracula, ad inuocationem SS. Deiparentis, quæ Hallis colitur, patrauit.

I.

Vir nobilis erat è terra Bauariæ, Monachio oriundus, qui religione motus in Iudæam, & loca Saluatori nostro calcata, & sanguine sacro respersa iuit. Peruẽnit, & redibat. Sed in via, cum in naui, mari Ionio, ferretur, acerrimum morbus inuasit, & ad extremas fati lineas admouit. Nauticum genus satis asperum, neque ægris aut languidis amicum; hominem in imam carinam & angulum aliquem nauis detrudunt. Ingrauescit ibi magis morbus, & iam in eo erat, vt desperatus in mare abiiceretur, piscium & belluarum esca. Sensit & doluit alius è Belgica vir nobilis, in eadem naui vector. Is ad hominem accedit, linguæ iam impotem, mentis vix compotem: Solatur tamen & erigit verbis, qua potest, & interalia dicit: *Diuam Virginem Hallũ coli, insignem beneficiis, & velut publicam miserorum tutelam. Suadet ad hanc aram confugiat: & quoniam linguæ nuncupare preces, aut vota non possit, corde faciat, confidere se de præsenti auxilio, & salute.* Homo intelligit, arripit; etsi antea fama nulla eius patrocinij ad aures eius venisset. Tamen è cordis penetrali suspiria & preces ad eam mittit: & ipso tempore videt agmen varium & miscellum Geniorum malorũ super nauim volitare; & simul augusta forma fœminam ante se stare, quæ prolem in brachio, & manu altera cereum ardentem præferret. Ea vix comparuit, cum Genialis turba illa disparuit: & hanc adorans, ac pacem veniamque ab ea precatus, mox sensit vires restitui, sermonem & valetudinem veterem redire. Quod ipse gauisus, alii mitati sunt, in tam subita mutatione. Ac cum deinde patriam attigisset, nihil prius habuit, quam ad seruatricem suam venire; quod non sine insigni testimonio pietatis fecit. Nam ipse cum famulo, rorum illud iter, quam lata pene Germania est, nudipes confecit; iterumque eo habitu repedauit. Ea religiosum in Bauaria pectus! neque nunc desunt prisci & puri illic cultores, præeuntibus Principibus, quos fulcrum & exemplum appellare licet tauitæ pietatis.

XIV. *Duo miracula ad inuocationem Deiparæ Hallensis.*

II.

In Gallica Brabantia erat auriga quidam, qui merces precio vectitare solitus in biroto curru, quem Carrum appellant. Fors fuit, vt salem veheret, veniretq; ad Longcampium pagum, vbi flumen ponte transmittendum erat. Cum super ipsum medium est pontem, mala sorte carrus euertitur, & in aquam subiectam cadit. Peiori etiam sorte ipse auriga, qui sistere nitebatur, sub illum. Ergo ipse, equus, carrus iacent: & ecce, quod Deus voluit, puella aliqua vidit; quæ suppetiatum exclamauit, & vicinos excitiit. Sed mora longiuscula interposita, priusquam concurrerent, & iusta manus essent ad subleuandum. Prætor deniq; & alij adsunt, carrum primo attollunt, & sub eo inopinato hominem vident. leuãtque. Quem illi nihil ambigentes mortuum & suffocatum, qua aquis, qua onere esse, ad domum tamen Prætoris deferunt, longule dissitam, & vestibus ibi spoliãt, nihil sentientem. Atq; adeo vitæ nulla signa edebat, nõ motum, non suspirium, non halitum: cum vnus alterue è turba, pia miseratione hominẽ Diuæ Virgini Hallensi offerunt, & vota pro eo interponunt. Cordi etiam aliena pietas fuit: & statim sui compos, mali omnis expers redditur; stetitq; intuens intuentes. At post breuẽ deinde pausam carrum repetit, & viã suam porro pergit. Sed oneris eius liber, religione animũ expedit, & Diuam ipsam in loco salutatum venit, & de beneficio grates iaudesq; dictum. *Lipsius in Diuæ Hallen. c. 27. 28.*

ANNO CHRISTI 1443.

Eugenij Papæ IV. anno 13.
Friderici Romanorum Regis anno 4.

I. *Bellum in Hung. contra Turcã decretum.*

PRocerum Hungariæ animis, siue ab Iuliano Pontificis Eugenij Legato, siue à necessitate ipsa ad bellũ inclinatis, Vuladislaus Poloniæ & Hungariæ Rex, Comitia Budam ad Pentecosten huius anni indixit. In his, vno omnium consensu, contra Turcos bellum decretum est. Iulianus Cardinalis Vuladislaum admonebat spei, quã sibi proposuissent omnes Christiani principes, vbi eum accitum esse, vt in Hungaria etiam regnaret, intellexerant. Felix, faustumque id Christiano nomini visum fore, & pro felicitate ipsius vota solennia ab hominibus nuncupata. Quod pacatum Regnum prope totum iam possideret, non minus precarioribus aliorum Christianorũ, quam suis armis effectum. Dandam esse operam, vt tam ingenti de se expectationi responderet. Expetit id ea Religione quam profitebatur: sed nec minus à necessitate status sui, & tuitione illorum, quos in fidem susceperat. Non posse à se negligi eã expeditionem, aut salua fide præbita Hungaris, aut incolumi non solum Hungaria, sed etiam Polonia, cuius salus ab Hungariæ salute dependeret. Vindicandã indignitatem postulati à se tributi, in tanta status sui felicitate; indicandumq; , prope negligenter ad id locorũ rem gestam; quidne interesset inter expeditionẽ, quæ tantummodo Regiis auspiciis & illam, quæ nõ auspiciis solum, sed ductu etiam Regio ageretur. De victoria dubitare non finere res feliciter ab Hunniade gestas cũ parua manu, respectu copiarũ, quas ipse foret adducturus. Apud Hungaros vero proceres asserebat, diuinitus contigisse, vt Vuladislao Regnum committerent. Eam mentem coniungendi inter se vires duorum tam potentissimorum Regnorum, Deum eis indidisse, vt imperiũ finesq; suos, non solum tuerentur, verum et ad Hellespontum & Aegeum vsq; mare propagarent: Non præterm itteret opportunitatem, cui eẽ fatum fauisset, per Reginæ obitum, veluti necessitate imponendi finẽ seditionibus intestinis. Ad felicitatem publicam expediendam, non in præsens modo, sed etiam in perpetuum nihil eis deesse posse, quando reliqua omnia ad victoriam, ratio & fatum abunde accommodassent. Hæc & alia complura, Cardinalis Iulianus persuadebat.

Constitutum deinde, vt Rex quã maxime fieri posset numerosum instructumq; exercitum educeret, moueretq; in Bulgariam. Decretæ præterea legationes, ad Fridericum Cæsarẽ, ad alios Principes Christianos, & inprimis ad Prussienses & Liuonienses Cruciferos, nominatim in hostes Christiani nominis militiam professos, petitum auxilia, ad tam piam & totiꝰ Christianæ Reipubl. expeditionem salutarem. Cum Friderico, oportebat aut de pace, aut de fœdere transigi; antequ ad bellũ aduocaretur. Namq; ad eum non minimũ pertinebat, vel interesse, vel subsidia mittere contra Turcas, si Ladislai posthumi nomine Regni Hungarici tutelã vendicaret. Dedit Inducias in biennium. Quod vero ad expeditionem Christianis reb. adeo necessariã, nec ipse venire, nec subsidiũ mittere posset, Bohemiæ tumultuãtem statũ in excusationem adduxit. Magister Crucifer orum Prussiensiũ, allegata vastitate, qua proximis temporib. continua bella eam prouinciã afflixissent, nihil quale petebatur ab se sperandum renunciauit. Pontifex Eugenius, piam Crucis militiam adnuens barbaros per oẽs nationes Christianas pronunciari iussit; vnde magnus voluntariorũ militum, siue adeo promiscuę multitudinis numerus collectus est, quem Iulianus Cardinalis Legatus, Cruce pro vexillo vrens, duxit. A Polonis & Valachis missæ sunt cum semestri stipendio equitum peditumq; auxiliares copiæ, quas ingens armatorũ multitudo subsecuta, quib. domos, coniuges, liberos, patriã, cæteraq; humanæ vitæ aut præsidia, aut ornamẽta propter eiusmodi militiã relinquere, non consil. ũ, aut merces publica, sed priuata in Deum pietas, & studium Christiani nominis, simul tuendi, simul propagãdi persuaserat. Die 22. Iul. Buda castra mota sunt, transmissoq; apud Salsum lapidẽ Danubio, ad hostiles terras peruẽtũ. Capta & incensa in Rascia & Bulgaria nõ pauca ignobilia oppida, & ceterę munitiones; in his insignis inprimis Sophia, q̃ Sardicam nonnulli antiquiꝰ, esse volũt. Vbi ad Moraua fluuium ventum est, cũ didicissent Rex ab exploratorib. in propinquo esse Turcarũ copias, Ioannẽ Hunniadẽ cum decem millib. expeditorum militum, in quib. Poloni erant, cõtra eos missi; q̃ cum intempestæ noctis silentio improuiso in statiua eoꝝ impetũ fecissent, magna strage ad internecionẽ hostes pstigerunt. Cæsa fertur ad triginta millia Turcarũ, capta quatuor. Bulgaria deinde pleraq; omnis, quẽ admodũ Bonfinius memorat, partim p vim, partim p deditionẽ ob linguæ & stirpis cognationẽ Polonorũ opera potissimũ, in potestatẽ Regis redacta, ad fines Macedoniæ peruentum est. Altiss. & celebratiss. apud Poetas & historicos Græcos præsertim, montes Macedoniã atq; Thraciã à Mysis, Dardanis, & Triballis, q̃ nunc Rasciani, Seruij, Albani, & Bulgari sunt, sepatãt, nec nisi duob. locis peruij; altero ad pontũ Euxinum, & in Thraciã vergente, altero in Macedoniã perangusto ac difficillimo tramite, sed propiore à castris Regis. & insederat iã cũ pene infinita vis Turcarũ, duce Carambeio, propinquo tyranni, pfecto Asiæ, q̃ Natholiam corrupto seu deprauato nomine nunc vocant, ad prohibendũ Christianorũ exercitui transitũ post primã illam cladẽ transmissa. Edixerat aũt Amurathes Carambeio, prorsus ne manus cum Christianis cõsereret; cuius tũ ille edicti, animaduersa Christianorũ paucitate, tenax nõ fuit. Sed his ad mõtes appropinquantib. pridie Natalis Christi Dei nostri impetũ fecit in Regis exercitũ: nec Rex detrectauit pugnã; victosq; & fusos barbaros, duce ipso Carãbeo capto, in montes eõpulit; & rupẽ in qua statiua habebãt, vsq; ad vesperũ summa vi fustra, & nõ sine suo incõmodo, ita vt ipse quoq; licet armatꝰ, aliquot sagittas aduerso pectore exciperet, oppugnauit. Cõstabat Polonos bonã operã in eo facto bello Regi nauasse, nõ solum equites, verum et pedites, cum ij immixti equitibus, hostilibusquorũ inguina suffoderent, equitibusq; ipsis crura ꝑciderẽt. Post hanc victoriã, octabat Regẽ magnopere Despotes, ne reduceret exercitum, priusq; Rasciam & Albaniam omnẽ receptã atq; pacatam sibi restitueret; ac centũ millia nummum aureorum dabat. Sed vile visũ fuit aurum; nec adduci vllo modo exercitꝰ potuit, diutius vt illic maneret, equis & hominibus vulgo fame rabescentibus. Quoniã aũt ostentabant se à tergo proficiscentibus Turcæ; veritus Rex insidias, aut vim vllam maiorem, quo expeditius agmen duceret, arma quidem superflua, vel de hostibus capta, vel à suis desideratis relicta, terræ infodit: cætera vero impedimenta,

Turcæ ab Hunniade cadũtur.

Turcæ iterum fusi duce eorũ capto.

& hosti-

Regis post victoriam humilitas & triumphus.

& hostium spolia, quæ oneri fuerant militibus exussit, magnisque itineribus Bielegradum peruenit. Ibi aliquot diebus refecto exercitu, continuato itinere Budã attigit, & procedentibus ante eum, qui vrbe obuiam exierant, in sacro ornato, cum solenni cerimonia sacerdotibus, ipse nudis pedibus, prius que Regiam aditet, Templum Beatissimæ virginis Deiparentis ingressus, signa hostium in eodem affixit. Sequebantur captiui, inter quos Carambeius; inde milites, ante omnes Poloni ceuce signati. Laudes Deo & gratiæ à cunctis persoluebantur, mixtæ improperio in eos, qui per ignauiã & socordiam ætatem agerent in domestico luxu, prodita ac deserta re Christiana, quæ tum primũ caput attollere incipiens, breui ad pristinum decus amplitudinem q; esset peruentura. *Callimach. lib.* 1. *Cromer. lib.* 21.

II.

Regii pietas in re orthodoxa amplissimis priuilegiis Russos & his finitimos ad vnionẽ Rom. Eccl. inuitando.

Iuuit Vuladislaũ ad eam victoriam, pietas in re Orthodoxa, quod is Græci ritus quoscumq;, & præsertim Russos, & his finitimos, ad vnionem Romanæ Ecclesiæ, non ita pridem in Florentino Concilio, vnanimi consensu Orientalium & Occidentalium confectam, amplissimis priuilegiis, ante belli decretum inuitasset dato isto diplomate.

Tenor diplomatis Vuladulai

Vladislaus Dei gratia Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rumæ, Seruiæ, Rasciæ, Sclauoniæ, Galliciæ, Comaniæq; &c. Rex, nec non terrarum Cracouiæ, Saudomiriæ, Lanciciæ, Lituaniæq; princeps supremus, Pomeraniæ Russiaque Dux & hæres &c. Significamus tenore præsentium quibus expedit vniuersis præsentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quod dum in mente nostra crebrius reuoluimus, & æquo rationis libramine cœlestia pensamus cum terrenis, non aliud per vehementiam laboriosæ meditationis accipimus, quam quod spretis mundi fallaciis, & accrescentis seculi seductrice gratia prorsus euulsa, mentis nostræ aciem in cœlestia figamus, vbi candor lucis aternæ cunctorum fidelium memes illustrat, & extinctis odiorum flammis vniuersorum efficiat vnanimes voluntates animorum. Quamquam autem ex assumpta dignitatis officio singulorum regimini nostro subiectorum vtilitati intẽdere teneamur, cura tamen efficacior nos sollicitat, vt ad ea qua diuini cultus ampliationem, decus ac gloriam & laudem, adiumque sacrarum vnionem, statumque felicem & quietem respiciunt conuertamus animum, disponamus & mentem. Nam in cœlestes thesauros reponi ea indubie confidimus, quidquid ad magnificandum Deum, & sacrarum Ecclesiarum augmentum ipso largiente ordinamus. Cum igitur Spiritus S. cooperante clementia, Ecclesiæ Orientalis, ritus videlicet Græci & Ruthenorum, quæ longis (heu) temporibus in disparitate quadam & scissura fidei sancta, & diuinorum Sacramentorum, non sine multorum salutis dispendio ab vnione sancta Rom. Ecclesia fluctuare videbatur, & quam vnionem patres nostri, imo tota plebs Cathol. temporibus nostris videre cupiebat, modo iam miserante Domino decretis Serenissimi Domini Eugenii Papæ IV. & aliorum Patrum plurimorum, Fidei Sanctæ zelatorum, cum ipsa Sancta Romana ac vniuersali Ecclesia reducta sit, ad identitatem dudum desiderate vnionis, pro tanto vt ipsa Ecclesia Orientalis prælatique & Clerus vniuersus eiusdem ritus Græci & Ruthenorum in amplitudine dominiorum nostrorum & ditioni nostræ subiectorum vbilibet consistentes, qui aliæ stante huiusmodi disparitate & scissura quandam depressionem sustinebant, restituta ipsis libertate diuino cultui insistere possint; & Saluatoris nostri clementiam pro saluanda fidelium animabus, & Sanctæ Fidei conseruando statu, in pacis dulcedine vberius exorare valeant, ad laudem & gloriam Dei Omnipotentis, qui nos suo redemit pretiosissimo sanguine, vniuersis Ecclesiis, earumque Episcopis, seu Vuladicis, Prælatis, Clero, & cæteris personis Ecclesiastici eiusdem ritus Græci & Ruthenorum, hæc omnia iura, libertates, modos, consuetudines & immunitates vniuersa duximus in perpetuum concedendas: & præsentibus concedimus, quibus Ecclesiæ omnes Regnorum nostrorum Poloniæ & Hungariæ &c. horumque Archiepiscopi, Episcopi, Prælati & cætera persona Ecclesiastice consuetudinibus fruuntur, atque gaudent. Volumus insuper & præsentibus decernimus, quod à modo nullus Dignitariorum, Capitaneorum, Officialium terrigenarum & cæterorum subditorum nostrorum, cuiuscumq; status aut conditionis existant, & præcipue Regni nostri Poloniæ prædicti, singulariter, autem terrarum nostrarum Russiæ & Podoliæ, & aliarum ipsis annexarum, de iurisdictione prefatorum Episcop. Vuladicarum, & Prælatorum eiusdem ritus Graci & Ruthenorum, sed neq; de iudiciis Sacerdotum seu plebanorum ipsorum, imo de causis matrimonii, aut diuortiorum se deinceps impediant, in terris prædictis, quolibet & quoquomodo; non obstante quauis consuetudine hactenus in terris præscripta qualibet in contrarium obseruata. Preterea vt iidem Episcopi seu Vuladica, cæteriq; prælati & Ecclesiæ personæ sæpedicti ritus Ruthenorum vitæ administratione sustentati, ad laudes Deo exsoluendas eo commodius intendere possint, ipsis & eorum Ecclesiis vniuersis in dominiis nostris vbiq; existentibus, omnes villas & possessiones quaslibet quibuscunq; nominibus censeantur, quæ ab antiquo ad ipsas Ecclesias pertinere videbantur, & per quascunq; personas, & in quibuscunq; terris & districtibus nostris in præsens habitas, cum omnibus eorum iuribus pia mansuetudine duximus restituendas, & restituimus per præsentes, temporibus in euum succesturis, harũ quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Actum & Datum Budæ feria 6. Proxima ante Dominicam Oculi anno Domini 1443. præsentibus &c. per manus Magnificorum Ioannis de Koniecpole, Regni Poloniæ Cancellarii, & Petri de Szazkocin Vice Cancellarij fidelium nostrorum sincere dilectorum, ad relationem Magnifici Petr. de Szazkocin R. P. Vice-Cancellarii prædicti. Ext. authographum apud Metropolitem Kioiensem Ioseph, Velaminium Rutzki, à quo transcriptum habuimus, missum etiam SS. D.N. Paulo V. Pont. Max.

III.

Eug. varijs necessitatibus coactus de pace cũ Alfonso Rege cogitat.

Hæc in Oriente, Eug. Papæ auspiciis, contra hostes Christianitatis, & pro vnitate Ecclesiarum agebantur, isto anno: quo in Italia, Regni Neapolitani ius fiduciarium & possessionem, ab eodem Pontifice summis difficultatibus reipubl. Christianæ, pene oppresso, extorsit, Alfonsus Rex Aragonum. Iam omni spe recuperandi eius Regni deiectus Renatus Andegauensis, in Gallias reuerterat. Iam vniuersa Italia diuturno bello afflicta, pacem suspirabat. Iam socii Pontificis Eugenij impendiis & virib. exhausti, resistendis hostibus amplius non sufficiebant. Iam & ipsum Pontificem desiderium Romæ & quietis tenebat: tanto vehementius quanto perspiciebat Alfonsum, si eius Regni possessione aut excideret, aut distineretur, vel impediretur, non prius à promouendo Felice antipapa, & schismate protrahendo discessurum, quam vel votis potiretur, vel negotium sibi de Pontificatu à Basilcensibus motum, ad fidem deduceret.

Enimuero Felicem Cesasium, quo à Secretis vtebatur Alfonsus, ad Felicem Antipapam Oratorem miserat, qui obsequium antipontifici deferret, omniaque abunde polliceretur, si modo etiam is quoq; titulum Regni Neapolitani sibi confirmaret. Et quidem Felix antipapa, postulationibus Alfonsi aurem præbuerat; & non tantum ad optionis à Ioanna Regina factæ confirmationem, ac ius beneficiarium Regni illius, non ex suo offerebat; verum etiam CC. M. aureorum pro recuperando sedis Apostolicæ patrimonio, & Terracinã vrbem Ecclesiæ Romanæ, nomine mulctæ, quam Ioannes Vitellescus quondam Patriarcha ob violatas inducias debuisse dicebatur, ac prærerea, vt idem Regnũ non modo Regi, sed & post eum Ferdinando filio, quẽ ex impari quamuis matre Rex in conuentu procerum eius quidẽ imperii heredẽ designarat, cederet, interposita fide pollicebatur. Vicissim Alfonsus in se recipiebat: nomine suo, & fratrum suorum, illum Pontificem verum ac indubitatum agnoscere; obsequium illi præstare; Oratores suos ad cœtũ Basileensem; vel ad quodcumq; ab eodem congregandum Concilium destinaret; Prælatos & populos Regnorũ suorum, eius obedientiã profiteri cõpellere; Reges Castellæ & Nauarræ, ac præterea Ducem Mediolani, in eius partem adducere, & per mutuas affinitates, datis & acceptis filiabus fœdus cum ipso ineundum, vellet confirmare.

Fere eadem, Eugen. Pontifici, misso ad eum Alfonso Borgia Episc. Valentino, promittebat. Præterea Ioannem Liriam, & Ludouicum Perniam, vna cum Ioanne

Cabur-

Caburgadio Oratores ad Philippum Mediolani Ducem ire iusserat, qui vt interpretis & conciliatoris officio defungerentur, supplicemque illum Pontifici commendatum faceret, postularent. Cardinales quoq; Tarentinum, & Aquilegiensem vrgebat, qui Pontificem de pace interpellarent: postquam vniuersum fere Regnum iam in eius potestatem venisset; adeo, vt si contra quemcumq; Principum seculi, non autem contra sacratam Pontificis Romani iurisdictionem arma expediuisset, id quicquid de hoste iure belli acquisiuisset, iusto titulo earum ditionum Dominus censeretur. Iam Philippus Dux Eugenio persuaserat, vt Franciscũ Sfortiam Piceni possessione depelleret. Iam etiam Eugenius, Sfortiæ, ob non restitutam Bononiam infensus, contra ipsum Sfortiam, vt inimicum Ecclesiæ, inuadẽtẽ & hostiliter incurrentem ditiones Ecclesiasticas, per solennem processum excommunicationis sententiam pronunciauerat, & vlciscendis non tam suis quam Ecclesiæ iniuriis, bellum illi intulerat. Ergo qua retinendi asserendiq; Pontificatus contra Felicem antipapam, qua extirpandi schismatis contra Basileenses, qua pacificandæ vniendæque reipublicæ Christianæ contra Turcos; qua recuperandi de Sfortia, & de aliis hostibus, direpta Ecclesiæ Romanæ, necessitate coactus; quum videret à se susceptæ armæ frustra retineri, nec iam amplius Renatum, restitui posse, ad pacem dandã Alfonso inclinauit, ac Ludouicum Cardinalem Aquilegiensem appellatum, magno animo, & consilio virum, (cui admodum fidebat, cuique rerum suarum summam commiserat) qui cum eo de pacis conditionibus ageret, Legatum ad Alfonsum misit.

Ludouicus Card. Aquileg. Legatum ab Eugen. ad Alphon. destinatus.

Rex permittit cum Legati insignibus ad se venire contradicentib. aliis

Is vbi Priuernum peruenit, missis, qui suum aduentum Regi significarent, substitit. Quod postquam Rex agnouit, Alfonsum Borgiam Episcopum Valentinum, nonnullosq; alios claros viros, quorum consilio vteretur, qui eum salutarent, continuo ad eum misit. Orta vero inter eos controuersia, quod Ludouicus se pro Legato à Rege susci pi peteret, & Alfonsus Episcopus, ac cæteri Regii negarent id æquum esse, ne iam tunc Rex sese Eugenij authoritati, sibi adhuc aduersarij subiecisse videretur; cõtinuo Rex vbi id rescivit, eam controuersiam tolli iussit, atque vt cum Legati insignibus ad se iret permisit, multisque principibus viris ad quatuor millia passuum à Terracina obuiam aduentanti præmissis, ipse quoque vbi eum appropinquare accepit, ad mille passus processit, comiterque, ac benigne suscepit. Interim ostendit, placere sibi, quæ de pace agenda essent, ea (nullo interprete) per se ipsos agi, nec cum suorum præterea quoquam communicari; sic ea cautius meliusque confici posse. Eius consilio approbato Legatus, id quoque sibi placere respondit: eoque ipso die ad eum profectus, priusquam de pace loqueretur, Regem, excusationes suscepti gestique belli audiuit.

Rex obuiã ei procedit.

Ordiuntur tractationem pacis.

Ostendebat Alfonsus, sese iuris sui tuendi gratia, q aliter defendi non posset, contra Eugenium bellum suscepisse, quem cum à Ioãna Regina filiũ, ac regni successorem institutum sciret, ac pro statu suo conseruando, infinitos labores ac pericula adiisse, Renato posthabuisset, cui & aperte fauisset, & opitulatus esset, quæ ideo se grauius tulisse, quod nulla sua iniuria lacessitus Pontifex, ipsum adeo hostiliter oppugnasset. Neque. n. meminisse se, à se quidpiã, cuius rei causa is sibi infensus esse debuerit, admissum. Non personam, sed causæ æquitatem ab illo spectandam fuisse, qui communis omnium, æquo iure sit parens, nec magis hunc, quam illum, aut amare, aut odisse debeat. Multa præterea maiorum suorum exempla retulit, qui pro Ecclesiæ dignitate, & authoritate conseruanda, multa discrimina obire non dubitassent. Sui vero erga Sacrosanctam Christi Ecclesiam animi, Gerbiniam expeditionem, quam pro Christiani generis gloria fuscepisset, in primis testem esse. Quapropter, quæ egisset, non voluntati, se necessitati attribui oportere. Pacem se & humiliter accipere, & libenter dare, si modo æqua proponeretur, concedaturque. Hanc suæ voluntatis atq; consilii summam esse.

Postquam dicendi finem Rex fecit, Legatus, quibus potuit rationibus, bellum à Pontifice gestum, iustissimum esse demonstrauit, docens, non odio, sed officio compulsum, pro iuribus Romanæ Ecclesiæ aduersus eum bellum mouisse: ac præterea, non potuisse, Renati à se auxilium implorantis, preces auertari. Vtut autem, siue bellũ ceciderit, siue Renatus regno discesserit, Pontificem, non quidem armis, sed interpellationibus fractum, ad pacem mentem conuertisse, seq; eius rei auctorem inprimis apud Eugenium fuisse: admiratum iam pridem tum animi, tum consilij, tum rerum ab eo gestarum magnitudinem, amicitiam illius vltro expetisse; qua quidem per pacem sibi perfrui liceat. Post hęc cum de pace aliquamdiu colloquii essent, ab eo sermone vterq; spei plenus discessit. Cepit autem vtrimque ex eo sermone, mutuæ virtutis atq; prudentiæ ingens opinio, atque admiratio; idque ad suos reuersi, alter alterum magnificis, atque amplissimis verbis extulerunt. Postridie autem Rex ad Legatum profectus, quum nõ concederentur postulata, ita ab eo discessit, vt omnes intelligerent, spem pacis nullam esse. Et iam vterque, quasi desperata pace abire se inde velle pronũciauerat. Iamq; ad discessum parabantur omnia, quum mox Legatus frustra à se susceptum iter dolens, per interpretẽ rem componi posse arbitraretur, Alfonsum Conarruuiam Protonotarium Apostolicum (ea dignitas apud Pontificem haud contemnenda existimatur) cuius fidem erga se probauerat, peridoneum censuit, per quem inchota, aciam desperata pacis mentio reuocaretur.

Spes pacis.

Pax desperata.

Alphonsi Conarruuias.

Norat quippe in eo viro, haud minus prudentiæ quam fidei, rebus gerendis ineſſe; & quod erat genere Hispanus, propter linguæ peritiam, quæ sibi obscura erat, hoc illi magis cum Rege conuenturum. Vocato igitur ad se Alfonso mandauit, vti Regem aditet, eumque facta loquendi potestate, à quibusdam postulatis, quæ minus æqua censebat, auertere conaretur, Scripsitque ad Regem, ne grauaretur secum, de iis quæ ad pacem pertinerent, rursus agi; Alfonsi fidei, quæuis magna & arcana committi posse. Multa sæpe, quæ inter ipsos rerum authores effici non potuerunt, per internuncios composita atque confec. esse. Acceptis mandatis Protonotarius è vestigio ad Regem profectus, primum ne quid Rex miraretur, quod quum is genere Hispanus esset, aduersus eum superiore anno arma cepisset, id factum excusauit. Deinde edocuit, quantum nomini gloriæque eius, cum Pontifice gratiam & pacem conducere existimaret. *Namque vt turpe ad famam videretur, tantum Regem cum summo Pontifice bellum gerere, etiamsi esset forte non omnino iniustum; ita posita contentione, eius authoritati parere, & aduersus Christi in terris Vicarium minime contumacem esse, gloriosum haberi.*

Post hæc quum rursus de pacis conditionibus agi cœptum esset, in alias iterum difficultates inciderunt. Atque cum nihilominus pacem effici posse, alia quadam via demonstrasset, assensus Rex, Alfonsum Valentinum Episcopum ad Legatum misit, qui rogaret, ne eo die discederet, quod pacem componi posse rursus in spem venisset. Quod cum illi placuisset, consilium remanendi cepit, posteroque die ad Regem profectus, Alfonsum una secum, sermoni quem cum Rege esset habiturus, interesse voluit. Rex itidem, Franciscum Vrsinum, (Romæ Præfectus prepetuus is erat, qui honor in Italia amplissimus habebatur) ad se vocauit; iisq; multa inter se de pace colloquutis, post longam disceptationem pax ad postremum his conditionibus dicta atque conscripta est; Terracinæ, die XIV. Iunij.

Pax firmatur.

IV.

Conditiones pacis.

1. *Obliuio omnium iniuriarum, quæ hactenus vtrimq; intercesserant, inducretur.*

2. *Alfonſo Regi, quicquid ad id temporis in maieſtatem Pontificiam deliquiſſet, indulgeretur: adeoq; anathemata & cenſuræ in illum prolatæ, ſoluerentur.*

3. *Alfonſus Rex, Eugenium Papam, verum atq; indubitatum Eccleſiæ vniuerſalis Pontificem, profeſſus & pro ſuo Regnu ac populo agnoſceret, confiteretur, eiq; reuerentiam & obedientiam filialem deferret.*

4. *Alfonſus Rex, in omnibus Regnis & prouinciis, ditioni ſuæ ſubiectis, libertatem Eccleſiaſticam, integram in omnibus & per omnia inuiolabiliter ſeruaret, atque tueretur.*

5. *Eugenius Pontifex Alfonſum Neapolitanorum Regem cõſtituat, appelletque de more ipſum Regem, ac omnia Regni iura ei, liberis, poſterisque libera in perpetuum concedat, quemadmodum Carolo I. à Clemente IV. & aliis prioribus Regibus, ab aliis Romanis Pontificib. titulo beneficiario, ſeu fiduciario tradi conſueuiſſent.*

6. *Ferdinando Regis filio, ex illegitimo thoro nato, cui Alfonſus poſt mortem Regnum deſtinauerat, Eugenius ſuccedendi poteſtatem faciat.*

7. *Alfonſus Rex, iureiurando fidelitatis & homagii ſeſe Eugenio, & ſucceſſoribus Eugenii Romanis Pontificibus, & ſedi Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, ſeſe deuinciat, authoritatque ſubiiciat.*

8. *Alfonſus Rex, viginti millia vncias auri puri, iuſti ponderis cenſus nomine, ſingulis annis, ad feſtum diem SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, ſedis Apoſtolicæ, & Romano Pontifici appendat, & numeret.*

9. *Idem Alfonſus Rex, Eugenio Pontifici opituletur, ad Picenum, quod Franciſcus Sfortia armis occupauerat, vindicandum: cuiusei, IV. M. equitum, & M. pedites, in ſex menſes annuos, ſumptibus proprijs expediat.*

10. *In bellum contra Turcas, aut Afros Saracenos, ſex triremes, in ſex annuos menſes ſumptib. itidem propriis toties, quoties illud Pontifex decreuerit, ſuſceperitue, claſſem Pontificiam augeat.*

11. *Sacerdotio præditos, ſub Concilii prætextu Baſileam profectos reuocet, nec patiatur tres è ſuis, qui Cardinales ab Amadeo Sabaudienſi creati fuerant, reuertentes, pro Cardinalibus ſuſcipi, haberiue. Si poſito eius honoris titulo venire renuant, ipſe Pontificia edictum cum cura in eos exequatur.*

12. *In terris Romanæ Eccleſiæ, Alfonſus, nihil vmquam ſibi quocumq; titulo acquirat; quin nec aliquam Poteſtariam, aut Rectoriam in ditione Eccleſiaſtica, aut ſuſcipiat, aut exerceat.*

13. *Eccleſiis Regni, ſi quæ ablatæ ſunt, omnia reſtituat.*

14. *Omnes Eccleſias, Prælatos, & Rectores earum permittat gaudere Eccleſiaſtica libertate; ita vt illi, excepto iure patronatus, neq; conſilio, neq; conſenſum Regium teneantur expectare.*

15. *Cauſæ Eccleſiaſticæ coram Ordinariis tractentur. Quod ſi per appellationem, ad Sedem Apoſtolicam deuoluantur, ad eandem ſine vllo impedimento remittantur.*

16. *Omnia ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam reuocet: neq; vlla in poſterum ſtatuat.*

17. *Taltas, collectas, vectigalia, Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis non imponat.*

18. *Clericos, tam in ciuilibus, quam in criminalibus cauſis, iudicio Eccleſiaſtico relinquat.*

19. *Cum nullo hoſte Eccleſiæ, confœderationem faciat.*

V. *Nouæ difficultates.*

Poſtulabat Alfonſus Rex præterea, vti Terracina vrbs in confinio Regni ſita, firmiſſimum ipſius Regni clauſtrum, itemq; Beneuentum vrbs in Samnitibus clara ac potens, ſibi, poſteriſque traderetur. Legato quidem ea oppida Regi tradi placebat, quoad ei vita contingeret: ſed in hæredes transferri, inconſulto Pontifice nolebat. Hac igitur vna re ſuſpenſa, quum de cæteris conueniſſet, Priuernum Legatus rediit, Alfonſo apud Regẽ relicto, qui id ageret, curaretq; vt quæ de pace acta erant, publicis monumentis mandarentur. Qui cum vtriuſq; gratiam promereri cuperet, ne id vnum obſtaret, quo minus pax conficeretur, æquum ſtatuit, ſi Rex ea oppida vellet, vti pro iis Matricem ciuitatem, Accumulum, & Leoneſſam relinqueret.

Pacis fœdera à Regẽ & à Legato obſignãnantur.

Ea pactis fœdera Rex obſignauit, & dimiſſo à ſe Couarruuia, vt ea quoque à Legato, qui apud Priuernates conſtiterat, confirmarentur interpellauit. Couarruuias te quamprimum abſoluta, celeriter ad Regem reuerſus, ea rite obſignata tradidit.

VI. *Phil. Diui Oratores ad Alphon. miſſi pro Picena contra Sforſiam expeditione.*

Per id temporis, Simon Guilinus, ac Guniforti Bergomenſis bonarum artium peritia clarus, Oratores à Philippo Mediolanenſium duce ad Regem venere. Hi pro amicitia, ea qua Alfonſus ac Philippus deuincti erant, Regem obſecrabant, vti Picenam expeditionem vel ſua cauſa haud grauate aggrederetur.

Placere Philippo, Franciſcum Sfortiam, qui mutato animo alienas partes ſequi videbatur, è Picerno ſubmouere. Reſpondit Alfonſus, ſe quod ad fidem ſuam pertinere id ſciret, bellum ſuſcepturum; & quoniam id illi quoq; placere cognoſceret, hoc ſe impenſiore cura proſequuturum, id modo ſe rogare, vti Philippus in propoſito permaneret. Turpe enim poſtea fore, inchoatam expeditionem deſerere; ne id factum metu, aut minus honeſta cauſa putaretur. Sperare ſe Dei Opt. Max. ope qui Sanctiſſimam Petri ſedem impune violari non ſinit, Romani Pontificatus dignitatem & opes reſtiturum iri. Ad ea Oratores; hanc eſſe immutabilem Philippi voluntatem; pergeret modo, & in Picenum hoſtiliter à Sfortia occupatum copias mitteret.

VII. *Alphon. Legatos ad Eug. mittit qui obedientiam cum omni ſubmiſſione ei præſtent.*

His compoſitis Alfonſus Rex, & Nicolao Picinino, ad bellum contra Sfortiam auctorato; Arnaldum Vrgellenſem Epiſcopum, Excellentem virum Franciſcum Vrſinum, Romanæ Vrbis Præfectum, & Berengarium Harilium, Legatos ad Eugenium Pontificem miſit, qui Regio nomine, obedientiam & officia præſtarent, illumque ſe eius auctoritati ac poteſtati ſubmittere renunciarent; adeoq; eiuſdem nomine, omne obſequium Pontifici deferrent: reliqua, pacis & concordiæ per Legatum pene confectas conditiones, arbitrio ſedis Apoſtolicæ ſubmitterent. Suſcepit, audiuitque eos benigne Eugenius. Alfonſus inter hæc, Couarruuia ad Legatum, atque inde ad Eugenium reuerti iuſſo, qui quæ acta de pace fuerant, comprobari, atque ad ſe afferri curaret; ipſe in bellum Picenum, toto animo incumbens Neapolim rediit; & quo magis ſuam voluntatem ac ſtudium erga Eugenium teſtaretur, licet per pacis conditiones nequaquam teneretur, ipſe in eam expeditionem proficiſci ſtatuit, nec per vicarium, ſed per ſeipſum bellum gerere, cumque vniuerſis copiis in Picenum contendere. Protonotarius, quẽ ad Pontificem profectum diximus, Senas (ibi enim Florentia, Romam reuertentem reperit) profectus, nonnullos Cardinales, partim Italos, partim Gallos, omni ſtudio, ne pax rata haberetur, apud Pontificem intercedentes inuenit.

VIII. *Eug. accepta Alphonſi diplomatibus manu Regia obſignatis tandem ei diploma mittit quo ius fiduciarii Regni Neapol. illi conciliat.*

Cæterum Eugenius, vbi Protonotarium audiuit, his reiectis, paci & ipſe annuit, quæq; Legatus egerat, rata habuit, comprobauitq;, cumque Oratores Regii, iuramentum quod dicunt homagij, nomine Alfonſi Regis Eugenio præſtitiſſent, ac præterea Regem ſeſe ſubiicere authoritati Pontificiæ, & conditiones in pactis expreſſas in ſeipſum ſuſcipere pronunciaſſent, hiſque de omnibus rebus Regia manu & teſſera obſignata diplomata Pontifici repræſentaſſent; cum demum Pontifex, ad XV. diem menſis Iulij, Senis, diploma conceptum, Alfonſo Regi miſit, quo ius fiduciarium Regni Neapolitani, ad exemplar Clementis IV. Alfonſo cõcedebat. Eius conceſſionis cauſas adducebat; bellum diuturnum, quod fere à duobus & viginti annis, inter Alfonſum & Andegauenſes, vario euentu gliſcens, Regnum id vehementius afflixerit: Renati diſceſſũ, quod is omnium ſubſidiorum ſpe deiectus, Neapolitanaque vrbe eiectus, arcibus præterea ex pacto traditis in Gallias diſceſſerit, & ſi quod ius ad ſucceſſionem Ioannæ Reginæ habuerat, vel in medio poſuerit, vel quaſi deſeruerit: memorabat, & Procerum Neapolitanorum conſenſum quod ij fere omnes, Renato abeunte, Alfonſo ſeſe permiſerint, ac in eius verba iurauerint; & quod non poſtremum eſt, Neapolim, confecto bello venientem, triumphantis in morem excepterint.

Cauſa conceſſionis.

Et qui-

IX. *Conuentus Neapoli ab Alph. habitus.*

Et quidem Alfonſus, graui & diuturno bello confecto, omniq; demum Neapolitano Regno in poteſtatem redacto: Beneuentũ conceſſerat, ibiq; Conuentum agere inſtituerat. Cæterum poſtquam id vulgatum eſt, Neapolitani Ciues, Regniq; Optimates, honeſtius arbitrati, Conuentum Neapoli agi, quæ vrbs eſſet totius Regni caput, ibiq; Regem honorificentius quã vſquam alibi excipi poſſe, Legatos ad eum miſerant oratum, vti apud ſe maller agi Conuentum. Fuit ea legatio Alfonſo periucũda; quod, quam grata ſua victoria, Neapolitanis eſſet, ex eo maxime iudicabat. Itaque Neapolim Conuentum, ad 4 Kal. Martii edixit. *Facius lib. 7. Surita lib. 15. c. 16. 17. 18.*

Antonius Panormitanus, Alfonſo Regi à conſiliis & ſecretis, eum triumphum deſcripſit, his ipſis verbis.

Deſcribitur triumphus Alphonſi Regis Neapolim ingredientis.

Poſteaquam Rex, cum Principibus Regni decreuerunt Conuentum celebrare Neapoli, relicto Beneuento, primum Auerſam, deinde templum Diui Antonii extra muros Neapolis petiere, ibique tantiſper remorati ſunt, dum quæ ad triumphi ſpectaculum pararentur. Conſtituerant enim Ciues Neapolitani vno cõſenſu omnes Regem triumphantem excipere, tam ob victoriam, tum ob clementiam. Igitur 6. & 20. Februar. die, Rex ſeſe cum Principibus oſtendit ad portam Carmelitanam, iuxta quam non modica mœniorum pars diruta erat à cluibus, & in honorem Regis introeuntis patefacta, atque ibi triumphalis currus paratus, ſublimis & inauratus; in cuius ſummitate, ſolium erat auro purpuraque adornatum. Currui alligati erant equi albentes quatuor totidem rotas tracturi nimis feroces, ſericeis loris, aureis frenis redimiti. Erat item in curru contra Regis ſolium, ſedes quædam periculoſa viſa inter Regis inſignia flammam emittere. Currum antecedebat equus eximii candoris circum ſtabant currum viri patritii viginti, ſinguli ſingulas ſurſum haſtias tenentes, quibus deſuper alligabatur aureum pallium, nuſquam alibi in tali apparatu æque pretioſum auditum, è cuius faſtigii extremis lineis, Regis, Regni, & ciuitatis ſigna circumpendentia haud inuenuſte ventilabantur. Præibant viri ſacrati cum infulis & velamentis, Deo & ſuperis carmen concinentes. Circumfuſa multitudo, diuturnum, felix, fauſtumque ingreſſum atque imperium acclamabat.

Currus Regius.

Rex ſub pallio, aut magis vmbella, deuehendus erat in eo curru, quem diximus. Eum antequam cõſcenderet, aliquid ſe dignum dicere, aut facere conſtituit. Itaque vocato ad ſe primum Geraldo Caſpare de Aquino; Ego, inquit, *adoleſcens, ob meritа & ſeruitia patrii, te Marchionem Piſcariæ conſtituo, creoque, ſimulque te hortor, ad fidem, conſtantiam, & integritatem eius, in cuius honorem nos hodie te tam ſublimi dignitate honeſtamus: quam patrii beneficio partam, poſt hac tua propria virtute conſerues, & amplifices. Te quoque Nicolae Canteline, ob fidem & obſeruantiam tuam ducem facimus vrbis Sorae, & te Alfonſe Cardona, ob præclara militiæ facinora, ſingularemque virtutem Rhegii Comitem deſignamus.* His fere verbis, eademque animi gratitudine complures in Comitatus dignitatem ſublimauit, Franciſcum Pandonum Venafri, Ioannem à Sancto Seuerino Nurſii, Franciſcum eiuſdem cognomenti Maraciæ, ac Americum Capacii Comites fecit. Mox prope innumerabilibus viris de ſe bene meritis equeſtrem contulit dignitatem.

Vnus Marchio & diuerſi Comites ac Equites ab Alphonſo creati.

Poſt hæc in Chriſti Dei veri ac ſapientiſſimi nomine cui omnem victoriæ laudem ac gloriam referri ſemper ac vehementer voluit, currum aſcendit, veſte ſerica coccineaque demiſſa longeque protracta, pellibus quas Zobellinas vocant ſuffulta indutus, capite detecto. Numquam enim adduci potuit; quamquam à pluribus & quidem viris magnis ſuaderetur, vt coronam lauream de conſuetudine triumphantium acciperet: Deo potius coronam deberi diiudicãs, quam cuipiam mortali. Sed vbi eminens in curru viſus eſt, tantus & virorum aſtantium, & mulierum ſupra tecta domorum ſpectantium clamor & plauſus exortus eſt, vt nec tubicinum clangor, nec tibicinum ſonus, quamquam eſſent hi prope innumerabiles præ clamore exultantium, quicquam omnino exaudiri poſſet. Erat interim cernere homines, partim præ lætitia illachrymantes, partim præ gaudio ridentes, partim à nouitate rei ſtupentes. Progreſſus vero aliquantulum ſubſtitit, donec expediretur præcedentium agmen.

Humilitas Alphonſi.

Florentini omnium primi, varios ludos ſingulari induſtria excogitatos, grandi affatim impenſa conſtructos in hunc modum explicauerunt. Præibant ſtatim poſt tibicines tubicineſque adoleſcentes decem, longo ordine in veſte diploide ſerica coccineaq; argento & margaritis, prout iuuentum, aut affectus cuiuſque dictauerat exornata, caligis purpureis, multo ſimiliter argento gemmiſque diſtinctis, adequitantes omnes eximiæ pulchritudinis equos, & hos quidem nolis tintinabuliſque vndique reſonantibus adornatos; dextera leuata medium haſtile criſpabant, pictum & illud, ac variis floribus inſperſum, quod modo in caput quiſque rotabat, modo in ictum protendebat, modo vt ſua cuique libido erat attrectabat. Sertum vnicuique capiti inerat, laminis quibuſdam aureis diſtinctum, quod tamen coram Rege tranſeuntes miſſis habenis ſiniſtra proni capite deponebant. Sequebatur hos imago fortunæ, quam vulgus per ſtultiſſimam perſuaſionem dominam vocat, ſuper tabulato pictis tapetibus inſtrato, & ea quidem veluti curru alto ſublata vehebatur, capillis à fronte protenſis, occipite autem caluo, ſub cuius pedibus erat ingens aurea pila; & hanc infantulus quidam ſpecie Angeli extenſis brachiis ſubleuabat: ſed is Angelus ſub aquis veſtigia firmabat. Modico inde interuallo ſequebantur virtutes ſex, pulcherrimis atque inſtratis equis deuinctæ, habitu perhoneſto & antiquo. Cæterum vt poſſent dignoſci, ſuum quælibet præ ſe ferebat inſigne. Quarto ordine incedebat Fortitudo, columnam marmoream manibus ſuſtentans; Quinta erat Temperantia, manibus phialas gerens, vinum aquæ commiſcebat. Vltima vero Prudentia, Speculum dextera, læua ſerpentem populo exhibebat. Iuſtitia reſtabat, quæ velut Regina cæterarum, equo modo contenta, ſub ornatiſſimo quodam vmbone eminens vectabatur, ac ornatu cultuque conſpicua, dextera nudum enſem, ſiniſtra trutinam geſtans, quæ velut ſequentibus ac colentibus ſe Imperium eſſet præbitura. Poſt humeros loco eminentiore ſolij cõſtituerat, & hoc quidem auro purpuraque decorum; ſuper quod Angeli tres, quaſi cœlo viſi deſcendere, coronam quiſque ſuam ſibi polliceri videbantur, qui huiuſmodi ſolium propter iuſtitiam mereretur. Sedem hanc pulcherrimam ſequebatur turba equitum maxima, in habitu formaque diuerſarum nationum, principum, procerum. Sed vt hi ſedem ſequebatur, ita & currum perſonati quidam anteibant. Aduentabat enim Cæſar eminentiſſimo quodam atque ornatiſſimo ſolio deuectus, ad quem gradibus inſtratis aſcendebatur. Stabat autem Cæſar laurea caput deuinctus, armatus, paludamento amictus, dextera ſceptrum præferens, læua aureum pilam, ſub cuius pedibus mundus in forma ſpherica continuo mouebatur. Conſtitutus coram Alfonſo, & in hanc fere ſententiam locutus eſt rythmis maternis; *Ego te præſtantiſſime Regum Alfonſe cohortor, vt ſeptem has virtutes, quas coram te modo tranſire vidiſti, quas perpetuo coluiſti, ad vltimum vſque tecum ſerues. Quod ſi feceris, vt facies certe ſcio, quæ te nunc triumphantem populo oſtentant, aliquando dignum efficient, ſede illa Imperatoria, quam modo tranſeuntem intuitus, concupiſti. Qua cum, vt vidiſti,*

Ludi varii ſingulari induſtria excogitati Regi Alph. exhibiti.

A Florentinis.

Iustitia simul deducebatur, vt intelligeres, sine iustitia neminem veram solidamque gloriam assecuturum. Sed fortunæ, quæ tibi paulo ante crinem aureum porrigere videbatur, nequaquam confidas: fluxa & instabilis est. Ecce & mundus volubilis; & præter virtutem, omnia incerta. Hanc igitur, quod facis, religiosissime colas. Ego Deum Optimum Maximum rogabo, vt te in prosperitate, sed & Florentiam in libertate conseruet. Hæc locutus Cæsar, agmini sese immiscuit, & secuti sunt bino ordine Florentini, numero LX. tunicis omnes purpureis ac coccineis amicti.

A Cathalanis.

Post hoc veniebant Hispani, hi quos Latini Celtiberos, vulgo Cathalanos vocitamus; & hi magna celebritate, magnoque spectaculo ludos peragentes; adnexerunt enim equos quosdam manu factos, veris viuisque similes, lubulonica instratos; hos iuuenes equitabant veste vsque ad terram demissa; cumque suis pedibus iuuenes mouerentur, equi modo cursum peribere, modo in gyrum flecti, modo insequi, modo fugere videbantur. Erat equitibus scurum sinistra Regis insignibus depictum, dextera nudus ensis. Contra hos pedites aderant ornatu Persico Syroque succincti, tiaris acinacibusque formidabiles. Mouebantur primo vna equites peditesque leniter ad Harmoniam, vel ad numeros, chorizantium more saltabant. deinde concitato sensim cantu, & ipsi pariter inflammabantur, prœliumque miscebant: atque ita magno militari clamore, magaoque astantium risu aliquamdiu digladiabantur, donec victores Hispani barbaros vndequaque fugabant, capiebant, proterebant. Post hoc vehebatur lignea ingens turris mirifice ornata, cuius aditum Angelus stricto ense custodiebat. Nam super ea vectabantur virtutes quatuor, Magnanimitas, Constantia, Clementia, Liberalitas. Hæque sedem illam periculosam, insigne Regium, præferebant, cantantes suam quæque compositis versibus cantionem. Omnium primus Angelus ad Regem versus, in hunc fere modum disseruit. *Alfonse Rex, ego tibi castellum hoc, & superastantes quatuor multas virtutes offero, manuque trado, quas quomodo tute semper veneratus & amplexus es, nunc te triumphantem comitari gratanter volunt.* Proxima huic Magnanimitas Regem hortabatur ad animi excellentiam: subinde demonstrans barbaros illos ab Hispanis victos fugatosque, vt intelligeret Rex, si quando bellum susceperuntes esset contra infideles, & a Christi nomine abhorrentes, Hispanos præsto futuros esse debere, ac proculdubio victores euasuros. Tertia erat condimentum omnium virtutum Constantia, quæ & ipsa Regem admonebat, vt humanos casus, si quando acciderint, armato constantique animo perferret; nullaque aduersitate aut infortunio, ab honesto glorioso que proposito abduceretur. Fortunam siquidem omnem ferendo superari. Clementia deinde præ cæteris vultu exhilarato, veluti in Rege, quasi in speculo seipsam intueretur; *Reliquæ hæ sorores, inquit, ô Rex inter mortales tete fane præstantissimum reddunt; ego vero te non hominibus, sed Deo immortali similem ne dicam æqualem facio. Illa quidem vincere, ego te victis parcere, eosdemque tibi conciliari monstrabo.* Hæc breuiter effata conticuit. Liberalitas postremo in vulgus pecuniam prodigebat, significans, Regem factorum gloria duntaxat contentum, reliqua omnia populatibus elargiturum. His itaque mirum in modum compositis ac præcedentibus curtum, quinque aderant viri nobiles coccinea chlamide nduti, ex quolibet theatro vnus. Diuidebatur enim ciuitas omnis Neapolitanorum in theatra quinque, quæ illi à consedendo sedilia appellant. Hi quidem præerant currui dirigendo, equisque dexterandis, tum denique præcedentium agmini ordinando, tum scipionibus quos dextra præferebant, tum authoritate maxime exanimescendi.

Procedebat iam Alfonsus Regia maiestate venerabilis, ac totius corporis dignitate spectabilis. & rursus clamor plaudentium ad cœlum vsque perlatus est. Currum, pedibus, omnes Reguli ac principes totius Regni ordine quaterni sequebantur; inter quos primi, Ferdinandus Alfonsi triumphantis filius, præclaræ indolis puer, ac Ioannes Antonius Vrsinus Princeps Tarentinus, magnus Connestabilis, atque hi medii; a quorum dextra Raymundus Vrsinus Princeps Salernitanus, magnus Iustitiarius, & Abramius Regis Legatus. Deinde vir maximus, Ioannes Antonius Marzianus Suessanorum Dux, magnus Admiratus, Honoratus Caietanus Fundorum Comes magnus Protonotarius, Petrus inclyti Mediolanensium Ducis Orator. Tertio ordine Antonius Sanct-Seuerinus Dux Sancti Marci, Traianus Caracciolus Dux Melfiæ, Antonius Xantilla Marchio Crotoni, Iacobus Comes Nicolai Picinini viri formosissimi filius. Deinde suo ordine alii duces, Comitesque duodequadraginta, Proceres & Barones circiter centum, equestris Ordinis viri prope innumerabiles, grauissimorum Pontificum, præstantium virorum, litteratissimorum hominum infinita etiam multitudo. Præcipui fuere, Franciscus Aquinas Comes Loreti & Satriani magnus Regni Camerarius; Vrsinus Magnus Cancellarius; Franciscus Zurlus Comes Nucerinus, magnus Seneschallus; Franciscus Vrsinus Dux Granianæ, Romanæ vibis Præfectus; Bernardus Gaspar Aquinas, Marchio Piscatiæ; Ioannes Antonius Vrsinus, Comes Taliacozzi; Nicolaus Vrsinus, Comes Manupelli; Antonius Spinellus Comes Roccæ Guillelmæ: Iasias Aquauiuanus Dux Hadriæ: Ioannes Sanct Seuerinus Comes Marsici & Sanct Seuerini: Ennecus Gueuara, Comes Ariani, Baptista Caracciolus Comes Hieracis, Marinus Carocialus Comes Sanct Angelanus, & plures alii a Constantio numerati.

Reguli ac Principes totius Regni currum Alphonsi prædium sequuntur.

Frequentia porro tanta hominum sequebatur, vt diceres, si cerneres, nullibi in vrbe homines esse posse. Sed ita præterea forum Neapolitanum amplissimum, ita palatiorum omnium culmina, ita fenestræ, ita ianuæ, porticus, viæ, theatra, loca omnia referta erant, tum exterorum omnium vndiq; ad spectaculum confluentium, tum ciuium ipsorum, vti post curtum nondum videras, nihil hominum superesse contenderes. Iam Alfonsus per media fui triumphalis arcus fundamenta cepta iter faciebat, monumentaque rerum a se gestarum paululum conspicatus, nummulariorum versus regionem ire perrexit, vbi viarum pauimenta floribus ac frondibus sparsa erant. Sed quod nusquam visum, nusquam lectum est, fenestræ ipsæ domorum oppositarum, coccineis, multoque auro contextis pannis iungebantur. Subter hoc aureo quasi cœlo Alfonsus, magno argentariorum mercatorumque omnium plausu, nonoque etiam ludorum apparatu, ac festiuitate incredibili præteruectus, ad portam nouæ theatrum protinus peruenit, vbi virorum puellarumque sane pulcherrimarum infinita prope multitudo chorizantium, concinentiumque, Regem ipsum incredibili desiderio, ac indicibili lætitia opperiebantur. Erant in hoc, sicut & in cæteris theatris, parietes ipsi peregrinis auleis, strangulisque vestiti; mulieres præterea, purpura, auro, gemmis, mundo muliebri sumptuosissime exornatæ, in luxu laus erat. Igitur præsentem ipsum, saltatione cantuque dimissis aut rectius intermissis, puellæ omnes genu flexæ, manibus iunctis, quasi aliquem pudicitiæ suæ custodem veneratæ sunt. Itidem viri facere, bonis, vitaque seruati vel donati.

Frequentia Hominum sequentium & insficientium.

Arcus triumphalis.

Apparatus Ludi, plausus & festivitates in nummulariorum regione.

Theatrum portæ nouæ.

Inde profectus, theatrum, qui portus dicitur, offendit pari saltatu, pari exultatione defudans, nec minore ornatu, venustate, cultu, munditia que perpolitum puellarum agmen: quæ eadem reuerentia Regem conseruatorem exceperant.

Theatrum portus.

Post hæc in tertium deductus theatrum nobile & antiquum, nulli superius memoratorum inferius, siue pariet-

Aliud theatrum.

parietum ornamentis, varietateq; picturæ, siue fœminarum pulchritudine, cantu, saltatione, lætitia animi significationibus, quibus Alfonsum salutauerunt.

Theatrum Montanæ.

Inde Montaneam vetustissimum theatrum se contulit, vbi simili cultu, gratulatione, affectione, a viris puellisque susceptus est.

Ritus Eques. Theatrum Capuanii.

Hinc digressus, ad marmoreos Metropolitanæ Basilicæ gradus curru descendit, ac cum Principum Procerumque subsequentium pompa templum ingressus, Christi Iesu verissimum Numen humillime cõprecatus est: illi victoriæ laudem, illi triumphi gloriam, illi virtutum omnium honores ac gratias tribuens. Exinde Iannotum Ritium de se bene meritum virum, equestri dignitate exornauit, curruque conscendens, ad theatrũ Capuanum iuit, vbi maxima, ac prope inenarrabili omnium lætitia susceptus, in arcem tandem Capuanam, splendidissimo huic theatro vicinam, iam in occasum vergente sole perductus est.

Tria moderationis animi in Alphonso exempla. Liberalitas.

Dedit id temporis Alfonsus, duo, vel tria moderationis animi illustria exempla. Vnum est, Connocato istorum, quos dixi, Regulorum Procerumque concilio Neapolim, non defuerant, qui crederent, euocatos à Rege confucidandos esse; siquidem id eis aliquando a superioribus Regibus accersitis acciderat. Cæterum hi primo quidem ab Alfonso humaniter accepti sunt, deinde dissoluto Concilio, læti & incolumes dimissi, tum primum sese verum Regẽ ac patrem vidisse profitentes. Præter hæc, non modo vectigalium partẽ maximam ciuibus largitus est; sed vbes etiam præclarissimas; Comitatus, ducatusque splendidissimos dono proceribus dedit, dicens: *Regum imprimis studium & officium esse, populares suos locupletes effitere, popularibus enim ditioribus factis, nec vtique Reges futuros pauperes.* Vnus tantum Princeps Tarentinus, alieno aliquanto ergo se Alfonsi animo, non omnino patem meritis gratiam se ab eo recepisse vidit. quod Meratori ordinem triumphi præscribenti, cum is voluisset, omnes promiscue proceres currum Regium antecedere, & inter hos quoque ipsum Tarentinum incedere debere: Princeps respondent: indignum sibi esse inter eos, inter quos plurimi capriui fuissent, procedere; dignum se alio loco esse; qui a maiore victoriarum parte, quas Alfonso opibus & viribus propriis pepe erat, in partem quoque triumphi merito venire deberet. Offendit ea vox Alfonsum; ac porro ordine Meratoris inuerso omnes Principes curtum insequi imperauit. Princeps porro, deserta paulo post Regia Tarentum discessit. Alterum est. Offerentes se aliquos ad Renati Andegauensium Ducis necem, reiecit ac detestatus est, vt si de aliquid de cætero cogitare auderent, in eos tamquam parricidas animaduersurum minaretur: addens, se quidem virtute, non insidiis cum hoste de Regno contendere. Simile & iis respondit, qui se ei de mortem Francisci Sforciæ paratos esse Regi significassent; Numquam sibi victoriam placuisse, cuius postea pigeret dum pudendum que esset, nisi huiusmodi consiliis abstinerent, talia se exempla in eos editurum, vt eiusmodi consilia, sibi admodum molesta esse omnes intelligerent. Tertium est. Suadebant aliqui, ne quippiam Eugenium Pontificẽ aut timeret, aut curaret: præsertim quod iure belli, possessionem Regni Neapolitani, vt omittam titulum adoptionis, quæsiuisset. Cæterum Alfonsus, ne contra Romanam Ecclesiam cuius se esse maxime obseruantem præseferebat, bellum gessisse videretur, reconciliari Eugenio cupiebat: eaque imprimis cura tenebatur, si qua ratione dissensio inter eum ac Pontificem tolleretur. *Facius lib.7. & 8. Antonius Panormitanus de dictis & factis Regis Alfonsi li.3. & 4. Constantius, hist. Neapolit. lib.8. Mariana lib.22.c.1.*

Magnanimitas.

Observantia erga Ecclesiam.

cum copiis proficiscitur.

Philippi instabilitas.

XI. *Alphon. ad bellum Picenum perseipsum gerendum*

Cæterum quo magis suam voluntatem & studium, erga Pontificem Eugenium apud omnes testatum faceret; licet per pacis conditiones haudquaquam teneretur, ipse in expeditionem contra Franciscum Sforziã proficisci statuit, nec per vicarium, sed per seipsum bellum gerere, cumq; vniuersis copiis in Picenum contendere: atque ita nulla interposita mora, in prata Campana, copiis omnibus celeriter coactis, primo quoque tẽpore per Pelignos ac Marsos iter faciens, quinque millia passuum ab vrbe Aquila castra fecit. Erat ea vrbs armis virisque in primis pollens, prœualebatque in illa ea factio, quæ Renati partes in bello sequuta fuerat. Ea Campanesca appellabatur, cuius princeps dignitate atque authoritate erat Antonutius, vir rei militaris, sed ã senior peritissimus: atque ob id eius fides nonnullis qui apud Regem erãt suspecta habebatur. Cumque Rex in castris esset, non contemnendã quidam aduersæ factionis homines, ad eum clam profecti monuerũt, ne vrbẽ intraret: cõparatam enim esse ab Antonutio magnam clientum manum, qui eum vrbem ingressum obtruncarent. Hæc Alfonsus tam quã vana asperatus, nihil o secius postero die, vti cõstituerat, nullo suspicionis signo edito vrbẽ ingressus est, nec quisquã omniũ fuit, (siue eos Regis fiducia deterruerit, siue is nũtius, quod quidẽ plures existimarunt, vanus fuerit) qui in õ obedientissime Regi officiũ pstiterit; nullo prorsus honore ergi eũ ab Antonutio, illiusque factionis hominibus prætermisso. Inter hæc Philippus Mediolanensium Dux mutare, palamque asserere cœpit, si quis qua in re Sfortiam generum læsisset, eum hostis loco sibi futurum. Alfonso quoque quispiam suspicionem iniecit, Pontarq; Philippi conspiratione, sibi in Piceno insidias parari, cũ iam Picininus Picenum versus cum exercitu cõtendisset. Aucta est ei nonnihil suspicio, ne non satis syncera fide Eugenius secum ageret, qui aliqua in fœdere comprehendi voluisset, quæ se haudquaquam præstituum sciret. Inprimis vero Ioannes Antonius Tarentinus princeps aliique nõnulli Regni proceres, quos in expeditionem Picenam ducebat, ne vlterius progrederetur suadebant. Hæc quidem res illum nonnihil consilii incertum reddidit. Tandem omnib. circumspectis, quũ sibi redium turpem fore existimaret, ne vnum Picininum in discrimen mississe videretur, qui iam ad Bisium castra posuerat, nec par copiis Sfortiæ erat, aduersus eum aduentanti (ita enim fama vulgauerat) progrediẽdi consilium cœpit, Ioãne Liria, claro equite cum peditibus mille ad eum præmisso, quem virum, non ex fide tantum, morumq; elegantia, verum etiam ob grauia sæpe adita pericula dignitatis suæ tuendæ causa valde diligebat, qui cum Picinino coniunctus, permagnum castris momentum accessit. Cumque Rex ex Couarruuia Protonotario, suspiciones in quas inciderat, falsas esse cognouisset, constituit fallax potius consilium subire, quam a suscepto semel proposito discedere: atque ita castris motis continuato itinere, Nursiam versus profectus est, eo consilio, vt Bisium, qui locus a Picinino obsidebatur, peteret. Florem totius Regni, ac præterea Hispanos, Siculos, cõplures viros fortes, in eam expeditionẽ Rex assumpserat, quod sciret sibi cũ duce magni nominis, cumq; validissimis copiis rẽ futurã. Bisium appropinquante, oppidani aduentu eius cognito conterriti, Pontificiabsq; certamine deditionẽ facere cœpere. Eam enim deditionẽ sibi fieri Rex passus non est, vti omnes Picentes populi agnoscerent, se se pro Ecclesiæ dignitate, non pro suis cõmodis bellũ gerere, Nullũ postea oppidum aliter dedi tolerauit, nisi vt claues Pontificio Legato traderentur. Sanseuerinates, qui Sfortiam, metu Regis sese Cingulũ recepisse cognouerant, cũ missis ei obuiam legatis, antequã propius accederet, allatis portarum clauib. deditionẽ facere cõstituissent; atq; hi se se ad pedes eius supplices proiecissent, traditisque clauibus nulla Pont. mentione facta deditionem facerent, Rex iis longa oratione ostendit, se nulla sui commodi spe, aut dominandi cupiditate, sed pro Romanæ Ecclesiæ dignitate & commodo, eam expeditionem suscepisse: gratam sibi accidisse, talis erga se animi significationẽ, cæterum æquum esse, cum pro Pontifice bellum gerat, et quoque (id quod omnino sibi constitutum sit) deditionem fieri. Huius illi voluntate cognita, Pon-

Eius in dicto bello progressus.

tificis Legato deditionem fecerunt : cui , & claues ad se allatas Rex tradi iussit. Inde exercitu vlterius contra Sfortiam prodeunte, Meloniani, Monticulenses, Tolentinates, Maceratenses, ad primum Alfonsi aduentum metu perculsi, quod Sfortiam copiis imparem Regi norant, Pontificis Legato deditionem fecere.

Philipp. Dux Alph. ab impugnando Sfortia diuertere studet.

Instabat vlterius Alfonsus, ac protinus cedentē hostem vrgebat : cui quum se non posse resistere animaduertisset, & nec à Florentinis, neq; à Venetis auxilia posset vlla habere, ad artes conuersus, Philippum socerum interpellauit. Philippus porro semel ac iterum legatione missa, Regem, vt ab impugnando Sfortia, quem sibi & filium, & generum elegisset, desisteret, admonuit. Rex autem Oratores suos Mediolanum ire iussit, qui demonstrarent, Alfonso iam non esse integrum bello absistere. Nā cum Pontifici fidem dedisset, non se quieturum, donec Picentes Francisci dominatu liberatos in illius potestatem redegisset; hanc à se deseri causam honeste non posse existimabat : quam vt studio persequerētur, Pontificis Legatus instaret. Addebant Oratores; Mirari Alfonsum, quod Philippus de conditionibus renouari in Sfortia fœderis, nihil à se cognosci voluerit; præsertim iis de rebus, quæ Pontificis, & sua quoq; interessent; cum adhuc nonnulla oppida Sfortia in Neapolitano Regno occupata detineret. Nam in fœdere, quod Philippus cum Alfonso pepigisset, diserte cōprehendi, si quādo Philippo, mutata sententia placuisset, Regē à suscepta expeditione absistere, præstare Philippum debere, vt Sfortia ex omnibus primum Regni oppidis, præsidia educeret. quod quidem à Philippo perinde neglectum sit, ac si nihil omnino ad Regem pertineat quicquam de Sfortia cogitare. Quibus profecto de rebus grauius quæsturus fuisset, si cum alio illi quam cum Philippo res esset, quicum statuit sibi firmam atque incorruptam amicitiam futuram. Quod autem ad honestatem causæ pertineret, considerandum Philippo, cum id bellum Rex Pontificis Maximi iussu, cuius Neapolitani Regni iura sunt, eoque maxime & autore, & impulsore susceperit gesseritque, non licere Regi ab armis discedere, ne iusta de se querimoniæ causa Pontifici exhibeatur. Præterea (quod ad dignitatem suam Rex pertinere putaret,) multo sibi turpius existimaret, si repente mediis rebus gerendis, præsertim in tam prospero victoriæ cursu, quam si nondum inchoata expeditione, hoste tantum irrirato, exercitum reduceret. Iam enim, ne quid ignoraretur, in Pontificis potestatem supra quinque & viginti oppida, præter castella plurima redegerit, speretque, breui fore, vt electis Sfortiæ præfidiis, reliquum Picenum in potestatem Pontificis vindicet. quod vt perficiat, quotidie à Pontifice, per litteras, ac Nuncios rogetur. Si Sfortia pacem quærat, imprimis Piceno decedat, & Pontifici satisfaciat : tum deinde Ciuitellam, Theanum, ac reliqua in Regno oppida Regi restituat.

Hæc & alia Oratores Regii, Philippo, quid quod antea non sine Sfortiæ pernicie probauerat, tum reprehendit, vel filiæ causa, vel ne gener vltima necessitate cum Venetis ac Florentinis arctius coniunctus, arma sibi inferrer, vel certe quod Alfonsi successibus, suas opes ac vires crederet imminui. In hoc rerum statu, cum nihilominus Alfonsus bello insisteret, Esim Theramum, Auximum, vrbes, Barbaram, Montem Aureum, Montem Arbotum, aliaque oppida Pontificius Legatus per deditionem accepit : nonnisi vnico euentu minus felix, quod pridie Non. Nouemb. Sfortia, Venetorum ac Florentinorum auxiliaribus copiis per id temporis auctus, Nicolaum Picininum, ad Montē Laurum profligauerit, atque nec pluuia, nec tenebris prohibitus destiterit, quoad fugientem vrgeret, atque impedimentis exueret. Brumæ irruentis iniquitas, bellum hoc anno interrupit. Alfonsus subsidia Picenino misit; cæteriſque copiis in hyberna, in loca circumiacentia dimisit, ipse Neapolim rediit. *Facium de rebus Alfonsi libro 8. Simoneta de rebus Sfortiæ libro 6. Corius histori. Mediolanensis parte quinta. Pigna libro septimo.*

XII. *Eug. Pont. Romam venit.*

Rebus hoc modo in Piceno Succedentibus, Eugenius Pontifex creberrimis Romanorum precibus fatigatus, Florentinis quouis modo frustra cum retinere annixis, Romam veniens, die XXVIII. Septembris, effusa obuiam Vrbana multitudine, nullo non genere honoris adhibito, ad portam Flaminiam, in ædibus Sanctæ Mariæ ad Populum noctu diuertit. Sequenti vero die ad Sanctum Petrum iturus, paratis de more supplicationibus, Pontificio habitu per vrbem incedens, tumultuantem populum audiuit, ob duplicatum tributum, nouumque vectigal vino impositum. Eam ob rem facto silentio, audientibus omnibus, illam exactionem vt minus liberalem sustulit. Quo facto statim populus omnis lætis vocibus succlamauit, *Viuat Eugenius*; cum antea clamassent, Moriantur noua vectigalia, eorumque inuentores. Post dies vero decem & nouem, ad Basilicam Lateranensem profectus, conuocato Clero omni ac populo, Concilium Generale eo loci se habiturum denunciauit, omniaque Concilio celebrando necessaria in ea Basilica præparari imperauit; tum diuulgatis litteris, missisque legationibus, Reges ac Principes Christianos, necnon Prælatos & Doctores de more inuitauit; illos quidem vt Oratores mitterent, hos vero vt præsentes adessent, ad schisma extirpandum, ad Ecclesiæ vnitatem curandam, ad hæresim grassantem profligandam, ad bellum sacrum contra Turcas decernendum, ad Ecclesiasticam censuram, & Principum concordiam sanciendam. Existimabat Eugenius, hac ratione dissipari reliquias conciliabuli Basileensis. *Bulla Indict. Concilii Lateranen. Platina. Ciaconus Massonius in Eugenio IV.*

Concilium conuocat.

Etiam in hunc annum Basileenses vesanierunt, & hunc extremum Colophonem vertiginosi capitis ediderunt.

SESSIO XLV. seu vltima.

XIII.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

Desiderauit Ezechias rex, vt fieret pax & veritas in diebus suis : & nos desiderio desideramus, vt pax & vnio Ecclesiæ in diebus nostris, hoc sacro durante Basileensi Concilio, daretur. Verum cum ex plurimis impedimentis quæ dietim ingeruntur, & in futurum succrescere possent, formidetur, ne pax & vnio huiusmodi desideratæ in hac ciuitate Basileensi fieri, aut actus conciliares libere exerceri valeant, volentes propterea à casibus futuris prouidere, ac vt fides & authoritas generalium Conciliorum vniuersalem Ecclesiam repræsentantium, illibatæ permaneant, quodque vnio & pax vera Ecclesiæ detur, necnon vt continuetur celebratio generalium Conciliorum, attento quod iam sanctissimus dominus Felix Papa Quintus præuidens necessitatis casum, pro futuro Concilio nominauit inclytam ciuitatem Lugdunensem in partibus Galliarum, in hocque satisfaciendo decretis sacrorum Constantiensis & Basileensis huius generalium Conciliorum, dictam ciuitatem Lugdunensem, quam experientia docente generalium synodorum hactenus in ea celebratarum, accommodam & idoneam reputamus, tenore præsentium in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, pro futuro proximo celebrando Concilio nominauimus, deputamus & assignamus. Cumque immineant vrgentissimæ causæ, vt breuis fiat alterius generalis Cōcilii celebratio, propterea statuimus & ordinamus, vt infra triennium à

dacis præsentium computandum, generale Concilium in præfata ciuitate Lugdunensi celebretur, decernentes quod Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, prælati seu quicunque alii, quind generalia concilia de iure vel consuetudine conuenire debent, in termino præmisso ad dictum locum accedere teneantur, dummodo post dissolutionem huius Concilii hoc vel allo in loco continuati, restet vnus annus ante huiusmodi triennii finem. Volumus etiam, & specialiter concedimus, quod prædictum terminum futuri celebrandi Concilii abbreuiare valeat præfatus Papa Felix. Per præmissa autem etsi recte inspicientibus aliud videri non debeat, ad maiorem tamen veritatis manifestationem declaramus, quod non intendimus neque volumus, hoc sacrum generale Concilium Basileense dissoluere, aut dissolutum quomodolibet censendum esse, quinimo in hoc loco continuandum fore, & continuari debere, dum tamen integra & plena libertas atque securitas, necnon saluusconductus, per inclytam ciuitatem Basileensem nobis & eidem Synodo concessi, seruentur illæsi. Adiicientes, quod si aliquod fieret impedimentum, quo minus in hac ciuitate Basileensi iuxta ritum consuetum actus conciliares libere exerceri, aut libertas securitas & saluusconductus huiusmodi non seruarentur; quibus casibus seu eorum aliquo (quod Deus auertat) aduenientibus, super quo stari volumus arbitrio seu attestationi dilectissimorum Cardinalium & venerabilium Episcoporum, aliorumque dilectorum Ecclesiæ filiorum, per nos hodie deputatorum, aut maioris partis eorum pro tempore præsentium, cum subscriptione eorum, inde super conficiendo publico instrumento & singulis eorundem imminendo, extunc prout exnunc, exnunc prout extunc, hanc sanctam Synodum propius continuatione, ab hac ciuitate Basileensi ad ciuitatem Lausanensem, vtique prouinciæ B. Suntinæ locum habilem, rutum & idoneum ad generalia Concilii celebrationem, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti tenore præsentium transferimus, ac translatam esse decernimus, cum eisdem modis, formis, qualitatibus & ordinationibus, cum quibus in hoc loco Basileensi continuata fuit, & stat de præsenti.

Datum Basileæ in nostra publica sessione, in Ecclesia maiori Basileensi solenniter celebrata 17. Calen. Iunii, anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio.

XIV. *Aduentus Eug Sanas.*

Contra hanc veteratorum audaciam, necesse habuit Eugenius, Concilium Generale Lateranum indicere.

Quod autem Romanos attinet, *Syluius memorat*, quod tum demum, cum pluribus annis Eugenius vrbe abfuisset, intellexerunt, & opulenti ciues, & inopes, Romam sine Pontificis Curia, non tam vrbem, quam vastam ac desertam speluncam videri, quibus ex rebus missis ad eum Legatis, vt in vrbem suam rediret, magnis precibus rogauere. Iam Ludouicus Cardinalis Patriarcha Aquilegiensis, prouinciam eam sortitus, pacatis in vrbe rebus, Pontifici reditum præparauerat, *Syluius de statu Europæ. 54.* Itaque Florentia vrbe, ad VII. diem Martii relicta tertio post die, qui Dominicus fuerat, Senas cum XXIV. Cardinalibus, & magno Prælatorum numero ingressus, Regio plane honore à Senatoribus fuit exceptus. Vltima die eiusdem mensis, sacris ibidē in maiore Basilica celebratis Rosam quā ex eximore Eccl. vetusto inter missarū solennia sacrauerat Reinaldo Vrsino, Domino Plumbini, copiarum Senensium præfecto, dono misit. Quo tempore Senis hæsit; Mantuanus, & Vrbinas principes, officii & negotiorum causa, illum adiere. Venit & Nicolaus Picininus; bidemq; contra Sfortiam à Pontifice auctoratus fuit. Venerunt & Oratores Alfonsi Aragonum Regis, & nomine Regio obsequium Pontifici detulerunt, pactaque & fœdera cum eodem inita roborarunt. Venerunt, & ab aliis Regibus ac Principibus Christianis, internuncii; quibus cum, de rebus grauissimis respublica Christiana multa egitauit. Tandem comitante Clero & magistratu Senensi, ad XIV. diem Septembris, Senis egressus, Romam properauit. *Orlandus Malauoltus. hister. Senen. lib. 2. part. 3.*

XV. *Obitus Nicol. Card. Albergati ex calculo.*

Senis cum esset, Nicolaum Albergatum Cardinalem Sanctissimum amisit. Numquam is à Pontificis latere discedebat, donec grauiter tentari calculo cœpit quem ex superiore victus ratione, & præteritorum laborum susceptione contraxerat : quo cum per aliquos dies patientia magis & virtute, quam remissione doloris aut spe aliqua vitæ luctatus est; quam l benter se cum meliore atque optabiliore commutaturum dicebat. Cum sic affectus decumberet, Eugenius qui illum vnice diligebat, nocte sæpe solus eum inuisit, ac bono fidentique animo esse iussit. Verum consolatione, vir in aduersis fortissimus, & diuinæ misericordiæ memor, non multum egeis; cum ipse, se, & alios confirmare, vel opportuna sacrarum litterarum lectione, vel præclara vitæ institutione iam inde ab ineunte pueritia didicisset. Inde morbi grauitate (nam & intimus adentissimæ febris æstus accesserat) ac doloris pertinacia victus, VII. Idus Maias, anno ætatis suæ LXVIII. mortuus est, cum omnibus Ecclesiæ Sacramentis, quæ identidem ipse perierat, ite explatus fuisset. Hic vt Eugenius sensit, amici desiderio vehementer afflictus; illico vesicam aperiri, & calculum extrahi iussit, atque apud se pro concepta sanctitatis eius opinione retinuit. Mirum dictu, lapis iste pro humano corpore vastæ magnitudinis fuit : cuius forma plus rotunditatis, quam longitudinis habebat, simillimusq; omnino in quamitate anserino ouo videbatur. Apparebat autem ex minutissimis arenulis paulisper concretis in eam magnitudinem creuisse, quod quidem diuturno admodum tempore fieri oportuisse, Physici iudicabant. Experiri etiam pondus eius voluere, & bilibrem illū, vt asserebant, comprobauere : ex quo postea gypseæ plures formæ, ad illius effigiem conflatæ sunt, & instar monstri ad varia orbis terrarum loca transmissæ. Funeralia Nicolao, exactissima, & splendidissima, in principe Senensi Basilica celebrata sunt. his Eugenius Pontifex interesse voleit. Factum nunquam antehac patrum memoria. Neque enim Pontificius & Curiæ mos habet, vt in Cardinalis funesibus Pontifex Romanus vspiam intersit; neque patratum antea vlla ex causa fuisse quispiam antiquorum nouerat. Commouere autem Pontificem Eugenium, vt tantum Nicolao decoris & ornamenti impensum veller non sanctitas modo & immaculata integritas, gloriaque atque opinio de illo vniuersi terrarum orbis, & omnium hominum; sed quod amplissimis Nicolai de Ecclesia, & fede Apostolica meritis, deuinctum & obstrictissimum se illi arbitrabatur : quippe qui etiam suarum partium indefessus semper ac fortissimus propugnator exiterat; innumera, quæ inferri detrimenta potuissent auerterat; suis consiliis non vulgaria Eugenio emolumenta contulerat, auctoritate que sua & præsentia incredibiles illi semper fauores Principum ac cæterorum hominum studia comparārat. Poggius Florentinus, Nicolaum oratione funebri laudauit, & hæc summa capita de illius vita delibata, proposuit.

Describitur calculus.

I.

XVI. *Summarium vitæ Card. Albergati.*

Natus est Nicolaus Bononiæ, vrbe celeberrima atque antiqua, & quæ inter Italiæ præclaras vrbes facile adnumerari queat, honestis parentibus, & haud obscuro loco natis; & qui filio per omnem vitam, quacunque esset in statu, possent esse ornamento. Cum pluribus annis Iuri ciuili operam dedisset, plurimumque in ea scientia profecisset; tandem cum legisset huiusmodi sapientiam apud Deum stultitiam esse, Spiritu Dei ductus, qui eum in suum obsequium disposuerat segregandum, abiecta legum cura, relicto seculo, contempto patrio censu, Ordinem Carthusiensium est ingressus; eam professus religionem, quæ arctissima omnium iudicatur. Breui tempore effecit, vt omnes eius difficultates superaret, ac

omnem viuendi austeritatem, obedientia & patientia vinceret.

II.

Compulit non multo post vitæ illius integritas sui Monasterii Religiosos, vt illum eligerent in suum superiorem. Quo in regimine, ea fuit modestia, prudentia, temperantia, vt ab omnibus ipsius virtus celebraretur. Et quamuis in Monasterio sedulus atque abditus viueret, cultui diuino, & gubernandi curæ intentus; virtus tamen & sanctitas illius monasterii penetralibus concludi non poterat; sed Bononiam vsque horum certa vestigia perlata, omnes ciues in stuporem admirationemque perduxerant. Ipsi cœnobitæ quibus præerat, absque vlla inuidia (quam vitare difficile, his qui præsunt cæteris) virtutes eius admirantes efferebant. Neque vero mirum. Facile est laudem eius consequi illi, qui non præsse cupiunt, sed prodesse.

III.

Hoc vitæ curriculo, & hac viri fama permotus Bononiensis populus, cum in defuncti Episcopi locum successor quæreretur, dissidente non parum clero, (alii, alium postulabant) vna mente, vno consensu in suum clerum, approbante Clero proposuit. Permagnum sane singularis hoc testimonium virtutis fuit, vniuersum populum, sua sponte, nemine rogante, nullo dissidente, nescio cuius voce illum nominante, Dei voluntate emissa, è vestigio in electionem illius exarsisse. Sperabant enim illum vnicum esse futurum Antistitem, in quo salus omnium sita esse videretur; cuius ope boni sublleuarentur, & opprimerentur mali; qui mores lasciuientes ad meliorem frugem ac virtutes posset traducere.

IV.

Accitum ad vrbem per alterius rei simulationem, ignarum populi voluntatis, multis precibus omnes Ciuitatis ordines hortati sunt, etiam reluctantem, ne onus sibi iniunctum recusaret. Ille multum diuque cogitans, quanti esset laboris ac periculi, animarum curam medelamque suscipere, quamuis graue esset huiusmodi pondus, illis qui animarum salutem ex tali dignitate, non quæstum quærunt, vix tandem cessit vir optimus populi voluntati. Attamen ea conditione assensus est, primum, vt omnia bona & cœlestia, quæ distracta erant, Ecclesiæ restituerentur; tum ne quid expenderet pro confirmatione Pontificis, quod & nummos non haberet, & quæ ab Ecclesia subministrarentur, in pauperum vsus vellet elargiri.

V.

Ad Episcopatum euectus, nihil eo honore ac dignitate elatus, nulla in re vitam pristinam mutauit. Eadem humilitate, continentia, vitæ austeritate, victu tenui, nullo apparatu contentus. Primum autem in id maxime multis reluctantibus incubuit, vt Clerus, qui ad eam diem dissolutior fuerat, non solum vestibus, sed moribus quoque compositioribus veteretur. Tum populum à lasciuia ad frugalitatem deflexit, non solum verbo, sed exemplo, quod sciret plurimum valere ad animos hominum commouendos. Etiam id statuit, vt Iudæi certo signo à Christianis dignoscerentur. Religiosum quendam Ordinis Minorum ad reddendum depositum mulieri vidua, quod negabat, re certa coniecturis cognita, licet reluctantem coegit.

VI.

Pauperes, qui egestatem erubescebant, occulte perquirens, frumento aut pecunia clam domum missa subleuabat: virginibus egenis dotem subministrabat: confluentibus vndique mendicis victum publice largiebatur. Id autem agebat, vt omnes intelligerent, non vtilitatem aliquam, aut priuatum commodum ex Ecclesia, sed rationem pauperum, populi correctionem, Sacerdotum emendationem ab illo esse susceptam.

VII.

Erat porro in corrigendis superiorum temporum moribus, tum mitis, tum seuerus, prout vtilitas ouium sibi concessarum postulabat. Paruo tempore effecit, vt longe alius populus, alius Clerus esse videretur. Etenim facile erat illi cæteros corrigere, qui sibi ipsi bene viuendi legem indixerat. Nam facillime in officio continentur homines, ab eo qui seipsum continet. Præclare enim à sapientibus scriptum accepimus, quales Principes in Republica fuerint, tales reliquos esse solere.

VIII.

Hac laude & virtutibus florentem, Martinus Summus Pontifex aptissimum iudicauit, quem ad componendam pacem inter Francie & Angliæ Reges Legatum mitteret. In Gallias profectus, & cum vtroque Rege sæpe collocutus, eosque ad pacem ineundam adhortatus, in admirationem sui attraxit. Nulla munera accepit, sed solitam suam continentiam modestiamque seruauit. Quamquam autem in maxima sententiarum diuersitate difficile habuerit concordiam statuere, id tamen grauitate ac prudentia egit, vt ob ingentes virtutes quibus præstabat, tam Gallis, quam Anglis desiderium sui reliquerit, & à singulis vir rectissimus atque optimus putaretur, præsertim à Rege Anglo. Prædicabatur ab his, qui ab eodem Rege venirebant, illius continentia, innocentia, integritas, religio: & hunc vnum ad se missum aiebant, sine ambitione, sine cupiditate, in quo vtra sanctitatis specimen eluceret. Facile humana contemnit, qui Christum integro gradu sequitur; & suis cultus bonis, non indiget externis; nihilque extra concupiscit, virtutum qui initium conscientia.

IX.

Peruenerat ad Martinum Pontificem celebris harum virtutum fama, multorumque sermone eius laus indies increbrescebat. Et quamuis antea certior factus fuerat, hunc esse virum quem omnes laudarent, cuius virtutum exempla extollerent, & in quo nullum inuidia ad carpendum locum inueniret; tamen hac legatione prudentissime obita, & moribus eius sanctissimis adductus, nullius precibus, sed sua sponte eum designauit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. Hoc ignotum ei esse voluit, quoad Romam (accersiuerat autem illum per alterius negotii speciem) veniret; eumque iam probe vrbem esse, rem illi significari curauit. Nulla is exinde lætitia, nullo gaudio, nulla elatione motus, eodem vultu quo antea permansit; vt palam fieret, humani fastigii insignia parua ab eo existimata fuisse. Et quidem honorem illum suscepit, ne authoritatem & beneficentiam in se Pontificis contemnere videretur. Nihil ex eo ad virtutem, ad vitæ molestias multa addi conspiciebat.

X.

Cardinalis creatus, vitam ita deinceps instituit, vt & dignitati consuleret, & Religioni. De priuata viuendi austeritate nihil mutauit, exteriora quædam auxit, quæ ad cultum spectarent, & ad tuenda tantæ dignitatis ornamenta. Eadem integritas, eadem continentia, eadem pietatis officia, eadem benignitas & humilitas permansit; & quo erat illo fastigio dignior, eo se magis indignum existimabat. Nulla pompa, nullus fastus, nulla opes impedimento fuere, quominus semper omnem vitam puram immaculatamque seruaret. Quicquid dignitate, aut austeritate poterat, ad præsidia hominum conferebat. Permagnæ ineras patientiæ & æquanimitas, ita vt summam modestiam, summam temperantiam, summam benignitatem semper ostenderit. Neminì vnquam nocuit, nemini maledixit, nemini iratus est. In diuitiis pauperatem, in dignitate humilitatem, in fastigio tanti honoris pristinam humanitatem seruauit. Nihil ad inanem gloriam, nihil ad vulgi pompam, nihil ad fastum fecit: sed ad veram laudem, ad honorem sui creatoris, & ad immortalia Dei commendationem retulit, vitamque & mores suos composuit.

Cum

XI.

Cum vero Sanctissimi viri virtus summo in honore, magna in reuerentia apud Martinum Pontificem esset, cumque eum omnes velut exemplar honesti intuerentur, fama autem virtutum apud omnes esset vulgata, Legatus missus est Venetias, ad statuendam pacem inter Ducem Mediolanensem, ac Venetos, Florentinosque, quos inter acre bellum vigebat. Recte ad pacem conciliandam electus est is qui homo pacis erat, & eam præ cæteris rebus salutarem mortalibus esse censebat. Ea ex voto confecta, licet postmodum conditiones non seruarentur, & ob id bellum instauraretur, Romam reuersus est. Increbrescentibus deinde belli malis, cum maiora discrimina imminere viderentur, denuo ad eandem pacem prosequendam à Pontifice destinatus fuit. cuius in tractatu cum sex menses consumpsisset, demum prudentia & exhortationibus illam ipsam desideratam confecit, ac Ferentinum, quo Martinus euitandæ pestis causa secesserat, summa omnium beneuolentia reuersus est.

XII.

Erat Martino admodum cordi Galliæ pax. Ad hanc componendam (si quo consilio, aut humana ope potuisset conciliari) hunc optimum virum esse accommodatissimum ratus, rursus in Galliam Legatum amandauit. Martino vita functo, antequam is Italiæ excederet, cum Eugenius Pontifex successisset, iter & legationem iniunctam illi conficere iussit. Non viliorem eum iteratus aduentus, vt plerumque contingere solet, sed admirabiliorem reddidit. Virtus enim quo diutius tractatur, eo magis placet, præsertim nulla offensione interrupta. Multa ibi itinera ad diuersa loca confecit, multos labores subiit, cum sapius ex morbo lateris & calculo maximo torqueretur. Sed virtute & constantiæ animi infirmitates corporis superans, vtrumque Regem sapissime allocutus, ad concordiam ineundam, & ad deponendam ambitionem hortatus est. Multa etiam consilia Principum & conuentus adiit, & habuit; plurimas consultationes, in quibus multum consilii ostendit; multum auctoritati ad dirimendas controuersias attulit: bellorum pericula ante oculos proposuit; quot quantæque calamitates vtrique Regno prouenissent, recensuit; Sanctorum Patrum præcepta, sapientum virorum consilia, singula omnium scripta & sententias quæ ad eam rem conferre videbantur, ad promouendas mentes dissidentium enarrauit. Sed gloria, ambitio, cupiditas, bonor sæculi cum inter se certarent, & communi bono obstarent, infecta pace abiit: sed ita abiit, vt Regum vterque, & qui his aderant profiterentur, numquam se ei viro, prudentia, fide, sanctimonia, vitæ integritate parem vidisse. Eadem enim quæ prioris legationis, integritas, abstinentia, & continentia fuit. Regum & cæterorum donaria contempsit; nihil eorum appetiit, quæ aliis præclara & pretiosa videntur: satis esse putans, licet operam perdidisset, se boni viri officia omnia in eo legationis munere præstitisse. Erat dignitas amplior, sed minor cupiditas. Nihil sibi præter honorem Dei, & laudem Pontificu reportandum existimauit. Et quidem cum multa pompa & apparatu rerum, ac magnificentia sæculi inferior videretur; virtute tamen & continentia omnibus superior eminebat; magisque in eo humilitas admirabilis erat, quam in cæteris ornatus, aut rerum cultus externarum. Virtutum enim comitatu contentus, ea neglig b et, quæ speciosa vulgus ducit. Non tamen obsoletam secum familiam habuit, sed quæ satis culta ad honestatem esset, & plus pietatis religionisque, quam splendoris circumferret; ita vt & contemptum fugeret, & superfluitatem.

XIII.

Ex Gallia rediens, iussu Pontificis Basileam profectus, cum ibi multos tumultuantes aduersus Pontificis sedisque Apostolicæ authoritatem comperisset, neque populares insanias reprimere posset, Florentiam venit, ad quam Eugenius post discessum ab vrbe sese conculerat. Inde tertio ex præscripto Pontificis Legatus in Galliam iit, qui pacem eorum Regum populo Christiano pernitiem esse constituebat. Erat omnium opinio, aut huius viri sapientia & virtute, aut nullius alterius ope pacem eam esse conficiendam. Nam is solus cum neutri parti faueret, tantum emitebatur, quantum communis vtilitas postulabat. Nulla proinde priuata affectione, nulla beneuolentia mouebatur. Erat liber in consulendo animus, in decernendo æquus, nihil à recto declinans. Ibi Concilio vtriusque gentis habito, communique, propter diuersas sententias, desperata pace, Ducem Burgundiæ, qui antea Regi Franciæ infensus erat, in gratiam Regis, communemque beneuolentiam reduxit. quæ res, & Regi, & statui Regni plurimum conduxit.

XIV.

Pace inter Galliæ Regem, & Burgundiæ Ducem conciliata, iterum mandato Eugenii Basileam iuit; si qua ratione, aut sanari, aut reprimi posset eius auctoritate & consilio multorum temeritas, qui contra Romani Pontificis dignitatem, surrexerant. Superabat, conualescens in dies stultitia & nequitia malignantium, qui pacem Ecclesiæ peruertere nitebantur. Itaque Nicolaus relicto impiorum conciliabulo, Bononiam ad Pontificem reuertens, rem deplorandam esse ostendit. Inde in Germaniam, ad Albertum Romanorum Regem, qui Nurembergæ erat, missus Legatus, pro agendis Conuentibus Principum, vt obuiaretur schismati, quod postea Basileense vesania confecit. Hic multa in conuentu locutus, quæ ad deterrendos homines à schismate Ecclesiæ pertinebant, hortatusque Principes ad fidem Pontificis seruandam, Ferrariam regressus, postmodum manfit in Curia; paulo post à Pontifice, in locum Iordani Cardinalis Vrsini, qui Pœnitentiarius maior diem obierat, suffectus est. Quo in munere, summa optimi viri pietissimaque officia exhibuit; id sibi munus demandatum arbitratus, vt salutem quæreret eorum, quib. Dei benignitas gratiam pœnitendi tribuisset.

XV.

Mirum fortasse nonnullis videri poterat, cum tot Cardinales essent in Curia, quibus hæ legationes tam variæ committi potuissent, cur hic solus potissimum eligeretur. Sed erant in eo permulta, quæ ipsi beneuolentiam hominum conciliabant, & præclarum reddebant apud omnes. Primum summa religio, summa integritas, & consummata sanctitas morum, cum nihil in eo posset reprehendi: tum per omnem vitam temperantia, & continentiæ singularis. Doctrina præterea ac scientia præditus erat rerum plurimarum, vt viris doctissimis æquaretur. Erat deinde in eo agendorum vsus ac experientia, quæ summam prudentiam efficiebant. Accedebat consilii maturitas, & animus in consultando ab omni passione vacuus. Auctoritas quantum in vllo homine esse potest, virtute & benefactis contracta; Mores probatissimi, ætas prouectior, nullo vnquam tempore vel parua vitiorum labe notata. His virtutibus addebatur humanitas singularis & mansuetudo, quæ eum omnib. summopere gratum reddebant. Merito ergo eius opera in rebus arduis Pontifices vtebantur; cum non ad quæstum alicui, sed ad laborem officiosum, non ad propriam, sed ad communem vtilitatem se mutuarbitraretur. Etenim ex his, quæ ab eo in officio legationum concedebantur, nullum emolumentum sperabat. Gratis condonabantur omnia ab eo, qui dixerat, Gratis accepistis, gratis date.

XVI.

Bona Ecclesiæ Bononiensis, quæ ipsi à Pontifice credita erant, secundum Canonicas sanctiones distribuit, maiorem partem in vsus pauperum, & ædificiorum reparationem impendens. Nam domos Episcopi, pro dignitate Ecclesiæ & vrbis, instauravit & auxit. Romæ, iuxta Ecclesiam Sanctæ Prudentianæ domum, in qua remotus à strepitu seculari maneret, magna ex parte construxit. Parentibus, fratribus, aut alijs ex suo genere, nihil ex bonis Ecclesiæ tradidit; asserens se dispensatorem à Deo, non largitorem esse constitutum. Familiam habuit honestam, quæ & modestiam seruaret, & contemptum vitaret. Cibi sui parcissimus. Post aditam religionem, veg, in infirmitatibus, quibus grauabatur sapius, neque extremo vitæ tempore, carnes vnquam comedit. Vino vtebatur, quod satis esset ad vitæ sustentationem.

XVII.

Religionis normam immaculatam seruauit; eam religionem sequens, quæ à Beato Iacobo Apostolo scribitur esse, immaculatum se custodire ab hoc seculo. Media nocte surgebat, orationi vacans. Cilicium interius semper gestabat, ad strumentis

cubabat. Sacra scriptura lectione continuo studio incumbebat. Si quid otii ab oratione & negotiis publicis superesset, humanioribus quoq; studiis tantam operam dedit, quantum sacrarum literarum dignitas patiebatur. Cum hanc vitam tanquam aduena & peregrinus transegisset, nihil in ea aut spei, aut momenti ponens, mortem quoq; contempsit: cum sciret ad meliorem vitam profecturum.

XVIII.

Extremum diem sibi imminere cernens, cum summo dolore ex calculo torqueretur, & medicos contempsit, & dolores immensos summa patientia pertulit, agens semper gratias Deo, qui ipsum etiam in vltimo vitæ termino exercere ad patientiam vellet. Deficiente natura, nihil in rebus externis, nisi de pauperibus curans, animam Deo reddidit. vir summa prudentia & sapientia præditus, religione insignis, pietate præcipuus, excellens vitæ integritate, de omnibus, ac præcipue de Ecclesia bene meritus: qui facultatibus egenos, consilio indigentes, patrocinio omnes subleuabat. Pegius in oratione funebri.

Thomas, Apostolicus Subdiaconus, qui postea fuit Nicolaus V. Pont. Max. qui familiæ Nicolai præsidebat, nonnullis ex eadem familia comitibus sumptis, corpus ad Carthusiæ locum, qui parum Florentia abest, vt Nicolaus viuens constituerat, detulit, & pie religiosissimeq; sepulchro condidit, supra inciso elegiis versibus:

Sepulchrum omni laude dignissimi, & Reuerendissimi Patris Nicolai, tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyteri Cardinalis. Hic natus Bononiæ, primum ex Priore Carthusiensi, petente populo Bononiensi Episcopus, tum à Martino Pontifice Cardinalis designatus; post plerimas susceptas legationes, Senis, diem suum obiit. ætatis suæ anno sexagesimo octauo, vir pijssimus, mitissimus, vitæ integritate, singularig; virtute, omnium testimonio comprobatus.

In gradibus, hi versus additi sunt.

Carthusiæ me serra tegit, quem sumpsit alumnum,
Ac dedit esse patrem: natiua Bononia tandem
Me sibi Pastorem tenuit de iure vocatum;
Cardinis Ecclesiæ compulsu pondera sumpsi,
Et Crucis in titulo mihi falsis rubra thiara.
Mille quater centum denos quater egerat annos
Tres etiam cyclus Solaris, dum Nicolaus
Mente petens cælum sub saxo corpore claudor.

XVII. *Lætus ex morte Card. Alberg. Bononia.*

Eius mortis nuncio Bononiam perlato, ingens extemplo omnes ciues mœror inuasit. Itaque tabernæ clausæ, iustitium indictum, atque omnia intimæ ac variæ tristitiæ signa edita, quæ ad decorandum summi alicuius Principis obitum edi potuerunt. Iusta etiam per triduum in Basilica magnifice persoluta, quæ Antiani & Magistratus præsentiam suam afferentes, opifices vero ab operibus suis ad tertiam vsque horam cessantes honestauerunt. Hodie quoque ad perennem sanctitatis eius memoriam, Bononienses, Crucem argenteam quam Legatus præferebat, & alteram quam sacris operans in pectore gestabat, item acerram & thuribulum eius Ecclesiæ suæ relicta; Monachi autem Carthusiæ Florentinæ calculum eius è vesica exemptum, & Pontificale superpelliceum, ac sandalia, in sacrario magna veneratione custodiunt, & ostendunt. Eius obitum cum molestius ferret Thomas, quem diximus, hunc tãdem per somnium ad se venire existimauit, & ita anxium appellare: *Thoma fili, quid diutius gemis? quid adeo te affligis? Pone lachrymas, & te collige. Nobis enim bene est. benignitate Iesu. Itaque surge, & accingere: ad breue enim tempus, grauè tibi subeundum est munus, Petri gubernanda nauicula.* Eam visionem somni, Thomas, non dissimulanter præ se tulit, sed complurimis narranit: planeque rei exitus probauit, cum non multo post, ad Pontificatum Romanæ Ecclesiæ euectus, in memoriam Nicolai Cardinalis patroni, Nicolaus V. voluit appellari. *Sponius, in vita c. 7. & 18. Zonus in vita Nicolai c. 20. & 21. Franciscus Philelphus in oratione ad Sixtum quar-*

Thomæ à pos. Nic. V. PP. in somnis apparet eiq; Pontificatum prædicit.

to. Nicolao defuncto, cum Eugenius Pontifex curam Ecclesiæ Bononiensis Ludouico Cardinali Aquilegiensi commendasset, populus Episcopum postulauerat, Nicolaum Priorem Canonicorum Lateranensium in vrbe Romana, Simone tinctore Bononiensi natum, sed virtutibus illustrem. Quo, ex voluntate Pontificis ad regendam Bononiensem Ecclesiam eunte, atque apud Lucam defuncto, Pontifex dedit illis Episcopum, quem memorauimus, Thomam Serzanensem: virum obscuris parentibus natum, sed eruditione singulari, & vitæ integritate præstantem. *Pompeius Vizani hist. Bononien. l. 6.*

Zanchinus Nic. V. Eccl. Bonæ præficitur.

XIX. *Obiit Nicholaus Archiep. Cantuar. cui succedit Io. Stafford.*

Eodem anno, in Anglia, Henric. Chicheleyus Cantuariensis Archiepiscopus, postquam 29. annis sedisset, multis à se prudenter atque pie gestis, vita functus est, & in eo quem viuus extruxerat tumulo, ad septentrionalem partem posito sepultus iacet. Dedit illi Eugenius Pontifex successorem, Ioannem Staffordium, illustri familia natum. Is celeberrimi Staffordiæ Comitis Fillus, stirpem ac originem suam adhuc adolescès doctrina multa amplius nobilitauerat. Hunc Chicheleyus Archiepiscopus ex Iureconsultorum Scholis Doctorem egressum, inprimis Vicarium suum in spiritualibus Generalem, causarumque ad forum Ecclesiasticum spectantium Auditorem constituerat: atque his muneribus publicis Decanatum ei S. Martini Londini, & Præbendam Miltonensem in Ecclesia Cathedrali Lincolnien si adiecerat. Exinde Henrico Quinto Regi cognitus, intimis ac summis eius consiliis adhibitus, priuati sigilli custodiam habuerat: tum Thesaurarius Regni, & Wellensis Decanus, ac Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Sarisburiensis; postea à Martino Quinto, post mortem Henrici Quinti, Episcopus Bathonensis; ex quo demum ad Archiepiscopalem Cellitudinem ab Eugenio Papa translatus est. Acceptis autem translationis suæ Bullis in ædibus Bathonensis Episcopi, ad Regem qui tum Elthamiæ in Cantij fuit postridie properauit, redditoq; ei fidelitatis homagio ad possessionem temporalium bonorum accessit. Tum crux à Ioanne Salisbur. y Sacræ Theologiæ professore & Priore Cãtuariensi ibidem adducta, eiq; concepta solita verborum formula tradita est. Eodemq; etiam loco pallium ab Eugenio Papa missum, ac ad se per Roffensem Episcopum delatum, die 23. Augusti indutus: quo anno Henricus sextus Angliæ Rex, summus bonarum litterarum patronus, duo Regalia studiis litterarum consecrata Collegia inchoauit. Vnum Ethonię, quod propè arcem Windesorianam in qua Rex natus erat, positum est: Alterum Cantebrigiæ. *Auctor antiquit. Eccles. Britan. in Staffordio.*

Duo Collegia ab Henrico VI. in Anglia extructa.

In Hispania, hoc anno fuit, quod curam & solicitudinem Episcopalem, in Regis dignitate, inq; pace Regni Castellæ tuenda, procurandaq;, postularet. Narrabat Mariana,

XX. *Nouorum dissidiorum in Castella Regno origo.*

In Castella, summoto ab administratione rerum publicarum Aluaro Luna Regis nimium potente, non fuit sublata potentia, sed dominus commutatus, Rege Nauarræo alienæ dominationis non vindice; sed vicario, ipso Rege Castellæ nunquam sui iuris & mancipii. Hæc magna calamitas fuit, nouorum dissidiorum origo. Inerant Regi Castellæ nonnulla bona, sed maiora vitia superabant, exiguus animus, curæ imperandi graues, atq; intolerandæ. breui auditu quamlibet magna transire: satis magnum imperii fructum ratus, si otio, desidia, voluptatibus marcescerer. Aulici, ac is maxime cui rerum permissum arbitrium, Principum legationes audire, responsa reddere, fœdera facere, dare honores & Magistratus, regnare alieno nomine, pacis, belli, legum, institutorum arbitri moderatoresq;. Pudendam Principis socordiam, ac turpitudinem fœdã. Exolescente nimirum veterum Castellæ Regum indole virtutum, non secus atq; in satis, & pecudibus semina, cœlo, terra, tempore maxime mutantur, degenerantque, præsertim sede mutata; sic ardens Principum ingenium, copia plerumq; voluptatum extinguitur in posteris, euanescitq;. Ni vitia institutione corrigantur,

coniugum delectu ex duriore hominum genere peritarum, sanguis flaccescens excoquatur, & ad pristinum competentemq; habitum reformetur, maiorem mollitie in fœtibus castiganda. Magnis imperiis nihil est negligendum; audaciaq; aulicorum, antequam radices agat, in ipso exortu vindicanda. inueterata, velut iure suo sæuit; neq; euertitur, nisi magna multorum ruina; sæpeque oppressis ipsis vindicibus. Accusare præterita superuacaneum esset, nisi ex alienis vitiis instituendæ Principum vitæ atq; conformandæ præcepta repetantur: quantumq; desidiæ vigor animi præstet, duorum Regum exemplo dignoscatur. Ergo Nauarræus, Alfonsi Aragonum Regis frater, etiam susceptam in Castella rerum potestatem acerbius exercebat. eo imperium minus diuturnum fuit. durant enim moderata. Castellæ Regem captiui instar habebat. insignem audaciam, confidentiamque: in alieno Regno, in pace, tanto Principi, sermonis etiam liberi commercium abstulisse: adhibitis custodibus, Henrico maris Præfecti fratre, & Roderico Mendoza Regiæ Magistro, qui sermones adeuntium Regem & vultus notarent. Erant in eandem fraudem inducti, Præfectus maris, atq; Beneuentanus Aragoniæ affinitate deuincti; Henricus Castellæ Princeps, & Regina. Barrientus Abulæ Pontifex, rei indignitate commotus, pro dignitate Regis sui stetit; & præterea ex arcano Aluaro fauens, eius etiam restituendi tempus venisse ratus Ioannem Paciecum adit, rerum statum deplorat, Aragoniorum væcordiam detestatur; Quicquid in Regem admissum esset, Henrici Principis ignominia peccari. Quibuscumq; moribus & ingenio, parentem esse tamen. Si rebus gerendis impar esset, non externos homines Aluaro prohibito in eius locum, sed ipsum potius reponi æquum fore, & paterna cessatione rebus gerendis admoueri. Non lætandum eius casu, sic eo submoto, nihilominus sit seruiendum, peiori conditione propter acerbitatem, maiori periculo ob ambitionem imperantium. Vicaria potestate numquam fore Aragonios contentos: vt est animus mortalium omnino inexplebilis, ad vlteriora aspiraturos. parto externo imperio, feroces, noua in Hispania regna meditaturos: ac cum exitio quod molirentur familię Castellanę, nisi perierint perdituros. Hęc & plura alia in rem Pontifex. Paciecus ea oratione permotus, illum vera prędicare, & salutaria monere cum non ignoraret, Procerũ animos, an pronie essent ad euertendam Aragoniorum tyrannidẽ tentauit: Henricũ Principẽ ne paternam toleraret contumeliam incitauit; Comites Hati, atq; Ledesmiæ, ad Regem & Regnum liberandum iam conspirantes tanto amplius pellexit: datę ea de re litteræ ad Aluarum Lunam: reliqua eiiciendis Aragoniis meditata; quæ dubio procul hoc anno in rem venissent, nisi duo illi proceres disturbati atque fugati ab Aragoniis fuissent. *Mariana l. 22. c. 1.*

XXI. *Duo illustria miracula apud Deiparam Hallen.*

Etiam hoc anno, apud imaginem Hallensem Sacrosanctæ Deiparentis Mariæ, duo illustria miracula Deus edidit. quæ I. Lipsius narrabat.

I.

In pago Wachalio, apud Insulas Flandriæ, Ioannes Cuuellerius fuit, qui binos habebat sequioris sexus liberos, paruos, tenellos, vix bene adhuc fantes; & ttiennium maior natu nondum attigerat. Dum ludunt, absente vtraq; parente, minor cultrum reperit, & manu eum versat: maiusculą videt, & verita noxam, eripere conatur, eripitq;, sed tanta vi (altera scil. renitente) vt sibi ipsa improuide cultri aciem in oculum demerserit, & pupillam ipsam perfoderit, valido ictu. Clamores, & fletus. parentes audiunt, accurrunt. quid cõsilii? quod bonus Genius Ioanni inlecit. Inuocat statim Diuã Hallẽsem. promittit suum & filiæ illud iter & piam inuisionem, si reciperet visionem. O bonitas, ô potentia! non alio remedio sanescit mox puella, & cum parentib. vicinisq; (qui attestati) Hallas venit.

II.

Comes fani S. Pauli, nobile & notum nomen est in Gallia. Is cum bella feruerent inter Gallos Anglosq; varia sorte, & factionib. alita gangræna hęc mali, membra pene omnia florentissimi Regni peruaderet; fors fuit, vt ipse in arce Carteleria esset, tractu Picardiæ, illinc ad Delphinum iturus, qui Compendii agebat. Ecce præmittit mane (dies Sabbathi erat) metatorem suum, coquum, & dispensatorem, vt parata omnia in diuersorio Compendii reperiret. At illi leniter progressi, hestium aliquam manum vident (ad 60. aut 70. erant) qui in subiectis pratis pecudes rapiebant, agebantq;, & si quid aliud in agris esset. Remeant igitur trepidi, domino nunciaturi; & *Hostes, & Ad arma* clamant. Comes vir magni animi erat, nec talium expers: inuocat suos, arma & equos expediret, sequerentur, si quis fidem & se amaret. Simul ipse in equum, abit, assequitur, & vna cum ipso fidus famulorum Ioannes Gertrudanus nomine, qui semiermis, vt festinatio erat comitabatur. Idem aliquot alii, singuli aut bini aduenientes: qui omnes tamen iuncti vix octoginta, nec ab armis instructi satis erãt. At hostes, qui in subsidio fuerant, iam conspicui, & primis illis iuncti, facile ad mille quingentos accedebant. Ioannes, quem dixi, aduertit, & dominum iræ properum, & animi nimium, abire & sibi cõsulere hortatur: nos interea, inquit, vilior manus propugnabimus, & tutum tibi receptum reddemus. Non mouetur dominus, pugnat; sed ante eum Ioan. qui statim duplici sagitta balistaria brachium traiicitur, & herum cum respicit iterum monitutus, tertia collum ei transfir. Tum deniq;, *Domine*, inquit (ô amor, ô fides) *consule tuæ vitæ; nam de mea quidem est actum.* Et cũ dicto ex equo delabitur: Comes atq; alii in vicinum oppidulum fuga delati seruantur. Sed Comitem mœror tetigit, amisso, vt putabat, tam fido ministro: sed quem Dei & Diuæ benignitas in columem, præter opinionem & pœne fidem, reddidit. Nam dum ibi iacet inter viros equosque, Diua Hallensis ei in mente atque ore est, & quæ tam multis auxilium esset, vt sibi in hoc discrimine precatur. Auditus est, & simul manibus genibusq; nixus, prorepsit in viam proximam, ac viribus defectus ibi hæsit. Nondum finis. Mala accumulantur, vt remedia crescant; & discrimina iterantur, vt salutaris illa vis magis inclaresceat. Tres ex hostibus seorsum aduenient, scrutaturi omnia, & prædam, vt fit quærentes. Miserum hunc vident, accedunt, pecuniã, annulos, vestem tollunt; sublatisq;, gladio exserto vn⁹ caput illi findit. Ne sic quidem moritur, sed Mariã identidem ingeminat, & in eius ac Diuæ Barbarę honorem, vt fas sibi sit peccata apud Sacerdotem expiandi, precatur. Tangit etiam duros animos, Diua faciente pietas. Permittunt, imo & operam promittunt; atq; ecce rusticanum Sacerdotem per viam forte euntem vident, aduocant, & homini admouent. Epectant vt finiat, & tum illi quoq; dent suum finem. Nam occidere nihilo secius hominẽ, destinatum erat. Sacerdote igitur etiam adstante, vnus eorum mucronem gladii, vt cẽsebat, in guttur eius defigit: Diua auertit; & subuculam eius modo scindit. Sacerdos interea deprecari, & mitigare: exorat tandem, & recedunt. atq; ipse sic faucium, in proximum quoddam horreum partim ducit, partim trahit, & vulnera eius, vt copia erat, obligat. At ecce noua hostium manus, inter quos Duces ipsi & honestiores militum erant. Eorum metu Sacerdos fugere, Ioannes conspectis iis veniam vitam que petere: & facile impetrat, ab animis nobilioribus & quos honor & humanitas non prorsus reliquissent. Sed enim discessu istorum, tres illi ficarii, immani sæuitia, iterum redeunt: & cum viuere vident, gladium vnus strictum vitibus in caput librat; sed Diua, quam inclamabat, ictum moderãte, humerum modo attigit, & leuiter etiam strinxit. Cõsilium deinde capiunt in flumẽ cadauer (pro tali habebatur) abiiciendi, quod faciunt, & sanguine manantẽ ferociter eo trahunt, quo tẽpore,

visa illi palam adstare Diua virgo, quæ solatium & iuuamen benigne promitteret: consilium etiam daret, vt mortuum se gereret, & simularet. Paret illi autem è ripa in flumen deuoluunt; atq; vnus hasta etiam petit, vt si quid forte reliqui spiritus, aut vitæ esset, educeret. Sed Diua & hunc ictum irritum facit, & clientem suũ in insulam modicam perue hit, limosam, & leuiter flumine exstantem. Ibi confectus nouem plagis grandioribus, aquis refrigeratus, ad horas tres iacet; erigere, aut mouere se impotens; cum Sacerdos, apud quem culpas suas fassus erat, miseratione impulsus redit, & eum quærit, & sanguinis vestigia secutus ad flumen deniq; venit. Ibi non reperto, percellitur, & mersum omnino censet: cum ecce oculos longius & intentius permittens, videre in limo illo insulæ visus effigiem hominis. Neque certus tamen, homo, an ludibrium Genii esset, Cruce se signat, & alte inclamat, *Adiuro te, si homo & Christianus es, signum aut vocem ede.* Ioannes audit, & manum attollit, Sacerdos audacter in aquam insilit, & collo tenus madidatus ad eum peruadit. Erigit, & in siccum, quãrum potest, perducit: cursu inde in oppidulum propinquum fertur, vehiculum & homines adducit misero huic subleuando. Qui inibi curatus, post paucas etiam septimanas Hallas venit, Diuæ præco, & omnibus narrabat, quæ vix ipse, nisi sibi credidisset. *Lipsius c. 26. 29.*

ANNO CHRISTI 1444.

Eugenii Papæ IV. anno 14.
Friderici Regis Rom. anno 5.

XXII. *Obitus S. Bernardini Senen.*

AD 13. Kalend. Iunii, huius anni, Aquilæ in Vestinis, obiit S. Bernardinus Senensis, qui verbo & exemplo Italiam illustrauit. Placet vitam illius, etiam ad totius Ecclesiæ exemplar producere, in capita apud Surium distinctam.

CAPVT I.

Sancti Bernardini genus, patria, parentes, educatio.

XXIII. IN *Senensi Vrbe, quæ Virginis ciuitas dicta est, ex nobili familia Albizeschorum, ortus Tollus est, vir humanus, simplex prudens, & bona existimationis. Is in iuuentute ad Massanam vrbem se contulit, quæ in Senensium ditione sita est. Cernens autem eius loci ciues, erga familiam suam, & maiores suos, amico esse animo (Patruus enim eius Tollus, ter eius Ciuitatis præses fuerat, cum bona ciuium gratia) ibi sedem fixit; charus omnibus, & curabat argentum erui ex Massanis fodinis, vbi plerique alii egregii mercatores. Erat tum illic miles generosus, iam grandæuus, Bindus nomine, is vt vidit Tolli mores ingenuos, vitamque honestam, Neram filiam suam illi despondit, cupiens illum habere heredem; cum alios liberos, non haberet, præter Diniam filiam Neræ sororem, quæ ante complures annos alteri nupserat. Sicut ergo Domino placuit, ita factum est. Non diu post Bindus obiit. Tollus autem & Nera erga Deum, & Deiparam virginem deuoti, & religiosi, ac Deum timentes, masculam sibi prolem diuinitus dari optabant, ad honorem Dei; nec frustrati sunt spe, & expectatione sua. Ediderunt enim in hanc lucem, filium die octaua Septembris (in quem incidit etiam Natalis dies beatissimæ matris Dei) anno Christi, Millesimo, trecentesimo, octuagesimo; quo anno sanctissima virgo Catharina Senensis migrauit ad cœlos; dictusque est Bernardinus. Nera mater eius anno ætatis suæ, tricesimo secundo obiit, qui erat annus ab Orbe redempto, millesimus, trecentesimus, octuagesimus tertius, cum Bernardinus iam trimulus esset. Tollus autem pater eius piissimus & Dinia matertera, quantum ea ferre potuit ætas, bonis eum instruebant moribus, excitabantque eius animum, ad deuotionem concipiendam erga sacratissimam virginem Christi Iesu matrem. Interim Tollus moritur, anno Saluatoris Millesimo, trecentesimo, octuagesimo septimo, Bernardino filio sexennio relicto, cuius curam, itemque facultatem eius suscepit Dinia matertera, & haud secus atq; filium eum enutriuit annis quinq; magnoq; opere & bonis moribus, & deuotione erga Christi matrem, eum imbuere conata est. Etsi autem instar puerorum in quibusdam etiamnum pueriliter sese gerere videretur; attamen cæteros condiscipulos in multis excellebat in Grammaticis institutionibus, & literis perdiscendis, longo post se interuallo eos relinquens; eratque ea indole & ingenio, etiam ad ea conficienda, quæ arte & manu fiunt; vt Massani omnes eum admirarentur; certoque sibi persuaderent illum in virum insignem euasurum.*

CAP. II.

Ad eleemosynas propensus, in D. Virginis honorem quoq; Sabbatho ieiunat.

XXIV. SIngulari autem studio ferebatur ad præstandas Eleemosynas; nec vllare adhuc puer magis delectari videbatur, quam si posset pauperibus benigne facere. Casu quandoque accidit, vt panum in ædibus Diniæ relictum esset panis: enim autem ipsum pueri mendicanti, Dinia dare nolebat. Dixit ergo illi pius puer; *Quæso domus pauperi stipem: alioqui ego hodie neq; prandium neq; cœnam sumpturus sum: malo enim pauperem refici hoc pane, quam me.* Lætabatur valde Dinia, ea pueri bonitate, & optima indole. Cœpit vero etiam ad ieiunia eum prouocare, quantum quidem illius ætatis fragilitas patiebatur. Etsi autem annũ tener esset; attamen ad honorem beatissimæ matris Dei diebus Sabbathi ieiunauit, & quamdiu laicus fuit, illud ieiunium numquam intermisit.

CAPVT III.

Onuphrio & Ioanne Spoletano præceptoribus, doctissimus euadit, admiranda pudicitia conspicuus.

XXV. CVm ad tertium decimum ætatis perueniisset annum, & in Grammatica sic satis profecisset: à necessariis amicis, Christophoro & Angelo Albizeschis fratribus, Senas accitus est, vbi sub cura Christophori, & honestissima coniugis eius, re & nomine Pia, vixit. quæ matrona cum nullas haberet proles, haud secus eum atque filium dilexit, eiusque mores confirmauit. Porro in Scholis trivialibus, præceptorem habuit Onuphrium, miraque discendi celeritate superauit omnes coætaneos suos, omnibus affabilis & charus, honestus quoque, & pius, ac deuotus. Aras sibi in teneriori ætate semper exstruebat domi, easq; vt potuit ornabat. Ductus interdum à Pia ad sacras conciones; cum domum reuertisset, conuocabat pueros, eisque tanquam pro concione, puerili simplicitate dicebat, quæ ex auditis sermonibus, memoriã retinere poterat. Faciebat autem hoc ea ratione, & ea dexteritate, vt multi iam tum animis præsagirent, eum quandoque Ecclesiasten fore. Postquam autem Senas venit Ioannes Spoletanus totius honestatis speculum, & Moralis Philosophiæ præceptor egregius. (qui licet grandæuus, est tamen etiamnum superstes) integerrimus adolescens Bernardinus, virtutis & doctrinæ auidus, ad illum se contulit, nec ab eius quantum licuit latere vnquam discessit; hausitque apud illum annis aliquot, & mirabiles habuit in literis progressus: ita vt ab eodem Ioanne, quondam etiam præceptore meo, crebro audierim. E suis scholis viuquam quenquam Bernardino doctiorem prodiisse: nec vidisse se vnquam studiosum vllum, qui tam omni esset honestate & integritate præditus: quippe ex cuius ore nunquam sermo turpis prolectus esset, & qui neque verbo, neque nutu, neque signo, alia vlla significatione, quicquam præseferret aliud, quam purissimam honestatem.*

CAPVT IV.

XXVI. Obscœna horret verba, præsentia sua profligat lasciuos, impudicum pugno castigat.

TEstantur vero etiam eius coæui litterarum studiosi, in morum probitate & honestate eum fuisse; vt si quid audi isset turpiter dici, adeo commotus fuerit: vt rubore haud aliter in vultu prosunderetur, quam si quis colaphum ei infregisset. Indefactum est, vt si forte pueri & adolescentes inter se, de rebus parum honestis verba miscerent; visu Bernardino mox dicerent. Facessunt hi sermones: ecce enim Bernardinus adest, vsque adeo ab omnibus ille quoddam honestatis & integritatis exemplar habebatur. Cuius quidam non infimæ conditionis, turpe verbum quandoque ad illum protulit. Sentiens autem pudicissimus adolescens, quorsum ille tenderet; sub mentu grauiter illum percussit, cum alioqui staturisset, in faciem illum cædere. Tanto autem impetu eum percussit, vt procul etiam sonus audiretur. Ciuis itaq; ille, coram adstantibus tum propinquis tum aliis indigestu pudefactus, repente ab eius conspectu se subduxit. Postea vero cum iam multi essent euoluti anni; eadem loco, Bernardino, ad populum concionem habente, adeo corde compunctus, vt vbertim lachrymas funderet: perinde ac si duris esse flagellis cæsus.

CAP. V.

XXVII. Lasciuum ad turpia solicitantem, verberibus & lapidibus abiit cum socio. S. Canonibus & scripturæ studet.

ALius quidam improbus ciuis, per idem tempus, erga Bernardinum adolescentem, verbis & moribus inhonestis, suum indicauit impurum, & nefarium animi desiderium, idq; non semel, sed crebro sane. Itaq; Bernardinus rogat quosdam suæ ætatis honestos adolescentes, vt sibi essent adminiculo, quo ab illius scelesti hominis vexatione se exueret. Communicato autem inter ipsos consilio; monet eos, vt lapides sibi colligant. Deinde inquirunt hominem illum, quem cum inuenissent loco parum opportuno, Bernardinum iussit eos dare operam, vt posset alio pertrahi. Vt autem miser ille vidit Bernardinum nefanda cupiditate commotum, multos ei aureos ostendit, vt alliceret pudicissimum adolescentem. Tum ille annuit, vt è platea excederet. Quod cum ille fecisset, illico exclamat Bernardinus, Inique, sceleste flammo exturende, ad eum, ad eum, simulq; illum persequere cœpit. Mox socii eius adiungunt voces suas, pariterq; lapides in eum conijciunt. Ille ira se accipi cernens, in pedes se conijcit, illis eum insequentibus, donec ab eorum oculis euanesceret. Ita demum eius prauæ voluntas compressa est, & Bernardinus ea molestia absolutus. Hæ autem rebus effectum est, vt tantum apud omnes virtutis, pudicitiæ & integritatis eius fama crebresceret; vt non solum nihil ipso audiente quisquam ex domesticis eius audirent impudice eloqui, sed etiam omnes eum venerarentur, nemo tutus pe aliquid circa illum attentare vellet. Et si autem semper iocundum, alacrem, affabilem, commodum, officiosum omnibus sese exhiberet; non tamen nisi bonis, maxime aut spiritualibus, aut religiosis viris, familiarem esse voluit, idq; tam in scholis, quam alibi. Postquam autem adoleuit, relictis scholis trivialibus, & studiis Philosophicis, in quibus præ cæteris excellebat; ad sacros Canones discendos se contulit, in eoq; studio triennio accurate versatus est. Plurimum vero delectabatur sacris literis; quas vbi degustare cœpit, alia fere studia sua omnia pro nihilo putauit, nec quicquam etiam sapiebat extra scripturas diuinas.

CAPVT VI.

XXVIII. Tobiæ, S. Bernardini consobrinæ, piissimæ matronæ mors Bernardino concionanti visa.

VBI decimum & septimum ætatis annum attigit. Tobiam consobrinam suam crebro visitabat. Erat illa filia Dominicæ, quam supra diximus, Neræ matris Bernardini sororem fuisse. excedebat autem Tobia Bernardum annis amplius triginta, eratque vidua tertii Ordinis Beati Patris Francisci, cuius maritus fuerat vir nobilis Guido de Perolumen. Porro ob morum integritatem, studiumque deuotionis & pietatis, Tobiæ hæc omnibus veneratione erat. Perpetuis enim ieiuniis, vigiliis, corporis castigationibus vacabat; semper in suis cubabat vestibus, aliisque exercitiis se continenter macerabat. Ipse seminarum peregrinarum, quæ aduersis laborarent valetudine, sæuissima illa peste grassante, curam suscepit in domo hospitali de la Scala; illisque Bernardinus, anno ætatis suæ tricesimo primo, Senæ peste laborans, cum iam medici spem salutis eius omnem abiecissent; in ipso propemortis articulo confessus est, se corporis integritatem prorsus inuiolatam seruare. Huic vni Bernardinus loqui solebat, cum alterum fœminarum colloquia deuitaret. Denique eius animam ad cœlos profici scentem vidit Bernardinus, cum Mediolani, primo Quadragesimæ die, ad populum concionaretur, quæ illi causa fuit, eam concionem prater morem suum, abrumpendi. Scisciantibus enim postea aliis cur id fecisset: primo quidem dicere noluit, deinde vero compulsus, rem vt erat explicauit. Missi autem sunt Senas qui de obitu Tobiæ cognoscerent; compertumque est eadem hora, quæ dixerat Bernardinus, tam rudem eam migrasse è corpore.

CAPVT VII.

XXIX. Quotidie visus D. Virginis imaginem adorare, cui deditissimus erat, Tobiæ sinistram exemit amoris suspicionem.

CVm hac igitur Tobia Bernardinus adolescens crebro sermones conferebat, eamq; identidem inuisebat, haud aliter enim inter se diligebant, atq; solent mater & filius. Contigit interim Bernardinum quandoque dicere Tobiæ; Ibo visam amicam meam, itemque retrorsus alio die; adibo amicam meam sane pulcherrimam. Tobia hæc cum per iocum dicere putabat: ac nihilominus percontabatur eo, quanam illa esset ipsius amica, & vbi moraretur. Respondit ille. Amica mihi longe est formosissima, cuius ego amore plane captus sum: est autem extra portam Camollia, eamq; quotidie soleo inuisere, nec videor mihi somnii pi, sapere, nisi prius mihi conspecta sit. Tobia hæc audiens, cœpit quædam suspicione teneri: sed cum cerneret Bernardinum crebrius se efficere ieiunia, quotidie sacrificio interesse, vacare precibus, & deuotioni, vestibus indutum se dare quasi nocturna, multaq; alia de se dare haud obscura præbentia signa: non existimabat sinistre propter ea verba, de illo sentiendum esse. At rursus contemplans adolescentis formam egregiam dæmonis versutias, carnis fragilitatem, & hominis in deteriora propensionem: verebatur ne fortasis captus esset amore alicuius mulieris, maxime quod extra Camollia portam esset cœnobium fœminarum. Itaq; acerbo intrinsecus animi dolore cruciabatur, metuens se laborem suum omnem perdidisse, quem ei optime instituendo diu impenderat. Vt autem rem certius exploratam haberet: altera luce abiit extra illam portam, mane sq; in loco quodam, vnde Bernardinum conspicere ipsa posset. sed ab illo minime videri. Ecce autem aduenit Bernardinus solus, & coram imagine Beatissimæ matris Dei, quæ supra portam illam elegantissime picta habebatur; inde curuat genua, eiq; piissimas offert preces, iisq; completis, mox domum redit. Miratur Tobia: sed non contenta semel vidisse, redit secundo, & idem conspicatur. At nec sic animo satisfactum sentiens, mittit certo fidissimam sociam suã; quæ cum idem omnino suis oculis esset intuita; quod semel atque iterum Tobiæ; iam è suo pectore prorsus amouit suspicionem omnem Tobiæ: dixitque lætæ ad Bernardinum; Prudem dixisti mihi, filiolarissime, te amore captum esse, quæso mihi rem certam exponas, nec me in dubio hærere patiaris. Respondit Bernardinus. Quando sic vides, dicam tibi, quod hactenus nulli alii indicare volui. Captus sum amore Beatissimæ Virginis & matris Dei Mariæ, quam semper amaui, in qua post Deum omnes meæ spes collocatæ sunt. Illam vnice diligo, illam inquiro, illam videre concupisco, quod cum

in hac vita non liceat, constituit eius amore, quotidie inuisere eius imaginem, quæ in Camollia est, quod ea mihi & cæteris huius vrbis elegantior, & eius maiestate dignior videatur. Itaque illam quotidie accedo, flexis genibus Beatissimæ Virgini me commendo: sperans per eam me consecuturum gratiam, & misericordiam, quam præcipue expeto. Hæc est igitur amica illa mea, & spes meæ piissima, Virgo Maria. Hæc vt audiuit Tobia, cum lachrymis illum complexa dixit; Reuera, fili mi, non obtinuit mentem meam sinistra vlla de te suspicio: sed nonnihil cœpi hæsitare, propter fraudes & machinas antiqui serpentis, quæ debemus modis omnibus cauere. Sed tu, fili à Deo benedicte, egregiam tibi & insignem delegisti amicam, optimum salutis tuæ præsidium, peccatorum omnium nequaquam dubiam spem. Illam quæras, illam sequare, omnique animi deuotione confidas. Nullum enim post Deum salutis tuæ fulcimentum validius habere potes, quam ipsam pietatis & Misericordiæ matrem: à qua nemo vnquam, qui illi bene confideret, vacuus recessit. Perseuerauit autem Bernardinus in hac imaginis huius Visitatione, multis annis: & cum iam in monasticam religione consensisset, testibus eius socijs, non raro inuisit eam. Potuit sane ex multis euidentissimis argumentis colligi, eum toto vitæ suæ tempore singulari, erga matrem Dei, deuotione fuisse, & certe concionem illo habente Senis de illa, anno Christi Millesimo, quadringentesimo, vigesimo septimo, in die Natiuitatis eius, ita eum audierunt multi dicentem: Ego frater Bernardinus, semper fui deuotus Beatæ Virgini. In die enim Natiuitatis eius, ego natus sum, eodem die, baptizatus sum, illo ipso die, monasticum habitum indui, itemque professus sum monachum, & primum sacrificium feci, eadem die cupio exire ex hac vita. Ita ille. Et illos qui eum audierunt affirmasse, nunquam quenquam audiuisse, de Beatissimæ hac Virgine deuotius, libentius, feruentius, concionantem.

XXX. **CAPVT VIII.**

Inscribitur sodalitati Disciplinatorum, sanctorum hominum seminario.

IN iuuentute sua, cum adhuc laicus esset, vt posset piam Deo impendere seruitutem, suaque pietatis studia augere; adscribi voluit in spectatæ religionis sodalitatem bene Moratum, quam vulgo vocant Confraternitatem Disciplinatorum v. Beatæ Mariæ Virginis, quæ est in domo hospitalis de la Scala. Non admittuntur in eam sodalitatem, nisi quorum forma est integra, & bona existimatio. Fuit enim locus ille multo tempore speculum, & exemplar Deo deuotorum sæcularium hominum. Itaq; Bernardinus fratrum omnium consensu, & prompta voluntate, tanquam valde idoneus, hilariter receptus est; precesq; & corporis flagellationes, aliaq; tum iocunda, tum aspera exercitia, noctu diuq; illic visitata, præ cæteris ipse copiosius sectatus est. Hic nimium vetustus ille locus est, ex quo omnes fere Italiæ benemoratorum, siue disciplinatorum laicorum piæ excitationes, vel deuotionis studia manarunt. Ex illo complures sancti viri prodiere; puta Ioannes Columbinus, primus ille idemq; feruentissimus Iesuatorum institutor, & eius charissimus socius Francisc. Vincentinus. Itemq; Ordinis Montis Oliueti fundatores, B. Petronius de Petronijs, postea Carthusianus effectus; Andreas de Galleranis, speculum sanctitatis, aliiq; permulti sublimes contemplatores; & innumeri fere religiosi, vel monasticæ vitæ professores: vt mirum non sit, Bernardinum beatissimæ matri Dei deuotissimum, in eius domo illis adiungi voluisse, ex qua domo tot præclaras stellas, totq; diuinos nouerat extitisse viros; tametsi eandem ipsam domum præ aliis omnibus ipse præclarius illustrauit. Cum autem seruenti eius deuotioni, necdum sufficerent exercitia domus huius; quemadmodum fide dignissimo relatu didici: ob macerandum & edomandum corpus suum, longo tempore flagellis, & funiculis confectis se cecidit, crebro etiam vrtica & cilicio se affligebat. Quæ quidem licet sanctus iuuenis faceret occultissime, soli Deo ea notæ esse volens; attamen diuina efficiente prouidentia, non de industria, sed prorsus ab improuiso, ad aliorum, qui et sanctum superfuit, notitiam peruenere.*

CAPVT IX.

Asperam duxit vitam, corona virtutum decoratus, præsertim pudicitiæ & honestatis. XXXII.

MVltis annis, in vestibus suis dormiuit, non tam in lecto, quam scamno, vel capsa. Cibus & potus eius communis quidem, sed parcus erat, nequis inuenio, vel in delicatis escis excessum, vel in vilibus singularitatem. Iocundus, hilaris, affabilis, humilis semper fuit, omnibus se accommodans; tristitiæ, torpori, ignauiæ hostis, in afflictione strenuus & assiduus, irasci malo animo nunquam visus est. Veritatis amicus, charitate præcipuus, erga miseros, prudens in omnibus, & circumspectus valde; nec videbatur mœrori vllus relictus locus, vbi Bernardinus aderat. Ante omnia autem, vel maxime in eo excelluit laus pudicitiæ & honestatis, quam præ se semper ferebat nutibus, & verbis, & factis: ita vt nullus hac in parte adolescens ei posset æquiparari; & ipse non tam carneus quam saxeus esse videretur. Habitu vtebatur vt solent scholastici, & quidem honesto.

CAP. X.

Pestis orbe toto sæuiens, etiam hospitium Senense publicum fatigauit. XXXII.

SÆuiente illa peste terribili & generali, anno salutis Millesimo, quadringentesimo; in quem incidit Iubilæus; innumeri peregrini Romam euntes, atque inde redeuntes, ad celeberrimam illam toto orbe Christiano domum hospitalem Beatissimæ Mariæ Virginis, quæ Senis est, & de la scala dicitur, confluxere, augebaturque valde numerus ægrotorum, è quibus plurimi moriebantur; ita vt tribus mensibus & dimidio, quotidie amplius duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, interdum octodecim, vel etiam viginti è vita discederent; præter quos ex eius domus familia, obierunt Fratres viginti duo, octodecim fœminæ, pauperibus mulieribus inseruientes, nouem Sacerdotes, quinque clerici, septem pharmacopolæ, qui morbidis medicamenta parabant, pueri triginta sex in ea domo enutriti, & famuli sexaginta ægrorum ministerijs deputati. Cum autem tam multis illic & morbo correptis iacerent, & è vita abirent, locus ille propter fœtorem intolerabilem, omnibus inspectantibus horrori erat; nec quisquam fere reperiri potuit, qui, quamuis magna proposita mercede, ægrotantibus illic inseruire vellet: ita fiebat, vt tum vel maxime locus ille, necessaria ministrorum opera destitutus esset, cum maior incumberet necessitas. Magister quidem & gubernator domus illius, Ioannes Landaronus erat vir optimus, multa benevolentia & charitate præditus, & quem nemo dubitaret virginem esse: & licet senio grauaretur, non cessabat tamen pro viribus præstare quicquid posset. Sed cum ignem pestiferum iam omnia vastantem cerneret, valde affligebatur; metuens idoneos ministros, neq; pecunia, licet larga esset manu, posse comparari, quod nemo non pestis contagionem vereri videt. Rogabat ergo Deum & beatissimam Virginem, domus eius conseruatricem, vt pauperibus ministri mitterentur.

CAPVT XI.

Bernardinus ipse peste laborantibus in hospitio illo ministrat, cum duodecim adolescentibus. XXXIII.

ITaq; piissimus Deus excitat Bernardini animum, qui iam fere vicesimum agebat ætatis annum; vt in illa piissima domo ægrorum & pauperum ministerium susciperet. Vt vidit enim summam necessitatem, maximo incitatus Zelo, pestiferam contagionem nihil metuens, imo vero etiam vltro mortis se offerre cupiens, modo posset Christo gratum exhibere in eius pauperibus seruitium: multis hebdomatibus ægris illic accuratissime & officiosissime ministrauit. Cernens autem ad tantam morbidorum multitudinem sufficere non posse tam paucos ministros, duodecim religiosos & pios adolescentes à se vocat: hortatur illos, velint vna cum ipso curare pauperes Christi; dicit, Eos qui pauperi seruiant ipsi Christo seruire; & si talis occasione decedant è vita, pro Christo eos mori, nihil vero homini Christiano debere esse antiquius & optatius, quam Christi causa vitam suam profundere; cum ille suam nostræ causa profuderit, deinde addit; Simus omnes fratres, Deus sua ope aderit nobis. Videtis fratres, ignem accensum esse: iam pene Orbis illo conflagrat, securis arbori admota est, falx messem solicitat: quid nobis de vita nostra prorogatione polliceri possumus? cum & alios quotidie videamus mori, & plerosq; etiam intimos sodales propemodum antequam exire è corpore, quam morbo correpti videantur? Nos si in his charitatis officiis obierimus, ad Dominum euolabimus. Sin autem superstites manserimus; quo ad victuri sumus semper lætabimur, nos à Deo nostro in eius pauperibus, hæc officia præstitisse, memores sententiæ illius. Nullum opus bonum, apud Deum sua carere mercede, vel irremuneratum abire. Siue igitur viuamus, siue moriamur: non possumus Deo seruiendo non lucrari.

XXXIV. **CAPVT XII.**

Morbidis illis officiosissime cum sociis famulatur, aduentantes alios benigne accipit.

HIs Bernardini persuasionibus allecti adolescentes, in eius mox sententiam iere: è quibus sane hodieq; nonnulli supersunt, cum q; essent confessi sua peccata, & sacram Eucharistiam sumpsissent, ita Bernardino consulente; iocundis animis, & magno feruore, curam ægrotorum cum Bernardino ipsorum Magistro & capite, suscipiunt. Porro hospitalis domus moderator, statim totius pene domus claues tradidit Bernardino, commisitq; ei munus, morbidos & peregrinos aduentantes curandi, & omnes fere Elemosynas distribuendi: adeo vt propemodum pro sua voluntate omnia disponeret ac dispensaret, perinde ac si ipse eius domus dominus esset. Eius autem & sociorum feruor & charitas, suo exemplo permultos alios ciues & adolescentes inuitauit ac permouit, ad seruiendum morbidis illis, licet non pauci ex illis è vita decederent. Itaq; Bernardinus charitate feruens, domum illam ita moderatus est, vt officia, ministeria, exercitia laborum vices, pro ratione loci, temporis, & personarum, oportune & congruenter distribuerit. Dabat vero operam, vt quod eius fieri posset, ipse semper omnibus coram adesset, Adstabat diu noctuq; ægrotantibus, pharmaca parabat, cibos pro singulorum qualitate porrigebat, sordes omnes in illis necessario ferendas, ipse ante omnes ita voluntate amouendas suscipiebat: non labore, non vigilijs, non intolerandis fœtoribus, non incommodis vllis frangebatur: sed ea semper alacritate, & spiritus viuacitate illis seruiebat, ac si vel parentes, vel fratres, aut filii eius essent, neq; id sane mirum: Cum enim Dei amor, horum omnium faciendorum ac perpetiendorum, præcipua ei esset ratio: Deo vtiq; seruiebat, qui Patre, fratre, liberis omnibus, potior nobis esse debet. Ægrotis ex animo condolebat: adeo vt etiam cum illis vna ploraret, interdum vero etiam rideret, caneret, blandiebatur; talemq; se illis exhibebat, quem admodum pro illorum consolatione expedire putabat. Nihil autem fere illius cavitati satis ad vota, ab aliis curatum videbatur, nisi omnia ipse vidisset, & contrectasset. Cum erant ex hac vita migraturi, Sacramenta vt illis porrigerentur effecit, vita functos vesperi sepulturæ mandabat. Peregrinis fere innumeris ad vesperam aduentantibus, cibos & lectos apparabat. Si lecti, alioqui multi, non sufficerent, sternebat humi pannos: ita vt nulli deesset commodus captandæ quieti locus, crebros quoq; excitabat ignes, & suffitus grati odoris spargebat, multum aceti in tota fere domo, vt corruptus aer, saltem aliqua ex parte corrigeretur, libentiusq; ministri suam operam agre affectis nauarent. Non est autem passus benignus Deus, vt inter tot labores, vigilias, incommoda infinita, Bernardinus vnquam aduersa laboraret valetudine: sed semper promptus, alacer, vigil, & indefessus, dictis & factis confirmabat tum ægros, tum illorum ministros.

CAPVT XIII.

Sanctus Bernardinus à febre conualescens, amicæ Bartholomeæ pijssimæ matronæ, toto anno decumbenti officiose deseruit. XXXV.

CVm iam autem mensibus quatuor, & eo amplius in ea domo sedulo ministrasset, pestisque sopita esset; domum se recipit. Ecce autem quemadmodum ipse Christum Dominum, in pauperibus eius, morbo laborantibus, sicut diximus; crebo visitarat; Ita Christus pius, & bonus Dominus rursus illum visitat. Nam vbi ab hospitali illa domo recessit; paulo post acerrima cœpit exerceri febre, idq; de improuiso, in ædibus nobilis viri Hildebrandini de Manetis, qui ei erat amore & benevolentia coniunctissimus, vbi sane ad menses quatuor decubuit, patientissime eam morbi molestiam, velpotius Domini Iesu Visitationem ferens, in qua hoc præcipuam ei molestiam adferebat, quod videret alios ipsi ministrantes molestia affici, licet illi promptissima charitate ei inseruirent, inter quos Tobia tanquam pia mater, & Iustina de Manetis matrona nobilis, ab eius latere fere nunquam recessere. Cum esset autem ea febre liberatus, non remisit studium pietatis & humanitatis, Amica eius Bartholomæa matrona venerabilis, vxor quondam nobilis viri Trogliardi de Ptolomæis, tam prope nonagenaria, & cæcitate, & neruorum dissolutione laborabat, nec ex lectulo surgere poterat. Hanc vt cognouit obitu cuiusdam pie socij sui, necessaria opera & ministerio destitutam; religiosa & delicatæ alioqui habitudinis iuuenis, statuit illi suis manibus necessaria officia impendere, id quod reipsa quoq; præstitit, nullaq; habita ratione earum rerum: quæ nauseam sibi & tædium adferre possent, tanquam parenti suæ, officiose illi in omnibus inseruit. In quo ministerio anno integro, & eo amplius versatus est, donec optima matrona persoluto naturæ debito migrauit ad cœlos. Fuit hæc Bartholomæa cum primis veneranda, spiritalis, & Deo deuota fœmina, quam etiam multi pro sancta habebant. Vixit longo tempore in sancti Augustini instituto & regula; ieiuniis, vigilijs, precibus, & suis corporis macerationibus vacans, Deoq; perpetim gratias agens. In sacris concionibus, cum audiret nomen Iesu exprimi, non potuit continere sese quin crebro illud mellitissimum nomen repeteret cum singultu, rauca voce, accentu stridulo. Quamuis autem esset sapientissima; attamen videbatur nonnunquam præ spiritus feruore quasi insanire; ad recordationem nominis Iesu, qui illi semper in corde, semper in ore erat; cui etiam sæpe in lecto tacens, laudes alta & clara voce promebat. Sunt plerique in ea sententia; quemadmodum lachrymis beatæ Monicæ Sanctus Augustinus conuersus est ad Dominum: ita huius à Deo benedictæ mulieris preces & lachrymas, quas multis annis pro Bernardino ipsi charissimo fudit; id diuinitus impetrasse, vt in via Dei magis ille proficeret, magisque confirmaretur. Hortabatur eum semper, vt Monasticum institutum complecteretur, præsertim Eremitarum sub Regula beati Augustini Christo militantium, in cœnobio valde Religioso, quod de Lereto vocant, in quo erant patres venerandi & spirituales. Porro Bernardinus eius admonitionibus illectus, cum illis religiosis vere libenter conuersabatur, placebantque ei vsque adeo mores illorum, & vitæ laudabilis, vt probabilis coniectura fuerit, eum monasticum habitum apud illos induturum fuisse, nisi illum retinuisset amor erga hanc Bartholomæam, quam, donec esset in humanis, dilexit vt matrem; nec eam deserere voluit.

CAPVT XIV.

Secum habitans vires suas probat, vt appatatus, monasticæ vitæ se consecret. D. Francisco nomen dare cogitans. XXXVI.

POstquam autem illa vita functa est; Bernardinus ad sanctorem vitandi rationem adspirans; cum necdum deliberasset quod genus monasticæ religionis potissimum diligeret, decreuit habitare secum: vt ita prudentius commodius & certius experi

experiretur ea, quæ oporteret non ignorari ab eo, qui Regularem, vt vocant, vel monasticam Deoque magis gratam vitam, esset amplexurus. Elegit autem domum quandam iuxta portam de Trisi, & in loco occulto sacellum exiguum sibi constituit, posuitque in eo altare, cum imagine Christi à cruce pendentis: ibi precibus, vigiliis, ieiuniis, flagellorum ictibus, cilicio aliisque pœnarum exercitiis, sese afficiens, tdque & crebrius, & seuerius quam antea consueuisset, asperatiùs mè vires exploranti suas, etiam vsque ea verbarum victum & aquæ potum sese periclitans. Lectiones eius, cum fere omnes studio haberet; in sacris libris deuotione plenis consumebatur; illis lætabatur, illas iam toto pectore complectebatur. Piorum hominum, quorum esset spiritalis conuersatio, plus solito consuetudine delectabatur; illorum inprimis, in quibus virtutum exempla relucebant. Interim sæpe animo pertractans, ad quod vitæ genus se potissimum conferre deberet, non raro toto corpore prostratus crucifixum Dominum rogauit, vt ipsi largiretur gratiam, viam, & vitam potiorem deligendi, quam eius benigno freretus fauore sectaretur. Puto autem planeq; mihi persuadeo, staetis respondisse crucifixum, Feli Bernardine; en tu ipse cernis hic me nudum à cruce suspensum. Si ergo amas me, & me imitari vis: assigaris & ipse nudus cruci tuæ sacrificus; me sequaris, meq; haud dubio inuenies. Atq; hoc illa intelligens, & sæpius expendens; cum aduerteret Christi crucifixi hoc longe optimum esse consilium, quo nullum aliud melius, nullum salubrius posset reperiri: illud toto pectore studuit in opus conferre. Cum autem Seraphicum illum Patrem Franciscum, Christi meditatem, paupertatem & crucem excellentissime sectatum non ignoraret; sub eodem beatissimo patre, Christo militare constituit.

CAP. XV.

XXXVII. Viso mirando ad Diui Francisci capessendum institutum diuinitus inuitatur.

SVb hæc autem mentis deliberatione adhuc posito, cum necdum certo perspiceret, quam vitam ingredi deberet: pissimus Saluator: qui confugientes ad se non deserit, sed ad salutarem deducit viam; post solitas preces serotinas, obdormienti hanc visionem obtulit. Videbatur sibi Bernardinus, apud fanum quendam extra vrbis muros, non longe à Patrum Franciscanorum cœnobio distantem, videre palatium quoddam valde elegans, & amplum, fenestris luculentum, in ipsoq; intus igneum aceruum, qui omnia fere palatii viscera inflammaret: perque fenestras omnis flammas erumpentes, vna duntaxat dempta fenestra, quæ solarium vno cubiculo seruata videbatur. Tum præterea, per fenestram illam videre sibi visus est, intus virum quendam Sancti Francisci habitu indutum: eumq; vt ignis præsens periculum deuitaret, ad fenestram accedentem, & ex illa præcipitare se volentem, porro ob ingens præcipitii discrimen, clamantem magna voce Francisco: sueq; secundo & tertio introeuertentem: versumq; ad fenestram venientem, & præcipito dare se volentem, sed præ timore minime ausum, clamantem; Francisce. Ad extremum vidit totum illud palatium ignibus absumptum, præter cubiculum, & fenestram illam, ad quam vir ille Franciscum inclamitans, saluus euasit. Hanc visionem secum pensitans Bernardinus, sic eam interpretatus est, quod Dominus ea id significare voluerit, posse ipsum beatissimi Patris Francisci ope subnixum, carnis, mundi, & dæmonis flammas euadere.

CAP. XVI.

XXXVIII. Consilio R. P. F. Ioannis Pistorii confirmatus Ordini Seraphico addicitur.

PEr id tempus fuit Senis quidam admodum R. Pater Franciscanus, Ioannes Pisturius, vitæ sanctitate illustris. Is iam ante, triginta annis in Bosna Prouincia aduersus hæreticos desudarat, è quibus multos conuerterat; sacra etiam Hierosolymorum loca viserat, & plenag; alia, non sine multa animi pietate, tamque grandæuus domum erat reuersus, fuitque institutus Coetus Franciscanorum Senensium. Multa enim pollebat sapientia, noueratque prudenter consulere; bonus erat odor famæ sanctitatis eius. Ad eum propere accessit Bernardinus, aperuit ei totum pectus suum: roganti omnia, vt ipsum ad suam sodalitatem admitteret. Lætabatur hic grandæuus Pater, & exultabat: quippe qui multa didicisset, de optimis moribus eius, cerneretque tironem Christi ætate iuuenem, robustum corpore, facie formosum; non mediocriter omni literatura instructum, fide integrum, spiritu feruentem: quibus etiam permotus non defuit precibus eius. At Bernardinus incredibili affectu hilaritate, totum se eius consilio & voluntati permisit: distraxitq; omnes opes suas contempsit generis nobilitatem, sanctaque armatus paupertate, nudus pro Christi amore, deuium Ægypti iter reliquit, & in sanctæ religionis eremum sese abdidit, cupiens cum Christo tollere crucem in humeros suos.

CAP VT XVII.

Ordinis Franciscani veste donatus, ad Fratres Obseruantes commigrat. XXXIX.

ACcepit autem ab eo quem diximus Patre, habitum Monasticum in cœnobio Senensi Franciscanorum, anno Domini M. ll. simo, quadringentesimo quarto, ætatis suæ vicesimo secundo; tota ciuitate Senensi multum inde ædificationis & admirationis capiente. Cum autem pater ille senex, vili eum habitu indueret, & horrida veste cingeret: diuinitus dicta prophetia, de illo coram omnibus dixit clara voce: Adiunctus est ad nos hodie strenuus & gnarus miles, qui multas comportabit fruges in horrea Domini; eritque Ordinis nostri decus & ornamentum. Non diu post sentiens Bernardinus se, illo in loco, non posse Deo tranquillo animo seruire conuenienter regulæ Sancti Francisci; quod homines sæculares quotidie eo aduentarent, & quædam alia causæ rationabiles ipsi suppeterent: ex concilio memoratis patris excessit è patria sua, eiusq; fretus benedictione ad eos obseruantes iocundissimo animo commigrauit, qui in Columbarii antiquo monasterio degebant, quod situm erat haud procul Senis, in obscuro nemore, ab omni mundi strepitu separatum: iis inprimis accommodum, qui vitæ vellent contemplationi deditam consectari, & Sancti Francisci institutum experiri. Morabantur illic sane viri admodum religiosi & Sancti, Deo nocte ac die seruientes: quales tunc rari valde erant in Italia, ob miserè collapsam eius Ordinis monasticam disciplinam.

CAPVT XVIII.

Mores illius in isto instituto, dura pœnitentia, & in Christi passionem affectus. XL.

IN eorum sodalitatem cupidissimè recepit Bernardinus, & cum illis carnem suam crucifixit cum vitiis, & concupiscentiis, virgis & flagellis asperis castigauit, summopere cõnitebatur perfectè exprimere visam Euangelicam; & propter Christum alienæ se submisit voluntati. Primo anno probationis, nihil prorsus habere voluit præter cucullum, subligaculum, & cingulum nodosum: adeoq; magnos habuit in virtutibus progressus, vt quamuis omnium postremus esset, ardentem tamen lucernam, & totius Sanctitatis speculum fratribus se exhiberet. Erat monastici Canonis obseruantissimus, moribus suis optimis & modestissimis; non mediocriter eo nomine charus fratribus vniuersis. Mirabantur illi pœnitentiam & asperitatem vitæ eius, singularem mansuetudinem, & erga omnes humilitatem. Nullum tam modestum, aut vile, & contemplabile fuit opus, quod Bernardinus suis manib. non libenter exequeretur. Inseruiebat ægrotis fratribus, ferebat suis humeris emendicatas panis & vini eleemosynas; nudis interim incedens pedibus, etiam longissimo itinere. In ædibus sacris instar Angeli se gerebat, laudans, cantans, & obsecrans Deum, sine tempore vllo, nocte ac die. Non solum seruabat iuuenia, quæ præscribit regula: sed quasdam iis addebat Quadragesimas alias: interdum solo pane & aqua in iis contentus, corpus suum vigiliis & flagellis edomans. Propter Dominum IESVM vir humilis cuilibet se morigerum & obsequentem prabebat: seipsum peccatorum omnium, qui in terris essent vilissimum, atque teterrimum existimabat.

mabat. Atq; ea causa, cum insinitis suspiriis, & gemitibus precabatur veniam, coram imagine crucifixi Saluatoris; magnas illigratias agens, quod ad hoc vitæ institutum, ipsum vocasset, in quo posset es tranquilla conscientia, firmaq; spe, & fiducia seruire. Christi passionem tam acerbe deplorabat, vt præ dolore moriturus videretur. Cum multa condolentia commemorabat eius vitam, peregrinationem, famem, sitim, æstus, frigora, vincula, flagella, contemptum, cruciatus. Valde mirabatur illum præ immenso amore pro nobis ferentem crucem, nudum, à cruce manibus pedibusque confixum misere pendentem, miserandum in modum vulneribus sæcium, & in tantis cruciamentis nostra causa morientem. Dolorisgladio confiebatur, cum secum reputaret, tristissimam illius matrem examine corpus eius excepisse in Sinum suum. Eiusmodi piis & salutaribus cogitationibus & meditationibus inflammabatur animus eius, ad ardua & corpori molesta ac dura exercitia, & opera amplectenda.

CAPVT XIX.

XLI. Pro stulto habitus, contemptum sui contemnit.

A Deo vero studiose in ea incumbebat opera, quæ mundo humilia & despicabilia videntur, seipsum plane contemnens & generis sui nobilitatem pro nihilo ducens: vt homines plebei, qui ante eum nouerant, non alio quam insani & stulti loco eum haberent, quo ille impensius lætabatur, sciens dictum ab Apostolo: Si quis videtur inter vos sapiens esse, in hoc sæculo stultus fiat, vt sit sapiens, sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Cum adhuc nouitius aliquando cum socio fratre iniisset Tobiam cognatam, & spiritualem matrem suam; quendam illic offendit consanguineum suum, molestissimè ferentem, quod factus esset Franciscanus, multaque ipsi conuitia & probra inferentem, & inter cætera sic dicentem: sperabamus nos te honeste in sæculo victurum, & secundam vxorem quandoq; ducturum, prolesq; ex ea elegantes procreaturum, nostramq; familiam opibus & honoribus aucturum: Equid vero aliud est cucullatus monachus, quam porcus saginarius, & qui sine curâ vlâ, otio, & desidia deditus, alieno laboribus se saginet? Audiebat hæc sedatissimo animo Vir sanctus, tandemq; ei respondit modeste de seipso vaticinans: Equidem fallacem hunc contemno mundum: cum omni fastu & pompâ eius: at nihilominus tantum ex me honoris accedet generi nostro, vt in hac vrbe, nulla vnquam familia exiterit, quæ cum nostra possit honore, sublimitate, & famæ celebritate comparari. Inde vale dicens cognatæ suæ, ad cœnobium rediit: magis expetens propter Deum ignominia affici, quam populi predicatione efferri.

CAPVT XX.

XLII. Eius exemplum patientiæ, profitetur Regulam S. Francisci die Natali B. Mariæ, & initiatur Sacerdotio.

EVnte illo quandoq; cum Fratre per plateas vrbis Senensis, petulantes pueri à tergo illudebant ei, in eius nudos calcaneos lapillos iactabant. Nudi enim ingrediebatur pedibus, & tunica non attingebat tibias, vt plus ex frigore molestiæ caperet. At ille ne semel quidem respiciens, nec quicquam omnino commotus, pergebat itinere suo, perinde ac si surdus ac insensibilis esset. Socius vero id indigne ferens: Non aduertis, inquit, quid isti insolentes pueri faciant? Respondit Vir sanctus: Faciant illi, quicquid libitum erit eis, materiam nobis exhibent, vnde sempiternæ gloriæ coronas nobis texamus. Dum enim affligunt nos, exercenda patientia nobis occasionem suppeditant, qua patientia possidemus animas nostras, & cœlorum regna promeremur. Anno autem probationis exacto, ipso Natiuitatis beatissimæ Mariæ solemni die, palam & solemniter professus est monasticam vitam, in manibus præfecti sui, quem Guardianum vocant: promittens se omnibus diebus vitæ suæ, ad præscriptum Regulæ Sancti Francisci, in obedientia, paupertate, & castitate victurum. Cœtus deinde fuit etiam sacerdotio initiari; primumque sacrum fecit in matris Dei natalitio die, tanquam eius legitimus capellanus; ac diuinos quotidie Missam celebrauit, cum multa animi deuotione & ardenti charitate. Mire enim diuino erat amore incensus, sitiebat mortalium omnium salutem: accurate secum pensitans, quare Deo posset in hac vita gratissimam operam nauare.

CAPVT XXI.

Grauem crucem extulit, conciones auspicaturus in Natiuitate Diuæ Mariæ Virginis. XLIII.

CVm autem sic secum ipse commemoraret, quanta hominum causa feciss Christus, quantopere eam incubuisset curam, vt homines à peccatis retraheret, per seipsum, per Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines: vt eorum bonis exemplis & institutionibus ad pœnitentiam, & vitæ emendationem incitarentur: grauem ille crucem in suos recepit humeros, vt omnium animas lucrifaceret, feruentiq; spiritu egressus è monasterio, ad propinquum castrum Arebus pauper accessit, populosq; prædicauit pœnitentiam, non subtilis sermonis curiositate, sed sancti Spiritus virtute, imitans beatissimum patrem suum Franciscum. At tamen præ eximia animi humilitate, nec ausus fuit absque superioris permissu, concionandi munus obire: nec etiam vt ipse id permitteretur expetere. Sed cum, non posset absconditi ciuitas supra montem posita. Superior eius, quem Ordinis Ministrum vocant: cognita eius excellenti sanctitate, insigni deuotione, præclara in diuinis litteris eruditione, concionandi prouinciam ei demandauit. Quam ille humiliter suscepit, non ignorans Deo pergratum esse, vt saluiferis sermonibus, ad eum miseros mortales reduceret, quos ab illo hostis tartareus ad omne genus flagitiorum, & admundi huius voluptates abstraxisset. Primam concionem suam habuit ipsis feriis Natiuitatis præbeatissimæ Virginis in honorem illius sub primo Sacrificio suo.

CAPVT XXII.

Vocis eius exilitas igneo globulo reparatur ad vocalitatem. XLIV.

CVm autem experientia didicisset, execrabilem Satanam multos sibi tendere laqueos, quibus in sagenam suam adduceret, nisi multa vteretur vigilantia, & circumspectione, egregie aduersus eius insidias sese communiuit, cum Apostolo, castigans corpus suum: nec aliquid de vitæ suæ asperitate remittens, ne alios prædicans ipse reprobus efficeretur. Non deerant tum, qui à suscepto hoc concionandi salutari studio & opere illum reuocare niterentur, propter corporis eius tenerstudinem, quæ non sineret eum ad loca diuersa profisci; item vocis raucedinem, quæ procul audire non posset; & ille quidem propemodum iis assensurus videbatur, nisi conscientia reclamasset, cui obluctari non debuit: valde enim absurdum, & ab omni ratione alienum fuisset: si peruenit mundo Dei verbum subtrahere voluisset. Interim animi dubius quid potissimum sequeretur, ad Deum confugit: sublatisq; in cœlum oculis, obnixe eum rogauit, siquidem gratum sibi foret, vt in concionandi functione permaneret, vt propter sanctissimæ Matris suæ merita sanaret vitium gutturis ipsius, quod voci eius magnum afferebat impedimentum. Quando autem facile à Deo obtineri potest, quod ab illo præordinatum est; & vt Diuus Gregorius ait, Diuina prouidentia sic constituit, vt electi Dei amici precibus impetrent, quod ille ab initio decreuit. Deus ob interceßionem matris suæ, insigni miraculo è gutture eius depulit vitium illud, immisso in gutture ignito globulo, quo linguæ raucedo excocta & curata fuit.

CAPVT XXIII.

XLV. Inuidus humanæ salutis dæmon, Bernardini tentat expugnare castitatem per mulierem, quam verberibus emendat.

INde vero tanto animi studio, nouum ille concionandi munus exercere cœpit, vt nulla ratione satis id explicari possit. Amabat ille summopere corporis castimoniam & integritatem, id quod fine insano liuore serpens tortuosus ferre non potuit. Erant tum Senis duo honesti coniuges, qui illum mire diligebant. Sensit hoc tartareus impostor: & alterius, id est, fœminæ amorem corripuit, vt sanctum virum libidinose diligeret. Ait enim Sanctus Bernardinus, nullum in hac vita reperiri, etiamsi eximia sit sanctitate & perfectione, cui non impuræ quædam cogitationes incidant: sed nostri arbitrii est, vel respuere vel assentiri. Cum ergo Bernardinus quandoque panis emendandi causa exisset, hæc fœmina illum ad se accersiuit: eoque ingresso fores clausit, & ait. Nisi re commodes iam voluntati meæ, equidem insigni te ignominia afficiam, dicamq; te mihi vim afferre voluisse. Tum Bernardinus in eas se angustias coniectum cernens, tota animi deuotione intra se rogabat Dominum, vt in tam præsenti periculo ipsi non deesset: facinus enim illud valde execrabatur. Non neglexit Deus preces serui sui, suggessit mox consilium vt diceret mulieri; si vellet ita fieri, ve se vestibus mudaret. Dixit hoc ille, nec mulier distulit. Interim profert ille flagellum quod apud se habebat: apprehensamque fortiter fœminam, egregie cædere cœpit: nec destitit, donec ardor libidinis in ea exinctus est. Ea causa impensius deinceps mulier amauit sanctum virum, itemque maritus eius, vbi id comperit rem ab eo gestam.

CAPVT XXIV.

XLVI. Cœnobium ædificauit prope à Senis, vbi Guardianus suis præluxit bonis exemplis.

POstea Bernardinus, à præfecto domus hospitalis Sancti Honofrii (quod est extra muros Senarum) petiit locum aliquem sibi donari, in quo pro se, & fratribus suis partiam habitationem extrueret. Concessit ille, de Pontificis maximi, & domus hospitalis consensu, locum Bernardino, vbi is monasterium condidit, quod vsq; in præsens illic cernitur, commoda structura cum eleganti templo, & aliis ædificiis. Huius cœnobii primus ipse Guardianus siue præfectus fuit gnauiter portans onera die ac nocte, potiusq; in se recipiens quam alium transferens labores. Apportabat ligna, lapides, calcem: nihil parcens teneró corpusculo suo. Libens quoq; exibat ad petendas eleemosynas. Quando domi erat, semper cum fratribus ad templum accessit, iis horis quibus diuina officia peragebantur. Quod si adeo esset occupatus, vt iis adesse non posset, preces Canonicas cum socio fratre admodum reuerenter & deuote persoluebat. Crebro totas noctes duxit insomnes, in secreta quædam loca sese abdens, atq; illic vacans deuotioni suæ. Perpetuo aut legendo, aut orando, aut diuina contemplando occupatus erat. Sæpe pugnis suum tundebat pectus, vilem peccatorem se pronuncians. Dire cruciabat corpus suum, & humum lachrymis madefaciebat: vt peccatoribus Deum propitium efficeret. Non raro attentissime, & summo animi dolore, contemplans Christi ignominiosam mortem, pretiosumque sanguinem fusum pro nobis, in crucis formam se humi extendebat, vt cum Christo foris & intus sese crucifigeret. In adhortationibus suis publicis q; concionibus, magno semper studio excitabat Auditores, vt se gratos exhiberent passioni, & morti Saluatoris, deuotionemq; & reuerentiam præstarent sanctissimo nomini Iesu, quod est super omne nomen, & in quo omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, neq; aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri.

CAPVT XXXV.

Gratia prædicandi verbum Dei, toto orbe celeberrimus euasit, quam Deus miraculis confirmauit. XLVII.

PRæpotens Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, *in viro hoc, & per virum hunc, dum in terris inter homines versaretur, mira operatus est, & admirandum in modum ad vitæ cœlestis gaudia degustanda, eum sustulit.* Cum enim concionandi onus iam susceptum prosequi cœpisset: tanto animi feruore & studio conciones habuit, vt nomen eius non solum in Italia, sed toto etiam orbe celebraretur: tam ille efficacibus & grauibus vtebatur verbis, vt facile posset animaduerti, spiritum Dei loqui per os eius. Conciones suas solebat in 3. aut 4. distribuere partes. Peroptabant aiit singuli eius habere conciones, & beatiores se existimabant, si daretur copia eas describendi. Libelli eius, per regiones omnes spargebantur, per Hispaniam, Galliam, Angliam, Hibernam Scotiam, Germaniam, Hungariam, Cyprum, Asiam, Graciam, per Orientem quoq; & exteros populos, qui acumen ingenii, intellectus perspicacitatem, sensus sublimes, & vitæ eius sanctitatem non mediocriter admirabantur. Vbiuis locorum eius fiebat mentio, & se longe lateq; diffuderat fama eius, quam Dominus præclaris miraculis confirmabat.

CAPVT XXVI.

Illius ævo perditi mores Italiæ, Guelphorum & Gibellorum dissidia, schisma in Ecclesia. XLVIII.

ITa ille S. Spiritus profusus rore feruentissimus Dei præco factus est, in Italia, & Gallia Cisalpina, in noue lucis euectus monte. Cernens autem multam esse messem, sed proh dolor, operarios paucos: Vrbes, Castella, & pagos omnes peragrauit, annuncians pigris & desidiosis mortalibus sanctissimum nomen Iesu, quod nomen vas electionis Paulus portauit coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel: vt per hoc salutiferum nomen, à Deo gratiam impetrarent; & misericordiam, quo per veram pœnitentiam corrigerent malam vitam suam. Ea tempestate tota Italia iam plane iacebat obruta vitiis & flagitiis, oblita piarum adhortationum, quas olim acceperat. Omnes in id toto incumbebant pectore, vt possent multas sibi coaceruare opes. Nulla cernebatur deuotio in religiosis & Ecclesiasticis: nulla fides in plebeis, nulla misericordia, modestia, & disciplina morum nulla. Iactabant alii in alios maledicta, obstinatis animis odio & liuore se inuicem prosequebantur, in duas factiones distracti. Interclusa erant itinera à latronibus, mare infestum piratis habebant. Guelphorum & Gibellinorum immodica insolentia passim adeo sæuiebat, & grassabatur, vt fraterno sanguine plateæ maderent. Ecquid vero possit atrocius commemorari? Parentes suas iugulabant proles: lætabatur q; se illos qui diuerse essent factionis laqueo præfocasse. Tanta existebat infidelitas & impietas: vt instar Ethnicorum plus deferrent temporis, quo essent structuri domos, quam Dei præceptis obseruandis. Mundus erat veneficiis & incantationibus, damnataque curiositate futura cognoscendi & sanandi morbos. Quæ si quis reprehendere voluisset, misere conspuebatur & irridebatur. Raro festis diebus ibatur in templum, vt Missa audiretur. Nemo verebatur leges, quibus alearum ludus interdicitur, properabant omnes ad loca illa, vbi alearum feruebant iactus. Interuocsi non poterant dies professi, vel operarii à festis: quod festis diebus plures irrent per plateas ociti abundi & vegabundi. Omnibus hu malis, magnam ansam multaq; fomentæ præbebat schisma, quod tum in S. Ecclesia ad annos 40. duraurat.

CAPVT XXVII.

Corrigendis Italiæ vitiis vbiq; concionatur, magno feruore, magno hominum concursu.

HÆc autem conspiciens S. Bernardinus, valde miserabatur pereuntis mundi pericula, itaq; fiducia sua in Deo collocata, ibat per regiones & Ciuitates, annunciabat hominibus virtutes & vitia, XLIX.

& vitia, gloriam & pœnas sempiternas. Tanta autem diuinæ gratiæ largitate perfundebatur, vt diligeretur ab omnibus & honoraretur, & cum multa reuerentia excipereturr & auscultaretur haud secus, atque quidem Christi Iesu Apostolus. Tantus hominum cœtus ad eum audiendum conflucre solebat, vt summo mane ad concionis locum properarent: quo commodum sibi possent locum vendicare, quod q; eo maius est, nonnunquam aduentabant complures à triginta milliaribus, incredibili desiderio incensi, audiendi conciones eius. Quotidie vero ante concionem, cum multa deuotione missam celebrabat, animo in Deum subleuato. Properabant omnes & sacris initiati & laici, ex pagis & oppidis, vt eum audirent concionantem: sperabantq; sancti Spiritus gratiam in ipsos descensuram, vt olim in Apostolos & credentes. Neq; id sane mirum. quando ille præco Dei admirabilis, sancti Spiritus vasius gratia, adhortabatur sussurabundos auditores ingenti voce; vt agerent pœnitentiam, Deumq; iratum ieiuniis & lachrymis sibi conciliarent. Verba eius & suauia erant & efficacia, instar radiorum igneorum penetrabilia, corda omnium ipsum audientium emollientia, omnemq; animorum duritiam conterentia. Vox eius admodum sonora & clara fuit: ita vt & prope & procul posset distincte percipi. Sermones illius haudquaquam inanes erant, aut mundani, vel mendaces & ridiculi: sed diuina pleni fœcunditate, quibus lapidea quauis pectora colliquescerent, atq; emollirentur ad agendam cum acerba animi contritione veram pœnitentiam; pii vero omnes diuino amore inflammarentur. Penetrabat enim spiritus eius mortalium omnium intimos pectorum recessus.

CAPVT XXVIII.

L. Multi concionibus eius à peccatis auersi, pœnitentes se corrigunt.

HInc fiebat, vt sua peccata cum multa contritione confiterentur, digneq; & reuerenter perciperent Sacrosanctam Eucharistiam, qui multo tempore nunquam ad sacram communionem accesserant. In summa: dicendo nemo consequi possit, qui fructus ex iis beati Viri concionibus enati sint, apud homines Christianos. Nec facile scripto comprehendi queat, quos vrbes, Respublicas, & homines odio & liuore prorsus obduratos, ad pacem, tranquillitatem, & concordiam reduxerit: quot petulantes adolescentes; & lasciuas fœminas, è fœdissimis carnis voluptatibus, quibus computruerant, ad honestum & castam viuendi rationem reuocarit. Iubebat vt festos dies, quibus solebant vacare manuum laboribus; ad Canonum præscriptionem obseruarent. Docebat populum, vt sacras ædes & sacerdotes in iis ministrantes venerarentur. Multas honestas sed inopes puellas curauit matrimonio tradendas: apud locupletes à se conuersos id efficiens, vt bona dote afficerentur. Videre licebat inueteratas inimicitias, ad mutuam consensionem & beneuolentiam redigi, quod alioqui incredibile videbatur, vlla via, vel consilio quenquam consequi posse. Cernere erat fœminas pias & Deo deuotas, mundi pompis & vanitatibus hactenus deditas, ponere torques & catenas aureas, abicere specula & vnguenta, negligere capillorum compositionem, respuere ornamenta, quibus antea ceu lasciuiæ & impudicæ mulieres pernicioissime in sui damnationem abusæ fuerant. Instrumentum omnium ludorum petitorum, tabulas lusorias, taxillos, larvas, & id genus alias mundi vanitates maximo numero ad sanctum Virum adducebant, vt faceret illis pro suo arbitratu. Ille vero in foro, igne structo, ea omnia combussit, Fœminas in lupanaribus flagitiose viuentes, ad pœnitentiam sui sermonibus permouit: quibus ad contrahenda matrimonia è communi ærario dotes liberaliter tribuebantur. Vsurarii, piratæ & latrones ad meliorem frugem se recipientes, agebant pœnitentiam, restituebantq; male parta, quorum summa nonnumquam excedebat mille aureos ducatos.

CAPVT XXIX.

Multis Monasticæ dediris, extruuntur cœnobia, instituto de obseruantia increscente. LI.

A Deo tum princeps mundi huius extrudebatur è regno suo, & Christiana religio exaltabatur. Condebantur xenodochia, defendebantur viduæ & pupilli: res omnes præter ius fasq; conquisitæ restituebantur. Multi viri & fœminæ, contemto mundo & fallaciis eius, abiectisq; non paruis facultatibus suis, crucem pœnitentiæ complectebantur, in pauperate & diuersis monasticis instituti: Domino seruientes. Multa quoq; noua extruebantur monasteria, collapsa instaurabantur, tum intus, tum foris. Quis vero certum ponit inire numerum, partim nobilium & præclarorum adolescentum, partim matura ætate & barbatorum virorum, qui se in cœnobia receperunt, vitam sectaturi religiosam, vt Deo fideliorem possent exhibere famulatum? Franciscanorum sanè ab ipsis fundamentis non pauca, eaq; elegantia condebantur cœnobia, in quibus Regula Sancti Francisci, sub Bernardino obseruaretur. Quæ quidem obseruantia, ex eius odorifera sanctitate vsq; adeo magna illo viuente accreuit incrementa, vt viginti parua monasteria, in quibus tota Italia plus minus centum viginti fratres morabantur, cum hac Obseruantia sub Bernardini primo monasticæ vitæ initiis instaurata est, sub finem vitæ eius in tantum aucta fuerint, vt crescentia numerarentur cœnobia, & in iis fratres amplius quinquies mille, præter illos qui illo superstite decesserant è vita, in sola Italia, quorum non erat minor numerus. Quod si vero ea quoq; commemorare velim monasteria, quæ Reges, Principes, & alii potentes viri, toto orbe pro Fratribus Obseruantibus exædificanda curarunt: in quibus erat copiosissimus Fratrum numerus, rem aggressurus sum, quæ forte vires superet. Habitant enim Obseruantes Fratres, non solum apud Christianos, sed etiam inter barbaros & infideles canes, Orbem vniuersum lucidis exemplis suis illustrantes. Atq; hinc perspicuum fit, completum patriarchium Reuerendi patris illius, qui Bernardinum monastico habitu induit, quando ait, ingentes eum fructus in Sancta Ecclesia allaturum. Surrexit enim tanquam alter Elias, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, torpentia corda diuino inflammans amore, vt peccatorum omnium remissionem consequerentur, & Christi vitam & doctrinam imitarentur. Elegit eum Dominus, populoq; exemplum proposuit, & signum conspicuum, in quod intenderent, cuiq; se imitando conformarent.

CAPVT XXX.

Factus terræ sanctæ Commissarius, suum institutum valde promouit. Iesu nomen pictum à concione populo adorandum ostendens, grauem passus est calumniam. LII.

CVm autem Hierosolymam missus fuisset Vir sanctus: factus est eius loci, vt etiam in Bethleem Guardianus, & Terræ Sanctæ Commissarius. Eo vero tempore, quo fuit Prouincialis Vicarius Tusciæ; multa reformauit cœnobia, nouaq; instituit, tota Italia fratrum augens numerum, conciombus & optimis moribus suis. Sub eius Visitatione quædam constructa fuere Sanctæ Clarae monasteria prima Regula, multaq; alia secunda: quæ antea ceu indomitæ viuerant sanctimonialis, eius cura reformatæ sunt. Quando è Tuscia professus fuit, vt verbum Dei prædicaret Venetiis, in ditione Mediolanensi, Genuæ, Veronæ, Mantuæ, Placentiæ, Parmæ, & in toto Ducatu Ferrariensi, aliisq; locis, passim in vrbibus condebantur [illegible] Fratrum de Obseruantia monasteria, totoq; orbe mire propagati fuere Sancti Francisci tres Ordines, siue tria instituta. Et si autem probe ille eruditus erat omni sæculari scientia. Philosophia morali, & Iuris cognitione: erat tamen vltra modum illustrabatur diuina sapientia lumine: ita vt quæstiones & argumenta omnia sapientissime dissoluere, prudenter exponere, & intelligentia comprehendere posset. Quando autem hominum malignorum sæua importunitas, numquam otiosa est, sed edaci percita liuore, inno-

centibus comparat laqueos & insidias, & dentecanino rodit illos; contigit aliquando Bernardinum, cum multo spiritus feruore, habere sermonem apud populum, multosq; eo sermone conuerti, quæ lætabatur ille non minimum. Deum laudans pro gratia illius. Solebat autem sub finem concionum suarum populo tabellam spectandam proponere, idq; in primis religiose ac pie, in qua pictum erat dulcissimum nomen Iesu litteris aureis, solis radiis vndiq; cinctis: porro populus id sacratissimum nomen flexis genibus deuotissime adorabat. Id vero conspicati quidam æmuli eius, diuino honori & saluti animarum inuidentes, malitia deprauati & peruersi, quotidie ad eius conciones veniebant, acti & incitati nequitia & malignitate sua: vt quippiam ex eius ore raperent, Vnde eipossent accusationem struere, & apud summum Pontificem falso illum deferre. Annotarunt autem per calumniam falsos quasdam sententias, quas ab illo è suggestu prolatas fingebant, de suauissimo nomine Iesu, secus quam habeat fides Catholica. Adiungebant in falsa quadam commenta, vel interpretationes, vt coram Pontifice in hæresis crimen eum vocarent: quod quidem etiam factum ab illis est coram Martino Quinto, adhibitis ad sua commenta etiam malignis & falsis testibus quibusdam. Atq; ea causa statim accersitus est à Pontifice Bernardinus: neque nihil cunctatus, cum multo populo Viterbio profectus est Romam. Vbi mox ad Pontificis pedes humiliter se abiecit plenus multa erga Deum fiducia. Pontifex autem acriter in eum inuectus, ait: si quidem res sic se haberent, vt de illo relatum sit, non eum impunè lætarum: sed bene acriter castigatum illum iri, tanquam temerarium Ecclesiasten, & pestifera hæresis propagatorem. Interdixit quoq; illis sacris canonibus; & ne nomen Iesu populo ostentaret, donec re examinata certi aliquid compertum esset. Interea multi docti Viri & Sacræ Theologiæ Magistri, in omnes libros eius, quos ex diuinis litteris collegerat, accurate inquisierunt: num quæ in iis latent hæreses nosse cupientes. Alii quidem Franciscani Doctores Theologi, acutis disputationibus Bernardinum tuebantur; sed ille tam immensam iniuriam, causa amoris Christi, patientissime tolerabat. Cum autem in scriptis eius nulla posset reperiri hæresis; Pontifex probe animaduertens, omnem illam accusationem, odio & liuore in Bernardinum comparatam: quippe qui in verbis suis inculpatus & verax deprehensus esset, illum ad se accitit, & postquam ad quæstiones omnes audiuit humiliter respondentem, copiosissima eum impertiit benedictione sua: auctoritateq; Pontificia clementer ei copiam fecit, libere prædicandi circumquaque verbum Dei, dulcissimumque nomen Iesu populis ostentandi, & palam gestandi. Atque ille post hæc mansit aliquamdiu Romæ prædicans, & non mediocres in populo fructus producens. Æmuli vero eius, qui eum conati erant in discrimen capitis vocare, cum magno dedecore inde abierunt: & qui præcipuus inter illos erat, Dei iudicio subitanea & improuisa morte extinctus est.

CAPVT XXXI.

LIII. **Iesu nomen illustratum sole pro lusoriis tabulis pingere docuit, omnibus gratum, fructuosum artifici.**

VEnit quandoque Bernardinus, in oppidum quoddam, vidit que hominem tabulas lusorias conficientem. Scisciabatur igitur ex eo, cælleret ne aliam artem, qua sibi victum pararet: illo negante, ait ad eum. Si vis facere quod dicturus sum, habebis vnde te sustentes. Ego vero, inquit ille, faciam equidem ac lubens. Tum Bernardinus, circino expressit circulum; atq; in eo nomen Iesu pinxit, solaq; circumdatum: deinde ait ad virum, Tu fac similiter fili; & habebis res vitæ degendæ necessarias. Fecit ille, & Deo fauente, populus magno cœpit studio complecti id genus nomina Iesu: plusque inde lucri accesit homini, quam ex damnatis illis tabulis lusoriis.

CAPVT XXXII.

Irreprehensibilis vitæ, fecit prius quæ docuit, cupiens omnes saluos fieri, tempus occupans fructuosissime. LIV.

DIligenter sane; Bernardinus animo suo affixerat salutarem illam doctrinam, quam Apostolus Timotheo discipulo suo proposuit, scribens in hac verba: Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Itaq; dedit operam, vt ipse quoq; sic faceret. Pulchre autem vita eius cum doctrina consentiebat: & è diuerso, verba eius vitæ adstipulabantur. Nemo vnquam vllum ex eo potuit capere offendiculum, neq; aliter docebat ore, quam ipso opere præstaret. Christi institutionibus conuenienter se gerens, de quo scriptum est. Cœpit Iesus facere & docere. Nouerat ille omni hominum generi & conditioni suos accommodare sermones, & dicere singulis quæ ipsorum saluti conducerent. Optabat enim ille homo Dei, iuuenes & senes, locupletes & inopes, reuocare à peccatis, & ad salutis æternæ veram semitam perducere. Ea causa tam fuit celebre toto orbe nomen eius, ita vt nemo non cuperet audire eum, & obtemperare illi, eiusq; consilium expetere: Amabant eum omnes & venerabantur, tollebantq; supra sydera, tanta cum reuerentia sermones eius excipientes, ac si diuina essent oracula. Et ille quidem in vinea Domini strenue laborans, studebat prodesse omnibus, tempusq; suum cum multo lucro pie ac sancte traducere. Inde fiebat, vt semper quippiam boni actitaret, nunquam otio se dedisset: sed vel componeret sermones, vel libros scriberet, quoties ei licebat esse soli. Eam obrem post absolutas nocturnas preces, quas Matutinas vocant: non solebat somnum capere, tametsi vt plurimum primus ante omnes ad illas preces accedebat. Post gallicinium cum sancto Petro lugebat peccata hominum: & mane orto sole cum Magdalena quærebat resurgentem è sepulchro Saluatorem. Quotidie vna hora sua vacabat deuotioni, atq; interim nulli patebat ad eum accessus; nec Regi, nec Principi, nec vlli quantumuis potenti dynastæ: sed cogebantur expectare omnes, donec satisfecisset deuotioni sua. Inde sumebat corpori necessaria: iis perceptis omnium expectationi satisfaciebat. Est hodieq; Senis bibliotheca arctius custodita, in qua seruantur codices, quorum magnam partem Bernardinus intra duos aut tres annos, sua conscripsit manu; vnde potest animaduerti, quam diligens & sedulus ille fuerit.

CAPVT XXXIII.

Humilitas virtutum decus ei cordi & curæ fuit. LV.

HVmilitas omnium virtutum decus & ornamentum, spiritalisq; structuræ firmum fundamentum, lapisq; angularis Deo nos coniungens, adeo sibi Bernardinum deuinxerat, suoque seruitio subdiderat, vt de seipso prorsus nihil sentiret; sed plane se contemneret, atq; odio haberet. Mores eius actus & verba omnino simplicis, & humilia erant: omnibus se gratia & virtutibus inferiorem existimabat. Non sua nitebatur sapientia; sed semper petebat consilium, etiam ab illis, qui eo inferiores erant. Nullum præferebat suo incessu animi tumorem, aut turgidum pectus: non tollebat in sublime oculos, non iactabat eruditionem & nobilitatem suam: sed ibat mature submisso capite, eaq; simplicitate & comitate, ac si rudis & imperitus quispiam esset, vasque inane parum gratia, nihilque scientia continens; & talis quidem habebatur ab iis, qui eum non norant. Tam vero erat sermone potens & efficax, tam natura patiens; vt flagitia palam admodum seuere reprehenderet: sed cum esse priuatim, neminem nisi blanditer & comiter obiurgare vellet. Et si autem multa eius humanitas, & humilitas omnibus perspecta erat, magis tamen innotuit eo illustri, quod iam referemus, miraculo.

CAPVT XXXIV.

LVI. **Concionaturus Mantuæ cum ei negaretur nauigium, substrato pallio vectus, traiecit aquam cum socio.**

EXierat quandoque vir Sanctus cum fratre, vt Mantuæ concionaretur, transmittenda autem ei erat aqua, vrbem illam attingens, rogauit nautam quendam, vt causa Dei ipsum traduceret. Nauta mercedem à Deo expectandam negligens, naulum exegit, exiguas illum latentes sub cucullo habere loculos nummis refertos, vt quidem solebant ex illis quos Conuentuales vocant. Bernardinus ait se Dei amore facultates suas omnes contempsisse: iterumque orat, vt pro Dei amore ipsum cum socio transueheret, eadem hora in vrbs illa concionem habiturum. Recusat nauta, & dicit. Etiamsi omittenda tibi concio sit, ego te in nauim meam non recipiam, nisi naulo persoluto. Sentiens vir Dei non posse se hac via trahere in vrbem: bene confidens in Domino, qui humiles & tenentes se custodit, qui imperat ventis & aquis, qui sedare nouit tempestates omnes, & super mare graditur; sic compellat socium suum: Frater mi, satis ne fidis Domino? Respondet ille: Plane pater & Bernardine potes, inquit, imitari quod me facere videris: Illo dicente se posse: Bernardinus Pallium suum expandit super aquis, primæque ipse caligat illud, socius sequitur: atque ita ambo flexis genibus, oculis & manibus in cœlum sublatis, diuinam iugiter implorantes opem, in alteram aquarum partem, sine vllo metu & cura incolumes euasere, cum nauis nec dum medium esset emensa spatium: Cernentes id tum qui in naui erant, tum qui stabant in littore, alta voce pariter implorabant Dei misericordiam, tam insigni miraculo obstupefacti. Postquam autem terram attigit Bernardinus, nulla visus est aspersus aqua, nec pallium madefactum fuit. Hoc miraculum, dictum fuit à quodam sene presbytero, cui in iuuentute sua cum Bernardino magna intercesserat consuetudo & familiaritas: qui eum suis oculis; ita vt diximus, viderat aquas transsilientem.

CAPVT XXXV.

LVII. **Oblatas trium Episcopatuum dignitates recusauit.**

FAma autem virtutum eius magis magisque sese in regiones omnes diffundente; tres celeberrimæ Italiæ ciuitates, eum sibi Episcopum omnino petierunt, Senæ, Ienuæ, & Vrbinum; non mediocriter eo nomine instantes apud Eugenium eius nominis Quartum Pontificem. Sed Christi Seruus, qui temporalia omnia & ambitionem omnem, eius amore respuebat, malens cum pauperibus penuria in perpeti, quam cum multa iocunditate & dignitate inter opulentos Antistites, & optimates sferri & honorari: vt posset maiori fide redire Deo vota sua, & quæ illi debebat; apud Pontificem Eugenium, quanta potuit maxima cura, humilitate, studio se excusauit, plane imdoneum se existimans & asserens, qui tot curis obnoxiam susciperet functionem: ostendens etiam multo Deo gratiora esse toto orbe homines ad eum conuertere, quam intra vnius Episcopi Diœcesim prædicare, denique adiungens, se hac ratione frustratum iri lucris suis, & animas hominum salute sua. Iussante autem Pontifice, & compellere eum volente, mitramque suis manibus in eius caput imponente: vir Sanctus summa contentione rogauit eum, ne sineret hac occasione se impediri à concionandi munere, & multis Domino animabus lucrandis. Eius verbis valde ædificatus Pontifex, eum à se dimisit.

CAPVT XXXVI.

LVIII. **Sanctus Bernardinus ardens pruna & incendens, non carbo. Humilitas ad perfectum ducit.**

INterrogatus aliquando sciit Franciscanus quidam egregie doctus, & celebris Ecclesiastes: Quid causæ esset, cur non eam sermones eius vim & energiam haberent in populo, quam Bernardini, quem ipse doctrina & eloquentia superaret? Respondit ille: Ego comparari possum carboni calido, sed non ignito: cui si alii carbones apponantur ignem non concipiunt. At Bernardinus similis est carboni ardenti, diuino inflammatus spiritu: cui carboni si alii frigidi admoueantur, ignem ab illo colligent & intalescent. Rogauit quandoque religiosus quidam Bernardinum, quo pacto viram spiritualem ad felicem posset exitum perducere, & promouere, semper maiora virtutum capiendo incrementa. Ei autem Bernardinus illico sic respondit: vt se coram illo pronum humi prosterneret, hoc ipso id significare volens, si vellet ad fastigium, & perfectionem vitæ spiritualis pertingere, necessaria collocandum esse in vera solitudine & firmum sanctæ humilitatis fundamentum. Eiusmodi sermonibus, solebat ille vnicuique admodum benigne & placide satisfacere, pro cuiusque desiderio, Christi parvulos salutissimis pascens exhortationibus: vt solent matres nutrire infantes suos lacte vberum suorum.

CAPVT XXXVII.

Concionator is fructificat, qui Deum in omnibus spectat. LIX.

FRater quidam scisciebatur ex eo, quâ ratione consequi posset, vt apud populum eius fructuosæ essent conciones, multasq; Domino animas lucrifaceret. Cui Bernardinus. Ante omnia, inquit, opera tua, quæras regnum Dei, & gloriam eius, cunctosque actus tuos ad eius referas laudem & honorem, in fraterna dilectione perseuerans, priusque factas opere, quod populum docere vis. Ita fiet vt Spiritus Sanctus doceat te intus omnem veritatem, quæ tibi & populo sit necessaria, detque tibi os & sermonem, cui non possint resistere aduersarii tui. Hoc salutare consilium vir Sanctus in scripto expresserat: vti potest aduerti ex supradictis & post dicendis.

CAPVT XXXVIII.

Ignarum idiomatis Græci concionantem in Concilio Bernardinum Græci intellexerunt. LX.

QVemadmodum autem Spiritus Sanctus dona sua spiritualia ei inuisibiliter infuderit, eiq; illapsus igneo ardore suo, linguam eius facundam, & disertam reddiderit: miraculum subiectum luculenter demonstrabit. Volebat ille in Ecclesiæ Concilio Generali Græcos, qui ei intererant, veram salutis & veritatis viam docere: sed magno animi dolore cruciabatur, quod illorum non calleret idioma. Secum autem cogitans, admiranda Dei opera, vt ille suis Apostolis contulerit, vt possent omnium gentium linguis loqui: obnixe rogabat eum, largiretur Græcis intelligentiam eorum quæ dicturus esset ad illos. Mox ferenti spiritu, multa in Deum fiducia fretus, ascendit suggestum; Græceque concionatus est de Catholica fide Græcos summo studio erudiens: ita vt mirarentur omnes, dicerentque eum non minus probe nosse Græce, quam si in Græcia natus esset, sed Deus mouebat linguam eius, & loquebatur per eum. Cum enim à suggestu descendisset; & omnes laudarent eius Græce dicendi facultatem & copiam: ille soli Deo honorem omnem tribuens, mansit expers Græcæ linguæ, vt ante fuerat.

CAPVT XXXIX.

Pecuniam spernit Ducis Mediolanensis, qua tandem obæratos exemit carceri. LXI.

OMnes mundi huius opes plane pro nihilo putabat. Si ei testamento legatæ essent magnæ Eleemosynæ, quibus cœnobia sua extrueret: pecuniam eiusmodi nec aspicere, nec contrectare, nec conseruare volebat. Concionabatur aliquando Mediolani præsente Duce, in eiusque arrogantiam seuere admodum inuehebatur: quod eius litera ita acciperentur, vt propemodum diuinus quidam cultus ei impendi videretur. Hortabatur autem populum vt mundum, & eius inanem gloriam nihili penderet. Dux vero id sentiens, grauissime in illum commoueri cœpit: atque nisi ab eiusmodi sermonibus abstineret, se omnis supplicii genere excruciaturum illum è medio sublaturum.

At Bernardinus ea re mirifice exhilaratus retulit ad populum, quid Princeps ipsi minatus esset, orauitque ne ipsum defendendum susciperent; paratum se dicens ad perferendum pro veritate Martyrium, rursusque palam illum reprehendit; Ea Sancti viri constantia fractus & perterritus Princeps, non ausus fuit vllas porro minas ei intentare. Aderat tum illi Principi quidam non bonus consultor, qui diceret ei; Si vis Bernardinum corrumpere: mitte illi poculum nummis aureis plenum; quos si receperit, potest dicere populo: docere Bernardinum amplectendam paupertatem, & opes contemnendas: sed illum tamen id non præstare: quippe qui multam à te pecuniam acceperit. Placuit summopere id consilium Principi. Itaque exploraturus num opere faceret quod verbo doceret Bernardinus; misit ei poculum, in quo inerant aurei nummi (quos ducatos vocant) quingenti. Affertur à nunciis Ducis pecunia illa Bernardino, aiunt ex deuotione eam mitti à Principe; vt vtatur ea ad res necessarias sibi comparandas, & prout libitum sibi fuerit. Bernardinus vero noluit eam recipere, iussitque dici Principi, se ea opus non habere. Refertur ergo pecunia ad Principem; sed rursus versutus ille consultor instigat eum, vt denuo eam mittat Bernardino, monetque, vt si ad priuatos eam accommodare nolit, conferat in fratrum suorum vsus, & ad monasterii structuras. Redeunt cum aureis nuntii ad Bernardinum, explicant mandata Ducis: ille respuit plane. Aiunt illi: Quid ergo his faciemus, quando Princeps iussit ne ad ipsum illos reportemus? Tu Bernardine, si ita inquit, se res habet, & mihi pecunia hac licet vti pro meo arbitratu, sequamini me præeuntem. Ducit ergo eos ad carcerem Senenses, quibus tenebantur ære alieno pressi: rogat ex singulis quantum debeant, iubet tantumdem illis numerari è pecunia Ducis. Id cum factum esset, omnes liberati sunt, demti sduobus, ad quos redimendos pecunia non sufficiebat. Tum illi miseri cæpere lachrymas fundere, Bernardini amplecti genua, rogare ne ipsis desit. Flexus ea re vir pius, motusque misericordia, non sine lachrymis ait ad illos; Quaso charissimi, ne vos animi dolor occupet. En ego polliceor vobis, me daturum operam, vt liberi hinc recedatis: quod si non possim, me locum vestrum subiturum. Id vbi plebs resciuit: plerique multa permoti misericordia captiuos illos è custodia dimiserunt. Dux autem videns non redire pecuniam suam, ait ad aulicos suos; Frater iste dicit se pecuniam ducere pro nihilo: at reipsa aliud testatur. Nuntii autem cum reuertissent, vt Duci referrent; quo pacto illi aurei à Bernardino expensi essent: omnem de Sancto viro malam suspicionem, odium, & inuidentiam prorsus à se reiecit: mundique contemptorem & laudauit egregie, & maiori deinde reuerentia prosecutus est.

CAPVT XL.

LXII. Patiens in aduersis & morbis Vicarius Generalis factus instituti de obseruantia, fontem & aram à dæmonibus infessam diruit.

QVicquid molestiæ, incommodi, penuriæ Sancto viro accidisset, tranquilloanimo placide ferebat, semper laudans Deum, & illi gratias agens. Aduersa correptus valetudine, adeo se patientem exhibuit, vt ægre posset animaduerti, sanus ne an ægrotus esset. Laborauit quandoque dysenteria, ad annos quatuordecim; nec tamen idcirco desitit prædicare verbum Dei. Postea consulente Pontifice Eugenio, factus est Vicarius Generalis fratrum de Obseruantia, in locis Cismontanis, instituente eum Reuerendissimo in Christo Patre Fratrum Minorum Ministro Generale, & Pontifice Eugenio suis literis confirmante. Atque ita primus ille declaratus est Vicarius Generalis Fratrum de Obseruantia, cuius ipse author fuerat. In gubernandis autem & visitandis fratribus, & sororibus eius curæ commissis, multa prædebatur prudentia: sicque se gerebat, vt laude non mediocri dignus haberetur, creuitque in dies, sub illius signo, grex ille spiritualis. Nolim ego hic tacitus præterire factum eximium, ab illo Arctii diuinæ prouidentiæ perperatum. Extra mœnia vrbis eius fons fuit antequam, iam olim temporibus illis; quibus idolatria regnabat, impuris dæmonibus dicatus. Solebant eo ciues aretini, & alii circumquaque vicini, tanquam ad oraculum Apollinis confluere. responsa petentes ad occultas quæstiones suas & morborum suorum curationes. Id vero animaduertens Bernardinus verus Christianæ religionis cultor & amator, aduersus hunc dæmonum cultum fortissime sese erexit, & primo quidem concione ad populum habita, & absoluta: magnopere omnium confirmatis animis hortatus est eos, sequi se ad demoliendam impurissimorum dæmonum habitationem, prorsusque abolendam. Mox vero accepta securi vel malleo, cum populo egressus est ad fontem, cumque ad fanum dæmonis peruenisset, primo ipse ictibus cæpit contundere, euertitque aram, & fontem lapidibus penitus obtrusit. Eodem autem loco plebs insignem condidit ædem, in Sanctissimæ Virginis Mariæ honorem, quæ illic quotidie magna edit miracula roganteque Bernardino. Eugenius Papa quotannis in Natiuitate eiusdem virginis, magnas illi condonationes, siue Indulgentias contulit.

CAPVT XLI.

LXIII. Virnobilis de salute sua sollicitus, Bernardini consilio recipitur ad Ordinem.

REferam hoc loco aliud quiddam memorabile. Concionante aliquando Bernardino Mediolani; peracta concione venit ad eum quidam egregie strenuus miles Christophorus nomine, qui Mediolanensi Principi duodecim equis militarem nauabat operam, petitque ab eodem Sancto viro, quid ipsius saluti existimaret conducibilius; vitam ne sectari Religiosam & monasticam, vel suo more fidum Principi exhibere ministerium. Ait autem ad eum Bernardinus, Præstat, mi, Domine, longeque magis expedit, saluti animæ tuæ, seruire summo Regum Regi, quam mortali Principi. Is verbis Christi Spiritus, compunxit illius nobilis viri pectus, idque adeo permouit, vt ad Sancti viri pedes aduolutus, obnixe rogarit ab illo, se recipi in Franciscanorum societatem. Examinauit autem vir Sanctus eius vitam proposuitque ei deinceps, viuendum esse in paupertate, castitate, & obedientia, in ieiuniis, in pœnitentia, multisque corporis incommodis & molestiis. Ad ea vero se promptissimum illo offerente, illud ex Euangelio attulit Bernardinus. Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni & sequere me. Id quoque vir nobilis se ait libentissime facturum. Tum Bernardinus manus suas vertici imponens. Abi, inquit; & quod dicis, re ipsa confirmes: nam Dei gratia, quandoque eris Christi deuotus & fidus miles, atque minister. Cum autem Bernardinus eum vestiret habitu monastico, ex contactu manuum eius, quas illius capiti imposuerat, tantum mtus & foris sensit ardorem & deuotionem, ac si manus & brachia eius vsque ad cor igni liquefacta diffluerent, sicut ipse testatus est. Fuit vero idem vir nobilis etiam tum, cum militiæ daret operam, moribus honestis, & corpore castissimus, nunquam lusit aleam, nunquam per Deum, aut Sanctos eius temere iurauit; quemadmodum ipse de se indicauit quibusdam familiaribus & amicis suis, qui hæc scripto prodiderunt.

CAPVT XLII.

LXIV. Anniculæ, duo fœua vulnera, signo Sanctæ Crucis sanauit à Concione sua.

SIgna admiranda, & præclara miracula à Bernardino quotidie patrata, eximiam eius declarabant sanctitatem & concionum veritatem. Ex iis quadam annotabo missa plurima, ob nimiam vitandam prolixitatem. Fecit quandoque sermonem apud Reatinos: & populo ad eum audiendum concurrente, vir quidam Ioannes Antonii dictus, Filiam habens anniculam, in cuius corpore duo erant fœua vulnera, omnem chirurgorum operam eludentia: ex altero enim erumpebat fletus ex vbere, & per alterum visebantur intestina, eam ipsam filiolam, post concionem, attulit cum vxore sua ad cœnobium Franciscanorum, quod est in vrbe illa; vbi suum Bernardinus hospitium habebat: procidente que ambo in genua, filiolam coram Bernardino deponunt; vulnera & miseriam eius illi ostendunt, orantes summopere eius vt misereatur, & ferentibus precibus suis eam sanet. At vir Sanctus dolens vicem infantulæ, & afflictorum parentum eius: oculis sursum placida erectis, cruce consignat infantulum, atque paren-

tibus eius, vt bene sidant Deo: fore enim vt Dominus ei propitietur. Quod etiam ita euenit: nam postridie mane incolumis apparuit, sola vulnerum cicatricibus in corpore remanentibus. Itaque gratias illi egerunt Deo, & Sancto Bernardino.

CAPVT XLIII.

LXV. Iuuenem occisum à boue, precibus & signo Crucis restituit vitæ.

IN Ciuitate Pratensi, tota Quadragesima gratissimas ad populum habuit conciones; iamque ad Pascha alio volebat proficisci, doctum verbum Dei. Ecce autem totius oppidi Pratensis ciues, frequentissimo numero veniunt ad eum, præsingulari erga illum amore & deuotione, vt vltimam eius percipiant benedictionem: adeo vero cingunt illum vndique, vt extra vrbis portas non posset egredi. Ita erga intra extimam & intimam portam clauso illo, bos quidam indomitus, tanta populi multitudine exterritus, profilit è stabulo, & ad portam contendens, multos pedibus & cornibus humi prosternit. In iis autem adolescentem Nicolaum Laurentii, tam ferociter inuasit, & cornibus appetit, atque concussit, vt pro mortuo è terra sublatus sit. Repente existit clamor populi, adolescentem hunc à boue peremptum. Audiens id Bernardinus, muleum ingemuit, & ait; Quicquid boni in hac vrbe Deus effecit, tartareus dæmon hac hora corrumpere & destruere vult, motusque commiseratione, accessit ad locum vir Sanctus, vbi adolescens ceu mortuus iacebat; sursumque versis luminibus orauit Deum pro illo, crucis signum ei imprimens, dicensque; ad turbam circumstantem; Deo bene fauente sospes erit hic adolescens; tollite eum hinc. Nec secus euenit, atque ille prædixit. Nam cum inde recessisset, adolescens surrexit incolumis.

CAPVT XLIV.

LXVI. Romæ puerum liberat à morbo regio.

QVando primum Romæ concionari cœpit Bernardinus. Andrea mulier, mira de illo referri audiuit; habuit autem nepotem, cuius ipsa erat auia: quinquennis fuit, puer admodum laborans morbo regio. Auia autem eius, non mediocriter confidens sancti viri meritis, attulit ad eum puerum hunc, orans vt Deum pro illo deprecaretur, & sanitatem ei obtineret. Paucis ei respondit Bernardinus; Quod tu petis à me, id præstant homines Sancti & amici Dei: ac nihilominus eas tu cum proximis huius pueri cognatis, & confiteamini peccata vestra: inde reuertaris ad me, & ego Dominum rogabo pro puero. Postquam ergo confessi fuere peccata sua, Andrea & consanguinei pueri; postero die rediit mulier cum puero ad Bernardinum, in cœnobium Aracœli, vbi hospes degebat apud Minoritas. Tum vero primum obtulit Deo preces, deinde Crucis signum in puerum edidit, isque quamprimum virtute Dei, & Sancti Bernardini meritis, perfecte reualuit, nec vnquam postea recidit in morbum illum.

CAPVT XLV.

LXVII. Contractam signo Crucis recurauit.

SPoleti fœmina quædam fuit, ex multa corporis egrotatione contracta: ita vt nec manu posset cibū in os infere, atq; interdum tam immanes sentiebat corporis cruciatus, vt furore ad insaniā correpta videretur. Ea ergo ad Bernardinū se contulit, à quo signo Crucis munita repente conualuit, & per se à terra surrexit. Præbuit ea res occasionem laudandi Deum Spoletinis vniuersis.

CAPVT XLVI.

LXVIII. Signo S. Crucis imbres cohibuit, ne concio eius intermitteretur.

ARetii aliquando tota Quadragesima prædicante Bernardino, & populum docente de iis, quæ ad illorum salutem æternam pertinerent, contigit vt quodam die sermonem habere vellet, in ade sanctissimæ matris Dei, quæ est extra vrbis portam: sed ob nimium populi concursum, cogeretur in cœmiterio sub dio concionari. Vbi cum in media iam versaretur concione, largissimi è cœlo lapsi imbres, populum coegerunt sub tectum confugere, illo solo in suggestu remanente. Hortabatur ergo plebem, vt vna secum rogarent Dominum, quo posset inchoatum absoluere sermonem. Cumque versus cœlum Crucis signum expressisset, mox pluuia repressa est, reditque plebs ad audiendum eum. At postquam sermonem peregisset, & populus in oppidum reuersus fuit, confestim magna pluuiæ vis ruit è cœlo, tanquam si vnus aquæ effunderentur. Arebant tum homines Sancti viri meritis frenatos fuisse imbres, donec dicendi finem fecisset.

CAPVT XLVII.

LXIX. Aquilæ in laudem dicens Diuæ Virginis, visa stella est cœlitus super caput eius faciem eius mirabiliter illustrasse.

IN ciuitate Aquila vicus est, qui Sancta Crucis dicitur, in eoque locus quidam Sanctæ Mariæ appellabatur, in eo concionem quandoque pijssimam habuit Bernardinus, de illa singulari virgine & Domina nostra, coram Dynastis quibusdam Principibus, & Ducibus, ingentique populi turba. Intererat huic conioni etiam Alphonsus Aragonensis & Siciliæ Rex. Thema huius sermonis proposuerat sibi vir Sanctus, in honorem matris Dei, verba illa ex Duodecimo capite Apocalypsis Ioannis Euangelistæ; Signum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius & in capite eius corona stellarum duodecim; quæ ille verba aptissime accommodauit sensu spirituali ad sacratiss. mam virginem, multa tā prædicatione efferens, & duodecim stellas interpretans, totidem principales virtutes & charismata, quibus illa ornata fuit. Cumque primam stellam exponeret eius virgineam & immaculatam puritatem: sole ardentissimo & radiantissimo, visa est supra caput Bernardini stella nitre elegans & luculenta, qua etiam solis splendorem superaret. Ea conspecta valde territus est populus, nescions quid portenderet; videbant enim illam suos radios in Sancti viri faciem vibrare, adeo vt ille splendere videretur. Tandem non absque plebis magna admiratione euanuit. Fuit autem illa signum illud magnum, quod apparuit in cœlo, Christi Iesu mater Maria, inestabili claritate resplendens: indicare volens hunc Sanctum Dei hominem, suum, ne peculiarem ministrum, totius religionis & spiritualis vitæ exemplar esse, & vas atq; speculum virtutum omnium, qui paulo post in ea vrbe diem esset clausurus extremum, & in æterna beatitudine sublimiter coronandus foret, quod quidem etiam sic euenit, vt post dicturi sumus.

CAPVT XLVIII.

LXX. Imperatori Sigismundo gratus, vna cum illo Romam petit, irriforem suum grauiter læsum curauit.

EA tempestate Sigismundus electus Romanorum Imperator, vt à Pontifice coronam acciperet, Romam profectus est. Cumque venisset Senas, vbi tum erat Bernardinus, summo tenebatur desiderio eius videndi, & cum illo amicitiam contrahendi, quippe de cuius sanctitate permulta accepisset. Itaque quotidie inuisebat eum, aut eius audiebat concionem vel Missam, vel ad se illam euocabat. Quod si diem vnum sine illo fuisset, eum sibi perdidisse videbatur. Fuit autem idem Rex à Senensibus, honorificentissime acceptus: manifestque ibi ad nouem menses perpetuos, quod nedum inter Pontificem & ipsum omnia satis transacta essent. Sed præter alios magnos Principes & Dynastas, etiam ipsi Senenses suos ad Pontificem legatos miserunt, summoque studio effecerunt apud illum, vt certum præstitueret diem, quo vellet ipse Sigismundum electum, ceu legitimum Romanorum Imperatorem coronare: atque eo nuncio percepto, Sigismundus Romā abiit, assumpto secum Bernardino, quo miri-

fice delectabatur. Cum autem ab Aquila exiret cum Sigismundo Bernardinus, quidam tector vidit eum ex tecto per vicum equitantem, altaque voce clamitare & Sanctum virum irridens; Quonam iter habet noster Pontifex? Vix autem ea prolocutus, magno flante vento decidit à tecto in terram, non mediocriter quassato & laso corpore. Ad se autem reuersus agnouit culpam suam: subensque se apportari ad Bernardinum, rogauit eum, vt Cruce se consignaret. Fecit vir pius, & statim abiit incolumis tector ille.

CAPVT XLIX.

LXXI. Ex vrbe Senas rediens libros scripsit. In concionibus separatim sedere iussit mares à fœminis; quod lasciuus contemnens iuuenis, male periit.

Postquam coronatus fuit Sigismundus Imperator, Bernardinus Senas rediit, multosque composuit pios libros Christianis omnibus viles & salutares. Fuerat ille à puero in bonis operibus educatus, semperque virtutum studiosus in finem vsque permansit. Nunquam auertit pedem extra vias rectas, nec à primo tepuit proposito: porro supra quam dici queat semper in id animum intendit, vt corporis & animæ puritatem integram conseruaret. Itaque cum in vrbibus concionaretur; ferre non potuit vt viri & fœminæ inter se pariter considerent, nequa libidini præberetur occasio, sed sedere cogebantur separatim, atque inter vtrosque suspendebatur tapetum, ne alii alios aspicerent. Sed ad sermonem animos attentiores adhiberent. Concionabatur aliquando vir Sanctus apud Senenses, sedebantque hunc in modum seiuncti viri ac mulieres eum auscultantes: at tamen quidam lasciuus, illo inuito, stabat talis loco qui esset fœminis oppositus; vt animo suas expleret libidines. Sensit id vir Dei, hortatusque est eum, vt assideret inter mares. At ille contempsit hoc monitumque confidenter in loco suo. Eum contemptum optima institutionis suæ, non ferens vir Sanctus, ait palam ad eum: Ecce ego dico tibi adolescens, qui istic stas impudenter, & audaciter auratis indutus vestibus, nonparum vereri me, mala morte te periturum. Idque sic accidit, quando postea ob suæ flagitia & maleficia, tanquam latro apud Anconam capite plexus est.

CAPVT L.

LXXII. Mulier tactu vestimenti eius incurabili morbo liberatur.

Fœmina quædam insanabili laborans morbo, præmagna erga Sanctum Bernardinum deuotione, cupiebat tangere vestes eius, sperans se earum contactu, sanatum iri. Expectabat igitur eum clam, loco quodam quo erat transiturus, vidensque illum, mox se submisit ad pedes eius, volens tangere extremam oram cuculli eius. At vir Dei, qui nullam vnquam fœminam ad se propius accedere pateretur, nec cum vlla fœmina dempta confessione, solus colloqueretur; primo equidem turbatus fuit eius inopinato tactu, sed comperta eximia fidei eius deuotione, tulit moderate: moxque illa mulier sic restituta est, ac si nunquam male habuisset.

CAPVT LI.

LXXIII. Mores correxit Perusinorum, pacem ciuium reconciliauit, refractarius adolescens repentina morte periit.

Apud Perusinos, certis temporibus ludi quidam execrabiles, quotannis ab armatis hominibus exercebantur. Communicabant se ciues, eo ludo inter se congressuri, armis, loricis, thoracibus, ferreis galeis, diuersisque aliis rebus; nec paucis in eiusmodi conflictu morisebantur, pœnas dabant sempiternas. Vbi Perusiam venit Sanctus Bernardinus, detestabatur hoc exitiale certamen curabatque omne genus armorum, quibus in illo vti consueuerant, prorsus conterendum atque conscindendum: & ex consensu publico cassatuit, magnis proposita pœnis in immorigeros, ne deinceps in ea vrbe eiusmodi satanica certamina fierent. In eadem vrbe, alio tempore acerbissima inter ciues extitit discordia. Eam animaduertens Bernardinus, maximopere hortabatur populum ad mutuam pacem, ita dicens. Dominus Deus videns dissensionem vestram, quam ille valde odit; me vt Angelum suum misit ad vos, vt annunciem in terris pacem hominibus bonæ voluntatis. Deinde quatuor ad illos habuit conciones, quibus ad animorum suauissimam consensionem eos incitabat; in vltima concione eiusdem modi vtens verbis; Quotquos bonæ sunt prædisti voluntate, & cum proximis suis pacifici degere cupiunt, ad latus dextrum se cõferant: cæteri qui dicta nolunt parere meis, ad sinistrum transeãt. Tum vero plebs omnis Deo volente, ad dexteram se recepit: vnus solus nobilis & prepotens adolescens, cum famulis suis mansit in parte sinistra acerbe musitans aduersus virum Dei, & eius salutares admonitiones stolide pendens. Eius animum male obstinatum, & pertinacem superbiam, cernens Bernardinus, sic eum compellauit; En tu solus isthic stas, superba obstinatione tua contemnens id quod ego verbis Dei populo consului. Iterum ergo Dei nomine hortor te, vt proximis tuis ex animo remittas, quicquid illis vel in te, vel in familiam vnquam perperam commiserunt; recedasque hinc in partem dexteram. Quod si mihi non obtemperaueris; certus esto, non te viuum rediturum in domum tuam. Irrisit ille Sancti viri vaticinium, delirare eum dictitans, qui velit ei adhibere fidem; nec voluit se accomodare dictis eius. Ecce autem vt calcare cœpit limen domus suæ, nihil veritus diuinam vltionem, morbo eum inuadente repente, extinctus fuit absque Ecclesiæ Sacramento, cum necdum ingressus esset intro in ædes suas, vti ei Bernardinus ante prædixerat.

CAPVT LII.

LXXIV. Aromatibus sibi missis, infirmum sanat.

Cvm aliquando Romæ concionaretur vir Sanctus, essetque corpori admodum imbecilla valetudine; pia quædam matrona misit ei aromata, vel confectiones, quibus pectus suum corroboraret. Ille vero severus corporis sui castigator, qui illud magis affligere, quam fouere, eiusque commodis studere mallet: nuntio aromata afferenti dixit: Ego his rebus non indigeo: sed eas in vicem, quæso hominem ex afflictissima valetudine decumbentem, dicasque ei verbis meis: Frater Bernardinus mittit tibi hæc aromata ipsi missa, vt tu iis in nomine Iesu vtaris, teque confirmes. Mira res simulatque gustauit æger ille aromata, è lecto sanus surrexit. Nimia prolixitate onerosi essemus, si cuncta eius miracula singulatim enumerare velimus, quæ tamen populo sunt notissima, certisque testimoniis confirmata. Neque enim ille vnquam, donec in viuis erat, aut ab optimis bonis, aut à miraculis patrandis otiosus fuit.

CAPVT LIII.

LXXV. Calceos suos egenti dedit leproso, quibus ille calceatus, à lepra mirum in modum expurgatur.

Postquam autem Deo visum fuit, laboribus eius finem imponere, extremo anno vitæ illius, hanc ei adspirauit cogitationem, inuisere patriam suam ciuesque & sodales suos, eorumque animos excitare ad amandum Deum, & eius mandata seruanda. Venit ergo Massanam vbi natus fuerat, sicut supra dictum est: & tota Quadragesima illic docens è suggestu Verbum Dei, cum multo labore, nihil sibi parcens, populum cælesti manna satiauit, & sitim eius, potu salutis expleuit, spiritualibusque eos consolationibus abunde refecit. Factum autem tunc ibi diuinitus est singulare quoddam miraculum; vt sempiterna apud illos Bernardini memoria conseruaretur. Cum enim aliquando prædicasset populo, repeteretque hospitium suum; Hispanus quidam lepra admodum horridus & deformis ei obuiam venit, visendi eius cupidus. Ciues autem molestè ferebant illum hominem ire per oppidi sui plateas, itaque bona verba extra vrbem eum educebant. At ille postridie clam rursus venit in vrbem; rogauitque humiliter Bernardinum, vt calceos ipse daret, quibus

pedes tegeret, cogebatur enim præ inopia ire nudis pedibus, qui valde intumuerant, & morbidi erant. Motus misericordia erga miserum hominem vir Sanctus, dedit illi calceos suos à suis pedibus detractos, verum discipulum & legitimum filium sese hoc ipso declarans patris sui Francisci, quo se nudauit, vt pauperem multum vestiret, quod quidem etiam in aliis sæpe fecit, similiter cum Sancto Martino libenter de sua paupertate impertiens aliis: larga enim miseratio erga inopes & calamitosos homines, ab infantia creuerat cum illo. Sed audi iam quid leproso contigerit. Cum illis calceis suos induisset pedes, mox ab oppido egressus est: paruumque progressus, sensit calceos plenos calculis & siliciibus, quibus sarcii pedes eius attererentur. Soluens ergo illos à pedibus, expurgare voluit: & ecce videt tos plenos tanquam piscium squammis; pedesque suos vsque ad genua sanatos. Impense igitur laudans Deum, iocundissimo animo ire perrexit, calceos ad pedes alligatis, rursusque parvo emenso via spatio, videbatur sibi calceos arena & lapillis refertos habere: ipsique pedes compungi. Demum ergo exuit calceos, cernit squamas vt antea, seseque vsque ad venes curatum. Vberiori inde concepto gaudio, adiungit calceos pedibus, lætabundus & Deo gratias agens, Sanctique Bernardini meritis se commendans cœptum iter prosequitur. O Deus sempiterne & immortalis; quisnam posset satis esse tuis enumerandis beneficiis? Tertio cogitur vir ille, post breue stineris spatium detrahere sibi calceos, & excutere squamas. Tum vero sensit se in integra sanitate positum, atque inde increbuit lætitia affectus, redit ad vrbem: totoque pectore ingentes Bernardino gratias agit, quod eius meritis à lepra expurgatus esset. Audiens hoc Servus Christi Bernardinus, Deo concedens honorem eius, inexhaustæ misericordiæ, & bonitati gratias egit; præcepitque homini restituto, vt Deum in eius operibus, laude & prædicatione efferret, nec cuiquam vnquam dum ipse viueret, hoc miraculum indicaret.

CAPVT LIV.

LXXVI. Patriam relinquens aluo fatigatur citissima & incurabili, Aquilam veniens mortuus est. Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto.

Postea vir Dei reuersus est Senas, habuitque Conciones feruentes, præsertim de Iustitia, & bona politia eius Ciuitatis: & cum bene precatus esset eis, in virtute Dei eos valedixit, sciens se deinceps nunquam amplius illos concionaturum. Postea luce cœpit proficisci, ad Regnum Neapolitanum; veniensque ad Reatinos, diuinis illos pauit sermonibus: iisque itidem bene precatus, inde recessit, peruenitque ad aliam vrbem, in qua postremo concionatus est, mane feria sexta ante Christi Ascensionem. Ibi inquam, mellitissimi eius sermones finem habuere. Dicebat enim ille molestum cursum, & graues labores suos iam consummatos esse, satisque norat ex Sancti Spiritus reuelatione, ocyus se à terra migraturum. Abiit autem ex eo loco, asello subuectus: & cum ad quandam veniisset plateam, vbi magna erat populi frequentia auidissimus quidem erat, pro concione illos docendi, sed virium imbecillitas id non patiebatur. Postridie mane admodum, morbo pius plusque ingrauescente, multa instantia petiit se Aquilam vehi. Non recusabant fratres, sed ob nimium ventris fluxum, non potuit illo die Aquilam peruenire, mansit autem cum fratribus in pago Sancti Sylvestri, Dominico die, morbo semper incrementa capiente, Aquilam introductus est, & magna populi deuotione & gratulatione exceptus, perductusque in Sancti Francisci cœnobium, cellulam accepit Ioannis Capistreni, qui tum ob expedienda quædam negotia, extra vrbem egressus fuerat, & in eius lecto repositus est. Illo autem iubente, euocati sunt ad virum Dei Medici peritissimi, quotquot haberi potuerunt, qui omnes de vita eius desperantes aiebant, filium mortis eum esse: nulla enim ratione fluxum illum ventris coercere potuerunt. Sciens quoque vir Dei mortem sibi imminere, pridie Ascensionis Domini, cum multa præparatione & deuotione Sacramentis Eucharistiæ & Extremæ Vnctionis se communiuit. Morte aduentante, cum loqui non posset, quibus potuit signis, indicauit Fratribus, vt ipsum è lecto in terram deponerent, ab hac lachrymarum valle recessurum. Itaque fratres, à lecto in cille pauimentum asseribus stratum, cum deposuerunt: vbi ille sursum erectis luminibus, spiritum suum in Dei manibus commendauit, feliciterque è corpore excessit. Vigesimo Mensis Maii die, pridie Ascensionis Domini, An. Christi Millesimo, quadringentesimo quarto, cum in vespertinis precibus fratres concinerent illam ad Magnificat Antiphonam, Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, nunc autem pro eis rogo, non pro mundo: quia ego ad te vado; Alleluia. Vixit in terris annis sex & sexaginta. Viginti duobus annis in sæculo, reliquis in monastica professione degit: quadraginta, multo labore Dei verbum prædicauit pusillum per regiones omnes, nullo vnquam tædio retardatus. Itaque Felix illa anima, quæ semper magno arserat desiderio, ex corporis huius vinculis emigrandi, & cum Christo æternum regnandi, vita temporaria nexibus expedita est, atque ex mundi huius inopia ad illas cœlestis opes: ex hac miseria, ad infinitam beatitudinem, ab hac morte corporis, ad illam semper duraturam euolauit vitam. O virum Sanctum, cuius anima paradisum obtinet, latantibus Angelis, gratulantibus Archangelis, Sanctis omnibus iubilantibus, virginibus denique clamantibus. Mane nobiscum in sempiternum.

CAPVT LV.

LXXVII. Fratres lugentes, cum eius corpus Senas mittere cogitarent, ciues vigilanter asseruant, plurimis statim coruscans miraculis.

Morte eius non mediocriter mœrebant fratres, acerbe lugentes, quod se destitutos cernerent suauissima præsentia eius: nec minus tamen se consolabantur, quod tam sancte vbiisse eum cernerent. Præparabant autem res necessarias corpori eius sepeliendo; illud pro veteri more lætabant, alio enim cucullo induebant. Vestem vero qua solebat vti, mittebant ad monasterium de Capriola, quod est extra Senas, vbi eius libri, & alia, quibus pro magna necessitate vti consueuerat, asseruabantur; vbi etiam eius est Bibliotheca, cuius codices sua manu ipse conscripsit, vt est supra commemoratum. Quo loco multa fiunt quotidie miracula, in iis qui illic eum visitant, eius implorant opem, & vestes attingunt. Apparabatur à fratribus arca, in qua conderent corpus eius; illudque Senas veherent: quod vbi à nonnullis animadversum est, in vrbe proclamarunt, Sanctum virum Bernardinum suum diem obiisse. Moxque in monasterium accurrerunt sine numero viri, fœminæ, pueri, vt Sacrum eius corpus viderent, & exoscularentur. Magistratus vero Vrbis Aquilæ corpus illud è fratrum manibus quamprimum abstulerunt: extractumque ex arca, in qua iam repositum fuerat, ve Senas asportaretur, egregie exornarunt: & quibusdam fidis ciuibus custodiendum tradiderunt, vt postero die coram omni populo illud in templo spectandum proponerent; miseruntque ad Vrbis Episcopum, rogantes eum vt cum toto Clero suo velit interesse Sancti viri exequiis. Addixerunt inde, ipso Ascensionis Dominicæ die, corpus eius in Ecclesiam, sane quam honorifice, vbi plebs omnis collecta erat, ad illud conspiciendum, & deosculandum. Tot autem edebantur illic stupenda miracula, per merita & preces eius, vt de eius gloria nemo dubitare ausus esset: prepotentis Dei benignitate, mirificis operibus suis satis declarante, animam Serui sui admodum sublimiter apud se in cœlis exaltatam.

CAPVT LVI.

LXXVIII. Ad eius corpus claudis erectis, magna confluit hominum copia, cuius ergo ad templum maius elatum, pacem inter ciues reparauit.

Eadem hora qua corpus eius in æde Sacra repositum fuit, priusquam Clerus ad eius exequias adueniret; puer nouem annorum Paschalis nomine, Edus Pauli Matthei, oculissime eo properauit: flexisque humiliter ad extremas illius partes genu-

bus, sic precatus est; Credo firmiter, Sancte Pater Bernardine, te cum Sanctis à Deo exaltatum, ego miser mipsum commendo tibi, omni qua possum deuotione, orans summisse, vt per merita tua mihi in anima & corpore opituleris. Solebat ipuer cum cereis sedere præ foribus templi, misere contractus & claudus. Postquam autem has suas compleuit preces, confestim præter omnem expectationem, vtroque pede sanus ingressus est. Id vero conspicatus Antonius Bagnensis ciuis Aquilanus, à primo ortu contractus & claudus in corpus exanime incubuit, videbaturque ei contractius crus ipsius admodum extendi, mox rectius incessit pedibus suis nihil prorsus claudicans, populum inuitans ad Beati Bernardini venerationem. Vbi autem horum miraculorum fama, in vicinas vrbes diuulgata est, grandi numero adiolarunt Aquilani iuuenes & senes, mares ac fœminæ, permulto gaudio lachrymantes & dicentes: Adsis nobis Sancte Bernardine, & in omni necessitate tuere nos. Tanta autem fuit aduentantium frequentia, sese comprimentium, & perstrepentium, atque clamantium, vt Episcopus cum Clero suo ægre posset diuina officia peragere. Id vero cernens Oppidi Magistratus de communi sententia statuit, vt sacrum corpus extra ædem Franciscanorum, qua angusta erat, per Ciuitatem & fontem ad Sancti Maximini primarium templum efferretur. Sequebatur funus, ingens hominum turba, quibus plena erat Vrbs illa insignis; qua vna est præcipuis eius regionis ciuitatibus, Accendebantur faces & cerei circum corpus: cum prose quisque certatim vellent cohonestare funus; omnesque eius terra homines gratias agebant Deo, pro eius ineffabili gratia, & singulari ipsis dato patrono. Concinebat Clerus, lamentabatur populus præ gaudio, inter omnes coibat pax & consensio, qui tamen ante inter se acerbissime dissenserant, ita vt septem exprimariis eius oppidi viris trucidatis essent iam discordiam ab animis hominum aboleuit incredibilis hac exultatio, & per beati Bernardini merita, instaurata est inter illos amicitia & mutua benevolentia: ita vt gratias agerent Deo, qui desolatæ ipsorum ciuitati, tam fidum contulisset sequestrum & intercessorem.

CAPVT LVII.

LXXIX. Relatum corpus ad fratres, surdum ac membris dissolutum fratrem sanans, inhumatum viginti sex diebus, suauissimum spirat odorem.

REportatum inde corpus eius est ad Sancti Francisci Ecclesiam: nec tamen illud terra condere voluerunt; sed deposuerunt in sacello ferreis cancellis munito, adhibitis excubitoribus: qui nocte ac die illud custodirent, donec arca ferrea duodecim instructa seris pararetur, atque in eam illud imponeretur. Aderant autem diuersi omnis generis afflicti morbi ex diuersis locis: vt sacro propinquantes corpori beati viri iterum reualescerent: id quod multis præstitum fuit. Contigit illo die inter alios ægros fratrem Benedictum à Marsito Minoritam adesse, membrorum officio destitutum, dextra aure surdum, & ingentes sonos ac strepitus tanquam molestissima aut malleorum incudem tundentium illic sentientem. Is arripuit pannum, quo exanime beati viri corpus post lotionem detersum fuerat, illoque se inuoluens postquam diligenter confessus erat peccata sua, humiliter flexit genua ad pedes Sancti viri, orans sibi sanitatem restitui. Rediit ilico auditus, sensusque & vires instauratæ sunt. Per illos dies quotidie, crebro pulsabantur campanæ ciuitatis: populus supra quã dici queat lætabatur; cerei & faculæ ardebant nocte ac die in ade Sancti Francisci, vbi cæleste illud seruabatur pignus, vrbs tota exultabat. Homines mechanici cessabant ab operibus, agricolæ non colebãt agros, sed omnes pariter festos celebrabant dies; atque eum in modum mansit sacrum corpus inhumatum ad dies sex & viginti: non solum nihil male olens, sed suauissimos etiam spirans odores coram omni populo.

CAPVT LVIII.

Sanguis è naribus corporis sacrifontis instar profluens, ciues in motu à procerum Senatorumque cæde cohibuit. LXXX.

INterim autem dum sic in arca lignea iaceret corpus non sepultum, magna extitit dissensio inter Scabinos & Senatores, atque plebem vrbis illius. Vulgus enim in Magistratum seditione excitata, alios post alios ad quæstionem vi abripuit, insaniebat præ malitia furens populus aduersus Magistratum, nec vllam admittebat rationem: Sed lata sententia reclores suos, & nobiles dominos perinde ac tetros nebulones, & cruentos latrones quam primum iussit capite truncari. Non potuit Magistratus aduersus plebem se tueri, nec purgare se apud illos, qui nulla ratione ducerentur. Itaque ceu fures in carcere, producunt proceres, & ad cadis locum perducuntur: obligantur eorum oculi, flectunt genua, anxie sustinentes carnificis ictum. Illo suum præparante ensem, auditur pueri vox in aere terribiliter clamantis. Cessate ab effundendo innoxio sanguine, sed Ocyus ite ad Franciscanorum templum, affatim illis reperturi, quod tam pernicioso expetitis. Stupent omnes ad hanc vocem, carnifex iubente plebe retrahit manum suam, proceres eleuat, diligenter eos custodit, ne qua elabantur. Territus populus ob flagitiosum animi sui propositum, rapido cursu contendit ad ædem Sancti Francisci: & ecce vident omnes è naribus exanimati corporis Sancti Bernardini, tanta copia manare sanguinem, ac si è duobus fontibus largissima aqua prosiliret; arca corpus continens, tam erat plena sanguine, vt corpus ipsum in illo nataret, Sanguisque redundans operimentum arcæ eluaret: vestes quibus corpus indutum erat, cruentæ essent, sanguisque magis ac magis circumcirca difflueret, donec populus cum ingenti humilitate & deuotione veniam & misericordiam peteret, ob id immane facinus. Ex eo autem sanguine, multi collegerunt in pocula vel vitra, eoque diuersi morbi admirabiliter curati sunt.

CAPVT LIX.

Vbicunque concionatus fuerat, iusta ei soluebantur. LXXXI.

POstea vero per Italiam & Gallicam Togatam, de Sancti vsi decessu quotidianis miraculis fama volitante, omnes eum, non alio quam Sancti cum Deo manentis loco habuere: atque in vrbibus, in quibus antea concionatus fuerat, honorifice inprimis eius celebratæ sunt exequiæ, coram omni populo & Magistratu, ita vt potius videretur festus agi dies, quam iusta funeri persolui. Plebs omnis multa in eum deuotione incendebatur: qui in longinquis erant regionibus, sacrum corpus illius se visuros putabant.

CAPVT LX.

Cum Ioannes Capistranus pro Canonizatione Sancti Bernardini laboraret, stella in concione Sancti Bernardini visa; Ioanni Capistrano aliquoties reuisa. LXXXII.

FRater Ioannes Capistranus, socius viri Dei, & Vicarius Generalis Fratrum de Obseruantia, Doctor Iuris, concionator feruidus, cum in Sicilia esset de Pontificis voluntate, ob quædam conficienda negotia, vt cognouit patrem suum Sanctum Bernardinum in cœlum abiisse, celeriter Aquilam rediit, vt eum extraret elzuandum, & in Sanctorum Catalogo adscribendum. Postquam eo venit, socii eius viderunt micantem stellam illam media die, quæ iam ante visa fuerat, cum illic concionẽ haberet de sacratissima virgine Bernardinus. Mirabantur

tur omnes, & alii alia tam demonstrabant. Vacabat tum lectioni in cella sita Capistran. concioni se præparans. Videns autem admirabundos fratres, scisitabatur quid rei isthuc esset. Dicebant illi se stellam videre luculenter radiantem, quæ olim supra caput Bernardini splenduisset, simulque ostendebant eam illi. Vnde mire exhilaratus laudabat Deum, & Sanctissimam matrem eius: spe bona fretus, prospere cessuros labores, quos susceperat pro obtinenda Bernardini in Sanctos relatione, quibus tum non mediocriter occupatus erat. Postridie iturus Romam ad Eugenium Pontificem cum socio suo, itinerũ ducem habuit stellam illam, quæ prælucebat ei semper magna itineris parte. Porro miracula quæ quotidie fiebant, testibus confirmata in libros & instrumenta referebantur; & à multis Cardinalibus examinata, tandem à Pontifice & tota Ecclesia approbantur. Permolestum autem fuerit; si vel partem eorum conscribere velimus; impossibile vero ea omnia memoriæ retinere: attamen pro maiori erga hunc Sanctum virum excitanda deuotione, tria aut quatuor ex præcipuis annotabimus.

CAP. LXI.

LXXX III. Puer aqua submersus resuscitatus est.

APud Aquilam ciuis fuit filium habens menses natum octodecim: mater eius Buturella quandoq; inuisere voluit Mariam. Burgensem vicinam suam, currebat autem post eam puslio iste. Illa in domum ingressa, puer mansit ad fores, vbi stabat vas aquæ plenum ad duas vel tres cubitos profunde depositum in terra. Incumbense autem puero ad ostium, verso ostio cadebat puer in vas illud, neque videns aliquem, nec vllum edens clamorem; atque ita ab aqua prefocatus mansit illic, capite depresso, pedibus sursum versis, ad dimidiam horam priusquam id quisquam præsentiret. Loquebatur interim diu mater eius cum vicina sua, existimans filiolum suum cum aliis pueris ludere in platea. Donum rediturã inclamabat puerum, sed non veniebat; nec quisquam nouerat vbi nam esset. Perquirebat in angulis & vicis, numquid vidisset ipsius filium. Quarebat cum illa pariter etiam Maria, de qua diximus, cumque preteriret vas illud, vidit pannum in aqua eminentem, eum extrahere volens, cernit pedes pueri exiantes. Eo spectaculo mire perterrefacta, matrem eius accersit, dicitque ei; En filiolus tuus hic extinctus iacet in vase. Repente igitur extrahunt puerum paruulum, sed is plane ater & exanimus erat ab aqua tumefactus, nihil vitæ præseferens. Ea re, dolore incredibili confecta mater miserandum in modum eiulat, vellens pilos suos, & genas lacerans vnguibus, haud secus quam si faciem discerpere velit. Accurrunt ad eam vicinæ aliæ, & multum dolent vicem eius. Aderat tum etiam inter alios Dominicus Vasanus, tertium Sancti Francisci institutum vel regulam professus. Is Diuino instinctu permotus, hortatur populum, vt in honorem Dei & Sancti Bernardini pariter dicant precationem Saluatoris; posse, inquiens, Deum, Sancti Bernardini precibus flexum, puero vitam restituere, & prece completa, puer cœpit oscitare: manabat à corpore eius aqua per os, nasi, & alios meatus, surrexitque bene sanus & incolumis.

CAP. LXII.

LXXX IV. Enixa mortuum puerum, precibus ad S. Bernardinum, recepit viuum.

BAsilea Ciuis quidam Ioannes cum vxore sua Margaretha proficiscebatur Aquilam; simulque ibi commorabantur in Sancti Ludouici domo hospitali, Mulier puero grauida, laborare cœpit, adeo vt è vita abitura timeretur. Obstetrix sedulam illi nauabat operam, & primo quidem videbantur pedes infantis, sed quantumcunque sudaretur, reliqua partes non sequebantur. Prodiit tandem puer vsque collum mortuus, sed caput præfocatum hærebat, nec potuit vlla ratione ei subueniri. Obstetrix cum aliis fœminis inuocabat Sanctum Bernardinum vt matrem viuam conseruaret, & à partu absolueret; Mox fœmina prolem enixa est coram omnibus illis mulieribus: sed nulla in ea vita cernebatur. Rursus pia obstetrix Diuina fidens potentiæ, sciens non abbreuiatam manum eius, reliquas fœminas hortabatur, vt toto pectore rogarent Sancti Bernardinum, vt infans mortuus reuiuisceret, & baptismi gratiam posset adipisci. Faciebant id omnes cum gemitibus & lachrymis, Sancti Bernardini opem implorantes, inde calescens puer cœpit sese commouere. Mox aquam obstetrix accipiens, baptizauit eum in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Tum vero magis etiam ille cœpit recuperare spiritum & oculos aperire. Lætabatur mater, & fœminæ congratulantes dicebant. Reuera filius tuus viuit, & mansit ille vitus quotidiana capiens vitæ incrementa. Sæpe opitulatus est Bernardinus in partu laborantibus, illum tum inuocantibus, aut quidpiam ex eius reliquiis apud se habentibus.

CAP. LXIII.

LXXXV Sub aquariæ molæ rota præfocatus reuixit.

CVm adhuc nobiscum in terris degeret: quatuor vita functos ad vitam reuocauit. Puer annorum decem Carinus nomine, Aquilæ natus, triticum ferebat ad molam aquariam, vt moleretur. Abiturus inde de improuiso calcauit pede molendini rotam: cum ea circumageretur, cecidit in foueam. In ipso casu inuocans Sanctum Bernardinum subueni mihi, inquit, S. Bernardine. Extractus inde est ex aquis, quæ erant sub rota; admotusque igni vt calefieret, surrexit, & incolumis domum abiit, gratias agens Deo & Sancto Bernardino.

CAP. LXIV.

LXXX VI. Morbidus puer, applicatione panni, qui Sancti Bernardini corpus operuerat, integre sanatur.

DOminus Nicolaus Galiandinus filium habuit Benedictum, annos natum quindecim, valde à peste, febre, & aliis extialibus morbis afflictum: ita vt medici omnem ei viuendi spem præciderent. Allatum est ad eum de panno, quo opertum fuerat Sancti Bernardini corpus. Eo panno ad corpus suum appositio, fricabat male affecta membra: statimque in lecto se erigens, Gratias inquit, Deo & Sancti Bernardino: liberatus sum à morbis omnibus, & totus recte valeo. Imposuerunt deinde pannum illum capiti eius; moxque arctiori eum complectente somno, obdormiuit, cum iam multo tempore nulla potuisset quiete potiri. Medici eo mane aduenientes, vt lotium inspicerent, sanum conspiciunt, quem pridie pene mortuum reliquerant. Ita ille adolescens Dei ope, & S. Bernardini meritis, integra salute positus est.

CAP. LXV.

LXXX VIII. Puellæ vulnus incurabile signo Crucis visus est curasse.

PVella quædam Spoletana, cui nomen erat Polonica, in pectore habebat vulnus immedicabile, vnde totũ corpus multo dolore afficiebatur. Adhibebatur quidem à Chirurgis curandi studium, non absque grandi eius cruciatu: sed nihil effici potuit, immo vero peius habere visa est, vt iam non longe à morte abesset. Mane autem dixit ad eam mater eius, Filia charissima, commendes te Sancto Bernardino. Fecit hoc illa toto animo, ita dicens, O Sancte Dei Bernardine, libera me ab hac infirmitate mea. At ille misericors miserorum & oppressorum omnium consolator, non ei suam negauit opem. Cum enim nocte media vigilaret illa: apparuit ei Sanctus Bernardinus: visusque illi est cruce exprimere in vulnus ipsius, tenens eam per humeros, deinde euanuit. Mox illa admodum territa & stupefacta, matrem suam accersiit, ait que ei; Non sentis mea mater miram odoris fragrantiam? non vidisti fratrem illum, qui stetit ad humeros meos? Mater vero putans illam somniasse. Dixit ei: Dormi filia, Dormi. At illa non somniabat, sed alta & latabunda voce clamabat; Laus Deo & Sancto Bernardino, ecce enim sane effecta sum.

LXXXVIII.

CAP. LXVI.

Sororcula in puteum cadens, salua euasit, vestibus nequicquam madefactis.

FVit Senis in Sancti Hieronymi Monasterio soror quadam de tertia Regula, quæ in puteum decidit altum cubitos quadraginta; atque interdum capite, nonnunquam pedibus emniuebat extra aquam: inter cadendum memor illustrium miraculorum eius, Sanctum Bernardinum inuocabat. Venientibus autem quibusdam ad hauriendam aquam, apprehendit funem, & sic sursum attracta est nihil læsa, adeoque & corpore & vestibus sicca, ac si aquas non attigisset, nec quicquam aquæ tuomuit ex ore suo.

LXXXIX.

CAP. LXVII.

In S. Bernardinum voto concepto, periculosissime vulneratus integram recuperauit salutem.

IOannes Antonius Tornanus, quodam vespere in gutture, & sinistra scapula, mortiferis fuit affectus vulneribus; ita vt nulla eius vitæ spes relicta videretur, nec vlla Pharmaca vel cataplasmata quicquam ei conferrent: sed vbi humanum non suppetit auxilium, non solet deesse diuinum. Miser ipse tam immaniter vulneratus, vt ægre spiritum haberet, præ doloribus nocte mortem impendentem exspectans: Vetas est sibi sonare quendam manu ipsum in latere percutientem, dicentemq; Non audisti miser quam præclara, & stupenda Deus operatus est miracula, per S. Bernardum merita? Cur ergo eius non imploras opem? Ille hæc verba diligenter auscultans, sibi ipsi animum addidit, commendauitq; se S. Bernardino, orans feruenter, sibi salutem restitui. O mirabilem Deum in Sanctis suis: Audiuit pium hominis desiderium, & bonæ voluntatis propositum, Dixit enim ager; Si sanus surrexero S. Bernardine, visam corpus tuum, & coram imaginem offeram. Vixerat dixerat, cum ecce sentit cieri corporis fluxum quendam tetri & concreti sanguinis, qui ab inflicto manaras vulnere, sanitatem eius impediens. Attulit ille fluxus cordi eius leuamentum quoddam & robur capiti, habere melius. Perstitit ergo in implorando S. Bernardino: promisitque se profecturum ad sepulchrum eius in vestibus lineis. Tum vero etiam plus noxii humoris a corpore defluxit: surrexit q; homo confestim sanus, exiguis in corpore relictæ vulneris cicatricibus. Abiit ergo atque in lineis vestimentis ad sepulchrum beati viri obtulit q; illic effigiem viri è cera confectam; narrauitque populo omne miraculum, quod in se expertus fuerat, laudibus efferens Deum, & Sanctum Bernardinum.

XC.

CAP. LXVIII.

Surdi & muti ad sepulchrum eius auditum consequuntur & loquelam.

IAcobus quidam, surdus & mutus, à primis vitæ initiis, postquam peregre venit ad monumentum S. Bernardini, illico & audire & loqui potuit: quod quidem etiam multis aliis surdis & mutis præstitum fuit.

XCI.

CAP. LXII.

In miracula S. Bernardini Senenses diligenter cum inquisiissent, cum aliis postulant à summo Pontif. inter Diuos referri, atque id factum Italia tota gratulante. Aquilani corpus eius ad templum nouum transferentes, pretiosa theca reponunt.

PRæclara & magnanima Senatorum vrbs, quotidie percipiens miracula stipendia ciuis & patroni sui Bernardini: vt grata esset Deo, pro gratia & beneficiis eius, vocato Procerum & plebis grandi sapientiq; consilio; de vanitate illorum miraculorũ cœpit inquirere, Misso Aquilam ciue honestissimo, qui accuratè exploraret, num sic se haberent omnia, vt fama vulgaretur. Qui vir nobilis & Senensium Orator Aquilam veniens, compertis miraculorum omnia probe inscripta relata, & ipse quoque suis oculis multa edi conspexit, eaque annotauit, cumque de omnibus certas literas Notariorum manu & sigillis munitas accepisset, Senas rediit. Senenses lætissimis animi miracula illa cognoscentes, insignem legationem ad Pontificem Eugen. Romam miserunt, qui ei miracula referrent, & de Bernardino Sanctorum Catalogo inserendo admonerent. Idem vrgebant Aquilani, item q; Rex Siciliæ & Aragonensis Alphonsus. Sancto viro admodum addictus & deuotus Eugenius Pontifex, licet crebro rogatus, at studiosior veritatis propalandæ, quam Regibus, Principibus, & populo placendi, diu multumque de hac re deliberauit cum suis. Et iam quidem recitatis, coram illo, & aliis amplius centum miraculis, certorum hominum testimonio confirmatis; totus propensus erat cum omnibus Cardinalibus, ad præstandum id quod petebatur: Sed morte illum è medio auferente, res ad exitum perduci non potuit. Successit autem Eugenio Nicolaus Quintus, qui post accuratas easque crebras consultationes, cum in dies plura referrentur miracula, tandem anno salutis Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, sacro Pentecostes die, in Sancti Petri ade. Roma, Bernardinum coram frequentissima plebe in Sanctis Confessoribus numerandum pronunciauit, anno sexto vel septimo ab obitu illius. Ea res omnes Italiæ vrbes & pagos incredibili lætitia effecit, ita vt nullus, quamlibet exiguus, tota Italia pagus esset, vbi non præ spiritali exultatione processio fieret, & eius festus dies celeberrime coleretur. Aquilani vero in honorem eius, tanquam patroni suiinsigne templum vna cum monasterio condiderunt: atque à Sixto Quarto Pontifice impetrarunt, vt ex aede Sancti Francisci, corpus eius in nouum hoc templum transferre ipsis liceret. Idq; factum est Pontifice annuente, anno Christi Millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo, die Decimoseptimo Mensis Maii, multis Fratribus Franciscanis præsentibus, impense latante & Clero & populo. Illi, hodieque asseruatur sacrum corpus illud honorifice eleuatum, & diligenter communitum. Primo enim impositum est capsæ crystallinæ, qua paucis ostenditur. Ea vero capsa inclusa est arcæ argenteæ, miro artificio & sumptu fabricatæ & ornatæ. Hanc autem vndique munit theca ferrea firmiter obserata: quemadmodum referunt, qui suis oculis intuiti sunt. Laus & honor sit præponenti Deo in sæcula sæculorum, Amen.

XCII.

S. D. N. NICOLAI PAPÆ Quinti diploma. Suapte manu scriptum.

Quo:

S. Bernardinus Senensis adleg'tur in Senatum Sanctorum.

NICOLAVS *Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

§. 1. *Misericordias Domini in æternum nos cantare debere Propheta admonet, dicens,* Misericordias Domini in æternum cantabo. *Magna & inenarrabilia sunt profecto opera misericordiæ Dei, quibus iugiter in salutem humani generis se eiusdem miserationis sinus effundit: quæ si quis ab initio creati hominis recensere voluerit, non tantum hominum linguæ, sed si quæ illis sunt, non sufficerent Angelorum. Quam inenarrabile est, quod cum hominem creasset, ad imaginem & similitudinem suam, quodque perciperes esse posset felicitatis æternæ, in vram cœlestem ciuitatem adscribendus consortiis Angelorum, si datæ sibi diuinitus legi non contempsisset imperium. Non passa est diuina clementia ipsum penitus interire; sed pro temporum diuersitate, non destitit congruentes exhibere medicinas, quibus à lege Domini aberrans in salutis semitam traheretur; nunc Angelos destinando, qui diuinam patefacerent voluntatem, suaderent quæ iusta sunt, quæ sancta sunt, & ad implendum diuinum beneplacitum adiuuarent; nunc mittendo Patriarchas gratiæ suæ spiritu repletos, qui exemplo sui cæteros instruerent ad salutem; nunc diuinos Prophetas, qui Sancti spiritu illuminati, non tantum eius rem-*

poris diuina beneficia humano generi commemorarent, sed etiam futura prædicerent, illud maxime, quo nihil potest, inter opera diuinæ miserationis sublimius excogitari, quod Dei filius in sua persona naturam nostræ mortalitatis assumeret, & adimpleret ea, per mysterium passionis & mortis suæ, quibus à Diaboli potestate & peccatorum vinculis soluemur.

§. 2. *Hæc facta sunt per illam immensam profunditatem, & abyssum impenetrabilem misericordiæ Dei. Quæ nos qui Christum induimus, & ipsius sumus baptismate consecrati, per singulos dies commemorare conamur, cum cordis nostri spe, fide & charitate viuentis, sacrificium immolamus, cum per ministerium sacerdotum, illius salutaris hostiæ, qua peccatum mundi huius abluitur, sacrificium indesinenter offertur. Hæc inenarrabilia sunt; & vix possunt, nisi exigua quadam & tenuissima ex parte recitari. Verum si quis cogitationem extendens in diuina beneficia, quæ post Domini nostri Iesu Christi Ascensionem ad cælos, humano generi exhibita sunt: quis illa non dicam dinumerare, sed quamuis potens eloquio, minima ex parte enarrare sufficiat? Quis non stupeat tantam vocationem humani generis, per Apostolicam tubam paucissimorum hominum, à Dei filio Iesu Christo Domino nostro, in vniuersum orbem terrarum destinatorum, Euangelicam veritatem humanis auribus intonantium? quorum prædicatione factum est, vt nihil terrenum, nihil igneum, nihilque corporeum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse hominespatent? quandoque à vetere, seu carnali vita tam inæstimabili multitudo, in nouam & spiritualem vitam translata est? vt persuasa sit humano generi, in ipsis, qui Euangelio crediderunt, continentia, vsque ad tenuissimum victumpanis & aquæ? & quod maius est, non solum quotidiana sed per continuos plures dies perpetuata ieiunia? quod castitas vsque ad coniugii, prolisque contemptum? quod patientia vsque ad Cruces flammasque neglectas? quod liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus? quod denique totius huius mundi aspernatio, vsque ad desiderium mortis intenditur?*

§. 3. *Hæc in plurimis, qui Christi Euangelio credidere impleta sunt, & quotidie videmus impleri: cum terrarum vbique videamus, vbi floret Christi religio, sacra canobia virisque mulieribusque referta, qui seipsos omnipotenti Deo sacras victimas immolarunt, cum videamus innumerabiles fere sanctissimos & deuotissimos Sacerdotio fungentes, suo ministerio id implere conari, vt ab hac carnali vita in spiritualem trascant, & à seculi huius concupiscentiis immaculati, illæsique permaneant: cum ex innumerabili multitudine populi pars non exigua, per Euangelii semitam transire conatur, implendo mandata cœlestia, quantum finit mortalis infirmitas. Hæc facta sunt diuina prouidentia per humanitatem doctrinamque Christi, per ipsius passionem & mortem, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortem, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuersis digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum oportunitate miracula. Quanta vero est illa diuina miseratio, quod decursu temporum, multorum frigescente charitate, illam penitus non sinit extingui: sed continue Ecclesiam suam per ministerium electorum suorum renouare, & multiplicare non cessat, vnicuique tempori electos quosdam, quasi primos magni gregis arietes, & quasi alteros Apostolos destinando, qui Euangelij semitam fere obliteratam, & pene corruentem, & vitæ exemplo, & doctrinæ verbi innouarent, tantæ perfectionis in se exemplaria tacentes, quæ postea innumerabiles fere, diuino spiritu illorum corda tangente facillime sequerentur.*

§. 4. *Hoc factum est per misericordiam Dei superioribus temporibus, & fere vbique terrarum: sed nouissimis diebus diuina se miseratio exuberanter effudit, cum in multorum cordibus frigescente charitate, sacram religionem, quæ ab Euangelica perfectionis semita aberrare videbatur, digno dignata est igne succendere: vt videamus plerasque sacras religiones ita renouatas, & ita diuino igne succensas, vt nisi ingrati esse velimus, diuinæ beneficientiæ immensas gratias referamus, quod ad excolendam vineam suam, etiam hac nouissima hora, operarios destinare non cessat. Quam plures videmus in hoc ministerium destinatos, sed temporum nostrorum præcipuus & magnus inter electos fuit vir iste Sanctissimus, propter quem celeberrimus iste conuentus agitur, Sanctus Bernardinus, vir ab ipsis cunabulis perfectioni Euangelicæ consecratus: qui in vineam Domini cultor, & operarius designatus, iniunctum sibi opus indesinenter exercuit: qui se immaculatum ab huius seculi contaminatione custodiens, primum insepsse iugum Christi suaue complexus est, & adeo vitæ exemplo, & sacra prædicatione profecit, vt fere per omnem Italiam renouauerit Euangelium Christi: vbique sine offendiculo scandaloque pertranseens, & quantum fieri potuit, semper Deo & hominibus placens.*

§. 5. *Non est huius loci propter angustiam temporis singulas eius diuinas, & fere innumerabiles recensere virtutes: Nam tanta Omnipotentis Dei attestatione munitur, vt humana laude non egeat. Tanta etenim in sanctitatis suæ testimonium coruscauere miracula: vt etiam si qui sint Ministri Sathanæ, qui eius cuperent detrahere sanctitati, tantis visis signis atque portentis, penitus obmutescant; & qui beneficia Dei, tempori nostro exhibita recognoscunt, agant vberes gratias tantæ sanctitatis authori, videntes in hoc gloriosissimo viro renouari, quod de vnigenito Dei filio dictum est.* Venientad te qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum. *Tanta etenim, tempore Sanctæ memoriæ prædecessoris nostri Eugenii Papæ Quarti increbuere miracula: vt sæpe per plurimos timoratos & religiosos viros, nec non literis multorum Principum, & præcipue clarissimi in Christo filii nostri Alphonsi Aragonum Regis illustris, & Senensium & Aquilanorum populorum precibus, literis & nuntiis pulsatus sit, vt tanta & tam diuina miracula quotidie coruscantia diligenter mandaret inquiri: Vt veritate comperta tanto viro gloriem, quam iam diuina testificatione, in triumphante Ecclesia obtinebat in cœlis, in militante non negaret in terris. Fecit quod rei grauitas & magnitudo poscebat, quod alias sedes Apostolica obseruare consuenit, committit tribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui duos Venerabiles Episcopos delegantes, veritatem tanta rei inquiri, cum omni grauitate mandarent: qui exactis aliquot mensibus ad sedem Apostolicam reuertentes, quæ inuenerunt fidelissime retulerunt.*

§. 6. *Cum autem idem prædecessor noster rerum veritate perspecta, pulsantium precibus satisfacere cogitaret; vocante Deo de hac miseriarum valle, subtractus est. Nos qui non meritis nostris, sed diuinæ dignatione, illi in onere & honore successimus, fuimus per eosdem, quos supra retulimus, sæpissime requisiti: vt quod prædecessor noster impediente morte non fecerat, impleremus. Nos rei grauitatem & magnitudinem attendentes, deliberauimus, maturè, & grauissime procedendum. Propterea tribus ex venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus commisimus, vt duos Venerabiles Episcopos eligerent, quos denuo pro inquirenda veritate delegarent: vt duplici inquisitione informati, rem audacius ageremus. Miserunt sicut iniunxeramus duos venerabiles Episcopos; qui eorum quæ inuenerant in scriptis noticiam reportantes, fidelissime singula retulerunt, per omnia conformiter referentes his, qui tempore prædecessoris nostri fuerant destinati, sed multo plura clarissima miracula reportarunt, quæ post priorum regressum non fuerant perpetrata. Nos non ea inquisitione contenti, etiam tertio destinare decreuimus: propterea duos alios Venerabiles Episcopos iussimus proficisci: qui profecti, post menses aliquot redierè, vberrima & fidelissima attestatione referentes, tanta diebus innouari, & coruscare miracula, quod, si singula recensenda essent, vix possent magnis libris includi, & ex omnibus, quædam maiora & insigniora retulerunt. Nos postea etiam Senas mittendum esse censuimus, missimusque Venerabilem Fratrem nostrum Angelum Episcopum Esculanum: qui post aliquot menses reuersus coruscantem diuinam gratiam in miraculorum perpetratione, sub verissimæ, & fidelissimæ attestatione recensuit; quem etiam voluimus Aquilam profisci, vt etiam reportaret, si in tanti viri sanctitatis attestationem perseuranter diuina miracula coruscarent. Qui reuersus, prioribus à nobis destinatis conformia reportauit: & insuper magna & stupenda, quæ postmodum contigerant retulit, quæ non in angulis, sed publicè & in conspectu multitudinis fuerant perpetrata.*

§. 7. *Nos hîc compertis, ne Spiritui sancto resistere videremur, qui per os Propheticum.* Laudari Deum in sanctis suis iubet; *piis & deuotis supplicationibus postulantium condescendere cogitauimus: fecimusque per Venerabiles fratres nostros, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales per nos deputatos, omnia per nuncios reportata, in Secreto Consistorio nostro diligenter particulariterque referri, quæ per Consistorium examinata sunt: sed propter grauitatem rei visum est in aliud Consistorium differri: vt tempore medio, quilibet Cardinalis in domo suæ, posset ille diligentius intueri; & in secundo Consistorio scrutatis omnium votis in eandem sententiam conuerrerunt, tantam esse euidentiam, & numerum miraculorum; nec non de vitæ ipsius sanctimonia, ac fidei integritate, tam clarum, tamque euidens testimonium: vt in tanti viri Canonizationem animis concorditer sua vota depromerent; quorum secuti iudicium tunc Canonizandum esse decreuimus. Verum vt res cum maiori grauitate procederet, iussimus in Capella maiori Palatii nostri Apostolici, apud Sanctum Petrum, Prælatorum omnium, qui in Curia essent fixi congregationem; ipsisque ibidem positis, vna cum Venerabilibus Fratribus nostris, proposuimus rem hanc, omnia recensentes, qua vsque in horam illam in huiusmodi materia fuissent actitata: & singulorum vota scrutata sint, qui in eandem sententiam deuenerunt, in quam Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in Consistorio Secreto conuenerant. Posteà in Consistorio generali re proposita, quod in Consistorio Secreto per nos decretum fuerat, publice decreuimus faciendum: hoc est tanti viri Canonizationem in Ecclesia Principis Apostolorum, hac die Pentecostes per nos debere celebrari.*

§. 8. *Nos igitur qui hùc hodie conuenimus, vt in conspectu tantæ multitudinis, sanctitatis tanti viri testimonium perhibeamus: assumimus illud Dominicum verbum, quod suis imitatoribus dixit.* Vbi ego sum, illic & minister meus erit. *Ministrauit vir iste Sanctissimus Christo, & secutus est Christum. Ministrauit Christo cum se laqueis seculi exuens,* deponens veterem hominem cum actibus suis, & induens nouum, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis; *iugum leue Sanctæ Religionis amplexus est. Ministrauit Christo, cum sancta religione proficiens, dietim maiora virtutum diuinarum augmenta capiebat, præcipue humilitatis Christi imitator effectus, pauper spiritu, & diues gratia. Ministrauit Christo, cum multo exemplo vitæ ad salutem profecit æternam. Ministrauit Christo, cum membris Christi, hoc est fidelibus Christi pabulum doctrinæ cælestis indesinenter exhibuit, plurimas Deo lucrifaciens animas, quas à Diabolo, & seculi laqueis eruebat. Ministrauit Christo, cum per Ciuitates, prouincias que seminans verbum Dei, populorum caterua antiquis Odiis dissidentes, omni cordium rancore depositio, in charitatem mutuam reuocabat. Ministrauit Christo, cum in pluribus locis mores in lasciuiem vergentes, & diutius antiquatos, verbi diuini prædicatione dimouit: exhortans tam viros, quam mulieres seruare pudicitiam, reliquaque laudabiles mores, sine quibus nemo vere potest esse Christianus. Ministrauit Christo, cum nouenni suo per omnem Italiam celebritate vigenti, in eadem, quam primo assumpserat humilitate permansit. Ministrauit Christo, cum verbum Dei indefesse prædicare non destitit. Ministrauit Christo, cum se vocanti ad æternam requiem, nec moritinuit, nec viuere recusauit. Ergo, quia non potest veritas ipsa mentiri, qua est vnigenitus Dei filius, qui per os carnis assumptæ locutus est dicens.* Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum illic & minister meus erit: *Cum sciamus hunc Sanctum virum ministrasse Christo, & ipsum fuisse secutum, vsque ad consummationem vitæ: maxime dubitare permittitur, quin potius certissimum tenere, quod vbi est Christus Dei filius, sit etiam minister suus Sanctus Bernardinus: Ergo quia cum Christo sunt omnes sancti eius: de Omnipotentis Dei misericordia, qui non deserit Ecclesiam suam; & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, ac Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ad id accedente consensu, decernimus, declaramus, & ordinamus, Sanctum Bernardinum inter Sanctos Dei, ab vniuersa Ecclesia debere deputari, & Sanctum haberi, & tanquam Sanctum honorari, & coli: ipsumque Canonizamus, & pro Canonizato haberi volumus, mandantes festum ipsius, in numero Sanctorum Confessorum non Pontificum debere collocari: & ei Officium Confessorum non Pontificum decantari. Insuper omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in die festi sui Ecclesiam, in qua sanctum corpus sum requieuit, deuote visitauerint, & ad ornatum, siue fabricam dictæ Ecclesiæ manus porrexerint adiutrices: septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis temporibus duraturis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, Ordinationis, voluntatis, mandati, Canonizationis, & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romæ in Basilica Principis Apostolorum, anno incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo. 9. Kal. Iunii Pontificatus nostri. anno quarto.*

Hæc sunt acta, miracula, & honores S. Bernardini Senensis.

XCIII. *De Thoma Florentino Minorita.*

Lepidum, sed & stupendum simul est, quod memorant historiæ Franciscanæ Scriptores, de Thoma Florentino Minoritano, inter laicos recepto, & per hæc tempora, quando apotheosis Sanct. Bernardini procurabatur, Reate defuncto. Multa, *vt aiunt*, patrabantur ad eius tumulum miracula: magnus fiebat ad eum inuocandum populi concursus. Negantem S. Bernardini canonizatio, quæ Romæ id temporis tractabatur, aliqua ratione impediretur, ferunt Beatum Ioannem à Capistrano, ante Thomæ sepulchrum prostratum, non sine lachrimis illum exorasse, vt tamdiu à miraculis edendis abstineret, quoad B. Bernardinus in sanctorum Cathalogum referretur, quo facto, rursus miraculis cœperit Thomas refulgere, *Chron. Ordin. Minor. libr. 2. par. 3. cap. 28.* Extant eius acta Ms. Romæ in Bibliotheca Baroniana, multo fusius quam in supracitato Chron. descripta.

XCIV. *Eug. pro pace in Italia stabilienda desudat sed frustra.*

Hoc anno 1444, Eugenius Pontifex, pro officio Pastorali, pacificandis Principibus Christianis; tuendo aduersus Turcas Regno Hungariæ & Imperio Orientali; necnon extirpando schismati, totis quibus poterat viribus incubuit. In primis cum Italiæ Principum concordiam, viderat esse pernecessariam reipublicæ Christianæ, hos conciliare adinuicem exorsus, vt Oratores ea de causa Romam mitterent, impetrauit. Venerant frequentes, ab vniuersis fere Principibus. Tractatione inchoata, cùm aliquibus magis opportuna Senensis vrbs ad disceptationem videretur, eo placuit commigrare. Ad initium Februarij Senas iuere Pontificis nuncij, Alfonsi Regis, Ducis Mediolanensis, Venetorum, Florentinorum, Genuensium, & aliorum procerum Oratores: & supplicationibus publicis peractis, reque diuina de Spiritu sancto in maiore Basilica celebrata, dissensionibus tollendis, pacique stabiliendæ operam dederunt. Quatuor, integros menses frustra desudarunt; sententiarum varietate, & dissensione partium, in omnibus persuasionibus superante. Vltima die Maij, rebus infectis discesserunt, doloremque ingentem, Eugenio pacis studioso attulerunt. *Malatesta hist. Senen. lib. 2. part. 3.*

XCV. *Eug. Regi Poloniæ & Imp. Constant. subsidia, contra Turcas mittit.*

Felicior fuit, in subsidiis contra Turcas, Vuladislao Hungariæ atque Poloniæ Regi, & Imperatori Constantinopolitano comparandis atque submittendis, Petrus Iustinianus, qui de rebus Venetorum scripsit, narrat, à Venetis aliquot triremes instructas in Turcas fuisse, quibus Eugenius Pontifex, vt Christianam rem iuuaret, octo, suo sumptu addidit; præfecitq; Franciscum Condulmarium nepotem suum Cardinalem amplissimum. His quatuor aliæ triremes à Belgarum duce transmissæ, totiusque huius classis imperium Aloysio Lauredano, viro nauali rei peritissimo demandatum, qui statim ex supero in Hellespontum venit, vt Amurathem bello lacesseret, quem etiam Vuladislaus armis infestabat. Pugnatum est haud procul à Danubij ripis, à prima luce vsque ad vesperam, magnaque armatorum vis vtrimque confixit, ac neutro fortuna inclinante, duo de quadraginta millia Turcarum eo prælio cæsa dicuntur, Christianorum decem; feruntque in eo conflictu, Gallum quendam hominem, corpore & animo præferocem, cum trecentis equitibus per confertissimas hostium cateruas sublimi equo vectum, vsque ad Amurathi præsentiam peruenisse, eumque ferrata prius claua, inde gladio graniter percussisse. Credidereque multi, Vuladislaum Regem fuisse, ob auteum paludamentum quo amictus ille erat, proinde vndique ferro petitus, ingentem circa se barbarorum numerum interfecit; demum superante hostium multitudine, & ipse cum magna sequentium parte cæsus, fortiter occubuit. *Iustinian. hist. Venet. libr. 8.*

XCVI. *Vuladislai Regis cædes. Turcarum contra Christianorum contra Turcam gesta & ipsius Vuladislai obitus.*

Certiora, & luculentiora habent, rerum Vladislai Regis scriptores, Philippus Callimachus, Antonius Bonfinius, & Martinus Cromerus, scilicet. Victoria de Turcis virtute Vuladislai Regis superiore anno parta, in vniuersum Christianum orbem diuulgata, omnium fere principum Christianorum Legatos excuit, qui tam intignem victoriam Regi congratularentur, & ad prosequendum inchoatum bellum cohortarentur. Inprimis Eugenius Pontifex, cum Venetis, Genuensibus, & Philippo Duce Burgundionum, classem ad prohibendum Turcis ex Asia transitum deferebant. Ioannes Palæologus Græcorum Imperator, cuius imperium, Turcarum viribus ita fuerat labefactatum, vt ademptis compluribus prouinciis, parum sibi in Thracia & Græcia superesset, missa legatione, post gratulationis officium, & adhortationem ad bellum prosequendum, vires & quantas quantas offerebat; vtq; facilius persuaderet, miraculum quoddam accidisse renunciabat, eo quo Carambus captus fuit die, Constantinopoli, ad portam Macedonicam, visum esse iuuenem candidatum, equo insidentem, gestienti circum lætitia discurrere, nunciare Turcarum cladem, & ineundæ in diræ gentis exitium expeditionis admonere. Prudentiores, & quos aut vitæ Sanctimonia, aut profundæ disciplinæ cognitio peritos rerum reddiderat, minime credebant, Vuladislai successum diuinitus Græcis nunciatum; sed eos admonitos temporis & occasionis suæ, apparitionem si quæ acciderat in rem suam vertere, & dicere, Turcarum in Europa rem pene profligatam esse; in Asia etiam fluctuare molientibus res nouas circumadiacentibus terrarchis; ideoque non cunctandum vlterius, sed trepidos, suaque imbecillitate ac via aliena laborantes subito opprimendos. Imperatorem cum suis armatum ex parte altera affuturum, si modo Regi cordi esset, primo quoque tempore eam victoriam prosequi, quam Deo duce ac comite, vel exinde adeptum esse constabat, quod diuinis etiam nunciis fuerat peruulgata. Præter Palæologi Imperatoris, non deerant etiam instantissimæ Iuliani, adhortationes, & lachrymosæ Despotis preces, qui quotidie Iulianum, Huniadem, cæterosque proceres ambibat, Regis genua amplexabatur, & ad persuadendam hanc expeditionem, nihil studij, diligentiæ & laboris remittebat.

Vuladislaus ad prosequendum Turcicum bellū à diuersis monetur.

At vero Poloni proceres, missis publice & priuatim Legatis, vere & ipsi gratulabantur tam felices successus Regi suo, obtestabantur tamen eum, vt illo vno periculo defunctus, ne rursus difficillimi & longinqui belli fortunam tentaret: sed in Poloniam vt primo quoque tempore veniret, ac benemerentis patriæ salutí, atque tranquillitati, etiam atque etiam consuleret. Nam & Tartari crebris excursionibus Podoliam atque Russiam infestabant; & Lithuani cum duce suo Casimiro bellum aduersus Boleslaum Masouiorum ducem ob occupatum Drohicinensem tractum apparabant: & vero è Silesia magna belli moles conspiratione principum existere videbatur, ex huiusce modi principio. Stigneus Cardinalis & Episcopus Cracouiensis, vt Ecclesiam suam locupletaret, emerat à Venceslao Cessinensium duce ditionem siue Ducatum, vt vocant, Seuerinensem; ex millibus marcarum Pragensium: sed in adeunda possessione difficultas ei à Nicolao Ratiborensium duce obiecta est. Eum vero dum Poloni publice ea de re ductore Petro Saffranecio persequuntur, forte contagio & incommoda belli Boleslaum Oppolienium ducem, qui extra noxam erat, attigerant. Is igitur à Polonis res reperebat, nisi redderentur, bellum denunciabat; & adiuturi eum cæteri Silesiorum duces, vt erant fere cognati & affines inter se videbantur.

Hæc igitur præsentia pariter & impendentia mala, vt Rex aduentu suo sedaret & auerteret, Poloni magnopere instabant. Quod si is à Turcico bello tamen abduci non posset, certe ne quid se inconsultis de eo statueret. Hæc optimi Regis animum in diuersa distrahebant. Hinc dulcedo degustatæ gloriæ, & cohortationes Pontificis Maximi, alioruмque Christiani orbis principum; illinc Polonorum, quibus quantum deberet, intelligebat, preces, & imminentia pericula, cogitationes eius differebant. Vicit tamen causa Christiani Orbis publica, instante maxime Iuliano Legato. Ergo ingruente vere, placuit per Legatos omnes Principes admonere, qui in salutatem hanc expeditionem, auxilia, pecunias & classem promisserant, vti quantocius promissa præstarent. Inprimis Palæologum Constantinopolitanum Imperatorem, vt quum se in Thraciæ Macedoniæque finibus cum exercitu esse sentiret, præsto quoque ipse cum auxiliaribus copiis adforet. Insuper Eugenium Pontificem maximum, Venetos, Genuenses, cæterosque socios, qui comparandæ classis negotium vltro susceperant, vt in Hellespontum eam mitterent, quod & impigre ab illis factum est: quippe qui ad Caietam septuaginta triremes instruxerant, & classi Franciscum Condulmerium, è patritio Venetorum genere natum, Cardinalem, ingenio & virtute præstantem præfectum destinarant. Is continuo in Hellespontum nauigauit, portus occupauit & littora, ne qua ex Asia Turcis auxilia transmitti possent.

Resolutio de inferendo Turcæ bello.

Ad augendam hanc inferendi belli occasionem, fama felix accesserat, Carmaniæ principem cum magnis exercitibus in Pontum ac Bithiniam properare, vt minorem Turcis Asiam eriperet, Europæ imperio intentis. Ea rumoris dexteritate, longe magis succensa sunt ad hoc bellum Christiana studia; quum secum reputarent, non modo Europæos per se maximum in hoc bello fœdus iniuisse, sed Asiaticorum quoque ex insperato auxilia aduenisse. Quin etiam Amurathes, audito Caramanici belli periculo, ita animo consternatus est, vt de pace potius cogitationem susceperit. Quum enim totiens se ab Hungaris & Polonis, auspiciis Pontificii Legati, fusum fugatumque reputabat; pensatis quoque Caramani viribus, omnem in Europa Asiaque victoriam desperabat. Succurrebant Pontificis auxilia, Italorum opes, cum Burgundionum viribus vna coniunctæ, quæ terra marique plurimum posse viderentur. Quare nihil vtilius veniebat in mentem, quàm coniurante in se vno tempore simul Europa, & non parua ex parte Asia, de pace cogitare, quam propagandi olim imperij cupiditate semper abominabatur. De ea ergo cum Despote agendum esse censuit, cuius ob liberorum captiuitatem, & principatus priuationem, cupientissimum fore intelligebat. Itaque ad eum clam nuncios misit, qui ita cante cum illo de pace agerent, ne eius cupidi viderentur. Ergo iussit, vt prius de Carambi redemptione tractarent, & pro ipso, filiorum, principatusque Mysiæ restitutionem pollicerentur: de pace subinde, veluti præter mandata Regis, mentionem facerent. Despotes, quum de suis

commodis agi intelligeret, dictis Turcorum aures admonuit; quin etiam id in rem Hungarorum fore admodum existimans, ad Huniadem rem ipsam detulit. Huniades quoq; pensatis belli periculis, & Hungarorum Polonorumque malis, qui intestinis iuxta discordiis laborarent, infestumque Fridericum Romanorum Regem haberent, opibus etiã & authoritate pollentem, ne recusandam quidem pacem reputauit, perspectisque conditionibus, quas Despotes referebat, eo impensius animum ad pacem intendit. Neque enim displicebat illud, quod Despotes dicebat; quippe, qui si eius opera pax ista fieret, quadraginta aureorum millia, Turcarum nomine, pro Carambo, & quæcunque Sigismundo Imperatore oppida in Hungaria sibi dono data fuerant, recuperaro à se regno, Huniadi daturum pollicebatur. Amurathes, quum Hunniadis animum ad pacem inclinatum esse accepisset, quem vnicum in Europa perhorrere videbatur, Idibus Iunijs Segedinum ad eum legatos misit, qui pacẽ ibi omnino transigerent. Ille Vuladislaum Regem statim admonuit, vt ad eundem diem cum instructo exercitu illuc adforet; vt cum adfuturi essent Turcarum legati, de concordia secum acturi, motis dudum castris, æquiores pacis conditiones extorqueret.

Inducia ad decennium firmantur

Vuladislaus porro Oratores Amurathis ampla dona afferentes, in augusto Hungarorum & Polonorum cõsessu audiuit, pacemque perentibus, siue adeo inducias decem annorum dedit his legibus, vt Amurathes Golubeciam, Synderouiam siue Smiderouiam, Zarnouiã Crussoueciam, Couinum, Seuerinum, Nouabardũ vbi argenti metalla sunt, Srebernicũ, Ostrouiciam, Surinũ, Cosnicum, Coperhanum, Procopiam, Lascoueciam, Zelonigrodum arces, totamque Rasciam, & eam partem Albaniæ, quæ in ditione Despotæ Rasciæ fuisset, ac duos filios Despotæ captiuos redderet. Restituendis castris, oppidis, ciuitatibusque ac captiuis, dies præstituta; in decennium pax firmata; præsente etiam Iuliano Legato; qui quamuis eam iniquo animo ferret, non tamen veriebar in mentem, quo ipsam facile improbaret, difficile erat futuris rebus certa commoda præfinire. Sed tamen nimis interim discruciabatur animo, & litteris potissimum suis, magnum in Italia à Pontifice Eugenio & sociis fœdus ictum fuerat, & ingens classis parata, missaque; nunc videret omnes apparatus hac transactione fore irritos, & præter quod aut vanitatis, aut perfidiæ sibi notam posse inuri, clarissimæ victoriæ, immortalitatisq; adipiscendæ spem deponere cogeretur. Contra Hungari, Mysi, ac Daci, lætitia singulari complebantur; considerantes sibi vltro dari, quod sine multo sanguine recuperare nequiuissent. Compositis præter voluntatem Pontificis & sociorum rebus omnibus, de modo pacis sanciendæ agi cœptum est. Et cum Turcæ peterent, vt in confirmandis, pacis conditionibus, prolata in medium Sacrosancta Eucharistia Rex iuraret; Hungari nequaquam fortiter contra tendebant, ne si id iurandi genus deprecaretur, suspicari possent parum sincero animo de concordia transactum. Cæterũ Gregorius Sanoceus Polonus, vbi Regis quoque animum à tam insolenti facto haud omnino abhorrentem vidit, Religioso veluti furore percitus; *Deus*, inquit, *Deus, tam execrabile scelus auertat, vt qui paulo ante contra impios pugnantes, omnia tristia difficiliaque perpessi fuimus, dum vinceremus; nunc rursus pro religione armati, & prope modum victoriam manu tenentes, Sacrosanctum diuini mysterii arcanum, sub prophanorum oculis sponte proferamus. Quid primũ, quid hac secunda expeditione, à nobis petitum, quid adeo ingentem belli molem ex tam separatis ab inuicem regionibus, ab Italia, à Burgundia, à Thracia euocare, quid denuo arma induere, quid hucusq; progredi oportuit, si Sacra nostra prodenda fuerant. Minori nostro facinore per ignauiam domi inermes sedendo pati potuimus illa profanari, quam nunc simus armati prodituri. Pudeat nos gratulationum, quibus nuper victores accepti; pudeat laudum, quibus vt Christiane rei seruatores prope in cœlum modo elati sumus. Pudeat denique obnoxios ijs nefariis cogitationibus nos dignos haberi, aut in quibus totius Europæ Reges ac principes spes suas collocauerint, aut pro quibus innumerabiles populi & nationes, omnibus in templis, ad Deum supplices ambiant, pro victoria nostra vota nuncupando. Quanto Sanctiue Prisci Romani; qui capta à Gallis vrbe, ne sacra sua conspici possent, terra infodere. Nos victores, nostra vltro impijs prodere cogitabimus, committemusque, vt religiosius ab illis inanes quadam diuinorum persuasiones seruata dicentur, quam à nobis Sacrosanctum immortalitatis nostræ pignus ac mysterium, & publice nos isto facinore contaminabimus? Quod si vnus quispiam id sacrilega audacia perpetraret, seuerissime vindicaremus. Omitto quantum piaculi apud Deum contrahemus, qui non modo ab ipsius causa defecerimus, sed ipsum etiam testem ac pignus defectionis nostræ impijs exhibuerimus. Quid de nobis hostes sentire poterunt, videntes nos tanti pacem existimasse, vt non minus sacrilege iurauerimus quam ipsi impudenter postulauerint? Sed vt hæc pacis vtilitas leuiora videri faciat omnia quæ aut in nostra Fide religiose, vel aliorum perfidia, superstitiose altius elata sunt, quam quæ humanis sensibus attingi queant, cæremoniarum velamento, sanctoque arcano mortalium animis infunduntur: quæ nuda in medium protrahantur, quis nullo humanæ rationis argumento subsistunt, & temere asseuerari, & impudenter peti vt credantur apparet. Audiuere dudum hostes Deum præsentem à nobis coli, asseruariq; in Sacrariorum penetralibus: & quia ignorant, quo id pacto contingat, cum de eo cogitant, nihil simile iis, quæ terrena & momentanea cognoscunt; sed quicquid extra mortalitatis sortem positum putant, mentibus eorum occurrit. Et id quod quale sit nesciunt; Tantæ nostræ de eo assueurationi par figurant. Nos hanc ipsorum persuasionem nostris patefactis arcanis corrumpemus, elatasq; ad diuina & cœlestia de sacris nostris mentes, ad caduca, & terrena reuocabimus, specie panis in conspectum exhibita; qua verum corpus Christi contineri, vt nos quidem firmiter credamus, efficit diuina institutio, gratiaq; Dei qua perfusi sumus, quibus illi orbati, cum res per aspectum fidem non faciat, restat vt nos irrideant, veluti minime possibilia credamus. Nolite per Deum committere, vt abeleatur sacer ille horror, quo ipsorum animi præstringuntur in bello, cum secum reputant inituros se prælium contra nos, quibus adeo propitius sit Deus, vt propemodum videndus nobis coram pariter concurfetur. Quantum de nostra, deq; religionis nostræ maiestate hoc facto minuetur, tantum crescet apud illos audacia, credituros subinde, vt ipsis quidem videbitur, ex specie quam intuebuntur; non modo in veri Dei tutela non esse, sed nec in alterius cuiusquam. Multi modi stabilitati conuentorum cauti aliter possit quamuis ad fidei pignus, Regium verbum satis esse deberet; cum alia inter priuatos cautiones, alia inter Principes exhibentur. Ad extremum, relicturum se profananda castra affirmabat, si eo modo Rex iurare vellet.*

Turcæ volunt vt prolata in mensam Euchar. Rex iuret sed a talifacto à Greg. Sanoceo Polono abstineretur.

Itaque cum videretur tam vere, quam è religionis, eque ipsorum quos alloquebatur vsu & maiestate dixisse, constitutum est, vt super Euangeliorum libro, Turcæ super Alcorano iurarent.

Christiani super Euangel. libro Turcæ super Alcorano iurant. XCVII. Lectii legati Latina classis & Imp. Constant. hortatis de Turcis aggrediendis dubitantes ad pacem frangendam.

Confecta iam pace, abeuntibusque Turcis, vt ex composito promissa præstarent; Francisci Cardinalis, qui in Hellespontо Latinæ classi Legatus præerat, litteræ allatæ sunt, quibus significabatur, Amurathem; exinanita fere Europa, cum omnibus copiis in Asiam aduersus Carmanum traiecisse; occasionem q; maximam oblatam esse, facile recuperandi quicquid in Europa fuerat amissum.

Monere deinde impensius & hortari, vt cum suis quam primum exercitib; in Macedoniam ac Thraciam erumperet. Se ad Hellesponti fauces in tempore adfuisse, & ex fœderere promissa præstitisse; atq; ne Turcæ reportent ex Asia exercitum, velle prohibere. Non præmittendam tantam occasionem, prope sine armis aut certamine aliquo exterminandi, propellendique ad origines suas diram gentem, execrandamque superstitionem. Meminisset Rex fidei sponsionisque Principibus Christianis factæ, & quam maxime fieri posset, properaret cum promissa expeditione; quando illi quoque, quod suum erat, auxilia præmisissent. Allatæ sunt pariter, & ab Imperatore Constantinopolitano litteræ, quibus festinandam esse expeditionem, ob

Turcarum absentiam flagitabat; simulq; significabat, se, cum tentaretur à Turca de fœdere, non solum repudiasse conditionem, verum etiam hostilia contra illum vltro intulisse, & in armis esse cũ suis, vt Regi sub ipsam montium descensum vel accurreret, vel alibi expectaret, si id magis ex vsu fore videretur. Instandum ergo agendumque, dum distractus ille multiplici bello tam diuersis in locis terra marique suis adesse non posset; dum nuper cæsus, fusus, fugatusque nondum satis animum viresque collegisset; & proximis cladibus afflictus, ne dum imperium, sed nec nomen quidem Regũ laturus videretur: Omnia per dolum fraudemque, ab Oratore Turcico in fœdere tractata: Non committendum, vt gloriosa initia, vecordi negligentia fœdarentur: Sed rapiendam opportunitatem delendæ iuominiæ Religionis Christianæ inustæ non vno atque altero oppido, sed multis regionibus Christiani nominis partim direptis, partim ab execranda gente sub ditionem summissis. Turcam adeo festinanter per Hellespontum copias traiecisse, vt verius dici posset fugisse bellũ, quod à tergo affore sciebat, quam profectum esse ad propulsandum id, quod ab Asia nunciabatur. Ad extremum rogabat, ne vllam fidam perfidissimæ gentis pacem Rex acciperet, neue Turcarum se armis obruendum relinqueret. Non aliunde magis discrimen sibi imminere, quam quod Regiæ fidei pollicitationique crediderat.

Iulianus Card. instigat ad repudiandã concordiã.

Recitatis vtriusq; in Senatu litteris, tãta Regem cunctosque proceres facti pœnitentia mox incessit, vt nullius vmquam rei vehementius puderet, pigeretq;, memoria eorum quæ de se sperare adduxerant Pontificẽ, Imperatorem, ac principes Christianos: cœpitque Regis aliorumque velut oculis obuersari species gratulationum, quibus tot Regum populorumque veluti publico consensu paulo ante, tam quam Christiani nominis seruatores excepti fuerant; & pudebat, pigebatque, ob præsentem vtilitatem, perpetuum deinde veluti contempsisse, secuturamque exinde ignominiam intuebãtur: & meminerant obligatam prius ab se fidem Eugenio Pontifici, Palæologo Imperatori, Græcis simul Latinisque, & ab vtrisque implorata auxilia præsto esse, quæ nisi per summum scelus in discrimine, in quod pellexerant, relinquere non poterant. Cum itaque omnia immortalitatis fundamenta quæ iecerant, inita cum Turca pace, inuitis, insciisque sociis, iam irrita fore conspicerent; atque expectationẽ quam de se in Christiana republica susciterant, fefellisse docerentur; & qui non ita pridem vindices Sanctæ Fidei, propugnatores religionis, vltores Christi, & gentium fidelium liberatores appellabantur; contra, violatores socialis fidei, & Latini Græciq; fœderis immemores, contemptores immortalitatis, & propriorum tantum commodorum amatores haberi; adeo contratio affectu distrahebantur, vt qui paulo ante pacem vltro elegissent, bellum rursus appeterent. Et videbatur etiam quædam quasi opportunitas & causa concordiæ repudiandæ; quandoquidem Turca ad constituram diem neque captiuos omnes soluerat; nec dum oppidis ciuitatibusq; quibus oportuit ex fœdere cesserat. Itaque Iulianus Cardinalis Legatus, apud tam suspensos animos, desideriumque inter & pœnitentiam initæ concordiæ fluctuantes, occasionem suam adesse ratus, conuersus ad Regem & Proceres ait:

Si quis vestrum forte miretur, quod de rescindenda pace, ac violanda fide, sim verba facturus; is primum intelligat, me nil aliud hodie, quam de seruando fœdere vobiscum actorum, & pari vobiscum pœnitentia corripi; pœnitentia dixi, non dolore, quando hæc quæ me inuito facta sunt, & præter opinionem vestram acciderunt, veluti è specula cuncta prospexi: cogor pro legationis officio, & Christianæ professionis contantione, iuxta atque vos animo fluctuare: & eo vel maxime, quod de communi honoris dignitatisque iactura hodierno die agitur; quam nisi communi consilio & soita virtute vosarcire enitamur, ô quam verendum est, ne præ nimia infamia, & vobis è Pantonia egredi, & mihi Romam redire liceat, vbi grauissima censura quæque indicentur. In quas miserias præceps consilium nos plane coniecerit, considerate. Pacem cum Turca fecimus infideli, vt sanctam fidelium fidem violaremus, & Sacrosanctum cum summo Pontifice sociisque Principibus initum ante fœdus rescinderemus. Et cuius, cuius inquam vtilitatis gratia? nempe vt Mysiam diu populatam recuperaremus. Exiguæ profecto & calamitosa est ista vtilitas, quæ ad breue tempus intercipi potest, & cætera commoda, quæ perpetua fuerant, longeque maiora amouet, & repellit. Quid enim dementius, & magis inconsultum dici potest, quam in deliberando priuati tantum commodi, & non publici, item neq; honesti & sancti habere rationem? Quid Turcarum perfidiæ præstare debeatis, non id quæritur hodie, Proceres, sed à Italiano, Pontificio, & Latinæ societatis Legato, actore & auctore, iuriti promisi, violata fide, & soliti fœderis, ante conscientiæ vestræ tribunal postulamini, & vestro potius, quam diuino abeuntes iudicio (si mea quo animo dicta patiemini) reos vos efficiam. Respondete mihi, Proceres, nonne postquam sex menses in Mysia, simbusque Thraciæ cum Turcis tot bella feliciter gessistis, deinde euantes in Pannoniam rediistis, ab Eugenio Pontifice, & ab vniuersa fere Italia, & à Græcorum Imperatore honestissimas legationes accepistis, & congratulationes fausta victoria & ad continuandum bellum adhortationes? Accepimus. Nonne cum Eugenio Pontifice, & cum Palæologo Imperatore, atque vna cum Italis & Græcis, vt hi à Thracia cum auxiliaribus copiis occurrerent, Latini classem ingentem in Hellespontum mitterent, Sacrosanctum vltro fœdus, me præsente & auctore percussistis? Percussimus. Si percussistis; cur tum Turcis, isto violato, aliud transegistis? Quo iure, quamuis transactum sit, seruare poteritis? Ergo si superiore anno, cum Pontifice Maximo, qui Christi Dei vicem gerit in terris, fœdus intuistis; si humani sit rationis compotes, si Christiani estis, secundum omnino vobis fœdus rescindendum est, ne primum & diuinum violetis. Quod nisi faciatis, vereor, ne veluti Iudas Christum, ita vos eius Vicarium prodere videamini; neue Deum, quem hactenus rebus vestris præsentem, & propitium semper habuistis, vobis posthac infestum sentiatis. Nunc autem, quæso, dicite, quid Imperatori Constantinopolitano, qui ex compositio iam à primo tempore fuit in castris, & vestrum in tanta opportunitate expectat exercitum? quid Pontifici maximo? quid Venetis & Genuensibus, qui classem instructam habent, vt constitutum fuerat; quid Burgundionibus, qui ardore fidei ex Oceano diu soluere, & tot pericula maris emensi, nunc in Hellespontо nauigant, respondebitis? Commentamini quæso, si potestis, excusationem, & colorem aliquem, quo non pœnitus nostri dissimiles videamur. Si quid è recondita arte excogitastis, expromite. Promisistis vos primo quoque tempore in castra aduturos: nunc vernant vestri milites, & æstuant, & per calamitosam ignauiam, & negligentiam, tanta & tam salutaris occasio elabitur. O ingentem animorum cæcitatem: ô crassam ignauiam. ô execrabile fœdus ad Christianæ reipublicæ ictum exitium! Insanierit me fortasse aliquis, cur id cum cæteris tolerauerim? Adfui, fateor, sed quantum in me fuit, neid fieret, intercessi improbaui, & vt multi ex vobis, qui hic adestis, testes esse possitis, instantissime dammauli. Victus sum Huniadis sapientia & auctoritate, Despotisque commiseratione, ne Regno ac liberis, intercessione mea, vltra infelix ipse cernere videretur; & me me commodorum vestrorum contemptorem oppugnatoremq; quisquam appellaret, tristi & inuito cessi haud insons, hunc salutem Christianæ Reipublicæ labefactari, spem gloriæ ac immortalitatis extingui; & nos omnes pariter diuini humanique fœderis violatores, perfidos, & Christianæ gentis proditores (vt vestra pace dixerim) appellari. Quare nisi antequam perfidiæ nostræ rumor longius effundatur, nos ipsi ab hac infamia vindicauerimus, Nihil turpitudine scelereque vestro, maius aut miserius quicquam dici potest! Id si voluerimus, non tam facile quam iuste ac sancte facere poterimus. Restituta Mysia, redditisque captiuis, quid vobis aliud agendum est. Proceres, quam instaurare exercitus, parare quæcunque belle sunt vsui, initum prius fœdus cum Christianis seruare? Dicere, Vuladislaum Regem, post percussum cum Latinis Græcisque fœdus nihil inconsultis socijs, quorum auspicijs commune bellum geritur, pacisi potuisse: præcipue cum hostibus Christianæ professionis. Si quid illi cum Turcis conuenerit, fore irritum: priori standum esse fœderi. Quisnam ita iniquus humanarum rerum examinator est, qui non

facile inducet, initam cum vtroque fidem, Christiano potius quam Turcæ, & fideli potius quam perfido esse seruandam? Omni in perfidum hostem, arte, vi, fraudeque vtilicet. Ars arte eluditur, & fraus fraude circumuenienda est. Dolo Turca à principio in Europam traiecit; dolo pedetentim Regnum inuasit; nemini vm quam fidem seruauit; artibus potius quam armis, ad id rerum fastigium euectus est. Et vos, eone cæcitatis peruenistis, vt Turca potius, omnis fidei ac rationis experti, quam fidelibus Christianis, imprimisque Pontifici Sacrosancto, seruandam esse fidem censeatis? Astu & consilio, maxima quaque geruntur. Romani maiores nostri, semper socirum fidem recte sancteque seruarunt: perfidos pari arte elusere. Fas est quandoque publicæ salutis gratia, neque stare pactis, quæ illi contraria; neque perfidis fidem seruare. Fas est iniqua iuramenta rescindere, & præsertim quæ prater æquum, fas, & bonum esse censentur. An Diomedi, quicumque in solo patrio primus occurreret, diis immortalibus deuoueri, obuium sibi filium, ex voto & iuramento mactare fas fuit? Nempe nefas. Æquum & iustum iusiurandum, omnium iudicio est sancte seruandum: quod autem non modo ad priuatu sed ad publicum facit exitium, illud irritum ac vanum esse debet. Displicet Deo stulta & infidelis promissio. Quas ob res antequam perfidia nostra late diuulgetur, vos quaso, & non sine lachrymis obtestor. Proceres, teque inprimis Rex inclyte, ne datam pro salute reipublicæ Christianæ Sacrosancto Pontifici, cæteriisque fidem, vllo vnquam pacto violandam censeatis. Initam cum Latinis Græcisq; societatem fideliter sancteq; seruate. Susceptam ex consensu expeditionem, sociorum exemplo prosequimini; iacta immortalitatis & gloriæ fundamenta tueamini; Prouincias, Turcarum seruitute pressas, liberate; collatam in vos spei satisfacite. Nolite expectationem hinc gentium fallere, quo nihil turpius esse potest. Nulla vos initi cum Turca fœderis religio teneat; illud censete nefarium & detestabile, Pontificis & Christiani fœderis violare sanctitatem: Deum, quod cæleſti benignitate prohibeat, si aliter feceritis, acerrimum violatæ fidei fore vindicem existimate; nihil reputate Christo Opt. Max. gratius, vobisque gloriosius futurum, quam occupatas à Turcis prouincias, à fera illorum seruitute vindicare. Nolite hanc oportunissimam occasionem præterire, quæ nulla vnquam commodior dari potest. Destituta est à Turcis Europa, Carmanico bello: Pontificia classis in Hellesponto interdicta est illis reditus; Thraciam, Macedoniam, Græciam, Epirumque inuisere tantum & lustrare opus est. Nullus hostis adest. Proinde Pontificium, per Deum quaso, seruate fœdus, & fausta feliciaque castra, veluti vobis cum sociis conuentum est, in Macedoniam Thraciamque mouete.

XCVIII. *Inducia cũ Turcis abrogantur.*

Dixerat hæc Iulianus. Ab eius oratione, abrogandam Turcarum pacem, omnes exclamarunt: initam cum Pontifice Max. & Christianis Principibus societatem, à quibus ipsi opem implorarant, nullo modo violandam: malle omnia extrema perpeti quam sancte promissa non præstare: & quamuis maxime commodorum omnium spes in Turcico bello sita sit, tamen si res etiam parum prospere euenirent, longe satius esse pro Christiana religione mori, excitatam expectationem tueri, seruare datam fidem, quam infamem turpemque vitam ducere. Quare ex Regis & Senatus consulto, fœdere, seu inducis cum Turcis abrogatis, decretum abrogationis, ad Imperatorem Constantinopolitanum, & Franciscum Cardinalē Apostolicæ classis præfectum, ne cœpta desereret, repente missum est. Rex interim nouo Sacramento se cum proceribus ad prosequendum bellum Turcicum obstrinxit; cedente etiam de priore sententia Hunlade, Bulgarici Regni promissione illecto. Non placuit Polonis istud consilium Regis, de violandis pactis cum Turcis: adeo, vt malis auspiciis bellum illud renouatum fuisse non dubitari int affirmare, vel tum maxime, quando commisso ad Varnam prælio Rex & Iulianus, se & exercitum, quamquam non valde numerosum perdiderint.

Prudentiores, causam inauspicati belli asserebāt, sacrilegium militum fuisse: quando castris in Bulgariam motis, in sacra Bulgarorum Græcorumq; nimis licentiose à militibus grassatum est, quorum templa, quasi profana essent, monumenta, ferro, igne, cæteroque omni scelerum instrumento violabant. Id vero adeo, vt certe erat, impium visum est Vuladislao Regi, vt edixerit, vulgo inquiri, ac restitui desiderantibus, quicquid iniolatum esse religione oportuerat: *nullius magis quam ipsorum interesse asseuerans, abstinere manus à sacris, pro quibus arma sumpsissent. Multum quidem in armis reponendum esse, sed in Deo plurimum: qui postmodum in bello, non modo opem non laturus foret contaminatis sacrilegio, sed etiam pro templis, pro aris, pro sacris suis contra staturus, nisi à tam execrabili rapina abstinerent.* Vates fuit ea in re Vuladislaus, quod euentus probauit. Inauspicato motis signis, ad Varnam Pontici littoris vrbem infesto exercitu penetrauit, vt in ea ora Christianam classem expectaret.

His rebus cognitis Amurathes, Christianorum iuuitatem atque erga se perfidiam grauissimis verbis detestatus, è Cilicia rediens, magnis itineribus ad Hellespontum venit, ibique aut frustratis arte, aut corruptis pretio speculatoribus, qui littora seruabant, infra Callipolim, quę fauces Hellespontiarctissimæ sunt, traductis copiis, septimis castris ad Varnam peruenit. Eius aduentus Christianorum opinione celerior, Regem inprimis & Ioannem Hunniadem Turcico assuetum bello vehementer perterruit.

His autem animis vtrimque in aciem descensum est, XCIX. vt primo congressu Amurathes de victoria desperasse tradatur; nisi noua & recentissima Turcarum ala, Crucesignatis imperite laxantibus aciem, victoriæ occasionem ademisset. Vuladislaus enim acerrime pugnans, stratis nobilioris alæ equitibus, ad lanizatos prætorianos pedites penetrarat; sed sinu facto in medium receptus, suffraginibus equi succisis, Rex corruit, atque ita trucidatus est, Hunniade frustra interfecti cadauer è manibus hostium eripere conante. Rege interfecto, caput eius barbari lanceæ præfixum circumferentes, sublato clamore Christianorum fugientium tergis insti terunt. Hunniades intactus effugit. Iulianus vero Legatus, qui prælata Cruce hortabundus Regia signa sequebatur, quum ad lacunam sitienti equo habenas laxasset, superuentu hostium, aut vt plerique existimarunt, Hungarorum sæuitia trucidatus interiit, multa eum contumelia onerantibus barbaris, quod sacerdos, contra ius Gentium fidem violandam abrupta pace fœde censuisset. Varia fortuna & opinione, isto die certatum. Nam Turcæ primum à Rege fugati, Christianorum victoriam in proxima oppida diuulgarunt: quia diserum vsque tempus prælium pertulerunt, non vsque quaque se vicisse rati, ac nescij quonam locorum se Hungari recepissent, dum ad currus, ob silentium, insidias aliquas suspicarentur, biduo vel triduo à castrorum direptione se continuere. In acie ac fuga, innumerabilis vtrimque multitudo cæsa. Ex Turcis multo plures in acie: ex Christianis, quos ad XVI. M. hominum fuisse perhibent, vix tertia pars rediit. Ex Turcis autem, qui ad hoc bellum cum LX.M. hominum sane confluxerant, XXX. circiter M. interfecta fuisse fatentur, Amurathemque dixisse, nolle se hoc modo sæpius vincere.

Christiani à Turcis cæsi Vuladislaus Rex & Iulian. Card. interfecti.

Numerus occisorum.

Inter pugnandum, ferunt, Amurathem, depromptum è sinu codicem fœderis explicasse, clamitasseque; *Hæc sunt Iesu Christi fœdera, quæ tui Christiani mecum percussere, per numen tuum sancte iurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt: perfide te suum Deum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es, vt aiunt, & nos hallucinamur, tuas measque hic iniurias, te quaso vlciscere; & his qui sanctum nomen tuum nondum agnouere, violatæ fidei pœnas ostende.*

Apostrophe Amurathi ad Christũ de perfidia Christianorum conquerentis.

Occidit Vuladislaus in florentissima ætate, Princeps omnium sui temporis Regum, omni probitate, iustitia & integritate præditus; cui animus ingens & ex celsus; continentia magna, fortitudo ingens, ingenium ad imperandum, & ad bella quæque grauissima pro republ. Christiana promptissimum, laudis cupidum & immortalitatis: præterea tam mite, clemens & benignum in quos opus erat, & ad officia quæque paratum, vt neminem à se dimiserit, qui mansuetudini illi Regiæ se propetuo non profiteretur obstrictum;

Vuladislai laudes.

item

item suorum amantissimus, omnium morum nobilitate præcellens: facie dignitatis plena; laboris & inediæ patientissimus, abstemius, religionis & iustitiæ cultor eximius; probitate & clementia, etiam in hostes singularis; liberalitate prope modum nimia; magnitudine animi tanta, vt nihil humile cogitaret, nulla difficultate ab eo quod consulto instituerat, auelli se pateretur, deniq; summa in eo fuerunt omnia, quæ maximos & optimos Reges decent. Diuulgata eius morte, omnes Christianę reip. principes, glorioſissimi iuuenis interitū defleuerunt, ac inprimis Eugenius Pont. Max. qui ad primum mortis nūcium collachrymauit, & in Diui Petri Basilica solennes illius animæ inferias persoluit & edixit. Classis Pontificia, audita infelici clade, in Italiam vela reflexit. Ex captiuis, duodecim ingenui iuuenes Poloni, præclarum specimen virtutis edidere. Hi cum ab Amurathe ex omni numero propter eximiam formam secreti, vt circumcisi pro cathemythis & cynędis essent, & in cubiculum tyranni deducti Adrianopoli fuissent, in necem eius coniurarunt; peregissentq; facinus præclarum, & omnibus seculis memorabile, nisi in ipso articulo à Bulgaro, quem vnum socium consilii adhibuerant, proditi essent. Atque ij tamen, vbi rem palam esse cognouerunt, ne tyranni fiue libidini, siue crudelitati essent obnoxij, obditis ostio pessulis armati inter se concurrerunt, & mutuis vulneribus fortiter ceciderunt. *Philippus Callimachus lib. 2. Cromerus lib. 21 Bonfinius decad. 3. lib. 7.*

Dolor Pōt. ex obitu Vuladislai

Egregium virtutis specimen.

C. *Quis fuerit Iulianus Card.*

Quod Iulianum Cardinalem attinet, fuit is Cæsarina familia, inter illustres Romanorum Procerum, honoratis viris atque opibus florentissima natus, ingenio excelso, moribus candidissimis, eloquentia singulari, in gymnasiis accurate versatus, ciuilis & diuini iuris scientissimus. Ea facultate, ad parandam sibi Senatoriam dignitatem opportune sibi gradum fecit. Nam hac tempestate eius scientiæ professores præcipuo erant in honore; propter grauissimas de Pontificia dignitate disceptationes, quum dira illa diuisione tres vno tempore summi Pontifices fœdissimo exemplo Christianis sacris præesse dicerentur. Fuerat adscriptus in numerum eorum iudicum, qui in confessu Pontificis de supplicibus libellis referunt, & sententiā dicunt. Quo in obeundo munere, Iulianus longe omnium subtilissime atque rectissime ferebat. His instructum litteris Martinus V, Columnius, suæ familiæ per cognationis vincula insertum, maxime quod eiusdem Gibellinæ factionis Cæsarini essent, legit in Senatum, tanto omnium fauore, vt paulo post in Bohemiam Legatum miserit, ad sanandos eius gentis animos Hussitana superstitione laborantes; obstinatissimeque etiam tum in insania peruicaces: quamquam nuper Hieronymus à Praga & Ioannes Hus, hæresis crimine damnati Constantiæ & combusti, in ipsorum contumeliam concidissent. Ea enim erat de Iuliani virtute constans opinio, vt vni illi ea prouincia demandanda censeretur. In omni siquidem Senatorio munere apud eū vigebant, dignitas sine fastu, doctrina sine ostentatione, sine fuco probitas, & studium sine factione, an fictione? qui mores, apud omnes, quibuscumque serio acturus congrederetur, ei gratiam conciliabant.

Hæc causa præcipua Eug. transferendi Basileæ Concilii.

In Germaniam autem profectus, Bohemos opinione sua reperit duriores, & mortem cum cruciatu potius pati paratos, * quam vt à sententia suscepta semel, quāquam nō omnino inueteratæ hæreseos discedere vellent; sic vt nequaquam adhortationibus sacrarum Cōcionum, sed plane validis perdomandi armis essent; quod victis pariter atque victoribus maxime calamitosum foret. Aditis itaque Germanorum proceribus, & pertentatis eorum animis, quum arduum atque difficile, maximeque sumptuosum esse prospiceret conflare exercitum, qui ex diuersis auxiliis par esset bellicosæ munitæque Syluis atque fluminibus genti subigendæ, Basileam se recepit, ad obeundum secundi munetis officium: scilicet, vt indicto inchoatoque Concilio Legatus præesset. Sancita enim lex fuerat Constantiæ, vt post quinquennium renouata Sacrosancta Synodo, Antistites, sacratique vitæ totius Europæ conuenirent, vt controuersiæ de diuinis placitis, morumque censura, suprema disputatione finirentur. Eam autem promulgatam legem mortuo Martino, Eugenius ei suffectus ita probauerat, vt Iulianus continuato legationis honore, Basileensi negotio præficeretur. Erant causæ, cur illud aliorsum vel in in ipsis initijs traheret Eugenius. Nam multæ & grauissimæ res, commodo reip. Christianæ à piis hominibus peragendæ, alium locum postulabant: quo etiam summus Pontifex posset interesse. Neque Bohemorum insaniæ sanandæ; neque Mysis aut Hungaris contra Turcas instruendis, neque demum explicandis quibusdam fidei dogmatis, in quæ reipub. Christianæ Episcopi sublata discordia contentirent, Basilea apta esse videbatur Eugenio. In hac porro deposcenda, adeo fuit multus Iulianus, vt appareret, nimio pietatis studio aduersa & plane aliena Pontifici postulare. Ponebat enim decus suum, quod probitate Christiana niteretur, ante maiestatem, commodum, salutemque Pontificis, qui in acerbissima Synodo, dignitatis & totius auctoritatis suæ periculum esset aditurus.

Notæ qui Basileæ.

Exant duæ à Iuliano scriptæ epistolæ ad Pontificē, quibus eum; præter decorum & æquum, graui cum obiurgatione reprehendit, quod citatus laboranti reipub. non subueniat, & indicto Concilio non interfit; vsque adeo intemperanter, vt senī, & articulari morbo laboranti, lecticam ad iter non defuturam scribat: nec excusandus censeretur, si patrum pia, parumq; generosa tergiuersatione hominum probatissimorū opinionem falleret. In ea expostulatione Iulianus plane impudens & ambitiosus quibusdam videri poterat, nisi in eo mirum communis concordiæ studium, & cura religionis præclara extitisset. Cæterum Eugenius, vt alias profunda prudentia vetus Senator, & Pontifex quamquam nouus, sui numeris & dignitatis nusquam oblitus, eam contumeliam leniſſime dissimulauit. Synodum enim, tamquam immanem & multorum capitum belluam, ad exitium maximorum Pontificum cæca rabie concitatam esse differebat; ratus, his adimi libertatem & vitam, qui in externis terris ei belluæ sese committerent. Non reformidabat tamen Concilium, sed eius locū deuitabat; Balthasaris Cossæ exitum perhorrescens. Concursus enim illic erat Sacerdotum, qui auderent Eugenium, ad id citare, inuidia Principum & quorundam Antistitum, qui ei specie religionis pari Pontificatus felicitatem inuidebant. Igitur Eugenius commonefacto Iuliano, vbi sensit insidias sibi parari, Concilii locum damnauit, tanquam Hispanis, Gallis atq; Italis Antistibus incommodum; earum actionum decretis fidem abroganit; solenneq; Concilium primo Ferrariam, deinde Florentiam transtulit. Ad vtrumque Iulianus se contulit, malignitatem quorundam Basileæ detestatus, qui non studio instaurandæ religionis, sed circumueniendi Pontificis inaudita libidine ducebantur, & quidem primum Imperatorem Cōstantinopolitanum Venetiis nomine Eugenij salutauit; inde eundē Ferrariam adduxit: deinde in grauissimi negotii disceptationibus, eximiam, cum præciari studii, & generosæ industriæ, tum multiplicis doctrinæ laudem tulit, quum malè sanā de professione Spiritus sancti Græcorum opinionem Romano dogmati conciliasset. Compositis autem apud Florentiam Græcorum & Latinorū controuersiis, peractoq; conuentū in Hungariā Legatus iuit, ibiq; pio atq; honestissimo vitæ exitu, præclarum viuidæ gloriæ lumen, quod æternum luceret, posteris Cæsarinis reliquit. *P. Ionius in Iuliano.*

CI. *Eug. schismati extirpando.*

Non minorem curam Eugenius adhibuit, schismati extirpando. Iam superiore anno, Senis subsistēs, fœdus cum Rege Aragonum & Duce Mediolani percussisse, cuius vigore reuocaturus erat Rex suos ex Basileensi

Conci-

tirpando curam adhibet apud Imp. & Reges ac Principes diuersos.

conciliabulo prælatos; vt in Eugeniana Curia suis dignitatibus potirentur. Iam ad Regem Galliæ & Prælatos Gallicanæ Ecclesiæ, qui minati ante fuerant, vlterius se non præstitutos obedientiam, nisi aperto bello Alfonsum Regem impeteret, Oratores miserat, qui necessitatem in quam ab Alfonso coniectus erat exponerent, & in obsequio illos continerent. *Syluius epist.3.*

Iam etiam ad Fridericum Regem Romanorum, & ad Principes Imperii Legatum destinarat, qui opem in tanto discrimine Ecclesiæ, & reipublicæ Christianæ, tam contra antipapam, quam contra Amurathem implorarет. Ergo Cęsar monente illo, ex sententia Principum Electorum, conuentum Procerum & Prælatorum vniuersæ Germaniæ indixit, in quo ad vnionem & pacē Ecclesiastici Ordinis totis viribus operam nauarent. *epist.*10. Cum autem ex persuasione plurimorum existimaret, nullum aptiorem videri modum, vt subortum schisma posset eradicari, quam generale cogi Concilium; hunc ipse amplexus est, & super eo cæteris Regibus ac Principibus scripsit; vt secum ad vniendam Ecclesiam vellent concurrere. *epist.*18. Fuit enim Fridericus, nulli ex contendentibus magis fauens quam alteri; cupiens tantum vnire & redintegrare laceratam Ecclesiam. Et licet superioribus diebus Basileæ fuerit; sed clam nocte intempesta, ne adorasse idolum videretur abiit: forsanque istud ipsum Florentiæ fecisset, si tam illic fuisset propinquus: secutus, & secuturus Sigismundi Imperatoris exemplum vsq; ad calcem vnionis, qui nihil magis in hanc partem quam illam visus est propendere, *epist.*29.

Et quidem cæteri Reges Friderico scripserunt, displicere illis schisma, velleq; omnem curam ad eius extirpationem conferre: si modo aliqua via ostenderetur. Eam Carolus Rex Galliarum visus est demonstrasse, vt fieret Conuentus Principum, vel eorum Oratorum in communi aliquo loco, ibique vna reciperetur conclusio per omnes. Ad hoc autem peragendum, opus esset rursus scribere Regibus Principibusq;, vt Oratores suos Argentinam vel Constantiam mitterēt, pleno mandato suffultos, ad pacem Ecclesiæ pertractandam, quam quidem viam, *aiebat*, non posse impediri; nec Papa, nec Basileenses possent reniti, tamquam hoc absque ipsis fieri nequiret: cum liceat Principibus secularibus conuenire inuito Clero. In hoc conuentu, *dicebat*, posse fieri vnionem, quando ille Papa indubitatus esset, cui omnes Principes obedirent. Se non videre Clericos, qui vellent pro ista vel illa parte martyrium ferre. Neque etiam magni pendendum fore, quomodo fieret vnio siue per aliud Concilium, siue per conuentum principum, dummodo fieret. Neque etiam attendendum magnopere, de nomine eius conuentus: qui siue non vocetur Concilium, siue vocetur, concilibulum, congregatio, Synagoga, nihil interest, dummodo schisma depellat. Addebat Carolus, eius congregationis vocationem, ad Fridericum Regem Romanorum pertinere, qui sit Aduocatus Ecclesiæ. Eandem sententiam Syluester Chimensis Episcopus probauit. Principes Germaniæ non erant vnius voti. Friderico & consiliariis Carolinum votum placuit. Regum litteræ canebant, omnes Eugenio obtemperare, illum venerari & colere; ac impossibile declarationem aduersus eum fieri nisi maius schisma suboriretur, *epist.*54. & 55. Tota autem Christianitate Eugenii partes sequēte, sola Germania diuisa, neutralitatem sequi videbatur; quæ quia pluribus vtilis esset, difficulter videbatur posse aboleri, Pauci erant qui verum sequerentur; omnes fere quod suum est quærerent. Placebat hoc nouū neutralitatis aucupiū; quia, siue iuste, siue iniuste quis teneret, repelli non poterat. & Ordinarij pro suo arbitrio beneficia conferebant. Ergo difficile fuit ex ore lupi prædam etipere. *epist.* 65.

CII. *Conuentus Argentinæ indictus.*

Ventum est tandem Nurembergam ad Conuentum à Friderico Cæsare indictum. Adfuerunt quatuor Electores, Moguntinus, Treuerensis, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgensis. Palatinus, propter Armeniacos indultum habuit, ne veniret, sed patriam tueretur. Colonensis Archiepiscopus in obsidione Austensium occupatus, initio venire non potuit. Adfuere Eugenij, Felicis, & Basileensium Oratores, & quisque rem suam tuebatur. Episcopus Virdunensis, ex parte Ducis Burgundię venit, magnopereq; suadere nitebatur, vt Fridericus cum tota Germanica natione se pro Eugenio Pontifice declararet, *epist.*87. Cum Imperator, & Principes electores ad sublationem controuersię intenderent, quæ inter Eugenium & Felicem vigebat, placuisse que vt Imperator quatuor viros eligeret, electorquilibet duos, & alius quiuis Princeps vnum, qui auditis Eugenij ac Felicis Oratoribus prouiderent, ne quid respublica Christiana detrimenti pateretur: Fridericus Cęsar hos nominauit, Syluestrum Chimensem Episcopum, Thomam Haselbachium Theologum, Vlricum Sonnenbergium, & Æneam Syluium. *Comentar. Pij 2. lib.1.*

berg. à Cęsare indictus in causa schismatis.

Cum Nurembergæ diutius negotium traheretur; & quibus neutralitas iam displicere incipiebat, rem in aliam differri dictam postularent, Basileenses alios Oratores ad Cæsarem miserunt, quorum petitio fuit, vt Fridericus authoritatem Ecclesiæ, iuxta declarationem Constantiæ factam & Basileæ renouatam tueretur, & manuteneret; vt q; dictam Nurembergensem mandaret teneri, ad quam suos Oratores cum plena potestate mitterent, super omnibus quæ ad pacem Ecclesiæ pertinerent. Petierunt & saluum conductum, cuius vigore ad dictam illam mittendi Oratores tute possent accedere: sibi etiam redeundi securitatem postularunt. Ad primam petitionem data responsio est, Cæsari semper curam fuisse, & adhuc esse, vt authoritas Ecclesiæ cum pace populi Christiani, sicut declarata reperitur in sacris litteris, per sanctos Doctores & Concilia Generalia, vna cum potestate sanctæ sedis Apostolicæ in suo vigore permaneat. Ad secundum dictam est, vrgētibus ex causis, dictam Nurembergensem esse postpositam, sicut Principibus Electoribus Chemensis Episcopus intimaturus erat, ac sic de saluo conductu illucundi non esset opus verba facere: sed eis cum quo recederent, nullatenus esse negandum.

Basileenses Oratores ad Cęsarē missi & quod eorum postulata repulsam.

Iactabant Basileenses datis ad diuersos litteris, se tribus in rebus sperare. Inprimus per Spiritum sanctū qui præsideret in Ecclesia non eam relinqui, cum futurum Dominus dixerit illum cum ea vsq; ad consummationem seculi, deinde per Cæsarem illam fore protegendam, cum Rex Romanorum, qui protector & Aduocatus est Ecclesiæ, recordatus tandem officii sui, acciperet arma & scurum, & veniret in auxilium matri suæ quæ est Ecclesia. Post hæc in conuentione Nurembergensi interforet vir sancti & litterati, qui iusticiā & authoritatem Ecclesiæ tamq; meridiem elucidarent, nec amplius sinerent calginibus esse locum. *Sylu. ep. 93. & 94.*

Placuit ex sententia Comitij Chemensem Episcopum ad Electores & alios Principes mittere, qui eos Eugenio Pontifici vel priuatim, vel publice infensos, amplius seorsim conciliaret, & ad deserendum neutralitatem induceret; tum ad extremum pro concludendo toto negotio, Francofordiam ad Comitium insequente anno celebrandum inuitaret.

Decretum in Comitiis.

Interhæc Eugenius Papa, vt dissipatet Concilium Basileense, Ludouicum Delphinum Viennensem Regis Franciæ primogenitum in arma concitauit. Hic adunato magno exercitu, venit in Alsatiam, & circa Basileam, Argentinam, & circumiacentes ciuitates, agros populatus, cum Suitensibus bellum non longe à Basilea atrocissimum conseruit. *Trithem. in Chron. Sponheimens.*

Delphinus Francia in arma concitatus ad dissipandū Conc. Basil.

Intellexerant Basileenses quo illa expeditio tenderet. Ergo Arelatensem & Sancti Calixti pseudo Cardinales, & plures Doctores, & cum his aliquot Ciues Basileenses ad Delphinum miserunt, qui deprecarentur,

ne Con-

ne Conciliabulo, ne Ciuitati Basileensi noceret. Is rursus suos Basileam cum his nuncios misit, qui de pace & concordia tractarent. Nam & Oratores antipapæ Felicis, ac Ducis Sabaudiæ, totiusque Suitensium factionis illuc conuerterant. Oratores Delphini, qui Nurembergam venerant, dicebant illum vocatu Friderici Cæsaris contra Suitenses venisse: & pro confirmando fœdere, Sigismundū Austriæ Ducem ad consummandum matrimonium cum filia Regis Franciæ Delphinique sorore transmitti postulabant. *Sylu. epist.*87.

CIII. *Æneas Sylu. à Cęsare ad Eugen. orator mittitur qui tamen ante Basileæ Eug. infensus fuerat.*

Proponebantur Basileensibus à Friderico, à Delphino, à Rege Galliarum, ab Eugenio Pontifice, & à Comitio Nurembergensi variæ pacis conditiones. Has cum illi refutassent, Æneas, à Friderico Cæsare, ad Eugenium Pontificem Orator missus est. Is cum Senas venisset, vnanimi propinquorum voce prohibebatur Romam petere, qui Basileæ infensus Eugenio fuisset. Contra Æneas, Oratorem Cæsaris non arbitrari sese aiebat Romæ non tutum. Onus legationis à se recepтum, aut absoluendum esse, aut sibi moriendum, sicque parentibus inuitis & flentibus Romam perrexit. Gerardus Landrianus Cardinalis Cumanus, cum quo sibi vetus familiaritas erat, rectus pater, & amicitiæ tenax, ad Eugenij præsentiā ipsum introduxit. Duo Cardinales Pontificia assistebant, Cumanus, & Morinensis, qui prius auctoritate Apostolica ab omnibus censuris Æneam absoluerant, quas fauendo Basileensibus inciderat. In conspectu ergo Eugenij cum veniſſet, Æneas, ad osculum pedis, manus, & oris ab eo receptus, restitutisque litteris iussis fuisset dicere; *Prius* inquit, *Sanctissime Praful, quam Cęsaris mandata referam, de me ipso pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata esse, neq; bona, neq; digna relatu. Sed neq; mentitis sunt, qui me tibi detulerunt. Fuit me ego dum Basileæ fui, dixi, scripsi, & feci; nihil inficior; at non tam tibi nocere, quam Dei Ecclesiæ prodesse, mens mea fuit. Erraui, quis negat? Sed neq; cum pauci, neque cum paruis hominibus. Inhianum Sancti Angeli Cardinalem, N. colaum Archiepiscopum Panormitanum, Ludouicum Pontanum tuæ sedis Notarium secutus sum, qui Iuris oculi, & veritatis Magistri credebantur. Quid Vniuersitates, & alia orbis gymnasia rogram, quorum pleraq; aduersum te sentiebant? Quid cum tantis hominibus non errauerit? Verum ego, vbi errorem deprehendi Basileensium, fateor, non statim ad te connolani, quod plerique fecerunt: sed veritus, ne ab errore in errorem prolaberer, vt sæpe in Scyllam incidunt cupientes vitare Charybdim, ad eos me contuli qui neutrales habebantur, vt ab altero duorum extremorum ad alterum, non sine consultatione, ac mora transirem. Mansi ergo apud Cęsarem tribus annis: vbi dum magis ac magis contentiones audio, quæ inter Basileenses & tuos Legatos sunt, nihil mihi dubii relictum est, quin penes te sit veritas. Atq; hinc factum est, vt sapienti Cęsari ad tuam me clementiam viam facere, non inuitus paruerim. Sic enim me in tuam gratiam posse redire, sum ratus. Nunc apud te sum, & quia ignorans peccaui, mihi vt ignoscas oro, deinde causam Cęsarē explicabo. Ad hæc Eugenius: Scimus te, inquit, cum multis deliquisse: sed erratum fatenti, non possumus non ignoscere. Ecclesia namque pia mater, neganti debitum, nunquam remittit; fatenti, nunquam retinet. Tu iam veritatem tenes; cane ne relinquas eam, atque bonis operibus diuinam gratiam quærito. Eo in loco iam degis, vbi & veritatem tueri possis, & Ecclesiæ prodesse. Nos iniuriarum posthac obliti præteritarum, te bene ambulantem, bene amabimus.* His dictis, ad res Ecclesiæ ventum est. Super his Eugenius deliberandi tempus accepit, ac postea respondit, *se ad Cęsarem Nuncios missurum.* Quid Cæsar postulauerit: in consequentibus narrabimus. *Commentar. Pii 2. lib. 1.*

Oratio Æneæ ad Eug.

CIV. *Eug. recuperandæ Eccles. bona ammodo intentus.*

Post curam extirpandi schismatis, non intermisit etiam conatum recuperandi bona Ecclesiæ Romanæ. Ergo Alfonsum Regem Neapolitanum rogauit, vt connocatis ex hybernis quam primum copiis, in Picenum reuerteretur, & Franciscum Sfortiam ex ea prouincia prorsus pelleret, vt Sedi Apostolicæ libera & quieta possessio relinqueretur. Intelligebat enim fore Pontifex, vt Franciscus quæ sibi anno superiore erepta fuerant oppida breui recepturus foret, nisi eius conatibus obuiam iretur. Namque is tum Regis discessu, tum Nicolai Picinini clade ad montem Vineum elatus, iam vtique copiis superior prædabundus, per Picenum libere vagabatur, multosq; meru populos ad deditionem compellebat. Misit præterea Pontifex Ludouicum Cardinalem Patriarcham Aquileg ęsem Legatum cum copiis, vt coniunctis viribus cum Regio exercitu tanto facilius hostem posset possessione Piceni eiicere. Receptæ sunt hoc anno partim per deditionem, partim armis, Ciuitates & arces, Ciuitella, Anfidum, Ripa Transenta, Rotilium, Solitum, Sanctus Victor cum castellis plerisque finitimis, Campefelonis, Tedona, Cingulum, Sanctus Angelus, Mons Sanctus, Monsaltus, Firmum ciuitas: & alia non contemnenda. *Facius lib.8.*

Narrat Sabellicus, hac tempestate fuisse qui crederent, Philippum Mediolani Ducem, studiose voluisse Sfortiam cum Picinino per occasionem Picentis belli committere, vt Picinini exercitu deleto, Sfortia domestico bello solueretur, quo leuatus in Galliam ad destinatum cum Veneris bellum transiret. Nec Picinus dissimulauit dolorem suum quem ex capto filio cōceperat; sed nuntio tam fœuæ cladis accepto exclamasse fertur; *Hebet Philippus, habet quod voluit: nihil Picinino præter vitā reliquit: superest, vt iam in hoc miserum caput fœuiat.* quæ identidem clamitans, affl ctansq; sese in morbum incidit, quo paucissimis diebus conflictatus, quum adhuc Mediolanie esset, diem obij.

Obitus Picinini sremensis Ducis.

Et quidem Picinini ducis alicquot ista tempestate omnisū qui fuerunt prudentissimi atq; accerrimi hic exitus fuit, mense Octobr, huius anni. *Sabellicus ennead. 10. lib. 5. Ms. de reb. Sfortiæ.* quo anno Rex Alfonsus, vt sibi, ac filio Ferdinando, quem Regni Neapolitani successorem destinauerat, in Regno potentiam maiorem per affinitates stabiliret; cum videret Vrsinorum familiam fere omnib. aliis nobilitate, opibus, & clientelis præstare Isabellam Claromontiā, ex Catharina Ioannis Antonii Vrsini Principis Tarentini sorore natam Ferdinando filio despondit: cum alteram eius sororē, Thomas Palæologus Imperatoris Constātinopolitani frater in matrimonium experisset; tertiam cui Margaritæ nomen Antonius Vintimillius Comes Hieracensis, Sanctiam vero Dux Andriæ duxisset. Præter hæc Alfonsus Rex, Eleonoram filiam Ferdinandi Ducis Calabriæ sororem, Marino Marzano, vnico Ducis Suessæ filio dedit vxorem. *Constant. lib. 18. Surita lib. 15 cap. 26.*

Præclara Vrsinorū connubia.

CV. *Angelotus Card. S. Marci à sicario occisus.*

Romę hoc anno, Angelotus Sancti Marci presbyter Cardinalis, ab vno ex cubicularijs, & vita, & fortunis, quas magna cum auiditate aggregauerat priuatus est. Captus, eleuatus ille, ac varijs tormentis excarnificatus, & in quatuor partes sectus, tanti sceleris pœnas luit. *Platina in Eugenio IV.*

CVI. *Miraculū ad reliquias S. Sebast.*

In Galliis, ad S. Sebastiani reliquias, in monasterio Floriacensi, ingens miraculum defuncti suscitati eodē anno accidit. Ita narrant acta authentica eiusdē cœnobii, istis verbis. Anno Domini M. CCCC. XLIV. quidam puer Lanctis Couillaurii molitoris filius à famulo patris intra cymbam ad molendinum dum duceretur, fortuito cadens in aquam interiit. Qui eductus, atque ad altare S. Martyris, quod est in Floriacensi Basilica deportatus, vitæ ibidem est restitutus, & Monachus in Monasterio effectus, annisq; quinquaginta postea in vitiis supe extitit. Hoc altare etiam ad hunc diem in illa Basilica mansit, ad læuam introeuntium famum nauis, & ibidem picta videtur illa historia. *Annal. Eccles. Aurelianens.*

CVII.

In Anglia, Archiep. Canthuarien. Synodo celebrata edixit, vt Nundinæ & emporia in Ecclesiis, aut cœmeteriis, diebusq; Dominicis atq; festis, præter quam tempore messis non tenerentur. *auctor antiquit. Eccl. Britan.*

CVIII. *Obitus Alex. Aemonithi. fil. Antip. hg*

Viennę in Austria, xv. Non. Iunii, Alexand. Zemouithi Ducis Masouiæ filius Regis Poloniæ consobrinus, Episcopus Tridētinus, Patriarcha Aquilegien. Felicis antipapę Legatus, diem clausit extremum, apud

S. Sre-

S.Stephanum, ad dexteram altaris sepultus. Funus iuxta morem Germaniæ magnum & honorificum fuit. Pileus rubeus ob neutralitatem nõ est permissus mortuo, quem viuenti Felix contulerat. *Syluius epist. 67.*

CIX. *Mors Ferd. Lusitani in Africa.*

In hunc etiam annum refert Mariana mortem Ferdinandi Lusitani Regis patrui, qui in Africa captiuus decessit. Corpus in vrbe Phutensi rumulatum, consequentibus annis in maiorum sepulchra ad Aluibarrotam illatum est miraculis clarum. Sic gens Lusitana persuadet, dedita religionibus, cultuiq; suorum Principum maxime. Eius memoria consecrata templisque data non est. Vita sancta, mores castissimi fuerunt, muliebri nunquam fœdati contactu. Numquam in vita mentitus est. Deum ardentissima pietate coluit, quas virtutes in hoste admiratus Lazerachus, in cuius potestate erat, nunciata morte obstupuit primo; deinde, dignus, inquit, erat immortali laude, nisi Mahometi tantopere infensus extitisset. Magnum atque admirabile virtutis numen, quod à prauis etiam, & infensis pectoribus laudem extorquet. *Mariana lib. 22. cap. 2.*

CX. *Cõspiratio in necem Episcop. Leod.*

Eodem annò Ioannes Heinsbergius Episcopus Leodiensis, peregrinationem Hierosolymitanã suscepit. Sed cum Venetiis libello supplici, quo saluum conductum à Turcis petebat, inter cæteros, & titulum Ducatus Bullonens. admiscuisset, Turcæ perterrefacti saluũ conductum negauerunt. Suspensa peregrinatione domum redeunt, quorundam improborum conspiratio struxit insidias, in itinere subornato quodam Minorita; qui cum ex occulto præsulem traiecturus arcum tenderet, ipse metu subito correptus sese prodidit; q̃ mox apprehensus, & coniurationis socios confessus, primũ sacerdotali dignitate ac gradu priuatur, deinde seculari manui traditus decollatur, in & rotã sublimatur; reliqui viuentes in partes 4. dissecti, & ad portas ciuitatis exẽplo omnibus frustulatim dispositi sunt. Tanti fuit maiestatẽ Episcopalem vel voluisse violare: quam hierarchiæ Ecclesiæ turbatores flocci pendunt. *Suffridus Petri de Episcop. Leodiens.*

ANNO CHRISTI 1445.

Eugenij Papæ IV. anno 15.
Friderici Roman. Regis anno 6.

I. *Eug. negat Conc. generale in Germania indicere.*

INter alia quæ nomine Friderici Cæsaris, Æneas Sylnius Orator, ab Eugenio Pontifice, pro vsione Ecclesiæ flagitabat, fuit, vt is auctoritate Apostolica, Cõcilij Generale, alicubi locorum in Germania indiceret, congregaretque, nec non ad illud se transferret. Negauit diserte Eugenius; tantamque in negando constantiam præstetulit, vt numquam daturus Concilium in Germania videretur: quod existimaret, maiorem ibidẽ seditionem exoriturã. *Sylu. epist. 98.* Deliberabat eo mittere Legatum Cardinalem Morinensem. Cæterum is prouinciam renuit, nec agrum ille sterilẽ colere voluit; neque illuc ire, vnde rarus est cum honore reditus: vbi opus est nullo fere fructu dietas innumeras adire, prædones timere, pacem inter eos homines tractare qui Saxo duriores sunt; & ab illis iura Ecclesiæ Romanæ petere, quos satiare impossibile est; & apud quos (*dicebat ille*) nulla honestatis, sed dehonestatis maxima ratio est *Sylu. epist. 96.*

II. *Tumultus Principum in Germ. ob depositionem Colonien. & Treviren. Archiepiscoporum.*

Recusante ergo illo, Legationis munus, reuertit iussit in Germaniam Ioannem Carualalem, qui sæpe apud Imperatorem Legatus fuerat; eique comitem adiunxit Thomam Sarzanensem, Bononiensium Episcopum; qui de extinguendo schismate, deq; Germania ad obsequium sedis Apostolicæ reducenda laborarent. Per id enim temporis Electores Imperii apud Francofordiam conuenientes, ob depositionem Theodorici Colonensis, & Iacobi Treuerensis Archiepiscoporum, quos Eugenius Pontifex propter sequelam Felicis antipapæ & quẽdam alia sedibus deiecerat, commoti, occultum inter se fœdus percusserant; nisi Eugenius iritam hanc depositionẽ decerneret, nationis onera tolleret, & auctoritatem Conciliorum vti Basileæ declarata fuerat, profiteretur; se suam depositionem in Basilea factam amplexuros; Oratoresque ad Cæsarem miserant, qui hæc ei soli, & sex iuratis consiliariis exponẽtes, vt fœderi se adiungerent, atque cum eis mitterent Romam, orarent. Et quidem Fridericus Cæsar, vt audiuit Electorum mentem, missurum se ad Eugenium dixit, rogaturumque, vt eorum petitionibus morem gereret: fœdus autem spreuit; indignum atque impium dicens, nisi Papa, quæ petuntur concesserit, ab eo desciscere. Missi igitur Æneam ad Egenium, vt ei suaderet, ne Principes Electores contemneret; maxime vero vt depositis Archiepiscopis pristinam restitueret dignitatem. Sic enim futurum, vt omnes Germani deposita neutralitate ad eius gremium redirent. Quod si durior in sententia perseueraret, timendum esse, ne scandalum perpetuæ diuisionis oriretur. Quicquid autem Electores inter se concluserant, iniuratus Cæsar Æneæ aperuit, atque vt Pontifici referret, imperauit. Et quia rursus Calendis Septembris apud Francofordiam Electores habituri erant conuentum, vt audito Pontificis responso secundum fœdus neutraliratem exuerent, Fridericus Æneam monuit, vt recta via Francofordiam peteret, vbi Legatos alios Pontificis conuenturus, animum Eugenij Principibus notum efficeret. Legati inter hæc Apostolici, quid rerum Principes Electores Francofordiæ concluisserint; quid ex Cesare peterent; quid Romam mitterent, cum diu quæsiuissent, nec certum aliquid excudere possent; vt alter eorum Romam peteret, decreuerunt. Et quia Ioannes Caruaiales acutis febribus inflammatus decumberet, Thomæ Bononiensi Episcopo hæc prouincia cessit; qui Æneam comitem itineris accepit. Cum Romam venissent, Eugenius, admonente Thoma, prius Æneã quam Legatos Electorum audiuit, factarumq; omnia promisit, quæ Cæsar suasit: atque inde Thomam ad Philippum Burgundiorum ducem direxit, consensum vt restitutioni Archiepiscoporum præberet; quod nepos eius in Colonensis, & frater eius naturalis in Treuerensis locum vocatus esset. Itaque non videbatur illo inconsulto restitutio promittenda. *Comment. Pij 2. libr. 1.*

III. *Eugen. ne Christiernus Datus adiuuet sua Turcas curat.*

Inter hæc Eugenius res Christianitatis aduersus Turcas non neglexit: Sed in conuentu Principum Germaniæ, auxilia contra hostem communem Legati peterent, impetrauit; ac præterea Ioannem Huniadem, Cladi Varnensi superstitem, Dionysium Cardinalem Archiepiscopum Strigoniensem, ac cæteros Hungariæ proceres datis litteris consolatus, ne animũ desponderent, sed potius resumerent, viresque aliquantum afflictas colligerent admonuit. Non valde opus fuit Huniadem excitare, qui vt iacturam nominis sui resarciret, imminentiaque pericula repelleret, quietem habere nullam potuit, Cruciabatur Turcæ audacia, quem non robur, non prudentia, sed casus victorem effecerat; & is ad Sauum vsque amnem expeditissimos equites post victoriam plane dimiserat, qui omnia incursarent. Succurrebat ingens metus, quando hinc Amurathem hostem acerrimum, & illinc Fridericum Romanorum Regem infestum habebat. Augebat curas intestini belli timor, quod diu Regnum male vexauerat, & Bohemorum iniuriæ, qui trans Danubianam regionem, erectis plerisq; in locis præsidiis, infestam latrocinijs tenebant. Nec minus fuerat quod mentem anxiam vexaret, suspicio quam Cæsar non modo conceperat, sed & litteris ad Pontificem datis detexerat, quasi is Regnum præ Ladislao puero ambiret, omniaque posthumo perdendo cogitaret & moliretur. Enimuero id temporis Fridericus Cæsar has quas adiungere visum, ad Eugenium, pro Ladislao, ne quis eũ in Regno anteponeretur, miserat. Ita habent.

Litteræ Friderici Cæs. ad Eug. Papã pro Ladislao puero ne is Hungaro quid attentetur.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus.

Sanctissimo Patri Domino Eugenio Papæ IV.

Etsi non dubitemus Apostolicam fidem tanquam veritatis doctrinam instamq; vitæ Magistram, quorum libet iuribus fauorabilem esse, nullaque prorsus iniuriam facere, quia quicquid ab eius sede manat, iustitia lancibus libratur & æquitate; non tamen alis re forte mutamus aliquapter nos scribi Beatitudini Tuæ, quibus nos Serenissimi Principis Ladislai Hungariæ Regis Patruelis nostri charissimi, pueri pupilli & orphani, commendatum effi iamus & eorum qui ficta pro veris offerunt, impiis resistamus conatibus. Scit enim sua Beatitudo patruelem nostrum præfatum, qui post obitum vitæ, dictæ memoriæ patrui & antecessoris nostri Alberti Romanorum atque Hungariæ, Bohemiæque Regis in vtero matris non posthumus remanserat, vt primum natus fuit, & sacri fontis vnda renatus, adhibitis ex more solennitatibus Hungariæ & Dalmatiæ suscepisse coronam. Nunc autem, sicut accepimus magnopere quidam instant, vt tuæ Sanctitatis titulum Regni huius in alium transferat, multa illinc emolumenta, tum Sanctitatis tuæ, tum Regno præfato prouenientia dicentes; quæ licet nulla tenus Apostolicam mouere credamus conscientiam, quia nullum commodum est tam ingens, pro quo bene vendi iustitia possit, mirandus est tamen eorum conatus, qui ex alieno incommodo summum quærentes commodum, altissimi sanguinis puerum, & patrono, & auito Regno cupiunt spoliare. Iniquum profecto, & abominabile scelus. Fecerit enim alius quius magnalia, sit potens, sit aptus regimini, sit per aliquos accersitus, nolumus ista discutere, nec eam inuria volumus loqui cuiusquam; nulla tamen ratio suadet huic puero suum adimi Regnum; qui si propter se non esset magni pertendus, eis tamen propter facta paterna, vniuersa Christianitas fauorabilis esse deberet. Quia enim nostri temporis homo est, qui patris huius gloriosos conflictus, tum contra Turcas, tum contra Hussitas non audiuerit? Debent præterea huic puero fauorem præbere, & aui sui clarissima gesta, & illa vnio Ecclesiæ, Constantiæ reparata: tum vero & Caroli Quarti & Henrici Septimi, quorum vlimus hũ sanguis est memoria Cæsarum. Tacemus inclytæ domus nostræ Austrialis opera, tam pro Ecclesia, quam pro imperio, in fauorem Fidei & reipublicæ Christianæ per nostros & huius pueri progenitores edita. Quis tandem non compati deberet innocenti puero parentibus orbato, vero Hungariæ Regi ac hæredi? Insanæ profectomentis, & animi truculenti sunt, ac totius hostes iustitiæ, qui tam generosum puerum regno priuare, & ius tam clarum conculcare nituntur. Sciunt tamen & illi ipsi qui talia petunt, inhumanum esse quod optant; atque idcirco extinctum puerum, & nusquam inueniri confingunt, vt vel hoc colore Regni titulus in alium deriuetur. Sed aliud reperitur. Vnus enim Rex Ladislaus, ac fausta & felici fruitur sospitate. Scatus puer atque formosus. Is est in nona Ciuitate vicinus Hungariæ, adiriique ab hominibus potest, qui eius visendi sunt cupidi. Spes est nostra, omnium antecessorum suorum virtutes in hoc puero reuicturas. Quæ omnia Tuæ Beatitudini recensemus, ne per sinistras Suggestiones aliquid ex Curia Beatitudinis Tuæ valeat extorqueri, quod huic patruelis nostro possit esse nocium; vtque puerum istum omnibus Imperii Principibus sanguine iunctum, Apostolicæ Sedis fauore Tua Sanctitas prosequatur. Sit igitur hic Rex pupillus in conspectu Beatitudinis Tuæ recommendatus; sit ante oculos tuæ mentis tuæ generositas, suæ ætas, suorum memoria prædecessorum, & huius iustitiam, ex qua non inanis & ficta, sed vera & ampla vtilitas Apostolicæ Sedi redundare poterit, amplecti atque tueri velit. Datum Viennæ.

V. *Ladislaus posthumus Rex & Hunniades Gub. pro eo donec adoleseret renũciantur.*

Hæc Fridericus Cæsar, pro iuribus Ladislai Regis pueri, ne violarentur, Eugenio Pontifici scribebat. Hunniades porro, vt omnẽ suspicionẽ à se auerteret Regni affectationis, comitio ad festiuitatem Pentecostes huius anni indicto, Ladislaum posthumum, Alberti filiũ, Regem Hungariæ renunciauit: eaque virtute meruit, vt donec puer adolescerer maximo plausu omniũ, Gubernator pro Ladislao delectus sit. Accessit ad illud quod proceres ad eum Gubernatorem eligendum permouit, quod is statim à cæde Vladislai Regis à Turcis occisi, Turcis Mysia peragrata, prouinciam ad Sarnon vsque oppidum, & ad Saui ripas incursionibus infestantes, & Regno Hungariæ imminentes, collectis ex tempore duabus legionibus, profligauerit. *Bonfinius dec. ad. 3. libro 7. Cochlæus historia, um Hussit. libro 10.*

VI.

Ad recuperanda præterea, Romanæ Ecclesiæ bona, partim à Sforcia, partim ab aliis occupata, animum adiecerit Eugenius. Veneti & Florentini, propter societatem Sforciæ, ab Eugenio d sociati, veriti ne Bononia vtrique ciuitati in rebus bellicis peropportuna, in manus Philippi Ducis Mediolanensis veniret, eo statim cohortes aliquot miserant, quæ socios Bononienses, qui libertatem male desumpserant, adiuuarent. Nõ fefellerat hæc opinio Venetos. Eo enim Philippus rogantib. exulibus mittere Picinum cum exercitu destinauerat nisi hominem superioribus mensibus mors præripuisset. Hortatus est tamen Eugenium ad illam ciuitatem bello repetendam, militem ac impensæ partem pollicitus. Eare permotus Pontifex, continuato etiam cum Alfonso Rege fœdere, Sigismundum Malatestam cum magno equitatu in Picentes contra Franciscum Sforciam misit, vt distractis Florentinorum copiis, Bononia posset facilius ad deditionẽ premi. Præmiserat iam Philippus, Guilhelmum Montisferratum, & Carolum Gonzagam cum magnis copiis, qui egium Bononiensem hostiliter ingressi, incursionibus longe ac late omnia vexabant.

Conabatur Leonellus Atestinus, Sforciam Eugenio, ac Bononiensium primores, tum inter se cum Pontifice conciliare. Bentiuoli & Canetuli inter se internecino odio dissidebant. Iraq; Leonellus, turbatam nimis atq; conuulsam Bononiam, ad quietem reuocare frustra conatus, in posterum alieni periculi spectator res suas curare maluit; cum ex improuiso seditio ingens, excitata, & magna rerum commutatio Bononię secuta est, quibus suis tragicis casibus non immerito comparãda. Cannetuli vt Marescottos Annibalis Bentiuolii clientes extinguerent, quorum nescio quæ iniuriæ in ipsos extabant, non aliter quam Bentiuoli nece contumeliam expiari posse censuerunt. quod autem populi Annibalem vnice amantis tumultus immineret, propriis vicibus diffisi, rem cum Philippo Mediolanensiũ Duce contulerunt. Ille nullius turbę, ad quam quidem vocaretur, fugiens (sicn. assueuerat) recepit, qua die S. Petri memoria à Christianis colitur, Italianum Furlanum ad ciuitatem cum mille & octingentis equitibus præsto futurum. At Baptista Cannetulus immemor per Bentiuolum se patriæ redditum, & sororem ipsius Caspari fratri nuptam esse, Francisco Ghisilerio sceleris conscio, vel quod metueret, ne insidiæ emanarent, præsertim quia Furlano appropinquante ciues custodias egissent, vel quod deinceps nulla eiusmodi facultas proponeretur, eędem maturauit, auctorq; fuit Ghisilerio, quo facilius cogitata patraret, vt eum sibi initiationis arbitrium deligeret. Die igitur S. Ioan. sacra, post filiolam de sacro fonte sublatam tendentem Ghisilerio etiam comite ad S Ioan. ędem adorti in anfractu viæ percussores pluribus vulneribus confoderunt, statimq; paruo dispioso tormento, quod signum rei gestæ conuenerat, tres Marescotti fratres in ipso S. Ioannis templo à pluribus coniuratis sunt interfecti. Annibal tum singulari humanitate, tum morum suauitate ac liberalitate, quibus accedebat insignis prudentia, ac fortitudo sæpe patriæ exhibita, tantam sibi populi beneuolentiam conciliauerat, vt non quidem illius munere ac decreto princeps appellaretur, sed non minorẽ authoritatem, modestissime tamen ciuibus volentibus imperans obtineret, nominis inuidia abstineret. Plebs, clamore & fletu vndiq; perstrepẽte, ad Canetulorum ædes expectatione aduentus Furlani communitas aduolauit; non ignis continentibus ædificiis de industria iniectus, non obicib, clausę viæ, non minora tormenta opportunis locis disposita; non denique coacti magno numero clientes, plebis ac nobilitatis vlcionis auidissimæ in eorum frænare potuerunt. auctores cædi &

Tragici casus Bonon. & magna rerum commutatio.

consilii gnari, vel qui etiam leuissima suspicione aspergerentur, crudelissime trucidati, aliis cor extractum, aliis caput manusue præcisæ: alii è patibulo pedibus pependere; diruta Baptistæ Canetuli & Ghisilerii ædes; denique quo loco scelus perpetratum fuerat eo populum impotentissimus furor tulit: intestina & confusa membra, prope vt essent trophæi instar, vicinis parietibus affixa sunt, atque ita Annibalis funus celebratū; vsurpatum & tam piis lacrymis, tam immanibus exemplis deflerum nomen, vt vix simile quidquam in omnium gentium annalibus legatur.

Grauiora secuta sunt, aduolantibus ad vtramq; partem copiis militaribus. Cum enim Canetuli frustra Philippi Vicecomitis nomen iterassent, Magistratus vero Bononienſis, libertatem, ac socios Venetum atque Etruscum acclamari iussissent, receptus est in vrbem Petrus Nauarinus, qui Bononiensium stipendia faciebat, cum ccc. equitibus, Tiberrus Brandolinus Florentinorum præfectus, cum cc. & Vido Rangonus cum Venetis DC. Philippus etiam, vt primum Annibalis & Canetulorum miserabilem exitum cognouit, Aloisium Seuerinatem cum quinq; armatorum millibus eo contendere iussit, quo cum Furlanus 5. Idus Iulii copias iunxit. Quare coacti Bononienses iterum à Florentinis, DC. equites & CC. pedites impetrarunt, ac Venetos impulerunt, vt Thadæum Atestinum illis submitterent, cui totius belli summam permitterent. Illud Bononiensibus libertatis cupidis euenit, vt dū Pontificiū Imperū detrectarent, ciuili imprimis, mox vero externo bello ingenti cum perturbatione & impendiis conficeretur. Sforzia, quo auctore factum, quominus illi ad obsequium Pontificis rediret, adesse rebus afflictis non potuit, bello Piceno distractus: quod Ludouicus Patriarcha Aquilegiensis Cardinalis Legatus, cum Vintimilii Comite ab Alfonso Rege submisso coniunctus, etiam in hunc annum produxerat: ac omnem regionem Piceni, Firmana arce excepta, ad Sanctæ Sedis Imperium reuocarat. *Pigna lib. 7. Platina in Eugenio IV.*

VII. *Eug. pro componenda vniuersali Italia pace frustra desudat.*

Cogitauerat Pontifex vniuersalem Italiæ pacem componere, eaque propter, omnes proceres, vt Oratores Romam mitterent, interpellauit, quibus cum de pacanda Italia disceptaret. Cæterum nihil impetrare potuit, omnia miscente Felici Antipapa. Is enim Venetos, à societate Eugenii alienatos, vt fœdus cum Sforzia & Florentinis initum seruarent, neque aliquid eorum quæ contra Eugenium mota essent intermitterent, sed bellum omnibus viribus continuarent, promissa C. M. aureorum in singulos annos pecunia, concitabat. Veneti porro illum, vel Bononiam, vel Pisas introducere, necnon Renatum in Regni Neapolitani possessionem reducere promittentes, & Sforziam iuuabant, & Genuenses ab amicitia Alfonsi retrahebant, & omnia in summa faciebant Eugenio & Alfonso perturbandis.

Serebantur interim à malcuolis varia semina discordiarum, inter Alfonsum & Eugenium Pontificem, vtrique dissociando. Affirmabant aliqui Eugenium, cum Sforzia, secreta consilia de eliciendo Alfonso habuisse. Horum omnium, Fridericum Montefeltrium Comitem Vrbinatum conscium esse, adeoque in societatem illorum venisse. quæ cum ad aures Alfonsi Regis venissent, continuo is Oratores, Berengarium Erilium Admiratum Aragoniæ, Baptistam Platamonem Protocancellarium, & Ximenium Perezium, ad Pontificē destinauit, qui reformationē diplomatis, iuris fiduciarii in Regnum Neapolitanum collati, postularent, ac nonnulla alia nomine stipendiorum in prosecutionem belli Piceni, à Pontifice impetrarent. Displicebat Alfonso prioris diplomatis, cuius superius mentionē fecimus, narratio. Itaque eam explosam esse cupiebat & pro illa alteram, de adoptione ab Ioanna Regina facta, & vt asserebat, à Martino V. approbata; deinde de officiis in sedem Apostolicam Constantiæ, Basileæ, & in Italia ab eo præstitis; & ad extremum de meritis in ēpublicam Christianam, reponi flagitabat. Præterea, vt id quicquid iuris beneficiarii in Regnum Neapolitanum, ab adoptione Ioannæ acquisiuisset, in omnes eius posteros quoscumque, siue recta, siue transuersa linea, siue mares, siue fœminas descendentes, siue quoscumq; alios eius successores, citra aliam Sedis Apostolicæ interpellationem libere transiret. Item vt ab auxiliis terra marique Sedi Apostolicæ submittendis liber esset. Censum X X. M. vnciarum auri, quem singulis annis promiserat soluere, Pontifex ne posceret; sed nomine stipendiorum, in sumptus belli Piceni quod hactenus gesserat, illi concederet. Si vlteriora contra Sforziam, vel quosuis alios hostes, auxilia ab eo Pontifex vellet, singulis annis centum & quinquaginta aureorum millia illi persolueret. Terracinam prærerea ac Beneuentum illi in possessionem concederet. Censu octo millium auri vnciarum Pontifex contentus esset. Omnibus prælatis, proceribusque qui sibi tempore Basileensis conciliabuli astitissent, indulgeret. Hæc à Pontifice extorquere volebat Alfonsus, in tanta Italiæ perturbatione. Alfonsus Borgia Episcopus Valentinus superiore anno in Senarum Cardinalium relatus, interpretis seu mediatoris officio inter Pontificem & Alfonsum Regem defungens, nonnulla impetrauit ab Eugenio: qui ad Calend. Aprilis Abbatem Cœnobii S. Pauli Romæ Neapolim destinauit, vt nouum fidelitatis & homagii iuramentum, in diplomate Inuestituræ iuris fiduciarii recens conceptum, à Rege exigeret, & quæ Pont. cōcessisset, significaret. *Surita li. 15. c. 32. & 38.*

VIII. *Eug. in Regem Cypri animaduertit.*

Hoc anno, cum Eugenius Pontifex, Archiepiscopatum Nicosiensem in Regno Cyprio, Galesio Montolisio contulisset, & Rex Cyprius iuuenis, non tantum possessionem ei negasset, verum etiam Nuncium Pontificium ea de re missum in carcerem coniecisset: Pontifex pro authoritate pastorali, in temerarium Regem animaduertit, Magistroq; Rhodiorum militum, vt ad sanam mentem illum væsanientem reduceret, commisit. *Bosius hist. Rhodiana lib. 6.*

ANNO CHRISTI 1446.

Eugenii Papæ IV. anno 16.
Friderici Regis Rom. anno 7.

I. *Eug. adhuc propugnatalia libertat.*

FESSA Mà diuturnis bellis Italiam, etiam hoc anno pacare aggressus est Pontifex Eugenius. Itaque Regem Alfonsum, Venetos, Florentinos, Genuenses, Senenses, ac Optimates quoscumque admonuit, vt Senas, eidem concordiæ antea delectam vrbem Nuncios cum plena potestate mitterent, quorum arbitrio desiderata pax Italiæ tandem restitueretur, & arma socialia in Turcam verterentur. Alfonsus Couarruuias Protonotarius Apostolicus, ea de causa ad Alfonsum Regem à Pontifice fuit, ac simul diploma Pontificiū de iure fiduciario in Regnum Neapolitanum pro Alfonso conceptum Regi detulit. Et quidem diploma, Rex accipere recusauit; quod in eo nonnulla superiore anno desiderata, Pontifex non interseruisset. Itaq; ex oblata formula reformationem illius postulabat; ac præterea cōfirmationē actorū Basileæ; quo tempore is cū vniuerso Regno Basileensibus adhæserat, transactorum, quantū attineret dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorū, & dispensationem, seu absolutionem, necnon Iudiciorum exitum; magno opere vrgebat: postquam eius subditi, bona fide, Basileam, vel iussissent, vel prouocassent, indidem q; ea vel egissent, vel obtinuissent, quæ egerāt, aut obtinuerant. Hæc dum à Pontifice flagitaret, misit Senas Baptistam Platamonium, qui cum aliorum Principum Oratoribus, de pace, & de controuersiis componeret; vt Pontifici maximo tandem respirare aliquando à bellis liceret. *Surita lib. 15. c. 40.*

II. *Eug. desertinopido sollicitus.*

Nihil potuit Pontifex, à dissidentibus obtinere. Ergo certior factus, Franciscum Sforziam, suas atq; auxiliares

copias cogere ac Tudertum petere constituisse, (quod oppidum 60. tantum milibus passuum Roma abest) de illius aduentu valde sollicitus, accersenda à socijs auxilia censuit. Nam quod partem Tudertinorū sciebat Francisco inprimis fauere, in quos ille indulgentior fuerat, dum ea vrbe potiretur, & propterea Franciscum qui præter Picenum, etiam in agro Romano oppida quædam occupauerat, haud temere id cōsilii cepisse suspicabatur, misit Ludouicum Patriarcham Legatū ad Regem. Is Neapolim profectus, ac magnifice pro dignitate susceptus, simul ac Regi aduentus causam exposuit, auxilium ab eo haud difficulter impetrauit. Nec mora Ioannes Antonius Vrsinus Comes Taliacotius cū duobus millibus equitum ad Pontificem ire, seque cum illius copijs coniungere iussus est. Interea Franciscus coactis copijs in agrum Tudertinum contendit; quo vno ferme tempore, & Pontificis, & Regis copiæ conuenerunt. Quo cognito Eugenius, Nicolaum Cardinalem Capuanū (erat is in vrbe gratiosus, ac potēs) quod eius fides nounihil suspecta esset, propter amicitiam quæ illi cum Francisco erat, Roma amouendum curauit. Franciscus porro, vt per exploratores agnouit, Pontificis copias opinione sua ampliores esse, fusttaque se, nec sine periculo, quod constituerat iter Romā persequi posse, mutato repente consilio antequā in hostū cōspectum veniret, in agrum rediit Vrbinatem. Quo digresso, Pontificis etiam ac Regis copiæ in Picenum proficisci perrexerunt. Cum autem Pontifex maiores à Francisco copias collectas fuisse paulo post intellexisset; et ā ipse numerosiores ab Alfonso impetrauit. Namque is Raymundum Buillium cum mille equitibus, ac peri peditum numero, ad Patriarcham ire imperauit. His fretus Patriarcha oppidum Montem Fabrum primo aduentu capit, plerisque aliquot castellis atque oppidis circumiectis, quæ Friderico Vrbinatium Principi parebāt, partim expugnatis, partim in deditionem acceptis. Præter hæc agrum Vrbinatem, in conspectu Sforziæ vastauit. Vario Marte deinde, ac nonnisi lenibus incursionibus certarum est; donec significatum est, copias Philippi ad Casale fusas à Venetis esse, quæ res occasionem attulit bellum ex Piceno in Galliam cisalpinam transferendi; cum Philippus Dux Regem auxilia postulasset; & is Buillium illo ire iussisset. Cum autem nondum is abisset, misit ad eum Franciscus qui rogaret, vti ad se Palermum peditum ductorem mitteret, qui ab eo ad se mandata perferret: esse aliqua quæ secum communicare cuperet. Facta potestate, cum Palermus ad eum profectus esset, ait, se nisi esset in castris Legatus Florentinus, venturum cum Raymundo in colloquium fuisse. Cæterum missurum quo Raymundus vellet, Vrbinatium Principem, & cum eo alium quempiam ex his quos fideliores haberet, qui suam sententiam ad illum perferrent. Cumque Raymundus respondisset, nolle se in colloquium cum hoste venire, nisi eidem aliquis à Legato Pontificis interesset, ne quid suspicionis ea res amicis afferret. Non renuit Legatus, quo minus Antonius Ridius copiarū dux, cum eo vna proficisceretur, & ipse quæ dicerentur auditurus. Quare constituta, Vrbinatium Principe, & altero ex Francisci domesticis, ad Montem aureum (vti erat constitutū) profectis, Raymundus quoque & Antonius eodem accesserunt. Ibique tum primum de fœdere inter Pontificem, Regem, Philippum ac Frāciscum agi cœptum. Omnis namque eorum oratio in id tendere visa est, vt ostenderent, Franciscum maxime cupere cū Pontifice ac sociis pacem, fœdusq; ferire, nec vlterius cum illis bello contendere. Dum hæc aguntur, Franciscus siue hyemis tædio, siue quod Gradariam à se nec quicquam tēteri animaduerteret, motis inde castris, Pisauram, Alexandri fratris oppidum se recepit, ibiq; reliquum hyemis quieuit. *Facius lib. 8.*

Alfonsus Rex auxiliares copias Eug. contra Sfortiam submittit.

Patriarchæ progressus bellici.

Sforzia spes suas frustrātur.

Sforzia colloquium postulat.

III. *Sforzia persuadetur Romam petere.*

Dum Romana Sforziæ expeditione, Simonera, aliquid lucuientius narrabat. Iam inquit, astas appropinquauit, qui erat annus à Natali Dominico Sextus &

Cosmi medici astutia.

quadragesimus supra quadringentesimū ad millesimū, ornatæ erant copiæ, & quæ bello vsui fore putabantur comparata, cum Cosmus Medices, tum literis, tū nunciis Francisco persuadere cœpit, vt omisso Piceno in Vmbriam signa verteret, Romamq; inde peteret, vnde magnam breui consecuturus esset victoriam, Iacobum & Andream fratres Exactorum familia Tudertinos, suæq; factionis principes, vbi eū cū exercitu conspexerint, Tudertum tradituros; idem postea Vrbeueteranos & Narnienses facturos: Euersum præterea Anguillariæ Comitem, qui in ora maritima haud procul à Roma multa oppida possideat, non eum modo cum totis copijs per suos fines transire permissurum, sed commeatu quoque & armato milite adaturum. Addebat ad hæc Nicolaum Cardinalem Campanum, cum primum vrbi Franciscus appropinquasset, populum Romanum ad arma concitaturum, quod Eugenii, & Ludouici Patriarchæ, qui omnem fere Imperii summam tenebat, dominationem molestissime ferrent. Hæc sibi diu multumque cogitata esse, ac satis superque constare; & nihil deesse, quam conficiendi negotii celeritatem. Hortari eum atque rogare, ne tantæ rei occasionem per segnitiam elabi sineret. Quod si maturet, nō defuturum, quin Roma cum ipso Pontifice in eius deueniat potestatem. Fallus, persuasione sua fuit Cosmus. Tudertini fratres intercepti: à Sforzia de deditione, respondere nunc se Ecclesiæ Romanæ Imperio contentos, tes nouas od.ss. proin suis finibus excederet, neue suam Tudertinorumue pacem perturbaret, qui in Pontificis Ecclesiæ fide permansuri essent. Ab Vrbeueteranis quoq;, non minus inhumanis acerbisq; verbis repulsus discessit. Quiad Euersū missi fuerant, renunciarunt, nullam in eo spem ponendam esse, qui magnis pollicitationibus, magnisq; præmijs adductus, se nouo fœdere Pontifici obstrinxisset, neq; iter per suos fines, neq; commeatum exercitu conscripturus esset. Eugenius Pontifex, vbi Franciscum transisse in Vmbros cognouisset, ad omnes nuncios rescribebat, & iam acerrimum bellicosissimumq; hostem cum robustissimo exercitu cœpisse omnes Vmbriæ Vrbes; iam prope vrbis Romæ portas esse, iamq; Romā ipsam externo milite vacuam ingressum; seipsum quoq; capeum videre videbatur. Itaq; Alfonsum rogabat, vt pro officio in Rom. Ecclesiam auxilia submitteret. Creditum est, Cosmi artificio, Sforziam in Vmbriam euocatum, vt Eugenio quidem metum faceret, Sforziam diuturno & periculoso bello implicatum subsidijs nō daret: eoq; facilius ad pacem dandam & accipiendam, non minus illum quam Pontificem impelleret. Enimuero Sforzia, Venetis & Florentinis, per id temporis, de pecunia in militem importunus, cum sæpius rogando, nihil obtinuisset, & propterea grauiter indignatus hæc Cōsmo Mediceo, cuius omni tempore familiaritate & consilio magnis præsertim in rebus vtebatur renunciasset, sibi consumpto iam omni argēto & supellectile, nihil amplius superesse vnde alere posset exercitum; Cosmus explicare quid in animo haberet aperte non ausus, sententiamq; suam ambiguis verbis involuens, ita referri iussit; Si omnino nutriendi militis facultas deesset, Pisaurensem ciuitatem militibus dispiendam daret; nullius liberi populi amicitiam respiceret, neue ab iis auxiliū speraret; qui suo ingenio militaris disciplinæ viros semper odere. Ipse sibi rebusque suis consuleret; prudentem & callidum ducem, ina tēpori consilia accommodare oportere. Hoc Cosmi responsum eo spectare videbatur, vt Francisc. post habita Venetorum amicitia, Philippi quem Eug. sibi deuixerat voluntatē sibi conciliaret, tuendumq; illius imperium susciperet; ipsi præsertim, posteriusq; suis hæreditario iure debitum. Apparebatq; Cosmum, non à Francisci causa ad hæc moueri, quam quod videre videbatur Venetos, deuicta Cisalpina Gallis, rerum facile potitos. Et ob id necessarium fore, vt Venetorum viribus talis opponeretur exercitus, quali Philippus eo

tempore maxime indigebat. Franciscus, ad cætera dubius, diripiendi Pisauri, tam iniquum, tam crudele consilium non modo respuit, sed ingenium sæuitiamque viri maxime detestatus, execrabilem illius sententiã, in summã erga Pisaurenses pietatẽ vertit. Et Cremonensi enim agro, magnam adeo frumẽti vim Pado flumine in sinum Adriaticum, atq; inde Pisaurum conuehi nauibus iussit, vt non solum exercitui ex inopia copiã fecerit, sed distributo insuper publice tritico, & Pisaurẽsem populum magna sibi beneuolentia deuinxerit, & tantæ munificentiæ famam ad posteros transmiserit. Nec Philippus interim lenire generi animum, & in suas partes trahere, orando, monendo, pollicendo desistebat. Clam sæpius nuncii interdũ etiam simulata inuisendæ filiæ causa palã mittebantur. Summa legationum hæc erat: Arbitrari se diuino consilio factum, vt quem tot annos per omnem vere Italiam armis insecutus esset, nunc ipsius opem imploraret. Fateri se in animo fixisse non prius arma posituru, quam aut sponte aut vi coactus dimissa aduersariorum amicitia ad se rediret. Qua in re & se Deum optimum grauiter iratum, illum vero adiutorem propitiumque habuisse. Sed nũc oportere eum præterita errata, quæ magis reprehendi quam corrigi possunt, ex animo delere: labanti imperio, soceroque ætare graui, imbecillitate & curis quam maxime impedito succurrere. Postremo rediret ad se, quem generum filiumque paret suscepturus esset, cui fortunas omnes suas, vitam denig; ipsam committendam decreuisset, modo Venetorum partes desereret. Si Florentini populi & Cosmi Medicis amicitiam retinere voluerit, id nequaquam molestum sibi futurum. Agro Piceno tandem excederet, pacatamque Prouinciam Pontifici, Ecclesiæque Romanæ cuius esset, dimitteret. Si bellum in Longobardia feliciter gesserit, vbiq; Franciscum victorem fore. Præterea Brixiam, & quicquid suæ ditionis Veneti occupassent, cumprimum reciperentur, ei se concessurum pollicebatur. Nec minoribus interea pollicitationibus Franciſci animum sibi reconciliare Veneti contendebant. Nã quo magis cõmeantib. sæpius vltro citroq; nũciis augebatur suspicio, ne ab eorum amicitia discederet, eo maioribus se illum muneribus ornaturos pollicebantur. Si Rex Alfonsus per eam Prouinciam, aut Hetruriam Philippo auxilia mitteret, obuiã iret, transituq; prohiberet; illos si Mediolano potiantur, eam vrbem Francisco confestim tradituros. Ad hunc modum & Philippus, & Veneti Franciscum mercabantur: cum vtriq; metuerent, ne per alterutrius ruinam Alfonsus in Italia crescret: vicissimq; & Pontifex, & Alfonsus præcauerent, ne Philippus à Venetorum, aut Veneti à Vicecomitis casu, si quid aduersi contigisset alterutri, maiores, potentioresque euaderent. *Simonetæ de rebus Sfort. lib.* 8.

Philip. Dux. & Veneti Sfortiam mercantur.

Addit Platina, quod cum Sfortia amplius sustinere hostes nõ posset, quippe à multis simul oppugnatus, & à nemine adiutus, adhortante ad eam rem Eugenio & Alfonso, qui rem Venetam augeri indignabantur, omisso Piceno Philippi militiam secutus eius copiis præfectus fuerit. *Platina in Eugenio IV.*

Sforcia omisso Piceno Philippi militiam sequitur.

Pacatis hoc euentu reb. suis in Italia Eugenius, Germanos quoque à neutralitate, quã octo continuis annis retinerant ad suum obsequium reuocauit, ac prope pacem Ecclesiæ confecisse visus fuit. Inprimis enim, vt Colon. & Treuir. Archiep. quos dignitatibus exuerat, inque illorum Sedes alios designauerat, sibi cõciliaret, Thomã Bonon. Episc. ad Philippũ Burgundiæ Ducem miserat, qui persuaderet, ne ægre haberet duos illos Antistites in sedes suas restitui, & hos quosiam in eorum locum designauerat, bono pacis Ecclesiæ rãtisper secedere, donec aliæ sedes vacuæ forent, in quas possent cõscendere. Impetrauit quod volebat Thom. à Philip. rectaq; à Burgundo Franak fordiam, vbi cõuentus Princ. Germaniæ agebatur, diuertit. Ad cal. Sept. eo frequentes cõuenerant, Electores Imperii, Dux Albert. Marc. Brandeburg. Petrus Augustensis & Sylvester Chiemen. Episc. vna cum Gaspare Schlick. Cancel. nomine Regis Rom. Com. Palatinus, Archiep. Moguntinen. Colon. & Treuirensis Iacobus Marchio Baden. Oratores Ducis Saxoniæ, & Friderici Marchionis Brandeburgensis in Marchia residentis; Nuncii Pontificis Eugenii, Thomas Episcopus Bononiensis, Ioannes Caruaialea Doctor Iuris, & Nicolaus Cusanus Theologus. Adfuerunt & Oratores Conciliabuli Basileensis, Ludouicus Arelatensis, cum aliquanto numero Doctorum. Legati Pontificii, delatis Eugenii literis, Principibus satisfacere nitebantur. Sed imprimis frustra erant conatus eorum; cum Oratores Principum qui Romæ fuerunt, Eugenium sibi durissime respondisse referrent. Itaque desperata res Eugenii videbatur, quia solus Fridericus Cæsar declarationem aduersus omnes Electores facere non audebat. In eo Conuentu egregium facinus Æneas ausus est, quod negligere nulla ratione possum. Moguntinus Archiepiscopus, qui fœderi aliorum Electorum, & pro se, & pro Friderico Brandeburgensi sigillum appenderet, rogantibus Oratoribus Cæsaris, vt sententiam mutaret, non erat inuitus, id si certa posset ratione tueri, ac promissi violator videretur. Tunc Æneas bono animo collegas esse iussit, quod Moguntino facile satisfaceret. Nocte ipse insomnem duxit, atq; ex notulis Principum, secundum quas Eugenium literas dare volebant, alias notulas composuit, omni excusso veneno, quod Eugenius ab horrebat, sententiasq; omnes exteadit, per quas & nationi prouideretur, & Archiepiscopi restituerentur. His peractis, eas ostendi Magũtino iussit, sibiq; dici, voluntatem Cæsaris esse, secundum eas notulas Eugenium nationi prouidere, neque dubitandum esse, quin illa ab eius Sanctitate possent impetrari, si rursus ad eum mitterentur Oratores. Visa est res Moguntino, & sufficiens, & iusta; moxque cum Imperialib. & Archiepisc. Magdeburgen. Bremensis, & Salburg. & Friderici Marchion. multorumq; aliorum Principũ Legatis fœdus iniit, vt notulæ, quas Æneas cõfecerat, sigillis omniũ muniretur, Romãq; mitterentur. Istud sentiẽtes Electores, cæteriq; Princ. animo cõsternati, nõ sunt ausi cõtra niti. Maior n. pars nationis, notulas à Sylulo cõceptas cõprobabat. Cõcordarũt itaq; oẽs vnanimi cõsensu, vt Eugen. maneret in Papatu; sic tñ, vt decreta Basileẽsia cõseruaret, ac nõnullis Germ. nationi indulgeret. Signatis his decretis, singulorũ Elect. Princ. Archiepisc. & Orator. singulis sigillis, decreta est legatio ad Eug. Pont. quæ nomine totius Germ. nationis & Cæsaris obedientiã deferret, ac postulata impetraret. Audita est et Basil. Legatio; & auctoritate Conc. General. postulabãt cõfirmari; & nouũ Concil. Gene. in Germania celebrati. Lectũ est præterea decretũ, aliquorũ, q. adhuc hærebãt in illo difficili & cõtentionis cõciliabulo; & tñ cõtra Sedẽ Apost. & cõtra totius orbis cõsensum, se vniuersalẽ Eccl. repsentare, Spiritũq; S. se habere iactabãt. Et q̃uis iã ab 8. circiter annis antipõtificẽ Felicẽ habuissent, tãq̃ puderet iã ipsosmet suę electionis cõtra Eugen. factæ. p q̃ pestilẽtissimũ schisma in Ecclesia Dei excitauerãt, nunq̃ Felicis mentionẽ in eo decreto fecerunt. Ita habet, ab illis desertis, & desertoribus conceptũ.

Res Eug. fere desperata cum Principib. Germ.

Æneas Syluius Rem Eug. restituit.

Sacros. Gen. Syn. Basil. in S. S. legitime congregata, Vniuers. Eccles. repræsentans, ad futurã rei memoriam.

Ad laudẽ Oppotentis Dei, pacem & exaltationem Ecclesiæ, & tranquillitatem populi Christiani, prõpto corde & efficaci desiderio intendentes, ea libenter ordinamus & quæ im⁹ per quæ huiusmodi pax & exaltatio trãquillitatis merito valeat, promoueri. Cõsiderantes charissim⁹ Ecclesiæ filius, Frider. Rex Rom. illustres, necnon Venerabiles Patres, & dilecti Ecclesiæ filii, Nobiles viri, S. Rom. Principes Electores, per multa retroacta tempora, labores indefessos, & operas sollicitas impenderint, quib. pax & tranquillitas in Ecclesia Dei floresceret, & sacrorum Generalium Conciliorum illibata lucceret auctoritas; nec vlla videretur aptior, & toti populo Christiano via gratior, quam vt ad aliud Generale Concilium deueniatur, in quo causa schismatis, omniumq; aliarum differentiarum & discordiarum, quarũ in Ecclesia Dei ortæ sunt, quantum fieri potest examinetur, & expediatur. Et infra.

V. *Decretum Basileense de nouo General. Concilio indicendo tribus imp. & Principes voluerint.*

Exnunc

Exnunc pollicemur, & bona fide promittimus, nos Generale Concilium indicturos, nosq; seu hanc Sacrosanctam Basileensem Synodum translaturos in locum, quem præfatus Serenissimus Rex, & prædicti principes Electores, seu eorum Oratores & Nuncii, in conuentione sua, in dicto oppido Francfordiensi, III. Calen. Sept. proxime venturi dixerint nominandum & deputandũ. Initiandum etiam eo die, quem similiter duxerint nominandum, & deinde celebrandum, ac continuandum.

Postulata Principum ab Eug.

Retulerunt ea de re Principes ad Eugenium Pontificem; & vt concordata, quam primum à Pontifice confirmarẽtur, in proxima Dominica Lætare anni D. 1447. in Comitio Nurembergæ indicendo publicarentur decreuerunt; atque Concilium Generale, In mense Maio, anni eiusdem 1447. in vno ex sex Locis in Germania nominatis, ab Eugenio deligendo, indiceretur, cõgregareturque, postularunt, Præter hæc diadema Imperatorium, Friderico Cæsari, Pontifex, Romæ imponeret, Archiepiscopos sedibus restitueret, censuris Apostolicis innodatos absolueret, Eugenium obsecrarunt. Ludouicus Arelatensis Card. vbi spe deiectum se vidit, accersito Æneæ qui sibi Basileæ notus, & inter familiares dilectus fuerat, mutatam eius sententiam multis verbis acculauit. Cui Æneas: non se mutatum, sed Basileenses non esse dicebat, qui olim fuerant; qui cum primo pacis causa transferre Concilium ex Basilea in alterum locum promisissent, postea negauissent: tamquam extra Basileenses muros veritatem tueri nequirent. Ioannes quoque Lysura vir prudeus & iuris Pontificii consultissimus, obuius Æneæ apud Ioannem Caruaialem datus; *Et tu*, inquit, *ex vrbe Senensi datus legem Theutonicis aduenisti? Vtinam domi mansisses, & nos nostram regere terram dimisisses.* Cui Æneas transiens, nihil responsi reddidit, ne sibi inuidiam maiorem compararet. Fridericus porro Cæsar, diuulgato diplomate, his qui Basileæ supererant Patribus, conuentum interdixit, vt Basilea excederent imperauit. *Commentar. Pii 2. libro 1. Cochlaus histor. Hussit. libro 9. Syluius Europæ cap. 42.*

Card. Arelat. spe decidit.

Creatur Card. ab Eug.

Eugenius autem, Thomam Bononiensem Antistitẽ, & Ioannem Caruaialem, magnos & fideles Legatos, quod res bene feliciterq; gessissent, reuertentes ad vrbem, ad Cardinalatus dignitatem euexit: hisq; adiunxit Henricum de Sancto Alfosio Mediol. ex Episcopo Terdonensi Papiensem, & Ioannem Siculum Monachum Cõgregationis S. Iustinæ, Abbatem S. Pauli extra muros, quod ille quidem Philippo, hic autem Alfonso Regi ad pacificandas res Pontificias annitentibus, adiutores fuissent. *Omphr. in Chron.*

VI. *S. Nic. Tolent. relatus ab Eug. in numerum SS.*

Inter hæc Eugenius, vt in tantis rerum agitationibus patronum sibi peculiarem inter cœlites conciliaret, Nicolaum Tollentinatem Ordinis Sancti Augustini, miraculis clarissimum: hoc anno, ad diem Pentecostes, in numerum Sanctorum retulit, & à Sancti Petri Basilica, ad templum Augustinianorum, vna cum Clero & populo progressus, solennia ibi celebrauit. Istud est diploma, quod ea de re euulgauit, anno insequente.

Diploma Eug. Pap.

Eugenius Papa IV. Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Salutem & Apostolicam benedictionem.

Licet militans in terris Ecclesia, sriumphantem in cœlis, filiali & deuoto veneretur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaq; Sanctorum, quantum sint fragilitas, dignissimis attollat titulis, devotissq; precibus, solenni ritu, sacrificia laudum offerat, ad decus & veneration em cuium supernorum; nihil tamen illis accrescit nouæ perfectionis & gloriæ, nec eorum perfecta felicitas nostris operibus firmari poterit vel augeri: misericors tamen miseratorq; Dominus, per intercessiones, meritaq; Sanctorum, quos in terris celebritate congrua veneramur, mirabili dignatione imperfectum nostrum suppleri prouidit, vt quod nostris meritis non valemus, eorum suffragiis assequamur.

Æternus itaque Deus, qui facit mirabilia magna solus, Confessorem suum eximium Nicolaum de Tolentino in approbata religione Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, ab eius pueritia educatum, puritate candidum, charitate feruidũ, electum è millibus, exemplar præfulgidum, sapientia eius infinita produxit; singularis vitæ suæ excellentiam, signis & prodigiis probans, ac coruscantibus, crebrisque miraculis manifestans. Lætentur itaq; Cœli, & exultet terra, iocundetur quoque vniuersus totus Orbis, quando ei, qui effulsit in templo Dei cum viuens speciosum in cœlo præstans hospitium cœli ciues.

§. 2. *Itaq; huius beati viri quando vita est functus fama, summaque ad eum populorum deuotione crescentibus, fel. rec. Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, Auenioni, cum eius curas fides, cum fratribus suis cepit de eius Canonizatione tractare, quam nisi eius obitus, & horrenda superuenissent schismata proculdubio consummasset.*

3. *Beatus hic igitur Nicolaus, honestis ex Castro S. Angeli infra Firman. Dioc. parentibus ortus: puerorum consortia vitans, Ecclesias, diuinaque mysteria frequentabat, & ne præclara opera lucida vitæ suæ, longo latoque sermone percurramus, pauca libet referre de pluribus, vt ex his existentes in via Domini, patrem glorificent, sicut decet.*

4. *Sanctus equidem iste in ætate existens tenera, se sub magna religionis diligẽtia, summa cum obedientia & humilitate seruabat, castigando corpus ieiuniis, vigiliis, orationibusque insistebat deuotus, gratus, humilis, obediens, benignus, suauis, pius, patiens, constans, maturus, compositus, virtutum quibusdam aromatib. plurimos attrahebat, adeo quoque fidei cultor erat, vt cuncta illius verba, & opera, virtute fidei redolerent, tribulatorum, & infirmorum consolator assiduus existebat.*

5. *Et demum pudicus, castus, modestus, verecundus, ac latus ad vitæ vesperum veniens, diuinitus audire meruit. Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui. Sic granum frumenti cadens in terram, & mortuum, vberem conseget in spicam, sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam, sic regnum calorum percipitur, & Sanctiper fidem sublimia regna vicerunt.*

6. *Verum quia decebat diuina magnitudinem bonitatis, vt quem in terris præclaris ornaret virtutibus, in cælo regnare certis testimoniis probaretur, multis eum magnifq; miraculis, dum viueret, & post obitum, clarum fecit, quorum quædam dignissimis probata testibus onerosæ multitudinis vitandæ gratia, duximus præsentibus annotanda.*

7. *Quidam adeo in sinistro latere perditus erat, vt nec illius manum, aut pedem posset quouis modo mouere, aut quicquam ex oculo sinistro videre, post plurimorum medicorum antidota, atque collyria iuuamen experta. Sanctus sic latus illud Crucis signaculo tetigit, vtroque illi benedixit, qui statim è grabato surgens, sanatus est, videns, & integre liberatus.*

8. *Quædam vero mulier triennio continuo sanguinis fluxum patiens, ad Nicolaum veniens, & manum illius deuoto osculans, precabatur eum, vt preces ad Dominum pro illius sanitate recuperanda porrigeret. Sanctus ipse illam crucis signo signauit, & liberata recessit, & hac ante obitum.*

9. *Post obitum vero cum puer quidam annorum quatuor in canale molendini cecidisset, & intra rotam, & aquam per spatium temporis, quo communiter quis bene ambulans, milliario ambulasset, continuo incussisset, inde tandem laborioso extractus mortuus, & pro mortuo reputatus, emisso prius per matrem voto, quod si restitueretur vitæ auxilio Beati Nicolai illum supra Sanctum tumulum habitum religionis indueret, adiuuante Sancto predicto, viuus apparuit.*

10. *Vir insuper quidam iuuentus in domo sua suspensus & mortuus, precibus, & voto, per eius vxorem ad B. Nicolaum emissis, factus est viuus, & ex tunc diutius supervixit.*

11. *Qui amplurima etiam miracula, tam in vita, quam post eius obitum fecit, plures q; homines vtriusque sexus à morte resuscitauit, cæcos illuminauit, & ab oculorum infirmitatib. liberauit, contractos, & protractos membris, & claudos erexit, paralyticos à membrorum impotentia sanauit, & à tremore capitis, & membrorum, dæmoniacos, captiuatos, incarceratos cum aparitionibus & reuelationibus liberauit, cadentes & allisos à naufragiis, ac captiuitate personæ, à perditione bonorũ, à febribus, ab hectica, hydropisi, à podagra, à doloribus iliorum & stomachi, ac cordis, aliisq; infirmitatib. liberauit. pristinæq; sanitati restituit. Quæ omnia trecenta & vnum miracula, ad quorum probationem examinati fuerũt trecenti septuaginta, & vnus testes, in Registris annotata coram nobis in publico consistorio relata fuerunt. His itaq; ac aliis meris operib. Sancti huius astruentib. sanctitatem, & chri-*

stiane fidei veritatẽ, miraculorũ linguis loquente, cõcurrit ad nos vniuersus populus, creuit de his fama atq; deuotio, laudatur Dominus de saluti ferij gratiis auctoris gratiæ referuntur. Inualuit super his vox communis & celebris, & plurimorũ vox exultationis etiam Prælatorũ nobis intonuit, & nostræ auctoritate inquisitionẽ fieri super dictis obtinuit. Primum quidem Venerabili Fratri Ioanni Episcopo Præneſtino, & dilectis filiis nostris Ioanni tit. S. Laurentij in Lucina Presbytero, & Prosbero. S. Georgij ad velum aureũ Diacono Cardinalibus commisimus, vt veritatem præmissorum, & de miraculorum continuatione inquirerent diligenter, quorũ relatione, etiam continuationem miraculorum probata veritas, nos & Venerabiles fratres nostros S.R.E. Cardinales, de Sancti eiusdem vita mirabili, miraculis, & meritis gloriosis instruxit.

12. Et quis plura, & maiora de Sancto ipso compertus, quam insinuata fuissent, de Fratrum Prædictorũ consilio & assensu, plurimis Ecclesiæ prælatis adstantibus, de omnipotentis Dei virtute, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra auctoritate confisi, eundem B. Nicolaum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.

13. Ideoque Vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes quatenus quarto Idus Septemb. quo Sanctus ipse migrauit ad Dominum festum eiusdem, deuote & solemniter celebretis: & faciatis ab omnibus veneratione condigna celebrari, vt pia eius intercessione, & hic à noxijs protegi, & in futurum sempiterna consequi gaudia valeatis.

14. Et vt ad venerabile eius sepulchrum eo ardentius Christi fidelium conflat multitudo, & celebrius eiusdem Confessoris colatur festiuitas, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui eum deuotione & reuerentia illuc in eodem festo accesserint annuatim ipsius suffragia petituris, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, septem annos & totidem quadragenas, accedentibus vero anno singulis ad dictum sepulchrum, infra eiusdem festiuitatem, duos annos & duas quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxamus.

Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ. 1447. Cal. Febr. Anno 16.

Præter hæc Eugenius, sciens quantum vtilitatis ex reformatione Religiosorum Græci ritus, vniuersali Ecclesiæ & Orbi Christiano accederet, eam quam adiungo Constitutionem, de reformandis Monasteriis Ord. S. Basilij, in Regno vtroque Siciliæ consistentibus promulgauit. Ita habet.

VIII. *Eugeniana de reformandis Monasteriis Ord. S. Basilij.*

Eugenius Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Inter curas multiplices quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obsidemur, illam gratiosius amplectimur per quam Regulares Ordines, & loca, ingenti sanctimoniæ dedita, prout congruæ prospicimus, in spiritualib. & temporalibus prosperitatis optatæ contingant eventum, vnde efficacius ad id solicitudinis studium apponere cupimus, & prouisionis salutaris adhibere remedium, ne Ordines & loca ipsa, Apostolica, quod absit, prouidentia destituta consilio, deformationis subiaceant opprobrio, sed libentius cultu temporis continuum, dante Domino, in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipient incrementum.

1. *Sane ad nostri deductã notitiam, quod plurima Monasteria & loca Monachorum Græcorum Ordinis S. Basilij in Regno Siciliæ circa & vltra Farum essent, quæ in multa reformatione indigere videbantur. Nos inter alia mandauimus, omnibus & singulis Abbatibus dicti Ordinis de celebrando Capitulo ad vrbem Romanam, vt certo iunc expresse, & ad id per nos statuto termino personaliter conuenirent, ibidem tractaturi, & ordinaturi, quæ pro religionis decore, & huiusmodi Ordinis commodo, vtilitate & conseruatione expedirent.*

2. *Postmodum vero dilectis filijs præfati Ordinis in prædictis Insulis & Regno consistentium Monasteriorum Archimandritis & Abbatibus, cum nonnullis aliis eiusdem Ordinis personis, sub Græcorum ritu viuere consuetis, in prædicta vrbe pro præmissis congregatis conuenientibus post maturam quam de super inter se habuerunt deliberationẽ concordarunt & ordinarunt, ac in hoc singuli fere eius maior pars eorum expresse consenserunt, videlicet quod ex singulis, Siciliæ & Calabriæ, & Apuliæ dicti Ordinis Prouinciis, vnus esset eiusdẽ Ordinis visitator, qui in illa ex Prouinciis huiusmodi in qua pro tẽpore deputatus fuerit cũ vno socio, cuius consilio in omnib. agendis vti debeat, Monasteria, & loca prædicta tã Monachorum, quã Monialiũ sub prædicta regula degentiũ, tã in Capite, quam in membris visitare & reformare, ac personas ibidem corrigere, aliaque quæ ad huiusmodi visitationis & correctionis officium de iure vel consuetudine pertinebunt, facere, & exercere possent & deberent.*

3. *Quodq; visitatores dicti Ordinis pro tempore existentes à quolibet dictarũ Prouinciarũ Ord. huiusmodi Monasterio siue loco, illam pecuniarũ summã siue quantitatem, quæ inter Archimandritas, Abbates, & personas prædictas in Congregatione huiusmodi, tã pro salarijs Magistrorũ, Monachos, & personas dicti Ord. aliosque quoscunq; idiomatis Græcũ pro tempore docere volentiũ, quam expensis studentiũ huiusmodi deputata, seu consignata extitit. Et quæ quidẽ summa siue quantitas in Sicilia inter Monasteria, & Ecclesias saculares Gracas ad Cẽtũ uncias Monetæ currẽtis ibidẽ & in Calabria ad ducentos & quinquaginta, in Apulia vero Prouincijs eisdẽ ad Octuaginta florenos auri de Camera ascendit, ad quas quantitates, à quibuslibet dictorum Monasteriorum & Ecclesiarũ Rectoribus persoluendas, tã Abbates quam Cõmendatarios quoscunq; & quibuscunq; vnita Monasteria. In Sicilia vero eos Presbyteros saculares, Rectores Ecclesiarum Græcarum teneri, & obligatos esse voluerunt, & statuerunt, exigere, colligere & leuare valerent, atque possent, huiusmodi concordatis & Ordinatis per singulos aut maiorem partem eorum, qui præmissis Congregationis & Capituli celebrationi interfuerunt acceptatis atque laudatis.*

4. *Nos itaq; omnia & singula præmissa, & quæcunq; alia inter Archimandritas Abbates, & personas predictas in huiusmodi celebrato Capitulo ordinata, & concordata, illorumque tenores & effectus rata habentes & grata, illa auctoritate Apostolica approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, ea; volumus & mandamus, ab omnibus & singulis, quorum pro tempore interfuerit, firmiter & inuiolabiliter obseruari.*

5. *Districtius inhibentes. Venerab. Fratrib. nostris Archiepiscopis, Episcopis, & vniuersis & singulis Ecclesiasticis dictarum Prouinciarum Prælatis, & quibusuis aliis, cuiuscunq; dignitatis, gradus, Ordinis, vel conditionis fuerint, & præcipue dilecto filio Lucæ Bufalo moderno S. Saluatoris in lingua Fari Messanensis Diœc. Archimandritæ (cuius præeminentiam, quam supra monachos & Abbates Siculos habet, ac curam eius quoad vixerit ex certa nostra scientia suspendimus, & quem correctionis & punitionis ac coertionis ipsorum Visitatorum subiicimus, ac ab illis corrigi & puniri debere, atq; esse decernimus,) Archiep. vero & Episcopis suffrẽsionis ab ingressu Ecclesiæ pœna, nec non prædicto Lucæ, & alijs Archimandritis, & ceteris supradictis sub excommunicationis sententia, quas eo ipso incurrant, & à qua quidem sententia, ab alio quam à Rom. Pont. absolui non possint, ac cuilibet ipsorum, ne se de Visitatione Monasteriorum & locorum Græcorum, tam Monachorum, quam Monialiũ in Prouinciis supradictis, existentium aliquo modo intromittant. siue Visitatores ipsorum Monasteriorum & locorum tempore existentes, quominus illa libere visitare, ac illorum personas corrigere & punire, aut alias commissum eis visitationis officium, in omnibus & per omnia exercere debeant, atque possint, impedient.*

6. *Et nihilominus vt Monasteria & loca prædicta per visitationis & felicis directionis ministeriũ salutare contingant remediũ, volumus & dicta auctoritate statuimus, atq; decernimus & ordinamus, quod visitatores pro tẽpore electi, & deputati, ac existẽtes, ad singularẽ Prouinciarũ huiusmodi personaliter accedãt, & solis Deũ præ oculis habentes in Monasteriis, & locis prædictis, tam in spiritualib. q̃ in temporalib. nec non Capitib. & mẽbris, debitæ visitationis officiũ auctoritate p̃dicta impendere & exercere, ac omnia & singula, q̃ in reformationis & correctionis ministerio indigere p̃spexerint, prout eis iuxta Canonicas sanctionis, & regularia eiusdẽ Ord. instituta, ac alias congruæ videbitur reformare & corrigere, nec nõ quoscũq; Monast. & locorũ ipsorũ p̃sidentes illorũq; cuiuscũq; dignitatis, et Abbatialis status, gradus, vel cõditionis existant, vel p̃eminentiæ, etiã Archimandritæ fuerint iuxta criminũ, & excessuũ per eos quomodolibet perpetratorũ qualitatẽ, et exigentiã corrigere & punire. & si illorũ demeritis id depoposcerint, à dignitatib. & officijs quibuslibet auctoritate nostra priuare, & ab illis amouere, ac etiam summã siue quantitatẽ pecuniarũ huiusmodi, ad opus & vsus Magistrorum & studentium eorundem*

patentes litteras ipsorum sigillis sigillatas, quantocius fideliter intimare procurent, vt eorum informatione plenius instructi circa prouisiones Monasteriorum, & locorum tunc per priuationes & ambitiones huiusmodi vacantium, consultius agere valeamus. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ 1446. Decimonono Calendas Ianuarii. Anno sexto decimo.

Faciebat Eugenius, vt ex his monasteriis recte institutis, haberet viros, quos Græcis ad vnionem Florentinam renouandis mitteret idoneos Magistros, qui non tantum doctrinam Catholicam, sed etiam mores veteres Religiosi instituti, in Oriente depangerent: hoc præcipue tempore, quando Marcus Ephesius, quem vna cum aliis Græcis ad Concilium Florentinum venisse, & magnam doctrinæ experientiam in disputationibus publicis fecisse diximus astutia & Græca malignitate vius, in suo sensu animo obdurato perseuerans, Patrum sententiis in omnibus se contrarium exhibuerat, ac in patriam reuersus sua perfidia vniuersam fere Græciam à sancto proposito, & iustificandi Sacramento peruerterat, & ad eiurates errores conuerterat. quam quam istud Deus omnium maiorum vltor, homini rabie laboranti non impune esse siuerat, neque multo tempore grassari perfidum voluerat. Tertio namque anno exacto, miserum sæuissima inuasere supplicia: quod cum sanus nefanda & putida contra Orthodoxam fidem euomuisset mendacia, ita è contra horribili pœna, per aliquot dies, victum quo sumpserat ore, iam corruptum ab aluo reuomeret, donec cum eodem teterrimo fœtore, animam effuderit. *Philippus Bergomensis in supplemento Chronicor.* *Miserabilis Marci Ephesij Græcæ peruersitatis finis.*

In Anglia, istud afflictionis Ecclesiæ accidit, id temporis. Iuris Regni periti, vt sui commodi causa, Regia fora multitudine litium & infinitate replerent, pleraque controuersias ab Archiepiscopali & Episcopali audientia ad sua iudicia vocabant, & Ecclesiasticam iurisdictionem decimarum, matrimoniorum, testamentorum, atq; vltimarum voluntatum, finibus & cancellis suis concludere volebant; in quibus sæpe etiam prohibitionibus Regijs, Ecclesiasticam potestatem coercebant, & impediebant. Tum quædam prouisionum statuta, & breuia de Præmunire; vt vocant, si Prælati ac Iudices Ecclesiastici, digitum, vt aiunt, latum, præscriptos à se iurisdictionis fines transilirent, multis minis vibrabant. Ea pœna Prælatis valde terribilis fuit. Nam si à laicis Iudicibus rei pronunciarentur, & bonis omnibus mulctandi, & æternis carcerum tenebris inuoluendi erant. Huius pœnæ atrocitate, Episcopi & Prælati iurisdictione prædicti, ita perturbati sunt, vt quia Leguleiorum minantia tela vix euitare poterant, Concilium sine mora ineundum putauerint, & Londini ad Synodum hoc anno conuenerint. Ex ea Synodo supplicationem totius Anglicani Cleri nomine conceptã Regi tradiderunt: in qua de laicis Iudicib⁹, oppido semper que Clericis infestis grauiter conquesti sunt. Nullam esse causam dixerunt, cur pro Regis, Regnique incolumitate ac salute amplius orare Deum haberent, cum maior leguleiorum talium, quam consuetudinum, & Ecclesiasticæ iurisdictionis Prælatorum ratio haberi videretur. Se iure certo hærere ac insistere; leguleios illos arbitrio vagari, & iura pro causis quotidiana suo ære insculpere, eademque in causis eisdem figere, refigere, tollere: tum, quod in aliis statutis, si Parlamenti authoritate edantur, (quo quidem iure nescimur) interpretationem sibi peculiariter arrogare; & leges, conditorum mentes, atque intentiones, (quæ sola lex humanis legib. imperitat) incertis motuis, & decretis penuersis impudenter & impenite quocumque vellent deducere. Si non alia sit causa Regi, cur Prælatorum fidem in dubium vocaret, quam quod prioribus sæculis Clerus

IX. *Laicis Iudices in Anglia in Ecclesiastico-rum Iurisdictionem inuolant.*

Supplicatio ab Episcopis & Prælatis Angl. super hoc Regi porrecta.

à Rege, ad Pontificem Romanum prouocauerit; magis propterea commendari deberent, quod ad Patrem totius Christianitatis, veritatis & iurium amantissimũ æque ac Regii honoris & iuris cupientissimum accurrissent. Quod si aliqua lex perplexis verbis concepta, occasionem hostibus præbuerit cauillandi etiamsi de condentium mente non appareat, tamen ea in benigniorem partem & significationem erat deducenda. præsertim, quum Prælati, nunquam in Regis iurisdictionem manum intulerint: iurisdictionis suæ limites nunquam egressi fuerint; nunquam aliquid tale demeruerint, vt Ecclesiastica iurisdictio penitus enerueturr, & vniuersus Clerus contemptui vulgo fiat. Ad extremum postulabant, ne illi iudices, Prælatos à munere suo pie recteq; gerendo aut impedirent, aut deterrerent. Quod si tam iniqui calumniatores duriores esse velint, & vetera ob iniquas causas lata iura, non ad Principis aut Reipublicæ, sed ad suam vtilitatem atq; quæstum, & ad integerrimi religiosissimiq; Prælatorũ ordinis perniciem reficare: saltem ipsi illi simili lege lata pariantur legem talionis, eademque pœna plectantur, si in Ecclesiasticæ iurisdictionis limites incurrant, qua prælatos, si suas causas vel minimo digito attingerent, affici volunt.

X. *Eug. Regi Angl. auream Rosã benedictã mittit.*

Eodem anno Eugenius Pontifex, vt Regem Anglũ benevolentem Clero redderet, auream rosam, instituta solenni legatione destinauit, & scriptis litteris de eius benedictionis ritu, ac virtute, quibus ceremoniis Romæ quotannis in Basilica Sancti Petri consecraretur, quantumq; vtilitatis spiritualis ab ea consecratione proueniat, declarauit. Hanc auream Rosam, Henrico Sexto, præsentibus Archiepiscopo Cantuarien. tum Regni Cancellario, & Archiepiscopo Eboracensi Ioanne Kemp. Cardinale, necnon Eboracensi & Exoniensi Ducibus, Ludouicus quidam Sancti Stephani, Westmonasterii obtulit. Eam Pontificis benignitatem Rex, non modo rescriptis & gratiis, sed etiam plurimis donis remunerauit. *autor antiquit. Ecclesiast. Britan.*

XI. *Rex Angl. decimam à clero Eugen. negat.*

Ab eodem tamen Rege, Eugenius aliquantam hoc anno repulsam passus est. Postulauerat à Clero Anglicano decimam omnium fructuum, vt Philippo Duci Burgundiæ in Turcas mouenti, & Rhodianis militib. suppetias ferenti, aliquid conferret. Eam exactionem Rex non permisit; quod illi cum Philippo non bene conueniret. Misit tamen Philippus ternas triremes instructas Rhodum, & ad limites terræ sanctæ, Rhodianis ibi contra Turcas & Saracenos grauiter laborantibus: præcipue quod illi maxime doleret. euersum apud Hierosolymam à Turcis Sacellum, quod in edito colle, iuxta Dominicum sepulchrum ipse ædificauerat. *Meyerus libro 16. annal. Flandr. & auctor antiq. Eccles. Britan.*

ANNO CHRISTI 1447.

Eugenii Papæ IV. anno 17.

Friderici Regis Rom. anno 8.

I. SI in aliquo altero, in Eugenio certe Pontifice, verum esse Deus voluit, illud q̃ per propheram Regẽ promisit: *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* Sane totis 16. superioribus annis, nihil fere aliud visum est in sorte Eugenii innocentissimi, atq; integerrimi Pontificis, quam virga lignea & ferrea, à contentione de primatu & principatu, ab his terreno, ab illis Ecclesiastico per summam iniquitatem desiderato, permissione diuina immissa: qua Deus constantiam Pontificis exerceret, & stabilitatem Sedis, quam supra Petram inconcussam fundauit, probaret. Non tamen perpetuam esse voluit duplicem eam tribulationem; sed qui Græcos ad vnitatem ouilis adduxerat, Germanos pariter, ad gremium matris Ecclesiæ, Eugenio obstetricante reuocauit; vt post profluuia lachrymarum, quas in toto decursu Pontificatus, discurrens & flens, pro spirituali seminio profuderat, obuiam prodiret patrifamilias cum exultatione, deferens manipulos suos. Res est. Transactis illis, quæ superius memorauimus in Conuentu Francofordiensi, Conuẽtus Æneam Syluium, & nobilem Equitem Procopium Rabenstreynum Bohemum ad Eugenium Pontificem Legatos instituit, hisq; potestatem dedit, si Eugenius notulas Francofordiæ conclusas acceptaret, concurrente Præsule Maguntino, & Brãdeburgensi Marchione, neutralitatem deponerent, ac Germaniæ nationis nomine, Sanctæ Sedi Apostolicæ obedientiam restituerent. Interea Ioannes Lysura, cum res ad mentem suam non sequi animaduertit, rebus mentem aptauit, submittensq; se Maguntino Archiepiscopo, legationem eius ad Eugenium obtinuit, quem cum pluribus aliis Oratoribus Principum apud Senas Legati Cęsaris inuenerunt, atq; simul Romam euntes, ad primum lapidem familiam Papæ & Cardinalium, & vniuersos Curiæ prælatos obuiam habuerunt; ac veluti Duces recipi solent, cum victis hostibus domum repetunt, in vrbem sunt introducti. Tertia die ad Eugenium vocati, in Consistorio secreto auditi sunt; quo in loco, nomine omnium Æneas orauit, vsus isto exordio. *Non habet me dubium, Pater Sanctissime, quin apud te sit illa Domus, quam Dominus in Euangelio super firmam petram laudat ædificatam; ad quam recurrendum est regnante diluuio. Nam extra eam non est salus; & eius decorem diligere se propheta testatur.* Et infra. *Quæris forsitan ex nobis, Pater Sanctissime, an amici venimus? quid quærimus? quid offerimus? Dum nos nomino, non nosipsos qui assumus nuncios, sed Dominum Cæsarem Fridericum tuum deuotissimum filium, ac præclarissimos Principes & Reuerendissimos Patres, Sacri Imperii Electores, tum Proceres & Prælatos tibi deditissimos, quorum hic Oratores vides, intelligi volo. Sumus igitur non solum amici, sed etiam adiutores & deprecatores. Pacem quærimus, pacem afferimus: atq; idcirco cum filiis Beniamin & Iudæ dicimus, Rex, præsto tibi, pax adiutoribus tuis. Te enim adiuuat Deus tuus. Plena pacis petitio est, plena pacis oblatio.* Et post multa. *Afferunt pacem Germaniæ Principes, sed pacem etiam expetunt. Cupiunt enim aliqua, quæ nisi obtineant, nec curari vulnera possunt, nec pax nationi haberi. Ea quattuor principalia sunt. Primum est, vt Generale Concilium in tempore, loco q̃ designando conuocetur. Alterum est, vt professio potestatis, autoritatis, & præeminentiæ Generalium Conciliorum, militantem Ecclesiam representantium, per tuos Oratores facta, tuis litteris approbetur. Tertium est, vt nationi Germanicæ super grauaminibus opportune prouideatur. Quarto & vltimo loco petimus, vt quæ in præiudicium dictorum Principum Electorum, vel suarum Ecclesiarum acta sunt, ex Tua Sanctitatis clementia reuocentur, & in pristinum statum redigantur.* Et infra in fine. *Hæc sunt Sancte Pater, quæ nostri Principes ex te petunt; magna sane, sed rationi & potestati consona. In prima petitione, communis versatur vtilitas: in secunda humilitas: in tertia æquitas: in quarta benignitas, & tua desideratur humanitas. Tuum est, quod iuste petitur, libenter annuere. In tua nunc manu est, radicem schismatis omnem euellere, pacem orbi concedere, consolari nationẽ, & eius obedientiam recipere.* Hæc Syluius. Perorantem Æneam, tum Papa, tum Cardinales mirum in modũ laudauerunt. At ea die ipsa Eugenius correptus ægritudine in lectum se dedit, Cardinalibusq; tem tractãdam commisit. Cum iam res ad calcem deducta esset, plerisq; ex Theutonicis pedem retrahebant, obedientiamq; Pontifici, medicorum iudicio infra decimam diem moriturο, præstandam negabant. His Æneas, magnis rationibus aduersabatur, multumque nationi conducere affirmabat, accelerari declarationem debere, cum Eugenius iam voluntati Principum beneuolus esset. Nam quod ipse feciſſet, successorem eius gratum & ratum habiturum. Quod si ante moreretur Eugenius, quam declaratio fieret, timendum esse, ne

Insignia à Comitiis Francofordien. Principũ Germ. ad Eugen. PP. Legatio.

successor nationi durus inueniretur; quamuis, siue asper, siue mollis successor ei daretur, nihil cum eo tractari posse, quorum mandata in Eugenium sonarent. Ab vrbe vero, si rebus infectis decederent, omne fœdus Principum solui, nationemque nunc maiori ex parte concordem, in magnas dissiones, contẽtiones q; dari. Quod q; gratissimum videri deberet, ad solidandum, roborandumq; schisma periculosissimũ, in Ecclesia, viam quam præcluserant aperiri. Nec Ioan. Lysura alterius sententiæ fuit, qui tantopere declarationem faciendam suadebat, vt mortuis omnibus Eugenii membris, satis esse diceret, si vel digitus sinistri pedis minimus viueret. Ob quam rem persuasis omnibus Collegiis, cum iam notulas omnes Eugen. approbasset, atque litteras super his decreuisset, ad cubiculum eius omnes Legati intromissi sunt, qui iacẽti Pontifici obedientiam præstiterunt. Ille confestim Bullas Apostolicas in manus Æneæ dedit: nec mora, rursus in Consistorio publico præsidentibus Cardinalibus, publicatis Cæsaris, & aliorum Principum mandatis, repetitæ sunt cæremoniæ. Inde tota vrbe ob publicam lætitiam ignes facti, & campanæ, tubæq; sine modo sonuerunt. Sequenti die iustitium indictum, supersisq; rogationes decretæ; Cardinales, cæteriq; Prælati cum populo in ordine procedentes, Sancti Syluestri coronam, Sancti Ioannis Baptistæ Caput præcipuasq; Sanctorum reliquias, ex templo S. Marci Lateranum detulerunt, ibiq; sacrificatum, atq; de Friderici, Eugeniiq; laudibus habitus est non breuis, neque inornatus sermo. *Comment. Pii II. lib. 1. Cochlæus hist. Hussit. lib. 9.*

Pont. Eug. obedientia præstita.

II. *Diploma Eug. datũ nationi Germ.*

Istud est diploma ab Eugenio Pont. datum nationi Germanicæ.

Eugenius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Inter cætera desideria cordis nostri, filios quoslibet, ad nostrã, & Apostolicæ Sedis obedientiam exoptantes adduci illa temporum qualitate pensata aliquando concedimus, ordinamus, & statuimus, per quæ Christi fidelium tranquillitati & commodo, remotis dissensionibus & scandalis consulatur, & exinde animarum salutem valeant adipisci.

1. *Sane cum propter dissensionem, inter nos, & eos qui Basileæ, sub nomine Generalis Concilii remanserunt dudum exortam, nõnulli Principes & Ecclesiastici, quã seculares nationis Germanicæ, in quadã neutralitate, & animorum suspensione, à die 17. mensis Martii de anno Domini 1438. vsq; in præsentem diem se tenuerint, ea mente, vt asserunt, vt postmodum vnanimi consensu, in nostra & Sedis Apostolicæ obedientia, & reuerentia pæribus gressibus incedere possent; & charissimus in Christo filius noster Fredericus Rex Romanorum Illustris, ac Venerabilis Frater noster Theodoricus Archiepisc. Maguntinus, & dilectus filius noster vir Fredericus Marchio Brandeburgensis, S. Imperii Electores, ac Venerabiles Fratres nostri, Fredericus Magdeburgensis, Fredericus Salesburgensis, & Gerardus Bremensis Archiepiscopi, ac quidam alii Prælati, & Principes dictæ nationis, nobis debitam obedientiã per suos Oratores præstiterint, ac Nos solum in Vicarium Iesu Christi recognouerint, & professi fuerint.*

2. *Nos attentis, quod dictæ neutralitatis, & suspensionis tẽpore, plurima, in ipsa natione acta, gesta, & facta fuerint, quæ confirmationem, indulgentiam, & dispensationem super eis Apostolicæ auctoritatis requirunt, prædictorum Regis, Archiepiscoporum, Marchionis, cæterorumq; Prælatorum, & Principum supplicationibus inclinati, omnes & singulas, tam Metropolitanæ, quam Cathedralium, aliarumq; Ecclesiarum, nec non dignitatũ etiam Abbatialium, ac post Pontificalis maiorum, & in Collegiatis Ecclesiis principalium & aliorum beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum quorumcunq;, etiamsi Ecclesiæ curatæ, Canonicatus & præbendæ fuerint, electiones, postulationes, collationes, prouisiones, confirmationes, & dispositiones, nec non processus, sententias, aliaq; acta iudiciaria, auctoritate ordinaria huiusmodi suspensionis & neutralitatis tempore factas, seu factæ (quæ omnia & singula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac exacta & grata habentes, auctoritate Apostolica & certa scientia confirmamus.*

3. *Volentes ac etiam statuentes, vt nulli, qui possessiones Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, beneficiorum, & officiorũ huiusmodi, quorumcunq; eorundem, qui Basileæ post translationem, & dissolutionem Basileensis Concilii ibidem remanserunt, auctoritate fuerint assecuti, super huiusmodi Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, beneficiis, & officiis, ac sententiis, & processibus, etiamsi in Romana curia, vel extra eam lis (cuius statum præsentibus habemus pro expresso) indecisa pendeat, etiamsi super eis ad eam, aut contra ea fuerit alteri ius quæsitum, seu ius aliqui habere se prætenderent, ex nunc inantea in ipsa Curia, vel extra eam Apostolica, vel alia quauis auctoritate impetrari aut quomodolibet ex quauis ratione, vel causa molestari possint, sed in suis possessionibus pacifice remaneant.*

4. *Lites quoq; & causas quascũq; super huiusmodi Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, officiis, & beneficiis pendentes (illis duntaxat exceptis quæ coram Ordinariis iudicibus, apud quos iuxta formam dictæ suspensionis, & protestationis exinde secutæ licuit litigare, indecisa pendent) ad nos aduocantes, auctoritate & scientia prædictis extinguimus, & super eis, aduersariis eorum perpetuum silentium imponimus; possessores vero ipsos volumus in suis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, officiis, & beneficiis pacifice remanere.*

5. *Quibus omnibus ipsas Ecclesias, Monasteria, dignitates, officia, & beneficia quocunq; modo vacauerint, auctoritate & scientia præfatis tenore præsentium conferimus, & prouidemus de eisdem, ac illis qui pallium dictorum qui Basilææ post nostram translationem sub nomine generalis Concilii remanserunt, auctoritate recoperunt, vt illo vti possint præsentibus concedimus & indulgemus; illis autem qui non habent, vel non recuperunt, sine difficultate dabimus, ac etiam habere concedemus; illis tantum personis exceptis, quæ occasione prætextuum propter nostrã, aut Basilæensem adhæsionem factarum, beneficia detinent, in quibus habent locum prouisio, & dispositio super his quæ contra protestationem factã forsan, per prædictos Regem, & Electores Imperii continentur, vel diuisim promulgata.*

6. *Per hoc autem nulli contendentium super titulo & iurib. Ecclesiarum Fisingen. & Ostilien. volumus aliquod præiudicium afferri, aut generari, sed liberum sit, vtrique eorum, ius suum prosequi iuxta iura mediante.*

7. *Præterea omnia & singula, quæ dictis suspensione & protestatione durantibus, in præiudicium, grauamen, & lesionem iurisdictionis, iuris vel possessionis Metropol. vel Diœcesan. Principatuum, Dominiorum, Terrarum Regis, & Electorum, ac Archiepiscoporum prædictorum, nec non aliorum Episcoporum, Prælatorum, Collegiorum, personarum seu rerum quarumcunq; contra fœdus protestationis & suspensionis huiusmodi quandocunq; pergentia, Apostolica vel alia quauis auctoritate concessa, ac in iudicio vel extra obtenta, insuper Ecclesiasticas censuras, multas, & pœnas, nec nõ quascunq; irregularitatis, & inhabilitatis necnon alias, tam à iure, quam ab homine propter premissa quomodolibet promulgatas, seu inflictas, promulgandas quoq;, seu in fligendas, quoad Regem, Archiepiscopos, & Marchionem prædictos, eorũq; Dominia, Clericos, Subditos, & Vassallos, ac ad eos quoq; qui infra sex menses à die datæ præsentium computandos, se declarauerint pro Nobis, aut eidem declarationi adhæserint, cassamus, irritamus, & annullamus, nullinsque esse decernimus roboris vel momenti, omnem irregularitatem, & infamiæ maculã siue notam per eos præmissorum occasione contractam penitus abolentes, ac eos rehabilitantes, & restituentes ad eorum Ecclesiarum, Monasteria, beneficia, officia, dignitates, ac honores quoscunque, ac in pristinum statum, & eum in quo erant antepræmissa reponentes, nec non illis, qui contra ipsos impetratis, hactẽus, vel obtentis, seu impetrandis, concedendis, & impetrãdis quomodolibet interentur, etiamsi eis, aut eorum alicui ius quæsitũ foret, ex certa scientia de potestatis plenitudine perpetuũ silentium imponentes.*

8. *Insuper quascũq; obligationes super annatis, seu Cõmunibus, & minutis seruitiis, cæteris q; iuribus, nobis & Cameræ Apostolicæ, seu Collegio venerabilũ fratrum nostrorũ S.R.E. Cardinalium, cæteris q; officialib. debitis, seu quæ deberi dicerentur, occasione quorumlibet Metropolit. & Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum, quorumcunq; vsque in præsentem diem remittimus, de nostro mera liberalitate relaxamus pariter, & donamus, eosq; qui huiusmodi debitis obligati essent, ab omni eorum solutione absoluimus, & etiam liberamus.*

9. *Dispensatione præterea quæcunq; (nisi tales forent quas hactenus Sedes Apostolica concedere non consueuit) indultæ quoque forum consentiæ resipiscentiæ, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, nec non nouas prouisiones pro possessoribus, sine præiudicio iuris quæsiti ipsa suspensione durante, vel etiam ante, à nobis, vel ab eis, qui Basileæ sub nomine Concilii remanserint, aut Legatorum suorum, vel alia quauis auctoritate obtentas, impetratas, concessas, seu concessa, ac omnia inde secuta, à die datæ concessionis eorundem eadem auctoritate confirmamus, perinde ac si à nobis impetrata fuissent.*

10. *Super sententiis autem in Romana Curia, vel in Basileæ, sub nomine Generalis Concilii ante ipsam suspensionem, vel ea durante, in quibus vterq; litigantium ex ordinario titulo nititur se defendi prolatis, quæ executioni nondum sunt demandata, volumus, statuimus, & ordinamus, quod huiusmodi sententias coram iudice tractentur, & quicquid vtraq; pars vellet producere pro iure suo, coram eo debet exhibere, qui quidem iudex summarie, simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta procedens; negotium ipsum vnica valeat terminare sententia, à qua nulli pertium appellare liceat, aut prouocare, vel restitutionem aliquam obtinere. Per hoc autem nullatenus præiudicare intendimus eis, qui possessionem dignitatum, etiam Metropolitan. Cathedralium, & Abbatialium, seu beneficiorũ quorumcunq; ordinaria, vel alia auctoritate sub eadem Nation. obtinen. durante neutralitate, vel suspensione prædicta vigore processuum in Romana Curia, vel in Basilea, sub nomine Generalis Concilii obtentorum, aut alias violenter fuerint spoliati. Sed tam spolia, quam iura eorum denuo coram iudicibus ordinariis cognoscantur, & fine debito terminentur.*

11. *Insuper omnes & singulas prædictæ nationis, aut alterius in ea, beneficia vel officia obtinentes personas Ecclesiasticas & seculares, etiamsi Regalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, vel alterius dignitatis fuerint, quæ post dissolutionem, siue translationem prædicti Concilii per nos factam, Congregationi Basilensi sub nomine generalis Concilii adhæserunt, & obedierunt, aut incorporati fuerunt, qui iam ad nostram obedientiã sunt reuersi, vel infra 6. menses post declarationem pro nobis factam redierint, seu ipsi declarationi adhæserint, ab omnib. & singulis iuramentis, periurii reatu, ac aliis cẽsuris & pœnis (si qui tenerẽtur, aut incurrissent) inflictis, & in tales promulgatis, aut propterea infligendis, auctoritate prædicta absoluimus, & liberam, ac oẽm inhabilitatis, irregularitatis, & infamiæ maculam, siue notam, exinde quomodolibet forsan contractam, abolemus, & in pristinum statum restituimus, & reponimus, perinde ac si talia minime emanassent. Præterea omnes & singulas personas nationis prædictæ, siue alterius in eadem beneficia, siue officia, sicut præmissum est, obtinentes quæ sub declaratione huiusmodi pro nobis facta, vel facienda continebantur, quæ post huiusmodi Concilii translationem, Basileæ remanserunt, aut ipsi Congregationi adhæserunt, & fauerũt, officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione ab eis missis sint quandocunq; aut eis crediderunt, ab omnibus excommunicationis, suspensionis interdicti aliisq; censuris, & pœnis in ea, vel per processus nostros, aut aliis inflictis & promulgatis absoluimus; Cum iis qui ibidem seu à prouisis ab ipsis, aut eorum auctoritate Sacros Ordines dicto tempore receperunt, vt in susceptis Ordinib. ministrare valeant dispensantes. Volumus insuper quod singuli Metropolitani Nationis eiusdem, actu iam nobis obedientes, vel qui infra 6. menses, vt præfertur, nobis & Apostolicæ Sedi debitã obedientiam præbuerint, confimiles bullas seu literas Apostolicas habeant, super quibus parentibus quibuscunque, quatenus opus fuerit, sub eorum sigillis transumpta concedere valeant, eisq; in iudicio, & extra plena fides, sicut Originalibus literis per omnia præbeatur. Super Ecclesias autem Treuerensem, & Colonien sem, de quibus in petitionibus Regis, Archiepiscopi Maguntini, & Marchionis prædictorum specialis est appositus articulus, per alias nostras literas desuper editas specialiter prouidimus, prout in eis plenius continetur.*

12. *Vt autem præmissa eo firmius obseruentur pro nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio & assensu pollicemur, omnia & singula supradicta inuiolabiliter obseruare, & contra ea, eorumq; aliquod, in toto, vel in parte, nullo vnquam tempore quicquam innouare, & quod nobis licere non putamur, eisdem successores nos declaramus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his, à quoquam, quauis etiam Apostolica auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quinimo si aduersus præmissa litera aliqua, aut mandata ad cuiuscunque instantiam, vel etiam si motu proprio, vel ex certa scientia, etiam cum derogatoriis clausulis, sub quacunq; verborum forma à nobis, seu nostra auctoritate, aut ab alio quouis emanassent, seu in futurum emanarent, talis ex nunc pro infectis haberi volumus, quodque is contra quem emanassent, aut concessæ fuissent, aut emanarent, & in futurum concederentur, illis minime obedire teneatur.*

13. *Non obstantibus quibuscunque constitutionib. Apostolicis, & etiam cum decreto irritante, quorumcunq; tenorum existant, in genere, vel in specie, per nos, seu prædecessores nostros concessis seu concedendis, priuilegiis, vel indultis, de quibus ac totis tenoribus eorum, specialis & expressa, etiam de verbo ad verbum mentio in nostris literis foret facienda; nec non quarumcunq; Ecclesiarum statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicæ, vel quacunq; firmitate alia roboratis, cæteris q; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo hanc paginam nostræ, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1447. 7. Idus Febr. Pontificatus nostri Anno 16.

III.

Hæc Pontifex Eugenius, tranquillitatis Ecclesiasticæ cupientissimus, nationi Germanicæ indulgebat. S. Antoninus Archiepisc Florentinus, qui actionibus interfuit, ista de ea memorabat. Inde misit D. Thomam Episcopum tunc Bononiensem, qui successit el in Papatu, & D. Ioan. Hispanum periissimos viros, & in agibilibus experti ssimos, ad partes Alemaniæ Oratores, vt inducerẽt Prælatos, Episcopos, Archiepiscopos, Principes, & Barones, nec non Imperatorem ipsum Friderici um iam electum, ad exhibendum ipsi Eug. plenam obedientiam, & recognoscendum eum verum Pastorẽ Ecclesiæ & Vicarium Iesu Christi. Propter Concilium n. factum, & dissolutionem eius ab Eugenio, Synagogã Satanæ in qua Basilea peperit Basilicum Felicem antipapam, Theutonici sequestrantes se ab vtroq;, & Eugenio, & Felice; constituerant se neutrales; cum tamen nullo modo possit hoc fieri, cum corpus Ecclesiæ, sine capite esse non possit. Illi ergo efficaces in opere & sermone, id perfecerunt ad quod legati fuerant. Vnde reuersi sunt ad Curiam, & Oratores cum eis vel post eos diuersorum Prælatorum ac Principum, & Baronũ, qui in pũblico Consistorio, in quo præsens fui, in persona Dominorum suorum exhibuerunt Papæ Eug. debitam reuerentiã & obedientiã, profitẽtes ipsum, verum, vnicum, & indubitatum Pastorem Rom. Ecclesiæ, successorem Petri, & Vicarium Iesu Christi. Propter quod solennis Missa celebrata est in Ecclesia Lateranensi, assistentibus omnibus Cardinalib. & Prælatis, qui in Curia erant; vno ex Cardinalibus Missam decantante. Aberat autem Eugenius, quia iam inficmatus erat, & grauiter. *S. Antonin. 3. part. tit. 22. c. 12. §. 18.*

IV. *Obitus Eugenii Papæ*

Eug. porro, post obedientiã Germanorum receptã, dieb. 16. cum morbis ac morte pugnauit, victusq; tandem, in festo quod S. Petri Cathedram vocant nactæ concessit, hoc anno salutis 1447. *Comment. Pii II. libro 1.* prius tamẽ quam obiret, Theodoricum Colonien sem, & Iacobum Treuer. Archiepisc. quos ideò quia Basileensi Conciliabulo adhæserant (vt Cuspinian. in Friderico III. memorat) Pontificali dignitate priuauerat, mutata sententia ad pristinos restituit honores.

V. *Eugenii laudes.*

Magnus profecto & clarus Pontifex fuit Eugenius. Contempsit pecunias, virturem apprime dilexit, neq; secundis rebus intumuit, neq; succubuit aduersis, neque metus tristitiam auxit. Sedatus animus, eundem semper eius vultum ostendit. Sermone breui, eoq; grauissimo vsus est. durus & asper in hostes, propitius in fidem receptis. Huius patet cum in Ægypto negotiaretur, cum patre Francisci Foscari, ab heremita, quem pariter scisc itandum adorsi sunt, non minus lætum vaticinium, quam ille accepit. Foscarus enim filium quem habebat, futurum Venetorum Principẽ, ille suũ

inter

inter Sacerdotes ad summum euasurum didicerat. Eugenio, Gabrieli nomen in baptismo inditum fuit: qui cum adoleuisset, defunctis parentibus, Euangelii non surdus auditor, patrimonium quod ab illis non tenue acceperat, inter Christi pauperes erogauit. Exin, Antonio Corrario Comite, eiusdem seruoris adolescente Religionem intrauit: in qua summa cum laude versatus, tamdiu cum illo vixit, donec Angelus Corrarius Sedem Petri sortitus, Gregorius XII. appellatus, cum alter ab altero separari non posset, ambos ad se euocatos, illum Senensi, Antonium Bononiensi præfecit Ecclesiæ. Nec diu moratus, vtrumque Cardinalatus honore dignatus est, in quo ambo claruerunt. Sed Gabriel Summum Pontificatum adeptus, magis enituit, qui etsi oriente schismate in principio sui Pontificatus vsq; ad obitum cum Basileensibus contenderit, coronato tamen Sigismundo Cęsare; Græcorum, Armeniorum & Iacobinorum peracta cum Ecclesia Latina vnione; Ciuitatibus Ecclesiæ quas amiserat recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumacia Romanorum edomita, victor de neutralitate Germanica inclytus hominem exuit. *Syluius Europæ c. 58.*

Fuit Eugenius grauis in dicendo potius quam eloquens, modicæ litteraturæ; multæ cognitionis, historicæ præsertim. Liberalis in omnes, tum vel maxime in litteratos quorum familiaritate delectatus est. Nam Leonardum Aretinum, Carolum Pogium, Aurispam, Trapezuntium, Blondum, viros doctissimos ad secreta sua admisit. Ad iram non facile mouebatur ob iniurias illatas aut maledicentiam hominum, aut minas & dicteria scribentium. Gymnasia omnia quam diligentissime fouit, maxime vero Romanum, ad quod omne genus hominum litteratorum admouit. Religiosos mirum in modum dilexit, eosq; opibus & immunitatibus auxit. Auxilia in Turcos, & hæreticos, tuendæ Christianitati, & propagandæ fidei Catholicæ non semel misit. Constans in pactis seruandis, nisi quid pollicitus fuisset, quod reuocare quam præstare satius esset. Splendidus in victu familiæ, parcus in suo. A vino ita alienus, vt abstemius merito vocaretur. Familiares habuit admodum paucos, sed viros doctos, & quorum opera in grauibus rebus vti posset; quosque tamquam suæ modestiæ testes in cubiculum cœnaturus adhibebat, ac scisc itabatur, quid in vrbe & orbe fieret, quid de Pontificatu suo homines sentirent, vt errata sua, vel suorum, si quid perperam factum esset, emẽdater. Ecclesiam Sancti Petri variis ædificiis exornauit: eneam portam, quę nuper Pauli V. Pont. Max. sumptibus magnificentissime restituta est Basilicæ eidem imposuit, rebus à se præclare gestis effigiatam. Obiit, ingenio & rebus gestis insignis, anno ætatis 64. apud S. Petrum conditus. Tumulo marmoreo inscripti fuere versus adiuncti:

VI. *Eugenii Epitaphia.*

Eugenius iacet hic quartus, cor nobile cuius
Testantur vitæ splendida facta suæ.
Istius ante sacros se præbuit alter aborsus
Alter ab occasu Cæsar vterq; pedes:
Alter vt accipiat Fidei documenta Latina,
Alter vt aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armenii Græcorum exempla secuti
Romanam agnorunt Æthiopesq; fidem.
Inde Syri ac Arabes, mundiq; è finibus Indi,
Magna, sed hæc animo cuncta minora suo.
Nam valida rursum Teucros iam classe petebat.
Dum petit, ast illum fustulit atra dies.
Qui semper vanos tumuli contempsit honores,
Atq; hac impressæ condite, dixit, humo.
Sed non quem rubro decorauerat ille galero
Non hoc Franciscus stirps sua clara tulit.
Suscepitq; memor meriti, tam nobile, quod nunc
Cernũ tam præstans surgere iussit opus.

Platina in Eugenio IV.

Maiora, pro extirpando schismate, pro conuersione hæreticorum; pro Turcis ex Europa submouendis, pro concordia Principum Christianorum, pro restauranda vetere disciplina, proque bono publico vniuersalis Ecclesiæ molientem mors oppressit, omnibus aduersitatibus & aduersariis superiorem. Auspice Iesu, auspice Maria.

FINIS. Tom. XVI.



INDEX
IN DECIMVM SEXTVM TOMVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM, IN QVO PRIOR NVMERVS ANNVM, POSTERIOR Paragraphum designat.

A.

Ablutio post communionem cur fiat 1433.145
Abrahamus Sbanscius Hussita Poloniã turbat 1439.147. infeliciter perit ibid.
Absoluendi & ligandi potestas triplex 1433.209
Abusus & irreuerentia quæ sequitur ex communione vtriusque speciei 1433.80
Acatii Episcopi Constantinopolitani seueritas in Episcopos Orientales 1438.1
Accidentia in Eucharistiæ sacramento manent sine subiecto post consecrationem 1433.128
Adoratio triplex 1433.231
Aegidius Carlerius Decanus Cameracensis respondet Hussitis 1433.69
habet insignem orationem contra Hussitas de corrigendis peccatis publicis 1433.93 & seq. fol.184
Aeneas Syluius interest Concilio Basiliensi, eiusque narratio de rebus Bohemicis 1433.78
mittitur ab Eugenio IV. in Scotiam ad componendas dissidia inter Anglos & Scotos 1436.56
seductus tres Basileenssium conclusiones contra Eugenium propugnat 1439.6
errorem suum fatetur ibid.
à Cæsare ad Eugenium Legatus mittitur, eiusque oratio 1444.103
Eugenio Germanos Principes conciliat singulari arte 1446.4
Aequiuocatione putatiuæ vxoris vir incontinẽs deterrens abstinet ab ea 1438.8
Albertus Bauariæ Dux Bohemiæ regnum oblatum sapienter respuit 1440.98
Albertus Austriæ Dux hæreticos in Moraniã cædit 1431.1 fit Imperator 1438.70
affligitur quod Basileenses contra Eugenium foouerit ibid.
Alphonsus Tostatus multa scripsit 1442.12
eius theses quædam suspectæ ibid.
Alphonsus Arragoniæ rex de regno Neapolitano repetendo cogitat 1432.145
Eugenio IV. Pontifici metũ incutit 1433.55
eius astutia ibid.
in Africam soluit Eugenio infensus ibid.
Eugenio operam suam offert 1434.35
postea auersus punitur 1438.72
à Genuensibus capitur 1435.53
liber dimittitur ibid.
eius magnanimitas ibid.
Basileense Concilium contra Eugenium inflammat ibid.57
eius conatus de regno Neapolitano occupando, & Pontifici incommodando 1436.1
& 23 literæ ad Basileenses ibid.22
astutia in acquirendo regno Neapolitano 1437.5 arma parat ibid.
cladem patitur 1439.1
Mediolanensium Duci pacem cum Eugenio dissuadet ibid.2
artes pro regno Neapol. retinendo 1440.94
oras Ligusticas grauissime infestat 1441.3
Neapolim obsidet 1442.1
multa oppida circa eam capit ibid.
cæmentarii opera Neapolim capit ibid.
arces & omnem circa regionem occupat ib.
cum omni submissione Pontifici obedientiam promittit 1443.7
eius Neapoli triumphus ibid.
humilitas ibid.
moderationis tria exempla 1443.8
bellum Picenum per seipsum gerere proponit ibid.
Pontifici copias contra Sfortiam mittit 1446.2
Amedeus Sabaudiæ dux fit eremita 1433 307. & seq.
quomodo ibi vixerit ibid.
spiritu ambitionis ductus 1439.12
fit Antipapa & Fœlix V. appellatur ibid.
à quibus & quomodo hoc factum ibid. 13
Basileæ quibus ceremoniis coronatus 1440.82
tenor iuramenti eius ibid.83
de ipsius vitæ & moribus multa ex diuersis adferuntur ibid.86
excusatur ab ambitione à diuersis ibid.
Andreæssus Castellus, Ioannis Vitelleschi Card. socius eiusque laudes 1440.94
Andronicus Imp. Græcorum schisma renouat 1438.1
Angelottus Cardinalis à sicario occiditur 1444.105
Annatæ non exigendæ, & quomodo 1435.6
Altarium multitudo conuenit Ecclesiis & cur 1433.296 triplici de causa constituuntur ibid.
Aluarus Luna in regno Castellæ turbarum author 1431.61
magno apud regem loco 1440.102
propter eum turbæ ibid.
Alzo Rosenbergensis sit Capitaneus regni Bohemiæ 1433.76
Ambitio causa defectionis Viclephi 1433 358.
Amurathes Turcarum Imp. cum Saladino in Christianorum perniciem conspirat 1440.101 Christianos cædit, sed cruenta victoria 1444.99
eius ad Christum apostrophe ibid.
Andreas Collossensis Episcopus Marci Ephesii antagonista in Concilio Ferrarien. 1438.8
Andreas de Petra Archiepisc. Colossensis Orator Eugenii IV. habet concionem in Concilio Basileensi 1432.27
ordinatur à Patribus Legatus ad Græcos ibid.75
Anellus cæmentarius Neapolim prodit 1442.1
Anglis succurrunt Eugenio IV. 1434.36
Antichristi opera non erunt vera miracula 1433.324
S. Antoninus Florentiæ Episcopus confraternitatem misericordiæ instituit 1441.10
Apostoli quando facti sacerdotes 1433.262
eorum status tripliciter considerandus 1433 312 tribus vicibus ad prædicandum missi 1433.322
Arbor pomifera mirabilis 1432.154
item alia florens in nocte Natiuitatis Dominì ibid.
Argensis Episcopus contra Panormitanum Eugenij IV. causam oppugnat 1439.6
Armenij Turcas à progressu vlteriori dissuadent 1438.3
Arrius primus dissidij inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam author 1438.1
Aruns Cibonius vir fortis primum Renato Andegauensi, postea Alphonso Castellæ regi seruit 1442.1
Articuli de modo procedendi in Concilio Basiliensi 1431.13
Articuli Hussitarum in Concilio Basileensi propositi 1433.59
Articuli Legatorum Concilij Basileensis propositi Imp. Græcorum 1435.34
Articuli Bohemorum Basileensi Concilio propositi 1437.27
Articulum vnum non concedere, contrariatur fidei 1433.301
Auditori verbi Dei duo necessaria 1433.301
Aurea bullæ Imperatoris Græcorum 1436.17

B.

Balduinus Græcorum Imp. Orientales Latinis subijcit 1438.
Balthasar Offidanus Pontificis Dux militaris parum peritus 1436.26
eius iudicia & miser finis ibid.27
Bambaceni libri quales 1440.1
Baptizare in necessitate quilibet potest, cur & quomodo 1433.189
Barones Bohemorum etiam non catholici ægre ferunt Procopij Rasi tyrannidem 1433.76
Barbara Sigismundi Imp. vxor contra maritum conspirat 2437.31
Basileæ eligitur pro celebratione Concilij Generalis 1431.28
pestis ibi grassatur 1439.13
Basileense Concilium inchoatur 1431.10
vide Concilium Basileense.
Basileenses cives mendicantibus Ordinibus iniqui diuinitus puniti 1433.285. & seq.
Basileenses scribunt regi Galliæ, vt mittat Oratores & Prælatos 1432.12
item eius Consiliarijs ibid.13
Archiepiscopo Rhemensi ibid.15
Archiepiscopo Lugdunensi ibid.16
regi Poloniæ ibid.17
mittunt Oratores ad regem Angliæ, & quid illi dixerint ibid.19
accipiunt responsum à rege ibid.20
scribunt Bohemis, & offerunt illis salutem conductum ibid.22.23

actí in tranſuersum quid nuncíis Eugenij Pontificis reſponderint 1432.71
enarrãt cauſas cur diſſolutioni Concilij non pareant 1432.95
quantum mali Eugenio IV. parauerunt 1432.1.& ſeq.
eorum literæ quibus ne quis Pontifici Concilium diſſoluenti adhæreat edicunt ibid.23
ad reuocationem illum adigere nituntur ibid.37
ſuſpendunt ibid.
Concilio illum ſubijcere nituntur ibid.54
Oratores ad Comitia Polonicæ mittunt 1433.56
quid Bohemis circa communionem indulſerint 1433.80.& ſeq.
Oratores Pontificis ad periurium compellunt 1434.322
ſtatuunt Pontificem Ro. Concilio ſubeſſe debere 1434.15
duos Legatos creant 1434.25
confirmant conſtitutionem Carolinam pro immunitate Eccleſiaſtica 1434.53
decretum edunt de incophytis & Iudæis 1434.19 fol 331
conſtitutionem edunt de reformatione morum in clero 1435.1
de excommunicatis, niſi certo modo non vitandis ibid.3
reditus Pontificis Ro. ad ſe trahere conantur 1435.18
appellationes ab ipſis prohibere tentant 1435.19
ſequacibus ſuis multas prærogatiuas concedunt ibid.20
prætiaricationes ſuas Pontifici probare nituntur ibid.22
ſcribunt Pontifici de vnione Græcorum 1435.27
item Legatos mittunt ad Palæologum Imp. Græcorum ibid.28
multa ſtatuunt circa electionem Pontificis 1436.2
præfracte ſe Pontifici opponunt & in quibus 1436.20
præfracta temeritas ibid.21
mittunt Iglauiã Legatos ad Imp. 1436.36
mittunt Epiſcopum in Sueciam ad componenda diſſidia inter clerum & populum 1436.54
atrociſſima in Eugeniũ IV. patrant 1437.10
reſtituant apologiam pro Eugenio ſcriptam ibid.22
petulanter agunt ibid.23
intoleranda tentant 1438.56
auctarium addunt arrogatiſſimæ petulantiæ ibid.62
decretum edunt contra Concilium Ferrarienſe ibid.64
item contra adhærentes Pontifici ibid.65
proteſtantur contra Oratorem Ducis Mediolanenſis ibid.66
ſententiam depoſitionis pronunciant contra Eugenium IV. 1439.11
Amedeum Sabaudiæ Ducem in Antipapam eligunt ibid.& 15
quoſdam conſtituunt compromiſſarios ibid.14
de conſenſu Amedei Sabaudiæ Ducis in Antipapam electi diplomæ edunt 1440.83
ei obediendum decernunt ibid.85
iniquæ eorum ſanctio de obedientia à Rom. Pontificibus, Conciliis Generalibus exhibenda 1440.89
eorum arrogantia inexcuſabilis 1440.92
feſtum Viſitationis B. V. olim inſtitutum ſeruandum decernunt 1441.9
decretum edunt quo abrogant impoſitionem quinti denarij pro Antipapa 1442.7
Eugenium deponunt, ſed fruſtra ibid.9
Oratores ad Cæſarem mittunt, & quod ad eorum poſtulata reſponſum 1444.102
decretum edunt de Concilio alio celebrando 1446.5
Beguta quædam mortem prædicens fallitur 1432.161
Belfortis Spinellus Patauij collegium ſtudiorum inſtituit 1441.10
Bellum Mauricum regis Caſtellæ & inſignis de Mauris victoria 1431.62
Bellum in Hungaria contra Turcas decretum 1443.1
Benedictionis maior vis quam naturæ 1433.101
Beneficia Eccleſiæ à Spiritu ſancto collata 1433.87
S. Bernardini nativitas, vita ſancta, miracula tam in vita quam poſt mortem patrata proluxe deſcribuntur 1444.22.& ſeqq.
canonizatio ibid.92
Beſſarion Nicenus partes Græcorum defendit in Concilio Ferrarienſi 1438.10
in Concilio Florentino profert orationem de vnione in decem capita diſtinctam 1439.77
cum Latinis conueniendum ſuadet ibid.78
fit Cardinalis 1439.142
inuidiam vulgi ſubit 1440.1
eius opuſculum de proceſſione Spiritus ſancti ibid.
quantus vir fuerit ibid.15
Bohemorum epiſtola ad Principes Chriſtianos plena ſpiritu hæretico 1431.18
accipunt ſaluum conductum, ſed qualiter 1432.142
quales Oratores Baſileam miſerint ibid.
eorum Baſileam aduentus 1433.57
Vide Huſſitæ.
Bohemus quidam hæreticus in Scotia combuſtus 1431.58
Bohemorum conuentus Iglauiæ, & quid in illo actum 1435.47
quid ipſis à Baſileenſibus circa communionem indultum 1433.80.& ſeq.
Bohemi contra Sigiſmundum coniurant & puniuntur 1436.34
Bohemi & Morauj ab anathemate abſoluuntur 1436.41
Bohemi cuiuſdam Catholici diſputatio contra compactata à Sigiſmundo hæreticis conceſſa 1436.45
Bohemorum Oratores multa abſurda poſtulant à Baſileenſibus 1437.27.28
regnum Bohemiæ Bauariæ Duci offerunt ſed reiiciuntur 1440.98
item regi Romanorum ibid.99
Georgium Poggiebracium in regem aſſumunt ibid.
Bona per vſuram aut illicito modo acquiſita omnino reſtituenda 1434.22
Boues volantes qui 1435.61
Bulla Martini V. qua Dominicus Capranica factus ſit Cardinalis 1432.97
Bulla plumbea Patriarchæ Conſtantinopolitani miſſa Concilio Baſileenſi 1436.18
Bulla indulgentiarum pro reductione Græcorum 1436.19

C.

Canonizatio S. Franciſcæ Romanæ 1440.106
S. Bernardini Senenſis 1444.92
Cardinales ſuccedunt Apoſtolis vt aſſeſſores, Epiſcopi vt prædicatores 1433.312
non Epiſcopi præcedunt Epiſcopos ibid.
Cardinalibus quibus quid maxime curandum 1436.9
Carolina conſtitutio pro immunitate Eccleſiaſtica in Concilio Baſileenſi confirmata 1434.52.
cauſa promulgationis eiuſdem ibid.54
Carolus Galliæ rex Eugenio quarto infenſus 1437.7
pragmaticam hæreſin continentem publicat ſed non impune 1438.69
calamitatem patitur in rebelli filio 1439.1
Cauſæ cur Dei dona inter ſe differãt 1439.138
Celebrans ſi ſcandalizet aliquem præſtat à celebrando ceſſare 1433.335
Charitatis laudes 1433.94
dupliciter præcipitur 1433.303
Chius inſula Genuenſibus ſubiecta & quomodo 1435.53
Chriſtophorus Garetonius Legatus Eugenij IV. ad Palæologum Græcorum Imp. 1437.1
eius ad Imp. oratio ibid.2
Chriſtus inſtituit ſacramenta, ſed modũ diſpenſandi reliquit Eccleſiæ 1433.180
pro qualitate temporis mutauit ſua præcepta ibid.191
Clerici quando ſubſint laicis 1433.81
qui poſſint habere bona temporalia ibid.342
quomodo ijs debeant vti ibid.351
quatenus poſſint habere dominium temporale 1433.353
Clericus quidam leuis lepra percutitur & emendatur 1438.80
Collatio Bohemorum in Concilio Baſileenſi 1433.58
Colonia hæreſis abominanda ſerpit 1432.155
Columna ex templo Salomonis Romam allata miraculis claret 1438.81
Communio vtriuſque ſpecici Bohemis & Moranis in Concilio Baſileenſi indulta quibus conditionibus 1433.77
an toti populo neceſſaria 1433.132
Communio ſub ſpecie panis ob duo pericula ſpecialiter introducta 1433.80
prolixa eius rei diſputatio 1433.133.& ſeqq.
Conclauis Baſileenſis in quo Antipapa contra Eugenium IV. electus eſt deſcriptio 1439.15
Concilium generale legitime congregatum in neceſſariis ad credendum non poteſt errare, etiamſi prælati ſint mali 1433.308
quanta illis reuerentia debeatur ibid.
quid ipſi incumbat 1439.116
Concilium Baſileenſe inchoatur 1431.10
articuli iuxta quos in eo ſit procedendum ibid.13
eius variæ difficultates 1431.19
rebellio & ſchiſma contra Eugenium IV. ibid.22. inchoatio ibid.33
decreta & acta ibid.24
decretum pro prima ſeſſionis celebratione ibid.35
initium & approbatio 1431.31
intentio ibid.34
contra Pontificẽ inſurgit 1432.1.& ſeq.
ſcribit literas ad diuerſos Principes ibid.11 & ſeqq. vide Baſileenſes

ſumma-

rium quorundam temere actorum 1432.103
acta ſeſſionis ſecundæ 1432.ibid.& ſeq.
acta ſeſſionis tertiæ ibid.108
acta ſeſſionis quartæ ibid.111
eius tres eadem ſeſſione decreta ibid.114
acta ſeſſionis quintæ ibid.118
acta ſeſſionis ſextæ ibid.128
acta ſeſſionis ſeptimæ ibid.130
acta ſeſſionis octauæ ibid.133
acta ſeſſionis nonæ 1433.24
acta ſeſſionis decimæ ibid.26
acta ſeſſionis vndecimæ ibid.29
acta ſeſſionis duodecimæ ibid.37
acta ſeſſionis decimætertiæ, in quibus accuſant contumaciam Papæ ibid.39
acta ſeſſionis decimæquartæ ibid.42
item acta ſeſſionis decimæquintæ ibid.45
mittit Legatos Pragam cum credentialibus 1433.62
acta ſeſſionis decimæſextæ 1434.fol.323
acta ſeſſionis decimæſeptimæ ibid.14
decimæoctauæ ibid.15. decimænonæ ibid.16 viceſimæ 1435.1
acta ſeſſionis viceſimæprimæ 1435.6
acta ſeſſionis viceſimæ ſecundæ ibid.17
acta ſeſſionis viceſimæ tertiæ 1436.3
acta ſeſſionis viceſimæ quartæ cum Græcis 1436.14
acta ſeſſionis viceſimæ quintæ 1437.11
acta ſeſſionis viceſimæ ſextæ ibid.13
acta ſeſſionis XXVII. in qua caſſantur Cardinales ab Eugenio facti 1437.14
acta ſeſſionis XXVIII. in qua Eugenius IV. declaratur contemax ibid.19
acta ſeſſionis XXIX. in qua bulla Pontif. de loco Concilij caſſatur ibid.20
acta ſeſſionis XXX. de modo communionis ibid.2
acta ſeſſionis XXXI. 57. in qua Eugenium ſuſpendunt.
acta ſeſſionis XXXII. 1439.11
acta ſeſſionis XXXIII. ibid.16
acta ſeſſionis XXXIV. in qua Eugenium IV. deponunt 1439.17
ſeſſio XXXV. ibid.18
ſeſſio XXXVI. de immaculata conceptione B. Virg. ibid.19
ſeſſio XXXVII. ibid.20
ſeſſio XXXVIII. ibid.25
ſeſſio XXXIX.
ſeſſio XLI. in qua condemnantur libelli quidam ſcandaloſi 1440.87
ſeſſio XLII. in qua ſit prouiſio Antipapæ Felici V. ibid.88
ſeſſio XLIII. de feſto Viſitationis B. Virg. 1441.9
ſeſſio XLIV. de tuitione ſuppoſitorum Concilij 1442.5
ſeſſio XLV. & vltima, in qua ſit proteſtatio Concilium non habendum pro diſſoluto 1443.13
Concubinarij publici qui 1435.1
Concluſiones octo contra Eugenium IV. Baſileæ conceptæ 1439.6
Conditiones pacis inter Gallum & Burgundum 1435.44.& ſeq.
Confraternitates per ſe licitæ 1433.232
Conradus Archiepiſcop. Mogunt inus moritur 1434.56
diſſenſio inter clerum ob hoc ibid.
Conſanguinei Papæ quomodo habendi 1436.8
Conſilia non obligant ad veniale 1433.263
Conſilia qui non ſequitur, præmia eorum non aſſequetur 1433.164
Conſtantinus Imp. Monomachus 1438.1
Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopolitanus Iconoclaſta 1438.1
Conſtitutio Eugenij IV. de celebratione feſti corporis Chriſti 1433.377
Conſtitutio Baſileenſis Concilij de reformatione morum in clero 1435.1
Conſpiratio in necem Epiſcopi Leodienſis punita 1444.110
Conſuetudo Eccleſiæ de communione ſub vna ſpecie 1433.79
Controuerſia in Hiſpaniis de iuribus Archiepiſcopatus Toletani 1432.146
Coributhus Bohemus hæreticus minatur S. Stanislao, ſed punitur 1431.54
ei Lithuaniæ principatus delatus. 1432.166
Corona in ſanctis non omnibus æqualis, & tamen omnes Deo chari 1439.138
Correctionis fraternæ conditiones 1433.208
magna diſcretio in ea adhibenda ibid.209
debet aliquando eſſe lenis, aliquando aſpera ibid.210
eius tres modi 1433.250
Coſmas Medices, quis, qualis, & quomodo viam ſibi ad imperium ſtrauerit 1436.30

D.

Dæmon monaſteriorum reformationem variis terriculamentis impedire conatur 1437.42
Dæmonibus pace Eccleſiæ nihil iniucundius 1439.116
Daniæ rex mittit Oratores ad Concilium Baſileenſe 1434.49
Deceptiones ex rebus pro ſanctis habitis, quæ tamen non erant 1432.169
Decretum Baſileenſiũ de concubinariis 1435.1
Definitio Synodi Florentinæ 1439.111
Deliquium ſolis ingens Romæ quid portenderit 1433.12
Delphinus Galliæ ad arma concitatus ad diſſipandum Concilium Baſileenſe 1444.102
Difficultas ſcripturæ varia 1433.120.& ſeq.
Diplomæ Eugenij IV. pro diſſolutione Concilij Baſileenſis 1432.45
Diſputatio Andreæ Coloſſenſis & Marci Epheſii Epiſcoporum in Concilio Ferrarienſi 1438.8. Andreæ Rhodij cum eodẽ ibid.29
Diſputatio Baſileæ de Eugenio IV. 1439.5
Diſſenſio inter Eugenium IV. Pontific. & Sigiſmundum Imp. 1436.53
Diſſidia Chriſtianorum, cauſæ maximarum calamitatum 1433.98
Diſſidiorum ſeminã inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam 1438.1
Diſtinctio & varietas graduum in Eccleſia à Chriſto profecta 1433.311
Doctrinæ alicui aliquid addere quatuor modis intelligitur 1433.117
Dominici Epiſcopi Ilerdenſis diligentia in pace facienda in regno Caſtellæ 1431.61
Dominicus Capranica Cardinalis oppoñit ſe Eugenio IV. 1431.22
eius iter Baſileam verſus 1431.47
querelæ de Eugenio IV. 1432.98
Dominium ciuile quid ſit 1433.343.& 364
Duo neceſſariæ auditori verbi Dei 1433.301
Duplex modus correctionis 1433.206

E.

Eccleſia qualis domus, eiuſque fundamentum 1433.90. cuſtodes & lumen ibid.
Chriſtus ei aſtat ibid.93
ad eam recurrendum in dubiis ibid.
optimus index eſt ibid.96
eius qualitas variis nominibus depingitur 1433.155
licet ei habere bona temporalia & quatenus 1433.351
poſt depreſſiones eleuata eſt in magna gloria ibid.354
eius ſollicitudo pro concordia filiorum ſuorum 1434.16
à Deo in tuto ædificata 1439.129
Eccleſiaſtici non ſunt publice corripiendi niſi in certis caſibus & cur 1433.214
Eckardus Wormatienſis Epiſcopus vitæ laudabilis 1436.62
Egregium virtutis ſpecimen duodecim iuuenum Polonorum 1444.99
Eleonoræ Luſitaniæ reginæ miſeria 1440.103
Epiſcoporum Polonorum in hæreticos odium 1433.56
Epiſcopus & ſacerdos non ſunt idem 1433.315
Epiſcopi poſſunt habere proprium patrimonium 1433.351
Epiſtola Eugenij IV. ad Iulianum Cardinalem 1431.8
Ericus Sueciæ rex tyrannus à ſuis redarguitur 1431.59
Euchariſtiæ inſtitutio diuinæ ſapientiæ argumentum 1433.102
cur dicatur Euchariſtia ibid.
in ea eſt verum corpus Chriſti ibid.126
non poteſt poſt conſecrationem in ea manere panis ibid.127
accidentia manent ſine ſubiecto ibid.128
in ea tria conſideranda & quæ ibid.129
triplex eius manducatio ibid.131
triplex perfectio 1433.160. materia in ea dupliciter conſideratur ibid.181
Euchariſtia Turcis non oſtendenda nec coram eis ſuper ea iurandum 1444.96
Eugenius IV. eligitur in Pontific. Rom. 1431.2
Encyclicas ſcribit ad Principes ibid.4
Philippum Mediolani Ducem patitur infeſtum. ibid.5. à delatoribus decipitur ibid.6
à Principe Salernitano oppugnatur ibid.
à Minorita ad mortem deſignatur ibid.
curam ſanandi Bohemos ſuſcipit ibid.7
Iulianum Card. Legatum Germaniæ dat, eiuſque ad ipſum literæ ibid.8
ob varias difficultates ſtatuit Concilium Baſileenſe diſſoluere 1431.19
eius conſtitutio circa Cardinalium pronunciationem ibid.21
Concilium Baſileenſe omnino diſſoluere ſtatuit, & de ea re diploma 1431.44.45
& ad Sigiſmundum Imp. literæ ibid.46
informatio ad eundem ſuper diſſolutione Concilij Baſil. 1431.50
ſollicitatur ob Imp. ne diſſoluat Concilium 1432.2.& ſeqq.
ſcribit Imperatori literas ibid.8
item Patribus Concilij Baſileenſis ibid.9
item Archiepiſcopo Colonenſi ibid.10
eius laudes 1432.45.& 59
offert Patribus quemcunque alium locum celebrandi Concilij in Italia ibid.69
iuſtus eius à Bohemis metus ad diſſoluendum Concilium Baſileenſe 1432.141
conſtitutionem edit cõtra Epiſcopos qui ſub-

ditos ſuos à Pontifice auertere conantur ibid.150 priuilegium concedit Abbati Eremi B.Virg.in Heluetia ibid.151
multa ei aduerſa eueniunt,& à multis Ducibus ſuis deſeritur & oppugnatur 1433 13.& ſeq.
diuerſa oppida ei rebellant ibid.18
decernit continuationem Concilij Baſileenſis cum reuocatione diſſolutionis eiuſdem 1433.49
concedit nuncijs ſuis facultatem abrogandi omnia contra Baſileenſes decreta ibid.50
mittit quatuor Cardinales Legatos à Latere qui præſideant Concilio ibid.51
mittit alios nuncios,qui per abſentiam Cardinalium præſideant ibid.52
Iuliano Cardinali authoritatem præſidendi prorogat ibid.53
edit conſtitutionem de celebratione feſti corporis Chriſti 1433.277
in maximas coniicitur anguſtias 1434.1
eius Romæ diſcrimen ibid
ſiaphæ imponitur & fugit ibid.
encyclicas ſcribit ibid.
Baſileenſe Concilium vocat conciliabulum ibid.fol.322
ſcribit Baſileenſibus 1434.22.fol.33
defenditur ab aduerſariorum impetitionibus ibid.23
Nicolaum Albergatum Cardinalem Baſileam mittit & Patres obedire iubet ibid 26
eius res meliores efficiuntur 1434.30
iuuatur ab Alphonſo arragoniæ rege 1434 35 conſtituitio contra Simoniacos 1434.55
Legatis ſuis in Concilio Baſilenſi plenam poteſtatem largitur 1435.21
reſpondet Legatis Concilij Baſileenſis ibid. 23.24
puneproditus ab Epiſcopo quodam 1435.50
proditori vitam donat ibid.
pax inter ipſum,& Philippum Ducem Mediolanenſem ibid.
Neapolitanos monet ne regem eligant abſq; ſuo conſenſu ibid.53
diuerſa Eccleſiæ loca recuperat 1435.58
imprudentia Ducis ſui in magnum diſcrimen adductus 1436.27
Eccleſiam Florentiæ miranda ſolemnitate conſecrat ibid.28
ibidem multa monaſteria mutat & reformat 1436.29
apud Franciſc.Sfortiam ſe excuſat.1436.31
inter ipſum & Sigiſmundum Imp. diſſenſio & cur 1436.53
Renatum Ducem Barenſem è cuſtodia Burgundica educi curat ad vindicandũ regnum Neap. 1436 57
monaſterium S.Pauli reformat ibid.60
Oratorem mittit ad Palæologum Græcorum Imp. 1437.1
Ferrariæ Concilium indicit 1437.4
mittit Legatos ad reges & principes qui Baſileenſium malignitatem notam faciant 1438 67
eius literæ ad principes ibid.& ſeq.
Anglicanos Prælatos ad Concilium Ferrarienſe inuitat 1438.74
ipſius hoſtes varie affliguntur 1439.1
concordiam inter regem Galliæ & Renatum Andegauenſem tentat ibid.2
Legatos in Germaniam & alio mittit vt eos in obedientia contineat ibid.3
Cardinales rebelles Baſileæ reuertentes benigne ſuſcipit ibid.
edictum contra rebelles Baſileenſes emulgat 1439.35
Florentiam venit 1439.39
auxilium promittit Græcorum Imper. & quale 1439.104
proponit diſcuſſionem quorundam articulorum cum Græcis ibid.106
decretum de Concilio Florentino 1439.114
eius magnanimitas & liberalitas in Græcos ibid.142
auget numerum Cardinalium ibid.
epiſtolam edit de prærogatiua Cardinalium ibid.143
contra pragmaticam Galliæ regis Legatum mittit ibid.144
cum rege Arragoniæ inducias facit.ibid.146
eius præcepta & inſtructio Græcis & Armenijs data 1439.115
Legatio ad Principes Germaniæ ad eos in obſequio rei mẽdos contra Antipapã.1440.90
eius pro Neapolitana ciuitate ſollicitudo ibid.95
Genuenſibus iratus res Renati labefactat 144 .3
fœdus cum rege Galliarum init Renato fauens ibid.
contra Fœlicem Antipapam anathema profert ibid.4
eius literæ de Iacobinorum reductione ibid.5
de dre communionis ſtatutum promulgat ibid.8
cum Philippo Mediolani Duce fœdus init 1442.2
Romam reuerti ſtatuit ibid.4. Colonienſem & Treuirenſem Archiep.deponit.ib.10
variis difficultatibus coactus cum Alphonſo pacem facit 1443.3
ius fiduciarium Alphonſo concedit ibid.8
Romam venit 1443.12
Concilium conuocat ibid.
pacem in Italia facere conatur ſed fruſtra 1444.94
regi Poloniæ & Imper. Conſtantinopolitano contra Turcas ſubſidium mittit ibid.95
Concilium in Germania celebrandum negat 1446.1
reformat monaſteria Graci ritus in Sicilia 1446. 8
diploma nationi Germanicæ ab eo datum 1447.2
moritur 1446.4
eius virtutes ibid.& ſeq.
epitaphium ibid.6
Eutyches diſtidij inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam author eiuſque dogmata 1438.1
Exempla duo iucunda virginitatis ſeruatæ 1435.64
Exemplum infœlicis connubij 1435.65
Expeditio contra Bohemos Huſſitas infœlix 1431.11
Expoſitionum nouitates cauendæ 1433.93

F.

Fabrianenſes Clauellorum familiam delent 1434.61
Ferraria Concilio habendo ab Eugenio IV. decreta 1437.4
Ferrarienſe Concilium & quid in eo actum 1438.7
eius ſeſſio prima 1438.26
ſeſſio ſecunda ibid.28
ſeſſio tertia ibid.29
ſeſſio IV. ibid.30. ſeſſio V. ibid.31
ſeſſio VI. ibid.42
ſeſſio VII. 43. ſeſſio VIII. 48
ſeſſio IX. 49 ſeſſio X. 50
ſeſſio XI. 51 ſeſſio XII. 1438.52
ſeſſio XIII. 53 ſeſſio XIV. 54
ſeſſio XV. ibid.55
ſeſſio XVII. XVIII. XIX. 1439.37
ſeſſiones ſex ſeqq. ibid.
Fides ſalutis iauua 1433.89
quæ bona ex ea proueniat ibid.
pretioſa eius radix & ſemen ibid.
ad eam peruenire nemo poteſt niſi ſit in Eccleſia ibid.91
ſola non ſufficit ibid.94
Filius matri quid debeat 1433.85
Firmani contra Eccleſiam coniurati 1433.18
Florentini à Philippo Vicecomite imperiti ab Eugenio IV.ſubſidium accipiunt 1432.144
Florentinum Concilium 1439.39
ſeſſio XVI. ibid.
ſeſſio XVIII. ibid.
ſeſſio XIX. ibid.49
ſeſſio XX. ibid.52
ſeſſio XXI ibid.57
ſeſſio XXII. ibid.61
ſeſſio XXIII. ibid.67
ſeſſio XXIV. 1439.73
ſeſſio XXV. ibid.74
definitio eius & concluſio 1439.110
& ſeq.
Fœlix V. Antipapa. Vide Amedeus Sabaudiæ Dux
Formula concordiæ ſuper quatuor articulis Bohemorum 1433.77
eam Thaboritæ & Orphani ſuſcipere recuſauerunt ibid.78
Forma doctrinæ Iacobitis ab Eugenio tradita 1441.6
S.Franciſca Romana canonizatur à Paulo V. eiuſq; vita & miracula narrantur 1440 106
Franciſcus Sforcia mira ſimulatione Eugenium IV.fallit 1433.18
Piceno potitur ibid. alij eius progreſſus ibid.19 mira eius in Eugenium IV. fides 1436.31 laude digna humanitas & clementia ibid.33
pacem cum Mediolani Duce facit non ſatis approbante Pontifice 1441.1
filiam Mediolani Ducis vxorẽ ducit ibid.1
eius ab Alphonſo poſtulata 1442.1
Picinum in anguſtias redigit ibid.
eius varia geſta 1446.3.& ſeq.
Fratricellorum ſecta à Franciſcano incœpta,delata 1442.13
Fridericus de Plas Epiſcopus Bambergenſis vitæ laudabilis 1436.62
Fridericus Auſtriæ Dux in regem Rom. eligitur 1440.93
filiam Antipapæ in matrimonium ducere recuſat ibid.
neutralitate relicta Eugenio adhæret ibid. & 1440.8
regnum Bohemiæ oblatum recuſat & cur 1440.99
Baſileenſe Conciliabulum diſſipandum decernit & quæ acta ibi facta 1442.6
Aquiſgrani coronatur ibid.8
eius literæ ad Eugenium Pontif pro Ladiſlao puero Hungariæ rege 1445.3
Fundatio Confraternitatis miſericordiæ apud Florentinos & Collegij ſtudioſorum Patauij Spinellum dicti 1441.10
Fundationes piæ in Anglia 1441.11

G.

Gabriel Condulmerius Cardinalis ſit Pontifex, & Eugenius IV.nominatur 1431.2
quis & qualis ante Pontificatũ fuerit ibid. vide Eugenius IV.
Gemenſes claſſe Alphonſum Arragoniæ regem vincunt & capiunt 1435.53
eby inſulæ domini ibid.
quid eos à Philippo Mediolani Duce abalienarit & partibus Eugenij Pontif. adiunxerit ibid.55
Georgius Scholarius quæ verba ad Græcorum Imp dixerit 1439.101
quis & qualis fuerit ibid.117
eius de vnione tres inſignes orationes ibid. 118.& ſeq.
alius eiuſdem nominis à priori longe diuerſus 1439.117
Georgius Poggiebracius ab hæreticis ad regnum Bohemiæ euectus 1440.99
Georgius Deſpota Raſciæ à Turcis pulſus 1442.11
Gerardus quidam Colonienſis in Aegypto viuit mirè ſanctitatis æreminta S. Lyduinæ cognitus 1433.304
Germaniæ aliquot laudabilis vitæ Epiſcopi 1436.62
Gloriæ mundi quid operetur, & quanta eius vanitas 1433.95
ſcripturis intelligendis multum obeſt ibid.
eius remedium humilitas ibid.
Gloriæ ex confectione veræ pacis reportanda 1439.123
Græci cum Latinis vniri deſiderant 1434.16
Græcorum laus 1432.42
eorum conuerſio non parui momẽti ibid.43
diſcrimen à Turcis tempore Concilij Baſileenſis 1432.143
Græcorum Imperator ſcribit Baſileenſibus 1435.37 item eius frater ibid.39
Graci per Latinos Romanæ ſedi ſubijciuntur 1438.2
Graci Latinos nimia ſcrupuloſitatis accuſant 1438.1
alios populos in errorem trahunt ibid.
mutant & ad Latinorum partes inclinant 1439.76
inter ſe diſſident 1493.104
cũ Latinis vniuntur in puncto rei proceſſione Spiritus ſancti ibid.105
concitatore Marco Epheſio turbantur & vnionem abijciunt 1440.79
Gregorij Hieromonachi Graci & Sancti libellus contra Marcum Epheſium 1440.45
Gregory Mammæ de capienda Conſtantinopoli vaticinium 1440.79
Guardia mons vnde nomen habeat, imagine B.Virg.clarus 1433.380
Guntherus Archiep. Magdeburgenſis à ciuibus vim patitur, & cauſam contra eos obtinet 1434.58
Guſtus in homine cauſa mortis & vitæ 1435 102

H.

Hæreſes ex mala intelligentia ortæ 1433.339
Hæretici abominandi in Stiuia 1432.155
Hæreticorum abominanda facinora 1432.164
intentio & propoſitum 1433.82
eorum inter ſe tumultus 1434.37
clades ibid.
duplicitas & fallacia 1436.45
Henricus Angliæ rex literas mittit Baſileam ad Patres Concilij 1432.20
item Eugenio IV.Pontifici ibid.21
ſpretis Baſileenſium decretis annatas & denarium S.Petri ſolui præcipit 1439.145
Henricus Kalteiſen habet inſignem orationem In Concilio Baſileenſi de libera prædicatione verbi Dei 1433.254
Henricus Tockius Canonicus Magdeburgenſis Pragæ coram ſtatibus regni habet orationem 1433.70
Henricus Vardlau S.Andreæ in Scotia Epiſcopus ſtudioſe moribus emendandis intendit 1431.56
eius præclara oratio ibid.
Henricus Chicheleius Arch. Cantuarienſis Archiep. collegium clericorum inſtituit 1441 11 moritur 1443.19
Hierarchiæ tres in Eccleſia triumphante 1433 267
Hierarchia Eccleſiaſtica non labefactanda 1433.268
probatur ex diuerſis legibus ibi & ſeq.
Hiſtoria Concilij Florentini 1438.19
Hiſtoria imaginis B. Virg.in monte Guardiæ 1433.379
Hoſtia ſacra in ſacello Diuionenſi 1433.310
Humilitas remedium vanæ gloriæ 1433.95
Huſſitæ gens peſtilens 1432.44
eorum ſtudium ibid.
Baſileam veniunt ad Concilium & quid ibi egerint 1433.57
eorum articuli Concilio propoſiti ibid.59
pertinacia in erroribus ibid.61
nolunt ſe ſubmittere niſi approbentur eorum articuli ibid.66
ab ijs duo valde facilia petita 1433.89
eorum de auferendis bonis Eccleſiaſticis contrariatur doctrinæ Chriſti 1433.358
eorum proteruia 1437.29
nouos articulos diuulgant 1441.12

I.

Iacobellus quidam in Bohemia primus effractor vniuerſalis conſuetudinis in communione 1433.146
Iacobus Vicanus vrbis Romæ præfectus Eugenio IV. infenſus 1432.144
Iacobus Scotiæ rex à ſicarijs in aula ſua interfectus 1436.56
eius præclaræ dotes ibid.
Iacobinus quidam Bohemus hæreticus Sigiſmundo Imp. rebellans cum ſuis ſuſpenditur 1437 30
Iacobini cum ſuo Patriarcha ad vnitatem Eccleſiæ Ro.redeunt 1441.5
formæ doctrinæ ijs tradita ibid.6
Iconoclaſta à Iudæo occiſus 1432.154
Ieſus poſitus in ruinam & reſurrectionem multorum quomodo 1433.339
Imago B. Mariæ Virg.in monte Guardiæ iuxta Bononiam claret miraculis 1433.378
eius hiſtoria ibid 379
imaginis ſchema ibid.381
varia miracula ibid.382.& ſeq.
Incarnationis myſterium maius quam Euchariſtiæ 1433.100
Indicia veri prædicatoris 1433.274
Inſtrumentum electionis ciuitatis Baſileenſis pro Generali Concilio celebrando 1431.28
Intentio hominis in primis conſideranda 1433.60
Interdictum non leuiter promulgandũ 1435.4
Ioanna Neapolis regina moritur, & quid inde ſecutum 1435.53
Ioannes Aureliæ Ducis filius Pontificatui à Baſileenſibus deputatus 1440.86
Ioannes Hunniades Turcas cædit 1443.1
Ioannes Hacquinus Vpſalenſis Archiepiſcopus pro libertate Eccleſiaſtica depugnat 1431 59 moritur ibid.
Ioannes Archiepiſcopus Tarentinus Eugenij IV. nuncius in Concil. Baſilien. pro authoritate Rom.Pontif.perorat 1432.51
Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani faſtus magna diſſidij inter Græcam & Latinam Eccleſiam cauſa 1438.1
Ioann. de Turre cremata quid ſcribat de decretis Concilij Baſileenſis 1432.137.& ſeq.
Ioannes Nider Dominicanus moritur 1438. 79
Ioannes Cholonenſis in Polonia ſchiſmaticos ad vnitatem reducit 1438.78
Ioannes Caracciolus vix noxius occiditur 1432.145
Ioannes I. Luſitaniæ rex moritur 1433.310
Ioannes Segouienſis Baſileæ contra Eugenium diſputat 1439.6
Ioannes Nider Dominicanus mittitur ad populos Bohemis vicinos & cur 1431.15
mirabilia multa narrat 1432.154.& ſeq.
Ioannes Polomar habet orationem coram ſtatibus regni Bohemiæ 1433.62.& 68 item 74. in Concilio Baſileenſ. 1433 338
Ioannes Rochizana reſpondet in Concilio Baſileenſi 1433.58
petit præfigi diem quo Huſſitæ audiantur ibid.59
Ioannes Polender Dominicanus vir ſanctus moritur 1435.62
Ioann. de Raguſio Dominicanus reſpondet Rochizanæ per octo dies in Concilio Baſileenſi 1433.99.& ſeq.
Ioannes Rohaccius prædo & hæreticus cum ſuis ſuſpenditur 1436.50
Ioannes Pacierus in regno Caſtellæ magno apud Principem loco 1440.102
Ioannes Palæologus Græcorum Imper.pro vnione Eccleſiæ laborat 1434.26
eius literæ ibid.27
periculo ſuo inductus hoc facit ibid.
cum Pontifice ſe contra Baſileenſes futurum ſpondet 1437.3
quid illum mouerit ad vnionem amplectendam 1438.4
quo comeatu in Italiam venerit ibid.5
Ferrariam venit ibid.7.21
qua pompa Venetias ſit ingreſſus ibique exceptus 1438.10
eius verba in Concilio Florentino 1439.96
ſententia ibid. 03
Ioannes Card. Vitelleſcus rem Eccleſiæ prodit 1440.94
quis & qualis fuerit ibid.96
Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus ſcribit Baſileenſibus 1435.38
eius concluſio facta Oratoribus Baſileenſis Concilij ibid.41
moritur Florentiæ 1439.39.& 107
eius ſententia in Concilio Florentino 139 102
item confeſſio ante mortem ſcripta ibid. 108
Ioſephi Methonenſis Epiſcopi libellus contra Marcum Epheſium 1440.16
Italiæ motus à Philippo Vicecomite 1433.13
item alius ab eodem ibid.14
Iſidorus Ruthenorum Archiepiſcopus pro vnione

ne eorum laborat 1440.80
à magno Moſcouiæ Duce male exceptus ibid. & 1441.4
Iudæi duo exuſti ob puerũ occiſum 1432.168
Iuramentum Cardinalis recens electi 1436.9
Iulianus Cardinalis ſit Legatus Germaniæ 1431.7
inchoat Concilium Baſileenſe ibid.10
modum in Concilio ſeruandum præſcribit ibid.13 ſcribit Bohemis, eos ad Concilium Baſileenſe inuitans ibid 16 ſignificat Pontifici quid Baſileæ ſit actum 143 .17
Concilium ſupra Pontificẽ extollit ibid.22
ſermonem habet in Concilio ibid.26
B. hemos Huſſitas alloquitur 1433.57
eius exhortatio ibid.60
proponit illis triginta quatuor articulos ibid.61
alia eius oratio ad Bohemos 1433.84
varia colloquia cum Imperatore Alberto miſcet in negotio Concilij 577
præfacta reſponſio ad Legatos Pontificis 1435.25
in Concilio Ferrarienſi diſputat cum Græcis 1438.42
Eugenio IV. reconciliatur 1439.3
eius altercatio cum Imp. Græcorũ pro diſputationibus & ſeſſionibus habendis 1439.95
nomine Pontificis Eugenij IV. reſpondet Græcorum Imp. ibid.96
Eugenio metum de Antipapa adimit & quibus verbis 1442.9
ad Hungaros Legatus mittitur & quid ibi egerit ibid.11
inducias cum Turcis factas frangendas ſuadet 1444.97
eius ea de re oratio ibid.
à Turcis interficitur ibid 99
quis fuerit ibid.100
Iuſtinianæ familiæ apud Genuenſes claritas 1435.54

L.

Ladislaus infans in regem Hungariæ coronatur 1430.100
tutores accipit 1445.5
Laici Iudices in Anglia cauſas Eccleſiaſticorum tractant 1446.9
ſuper hoc regi ſupplicatio tradita ibid.
Lapides mirabiles 1432.154
Latinipetunt à Græcis explanationem ſuſcripti 1439.98
Laurentius Iuſtinianus Venetorum Patriarcha 1435.54
eius modeſtia & ſanctitas ibid.
Legatio ex Concilio Baſileenſi ad Bohemos cum aliorum Principum oratoribus 1433.62 & ſeq. item 73
Leo Imp. Iconomachus 1438.1
Lex qualis eſſe debeat 1433.197
quomodo ſe habere debeat erga meretrices ibid. circa tabernas ibid.
poteſt mortem afficere ibid.198
Lex Hierarchiæ deriuatur à lege æterna 1433 167
Literæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Cardinales Rom. 1434.19
Literæ commendatitiæ vnde ortum habeant 1433.327
Literæ Sigiſmundi Imp. ad Baſil. 1434.49
regis Sueciæ pro Brigittinis ibid.51
item aliorum Prælatorũ pro ijſdem ibid.52
Lodouicus Columnius Eugenio IV. infenſus 1432.144
Lodouicus Andegauenſis moritur 1434.59
Lodouicus Bauariæ Dux vir ſanctus moritur 1437.36
Lodouicus Barbus Abbas inſigne exemplum humilitatis edit 1437.38
Lodouicus Card. & Archiepiſcopus Arelatenſis acerrimus Eugenij IV. hoſtis 1439.6
eius in dicendo procacitas ib.d.7
execrandum facinus ibid.10 mœror & titubatio in Conciliabulo ibid.14
Lodouicus Batauinus Aquilegienſis Patriarcha Eccleſiæ Rom. vexillifer 1440 95
Ioannem Vitelleſcium Card. opprimendum curat ibid.96
S. Lyduina virgo vbi nata 1433.287.fol.294
eius infantia ibid. nubere reſpuit ibid.
virginitatem Deo commendat ibid.
ex coſtæ ruptura patitur magnos dolores ibid. miracula edit ibid.288
omnia eius membra inauditis doloribus obnoxia ibid. pater eius à dæmone in aquam proiectus conſeruatur ibid.
angelorum conſortio fruitur ibid.290
impetrat viduæ vt angelũ videre poſſit ibid.
tota in timore domini fundata ibid.
eius patientia erga fratris vxorem valde procacem, & erga maledicis ibid. taciturnitas ibid. obedientiam religioſis commendat ibid.391 item ſeculatibus ibid.
Paupertatis ſtudium ibid. liberalitas in egenos ibid. carnes in olla miraculoſe non deficiunt ibid. nummi in eius crumena non deficiunt ibid.292 charitas in puerperas & agrotantes ibid. pannus miraculoſe attactus ad veſtem ſacerdoti faciendam ibid. doctrina de otio vitando ibid.
de matrimonio recte ſeruando ibid.
vſurarium nunquam viſum noſcit & reprehendit ibid.293
item mulierem impudicam ibid.
item virum principem & ſacerdotem libidinoſum ibid.
quantum cruciata fuerit animarum periculis ibid 294
deſperanti quid faciendum iniunxerit ibid.
pro deſperata orat ibid.
flagitioſiſſimum quendam ad emendationem perducit & quomodo ibid.
quanto deſiderio ſacram Euchariſtiam ſumere cupiuerit ibid.245
porrectam ſibi hoſtiam non conſecratam agnoſcit ibid.
ignis ſuper cubiculũ eius apparet ibid.296
angelum ſuum videt ibid.
Chriſtus ei vulnera ſua imprimit ibid.
ei apparet ibid.
miraculum circa hoſtiam ibid.
vulnera à Chriſto impreſſa fruſtra occultare nititur ibid.
aqua quæ manus ſuas lauerat mercatorem tibia laborantem ſanat ibid.297
aliam mulierem tactu ſanat ibid.
canonico vocem canoram precibus aufert ibid.
potator quidam bene de ea loquens conuertitur & fit ei ſimilis ibid.
variæ patrat miracula ibid.
animas è purgatorio liberat ibid.298
multos fert cruciatus ibid.
corpus eius ſuauiſſime ſpirat ibid.
multa eius miranda ibid.301
magna eius cum B. Virg. familiaritas ibid. 302
mirabilis exceſſus ibid.
vulneratur à quibuſdam militibus, eorumque pœna ibid.304
ante obitum apparet ei Chriſtus cum B. Vir. ibid.306 moritur ibid.
quantus eius corporis decor ibid.
diuerſorum viſiones de ea ibid.

W.

Magiſtri Bohemorum dant oratoribus ſuam informationem 1433.72
Maleficus duplici de cauſa poteſt occidi 1433 198
Manſionum in cœlo differentia & varia vltima fœlicitatis poſſeſſio 1439.138
Marcus Epheſius in Concilio Ferrarienſi Græcorum dogmata propugnat 1438.7
eius diſputatio cũ Andrea Coloſſenſi ibid.8
cum Andrea Rhodio ibid.29
pertinax ſchiſmaticus reluctatur vnioni 1439.104
eius impoſturæ à diuerſis deteguntur & refelluntur 1440.15
eius vitæ ſummarium ibid.16
luctus ex eius morte ibid.17
apparet in ſomnis Thomæ Apoſtolico & Pontificatum prædicit ibid.
Nicolaus Fortebraccius Eccleſiæ copiarum ductor ab Eugenio alienatur 1433.13
milites Pontifices vbique ſuperat, & omnia turbat ibid.
pontem Miluium occupat ibid.16
alij eius conatus ibid.17
Nicolaus Ragualdi miraculo ſeruatus ſit Archiepiſcopus Vpſalenſis 1438.77
Nicolaus Cuſanus Cardin. Eugenio IV. addictus 1439.5
Nicolaus Panormitanus pro Eugenio IV. Baſileæ diſputat ſed ſatis inconſtanter 1439.6
differendam ſuadet Eugenij depoſitionem ibid.7
Norimbergæ Conuentus Principum ad ſedandas diſcordias inter Eugenium & Baſileenſes 1439.5
Numij Pereiræ Equitum magiſtri pius obitus 1431.63

O.

Obitus Ferdinandi Luſitaniæ regis patrui, pietas & caſtitas 1444.109
Officium diuinũ quomodo perſoluendũ 1435.8
Officiorum diſtinctio in Eccleſia neceſſaria & cur inſtituta 1433.268
Olaus ſit Archiepiſcop. Vpſalenſis in Suecia, idque inuito rege Erico 1431.60
veneno interficitur 1438.76 iurium Eccleſiaſticorum intrepidus defenſor ibid.
Oratio Gregorij Sanocei Poloni ad regem ne cõtra Turcis ſuper Euchariſtia iuret 1444.96
Oratio Georgij Scholarij Græci de amplectenda vnione 1439.118
item alia eiuſdem ibid.124
item tertia eiuſdem ibid.132
Orationis vis ad conuerſionem peccatorum 1438.80
Oratores Baſileenſium apud Græcorum Imper. prolixe diſſerunt 1435.29
Oratores Baſileenſium ſcribunt Bohemis pro perſonis ad Concilij mittendis 1432.24.25
reſcribunt Baſileenſibus ibid.26
Pragæ quaſi miraculo à peſte præſeruati 1433.82
Oratorum Imp. & Burgundiæ Ducis ad Eugenium IV. verba 1433.20
Ordo in correptione Prælatorum ſeruandus 1433.213
Ortuini Gralij diſcurſus de materia communionis Bohemis conceſſa 1433.79
Otto Treuirenſis Archiepiſcopus vitæ laudabilis 1436.62

P.

Papa poteſt ſuper loco & tempore Concilij celebrandi diſpenſare 1432.64
& cui officium prædicationis inhibeat, tenetur obedire 1433.297 quatenus ſupleat vicem Chriſti ibid.304 ſummam habet in terris iuriſdictionem ibid.
Parricidia atrociter punita 1436.56
SS. Patrum doctrina potius audienda quam aliquis nouator 1433.92
Paulus V. S. Franciſcam Romanam in numerum Sanctorum refert 1440.106
Pax inter Senenſes & Florentinos 1433.1
Pax non tuta, vbi dogmatum diſcrepantia eſt 1439. 115
Pax nondum extincta querimoniis, non pax dicenda ſed potius induciæ ibid.
Pace & concordia in rebus honeſtis nihil natura habet maius 1439.14
Pax prius in nobis firmanda ſi illam cum aliis habere volumus 1439.119
Peccata mortalia publica quomodo poſſint puniri 1433.205
publica Eccleſiaſticorum à laicis puniri non poſſunt ibid.223
Peccato quouis mortali non amittitur dominium 1433.214
Peregrini cuiuſdam verba notanda in templo S. Pauli Romæ 1436.60
Periculum effuſionis in communione vide 1443.148
Peſtis Baſileæ grauiſſima durante Concilio 1439.13
F. Petri Confluentini Dominicani viſio & mors 1432.171
Petrus Anglicus Wiclephiſtarum primarius ab Huſſitis arbiter electus 1436.49
Petrus Brixinenſis Eugenij IV. ad Carolum Galliæ regem Legatus eiuſque libertas 1439.144
eiuſdem ad regem Angliæ oratio ibid.145
Philippus Burgundiæ Dux Petrum Luxelbergenſem in numerũ Sanctorum referri curat 1436.59
Philippus Vicecomes Mediolani Dux Eugenio IV. infeſtus 1431.5 eius rei cauſæ, & ſtudium ad Eugenium perdendũ 1431.48
Sigiſmundo Imper. poteſtatem arcis perluſtrare negat ibid.49 homo inquietus Florentinos impetit 1432.144
cauſæ alienationis ab Eugenio 1432.144
turbat Italiam & cur 1433.13
ſubmittit diuerſos qui Pontificem euertant 1433.17. & ſeq.
eum capere nititur 1434.fol.322
Pontifex reconciliatur 1435 50
eius victo. ia contra Alphonſum Arragoniæ regem ibid.53
liberalitas in regem captum ibid.
Eugenio iterum infenſus 1437.6
variis dolis & technis Eugenium IV. perdere cupiens principatum ſuum ad aliam familiam tranſmittit 1438.72
quomodo id acciderit ibid.
cladibus caſtigatur 1439.1 gemina clade fractus ad pacem inclinat 1440,97
eius inſtabilitas 1443.8
Photius magnus diſtidij inter Græcam & Latinam Eccleſiam author, eiuſque impietas 1438.1
Pluuia impetrata per imaginem B. Virginis 1433.382
Poloni contra Crucigeros Marianos bellum gerunt eoſque vincunt 1433.56
eorum erga matronas & puellas captiuas humanitas & honeſtas ibid.
Populus non poteſt iuste ſubtrahere prouentus malis ſacerdotibus 1433.215
Populo prædicanda ſunt triplicis generis 1433.298
Poteſtas diſtributionis ſedi Petri commiſſa 1433.274
Præceptum Dei eſt in multiplici differentia 1433.303
Prædeſtinationis ſignæ 1433.302
Prædicator qualis eſſe debeat 1433.321
Prælati & presbyteri quatenus tenentur prædicare 1433.299
Pragenſis Vniuerſitas hæretica ſcribit Baſileenſibus 143 .26
Procopius Raſus Huſſitarum Dux venit Baſileam ad Concilium 1433.57
nomen hæretici indigne fert ibid.59
belli fructus extollit 1433.66. Capitaneus Thaboritarum, & crudelis ibid.76
eius ſtolida argumentatio refutata & cachinno excepta ibid.78
Prodigiũ initio Pontificatus Eugenij IV. 1431.3
Prodigia aliquot in Scotia necem regis præmuntiantia 1436.56
Procopij duo Apoſtatæ vno die cæſi 1434.37
Propoſitiones de proceſſione Spiritus ſancti Ruthenis propoſitæ 1440.71
Proteſtatio Principum Germaniæ tempore ſchiſmatis 1440.91
Punitio peccatorum à quo & quatenus facienda 1433.81
Punitio diuina ob fratres mendicantes inaudita grauatos 1433.285. & ſeq.
Purgatorium aſſeritur contra Græcorum errores 1438.25

Q.

Quadraginta millia equitum Germanorum contra Bohemos hæreticos ducta, fugiunt non viſo hoſte 1431.91
Quatuor aſſertiones Andreæ Coloſſenſis in Concilio Ferrarienſi 1438.8
Quæſtio de igne purgatorio 1438.25
Quinque Luſitanorum Principũ regis fratrum inſœlix in Africam expeditio 1437.33
Quibus nominibus diuina eſſentia nuncupata 1432.52
Quatuor tantũ Euangelia approbata 1433.91

R.

Rabanus de Helmſtat Archiepiſcopus Treuirenſis reſignat 1439.146
Raymundi Lulli cultus improbatus 1432 170
Recanatenſium perfidia 1433.18
Recluſa quædã ſub pallio ſanctitatis inſignis deceptrix 1432.162
Reformatio monaſteriorum dæmoni exoſa 1437.42
Religionem aliquis poteſt ingredi Spiritu ſancto ductus etiam nolente Epiſcopo 1433.327
Reliquiarum veneratio licita 1435.231
Renati Lotharingiæ Ducis contra Burgundum infœlix pugna 1435 60

Renatus Andegauenſis Neapolim perdit & diſcedit 1442.1
Requiſita ad interficiendum 1433.205
Res mira & non mira 1433.146
Reuerentia quæ exhibetur Pontifici non eſt inordinata 1433.305
Rixa in Concilio Baſileenſi 1439.8.& ſeq.
Rodericus Velaſcus Epiſcopus à loco occiſus 1435.63
Rokezanæ inſufficiens proteſtatio 1433.154
Concluſiones ibid.155
maledicentia & peruerſitas 1436.46
nominat ſe Archiepiſcopum Pragenſem ibid.48
lum Thaboritis concordiam facit ibid.
eius ſeditioſæ conciones 1440.98
Romanâ Eccleſia licite addidit ſymbolo vocem, filioque 1438.8
Romanæ vrbis ſtatus pulſo Eugenio IV. Pontific. 1434.29
Eugenio ſubijcitur ibid.31
Romani Pontif. plenaria poteſtas, cui omnes homines obedire tenentur 1432.58
iure diuino eſt caput & fundamentum vniuerſalis Eccleſiæ ibid.102
varij eius tituli ibid.
Ruſſorum crudelitas in Catholicos 1431.54
Rutheni Polonis ſubiecti Latinis vniuntur 1440.8

S.

Sacelli B. Virg. in Eremo apud Heluetios dedicatio miraculoſa 1432.152
Sacerdos quidam exterius probus interius in fide corruptiſsimus 1432.156
item alius ibid.157
Sacrilegi in Gallia puniti 1431.53
item in Polonia ibid.54
magis quam fures puniendi 1433.358
Sacerdotes etiam mali honorandi & cur 1433.259.& ſeq.
Sacerdos quilibet non obligatur ad prædicandum & cur 1433.286
quando debeat omittere prædicationem 1433.298
Sacerdotum orationes propopulo ſunt efficaces ibid.309
malorum ſuffragia quomodo profint ibid. 310
ſemper fuerunt in magna reuerentia 1433 359
Sagarum prædictiones fraudulentæ 1436.56
Saladini claſſis à Rhodijs fugatur 1440.101
Salimbenij cuiuſdam hiſtoria 1437.39
Salutus conductus Bohemis oblatus & datus à Baſileenſibus Patribus 1432.22.23
eius tenor ibid.111
item Græcis 1436.16
Sancius Carillo relicta Eccleſiæ Rom. militiâ deſicit ad Malateſtas 1433.15
Sanctæ malis nocent, bonis proſunt 1433.79
Sanctitatis tres ſpecies 1433.305
Sancti quo ad animam perfecti beati, quoad corpus vero non 1440.73
Sbigneus Cracouienſis Epiſcopus libere regem redarguit, eiuſque conſtantia 1431.55
hæreticis præſentibus diuina ceſſare facit, eiuſque ad regem iratum reſponſio 1432 165 periculorum contemptor ibid.
Scelus filij in patrem 1441.13
Schiſma vnde dictum 1432.27
Schiſmaticus Eccleſiaſticum ordinem turbat 1432.27
Scripturæ duobus modis licite aliquid poteſt addi 1433.309
magna reuerentia ſuſcipienda ibid.339
Scotorum crapulæ 1431.57
Scriptura quomodo intelligenda 1433.119
circa ſenſum eius literalem quid conſiderandum ibid.120
eius difficultas ex parte temporis ibid.
Sebaſtianus Tridentinus Epiſcopus vitæ laudabilis 1436.62
Segouienſis Epiſcopus in Concilio Baſileenſi impotenter loquitur 1439.8
Sententia à ſuo iudice lata, etiamſi iniuſtè, timenda tamen 1433.297
Sententia Eccleſiæ prohibens alicui prædicationem, non eſt pretenſa, ſed veraciter impenſa ibid.
Sergius Monothelita hæreticus 1438.1
Sigiſmundus Imp. ad Italicam profectionem ſe accingit 1431.49
Mediolani coronam ferream accipit ibid.
Philippo Vicecomiti infenſus & cur ibid.
diſſuades Eugenio IV. Pontif. diſſolutionem Concilij Baſileenſis, datis ad eum diuerſis literis, & monitis 1432.2.& ſeqq.
eius informatio data Oratoribus ad Pontif. miſſis ibid.6
ſcribit Iuliano Cardinali & Patribus Concilij Baſileenſis, offerens illis omnem opem &c. ibid.7
accipit reſponſum ab Eugenio ibid.8
ſeductus à Baſileenſibus edictum edit quo declarat ſe adhæſurum Concilio 1432.101
Pontifici fruſtra reconciliari vult 1432 144
decem menſibus hæret Senis & Pontifici reconciliatur 1433.1.2
eius mandatum Legatis Romam miſſis datum ibid.3
iuramentum ibid 4
conuentiones cum Pontifice ibid.6
ſcribit ea de re Baſileenſibus ibid.7
Romam ingreditur ibid.9
inungitur, coronatur, & iuramentum præſtat ibid.10
ſtratoris officio fungitur, & Pontificis equũ ducit ibid.11
Laudetum inde Mantuam tendit ibid.12
intereſt Concilio Baſileenſi 1433.40.45
Philippo Burgundo bellum indicit 1433 309
Eugenio Pontifici parum addictus 1434 37
Baſileenſes de victoria contra Thaboritas obtenta certiores reddit ibid.40
eius literæ ratione diſceptationis Baſileæ de prærogatiua quorundam Principum in conſeſſibus publicis 1434.49
literæ quibus ſpondet certa quædam capitula Concilij Baſileenſis ſeruaturũ 1436.35
item aliæ ibid.36
cupidus regni recuperandi multa Bohemis ſeorſum promittit ibid.44
eius cæca cupido ibid.45
quanta Pragæ mutatio in eius aduentu ibid.46
nouam cum Thaboritis concordiam init ibid.47
latrones & rebelles quoſdam punit 1436 50
Rokyſanæ aſſeclas Praga expellit ibid.51
inter ipſum & Eugenium IV. Pontif. diſſenſio & cur 1436.53
ſcribit Baſileenſibus pro Huſſitis 1437.24
Ratisbonã ad comitia proficiſcitur ibid.25
Pragam ſe ſubducit 1437.29
eius ad Proceres ante obitum verba 1437 32
moritur ibid.34
eius laudes & res geſtæ ibid.
conſtitutio pro libertate cleri ibid.
Signa prædeſtinationis 1433.302
Solis ingens deliquium 1433.12
Sollicitudo Eccleſiæ circa filiorum ſubrum concordiam 1434.16
Spectacula in Eccleſijs non facienda 1435.16
Spiritus ſanctus duobus modis contriſtari dicitur 1432.71
quam formidabile ſit in illum delinquere ibid.72
non omnes eodem opere illuminat ibid.93
rector Conciliorum 1433.97
Spiritualia ſine temporalibus ſubſiſtere nequeunt 1440.88
Spiritualis manducatio ad bonos tantum pertinet 1433.175
Statuum diuerſitas in Eccleſia neceſſaria, & cur 1433.268
à Chriſto inſtituta ibid.
Suecorum quorundam prælatorum admiranda leuitas 1436.55
ſcrupuloſa conſcientia ibid.
Sueciæ rex mittit literas ad Baſileenſe Concilium contra ſugillatores Ordin. S. Brigittæ 1434.51
item alij Prælati ibid.52
Summa Dei ſapientia in Euchariſtiæ ſacramento elucet 1433.102
per viſibilia ſe manifeſtat ibid.
Summa Chriſtianæ diſciplina in pietate & miſericordia conſiſtit 1413.88
Superiores poſſunt inferiores corrigere correctione fraterna & vice verſa 1433.208
Symboli Niceni ſiniſtra explicatio diſſidij inter Græcos & Latinos cauſa 1438.2

T.

Tenor capitulorum concluſorum cum Ambaſiatoribus Græcorum in negotio vnionis 1434.17
Tenor literarum Imp. Conſtantinopolitani ad Concilium Baſileenſe 1434.18
Thaboritæ & alij hæretici Pilſnam obſident 1433.75
cæſi 1434.37.& ſeq.
peſſimi hæretici, quorum intentio erat Catholicis illudere 1436.49
Theodoritus male de proceſſione Spiritus ſancti ſentiens errorem reuocauit 1439.94
Theſſalonica capitur à Turcis 1434.28
Thomas Fulgoſius egregium manſuetudinis & continentiæ ſpecimen edit 1437.37
Torlacus Noruegus Vpſalenſis Archiepiſcopus mancipium regiæ crudelitatis multis iniuriis Capitulum afficit 1438.76
Trapezuntius Imp. ſcribit Eugenio IV. Pontif. 1434.34
Tres modi correctionis peccatorum 1433.250
Tria requiruntur vt orator verbi Dei efficaciter loquatur 1433.254
Tria genera additionum 1438.12
Triplex mandatum domini 1433.257
Tumultus in Germania ob depoſitum ab Eugenio IV. Archiepiſcopum Colonienſem & Treuirenſem 1445.2
Turba contra Eccleſiaſticum ordinem ratione quarundam decimarum mota 1434.47
Turbæ in Polonia ab Huſſitis excitatæ & ab Epiſcopo repreſſæ 1439.147
Turca obſidionem Belgradi ſoluere cogitur 1440.100
Turcæ ab Hunniade caduntur 1443.1
iterum ſuis capto eorum duce ibid.
ſuper aliorum iurant 1444.96
Turpitudo eſt ſi in malo perſeueretur non ſi à malo recedatur 1439.126

V.

Valtherus Atholiæ Comes Iacobum Scotiæ regem interfici curat 1436.56
atrociter punitur ibid.
deluſus à ſagis quæ ipſum publice coronandum prædixerant ibid.
Veccus Conſtantinopol. Patriarcha cum Ro. Eccleſia communicat, ſed eijcitur 1438.1
Venus val. diſſimus 1434.56
Veritate ignorata pax inter homines manere non poteſt 1439.118
eius inquiſitio ſcopus Deo gratus ibid.120
Virginitatis ſeruatæ duo exempla iucunda 1435.64
Viri celebres Dominicani in Polonia 1438 78
Vita S. Lyduinæ virginis 1433.287
Vitæ & miracula S. Franciſcæ Romanæ 1440 106
Vita Nicolai Albergati Cardinalis 1443.16
Vita S. Bernardini Senenſis 1444.1. & ſeq.
Vitelleſcus Cardinalis ſeditionem Romæ comprimit, & ſacrilegos punit 1438.73
Voluntas Dei duplex ſigni & beneplaciti 1433 316
Vrſinorum præclara connubia 1444.104
VVilhelmi Banariæ Ducis ſomnium mortis prognoſticum 1435.59
VVladislaus Poloniæ rex Sbigneo Cracouienſi Epiſcopo iratus ob libertatem 1432.165
moritur, eiuſque exequiæ in Concilio Baſileenſi celebrantur 1434.46
VVladislaus iunior patri ſuccedit 1434.47
diploma edit contra hæreticos in fauorem officij S. Inquiſitionis 1436.52
regnum Hungariæ oblatum contra Turcas defendendum ſuſcipit 1440.100
eius de Turcis victoria 1443.1
pietas in vniendis Ruſſis ad Latinam Eccleſiam ibid.2
eius contra Turcas res geſtæ & obitus 1444.96.

FINIS.